image not available



Augustæ Vindelicorum ad insigne pinus, Cum priuilegio Cæs. perpetuo. Anno Christi MDC





ILLVSTRIBVS, GENEROSIS, NOBILIBVS DD.

OCTAVIANO SECVNDO FVGGERO, QVIRINO RECHLINGERO II. VIRIS, PRÆFF. AMPLISS. SEPTEMVIRALI collegio, vigilantiss. Coss. vniuerso ordini senatorio in Augustana Vindelicor. Repub.



INtuenti mihi cum animo meo, PATRES, singularia, & plurima clarissimæ huius vestræ ciuitatis ornamenta, unum illud videri solet in prima numerandum gloria, quod cum pop. Rom. Quiritium (quo quidem per oras terrarum nullum quot sæculis ab omni laude beatiorem extitisse palam est) propinquitatis fœdus icere, genus, sanguineq; sociare potuit. Ante annos sexcentos undecim supra mille, stabat utiq; VINDELICA, vocabulo suæ gentis, cuius erat lumen, & caput, insignita: stabat, inquam, & inter cognata oppida, in eorum velut vmbilico constituta, excellebat. Simul verò victricibus Romanorum armis succubuit, Druso duce, auspice AVGVSTO (quem legis expertes Latinæ Vindelici didicere, quid Marte posset, ut canit Flaccus) ergo postquam sub ditionem populi populorum triumphatoris subiūcta, deductioneq; coloniæ splendidissimę, militum nempe veteranorum, condecorata, pusilla quædam effigies, & simulacrum aliquantum Romanæ vrbis reddita: nomen præterea nouum pro veteri, à nomine potentissimi Monarchæ adepta est, ut AVGVSTA ab AVGVSTO audiret, tum demum verticem sublimius multo, quam ante illā diem surrexit: & quasi ex aliena, ac nobiliore arbore immisso sibi germine

Exijt ad cælum ramis fælicibus arbos,
Admirata nouas frondes, & non sua poma.

Quapropter ipso genere, propagationeq; ciuium, lingua, moribus, legibus, institutis, sacrorum cærimonijs, AVGVSTAM VESTRAM olim fuisse paruam quandam Romam. cōfitendum est, pulcherrimæq; matris pulchram filiam, siquidem COLONIAM. Quemadmodum porrò nomen suum vsq; hodie conseruat: ita Coloniæ dignitatem etiamnum præclarè tuetur, cum reliquæ Augustæ, æquè Coloniæ, quotquot fuere (fuere autem plurimæ) aut prorsus deletæ sint, aut vocabulum, aut libertatem, aut vtrumq; simul perdiderint. Hæc quoniam ita sunt, priscos illos Romuli nepotes extollere, quid aliud cēseamus esse, quam maiores vestros celebrare, & vobis nihilominus natis natorum, ad quos proinde illorum etiam gloriæ hæreditas descendit, honorem nō vulgarem tribuere? Dicam fidentius: Troianorum quoq; decora, quantumuis longissimo tractu, ad vos vsq; delabuntur:

 quan-

quandoquidem ab Ænea, & illis reliquijs Danaûm, atq; imitis Achilli Romulidas generatos, fama, & litteris constat. Vtrosq; igitur satores vestros, recentiores hos, vetustiores illos profiteri, & prædicare concessum fore ab omnibus opinor.

Hosce ambos cum vatum ille SOL, & ANTISTES, AC PARENS LATINÆ POESEOS in parte operis sui grandiore, ac magnificentiore diuinissimis carminibus admirabiliter exornet, ego, qui non alienis ingredi vestigijs, sed libera per vacuum primus ponere institui, totamq; poesin Virgilianam, tripartitam illam, operosissimo negotio, ex lectissimis quibusq; per ἐγκυκλοπαιδείαν scriptoribus explanare, illustrareq; contendi, extra vos, PATRES, neminem perinde dignum, atq; idoneum inueni, cui hoc quidquid est, qualecunq; est laborum meorum, verius, decentius, plausibilius inscriberem. Non modo AVGVSTVM poetam, verum etiam auctorū progenitorumq; vestrorum buccinatorem, ô quam inclytum: nec istuc tantùm, sed AVGVSTANVM quoq; (fuit enim Virgilius Augusto Cæs. Imperat. familiarissimè dilectus) AVGVSTANÆ REIPVB. principibus donare, factū probabile videbatur.

Prodenda item, & publico testificanda monumento fuit aliquando, numquam apud me, Sociosq; meos senescens beneficij à vobis accepti recordatio. Auctoritate enim, cunctisq; suffragijs Consilij vestri, annis abhinc octodecim AVGVSTÆ sedem, domiciliumq; certum, stabile, proprium collocauimus. Nam cum in spem minimè dubiam veniretis, haud fore nos Communi indecores, posseq; teneriorem ætatem & studijs mitioribus erudire, & Christianis, atq; honestis moribus (quæ magna quædā Institutorum nostrorū pars est) excolere, factū est, ut quod ab integerrimis, ijsdemq; nobilissimis, ac patriæ suæ amantissimis familijs contendebatur, deo gratulantes confectum auferremus. Dedimus autem adhuc, dabimusq;, propitio numine, diligentem operam, ne vos meriti in nos collati pœniteat.

Me nihilominus priuatim aliquot caussæ ad hoc siue officium præstandum, siue debitum potius persoluendum sollicitarunt. Viuo vitam sub hoc cælo annos non paucos. Vnus de illorum numero sum, qui à principio pro SOCIETATE IESV in hac vrbe ludum aperuerunt. Totum insuper, quod AA. VV. offertur, & dicatur, intra istorum mœnium spatia natum, educatum, absolutum, & ab operis descriptum est, QVÆ RES MIHIQVE, CIVITATIQVE VESTRÆ, DOCTRINARVMQVE INGENVARVM STVDIOSIS FELICITER EVENIAT. Vehementer autem confido, quoniam se nō malè dederunt initia, & huiuscemodi posita sunt fundamenta, nos ex AVGVSTANO prelo libros prodeuntes complures, & quidem de nota meliore visuros: quando qui in eam rem de sua re conferre, ciuilemq;, & literariam rempub. tam optabili, atq; conducibili gaza auctare velint, diuinitus nobis obtigerunt.

Quod extremum est, rogatos velim vos, PATRES, maiorem in modum, ut istuc, quanquam non singulare, neque excellentissimæ dignitati vestræ satis honorificum munus serena fronte complexi, qua consuestis cura, beneuolētia, gratia receptos semel in fidem bonos, uti spero, clientes optimi patronorum tueamini. Sapientiss. ille, & benigniss. huius vniuersitatis effector, atq; gubernator, ad ciues subiectos in summa quiete, ac tranquillitate sapienter, mansuetè, moderateq; gubernandos, ope sua, quomodo antehac, vos impertiat. Valete. Augustæ, è collegio nostro, Anno Liberatoris M.D.XCIX. Kalend. Februarij.

AD

AD NOBILEM, CLARISSIMVMQVE MARCVM VELSERVM Augustanum, Patricium, Excos. VII. virum, χαριστήριον.

QVo tibi, MARCE, rear contingi corda lepore,
Quæ tibi, quæ tacitam suffundere gaudia mentem,
Palladia dum se circum glomerante caterua,
Et portante manu florentia lumina flammis,
Aspicis ÆTERNVM in vulgus prodire MARONEM?
Gaudet ut ipse sibi? ut se contemplatur, & illa
Quæ Cæsar, quæ Mæcenas, quæ Pollio quondam
Contulerunt, nihil esse putat sestertia, præ queis
Ingenij se nunc opibus pernoscit honorum?
Quacunq; incedit, loca feruent omnia plausu,
Cantibus Aonides, fidibus lætatur Apollo,
Tamq; nouam ingenti famam gratantur alumno.
Quiq; ita stipatum populi facis esse POETAM
Aere tuo, tibi, MARCE, omnes optata precantur,
Atq; tuum sublimè ferunt ad sidera nomen.
Nam quis ita est læuus, cui non tua plurima virtus
Blanditim incutiat suauem per pectus amorem?
Sacrati celebrare iuuat te limina templi,
Mentem animi sępe ætherias sustollere in arces,
Multa pijs adeò poscentem numina votis.
Quem porrò bonitas, iusti reuerentia, candor,
Antiqui mores, fuga luxus, ardor honesti,
Parcaq; sobrietas magè MARCO habuistis amicum?
Exercere tibi pulcherrima cura Mineruam,
Et chartis longos hærendo condere soles,
Otia cum studijs vrbana negotia reddunt:
Curia te siquidem vocat ad ciuilia rerum
Crebrius, atq; unà leges sancire necesse est.
Quid loquar, alta tibi quod tam explorata vetustas,
Omnis & historiæ longè notissimus ordo?
Sunt testes alij, testisq; insigne volumen,
Quo tu Vindelicis accendens lumina rebus,
Das vultus patriæ antiquos, atq; ora tueri.
Verùm agè, Boiugenûm pridem tibi cœpta, rogamus,
Dum texis pertexe semel monimenta virorum:
Parce supra decimam spe nos producere brumam:
Rumpatur nimium mora longa, eat alite fausto
Magnum opus, ingenij distinctum luminibusq;,
Et castigatum ad præsectum gnauiter vnguem.
Tu bona telluris Boiæ, & primordia gentis,
Magnanimosq; Duces, iunctasq; in fœdere dextras,
Et pugnata domiq;, forisq; horrentia bella,
Iura, vrbes, ritus, & res ab origine prima,
Et varios casus, & lectu maxima pandes,
Egregiam summo gentemq; beabis olympo.
MARCE, meum columen, Charitum flos, gloria Musæ,
Ante alios vnum quem diligit inclyta Virtus,
Perge stylo dulces, sumptuq; ornare Camœnas.
Viue diu, & simul ut naturam expleueris æuo,
Cælestûm ad cœtus animorum lætus abito.

DE CAVSSIS, ET RATIONE SVSCEPTI OPERIS, AD VIRGILII STVDIOSOS, & Professores præfatio.

P. *Virgilij poetarum omnium longè principis, iam inde à primis usq; temporibus, posteaquam semel publici iuris cœperunt esse ipsius monumenta, incredibilis fuit semper opinio, vixitq; nomen viri in summa admiratione, & gloria apud omnes populos, quibus aliquod intercedit cum mansuetudine, & humanitate commercium. Quem ludi literarum oppidatim, & in tot nobilissimis, atque grauissimis ciuitatibus, per universas propemodum terrarum prouincias conuentus Academici voluunt reuoluunt quot diebus, interpretantur, meditantur, perscrutantur: ætas impubes edıscit: poetices candidati æmulantur: omnium scientiarum duces, & doctores in libris, ac disputationibus suis testem sæpenumero laudant, & eximio verborum honore prosequuntur. Quem permulti commentarijs, diuersisq; syntagmatis olim exposuerunt, atq; illustrarunt: & non pauci nostra hac, maiorumq; tempestate ut exegesibus, scholijs, annotationibus, obseruationibus, emendationibus exponerẽt, illustrarent, nec non commendatiorem omnibus redderent, summa cura, studio & diligentia elaborarunt. Quem deniq; per tot sæculorum interualla qui ignorauerit, qui non crebra manu uersauerit, si quid ueri mens mea cernit, etiam inter egregiè, perfecteq; eruditos inuentus est nemo. Quod quidem decus, quam fœlicitatem sibi tanquam diuina uirgula suppeditatam quem, quæso, vel de Latinorum, quotquot tandem sunt, vel de Græcorum uatum classibus nominare poterimus, qui citra vanitatem gloriari queat? Atq; hæc à me dicta, Maroni nostro adeo non præter meritum indigneq; & præstita sunt, & præstantur, ut insulsitatis extremæ, pæne dixerim insaniæ loco ponendum videatur, si id quasi nondum probè testatum demonstrare, persuasissimis persuadere: & iuxta paræmiam, soli lumen mutuare quispiam instituerit. Etenim quis tandem artibus hisce nostris, non quidem leuiter tinctus, planè autem imbutus, Virgilio non sincerissimum, subtilissimumq; iudicium, non elegantissimum, acerrimumq; ingenium, non cumulatissimam industriã, non abundantissimam cognitionem, non excellentissimam eloquentiam, non demum aut celsissimũ, aut celsissimo proximum (Homero enim an principatus sit concedendus, de eo homines eruditissimi controuersantur) inter poetas gradum, & poeseos quasi quoddam regnum libentissimè desert, consecrat? Harum rerum indubitatè maximarum, pulcherrimarumq;, cum veluti suaues, & quemadmodum poetæ loquuntur, Sabæi, & ambrosij quidam odores iam olim me in Marone tractando, & in gymnasio explanando (absit verbo inuidia) haud somniculosè versantem afflauissent, permulsissentq;: ac tempore procedente, quo discendo proficerem amplius, hoc eosdem haurirem vberius, ita Virgilium amplexari, & in delicijs habere institui, ut vsq; hodie de poetis nullum nec sæpius mihimet legam: nec liberalius apud alios prædicem: nec cupidius, occasione data, auditoribus explanem. Iam pridem de eo sentire, & parua immutatione asseuerare complacitum est, quod sollertissimus dicendi magister Fabius de Cicerone, deq; Ciceroni deditis doctè, ac verè pronuntiauit.* IS SE PROFECISSE SCIAT, CVI *V*IRGILIVS VALDE PLACVERIT. *Et interdum aliquantillum tacito in sinu gaudeo, ideoq; non captasse ventos, aut lusisse operam confido, quia istis Mantuanis cantibus immane quantum, vehementissimeq; delinior. Quod ipsum eo libentius, ac liberius confiteor, quoniam huiuscemodi confessionẽ, propter adiudicatam illi, & sapientissimorum sermonibus creberrimè vsurpatã præstãtiam, neq; mihi, neq; cuipiãm alteri aliquando fraudi futuram solidè scio. Verumenimuerò, cum Maronianam poesin̄, ut*

suprà

suprà docuimus, complures, & pleriq; non sine gloria ad communem usum, siue lectorum duntaxat in Musæis, siue de superiore loco eius interpretum enucleandam sibi sumpserint: in eorumq; tanta varietate, ac numero perfacilè sit alios eligere, si cæteri (quod in multitudine assolet) minus arriserint: nec existimetur amplius magnopere nouum quippiam ad eam perspicuè, & omnimodis intelligendam requiri, mihi tamen, & mecum, ut equidem credo, multis frequentißimè visum est, à tot interpretibus, & scholiastis propemodum innumera nec dum vel animaduersa, vel producta in medium, quæ ad hæc cœlestißimi oris carmina ἐντρεχεστέρως, ac plenius, delectabilius, cũ maiore tam admirationis sensu, quam eruditionis fructu percipienda; pernoscendaq; mirificè conducunt, & quam aptißimè quadrant: nec esse adhuc (ignoscant mihi eorum manes, ad quos hæc testificatio mea pertinet) pro immortalibus eius erga scholasticam Rempublicam meritis, & præstantißima dignitate tractatũ Virgilium: de quo rectißimè scriptor quidã ingeniosißimus, deq; ipso optimè meritus, QVO QVIS ERVDITIOR FVERIT, EO CVMVLATATIVS, QVANTA SIT IN MARONE ERVDITIONIS, AC SCIENTIÆ COPIA PERSPECTVRVM. *Quare cõmouit, immò verò coegit me amor meus, vt in quadam ante hoc tempus, quod sciam, nusquam uisa (in Virgilio certè quidem) interpretandi forma laborem, cæteroqui multis de caussis perarduum capesserem. Ita sanè, amor meus huc me pertraxit, & onus hoc quantumuis graue, atq; perdifficile, Atlantæisq; subeundum humeris mihi mandauit, ut cum aliunde, tum uerò à me ipso peterem, si modò tanti sum, quæ ad sensus illius euoluendos, ad ingenium, iudicium, sapientiam demonstrandam ualitura statuerem. Hortata est insuper istuc ipsum fidelis memoria beneficij: nimirum ut uicißim ornamenta in eum congererem, à quo quomodocunq;, & quantumcunq; etiam (nihil enim mihi arrogabo) ornatum me persentirem. Postremò, incitauit me ad hãc prouinciam suscipiendam vtilitatis litterariæ, per liberalium studiorum cultores diffusius proseminandæ flagrantißimum desiderium: quod cum frequens præ me tulerim, frequens præ me ferã.*

Nunc, qua ratione hoc ædificiũ meũ architectatus sim: quid, qua via, & ratione præstiterim, sequitur ut disserendum videatur: sic enim quicunq; ad lectionem Symbolarum aggredi curauerint (& aggreßurum haud neminem spe bona sustentor) quid à me exspectare debeant, ut néue plus, néue minus exspectent, à principio statim planißimè, liquidißimeq; cognoscent. Obseruaui, eos qui operam, & tẽpus impenderunt faciendis Varijs lectionibus, Aduersarijs, Miscellaneis, et quib⁹ quibus alijs appellationibus huiuscemodi notæ cõmentarios suos inscripserunt (haud enim eodẽ indice uti oẽs voluerunt: quia suũ cuiq; pulchrum uidelicet) ut Victorij, Turnebi, Politiani, Rhodigini, Mureti, Lipsij, & huius ordinis trecenti, antiquiores, recẽtiores, obseruaui, inquam, istos dedita opera locos Virgilianos dispersè, nunc partim ex ingenio, partim ex vetustis codicibus ad intellectum seu veriorem, seu dilucidiorem castigare, corrigere: nunc explanare: nunc aut historia, aut sententia, locóue cuiuspiam probati scriptoris allato, aut alia deniq; via quodam illos lumine quasi perfundere, ac speciosiores efficere. Notaui item, cum hos ipsos, tum alios, velut aliarum familiarum homines, diuersarumq; ciuitatum ciues, dißimili scriptionis, siue tractationis genere occupatos, tam sacros, quam ciuiles, Theologos, Philosophos, Jureconsultos, Medicos, Rhetores, Grammaticos, & quidquid demum appellandi sunt, aliud agentes, Maronianos versus ad probandum, confirmandum, refutandum, ornandnm, illustrandum aliquid in medium adducere: quos etiam interdum, uti alios ex eodem poeta desumptos, occasione admoniti interpretantur. Sæpius quidpiam ad eorum enodationem peropportunum, valdeq; accommodatum differunt. Animaduerti insuper, ex varijs auctoribus, maximè autem ex historicis, & poetis vtriusq; linguæ, ad lucem Virgilianæ poesi maiorem adhibendam idonea permulta deriuari posse. Ad extremum, perspexi, quæ ad locos clarißimorum scriptorũ ab eruditis eorundem explanatoribus, siue de aliorum petita voluminibus, vnà cum Virgilij quopiam loco producerentur, ea posse retro omnia vicißim conuerti, reciprocaq; declaratione

 addecla-

ad declarandum, & illustrandum Virgilium quàm commodissimè assumi. Quapropter, si è tam multis, ac multifarijs literatissimorum virorum vigilijs has explicationes, illustrationes, comparationes, emendationes arbitratu, iudicioque meo decerperem, ac per libros Virgilianis libris dispositione, ac numero respondentes, secundùm seriem carminum, aptis sectionibus, pro recepto more distributam disponerem, ratus sum me à vobis, quique intra domesticos parietes Maronem lectitatis: quique eundem in illis eruditionum mercatibus pro cathedra discipulis interpretamini, gratiam non modicam initurum: cum præsertim non rarò incassum alibi sperata auxilia, hic vobis non defutura habeam polliceri. Expendet tamen secum prudens, & in docendo exercitatus magister, quæ ipse suo sibi stomacho, tanquam valentiori valentiora seruet: & quæ velut mediæ, aut imbecillioris materiæ, alumnis disciplinæ suæ non ita robustis, & δυσομάχοις apponat: alioqui ineptus, & sibilis consectandus sit. Ipsos porrò auctores, unde hanc vindemiam feci, suis ferme ipsorum verbis, quoad, & vbi res postulauit, loquentes introduxi. Fuit enim, cum nimia longitudo aut prætermittere nonnulla: aut rem breui comprehendere, meisque etiam vocibus uti: aut lectores ad ipsos fontes mittere coegit. Adde quod non rarò ipsos Virgilij enarratores Seruium, Donatum, Germanum Valentem, Nascimbænum, alios in partem laboris vocaui: quinimmò, ad perpetuandas symbolas, & ad plenitudinem tanti operis id necessariò faciendum fuisse, vos ipsi, postquam in rem præsentem veneritis, non ibitis, opinor, inficias. Eos quoque, qui Virgilium cum Græcis, ex instituto libris integris compararunt, ut Macrobium, (cuius exemplari ex editione Veneta perquam vitioso, vsque ad octauum Aeneidos vsum me scias velim) Fulvium Vrsinum, Stephanum, Iulium Scaligerum, aliquando consului: totos, tum quia infinitum erat, tum quia in promptu sunt, describendos, & tanquam Euripidis Medeam inserendos non putaui. Hic aliquis suspicetur, me huic Romano Homero Eustathium quasi quendam esse studuisse. Mène? Secus est. Ille alio incessit itinere, diuersum institutum tenuit, illasque παρεκβολὰς è compluribus Homeri interpretibus, ijsq; solis, explanationibus suis passim interiectis, tanquam è multorum concursu fluminum quendam enarrationum Oceanum confecit: nec eos ita distributè, & αὐτοπροσώπως mentem suam aperientes induxit. Apud me multum quidem loci interpretes, & ἐξηγηταὶ obtinent, Donatus, & Seruius potissimè, aliorum generum scriptores vel plurimum. Quo etiam onerosior hic labor meus, & opus operosius censendum, quando non tam obuium, & in numerato habui, vnde corpus hocce haud exiguum, & apparatum non mediocrem contexerem: sed longè lateque disciplinarum regiones peruagatus, copias conquisiui. Nec tamen omnes, quorum syllabum huic præfationi subijciam, scriptores penitus rimatus sum, aut intimè excussi: cuius enim istac otij, aut quanti etiam negotij? nec quotquot potuissem, sententiam dicere iussi: verùm in ijs veluti consularibus hæsi, quos ad Maronem proposita nobis ratione, ac methodo tractandum propemodũ sufficere constitui: vbi illius vulgati sæpe memoria subijt, μηδὲν ἄγαν. Quanquam dum fructui vestro toto pectore intentus sum, haud scio an istuc ipsum etiam cauendo satis cauerim. Interim volens confitebor, cupiuisse me è quibusdam libris symbolas desumere, qui in manus meas nondum inciderunt. Et quoniam tanquam ad conuiuium magnificè, splendideque instruendum, apparandumq; collectas, ab innumeris propemodum exegi, in quo conuiuio non ipsi, qui contulerunt, accumberent, sed quod vos celebraretis, translatione conuenienti, ut arbitror, SYMBOLAS *nuncupaui: idem enim symbola, quod collecta.* EHO, QVID PAMPHILVS? QVID? SYMBOLAM DEDIT, ET COENAVIT. *Alij, & quidem nonnulli bene multas symbolas ad cœnam istam, cœnásue coniectabunt: vos ἀσυμβόλως, gratuitòque cœnabitis. Credidi autem, erudite lector, velle te planè, & decorum putare, non me versari in istoc opere ἀσύμβολον, & à me quoque* COLLECTAS *exspectare quamuis magno numero. Itaque tuæ voluntati obsecutus, pro tenuitate captus, & quantulacunq; facultate mea passim contuli: easq; ab alienis anony-*

anonymis per Bucolica, & duos priores Georgicos nomine meo apposito discreui: quod ipsum, ni timuissem, ne tibi quasi ὀλιγοσύμβολος minus placerem, poteram forsitan fecisse restrictius. Libris sequentibus, quibus omnia distinctiora, quia vel curiosos, vel studiosos mei, nullo discrimine utrumuis accepturos existimaui, atq; ut satietati, ac fastidio irem obuiã, in locum nominis mei hoc signum ➻ substitui. Nunc si quid te alterutrum offendit, & mihi dicam grandem impingere, aut vadimonium imponere vis, promitto, ad præstitutam diem obibo. Quæ afferimus de nostro peculio, poterãt, & debebant esse meliora, inquies. Debebant, fateor. At neq; illi alij, è quorum fontibus quasi riuulos deduco, mera semper philosophemata crepant: aut tanquam ex tripode pura puta oracula funditant. Et scimus hoc scripti genus, poemata dico, non per omnia Delijs indigere natatoribus: nec uniuersa à poetis dicta, quadam abdita, & recondita ratione cerni: multa etiam in promptu esse, in medioq; posita. Dedi insuper PRODIDAGMATA: dedi SYNOPSES cũ in Eclogas, tũ in reliquos deinceps libros oẽs. Item SVPPLEMENTA nõ infrequẽtia, quæ alienis prætexui, intexui, attexui cum hisce notis videlicet] [] *. Vt pergã de re uestra dicere, vna, & eadẽ opera plurimorum auctorũ locos, ut spero, enucleatius intelligetis: insuper ex tanta rerum, verborumq; diuersitate eruditionem vestram non mediocriter, quemadmodum ex doctrina morali virtutem exaugebitis: quam, ut nobis Poeta ansam dedit (dare autem secundùm scopum, ac finem veræ poeseos debuit) sæpenumero, sed moderatè illigauimus. Ad hæc ambo, simulq; ad leuandum fastidium, auditoresq; recreandos, locorum communium, quas interiecimus, παρεκβάσεις referantur. Licebit autem pauciora legere, si quis cum hic, tum ibi fuisse nos longiores senserit: dum illud tamen meminerit, non explicare tantum, sed etiam illustrare Virgilium nos laborasse. Atque in re huiuscemodi non tam ipsi aliorum exemplum imitati sumus, quam alijs, quod in poetis, cæterisq; maiorum gentium scriptoribus interpretandis, atq; illustrandis exemplum imitarentur, reliquimus. Quis autem tam valde nonnullos probauerit, dum scriptores difficiles, & reconditos ita concise, & λακωνικῶς explanant (alios nimirum omnes suis ingenijs, & doctrina mẽtientes) ut ipsi magis alieno commentario indigere videantur? Abundat item Maro noster versibus, & hemistichijs parœmiacis, non minus quam Homerus: gnomas grauissimas, & iudicij prudentissimi plenissimas, ceu gemmas intermiscet. Quocirca ut & hæ, & illi oculos ferirent acrius, magisq; legentibus blandirentur, & hoc facilius retinerẽtur, quadratis elemẽtis eas, eosq; describẽdos curauimus partẽ aliquã: nam sunt qui Virgiliana prouerbia penitus omnia (si tamẽ oĩa) centuriatim, & decuriatim collegerũt. Vbi sciendũ, sæpe duo vno carmine, & plura pluribus continuis prouerbia contineri. Accessit insuper tabula Geographica, vniuersam Æneæ nauigationem, siue maritima eius itinera, ex Virgilio delineata oculis subijciens, ac proinde ad sex priorum librorum intelligentiam maximopere idonea. Eius imitandæ, & recudendæ potestatem nobis humanissimè concessit, uno anno antequam ab hominibus demigraret, auctor ipsemet Abrahamus Ortelius, Geographorum huius sæculi haud dubiè perfectissimus. Deniq; cum eruditio nostra quotidianis incrementis, quanquam minutis, augescat, nec simul vniuersa cuiquam in mentem veniant, factum, ut interea dum opus hoc in typographorum manibus est, nos didicerimus, & animaduerterimus adhuc, quibus lectorem studiosiorem minimè fraudandum censuimus. Hæc omnia ΠΑΡΑΛΙΠΟΜΈΝΩΝ nomine comprehensa, ad finem voluminis appendimus. Adiunximus demum in 6. libros Æneidos PARAPHRASES: quas si non displicuisse didicerimus, fortasse ad cæteros quoq; eadem expositionis forma cohonestandos, cum alacritate aggrediemur.

En, habetis in Maronem ex vetustis, ac recentibus, Græcis, & Latinis variarum artium scriptoribus nõ sine nauitate, & defatigatione multa, quod ipsi poteritis æstimare, comparatum, concinnatũq; non solũ Cõmentarium, eumq;, ut puto, grandem, & plenum satis: sed etiam ipsius Humanitatis velut quendam thesaurũ. Et quoniã nihil oportet nimis confidere, hallucinamur

enim

enim, erramus, labimur, etiam in minimis, nec ulli hominũ omnia, & semper, uti oporteret, promisa, & præcauta sunt, & opere in longo fas est obrepere somnum: te, benigne lector, oratum volo, ut quos offenderis lapsus meos, æqua mente sufferas. Quod te facturum auguror eò procliuius, si tecum laboris huius mei immensitatem reputaueris. Equidem, quantum in me erit, ne bis ad eundem (quod negant esse sapientis) omni studio, & quam enixissimè in posterum contendam. Claudam præfationem, si cum Strabone hoc unum addidero. Τῶν μὲν γὰρ μεγάλων οὐδὲν ἂν παραλείποιμεν· τὰ δὲ μικρά, καὶ γνωρισθέντα μικρὸν ὤνησε, καὶ παραπεμφθέντα ἔλαθε, οὐκ ἔβλαψε δὲ οὐδέν, ἢ οὐ πολὺ τοῦ παντελοῦς ἔργου παρέλυσε.

Magnorum enim à nobis prætermissum est nihil: exigua, neque multum vtilitatis, si cognoscerentur allatura erant: & omissa, nihil obesse, aut totius operis perfectioni non multum detrahere poterant.



ORDI-

ORDINES, ET NOMINA SCRIPTORVM PRAECIPVORVM VTRIVSQVE LINGVÆ, A QVIBVS SYMBOLÆ PETITÆ.

ORATORES, ET HISTORICI.

Demosthenes. Isocrates. Aristides. Herodotus. Xenophon. Thucydides. Plutarchus. Dionysius. Diodor. Siculus. Herodianus. Ælianus. Lucianus.

Cicero. Liuius. Cæsar. Sallustius. Suetonius. Tacitus. Probus. Velleius. Florus. Curtius. Iustinus. Spartianus.

& alij historiæ Cæsarum scriptores.

POETÆ.

Homerus. Hesiodus Euripides. Sophocles. Æschylus. Apollonius. Callimachus. Aratus Theocritus. Pindarus. Q. Calaber. Anacreon. Anthologia. Plautus. Terentius. Lucretius. Horatius. Catullus. Fragmenta veterum.

Tibullus. Propertius. Ouidius. Statius. Ausonius. Silius. Claudianus. Lucanus. Persius. Iuuenalis. Valer. Flaccus. Martialis. Manilius. Nemesianus. Calpurnius. Petron. Arbit. Catalecta Virgilij Recentiores.

RHETORES, ET PHILOSOPHI.

Aristoteles. Cicero. Quintilianus. Seneca.

Plato. Theophrastus. Plutarchus.

SCRIPTORES RVSTICI.

Cato. Varro. Palladius.

Columella. Plinius.

IVRECOS. ET MEDICI.

MISCELLANEI, seu PHILOLOGI.

Plinius maior. Plinius minor.

Vegetius. Vitruuius.

Athenæus. Gellius. Budæus. Brodæus. Rhodiginus. Iulius Scalig. Sigonius. Iouian. Pont. Pierius Valer. Turnebus. Politianus. Beroaldus. Muretus. Ad. Iunius. Alex. ab Alex. Macrobius.

Solinus. Lipsius. Parœmiographus. Victorius. Crinitus. Guliel. Modicius. Nannius. Tiraquellus. Rob. Titius. Hartungus. Hier. Magius. Guil. Canterus. Barnab. Brisson. Carolus Steph. Ianus Parrhasius. Hen. Steph.

Vict. Giselinus.

MYTHOLOGICI.

Hyginus. Phurnutus. Palæphatus.

Apollodorus. Fulgentius. Gyraldus.

Natalis Comes.

GEOGRAPHI.

Pausanias. Strabo.

Pompon. Mela. Plinius.

Stephanus.

GRAMMATICI.

Varro. Nonius. Festus.

Isidor. Hesychius. Grammat.

ueterum libelli.

ENARRATORES, ET SCHOLIASTÆ POETARVM.

Donatus, siue eius Paraphrastes. Seruius German. Valens. Nascimbænus. Montfortius. Iunius Philargyr.

Sebast. Corrad. Sebast. Regul. Ramus. Bersmanus. Vrsinus. Erythræus. Frischlinus. } *in Virgilium.*

Donatus in Terent.
Lambin. in Horat. Lucret.
Gifan. in Lucret.
Ioan. Bernartius in Statium.
M. Ant. Delrius in Senecam.
Muret. & Ioseph. Scalig. in Catull. & socios.

Scalig.

Scalig. in Manil. Auson. & Catalecta Virgil.
Achilles Statius in Tibullum. & Catullum.
Foquelin. in Persium.
Hieron. Columna, &
Paulus Merula in Fragmenta Ennij.

INTERPRETES, ET SCHOLIASTÆ VARIORVM AVCTORVM.

Læuinus Torrent. in Suetonium.
Scalig. F. in Varronem, & Festum.
Tiraquell. in Alexand. Neapol.
Steuechius in Vegetium.

SACRI SCRIPTORES.

Basilius Mag.	Iustinus Martyr.
Greg. Nyssen.	Philo Hebræus.
Clemens Alexand.	Tertullianus.
Theodoretus.	Arnobius.
Ioan. Chrysostomus.	Lactantius.
Augustinus.	Cyprianus.

GNOMOLOGICI.

Phocylides.	Monostichi versus.
Theognis.	Comicorum sententiæ.

Apohthegmata.

Omnium, quorum ope vsi sumus, nomina perpetuò, continenterq́; Symbolis adiungere, ideo vel non potuimus, vel non debuimus, quod quidam tanquam homines noui, nondum in vulgus commendati sunt. Quòd explicationes sæpe verbis haud ita multis, & rectè quidem, absoluuntur: quales ego quoq; complusculas sine meo vel signo, vel nomine inspersi. Quòd frequenter, vnde has, illas interpretationes accersierim, memoria cessit. Quod eas, prout res ferebat, & postulabat, & compellebat, crebrò commiscui, ex pluribusq́; diuersorum annotamentis, atq; scholijs vnum quiddam concinnaui. Hæc te iuxta mecum scire volui.

Cum hasce Symbolas in Virgilij tripartitum opus, auctore Iacobo Pontano in Societate nostra Sacerdote, & in eadem tum Rhetoricæ, tum Poeseos, Græcarumq; litterarum multorum annorum Professore, quatuor nostri Patres, huius litteraturæ bene periti viderint, & probauerint, ego Otho Eisenreich, dictæ Societatis per superiorem Germaniã Præpositus Prouincialis, potestate mihi ad hoc à R. admodum P. N. P. Claudio Aquauiua, Præposito Generali facta, easdem typis mandari permitto. In quorum fidem hoc chirographum, manu nostra subscriptum, sigilloq; nostro obsignatum dedimus. Monachij, 25. Decemb. Anno 1598.

Otho Eisenreich.



Tabula Orteliana inserenda est ante 1. Æneidos, hoc est, secundum columnam 613. qua Georgica finiuntur.

PRODI-



PRODIDAGMATA IN VIRGILIVM.

CAPITVM INDEX.

Vita, & mores Poetæ.

CAPVT I.



Ndes pagus ignobilis agri Mantuani, & ab vrbe remotus paſſuum tribus millibus, Virgilio noſtro patrium ſolum eſt. Ex quo ipſe Andinus vates à Silio, & Muſæ Andinæ, ſeu Andiades: quas Maroniadas quoque, perinde vt à Mæonide Mæonidas, feſtiuè appellabimus. Matri, Maiæ, patri, Maroni nomen fuit. Rarum dictu, nec procliue creditu, loco tam ignoto, tam incelebri, parentibus tam humilibus, ruſticanis, minimè copioſis adeo nobilem, diuinumq; partum extitiſſe. Natus eſt Pompeio, & Craſſo Coſſ. cum Cicero ageret annum trigeſimum ſextum. Quo anno Ædilis deſignatus, Verrem accuſauit. Poſtquàm exceſſit è pueris, ad annum XVII. Cremonæ vitam agitauit. Obſeruatum eſt, eodem die virilem togam induiſſe Maronem, quo Lucretius viuendi modum fecit: vt naturæ benignitas (vtar verbis Criniti) quodammodo Romanæ eruditionis patrocinium ſuſcepiſſe viſa ſit: ne deſiderarentur videlicet, qui ſub cælo Romano Græcorum ingenijs, gloriæq; reſponderent. Poeticen etiamnum adoleſcentulus toto pectore complexus, in quendam laniſtam ob latrocinium lapidibus coopertum (Baliſtam nominabant) hoc diſtichon luſit.

Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus:
Nocte dieq; tuum carpe viator iter.

In quo diſticho partim breuius, & vnico hexametro, partim fuſius, & cum pentametri adiectione variando, quemadmodum Phocas Grammaticus delicias faciat, videbis in Appendice Virgiliana, quam Ioſephus Scaliger edidit. Cremona Mediolanum, inde Neapolim ad grauiorum ſtudiorum tractationem profectus, animum ſedulitate & induſtria ſingulari, omnique genere optimarum artium excoluit: Neapoli ſeſe didiciſſe confitetur ipſe in extremo 4. Georg. his verbis:

Ille

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

In Græcis Latinisq; litteris multam operam posuit, ac præsertim Parthenium, Orbilium, Scribonium, Aphrodisium audiuit. Mox ad peruestigandas res à natura tectas atq; inuolutas, ad artem medendi, & scientias Mathematicorum, potissimumque ad Astronomiam sese applicuit. In philosophia sectam Epicuream sectatum, magistro Silone certum est: quanquam nullum philosophandi genus inexpertum reliquit. Quantum quidem ex Æneide perspicimus, Academiam & Platonem in præcipuis habuit, multumque ante alios admiratus est. Atq; ex ista magnarum doctrinarum, interiorumque litterarum varietate, eruditissima eius poesis effloruit, & tanquam è fontibus vberrimis promanauit, ab eaque tam nobile decus, & auxilium validum mutuata est. Verè nimirum Horatius ad Pisones.

Scribendi rectè, sapere est & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ,
Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

Romam postea concessit, caussam ibi vnicam dixit, non amplius semel. Natura quippe (cuius semina sequimur) & ea quidem prorsus eximia, ad illa cælestia Musarum sacra, familiaritatemque iucundissimã eum retrahebat. Ac fortasse non minus quod ille, quàm quod post illum Ouidius, conabatur dicere, versus erat. Virgiliũ, *inquit Senec. declam. 1. lib. 3.* illa fælicitas in oratione soluta reliquit. *Statura eius iusta procerior, corpus grãde & densum, color aquilinus, seu subfuscus, facies agrestior, valetudo parum constans, sæpiusq; incommodior & afflictior, quàm salubrior. Erat ferè κακοςόμαχ@, & crudus: testis Horatius, sat. 5. lib. 1.*

Lusum it Mæcenas, dormitum ego Virgiliusque:
Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.

Non rarò ex vlcusculis (Græci ἄφθας nominant, & in labijs, siue oris superficie generantur) ex dolore item capitis, nariumque profluuio laborabat. Sed hæ valetudines atque molestiæ excelsum illius animum, præclara semper intuentem, suique memoriam cum omni posteritate exæquare cogitantem infringere ac labefactare nequaquam valuerunt. Cibi & potionis erat longè parcissimus. Locutione admodum lentus, & tardus, vt rudis & indoctus videretur. Pronuntiatione mirandum in modum dulci, & quæ illi lenocinaretur quodammodo. Inter amicos eius principem locum vendicat Augustus, cui hæsit in visceribus: adeo, vt sua cum eo de magnis rebus consilia communicaret, familiarissimè eum adhiberet, petenti nihil negaret. Epistolas officij, beneuolentiæ, humanitatis plenas ad eum missitauit, & ad inchoata pertexenda cohortatus est: cùm Virgiliana carmina cupidissimè expeteret, summaq; cum voluptate lectitaret. Amauit etiam, & amatus est à Pollione, à C. Mæcenate laudatissimo illo poetarum patrono. Intercessit ei præterea magnus vsus cum Vario, Horatio, Cornelio Gallo, poetis quantiuis pretij: cum Tucca, & Varo item poetis, qui post eius obitum Æneidem emendarunt. Horatius suum erga Virgilium amorem atq; studium clarè testatur his versibus, Ode 3. lib. 1.

Nauis quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serues animæ dimidium meæ.

Iterum sat. 5. lib. 1.

Postera lux oritur multò gratissima: namque
Plotius, & Varius Sinuessæ, Virgiliusque
Occurrunt, animæ, quales neq; candidiores
Terra tulit, nec queis me sit deuinctior alter.

Ex hominum sui cupidorum liberalitate census eius fuit prope centies sestertiũm, id est, ducenta quinquaginta millia coronatorum, siue trecenta millia dalerorum, & quingenti. Romæ domum in Exquilijs habuit, ad hortos Mæcenatis: quanquam pulcherrimæ omnium terrarum Campaniæ secessu sæpe ac multum est delectatus: in quo exhilarato animo, instauratisque viribus à se instituta absolue-

absolueret, ac perpoliret. In Sicilia quoque crebrò versabatur. Amationes eum auersatum inuenio. Neapoli, vbi frequentius commorabatur, Parthenias, seu Parthenius dictus est: à moribus virgineis, & obscœnarum vitatione libidinum. Quin ab ista virginali verecundia, sunt qui ei nomen esse affirmant: quo pacto incertũ erit, Vergilius an Virgilius nominãdus sit. Sed ineptè garriunt. Est enim infanti nomẽ impositum: in infantibus autẽ nullam adhuc perspicimus verecundiam. Eluxit item in eo tanta modestia, vt si quando se in forum conferret, mõstraretur q; prætereuntiũ digito, cũ istis verbis, ECCE TIBI VIRGILIVM, fugeret, in domũ, quæ proxima, se conijciens. At illum oratorem Græciæ leuiculum susurrus mulierculæ delectauit: οὗτος ἐκεῖνος ὁ Δημοσθένης. Nec mirum. Quoniam, vt Plinius scitè scripsit epist. 12. lib. 4. Omnes qui gloria famaque ducuntur, mirum in modum assensio, & laus à minoribus etiam profecta delectat. Proinde eundem quoq; id suo ipsius exemplo comprobantem, & egregiè Δημοσθενίζοντα ex epist. 23. lib. 9. pernoscas licet. Recumbebat mecum vir egregius Fabius Rufinus, super eum municeps ipsius, qui illo die primùm in vrbem venerat: cui Rufinus demonstrans me, Vides hunc? multa deinde de studijs nostris. Et ille, Plinius est, inquit. Verum fatebor, capio magnum laboris mei fructum. An, si Demosthenes iure lætatus est, quod illum anus Attica demonstrauit, οὗτός ἐστι Δημοσθένης, ego celebritate nominis mei gaurere non debeo? Ego verò & gaudeo, & gaudere me dico. Neq; enim vereor, ne iactantior videar, cùm de me aliorum iudicium, non meum profero. En, lector, φιλαυτίαν. Redeat nunc, vnde paulisper aberrauit oratio. Facultates cuiusdam exulis cùm offerret Augustus, poeta hoc beneficio vtendum sibi non putauit. Parentibus in annos singulos aurum ad eos liberaliter alendos mittebat. Bonos omnes, & eruditos magnoperè colebat. Sic sua ad beneficentiam liberalitatemq; conferebat, quasi quidquam vt proprium possidere sibi non liceret. Bibliotheca eius perinde cæteris litteratis, atque vni sibi patebat: sæpeque illud vetus dictitabat: Amicorum omnia communia. Amici & familiares eius, in ijs quæ de ingenio moribusque ipsius tradiderunt memoriæ, dicere solitum ferunt, parere se versus, vt vrsa catulos. Namq; vt illa bestia fœtum ederet informem, lambendoque conformaret & fingeret: proinde ingenij quoque sui partus recentes rudi esse facie, & imperfecta: sed deinceps tractando colendoque se oris & vultus lineamenta ijs reddere. Auctor Gellius lib. 17. cap. 10. Nullam suscipiebat inuidentiam, nec tabificum venenum liuor eius incessebat animum. Quapropter si quid ingeniosè, eruditeque ab alio dictum animaduerteret, tam eo lætabatur, quàm si esset suum. Neminem vituperare, bonos ac laude dignos candidè, & libenter etiam laudare consueuerat. Morum summa comitas, omnium ei voluntates, amicitiamque adiungebat. Cæterùm quomodo eruditos, ac modestos amabat, sic indoctos & ostentatores oderat: quorum audaciam, & superciliũ minimè ferebat. Ad referendam gratiam spectat, quòd bene de se meritos carminibus suis æternùm victuris ornauit, illisque nominis immortalitatem remensus est. Quò vltimam Æneidi manum adderet, in Græciam proficisci, ibique in otio & vacuitate curarum continuato triennio ad emendationem incumbere apud se constituerat: quod reliquum daretur vitæ, id in philosophiæ studijs decurrere. Sed Athenis in Cæsarem ab oriente Romam redeuntem incidens, mutato consilio, in Italiam eum, atq; adeo Romam secutus est. Vbi venit Megaram, finitimum Athenis oppidum (alij Metapontum, vrbem Italiæ in sinu Tarentino) morbo tentari cæptus est: quò, cùm nauigare haud intermitteret, aggrauescente, tandem Brundusium appulsus, ibidem breui extremum diem morte confecit (quidam, vt Seruius, Tarenti extinctum tradiderunt) X. Calend. Octob. vt Eusebio placet, Sentio Saturnino, & Sp. Lucretio Cinna Coss. anno ætatis primo & quinquagesimo: seu, vt alijs visum, quinquagesimo sexto, ante Christi ortum quintodecimo. Cùm aduentare mortẽ videret, ait Gell. lib. 17. cap. 10. petiuit, orauitq; à suis amicissimis impensè, vt Æneida, quam nondum satis elimauisset, abolerent. Mandauit ossa sua Neapolim vehi, vbi altero ab vrbe milliario, via Puteolana, in sepulcrum est illatus, cum hoc, vt venustissimo, ita breuissimo epitaphio, quod ipsemet animam agens sibi composuit, quemadmodum Eusebius in Chronico retulit.

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Mantuani sibi immortali gloriæ ducentes, tam singularem virum apud se natum, cum eius imagine numismata percusserunt, quemadmodum Chij Homero, & Mitylenæi Sapphoni fecerunt, amplissimi honoris caussa videlicet. Insuper statuam ei posuerunt. Quam qui à militibus suis deijci iussit, quòd eam summo in honore haberi videret, & celebritati Maronis inuideret, atq; etiam in flumen demergi, admodum dissimilis fuit Alexandri, qui Thebis occupatis, Pindari vatis domui, & familiæ parci iussit. Scriptum apud Iouian. Pont. de Obed. lib. 4. De nomine poetæ, Vergilius, an Virgilius scribendum, pronuntiandumq; sit, cum secunda scilicet, an tertia vocali prima sylla-ba, videbit, cui res tanti est, Rhodigin. lib. 7. cap. 4. Sebast. Corrad. in 1. Æneid. Frischlini proleg. cap. 1. Politian. Miscell. cap. 77. & epist. 2. & 3. lib. 5. Josephi Castilionis super eo dissertatiunculam. Plures è doctis malunt Virgilius: eos libentes sequimur.

Inscriptiones: ordo operum Virgilij, ac librorum Aeneidos: forma triplex orationis.

CAPVT II.



Vòd pastoritium carmen, primum opus suum Virgilius BVCOLICA *inscripsit, hæc illum ratio mouit. Cùm sint pastorum tria præcipua genera, αἰπόλοι, ποιμένες, βουκόλοι, caprarij, opiliones, bubulci, & postremi honestissimi (quando & boues apud rusticos inter animalia primas obtinent) per speciem συνεκδοχικῶς genus indicandum ratus est. Porrò cùm in eo quamplurimos Theocriti locos partim conuertat, partim alludendo, imitandoq; repræsentet, illumq; sibi ducem proponat, inscriptionem tamen eius repudiauit. Eclogas ille suas, quod essent quædam poematum formulæ, cantionesq; simplices, humili, & diminuto vocabulo εἰδύλλια appellandas censuit. Maro autem ab electione (personarum, sententiarumque intellige) quod huic poematum generi vsitatissimum nomen est,* ECLOGAS *inscripsit. Sunt qui arbitrentur in Bucolico poemate eclogas idem esse, quod in comœdia scenæ: siquidem hoc genus olim in theatris actum constat: quocirca & comicorum more singulis eclogis sua nomina prætexuntur, vt hæc Tityrus, illa Alexis dicatur. Præterea antiqui omnia parua poemata nominabant eclogas, vt Græci εἰδύλλια. Ob hanc caussam fit verisimile, Virgilium Bucolica sua, Horatium satyras & epistolas, Ausonium sua opuscula eclogas nominare voluisse, quòd, inquam, essent breuia, vt quæ ad fructum nostrum è variis auctoribus solemus excerpere. Nec Hesiodi Virgilio probata est epigraphe: longè enim vberius, longeq; diligentius, quàm ille Græcus, rem rusticam tractârat. Itaque* GEORGICA, *non,* OPERA ET DIES *vocauit. Et est Hesiodi liber moralis potiùs, quàm rusticus, pluraque bene viuendi, quàm peritè rusticandi præcepta complectitur.* ÆNEIS *ad exemplum Homericæ ὀδυσσείας suum est adepta vocabulum: quam quidem sex prioribus libris potissimùm intuetur: quemadmodum posterioribus sex, Jliados quandam exprimere similitudinem connititur. Hoc amplius, sicut quidam (vt est in poetica Aristotelis) ἡρακληΐδα, & apud Scholiasten Pindari Θησηΐδα, ita ipse opus suum αἰνηΐδα nuncupauit. Quas appellationes, seu indices idem Aristoteles non ideo abiecit, quod ab Hercule, & Theseo tali modo nomina detorquerent, atque deflecterent, ijsque ad sua poemata indicanda vterentur: sed quòd omnia horum facta, resq; gestas vno quodam opere comprehenderent; quæq; colligari, &, vt Horatius inquit, vni formæ reddi, seu vnam quandam formam totius inter se congruendo efficere nequirent, ea ipsi colligarent, ac nihilominus id nominis volumini imponerent, quod vnam quandam, non plures actiones declararet: cùm ars præcipiat, simplex & vnum quiddam esse oportere id, quod scribitur. Maro igitur, qui vnam, insignem, perfectam, & simplicem*

Ænea

Æneæ actionem describendam, imitationeq; referendam assumpserat, huiuscemodi indicem iurè vsurpauit. Sic à fabula ipsa, quæ est Aristoteli anima poeseos, nomen inditur: tametsi plura sunt episodia, in quibus poeta & argumentum dilatat, & delectationem auget. Pari ratione Homerus Odysseam ab Vlysse, cuius vnam quandam actionem, reditum videlicet in patriam persequitur, iam ante inscripserat. A persona ergo Æneidi facta est appellatio: cum alioqui etiam à loco, vbi res gesta fingitur, soleant libri indicem adipisci: vt Homeri Ilias ab Ilio, Statij Thebais à Thebis. Quandoq; à re ipsa, vt comœdiæ, Captiui, Asinaria, &c.

Quin autem initiò Bucolica, tum Georgica, postremò Æneis secundum ordinem videlicet naturalem collocanda sit, extra dubitationem est. Etenim homines principiò pastoritiam vitam in montibus, siluis, ac solitudinibus traduxisse: post agros colere, & terram alimenta poscere instituisse: demum excitatis vrbibus vitam instituisse ciuilem, ac bello etiam concurrisse nouimus. Poeta quoque ipse hunc ordinem scribendo seruauit, quem scilicet proœmio Æneidos, Ille ego qui quondam, &c. manifestè significat. Et cum singuli Græci singula, ipse omnia hæc triplici scriptione est pertractauit. Quod nonnulli de Eclogarũ dispositione quærunt, sanè poeta Tityrum, & Gallum videtur extremas, illam primam, hanc vltimam fecisse: de reliquis minus laborasse: nec res est tanti. In Georgicis alius ordo esse nequit: quando rectissimè illa quatuor, de quibus in primis versibus, seu in ipsa propositione eorundem librorum, Quid faciat lætas segetes, &c. se consequuntur. In Æneide, si rerum gestarum temporumq; seriem consideremus, secundus liber est primus, tertius secundus, primus tertius. Necessarium fuit vtiq;, antiquam illam, & decantatam ciuitatem prius in ignes considere, & solo æquari, quàm in exilium Æneas proficisceretur, & terra mariq; multis, ac magnis vexatus incommodis, tandemq; in Siciliam delatus, inde solutis anchoris ventorum furijs ac rabie ab Italia in Africam proijceretur. Cæterùm poetæ ipsorum temporum, negotiorumque consecutionem haud sæpe distributione sua custodiunt.

Quid ipso habitu & forma orationis hæc tria opera distent, facillimum est ad iudicandum. In Bucolicis dictio attenuata, summissa, quotidiani sermonis consuetudini vicinior, non multi sanguinis, sed tamen suum quendam habens succum, integritatemq; valetudinis. Sententiæ parum exquisitæ & argutæ, comparationes abiectæ, quales nimirum ipsa rerum personarumq; conditio desiderat. Atq; ita prudentiæ inseruitum est. Confertur Roma cum cupresso, cæteræ vrbes cum viburnis: suaue carmen cum sopore dormientium in gramine, & cum haustu frigidæ per æstum. Aliquando tamen etiam vocem tollit Bucoliasmus, & hoc ipso pastorali poemate grauiora, & verbis electioribus quædam canuntur. Quod quidem facturus Maro Ecloga quarta, veniam præfatur. In Georgicis eam moderationem adhibuit, vt neque nimium se demitteret, neq; altius efferret. Plus habet oratio roboris, plus ornamentorum, plus suauitatis, fluitq; plenior & vberior. In Æneide summa pæne omnia, verba delecta grauitate, superlata, translata, phrasis comptissima, figuræ lectissima, sententiæ cùm grauissimæ, tum plenissimæ, comparationes ingeniosæ, & ἐνεργηλκώταται, magna dignitas, & maiestas orationis prorsus inimitabilis: quoniam rerum & personarum illustrium amplitudo hæc omnia postulabat: quæ cum adsunt, carmen heroicum iure optimo dicetur, quod aliâs tantùm hexametrum à mensuris. Quadrat huic loco doctrina Scalig. Poet. lib. 4. cap. 1. in quo de charactere differit. Igitur de capellis qui loquetur, inquit, humilem ideam proponet sibi. Qui arationes, armenta, non purè humilia, sed cum arte ipsa coniuncta dicenda suscipiet, ad mediocrem surget dicendi formam. Cui arma canenda erunt, ei opus est sublimi illo spiritu. Cæterùm ita eueniet, vt & in Bucolicis, & in Georgicis, & in Æneide, quos vir ille gradus fecerit, nos quoq; agnoscamus. Imum in illa, Quò te Mœri pedes? Mediocre in Gallo, summum in Sileno. Par ratio in Georgicis. Imum, aratio & satio: summum in pestilentia: mediocre in fabula Aristæi. Simile iudicium in Æneide: summum genus in secundo, in sexto: imum in ludis: medium in primo. Differunt tamen Virgilianæ humilitates in sublimi ab humilitatibus in humili specie. Sublimitas vero ab humilitate in Æneide, non specie, sed modo tantum, ac gradu distat. Deniq; in hisce formis idem nobis considerandum est, quod in animalibus. Diuinum enim homo, mulus brutum, simia medium. In ijs autem partes nobiles, ignobiles, mediocres. Verùm de elocutione Æneidos infra pluribus. Oratorem quidem tres istos characteres, subtilem, medium, sublimem temperare ac variare vult M. Tull. in

Orat. perf. idq; ipsum se in suis orationibus præstitisse narrat. Vtitur etiam minorum comparatione, nominatq; Homerum, Ennium, reliquos poetas, & præsertim tragicos. Qui cum res illustres, & graues tractent, & ideo grandi, ampla & copiosa dictione vtantur, tamen non omnibus locis eandem contentionem adhibent, genusq; dicendi crebrò mutant, ac variant, & aliquando ad similitudinem quotidiani sermonis sese demittunt. Ac sententiam hanc Ciceronis de tragicis Horatius ad Pisones confirmat. Et tragicus plerunq; dolet sermone pedestri, &c. Hæc afferre placuit, vt rectius Scaligeri doctrinam lector perciperet, &, si istam in Virgilianis libris varietatem, mutationemq; obseruasset, eius rei fundamentum caussamq; intelligeret, ac poetam de iudicio, prudentiaq; huius etiam, vt aliorum consiliorum duce ac magistra vehementius amaret. Vide etiam Fabium lib. 12. cap. 10. sub finem, de varijs dicendi generibus. Numerantur à Macrobio alia quædam dicendi, seu styli genera, copiosum, breue, medium siue siccum, floridum, maturum, graue, ardens, erectum, infensum, in quibus omnibus Maronem excelluisse demonstrat, lib. 5. cap. 1. Quod si quis hæc tria opera inter se, quod ad formam, notam seu characterem orationis attinet, contendere, ac proportionem nosse cupit, facilè videbit. Qualis est proportio Bucolicorum ad Georgica, talis Georgicorum ad Æneida. Hæc summo quasi loco sita est, Bucolica infimo, Georgica medio. Veluti si binarium, quaternarium, & octonarium numeros inter se componas.

Finis AEneidos: poesis, & philosophiæ communitas: Maronis consilium multiplex.

CAPVT III.

POetæ, qui verè sunt poetæ, & hoc nomen legitimè gerunt, volunt & student imitari: hoc est, excogitatis ab se ingeniosè rebus, humanæ vitæ imaginem ante oculos ponere: quiq; mores, quæq; persona in vnumquemq; conueniat, actionum humanarum imitatione quadam contemplandum quodammodo subijcere. Vt res dicatur succinctius, & apertius: volunt imitando perfectas rerum actionumq; seu bonarum, seu malarum ideas, & verissima exemplaria exprimere, ac veluti pingere. Quò respiciens Horat. ad Pisones, eos imitatores vocat. Virgilius igitur prudentiss. religiosissimi, fortissimi Principis ideam, & simulacrum effingit: quem scilicet nihil lateat, nihil prætereat eorum, quæ tempori agenda sunt. Cui exploratum sit, quid sequi, quid vitare, aut fugere in omni rerum commutatione debeat. Qui rebus aduersis non succumbat: secundis, & ad voluntatem fluentibus non intumescat: periculis communibus atque præsentibus se obiectare non recuset: cultu diuini numinis, pietate in parentes nihil antiquius habeat: subiectos tanquam pater filios amet. Atq; vt Homerus Iliade πρακτικὴν, Odyssea θεωρητικὴν philosophiam exhibuit: sic Virgilius, dum primis sex lib. ciuilem ac politicum virum, posterioribus totidem bonum imperatorem descripsit. Aeneam, inquam, suum & actione, & contemplatione (in quibus duobus posita est hominis perfectio) longè perfectissimum, & consummatissimum effinxit, quod eruditè, vt omnia, Scaliger Poet. lib. 3. & 12. declarat. Veruntamen secundo Aeneidos nihil est magis bellicum: in quo & imperator prudens, & miles fortis, insidiæ, oppugnationes, propugnationes, conflictus, & cætera, quæ captis vrbibus fieri consueuerunt, vnica nocte omnia facta tàm disertè distinctèq; describuntur, quàm Liuius aliquis describere potuisset: si tamen adeo graphicè potuisset. Vt proinde explodendi sint, qui has duas voces in propositione, Arma virumq; *, sic accipiunt, quasi prior ad sex posteriores, posterior ad sex priores: illos plane tumultuantes, & bellici strepitus: hos quietis ac pacis plenos, referenda sit. Quod ipsum voluisse poetam inscitè opinantur.*

Perspicimus hinc, poesi cum philosophia morum summam coniunctionem esse. Poeta siquidem

dem id quoq; propositum habet, vt erudiat homines ad virtutem, quam in aliquo perfectam fingit: & ita faciendum Horatius præcipit: sed hoc imitando assequitur, non præcipiendo ac disputando, vt philosophus: cuius vnus & simplex est finis: instituere nempe auditorem ad probitatem: cum poetæ finis sit duplex, imitari & instituere, seu imitando docere: ita vt hic quidem sit vltimus, ille autem medius ad hunc vltimum, seu huius vltimi quidam modus. Quoniam verò imitatio, metro præsertim, & illa numerosa pedum vicissitudine accedente iucundissima est, ideo scitè Horatius.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci,
Lectorem delectando, pariterq; monendo.

Sed de his copiosius alio loco disputauimus.

Præter finem aliud quippiam arbitrarium, & tanquam inferior, secundusq; finis, seu scopus poetis est propositum: in quo quidem ita versantur, quod sic agunt, vt qui minus diligenter attendit, id ipsos agere haud animaduertat. Vocamus autem totum hoc, consilium, & huiusmodi proposita, si ea plura fuerint, ferme primario fini ὑπάλληλα *esse dicimus. Ergo vno omnium consensu Maro populum Romanum, gentium victorem ac dominum à nobilissima, & vetustissima origine, moribus, rebus gestis celebrare propositum habuit: Romani namq; sunt Æneadæ.* Æneadûm genetrix, hominum diuûmq; voluptas, *ait Lucretius: præcipuè autem Iulium, & Augustum Impp. Siquidem Iulia gens ad Aeneam ipsummet, siue ad Iulum Aeneæ filium genus referebat. Confirmat præter alios T. Liuius. Hinc noster lib. 1. Aeneid.*

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar,
Iulius à magno demissum nomen Iulo.

Et quoniam Fortes creantur fortibus, & bonis, Est in iuuencis, est in equis patrum virtus, *&c. ex Aeneæ virtutibus, & egregijs Troianorum facinoribus pop. Romani, Iulij, & Augusti animos, virtutes, & decora nos coniectare tacitè monet: quæ quidem in sexto præsertim, postquam ad inferos Aeneam deduxit, & in octauo, vbi clypeum eius describit, non obscurè attinguntur. Quin immo isti versus, qui sunt in vestibulo primi libri, satis superq; nostram videntur comprobare sententiam.*

——dum conderet vrbem,
Inferretq; deos Latio, genus vnde Latinum,
Albaniq; patres, atq; altæ mœnia Romæ.

Et paulò pòst.

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum latè regem, belloq; superbum
Venturum excidio Libyæ.

Item illa.

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris.

Et rursum.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi.

Alia item plurima, quæ sciens volensque prætereo. Statuitur & aliud poetæ consilium, Homericam poesin, quæ tum, velut ætherius sol inter sidera, principatum obtinebat, re ac verbis exprimere: ex illaq; effigiem quandam ducere, atq; conformare: seu potius cum Homero (vt Iulius Cæsar cum Alexandro Magno) concertare; eumq; non tantùm æquare, sed etiam planè vincere, quod multis locis illi contigit. Nec absurdè, qui sapientissimum vatem in alienis exemplis, & personis summorum, atq; in rep. Rom. principum virorum casus memorabiles, aliasq; res Romanas insinuare studuisse coniecturam faciunt. De templo à Didone Iunoni ædificato loquens, videtur fanum M. Agrippæ Pantheon (quod esset omnium deorum commune) appellatum describere. Id gradus æneos, trabes æneas, & inauratas, ingentesq; valuas æris Corinthij habuit. Cum in eodem primo libro canit.

——furor

& episodia poesin dispertiat. Quoniam enim admirationem dare, iucunditatemq; legentibus poetæ quærunt, id paruo negotio perficiunt, multis passim rebus attexendis, quæ cum actione illa principe, seu cum facto quo de agitur, non pugnant illæ quidem, tamen aduentitiæ, & non necessaria sunt. Et certum est, absque ijs narrationem, actionemq; ipsam pertenuem, ieiunam atque aridam fore. Qualia hodie quidam poemata ridenda magis, quàm laudanda conficiunt, & olim conficiebant, cùm historiam aliquam in carmen conuerterent: id est, pro soluta & libera, metricam, & poeticis numeris numerosam orationem duntaxat efficerent, & nihil affingerent: siue quia ineptè metuebant, quamq; vim habeant poetica commenta nesciebant: siue quia non poterant. Huiusmodi ergo additamenta, & accessiones præter argumentum legitimum, dicuntur episodia, quasi superinducta, quasi superuenientia: ea scilicet, quæ ad μῦθον, seu propositam rem declarandam, exornandam, amplificandam foris assumūtur: quando nimirum alicui rei, quæ sua, propriaq; sit eius facti, adiungitur admiscetur que alia, quæ superuenit, & sine qua cohærebat, suamq; integritatem prius illud factum obtinebat. De his Horatius, poetarum quorundam in ijs temerè, insulseq; versantium culpam accusans.

Inceptis grauibus plerumque, & magna professis
Purpureus latè qui splendeat vnus & alter
Assuitur pannus, cùm lucus, & ara Dianæ,
Aut properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus, & fortasse cupressum
Scis simulare.

Apud Homerum sunt episodia: exempli caussa, Iliad. lib. 1. Vulcanus claudicans, & dijs in orbem pocula miscens. Item lib. 2. catalogus nauium, & tota illa descriptio Thersitæ loquacissimi, ac deformissimi hominis. Apud nostrum Iunonis furor, & colloquium cum Æolo: Iouis prædictio de Troianorum posteritate, & Romani nominis gloria, de regno Albæ futuro. Atque hæc in primo. De euersione Troiæ secundus totus. Amans Dido quartus totus. Ludi ad tumulum Anchisæ in quinto. Æneæ descensus ad inferos in sexto: & ibi de Albanis, & Romanis multa. Caci, & Herculis certamen, descriptio clypei in octauo. Amicitia Nisi, & Euryali in nono. Concilia deorum, fœderum ritus, & similia in sequentibus: quæ quidem ad augendum, illustrandumq; μῦθον cum legentium insatiabili voluptate à Virgilio singulari ingenio, & excellenti prudentia insperguntur.

Aeneidos in duodecim libros proba distributio: rerum, seu narrationis ordo: ad Iliadem, & Odysseam responsus.

CAPVT V.



Icut vnius perfectæque actionis partes, & capita quædam sunt, ita inter se diuersa, disiuncta, ac dissimilia, vt nihilominus ex se mutuò apta sint, & vnum consequatur alterum: ita planè ipsa huius actionis imitatio quibusdam partibus, seu libris distingui debuit, ac variari, qui veluti membra, partesq; totum corpus ritè absoluerent. Partitionis huius aliæ quoque possunt esse caussæ. Ne videlicet continens, & nusquam interrupta narratio lectori minus laborioso fastidium, ac satietatem afferret, ipsæque res tum perciperentur pleniùs, tum memoria retinerentur fidelius: neue vlla confusio nasceretur. Duodecim igitur in libros totum opus secernere visum est. Duodecim idcirco, vt ipso numero summa eius absolutio indicaretur: quandoquidem res alias sanè multas, easdemq; consummatas, perfectasque duodenario cernimus contineri. Hoc aliquot exemplis ante oculos ponemus. Duodecim sunt menses: duodecim horæ diei, totidem noctis: in duodecim partes æquales as diuiditur. Hic idem nume-

numerus in sacris Christianis frequentatur. Duodecim tribus Israël, duodecim fontes, duodecim Apostoli, duodecim portæ nouæ Hierusalem in Apocalypsi, & corona stellarum duodecim. Dubitant quidam, vtrumne hæc librorum Æneidos in duodecim partes distributio Virgilij ipsiusmet, an eorum potiùs fuerit, qui eo demortuo Æneidem iussu Augusti emendandam susceperint: & ita idem illi quod Homero contigerit, cuius poemata per Græciam vsque ad ætatem Pisistrati Atheniensium tyranni dissipata, ac dispersa fuisse memorantur, ac deinde eius cura & diligentia conquisita, & per libros disposita. Sed nihil est cur dubitetur, quin Virgilius ipse, sui nominis ac famæ studiosior quàm Homerus, suum hoc opus digesserit. Qui autem 24. libros eum voluisse facere sentiunt, Homeri exemplo, nihil sentiunt. Aliud opus ordiri eum oportuisset: nam hoc cum libro duodecimo perficitur, & terminatur. Hîc texenda foret disputatio, ecquid Maphæus Vegius tertiumdecimum librum Æneidi assuere debuerit, de Turni videlicet exequijs, & Æneæ cum Lauinia nuptijs. Sed quia super ea quæstione satis multa disseruit auctor eruditior, quàm & sermone, & fama clarior Angelus Decembrius, litterariæ politiæ lib. 1. cap. 11. ad eum adeas licet. Negat fieri debuisse, quia ex ijs, quæ scripsit pluribus locis Virgilius, satis hæc duo intelligi potuerunt: nec omnia expreßè, & seorsim describi oporteat.

Vt porrò Homerus Græcorum virtutem aduersus Troianos primùm, deinde Vlyssis fortissimi viri constantiam, & in rebus aduersis tolerantiam mira iucunditate, sollertissimoque ingenio celebrauit: sic Maro noster Troianorum contra Rutulos, & Aborigines Italiæ populos bella fortiter gesta, atq; Æneæ magnanimi ducis inexpugnabilem in tot calamitatibus fortitudinem commendauit, figmentisque, seu episodijs longè gratissimis auxit, amplificauit, exornauit omnia. Æneæ errores ab Odyssea, prælia ab Iliade sumpsit. Sed cùm Homerus de bello Troiano prius scribat (immò verò de parte tantùm belli Troiani, de rebus nimirum anno vltimo gestis: cuius partis episodia quædam sunt, quæ præcedentibus acta temporibus paßim inseruntur) deinde eo confecto Vlyssem in patriam reducat, Virgilius hunc ordinem tenere non potuit: quòd Æneæ nauigatio bella in Italia perpetrata præcesserit, quam proinde priore loco exponit: vel potiùs, vt sua libertate vteretur, sequi Homericam dispositionem noluit. Quocirca rerum ipsarum, naturæque ordinem vterque seruauit: artis autem Virgilius, dum secus quàm proposuerat, narrare cœpit. Dixerat quippe:

—Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; venit
Littora.

Atqui paulò pòst è Sicilia facit classem procedere, Vix è conspectu Siculæ telluris, &c. *Deducit eum per Tyrrhenum pelagus in Africam, ibique à Didone Carthaginensium regina exceptum, in conuiuio ipsam euersionem vrbis Troiæ, & errores ærumnasq; suas vsque ad Siciliam duobus libris commemorantem fingit. Pariter Homerus errores Vlyßis non velut Historicus à discessu è Troiano littore, sed à profectione ex insula Ogygia à Calypso dea, à qua detinebatur, inchoauit: quem inde ad Phæacas perducit: ibi super cœnam apud regem Alcinoum lib. 9. & tribus insequentibus ipse suos casus antegressos enarrat. Post Phæacum hospitium à poeta eius nauigatio in Ithacam pertexitur. Pari modo à Marone reuersio Æneæ ex Africa in Siciliam, inde in Italiam iter reliquū. Insuper Homerus, vt Apollinem in Græcos exacerbaret, qui immissa in exercitum pestilentia tot funera ederet, caussam commentus est Chrysæ sacerdoti irrogatam iniuriam. Sic Maro odij illius acerbißimi, iræque Iunonis in Troianos probabiles caussas adducit:* Vrbs antiqua fuit, &c. *Tempestatis descriptio ex 5. Odysseæ hausta est: Venus in Nausicaæ Alcinoi filiæ locum succeßit: Dido Alcinoum refert: Scylla, Charybdis, Circe, perinde hîc sunt, vt in Odyssea. Pro Solis armentis Strophades cum Harpyiis, pro consalutatione inferorum, descensus ad eosdem Sibylla comite. Palinurus Elpenori, infesto Aiaci infesta Dido, Tiresiæ consilijs Anchisæ monita respondent. Quod ad Iliadem attinet, Æneis similiter, vt illa, prælia & vulnera, variaque mortis genera complectitur. Habet ictum inter reges, violatumque fœdus: habet armorum fabricationem, catalogum,*

auxilia, legationes, oppugnationes, nocturnam explorationem, deorum consultationes. Patroclum exhibet occisus à Turno Pallas Euandri filius: sicut ille ab Hectore: cui captiui, ut Patroclo, inferiæ destinantur. Inducijs impetratis cadauera tumulis mandantur. Drances, & Turnus maledictis se lacessunt, ut Achilles & Agamemno. Feriuntur fœdera, monomachia congrediuntur Æneas, & Turnus, ut ibi Paris, & Menelaus, seu potius Hector, & Aiax: alio tamen euentu. Vberius ista in Saturnal. Macrob.

Virgiliana, & Homerica poesis quibus differant.

CAPVT VI.



QVanquam Maroni cum Homero, uti ex Prodidagmatis nostris perspectum est hactenus, perspicieturque amplius, non ex his modò, sed ex librorum quoque omnium Symbolis, plurimæ, & maximæ similitudines intercedunt: nemoque inuenitur de poetis omnibus, seu Græcos, seu Latinos spectes, qui eum tantoperè imitando contendat referre, quique id fælicius præstet, quod bene erudito, nec inelegant epigrammate indicauit Alcinous, De numero vatum si quis seponat Homerum, &c. *quare etiam Homerus Mantuanus iure suo est appellatus: quanquam hæc ita sunt, ut dixi, nihilominus haud paucæ inter eos dissimilitudines cernuntur, ex quibus hunc nostrum vatem parente & archetypo suo maiorem aliquo modo, melioremq; deprehendas. Discrimina porrò ista partim ad totum utriusque opus uniuersè pertinent, & sunt καθολικά, partim ad partes, & tanquam membra utriusque operis, & ἰδικὰ vocari possunt. Ac prioris quidem generis posita sunt in rebus, personis, ac temporibus. De singulis ordine differemus.*

Ergo Virgilius primùm omnium, quò minus eum imitando seruijsse calumniaretur quispiam, statim, & priùs suam sibi Odysseam contexuit, itineraque Æneæ maritima, & errores varios explicare priore loco aggressus est: posterius suam sibi Iliadem, bellis eiusdem Æneæ pertractandis effinxit. Longè etiam est quàm Homerus parcior, & pressior, neruorum, sanguinis, & ossium profectò plus habet. Nec imperitè quod de Pericle Aristophanes, hoc de Marone nostro vsurpes: eum fulgurare, tonare, permiscere, *non quidem Græciam, certè Italiam, & quocunque se terrarum, quæ tum fuit, lingua Italorum propagauit. De duobus eloquentiæ oratorumque principibus, à Quintiliano an à Plutarcho scriptum est, de Cicerone, inquam, & Demosthene, huic nihil demi, illi nihil addi posse. Tam nimirum Atheniensis restrictus, & quodammodo tenax & auarus: tam Romanus abundans, copiosus, ac diues reperitur. Hoc ipsum de duobus hisce vatibus affirmes licet. Homero haud quidquã adieceris, qui sibimet ipse nimio plus adiecit: Virgilio haud quidquam detraxeris, qui sibimet pænè plus satis detraxit, sumptumq; fecit quàm parcissimè. Quem flumini intra ripas suas pleno amne labenti: illum autem Græcum fluuio supra ripas latè etiam effuso comparare possumus. Quid? an non oculis vides, an non manu tangis quod dico? Octo & quadraginta feruntur libri Homerici, præter hymnos: quorum effigiem ac simulacrum, ut colossi alicuius in gemmam annuli, in libros videlicet tantum duodecim Latinus poeta dexterrimè inclusit. Nunc personarum discrepantiam consideremus. Homerus Achillem laude militari, Vlyssem pacis, & priuatæ vitæ gloria præclarum facit. Geminam istam claritudinem uni Æneæ suo tribuit Virgilius, quemadmodum è cap. 3. factum est perspicuum. Thetis, & Minerua è diuarum numero suo vtraque studet, fauetque impensius: hæc quidem Vlyssi in medijs fluctibus periculosissimè versanti: illa Achilli, quem ut filium custodit, cui se auxiliatricem præbet. Sed utriusque munus atque partes in vnam Venerem transtulit Maro, quam videmus Æneam suum tueri, & ne terra*

marique, in pace, & armis casibus iniquis eripiatur, omnem mouere lapidem. Contemptim de exteris loquitur Homerus, & Græcos suos cum aliorum abiectione commendat: suis omnia egregiè concedere, Troianorum facta malignitate quadam, non culpa ingenij extenuare atque deterere consueuit. Hoc partium studio, affectuque vitioso liber Virgilius, Troianorum aduenarum res candidè laudat, priscorum Italorum agrestes, incultos, feros mores, quorundamque scelera, tametsi suæ gētis mortalium, minimè dissimulat: vnde & Italiæ ipsius, & Romanæ reipub. secundiora tempora commodè intelliguntur. Interim (tametsi sub aliena persona, vt Iarbæ, Numani, aliorumque, cum Troianorum mollitiem atq; peccata reprehendit, tum Rutulos, Turnum, Camillam, & alios prædicat. Satis dictum de personis, ad temporum differentiam veniamus. Res anni obsidionis noni complexus est Iliade Homerus, annorum octo prætergressorum, si qua datur ansa, molli brachio, & paucas omnino. Odyssea continet annos decem, quibus vagus, & exul fuit Vlysses: in qua etiam Troiæ narratur euersio, qui Græcis decimi anni labor fuit. Maronis sex priores annum habent vnum, quo gesta sunt illa in Africa pud Didonem, & in Sicilia, quoq; Æneas in Italiam venit. In sex sequentibus continuatur bellum semel sumptum, & ad Turni interitum vsq; perducitur. Quomodo igitur Achillis laudes in morte Hectoris apud Homerum: sic Æneæ apud nostrum in Turni nece finiuntur. Et Virgilius non modò præterita nonnulla, quæ ante aduentum Æneæ contigerant in Italia, sed tanquam futurorum præsagus ac præscius, etiam sequentibus sæculis demum ab Æneæ posteris gerenda perstringit, & ea quàm aptissimè cum institutis narrationibus connectit.

Restat, vt quod alterum caput erat, diuersitates inter eos secundum partes cognoscamus. Heroem suum à portu Troiano rectà ad loca destinata neuter poeta statim deducit. Ab Homero Vlysses iactatus tempestatibus, longumq; maris æquor emensus, in Ithacam demum mittitur, vbi vnà cum fidissima coniuge Penelope, & Laërte patre sene, quod reliquum erat vitæ in summa tranquillitate securus exigeret. Apud nostrum in agro Troiano Creusa vxore priuatus Æneas, concedit in exilium. In Sicilia quoque pater ei decedit, in Italiam ignotus, graues bellorum labores exantlaturus venit. Et Græci quidem propter adulteram recipiendam (caussa vt vides parùm speciosa) arma inferunt: qui Helenam ipsam, cum mœcho ipsius Paride ad supplicium deposcere debuissent: Æneas ad arma cogitur, pro puella honestissima, pudicissima, regia, quam Turnus ambibat, & illi præripere conabatur. In Iliade Achilles iurgatur cum summo duce Agamemnone, ac præ impotenti ira aduersus illum, prælio supersedet, suaq; absentia grauē Græcis calamitatem importat: tandem tandem Patrocli vlciscendi, hominis familiarissimi, ad pugnā redit, non sanè propter Rempub. quod inprimis decuisset. Nihil ineptiarum huiuscemodi Virgilius, siue apud Virgilium constantissimus Æneas. Eo apud Thuscos copias auxiliares conquirente, Troiani obsidione à Rutulis premuntur. Ob cædem Pallantis charissimi non se mittit in aciē, nec hostem prouocat: & tamen ob hāc ipsam pugnat ardentius. Achilli suppetijs non est opus, exercitus totus ad eius nutum paratissimus. Non ita in promptu omnia Æneæ. Achilli hostis vnus Hector: Æneæ Turnus, & Mezentius, viribus & opibus ambo præualentes. Homerus ad mortem Hectoris cremationem Patrocli, ludos funebres, Priami lacrymas, sepulturam cadaueris addit. Virgilius Æneida præcisè in occasu Turni claudit. Atque ista quidem hoc modo.



Rerum

Rerum antiquitas, & varietas in Aeneide, affectúsque diligenter expreßi.

CAPVT VII.

Mirum in modum delectamur, afficimurq; omnes vetustate, quam in monumentis, imaginibus, simulacris, statuis, numismatis prædicamus, ac suspicimus. Iam poetæ, qui in delectatione pariunda magnopere laborant, homines multis antè sæculorum ætatibus mortuos dum inducunt, eos quodammodo ab inferis in vitam reducunt, & in ijs morum actionumque similitudines nobis, exemplaq; proponunt, quæ admiremur, quæque imitari cupiamus. Et quia nos docere volunt quales simus, quales esse deberemus, vehementer ad hoc ipsum quoque valent facta veterum, qui aureo sæculo vixerunt. Habet igitur res Troianas Maro, quibus in ciuilibus quidem rerum gestarum monumentis (aliud enim de sacra Bibliorum historia sentiendum est, ea maximè, quam Moyses conscripsit) nihil propemodum est antiquius. Narrationem suam, & originem populi Romani satis altè inchoat, à Troia diruta videlicet, vt etiam Liuius: qui tamen, quoniam esset præter institutum, in Ænea non moratur. Multa item passim vetusta, ac Troianis superiora temporibus intermiscet, & vt verißimè scripsit cumulatißimæ doctrinæ vir Turnebus, multa iacet in eo sepulta antiquitas. Vt de sæculo Saturni in Italia latitantis; de moribus hominum illius tempestatis: de Euandro, de priscis Italiæ populis, eorumque cærimonijs, natura, legibus, institutis. Multas cæterarum gentium consuetudines, iura, leges tangit: nullius autem plura, quàm Romanæ: quippe rerum Romanarum, populiq; Romani studiosißimus. Omnino vetustatis amatores ad Virgilium voluendum se dedant, quem alius quidam eruditus, antiquitatis altißimum gurgitem meritißimò appellauit.

Nec varietatis laude, qua summopere in vnoquoque genere artifices, atq; scriptores etiam commendantur, quaque nihil potest esse vel gratius, vel iucundius, non præstat Maro. De Romanis complura primus, sextus, & octauus afferunt. De dijs, deabusque omnes pæne libri non pauca ingeniosè conficta, quibus tanquam integumentis, aut ethica, aut physica quædam mysteria occultantur. Fabulæ complures attinguntur. Quod nisi fieret, magnum poemati ornamentum deesset. Ad philosophiam naturæ pertinentia hinc inde insperguntur: vt de animantium, herbarum, arborum naturis, de ventis, tempestatibus, fluminibus, maximè in Georgicis. Plurimæ cernuntur rerum diuersarum venustißimæ hypotyposes: vt pestilentiæ, famis, mortiferorum vulnerum, humani corporis partium, venationis, ludorum, &c. In tertio, & septimo multa geopraphica, & topographiæ vrbium, regionum, montium, portuum, nemorum. Ad Astronomiam rediguntur descriptiones ortus, & occasus solis, lunæ, aliarum stellarum. Ad Chronographiam, noctis, auroræ, meridiei, aliorumq; temporum. Interlucent γνῶμαι lapillorum instar. Ac sunt eæ quidem perpaucæ: sed quarum vel vna innumerabilibus Ouidianis, propter grauitatem, & sapientiam præferenda videatur. Exemplorum, quibus partim ad virtutem incitemur, partim à maleficijs & scelere absterreamur, egregia vicißitudo. Aiax Oilei, auersari libidinem, & deum non esse tentandum docet. Æneas præter alia, pietatem in coniugem, in parentes: Lausus peræquè: Dido, Acestes, Euander, hospitalitatem, & beneficentiam. Turnus à iuuenili, inconsiderataque audacia, Mezentius à crudelitate, & sæuitia nos reuocat. Documentum amicitiæ præbent Nisus, & Euryalus. Quid multa? Æneas solus omnis est virtutis speculum.

Cùm fateamur autem, plus conducere Ciceronis lectionem ad eloquentiam, quàm Virgilij, rhetoricumque artificium, & pleraque illius artis ornamenta, cumulatiùs, penitiusque cognosci ex oratoribus, quàm ex poetis, hoc tamen neutiquam concedimus, τὰ πάθη, καὶ τὰ ἤθη excellentiùs ab illis, quàm ab his tractari: quos certè hac in re magistros sequuntur oratores: vt in alijs quoque, si verum

si verum est, quod apud Quintil. lib. 10. cap. 1. Theophrastus confirmat. Hic verò poetarum reliquorum antesignanus potest esse Virgilius. Nihil Iunonis ira in primo feruentius: nec illo loco de pictis in pariete conflictibus Troianis cum quadam commiseratione quidquam iucundius. Nihil toto secundo (præsertim cæde Priami) τραγικώτερον. Quàm suauiter Creusam vxorē, & patrem luget Æneas? Interitus Didonis, & lamentatio illa extrema in quarto, vix sine lacrymis legitur. Pars vltima sexti, de immatura morte Marcelli, Augustum, & Octauiam tanto dolore incendit, vt poetæ recitanti silentium imperarent. Horribilia sunt, quæ de morte Mezentij, & Turni commemorat. Amantis fœminæ insania nec expressa est; nec exprimetur vnquam diuiniùs. Quam ob caussam quartus liber ingeniosissimus habetur. Possem locis in medium adductis ostendere, quanta cum arte, & quàm eximia ingenij facultate timorem, lætitiam, iram, odium, pietatem, dolorem, humanitatem, beneuolentiam, confidentiam, sollicitudinem, verecundiam, ægritudinem, stultitiam, gratum animum, reliquasque motiones quasi penicillo sit imitatus: sed nimiùm longè procederetur: studiosos admonuisse satis esto: ipsi cùm volent, legentes obseruabunt. Macrobius item perdiligenter lib. 4. Saturnal. docuit, quantus mouendorum affectuum artifex esset Virgilius, locosque innumeros produxit.

Virgiliana elocutio.

CAPVT VIII.



QVid Maroni ad summam, consummatamque poeticæ elocutionis commendationem desit, equidem nescio. Profectò, aut in nullo poetarum, aut in hoc omnibus illa numeris perfecta & consummata est. Poetæ à communi, protrito, quotidianoque loquendi more recedunt? recedit maximè Virgilius. Hellenismis ob eam ipsam rationem, cuius modò memini, & ob elegantiam, cuius veluti mater, & nutrix est Græcorum lingua, libenter & crebrò vtuntur? vtitur his quoque Virgilius; etsi eo multò frequentiùs Horatius. Sunt densi tropis, metaplasmis, schematis? nulli hac in parte palmam relinquit Virgilius. Boni poetæ bene latini, splendidi ac festiui sunt, & linguæ Romanæ amantibus studiosissimè legendi, auctoritate & consilio M. Tullij? Hic ego dubito, an vllus Virgilio nostro de poetis conferri debeat: præferri quidem certum est posse neminem. Quantus in eo verborum nitor? quantus delectus? quanta puritas? qualia, quàm idonea, quàm bella epitheta? quàm venustæ tralationes? quàm pulchræ circuitiones, siue periphrases? quanta magnificentia, quàm exquisitus ornatus, quanta vbique mundities? quanta copia, quanta ad extremum figurarum varietas atque crebritas? non est concisus, non vagus, non tumidus, non obscurus (quanquam difficilis) non improprius, non semibarbarus. Obsoletis & antiquis vocibus ferè temperat: etiamsi Plautum, Ennium, Næuium non negligenter volutarit. Quòd aiebam, non esse tumidum, confirmat Persius Satyr. 1. aduersus quorundam poetarum sinistrum, vel stolidum potius iudicium. Reprehendit in ijs præter alia vitia nimium concinnitatis ac soni, seu suauitatis cuiusdam tumidæ, & inflatæ studium, idq; exemplis de libris poetarum illius seculi probat. Deinde aliquem de ineptorum illorum numero sibi Æneidem obiectantem, & à pari se defendentem inducit, quasi illa quoque turgeat. Quod ætate sua similiter quosdam affirmare ausos, lib. 1. de Remedio amoris auctor est Ouidius.

Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguæ,
Pertulit huc victos quo duce Troia deos.

Negat autem Persius, & calumniatori à simili respondet. Tam esse inflatam ac tumentem Virgilij poesin, quàm sit ramus annosus quispiam, seu antiquus, longo solis feruore excoctus, siue exsiccatus. Verba Persij sunt hæc.

Arma

Arma virum, nónne hoc ſpumoſum, & cortice pingui?
Vt ramale vetus vegrandi ſubere coctum.

Eſt enim ſynecdoche in his verbis, Arma virum, *qua pars totum, id eſt, totam Æneidem per eius principium ſignificat. Hæc porrò præcipua Maronianæ elocutionis virtus eſt, quòd res ipſas non tam narrare, quàm agere ante oculos videtur: & ſi aliqua poeſis eſt pictura loquens, Virgilij eſt. Argumento ſit illa tempeſtas in primo: ille equus Didonis in quarto, de quo ita canit.*

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exſpectant, oſtroq; inſignis & auro
Stat ſonipes, & fræna ferox ſpumantia mandit.

Alibi quàm eleganter currentium equorum ſonitum atque habitum declarauit? cum dixit: Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum. *Pugna Daretis, & Entelli quodammodo coràm à nobis aſpicitur. Vulcano & Cyclopibus ſcutum fabricantibus, nos inter ſe magna vi brachia tollentes oculis quaſi cernimus, & malleorum ſtrepitus tantum non ipſis auribus ſentimus. Verborum impudicorum abſtinentiſſimus. De rebus non honeſtis, aut pudorem habentibus, ipſe honeſtè ac tectè loquitur, vt de Æneæ, & Didonis conuentione, complexuque in ſpelunca, vxoris & Vulcani, in octauo. Et quia nihil non caſtum ac pudicum apud hunc poetam, nullum verbum obſcænum, ideo forſitan nomen illi Partheniæ, ſeu Parthenij tributum videatur, cum alluſione ad latinam eius appellationem, ac ſi eum Virgineum nominarent. Denique, vt ſim breuis, ſolus Virgilius poeticæ locutionis, & elocutionis princeps, architectus, dux, & exemplar: neq; πολλῶν modò, ſed πάντων ἀντάξιος ἄλλων ſtatuendus eſt. Lege quæſo Scalig. Poet. cap. 16. lib. 4, Eiuſdem locum lib. 5. cap. 3. in extremo, planè adſcribendum cenſeo.* Quemadmodum Antonius apud Ciceronem de poetis: videntur enim ipſi alia lingua, quàm latina locuti: ita à nobis & de Virgilio dici ſolet: cæteri alia lingua, quàm poetica mihi vſi videntur.

Teſtimonia Imperatorum, Oratorum, & Hiſtoricorum de Virgilio.

CAPVT IX.



AVGVSTVS CÆSAR *quantum ſit admiratus ingenium Virgilij, quamque multum ei tribuerit, quàm deniq; charum habuerit, ſatis patet è vita, quam deſcripſimus. Accedit teſtis Horatius epiſt. 1. lib. 2.*

At neque dedecorant tua de te iudicia atq;
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi, Virgilius, Variuſque poetæ.

Inter eum, Horatiumque ſedens, & maximis de rebus ſermonem cum ipſis conferens aliquando inuentus eſt. Carmina eius adeo deſiderabat, vt eam ob cauſſam crebras ad eum litteras mitteret. Firmum argumentum, quod, vt Plinius inquit lib. 7. cap. 30. Æneidem contra teſtamenti eius verecundiam vetuit cremari, maiusq; vati ita teſtimonium contigit, quàm ſi ipſe carmina ſua probauiſſet. Edidit etiam carmen Auguſtus, quo ſignificauit, ſe prohibere tantum opus dari flammis. Ergóne ſupremis, &c. *quanquam credibilius eſt, illud poema à quopiam ſcholaſtico ſub Auguſti nomine conſcriptum.*

ALEXANDER SEVERVS *(auctor eſt Lampridius) poetarum Platonem appellabat. Et vt ab Alexandro Macedone Homerus, ſic ab hoc Virgilius aſſiduè lectus, atq; in delicijs habitus eſt, & inter dormiendum ceruicali ſuppoſitus, non ſecus ac theſaurus ingens: cuius imaginem quoque iuxta cum Ciceronis in ſecundo larario conſecrauit: nempe vt ille Macedo ad Achillis: ſic iſte ad Æneæ imaginem effingere ſe conabatur. Hîc me Adriani Imperatoris tangit memoria: cuius iudicium vel inuidiæ, vel fatuitatis plenum quis non repudiet, immò deteſtetur potiùs, dum, vt Ciceroni*

Cato-

Catonem, Sallustio Cæcilium: sic Virgilio Ennium prætulit. Testis Spartianus. Occurrit item liuor, & malignitas Caligulæ, de qua Sueton. cap. 34. Sed & Virgilij, & T. Liuij scripta, & imagines paulùm abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoueret: quorum alterum vt nullius ingenij, minimæque doctrinæ: alterum velut in historia negligentem carpebat.

SENECA. *Virgilio imitatio bene cessit, qui optimos Varronis versus expressit in melius.*

PLINIVS MAIOR *lib. 2. cap. 3. clarissimum, & 33. cap. 1. celeberrimum auctorem, præfat. lib. 14. vatem præcellentissimum vocat.*

VELLEIVS *lib. 1. Princeps carminum Virgilius.*

TACITVS *dialogo de Orat. Malo seuerum, & secretum Virgilij secessum, in quo tamen neque apud D. Augustum gratia caruit, neq; ad populum Romanum notitia. Testes Augusti epistolæ, testis ipse populus, qui auditis in theatro Virgilij versibus, surrexit vniuersus, & fortè præsentem, aspectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum.* Exercetur ab oratore *etiam poeticus decor, non Attij, non Pacuuij veterno inquinatus: sed ex Horatij, Virgilij & Lucani sacrario prolatus.*

MARCELLINVS *lib. 15. & 19. excelsum, eminentissimum vatem, poetam præclarum nominat.*

SENECA *vatem maximum. Qui tamen lib. 22. epist. vt refert Gellius lib. 12. cap. 2. quodammodo carpere ausus est, dum scripsit. Virgilius quoque noster non ex alia caussa duros quosdam versus, & enormes, & aliquid supra mensuram trahentes interposuit, quàm vt Ennianus populus agnosceret in nouo carmine antiquitatis aliquid. Sed hoc de hypermetris, lagaris, & acephalis perspicuè intelligitur, de quibus multà Erythræus. Nec ista vel tantillum officiunt eius luminibus.*

MACROBIVS *lib. 1. in somnium Scipionis, cap. 1. & 2. cap. 7. Homericæ perfectionis per omnia imitator. Eodem lib. cap. 6. nullius disciplinæ expers. Lib. 2. cap. 8. quem nullius disciplinæ error inuoluit. Saturnal. lib. 1. cap. 16. Homerus Mantuanus. Et cap. 24. Hæc est Maronis gloria, vt nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur. Lib. 5. cap. 1. Facundia Mantuani multiplex est, omne genus dicendi complectitur. In Cicerone vnus eloquentiæ tenor. Ille abundans, torrens ac copiosus. Oratorum autem non simplex nec vna natura: sed hic fluit, & abundat: contrà ille breuiter & concisè dicere affectat. Nescio vtrum Macrobius in laudando Marone septa transilierit, qui eloquentiæ studiosis plus prodesse argumentatur illo capite Virgilium, quàm Ciceronem. Lege ibidem de quatuor generibus dicendi, ex quibus omnibus suam conflauit eloquentiam Maro. Ibidem. Non mortali, sed diuino ingenio Maro. Et ne nimium me vocetis, qui Virgilium naturæ rerum comparaui: intra ipsam enim mihi visum, si dicerem, decem Rhetorum, qui apud Atticas Athenas floruerunt, stylos diuersos hunc vnum permiscuisse. Cap. 2. eiusdem libri. Omne opus Virgilianum veluti de quodam Homerici operis speculo formatum est: omnia mira imitatione describens. Et cap. 14. Virgilio Homeri dulcis imitatio. Et cap. 16. amœnitate intertexta, fastidio narrationum medetur. Ibidem. In omni opere Maronis Homerica latet imitatio. Homerus enim poesin suam ita sententiis farsit, vt singula eius ἀποφθέγματα vice prouerbiorum in omni ore fungantur. Nec hæc apud Virgilium frustra desideraueris. Cap. 18. Fuit Virgilius vt scrupulosè, & anxiè, ita dissimulanter, & quasi clanculò doctus: vt multa transtulerit, quæ vnde translata sint, difficile sit cognitu. Ibidem. Græcas litteras non minus quàm Latinas hausit. Lib. 6. cap. 1. Quis fraudi Virgilio vertat, si ad excolendum se quædam ab antiquioribus mutuatus sit? cui etiam gratia hoc nomine habenda, quòd nonnulla in opus suum, quod æternò mansurum est, transferendo, fecit, ne omnino memoria veterum deleretur: quos (sicut præsens tempus ostendit) non solùm neglectui, verùm etiam risui habere cœpimus. Denique & iudicio transferendi, & modo imitandi consecutus est, vt, quod apud illum legerimus alienum, aut illius esse*

esse malimus: aut melius hic, quàm vbi natum est, sonare miremur. Eundem Macrobius iste, vt absoluam, obseruantissimum artis, & naturæ imitatorem alibi nominat.

FABIVS *lib. 1. cap. 7. & 9. cap. 3. vetustatis amantissimum: rursum lib. 1. cap. 18. auctorem eminentissimum. Lib. 8. cap. 7. acerrimi iudicij esse dicit. Lib. 10. cap. 1. vbi de poetis disserit: Itaque, inquit, vt apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimum dederit exordium, omnium eius generis poetarum: Græcorum, nostrorumq; Homero haud dubiè proximus. Ibidem principem poetarum constituit, quem cæteri omnes longè sequantur, appellatq; naturam diuinam, cælestem, immortalem. Lib. 12. cap. 11. Quantum poesis ab Homero, & Virgilio, tantum fastigium accepit eloquentia à Demosthene, & Cicerone.*

DOMITIVS AFER, *teste Quintil. dixit, Virgilium ab Homero secundum esse: propiorem tamen primo, quàm tertio: quod dictum versibus inclusit Alcinous.*

DONATVS *præfat. Comment. Si quis carminum horum sensum perceperit, in poeta Rhetorem summum inueniet. Unde Virgilium non Grammatici, sed oratores præcipui explicare debuerunt. Idem artem dicendi plenissimè demonstrat. Multorum diuersa scripta complexus, vniuersa percurrit. Diuersæ professionis, & diuersarum artium scriptoribus beneuolum se, & peritissimum doctorem præbet. Habet multa quæ discant patres & filij, mariti & vxores, imperator, miles, ciuis optimus, & patriæ spectatissimus cultor. In laboribus optimum quemque reip. caussa fortunam, & salutem debere contemnere. Magisterio eius doceri possunt, qui se ad Dei cultum, & futura noscenda conferunt: qui illæsas amicitias amat: item quid metuat, qui fluxam fidem gerit: quales debeant esse homines, quorum præsidia necessitate postulantur, ne in arrogantiæ, aut inhumanitatis crimen incurrant.*

D. HIERONYMVS, *Virgilius alter apud nos Homerus.*

D. AVGVSTINVS *de ciuit. Dei lib. 1. cap. 3. Virgilius poeta maximus, omniumque præclarissimus atque optimus.*

LACTANTIVS, *Latinorum poetarum primus Virgilius.*

EVSEBIVS CÆSARIENSIS *quanti eum fecerit, apparet ex eo, quòd quartam eclogam in carmen græcum transtulit, quæ adhuc in vita Constantini legitur: immò ibidem* ἐξοχώτατον τῶν κατ' Ἰταλίαν ποιτῶν, θαυμαστὸν ἄνδρα, καὶ πάσῃ παιδείᾳ κεκοσμημένον, σοφώτατον ποιητὴν, *poetarum Italorum facilè præstantissimum, virum admirabilem, & omni doctrina eximiè ornatum, sapientissimum poetam haud veretur dicere.*

Testimonia Poetarum.

CAPVT X.



HORATIVS *lib. 1. Satyra 10.*

——— molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.

PROPERTIVS, *cùm necdum edidisset in publicum Æneida Virgilius, iam tamen aures multorum compleuisset, sic scripsit eleg. 34. lib. 2.*

Actia Virgilium custodis littora Phœbi,
  Cæsaris & fortes dicere posse rates,
Qui nunc Æneæ Troiani suscitat arma,
  Iactaq; Lauinis mœnia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graij,
  Nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis vmbrosi subter pineta Galesi
  Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus.
Vtque decem possint corrumpere mala puellam,
  Missus & impressis hœdus ab vberibus,
Fælix qui viles pomis mercaris amores,

Huic licet ingratæ Tityrus ipse canat.
Felix intactum Corydon qui tentat Alexin,
Agricolæ domini carpere delicias.
Quamuis ille sua lassus requiescat auena,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascræi veteris præcepta poetæ,
Quo seges in campo, quo viret herba iugo.
Tale facis carmen docta testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis.

IVVENALIS *satyr. 11.*

Nostra dabunt alios hodie conuiuia ludos,
Conditor Iliados cantabitur, atq; Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.

OVIDIVS *1. Amor.*

Tityrus, & segetes, Æneiaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

Idem 3. de arte.

Et profugum Ænean, altæ primordia Romæ,
Quo nullum Latio clarius extat opus.

Et ad Augustum 2. Tristium.

Et tamen ille tuæ fælix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumq; thoros.
Phyllidis hic idem, teneræq; Amaryllidis ignes
Bucolicis iuuenis luserat ante modis.

Idem de Ponto lib. 3. eleg. 4.

Res quoque tanta fuit, quantæ subsistere summo
Æneidos vati grande fuisset onus.

TERTVLLIANVS *Ouidium Medeam tragœdiam suam ex Virgilio expressisse testatur eo loco, vbi disputat de his, qui ex alijs auctoribus centones, & noua opera concinnabant.*

PAPINIVS *librum suum Thebaidæ compellans,*

Viue precor, nec tu diuinam Æneida tenta:
Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

Sedulum quoque eiusdem imitatorem nihilominus fuisse, apertum est ex iis, quæ scribit lib. Syluar. 4.

——— tenues ignauo pollice chordas
Pulso, Maronæoq; sedens in margine templi
Sumo animum, & magni tumulis accanto magistri.

MARTIALIS *lib. 5. ad Sextum.*

Sit locus & nostris aliqua tibi parte libellis,
Quà Pedo, quà Marcus, quàque Catullus erit.
Et Capitolini cælestia carmina belli
Grande cothurnati pone Maronis opus.

Lib. 8. caussam afferens, cur Roma non etiam præstantibus poetis, quemadmodum cæteris rebus clareat, quia videlicet patroni liberales, ac munifici desint, sic vatem nostrum prædicat.

Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quenquam tanta bella sonare tuba?
Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Et lib. 11.

Rara, vel æterno proxima Virgilio.

AVSONIVS *in Eidyllijs.*

Ilium in Æneide celebrat dulcedo Maronis.

SILIVS ITALICVS, *ad quem prædij Virgiliani Mantuæ hæreditas peruenit, lib. 4.*

Mantua Musarum domus, vsque ad sidera cantu
Euecta Andino, & Smyrnæis æmula plectris.

Hic, & Statius Papinius poetæ haud vulgares, adeo Virgilium sunt admirati, vt dicerent, nihil se magis cupere, quàm posse aliqua ex parte Virgiliani carminis maiestatem imitari. Immò enimuerò

uerò Silius in poetæ sepulcro Neapoli delituit aliquamdiu, vt ab ossibus nimirum illius spiritum heroicum traheret. Iouianus quidem Pont. lib. de Liberalit. narrat, eum Virgilij sepulcrum visere solitum penè quotidie, & muneribus quibusdam adornare. Stultè satis, sed ad exemplum amandi Virgilianum carmen sapienter. Amoris etiam Silij erga Maronem locupletissimus testis accedit Plinius, epist. 7. lib. 3. Multum vbique librorum, inquit, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modò, verùm etiam venerabatur: Virgilij ante omnes, cuius natalem religiosius celebrabat quàm suum, Neapoli maximè, vbi monumentum eius adire vt templum solebat. Sannazarius idem fecit quotannis: quem affirmat Pontanus in Actio, sepulcrum poetæ & sepissimè inuisere, & reuerendissimè venerari in more habuisse.

Et MARTIALIS *lib. 11.*

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis.

Et infrà.

Iam prope desertos cineres, & sancta Maronis
Nomina qui coleret, pauper & vnus erat.

LVCANVS *Panegyr. ad Pisonem.*

Iste per Ausonias Æneïa carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat olympum,
Mæoniumque senem Romano prouocat ore.

COLVMELLA *claudens librum 10. qui est de cultu hortorum, in quo se Maronis nostri vicarium prabere voluit.*

Hactenus aruorum cultus Syluine docebam,
Siderei vatis referens præcepta Maronis,
Qui primus veteres ausus recludere fontes
Ascræum cecinit Romana per oppida carmen.

PHOCAS *Grammaticus.*

Mœonij specimen vatis veneranda Maronem
Mantua Romuleæ generauit flumina linguæ.
Quis facunda tuos toleraret Græcia fastus?
Quis tantum eloquij potuisset ferre tumorem,
Æmula Virgilium tellus ni Tusca dedisset?

ALCINOVS.

De numero vatum si quis seponat Homerum,
Proximus à primo tum Maro primus erit.
Et si post primum Maro seponatur Homerum,
Longè erit à primo, quisquis secundus erit.

CORNELIVS GALLVS, *vel potius quispiam Scholasticus ad Augustum.*

Temporibus lætis tristamur, maxime Cæsar,
Hoc vno amisso, quem gemo Virgilium.
Sed vetuit relegi, si tu patiere, libellos,
In quibus Æneam condidit ore sacro.
Roma rogat precibus, totus tibi supplicat orbis,
Ne pereant flammis tot monumenta ducum.
Atque iterum Troiam, sed maior flamma cremabit:
Fac laudes Italûm, fac tua facta legi.
Æneamque suo fac maior nuntius ornet,
Plus fatis possunt Cæsaris ora dei.

SVLPITIVS CARTHAGINENSIS.

Iusserat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quæ cecinere ducem.
Tucca vetat, Varusque simul, tuque optime Cæsar
Non sinis: & Latiæ consulis historiæ.
Infælix alio cecidit prope Pergamos igni,
Et pæne est alio Troia cremata rogo.

Imitatus est hoc epigramma Ioan. Matthæus Toscanus in hunc modum.

Gesta ducis Phrygij flammis donauerat auctor,
Extremam prohibent dum fera fata manum.
Sed Tuccæ, Varique vetat pia cura, patrono
Cæsare Romanæ viuitis historiæ.

Quàm timuit sæuæ sibi per discrimina flammæ
Ilios antiquo plus superesse rogo?

INCERTVS, *ex persona poetæ.*

Mæonium quisquis Romanus nescit Homerum,
Me legat, & lectum credat vtrumq; sibi.
Illius immensos miratur Græcia campos:
At minor est nobis, sed bene cultus ager.
Hic tibi nec pastor, nec curuus deerit arator,
Hæc Grais constant singula, trina mihi.

IOVIANVS PONTANVS *lib. 1. Eridani, scitissimo commento de eius infantia, deque operibus ab eo conditis, & eorum argumentis ita cecinit.*

Excipit hunc, tepidoque sinu complexa Melisse,
Blanda fouet, blandis conciliatque iocis.
Instratum lauri foliis, somnoq; grauatum
Tutanturq; & apes, labraq; melle linunt.
Hinc Musæ placidis salicum docuere sub vmbris,
Sebethus liquidis quà fluit vber aquis.
Inde specu exceptus, viridisque in rupe Veseui
Pastor agens, cecinit Tityre coge pecus.
Huc ades ô Melibœe, caper tibi saluus & hœdi,
Ite domum saturi, nox venit, ite greges.
Pòst lætas segetes, quo sidere vertere terram
Conueniat, Baccho qui sit & aptus ager.
Cura boum quæ sit, pecori quis cultus habendo,
Et docuit pressis mella liquare fauis.
Fœlix aruorum cultu, fœlicior armis,
Dum profugum Æneam, dum canit arma virûm.
Illi Vulcanus clypeum, sua Mulciber arma
Aptat, & in classem corruit omne nemus.
Illi fatorum seriem, gentisque togatæ
Deiphobe Glauci monstrat & omne genus.
Inde sedens ebore in niueo Sebethida ad vndam,
Colligit Etruscas, Marrhubiasque manus.
Agmen agit Lausus, magniq; ipse agminis instar,
Attrituq; pedum terra Sabina tremit.
Et quoties raucùm gemuit caua buccina, matres
Presserunt natos pectora ad ipsa suos.
O salue Italidûm gentis decus, in Latium qui
Aonio ducis vertice Pieridas.
Salue & Idumæas debet cui Mantua palmas,
Cui Phœbus Latio vestit honore comam.
Sparge Charis roremq; tuum, Syriosq; liquores,
Parthenope violas, Mantua funde rosas.

ANG. POLITIANVS.

Proximus huic (Homero) autem, vel (ni veneranda senectus
Obstiterit) fortasse prior, canit arma virumque
Virgilius, cui rure sacro, cui gramine pastor
Ascræus, Siculusque simul cessere volentes.
Quem non tabifico mordax attingere liuor
Dente queat, liuor tandem & sandalion ausus
Carpere, cùm dominam asseruit sua forma Dionen.

Idem in Manto Sylua.

Editus ecce Maro, quo non fœlicior alter,
Seu syluas, seu rura canit, siue arma virumque.
Namque Syracosijs cùm vix assurgat auenis,
Hesiodum premit, & magno contendit Homèro.

In extrema.

Semper erit magni decus immortale Maronis,
Semper inexhaustis ibunt hæc flumina venis,
Semper ab his docti ducentur fontibus haustus, &c.

Sed quid ego vnum & alterum inde versum profero, cùm tota de laudibus, itemque de operibus Maronis conscripta sit?

Idem

SCALIGER *in Heroibus, ex persona poetæ.*

Mantua dat, Calabri rapiunt, retulere Maronem
Sylua gregi, ruri semina, bella duci.
Humanorum operum numeris, & carminis ald
Exhaustis, tecum est iam mihi terra nihil.

Idem in Manibus Catull. de Virgilij inaccessa diuinitate.

Dulcis Virgilius, Latina Siren,
Duplex Mæonides, triplex Apollo,
Vnus omnia, quæ ambiunt poetæ.
O cygne, ô philomela, ver Latinum,
Mel merum Larij, Latinæ Athenæ.
O monstrum vitio carens. Quid ergo?
O cælum sine nube, lux serena,
O pontum sine fluctibus profundum.
Men' tecum trahis, incitamque mentem
Ignoto attonitam rapis furore!
O si in te penitus migro, meiq;
Tuis, nescius, inseror medullis:
Cur abs te doleam me abesse tantum,
Quantum frustra alij prope esse credant?

M. ANTONIVS CASANOVA.

Dicite qui ripas Minci coluistis olores,
Mortua vobiscum est gloria Virgilij?
Dic mihi Parthenope, sic sis pulcherrima semper,
Virgiliusne tuo concidit in gremio?
Et meruit, cui contigerat nasci inter olores,
Inter Sirenumq; occubuisse choros.

MATTHÆVS TOSCANVS.

Virgilium cælo Phœbus demisit, vt esset
Mæoniam posset qui superare tubam.
Se vinci vt sensit, tunc æmulus ipse canorum
Ante diem Stygio mersit in amne caput.

HIERONYMVS VIDA *lib. 1. Poet.*

—— veluti cæli post nubila, & imbres
Extulit os sacrum soboles certissima Phœbi
Virgilius, qui mox veterum squalore situq;
Detersо in melius, mira omnia rettulit arte:
Vocem animumq; deo similis. Date lilia plenis
Pierides calathis, tantoq; assurgite alumno.
Vnus hic ingenio præstanti gentis Achiuæ
Diuinos vates longè superauit & arte,
Aureus, immortale sonans. stupet ipsa, pauetque,
Quamuis ingentem miretur Græcia Homerum, &c.

Et lib. 3.

Virgilij ante omnes læti hìc super astra feremus
Carminibus patrijs laudes, decus vnde Latinum,
Vnde mihi vires, animus mihi ducitur vnde.
Primus vt Aonijs Musas deduxerit oris,
Argolicum resonans Romana per oppida carmen,
Vt iuuenis Siculas syluis inflârit auenas,
Vtq; idem Ausonios animi miseratus agrestes
Extulerit sacros ruris super æthera honores,
Triptolemi inuectus volucri per sidera curru.
Res demum ingressus Romanæ laudis, ad arma
Excierit Latium omne, Phrygumq; instruxerit alas,
Verba deo similis. Decus à te principe nostrum
Omne, pater, tibi Graiugenûm de gente trophæa
Suspendunt Itali vates, tua signa secuti, &c.

c 3 Testi-

Testimonia quorundam eruditorum.

CAPVT XI.



PETRVS CRINITVS *lib.5.cap.11.Pro comperto apud omnes est, P.Virgilium omnium philosophorum decreta atque opiniones egregiè calluisse: quod ipsum cùm locis multis probauit, tum in libro maximè Æneidos 6. in quo satis abundeque videtur asseruisse, quantum videlicet humanas omnes atque diuinas disciplinas didicerit. Et lib.10.cap.6. Satis compertum, adeo multiplici & varia Virgilium præstitisse doctrina, vt & cælestia pariter, & humana maximè intellexerit: quod eius diuinum carmen probat, in quo & sacra omnia, & humanæ leges atque ritus tanta ordinatione tractantur, vt eum mirari potiùs homines possint, quàm pro merito satis laudare.*

IOVIANVS PONTANVS *lib.1. de Fortitudine, sacrorum rituum scientißimum nominat. De eodem autem, & Homero coniunctim sic scribit de Fortuna lib.1. Homerus, ac Virgilius duo poeticæ duabus in linguis lumina, ab innato eiusmodi ad poetandum impetu id vterque consecuti sunt, vt si dij ipsi Græcè aut Latinè herois cantare velint numeris, non alia nec voce, nec cantu, nec numeris, nec suauitate, dignitate, magnitudine, quàm quibus illi modulati sunt, canerent. Rursum dialogo Antonio in extremo. Illud verò maximè nefandum esse, & quouis animaduertendum supplicio prædicabat, quòd essent nonnulli adeò improbi, vt non alia se ratione doctos, atque in litteris claros haberi posse persuasum habeant, quàm si Virgilio detrahant, si in poetarum principem dentes acuant. Qui si quando pro rei locique natura variantior, &, vt ita dicam, festiuior est, hîc Homeri simplicitatem magis probant: vbi simplicior atq; castigatior, tum copiam illius, & ornatum requirunt maiorem. Nunc quòd Homeri ipsius nimius sectator fuerit: nunc quòd ab illius imitatione longiùs recesserit, accusant. Aliâs non probant tantum antiquitatis studium: aliâs quædam sine vllo exemplo protulisse damnant. Interdum supercilium eius, interdum iocunditatem insectantur. Deniq; esse inuentos qui dicerent, scripta eius mera furta esse: qui censerent Ennium quanquam rudem, & inconditum ei anteponendum: qui nullo demum ingenio, nulla inuentione fuisse nugarentur. Hoc loco rei indignitate commotum exclamare Antonium memini, improbos, facinorosos, detestabiles eos dicentem, Iouemq; ausos regnis detrudere. Quippe qui Romanæ poeticæ principem, & quasi deum quendam è suo regno, suo è solio pellere, ac deturbare conarentur. Sed nec meliore vsum fortuna patrem ipsum poeticæ omnis Homerum querebatur: laceratum, vexatum, discerptum etiam ab ignorãtißimis fuisse, hocq; de posteris meritum, quibus lumen accendisset, retulisse, vt etiam Grammaticorum cæcutienti ignorantiæ obnoxius fuerit. Censebat igitur duos hos in duabus nobilißimis linguis, Græca, Romanaque summum iure principatum tenere, & alterum Græcæ, alterum Romanæ poeticæ regem esse: horum dicta, inuentaq; locum, vim, auctoritatemque legum habere. Hos venerandos, hos patres patriæ publicis priuatisq; honoribus prosequendos, his vbiq; atq; ab omnibus assurgendum. Qui contrà sentirent, rebellium atque hostium in numero habendos esse. Atque vti subiectis populis popularibusq; nullum ius, nulla iurisdictio esset in regibus, quorum præscriptis, imperijs, decretisque ab illis pareretur: sic à litteratis omnibus, quæ duo hi reges decernant, ijs vbique parendum esse. Qui aliter sentiret, contraúe auderet, aqua & igni interdicendum, atq; in loca deserta exterminandum, ferisue obijciendum statuebat. Idem Actio dial. Virgilius vnus de nostris poeticarum virtutum instar est omnium, ac maximè numerorum.*

CÆLIVS RHODIGINVS *lib.7.cap.4. Apud Græcos Homerum, apud nos Virgilium veneramur, colimus, in oculis gestamus, ex æquo ferè cum Homero stantem. Tantum potest Latina res Mantuano cælo, sub quo eloquentiæ specimen longè clarißimum & natum, & arte quadam educatum est: & quo vno post illa M. Tullij fulmina longè lateque coruscantia, aduersus Græcæ*

gentis

gentis fremitum nimio plus sæpe intonantem coorimur, obsistimusque. Et lib.12. cap.8. Virgilius nullius doctrinæ inscius, & vetustatis vsque ad anxietatem obseruator. Item lib.12. cap.3. Virgilius vt in alijs summus, ita & agricolationis disciplinam, Columellæ testimonio, carmine potentem facit. Quo eum nomine plerique litterati, ac probi obseruant, velut τεμενῶν ἱερόν, *templorum sacra. Ita est doctrina multifarius, & morum sanctitudine præcellens.*

LVDOVICVS VIVES *lib.3. de disciplinis. Æneis Virgilij grande opus, & plenum grauitatis, ac rerum bonarum.*

PETRVS VICTORIVS *Prolegom. in Poeticen Aristotelis. Cùm idoneam materiam, propriamque eius carminis sumpsisset, plurimùm ipsam studio suo, diligentiaque elaborauit, atque cumulauit. Nam & Homerum ducem sibi proposuit, ipsumque omni in parte sui poematis expreßit, vel, vt quidam volunt, potiùs expilauit. Quin certè tanquam apis quædam singulos eius flores, vt tragicorum etiam, reliquorumque optimorum & Græcorum, & Latinorum poetarum lustrauerit, indeq; suauißimum mel confecerit, dubitari non potest.*

TVRNEBVS *Aduers. lib.18. cap.32. Virgilij poesis omnibus est illa quidem ingenij, doctrinæque luminibus exornata. Idem lib.19. cap.18. Maro quantusquantus est, imitatione, & iudicio euasit. Ac cùm plerique imitatores putidi & inepti sint, & penè ridiculi, solum Maronem imitari nunquam dedecet. Idem tam aptè & accommodatè facit, vt sua afferre, non aliena vsurpare videatur. Et lib.22. cap.15. Cùm in omnibus poetis, tum in Marone nihil, vt in expeditione subitò cursimque prætereundum est, nec lectorem expeditum, & cursorem, sed cunctatorem, & in singulis hærentem desiderat, cùm otiosum in eo nihil sit, aut temerarium.*

M. ANTONIVS MVRETVS *præfat. Comment. in Catull. Quo viro statuo nihil fieri posse diuiniùs. Ibidem. Cui videar iniuriam facere, si eum vllo modo cum cæteris comparem. Et orat.3. volum.2. Ad Virgilij gloriam pertinet, alios poetas legere, vt intelligamus quantum is præstet. Item orat.10. Æneis poema est, non tantùm inter omnia Latina sine dubitatione præstantißimum, sed etiam Græciæ gloriam in magnum discrimen vocans.*

IVLIVS SCALIGER *in Poetica sua laudibus Virgilij plenus est. Quem quidem, quod necesse non fuit, ita facit optimum ac præstantißimum, vt Homerum illius comparatione propemodum faciat deterrimum, & vix lectu dignum: cùm tamen eum omnis antiquitas non sine iustißima caussa tam vehementer celebrasse, & tam studiosè, aßidueque lectitasse, & tam exquisitis honoribus coluisse videatur. Sed ad Scaligeri pronuntiata atque sententias encomiasticas accedamus. Solus poetæ nomine illi dignus videtur, poetarum rex, diuinus Maro, pater poeseos, altera natura, solus omnium poetarum nunquam ineptiens, solus Maro verus poeta, deus poetarum, Venus Latinæ munditiæ. Super illis versibus Eclog.10.* Venit & opilio, &c. *Audiamus nunc Apollinem ipsum loquentem. Neq; enim ille cùm pastor esset, iucundioribus, aut teretioribus cecinit numeris, quàm Maro noster. Cum Virgilio nullus aut arte, aut iudicio comparandus. Humanam vitam nemo melius, ac prudentiùs Virgilio nouit: verùm pauci eam artem declararunt: Grammatici in cymbis quidem sunt, marisq; transmittunt superficiem Maroniani. Nullus profectò philosophorum præceptis aut melior, aut ciuilior euadere potest, quàm ex Virgilij lectione, qui non solùm humana superauit ingenia, verùm etiam sese quasi parem extulit naturæ: excellentißimus omnium poetarum. Virgilius semper sublimi spiritu, & generosa oratione, nunquam tamen sui similis. Vnus Maro nunquam mortale quidquam sonat. Totus liber Hesiodi nec cum vnico versu Georgicôn comparandus. Nec Iupiter meliores versus faciat. Deus, phœnix, lex illa vnica poetarum, princeps idearum, Apollo noster. Virgilius artem ab Homero rudem acceptam, lectioris naturæ studijs, atque iudicio ad summum extulit fastigium perfectionis. Quodque perpaucis datum est, multa detrahendo fecit auctiorem. Neque enim in mole frequentiaue orationis, sed in castitate atq; frugalitate magnitudo constituta est. Rerum quoque delectum eiusmodi habuit, è quarum splendore luculentus ille nitor suis adiungeretur. Nam quemadmodum in ambitu ipso vitæ nostræ multa sunt,*

pauca delectant, pauciora pariunt admirationē: ita in poetæ pectus multa sese insinuant: non omnia sunt admittenda. Ille verò qui cum Marone faciat, malit profectò etiam boni quippiam tollere, quod vel solum suspicionem afferre queat offensionis. Equidem vnum illum censeo sciuisse, quid esset, non ineptire. Vnum esse inter omnes vnicum, singulis autem instar omnium. Fudit Homerus, hic collegit: ille sparsit, hic composuit. Homerus ergo cùm vitæ nostræ duas instituerit rationes, ciuilem prudentiam in Vlyssea, militarem in Iliade, easque tanquam duas species in duobus viris ostenderit, in vno vtramque Ænea composuit Maro: cui etiam, sicut alibi diximus, addidit pietatem. Quod si, vt solent, iactabundi propterea prætulerint Homerum, quia fuerit inuentor argumenti, quid aliud faciunt, quàm vt didicisse nos fateamur? illi præceptorem à nobis superatum confiteantur? Deniq; quantum à plebeia ineptaq; muliercula matrona distat, tantum summus ille vir à diuino viro nostro superatur. Alibi. Admonitum te velim, poetas, qui post Virgilium fuerunt, declamatoribus similes videri mihi: qui dum argutè dicant aliquid, nihil pensi habent, quid cuique parti maiestatis vel incommodet, vel commodet: quare & numeros lædi necesse est, & perire gratiam ex affectatione. Imitationis exemplum, regula, principium, finis esse debet nobis Maro. Nam quemadmodum Antonius apud Ciceronem de poetis: videntur enim ipsi alia lingua locuti: ita nobis de Virgilio dici solet, &c. quem locum suprà protuli cap. 8. cùm de Virgiliana elocutione agerem. Homerus moles quidem, sed, vt ait Ouidius, rudis, indigestaque. Virgilius autem eiusdem poetæ deus, & melior natura. Idem de Æneide ita loquitur semper, vt eam appellet opus diuinum, incomparabile, absolutissimum, politissimum, consummatum, limatissimum, perfectissimum, nunquam satis laudatum.

ANTONIVS MINTVRNVS *lib. 1. de Poeta. Quod enim per deos immortales dicendi genus, quæ figura, qui verborum delectus, quæ compositio, quæ ornamenta orationis, quæ lumina luculentissimè in illo non apparent? Deinde quis vnquam in pictura excellere visus est, quin tempora, loca, euenta, permotiones animi multò is meliùs, multoq; euidentius ob oculos posuerit? Quæ præterea pars virtutis, quæ ratio morum est, quam ille planissimè non expresserit? Iam verò quæ tam multiplicis, obscuræq; inuestigationis disciplina, quæ studia doctrinæ ita mirabilis & reconditæ, cuius non ille inter poemata, quæ conscripsit, principia seminaq; asperserit?*

PETRVS NANNIVS *Miscell. lib. 2. Græcorum fontium latices hausit pleno ore Virgilius.*

FABIVS PAVLINVS, *Hebdomad. Virgilian. lib. 1. Sed admirabile est (vt de cæteris nunc sileam) quàm vnus inter omnes Latinos emineat in omni genere laudis noster Maro: in quo tot sunt congesta bona atque virtutes, vt nihil putem cogitari posse diuiniùs: cuiq; tantum abest, vt quenquam anteferendum putem, vt nullum arbitrer fuisse poetam tam impudentem, qui plura, quàm in hoc sunt, tacitus auderet optare: aut tam sui amantem, tantoque opinionis errore, & mente captum, vt cum eo existimaret se posse conferri. Dij immortales, quanta est in hoc poeta rerum omnium scientia, quanta in omni genere dicendi varietas, quanta vis, quanta copia? Non est in hoc, vt in cæteris plerisq;, verborum volubilitas inanis, nulla subiecta sententia, atq; materia digna philosopho: sed ex infinita magnarum rerum & artium cognitione efflorescunt, atque redundant neruosa illa, & prope diuina carmina. Non modò fabularum lenocinijs, & quasi cincinnis ad voluptatem tantùm comparatis suum carmen exornat: sed ex abditis & reconditis omnium artium fontibus pulcherrima quædam haurit, & in texendo carmine adeò aptè, & ornatè collocat, ipsarum etiam fabularum circumuestiens plerunq; inuolucris, vt ea meditando agnoscens docti lectoris animus, expleatur suauissimæ lectionis voluptate. Et hoc cogitanti mihi sæpenumerò permirum videri solet, quòd nullus sit artifex, nemo philosophus, nemo mathematicus, aut illustris alicuius sciētiæ, & litterarum peritus, nemo diuinarum rerum, & sacræ doctrinæ prudens, quam Græci vocant θεολογίαν, qui non vel maxima suæ artis atque scientiæ monumenta in huius poetæ lectione reperiat, si paulò attentiùs legerit.*

M. ANTONIVS MAIORAGIVS *Præfat. in IV. Æneid. Quid autem vtilitatis*

hæc

hæc in se habeant, quis est adeò stupidus, quin intelligat? Si quis enim Æneæ vitam sibi proponat imitandam, an non omnium virtutum non adumbratam, sed expressam effigiem videbit? Nam vbi melius, quid virtus, & quid sapientia possit, inuenies, quàm in hoc diuino Virgilij opere? Quàm enim pium, quàm religiosum, quàm iustum, quàm prudentem, quàm fortem, quàm temperatum Æneam suum fuisse ostendit? quàm deinde sanctas, quàm sapientes vbique sententias interserit? quot vbique præcepta sapientiæ colligere licet? Certè quod de Homero dicit Horatius, idem nos de Virgilio, & meritissimò quidem dicere possumus.

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius, ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.

Addo etiam Platone, & Aristotele melius. Nam quæ præceptis, & theorematibus philosophi docent, hic poeta noster expressis exemplis ostendit. Quid autem de varia atq; multiplici doctrina, quæ ex Virgiliana lectione percipitur, commemorem? In quo tam pura & candida locutio, tam admirabilis carminum structura, tam suauis rhythmorum modulatio, tot reconditæ, & memoratu dignæ historiæ, tot eloquentes, & summa arte oratoria confectæ orationes, tot loci ex intima naturalium quæstionum subtilitate repetiti conspiciuntur, vt admirandum maximè sit, in vno homine tantam fuisse scientiam, vt diuinus certè potiùs quàm mortalis fuisse existimari debeat. Nullus enim vnquam in hoc auctore errorem inuenit, qui alicuius esse momenti videretur. Quænam igitur vtilior lectio reperiri potest, quàm eius auctoris, in quo nihil est omnino, quod reprehendi poßit, & in quo scientiarum omnium quasi lumina quædam fulgentißima splendent?

ERVDITVS QVIDAM *Præfat. in Virgil. Nempe quod de Romanæ eloquentiæ perenni fonte M. Tullio Cicerone quidam dixit, illius celebrationi non alium quàm Ciceronem laudatorem satisfacere posse: id in Maronem nostrum non minus quadrare mihi persuasum habeo, quem nemo nisi Maro ipse elogio satis digno prędicare poterit: tanquam in quem non illa duntaxat, quæ de poeticæ facultatis dignitate ac præstantia tractamus, cadere videntur vniuersa: sed etiam, si quæ est facultatis illius non modò humana, verùm & diuina commendatio, ea in hoc Latinorum Homero, & poetarum Platone tota se ostendit: vt natura, quæ nihil in vno aliquo genere omni ex parte perficere atq; cumulare solet, ne scilicet, quod cæteris largiatur, sibi non suppetat, in hoc consuetudinis suæ oblita videatur, vni omnia tribuendo.*

Alij demum antiquitatis altißimum gurgitem, principem summum, antistitem, deum poetarum (quomodo Cicero de Platone, deus philosophorum) auctorem eloquentiæ, flumen, fontem scientiarum, diuinum vatem, Latinum Homerum, humanæ sapientiæ Oceanum, eruditissimum, doctißimum, prudentißimum, diligentißimum, ingeniosißimum vocant. Denique summi oratores, scriptoresq; huius versibus tanquam oraculis vtuntur. Plerique omnes Rhetores, qui artis præcepta post Ciceronem scripserunt, sine poetæ huius testimonijs, & versibus regulas suas explicare aut noluerunt, aut non potuerunt. De eius porrò cum Homero comparatione, & laudibus, qui volet, multa leget apud Barthol. Marantam Lucullian. quæst. lib. 1. non longè ab initio. Et apud Scalig. lib. 3. cap. 5. Denique ne nos quidem, quantum Maronianam poesin intelligimus, quantumq; in hisce rebus scientia, & iudicio valemus (in quo tenuitatem nostram libenter confitemur) non multa cùm in ipsa præfatione, tum verò totis Prodidagmatis, quod vidisti, ad eius claritudinem, Maronis inquam, & ὑπερμέγεθος velut in conspectu ponendum contulimus.

SYM-



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER I.

Ad Bucolica.

ORIGO, GENERA PASTORITII CANTVS, & nomen Eclogæ.



Idetur modulatio in pastionibus inuenta primùm vel naturæ impulsu, vel auicularum imitatione, vel arborum sibilis: otium enim voluptatis, & lasciuiæ pater. Natæ igitur duæ species cantiunculárum: altera cùm singuli sub æstiuam inducti vmbram, saturi canerent amores, Monoprosopos hæc: altera, cum aut fortè, aut consilio conuenissent ij, quos inter vel amor, vel odium excitatum fuisset: aut esset æmulatio, obtrectatióue, propter vel cantum, vel gregem, vel amicam. Huius cantus duo modi: vnus, cùm sine numero certo, sine lege versus funderent: cui non est idcirco nomen impositum, quia vulgaris esset, ac liber, & naturalis, neq; tam quæsitus arte, quàm oblatus vltrò: alter, in quo sententias æmulas, versus & similes, & pari numero reponerent. Quod idcirco appellarunt ἀμοιβαῖον, id est, per vices responsus, quod expressit poeta. Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ. *Postea cum quædam (id quod sapientissimo cuiq; euenire solet) etiam suis auctoribus displicuissent, ex incondita turba eorum, quæ meditati non essent satis, quæq; subito calore excidissent, selecta quædam concinniora, ea de caussa ἐκλογαὶ appellare placuit. Scalig. Poetices lib. 1. cap. 4.*

DE DISCRIMINE INTER THEOCRITEA, ET Virgiliana Bucolica.

QVum alij Virgilium à Theocrito, alij Theocritum à Virgilio superatum esse contendant, magnaq; pertinacia pars vtraq; suam sententiam tueatur, id est, tueri conetur: ego contra libenter de illis dicerem, quod ipse Theocritus de duobus pastoribus, Damœta, & Daphnide dixit: quum diu fistula vnus, alter tibia lusissent, νίκα μὰν ὐδ' ἄλλος, ἀνάσσατοι δ' ἐγένοντο. Si enim quales Theocritus, tales etiam Virgilius personas induceret, adeò, vt quod has, illas quoq; decere dici posset: si non alia tempora, alios mores in vnius quam in alterius carminibus considerare oporteret: si eadem deniq; lingua vtriusq; natura esset: tum certè illorum carmina, sub quopiam, qui acri iudicio præditus esset, Palæmone, posse inter se committi dicerem. Quum verò nihil personæ quas induxerunt, nihil tempora quibus vixerunt, nihil linguæ quibus vsi sunt, commune inter se habeant: neutri palmam (quod pace duorum doctissimorum virorum dixerim) posse quenquam concedere existimo, quin de altero male mereatur. Atqui idem est carminis, idem personarum genus, excipiet aliquis. Bucolicum esse vtriusq; carmen, & pastores apud vtrumq; in medium prodire fateor: sed Theocritum multò maiorem simplicitatem, & rusticitatem, aut (si mauis) simplicitatem multò magis rusticam, quam Virgilium, suis tribuere pastoribus dico: ideoq; multa Theocriteos decere, quæ Virgilianos minimè decuissent: sicut vicissim Virgiliani in multis, quæ dicunt, decorum seruant, quum Theocritei, ea dicendo, minimè id seruaturi fuissent. Vt enim taceam, quam alieni fuissent à Theocriteis multi Virgilianorum allegorici sermones, quem tu mihi dabis apud Virgilium, cui illa simplicitas rusticitasq; cyclopica possit conuenire? Illam personam excipiendam dices fortasse: at ego multa exempla, si non tantæ simplicitatis, rusticitatis, at multò saltem maioris, quàm in Virgilianis pastoribus, spectari apud Græcum illum poetam dico. Ac ne vltra ipsum primi idyllij limen progrediamur, quale est illa ad suauitatem demonstrandam comparatio?

Ἅδιον, ὦ ποιμάν, τὸ τεὸν μέλος, ἢ τὸ καταχὲς
Τῆν' ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.

Hanc certè comparationem ad risum mouendum lectori, cui non pariter agrestes sint aures, magis quàm ad ostendendam suauitatem, quam vult ostendere, esse appositam, & tamen personæ conuenire, in obseruationibus meis in imitationes Virgilianas, satis manifestum fecisse mihi videor. Hoc quidem certè minimè hîc prætermittam, Seruium, carminum Theocriti æquum æstimatorem mihi videri, quum scribit, illum, ad exprimendam rusticam simplicitatem, aliter multa quam res habeat, dicere. Sed ego aliquid etiam amplius aio: Theocritum, ad exprimendam rusticam simplicitatem, non

solùm

solum multa aliter, quàm res habeat, dicere: vt ne ipse quidem sermo vitio careat. Sed tamen hic quoq; decorum seruare illum contendo. Si enim verum est, quod scribit in Terentium Donatus, solo ecismum militi conuenire, cur non & pastori quadrare dicemus? Quin etiam vocabulis illum quibusdam aliquando ridicule abuti aio: veluti cum cyclopem inducit dicentem, ποτὸν ἀμβρόσιον, alludendo ad ambrosiam (quamuis alioqui ἀμβρόσιον, immortale & diuinum significare sciam) quum tamen nectaris, non ambrosiæ mentio facienda esset, &c. Hæc autem cum ita sint, censeo de duobus hisce poëtis dicendum esse, vtrumq; in suo scribendi genere excellere: & quemadmodum Themistocles fertur in iurgio Seriphio cuidam dixisse, Nec hercle si ego Seriphius essem, nobilis: nec si tu Atheniensis esses, clarus vnquam fuisses: ita etiam dicendum esse, neq; Theocritus gloriam ex suis bucolicis carminibus reportasset, ijs, quas inducit, personis Virgilianos sermones tribuendo: neque Virgilius ex suis: si illis quas inducit Theocriteos tribuisset: neuter enim decorum seruasset. Ex Hen. Steph. Prolegom. in Theocrit.

Contendit etiam ambos inter se Gulielmus Modicius, libello, quo Virgilium à calumnijs vindicat, cap. 7. operæpretium est, audire. In carmine Bucolico Theocritus laudatur, qui pastoritiam simplicitatem diligentius est imitatus: Virgilius autem, cui propositum erat, hoc etiam poëmatis genere latinam linguam locuplétare, pastoritiæ simplicitati allegorias immiscuit & res alias quasdam, quæ maiorem eruditionem, & sensum altiorem habent, quam vt humili figura conuenire videantur. Homo prudens & necessitate, & certo consilio hoc fecit sapienter. Mantuanorum enim aduersa fortuna ita tulit, vt Virgilio agris amissis, & magno labore ac periculo recuperatis, principibus à quibus adiutus erat, adulandum fuerit, atque obsequendum. Illud igitur dixit.

Vare tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes sublimè ferent ad sidera cygni.

In prima, & nona ecloga suorum ciuium calamitatem deplorat: & periculum suum lamentatur. Poësis, quæ, vt ante diximus, est humanæ vitæ imitatio quædam, vtilitatem afferre debet, ac delectationem. Vtilitas aliquam delectationem semper habet coniunctam, delectatio non semper vtilitatem. Pastoritia simplicitas, in qua Græcus permansit, nudam habet delectationem: quæ non ab omnibus expetitur, & lectorem citò afficit satietate. Ea tamē, si eruditionis sale quodam condiatur: & altiore quodam ornamento ab humo paulum extollatur, habet coniunctam cum vtilitate quandam solidiorem delectationem, ad quam Virgilius respexit, vt his versibus testatur.

Sicelides Musæ, paulò maiora canamus:
Non omnes arbusta iuuant, humilesque myricæ.
Si canimus syluas, syluæ sint consule dignæ.

Qui legit carmen heroicum, quæ sint heroicæ virtutes discit: & heroibus se similem esse optat. Qui carmen bucolicum legit, non discit rationem alendi gregis, aut boum, aut caprarum: de quibus præcepta Virgilius in Georgicis scitè atq; eleganter tradidit: neque se pastorem esse optat: inopes, qui fortasse optarent, neq; literas discunt, neq; poetas legunt, & omnes qui pascunt, lucrum tantummodo sequuntur. Poemata certè de rebus etiam humilibus, & simplicibus non scribuntur rudibus, qui neq; discunt, vt dixi, neque legunt: sed eruditis & studiosis, quibus aliquo modo, atque aliqua ex parte est satisfaciendum. Itaq; non est alienum, sed artis potius & prudentiæ, rebus simplicibus condimenti loco acriora quædam immiscere, vt sapiant magis, & placeant. Quin etiam poëma, quo figurarum, & artificij minus habet, eò magis à suo genere recedit. Affert igitur Virgilius plus vtilitatis, solidaq; delectationis, quam Theocritus, qui res alicubi turpissimas eloquitur apertè, quas Virgilius aut præterit, aut tectè, parcè, & dissimulanter attingit. Theocriti sermo delectat magis, fateor, quia linguam habuit Doricam, hiulcam, absonam, vastam, asperam, qua nihil est rusticis congruentius, quorum in ore verba fluctuant, reboant, ita vt illi rudere magis, quàm loqui videantur: quemadmodum in comœdijs horum temporum, personis quidem nobilium, qui grauiter & sapienter loquuntur, sermo Tuscus tribuitur, qui cultissimus est in Italia, vt Atticus in Græcia: personis autem scurrarum, & baiulorum, qui fatuè, & insipienter loquuntur, sermo tribuitur montanorum, & rusticorum ferinus, corruptus, inquinatus, vastus, hiulcus, qui extra comœdiam ciuium aures offendit: in scena verò, quoniam habitui sordido, gestibus inconditis, & sensibus fatuis conuenit, spectatoribus voluptatem affert cum risu solutissimo: sic habuit Theocritus linguam Doricam pastoribus conuenientissimam, quæ lectori plus ridiculæ delectationis affert, quam Virgilius, qui eiusmodi caruit commoditate. Non enim habuit in latina lingua communi singularem linguam aliquam, aut Vlubranam, aut Gabinam, quæ pastoribus spurcè, & barbarè loquentibus esset accommodata. Nam Gabini ciues non minus latinè loquebantur, quam Romani. Coactus igitur est Virgilius in bucolicis ijsdem verbis vti, quibus in foro M. Tullius vtebatur, aut in senatu. Quid igitur mirum, si carmen eius ea caruit rusticana hilaritate, quam Theocrito fortuna suppeditauit? Quod verò Seruius, Donatus, & Terentianus leges quasdam, quibus hexameter bucolicus ab hexametro heroico differre dicitur, à Virgilio neglectas esse dicunt, & à Theocrito sæpius obseruatas: dicimus nos leges illas aut nullas fuisse, aut à Virgilio propter linguæ latinæ angustiam & inopiam iure optimo repudiatas esse. Hæc Modicius, quæ cum cernerem plena frugis, non me piguit ad verbum tecum, mi lector, communicare. Bonum quod mihi est, cupio amicis esse idem, ait nescio quis in Trinummo.

DE VIRGILIANA THEOCRITI IMITATIONE.

Virgilij iudicium in locis Theocriti imitandis (id est, partim exprimendis, partim adumbrandis) diligenter obseruare, non parum ad formanda studiosorum poëtices iudicia conferre potest. Quosdam, vt dixi, locos exprimit, seu effingit planè, & quidem verbum verbo alicubi reddens: quosdam tantum allusionibus, & adumbrationibus significat: quorum vtrumq; per symbolas hasce bucolicas manifestum faciemus. Præterea Virgilius in vno interdum eodemque loco diuersos Theocriti imitatur. Interdum etiam, quæ Theocritus in vno Idyllio, simulque dixerat, ea Virgilius per duas, tresve eclogas, nonnunquam etiam per diuersos earum locos dispersit. Exempli gratia, pleraq; cyclopis Theocritei partim in Alexide Virgilij, partim in Pharmaceutria eius extant. Dicit enim Polyphemus Galateæ.

Ἠράσθην μὲν ἔγωγε κόρα τεῦ ἁνίκα πρᾶτον
Ἦνθες ἐμᾷ σὺν ματρὶ, θέλοισ᾽ ὑακίνθινα φύλλα
Ἐξ ὄρεος δρέψασθαι· ἐγὼ δ᾽ ὁδὸν ἡγεμόνευον.

Παί-

Παύσασθαι δ' ἐσιδών τυ καὶ ὕστερον οὐδ' ἔτι πα νῦν
Ἐκ τήνω δύναμαι. τὶν δ' οὐ μέλει οὐ μὰ Δί' οὐδέν.
Γινώσκω χαρίεσσα κόρα τίνος οὕνεκα φεύγεις,
Οὕνεκά μοι λασία μὲν ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ
Ἐξ ὠτὸς τέταται ποτὶ θὤτερον ὡς μία μακρά·
Εἷς δ' ὀφθαλμὸς ὕπεστι, πλατεῖα δὲ ῥὶς ἐπὶ χείλει.
Ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βοτὰ χίλια βόσκω,
Κἠκ τούτων τὸ κράτιστον ἀμελγόμενος γάλα πίνω.
Τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρῃ,
Οὐ χειμῶνος ἄκρω· ταρσοὶ δ' ὑπεραχθέες αἰεί.
Συρίσδεν δ' ὡς οὔτις ἐπίσταμαι ὧδε κυκλώπων.

Ex quibus versibus Virgilius primos tres in Pharmaceutria imitatur, nec non septimi principium, vno eodemque in loco, sed non seruato eodem ordine: at quinq; postremos in Alexide, &c. Male autem merentur de illis qui græca non intelligunt, nec rectè faciunt interpretes quidam Theocriti, dum ipsamet Virgilij verba, quibus Theocritum imitatus tantum est, ad illius Græci interpretationem adhibent: in quo valde peccauit Eobanus Hessus. Quomodo enim illi vnum cum altero conferre possunt, quum eadem omnino ex vtroq; verba proponantur? Exemplum est in Idyll. 11. quod Cyclops inscribitur. Ibi enim hunc versum, Ὦ Κύκλωψ Κύκλωψ, πᾶ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι; *Eobanus Hessus ita vertit, O cyclops, cyclops, quæ te dementia cæpit? quod Virgilius Theocritum imitans, introduxisset Corydonem dicentem itidem,* Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cæpit? *Atqui fiet hinc, vt qui græcæ linguæ imperitus est, credat Theocriti verba græca latinis Virgilij planè respondere: cum tamen sensum potius quam verba expresserit: & fatendum sit interim, Theocritum raro, elegantissimo tamen, & venustissimo genere loquendi vsum esse, quod verisimile est Virgilio quoque valde placuisse; sed cum suo versu Theocriti versus gratiam æquare non posset, illud genus loquendi retinendo, alio commutasse. Ego verò, quum satis habeam id repræsentare, ita versum illum verti,* O cyclops, cyclops, ecquò mens auolat? ecquò? *Quam interpretationem habens lector, verba Theocriti cum iis, quibus est vsus Virgilius, conferre poterit, ac considerare, vtris maior subsit gratia: & an non mitius hoc dicatur,* Quò mens auolat, *quam illud,* quæ te dementia cæpit? *cogitare etiam poterit, an non magis poeticè Cyclops apud Theocritum, quàm Corydon apud Virgilium loquatur. Ex Stephani obseruat. in Theocrit.*

OMNIVM ECLOGARVM PERIOCHÆ, EX SYLVA Politiani, cui titulus Manto.

I.

Tu tamen ô miseræ nimium vicina Cremonæ
Quid fles amissum, quid fles mea Mantua campũ,
Pascentem niueos herboso flumine cygnos?
Nonne vides ingrata, tuis quæ præmia damnis
Accumulent superi, & solatia quanta rependant?
Ipsa en Roma tuo sese quoq; iactat alumno.
Iamq; Phalantei resonant pineta Galesi
Tityre te vacuo meditantem murmur in antro,
Iamq; tuum dociles recinunt Amaryllida syluæ.

II.

Nigraq; dum raucum tremulis euibrat ab alis
Carmen, & epoto canit ebria rore cicada,
Montibus ah solis formosum iactat Alexin
Vocalis Corydon, & Alexin reddit imago.

III.

Ecce autem imparibus dum sibila flectit auenis
Impubis pastor, faciles dum ludit amores,
Aureolo petit hunc malo, lasciuaq; currit
Ad salices Nymphe furtiuo prodita risu.

IV.

Sed maiora vocant; nunc, ô nunc omnis abesto
Impius, & casti linguisq; animisq; fauento.
Stellifero Deus ille, Deus se fundit ab axe,
Æterni mens certa patris, quiq; omnia nutu
Torquet, Idumææ se virginis insert aluo,
Aurea sparsurus rediuiuo sæcula mundo.
Tu tamen ante alias felix mea vera propago,
Cui licitum in syluis, inter coryleta iacenti
Rimari, quid fata parent, quid pulchra minentur
Sidera, quiq; mihi diuini pectoris hæres,
Enthea Cumæis incingas tempora vittis.

V.

Verùm age iam gelidosq; tegant vmbracula fontes,
Et foliis cumuletur humus, densiq; maniplis
Inspirent flores, vacuoq; incisa sepulchro
Candida formosum testetur littera Daphnin:
Daphnin ad astra vocet tenero caua fistula cantu.

V I.

Ebrius interea nostri nutritor Iacchi
Silenus molli dormit resupinus in antro.
Ebrius, & nimio venas tumefactus alumno.
Securum pueri audaces, atq; improba Nais
Inuadunt furtim, deq; ipsis vincla coronis,
Quæ senis e mutilo modò vertice defluxerunt,
Iniciunt alacres, promissaq; munera poscunt,
Carmina cum syluis totos mulcentia montes.

V I I.

Iamq; tuis Minci glauca sub arundine ripis
Vincitur alterno Corydonis carmine Thyrsis.

V I I I.

Iam repetit querulam Damonis tibia Musam:
Damonis Musam scopuli, pinusq; loquuntur.

I X.

Sed quid iô tam dulce tibi est Galatea sub vndis,
Quã formosa vocet nequidquã ad littora Cyclops?
Infelix Cyclops: sed enim infelicior illo,

X.

Gallus amat, queriturq; suam procul esse Lycorim,
Gallus, quem rigidæ fleuere in montibus orni,
Cuius amorem omnes nequeant mutare labores:
Gallus, quem frustra verbis solatus Apollo est.

ECLO-



Ecloga prima. Tityrus.

SYNOPSIS.



Remonenses Caßij, Bruti percuß. Cæs. partes & arma aduersus Octauiũ fouerunt. Profligato bello, superatisque hostibus, cum Octauij, siue Augusti iussu Cremonensium agri, loco pœnæ, veteranis militibus aßignarentur (hoc enim priscis temporibus militi, ac duci bene meritis præmium censebatur ampliß. aliquot agri iugera nimirum, aut quantum quis vno die circumarare potuisset) neq; omnino sufficerent, Mantuanorum, tanquam vicini, vt adderentur, idem præcepit: in quibus etiam Virgilij agellus numerabatur. Spoliatus igitur fundo suo, in vrbem profectus, ibique carminibus Mæcenatis fauorem, & amicitiam adeptus, perq; illum, Pollionem, Varum Imperatori commendatus, atque traditus, rem fæliciter recepit. Martialis lib. 8.

Iugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,
Flebat & abductas Tityrus æger oues.
Risit Thuscus eques, paupertatemque malignam
Reppulit, & celeri iussit abire fuga.
Accipe diuitias, & vatum maximus esto
Tu licet, & nostrum, dixit, Alexin ames.

Fingit se seruum Mantuanum, qui potiundæ libertatis, quamuis deteriore iam ætate, Romam ierit, eamque Cæsaris concessu, ac beneficio, cum restitutione agrorum suorum obtinuerit. Serui æuo iam graues, si frugi essent, & attenti, aut suo ipsi peculio libertatem à dominis volentibus emebant: aut eorum vel consensu, vel iussu, delatis in censum nominibus, eam adipiscebantur. Vlpian. Serui, qui in peculio centum haberent, aut quibus eas facultates domini impartirent, si eos domini in censum ciuium à censoribus adscribi juberent, libertatem consequebantur. Horum quandam imaginem hic statuit. Tityrus igitur Virgilij, Melibœus aliorum Mantuanorum personam sustinet, qui agellis suis cedere militibus cogebantur. Ille succeßibus prosperis lætus, securus, agens otium, Cæsaris in se merita prædicat, magnificas ei gratias agit, diuinos ei honores, tanquam deo, pollicetur. Hic miser, exul, mæstus, gemituum querelarumq; plenus, quò eat, quò non eat, haud satis explicatum habet.

EXPLANATIONES.

MELIBOEVS, TITYRVS.



ITYRE, tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Syluestrem tenui Musam meditaris auena:
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua,
Nos patriam fugimus: tu Tityre lentus in vmbra
1 Formosam resonare doces Amaryllida syluas.

TITYRE) Tityro pastori nomen inditum fuisse A puto à fistula, qua in cantu ille vteretur (quamuis veteres Latini Grammatici affirment, Afrorum lingua hircum ita appellari, vnde custos eorum eodem pacto appellatus sit) Atheneus enim in 4. δειπνοσ. de fistulis copiosè disputans, inquit. ὁ δ' καλάμινος τιτύρινος καλεῖται, παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσι. Cuius rei ille auctorem habet Artemidorum Aristophaneum in 2. περὶ Δωρίδος. Id autem Virgilius fortasse significare voluit, cum Melibœum, alterum pastorem, fecit ipsi dicentem: *Syluestrem tenui Musam meditaris auena.* Nam καλάμη Græcis culmus est: vt doctissimus poëta rationem eius B nominis ita aperire voluerit. Præcipuè autem, vt hoc verum credam, ducor, quòd Græcus scriptor in Italia hoc nomen frequentatum tradit à Græcis, qui Dorici generis hanc terram incolebant. Vnde verisimilius est, Theocritum, qui ante nostrum poëtam id nomen vsurpauit, ita pastorem appellasse: illo enim sermone vtitur. In eodem præterea libro Athenæus ante superiorem locum narrat, Ameriam Macedonem ἐν ταῖς γλώσσαις affirmare, tityrum dici instrumentum musicum, quod monaulon alio nomine vocaretur. Nec tamen me fallit, ita quoq; bestiolam appellatam, cuius meminit auctor libelli, quo describuntur naturæ hominum, & mores:

res: Theophrasto anté nunc ille falsò attribuitur. Quo A enim capite describit blandum hominem, & qui in omni re alijs placere studeat, inquit: *ἀμέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι, καὶ τίτυρον κτήσασθαι, καὶ Σικελικὰς περιστεράς.* Victor. variar. lect. lib. 17. cap. 7.

De Tityris præter ea, quæ à Theone Theocriti interprete, & Strabone lib. 10. narrantur, Ælianus quoq; Ποικίλ. ἱστορ. lib. 13. scribit, *ὅτι οἱ συγχορευταὶ Διονύσου Σάτυροι ἦσαν, ὑπ' ἐνίων τίτυροι ὀνομαζόμενοι. ἔσχον δὲ τὸ ὄνομα ἐκ τῶν τερετισμάτων, οἷς χαίρουσι σάτυροι.* Vrsin. Collat. Vide etiam Turneb. lib. 16. cap. 5. PATVLÆ RECVB. SVB TEG. FAGI) Notabis, Virgilium decori rationem cum cęteris in rebus, tum in loco habuisse, vt pastoribus locus idoneus ad canendum, & agendum proponeretur. Sic Ecloga 1. patulam fagum, secunda vmbrosa cacumina fagos, ter- B tia mollem herbam, quarta corylis mistas vlmos, & antrum, vt sexta, septima argutam ilicem, octaua teretem oliuam proponit.

Quòd sub fago dicit iacere Tityrum, allegoria est honestissima, quasi sub arbore glandifera, quæ fuit victus caussa: antea enim homines glandibus vescebantur, vnde etiam fagus dicta est, *ἀπὸ τοῦ φαγεῖν*, quod est comedere. Et hoc videtur dicere: iaces sub vmbra fagi in agris tuis, tuas retentans possessiones, quibus aleris: sicut etiam glandibus alebantur mortales. Seruius.

Notum est illud M. Tullij 1. de Orat. Nam me hæc tua platanus admonuit, quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cuius C vmbrá secutus est Socrates. Porrò similiter dixit Theocritus Idyl. 4. *σκιερὸν δ' ὑπὸ φαγόν.* Et Homerus Illiad. *ὑπ' αἰγιόχοιο περικαλλέϊ φηγῷ* Et Epigram. lib. 3. *ὑπὸ σκιερῇ κεκλιμένος πλατάνῳ.* Et. *τανύφυλλον ὑπὸ πλάκας κλωνός.* Et eodem lib. *ἔνδιος ἀγροτέρης σκιερὴν ὑπὸ τὴν πίτυν ἦλθε.* Sic etiam *τανύφυλλος ἐλαία* Homero, & Moscho *βαθύφυλλος πλάτανος.* Propert. Eleg. 26. lib. 2. tectum arbori tribuit. *Vnum littus erit sopitis, vnaq́, tecto Arbor.* Germanus Valens Comment. Vrsin. * Sub tegmine fagi, *id est, in vmbra fagi. Idem quod illud apud Horat. lib. 1. Od. 1.* nunc viridi membra sub arbuto Stratus. *Lucret. lib. 2. sub* eodem tegmine cęli *dixit, quomodo Lucan.* cælo tegitur, qui non habet vrnam. *Et recubare eũ dicit, vt curis vacuũ, & animo otiosum.* SYLVESTREM TENVI MVSAM) Lucret. lib. 4. *Fistula syluestrem ne cesset fundere cantum.* Sunt qui malint *agrestem*, pro *syl-* D *uestrem*, ex Quintiliani, vt falsò putant, sententia, apud quem in 9. ita legimus. *Agrestem tenui Musam meditaris auena.* Nec enim animaduertunt nullo judicio viri, locum hunc Fabij haudquaquam satis fidem facere posse, ita eum auctorem carmen hoc legi censere, cùm Rhetor eo in loco de vna tantùm dictione, quippe, *agrestem*, disputet, quam in exemplo esse, satis sit. Citauit itaq; omnino ex Sileno illud, *Agrestem tenui meditabor arundine Musam.* Quem versum librarius cum describeret, vbi, *Agrestem tenui* notauit, pro eo, quod subdendum fuit, *meditabor arundine Musam*, subiecit ex Tityro, *Musam meditaris auena*, falsus similitudine vocum vtriusq; carminis, & *tenui*, in vtroq; versu, dictione secunda scriptorem facile inducente in ea ipsa verba, quæ ipsi magis in promptu erant: quippe quæ primæ eclogæ primùm quoq; memoriæ mandasse, cre- E dere par est. Lege cætera apud Erythræum, in voce, Syluestrem. * *Syluestrẽ musam tenui auena meditari, est carmẽ rusticum humili charactere, & elocutione minimè grandi cõtexere. Per tenuem auenam tenuem accipe fistulam, per fistulam cantũ, per cantum ipsum carmen, quod est aptum ad canendum.* NOS PATRIÆ FINES, &c. d. l. a) Altera pars antithesis, qua aduersa fortuna Meliboei cum secundissima Tityri comparatur. Ille securus in vmbra cantat amores suos, cum interim hic miser cogitur excedere patria, & exire aliquò exulatum cum grege suo.

A Tali tantoq; affectu, vel maiore etiam, quo quis parentes prosequitur, patriam vt psequatur, æquũ est: cuius pars quædam sunt parentes: & quæ communis oĩm nostrûm parens, ac nutrix est: in cuius sinu cõplexuq; iucundum hoc cœli lumen primùm aspeximus, primã vocem emisimus, primùm verba formare, ac nos homines ostendere cœpimus, deumq́, agnouimꝰ. Eius causa videntur omnes ad artes, disciplinasq; adiungere animos, & ad parandas rerũ copias incumbere: vt illi scilicet decori, & ornamento sint, non dedecori: & vt publico sumptu publicam inopiam tolerare possint. Quis ita in aliena ciuitate viuit, vt patriæ sit immemor? vt omnem illius cogitationem, curamq; dimittat? vt eam non assiduò desideret? Seniores, prudentioresq; ardentiore etiam quàm adolescentes amore patriæ occupamur: ibiq; potissimum reddere vitam cupimus, vbi eam accepimus. Durum & triste, in solo extraneo lucis vsuram reddere. Nothi, spurij, aduenæ exilium contemnunt, quoniam patriam nullam nouerunt: vbi res vitæ necessarias inuenerint, illic beatam sese vitam inuenisse ducunt. At B boni, legitimiq; ciues cum fletu è patria non exeunt, sed extruduntur, & vt filij à complexu matris ægerrimè diuelluntur. Grauissima scelerum exilio, vt pœna maxima, legumlatores vlciscuntur. Militiæ boni Imperatores ad fortiter prœliandum nullo argumento militem, quàm patriæ charitate ante oculos posita vehementius inflammant. Hæc timidissimos etiam animosos, & imperterritos facit. Patria, inquit Cicero 1. de Orat. nos omnium maximè delectat: cuius rei tanta est vis, tantaq; natura, vt Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteposuerit. Intelligit Vlyssem, qui X. annos maria omnia circumerrando, multorum hominum mores, & vrbes vidit. Huic Calypso dea formosissima immortalitatem promittit, quò eum apud se retineat. Eiusdem in 9. Odyss. in conuiuio Phæacum est ista vox.

Ὣς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων
Γίνεται, εἴπερ καί τις ἀπόπροθι πίονα οἶκον
Γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοκήων.
C *Dulcius est patria nihil, atque parentibus vsquam,*
Illi præsertim, qui longè à finibus errans
Forte domo patria, peregrina in sede vagatur.

Idem patriæ fumum videre peroptat. Ouid. 1. de Ponto, eleg. 4.

Non dubia est Ithaci prudentia: sed tamen optat
Fumum de patrijs posse videre locis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Inde prouerbium, Patriæ fumus igni alieno luculentior. Nulla regio tam horrida, inculta, barbara, quæ alumno suo non inprimis amœna, culta, ciuilis videatur. Hoc natalis soli desiderium in bestijs quoque apparet manifestè, quæ ibi versantur libentissimè, & eò recurrunt cupidissimè, vbi progenitæ, educatæq; fuerunt. Ouid. ibid.

Quid melius Roma, Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex ista barbarus vrbe fugit.
D *Cum bene sint clausa cauea Pandione nata,*
Nititur in syluas quaque redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.

Quò itaque delectabilior patria, eò acerbior eius amissio. Rectè Euripid. Quid aliud est patria priuari, quàm magnum malum? Immo certè permagnum, atque adeo summum: alioqui leuius videretur exilium, quo tamen nihil intolerabilius censetur. Nec casu, sed consilio nomen à patre deflexum habet: siquidem est primus parens. Positione autem muliebri, vt ex vtroq; parente mixtum sit vocabulum, & tanquam parentes ambos simul colendam significet: vel etiam magis quam amicos, quàm liberos, quàm deniq; parentes ipsos: quando omnes omnium charitates vna complectitur: & qui eam diligit, omnes diligit: qui eam seruat, se simul seruat: qua pereunte, ipse saluus esse nequit. Laudandi ergo, qui patriæ plurimùm commodarunt. Ex quibus nonnulli legibus eam, & institutis optimis temperarunt, vt Lycurgus, Spartam, Solon Athenas. Quidam ei à dijs fausta omnia, feliciaq; precati sunt, quamuis ipsa eos malè multasset, vt Aristides, ut Scipio Africanus maior. Alij famem ab ea studiose conquisita annona E propulsarunt: quo in genere Pompeij Magni charitas enituit. Alij periculis suis, morteq; morbos ingruentes, & pericula auerterunt, quales feruntur Curtij, & Decij. Aristoteles quoque patriam suam euersam restituit: gratia siquidem, & auctoritate apud Alexandrum pollebat. Nominantur qui patriæ priuatas inimicitias condonauerunt: qui fines eius protulerunt: qui ingentibus pollicitationibus inuitati, nunquam ab ea desciuerunt, consilijsq; suis fidelissimam illi operam nauarunt. Deniq; qui ad mortem vsque, fortissimè pro ea dimicarunt. Quò detestabiliores, qui eam hostibus prodere, aut armis oppugnare, aut tyrannide impotenti vexare nõ sunt veriti. Hæc satis copiose docuerunt, opinor, quam non immeritò poëta noster pastorem suum ægerrimè patriam deserentem,

ſerentem, & dulcia vocantem arua induxerit. Mirum igitur videri poteſt, litteratorum ætatis noſtræ principem illa tam παρα-δόξως in diſputatione ponere voluiſſe. Patriam non eſſe parentis nomine cohoneſtandam. Affectum illum amoris in patriam, non eſſe pietatem: nec debere tres gradus pietatis conſtitui, in Deum, patriam, parentes: eſſe autem charitatem, eamq; non à natura ortam, ſed à more, atque inſtituto. Nobis placitum eſt in rebus huiuſmodi non tantùm loqui vt plures, ſed etiam ſapere vt plures. Vt omittam locos alios, Cic. 5. Philipp. An poteſt cognatio propior vlla eſſe, quam patriæ, in qua parentes etiam continentur. De vſu vocis, pietas, conſule Paul. Manut. in epiſt. Cic. lib. 1. ad familiar. Iacob. Pont. NOS PATRIAM FVGIMVS) Hoc loquendi genus, *patriam fugimus*, pro eo, quod eſt, in exilium abimus, ſolum vertimus, à Græcis profluxit: illi enim, φεύγειν πατρίδα. Notauit Vrſin. ſupra dixerat, *Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua*, nunc idem magna cum emphaſi repetit, & τὸ patria pronunciatione tollendum eſt: vult enim chariſſimam, & communem parentem, fidiſſimam nutricem, & in ſumma illa omnia intelligi, quæ ſupra de laudibus patriæ, quanq̃ curſim diſſeruimus. Quod ad rationem locutionis attinet, eſt etiam ita apud Horat. lib. 1. Ode 17. *Teucer Salamina patremq́, cum fugeret.* Vbi verbum, *relinqueret*, aut ſimile, tantam vim non habuiſſet. Idem fugam accepit pro exilio, lib. 2. Ode 13.

Et te ſonantem plenius aureo
Alcæe plectro dura nauis
Dura fugæ mala, dura belli.

Iacob. Pont. TV TITYRE LENTVS) Lentus hoc loco eſt otioſus, & ita explicat Seruius. ſic 12. Æneid. *quorum lenti conſedimus aruis.* Ibi, *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi*, exponendum eſt, χαμηλά, lentum enim vimen, id eſt, flexibile. ſic lentum viburnum. Lentum virus Georg. 3. eſt γλισχρόν, viſcidum. Sic lenta pix, & lenteſcere Georg. 2. de terra pingui exploranda. *haud vnquam manibus iactata fatiſcit: Sed picis in morem ad digitos lenteſcit habendo.* Lentam pituitam nominauit Horat. ſat. 2. lib. 2. Habet inſuper hæc vox, *lentus*, notionem languoris, cunctationis, tarditatis, deſidiæ. Horat. lib. 1. Ode. 13. *Quam lentis penitus macerer ignibus.* Penelope ad Vlyſſem. *Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlyſſe.* Virgil. Æneid. 5.

A *Stupa vomens tardum fumum: lentusq́, carinas*
Eſt vapor, & toto deſcendit corpore peſtis.

Sed vt redeamus, vnde declinauimus, bene explicari lentus, id eſt, otioſus, probat quod ſequitur in reſponſo Tityri. *O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit*, quo verbo, otia, inquam, illud lentus quid ſibi velit, declaratur. Tametſi eodem verſu, vt mox dicemus, per adiunctum, ipſius quoq; adeptio libertatis inſinuatur, cum qua maximè conceſſum eſt in otio, & quiete vitam traducere. Donatus Terentianum hoc in And. *animo iam nunc eſſe otioſo impero*, interpretatur, ſecuro: quia negotium ſollicitudo eſt. Otium igitur ſecuritas, curarumq; vacuitas Quare, *lentus*, exponas licet, ſecurus, metu & cura expeditus. Iacob. Pont. RESON. DOCES AMARYLL. SYLVAS)
B Canis vt reſonent. Poëtæ rebus inanimis ſenſum affingunt. Eclog. 6. vt *littus Hyla Hyla omne ſonaret*, & ſexcentis locis. Moſchus epitaphio Bionis Ἀχὼ δ' ἐν πέτρῃσιν ὀδύρεται ὅττι σιωπῇς, κοὐκ ἔτι μιμεῖται τὰ σὰ χείλεα. Verbū *doces*, rectè ad hoc μιμεῖται refertur, ſi quis vtrumq; locum accuratius aliquanto conſiderauerit. Horat. lib. 1. Ode. 12.

——cuius recinet iocoſa
Nomen imago
Aut in vmbroſis Heliconis oris,
Aut ſuper Pindo, gelidóue in Hæmo.

Vrſin. *Reſonare Amaryllida ſylua*, puta nihil eſſe aliud, quam quod ait pro Archia M. Tullius, poëtas extollens: ſaxa, & ſolitudines voci reſpondent: repercuſſu ſcilicet,
C quæ Græcis ἠχώ. Eclog. 10. item eodem ſenſu legis. *Non canimus ſurdis, reſpondent omnia ſyluæ.* Fit præterea iſta vocis extremæ tam iocularis imitatio, ſiue ſonus hic reciprocus, in vallibus, ſpecubus, parietibus, ſtructuris cameratis, vetuſtioribus præſertim, in locis inſuper tortuoſis, atque concauis. Auſon. epiſt. 25.

Reſpondent & ſaxa homini, percuſſus ab antris
Sermo redit, reboat nemorum vocalis imago,
Littorei clamant ſcopuli.

Vide in 4. Georg. *Vocisq́, offenſa reſultat imago.* Iacob. Pont.

T. O Melibœe, DEVS NOBIS HÆC OTIA FECIT.
Namq; erit ille mihi ſemper deus, illius aram
Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues (vt cernis) & ipſum
2 Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.

NOBIS HÆC OTIA FECIT) Accipio pro libertatem D dedit, tum ex ſequenti illo, *libertas quæ ſera, &c.* tum quod otium magis liberorum, & ingenuorū ſit, quàm ſeruorum, & qui aſſidua opera penſoq; vrgeantur hosili, teſte Ariſt. Polit. 8. qui ex prouerbio otium ſeruis eſſe negat, his verbis: δεῖ πολλὰ τῶν ἀναγκαίων ὑπάρχειν, ὅπως ἐξῇ σχολάζειν. διὸ σώφρονα τὴν πόλιν εἶναι προσήκει, καὶ ἀνδρείαν. οὐ γὰρ κατὰ τὴν παροιμίαν, οὐ σχολὴ δούλοις. German. SEMPER DEVS) Vir quidam eruditus vult hoc reſpondere vni verbo Græcorum ἀΐδιος, quibus μάκαρες αἰεὶ ὄντες paſſim. Et Calaber lib. 3. de Achille, ἶσα θεοῖς ἔσσεσθ' αἰεί. German. * *Alius vult eſſe ὑφ' ἓν, ut illud Terentij*, & heri ſemper lenitas. *Catulli*, vbi iſte *poſt faſelus.* & *alia plurima à nobis acervata 1. Æneid. ibi.* O ſocij, neq; enim immemores ſumus ante malorum. SEMPER) Id eſt, & poſt mortem, & dum vi-
E uit. Alij enim imperatores poſt mortem referuntur in numerum deorum: Auguſtus autē templa viuus emeruit. Horat. epiſt. 1. lib. 2.

Præſenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasq́, tuum per nomen ponimus aras.

Sic Lucanus de Nerone, *ſed mihi iam numen es.* Hæc Seruius. * *Sepultura more perfecta, templum ei, (in palatio ipſo ſcilicet) & cœleſtes religiones decretas tradit 1. Annal. Tacitus. Sed vinum adhuc, in prouincijs, non in Italia, aut Roma, eundem pro deo coli voluiſſe, ex Suetonio, & Dione demonſtrat Lipſius in Comment.* DEVS) Deus dictus eſt, ait Feſtus, quod ei nihil deſit, vel quia omnia commoda hominibus det: ſiue à Græco δέος, quod ſignificat metum. Sed magis conſtat id vocabulum ex græco eſſe dictum, aſpiratione dempta, qui mos antiquis noſtris frequens erat. Solent tamen Latini ſcriptores vocem dei etiam ijs tribuere, qui in re aliqua eximiè, multumq; ſupra cæteros excellunt, ac velut dij quidam ſua præſtantia reliquos antecedunt. Item qui nobis auxilio, præſidio ad ſalutem, libertatem, ad res denique magnas, nobisq; neceſſarias ſingulari ac diuino fuerunt. Quod indicabunt teſtimonia, quæ in medium adducemus: vt item Tityro Auguſtus vocari deus rectè poſſit ob magnitudinem collati

collati in ipsum beneficij: quæ magnitudo ex accipientis sensu spectanda est: nam agellos reddere non magnũ fuit Augusto Imperatori, ac domino totius orbis: sed pauperi pastori eos recipere magnum fuit. Haud insciтè principio gnomarum suarum ad Dianam Theognis, cum eam rogasset, vti à se infortunium omne propelleret. σοὶ μὲν τοῦτο θεὰ σμικρὸν, ἐμοὶ δὲ μέγα. Cic. 1. de Orat. te cum in dicendo semper putaui deum. Et lib. 2. In quo tu mihi semper deus videri soles. Pro Sextio. Cuius ego patrem deum, ac parentem statuo fortunæ, ac nominis mei, & fratris, rerumq; nostrarum. Lentulum quoque parentem, auctorem, & deum salutis suę orat. post red. ad Quirit. nominat. Terent. Adelph. *Laudarier te audit libenter: facio te apud illum deum.* Quintil. lib. 1. virum omni laude cumulatum, mortalem deum vulgò B appellari solitum ostendit. Deus enim potest omnia, omnesq; perfectiones complectitur. Vnde illud, ἀντίθεος θεός. Ad extremum, Socrates in Menone apud Platonem ait, Laconum esse consuetudinem, vt, quoties quempiam eximium virum admirantur, dicant, θεῖος ἀνὴρ οὗτος. Huc facit quod eleganter Plinius lib. 2. cap. 7. *Deus est mortali, iuuare mortalem, & hac ad æternam gloriam via: hac proceres iere Romani, hac nunc celesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis æui rector Vespasianus, fessis rebus subueniens. Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur. Quippe & omnium aliorum deorum nomina, & quæ supra retuli siderum, ex hominum nata sunt meritis.* Norunt etiam in sacris litteris vel paulùm exercitati, hanc ipsam vocem, deus, certas ob causas in C hominibus dici, eosque solere deos nuncupari. Lege prouerb. Homo homini deus. Iacob. Pont. ARAM IMBVET) Imbuere, propriè est tingere, aspergere: & ita tum hìc capitur, tum Æneid. 7. *sanguis nouus imbuit arma.* Sic Cic. Philip. 5. cum autem gladium scelere semel imbuisset: sanguine videlicet per scelus effuso. Eodem modo Horat. lib. 4. Ode. 11.

——— ara castis
Vincta verbenis auet immolato
Spargier agno.

Poëtis Grǽcis familiares sunt voces, δεύειν βωμὸν, τύμβον γάλακτι, οἴνῳ, μέλιτι, δάκρυσιν ὑγραίνειν, βρέχειν, ῥαίνειν. Et in Epigr. καταχραίνειν, ἀρδεύειν, τέγγειν, ἐμβάπτειν. German. D Transfertur verbum *imbuere* venustè ad alia. Horat. Epist. 2. lib. 2. *litterulis Græcis imbutus.* Varro Agathone. Virgo de conuiuio abducitur ideo, quod maiores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. Cic. in Hortensio. Vti qui purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam: sic litteris, talibusq; doctrinis excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui, ac præparari decet. In quo exemplo notandum, etiam verbum *sufficere*, aliter positum, quàm vulgò solet. Muret. in Catull. A Propertio positum est pro inchoare, ut notauit German. *Imbuis exemplum prima tu Romule pugna.* Catull. de nupt. *Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten*, pro inire, & tentare accipere videtur. AGNVS) Dicitur à Græcis ἁγνὸς, E quod significat castum. Eò quòd sit hostia pura, & im-

A molationi apta. Agnus ex græco ἁγνὸς deducitur, quod nomen apud maiores communis erat generis, sicut & lupus. Hæc Festus. Quòd ait agnum vtroq; genere enuntiari à veteribus, habes in lege Numæ de opimis spolijs. Agnum marem cædito. Et in Pellex. Agnum fœminam. Nam non agnam, sed agnum fœminam dicebant, vt non lupam, sed lupum fœminam. Ennius. *Endo tuetur ibi lupus fœmina, concipio amnem.* Scalig. F. in Festum. ILLE MEAS ERRARE BOVES) Ille deus est, inquit Seneca de Benef. lib 4. cap. 6. non qui paucas boues (vt Augustus, de quo loquitur in persona Tityri Virgilius) sed qui per totum orbem armenta dimisit: qui gregibus vbiq; passim vagantibus pabulum præstat: qui pascua hybernis æstiua substituit: qui non calamo tantum cantare, & agreste, atque inconditum carmen ad aliquam tantum oblectationé modulari docuit: sed tot artes, tot vocum varietates, sonos, alios spiritu nostro, alios externo cantus edituros cõmentus est. Neq; enim nostra ista quæ inuenimus dixeris, non magis, quã quòd crescimus, quàm quod ad cõstitutum tempus sua corpori officia respondeant. Generis infimi materia nota est, inquit Scalig. Poët. lib. 4. cap. 19. Humiles personæ, pastores, & alij, quales in comœdijs. Quod si de regibus, aut dijs loquuntur, eorũ officia, operaue quanto sunt tenuiora, tanto huic generi propiora. Itaq; de suo deo cum loquitur Tityrus, non attribuit ei fulminum, aut bellorum potestatem: sed, *Ille meas errare boues, &c.* ERRARE) liberè pasci, vt Eclog. 2. *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* Horat. Ode 2. Epod. *Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes greges.* Pro vagari lib. 11. Æneid. *Per syluas Teucri, mistiq; impunè Latini Errauere iugis.* Sic Eclog. 6. *Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras.* LVDERE QVÆ VELLEM) Poëtæ (ait Muret. in Catull. ni fallor) verecundiæ causa sua carmina lusus vocant. Georg. 4. *carmina qui lusi pastorum.* Et in Pollione. *Prima Syracosio dignata est ludere versu.* Horat. Od. 32. lib. 1. *Poscimus, si quid vacui sub vmbra Lusimus tecum:* alloquitur barbiton, ad quam mos erat carmina canere. Et Ode. 9. lib. 4. *Nec si quid olim lusit Anacreon Deleuit ætas.* Huiusmodi, opinor, lusus appellantur, inquit Vrsin. παίγνια græcè, atq; eius carminis scriptores παιγνιογράφοι, in quibus Phile-tas etiam ille Cous numeratur à Stobæo. Vocant item nugas, & ineptias. *Catull. Namque tu solebas Meas esse aliquid putare nugas.* Et, *Si cui forte mearum ineptiarum Lectores eritis.* * *Nimium generatim locutus est Muretus: non enim simpliciter sua carmina lusus vocant poëtæ, sed quæ verè sunt ludicra, & res leuiculas continent, id quod testimonia satis ostendunt. Nec id verecundiæ, sed veritatis caussa. Maro. 3. Georg.* Carmina qui lusi pastorum. *Horat. sat. 4. lib. 1.* vbi quid datur oti, Illudo chartis. *Ausonius,* Neue notet lusus tristis arundo tuos. CALAMO AGRESTI) Cantilena rustica. Supra vocauit tenuem auenam, alibi agrestem musam: quibus (vt annotauit Seruius) humilis styli genus, & bucolicis conueniens latenter ostendit. Ad hunc Maronis locum respexit Seneca de Benef. lib. 3. cap. 27. non calamo tantum cantare, & agreste, atque inconditum carmen, alicquam tamen obseruationem modulari docuit. Turneb. lib. 16. cap. 5.

M. Non equidem inuideo, miror magis: vndiq; totis
Vsqueadeo turbatur agris. en ipse capellas
Protinus æger ago. hanc etiam vix Tityre duco:
Hîc inter densas corylos modò namq; gemellos,
3 Spem gregis, ah, silice in nuda connixa reliquit.

Sæpe

Sæpe malum hoc nobis (si mens non læua fuisset)
De cœlo tactas memini prædicere quercus.
Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen iste Deus qui sit, da Tityre nobis.

NON EQVID. INVIDEO) Oportet hominem esse valde pro- A bum, candidum, rarum, quem aliena fælicitas ad inuidentiam nō commoueat, & cui non æquè doleant alterius commoda, quàm suamet ipsius incommoda. Nam vt Cicero scribit epist. lib. 3. *Latè patet hoc vitium, & est in multis.* Idem 2. de Orat. *Plerique sunt inuidi, maximeque est hoc commune vitium, & peruagatum: inuidetur autem præstanti, florentique fortunæ.* Hoc quoque Lucretius confirmat lib. 5.

Inuidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant
Plerumque, & quæ sunt alijs magis edita cunque.

Horat. lib. 2. Ode 10.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Bene item in Chabria Probus. Est enim hoc commune vitium in magnis, liberisque ciuitatibus, vt inuidia gloriæ comes sit: & libenter de ijs detrahunt, quos emergere vident altius: neque animo B æquo pauperes alienam opulentium intuentur fortunam. Adde his Plutarchum. *Sicut vbi nulla lux, nulla est vmbra: ita vbi nulla fœlicitas, nulla est inuidia.* Virtutem quippe & excellentiam hæc pestis tanquam vmbra corpus comitatur. Hinc illud sequitur, vt quem alterius sors secunda cruciat, eum eiusdem aduersa fortuna delectet, quamuis id dissimulet, ait Philo de vita Mosis. Veruntamen inueniuntur, quamuis perpauci, qui illud Anacreonteum,

φθόνον οὐκ οἶδ' ἐμὸν ἦτορ,
φθόνον οὐκ οἶδα δαΐκτόν,

qui illud Plinij iunioris possint dicere: Neque enim ego, vt multi, inuideo alijs bonū quo ipse careo: sed contra, sensum quendam, voluptatemque percipio, si ea, quæ mihi denegantur, video amicis superesse. Huius consilium sapientiæ & humanitatis plenum mihi paulisper, quæso, considera, eique mecum diligenter obtempera; quod ille de oratione, id tu quasi de omni re præclara & lau- C de digna plātum accipies, funditur enim latissime. Epist. 17. lib. 6. *Disertus ipse es? tanto magis ne inuideris: nam qui inuidet, minor est. Denique siue plus, siue minus, siue idem præstas, lauda vel inferiorem, vel superiorem, vel parem. Superiorem, quia nisi laudandus ille est, non potes ipse laudari: inferiorem aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam, quam maximum videri, quem præcedis, vel æquas.* Iacob. Pont. MIROR MAGIS) Miror fælicitatem tuam, qui solus nobis fugientibus in tuto es sic, vt etiam cantes. TVRBATVR AGRIS) Turbatur doctis *ποιητικώτερον* videtur impersonaliter, quam turbamur. Proinde ita omnino legendum est. Lucret. lib. 6. *Ancipiti quoniā bello turbatur vtrinque.* German. PROTINVS ÆGER AGO) Protinus loci aduerbium, pro longè, porrò. Protenus est temporis: quare legendum, protinus, & explicandum, longè ante progredientes, ita vt ego languenti D corpore vix eas consequi possim. Protinus, inquit Turneb. lib. 3. cap. 20. interdum præ se, & ante se, & prorsum significat. *Protinus æger ago.* Id est, præ me, & ante me ago, & prorsum ago. Cic. 1. de Diuinat. præcepisseque vt pergeret protinus: quid retro, atque à tergo fieret, ne laboraret, id est, iret prorsum. * *Nonius, Protinus, ait, vbicunque lectum est, contra vsum intellectus communis, quo statim significare creditur, positum inuenitur, vt sit protinus, porrò, ac sine intermissione, continuo, quod iunctum tenus eius significantiam confirmat aduerbij. Virgil. namque vbicunque posuit protinus, sub hoc sensu intelligendum reliquit.* HANC ETIAM VIX DVCO) Cur ducit potius à partu lassam & infirmam, quam portat? Quia ipsemet quoque portari potius alienis humeris, quam suis pedib⁹ ambulare debebat: siquidem corpori eius male est. *Vix inanis incedo, ne cū onere ire posse* E *existimes,* ait ille apud Plautum. De portandis autē fœtis ouibus, agnisque recenter editis, Tibull. eleg. 1. lib. 1.

Non agnumue sinu pudeat, fœtumue capellæ
Desertum oblita matre referre domum.

Calpurnius eclog. 5.

Si qua iacebit ouis partu resoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natosque tepenti
Ferre sinu tremulos, & nondum stare paratos.

Iacob. Pont. INTER DENSAS CORYLOS) Homerus *φωνῇ συνετά.* Pierius affirmat in nonnullis peruetustis exemplaribus corulos scriptum inueniri. Est autem antiqua scriptura, vt in veteribus quoque nummis Sulla, & Erucyna. Vrsin. SPEM GREGIS) In quibus sita erat spes gregis, à quibus pendebat supplementum gregis. Omnis quippe spes incrementi gregis est posita in fœtura. Appositionem, & *ἐπεξήγησιν* vocant hoc schema. sic infra *Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumb. &c.* Eclog. 2. *Tantum inter densas, vmbrosa cacumina, fagos* Æneid. 6. *Pars densa ferarum tecta rapit syluas.* Ibid. *Itur in antiquam syluam, stabula alta ferarum.* Horat. lib. 1. Ode. 3. *Sic fratres Helenæ lucida sydera.* Castores puta, qui sunt lucida sydera. Ouid. 2. Metam. *Ducit ad hos iuuenem, Vulcania munera, currus.* Denique & hi ipsi poëtæ, & alij præterea mille locis. Connixa porrò, quasi quæ cum labore, & difficultate fœtum edidisset. Conniti extra partitudinem ꝓpriè dicitur, hìc in partu, pro enixa videlicet: eniti enim, non conniti parientes dicimus. Iacob. Pont. SI MENS NON LÆVA) læuus est *σκαιός*, aliquando stultus. Ergo mens læua, stulta, incogitans, stolida, improuida mens. Sic 2. Æneid. *Et si fata deûm, si mens non læua fuisset.* Horat. ad Pison. *ego læuus, Qui purgor bilem sub verni temporis horam.* DE CÆLO TACTAS QVERCVS) Interpretare cum Nonio fulguritas, fulguritum enim dicitur fulgure tactum, vel exustum. Item cum alijs, fulminatas, fulmine ictas, percussas, afflatas. Cælum capitur pro aëre, vt aliâs apud probatissimos quosque scriptores quam sæpissime: cum cœlum crassum, subtile, graue, frigidum, salutare, pestilens, &c. dicunt: hìc ex adiuncto cœlum pluuium, seu ꝓcellosum intelligitur, quo tempore cadunt fulmina. Loquitur autem similiter poëtæ Cato de re rust. cap. 14. si de cœlo villa tacta sit, de ea re vti verba fiant. Et persæpe Sueton. vt in Galba, cap. 1. Ac subinde tacta de cœlo Cæsarum æde, capita omnibus statuis simul deciderunt, Augustique sceptrum è manibus excussum est. In Domitiano cap. 15. Tactum de cœlo capitolium, templumque Flauianæ gentis. In Claudio cap. 45. tactumque de cœlo monumentum Drusi patris. Tacitus Annal. lib. 14. Iam sol repente obscuratus, & tactæ de cœlo quatuordecim vrbis regiones. Et Gell. lib. 5. cap. 4. statua Romæ in comitio posita Horatij Coclitis, fortissimi viri de cœlo tacta est. Iacob. Pont.

Seruiana explanatio hæc est. Mirè compositum augurium: nam quercus in tutela Iouis est, & huius arboris fructu olim homines vescebantur. Per quercus ergo agri: per fulmen ira Iouis: per iram Iouis ira Cæsaris: per damnum arborum, damnum agrorum figurabatur. Hæc ergo tacta, id est, afflata, & leuiter fulminata (vt Cic. 3. Tuscul. tactus etiam ille, qui hanc vrbem condidit Romulus) significabat nutu Imperatoris posse agros eorū perire, apud quos fulminatæ sunt arbores. Nam agri caussa victus sunt, sicut olim quercus. Quod autem ait, *tactas*, ostendit temporale fore damnum, quale patiuntur arbores leuiter fulminatæ. SINISTRA PRÆDIXIT. 2. L. C) Vanitas augurum auspicia coruorum à dextra

à dextra, à læua infausta iactabat. A dextra igitur suadebat coruus, vt in Asinaria. *Picus, cornix est ab læua, coruos, parra ab dextera. Consuadent.* Hinc apparet contrariam in cornice fuisse obseruationem: quod & à Cicerone scriptum est 1. de Diuinat. cuius verba sunt. Quid habet augur, cur à dextra coruus, à sinistra cornix faciat ratum? Sinistra tamen cornix Maroni inauspicata est. Vbi augurium malum etiam adiuuat arboris vitium. Turneb. lib. 6. cap. 26. Idem lib. 9. cap. 29. Cantus quoque cornicis iucundè crocitantis, malum auspicium erat aliquid incipienti, malumque portendebat. Erat etiam cantus eius faustus, & auspicatus, vt in Append. Virgil.

Tarpeio quondam consedit culmine cornix:
Est bene, non potuit dicere, dixit, erit.

Sed tamen hunc versum vt adulterinum, & παρεμβεβλημένον confodiunt Critici, de quo viderint alij. Sanè nec A superuacaneus, nec sine numeris est. QVI SIT, DA TITYRE NOBIS) Græci quoq; ita loquuntur. Eurip. ἱκέτισι.

Πῶς ἂν ἂν εἴη τοὺς ὀλωλότας τεκεῖν
Θάψαι; δίδου ἡμῖν τοῖς θέλουσιν εἰσιδεῖν.

Virgil.

—— tuq; ô sanctissima vates
Præscia venturi, da, non indebita posco
Regna meis fatis, Latio considere Teucros.

Vbi Seruius, da, dic, non enim aliquid præstare poterat, sed indicare futura. Terent. Heaut. *Nunc quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.* Lucill. lib. 30. *Si liceat facere, & hoc reddere verfibus quod do.* Et lib. 28. *Per-B suade, & transi, vel da quamobrem transeas.* Et quomodo, da, pro, dic, eloquere: sic vicissim, accipe, pro, audi, tanquam relata videlicet. *Accipe nunc Danaûm insidias.* lib. 2. Æneid.

T. Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putaui
Stultus ego huic nostræ similem, quò sæpe solemus
Pastores ouium teneros depellere fœtus.
SIC CANIBVS CATVLOS SIMILES, SIC MATRIBVS HOEDOS
NORAM: sic paruis componere magna solebam.
Verùm hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Quæritur, cur de Cæsare interrogatus, Romam describat. Et aut simplicitate vtitur rustica, vt ordinem narrationis non plenum teneat: sed per longas ambages ad interrogata descendat: aut certè, quia nullus qui continetur, est sine ea re quæ continet: nec potest vlla persona esse sine loco. Vnde necesse habuit interrogatus de Cæsare locum describere, in quo eum viderat: est autem longum hyperbaton. Seruius.

Romam Romulus de suo nomine appellauit: sed ideo Romam, non Romulam, vt ampliore vocabuli significatu, prosperiora patriæ suæ ominaretur. Festus. * *De origine huius nominis varias opiniones ponit Solinus cap. 1. Ibidem de arcano eius nomine, quod euulgare nefas erat.*

Nostri Iureconsulti, ait Crinitus de honest. discipl. lib. 4. cap. 9. inter vrbem & Romam differentiam haud inelegantem ponunt, ut vrbem videlicet locum duntaxat intra mœnia intelligamus: Romam vero & ipsa etiam suburbia, quæq; iuxta vrbem circumuisantur: eoq; id asserunt, vt intelligi facilius possit, quæ aut Romæ, aut in Vrbe iure legationis comprehendantur: ne quid in erciscunda familia discriminis, aut fraudis nasceretur. DEPELLERE FOETVS) Depellere aut simpliciter expone, abigere, abducere, agere: aut subaudi, à lacte: vt sit sensus, quò solemus depellere, seu portare teneros ouium fœtus: id est, cui (Mantuæ) vendundos agnos à lacte depellimus: seu, quò depulsos à lacte portamus. Sed in idem cum priore recidit. Vide declarationem illius in Ecloga 7. *Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos.* Iacob. Pont. SIC CANIBVS CATVLOS) Sic culicem elephanti conferre dicuntur παροιμιακῶς, qui minima maximis comparant. Catuli non modo canum, sed etiam leonum, vrsorum, luporum, felium adhuc teneri partus. Immo & scrofarum (cum sint vsitata succulæ, porculi) simiarum, vulpiû, murium. Etiam serpentum. Catuli, inquit Nonius, non solum canum diminutiuè, verùm omnium animalium appellantur. Et Isidor. lib. 12. cap. 2. Catuli abusiuè dicuntur quarumlibet bestiarum filij: nam catuli propriè canû sunt. Et cum ostendunt canes, se velle maritari, seu cum impleri gestiunt ad fœturam, id dicitur catulire, vt in equabus equire, in suibus surire. Iacob. Pont. SIC MATRIB. HOEDOS) Quod capras hœdorum matres vocat, etiam sic Lucret. lib. 2. *Præterea teneri tremulis cum vocibus hœdi Corniger as norunt matres.* Noster 1. Æneid. *Pingues centum cum matribus agnos.* Matres, patres, natos, cognatos, viros, vxores, etiam de bestijs, & animantibus imperfectis, vt sunt ranæ, mures, &c. C καταχρηστικῶς, & suaui cum lepôre dicunt poëtæ. Vide Eclog. 7. *Vir gregis ipse caper.* Iac. Pôt. SIC PARVIS COMPONERE MAGNA) Lib. 4. Georg. *Non aliter, si parua licet componere magnis.* Sunt autem vsi ea sententia, Herodotus lib. 1. ὡς εἶναι σμικρὰ ταῦτα μεγάλοισι συμβαλεῖν. Thucyd. lib. 4. ὡς μικρὸν μεγάλῳ εἰκάσαι. M. etiam Tullius eundem locum expressit, in libro de opt. gen. orat. Parua enim magnis sæpè rectissimè comparantur. Et in Oeconom. apud Lactant. lib. 3. vt magna paruis conferamus. Vrsin. * *Inuersio est, pro parua magnis componere sciebam: magna enim cum paruis conferri non solent laudis caussa: at parua magnis frequenter.* INTER CAPVT EXTVLIT VRBES) Sic & Æneid. 1. *placidû caput extulit vnda.* Georg. 4. *flauum caput extulit.* Et 3. *Tisiphone caput al-D tius effert.* German.

Romam quoq; vates noster alibi rerum pulcherrimam, maximam, illam inclytam, maximam rerum appellat. Horat. Ode. 3. lib. 4. principem vrbium, & Ode. 14. dominam. Martialis lib. 10. *Mænia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ.* lib. 12.

Terrarum dea, gentiumq; Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Cicero orat. post red. in senat. Roma arx omnium terrarum. Et in Catil. lux orbis terrarum, & arx omnium gentium. Laudationem vrbis Romæ habes apud Aristidem Tom. 1. in qua hoc ipsum, quod ait poëta, præclarè explanatum est, ostensumq; planissimè, quomodo supra alias vrbes caput extulerit. Non longe ab exE orsu orationis. *Vt si pictor, inquit, pulchrum corpus, & spectabile depingere aggressus, post in opere peccet, præstare*

ſtare vtique nihil pingere, vel ipſum corpus præbere ſpectandum, quàm id male expreſſum proponere, quinis dicat: ita & vrbi huic contigit, vt ei multa, quæ miranda ſunt, orationes detrahant, & proinde propemodum faciant, ac ſi quis exercitus alicuius, vt Xerxis, numerum magna cum admiratione enuntians, decem deinde, vel viginti militum millia, & equites aliquot ſe vidiſſe dicat, qui vix milleſimam totius rei, quam admiratur, partem expleant. Paulò infra illud egregiè dictum de eius amplitudine. *Nec impedit quidquam, quò minus, quamcunque vrbis partem occupes, in media tamen conſiſtas.* Et rurſum. *Si quidem totum conſideres imperium, vrbem nequaquam admiraberis, quæ tantula toti imperet terrarum: ſin ad ipſam vrbem, eiusque terminos reſpicias, non amplius miraberis, orbem totum tanto oppido ſubijci.* Vide lib. 7. ad illum locum, *nunc maxima rerum Roma colit.* Iacob. Pont. QVANT. LENT. SOL. INT. VIB. CVP.) Comparans ſe cum Marone Nemeſianus eclog. 2. longeq; illi poſtponens,

—— qua dulce locutus
Tityrus è ſyluis dominam peruenit ad vrbem.
Nos quoque te propter, Donace, cantabimus vrbi:
Si modo conferas inter viburna cupreſſos,
Atque inter pinos corylum frondeſcere fas eſt.

M. Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſſa videndi?
T. Libertas, quæ ſera, tamen reſpexit inertem,
Candidior poſtquam tondenti barba cadebat:
Reſpexit tamen, & longo poſt tempore venit,
Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculî.
Quamuis multa meis exiret victima ſeptis,
Pinguis & ingratæ premeretur caſeus vrbi:
Non vnquam grauis ære domum mihi dextra redibat.

ET QVÆ TANTA) Legendũ Et quæ potius, quàm Ecquæ. Cõſule Collectan. Giſanij in Lucret. littera E. ROMAM VIDENDI) Olim multæ & honeſtæ cauſſæ fuerunt Romã videndi, maximè poſtquã Auguſtus eam neque pro maieſtate imperij ornatam, & inundationibus, incendijsque obnoxiam excoluit adeò, vt iure ſit gloriatus, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet. Sueton. cap. 29. Certè Conſtantini M. F. triumphans Romam ingreſſus, multisq; rebus magno cum ſtupore viſis, conqueſtus eſt de fama, vt inualida & maligna: quæ cum alia omnia ſemper augere in maius conſueſſet, in his, quæ Romæ eſſent, videretur obſoletior. Marcellin. lib. 16. Gaditanum quendam, fama & gloria T. Liuij commotum, eius videndi cauſſa Romam ab vltimo terrarum orbe veniſſe, eoq; viſo ſtatim abijſſe narrat Plin. epiſt. 3. lib. 2. Quod non poteſt ſatis mirari D. Hieronymus, epiſtola ad Paulinum, cuius verba ſubijcio. Ad T. Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem de vltimis Hiſpaniæ, Galliarumq; finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus: & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis, celebrandumq; miraculum, vt vrbem tantam ingreſſi, aliud extra vrbem quærerent. Hæc ille. Quæſiuit nihilominus etiam Ammonius ille monachus, ſeu quo alio nomine fuit, excidit enim mihi, qui non ab aliud ex Ægypto, an aliunde Romam contendit, quàm vt Apoſtolorum templa coram videret: quibus viſis, mox diſceſſit. Si tamen hoc extra vrbem, & non magis præcipuum, & maximum vrbis honeſtamentum dici debet, potiſſimùm propter ſacra principum Apoſtolorum Petri & Pauli corpora, ibidem conſeruata: ob quæ, vide quanti Romam faciat D. Chryſoſtomus. *Ego & Romam propterea diligo, tametſi aliunde queam illam laudare, nempe à magnitudine, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, ab imperio, à diuitijs, à rebus in bello fortiter geſtis. Sed dimittens omnia, ob id illam ſanctam prædico, quod erga illos Paulus, dum viueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, & coram diſſeruit, & poſtremo vitam apud eos finiuit. Cuius ſanctum corpus ipſi poſſident. Et propterea ciuitas illa hinc facta eſt inſignis magis, quam alijs rebus omnibus. & tanquam corpus magnum ac validum, duos habet oculos illuſtres, ſanctorum videlicet horum corpora. Nec ita cælum ſplendeſcit, quando radios ſol demittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbiq; terrarum effundens. Iſti enim ſunt viri,* inquit D. Leo Pont. Max. *per quos tibi Euangelium Chriſti Roma reſplenduit: & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt patres tui, veriq; paſtores, qui te regnis cæleſtibus inſerendam multo melius, multoq; felicius cõdiderunt, quam illi, quorum ſtudio prima mænium tuorum fundamenta locata ſunt.* Hos igitur ſacratiſſimos cineres, multorumq; millium propter Chriſti teſtimonium interfectorum oſſa, tam ſanctam denique (nam ſingula ſeparatim memorare nimis longum foret) & Chriſtianæ religionis moderatricem atque antiſtitam ciuitatem quis non ſingulari cum animi voluptate ſolatioq; aſpiciat? Hanc Totilas Gothorum barbariſſimus rex, cum diruere vellet, epiſtola Beliſarij, ducis Iuſtiniani Augu. deterritus eſt, quam leges apud Crinitum lib. 6. cap. 2.

LIBERTAS SERA, RESPEXIT) Ἀνακόλουθον, deeſt enim quamuis, vt ſit, Quamuis ſera illa, id eſt, ſerò reſpexerit, tamen reſpexit. Obſeruatum acutè à quibuſdam eſt, neminem libentius, aut melius verborum circuitione, rerum propria nomina expreſſiſſe, quàm Virgilium: ſed tanto artificio id feciſſe, vt eorum magna pars lateat: hìc ſiquidẽ Libertatem deam, cognomento Reſpicientem ſignificari: hoc eſt, fælicem, & propitiam: vt apud Cic. 2. de legibus, Fortuna Reſpiciens. German.

Libertas inprimis à Romanis dea habita eſt, & culta, vt qui maximè ei ſtuderent, ab eo videlicet tempore, quo in libertatem ſeſe vindicauere. Nec minus Græci libertatem, & libertatis deos colûere ἐλευθερίαν, & deos ἐλευθέριος. Sanè notatum legimus, libertatis indicium fuiſſe pileum: vnde & qui ſerui libertate donabantur, pileum geſtabant, capite raſo. Hinc etiam ſcriptum, Brutos monetam cudiſſe, cum pileo duobus pugionibus impoſito. Quo ſignificabant, cæde Iulij Cæſaris partam eſſe Reipub. libertatem, quam ille dominatu ſuo iniquiſſimè oppreſſam tenuerat. Iacob. Pontan. INERTEM) Metaphora, pro deſide. propriè ſiquidem qui carent artibus ingenuis, inertes dicuntur. Cic. 2. de finibus. Sed luſtremus animo maximas artes, quibus qui carent, inertes à maioribus nominabantur. In Partitionibus quoque, vbi explicat naturam animi, quæ in perſonis ſpectatur ad coniecturam faciendam, vt vitia virtutibus, ſic inertias artibus opponit. CANDIDIOR BARBA CADEBAT) Ætatem ſenilem περιφράζει. Non ad libertatem, quod præcedit, ſed ad barbam, quod ſequitur, referenda vox *candidior:* ſiquidem inferius paulò fortunatum ſenem vocat. Senos autem fermè modos obſeruabant antiqui (quod notauit Iunius libro de Coma, cap. 2.) quibus recrementitiam crinium ſyluam tollerent. Nam aut tondebant forficula, aut radebant

nouaculis, aut digitis vellebant, aut volsellis eradicabant, aut deglabratorijs medicamentis extinguebant, aut denique pice, resináue extirpabant. * *In Italiam ex Sicilia venisse tonsores post Romam conditam anno quadringentesimo, quinquagesimo quarto, adducente P. Ticinio Mena, ex Varrone refert Plin. lib. 7. cap. 69. ante intonsi fuere. Primus omnium radi quotidie instituit Africanus: sequens D. Augustus cultris semper vsus est. Suetonij loquendi modus est, barbam ponere. Caligula cap. 5. regulos quosdam barbam posuisse. Nerone cap. 17. cum primam barbam posuit, conditam in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio cõsecrauit.* Et hoc *παρέργως* addatur. Longobardis olim arctissimum fuit amicitiæ vinculum, apud aliquẽ barbam ponere, primam videlicet barbam, siue lanuginem. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 26. POSTQVAM NOS AMARYLL. HABET, GAL. REL.) Facilè ista ex argumento explicantur. Cum enim contubernalem haberet Galateam Tityrus, nihil admodum peculij colligere poterat, vnde se tandem liberaret: Amaryllidem nactus, attentiorem, & diligentiorem, dimissa Galatea, quæ dissolutior, & negligentior in re peculiari augenda erat, tandem aliquando libertatem adeptus est. Turneb. lib. 1. cap. 26. Alij per Galateam accipiunt Mantuam, per Amaryllidem Romam, hoc sensu: postquam relicta Mantua, me Romam, ob agros recuperandos contuli. Et hoc ipsum arbitror voluisse Turnebum dicere.

Nannius lib. 6. Miscell. cap. 1. Debet autem allegoria, inquit, ita esse *αἰνιγματώδης*, vt tamen aliqua vestigia indagandi arcani de se præbeat. Nec dubito, quin plurima olim signa nota fuerint, quæ ad verum intellectum ducere poterant, quæ antiquitatis oblitteratione à nobis nequaquam comprehendi possunt. Cur enim non tam bene Galateam Romam, quàm Mantuam intelligas, si temere à puellarum nominibus vrbes significare liceat? Tentandum ergo, si quid inuenire possimus, quod huic mysterio lucem adferat. Politianus auctor & elegans, & curiosus, dicit (ep. 2. lib. 1.) Romanam vrbem triplici olim nomine insignitam fuisse. Appellatam enim vulgato nomine Romam, arcano Amaryllida, sacro & rituali Florentiam, seu, quod idem est, Anthusam. Venustissimè igitur, cùm puellæ, vrbique idem nomen sit, sub vocabulo virginis Romam indicauit. Vtinam simile quid in Galatea haberemus, vbi nihil ambigo, quin sit eadem allusio. Fortasse ideo Mantuam Galateam dixit, quòd ibi Galatæ, hoc est, Galli togati suas sedes habuerunt. Vel quòd Mantuani originem duxerunt à Venetis, quos Strabo quoque dicit Venetis Gallis, Oceani accolis oriundos esse. Certè Seruius super eo versu, *Qui muros, matrisq́; dedit tibi Mantua nomen*, Venetos & Thuscos conditores Mantuanæ ciuitatis facit, ac Venetiam alio nomine Cisalpinam Galliam dici. Hoc non admodum in Politiano probo, quòd Amaryllida ab amore deductum putet, quasi latinum sit nomen. Ego (quia & apud Theocritum puella eius nominis reperitur, & quia personæ bucolicæ ferè omnes græcæ) græcam originationem potius requirendam arbitror, & in eius etymologia latere aliquid, quod cum rebus rusticis sit cognatum: quale est in Galatea, Phyllide: quarum altera ab lacte, altera à frondibus nomen ducit. *Ἀμάρα* certe incile significat, per quod aqua ad irrigationem vel horti, vel alterius generis agri deriuatur. Id si admittas, forma diminutiua inde Amaryllis declinari videtur. Fabius Pictor tradit, Argeum campũ, qui septem montibꝰ includitur, in speciem arcus vsq; ad Tiberim, quæ instar chordæ eum præcingit, inundationibus fluuij inhabitabilem fuisse. Sed Vertumno sacris factis, aquas in alueum reuertisse, arbitrorq; ab incilibus, quibus palus siccata est, Romam Amaryllidem esse dictam.

A Obseruauit Vrsinus formam loquendi à græcis deriuatam: *postquam nos Amaryllis habet.* Notum est enim illud Aristippi, *ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι Λαΐδος.* De quo sic Cicero ep. 26. lib. 9. Sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, cum esset ei obiectum, habere eum Laida. Habeo, inquit, Laida, non habeor à Laide. Græcè hoc melius. Tu, si voles, interpretabere. Hoc loco facere non possum, quin peregregiam sanè, prudentissimi iudicij plenam, & Christiano viro dignam aduersus Aristippum dissertatiunculam subtexam. Est autem Lactantij lib. 3. cap. 16. in quo quantum philosophi antiqui moribus, & vita, cum doctrina præceptisq; suis pugnauerint, eleganter docet.

B Sumit autẽ occasionem reprehensionis ex illo Senecæ, omnia quæ luxuriosi faciunt, quæq́; imperiti, faciet & sapiens: sed non eodem modo, eodemq́; proposito. Atqui nihil interest, occurrit Lactantius, quo animo facias, quod fecisse vitiosum est: quia facta cernuntur, animus non videtur. Aristippo Cyrenaicorum magistro cum Laide nobili scorto fuit consuetudo: quod flagitium grauis ille philosophiæ doctor sic defendebat, vt diceret, multùm inter se, & cæteros Laidis amatores interesse: quod ipse haberet Laidem, alij verò à Laide haberentur. O præclara & imitanda bonis sapientia. Huic verò liberos in disciplinam dares, vt discerent habere meretrices? Aliquid inter se, ac perditos esse dice-

C bat: scilicet quòd illi bona sua perderent, ipse gratis luxuriaretur. In quo sanè sapientior meretrix fuit, quæ sic philosophum habuit pro lenone, vt ad se omnis iuuentus doctoris exemplo, & auctoritate corrupta, sine vllo pudore concurreret. Quid ergo interfuit, quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet, cum eum populus, & riuales sui viderent omnibus perditis nequiorem? Nec satis fuit ita viuere, sed docere etiam libidines cæpit, ac mores suos de lupanari ad scholam transtulit: disserens, voluptatem corporis esse summum bonum. Quæ doctrina execrabilis, & pudenda, non in corde philosophi, sed in sinu meretricis est nata. Hactenus ille. Existimo autem aliorum quoq;

D sententias nonnullas, quæ cum plausu leguntur, si penitius considerarentur, æquè vt falsas, & stultas, etiam à non Christianis reprehendi posse.

Vide hîc quomodo malum bono sit pensatum. Virgilius enim ob iacturam agelli sui Romam ire compulsus, plus ibi ingenio assecutus est, quàm bello amiserat. Et verum est illud Luciani, principium grauioris mali, plerunq; esse gradum fortunæ melioris. * *Sic Themistocles ostracismo affectus, & patria exclusus, apud Persarũ regem in summo honore & gloria cum esset, conuersus aliquando ad vxorem dixit: perieramus, vxor, nisi perijssemus. Zeno Citticus Stoica disciplina fundator, cum è Phœnicia purpuram portaret, apud Piræeum fecit naufragium. Ingressus igitur Athenas naufragus, in Cratetem philosophum incidit, cuius auditor, & postea successor factus, cum oblectaretur illa sapientia opibus, quas fortuito inuenerat,*

E *solebat dictitare*, Tunc bene nauigaui, cum naufragium feci. NEC SPES LIBERTATIS) Satis clarè ostendit, quàm dura sibi seruitus fuerit, cum eam nulla spes libertatis redderet molliorem. Alioqui, *Spes etiam valida solatur compede vinctum*, ait Tibullus. Iacob. Pont. NEC CVRA PECVLI) Cura dicta est, quasi coreda, quod cor edit, vel quod cor vrat. Festus. Iam illud, peculî, pro peculij, duobus ij in vnum contractis. Horat. Ode 4. lib. 1. *Soluitur acris hyems grata vice veris & Fauonî.* Et rursum Ode. 6. *culpâ deterere ingenî*, & permulta similia in poetis.

Moribus receptum erat (inquit in 14. Annal. Tacid Lipsius) vti seruus interdum cum domino quasi pacisceretur in certum pretium: quod si exsoluisset, liber esset. Id pro-

Id pretium è peculio serui, vel aduentitio lucro. Seneca A in epistolis. Mancipia quoq; conditionis extremæ, & in his sordib⁹ nata, omni modo exuere conantur seruitutem: peculium suum quod cõparauerunt, ventre fraudato, pro capite numerant. Eò respexit hoc loco Virgil.

Antiquis possessio quæuis, & omne, patrimonium peculium dicebatur: quandoquidem in pecoribus præcipuas habebant facultates, & in pecuaria facienda erant potissimùm occupati. Quare etiam apud Homerum πολύμηλοι, & πολύαρνες pro diuitibus positos reperies. Agamemnon ποιμένα λαῶν vocat, & in sacris ποιμαίνειν pro regnare. Cõsentanea dictis sunt illa Columellæ, præfat. lib. 6. Nam in rusticatione vel antiquissima est ratio pascendi, eademq; quæstuosissima: propter quod no- B mina quoq; & pecuniæ, & peculij tracta videntur à pecore: quoniam id solum veteres possederunt, & adhuc apud quasdam gentes vnum hoc vsurpatur diuitiarum genus. Græci quoque, vt monet Scalig. F. in Varron. πρόβατα à prouentu, πρόβασις Homero ꝓuentus: quod eorum copia in pecu. Adde ex Plinio, lib. 18. cap. 3. Pecunia ipsa à pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis censorijs pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, ꝙ in hoc solùm vectigal fuerat. Iac. Pont. MEIS SEPTIS) Septa propriè sunt loca in campo Martio, inclusa tabulatis, quibus pop. Rom. circumseptus, suffragium ferre consueuerat. Sed quoniam hæc septa similia sunt ouilibus, dùo hæc inuicem pro se ponuntur, C vt hoc loco septa pro ouilibus posuit. Lucanus econtra: *& misera maculauit ouilia Roma.* Iuuenal. sat. 6. *antiquo quæ proxima surgit ouili.* Seruius. * *De die comitiali Ouid. Fast. lib. 1. Vbi discrimina dierum persequitur:* Est quoq; quo populum ius est includere septis. *Martial. lib. 9.*

In septis Mamurra diu, multumq; vagatus
Hîc, vbi Roma suas aurea vexat opes.

Septa, inquit Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 2. cap. 18. frequentia fuere in campo Martio, tabulatis cincta, quo mox succedente sumptu magnifico, & excellenti cultu marmorea facta, quæ excelsas porticus, & ingentes ambulationes accepere, in quibus populus ad comitia frequens conuenire, & de dandis honoribus, deq; repub. decernere solebat, ibique res censu, & æstimatione digna, & quæ magno parantur, venales exponi. Vide ibid. Tiraquellum. Cic. pro Mil. cum ille (Clodius) vi in septa irruisset. PREMERETVR CASEVS VRBI) Caseus vocatur, quod careat sero, quasi careus: nam serum ei omne deducitur, vt ponderibus arguatur. Isid. lib. 20. De caseo faciendo, seu conficiendo Columella lib. 7. cap. 8. Bubulo è lacte facti, maximi cibi sunt, & qui difficillimè transeant sumpti. secundo ouilli, minimi cibi: & qui facillimè deijciantur, caprini. Varro lib. 2. de re rust. cap. 11. Caseale locus, vbi casei seruantur. GRAVIS ÆRE DEXTRA) *Catull. in libero quodam carmine.*

Meisq; pinguis agnus ex ouilibus
Grauem domum remittit ære dexteram.]

Vlpian. tit. de verbor. signif. etiam aureos nummos æs dicimus. Primùm enim, vt ibidem tradit Alciatus, pecunia ære cudi cæpta est. Inde factum, vt cuiuscunque metalli pecunia nomine æris significaretur. Sanè & Græci χαλκὸν, id est æs, pro quacunq; pecunia accipiunt: vnde ἀχαλκεῖ apud Lucilium Epigram. lib. 2.

Ἑρμοδότου τόδε δόγμα τὸ πάνσοφον, εἴ τις ἀχαλκεῖ,
Μηκέτι πεινήτω, θεὶς τὸ χιτωνάριον.
Hermodoti hoc dogma est, quisquis miser indiget ære,
Philosophi assumat pallia, diues erit.

M. Mirabar, quid mœsta deos Amarylli vocares,
Cui pendêre sua patereris in arbore poma:
Tityrus hinc aberat. ipsæ te Tityre pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.

Cum supra nomine Galateæ Mantuam intelligeret, Amaryllidis Romam, censent quidẽ eruditi, hic aptius legi posse, *Mirabar, quid mœsta deos Galatea vocares.* Sed libri omnes aduersantur. IPSÆ TE TITYRE PINVS) Theocrit. Idyll. 4.

Ταὶ δαμάλαι δ' αὐτὸν μυκώμεναι ὧδε ποθεῦντι.
Multo hunc mugitu sua nunc armenta requirunt.

Viden' fontem? Est tamen, quod ponit Virgilius, longè & maius quiddam, & vberius. Huiuscemodi festiuitatis exemplum reperi apud Claudian. in 6. consulat. Honorij.

Tunc syluæ, tunc antra loqui, tunc viuere fontes,
Tunc sacer horror aquis, adytisq; effunditur Echo.

Nemesian eclog. 1.

Te pinus reboat, te quidquid carminis Echo
Respondent syluæ, te nostra armenta sequuntur.

Virgil. eclog. 5.

Ipsi lætitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes: ipsæ iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta.

Eclog. 10. de Gallo desiderato, pari Venere.

D *Illum etiam lauri, illum etiam fleuere myricæ:*
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Mænalus, & gelidi fleuerunt saxa Lycæi.

Cic. pro Milone in re, & persona illustriore, P. Clodio inquã, adhuc grandius aliquid, & insigne magis, quanquam ludens, eadem tamen figura orationis. P. Clodij mortem æquo animo ferre nemo potest: mœret equester ordo: tota ciuitas confecta senio est: squalent municipia, afflictantur coloniæ, agri deniq; ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum ciuem desiderant. Per arbusta Turneb. vites arbustiuas, hoc est, arboribus maritatas, seu arboribus tanquam maritis applicatas, & coniunctas intelligit. Iacob. Pont.

T. Quid facerem? neque seruitio me exire licebat,
Nec tamen præsentes alibi cognoscere diuos.
Hîc illum vidi iuuenem, Melibœe, quotannis,
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hîc mihi responsum primus dedit, ille petenti:
Pascite, vt ante, boues pueri, submittite tauros.

QVID FACEREM?) Eclog. 7. *Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phillida habebam.* Sic quærunt, quasi ab alijs audire cupientes, qui aliud facere, quam fecerunt, non potuerunt: quasi absolutiuo statu se defendentes. Et inuenitur hæc forma loquendi apud Cic. Quid agerem? quo me verterem? & similia. Iac. Pont. SERVITIO EXIRE) Seruitio exire, est libertate potiri: cui⁹

rei spes nulla, dum Galateam foueret Tityrus: id est, quã diu Virgilius moraretur Mantuæ, ablatos sibi agellos (quo infortunio velut dura seruitute mulctatus erat) quomodo tandem reciperet, minimè videbat. Quare ad Augusti tanquam numen confugiendum fuit Romam. Errant autem puerilem errorem, qui hasce duas coniunctiones (neque, nec) in eadem sententia copulare non audent: ne videlicet barbarè loquantur. Fugit eos tum hic locus, vbi poëta poterat versu priore, *nec seruitio*: tum ille 2. Æneid. *Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles*: poterat, *neque Larissæus Achilles*. Omitto plura exempla, forsitan ex vno Virgilio. Iacob. Pont. PRÆSENTES DIVOS) *Præsentes*, valet, vehementer amicos, beneuolos, fauentes, ad opem ferendam paratos, propitios. Quoniam enim præsentia fauorem, & animum adiuuandi, consulendi magis declarat, huic voci, *præsens*, huiuscemodi tributa est significatio. Cic. 2. Catilin. deos deniq; immortales huic inuicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimæ vrbi contra tantam vim sceleris præsentes auxilium esse laturos. Et Tuscul. 2. Hinc Hercules tantus, & tam præsens habetur deus. Virgil. 1. Georg. *Et vos agrestûm præsentia numina Fauni.* Terent. Phorm. *Non tu hunc habeas planè præsentem deum?* Huc fortasse respexerit Horat. ad Augustum scribens, epist. 1. lib. 2. *Præsenti tibi maturos largimur honores.* Sed exponitur à quibusdam, viuenti: siquidem in vita pro deo cultus est Augustus. Vide supra, *namque erit ille mihi semper deus.* Et potuit idem sibi voluisse hoc loco Virgilius voce, *præsentes*, id quod sequentia videntur indicare.

Assentitur huic sensui German. cuius verba tibi annumerabimus. Innuit velut viuentem etiam tum Augustum deum, nec per apotheosin deum factum: vt & Ouid. Trist. 2. per Cæsarem iurans, *Per te præsentem, conspicuumq; deum*: hoc est, φανερὸν, καὶ ἐναργῆ θεόν. Quemadmodum & Euandrum memorat Tacitus lib. 15. Annal. præsenti Herculi fanum, aramq; dicasse, his verbis. Magna ara, fanumque, quam præsenti Herculi Arcas Euander sacrauerat, exusta, &c. Licet tamen præsentes, propitios, & fauentes accipere. Sed & præsentia deorum, & numina præsentia interpretari videtur Valer. Max. statim in præfat. suæ historiæ ea periodo, qua Tiberij diuinitatem inuocat, sub hoc verborum complexu. Nam si prisci oratores ab Ioue Opt. Max. bene orsi sunt: si excellentissimi vates à numine aliquo principia traxerunt, mea paruitas ad fauorem tuum eò iustius decurrerit, quod cætera diuinitas opinione colligitur, tua præsenti fide, paterno, auitoq; sideri par videtur: quorum eximio fulgore multum cærimonijs nostris inclytæ claritatis accessit: deos enim reliquos accepimus, Cæsares dedimus. HIC ILLVM VIDI IVVENEM) Posteaquam multa, rustica quadam loquacitate prænarrauit, nunc tandem ad illam Melibœi interrogationem respondet, *sed tamen ille deus qui sit, da Tityre nobis.* Iuuenem se vidisse ait, ea enim ætas fuit Octauiani cum rerum potitus est, anni vndeviginti, aut viginti summùm. Certè cũ Antonio ad vrbem aduentanti suo sumptu conductis copijs se obiecit, adolescens erat, vel puer potius, vt ait Cicero Philipp. 4. Iacob. Pont. BIS SENOS. d. a. f) Cui quot mensibus rem diuinam facio, vt magnis dijs, Iunoni, & Ioui Respub. & optimates solent: non enim semel, vt alijs dijs quotannis. Sic Turneb. lib. 1. cap. 26. copiosius aliquanto idem lib. 3 cap. 14. In magna, inquit, religione, velut numinis potentissimi, & præsentissimi dictum est. Nam menstrua sacra dijs maximis celebrari solebant: atque eæ erant feriæ religiosissimæ, cum solennibus, & anniuersarijs non satis esse putarent defungi sacris: sed memoriam cultus quot Kalendis, aut Idibus renouandam putarent. Ea sacra Græci vocant ἔμμηνα. Sophocles Electra.

Ταύτῃ χοροὺς ἵστησι, καὶ μηλοσφαγεῖ
Θεοῖσιν ἔμμην' ἱερὰ τοῖς σωτηρίοις.

RESPONSVM PRIM. DEDIT) Innuit Augusti ἀποθέωσιν, tanquam ex adyto, & oraculo respondentis. Sic Arist. lib. 7. de animal ἀνεῖλεν ὁ θεὸς μαντευομένοις, respondit deus consulentibus oraculum: vt apud Xenophontem, τὰς ὑφηγέσεις τοῖς μαντευομένοις. German. * *Quæ de phrasi, sic lib. 6. Æneid.* Atque hîc responsum paucis ita reddidit heros. *Lucret. lib. 1.* Ex adyto tanquam cordis responsa dedere. *Quoniam igitur oracula dare responsa dicuntur, meritò Augustum dedisse responsum dixit, quem deum fecit.* PASCITE BOVES PVERI) Tres notiones sunt vocis *puer*: seruitutis, sexus, ætatis. Serui, etiam græcè, & hebraicè vocantur pueri. Et dicitur puer, qui non est puella. Ipsas tamen puellas antiqui etiam pueras, vt cõtra, pueros minutos nominabant puellos: & pueri cum dicimus, etiam puellas intelligimus sæpe, vtrumq; sexum videlicet. Denique puer, qui est adhuc recenti ac tenera ætate, infra pubertatem, nondum adolescens, septennis, octennis, decennis. Cicero consueuit nomen puerorum dare etiam tabellarijs, siue quod serui essent: siue quod in eo munere puerorum quoque opera vterentur. Ad Att. lib. 4. Dixit enim mihi, te esse in Italia, seseq; ad te pueros mittere, quos sine meis litteris ire nolit. Et lib. 5. Nam quas Lemni pueris scribis esse datas, non acceperam. Inest præterea blandimentum in hac voce, & blandiendi caussa nonnunquam adhibetur: quomodo crediderim hîc vsurpatam in persona Augusti, in Virgilium beneuolentissimi. Sic Mopsus Menalcam appellat puerum Eclog. 5. *Sed tu desine plura puer: successimus antro.* Sic item apud D. Ioan. cap. 21. Saluator rediuiuus Apostolis piscantibus, blandissimè. Παιδία, μή τι προσφάγιον ἔχετε; Puetuli, nunquid pulmentarium habetis? Nec mirum sanè, quando postremo & filium significat: tametsi malim, ad puerilis ætatis iucunditatem, & blandicias eo respici. Cum igitur tres notiones initiò proposuerim, si lubet, sex me attulisse pronuntia. Iacob. Pont. SVBMITTITE TAVROS) Dictum volunt quidam, submittite tauros, per episinalœphen, pro supermittere: nec enim saliendis vaccis tauri propriè submittuntur, sed supermittuntur. Aliter tamen explicari verbum istuc potest: nempe substituere, quo significatu id accipit Iustinian. lib. 2. de rerum diuisione, sed si gregis, inquit, vsum fructum quis habeat, in locum demortuorũ capitum ex fœtu fructuarius submittere debet, vt & Iuliano visum est, & in vinearum (vitium fortasse) demortuarum, vel arborum locum alias debet substituere. Vide 3. Georg. super illo, *Tu modo quos in spem statuis submittere gentis.* Lucretio submittit, aut summittit est, effert, producit, profert, fundit lib. 1. *tibi suaues dædala tellus Submittit flores.* Et iterum. *Lætificos nequeat tellus submittere fœtus.*

M. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt:
Et tibi magna satis, quamuis lapis omnia nudus,
Limosoq; palus obducat pascua iunco:
Non insueta graues tentabunt pabula fœtas.

M. Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate ſenex, hîc inter flumina nota,
Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ ſemper vicino ab limite ſepes
Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti,
Sæpe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.
Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab vlmo.

FORTVNATE SENEX) Quomodo fortunatum ſenem enunciat poëta Tityrum, quem etiamnum amoribus indulgere ſuperioribus verſibus cecinit? Soluitur. Forſitan *ὁμογῆρία* intelligi vult, qui nec dum, vt emeritus, amatoria militia excludi poſſet. German. * *Seruius docet non ad præſentem, ſed futuram ætatem Virgilij referendum: vt hoc dicat: qui es futurus olim fortunatus, iam ſenex ſcilicet: & præſago, inquit, vſus eſt verbo. Malè Seruius: quomodo enim beatus futurus, qui iam eſt beatus? at iuuenis erat tum Virgilius. Erat: ſed poeta licuit eum ſenem fingere.*

Confutat Seruium Modicius cap. 7. Virgilij perſonam ſuſtinet Tityrus, quem ſenem introducit, quod illa ſatis declarant (libertas ſera, candidior barba, libertas, quæ longo poſt tempore venit) Virgilius cum ſuos agros recuperauit, erat natus annos quadraginta, & Cæſare Octauiano annis ſeptem maior. Cum illum appellaret iuuenem, putauit ſe commodius, & aptius facturum eſſe, ſi Tityrum ſenem cum cano mento fingeret. Si Virgilio ſic placuit facere, quid opus eſt eius verba ad ineptum ſenſum detorquere? Fuit Tityrus hanc ob cauſam fortunatus, quod ſolus ex paſtoribus Mantuanis agros ſuos recuperauit, cum cæteri omnes domo pulſi, patriæ finibus excedere cogerentur. Cauſſa & effectus cum ſint ſimul naturà, vt dialectici docent, non poſſunt tempore ſeiungi. Eſt igitur ineptiſſimum dicere, Tityrum fortunatum fore, cum ad canos, & ad annũ quinquageſimum peruenerit: qui annos circiter triginta natus, agros ſuos recepit, quibus per ſummum otium fruebatur. QVAMVIS LAP. OM. NVDVS) Apparet ex hoc loco, Maroni eam duntaxat partem agri fuiſſe recuperatam, quæ quod ſterilior eſſet, aſſignari non potuerit. Nec enim campus frumentarius eſſe poterat, cum eſſet lapis nudus: nec paſcua, aut prata commoda erant, cum omnia obducta eſſent & limo, & iunco. Quæ autem huius generis erant, ſubſeciuis annumerabantur, nec militi aſſignabantur. Turneb. lib. 1. cap. 26. * *Propriè vſus eſt verbo aſſignare. Turneb. Sæpius enim id de agris videas vſurpari, cum ij aut militi, aut emptori, aut alijs denique mandatu principum, magiſtratuum, dominorum diſtribuuntur, traduntur, adiudicantur. Cic. 2. Philipp. duo millia iugerũ campi Leontini Sexto, Clodio Prætori aſſignaſti. Et ad Att. Ep. 19. lib. 3. Mihiq́ ex agro tuo tantum aſſignes, quantum corpore meo occupari poteſt. Horat. epiſt. 1. lib. 2.* agros aſſignant, oppida condunt, *Linius. agrum eis aſſignaret.* GRAVES FOETAS) Sic & 1. Æneid. *Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.* Vnde & apud Lucret. ingraueſco, pro, in vtero geſtare incipio. Et Georg. 2. *fœtu nemus omne graueſcit.* Et Æneid. 6. *Armatum peditem grauis attulit aluo*, de equo durateo, quem *ἔγκυον* paſſim vocant Græci. German. Fœtum onere (partus ſcilicet) leuatum. Virgil. 8. Æneid. *Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro Procubuiſſe lupã.* Georg. 3. *Nec tibi fœtæ More patrum niueæ implebunt mulctralia vaccæ.* Nonius. *Hic malim fœtas exponere fœcundas, quæ ſolent edere fœtus.* NEC MALA VICINI PECORIS) Hoc verſu, ſicut illo quoque in Ecloga 9. *Mantua væ, miſeræ nimium vicina Cremonæ*, alluſit ad prouerbium Maro, Aliquid mali propter vicinum malum. [*Hunc verſum poetæ noſtri, Germanorum natio, vt oſtendat cauendum à malo vicino, & declinanda contagia, per parœmiam ſic effert*, Ein reudig Schaaf macht vil reudig.] Scitum eſt illud Themiſtoclis apud Plutarchum, qui cum prædium quoddam venderet, hoc quoque præconem addere iuſſit, *ὅτι καὶ ἀγαθοὺς ἔχει γείτονας*, quod vicinos etiam haberet bonos: quaſi vicini commendatione futurum eſſet multò vendibilius. Chiliades. Mala contagio, vt mala peſtis, mala crux. Ita & virus malum Georg. 1. & *πόλεμος κακός* Heſiodo, & venenum malum, & dolus malus. Etiamſi iureconſulti de his aliter diſputent. Sed quæ fugienda homini & valde detrimentoſa ac nocentia eſſe Latini ſentirent, ea adiectione mali infamarunt. * *Inter alias laudes fortunatarum inſularum, quas accumulat Ode 16. Epod. Horat. eſt etiam hæc*, Nulla nocent pecori contagia. *Vbi admonet Lamb. vſitatius eſſe nomen contagionis: & eo ſemper vti M. Tullium. Vteretur, credo, etiam Virgilius, & alij, niſi quod illis maior libertas conceditur: & præterea pluralis* contagia *ſingulari* contagio *eſt aliquanto lepidior ad carmẽ.* INTER FLVMINA NOTA) Flumina nota, accipe Padum, & Mincium. De hoc 3. Georg. *Tardis vbi flexibus errat Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.* ET FON. SACROS FRIG. C. OPACVM) Fontes ſacri, propter nymphas Fontanas: multa enim nympharum genera, de quibus conſulendi mythographi. Opacum frigus, intellige frigus in vmbra, ſeu vmbram frigidulam, quæ magnæ eſt, in meridiano præſertim æſtu, & paſtoribus, & pecudibus, & viatoribus leuationi, ac voluptati. Quod vel ex illo cantatiſſimo certamine de vmbra aſini poſſis æſtimare. Iacob. Pont. HINC TIBI, QVÆ SEMPER) Commemorat Melibœus aurium oblectamenta, quibus, manente ſibi ruſculo ſuo, fruiturus ſit Tityrus ſecuriſſimè. Aque apum quidem, vt & fontium ſuſurri, etiam ſomnum conciliant, quo nihil eſt, membris præſertim laſſis, vel ſalubrius, vel ſuauius. Cantus frondatoris, & palumbium gemitus idem poſſunt efficere, etſi non tam blandè, atque ſuauiter. Verùm bombis ſuis Tityro dulcem ſoporem apiculæ, ſalignos flores de vicina ſepe depaſcentes: putator arbuſtorum, & palumbes ſuis vocibus eius mentem hilarem & ludibundam facient. Ordo verborum hic eſt. Hinc ſepes in vicino limite, quæ ſemper eſt depaſta florem ſalicti (id eſt, vbi perpetuo apiculæ depaſcunt ſalicta) apibus hyblæis (epitheton à loco, vbi magna apum & mellis copia: eſt autem Hybla mons Siciliæ) ſæpe leui ſuſurro ſuadebit tibi inire ſomnum. Et recenſet nonnulla his, & ſuperioribus verſibus vitæ ruſticæ commoda: plura autem multo, & maiora lib. Georg. 2. ob quæ beatos ibidem affirmat agricolas. Iacob. Pont. SOMNVM SVADEBIT INIRE SVSVRRO) Horat. Ode. 2. Epod. *Fonteſq́ lymphis obſtrepunt manantibus,*

Somnos quod inuitet leues.

Auſon.

Auſon. epiſt. 25. *Somniferumq́ canit ſepes depaſta ſuſurrum.* A Quæramus quibus locutionibus quietem nocturnam, ſiue dormitionem preterea Virgilius κατὰ περίφρασιν expreſſerit. Somnos molles carpere, ducere, petere, in ſomnos ſolui, toto ꝑflare pectore ſomnum, ſomnus condit natantia lumina, oculos vrget ſomnus, ſopor occupat, complectitur, irrigat artus, ſopor N. altus habebat, carpebat ſoporem.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & diuûm dono gratiſſima ſerpit.

Quies laxauerat artus, preſſitq; iacentem dulcis & alta quies. Lucret.

Denique cum ſuaui deuinxit membra ſopore
Somnus, & in ſumma corpus iacet omne quiete.

Idem.

Nunc quibus ille modis ſomnus per membra quietem
Irriget, atque animi curas è pectore ſoluat.
Scilicet & feſſum corpus mandare quieti.

Cæterorum exempla prætermittam: facile patebunt ſtudioſis. Idem Pont. FRONDATOR) Frondatorem Turneb. ad arbuſtorum frondes refert, lib. 1. cap. 26. quarum vmbris incrementa vitium, vuarumq; maturitas impeditur. Catull. de nupt. *Non falx attenuat frondatorum arboris vmbram.* RAVCÆ PALVMBES) Fingitur huius Eclogæ argumentum æſtiuo tempore, vnde ad captandum frigus, æſtumq; defendendum Tityrus ſub patulæ fagi tegmine recubat. Idem tempus hic indicatur palumbium gemitu. Plin. lib. 10. cap. 25. de palumbibus. Cantus omnibus ſimilis atq; idem. Trino C conficitur verſu, præterq; in clauſula gemitu, hyeme mutis, vere vocalibus. Idem lib. 18. cap. 28. Palumbium vtiq; exaudi gemitus: tranſiſſe ſolſtitium caueto putes, niſi cum incubantem videris palumbem. Turneb. lib. 1. cap. 26.

De incredibili ſtorge huius auis erga pullos ſuos, extat emblema Alciati 193. ex græco Antipatri, quo ille ferreas quaſdam, & beſtijs etiam immaniores matres, quæ fœtus ſuos aut interimunt, aut negligentia perire ſinunt, inſectatur.

Ante diem vernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat, præcoqua & oua fouet.
Molliùs vt pulli iaceant, ſibi vellicat alas,
Queis nuda, hyberno deficit ipſa gelu.
Ecquid Colchi pudet, vel te Progne improba, mortem
Cum volucris propriæ prolis amore ſubit?

Columbæ, inquit Agrætius Grammat. quæ manſuetæ fieri poſſunt, & domibus aſueſcere. Palumbes feræ: arboribuſq;, & ſyluis, & ſaxis inhęrentes. Palumbes aiunt quidam dictas, quod parcant lumbis, quia ſunt parciſſimæ Veneris: cū cōtra columbæ ſint ſalaciſſimæ: quare etiam dictæ ſint, quod colant lumbos, in quibus ſcilicet ſedes eſt libidinis, & per quos libido ſignificatur. Addunt etiam hoc, frequentem eſum harum auium B reddere hominem frigidum in Venerem. Iacob. Pont. NEC GEM. AERIA CESS. TVRTVR) Dignum conſideratione, cur aeriam dixerienam ſyllabæ menſus pentemimeri defenditur. Aeriam dici coniecto, quoniam, vt ſcribit Origenes Homil. 2. in Cant. turtur ſemper in iugis montium, & arborum verticibus commoratur: vnde, inquit, turturum appellatione ſanctus intelligitur ſpiritus, vbi de magnis, & occultioribus myſterijs agitur, quæ capere haud poſſunt multi. Rhodigin. antiq. lect. lib. 26. cap. 5. * *Quo pacto continentiſſimæ viduitatis, & pudicitiæ hieroglyphicum ſit hæc auis, ſeu mas, ſeu fœmina, conſule Pierium lib. 22. D. Baſilius viduas quæ ſe non continent, earum comparatione reprehendit, vocatq́ indecorum iterato connubij.*

Coniungit etiam Seruius epitheton, *aeria*, cum voce turtur, ne quis eſſe caſum auferendi, & cum vlmo coniungendam potius, interpretandumq; alta, excelſa, ſublimi arbitretur. Hoc enim eſt quando valet aerius. Martialis lib. 12. *Daphnonas, platanos, ac aerios cypariſſos.* Lucret. lib. 1. *Aeria primùm volucres te, Diua, tuumq́ Significant initum.* Exponi poteſt, per aera ſublimè volitantes. Iam qua notione hîc turturem, eadem Ecloga 3. palumbes aerias, aeriuagas ſcilicet, nominat. *namque notaui Ipſe locum, aeria quo congeſſere palumbes.* Iacob. Pont.

T. ANTE LEVES ERGO PASCENTVR IN ÆTHERE CERVI,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim:
Quam noſtro illius labatur pectore vultus.

Quoad vixerit, ſe Auguſtum, vt de ſe quam optimè me- D ritum, grata memoria proſecuturum, & ante oculos nunquam non habiturum, congeſtis aliquod ἐκ τῶν ἀδυνάτων pollicetur: quæ omnia ſpeciem adagiorum habent, quæq́; nos ſimilibus agedum cumulemus, & ante omnia imitationem Nemeſiani ex ecloga 1. proponamus.

Namque prius ſiccis phocæ naſcentur in aruis:
Veſtitusq́ freto viuet leo: dulcia mella
Sudabunt taxi: confuſis legibus anni
Meſſem triſtis hyems, æſtas tractabit oliuas:
Ante dabit flores autumnus: ver dabit vuas:
Quam taceat, Melibœe, tuas mea fiſtula laudes.

Propert. lib. 2. eleg. 15.

Fulminaq́ ad caput incipient reuocare liquores,
Aridus & ſicco gurgite piſcis erit.
Terra prius falſo partu deludet arantes,
Et citius nigros ſol agitabit equos.

Ouid. 13. Metam.

Ante retro Simois fluet, & ſine frondibus Ide
Stabit: & auxilium promittet Achaia Troiæ.

Valerius Cato Diris, quod opuſculum falsò Maroni adſcribitur, vt alia.

Ante lupos rapient hœdi, vituli ante leones,
Delphini fugient piſces, aquilæ ante columbas,
Et conuerſa retro rerum diſcordia gliſcet.

Ibidem.

Dulcia amara prius fient, & mollia dura:
Candida nigra oculi cernent, & dextera læua:
Migrabunt caſus aliena in corpore rerum:
Quam tua de noſtris emigret cura medullis.

Plura huiuſmodi, quæ vocant ab impoſſibili, colligit in Collat. ſuis Vrſinus. Iacob. Pont. LEVES CERVI) Innuit, credo, τὸ ἔτυμον. nam ἐλάφους quaſi ἐλαφροὺς dictos E exiſtimant. AMBORVM) Apparet hic eſſe, quod Græci ἀλλήλων dicunt: vt pererraret Germanus Parthorum, Parthos Germanorum fines. GERMANIA TIGRIM) De Tigri Curtius lib. 4. Nec ſanè alius ad orientis plagam tam violentus inuehitur: multorum torrentium non aquas ſolùm, ſed etiam ſaxa ſecum trahens. Itaque à cele-

à celeritate qua defluit, Tigris nomen est inditum, quia A Persica lingua Tigrim sagittam appellat.

Diodorus lib. 2. cap. 4. Post Nilum enim, & Gangem flumina totius Asiæ nobilissima Euphrates, ac Tigris ex Armeniæ montibus fontes habent. Distant autem ab inuicem stadijs mille & quingentis: delatiq; per Mediam & Paratacenos, descendunt in Mesopotamiam: quam vndique circumdantes, regioni nomen indiderunt. Vide præterea Strabonem lib. 10. super hoc flumine.

Seneca in Medea, vt indicaret per nauigationem omnes regiones patere iam omnibus, simili genere sermonis vsus est.

Nil qua fuerat sede reliquit
Peruius orbis. Indus gelidum
Potat Araxem: Albim Persæ,
Rhenumq́ bibunt, &c.

LABATVR PECTORE VVLTVS) In 4. Aeneid. dixit pari elegantia, *hærent infixi pectore vultus.* Contra Terent. Eunucho. *O faciem pulchram: deleo omnes dehinc ex animo mulieres.* Et noster de Pseudascanio 1. Aeneid. *Paulatim abolere Sichæum incipit,* ex animo & memoria Didonis videlicet. Tibull. lib. 3. eleg. 1.

Illa mihi referat, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.

Iacob. Pont.

M. AT NOS HINC ALII SITIENTES IBIMVS AFROS,
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto diuisos orbe Britannos.
En vnquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis & tugurî congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?
Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has segetes? EN QVO DISCORDIA CIVES
PERDVXIT MISEROS: EN QVEIS CONSEVIMVS AGROS.
Insere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites:
Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ.
Non ego vos posthac viridi proiectus in antro
Dumosa pendere procul de rupe videbo.
Carmina nulla canam, non me pascente, capellæ
Florentem cytisum, & salices carpetis amaras.

SITIENTES IB. AFROS) Hoc versiculo vrbanè prouerbij loco vtetur, qui bono quopiam, quod sibi cum alio, aliisue commune futurum sperauerat, exclusus, aut pro eo etiam malum aliquod adeptus est. Item qui longinquam peregrinationem sunt inituri, prouerbiali schemate poterunt dicere, *Sitientes ibimus Afros,* vt Germani, abire vsque in Turciam. Afros pro Africa Virgil. posuit, contentum pro continente. Quare sitientes? quia propter cælũ æstuosum siticulosa. Pomponius Mela de situ orbis lib. 1. cap. 4. Quantum incolitur Africa, eximiè fertilis. Verùm quòd pleraque eius inculta, aut arenis sterilibus obducta, aut ob situm coeli, terrarumque deserta sunt, aut infestantur multo, ac malefico genere animalium, vasta est magis, quàm frequẽs. Iacob. Pont. CRETÆ OAXEM) Oaxes flumen est Cretæ, non Mesopotamiæ, neque Scythiæ. Fatetur Vibius Sequester. Fuit etiam in ea insula ὄαξις, non Oaxia oppidum, auctore Stephano, & Herodoto in Melpomene, ἐν τῆς κρήτης ὄαξις πόλις, à fluuio, credo, dictum. Quare Apollonius 1. Argonaut. Cretam insulam tellurem Oaxida vocauit, his verbis.

Δάκτυλοι Ἰδαῖοι κρηταιέες, οὕς ποτε νύμφη
Ἀγχιάλη δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσι
Δραξαμένη γαίης οἰαξίδος ἐβλάστησε.

Neque verò non conuenit rationi, vt qui dispersum iri populares suos in toto orbe velit ostendere, de insula quoque in medio, velut in mediterraneo mari sita, tum autem & de altera tota penitus orbe diuisa meminerit. Politian. Miscell. cap. 57. Brodæus Miscell. lib. 1. capite 59. TOTO DIVISOS ORBE BRITANNOS) Quod Græcis ἤπειρος, interdum Latinis est orbis, nem-
B pe terra continens, seu terræ pars, quæ ab alia parte mari non separatur. Sic Poëtæ peregrinum orbem vocant remotam aliquam regionem. Vltimos vocet Britannos Catullus: & vltimã Britanniam. Et Horat. Ode 35. lib. 1. *Serues iturum Cæsarem in vltimos orbis Britannos.* Vide adagium, In alio mundo. Britanniam descripsit Strabo lib. 4. Iacob. Pont.

Allusit huc Claudian. Panegyr. *Vincendos alio quæsiuit in orbe Britannos.* Verba Solini sunt, cap. 25. Finis erat orbis ora Gallici littoris, nisi Britannia insula non qualibet amplitudine nomẽ pæne orbis alterius mereretur. In quem locum Ioannes Camers. Olim (vt cap. 16. lib. 4. refert Plinius) omnes insulæ, quæ iuxta eam insulam,
C quam nunc Britanniam dicimus, sitæ sunt, Britanniæ vocabantur. Ea verò, quæ Britannia dicitur, Albion antea vocabatur, à quibusdam albis mõtibus, qui primùm illuc nauigantibus procul apparent. Eius insulæ veteres incolæ Britones fuerunt, à quibus Britannia dicta est. Auctor Beda, cap. 1. lib. 1. Histor. gentis Anglorum. Ea insula postea Anglia dicta est, ab Angla Regina, qua duce Saxones eam insulam subegisse feruntur. Ante Iulium Cæsarem constat Britanniam fuisse Romanis omnino incognitam. Ob eam rem ora Gallici littoris, orbis finis credita est. Et alioqui plurimùm distans, & incognitum nobis, orbem alterum nominare consueuimus.

D Diodorus lib. 5. cap. 8. In Oceano Galliæ, montibus Hercinijs totius Europæ maximis oppositæ sunt insulæ multæ, quarum maxima est Britannia, priscis temporibus nullius aduenæ imperium experta. Neque enim Bacchum, neque Herculem, neque heroa, aut ducem

quempiam accepimus eos bello tentasse. Nam C. Cæsar, qui propter res gestas deus est appellatus, primus omnium Britannis subactis, etiam eos dare tributum coegit. Est hæc insula triangulari forma, Siciliæ similis, &c. EN VNQVAM PAT. LONGO. p. t. f) Valet, vnquamne? estque archaismus. Turneb. lib. 1. cap. 26. * *Vnquamne, seu ecquando valet. Sic Eclog. 8.* En erit vnquam illi dies, mihi quum liceat tua dicere facta. *Plaut. Trinum.* O pater, en vnquam aspiciam te? *De patriæ amore & desiderio locuti sumus suprà.* Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua, *& alibi.* PAVPERIS ET TVGVRI) Tugurium casula est, quam faciunt sibi custodes vinearum ad tegimen sui, quasi tegurium, siue propter ardorem solis, & radios declinandos, siue vt inde homines vel bestiolas, quæ insidiari solent natis frugibus, abigant. Isidor. lib. 15. cap. 12. Hic pro casa pastoritia, *ein armes Hirtenheüßle.* CONGESTVM CESPITE CVLMEN) Quamuis hæc structura conueniat rusticæ personæ, tamen videtur poëta respicere prisca, & temperata sæcula, quando per leges impunè non erat ijs, qui sumptuosius ædificassent, & ex alia materia, quàm cespite crudo. Vnde Horat. lib. 2. Ode 15.

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumptu iubentes, & deorum
Templa nouo decorare saxo.

Quod autem hìc vocat congestum cespite culmen, poeta epigrammat. καλύβην σχοινῖτιδα. Non piguit etiam Iureconsultum tit. de verb. signif. his verbis tugurium definire. Tugurij appellatione omne ædificium, quod rusticæ rei magis custodiendæ conuenit, quàm quod vrbanis ædibus, significatur. Offilius autem tugurium à tecto, tanquam tegularium, esse dictum, vt toga, quòd ea tegamur. German. * *In ea verba scribit hæc ibidem Alciat. Videtur Iureconsultus tugurium accipere pro quacunque domo rustica: quod ita simpliciter verum non est: quæ enim parietibus, & tegulis lateritijs constat, tugurium non est. Igitur de gurgustiolo intelligendum, quòd vel arundine, vel vlua palustri, stramentitione, vel etiam, vt Virgilius scribit, cespite contectum sit, cuius parietes viminei, luto vel huiusmodi materia crustati sunt. Videturq́; prius dictum esse tegurium à tegulo, quasi tegularium, non autem à tecto, vt vulgati hic habent codices. Plin. Tegulo aquaticarum arundinum domos suas septentrionales populi operiunt. Hunc in modum domunculas suas habebant Afri, quas Virgilius mapalia, Iuuenal. attegias dicit.* MEA REGNA) Vt Cic. lib. 1. de Orat. Nisi in regno tuo essemus. Suas enim possessiones, suos fundos homines lepidi iocantes, regna sua vocare solent, quod imitatus est. Turneb. lib. 1. cap. 26. Sic & 3. Georg. *Desertaq́; regna pastorum.*

Erythræus in Indice super his verbis, *mea regna*, ita disseruit. Huius tam elegantis dicti splendorem Seruius (pace eius dixerim) non modò lecturis non aperit: sed triuiali etiam quadam interpretatione obscurat, atque contaminat, cùm ait: *mea regna*, id est, vbi dominatus sum. Nam dominari verbum plenum inuidia est, & quod pertinet ad insolentem potiùs, quàm ad fugientis, & pauperis rustici fortunas miseras, & afflictas. Melibœus ergo ex affectu, quo plerunque agricolæ sibi regum fortunas superare videntur, cùm illis proprio agello frui licet, procul negotijs, proculque discordibus armis, sua regna vocat pauperis tugurij culmen, agellumq́; suum: quæ sibi satis magna, quibusque se fortunatum putabat, cùm ea retineret. Sicut de Tityro sua tutò possessuro ait, *Fortunate senex*, &c. Atque ita commiserationem auget, quòd illi relinquenda sit patria, quòd in ea rusculum, quo se beatum satis putaret. Ad hunc locum alludit Quintilianus, qui in declamatione pauperis, agentis contra diuitem de apibus veneno interfectis, sic inquit. Hoc mihi paruulum terræ, &

A humilis tugurij rusticum culmen, æquitas animi regna fecerat, satisque diuitiarum erat, nihil amplius velle. [*Alludit etiam, vt credo, Ausonius Idyll. 1. in villulam suam.*

Salue hærediolum, maiorum regna meorum,
Quod proauus, quod auus, quod pater excoluit.]

Huc pertinet poetæ illud, *O fortunatos nimium, bona si sua norint Agricolas*, &c. Et item illud Horatij, *Beatus ille qui procul negotijs*, &c. quæq́; Cicero in Catone in laudem rei rusticæ persequitur.

Paræmigraphus in prouerbio, In tuo regno, Quod cuiusque priuatum est, regnum eius dicitur. Inde & Melibœus Virgilianus. *Post aliquot*, &c. Scæuola apud Cicer. in 1. de Orat. Id, nisi in tuo regno essemus, non tulissem. Id est, in tua villa. Nam Crasso loquitur, in Tu-B sculano eius. Quin etiam vulgò iactatur adagium, Suæ quemque domus regem esse: quod tamen ab ipsa vsque antiquitate manasse videtur. Quandoquidem apud Homerum Odyss. α. versiculus hic extat.

Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.
Aedibus in nostris ego regem gessero sanè.

POST ALIQVOT ARISTAS) In segetibus, quod culmus extulit, dicitur spica: ea tria continet, granum, glumam, id est grani thecam, siue folliculum, siue tuniculam, aristam, apicem grani, & veluti acum tenuem. Arista dicta, quòd arescat prima. Varro de re rust. lib. 1. cap. 48. Cur autem natura grano aristam addiderit, in-C dicat Cicero in Catone. Viriditas herbescens, cùm è vaginis emerserit, fundit frugem spicæ, ordine structam, & contra auium minorum morsum munitur vallo aristarum. Iam verò per aristas, messes: per messes, æstatem: per æstatem, annos intelligimus. Cùm autem poetæ annos variè soleant numerare, tum frequentissimè per æstatem & hyemem solent; ipsam verò æstatem per messem significant. Catullus.

Smyrna mei Cinnæ nonam post denique messem,
Quam cœpta est, nonamq́; edita post hyemem.

Horat. Ode 15. lib. 1.

Post certas hyemes vret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

D Seneca Oedipo. *Decima iam metitur seges.* Idem Thebaide, *Bruma ter posuit niues.* Maro 1. Æneid. *Nam te iam septima portat Omnibus errantem terris & fluctibus æstas.* Plura exempla sunt obuia. Iacob. Pont. IMPIVS HÆC TAM CVLT. NOV. MIL.) Σχετλιασμὸς, siue indignatio, è iusto iniustæ calamitatis dolore erumpens. Itane? tam pinguia culta, tam fertiles agros, tam improbum genus hominum (quid enim magis impium milite?) proprios ac peculiares possidebit? Hic ipsa meridiana luce clarius est, nouales à segetibus separari. Nā segetes, terræ satæ sunt: nouales, terræ quæ cessant, vt nouentur postea, & arentur, vt 1. Georg. *Alternis idem tonsas cessare nouales.* Itaque in nouali pecus E habebatur, & delectabatur, quod herbosum sua sponte, cùm inaratum solum est, reddatur. Columella lib. 6. cap. 1. Cùm ille quàm maximè subacto, alter nouali gaudeat solo. Turneb. lib. 18. cap. 12. * *Ad eundem modum in Diris Valerius Cato, ob amissum agrum, & militibus donatum lamentatur.*

Exul ego, indemnatus, egens mea rura reliqui,
Miles vt accipiat funesti præmia belli.

Milites dicuntur, auctore Varrone lib. 4. quod trium millium primò legio fiebat, ac singulæ tribus, Tatiensium, Ramnensium, Lucerum millia singula militum mittebant. EN QVO DISCORDIA CIVES PERDVX.) Ciues intellige Cremonenses, qui non Octauij, quemadmodum Mantuani, sed Cassij, & Bruti partes secuti sunt. Quare ob eodem Octauio non iniuria suis agris multati. Propter quos tamen Mantuani vicini

vicini etiã ipsi suos quidam amiserunt, quorum personã A gerit Melibœus. Certum porrò, ciuitatibus seditione discordiaq; ciuium inter se nihil esse calamitosius, atq; pestiferũ magis. Cato quidem ciuitatis venenum appellabat. Et verissimè Salustius, cõcordia res paruas crescere: discordia etiam maximas dilabi. Et nostræ, hoc est, Christianæ Reipub. ciues, en quo discordia miseros perduxit. Prô quàm procul à veritate in quàm multa, in quàm portentosa exitiabilium opinionum commenta discessum est. Deus auerruncet, ne quemadmodum factum videmus alijs, ita aliquando contingat nobis: defectionumq; , ac discordiarum nostrarum graues ac iustas pœnas expendamus, cùm impius miles cultissima noualia nostra, vberrimasque, & lætissimas segetes B habebit, & quæ eius libidini, ac tyrannidi collibuerint, faciet nobis omnia. Cum illas Hieremiæ voces tristissimas dabitur iterare, *Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus nostra ad extraneos. Serui dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster.* Nec ego primus tam malè ominor: ominati sunt, & ominantur multi: nec pretium aliud à deo, de quibus dicebam, discordiæ, & teterrima hominum scelerá exposcunt. Graphicè Discordiæ imaginem expressit Petronius Arbiter, carmine de mutatione Reipub.

Infremuere tubæ, ac scisso discordia crine
Extulit ad superos stygium caput: huius in ore
Concretus sanguis, contusaq; lumina flebant.
Stabant irati scabra rubigine dentes:
Tabo lingua fluens: obsessa draconibus ora:
Atque inter toto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra

Iac. Pont. EN QVEIS CONSEVIMVS AGROS) Iactari potest in eos, qui commodis alieno labore quæsitis fruuntur: qui cùm non seuerint, tamen metunt. In tyrannos præcipuè, qui per fas & nefas subiectos expilãt, & ad mendicitatem redigunt miseros. Iacob. Pont. INSERE NVNC Melibœe pyros) Eclog. 9. *Insere Daphni pyros.* Perijsse sibi labores suos in cultura rusculi sui susceptos, semetipsum irridens, & desperationis plenus conqueritur D Iac. Pont. ITE MEÆ FÆLIX) Claudia. in Rufinũ, *Ite mei quondam socij.* VIRIDI PROIECTVS IN ANTRO) Pastor iste non ita in antro cubat, tanquam in temporario diuerticulo: sed veluti in legitimo domicilio. Nam veteres in speluncis ouilia sua constituebant, quod ex Polyphemi moribus patet. Nec suffragium leue est à Græca lingua, qua μάνδρα nunc pro stabulo, nunc pro antro capitur. Atq; inde est, quod D. Basilius in Oratione de natali domini mandram appellat stabulum, in quo Christus natus est. Quamobrem summi pastores Archimandritæ etiamnum à Græcis appellantur. Fuisse autem hanc speluncam Tityro pro domo, vel illud argumento est, quod ibi suum penum habuerit, cum ita subiungit. E

Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem
Fronde super viridi. Sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis.

Nannius lib. 6. cap. 2. PENDERE PROCVL DE RVPE) Ita rupibus inhærent pascentes capellæ, vt infra eas intuentibus, videantur pendere. Imitati sunt Ouid. lib. de Ponto, eleg. 9.

Ipse ego pendentes, liceat modo, rupe capellas,
Ipse velim baculo pascere nixus oues.

Martial. lib. 13.

Pendentem summa capream de rupe videbis,
Casuram speres: decipit illa canes.

Capras in montosis potius locis, & in fruticibus, quàm in herbidis campis pascendas monet Varro lib. 2. de re rust. cap. 2 Idem cap. 3. Nec multò aliter tuendum hoc pecus in pastu, atque ouillum: quod tamen habet sua propria quædam, quod potius syluestribus saltibus delectatur, quàm pratis. Studiosè enim de agrestibus fructibus pascuntur: atque in locis cultis virgulta carpunt: itaq; à carpendo capræ nominatæ. Consentanea his Columella lib. 7. Id autem genus (caprinum pecus) dumeta potius, quam campestrem situm desiderat, asperisq; etiam locis, ac sylucstribus optimè pascitur. Nam nec rubos auersatur, nec vepribus offenditur, & arbusculis, fruticisq; maximè gaudet. FLORENTEM CYTISVM) Aristot. lib. 3. de animal. tradidit, cytisum pecori copiam lactis conciliare: florentem tamẽ noxium C esse, & inflammare. Vnde fit, vt suspicer, epitheton *florentem*, non temere tamen à poëta adiectum: sed quòd forsan capræ priuata naturæ proprietate flore cytisi non offendantur: aut quòd in Italia flos ille pecudibus minùs officiat. * *De cytiso differit non pauca lib. 5. cap. 12. Columell. Cytisum in agro esse quam plurimum maximè refert, quòd gallinis, apibus, capris, bobus quoque, & omni generi pecudum vtilissimum est, &c. Et lib. de Arboribus cap. 28.* SALICES AMARAS) Quòd salices amaras vocat, intellige hominibus, vt monet Seruius, non capris: nam illis dulces sunt. [*Quemadmodum & sal multis & ouibus, & quibusdam alijs animantibus cum pane prabitus, saccharum merum est: nobis secus.*] De capris Lucret. lib. 6. quod quidem huc commodè pertineat.

Barbigeras oleaster eò iuuat vsque capellas,
Diffluat ambrosia quasi verò, & nectare tinctus:
At nihil est homini fronde hac quod amarius extet.

Et lib. 4.

Præterea nobis veratrum est acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus auget.

German. * *Idem lib. 5. his planè par.*

Quippe videre licet, pinguescere sæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum.

Haud ineptè huc referatur, quod est apud Arnob. lib. 7. An non quotidie cernimus, & inter animantia terris orta, esse alijs eadem vel amara, vel dulcia: mortifera his esse, quæ illis nata in perniciem non sunt? vt quæ illa mulceant odoribus latis, eadem pestiferos halitus aliorum corporibus aspirent. Sed hoc vt fiat, & accidat, non in rebus est caussa, quæ simul esse mortifera, simul salutares, E simul dulces nequeunt, simulq; amara consistere. Sed, vt quisquis est factus ad extrinsecus rei venientis attactum, ita afficitur: qualitatem non accipit ex rerum impulsionibus natam, sed ex sui sensus, contagijq; natura.

T. Hîc tamen hanc mecum poteris requiescere noctem
Fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, & pressi copia lactis:
Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ.

Eandem sententiam in Cyclope Theocriti inuenias.

Ἅδιον ἐν τὤντρῳ παρ' ἐμὶν τὰν νύκτα διαξεῖς.
Ἐντὶ δάφναι τηνεί, ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι.

Vter poëta hîc præstantior censendus sit, non nostri est iudicij, nisi quòd hoc apertè licuerit dicere, quæ apud Theocritum parata sunt delicijs, ea à Virgilio consolationi

tioni adhiberi. Nescio quàm opportunè, cùm alienæ felicitatis ostentatio magis dolorem in calamitosis exacerbet, quàm mitiget. Nannius lib. 6. cap. 2. FRONDE SVPER VIRIDI) Quod ad virides frondes cubitum inuitat Melibœum Tityrus, fuerunt hæc strata primorum hominum, in syluis inter feras degentium, vt habet Lucret. lib. 5. cùm sæpe ex antris eos, apris ac leonibus superuenientibus fugisse dicit.

Atque intempesta cedebant nocte pauentes
Hospitibus sæuis instrata cubilia fronde.

Ouid. 1. Fast. de lectulo Romuli, Roma adhuc noua, paupere, & opum contemptore populo,

Dum casa Martigenam capiebat parua Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis vlua torum.

Paulum infrà de Romanis.

Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem,
Et fœnum capiti supposuisse fuit.

Nihil verò mirum, cùm, vt ibidem canit poëta, senator oues suas pasceret, & ab aratro veniens Prętor ius diceret. Iacob. Pont. MITIA POMA) Horat. Ode 2. Epod.

Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit.

Eadem translatione 1. Georgic. mites vuæ, mitis vindemia. Sunt igitur mitia poma, quando matura sunt: & mitescere est maturescere. Plin. lib. 15 cap. 13. Reliquorum prunorum velocitas citò mitescentium transuolat. Et Columell. lib. 15. cap. 1. Et mox gelicidijs ac pruinis, vt aliæ caloribus, mitescunt. Contrà, immitia poma, immitis vua pro acerba, & gustatu iniucunda, quales sunt immaturæ adhuc.

A pomis adhuc immitibus, deinde mitibus, seu maturis atque mollibus, suauem ad ingenia similitudinem petiuit apud Gell. Attius poëta, lib. 13. cap. 2. Cùm enim is Pacuuio Atreum tragœdiam suam legisset, illeque dixisset, sonora quidem esse quæ scripsisset, & grandia: sed videri ea tamen sibi duriora paulùm, & acerbiora: respondit Attius, Ita est, vt dicis. Neque id sanè me pœnitet: meliora enim spero, quæ deinceps scribam. Nam quod in pomis est, itidem esse aiunt in ingenijs: quæ dura, & acerba nascuntur, post fiunt mitia, & iucunda. Sed quæ gignuntur statim vieta, & mollia, atque in principio sunt viuida, non matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur visum est in ingenio, quod dies atque ætas mitificet.

Lamprid. scriptum reliquit, Alexand. Seuerum Imperator. vehementer pomis indulsisse, ita vt secundæ mensæ ei sæpius ponerentur. Vnde etiam iocus extitit: non secundam mensam Alexandrum habere, sed secundùm. De Pomona nympha, hortorum cultrice Ouid. Metamorph. lib. 14.

Rege sub hoc (sub Proca Albanorũ) Pomona fuit: qua (nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit solertiùs hortos:
Nec fuit arborei studiosior altera fœtus:
Vnde tenet nomen. Non syluas illa, nec amnes,
Rus amat, & ramos felicia poma ferentes, &c.

Ausonius de mensibus in Eclogar. *Autumnum Pomona tuum September opimat.* Iacob. Pont. CASTANEÆ MOLLES) Quæ sint apud Maronem castaneæ molles, inter Grammaticos quæritur, & certatur. Quorum sententia probatissima est, maturas explicant: nam immaturæ, & acerbæ, aliquanto duriores sunt, quæ eadem cum mitescunt, etiam molliuntur: nec enim hanc explicationem improbare aut velim, aut possim. Non ab re tamen fuerit, eorum certum genus intelligere, quod facere videmur posse, cum interpres Nicandri quoddam genus earum *μαλακὸν* appellet. Sic enim scribit, *τῶν δὲ καστάνων τὸ μὲν σαρδιανόν, τὸ δὲ λόπιμον, τὸ δὲ μαλακόν, τὸ δὲ γυμνολοπόν.* Turneb. lib. 5. cap. 12. * *Nuces vocamus & castaneas, inquit Plin. lib. 15. cap. 25. Subaudi, sicut iuglandes, dicimus enim nux iuglans, de qua agit capite præcedente. Recenset autem castanearum genera octo. Vergil. Ecloga sequenti.* Ipse ego cana legam tenera lanugine mala, Castaneasq. nuces. PRESSI COPIA LACTIS) Pressum lac interpretes pro caseo accipiunt: alij ad recens lac mulctum referunt, respicientes illud Eclog. 3. *Si lac præceperit æstus, Vt nuper, frustra pressabimus vbera palmis:* alij & *ἄχρωλον γάλα* Homeri, Odyss. 1. Sapere lac pressum, hoc est, *ἐν ᾧ* (vt interpretatur Eustathius) *οὐκ ἔνι τὸ τυρῶδες, καὶ τὸ ἐλαιῶδες, καὶ τὸ ὀρρῶδες.* Ego vulgarem interpretationem malim tueri, ex illo Georg. 3. *Quod surgente die mulsere, horisq; diurnis, Nocte premunt.* Similiter cadit cum hoc & versus eodem libro, *Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis.* Ouid. Metamorph. 8. *Lactis massa coacti.* German.

Turneb. ita lib. 5. cap. 12. Circumlocutione poëtica à Marone significatur caseus, qui & coagulo cogitur, & premitur: sed & ipsa interdum manu premitur, formatur, atque figuratur. Tranquill. Augusto. cap. 76. & caseum bubulum manu pressum. Columella lib. 7. cap. 8. Illa verò notissima est ratio casei faciendi, quem dicimus manu pressum. Premitur etiam eodem autore ibidem, ne sit fistulosus. Quod ei accidit, qui laxius, remissiusq; in formis suis habetur, nec satis cogitur. PROCVL VILLAR. CVL. FVMANT) Nemesian. concludit eclog. suam primam non adeo dispari sententia.

Sed iam sol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos suadens gregibus prebere liquores.

Non tantùm à commoditate diuersorij, in quo & molle stratum ad cubandum quiescendumque, & copia casei ad reficiendum corpus, verùm etiam ab ipso tempore, nimirum à vespera ipsa iam aduenienete, seu præsente potius, vt domum redire iam serum videatur, Melibœo Tityrus, vti apud se pernoctet, persuadere contendit. Vesperam autem adesse, & villaticorum culminum fumo, quòd tum cœna paratur, cum se agricolæ diurno fessi opere iam domum receperunt, & longioribus montium vmbris, quas sole occumbente projiciunt, duobus signis manifestis, quorum tamen posterius est necessarium, declarat. Iacob. Pont. VILLARVM CVLMINA) Primò non villa, sed vella dicebant, quo nimirum veherent, & vnde veherent rustici res suas. Ita etiã veham, non viam nominabant propter vecturas. Varro de re rust. lib. 1. cap. 2. Villarum alia est vrbana, alia rustica, alia fructuaria. Vide Columell. lib. 1. cap. 6. MAIORESQVE CAD. VMB.) Quod de maioribus vmbris in versu dicit poëta, eundem sensum habet illud Eclog. 3. *Et sol crescentes decedens duplicat vmbras,* vbi eodem consequenti vespertinum tempus indicatur, addito prætereà illo, *Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuuenci:* estq; vmbrarum obseruatio rusticis, & pastoribus pro horologio. Horat. item lib. 3. Ode 6. *Sol vbi montium Mutaret vmbras.* Iacob. Pont.

Ecloga

Ecloga secunda. Alexis.

SYNOPSIS.



Anc Eclogam, quoddam Cyclopis, & Comastæ Theocritæi simulacrũ, atq; imaginẽ, visum nonnullis Monodiam inscribendã, quod Alexide prorsus tacente, solus Corydon loquatur. Qui cum vrbanũ illum, nec deformem puerũ ipse homo pastor & agrestis haud frigidè amaret, animo autem, & voluntate à se abhorrentem, atque alienum experiretur, eum emollire, sibiq; adiungere blanditijs, & promissis studet. Nunc se de suis diuitijs, nunc de canendi scientia, nunc de forma quoq; magnificè iactat. Promissis verò etiam minas addit. Quia tamen se actum agere, & in ventum verba fundere intelligit, saniora capessere consilia, ab istaq; stolida amatione ad interruptum quotidiani operis laborem redire decernit: vt hac ratione mollissimis hisce cogitationibus, quas otium & desidia parere in mentibus consueuerunt, expediri queat. Exemplo sanè optimo. Hoc enim si faciant, qui se à cupidineis illis sagittis tutos integrosq; præstare cupiunt, sapientissimè faciant. Nomine Corydonis, sunt qui Virgilium ipsum, Alexidis autem Pollionis puerum, quem postea Virgilio donauerit Pollio, ἀλληγορικῶς significatum velint. In his Apuleius Apolog. 1. cuius verba recitabo. Quantò modestiùs tandem Mantuanus poëta, qui ibidem, vt ego, puerum amici sui Pollionis bucolico ludicro laudans, & abstinens nominũ, se quidem Corydonem, puerum verò Alexin vocat? Sed Martialis lib. 8. hunc Alexin facit proprium Mæcenati, cui ad cyathum stetisse narrat, vt infra ex eiusdem versibus patebit. Postquam enim illius summi viri, & apud Augustum gratiosissimi opera, poëtæ agros dixit esse restitutos, continuò in persona eiusdem Mæcenatis subiungit.

Accipe diuitias, & vatum maximus esto
Tu licet, & nostrum, dixit, Alexin ames.

Donationis meminit lib. 5.

Sed non hac veteres contenti laude fuerunt,
Cum minimum vati munus Alexis erat.

Ex hac Ecloga quemadmodum similitudinem concordiæ, & amicitiæ: sic vicissim dissimilitudinem dissidij, odiorumq; conciliatricem, & parentẽ esse discimus. Quomodo huius Eclogæ Propert. quoq; meminerit, & vbi, docuimus in Prodidagmatis cap. 9. cum poëtarum veterum de Marone testimonia protulimus. Ad eius exemplum suam secundam pæne totam Nemesianus effinxisse cernitur.

EXPLANATIONES.



Ormosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini: nec quid speraret, habebat.
Tantùm inter densas, vmbrosa cacumina, fagos
Assiduè veniebat: ibi hæc incondita solus
Montibus, & syluis studio iactabat inani.

PASTOR CORYDON ARDEB. ALEXIN) Κόρυδος, κορυδαλλὶς, & ἐπιτυμβὶς galeritus, & galerita, cuius allusione nomen Corydoni dedit poëta. Ardeo, nunc neutrum, nunc actiuum est poëtis, more Græcorum, quibus αἴθω vtroq; modo vsurpatur. Horat. lib. 4. Ode 9. similiter accusandi casum huic verbo dedit. *Non sola (Helena) comptos arsit adulteri crines.* Paridis videlicet: aliàs ablatiuum, lib. 5. Ode. 9. *Donec non alia magis arsisti.* Et Ode 14. Epod.

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium.

Simile illud lib. 4. Ode 11. *Non alia posthac calebo Fœmina* A Eadem metaphora Moschus. *ὡς ἀχὼ τὸν Πᾶνα, τόσον σάτυρος φλέγεν ἀχώ.* Lamb. Vrsin. German. DELICIAS DOMINI) Hominem, qui nobis singulari oblectamento est, quoq; solemus affici, & in quẽ propendere plurimùm, magni census scriptores delicias nominant, & in laude quoq; hanc vocem ponunt. Sit pro trecentis vnus testis M. Tullius. Epist. lib. 7. Deliciæ verò tuæ Æsopus eiusmodi fuit. Ad Att. lib. 1. Tulliola deliciæ nostræ. Frequenter cum alijs vocibus, eandem vim habentibꝰ coniungunt, vt sunt, mel, amores, &c. Cic. Philipp. Sed redeo ad amores, & delicias meas. L. Antonium. De Diuinat. Quid amores, ac deliciæ tuæ Roscuis? Epist. lib. 7.

Scito C. Sempronium Rufum, mel, ac delicias tuas calumniam maximo plausu tulisse. Sic Titus Vespasiani F. Augustus, propter incredibilem humanitatem, comitatemq; in omnes, amores, & deliciæ humani generis appellatus est. Traditum à Suetonio, & Aurelio Victore. Dicitur etiam probè delicium. Martial. lib. 1. *Stella delicium mei columba*. Et lib. 7. *Gloria conspicua, deliciumq́; domus*. Dominum intellige Mæcenatem. Et vt perspicias, quamobrem delicias domini sui hunc adolescentulum vocauerit, audi Martial. lib. 8.

Astabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra falerna manu:
Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum sollicitare Iouem.

Iacob. Pont. DENSAS VMB. C. F) Turneb. sic explanat, lib. 30. cap. 14. habentes vmbrosum, & densum cacumen, atque tegumen. HÆC INCONDITA) Corydonem non condita verba ea profudisse dicit, quæ postea ipse Maro in versum incluserit. Etsi enim Corydon iactet versus suos, tamen per illam amoris insaniam, & querelam, ex tempore carmina non effundebat. Namque Maro, quæ ipse condiderit versibus postea, tùm cum dicit sine numero querentē declamasse. Turneb. lib. 12. cap. 7.

Obseruì, inquit Nannius lib. 6. cap. 3. incondita sæpe dici, quæ natura, non arte fiunt. Sic Donatus solas interiectiones, voces inconditas appellat, quòd natura eas gignat: proinde apud omnes homines esse easdem: reliquas verò partes orationis artificiales, & hominum ingenijs variari. Hinc quoq; est, quod milites in triūpho Cæsaris apud Suetonium incondita carmina cecinisse scribuntur. Hæc ille. Potes item incondita interpretari temeraria, cōfusa, insana: quia modò criminatur & accusat, modò adulatur, & allicit, modò semetipsum reprehendit. SOLVS MONTIBVS, ET SYLVIS) Scimus in more positū hominibus aliqua mœstitudine, calamitate, luctu oppressis, vitare lucem, & conspectum aliorum, versari in locis solis, ac desertis, in agris, syluis, montibus, ibiq; velut ipsis testibus liberè, & quantùm animo collibuerit, deplorare, ac lamentari miserias suas, & è questibus illis solatiolum aliquod aucupari, quando id in turba, seu præsentibus alijs facere vel indecorum, vel etiam interdū periculosum videtur, quod rectè inane studium vocat Maro. Quare scribens ad Atticum exul Cicero, Odi celebritatem, inquit, fugio homines, lucem aspicere vix possum: testaturq; solitudinem sibi nequaquā molestam fore. Tuscul. 3. legimus, quod magnopere ad confirmandam, & illustrandam rem propositam facit. Ex hoc euenit, vt in animi doloribus alij solitudines captent, vt ait Homerus de Bellerophonte.

Qui miser in campis mœrens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Sunt autem alij, quos in luctu cum ipsa solitudine loqui sæpe delectat, vt illa apud Ennium nutrix.

Cupido capit miseram nunc me proloqui
Cœlo atque terræ Medeaï miserias.

Hæc omnia, recta, vera, debita putantes, faciunt in dolore. His adde initium eleg. 18. lib. 1. apud Propert.

Hæc certè deserta loca, & taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impunè dolores,
Si modò saxa queant sola tenere fidem.

Et in extrema.

Et quodcunque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aues.
Sed qualiscunque es, resonent tibi Cynthia syluæ,
Nec deserta tuo nomine saxa vacent.

In Mercator. Plauti Charinus adolescens profitetur, nolle se alios amantes imitari, qui in comœdijs aut nocti, aut diei, aut soli, aut lunæ miserias narrant suas: sed velle eas spectatoribus aperire. Adi Victor. lib. 4. cap. 7. Ariadna præterea apud Catullum, carmine de nup. postquam de perfidia Thesei in littore deserto ventis conquesta est, semet ita reprehendit.

Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris
Externata malo, quæ nullis sensibus auctæ,
Nec missas audire queunt, nec reddere voces.

Similia dicit apud Athenæum quidam Poëta Comicus.

Πεφιλοσόφηκας γῦν τε καὶ ἐγὼ λαλῶν,
Οἷς οὐδέν ἐστ' ἀπεμελὲς τῶν σῶν λόγων.

Iacob. Pont.

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:
Nil nostri miserere, mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes vmbras, & frigore captant:
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos.
Thestylis & rapido fessis messoribus æstu
Allia, serpillumq́;, herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nónne fuit satius tristes Amaryllidis iras,
Atque superba pati fastidia? nónne Menalcam?
Quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses.

O CRVDELIS) Hæc oratio Corydonis septem habet partes. I. expostulationem. II. sui accusationem. III. sui commendationem. IV. inuitationem. V. munerum oblationem. VI. rursus sui reprehensionem. VII. commonitionem sui, & consolationem. NIHIL MEA CARMINA. C. n. n. m.) Gradatio pulchra à leuioribus ad grauiora, qua se Alexin meritò in crudelibus numerasse ostendit. Est autem hoc Enthymema. Contemnit cantum, blanditias, precesq; meas, quod minimè faceret, si qua pars humanitatis apud eum resideret. Immò ampliùs, miseria mea, vt si hostis esset, nihil commouetur. Deniq; sic obduruit, sic infenso est in me animo, vt etiam sui caussa confectum me & morientem siccis oculis intueri queat. Verè igitur, & oppidò crudelis haberi Alexis debet, qui sui cupidissimum tam inimicè tractet. Iacob. Pont. NIL NOSTRI MISERERE) Theocritus, *ὁ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιεῖ*. Et alibi: *τὺ δ' οὐ μέλει οὐ μὰ δί' οὐδέν*. Nemesian. *Eheu,*

nulla

nulla mea te tangit cura salutis. Mori me deniqve coges) Apud Theocritum est Idyll. 3. *ἀπάγξασθαί με ποιησεῖς.* Id est, *tu me ad suspendia coges.* Hoc enim ibi querelæ suæ aduersus Amaryllidem pastor subiungit. Vbi obseruandum, multò loqui hìc honestius Corydonem, quum hoc mortis genus, suspendium puta, omnium maximè turpe atque infame habitum fuerit, & [illegible] vocatus fuerit, ὁ δι' ἀγχόνης θάνατος. Non dubium est etiam, quin hanc mortem maior quasi infamia sequeretur, si eam sibi quis inferret. Legendum autem in Virgilio, *mori me coges,* non cogis, cùm futuri temporis verbum *ποιησεῖς,* item sit apud Theocritum, & libri quidam veteres sic habeant. Hen. Steph. Nvnc etiam pecvdes vmb.) Quis dubitet hinc manasse illa Nemesian. in Eclog. 4.

Iam pecudes subiere nemus: non vlla canoro
Gutture cantat auis: torto non squamea tractu
Signat humum serpens.

Vmbras et frigora) pro vmbrosum seu opacum frigus. Videtur figura ἓν διὰ δυοῖν, vt, *pateris libamus & auro,* pro, pateris aureis, & alia alibi. Sic Eclog. 6.

Ille latus niueum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas.

Sub nigra, id est, vmbrosa. Captat vmbras æstu meridiano. Ex hoc porrò versu, & tribus continenter sequentibus, meridianum tempus ab adiunctis intelligentiæ subjicit. Etenim quæ tria hìc exprimuntur, meridiem haud dubiè ostendunt. Sic apud Persium Sat. 3. monitor siue obiurgator adolescentem prauum vsque in meridianum tempus stertentem accusat: quod tempus item ex adiunctis, summo nimirum calore, & pecudum requie in vmbra ostendit.

En quid agis? siccas insana canicula messes
Iam dudum coquit, & patula pecus omne sub vlmo est.

Varro lib. 2. de re rust. cap. 2. de opilionibus, Circiter meridianos æstus dum deferuescat, sub vmbriferas rupes, & arbores patulas subijciunt: quoad refrigerato aëre vespertino, rursus pascant ad solis occasum. Iacob. Pont. Fessis messor. æstv allia) Significat messores, genus hominum laboriosissimum, tamen inrequiescere propter æstum, prandereque moretum: quo genere edulij, allio, & herbis olentibus non tam conditi, quam infercti, messores, & rustici illa tempestate vescebantur, vt è Moreto Virgilij intelligimus.

Mihi, ait Vrsinus, mirificè hunc locum ipsum illustrare videtur, quod in Theriacis scribit Macer, seu quis alius eius libri auctor. Loquitur autem de serpyllo.

Nidor combusti serpentes effugat omnes,
Et quoduis animal infundens ore venenum.
Hoc ideo miscere cibis messoribus est mos,
Vt si forte sopor fessos depresserit illos,
Vermibus a nocuis tuti requiescere possint.

Nicander etiam in Theriacis, ἠδ' σύγ' ἕρπυλλον [illegible]. Idem quoque de allio tradit Macer in eodem lib.

—— *mansum, vel inunctum*
Curat quos serpens, vel scorpius intulit ictus:
Et nocuus vermes tuti pelluntur odore.

* *Facetam allij detestationem lege apud Horat. Ode 3. Epod. in qua & dura vocantur messorum ilia, quæ hoc veneni, (tali enim honore hoc genus hoc cibi dignatur) possunt concoquere. Suet. Vespasiano, cap. 8. At ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum fragrantem vnguento, cùm sibi pro impetrata præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam grauissima increpuit: maluissem allium oboluisses. Vbi in vetustissimis codicibus legi, alium, vt apud Horat. quoque, testatur Torrentius. Quidam halium scribunt, tanquam ab halando, vel halitu. Solent vero adhibere allium messores vice antidoti, ne scilicet si æstuantibus à sole corporibus frigidam biberint, valetudini officiant. Magnas, & multas allij vtilitates recensuit Plinius lib. 20. cap. 6. In totum autem, inquit, coctum vtilius est crudo, elixumque, tosto: & sic voci confert.*

A At mecvm ravcis) Antithesis. Hoc tempore meridiano & pecudes, & lacerti in vmbra delitent, & messoribus quoque refrigerantes escæ parantur: at ego dum te quærito inquies, æstum perferre cogor cum cicadis. Hac particula, at (quod in Indice monet Erythræus) poëtæ & carmen, & sententiam inchoant. Id quod, ac, coniunctio sæpenumero facit; &, atque, non ita frequenter. Quin & liber Æneid. 4. sic incipit, *At regina:* sicut & 9. *Atque ea diuersa.* Sole svb ardenti) Catull. quoque, *Sole sub ardenti fla-*
B *uentia demetit arua.* Resonant arbvsta cicadis) E cicadarum cantu maximum æstum insinuat, perinde ac si diceret: at nunc meridiano tempore solis vapore omnia torrentur, quod arbusta cicadis resonantia demonstrant. Per æstum enim cicadæ vehementius canunt. Georg. 3.

Inde, vbi quarta sitim cæli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.

Turneb. lib. 12. cap. 7.* *Eodem modo & Hesiodus meridiem [illegible], & in Clypeo. Similis sententia scripsit in Panegyr. Lucanus.*

Sic & aëdoniæ superantur voce cicadæ,
Stridula cum rapido faciunt conuiuia soli.

De cantu cicadarum noster rursum 3. Georg. vbi de laudibus cica-
C *dæ Anacreontis Odulam, vt omnia illius poetæ, suauem, ac festiuam producemus. Figura hieroglyphica quemadmodum castigationem dicacitatis, & odiosam illam garrulitatem indicet: nobilitatem præterea Atheniensium, & musicam, Pierius lib. 26. Cicadas tradit Solinus cap. 8. apud Rhegios in Italia mutas, vicinas autem Locrensium vltra cæteras sonitare. Additur fabula, cùm obmurmurarent Herculi illic quiescenti, deum mandasse ne streperent. Hinc illud permanere silentium. Strabo lib. 6. cicadas apud Locros partim vocales ait esse, partim mutas. Caussam ibidem legas licet. Vnde nata cicada, & quomodo cantum haberent à Musis, vide aliam fabulam apud Gyrald. Syntag. de Musis.* Nonne fvit satius, tristes) Frequenter euenit, vt qui meliorem fortunam captarent, præsenti, & illa quidem mediocri non contenti, in miseriorem inciderent. Quod cui ac-
D ciderit, ille sibimet hos versiculos poterit occinere de Virgilio, quorum simillimi sunt, quos depromit German. ex Propertio, lib. 1. eleg. 17.

Nonne fuit melius dominæ peruincere mores?
Quamuis dura, tamen rara puella fuit.

Et lib. 2. eleg. 25.

Nonne fuit satius duro seruire tyranno,
Et gemere in tauro sæue Perille tuo?

Sed vel commentationes, vel paraphrases huius, similiumque locorum de superbia, fastidijs, iracundia, tyrannide demum amicarum, ne vel vberiores, vel clariores, vel insigniores, ac meliores Plautinis postula. Nec à quoquam seruitus amantium descripta est diser-
E tius. A Terentio quoque licet ista sumas, ex Eunucho, vbi sic est loquens Phædria.

Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum accersor vltro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Exclusit, reuocat: redeam? non, si me obsecret.

Infrà.

In amore omnia hæc insunt vitia, iniuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum.

Et expertus erat plus satis hæc superba fastidia poëta Vmber, qui ita cecinit lib. 2. eleg. 8.

Omnia

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis, hæc in amore rota est.
Alibi.
Durius in terris nihil est quod viuat amante,
Nec, modò si sapias, quod minus esse velis.

Solent etiam formosi habere hoc, vt fastidiosi, contumaces, ac superbi sint. Ouid. *Fastus inest pulchris, sequiturq́, superbia formam.* Iacob. Pont. QVAMVIS ILLE NIGER) Potest hic quoque versiculus, vt alij innumerabiles, conuerti ad parœmiam, vt nempe has, similesúe sententias complectatur, & animis subijciat. A Quamuis ille ignobilis, tu nobilis: ille pauper, tu diues: ille indoctus, tu litteratus: ille priuatus, tu cum imperio: ille seruus, tu liber: ille externus, tu ciuis: ille deformis, tu pulcher, &c. Nigrum quippe, seu nigror ad infælicitatem, casum aduersum, infortunium, improbitatem, deteriorem deniq; notam, & vt simpliciter dicam, ad malum declarandum pertinet: contrà, candidum, siue candor ad prosperitatem, & vt vno absoluam verbo, ad bonum, & ad id, quod expetendum est, transfertur: id quod tute in scriptoribus legendo vel obseruasti, vel obseruabis, cum voles. Iacob. Pont.

O FORMOSE PVER, NIMIVM NE CREDE COLORI.
ALBA LIGVSTRA CADVNT, VACINIA NIGRA LEGVNTVR.
Despectus tibi sum, nec quis sim quæris, Alexi,
Quàm diues pecoris niuei, quam lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ:
Lac mihi non æstate nouum, non frigore desit.
Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.
NEC SVM ADEO INFORMIS: nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis staret mare. non ego Daphnim
Iudice te metuam, si nunquam fallit imago.

O FORMOSE P. NIM. NE CREDE COL.) Quam B hic vicissitudinem, mutationemq; formæ in deterius Corydon Alexidi, eandem Ligurino proponit. Horat. lib. 4. Ode 10.

Insperata tuæ cum veniet pluma superbiæ,
Et, quæ nunc humeris inuolitant, deciderint comæ:
Nunc & qui color est puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam, &c.

Nemesian. eclog. 4.

Non hoc semper eris, perdunt & gramina flores,
Perdit spina rosas: nec semper lilia candent:
Nec longum tenet vua comas, nec populus vmbras.
Donum forma breue est, nec se tibi commodat annis.

Longus quamlibet esse possem in fragilitate formæ, C quæ, quod nemo non nouit, aut ætate, aut morbo deflorescit: sed paucorum duntaxat poëtarum adhuc versiculos super ea re adducam, quos etiam edidicisse iuuet: sunt enim & graues, & venusti. Ouid. lib. 3. Trist. eleg. 7.

Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaq́, in antiqua fronte senilis erit.
Iniicietq́, manum formæ damnosa senectus,
Quæ, strepitum passu non faciente, venit.
Cumq́, aliquis dicet, fuit hæc formosa, dolebis,
Et speculum mendax esse querere tuum.

Tibull. lib. 1. eleg. 4.

Crudeles diui, serpens nouus exuit annos,
Formæ non vllam fata dedere moram.

Proinde optat Latinus ille Callimachus, sed optat quæ fieri non possunt, lib. 2. eleg. 2.

Hanc vtinam faciem nolit mutare senectus,
Etsi Cumææ secula vatis agat.

Nunc ad Theocritum veniendum est. Idyl. 22.

——— οἶδε τὸ μέλλον,
Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, ϗ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.
Καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστ' ἐν εἴαρι, ϗ ταχὺ γηρᾷ.
(λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ, &c.

Idyll. 10.

καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, ϗ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος,
Ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρῶτα λέγονται.

Non immeritò quis suspicetur, ad hosce duos locos Virgilium respexisse. De posteriore planum est. In priore autem illa tantum habemus verba, οἶδε τὸ μέλλον, quæ saltem adumbrasse dici queat. Sonant autem, Noui quid sit euenturum: quod tu si cogitares, non adeo crederes tuæ formæ. Nam rosa quoque pulchra est, sed tempus ipsam marcidam reddit, &c. Dico autem potius, Non adeo crederes tuæ formæ, quam tuo colori (retinendo & illud Virgilij verbum) quoniam tertio versu dicitur, καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικὸν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ. Verùm Virgilius non generaliter de forma, sed de candore peculiariter loquitur: quæ res ex eis est, quæ formam nõ parum commendant: ideoq; dixit colori, non formæ, quoniam præcesserat, *Quamuis ille niger, quamuis tu candidus esses.* In versu autẽ sequenti: *Alba ligustra cadunt,* &c. apertè ad illum alterum Theocriti locum respicit, ϗ τὸ ἴον, &c. vbi λέγονται, videtur esse, quod à Virgilio dicitur, *leguntur:* nam malè vulgò exponitur, nominantur. Hen. Steph. ALBA LIGVSTRA) Ligustrum cum fruticis nomen sit, hîc fruticis florem, qui candidus est, significat: de quo Ouid. 13. Metamorph. *Candidior folio niuei Galatea ligustri.* Turneb. lib. 30. cap. 14. Audiamus & Brodæum lib. 4. cap. 8. D Seruius ligustrum florem esse ait candidissimum, sed vilissimum. Quidam lilium album, alij conuoluolum, & Arabicum alcannum. Ligustrum verò, vt ipse sentio, est arbor parua, foleis oleæ similibus, floribus candidis, racematim Maio mense turgentibus, semine primùm virente, deinde temporis processu nigro, à quibusdam Italiæ partibus adhuc nomen seruans. Ianus, & Beroaldus, Dioscoridis, vt par est, eruditione moti, eandem cum cypro arborem existimarunt: cum tamen hæc inter se dissideant. Nec Dioscoridem verba hæc, Romani ligustrum dicunt, scripsisse, vnquam mihi persuadere potui. VACINIA NIGRA) Ex hyacinthis quidam sunt albi

albi, quidam ferruginei, vt produnt eruditi, id est, cæ- A rulei: quo argumento cæli colorem hyacinthinum quidam appellant. Vacinium Romani dicunt florem hunc, etiamsi Seruium in eo lacerant nostri. Vacinia Maroni vocari nigra, scientissimi interpretantur, ea ratione, qua & purpuream violam dicunt nigram poetæ. Nigra igitur, quia ad nigrum colorem accedit ferrugineus, seu cæruleus, ad pallorem luteus. Rhodigin. lib. 27. cap. 26.

Non est dubitandum, nec quærendum sollicitè, quid vacinium sit, inquit, Turneb. lib. 12. cap. 7. hanc enim totam litem Maro diremit, qui quod scripsit Theocritus, καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος, ita verterit, *Et viola nigra sunt, & vacinia nigra.* Proinde de hyacintho intelligamus. Expetebatur autem tingendo pur- B pureo colori vacinium.

Brodæus lib. 4. cap. 18. hæc habet. Nonnulli vaciniũ exponunt arborem, quæ ad aucupia seratur: hyacinthos plerique, & baccas ligustri. Quot homines, tot sententiæ. Ego vacinia mora agrestia esse dico, quæ à rubo sentis producta, ad tingendas seruorum, plebisq; vestes olim legebantur. QVAM DIVES PECORIS NIVEI) Multis deinceps versibus Corydon suas opes dilaudat, quæq; in Alexin paratus sit conferre prœmia, quanquam rustica, omnia diligenter enumerat. Idem Galateæ facit Polyphemus lib. 13. Metamorph. Sed longè latius. Puto Ouidium hunc Maronis locum dilatare, seseque maximi vatis, vt aliàs non rarò, studiosum imitatorem C ostendere voluisse. Ergo versus ipsos adducemus prius: deinde, quid Virgilius sibi velit, considerabimus.

Sunt mihi pars montis viuo pendentia saxo
Antra, quibus nec sol medio sentitur in æstu,
Nec sentitur hyems: sunt poma grauantia ramos:
Sunt auro similes longis in vitibus vuæ:
Sunt & purpureæ, tibi & has seruamus, & illas,
Ipsa tuis manibus syluestri nata sub vmbra
Mollia fraga leges: ipsa autumnalia corna,
Prunaq; non solum nigro liuentia succo,
Verum etiam generosa, nouasq; imitantia ceras.
Nec tibi castanea me coniuge, nec tibi deerunt
Arbutei fœtus: omnis tibi seruiet arbos.
Hoc pecus omne meum est: multa quoq; vallibus errant,
Multas sylua tegit, multæ stabulantur in antris.
Nec si fortè roges, possim tibi dicere quot sint:
Pauperis est numerare pecus. De laudibus harum
Nil mihi credideris, præsens potes ipsa videre,
Vt vix sustineant distentum cruribus vber.
Sunt fœtura minor tepidis in ouilibus agni,
Sunt quoque par ætas alijs in ouilibus hœdi.
Lac mihi semper adest niueum: pars inde bibenda
Seruatur, partem liquefacta coagula durant.
Nec tibi deliciæ faciles, vulgataq; tantum
Munera contingent: damæ, leporesq;, capræq;,
Parq; columbarum, demptus ve cacumine nidus.
Inueni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix vt dignoscere possis
Villosæ catulos summis in montibus vrsæ.
Inueni, & dixi, domina seruabimus istos.

Denique & hæc, quæ produxi, & quæ ibidem mox sequuntur, ex hac Ecloga profluxisse, nemo iure dubitauerit. Illud *niuei* ad vtrumque, ad pecus, inquam, & ad lac referri aptè potest. Si ad pecus, tum quiddam maius, & gloriosius dicit: esse videlicet se diuitem pecoris, quod magnum erat, neque id tantùm, sed quod miræ cuiusdam fœlicitatis est, candidissimi. Apud Horat. lib. 1. Ode 3. persimilem ἀμφιβολίαν inuenias.

Nauis quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor.

Coniungi enim potest vox *debes*, cum, *finibus Atticis*, & cum verbo, *reddas*.

Vrsinus vocem *niuei*, ad *lactis*, referri malè existimat: nititur aliquot aliorum testimonijs. Tibull. *Et niuei lactis pocula mista mero.* Athen. lib. 2. Κλέαρχός φησι τὸ μὲν ὕδωρ, ὥσπερ καὶ τὸ γάλα, λευκὸν λέγεσθαι, οἶνον δὲ, καθάπερ καὶ τὸ νέκταρ, ἐρυθρόν. Cratinus ἐν Ὀδυσσεῦσιν, δὸς πανημέριος χορταζόμενος γάλα λευκόν. Varro in satyra Andabata, seu Andabatæ, si modò illa inscriptio mendo vacat,

Candidum lacte papilla cum fluit, signũ putant partus,
Quod hic sequatur mulierem è partu liquor.

Hæc Vrsin. Vitasset ambiguitatem Virgilius, *si hoc modo scripsisset, Quam diues niuei pecoris.* MILLE MEÆ SICVLIS. E. I. M. A) Imitatione Theocriti. Theocritus enim Siculus, Syracusanus, cuius in Bucolicis æmulus est Maro, scenas Idylliorum suorum in Sicilia ferè fingit, quæ pecore abundabat. Turneb. lib. 12. cap. 7. & lib. 30. cap. 14. * *Errare hic est vagè pascere, pascendo liberè vagari. Eclog. 1. scriptum etiam de bobus.* Ille meas errare boues Permisit. *Æneid. 1.* tres littore ceruos Prospicit errantes.

Et hunc, & tres consequentes versus ex illis Idyll. 11. C effinxit Maro.

Ἀλλ' οὗτος τοιοῦτος ἐὼν βοτὰ χίλια βόσκω,
Κἠκ τούτων τὸ κράτιστον ἀμελγόμενον γάλα πίνω,
Τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρῃ,
Οὐ χειμῶνος ἄκρω. ταρσοὶ δ' ὑπεραχθέες αἰεί.
Συρίσδεν δ' ὡς οὔτις ἐπίσαμαι ὧδε κυκλώπων.

Verùm, mille, licet talis, pecudes ego pasco,
Et præstanti implent mulctræ mea pocula lacte.
Caseus haud æstate, autumnus haud tempore desit,
Haudq; hyeme in summa: calathi sunt semper onusti,
Haudq; æquare potest alius mea sibila cyclops.

Hen. Steph. quem aliquoties à me nominari, in istis bucolicis & Theocriteis collationibus, sufficit, centies ne D ipse quidem velit. A multitudine agnorum, atque ouium ille quoque pastor apud Calpurninum, eclog. 2. laudem quærit.

Mille sub vberibus balantes pascimus agnos,
Totq; Tarentinæ præstant mihi vellera matres.

Alius eclog. 3. à multitudine vaccarum, vitulorumq; se iactat diuitem.

Quam numerosa meis siccetur buccula mulctris,
Et quam multa suos suspendat ad vbera natos.

Et Nemesian.

Quid tibi quæ nosti referam? scis mille iuuencos
Esse mihi, nosti nunquam mea mulctra vacare.

E Et de Atlante Rege Mauritaniæ Ouid. 4. Metamorph. *Mille greges illi, totidemq; armenta per herbas Errabant.* Quemadmodum sua item armenta gregesq; à numero cõmendet Polyphemus, supra demonstratũ. Iac. Pont. LAC MIHI NON ÆST. NO) Haud ita dispari oratione Calpurnius. *Per totum niueus premitur mihi caseus annum.* Annotat Seruius, Virgilium multò melius lactis perpetui, quam casei mentionem fecisse, vt Theocritus fecit. τυρὸς δ' οὐ λείπει, &c. sed quia caseus seruari potest, non mirum si quis omni tempore habeat caseum. Hoc verò laudabile est, si quis habeat lac nouum, id est, colostrum. Addit adhuc, Virgiliomastigem versum hunc malè distinguendo vituperasse, hoc

modo. *Lac mihi non æstate nouum, non frigore, defit.* Hæc ille. Posset alioqui versus & aliter contrarium sensum accipere, leui cum mutatione, hoc modo. *Lac mihi non æstate nouum est, & frigore defit.* SI QVANDO ARMENTA. V. A. D) Scio existimari Virgilium ita esse imitatũ hunc versum Theocriti, συρίσδεν δ' ὡς οὔτις ἐπίσταμαι ὧδε κυκλώπων, vt longè superauerit, quòd & Amphionis cantuum mentioné fecerit, ac nominatim eorũ, quib⁹ vtebatur, greges quum è pastu euocaret, quasi receptui canens, quia pastores illis cantib⁹ serotinis cæteros totius diei conabantur superare. Sed aliud est, quemadmodum dixi antea, Alexidis, aliud Cyclopis, & quidem Polyphemi personam introducere: adeo, vt fatendum sit, Virgilium, si apud eum Cyclops ita mentionem Amphionis fecisset, decorum minimè seruaturum fuisse: nihilo magis quam si Corydonem villosæ vrsæ catulos Alexidi pollicentem introduxisset.

Fabulantur hunc Amphionem, & Zethum eius fratrem, fuisse Iouis, & Antiopes filios. Reliqua vide apud Seruium, & Natal. Comitem mythol. lib. 8. cap. 15. Fuit Amphion non pastor modò, verum etiam citharœdus, & arte musica insignis, de quo Horat. ad Pison.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda.

Palęphatus in eo fratrem illi Zethum adiutorem adiungit. Cum plerique alij, tum maximè Hesiodus tradit, quòd Thebana mœnia Zetus & Amphion citharæ sono struxerunt. Existimant verò quidam illis ipsis citharizantibus lapides sponte sua mœnia inscendere solitos fuisse. Reuera tamẽ hoc ita res habet. Citharœdi Zethus & Amphion perfecti erant, artemq; suam mercede inuitati ostendebant: argentum autem illis temporibus homines cum minimè haberent, iubebant Amphion & Zethus, quòd si quis eos citharizantes audire vellet, pro pręmio ad murum construendum accedens, in eo sese exerceret: neq; enim lapides ibi citharæ sonum audituri stabant, nec sine ratione aliqua homines etiam dicere cõsueuerant, lyræ beneficio Thebanum murum constructũ fuisse. Hæc Palæph. lib. 1. de fab. nar. nó cred. ARMENTA) Armentũ de maiori pecore, de equis, & bobus, quòd hæc animalia apta sint armis, vt scutis boum coria, equi prælio: grex de minore dicitur, vt de capellis, ouibus, porcis, ceruis, teste Seruio. Probatio sit, quod nunc memini ex Ouid. lib. 6. Metam. *Lanigerosq; greges, armentaq; bucera pauit.* Et carmen supra recitatum e lib. 4. *Mille greges illi, totidemq; armenta per herbas, Errabant.* At enim auctoritas hæc, vt alia pleraq; confundit. Quare vocem grex etiam de armento sæpius prolatam cernes. Certè Cic. in quadam Philipp. greges armentorum, & Sueton. in Iulio, cap. 8. equorum greges, dixit. DIRCÆVS) Dircæus Thebanus, à Dirce fonte. Strabo lib. 9. & Euripid. in Bacchis. Brodæus. lib. 2. cap. 8. IN ACTÆO ARACYNTHO) Zethus, & Amphion à pastoribus educati fuerunt, & pecus sæpe pauerunt adolescentes. Aracynthum montem Atticæ dixit Sequester: sed potuit latius aliquando longiusq; patere Actæ nomen, vt quemadmodum Megaris, sic magna pars Bœotiæ, quòd littoralis terra esset, eo nomine censeretur Turneb. lib. 30. cap. 14.

Ego opinor, inquit Vrsinus, actæo dictum παραθαλασσίῳ. Sic etiam Actæam aliquando Acticam appellatam, ἀπὸ τῆς ἀκτῆς, indeq; Atticam dictam vetus auctor etymologiarum arbitratur, qui & Callimachi hemistichium adducit ἀκταίη τις ἴωνη. Mirum autem non est, Virgilium actæo pro παραθαλασσίῳ dixisse, cum alibi actam pro ipso etiam littore dixerit.

Idem sentit Brodæus lib. 2. cap. 8. additque: Aracynthus autem mons est, vt Propert. lib. 3. ac Stephano placet, Bœotiæ, vt Virgilio, & Vibio Sequestro, Atticæ. Tanta porrò est earum prouinciarum vicinitas, tam cõfines agri, vt si leuia hæc ad amussim examinare tentes, magnam poetis iniuriam facias. Fateor alterum esse Aracynthum in Acarnania (non Arcadia, vt mendosè apud Vibium excusum est) aliamq; ibi Actam, de qua tamen Virgilium sentire non puto.

Sequitur Germani sententia. Propert. lib. 3. eleg. 14.

Prata cruentantur Zethi, victorq; canebat
Peana Amphion rupe Aracynthe tua.

Qui locus facit, vt ab interpretum sententia discedam. Malo enim Aracynthum Actæum, vt Propert. saxosum,
B & petricosum, nimirum vt rupem, & scopulum, vt Gręci ἀκτὴν vocant, non solum littoralem oram, & regionem, ᾗ παραθαλάσσιον, sed & τόπον πετρώδη, ἀπὸ τοῦ περὶ αὐτὸν ἄγνυσθαι, ὃ δὴ ῥήγνυσθαι, καὶ περικλᾶσθαι τὰ κύματα. Vnde apud Homerum προύχων ἀκτὴν ἰθάκης ἀφίκεσο: & ἀκτὴ προβλὴς promontorium, seu scopulus: & ἀκταὶ, inquit Ammonius, sunt loca maris petricosa, vt θῖνες arenosa. Seruius Actæum littoralem explicat. Ego malo cum Propertio & littoralem, & saxosum simul, & rupem interpretari. Docet autem Eustathius, Athenienses ἴωνας, ἰάονας, ἀτθίδας, ἀκταίους, καὶ χώραν ἀκτὴν, ἢ ἀκταίαν καλεῖσθαι.

Alciatus Parergôn iuris lib. 5. cap. 4. Actæum dici
C per metalepsin arbitratur, quòd ibi, sicut Athenis, Minerua coleretur, quæ Stephano auctore Aracynthias dicta est. Vnde & Rhiani carmen. Κλῦθί μοι ἰοχέαιρα Ἀρακυνθιὰς εὐπατέρεια.

Mirum cupiam videri posset, cum apud Theocritum tantùm dicat Polyphemus, se fistula canendi peritia cæteros cyclopas superare, Seruium tamen epitheton Actæo Theocriti imitatione velle excusare, tanquam alioqui reprehendendum. Postquam enim dixit, plerosq; Actæo intelligere Atheniensi, non quòd Aracynthus apud Athenas sit, sed vt ostendatur rustici imperitia, addit: Nam Theocritus ad exprimendam rusticam simplicitatem, multa aliter, quam res habeat, dicit. Intelligendum est igitur, Virgilium hic eam simpli-
D citatem imitari, quam Theocritus alibi expresserit: & Seruium libertatem eam simplicitati illi tribuere, multa aliter, quam res habeat, dicendi. Subiungit enim, hac ratione potest & Oaxis Cretæ fluuius accipi: quum Oaxis sit Mesopotamiæ.

Quod superest, nota in hoc versu concursum vocalium, quem Cicero hiatum vocat, & vocales ipsas hiare dicit. Quæ si se collidunt, extruditurq; è versu altera, ea tum ademptio, tũ extrusio rectè nominabitur, non minus fortasse explosio. Reliqua lege à me posita ex Actio Iouiani, super illo versu 1. Georg. *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.* NEC SVM ADEO INFORMIS NVPER ME) Theocrit. Idyll. 6.

E *Καὶ γάρ θην οὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν, ὥς με λέγοντι,*
Ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον· ἦς δὲ γαλάνα.

Obseruatione dignissimum, Virgilium post illa verba, *Nec sum adeo informis*, maluisse relinquere lectori aliquid subaudiendum, quam orationem implere: quòd plus gratiæ habere videretur ea, quæ esset ita imperfecta, vt cuique facilè esset perficere, etiam non conferendo cum Theocrito. Possit sic impleri: *Nec sum adeo informis, quam vulgò me esse loquuntur.*

Legitur in eundem sensum apud Calpurnium in Bucolicis, *Fontibus in liquidis quoties me conspicor ipse, Admiror toties.* Et apud Nemesianum, *Quin etiam fontis speculo me mane notaui.* Vrsin. * *Tu his addes Ouidq; de Polyphemo, lib. 13. Metam.*

Iam

Iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam,
Et spectare feros in aqua, & componere vultus.

Et rursum.

Certè ego me noui, liquidæq; in imagine vidi
Nuper aquæ, placuitq; mihi mea forma videnti.

Socratem philosophum scribit Apuleius Apol. 1. speculo (quod mirum fortasse videatur) ad morum disciplinam esse vsum. Quippe suasisse discipulis fertur, crebrò vt semet in speculo contemplarentur, vt qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendiò procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret. Qui verò minus se commendabilem forma putaret, sedulò operam daret, vt virtutis laude turpitudinem tegeret. Atq; hæc Apuleius, dum se contra Æmilianum B aduersarium tuetur, qui ei inter cætera obiecerat, quòd philosophus speculum consuleret. Nonnulla quæ ibidem de speculi laudibus perquam scitè disseruntur, huc adscribam.

An tu ignoras, nihil esse spectabilius homini nato, quam formam suam? Equidem scio & filiorum chariores esse, qui similes videntur: & publicitus simulachrum suum cuique, quod videat, pro meritis præmio tribui. Aut quid sibi statuæ & imagines varijs artibus effigiatæ volunt? nisi fortè quod artificio elaboratum laudabile habetur, hoc natura oblatum culpabile iudicandum est, cum sit in ea vel magis miranda & felicitas, & similitudo. Quippe in omnibus manu faciundis imaginibus opera diutinò sumitur, neque tamen similitudo æquè ac in speculis comparet. Deest enim & luto vigor, & saxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipua fide similitudinem repræsentat. Cum in eo visitur imago mirè relata, vt similis, ita mobilis, & ad C omnem nutum hominis sui morigera: eadem semper contemplantibus æquæua est, ab ineunte pueritia, ad obeuntem senectam tot ætatis vices induit, tam varias habitudines corporis participat, tot vultus eiusdem lætantis, vel dolentis imitatur. Enimuerò quod luto fictum, vel ære infusum, vel lapide incisum, vel ceræ inustum, vel pigmento illitum, vel alio quopiam humano artificio adsimulatum est, non multa intercapedine temporis dissimile redditur, & ritu cadaueris vnum vultum, & immobilem possidet: tantum præstat imaginis artibus ad similitudinem referendum, leuitas illa speculi fabra, & splendor opifex.

Seneca quoque Natural. lib. 1. cap. 17. specula esse tradit inuenta, vt homo ipse se cognosceret. Multa, inquit, ex hoc consecuta, primò sui notitia, deinde & ad quædam consilium: formosus vt vitet infamiam, nec Libycis se vitiorum syrtibus adobrui sinat: sed fauentib' D dijs hominibusq; stiuam, quod dicitur, teneat: deformis, vt sciat virtutibus redimendum, quidquid corpori defuerit. Amplius, vt iuuenis flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia agendi: senex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Sed & natura facultatem vel inopi est impertita seipsum videndi: fons cuiq; pellucidus, aut leue saxum imaginẽ reddit. Hinc illud Maronis. *Nuper me in littore vidi, Cum placidum ventis staret mare.* Qualem fuisse cultum putas, ad hoc speculum sese comentium? Ætas illa simplicior, & fortuitis contenta, nondum in vitium bene-

A ficium detorquebat, nec inuentũ naturæ in libidinem, luxumq; rapiebat. Primò faciem suam cuiq; casus ostendit: deinde cum insitus sui mortalibus amor, dulcem aspectum formæ suæ faceret, sæpius eò despexêre, in quibus potius effigies suas viderent: & quæ sequuntur, non insuauia ad legendum de ortu & incremento speculorum, eodem cap. 17. inquam. Vide insuper Lucianum in Alcyone, & dialogo Doridis & Galateę, Tom. 4.

Inter exercitationes scholasticorum poetarum ludicras, quæ in Append. Virgiliana visuntur, est etiam imago ex vndis, velut è speculo intuentibus reddita, duobus hexametris percommodè expressa. Exemplum vnum atq; alterum accipe.

Hilasij.

Redditur effigies liquida spectantis in vnda,
Qualis in aduerso speculorum cernitur orbe.

Vitalis.

Exprimit oppositas immobilis vnda figuras,
Leuati quales speculi nitor ipse remittit.

Nec dubium est, quin omnes huius sui lusus occasionem hoc Maronianum carmen habuerint, *nuper me in littore vidi, Cum placidum ventis staret mare:* cuius vnũ sensum aliter, & aliter, mutatis verbis efferre nisi sunt. Super eodem carmine en quid dicat Seneca, Natural. lib. 5. cap. 1. Nunquam aër tam immobilis est, vt non in aliqua sit agitatione. Sic tranquillum mare dicitur, cum C leuiter commouetur, nec in vnam partem inclinatur. Itaq; si legeris. *Cum placidum ventis staret mare:* scito illud non stare, sed succuti leuiter, & dici tranquillum, quia nec huc, nec illuc impetum capiat. (Pro dici, legitur in vetustioribus, duci, sequente puncto. Deinde, Tranquillum est.) Idem & de aëre iudicandum est, non esse vnquã immobilem, etiamsi quietus sit. Neptunum græcis Posidona nuncupatum tradit Fulgentius lib. 1. quasi ποιοῦντα εἴδων, quod latinè facientem imaginem dicimus: illa videlicet ratione, quòd istuc solum elementum imagines in se formet spectantium, quòd nulli alij ex quatuor competat elementis. Obserua lector, mare vocari elementum, quia mare maior pars elementi, D quod aqua dicitur. Et quidem pastor hic sese in aqua contemplatus non deformem vidit: contrà Minerua deformem. Cum enim tibia in deorum epulis cecinisset, & buccas eius tumentes dij risissent, proficiscens ad Tritonem paludem, ibiq; dum canit faciem suam inflatam aspectans, commota turpitudine, tibiam abiecit. Iacob. Pont. NON EGO DAPHNIM. L.T.M) pro enumeratione singulorum, quæ apud Theocritum Idyll. 6. Damœtæ suum vultum in aqua contemplanti pulchra videbantur, Virgilianus Corydon non aliud, quam ostendit, se bonam spem de sua forma concipere: quippe qui dicat, se non metuere, ne Daphnis formosior, vel ab ipso Alexide iudicetur.

O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, & figere ceruos,
Hœdorumq; gregem viridi compellere hibisco:
Mecum vnà in syluis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit: Pan curat oues, ouiumq; magistros.
Nec te pœniteat calamo triuisse labellum:
Hæc eadem vt sciret, quid non faciebat Amyntas?

O TANT. LIB. M. T. SORD. RVRA) Huc allusum à Calpurnio eclog. 2. *Ne contemne casas, & pastoralia tecta.* Seruat decorum Virgilius, conuenienter instituto suo, de quo diximus ante Symbolas Eclogæ primæ ex Hen. Stephano, & Modicio. Rusticius aliquid Polyphemus apud Theocritum, qui agrestiores pastores inducit,

minusq; attendentes quid dicant. Ergo ille Idyll. 11. quò tamen nostrum respexisse certum est.

Ποιμαίνειν δ' ἐθέλοις σὺν ἐμὶν ἅμα, καὶ γάλ' ἀμέλγειν,
Καὶ τυρὸν πᾶξαι τάμισον δριμεῖαν ἐνεῖσα.
O vtinam cupias mulgere, & pascere mecum,
Cogere caseolos, dare lenta coagula lactis.

FIGERE CERVOS) ἐλαφηβολίας vno verbo Græci. Nec mihi furcas innuere videtur: tum quod Gręcis ἐλάφους βάλλειν familiare est: tum quod Geor. 1. *Auritosq; sequi lepores, & figere damas.* [*Vbi poeta inter labores rusticos etiam venatum, & aucupia numerat*] etiamsi non dubium, ceruos furculas dici, quibus sustentantur retia, & plagarum maculosa laxitas intenditur: quæ στάλικες Græcis, & σχαλίδες, vnde σχαλιδῶσαι, &c. German. MECVM VNA IN SYLVIS. I. P. C) Si modò dignetur habitare secum, nec cõtemnat vitæ genus humile, perfecturum se spondet, vti secum Pana canendo imitetur, id est, excellentissimè canat, quemadmodum & ille, qui primus fistulam inuenit. Ad cantum Panos, & inuentionem fistulæ quæ mox ei tribuitur, respicit Nemesian. eclog. 1. *Nam te calamos inflare labello Pan docuit.* Ibidem infra.

Namque fuit dignus senior, quem carmine Phœbus,
Pan calamis, fidibusq; Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent.

Iac. Pont. PAN PRIMVS CALAMOS. C. C. P) Sic Eclog. 8. *Panaq; qui primus calamos non passus inertes.* Ipsemet apud Nemesian. eclog. 3. *nulli fas est inflare cicutas, Quas ego Manalijs cera coniungo sub antris.* Vetus fistula septem compacta cicutis, vel auenis cera iunctis erat: quarum series imitabatur organorum, vel hydraularum fistulas. Habebat autẽ vnaquæq; cicuta sonum suum discrepantem ab alijs, ita vt septem calami, septem vocum discrimina redderent. Eas, vt hodie castratores suum sibilarium, labris percurrentes cantus dabant. Vnde Lucret. scripsit lib. 5. *Et supra calamos vnco percurrere labro.* Iterum de Pane loquens lib. 4.

Et genus agricolûm latè sentiscere, cum Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Vnco sæpe labro calamos percurrit hiantes.

Vnde & terere labellum dixit infra Maro. Ordo autem is erat cicutarum, vt deinceps, quod ab Ouidio scribitur, decresceret arundinis ordo. Nam cum paris essent

A crassitudinis, vocum mutatio quærebatur longitudine, & breuitate. Turneb. lib. 12. cap. 14.

Iunius Philargyrius in Notis, Pan, id est, Natura omnium rerum, inuentor est fistulæ. Pan pastoralis deus, per cornua solem significat, & lunam: per fistulam, septem planetas stellas: per pellem maculosam cæli sidera: per cannam ventos: per vngulas caprinas soliditatem terræ. Hic autem natus est Mercurio in arietem conuerso, & Penelope vxore Vlyssis. OVIVMQVE MAGISTROS) Eclog. 3. *Idem amor exitium est pecori, pecorisq; magistro.* Et Georg. 2. *pecorisq; magistris Velocis iaculi certamina ponit in vlmo.* Et lib. 3. *Dulcibus idcirco fluuijs pecus omne magistri Perfundunt.*

B Et lib. 4. *Tempus & Arcadij memorare inuenta magistri,* Aristæi subaudi, quem ibidem pastorem vocat. Magister regij pecoris dixit Liuius lib. 1. ab V. C. Varro lib. 1. de re rust. cap. 2. Quocirca principes, qui vtrique rei (agriculturæ, & pastioni) pręponuntur, vocabulis quoque sunt diuersi: quod vnus vocatur rusticus, alter magister pecoris. Columella lib. 7. cap. 3. Quare veterinariæ medicinæ prudens esse debet pecoris magister. Horat. custodes ouium lib. 4. Ode 12. Et Portius Licinius apud Gell. lib. 19. cap. 10. *Custodes ouium, teneræq; propaginis agnûm.* In epitaph. Culicis Virgil. *Parue culex, pecorum custos, tibi tale merenti Funeris officium.* Aliter Pana custodem ouium 1. Georg. tutorem, ac

C præsidem videlicet. Iacob. Pont. NEC TE POENITEAT) Cic. 1. Off. tamdiu autem velle debebis (audite Cratippum) quoad te quantum proficias, non pœnitebit. Et Orat. perf. quæ qualiacunq; in me sunt (me enim ipsum non pœnitet quanta sint) sed apparent in orationibus. Donatus in Heautont. exponit pœnitet, id est, parum videtur, pœnitet enim eum, qui parum putat. Locus Terentij est, *At enim dices: me quantum hic operis fiat, pœnitet.* Et alibi. *nostri nosmet pœnitet.* Iacob. Pont. CALAMO TRIVISSE LABELLVM) Labrum septem percurrens cicutas, non poterat non teri, inquit Turneb. lib. 12. cap. 14. Sed quod pace Turnebi dictum velim, videtur hypallage. Teruntur enim propriè solida, & potius calamus, seu fistula teritur labris,

D quam calamo labra terantur. Sic paulò post, *te nunc habet ista secundum,* ὑπαλλαγμένως vtique, pro, tu nunc habes istam secundus: ego enim primus habui. Iac. Pont.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim:
Et dixit moriens, Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damœtas, inuidit stultus Amyntas.
Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ouis vbera: quos tibi seruo.
Iam pridem à me illos abducere Thestylis orat,
Et faciet: quoniam sordent tibi munera nostra.

SEPTEM COMPACTA CICVTIS) Vtebantur Bucoliastæ musico instrumento, quam Græci à sibilo σύριγγα, Latini ab hiatu fistulam nominant: materia arundinacea, aut à cicutis petita. Singulares primum tubuli, mox bini cohęrentes lino, & cera. Setas quoq; (vt ad manum essent, quàm linum, magis pręstò) pro lino in vsu fuisse arbitror. Postremò ad septenos vsque, magnitudine omnes inter se impares, sed proportione certa, ad alæ figuram. In summo, quo inflabantur, æquales, inæquales quà exit spiritus. Pręscripsit & materiam, & modum, & numerum poëta hoc versu. Dispar enim hic non ad numerum: numerum enim designat proxima voce, *septem*: sed ad quantitatem continuam pertinet. Materia autẽ declaratur à cicuta, &c. Scalig. Poët. lib. 1. cap. 4.

* *Hanc pastoritiam fistulam describit Tibullus lib. 2. eleg. 5.*

Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,
Nam calamus cera iungitur vsque minor.

De huiusmodi fistula cera iuncta, cum totidem cannis, Ouidius quoque Metamorph. lib. 4.

Atque

Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
Inter se iunctis nomen tenuisse puellæ.

Habuit & Martialis in mente, Maronis hunc versum, cum illud scriberet de fistula, lib. 14.

Quid me compactam ceris, & arundine rides?
Quæ primum structa est fistula, talis erat.

DAMOETAS DONO MIHI) Commendat munus ex eo, quod hæreditarium datum est, & ex eo, quod inuidiam meruit. Nam res optimæ & difficilè donantur à viuis, & acceptæ facilè merentur inuidiam. Seruius. * *Multa in his Eclogis alio rsum quoq; spectare, quam verba sonent, nemo dubitat. Tale quidam credunt & hoc. Virgilium enim verecundè Syracusano illi bucolicasta Theocrito, quem studiosissimè imitari contendit, primam palmam cedere, siue (quanquam nonnullis renitentibus) secundam sibi sumere. Ad imaginem huius, & quæ sequuntur versus, fecit suos Calpurnius eclog. 4.* B

Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas
Donauit: dixitque, truces hæc fistula tauros
Conciliat, nostroque sonat dulcissima Fauno.
Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis
Montibus Hyblæa modulabile carmen auena.

NEC TVTA MIHI VALLE REPERTI) Non malè obseruauit Nannius, rei commendationem ex periculo, vt infra Aeneid. 7. *relliquias Troia ex ardente receptas.* Valles enim, & conualles loca esse insidijs opportuna solent. DVO CAPREOLI) Capreoli sunt syluestrium caprarum fœtus, quos perperam aliqui damas nuncupant. In vitibus capreolus dicitur non à capiendo, in quo Varronem reprehendit Scalig. F. sed lasciuia qua- C dam, propter teneritudinem: vt Græci nouellos ramos vocant μόσχους. Simili lasciuia palmitem emeritum, draconem vocarunt, siue à squamoso & aspero cortice, qualis est draconum cutis, seu à longitudine anguinea. Græci quidquid nouellum dicunt μόσχον. SICCANT OVIS VBERA) Vbera siccare etiam Horat. Ode 2. Epod.

Claudensq; textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccet vbera.

A Loquitur & isto modo Plinius lib. 10. cap. 63. de genere quodam canum, quod dasypodes appellatur. Concipiunt quamuis vbera siccante fœtu. Alioqui siccãt item vbera, qui mulgent pecus. Porrò locum hunc Maronianum haud dubiè, & quidem pro ingenio suo, fusè scilicet, ac liberè, imitari voluit Naso 13. Metamorph. quos versus cum principio huius Eclogæ adduxerim inter alios multos, quibus Polyphemum eius cum Corydone Virgiliano sententijs concordare ostenderem, quò minus adducam denuo, nihil, opinor, vetat. Sanè sunt periucundi, & perlepidi.

Nec tibi deliciæ faciles, vulgataq; tantum
Munera contingent: damæ, leporesq;, capræq;,
Parq; columbarum, demptusue cacumine nidus.
Inueni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix vt dignoscere possis
Villosæ catulos in summis montibus vrsæ.
Inueni, & dixi, dominæ seruabimus istos.

Iacob. Pont. IAM PRIDEM A ME ILLOS, &c. ET FACIET) Theocritus Idyll. 3.

Ἦ μάν τοι λευκὰν διδυματόκον αἶγα φυλάσσω·
Τάν με καὶ ἁ Μέρμνωνος ἐριθακὶς ἁ μελανόχρως
Αἰτεῖ, καὶ δωσῶ οἱ, ἐπεὶ τύ μοι ἐνδιαθρύπτῃ.

Hæc carmina non est quidem interpretatus Virgilius: ad ea tamen duobus hisce versibus, & qui antecesserunt de capreolis allusit, quod planum est. ORAT ABDVCERE) Orat me, vt sibi liceat abducere, cupit sibi à me donari. Hellenismus est. SORDENT TIBI MVNERA NOSTRA) Sordere cuipiam dicitur, quod illi tanquam sordidum displicet: quod illi vile, & despicabile est: quod nec teruntij facit. Cic. ad Octauium. M. Antonius, cui sordebat Macedonia prouincia. Catull. epithalam. *Sordebant tibi villicæ.* Martial. lib. 5. in Gelliam.

Dum proauos, atauosq; refers, & nomina magna,
Dum tibi noster eques sordida conditio est.

Iacob. Pont.

Huc ades, ô formose puer. tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis: tibi candida Nais
Pallentes violas, & summa papauera carpens,
Narcissum, & florem iungit bene olentis anethi.
Tum casia, atque alijs intexens suauibus herbis,
Mollia luteola pingit vacinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasq; nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam cerea pruna, & honos erit huic quoque pomo:
Et vos ô lauri carpam, & te proxima myrte:
Sic positæ quoniam suaues miscetis odores.

Columella lib. 10. in Horto.

Et tu ne Corydonis opes desperna Alexis,
Formoso Nais puero formosior ipsa,
Fer calathis violam.

Amabant nymphæ Naides pueros, nam & Hylam rapuisse dicuntur. Turneb. lib. 30. cap. 14. * *Quod Turneb. hic ait, confirmat Martialis lib. 6. epig. 68. Ad hoc igitur ipsum omnia ista de floribus, & fertis pertinent: ex quibus munusculis tam blandis, nympharum propensionem affectumq; in Alexin vt intelligamus, res postulat.* CALATHIS) Qualum esse vas lanificijs aptum, qui Græcè vocatur calathus, traditum est à veteribus Grammaticis. Cicer. in 3. contra Anton. ὑποκοριστικῶς quasillum dixit. At verò huius domi inter quasilla appendebatur aurum. Sic etiam diminutionis forma calathiscus. Catull. de nupt.

D *Ante pedes autem candentis mollia lanæ*
Vellera virgati custodibant calathisci.

Vict. lib. 9. cap. 18.

Abusus est ergo voce ista hoc in loco Virgil. Sed poetas verborum licentia liberiores esse, autumat 1. de Orat. M. Tullius. Proprietatem seruauit lib. 7. in extremo, de Camilla. *non illa colo, calathisue Mineruæ Fœmineas assueta manus.* PALLENTES VIOLAS, ET SVMMA P. CARP.) Flores legere, & corollas nectere pueris, & puellis esse in studio norunt omnes. Horat. Ode 27. lib. 3. de Europa.

Nuper in pratis studiosa florum, &
Debita nymphis opifex corona
Nocte sublustri.

Catull. de flore, qui septus secretis nascitur hortis, *Multi illum pueri, multa optauere puella.* Noster Virgil. *Qui legitis flores, & humi nascentia fraga, Frigidus ô pueri,* &c. Est ergo florida ætas amica floribus. Iacob. Pont. NARCISSVM) Narcissum præstanti forma adolescentem fuisse, & cum semet in fonte limpido intueretur, (speculo illo naturali videlicet) intuendo expleri nequiuisse, admirationeque, & amore suimet contabuisse, & in florem sui nominis abijsse, gens poetarum fabulatur; quo figmento φιλαυτίαν nobis dissuadet. Vide fabulam lib. 3. Metamorph. Lusit in hunc Ausonius.

Si cuperes alium, posses Narcisse potiri,
Nunc tibi amoris adest copia, fructus abest.

Multò autem venustius ille, Pentadium volunt.

Hic est ille, suis nimium qui credidit vndis,
Narcissus vero dignus amore puer.
Cernis ab irriguo repetentem gramine ripam,
Vt per quas perijt, crescere possit, aquas.

Idem sanè argutè admodum.

Si Narcissus amat, captus lenonibus vndis:
Cui si tollis aquas, non est vbi sanat ignis.

De Narcisso hoc, & Hiacyntho eleganter Claudianus lib. 2. de raptu Proserpinæ, vbi eam cum comitibus flores pulcherrimos legisse dicit.

Te quoq; flebilibus mœrens Hyacinthe figuris,
Narcissumq; metunt, nunc inclyta gramina veris,
Præstantes olim pueros, tu natus Amyclis:
Hunc Helicon genuit. te disci perculit error:
Hunc fortis decepit amor. te fronte retusa
Delius: hunc fracta Cephissus arundine luget.

Fabulam vt absurdam irridet Pausan. in Bœoticis, vbi aliud quoq; de eodem cōmentum narrat. Iacob. Pont. LVTEOLA CALTHA) Quærunt Grammatici, quod hic coronamentum sit caltha. Et conuenit è Plinio lib. 21. cap. 6. esse violæ genus, quod tamen non perinde nótum est. Ego reperio in antiquo Lexico, caltham esse buphthalamon, cuius luteum esse florem omnibus ferè constat. Eo in libro etiam reperi, vacinium, de quo ta-

A men liquet, esse anthusam, & hyacinthum. Turneb. lib. 19. cap. 22.

Lutum, priore longa, est color luteus, quali colore est ouorum vitellus. Et luteus color est rubicundus, siue croceus. Eodem verbo rursum vtitur Virgil. in Pollione, *croceo mutabit vellera luto*, pro croco luteo, vt vult Seruius. Horat. Epod. Ode 10. *Tibi pallor luteus.* Lucret. lib. 4. *Et vulgò faciunt id lutea, russaq; vela.* CANA TENERA LANVGINE MALA) Periphrasin aiunt esse malorum cydoniorum, seu cotoneorum, ex adiuncta canicie: sunt enim præstantissimi odoris, quæ sunt candida. Plin. lib. 21. cap. 6. Poma lanata peculiari nomine dicta, inquit Plinius, quòd obducta lanugine essent super ipso

B cortice, quemadmodum struthia, & persica. Græci quoque à lanugine quoddam genus chnodia nominant. CASTANEASQVE NVCES) Non est obscurum, nucem generatim de omnibus dici, quæ duro operimento teguntur: pomum autem de ijs propriè, quæ molliorem, & tenuiorem corticem habent. Sic Græcis κάρυα, & ἀκρόδρυα generaliter accipiuntur. κάρυα quidem ἀπὸ τοῦ καρώσεως, capitis grauedine, quam concitant, vt nuces à nocendo Grammatici ducunt. German.

Nux castanea vocatur etiam Heracleotica. Nam vir doctus Oppius, in libro, quem fecit de syluestribus arboribus, sic ait: Heracleotica hæc nux, quam quidam castaneam nominant. Macrob. Saturnalium lib. 3. cap.

C 18. quod est de nucum generibus. MEA QVAS AMARYLLIS AMABAT) Castaneis nucibus en qualem laudem addat, vt ex eo illas Alexidi commendet, planè ineptam, & amatoriam: quia, inquit, Amaryllis mea illis delectabatur. Hic enim amatoribus mos est, vt ament, & admirentur, quæ amatis placent, tametsi nullo amore & admiratione digna sint. Ita Cupido & ipse cæcus est, & alios cæcos facit. Iacob. Pont. ADDAM CEREA PRVNA) Flaua pruna sunt, quæ in delicijs fuisse videntur. Ouid. 13. Metam.

Primaq; non solùm nigro liuentia succo,
Verum etiam generosa, nouaq; imitantia ceras.

In epigrammate Maroni attributo eorum est mentio. *Sunt autumnali cerea pruna die.* Turneb. lib. 30. cap. 14.

D ET VOS O LAVRI) Ramum laureum puta. Sic, *te proxima myrte*, ramum de myrto. Caussa indicatur.

Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis:
Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
Eheu quid volui misero mihi? FLORIBVS AVSTRVM
PERDITVS, ET LIQVIDIS IMMISI FONTIBVS APROS.
Quem fugis ah demens? habitarunt dij quoque syluas,
Dardaniusq; Paris. Pallas quas condidit arces
Ipsa colat: NOBIS PLACEANT ANTE OMNIA SYLVÆ.

RVSTICVS ES CORYDON. N. M. C. A) Seipsum castigat. Ipsa autem castigatione nos prudenter docet, nimirum à pauperibus, humilibus, obscuris quæ offeruntur munera diuitibus, nobilibus, & opulentis, solere plerumq; vt indigna despici: non quòd illi nulla curent munera: sed quòd talia non curent. Alioqui quomodo verum sit, quod est verissimum, illud Ouidij?

Munera, crede mihi, placant hominesq; deosq;
Placatur donis Iupiter ipse datis.

Sunt & hanc ob caussam parum grata tenuiorum dona locupletibus; quod multò amplius sibi quiddam rependi videntur desiderare: & hoc in donante odiosum est, quoniam dona debent esse gratuita. Rectè igitur Euripides.

Οὐ βούλομαι πλουτοῦσι δωρεῖσθαι πένης,
Μή μ' ἄφρονα κρίνῃς, ἢ δοκῶν αἰτεῖν δοκῶ.

Tale genus hominum, quamuis pretiosa donet, reprehendit ad Nicoclem Isocrates in Parænesi illa βασιλικῷ. Qui vobis, inquit, regibus aduehere vestes solent, aut æs, aut aurū factum, aut aliquid aliud eius generis, quo & ipsi egent, & vos abundatis, hos (vt mihi quidem videtur) plus satis apparet, non largitionem facere: sed mercaturam, suasq; res multò callidius vendere, quàm eos, qui ex professo cauponantur. Prius hemistichium

E in prouerbijs numerari poterit, valebitque cùm quempiam humilis suæ conditionis, & modestiæ admonebimus: ne altius semet efferat, & montes aureos somniet. Altiora te, ait Sapiens, ne quæsieris: & fortiora te, ne scrutatus

scrutatus fueris: sed, quæ præcepit tibi deus, illa cogita semper. Iacob. Pont. NEC CONCEDAT IOLAS) Inter reliquas opiniones refert Seruius, Alexin fuisse puerum Augusto Cæsari charum. Id si verum est, eleganter Virgilius Iolam sibi riualem fecit. Ego enim per Iolam Iulum intelligo, nimirum Augustum Cæsarem, qui ab Iulo originem suæ gentis trahit, ac proinde ambitu munerum cum eo certari non posse. Nec admirationi esse debet, si poeta in personis suis nomina nonnihil à vero declinet, vt bucolicam conditionem accipiant. Quid enim Iulius faceret in re pastoritia, aut Alexander? hoc enim est verum nomen Alexidis. Heroica sunt ista vocabula, nihil apta pastoritijs casis. Est alioqui familiare poetis (vt habet Apuleius in Apologia) amicorum, amicarumque nomina nonnihil inflectere, seruato ferè numero syllabarum. Sic Clodia à Catullo Lesbia dicta est. Sic Hostia à Propertio Cynthia. Sic Plania à Tibullo Delia, Nemesis, Iulia ab Ouidio Corinna. Nannius lib. 6. cap. 4. Vide quæ præterea diximus Synop. Eclog. 10. EHEV, QVID VOLVI MISERO MIHI) Quàm aptè, quàm verè, quàm etiam bellè sese obiurgabunt hisce carminibus, qui malis cupiditatibus, potissimùm autem meretricijs illis, purissimum pectoris sui, pulcherrimumq; florem, tanquam flatibus ventorum decutiendum, & fontem illum cordis sui, quem omni custodia seruare iubemur, quoniam ex ipso vita profluit, tanquã suibus turbandum obiecerint. Iacob. Pont. FLORIBVS AVSTRVM) Austrum hic aliquando non ventum intellexi, sed vas, quo aqua hauritur, cùm etiam Auster, ab hauriendo aqua, à Grammaticis dici scribatur. Qui autem vas floribus immittit, vt imprudentes olitores, flores opprimit, & conculcat. Nunc credo illud subtilius, quàm verius excogitatum esse, & de vento Austro interpretor, cuius aura calida, & æstuosa statim languescunt flores pulcherrimi. Papinius lib. 3. Sylu. *Pubentesq; rosæ primos moriuntur ad Austros.* Valerius Flaccus lib. 6.

Lilia per vernos lucent velut alba colores,
Præcipuè queis vita breuis, totusq; parumper
Flores honor: fuscis etiam Notus imminet alis.

Turnebus lib. 12. cap. 7. FONTIBVS APROS) Dubium non est, quin hæc ad prouerbiorum classem pertineant, fontibus apros, floribus Austros, ob violen- A tiam. Chiliad. Rursum alibi. Qui sibi accersit, optátue perniciem allatura, in hunc quadrat istuc Virgilianum, *Et liquidis immisi fontibus apros.* Neq; enim id sine prouerbij specie dictum apparet: siquidem apri non tantùm bibunt è fonte impressis pedibus, verùm etiam volutant sese. QVEM FVG. AH DEM.) Arbitror ἐνάργειαν fore maiorem, si ita interpungas. *Quem fugis? ab demens. habitarunt, &c.* HABITAR. DII QVOQVE SYLVAS, DARD. PARIS) Vitam rusticam non esse fugiendam, exemplo heroum, ac deorum monet. Apollo quidem Admeti regis armenta pauit in syluis, Liber, Venus, Luna, Iupiter, vt est in bucolisco Theocriti, in syluis versati sunt. Paris expositus, & à pastore repertus B in syluis, inter pastores educatus est. Nemesianus.

Dij pecorum pauere greges, formosus Apollo,
Pan doctus, Fauni vates, & pulcher Adonis.

PALLAS QVAS CONDIDIT ARCES) Catullus de nupt. *Diua quibus retinens in summis vrbibus arces.* Minerua ædificiorum, vt Oppianus scribit, inuentrix fuit: & proinde ex ædificijs vrbium. Vrbes ergo, quas ipsa condidit, ipsa incolat. Ipsa etiam πολιοῦχος, & πολιάς, & ἐρυσίπτολις cognomento, vt vrbium tutela colebatur, quarum & præses est: & in arce templum Athenis habebat. Sed Oppiani verba nostram sententiam confir- C mantia proferamus.

Ἄστεα δὲ τεκτήνασθαι, ἀνασῆσαί τε μέλαθρα,
Φαρεά τ' ἀσκῆσαι μήλων ἐναρθέα χερσὶ
Παλλὰς Τριτογένεια ἐδιδάξατο.

Arcium tantùm meminit Maro, quòd in ea vrbium parte ei solebant templa fieri. Phurnutus de ea, *ἵδρυνται δὲ ἐν ταῖς ἀκροπόλεσι μάλιστα.* Declarat ei quoque templum in editissimis locis, & arcibus solitum poni Vitruuius lib. 1. cap. 7. Ædibus verò sacris, quorum deorum maximè in tutela ciuitas videtur esse, & Ioui, & Iunoni, & Mineruæ in excelsissimo loco, vnde mœnium maxima pars conspiciatur, areæ distribuuntur. Hic (vt & hoc interim moneam) trium illorum deorum mentionem facit Vitruuius, qui vrbi Romæ censebantur præsidere. Turneb. D lib. 12. cap. 7. NOBIS PLACEANT. A. O. SYLVÆ) Cùm quis mediocritate sua in re quapiam se valde contentum, & in ea acquiescere, nec aliorum in eo, alióue genere beatitatem excellentiamq; admirari, & concupiscere significabit, ioculò his verbis vtatur. Iac. Pont.

Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam:
Florentem cytisum sequitur lasciua capella:
Te Corydon, ô Alexi. TRAHIT SVA QVEMQVE VOLVPTAS.
Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuuenci,
Et sol crescentes decedens duplicat vmbras:
Me tamen vrit amor. Quis enim modus adsit amori?
AH CORYDON, CORYDON, QVÆ TE DEMENTIA CÆPIT?
Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget vsus,
Viminibus, molliq; paras detexere iunco?
INVENIES ALIVM, SI TE HIC FASTIDIT ALEXIS.

TORVA LEÆNA LVPVM) Theocritus Idyll. 10.

Ἁ αἶξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,
Ἁ γέρανος τὤροτρον· ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μεμάνημαι.

Sima capella suum cytisum, lupus ipse capellam
Insequitur semper: sic & grus semper aratrum:
Te contra totus meus est furor.

Hoc nomen *leæna*, licet veteres latinum negent, auctoritate tamen valet. Dicebant enim leonem masculum, & fœminam, vt Plautus in Vidularia. *Nam audiui fœminam ego leonem semel parere.* Cicero de Gloria lib. 2. sic ait: Statuerunt gloria leænæ. Leam verò Varro ad Ciceronem dicit lib. 3. sicut nocet panthera, & lea. Philargyrius, cuius extant Notæ in Virgil.

Torua

Torua, epithetum ab oculorum sæuitia, quæ summa in hac fera est. Ex quo & Aristoteles leonem charopon vocat, quem Catullus cæsium, id est, glaucum, quia glaucis oculis præditum hoc animal, aspectu horribili apparet. Quales & Palladis oculi sunt, quæ idcirco perpetuo epitheto *γλαυκῶπις Ἀθήνη* Homero dicitur. Hinc & Hercules mortalium ferocissimus charops cognominatus est, quasi iracunde intuens: chara enim græcè, ira latinè dicitur: quo epitheto, vt militibus congruo, toruus Abas Virgilio, toruusq; Procrustes Nasoni, & quæ sequuntur apud Erythræum in Indice. * *Est autem similis locus apud Ouid. Metamorph. lib. 1. de animalibus se odio quodam persequentibus.*

> —— sic agna lupum, sic cerua leonem,
> Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ,
> Hostes quæque suos.

LVPVS IPSE CAPELLAM) Prouerbium est, vt lupus ouem, subaudi amat. De ijs, qui sui commodi gratia simulant amorem. Talis enim amor reuera est odium. Quod eleganti exemplo declarat Parœmiographus. LASCIVA CAPELLA) Lasciuia capris tribuitur. Horat. Ode 15. lib. 3. *Lasciuæ similem ludere capreæ.* Ode verò 13. eiusdē libri, hœdum appellat lasciui sobolem gregis. TRAHIT SVA QVEMQVE VOLVPTAS) Sententia hæc, inquit Scalig. Poet. lib. 5. cap. 5. *trahit sua quemq; voluptas*, non solum vellicauit Criticorum calumniam, sed etiam nutantem victoriam adepta est. Concludit enim vagas similitudines vulgata, certaq; hominum opinione. Illi verò ridiculi, qui pastoribus nolunt esse prouerbia. Quid enim tritum magis, quam illud, *Alia alijs placent?* Theocritus autem prouerbia tam multa inculcat, tam obscura nonnulla, vt diu sit quæsita eorum interpretatio.

Aristoteles lib. 10. Ethic. vbi sententiā Eudoxi enarrat, qui bonum voluptatē censebat, ipse Philosophus temperantissimus, subijcit. *ἕκαστον γὰρ τὸ αὑτῷ ἀγαθὸν εὑρίσκειν, ὥσπερ καὶ τροφήν*, vnumquemque sibi voluptatem, & bonum suum moliri, & inuenire, vt alimentum. Non absimilis Virgilianæ sententiæ est illa Homeri, Odyss. ξ.

> *Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.*
> *Namq; alijs alia res arridentq; placentq;*

Eurip. Oeneo. *ἀλλ' ἄλλος ἄλλοις μᾶλλον ἥδεται τρόποις.* Archilochus. *ἀλλ' ἄλλος ἄλλῳ καρδίην ἰαίνεται.* Archestratus. *Χαίρει γὰρ ὁ μὲν τούτοις, ὁ δ' ἐκείνοις.* Sed multa huiusmodi exempla cum è Græcis, tum è Latinis poetis colligere nihil negotij fuerit. German. Vrsin.

Collegit verò Scholijs in Sallust. Catil. Ald. Manutius, super illud, Sua cuique satis placebant: & collegit è Latinis. Lucretius. *sua cuique voluntas, Principium dat*, &c. Terent. Phorm. *Quot homines, tot sententiæ.* Ibid. *suus cuique mos.* Persius sat. 5.

> *Mille hominum species, & rerum discolor vsus:*
> *Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.*

Statius. *Sua cuique voluptas.* Adde his Ciceronem ad Attic. Sua cuique sponsa. Et Plin. epist. lib. 1. Varia sunt hominum iudicia, variæ voluntates.

D. Augustin. tractat. 26. in Ioannem, super illis verbis, Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Porrò si poetæ licuit dicere, *Trahit sua quemq; voluptas*, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio: quanto fortius dicere nos debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? Infrà. Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur: & quod currit trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo

A lo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias & voluptates terrenas amantibus reuelantur, trahunt (quoniam verum est, *trahit sua quemque voluptas*) non trahit reuelatus Christus à patre? Quid enim fortius desiderat anima, quàm veritatem? ASPICE, ARATRA IVGO. R. S. 1). Quod spectaculum rustico periucundum est (vt alia multa in vita illa agresti, de quibus Horat. Ode 2. Epod.)

> *Videre fessos vomerem inuersum boues*
> *Collo trahentes languido.*

Iacob. Pont. QVIS ENIM MODVS ADSIT AMORI?) Terent. Eunucho.

> *Here, quæ res in se neque consilium, neque modum*
> B *Habet vllum, eam consilio regere non potes.*

Querimonia Corydonis est, de perseueranti incendio. Et addit, amorem carere modo. Est ergo insanus, & stultorum proprius, qui mensuram, tam valde à sapientibus laudatam ignorant. Tantummodo deum diligendi modus est, vt sine modo diligas. Et illud Propertianum ad hunc ipsum cælestem amorem, ardoremque suauissimum ac beatissimum accommodato, *Verus amor nullum nouit habere modum.* Iacob. Pont. AH CORYDON CORYDON, Q. T. D. C) Theocrit. Idyll. 11.

> *Ὦ Κύκλωψ Κύκλωψ, πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι;*
> *Αἴκ' ἐνθὼν ταλάρως τε πλέκοις, καὶ θαλλὸν ἀμάσας*
> *Ταῖς ἄρνεσσι φέροις, τάχα κεν πολὺ μᾶλλον ἔχοις νῶν.*
> C *Τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε· Τί τὸν φεύγοντα διώκεις;*
> *Εὑρήσεις Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλαν.*

SEMIPVTATA TIBI FROND.) Profectò dementiæ accusandus est, qui relictis vtilibus ac necessarijs, istis se negotijs leuissimis, nugis inquam amatorijs dedit. Qui autem amat non respondentem, cōtemnentem etiam, & refugientem penitus, eum dupliciter stultum Terentius statuit in Hecyra.

> *Nam qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stultè dico.*
> *Laborem inanem ipsus capit, & illi molestiam affert.*

Iacob. Pont.

Sic infra Æneid. 4. in Didonem, œstro amoris percussam. *Non captæ assurgunt turres, non arma iuuentus*, &c. tanquam deo illo veternum, & socordiam
D animis hominum infundente, vt & Theocritus Cyclopis *ἐρωτομανίαν* describens, *ἁγεῖτο δὲ πάντα πάρεργα*: nimirum quòd tam soluto esset animo, vt totum se *ἀπεικονισμένον* voluptati daret, & præter libidinem vix ad se cætera, quæque ad vsus domesticos parantur, pertinere putaret. Germ.

Plus est *semiputata*, quàm si imputata diceret: tolerabilius est enim non incipere aliquid, quàm cœpta deserere. Hinc est illud in 1. Æneid. *méne incepto desistere victam?* Item Georg. 3. *Atque opere in medio defixa reliquit aratra.* Sanè geminam arguit negligentiam, & quòd semiputata vitis sit, & quòd frondosa vlmus: nam vtrumque obest. Vnde est Georg. 2. *bis vitibus ingruit*
E *vmbra.* Seruius. QVIN TV ALIQVID POTIVS) Habet pænè eandem vim hoc, quod isto versu dicit Corydon, cum eo quod in Andria Birria seruus prudenter Charinum monet.

> *Ah, quanto satius est te id dare operam*
> *Qui illum amorem ex animo dimoueas tuo, quàm id (loqui*
> *Quo magis libido frustra incendatur tua.*

Iacob. Pont. VIMINIBVS MOLL. PAR. DETEX. IVNCO) De semet quoque pastor eadem conqueritur apud Nemesian. eclog. 2. quòd non huiusmodi quippiam faciat, animo videlicet alia in re occupato.

> *Ipse ego nec molli iunco, nec vimine lento*
> *Perfeci calathos cogendi lactis in vsus.*

INVENIES ALIVM, SI TE HIC) Horat. Ode 10. lib. 3.

Supplicibus

— supplicibus tuis
Parcas, nec rigida mollior æsculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis, aut aquæ
Cælestis patiens latus.

Vrit hoc superbos, cùm se vicissim contemni vident, & nihili fieri ab ijs quos ipsi spreuerunt. Est autem legendum *Alexim*, non, *Alexin*: quæ lectio in vetustis exemplaribus cernitur. Vt non dicat simpliciter, Inuenies alium quem ames: sed inuenies alium Alexim, si te hic fastidit, sicut Theocritus, inuenies aliam Galateam.

TOTIVS ECLOGÆ PARAPHRASIS, EX TVRNEB. LIB. 30. capite 14.

Fingit Maro à Corydone Alexim perditè amari, id est, à se: eumq; inter syluosas fagos, densoq; cacumine vmbrosis ventitare solitum, Alexin querentem, in nemoribus fortasse venantem. Eo in loco querelam amatoriam, non vt à Marone carmine conditam, & comprehensam: sed temerè oratione soluta iactatam, inani irritoq; studio consueuisse queri. Quid enim et syluas voce ciere & lacessere proderat frustra laboranti? non curas, dicentem, illa, quæ de te tam multa feci carmina: nec te mouet, quòd æstu diei feruentissimo te per montes syluasq; sequor, tum,

A cum laboriosissimi messores intermittunt laborem, & moretum suum suamq; intritam comedunt. Nec quiescentes, sed dum lustro tua vestigia, & sequor, cicadæ, quæ diei summo calore incitatæ, canoram vocalemque querelam suam mecum geminant, arbusta omnia personant. Satius mihi multò fuit, vel Amaryllin, vel Menalcam amare, quam te, quamuis niger sit. Nec enim tantopere candidus color, quo tu insolescis, expetendus est. Ligustra enim candida negliguntur: vacinia nigra inficiendo colori purpureo expetuntur. Multæ mihi oues, lactis, hyeme & æstate recentis ingens copia. Cano quæ consueuit optimus fidicen Amphion, cùm pecus pasceret. Formosus quoque sum, quod comperi, cùm me nuper tranquillo mari spectarem: nec Daphnidi cedo, quamuis formosissimus habeatur. Tantùm, mi Alexi, ne rus fastidito, ne casas, & pastoritiam vitam despice: eumque puer sis, ne hœdorum sperne gregem, qui teneri teneris conueniunt: illum mecum ad pascua compellas licet. Hic tu mecum fistula canes, mecum, qui secun-
B dum Damœtam facilè reliquis antecello pastoribus, nec mihi æquari comparariuè potest Amyntas. Nymphæ rusticorum deæ venustissimæ, & amantes puerorum tibi flores violasq; luteas carpent, plenis afferent calathis, & corollas nectent, quibus ego multa adijciam munera, vt poma, castaneas, pruna, laurum, myrtum. Sed non mouetur munere Alexis, & Iolas ditissimus possessor eius nullis eum a se muneribus abduci patitur. Quanquam quid hoc verbi ex ore meo excidit, qui meos amores alijs indico mihi prærepturis, aut turbaturis? & Austrum floribus immitto, qui suo eos halitu marcidos, & aridos breui reddere consueuit. Hæc Turneb. quibus nonnulla continuationis caussa inspersimus, omissis paucis, quæ ad explicationem magis pertinent, vt vidisti, quemadmodum alia ibidem.



Ecloga tertia. Palæmon.

SYNOPSIS.

QVinque partibus continetur Ecloga præsens. Primùm enim Menalcas, & Damœtas vicißim se admodum contumeliosè accipiunt, tanquam fures, inuidos, maleuolos, cantandique prorsus rudes atque imperitos: & quod in prouerbio est, par pari vterque in capus alterius refert. Deinde verò depositis in medium pignoribus, ijsque commendatis, duobus nempe vitulis (nam fagineum Damœtæ poculum aspernatur Menalcas, vt suæ vitulæ multum impar, nulloque modo conferendum) ad certamen sese prouocant. Postea ad Palæmonem, qui altercationi huic forte fortuna interuenerat, litis totius arbitrium defertur. Tum amœbæo carmine concertant. Est autem amœbæum carmen, auctore Festo, quoties hi qui canunt, & æquali numero versuum vtuntur: & ita se habet ipsa responsio, vt aut maius, aut contrarium quid dicant. Postremò Palæmon eos pares, neutrumq; altero superiorem pronuntiat, dubiam palmam relinquens. Fuit L. Rhemnius Palæmon non ignobilis Grammaticus, cuius item mentio apud Suetonium: tanta inflatus arrogantia, vt M. Varronem Romanorum doctißimum, porcum appellaret, secumq; & natas, & morituras litteras gloriaretur. Hic nomen suum non casu, ac fortuitò, sed prouidè in Bucolicis positum aiebat: præsagisse enim Virgilium, fore quandoque omnium poetarum poematumq; iudicem Palæmonem. Obseruarunt eruditi, ex Idyllijs Theocriti, quarto nempe, & quinto conformatum hoc poematium, Virgiliumque varietatem, quæ cùm in omnibus rebus, tum præsertim in Eclogis delectat, quæsiuisse. In prima namq; personas amicas, & familiares introduxit. In secunda, alteram amantem, alteram auersantem. In hac duas planè aduersarias, & rixantes etiam. Et existimatus est nomen suum sub persona Damœtæ aduersus æmulos quosdam defendere, demonstrareque, eos frustra conari suæ claritati tenebras offundere. Ad hanc, & septimam effinxit quartam suam Nemesianus. Nam ibi quoque Mopsus & Lycidas alterno versuum tetrade, adiuncto eodem intercalari, vt fit in Pharmaceutria, suos amores consolantur. Respondet huic eidem secunda Calpurnij: vehementer quippe vterq; μαρωνίζει. Sed id magis, & illustrius in Nemesiani paucis eclogis apparet.

EXPLANATIONES.

MENALCAS, DAMOETAS, PALÆMON.

Ic mihi Damœta, cuium pecus? an Meliboei?
D. Non, verùm Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.
M. Infælix ô semper ouis pecus. ipse Neæram
Dum fouet: ac, ne me sibi præferat illa, veretur,
HIC ALIENVS OVES CVSTOS BIS MVLGET IN HORA:
Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

DIC MIHI DAMOETA, CVIVM PECVS?) Theocrit. Idyll. 4.

B. Εἰπέ μοι ὦ Κορύδων, τίνος αἱ βόες; ἦ ῥα Φιλώνδα;
K. Οὐκ· ἀλλ' Αἴγωνος, βόσκειν δέ μοι αὐτὰς ἔδωκεν.

Virgilius videtur reliquisse subaudiendum illud verbum *pascendum*, quod est in Græco *βόσκειν*, modo infiniti, & intelligendum esse, Nuper Ægon tradidit mihi pascendum. Aliquis tamen obijcere possit, quum versus illud admitteret, & quidem ornamento & elegantia pari, potius positurum fuisse, quàm suppressurum, nisi sua hæc à Theocritæis aliquid distare voluisset.

Semper *τὸ dic mihi*, iniuriosum est, ait Donat. super illud Terent. in And.

Eho, dic mihi, si omnes hunc coniectum in nuptias
Inimici vellent: quod nisi hoc consilium darent?

Ad confirmationem hunc ipsum Maronis locum ponit. In Hecyram ait, Dic, verbum est instantis audire, & curiosius interrogantis. Iterum hunc Virgilij versum laudat. Ab amaritudine cœpit Menalcas, inquit Seruius. Nam dicendo, cuium pecus? ostendit eum esse mercenarium. Cuium autem antiquè; aut vitans *ὁμοιοτέλευτον*, ne diceret, cuius pecus: quod modò trium est generum. Antiqui dicebant, sicut meus mea meum, sic, cuius cuia cuium. Terent. *Quid virgo? cuia est?*

Tres poetas ineptos, ac triobolares Virgilius æmulos, & obtrectatores habuit, quos eum credibile sit hic intellexisse. Ouid. lib. 1. de Remed. amoris, vbi vtrique poeseos antistiti sycophantas, & calumniatores suos fuisse confirmat.

Ingenium magni liuor detrectat Homeri:
Quisquis es, ex illo Zoile nomen habes.
Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguæ,
Pertulit huc victos quo duce Troia deos.

Tres, inquam, habuit, Bauium, Mæuium, quos hac Ecloga velut notis Threicijs compungit, & stigmatis inurit ad perpetuitatem memoriæ: & Anserem, quem perstringit Ecloga 9. ibi,

Nam neq; adhuc Vario videor, nec dicere Cinna
Digna: sed argutos inter strepere anser olores.

Hi parodias quasdam in eum scripserunt, ex eius carminibus, quibus poetam doctissimum pro indocto tradu-A cerent. Sed ille hos velut caniculārum latratus neglexit, nec silentio suo vel minimam gloriæ suæ iacturam incurrit. Prima parodia est ex primo versu 1. Eclogæ. *Tityre, si toga calda tibi est, quid tegmine fagi?* Visus est enim parum latinè locutus, *tegmine fagi*, pro vmbra, & opacitate fagi. Altera ex primis huius Eclogæ versibus.

Dic mihi, Damœta, cuium pecus, ánne latinum?
Non: verùm Aegonis, nostri sic rure loquuntur.

Sed, vt patuit suprà ex Seruio, ipsi ludibrium debent. Riserunt præterea, quòd numero multitudinis extulisset in Georg. hordea. *Hordea qui dicit, superest vt tritica dicat.* Atqui poeticæ vel libertatis, vel licentiæ meminisse debuissent, quæ se vsquequaque Grammaticorum B cancellis includi non patitur. Iacob. Pont. MIHI TRADIDIT ÆGON) Tradere probatis auctoribus est credere, committere. Sese, aut alterum alicui, rempub. imperium tradere, quid aliud sunt, quàm eius fidei, potestati committere? Iacob. Pont. NEÆRAM DVM FOVET) Vis quædam huic vocabulo *fouet* subesse videtur, metaphora ducta ab auibus, pullos alarum volumine fouentibus, aut ouis incubantibus: quæ vox plerunque à poeta in re amatoria adhibetur. Æneid. 4. *hyemem inter se, quàm longa fouere.* Item Æneid. 1. *oculis & pectore toto Hæret, & interdum gremio fouet.* Alibi tamen fouere castra, fouere cupidine bella. OVES BIS MVLGET IN HORA) Vix potest in fœcundis ouibus fieri per totū C diē, quanto minus in hora, vt bis mulgeantur? Georg. 3.

Quod surgente die mulsere, horisq; diurnis,
Nocte premunt: quod iam tenebris, & sole cadente,
Sub lucem exportant calathis.

Quid autem sequatur incommodi geminum mulctum in hora, statim ipse dicit, *Et succus pecori, & lac subducitur agnis.* Maccrantur nimirum oues, macescuntque nimium: succus quippe humor est, quo alitur animal: hinc corpus solidum, & succiplenum. Varro quoque lib. 2. de re rust. vetat, dum nutriuntur agni, matres mulgeri: quia plus lanæ ferunt, & agnos plures. Et lex Iustiniani est, *ἐὰν εὑρεθῇ ποιμὴν ἀμέλγων τὰ πρόβατα λάθρᾳ τοῦ κυρίου αὐτοῦ, καὶ πιπράσκων, τυπτόμενος τοῦ μισθοῦ στερείσθω.* Si fuerit deprehensus opilio oues mulgere clam domino suo, & vēdere (lac scilicet) verberatus mercede priuetur. Seruius, & alij.

D. Parcius ista viris tamen obijcienda memento.
Nouimus & qui te, transuersa tuentibus hirquis,
Et quo (sed faciles Nymphæ risere) sacello.
M. Tum credo, cum me arbustum videre Myconis,
Atque mala vites incidere falce nouellas.
D. Aut hîc ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum
Fregisti, & calamos. quæ tu peruerse Menalca,
Et cùm vidisti puero donata, dolebas:

ET SI NON ALIQVA NOCVISSES, MORTVVS ESSES.
M. QVID DOMINI FACIENT, AVDENT CVM TALIA FVRES?
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidijs, multum latrante lycisca?
Et cùm clamarem, Quò nunc se proripit ille?
Tityre coge pecus: tu post carecta latebas.

PARCIVS ISTA VIRIS) Si ea quæ vis dices, ea quæ non vis audies. Vel vt Cicero Sallustio respondens (quæ tamen orationes suppositititiæ sunt, & vtrique falsò adscribuntur) quam malè dicendo accepisti voluptatem, eam malè audiendo amittes. Germanicè, *Ey lieber gesell, thue gemach.* Hoc minatur Menalcæ, Damœtas tacitè. Id ita esse, quæ sequuntur in recriminatione, probant. Cùm Vespasianus, auctore Suetonio cap. 13. de Licinio Mutiano, cuius erat palam nota impudicitia, apud communem amicum conquereretur, clausulam hanc adiecit: ego tamen vir sum: seu, vt apud Aurelium Victorem est, nosti me virum esse: nempe, vt probabile fit, ad versiculum hunc alludens. Iacob. Pont. NOVIMVS ET QVI TE) Defectus verborum πάθος maximè significat, admirationem, amorem, odium, iram. Fit etiam alijs de causis: puta ob pudorē, quum res est turpis, vt hic: item quum veremur, ne auditores offendantur. Hoc ad oratores pertinet. Etenim si quo in vitio vel corporis, vel animi, vel fortunæ communem habeāt Iudices cum reo reprehensionem, id verò tametsi multum potest caussæ prodesse, tamen est omnino prætereundum. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 27. * *De ista ἐλλείψει, honesta scilicet in re turpi, Donat. in Eunuch. Synecdochen vult esse Quintil. lib. 9. cap. 3. cum subtractū verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur. Cui similia, inquit, sunt, meo quidem iudicio, in quibus verba decenter pudoris gratia subtrahuntur,* Nouimus & qui te, *&c. Hanc quidā aposiopesin putant, frustra. Nam illa quid taceat incertum est, &c.* TRANSVERSA TVENTIBVS HIRQVIS) Libido oculos in angustias, seu angulos oculorum solet contrudere, quos vocant hirquos, teste Suetonio, in vitijs corporalibus. Ideo autem hirquos, quoniam libidinis, quæ in hirco præferuida est [*adeo quidem, vt dum adhuc vberibus alitur, matrem stupro superueniat. Et ideo celeriter, & ante sex annos consenescit, quod immatura Veneris cupidine primis pueritiæ temporibus exhaustus est. Columell. lib. 7. cap. 6.*] illic promantur signa. Etiamsi Apuleius Grammaticus, quòd illic hæreāt oculi, hirquos dici opinetur. Legitur in nonnullis libris *hircis*, pro *hirquis*. Rhodigin. lib. 15. cap. 10.

Huic nomini hircus, inquit Iouian. de Aspirat. lib. 1. aspiratio loco, f, præponitur. Nam Sabini fircus dixere. Quanquam, si Quintiliano credimus, principiò Romani non aspirabant huic voci. Eadem ratione aspiramus hirquus, cùm significat eam partem oculi, qua palpebrę committuntur: quod nomen satis quidem ineptè Apuleius Grammaticus inde vult dictum, quòd illic hęreant oculi. Tradunt etiam Grammatici, vocem hanc, in hac significatione scribi debere per, q, cùm verò significat animal, per, c. Quod etsi non improbo, tamen existimo veteres in vtraq; significatione scripsisse per, q. Nam & hirquitalos dicebant pueros ad virilitatem accedentes, ab hircorum scilicet libidine: quæ res apertè indicat, etiam hircum pro animali, per, q, pronuntiasse illos, & hirquos dixisse, non quòd ibi hæreant oculi: sed quòd signa libidinis, quæ maxima in hirquis, id est, hircis est, illic cernerentur, eorumq; motu declararentur.

Fœtor ille alarum in hominibus caper, capra, hircus, τράγος dicitur, & τραγίζειν est virus illud olere. Sed quia malus ille odor rarò quenquam inuadit, nisi qui iam per pubertatem potest habere notitiam fœminæ, aut quia tum maximè fœtent hirci, cùm coitum appetunt, factū

A Vt τράγος aliquando pro libidine Venerea antiquis poneretur. Brod. lib. 5. cap. 22. * *Caprum, capram, & hircum appellari a Latinis fœtentem illam exspirationem alarum in humano corpore, docendum est aliquot auctoritatibus. Catull. in Rufum.*

Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Idem ad Vrronem. Si cui Virro homini sacer alarum obstitit hircus. *Horat. Ode 12. Epod.*

Namque sagacius vnus odoror,
Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer, vbi lateat sus.

Idem epist. 5. lib. 1. Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ. *Licet, inquit, plures tecum comites adducas: sed hoc est metuendū, ne multitudine conuiuarum arctè sedentium, existat alarū odor grauis, & teter. Sic Lamb. monens, à quibusdam scorta intelligi caprarum nomine.* B ET QVO, SED. F. N. R. S) De violato luco Donatus rectè interpretatur. Sed interdum faciles dij erant, nec lucos sacros violantes vindicabant. Contra Horat. de Ioue, Ode 12. lib. 1.

Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Turneb. lib. 29. cap. 29. TVM, CREDO, QVVM ME ARBVSTVM) Et rusticè, & naturaliter respondet. Non enim ante purgat obiecta, sed alia obijcit. Ita enim irati facere consueuerunt, cùm aut non potuerint, aut noluerint obiecta dissoluere. Seruius.

Verbum *credo*, εἰρωνικῶς adhiberi solet. Cic. 1. de Orat. Clamabunt, credo, omnia gymnasia philosophorum. Idem Orat. perf. Atque etiam à quibusdam serò iam C emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt: nam proh deûm atque hominum fidem, deorum aiunt. Ita, credo, hoc illi nesciebant, &c. Terent. Eunucho. *Credo, vt fit, misera præ amore extrusit hunc foras.* Imitatio Græcorum est, apud quos οἶμαι hunc vsum habet. Demost. ἀλλ', οἶμαι, πεπεῖσται οὗτοί μοι. At isti, credo, præstantiores se, quàm ipse me præbui. Ouid. at puto, sed puto pro eodem, seu eadem significatione dixit. lib. 5. Trist.

At puto, si demens studium fatale retentem,
Hic mihi præbebit carminis arma locus.

Lib. 1. de Ponto. *At puto, fructus adest mitissima caussa laborum.* In Nuce. *Sed puto, magna mei est operoso cura colono.* Iacob. Pont. MALA FALCE) Qua tu malè vteris. D Et dictum ex affectu vtentis: sicut, inutile ferrum cingitur. VITES NOVELLAS) In hoc maximum nefas est, nam vetulæ & cum vtilitate inciduntur. Fuerat autem capitale, arbores alienas incidere. Seruius. * *Vitem nouellam, & vineam nouellam lego etiam apud Catonem de re rust. cap. 34. Plin. lib. 16. cap. 27. vetustioribus vitibus vinum melius, nouellis copiosius. Nouelletum pro vinea recenter instituta, dixit Paulus Iurecos. Reperitur verbum quoq;* nouellare *apud Tranquillum in Domitiano cap. 7. Ad summam, inquit, vbertatem vini, frumenti verò inopiam existimans nimio vinearum studio negligi arua, edixit, ne quis in Italia nouellaret. Hoc est, vt ibidem Torrentius explanat, vites nouellas institueret. Qui etiam facetum quoddam dictum ante a Beroaldo notatum, ex Philostrato adducit. Apollonius, postquam edictum Domitiani de vitibus rescivit, At hic, inquit, praclarus Imp. qui mares castrari vetuit (Sueton. eod. cap.) terram eunuchum fecit.* E ET CALAMOS) De calamis vnde tela fiunt, lege quæ scribuntur à Plinio lib. 16. cap. 37. Calamis orientis populi bella conficiunt, calamis spicula addunt, irreuocabili hamo noxia, &c. Iacob. Pont. PVERO DONATA DOLEBAS) Dolebas propter inuidentiam tuam videlicet: inuidia enim est dolor de alienis bonis. Compluria

pluria disserimus de hoc vitio in Eclog. 1. super illo, Ἀδδηγμένος ἐν κραδίῃσι. *Non equidem inuideo*, &c. Modò tantùm egregiam ex D. Chrysostomo sententiam, ad huius improbitatis detestationem producemus. Ille Homil. 44. ad populum Antiochen. Omni venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam potest prætendere, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas quidẽ, & irrationabiles, habent tamen quas prætendant occasiones. Tu verò, quam dices caussam, rogo? Nullam penitus, nisi solùm intensam nequitiam. SI NON NOCVISSES, MORTVVS ESSES) Sunt duæ figuræ prouerbiales, quibus intemperantem rei cuiuspiam cupiditatem declaramus. Altera est apud Aristophanem in Vespis huiusmodi:

Ἦν μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου,
Ὕπνου δ' ὁρᾷ τῆς νυκτὸς οὐδὲ πασπάλην.
Ligno nisi forsitan primo illi assederit,
Somni videt nihil nocte, vel passpalam.

Primum lignum dixit primum gradum. Passpalam autem Græci vocant minutissimum aliquem farinæ puluisculum. Ad eundem modum Iuuenalis, *quibusdam Somnia rixa facit*. Altera est apud Maronem (hoc loco intellige.) Prior ita effertur, non capit somnum, nisi hoc, aut illud fecerit. Et eam reperire est apud Hebræum Parœmiographum. Nõ enim dormiunt, nisi cùm malefecerint: nec capitur somnus ab eis, nisi supplantauerint. Chiliad. QVID DOMINI FACIENT, AVDENT. Q. T. F) *Conatur Aegonem riualem suum simul infamare cum seruo, & est argumentatio à comparatione minorum.*] Seruius in hunc locum ita commentatur. Plerumq; personæ suis nominibus exprimũtur. Vt si dicas, philosophus, nomen ipsum ponis. Si autem velis dicere, sapientię operam dans, personam exprimes per officium, sicut hic. Nam pro seruo furem posuit: furta enim specialiter seruorum sunt. Sic Plaut. de seruo. *Homo es trium litterarum*, id est, fur.

Varro lib. 1. de ling. lat. dicit furem ex eo dictum, quòd veteres Romani furuum atrum appellauerint: & fures per noctem, quæ atra sit, facilius furantur. Quam etymologiam respuit Gell. lib. 1. cap. 8. Ipse aliam e Græco affert. Quod enim Grecis, inquit, nunc κλέπτης, antiquiore Græca lingua φὼρ est dictum. Hinc per affinitatem litterarum qui φὼρ Græcè, Latinè fur. NON EGO TE VIDI) Plaut. Trucul.

Pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè sciunt.

Docet longè maiorem fidem habendam, referentibus ea quæ viderint oculis, quàm ijs qui narrant ab alijs audita. Iustinian. Instit. lib. 3. oculatam fidem nominat, cùm res subijcitur oculis. Vulgò, si quis fabulã narret parum verisimilem, rogare consueuimus, num ea conspexerit. Si neget, sed audisse se tantùm affirmet, ridetur. Chiliad. CAPRVM EXCIPERE INSIDIIS) Verbum excipere venatorum est proprium, δέχεσθαι Græci. Hom. Iliad. Λ. Æneid. 6.

Aemulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa immerserat vnda.

Translatum illud Cicer. pro Roscio Amerin. Nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emptores, vos hic tales viros sedere, qui excipiatis eos, qui e suis manibus effugerint. Horat. epist. 1. lib. 1. *Excipiantq; senes, quos in viuaria mittant*. Lamb. in Horat. * *Adde Propert. lib. 2. eleg. 19.*

Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere, & stricto figere auem calamo.

Adde & Maronẽ, lib. 11. de Camilla Orsinũ, seu Orphitum interficiente. Hũc illa exceptum (neq; enim labor agmine verso) Traycit. *Sueton. Augusto, cap. 16. Cum præter Locros Rhegiũ pedibus iret, & prospectis biremibus Pompeianis terrã legentibus, suas ratus descendisset ad littus, pæne exceptus est. Dicuntur verò abigei proprie, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subducunt, & quodammodo deprædantur. Etiam abactores, à Græcis ἀπελάται. Erant Hispani olim maximè abigei, adeo vt Iberos poeta dicens, intelligat abigeos. Vide Lexicon iuris.*

Cæterùm *excipere* Nonius interpretatur, præter alias notiones, opprimere, circumuenire. Adducit Virgilium lib. 3. Æneid. *Et scelerum furijs agitatus Orestes Excipit incautum, patriasq; obtruncat ad aras*, Ciceronem &c. MVLTVM LATRANTE LYCISCA) Ex Seruio, & Plinio constat, lyciscam de congressu canis, & lupi generari. Certè Arist. 2. de generat. animal doctissima disputatione caussam scrutatur, cur solus mulus omnium animantium, quæ etiam non ὁμογενὲς libido permiscet ad coitum, nihil neque ex suo genere, neque aliunde generet. Eius disputationis, quæ & natales lyciscæ complectitur, tale est initium. γίνεται δὲ συνδυαζομένοις τοῖς ζώοις, &c. German. * *Plinium de lycisca id nusquam tradidisse contra Seruium notat Beroaldus. Bigenera animalia Festus ait vocitari, ex diuerso genere nata: vt leopardum ex leone & panthera, suem hibridam ex apro, & scrofa domestica. mulum ex equa, & asino. Vide Isidor. lib. 12. cap. 1. Obseruatum, inquit Plin. lib. 8. cap. 43. è duobus diuersis generibus nata, tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia: eaq; ipsa quæ sunt ita nata, non gignere, in omni animalium genere.* ET CVM CLAMAREM, TV POST CARECTA) Adagium est, οἱ φῶρες τὴν βοήν, fures clamorem, subaudiendum, timent, aut senserunt: quod cadit in eos, qui sibi conscij, metuunt ne deprehendantur: aut qui peracto maleficio fugitant, pauitantque. Habet autem hoc cum omnis malefacti conscientia, tum præcipuè furti, vt hominem trepidum reddat, ac lucifugam. Vnde est in Hebræorum sententijs, impium vel persequente nullo fugere. Huc ergo allusum à Virgilio. Chiliad. * *Cum dixisset Menalcas, se vidisse Damœtam caprum excipientem insidijs, satis manifestè eum furti arguit, vt ait Seruius. Quis enim ea neget, quorum nobis testes sunt oculi? sed quoniam adijcit:* Et cum clamarem, &c. *arbitratur Cuiatius Obseruat. lib. 11. cap. 38. visum furem non aliter pro manifesto haberi, quam si dominus qui vidit, viso acclamauerit, Quò te fur proripis? Quonam res abit mea? aut quid simile. Sicut ex XII. clamor exigitur, antequam iure furem occidere possis.* QVO NVNC SE PROR.) Plaut. Trinum. *Quo illic homo foras se penetrauit ex ædibus?*

D. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit: & mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.
M. CANTANDO TV ILLVM? aut vnquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? non tu in triuijs indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

AN MIHI CANT. VICTVS) Tanquam victoriæ præmium mihi debebatur ille caper: deposuerat enim illũ Damon: sed ideo fortitã negabat se posse reddere, quòd ipsi quoq;, proinde vt Menalcæ domi pater erat, cum iniusta nouerca, qui ambo bis in die pecus numerarent, alter etiã hœdos. Egit ergo prudentius Menalcas, dum vt infra

vt infrà audiemus, quod in sua erat potestate, quodque A victus reddere poterat, cum Damœta concertaturus deposuit. Sed enim certa spes victoriæ Damœtam temerarium fecit. Iacob. Pont. CANTANDO TV ILLVM?) Hic, & sequentes duo versus expressi sunt è Theocrit. Idyll. 5.

Τὰν ποίαν σύριγγα; τὺ γάρ ποτε δῶλε Σιβύρτα
Ἐκτάσω σύριγγα; τί δ' οὐκέτι σὺν κορύδωνι
Ἀρκεῖ τοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι;
Quenã hæc quam memoras est fistula? serue Sybarta,
Vlla fuit ne vnquam tibi fistula? sat tibi nonnè est,
Quod culmis (hi sunt tua tibia) cum Corydone
Edere non cessas poppysmata.

Eosdé suos fecit imitando Calpurn. eclog. 2. hoc modo.

Vincere tu quenquam, vel te certamine quisquam
Dignetur? qui vix stillantes arida voces
Rumpis, & expellis male singultantia verba?

FISTVLA CERA IVNCTA) Lege supra. *Est mihi disparibus septem compacta cicutis.* STRIDENTI STIPVLA) Calpurnius, *carmen inops & acerbæ stridor auenæ.* Nemesi. eclog. 3. *Tum Pan excussus sonum stridentis auenæ.*

D. Vis ergo inter nos, quid possit vterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne fortè recuses
Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
M. De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est iniusta nouerca:
Bisq; die numerant ambo pecus, alter & hœdos.
Verùm id quod multò tute ipse fatebere maius
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis,
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon: & quis fuit alter
Descripsit radio totum qui gentibus orbem?
Tempora quæ messor, quæ curuus arator haberet?
Nec dum illis labra admoui, sed condita seruo.
D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit:
Et molli circum est ansas amplexus acantho:
Orpheaq; in medio posuit, syluasq; sequentes.
Nec dum illis labra admoui, sed condita seruo.

SI AD VITVLAM SPECTES, NIHIL EST QVOD POCVLA LAVDES.

Theocritus Idyll. 8.

Μ. Χρῄσδεις δ' ὦν ἐσιδεῖν, χρῄσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;
Δ. Χρῄσδω τοῦτ' ἐσιδεῖν, χρῄσδω καταθεῖναι ἄεθλον.
Ἀλλὰ τί θησεύμεσθ' ὅ κεν ἁμῖν ἄρκιον εἴη;
Δ. Μόσχον ἐγὼ θησῶ· τὺ δὲ θὲς γ' ἰσομάτορα ἀμνόν.
Μ. Οὐ θησῶ ποκα ἀμνόν· ἐπεὶ χαλεπὸς θ' ὁ πατήρ μευ
χ' ἁ μάτηρ· τὰ δὲ μᾶλα ποθ' ἕσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι.

M. An scire ergo libet? libet an deponere pignus?
D. Hoc mihi scire libet, libet & deponere pignus.
M. Quid quod sufficiat, deponere possit vterque?
D. Deponam vitulam: æqualem agnum pone parenti.
M. Haud deponã agnũ, quoniam pater est mihi durus,
Et mater: vergente die numerantur ab illis
Quotquot oues hic sunt.

Ex Virgilio illud *ἐσιδεῖν* reddi eleganter posset, experiri, aut etiã cum illa adiectione, experiri quid possit vterq;. Alioqui notum est, significare proprie, videre: adeo, vt potuerit & ita locus hic reddi, ad verbum, *Hócne videre places?* & in responsione, *Nempe videre places.* In interpretatione auté nominis *ἄεθλον* illum secutus sum. Cæterum quum eadé hic apud vtrunq; poetam pastores dicant, plus venustatis eorú colloquio inest apud Theocritú, propter hos amœbæos versus, in quib9 Daphnis, qui respondet, verba Menalcę, qui interrogauerat, sequitur.

M. An scire ergo libet, libet an deponere pignus?
D. Hoc mihi scire libet, libet & deponere pignus.

B At verò apud Virgilium Damœtas non exspectat Menalcæ responsum ad suam interrogationem. Dicit enim Damœtas. *Vis ergo inter nos, quid possit vterq;, vicissim Experiamur?* quibus subiungit, *ego hanc vitulam &c.* Posset autem illa *ἀμοιβαιότητος*, vt ita dicam, venustas ex Virgilij verbis concinnari, meo iudicio.

D. Visné ergo inter nos, quid possit vterq;, vicissim
Experiamur, & an pignus ponamus vterque?
M. Nempe volo inter nos, quid possit vterq;, vicissim
Experiamur, item pignus ponamus vterque.

Ideo autem simplici *ponere*, nõ minus quam composito *deponere* licere hîc vti existimo, quòd Theocritus nõ solum *καταθεῖναι* dicat, sed etiam *θησῶ*, & *θησεῖς*, & *θησεύμεθα*. C VIS ERGO INTER NOS) Calpurnius eclog. 6.

Vis igitur, quoniam nec nobis, improbe, par es,
Ipse tuos iudex calamos committere nostris?

BIS VENIT AD MVLCTRAM) Horat. Ode 16. *Illic iniussæ veniunt ad mulctra capellæ.* VITVLAM DEPONO) Antiqui sponsionibus contendebant, & earum arbitros cõstituebant, apud quos pignora quoq; deponebant: quarum sponsionum vel apud Iureconsultos monumenta supersunt, & Plutarchum in Antonio. Hic locus à Theocrito in Batto manauit. *ἀλλ' ἢν αἶγα λῇς ἔριφον θέμεν*, &c. Vt auté Latini, deponere, Græci *παρακαταβάλλειν* dicunt, sacramento contendere, sponsione certare. Germani INIVSTA NOVERCA) Existimatur Virgilius aptius nouercæ mentionem fecisse, quam matris Theocritus:

Quin etiam variauit rem nudam, vt, *alter & hœdos*: quippe modicum gregem: vterq; verò pecus, cuius iactura in magno numero quò deprehendi posset, maiore indigeret cura, atq; obseruatione. Scalig. F.

Vt autem intelligamus, quamobrem iniustam vocarit nouercam Maro, & cur dicat Seruius, id esse generale epitheton nouercarũ, sic habeamus. Nullum maius, neq; certius indicium est amoris vxorij erga virum, quã si priuignos non oderit: quod si etiam amauerit, tum verò quasi muliere maior, in admiratione erit. Hoc odium nouercale insinuat Horat. Ode 5. Epod. in Canidiam veneficam, *Quid, vt nouerca, me intueris?* Euripid. Alcestide. Ἐχθρὰ γὰρ ἡ ἐπιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις

Τοῖς πρόσθ᾽, ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

Hostis nouerca est ante natis liberis,

Nihilq; mitior nocente vipera.

Charondas legislator Thuriorum sanxit legem, ne quis liberis nouercam superinduceret, neúe secundã vxorẽ caperet, vsus hoc dilemmate. Si prius coniugiũ fuit prosperum, ea prosperitate contentus esto: si infelix, & improsperũ, furiosi est idem malum denuo experiri velle. Solent præterea comparari cum naufragis, mare, vnde vix salui euaserunt, repetentibus, qui mortua priore, secundam ducunt: quanto magis, qui tertiam, quartam, quintam? Lege Diodor. lib.12. Iacob. Pont.

Prouerbium est, Apud nouercam queri, de ijs, qui infœlicitatem suam deplorant apud eos, qui nihil sunt auxilij laturi, vel gauisuri etiam querentium malis: quod nouercæ ferè malè velint priuignis. Ballio leno in Pseud. Plauti. *Nam istuc, quod nunc lamentare, non esse argentum tibi, Apud nouercam querere.* Leno pro se supposuit nouercam. Quod dictum Pseudolus simulans se non intelligere, *Eho, inquit, an vnquam huius nupsisti patri?* Aliud prouerbium, Nouercale odium, pro magno, fatali, irrecõciliabili odio, quod insitum est nouercis omnib⁹. Id eleganter docetur epigrammate quodam εἰς μητρυιάν. lib.1. Στήλην μητρυιῆς μικρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος,

Ὡς βίον, ἀλλάχθαι καὶ τρόπον οἰόμενος.

Ἡ δὲ τάφῳ κλινθεῖσα κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα.

Φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

Exiguo lapidi puer addit serta nouercæ,

Mutasse vt vitam, sic ratus ingenium.

Extinguit puerum illapsus tumulo. Eia nouercæ

Priuignus exanimem vel tumulum fugito.

Chiliad. * *Ridiculũ est, quod scribit Plutarchus, lib. de tranquillit. animi. Quidam cum in canem prætereuntem mitteret lapidem, aberrauit ab eo, nouercam fortuitò percussit: tum, ne hoc quidem malè, inquit.* INSANIRE LIBET TIBI) Insanis Damœta, me prouocans ad certamen cum mecum nullo modo comparandus sis, multis vtriq; partibus inferior, qui in triuijs miserum carmen disperdere solitus es stridenti stipula. Audere maiora viribus, amentiæ est & insaniæ, quòd facis in præsens. Ergo insanus es. Dicuntur & insanire, qui aliquid faciunt temere, & non satis cum ratione. Ostentator in 4. Cornif. ad Heren. Tametsi in Tusculano quidem cæpi insanire, & in ijsdem fundamentis ædificare. Iacob. Pont. POCVLA FAGINA CÆL. D. O. A) *Commendatio poculi à materia, artificio, & artifice*] Nimirum & apud Trebelliũ disci sunt corymbiati, & lances pampinatæ, & pateræ hederatæ. Germ. LENTA QVIB. TOR. FACILI) Lentam vitem nuncupauit & Catull. epithal.

Lenta qui velut assitas

Vitis implicat arbores.

Require quæ diximus in 7. Æneid. super illo, *Lento ducunt argento*, ex Mureti lib.5. cap.8. Tibull. lib.1. eleg.1. facile lutũ dixit, *Pocula de facili composuitq; luto.* Sed aliter tornus facilis. Iac. Pont. CONON, ET QVIS F. A. D. R.) Seruius quandoq; lapsus est in historia hominum, quorum meminit eruditus, & multæ lectionis poeta. Non enim intellexit Virgilius Cononem Atheniensem, summum virum in reb⁹ bellicis, Timothei item Imperatoris filium, vt ipse putauit: sed valde peritum Geometram hominem, magnaq; cum laude in mathematicis versantem, cognominem illi. Eius autẽ quoq; meminit Archimedes in epistola, qua Dositheo misit librum suum περὶ τετραγωνισμοῦ παραβολῆς: ostendit enim amicum Cononem ambobus fuisse, ac de eius interitu paulo ante mortui conqueritur. Inde autem suspicari possumus, alterũ illum, quem Virgilius non appellauit, Archimedem fuisse, vt alijs etiam nonnullis coniecturis, ita hac, quod nobilis artifex, quos coniunctos amicitia fuisse, & in eodem studio claruisse sciret, in poculo illo coniunxisset. Victor. lib.17. cap.8. De Conone isto Callimachus in elegia, quæ, vt ex Arati interprete colligimus, Βερενίκης πλόκαμος inscripta fuit. Eam transtulit Catullus. Vrsin.

Iouian. lib.1. de Aspirat. super hoc versu, *Descripsit radio totum qui gentibus orbem.* Mathematici enim, cæli ambitum, ac stellarũ sphæras, & terræ quam incolimus partes, quibusdã distinctas cingulis, ac gradib⁹, figurant lineis, & intra circulos cogunt. Accipiendum autem de Conone Samio, nobili Mathematico, non de Claudio Ptolemæo, vt Maronis interpretes credunt, qui quidem multis post Virgilium annis floruit. Fuit autem Conon hic temporibus Ptolemæi Regis, à quo propter disciplinam in summo honore est habitus. Qui cum cæli situm describeret, quasdã stellas, quæ sunt in eo sidere, qui leo dicitur, crines esse Berenices commentus est, de quo est apud Hyginũ in lib. de signis cælestibus, Et apud Catull. *Omnia qui magni despexit sidera mundi*, &c. * *Erunt ergo, si Iouianum audiamus, duo Conones in his duobus versibus: quorum alter exprimitur, alter dormitantibus relinquitur. Et ipse quidẽ posteriori etiam audet poema de coma Berenices reginæ adscribere. At mihi libet assentiri Victorio de Archimede. In eo verò quod pastorem finxit poeta vel nescire quis ille alter fuerit, vel cum sciret, oblitum esse, personæ decorum seruauit: rusticos enim exacta rerum huiusce modi notitia non decet.*

Radius (quod ignorat nemo) splendor est à sole micans, tela dici vocat Lucret. A similitudine radius geometricus, quo lineamenta describuntur. Humilem homunculũ à puluere, & radio excitabo, ait de Archimede Cic. Tusc.5. & radius astronomicus, quo sidera spectantur. 6. Æneid. *Cæliq; meatus Describent radio, & surgentia sidera dicent.* Dicuntur & radij rotarum: quibus item mensura raditur, aliàs hostoriũ, rutrum: & quibus textores in tela texenda vtuntur. TEMPORA QVÆ. M. Q. C. A) Tempus serendi, tempus metendi, & vnicuiq; rei suum tempus est, vt legimus apud Ecclesiasten. cap.3. nec possunt consistere, quæ non suo tempore suscipiuntur. De aratore curuo Plin. lib.18. cap.19. Arator nisi incuruus, præuaricatur. Vetus epigramma in libros Virgilij. *Hic tibi nec pastor, nec curuus deerit arator.* Curuum oportet esse aratorem propter aratrũ curuum. Lucret. lib.5.

Nec robustus erat curui moderator aratri

Quisquam, nec scibat ferro molirier arua.

Iacob. Pont. NEC DVM ILLIS LABRA ADMOVI) Hypallage, pro, ea labris admoui. Rebus pretiosis, aut elegantibus tardè, & quodammodo nolentes vtimur: scientes, ipso vsu minus reddi pretiosas, & suum splendorẽ paulatim, elegantiamq; amittere: quod nos minimè vellemus. Quare quædam, tametsi possent esse vsui, perpetuò inter κειμήλια pro thesauris relinquimus, ea spectare subinde, & alijs ostentare contenti. Iacob. Pont. ET CIRCVM EST AN. AMP. A) Tradunt virginem quandam Corinthi decessisse, nutricem verò eius pocula, quibus illa delectata admodum fuerat, collegisse in calatho, delataq; ad tumulum, illic collocasse, & vt diutius sub dio permanerent, tegula etiam texisse. Eum calathum

lathum fortè super acanthi radicem fuisse collocatum, radicem verò pressam calathi pondere, folia, cauliculosq; profudisse, eosque secundum calathi latera crescentes, ab angulis tegulæ pressos circumflexisse sese, ac delectabilem speciem visentibus præbuisse. Tum Callimachum architectum delectatum genere, & formæ nouitate, ad id exemplar columnas fecisse, quas posteriores Corinthias appellarint. Quamobrem arbitror Virgilium huius historiæ memorem, dixisse, Alcimedontem illum suum ansas poculorum flexibili acantho fuisse complexum. Iouian. de Aspirat. lib. 2. ORPHEA, SYLVASQVE SEQVENTES) Lippis, & tonsoribus etiam notissima est illa Orphei fabula: eum nimirum canentem cithara feras quoque, & arbores secutas esse. Interpretatur eam, & Amphionis, qui saxa cantu ad Thebana mœnia construenda coire, & coagmentari fecit, Horat. ad Pisones. De eodem Orpheo noster Georg. 4. ad finem. *Mulcentem tigres & agentem carmine quercus.* Ad quem locum plura. Iacob. Pont. SI AD VITVLAM SPECTES) Valde stupidus sit, qui caussam non cernat. Laudet Menalcas suum illud poculum ligneum, & eo gaudeat quantum vult: vna vitula, qualis ista, præstat vel pluribus huiusmodi poculis. Quid illa cælatura, præter inanem oculorum voluptatem habet? Aut ad sedandam cum iucunditate sitim quid refert cælatóne, an incælato, aureo, an ligneo poculo bibas? Vitula, seu bucula hæc (præterquam quòd carnes eius in cibum coquuntur, & pellis non est inutilis) quotidiano lacte ditare potest rusticum: siquidem bis venit ad mulctram. Et vt fœcunditatem vberis perspicias, eodem tempore adhuc cum suo alienum vitulum, supposititium videlicet, alit. Iacob. Pont.

M. Nunquam hodie effugies: veniam quocunq; vocaris.
Audiat hæc tantùm vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam, posthac ne quenquam voce lacessas.
D. Quin age, si quid habes: in me mora non erit vlla.
Nec quenquam fugio. tantùm vicine Palæmon,
SENSIBVS HÆC IMIS (RES EST NON PARVA) REPONAS.

NVNQVAM HODIE EFFVGIES) Næuius in Equo Troiano. *Nunquam hodie effugies, quin mea manu moriare.* Ni tot veterum poetarum monumenta perijssent, facilè perspiceremus, Virgilium interdum quidem integros eorum versus, interdum verò dimidiatos, modò etiam paululum immutatos versibus suis immiscuisse, ut vel ex hoc Næuij adducto carmine conijcere quiuis potest. Vrsin. VOCE LACESSAS) Cicero 2. Philipp. Tu ne verbo quidem à me lacessitus. AGE SI QVID HABES) Vides audaciam Damœtæ? victoriam sibi iam in manibus videtur habere. Et contemptim, *si quid habes*, inquit. Nihil enim ducit quod habet, id est, quòd cantu valet Menalcas: quodammodo par pari refert, contemptoremque suum, à quo audierat, *non tu in triuijs indocte solebas*, &c. vicissim, paulò tamen ciuilius, minusque apertè despicit. Iacob. Pont. IN ME MORA NON ERIT VLLA) Sic Terent. And. *sin eueniat quod volo, In Pamphilo vt nihil sit mora.* Et. *Neque hic, neque alibi vspiam erit tibi in me mora.* VICINE PALÆMON) Quæ de Palæmone Grammat. Sueton. lib. de claris Grammat. Euseb. in Chron. Plin. lib. 4. cap. 4. & Iuuenal. Sat. 7. scripserunt, cum volueris ipse leges. SENSIBVS HÆC IMIS. R. E. N. P) Ouid. *Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis.* Horat. Ode 14. Epod.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Obliuionem sensibus.

Hom. ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι. Cic. 1. Catilin. Percipite quæso diligenter quæ dicam, & ea animis vestris, mentibusq; mandate. Pro P. Quintio. Quæso vt eum diem memoriæ mandetis. Pro Cornelio Balbo. Oratio quæ nō præteruecta est aures vestras, sed in animis omnium penitus insedit. Et 2. de Orat. nihil vnquam audiui, quod non in memoria mea penitus insederit. Veruntamen qui postulat quippiam imis sensibus reponi, aut menti intimæ mandari, non solum videtur cupere, illud retineri, nec per obliuionem excidere, verum etiam, vt rem seriam perpendi, considerari, perspici, probè cognosci, ac dijudicari. Itaq; statim subijcit, *res est non parua:* quod exponere licet, de re non parua agitur, non est vel de vmbra asini, vel de lana caprina nobis instituta concertatio: honoris est cōtentio: honore cedere qui velit, rarus erit. Et dicitur ex animo æstimantis, Res est nō parua. Quod enim quisq; magni pendit, & admiratur, & ardenter optat, id illi res magna, seu non parua res est, etiamsi res nihili est, & pro qua digitus vertendus non sit. Iacob. Pont.

P. Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba:
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
NVNC FRONDENT SYLVÆ, NVNC FORMOSISSIMVS ANNVS.
Incipe Damœta, tu deinde sequêre Menalca.
Alternis dicetis: AMANT ALTERNA CAMOENÆ.

DICITE: QVANDOQVI.) Inuitatio ad cantandū, ab adiunctis & loci, & temporis, quale ferè apud Ciceronē in dialogis decorum seruatur. Primo de Orat. platanus est in cuius vmbra disseritur: de legib. inter procerissimas populos: & in viridi, opacaq; ripa fluminum, ad auium quoq; cōcentum disputatur.* *Nemesian. eclog. 1. Vt se Virgilianū, quemadmodū alijs locis, ostendat dicam an ostentet?*

Hic cantare libet, virides nam suggerit herbas
Mollis ager, lateq; tacet nemus omne.

NVNC OMNIS PARTVRIT ARBOS) Partum arboris hoc loco florē intelligit: hic enim tempore verno eius partus est: alius in autumno, qui legitur, & conditur. Nequeo præterire suauem, & peropportunum Plinij locū è lib. 16. cap. 25. Arborum flos, est pleni veris indicium, & anni recrescentis, flos gaudium arborum. Tunc se nouas aliasq; quam sunt ostendunt: tunc varijs colorū picturis in certamen vsq; luxuriant. FORMOSISSIMVS ANNVS) Formosissimus annus, est formosissima, id est, gratissima, iucundissima, amœnissima, & optatissima pars anni, puta ver, cuius descriptionem trademus in 2. Georg. Et quia nobis abundat area, incipiemus hic sumptum facere, apposita Anacreontis Oda dulcissima, & vernantissima, εἰς τὸ ἔαρ.

τὰ

Ἴδε πῶς ἔαρος φανέντος	*Viden' vt ineunte vere*
Χάριτες ῥόδα βρύουσι.	*Charites rosis abundant?*
Ἴδε πῶς κῦμα θαλάσσης	*Viden' ut iam aequoris vnda*
Ἁπαλύνεται γαλήνῃ.	*Posuit suum furorem?*
Ἴδε πῶς νῆσσα κολυμβᾷ,	*Viden' vt iam nat anas, &*
Ἴδε πῶς γέρανος ὁδεύει.	*Remeare vt incipiat grus?*
Ἀφελῶς δ' ἔλαμψε Τιτάν,	*Purè vt refulgeat sol?*
Νεφελῶν σκιαὶ δονοῦνται.	*Nebulæ fugentur atræ?*
Τὰ βροτῶν ἔλαμψεν ἔργα,	*Hominum nitent labores:*
Καρποῖς γαῖα προκύπτει.	*Tellus parturit herbas,*
Βρομίου στέφεται νᾶμα.	*Termes oliuæ exerit se:*
Κατὰ φύλλον, κατὰ κλῶνα	*Bromij redimitur humor:*
Καθελὼν ἤνθησε καρπός.	*Fronde sub omni, foliósq;*
	Fructus flores opimus.

Pericles in epitaphio dixit, τὴν νεότητα ἐκ τῆς πόλεως ἀνῃρῆσθαι, ὥσπερ τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξαιρεθείη. Iuuentutem (Atheniensem) è repub. sublatam esse perinde, ac si ver ex anno tolleretur. Horat. Ode 23. lib. 3. *Pomifero graue tempus anno*, de autumno. Rursum ita locutus est noster Maro, nomine, inquã, totius, partem notans. Æneid. 3.

——— subitò cum tabida membris
Corrupto cæli tractu, miserandáq; venit
Arboribúsq;, satisq; lues, & letifer annus.

Horat. Ode 2. Epod.

Aut cum tonantis annus hybernus Iouis
Imbres, niuésq; comparat.

Id est, tempus anni hibernum. Quot porrò, quibúsq; mensibus vnaquæq; partium anni constet, demonstrat quatuor monostichis Ausonius.

Martius, Aprilis, Maius sunt tempora veris.
Iulius, Augustus, nec non & Iunius æstas.
Septembri, Octobri autumnus, totóq; Nouembri.
Brumales Ianus, Februarius, atq; December.

Iam hoc quoq; latinæ linguæ cupidiores ex Varrone, & Seruio discant, vnumquodque de quatuor anni temporibus, primo suo mense nouum, altero adultum, postremo præceps dici. Ergo ver nouum Martio, adultum Aprili, præceps seu extremum Maio. Idem in cæteris. Iacob. Pont. ALTERNIS DICETIS) Hoc, & quod præcedit carmen, ordine inuerso imitatum videas Calpurnium eclog. 4. vbi similiter Melibœus vt arbiter Corydonem & Amyntam cantantes audit.

Dicite: nec mora sit: vicibúsq; reducite carmen:
Tuq́; prior Corydon, tu proximus ibis Amynta.

Pari sententia dictum Eclog. 7.

A *Alternis igitur contendere versibus ambo*
Cœpere, alternos Musæ meminisse volebant.

Iacob. Pont.

Ad parœmiam allusit, Iucunda vicissitudo. Euripid. Oreste. μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Fertur & mimus quidam in hanc sententiam, non illepidus. *Nil iucundum, nisi quod commendat varietas.* Item alius huius consimilis. *Bonarum rerum consuetudo pessima est.* Ea est rerum natura, eiusmodi sensus humani fastidium, vt nihil esse possit tam suaue, quod non abeat in nauseam, si paulo diutius vtare: nihil tam egregium, quod idem diu placere possit. Vnde & illud Iuuenal. *Namque voluptates commendat rarior vsus.* Varietas autem tantam in omni B re vim habet, vt commendatione interdum nouitatis, & pessima pro optimis placeant. Chiliad.

Turneb. lib. 6. cap. 17. ex eo à Marone dictum arbitratur, quòd Hom. lib. 1. Iliad. Musas apud Iouem in Olympo finxerit amœbæo quodam carmine alternis cantare, respondentes Apollini, his verbis. Μουσάων θ' αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ. Quod & ijsdem verbis in Apollinis hymno scribitur: perstudiose enim imitabatur veterum poetarum sententias. CAMOENÆ) Testatur disertis verbis L. Calpurnius Piso. lib. 1. de continentia veterum poetarum, plerosque in hac voce scribenda, quarto, quintoúe loco vocalem simplicem notasse, vnũ Ennium quinto duplicem. Hoc vult, plerosq; vel Casmenas, vel Casmœnas, vel Casmoinas scripsisse. De illa C enim biuocali, seu diphthongo accipiendus Calpurnius. Probo magis simplicem illam scripturam. Suadet etymon. Camenæ, inquit Seruius, Musæ, quibus à cantu nomẽ est inditum. Malim dixisset, à carmine. Festus, Camenæ Musæ à carminibus sunt dictæ, vel quòd canant antiquorum laudes, vel quòd sunt castæ mentis præsides. Canebant quidem Musæ illustria magnorum virorum facinora. Hom. Odyss. 8.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο,
Μοῦσ' ἄρ' ἀοιδὸν ἀνῆκεν ἀειδέμεναι κλέα ἀνδρῶν.

D Castæ item erant, quod de illis apud Diogen. Laert. in epigram. scribit Plato. Quod autem hodie carmen, olim casmen casmenis, quod nos carminis. Sæpe enim, e, apud veteres, i, loco fuit, teste Quintiliano lib. 1. cap. 4. inde Casmenæ & carmen olim, hodie Camenæ. Paul. Merula in Fragm. Ennij.

D. Ab Ioue principium musæ, IOVIS OMNIA PLENA,
Ille colit terras, illi mea carmina curæ,
M. Et me Phœbus amat: Phœbo sua semper apud me
Munera sunt, lauri, & suauè rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit lasciua puella,
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.
M. At mihi sese offert vltro meus ignis, Amyntas:
Notior vt iam sit canibus non Delia nostris.
D. Parta meæ Veneri sunt munera: namque notaui
Ipse locum, aeriæ quò congessere palumbes.
M. Quod potui, puero syluestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

AB IOVE PRINCIPIVM) Imitatus est Arati principium, ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Effugere autem dentem malignum Calpurnij poetæ non potuit. Sed eius calumniam facilè est discutere. In ipso enim auspicio rei cuiusque veteres Iouem præfari, & precari solebant. Quod & in diuinat. in Verrem ostendit Cic. Poeta igitur pietatem maiorum imitatus, reprehensionis vellicantium poetarum securus, antiquo instituto ab Ioue incipit. Nam omne principium Ioui debetur. Alter autem iam orato Ioue, se ad numen poetarum cõuertit Apollinem. *Et me Phœbus amat.* Turneb. lib. 29. cap. 25.

Sic Horatius quoque Ode 12. lib. 1. quæ inscribitur de lau-

de laudibus deorum & hominum, facit Clio suum à Ioue principium ducere: & meritò sanè.

Quid prius dicam solitis parentum
Laudibus: qui res hominum ac deorum,
Qui mare & terras, varijsq́ mundum
Temperat horis?

Ouid. 10. Metam. *Ab Ioue Musa parens (cedunt Iouis omnia regno) Carmina nostra moue.* Magnarum quidē rerum principia à dijs immortalibus duci, ait in Vatin. M. Tullius. His adiungo Sophoclis dictum alicubi citatum à Plutarcho. ἔργου δ' παντὸς ἤν τις ἀρχὴ καλῶς, καὶ τὰς τελευτὰς εἰκὸς ὧδ' οὕτως ἔχειν. Cuius porrò casus sit vox, musæ, vocandine, an gignendi, dubitatur. Dicamus esse vtriusuis. Potest enim ita accipi, vt poeta compellet eas, quarum auxilium imploret, hoc sensu, Agite ô Musæ, incipiamus à Ioue carmen nostrum, à Ioue exordiamur. Sicut fecit Theocritus, ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ ἐς Δία λήγετε μοῖσαι. Potest nomine musæ μετωνυμικῶς ipsum quod sequitur carmen significari, hoc intellectu: à Ioue ducatur principium carminis nostri, vt Cicer. in Arato. *Ab Ioue Musarum primordia.* Tum sanè genitiuus erit. Iacob. Pont. IOVIS OMNIA PLENA) Similis sententia est lib. 6. Æneid. *Principio cælum ac terras, camposq́ liquentes,* &c. Et 4. Georg. *deum namque ire per omnes Terrasq́, tractusq́ maris, cælumq́ profundum.* Aratus pari modo.

——μεσαὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα,
Καὶ λιμένες, πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.

Lucanus. *Iupiter est quodcunq́ vides, quocunq́ moueris.* Trismegistus mundum dixit esse vas diuino numine repletum. Præclarè scriptum à Philone lib. 2. Allegoriarum legis. Deo ne totus quidem mundus dignum est domicilium, qui sibi ipse locus est, & ipse se ipso plenus, sibiq; sufficiens: cum Deus alienam indigentiam, solitudinem, inanitatemq; impleat, & contineat, ipse verò à nullo alio contineatur, vtpote vnus, & totum ipse ens. Vide & libellum Arist. de mundo. Iacob. Pont. ILLI MEA CARMINA CVRÆ) Eodem pæne sensu Ouid. dixit. Amor. 3. eleg. 8.

At sacri vates, & diuûm cura vocamur,
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Et Tibull. lib. 2. eleg. 6. *nam diuûm seruat tutela poetas.* Esse curæ eo modo dicimus, quo, esse voluptati, esse solicitudini, esse solatio, esse præsidio, esse auxilio, esse lætitiæ, esse lucro, esse damno, esse sumptui, esse saluti, esse vsui, esse honori, & reliqua similia. Sed huius generis loquendi, quod habemus in manibus, aliquot è Cicerone exempla proferamus. Epist. lib. 2. Mihi mehercule magnæ curæ est ædilitas tua. Lib. 3. Hæc igitur erunt tibi curæ, quemadmodum ostendis. Lib. 6. Mihi tu, tui, tua omnia maximæ curæ sunt, & dum viuam, erunt. Iacob. Pont. ET ME PHOEBVS AMAT) Theocritus Idyll. 5.

Καὶ γὰρ ἐμ' ὡπόλλων φιλέει μέγα· καὶ καλὸν αὐτῷ
Κριὸν ἐγὼ βόσκω, τὰ δὲ κάρνεα καὶ δὴ ἐφέρπει.
Valde amor à Phœbo: bellus cui pascitur à me
Nunc aries, quoniam iam Carnea festa propinquant.

Calpurnianam imitationem perpende.

Me Syluanus amat, dociles mihi donat auenas,
Et mea frondenti circumdat tempora tæda.

SVAVE RVBENS HYACINTHVS) Sic Ecloga 4. *Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti.* Catullus similiter.

Pallentesq́ cucurbitæ, &
Suaue olentia mala.

Et in nupt. Iuliæ.

Cinge tempora floribus
Suaue olentis amaraci.

A Flos hyacinthus colore purpureo, natus fingitur è duorum sanguine, Hyacinthi pueri, quem Apollo per imprudentiam pondere disci à se iacti occidit, & Aiacis, qui in gladium suum ipse incubuit. Prior mutatio narratur lib. 10. altera lib. 13. Metamorph. his nempe versibus.

Nec valuere manus infixum educere telum:
Expulit ipse cruor, rubefactaq́ sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis medijs pueroq́, viroq́,
Inscripta est folijs; hac nominis, illa querelæ.

Litteram illam accipe αι quæ ad Aiacem relata, nomen eius indicet, αἶαι, ad Hyacinthum, lamentationem Apollinis declaret, qua cum morientem est prosequutus.

B Iacob. Pont. MALO ME GALATEA PETIT) Quando ex poematis Græcis vertendæ, mutandæque sunt insignes sententiæ, non semper aiunt enitendum, vt omnia omnino verba, in eum, in quem dicta sunt, modum vertamus. Perdunt enim gratiam pleraque, si quasi inuita, & recusantia violentius trahantur. Scitè igitur, & consideratè Virgilius, cum aut Homeri, aut Hesiodi, aut Apollonij, aut Parthenij, aut Callimachi, aut Theocriti, aut quorundam aliorum locos effingeret, partem reliquit, alia expressit. Sicut nuperrime, cum legerentur apud mensam vtraq; simul Bucolica, Theocriti, & Virgilij, animaduertimus reliquisse Virgilium, quod

C Græcum quidem mirè quam suaue est: verti autem neque debuit, neque potuit. Sed enim quod substituit pro eo, quod omiserat, non abest, quin iucundius lepidiusque sit.

Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα
Τὰς αἶγας παρελῶντα, καὶ ἁδύ τι ποππυλιάσδει.
In me mala iacit Clearista filia, capras
Dum praterduco, & dulci poppysmate ludit.

Gell. lib. 9. cap. 9.

Quid sit autem malis petere, tacitum pretermisit Seruius, credo, quòd eam rem suo tempore omnibus notam videret. Tota ista ecloga περιαυτολόγους, hoc est, de se loquentes, suaq; iactantes pastores habet, vt & Theocritus Idyllio. 5. Primùm se laudant, quòd chari sint nu-

D minibus: deinde, quòd pulchris. Gloriatur igitur Domœtas his verbis, se vltro à Galatea ad amoris commercia affectari, & ambiri: id enim est Græcis, μήλοις βάλλειν, vt auctor est interpres Theocriti, Idyllio 6. vnde quoq; μηλοβληθῆναι ab Aristoph. dictum est, pro, amore percelli. Sic enim inquit. μηδ' εἰς ὀρχηστρίδος εἰσιέναι, ἵνα μὴ πρὸς ταῦτα κεχηνὼς μήλῳ βληθεὶς ὑπὸ πορνιδίου τῆς εὐκλείας ἀποθραυσθῇς, id est, Neq; in ædes saltatricis introire, ne ad ista inhians, malo percussus à meretricula, gloria defringaris. Pastor igitur aduersarius, vt paria, vel maiora, afferat, vt lex est amœbæi carminis, inquit.

At mihi sese offert, vltro meus ignis Amyntas,
Notior vt non sit canibus iam Delia nostris.

E Hoc autem diuersi est apud Theocritum, quòd ibi pastores suos amores efferunt, alienos vituperant: hoc posterius Virgilius omisit. Nannius lib. 6. cap. 5. Malis petere dicuntur, qui muneribus assequi student, quod optant: aut qui donis prouocant ad amorem mutuum. Vide Chiliad. Præterea Pierium lib. 54. in Malo. FVG. AD SAL. ET. S. C. A. V) Horat. Ode 9. lib. 1.

Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellæ risus ab angulo.

Adducit Seruius. Tale quiddam de Licymnia Ode 12. lib. 2. Quod autem Virgilius substituit pro illo Theocriti, ἁδύ τι ποππυλιάσδει, iucundius est & lepidius: omninoq; argutius & suauius loquutus est his duobus versibus Maro, iudice etiam Scaligero. Poet. lib. 5. cap. 5.

F Expressit

Expressit etiam lasciuiam, quum dicit eam petere amatorem suum malis: virginis ingenium, quum ait eam fugere: muliebre, cum vult resciri factum. MIHI SE SE OFFERT VLTRO) Theocritus Idyll. 5. *κἠμὲ γὰρ ὁ Κρατίδας τὸν ποιμένα λεῖος ὑπαντῶν Ἐκμαίνει.* Videtur *ὑπαντῶν* Virgilius hic intellexisse, offerre se vltro. Id est, vltro in alicuius conspectum venire: siue vltro præbere se conspiciendum. MEVS IGNIS AMYNTAS) Nemesian. *Nam Mopso Meroë, Lycida crinitus Iolas Ignis erat.* Ignem pro amore poni, non est nouum. Sic in Daphnide. *Incipe Mopse prior, si quos aut Phyllidis ignes.* Horat. Ode 7. lib. 3. *& miserum tuis Dicens ignibus vri.* Et Ode 27. lib. 1. *Non erubescendis adurit ignibus.* Et Ode 13. eiusdem. *Quam lentis penitus macerer ignibus.* Apud Ouid. lib. 7. Metamorph. ad semetipsam Medea.

Excute virgineo conceptas pectore flammas
Si potes, infelix. Si possem, sanior essem.

Et lib. 8. *flammasq́; latentes Hausit.* Terent. Eunucho. *Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis.* Vbi per ignem accipienda est mulier meritoria: quia videlicet ignem alteri parit, id est, amorem, & malam cupiditatem sui. Allegoria huiusmodi est apud Apuleium Metam. lib. 2. Discede, inquit, miselle quam procul à me, à foculo discede. Nam si te vel modicè igniculus meus afflauerit, vreris intimè Lucret. lib 1.

Nunquam Tyndaridis forma conflatus amore,
Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens
Clara accendisset saeui certamina belli.

Extat apud Gell. lib. 19. cap. 9. Portij Licinij poetæ vetusti epigramma, in quo nescio quis huiusmodi se incendio ardere confitetur. Corrigit, & explicat Victor. lib. 12. cap. 11. NOTIOR CANIBVS DELIA) Quænam sit Delia ista, quæritur. Potest intelligi Diana, venationum præses, quæ quoniam in insula Delo nata est, Delia dicitur, vt Apollo frater eius Delius. Potest & amica hoc nomine accipi, quomodo suam Tibullus vocauit. PARTA MEA VENERI. S. M) Theocrit. Idyll. 5.

Κἠγὼ μὲν δωσῶ τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν,
Ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών, τηνεῖ γὰρ ἐφίσδει.

Iam nunc accipiet munus mea virgo palumbem,
Demptum è iunipero, namq; arbore sidit in illa.

Multò venustior est datiuus iste Virgilianus *Veneri*, quàm Theocritæus ille *τᾷ παρθένῳ.* * *Lepore simili Horat. lib. 1. Ode 33.*

Ipsum me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale.

Lucret. lib. 4. Nec Veneres nostras hoc fallit. *Et Plaut. Mostellar.* O Venus venusta. QVO CONGESSERE PALVMBES) Auium congestus est, inquit Turneb. lib. 5. cap. 19. cum ad nidum cōstruendum festucas, herbas, floccos, aliaq́; congerunt. Nam congerere est nidum conficere. Idem lib. 26. cap. 2. *congessere*, id est, nidificauere, congessere nidamenta. Plaut. Rud. *In uerno hodie mille nidamenta congeret.* Sunt autem nidamenta flocci, pinnæ, tomentum, pili, acus, cæteraq́; vnde nidos aues parant, * *Et ita Græci συμφορεῖν. Vnde συμφορούμενα ἄχυρα vocant aues, cum nidos construunt. Notauit Tiraquell locor. controuers. lib. 5. cap. 25. Adde verba Aristot. de hist. animal. lib. 6. loquitur de vpupa. ἀλλ' ἀναδυόμενος εἰς τὰ στελέχη, ἐν τοῖς κοίλοις αὐτῶν τίκτει, οὐδὲν συμφορούμενος. Subiens arborum truncos, in quarum caua parit sine congestu, siue nidamentis. De palumbibus differuimus, opinor, satis in Eclogā 1. vbi,* Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes. QVOD POTVI, PVERO) Theocrit. Idyll. 3.

Ἠνὶ δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω τηνῶθε καθεῖλον,
Ὧ μ' ἐκέλευ καθελεῖν τύ, καὶ αὔριον ἄλλα τοι οἰσῶ.
En tibi mala decem porto, carpta vnde iubebas
Carpere. Portabo cras altera mala reuersus.

C Legitur etiā, *Quot potui*, quæ lectio minimè reijcienda videtur. Est verò hunc locum, & præcedentem ita imitatus Nemesian. eclog. 2.

Præterea tenerum leporem, geminasq́; palumbes,
Nuper, quæ potui, syluarum præmia misi.

Sed tanquam legens quod, apud Virgil. non, quot. AVREA MALA DECEM) Aurea mala appellat, quæ cotonea, cydonia, chrysomela etiam dicuntur. Neq; tamen spernenda est Hermolai Barbari opinio (cui succinit Erasmus) de Medicis, citrijsq; intellexisse eum iudicantis, quæ, vt tradit Athen. *δειπνο. γ. διὰ τὴν ἰδέαν χρύσεα λέγεται.* Brod. lib. 1. cap. 34. * *Mala Hesperidum largiri dicebatur, qui magna, & splendida largiretur: quò putat allusisse poetam Choliastes.*

D. O quoties, & quæ nobis Galatea loquuta est?
PARTEM ALIQVAM VENTI DIVVM REFERATIS AD AVRES.
M. Quid prodest, quod me ipso animo non spernis Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia seruo?
D. Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola:
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
M. Phyllida amo ante alias: nam me discedere fleuit,
Et, longùm formose vale, vale inquit, Iola.
D. TRISTE LVPVS STABVLIS, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti: nobis Amaryllidis iræ.
M. DVLCE SATIS HVMOR, depulsis arbutus hœdis,
Lenta salix fœto pecori: mihi solus Amyntas.
D. POLLIO AMAT NOSTRAM, QVAMVIS SIT RVSTICA, MVSAM.
Pierides vitulam lectori pascite vestro.
M. Pollio & ipse facit noua carmina. pascite taurum,

Iam

Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.
D. Qui te Pollio amat, veniat, quò te quoque gaudet:
MELLA FLVANT ILLI, FERAT ET RVBVS ASPER AMOMVM.

Theocrit. Idyll. 7.

—Λυκίδα φίλε, πολλὰ μὲν ἄλλα
Νύμφαι κἠμὲ δίδαξαν, ἀν᾽ ὤρεα βουκολέοντα
Ἐσθλὰ, τά που καὶ Ζηνὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα.
—mi Lycida, ex ipſis ego multa Camœnis
Præterea didici, dum montes incolo paſtor,
Præclara, ad ſolium fama perlata tonantis.

Obſeruandum eſt, Virgilium ventis malle tribuere, quod Theocritus famæ tribuerit. Ventos exiſtimaſſe videntur antiqui interpretes, & internuntios eſſe, & noſtras preces, votaq; ad deorum aures deferre, noſtraq; in ſumma verba omnia. Hinc illud Ouidij 10. Metamorph. *Detulit aura preces ad me non inuida blandas.* Quæ autem vota non eueniebant, & irrita cadebant, ea ad deos B non eſſe perlata à ventis, ſed vel diſſipata, vel procul in regionem longinquam auecta arbitrabantur. Tibull. lib. 1. eleg. 5. *quæ nunc Caurusq; Notusq; Iactat odoratos vota per Armenios.* Deniq; quidquid euenire nolebant, aut auerſabantur, & abominabantur, vento differri, diſijcique optare ſolebant: aut eius pernice curſu procul amandari, & aſportari iubebant, vt Tibull. ſomnia, lib. 3. eleg. 4.

Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,
Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

Turneb. lib. 1. cap. 23.

Quod de deorum auribus dicitur, Catull. quoq; in Galliambo. *Geminas deorum ad aures noua nuntia referens.* C Horat. epiſt. 19. lib. 1. *Et Iouis auribus iſta ſeruas.* Vetus enim prouerb. εἰς θεῶν ὦτα ἦλθεν. Vrſin. * *Veruntamen Horat. Auguſtum intelligit, quem blandimenti cauſſa, & aſſentatoriè Iouem cognominat. Vide autem huius amantis amentiam: venti dugit concubina ſua ſermones, & deorum auribus dignos inducet. Prouerbiale ſchema,* Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures, *de rebus auditione cognitioneq; digniſſimis.* ANIMO NON SPERNIS) Figura eſt λιτότης, animo me nõ ſpernis, pro, me cõplecteris, & charum habes. Sic 7. Æneid. *Munera nec ſperno*, pro, mihi grata & accepta ſunt. Sed Menalcæ parum eſt, animo tantùm diligi, aſpectu autem & colloquio Amyntæ priuari. Cupiunt amici cum præſentes ſint animis, etiam præſentes eſſe corporibus. Iacob. Pont. PHYLLIDA MITTE. M. M. E. N) Natalis D ſiquidem dies voluptarius, & genialis eſt, & cum lætitia tranſigebatur. Tibull. lib. 1. eleg. 7.

At tu natalis multos celebrande per annos,
Candidior ſemper, candidiorq; veni.
Tranſeat hic ſine nube dies, ſtent aëre venti,
Ponat & in ſicco molliter vnda minas.
Aſpiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobæ lachrymas ſupprimat ipſe lapis.
Halcyonum poſitis requieſcant ora querelis,
Increpet abſumptum nec ſua mater Itym.

Iuuenal. ſat. 12. *Natali, Cornine, die mihi dulcior hæc lux.* Perſius ſat. 2.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponis candidus annos:
Funde merum Genio.

Apud Plaut. Capt. Hegio ſenex paraſito.

—ſed num quo foras
Vocatus es ad cœnam? P. nuſquã equidem quod ſciam.
Sed quid tu id quæris? H. quia mihi natalis eſt dies,
Propterea te vocarier ad cœnam volo.

Cic. quoq; 2. Philipp. Hodie non deſcendit Antonius. A Cur? dat natalitia in hortis. Rurſum Plaut. Pſeud. *Nam mihi hodie natalis dies eſt, decet eum omnes vos concelebrare.* Porrò, quemadmodum eum diem cærimonijs præterea quibuſdã, ac ritibus ditiores peragerent, prodit Ouid. lib. 3. Triſt. eleg. 13. vbi bella proſopopœia Natalem ipſum alloquitur. Verſus inſtituto idoneos ſubiungimus.

Scilicet exſpectas ſolitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris veſtis vt alba meis.
Fumida cingatur florentibus ara coronis,
Micaq; ſollemni thuris in igne ſonet.
Libaq; dem pro te genitale notantia tempus,
Concipiamq; bonas ore fauente preces.

B Quos autem deos natales colebant, erant hi, Iupiter, quem ſæpius poetæ Græci γενέθλιον, Iuno (quam videntur fœminæ veneratæ) & Genius. De Iunone Tibull. lib. 4.

Natalis Iuno ſanctos cape thuris honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Idem ad Cherinthum de Genio. *Magne Geni, cape thura libens, votisq; faueto.* Et mox. *At tu natalis quoniam deus omnia ſentis.*

Veteres quoque Chriſtianos diem natalem cum ſacrificio ſollemnem, feſtumq; exigere conſueuiſſe, teſtatur vt vetuſtiſſimus, ſic eruditiſſimus Tertullian. lib. de corona militis. *Oblationes, inquit, pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus.* Hoc idcirco toleratum aliquandiu ab Eccleſia, quòd cum ferè iam prouecta ætate homines ad Chriſtianiſmum, è paganiſmo tranſirent, neceſſarium eſt viſum, in multis conniuere. Origenes lib. 3. in Iob, ſuper illo, Pereat dies, in qua natus ſum, ſic ſcribit. *Animaduertimus homines, quæ mutatio facta ſit in hominibus. Nam priores diem natiuitatis celebrabant, vnam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc verò nos non natiuitatis diem celebramus, cum ſit dolorum, atque tentationum introitus: ſed mortis diem celebramus, vtpote omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem. Illi enim qui mori videntur mundo, viuunt, & naſcuntur deo. Propterea & memorias ſanctorum facimus, & parentum noſtrorum, vel amicorum in fide morientium deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam in fide conſummationem poſtulantes.* Aurea, & cedrinis digna tabulis ſententia. MEVS NATALIS) Cum adiectione temporis, cuiuſlibet natalis dies melius dicitur: vt natalis locus, & natale aſtrum: ſed Virgilius ſeruiens perſonæ ruſticæ, *meus eſt natalis Iola*, inquit, nec addidit, dies. Donat. in Phormionem. Certè Cicero ſubſtantiuum ſemper adiungit: poetis, quod ſciunt omnes, licent in verbis multa. CVM FACIAM VITVLA) Verbum facere, & iunctum cum alijs, & ſeparatum, ſæpe ad res ſacras pertinet. Iunctum, vt rem ſacram facere. Separatum, vt pro Muræna. Iuno hoſpita, cui omnes E hoſpites facere neceſſe eſt. Et ad Att. lib. 1. Qua pro populo fieret. Sic & vetus poeta. *Plus voueo: ſi, inquam, redierit, facturum bidente, verre.* M. Varro lib. 1. de re ruſt. Dij facientes adiuuant. *Iuuenal. ſat. 9. Pro populo faciens.* Græci modò ἔρδειν, modò ῥέζειν. Alij, vt Nonius, quarto caſu legunt, *vitulam*. Sic controuerſa eſt lectio apud Horat. lib. 1. Ode 4. *Seu poſcat agna, ſiue malit hœdo.*

Hyllus libro quem de dijs compoſuit, ait vitulam

(aliàs Vitulinam) vocari deam, quæ lætitiæ præest. Piso ait, vitulam victoriam nominari. Cuius rei hoc argumentum profert: quod postridie Non. Iulias re bene gesta, cum pridie populus à Tuscis in fugam versus sit (vnde populifugia dicuntur) post victoriam certis sacrificijs fiat vitulatio. Quidam nomen eius animaduersum putant, quòd potens sit vitæ tolerandæ. Ideo huic deæ pro frugibus fieri sacrificia dicuntur: quia frugibus vita humana toleratur. Vnde hoc esse animaduertimus, quod ait Virgilius, *cum faciam vitula pro frugibus*. Vt vitula dixerit pro vitulatione: quod nomen esse sacrificij ob lætitiam facti superius exposuimus. Meminimus tamen sic legendum per ablatiuum: *cum faciam vitula*, Id est, cum faciam rem diuinam nõ oue, non capra, sed vitula: B tanquam dicat, cum vitulam pro frugibus sacrificauero, quod est, cum vitula rem diuinam fecero. Macrob. Saturnal. lib.3. cap.2. * *Loquitur hic Damœtas de sacrificio ambarnali, de quo dicemus Eclog.5. ad illa verba*, & cum lustrabimus agros. *Item Georg.1. ibi.* Terq; nouas circum fœlix eat hostia fruges. VALE VALE) In imperatiuo illo vale, ex continuatione vocis facta est anceps vocalis: quomodo apud Homerum *ἆρες ἆρες βροτολοιγέ*. Et Theocrit. Idyll.6. *ἦ γὰρ ἔρωτι πολλάκις ὦ πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται*. Hartungus Decuria 4. cap. 6. * *Longùm valere, hellenismus. Sic Æneas ad Pallantem lib. 11.* Salue æternùm mihi maxime Palla, Æternumq; vale. TRISTE LVPVS STABVL. &c) Theocrit. Idyll. 8.

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ' αὐχμός,
Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα,
Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

Bruma malum arboribus metuendum, fontibus ardor,
Alitibus pedica, retia torta feris:
At iuueni teneræ metuenda cupido puellæ.

Cum dicat Theocritus in redditione de cupidine, seu amore, Virgilius nõ ibidem dixit, amorem Amaryllidis, sed iras esse rem tristem, quod statim quilibet fassurus erat. At rem eam, quam dixit Theocritus esse *φοβερὸν κακόν* (id est, malum formidabile) non semper talem esse, obijcere aliquis poterat.

More Græcorum, *Triste lupus stabulis*: illi enim neu- D tra adiectiua, pro abstractis, seu pro adiectiuis cum substantiuis ponere solent. Itaque triste hic nihil aliud sonat, quam tristis res, & *τὸ ἀληθὲς* sæpe idem est, quod veritas. Vt autem in re perspicua, & pueris etiam bene nota ne multa accumulem testimonia, sic vsurpauit Cic. magnum, in Orat. perf. Nos nimis magnum fecissemus, si quidem potuissemus, quò cõtendimus, peruenire. Varro lib.5. de ling. lat. faciunt tamen magnum, quòd quæ ex his constant in mundo, ostendunt. Horat. de Lucilio, sat.4. lib.4. *in hora sæpe ducentos, Vt magnum, versus dictabat*. Id est, putabat se rem magnam, & miram præstare. Propert. lib. 2. eleg. 15. *Sic nobis qui nunc magnum speramus amantes*. Quod ad sensum verborum E Virgil. pertinet, certum est, naturam quibusdam animantibus aduersum alias animantes odium, & inimicitias ingenerasse. Naturâ igitur, vt de alijs modò taceam, oues lupum oderunt, & fugiunt, ille eas insequitur. Horat. Ode 4. Epod.

Lupis, & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

Damon Eclog. 8. optans multa contra naturam fieri, quando pulcherrima nupsisset deformissimo. *Nunc & oues vltro fugiat lupus, aurea duræ Mala ferant quercus*, &c. Imbres nocent illi quidem maturis frugibus: at immaturis, & adhuc gremio terræ conditis, aut iam in herba constitutis prosunt multum. Vide Plutarchum

A de causis natural. cap. 2. cur fœmina magis nutriantur aquis pluuijs, quàm cæteris. Iac. Pont. DEPVLSIS ARBVTVS HOEDIS) Arbutus genus arboris, frondib⁹ raris. Virgil. Eclog. 7. *Et quæ vos rara viridis tegit arbutus vmbra*. Festus. Georg. 2. horridam vocat, propter asperitatem fructus, quem Plinius vnedonem nominat, quonium ob acerbitatem eius, asperitatemque vnum dũtaxat comedi expediat. *Depulsis*, seiunctis à mamma. Vide Eclog. 1. *quò sæpe solemus Pastores ouium teneros depellere fœtus*. Et Eclog. 7. *Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos*. Iacob. Pont. PIERIDES VITVLAM. L. P. V) Animo & memoria colere se beneficium à Pollione in agrorum restitutione acceptum ostendit cum his, tum B sequentibus. Commendauerat autem se Pollioni Virgilius carminibus, quæ viro illustri ac potenti apud Augustum etiam atq; etiam placuerant. Ingenium igitur Virgilio amicitias, amicitiæ opes pepererunt. Musæ Pierides, auctore Festo, propter amœnitatem ac solitudinem Pierij montis dictæ videntur, quòd eæ secretis locis propter liberalia studia delectentur. Certè carmina secessum scribentis, non tantùm otia quærunt. Iacob. Pont.

Sunt qui scribunt Pierum quendam Macedonem primùm poema confecisse, ac filias suas poësin docuisse, ob id Musarum patrem; & alumnum habitum fuisse, atque ab eo Musas Pierides vocitatas. Quæ etiam The- C spiades dictæ sunt, quoniam Pierus primùm Thespijs cecinisse carmina memorabatur. Scalig. Poet. lib. 1. c. 2. * *Quemadmodum Musas ad certamen cantus prouocent Pieri filiæ, & victæ ab illis, in picas conuertantur, habes Metamorph. lib. 5. Cur Pierides, seu Pieriæ vocatæ sint, plures caussas in medium adducit Gyrald. Syntag. de Musis, quæ etiam dicuntur Nymphæ, Camenæ, Heliconides, Aonides, Citheriades, Pegasides, Aganippedes, quarum omnium appellationum rationes ibidem exponit.* FACIT NOVA CARMINA) Donat. in illud And. Terentij, *Populo vt placerent, quas fecisset fabulas*, Bene, *fecisset*, non *scripsisset*. Vnde & poetæ *ἀπὸ τοῦ ποιεῖν*, id est, à faciendo dicti sunt. Deinde hunc locum citat [illegible] confirmandum. *Noua*, Seruius magna, miranda interpretatur. Nam cũ nouitas faciat admirationẽ, inde quæ admirabilia sunt, retrouersum noua dicuntur. PASCITE TAVRVM) Quidam onirocritæ dicunt, taurum per somnium imaginari, indicium esse disertissimæ prolis suscipiendæ, quò forte spectat Virgilianum hoc, taurum Pollioni pascendum, *Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam*, propterea quòd noua ille carmina faciat, qui quidem sunt ingeniorum fœtus. *κατὰ πάρεργον* & hoc addam (quamuis non sim nescius, quid Grammatici super locutione, *noua carmina* disputent) dici posse. Virgiliũ ad Pindari cum illud respexisse, quod Olympijs habetur Epharmosto. *αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων*. Vinum quippe à vetustate commendare congruum esse: à nouitate autem poemata. Florem enim pro recenti re positum aiunt interpretes. Pierius lib. 3. in Tauro. IAM CORNV PET. ET PED. QVI) de tauro à riuali superato, paria leges Georg. 3.

Et tentat sese, atque irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco, ventosq; lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

QVO TE QVOQVE GAVDET) peruenisse, subaudi. Peruenerat autem ad consulatum, & triumphum, victis Salonis oppido Dalmatiæ, quod testatur Horat. Ode 1. lib. 2. qua eum laudat.

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

MELLA

MELLA FLVANT ILLI) Cum Pollionis amicis Damœtas optat mella fluere, nihil aliud vult, nisi vt copiosissima rerum omniū, quæ suauissimæ iudicentur, vbertate ditescant: mel enim apud omnes nomen est dulcedinis. Apud Pindarū mel pro suaui, trăquillo, & maximè expetendo, amabiliq; bono ponitur, &c. Pierius lib. 26. A

M. QVI BAVIVM NON ODIT, AMET TVA CARMINA MÆVI:
ATQVE IDEM IVNGAT VVLPES, ET MVLGEAT HIRCOS.
D. Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri fugite hinc, LATET ANGVIS IN HERBA.
M. Parcite oues nimium procedere. non bene ripæ
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.
D. Tityre pascentes à flumine reijce capellas:
Ipse, vbi tempus erit, omnes in fonte lauabo.
M. Cogite oues pueri: si lac præceperit æstus,
Vt nuper, frustra pressabimus vbera palmis.
D. Eheu quàm pingui macer est mihi taurus in aruo:
Idem amor exitium est pecori, pecorisq; magistro.
M. His certè neque amor caussa est, vix ossibus hærent:
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
D. Dic quibus in terris (& ERIS MIHI MAGNVS APOLLO)
Tres pateat cæli spatium non amplius vlnas.
M. Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores: & Phyllida solus habeto.
P. NON NOSTRVM INTER VOS TANTAS COMPONERE LITES.
ET VITVLA TV DIGNVS, ET HIC: & quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
CLAVDITE IAM RIVOS PVERI, SAT PRATA BIBERVNT.

QVI BAVIVM NON ODIT) Adagium in eos, qui æquè propter vitiorum similitudinem sunt despicabiles. Eundem hunc Mæuium insectatur Horatius Ode 10. Epod. Diximus de his duobus principio symbolarū huius Eclogæ. Iacob. Pont. IVNGAT VVLPES, ET M. H) De re palàm absurda, ζευγνύειν τὰς ἀλώπεκας, iungere vulpes aratro vel currui. Est enim vulpes animal ab vtroque vehementer alienum. Eundem habet sensum, τράγον ἀμέλγειν mulgere hircum. Lucianus in vita Demonactis, inter eius festiuiter dicta commemorat & illud. Quum cōspiceret duos quosdā philosophos, vtrosq; B pariter indoctos inter se disceptantes, & alterum quidē ridiculas quæstiones proponentē: alterum item aliena, neq; quidquam ad rem facientia respondentem, Quid, inquit, amici, an non horum alter hircum mulgere videtur, alter cribrum supponere? Chiliad. * *Veruntamen in India orientali, apud Amboinum suis se oculis conspexisse hircum scribit Franciscus Xauerius, homo Societatis IESV, Epistolarum lib. 2. epistola 3. data Anno Dom. M. D. XLVI. 6. Idus Maias, lacte suo paruos alentem hœdos, vbere enim, quod prope genitalia vnicum habebat, tantum lactis reddebat quotidie, quantum scutella capere potest. Hoc ille vir suis oculis se conspexisse prædicat, alioqui crediturum non fuisse. Et Lusitanum quendam honestum, hunc hircum eo consilio secum asportasse, vt in Lusitaniam mitteret. Adijciam huic affine in hominibus. Ex Brasilicis nostrorum epistolis cognouimus gentē quandam inuentam, vbi viri, non fœminæ lactant infantes: his enim mămas esse paruas & vacuas, illis magnas, & lactis plenas. De caussa disputent physici. Nondum omnia naturæ miracula scripserunt Plinius, Aristoteles, & alij.* HVMI NASCENTIA FRAGA) Etsi fraga, mora explicat Seruius: non ideo credendum est, insignem Grammaticum rem eandem putasse: sed ea potius à rusticis mora appellari indicauisse censendum, quę, qui latinè loquuntur, fraga vocitant: aut, vt opinor, ob similitudinem, quam hęc cum moris habent. Sic Plinius vacinia, mora, & pentaphylli fructum fraga nuncupat. Brod. lib. 1. cap. 34. LATET ANGVIS IN HERBA) Miror neminem interpretum quidquam hic occultius subesse suspicatum. Mihi nunquam dubium fuit, quin poeta ad parœmiam quandam respexerit, & fortasse ad eam, qua vulgò ferebant, viperam esse in veprecula, de periculo graui, & inopinato. Eum adagionem apertè extulit Pomponius. Deinde cedò cacabum, vipera est in veprecula. Respexisse autem huc Virgilium vincit, quod fragorum meminit, quæ in vepretis ferè leguntur. Ian. Gulielm. Verisimil. lib. 1. cap. 13. IPSE ARIES ETIAM NVNC) Principatus apud Romanos ariete significabatur. Testis Varro lib. 5. de ling. lat. Dies, inquit, agonales, per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab agon'? eo quod interrogatur à principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur. Hæc Varro. Ex qua fortasse ratione Virgilius sibi placēs, se, cum Arij vim euasit, sub ariete significauit hoc loco. Plutarchus in X. Rhetorum vitis, supremum locum ariete significari innuit, inquiens: Isocratis sepulchro insculptum fuisse arietem cubitorum septē, ratione symbolica. Nō solum autem apud Latinos, Gręcosq; hoc significato aries accipitur, sed & apud Hebræos. Hilarius enim in explanationibus suis in Psal. 64. & 65. arietes exponit, & intelligit pro sacerdotibus, martyribus, patriarchis, prophetis, & Apostolis, qui tanquam C gregis sancti principes, & duces sint. Magius lib. 3. cap. 1. REIICE CAPELLAS) Quidam volunt *reijce* esse hoc loco disyllabum, sublato videlicet, i, posteriore, & priore cum vocali, e, contracto. Sic Lucret. lib. 3. disyllabum fecit, eijcit, in hoc versu. *Nec radicitus è vita se tollit, & eicit.* Rursus lib. 4. *Eicit enim sulci recta regione.* Alij proceleusmaticum volunt esse. De quo videas licet, quæ ab Erythræo in Indice disseruntur.

Iam & flumen, & fluuius à fluxu, seu fluore perpetuo dicuntur. Etenim, vt pulchrè Arnobius lib. 2. Aqua est natura res labilis, & ad fluorem semper, decursionemque prona. Conuenit autem huic, & est eiusdem sensus cum antecedente, *Parcite oues nimium procedere, non bene ripæ Creditur.* OMNES IN FONTE LAVABO) Theocrit. Idyll. 5.

Αἶγες ἐμαὶ θαρσεῖτε κερουχίδες, αὔριον ὔμμε
Πάσας ἐγὼ λουσῶ Συβαρίτιδος ἔνδοθι κρήνας.
Cornigeræ, spe estote bona, mea cura, capellæ:
Cras ego vos omnes Sybarita in fonte lauabo.

COGITE OVES PVERI) *Cogite oues* dixit, quomodo suprà, *Tityre coge pecus.* Et valet hoc verbum congregare, conducere, conuocare, colligere, idq; tam in rebus, quàm in personis: neque semper in vi facienda, aut inferenda ponitur. Cic. in Verr. Pecuniam magnam coegit à ciuitatibus. De nat. deor. Aer concretus in nubem cogitur. In Verr. Iste nauem maximam Messanæ publicè coactis operis ædificauit. De finib. Cato in ipsa curia solebat legere, dum senatus cogeretur. Iacob. Pont. LAC PRÆCEPERIT ÆSTVS) *Præceperit* propriè dictum, pro præoccupauerit. Lib. 6. Æneid. *Omnia præcepi, atq; animo mecum ante peregi.* Sic lib. 10.

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Littora præcipere, & venientes pellere terra.

Vbi vulgò legitur, *prærìpere.* Lucret. lib. 6.

Propterea quia nimirum prius æstus vbi aris
Præcepit, ferriq; vias possedit apertas.

Sic Cicero 13. Philipp. Præcipias licet gaudia. Et 1. Offic. magni etiam ingenij est præcipere cogitatione futura. Salust. lib. 1. historiar. Quin transgressos omnes recipit mons, præceptus à Lusitanis. Vir quidam eruditus, priore versu pro æstu, legit æstas, ex fide codicum quorũdam veterum. Et lib. 2. Georg. *Aut grauis incumbens scopulis arentibus æstas.* Vt more Lucretij scilicet æstas pro calore dictum sit. Nobis vulgatam lectionem mutare non placet. Iac. Pont. FRVST. PRESSAB. VBERA) Rationabiliter aspirari, huber, hubertas, Hubertinus proprium nomen, hubera, exhubero, hubertim (quod Catullus protulit) quanquam vsus quotidie multa immutet, censet Iouianus de Aspiratione lib. 1. Fiunt enim à Greco verbo ὕω, vt quibusdam placet, v in, u, productum verso, ac, b, littera hiatus caussa interiecta. Ego tamen opinatus sum semper, huber deductum esse ab humeo, vt tuber à tumeo, m, littera in, b, versa. Loca enim arida infœcunda sunt. Contra quæ humecta, sunt feracia; & mulierum vbera si humore careant, carebunt & lacte. Videtur itaque Virgilius indicare nobis voluisse, hubera ab humendo dicta. Si, inquit, æstus humorem præceperit, atque arefecerit, frustra hubera, quæ omni humore vacua erunt, exprimemus. PINGVI IN ARVO) Eruo legunt quidam, pro aruo: pabuli seu hordei genus est, quo pinguescunt boues. De eo Plin. lib. 18. cap. 15. Nec erui operosa cura est. Hoc amplius quàm vicia runcatur, & ipsum medicaminis vim obtinens. Quippe per eruum diuum Augustum curatum, epistolis ipsius memoria extat. Sufficiant singulis boum iugis modij quini sati. Martio mense satum, noxium esse bobus aiunt, item autumno grauedinosum. Innoxium autem fieri primo vere satum. Grumio seruus in Mostellar. Plauti. *Eruum daturin' estis, bobus quod feram?* Mirum est, in pingui eruo, hoc est, cum tam bono, & alibili pabulo tauros esse macros. Sed causa subiũgitur huius maciei. Quanquam aliter exitio esse amor pecori, aliter magistro intelligendus est, & hoc illo lõgè grauius habendum. *Qui in amore perit,* ait Plautus, *peius perit, quàm si saxo saliat.* Iacob. Pont. HIS. C. N. AM. CAVSSA EST, VIX OSS.

A HÆRENT) Ad vnum omnes ita hunc versum legunt, à sententia quidem non multùm, à verborum, & interpretationis venustate abductum longè. Scribo enim, *His certè (neque amor caussa est) vix ossibus hærent.* Auctor mihi perspicuis verbis in Terentij Eunuchum Donatus. Hi, hice, his, hisce, nominandi casu numero multitudinis promiscuè vsurpabant. His ergo hoc loco hi est: postea trita latinis auribus formula est, *amor caussa est.* Et sic Cic. Lælio. Valetudinem caussæ, non mœstitiam fuisse. Expressit & hoc de macie ouium Theocritus, Idyllio 4. τήνας μὰν δὴ τοι τᾶς πόρτιος αὐτὰ λελείψεται τὠστία. Quod sic reddas. *Sola isti vaccæ tandem sunt ossa relicta.* Cæterùm vt Maro dixit, vix hærere ossibus, ita

B Naso, *macie, quæ malè nisa sua est,* pro mala niti macie, siue macilenta cute: siue de ea, quæ, vt vetus verbum est, ossa atq; pellis tota esset. Versus Nasonis hic est, vt quidem ego legerim.

Si pæta est, Veneri similis: si flaua, Mineruæ.
Sit gracilis, macie quæ malè nisa sua est.

Ian. Guilielm. lib. 1. cap. 12. Verisimil. Quemadmodum hoc loco Virgilius, sic Plautus Aulul. istis verbis extremam macritudinem expressit. *Qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet.* Et Capteiuis, *Ossa atque pellis sum misera macritudine.* Et Idyll. 2. apud Theocritum de se infœlix amator, αὐτὰ δὲ λοιπὰ ἐστ' ὀστέα, sed addit, καὶ δέρμα. Lucretius quoque in illa descriptione

C pestis, quæ Athenienses inuasit, similiter ferè locutus est, ad exprimendam videlicet supremam maciem, *pellis super ossibus vna Vlceribus tetris propè iam, sordiq; sepulta.* Super ossibus vna, sola, subaudi superaret: præter pellem, eamq; vlceratam, & fœdam, & ossa nihil erant. Potest item illud, *super* capi pro superat, iudice Lambino, Græcorum more, qui vtuntur interdum præpositionibus pro verbis, vt πάρα, πάρα, ἔπι, ἔνι, pro πάρεισι, πάρεστι, ἔπεστι, ἔνεστι. Etiam Dauid Propheta in Psalmo 102. quod quidam è doctis rectè obseruauit, illa oratione, Adhæsit os meum carni meæ, idem significare voluit, maciem supremam videlicet, qua se confectum in extremo tertio Æneid. Achæmenides dixit. Postulat autem sententia

D Dauidis, vt, carni meæ, exponamus, cuti meæ: alioqui nihil mirum, aut nouum est, cuiquam ossa adhærere carni suæ. Germani quoque nostri eodem modo loquuntur. *Nichts dann Haut vnd Bain.* Tenuissimo corpore præditos, & macilentos admodum enumerat quosdam Aelianus lib. 10. cap. 6. In his Archestratum, qui captus ab hospitibus, & ad lancem appensus, inuentus sit habere pondus vnius oboli: quod qui finxit, risum, vt puto, quæsiuit. De macritudine Philetæ, illius poetæ elegiaci, refert idem lib. 9. cap. 14. ne à vento raperetur cum incederet, habuisse soleas ferreas. Sed tamen si adeo erat imbecillis propter maciem, vt vento obluctari non posset, ait Aelianus, quomodo tandem onus tantum trahebat? *Vix ossibus hærent,* quodammodo explanat his verbis Ar-

E nobius lib. 2. Nostra, & animantium corpora ex ossibus fundata, & neruorum colligatione deuincta. Iacob. Pont. TENEROS OCVLOS. M. FA. A) Græci ὀφθαλμὸν βάσκανον vocant. Heliod. Æthiop. γ. μὴ θαύμαζε εἴπερ, εἰ τοσούτοις ἐμπομπεύσασα δήμοις, ὀφθαλμόν τινα βάσκανον ἐπεσπάσατο. Κυρίως δὲ βάσκανος (inquit Theocriti Glossographus) ὁ τοῖς ὀφθαλμοῖς καίνων, καὶ φθείρων τὸ ὁρώμενον ὑπ' αὐτοῦ, ἢ ὑπ' αὐτῶν. Quærit etiam Alexander Aphrodisæus, problem. 2. διὰ τί τινες βασκαίνουσι, καὶ μάλιστα παῖδας. Quare non tam in hoc poetæ rudes & inepti videntur, quàm multi nobis blaterant, Nam vt ea quæ de familijs quibusdam apud Illyrios, Triballos, & Afros traduntur, rideam: vt Scythicas mulieres, vt Catoblepam, leporem marinum, basiliscum serpentem tanquam fabulosa silentio

silentio prętercam: ita ophthalmia affectum, quem intueatur, eo morbo implicare: fœminam quoque menstruis fluentibus speculum inficere exploratum est. Nec quæ de charadrio perhibent medici, vana prorsus censenda. Scribunt etiam nonnulli, noxij visus esse, qui gemina pupilla præditi sint. Ouid. Amor. 1. *oculis quoque pupula duplex Fulminat, & geminum lumen in orbe manet.* Porrò vt ad inceptum redeamus, si qui idem cum Virgilio de oculo fascinante, & aspectus contagione senserint, eis molesti esse philosophi non debebunt, nisi etiam Plutarchum lib. Sympos. 1. segm. 3. prius arguant. Brod. lib. 1. cap. 37.

Nocebat teneris magis fascinum, inquit Turneb. lib. 9. cap. 28. quam puberibus. Facilius enim mali sensus, & noxa oculo transmittebatur, quam ὀφθαλμὸν βάσκανον Plutarchus appellat, causamq; & ipse, & Alexander Aphrodisæus quærunt, scriptumque est ab Alciphrone, δυσμενὴς καὶ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμὸς, φησὶν ἡ παροιμία. Lege cætera. TRES PATEAT CÆLI SPAT. N. A. V) Traditũ est à multis, P. quidem Virgiliũ bonis ingenijs, & eruditis plurimũ gratiæ & fauoris ostendisse: contra autem illiteratos ac maledicos homines, mirum est, quam affecto & infenso animo fuerit: quod in his maiorem audaciam, ac impudentiam, quam maturitatem, & iudicium videret: ex quo, prolatis etiam versibus hoc totum asseruit, sicuti Iunius Philargyrius, & Seruius Honoratus referunt. Sed quid in versiculo Virgiliano acciderit de cæli spatio Grammaticis conquirentibus, dignum sanè videri potest adnotatione. In hoc enim carmine ex Bucolico ludicro, *Tres pateat cæli spacium non amplius vlnas*, cum Cornificius, & alij quidam Grammatici dubitarent, anxieq; à poeta perquirerent, si quid fortè remotius subesset: perlepidè responsum est à Virgilio, se in ea re Grammaticis omnibus crucem fixisse, in qua se assiduè distorquerent: quod ipse etiam Pædianus à Virgilio audiuit, quemadmodum Iunius idem Philargyrius in Virgiliano commentario refert: qui tamen Pædianus respondisse traditur. Mihi certè nullam crucem: nó enim sum id anxiè quęsiturus. Crinit. lib. 3. cap. 8. * *Nec nobis quidem crucem fixit, qui in re parui momenti indaganda noluimus cum ingenio bonum tempus conterere. Nec verò omnia quæ difficilè inuestigantur, etiam fructuosè cognoscuntur. Et me cum magnus Varro nunquam puduit, nunquam pudebit, fateri nescire, quod nesciam.* INSCRIPTI NOMINA REGVM FLORES) Theocrit. Idyll. 10.

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.
Et viola est nigra, & sua scripta gerens hyacinthus.

Seruianam explanationem afferre libitum est. Quia soluere non potuit, ipse aliam obijcit quæstionem. & captiosè, quibus in terris dixit. Hyacinthus enim vbiq; nascitur, flos, qui natus est primo de hyacinthi sanguine, postea de Aiacis, sicut & Ouidius lib. 10. Metamor. docet. Est autem rubrum quasi lilium, designans primam Hyacinthi litteram. Regum autem nomina, non quoniam ipsi reges fuerunt, sed quia regum filij: vt, *Magnum regina, sed enim miseratus amorem*, cum de Ariadne diceret, Pasiphaes reginæ filia. Sanè multi volunt, *nomina regum*, pro nomine regis positum: vt sit, quemadmodum illud in Terentio, *Non perpeti meretricum contumelias*, cum de vna tantum loqueretur. Nam flos iste Hyacinthi tantùm, non Aiacis nomen retinet. Tamen sciendum, ænigmata hæc, sicut fere omnia, aperta carere solutione. * *De Hyacintho puero, quemadmodum perierit, etiam Lucianus Tom. 2. dialogo Mercurij & Apollinis, Palæphatus, Natalis lib. 4. cap. 10. Disco nempe Apollo se exercebat, quem Zephyrus, ipse quoque pueri amans, cum ille ipsum auersaretur, in caput eius conuertit: atque ita miserum vita spoliauit. Hunc puerum Apollodorus lib. 1. Clio Musam ex Piero genuisse tradit. Vide quod de Hyacintho ex Claudiano attulerimus Eclog. 2. ibi,* Narcissum, & florem, &c. PHYLLIDA SOLVS HABETO) Dictum opinor, vt illud in And. de Chryside. *Quis heri Chrysidem habuit?* Lucian. τὴν στρατιῶτιν Ἀχαρνᾶνα, ὃς πάλαι μὲν ἀλεκτρυόνα εἶχε. Diximus alibi plura. NON NOSTRVM INTER VOS) Sunt qui non ex Seruij sententia, sed continuata oratione, & negatiuè accipiendum putent, vt neget Palæmon, tantas iudicio suo lites decidi, & dirimi posse, vt qui sua pronunciatione nec victorem, nec victum declaret. Videtur verò hic Palæmon quodammodo rusticorum iudicium secutus, potius transigere, quàm iudicare. Germ. ET VITVLA TV DIGNVS, ET HIC) *Thyrsis sumptus iudex eclog. 2. apud Calpurnium inter Idam & Astacum similiter eos pares pronunciat.*

Este pares, & ob hoc concordes viuite, nam vos
Et decor, & cantus, & amor sociauit, & ætas.]

Seruius ita & explanat hos versus, & vt mihi videtur, rectissimè. Et tu, & hic digni estis vitula, & quicunque similis vestri est. Nam supra vnus (Damœtas videlicet) dixerat,

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis ira.

Et Menalcas.

Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis,
Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas.

Ad similitudinem ergo posterioris huius pertinet, *aut metuet dulces*. Etenim amabat, & amabatur Menalcas: sed tamen metuebat, ne dissolueretur ille amor. Contrà Damœtas ex Amaryllidis iracundia amaritudinem expertus fuerat. Ergo ad illum, *aut experietur amaros.* CLAVDITE IAM RIVOS) Catullus Epithalam. *Claudite ostia virgines, Lusimus satis.* Potest oratio simpliciter accipi per apostrophen ad alios pastores de irrigatione pratorum. Potest etiam allegoria esse, pro, satis cantatum est, discedite: sicut peractæ caussæ symbolum est, Dixi: fabulæ peractæ, Plaudite. Sic certaminis absoluti sit hoc modò signum.



Ecloga

EXPLANATIONES.

MENALCAS, DAMOETAS, PALÆMON.

Dic mihi Damœta, cuium pecus? an Melibœi?
D. Non, verùm Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.
M. Infælix ô semper ouis pecus. ipse Neæram
Dum fouet: ac, ne me sibi præferat illa, veretur,
HIC ALIENVS OVES CVSTOS BIS MVLGET IN HORA:
Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

DIC MIHI DAMOETA, CVIVM PECVS?) Theocrit. Idyll. 4.

B. Εἰπέ μοι ὦ Κορύδων, τίνος αἱ βόες; ἦ ῥα Φιλώνδα;
K. Οὐκ· ἀλλ' Αἴγωνος, βόσκειν δέ μοι αὐτὰς ἔδωκεν.

Virgilius videtur reliquisse subaudiendum illud verbum *pascendum*, quod est in Græco βόσκειν, modo infiniti, & intelligendum esse, Nuper Ægon tradidit mihi pascendum. Aliquis tamen obijcere possit, quum versus illud admitteret, & quidem ornamento & elegantia pari, potius positurum fuisse, quàm suppressurum, nisi sua hæc à Theocriteis aliquid distare voluisset.

Semper τὸ *dic mihi*, iniuriosum est, ait Donat. super illud Terent. in And.

Eho, dic mihi, si omnes hunc coniectum in nuptias
Inimici vellent: quod nisi hoc consilium darent?

Ad confirmationem hunc ipsum Maronis locum ponit. In Hecyram ait, Dic, verbum est instantis audire, & curiosius interrogantis. Iterum hunc Virgilij versum laudat. Ab amaritudine cœpit Menalcas, inquit Seruius. Nam dicendo, cuium pecus? ostendit eum esse mercenarium. Cuium autem antiquè; aut vitans ὁμοιοτέλευτον, ne diceret, cuius pecus: quod modò trium est generum. Antiqui dicebant, sicut meus mea meum, sic, cuius cuia cuium. Terent. *Quid virgo? cuia est?*

Tres poetas ineptos, ac triobolares Virgilius æmulos, & obtrectatores habuit, quos cum credibile sit hic intellexisse. Ouid. lib. 1. de Remed. amoris, vbi vtrique poeseos antistiti sycophantas, & calumniatores suos fuisse confirmat.

Ingenium magni liuor detrectat Homeri:
Quisquis es, ex illo Zoile nomen habes.
Et tua sacrilega laniarunt carmina lingua,
Pertulit huc victos quo duce Troia deos.

Tres, inquam, habuit, Bauium, Mæuium, quos hac Ecloga velut notis Threicijs compungit, & stigmatis inurit ad perpetuitatem memoriæ: & Anserem, quem perstringit Ecloga 9. ibi,

Nam neq; adhuc Vario videor, nec dicere Cinna
Digna: sed argutos inter strepere anser olores.

Hi parodias quasdam in eum scripserunt, ex eius carminibus, quibus poetam doctissimum pro indocto tradu- A cerent. Sed ille hos velut caniculatum latratus neglexit, nec silentio suo vel minimam gloriæ suæ iacturam incurrit. Prima parodia est ex primo versu 1. Eclogæ. *Tityre, si toga calda tibi est, quid tegmine fagi?* Visus est enim parum latinè locutus, *tegmine fagi*, pro vmbra, & opacitate fagi. Altera ex primis huius Eclogæ versibus.

Dic mihi, Damœta, cuium pecus, anne latinum?
Non: verùm Aegonis, nostri sic rure loquuntur.

Sed, vt patuit suprà ex Seruio, ipsi ludibrium debent. Riserunt præterea, quòd numero multitudinis extulisset in Georg. hordea. *Hordea qui dicit, superest vt tritica dicat.* Atqui poeticæ vel libertatis, vel licentiæ meminisse debuissent, quæ se vsquequaque Grammaticorum can- B cellis includi non patitur. Iacob. Pont. MIHI TRADIDIT ÆGON) Tradere probatis auctoribus est credere, committere. Sese, aut alterum alicui, rempub. imperium tradere, quid aliud sunt, quàm eius fidei, potestati committere? Iacob. Pont. NEÆRAM DVM FOVET) Vis quædam huic vocabulo *fouet* subesse videtur, metaphora ducta ab auibus, pullos alarum volumine fouentibus, aut ouis incubantibus: quæ vox plerunque à poeta in re amatoria adhibetur. Æneid. 4. *hyemem inter se, quàm longa fouere.* Item Æneid. 1. *oculis & pectore toto Hæret, & interdum gremio fouet.* Alibi tamen fouere castra, fouere cupidine bella. OVES BIS MVLGET IN HORA) Vix potest in fœcundis ouibus fieri per totũ C diẽ, quanto minus in hora, vt bis mulgeantur? Georg. 3.

Quod surgente die mulsere, horisq; diurnis,
Nocte premunt: quod iam tenebris, & sole cadente,
Sub lucem exportant calathis.

Quid autem sequatur incommodi geminum mulctum in hora, statim ipse dicit, *Et succus pecori, & lac subducitur agnis.* Macerantur nimirum oues, macescuntque nimium: succus quippe humor est, quo alitur animal: hinc corpus solidum, & succiplenum. Varro quoque lib. 2. de re rust. vetat, dum nutriuntur agni, matres mulgeri: quia plus lanæ ferunt, & agnos plures. Et lex Iustiniani est, ἐὰν εὑρεθῇ ποιμὴν ἀμέλγων τὰ πρόβατα λάθρα τοῦ κυρίου αὐτοῦ, καὶ πιπράσκων, τυπτόμενος τοῦ μισθοῦ στερείσθω. Si fuerit deprehensus opilio oues mulgere clam domino suo, & vẽdere (lac scilicet) verberatus mercede priuetur. Seruius, & alij.

D. Parcius ista viris tamen obijcienda memento.
Nouimus & qui te, transuersa tuentibus hirquis,
Et quo (sed faciles Nymphæ risere) sacello.
M. Tum credo, cum me arbustum videre Myconis,
Atque mala vites incidere falce nouellas.
D. Aut hîc ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum
Fregisti, & calamos. quæ tu peruerse Menalca,
Et cùm vidisti puero donata, dolebas:

ET SI NON ALIQVA NOCVISSES, MORTVVS ESSES.
M. QVID DOMINI FACIENT, AVDENT CVM TALIA FVRES?
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidijs, multum latrante lycisca?
Et cùm clamarem, Quò nunc se proripit ille?
Tityre coge pecus: tu post carecta latebas.

PARCIVS ISTA VIRIS) Si ea quæ vis dices, ea quæ non vis audies. Vel vt Cicero Sallustio respondens (quæ tamen orationes suppositititiæ sunt, & vtrique falsò adscribuntur) quam malè dicendo accepisti voluptatem, eam malè audiendo amittes. Germanicè, *Ey lieber gesell, thue gemach.* Hoc minatur Menalcæ, Damœtas tacitè. Id ita esse, quæ sequuntur in recriminatione, probant. Cùm Vespasianus, auctore Suetonio cap. 13. de Licinio Mutiano, cuius erat palam nota impudicitia, apud communem amicum conquereretur, clausulam hanc adiecit: ego tamen vir sum: seu, vt apud Aurelium Victorem est, nosti me virum esse: nempe, vt probabile sit, ad versiculum hunc alludens. Iacob. Pont. NOVIMVS ET QVI TE) Defectus verborum πάθος maximè significat, admirationem, amorem, odium, iram. Fit etiam alijs de caussis: puta ob pudorē, quum res est turpis, vt hîc: item quum veremur, ne auditores offendantur. Hoc ad oratores pertinet. Etenim si quo in vitio vel corporis, vel animi, vel fortunæ communem habeāt Iudices cum reo reprehensionem, id verò tametsi multum potest caussæ prodesse, tamen est omnino prætereundum. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 27. * *De ista ἐλλείψει, honesta scilicet in re turpi, Donat. in Eunuch. Synecdochen vult esse Quintil. lib. 9. cap. 3. cum subtractū verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur. Cui similia, inquit, sunt, meo quidem iudicio, in quibus verba decenter pudoris gratia subtrahuntur,* Nouimus & qui te, *&c. Hanc quidā aposiopesin putant, frustra. Nam illa quid taceat incertum est, &c.* TRANSVERSA TVENTIBVS HIRQVIS) Libido oculos in angustias, seu angulos oculorum solet contrudere, quos vocant hirquos, teste Suetonio, in vitijs corporalibus. Ideo autem hirquos, quoniam libidinis, quæ in hirco præferuida est [*adeo quidem, vt dum adhuc vberibus alitur, matrem stupro superueniat. Et ideo celeriter, & ante sex annos consenescit, quod immatura Veneris cupidine primis pueritiæ temporibus exhaustus est. Columell. lib. 7. cap. 6.*] illic promantur signa. Etiamsi Apuleius Grammaticus, quòd illic hæreāt oculi, hirquos dici opinetur. Legitur in nonnullis libris *hircis*, pro *hirquis*. Rhodigin. lib. 15. cap. 10.

Huic nomini hircus, inquit Iouian. de Aspirat. lib. 1. aspiratio loco, f, præponitur. Nam Sabini fircus dixere. Quanquam, si Quintiliano credimus, principiò Romani non aspirabant huic voci. Eadem ratione aspiramus hirquus, cùm significat eam partem oculi, qua palpebrę committuntur: quod nomen satis quidem ineptè Apuleius Grammaticus inde vult dictum, quòd illic hęreant oculi. Tradunt etiam Grammatici, vocem hanc, in hac significatione scribi debere per, q, cùm verò significat animal, per, c. Quod etsi non improbo, tamen existimo veteres in vtraq; significatione scripsisse per, q. Nam & hirquitalos dicebant pueros ad virilitatem accedentes, ab hircorum scilicet libidine: quæ res apertè indicat, etiam hircum pro animali, per, q, pronuntiasse illos, & hirquos dixisse, non quòd ibi hæreant oculi: sed quòd signa libidinis, quæ maxima in hirquis, id est, hircis est, illic cernerentur, eorumq; motu declararentur.

Fœtor ille alarum in hominibus caper, capra, hircus, τράγος dicitur, & τραγίζειν est virus illud olere. Sed quia malus ille odor rarò quenquam inuadit, nisi qui iam per pubertatem potest habere notitiam fœminæ, aut quia tum maximè fœtent hirci, cùm coitum appetunt, factū

A vt τράγος aliquando pro libidine Venerea antiquis poneretur. Brod. lib. 5. cap. 22. * *Caprum, capram, & hircum appellari à Latinis fœtentem illam exspirationem alarum in humano corpore, docendum est aliquot auctoritatibus. Catull. in Rufum.*

Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Idem ad Verronem. Si cui Vitro homini sacer alarum obstitit hircus. *Horat. Ode 12. Epod.*

Namque sagacius vnus odoror,
Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam canis acer, vbi lateat sus.

Idem epist. 5. lib. 1. Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ. *Licet, inquit, plures tecum comites adducas: sed hoc est metuendū, ne multitudine cōuiuarum arctè sedentium, existat alarū odor grauis, & teter. Sic Lamb. monens, à quibusdam scorta intelligi caprarum nomine.* ET QVO, SED. F. N. R. S) De violato luco B Donatus rectè interpretatur. Sed interdum faciles dij erant, nec lucos sacros violantes vindicabant. Contra Horat. de Ioue, Ode 12. lib. 1.

Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Turneb. lib. 29. cap. 29. TVM, CREDO, QVVM ME ARBVSTVM) Et rusticè, & naturaliter respondet. Non enim ante purgat obiecta, sed alia obijcit. Ita enim irati facere consueuerunt, cùm aut non potuerint, aut noluerint obiecta dissoluere. Seruius.

Verbum *credo*, εἰρωνικῶς adhiberi solet. Cic. 1. de Orat. Clamabunt, credo, omnia gymnasia philosophorum. Idem Orat. perf. Atque etiam à quibusdam serò iam e- C mendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt: nam proh deûm atque hominum fidem, deorum aiunt. Ita, credo, hoc illi nesciebant, &c. Terent. Eunucho. *Credo, vt fit, misera præ amore extrusit hunc foras.* Imitatio Græcorum est, apud quos οἶμαι hunc vsum habet. Demost. ἀλλ', οἶμαι, πεποίηκεν οὗτοι μοι. At isti, credo, præstantiores se, quàm ipse me præbui. Ouid. at puto, sed puto pro eodem, seu eadem significatione dixit. lib. 5. Trist.

At puto, si demens studium fatale retentem,
Hic mihi præbebit carminis arma locus.

Lib. 1. de Ponto. *At puto, fructus adest mitissima caussa laborum.* In Nuce. *Sed puto, magna mei est operoso cura colono.* Iacob. Pont. MALA FALCE) Qua tu malè vteris. D Et dictum ex affectu vtentis: sicut, inutile ferrum cingitur. VITES NOVELLAS) In hoc maximum nefas est, nam vetulæ & cum vtilitate inciduntur. Fuerat autem capitale, arbores alienas incidere. Seruius. * *Vitem nouellam, & vineam nouellam lege etiam apud Catonem de re rust. cap. 34. Plin. lib. 16. cap. 37. Vetustioribus vitibus vinum melius, nouellis copiosius. Nouelletum pro vinea recenter instituta, dixit Paulus Iuriscos. Reperitur verbum quoq;* nouellare *apud Tranquillum in Domitiano cap. 7. Ad summam, inquit, vbertatem vini, frumenti verò inopiam existimans nimio vinearum studio negligi arua, edixit, ne quis in Italia nouellaret. Hoc est, vt ibidem Torrentius explanat, vites nouellas institueret. Qui etiam facetum quoddam dictum ante à Beroaldo notatum, ex Philostrato adducit. Apollonius, postquam edictum Domitiani de vitibus resciuit, At hic, inquit, præclarus Imp. qui mares castrari vetuit (Sueton. eod. cap.) terram eunu-* E *chum fecit.* ET CALAMOS) De calamis vnde tela fiunt, lege quæ scribuntur à Plinio lib. 16. cap. 37. Calamis orientis populi bella conficiunt, calamis spicula addunt, irreuocabili hamo noxia, &c. Iacob. Pont. PVERO DONATA DOLEBAS) Dolebas propter inuidentiam tuam videlicet: inuidia enim est dolor de alienis bonis. Compluria

pluria disseruimus de hoc vitio in Eclog. 1. super illo, *Non equidem inuideo*, &c. Modò tantùm egregiam ex D. Chrysostomo sententiam, ad huius improbitatis detestationem producemus. Ille Homil. 44. ad populum Antiochen. Omni venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam potest prætendere, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas quidẽ, & irrationabiles, habent tamen quas prætendant occasiones. Tu verò, quam dices caussam, rogo? Nullam penitus, nisi solum intensam nequitiam. SI NON NOCVISSES, MORTVVS ESSES) Sunt duæ figuræ prouerbiales, quibus intemperantem rei cuiuspiam cupiditatem declaramus. Altera est apud Aristophanem in Vespis huiusmodi:

Ἢν μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου,
Ὕπνου δ' ὁρᾷ τὴν νύκτ' οὐδὲ πασπάλην.
Ligno nisi forsitan primo illi assederit,
Somni videt nihil nocte, vel passpalam.

Primum lignum dixit primum gradum. Paspalam autem Græci vocant minutissimum aliquem farinæ puluisculum. Ad eundem modum Iuuenalis, *quibusdam Somnia rixa facit.* Altera est apud Maronem (hoc loco intellige.) Prior ita effertur, non capit somnum, nisi hoc, aut illud fecerit. Et eam reperire est apud Hebræum Parœmiographum. Nõ enim dormiunt, nisi cùm malefe-
C cerint: nec capitur somnus ab eis, nisi supplantauerint. Chiliad. QVID DOMINI FACIENT, AVDENT. Q. T. F) *Conatur Aegonem riualem suum simul infamare cum seruo, & est argumentatio à comparatione minorum.*] Seruius in hunc locum ita commentatur. Plerumq; personæ suis nominibus exprimũtur. Vt si dicas, philosophus, nomen ipsum ponis. Si autem velis dicere, sapientię operam dans, personam exprimes per officium, sicut hic. Nam pro seruo furem posuit: furta enim specialiter seruorum sunt. Sic Plaut. de seruo. *Homo es trium litterarum*, id est, fur.

Varro lib. 1. de ling. lat. dicit furem ex eo dictum, quòd veteres Romani furuum atrum appellauerint: & fures per noctem, quæ atra sit, facilius furantur. Quam etymologiam respuit Gell. lib. 1. cap. 8. Ipse aliam e Græco
D affert. Quod enim Grecis, inquit, nunc κλέπτης, antiquiore Græca lingua φὼρ est dictum. Hinc per affinitatem litterarum qui φὼρ Græcè, Latinè fur. NON EGO TE VIDI) Plaut. Trucul.

Pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè sciunt.

Docet longè maiorem fidem habendam, referentibus ea quæ viderint oculis, quàm ijs qui narrant ab alijs audita. Iustinian. Instit. lib. 3. oculatam fidem nominat, cùm res subijcitur oculis. Vulgò, si quis fabulã narret parum verisimilem, rogare consueuimus, num ea conspexerit. Si neget, sed audisse se tantùm affirmet, ridetur. Chiliad.
E CAPRVM EXCIPERE INSIDIIS) Verbum excipere venatorum est proprium, δέχεσθαι Græci. Hom. Iliad. δ. Ἀλλ' ... ἐς ... Æneid. 6.

Aemulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa immerserat vnda.

Translatum illud Cicer. pro Roscio Amerin. Nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emptores, vos hic tales viros sedere, qui excipiatis eos, qui e suis manibus effugerint. Horat. epist. 1. lib. 1. *Excipiantq; senes, quos vi varus mittant.* Lamb. in Horat. * *Adde Propert. lib. 2. eleg. 19.*

Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere, & stricto figere auem calamo.

B *Adde & Maronẽ, lib. 11. de Camilla Ornitũ, seu Orphitum interficiente. Húc illa exceptum (neq; enim labor agmine verso) Traijcit. Sueton. Augusto, cap. 16. Cùm præter Locros Rhegiũ pedibus iret, & prospectis biremibus Pompeianis terrã legentibus, suos ratus, descendisset ad littus, pæne exceptus est. Dicuntur verò abigei propriè, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subducunt, & quodammodo deprædantur. Etiam abactores, à Græcis ἀπελάται. Erant Hispani olim maximè abigei, adeo vt Iberus poeta decens, intelligat abigeos. Vide Lexicon iuris.*

Cæterùm *excipere* Nonius interpretatur, præter alias notiones, opprimere, circumuenire. Adducit Virgilium lib. 3. Æneid. *Et scelerum furijs agitatus Orestes Excipit incautum, patriasq; obtruncat ad aras*, Ciceronem &c. MVLTVM LATRANTE LYCISCA) Ex Seruio, & Plinio constat, lyciscam de congressu canis, & lupi generari. Certè Arist. 2. de generat. animal doctissima dispu-
C tatione caussam scrutatur, cur solus mulus omnium animantium, quæ etiam non ὁμογενῶς libido permiscet ad coitum, nihil neque ex suo genere, neque aliunde generet. Eius disputationis, quæ & natales lyciscæ complectitur, tale est initium. γίνεται δὲ συνδυασμὸς τοῖς ζώοις, &c. German. * *Plinium de lycisca id nusquam tradidisse contra Seruium notat Beroaldus. Bigenera animalia Festus ait vocitari, ex diuerso genere nata: vt leopardum ex leone & panthera, suem hibridam ex apro, & scrofa domestica: mulum ex equa, & asino. Vide Isidor. lib. 12. cap. 1. Obseruatum, inquit Plin. lib. 8. cap. 43. è duobus diuersis generibus nata, tertij generis fieri, & neutri parentum esse similia: eaq; ipsa quæ sunt ita nata, non gignere, in omni animalium genere.* ET CVM CLAMAREM, TV POST CARECTA) Adagium est, οἱ φῶρες τὴν βοήν, fures clamo-
D rem, subaudiendum, timent, aut senserunt: quod cadit in eos, qui sibi conscij, metuunt ne deprehendantur: aut qui peracto maleficio fugitant, pauitantque. Habet autem hoc cum omnis malefacti conscientia, tum præcipuè furti, vt hominem trepidum reddat, ac lucifugam. Vnde est in Hebræorum sententijs, impium vel persequente nullo fugere. Huc ergo allusum à Virgilio. Chiliad. * *Cum dixisset Menalcas, se vidisse Damoetam caprum excipientem insidijs, satis manifestè eum furti arguit, vt ait Seruius. Quis enim ea neget, quorum nobis testes sunt oculi? sed quoniam adijcit:* Et cum clamarem, &c. *arbitratur Cuiatius Obserua. lib. 11. cap. 38. visum furem non aliter pro manifesto haberi, quam si dominus qui vidit, viso acclamauerit. Quò te fur proripis? Quonam res abit mea? aut quid simile. Sicut ex XII. clamor exigitur, antequam iure furem occidere possis.* QVO NVNC SE PROR.)
E Plaut. Trinum. *Quo illic homo foras se penetrauit ex ædibus?*

D. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit: & mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.
M. CANTANDO TV ILLVM? aut vnquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? non tu in triuijs indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

AN MIHI CANT. VICTVS) Tanquam victoriæ prçmium mihi debebatur ille caper: deposuerat enim illũ Damon: sed ideo fortitã negabat se posse reddere, quòd ipsi quoq;, proinde vt Menalcæ domi pater erat, cum iniusta nouerca, qui ambo bis in die pecus numerarent, alter etiã hædos. Egit ergo prudentius Menalcas, dum

vt infra

vt infrà audiemus, quod in sua erat potestate, quodque A victus reddere poterat, cum Damœta concertaturus deposuit. Sed enim certa spes victoriæ Damœtam temerarium fecit. Iacob. Pont. CANTANDO TV ILLVM?) Hic, & sequentes duo versus expressi sunt è Theocrit. Idyll. 5.

Τὰν ποίαν σύριγγα; τὺ γάρ ποτε δῶλε Σιβύρτα
Ἐκτάσω σύριγγα; τί δ' οὐκέτι σὺν Κορύδωνι
Ἀρκεῖ τοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι;
Quenā hæc quam memoras est fistula? serue Sybarta,
Vlla fuit ne vnquam tibi fistula? sat tibi nonne est,
Quod culmis (hi sunt tua tibia) cum Corydone
Edere non cessas poppysmata.

Eosdē suos fecit imitando Calpurn. eclog. 2. hoc modo.

Vincere tu quenquam, vel te certamine quisquam
Dignetur? qui vix stillantes arida voces
Rumpis, & expellis male singultantia verba?

FISTVLA CERA IVNCTA) Lege supra. *Est mihi disparibus septem compacta cicutis.* STRIDENTI STIPVLA) Calpurnius, *carmen inops & acerba strider auena.* Nemesi. eclog. 3. *Tum Pan excussum sonitu stridentis auena.*

D. Vis ergo inter nos, quid possit vterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses
Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
M. De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est iniusta nouerca:
Bisq; die numerant ambo pecus, alter & hœdos.
Verùm id quod multò tute ipse fatebere maius
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis,
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon: & quis fuit alter
Descripsit radio totum qui gentibus orbem?
Tempora quæ messor, quæ curuus arator haberet?
Nec dum illis labra admoui, sed condita seruo.
D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit:
Et molli circum est ansas amplexus acantho:
Orpheaq; in medio posuit, syluasq; sequentes.
Nec dum illis labra admoui, sed condita seruo.

SI AD VITVLAM SPECTES, NIHIL EST QVOD POCVLA LAVDES.

Theocritus Idyll. 8.

Μ. Χρήσδεις ὦν ἐσιδεῖν, χρήσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;
Δ. Χρήσδω τοῦτ' ἐσιδεῖν, χρήσδω καταθεῖναι ἄεθλον.
Ἀλλὰ τί θησεύμεσθ' ὅ κεν ἁμῖν ἄρκιον εἴη;
Δ. Μόσχον ἐγὼ θησῶ· τὺ δὲ θὲς γ' ἰσομάτορα ἀμνόν.
Μ. Οὐ θησῶ πόκα ἀμνόν· ἐπεὶ χαλεπός θ' ὁ πατήρ μευ
Χ' ἁ μάτηρ· τὰ δὲ μᾶλα ποθ' ἕσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι.

M. An scire ergo libet? libet an deponere pignus?
D. Hoc mihi scire libet, libet & deponere pignus.
M. Quid quod sufficiat, deponere possit vterque?
D. Deponam vitulam: æqualem agnum pone parenti.
M. Haud deponā agnū, quoniam pater est mihi durus,
Et mater: vergente die numerantur ab illis
Quotquot oues hic sunt.

Ex Virgilio illud ἐσιδεῖν reddi eleganter posset, experiri, aut etiā cum illa adiectione, experiri quid possit vterq;. Alioqui notum est, significare proprie, videre: adeo, vt potuerit & ita locus hic reddi, ad verbum, *Hócne videre places?* & in responsione, *Nempe videre placet.* In interpretatione autē nominis ἄεθλον illum secutus sum. Cęterum quum eadē hic apud vtrunq; poetam pastores dicant, plus venustatis eorū colloquio inest apud Theocritū, propter hos amœbæos versus, in quib' Daphnis, qui respondet, verba Menalcę, qui interrogauerat, sequitur.

M. An scire ergo libet, libet an deponere pignus?
D. Hoc mihi scire libet, libet & deponere pignus.

B At verò apud Virgilium Damœtas non exspectat Menalcæ responsum ad suam interrogationem. Dicit enim Damœtas. *Vis ergo inter nos, quid possit vterq;, vicissim Experiamur?* quibus subiungit, *ego hanc vitulam &c.* Posset autem illa ἀμοιβαιότης, vt ita dicam, venustas ex Virgilij verbis concinnari, meo iudicio.

D. Visné ergo inter nos, quid possit vterq;, vicissim
Experiamur, & an pignus ponamus vterque?
M. Nempe volo inter nos, quid possit vterq;, vicissim
Experiamur, item pignus ponamus vterque.

Ideo autem simplici *ponere*, nō minus quam composito *deponere* licere hic vti existimo, quòd Theocritus non solum καταθεῖναι dicat, sed etiam θησῶ, & θὲς, & θησεύμεσθα. C VIS ERGO INTER NOS) Calpurnius eclog. 6.

Vis igitur, quoniam nec nobis, improbe, par es,
Ipse tuos iudex calamos committere nostris?

BIS VENIT AD MVLCTRAM) Horat. Ode 16. *Illic iniussæ veniunt ad mulctra capellæ.* VITVLAM DEPONO) Antiqui sponsionibus contendebant, & earum arbitros cōstituebant, apud quos pignora quoq; deponebant: quarum sponsionum vel apud Iureconsultos monumenta supersunt, & Plutarchum in Antonio. Hic locus à Theocrito in Batto manauit. ἀλλ' ἐν αἶγα λῆς ἐρίφων θέμεν, &c. Vt autē Latini, deponere, Gręci παρακαταβάλλειν dicunt, sacramento contendere, sponsione certare. German. INIVSTA NOVERCA) Existimatur Virgilius aptius nouercæ mentionem fecisse, quam matris Theocritus,

Quin etiam variauit rem nudam, vt, *alter & hœdos*: quippe modicum gregem: vterq; verò pecus, cuius iactura in magno numero quò deprehendi posset, maiore indigeret cura, atq; obseruatione. Scalig. F.

Vt autem intelligamus, quamobrem iniustam vocarit nouercam Maro, & cur dicat Seruius, id esse generale epitheton nouercarũ, sic habeamus. Nullum maius, neq; certius indicium est amoris vxorij erga virum, quã si priuignos non oderit: quod si etiam amauerit, tum verò quasi muliere maior, in admiratione erit. Hoc odium nouercale insinuat Horat. Odo 5. Epod. in Canidiam veneficam, *Quid, vt nouerca, me intueris?* Euripid. Alcestide. Ἐχθρὰ γὰρ ἡ 'πιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις

Τοῖς πρόσθ' ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

Hostis nouerca est ante natis liberis,

Nihilq; mitior nocente vipera.

Charondas legislator Thuriorum sanxit legem, ne quis liberis nouercam superinduceret, neue secundã vxorẽ caperet, vsus hoc dilemmate. Si prius coniugiũ fuit prosperum, ea prosperitate contentus esto: si infelix, & improsperũ, furiosi est idem malum denuo experiri velle. Solent præterea comparari cum naufragis, mare, vnde vix salui euaserunt, repetentibus, qui mortua priore, secundam ducunt: quanto magis, qui tertiam, quartam, quintam? Lege Diodor. lib. 12. Iacob. Pont.

Prouerbium est, Apud nouercam queri, de ijs, qui infælicitatem suam deplorant apud eos, qui nihil sunt auxilij laturi, vel gauisuri etiam querentium malis: quod nouercæ ferè malè velint priuignis. Ballio leno in Pseud. Plauti. *Nam istuc, quod nunc lamentare, non esse argentum tibi, Apud nouercam querere.* Leno pro se supposuit nouercam. Quod dictum Pseudolus simulans se non intelligere, *Eho, inquit, an vnquam huius nupsisti patri?* Aliud prouerbium, Nouercale odium, pro magno, fatali, irrecõciliabili odio, quod insitum est nouercis omnib⁹. Id eleganter docetur epigrammate quodam εἰς μητρυιὰν. lib. 1. Στήλην μητρυιῆς μικρὴν ἔστεψε κοῦρος,

Ὡς βίον, ἠλλάχθαι καὶ τρόπον οἰόμενος.

Ἡ δὲ τάφῳ κλιθεῖσα κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα.

Φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

Exiguo lapidi puer addit serta nouercæ,

Mutasse vt vitam, sic ratus ingenium.

Extinguit puerum illapsus tumulo. Eia nouercæ

Priuigni exanimem vel tumulum fugite.

Chiliad. * *Ridiculũ est, quod scribit Plutarchus, lib. de tranquillit. animi. Quidam cum in canem prætereuntem mitteret lapidem, aberrans ab eo, nouercam fortuitò percussit: tum, ne hoc quidem malè, inquit.* INSANIRE LIBET TIBI) Insanis Damœta, me prouocans ad certam cum mecum nullo modo comparandus sis, multis vtiq; partibus inferior, qui in triuijs miserum carmen disperdere solitus es stridenti stipula. Audere maiora viribus, amentiæ est & insaniæ, quòd facis in præsens. Ergo insanus es. Dicuntur & insanire, qui aliquid faciunt temere, & non satis cum ratione. Ostentator in 4. Cornif. ad Heren. Tametsi in Tusculano quidem cæpi insanire, & in ijsdem fundamentis ædificare. Iacob. Pont. POCVLA FAGINA CÆL. D. O. A) *Commendatio poculi à materia, artificio, & artifice*] Nimirum & apud Trebelliũ disci sunt corymbiati, & lances pampinatæ, & pateræ hederatæ. Germ. LENTA QVIB. TOR. FACILI) Lentam vitem nuncupauit & Catull. epithal.

Lenta qui velut assitas

Vitis implicat arbores.

Require quæ diximus in 7. Æneid. super illo, *Lento ducunt argento*, ex Mureti lib. 3. cap. 8. Tibull. lib. 1. eleg. 1. facile lutũ dixit, *Pocula de facili composuitq; luto.* Sed aliter tornus facilis. Iac. Pont. CONON, ET QVIS F. A. D. R) Seruius quandoq; lapsus est in historia hominum, quo-
A rum meminit eruditus, & multæ lectionis poeta. Non enim intellexit Virgilius Cononem Atheniensem, summum virum in reb⁹ bellicis, Timothei item Imperatoris filium, vt ipse putauit: sed valde peritum Geometriæ hominem, magnũq; cum laude in mathematicis versantem, cognominem illi. Eius autẽ quoq; meminit Archimedes in epistola, qua Dositheo misit librum suum περὶ τετραγωνισμοῦ παραβολῆς: ostendit enim amicum Cononem ambobus fuisse, ac de eius interitu paulo ante mortui conqueritur. Inde autem suspicari possumus, alterũ illum, quem Virgilius non appellauit, Archimedem fuisse, vt alijs etiam nonnullis coniecturis, ita hac, quod nobiles artifices, quos coniunctos amicitia fuisse, & in eo-
B dem studio claruisse sciret, in poculo illo coniunxisset. Victor. lib. 17. cap. 8. De Conone isto Callimachus in elegia, quæ, vt ex Arati interprete colligimus, Βερενίκης πλόκαμος inscripta fuit. Eam transtulit Catullus. Vrsin.

Iouian. lib. 1. de Aspirat. super hoc versu, *Descripsit radio totum qui gentibus orbem.* Mathematici enim, cæli ambitum, ac stellarũ sphæras, & terræ quam incolimus partes, quibusdã distinctas cingulis, ac gradib⁹, figurant lineis, & intra circulos cogunt. Accipiendum autem de Conone Samio, nobili Mathematico, non de Claudio Ptolemæo, vt Maronis interpretes credunt, qui quidem multis post Virgilium annis floruit. Fuit autem Conon hic temporibus Ptolemæi Regis, à quo propter discipli-
C nam in summo honore est habitus. Qui cum cæli situm describeret, quasdã stellas, quæ sunt in eo sidere, qui leo dicitur, crines esse Berenices commentus est, de quo est apud Hyginũ in lib. de signis cælestibus, Et apud Catull. *Omnia qui magni despexit sidera mundi*, &c. * *Erunt ergo, si Iouianum audiamus, duo Conones in his duobus versibus: quorum alter exprimitur, alter diuinantibus relinquitur. Et ipse quidẽ posteriori etiam audet poema de coma Berenices reginæ adscribere. At mihi libet assentiri Victorio de Archimede. In eo verò quod pastorem finxit poeta vel nescire quis ille alter fuerit, vel cum sciuerit, oblitum esse, personæ decorum seruauit: rusticos enim exacta rerum huiuscemodi notitia non decet.*

Radius (quod ignorat nemo) splendor est à sole micans, tela dici vocat Lucret. A similitudine radius geometricus, quo lineamenta describuntur. Humilem ho-
D munculũ à puluere, & radio excitabo, ait de Archimede Cic. Tusc. 5. & radius astronomicus, quo sidera spectantur. 6. Æneid. *Cæliq; meatus Describent radio, & surgentia sidera dicent.* Dicuntur & radij rotarum: quibus item mensura raditur, aliàs hostoriũ, rutrum: & quibus textores in tela texenda vtuntur. TEMPORA QVÆ. M. Q. C. A) Tempus serendi, tempus metendi, & vnicuiq; rei suum tempus est, vt legimus apud Ecclesiasten. cap. 3. nec possunt consistere, quæ non suo tempore suscipiuntur. De aratore curuo Plin. lib. 18. cap. 19. Arator nisi incuruus, præuaricatur. Vetus epigramma in libros Virgilij. *Hic tibi nec pastor, nec curuus deerit arator.* Curuum oportet esse aratorem propter aratrũ curuum. Lucret. lib. 5.
E *Nec robustus erat curui moderator aratri*

Quisquam, nec sciebat ferro molirier arua.

Iacob. Pont. NEC DVM ILLIS LABRA ADMOVI) Hypallage, pro, ea labris admoui. Rebus pretiosis, aut elegantibus tardè, & quodammodo nolentes vtimur: scientes, ipso vsu minus reddi pretiosas, & suum splendorẽ paulatim, elegantiamq; amittere: quod nos minimè vellemus. Quare quædam, tametsi possent esse vsui, perpetuò inter κειμήλια pro thesauris relinquimus, ea spectare subinde, & alijs ostentare contenti. Iacob. Pont. ET CIRCVM EST AN. AMP. A) Tradunt virginem quandam Corinthi decessisse, nutricem verò eius pocula, quibus illa delectata admodum fuerat, collegisse in calatho, delataq; ad tumulum, illic collocasse, & vt diutius sub dio permanerent, tegula etiam texisse. Eum calathum

lathum fortè super acanthi radicem fuisse collocatum, radicem verò pressam calathi pondere, folia, cauliculosq; profudisse, eosque secundum calathi latera crescentes, ab angulis tegulæ pressos circumflexisse sese, ac delectabilem speciem visentibus præbuisse. Tum Callimachum architectum delectatum genere, & formæ nouitate, ad id exemplar columnas fecisse, quas posteriores Corinthias appellarint. Quamobrem arbitror Virgilium huius historiæ memorem, dixisse, Alcimedontem illum suum ansas poculorum flexibili acantho fuisse complexum. Iouian. de Aspirat. lib. 2. ORPHEA, SYLVASQVE SEQVENTES) Lippis, & tonsoribus etiam notissima est illa Orphei fabula: eum nimirum canentem cithara feras quoque, & arbores secutas esse. Interpretatur eam, & Amphionis, qui saxa cantu ad Thebana mœnia construenda coire, & coagmentari fecit, Horat. ad Pisones. De eodem Orpheo noster Georg. 4. ad finem. *Mulcentem tigres & agentem carmine quercus.* Ad quem locum plura. Iacob. Pont. SI AD VITVLAM SPECTES) Valde stupidus sit, qui caussam non cernat. Laudet Menalcas suum illud poculum ligneum, & eo gaudeat quantum vult: vna vitula, qualis ista, præstat vel pluribus huiusmodi poculis. Quid illa cælatura, præter inanem oculorum voluptatem habet? Aut ad sedandam cum iucunditate sitim quid refert cælatóne, an incælato, aureo, an ligneo poculo bibas? Vitula, seu bucula hæc (præterquam quòd carnes eius in cibum coquuntur, & pellis non est inutilis) quotidiano lacte ditare potest rusticum: siquidem bis venit ad mulctram. Et vt fœcunditatem vberis perspicias, eodem tempore adhuc cum suo alienum vitulum, supposititium videlicet, alit. Iacob. Pont.

M. Nunquam hodie effugies: veniam quocunq; vocaris.
Audiat hæc tantùm vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam, posthac ne quenquam voce lacessas.
D. Quin age, si quid habes: in me mora non erit vlla.
Nec quenquam fugio. tantùm vicine Palæmon,
SENSIBVS HÆC IMIS (RES EST NON PARVA) REPONAS.

NVNQVAM HODIE EFFVGIES) Næuius in Equo Troiano. *Nunquam hodie effugies, quin mea manu moriare.* Ni tot veterum poetarum monumenta perijssent, facilè perspiceremus, Virgilium interdum quidem integros eorum versus, interdum verò dimidiatos, modò etiam paululum immutatos versibus suis immiscuisse, ut vel ex hoc Næuij adducto carmine conijcere quiuis potest. Vrsin. VOCE LACESSAS) Cicero 2. Philipp. Tu ne verbo quidem à me lacessitus. AGE SI QVID HABES) Vides audaciam Damœtæ? victoriam sibi iam in manibus videtur habere. Et contemptim, *si quid habes*, inquit. Nihil enim ducit quod habet, id est, quòd cantu valet Menalcas: quodammodo par pari refert, contemptoremque suum, à quo audierat, *non tu in triuijs indocte solebas*, &c. vicissim, paulò tamen ciuilius, minusque apertè despicit. Iacob. Pont. IN ME MORA NON ERIT VLLA) Sic Terent. And. *fin eueniat, quod volo, In Pamphilo vt nihil sit mora.* Et. *Neque hic, neque alibi vspiam erit tibi in me mora.* VICINE PALÆMON) Quæ de Palæmone Grammat. Sueton. lib. de claris Grammat. Euseb. in Chron. Plin. lib. 4. cap. 4. & Iuuenal. Sat. 7. scripserunt, cum volueris ipse leges. SENSIBVS HÆC IMIS. R. E. N. P) Ouid. *Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis.* Horat. Ode 14. Epod.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Obliuionem sensibus.

Hom. ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι. Cic. 1. Catilin. Percipite quæso diligenter quæ dicam, & ea animis vestris, mentibusq; mandate. Pro P. Quintio. Quæso vt eum diem memoriæ mandetis. Pro Cornelio Balbo. Oratio quæ nõ præteruecta est aures vestras, sed in animis omnium penitus insedit. Et 2. de Orat. nihil vnquam audiui, quod non in memoria mea penitus insederit. Veruntamen qui postulat quippiam imis sensibus reponi, aut menti intimæ mandari, non solum videtur cupere, illud retineri, nec per obliuionem excidere, verum etiam, vt rem seriam perpendi, considerari, perspici, probè cognosci, ac dijudicari. Itaq; statim subijcit, *res est non parua*: quod exponere licet, de re non parua agitur, non est vel de vmbra asini, vel de lana caprina nobis instituta concertatio: honoris est cõtentio: honore cedere qui velit, rarus erit. Et dicitur ex animo æstimantis, Res est nõ parua. Quod enim quisq; magni pendit, & admiratur, & ardenter optat, id illi res magna, seu non parua res est, etiamsi res nihili est, & pro qua digitus vertendus non sit. Iacob. Pont.

P. Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba:
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
NVNC FRONDENT SYLVÆ, NVNC FORMOSISSIMVS ANNVS.
Incipe Damœta, tu deinde sequêre Menalca.
Alternis dicetis: AMANT ALTERNA CAMOENÆ.

DICITE: QVANDOQVI.) Inuitatio ad cantandũ, ab adiunctis & loci, & temporis, quale ferè apud Ciceronẽ in dialogis decorum seruatur. Primo de Orat. platanus est in cuius vmbra disseritur: de legib⁹ inter procerissimas populos: & in viridi, opacaq; ripa fluminum, ad auium quoq; cõcentum disputatur.* *Nemesian. eclog. 1. Vt se Virgilianũ, quemadmodũ alijs locis, ostendat dicam an ostentet?*

Hic cantare libet, virides nam suggerit herbas
Mollis ager, lateq; tacet nemus omne.

NVNC OMNIS PARTVRIT ARBOS) Partum arboris hoc loco florẽ intelligit: hic enim tempore verno eius partus est: alius in autumno, qui legitur, & conditur. Nequeo præterire suauem, & peropportunum Plinij locũ è lib. 16. cap. 25. Arborum flos, est pleni veris indicium, & anni renascentis, flos gaudium arborum. Tunc se nouas aliasq; quam sunt ostendunt: tunc varijs colorũ picturis in certamen vsq; luxuriant. FORMOSISSIMVS ANNVS) Formosissimus annus, est formosissima, id est, gratissima, iucundissima, amœnissima, & optatissima pars anni, puta ver, cuius descriptionem trademus in 2. Georg. Et quia nobis abundat area, incipiemus hic sumptum facere, apposita Anacreontis Oda dulcissima, & vernantissima, ἴδε πῶς ἔαρ.

de laudibus deorum & hominum, facit Clio suum à Ioue principium ducere: & meritò sanè.

Quid prius dicam solitis parentum
Laudibus: qui res hominum ac deorum,
Qui mare & terras, varijsq́; mundum
Temperat horis?

Ouid. 10. Metam. *Ab Ioue Musa parens (cedunt Iouis omnia regno) Carmina nostra moue.* Magnarum quidē rerum principia à dijs immortalibus duci, ait in Vatin. M. Tullius. His adiungo Sophoclis dictum alicubi citatum à Plutarcho. ἔργου δὲ παντὸς ἤν τις ἀρχὴ καλῶς, καὶ τὰς τελευτὰς εἰκὸς ἔσθ' οὕτως ἔχειν. Cuius porrò casus sit vox, musæ, vocandíne, an gignendi, dubitatur. Dicamus esse vtriusuis. Potest enim ita accipi, vt poeta compellet eas, quarum auxilium imploret, hoc sensu, Agite ô Musæ, incipiamus à Ioue carmen nostrum, à Ioue exordiamur. Sicut fecit Theocritus, ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ ἐς Δία λήγετε μοῖσαι. Potest nomine musæ μετωνυμικῶς ipsum quod sequitur carmen significari, hoc intellectu: à Ioue ducatur principium carminis nostri, vt Cicer. in Arato. *Ab Ioue Musarum primordia.* Tum sanè genitiuus erit. Iacob. Pont. IOVIS OMNIA PLENA) Similis sententia est lib. 6. Æneid. *Principio cælum ac terras, camposq́; liquentes,* &c. Et 4. Georg. *deum namque ire per omnes Terrasq́;, tractusq́; maris, cælumq́; profundum.* Aratus pari modo.

——μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα,
Καὶ λιμένες, πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.

Lucanus. *Iupiter est quodcunq; vides, quocunq; moueris.* Trismegistus mundum dixit esse vas diuino numine repletum. Præclarè scriptum à Philone lib. 2. Allegoriarum legis. Deo ne totus quidem mundus dignum est domicilium, qui sibi ipse locus est, & ipse se ipso plenus, sibiq; sufficiens: cum Deus alienam indigentiam, solitudinem, inanitatemq; impleat, & contineat, ipse verò à nullo alio contineatur, vtpote vnus, & totum ipse ens. Vide & libellum Arist. de mundo. Iacob. Pont. ILLI MEA CARMINA CVRÆ) Eodem pæne sensu Ouid. dixit. Amor. 3. eleg. 8.

At sacri vates, & diuûm cura vocamur,
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Et Tibull. lib. 2. eleg. 6. *nam diuûm seruat tutela poetas.* Esse curæ eo modo dicimus, quo, esse voluptati, esse solicitudini, esse solatio, esse præsidio, esse auxilio, esse lætitiæ, esse lucro, esse damno, esse sumptui, esse saluti, esse vsui, esse honori, & reliqua similia. Sed huius generis loquendi, quod habemus in manibus, aliquot è Cicerone exempla proferamus. Epist. lib. 2. Mihi mehercule magnæ curæ est ædilitas tua. Lib. 3. Hæc igitur erunt tibi curæ, quemadmodum ostendis. Lib. 6. Mihi tu, tui, tua omnia maximæ curæ sunt, & dum viuam, erunt. Iacob. Pont. ET ME PHOEBVS AMAT) Theocritus Idyll. 5.

Καὶ γὰρ ἐμ' ὠπόλλων φιλέει μέγα· καὶ καλὸν αὐτῷ
Κριὸν ἐγὼ βόσκω, τὰ δὲ κάρνεα καὶ δὴ ἐφέρπει.
Valde amor à Phœbo: bellus cui pascitur à me
Nunc aries, quoniam iam Carnea festa propinquant.

Calpurnianam imitationem perpende.

Me Syluanus amat, dociles mihi donat auenas,
Et mea frondenti circumdat tempora tæda.

SVAVE RVBENS HYACINTHVS) Sic Ecloga 4. *Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti.* Catullus similiter.

Pallentesq́; cucurbitæ, &
Suaue olentia mala.
Et in nupt. Iuliæ.
Cinge tempora floribus
Suaue olentis amaraci.

A Flos hyacinthus colore purpureo, natus fingitur è duorum sanguine, Hyacinthi pueri, quem Apollo per imprudentiam pondere disci à se iacti occidit, & Aiacis, qui in gladium suum ipse incubuit. Prior mutatio narratur lib. 10. altera lib. 13. Metamorph. his nempe versibus.

Nec valuere manus infixum educere telum:
Expulit ipse cruor, rubefactaq́; sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis medijs pueroq́; viroq́;
Inscripta est folijs; hæc nominis, illa querelæ.

Litteram illam accipe αι quæ ad Aiacem relata, nomen eius indicet, αἰαῖ, ad Hyacinthum, lamentationem Apollinis declaret, qua eum morientem est prosequutus.
B Iacob. Pont. MALO ME GALATEA PETIT) Quando ex poematis Græcis vertendæ, mutandæque sunt insignes sententiæ, non semper aiunt enitendum, vt omnia omnino verba, in eum, in quem dicta sunt, modum vertamus. Perdunt enim gratiam pleraque, si quasi inuita, & recusantia violentius trahantur. Scitè igitur, & consideratè Virgilius, cum aut Homeri, aut Hesiodi, aut Apollonij, aut Parthenij, aut Callimachi, aut Theocriti, aut quorundam aliorum locos effingeret, partem reliquit, alia expressit. Sicut nuperrime, cum legerentur apud mensam vtraq; simul Bucolica, Theocriti, & Virgilij, animaduertimus reliquisse Virgilium, quod
C Græcum quidem mirè quam suaue est: verti autem neque debuit, neque potuit. Sed enim quod substituit pro eo, quod omiserat, non abest, quin iucundius lepidiusque sit.

Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα
Τὰς αἶγας παρελῶντα, καὶ ἁδύ τι ποππυλιάσδει.
In me mala iacit Clearistæ filia, capras
Dum præterduco, & dulci poppysmate ludit.

Gell. lib. 9. cap. 9.

Quid sit autem malis petere, tacitum prætermisit Seruius, credo, quòd eam rem suo tempore omnibus notam videret. Tota ista ecloga φιλαυτολόγους, hoc est, de se loquentes, suaq; iactantes pastores habet, vt & Theocritus Idyllio. 5. Primùm se laudant, quòd chari sint nu-
D minibus: deinde, quòd pulchris. Gloriatur igitur Domœtas his verbis, se vltro à Galatea ad amoris commercia affectari, & ambiri: id enim est Græcis, μήλοις βάλλειν, vt auctor est interpres Theocriti, Idyllio 6. vnde quoq; μηλοβλυθῆναι ab Aristoph. dictum est, pro, amore percelli. Sic enim inquit. μηδ' εἰς ὀρχηστρίδων εἰσιέναι, ἵνα μὴ πρὸς ταῦτα κεχηνὼς μήλῳ βληθεὶς ὑπὸ πορνιδίου τῆς εὐκλείας ἀποθραυσθῇς, id est, Neq; in ædes saltatricis introire, ne ad ista inhians, malo percussus à meretricula, gloria defringaris. Pastor igitur aduersarius, vt paria, vel maiora, afferat, vt lex est amœbæi carminis, inquit.

At mihi sese offert, vltro meus ignis Amyntas,
Notior vt non sit canibus iam Delia nostris.

E Hoc autem diuersi est apud Theocritum, quòd ibi pastores suos amores efferunt, alienos vituperant: hoc posterius Virgilius omisit. Nannius lib. 6. cap. 5. Malis petere dicuntur, qui muneribus assequi student, quod optant: aut qui donis prouocant ad amorem mutuum. Vide Chiliad. Præterea Pierium lib. 54. in Malo. FVG. AD SAL. ET. S. C. A. V) Horat. Ode 9. lib. 1.

Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellæ risus ab angulo.

Adducit Seruius. Tale quiddam de Licymnia Ode 12. lib. 2. Quod autem Virgilius substituit pro illo Theocriti, ἁδύ τι ποππυλιάσδει, iucundius est & lepidius: omninoq; argutius & suauius loquutus est his duobus versibus Maro, iudice etiam Scaligero. Poet. lib. 5. cap. 5.
F Expressit

Expreſſit etiam laſciuiam, quum dicit eam petere ama- A torem ſuum malis: virginis ingenium, quum ait eam fugere: muliebre, cum vult reſciri factum. MIHI SE SE OFFERT VLTRO) Theocritus Idyll. 5. *καὶ γὰρ ὁ χαρίδας τὸν ποιμένα λεῖος ὑπαντῶν Ἐκμαίνει.* Videtur ὑπαντᾶν Virgilius hìc intellexiſſe, offerre ſe vltro. Id eſt, vltro in alicuius conſpectum venire: ſiue vltro præbere ſe conſpiciendum. MEVS IGNIS AMYNTAS) Nemeſian. *Nam Mopſo Meroë, Lycida crinitus Iolas Ignis erat.* Ignem pro amore poni, non eſt nouum. Sic in Daphnide. *Incipe Mopſe prior, ſi quos aut Phyllidis ignes.* Horat. Ode 7. lib. 3. *& miſerum tuis Dicens ignibus vri.* Et Ode 27. lib. 1. *Non erubeſcendis adurit ignibus.* Et Ode 13. eiuſdem. *Quam lentis penitus macerer ignibus.* Apud Ouid. lib. 7. Metamorph. ad ſemetipſam Medea.

Excute virgineo conceptas pectore flammas
Si potes, infelix. Si poſſem, ſanior eſſem.

Et lib. 8. *flammaque latentes Hauſit.* Terent. Eunucho. *Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis.* Vbi per ignem accipienda eſt mulier meritoria: quia videlicet ignem alteri parit, id eſt, amorem, & malam cupiditatem ſui. Allegoria huiuſmodi eſt apud Apuleium Metam. lib. 2. Diſcede, inquit, miſelle quam procul à me, à foculo diſcede. Nam ſi te vel modicè igniculus meus afflauerit, vreris intimè. Lucret. lib 1.

Nunquam Tyndaridis forma conflatus amore,
Ignis Alexandri Phrygio ſub pectore gliſcens
Clara accendiſſet ſæui certamina belli.

Extat apud Gell. lib. 19. cap. 9. Portij Licinij poetæ vetuſti epigramma, in quo neſcio quis huiuſmodi ſe incendio ardere confitetur. Corrigit, & explicat Victor. lib. 12. cap. 11. NOTIOR CANIBVS DELIA) Quænam ſit Delia iſta, quæritur. Poteſt intelligi Diana, venationum præſes, quæ quoniam in inſula Delo nata eſt, Delia dicitur, vt Apollo frater eius Delius. Poteſt & amica hoc nomine accipi, quomodo ſuam Tibullus vocauit. PARTA MEA VENERI. S. M) Theocrit. Idyll. 5.

Κἠγὼ μὲν δωσῶ τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν,
Ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών, τηνεῖ γὰρ ἐφίσδει.

Iam nunc accipiet munus mea virgo palumbem,
Demptam è iunipero, namque arbore ſidit in illa.

Multò venuſtior eſt datiuus iſte Virgilianus *Veneri*, quàm Theocritæus ille τᾷ παρθένῳ. * *Lepore ſimili Horat. lib. 1. Ode 33.*

Ipſum me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale.

Lucret. lib. 4. Nec Veneres noſtras hoc fallit. *Et Plaut. Moſtellar.* O Venus venuſta. QVO CONGESSERE PALVMBES) Auium congeſtus eſt, inquit Turneb. lib. 5. cap. 19. cum ad nidum cõſtruendum feſtucas, herbas, floccos, aliaque congerunt. Nam congerere eſt nidum conficere. Idem lib. 26. cap. 2. *congeſſere*, id eſt, nidificauere, congeſſere nidamenta. Plaut. Rud. *In uerno hodie mille nidamenta* B *congeres.* Sunt autem nidamenta flocci, pinnæ, tomentum, pili, acus, cæteraque vnde nidos aues parant, * *Et iam Græci συμφορεῖν. Vnde συμφορουμένους ἀγέλας vocant aues, cum nidos conſtruunt. Notauit Titius locor. controuerſ. lib. 5. cap. 25. Adde Verba Ariſtot. de hiſt. animal. lib. 9. loquitur de epope. ἀλλ' εἰσδυόμενος εἰς τὰ στελέχη, ἐν τοῖς κοίλοις αὐτῶν τίκτει, οὐδὲν συμφορούμενος. Subiens arborum truncos, in quarum cauis parit ſine congeſtu, ſine nidamentis. De palumbibus diſſeruimus, opinor, ſatis in Eclogâ 1. ubi,* Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes. QVOD POTVI, PVERO) Theocrit. Idyll. 3.

Ἠνὶ δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω τηνῶθε καθεῖλον,
Ὧ μ' ἐκέλευ καθελεῖν τὺ, καὶ αὔριον ἄλλα τοι οἰσῶ.
En tibi mala decem porto, carpta vnde iubebas
Carpere. Portabo cras altera mala reuerſus.

C Legitur etiã, *Quot potui*, quæ lectio minimè reijcienda videtur. Eſt verò hunc locum, & præcedentem ita imitatus Nemeſian. eclog. 2.

Præterea tenerum leporem, geminaſque palumbes,
Nuper, quæ potui, ſyluarum præmia miſi.

Sed tanquam legens quod, apud Virgil. non, quot. AVREA MALA DECEM) Aurea mala appellat, quæ cotonea, cydonia, chryſomela etiam dicuntur. Neque tamen ſpernenda eſt Hermolai Barbari opinio (cui ſuccinit Eraſmus) de Medicis, citrijſque intellexiſſe eum iudicantis, quæ, vt tradit Athen. δειπνο. γ. διὰ τὴν ἰδέαν χρύσεα λέγεται. Brod. lib. 1. cap. 34. * *Mala Heſperidum largiri dicebatur, qui magna, & ſplendida largiretur: quò putant alluſiſſe poetam Chiliaſtes.*

D. O quoties, & quæ nobis Galatea loquuta eſt?
PARTEM ALIQVAM VENTI DIVVM REFERATIS AD AVRES.
M. Quid prodeſt, quod me ipſo animo non ſpernis Amynta,
Si, dum tu ſectaris apros, ego retia ſeruo?
D. Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola:
Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.
M. Phyllida amo ante alias: nam me diſcedere fleuit,
Et, longùm formoſe vale, vale inquit, Iola.
D. TRISTE LVPVS STABVLIS, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti: nobis Amaryllidis iræ.
M. DVLCE SATIS HVMOR, depulſis arbutus hœdis,
Lenta ſalix fœto pecori: mihi ſolus Amyntas.
D. POLLIO AMAT NOSTRAM, QVAMVIS SIT RVSTICA, MVSAM.
Pierides vitulam lectori paſcite veſtro.
M. Pollio & ipſe facit noua carmina. paſcite taurum,

Iam

Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.
D. Qui te Pollio amat, veniat, quò te quoque gaudet:
MELLA FLVANT ILLI, FERAT ET RVBVS ASPER AMOMVM.

Theocrit. Idyll. 7.

—Λυκίδα φίλε, πολλὰ μὲν ἄλλα
Νύμφαι κἠμὲ δίδαξαν, ἀν' ὤρεα βουκολέοντα
Ἐσθλὰ, τά που καὶ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα.
—mi Lycida, ex ipſis ego multa Camœnis
Præterea didici, dum montes incolo paſtor,
Præclara, ad ſolium fama perlata tonantis.

Obſeruandum eſt, Virgilium ventis malle tribuere, quod Theocritus famæ tribuerit. Ventos exiſtimaſſe videntur antiqui interpretes, & internuntios eſſe, & noſtras preces, votaq; ad deorum aures deferre, noſtraq; in ſumma verba omnia. Hinc illud Ouidij 10. Metamorph. *Detulit aura preces ad me non inuida blandas.* Quæ autem vota non eueniebant, & irrita cadebant, ea ad deos B non eſſe perlata à ventis, ſed vel diſſipata, vel procul in regionem longinquam auecta arbitrabantur. Tibull. lib. 1. eleg. 5. *quæ nunc Caurusq; Notusq; Iactat odoratos vota per Armenios.* Deniq; quidquid euenire nolebant, aut auerſabantur, & abominabantur, vento differri, diſijcique optare ſolebant: aut eius pernice curſu procul amandari, & aſportari iubebant, vt Tibull. ſomnia, lib. 3. eleg. 4.

Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,
Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

Turneb. lib. 1. cap. 23.

Quod de deorum auribus dicitur, Catull. quoq; in Galliambo. *Geminas deorum ad aures noua nuntia referens.* C Horat. epiſt. 19. lib. 1. *Et Iouis auribus iſta ſeruas.* Vetus enim prouerb. εἰς θεῶν ὦτα ἦλθεν. Vrſin. * *Veruntamen Horat. Auguſtum intelligit, quem blandimenti cauſſa, & aſſentatoriè Iouem cognominat. Vide autem huius amantis amentiam: tantis ducit concubinæ ſuæ ſermones, vt deorum auribus dignos iudicet. Prouerbiale ſchema,* Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures, *de rebus auditione cognitioneq; digniſſimis.* ANIMO NON SPERNIS) Figura eſt λιτότης, animo me nõ ſpernis, pro, me cõplecteris, & charum habes. Sic 7. Æneid. *Munera nec ſperno,* pro, mihi grata & accepta ſunt. Sed Menalcæ parum eſt, animo tantùm diligi, aſpectu autem & colloquio Amyntæ priuari. Cupiunt amici cum præſentes ſint animis, etiam præſentes eſſe corporibus. Iacob. Pont. PHYLLIDA MITTE. M. M. E. N) Natalis D ſiquidem dies voluptarius, & genialis eſt, & cum lætitia tranſigebatur. Tibull. lib. 1. eleg. 7.

At tu natalis multos celebrande per annos,
Candidior ſemper, candidiorq; veni.
Tranſeat hic ſine nube dies, ſtent aëre venti,
Ponat & in ſicco molliter vnda minas.
Aſpiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobæ lachrymas ſupprimat ipſe lapis.
Halcyonum poſitis requieſcant ora querelis,
Increpet abſumptum nec ſua mater Itym.

Iuuenal. ſat. 12. *Natali, Coruine, die mihi dulcior hæc lux.* Perſius ſat. 2.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos:
Funde merum Genio.

Apud Plaut. Capt. Hegio ſenex paraſito.

—ſed num quo foras
Vocatus es ad cœnam? P. nuſquã equidem quod ſciam.
Sed quid tu id quæris? H. quia mihi natalis eſt dies,
Propterea te vocarier ad cœnam volo.

Cic. quoq; 2. Philipp. Hodie non deſcendit Antonius. A Cur? dat natalitia in hortis. Rurſum Plaut. Pſeud. *Nam mihi hodie natalis dies eſt, decet eum omnes vos concelebrare.* Porrò, quemadmodum eum diem cærimonijs præterea quibuſdã, ac ritibus ditiores peragerent, prodit Ouid. lib. 3. Triſt. eleg. 13. vbi bella proſopopœia Natalem ipſum alloquitur. Verſus inſtituto idoneos ſubiungimus.

Scilicet expectas ſolitum tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris veſtis vt alba meis.
Fumida cingatur florentibus ara coronis,
Micaq; ſollemni thuris in igne ſonet.
Libaq; dem pro te genitale notantia tempus,
Concipiamq; bonas ore fauente preces.

B Quos autem deos natales colebant, erant hi, Iupiter, quem ſæpius poetæ Græci γενέθλιον, Iuno (quam videntur fœminæ veneratæ) & Genius. De Iunone Tibull. lib. 4.

Natalis Iuno ſanctos cape thuris honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Idem ad Cherinthum de Genio. *Magne Geni, cape thura libens, votiſq; faueto.* Et mox. *At tu natalis quoniam deus omnia ſentis.*

Veteres quoque Chriſtianos diem natalem cum ſacrificio ſollemnem, feſtumq; exigere conſueuiſſe, teſtatur vt vetuſtiſſimus, ſic eruditiſſimus Tertullian. lib. de corona militis. *Oblationes, inquit, pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus.* C Hoc idcirco toleratum aliquandiu ab Eccleſia, quòd cum ferè iam prouecta ætate homines ad Chriſtianiſmum, è paganiſmo tranſirent, neceſſarium eſt viſum, in multis conniuere. Origenes lib. 3. in Iob, ſuper illo, Pereat dies, in qua natus ſum, ſic ſcribit. *Animaduertimus homines, quæ mutatio facta ſit in hominibus. Nam priores diem natiuitatis celebrabant, vnam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nunc verò nos non natiuitatis diem celebramus, cum ſit dolorum, atque tentationum introitus: ſed mortis diem celebramus, vtpote omnium dolorum depoſitionem, atque omnium tentationum effugationem. Illi enim qui mori videntur mundo, viuunt, & naſcuntur deo. Propterea & memorias ſanctorum facimus, & parentum noſtrorum,* D *vel amicorum in fide morientium deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam in fide conſummationem poſtulantes.* Aurea, & cedrinis digna tabulis ſententia. MEVS NATALIS) Cum adiectione temporis, cuiuſlibet natalis dies melius dicitur: vt natalis locus, & natale aſtrum: ſed Virgilius ſeruiens perſonæ ruſticæ, *meus eſt natalis Iola,* inquit, nec addidit, dies. Donat. in Phormionem. Certè Cicero ſubſtantiuum ſemper adiungit: poetis, quod ſciunt omnes, licent in verbis multa. CVM FACIAM VITVLA) Verbum facere, & iunctum cum alijs, & ſeparatum, ſæpe ad res ſacras pertinet. Iunctum, vt rem ſacram facere. Separatum, vt pro Muræna. Iuno hoſpita, cui omnes E hoſpites facere neceſſe eſt. Et ad Att. lib. 1. Quæ pro populo fieret. Sic & vetus poeta. *Plus voueo: ſi, inquam, redierit, facturum bidente, verre.* M. Varro lib. 1. de re ruſt. Dij facientes adiuuant. *Iuuenal. ſat. 9. Pro populo faciens.* Græci modò δρᾶν, modò ῥέζειν. Alij, vt Nonius, quarto caſu legunt, *vitulam.* Sic controuerſa eſt lectio apud Horat. lib. 1. Ode 4. *Seu poſcat agna, ſiue malit hœdo.*

Hyllus libro quem de dijs compoſuit, ait vitulam

(aliàs Vitulinam) vocari deam, quæ lætitiæ præest. Piso ait, vitulam victoriam nominari. Cuius rei hoc argumentum profert: quod postridie Non. Iulias re bene gesta, cum pridie populus à Tuscis in fugam versus sit (vnde populifugia dicuntur) post victoriam certis sacrificijs fiat vitulatio. Quidam nomen eius animaduersum putant, quòd potens sit vitæ tolerandæ. Ideo huic deæ pro frugibus fieri sacrificia dicuntur: quia frugibus vita humana toleratur. Vnde hoc esse animaduertimus, quod ait Virgilius, *cum faciam vitula pro frugibus*. Vt vitula dixerit pro vitulatione: quod nomen esse sacrificij ob lætitiam facti superius exposuimus. Meminimus tamen sic legendum per ablatiuum: *cum faciam vitula*, Id est, cum faciam rem diuinam nō oue, non capra, sed vitula: tanquam dicat, cum vitulam pro frugibus sacrificauero, quod est, cum vitula rem diuinam fecero. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 2. * *Loquitur hic Damœtas de sacrificio ambarvali, de quo dicemus Eclog. 5. ad illa verba*, & cum lustrabimus agros. *Item Georg. 1. ibi*. Terq; nouas circum fęlix eat hostia fruges. VALE VALE) In imperatiuo illo vale, ex continuatione vocis facta est anceps vocalis: quomodo apud Homerum ἄρες ἄρες βροτολοιγέ. Et Theocrit. Idyll. 6. ἦ γὰρ ἔρωτι πολλάκις ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. Hartungus Decuria 4. cap. 6. * *Longùm vale*re, *hellenismus. Sic Æneas ad Pallantem lib. 11.* Salue æternùm mihi maxime Palla, Æternumq; vale. TRISTE LVPVS STABVL. &c) Theocrit. Idyll. 8.

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ' αὐχμός,
Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα,
Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

Bruma malum arboribus metuendum, fontibus ardor,
Alitibus pedicæ, retia torta feris:
At iuueni teneræ metuenda cupido puellæ.

Cum dicat Theocritus in redditione de cupidine, seu amore, Virgilius nō ibidem dixit, amorem Amaryllidis, sed iras esse rem tristem, quod statim quilibet fassurus erat. At rem eam, quam dixit Theocritus esse φοβερὸν κακὸν (id est, malum formidabile) non semper talem esse, obijcere aliquis poterat.

More Grecorum, *Triste lupus stabulis*: illi enim neutra adiectiua, pro abstractis, seu pro adiectiuis cum substantiuis ponere solent. Itaque triste hîc nihil aliud sonat, quam tristis res, & τὸ ἀληθὲς sæpe idem est, quod veritas. Vt autem in re perspicua, & pueris etiam bene nota ne multa accumulem testimonia, sic vsurpauit Cic. magnum, in Orat. perf. Nos nimis magnum fecissemus, si quidem potuissemus, quò cōtendimus, peruenire. Varro lib. 5. de ling. lat. faciunt tamen magnum, quòd quæ ex his constant in mundo, ostendunt. Horat. de Lucilio, sat. 4. lib. 4. *in hora sæpe ducentos, Vt magnum, versus dictabat*. Id est, putabat se rem magnam, & miram præstare. Propert. lib. 2. eleg. 15. *Sic nobis qui nunc magnum speramus amantes*. Quod ad sensum verborum Virgil. pertinet, certum est, naturam quibusdam animantibus aduersum alias animantes odium, & inimicitias ingenerasse. Naturâ igitur, vt de alijs modò taceam, oues lupum oderunt, & fugiunt, ille eas insequitur. Horat. Ode 4. Epod.

Lupis, & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

Damon Eclog. 8. optans multa contra naturam fieri, quando pulcherrima nupsisset deformissimo. *Nunc & oues vltro fugiat lupus, aurea duræ Mala ferant quercus*, &c. Imbres nocent illi quidem maturis frugibus: at immaturis, & adhuc gremio terræ confotis, aut iam in herba constitutis prosunt multum. Vide Plutarchum

A de causis natural. cap. 2. cur semina magis nutriantur aquis pluuijs, quàm cæteris. Iac. Pont. DEPVLSIS ARBVTVS HOEDIS) Arbutus genus arboris, frondib⁹ raris. Virgil. Eclog. 7. *Et quæ vos rara viridis tegit arbutus vmbra*. Festus. Georg. 2. horridam vocat, propter asperitatem fructus, quem Plinius vnedonem nominat, quonium ob acerbitatem eius, asperitatemque vnum dûtaxat comedi expediat. *Depulsis*, seiunctis à mamma. Vide Eclog. 1. *quò sæpe solemus Pastores ouium teneros depellere fœtus*. Et Eclog. 7. *Depulsos a lacte domi quæ clauderet agnos*. Iacob. Pont. PIERIDES VITVLAM. L. P. V) Animo & memoria colere se beneficium à Pollione in agrorum restitutione acceptum ostendit cum his, tum B sequentibus. Commendauerat autem se Pollioni Virgilius carminibus, quæ viro illustri ac potenti apud Augustum etiam atq; etiam placuerant. Ingenium igitur Virgilio amicitias, amicitiæ opes pepererunt. Musę Pierides, auctore Festo, propter amœnitatem ac solitudinem Pierij montis dictæ videntur, quòd ex secretis locis propter liberalia studia delectentur. Certè carmina secessum scribentis, non tantùm otia quærunt. Iacob. Pont.

Sunt qui scribunt Pierum quendam Macedonem primùm poema confecisse, ac filias suas poësin docuisse, ob id Musarum patrem; & alumnum habitum fuisse, atque ab eo Musas Pierides vocitatas. Quæ etiam The- C spiades dictæ sunt, quoniam Pierus primùm Thespijs cecinisse carmina memorabatur. Scalig. Poet. lib. 1. c. 2. * *Quemadmodum Musas ad certamen cantus prouocent Pieri filiæ, & victa ab illis, in picas conuertantur, habes Metamorph. lib. 5. Cur Pierides, seu Pieriæ vocatæ sint, plures caussas in medium adducit Gyrald. Syntag. de Musis, quæ etiam dicuntur Nymphæ, Camenæ, Heliconides, Aonides, Citheriades, Pegasides, Aganippedes, quarum omnium appellationum rationes ibidem exponit*. FACIT NOVA CARMINA) Donat. in illud And. Terentij, *Populo vt placerent, quas fecisset fabulas*, Bene, *fecisset*, non *scripsisset*. Vnde & poetæ ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, id est, à faciendo dicti sunt. Deinde hunc locum citat ad confirmandum. *Noua*, Seruius magna, miranda interpretatur. Nam cū nouitas faciat admirationē, inde quæ admirabilia sunt, D retrouersum noua dicuntur. PASCITE TAVRVM) Quidam onirocritæ dicunt, taurum per somnium imaginari, indicium esse disertissimæ prolis suscipiendæ, quò forte spectat Virgilianum hoc, taurum Pollioni pascendum, *Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam*, propterea quòd noua ille carmina faciat, qui quidem sunt ingeniorum fœtus. κατὰ πάρεργον & hoc addam (quamuis non sim nescius, quid Grammatici super locutione, *noua carmina* disputent) dici posse. Virgiliū ad Pindari cum illud respexisse, quod Olympijs habetur Epharmosto. αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. Vinum quippe à vetustate commendare congruum esse: à nouitate autem poemata. Florem enim pro E recenti re positum aiunt interpretes. Pierius lib. 3. in Tauro. IAM CORNV PET. ET PED. QVI) de tauro à riuali superato, paria leges Georg. 3.

Et tentat sese, atque irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco, ventosq; lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

QVO TE QVOQVE GAVDET) peruenisse, subaudi. Peruenerat autem ad consulatum, & triumphum, victis Salonis oppido Dalmatiæ, quod testatur Horat. Ode 1. lib. 2. qua eum laudat.

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

MELLA

Mella flvant illi) Cum Pollionis amicis Damœtas optat mella fluere, nihil aliud vult, nisi vt copiosissima rerum omniũ, quæ suauissimæ iudicentur, vber-

A tate ditescant: mel enim apud omnes nomen est dulcedinis. Apud Pindarũ mel pro suaui, trãquillo, & maximè expetendo, amabiliq; bono ponitur, &c. Pierius lib. 26.

M. Qvi bavivm non odit, amet tva carmina Mævi:
Atqve idem ivngat vvlpes, et mvlgeat hircos.
D. Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet angvis in herba.
M. Parcite oues nimium procedere. non bene ripæ
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.
D. Tityre pascentes à flumine reijce capellas:
Ipse, vbi tempus erit, omnes in fonte lauabo.
M. Cogite oues pueri: si lac præceperit æstus,
Vt nuper, frustra pressabimus vbera palmis.
D. Eheu quàm pingui macer est mihi taurus in aruo:
Idem amor exitium est pecori, pecorisq; magistro.
M. His certè neque amor caussa est, vix ossibus hærent:
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
D. Dic quibus in terris (& eris mihi magnvs apollo)
Tres pateat cæli spatium non amplius vlnas.
M. Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores: & Phyllida solus habeto.
P. Non nostrvm inter vos tantas componere lites.
Et vitvla tv dignvs, et hic: & quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Clavdite iam rivos pveri, sat prata bibervnt.

Qvi bavivm non odit) Adagium in eos, qui æquè propter vitiorum similitudinem sunt despicabiles. Eundem hunc Mæuium insectatur Horatius Ode 10. Epod. Diximus de his duobus principio symbolarũ huius Eclogæ. Iacob. Pont. Ivngat vvlpes, et m. h) De re palàm absurda, *ζευγνύειν τὰς ἀλώπεκας*, iungere vulpes aratro vel currui. Est enim vulpes animal ab vtroque vehementer alienum. Eundem habet sensum, *τράγον ἀμέλγειν* mulgere hircum. Lucianus in vita Demonactis, inter eius festiuiter dicta commemorat & illud. Quum cõspiceret duos quosdã philosophos, vtrosq; pariter indoctos inter se disceptantes, & alterum quidẽ ridiculas quæstiones proponenté: alterum item aliena, neq; quidquam ad rem facientia respondentem, Quid, inquit, amici, an non horum alter hircum mulgere videtur, alter cribrum supponere? Chiliad. * *Veruntamen in India orientali, apud Amboinum suis se oculis conspexisse hircum scribit Franciscus Xauerius, homo Societatis IESV, Epistolarum lib. 2. epistola 3. data Anno Dom. M. D. XLVI. 6. Idus Maias, lacte suo paruos alentem hœdos, vbere enim, quod prope genitalia vnicum habebat, tantum lactis reddebat quotidie, quantum scutella capere potest. Hoc ille vir suis oculis se conspexisse prædicat, aliter crediturum non fuisse. Et Lusitanum quendam honestum, hunc hircum eo consilio secum asportasse, vt in Lusitaniam mitteret. Adijciam huic affine in hominibus. Ex Brasilicis nostrorum epistolis cognouimus gentẽ quandam inuentam, vbi viri, non fœmina lactant infantes: his enim mãmas esse paruas & vacuas, illis magnas, & lactis plenas. De caussa disputent physici. Nondum omnia naturæ miracula scripserunt Plinius, Aristoteles, & alij.* Hvmi nascentia fraga) Etsi fraga, mora explicat Seruius: non ideo credendum est, insignem Grammaticum rem eandem putasse: sed ea potius à rusticis mora appellari indicauisse censendum, quę, qui latinè loquuntur, fraga vocitant: aut, vt opinor, ob similitudinem, quam hęc cum moris habent. Sic Plinius vacinia, mora, & pentaphylli fructum fraga nuncupat. Brod. lib. 1 cap. 34. Latet angvis in herba) Miror neminem interpretum quidquam hìc occultius subesse suspicatum. Mihi nunquam dubium fuit, quin poeta ad parœmiam quandam respexerit, & fortasse ad ad eam, qua vulgò ferebant, viperam esse in veprecula, de periculo graui, & inopinato. Eum adagionem apertè extulit Pomponius. Deinde cedò cacabum, vipera est in veprecula. Respexisse autem huc Virgilium vincit, quod fragorum meminit, quæ in vepretis ferè leguntur. Ian. Gulielm. Verisimil. lib. 1. cap. 13. Ipse aries etiam
B nvnc) Principatus apud Romanos ariete significabatur. Testis Varro lib. 5. de ling. lat. Dies, inquit, agonales, per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab agon'? eo quod interrogatur à principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur. Hæc Varro. Ex qua fortasse ratione Virgilius sibi placés, se, cum Arij vim euasit, sub ariete significauit hoc loco. Plutarchus in X. Rhetorum vitis, supremum locum ariete significari innuit, inquiens: Isocratis sepulchro insculptum fuisse arietem cubitorum septé, ratione symbolica. Nõ solum autem apud Latinos, Gręcosq; hoc significato aries accipitur, sed & apud Hebræos. Hilarius enim in explanationibus suis in Psal. 64. & 65. arietes exponit, & intelligit pro sacerdotibus, marty-
C ribus, patriarchis, prophetis, & Apostolis, qui tanquam gregis sancti principes, & duces sint. Magius lib. 3. cap. 1. Reiice capellas) Quidam volunt *reijce* esse hoc loco disyllabum, sublato videlicet, i, posteriore, & priore cum vocali, e, contracto. Sic Lucret. lib. 3. disyllabum fecit, eijcit, in hoc versu. *Nec radicitus è vita se tollit, & eicit.* Rursus lib. 4. *Eicit enim sulci recta regione.* Alij proceleusmaticum volunt esse. De quo videas licet, quæ ab Erythræo in Indice differuntur.

Iam & flumen, & fluuius à fluxu, seu fluore perpetuo dicuntur. Etenim, vt pulchrè Arnobius lib. 2. Aqua est natura res labilis, & ad fluorem semper, decursionemque prona. Conuenit autem huic, & est eiusdem sensus cum antecedente, *Parcite oues nimium procedere, non bene ripæ Creditur.* OMNES IN FONTE LAVABO) Theocrit. Idyll. 5.

Αἶγες ἐμαὶ θαρσεῖτε κερουχίδες, αὔριον ὔμμε
Πάσας ἐγὼ λουσῶ Συβαρίτιδος ἔνδοθι κράνας.
Cornigeræ, spe estote bona, mea cura, capellæ:
Cras ego vos omnes Sybaritæ in fonte lauabo.

COGITE OVES PVERI) *Cogite oues* dixit, quomodo suprà, *Tityre coge pecus.* Et valet hoc verbum congregare, conducere, conuocare, colligere, idq; tam in rebus, quàm in personis: neque semper in vi facienda, aut inferenda ponitur. Cic. in Verr. Pecuniam magnam coegit à ciuitatibus. De nat. deor. Aer concretus in nubem cogitur. In Verr. Iste nauem maximam Messanæ publicè coactis operis ædificauit. De finib. Cato in ipsa curia solebat legere, dum senatus cogeretur. Iacob. Pont. LAC PRÆCEPERIT ÆSTVS) *Præceperit* propriè dictum, pro præoccupauerit. Lib. 6. Æneid. *Omnia præcepi, atq; animo mecum ante peregi.* Sic lib. 10.

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Littora præcipere, & venientes pellere terra.

Vbi vulgò legitur, *præripere.* Lucret. lib. 6.

Propterea quia nimirum prius æstus vbi aris
Præcepit, ferriq; vias possedit apertas.

Sic Cicero 13. Philipp. Præcipias licet gaudia. Et 1. Offic. magni etiam ingenij est præcipere cogitatione futura. Salust. lib. 1. historiar. Quin transgressos omnes recipit mons, præceptus à Lusitanis. Vir quidam eruditus, priore versu pro æstu, legit æstas, ex fide codicum quorūdam veterum. Et lib. 2. Georg. *Aut grauis incumbens scopulis arentibus æstas.* Vt more Lucretij scilicet æstas pro calore dictum sit. Nobis vulgatam lectionem mutare non placet. Iac. Pont. FRVST. PRESSAB. VBERA) Rationabiliter aspirari, huber, hubertas, Hubertinus proprium nomen, hubera, exhubero, hubertim (quod Catullus protulit) quanquam vsus quotidie multa immutet, censet Iouianus de Aspiratione lib. 1. Fiunt enim à Græco verbo ὕω, vt quibusdam placet, v in, u, productum verso, ac, b, littera hiatus caussa interiecta. Ego tamen opinatus sum semper, huber deductum esse ab humeo, vt tuber à tumeo, m, littera in, b, versa. Loca enim arida infœcunda sunt. Contra quæ humecta, sunt feracia; & mulierum vbera si humore careant, carebunt & lacte. Videtur itaque Virgilius indicare nobis voluisse, hubera ab humendo dicta. Si, inquit, æstus humorem præceperit, atque arefecerit, frustra hubera, quæ omni humore vacua erunt, exprimemus. PINGVI IN ARVO) Eruo legunt quidam, pro aruo: pabuli seu hordei genus est, quo pinguescunt boues. De eo Plin. lib. 18. cap. 15. Nec erui operosa cura est. Hoc amplius quàm vicia runcatur, & ipsum medicaminis vim obtinens. Quippe per eruum diuum Augustum curatum, epistolis ipsius memoria extat. Sufficiant singulis boum iugis modij quini sati. Martio mense satum, noxium esse bobus aiunt, item autumno grauedinosum. Innoxium autem fieri primo vere satum. Grumio seruus in Mostellar. Plauti. *Eruum daturin' estis, bobus quod feram?* Mirum est, in pingui eruo, hoc est, cum tam bono, & alibili pabulo tauros esse macros. Sed causa subiūgitur huius maciei. Quanquam aliter exitio esse amor pecori, aliter magistro intelligendus est, & hoc illo lōgè grauius habendum. *Qui in amore perit*, ait Plautus, *peius perit, quàm si saxo saliat.* Iacob. Pont. HIS. C. N. AM. CAVSSA EST, VIX OSS.

A HÆRENT) Ad vnum omnes ita hunc versum legunt, à sententia quidem non multùm, à verborum, & interpretationis venustate abductum longè. Scribo enim, *His certè (neque amor caussa est) vix ossibus hærent.* Auctor mihi perspicuis verbis in Terentij Eunuchum Donatus. Hi, hice, his, hisce, nominandi casu numero multitudinis promiscuè vsurpabant. His ergo hoc loco hi est: postea trita latinis auribus formula est, *amor caussa est.* Et sic Cic. Lælio. Valetudinem caussæ, non mœstitiam fuisse. Expressit & hoc de macie ouium Theocritus, Idyllio 4. *ταύτας μὰν δή τοι τὰς πόρτιος αὐτὰ λελείψεται τὠστία.* Quod sic reddas. *Sola isti vaccæ tandem sunt ossa relicta.* Cæterùm vt Maro dixit, vix hærere ossibus, ita

B Naso, *macie, qua malè nisa sua est*, pro mala niti macie, siue macilenta cute: siue de ea, quæ, vt vetus verbum est, ossa atq; pellis tota esset. Versus Nasonis hic est, vt quidem ego legerim.

Si pata est, Veneri similis: si flaua, Minerua.
Sit gracilis, macie qua mala nisa sua est.

Ian. Guilielm. lib. 1. cap. 12. Verisimil. Quemadmodum hoc loco Virgilius, sic Plautus Aulul. istis verbis extremam macritudinem expressit. *Qui ossa atque pellis totus est, ita cura macet.* Et Capteiuis, *Ossa atque pellis sum misera macritudine.* Et Idyll. 2. apud Theocritum de se infœlix amator, *αὐτὰ δὲ λοιπὰ ἐστ' ὀστέα*, sed addit, *καὶ δέρμα.* Lucretius quoque in illa descriptione

C pestis, quæ Athenienses inuasit, similiter ferè locutus est, ad exprimendam videlicet supremam maciem, *pellis super ossibus vna Vlceribus tetris propè iam, sordiq; sepulta.* Super ossibus vna, sola, subaudi superaret: præter pellem, eamq; vlceratam, & fœdam, & ossa nihil erant. Potest item illud, *super* capi pro superat, iudice Lambino, Græcorum more, qui vtuntur interdum præpositionibus pro verbis, vt *πάρα, ἔνι, ἴνι*, pro *πάρεστι, ἔνεστι, ἔνεισι.* Etiam Dauid Propheta in Psalmo 101. quod quidam è doctis rectè obseruauit, illa oratione, Adhæsit os meum carni meæ, idem significare voluit, maciem supremam videlicet, qua se confectum in extremo tertio Æneid. Achæmenides dixit. Postulat autem sententia

D Dauidis, vt, carni meæ, exponamus, cuti meæ: alioqui nihil mirum, aut nouum est, cuiquam ossa adhærere carni suæ. Germani quoque nostri eodem modo loquuntur. *Nichts dann Haut vnd Bain.* Tenuissimo corpore præditos, & macilentos admodum enumerat quosdam Aelianus lib. 10. cap. 6. In his Archestratum, qui captus ab hospitibus, & ad lancem appensus, inuentus sit habere pondus vnius oboli: quod qui finxit, risum, vt puto, quæsiuit. De macritudine Philetæ, illius poetæ elegiaci, refert idem lib. 9. cap. 14. ne à vento raperetur cum incederet, habuisse soleas ferreas. Sed tamen si adeo erat imbecillis propter maciem, vt vento obluctari non posset, ait Aelianus, quomodo tandem onus tantum trahebat? *Vix ossibus hærent*, quodammodo explanat his verbis Ar-

E nobius lib. 2. Nostra, & animantium corpora ex ossibus fundata, & neruorum colligatione deuincta. Iacob. Pont. TENEROS OCVLOS. M. FA. A) Græci ὀφθαλμὸν βάσκανον vocant. Heliod. Æthiop. γ. μὴ θαυμάζε εἴπερ, οἱ τοσούτοις ἐμπομπεύσαντα δήμοις, ὀφθαλμόν τινα βάσκανον ἐπεσπάσαντο. Κυρίως δὲ βάσκανος (inquit Theocriti Glossographus) ὁ τοῖς ὀφθαλμοῖς καίνων, καὶ φθείρων τὸ ὁρῶν ὑπ' αὐτοῦ, ἢ ὑπ' αὐτῶν. Quærit etiam Alexander Aphrodisæus, problem. 2. διὰ τί τινες βασκαίνουσι, καὶ μάλιστα παῖδας. Quare non tam in hoc poetæ rudes & inepti videntur, quàm multi nobis blaterant, Nam vt ea quæ de familijs quibusdam apud Illyrios, Triballos, & Afros traduntur, rideam: vt Scythicas mulieres, vt Catoblepam, leporem marinum, basiliscum serpentem tanquam fabulosa silentio

ſilentio pręteream: ita ophthalmia affectum, quem intueatur, eo morbo implicare: fœminam quoque menſtruis fluentibus ſpeculum inficere exploratum eſt. Nec quæ de charadrio perhibent medici, vana prorſus cenſenda. Scribunt etiam nonnulli, noxij viſus eſſe, qui gemina pupilla prædit ſint. Ouid. Amor. 1. *oculis quoque pupula duplex Fulminat, & geminum lumen in orbe manet.* Porrò vt ad inceptum redeamus, ſi qui idem cum Virgilio de oculo faſcinante, & aſpectus contagione ſenſerint, eis moleſti eſſe philoſophi non debebunt, niſi etiam Plutarchum lib. Sympoſ. 1. ſegm. 3. prius arguant. Brod. lib. 1. cap. 37.

Nocebat teneris magis faſcinum, inquit Turneb. lib. 9. cap. 28. quam puberibus. Facilius enim mali ſenſus, & noxa oculo tranſmittebatur, quam ὀφθαλμὸν βάσκανον Plutarchus appellat, cauſamq́; & ipſe, & Alexander Aphrodiſæus quærunt, ſcriptumq́ue eſt ab Alciphrone, δυσμενὴς καὶ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμός, φησὶν ἡ παροιμία. Lege cætera. TRES PATEAT CÆLI SPAT. N. A. V) Traditũ eſt à multis, P. quidem Virgiliũ bonis ingenijs, & eruditis plurimũ gratiæ & fauoris oſtendiſſe: contra autem illiteratos ac maledicos homines, mirum eſt, quam affecto & infenſo animo fuerit: quod in his maiorem audaciam, ac impudentiam, quam maturitatem, & iudicium videret: ex quo, prolatis etiam verſibus hoc totum aſſeruit, ſicuti Iunius Philargyrius, & Seruius Honoratus referunt. Sed quid in verſiculo Virgiliano acciderit de cæli ſpatio Grammaticis conquirentibus, dignum ſanè videri poteſt adnotatione. In hoc enim carmine ex Bucolico ludicro, *Tres pateat cæli ſpatium non amplius vlnas*, cum Cornificius, & alij quidam Grammatici dubitarent, anxieq́; à poeta perquirerent, ſi quid fortè remotius ſubeſſet: perlepidè reſponſum eſt à Virgilio, ſe in ea re Grammaticis omnibus crucem fixiſſe, in qua ſe aſſiduè diſtorquerent: quod ipſe etiam Pædianus à Virgilio audiuit, quemadmodum Iunius idem Philargyrius in Virgiliano commentario refert: qui tamen Pædianus reſpondiſſe traditur. Mihi certè nullam crucem: nõ enim ſum id anxiè quęſiturus. Crinit. lib. 3. cap. 8. * *Nec nobis quidem crucem fixit, qui in re parui momenti indaganda noluimus cum ingenio bonum tempus conterere. Nec verò omnia quæ difficilè inueſtigantur, etiam fructuosè cognoſcuntur. Et me cum magnus vir nunquam pudeat, nunquam pudebit, fateri neſcire, quod neſciam.* INSCRIPTI NOMINA REGVM FLORES) Theocrit. Idyll. 10.

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

Et viola eſt nigra, & ſua ſcripta gerens hyacinthus.

Seruianam explanationem afferre libitum eſt. Quia ſoluere non potuit, ipſe aliam obijcit quæſtionem. & captioſè, quibus in terris dixit. Hyacinthus enim vbiq; naſcitur, flos, qui natus eſt primo de hyacinthi ſanguine, poſtea de Aiacis, ſicut & Ouidius lib. 10. Metamor. docet. Eſt autem rubrum quaſi lilium, deſignans primam Hyacinthi litteram. Regum autem nomina, non quoniam ipſi reges fuerunt, ſed quia regum filij: vt, *Magnum reginæ, ſed enim miſeratus amorem*, cum de Ariadne diceret, Paſiphaes reginæ filia. Sanè multi volunt, *nomina regum*, pro nomine regis poſitum: vt ſit, quemadmodum illud in Terentio, *Non perpeti meretricum contumelias*, cum de vna tantum loqueretur. Nam flos iſte Hyacinthi tantùm, non Aiacis nomen retinet. Tamen ſciendum, ænigmata hæc, ſicut fere omnia, aperta carere ſolutione. * *De Hyacintho puero quemadmodum perierit, etiam Lucianus Tom. 2. dialogo Mercurij & Apollinis, Palaphatus, Natalis lib. 4. cap. 10. Diſco nempe Apollo ſe exercebat, quem Zephyrus, ipſe quoque puerũ amans, cum ille ipſum auerſaretur, in caput eius conuertit: atque ita miſerum vita ſpoliauit. Hunc puerum Apollodorus lib. 1. Clio Muſam ex Piero genuiſſe tradit. Vide quod de Hyacintho ex Claudiano attulerimus Eclog. 2. ibi*, Narciſſum, & florem, &c. PHYLLIDA SOLVS HABETO) Dictum opinor, vt illud in And. de Chryſide. *Quis heri Chryſidem habuit?* Lucian. τὸν στρατιώτην Ἀναξάρχου, ὃς πάλαι μὲν ἀβέῤῥονον εἶχε. Diximus alibi plura. NON NOSTRVM INTER VOS) Sunt qui non ex Seruij ſententia, ſed continuata oratione, & negatiuè accipiendum putent, vt neget Palæmon, tantas iudicio ſuo lites decidi, & dirimi poſſe, vt qui ſua pronunciatione nec victorem, nec victum declaret. Videtur verò hic Palæmon quodammodo ruſticorum iudicium ſecutus, potius tranſigere, quàm iudicare. Germ. ET VITVLA TV DIGNVS, ET HIC) *Thyrſis ſumptus iudex eclog. 2. apud Calpurnium inter Idam & Aſtachum ſimiliter eos pares pronunciat.*

Eſte pares, & ob hoc concordes viuite, nam vos
Et decor, & cantus, & amor ſociauit, & ætas.]

Seruius ita & explanat hos verſus, & vt mihi videtur, rectiſſimè. Et tu, & hic digni eſtis vitula, & quicunque ſimilis veſtri eſt. Nam ſupra vnus (Damœtas videlicet) dixerat,

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

Et Menalcas.

Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis,
Lenta ſalix fœto pecori, mihi ſolus Amyntas.

Ad ſimilitudinem ergo poſterioris huius pertinet, *aut metuet dulces*. Etenim amabat, & amabatur Menalcas: ſed tamen metuebat, ne diſſolueretur ille amor. Contrà Damœtas ex Amaryllidis iracundia amaritudinem expertus fuerat. Ergo ad illum, *aut experietur amaros*. CLAVDITE IAM RIVOS) Catullus Epithalam. *Claudite oſtia virgines, Luſimus ſatis.* Poteſt oratio ſimpliciter accipi per apoſtrophen ad alios paſtores de irrigatione pratorum. Poteſt etiam allegoria eſſe, pro, ſatis cantatum eſt, diſcedite: ſicut peractæ cauſſæ ſymbolum eſt, Dixi: fabulæ peractæ, Plaudite. Sic certaminis abſoluti ſit hoc modò ſignum.



Ecloga

Ecloga quarta. Pollio.

SYNOPSIS.



Asinio Pollioni, quem Augustus Imperator præcipua quadam beneuolentia dilexit, quo anno Salonas nobilissimam Dalmatiæ vrbem expugnauit, ac triumphum duxit, eo ipso anno natus est filius, quem in clarissimæ victoriæ monumentum Saloninum iussit appellari. Suetonius de Octauio quippiam simile narrat cap. 7. Infanti, inquit, cognomen Thurio inditum est, in memoriam maiorum originis: vel quòd in regione Thurina, recens eo nato, pater Octauius aduersus fugitiuos prosperè rem gesserat. Qui veterem memoriam euoluit, sæpius inuenit claris viris fortuitum euentum peperisse nomina. Sic Euripides dictus est, quoniam ad fluuium Euripum esset natus. Et Homerus principiò Melesigenes, à fluuio Melete, ob caussam similem. Syluius Aeneæ ex Lauinia filius, quia casu eum mater in sylua fudisset. De Cæsaris nomine controuersia est, de qua ex Spartiano dicemus ad 1. Georg. ibi, vrbísne inuisere Cæsar. *Huic igitur Salonino, amici & patroni sui filio genethliacum elegantissimum canit Virgilius hac Ecloga (si modò rectè vocamus eclogam) & non pauca profectò, quæ fatidica mulier Sibylla Cumana de filio Dei ex virgine nascituro, qui orbem renouaret, ac instauraret, deq; illius sæculi fœlicitate prænuntiauerat (è quibus versiculi aliquot apud Lactantium leguntur) ad suum institutum accommodat. Sunt etiam quæ ad Augustum, Pollionemque necessariò referri debent. Habet Ecloga proœmiolum quoddam, quo se excusat poeta, qui materiam paulò illustriorem, luculentioremque Bucolicorum humilitati miscere ausus sit. Atque ideo nulla hic Theocriti imitatio perspicitur, vt in cæteris omnibus. Huius Eclogæ, tanquam fatiloquæ, & diuino quodam afflatu decantatæ magna fuit apud veteres Christianos admiratio, magna laus. Quam pæne totam græcis carminibus reddidit Eusebius Pamphili, in oratione, quam tribuit Constantino, ad sanctorum cœtum: versibusq; suum genuinum, primæuumq; sensum, eos piè interpretando restituit. Quos autem Sibyllæ Virgilianis istis affines apud Lactantium reperiri suprà dicebam, hi sunt, & plures alij.*

Καὶ τότ᾽ ἀπ᾽ ἠελίου πέμψει θεὸς βασιλῆα,
Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.
Κλῦτε δέ μου μέροπες, βασιλεὺς αἰώνιος ἄρχει.

Calpurnius primam suam Eclogam, qua in fago vaticinium de fœlicitate futuri sæculi à Fauno descriptum Ornitus pastor recitat, ex hac ferme totam μιμηλικῶς effecit. Eandem hanc, verè diuinam, Sanazarius poetarũ Christianorũ nemini secundus, maiorem partem in tertium de partu Virginis adiecit, nunc versibus integris, nunc more τῶν παρῳδηθέντων paulum immutatis. Facit autem eam (quod ipsum mirè decebat) à pastoribus puerulum Iesum modò genitum piè visentibus piè decantari.

DE ASINIO POLLIONE, ET HOC SALONINO EIVS FILIO.

Asinius Pollio historias de bello ciuili scripsit, vt ex Horatio facilè discimus, scribente libro 2. Ode 1. *Motum ex Metello consule ciuicum*, &c. Deinde, *mox vbi publicas Res ordinaris*, id est, vbi bellorum ciuilium historiam pertexueris. Et è Tranquillo, qui ita scribit in Iulio, cap. 30. Quod probabilius facit Asinius Pollio, Pharsalica acie cæsos, profligatosq; aduersarios prospicientem hæc eum ad verbum dixisse referens. Et cap. 55. quæ tamen (oratio) duplex fertur, vna quasi priore habita prælio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, subita hostium incursione. Priscianus quoq; non vno loco eius libros annalium citat, vt historias Seneca. Suidas quidem 17. libros confecisse auctor est. Idem Pollio poeta erat, vt ex hoc Virgilij testimonio claret, hac Ecloga, *Pollio & ipse facit noua carmina:* quod etiam ex Ode Horatiana, quam supra adduximus, non obscurè colligitur. Declamatorem fuisse cognoscimus ex Senecæ controuers. lib. 4. vbi de eo sic in proœmio. Pollio Asinius nunquam admissa multitudine declamauit: nec illi ambitio in studio fuit. Primus enim omnium Romanorum, aduocatis hominibus scripta sua recitauit. Et infra. Declamauit Pollio Asinius intra quartum diem, quàm filium amiserat. Præconium illud ingentis animi fuit, malis suis insultantis. De eo vt oratore, seu patrono, & vt de optimo senatore prædicat Horat. Ode ante nominata.

Insigne

Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti Pollio curiæ.

Huius dictum fertur haud insulsum. Quum enim Octauius Fescenninos in eum scriberet: at ego taceo, inquit. *Non enim facile est in eum scribere, qui potest proscribere.* De eodem quiddam memorabile Plin. lib. 35. cap. 2. Asinij Pollionis hoc Romæ inuentum (imagines in bibliothecis constituere) qui primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rempublicam fecit.

Quòd vero Seruius hunc Pollionis puerum inter primordia perijsse scribit, aliter est. Duxit enim Vipsaniam Agrippæ filiam, dimissam paulò ante à Tiberio, qui ex ea sustulerat Drusum. Genuit ex ea liberos complures vtriusque sexus, quod in 3. Annal. Taciti demonstrat Lipsius: vbi hoc quoque traditum, Tacitum, & Dionem nunquam cognomen Salonini ei tribuere, contentos dixisse Asinium Gallum. De eius morte Annal. 6. Iisdem Coss. Asinij Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum haud dubium: sponte vel necessitate, incertum habebatur. Ad hunc locum addit Lipsius ex Dionis lib. 58. eodem die & conuiuam Tiberij fuisse, & eo subornante damnatum. Item, hunc ipsum Asinium edidisse librum, quo patrem Ciceroni comparauit: cui rescripsit imperator Claudius. Suetonius in eius vita, Plin. in epistolis, Gellius lib. 17. cap. 1.

EXPLANATIONES.


Icelides Musæ, paulò maiora canamus.
NON OMNES ARBVSTA IVVANT, HVMILESQVE MYRICÆ.
Si canimus syluas, syluæ sint Consule dignæ.
Vltima Cumæi venit iam carminis ætas:
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & Virgo, REDEVNT SATVRNIA REGNA:
Iam nouo progenies cælo demittitur alto.
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina: TVVS IAM REGNAT APOLLO.

SICELIDES MVSÆ) Sicilienses, vel Siculæ, id est A Theocritiæ, & Bucolicæ, seu pastorales. Nominandi casus est Sicelis, quo vtitur Ouid. epistola Sapphûs.

Nunc tibi Sicelides venient noua turba puellæ.
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.

Quibus in locis nobiles poetæ versati sunt, eos posteritas Musis consecratos, in suis poematis sæpe appellauit: quòd crediderint excellere illos poetas priscos non potuisse, sine dearum illarum instinctu. Sic Pieria, & Libethra propter Orpheum, Helicon propter Hesiodũ obtinuerunt, vt illinc Musæ à poetis exordientibus deducerentur, quibus etiam in locis illis ædes fuit. Sic ob Theocritum Siculas inuocat Musas Maro. Turneb. lib. 16. cap. 13. Quas hîc Sicelidas Musas, Eclog. 6. Syracosium versum nominat: & quia paululum supra Bucolicam humilitatẽ cupit se extollere, & quiddam grauius, & illustrius cantare, idcirco, vt sibi obsequantur in eo, & se adiuuent Musæ pastorales, eas hortatur. Iacob. Pont. NON OMNES IVVANT) Non delectant. Tibull. lib. 1. eleg. 1. *Quam iuuat immites ventos audire cubantem?* Virg. 3. Æneid. *iuuat euasisse tot vrbes Argolicas.* Horat. Ode 1. lib. 1. *Multos castra iuuant, & lituo tuba Permistus sonitus.* In epist. ad Pisones dixit, poema animis iuuandis natum inuentumq́ue, id est delectandis: qui locus notandus est. Propert. lib. 3. eleg. 4.

Me iuuat in prima coluisse Helicona iuuenta,
Musarumq́; choris implicuisse manus.
Me iuuat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in tenera semper habere rosa.

Est verò varietas mater delectationis, quemadmodum fastidij procreatrix similitudo. Atque vt non omnes eadem: sic non idem semper vnumquemq; delectare potest: & aliud alij natura iter ostendit. Iac. Pont. HVMILESQVE MYRICÆ) Myrica siue tamarix, frutex est, ramos salignis similes habens: cuius radice vasa antiquis fiebant, è quibus, qui lienis affectu laborabant, solebant bibere. Folio est angusto, carnoso, & ferè pinnato. Cæterùm omnino sterilis. SYLVÆ SINT CONSVLE DIGNÆ) Crinitus lib. 4. cap. 5. à quo sua in hunc locum mutuatus est Rhodig. lib. 26. cap. 5. & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 3. sic philosophatur. Maior subest eruditio, ac sensus remotior, qui ex ipsis Romanorum legibus atq; decretis elicitur. Nam cautum fuit apud Romanos, vt Consules quidem ipsi curam collium, atq; syluarum haberent, vt hac ratione materies non deesset, qua videlicet nauigia publica possent à Præfectis fabrûm confici. Sicut seruatum adhuc in Veneta Republica, vti Præfectos habeant, quibus cura hæc syluarum sit demandata, vt quotannis sata illa, & arbores ex decreto publico exscindantur, ne materies non copiosa constituendis nauigijs suggeratur. Quin etiam illud veterũ libris notatum, quòd
B ipse Ancus Martius, qui Numæ nepos ex filia fuit, primus apud Romanos syluas ad vsum nauium publicauerit, & Salinarum vectigal instituerit. Fuit autem consuetudo apud Romanos, vt posteaquam in vrbe Consules creati essent, prouincias partirentur, quas instructis copijs, & parato exercitu deuincerent: quod sicubi hoc casu aliquo defuisset, tum minores obibant. Erant enim aliæ maiores, & consulares prouinciæ: aliæ rursus minores, & in quibus Consules haud amplam laudem, atque dignitatem consequi possent: veluti cum syluarum, aut collium negotium agerent. Ex quo Tranquillus de Cæsaris consulatu cap. 19. Cum Bibulo consul creatus est, & ob eam caussam opera optimatibus data est, vt
C prouinciæ futuris Consulibus minimi negotij, id est, syluæ collesq́; decernerentur. Qua maximè iniuria Cęsar instinctus, omnibus officijs Pompeium assectatus est, offensum patribus. Sed hoc idem ex nostris iureconsultis ediscitur, qui prouincias minores nominant, & syluarum curam in eis reponunt. Quibus facilè constat, quid ipse poeta Virgilius, iuris ciuilis, vt ait Flauianus, doctissimus insinuet. Hæc Crinitus, ex quo profecit etiam Brod. lib. 1. cap. 39. Sed apud Suetonium malè legunt & hic, & Rhodigin. *colles*, cum legendum sit *calles*. Est autem callis iter pecudum, inter montes, angustum, & tritum, à callo pedum, siue callo pecudum perduratum, seu locus, quem pecudes calcant.

Teq; adeo decus hoc æui, te consule inibit,
Pollio, & incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita, perpetua soluent formidine terras.
Ille deûm vitam accipiet, diuisq; videbit
Permistos heroas, & ipse videbitur illis:
Pacatumq; reget patrijs virtutibus orbem.

Te consule) Consul nominatur, quod consulere populum, & Senatum debet. Nisi illinc potius, vnde Attius ait in Bruto, *Qui rectè consul consulat, Consul fiat*. Consulis renuntiandi (quod ex orat. pro Murena apparet) hæc fuit formula. Quæ res mihi, magistratuique meo, populo, plebique Rom. bene atque feliciter eueniat, L. Licin. cos. renuntio. Formularum antiquarum, Romanarumq; si qui cupidiores sunt (omnes autem non iurisprudentiæ duntaxat, sed literarum quoq; politiorum studiosi debent esse quam cupidissimi) his ego auctor sum, vt libros Barnabæ Brissonij de Formulis & sollemnibus pop. Rom. verbis accuratè legant. Extare aliquid in hoc genere modis omnibus cumulatius atque perfectius, equidem haud opinor. Iacob. Pont. Magni procedere menses) Illud tangit, quod Iulius, & Augustus menses, in honorem Iulij Cæsaris, & Augusti acceperunt nomina: nam ante Quintilis, & Sextilis dicti sunt, & hoc etiam trahit ad argumentum aurei sæculi. Seruius.

Turneb. ita lib. 16. cap. 13. Incipiet principium magni anni (quem cecinit Sibylla) procedere, & decurrere consulatu Pollionis, quo nascitur ille puer, & procedent magni menses, non Iulius, & Augustus, vt stultè multi blaterant: sed menses magni anni. Nam vt magnus ipse annus dicitur: sic eius magni menses. Itaque quemadmodũ annus vertens duodecim tricenûm plus minus dierum menses habet: sic & magnus annus duodecim dimetata, & descripta habet mensium spacia, quæ aliquot sæcula complectuntur. Vt autem in anno magno sunt menses magni: ita in anno vertente menses vertentes, qui à lunaribus differunt. Vitruuius lib. 9. cap. 4. Luna die octauo & vicesimo, & amplius, circiter hora, cæli circuitionem percurrens, ex quo cœperit signo ire, ad id signũ reuertendo perficit lunarem mensem. Sol autem signi spatium, quod est duodecima pars mundi, mense vertente vadens transit.

Etsi vulgatissimum est, quid vocabulum *magnus* significet, quandoq; tamen sensu accipitur haudquaquã ita triuiali: vt cum Iureconsulti patruum magnum dicunt, amitam magnam. Est enim mihi patruus magnus, qui patris mei est patruus: sicut patruus maior, qui aui, maximus, qui proaui patruus est: quod Festus quoque A scribit. Sed & magnum diem appellamus, qui longis, periculosisq; laboribus finem imponit: quod celebris valde, & in hominum memoria versetur. Tacitus in vita Agricolæ. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem. Virg. *& incipient magni procedere menses*. Qua ratione & magnos nautas videtur dixisse Flaccus ipsos, qui primi nauigare cœperunt. *Prima deûm magnis canimus freta peruia nautis*. Alciat. Pareg. Iuris lib. 8. cap. 8. Te duce si qua manent) Dixerat superius, hoc decus æui, id est, ætatem & sæculum illud optatissimum, vnà cum eius, Pollionis inquam, consulatu initurũ. Pergit nunc eiusdem magistratum prædicare, & promittere, sub eo non B solum calamitatibus, verum etiam omni timore calamitatis solutum iri genus humanum. Sceleris vestigia explicare fas est reliquias priorum scelerum, & vitiorũ. Hæ ergo reliquiæ, tanquam caussæ cladium nostrarum, bellorumq; ciuilium, quibus attrita est Respub. irritæ factæ, id est, penitus sublatæ, liberabunt terras in perpetuum timore pœnarum, peccatis nostris debitarum, quales sunt inprimis intestinæ discordiæ, & arma ciuilia, quæ detestatur Ode 7. Epod. Horatius. Iacob. Pont. Ille deum vitam accipiet) De Salonino perspicuum est dici, cuius natales inciderunt in principium sæculi aurei, quo homines sublatis sceleris prope vestigijs, vitam deorum viuebant. Hesiod. lib. 1. ὥστε θεοὶ δ᾽ C ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες. D. V. P. Her.) Natus, inquit, Saloninus homines nostræ ætatis heroas quosdã cum dijs permixtos videbit. Nam in illa probitate, & integritate sæculi aurei, deos cum hominibus versatos esse credebant, quod rursum futurum gloriatur poeta, reuerso eodem sæculo. Catull. de nupt.

Præsentes namque ante domos inuisere castas
Sæpius, & sese mortali ostendere cœtu
Cælicolæ nondum spreta pietate solebant.

Turneb. lib. 16. cap. 13. Pacatumque reget. p. v. o) Orbem Pollionis virtute pacatum, rectum iri à Salonino adulatoriè dictum est, vt & hæc omnia. Cum enim fingat Pollionis fastos principium fore reducis aurei sæ D culi, eius virtute pacatum iri orbem dicit, omni scelere belloq; compresso, quorum vestigia vix reliqua erunt. Turneb. ibid.

At tibi prima puer nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaq; ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera: nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgò nascetur amomum.
At simul heroum laudes, & facta parentis

Iam legere, & quæ sit poteris cognoscere virtus:
Molli paulatim flauescet campus arista,
Incultisq; rubens pendebit sentibus vua,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetyn ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Ætate, & annis Salonini pueri, vitæ huius aureæ gradus, & incrementa discernit. Primùm eo adhuc tenero, humum flores, & herbas effusuram, & pacem futuram. Deinde eo iam adolescente, fructus maiores parituram: ita tamen, vt nonnihil laborum, & incommodorum adhuc sit subeundum hominibus. Vbi vir euaserit, tum fore fælicitatem cumulatam, & absolutam omnino. NVLLO MVNVSCVLA CVLTV) De terra sponte sua fruges suppeditante, Horat. Epod. Ode 16. *Reddit vbi Cererem tellus inarata quotannis*. Ouid. Metamorph. 1.

Ipsa quoque immunis, rastroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.

Itaque *nullo cultu*, est, inarata, immunis, rastro intacta, nullo sauciata vomere: quæ est periphrasis arationis. Iacob. Pont. ERRANTES EDERAS) Persius prologo, sequaces nominat: *quorum imagines lambunt Edera sequaces.* Veruntamen cum hoc, tum illud adiunctum, naturæ illius herbæ conuenientissimum est. CVM BACCARE) Vtrumq; nomen herbæ est, & baccharis, & bacchar, seu baccar: hic à baccaris ablatiuus est. Vide Caroli Steph. Prędium rust. in Horto. RIDENTI ACANTHO) Homo qui est ratione præditus, risu hilaritatem significat: sic res inanimæ sua æquabilitate, & tranquillitate quandam hilaritatem præ se ferunt, & veluti risum. Vnde Lucret. lib. 1. *tibi rident æquora ponti*. Sed hæc translatio non pertinet ad hunc locum: quamuis notanda sit. Dicamus ergo aliter. Res inanimæ idcirco ridere dicuntur, eæ, quę sunt ornatæ, magnificæ, bellæ, placidæ, tranquillæ, quia, quemadmodū qui rident, risu & hilaritate diffunduntur: ita & res aspectu pulchræ, & nitentes, & politæ, hilaritate diffundunt spectatorem. Hor. Ode 11. lib. 4. *Ridet argento domus*. Hom. Illiad. τ. αἴγλη δ' οὐρανὸν ἷκε, γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθών. Id est, fulgur autem in cælum venit: terra autem tota circùm risit. Lucret. lib. 2.

Præsertim cum tempestas arrisit, & anni
Tempora conspergunt viridantes floribus herbas.

Et lib. 4. *Vnguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident*. Ex Lamb. in Lucret. COLOCASIA) Sic, genere inquā neutro, extulit Martialis lib. 8. *Lenta minus gracili crescunt colocasia filo.* Est autem herba, quæ in Nilo nascitur, folijs latissimis, quam nonnulli cyamon dixerunt, quæ ducitur dentibus tanquam lana, & quidem subtiliter: vnde in distichis idem.

Niliacum ridebis olus, lanasq; sequaces,
Improba cum morsu fila, manuq; trahes.

Vnde & lenta, flexibilia. Græcis autem ἡ κολοκασία effertur pro faba item Ægyptia, ex qua Alexandrini pocula conficere solent. LACTE DOM. R. DISTENTA VBERA) Virg. Melibœo, *Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.* Lucret. lib. 1. *Et candens lacteus humor Vberibus manat distentis.* Hor. Epod. Ode 2. *Distenta siccet vbera.* Ibidem. *vt iuuat pastas oues videre properantes domum?*

A Et sat. 1. lib. 1. *Quodq; aliena capella gerat distentius vber.* Et rursum Ode 16. Epod. *Refertq; tenta grex amicus vbera.* BLANDOS FVNDENT CVNAB. FLORES) Cunabula sunt lectuli, in quibus infantes iacere solebant, dicta, quod, partui adhibebantur, quasi cynabula, nam κύειν est Græcè eniti. Isidor. lib. 20. Incunabula apud Plautum Amphit. sunt fasciæ, & inuolucra, quibus infantes in cunis inuoluuntur. *Neque eum quisquam quiuit colligare incunabulis.* In Truculento. *Fascijs opus est, puluinis, cunis, incunabulis.* Turneb. lib. 9. cap. 10. Possunt dici cunarum instrumenta, & ornamenta, vt scholijs suis ibid. Lamb. interpretatus est. OCCIDET ET SERPENS) Per synecdochen serpens omnia venenata animalia isto loco significat, quæ post hæc nulla B vspiam futura sint. Sanazarius infantulum Iesum sub persona pastorum venerans, ea quæ hic de serpente legimus, ad alium quendam, quem antiquum serpentem Christiani vocitamus, & qui nos in hoc ærumnarum pelagus, parentibus illis omnium nostrûm communibus in paradiso delusis præcipitauit, aptissimè detorsit.

Occidet & serpens, miseros qua prima parentes
Elusit, portentificis imbuta venenis.

Iacob. Pont. ET FALLAX HERBA VENENI) Videtur hanc herbam, quam nam intelligat, indicasse, cùm lib. 2. Georg. dixit, *nec miseros fallent aconita legentes*. Venenatas stirpes in posterum nullas fore prædicit. Fallax C ideo, quoniam nonnulla fallunt nos sua specie, nec tam noxia videntur, quam sunt. Aut certè, quia mortales ijs fallaciter ad nocendum vtuntur. NASCETVR AMOMVM) Amomum quid sit, non satis explicant: herbam suauissimi odoris, ait Seruius. HEROVM LAVDES ET. P. P. L) De hominibus suæ ætatis, vt heroibus loquitur, vt aureo, & heroico sæculo reuerso: quorum res, & pręclarè facta leget adolescens Saloninus. Turneb. lib. 16. cap. 13. RVBENS VVA) Horat. Epod. Ode 4. *Certantem & vuam purpura.* Mæcius eadem vsus figura, πορφύρεα βότρυν dixit in quodam epigrammate. Vrsinus. QVERCVS SVD. ROS. MELLA) Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Ipsa mella dabant quercus, vltroq; ferebant
Obuia securis vbera lactis oues.

D Ouid. 1. Metamorph. *Flauaq; de viridi stillabant ilice mella.* Vrsin. * *Rosida, seu roscida mella (vtroq; enim modo scribitur hæc vox) siue quod instar roris stillabant de quercubus: siue quia è rorulentis floribus finguntur. Nec tantùm quercus, sed alia quoq; arbores hoc sudore dulcissimo sudabunt. Est ergò* συνεκδοχή. QVÆ TENTARE THETYN RATIBVS) A sequentibus ostendit præcedentia, quæ vitauit quasi laudi incongrua. Nam per nauigationem ostendit fore auaritiam, quæ homines nauigare compellit. Per muros bella significat. Per agriculturam, famis ostendit timorem. Seruius. ALTER ERIT TVM TIPHYS) Similes prioribus illis heroibus fore dicit, quorū celebrata est fama: & ita locutus est, vt nos, cum dicimus, alterum esse Solonem

lonem quempiam, alterum Platonem, alterum Apellem, &c. E græco sermone, atque adeo ex Euripide in Troadibus duxisse Virgilium hunc loquendi modum confirmat Victorius lib. 28. cap. 7. Vbi tum hoc exemplum profert, tum illa duo è 10. & 7. Æneid.

—— muris iterum imminet hostis
Nascentis Troiæ, nec non exercitus alter.
Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter.

De Tiphy Seneca Medea. *quæq; domitorem freti Tiphyn nouam frænare docuisti ratem.* Alloquitur Mineruam. In eadem tragœdia, infra.

Ausus Tiphys pandere vasto
Carbasa ponto, legesq; nouas
Scribere ventis, &c.

De eodem, Choro 3. vbi Argonautarum interitus recenset, eosq; audaciæ suæ pœnas dedisse vult diuinitus.

Tiphys imprimis domitor profundi
Liquit indocto regimen magistro
Littore extremo, procul a paternis
Occidens regnis, tumuloq; vili
Tectus, ignotas iacet inter vmbras.

Indoctus ille successor fuit vel Ancæus, vel Euphemus, vel Ergynus, auctores enim diuersum faciunt. Pausanias in Bœoticis, Tiphęenses precipuá sibi præ cunctis Bœotijs maritimarum rerum peritiam vindicant, Tiphyn prædicantes (cui nominatim Argus nauis gubernacula credita sunt) suum fuisse indigenam. Ostendunt verò extra oppidum locum, quo Argo ipsam Colchis reuersam applicuisse dicunt. ET ALTERA QVÆ VEHAT ARGO) De Argo Ennius Medea.

Argo, qua Argiui delecti viri
Pellem petebant inauratam arietis.

De ista naui, quæ omnium prima fuisse fertur, & consilio, atq; ope Mineruæ ædificata est, simul de Argonautis, caussaq; nauigationis, Catullus principio poematis illius incomparabilis, quod olim peruersè Argonautica, nunc verè, ac legitimè de nuptijs Pelei, & Thetidis inscribitur. Seneca in Medea. Et Lucan. Pharsal. lib. 3.

Inde lacessitum primo mare, quum rudis Argo
Miscuit ignotas temerato littore gentes:
Primaq; cum ventis, pelagiq; furentibus vndis
Composuit mortale genus, fatisq; per illam
Accessit mors vana ratem.

De eadem & Dares Phrygius, & copiosè ac diligenter Diodorus lib. 4. cap. 4. Versus Catulli cape.

Peliaco quondam prognata vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas,
Phasidos ad fluctus, & fines Æetæos:
Cum lecti iuuenes, Argiuæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis auertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.
Diua quibus retinens in summis montibus arces
Ipsa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexa texta carina.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

Iam lectissimos illos iuuenes, Argonautas inquam, enumerat Higynus cap. 14. Licet eorundē nomina ex Or-
A pheo, Apollonio, Valerio Flacco colligere: quorum primus habet vndequinquaginta, alter quatuor supra quinquaginta: cum quo consentit Diodorus, præcipuorum nomina exprimens: postremus quinquaginta. Nominat eosdem & Apollodorus, eorumq; iter describit lib. 1. Sed quomodo in numero, sic in nominib⁹ magna est dissensio. Iacob. Pont. DELECTOS HEROAS) Theocritus de his agens, θεῖος ἄωτος ἡρώων dixit Idyll. 13. Vrsin. ERVNT ETIAM ALTERA BELLA) Alludit ad Platonis magnum annum, & ἐκπυρώσεων. Aristoteles quoq; Meteor. 1. agnoscit magnam periodum, quæ & magnā hyemem, id est, diluuium, & magnam æstatem, id est, deflagrationem habeat. German. AD TROIAM
B MAG. M. A) Quam verè hoc epitheton *magnus* Achilli Maro attribuat, passim per Iliadem cognoscas. Statim initiò, quantum eius ira, qua efferbuit in Agamemnonē, toti exercitui nocuerit, declarat. *μῆνιν ἄειδε θεὰ*, &c.

Dic mihi magnanimi Pelidæ Musa furorem,
Qui multas miseris clades innexit Achiuis,
Illustresq; animas heroum misit ad orcum.

In eodem lib. Nestor. de eodem. *ὃς μέγα πᾶσιν Ἕρκος Ἀχαιοῖσιν πέλεται πολέμοιο κακοῖο.* Horat. Ode 6. lib. 1. *grauem Pelidæ stomachum cedere nescij:* etenim ne dijs quidem in acie cedit. De eodem Ode 6. lib. 4. *Troiæ prope victor altæ Phtius Achilles.*

Cæteris maior, tibi (Apollo) miles impar:
C *Filius quamuis Thetidos marinæ*
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille non inclusus equo Mineruæ
Sacra mentito, male feriatos
Troas, & lætam Priami choreis
Falleret aulam, &c.

De eodem lib. 12. Metamorph. Ouid.

Iam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelasgi
Nominis Æacides caput insuperabile bello
Arserat.

Et Vlysses lib. 13. in extrema oratione, qua eiusdem arma non Aiaci, verùm sibi probat deberi.

Me miserum, quanto cogor meminisse dolore
D *Temporis illius, quo Graium murus Achilles*
Procubuit.

Lib. 12. Æneid. Priami regnorum euersor nominatur: quo quid poterat dici honorificentius? Gloriosissimum autem præconium ei necdum in oras luminis edito, ore fatidico apud Catull. in illo nobilissimo poemate de nuptijs Pelei, & Thetidis Parcæ canunt.

Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.
Qui persæpe vago victor certamine cursus
Flammea præuertet celeris vestigia ceruæ.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygij Teucro manabunt sanguine riui,

E & quæ deinceps sequuntur, vt neúe omnia describam, neúe plures poetas ad testimonium vocem. Vrbes ab eo vastatas percenset Dictys lib. 2. De eius ortu, educatione, & quomodo inter filias Lycomedis latuerit, Apollodorus lib. 2. Statius in Achilleide. Iacob. Pont.

Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet & ipse mari vector: nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem:
Robustus quoque iam tauris iuga soluet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores:

Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto:
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Talia sæcla suis dixerunt currite fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere ô magnos (aderit iam tempus) honores,
Chara Deûm soboles, magnum Iouis incrementum.
Aspice conuexo nutantem pondere mundum,
Terrasq́;, tractusq́; maris, cælumq́; profundum:
Aspice, venturo lætentur vt omnia sæclo.

FIRMATA VIRVM TE FECERIT ÆTAS) Græci *ἀνδροῦν* in ætatem firmam perducere dicunt, & *ἀνδροῦσθαι* firmam ætatem ingredi: vnde *ἀνδρωθεὶς ὁ εἰς ἄνδρας ἐγγραφείς*, assumpta virili toga. Videtur hic locus ductus ab illo Moschi. *ὡς δ' ἀνδρῶν εἰς μέτρον ἦλθε*. Sed & Platoni *ἀνδρίζειν τοὺς νέους*, & *ἡλικία* dicitur. German. Lib. 12. Æneid. *mox, cum matura adoleuerit ætas.* CEDET ET IPSE MARI VECTOR) Hunc versum, cum duodecim continenter sequentibus, è Sibyllæ Cumeæ vaticinijs, atque carminibus Virgilium expressisse, contendit Lactant. lib. 7. cap. 23. cuius Lemma, De mundo renouato. Ex Erythræa verò illico multa carmina subijcit, in quibus easdem sententias animaduertere licet. OMNIS FERET OMNIA TELLVS) Infra, lib. 2. Georg *non terra ferre omnes omnia possunt.* Græci *δίδωσι κτῆμα παμφόρον* dicunt, & *γῆν παμφόρον*, quam & Maro respicit: & suæ condendæ ciuitati optat Plato, nō *πολυφόρον*. Germ. * *De terra Ouid. 1. Metamorph.* sustulit omniferos collo tenus arida vultus. *Eo sensu dixit omniferos vultus, quo à Græcis παμφόρον, & cum a nostro lib. 6. Æneid. tum à Lucretio omniparens dicitur.* NON RASTROS. P. HVMVS. N. V. F) lib. 2. Georg. *adunci vulnera aratri Rastrorumq́; fero.* Et lib. 1. de aureo sæculo, quæ huc etiam queunt transferri, vt item ea, quæ de eodem sæculo ex Ouid. producemus.

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni,
Nec signare quidem, aut partiri limite campum.
Fas erat, in medium quærebant, ipsaq́; tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Ouid. Metam. lib. 1.

Ipsa quoq; immunis, rastroq́; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.

Catull. de nupt.

Non humilis curuis purgatur vinea rastris:
Non glebam prono conuellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris vmbram.

NEC VAR. DIS. M. L. C) Cuius imitatione Martial. lib. 12. ad Cordubam.

Albi quæ superas oues Galesi,
Nullo murice, nec cruore mendax:
Sed tinctis gregibus colore viuo.

Scilicet lanæ Bæticæ non tingebantur, vnde & idem lib. 14. in lacernas Bæticas.

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno:
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ouis.

German. * *Teste Plinio lib. 7. cap. 56. primi lanas inficere Lydi docuerunt. Persius sat. 2.* Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus, *id est, lanam ouium Tarentinarum (Tarentum quippe in Calabria) coquendo tinxit infecitq́;, vt adulterinam purpuram faceret. Qui mentitur simulat quod non est, & falsitatem veritati studet facere, videriq́; similem. Sic lana cum inficitur coloribus artificio quodam, videtur eos mentiri: quia quos sua natura non habet, cum ijs nata a principio videtur. Omnes colores, vt purpureus, luteus, & alij deinceps natiui erunt, & cessabit tinctura.*

A ARIES IAM SVAVE RVBENTI) In Etrusca disciplina obseruatum inuenio, fælicitatem ex oue portendi, præsertim si ouis insolito colore fuerit, quod mihi hic Virgilius optimè tetigisse videtur. Legitur apud Etruscos: Purpureo, aureóue colore ouis si aspersa fuerit, Principi ordinis, & generis summa cum fælicitate largitatem auget, genus, progeniem propagat in claritate, lætioremq́; efficit. Ex quo nata inter greges Atrei aurea agna, principium discordiarum illi ac Thyesti fuit, fratre scilicet inuidia fraterna exulcerato. Vnde illa citantur à Cicerone ex antiqua tragœdia Atreo, de Nat. deor. 3.

Addo huc, quod mihi portento cælestûm pater
Prodigium misit, regni stabilimen mei,
B *Agnum inter pecudes aurea clarum coma.*

Pierius lib. 10. CROCEO MVTAB. VELL. LVTO) Luteus color proprie croceus est. Æneid. lib. 7. *Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.* Varro Eumen. Nam vt arquatis & veternosis lutea quæ non sunt, æquè & lutea videntur. Idem Mod. Sed Cynicis inuolucrum, & pallium luteum non est. Hæc Nonius. SPONTE SANDYX. P. V. A) Sensus est, ouium pascentium lanæ sponte sua egregijs coloribus imbuentur, vt noua tinctura opus non sit. Multa item super hoc vocabulo *sandyx* Brod. lib. 5. cap. 1.

Versus hic inprimis elegans, vna in voce ambiguæ, & incertæ inter doctos interpretationis est. Plin. lib. 35. cap. 6. sandycem herbam intelligit: & vt verum fatea-
C mur, est concinnior sententia, agnos inter pascendum eius herbæ, quam commendat, succo colorari. Contrà tendunt recentiores Grammatici, nec contemnendi: censent enim, sandycem esse colorem è sandaracha, & rubrica temperatum, quod & Plinius ibidem retulit. Itaq; nihil afferunt, cur contemni Plinij auctoritas debeat: quæ etsi confirmanda non est vllo testimonio, debitus tamen, & non necessarius producitur testis. Hesychius enim ita scribit. *σάνδυξ· δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χρόαν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ ὡς Σωσίβιος.* Videtur de herba locutus potius, quam de pigmento Gratius, cum scripsit. *Interdum Lybico fucantur sandyce pinnæ.* Quasi ea stirps in Libya proueniat: nisi si quis censeat, metal-
D lum illius pigmenti illic fuisse, aut officinam, quando in factitijs pigmentis erat: sed illud alterum de planta verius crediderim in Gratio, vt & in Vopisco, cuius hæc verba sunt in Probo. Dicitur enim sandyx Indica talem purpuram facere, si curetur. Turneb. lib. 15. cap. 20. SVIS DIXERVNT CVRRITE FVSIS) Catull. de nupt. *Currite ducentes subtemina, currite fusi.* Confusio est in verbis. Hoc autem dicitur. Parcæ concordes dixerunt suis fusis, currite talia sæcla, id est, per talia sæcla, tam beata, explicate conuersione fatali hoc tempus. STABILI FAT. NVM. PARCÆ) Ad fusorum decursionem videtur referendum. Tria etiam ipsi Plutoni destinant fata, ait Fulgentius lib. 1. quarum prima Clotho, secunda

Lachesis,

Lachesis, tertia Atropos. Κλωθὼ enim Græcè euocatio A dicitur, λάχεσις verò sors nuncupatur, ἄτρεπτος quoque, sine ordine dicitur: hoc videlicet sentire volentes, quòd prima sit natiuitatis euocatio: secunda vitæ sors, quemadmodum quis viuere possit: tertia mortis conditio, quæ sine lege venit. De Parcis Gyrald. Syntag. 6. CHARA DEÛM SVBOLES) Suboles ab olescendo, id est, crescendo, vt adolescentes quoque, & adulti, & indoles dicitur. Lucret. lib. 5. *Siue virûm suboles, siue est muliebris origo.* Virgil. *Chara deûm suboles.* Festus. * *Legit itaq; & pronunciandum censet Festus* suboles, *non* soboles, *vt vulgò solet.* MAG. IOVIS INCREMENTVM) Saloninum vocat Iouis incrementum, vt à Ioue educatum, à quo reges educari opinio erat, qui idcirco διοτρεφεῖς sæpius ab Homero vocantur. Magnum igitur Iouis incrementum, est magnus Iouis alumnus. Apud Apuleium lib. 5. Nimirum illud incrementum lenam me putauit, cuius monstratu puellam illam cognosceret: de filio suo Cupidine Venus dicit, vt sit, τοῦτο τὸ θρέμμα. Turneb. lib. 16. cap. 13. CONVEXO NVTANTEM PONDERE) Conuexum Festo est ex omni parte declinatum, qualis est natura cæli, quod ex omni parte ad terram versus declinatum est. Vide plura super hoc verbo 1. Æneid. ibi, *Classem in conuexo nemorum sub rupe cauata.* Mundum tot malis pressum, grauatum, inclinatumq; intelligit, vt inde (liceat ita loqui) conuexitatem adipiscatur, nimio pondere. In primo Georg. repetiuit sequentem versum. *Deum namque ire per omnes Terrasq; tractusq; maris, cælumq; profundum.* Et 1. Æneid. de impetu, & insania ventorum.

Ni faciat, maria ac terras, cælumq; profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantq; per auras.

B Iam profundum, & altum vicissim dicuntur. Altum mare, altæ scrobes, fossæ, pro profundis. Contrà, cælum profundum, id est, sublime, altum, excelsum. Vide 1. Æneid. *cælumq; profundum.* Cum autem præteritis temporibus omnia in luctu & squalore fuerint, meritò imminente iam sæculo tam beato gestiunt, & exultant.

O MIHI TAM LONGÆ MANEAT PARS VLTIMA VITÆ,
Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamuis, atque huic pater adsit:
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
Incipe parue puer risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe parue puer. cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

SPIRITVS) Non hìc mihi *spiritus* vulgariter acci- C pi debere videtur, sed πνεῦμα, & πνοὴ, quòd ἀνάλογον sit ad ἐμπνοὴν, καὶ ἀναπνοὴν, & pulmones, quos æuo victos, ita demum occalescere, & obdurescere Aristoteles est auctor, vt ad motum aurasq; accipiendas, reddendasq; inepti omnino facti, τὴν μάσθησιν sensibus accersant. Optat ergo poeta, vt tantùm sibi vitæ (iungit enim vltimæ ætatis partem spiritui) suppetat, vt sat expedito, & vigenti in matura ætate spiritu esse possit ad laudes, factaq; fortia huius pueri canenda, & dicenda: in quo genere vetant Rhetores tam longo hyperbato orationem distinere, vt vno spiritu periodus efferri nequeat. Videtur scilicet poeta & fortia latera, & protensum halitum, vt cantores solent, expetere ad amicum D celebrandum. German. NEC THRACIVS ORPHEVS, NEC LINVS) Propert. lib. 2. eleg. 13. eodem ferè argumento.

Sed magis vt nostro stupefiat Cynthia versu:
Tunc ego sum Inachio notior arte Lino.

Orpheus Calliopes Musarum Reginæ filius perhibetur à Mythologis. Hinc Horat. Ode 12. lib. 1.

Vnde vocalem temere insecuta
Orphea syluæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresq; ventos.

Quanquam Orpheum nunquam extitisse in 1. de nat. deor. ex Aristotele affirmat M. Tullius. Præterea veteres, poeticos, musicosq; homines Calliopes & Apolli- E nis filios fuisse fabulantur. Nominantur item aliarum quoque Musarum filij (ne putemus tam sanctè virginitatem coluisse, vt Dianam, & Mineruam, de quarum amoribus nihil vspiam est proditum) Euterpes Rhesus, Terpsichores Linus, Thaliæ Palæphatus, Eratus Thamyris, Polymniæ Triptolemus. Sed Lino matrem alij, vt Hesiodus, fuisse volunt Vraniam. Tres autem Lini feruntur: vnus ab Apolline sublatus propter æmulationem cantus: alius præceptor Herculis, & à discipulo interfectus: tertius, qui & Narcissus audiuit, Chalciopes filius. Consule prouerb. Λίνος ᾠδή. Recitare etiam hìc libet verba Pausaniæ è lib. 9. Bœoticis. Heliconem rectà ad lucum Musarum pergentibus, est Euphemes effigies è lapide fabricata. Fuisse Euphemen tradunt Musarum nutricem. Est illi proxima Lini statua, è saxo in speluncæ modum cauato prominens: huic parentant quotannis, antequam sacra Musis faciant. Genitum Linum Amphimaro Neptuni filio, ex Vrania, vulgò proditum est: Musices cum gloria superiores omnes anteisse, & ab Apolline, cui se cantu conferebat occisum. De Lini quidem morte etiam ad barbaras gentes luctus peruenit: siquidem apud Ægyptios carmen vsurpatum est, quod Linum Græci dixerunt, &c. German. Iacob. Pont. PAN ETIAM ARCAD. IVDICE) Pan deus pastoralis haud malè Arcadum numen fingitur: quum plerique pascerent, & pecuariam facerent. Arcadia regio medium Peloponnesi obtinet, quasi vmbilicus, syluis ac montibus cingitur: qualis in media Germania situs est Boëmiæ. Indigenæ, vt dicebamus, pleriq; pastores viuebant, nauigationis penitus ignari. Quamobrem naues ijs Agamemnonem suppeditasse in Catalago Homerus scribit. Militiam non nisi mercede tolerabant. Non adeo horum dissimiles videntur nostri Heluetij. Loquitur autem hic de se Virgilius, vt cantore agresti & rustico, tametsi peritissimo, & Pana se nominat, qui non solum fistula bene caneret, sed etiã eius inuentor fuisset, vt vidim⁹ Eclog. 2.

Ecloga quinta. Daphnis.

SYNOPSIS.

Quemadmodum superior Ecloga genethliacum, ita hæc epicedium, seu luctum funebrem habet pro materia, duabusque partibus absoluitur. Prima quidem Mopsus Daphnidis obitum amanter, ac suauiter deplorat, eum fert laudibus, addito epitaphio. Eius carmen à Menalca pro egregio commendatur. Parte altera Daphnidis ἀποθέωσιν *Menalcas cantandam suscipit, & famam eius in secula ituram prænuntiat. Et hæc quidem ad consolationem, vt priora illa ad mœrorem pertinent. Vicissim à Mopso cantus Menalcæ laudatur. Tandem munusculis inter se donant. Sub Daphnide sunt qui Iulium Cæsarem intelligant, in senatu Romæ, Idib. Martijs tribus & viginti confectum vulneribus. Quod si ita est, tum verò poetam ab Augusto singularem hoc poemate iniuisse gratiam liquet. Alij Quintilium vatem, cuius interitum Maroni peracerbum accidisse, cognoscitur ex Horatio Ode 24. lib. 1. qua illum sese cruciantem demulcet. Nonnulli adhuc Quintilium Varum, ducem copiarum, qui in Germania cum tribus legionibus cæsus occubuit. Quidam postremò ipsius Virgilij germanum, nomine Flaccum: cui opinioni antiquum incerti auctoris distichon patrocinatur.*

Tristia fata tui dum fles in Daphnide Flacci,
Docte Maro, fratrem dijs immortalibus æquas.

Circumibant prouincias, inquit Scalig. Poetices lib. 1. cap. 4. & certabant in Italia, qui se βουκολιαστὰς *prædicabant, atq; alio nomine* λυδιαστὰς, *vnde & Ludionum vox perpetua mansit latinitati. Inter quos ea tempestate præstitit Daphnis: adeo, vt heroum ritu à pastoribus certatim eius interitus fuerit celebratus. Sanè fratris quoque tumulum sub eius nomine auxit diuinis carminibus poeta. Quis nam fuerit aliquando Daphnis, narrat Diodorus lib. 4. cap. 14. Vnde cur in Eclogas, seu in Bucolica poemata eius nomen peruenerit, facilè perspiciemus. Ex Mercurio, inquit, & Nympha natum Daphnidem tradunt: qui à laurorum multitudine, quæ in ea sylua (Siciliæ) frequentes sunt, appellatus est Daphnis. Educatus à Nymphis, boum permulta possedit armenta, à quorum cura bubulcus dictus est. Cum esset ingenio acri, studiumq; plurimum gubernandis bobus impenderet, carmen bucolicum, quod etiamnum à Siculis in pretio habetur, inuenit. Tradunt insuper illum in Dianæ gratiam venandi studio impendisse operam, eamq; fistula, & cantu bucolico apprimè oblectasse. Hæc ille. Porrò & Nemesianus ecloga 1. perinde in persona Timetæ obitum Melibœi, vt hic Mopsus interitum Daphnidis lamentatur.*

EXPLANATIONES.

MENALCAS, MOPSVS.

CVr non, Mopse (boni quoniam conuenimus ambo,
Tu calamos inflare leues, ego dicere versus)
Hîc corylis mixtas inter consedimus vlmos?
MO. TV MAIOR: TIBI ME EST ÆQVVM PARERE MENALCA.
Siue sub incertas Zephyris motantibus vmbras,
Siue antro potius succedimus. aspice vt antrum
Syluestris raris sparsit labrusca racemis.

CVR NON MOPSE) Cur Mopsi nomen in pastorali carmine frequens sit, declarat Scalig. Poet. lib. 1. cap. 4. BONI CALAMOS INFLARE) Ratio hæc loquendi, bonus inflare calamos, bonus dicere versus, è Græcorum sermone ducta videtur, & est crebra apud poetas eius linguæ: noua autem & inusitata Latinis.

Apollon. 3. Argonaut. de Mopso augure canens. ἰδὼν δὲ μὲν ἐπὶ χερμαδίοις ἐσιόντων Οἰωνὸς· ἢ συντρέχοντα δ' αἰεὶ ἴδεσιν. Sophocles quoque in Oedipode Tyranno tertia collatione, ita Tiresiam augurem inducens cum rege ipso loquentem. Οὐκοῦν σὺ ταῦτ' ἄριστος εὑρίσκειν ἔφυς. Victor. lib. 17. cap. 15.

Sic ἄτολμος δῆσαι, inaudax ligare, id est, ad ligandum non animatus, Æschylus initio Promethei vincti. Et illud Epicharmeum in loquacem, λέγειν ὁ δεινός, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδύνατος. Euripid. Hippolyto. ὁ μάντις εἰμὶ τ' ἀφανῶν λέγειν σαφῶς, & sexcenta alia. Horatius in hac forma est multus. Ode 12. lib. 1.

Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Et, *Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem.* Hæc Lamb. qui in Oden 8. lib. 4. plurima ex eodem Horatio huius hellenismi exempla sub vnum aspectum proposuit. * *Adde ex Valer. Flacco.* Tu medios gladio bonus ire per hostes Euryte. *Hoc loco, quia videtur peropportunum, quoddam consilium, siue admonitionem adducam M. Antonij Mureti, ex eius Variar. lib. 5. cap. 17. erit autem accommodatum poetica studiosis. Vtile puto esse ijs, qui pangendis versibus laudem aliquam sibi parare in animo habent, pernoscere, quomodo veteres Latini poetæ græcos loquendi modos in Latinum inuexerint, vt ipsi quoque illorũ exemplo in eodem peregrinitatis aucupio elaborent. Hoc in genere magnus fuit Horatium, lib. 1. cap. 10. Pretium erit audire, & ab eodem poeta τοῦ ἑλληνίζειν exemplum petere. Horatius persequendis Græcorum vestigijs τὸ τῆς λέξεως καινὸν τε, καὶ ξενικὸν quasiuit. sedq; quam longissime a trita & plebeia consuetudine abduxit. & in eo genere planè singularis fuit: neq; meo iudicio græcas loquendi formas Latinorum poetarum quisquam vel fidentius, vel felicius imitatus. Hac hactenus. Iam ad inceptum reuertamur.*

Propriè dictum, calamos inflare. Lucret. lib. 5.

Et Zephyri caua per calamorum sibila primùm
Agrestes docuere cauas inflare cicutas.

Vbi habes simul originem fistulæ pastoritiæ. M. Tull. in Bruto. Si tibia inflata non referunt sonum. Sed age reliquos Lucretij versus, de inuentione atque incremento cantus, seu musica pastoralis audiamus.

Inde minutatim dulces didicere querelas:
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
Auia per nemora, ac syluas saltusq; reperta,
Per loca pastorum deserta, atque otia dia.

A Iacob. Pont. EGO DICERE VERSVS) Dicere, quod & Vrsin. notauit, hic valet canere, vt apud Anacreontem.

Θέλω λέγειν Ἀτρείδας, *Dicam libens Atridas,*
Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν. *Dicamq; libens Cadmum.*

Sic infra Menalcas. *Nos tamen hæc quocunque modo tibi nostra vicissim Dicemus.* Et Eclog. 6. *deductum dicere carmen.* TV MAIOR, TIBI ME) Nemesian. eclog. 1. *Et parere decet iussis.* Quid tam εἰκὸς? minorum est maiores reuereri: potiores illis concedere: eorum auctoritati parere: consilijs obsequi: eos in omni re honesta, tanquam exemplaria intueri, & duces sequi. Et vulgatissimum est, Cede maiori. Iacob. Pont. SIVE SVB INCERTAS, SIVE. A. P) Dicit quidem verecundè, se illi obtemperare debere: ostendit tamen quid sibi placeat. Nam ex ipsa laude antri, & ex arborum vituperatione, B quarum incertas vmbras dicit, ostendit suam sententiam esse meliorem. Incertæ autem vmbræ sunt & ex solis circuitu, & ex mobilitate ventorum, quod ipse etiam dicit, *Zephyris motantibus.* Seruius. * *Venti non mouent vmbras: ramos potius, & frondes arborum, quibus agitatis atque commotis, consequitur necessariò, vt ipsa quoq; vmbra moueantur, varienturq;. Sic progressu solis & nubium transitu, quando à ventis impelluntur, moueri ac mutari loco vmbras cernimus.* SIVE ANTRO POTIVS SVCCED.) Calpurnius eclog. 6.

Si placet, antra magis, vicinaq; saxa petamus,
Saxa quibus viridis stillanti vellere muscus
Dependet, scopulisq; cauum sinuantibus arcum
Imminet exesa veluti testudine concha.

C SYLVEST. LABRVSCA SPARSIT) A labro labruscam factum nomen vult Nonius. Nam labra non hominum solum, sed & margines, vel fines dici posse, auctoritas persuadet: & labruscam genus erraticæ vitis esse volunt quæ in sepibus, & in labris agrorum, & terminis nascitur. Subiungit hunc Maronis versiculum. Deinde ex Sisenna histor. 4. Innoxios trementibus artubus repente extrahit, sistitq; in labro summo fluminis. Ex Virg. lib. 7. *Sicut aqua tremulum labris vbi lumen ahenis.* Vide Vinetum Caroli Steph.

ME. Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.
MO. Quid, si idem certet Phœbum superare canendo?
ME. Incipe Mopse prior, si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.
Incipe: pascentes seruabit Tityrus hœdos.
MO. Immò hæc, in viridi nuper quæ cortice, fagi
Carmina descripsi, & modulans alterna notaui,
Experiar: tu deinde iubeto certet Amyntas.
ME. LENTA SALIX QVANTVM PALLENTI CEDIT OLIVÆ,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
Sed tu desine plura puer: successimus antro.

SOLVS TIBI CERTAT) Græca loquendi figura, μάχομαί σοι, quam & Catullus imitatus est, *noli pugnare duobus.* Horat. non semel. vt Ode 1. lib. 1. *Luctantem Icarijs fluctibus Africum.* Et Ode 3. eiusdem. *Africum Decertantem Aquilonibus.* Et Ode 2. Epod. *Certantem & vuam purpuræ.* Lucret. lib. 3. *quid enim contendat hirundo Cygnis?* Ex Lamb. in Horat. * *Adde Virgil. Æneid. 4.* Placitóne etiam pugnabis amori? *Sulpitia poetria.* Primaq; Romanas docui contendere Graijs. QVID SI IDEM CERTET PHOEBVM) Ohe quam φίλαυτος est iste Mopsus? quam abijcit Amyntam? quam se circumspicit? vsque eo quidem, vt illum miserum cum Marsya, se cum Apolline comparet, & ipsa interrogatione impudentem in affirmando, seu conferendo Menalcæ audaciam ostendat. D Omnino enim ad fabulam illam respicere arbitror. Ausus est, vt narrat Ouid. lib. 6. Metamorph. Marsyas satyrus tibiæ cantu cum Phœbo musices antistite in certamen descendere. A quo turpiter victus, arbori illigatus, & pelle sua dirissimè spoliatus est. Versiculos paucos, quibus & temeritas satyri, & supplicium comprehenditur, subiungo.

Quem

Quem Tritoniaca Latoüs arundine victum
Affecit pœna. Quid me mihi detrahis? inquit.
Clamanti cutis est summos direpta per artus:
Nec quidquam nisi vulnus erat, cruor vndiq; manat,
Detectiq; patent nerui: trepidaq; sine vlla
Pelle micant venæ: salientia viscera possis,
Et pellucentes numerare in pectore fibras.

Hanc fabellam tractat multo cum lepore Apuleius Floridor. lib. 1. statim ipso ingressu. Eclog. 7. Corydon, cum sibi optare vellet versus ad canendum longè optimos, optat eius generis, cuius Codrus faciebat: quem vt præclarissimum fuisse musicum declararet, dicit illum proxima Phœbi versibus facere solitum. Iacob. Pont. INCIPE MOPSE PRIOR) Vt offensum nonnihil reconciliet, offert ei primas: quia omnia directa sunt ad auertendas contentiones, animorumq; præcauenda dissidia. SI QVOS AVT PHYLLIDIS IGNES) Reginæ Thracum Phyllidis amor erga Demophoontem Atheniensiũ regis filium, vel ex epistola Ouidiana notus est, vt illum è bello Troiano redeuntem exceperit, & pro coniuge habuerit: ac deinde cum Athenas ille reuersus, non putaretur in Thraciam rediturus, sese suspendio peremerit, atque in arborem sui nominis mutata sit, id est, amygdalum sine folijs. Tandem rediens Demophoon, re cognita truncum amplexus est. Qui velut sentiret sponsi aduentum, folia emisit, vnde etiam φύλλον dictum, id est, folium, quod prius πέταλον dicebatur. Adi Seruium. * *Ionian. lib. 3. Vrania.*

At misera ante diem fato crudeliter vsa
Phyllis ab inuiso pendet Rhodopeïa trunco.

Cremutius auctor est, ait Plin. lib. 16. cap. 26. nunquam virere arborem, ex qua Phyllis se suspendit. De vsu metaphorico huius vocis ignis, *diximus abundanter, vt puto, Eclog. 3. ibi,* At mihi sese offert vltro meus ignis Amyntas. AVT ALCO. HAB. LAVDES) Vict. lib. 17. ca. 8. Non perinde in Alcone, vt in Conone deceptus Seruius existimari facile potest: quamuis etiam Alcon fuerit faber cælandorũ poculorum, vt idem poeta noster in Culice testatur, vbi eum nobilissimis artificibus annumerat, his verbis: *nec pocula gratum Alconis referent, Boetiq; toreuma.* Nam quòd ipse cõmemorat, fuisse illum sagittarium, qui cum filij corpori serpentem applicatum vidisset, fretus arte sua, ita ponderauit sagittam, vt belluam transfixerit, nec in corpus pueri penetrârit: idem à Manilio poeta traditur lib. 5. Astronomicôn, vbi de sagittæ sidere loquitur, ac præstantes quosdam in vsu ipsius appellat, vt Teucrum, Philoctetam: non tamen nomen illius ponitur. Quare si illum ita vocatum certò scirem, qui tam egregie arcu vteretur, omnino putarem hìc eum significatum fuisse. Fuit enim factum illud laude celebrationéque dignum, ac magis conuenit ei, quod de Codro rege Athenarum adiungitur, qui pro salute patriæ morti se obtulit. Alconis auté fabri mentio quoq; est apud Athenæũ, 11. lib. δειπνοσοφ. vbi de poculo quodam, elephante vocato disputans, testimonio Damoxeni Comici poetæ vtitur, qui Alconis opus id esse tradiderit. Interrogatus enim quidam, quodnam potissimùm id foret, respondit. Διάχρυσον κύλιχνον τι τρεῖς χωροῦν χόας Ἄλκωνος ἔργον. Alconis etiam cuiusdam Spartiatæ, summi viri, atq; herois meminit Pausa-

A nias in Laconicis: cui amplissimum monumentum ædificatum fuisse tradit in Dromo: ob quæ tamen præclara facta tantum dignitatis ille consecutus sit, non narrat, vt existimari possit, an fuerit, qui hìc intelligitur: tantum enim affirmat, eum Hippocoontis fuisse filium: aliquid autem gesserit in vita dignum honore necesse est, vt non sine caussa etiam duo fortissimi ciues, duarum potentissimarum ciuitatum putari possint à poeta eodem versu celebrati. AVT IVRGIA CODRI) De Codro M. Tullius 1. Tuscul. Claræ verò mortes pro patria oppetitæ, non solum gloriosæ rhetoribus, sed etiam beatæ videri solent. Repetunt ab Erichteo, cuius etiam filiæ cupidè mortem expetiuerunt pro vita ciuium: Co-
B drum qui se in medios immisit hostes famulari veste, ne posset agnosci, si esset ornatu regio, quòd oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victrices Athenas fore. Hinc & Horat. Ode 19. lib. 3. *Codrus pro patria non timidus mori.* Quocirca eundem Athenienses veluti deum sacrificijs coluerunt. Et, vt ait Iustin. lib. 2. post Codrum nemo Athenis regnauit: quod memoriæ nominis eius tributum est. Quod autem poeta affert de iurgio, non aliud est, quam quod Iustinus refert eod. lib. & Valer. lib. 5. cap. 6. permutato regis habitu, pannosus, sarmenta cõgerens, castra hostium (Doriensium) ingreditur: ibi in turba obsistentium à milite, quem falce astu conuulnerauerat, occiditur. De eodem He-
C rodot. lib. 5. Pausanias Atticis, & Achaicis, Velleius lib. 1. Orosius lib. 1. cap. 18. Et meretur admirationem profectò, eo modo Codrum quæsiuisse mortem, quo modo ab ignauis, ac timidis quæri vita solet. Iacob. Pont. PASCENTES SERVABIT TITYRVS HOEDOS) Theocrit. Idyll. 7. τὰς δ' αἶγας ἐγὼν ἐν τῷδε νομευσῶ. *interea pascam ipse capellas.* Obseruanda hic est interpretatio Virgiliana verbi νομεύειν, non *pascere* (qui tamen alibi sic vtitur) sed, *seruare pascentes.* Sed & seruare sine illius participij adiectione, idem significasset: nam ita vsi sunt cum alij, tum Naso. IMMO HÆC IN VIRIDI) Theocrit. Idyll. 7. κἠγὼ μὲν, ὅρη φίλος οὔτος ἀρέσκει τοῦθ' ὅ, τι πρᾶν ἐν ὄρει τὸ μελύδριον ἐξεπόνασα.

D *Hoc breue amice vide placiturum an sit tibi carmen,*
In monte est quod compositum nuper mihi.

Cantum non recusat Mopsus, sed argumentum cantus à Menalca propositum nullum placet: sua, & recentia præfert rebus antiquis, quia nouæ cantilenæ vetustis, & propriæ alienis gratiores. Dicit autem, se illa carmina sua studio diligenti ad varietatem quandam modulorũ, seu ad numeros musicos redegisse. Ad huius loci imitationem fecit Nemesian. illud eclog. 1.

Sed quia tu nostræ musam deposcis auenæ,
Accipe, quæ super hæc cerasus, quam cernis ad amnem,
Continet, inciso seruans mea carmina libro.

Iacob. Pont. LENTA SALIX QVANTVM) Reducit calculum Menalcas, & qui supra Amyntam Mopso æ-
E quauerat, nunc eius cantu audito, Amyntam longè eidem postponit. Quam longè autem, duabus rusticis comparationibus declarat. Lentum est flexuosum. Georg. 1. *Atque Amerina parant lenta retinacula viti.* Saliunca herba est verius, quam frutex, densa, veluti manu pressa, breuiterq; cespes sui generis dicetur, ait Plinius.

M. Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant: vos coryli testes, & flumina Nymphis:
Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.
Non vlli pastos illis egere diebus

Frigida, Daphni, boues ad flumina: nulla neq; amnem
Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesq; feri, syluæq; loquuntur.
Daphnis & Armenias curru subiungere tigres
Instituit: Daphnis thiasos inducere Baccho,
Et folijs lentas intexere mollibus hastas.
Vitis vt arboribus decori est, vt uitibus vuæ.
Vt gregibus tauri, segetes vt pinguibus aruis:
TV DECVS OMNE TVIS. postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
Grandia sæpe quibus mandauimus ordea sulcis,
IN FÆLIX LOLIVM, ET STERILES DOMINANTVR AVENÆ.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum folijs: inducite fontibus vmbras
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen.
Daphnis ego in syluis HINC VSQVE AD SIDERA NOTVS,
FORMOSI PECORIS CVSTOS, FORMOSIOR IPSE.

EXTINCTVM NYMPHÆ) Orditur epicedium Mopsus in Daphnidem, quo mortem eius luget, & nomen laudibus prosequitur. Quomodo autem lachrymas dant Nymphæ, si deæ sunt? Atqui hoc nihil nouũ est, deos flere. Nam in 1. Æneid. Venus, & in 10. Hercules iam cælo receptus, & Iuno flentes inducuntur. Corylos, & flumina testes citat, ea licentia, qua rebus inanimis non modo sensum, sed & mentem affingunt. Iacob. Pont. COMPLEXA SVI. C.M.N) Bene Seruius, lugentium est, vt & corpori inhæreant. Insigne exemplum patet 9. Æneid. de Niso, qui super exanimem sese proiecit amicũ, Euryalum puta. lib. 10. Mezentius corpori Lausi exanimis inhæret. Et lib. 11. Euander super Pallãtis sui cadauer procumbit, atq; hæret lachrimansq; gemensque. Et lib. 4. de Anna Didonis sorore, postquam illa in gladium incumbens, semet vita exuit, *semianimemq; sinu germanam amplexa fouebat Cum gemitu.* De Thisbe super corpus Pyrami ruente, Metamorph. lib. 4.

Et laniata comas, amplexaq; corpus amantis,
Vulnera suppleuit lachrymis, fletumq; cruori
Miscuit.

Item Fastor. lib. 2. postquam Lucretiam adacto sibi cultro in viscera, in terram collapsam narrauit.

Ecce super corpus communia damna gementes
Obliti decoris virq; paterq; iacent.

Cui verò ignotus est locus ille Geneseos cap. 50. de Iosepho? qui, cum pater Iacob diem supremum expleuisset, ruit super faciem eius, flens & deosculans eum, Iacob. Pont. DEOS, ATQVE ASTRA VOCAT CRVDELIA. Qui impensi' dolent, accusationes cumulant. Sic lib. 2. *Quem non incusaui amens hominumq; deorumq;!* Et Terent. Adelph. *Hoccine sæculum? O scelera, ô hominem impurum.* Congruenter ista mater stultæ quorundam opinationi, omnia fatali quadam necessitate cõstringentium, & vitam atque actiones hominum, etiam liberas astrorum potestati, & energiæ subijcientium. Adumbrauit hunc versum Sanazarius in luctu Mariæ ob Iesum filium in cruce suffixum, ac miserabiliter necatum: sed in eo, vt arbitrium fecit Scalig. in Hypercritico (nec tu contrà forsitan senties) parum religiosus fuit. Denique particula, atque, peruenustè à poeta nostro bis vno carmine ponitur. Eleganter etiam tertio posita cernitur in illo, *Atq; Ephyre, atq; Opis, atq; Asia Deïopea.* Parem habet iucunditatem bis repetita particula, aut, *Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo Deijcit.* Iacob. Pont. NON VLLI PAST. ILLIS EG. DIEB.) Studiosissimus Maronianæ elegantiæ consectandæ Nemesian. eclog. 2.

Nulla mea trinis tetigerunt gramina vaccæ
Luciferis, nulloq; biberunt amne liquores:
Siccaq; fœtarum lambentes vbera matrum,
Stant vituli, & teneris mugitibus aëra complent.

NEC GRAMINIS ATTIGIT HERBAM) Theocrit. Idijll. 4.

Ἦ μὰν δειλαῖαί γα, καὶ οὐκέτι λῶντι νέμεσθαι.
Sunt certè miseræ, gramenq; attingere nolunt.

Dubitari non debet, quin poeta in mente habuerit hoc scribens, quod exponit Suetonius in Iulio, cap. 81. vbi prodigia, quæ cædem ipsius prænuntiare visa sunt, de equis eiusdem scilicet. Proximis diebus, inquit, equorum greges, quos in traijciendo flumine Rubicone consecrârat, comperijt pertinacissimè pabulo abstinere, vbertimq; flere. Gramen hic generale nomen est, vt paulò post iterum, ad varia pratensium, syluestriumque genera, vt Germanorum *grass.* TVVM POENOS ETIAM INGEM. L. I) Theocrit. Idijll. 1.

Τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι ὠρύσαντο,
Τῆνον χ' ὡκ δρυμοῖο λέων ἀνέκλαυσε θανόντα.
Ingemuere illum pariter thoesq; lupiq;:
Ipsi etiam in lustris illum fleuere leones.

* *Pœnos leones nominat, id est, Africanos, quorum maior est feritas, & sæuitia. Si ergo etiam crudelissima bellua mortem Daphnidis luxerunt, quantopere ille hominibus lugendus fuit! Argumen-*

tum est à comparatione minorum. A feris etiam argumentum ducitur ad diligendos liberos 2. de Orat. Si feræ suos partus diligunt, qua nos indulgentia erga liberos nostros esse debemus? Montes feri sunt, in quibus feræ, & indomitæ bestiæ vagantur, seu stabulantur. DAPHNIS ARMEN. CVRRV. S. T) *De C. Cæsare accipit Seruius, qui Bacchi sacra ex Armenia Romam transtulit. De vocabulo thiasus dictum reperies lib. 7. Æneid. ibi.* Insultant thiasis, &c.] Per effigiem tigridis indomiti & effrænati animi indicantur. Et poetæ, cum hominis cuiuspiam immanitatem egregiè notare volunt, Hyrcanas illas tigrides his vbera prædicant admouisse. Et quia Bacchi currui iunguntur, vt plerique auctores sunt, indicant moderatum vini vsum ferocientis animi sæuitiam demulcere. Itaq; apud Homerum Polyphemus exuperans earum crudelitatem, vino Maroneo delinitus, Vlyssi mollius adblanditur. Et heroes illi Troiani apud eundem, ferocitatem sæpe, æstuantisq; bile cordis acerbitaté vino deliniunt, hominiq; valde irato apud Plautum edicitur, vt vino bilem diluat. Pierius lib. 11. in Tigride. * *Ex Fulgentio videtur mutuatus. Ille namq; lib. 2. Tigribus dicitur insidere Bacchus, quod omnis vinolentia feritati semper insistat: siue etiam, quia vino efferatæ mentes mulceantur: vnde & Lenæus dicitur, quasi lenitatem præstans. Iam Heliogabalus quoq; ad currum iunxisse canes, ceruos, leones, tigres à Lampridio scribitur.* ET FOLIIS LENTAS INTEX. M. H) Thyrsorum periphrasis. Vide 7. Æneid. *molles tibi sumere thyrsos.* VITIS VT ARBORIBVS) Theocrit. Idyll. 8.

Τᾷ δρυῒ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα.
Τᾷ βοῒ δ' ἁ μόσχος, τῷ βωκόλῳ αἱ βόες αὐταί.

Quercum ornant glandes, pomum decorant sua poma:
Sunt decori vaccis vituli, pastoribus ipsæ.

Apud Theocritum non est vlla ἀπόδοσις: apud Virgiliū autem hæc, *Tu decus omne tuis* ἀπόδοσις) duobus versibus proximè præcedentibus: post quos suspensam manere sententiam ostendit etiam particula, vt, quæ aliquam, ἀπόδοσιν velut exspectat. Alioqui, posteriorem Theocriti versum imitatur prior Virgilij: imitatur, inquā, quod ad formam gradationis attinet (si gradationem appellare hoc decet) nam vt vitulum vaccæ decori esse, vaccam autem vicissim esse decori suo bubulco ait Theocritæus pastor: ita Virgilianus dicit vitem arboribus decori esse, ipsiq; vicissim viti vuas. PINGVIBVS ARVIS) Pinguia arua sunt Homero, πίονα ἔργα, alibi sata læta reddidit. * *Quatuor similitudines rusticæ proponuntur, ex quibus laus Daphnidis ostenditur, & quanto suis ornamento fuerit declaratur. Viduas arbores vocat Horat. populos, vlmos, & similes, antequam ijs vites adiungantur. Quod vbi fit, maritari dicuntur, & postea marita. Ode 2. Epod.* altos maritat populos. *Catull. carm. nupt.* At si fortè eadem est vlmo coniuncta marito. *Quia verò platanus vmbra tantum caussa seritur, vitibus sustinendis non adhibetur, ideo eam calibem dixit Ode 15. lib. 2.* IPSA PALES AGROS) Pales est dea pabulorum. Apollinem autem dicit νόμιον, id est, pastoralem: nam Admeti regis armenta pauit: & hoc vult: nec pabula nascentur, nec pecora. Seruius. * *De Pale eiusq; festis, quæ dicuntur Palilia, Apolline item pastore scriptum à nobis in 3. Georg. ad initium.* MANDAVIMVS ORDEA SVLCIS) Per speciem, per ordea nempe, genus, id est, frumenta significauit: & est sensus, agros tametsi bene subactos, diligenterq; cultos, non respondisse, impensam omnem perijsse, nihil nisi herberbas inutiles prodijsse. Reprehensum ab æmulis Virgilium, qui numero multitudinis extulerit ordeum, monuimus Eclog. 3. Qui hoc genus frumenti deducunt ab horrore, quod spica eius horreat, cum aspiratione scribunt, hordeum. Qui autem ab ariditate, vt sit ordeum quasi aridum, eam omittunt. Isidor. lib. 17. cap. 1. Ordeum dictum, quod præ cæteris generibus frumenti aridum ante fiat: vel quod spica eius ordines

A habeat. Iacob. Pont. INFÆLIX LOLIVM) Plin. lib. 22. cap. 25. Quin & ipsæ frugum pestes in aliquo sunt vsu. Infælix dictum est à Virgilio lolium. Hoc tamen molitum, ex aceto coctum, impositumq; sanat impetigines, celerius, quò sæpius mutatum est. Medetur & podagris, alijsque doloribus ex oxymelite. Lolio cum frumento, & in medio segetum prouenienti comparat hæreticos doctores Basilius, Homil. 5. in Hexaëm. cuius verba subijcientur. Quare nihil prorsus in stirpibus aliter inuenies fieri, quam imperium illud diuinum instituit. Nam id quod lolium appellatur, cæteraque adulterina semina, quæ se se cum esculentis miscere solent, quæque scriptura diuina zizania nuncupare consue-
B uit, non tritico mutato, sed ex origine sua principioque nascuntur, propriumque suum obtinent genus. Hæc eorum hominum præ se ferunt imaginem, qui domini nostri leges atque doctrinam deprauare nituntur: quique non germanè verbo dei imbuti, sed spiritus maligni doctrina corrupti, cum Ecclesiæ sese sano corpore permiscent, vt suos clanculum errores in integriores homines inprimant, detrimentoque illos afficiant. Sic Basilius. Vide etiam Pierium lib. 36. in Lolio. STERILES DOMINANTVR AVENÆ) Per auenas, vt obseruatum est à Turnebo lib. 19. cap. 29. herbam segetes necantem Symmachus intellexit, ita scribens in relatione ad Valentinian. Aug. Nec rubi-
C go segetibus obfuit, nec auena fruges necauit. Turnebus, inquit Germanus, docuit vanas apud Maronem, seu steriles auenas, esse vanos, & steriles culmos, qui fruges non ferrent: Symmachum tamen intellexisse videri per vanas auenas genus herbæ, fruges enecans. Tamen videri potest Symmachus ne ibi quidem à superiore sententia discessisse, cum per auenam fruges necantem, culmum inanem accipere potuerit, nimio prouentu luxuriantem, & in calamum frugi debitū alimentum interuertentem. PRO MOLLI VIOLA) Violarum genera complura sunt, vide Prædium rusticum Caroli Stephani. Plinius lib. 21. cap. 6. Violis honos proximus à rosa, & lilio. Earum plura genera, purpureæ, luteæ, albæ: plantis omnes vt olus satæ. Ex ijs verò, quæ
D sponte apricis, & macris locis proueniunt, purpureæ latiore folio statim ab radice carnosa exeunt, solæque græco nomine à cæteris discernuntur, appellata ἴα, vt ab his ianthina vestis. CARDVVS ET PALIVRVS) De his similiter in Prædio. De asino carduos depascente natum illud adagium, Similes habent labra lactucas. Vide Chiliad. SPARGITE HVMVM FOLIIS) Folium à græco venit, quod illi dicunt φύλλον. Sed ideo per vnum, l, quia antiqui non geminabant consonantes. Festus. INDVCITE FONTIBVS VMBRAS) id est, facite nemora circa fontes. Et hoc ideo, quia (vt diximus) heroum animæ habitant vel in fontibus, vel in nemoribus, vt, *lucis habitamus opacis Riparumq; toros, & prata recentia*
E *riuis Incolimus.* 6. Æneid. Seruius. * *Apostrophe ad pastores iubet Daphnidi extincto haberi eos honores, quos ipse adhuc viuus sibi vt haberentur mandauerit. Dubium est, an de tumulo, & epitaphio quod mox sequitur, ipse Daphnis præceperit, an ex sua persona id iubeat Mopsus.* ET TVMVLVM FACITE) Tumulus propriè terra tumens. Virgil. 6. Æneid.

Et tumulum capit: vnde omnes longo ordine possit
Aduersos legere, & venientum discere vultus.

Isidor. lib. 15. tumulus dictus, quasi tellus tumens. Festus. Tumulū Stilo Ælius sic definit. Tumulus est cumulus arenæ editus secundùm mare, fluctib⁹ in altum eleuatus. Vnde similiter & manufactus, & naturalis propriè dici potest. Sed ad aliam significationem huius vocis eamus.

H 3 Trans-

Translatè pro sepulchro: defosso enim humi cadauere, A necesse est terram extumescere. Μετωνυμικῶς poetæ ipsa epigrammata in mortuos, vocant tumulos. Iacob. Pont. DAPHNIS EGO IN SYLVIS) Theocrit.

Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος, ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων,
Δάφνις ὁ τὼς ταύρως, καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων.
Daphnis ego hisce bouis solitus qui pascere campis,
Qui hic tauros Daphnis, qui vaccas Daphnis aquabam.

Ego quanquam pastor, & in syluis annum agitans, tamen non in syluis duntaxat, sed longè lateq; extra syluas, & vel vsque ad cælum notus ac celebratus sum. FORMOSI PECORIS CVST. F. I) Si ad Cæsarem Iulium referre velimus, secundùm Seruium, hic erit intellectus, sed allegoricus: boni populi optimus imperator.

ME. Tale tuum carmen nobis, diuine poeta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.
Nec calamis solùm æquiparas, sed voce magistrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocunque modo tibi nostra vicissim
Dicemus, Daphninq; tuum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus, AMAVIT NOS QVOQVE DAPHNIS.
MO. An quicquam nobis tali sit munere maius?
Et puer ipse fuit cantari dignus, & ista
Iam pridem Stimichon laudauit carmina nobis.

TALE TVVM CARMEN) Carmen sæpenumero B multitudinem aliquã versuum, aliquando librum quoque integrum carmine conscriptum significat, συνεκδοχικῶς: aut numero scilicet singulari pro plurali, vt Grammatici loquuntur: aut ex parte totum, poema nempe. Martial. lib. 14. in Ouid. Metamorph.

Hæc tibi multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemq; gerit.

Id est, quindecim libros, tot enim sunt Metamorphoseos. Lucret. lib. 6.

Nunc omnes repetam quàm raro corpore sint res
Commemorare, quod in primo iam carmine claret.

Id est, in primo libro, vbi de inani disputauit. Virgil. quoque Eclog. 9.

Id quidem ago, & tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse, neque est ignobile carmen.

Sic Ouid. 1. Metamorph. *Ad mea perpetuum deducite tempore carmen.* Persius prologo. *Ad sacra vatum carmen offero nostrum.* Comparatio porrò rustica est. Quid enim? & res, & personæ sunt rusticæ. Aque vt hìc per comparationem, & agrestem illam à Menalca Mopsi, ita infra vicissim à Mopso eiusdem generis collatione Menalcæ cantus commendatur: sic enim ait.

Nam neque me tantum venientis sibilus Austri,
Nec percussa iuuant fluctu tam littora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

Iacob. Pont. DVLCIS AQVÆ RIVO) Latini dulcem aquã, & Græci γλυκὺ ὕδωρ dupliciter nominant. Primò quæ non est salsa, quæ non est marina. Deinde, quæ D quamuis reuera dulcis non sit, & amaræ contraria, tamen gustatu delectat, & iucunda est ad bibendũ. Quomodo dixit Hippocrates *ὄμβρια ὕδατα κουφότατα, καὶ γλυκύτατα, καὶ λαμπρότατα, καὶ λεπτότατα.* Id est, aquæ pluuiæ leuissimæ, dulcissimæ, tenuissimę. NEC CALAMIS SOLVM ÆQVIPARAS) Cum calamis, & voce dicat magistro suo æqualem Mopsum, maius tamen videri vult, quòd cum voce æquiparet. Quidam ἀλληγορικῶς magistri nomine Theocritum accipiunt: discipulum, ipsum eius imitatorem Virgilium. Veruntamen simpliciter dictum quin accipiatur, nihil prohibet. ALTER AB ILLO) Quòd exponunt, secundus ab illo, non procedit: dicit enim superiore versu, parem esse. Si par, nec ille primus, nec iste secundus. Expone igitur, *Tu eris alter ab illo*, tu pòst eris eodem loco quo ille. Sic cum dicimus, amicus est alter ego, non significamus vnum esse primum, alterum secundum. Sed si vnum sustuleris, eum qui remanet, esse adhuc eum ipsum, seu prorsus similem ei qui sublatus fuerit, quod ad amicitiæ definitionem spectat. TIBI NOSTRA VICISSIM DICEMVS) Antapodosis est dissimilitudinis ad extenuatio- C nem, & profitetur Menalcas, se ἐκθέωσιν Daphnidis cantaturum, atque ita gratias quodammodo relaturum ei, cui se charum esse senserit. DAPHNINQVE. T. TOLLEM. AD ASTRA) Horat. sat. 7. lib. 2. *absentem rusticus vrbem Tollis ad astra leuis.* Et epist. 10. lib. 1. *Quæ vos ad cælum effertis rumore secundo.* Eiusdem notæ sunt illa Ciceron. 4. Philipp. Cæsar in cælum fertur. Et ad Att. lib. 2. ep. 20. Bibulus hominum admiratione, & beneuolentia in cælo est. Edicta eius, & conciones describunt, & legunt. AN QVIDQVAM NOBIS. T. S. M. M) Adhibetur ad excitandum mutua commendatio futuri carminis, ex eius adiuncta gratia, & subiecta personæ dignitate, & testimonio. ET PVER IPSE. F. C. DIG.) Nemesian. eclog. 1. παραφραστικῶς hoc ipsum bellè extulit, de sene pastore loquens.

Namq; fuit dignus senior, quem carmine Phœbus,
Quem calamis, fidibusq; Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent, atque acta viri, laudesq; sonarent.

Iacob. Pont.

ME. Candidus insuetum miratur limen olympi,
Sub pedibusq; videt nubes, & sidera Daphnis.
Ergo alacris syluas, & cætera rura voluptas,
Panaq;, pastoresq; tenet, Dryadesq; puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia ceruis

Vlla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis,
Ipsi lætitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes: ipsæ iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta, Deus Deus ille Menalca.
Sis bonus ô fælixq; tuis. en quattuor aras,
Ecce duas tibi Daphni, duoq; altaria Phœbo.
Pocula bina nouo spumantia lacte quotannis,
Craterasq; duos statuam tibi pinguis oliui:
Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho,
Ante focum, si frigus erit: si messis, in vmbra.
Vina nouum fundam calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas, & Lyctius Ægon:
Saltantes satyros imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt, & cum sollennia vota
Reddemus Nymphis, & cum lustrabimus agros.
DVM IVGA MONTIS APER, FLVVIOS DVM PISCIS AMABIT:
Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ,
SEMPER HONOS, NOMENQVE TVVM, LAVDESQVE MANEBVNT.
Vt Baccho, Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.

Mopsus tristia, de obitu videlicet Daphnidis cecinit, Menalcas læta, de eius nimirum ἀποθεώσει. Ita posterior pars eclogæ multum à priore distat qualitate argumenti. Nec solùm ipse vnus de cælitibus asseritur, verum etiam rebus humanis summa inde voluptas, & pax conciliata perhibetur. CANDIDVS DAPHNIS) Quia alba semper læta, & auspicata fuerũt credita, hinc albos deorum filios appellabant, vt scribit Plato 5. de Repub. & ex eo Plutarch. lib. de discrim. adulat. & amici. Inde videri potest Virgil. Cæsarem sub persona Daphnidis vocasse *candidum*, tanquam deorum filium. Candidus, inquit Seruius, id est, deus: vt contrà, mortuos nigros dicimus. Sed Horatij quem producit locus, non est idoneus. Iuuenal. Sat. 1.

Instituitq; rudes melior Locusta propinquos
Per famam & populum nigros efferre maritos.

Statius 9. Thebaid. mortem nigram vocat. Quidam hìc per candidum intelligunt bonum. Vide reliqua apud Tiraquell. in cap. 20. lib. 4. Alex. Neapolit. MIRATVR LIMEN) *Lumen* lege, pro *limen*, vt Canterus emendauit lib. 4. cap. 2. De talibus, qui scilicet soluti corporum vinculis in cælum euolarunt, vnde despiciunt mare veliuolum, terrasq; iacentes, & piè, & eleganter dici potest hoc Nemesiani ex ecloga. 1. quamuis ipse de campis illis commentitijs loquatur, Elysijs videlicet.

Quos nunc emeritæ permensos tempora vitæ
Secreti pars orbis habet, mundusq; piorum.

Iacob. Pont. SVB. PED. VID. NVB. ET SID.) Videtur mihi Maro alludere ad maiorum persuasionem, qui beatas, illustres, & τὰς ἐκθειασθείσας animas post obitum ad lunæ globum concedere credebant: atq; adeo lunam ipsam sub pedibus habere, illiq; insistere, vt docet Plutarchus Rom. Quæst. vbi lunaris calcei rationem reddit, his verbis. διὰ τί τὰς ἐν τοῖς ὑποδήμασι, σεληνίδας οἱ διαφέρειν δοκοῦντες εὐγενείᾳ φοροῦσι; πότερον, ὡς Κάστωρ φησί, σύμβολόν ἐστι τοῦτο τῆς λεγομένης οἰκήσεως ἐπὶ τῆς σελήνης, καὶ ὅτι μετὰ τὴν

A τελευτὴν αὖθις αἱ ψυχαὶ τὴν σελήνην ὑπὸ πόδας ἕξουσι. Germã. Varro de ling. lat. lib. 6. citat ex Ennio, *Musæ quæ pedibus magnum pulsatis olympum.* Nam veteres physici, atque etiam theologi vnicuiq; Musæ sedem suam in cælo assignarunt. De quo vide Macrob. in Som. Scip. lib. 2. cap. 3. Ex quo intelligis, quare reuocet Musam è cælo Horat. cum canit.

Descende cælo, & dic age tibia
Regina longum Calliope melos, &c.

Aratus, θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται. Catull. ex Callimacho de coma Beronices in sidera translata, *sed quanquam me nocte premunt vestigia diuûm.* Scalig. in Coniectan. SYLVAS, ET CÆTERA. R. V) Per cætera rura intellige
B agros, prata, vineas. Lætantur omnia, quæ superius tristari dicebantur. *Nec vlli pastos illis egere diebus, &c.* Rura dicuntur, ait Varro lib. 4. de ling. lat. quòd in agris quotquot annis facienda eadem, vt rursus capias fructus. NEC LVPVS INSIDIAS PECORI) Theocrit. Idyll. 24.

Ἔσται δὴ τοῦτ' ἆμαρ ὁπηνίκα νεβρὸν ἐν εὐνᾷ
Καρχαρόδων σίνεσθαι ἰδὼν λύκος οὐκ ἐθελήσει.
Illa erit illa dies conspectum quum lupus acer
Hinnuleum sinet illæsum recubare cubili.

Discordiam, & mores dissimillimos Ægyptij, poetæq; omnes significare cum volunt, hieroglyphicè lupum
C & agnum, aut ouem ponunt. Vnde apud Horat. legas.

Lupis & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.

Et de maximè inter se discrepantibus Ouidius ait. *nat lupus inter oues.* Aiunt verò eam esse antipathiæ vim, vt plerumq; agni recenter nati, neq; vllius animalis extra caulas effigiem intuiti, audito repentè luporum vlulatu exanimascant, subitarioq; eo perculsi metu concidant. Quin etiam periti rerum prædicant, horum animalium inanima etiam in eadẽ naturæ dissensione perseuerare.

Quillas

Ouillas enim fides, si alijs, ex lupino intestino factis fidibus associentur, & absonas, & præ metu mutas permanere. Idem de tympanis ex ouilla pelle, & lupina factis accidere tradit Oppianus: simul ac enim pulsantur, ouillum mutum esse, lupinum solum exaudiri. Pierius lib. 10. in Oue. NEC RETIA CERVIS VLLA DOLVM) Seruius, Adeo placet simplicitas Daphnidi, vt etiam ille dolus, qui voluptati ante fuerat, conquiescat, scilicet venationes. Et est ὑπερβολή. INTONSI MONTES) Montes intonsi sunt syluosi, incædui: quod enim frondes arboribus, vt scilicet earum comæ dicantur, hoc montib⁹ ipsæ arbores, vt sint eorum velut comæ. Intonsi igitur, quod propter otium in gratiam noui dei susceptum, nemo materiã velit cædere. Montes autem, & arbusta sonant deum esse Daphnidem, quia per syluas, rupes, montes, agrestes pro deo illum exclamant, & magnis vocibus iactant. Iacob. Pont. SIS BONVS O FELIXQVE TVIS) Si Deus Daphnis, iure illum inuocat Menalcas, iure altaria cultumq; diuinum promittit. EN QVATVOR ARAS) Existimant nonnulli, hanc vocem quatuor vno, t, scribendam semper, etiam in versibus, quia in veteribus libris ita fortè inueniatur, & prima semper sit producta. In quo certè falli mihi videntur. Ennius apud Cic. 1. de diuinat. *Cedunt ter quatuor de cælo corpora sancta Auiũ.* Idem apud Fl. Sosipat. lib. 1. verbo, *partum*, pro partiũ, *Iamq; adeo quatuor partum.* Gifan Collect. in Lucret. ECCE DVAS TIBI DAPHNI) Videntur veteres manibus honoratorum virorum aras esse soliti consecrare duas, cum aliàs quoque manes in diuorum numerum referrent, vt hoc è loco etiam patet, & 3. Æneid. de Andromacha Hectoris coniuge. *Et geminas, caussam lacrymis, sacrauerat aras.* Item de Polydoro statim initiò. *stant manibus aræ Cæruleis mœstæ vittis, atraq; cupresso.* Turneb. lib. 17. cap. 6. POCVLA BINA NOVO LACTE) Et dijs lacte rustici supplicant, multęq; gentes: & mola tantum salsa litant, qui non habent thura: nec vlli fuit vitio deos colere, quoquomodo posset. Plin. præfat. Idem lib. 14. cap. 12. Romulus lacte, nõ vino libauit: indicio sunt sacra ab eo instituta, quæ hodie custodiunt morem. Numæ regis posthuma lex est, vino rogum ne respergito. Quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitat. CRATERASQVE DVOS OLIVI.) Theocrit. Idyll. 5.

Στασῶ δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
Ταῖς νύμφαις, στασῶ δὲ καὶ ἁδέος ἄλλον ἐλαίω.
Ingentem nymphis craterem ego lacte refertum,
Craterem plenum statuam quoq; pinguis oliui.

Formam loquendi græcam retinet Virgil. dicit enim crateras duos oliui, id est, oliui plenos: sicut Theocrit⁹, κρητῆρα γάλακτος, & κρητῆρα ἐλαίω, id est, μεστὸν γάλακτος, & μεστὸν ἐλαίω, neque enim dubito, quin ita oporteat intelligi. Est qui, *craterasq; duas* legit: nam & cratera crateræ dicimus, facto nominatiuo ab accusandi casu crater: siquidem quartum casum secundum Græcos cratera habet. ET MVLTO IN PRIMIS HILARANS) Theocrit. Idyll. 7.

Τὸν Πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρητῆρος ἀφυξῶ,
Πὰρ πυρὶ κεκλιμένος, κύαμον δέ τις ἐν πυρὶ φρυξεῖ.
Χ' ἁ στιβὰς ἐσσεῖται πεπυκασμένα ἐς ὀπὶ πᾶχυν
Κνύζᾳ τ' ἀσφοδέλῳ τε, πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ.
Καὶ πίομαι μαλακῶς μεμνημένος Ἀγεάνακτος
Αὐταῖσιν κυλίκεσσι καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδων.
Αὐλησεῦντι δέ μοι δύο ποιμένες, εἷς μὲν Ἀχαρνεύς,
Εἷς δὲ, Λυκωπίτας· ὁ δὲ Τίτυρος ἐγγύθεν ᾀσεῖ.
Ante focum ipse iacens fundam Preleatica vina
E cratere: fabamq; aliquis mihi friget in igni.
Et torus ad cubiti mensuram extructus in altum
Cnysa erit, asphodelo, variè & crispante selino.
Mentio potanti fiet chari Ageanactis:
Et labrum in calicis facem intrudetur adusq;
Tibia eruntq; duo pastores qui mihi ludant:
Atque Lycopites erit vnus, Acharneus alter:
Tityrus è propiore loco cantabit amores
Daphnidis.

Quamuis apud Theocritum simpliciter dicatur, παρ' πυρὶ, ego tamen me non discessurum ab eo putaui, si interpretarer, *Ante focum*, Virgilianis vtens verbis: licet quidam his verbis altiorem quendam (vt ita dicam) sensum subesse existiment: quasi nimirum Menalcas dicat: *Ante focum*, quòd Daphnidi, tanquam Lari, sacrificaturum se voueat, quoniam priscos, animas hominum in deorum numerum relatas, Lares esse existimauisse, ex Sex. Pompeij reliquijs discimus. ANTE FOCVM, SI FRIGVS ERIT) Compitalia dicta à compitis, siue compitorũ vijs, in quibus Compitalib⁹ sacrificabant: quamuis & alibi quam in compitis Compitalibus sacrificaretur, nempe in foco. M. Cato de re rustica. Rem diuinam nisi in Compitalibus, in compito, aut in foco ne faciat. Quò Virgilius respexit. Cæterùm vt compita, sic & focum sedem esse, & quasi domicilium Larium nemini ignotum est. Pithœus Aduers. lib. 1. cap. 9. CALATHIS) Calathos, calices vinarios accipi docet Martialis non contemnendus interpres, in hunc versum, in Mamurram, lib. 9.

Expendit veteres calathos, et si qua fuerunt
Pocula Mentorea nobilitata manu.

Vt & apud eundem Martialem in distich. Calathi. *Nos Satyrus, nos Bacchus amat.* German. ARIVSIA) Plures auctores vini huius, vt optimi, mentionem fecerunt, id quod productis in medium locis demonstrat Victorius lib. 15. cap. 24. Cùm autem ita legatur in vetustissimis exemplaribus, *Ariusia*, inquam, testatur idem Victorius, reperiri calamo exarata, in quibus sit *Aretusia*, testemq; laudat Pierium Valerianũ in eius castigationibus. SALTANTES SATYROS) Multas saltationis laudes cum exemplis persequitur Lucianus, libro περὶ ὀρχήσεως. Inter cætera, apud veteres ait nullas nunquam fuisse celebratas festiuitates, aut cærimonias citra saltationem. Paulò post. Portò autem in Delo nulla sacra peragebantur, quibus saltatio non fuisset adhibita: sed & cum illa, & cum musica cuncta persoluebantur. Ingressi verò puerorum chori, tibia, & cithara præcinentibus saltabant: quos subsecuti optimi, facto delectu choreis excipiebant. Longè infra. Olim verò ipsi saltatores canebant, & vnà saltabant. Deinde animaduertentes, continuo motu grauari anhelitum, & per hunc turbari cantilenã, visum est factu longè consultius, vt alij saltantibus succinerent.* *De Satyris Gyrald. Syntag. 15. Natalis Comes lib. 5. ca. 7. Satyri, ait Isidor. l. 11. homunciones sunt aduncis naribus, cornua in frontibus habent, & pedes caprarum pedibus similes.* HÆC TIBI SEMPER ERVNT) Perpetuitatem cultus illi omnium pastorum nomine spondet: quod magis perspicietur ex sequentibus. ET CVM SOLENN. VOTA. R. N) Non temerè Virgilius Menalcam ita loquentem induxit, cum tempora ostenderet, quibus pastores tanquam deum veneraturi essent Daphnidem, memoriamq; illius piè celebraturi: ac posterius quidem tempus apertum, quo immolabant hostias pro frugibus. [*quæ prius circum arua quòd ducerentur, dictæ sunt ambaruales. Macrob. Saturnal. lib. 4. cap. 5. qui etiam exponit lustrare, circumire, & hostiæ nomen acquisitum ait ab ambiendo arua. In quam rem citat illud è 1. Georg.* Terque nouas circum fœlix eat hostia fruges.] Prioris ratio hæc est. Mos erat in Sicilia, vt singulis annis in priuatis domibus rem diuinam facerent nymphis: temulentiq; ante ipsarũ aras saltarent, quæ omnia Menalcas iam supra exposuerat. Quia autem origo pastoralis carminis inde fluxit, ideo

ideo instituta eius regionis in eo persequitur poeta noster. Moris autem huius meminerat Timæus in 22.lib. historiarum, omnemq; rem diligenter narrauerat, cùm impudentem, flagitiosamque Damoclis adulatoris Dionysij iunioris Syracusanorum tyranni assentationem referret: qui eo tempore, quo cæteri morem eum colerent, atq; institutum seruarent, valere iubens nymphas, dicensq;, non oportere curare deos, expertes animi, ad tyrannum se contulit, illiq; ea fecit, quæ reliqui omnes deabus illis vetere instituto faciebant. Testimonium Timæi ab Athenæo recitatur lib.6. *Τίμαιος δ᾽ ἐν τῇ δευτέρᾳ*, &c. De hoc impuro Damocle Cic. Tuscul.5. Hęc ex Victor.lib.6.cap.24.

Propriè, & è ritu dictum est, inquit Turneb. lib. 13. cap. 4. cùm & Nymphæ rusticorum deæ sint, & rusticæ, & illis in agro res diuina à rusticis fiat. Itaque apud Euripidem Ægisthus rus exit, vt in agro eis rem diuinam faciat, quòd in vrbe earum dearum religioni opera dari non soleret. Idem lib. 18. cap. 17. multa ad hunc locum illustrandum peridonea adducit, quæ ad illum quoque 1. Georg. pertinebunt, *Terq; nouas circum felix eat hostia fruges*. Per agrorum fines lustro quodam hostia ducebatur. Neque verò id à rusticis tantùm fiebat, sed & à Romanis fines agri Romani lustrantibus, qui inter quintum & sextum lapidem erant, vt auctor est Strabo lib.5. quod sacrum Ambaruualia vocabant, quod, vt opinor, circum agri Romani terminos sacrum fieret. Ambaruualia describi videntur initio lib. 2. eleg.1. à Tibullo.

Quisquis adest, valeat, fruges lustramus & agros,
Ritus vt à prisco conditus extat auo.
Bacche veni, dulcisq; tuis è cornibus vua,
Pendeat, & spicis tempora cinge Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso vomere cesset opus.

[*Primo carmine Tibulli pro adest, legit abest, Germa. lib. 11. Æneid. ad illum versum,* Salue æternum mihi maxime Palla, Æternumq; vale. *Eius verba nos ibidē transcripsimus, & in tanti viri sententiam pedibus transiuimus.*] Et infra sequuntur preces, vnde, quid deos rusticos in illis sacris rogarent, perspicimus.

Dij patrij, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris,
Ingeret ardenti grandia ligna foco.
Turbaq; vernarum, saturi bona signa coloni
Ludet, & ex virgis extruet arte casas.

Vide 1. Georg. *Terq; nouas circum felix eat hostia fruges.* De victimis item & precibus ambaruualium, seu in lustratione ista agrorum, quibus verbis conciperentur, Cato de re rustica cap.141. Agrum sic lustrare oportet. *Impera suouetaurilia circumagi cum diuis volentibus, quodq; bene eueniat: mando tibi Mani, vti illace suouetaurilia fundum, agrum, terramq; meam quota ex parte siue circumagi, siue circumferenda censeas, vti cures lustrare. Ianum, Iouemq; vino præfamino sic: Mars pater, te precor, quæsoque, vti sies volens propitius mihi, domo, familiæq; nostræ; quoius rei ergò agrum, terram, fundumq; meum suouetaurilia circumagi iussi. vti tu morbos visos, inuisosq;, viduertatem, vastitudinemq;, calamitates, intemperiasq;, prohibessis, defendas, auerruncesq;. vtiq; tu fruges, frumenta, vineta, virgultaq; grandire, beneq; euenire siris. pastores, pecuaq; salua seruassis, duisq; bonam salutem, valetudinemq; mihi, domo, familiæq; nostræ. Harumce rerum ergò fundi, terræ, agriq; mei lustrandi, lustriq; faciendi ergò, sicuti dixi, macte hisce suouetaurilibus lactentibus immolandis esto.* De hisce sacris ambaruualibus, qua cærimonia fierent, lege Alex. ab Alex. lib.3. c.12. & in eundem Tiraquell. DVM IVGA MONTIS APER) Huiusmodi sunt, nostri quidem Æneid.9.

Dum domus Æneæ capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumq; pater Romanus habebit.

Tibull.

Quem referent Musæ, viuet dum robora tellus,
Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas.

Vt plura inuenias, non longè abeundum est. Bene, *dum iuga montis aper.* Varroni enim lib.4. aper ab eo, quòd in locis asperis: nisi à Græcis, quod hi, *κάπροι*. De piscibus venustè Lucretius lib.2. *mutæq; natantes Squamigerum pecudes.* DVMQVE THYMO PASCENTVR APES) Aptissimum ad mellificium ait esse thymum Varro lib.3. de re rust. c.16. & ad sanitatem quoq;. Propter hoc Siculum mel fert palmam, quod ibi thymum bonum, & frequens est. Itaq; quidam thymum contundunt pila, & diluunt in aqua tepida, eo conspergunt omnia seminaria consita apum causa Iacob. Pont. DVM RORE CICADÆ) De rore & cicadis, Theocritus in Thyrside in vitulam macram, *μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ*, id est, rorene viuit more cicadæ? Dores enim appellant rorem *πρῶκα*, quòd *πρωΐ*, id est, manè cadat. Porro cicadas rore ali, testis est Plin. lib.11. c.36. Ore carent, sed habent in pectore fistuloso quiddam aculeatum, linguis simile, hoc rorem lambunt. Quum excitatę subuolāt, reddunt humorem: quod solum argumētum est, illas rore pasci. Neq; enim ad excrementa corporis vllum foramē est. In hominem prætenui corpore quadrabit, Rore pascitur. Chiliad.

Prouerbium adducit Iunius cent.1. n.70. *ἐν ἀέρι καὶ δρόσῳ σιτούμενος*, id est, aëre, & rore saginatus, de eo qui frugali admodum & tenui victu vtitur. Plutarch. sympos. *ἐν ἀέρι καὶ δρόσῳ λέγουσι, καθάπερ οἱ τέττιγες σιτούμενον.* Aëre, ac rore in morem cicadæ enutritum aiunt. Philo de Iudæis philosophis famelicam vitam ducentibus. *ἐθισθέντες ὥσπερ φασὶ τὸ τεττίγων γένος, ἀέρι τρέφεσθαι, τῆς ᾠδῆς, ὡς οἶμαι, τὴν ἔνδειαν ἐξευμαρίζοντος.* Id est, Assueti aëre vesci, quēadmodum cicadæ solent, cantu (vt equidem existimo) esuriem mitigante. VT BACCHO, CERERIQVE, TIBI SIC) Æquat Daphnidem diis rusticis maiorum gentium, Quid enim maius Baccho, & Cerere? Ceres gaudium dicitur, inquit Fulgentius lib.1. & ideo illam frumēti deam esse voluerunt: quòd vbi plenitudo fructuum sit, gaudia semper superabundent necesse est. Proserpinam verò quasi segetem voluerunt, id est, terram radicibus proserpentem, quæ & *ἑκάτη*, græcè dicitur: *ἑκατὸν* enim græcè centū sunt. Et ideo hoc illi nomen imponitur, quia centuplicatum Ceres proferat fructum. DAMNABIS TV QVOQVE VOTIS.) Damnare votis homines, quod eum quoque facturum confirmat, non est semideûm. Sic Cicero post reditū ad Quirites. Eius deuotionis me esse conuictum lætor. Probus in Timoleonte. Dicit, nūc demum voti se esse damnatum. Damnabis ergo, obligabis, & quasi quadam damnatione obnoxios reddes agricolas ad vota soluenda, cùm tu illis tanquam verum & pręsens numen affueris: vt damnari propriè hi dicantur, non qui vota tantū fecerint, sed qui etiam ab ipso deo optata impetrarint: vnde tunc votorum persolutionis se reos omnino factos, quasi ex numinis parte voti concepti conditione adimpleta, maximè intelligerent. Nam ita mortalium vulgus deo vouere solet, vt sub conditione quasi cum ipso contrahat: vt scilicet non alia ratione se voti damnatum, & reum velit, quàm si votis petita obtinuerit. Lege plura apud Erythræum in Indice, verbo *Damnabis*.

MO. Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam neq; me tantum venientis sibilus Austri,
Nec percussa iuuant fluctu tam littora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina valles.
ME. Hac te nos fragili donabimus antè cicuta.
Hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexim:
Hæc eadem docuit, Cuium pecus, an Melibœi?
MO. At tu sume pedum, (quod, me cùm sæpe rogaret,
Non tulit Antigenes; & erat tum dignus amari)
Formosum paribus nodis, atq; ære, Menalca.


NEC PERCVSSA IVVANT) Theocrit. Idyll. 1. circa principium.

Ἅδιον ὦ ποιμὰν τὸ τεὸν μέλος, ἢ τὸ καταχὲς
Τῆν' ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.
Sunt iucunda magis, pastor, tua carmina, quàm quæ
Lympha edens sonitum petra hac distillat ab alta.

Mirum est, doctos quosdam viros existimasse, loci istius Theocritei imitationem subesse illi Virgiliano, qui hac eadem Ecloga præcedit.

Tale tuum carmen nobis, diuine poeta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.

Sunt autem hi versus Menalcæ laudantis Mopsum: illi verò sunt Mopsi commendantis vicissim Menalcam, & gratiam referentis. Ac fefellisse videntur eos prima hęc huius loci verba, *Tale tuum carmen*, quoniam est apud Theocritum, ἅδιον τὸ τεὸν μέλος: sed considerandum erat alias hìc, quàm apud Theocritum esse comparationes, &c. HÆC NOS FORMOSVM. CVIVM PECVS) Sinecdoche est, qua ex parte, seu principio totum, totæ, inquam, Eclogæ significantur, totus cantus Eclogæ secundæ, & tertiæ. Hoc modo Persius Æneidem ex eius A initio, *Arma virumq́; cano*: Iureconsulti, & qui dicuntur Canonistę, leges primis earum verbis citant. Cic. ad Att. libellũ de senectute sic. Quod verò scribis, te magis delectari, *O Tite, si quid ego*, addis mihi scribẽdi alacritatem. Sunt autem verba illa inchoantia librum ipsum. Inspicias licet, quæ in illud, *Arma virumq́; cano*, præter cætera scripsimus: nam hìc plura non dicam. Animaduertenda enallage in illo, hęc nos docuit illa carmina, pro, hac nos didicimus illa canere. Iacob. Pont. SVME PEDVM FORM. P. N. ATQVE ÆRE) Pedum est baculum incuruum, quo pastores vtuntur ad comprehendendas oues, aut capras, à pedibus. Festus. Et animũ quo dat, & munus quod dat vides quomodo commendet? Non dedi Antigeni, quã- B uis digno (dignus enim erat amari: qui amantur, quid nõ merentur?) quamuis sæpius roganti: tibi nec semel roganti volens libens do, munus non inelegans, & pastoritium. Laus doni duplex, quia pulchrè distinctum ac variatum nodis, & ornatum ære. Aut simplex, si *nodis atq; ære* accipias pro nodis æreis, vt, *pateris libamus & auro*. Inest etiam exemplum hic grati animi: donatus vicissim donat, nec committit, vt beneficio victus videatur. Iacob. Pont.



Ecloga sexta. Silenus.

SYNOPSIS.

MVltimodis inscriptam ab eruditioribus hanc Eclogã inuenio. Ab his Metamorphosin, nempe à rerum quas recenset, transmutationibus. Ab illis Theologiam, quòd eæ ipsæ, quanquam commentitiæ narrationes, quædã gentium Theologia sint. Ab aliis Varum, quoniã in ea Quintilius Varus, sicuti in quarta Pollio, laudibus feratur. Silenum nomen vulgò ei præponitur. Virgilius igitur, quod in eius vita docuimus, in Epicuri castris militauit, ac Sironem audiuit, condiscipulo Quintilio Varo, qui postmodum ab Augusto missus in Germaniam, cum tribus legionibus ibidem oppetiit. Huic vt gratum faceret, Silenum Bacchi pædagogum, nutritoremq́ue, appotum illum quidem, non imperitè tamen de mundi ortu, ac genitalibus rerum corporibus, quibusdamq́ue naturis, secundùm Epicureorum placita disserentem introducit, cùm esset captus à pueris pastoribus, promissaq; illis carmina cogeretur persoluere. Volunt nonnulli Maronem hoc figmentum inde mutuatum, quod traditum sit, Silenum ebrium, & vinculis constrictum Midæ regi varia prædixisse. Sed quia istiusmodi argumenta à bucolica materia, humilitateq; remotiora videtur, haud ita multum illis immoratus, ad fabulas dilabitur, quas aceruatim ac strictim attingit omnes. Non obscurè principio indicatum est, quod de fine bonorum ab illo voluptatis assertore Epicuro disputari solitum scribit in 1. de finib. M. Tullius. Similitudinem quandam huius Eclogæ gerit, quæ est apud Nemesianum tertia, & Pan inscribitur, vbi ille deus pueris, qui fistulam sibi dormienti surripuerant, Bacchi ortum, educationem, & vini munera cantando exponit.

EX-

EXPLANATIONES.



Rima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit syluas habitare Thalia.
Cum canerem reges, & prælia, CYNTHIVS AVREM
VELLIT, & admonuit: PASTOREM, TITYRE, PINGVES
PASCERE OPORTET OVES, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes
Vare tuas cupiant, & tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non iniussa cano: si quis tamen hæc quoque, si quis
Captus amore leget, te nostræ, Vare, myricæ,
Te nemus omne canet. nec Phœbo gratior vlla est,
Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.

PRIMA SYRACOSIO) Romana, inquit, Musa nõ A erubuit se syluis ante committere: id est imitari Theocritum Syracusanum, & cantare Bucolica. Syracosio autem grecè ait, nam latinè Syracusanus dicimus. Seruius.

Sed cum ordo verborum hic sit: prima nostra Thalia dignata est ludere versu Syracosio, vellem ego vocem *prima* ἐπιρρηματικῶς, pro prius accipere: quòd poetas aduerbiorum vice adiectiuis vti solere non ignorem: sequentes videlicet in eo duces suos poetas Græcos: immo etiam scriptores τ͂ πεζῶ λόγω, idem enim, idq; vtroque numero factitant: nam æquè τὰ πρῶτα, vt πρῶτον dicunt, pro, primò. Interpretabimur itaque versiculum primum Flacci Argonaut. *Prima deûm magnis canimus freta peruia nautis*, hoc modo: maria deorum, quæ pri- B mùm Argonautæ (illi enim sunt magni nautæ) transmittere potuerũt, & quæ postea hominib⁹ alijs reddita sunt nauigabilia. Virgil. iterum Georg. 1. *Flos apprima tenax* (sic enim legendum) pro apprimè. Vide insuper ad 1. Æneid. ibi, *Prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis.* Addam hoc παρέργως, Syracusas olim fuisse potentissimam, & amplissimam ciuitatem Siciliæ, cui etiam cum Carthaginensibus bella intercesserunt. Ex ea scribit Diodorus lib. 2. cap. 2. Dionysium exercitum eduxisse peditum centum viginti, equitum duodecim millium. Iacob. Pont. NEC ERVB. SYL. HAB. THAL.) Θάλειαν siquidem Apollonij interpres obseruauit γεωργίαν, καὶ τὴν περὶ τὰ φυτὰ πραγματείαν εὑρηκέναι. Poeta quoq; epigramm. græco Κωμικὸν εὗρε Θάλεια βίον τε, καὶ ἤθεα κεδνά. German. * *Carmen suum Martial. lib. 4. vocauit Thaliam suam.* gressu timet ire licenti Ad matutinũ nostra Thalia Iouem. *Virgil. quoque exordiens Culicem.* Lusimus, Octaui, gracili modulante Thalia. *Hic Thalia valet Musam, Musa carmen, in vnum verbum synecdoche, & metonymia concurrentibus.* QVVM CANEREM REGES, ET PRÆLIA, &c.) Persimilia his, & eiusdẽ pæne sensus memini legere apud multos. Primus procedat Horatius lib. 4. Ode 15.

Phœbus volentem prælia me loqui,
Victas & vrbes, increpuit lyra,
Ne parua Tyrrhenum per æquor
Vela darem.

Ouid. principio Elegiar.

Arma graui numero, violentaq; bella parabam
Edere, materia conueniente modis.

Et quæ deinceps adiungit. Idem se à charactere grandiloquo ad elegorum tenuitatem à Cupidine reiectum his verbis testatur. *Deq; cothurnato vate triumphat Amor.* Propertius item lib. 3. eleg. 3. se carmen heroicum canere molientem, per Apollinem ab audaci instituto reuocatum conqueritur.

Visus eram molli recubans Heliconis in vmbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges Alba tuos, & regum facta tuorum
Tantum operis neruis hiscere posse meis,
Paruaq; tam magnis admôram fontibus ora,
Vnde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, & Horatia pila,
Regiaq; Æmilia vecta trophæa rate,
Victricesq; moras Fabij, pugnamq; sinistram
Cannensem, & versos ad pia vota deos,
Annibalemq; lares Romana sede fugantem,
Anseris & tutum voce fuisse Iouem:
Cum me Castalia speculans ex arbore Phœbus,
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra.
Quid tibi cum tali demens est flumine? quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hic vlla tibi speranda est fama Properti,
Mollia sunt paruis prata terenda rotis, &c.

Tibull. lib. 4.

Alter dicat opus magni mirabile mundi,
Qualis in immenso descenderit aëre tellus, &c.

Anacreon Ode 1.

Θέλω λέγειν Ἀτρείδας,	*Cantem libens Atridas,*
Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν:	*Cantem libensq; Cadmum:*
Ἁ βάρβιτος δὲ χορδαῖς	*Sed barbiti mihi vnum*
Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ, &c.	*Neruus sonans amorem, &c.*

C AVREM VELLIT) Quemadmodum aliæ corporis partes dijs alijs, ita auris Mineruæ consecrata est. Quò respexit Plin. etiam lib. 11. cap. 45. dum ait. Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestamur (non, attestamur, quanquã Erasmus sic legat) sic Horat. *& licet attestari, ego verò Oppono auriculam.* Brod. lib. 5. c. 36. Quoniam verò membra, seu partes corporis dijs certis esse consecratas diximus, perutile fuerit id ipsum distinctius cognoscere. Frons itaque dicata fuit Genio. Quare Genium venerantes frontem tangebant. Ioui caput, Mineruæ oculi, & digiti, Iunoni brachia, dextra Fidei, Neptuno pectus, Marti cinctus, partes quibus sexus discernitur, Veneri, genua Misericordiæ, pedes Mercurio.
D Vnde illud Homeri.

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Ἄρει δὲ ζώνην, στέρνα δὲ Ποσειδάωνι.
Oculos & caput similis Ioui fulminatori,
Marti cinctum, Neptuno pectus.

Astrologi quoq; hominum membra signis cœlestibus assignant, caput Arieti, ceruicem Tauro, humeros Geminis, cor Cancro, pectus Leoni, ventrem Virgini, renes Libræ, partes procreatrices Scorpio, femur Sagitta-

rio, genua Capricorno, tibias Aquario, pedes Piscibus. Qua de re etiam extant versus Manilij.

Namque Aries capiti, Taurus ceruicibus hæret,
Brachia sub Geminis censentur, pectora Cancro.
Te scapulæ Nemeæe vocant, teq; ilia Virgo.
Libra colit clunes, & Scorpius inguine regnat,
Et femur Arcitenens, genua & Capricornus amauit.
Cruraq; defendit Iuuenis, vestigia Pisces.

Hæc tametsi ridicula, quin Philologi scire intersit, caue dubites. Vberius de hoc argumento Iunius lib. 4. cap. 11. Gyraldus Syntag. deor. 1. Videndus etiam Plinius lib. 11. cap. 45. & Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

Est ergo *παροιμιῶδες aurem vellere*, pro, memorem facere, redigere in memoriam. Virgil. in Copa.

Pone merum, & talos, pereat qui crastina curat.
Mors aurem vellens, viuite, ait, venio.

Imitatus est hoc Calpurnius in Bucol. suis, & ad rem transtulit. *vellit nam sæpius aurem Inuida paupertas, & dicit, vilia cura*, Quamuis possit hoc loco paupertas pro dea accipi. Sen. lib. 4. de Benef. Nec tanquam munus dabo, sed verba mea redimam, & aurem mihi peruellam, damno castigabo promittentis temeritatem. Rursus lib. 2. Loquar mecum, & aurem mihi peruellam. Hoc est, ero mihi ipse monitor, ne similiter peccem. Vtitur & aliquot alijs locis, vt in epistola quadam. Sit ergo aliquis custos, & aures subinde peruellat, abigatq; rumores, & reclamet populis laudantibus. Hæc ex Chiliad. ET ADMONVIT) Quid differant admonere, obiurgare, monere, submonere, docet Cornel. Fronto. Obiurgat eum, cuius habet potestatem: Monet propter beneuolentiam: Admonet, vt confirmet memoriam: Submonet, vt possit ordinatè pronuntiare. Igitur in obiurgatione potestas, in monente beneuolentia, in admonente memoria, in submonente officium. PASTOREM PAS. OP. OVES) Non aliud dicit, quàm quod Apelles illo suo, Ne sutor vltra crepidam. Huius notæ est, Spartam quam es nactus, orna. Cic. 1. Tusc. de Aristoxeno Musico & Philosopho, de natura animi inscitè & ineptè philosophante: Sed hic quamuis eruditus sit, sicut est, hęc magistro concedat Aristoteli, canere ipse doceat. Benè enim illo græcorum prouerbio præcipitur: Quam quisque norit artem, in eadem se exerceat. Item Propert. lib. 2. eleg. 1. *Qua pote quisque, in ea conterat arte diem*. Hisce temporibus dum omnes omnia scire videri volumus, ideo res nostræ sursum ac deorsum feruntur. Et inueniuntur multi, vix etiam suibus pascendis idonei, qui aggrediuntur corrigere sapientes. Quomodo autem Eclog. 1. ita hìc sub Tityri nomine semetipsum indicauit poeta. Iacob. Pont. DEDVCTVM CARMEN) Metaphora à lana, quæ dum tenuatur, in filum deducitur. Quintil. lib. 8. cap. 2. At illud iam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo solet vt propriè dictum, id est, quo nihil inueniri possit significàtius: vt, Cato dixit Cæsarem ad euertendam Rempub. sobrium accessisse: vt Virgilius deductum carmen, & Horatius acrem tibiam.

Deductum, ait Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 4. pro tenui & subtili eleganter positum est. Sic autem & Afranius in Virgine: verbis paucis respondebit, tristi voce deducta: malleq; se non quieuisse dixit. Item apud Cornificium, deducta mihi voce garrienti. Sed hæc ab illo fluxerunt, quod Pomponius in Atellana, quæ Calendæ

A Martiæ inscribitur, ait: *vocem deducas oportet*, vt mulieris videantur verba: *iube modo afferatur vnus, ego vocem reddam tenuem, & tinnulam*. Et infra. *Etiam nunc vocem reddam tenuem*. Vide insuper Indicem Erythræi, voce *Deductum*, vbi multa non indoctè disputata sunt.

Seruius interpretatur tenue carmen, à lana videlicet quæ deducitur in tenuitatem, vt suprà diximus. Cum qua sententia consentit illud Horatij, *tenui deducta poemata filo*. Græcorũ imitatione, qui *κατάγειν* dicunt, pro eo quod est voluere, & filum nendo deducere, & *κατάγειν ἱστία*: à quo sensu quamobrem dissideat Erythræus, non satis intelligo. Propertius de Cynthia ad vocem transtulit. *Et mea deducta carmina voce legis*. Et Tibullus pro-

B priè, *positaq; lucerna Deducat pleno stamina longa colo*. German. NAMQVE SVPER TIBI ERVNT) Qui ad clarum aliquem virum, cuiusq; res aut bello, aut pace gestæ laude dignæ sunt, aliquid scribunt: nec ipsos toto pectore prosequuntur, & quasi argumentum suæ ipsorum scriptionis faciunt, aliquo modo apud illos offendunt: viderique possunt minimè studiosi esse ipsorum dignitatis. Relictis enim aliis rebus omnibus, factis eorum celebrandis operã darent. Auctores namq; pręclarorũ facinorũ, cùm pro aliorum salute commodisq; multum laborarint, putant debere cunctos mortales studia sua, periculaq; cõmemoratione earum rerum compensare. Hoc vidit egregiè scriptor eruditus Isocrates, reme-

C diumq; huic malo adhibuit. Namq; ad Philippũ Macedonẽ scribens, suadensq; illi, vt pacificatis rebus publicis, Gręcorũ bellum in Asiã trãsferret, cùm regis illius ipsius res bello gestæ multæ magnæq; forent, quæ poscere videbãtur, vt ab omnibus explicarentur, monumentisq; literarum ab ingeniosis viris mandarẽtur, se purgat, quòd alias res agat, qui inprimis illas ferre, ac posteritati tradere poterat, docens, non defuturos illi scriptores rerum suarum: huiusmodi namque esse facta ipsius, bellaq;, vt inuentura sint plures laudatores. Quare posse ipsum sine damno, imminutioneq; gloriæ illius aliis rebus incumbere, quæ tamen & ipsæ illi, si effectæ fuerint, maiorem verioremque laudem tempore allaturæ sint, &c. Virgilius autem & ipse hoc fecit, & (vt suspicor) exquisi-

D tum hunc, prudentemq; scriptorem imitatus est. In hac enim Ecloga, quam misit ad Varum, virum fortem, bellicisq; rebus clarum, cùm, si amicus illi esset, videretur debere gloriæ ipsius seruire, & tamen humile carmen conderet, ait, *Nunc ego, namq; tibi, &c*. Victor. lib. 19. c. 4.

Iterum pollicetur Eclog. 9. fore, qui facta eius ad cælum vocent suis versibus.

Vare tuum nomen, superet modo Mantua nobis,
Cantantes sublimè ferent ad sidera cygni.

Quantopere hunc virum dilexerit Maro, demonstrat Horatius Ode 24. lib. 1. vbi eius obitum lugere acerbissimo luctu fingitur, eũ Musa blandè consolatur. Iac. Pont. NON INIVSSA CANO) Vel ab Augusto, vel à Mæcenate,

E vel à Pollione iussa. TE NOSTRÆ VARE MYRICÆ) Vari memoriam se in scriptis suis rusticis celebraturum recipit. NEC PHOEBO GRATIOR PAGINA) Nihil Apollini gratius esse illis scriptis, quæ Vari nomen præfixum habeant, id est, quæ Varo dicata sint. Quibus verbis non obscurè indicat Maro, hunc Varum bonarum artium, inprimisq; poetarum amicum, & patronum haud vulgarem fuisse. Talibus viris potissimùm suos offerre libros debent, qui scientias liberales tractant.

Pergite Pierides. Chromis, & Mnasylus in antro
Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, vt semper, Iaccho.
Serta procul tantùm capiti delapsa iacebant:

Et

Et grauis attrita pendebat cantharus ansa.
Aggressi (nam sæpe senex spe carminis ambos
Luserat) inijciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisq; superuenit Ægle,
Ægle Naïadum pulcherrima: iamq; videnti
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quò vincula nectitis? inquit,
Soluite me pueri: satis est potuisse videri.
Carmina, quæ vultis, cognoscite: carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit. Simul incipit ipse.

PERGITE PIERIDES) De nomine Pieridum locuti sumus Ecloga 3. ibi, *Pierides vitulam lectori pascite vestro.* INFLAT. VEN. IACCHO) Rectè, venas inflatum, siquidem vinum auctore Isidoro lib. 20. cap. 3. dictum est, quòd eius potus sanguine venas citò repleat. Ouid. etiam aptè huic etymo, *Vt solet infuso vena redire mero.* Varro tamen lib. 4. vinum à vi deducit. Hinc traxit sua Nemesian. eclog. 3. de Sileno.

Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Hesternoq; grauis semper ridetur Iaccho.

De Serrano iuuene vinolento, similiter vt hic de Sileno madido loquitur. In Rutulorum castris ille versabatur, *multoq; iacebat Membra deo victus.* Æneid. 9. Quæ politissimus Lucretius lib. 3. de vino intemperantius hausto confirmat, seu de effectis temulentiæ memorat, ea huic loco affinia quoniam existimo, apponam: in Sileno etenim vinosum aliquem, seu vini gurgitem, & *βακχόληπτον* considerare possumus, qui sæpe venas inflati iacent, & neque animo, neq; corpore officium faciunt.

Deniq; cur hominem cum vini vis penetrauit
Acris, & in venas discessit diditus ardor,
Consequitur grauitas membrorũ? præpediuntur
Crura vacillanti? tardescit lingua, madet mens?
Nant oculi? clamor, singultus, iurgia gliscunt?

Iacob. Pont. PROCVL TANTVM CAPITI DELAP.) Aliter quam ab interpretibus explicandum nobis est. Puto enim eum dicere, procul à capite ebrij, & somno obruti iacuisse serta, quibus in compotationibus se redimire olim solebant: tantùm tamen capiti fuisse delapsa, alioqui illæsa, & integra, non rupta, non fracta, non pressa, etiamsi procul iacebant: Turneb. lib. 13. cap. 4. *Apud veteres nullum fuisse coronarum vsum, docet Clemens Alexand. in Pædagog. Ibidem, Coronati florum delectationem perdunt. Non vident, quia supra caput est. Non odorantur, quia instrumentum odoratus est infrà. Haud dissimilia Tertullian. lib. de Corona militis.* GRAVIS CANTH. ATTRITA. A) Quia grauis cantharus, sine dubio etiam magnus: & attrita ansa, quia frequenter nimis ducebat illud poculum. Atteritur autem assiduitate etiam ferrum, nedum lignum. Liberi patris poculum peculiari nomine dictum est *cantharus*, sicut Herculis Heracleum. Fecit igitur aptissimè Virgilius, cum id Sileno, Bacchi educatori tribuit. Ita non est temere positum vocabulum *cantharus*. Notauit Macrob. lib. 5. Saturnal. cap. 21. Iacob. Pont. IPSIS EX VINCVLA SERTIS) Sic & Anacreon in Cupidinem.

Αἱ μοῦσαι τὸν ἔρωτα	*Ipsismet è coronis*
Δήσασαι στεφάνοισι	*Fecere vincla Musæ,*
Τῷ κάλλει παρέδωκαν.	*Quibus obligatũ Amorẽ*

Dedere sic Decori,

TIMIDIS) Timidis pro timentibus. Nam timidus est qui semper timet, hoc est, qui habitu præditus est. [*Qui facile timet, dicendum fuisset: nam æquè falsum est, timidũ semper timere, vt cupidũ semper appetere, iurgiosum semper iurgari.*] Timens verò, qui ad tempus formidat, ex caussa. Aut reuera timidis, quia pueris naturaliter per ætatẽ insitus est timor. Seruius. IAMQVE VIDENTI) Terent. Eunucho, *Viuus vidensq; pereo.* vbi Donatus, bene addidit, videns. Nam viuus perit, qui etiam dormiens opprimitur: videns autem, qui vigilans vim patitur, & perit. Nam videre pro vigilare posuit. Mox locum hunc Maronis profert, additque, ergo viuus, nõ mortuus: videns, nõ dormiens. SANG. FRONT. MOR. ET TEMP. P) Per lusum inducitur seni faciem mori succo oblinere nympha. Est autem adagium, os sublinere, pro eo quod est, dare verba, & arte quadam illudere. Reperitur aliquoties apud auctores. Nonius tractum putat à ridiculo lusus genere, quo dormientibus ora pingebant. Plaut. Aulul. *Fidei censebam maximam fidem esse, Ea sublenit os mihi penissimè.* Idem alibi. *Os mihi probè sublitum est.* Idem Epid. *Ego si allegassem aliquem ad hoc negotium minus hominem quàm doctum, minusq; ad rem callidum, os sublitum esset.* Chiliad. SATIS EST POTVISSE VIDERI) Sufficit quia potui à vobis videri. Quod ideo dicit, quia semidei cum volunt tantùm videntur, vt Fauni, Nymphæ, Silenus. Ita Seruius.

Venustum sanè apud poetas vsum habet hoc verbũ *possum*, quando cum alijs verbis coniunctum, eorum vicem paraphrasticè implet, vt cum potuisse aliquem dicere, vel facere aliquid, pro dixisse, vel fecisse scribunt. Exemplum hoc sit primum. Deinde Æneid. 1. Venus. *Antenor potuit medijs elapsus Achiuis Illyricos penetrare sinus.* Et 7. Iuno. *Ast ego magna Iouis coniux nil linquere inausum Quæ potui infelix.* Pro, nihil inausum reliqui. Et lib. 12. Turnus. *miseri te si qua parentis Tangere cura potest.* Iam Ouidius hac loquendi figura tam crebrò vtitur, vt eam studiosissimè videatur affectasse. Siquidem ipsius hæc sunt Metamorph. lib. 1.

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.

Et.

Si qua domus mansit, potuitq; resistere tanto
Indeiecta malo.

Et.

Sed leue si munus sociæ generisq; thoriq;
Vacca negaretur, poterat non vacca videri.

Et lib. 4. *tempusq; subibat Quod tu nec tenebras, nec posses dicere lucem.* Et lib. 8. *Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe vocari.* Statius quoque isto lepôre vsus est, cum de Capaneo dixit. *paulum si tardiùs artus Cessissent, potuit fulmen meruisse secundum.* Quin & Martialis lib. 2.

Eia age rumpe moras, quò te spectabimus vsq;?
Dum, quid sis, dubitas, iam potes esse nihil.

Et lib. 10.

—possem nisi munus amare
Marce tuum, poteram nomen amare tuum.

Testimonia ex Iuuenale, Claudiano, Propertio, Tibullo,

bullo, Plauto, Horatio, Lucretio, breuitatis caussa prætereo: & res satis est manifesta. Qui volet, ea sibi petat ex Gulielm. Cantero lib. 2. cap. 2. CARMINA QVÆ

A VVLT. COGNOS.) Nemesian. eclog. 3. *pueri, si carmina poscitis, inquit, Ipse canam*. Discant pueri nostri ab his pueris teneri carminũ magis, quam ludorum, desiderio.

Tum verò in numerum Faunosq́; ferasq́; videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia rupes,
Nec tantum Rodope miratur & Ismarus Orphea.
Namq́; canebat, vti magnum per inane coacta
Semina terrarumq́;, animæq́;, marisq́; fuissent,
Et liquidi simul ignis: vt his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreuerit orbis.
Tum durare solum, & discludere Nerea ponto
Cæperit, & rerum paulatim sumere formas.
Iamq́; nouum terræ stupeant lucescere solem,
Altius atq; cadant summotis nubibus imbres:
Incipiant syluæ cum primùm surgere: cumq́;
Rara per ignotos errent animalia montes.

TVM VERO IN NVMERVM) Numerum hoc loco in saltatione posuit. Et sanè Plato, & Aristoteles quoq; numerum in motu ponunt. Sic Æneid. 6. *Obloquitur numeris septem discrimina vocum, id est*, saltantibus canit: id enim est obloqui numeris, cùm paulò ante dixisset, *Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt*. Turneb. lib. 28. cap. 46. Lucret. lib. 4. *non est mirum simulachra mouere Brachiaq́; in numerum iactare*, &c. Idem lib. 5. *Atq; extra numerum procedere membra mouentis Duriter*. Et Horat. *Nil extra numerum fecisse modumq́; Curas*. Credo apud Catullum, in modum, huic respondere, *in modũ dicite, ô Hymenæe hymen*. German. * *Tanquam si caneret Orpheus, ita non Fauni solùm, sed & feræ, & arbores delinita suauitate exultabant. Immo quiddam non tantum Orpheo, sed & Phœbo, visus est excellentius præstare. Huiuscemodi hyperbolis nihil est poetis vsitatius cum laudant. Parnassus Apollinis sacer est, mons Thessaliæ, Rhodope & Ismarus Thraciæ. Thrax autem Orpheus, quem credibile est prope, vel in istis montibus solitum fidibus canere.* NAMQVE CANEBAT VTI) Virgilius præter vulgaria argumenta carminis pastoritij, Silenum pinxit vniuersa pæne natura, ac serire fatorum. Quod ne quis vituperet è Criticis, qui paucula de recentioribus discunt, de priscis multa iudicant temerè, ponam hìc rationem, quam ex quindecim commentarijs nullus inuentus est, qui agnouerit. Sanè veterum monumentorum præter cæteros mortales scientissimum vbiq; diuinum illum virum prædicauimus, atque ita verum est: *Quo enim quis doctior est, eò maiorem in eius scriptis deprehendit eruditionem*. De Sileni ergo cantu sic scriptum est apud Ælianum ex Theopompi historijs. Apud Midam Phrygiæ regem multa, ac præclara ex antiquorum opinionibus atque placitis enarrata. Alterum ab hoc mundo mundum existere: inq; eo varia, quę inde petenda sint. Ea verò cum essent ἄτοπα homini ciuili, emolliuit Poeta fatali sua illa dexteritate. Neq; vero ex Theopompo solùm agnoscas Sileni numen naturæ, fatiq; peritum: sed ex Atheniensium quoque, atque aliorum Græcorum persuasione, quemadmodum candidissimè docet nos in suo symposio Plato. Scalig. Poet. lib. 1. cap. 4.

De origine mundi, rerumq́; principijs quàm diuersa senserint Philosophi, consulatur Plutarchus de placitis philosoporum, lib. 2. cap. 4. & lib. 1. cap. 3. & 6. Nonnulla item Arnobius in lib. 2. quæ subtexam. Mundum quidam ex sapientibus existimant neque esse natum, neque vllo in tempore esse periturum: immortalem nonnulli, quamuis eum conscribant esse natum & genitum. Tertijs verò collibitum dicere est, & esse natum, & genitum, & ordinaria necessitate periturum. Et cum ex istis opinionibus trinis vnam tantùm esse necesse sit veram, cunctis tamen argumenta non desunt, quibus & sua decreta confirment, & aliorum subrumpant, ac labefaciant scita. Eundem hunc alij ex elementis quatuor tradunt, & pronunciant stare, ex geminis alij, ex singulis tertij. Sunt qui ex his nullis, & indiuidua corpora eius esse materiam, et primam originem dicant, &c. Nobis Christianis quid de origine, fabricatione, ornatuque mundi sentiendum sit, propheta Moses docet primo & B altero capitibus Geneseos, filo minimè vberi, citra fucum, colorem, artificium: sensibus tamen, & reconditis intelligentijs eo vsque grauiter, subtiliter, admirabiliter, vt neque in molitione ista omnium maxima ipsius molitoris declaratam bonitatem, potentiam, sapientiã: neq; naturarum effectarum multitudinem, proprietatem, vtilitatem, dispositionem mente complecti quispiam satis queat. De mundo qui plura volet, adeat Philonem de opificio Dei, Basilium in Hexaëmeron, & eius paraphrasten, seu potius interpretem Ambrosium, Gregorium Nyssenum, Augustinum de Genesi ad literam, Theodoretum de Prouidentia, Iosephum lib. 1. Antiquitatum, seu Originum Iudaicarum, cap. 2. M. C Tullium. 2. de Nat. deor. Eiusdem fragmentum Timæi, seu de Vniuerso, ex Platone conuersum. Plinij cap. 1. 2. 3. & reliqua deinceps libri secundi. Iacob. Pont. MAGNVM PER INANE SEM.) Sæpe Lucretius inane magnum vocat, & idem rerum semina, prima corpora, & atomos. Magnum autem inane, vacuum accepisse videtur: non solùm siquidem Epicurei, sed & Stoici vacuum astruxerunt, idque infinitum. Vnde & magnum, in cuius vacui infiniti parte mundum comprehensum, agitatum, iactatumq́; existimarunt: quorũ opinionem refellit Aristoteles, in libro de Physico auditu, & de Cælo: item Aphrodis. Fuit autem Democriti, & Leucippi sententia, ἀεὶ κινεῖσθαι, τὰ πρῶτα σώματα ἐν τῷ κενῷ, καὶ τῷ ἀπείρῳ, vt videre est de Cælo lib. γ. Vt autem Democrit' D corpus, & inane posuit rerum principia, & atomos semper mobiles: sic & affirmabat mundum earum atomorum fortuito concursu coaluisse, & coisse: quin & infinitos mundos alios, pro vt atomi per inane infinitumq́;

iactatæ, in mundos conductæ sunt, & concreuerunt, qui A tamen per atomorum concretionem durarent, & per secretionem, vel dissipationem corrumperentur. Hìc autem poeta ad Epicuri, Lucretij, Sironisq; præceptoris disciplinam alludit, quibus *τὸ κενὸν φύσις ἀναφὴς*, vt alijs quoq; *σώματος διάστημα* habetur. Vnde Lucretius lib. 1. *Quapropter locus est intactus inane, vacansq́.* German.

Seruij luculentam explicationem proponam tibi in hunc versum. Variæ sunt philosophorum opiniones de rerum origine. Nam alij dicunt omnia ex igne procreari, vt Anaxagoras: alij ex humore, vt Thales Milesius. Vnde est, *Oceanumq́, patrem rerum.* Alij ex 4. elementis, vt Empedocles, secundùm quem ait Lucretius, *Ex* B *imbri, terra, atq, anima nascuntur, & igni.* Epicurei verò quos nunc sequitur, nihil horum comprobant: sed dicunt duo esse rerum principia, corpus, & inane. Omne enim quod est, aut continet, aut continetur. Et corpus volunt esse atomos, id est, quasdam minutissimas partes, quæ *τομὴν*, id est, sectionem non recipiunt: vnde & atomi dictæ sunt, quas Lucretius minutiores dixit esse illis corpusculis, quæ infusis per fenestram radijs solis videmus. Dicit enim illis nec visum posse accidere. Inane verò dicunt spatium, in quo sunt atomi. De his itaque duobus principijs volunt quatuor ista procreari, ignem, aërem, aquam, terram: & ex his cætera, vt illa duo elementa sint, hæc verò quatuor syntheta, id est, composi- C ta ex alijs duobus, præstent originem alijs omnibus reb⁹ Hac autē ratione probant ex atomis, & inani esse omnia. quòd nihil est in rerum natura, quod non & corpus habeat: & quia non recipit sectionem, indicet etiam inanitatem. * *Hisce versibus Maronianis de rerum ortu, quasi è regione respondent, qui sunt apud Tibull. lib. 4.*

Alter dicat opus magni mirabile mundi,
Qualis in immenso descenderit aëre tellus,
Qualis & in curuum pontus confluxerit orbem,
Et vagus è terris qua surgere nititur aër,
Huic & contextus passim fluat igneus æther,
Pendentiq; super claudantur vt omnia cælo.

ANIMÆ QVE) hoc est, aëris. Sic lib. 8. *Quantum ignes, animaq́, valent.* Cic. in Timæo. Ita contigit, vt inter D ignem, & terram, aquam deus, animamq́; poneret, eaq́; inter se compararet, & proportione coniungeret, vt, quemadmodū ignis animæ, sic anima aquæ: quodq́; anima aquæ, id aqua terræ proportione redderet. Et Orat. perf. de parricidis in culeum insutis. Ita viuunt, dùm possunt, vt ducere animam de cælo non queant. Quam hic animam, paulò antè vocârat spiritum. Quid enim tam commune, inquit, quàm spiritus viuis, terra mortuis? &c. Varro in 1. de re rust. cap. 4. Agriculturæ principia sunt eadem, quæ mundi esse scribit Ennius. Aqua, terra, anima, sol. Et Lucret. lib. 1.

Adde etiam qui conduplicant primordia rerum,
Aëra iungentes igni, terramq́, liquori:
Et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur,
Ex igni, terra, atq, anima procrescere, & imbri.

Rursum lib. 5.

Principiô quoniam terrai corpus, & humor,
Aurarumq́, leues animæ, calidiq́, vapores,
E quibus hæc rerum consistere summa videtur.

Et lib. 6.

Nec mirum, cùm plena animæ vesicula parua
Sæpe ita dat pariter sonitum displosa repentè.

Sic vocat etiam exspirationes & halitus. Agens enim de terræmotu lib. 6. *quæ exitus hic animai Disturbat vrbes, & terræ motus obortus?* Infrà.

Quod nisi prorumpit, tamen impetus ipse animai,
Et fera vis venti per crebra foramina terræ
Dispertitur.

Animas porrò vocauit etiam ventos Horat. Ode 12. l. 4.

Iam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Virgilius videtur vocasse animos 1. Æneid. loquens de Aeolo, *mollitq́, animos:* siquidem animus, vt Cicero ait 1. Tuscul. ab anima dictus est. Præterea vocem *anima*, scriptores magni in significatu spiritus, siue halitus ponunt. Plaut. Asinar. *animam edepol suauiorem, quàm vxoris meæ.* Idem Aulul. *Sed me animam recipere sinas te rogo.* Terent. Phormio. *Animam compressi, aurē admoui.* Cic. Frumentaria. Qui non modò animum in- B tegrum, sed ne animam quidem puram conseruare potuisset. Iacob. Pont. ET LIQVIDI SIM. IGNIS) Vox *liquidus*, variè sumitur, vt Nonius testatur. Ignis dicitur liquidus, quia clarus, vel quia latè diffusus. Seruius purū æthera exponit. Egregiè Turneb. lib. 10. cap. 8. Mirum videtur non solùm nobis, quòd liquidum ignem dixerit, sed etiam doctissimo viro Macrobio lib. 6. Saturnal. c. 5. Quæ tamen adiectio ita Maroni arrisit, vt suum bucolicum carmen hac tanquam gemma ornandum sibi putarit. Sic autem scribit Lucretius lib. 6.

Hac etiam fit vti de caussa nobilis ille
Deuolet in terram liquidi calor aureus ignis.

Maro, *& liquidi simul ignis.* Liquor enim qui aquæ, & C humoris proprius videtur, quo tandē pacto ardori tanto, siccitatique conuenire potest? Sed liquidum etiam appellatur, quod defæcatum, quod purum, quod non turbidum, quod clarum, quod sincerum, à vino colis defæcato ducta translatione: qua notione liquidum ignem dici reor, purum, non admixtum, neque inquinatum à fumo. Sic liquidum lumen à Lactantio dicitur, lib. 6. c. 11. Aliud verò, inquit, ille à nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, sed, vt ait poëta, liquidum atque clarum, mentis scilicet. VT HIS EXORDIA PRIMIS OM.) Quæ hìc exordia, aliâs primordia, principia, initia, elementa. Sed Lucretius pro exordia etiam ausus est *ordia*, l. 4. *Quóne modo distracta rediret in ordia prima.* Vocem autem *prima*, idem alicubi pro principijs vsurpat. Affinia his Cic. D Academ. Quæst. lib. 1. Itaq; aër quoque (vtimur enim pro latino) ignis, & aqua, & terra, prima sunt: ex ijs autē ortæ animantium formæ, earumq; rerum quæ giguntur è terra. Ergo illa initia, vt è græco vertam, elementa dicuntur: è quibus aër, & ignis mouendi vim habent, & efficiendi: reliquæ partes, accipiendi, & quasi patiendi. Quid differant principium, & elementum, Plutarch. de placit. philosoph. lib. 1. cap. 2. Qui verò admirantur, quamobrem mundus cum constet ex contrarijs, siccis & humidis, frigidis & calidis, non dissoluatur, ijs admirationem facilè adimet Aristoteles libello de mundo, ap positissimis aliquot similitudinibus, petitis à ciuitate, à coniugio, ab artibus, pictura, musica, Grammatica. Ia- E cob. Pont. TENER MVNDI ORBIS) Nomine mundi hìc cælum est intelligendum, cui Plinius ait lib. 2. cap. 2. innumeras effigies animalium, rerumq́; cunctarum impressas, & (vt in volucrum notamus ouis læ)uitate continua lubricum corpus, quod clarissimi auctores dixere tenerum. Hìc quæreret aliquis, quinam sint illi clarissimi auctores, qui hoc sensu cælum tenerum senserint. Et putem Ciceronem esse, qui scripsit 2. de Nat. deor. qui terrā tenero circumiectu amplectitur: quod Euripides dixit *ὑγρᾶις ἐν ἀγκάλαις*. Nam *ὑγρὸν* etiam molle, & tenerum est, quod Plinius interpretatur hìc, læuitate continua lubricum. Sed & Maronem censeam ijs annumerandum clarissimis auctoribus. Quanquam meo iudicio & apud Maronem, & apud Plinium, mollitia quædam, & tene-

& teneritas poti' naturæ significatur, quã læuitas, & facies lubrica, politaq;, etsi aliter Plinio videtur .n. omnes prima origine teneritaté quandã habuere. Turneb.l.24. *De cælo verissimè dici potest, ait Philo, cõment. de Abrahamo, mũdo mundum facto à Deo, & diuina eius ornamenta cælestes illas imagines. Tenerum mundi orbem vocat Maro, quoniam tum primò progenitus: sicut omnes res primo ortu suo mollitiem quandam suam habebãt, vt iam iam dicebat Turnebus: postea cum tempore firmitudinem suam nanciscebantur, & adolescebant quodammodo. Ita satis Virgilij mentem declaratam opinor. DISCLVDERE NEREA PONTO)

Diffugere inde loci partes cœpere, paresq́,
Cum paribus iungi res, & discludere mundum.

Macrob. lib. 6. Saturnal. cap. 4. Virgiliana hæc cum Lucretianis istis comparat. *Discludere* autem, id est, discernere, distinguere, disparare. NOVVM SOLEM LV- A CESCERE) Epicureum est, solem non esse ab omni interitu alienum, & cæleste corpus, seu stellam: sed meteoron, quotide ex vaporibus accensis nouum, exoriens, & deflagrans. Lucret. lib, 5.

—— Idæis fama est è montibus altis
Dispersos ignes orienti lumine cerni.
Inde coire globum quasi in vnũ, & conficere orbem.

* *Sol, ait Varro lib. 4. vel quòd ita Sabini: vel quòd solus ita lucet, vt ex eo dies fit. Luna, quòd sola lucet noctu. Itaq́, ea dicta noctiluca in Palatio: nam ibi lucet nocte templum.* ALTIVS SVMMOT. NVB. C. IMB.) Altius sursum motis, id est, elatis vaporibus, & in nubes densatis. Quomodo generentur pluuiæ, docet Lucret. lib. 6. ab eo loco, *Nunc age quo pacto pluuius concrescat in altis Nubibus humor.* INCIPIANT SYLVÆ) Bonum sanè secutus est ordinẽ,

Hinc lapides Pyrrhæ iactos, Saturnia regna,
Caucaseasq́; refert volucres, furtumq́; Promethei.
His adiungit, Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamassent: vt littus Hyla Hyla omne sonaret.
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaen niuei solatur amore iuuenci.
Ah virgo infelix, quæ te dementia cœpit?
Prœtides implerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen vlla secuta est
Concubitus: quamuis collo timuisset aratrum,
Et sæpe in leui quæsisset cornua fronte.
Ah virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille latus niueum molli fultus hyacintho.
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas:
Aut aliquam in magno sequitur grege. claudite Nymphæ
Dictææ, Nymphæ nemorum iam claudite saltus.
Si qua fortè ferant oculis sese obuia nostris
Errabunda bouis vestigia. forsitan illum
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum
Perducant aliquæ stabula ad Gortynia vaccæ.

vt post solis, & pluuiarũ commemorationem ortas dicat syluas, & animalia cuncta procreata. Seruius. B PER IGNOTOS MONTES) quippe quos tum primum videbant.

HINC LAPID. PYRRHÆ.) Vide quæ dicentur 1. Georg. super illo, *Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem, Vnde homines nati.* Quæstio est hoc loco. Nam relictis prudentibus rebus de mundi origine, subitum ad fabulas transitum fecit. Sed dicimus, aut exprimere eum voluisse sectam Epicuri, quæ rebus serijs inserit semper voluptates: aut fabulis plenis admirationibus, puerorum corda mulcere. Nam fabulæ caussa delectationis inuentæ sunt, vt ipse in Georgicis dicit, *Cætera quæ vacuas tenuissent carmina mentes.* Quod autem dicit, *regna Saturnia*, fabularum ordinem vertit. Nam quo C tempore Saturnus regnauit in terris, non fuit diluuium: sed sub Ogyge rege Thebanorum. Secundum autem diluuium fuit sub Deucalione, & Pyrrha. Seruius. CAVCAS. VOL. FVRTVMQVE PROM.) Horat. Ode 3. lib. 1.

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem ætheria domo
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors:
Semotiq́, prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

De hoc furto eius, videndus Æschylus, vt etiam de pœna: nam à Vulcano iussu Iouis affigitur ad montem Scythiæ Caucasum, & adhibetur ei aquila, seu vultur, qui continenter cor eius exedat. Tangit Propert. l. 2. eleg. 1.

Idem Caucasea soluet de rupe Promethei
Brachia: & a medio pectore pellet auem.

Fabulam de homine ab eodem, ex luto nempe, ficto, quæ est 1. Metamorph. quem illo cælesti, & surreptitio igne animare voluit, confutat disertissimè Lactantius lib. 2. cap. 11. Fuit & alia tragœdia Æschyli de Prometheo λυομένῳ, soluto, quæ nunc non extat. De ea loquitur Cicero 2. Tuscul, his verbis. Veniat Æschylus, non poeta solùm: sed etiam Pythagoreus (sic enim accepimus.) Quomodo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtũ Lemnium, *Vnde ignis lucet mortalibus, clam diuisus? cum Prometheus doctus clepsisse dolo, pœnasq́, Ioui fato expendisse supremo.* Has igitur pœnas pendens affixus ad Caucasum, hæc dicit, &c.* *Adscribam nihilominus emblema Alciati 102. de Prometheo: tu eruditam & vberem explanationem, quam affert Claudius Minos, legito.*

Caucasea

Caucasea æternùm pendens in rupe Prometheus,
Diripitur sacri præpetis vngue iecur.
Et nollet fecisse hominem: figulosq́; perosus
Accensam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur varijs prudentum pectora curis,
Qui cæli affectant scire, deûmq́; vices.

* *Iam de illo omnium gentium parente Adamo, à rerum omniũ fabricatore deo in has oras luminis procreato, Philo Hebræus lib. de Opificio dei ad hunc modum.* Sequitur necessario, omni ratione pulchri exemplaris pulchram esse imaginem. Nam dei verbum etiam eam quę in natura conspicitur pulchritudinem superat: quippe nõ ornatum elegantia, sed ipsum ornamentum illius (si verum fateamur) decentissimum. Talis mihi videtur factus primus homo, tũ corpore, tum animo omnium quotquot sunt, fueruntue præstantissimus. Nos enim hominum satu progignimur: at illum deus ipse condidit. Quantò autẽ melior auctor, tantò melius ipsum opus.

HYLAM NAVTÆ QVO FONTE) De isto puero, quomodo, quaq; occasione raptus sit à nymphis, tota pęne eleg. 20. lib. 1. narrat Propert. In extrema sic est.

Prolapsum leuiter facili texere liquore,
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa, sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.

Hylas Theodamantis, & Menodices filius, insigni forma iuuenis, Herculem in Colchos proficiscentem secutus cum Argonautis, in Mœsia, vbi aquatum descendit, in fonte perijt. Hinc scilicet à nymphis ob amorem raptus fingitur. De frustra vociferantibus, aut generatim, de nihil proficientibus prouerbium, Hylam inclamas. Vide Chiliad. In hunc puerum Ausonius argutè.

Aspice quam blanda necis ambitione fruatur,
Letifera experiens gaudia pulcher Hylas.
Oscula, & infestos inter moriturus amores
Ancipites patitur Naiadas Eumenidas.

Sed quã fabulam Maro de Hyla amisso paucis perstringit, eam Theocritus Idyll. 13. quod Hylas inscribitur, vberius exequitur. Solinus capite 44. flumen Bithyniæ Hylam esse narrat, quod Prusiadem vrbem alluat: item lacum, in quo resederit puer Hylas, raptusq; sit à nymphis, in cuius memoriam, inquit, vsque adhuc, solenni cursitatione lacum populus circuit, & Hylam voce clamat. De hoc Seneca, Medea, choro tertio.

Morte quod crimen tener expianit
Herculi magno puer irrepertus?

In quem locum vide Commentar. M. Antonij Delrij. Iacob. Pont. PASIPHAEN NIVEI. A) De Pasiphae, & Minotauro licet consulas lib. 6. Æneid. *Hic crudelis amor tauri, suppostaq́; furto Pasiphae*, &c. Vnde amor tauri Pasiphaæ, Diodor. lib. 4. cap. 13. Quis ille taurus fuerit, & alia quædam huc spectantia, Palæphatus in Pasiphae. Fabulæ meminit & Propert. lib. 2. eleg. 32.

Vxorem quondam magni Minois (vt aiunt)
Corrupit torui candida forma bouis.

Non credunt mulieres, inquit Plutarchus in præcept. coniugal. Pasiphaen, cum regis esset vxor, bouem adamasse, quum tamen videant, quasdam, qui austeros, & temperantes non ferunt, intemperantibus, & libidinosis, veluti canibus quibusdam, aut hircis, libentius consuescere. Iacob. Pont. AH VIRGO INFÆLIX.) Virginem hîc à viridiore ætate Seruius deducit, quod Pasiphae iam Phædræ, Ariadnes, & Androgei mater fuisset. Sic & παρθένον Grçci pro corrupta. Euripides Ione. Ζηλοῦσθαι χρὴ πρῶτον μὲν εἴ τις ἀλφιδων λῃστά σε εἰς τόνδε ναὸν ἐξέδωκε παρθένος. Et Terent. Hecyra, mulierem post partum vocat virginem. Sic Iureconsulti virginem viripotentem mulieris appellatione contineri volunt. German. * *Quia omnium sexus nomen est mulier, non earum duntaxat, quæ virum passæ sunt: & conuenit eius etymon peræquè in virgines, quandoquidẽ à mollitie dicta est mulier, quasi mollior. Neque verò Teutonicum vocabulum aliud, quam iuuenilem ætatem, seu viridiores annos in sexu fœmineo significat, Iungfraw. Cæterùm quia adolescentia cũ sit ætas cupidinum insinuans, propria est pudicitia, & castimo, ideo* A *eo harum virtutum notionem adeptum est hoc nomen virgo: & in quibuscumque integritas ista corporis fuerit, non quidem vi verbi, sed vsu quodam consensuq́; virgines vocantur.* PROETIDES IMPLERVNT. M. A) De genere, insania seu furore, & purgatione Proeti filiarum, vide quid referat Politian. cap. 50. Sed quoniam minus plana, & aliquanto verbosior est eius disputatio, comprehendam breuiter, vt fecit in Vitruuij cap. 3. lib. 8. eius explanator Philander. Ælian. ποικίλης ἱστορίας lib. 3. Elegen, & Calenen nominat Proeti filias. Hæ, vt est scriptum apud Seruium, cum se Iunoni in pulchritudine prætulissent, mota illa, hunc errorẽ mentib⁹ earum immisit, vt se vaccas putarent, adeo, vt plerunq; gemerent, & aratra timerent. Melampus eas postea purgasse perhibetur, elleboro nigro, vt auctor est Dio- B scorides lib. 4. cap. 133. quod idcirco Melampodiũ nuncupatum. Plin. lib. 5. cap. 25. memorat dato lacte caprarum, quas elleboro purgatas animaduertisset, sanasse Proetidas. Adi Lutatium in Statij Thebaid. lib. 2. TAM TVRPES PECVDVM CONCVBITVS) Gryllus in suem conuersus Circæo poculo, cum Vlysse disputans apud Plutarchũ, libro, Quod bruta ratione vtuntur, bestiarumq; partes aduersus homines agens, vbi de temperantia disserens, ea nos longè ab illis vinci ostendit, hoc scelestissimum, ac fœdissimũ genus libidinis ita nobis exprobrat. Sed intemperantem libidinem vestram, quamuis legem habeat adiutricem, natura tamen intra terminos nequaquam potest coercere. Illa verò tanquã torrentibus im- C pulsa cupiditatibus, sæpenumero in rebus Venereis grandem contumeliam, & turbationem naturæ perpetrat, & confusionem. Etenim cum capris, & suibus commiscere se & viri tentarunt, & fœminæ propter ferarum mores insanierunt. Ex huiusmodi verò nuptijs & Minotauri, & Ægipanes, & (vt ego quidem puto) Sphinges, & Centauri vobis oriuntur. Et canis quidem propter famem aliquando aliquid hominis vorare necessitate cogitur, & auis interdum gustare: sed ad coitum homine abuti nulla vnquam fera conata est: homines autem & ad complura alia voluptate ducti, feras quam iniquissimè violant. ILICE SVB NIG. PALLENT. RVM. HERB.) Nigram ilicem, vmbrosam expone. Pallentes herbas, quæ ventris D calore propria viriditate caruerunt. *Ruminat*, reuomit & denuo consumit. Ruminatio dicta est à ruma, eminente gutturis parte, per quam admissus cibus à certis reuocatur animalibus. Seruius. Rumen, ait Nonius, locus in ventre, quà cibus sumitur, & vnde redditur, vnde & ruminare dicitur. Pomp. Prostib. *Ego rumorem parui facio, dum sit, rumen qui impleam.* Ex hoc versu, & præcedente, tanquam ex archetypo, & è tabula quadam suos depinxit Calpurnius, eclog. 3.

Nam cum prata calent, illic requiescere noster
Taurus amat, gelidaq́; iacet spatiatus in vmbra,
Et matutinas reuocat palearibus herbas.

CLAVDITE NYMPHÆ DICTÆÆ NEM. SAL.) Poeta quoque E epigram. græco inducit Pasiphaen hæc ad Cupid.

Εἰ ποθέειν μ' ἐδίδαξας ἐν οὔρεσι ταῦρον ἀλῆτιν,
Μυκηθμόν με δίδαξον, ὅπως φίλον ἄνδρα καλέσσω.

Vt autem hîc Dictææ nymphæ, sic & δικταῖον δία sæpius poetæ. Montem Dictæum Callimachus ἀπὸ τῆς Δικτύννης νύμφης deducit. Νύμφαι μὲν Δίκτυνναν ὄρος δ' ὅθεν ἥλατο νύμφη Δικταῖον καλέουσι. Videtur porro hîc mihi, bona doctorum pace, ita constituenda huius loci sententia, vt hoc cum Seruio in persona Pasiphaes dictum accipiamus, Nymphas velut ad venandum, & taurum, cuius amore flagrabat, plagis, retibusque cingendum, & capiendum concitantis, cum erro, vagusq; nimium, huc illuc pro libidine, nec satis Pasiphaæ in amore obsequens ageretur, ferreturque. In eandem partem est apud Tibullum. Eclog. 4. lib. 1. vsurpatio eiusdem verbi, in versu.

Nec, velit insidias altas si claudere valles,
Dum placeas, humeris retia ferre neges.

Virgil. 12. Æneid.

Inclusum veluti si quando flumine nactus
Ceruum, & punicea septum formidine pennæ.

German. ERRABVNDA BOVIS VESTIGIA) Inquirentibus nobis, quænam ratio & origo esset huiusmodi figuræ, populabundus, & errabundus, & lætabundus, & ludibundus, multorumq; aliorum id genus verborum, ἐσ-βίλων hercule Apollinaris noster, sibi videri ait, particulam istam postremam, in qua verba talia exeunt, vim & A copiam, & quasi abundantiá rei, cuius id verbũ esset, demonstrare. Vt lętabundus is dicatur, qui abunde lętus sit: vt productio hæc, & extremitas, largam & fluentem vim, & copiam declaret. Gell. lib. 11. cap. 15. Videtur hic Maro taurum Pasiphaen, & gregem solitum fastientem, alteriusq; armenti appetentem describere: qualem ferè Græci ἀλιμαγελῶντα vocant, tanquam seorsum à grege pascentem, & diuortia gregis quærentem, & à pascuis deerranté. Vide adagiũ, Abijt taurus in syluã. Germa.

Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.
Tum Phaetontiadas musco circundat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montes vt duxerit vna sororum,
Vtq; viro Phœbi chorus assurrexerit omnis:
Vt Linus hæc illi diuino carmine pastor,
Floribus, atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos (en accipe) Musæ,
Ascræo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynæi nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.

HESPERIDVM MIRATAM MALA) Fabulam tribus versibus complexus est Theocrit. Idyll. 3.

Ἱππομένης ὅκα δὴ τὰν παρθένον ἤθελε γᾶμαι,
Μᾶλ' ἐν χερσὶν ἑλὼν δρόμον ἄνυεν· ἁ δ' Ἀταλάντα
Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα,
Et certè Hippomenes Atalanta captus amore,
Mala ferens manibus calida decurit arena,
Quem virgo interea rapido prauertere cursu
Vt vidit, perijtq;, profundumq; hausit amorem.

Intelligit ergo Virgil. Atalantã Schœnei regis Scyri insulę filiam, quã velocitate pedum superauit Hippomenes, dum inter currendum poma tria aurea proijciens, eorum collectione puellam retardat. Quare cum aliter se cuiquam nuptum daturum pater negasset, ex pactis & C conuentis eam vxorem sibi cæpit. Lege Ouid. Metamorph. lib. 10. qui poma hęc è Cypro Hippomeni à Venere dono data, nõ ex Hesperidum hortis desumpta canit, de quibus dicetur lib. 4. Æneid. ad illos versus.

Hesperidum templi custos, epulasq; draconi
Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore ramos.

De ista Atalanta Catull. quoque.

Tam gratum id mihi, quàm ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

Legimus & aliã extitisse Atalantam, Iasonis, seu Iasionis filiam, de qua Propert. lib. 1. eleg. 1. quò factũ, vt ambarũ D historię permutarentur, confunderenturq;. Narrat aũt vtriusq; propria Muret. Schol. in Propert. Iacob. Pont.

Veteres tanto in honore oues habuere, vt ex ijs tantùm opes fieri existimarent: & pecuniam, & peculiũ inde dicta Iureconsulti aiunt: ideoq; fictum, oues lanam olim auream habuisse. Hinc cum Hercules ex Africana victoria nihil præter oues abegisset, aurea mala secum asportasse dictus est: μῆλον enim dicitur ouis, & ea locutione pomũ vsurpatur. Sunt n. qui scribãt, in illis hortis, qui Hesperidũ fuisse dicuntur, oleastros tantũ progerminare: alij aũt cotonea ibi lętissimè prouenire tradũt, eaq; à colore aureo nuncupata. Nã quę in manu Herculis poma tria statuuntur in antiquissimis ex ęre statuis, cotonea sunt. Pierius. lib 10. Mala Hesperidum, refert Palæphatus fuisse oues pulcherrimas, & foecundissimas aureas vocatas, quia pulchra quæque aurea dicuntur. Quas in littore pascentes, cum custode illorum dracone Hercules abstulerit, Hesperidib⁹ duab⁹ Hesperi fi- B liab⁹ patri superstitib⁹. PHAETONTIADAS MVSCO CIRCVNDAT.) Sorores tres Phaetontis, dum fratrem curru Solis excussum, extinctumq; diuturnis fletib⁹ prosequũtur, in populos (quanquam Virgil. alnos habet, licentia poetica videlicet, qua in vno aliquo genere vnam speciẽ pro altera nominare consueuerunt) conuertuntur. Earum lachrymas solis calore duratas electrũ effici creditum. Metamorphosin ipsam è lib. 2. Nasonis age depromamus.

Luna quater iunctis impleuerat cornibus orbem,
Illæ more suo (nam morem fecerat vsus)
Plangorem dederant: è quis Phaetusa sororum
Maxima, cum vellet terra procumbere, questa est
Diriguisse pedes. Ad quam conata venire
Candida Lampetie, subita radice retenta est.
Tertia cum crinem manibus laniare pararet,
Auellit frondes, hæc stipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos sua brachia ramos.
Dumq; ea mirantur, complectitur inguina cortex,
Perq; gradus vterũ, pectusq;, humerosq;, manusq;
Ambit: & extabãt tantùm ora vocantia matrẽ. &c.

Earundẽ Heliadũ memoriã celebrat in Culice suo. Virgil.

At quibus insigni curru proiectus equorum,
Ambustus Phaeton luctu mutauerat artus,
Heliades teneris amplexa brachia truncis,
Candida fundebant tentis velamina ramis.

Lib. 10. æneid. vbi fabulã Phaetonteam tangit, & huiusce metamorph. rursum mẽinit, vult eas in populos cõuersas

Namq; ferunt luctu Cygnum Phaetontis amati,
Populeas inter frondes, vmbramq; sororum
Dum canit, &c.

Caussam ibidem indicat German. Nomina earum Hyginus cap. 54. recenset hæc. Merope, Ægle, Lampetie, Phœbea, Etherie, Diocippe, Alij alia. Ouid tres enumerans, duas primas Phaëtusam, & Lampetien nominat, vt vistidi. Fabulam Phaetonteæ aurigationis adducit lib. de Astrol. Lucian. eamq; μυθολογικῶς hoc tantũ esse vult, eum solis cursum deprehẽdisse: non quidẽ verè, sed morientem quandam artem imperfectam reliquisse. Hanc ipsam recitat Diodor. lib. 5. c. 8. Eridani accolas (in quem fluuium ille decidit) irridet Plutarch. lib. de sera numinis vindicta: qui eum nigris vestibus induti post tot secula lugebant, cum, qui eodem tempore vixerant, eius calamitatẽ nullo fuissent luctu prosecuti: Plin. l. 37. c. 2. quod

Ouidius & alij de lacrymis sororũ Phaetontis in electrũ mutari solitis fabulantur, irridet. Phaetontis fulmine icti sorores fletu mutatas in arbores populos, lacrymis electrũ omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnẽ, quem Padum vocamus, & electrum appellatum, quoniam sol vocitatus sit Elector, plurimi poetæ dixere, primiq;, vt arbitror, Æschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus. Quod esse falsum, Italiæ testimonio patet, &c. Eandem narrationem repudiat Diodorus, aitq;, electrum nasci in insula quadam Basilia. Iacob. Pont. SOLO PROCERAS ERIGIT ALNOS) Procera, prolixa, & in longum producta, quasi ex cera, ob eius facilitatẽ. Festus. Vt autem supra, Phaetontiadas musco circundat amaræ corticis, ita hic erigit alnos. Mira, inquit Seruius, canentis laus, vt quasi non factam rem cantare, sed ipse eam cantando facere videatur. ERRANTEM GALLVM) Quanquam extremum quarti Georgicorum, quo amicissimi sui Galli, poetæ excellentis laudes pertractauerat, ab Augusto iussus esset tollere, non tamen facere potuit, quin & hìc, & in Eclog. 10. quanti hominem fecisset, quantumq; de eius facultate in carmine scribendo iudicium habuisset, ad posteros testaretur. AONAS IN MONT. VT DVX.) Non nescis, solere, poetas frequenter primigenia, seu primitiua loco deriuatorum adhibere. Ita hìc posuit Aonas montes, pro Aonios. Horat. Ode 36. lib. 1. *Neu morem in Salium sit requies pedũ*, pro, in modum Saliarem. Cur antiqui Musas simul & in montibus versari, & choros agitare, easdemq; sorores finxerint, aperit Syntag. de Musis Gyraldus. Propter scientiarum copulam & nexũ, quo disciplinæ inter se coniunguntur. Hinc, opinor, cyclicas scientias appellat Martianus Capella, & encycliũ constituit Vitruuius, & notissima est illa Græciæ vocata encyclopædia. Eadẽ de caussa sorores fuisse existimatas crediderim. Adhęc in montib⁹ dicuntur versari, vt ait Cornut⁹, quod secessu, & solitarijs maximè locis studiosi viri delectantur. Quin & Plutarchus lucos, & Musarum delubra quam longissimè ab vrbibus statuta fuisse scribit, lib. de Curiositate. Sunt & qui ideo in Heliconis, & montium verticibus eas versari autument, quod ista sapientia, atque intellectus, ex quibus disciplinę, ac scientiæ nobis comparantur, dicũtur in hominis capite (id quod in primis Platoni placet) vt in puriori, & eminẽtiori loco esse, quæ per Musas intelliguntur. VIRO ASSVREXERIT) Imitatione Homeri, qui hymno in Apollinẽ, deos omnes Phœbo ipsi assurrexisse cecinit. Fortasse etiam assurrectum dicit Maro Gallo à poetis, ob viri amplitudinẽ, & poeticæ peritiam, alludens, credo, ad Accium, qui in collegio poetarum Iulio Cæsari Straboni assurgere dedignatus est. vt Valer. Max. lib. 3. cap. 7. scriptum reliquit, his verbis. Is (de Accio loquitur) Iulio Cæsari amplissimo, & florentissimo viro in collegium poetarum venienti nunquam assurrexit: non maiestatis eius immemor: sed quod in comparatione communium studiorum aliquanto superiorem se esse confideret. Quapropter insolentię crimine caruit: quia ibi voluminum, nõ imaginum certamina exercebantur. German. VT LINVS HÆC ILLI) De Lino quædam habes Eclog. 1. *Non me carminibus*, &c. De eodem Diodorus lib. 3. cap. 5. ex Dionysio vetusto scriptore, eum in Græcia numeros ac modulos primùm reperisse, poësi & melodia excelluise, frequentes discipulos, tres præcipuos habuisse, Herculem, Thamyrim, Orpheum, lege quæ sequuntur. ASCRÆO QVOS ANTE SENI) Hesiodus Ascræus (Ascra oppidum Bœotię fuit) dum paternas oues custodit, in somnum lapsus, à Musis coronari, ab ijsdem in Heliconem montem perduci, ibique Caballini, seu Hipocrenes fontis latices sibi bibere, & inde poeta euasisse visus est, quod initio Theogoniæ refert. Ad quod 6. Fast. allusit Ouid.

Ecce deas vidi, non quas præceptor arandi
Viderat, Ascræas cum sequeretur oues.
Idem.
Non mihi sunt visæ Clio, Clioq́; sorores,
Seruanti pecudes vallibus Ascra tuis.

Eò etiam respexit Persius præfat.

Nec fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini: vt repente sic poeta prodirem.

Foquelinus in Persium. * *Non dicit Hesiodus, se calamos, sed ramũ laurum accepisse, sibiq́; à Musis vim, & facultatem carminũ inspiratam. De arboribus a se motu nihil. Finxit hoc Virgilius. Vide insuper Dissertationem cum Hesiodo apud Lucianum Tomo 3. Cuius hoc est principium. At poetam præstantissimum esse te, Hesiode, & hoc ipsum à Musis vna cum lauro te accepisse, cum ipse palam in ijs, quæ à te edita sunt, indicas (sunt enim diuina, & admirationis plena omnia) tum nos rem ita se habere constanter credimus, &c.* CANTAN. RIG. DED. MONT. ORNOS) Calpurnius eclog. 4. de Tityro pastore. *blandè cui sæpe canenti Allusere feræ: cui substitit. aduena quercus.* GRYNÆI NEMORIS) Grynęum nemus est in finibus Ionijs, Apollini sacrum: quod si Gallus celebrauerit, nullo sibi luco, seu nemore tantùm placebit Apollo. Seruius. * *Quasi dicat, ingenium, & vena tua ita nobilitabunt hoc nemus, vt quamuis alia quoq; sibi dedicata Apollo habeat, tamen isto potissimùm & maximè gloriaturus sit.*

Quid loquar? aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?
Aut vt mutatos Terei narrauerit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit:
Quo cursu deserta petiuerit, & quibus ante
Infelix sua tecta superuolitauerit alis?
Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audijt Eurotas, iussitq; ediscere lauros.
Ille canit: pulsæ referunt ad sidera valles.
Cogere donec oues stabulis, numerumq; referre
Iussit, & inuito processit vesper olympo.

AVT SCYLLAM NISI) Alciatus, vir admirandæ eruditionis, ac paris facundiæ, in libello quẽ παρέργων iuris inscripsit,

inscripsit, existimat Virgilium naturam famæ sequutũ, quæ plerunq; mendax est, falsò historiam de Scylla tradidisse, atque ideo quæ Scyllæ Phorci filiæ congruebant, Scyllæ Nisi attribuisse. Bonus me hercule istius loci tuendi color. Nec semel inueniuntur istiusmodi personarum confusiones. Apud Aristophanem in Auibus, Progne non in hirundinem, sed in lusciniam transformatur. Itemq; in Ranis, quod mirabilius est, *ἀηδόνιον* non lusciniæ, sed hirundinis cantum appellat, cum tamen omnes Græci *ἀηδόνα* pro luscinia agnoscant: nec Latini olim aliter sensere, vt ex illo Calpurnij versiculo facillimè comprobatur.

Astyle, credibile est, si vincat acanthida cornix,
Velocem superet si turpis aëdona bubo.

B Iam cum fabula ex etymo Philomenæ (quæ aliàs Philomela dicitur, à studio canendi) sit orta, mirum est Aristophanem in diuersam partem sic abijsse præcipitem. Sed, vt dixi, in rebus affinibus confundunt historias, nec Virgili⁹ longè discessit ab illa miscella, quippe qui statim subiungat, *Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit.* Certũ enim est, Prognen suum filium Itym patri epulandũ apposuisse. Quod si istos colores non recipimus, præsto est & aliud effugium, si antiquorum voluminum fidem sequi non recusemus, quorum aliqua sic habent. *Quid loquar aut Scyllam Nisi, aut quam fama sequuta est.* Rursus alij: *Quid loquar, an Scyllam Nisi, an quam fama sequuta est,* &c. Alij rursus: *Quid loquar, vt Scyllam Nisi,* C *aut quam,* &c. quæ lectio mihi præter cæteras arridet, vt subiungatur per zeugma ab inferiore, *narrauerit*, hoc pacto. Quid loquar, vt narrauerit Silenus: qui cum deus sit, errare non potest in cognitione historiarum. Si quis tamen rerum gestarum confusiones malit, habet etiam exemplum apud Ouidium in heroicis, *sine quis Antilochum narrabat ab Hectore victum*, cum non ab Hectore, sed à Memnone trucidatus sit. Nannius, lib. 6. cap. 6. * *De canibus Scyllæ quædam protulimus ex Homero, & Lucretio ad lib. 6. Æneid.* Centauri in foribus stabulant, Scyllæq; biformes. *Adde ex Catullo.* Aut Scylla latrans infima inguinum parte. VEXASSE RATES) Nonnulli Grammatici ætatis superioris, in quibus est Cornutus Annæus, haud sanè indocti, reprehendunt quasi incuriosè, & abiectè verbũ positũ in D his versibus. *Vexasse* enim putant esse verbũ leue, & tenuis, ac parui incommodi, nec tantę atrocitati congruere, cum homines repente à bellua immanissima rapti, dilaniatiq; sint. Sed ita responderi posse credo: vexasse, graue verbum est, à vi atq; motu procul dubio inclinatũ. Nam qui fertur, & raptatur, atq; huc illuc distrahitur, is vexari propriè dicitur: taxare pressius crebriusq; est, quã tangere, vnde procul dubio id inclinatum est: & iactare multo fusius, largiusq; est, quam iacere, vnde id verbum traductum est. Non igitur quia vulgò dici solet, vexatũ quem esse fumo, aut vento, aut puluere, propterea debet vis vera, atq; natura verbi deperire, quæ a veteribus E (quippe propriè, ac signatè locuti sunt, ita vt decuit) conseruata est. M. Catonis verba sunt ex orat. quam de Achæis scripsit. Cumq; Annibal terram Italiam lustraret atque vexaret. Vexatam Italiam dixit Cato ab Annibale, quando nullum calamitatis, aut sæuitiæ, aut immanitatis genus reperiri queat, quod eo tempore Italia perpessa non sit. M. Tull. in Verrem. Quæ ab isto sic spoliata atq; direpta est, vt non ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionem, & consuetudinis iura retineret, sed vt à barbaris prædonibus vexata esse videatur. Gell. lib. 2. cap. 6. Macrob. lib. 6. cap. 7.

Rates vocant ligna colligata, quę per aquam aguntur, qua voce interdum etiam naues significantur. Fest⁹. Item hoc nomine significarunt & remos. Attius in Neoptolemo. *Atq; ego reperentio ratibus mare.* Et alio loco. A *Sed iam propellunt rates salum.* Rectè remi rates, propter similitudinem. Nam remi super aquam sublati à remigibus, eam speciem referunt. Lege reliqua apud Scalig. in Festũ. * *Ratiarum qui rates agit, germanicè* Floßman. QVAS ILLI PHILOMELA DAPES) Mutationis Terei Thracum Regis in vpupam, vxoris eius Prognes in hirundinem, & sororis huius Philomelę in lusciniam, exponit Ouid. Metamorph. lib. 6. Higynus cap. 45. Apollodorus lib. 3. ad istum modum. Pandion rex Athenarum ducta vxore Zeuxippe, matris suæ sorore, Prognen & Philomelam filias, & geminos Erechteum, Butemq; suscepit. De in conflato in Labdacum bello de terræ finibus, in belli societatem Tereum Martis filium de Thracia conuocauit, eoq; bello per eius auxilia præclarissimè gesto, Prognen filiam suam Tereo nuptum callocauit. Hic suscepto ex eo Itye filio, Philomelam amore succensus vitiat: eamq; simulato Prognes obitu, ruri celat, & huiusce loco Philomelam ductam comprimit. Inde huic linguã desecuit. Ea vero per litteras in peplo contextas suas ipsi⁹ Prognæ sorori miserias significauit. Hæc post quæsitam germanam, Itym puerum trucidatum, elixatumq; Tereo inscio epulandũ apposuit, ac repente cũ sorore profugit. Tereus cognito facinore arrepta securi fugitantes insequitur. Hæ vero, cum iam Dauliam Phocidis vrbẽ peruenissent, circumseptæ deos rogant in aues mutari. Tũ Progne fit luscinia, Philomela in hirundinẽ, Tereus in vpupam transmutatur. Consule item Pausan. lib. 1. qui censet, ideo in hasce aues illas duas conuersas fingi, quod vtraque, & hirundo, inquam, & luscinia miserabiles & luctuosos cantus edit. Vide nihilominis Indicem Erythræi in Philomela.

Commentũ de Tereo, Progne, & Philomela inserit obiter lib. 2. historiarũ suarum Thucydides. Maxima pars Thracũ, inquit, libera est, suisq; legibus viuit. Neque hic Teres antiquũ illum Terea, cũ quo Progne Pandionis filia nupta fuit, vlla cognatione attingit. Neq; ex eadem Thracia erant. Nam alter Tereus, partem eius regionis, quę Phocis appellatur, vbi Daulia oppidũ est, tenuit, quo in loco tunc Thraces habitant. Et Progne cũ sorore illud facinus in Ityn perpetrarunt in hac terra, sicut & multi ex poetis, cum in carmine Philomelæ mentionem faciunt, Dauliada hanc auem nominare solent. Hactenus ille. Testimonio est illud Catulli (quanquã Thucydides de Græcis poetis loquatur)

Qualia sub densis ramorum concinit vmbris
Daulias, absumpti facta gemens Ityli.

Horatius Ode 12. lib. 4. dum veris aduentum, seu initiũ describit, de eodem luctu huius auis.

Nidum ponit, Itym flebiliter gemens,
Infelix auis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod malè barbaras
Regum est vlta libidines.

Martial. lib. 10. *Ismarium pellex Attica plorat Itym.* Luscinia dicitur, quòd luctuosè canere existimatur, inquit Varro lib. 4. de ling. lat. atque esse ex Attica Progne in luctu facta auis. Immo Progne in hirundinem abijt. Sed poetæ loco Prognes, vt vidimus, Philomelam nominãt. Quare autẽ hieroglyphicè musicam significet Luscinia, docet ex Plinio Pierius lib. 28. Iacob. Pont. QVO CVRSV DESERTA PETIVERIT) Cursus est pedum velocitas. Virgil. lib. 5. *Hic qui fortè velint rapido contendere cursu.* Cursus volatus. Item l. 6. *Este duces ò si qua via est, cursumq́; per auras Dirigite in lucos.* ita hoc etiam loco. Cursus itẽ nauigatio. Virgil. 3. Æneid. *Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?* Cic. de repub. lib. 3. Quæ cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit. Nonius. OMNIA QVÆ QVONDAM) Valet vox *quondam* Virgilio frequenter, quod

ter, quod apud Græcos *ἀίει*. Præter hunc locum testis est & ille 3. Georg. *Et quondam in stipulis magnus sine viribus ignis Incassum furit.* Et lib. 4. *Frigidus vt quondam sylvis immurmurat Auster.* Et 2. Æneid. de Hectore. *vt quondam, aterq; cruento Puluere.* Ibidem. *Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.* Iacob. Pont. AVDIIT EVROT. IVSSITQVE E. L.) Eurotas ab Apolline quondam est frequentatus, vt etiam à Diana sorore (vt patet ex illo Æneid. 1. *Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi Exercet Diana choros*) vel propter amorem, & memoriam Daphnes, & Spartani amasij Hiacynthi: vel etiam ob laurorum copiam, & amœnitatem, quibus ripæ amnis illius perpetuo tractu prætexi dicuntur, quas & vocales Græci Poetæ celebrant. German. * *De lauro & eius generibus plurimus, si te hoc fortè iuuabit, lege Plin. lib. 15. cap. 30.* PVLSÆ REF. AD SID. VALLES) Lucret. lib. 2. *clamoreq; montes Icti reiectant voces ad sidera mundi.* Ex locis in quibus refunditur sonus (echo vocant) sunt etiam valles. COG. DONEC OVES STAB.) Clausula bucolica. Simili ratione claudit eclog. 2. Nemesianus.

Sic pueri Donacen toto sub sole canebant:
Frigidus è sylvis donec discedere suasit
Hesperus, & stabulis pastos inducere tauros.

Et tertiam.

Hæc Pan Mænalia pueros in valle docebat:
Sparsas donec oues campo conducere in vnum
Nox iubet, vberibus suadens siccare fluorem
Lactis, & in niueas astrictum cogere glebas.

Finitur Ecloga inani fabula de Phœbo. Relata sunt quædam falsa, vt ostenderetur Epicureæ doctrinæ vanitas. Cantatæ autem cantilenæ numero 10. 1. de ortu mundi, rerum ac animalium, hominum. 2. de aureo sæculo, quod tamen vix attigit. 3. de furto, & supplicio Promethei. 4. de Hyla. 5. de Pasiphae. Nam Prœtidum tantum per comparationem facta est mentio. 6. de Atalanta. 7. de transmutatione sororum Phaetontis. 8. de Gallo. 9. de Scylla. 10. de Tereo. NVMERVMQVE REFERRE IVSSIT) Sic & Cæsar lib. 3. belli ciuil. Vniuersi Cæsarem adierunt, palamq; de eorum iniuriis sunt questi, & ad cetera addiderunt, falsum ab his equitum numerum referri, quorum stipendium auerterent. German. INVITO PROCESSIT. V. O) Ab Homero possit hunc tropum mutuatus videri. Iliad. 6.

Ἠέλιον δ' ἀκάμαντα βοῶπις πότνια Ἥρη
Πέμψεν ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοὰς ἀέκοντα νέεσθαι.

Tantam voluptatem habebat cantus Sileni, vt ipsum quoq; cælum, quod assidua & irrequieta motione circumuersatur, stupefactum hæreret, vesperiq; superuenienti ingratis cederet, solemque suum inuitò occasum deduceret. Hic sensus est verborum. Proinde quasi olympus esset animo præditus, vteretur q; auribus, & iucunditatem cantus perciperet. Vsitata hęc figura poetis, affingere nimirum sensum non sentientibus, & rationem non ratiocinantibus. Sic Ouid. 1. Metamorph. non valde dissimiliter Maroni. *Sedit Atlantiades, & euntem multa loquendo Detinuit sermone diem.* Vel ipsum solem vocat diem, qui auctor & effector est diei: vel olympum, qui vehit diem, id est, solem. Tam libenter itaque dies Mercurium, quàm hic olympus Silenum auscultauit. Iacob. Pont.



Ecloga septima. Melibœus.

SYNOPSIS.




Corydon, & Thyrsis amœbæis inter se versibus collusuri erant: ad Daphnidem vterque certaminis eius arbitrium detulerat. Daphnis Melibœum, fortè fortuna prætereuntem, & caprum qui à grege deerrauerat vestigantem, ad audiendum inuitat: istuc primùm narrat Melibœus. Et est diserta inprimis, mirumque in modum festiua & luculenta narratio. Ipsa quoque caussa, quæ Melibœum eò loci compulerit, vbi & Daphnin offenderet, & pastoritiæ huic velitationi interesset, appositè conficta est. Postea ipsosmet vtriusque versus memoriter recitat, & ad finem à iudice secundùm Corydonem fuisse pronuntiatum significat. Opinio est, poetam sub persona Corydonis, penes quem victoria, suam ipsius in isto carminis genere præstantiam insinuare: vt quantumuis Bacchi numine afflatus aliquis, frustra secum de palma contentionem suscepturus videatur: id quod Thyrsidis appellatio latenter monet. Cuius nomine sunt qui Bauium, vel Mæuium, vel Anserem poetas trioboli, notatos existimant, quibus ipsis alibi Maro infamiæ notas sempiternas inussit. Argumentum ex diuersis Theocriti Idylliis coagmentatum apparet, quod & Seruius non tacuit. Sed tamen ita ingenio & industria elaborata omnia, vt non aliunde petita, verùm domi nata videri meritò queant.

EX-

EXPLANATIONES.

POETA sub persona Meliboei, CORYDON, THYRSIS.



FOrte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compulerantq́; greges Corydon, & Thyrsis in vnum:
Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.
AMBO FLORENTES ÆTATIBVS, ARCADES AMBO:
Et cantare pares, & respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo à frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerrauerat: atq; ego Daphnin
Aspicio: ille vbi me contrà videt, ocyus, inquit,
Huc ades ô Melibœe (caper tibi saluus & hœdi)
Et, si quid cessare potes, requiesce sub vmbra.
Huc ipsi potum venient per prata iuuenci,
Hîc viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eq́; sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? nec ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos:
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
POSTHABVI TAMEN ILLORVM MEA SERIA LVDO.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Cæpere, alternos Musæ meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.

Theocrit. principio Idyl. 6.

Δαμοίτας, καὶ Δάφνις ὁ βουκόλος εἰς ἕνα χῶρον
Τὰν ἀγέλαν ποκ', Ἄρατε, συνάγαγον. ἦς δ' ὁ μὲν αὐτῶν
Πυῤῥὸς, ὁ δ' ἡμιγένειος· ἐπὶ κράναν δέ τιν' ἄμφω
Ἑσδόμενοι θέρεος μέσῳ ἄματι, τοιάδ' ἄειδον.
Damœtas & Daphnis, Arate, bubulcus in vnum
Compulerant aliquando greges, iam rufa tegebat
Barba mihi mentum, florens lanugine sola.
Mentum erat illius. Sedêre in margine fontis,
Et media hosce die cantus feruente dedere.

Est & alium locum imitatus, qui est principio Idyll. octaui: vt ita ex duobus Theocriteis, quemadmodum aliâs, & quidem diuersorum Idylliorum vnum fecerit, seu ex duobus suum vnum conflauerit. Quanquam nonnullos etiam ex pluribus quàm duobus.

Δάφνιδι τῷ χαρίεντι συνάντετο βουκολέοντι
Μᾶλα νέμων, ὡς φαντὶ, κατ' ὤρεα μακρὰ Μενάλκας.
Ἄμφω τώγ' ἤτην πυῤῥοτρίχω, ἄμφω ἀνάβω.
Ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν.
Excelso dum pascit oues in monte Menalcas,
Daphnidi fama illum est lepido occurrisse bubulco.
Rufus vtrique capillus, eratq́; impuber vterque:
Fistula vterque sciens, cantusq́; peritus vterque.

Iam verò Virgilio idem hîc iudicium in imitando Theocrito fuisse, quod & alibi, obseruandum est: ideoq́; descriptionem coloris barbæ, aut capillorum (nam vtroq; in loco *πυῤῥὸς* ad barbam, sicut in altero *πυῤῥοτρίχω* ad capillos referri mihi videtur) minimè imitari, sicut nec alia quædam minima, voluisse: sed ætatis duntaxat mentionem faciendam putauisse: ideoq́; ad illa respicientem verba, *ἄμφω ἀνάβω*, dixisse, *Ambo florentes ætatibus:* vbi plurale valde rarum habemus, *ætatibus*. Sed & hoc pauci animaduerterunt, rarum hic quendam vsum participij *florentes*: quum florere ætate dicantur vulgò, qui iam attigerunt iuuentutem: iuuenes autem non soleant esse ἀ-
A *νῆβοι*, vt Theocritus dixit, *ἄμφω ἀνάβω*. Sed Cicero quoq; ipsam adolescẽtiam dixit florem ætatis, in Topicis. Hoc est, quasi qui adolescentiam dixit florem ætatis: senectutem occasum vitæ velit definire. Sed quamuis *ἀνάβω* dicatur à Theocrito de suis pastoribus, potuit Virgilius pubertatem suis tribuere, siue primam pubertatem. Tunc autem ita dictum erit florere, vt flos in illo disticho.

Collige virgo rosas, dum flos nouus, & noua pubes,
Et memor esto æuum sic properare tuum.

Iam si de puberibus intelligamus illud *florentes ætatibus*, licebit etiam suspicari, ad *ἡμιγένειος* Virgilium respexisse, cui *πρωγένειος* à Theocrito opponi crediderim. Ad
B versum illum quod attinet, *ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν*, rursum hic Theocritus non tantum τὸ *ἀείδειν*, sed etiam τὸ *συρίζειν* meminit: qui alicubi etiam τὸ *αὐλεῖν* addit. Verùm vt illic, ita etiam hîc cantus duntaxat mentionem facere voluit Virgilius. Hęc ex Henr. Steph. frustatim sumpta contexuimus: ex quo item reliqua pænè omnia, quę de Maroniana Theocriti imitatione per Bucolicas hasce Symbolas disseruntur, arbitratu nostro decerpsimus. SVB ARGVTA ILICE) Propter susurrum, & strepitum, seu sibilum foliorum eius, vento agitatorum, de quo Ausonius.

Est & arundineis modulatio musica ripis,
Atque arguta suis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit foliis quoties leuis Eurus acutis.

C De huiuscemodi argutiis etiam Catullus in Phaselo.

Vbi iste post Phaselus antea fuit
Comata sylua: nam Cythorio in iugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.

Vide Eclog. 8. ibi, *Mænalus argutumq́; nemus, &c.* Obserua præterea, quemadmodum in Bucolicis pastores fingantur captare vmbras arborum. Nam & Eclog. 1. recubat Tityrus sub tegmine fagi. Et Eclog. 2. legis de Corydone,

rydone, *Tantum inter densas umbrosa cacumina fagos Assidue veniebat.* Calpurnius, *Ad gelidos fontes, & easdem forte sub ulmos Conueniunt.* Nemesian. eclog. 3.

Nyctilos atq; Mycon, nec non & pulcher Amyntas
Torrentem patula vitabant arbore solem.

Apud Theocritum frequenter. Congessit hosce locos Comment. in Nemesian. Robert. Titius, eclog. 1. ibi, *has ulmos potius, fagosue petamus.* DISTENTAS LACTE CAPELLAS) Eclog. 4. *Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ Vbera.* ARCAD. AMBO, ET CANT. PARES) Musicam si veram expendas atque legitimam, vniuersis hominibus conferre plurimum, constans bene sentien- B tiũ opinio est, Arcadibus verò, inquit Polybius, & necessaria maximè: proinde ita receptum moribus apud eos est, vt non pueros modò, verùm & adolescẽtes, iuuenes ad trigesimum ætatis annum ea disciplina imbuendos curent, cùm sint alioqui dissimilis vitæ homines, austeriorisq;. Cantu & choreis Libero patri ludos cõcelebrãt singuli pro ætatis ratione. Denique vita omnis id genus cantionibus, studiisq; impéditur. Cęteras artes apud eos ignorasse, nulla prorsus ignominia est. Musicam nescire nemo potest, quia necessariò discitur. Eius imperitiam illic fateri turpissimum est: nec id lasciuiæ caussa, vel deliciarum: sed vt labores assiduos in colendis agris, & vitæ prętereà duritiem atq; asperitatem, & austeriores mores C ex cęli quadam tristitia prouenientes, hac quasi dulcedine remolliant, atq; contemperent. Huius autem rei argumentum ingens ex Cynethensibus est: qui cùm instituta maiorum peruicacius aspernari cæpissent, in eã breui feritatem abiêre, vt in nulla totius Gręciæ ciuitate scelera maiora, aut crudelitatis exempla ederentur immaniora. Ex his dilucere manifestius opinor, cur vates Mãtuanus in Bucolico ludicro subinde in cantilenæ mentione Arcades pluribus efferre laudibus non desinat. Rhodigin. lib. 9. cap. 9.

Profert hunc locum Brodęus lib. 9. cap. 18. ex Polybio διότι σχεδὸν παρὰ μόνοις Ἀρκάσι πρῶτον οἱ παῖδες ἐκ νηπίων ᾄδειν ἐθίζονται κατὰ νόμους, τοὺς ὕμνους, καὶ παιᾶνας. Propterea ferè apud Arcadas solos pueri ab infantia secundum leges docentur canere hymnos, & Pæanas. Vide Athenæum lib. 14. Poeta videtur passim præ cæteris Arcades à Musicę studio commendare, inquit Germanus, ea, vt puto, ratione, quod Aristotele prodente in Polit. non intra vrbis mœnia coire, & considere soliti sint, sed σποράδην habitare, & sparsas domos per agros habere. Vnde & pecuariam fecisse, pascuis, pastionibusque operam dedisse consentaneum est: inde & studiis pastoralibus, musicæ, cantuique bucolico deditos fuisse eximiè, verisimile est.
* *Versus ipsos æmulatus est Nemesian. eclog. 2.*

Ambo æuo, cantuq; pares, nec dispare forma,
Ambo genas leues, intonsi crinibus ambo.

Vult autem Virgilius, vtrumq; horum pastorum adeo insignem esse E *cantorem, vt perpetuum ipse continuumque, & alternum carmen queat deducere.* DEFENDO A FRIGORE MYRTOS) De myrto disputat Plinius lib. 15. eius genera ponit 11. in extremo capite, videlicet 29. Bellicis quoque se rebus inseruit, inquit, triumphansq; de Sabinis Posthumius Tubertus in consulatu (qui primus omnium ouans vrbem ingressus est, quoniam rem leuiter sine cruore gesserat) myrto Veneris victricis coronatus incessit, optabilemque arborem etiam hostibus fecit. Hæc postea ouantium fuit corona. Lege quæ sequuntur. VIR GREGIS IPSE CAPER) Caper propriè est hircus castratus. Sed istis catachresibus nihil apud poetas frequentius. Defendit tamé aduersum Grammaticos, caprum pro hirco dici, Scalig. cuius verba protulimus Eclog. 9. ibi, *Occursare capro, cornu ferit ille, caueto.* Illud alterum, hoc est, figuram illam loquendi ἄκυρον seu ἀκυρολογίαν Grammatici nomi- A nant. Sic Theocritus Idyl. 7. ἀ τράγε τᾶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ. Horat. Ode 17. lib. 1. capellas vocat vxores olentis mariti, id est, hirci. Martial. lib. 14. de vdonibus ciliciis. *Non hoc lana dedit, sed olentis barba mariti.* Columella lib. 7. Fœmina (ouis) post bimatum maritari debet. Rursum Horat. sat. 3. lib. 2. *bellua cognatos eliserit,* rana de sororibus suis, bouis pede obtritis. Inachus ad filiam Io in vaccam conuersam, Metamorph. lib. 1. *De grege nunc tibi vir, & de grege natus habendus.* Et de ariete lib. 7. *pecorisq; maritus Lanigeri.* Noster vates 3. Georg. de equis admissariis, & pullis equinis.

Quem legêre ducem, & pecori dixêre maritum,
Florentesq; secant herbas, fluuiosq; ministrant,
Farraq; ne blando nequeant superesse labori:
Inualidiq; patrum referant ieiunia nati.

Martialis lib. 1. de catella Publij.

Casta tamen est pudor catellæ.
Ignorat Venerem, nec inuenimus
Dignum tam tenera virum puella.

Ad hunc tropum, siue ἀκυρολογίαν, in rebus huiusmodi, pertinet totum epigramma de sue prægnante, & ex vulnere pariente apud Martial. lib. 1.

Sus fera iam grauior maturi pignora ventris
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec iacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis casibus ingenium!

Iacob Pont. DEERRAVERAT (Ὀϊοβώτας est oberrans seorsum, de pecudib' propriè seorsim ab aliis pascẽtibus, quales poeta describit 3. Georg. *Atq; ideo tauros procul atq; in sola relegant Pascua.* Interpres Sophoclis eo loco in Aiace. νῦν δ' ἂν φρενὸς οἰοβώτας φίλοις μέγα πένθος εὑρεθῇ, τουτέστι τῆς φρενὸς ἀποπλανηθεὶς, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν πλανηθέντων βοσκημάτων, καὶ μόνων βοσκομένων: vt οἰοβώτας deerrantia, oberrantia, & soliuaga pecora significet. German.
* *Hoc Verbo deerrare vsum videmus Plautum quoq; Menæch.* Inter homines me deerrare, atq; inde auehi. *Lucret. lib. 3.* vagiq; Deerrarunt passim motus ab sensibus omnes. *Cornif. ad Heren. lib. 1.* *finem deerrabimus ab eo, quod cæperimus exponere.* HVC ADES, O D MEL. CAP. TIBI S. ET. H) Inuitatio Daphnidis, cui vt pareat libentius, nuntiantur ei salui (id est, certo loco visi, vbi eos reperire posset) caper & hœdi. De hœdis nihil supra, sed κατὰ τὸ σιωπώμενον eos similiter à grege deerrasse accipimus. Caprum propriè hircum castratum significare, videtur insinuare Martialis. *Dum iugulas hircum, factus es ipse caper.* Mox etiam commoditas ad quiescendum memoratur. Iacob. Pont. SI QVID CESSARE POTES) Cessare interdum valet nihil agere, vacare: interdum intermittere, desciscere, desinere, vel finẽ facere: interdum conquiescere, vel respirare. Cùm pro nihil agere, aut vacare, aut conquiescere ponitur, absolutum est. Cùm significat intermittere, vel desinere, infinitiuũ post se habet. Primi generis exempla adscribemus. Cic. ad Attic. mihi quæuis satis iusta caussa cessandi est. Idem de Natu. deor. lib. 1. Ipsi pueri, etiã cùm cessant, exercitatione aliqua ludicra delectãtur. Terent. Adelph. *Æschinus odiose cessat, prandium corrũpitur.* Sic cessator, cessatio. Cic. epistolar. lib. 9. Hæc tibi antea scripsi, non quod cessator esse solerem, præsertim in litteris. Idem de nat. deor. lib. 1. Profectò Epicurus quasi pueri delicati, nihil melius cessatione existimat. Iacob. Pont. TEN. P. AR. RIP. EQVE SACRA RE.) Theocr. Idyll. 5. ὧδε κύπειρος, ὧδε καλαὶ βομβεῦντι ποτὶ σμάνεσσι μέλισσαι. *Hic ecce Cyperus, Hic incũdus apum sua circum aluearia bombus.* Considerandũ quomodo Virgili' hic quoq; è toto Theocriti loco vnicũ versum excerpat, eumq; ad aliud, q̃ Theocritus accõmodet. Nihil. n. commune habent quæ precedunt apud Theocritum, cum iis quæ præcedũt apud Virgiliũ: ac ne hæc quidem de apibus dicũtur apud Theocritum ab eo, qui

qui alium inuitare velit ad locum, in quo illæ sunt, aut saltem in quo illarum bombus auditur. * *Georg. 3. de Mincio,* & tenera prætexit arundine ripas. *E sacra quercu, Iouis scilicet. Huiuscemodi inuitationes sub arbore, vmbra quietisq; capiunda, cum commendatione à susurru frondium è leni ventulo, & alijs deinum illecebris, extant aliquot in Anthologia. Tit. εἰς δένδρα. Vnam lectori recitabo, est autem in persona Panos, cui pinus sacra.*

Ἔρχεο καὶ κατ' ἐμὰν ἵζευ πίτυν, ἃ τὸ μελιχρὸν
Πρὸς μαλακοὺς ἠχεῖ κεκλιμένα ζεφύρους.
Ἠνὶ δὲ καὶ κρούνισμα μελισταγές, ἔνθα μελίσδων
Ἡδὺν ἐρημαίοις ὕπνον ἄγω καλάμοις.

Id est, Veni mi viator, & conside paululum iuxta meam pinum, quæ Zephyro tenui, seu placido agitata, sonum edit gratissimum. Ecce præterea salientem fonticulum aqua dulcissima, vbi ego Pan modulans agrestibus calamis, somnum suauem hic requiescentibus concilio. NEQVE EGO ALCIPPEN, NEC PHYLLID.) Neque Alcippen, vt Corydon, neq; Phyllida, vt Thyrsis, ait Seruius. DEPVLSOS A LACTE) Sic Eclog. 1. *quò sæpe solemus, Pastores ouium teneros depellere fœtus.* Et Eclog. 3. *Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis.* Horat. Ode 4. lib. 4. *fulua matris ab vbere Iam lacte depulsum leonem.* Varro æquè, lib. 2. cap. 3. cum depulsi sunt agni à matribus, diligentia adhibenda est, ne desiderio senescant. Ibid. cùm porci depulsi sunt à mamma. Hoc idem dicit eodem libro à mammâ, à matre disiungere, à matre, à lacte remouere. Vulgò ablactare dicunt. Agnos autem subrumos dicebant, qui sub mammis essent: mamma siquidem rumis, siue ruma dicebatur, vt à lacte lactentes. Contrarium, ad mammam accedere, contrarium intellige illis, à lacte, à mamma depelli, disiungi, &c. Iacob.

A Pont. CERTAMEN ERAT COR. CVM THYRS.) In Culice simile genus loquendi cernas.

Hic & fama vetus nunquam moritura per annos
Curtius, è medius quem quondam sedibus vrbis
Deuotum bellis consumpsit gurges inundans.

Ad verbum, καὶ μῦθος παλαιὸς ὁ Κούρτιος. Famam veterem, seu historiam vocat Curtium, quod & incertum tempus eius historiæ, & incerta ac varia de eo tradantur. Quod cognosces ex Varrone. Est autem hellenismus. Ioseph. Scalig. in Append. Idem in Manil. λέξις ἐσχηματισμένη, vt, tertia palma Marcellus. * *Corydon, & Thyrsis erant certamine magnum, sic intelligi debet, Corydoni & Thyrsidi erat certamen magnum. Seruius figuratam locutionem vocat.* POSTHABVI TAMEN ILLOR.) Cic. in Partit. Deinde

B ista studia tua (alloquitur filium) vel maximis meis occupationibus anteferrem libenter. Lib. 1. Æneid. *quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam Posthabita coluisse Samo.* Seria, subaudimus negotia: erat enim, sicut debebat, illi cordi amissus caper. Sed si ludus quod faciebant Corydon & Thyrsis, quomodo suprà dixit, certamen magnum? An ibi ironicè locutus est, sicut reuera potuit? an ex sensu illorum ita appellauit? Iacob. Pont. ALTERNIS IGITVR CONTENDERE) Homerus quoq; Musas alternis canentes inducit Iliad. 1. ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ. Et obseruandum, Eclog. 3. fuisse binos versus alternos, quinta vicenos quinos, hic quaternos. Musæ autem volebant illos alternos meminisse, id est alternatim, & memoriter canere. ALTERNOS MVSÆ MEMINISSE.) Eclog. 3. *amant alterna Camœnæ.*

C. Nymphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen
Quale meo Codro, concedite (PROXIMA PHOEBI
VERSIBVS ILLE FACIT) aut si non possumus omnes,
Hîc arguta sacra pendebit fistula pinu.
T. PASTORES HEDERA CRESCENTEM ORNATE POETAM
Arcades, INVIDIA RVMPANTVR VT ILIA CODRO.
Aut si vltra placidum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
C. Setosi caput hoc apri tibi Delia paruus,
Et ramosa Mycon viuacis cornua cerui.
Si proprium hoc fuerit, leui de marmore tota
Puniceo stabis suras euincta cothurno.
T. Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.

NYMPHÆ LIBETHRIDES) Libethrus fons Magnesiæ, vnde nomen hoc habent Musæ, vt ab aliis alia. Fontis huius apud Plinium, & Solinum extat mentio. Est & Libethrus mons apud Pausaniam, in quo & fons, & Musarum Libethridum simulacra fuisse dicuntur. Codrus eximius quispiam inter pastores cantor, amicus Corydonis. PROXIMA PHOEBI VERSIBVS) Secundum intelligitur, quod statim sequitur: proximum verò etiam longè remotum est: dummodo inter duo discreta nihil medium interiectum sit. Ita autem proximos Phœbi carminibus esse verisimile est, quantumuis magni poetæ mortalis versus. Cùm verò *facit*, ait, respicit Græcorum τὸ ποιεῖν, ποίημα. Certè & absolutè enunciauit Aristot. de anima lib. 3. καθὰ Σιμωνίδης ἐποίησε. Suprà, cùm adiecto, *facis noua carmina.* German. & Lamb. in Horat.

C * *Cantorem, seu musicum, seu fidicinem, fatidicum, medicum, iaculatorem, & poetam demum Apollinem poetæ faciunt. Antiqui (vt Homerum, credo, maximè laudarent) non ipsum, sed Apollinem reuera sub nomine Homeri versus illos fecisse dictitarunt.* HIC ARG. SACRA PEND. F. P) Horat. epist. 1. lib. 1. *Veianius armis Herculis ad postem fixis.* Nam qui artem gladiatoriam, militarem, aut aliam desinebant, eius instrumenta diis suspendebant, sacrabantq; ipsius potissimum artis præsidibus, vt etiam notauit Turneb. lib. 6. cap. 9. Vnde & epigram. Græcor. lib. 6. τρύπανον ἐκ τέχνης ἄθλιον πανόμενος. Et eodem libro.

Ὁ γεωπὸς Διόφαντος ἀνάθηκε θεῷ τῷ τέχνης,
Ὡς θέμις, ἀρχαίης λείψανα τεχνοσύνης.

Item.

Καλλιμένης μούσαις ἀποπαυσάμενος καμάτοιο
Θῆκεν ἐπεὶ γῆρας κωλύεν ἐγγελάσαι.

Tibull.

Tibull. lib. 2. eleg. 5.

Pendebatq́; vagi pastoris in arbore votum
Garrula syluestri fistula sacra deo.

Sic puellæ iam factæ nubiles, suas pupas Veneri, Laribus bullas pueri qui ex ephebis excessissẽt, Veneri speculum meretriculæ. Et Entellus lib. 5. *hic victor cæstus, artemq́; repono.* Sic Timon diues repẽte factus, apud Lucianum, Pani ligonem & sagum suspendit. Et Horat. de sua barbito, velut emeritus, Ode 26. lib. 3.

Nunc arma, defunctumq́; bello
Barbiton hic paries habebit.

Pariter Corydon iactat, se fistulam suspensurum, & musicam abiecturum, nisi carmina Phœbæis carminibus similia cantauerit. German. & alij. * *Sententia carminis hæc subiecta est. Si excellentia illa Codri tanta est, vt communicari cum nemine possit, si Codrus est inimitabilis, non est cur post hac velim cantare, suspendam fistulam ad pinum hanc sacram Cybela. En quam est ambitiosus hic pastor: quasi non honestissimum sit, etiam in summis rebus summa sequentem, in secundis, tertijs, vel etiam infra tertias consistere. Nec verò cõtinuo nullus est, qui perfectissimus non est.* HEDERA CRESCENTEM ORNATE POETAM) Codrum Corydon nimiopere commendauerat: quam commendationem irridet Thyrsis, eiq; alium quendam nouum poetam tacito nomine opponit, qui vel maior Codro futurus sit, adeo, vt ille vel inuideat, vel malignè, & aduersus animi sententiam laudet. Hedera, siue edera, (vtroq; enim modo scribitur) dicta quod hæreat parietibus, nimirum vetustis, ruinosis, quibus consueuit adnasci, aut aliis etiam rebus: siue quod edita petat, & in altissimos quoque parietes se propaget. Quæ in tutela Liberi putabatur esse: quia vt ille iuuenis semper, ita hæc semper viret: vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum, illigat. Festus. De edera quercum annosam complectente & inumbrãte, & ita velut gratiam referente nutrici suæ, rotundissimum profectò, & velut ab ipsis dictatum Musis epigramma Angelij Colotij hic venusto lectori inseram.

Sumnascentem ederam trabeati in colle Quirini
Nutrierat densis quercus opaca comis.
Nunc, quia victa æuo viduata est frondibus arbos,
Pro merito altricem vestit alumna suam.

Laurum & ederam sæpenumerò in ore habent poetæ, suorumque ex hisce frondibus coronamentorum frequenter meminerunt. Id quamobrem faciant, & vndenam, quibusúe de caussis se vel ipsi coronis huiusmodi inducerent, vel induerentur, perpaucis adhuc probè exploratum atq; perceptum existimare libet. Quapropter fideli cum attentione hanc dissertatiunculam nostram debent excipere, qui & ea quæ dicturi sumus, nondum perceperunt, & ex liberaliore doctrina rerum non modò vberem fructum, verùm etiam oblectamentum magnum accipere consueuerunt. Hinc igitur sumamus initium.

Auorum nostrorum memoria, qui in facultate poetica plures quasi numeros consecuti essent, ac se vulgo versificatorum iam exemissent, a Pontificibus maximis, Romanisq; Imperatoribus laurea cæpti sunt coronari. Quam consuetudinem manasse ab agone Capitolino, quem Domitianus instituit, in quo poetæ, rhetores, aliarumq; professionum homines certare, & ab ipso Imperatore coronari ad similitudinem ludorum Olympicorum, sed querna corona solebant. Confirmat Scalig. F. Ausonian. lect. lib. 1. cap. 10. Excellens honor, illustris gloria, non quidem in ipso serto, siue corona, quæ vix diobolaris esset; vt etiam illæ, quæ in quatuor sacris Græciæ certaminibus dabantur præmio victoribus, de quibus Anthol. lib. 1. epigr. 2. sed in ipsa approbatione, gratulatione, iudicio, testimonio tantorum monarcharum, potentissimorumque principum: cuius testimonij atque iudicij nullum hoc genere coronationis conuenientius potuit, magisq; proprium vsurpari indicium atq; argumentum, vt infra planum fiet. Hoc autem decus primò eò peruenit, vt eo commoti (cùm nimirum tantam in poetas nobiles dignitatem conferri intuerentur) plures illius artis cupiditate

A exardescerent: atque ita honestissimum carminis condendi studium aleretur, maioreq; diligentia (non enim omnia sunt in natura, quod alibi docuimus: permultum quoque labor, & præcepta in poetis vendicant) excoleretur. Quamquam hoc nostro æuo nimium crebri visuntur isti laureati. Et quia comparatum est, vt vulgata à laude, & admiratione remota ponantur, contigit, vt ob laureatorum, seu (vt se iam ipsi, spreto antiquo nomine appellare cœperunt) coronatorum poetarum multitudinem honor vix amplius honor censeatur, & excellentiores poetæ laurum istam, sicut ille 2. de Orat. in facetiis turmales statuas, negligant: Catonemq́; imitentur, qui cùm interrogaretur, cur ei statua, vt alijs, non esset locata, respondisse fertur: malle se posteritatem quærere, cur Catoni statua locata non esset, quàm cur esset. Deinde, vt in viam redeamus, hac ipsa coronatione cuiusdam vetustæ consuetudinis, eiusque præclaræ nobis recordatio redintegratur ac renouatur. Imperatoribus namque relata de hostibus victoria, & poetis insignioribus coro-
B nas è lauro offerri mos tenebat (ne falsò putemus nostrorum Cæsarum, aut Pontificũ hoc esse inuentum, poetis coronam imponere.) Illis, quod, sicut inter arbores laurus de cælo nõ tangitur: ita ipsi hostium fulmina nulla pertulissent. Hinc item in triumphi pompa milites sertis laureis velati tempora, Imperatorem gratulabũdi prosequebantur. His verò, poetis inquam, quoniam laurus Apollini dicata est, cuius etiam in tutela sunt vates: & æternùm viret, vt nomen & fama poetarum, quæ viuit, & viret annis innumerabilibus: quia carmina morte carent, & nullius agricolæ stirps tam diuturna, quàm poetæ versu seminari potest. Cic. 1. de leg. Quoties ergo laurum suspirant, & hanc sibi coronam precantur, immortalitatem sese mereri insinuant. Velut Horatius Ode vlt. lib. 3.

—— sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Ac de lauro quidem ista disputata sunto.

C Nunc, vt proposuimus, de edera disseramus. Solebant veteres poetæ caput edera redimire, cuius rei testes apponam potissimùm duos, Virgilium, & Horatium. Nam ille Eclog. hac ipsa. *Pastores edera crescentem ornate poetam.* Ad quem versiculum Seruius tradit, ideo bonos, & victores poetas edera coronari: vel quia Libero dicati essent (quod scriptum est apud Horat. quoq; epist. 19. lib. 1. *Vt malè sanos Adscripsit Liber Satyris, Faunisq́; poetas.* Dicati porrò, quod velut Bacchus, seu βακχεύοντες insaniunt, & insanire dicuntur. Itaque idem Horatius Ode 25. lib. 3.

Quò me Bacche rapis tui
Plenum? quæ in nemora, aut quos agor in specus?)

vel quia, vt ederæ folia commanducata, agunt homines in furorem, teste Plutarcho in problematis: ita in poetis motus sit quidam diuinus, quo concitati, sæpe furibundis similes ea canunt, quæ trãquilla iam mente, suique facti compotes, vix ipsimet assequuntur. Hæc ratio in idem cum antecedẽte redit: vel quia suam semper vi-
D riditatem obtinent ederæ: & ita carmina æternitatem & merentur, & auctoribus suis pariunt: quod etiam suprà de lauro dicebamus, eam hanc ob caussam ad poetas insigniendos consuetam adhiberi. Quanquam virorem tam lauri, quàm ederæ non plus ad indicandam poetarum in sæculo duraturam famam, quam ad notandum, eos, qui talibus coronis essent digni iudicati, ingenio siue natura, & arte excellere, viri quidam eruditi valuisse ratiocinantur. Etenim per laurum ingeneratam ingenio vim, venæq; Apollineæ afflatu locupletis vbertatem: per ederam autem ipsam artem, industriamq; peruigilem putant debere intelligi: siquidem edera per se, & suapte natura imbecilla, semper humi serpit, nec aliquando se sursum tollit: labore verò culta, & adminiculorũ appositione, siue ad arbores, siue ad parietes applicata sic proficit, vt altissimè ascendat, omneq; fastigium superet. Ita vtroq; opus esse Poetis, ingenio videlicet, & studio: quod etiam Horat. ad Pisones monuit: cuius cũ de ederacea corona versiculum adiecerimus, hanc disputationem
E claudemus. Ode 1. lib. 1. *Me doctarum ederæ præmia frontium Dijs miscent superis.* Epist. 3. lib. 1. *seu condis amabile carmen Prima feres ederæ victricis præmia.* Iacob. Pont. INVIDIA RUMP. VT ILIA CODRO) Aristophanes Pluto. διαῤῥαγείης. Demosthenes oratione contra Cononem. αἰτίας ἐκ τούτου, οὐδ᾽ ἂν διαῤῥαγῇ. M. Tullius in Vatinium, rumpantur, inquit, ista ilia. Propert. lib. 1. eleg. 8. *Hic erit, hic iurata manet, rumpantur iniqui.* Vrsin. * *Rursum Demosthen.* [illegible], ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ τῆς εὐβοίας ὁ Φίλιππος ἐξηλάθη, τοῖς μὲν ὅπλοις ὑφ᾽ ὑμῶν, τῇ δὲ πολιτείᾳ, καὶ τοῖς ψηφίσμασι, κἂν διαῤῥαγῶσί τινες τούτων, ὑπ᾽ ἐμοῦ. *Id est, Postquam igitur eiectus ex Eubœa Philippus, armis quidem à vobis, consilio autem reipub. administrãda, & decretis (etiamsi quosdam illorum disruptum iri videam) à me. Libet adijcere festiuum Martiale epigramma ad Iulium in quendam, quem hic morbus vexabat. Et puto Martialem Virgiliana phrasi captum, ad eam toties alludere, verbo rumpitur voluisse. Est autem lib. 9.*

 Rum-

Rumpitur inuidia quidam, charissime Iuli,
Quod me Roma legit, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, tribuit quòd Cæsar vterq;
Ius mihi natorum, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd rus mihi dulce sub vrbe est,
Paruaq; in vrbe domus, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quod sum iucundus amicis,
Quòd conuiua frequens, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quòd amamur, quódq; probamur.
Rumpatur, quisquis rumpitur inuidia.

Catullus quoq; de Lesbia.

Nullum amans verè, sed identidem omnium
Ilia rumpens.

Horat. sat. 3. lib. 2. Non si te ruperis, inquit, Par eris. *Et ep. 3. lib. 1.* Rupit Hiarbitam Timagenis æmula lingua. *Cum dicimus quempiam rumpi inuidia, nihil aliud volumus, quam eum discruciari vehementer, & marcescere, & tabescere isto morbo. Nec fuit vlla vnquam eminentia, quæ careret inuidia, vt ait Tacitus. Et Velleius lib. 1. Assidua eminentis fortuna comes inuidia, altissimisq; adhæret.* BACCARE FRONTEM CING. NE NOCEAT. M. L.) Laudari interdum ab aliquibus antiqui metuebant, & eam laudem vim fascini habere credebant: vt apud Plinium legimus libr. 7. cap. 2. quarundam familiarum in Africa laudatione interire probata, arescere arbores, emori infantes. Idcirco ab illis, à quibus id metuebant, addi præfiscinè vel præfiscini volebant: quod est, sine fascino, vt testarentur aduerbio, non se fascinandi voluntate, sed laudandi animo, sine liuore vllo, candidéq; loqui. Insigne mihi videor apud Charisium huius loci exemplum, C & adscriptu dignissimum legisse. Ait Charisius lib. 4. Institut. Grammat. *Præfiscini*, Titinius in Setina. *Paula mea, amabo.* Ecce qui loquitur. Mox persona, quæ id metuit, & præfiscini, metu fascini addi postulat ad laudem. *Pol tu ad laudem addito præfiscini*, ne scilicet (addit Charisius) puella fascinetur. Turneb. lib. 27. cap. 23. * *Tertullianus lib. de Virginibus velandis. Nam est aliquid etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis & gloriæ enormioris euentum. Hac ille. Qui tamen laudabatur, et laudationem nihil credebant nocituram, si quodam amuleto esset præmunitus, quale hic baccar herba.* MALA LINGVA) Catullus.

Quæ (basia) nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Mala lingua, vel quia mali hominis, & inuidi: vel quia D mali cuiuspiam conciliatrix, ab effectu scilicet μελανοπυγμαῖος, vt frigus pigrum. Iacob. Pont. SETOSI CAPVT HOC APRI) Sensus est, ô Delia, syluarum & venationum dea, paruus Mycon uenator tibi ponit, vel suspendit caput hoc apri, & hæc cerui cornua: quòd te propitia fęliciter sit venatus. Hic potest videri prius votum persoluisse. Votum iterat his verbis. Si fuerit hoc proprium, id est, perpetuum, & firmum, vt semper te iuuante mihi fęliciter venari contingat, vt apros, & ceruos capiam, statuam marmoream habitu venatricis tibi ponam. Modicius cap. 8. De præda dijs immolabant, & partes etiam quasdam eis interdum suspendebant de tholo, & consecrabant, vt hic Dianæ aprorum capita, & ceruorum cor- E nua Myco. Sic lib. 9. Æneid. *Si qua meis venatibus auxi, Suspendiue tholo, aut sacra ad fastigia fixi.* Turneb. lib. 4. cap. 22.

Quam decẽter venatrici deæ offert venatoria munera? Et quod infra statuam ei positurũ vouet cruribus cothurnatis, ne in eo quidem à venatorum habitu discedit. Sic enim Venus schemate venatorio Æneæ filio in media sylua se offerens lib. 1. Æneid. & Carthaginensem virginem simulans,

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoq; altè suras vincire cothurno.

Multa erant Romæ fana Dianæ: & cum reliquis ceruorum cornua affigi mos esset, ei quod in Auentino erat, A boum cornua affigebantur. Caussam tradit Plutarchus Quæst. Rom. quæst. 4. Sunt autem duo hi versus epigramma ἀναθηματικόν. In quo genere vsitatissima est, ἀνατίθησι, dicat, offert, consecrat. Sic in 3. Æneid. *Æneas hæc de Danais victoribus arma.* Iacob Pont. VIVACIS CERVI) Viuacior ceruo, prouerbium. De cuius tamen viuacitate, & vt ita dicam, annositate, vereor ne falsa prædicentur à nonnullis scriptoribus. Vide Pierium lib. 7. in Ceruo. Ibidem cur Diana ceruis tantùm, & capris gaudeat. Iacob. Pont. SI PROPRIVM HOC FVERIT) Afranius Vopisco. *Dij tibi dent propria quæcunq; exoptes bona.* Attius Armorum iudicio. *Nam non facile sine deûm opera propria humana sunt bona.* Horat. *nihil amplius oro, Maia nate, nisi vt propria hæc mihi munera faxis.* B * *Lib. 6. Æneid.* nimium vobis Romana propago Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent. *Quid porrò est istuc proprium, quod puer ille sibi optabat: & ignorare impunè licet.* DE MARMORE TOTA) Solent enim plerunq; caput, vel thoraca facere. Philargyrius. Leue marmor est λεῖον, politum, & nitens, laboratum. PVNICEO COTHVRNO) Rubeos gerebant cothurnos, & huius coloris calceatum amabant mulieres: hinc illud Persij Saty. 5. *solea puer obiurgabere rubra.* Turneb. lib. 28. cap. 16.

Pro puniceus inuenitur ét apud Lucret. in manuscript. pœniceus; vt moenera pro munera. Poeniceus autẽ, seu puniceus color differt à purpureo, & cæruleo. Ac differentia quidem punicei coloris, & cærulei nota est: sed C punicei, & purpurei fortasse non ita. Purpureus color igitur ex sanie, & cruore purpuræ piscis conficiebatur. Ex quo eum credibile est ruborem fuisse nigricantem. Puniceus color verò fortasse ex palma, & similibus plantis fiebat, isq; rubor dilutior, floridior. Varro lib. 4. de ling. lat. Pœnicum purpuræ genus ex Carthagine primùm allatum. Lamb. in Lucret. SINVM LACTIS) Quem Græci δῖνον vocant (eo autem nomine vas intelligitur ventris tumidioris, & rotundioris formæ, vt conijcio) Latini appellant sinum. Idem nomen & in Curculione Plauti extat: syllabæ certè proceritas in vtroq; coniecturæ fauet, & vocabuli similitudo: tantùm vereor, ne mutatio literæ, d, in, s, insolentior videatur. D Sed cum ἴσμεν & ἴδμεν dicatur etiam ab ipsis Græcis & ὀσμὴ atq; ὀδμὴ, quid mirum est ab alienigenis eam esse permutationem factam, qui omnia solent ore suo vel corrumpere, vel aliquantum contaminare? Turneb. lib. 1. cap. 16.

Varro lib. 4. de ling. lat. dum origines nominum in poculis inquirit, Vas vinarium grandius sinum, ab sinu: quod sinum maiorem cauationem, quam pocula habeat. Collumella lib. 7. cap. 8. Minimum autem coagulum recipit sinum lactis, argentei pondus denarij. Veteri autem religione, vt perscrutator antiquitatis egregius Iustus Lipsius notat, Antiq. lect. lib. 2. cap. 18. minores, & quasi semipagani dij, in quibus etiam Priapus, non victi- E mis, aut vino, sed lacte duntaxat, libo, & frugibus in patella appositis placabantur: nec misellis illis Iouem comitari licebat, μετ' ἀμύμονας αἰθερίων. Itaq; peritè ad hunc morem Virgilius. Et Priapus apud Catullum cautè sileri iubet, quòd villicus illi interdum hircum, aut capellam faceret, ne hunc extraordinarium honorem alij dij inuiderent.

Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipesq; capella.

* *Animaduersum video à quibusdã veterum memoria peritis, Mercurio lacte supplicatum: ad eloquentiæ, cuius ille præses, declarandam suauitatem videlicet.* CVSTOS ES PAVPERIS HORTI) Agris & hortis custodiendis Priapus è ligno fabrefactus præponebatur, ad fures & aues terrendas scilicet: quare

propter

propter illos falcem, aut fustem gerebat in dextra: propter has arundinem in vertice. Horat. satyr. 8. lib. 1. *ego furum aviumq́; Maxima formido.* Tibull. lib. 1. eleg. 1. A

Pomosisq́; ruber custos ponatur in hortis,
Terreat vt sæua falce Priapus aues.

Sed hortus alius alio ditior, cultior: sicut ager agro fœcundior. Pauperum horti sint sanè pauperes. NVNC TE MARM.) Hos duos versus ἐπαρῴδησεν Auson. epigram. 5. in Valentinianum minorem, Gratiani fratrem, subscribendos videlicet eius signo.

Nunc te marmoreum pro sumptu fecimus: at, quum
Augustus frater remeauerit, aureus esto.

Eosdem in re graui & lugubri æmulatus est Silius lib. 7. vbi Fabio contra Annibalem cum copiis profecto, matronæ Romanæ Iunoni pro Repub. supplicant, pallam ei auro intextam offerentes. B

At dum decrescit matrum metus, hoc tibi diua
Interea velamen erit. Si pellere nostris
Marmoricam terris nubem dabis, omnis in auro
Pressa tibi varia fulgebit gemma corona.

Iacob. Pont. SI FOETVR. GREG. SVPPLE.) Stat. Thebaid. lib. 10. *Cui fœtura gregem pecoroso vere nouauit.* AVREVS ESTO) Quomodo tam audet Thyrsis promittere simulacrum aureum? Primùm lex ista est carminis amœbæi, vt aut æquale, aut contrarium, aut maius dicatur. Alter de marmorea Diana loquebatur, quam ei dedicaturus erat Mycon, aut pro Mycone ipsemet Corydon; hic aureum deum promittit. Deinde mos est hominibus, etiam Christianis quibusdam, vouere, quæ præstare non cogitant. Veruntamen Deus non irridetur. Respexisse putat Virgilium Chiliastes ad Græcorum prouerbium, aureus in ὀλυμπία statuêre, cùm quempiam summo præmio dignum significare vellent. Iacob. Pont.

C. Nerine Galatea, THYMO MIHI DVLCIOR HYBLÆ,
Candidior cygnis, hedera formosior alba:
Quum primùm pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
T. Immò ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, PROIECTA VILIOR ALGA,
Si mihi non hæc lux toto iam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuuenci.
C. Muscosi fontes, & somno mollior herba,
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus vmbra,
Solstitium pecori defendite: iam venit æstas
Torrida, iam læto turgent in palmite gemmæ.
T. Hîc focus, & tædæ pingues, hîc plurimus ignis
Semper, & assidua postes fuligine nigri.
Hîc tantùm Boreæ curamus frigora, QVANTVM
AVT NVMERVM LVPVS, aut torrentia flumina ripas.

Theocrit. Idyll. 11. C

Ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ᾽ ἀποβάλλῃ,
Λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα δ᾽ ἀρνὸς,
Μόσχω γαυροτέρα, φιαρώτερα ὄμφακος ὠμᾶς.
Candida cur Galatea tuum auersaris amantem?
Caseolo quæ candidior, quæ mollior agno,
Et vitulo lasciua magis: sed acerbior vua
Immatura,

Virgilius satis habuit illud comparatiuum λευκοτέρα interpretari, & tamen ita, vt λευκότητα eius, id est, candorem, cum alia re, quàm Theocritus, compararet: nimirum cum cygnis. Nam Theocritus cum lacte coacto (ita enim πακτᾶς puto nos posse interpretari) confert. At Naso in illa sua imitatione, in qua mirum in modum luxuriat, non cygnis, vel lacte coacto candidiorem dicit, sed molliorem vtroque horum. D NERINE) Nerine tale est, quale est apud Catull. de nupt. Neptunine, apud Theocrit. & Callimach. ὠκεανίνη. Post deorum cultum ad amores transit, sicut & superius in tertia faciebant pastores. Quę porrò hic comparationes adducuntur duorum generum, priores, quibus laudatur Galatea; posteriores, quibus semet Thyrsis sub conditione vituperat, mirè concordant cum illis, quas plurimas Polyphemus lib. 13. Metamorph. in Galateam siue morigeram sibi, siue repugnantem confert.

Candidior folio niuei Galatea ligustri,
Floridior prato, longa procerior alno,
Splendidior vitro, tenero lascinior hœdo,
Leuior assiduo detritis æquore conchis, &c.

German. CANDIDIOR CYGNIS) Quemadmodum ad eximium rei cuiuspiam candorem exprimendum valet, candidior niue, sic etiam, candidior cygno. Quid enim, quæso, hac volucre candidius, aut coruo quid nigrius? Sic alicubi Martialis.

Toto candidior puella cygno
Argento, niue, lilio, ligustro.

Laudantur his quidem locis meretriculæ, quod nos facere probum non est. At scire quibus comparationibus candorem eximium declares, & exprimas, quando vsus venit, improbum non est. Idem de multis aliis velim accipias. Contra, aliam idem Martial. vocat nigriorem nocte, formica, pice, graculis, cicada. Et quid his vidisti nigrius? Est autem in fabulis, Cygnum fuisse Steneli Ligurum regis filium, materno genere coniunctum Phaetonti. Quem dum ad Eridanum seu Padum flumen summersum luget, in auem sui nominis migrauit. Eam migrationem, simulq́; caussam breuiter & eleganter exposuit lib. 10. Æneid. Virgil.

Namque ferunt luctu cygnum Phaetontis amati
Populeas inter frondes, vmbramq́; sororum
Dum canit, & mœstum Musa solatur amorem,

Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras, & sidera voce sequentem.

Exponit eandem, & naturam auis huius, vnà cum sororum eius, Phaetontis inquam, transmutatione Ouid. lib.2. Metamorph. quos versus in decimo, ad locum citatum proferemus. Cygnus animi candorem notat in hieroglyphicis. Lege Pieriũ lib. 23. in Olore, & ibidem de eruditis quibusdam à candore laudatis Iacob. Pont. SI QVA CORYD. H. T. C) Horat. Ode. 1. Epod.

Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet.

Virgil. Eclog. 1. quod magis affine est. *Ergo alacris syluas, & cætera rura voluptas, Panaq́, pastoresq́, tenet.* * *Tui Corydonis inquit, παιδικώτερον, quam si diceret, mei. Supra Eclog. 2.* Te Corydon, ô Alexi. *Et lib. 12. Æneid.* Per si quis Amatæ tangit honos animum, *ipsa Amata hæc ad Turnum.* IMMO EGO SARDOIS) Sunt qui existiment hos versus esse verba Galateæ, respondentis ad ea, quæ Corydon in illis quatuor versib⁹ ipsi dixerat: quum Thyrsis personam Galateæ sustineat. Monet Steph. De Sardoa herba, & risu Sardonio vide quid afferat cum Erasmus adagio, Risus Sardonius, tum Rhodigin lib. 20. cap. 19. Nicolaus Leonicus variar. histo. lib. 1. cap. 1. Sardorum sanè insulam, in qua huiusmodi genus herbæ gignitur, pestilentem esse, notum est satis, & Martialis docet lib. 4.

Nullo fata loco possis excludere: cum mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia est.

Pausan. lib. 10. Eadem insula (Sardinia) est venenorum omnium, & lethalium stirpium expers. Vna est herba pernitiosa, apio persimilis. Qui eam comederint, ridentes emoriuntur. Ex eo Homerus primùm, post alij Sardonium eum dixerunt risum, qui simulatione quadam, & cum stomacho ederetur. Sardiniam describit Diodorus lib. 5. cap. 5. Silius lib. 12. Strabo lib. 5. vbi inter cætera. Bonitati soli oppositum est vitium, quod per æstatem insula morbosa est, ibi præcipuè, vbi feracissima est. Cum prius Ichnusa à similitudine humani vestigij diceretur, postmodum a Sardo filio Herculis Sardiniæ nomen inuenit. VILIOR ALGA) Alga, inquit Festus, herba, quam mare ad littus proijcit. Deinde hæc verba Maronis profert. Horat. Ode. 17. lib. 3.

————————foliis nemus
Multis, & alga littus inutili
Demissa tempestas ab Euro.

Et sat. 5. lib. 2. *Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior alga est.* Iacob Pont. LVX TOTO IAM LONG. ANNO) Horat. epist. 1. lib. 1. *Vt nox longa, quibus mentitur amica.* Lux pro die dictum est. Ita etiam Euripid Hecuba. Ἰδαῖον ἴδω φέγγος αἰωροῦμαι. Vrsin. * *Catull de com. Berenices, festis luminibus pro festis diebus.* Placabis festis luminibus Venerem. *Ennius item Medea, lumen pro die vsus est, dum Euripideum hoc,* Εἰσ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεταί θεοῦ, *ita conuertit.* Si te secundo lumine hîc offendero. ITE DOMVM PASTI, ITE IVVENCI) Ad stabula iuuencos redire iubet, ob caussam, quæ ex superioribus intelligitur. Et addit, *si quis pudor,* propter eorum auiditatem in pascendo nimium. Iacob Pont. Ad repetitionem verbi quod attinet, talis est in Tityro, *Ite meæ felix quondam pecus, ite capellæ.* Et in Gallo. *Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.* SOMNO MOLLIOR HERBA) Somnus sæpè mollis dicitur. Herba somno mollior, videtur esse, mollis ad somnum capiendum, vt sit comparatiuus pro positiuo, quod est solenne poëtis. Et talis somnus agrestibus est mollissimus, & iucundissimus. Eclog. 5. *Tale tuum carmen nobis, diuine poeta, Quale sopor fessis in gramine.* Iacob Pont. RARA TEG. ARBVT. VMBRA) Arbutus genus arboris agre-

A stis: arbuta dum matura sunt, fragorum formam, & colorem referunt. Fruticosa quidem arbor, sed raram vmbram præstans. SOLSTITIVM PECORI DEFENDITE) Aduersus calorem solstitialem æstatis, optat vmbras pecori suo Corydon. Pecori dictum pro, à pecore. *Defendite* hic & alibi sæpissime apud idoneos scriptores idem est, quod arcete, repellite, propulsate, auertite. Horat. Ode 17. lib. 1.

Velox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, & igneam
Defendit æstatem capellis
Vsq́, meis, pluuiosq́, ventos.

B Plaut. Rud. *Vt illas serues, vim defendas.* Propert. *Nympharum cupidas semper defende rapinas.* Cic. in Catone. & nimios solis defendit ardores. Pro Roscio Amerin. Ausum esse quenquam in id conclaue se committere, cum ibidem essent duo adolescentes filij, qui & sentire, & defendere facile possent. Quo loco defendere, videtur esse prohibere [*Et 3. Offic. Etenim si is, qui non defendit iniuriam, neq́, propulsat a suis, cum potest, iniustè facit. Columella libr. 2. cap. 9. Nec aliud in egenis rebus magis inopiam defendit.*] Cæsar bell. Gall. lib. 1. Et quod bellum non intulerit, sed defenderit. Lamb. in Horat. Lips. Variar. lib. 3. cap. 22. IAM VENIT ÆSTAS) Versum hunc, & qui proximè sequitur en quomodo Calpurnius pari festiuitate, alia tamen sententia æmuletur, dum claudit quartã eclogam.

C *Nunc ad flumina oues deducite, iam fremit æstas:*
Iam sol contractas pedibus magis admouet vmbras.

Iacob Pont. IAM LÆTO TVRG. IN PAL. GEMMÆ) Eadem est ratio huius verbi *turgent*, quæ Georg. 2. illius *tument*, vbi poeta ait. *Vere tument terræ.* Ne pigeat legere, quæ in eundem versum ex doctissimi Victorij lib. 10. cap. 22. desumpsimus: Gemmæ in vitibus, & arboribus translatè dicuntur, quod vel Grammatici pueri non ignorant: sed est translatio à lapillis pretiosis. Necessitate autem rustici dicunt gemmam in vitibus: quid enim dicerent aliud? inquit Fabius lib. 8. cap. 6. Palmites vernis horis turgent gemmis, ver proximè æstas sequitur, cuius vicinum aduentum ex gemmis illis colli-

D git. HIC FOCVS, ET TÆDÆ) Theocrit. Idyll. 9.

Ἐν πυρὶ δὲ δρυΐνῳ χόρια ζεῖ, ἐν πυρὶ δ' αὖαι
φαγοὶ χειμαίνοντος· ἔχω δέ τοι οὐδ' ὅσον ὥραν
Χείματος ἢ νωδὸς καρύων, ἀμύλοιο παρόντος.
Bullit omasum igni querno: sunt arida in igni
Fagi, quum bruma est: nec tantum tempora brumæ
Curo, nuces quantum esse edentulus, est data si puls.

Legimus autem in eodem Idyllio paulo ante.

Τῶ δὲ θέρευς φρύγοντος ἐγὼ τόσσον μελεδαίνω,
Ὅσσον ἐρῶντι πατρὸς μύθων καὶ ματρὸς ἀκούειν.
Tantum autem æstatem, quamuis sit torrida, curo,
Quantum curat amans monitus audire parentum.

E HIC PLVRIMVS IGNIS) Haud mirum certè, si frigora contemnat Thyrsis, quippe cui assiduo luceat igne focus. Plurimus ignis, inquit; ergo ligna non desunt, quæ largè super foco reponantur. Tametsi etiam inde plurimus ignis, quoniam tædæ pingues, multum resinæ habentes, quod est præsens flammarum alimentum. Sed pinguium lignorum fumus admodum fuliginosus. Tæda arboris nomen est, vide Plin. lib. 16. cap. 10. AVT NVMERVM LVPVS) *Nota omnibus huius bestiæ rapacitas quam expressit fabellis suis Æsopus lepidissimè: sicut etiam fraudulentiam vulpis non vno loco.*] Potest torqueri dictum, lupus non curat numerum, in hominem oppidò furacem: immo & auarum, qui nihil pensi habet, vnde nummos ad arcam implendam corradat. Vide Chiliad.

C. Stant & iuniperi, & castaneæ hirsutæ:
Strata iacent passim sua quæque sub arbore poma:
OMNIA NVNC RIDENT: at si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas & flumina sicca.
T. Aret ager, vitio moriens sitit aeris herba:
Liber pampineas inuidit collibus vmbras:
Phyllidis aduentu nostræ nemus omne virebit,
Iuppiter & læto descendet plurimus imbri.
C. Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho:
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.
Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.
T. Fraxinus in syluis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluuijs, abies in montibus altis:
Sæpius at si me Lycida formose reuisas,
Fraxinus in syluis cedet tibi, pinus in hortis.
M. Hæc memini, & victum frustra contendere Thyrsim,
EX ILLO CORYDON, CORYDON EST TEMPORE NOBIS.

Hyperbolica dissimilium collatione quantus sit etiam inanimatorum, seu naturæ erga Alexin amor, demonstrat. Cùm enim modo læta & amœna sint omnia, eius discessu erunt mæsta, & squalida, sic, vt etiam exarescant ipsa flumina.] Theocrit. Idyll. 8.

Παντᾷ ἔαρ, παντᾷ δὲ νομοί, παντᾷ δὲ γάλακτος
Οὔθατα πλήθουσιν, καὶ τὰ νέα τρέφεται,
Ἔνθ' ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται, αἰ δ' ἂν ἀφέρπῃ
Χ' ὁ ποιμὰν ξηρὸς τηνόθι, χ' αἱ βοτάναι.
Ver ibi, pascua ibi, distentaq; passim ibi lacte
Vbera, ibi teneris fœtibus esca sua est,
Ponit vbi pulchra illa pedem virgo: vnde recedit,
Aret eo pastor, nec minus herba loco.

STANT ET IVNIPERI) Stare aliquando significat esse. Terent. Andr. *Si poterit fieri, vt ne per me stetisse credat*. Aliquando plenum esse, vt hîc. Et lib. 12. *iam puluere cælum Stare vident*. Sic apud Horat. lib. 1. Ode 9. *Vides vt alta stet niue candidum Soracte*. Sisenna. cœlum caligine stat. Aliquando horrere, vt Virgil. 6 Æneid. *stant lumina flāma*. Lucil. *stat sentibus fundus*. Donat. in Terent.

Iuniperus viret coma perpetua, vnde & topiario operi idonea: præterea cariem non sentit. Eius lignum, & rami odoratissimi: baccas fert nigras, odoratissimas, quibus in suffitionibus vtimur. Est autem Dioscoridi duplex, maior & minor, &c. IACENT SVA SVB ARB. POMA) Hoc nō omnes fortasse, quamuis facile videatur, intelligunt. Neque enim ita loquitur, sub arbore iacent poma sua quæque, quod ineptum esset: verùm ita: poma sub arbore sua quæque iacent. Itaq; sua dicitur auferendi casu, nec tam sua Virgilius, quam sa scripsit. Id autem pro sua poni, vt & sos pro suos, docet ex Ennio Festus. Guil. Canter. lib. 6. cap. 28. ARET AGER) Par pari refert, & hyperbolen alia hyperbole remunerat. MORIENS HERBA) Varro lib. 4. Virgultum dicitur à viridi, idq; à vi quadam humoris, quæ si exaruit, moritur. Virgil. Georg. lib. 1. *Et cùm exustus ager morientibus æstuat herbis*. LIBER PAMPIN.) Pampineas vmbras collibus inuidit Liber, quia nimio ardore solis pampini arescentes, frondes, quibus vuas nascentes operiant, non habent. Liber non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini, sed quoniā liberat seruitio curarū animum, & asserit, vegetioreq; & audaciorē in omnes conatus facit. Senec. de Tranq. c. 15.

Rectè igitur poetæ, *nunc vino pellite curas. mi-* A *ti curas dilue Baccho*, & sexcenta huiuscemodi, quæ tute legisti sæpius. Festus. Liber, inquit, repertor vini ideo sic appellatur, quòd vino nimio vsi, omnia liberè loquantur. Liberalia, Liberi festa, quę apud Græcos dicuntur Διονύσια. Nęuius, *liberrima lingua loquitur ludis Liberalibus*. PHYLLIDIS ADVENTV) Apud Nemesianum Idæ verba sunt, in quibus apertè huius loci imitatio cernitur.

Te sine (væ misero mihi) lilia nigra videntur,
Pallentesq; rosæ, nec dulcè rubens hyacinthus.
Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores:
At tu si venias, & candida lilia fient,
Purpureaq; rosæ, & dulcè rubens hyacinthus,
Tum mihi cum myrto laurus spirabit odores.

B Phyllidis Thraciæ metamorphosin cum causa exequitur Hyginus cap. 59. Vide infra. *Fraxinus in syluis*, &c. IVP. DESCEND. IMBRI) Descendere Iouem in nubes, cùm tonaret, fulminaret, plueret, credebāt antiqui. Inde vocabatur καταιβάτης, id est, descensor, quem Elicium Latini dicūt: quò fit, vt ad eā opinionem, cognominationemq; poetarum Latinorū illa reuocanda sint, quæ à nobis surdis auribus non audiuntur, nominatimq; citanda sunt, & suis adscribenda auctoribus, ne quē posthac fallant, quæ subiiciā. Maro eclog. 7. *Iupiter & læto descendet plurimus imbri*. Ab eadem mente & illud manauit lib. 2. Georg.

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ descendit.

C Quod tamē ex Euripidis etiam versibus imitatum & effictum est. Horat. quoq; in Epod. Ode 13. nō alia de caussa scripsit, *& imbres, Niuesq; deducunt Iouem*. Nam Iupiter de cœlo deducitur priscorum superstitione, & sententia, cùm in imbres descēdat. Turneb. lib. 9. c. 9. POPVLVS ALCIDÆ GRATISS.) Quæ arbores quibus numinibus dicatæ sint, enumerat Corydon: Thyrsis autem, quæ vbi proueniant. Nemesian. eclog. 2.

Nam dum Pallas amet turgentes sanguine baccas,
Dum Bacchus vites, deus & sua poma Priapus,
Pascua læta Pales, Idas te diliget vnam.

Iam huius carminis, *Populus Alcidæ gratissima*, &c. & quæ deinceps sequuntur septem, sententiam & artificium fusè & eruditè tractauit Nannius lib. 6. cap. 10. ad quem te remittimus. Iacob. Pont. FRAXINVS IN SYLVIS)

Imitatus est hunc locum haud illepidè Calpurnius, sicuti alios quamplurimos è Virgilianis Bucolicis: imitatus est, inquam, eclog. 3. in hunc modum.

Te sine vel misero mihi lilia nigra videntur,
Nec sapiunt fontes, & acescunt vina bibenti.
At si tu venias, & candida lilia fient,
Et sapient fontes, & dulcia vina bibentur.

Et Nemesian. eclog. 2.

Te sine vel misero mihi lilia nigra videntur,
Pallentesq́; rosæ, nec dulce rubens hyacinthus, &c.

Quos versus vter alteri furatus sit, aliis iudicandum relinquit Scaliger Poet. lib. 5. cap. 5. Calpurnium quidem ad Nemesianum suas misisse eclogas, ex Flauio Vopisco patet. De fraxino dicetur ad 2. Georg. ibi, *Plantis & duri coryli nascuntur, & ingens Fraxinus.* Iacob. Pont. ABIES IN MONTIBVS ALTIS) Quia laudatissima abies in Alpibus, & Apennino nasceretur, vt Plin. lib. 16. cap. 10. prodidit, coniicit eò respexisse Virgilium V.C. Marcus Velserus, lib. 4. de Augustan. antiquitat. opere ad Cleanthis vtique lucernam elaborato. VICTVM FRVSTRA CONT. THYR.) Sæpius mecum cogitaui, quidnam illud esset, cur Virgilius Corydoni potiùs, quàm Thyrsidi palmam canendi adiudicarit. Non enim temerario iudicio ab eo factum mihi persuadeo. Obseruaui Virgilium sub alieni iudicis persona incorruptissimè de suis carminibus censuram facere: atque ideo, cùm maximi faceret octauam eclogam, suum id iudicium tacitum nô habuit. *Pastorum*, inquit, *Damonis & Alphesibœi,*

Immemor herbarum quos est mirata iuuenca
Certantes, quorum stupefacta carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis musam dicemus, & Alphesibœi.

Vbi tacitè eas vires sibi in carmine adscribit, quas Orpheus habuit, neque id immeritò. Nihil enim venustius aut eloquentius hac Ecloga in toto corpore Bucolico. Nec imitatitiis rebus, sed suis inuentis minor est Theocrito. Sed vt ibi iustus est arbiter pastor: ita hic quoque eum visum esse accuratissimo iudicio non dubitandum. Vigilantissimus enim poeta, vt euentis canendi nomen quoq; personæ congrueret, elaborauit: alterum Thyrsin à Bacchica hasta, alterum ab aue vocalissima, aliàs alauda dicta, & post lusciniam primæ dignationis, Corydonem appellauit: quo nomine & in Alexide se ipsum dignatus est, per ambages indicans, quicunq; secum Bucolico carmine decertaret, quantumcunque Bacchi numine afflatus sit, nullam spem victoriæ habere posse. Principiò ferè illos æquales dotibus exhibuit, memor quòd statim in fronte Eclogæ dixerat,

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & respondere parati.

Cæterùm in fine tantum est discriminis, quantum inter lances Iouis, quibus Hectoris & Achillis fata expenduntur. Nannius lib. 6. cap. 10. EX ILLO CORYDON, CORYDON EST) Theocrit. Idyll. 8.

Κἠκ τούτω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἔγεντο.
Primus apud pastores ex illo tempore Daphnis.

Quamuis minimè dubium esse possit, quin Virgilius Theocritum in suo illo versu imitari voluerit, quum etiam eo claudat suam eclogam, sicut Theocritus illo suum Idyllium (nam penultimus est) sensus tamen latini esse idem non potest qui græci, nisi vel *Corydon* in posteriore loco aliter quàm in priore accipiamus; vel aliquid, tanquam in ellipsi subaudiamus. * *Ex illo, subaudi tempore, postquam vicit Thyrsin Corydon, est nobis Corydon, capit à nobis ob hanc victoriam obseruari ac suspici. Prouerbium in eos, quos in aliqua re victores admiramur.*



Ecloga octaua. Pharmaceutria.

SYNOPSIS.



DVabus omnino partibus consummatur istuc poematium. Priore non potest satis admirari Damon stoliditatem puellæ Nisæ, quæ sese nuptijs Mopso tradiderit: autumatq́; tam contraria in ista maritatione commissa, vt si gryphes cum equis, quibus multò sunt infensissimi, & infestissimi, redirent in gratiam, & oues lupi vltrò fugerent. Profectò sub aheneum matrimonij iugum persæpe veniunt forma, diuitijs, moribus, & ingenijs longè impares: atq; inde nimirum tot bella, tot lites. Idem Damon insuper in amoris diritatem tyrannidemq́; (expertus videlicet) grauissimè inuehitur. Et hæc quidem de prima parte. Altera è Theocriti fonte, nempe ex Idyllio eius secundo, Pharmaceutria deducitur. Alphesibæus enim personam sustinet veneficæ mulieris, quæ cantionibus, & sacris quibusdam magicis amasij sui animum à se auersum reddere sibi nititur. Statuitur ante oculos audacia, & nequitia vetularum, quarum hæc solet esse studia. Sed Maroniana à Theocriteis exitu etiam discernuntur: quòd apud Græcum tristis, & quodammodo tragicus: apud Latinum lætus, & quasi comicus reperitur. Prætexitur huic Eclogæ proœmiolum sub persona Virgilij, in quo & Augustum affatur, & pastoritium hoc ei carmen dedicatum cupit: quod cum verbis ipsis, tum sententijs quoq; peramœnum, & poetæ præterea iudicio vehementer probatum (id namque facilè ex primis versibus colligitur) fateamur necesse est. De huius inter alias Eclogas præstantia, supra ex Nannio relatum

non-

nonnihil. Nemesianus eclogographorum haud postremus, hanc posteriorem partem, versiculis aliquot in extrema quarta sua adumbrauit.

EXPLANATIONES.

DAMON, ALPHESIBOEVS.

PAstorum musam, Damonis & Alphesibœi,
Immemor herbarum quos est mirata iuuenca
Certantes, quorum stupefactæ carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus:
Damonis musam dicemus & Alphesibœi.
Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timaui:
Siue oram Illyrici legis æquoris, en erit vnquam
Ille dies, mihi cùm liceat tua dicere facta?
En erit, vt liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium, tibi desinet. accipe iussis
Carmina cæpta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

ET ALPHESIBOEI) A boum inuentione hic pastor nominatur, quod nomen etiam suprà Ecloga 5. positum reperitur. Alphesibœas item vocabant omnes elegantioris formæ puellas: quasi, quę reperirent procos, qui ipsis boues darent dotis nomine. Eo enim pecore solitos vti antiquissimos in æstimandis rebus, nondum introducto vsu nummorum, indicat vel illud τεσσαρακοντάβοιον ἢ ἑκατόμβοιον. Sic, inquam, dicebantur, quæ propter pulchritudinem reperirent magnam dotem (vxores enim à viris, non, vt nunc, viros ab vxoribus dotem accipere mos erat.) Ita Euadne dicta est, quòd bene dotata esset à Capaneo coniuge. ἕδνα enim vocabant nuptialia munera. Hęc Muret. in eleg. 15. lib. 1. apud Propertium. REQVIERVNT FLVMINA CVRSVS) Tam amplè laudat horum carmen, vt eos Orpheo æquipararet: ille enim suauitate cantus sui bestias, & flumina permulsisse, ac detinuisse traditur in fabulis. Calpurnius eclog. 2. pæne ad verbum, *Et tenuêre suos properantia flumina cursus.* Iacob. Pont.

Hoc loco, requierunt, quasi requiescerunt. Propert. lib. 2. eleg. 22. *Iupiter Alcmenæ geminas requieuerat arctos.* Sic Lucretius lib. 6. consuesco, pro consuefacio. *An tum brachia consuescunt, firmantq́; lacertos?* Et Horat. lib. 1. Sat. 4. *Insueuit pater optimus hoc me*, pro insuefecit. Alcæus in epigram. εἰς Πυλάδην idem ferè dixit. φθὸν δ' ἵστασαν αὐχέν, ἁ σεπτὸς, γραμῶν ἦχον ἐν στομάτων. Ennius in Scipione.

Mundus cæli vastus constitit silentio,
Et Neptunus sæuus vndis asperis pausam dedit.
Sol equos quater repressit vngulis volantibus.
Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.

Vrsin. * *Quid si statuamus ἀντιδιχασμὸς dictum, & ita exponamus, Flumina mutata cursus suos, id est, cursibus suis, dum non currunt, dum ad cantus horum pastorum obliti sunt decurrere, requierunt? Hoc pacto non dabimus actionem verbo huic, quod cum aliis plerumq; vult Vrsinus.* TV MIHI SEV MAGNI) Theocrit. Idyll. 1.

Ὦ Πὰν, Πὰν, εἴτ' ἐσσὶ κατ' ὤρεα μακρὰ Λυκαίω,
Εἴτε τύγ' ἀμφιπολεῖς μέγα Μαίναλον,
O Pan, Pan, siue es spacioso in monte Lycæi,
Siue peragratur mons à te Mænalus.

A Non tam ex mea, quàm aliorum sententia imitationem hic constituo: cùm talis forma dubitationis apud alios etiam poetas reperiatur, & Virgilius illum quem compellat per apostrophen (putant autem esse Augustum) non roget vt ad se veniat, sicut Daphnis apud Theocritum Pana rogat. Respicit Dalmaticam expeditionem. * *Tu mihi, subaudimus, faue, aut tale quid. De Timauo diximus pauca in 1. Æneid. super illo,* & fontem superare Timaui, *&c.* ORAM LEGIS ÆQVORIS) Legere nautarum vox est, pro præteruehi. Æneid. 3. *Littoraq́; Epiri legimus.* Et, *crebris legimus freta consita terris.* EN ERIT VT LICEAT TOTVM) Quis neget huic loco persimilem videri illum è Culice, statim ab initio?

B *Posterius grauiore sono tibi musa loquetur,*
Nostra: dabunt cùm securos mihi tempora fructus,
Vt tibi digna tuo poliantur carmina sensu.

Particula, en, iterata, ardens Virgilij desiderium prodit, ex instituto celebrandi res gestas, & eruditionem Augusti. Pollicetur passim se eius laudes libaturum. Rogat vt inter bella & triumphos hoc donum Musarum ne aspernetur. Iacob. Pont. SOPHOCLEO COTHVRNO) Martial. lib. 5.

Varro Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspiciende lyra.

Poeta quidam lib. 3. Antholog. de Sophocle: τὸν τραγικῇ μούσῃ ἀστέρα κεκριμένον. Fuit tragœdiographus magniloquus. Centum viginti tres fabulas edidit: victoriam ter & C vicies retulit. Grauitas eius & sonus à Fabio cõmendatur. lib. 10. Horat. Ode 1. lib. 2. *grande munus Cecropio repetes cothurno*, de tragœdiis Pollionis: vbi sine dubio Sophoclem, Æschylum Atticos intelligit. Propert. lib. 2. eleg. 34. *Desine & Æschyleo componere verba cothurno.* Tragici cothurni strepitus ab Ammiano Marcellino vsurpatur prouerbialiter, pro ostentatione, & magnicrepa verborum iactantia. Lib. 20. de Lupicino armorum magistro sic ait: Bellicosum sanè, & castrensis rei peritum, sed supercilia erigentem ad cornua, & de tragici, quod aiunt, cothurni strepitu. Vt autem Comicorum proprius est soccus; ita Tragicorum cothurnus. Ille vulgaria & plebeia tractat humili stylo: hic altisonus heroũ regũq; res, & fortunas persequitur: vnde & pro sublimi, grandioreq;

dioreque dicendi genere accipitur Virgilio, Propertio, Horatio. Simile huic adagio est illud Theodoreti de Marco Arethusio. τὸ δέ γε Μάρκου δρᾶμα τῆς Αἰσχύλου, καὶ Σοφοκλέους μεγαληγορίας δεῖται, ἵν' ἀξίως τὰ ἐκείνου τραγῳδήσωσι πάθη. id est, Marci factum Æschyli, & Sophoclis cothurnis opus habet, vt dignis versibus tragice describant ea, quæ sit perpessus. Iunius Cent. 4. num. 53.

Cothurnus & soccus quid fuerint, mandauit litteris Brod. lib. 2. cap. 18. Cothurni tragica calceamenta sunt, subleuato altius subere, vt mimi priscorũ heroum in scena personas induentes, grandiores apparerẽt. Soccus verò humile est calceamentorum genus, in modum crepidarum, comœdis proprium, qui fortasse excalceati, cum tragicis histrionibus collati, à Seneca epist. 8. appellantur. Quantum disertorum versuum inter mimos iacet? quàm multa Publij, non excalceatis, sed cothurnis dicenda sunt? Idem epist. 77. Vt cothurni simul exierunt excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Nec scio, an rectius per excalceatos, planipedes exposuerimus, actores planis, id est, nudis pedibus proscenium introeuntes. A TE PRINCIPIVM, TIBI DESINET) Non discrepat Horatianum hocce ep. 1. lib. 1. *Prima dicte mihi, summa dicende Camœna.* Et respexit fortasse ad Homericum hoc Iliad. 9. ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι, οὕνεκα πολλῶν λαῶν ἐσσὶ ἄναξ. Vrsin. Sic Theognis.

ὦ ἄνα, Λητοῦς υἱέ, Διὸς τέκος, οὔποτε σεῖο
λήσομαι ἀρχόμενος, οὐδ' ἀποπαυόμενος.

Vide adag. Prora & puppis: cui simile illud ex Apocal. Ego sum α, & ω, principium & finis. Plura è Græcis accumulat Lamb. in supradictum locum Horatij. INTER VICTRICES LAVROS) Id est, inter triumphatrices lauros.

* *Tibull. lib. 2. eleg. 5. de Phœbo.* Ipse triumphali deuinctus tempora lauro. *Martialis lib. 9.* Victricem laurum quæ venit ante vides.] Petit allegoricè poeta, vt patiatur suo quoq; carmini locum esse inter Augusti triumphos. Nam vt poetæ hedera coronabantur, ita triumphantes lauro: sed absq; controuersia per hederam carmen, per lauros secundum synecdochen triumphos intelligit. Laureæ autem coronę victoribus dabantur, quas postea ad pedes Capitolini Iouis dependebant.

Sunt, nec ij sine nomine viri, qui negent vsquam apud probæ notæ poetas testimonium inueniri, quo constet laurum, quamuis Apollini sacram, ita vatibus attribuendam, vt ipsis in vsu fuerit, quomodo hedera. Id vt verum sit, ego tamen etsi facilè paterer superari amicorum sententiis, rapior in cõtrarium, tum quod Tuscum vatem mille locis auctorem habeam, tum quod Ouid. & Tibull. pæne iisdem modulis cantent, triumphales ire circum sua tempora lauros. Propertius item, dum velut testatò prospicit funerationi suæ, mandat sepulchrum lauro inumbrari. Quin ex vita Maronis didicimus, laurum illi velut genethliacum, & confatalem, & poeticæ præstantiæ præsagam fuisse. Sed & Hesychius αἴσακον lauream virgam dicit, δάφνης κλάδον, ὃν κατέχοντες ὕμνουν τοὺς θεούς. German. * *Nondum mihi ad illustrandum illud victrices lauros, dictum videtur satis. Quocirca hæc ex Plinio lib. 15. cap. 30. antea dictis adiectas censeo. Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus, ianitrix Cæsarum Pontificumque; quæ sola domos exornat, & ante limina excubat. Ipsa pacifera, vt quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium. Romanis præcipuè lætitiæ, victoriæque nuntia additur litteris, & militum lanceis pilisque. Fasces imperatorum decorat. Ex his in gremio Iouis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit.*

Frigida vix cælo noctis decesserat vmbra.
Cùm ros in tenera pecori gratissimus herba est:
Incumbens tereti Damon sic cæpit oliuæ.
D. Nascere, præq; diem veniens age Lucifer almum:
Coniugis indigno Nisæ deceptus amore
Dum queror, & diuos (quanquam nil testibus illis
Profeci) extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
Mænalus, argutumq; nemus, pinosq; loquentes
Semper habet: semper pastorum ille audit amores,
Panaq;, qui primus calamos non passus inertes.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
MOPSO NISA DATVR: quid non speremus amantes?
IVNGENTVR IAM GRYPHES EQVIS: æuoq; sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Mopse nouas incide faces, tibi ducitur vxor.
Sparge marite nuces, tibi deserit Hesperus Oetam.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
O digno coniuncta viro, dum despicis omnes:
Dumq; tibi est odio mea fistula, dumq; capellæ,
Hirsutumq; supercilium, prolixaq; barba:
Nec curare deûm credis mortalia quenquam.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.

FRIGIDA VIX CÆLO NOCTIS) Circumlocutio temporis matutini. Nox frigida est propter absentiam solis. Herba roscida pecudibus gratissima. Varro lib. 2. de re rust. cap. 2. tamen temporibus distinguunt, vt æstate,

æstate, quòd tum prima luce exeunt pastum, propterea quod tunc herba roscida, meridianam, quæ est aridior, iucunditate præstat. Palladius lib.12, seu Nouembri, agens de ouillis pascuis. Æstiuis mensibus pascantur sub lucis initio, cum graminis teneri suauitatem totis mistura commendat. Bellè Claudian.3. de rapt. Proserp.

Et prima sub luce legunt (flores) dum rore sereno
Alget ager, sparsosq; bibunt violaria succos.

ET ROS INTEN. PECORI) Nemesian. Eclog.1. *viridiq; gregem permittere campo Et ros, & primi suadet clementia solis.* NASCERE, PRÆQVE DIEM) Oriri cupit luciferū, qui mane φωσφόρος cum solem præcedit, vespere, cum sequitur, ἕσπερος. *Age diem*, ducito diem, præueniendo. *Tymnis est præq; diem veniens.* CONIVGIS NISÆ) Non erat coniux, sed Damon coniugem sibi fieri optabat, & studebat etiam. Vide quæ disseruimus lib.4. Æneid. ad illud, *Quos ego sum toties iam dedignata maritos.* Sic Horat. Ode.6. lib.4. *Tityosq; raptor*, Latonæ subaudi, nō qui reuera rapuit: sed qui rapere tentauit. Iacob. Pont. ET DIVOS, QVANQVAM NIL TEST. ILLIS) Deos esse factos testes antea amoris sui, id est, se iurasse per deos amorem Nisæ, vt eam duceret, & illam sibi vicissim matrimonium dijs testibus spopondisse, postea fidem datam dijs conniuentibus impunè violasse, ita se nihil profecisse. Nihilominus se eos sub mortem suam, quam tantæ iniuriæ impatiens subire, & inferre sibi cogitet, adhuc appellaturum: quod tamen non facit, sed aliò abripitur, vt leuitatem amantis intelligas. Iacob Pont. INCIPE MÆNALIOS MECVM) Theocrit.

Ἄρχετε βουκολικᾶς μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
Incipe bucolicam chara incipe Musa camœnam.

Mirum est à Seruio non istum Theocriti versum afferri, quem Virgilius hoc intercalari suo imitetur, sed alium, cui nihil cum Virgiliano est commune: nisi quod & ipse est intercalaris. Fecit autem hunc versum, inquit, ad imitationem Theocriti, qui frequēter dicit in Pharmaceutria. Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα. O turbo maritum meum domum adducito, sicut in sequentib⁹, *Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.* Hæc ille: quē eò magis miror, quod alium versum subiungat, illum ipsum, in quo Virgilius Græcum illum est imitatus. Sed quoniam in Pharmaceutria, quam Virgilium imitari dixerat, versus ille reperitur, Ἴυγξ ἕλκε, &c. non autem hic (versus enim ad cuius exemplar hic est effictus, extat idyllio primo) ideo illud dixit.

Mænalij versus sunt pastorales, à Mænalo monte Arcadiæ, pastorū gregib. celebrato: atq; adeo tota erat Arcadia pastoralis suorū montium æstiuis, & hybernis. Tur. lib.17. c.25. MÆN. ARG. NEM. PIN. LOQ.) Videri possit fortasse Virgilius, cum dixit de Mænalo, *pinosq; loquentes semper habet*, & subiunxit, *semper pastorum ille audit amores* (tanquam exponens, qua de re loquantur illæ pini) respexisse ad hūc Theocriti versum. Ἀ πίτυς λαλέοισι τεὸν γάμον αἱ κυπάρισσοι, qui versus in editione Steph. extat Idyll. 27. Eodem autem modo dicuntur ecloga prima syluæ resonare Amaryllida.

Auson. epist. quos versus item Eclog.3. opportunè citauimus.

Atq; arguta suis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit foliis quoties leuis Eurus acutis.

Sic argutam ilicem habes Eclog.7. Nemesian. eclog.1. *nobis ne vento garrula pinus Obstrepat.* Cornel. Seuerus, *Pinea frondosi coma murmurat Apennini.* Septimius Seuerus.

Pinea brachia cum trepidant,
Audio canticulum Zephyri.

Recurre nihilominus ad Eclog.7. *Forte sub arguta*, &c.

A Argutari, docente Nonio, est loquaciter proloqui. Ennius. Quem incertum tu isti credere, atq; exercere lingua, vt argutarier possis. Nouius Exodio. Quando ad ludos venit, alij cum tacent, totum diem argutatur. Poterit & hoc Propertianū superaddi, *Illa mihi totis argutat noctib. ignes*, id est amores. Iac. Pōt. PANAQVE, QVI PRIMVS CALAM.) De Pane fistulæ repertore suprà, Ecl.2. *Pan primus calamos cera coniungere plures.* MOPSO NISA DATVR) Schema prouerbiale videtur, Mopso Nisa datur, cum præter omnem spem res præclara contingit cuipiam indigno prorsus, vt nihil iam non posse sperari vel à quouis appareat. Est autem emphasis in nominibus. Nam Mopsum dicens, intelligit infimum, abiectissi-
B mumq; pastorem: Nisam puellam insigni forma, & quę sequuntur apud Parœmiographum, ad cognoscendum vtilia. IVNGENTVR GRYPHES EQVIS) Ex hoc, quod tam honesta tam turpi, tam venusta tam deformi iuncta sit nuptijs, tam vult videri contraria contigisse, vt nihil iam possit esse tam contrarium, atq; adeo ἀδύνατον, quod fieri posse non sit credibile. Iacob. Pont.

Horat. Ode 33. lib.1.

Sed prius Appulis
Iungentur capreæ lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero.

Et Ode 16. Epod.

——iuuet & tigres subsidere ceruis,
C *Adulteretur & columba miluio.*

Rufinus in epigram.

Βοσκήσει δελφῖνας ὁ δενδροκόμος ἐρύμανθος,
Καὶ πολιὸν πόντου κῦμα θοὰς ἐλάφους.

Vrsin.* *Gryphes cum Arimaspis, qui supra Issedones sunt, auri caussa assiduè bellare, Aristeas Proconesius carminibus testatus est, & aurum quidem quod custodiunt, è terra nasci: Arimaspas ipsos vnicum habere oculum: & gryphas belluas esse aiunt, alis & rostro aquilis persimiles. Pausan. lib.1. Atticis. Pompon. Mela lib.2. cap.1. in descriptione Scythiæ Europææ. Deinde est regio ditis admodum soli, inhabitabilis tamen, quo gryphes sæuum, ac pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum mirè amant, mireq; custodiunt, & sunt infesti attingentibus. Dubitat tamen Plin. lib.10. cap.49. an extent huiusmodi animalia. Pegasos equino capite volucres, & gryphas auritos aduncitate rostri, illos in Scythia, hos in Æthiopia, fabulosos reor. Rursus lib.33. cap.4. apud Scythas ait aurum à formicis,*
D *aut gryphibus erutum. Sed hoc ait ex vulgata historiæ opinione.*

MOPSE NOVAS INCIDE FACES) De facibus nuptialibus dicitur, & ita accipiendum est, vt incidantur, cum inspicantur, id est, in spicæ similitudinem inciduntur, vt facilius ardorem concipiant: inciduntur enim in longum minutis virgulis, id inspicare dixit Georg. lib.1. *ferroq; faces inspicat acuto.* Turneb. lib.27. cap.25. De facibus hisce nuptialibus disserit Alexand. Neapolit. & in eum Tiraquell. lib.2. cap.5. SPARGE MARITE NVCES) Cum iam noua nupta in lecto viri collocata esset, & epithalamiū foris canebatur à virginib. & nuces à pueris spargebantur, quib. illi intēti, tumultu & strepitu omnia implerēt. Hoc ipse marit⁹ faciebat interdū ēt hac de causa, vt se puerilia
E omnia relinquere ostēderet. Muret. plurib. ista in Catul.

* *Spargebat maritus nuces istas, vt Iouis numine, quemadmodum Varro tradidit, matrimonium celebraretur: nuces quippe in tutela Iouis, vt nupta matrona sit sicut Iuno. Sigon. de Antiq. iure ciuium Roman. lib.1. cap.7. Vide Tiraquell. in Alex. Neapolit.2. cap.5. Nuces relinquere prouerbium. Id est, prætermissis, seu rejectis studiis nugisq; puerilibus, ad seria, & cum grauitate coniuncta appellere animum, ab isto more nuptiali videlicet. Vel à puerorum lusibus: pueri enim nucibus gaudent ludere. Persius.* & nucibus facimus quæcunque relictis, Cum sapimus patruos. *Consule Chiliad.* TIBI DESERIT HESPERVS OETAM) Stellæ enim videntur ex altissimis oriri montibus. *Catull. Iam pridem Oetaos ostendit noctifer ignes.* Turneb. lib.27. cap.25. * *Atqui hunc versum alij legunt aliter. Quidam sic.* Nimirum ætherios, &c. *Scalig. F.* Nimirum Oceano se ostendit noctifer imbre. *Vide Castigat.*

Rursum Turneb. lib.21. cap.4. Populi illi, qui Oetam

 montem

montem ab ortu habent, inde oriri solem & sidera putant, quod, vt opinor, primus qui illis in tractibus vixit, carminibus suis celebrauerat Orpheus, quem certatim alij secuti sunt. Papin. lib. 5. Syluar. ad somnum, *totidem Oetaa, Paphiaq; reuisunt Lampadas.*

Quis quæso alienum huic loco censuerit principium festiuissimum carminis nuptialis apud Catullum?

Vesper adest, iuuenes consurgite, vesper olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.

Nec illa malè huc ex eodem carmine transferantur.

Adueniet tibi iam portans optata maritis
Hesperus, adueniet fausto cum sidere coniux.

Iam verò vna & eadem stella est Lucifer, Eous, Phosphorus, Hesperus, Vesperus, Hesperugo, Vesperugo. Vitruuius lib. 9. Cum solem sequitur, post occasum apparens in cælo, clarissimeq; lucens, vesperugo vocatur: alijs autem temporibus eum antecurrens, & oriens ante lucem, lucifer appellatur. Luciferum habere cursum solis celeritati parem ait in Timæo Cic. & ita fieri, vt modò vincat, modò vincatur. Quando sole tardior est, tunc oritur manè, ante ortum solis, eumq; præcedit: quando celerior, tunc vesperi subsequitur occidentem. Huc pertinet illud Cinnæ in Smyrna.

Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.

Et Manilij lib. 5.

Nec matutinus fulgeret Lucifer horis,
Hesperus immenso dederat qui lumen olympo.

Vocatur item, vt vidisti, à Catullo Noctifer, & à Plaut. in Amphit. Nocturnus. Vide insuper ad Eclog. 10. versu vltimo, *Ite domum saturæ, venit Hesperus.* Iacob. Pont. O DIGNO CONIVNCTA VIRO) Irridet Nisam, & tam impuri, atq; infælici coniunctione eam superbiæ suæ, atq; periurij pœnas daturam insinuat. DVM DESPICIS OMNES) Contemnere & despicere eò distant, quod est despicere grauius, quam contemnere. Cic. Verrin. 3. Quemq; contempserit, despexerit, liberum esse nunquã duxerit. In Catone, contemni se putant, despici, illudi. Nonius. HIRSVTVMQVE SVPERCILIVM) Theocrit. Idyll. 11. quod Cyclops est inscriptum.

Γινώσκω χαρίεσσα κόρα, τίνος οὕνεκα φεύγεις.
Οὕνεκά μοι λασία μὲν ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ
Ἐξ ὠτὸς τέταται ποτὶ θὦτερον ὡς μία μακρά·
Εἷς δ' ὀφθαλμὸς ἔπεστι, πλατεῖα δὲ ῥὶς ἐπὶ χείλει.
Virgo venusta scio, cur me auerseris amantem.
Nempe supercilium hirsutum se porrigit omnem
Per frontem, atq; aures vnum pertingit vtrasq;:
Vnus & est oculus, naso labra ipsa teguntur.

Obseruandum est, quomodo Virgilius, imitari Theocritum volens, atq; adeo pastorem de se, tanquam de illo Polyphemo Theocriteo loquentem inducens, dixerit supercilium, singulari numero: addens etiam epithetum *hirsutum*, vt ὀφρὺς illius à Theocrito dicitur λασία. E Obseruandum item, quomodo, vt quædam Theocritea hic omittit, ita vicissim ex alio eius loco quiddam eodem, id est, ad eandem deformis hominis descriptionem (Nisæ iudicio, & eo quidem fastidioso) pertinens,

A huc transtulerit: illud videlicet, quod de prolixa barba addit. Audimus enim Idyllio tertio pastorem dicentem de se ipso, suæ Amaryllidi

Ὦ χαρίεσσ' Ἀμαρυλλί, τί μ' οὐκέτι τοῦτο κατ' ἄντρον
Παρκύπτοισα καλεῖς τὸν ἐρωτύλον, ἦ ῥά με μισεῖς;
Ἦ ῥά γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι ἐγγύθεν ἦμεν,
Νύμφα, καὶ προγένειος;

Contra autem in Idyllio alio, pastor quidam dicitur fuisse ἡμιγένειος: tanquam hoc inter alia commendare eum possit.

Plin. lib. 11. cap. 37. Frons & alijs, sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index. In ascẽsu ei⁹ supercilia homini & pariter, & alternè mobilia, & B in ijs pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maximè indicant fastum. Superbia alicubi conceptaculum, hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Supercilium nota est seueritatis, peculiaris senibus, quibus supercilium maximè nutritur, & plerunq; adeo est hirsutum, vt tondendum sit. Causam tradit Aristoteles, quia supercilia compagini sunt apposita ossium, quæ senescente ætate laxantur, & ita plus humoris transmitti patiuntur, vnde superciliis alimentum affatim impendatur. Pierius lib. 33. * *Silones inquit Nonius, superciliis prominentibus dicti, significatione manifesta. Varro, γνῶθι σεαυτόν. Nonne non unum scribunt esse grandibus superciliis silonem quadratum, quod Silenus hirsutis superciliis fingeretur? Iam ob similem similis de caussa contemptionem Polyphemus ad Galateam Metamorph. li. 13.*

C Nec mea quod duris horrent densissima setis
Corpora, turpe puta: turpis sine frondibus arbor,
Turpis equus, nisi colla iubæ flauentia velent.
Pluma tegit volucres, ouibus sua lana decori est,
Barba viros, hirtæq; decent in corpore setæ.

PROLIXAQVE BARBA) Æmil. Probus in Datame, quod & niger, capillo longo, barbaq; erat prolixa. De barba nihilominus, & capillo etiam vsitate dicitur *promissum*, quæ vox, auctore Festo, aliquando longum significat. Capillus promissus, barba promissa. De laudibus barbæ agemus li. 12. Æneid. ad illum locum, *illi ingens barba reluxit*, &c. Iacob. Pont.

Prolixa barba, exponit Gifan. Collectan. in Lucret. multa, densa, copiosa, longa: veteres enim hac voce pro D longa, rarissimè vsos. Nec tam barba longa turpitudinẽ, & horrorem adducit, quam, vt dixi, prolixa, id est, multa, densa, &c. & hirsuta simul, atq; adeo negligenter circum mentum reiecta, qualis rusticorum, & sordidorum hominum esse solet. Hæc si minus vera, tamen verisimilis, & ingeniosè excogitata explicatio est. NEC CVRARE DEVM) Epicureum placitum: Epicurus enim deos reb. humanis adhibere curam, easq; temperare, per summam impietatem negare ausus est: fecitq; tales planè, quales ex eadem schola professus poeta impius Lucret. lib. 1. describit in hæc verba.

Omnis enim per se diuûm natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur.
Semota à nostris rebus seiunctaq; longè
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Attamen quod absurdissimum, idem Epicurus librum de pietate erga deos edidit: quam vesaniam Cic. 1. de nat. deor. exagitat. Iacob. Pont.

Sepibus in nostris paruam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem:
Alter ab vndecimo tum me iam cœperat annus:
Iam fragiles poteram à terra contingere ramos.
Vt vidi, vt perii, vt me malus abstulit error.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
NVNC SCIO QVID SIT AMOR: duris in cotibus illum

Ismarus,

Iſmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec noſtri generis puerum, nec ſanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
Sæuus amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoq; mater:
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoq; mater.
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
NVNC ET OVES VLTRO FVGIAT LVPVS, aurea duræ
Mala ferant quercus, narciſſo floreat alnus:
Pinguia corticibus ſudent electra myricæ:
CERTENT ET CYGNIS VLVLÆ: ſit Tityrus Orpheus:
Orpheus in ſyluis, inter delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
OMNIA VEL MEDIVM FIANT MARE. viuite ſyluæ.
Præceps aerij ſpecula de montis in vndas
Deferar: extremum hoc munus morientis habeto.
Deſine Mænalios, iam deſine tibia verſus.
Hæc Damon. vos, quæ reſponderit Alphæſibœus,
Dicite Pierides. NON OMMIA POSSVMVS OMNES.

Theocrit. idyll. 11.

Ἠράσθην μὲν ἔγωγε τεοῦς, κόρα, ἁνίκα πρᾶτον
Ἦνθες ἐμᾷ σὺν ματρί, θέλοισ' ὑακίνθινα φύλλα
Ἐξ ὄρεος δρέψασθαι. ἐγὼ δ' ὁδὸν ἁγεμόνευον.
Παύσασθαι δ' ἐσιδών τυ καὶ ὕστερον οὐδ' ἔτι πω νῦν
Ἐκ τήνω δύναμαι. τὶν δ' οὐ μέλει οὐ μὰ Δί' οὐδέν.
Tunc ſum virgo tui tunc primum captus amore,
Quum primum tu matre mea comitata venires,
Vt folia ex ipſo legeres hyacinthina monte.
Dux ego veſter eram, nec quo te à tempore vidi,
Vlla tui aſpectus ſatias. quod non tibi cura eſt.

Virgilius ordinem Theocriti non ſequitur: cum apud Theocritum priora ſint hæc illis quæ dicuntur de cauſ- B ſis odij: apud Virgilium poſteriora. Eſt verò vnus è locis, in quibus longè ſuperari Græcum poetam à Latino iudicat Iulius Scalig. Quæ exprimit, inquit Virgilius, lautè dicit: & quæ mutat, ſapidiora ſunt: & quæ adijcit, faceta ac mollicula. Nonne melius mala, quã folia hyacinthi? Vt omittam calumniæ faciem: petuntur enim magis hyacinthi flores, quam folia: & in montibus infrequentior hyacinthus. Deſcriptio verò ætatis, eſt non vulgaris: neq; affectata tamen, maximeq; conueniens paſtori. Hæc ille, à quo locum hunc Virgilianum meritò præferri Theocriteo non negauerim, ſed fortaſſe perſona Cyclopis, non tantum ruſtici, ſed agreſtis etiam hominis, cum alia excuſare poteſt, tum verò illud, quod C hyacinthi foliorum mentio fit, non florum: quod ille parum hyacinthum curaret, & non ſatis ſciret, magiſne hyacinthi flores, quam folia expeterentur. VT VIDI, VT PERII) Verſus hic, licet huius loci Virgiliani ſit clauſula, non tamen ex eodem eſt Theocriti loco ſumptus, ſed ex illo Pharmaceutriæ, *χ' ὡς ἴδον ὡς ἐμάνην, ὥς μευ περὶ θυμὸς ἰάφθη δειλαίας*: aut certè ex hoc Amaryllidis. *ἃ δ' Ἀταλάντα ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα.* Valet autem, vt vidi, tum perij, ſi Grammaticis Græcis vlla fides eſt, qui illud, *ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν*, ex cuius velut ore Maronis imago quædam efficta eſt, ita, vt dixi interpretantur: quanquam vtro- A biq; admirantis videri poſſit: ſed Heſychio refragari vix licet. Turneb. lib. 30. cap. 38.

Non eſt dubium, inquit Victor. lib. 35. cap. 2. quin Virgilius exprimere locũ Theocriti voluerit, qui & ipſe in eodem argumento tractando prius dixerat, *ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην*. Viſum tamen mihi eſt, admonere, hanc elegantem concinnamq; ſententiam fluxiſſe à fonte omnis ſuauitatis, & eruditionis Homero: qui pluribus locis luſit iiſdem pæne nominibus, & eadem prorſus venuſtate, formaq; dicendi: eleganter autem in primis, & valde huic loco appoſitè cum finxit Iouem aſpexiſſe in Ida monte Iunonem comptam, & omnibus lenocinijs ornatam, quo loco inquit, *ὡς δ' ἴδεν ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν.* Item vbi facit Thetin ante pedes filij poſuiſſe arma, quæ rogatus ab ea, ipſi fabricatus fuerat Vulcanus: ait enim, cum prius narraſſet, aſpectu eorum cohorruiſſe Myrmidonas, *αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ὡς εἶδ', ὥς μιν μᾶλλον ἔδυ χόλος.* Deinde multo poſt, vbi commemorat Hectorem cæde Polydori irritatum ſtetiſſe contra Achillem interfectorem eius, vt fratrem vlciſceretur, inquit enim, *αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ὡς εἶδ', ὡς ἀνέπαλτο.* Multis igitur, & illuſtribus exemplis declaratum eſt, ſummum poetam auctorem fuiſſe huius quoq; feſtiuitatis.

Vide annotamentum in 3. Georg. eo loco, *vritq; videndo Fœmina.* Prudens Lucretij conſilium ne ſpernas.

Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris
Abſtergere ſibi, atq; aliò conuertere mentem.

Paulo poſt.

Vlcus enim viueſcit, & inueteraſcit alendo,
Inq; dies gliſcit furor, atq; ærumna graueſcit.

Quare permulti quia viderunt, ideo perierunt. Exemplorum & ſacrorum, & ciuilium plena ſunt omnia. Sapienter ergo ſapiens Eccleſiaſt. Ne aſpicias virginem, ne forte ſcandalizeris in decore eius. Iterum. Auerte oculos tuos à muliere compta. *γυναικὸς ὄμμα τοῖς ἀκμάζουσιν βέλος.* Partem carminis Vergiliani poſteriorem videtur imitatus Ouid. vel mutuatus potius, lib. 2. Triſt.

Illo noſtra die, quo me malus abſtulit error,
Parua quidem perijt, ſed ſine labe domus.

Iacob. Pont. NVNC SCIO QVID. S. AM) *Terent. Eunu-cho.* Nunc ego & illum scelestum esse, & me miserum sentio, *Vbi Donatus vocula, nunc, interpretatur, serò, quasi dicat, serò scio.*] Theocrit. Idyll. 3.

Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα· βαρὺς θεός· ἦ ῥα λεαίνας
Μαζὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ δέ μιν ἔτρεφε μάτηρ.
Ὅς με κατασμύχων, καὶ ἐς ὀστέον ἄχρις ἰάπτει.
Nunc mihi notus Amor, rigidus deus: ille leænæ
Vbera sugebat, dumo illum mater alebat:
Cuius & ipsis iam sentitur in ossibus ignis.

Paulo minus ad verbum.

Nunc scio quid sit Amor, ferus est deus: ille leænæ
Lac bibit, & syluis matri est nutritus opacis:
Qui me nunc torret, qui sæuit in ossibus imis.

Non dubium est, quin Virgilius hìc quoq; ita sit imitatus Theocritum, vt superauerit. Sed dici fortasse potest Virgilianos esse versus elegātiores, & doctiores: sed græcos simplicitati illius pastoris, qui à Theocrito inducitur, esse conuenientiores. DVRIS IN COTIBVS ILLVM) Vsitatum est, vt quorum immanem crudelitatem execramur, eos è rupibus, efferisúe animantibus, aut etiam è mari natos dicamus. In 4. Æneid. Dido sic Æneam alloquitur.

Nec tibi diua parens generis nec Dardanus auctor
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanaq; admorunt vbera tigres.

Tibullus verò, cum ijs, qui Veneris furta non celassent, atrocem Venerē minaretur fore, ita scripsit lib. 2. eleg. 2.

Nam fuerit quicunq; loquax, is sanguine natam,
Is Venerem è medio sentiet esse mari.

Et cum dominam à nimia seueritate abducere niteretur, lib. 3. eleg. 4.

Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti
Nec flammas voluens ore chimæra fero,
Nec canis anguinea redimitus terga catena,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumq; caput,
Scyllaq; virgineam canibus submista figuram,
Nec te conceptam sæua leæna tulit.

Notum est illud Homeri, *γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα.* Ex Muret. in Catull. EXTREMI GARAMANTES) Extremi Garamantes, inquit Isidor. quia sæui, & à consortio humanitatis remoti: quæ, ait Turneb. lib. 26. cap. 22. vt accersita sit explicatio, vera tamen videtur, & poetæ voluntati consentanea. NEC NOSTRI GENERIS PVER. NEC SANG.) Censet Germanus, poetam his verbis haud dubiè alludere ad antiquum exponendorum infantum morem, qui locum dedit huic versui parœmiaco, *οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης.* SÆVVS AMOR) Sæuus amor Euripidi *δεινὸς καὶ πικρὸς θεός.* NAT. SANG. M. COMMA. MAN.) Ouid. lib. 2. Trist.

Tingeret vt ferrum natorum sanguine mater,
Concitus a læso fecit amore dolor.

Et alibi. *Cum dolor armauit contra sua viscera matrem.* German. * *De Medea Virgilius accipiendus, quæ susceptos ex Iasone liberos, vlciscenda iniuria, quod ille Creusam Creontis Corinthiorum regis filiam sibi superduxerat, immani exemplo iugulauit. Ouid. 7. Metamorphos.* vtroq; sanguine natorum perfunditur impius ensis. *Vide Medeam Euripid. & Senecæ, & Hyginum ca. 25.* CRVDELIS MATER MAGIS, AN) Seruius, vt epanalepsin verborum sæpius redeuntium excusaret, arbitratur syllogismum hic esse plenum, in quo necessarium est, vt ijdem termini sæpius recurrant. Cæterùm id mihi nullo pacto verū apparet. Non. n. hìc vlla ratiocinatio per necessaria, aut probabilia decurrit, aut alterū ex altero ad complexionē faciendam elicitur: sed multiplex Damonis affectus repræsentatur, qui cū quæuis opprobria in Cupidinem conijciat, atq; adeo illum magistrum fuisse

A Medeæ ad parricidium affirmet, tandem veluti dubius subsistens, ac propemodum vitium recātans, quasi non totum illud scelus sit Cupidinis (non enim nisi immani naturæ talia persuaderi posse) culpam inter vtrumq; diuidit, & ipsam quoq; matrem crudelem pronuntiat. Deinde quasi libripens, pondus vtriusq; culpæ examinat, seq; ipse per epicrisin interrogat. *Crudelis mater magis, an puer improbus ille?* Ac tandem sententiam absoluit, & vtrumq; condemnat. Verum paresúe, an impares vtrobiq; culpæ sint, in incerto reliquit. *Improbus*, inquit, *ille puer, crudelis tu quoq; mater.* Ne quis autem nimis dilutis verbis iudicium peractum existimet, quòd in tanto scelere vtrumq; improbum appellat, nō immanem,

B aut dirum, aut tetrum: sciat apud veteres omne genus scelerum hoc modo condemnari solere: *improbe factum videri.* Nannius lib. 6. cap. 7. IMPROBVS ILLE PVER) De improbitate Cupidinis Tibull. lib. 2. eleg. 1. *Ipse quoq; inter agros, &c.* Tandem subijcit, *Ah miseri quos hic graviter deus vrget.* Consonat Næuius, *Ædepol Cupido, cum pusillus sis, nimis multum vales.* Puer fingitur, quod amantes animo sunt imperfecto, ac facili fraudibus conuellendo. Phurnutus. Immo quod non plus quam pueri sapiunt, & ab ijs ætate tantum differunt. Sed eodem recurrimus. Nam hoc est animo imperfecto esse. Imperfectum facit ardor libidinum fœdissimarum, vnde ei caligo offunditur. Iacob. Pont. NVNC OVES VLTRO)

C *Vt exaggeret indignitatem huius matrimonii, sicut suprà, rerum naturam inuerti, ac permutari cupit.*] Theocrit. Idyll. 1.

Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι·
Ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι·
Πάντα δ' ἔναλλα γένοιτο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι,
Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει, καὶ τὰς κύνας ὥλαφος ἕλκοι.
Κἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο.
Nunc violas nunc ferte ergo spinæq; rubiq;
Iuniperumq; coma narcissi ornato supernè:
Cuncta inuertantur, nobis pira det quoq; pinus,
Daphnidis ob mortem: ceruiq; trahunto molossos:
Et philomela vlulæ certare in montibus ausint.

Quod hic dicitur, *πάντα δ' ἔναλλα γένοιτο*, ad illud pertinent & ista, quæ leguntur in hac ipsa Virgilij Ecloga, ali-

D quanto ante.

Iungentur iam gryphes equis, æuoq; sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Ad principium autē huius loci, *Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι*, &c. pertinent verba illa Eclogæ tertiæ, *ferat & rubus asper amomum.* Vbi præcedūt ista, *Mella fluant illi.* NARCISSO FLOR. ALNVS) Hic flos nomen obtinet *ἀπὸ τῆς νάρκης*, à torpore, quem menti inducit, si naribus diutius admoueatur. CERTENT CYGNIS VLVLÆ) Lucret. lib. 5. *quid enim contendat hirundo Cygnis?* Vlula ob *ὀλολύζειν* vlulando. SIT TITYRVS ORPHEVS. O. IN SYL.) Inter *ἀδύνατα*, quæ nunc tandem posse fieri arbitratur, hoc, quod ab-

E surdissimum erat, cum magna emphasi explicuit: *sit Tityrus Orpheus.* Nec contentus tali paradoxo, resumit cum ingenti additamento, sit Orpheus, non quiuis: sed ille, qui cantu suo arbores ad se allicit. Ne hic quidem acquieuit eius anim⁹: sed vltra progressus est. Sit Arion, non quiuis, sed qui ita belluas marinas demulcebat, vt eorum dorso pro vectabulo vteretur. Nannius. libr. 6. cap. 8.

Non arbores duntaxat, sed feras quoq; cantu suo traxisse Orphe⁹, vt lapides Amphion à poetis traditur. Cuius fabulæ allegoriam, præter Horat. ad Pisones, exequitur Macrob. in som. Scip. lib. 2. cap. 3. in quo eximiè prædicat Musicam. Qua, cur in hac vita omnis anima capiatur, etiam barbarorum, caussam statuit, quia in corpus defert memoriam Musicæ, cuius in cælo fuit cō-

scia.

scia. Videlicet πλανητικῶς, καὶ συνδεγμικῶς, qui harmonias istas vocales, siue concentus in orbibus cælestibus somniarunt. Nullum igitur, vt scribit Macrobius, est tam immite & asperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Hinc existimo & Orphei, & Amphionis fabulam: quorum alter animalia ratione carentia: alter saxa quoque cantibus trahere ferebatur, sumpsisse principium: quia primi fortè gentes vel sine rationis cultu barbaras, vel saxi instar nullo affectu mobiles, ad sensum voluptatis canendo traxerunt.

De Orpheo Lactant. lib. 1. cap. 5. Orpheus & vetustissimus poetarum, & æqualis ipsorum deorum: siquidem traditur inter Argonautas cum Tyndaridis, & Hercule nauigasse. De eodem cùm alia multa Pausanias in Bœoticis, tum hoc quoque. Addunt Thraces, luscinias, quæ circa Orphei sepulchrum nidos habebant, suauiores q̃ cæteras, & vocaliores cantus edidisse. INTER DELPHINAS ARION) Historiam, seu fabulam Arionis Methymnæi, quo pacto à delphino exceptus, & ad Tęnarum transuectus, Corinthum peruenerit, ibique Periandro tyranno omnia percensuerit, disertè perscribit Herodotus lib. 1. in principio. Eam nos, vt breuissimè poterimus, verbis nostris comprehensam dabimus. Arion fidicinum suæ ætatis princeps, postquam cum Periandro familiariter diu vixit, Italia, Siciliaq; peragrata, grandem artificio suo pecuniam fecit, Tarentoq; Corinthum reuersurus, nauem Corinthiorum conscendit. Qui, postquam altum tenuêre rates, nec iam vllæ amplius terræ apparerent, Musicum, eius argenti possidendi, in fluctus deturbare decreuerunt. Ille insidias præcipiens, argentum vltrò obtulit, mortem tantummodò deprecatus. Cum scopulis verba funderet, iubereturq; aut ipse sibi necem consciscere: aut in vndas desilire, orauit, vt ante sinerēt more suo exornatum super foros stantem modulari, in solatium mortis videlicet. Nautæ studio cantorem nobilissimum audiendi, non grauatè id dederunt. Cantauit, & secundùm cantum sic, vt erat ornatus, in pelagus se proiecit, statimq; delphino subeunte, Tęnarum prouectus, ibi descendens, eodem habitu Corinthum est ingressus, quæque pertulisset, Periandro enarrauit. Ille, quoniam rem parum verisimilem cernebat, tantisper Arionem in custodia tenuit, dum accitos nautas super eo percunctaretur. Quibus turpiter mentientibus, cum se in Italia, & Tarenti sospitem, pecuniosumq; reliquisse, prodiens in medium citharœdus cum illo ornatu suo vt in sermone lupus, mutos illos, & elingues reddidit. Eandem fabulam habes apud Ouid. lib. 2. Fast. Plin. lib. 9. Gell. lib. 16. cap. 19. Ælianum de animalibus. Iacob. Pont.

Inter complura vocabula, quæ poetæ nouarunt, verbi gratia, incuruiceruicum, rudētisibilus, pietaticultrix, reciprocicornus, &c. est etiam repādirostrum, quo quidam delphinē vocarunt, animal scilicet repandirostrū, atq; etiam incuruiceruicum: habet enim rostrum repādum, & ceruicem quasi incuruam. Crinit. lib. 14. cap. 9. OMNIA VEL MED. F. M) Arist. lib. 1. Meteor. φανερὸν ὅτι τῆς πάσης γῆς οὐκ ἀεὶ τὰ αὐτὰ, τὰ μὲν ἐστι θάλαττα, τὰ δ' ἤπειρος. Hæ autem sunt omninò animum despondentis, & alludentis, ad ἐμοῦ θανόντος, &c. & ad Leucadem petram, ex quo præcipitio ob res in amore aduersas se deturbantes in sinum Ambracinum amantes, vitam abrumpebant miserè. German.

Non dira vota concipit, vt omnia velit inundationibus perire: sed vt moriturus, nihil ad se pertinere iudicat, quidquid post fata sua sit euēturum: in verbo enim *fiant*, etiam concedēdi affectus est, qui inter alios modos verborum solet annumerari. Diligentiores enim Grammatici has διαθέσεις verborum enumerant, indicatiuū, pro-A missiuum, imperatiuum, optatiuum, permissiuum, potentialem, subiunctiuum, infinitiuum. Tale verò illud adagiale est: me mortuo terra ardeat. Latetq; in istis consilium necis consciscendæ, cùm curam rerum supernarū à se reiiciat. Vnde statim subiungit, *Praeceps aerij specula de montis in vndas Deferar.* Et satis atrociter duo instrumēta necis copulauit, & præcipitium, & vndas. Nisi fortè allusum sit ad Leucadem petram, vnde se amantes in mare Ambracium abiicere solebant, atq; eo pacto infelicis amoris remediū expiscari. Meminit eius Ouid. in epist. Sapphus. Eadē forma locutus est Horat. lib. 3. Od. 29.

—— ille potens sui,
Lætusq; degit, cui licet in diem
B *Dixisse, vixi, cras vel atra*
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro.

Nannius lib. cap. 9.

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρὶ, me mortuo terra misceatur incēdio. Hoc cum in sermone communi probatū audisset Nero, subiecit: immò, ἐμοῦ ζῶντος. Sueton. in Nerone. ca. 38. Reprehendit tamen Erasmū Brod. lib. 6. cap. 15. qui in hoc adagio illud πυρὶ conuerterit, incendiis, cùm hic πυρὶ æthera notet, & senarius græcus hunc sensum habeat: me mortuo terra cælo misceatur, atq; omnia perturbentur. Iudicet lector. Equidem probabile mihi videtur, quod affirmat Brodæus. Huius versiculi
C mentionem infert & Seneca, lib. 2. de Clemētia, cap. 2. Illud mecum considero, multas voces magnas, sed detestabiles in vitam humanam peruenisse, celebresq; vulgò ferri: vt illam, Oderint, dum metuant. Cui græcus versus similis est, qui se mortuo terrā ignibus misceri iubet, & alia huius notæ. Cæterùm hunc ipsum versiculum, quomodo suprà à me prolatus est, etiā Tiberius Imp. homo communis exitij, æquè vt Nero, cupidissimus, solebat vsurpare. Auctor Xiphilin. Iacob. Pont. VIVITE SYLVÆ) Verba quędam maximè sunt ad ironiam idonea, vt, vale, & viue, aliæq; salutandi voces: indeque inductum est, vt sæpenumerò ab eruditissimis etiam scriptoribus ea verba dicantur in malam partem: vt illud Terentianum, *valeant, qui inter nos dissidium volunt.* Et Tibullianū. *O va-*
D *leant syluæ, deficiantq; canes.* Et apud Catull. *Cum suis viuat, valeatq; mœchis.* Huiusmodi quoque est hoc Maronis. Iouian. dę sermon. lib. 6. PRÆCEPS AERII SPECVLA) Theocrit. Idyll. 3.

Τὰν βαίταν ἀποδὺς εἰς κύματα τῆνα ἁλεῦμαι,
Ὧπερ τὼς θύννως σκοπιάζ(ε)ται Ὄλπις ὁ γριπεύς.
Κἤκα μὴ 'ποθάνω, τό γε μὰν τεὸν ἁδὺ τέτυκται.
Veste ego me posita saltu dabo in æquoris vndas,
Thynni piscatore vnde obseruatur ab Olpi,
Quod si non peream, saltem hoc tibi fecero gratum.

* *Aerij montis speculam intellige editiorem rupem ad mare, vnde se nunquam è Leucade petra in mare det præcipitem.* Præceps aerij. *Et quæ sequuntur, dicet per adagium, quo præ impatientia malorum*
E *præsentium sibi aliquid exitiosum minatur, aut imprecatur. Vt Germani:* Ich wolt mich lieber hencken lassen. HÆC DAMON, VOS QVÆ) Subaudi, cecinit. Verba sunt poetæ, breuiter & per transitionem ostendentis quid actum sit, & quid supersit. Admiscetur Musarum inuocatio, subiicitur ætiologia gnomicè. NON OMNIA POSSVMVS OMNES) Homerus omnem poesin suam ita sententiis farsit, vt singula eius ἀποφθέγματα, vice prouerbiorum, omnium ore fungantur, quæ patent in libellis gnomologicis, si quis exempla desideret. Nec apud Virgilium frustra hæc requisieris. En hoc ipsum, & illud, *Omnia vincit amor, Labor omnia vincit Improbus. Usque adeóne mori miserum est? Stat sua cuiq; dies. Dolus an virtus quis in hoste requirat? Auri sacra fames.* Et ne obtundam nota referendo, mille sententiarum talium aut in ore sunt singu-

lorum, aut obuia intẽtioni legentis occurrunt. Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 16.* *Quod Macrobius asserit de Homeri versibus, singulos pene prouerbiorum loco fuisse celebratos, verum est. Paræmiographus Chiliad. 3. Centur. octauam ex omni corpore Homerica poeseos delectis huiusmodi carminibus confecit, præscriptis locis communibus, ad quos singula referuntur. Idem hanc Virgilij γνώμην Chiliad. 2. centur. 3. adagio 94. prolatis in medium ex Homero, Euripide, Pindaro, Liuio, similibus egregiè illustrat.* A

A. Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta:
Verbenasq; adole pingues, & mascula thura,
Coniugis vt magicis sanos auertere sacris
Experiar sensus; nihil hîc nisi carmini desunt.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina ducite Daphnim.
Carmina vel cælo possunt deducere lunam:
Carminibus Circe socios mutauit Vlissei:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi hæc primùm triplici diuersa colore
Licia circundo, terq; hęc altaria circum
Effigiem duco. NVMERO DEVS IMPARE GAVDET.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis ternos Amarylli colores:
Necte Amarylli modò; &, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

EFFER AQVAM, ET MOLLI) Venefica mulier, A tanquam sacerdos magica ministram famulam mandatis onerat, sibiq; subseruire iubet. Apuleius Apol. 1. quo loco se de piscibus quæsitis ad magiam purgat. At si Virgilium legisses, profectò scisses alia quæri ad hanc rem solere. Ille enim, quantum scio, enumerat vittas molles, & verbenas pingues, & thura mascula, & licia discoloria, præterea laurum fragilem, limum durabilem, ceram liquabilem: nec minus quæ iam in opere serio scripsit. *Falcibus & messæ ad lunam quæruntur ahenis. Pubentes herbæ*, &c. VERBENASQVE ADOLE PINGVES) Verbenacam verbenatam dici prędico debere, cùm præsertim verbena gramen ex arce cum sua terra euulsum significet, quod gramen sacrum putabant, & περιστερεὼν, B id est, verbenata, sæpe sumeretur, & verbena fieret, & vt ita dicam, verbenaretur. Quo factum est, vt verbenata etiam verbena diceretur; cùm verbena propriè omnẽ herbam sacram significaret: sed & ramos, quibus aras ornabant, aut religionis caussa gerebant, aut adolebant. Verbenas etiam sagmina vocabant, vt lib. 22. cap. 2. Plinius scribit. Turneb. lib. 8. cap. 23. Idem lib. 19. cap. 27. *Verbenasq; adole pingues*, Maroni nihil aliud est, quàm, adde frutices, vel virgas, & ramos pingues, vt flammã ignemque facilè concipiant, quales sunt pineæ, myrteæ, laureæ, oleaginæ virgæ. Nam verbenæ nomen in sacris ita accipiebatur, vt non tantùm herbam significaret certam, sed omnem frondem & ramum. Deniq; antiquus C Criticus in suo lexico verbenam θαλλίας interpretatur. * *Donat. in Andr. Terent. Verbenæ sunt omnes herbæ frondesq; festæ ad aras tegendas: vel omnes herbæ frondesq; ex aliquo loco puro decerptæ. Dicta quasi herbena. Vide 12. Æneid.* Velati lino, & verbena tempora vincti.

Adolere Seruius & Nonius proprium fuisse verbum aiunt, sacra reddentium, quòd scilicet votis ac precibus numen auctius redderent: indeq; adultos dictos, quasi ætate auctos. Et hic *adole* significat incende, sed κατ' εὐφημισμόν. Nam adole est auge: & in sacris per bonũ omen dicitur. Nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur, & consumuntur, quæ veteres in focis sacrificabant. ET MASCVLA THVRA) *Thus verum est e corticibus profluens, aut vt ex amygdalo, cerasо, lacrymabili destillatione coalescens. Arnob. lib. 7.*] Mascula thura adolenda præcipit, quoniam, vt arbitror, diis nihil nisi singulare, & excellens offerri debet: vnde eximiæ hostiæ. Masculum verò thus primam bonitatis gloriam habere memorat lib. 1. Dioscorid. Plinius diuersam caussam affert lib. 12. cap. 14. cui, quo minus adhæreas, nihil impedio. Brod. lib. 1. c. 34. * *Desiderabis forsitan verba Plinij, subiungam igitur. Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, masculum vocamus, cùm aliâs non ferè mas vocetur, vbi non sit fœmina. Religioni tributum, ne sexus alter vsurparetur. Masculum alij putant à specie testium dictum.*

Masculum thus, inquit Turneb. lib. 10. cap. 2. quod rotundum est, vt Plinius & Dioscorid. scribunt, ab his qui rebus sacris operari, ad eblandiendum deorum fauorem, omni cura & industria cupiebãt, focis sacris adolebatur: sed & ab his, qui magico sacro, & amatoriis carminibus, februationibus, & lustrationibus alicuius mentem mutare, aut deos placare, propensioresq; reddere conabantur, vt hîc Pharmaceutria facit. Et apud Alciphronem sic scribitur. ἢ καθαροῖν τινα δεῖ περιπλέξαι τὸν γυναῖκα, καὶ παρασκευάσαι τινα ζῶα ἱερεῦσαι, καὶ λιβάνωτον ἄῤῥενα, καὶ στύρακα μακρὸν, καὶ πέμματα σελήνης, ἢ ἄλφιτα φίλτρα τῶν ἀνθρώπων. Plinius autem sic de thure masculo. Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, suprà recitauimus, ne δὶς κράμβην. * *Masculi thuris meminit & Arnob. lib. 7. Non si mille tu pondera masculi thuris incendas, caluniq; hoc totum redundantium vaporum nebulositate cludatur. Paræmiographus senstt, Virgilium mascula thura vocare alba, & meliora: siquidem vox ista, masculus, apud veteres non semper sexum significat: sed interdum quidquid vegetũ, solidum ac robustum est, masculũ dicitur.*

VT MAGICIS SANOS AVERT. SACR. SENSVS) *Vt sanos sensus, id est, non amantes (nam amantes insani sunt) peruertam, & ad amorem mei alliciam.*] Afranius poeta vetus optimo argumento, veneficia non eam habere vim, vt miserè quampiam depereas, acutissimè & suauissimè probat apud Nonium.

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum.

Moribus, & fama conciliatur amor, ait Ouid. Certius autem nos Christiani credimus nullam vrgendi vim habere veneficia, inanemque esse dæmonum operam ad com-

compellendam animi nostri libertatem, quod illustri A sanè exemplo SS. Martyrum, Cypriani & Iustinæ redditur indubitatissimum. Ioseph Castilio. * *Nota hic, ætatem, versu tertio ab Afranio pro iuuenili & media, seu florenti ætate positam, cùm sæpe seniles annos sine adiuncto significet. Monet etiam Nonius, ætatem malam dixisse veteres senectutem: bonam ætatem, adolescentiam, vel iuuentutem.* Nihil hic nisi carmina desunt) Puto intelligi, ab eo significari, omnia ad magicum sacrificium parata esse, tantum cantiones ipsas & magica carmina deesse. Turneb. lib. 19. cap. 27. Ducite ab vrbe dom.) Theocrit. Idyll. 2.

Ἶυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.
Iynx illum hominem compelle in limina nostra.

Est versus intercalaris apud Græcum, sicut apud Latinum *Ducite ab vrbe*, &c. Carm. vel c. p. d. l.) Vel, pro B etiam est. Cic. epist. ad Brutum lib. 8. Et quòd te tantum amat, vt vel me audeat prouocare. Idem de Offic. lib. 2. contraq; beneuolentia fidelis, vel ad perpetuitatem valet. Virgil. Georg. 3. *Belgica vel molli melius feret esseda collo.* Terent. Eunuch. *Vel rex semper maximas mihi agebat gratias.* Hactenus ex Nonio. Nunc totius carminis sensum age illustremus. Ouid. 12. Metamorph.

Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo
Sæpe reluctantis constabat cornua lunæ.

Horat. Ode 17. Epod.

Per atq; libros carminum valentium
Refixa cælo deuocare sidera.

Et Ode 5.

Quæ sidera excantata voce Thessala
Lunamq; cælo deripit.

Tibull. lib. 1. eleg. 8. *Cantus & à curru lunam deducere tentat.* Propert. lib. 1. eleg. 1. *At vos deductæ quibus est fallacia lunæ.* Alibi. *Et iam luna negat toties descendere cælo.* Ouid.

Carmina sanguineæ deducunt cornua lunæ,
Et reuocant niueos solis euntis equos.

Apud Senecam in Medea.

Video triuiæ currus agiles:
Non quos pleno lucida vultu
Pernox agitat. sed quos facie
Lurida, mæsta, cum Thessalicis
Vexata minis cælum fræno
Propiore legit.

Sed in hoc plurimum Thessalarum mulierum cantus valere credebant. Susurrabant autem lunæ pulsu æris, quo strepitu fieret, ne carmina illa magica exaudiret. Seneca ibid.

Inq; auxilium Dictynna tuum
Pretiosa sonent æra Corinthi.

D. Basilius Homil. 6. in Hexaëm. Nec ergo lunam oculis, sed cogitatione, sed ratione metiri velitis, quam ad inueniendam, attingendamq; veritatem exactiorē longè, quàm ipsos oculos esse, nemo est qui ignoret. Fabulæ E quædā ridiculæ, deliræq; iam à temulentis aniculis vbiq; traditæ peruulgatæq; sunt, veneficiijs, inquam, carminibusq; quibusdam lunam à sua sede dimotam, cæloq; deductam ad humum ferri. Quonam igitur quæso pacto venefici carmina dimouere potuerunt eam, quam altissimus ipse Deus fundauit? Quis etiam & locus inde diuulsam, deductamq; de cęlo suscepit? Vis ab exiguis quibusdam indiciis magnitudinis ipsius lunæ demōstrationem accipere? &c. Nec verò tantummodò cælo deduci posse lunam credebant huiusmodi magicis carminibus, sed etiam ijsdem cantionibus illam cogi posse, vt despumaret in herbas suppositas, suumque virus ijs infunderet, quibus deinde ad veneficia vterentur. Hoc Lucanus docet libro 6. vbi de vi magicorum carminum sic ait.

——— Phœbeq; serena
Non aliter diris verborum obsessa venenis
Palluit, & nigris terrenisq; ignibus arsit,
Quàm si fraterna prohiberet imagine tellus,
Insereretq; suas flammis cælestibus vmbras.
Et patitur tantos cantu deprensa labores,
Donec suppositas propior despumet in herbas.

Idem alibi, *& virus largè lunare ministrat.* De partibus, seu officiis magiæ dicemus lib. 4. Æneid. ex Ouid. & aliis, ibi. *Hæc se carminibus promittit soluere mentes.* Tamen in præsens pauca afferemus ex lib. 1. Arnobij contra gentes. Sic etenim scriptum reliquit, dum illis respondet, qui Christum clandestinis, & magicis artibus illa mira, & supra naturam opera edidisse obiiciebant. Non enim vrgemus, & quærimus quæ sese spondeant facere, vel in quibus generibus actuum soleat omnis eorum doctrina, & experientia contineri. Quis enim hoc nesciat, aut imminentia studere pernoscere, quæ necessariò (velint nolint) suis ordinationibus veniunt? aut mortiferam immittere, quibus libuerit, tabem; aut familiarum dirumpere charitates: aut sine clauibus reserare quæ clausa sunt: aut ora silentio vincire, aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare; vxoribus & liberis alienis (siue illi mares sint, siue fœminei generis) inconcessi amoris flammas, & furiales immittere cupiditates? Aut, si vtile C aliquid videantur audere, non propria vi posse, sed eorū quos inuocant potestate? Carminib. circe socios m. v) Vide lib. 7. Æneid. *Hinc exaudiri gemitus, iræq; leonum*, &c. Vlissei ab Vlysseus græco: vt Promethei, Terei instar faceret genitiuum ordinis secundi. Caue legas, Vlyssis. Cantando rump. ang.) *De vi carminum & incantamentorum non pauca Plinius lib. 28. cap. 2. Inter alia: Hinc Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos, proximeq; Virgilij incantamentorum amatoria imitatio. Figlinarum opera multi rumpi credunt tali modo: non pauci etiam serpentes ipsos incantari: & hunc vnum esse illis intellectum, contrahiq; Musarum cantu, etiam in nocturna quiete.*] Quærat aliquis, quo tandem modo rumperetur anguis veneficæ carmine. Ego hìc rationem nō credo quærendam, sed potius anilem quandam vete- D rum opinionem, & puerilem in memoriam reuocandam, qua cognita, nihil obscuritatis in versu reliquum erit. Opinio igitur priscis erat, cantionibus veneficarum angues sic inflari, vt tandem rumperentur, ac dissilirent. Lucil. apud Nonium in Colubra.

Iam disrumpetur medius, iam vt Marsus colubras
Disrumpit cantu, venas cùm extenderit omnes.

Ouid. lib. 7. Metamorph. *Vipereas rumpo & verbis, & carmine fauces.* Idem de hominibus Horat. dixit, *Caputque Marsa dissilire nænia.* Turneb. lib. 15. cap. 5. & lib. 22. cap. 23. & lib. 30. cap. 39. Terna tibi hæc primum) Græci numeri additione rem amplificant, maximè ternionis: fortasse quòd is apud priscos & absolutissimus, & E sacer haberetur: vnde in magorum mysteriis adhiberi solitus, testis hic locus. Et apud Theocritum in eiusdem tituli carmine,

Ἐς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ.
Ter libo, ter & hæc pronuntio mystica verba.

Apud Euripid. in Hecuba præco ter iterato verbo silentium indicit. *σιγᾶτ' Ἀχαιοί, σιγᾶ πᾶς ἔστω λεώς. σῖγα σιώπα.* Plura Chiliad. Licia circvndo) *Licia dicuntur quasi ligia. Donat. in Andr. Terent.*] Cæterùm in veneficiis licia adhibebantur discoloria (versicoloria fila Nemes. vocat) non tātum illigandi, cantādiq; gratia, vt hic: sed etiam soluendi, & expiandi, vt apud Petroniū Arbitrum. Sed & sputum fronti illinebatur lustrale in fami digito

digito,& expuebatur. Illa, inquit Petronius, de sinu liciū protulit, varij coloris filis intortum, ceruicemque vinxit meam. Mox turbatum sputo puluerem medio sustulit digito, frontemq; repugnantis signauit: hoc pacto carmine ter me iussit expuere, terq; lapillos coniicere in sinum, quos ipsa præcantans purpura induerat. Turneb. lib.26.c.6. * *De Sagailla, Scylla nutrice, quæ eidem puellæ Minois amore impotenter captæ nauabat operam, Virgilius in illo venustissimo poemate, quod Ciris inscribitur, similem planè locum habet. Sic enim ibi legimus.*

At nutrix pagula componens sulfura testa,
Narcissum, casiamq; herbas incendit olentes:
Terq; nouena ligat triplici diuersa colore
Fila, ter in gremium mecum, inquit, despue virgo,
Despue ter virgo, numero deus impare gaudet,

NVM. DEVS IMP. GAV.) Ex antiquorum Latinorum, & Græcorum ritu & cærimonia superstitiosa dictum est, A qui in rebus diuinis ternionem numerum adhibebant, diis gratum, acceptumq; esse existimantes. Aristoteles de cælo lib.1.cap.1. de ternario loquens. διὸ παρὰ τῆς φύσεως εἰληφότες ὥσπερ νόμους ἐκείνης, καὶ πρὸς τὰς ἁγιστείας τῶν θεῶν χρώμεθα τῷ ἀριθμῷ τούτῳ. Turneb.lib.17.cap.25. De ternario Rhodigin.lib.22.cap.9. NECTE TRIB. NOD. ET VEN. D. V. N) Theocrit. Idyll.2.

Πάσσ' ἅμα, καὶ λέγε ταῦτα· τὰ Δέλφιδος ὀστέα πάσσω.
Sparge, simul dicens, Hac spargo Delphidis ossa.

Ex antiqua veneficiorum, & cantionum consuetudine scriptum est: nam in his numerabant nodos, vincula, & necessitates. Synesius. ἐγὼ γάρ τοι καὶ ἐπῳδὰς οἶδα, καὶ καταδέσμους, καὶ καταναγκας, οἷς οὐκ οἶδε ἀντισχεῖν, οὐδὲ πρὸς βραχὺ τὴν γαλήνην. Turneb.lib.19.cap.22.

Limus vt hic durescit, & hęc vt cera liquescit,
Vno eodemq; igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.
Daphnis me malus vrit, ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuuencum
Per nemora, atq; altos quærendo bucula lucos
Propter aquę riuum viridi procumbit in vlua
Perdita, nec seræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat; nec sit mihi cura mederi.

LIMVS VT HIC DVRESCIT) Theocrit. Idyll.2.

Ὡς τοῦτον τὸν κηρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω,
Ὣς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις.
Sicut cera isthæc per meq; deumq; liquescit,
Myndius & Delphis subitò liquefiat amore.

Ita Virgilius locum hunc est imitatus, vt tamen omiserit duos proximè sequentes versus, quamuis & eodem pertineant, & formæ (vt ita dicam) sint eiusdem. Sequitur enim apud Theocritum.

Χ' ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτας,
Ὣς κεῖνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέραισι θύραισιν.
Atq; ope vti Veneris rhombus nunc iste rotatur
Aereus, in foribus nostris sic ille rotetur.

Mulieres quæ veneficiis, & magicis artibus vtebātur, C cereas, cretaceas, laneas imagines adhibebāt. Cereas, vt is, quē amore sui capi vellēt, instar ceræ mollesceret: cretaceas, ne is se in alias mulieres obfirmaret atq; obduresceret tanquā creta: laneas, vt amore sui inflāmaretur, nō aliter q̄ lana. Exemplū cretaceę, & cereę hic proponitur: cereæ apud Theocrit. versibus suprapositis: laneæ apud Horat. sat.8. lib.1. *Lanea & effigies erat, altera cerea.* In quem locum ista Lambin. EODEMQVE IGNI) Synæresis est, qualis etiam 12. Æneid. *Vno eodemq; tulit partu.* Propert. lib.4. eleg. 7.

Eosdem habuit secum quibus est elata capillos,
Eosdem oculos, lateri vestis adusta fuit.

Calpurnius eclog.4. *Rupe sub hac eadem, quam proxima* D *pinus obumbrat.* SPARGE MOLAM) E Theocrito vertit, & molam ἄλφιτα appellauit: propriè tamen est hordeum torrefactum, frictumúe. Exponitur enim ab antiquo Critico κριθὰς πεφρυγμένας. FRAGILES INCEND. BITVM LAVROS.) Fragiles lauros, credo, ex eo vocauit, quod inter vrendum fragorem & crepitum edunt. Nam in ea significatione *fragilis* interdum ponitur, vt à Lucretio lib. 6. *Et fragiles sonitus chartarum commeditatur:* & nulla æque magno sonitu res crematur, vt laurus, B quod Theocritus, ex quo interpretatus est Maro, dixit, χ' ὡς αὕτα λακεῖ μέγα καππυρίσασα. Nam cùm, quæ franguntur, crepent, fit proinde, vt & fragor interdum sit sonus, & fragilis sonans. Si quis tamen fragiles, quæ facilè franguntur, vel ob siccitatem, vel gracilitatem, esse contendat pertinaciter, potius in partes me trahet suas, quàm vapulem, præsertim cùm à Marone alio scribatur loco, *Iam fragiles poteram à terra contingere ramos.* Turneb.lib.19.cap.27. Bitumen flammam celerrimè concipit. Horat. Ode 5. epod.

Quam non amore sic mei flagres, vti
Bitumen atris ignibus.

DAPHNIS ME MAL. V) Theocrit. Idyll.2.

Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν, ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν
Αἴθω.

Ouid. quoque 7. Metamorph. *quid in hospite regia virgo Vreris?* id est, quid succensa es eius amore? Vterque de industria affectauit locutionem Theocriti. Turneb. lib. 19.cap.27. QVALIS CVM FESSA IVVENCVM) Virgilium non modò Græcos, sed Latinos etiam poetas imitatum esse, dudum admonui. Totum autem hunc locum, quin de Vario sumpserit, nemo qui vtrumq; conferet, dubitabit. Sic enim ille in carmine de morte cecinit.

Ceu canis vmbrosam lustrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit ceruæ deprendere lustra,
Sæuit in absentem, & circum vestigia lustrans,
Æthera per nitidum tenues sectatur odores:
Non amnes illam medij, non ardua tardant,
Perdita nec seræ meminit decedere nocti.

Vrsin. PERDITA) Hanc vocem ἐμμανῶς in amore nonnunquam vsurpat Catull. vt de Ariadna, *toto ex te pectore Thesen, Toto animo, & tota pendebat perdita mente.* Germ. PROPT. AQ. RIVVM) Vide Georg.3. *Propter aquam, tardis ingens vbi flexibus errat Mincius.* SERÆ DECEDERE NOCTI) Pro, sera nocte domum redire.

Ducite

Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora chara sui: quæ nunc ego limine in ipso
Terra tibi mando. debent hæc pignora Daphnim.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina ducite Daphnim.
Has herbas, atq; hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atq; satas aliò vidi traducere messes.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres Amarylli foras, riuoq; fluenti,
Transq; caput iace: ne respexeris, his ego Daphnin
Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab vrbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua (dum ferre moror) cinis ipse. bonum sit.
Nescio quid certè est: & Hylax in limine latrat.
Credimus? AN QVI AMANT, IPSI SIBI SOMNIA FINGVNT?
Parcite, ab vrbe venit, iam parcite carmina, Daphnis.

HAS OLIM EXVVIAS) Theocrit. Idyll. 2.

Τοῦτ' ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις,
ὡγὼ νῦν τίλλοισα κατ' ἀγρίῳ ἐν πυρὶ βάλλω.
Ista sua amissa est à Delphide fimbria lanæ
Fimbria quam carptim flammis crudelibus indo.

Sed quod alibi, idem hìc fecit Virgilius, duos simul Theocriti locos imitans, aut saltem adumbrans. Legimus enim apud Theocritum, quatuor versibus interiectis.

Θέστυλι, νῦν δὲ λαβοῖσα τὺ τὰ θρόνα ταῦθ', ὑπόμαξον
Τᾶς τήνω φλιᾶς καθυπέρτερον, ἇς ἔτι καὶ νῦν
Ἐκ θυμῶ δέδεμαι· ὁ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιεῖ.
Pharmaca Thestyli nunc sume hæc, illisq; supernè
Illine liminibus, tota ad se mente reuinctam
Quæ retinent: quum interea me negligat ille.

QVÆ NVNC EGO LIM. IN IPSO) Hoc accipiendum esse arbitror de vestibus Daphnidis, quas venefica terræ se sub limine infodere, ad Daphnim pelliciendum dicit. Atque ego putarim significari limen ipsius Daphnidis, præsertim cùm id veneficium postulet: quid enim in alio limine exuuiæ defossæ aduersus Daphnim possent? Et Theocritus, cuius imitatorem Maro profitetur, idem scribit, de floribus tamen, non de vestibus, vt quidam censent, *τὺ τὰ θρόνα ταῦθ' ὑπόμαξον τᾶς τήνω φλιᾶς καθυπέρτερον*. Ego tamen Maronem sequor, & *θρόνα* vestes pictas Cypriorum lingua esse censeo. Turneb. lib. 19. cap. 27. HAS HERBAS, ATQVE HÆC PONTO) Pontus regio minoris Asiæ, cui olim Mithridates imperauit, de quo Martialis.

Perfecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

Mox triplex istarum venenatarum herbarum vis, & effectus subiicitur, scilicet, lycanthropia, vmbrarum euocatio, frugum traductio. HIS EGO SÆPE LVP. FIERI) De fabula luporum in homines conuersorum Plin. lib. 8. c. 22. Homines, inquit, in lupos cõuerti, rursumq; restitui, falsum esse confidenter æstimare debemus, aut credere omnia, quæ tot sæculis fabulosa comperimus. Vnde tamen ista vulgo infixa sit fama, in tantum, vt in maledictis

A versipelles habeat, indicabitur. Euanthes inter auctores Græciæ nõ spretus, tradit, Arcadas scribere, ex gẽte Antæi cuiusdam sorte familiæ lectum, ad stagnũ quoddam eius regionis duci, vestituq; in quercu suspenso tranare, atq; abire in deserta, transfigurariq; in lupum, & cum cęteris eiusdẽ generis congregari per annos nouem. Quo in tẽpore, si homine se abstinuerit, reuerti ad idẽ stagnũ, & cùm tranauerit, effigiem recipere, ad pristinum habitum addito nouẽ annorũ senio. Id quoq; Fabius, eãdem recipere vestem. Mirum est, quò procedat Gręcorũ credulitas. Nullum tam impudens mendacium est, vt teste careat. Hæc ille.

Lycanthropia morbus est melancholicus, quo qui afB ficiuntur, *λυκάνθρωποι* dicuntur: lupos enim imitantur, in quos se conuersos putant: noctu exilientes, & ad diẽ vsq; inter sepulchra diuersantes: eorũ præpallet facies, oculi arescunt, sitibundi, tibiis ex impactione crebra *ἀνιάτως*, id est, citra medelam vlcerosis. Iidẽ & *λυκάονες* appellantur. Rhodig. lib. 14. cap. 45. * *De mutatione magica cuiusdam in castorem, alterius in ranam, tertij in arietem, & muliere perpetua pragnatione damnata, est apud Apuleium lib. 1. Metamorph.* ANIMAS IMIS EXCIRE SEPVL.) Animas euocat non solum Homerus auctor est 11. Odyss. sed etiam sacra regum historia, vbi per mulierem Pythone afflatam Saul animam Samuelis euocat, ab eáque impendentem sibi cladem agnoscit. ATQVE SAT AL. V. TRAD. MESSES) *Credidit stolida vetustas, carminibus quibusdam magicis fruges ab*
C *agro in agrum transferri posse. Plin. lib. 28. cap. 6. iucundum quoddam exemplum narrat de Furio Cresino, cui dies dicta erat, quod fruges alienas in suum agrum pellexisset. Et omnium sent. absolutus est.*] In decemuiralibus tabulis notatum fuit apud veteres, eos quidem capiti obnoxios iudicari, qui alienas segetes excantassent, aut vllis veneficiis, & carminibus pellicere ausi essent, Verba tabularum hæc fuerunt.

Ne pellicimto alienas segetes excantando:
Ne incantanto: ne agrum defrudanto:
Ne frugem aratro quæsitam mox furtim depascũto:
Puberes si secanto, Cereri eos suspenduntor.

Impubes arbitratu Prætoris verberanto,
Ac noxam duplionem decernunto.

Excantare igitur,& pellicere segetes, sacra sunt vocabula,& eiusmodi incantationibus propria: sicut porricere exta, procurare fulmina, legere ossa, & alia eius generis permulta. Crinit.lib.5.cap.7.

Tibull.lib.1.eleg.8. *Cantus vicinis fruges traducit ab agris.* In quem locum Ioseph.Scalig. Rectè exprimit verbum, *Excantare*, duodecim Tabularum. Excantare fruges, non est simpliciter incantare: sed è loco in locū carminibus traducere. Ouid. *Nec seges ex aliis alios transibit in agros.* Item illud Propertij lib. 3. eleg.2. *Vt te per clausas sciat excātare puellas*, rectè nos docet, quomodo verbum XII. Tabularum interpretari debeamus. Nam excantare hic est foras elicere. Ibi fruges excantare, cantatas aliò traducere. * *Quod etiam Phocylides prohibet. σπέρματα μὴ κλέπτειν, ἐπαράτριος ὅστις ἀρῶται.* FER CIN. RIVOQVE FLVENTI) Theocrit.Idyll.24.

Ἠρι δὲ συλλέξασα κόνιν πυρὸς ἀμφιπόλων τις
Ῥιψάτω εὖ μάλα πᾶσαν ὑπὲρ ποταμοῖο φέρουσα
Ῥωγάδας ἐς πέτρας, ὑπὲρ οὔρον· ἂψ δὲ νέεσθαι
Ἄστρεπτος.
Mane autem cineres ancillarum vna coactos
Omnes proiiciat trans flumen, trans quoq; fines,
Præruptam in rupem: corpus caueatq; reuertens
Ne retrò flectat.

Purgamenta, quæ quidem Græci καθάρματα appellāt, quibus februabatur, aut expiabatur aliqua noxa, mittebantur in profluentem: interdum & in mare, interdū in triuium: iaciebanturq; ab auersis trans caput, vt hic scriptum est, nec respiciebāt: ne eorum aspectu malum traherent: ea autem secum sceleris,& culpæ admissæ omne nefas, omnemq; noxā auferre credebant,& contagione quadā aliis tradere, si quis tangeret. Itaq; erant ea purgamenta omnibus inuisa, vt ea vel pede calcasse nefarium haberetur,& inauspicatum, & mali alicuius præsagium. Hanc tamē superstitionē Cynici irridebant, qui, vt apud Lucianum est, sæpenumero ouis purgamento vescebantur. Quod autē nouissimè dixi, abominandū esse duxisse, vel pede purgamenta calcare, è Petronio intelligi potest ita scribente. Quæ striges comederunt neruos tuos; aut quod purgamentum in nocte calcasti, aut cadauer? Turneb.lib.19.cap.22. vbi etiam Æschylum in Choæphoris, & Euripidem in Andromacha adducit. Et lib. 26.cap.7. NE RESPEXERIS) Hymno εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος. Callimachus Saturniis legibus cautum inquit, vt qui deum inuitum cernat, ingenti mercede cernat: ex quo fortasse istuc à Virgilio dictum est, quod arbitratur Politian. cap.80. CORRIPVIT CIN.ALT.FLAM.N.Q.C.EST) Maximū augurium e cinere, vbi prunarū nullæ reliquiæ sunt, existere flammā. Quod Vestales, sacrificante Terentia vxore Ciceronis, quum contigisset, auspicatissimum ostentum interpretatę sunt, ad opprimendā Catilinariam cōiurationē. Puella igitur perculsa tanto prodigio, pro magno id habet, etsi eius significationem ignoret. Vnde illa vox, *bonum sit: nescio quid certè est*: hoc est, res magnifica certè,& quę graues in alterutram partem effectus denunciet.] *Sic Persius satyra 5.* Nescio quid certè est, quod me tibi temperat astrum.] Sic in Heautont. *Portant quid rerum*, significat, magnas, siue multas res: non enim alioqui subsecutus fuisset gemitus amantis, qui ex mole istarum sarcinarum arbitratur puellam corruptam esse, & flagitio corporis tantas res sibi parauisse. Sic accipiendum in eadem comœdia illud: *Pitissando modo, mihi quid vini absumpsit?* Græci pro eo χρῆμα dicunt. Synesius ἡμῖν δὲ καὶ τὸ μουσικῆς χρῆμα ἐπιχώριον ὡς εἴ τι ἄλλο. Budæus sic conuertit Nobis autē musica quoq; vernacula, vt si quid aliud. Nā-

A nius lib.2.cap.21. BON. SIT) Bonum aliquando felicitatis notionē habet, vt hic. Est enim sensus, felix sit, fortunatū sit. Sic in illo. Vnà tecum bona, malaq; tolerabimus, id est, felicia& infelicia. Sic in Adelph. cùm dixisset Demea, *Quid ais bone vir? hem, est frater domi?* Respondet Syrus: *Quid (malum) bone vir mihi narras? equidem perij.* Videtur illa ἐπανόρθωσις Syri, qua castigat Demeæ orationem, planè absurda,& quod Græci dicunt, ἀπροσδιόνυσος esse, si bonum virum capias pro viro probo. Quod enim non sit bonus vir, hinc probat, quod perierit: quasi inter se pugnarent, bonum virum esse,& perire. Est ergo dittologia in istis verbis: alio enim sensu, bone vir, dicitur à Demea, alio sensu accipitur à Syro. Demea bonum virū B intelligit, sed εἰρωνικῶς, qui probus non sit: Syrus eum, qui felix & fortunatus sit. Nannius lib.2.cap.11.

Sic loqui solebant, inquit Turneb.lib.19.cap.27. cùm bonum euentum optabant, quod & Pharmaceutria precatur. Sic & Persius sat.4.


Ingemit, hoc bene sit: tunicatum cum sale mandens
Cæpe,& farratam pueris plaudentibus offam.

Igitur bonum sit, & bene sit, dicere solebant secundum aliquid, & prosperum optantes, & ominantes. HYLAX IN LIMINE LATRAT) Hecatæ canem immolari in Mimis, prodidit Sophron. Quippe, vt scribit Lycophronis interpres, canis latratus carmina soluit omnino, καὶ τὰ φάσματα, sicut æris tinnitus quoq;, aut eius- C modi quippiam. Propterea in Alexandra Lycophron. *Ζήρινθον ἄντρον κυνοσφαγοῦς θεᾶς λιπών.* Huc respectare Virgilium nemo non emunctæ (quod aiunt) naris aduertit. Rhodig.lib.2.cap.6.

Qui de venatione scripserunt, ducē secuti Xenophōtem, canum nomina aut monosyllaba, aut disyllaba, certè breuia, vocatuq; cōmoda, & facilia esse oportere monent. Talia sunt Xenophōti, exempli caussa, λόγχη, φύλαξ, τάξις. Ouid. in fabula Actæonis lib.3. Metamorph. haud rectè canibus illis venaticis putatur indidisse trisyllaba, Melampus, Pāphagus, imò tetrasyllaba, Nebrophonus, &c. Hoc quod de venatoriis canib⁹ dictum est, putemus licet æquè ad domesticos pertinere: in quibus longiora nomina minus placent. A latratu aūt hylax. Iacob.Pont. D QVI AMANT, IPSI SIBI SOM. FING) Publius in Mimis. *Amans quod suspicatur, vigilans somniat.* Teren. Andr. *Nū ille somniat ea, quæ vigilans voluit?* Aristoteles dixisse fertur, Spes esse vigilātium somnia. Est enim dictu mirum, quas non sibi imagines, rerumq; species fingant apud animū, tanquā somnia scilicet, id est, quæ nihil sunt, quia aliquid vehementius sperant. Et pascuntur huiuscemodi simulacris mortales miseri. Sic etiam qui in amorē præcipitarunt, varias, quamuis vigilātes, species, vt si dormirent, fabricantur, in quibus acquiescunt. Creditur Virgilius ad Aristoteleum dictum respexisse. Vide Chiliad. Non coniunxit autem vocales secundo pede, sed distraxit, id est, non fecit synalœphen, seu non elisit iota in vo- E ce, *qui*, passus ambas concurrere. Quod faciunt quidem poetæ Græci, at non Latini, nisi eorum imitatione aliquando, magisq; veteres quàm recentiores. Cic. in Orat. perf. Isocratem, Theopompum, Demosthenem quidē fugisse vocalium concursum dixit, at non cū Thucydide Platonem. Tum subiicit. Sed Græci viderint: nobis, ne si cupiamus quidē, distrahere vocales conceditur. Indicant orationes illæ horridulæ Catonis: indicant omnes poetæ, præter eos, qui, vt versum facerent, sæpe hiabant: vt Næuius. *Vos qui accolitis Histrum fluuiū atq; Algidum.* Et ibidem. *Quam nunquam nobis Graij atq; Barbari.* At Ennius semel. *Scipio inuicte.* Et quidem nos, *Hoc motu radiantis Etesiæ in vada ponti.* Hoc idem nostri sępius nō tulissent, quod Græci laudare etiā solent. Iacob.Pont.

Scri-

Scriptus codex legendum docet, *omina finguit*. E[illegible]tum porrò in hoc vocabulo, *omina*, in variis auctoribus, & apud poetas, & frequentissimè, & falsò legi *omnia*, ostendit plurimis versibus prolatis Guliel. Cant. lib. 1. cap. 8. nec debet nos perturbare hiatus, cum in eodem carmine antecedat alius, & constet à Virgilio non semel id à Græcorum imitatione factum. PARCITE, AB VRBE) Non, desine, dixit, quia qui desinit, finem facit: qui parcit, suspendit id, quod agebat. Philargyr. Concluditur Alphesiboei [illegible], vt superius Damonis querimonia conclusa est, *Desine Mænalios iam desine tibia versus*. Sed hæc illa lætior.



Ecloga nona. Mœris.

SYNOPSIS.



Victor interfectorum Iulij patris sui Octauianus apud Philippos, cùm agros transpadanos militi veterano iussisset assignari, euenit, vt cum alijs multis suos quoque Virgilius, nulla sua culpa, agellos amitteret: vti suprà quoque in argumento primæ Eclogæ à nobis relatum est. Ob hanc caussam iter Romam arripuit, ac per Asinium Pollionem, & Mæcenatem, homines gratia, auctoritateque florentissimos suam sibi possessiunculam recipere studuit. Hoc ita molestè, & iniquè tulit Arrius Centurio, cui fundus Maronianus obtigerat, vt ei aliquando, casu, an consultò factus obuiam, propemodum mortem (heu cadit in quenquam tantum scelus?) attulerit. Mandauerat autem Romam abiens villico suo Virgilius, vt vsque ad reditum suum, quantum quidem res pateretur, leui damno Arrium pro domino coleret, eique seruiret. Nunc fingitur hic villicus in persona Mœridis Mantuam contendere, & importuno illi hero hœdillos munusculum portare. Lycidas familiaris eum per viam assecutus, caussam itineris exquirit. Quam occasionem adeptus Mœris, perditissimam illorum temporum conditionem detestatur: cui detestationi, querimoniæque ipsius Virgilij, eiusque carminum laudatio adiungitur: ille siquidem per Menalcam intelligendus est. Pergunt igitur ambo Mantuam, itinerisq; tædium delectatione cantiuncularum discutiunt.

EXPLANATIONES.

LYCIDAS, MOERIS.

Q Vò te Mœri pedes? an (quò via ducit) in vrbem?
M. O Lycida, viui peruenimus, aduena nostri
(Quod nunquam veriti sumus) vt possessor agelli
Diceret, HÆC MEA SVNT, VETERES MIGRATE COLONI.
Nunc victi tristes (quoniam fors omnia versat)
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hœdos.
L. Certè equidem audieram, quà se subducere colles
Incipiunt, molliq; iugum demittere cliuo,
Vsq; ad aquam, & veteris iam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus vestrum seruasse Menalcam.
M. Audieras, & fama fuit: sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quòd nisi me quacunq; nouas incidere lites
Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viueret ipse Menalcas.
L. HEV CADIT IN QVENQVAM TANTVM SCELVS? heu tua nobis

Pæne simul tecum solatia rapta, Menalca.
Quis caneret nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret vmbra?
Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cùm te ad delicias ferres Amaryllida nostras.
Tityre, dum redeo (breuis est via) pasce capellas,
Et potum pastas age, Tityre, & inter agendum
OCCURSARE CAPRO (CORNU FERIT ILLE) CAVETO.
M. Immò hæc, quæ Varo necdum perfecta canebat.
Vare tuum nomen (superet modò Mantua nobis,
Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes sublimè ferent ad sidera cygni.

QUO TE MOERI PEDES?) Cùm dicit Virgilius pedes eum, cuius sunt, aliquò proficiscentem ferre, non est existimandus hic sermo agrestis propriusq; rusticorum hominum, vt interpretes nonnulli falsò putarunt. Nam Homerus eodem pacto locutus est, ἐν τῇ παλινώξει, cùm exponeret Patroclum, visis rebus Græcorum in maximo periculo, decessisse à tabernaculo Eurypyli, vt videret, si posset sodalem suum Achillem impellere ad remedium illi graui malo ferendum. Ita igitur poeta inquit, ἦ μὲν ἄρ' ὣς εἰπόντα πόδες φέρον. Declaratio etiam quædam illic vetus annotauit hunc loquendi modum, cuius hæc verba sunt, ὅτι οἱ πόδες αὐτὸν ἔφερεν, οὐκ αὐτὸς τοὺς πόδας. παρὰ Ζηνόδοτον, ὅτι ἀναγράφει, ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει. Videndum potius, an ita significetur festinatio studiumq;. Victor. 36. cap. 3.

Etiam imitatione Theocriti in Hyla dictum est, & subauditur, ducunt, ferunt. Theocrit. enim dicit Idyll. 13. ὁ δ' ᾇ πόδες ἆγον ἐχώρει. Adde ex Apollonio lib. 1. Argonaut. ἂν ἢ χέλσαι θεν τὴν θέαν, ᾗ πόδες αὐτὸν ἐπίσχοιεν ἀΐσσοντα. Et lib. 4. Ὡς ἄρ' ἔφη, τὴν δ' αἶψα πόδες φέρον ἐξανύουσαν. Plaut. Mercat. *Nec podagricus, nec articularius est, quem rus pedes ducunt.* Quod genus loquendi dicitur de eo, qui non tam voluntate, & consilio, quàm sponte, & impetu quodam ipsorum velut pedum incitatus aliquò pergit, nullo quasi loco sibi ab initio, quò eat, cõstituto ac proposito. Horat. Ode 16. Epod. *Ire pedes quocunq, ferunt.* In quem locũ ista Lamb. annotauit. Vtitur & Varro li. 2. de re rustica, in procem. Propterea quòd te empturientem in campos macros ad mercatum adducunt crebrò pedes. Macri autem campi erant in Liguria, vbi & mercatus erat celebris. Turneb. lib. 29. cap. 31. QUO VIA DUCIT) Æneid. 1. *quà semita monstrat*. VIVI PERVENIM. AD. NOSTRI) Heu quàm verè dictum, Multa homo diu viuendo, quæ non vult, videt mala. Nos miseros, qui diutius viuendo in istam calamitatem incidimus, vt agellis nostris ab aduena pelleremur insontes, & nihil commeriti. Cic. epist. 4. lib. 14. Quod vtinam minus vitæ cupidus fuissem: certè nihil, aut non multum in vita mali vidissemus. Idem in 1. Tuscul. Quanquam non malè ait Callimachus, multò sæpius lacrymasse Priamum, quàm Troilum. Est item idoneum huic argumento, quod scribit Iuuenalis.

Hæc data pœna diu viuentibus, vt renouata
Semper clade domus, multis in luctibus, inq;
Perpetuo mœrore, & nigra veste senescant.

Et Plauti Bacchid.

Video nimio iam multo plus quàm volueram.
Vixisse nimio satius est, quàm viuere.

Iacob. Pont. QUOD NUNQUAM VERITI SUMUS) A eoque accidit nobis tristius. Nam iacula præuisa minus feriunt. Addit tamen postea, vnde se consolatur.

Quod nisi me quacunq, nouas incidere lites
Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix, &c.

POSSESSOR AGELLI) Possessionem quasi pedum positionem κατὰ παρωνομασίαν nostri auctores dictam existimant, ideoque rerum mobilium propriè possessionem non dici, quod earum vsum non pedibus, sed manibus acquiramus. Vnde & veteribus dicta mancipia, & res mancipi, quorum Boetius in Top. Ciceronis meminit, & Cynus quoque non ineleganter declarat. Sint ergò pedes symbolum, & indicium quoddam possessionis rerum immobilium, sicut manus rerum mobi- B lium. Horus tamen Apollo hieroglyph. lib. 2. cap. vlt. Hominem, inquit, φιλοξύλον, id est ædificatorem, Ægyptij describere volentes, manum humanam depingebant, quòd ea quæcunque ædificia absoluuntur. Manus ergo φιλοξύλων, pedes στιλοξύλων significabant. Alciatus Parergon Iuris lib. 5. cap. 6. HÆC MEA SUNT) Lucianus festiuo epigrammate in agrum Achæmenidis, qui ad alium dominum peruenerat, monet nos, nihil nobis esse certum in possessionibus: nihil perpetuum: sed subiecta omnia casui, adeo, vt quod hodie possides, nescias vtrum in perendinum sis possessurus. Neq; solùm mortuis nobis, sed etiam viuentibus sæpe res nostræ alium atque alium herum sortiuntur. Sic & Virgilius agellos C suos amisit, quod non putabat. Sed Luciani carmina, cum interpretatione mea subiiciam.

Α'γρὸς Α'χαιμενίδου γενόμην ποτὲ, νῦν δὲ Μενίππου,
Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ᾤετο, καὶ πάλιν οὗτος
Οἴεται, εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενὸς, ἀλλὰ τύχης.
Nuper Achæmenidæ, sed iam sumus arua Menippi,
Rursus & alterius mox erimus domini.
Hic sua nos putat esse: olim sic ille putabat.
Sola magis nostri fors tenet imperium.

Huc faciunt etiam illa Horatij sat. 2. lib. 2. quibus conqueritur Ofellus rusticus, se à quodam Vmbreno per vim eiectum, ac pulsum fundo suo, vt hic Lycidas ab Ar- D rio Centurione: & simul in illa querimonia res quatuor recenset, quibus domini rerum mutantur, & possessiones ad alios transeunt, vim, profusionem, iuris versuti inscitiam, ipsam mortem denique, qua finiuntur omnia.

Nam propria telluris herum natura neq; illum,
Nec me, nec quenquam statuit: nos expulit ille,
Illum aut nequities, aut vafri inscitia iuris,
Postremùm expellet certè viuacior hæres.

Memi.

Memini præterea cuiusdam dicti à D. Chrysostomo, Homil. 2. ad populum Antiochenum, quod à dictis non abludit. Sæpius, inquit, risi testamenta, legens: Ille quidem habeat agrorum vel domus dominium, vsum verò alius. Omnes enim vsum habemus, dominium autem nemo. Hoc virum sanctum ex Philonis commentario de Cherubim deriuasse suspicor. Ius possessionum omnium rerum, inquit ille, ad deum pertinet, vsus verò solus ad creaturam. Statim disertissimè demõstrat, quamobrem deus omnes res creatas omnibus vtendas concesserit, & qualis sit earundem inter se, animatarum etiam cum inanimis, brutarumq; cum ratione præditis communicatio. Iacob. Pont. FORS OMNIA VERSAT) *Fors, nõ sors legendum est. Librariorum negligentia quia inter ſ & s, quod ad figuram attinet, parum interest, & facilè vna pro alia pingitur, sæpe in optimos auctores mendum turpe inuexit, & pro illa voce nobis hanc obtrusit. Quod compluribus exemplis in eã causum prolatis Lamb. Comment. in 1. sat. lib. 1. apud Horatium demonstrat.*] Terent. *Omnium rerum vicissitudo.* Cic. pro Marcello, Et certè in armis militũ virtus, locorum opportunitas, sociorum auxilia, classes, commeatus multum iuuant: maximam verò partem, quasi suo iure sibi fortuna vindicat, & quidquid est prosperè gestum, id pæne omne ducit suum. Et pro Sylla. O volucrem fortunam, quàm citò omnia ex lætitia, & voluptate ad luctum, & lacrymas recidunt? Producit & illud Theophrasti in 5. Tuscul. Vitam regit fortuna, non sapientia. Sallust. quoque. Sed profectò fortuna in omni re dominatur. Veruntamen vir magnanimus & fortis, & omnino sapiens, humana omnia premit, euentibusq; qualibuscunq; animum suum superiorem esse ducit. HOS ILLI, QVOD NEC BENE VERTAT) *Daß jhms der Teuffel gesegne. Daß er den Todt daran freß.* Quam vim habeat ratio hæc loquendi, optandiq;, ostendimus. Quid in officio sit, nosti lector. Ε'χθρῶν δῶρα ἄδωρα. Semper in donantibus voluntas potiùs, quam ipsum donum intuendum est. Multum donauit, qui perlibens, cupideq; donauit, quãuis parum donauerit: vt ille rusticus pomum regi, quod ei natum erat omnium in horto maximum. Contrà, nihil dedit, qui inuitus, atq; etiam cum dolo, & tacita quadam execratione dedit. Immò verò iste melius damnũ, aut malum, quàm munus dare dicatur. Non dedit beneficium, inquit Seneca lib. 2. de Benef. cap. 19. qui malo animo profuit: vt qui tuber tyranni gladio diuisit, quod medicorum manus reformidauerant. Idem epist. 81. Eo animo quidq; debetur, quo datur: nec quantum, sed à quali profectum sit voluntate perpenditur. Iacob. Pont. MITTIMVS HOEDOS) Quem gulosi omnium maximè quærebant, erat hœdus lupi faucibus ereptus, dilaniatusq;, de quo Horat. in Epod. Ode. 2.

Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.

Et Martialis lib. 10.

Paruus onyx vna ponetur cœnula mensa,
Hœdus inhumani raptus ab ore lupi.

Cur autem huiusccmodi hœdorum caro cæteris iucunditate præcellere iudicaretur, assignat Plutarchus rationem, lib. 2. Sympos. belluam illam nimirum suo morsu carnem teneram, ac proinde delicatiorem efficere: nam lupi spiritus vsq; adeo feruidus, ac pæne igneus est, vt etiam durissima ossa in eius stomacho emolliantur, atque conficiantur: quam item ob caussam à lupis commorsa, celerius alijs putredinem contrahunt. Mercurial. Variar. lect. lib. 1. cap. 25. CERTE EQVID. AVDIERAM) Audieram ego à narrantibus, Menalcam vestrum seruasse (recuperasse) bona sua omnia, seu agros suos, qui intra Mincium, veterem fagum, & collem oppositum interiacent. Meminit huius loci Fabius lib. 8. cap. 6. vbi de al-

A legoria disserit. Præter nomẽ, inquit, omnia proprijs decisa sunt verbis: verùm nõ pastor Menalcas, sed Virgilius est intelligendus. AVDIERAS, ET FAMA FVIT) Aures minus fidei habent quàm oculi, vt quibus non cum ipsis rebus sit commercium, sed cum sermonibus rerum interpretibus, non semper veritatem sectantibus. Philo de Iudice. CHAON. AQVILA VENIENTE COLVMB.) Columbæ præ aquilis auguria non habent: seu minora auguria columbarum maioribus aquilarum cedunt, etiamsi priora sint. *Chaonias*, Epiroticas. Nam & in Epiro dicitur nemus fuisse, in quo responsa dabant columbæ. Quod ideo fingitur, quia lingua Thessala Peliades, & columbę, & vaticinatrices vocantur. Seruius. QVOD NISI) Sicut

B quod vtinam, pro vtinam: ita quod nisi, pro nisi haud inuenustè à scriptoribus reperies celebratũ. Lucret. *Quod nisi respirent venti: nõ vlla refrænet Res.* Liuius li. 34. Quod nisi me verecundia singulorum magis maiestatis, & pudoris, quàm vniuersorum tenuisset. Terent. *Quod nisi fuissem incogitans.* Æmil. Probus in Annibale. Quod nisi domi ciuium suorum inuidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. SINISTRA CORNIX) Malum omen fuisse cornicis crocitantis, poetæ passim docent. Vnde & Hesiodus in ἔργ. μή τοι ἐφεζομένη κρώξῃ λακέρυζα κορώνη. Et Apollon. lib. 3. τῇ θαμὰ δὴ λακέρυζαι ἐπηυλίζοντο κορῶναι. Obseruatum quoq; est ex augurali disciplina, fausta auspicia coruorum à dextera, cornicum à sini-

C stra. Itaq; fortasse non infælicia intellexisse videri potest poeta, à quibus commonefactus pastor, à litibus discessit: secus tamen viris doctis visum est. German. HEV CADIT IN QVENQVAM) Postquam audiuit occidi potuisse Virgilium, quasi obstupuit. Hoc generaliter dicit: potest in quenquam tantum scelus venire, vt Virgilium necare contendat? Seruius. TVA NOBIS SOLATIA RAPTA TECVM) Cum suis solatijs perit poeta, qui necdum editis carminibus moritur. Virgilius autem illo tempore nondum aliquod opus scripserat. Idem. * *Solatia tua hic accipio, non quibus se poeta ipse solaretur (quanquam litera, & præsertim poetica suis quoq; auctoribus magno solet esse solatio) sed quibus alios. Itaq; signatè dictum,* rapta nobis. *Solatia verò pro delectamentis posuit: propriè enim solatia ãclementa in rebus aduersis.*

D QVIS CANERET NYMPHAS) De carmine rustico in honorem Nympharum composito, quibus res diuina, excitatis ad fontium capita vmbraculis fiebat à rusticis, & pastoribus: atq; adeo de bucolico cantu dicitur. Et alio loco, *Et quo, sed faciles Nymphæ risere, sacello*, cum ait, rure sacella Nympharum fuisse ostendit, quibus & antra sacrantur. Turneb. lib. 13. cap. 4. QVIS HVMVM FLOR. HERB.) Humum florentibus herbis spargere, hoc loco est idem quod Eclog. 6. *Tum Phaetontiadas musco circumdat amaræ Corticis*, pro, circumdatas canit. VIRIDI FONT. IND. VMBRA) Viridis vmbra, est frondium & arborum virentium vmbra, qua inducuntur fontes, id est, teguntur, cooperiuntur. Sed hoc eodem intellectu accipio, quo illud de sparsis herbis. VEL QVÆ SVBLEGI

E TACITVS) Rustica affectione reminisci se illorum carminum fingit, quæ aliquando à Virgilio, licet inuito, Romani abeunte abstulerat. Particula, vel, indicat nonnulla de plurimis. Cic. pro Cælio. Vel illas quas proximè accepi, quàm prudentes? Terent. *Vel hoc quis non credat, qui norit te abs te esse ortum?* Hoc igitur sentit Lycidas, vel illa pauca carmina, quæ suffuratus sum tibi Romam profecturo, quàm elegantia, quàm eximia sunt? Vide quæ ex Budæo recitauimus super hac voce, vel, lib. 11. Æneid. ibi, *Vel cum se pauidum contra mea iurgia fingit.* Legere, ait Nonius, surripere significat. Vnde & sacrilegium dicitur, id est, de sacro furtum. Turpil. *Sermonem hunc sublegam.* Lucil. 28. *Omnia viscatis manibus leget.* CVM TE AD DEL. AMARYLL.) Romam nomine

Amaryllidis intellexit etiam Eclo.1.illo versu. *Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.* Quare placet ἀλληγορικῶς dictum accipi, & non de amica communi. Præterea persuadet hoc, quod ait, *cum te ferres: quibus verbis iter aliquod longiusculum innuitur*, Mantua Romam videlicet. TITYRE DVM REDEO) Theocrit. Idyll.8. A

Τίτυρ᾽ ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλημένε, βόσκε τὰς αἶγας,
Καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε Τίτυρε· καὶ τὸν ἐνόρχαν
Τὸν Λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μή τυ κορύψῃ.
Tityre, cuius amor felix mihi pasce capellas,
Illasq; ad fontem duc Tityre: & à coleato
Cnacone à Libyco, ne tu feriare, caueto,

Liberius. B

Tityre amicitia pulchro mihi fœdere iuncte,
Pascendis operam præsta mihi quæso capellis:
Illasq; ad fontem duc Tit.&c.

Animaduertit Gellius lib. 9. cap. 9, hos versiculos è Theocrito vertisse Poetam; omisisse autem, quod est in græco verbo dulcissimum. Quo enim pacto diceret, τὸ καλὸν πεφιλημένε, verba herclè non tralatitia, sed cuiusdam natiuæ dulcedinis? Hoc igitur reliquit, & vertit cætera non infestiuiter: nisi quod caprum dixerit, quem Theocritus ἐνόρχαν appellauit. Auctore enim M. Varrone is demum caper dicitur, qui castratus est. OCCVRSARE CAPRO) Quod aiunt, pro hirco malè positum caprum à doctissimo poeta, sanè ipsi sese non doctissimos ostendunt. C Quippe capra vetus vox est: sic mas caper, antequam castrandi vsus inuentus esset. Hircus verò peregrina, & osca, sicut & hirpus pro lupo. Scalig. Poet.lib.5.cap.3. POTVM PASTAS AGE) Agere significat ante se pellere, id est, minare, vt hic, *Et potum pastas age Tityre.* [*quomodo & Varro locutus est 2. de re rust. cap. 2 Meridiano tempore semel agere potum satis habeat. Et paulò antè. Ab occasu paruo interuallo interposito, ad bibendum appellant.*] Modò significat iurgari, vt cum dicimus, agit cum eo furti. Modò rependere, vt cum dicimus, gratias ago. Modò verbis iudicare, vt cum dicimus, caussam ago. Quin etiam si accessit gestus, & vultus quidam decor, vt cum scenici agere dicuntur. Festus. MANTVA VÆ MISERÆ) D Aliquid mali propter vicinum malum. Id ipsum apologus Æsopicus de duabus ollis, ænea & fictili significat. Sed ad versus totius explanationem quod attinet, mos fuit olim Imperatoribus, vt iuberent agros metari, hoc est in certa iugera distingui, vt æqua diuisio inter milites, quibus is ager assignandus erat, iniri posset. Quod si præsentia ad id non sufficerent, etiam vicina loca in supplementum addebantur. Mos autem ille originem à Romulo traxit, qui centuriatum agrum militibus suis dedit, hoc est, dum certa iugera in centum capita diuisit. Nannius lib.4. cap.7. * *Queritur hoc idem Virgilius Georg. lib. 2. his versibus.*

Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niueos herboso flumine cygnos.

CANTANTES SVBLIME FERENT CYGNI) Poetæ à E Græcis apta quadam tralatione cygni dicuntur. Antipater Sidonius in Epigram. Τύμβος Ἀνακρείοντος, ὁ Τήϊος ἐνθάδε κύκνος. Hinc Horat. lib. 4. Ode 2. *Multa Dircaeum leuat aura cygnum.* De Pindaro dictum. Vrsin.

Idem Horat. dum se carminum suorum fama immortalem apud omnes gentes futurum ostendere vult, fingit se in cygnum mutari, qui sublimè volans, cantus edat suauissimos, quos vel vltimi terrarum populi exaudiant.

Non vsitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates: neq; in terris morabor
Longius: inuidiaq; maior
Vrbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum: non ego quem vocas,
Dilecte Mæcenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor vnda.
Iam iam residunt cruribus aspera
Pelles, & album mutor in alitem
Supernè: nascunturq; leues
Per digitos, humerosq; plumæ, &c.

Theocritus quoq; in Thalysijs non absq; specie adagionis μουσῶν ὄρνιθας appellat poetas, id est, Musarum aues, quod in morem lusciniarum videlicet assiduò cantent sua poemata. Vide Adag. Iunij, cent.1.adag.18. De cantu cygnorum Cicero Tuscul.1. Itaq; commemorat (Socrates apud Platonem in Phædone) vt cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quòd ab eo diuinationem habere videantur, qua prouidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriantur: sic omnibus & bonis, & doctis esse faciendum. Ouid. epistola Didonis.

Sic vbi fata vocant, vdis abiectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Martial. lib.13.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipse sui.

Ita quidem de cantu cygnorum vulgus sentit, sub mortem videlicet, & eam sententiam poetæ sua auctoritate confirmant. Dissentiunt tamen, & confutant hanc opinionem Plin. lib.10. cap.23. Lucianus Electra, siue de cygnis, Ælian. lib.1. variæ histor. cap.14. Cæterùm poetæ hoc amplius, non sub mortem tantummodo, verùm & in reliqua vita cygnis cantum tribuunt. Patet id ex Virgilio tum hoc loco, tum 7. Æneid.

Ceu quondam niuei liquida inter nubila cygni,
Cum sese è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia longè
Pulsa palus.

Horat. lib.4. Ode 3. ad Melpomenen.

O testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum Pieri temperas,
O mutis quoq; piscibus
Donatura cygni, si libeat, sonum.

Illud, tuum nomen cygni sublimè ferent, Catullus simpliciter, & sine allegoria, hoc modo, *Ad cælum lepido vocare versu.* Oratores ita, in cælum ferre, tollere. Plura dicemus de cygnorum cantu ad 1. Æneid. ibi, *Vt cœtu cinxere polum, cantusq; dedere.* Sublimè μετεωρικῶς Cicero quoq; vsus est. Tuscul.1. Theodori quidem nihil interest, humi ne, an sublimè putrescat. Idem de Diuinat. Eaq; scuta, quæ fuerant sublimè fixa, sunt humi inuenta. Catonis & Collumellæ est, *sublimiter.* Iacob. Pont.

L. Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos,
Sic cytiso pastæ distentent vbera vaccæ:
Incipe, si quid habes. ET ME FECERE POETAM
PIERIDES: sunt & mihi carmina: me quoq; dicunt
Vatem pastores: SED NON EGO CREDVLVS ILLIS.
Nam neq; adhuc Varo videor, nec dicere Cinna

Digna,

Digna, sed ARGVTOS INTER STREPERE ANSER OLORES.
M. Id quidem ago, & tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse: neq; est ignobile carmen.
Huc ades ô Galatea: quis est nam ludus in vndis?
Hic ver purpureum, varios hîc flumina circùm
Fundit humus flores: hîc candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt vmbracula vites.
Huc ades, insani feriant sine littora fluctus.

SIC TVA CYRNÆAS) Cum aliquid ab aliquo petimus, vt id facilius impetremus, ea illi solemus precari, quæ scimus ei esse gratissima, addita particula, Sic: estq; hoc genus omnibus poetis Græcis, & Latinis perquam vsitatum. Ecloga sequenti.

Sic tibi cum fluctus subterlabêre Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.

Catullus.

Sic magis ô nupta semper concordia vestras
Semper amor sedes incolæ assiduas.

Tibull. lib. 2. eleg. 6.

Annue: sic tibi sint intonsi Phœbe capilli:
Sic tua perpetuò sit tibi casta soror.

Ex Lambino in Horat. * *Adde eiusdem Tibulli lib. 3. eleg. 6.*

Candide Liber ades: sic sit tibi mystica vitis:
Sic hedera semper tempora vincta geras.

De hac insula est apud Strabonem lib. 5. sic. Corsicam Romani nominat, quæ Cyrnus est Græcis. Male ea habitatur, aspera, ac plerisq; locis planè inuia. Quò fit, vt montana colentes, qui latrocinijs vitam sustentant, ipsis sint inhumaniores bestijs. Itaq; cum Romani duces in insulam hanc incursionem faciunt, ac munitiones adorti magnũ mancipiorum numerum afferunt, videre Romæ cum admiratione licet, quantum in eis feritatis, ac indolis planè sit belluina. Habet tamen quadam oppida habitabilia, vt sunt Blesino, Charax, Eniconia, Vapanes. Longitudo insulæ passuum millia C L X. latitudo L X X. continet. Strictim eiusdem descriptionem ex Diodoro proponamus. Est in mari Tyrrheno sita, à Græcis dicta Cyrnos, a Romanis, & incolis Corsica. Aditu facilis, portum habet pulcherrimum, nomine Syracusium. Celebres in ea vrbes habentur duæ, scilicet Calaris, & Nicæa. Calaris à Phocensibus, qui à Tyrrhenis postmodum insula pulsi sunt: Nicæa à Tyrrhenis maritimis, qui reliquas etiam Tyrrheni maris insulas suæ ditionis fecerunt, condita. Hi postea vrbibus, quæ in Cyrno erant, subactis, resina, ceraq; ac mellis, quorum ea insula fertilis est, tributa imposuerunt. Insula ampla est, magnaq; ex parte montosa ac syluestris, fluminibus insuper irrigua. Homines lacte, melle, ac carnibus (omnia affatim præbet regio) iustè & humaniter, vltra cæteros barbaros inuicem viuunt. Fauos enim, qui in montanis arboribus reperiuntur, illius esse sinunt, qui primus inuenit. Oues signaculis distincta, etiam nullo custode patronis seruantur. Nascitur in ea insula taxi copia, in qua arbore mel quod fit, amarum admodum est. Miror hic interpretem transtulisse taxus, cum in Græco sit πύξος, quod buxus redditur. Sed ille ex Virgilio Diodorum voluit emendare. De melle Corsico Martial. lib. 11.

Mella iubes Hyblæa tibi, vel Hymettia nasci,
Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api.

Non dubito inquit Turnebus lib. 22. cap. 24. quin alicuius boni auctoris fide fretus, & fiducia hoc scripserit Maro: tamen mel Corsicum scribunt locupletissimi testimonij in literis viri, buxi potius, quàm taxi sapore infectum, & vitiatum esse, vt Diodorus lib. 6. cap. 5. Insimulare summum poetam vel negligentiæ, vel vanitatis non ausim: ab eius tamen sententia Diodorus, qui & ipse multos, vt opinor, testes suæ sententię producere potuisset, recedit. Nos tamen neutrum accusemus, & vtrumque verum scripsisse censeamus. Verba Diodori sunt. φύεται δὲ κατὰ τὴν νῆσον ταύτην καὶ πύξος πλείστη, καὶ διάφορος, δι' ἣν καὶ μέλι τὸ γινόμενον ἐν αὐτῇ παντελῶς γίνεται πικρόν.

INCIPE SI QVID HABES) *Mœrin Lycidas ad cantandum cohortatur, seq; illi auditorem nõ imperitum offert, verecundè enim sese commendat, vt poeticæ scientiæ non ignarum. Quanquam sibi in eo genere plus tribuatur à pastoribus, quàm ipse possit agnoscere. Se enim ab excellentibus poetis, quales numerantur Varus, & Cinna,*

A *adhuc tantum abesse, quantum cum stridore suo anser à suauissimo cygni cantu distet.*] Theocrit. Idyll. 7.

Καὶ γὰρ ἐγὼ μοισᾶν καπυρὸν στόμα· κἠμὲ λέγοντι
Πάντες ἀοιδὸν ἄριστον· ἐγὼ δέ τις οὐ ταχυπειθής.
Οὐ Δὰν, οὐ γάρ πω, κατ' ἐμὸν νόον, οὔτε τὸν ἐσθλὸν
Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω, οὔτε φιλητᾶν,
Ἀείδων· βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.

Namq; ego Musarum sum blandũ os: meq; loquuntur
Vatem omnes summum: sed non ego credere promptus.
Præstantẽ siquidem (mea mens vt iudicat) haud dum
Sicelidam cantu Samium, vel vinco Philetam,
Sed velut aduersus contendo rana locustas.

NEC DICERE CINNA DIGNA) Cinna Smyrnam scri-
B psit, quam nonum post annum, vt Catullus ait, edidit. Id quod & Quintilianus. Vnde etiam Horatium in arte poetica dicunt ad eum allusisse, ibi, *nonumq; prematur in annum*. Fuit autem liber obscurus adeò, vt & nonnulli eius ætatis Grammatici in eum scripserint, magnamq; ex eius enarratione gloriam sint consecuti. Quod autem obscurus fuerit, etiam Martialis ostendit illo versu. *Iudice te melior Cinna Marone fuit.* Philarg. ARGVTOS INTER STREP. ANSER OLORES) Momordisse, seu perstrinxisse Virgilium Antonij poetam, nomine Anserem, animaduertit Seruius. Idem docti quidam obseruarunt apud Ciceronem, eo loco 13. Philip. hiq;, qui nunc Mutinã oppugnant, D. Brutum obsident, de Faler-
C no (de fundo Cn. Pomp. quem huic malo poetæ Anseri Antonius donauerat, quiq; cum eo in castris versabatur) depellentur. Sed ne Anseri quidem Propertius pepercit lib. 2. eleg. 34. *ore canorus Anseris indocto carmine cessit olor.* Et Ouid. lib. 2. Trist. *Cinna quoq; his comes est, Cinnaq; procacior Anser* German. * *Anserem Phœbæam laurum pertinacissimè fugere, tradit Pierius lib. 24. quoniam foliorum eius esum sibi exitialem intelligit. Quia enim natura calidus est, cibis delectatur liquidis & frigidis, laurus verò ignea est. Pro eo etiam accusatore pingitur anser, qui tantum obstrepit, non lædit. In quam rem verba Cic. ex orat. pro Sex. Roscio citantur. Iam prouerbium, Anser inter olores, quadrabit in eos, qui indocti inter eruditos, infantes inter eloquentes, stulti inter sapientes garrire audent, & cum molestia obstrepere. Habes eandem vim illud, Graculus inter Musas. De cygni hieroglyphicis vide eundem lib. 23.* ID QVIDEM
D AGO, ET TACITVS) *Velle se Lycidæ gratum facere affirmat Mœris, & iam conari in memoriam reuocare versus quosdam minimè contemnendos, quos olim meditatus sit. Mox quasi eorum recordatus, canit. In vita marina despicitur, atq; ab ea ad fruendas voluptates, quas terra suppeditat, Galatea inuitatur.*] Theocrit. Idyll. 11.

Ἀλλ' ἀφίκευ τὺ ποτὶ με, καὶ ἑξεῖς οὐδὲν ἔλασσον.
Τὰν γλαυκὰν δὲ θάλασσαν ἔα ποτὶ χέρσον ὀρεχθεῖν.
Ἐντὶ δάφναι τηνεὶ, ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι,
Ἐντὶ μέλας κισσὸς, ἐντ' ἄμπελος ἁ γλυκύκαρπος.
Ἐντὶ ψυχρὸν ὕδωρ, τό μοι ἁ πολυδένδρεος Αἴτνα
Λευκᾶς ἐκ χιόνος ποτὸν ἀμβρόσιον προΐητι.
Τίς κα τῶνδε θάλασσαν ἔχειν ἢ κύμαθ' ἕλοιτο;

Ad me ergo propera: decedet nil tibi mecum:
Et mare caruleum sine sese in littore iactet.
Hic mihi sunt lauri, mihi sunt hic & cyparissi:
Atq; hedera hic nigra est, dulcisq; in vitibus vua.

Lymphæ

Lymphatæ Ætna mihi gelidas nemorosa liquata
De niue dat: non umbrosia est iucundior illis.
Quis mare, quis pro istis fluctus malitue marinos?

MECVM VOLVTO) Volutare, est cogitatione perquirere. Lucil. lib. 30. *Hac tu me insumulas, nonne ante in corde volutas?* Nonius. Adde ex 1. Æneid. *Talia flammato secum dea corde volutans.* HIC VER PVRPVREVM) Similis locus est in Gallo. *Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori, Hic nemus.* Talis item inuitatio reperitur apud Horat. Ode 17. lib. 1. qua ab amœnitate, & commodis laudat prædiolum suum. Sunt item similia apud Theo- A critum præter ea, quæ Stephanus adducit. Vide Vrsinum. HIC CANDIDA POP.) Populus habet frondes, altera ex parte albas: atq; idcirco λευκὴ à Græcis dicitur, ob quam etiam causam hìc candida appellatur. Quanquam est & populus nigra. Ex quo fortasse huic eidem nostro bicolor dicitur 8. Æneid. Nisi potius propterea, quod frons populi, etiam albæ, reuera bicolor est. Lamb. in Horat. INSANI FLVCTVS) Insanus valere interdum magnus, docuimus in secundo Æneid. ibi, *Quid tantùm insano iuuat indulgere labori?*

L. Quid, quæ te pura solum sub nocte canentem
Audieram? NVMEROS MEMINI, SI VERBA TENEREM.
M. Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
Ecce, Dionæi processit Cæsaris astrum:
Astrum, quo segetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus vua colorem.
Insere Daphni pyros, carpent tua poma nepotes.
OMNIA FERT ÆTAS, ANIMVM QVOQVE. sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.
NVNC OBLITA MIHI TOT CARMINA: vox quoq; Mœrin
Iam fugit ipsa: LVPI MOERIN VIDERE PRIORES.
Sed tamen ista satis: referet tibi sæpe Menalcas.
L. CAVSSANDO NOSTROS IN LONGVM DVCIS AMORES,
Et nunc omne tibi stratum silet æquor, & omnes
(Aspice) ventosi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media est nobis via. nanque sepulcrum
Incipit apparere Bianoris: hîc, vbi densas
Agricolæ stringunt frondes, hîc Mœri canamus.
Hîc hœdos depone, tamen veniemus in vrbem:
Aut, si nox pluuiam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet vsq; (minus via lædet) eamus.
Cantantes vt eamus, ego hoc te fasce leuabo.
M. DESINE PLVRA PVER: & quod nunc instat, agamus:
Carmina tum melius, cùm venerit ipse, canemus.

QVID, QVÆ TE PVRA) ἔλλειψις est, & subauditur dicemus, faciemus, aut tale quippiam. Sæpe ita locuti sunt probati scriptores. Iacob Pont. NVMEROS MEM. SI VERBA TENEREM) Memini cantum versuum, si versus tenerem. Atq; hic numeri sunt modi, & cantus, non carmina: etsi carmina sæpenumero. Persius sat. 1. *Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber.* Nam quia & carmen numeris, id est, rhythmis, seu pedibus constat, & canitur, ideo numerus & carmen interdum, & cantum significat. Turneb. lib. 29. cap. 25. ECCE DIONÆI) Huc puta repexisse Ausonium, distichis de mensibus, dum ita loquitur de Iulio.

Inde Dioneo præfulgens Iulius astro,
Æstatis media tempora certa tenes.

C Fingitur Daphnis cælo oculis inhærere, & ortus obitusque siderum speculari. Tempora fælicia, in cœlum recepto Iulio, & orbem Octauio moderante promittuntur. Suetonius de Iulio Cæsare cap. 88. perijt VI. & L. anno ætatis, atq; in deorum numerum relatus est, non ore modò decernentium, sed etiam persuasione vulgi: siquidem ludis, quos primò consecratos ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos ful- B sit, exoriens circa vndecimam horam, creditumq; est animam esse Cæsaris in cœlum recepti: & hac de caussa simulacro eius in vertice additur stella. Ouid. lib. 15. Metamorph.

Cæsar in vrbe sua deus est: quem Marte togaq;
Præcipuum, non bella magis finita triumphis,
Resq; domi gesta, properataq; gloria rerum
In sidus vertere nouum, stellamq; comantem,
Quàm sua progenies.

Et infrà de anima illius.

——————simul euolat altius illa,
Flammigerumq; trahens spatioso limite crinem,
Stella micat.

Propert. lib. 4. eleg. 6.

Et pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum deus, & nostri sanguinis ista fides.

Vide Plinium lib. 2. cap. 25. Pierium lib. 44. in Stella. Huc allusit Horat. Ode 12. lib. 1.

———micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Iacob. Pont.

Dionæi

Dionæi autem à Dione Veneris matre satis longè petitum. Ipsa Venus in 3. Æneid. Dionæa mater appellatur. *Sacra Dionææ matri, diuisq; ferebam.* Catullus in Cæsarē, detrita vna littera è diphthongo propter metrum, dixit Dioneus, *Vt albulus columbulus Dioneus*, id est, Venereus. Muret. in Catullum.

Dionæum Cæsarē appellat in gratiam Iuliæ familiæ: tum q ea ad Iuliū genus refert, tum quod Romani à Venere per Æneam originē ducunt. Vnde & nobile illud exordiū Lucretij, *Æneadūm genitrix, hominū, diuūmq; voluptas.* Alludit aūt ad imaginem Cæsaris, quę cum fulminibus, & radijs effingebatur, stella capiti superaddita, quòd post eius mortem continuis diebus 7. apparuisset, existimata Cæsaris anima. Vnde Lucan. lib. 7.

Fulminibus manes, radiisq; ornabit & astris,
Inq; deūm templis iurabit Roma per vndas.

German. OMN. FERT ÆTAS, ANIM. QVOQVE) Nemes. ecl. 4. *Omnia tempus alit, tempus rapit.* Plura volebat Mœris, sed destituit illū, tanquam senē, memoria. Vnde breuis illa quidē, sed grauis de diuturnitate querimonia, quæ cōsumit omnia. Et inter mala, quæ incurrunt in senectā plurima, primū ferè incurrit obliuio, vt ait Senec. Et quoniam tēpus aufert, secat, & demetit quodāmodo omnia, ob id Saturno falx attributa est: qui Græcè κρόνος, cui tēpora subiiciuntur, quæ eodem vocabulo, vna tantum mutata littera efferuntur, κρόνος, χρόνος. Platonis distichon est.

Αἰὼν πάντα φέρει, δολιχὸς χρόνος οἶδεν ἀμείβειν
Οὔνομα καὶ μορφὴν, καὶ φύσιν, ἠδὲ τύχην.
Omnia fert ætas, mutatur tempore longo
Fortuna, & forma, & nomen, & ingenium.

Herodotus idem testatur lib. 3. Thalia. Cuius verba paulo infra adducentur, & ea fortasse adumbrare voluit Virgilius. Lucret. quoq; lib. 1. *minui rem quamq; videmus, Et quasi longinquo fluere omnia cernimus æuo.* Longè autem copiosius lib. 5.

Denique non lapides quoq; vinci cernimus æuo?
Non altas turres ruere, & putrescere saxa?
Non delubra deūm, simulacraq; fessa fatisci?
Denique non monumenta virūm dilapsa videmus?

Addamus hic illud M. Tullij ex orat. pro M. Marcello. Nihil est opere, aut manu factum, quod non conficiat & consumat vetustas. Martial. *Quid nō longa dies, quid non consumitis anni?* Sophocles in Aiace. πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει τε καὶ φλέγει. Vrsin. Iacob. Pont.

Animi porrò nostri tria sunt munera, intelligere, meminisse, velle, eiq; tā propria, vt cùm aliquid illorū trium significare volum*, animi nomine vtamur. Cū igitur auditores rogamus, vt dicēdis intelligentiā accommodēt, petimus, vt animum adhibeant, siue attendant. Accipi quoq; pro memoria, hic locus indicat: præsertim cū sequatur: *Nunc oblita mihi tot carmina.* Et meritò: nā primū vulnus memoriæ senectus infligit. Et cū petimus ab amico, vt cuiuspiam rei sit memor, dicimus, fac in animo habeas. Volūtatem aūt vocari animum, tot testimoniis probatur, vt actū agere videatur, qui probare volet. Nota sunt illa Ouid. *In noua fert animus mutatas dicere formas Corpora.* Terent. *Mala mens, malus animus.*

Sensus verborum poetæ hic est, vt existimo, cū cuiq; rei, tū etiam animo suā esse senectutem, eumq; quodāmodo decrescere, atq; minui cū corpore, & languescere, præsertim memoriā, qua manifestissimum est parū valere senes. Eosdē quoq; propter hebetatā intelligēdi vim mentisq; oculos quodammodo obtusos & cæcutientes, plerumque delirare videmus, & senilis stultitia deliratio appellari solet, vt Cicero inquit. Senescere autem animū

A quoq;, ex Aristotele ostendemus, & ostendit Mercurial. variar. lect. lib. 4. c. 3. Ergo Aristotel. lib. 2. Polit. Lacedæmoniorū instituta Reipub. examinās, inter cætera illi vitio vertit, q senatoribus per omnem vitę ætatē de rebus magnis iudicia ferre liceret, cū in senectute id non sine periculo fieri possit, quoniam ait is, ὥσπερ καὶ σώματος, καὶ τῆς διανοίας γῆρας. Quomodo corpori, sic animo sua est senectus. Hanc eādem rationē adhibuit apud Herodot. in Thalia Atossa Cyri filia, Darij vxor, q̄ à Demodene medico Græco, vlcere prauo in mamilla curata, viroq; suo, vt bellū Græciæ inferret, astuto eius medici ita patriā reuisere sperātis cōsilio persuadere conata, inter alia multa hęc verba protulit. νῦν γὰρ ἄν τι καὶ ἀποδέξαιο ἔργον ἕως νέος εἶς ἡλι-
B κίην, αὐξανομένῳ γὰρ τῷ σώματι συναύξονται καὶ αἱ φρένες, γηράσκοντι δὲ συγγηράσκουσι, καὶ ἐς τὰ πρήγματα πάντα ἀπαμβλύνονται. Id est, nunc aūt, quādo es ętate iuuenis, si opus suscipias: nā augescente corpore, simul & prudentia crescit, senectute verò consenescit, atq; ad omnia opera hebetatur. Vnde non immeritò apud veteres prouerbio decantatum, ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. Id est, opera iuuenum, consilia autē mediorum, preces verò senum. Sanè hæc omnia non de animæ substantia, quam alioqui immortalem credimus, sed de illius operationibus, quæ ab instrumentis magna ex parte dependent, intelligi æquius est, &c. CANT. MEM. ME LONG. COND. SOLES) Imitatus est Callimachum, in quodā enim epigrāmate legi-
C mus, ἐμνήσθην δ' ὁσσάκις ἀμφότεροι ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν. Vbi vox vltima planè respondet verbo *condere* apud Maronem. Horat. Od. 5. lib. 4. *Condit quisq; diem collibus in suis.* Id est, vsq; ad occasum solis ibi manet. Lucret. li. 3.

Proinde licet quot vis viuendo condere secla,
Mors æterna tamen nihilo minus illa manebit.

Videtur trāslatio à funere, vt illa item lib. 1. Æneid. *Ante diem clauso componet vesper olympo.* * *Longos soles cantando se puerum condidisse ait, id est, dies æstiuos, qui hybernis longiores sunt, cantando totos consumpsisse, à mane ad vesperam, ab ortu solis ad eius occasum, dum ille se conderet sub humum (vt oculis nostris apparet) modulatum carmina. Solem pro die nominauit etiam in augusto poemate, lib. 3.* Tres adeo incertos cæca caligine soles Erramus. *Nemesian. Eclog. 3.* trini perierunt ordine soles. *Et Horat. Ep.*
D *5. lib. 1.* Supremo te sole domi Torquate manebo. LVPI MOERIN VID. PRIORES) Hinc parœmia, Lupus in fabula, cùm superuenit is, de quo loquimur, & nobis sua præsentia loquendi vltra facultatem amputat. Terent. Adelph. *hem tibi autem. CT. Quidnam est? SY. Lupus in fabula. CT. Pater est? SY. Ipsus est.* Vide ibidem Donatum. Plaut. Sticho. *Atq; eccū tibi lupum in sermone, præsens esuriens adest.* Caussa physica est: creditur enim luporum visus esse noxius, vocemq; hominis, quē prior contempletur, adimere ad præsens, ait Plin. lib. 8. cap. 22. At si lupus ab homine prius visus fuerit, debilitatur, vt hæc ἀντιπάθεια sit mutua. Animaduersione præterea dignum, quod Turneb. affert lib. 29. cap. 20. Vetulus lupus pro homine ve-
E teratore, fallaci, & rapaci veteribus vsurpatū. Lucil. apud Nonium in Accipere. Sic, inquam, & veteratorem illum vetulum lupum Annibalē acceptum. Eodem sensu Germani nostri, *Er ist ein alter Wolff.* μεταμόρφωσιν porrò lupi ex Lycacone rege Arcadiæ, satis festiuè, suoq; prorsus more describit. Ouid. lib. 1. his carminibus.

Territus ipse fugit, nactusq; silentia ruris
Exululat, frustraq; loqui conatur, ab ipso
Colligit os rabiem: solitaq; cupidine cædis
Vtitur in pecudes, & nunc quoque sanguine gaudet.
In villos abeunt vestes, in crura lacerti:
Fit lupus, & veteris seruat vestigia formæ.
Canities eadem est, eadem violentia vultus,
Iidem oculi lucent, eadem feritatis imago est.

Iacob.Pont.SED TAMEN ISTA SATIS) Notæ ſunt omnibus, etiam pueris Grammaticis illæ clauſulæ, quibus in ſermonibus, & ſcriptis noſtris vti conſueuimus. Hæc hactenus. Iſta dixiſſe ſufficiat. Sed de his ſatis. Menalcas, cũ voles, & quoties voles, recitabit tibi noſtra carmina. Iacob.Pont. CAVSAN.NOSTROS) Cauſſare, eſt cauſſas afferre. Cic. pro Sex. Roſcio. Nunquid cauſſare, quin ab iudicio diſcedas turpiſſimè victus? Lucret. lib. 1. *Quãuis cauſando multa moreris.* Id eſt, multas cauſas afferẽdo. *πολλὰ προφασιζόμενος, πολλὰς προφάσεις προχειρίζων.* * *Cauſſari eſt tueri ac defendere ſe cauſſis prætexendis. Attius Medea.* Quò potis eſt repelli quiſquam, vbi nullus eſt cauſſandi locus? *Afranius Emancip.* Vide vt facundè contra cauſſeris patrem. *Sueton. Nerone, cap. 49. Duos pugiones quos ſecum tulerat, arripuit, tentatiq; vtriusq; acie, rurſus condidit, cauſſatus, nondum adeſſe fatalem horam. Senſus carminis eſt, Tu cauſſam afferendo recuſationis tuæ, nihil facis aliud, quàm vt deſiderium meum tui audiendi producas: mihi enim illud de obliuione carminum non perſuades.* ET NVNC OMNE SILET ÆQVOR) Vide quàm ſtudeat audire Mœrin Lycidas. Oſtendit & ſilentium ſummum à ventis, & fluctibus, quæ canentem impedire poterant, & tempus adhuc reſtare, medioq; tantum verſus Mantuam peracto itinere, opportunitatem adeſſe optatiſſimã. MEDIA EST VIA, NAMQVE SEPVLC. BIANO. Theocritus Idyll. 51.

> *Κ' οὔπω τὰν μεσάταν ὁδὸν ἄνυμες, οὐδὲ τὸ σᾶμα*
> *Ἁμῖν τῶ Βρασίλα κατεφαίνετο.*
> *Atq; iter haud mediũ nobis erat, haudq; ſepulcrum*
> *Apparebat adhuc Braſila.*

Bianor, alio nomine Ocnus, Manto Tireſiæ vatis filia genitus, Mantuam condidit, eique à matre nomen impoſuit. lib. 10. Æneid.

> *Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,*
> *Fatidicæ Mantûs, & Thuſci filius amnis:*
> *Qui muros, matriſq; dedit tibi Mantua nomen.*

Iacob. Pont. AGRICOLÆ STRING. FROND) Decutiunt, amputant, ſtringendo ſuccidunt. Georg. 1. *Sed tamen & quernas glandes tunc ſtringere tempus.* Seruius. Ibidem, *cum flauus meſſorem induceret aruis Agricola, & fragili iam ſtringeret hordea culmo.* Et 2. *nunc ſtringe comas, nunc brachia tonde.* Nemeſ. eclog. 2. *roſeis ſtringentem lilia palmis.* Stringere idem ſæpe quod deſtringere, detradere, carpere, auellere. Lucret. lib. 1. *Sed quæ ſunt rerum primordia, nulla poteſt vis Stringere.* TAM.VENIEM.IN.V.) Etſi paululum quieſcentes dederimus operam cãtilenæ, tamen tempore in vrbem ingrediemur. AVT SI NOX PL.) Si id timemus, ne coactis ſub noctẽ nubibus, vt fieri ſolet, pluuia decidat, continenter licet ambulemus, cum cantu tamen. Sic enim futurum eſt, vt laborem viæ minus ſentiamus. *Vſq;* particula ſignificat continuè, continenter. Teren. Adelph. *Quid potui melius, qui hodie vſq; os præbui?* Cic. ad Cornific. Mihi quidem curæ erit vſque quid agas. CANT.VT EAMVS) Quamuis eamus cantantes, te leuabo hoc onere hœdorũ. DESINE PLVRA PVER) Perſtat in negãdo Mœris, ac Lycidam vetat vltra petere. Eclog. 5. *ſed tu Deſine plura puer.* QVOD NVNC INST. AG) Plaut. Trucul. *Sed hoc agamus, huc qua ventum eſt gratia.* Idem Capt. *Hoc agamus,* Id eſt, agamus quod eſt in manibus, & quod inſtat; curemus præſentia, præterita miſſa faciamus. Ita Lamb. [*Hoc age, prouerbium, cùm iubemus quempiam attentum eſſe, ſeu animo præſentem eſſe. Huic porrò carmini,* Deſine plura, *&c. nõ male reſpondent illa Plaut. in Trinum.* At enim nimis longo ſermone vtimur. Diem conficimus, quòd iam properato eſt opus.] Inſtabat illud, vt Centurionẽ placarẽt, cui hœdos portabat muneri ipſe Mœris. Cùm redierit Menalcas, tum cauſſam & occaſionem cantandi fore, quia Virgilius Roma reuerſus, beneficio amicorum ſecuritatem ſecum apportabit.



Ecloga decima. Gallus.

SYNOPSIS.



Ornelius Gallus & poeta, & orator fuit inclytiſſimus, cui cum Marone noſtro magna familiaritas neceſſitudinis. Deperibat miſer Cytheridem libertam Volumnij, quæ hic Lycoris vocatur, more vtique poetarum, ſcortorum ſuorum infamiam mutatis nominibus occultantium. Quin ipſæ fœminæ meretricium inſtituentes, ſumebant alia nomina: eidemq; valedicentes, ingenuarum rurſus appellationem ſuſcipiebant. Ergo, vt Apuleius Apol. 1. teſtis eſt, Catullo Clodia eſt Lesbia, Metella Ticidæ Perilla, Hoſtia Propertio Cynthia, Plania Tibullo Delia. Idem Martial. lib. 8. epigr. 73. ad Inſtantium. Meretricula igitur hæc ſecuta in Gallias M. Antonium, Gallum hunc iſta contemptione in tantum mœrorem coniecit, vt pæne contabuerit. Quid facias iſtis? Ea tum erant ſæcula, ij mores, vt dum abſtinerent nupta, vidua, ingenua, amare liceret, quod luberet. Conſolationem adhibet Virgilius: ſic tamen, vt à Bucolica humilitate quà perſonis, quà comparationibus non temperet. Interim ei hanc veſaniam ſatis apertè exprobrat. Totum ferè argumentum ex Thyrſide Theocriti deductum apparet. Proœmio Nympha Arethuſa inuocatur. Narratio per varias perſonas funditur, quæ ad Gallum viſendum accedunt, & res tanquam in Arcadia geritur, quod Mænalus, Lycæus, paſtores Arcadiæ, & Pan deus declarant. Sub Galli perſona duriſſimum & infæliciſſimum, ſecus quàm ius fas eſt amantium, ſeruitutem elegantiſſimè expreſſam cernimus: quibus hominibus nihil

est stolidius, lenius, inconstantius, qui absentia requirunt, præsentia fastidiunt, cæci prorsus, & nimium verè suimet carnifices. Talis est Gallus iste Virgilij, immò talis propemodum, quales in persona sua Alcesimarchus in Cistellaria Plauti depingit.

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum,
Hanc ego domi de me coniecturam facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines supero, atq; antideo cruciabilitatibus animi.
Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser,
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nullam mentem
Animi habeo: vbi sum, ibi non sum: vbi non sum, ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lubet non lubet iam id continuò.
Ita me amor lapsum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, iactat, largitur: quod dat non dat, deludit.
Modò quod suasit, disuasit: quod disuasit, id ostentat, &c.

Adijciemus, quæ de Gallo isto prodiderunt litteris, ex Dione Xiphilinus in Augusto, & Suetonius in eodem.

Ægyptum verò tributariam fecit, eiq; præfecit Cornelium Gallum: nam eam senatori concedere non solùm non est ausus, sed neque senatorem quenquam in Ægypto passus est commorari. Rursum infrà. Cornelius Gallus, cui fuerat Ægyptus commissa, propter magnitudinem honoris cæpit omnibus modis iniuriam facere. Nam & vana quædam conuitia iactauit in Augustum, & suas statuas in omnibus ferè partibus Ægypti collocauit, iussitq; res ab se gestas in pyramidibus inscribi. Is à Largo amico suo accusatus, magno dedecore affectus est, & suis facultatibus priuatus: quæ quum decreto senatus ad Cæsarem peruenissent, mortem sibi consciuit. De eodem Sueton. cap. 66. Neque enim temerè ex omni numero in amicitia eius afflicti reperientur, præter Saluidenium Rufum, quem ad consulatum vsque, & Cornelium Gallum, quem ad præfecturam Ægypti, ex infima vtrumque fortuna prouexerat. Quorum alterum res nouas molientem damnandum senatui tradidit: alteri ob ingratum, & maleuolum animum domo & prouincijs suis interdixit. Sed Gallo quoque & accusatorum denuntiationibus, & senatusconsulto ad necem compulso, laudauit quidem pietatem tantoperè pro se indignantium: cæterùm & illacrymauit, & vicem suam conquestus est, quòd sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci.

EXPLANATIONES.

EXtremum hunc Arethusa mihi concede laborem,
Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda. NEGET QVIS CARMINA GALLO?
Sic tibi, cùm fluctus subterlabêre Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat vndam.
Incipe, sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ.
NON CANIMVS SVRDIS, respondent omnia syluæ.

EXTREMVM HVNC ARET.) Quanquam in Georg. nē- A pe lib. 4. inter nymphas Arethusam nominauit, tamen hic pro Musa ponit, ratione imitationis Theocriti, qui fuit Syracusanus. Nā Arethusa fons est Syracusanus. Sicut superius eiusdē Theocriti exemplo dicit Eclog. 6. *Prima Syracosio dignata est ludere versu*, &c. Et Eclo. 4. *Sicelides Musæ paulo maiora canamus*. NEGET QVIS CARM. GALLO?) Mos est hominibus, vt quem ipsi priuatim amant, quem meritis & laudibus cumulant, ei idem præstandū censeant ab omnibus. Contrà, quem oderūt, ei amicum esse oportere neminem. Nempe quia quod ipsi faciunt, rectū putāt, & in rectefacto suo imitatores habere quāplurimos, vel potius omnes desiderant. Hinc illę orationes, Quis hunc non diligat? quis non admiretur? quis ei B prodesse non cupiat? Et in contrario. Quis hunc nō detestetur, non omnibus suppliciis dignum statuat? Iacob. Pont. SIC TIBI CVM FLVCT.) De formula, & caussa optādi, *Sic tibi*, &c. seu de petitione cum voto, repete quæ in superiorē Eclogā annotauimus, ibi, *sic tua Cyrnæas fugiāt examina taxos*. Adde illis exemplis hæc ex Horatio lib. 1. Ode 3. in nauim, qua Virgilius Athenas vehebatur.

Sic te diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumq; regat pater, &c.

Ode 28. lib. eiusdem.

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ,
Ossibus, & capiti inhumato
Particulam dare. Sic quodcunq; minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinæ
Plectantur syluæ te sospite, &c.

CVM FLVCT. SVBT. SICANOS) Ab Iberorum colonia, à Sicano flumine deducta in Siciliam, eam insulam nuncupatam Sicaniam, ex Eustathio obseruat German. quamuis Diodorus discrimen inter vtramque statuat. Ad Arethusam credibile est pertinere versus illos Lucretij lib. 6.

Præterea dispersa foras erumpere cogit
Vis per aquam subitò, sursumq; ea conciliari.
Quod genus endo mari spirat fons dulcis aquaï,
Qui scatit, & salsas circum se dimouet vndas.

Plinius lib. 2. cap. 101. Quidam fontes odio maris ipsa subeunt vada, sicut Arethusa, fons Syracusanus, in quo redduntur iacta in Alpheum. Assume ad hunc locum, nisi piget, quę dicta sunt ad finem 3. Æneid. super illo, *fama est huc Elidis amnem Occultas egisse vias*, &c. Iacob. Pont. TENER. ATTOND. VIRG. CAPELLÆ) De caprarum pascuis diximus Eclog. 1. ibi, *Dumosa pēdere procul de rupe videbo*. De elegantia verò huius metaphora, tondere, attondere in pastione animalium, descripsimus nonnulla ex Victorio in 1. Georg. ad illa verba, *Ter centū niuei tondent dumeta iuuenci*. Locū Maronis pulchrè imitatus est Nemesian. eclog. 1. *Incipe, dum salices hœdi, dum* gra-

gramina vacca Detondent. Iacob. Pont. RESPON. OMNIA SYLVÆ) Itaq; Moschus in epitaphio Bionis, ὤρεα δ' ἐστὶν ἄφωνα dicit, cùm mortuo Bione nemo esset, qui suaniter, ita vt solebat ille, caneret, cuiusq; carmen, quæ syluas habitare dicitur. Echo referret. Vrsin. Cic. pro Archia. Saxa & solitudines voci respondent, poetar. scilicet.

Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere puellæ
Naiades, indigno cum Gallus amore periret?
Nam neq; Parnassi vobis iuga, nam neq; Pindi
Vlla moram fecere, neq; Aonia Aganippe.
ILLVM ETIAM LAVRI, ETIAM FLEVERE MYRICÆ.
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Mænalus, & gelidi fleuerunt saxa Lycæi.
Stant & oues circum, nostri nec pœnitet illas:
Nec te pœniteat pecoris, diuine poeta.
Et formosus oues ad flumina pauit Adonis.

PVELLÆ NAIADES) Nymphas simpliciter accipiamus, inquit Seruius. Nam si propriè loqueretur, Oreades dicere debuisset. Naiades enim fontium sunt, Oreades montium, Dryades arborum. Sanè quia diximus easdem esse nymphas, quas etiam Musas, hoc videtur dicere: Quia si cum ipso fuissent Musæ, id est, si dedisset operam scribendis carminibus, non incidisset in tantas amoris angustias. Hæc Seruius. Theocrit. Idyll. 1.

Πᾷ ποκ' ἄρ' ἦσθ', ὅκα Δάφνις ἐτάκετο, πᾷ ποκα, νύμφαι;
Ἢ κατὰ Πηνειῶ καλὰ τέμπεα, ἢ κατὰ Πίνδω;
Οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἴχετ' Ἀνάπω,
Οὐδ' Αἴτνας σκοπιάν, οὐδ' Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ. (*nymphæ?*
Nymphæ vbi, cùm extinctus Daphnis, tum vos vbi
Pindine, an Penei tempe tenuistis amœna?
Namq; fluenta haud tum magni incoluistis Anapi,
Non Ætnæ speculam, sacras non Acidos vndas.

NAM NEQ. PARNASS. VOB. IVGA) Negat fuisse in vicinis locis nymphas, nō enim potuisset illas Parnassus, Pindus, Aganippe detinere, quo minus Gallo laboranti succurrerent, eumq; tā perditè afflictū alleuarent, aut certè casum illius deplorarent, cùm id & inanima fecerint. Iuga Parnassi dicit, quoniam biceps, seu biuertex est, vnus Phœbo, & Musis, alter Baccho sacer. Lucan. lib. 4.

——— Parnassus gemino petit æthera colle,
Mons Bromio, Phœboq; sacer: cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.

Seneca Oedip. Actu 2. *Gemina Parnassi arx niualis trucem sonitum dedit.* Obseruauit Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 6. Virgilium facere pulcherrimas repetitiones, qualis est hæc, *Nam neq; Parnassi vobis iuga, nam neq; Pindi,* &c. Et illæ lib. 9. Æneid.

Quæ vobis, quæ digna viri pro talibus ausis?
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis?

Tu similia notabis, & in primis quod hic præcedit. *Quæ nemora, aut qui vos saltus,* &c. & quæ sequuntur exempla duo. Infrà quoque quàm elegans repetitio?

Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina riuis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

Parnassus & Pindus montes sunt, Aganippe fons Bœotiæ, quæ etiam Aonia dicitur, Musis sacer. Ac Parnassus quidem mons Phocidis olim dictus est Larnassus, à Larnax, quæ Græcis nauis, seu arca, qua in eluuione illa terrarum Deucalion, & Pyrrha eò appulsi sunt. Deinde mutato primo elemento, à Parnasso heroe, qui ibidem habitauit, Parnassi nomen accepit. Vide plura apud Foquelin. in prolog. Persij. Iacob. Pont. INDIG. CVM GALLVS AMORE PERIR.) Indigno exponitur à nonnullis meretricio: certè enim tali amore, tam fœdo, & erubescendo homines præsertim ingeniosos, eruditos, prudentes perire, indignum fateamur necesse est. Seruius explicat etiam, *magno:* citat Ennium, qui dixerit, *indignas turres,* pro magnæ turres. Iosephus Scalig. in Cirin Virgilij, vult indignū hic esse ἄφατον, sicut in illo versu eius poematij. *Verum hæc tum nobis grauia atq; indigna fuêre,* indigna, id est, ἄφατα. Nam dignum quod æstimari, ac monstrari poterat, παρὰ τὸ δεικνύειν. Sic Attici τὸ ἄξιον vocabāt, quod facilè æstimari poterat. Quare sæpe ἀντὶ τοῦ εὐώνου ponitur. Aristoph. ἱππεῦσι. ἐξ οὗ τοῦ ἀφύας εἶδον ἀξιωτέρας. Item ἤδοντο τὰς ἀφύας παρ' ὑμῶν ἀξίας. Id est, εὐώνους. ILLVM ETIAM PINIF. ILL. ETIAM) Talis omnino figura, non dissimili subiecta sententia, est Eclog. 1. *ipsæ te Tityre pinus, Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.* Et lib. 7. Æneid. *Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda, Te liquidi fleuere lacus.* In quibus versibus venustas illas iterationes videre est, de quibus paulò antè. Quòd Gallum à lauris, & myricis defletum dicit, id est, à procerioribus, & humilioribus stirpibus, possumus ita dictum interpretari, quasi poeta significet, cum summis, & infimis, & cuiq; ordini fuisse charum & acceptum. SOLA SVB RVPE IACENT.) Quod ait, sola sub rupe, sciendum frequenter optimis scriptoribus loca sola capi pro locis non habitatis, quæ non obeuntur, pro locis planè infrequentibus, non celebratis, desertis, & quæ dicuntur solitaria. Ita Virgilius, in sola acta, id est, in deserto littore, in solis nemoribus, montibus. Terent. Andr. *Venit meditatus alicunde ex solo loco.* Catull. de nupt. *Quænam te genuit sola sub rupe leæna?* Quod nostrum mutuatum ecquid animaduertis? Ibid. *Desertam in sola miseram se cernit arena.* Lucret. lib. 4. *quo pacto per loca sola Saxa pares formas verborum ex ordine reddunt.* Auson. *Desertus vacuis, solisq; exerceor oris.* Rursum Terent. Phorm. *Nonne hoc publicitus scelus hinc deportarier in solas terras?* Plaut. Rud.

Neq; quà quæram consultum est, neque quem rogem quenquam interea
Inuenio: neque magis solæ terræ sunt, quàm hæc loca,
Atque hæ regiones.

Cic. 1. de Diuinat. cùm in locis solis mœstus erraret. Probus in Eumene. Sin per loca sola contēderet, sperabat se imprudentem hostem oppressurum. Sed modus sit exēplorum. Iacob. Pont. STANT ET OVES CIRC.) Sed & oues nunc circum stant, & Galli mœstitiā deplorant: neq; illas nostri caussa ingemiscere pœnitet. Cur igitur nos, ô diuine poeta Galle, illarum pigeat, aut pudeat? Miscuit suam personam, vt frequenter facere consueuit: nam erat integrum, *tui nec pœnitet illas.* Etiam Adonis ille formosissimus oues pauit ad ripas fluminum. ET FORMOS. OVES AD FLVM) Theocrit. Idyll. 1.

ὡραῖος

Ὡραῖος χὤδωνις ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομεύει,
Καὶ πτῶκας βάλλει, καὶ θηρία τἆλλα διώκει.

Namq; & pascit oues forma qui præstat Adonis,
Et lepores, reliquasq; feras configere gaudet.

Venit & vpilio: tardi venere bubulci:
Vuidus hyberna venit de glande Menalcas.
Omnes, vnde amor iste rogant. tibi venit Apollo.
GALLE QVID INSANIS? inquit: tua cura Lycoris
Perq; niues alium, perq; horrida castra sequuta est.
Venit & agresti capitis Syluanus honore,
Florentes ferulas, & grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis, minioq; rubentem.
Et, quis erit modus? inquit: amor non talia curat.
Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina riuis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellæ.

VENIT VPILIO) Metri caussa dixit vpilio, pro opilio, vt Græci οἰολύμπος, ὄρεα. Theocrit. Idyll. 1.

Ἦνθ' Ἑρμᾶς πράτιστος ἀπ' ὤρεος, εἶπε δέ, Δάφνι,
Τίς τυ κατατρύχει; τίνος ὦ 'γαθὲ τόσσον ἐρᾶσαι;
Ἦνθον τοὶ βοῦται, τοὶ ποιμένες, αἰπόλοι ἦνθον.
Πάντες ἀνηρώτευν τί πάθοι κακόν. ἦνθ' ὁ Πρίαπος,
Κἤφα, Δάφνι τάλαν, τί τὺ τάκεαι; ἁ δέ τυ κώρα
Πάσας ἀνὰ κράνας, πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται
Ζατεῦσ'. ἆ δύσερώς τις ἄγαν, καὶ ἀμήχανος ἐσσί.
Venit Mercurius primus de monte: quis (inquit)
Daphni ita te vexat? cuius tam captus amore es?
Qui capras, qui pascit oues, venitq; bubulcus:
Quoq; malo pressus, rogitant. tandem ipse Priapus,
Cur sic Daphni miser tabescis? (dixit) at illa
Te quærens virgo fontes saltusq; pererrat.
Infelix in amore, & inops es mentis habendus.

TARDI BVBVLCI) Id est, pigri, quod epitheton Booti proprium est. Iuuenal. *Frigidi circumeant pigri sarraca Boota.* Et Claudian. de raptu Proserp. lib. 2. *præcipitas pigrum formido Booten.* Quanquam hic etiam mathematica adest ratio. Potuit itaq; hoc adiunctum, quod bubulci proprium, submonere doctissimum Seruium, & alios, bubulci hoc loco legendum esse, non subulci, quibus tardis esse non licet, per porcorũ celeritatem, quos sequuntur. Quorum pastorum etiam neglecta mentio consultò à vate fuit, cum nusquam eos neq; Theocritus inducat, & tria tantum sint, quod & Donatus scribit, pastorum genera, quæ dignitatem in bucolicis habeant, bubulci, opiliones, & omnium minimi caprarij. Quin & ille ipse Theocriti versus, quem hic noster æmulatus est, nullam subulci mentionem habet. ἦνθον τοὶ βοῦται, τοὶ ποιμένες, αἰπόλοι ἦνθον. Erythræus Indice. VVIDVS) Varro lib. 4. de ling. lat. vuidum est, quod humidum: & ideo vbi id non est, succus abest. Horat. Ode 5. lib. 1. *vuida suspendisse potenti Vestimenta maris deo.* Et Ode 5. lib. 4. *dicimus integro sicci mane die, dicimus vuidi.* Apud Lucret. lib. 1. est vuescunt, pro, humescunt. *Denique fluctifrago suspensæ in littore vestes Vuescunt.* * *Vuidus Horatio, versu prolato, est contrarium verbo sicci. Atq; vt illud significat potus expertes, qui nondum bibissent quidquam per diem solidum: ita hoc, vino madidos, approbe irrigatos vespere, quo tempore se poculis inuitabãt.* D TVA CVRA LYCORIS) Hanc ipsam intelligit Cic. 2. Philip. quo loco Antonium vt ineptè ac insulsè facetum irridet. At etiam quodã loco facetus esse voluisti: quam id te, dij boni, non decebat? (vt hominem videlicet iracundum, omnisq; leporis expertem.) In quo est tua culpa nonnulla: aliquid enim salis ab vxore mima trahere potuisti. Vxorem vocat ob assiduam consuetudinem: A nam alioqui vera Antonio vxor Fuluia erat. Dicta est autem mima illa Citheris suo, & primo nomine. Item Volumnia, à Volumnio Eutrapelo, cui prius fuerat in delicijs. In eadem orat. Trahebatur in essedo, Trib. pl. lictores laureati antecedebant: inter quos aperta lectica mima portabatur: quam ex oppidis municipales homines non noto illo, & mimico nomine (Citheridem) sed Voluminiam consalutabant. Cura mentis est, curatio medicinæ, curatura diligentiæ. Cura autem dicta est, auctore Festo, quasi cor edat, vel quia cor vrat. Atqui amores isti turpes maximè cor edunt, & vrunt. Notæ sunt illæ voces, *Cuius me miserum magnus edebat amor. Ignes interiorem edunt medullam. Sine quid vrimur,* & multa huius B farinæ apud poetas vtriusq; linguæ. Meritò itaq; curæ vocantur illæ ipsæ quoq; fœminæ, quæ sic incedunt, & peruruunt animos. Iacob. Pont. PERQVE NIVES ALIVM) In Gallias vsq; secuta est M. Antonium, viam vtiq; longam, & asperam. Fit hoc quidem in amore impudico, & fugiendo: fit etiam in amore laudabili, & expetendo, & est indubitatum summæ cuiusdam in aliquem beneuolentiæ indicium, si cum eo, ac propter eum longum, periculosumq; iter emetiri paratus sis. Plin. lib. 7. epist. 16. de Cælestrio Tyrone, quem & priuatis, & publicis necessitudinibus sibi coniunctum familiarissimè diligebat. Spero, immò confido, facilè me impetraturum, vt ex itinere deflectat ad te. Nihil est quod verearis, ne C sit hoc illi molestum, cui orbem terrarum circumire non erit longum mea caussa. Huiuscemodi ardorem erga Tullum ostendit Tibullus eleg. 6. lib. 1.

Non ego nunc Adria vereor mare noscere tecum
Tulle, neq; Ægeo ducere vela salo.
Cum quo Riphæos possim conscendere montes,
Vlteriusq; domos vadere Memnonias.

Horat. Ode 6. lib. 2.

Septimi Gades aditure mecum, &
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, &
Barbaras syrtes, vbi Maura semper
Æstuat vnda.

Et Ode 1. Epod. ad Mæcen.

——& te vel per Alpium iuga,
Inhospitalem & Caucasum,
Vel occidentis vsq; ad vltimum sinum
Forti sequemur pectore, &c.

Catullus ab eadem re duos amicos prædicat.

Furi, & Aureli comites Catulli,
Siue in extremos penetrãrit Indos,

Littus vt longè resonans Eoa
Tunditur vnda,
Siue in Hyrcanos, Arabasq́; molles,
Seu Saccos, sagittiferosq́; Parthos,&c.

Iacob. Pont. AGRESTI CAP. HONORE) Agrestem capitis honorem accipe coronam frondeam, qua caput cinctus veniebat Syluanus. Sic Horat. *folia siue frondes arborum*, syluarum honorem vocauit Ode 11. Epod. FLOR. FER. ET GRAND. LILIA) Ferulæ, & lilia ita laxa implicatione contexta erant, vt motu concuterentur. Quemadmodum aliquis apud Plaut. incessu facit chlamydem vndantem quassando. Ferula germen exoticum & transmarinum est, & lilium commune nomen multorum diuersi coloris florum. PAN DEVS ARCADIÆ) Horat. Ode 12. lib. 4. *Delectantq́; deum, cui pecus & nigri Colles Arcadiæ placent.* SANG. EB. BACCIS, MINIOQVE) Non tantùm Pan sanguineis ebuli baccis, minioq; rubens, ob ætis, vt tradunt glossographi, similitudinem pingitur: verùm etiam Iupiter. Plin. lib. 33. ca. 7. & Bacchus. Pausan. in Achaicis. *τοῦ Διονύσου δὲ ὑπὸ κινναβάρεως τὸ ἄγαλμά ἐστιν ἐπηνθισμένον*: ac reliquorum deorum simulacra. Plutarch. *ἐν ῥωμαϊκ.* *Ταχὺ γὰρ ἐξανθεῖ τὸ μίλτινον, ᾧ τὰ παλαιὰ τῶν ἀγαλμάτων ἔχριζον.* Brod. lib. 3. ca. 13. * *Digna lectu verba Plinij huc transferam. Inuenitur in argentarijs metallis minium quoq;, & nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis, & quondam apud Romanos non solùm maxima, verum etiam sacra. Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Iouis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumq́; corpora: sic Camillum triumphasse.* NEC LACRYMIS SAT. AM. NEC FRONDE CAP.) Vt Apollo, sic Pan Gallum ab insania reuocare nititur. Finem remouet triplici vsus similitudine. Si posses expellere, saturare, mitigare,
B placare amorem lacrymis, bene quidem. Sed ille nihil mouetur, & augescit potius ægritudine, & fletib. quemadmodum gramina infinitè humorem expetunt, apes semper cytisum, capræ semper frondes. *Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur*, ait ille. Iacob. Pont.

Tristis at ille, tamen cantabitis Arcades, inquit,
Montibus hæc vestris: soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quàm molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores.
Atq; vtinam ex vobis vnus, vestriq; fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor vuæ.
Certè siue mihi Phyllis, siue esset Amyntas,
Seu quicunq; furor (quid tum si fuscus Amyntas?
Et nigræ violæ sunt, & vacinia nigra)
Mecum inter salices lenta sub vite iaceret:
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hîc gelidi fontes, hîc mollia prata Lycori,
Hîc nemus; hîc ipso tecum consumerer æuo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media, atq; aduersos detinet hostes.
Tu procul à patria (nec sit mihi credere) tantùm,
Alpinas, ah dura, niues, & frigora Rheni
Me sine sola vides. ah te ne frigora lædant,
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

CANTAB. ARCAD. INQVIT) Vide sis quæ scripta sunt C
in Eclog. 7. super illo, *Arcades ambo, Et cantare pares, & respondere parati.* QVAM MOLLITER OSSA QVIESCANT) Simile est, quod sepulchris inscribebatur, sit tibi terra leuis, his literis maiusculis. S. T. T. L. quod ad verbum pæne interdum poetæ vsurpant. Euripid. Alcestid. *κούφα σοι χθὼν ἐπάνω πέσοι, ὦ γύναι.* Propert. lib. 1. eleg. 17.

Illa meum extremo clausisset puluere nomen,
Vt mihi non vllo pondere terra foret.

Ouid. epistola Didonis.

Ascaniusq́; suos feliciter impleat annos,
Et patris Anchisæ molliter ossa cubent.

Martialis.

Sit tibi terra leuis, mollíq; tegaris arena.

Et lib. 5.

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra grauis fueris, non fuit illa tibi.

Ouid. in mortem Tibulli.

Ossa quieta precor tuta requiescere in vrna,
Et sit humus cineri non onerosa pio

Iuuenal. sat. 7.

Dij maiorum vmbris tenuem, & sine pondere terram,
Spirantesq́; crocos, & in vrna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco.

Vrsin. Iacob. Pont. ATQVE VTINAM EX VOBIS VNVS) Cum in res turbidas, & aduersas inciderunt homines, tum demum corrigunt consilia sua, & facta infecta volunt. Et qui antea quęrebant honores, diuitias, voluptates, tum mallent viuere inglorij, in re tenui, procul à luxu. Gallus hic se optat fuisse pastorem, aut vinitorem, in qua ipsa vita potuisset habere delicias qualescunq;. Sed tales nos etiam fugiamus, nostrasq; voluptates omnes vna honestate, & honestatem ipsam Christianismi legitus metiamur. Iacob. Pont. HIC LIQVIDI FONTES)
D Nemesian. eclog. 4. & hæc ad imitandum visa dulcia.

Hic age pampinea mecum requiesce sub vmbra.
Hic tibi lene fluens fons murmurat, hic & ab vlmis
Purpureæ fœtis dependent vitibus vuæ.

MOLLIA PRATA) Pratum est, ait Vlpian. tit. de Verbor. signif. in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus est, ex eo dictum, quod paratum sit ad fructum capiendum. INSAN. AM. D. ME MART. IN ARM.) Me, id est animum meũ, qui est illic, vbi Lycoris. Amantium

tium enim sunt σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία, quatenus A amant. Et venustè dixit Plato: amantis animum in proprio corpore mortuum, viuere in alieno. Congruenter illud, animum amantis magis esse vbi amat, quam vbi animat. Plaut. Bacchid. *Anima est amica amanti: si abest, nullus est.* Est præterea non alienum his versibus illustrandis dictum Collumellæ scitissimum. Qui se moribus Veneris dediderit, non aliud quidquam potest cogitare, quàm illud quod diligit. Nam vitijs eiusmodi pellectus animus, nec præmium iucundius, quàm fructum libidinis, nec supplicium grauius, quam frustrationem cupiditatis existimat. Erat itaq; Gallus vbi Lycoris, quæ, vt didicimus, Antonium erat secuta in Gallias, & erat in exercitu: sed illa non erat vbi Gallus. Iacob Pont. NEC B SIT MIHI CRED. TANTVM) Videtur hæc esse huius loci sententia, vt Gallus amoris impotentia optet, quamuis reuera Lycoris Antonij militiam sit sequuta, id tamen tantummodo non credere (& tum nota altera parenthesis ponenda erit post vocem tantum) sibi amatoriè blandiens, & amicæ, & sibi scienter quodammodo imponens, & fucum faciens, vt fortè Græci dicerent, μὴ ποτε ἂν εἴη, vel οὐκ ἂν εἴη πιστεύειν, tantū ne liceat credere. [*Quidam sic: nec sit mihi credere tantum, Vt sit nomen, hoc sensu. Vtinam ne credam tantum tibi incōmodum obijci, quantum re ipsa obijcitur, & sit opinio mea inferior difficultatibus, quas pateris.*] Vtitur hac forma Tibull. lib. 1. eleg. 6.

At mihi si credas, illam sequar vnus ad aras,
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.

Erant enim sacra Bonæ deæ maribus interdicta. Idem *Nec tibi sit duros acuisse in pectora dentes.* German. * *Pluribus ista testimonijs cumulabimus. Tibull. lib. 2. eleg. 5.* sic vsq; sacros innoxia lauros Vescar, & æternū sit mihi virginitas. *Tale est Propertianum libro primo eleg. 8.* Nec me deficiet nautas rogitare citatos. *Et eleg. 16.* Et mihi non desunt turpes pendere corollæ. TIBI NE TEN. GLACIES. S. A. PLANT.) Sic Apollo 1. Metamorph. *Me miserum, ne prona cadas, indignáue lædi Crura notent sentes. Aspera qua properas loca sunt.* Apud Propert. libro primo, eleg. 8. Tibull. libr. 4. Sulpitiæ ad Cherintum venationi deditum extant ineptiæ similes. Qui liquescit mollitia, & tanquam fluit, inquit Iouian. de Fortitud. lib. 1. quid exspectare ab eo, nisi languidum, ac muliebre potes? sed hęc in amantis persona fortasse non omnino dedeceant: quamquam etiam in amante ridentur. Iacob. Pont.

Ibo, & Chalcidico quæ sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor auena.
Certum est, in syluis, inter spelæa ferarum
Malle pati, tenerisq; meos incidere amores
Arboribus: crescent illæ, crescetis amores.
Interea mistis lustrabo Mænala nymphis,
Aut acres venabor apros: non me vlla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circundare saltus.
Iam mihi per rupes videor, lucosq; sonantes
Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula: tanquam hæc sit nostri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum mitescere discat.

IBO, ET CHALCIDICO) Gallus Euphorionis Chal- C cidensis poemata in latinum conuertit, quod hic testatur Maro. Sed cum illa Græca interierint, plura tamen è veterum commentarijs loca eiusdem scriptoris eruit Victor. lib. 33. cap. 13. Sensus est, carmina bucolica Euphorionis Chalcidensis, Bucoliastæ, quę latina feci, cantu conuenienti, rustico nimirum, quali pastores à Theocrito Siculo vtentes introducuntur, *Auff der Sackhpfeifen*, decantabo, indeq; dolori meo qualecunq; lenimentum petam. Nam modulari carmē nihil est aliud, quàm id ipsum ad aliquod instrumentum musicum, lyram, fistulam aptare, & canere, quod instrumentum persæpe etiam exprimitur suo nomine, vt hic; per auenam siquidem fistula καλαμικῶς intelligenda est, vt aliàs non se- D mel in bucolicis. Tibull. lib. 2. eleg. 1. *Et satur arenti primùm est modulatus auena Carmen.* Horat. Ode 32. lib. 1.

——age dic Latinum
Barbite carmen.
Lesbio primùm modulate ciui.

Iacob. Pont. CERTVM EST, IN SYLVIS) Aliquid etiam maius, & grauius pati optat Tibullus, vt amatorias acerbitates istas ne sentire cogatur, lib. 2. eleg. 4.

O ego ne possem tales sentire dolores
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis?
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet ira maris.

INCID. AM. ARB.) Solebant prisci in corticibus arborum nomina deliciarum suarum notare, in parietibus etiam, quod testantur Grammatici. Hinc prouerbium, In ostio formosus, de his, qui vulgò gratiosi sunt, amanturq;: quam consuetudinem hic tetigit Virgilius, & eam nos pluribus exemplis in medium productis confirmabimus. Oenone apud Ouid. ad Paridem.

Incisa seruant à te mea nomina fagi,
Et legor Oenone falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea carmina crescunt,
Crescite, & in titulos surgite rite meos.
Populus est, memini, fluuialis consita ripa,
Est in qua nostri litera scripta memor.
Popule viue precor, quæ consita margine ripæ,
Hoc in rugoso cortice carmen habes, &c.

Propert. lib. 1. eleg. 18.

Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amata deo.
Ah quoties teneras resonant mea verba sub vmbras,
Scribitur & vestris Cynthia corticibus.

Victor. lib. 16. cap. 5. * *Non sola deliciarum suarum nomina, sed carmina etiam de suis delicijs, amatoria scilicet in corticibus arborum exarare consueuerant: id perspicuè ex Nemesiani & Calpurnii eclogis intelligi potest: quas bonam partem ad prototypon Maronianum conceptas & effictas, studiosis legendas commendo.* ACRES VENATOR APROS) De aprorum venatione agit Angelus Bargæus, poeta minime malus lib. 4. Cynegeticon, ab eo loco,

Nam neq; diuorum metuens minus vlla, neq; altis

Tetrior.

Tetrior incessit syluis fera: quæ sua norit
Arma magis, &c.

Horat. Ode 2. Epod.

Aut trudit acres hinc, & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas.

Acres nominat, sine dubio ad naturam earum bestiarum præferocem, valdeq; feram respiciens. Quærit Plutarch. lib. de caussis natural. cap. 20. quamobrem aprorum lachrymæ dulces, ceruorum salsæ sint. Quia ceruus, inquit, natura frigidus est: aper contra animal est feruidum, & æstuosum. Quare ille fugax est: aper verò insectanti resistit: quo tempore, quia exardescit in furorem, lacrymam quoq; fundit: nam plurimo calore sursum in oculos sublato, *erigit & setas, & flammas lumine spargit,* & quod cum eliquatur, dulce reddi par est. B Aliam ibidem rationem promit, quam tibi legendam relinquo. Catullus nemoriuagum in Galliambo. *Vbi cerua syluicultrix, vbi aper nemoriuagus.* Iacob Pont.

Ex 10. Metamorph. homini non tardo facile est conijcere, quamobrem fulmineos dixerint apros antiqui poetæ. Cum enim exertas habeant minaces dentium eminentium sicas, veluti cuspidem fulminis imitantes, & eius impotentem præcipitemq; in vulnerando impetum referentes, à tali quadam cogitatione veterum, & A sensu fulmen eis tributum arbitror, vt quemadmodum Iupiter trisulco armatus telo, & manubijs suis ferire solet: sic apri obuia suis dentibus tanquam fulmine vulnerent: boues enim, & pleræq; feræ exertos, forasq; eiectos dentes non habent, vt apri. *Fulmen habent,* inquit Ouid. *acres in aduncis dentibus apri.* Vel potius, quod afflatu callido oris, veluti igne fulminis adurere videntur. Idem 8. Metamorph. *dentes æquantur dentibus Indis, Fulmen ab ore vomit, frōdes afflatibus ardent.* Et ab impetu. *Fertur vt excussis elisus nubibus ignis.* Turneb. lib. 1. cap. 23. NON ME VLLA VET. FRIGORA) Tale quiddam Propert. lib. 4. eleg. 3.

Nec me tardarent Scythiæ iuga, cum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.

NOSTRI MED. FVRORIS) Medicamenta, & medicinas Celsus persæpe vocat auxilia. Sic etiam Propertius, quanquam μεταφορικῶς, lib. 1. eleg. 1.

Et vos qui serò lapsum reuocatis amici,
Quærite non sani pectoris auxilia.

Iacob Pont. DEVS ILLE MALIS HOMIN.) Quæ mala hominibus afferat amor, ex Plauto in synopsi docuimus partem aliquam: ex quibus eius crudele imperium deprehenditur. Phocylides. οὐ γὰρ ἔρως θεός ἐςι, πάθος δ' ἀΐδηλον ἁπάντων.

Iam neq; Hamadryades rursus, nec carmina nobis
Ipsa placent: ipsæ rursus concedite syluæ.
Non illum nostri possunt mutare labores:
Nec si frigoribus medijs Hebrumq; bibamus,
Sithoniasq; niues hyemis subeamus aquosæ:
Nec si, cum moriens alta liber aret in vlmo,
Æthiopum versemus oues sub sidere Cancri.
OMNIA VINCIT AMOR: & nos cedamus Amori,
Hæc sat erit diuæ vestrum cecinisse poetam,
Dum sedet, & gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides. vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantùm mihi crescit in horas,
Quantùm vere nouo viridis se subijcit alnus.
Surgamus: solet esse grauis cantantibus vmbra.
Iuniperi grauis vmbra: NOCENT ET FRVGIBVS VMBRÆ.
Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

IAM NEQVE HAMADRYAD.) Iam displicent, quæ C placebant paulò ante. *Scilicet insano nemo in amore videt,* ait ille, nimium expertus quod dicit, & sæpe dissuadens alijs, quod ipsemet facit. Iacob. Pont. NEC SI FRIGOR. MEDIIS HEB.) Theocrit. Idyll. 1.

Εἴης δ' Ἠδωνῶν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσῳ
Ἕβρον πὰρ ποταμὸν τετραμμένος, ἐγγύθεν ἄρκτω·
Ἐν δὲ θέρει πυμάτοισι παρ' Αἰθιόπεσσι νομεύοις.

Edonum teneas, quum bruma acerrima, montes,
Iuxta Vrsam, gelidas Hebri conuersus ad vndas:
Sicq́; apud extremos æstatis tempore pastor
Æthiopas

* *De Hebro eleganter dictum ab Horatio, ep. 3. lib. 1.* Thracáne vos, Hebrusq; niuali compede vinctus. *Germanicus Cæsar ex græco epigrammate.* D

Thrax puer astricto glacie dum ludit in Hebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas.

OMNIA VINCIT AMOR) Quia ipse nusquam medicamentum inuenit morbo suo, generatim affirmat, amori resisti non posse, nulla vi, nullo artificio. Quod apud illos fortasse verum sit, qui dei amorem nullum gustauerunt: nec inferûm durissima supplicia metuere didicerunt. De potentia amoris lib. 3. Georg. quæ est quædam veluti paraphrasis istius carminis.

Omne adeo genus in terris, hominumq́; ferarumq́;,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq́; volucres
In furias, ignemq́; ruunt: amor omnibus idem.

Lucem præterea magnam dabunt illi è Virgiliana Ciri, vbi in eius, Cupidinis inquam, siue Amoris tyrannidem poeta inuehitur.

Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater, atq; auus idem
Iupiter. Ille etiam Poenos domitare leones,
Et validas docuit vires mansuescere tigris.
Ille etiam diuos, homines, sed dicere magnum est.

Ouid. 1. Metam.

Heu mihi quod nullis amor est medicabilis herbis,
Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus artes.

De eadem tyrannide libr. 13. quæ, quomodo etiam immanem & inhumanum illum cyclopem Polyphemum coegerit, vt sese Galateæ placere studeret, his carminib. demonstratur.

— prô quanta potentia regni
Est Venus alma tui? nempe ille immitis, & ipsis
Horrendus syluis, & visus ab hospite nullo
Impunè, & magni cum diis contemptor olympi,
Quid sit amor sentit: nostriq; cupidine captus
Vritur, oblitus pecorum, antrorumq; suorum.
Iamq; tibi forma, iamq; est tibi cura placendi:
Iam rigidos pectis rastris Polypheme capillos,
Iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam, &c.

Ipse Polyphemus.

Quiq; Iouem & cælum sperno, & penetrabile fulmẽ,
Nereis te vereor. Tua fulmine sæuior ira est.

Rursum,

Vror enim, læsusq; exæstuat acrior ignis,
Cumq; suis videor translatam viribus Ætnam
Pectore ferre meo.

Propert. lib. 2. eleg. 1.

Omnes humanos sanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.

De crudeli amoris imperio multa multis locis Plautus. Iacob. Pont. HÆC SAT ERIT DIVÆ) Concluditur poematium istuc vltimum, & simul significatur, finitum esse opus bucolicum, tenui contextu factum, vtpote hibisco, stylo humili. Ex veteri vocabulario, fiscella, forma, vbi casei exprimuntur. GRAC. FISCELL. TEXIT HIBISCO) Opere non interrupto se hæc cantasse dicit. Sic apud Nemesian. Tymetas Tityrum rogat eclog. 1. vt fiscellam texendo cantet interim aliquid.

Dum fiscella tibi fluuiali Tityre iunco
Texitur, & raucis resonant tua rura cicadis:
Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen
Compositum.

Sic & Tibull. locutus est lib. 2. eleg. 3. & videtur fiscellam nominare vas, caseis premendis idoneum.

Tunc fiscella leui detexta est vimine iunci,
Raraq; per nexus est via facta sero.

FACIET. MAX. GALLO, GALLO) Repetitio nominis Galli, familiaritatis nota est inter ipsum & Virgilium, quam tamen non dubitat expressis verbis confiteri. Cupit etiam hæc ipsa carmina Gallo vehementer probari. Prioris sententiæ verbum vltimum (ait Quintil. lib. 9. cap. 3. quod est de figuris verborum) ac sequẽtis primum frequenter est idem: quo quidem schemate vtũtur poe-

A tæ sæpius. Tum hoc exemplum subiicit. Et illud Cicer. 1. Catilin. Hic tamen viuit. Viuit? immò verò etiam in senatum venit. Æneid. 10. *sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens.* Calpurnius eclog. 2. *Intactam Crocalen puer Astachus, & puer Idas, Idas lanigeri dominus gregis.* Vide 9. Æneid. *& amicum Cretea Musis, Cretea Musarum comitem.* Iacob. Pont. VIRID. SE SVBIICIT ALNVS) Forsan *subiicit*, ita accipiendum, vt summittit apud Lucretium lib. 1. *tibi suaues Dædala tellus Summittit flores.* Et Georg. 2. *Parnassia laurus Parua sub ingenti matris se subiicit vmbra.* Et 10. Æneid. *Corpora saltu Subiiciunt in equos.* Et 4. Georg. *Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.* Vbi subiicere, se surrigere, & attollere significare

B videtur. German. SVRG. SOLET ESSE GR.) De hoc versu, & hemistichio sequenti, lege disputationem longiusculam Roberti Titij lib. 10. ca. 1. qui mallet scribere, cunctantibus, pro cantãtibus. Repetitio autem epitheti *grauis*, ad iuniperi maiorem vituperationem pertinet. Iacob. Pont. IVNIP. GRAVIS.) Lucret. lib. 6.

Arboribus primum certis grauis vmbra tributa est,
Vsq; adeo, capitis faciant vt sæpe dolores,
Si quis eas subter iacuit prostratus in herbis.

Sic etiam iuglandibus, de quibus Plin. lib. 17. cap. 12. Iam quædam vmbrarum proprietas. Iuglandium grauis & noxia, etiam capiti humano, omnibusq; iuxta satis. ITE DOMVM SAT. VENIT HESP.) Crepusculum significat,

C quod Ouid. 4. Metamorph. his tribus versibus circumlocutus est.

Iamq; dies exactus erat, tempusq; subibat,
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem
Sed cum luce tamen dubia confinia noctis.

Quanquam qui ciuilis diei partitionem explicant, crepusculum ante vesperam cõstituunt: nempe post supremam tempestatem, qui est occasus solis. Verumtamen à poetis tam accurata partium distinctio, & obseruatio non est requirenda. Et scimus Columellam atq; Varronem de reducendis domum gregibus præcipere, postquam contenebrauit. Adde ex Varrone lib. 5. de ling. lat.

D Cum stella prima exorta, Græci vocant ἕσπερον, nostri Vesperuginem, vt Plaut. *Neq; Vesperugo, neq; Virgiliæ occidunt.*

Iacob. Pont.

BVCOLICORVM FINIS.







SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER II.

Ad primum Georgicorum.

DE PRINCIPIIS, CONCLVSIONIBVS, ORNAMENTIS HORUM LIBRORUM.



Caussa illa à Grammaticis nondum est prodita, cur maximè tum Lucretius, tum Virgilius & principia librorum, & exitus tanta cum iucunditate ac venustate fuerit vterque complexus. Quam nos ita reddemus. Poetæ officium, ni fallor, tribus in his præcipuè vertitur, vt doceat, vt delectet, vt moneat. Quæ tametsi diuersa videri iurè debent, vt quidem sunt tamen & dum docet quippiam, & dum monet, necesse est vt tunc etiam delectet. Quonam enim modo auditorem aut docebis ipse, aut monebis, vbi oratione vteris inerudita, incomposita, malè conglutinata, verbis inconcinnis, gestu aut ridiculo, aut horrido, voce raucescente, & dissona? Vt opus omnino sit, scriptorem præcipue memorem esse venustatis, atq; ornatus, & gratiæ. Virgilius igitur, ac Lucretius, quò auditorem ad se raperent, ab ipso statim initio vsi sunt principiis maximè iucundis & festiuis. Néue satietas quæ inter narrandum, docendumq́; solet obrepere, in discessu auditorem comitaretur, exitus quoq; librorum maiore etiam festiuitate condiuere, lusibusq́; refersere iucundioribus. Vides itaq; eosdem & ludere, & lasciuire, totosq́; in eo esse, iis vt lusibus in initio auditores trahant ad ea libenter audienda, quæ ipsi sunt præcepturi? In exitu verò, & tanquam in peroratione id studere, ne discedentes satietate vlla teneantur: immò verò vt & hilaritatem secum domum ferant, & animum illorum memorem, quæ summa cum iucunditate vel audierint, vel fuerint etiam admirati. Quid enim magis admiramur, quam rem vel magnam, vel exiguam cum venustate lusam, ac lepôre & comitate? Videlicet redeuntibus nobis domum à conuiuiis, non & fistula comitantur, & tibiæ, quo satietas nulla sentiatur è cœnis, nullaq́; post cœnas tristitia? Magno igitur cum artificio & Virgilius, & Lucretius hæc vsurparunt, quorum exempla studiosissimus quisque poetica proponere sibi ante oculos debeat. Ionian. Ægidio dialogo.

In omnibus Georgicorum libris, ait Macrobius Saturnal. lib. 5. cap. 6. summa cum elegantia fecit, vt addendis locis periucundis fastidio legentium mederetur. Nam post præcepta, quæ naturâ res dura est, vt legentis animum vel auditum nouaret, singulos libros acuti extrinsecus argumenti interpositione cõclusit: primum de signis tempestatum: de laudatione vitæ rusticæ secundum: & tertius desinit in pestiletia pecorum: quarti finis est de Orpheo, & Aristæo non otiosa narratio. Hæc Macrobius. Sunt præterea in hisce libris multa lumina poetica. Vt enim prætermittam inuocationes elegantissimas, sunt fabellæ complures, sunt eximiæ comparationes, digressiones, vt de aureo sæculo, de origine agriculturæ in primo, de laudibus Italiæ in secundo. Sunt descriptiones luculentæ, vt veris, pulli equini, certaminis taurorum, equi olympici, antri Cyrenes, laborum quibus exercentur apes, apparatus & conflictus earundem. Illustrium denique metaphorarum, & catachreseωn magna copia. Quàm suauia sunt, quòd appellat magnanimos duces, gentem, vulgus, iuuentutem, paruos Quirites? cellas earum & alueos tecta, cubilia, nidos, cerea regna, thalamos, aulas, stabula?

QVATVOR GEORGICΩN PERIOCHÆ, EX sylua Politiani, quæ inscribitur Manto.

I.

ECce lacertosi quærunt noua turba coloni
Quo segetes veniant campo, quo sidere tellus
Vertatur, quod sit facilis, quod tempus aratri.
Egredere ô syluis iuuenis, curruq; leuatus
Triptolemi Latios fœcunda mellibus agros.

I I.

Nec cælebs iam palmes agat, sed repteт ad vlmum
Ebrius, ac dulci rubeat noua nupta marito,
Et pater Autumnus medio consurgat ab aruo
Pomiferum viridi caput altè vmbratus amictu.
Atq; Acheloë tuum teneat graue dextera cornu,
Stetq; catenatas suadens nudare palæstras.
Palladis ampla arbos bicoloribus horrida baccis,
Frondibus & versis longum discriminet annum,
Iam lætos inter saltus, frondosaq; tesqua.

I I I.

Hinc vitulus, primo cui frons protuberet æuo,
Mugitu tenero matrem vocet, inde per herbas
Candida lasciuo discurrat bucula saltu.
At quibus assurgunt pleno iam cornua gyro,
Inter se aduerso decertent pectore amantes,
Dum rudis exultim florentis in æquore campi
Ludit equus, volucresq; fuga præuertere ventos,

Aut tranare amnes, aut cursu euincere montem
Gestit Olympiacæ rapturus dona coronæ.
Lanigerumque pecus primo propellat Eoo
De stabulis pastor, dum pratis rosida lucent
Gramina, dum teretes per flexa cacumina guttæ
Colludunt, ipsæ hærentes vix rupibus altis
Aspera Cinyphiæ carpant dumeta capellæ.

IV.

Tum glomerata cauo fundant se examina saxo,
Halantemque rosam, & tenerorum germina florum
Taurigenæ populentur apes, plenoq; recurrant
Poplite: iam lentum teneat fundamina gluten.
Iam portas, arcemq;, & propugnacula condant.
Ceraq; nectareas ducat sexangula cellas:
Aut natos, aut mella legant, fucosq; repellant
Turpe pecus, iamq; accinctæ ciuilibus armis
Expediantq; manus rostris, & spicula vibrent,
Nocturnoq; sonent mussantia castra susurro.

SYNOPSIS.

Propositio est tetrametros, & quadripartita, pro numero quaternario librorum scilicet Georgicorum, qui quidem suam sibi propriam destinatamq; materiam singuli complectuntur. Primus agriculturam. Alter stirpes, seu rem arboream, ac præsertim vitem, & oleam. Tertius rem pecuariam, & potissimùm equariam. Postremus apes, siue mellificium. His ita positis, censent quidam plenius hosce libros latina inscriptione DE RE RVSTICA *appellari potuisse ac debuisse: opera siquidem, functionesq; rusticorum his quatuor libris perdocet, quæ inter se diuersæ sunt, multumq; distant. Quid enim gregum armentorumq; cura cum terræ cultu commune habet? Sic etiam stirpes, & apes plurimùm differunt. Iidem separatim vnumquemque librum peculiari nomine afficiendum putant, dicendumq; primum de agricultura, seu potius de frugibus: alterum de insitione, siue de plantis, siue de arboribus, siue de vitibus, de his enim totus est: tertium de re pecuaria, siue de pecoribus: vltimum de mellatione, siue de apibus. Certè Georgica, si vim verbi inspicias, non aliud sonat, quàm res ad agrum colendum spectantes, seu doctrinam terræ colendæ præcepta continentem. Sequitur inuocatio longiuscula, in qua obserues licet, prudenter vniuscuiusque horum quatuor, quæ enumerauimus, dominos, ac præsides deos inuocari: tametsi tandem omnes diuos atque diuas rusticos auxilio vocet: quia nimirum rustica scribit. Ipsum quoque Augustum in loco numinis, amplissimi honoris caussa inuocat: eiusq; merita tangit, artificioseq; dubitat, quam sibi post obitum potestatem, quod imperij genus assumpturus sit, terrestréne, an cæleste, an marinum. Sol igitur, Luna, Ceres segetibus commodant. Bacchus tuetur vineta: vt Fauni, & Dryades syluas atque hortos: Neptuno curæ sunt equi: Aristæus mellationis inuentionem vendicat. Hæc ad totum opus communiter pertinent, quando propositio, & inuocatio partes sunt communes, & veluti procemia censeri possunt. Separatim ad primum librum hæc.*

Partes complectitur omnino quinque. Prima est de aratione, & semente. Secunda de caussa, & origine agricolationis. Tertia de instrumento agresti. Quarta de operum rusticorum temporibus. Quinta de diuinationibus, prognosticisq; tempestatum: in cuius partis extremo, occasionem nactus, prodigia complura commemorat, quæ Julij Cæsaris miserandum interitum antecesserunt, & eum quodammodo præsignificauisse visa sunt. Jam summam primæ partis tibi tradam, hunc in modum. Vere primo tellus aratro inuertenda, & arandum sæpius per annum, si fœcundam messem exspectes. Ante tamen, quàm solum quodpiam moliamur, qualibus tempestatibus expositum, quibusque rebus producendis idoneum sit, nosse debemus, pro natura regionis videlicet: non enim quælibet vbique nascuntur. Pinguior terra anni principio, vere, inquam, rectè aratur, seriturque: exilis ad autumnum: caussa subiungitur. Alternis annis cultura temperandum, ne emacietur ager: sed quasi vires recolligat, seseque confirmet: aut certum ibi genus leguminis serendum. Deinde agit de fœcundando agro per stercorationem, per stipularum exustionem, per glebarum discussionem, per transuersariam arationem. Flagitandam à dijs æstatem humidam, hyemem siccam. Mox de occatione, cooperiendisq; seminibus, de riuo in segetem inducendo, de luxuria eiusdem depascenda, de aqua rursus deducenda.

Nunc secundæ partis sententiam accipe. Cùm omnia peregerit ex officio suo colonus, prohibere non potest, quin à volucribus, ab herbis inutilibus, ac noxijs, ab vmbra incommodetur segeti.

Sic

Sic placitum Ioui, qui, cùm aureo sæculo terra nullis sollicitata vomeribus efferret omnia, nihilq; vel ad necessitatem, vel ad voluptatem deesset, ac proinde homines in mollissimo otio securi viuerent, voluit eos ad terram subigendam, variasq; artes inueniendas compellere. Quare vetuit eam inaratam, & sponte sua fruges effundere: serpentibus venenum, lupis rapacitatem, mari fluctus addidit: mella arborũ folijs destillantia, vina riuis manantia repressit, ignem abstulit. Hoc loco quomodo artium diuersarum introducta sint genera, Virgilius demonstrat. Cæterùm postquam Cerere magistra arare, & serere mortales didicerunt, statim laborem alium, sarriendarum, tuendarumq; segetum subire eos oportuit.

Tertiæ partis capita sequuntur. Multa variaq; instrumenta rusticis necessaria sunt, quæ ante comparata, & in promptu esse conuenit, quàm opus fiat. Deinde disputat de aratro conficiendo, de præparanda, & coæquanda area. Ponit prognosticon quoddam futuræ vbertatis frumentariæ, maiorem florum quam frondium copiam in nuce, quo nomine amygdalam intellexit. Agit de macerando, & torrendo semine. Quanquam omnem laborem interdum spes fallit. Sic enim natura est iam in rebus omnibus, se ipsa infirmior, magisq; semper ac magis in peius abiens. Illustrat hoc ipsum similitudine ducta à nauigantibus aduerso flumine.

In parte quarta hæc sunt. Æquè agricolis, vt nautis obseruandus est ortus, occasusq; siderum, vt omnia opportunè, & in tempore fiant. Inter æquinoctium, & brumam mandandum sulcis hordeum, linum, papauer. Vere autem fabæ, milium, medica herbæ genus. Frumenta ad initium hyemis: vicia, faselus, lens verno tempore. Quia verò ortus obitusq; stellarum non est cuiuis notus, idcirco nonnulla de sphæra mundi subijcit, & vtilitates astrologiæ recenset. Postea de operibus per tempestatem pluuiam, ac dies festos suscipiendis differit. Item de discrimine dierum, quorum alij ad opera fælices, & commodi, alij infælices, & incommodi habentur. Ibidem narrata fabula de gigantibus, cælum oppugnare, & deos detrudere aggressis. De nocturnis per æstatem, & hyemem rusticorum occupationibus: etsi hybernis mensibus curare cutem, & placare genium, collectis iam in horrea frugibus rustici soleant. De frugibus meridie demetendis. De procellis ac tempestatibus nonnunquam sub ipsam messem coorientibus. De Cerere præcipiti iam hyeme veneranda sacrificijs, & tripudijs. Iterum monitio, de signis tempestatum animaduertendis: & indicia venti, imbrium, serenitatis, etiam à luna & sole.

Superest vltima pars, in qua ex prognosticis tempestatum à sole, peridonea captatur occasio ad enumeranda signa vnum supra viginti, quæ trucidationem Iulij Cæsaris præcucurrerunt, & eius quasi quidam prænuntij fuerunt. Eandem, vti bellum deinde secutum, & alias calamitates deplorat: deos precatur, vt Augustum vnicam ruentis imperij spem saluum diu, & incolumem esse velint. Efficit hunc librum difficiliorem crebra, eaq; astrologica temporum notatio: quam tamen astrologicè intelligere, non est ita vehementer opus. Quocirca ne ἀνασρολογήτοις lectoribus, qui multi sunt, caliginem offunderemus, obscuraq; per æquè obscura enucleare niteremur, (magna quippe in obscuritate rerum, & recondita in arte, & multiplici, subtiliq; versantur Mathematici, vt 1. de Orat. scriptum extat à M. Tullio) strictim huiuscemodi res attigimus. Qui plura volet, habet interpretes, è quibus, quin & nos potuissemus pro ratione instituti nostris plura depromere, nemo dubitabit. Sed ἀμαθέστερον, dum σαφέστερον.

EXPLANATIONES.



QVid faciat lætas segetes: quo sidere terram
Vertere, Mæcenas, vlmisq; adiungere vites
Conueniat: quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori: atque apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam.

LÆTAS SEGETES) *In Synopsi dicebamus, hic quatuor versibus quadripartitam quatuor librorum propositionem comprehendi. Id qua ratione, haud opus est ostendere, cum id per se quilibet, nisi admodum obtusus, videre possit.*] *Seges* quod aratum, & satum est: *aruum*, quod aratum, nec satum, ait Varro lib. 1. cap. 29. Aliquando seges pro frugibus nondum demessis, vnde panis conficitur: aliquando pro quibusuis frugibus, vt hic etiam sumi possit, licet Seruius *terras* interpretetur. Certè antiquus poeta hac notione, pro terra inquam, sumpsit apud Cic. in Tuscul.

Etsi in segetem sunt deteriorem data
Fruges, tamen suapte natura enitent.

[*Adde ex Nonio. M. Tull. Hortensio. Vt enim segetes agricolæ subigunt aratris, multo ante, quam serunt. Vergil. Geor. 4.* Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho. *Nihil hisce locis apertius.*] Videtur autem hic lætas segetes dixisse, vt Hom. Iliad. μ. καὶ πίονα λαιήϊα, καὶ ἀνδρῶν πίονα ἔργα: qui Homeri versus interpretationi Seruianæ respondet, nam ille, *lætas* pingues explicat, & fimum lætamen accipit. Sæpe verò poeta πίονα ἔργα pinguia culta transfert, & vt hic lætas segetes, sic alibi *sata læta, boumq; labores*. German. & alij. QVO SIDERE TERRAM VERTERE) Quo tempore, ex siderum ortu, & occasu scilicet obseruato, terra arationibus inuertenda sit, & proscindenda vomere. Infrà.

——ergo age terræ
Pingue solum primis extemplo à mensibus anni
Fortes inuertant tauri.

Horat. sat. 1. lib. 1. *Ille grauem duro terram qui vertit aratro.* In aratione autem, vbi sulcus desinit, & vnde alter incipit, propriè versura dicitur, sed à boum côuersione, quæ βουστροφὴ Græcis nuncupata fuit. Animaduersum ab Vrsino, Maronem primo versu inscriptionem libri Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέραι expressisse. MÆCENAS) Vera & legitima scriptura huius nominis est hæc, nempe prima syllaba cum diphthongo, æ. secunda cum vocali, e. Sic etiam Græci, μαικήνας. Scimus autem, illorum αι, verti apud nos in, æ, & η, vocalem longam in, e. Fuit ordinis equestris: quare Horatius multis locis equitem appellat. Vt li. 1. Ode 20. lib. 3. Ode 16. & penult. Testatur id ipsum Propertius hoc carmine, *Mæcenas eques, Etrusco de sanguine regum.* Et Martial. lib. 12.

Quod Flacco, Varioq; fuit, summoq; Maroni
Mæcenas atauis regibus ortus eques.

De eodem ita Velleius lib. 2. Tunc vrbis custodijs præpositus C. Mæcenas, equestri, sed splendido genere natus vir, vbi res vigiliam exigeret, sanè exsomnis, prouidens, atq; agendi sciens: simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitie pæne vltra fœminam fluens, non minus Agrippa Cæsari charus: sed minus honoratus: quippe vixit angusto clauo pæne contentus, & maiora consequi potuit; sed non concupiuit. Si placet, lege elegiam Albinouani in eiusdem Mæcenatis obitum, ex qua in præsenti pauca libauimus.

Regis eras genus Etrusci: tu Cæsaris olim
Dextera, Romanæ tu vigil vrbis eras.
Omnia cum posses tanto tam charus amico,
Te sensit nemo posse nocere tamen.
Pallade cum docta Phœbus donauerat artes,
Tu decus, & laudes huius, & huius eras.
Vincit vulgares, vincit Beryllus arenas,
Littore in extremo quas simul vnda mouet.
Quod discinctus eras animo quoq;, carpitur vnum:
Diluitur nimia simplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo,
Quæ bene præcinctos postmodo pulsa fugit.

A Pluribus ibidem obiectam huic viro mollitiem, laxioremq; cinctum, seu vestes fluentes, militaribus eiusdem studijs, facinoribusq; declarandis purgat, & excusat. Reliqua require lib. 4. encomium eius, inquam, a Lucano editum. VLMISQVE ADIVNGERE VITES) Catull. de vite. *Aut si forte eadem est vlmo coniuncta marito.* Martial. lib. 4. *Nec melius teneris iunguntur vitibus vlmi.* Cato de re rust. cap. 32. Arbores facito, vti bene maritæ sint, vitesq; vti satis multę adserantur. Collumella lib. 5. cap. 5. At si teneram vlmum maritaueris, nouam suffecret: si vetustam vitem applicaueris, coniugem necabit: ita sibi pares esse ætate, & viribus arbores, vitesq; conuenit. Iuuenal. sat. 8. *Stratus humi palmes viduas desiderat vlmos.* Plin. lib. 14. cap. 1. In Campano agro vites

B populis nubunt: maritasq; complexæ, atq; per ramos earum procacibus brachijs geniculato cursu scandentes, cacumina æquant. Quæ verò arbores vitibus maritandæ, idem lib. 17. cap. 23. Idem lib. 11. cap. 2. vlmi quoq; vitibus rectè maritantur. Tibull. lib. 1. eleg. 7. *Hic docuit teneram palis adiungere vitem.* Cur autem maritentur vitibus arbores, rationem tradit Varro de re rust. libr. 1. cap. 8. Vbi terra natura humida, ibi altius vitis tollenda, quod in partu, & alemonio vinum, non vt in calice quærit aquam, sed solem. Itaq; ideo (vt arbitror) primùm è vinea in arbores ascendit vitis. Arbustiuæ vites, quæ arbores scandunt, aut ipsis applicantur. Arbustare vites,

C est eas arboribus adiungere. Arbustiuum vinum Columellæ, quod in arbusto gignitur. Arbustum ipsa arbor vitibus nupta: siue ea terrę pars, in qua plures sunt arbores cum vitibus applicatis. Iacob. Pont. QVÆ CVRA BOVM, Q. CVLT. HAB. S. P) Ἐπεξήγησις, prius per posterius explicatur. Proponitur argumentum, seu materia lib. 4. Nominantur boues κατ᾽ ἐξοχὴν, à quibus etiam Bucolica. Sic suprà vites loco arborum. Per pecus armenta, & greges intellige, maiores, minoresq; pecudes. Iacob. Pont. APIBVS PARCIS) Et hoc, & alia infinita perquam venustè ad apes transferuntur, de quibus Aristoteles lib 9. de histor. animal. ἐξελαύνουσι δὲ καὶ τὰς ἀργὰς αἱ μέλιτται καὶ τὰς μὴ φειδομένας. Plin. libr. 11. cap. 19. Ali-

D quando & ipsæ contrahunt mortis sibi caussas, tum senlere eximi, auidè mella vorantes. Cæterà præparcæ, & quæ alioqui prodigas, atq; edaces non secus ac pigras, & ignauas proturbent. *Parcus* quam originationem habeat, apud Gell. li. 3. ca. 19. C. Bassus nos docet. Parcus composito vocabulo dictus est, quasi par arcæ: quando, sicut in arca omnia reconduntur, eiusque custodia seruantur, & continentur, ita homo tenax, paruoq; contentus, omnia custodita, & recondita habet, sicuti arca: quam ob caussam parcus, quasi par arcæ nominatus est. Addatur in locum corollarij. Ad istam Maronis quadruplicem propositionem aptum est, quod ex Varrone repetit Seruius. Omnis terra quadrifariam diuiditur. Aut enim aruus est ager, id est, sationalis: aut consitus, id est,

E idoneus arboribus: aut pascuus, qui herbis tantùm, & animalibus vacat: aut floreus, in quo sunt horti apibus congruentes, & floribus. Iacob. Pont. QVANTA EXPERIENTIA) Intelligo hoc nomine illo loco quandam politiam, quandam quasi prudentiam, quæ tum præsertim, & quidem disertissimè ante oculos statuetur, cum earundem natura moresq; lib. 4. referentur, ibi, *Nunc age naturas apibus, quas Iupiter ipse Addidit, expediam.* Iacob. Pont. HINC CANERE INCIPIAM) Post scripta Bucolica, post illos pastorum lusus. *Et egressus*, inquit, *syluis vicina coegi Vt quamuis auido*, &c. 1. Æneid.

--------Vos ô clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum:

Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista,
Poculaq; inuentis Acheloia miscuit vuis:
Et vos agrestûm præsentia numina Fauni,
Ferte simul Fauniq; pedem, Dryadesq; puellæ:
Munera vestra cano. tuq; ô, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune: & cultor nemorum, cui pinguia Cææ
Ter centum niuei tondent dumenta iuuenci.
Ipse nemus linquens patrium, saltusq; Lycæi,
Pan ouium custos, tua si tibi Mænala curæ,
Adsis ô Tegeæe fauens: oleæq; Minerua
Inuentrix: vnciq; puer monstrator aratri:
Et teneram ab radice ferens, Syluane, cupressum.
Dijq; deæq; omnes, studium quibus arua tueri:
Quiq; nouas alitis non vllo semine fruges,
Quiq; satis largum cælo demittitis imbrem.

Musas inuocat Hesiodus, melius Virgilius, numina, & præsides earum rerum, quas tractaturus est. Cum hac poetæ inuocatione deorum rusticorum, illam age comparemus, quam adhibuit Varro libr. 1. de re rust. cap. 1. in qua etiam cuiusq; inuocationis caussæ subiunguntur, ad hunc modum. Et quoniam, vt aiunt, dei facientes adiuuant, prius inuocabo eos: nec, vt Homerus, & Ennius Musas, sed 12. deos consentis. Neq; tamen eos vrbanos, quorum imagines ad forum auratæ stant, sex mares, & fœminæ totidem: sed illos 12. deos, qui maximè agricolarum duces sunt. Primùm, qui omnes fructus agriculturæ cœlo, & terra continent, Iouem & Tellurem. Itaq; duo hi parentes magni dicuntur: Iupiter pater appellatur: Tellus terra mater. Secundò Solem & Lunam, quorum tempora obseruantur, cum quædam seruntur, & conduntur. Tertiò Cererem, & Liberum, quòd horum fructus maximè necessarij ad victum. Ab his enim cibus & potio venit è fundo. Quartò Robigum, ac Florã: quibus propitijs, neq; rubigo frumenta, atq; arbores corrumpit, neq; non tempestiuè florent. Itaq; publicæ Robigo feriæ, Robigalia: Floræ, ludi Floralia instituti. Item adueneror Mineruam, & Venerem: quarum vnius procuratio olиueti, alterius hortorum: quo nomine rustica Vinalia instituta. Nec non etiam precor Lympham, ac Bonum euẽtum: quoniã sine aqua omnis arida, ac misera agricultura: sine successu, ac bono euẽtu frustratio est, nõ cultura. His igitur deis ad venerationẽ aduocatis, &c.

Memini cum puer essem audire Ioannem Lascharem pluribus verbis in P. Virgilium inuehentem, quod nimia, confusaq; inuocatione in Georgicis esset vsus, in eumq; ludere tali disticho.

Pascua, & arma parum, multùm tribuere Maroni
Arua, quod auspicijs tot colit illa deûm.

Atqui plures etiam inuocauit Varro. Et cum de aruorum, vitiumq; cultu dicturus esset poeta, rectè primùm Liberum, & Cererem inuocauit, & Liberi comites Satyros, Cereris Dryades; quæ etiam primę dicuntur mortales docuisse, quemadmodum frugibus vesci deberent: & mitioribus epulis saturari. Vnde nullus Cereri cultus absq; Nymphis adhibebatur, vt Musæus Patrensis est auctor. Deinde, quia de cura armentorum erat dicturus, primùm propter equos Neptunũ, propter boues Apollinem Nomium, propter oues Pana aduocauit: tum quia

A de arboribus quoque præcepta erat traditurus, Mineruam propter oleas, Osirim propter aratra conficienda, Syluanum plantantibus fauentem est precatus, &c. Alciat. Parerg. Iuris lib. 9. cap. 6. O CLARISS. LVM. LAB. CEOLO. Q. D. A) Virgilius, inquit Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 16. sciens Romanos veteres ad lunæ cursum, & sequentes ad solis anni tempora digessisse, vtriusq; sæculi opinioni reuerentiam seruans, *Vos ô clarissima*, &c. dixit, tam lunam, quam solem duces anni hac inuocatione designans. * *Solem ergo, & lunam inuocat duo magna mundi luminaria, vt à Genesi appellantur, quorum vnum maius diei, alterum eo minus præest nocti: quorum in sationibus tempora, vt etiã in condendis frugibus, obseruare mos est: qua calorem, humoremq; rebus gignendis necessarium largiuntur, & in prouisione tempestatum multum loci habent.*

B Credo equidem, ait German, hìc poetam ea forma dicere, annum ducere, qua sæpe, ducere diem, &, *noctem ducentibus astris*, &, *Iamq; iugis summa surgebat Lucifer Idæ Ducebatq; diem.* Dare autem videtur ducendi annĩ partes (si coniungas nomina illa duo superioribus sine puncto) Libero, & Cereri, quod messe & vindemia anni potissima tempora, & vices distinguuntur. * *Non ita dissimilis sententia Manilius lib. 1.*

Attribuitq; suas formas, sua nomina signis,
Quasq; vices agerent, certa sub lege notauit.

Contrà Tibullus, qui signa dicit ab anno, li. 1. eleg. 4. Annus agit certa lucida signa vice. *Aratus conuenienter Maroni, ἠέλιος αὐτὸς ἐνιαυτὸν ἄγων.* LIBER, ET ALMA CERES) Macrob. saturnal.

C lib. 1. cap. 18. hæc verba cum versu præcedenti nulla interpunctione coniungit. Sic enim ait. Hinc & Virgilius, sciens Liberum solem esse, & Cererem Lunam, qui pariter fertilitatibus glebæ, & maturandis frugibus, vel nocturno temperamento, vel diurno calore moderantur, *vestro, ait, si munere tellus*, &c. Sed super ea re vberiꝰ disputãs, Euripidem, Aristotelem in theologumenis, Varronem, Grauium Flaccum testes producit. Eundem inquam, probat esse Solem & Apollinem, tum eundem quoq; Bacchum, & Apollinem. Vnde & Lucan. lib. 5.

Mons (Parnassus) Phœbo, Bromioq; sacer, cui numine
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ. (misto

German. * *Baccho Liberi patris nomen impositum narrat Plutarchus, Quæst. Rom. quæst. 104. siue quod bibentibus libertatem*

D *generat, plerique enim per ebrietatem feroces ac nimium liberi euadunt: siue quia apud Eleutheras Bœotiæ vrbem Eleutherius, id est, liber dictus fuit. De etymo item huius nominis etiam locuti sumus ad Ecl. 7. illic,* Liber pampineas inuidit collibus vmbras, *num. 162.*

CHAO-

CHAONIAM PINGVI G. M. A) Hoc de inuentis frugibus ad Cererem, sicut quod sequitur de vino, ad Bacchũ pertinet. De Cerere rursum hoc eodem libro.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, cum iam victum Dodona negaret.

Et Orpheus.

Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα.
Tellus omniparens, largitrix diuitiarum
Alma Ceres.

De vtroq;, Cerere, puta, & Libero Lucret. lib. 5.

Namq; Ceres fertur fruges, Liberq; liquoris
Vitigenum laticem mortalibus instituisse.

Adde Arnobium, ita scribentem lib. 1. Si enim vos Liberum, quod vsum reperit vini: si, quod panis, Cererem: si B Æsculapium, quod herbarum: si Mineruam, quòd oleæ: si Triptolemum, quod aratri: si deniq; Herculem, quòd feras, quod fures, quod multiplicium capitũ superauit, compescuitq; natrices, diuorũ retulistis in cœtum, &c. Idem scriptor lib. 2. obijcientibus nobis Christianis nouitiam ac nuper natam religionem, respondet appositissimè, inducta similitudine de frugibus post glandes, de vestibus post pelles, de domibus post casulas, & cauernas inuentis, & vsurpatis. Verba accipe. Nam quod nobis obiectare consuestis, nouellam esse religionem nostram, & ante dies natam propemodum perpaucos, neque vos potuisse antiquam, & patriã linquere, & in barbaros ritus, peregrinosq; traduci, ratione istud intendi- C tur nulla. Quid enim si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis, atq; antiquissimis sæculis, quòd inuentis frugibus glandes spreuerint, & repudiauerint arbuta: quòd corticibus contegi, & amiciri desiuerint pellibus, postquam vestis excogitata est textilis, vsu & commoditate succinctior? aut quòd structis domibus, & lautioribus successibus institutis, non antiquas adamauerint casulas, nec sub rupibus, & cauernis præoptauerint vt belluæ permanere?

Cicero quoq; eadem similitudine vsus cernitur, Orat. perf. quo loco negat Thucydidis conciones oratoribus ad imitandum idoneas, & in eos inuehitur, qui præstantioribus omissis, vt Demosthene, Æschine, ac simi- D libus, deteriores sequi malunt. Quæ est autem, inquit, in hominibus tanta peruersitas, vt inuentis frugibus glande vescantur? An victus hominum, Atheniensium beneficio excoli potuit, oratio non potuit? Oratione quidem pro Flacco eis frugum inuẽtionem diserte tribuit. Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atq; in omnes terras distributæ putantur.

Ciceronis sententiam quodammodo explanat, & illustrat Isocrates Panegyrico, & quòd quisquam dubitaret, quo pacto simul à Cerere, & Atheniensibus fruges inuentæ dicantur, commodè perspicuéq; dissoluit. πρῶτον μὲν ὃν οὗ πρῶτον ἡ φύσις ἡμῶν, &c. Ac primùm id, quo na- E tura nostra primùm indiguit, per nostram vrbem est comparatum. Etsi enim commemoratio hæc fabulosa videri cœpit, hoc tamen tempore non est omittenda. Nam cum Ceres post raptam Proserpinam, erroribus acta in regionem nostram peruenisset: nostrisq; maioribus ob accepta beneficia (quæ non nisi initiatis audire fas est) bene cupiens, amplissima munera largita esset: fruges, quæ in caussa fuerunt, ne more belluarum viueremus, & arcana illa sacra, quibus initiati qui sunt, hi & de vitæ exitu, & de vniuerso æuo spem habent meliorem: adeo non tantum accepta dijs, sed & in homines benigna fuit nostra vrbs, vt nemini tanta bona inuidere: sed quæ acceperat, omnibus impertiret. * *De inuentis à Cerere frugibus, & apud quam gentem eas inuenerit, seu* A *cui prima tradiderit, videndus Diodorus lib. 5. cap. 15. Ceres frumenti, quod forte inter alias herbas nascebatur, & reliqua.*

Chaoniam glandem dum appellat, à loco præstantiam, vel copiam indicat. Et est Synechdoche generis, in notatione speciei. *Glandem mutauit arista*, id est, glandib. relictis, vesci cœpimus frugibus, permutatione quadam victus horridioris glandium & aquarum cum meliore frumenti, & vini. Horat. Ode 17. lib. 1. *Velox amœnum sæpe Lucretilem Mutat Lycæo Faunus.* Et 29. lib. 3. *Socraticam & domum Mutare loricis Iberis.* Et ad Mæcenat. *Otia diuitiis Arabum liberrima muto.* Sallust. Nemo nisi victor pace bellũ mutauit. Ouid. 5. Fastor. *Quernaq; glans victa est vtiliore cibo.* Ab vsu glandium dicti mortales primi βαλανοφάγοι, quarum nominatione nõ solùm quercuum fructus, sed aliarum quoq; arborum veteribus Iureconsultis indicantur. Bersmannus.

Gentibus plurimis glandes fuere frumenti loco, sicut pyra Argæis, & Tirynthijs, ficus Atheniensibus, milium Mæoticis, Medis amygdalæ, Ichthyophagis pisces, Æthiopibus locustæ, & arundinum fructus, Gætulis ferina caro, & pabulum pro pulmentario cessere, Chelenophagis testudines, cardamum Persis, palmulæ Carmanis, Babylonijs. Ægyptij ex loto diu victitarunt. Alani carnibus, non pane vescuntur. Nomades, & Getarum pars lacte. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11. Vide ibidem Tiraquellum. PINGVI ARISTA) id est, pinguem faciente frumento, εὐθαλεῖ σίτῳ. Ex arista enim spica, ex spica frumentum intelligitur. Et quamuis arista ab ariditate, tamen ad effectum respexit poeta.

Ἅλις δρυός sat quercus, vetus adagium in eos, qui relicto victu sordido, ad elegantiorem lautioremq; digrediũtur. Inde profectum, quòd prisci illi mortales, rudes & inculti, simulatq; Ceres vsum frumenti monstrauit, glandibus victitare desierunt. Quamquam Plin. lib. 16. testatur, & sua ætate multas gentes glande victitasse. [*Plinij verba sunt lib. 16. cap. 5. Glandes opes esse nunc quoq; multarum gentium, etiam pace gaudentium, constat. Nec non & inopia frugum arefactis molitur farina, spissaturq; in panis vsum. Idem procemio. Proximum erat narrare glandiferas quoq;, quæ primò victum mortalium aluerunt, nutrices inopis, ac feræ sortis.*] Nec inconcinnè quadrabit in eos, qui relicta illa antiqua virtute, ad mores, consiliaq; sui sæculi se transferunt, ac recẽtiorum moribus incipiunt vti, &c. Chiliad. POCVLAQVE INVENTIS. A. M. V) Fuit hic poeta vt scrupulosè & anxiè, ita dissimulanter, & clanculò doctus: vt multa transtulerit, quæ, vnde translata sint, difficile sit cognitu. Nihil in his versibus Grammaticorum cohors discipulis suis amplius tradit, nisi illud: opera Cereris effectum, vt homines ab antiquo victu desisterent, & frumento pro glandibus vterentur. Liberum vero vitis repertorem præstitisse humano potui vinum, cui aqua admisceretur. Cur autem Acheloum amnem potissimùm Virgilius, cum aquam vellet intelligi, nominarit, nemo vel quærit, vel omnino subesse aliquid eruditius suspicatur. Nos id altius scrutati, animaduertimus doctum poetam antiquissimorum Græcorum more, sicut docebit auctoritas, elocutum: apud quos propriè in aquæ significatione ponebatur Achelous, &c. Macrob. Saturnal. libr. 5. cap. 18. & complura ex poetis testimonia profert.

Etiam à Turnebo caussa redditur, lib. 29. cap. 25. & lib. 30. cap. 39. quòd omnium fluuiorum primus è terra Achelous eruperit. Vibius Sequester. Achelous Ætoliæ fluuius primus erupisse terra dicitur. In Maliacum sinum effluit. Poetæ igitur antiquitatis memores, pro aqua, vt dictum est, vtuntur.

Κεράσαι propriè est miscere, confundere, diluere: hoc est, vino aquam infundere, vnde vinum mistum, hoc est, κεκερασμένον,

κεραννύμενον, cuius contrarium est ἄκρατον, à Cerasso quopiam, qui primùm vinum cum Acheloi aqua miscuerit, auctor Hyginus in fabulis, cap. 274. Quis quid inuenerit, vbi ait. Nomine Cerasus vinum cum Acheloo flumine in Ætolia miscuit, vnde miscere κεράσαι est dictum. Et huc referendum arbitror istuc Maronis, *Poculaq; inuentis*, &c. à nemine, quod sciam, hactenus intellectum. Titius contra Villiomarum. A

Ergo, vt hunc locum absoluamus, ante Liberum, & Cererem mortales fuerunt βαλανοφάγοι, καὶ ὑδροπόται: quod & Lucretius affirmat lib. 5. *Glandiferas inter curabant corpora quercus.* Et paulo post.

At sedare sitim fluuij, fontesq́, vocabant.
Vt nunc montibus è magnis decursus aquai
Claricitat ad se sitientia sæcla ferarum.

AGRESTVM PRÆS. NVMINA FAVNI) Agrestes dicuntur, quoniam in agris versantur, & degunt vitam suam. Tibull. eleg. 1. lib. 1. *Fictilia antiquus primùm sibi fecit agrestis.* Græci ἀγροῖκοι. Cic pro Muræna. Stat in aliquo conuentu agrestium. Idem pro Milone. Serui agrestes, & barbari. *Agrestum numina*, Ouid. 1. Metamorph. *& rustica numina Fauni.* Plin. lib. 12. cap. 1. Quin & Syluanos, Faunosq;, & dearum genera syluis ac sua numina, tanquam & cœlo attributa credimus. *Præsentia numina.* Vide Eclog. 1. *Nec tam præsentes alibi cognoscere diuos.* FERTE PEDEM) vt Catull. *abite illuc', vnde malum pedem attulistis.* Plaut. Amphit. *Neq; meum pedem huc intuli etiam.* Et Menæch. *Propera Menachme, fer pedem, confer gradum.* DRYADESQVE PVELLÆ) De his Natal. Comes, lib. 5. cap. 11. syluarum & nemorum deæ, ἀπὸ τῆς δρυὸς, qua voce generatim arbor, speciatim quercus exprimitur. CVI PRIMA FREM. FVD. E. T) Cum Neptunus & Minerua de Athenarum nomine controuersarentur, complacitum est dijs, vt eius nomine appellaretur ciuitas, qui munus melius mortalibus obtulisset. Tunc Neptunus percusso littore [*ea est prima tellus, sicut libr. 1. Æneid.* primaq; vetant consistere terra. *Quomodo aliàs prima platea, & similia multa Latinis dicuntur. Baptista Egnatio Racemat. cap. 8 scopulus, quem in Thracia percussit, vbi etiam equus exiluit: non in ista contentione, quod nusquam est litteris proditum: ego rem in medio relinquo.*] equum animal bellis aptum produxit: Minerua iacta hasta oliuam creauit, quæ res est melior comprobata, & pacis insigne. Vt autem modò Neptunum inuocet, caussa eius muneris facit, quia de equis dicturus est tertio: alioqui incongruum est, si de agricultura locuturus, numen inuocet maris. Hæc Seruius.

Apollod. lib. 3. sic habet. Controuersantibus de vrbe Neptuno & Minerua, Iupiter duodecim deos dedit iudices, quorum sententia Mineruæ lis adiudicata, & ab eius nomine Athenæ (ipsa enim Ἀθηνᾶ) appellata est. Turneb. ex Hesiodo *primam tellurem* intellexit, quia ex chao ante elementa omnia, & cælum ipsum extitit. Eodemq; modo intellexit vocem hanc 4. Æneid. *prima & tellus, & pronuba Iuno.* & apud Horat. *tellus me prima tulisset.* Alij exponunt, *prima tellus*, id est, Attica: quoniam Athenienses existumabant Atticam terram primam fuisse. Tu quod arriserit amplius, in hac triplici interpretatione amplectere.

Locutus est Maro similiter Lucretio lib. 5. vnde hausit. Ille siquidem, *Tempore quo primum tellus animalia fudit.* Equo autem huic à Neptuno procreato, Scyphij nomen fuit, ait Pindari interpres in 4. Pythicorum. Idē refert, Neptunum inde πετραῖον dictum, quod percussa tridente petra, equum emisisset. Quam fabulam Lucanus lib. 6. his versibus attigit.

Primus ab æquorea percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes, bellis feralibus omen,
Exilijt: primus chalybem, frænosq́, momordit,
Spumantisq́, nouis Lapithæ domitoris habenis.

German. * *Sapius cum hoc adiuncto frementes, equos nominari inuenias. Horat. Ode 14. lib. 4.* & frementem Mittere equum medios per ignes. *Ode 9. Epod.* Ad hunc frementes verterunt bis mille equos Galli canentes Cæsarem. *Appingi autem solitum Neptuno equum, anteriore parte figura sua, posteriore vero effigie piscis, qui caudam in spiram replicaret, & apud veteres passim Neptunum, equestrem dictum, notat Pierius lib. 4. Græcis est ἱππικός, Homero ἵππιος, Lycophroni ἱππηγέτης.* MAGNO PERCVSSA TRIDENTI) Propter tridentem idem Ouidio tridentifer, tridentiger, Grecis à τρίαινα tridens τριαινοφόρος. Sibi forte tridentem contigisse, sceptrum regnorum marinorum gloriatur ipse 1. Æneidos. Tridentem addi Neptuno ob id putat Fulgentius lib. 1. quod aquarum natura B triplici virtute fungatur, id est, liquida, fœcunda, potabili. Iacob. Pont. CVI PINGVIA CÆÆ) Cæa est insula maris Ægæi, vna ex Strophadibus, testis Strabo lib. 5. Eam Aristæus relictis Thebis vacuam occupauit. Sæuiente in armenta, & greges pestilentia, Aristæus Ioui sacrificio peracto, aram ei statuit. Depulsa pestilentia est, mortuum postea Aristæum indigenæ in cælestiū numerum transtulerunt. TER CENTVM) Videtur Theocritum imitatus, cum ait, *Ter centum.* Nam Idyll. 32. ταὶς δὲ τριακόσιοι ταύρει σύναμ' ἱερχόωντο. Nisi hunc numerum pro magno positum simpliciter dicamus. Catull. *Quos simul complexa tenes trecentos.* Rursum. *Quare aut hendecasyllabos trecentos Exspecta.* Et C

Veranni, omnibus è meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis.

Trecenta enim pro quamuis magno numero dicebant. Aliciat. Parerg. lib. 9. cap. 6. Muret in Catull. TONDENT DVMETA IVVENCI) Tondere est depascere. Sic Æneid. 3.

Quattuor hic primum omen, equos in gramine vidi,
Tondentes campum latè candore niuali

Eadem ratione libr. 6. *rostroq́, immanis vultur obunco Immortale iecur tondēs.* Sic enim legendū, non, vt vulgò, tundens. Lamb. in Lucret. * *Igitur Aristæo tondent dumeta, id est, in illius honorem pascuntur, vt ei in sacrificium mactentur. Et est triplex commendatio. Primùm à numero: deinde à colore, qui D cæteris delectat magis, candidus inquam, non albus tantum: nix enim candida est: postremò ab æqualitate vnius coloris in tanta multitudine: omnes enim sunt candidissimi, quod est rarissimum, & idcirco Aristæo res honorifica, & iucunda.*

Aptè prorsus, & eleganter de ouibus, & de omni pecore, cum pascuntur, à Latinis poetis dictū est, tondere ipsas herbas, & prata, nihilq; magis simile afferri potest, ad demonstrandam naturam eius rei, rationemq; pascēdi, qua vtuntur pecudes. Nam & paulatim progrediuntur, nihilq; intactū relinquunt, & summas tantùm partes herbarum decerpunt. Fluxisse autem hæc translatio videri potest ex Homeri Iliade, primumq; illum diuinū poetam vidisse existimare non stultè licet similitudinem harum rerum, ideoq; ab altera ad alteram ornan- E dam, honestiusq; exponendam vocabulum transtulisse: vbi enim facit Aiacem pedetentim discedentem è prælio (quia impetum in se vnum omnium Troianorum amplius sustinere non posset) similem asello segetem depascenti, contemnentiq; puerorum verbera, inde ipsum depellere conantium, inquit de tarda illa bellua, quæ semel nacta erat facultatem sedandi famem, κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον. Lucret. postea cecinit lib. 2. *Nam sæpe in colli tondentes pabula læta Lanigeræ reptant pecudes.* Eundem secutus, vt arbitror, Virgilius, idem pluribus locis vsurpauit. Cicero exprimens versum græcum ab Epaminonda prolatum, retinuit translationem, quam ibi inuenit. *Consiliis nostris laus est attonsa Laconum.* Significare autem voluit auctor ipsius, prudentia clarissimi illius ducis factum esse, vt gloria Lacedæmoniorum

Q ab

ab ipso in bello superatorum, magna ex parte minueretur, & quasi florem omnem amitteret. Victor. libr. 28. cap. 9. IPSE NEMVS PATRIVM) Nemus patrium Panos, est Arcadicum: in Arcadia Mænalus, & Lycæus mõtes & nemora ei dicata sunt. In Mænalo etiam educatus fertur. Sæpe vtriusuis mentio fit, cum de hoc deo agitur: tanquam de locis illi charis, & iucundis. Quod sequitur *saltusq; Lycæi*, quædam explicatio est illius, *nemus patrium*. Iacob. Pont. PAN OVIVM CVSTOS) Eclog. 2. *Pan curat oues*. Horat. Ode 12. lib. 4.

Delectantq; deum, cui pecus, & nigri
Colles Arcadiæ placent.

ADSIS O TEGEÆE) Tegeæus dicitur Pan à Tegea Arcadiæ oppido, vt in 7. scriptum à Pausania: meminit & B Homerus. Hinc muliebre genus Tegeatis, & Tegeæus quatuor syllabis apud Propert. *Et calami Pan Tegeæe tui.* Sed & Tegeaticus apud Papinium. *Et de Mænalia volucer Tegeaticus vmbra.* Tegeæ verò, quod ab eodem discimus Pausania, Palladi Aleæ sacellum condidit Aleus, Alphidamantis filius, qui Ægypto successit. Vnde Statius, *templumq; Aleæ nemorale Mineruæ.* Erythræus Indice. OLEÆQVE MIN. INVENTRIX) Columell. lib. 5. cap. 7. Longe ex omnibus stirpibus minorem impensam desiderat olea, quæ prima omnium arborum est. Plin. libro. 15. cap. 4. Oleæ honorem Romana maiestas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Iulijs ex ea coronando: item minoribus triumphis ouantes. C Athenæ quoq; victores olea coronabant. Græci verò oleastro olympiæ. De olea Mineruæ narrat quiddam admirabile Pierius li. 53. in Olea. In arce ab Atheniensibus conseruatam fuisse scribit Cic. de Legib. Nisi forte Athenæ tuæ sempiternã in arce oleam tenere potuerunt.

* *De nomine huius deæ sic Arnob. lib. 3. Mineruam alij ætheriam virtutem, & summitatis ipsius esse summam dixerunt: memoriam nonnulli: vnde ipsum nomen Minerua, quasi quædam Meminerua formatur, &c. Vide Gyraldum principio Syntagmat. 11.*

VNCIQVE PVER MONST. ARAT.) Inuocatio est Osiridis, & periphrasis ex eius inuento. Nam vt est apud Tib. li. 1. eleg. 1.

Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.

A Et pleraq; alia reperit, vt est ibidem. Alij malunt Triptolemum hic intelligi, qui Atticis agriculturã primus dedit, Osirim nullo modo: de quo eruditè, vt semper, disserit Germanus. TENERAM AB RADICE CVPRESSVM) Stolones … significat, qui ab radice arborum tam tenelli velluntur, vt transferri tutò possint: maximeq; cupressi meminit, quod illa nec taleis, nec ramis plantari, nec decacuminationem ferre valeat. Quæ verò Seruius, & cæteri comminiscuntur, cum auctoribus pugnant, a quib. proditum est, amatorem Cyparissi Apollinem fuisse, non Syluanum. Alciat. Parerg. lib. 9. cap. 6.

* *Ita esse, vt dicit Alciat. testabitur Ouid. Metamorph. libro decimo. Ibidem eius pueri in arborem sibi cognominem conuersio exponitur.*

DIIQVE DEÆQVE OMNES. S. Q. A. T.) Hæc est trium deinceps versuum Sentẽtia. Deniq; deos deasq; omnes, quibus curæ est res rustica: quiq; cælesti quadam vi, & vigore fruges alunt, ac vegetant: quiq; tempestiuis imbribus sata irrigant, bonis precibus rogo, vt me in suscepto opere adiuuare ne dedignentur. Eodẽ modo Propert. lib. 3. *Diiq; deæq; omnes, quibus est tutela per agros.*

* *Demosthenes exordiens orationem illam inclytam pro Ctesiphonte, deos deasq; coniungit, & inuocat. … Primum a dijs, deabusq; omnibus immortalibus precor, Athenienses. Sed id sollemne fuit antiquis, vt deos deasq; generatim in precibus, & sacris inuocarent. Sæpe etiam aliquibus ante nominatis id faciebant. Vide Brissonij Formul. pag. 54.*

ARMA TVERI) Defendere, illæsa seruare à cælestibus iniurijs, & segetum vitijs. NON VLLO SEMINE) Qui- C dam interpretes coniunctim *nonnullo semine* legunt, quomodo nos scripsimus, vna voce, respicientes defluuia quædam cælestia, quæ pro seminario rerum, ac frugum ex philosophorum, & poetarum auctoritate accipiunt. Alij disiunctim *non ullo*, hoc est, nullo, malunt, nixi georgicorum philosophorum doctrina, qui non solum plantas easdem ex semine, & sine semine surgere docẽt: sed & animalia imperfecta, hoc est, plantis ipsis assimilia, & vicina, & quæ sequuntur, apud Germanum illum Valentẽ, eruditionis haud protritæ scilicet. QVIQVE SATIS LARGVM IMB.) Qui segetes densis pluuijs irrigatis, quas infra etiam precibus rogitare iubet: *votisq; vocaueris imbrem.*

Tuq; adeo, quem mox quæ sint habitura deorum
Concilia, incertum est: vrbísne inuisere Cæsar,
Terrarumq; velis curam, & te maximus orbis
Auctorem frugum, tempestatumq; potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto:
An deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant, tibi seruiat vltima Thule:
Teq; sibi generum Thetys emat omnibus vndis:
An ne nouum tardis sidus te mensibus addas:
Quà locus Erigonen inter, chelasq; sequentes
Panditur: ipse tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli iusta plus parte reliquit.
Quiquid eris (nam te nec sperent tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamuis Elysios miretur Græcia campos:
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
Da facilem cursum, atq; audacibus annue cæptis,
Ignarosq; viæ mecum miseratus agrestes,
Ingredere, & votis iam nunc assuesce vocari.

Poetarum

Poetarum alij Musas, alij Phœbum, nonnulli vnum quempiam ex cæteris dijs inuocarunt. Alij cum viris illustribus libros suos dedicarent, quasi pro numine haberent ipsos, ausi sunt petere ab eis carminum suorum præsidium. Sic isto loco poetarum princeps ad Augustũ conuertit vota sua: sic ad Neronem Lucanus, ad Vespasianum Flaccus, ad Domitianum Statius, ad Germanicum Ouidius. Atq; hic quidem leuiter: quippe speciosissima verba illa, *timidæ dirige nauis iter.* At maximus poetarũ effudit diuinitatem suam, vt deum faceret vnum ex tribus carnificibus: Augustum dico, tum Lepidi, tum Antonij prædem immanitatis. Quem fac innocentiæ plenum, à qua longè fuit alienus, quare optimum poetam, nobiliorem se ciuem relegat Ouidium, propter filiæ suę impudicitiam? Quid igitur illum cæli afficit honoribus, qui ne terra quidem fuit dignus? Scalig. Poet. lib. 5. ca. 17. * *Vt intelligas, quam non inusitatum poetis sit, homines inuocare, plura exempla producam in medium. Omittam quod lib. 2. inuocatur Mæcenas a nostro.* Tuq; ades, inceptumq; vnà decurre laborem, &c. *Manilius Augustum his versibus.*

Nunc mihi tu, Cæsar, patriæ princepsq; paterq;,
Qui regis augustis parentem legibus orbem,
Concessumq; patri mundum deus ipse mereris,
Das animum, viresq; facis ad tanta canendum.

Statius non modo Domitianum in Thebaide, sed etiam in Achilleide, & Gallicum lib. 1. Syluarum.

Ast ego nec Phœbum (quamquam mihi surda sine illo
Plectra) nec Aonias decima cum Pallade diuas,
Aut mitem Tegeæ, Dircesq; hortabor alumnum:
Ipse veni, viresq; nouas, animumq; ministra,
Qui caneris.

Aliorum versus, qui supra nominati sunt, Valer. Flacci, Statij, Ouidij facile inuenier, qui quæsierit: verum lã suit nõ necessaria lõgitudo. Lucanus prooemio Pharsal. ad locum Maronis se conformans, Neronis blandiens.

———-tibi nomine ab omni
Cedetur, iuriq; tuo natura relinquet
Quis deus esse velis, vbi regnum ponere mundi.

De apotheosi huius Imperat. dictum ad Eclogam 1. num. 4. & 5. DEORVM CONCILIA) Vitruuius huius, credo, loci imitatione, A concilio cœlestium in sedibus immortalitatis scribit Cæsarem dedicatum fuisse, poetarum opinione, qua deos conciones, & senatum habere censebãt, & D duodecim consiliarios Ioui attribuebant. Vnde Ælianus, ἃ θεόφρονες, ἀθάνατοι ἦσαν, ἀλλ' οὐχ οἱ δώδεκα θεοὶ οἱ δικάζοντες. German. * *Non temere dixit numero multitudinis,* Concilia deorum: *siquidem mox ex diuersis functionibus ac præfecturis diuersos esse deorum ordines indicat. Cœtum illum deorum superũm sæpe vocat concilium M. Tullius. 1. de nat. deor. tanquam modò ex deorum concilio, & ex Epicuri intermundijs descendisset. Tuscul. 1. his demum quoddam iter est; seclusum a concilio deorum. & alibi.* VRBIS NE INVISERE) Gell. lib. 13, cap. 19. ab elegantissimis scriptoribus maiorem habitam rationem ostendit sonitus vocum atq; verborum iucundioris, quæ Græcis εὐφωνία dicitur, quam regularum Grammaticarum. Exempla è Virgilio petita conglobat. Ego ab initio capitis exorsus, tantum volo adscribere, quantum huic, similibusq; locis iudicabo sufficere.

Interrogatus est Probus Valerius, quod ex quodam familiari ei comperi, hásne vrbis, an has vrbes, & hanc turrim, an hanc turrem dici oporteret. Si aut versum, inquit, pangis, aut solutam orationem struis, atq; ea verba dicenda sunt, non finitiones illas prærancidas, neq; fæcutinas Grammaticas spectaueris: sed aurem tuam interroga, quo quid loco conueniat dicere: quod illa suaserit, profectò erit rectissimum. Tum is qui quæsierat, Quonam modo vis, inquit, aurem meam interogem? Et Probum ait respondisse, quo suam Virgilius percunctatus est, qui diuersis in locis vrbes, & vrbis dixit, arbitrio consilioq; vsus auris. Nam in 1. Georgicõn, quem ego,

A inquit, librum manu ipsius collectum legi, vrbis per, i, litteram scripsit: verba è versibus eius hæc sunt, *vrbisne inuisere Cæsar, Terrarumq; velis curam.* Verte enim, & muta, vt vrbes dicas, insipidius nescio quid facies, & pinguius. Contra in 3. Æneid. vrbes per, e, litteram dixit, *centum vrbes habitant magnas.* Hic ita muta, vt vrbis dicas, nimis exilis vox erit, & exsanguis. Tanta quippe iuncturæ differentia est in consonantia vocum proximarum. Præterea idem Virgilius turrim dixit, non turrem, & securim, non securem. *Turrim in præcipiti stantem. Incertam excussit ceruice securim.* Quæ sunt, opinor, iucundioris gracilitatis, quam si vtrumq; suo loco per, e, literam dicas. Huic iudicio ego quidẽ non refragor. CÆ- B SAR) Quod ad vocabulũ seu nomen, Cæsar, attinet, voluit ipsum, tanquam inuidiosum scilicet, cæso nuper Iulio Cæsare, relinquere Augustus, siue Octauius, etiam amicis, vt id faceret, cohortantibus. Super qua re est his verbis apud Velleium lib. 2. Non placebat Acciæ matri, Philippoq; vitrico, adiri nomen inuidiosæ fortunæ Cæsaris. Sed asserebant, salutaria Reipub. terrarumq; orbis fata conditorem, conseruatoremq; Romani nominis. Spreuit itaq; cælestis animus humana consilia, & cum periculo potius summa, quàm tutò humilia proposuit sequi: maluitq; auunculo, & Cæsari de se, quàm vitrico credere, dictitans, nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, sibimet ipsi videri indignum. De veri- C loquio autem, siue etymo huius vocis, Spartianum in Ælio Vero audias licet. Qui hoc primus nomen adeptus est, Cæsarem vel ab elephanto (qui lingua Maurorum cæsar dicitur) in prælio cæso doctissimi viri putant dictum: vel quia mortua matre, ventre cæso sit natus: vel quòd cum magnis crinibus sit vtero parentis effusus: vel quòd oculis cæsijs, & vltra humanum morem viguerit. Certè quæcunq; illa, fælix necessitas fuit, vnde tam clarum, & diuturnum cum æternitate mundi nomen effloruit. AVCTOR. FRVG. TEMPEST.) Auctor hic valet præses, dominus, moderator. Et terrarum cura etiam in his cernitur, si temporibus suis, & per tempestates idoneas, proferant fruges. Bonas enim hic tempestates (cum sit τῶν μέσων) non illas malas, quibus agitantur D maria, oportet intelligere. Et de imperio marino separatim mox dicetur, *An deus immensi venias maris.* Iacob. Pont. CINGENS MATERNA TEMPORA MYRTO) Myrtus sacra est Veneri, eidemq; gratissima (*Eclog. 7.*

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iacho
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Ambas, rosam & myrtum, illam vt inter flores, hanc vt inter arbores pulcherrimam dea pulcherrima consecratas scriptum à Pausan. Eliacis posterior.) Itaq; nonnulli Venerem Murtiam à myrto dicunt esse nominatam, vt auctor est Varro lib. 4. de ling. lat. Augustus autem ab Iulio, materna quidem origine, & successione principatus: Iulius à Venere per nepotem, *Iulius a magnum demissum nomen Iulo.* Hinc idẽ E ille in laudatione amitæ suæ apud Sueton. cap. 6. à Venere Iulij, cuius gentis familia est nostra. Hanc arborem Veneri consecrarunt poetę, quod succus eius expressus, oleumq; explorati vsus haberetur in amatorijs, muliebribusq; illecebris, inquit German. Cæterùm innuere hìc videtur Maro, coronam myrteam, quæ & oualis dicebatur: quod ea, incruenta potitus victoria, imperator vteretur: & hoc insigne poeta ad clementiã, lenitatemq; Augusti forsitan refert, ac pacis constituendę studia. IMMENSI MARIS) Videtur Homericum expressisse epithetum, qui ἀπείρονα πόντον dicit, vel Hesiodi, qui ἀπείριτον fecit. Sed & Pindarus τὸν ἅλα ἀμφιρύτον appellat. Vsus est hoc & Lucret. lib. 2. *Vnde mare immensum voluentes flumina fontes Assiduè renouent.* Berlm. Georg. 2. *Sed*

nos immensum spaciis confecimus æquor. NVMINA SOLA) Tanquam eius, qui melior sis futurus cæteris dijs marinis, postquam scilicet Neptuno successeris. VLTIMA THVLE) Imperium innuitur, vsq; ad extremas oras Oceani, quod dotis loco accepturus sit. Est enim Thule insula Oceani Septentrionalis, vna ex Orcadibus, atq; harum vltima, in extremis Britanniæ partibus, vel potius vltra Britanniam: quippe quę Islandia remotior est. Itaq; vltimam poeta dicit vel à situ, quòd inter Orcadas extremo sita esset loco: vel ætatis suæ respectu, quod vltima esset inter insulas Romanis notas, quam Vespasianus sub Romanorum ditionem primus redegisse memoratur. Bersm. **Seneca in Medea.*

------------venient annis
Sæcula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphyq; nouas
Detegat vrbes, nec sit terris
Vltima Thule.

De hac Strabo lib.4. Magis etiam obscura est Thules historia, ob tam longinquum situm. Omnium enim, quarum feruntur nomina, maximè versus septentrionem esse hanc dessitam faciunt. TEQVE SIB. GEN. THET. EMAT) Ad Romanam consuetudinem vxores capiendi alludit. Tribus modis vxor habebatur, vsu, farre, & coemptione. Vsu fieri matrimonium dicebatur, cum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conueniebat, & cum viro ita consuescebat, vt cum iusto marito: adeo, vt si vsus ille intra annum non interrumperetur, pro vsucapta iam haberetur. Confarreatio solis Pontificibus conueniebat. Ait autem Dionysi* in Romulo, sacras nuptias farracia esse dicta, quòd eodem farre coniuges vescerentur, quo etiam victimas respergerent. Vlpianus, Farre, inquit, conuenitur in manum certis verbis, & testibus decem præsentibus, & solemni sacrificio facto, in quo panis quoq; farreus adhibetur. Coemptionis ratio hæc fuit. Nubentes mulieres tres ad virum asses ferre solebant, atq; vnum quidem quem in manu gerebant, tanquam emendi caussa marito dare: alium, quem in pede habebant, in foro larium familiarium ponere: tertium in sacciperio cum condidissent, cōpito vicinali solebant resignare. Boet. in Top. Cic. Sigon. de antiquo Iure Ciuium Rom. libr.1. cap.9. Rhodigin. libro 28. cap.17. Alex. ab Alex. libr.2. cap.5. * *Coemptionis hæc erat formula. Vir sic stipulabatur.* VIS NE MVLIER MIHI MATERFAMILIAS ESSE? *illa respondebat* VOLO. *Item mulier interrogabat,* VIS NE VIR MIHI PATERFAMILIAS ESSE? *Ille respondebat,* VOLO. *Itaq; mulier viri conueniebat in manum: & vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem.* ANNE NOVVM TARDIS) A terrenis & marinis ad cælestes deos transit, & inter eos locum assignat Augusto, collocans eum inter sidera. *Tardis mensibus* quidam ad Iunij, & Iulij horas tardissimas, & longissimas referri arbitrantur. Propert. quoque lib.3. eleg. 19. æstiuas horas esse longiores significat.

Tu quoq; qui æstiuos spatiosius exigis ignes,
Phœbe moratura contrahe lucis iter.

QVA LOCVS ERIGONEN INTER) Veteres poetæ, inter quos est Aratus, Iustitiam mortalium improbitate & sceleribus terris expulsam, in cælum migrasse narrant. Atque hanc esse Astræam crediderunt, id est Astræi filiam, quæ inter sidera Virginis nomine celebretur. Cum autem Virgo secundum Astronomos Mercurij sit domicilium, quem eloquentiæ, ac sapientiæ deum fecerunt, Virgoque ipsa perhibeatur Astræa, siue Iustitia: Scorpij autem οἰκοδεσπότης Mars sit, qui deus virilitatis, atque fortitudinis creditus fuit, non absque ratione coniecturam fecerit aliquis, poetam Augusto inter Virginem, & Scorpium, hoc est, inter Iustitiam

A & virtutem, quæ boni Imperatoris præcipua ornamenta sunt, ideo medium assignare locum voluisse, vt ostenderet, esse eum quidem ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής, quo elogio Agamemnonem suum Homerus ornauit. Bersman. * *Quæ Erigone, eadem & Iustitia, & Astræa. Tamen quo pacto in cælum translata sit, rem aliter narrat in mythologicis Hyginus c.a. 130 aliter poet. astronom. li.2.* BRACHIA CONTRAHIT) Quod scorpium contrahere brachia, &c. dicit, expone, vt Scalig. F. in Manil. tibi relinquit locum Libræ. Vnde poeta vetus, *Et Libram, quam Cæsar habet.* Adde quod alluditur ad natalem Augusti, qui sub Libra contigit. ARDENS SCORP) Propter Martis in eo domicilium, qui calidissimus est: cum alioqui signum illud frigidum censeatur, & humi-
B dum: vel, quia sidera communiter putantur esse igneæ naturæ. Bersm. IVSTA PLVS) Sic Lucret. libr.4. plus æqua parte.

Semper enim partus duplici de semine constat,
Atq; vtri simile est magis id, quodcunq; creatur,
Eius habet plus parte æqua.

NAM TE NEC SPER. TART. REG) Hæc est quarta deorum classis, quam vt Augusto prorsus indignam reijcit: tametsi in terrestribus, aut marinis numinibus ei locum non negat. * *Rectè quarta, prima enim fuit deorum terrestrium, altera marinorum, tertia cælestium, hæc inferorum est, & sunt Pluto, Proserpina, Parcæ, Furiæ, de quibus Gyrald. Syntag.6.* QVAMVIS ELYSIOS) De campis hisce aliquid anno-
C tauimus lib.6. ibi. *Deuenere locos lætos, & amœna vireta Fortunatorum nemorum.* NEC REPETITA SEQVI) Lucan. lib.6. *cælum matremq; perosa Persephone.* Martial. lib.12. de rapta Sempronia.

Tu melior, quæ deserto raptore redisti:
Noluit illa virum nec repetita sequi.

Helenen scilicet notans, quæ ad Menelaum maritum reuerti noluit, quamuis à Græcis per legatos repetita. German.

Vocat eandem Proserpinam Elysiam puellam idem Martial. lib.10.

Sed vita tribus areis peractis,
Lucos Elysia petam puella.

D Legendum verò *areis*, pro *aureis*: de qua lectione, & eius interpretatione Turneb. lib.30. cap.30. Sic ergo horum quatuor carminum sententiam concipimus. *Quidquid eris, nam te,* &c. Quicunq; tandem futurus es deus, seu cuiuscunq; ordinis, certè quòd te inferi regem sibi promittant, aut tu ipse imponenti quadam cupiditate regnū illic affectes, præstantia & maiestas tua, cælo potissimùm digna, repugnat, etiamsi dicantur ibi amœnissimæ beatorum sedes esse, quibus delectata Proserpina, reuerti ad matrem Cererem, à qua tam anxiè quæsita est, non curat. Raptum Proserpinæ, cum voles, descriptum leges Metamorph. lib.5. Fastor.4. De eodem Claudian. libris integris. Cic.6. in Verrem. Iacob. Pont. DA FA-
E CILEM CVRSVM) Prosperum carmini suo successum precatur, & subindicat, se è Latinis primum res rusticas versibus conscribere. Simplicius est dicere, cum deprimendo vires suas, & difficultate rei susceptæ insinuanda beneuolum, attentumq; facere lectorem. IGNAROS VIÆ AGRESTES) Imperitos harum rerum, quæ his libris explicabuntur. Hos miseratus Virgilius, eorumq́ue vtilitatis cupidus, petit ab Augusto, vti secum fauore suo, qui est instar afflatus cælestis, ijs viam præire ne dedignetur, & sinat se etiamnum viuum tanquam numen coli, ac honorari. Hoc quomodo factum sit, vide Eclog. 1. in illud *Namq; erit ille mihi semper deus*, num. 4. adde Horat. Ode 5. libr.3. *præsens diuus habebitur Augustus.* Iacob. Pont.

Vere nouo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit:
Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.
Illa ſeges demum votis reſpondet auari
Agricolæ, bis quæ ſolem, bis frigora ſenſit:
Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.

Quid eſt, quod in hoc libro, qui eſt de ſegetibus, ab ipſa ſtatim aratione cæpit? nec aut quæ eſſet natura ſoli, aut quæ regionum, conſiderandum admonuit? cum præſertim in hoc genere ſcripti, quod didaſcalicum noſtri litteratores vocant (pertinet enim ad erudiendum ſiue auditorem ſiue diſcipulum) ab initiis quibuſdam etiam remotioribus auctores quãdoq; incipiant. Nonne Ouidius, cùm de mundi eſſet conſtitutione locuturus, à re etiam incomperta exorſus eſt?

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cælum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos.

Huic dubitationi ita occurrendum eſt. Inſtituentis, & in præcepta redigentis materiam aliquam à ſe ſuſceptam, officium videtur, primo loco conſiderare, ante ipſam præceptorum traditionem, rei ne cuiuſpiam auditor ſit admonendus, quod Virgilius præſtitit in rebus apium, cùm primum ac præcipuum in ea præceptione ſit, locus ipſe idoneus, ac perappoſitus. Præſtitit & hoc de vitibus, atq; arbuſtis locuturus. *Principio arboribus varia eſt natura creandis.* Nec imitator eius Columella à magiſtro ſuo receſſit, cùm præcepturus de colẽdis hortis, præmiſit, *Principiò ſedem numeroſo præbeat horto Pinguis ager.* Atque hæc quidem ratio tanti videri poteſt, vt ante arationem faciendam à Virgilio monefaciendus eſſet auditor, obſeruandæ naturæ agri, ac ſoli. Verùm, vt fuit ſcriptor ille & in præcipiendo ſolers, & in obſeruandis rebus diligens, cùm videret agrorum ſtudium eſſe in Latio, totaq; Italia celebratiſſimum, neq; ab agricolis ipſis ignorari agrorum naturam, neq; etiã quæ cæli vis eſſet, ac regionis, prætermiſit ſponte id quidem, quod illis arbitraretur obſeruatum, cæpitque non ab obſeruatione terræ, id eſt, ab agri natura ſciſcitãda, ſed ab actione ipſa: vt ſi ab eo non ageretur cum imprudente agricola, ſed experiente ac probato, cuius ipſius operam diligentem, ac minimè ignauam exigeret, vt poſt cognitionem eam, quam de natura agri haberet agricola, mature facto opus eſſe ſciret, eſſetque cum primis temporis ſtudioſus: quippe cui primò loci, dein temporis & cura habenda eſt, & ratio. Itaque & arationis ipſius initium ver conſtituit, neq; tamen omittit in tradendis poſt præceptis naturas quoque terrarum, ac qualitates oſtendere, & qua via id etiam eſſet aſſequendum diligentiſſimè aperit. Nec verò nos moueat, quod à mediis ferè nõnunquam rebus poetæ ipſi ordiantur, cùm id ſequendum videatur in alio dicendi genere, vt in enarrandis bellis, explicandiſque rebus geſtis, minimè tamen in genere didaſcalico, quod totum in tradendis verſetur præceptis, erudiendiſque auditoribus. Quid igitur mirum, exorſum eſſe Virgilium ab actione, id eſt, à diligentia, quam in agricola præcipuam exigit, quando in agro colendo, vt ipſe ait, nihil vnquam exhauſti ſatis eſt? Iouian. Pont. Ægid. dial. VERE NOVO) Vide quæ attulimus ſuper illo Ecl. 3 *nunc formoſiſſimus annus.* num. 69. Interpretem Virgilio ſe præbet Columell. lib. 11, cap. 2. his verbis. Noui autem veris principium non ſic obſeruare ruſticus debet, quẽ

A admodum aſtrologus, vt exſpectet certum diem illum, qui veris initium facere dicitur. Sed aliquid etiam ſumat de parte hyemis, quoniam conſumpta bruma, iam intepeſcit annus, permittitque dies clementior opera moliri. Poſſunt igitur ab idibus Ianuariis (vt principem menſem Romani anni obſeruet) auſpicari culturarum officia, quorum alia ex priſtinis reſidua conſummabit, alia futuri temporis inchoabit. Duobus autem hiſce primis verſibus Maronis, illi Catulliani quodammodo reſpondent. Ad ſe ipſum de aduentu veris.

Iam ver egelidos refert tepores,
Iam cæli furor æquinoctialis
Iucundis Zephyri ſileſcit auris

B Iacob. Pontan. CANIS MONTIBVS) Niue albentibus. Cur ningat in montibus, cùm pluat in plano, cauſſa eſt, quòd regionis infimæ tepor propter refractos ſolis radios, inde enim ille exiſtit, niuem, antequam in terram decidat, in aquam reſoluit. Secus eſt in montibus, præſertim excelſioribus, quò reflexio illa radiorum aërem tepefaciens non pertingit. Berſman. ET ZEPHYRO PVTRIS SE GL. RESOL.) Zephyrus quod vitam rebus ferat, etiam Fauonius dicitur, de quo iſtis verbis prædicat Plinius lib. 16. cap. 25. Ordo autem naturæ annuus ita ſe habet. Primus eſt conceptus flare incipiente vento Fauonio, circiter ferè 6. Id. Februar. Hoc enim maritantur viueſcentia è terra, quo etiam equæ in Hiſpania, vt diximus. Hic eſt genitalis ſpiritus mundi, à fauendo dictus, C vt quidam exiſtimauere. Flat ab occaſu æquinoctiali, ver inchoans. Cum his quaſi conſpirant illa Lucret. lib. 1.

Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt verna diei,
Et reſerata viget genitabilis aura Fauoni.

Et Catull.

—— quas propter fluminis vndas
Aura parit flores tepidi fœcunda Fauoni.

Eundem huncce ventum feſtiuè commendat Claudian. de raptu lib. 2.

—— pater ô gratiſſime veris,
Qui mea laſciuo regnas per prata volatu
Semper, & aſſiduis irroras flatibus annum, &c.

D Iacob. Pont.

Putris ſe gleba reſoluit, id eſt, ſe laxat, & ſoluit, & ſoluta & laxa eſt. Sic Georg. 2. *Et cui putre ſolum, namq; hoc imitamur arando.* Quo ſignificatur, optimum ſolum eſſe ſolutum. Nam cùm aramus, hoc agimus, vt terram ſolutam reddamus. Turneb. lib. 18. cap. 27. * *De Zephyro putres glebas reſoluente, rurſum 2. Georg.* Parturit omnis ager, Zephyriq; tepentibus auris Laxant arua ſinus. *Lucretius. lib. 5. etiam putres glebas vocat.* Putribus in glebis terrarum, aut ſolis in igne. DEPRESSO INCIP. IAM TVM) Eſt *ὑποτύπωσις* tauri, agrum præpinguem ſtrenuè arantis. De agro tenui, & infœcundo paulò poſt, *tenui ſat. erit ſuſpendere ſulco.* Sulcus propriè, quà aratrum vomere lacunam fecit. Varro lib. 1. cap. 29. INGEMERE) Lucret. lib. 5. *Vitai cauſſa valido conſueta bidenti Ingemere.* Sic & Tacitus de moribus Germanorum, de Feunis, vitam ferinam inultamque agentibus. Id beatius arbitrantur, quàm

 inge-

ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasq; fortunas spe, metuque versare. Bene *ingemere*, propter opus laboriosum videlicet, nec quarumlibet virium. Hinc Varro lib. 1. cap. 19. Terram boues proscindere nisi magnis viribus non possunt, & sæpe fracta bura, relinquunt vomeres in arvo. Scaliger legit. *terram duram boues*, &c. Qui autem boues ad arationem videantur idonei, explicatum est cap. 10. ILLA SEGES DEM.) Plin. sic interpretatur, lib. 18. cap. 20. Quartò seri sulco Virgilius æstimatur voluisse, cùm dixit, optimam esse segetem, quæ bis solem, bis frigora sensisset. Vnde & Probus Virgilij sensum ad agrum nouatum refert, qui sub exitum hyemis, hoc est, initio veris proscinditur, & ita æstate quæ sequitur, siccatur: deinde ineunte hyeme semente facta, sequenti æstate reddit fructum, vt bis ita sentiat frigus; semel ante æstatem, sub finem hyemis, initio veris: iterum post sementem: bis solem, semel æstate, qua cessat, & messis tempore, æstate scilicet, qua fruges reddit. Docet item Mancinellus, appositè terram proscindi, effringi, offringi, & lirari. Certè pingue solum, vt Italicum, quater arari solet. Qui verò tenuius habent, ter arant. Prima aratio proscissio dicitur. Secundò arant mé- A se Iunio, ante solstitium, quam Latini iterationem dicunt, ita bis solem sentit. Post hęc sub Calend. Septemb. tertiatum, & pro soli ipsius fertilitate vel eodem anno sub finem auctumni, vel si tenuius, circiter initium veris sequentis paratum sementi, frigus bis patitur. German. * *Vide etiam Medicum cap. 9. refutantem Seruium, & Franciscum Floridum.* VOTIS AGRIC. AVARI RESPON.) Principiò dixit, parere auido colono. Contrarium his, seges eludit messem, quod est apud Tibullum. Et apud Ciceronem in Orat. spem mentita seges. IMMENSÆ RVPERVNT HORREA MESS.) Rumpi horrea videntur, quando magna frugum copia distenduntur. Mouent me versus isti perelegantes cuiusdam dicti Philonis, quem legens, B ipsum Platonem legere videor, aut quemuis alium excellentem de domo illa Socratica. Lib. de victimis. Quéadmodum vberes agri, etiamsi spem coloni fallant, tamen plus ferunt fructuum, quàm suapte natura maligni: sic proborum, piorumq; quantumuis modica officia non cedunt istorum fortunatorum, sed malorum, amplis meritis, nonnunquam fortuitis magis, quàm voluntariis. Multa in huius viri libris inuenimus, quæ suis locis lectori gustanda offeremus. Iacob. Pont.

Ac prius ignotum ferro quàm scindimus æquor,
Ventos, & varium cæli prædiscere morem
Cura sit, ac patrios cultusq; habitusq; locorum:
ET QVID QVÆQVE FERAT REGIO, ET QVID QVÆQVE RECVSET.
HIC SEGETES, ILLIC VENIVNT FÆLICIVS VVÆ:
Arborei fœtus alibi, atq; iniussa virescunt
Gramina. nonne vides, croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, virosaq; Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epeiros equarum?
Continuò has leges, æternaq; fœdera certis
Imposuit natura locis, quo tempore primùm
Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem:
Vnde homines nati, durum genus.

FERRO QVAM SCIND. ÆQVOR) Æquor planities cuiuscunque rei, ab æquitate. Sic mare dicitur æquor, quia complanatum, & æquatum. Quid tam planum quàm mare? ex quo etiam æquor illud poetæ vocant, ait in Academ. Cicero. Cæli æquora apud veterem poetam notauit etiam Muretus. VENTOS, ET VARIVM CÆLI PRÆDIS. MOREM, ET. Q. QVÆQ. FER. REG.) Hunc locum suis verbis maximè illustrabit Columella: & sunt in Præfat. & apparet animo agitasse Maronis sententiam. Nam qui se in hac sciétia perfectum volet profiteri, sit oportet rerum naturæ sagacissimus, declinationum mundi non ignarus, vt exploratum habeat, quid cuique plagæ conueniat, quid repugnet: siderum ortus & occasus memoria repetat, ne imbribus, ventisq; imminentibus opera inchoet, laboremque frustretur. Cæli & anni præsentes mores intueatur: neque enim semper eundem, velut ex præscripto, habitum gerunt: nec omnibus annis eodem vultu venit æstas, aut hyems: nec pluuium semper est ver, aut humidus auctumnus. Quæ prænoscere sine lumine animi, & sine exquisitissimis disciplinis non quenquam posse crediderim. Iam ipsa terræ varietas, & cuiusque soli habitus, quid nobis neget, quid promittat, paucorum est discernere.

De hac diligentia cognoscendi soli, monet etiam C Xenophon in Oeconom. *Φασὶ γὰρ τὸν μέλλοντα ὀρθῶς γεωργήσειν, τὴν φύσιν χρῆναι πρῶτον γῆς εἰδέναι. ὀρθῶς γε ἔφην ἐγὼ ταῦτα λέγοντας. ὁ γὰρ μὴ εἰδὼς ὅ,τι δύναται ἡ γῆ φέρειν, οὐδ' ὅ,τι σπείρειν, οἶμαι, οὐδ' ὅ,τι φυτεύειν δεῖ εἰδείη ἄν.* Aiunt, eum qui rectè culturus est agrum, primùm terræ ingenium cognoscere oportere. Rectè inquam. Nam qui non vidit quid terra ferre possit, is quod semen spargere, quasúe stirpes serere debeat, haud videbit.

Rursum Columella cap. 4. In vniuersum tamen quasi testificandum, atque sæpius prædicandum habeo, quod primo iam Punico bello dux inclytissimus M. Attilius Regulus dixisse memoratur, fundum, sicuti ne fœcundissimi quidem soli, cùm sit insalubris, ita nec effœti, si vel saluberrimus sit, parandum. Quapropter cùm sit D sapientis, non vbique emere, nec aut vbertatis illecebris, aut deliciarum concinnitate decipi: sic verè industrij patrisfamiliâs est, quidquid aut emerit, aut acceperit, facere fructuosum, atq; vtile: quoniam & grauioris cæli multa remedia priores tradiderunt, quibus mitigetur pestifera lues: & in exili terra cultoris prudentia, ac diligentia maciem soli vincere potest. Hæc autem consequemur, si verissimo vati, veluti oraculo crediderimus, dicenti: *Ventos, & varium cæli prædiscere morem.*

Hoc ipsum mutuatus videtur Plinius, cuius verba sunt

ſunt lib.18.cap.18. In omni quidem parte culturę, ſed in hac maximè, valet oraculum illud: Quid quæquè regio patiatur. Idem Plin. cap.24. Et confitendum eſt, cęlo maximè conſtare ea; quippe Virgilio iubente, prædiſci ventos ante omnia, ac ſiderum mores, neque aliter quàm nauigantibus ſeruari. Spes ardua & immenſa, miſceri poſſe cæleſtem diuinitatem imperitię: ſed tentanda tam grandi vitæ emolumento.

Nouem porrò diſcrimina ex Catone recitat Varro lib.1.cap.7. ſecundùm quæ ager agro melior ſit. Primus, vbi vineę poſſunt eſſe bono vino, & multo: ſecūdus, vbi hortus irriguus: tertius, vbi ſalicta: quartus, vbi olìueta: quintus vbi pratum: ſextus, vbi campus frumentarius: ſeptimus, vbi cædua ſylua: octauus, vbi arbuſtum: nonus, vbi glandaria ſylua. Idem ibidem. Sequitur ſecundum illud, quali terra ſolum ſit fundi, & à qua parte vel maximè bonus, aut non bonus appelletur. Refert enim quæ res in eo ſeri naſcique, & cuiuſmodi poſſint. Non enim eadem omnia in eodem agro rectè poſſunt. Nam vt alius eſt ad vitem appoſitus, alius ad frumentum: ſic de cæteris alius ad aliam rem. Itaque Cretæ ad Gortyniam dicitur platanus eſſe, quę folia hyeme nō amittat: itemq́; in Cypro, vt Theophraſtus ait, vna. Item Sybari, qui nūc Thurij dicuntur, quercus ſimili eſſe natura, quæ eſt in oppidi conſpectu. Item contrà atque apud nos fieri ad Elephantinen, vt neque ficus, neque vites amittant folia. Propter eandem cauſſam multa ſunt bifera, vt vites apud mare Smyrnæ: malus bifera, vt in agro Conſentino. Idem oſtendit, quod in locis feris plura ferunt: in iis quæ ſunt culta, meliora, &c. Idem cap.23. Alia enim loca appoſita ſunt ad fœnum, alia ad frumentum, alia ad vinum, alia ad oleum. Sic ad pabulum quæ pertinent: in quo eſt ocymum, farrago, vicia, medica, cytiſum, lupinum. Neque in pingui terra omnia ſeruntur rectè, neque in macra nihil. Rectius enim in tenuiore terra, ea quæ non multo indigent ſucco, vt cytiſum, & legumina. In pingui rectius, quæ cibi ſunt maioris, vt olus, triticum, ſiligo, linum.

Iſocrat. in Panegyr. propter Piræeum mercatum cauſſam arripuit Athenienſes commendandi. Quæ cōmendatio etiam huc facit. *Ἔτι δὲ, τὴν χώραν οὐκ αὐτάρκη κεκτημένων ἑκάστων, ἀλλὰ τὰ μὲν ἐλλείπουσαν, τὰ δὲ πλείω τῶν ἱκανῶν φέρουσαν, καὶ πολλῆς ἀπορίας οὔσης, τὰ μὲν ὅποι χρὴ διαθέσθαι, τὰ δὲ ὁπόθεν εἰσαγαγέσθαι, καὶ ταύταις ταῖς συμφοραῖς ἐπήμυνεν. ἐμπόριον γὰρ ἐν μέσῳ τῆς Ἑλλάδος τὸν πειραιᾶ κατεσκευάσατο· τοσαύτην ὑπερβολὴν ἔχον, ὥστε ἃ παρὰ τῶν ἄλλων ἓν παρ᾽ ἑκάστων χαλεπόν ἐστι λαβεῖν, ταῦθ᾽ ἅπαντα παρ᾽ αὐτοῖς ῥᾴδιον εἶναι πορίσασθαι.* Præterea cùm non omnis tellus omnia ferret, ſed quibuſdam careret, quibuſdam abundaret: neque facilè ratio iniri poſſet, vel quò alia exportanda, vel vnde alia importanda eſſent: etiam hæc incommoda propulſauit. Nam in media Græcia Piræeum mercatum inſtituit: cuius ea excellentia eſt, vt eæ res, quarum ſingulas apud alios nanciſci difficile eſt, ibi comparari vniuerſæ facilè poſſint.

Herodotus præterea lib.1. *ὥσπερ χώρη οὐδεμία καταρκέει πάντα ἑωυτῇ παρέχουσα, ἀλλὰ ἄλλο μὲν ἔχει, ἑτέρου δὲ ἐπιδέεται. ἣ δὲ ἂν τὰ πλεῖστα ἔχει, ἀρίστη αὐτή. ὣς δὲ καὶ ἀνθρώπου σῶμα ἓν οὐδὲν αὔταρκές ἐστι. τὸ μὲν γὰρ ἔχει, ἄλλου δὲ ἐνδεές ἐστι.* Sicut nec vna regio cuncta ſibi ipſi ſuppeditat: ſed aliud habens, alio indiget: quæ tamen habet plurima, ea eſt optima: quemadmodum etiam hominis corpus vnum aliquod non eſt conſummatum, quia aliud habet, alio caret. Fecit autem hoc diuina prouidentia, vt dum alteri ab alteris quo indigerent, petere cogerentur, humanitatis inter ſe officia præſtarent, ac ſe mutuò agnoſcerent, nec vna natio contra aliam, quaſi ipſa ſola in terris eſſet, effe-

A raretur. Iſta, inquit Seneca epiſt. 87. in regiones deſcripta ſunt, vt neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos cōmercium, ſi inuicem alius ab alio aliquid peteret. Quæ prouinciæ, quid ſingulare & præcipuum generēt, docet Athenæus *δειπνοσ.* lib.1.cap.25. De eodem argumento extant Sidonij Apollinaris, quos attexo, verſiculi.

——— aduolat omnis
Terra ſimul, tum quæq; ſuos prouincia fructus
Expoſuit: Fert Indus ebur: Chaldæus amomum:
Aſſyrius gemmas: Ser vellera: thura Sabæus:
Attis mel: Phœnix palmas: Lacedæmon oliuum:
Argos equos: Epirus equas: pecuaria Gallus:
Arma Chalybs: frumēta Libes: Campanus Iacchum:
B *Aurum Lydus: Arabs guttam: Panchaia myrrham:*
Pontus caſtorea: blattam Tyrus: æra Corinthus:
Sardinia argentum: naues Hiſpania defert.

ET QVID QVÆQVE FER. REG. ET QVID QVÆQ. RECVS.) Eiuſdem ſententię ſunt, eandemq́; vim omnino habent cum hoc verſiculo, *Et quid quæq; ferat*, &c. illa, *non omnis fert omnia tellus*, & lib.2. *Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt.* Quoniam verò non omnia poſſumus omnes, vt ait Maro noſter, admonentur hoc, & continenter ſequenti carmine, *Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuæ*, qui præſunt, ne eadem ab vnoquoque requirant: ne idem cuilibet onus imponant. Magiſtri quoque litterarum, ne ſimilibus exercitationibus diſſimilia ingenia ſibi excolenda putent; alioqui non minus oleum & opera C peribit, quàm ſutori illi apud Macrobium in coruo ſalutatore inſtituendo periit. Iacob. Pont. HIC SEGET. ILLIC) Ager quidam frugibus efferendis eſt natura idoneus, alius vino, alius fructibus, ſiue molliore cortice illi ſint, quæ poma, ſiue duriore, quæ nuces vocantur, alius fœno. Suprà Varro. INIVSSA GRAM.) Lepidum, & aptum planè epitheton. Iniuſſa igitur, id eſt, citra curam, & laborem humanum, citràque ſationem. A theſi ad hypotheſin venit. Et videtur ſic argumentari à maioribus. Vna prouincia non quiduis producit, quomodo igitur vnus ager quiduis produceret? Iacob. Pont. NONNE VIDES CROCEOS VT TMOLVS) Mons eſt Ciliciæ, in D quo naſcitur crocum pręcipuum: nam loca commemorat, vbi plus prouenit, & melius aliquid. Nam crocum & in Africa naſcitur: ſed non tale, nec tantum, nec quale in Cilicia. Seruius. INDIA MITTIT EBVR) Horat. Ode 3.lib.1. *Non aurum, aut ebur Indicum.* De dente, ſiue cornu elephanti accipiendum: Pauſanias certè contendit eſſe cornu illius beſtiæ. Inueniuntur quidem & in Africa elephanti, ſed Indi præſtant magnitudine, quos & Africani metuere, nec aſpicere audere dicuntur. Teſtis Plin. lib. 8. cap.9. Idem teſtatus eſt Diodorus lib. 2. cap. 10. Habet India plurimos, maximoſque elephantos, robore ac magnitudine præſtantes. Viuunt maiori ex parte ætate longæui hominis. Apparet Terentium quoque ad eorum pręſtantiam atque molem reſpexiſſe in Eunu E cho, cùm dicit Thraſo, *quem elephantis Indicis præfecerat.* Vbi Donatus, Virgilianum huncce locum producens, addit, id eſt, maximis. Iacob. Pont. MOLLES SVA THVRA SABÆI) De Sabæis illud Tibulli intelligito, lib.1.eleg.2.

Vrantur pia thura focis, vrantur odores,
Quos tener à terra diuite mittit Arabs.

Saba enim Arabiæ metropolis, vnde & Sabæa cognominata, regio fælicis Arabiæ thurifera, myrrhaque, cinnamomo, balſamo, palmiſque odoratis affluens, de qua Strabo lib.16. Vides hunc quoque molles appellaſſe; quid enim aliud ſonat *tener?* * *Vocantur etiam ab aliis poetis* molles. *A Manilio*, Aſiamque potentem, Et molles Arabas. *Catullus.* Siue in Hyrcanos, Arabaſq; molles. *Claudian. de 4. Honorij conſu.*

consulatu, Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent. *Sed ait, Arabas ita doci. Etiam. Atqui Sabaei sunt Arabes, vt demonstratũ est. Tantam porrò apud Sabaeos prouenire thuris copiam narrat Plinius lib.12.cap.14. vt ligno eo cibos suos coquant. Ip eodem cap. Thura praeter Arabum nullis, ac ne Arabia quidem vniuersa. De eadem regione Diodorus lib.3.cap.4. Hos sequuntur Sabaei gens Arabum populosissima, qui felicem Arabiam incolunt, eorum quæ apud nos sunt pretiosissima, ferentem plurima, ac omni pecoris genere apprimè copiosam. Odoribus insuper suauibus, quos passim natura apud eos gignit, omnes fermè alias superat nationes. Nam in maritimis locis balsamum oritur, & casia. Pars mediterranea syluas continet amœnas, in quibus magna sunt thuris, ac myrrhæ arbores: palmæ insuper, arundines, ac alia huiusmodi odore similia. Neq; enim referri posset singulorum species ac natura: adeo affluenter multis in eam odorifera natura exaggerauit.* AT CHALYBES NVDI FERRVM) Chalybes Scythiæ populi sunt, ad fluuium Thermodontem, dicti à Chalybe Martis filio: qui ferrum, ferrique vsum primi inuenerunt: hinc est quòd Scythiam Æschylus vocat *σιδηρομήτορα*, ipsosque Chalybas *σιδηροτέκτονας* in Prometheo. Catull. de coma Beronices.

Iupiter, vt Chalybum omne genus pereat.
Et qui principio sub terra quærere venas
Institit, ac ferri frangere duritiem.

Chalybes Maro, vt cernis, inuentores ferri existimat, vt etiam Apollonius. *τοὶ δ' ἀμφὶ σιδήρεα ἔργα μέλονται.* Plin. lib.7.cap.56. fabros non ferrarios, sed ærarios eos prædicat, & inuentores ærariæ fabricæ dicit. Sic enim scribit. Ærariam fabricam alij Chalybas, alij Cyclopas. Ac putarem eum more Græcorum poetarum æs pro ferro dixisse, nam *χαλκὸς* id sæpissimè significat: nisi mox inuentionem ferri viderem ab eo tradi: sed non minus, quàm poetarum fabulæ, inuentio rerum vaga apud auctores, & incerta est, aliis aliud prodentibus. Turnebus lib. 21. cap. 9. * *Chalybes, inquit Philargyrius, gens in Ponto, quæ ferrum reperisse dicitur. Et nudi, necessitate operis, vt,* nudus membra Pyracmon. *Vide eorundem descriptionem apud Melam lib.1.cap.21 Multiplicem ferri vsum ostendit Plin. lib.34.cap.14. vocans optimum, pessimumq; vitæ instrumentum. Siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus cogimus iuuenescere. Hoc extruimus tecta, cædimus saxa, omnesq; ad alios vsus ferro vtimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, nõ comminus solum, sed etiam missili volucriq;, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato, quam sceleratissimam humani ingenij fraudem arbitror. Siquidem vt ocyus mors perueniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque dedimus. Lege sequentia. Eodem capite genera ferri, ac differentias persequitur. in extremo, metallorum omnium, vena ferri largissima est.* VIROSAQVE PONTVS CASTOREA) Castorea, testes sunt animalis fibri, siue castoris, vt Plin. lib.32. cap.3. prodidit. Poeta hic vnguentum inde factum intelligit. In Ponto autem, vt auctor est Strabo, venenosa habentur. Sed amputari testes ab ipsismet, dum eos venatores, propter illos scilicet (quia vim medicaminis habẽt) insequuntur, ex sententia Sextij medici negat idem Plinius. Quinimmò paruos esse, substrictosque, & adhærere spinæ, nec adimi sine morte animalis posse. Solinus ait, lynces egestum liquorem illicò arenarum cumulis, quantum valent, contegere: inuidia scilicet, ne talis egeries transeat in nostrum vsum. Ea pariter de caussa ait castorem testiculos suos deuorare, quòd in vsum medelarum appetantur. Hic multa sunt, quibus à Solino discrepare cogor, qui nullum brutum animal homini inuidere putem. Prius enim, quàm bestiam vllam huic obnoxiam affectioni iudices, in hanc rationem cadere vt sentias oportet. Tantum autem abest, vt fibrum plenum inuidia augurer, vt testes eum suos morsu amputare negem, ac pernegem; vsq; eo enim paruos habet, spinęque firmiter adhærentes, vt ipse eos prærodere, etsi maximè velit, sine certa sua pernicie non possit. Brod. lib. 3. cap. 10. Opinionem tamen, erroremque communem sequutus est M. Tullius pro Æmilio Scauro. Redimunt

A se, inquit, ea parte corporis, propter quam maximè expetuntur.

Lege, si lubet, quæ de fibro ex bonis auctoribus narrat Claud. Minos in Emblema Alciati 152. *Virosa*, interpretatur Seruius venenata: quanquam enim multis sunt remedio, tamen eorum odore prægnantes partum abiiciunt. Lucretius quoque, quantum eo odore offendantur certo tempore fœminæ, lib. 6. demonstrat, his nempe versibus.

Castoreoq; graui mulier sopita recumbit,
Et manibus nitidum teneris opus effluit eij
Tempore eo si odorata est, quo menstrua soluit.

Meminit & Nemesian. in Cyneget. *Tum virosa tibi sumes, multumq; domabis Castorea.*
B De præmorsis à seipso testiculis perlepidè Iuuenalis sat. 12. in quendam qui se euirauerat.

—— imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damnum
Testiculorum: adeo medicatum intelligit inguen.

Plinius & Varro fibrum nominant, quia circa oras fluminm extremas videri solet: fibrum enim antiqui dicebant extremum: vnde & in vestimentis fimbriæ, & in iecore fibræ, quæ sunt extremę. Beroald. in Apuleium plura. ELIAD. PALM. EPIR. EQVAR.) Non sine Græcorum imitatione dictum. Sæpe enim Græci equos solẽt equas appellare. Sophócles, cùm ita de Oreste in Electra scri-
C psisset. *Κἀκεῖνος ἐν τούτοισι Θεσσαλὰς ἔχων ἵππους ὁ σημαντήρ:* paulò pòst scribit, *δεξιὸν τ' ἀνεὶς σειραῖον ἵππον, εἶργε τὸν προσκείμενον.* Ita cùm ante equas dixisset, mox funalem dextrum subiunxit: quãquam etiam interdum ad olympicum certamen mittebantur equæ. Celebratur enim Phidoli Corinthij equa, quæ sine sessore palmam meruit. Et Epiri equas laudat Gratius, Maronem imitatus, *qui Chaonias contendere contra Ausit, vix merita quæ signat Achaia palma?* Turneb lib.3.cap.14. Vnde & *ἵππολος*, & *ἵππος* dicitur. *Eliadum palmas Epirus equarum.* hunc habet sensum, non quòd Epirus palmifera sit, sed equorum ferax generosorum, qui curuli certamine palmam mereri, & reportare soleant, suffragante illo, *Et*
D *patriam Epirum referat, fortesq; Mycenas.* German. * *De hac palma ab equis apud Eleos relata noster Georg.3.*

Hic vel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit spatia, & spumas aget ore cruentas.

Horat Ode 1. lib.4. Siue quos Elea domum reducit, palma cælestes, pugilemue, equumue Dicit. CONTINVO HAS LEG. NAT.) Lucret. lib.5. *neque aduersus naturæ fœdera niti.* Ibid.

Res sic quæq; suo ritu procedit, & omnes
Fœdera naturæ certo discrimine seruant.

Caussam tantæ diuersitatis regionum, ac tractuum singulorum, poeta naturæ assignat *φύσει*, quæ has dotes singulis locis attribuerit, nec vni cuncta concesserit, tanquam non habitura, quod cæteris largiretur. ÆTERNAQ. FOEDERA) Vocabulo *fœderis* pro lege, mandato, con-
E ditione aliàs quoque vsus cernitur. Georg. 4. *omnis effusus labor, atq; immitis rupta tyranni Fœdera.* Æneid. 1. *qui fœdere certo Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.* QVO TEMP. PRIMVM DEVCALION) Iam inde ab eo tempore, quo Deucalion Promethei filius, & Pyrrha Epimethei filia iactu lapidum post terga, hominum genus restituerunt.

Fabulam commemorat Ouid. 1. Metamorph. postquam oculis subiecit cataclysmum illum, quo humanum genus omne deletum est.

Discedunt, velantq; caput, tunicasq; recingunt,
Et iussos lapides sua post vestigia mittunt.
Saxa, (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
Ponere duritiem cœpere, suumq; rigorem:

Molli-

Molliriq́ mora, mollitaq́ ducere formam.
Mox vbi creuerunt, naturaq́ mitior illis
Contigit, vt quaedam sic non manifesta videri
Forma potest hominis: sed vti de marmore coepta,
Non exacta satis, rudibusq́ simillima signis.
Quae tamen ex illis aliquo pars humida succo,
Et terrena fuit, versa est in corporis vsum.
Quod solidum est, flectiq́ nequit, mutatur in ossa:
Quae modo vena fuit, sub eodem nomine mansit:
Inq́ breui spatio superorum numine saxa
Missa viri manibus faciem traxere virorum,
Et de foemineo reparata est foemina iactu.
Inde genus durum sumus, experiensq́ laborum,
Et documenta damus, qua simus origine nati.

Et Hygin. cap. 153. Apollodorus lib. 1. Bibliothecæ eam exponit perspicuè his verbis, repetam paulò altius. Cæterum Deucalion Promethei filius fuit. Hic imperio tenens eam partem, quæ ad Phthiam iacet, Pyrrhā Epimethei, & Pandoræ filiam vxorem duxit, quam mulierem omnium primam dij finxerunt. Post vbi prolem æneam tollendam Iupiter censuit, Deucalion Promethei consilio fabrefacta è lignis arca, &c. lege reliqua.

Verba de eluuione Deucalionæa facit & Lactant. lib. 2. cap. 11. Infert item mentionem Aristoteles lib. 1. Meteor. cap. 1. sub finem, negatque vniuersum orbem, sed Hellada tantum antiquam ea coopertam. Creditum fuisse ab eo genus humanum reparatum inde refert Iustinus lib. 2. quia cùm aquarum illa illuuies maiorem partem populorum Græciæ absumpsisset, qui superfuerunt, aut in montes confugerunt, aut ad regem Thessaliæ Deucalionem ratibus euecti sunt. Ita existimatus est auctor hominum alter. Hæc historia non minus olet figmentum, quàm quod dicitur de lapidibus post tergum reiectis. Primos quoque homines, ante Deucalionem, id est, genus humanum ipsum è terra & lapidibus enatum, atque ob hanc caussam durum fuisse, vult etiam Lucretius, cuius verba sequuntur è lib. 5.

Et genus humanum multò fuit illud in aruis
Durius, vt decuit, tellus quod dura creasset:
Et maioribus, & solidis magis ossibus intus
Fundatum, & validis aptum per viscera neruis:
Nec facilè ex æstu, nec frigore quod caperetur:
Nec nouitate cibi, nec labi corporis vlla.

Portentosissimum est, quod de origine matris deûm, Cybeles, inquam, ex Deucalionæo lapide narrat Arnobius lib. 5. haustum ex Timothei cuiusdam commentariis. In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia vastitatis petra est quædam, cui nomen est Agdus, regionis eius ab indigenis sic vocatæ. Ex ea lapides sumptos, sicut Themis mandauerat præcinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion iactauit, & Pyrrha: ex quibus cum cæteris & hæc, Magna quæ dicitur, informata est mater, atque animata diuinitùs.

Ouidium cùm lego, sic statuo, ipsum, & eos, à quibus & hoc, & alia multa illorum librorum commenta deduxit, quid dico multa? omnia (nec enim eius inuenta sunt) de vero Noæi diluuio, caussisque tanti supplicij per nebulam saltem audiuisse: quam auditionem deinde, vt alias nonnullas, easdemq; verissimas rerum gestarum narrationes mendaciis suis confuderunt, ac permiscuerunt, & vt apertè dicam, inquinarunt. Veram itaque terrarum eluuionem, de qua est in libro Geneseos, cum caussis eius disertissimè describit commentario de Abrahamo grauissimus auctor Philo Hebræus, verbis ita latinè redditis.

Quoniam enim vberioris prouentus iniquitatum, ac impietatum fuerit illo tempore, adeo, vt omnis regio, gens, ciuitas, domus, & vnusquisque priuatim repleretur malis studijs, certatimque de primatu in vitijs contenderent, dum quisque proximum conatur præcurrere, nihil nisi ad extremam malitiam reliquum faciens: eapropter deus meritò indignatus, quòd animal omnium, vt videbatur, optimum, & cognatione cœlesti dignatum, propter communicatam rationem, pro virtute, quam exercere debuerat, complexum esset malitiam, nec vllam eius omisisset speciem, pœnam decreuit conuenientem, vt omnes eius sæculi homines deleret vno diluuio: nec tantum colentes campestria loca, & humilia, verùm etiam in celsissimis sitos montibus. Nam Oceanus æstu, quanto antea nunquam, per fauces valido impetu irrupit in nostra maria: quæ mox insulas ac continentem inundarunt subitis fluctibus. Accesserunt & fontium perennium, & omnium indigenarum, torrentiumque alij super alios affluxus, qui coniuncti & diffusi, etiam in altum creuerunt. Nec aër cessabat interim detecto cælo toto, continuis nubibus, procellis quoque furentibus: simul tonitruum crepitus, micationes fulgurum, ictusq; fulminum intermixti largissimis imbribus faciebant, vt videretur totus mundus abire in naturam aquarum, donec supernis cataractis, infernisque fluentis tanta moles vndarum succreuit, vt non campi tantum, & depressa loca operirentur, sed & altissimorum montium cacumina. Omnes enim terræ partes submersæ sunt, vt illa oppressa, magna sui portione mundus mutilaretur, & qui prius integer fuerat, mancus, quod cogitatu dictuq; nefas est, videretur. Quin & aër (nisi quà lunari circulo vicinus est) pæne totus absumptus erat, pulsus aquarum violentia, quæ regionem eius inuaserat. Secuta est satorum, arbustorumque pernicies, quæ, sicut ariditatem, ita nimiam humiditatē non ferunt. Interibant & innumeri greges animaliū mansuetorum simul & ferarum. Nec mirum si præstantissimo genere humano pereunte, nullum sinebatur superesse è deterioribus, quæ in vsum dominorum seruituti addicta fuerant. HOMINES DVRVM GENVS) Interpretatur quodammodo mentem Maronis Ouidius versibus extremis, *Inde genus durum sumus, experiensq́ laborum.* Ergo durum genus, est ferundis, experiendisque laboribus natum genus. Concordant sanctæ litteræ, quæ aiunt, hominem natum ad laborem, sicut aues ad volatum. Durus homo est minimè delicatus ac mollis homo, qui sibi nullam requiem concedit, voluptates omnes corporis aspernatur. Item homo difficilis, inhumanus, agrestis, ac pænè ferreus. *Ein grober, vngeschlachter Mensch.* Iacob. Pont.

------ Ergo age, terræ
Pingue solum primis extemplò à mensibus anni
Fortes inuertant tauri: glebasq; iacentes
Puluerulenta coquat maturis solibus æstas.
At si non fuerit tellus fœcunda, sub ipsum

Arcturum tenui ſat erit ſuſpendere ſulco:
Illic, officiant lætæ ne frugibus herbæ:
Hîc, ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.
Alternis idem tonſas ceſſare nouales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.
Aut ibi flaua ſeres mutato ſidere farra,
Vnde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen,
Aut tenues fœtus viciæ, triſtiſq; lupini
Suſtuleris fragiles calamos, ſyluamq; ſonantem.
Vrit enim lini campum ſeges, vrit auenæ:
Vrunt lethæo perfuſa papauera ſomno.

TERRÆ PINGVE SOLVM PRIM. Columella lib. 2. cap. 4. Pingues campi, qui diutius continent aquam, proſcindēdi ſunt anni tempore iam incaleſcente, cùm omnes herbas ediderint, neque adhuc earum ſemina maturuerint: ſed tam frequentibus denſiſque ſulcis arandi ſunt, vt vix dignoſcatur, in vtram partem vomer actus ſit, quoniam ſic omnium herbarum radices perruptæ necantur.

Agrorum ſolum aut pingue eſt, aut macrum: illud ab initio ſtatim veris proſcindendum, vt glebæ prima aratione ſparſæ, ſuccedente caloris æſtu percoquantur, herbęque noxiæ inuerſo ceſpite necentur: hoc verò ſub autumni initium aratione leui frangendum, ne humor natiuus ſolo alioqui macilento, & arido deficiat. Vide Plin. lib. 18. cap. 19. Theophraſt. lib. 3. de cauſſis plantarum. cap. 25. Quippe ſolum pluuium, ſolidum, ponderoſum, & pingue, per æſtatem & arandum, & confodiendum affirmant: contrà, ſitiens & rarum, & leue ac tenue per hyemem: propterea quòd æſtiua agricolatio exſiccare illud, attenuareque poteſt: hyberna verò ſpiſſius reddere, atque humectare, quòd vtriuſque ſoli natura indiget. PVLVERVLENTA ÆSTAS) Lucretio quoque lib. 5. Ceres puluerulenta dicitur. Per puluerulentam intellige calidam: calor cauſſa ſiccitatis, inde magna vis pulueris. Maturos autem ſoles, qui moderatis feruoribus arua coquunt. SVB IPSVM ARCTVRVM) Arcturus ſtella eſt poſt vrſæ caudam, aliàs Bootes, & Arctophylax. Oritur ante 15. Calend. Octob. Ergo Septembri menſe aranda tellus infœcunda. Et huius, & proximè ſuperioris præcepti cauſſa mox attexitur. Verna aratione inuerſa humo necantur herbæ radicitùs, ne quid poſtea natum luxuria ſegetibus queat officere: autumnali illa, & quidem tenui, natiuus humor in ſolo exili conſeruatur. Iacob. Pont. TENVI SVSPENDERE SVLCO) Id eſt, tenui aratione perſtringere, vt apud Terentium ſuſpenſo gradu. Lucretius lib. 3.

At catulos blandè cum lingua lambere tentant,
Aut vbi eos lactant, pedibus, morſuq; trahentes
Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus.

Lib. 6. *Aut etiam ſuſpenſa manet vis aëre in ipſo.* Columella lib. 2. cap. 4. Graciles verò cliui non ſunt æſtate arandi, ſed circa Septembres calendas: quoniam ſi ante hoc tempus proſcinditur, effœta, & ſine ſucco humus æſtiuo ſole peruritur, nullaſque virium reliquias habet. ALTERNIS TONSAS CESSARE NOVALES) Ouid. lib. 1. de Ponto. eleg. 5.

Quæ nunquam vacuo ſolita eſt ceſſare nouali,
Fructibus aſſiduis laſſa ſeneſcit humus.

Nouale etiam neutro genere dicitur pro eodem. Eclo. 1. *Impius hæc tam culta noualia miles habebit?* Nouale autem eſt, quod alternis annis ſeritur, ait Plin. lib. 18. cap. 19. vel ager nouæ relictus ſementi, vt Feſtus: vel quia intermiſſus renouatur, à nouando noualis, ait Varro. Iuriſconſultis etiam eſt ager, qui non antea cultus fuerat, ſed ſylua, aut aliud quippiam fuerat, quomodo & Plinius loquitur, lib. 17. cap. 51. vbi de odore terræ verba facit. Talis ferè eſt, ait, in noualibus, cęſa vetere ſylua. Heſiodo appellatur νειὸς ἀλεξιάρη, noualis expellens diras imprecationes, nempe quæ propter fœcunditatem ab agricolis imprecationes nullas capiat. Propriè nouales ſunt arua primùm proſciſſa, & primam ſegetem ferentia, quam & terram virginem aliqui vocant, vt Græci γῆν παρθένον, qui & noualia νεὶ νέατον, & νέωμα, νεάτιν, & νεὸν vocant. Seruius. German. * *Ad approbandum Maronis conſilium de alterna agrorum quiete, addatur Varronis authoritas, lib. 1. cap. 44. Illud quoque multum intereſt, vtrùm ne terram an in ea ſeras, quæ quotannis obſita ſit, quæ vocatur reſtibilis, an in veruacto, quæ interdum requieſcit. Cic. in Bruto. Modo idem noſter animus efficere poſſit, quod ager: qui cùm multos annos quieuit, vberiores efferre fruges ſolet.* AVT IBI FLAVA SERES) Plin. lib. 18. cap. 21. Virgilius alternis ceſſare arua ſuadet, & hoc, ſi patiantur ruris ſpatia, procul dubio vtiliſſimum eſt. Quod ſi neget conditio, far ſerendum, vnde lupinum, aut vicia, aut faba ſublata ſint, & quæ terram faciant lætiorem. Varro lib. 1. cap. 44. Agrum alternis annis relinqui oportet, aut paulò leuioribus ſationibus ſerere, id eſt, quo minus ſugunt terram. In eandem ſententiam Columella lib. 2. cap. 14. ſed ex ijs quæ retuli ſeminibus, idem Saſerna putat alijs ſtercorari, ac iuuari agros, alijs rurſus peruri, & emaciari. Stercorari lupino, faba, vicia, eruo, lente, cicercula, piſo, &c. SILIQVA QVASS. LEGVM.) Varro, cap. 32. lib. 1. Legumina dicta, quod ita manu legantur. Plin. lib. 17. cap. 18. quæ velluntur è terra, non ſubſecantur, vnde & legumina appellata. TENVES FOETVS VICIÆ) Vicia, inquit Varro lib. 1. cap. 31. dicta à vinciendo, quod item capreolos habet, vt vitis, quibuſcum ſurſum verſus ſerpit ad ſcapum lupini, aliumúe calamum, quem, vt hæreat, ſolet vincire. Iſid. lib. 17. cap. 4. Vicia, quod vix ad triplicem proueniat fructum: cùm alia legumina prouentum habeant fertilem. Siccitate maximè gaudet: nec vmbroſa tamen aſpernatur. TRISTISQVE LVPINI) Lupinum ferale nominat Calpurnius, eclog. 3. Genus eſt leguminis amarum, adeò vt nec à verme, nec ab vllo animante propter amaritiem comedatur: ſed calida maceratum, cibo fit idoneum. Rogatus Zeno, quid ita, cùm eſſet naturā ſeuerus, in conuiuio tamen hilareſceret, facetè reſpondit: & lupinum, cùm ſit per ſe amarum, tamen aqua maceratum dulceſcit. Hoc apophthegma quò pertineat, facile quiuis intelligit: nimirum inter menſas, & ſcyphos exulare

exulare tristitiam & solere, & oportere. Et alioqui verum est, quod scribit Philo, lib. de plantat. Noe, Sapiens vino maceratus, fit seipso iucundior. Iacob. Pont. VRIT ENIM LINI SEGES) Columella lib. 2. cap. 14. Ac de iis quoque leguminibus, quæ velluntur, Trebellius obesse maximè ait solo virus ciceris, & lini: alterum quia sit salsæ: alterum quia sit feruidæ naturæ, quod etiam Virgilius significat, dicendo, *Vrit enim lini campum seges*, &c. Neq; enim dubium, quin de iis seminibus infestetur ager, sicut etiam milio, & panico.

Plinium audi lib. 17. cap, 9. Nec non & satis quibusdam ipsis pasci terram dicit Cato. Segetem stercorant fruges, lupinum, faba, vicia. Sicut è contrario cicer, quia vellitur, & quia salsum est, hordeum, fœnum Græcum, & eruum, hæc omnia segetem exurunt, & omnia quæ A velluntur. Nucleos in segetem ne indideris. Virgilius & lino segetem exuri, & auena, & papauere arbitratur. LETHÆO PERF. PAP. SOMNO) Propter vim papaueris ὑπνωτικὸν perfusa somno dicit, vt in 6. Æneid. *soporiferum papauer*. Horat. Ode 14. Epod.

Pocula lethæos vt si ducentia somnos
Arente fauce traxerim.

Quia verò in somno omnium rerum obliuiscimur, ideo lethæum, quasi obliuiosum, ἀπὸ τῆς λήθης. Nominatur ita fluuius & infernus, cuius aqua pota, omnium rerum præteritarum obliuionem affert, & eò fortasse respicit hoc epitheto. In 4. Georg. ipsa papauera lethæa vocat. *Inferias Orphei lethæa papauera mittes*. Lethæa, plena obliuionis, propter vim eorum somnificam. De papauere Plin. lib. 20. cap. 18. Iacob. Pont.

SED TAMEN ALTERNIS FACILIS LABOR: arida tantùm
Ne saturare fimo pingui pudeat sola, neúe
Effœtos cinerem immundum iactare per agros.
Sic quoq; mutatis requiescunt fœtibus arua.
Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,
Atq; leuem stipulam crepitantibus vrere flāmis:
Siue inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt: siue illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atq; exudat inutilis humor:
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, nouas veniat quà succus in herbas:
Seu durat magis, & venas astringit hiantes:
Ne tenues pluuiæ, rapidiúe potentia solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
Multùm adeò, rastris glebas qui frangit inertes,
Vimineasq; trahit crates, iuuat arua. neq; illum
Flaua Ceres alto nequidquam spectat Olympo.
Et qui, proscisso quæ suscitat æquore terga,
Rursus in obliquum verso perrumpit aratro,
Exercetq; frequens tellurem, atq; imperat aruis.

SED TAMEN ALTERNIS) *Quod caret alterna requie, non esse durabile, dixit nescio quis. Moneri possunt igitur hisce verbis, qui labores suos, ingeniorum maximè, nolunt interrumpere, vt sibi parcant, & rem alterna quiete melius successuram credant.*] Ἀνακόλουθον, quasi dicat, quamuis prædictis leguminibus iuuentur agri, tamen alterna cessatio eis vtilis est, nec magni dispendij. Redit enim poeta ad præceptum institutum de intermissione aruorum, quam esse in hac parte præcipuam ostendit, si ea vti liceat per agrorum penuriam: sin minus, vnam huic malo præsentē esse medicinā tradit, vt stercore arua adiuues, quò sint vegetiora ad alios fœtus suscipiendos. Aliter. Tametsi superiora semina adusserint, tamen nouales facilè recreantur: sed opus est stercoratione, qua rursus pinguefiunt. Bersman. NE SATVR. FIMO PINGVI) Fimus quo stercorantur agri, dicitur propriè lætamen, eò quòd suo nutrimento læta faciat germina, reddatq; pinguia arua, & fœcunda. Isidor. lib. 17. cap. 2. ARIDA SOLA) continuis fructibus ferendis exhausta, effœtos agros statim appellat. Effœtos igitur, vel continua fertilitate lassatos, vel etiam vstione seminum ardentium exhaustos. CINEREM IMMVNDVM) Non cribellatum, vel cinerem veterem, vt inquit Cato. B De stercoratione agit. De ea Cato apud M. Tull. lib. de senectute. Quid de vtilitate stercorandi? dixi in eo libro quē de rebus rusticis scripsi: de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cùm de cultura agri scriberet. At Homerus, qui multis, vt mihi videtur, ante sæculis fuit, Laertem lenientem desiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum, & eum stercorantem facit.

Genera præcipua stercoris enumerant 3. Varro lib. 1. cap. 28. & Columella lib. 2. cap. 15. quod ex auibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus. Auium primum habetur, quod ex columbarijs egeritur. Deinde quod gallinæ, cæteræq; volucres edunt, exceptis tamen palustribus, aut nantibus, vt anatis, & anseris: nam id noxiū quoC que est. Secundum deinde quod homines faciunt, si & alijs villæ purgamentis immisceatur, quoniam per se naturæ est feruentioris, & idcirco perurit terram. Tertium locum obtinet pecudum stercus, atq; in eo quoq; discrimen est, nam optimum existimatur: quod asinus facit, quoniā id animal lentissimè mandit, ideoq; facilius concoquit, & bene confectum, atq; idoneum protinus aruo fimum reddit. Post hæc quæ diximus, ouillum, & ab hoc

caprinũ est, mox cæterorum iumentorũ armentorũq; Deterrimum ex omnibus suillum habetur. Quin etiam satis profuit cineris vsus,& fauillæ. Vide etiam Catonem cap.36.& 37.Palladium lib.1.cap.33.

Plin. lib.17.cap.9. Transpadanis, inquit, cineris vsus adeò placet, vt anteponant fimo iumẽtorum, quod quia leuissimum est, ob id exurunt. Sunt qui puluere vuas ali iudicent, pubescentesq; puluerẽt,& vitium, arborumq; radicibus aspergant. Fimi plures differentiæ, ipsa res antiqua. Iam apud Homerum regius senex agrum ita suis manibus lętificans reperitur. Augęas rex in Gręcia excogitasse traditur, diuulgasse verò Hercules in Italia, quæ regi suo Sterculio Fauni filio ob hoc inuentum immortalitatẽ tribuit. M. Varro principatum dat turdorũ fimo ex auiariis: quod etiam pabulo boũ, suumq; magnificat, &c. Lege totum caput. SIC QVOQ. MVT. REQVIESCVNT) Pro stercoratione est alterna quies, & mutatio seminũ, de quibus suprà. Epilogus est præcepti de tractatione,& cura noualiũ, quibus & cessationis,& mutationis seminũ alternationem docet conducere. *Mutatis fœtibus*, leuioribus sationibus, vt inquit Varro. NEC NVLL. INT. INAR. G. TERRÆ) Immò verò maxima est gratia, dum alternis cessat, dum relinquitur inculta. Nam eã intermissionem postea vberiore frugum prouentu compensat. *Ἀγριέγερσις*, seu *λιτόνης*. Bersm. SÆPE ET. STERILES) Plin. lib.18. cap.80. Sunt qui accendunt in aruo & stipulas, magno Virgilij præconio. Summa autem eius ratio, vt herbarũ semen exurant. ATQ. LEVEM STIP. CREP. VR. FLAM.) Quando properare numerus debeat, & quomodo properatio fiat, docet hic versus. Cupiens enim poeta artificiosissimus, flammarum, concremationisq; illius celeritatẽ numeris suis reddere, versũm è dactylis struxit, coegitque dictiones celeritati perquam accommodatas. Quid, quod vt strepitum quoq; accensarum referret stipularum, etiam syllabas interstrepentes delegit, quales sunt primæ in *stipula*, & *crepitantibus*, nulla collisione, aut inclinante particula adhibita? Rursus, qua via sistendum sit, & tanquam standum in acie, habent huius rei instar insequentes versus.

Stabant orantes primi transmittere cursum. Et,
Tum demum admissi stagna exoptata reuisunt. Et,
Extemplo Æneæ soluuntur frigore membra.

Qua etiam ratione seruanda sit mediocritas, collocatio quidem ipsa dactylum mistim, alternisq; cum spondeis iungens monstrare potest, qualis scilicet est versuum, qui sequuntur.

Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.
Talia perstabat lacrymans, fixusq; manebat.
Illa solo fixos oculos auersa tenebat.
Talia flammato secum dea corde volutans.

Iouian. Actio dial. LEVEM STIP.) Stipulæ sunt folia, seu vaginæ, quibus culmus ambitur, atq; fulcitur, ne pondere frugis curuetur, quæ ambiunt culmum. Isidor. lib.17. cap.3. Hic etiam herbæ, frutices,& similia intelliguntur, quæ ad agros steriles, id est, infœcundos fœcundandos incendenda sunt. CREPIT. VRERE FLAMMIS) Ad imitationem Lucretij dixit, qui in 6. posuit.

Nec res vlla magis, quàm Phœbi Delphica laurus
Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Erythræus Indice. * *De agris hac ratione, per incendium videlicet stipularum, pinguefaciendis, idẽ Lucret. lib.5. caussam afferens.*

Siue quòd inducti terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingues, & pascua reddere rura.

quas nunc ex Marone plures cognoscamus. Locum istum laudat No-

A *nius, & interpretatur crepitantibus, sonantibus. Crepere enim sæpius est sonare. Plautus Manech.*

MED. Dic mihi, an vnquam tibi intestina crepant, quod sentias?
ME. Vbi satur sum, nulla crepitant: quando esurio, tum crepant.

Terent. Phorm. *Sed ostium concrepuit, nihil ad te.* SIVE INDE OCCVLTAS VIRES) Hoc præceptum de incendendis stipulis amplificatur congerie aliquot rationum physicarum. Cùm enim quatuor potissimùm sint quę agri sterilitatem conciliant, primò scilicet macor, ex defectu succi, seu alimenti progignendis fructibus idonei: deinde vligo, qua sata propter humoris abundantiam succrescunt: post densitas terræ, quæ pororum constipatione semẽtem suffocat: tandem raritas eiusdem nimia
B ac resolutio, propter quam aut æstu solis, aut frigoris inclementia radices segetum facilè enecantur: cùm tot, inquam, sterilitatis caussæ sint, poeta incensione illa agros emaciatos nouum ait pabulum concipere,& humorem vliginosum exsiccari, tum densitatem discludi, ac relaxari, raritatem deniq; calore astringi. Bersman. EXCOQVITVR VITIVM) Omnis sterilitas, quę est magnum fundi vitium, per illum calorem stipularum ardentium quasi coquendo absumitur, ac perit. EXVDAT HVMOR) Exudat pro Exudatur, enallage generis. CÆCA RELAXAT SPIRAM.) Occultos terræ meatus, ac poros aperit, dum videlicet eam rarefacit. NE TENVES PLVVIÆ, RAPIDI)
C Deficit oratio. Subaudiendum, obsint, noceant, aut simile quiddam. PENETRAB. FRIGVS ADVRAT. Penetrabile frigus dixit, vt Horat. acutum gelu. Ode 9. lib.1. Cùm porrò teste Aristot. 1. Meteor. & Galeno lib.3. de simplicibus med. facultat. cap.5. frigus densandi, constipandique vim habeat, videbitur fortasse alicui semidocto malè fuisse à Virgilio frigus dictũ penetrabile, cũ magis epitheton hoc calori conuenire videatur, qui eodem attestante philosopho, aperiendi, rarefaciendi corpora facultatem virtutemq; continet. Verùm non ita rem habere cùm experimentum, tum Lucretij versus (hunc imitatus esse haud dubiè videtur, cùm frigus penetrabile dixit) satis demonstrat. Sic enim cecinit, ostendere volẽs difficile admodum esse creditu, quidquam in rebus soli-
D di reperiri.

Permanat calor argentum, penetraleq; frigus,
Quando vtrinq; manu retinentes pocula ritè
Sensimus infuso lympharum rore supernè.

Infrà verò idem philosophus (non est enim cur eum poetam appellemus, quando nihil præter versũm, poeticum habet) frigus manabile vocat, ignem verò penetrabilem: vt perspicuum esse possit, pari penetrandi vi & frigus,& calorem pollere, rectèque à Virgilio frigus penetrabile dictum esse. Illud verò non æquè perspicuum est, cur frigus adurere Virgilius dicat, cùm nihil magis igni, cuius propriè munus exustio, frigore sit inimicum.
E Nec verò solus hic poeta huiusmodi vim frigori tribuit, sed etiam Lucanus, qui sic ait, *Vrebant montana niues.* Et Tacitus lib.15. Annal. Ambusti multorum artus vi frigoris,& quidam inter excubias exanimati sunt. Et multi etiam alij, quos prętermitto, talem in frigore vim agnoscunt. Ex qua ratione (si Pompeio Festo lib.14. credimus) pruina nomen accepit, quod fructus scilicet ac virgulta perurat. Seruius quidem locum his verbis declarat. Hoc ad solem,& frigus pertinet: nam vno sermone duo diuersa conclusit, quæ tamen vnum effectum habent: nam & frigoris finis caloris est initium: & summus calor est frigoris principium. Vnde quasi vnus effectus est frigoris,& caloris. Hæc Seruius, frigidè nimis & insipidè. Arist. verò lib.4. Meteor. ad rem quod attinet,

in hanc

in hanc loquitur ſententiam. At frigus agens eſt, velut corrumpendi, & labefactandi vim obtinens, vel vi ex accidenti quippiam molitur, quemadmodum ſuprà docuimus. Siquidem frigus aliquoties & calefacere, & cõburere dicitur: non more quidem caloris, ſed quod calor in vnum conducatur, aut certè aduerſo teneatur conatu. Hæc Ariſtoteles. Hunc ſecutus Galeotus Martius, ſic loquitur ſub finem cap. 3. lib. de doctrina promiſcua. Sed frigus nunquam vrit, licet vterq; poeta (loquitur autem de Virgilio, & Lucano) dixerit: veruntamen cauſſam præbet incendij: nam adueniente frigore vehemẽti, id caloris, quod ſparſim in folijs, & herbis, & alijs huiuſmodi natura locauit, adueniente contrario colligitur in vnum, & fortius iam, quæ prius fouebat, exurit. Exuſtio ergo à calore fit, cauſſam præbente frigore. Sed hi, vt Lucretij verbis vtar, *Magnopere à vera lapſi ratione videntur.* Non eo inficias, calore innato præditas eſſe plantas, herbasq; omnes. Tu, quæ ſequuntur, ſi lubet lege apud Hieron. Mag. Miſcel. lib. 1. cap. 17. Mirãtur nonnulli, inquit Brod. libr. 2. cap. 8. quo pacto frigus vrere poſſit. Verùm hoc ita ſe habere prodidit Hippocrates *περὶ τῆς ἀρχαίης ἰητρικῆς.* Baſil. homil. in 40. Martyres, plerique alii. Sunt enim alia præter ignem, quæ vrere rectè dici poſſunt: latinusq; igne vri, aut cremari, ſermo eſt, contra quam Valla arbitretur. * *Iuſtinus quoq; frigus vrere dixit, loquens de Scythis. Quanquam continuis frigoribus vrantur, pellibus tamen ferinis, aut murinis veſtiuntur. Nimirum & Græcis αἶθρος frigus matutinum παρὰ τὸ αἴθειν vro: vnde & Suidas αἶθρον πρωΐας exponit, vt Latini pruinam ab vro deducunt. Adde locum Ciceron. ex Tuſculan. 2. Pernoctant venatores in niue, in montibus, vri ſe patiuntur.* Mvltvm adeo rastris) De occatio- A ne, cratitione, obliqua, ſeu tranſuerſa aratione. Occatur ager, quando comminuuntur glebæ, & quaſi occiduntur, vt ait Varro: ſiue quod ſatum eſt, occæcatur, vt Cicero expoſuit. Contuſione namq; illa glebarum ſemina ipſa cooperiuntur. [*Occare, inquit Iſidor. lib. 17. cap. 2. eſt operire ſemina, cum ruſtici aratione facta, bubus dimiſſis grandes glebas cadunt, & ligonibus frangunt.*] Cratitio cratibus operit ſata, & ſulcos æquat. De obliqua aratione Plinius libr. 18. cap. 20. Aratione per tranſuerſum iterata, occatio ſequitur, vbi res poſcit, crate vel raſtro, & ſato ſemine iteratio. Idem, omne aruum rectis ſulcis, mox & obliquis ſubigi debet. Sequitur generale præceptum de agro exercendo: quare tanquam lex illi fertur, vt reddat, quantum colonus deſiderat Berſman. B Neqve illvm Ceres neqvid. s. olympo) Frugum copiam huic diligentiæ per blandum Cereris aſpectum pollicetur. Vultus enim deorum placitus & benignus, eorum fauorem arguit. Non ergo illum fruſtra, ſeu ſine fructu ipſius, & commodo de cælo ſpectat Ceres, placido lumine ſubintellige. Callimach. hymno in eandem.

Οὓς δὲ κεν εὐμειδής τε καὶ ἵλαος αὐγάσσειεν,
Κείνοις εὖ μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν.

Et qvi proscisso) Proſciſſio eſt aratio prima, cum adhuc durus eſt ager. Iſidor. lib. 17. Exercetqve tellvrem) Sic Horat. exercet rura. Ode 2. Epod. *Paterna rura bobus exercet ſuis.* Imperat arvis) C Columell. lib. 3. Nec prouident futuro tempori, ſed quaſi planè in diem viuunt: ſic imperant vitibus, vt eas multis palmitibus onerent, vt poſteritati non conſulant.

Humida ſolſtitia, atq; hyemes orate ſerenas
Agricolæ. hyberno lætiſſima puluere farra,
Lætus ager. nullo tantum ſe Mœſia cultu
Iactat, & ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes.
Quid dicam, iacto qui ſemine cominus arua
Inſequitur, cumulosq; ruit malè pinguis arenæ?
Deinde ſatis fluuium inducit, riuosq; ſequentes?
Et cum exuſtus ager morientibus æſtuat herbis,
Ecce, ſupercilio cliuoſi tramitis vndam
Elicit: illa cadens raucum per leuia murmur
Saxa ciet, ſcatebrisq; arentia temperat arua.
Quid, qui, ne grauidis procũbat culmus ariſtis,
Luxuriam ſegetum tenera depaſcit in herba,
Cum primum ſulcos æquant ſata? quiq; paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Præſertim incertis ſi menſibus amnis adundans
Exit, & obducto latè tenet omnia limo,
Vnde cauæ tepido ſudant humore lacunæ.
Nec tamen (hæc cum ſint hominumq; boumq; labores
Verſando terram experti) nihil improbus anſer,
Strymoniæq; grues, & amaris intyba fibris
Officiunt, aut vmbra nocet.

Hvmida solstit. atqve hyem.) Ineptiuerunt quidam, dum ſe aſtrologos oſtentantes, dixerunt, duo eſſe ſolſtitia, & de vtroq; ſenſiſſe Virgilium, æſtiuum alterum, alterum hyemale, cum poeta ſolſtitium hic pro æſtate, cui hyems opponitur, vſurparit. Et apud bonos latinitatis auctores ſolſtitij nomen ſolſtitium æſtiuum duntaxat ſignificat, eiq; bruma opponitur. Cic. lib. 2. de nat. deor. ſolis acceſſus diſceſſusq; ſolſtitijs, brumisq; cognoſcitur. Varro li. 5. de ling. lat. Alter motus ſolis eſt, alter cæli, quod mouetur à bruma ad ſolſtitium. Dicta

bruma, quod breuissimus dies est: solstitium, quod sol eo die sistere videatur: aut quod sol ad nos versum, proximum est solstitium. Cum venit in medium spatium inter brumam, & solstitium, quod dies æquus sit, ac nox æquinoctium dictum, &c. Ioseph. Castilio.

Censet poeta æstatim pluuiam, ac serenitatem hybernam multum habere emolumenti ad segetum vbertatem. Sic enim vtriusq; temporis intemperies quasi corrigitur: æstiui quidem siccitas pluuiarum irrigatione: hyberni verò humiditas nimia, aeris serenitate. Cumq; æstate maturescunt fruges, omnino ad incrementum humectatione iis opus est, qua tẽperetur caloris æstus: ne agris illo exinanitis, arescant fruges ipsæ, quarum cibus est imber: & calor terræ ἀντιπεριστάσει frigoris astringentis ipsius poros, cohibitus, vires sufficit radicibus frugum, quæ satę sunt præcedenti auctumno. quibus etiam humidum à frigore simul distillans, alimentum suppeditat. Bersman.

Hyemem quidem Aquiloniam esse, omnibus satis vtilissimum. Imbres verò tunc expetendi euidens caussa est, quoniam arbores fœtu exinanitas, & foliorum quoq; amissione languidas, naturale est auidè esurire. Cibus autem earum imber. Quare tepidam esse hyemem, vt absumpto partu arborum sequatur protinus conceptus, id est, germinatio, ac deinde alia florescendi exinanitio, inutilissimum experimentis creditur. Quinimmò si plures ita continuentur anni, etiam ipsæ moriuntur arbores, quando nemini dubia pœna est in fame laborantium. Ergò qui dixit hyemes serenas optãdas, non pro arboribus vota fecit. Nec per solstitia imbres vitibus cõducunt. Hyberno quidem puluere lætiores fieri messes, luxuriantis ingenii fertilitate dictum est. Alioqui vota arborum frugumq; communia sunt, niues diutius sedere. Caussa, non solum quia animam terræ euanescentem exhalatione, includunt & comprimunt, retroq; agunt in vires frugum, atque radices: verùm quòd & liquorem sensim præbent, purum præterea leuissimumq;, quando nix aquarum cælestium spuma est. Plin. lib. 17. cap. 2. longè abiens à Virgilio.

Sed occurrendum ita Plinio, Virgilium niues, humorémue temperatum non excludere: sed serenitatem flagitare, arcentem Austrinas pluuias dilutiores, & temperantem liquorem niuium, vt terra fermentetur resolutione caloris interni, & externi frigoris, & humidi, quod inter hæc est interiectum. Bersman. HYBERNO LÆTISS. PVL. FARRA) In libro vetustissimorum carminum, qui ante omnia, quæ à Latinis scripta sunt, compositus ferebatur, inuenitur hoc rusticum vetus canticum. *Hyberno puluere, verno luto, grandia farra Camille metes.* Macrob. lib. 5. Saturnal. ca. 20. Far antiqui adoreum appellabant, genus tritici. NVLLO TANT. SE MOES.) Cum ea sit anni temperies, vt hyems serena sit, & humidum solstitium, fructus optimè proueniunt. Et adeo hæc esse agris necessaria, vt sine his ne Mœsiæ quidem, nec Gargarorum culturæ, feracitate laudabiles, responsuræ sint opinioni, quæ de eis habetur. Est autem Mœsia regio Asiæ circa Ciliciam, frugum ferax, quæ nullo cultu tãtum se iactat, id est, gloriatur, quantum si veniat serena hyems, & solstitium humidum. Philargyr. De Mœsia & Mysia lege quæ disseruntur à Modicio cap. 10. SVAS MIR. GARG. MESSES) Gargarorum messes dixit, sicut Horat. Ode 1. lib. 1. areas Libycas.

Illum si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis.

Gargarus, & Gargara numero multitudinis, est cacumen Idæ montis: κάρα καὶ κάρηνον caput capitis, propter altitudinem dicitur. Est eiusdem nominis oppidum ad radices Idæ, fertilitate memorabile. Ouid. 1. de Arte. *Gargara quot messes, quot habet Methymna racemos.* Hinc Gargara bonorum, pro summa abundatia, de quo Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 20. seu potius Gargara pro magno numero, idq; in re qualibet. Aliam quoq; rationem huius prouerbij afferunt Chiliad. QVID DICAM, IACTO QVI SEM.) Non tantum bene arare, verum etiam bene serere oportet, & satorum curam gerere diligentem, si ad fructus velis peruenire. Quare vbi semen agro credideris, vbi sẽmẽtem patraueris, vt Cato ait, glebas quoq; in agro præsertim non pingui, aptis ad id instrumentis conteres, quod per occasionem fit, ita vt tellus æquata, æquabiliter semen gremio suo cohibeat, indeq; herbescentem viriditatem, & lætam deinde segetem procreet. COMINVS) Hic significationem habet temporis, pro continuò, statim. RVIT CVMVLOS) Georg. 2. *Et ruit atram Ad cælum picea crassus caligine nubem.* Vsus est perinde Lucret. lib. 2. *Et ruit atram Ad cælum picea crassus caligine nubem.* Lib. 1. *Principiò venti vis verberat incita pontum, Ingentesq; ruit naues.* Et infrà. *Quamlibet in partem trudunt res ante ruuntq;.* lib. 6. *Cum mare permotum ventus ruit intus arenam.* Plaut. Trinum. *Frangere malum, ruere antennas.* Vbiq; agendi verbum vides, pro dissipat, disiicit, & hoc loco, comminuit. MALE PING. ARENÆ) Male pinguem arenam vel generatim ita vocat, quod sterilis, & infœcunda, cum contrà pingue fœcundum sit, ac fertile: vel quia quoddam genus arenæ inuenitur, quæ arua reddit pinguia. De Nilo enim infrà, *Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena.* Aut simpliciter glebas aridiores intellige. Iacob. Pont. DEINDE SATIS FLVVIVM) Demetrius Phalereus de euidentia, seu ἐναργείᾳ disputans, eam fieri docet ex accurata, minutaq; rerum omnium, quæ in ea re sunt, expositione, cum nihil omittitur, neq; amputatur. Vtitur exemplo Homeri, qui in collatione, qua Scamandri impetum, Achillem fugientem obruere conantis ostendit, ita diligenter minuteq; omnia persecutus est, vt qui audit, non audire se, sed videre, & omnia oculis contemplari putet. Locus est in Iliad. ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀνὴρ ὀχετηγὸς, &c. Hunc locum imitatus est his versibus Virgilius, cum agricolarum studium exponit, quo maximis siccitatibus occurrunt, ne segetes siti extinguantur. Veruntamen Græcus ille magis appositè omnia complexus est, vt nullo negotio intelliget, qui locos inter se conferre voluerit. Victor. in Demetrium. RIVOSQVE SEQVENTES) Profertur & alia scriptura, *fluentes.* Non placet. Sequentes riui sunt vel perennè manantes: vel qui facile sequũtur ducentes, quippe per loca decliuia, vt dictũ est. MORIENT. ÆSTV. HERBIS) Eclog. 7. *Aret ager, moriens vitio sitit aëris herba.* Etiam plantis, & iis quæ è terra progignuntur suæ quædam animæ, & vita est. Ergò iisdem sua quædam mors. In 4. Georg. *atq; interfice messes.* Iacob. Pont. ECCE SVPERCILIO CLIVOSI) Cum supercilium vocetur nota pars humanæ frontis, eodem etiam verbo appellatur elatior pars collis, quod emineat, vt locutus quoq; est T. Liuius lib. 24. V. C. Is cum supercilio haud procul distantis tumuli ab vrbe, instructam aciem ostendisset, & quæ sequuntur. Græcos autem suo verbo, quod huic latino respondet, vertices quosdam montium appellasse, & veteres Grammatici testantur, & exemplis poetarum, reliquorumq; scriptorum confirmatur. Homerus enim, vt aliis in locis, ita in 3. Illiad. hoc vsurpauit, cum cecinit. Οἱ δ᾽ ἕτεροι κάθιζον ἐπ᾽ ὀφρύσι Καλλικολώνης. Polybius etiã in 2. histor. in accusando C. Flaminio Cos. erratoq; ipsius monstrando, qui ita struxit aciem, vt fluuius stringeret terga suorum, ὀφρὺν fluminis appellauit, supercilium vocans altiorem ipsius ripam, aggeremque, vt opinor.

Verba

Verba eius hæc sunt. [illegible], &c. Victor. lib. 22. cap. 14. ELICIT) Ab eliciendo elices Columellæ appellantur sulci aquarij, ad eliciendas, & corriuandas è segetibus aquas facti, qui & colliquiæ eidem. RAVCVM P. L. MVR. SAXA CIET) Horat. Ode 16. Epod. *montibus altis Leuis crepante lympha desilit pede.* Crepante, quoniam ad lapides obuios allisa aqua, murmur, seu sonum edit. Leuia saxa sunt aquæ assiduo per illa labentis attritu nitida, & lubrica. TEMPERAT ARVA) Recreat, humectando ariditatem, & refrigerando calorem, siue æstum. LVXVRIEM SEGET. DEPAS.) Inter vitia segetum luxuria est, cum onerata fertilitate procumbunt: quæ castigatur dente pecoris in herba duntaxat: & depastæ quidem vel sæpius, nullam in spica iniuriam sentiunt. Retonsarum verò etiam semel omnino, certum est granum longius fieri, sed inane cassumq;, ac satum non nasci. Babylone tamen bis secant, tertio depascunt: alioqui folia tantum fierent, &c. Plin. lib. 18. cap. 17. * *Luxuria, inquit Nonius, intempestiua abundantia. Virgil. hoc eodem lib.* At si luxuria foliorum exuberat vmbra. *In Orat. Cicero. Gemmare vites, sitire agros, luxuriare frumenta. Ad nimiam orationis vbertatem hæc duo verba luxuries, & depascere transtulit idem lib. 3. de Orat. In summa, inquit, vbertate inest luxuries quædam, quæ stylo depascenda est.* CVM PRIM. SVLÆ Q. SATA) Priusquam excrescant in culmos. PALVD. HVM. BIB. DED. ARENAM) Lucret. li. 2. *quà mollibus vndis Littoris incurui bibulam lauit æquor arenam.* Paludis humorem vocat aquam in agris collectam vel naturali quadam soli vligine, vel pluuia copiosiore, vt aquarum collectio illa quasi paludem efficiat. Est enim palus Ciceroni aqua minus profunda, lateq; diffusa. Bersman. PRÆS. INCERTIS SI MENS.) Incerti menses sunt veris, & autumni. Nam & hyemis certum est frigus, & æstatis certus est calor, veris verò, & autumni nunc frigus, nunc calor est. Seruius. AMNIS ABVNDANS) propter crebras, & continentes pluuias, aut solutionem niuium. Abundare ex amnibus dictum est, ait Nonius, citans hunc versiculum. EXIT) Se supra ripas latè effundit. Ouid. 1. Metamorph. bellè hoc, *Exspatiata ruunt per apertos flumina campos.* LACVNÆ) Lacunas accipe fossas, in quas sese aqua colligit. NEC TAMEN HÆC CVM SINT) Lucret. lib. 5.

Sed tamen interdum magno quæsita labore,
Cum iam per terras frondent, atq; omnia florent,
Aut nimiis torrens feruoribus æthereus sol,
Aut subitò perimunt imbres, gelidæq; pruina,
Flabraq; ventorum violento turbine versant.

Epilogus est huius primæ partis, de ratione agri colēdi videlicet; facta mentione difficultatis, quæ non solum homines, & boues laboribus arationis defatigatos exerceat: sed etiam augeatur cura, & sollicitudine de auertendis ijs, quæ frugibus damno esse solent, vt sunt aues prædatrices, herbæ noxiæ, & vmbræ satis inimicæ. Itaq; hic locus attentionis est. Verumenimuerò, ne quis forte labores illos & multos, & difficiles subterfugiat (vt est hominum ingenium à labore procliue ad otium) docet infra statim, hanc esse numinis diuini voluntatem, quod vitam humanam cum rei rusticæ, tum aliarum artium tractatione exercere voluerit, ne otio ignauo homines hebescerent. Hinc arrepta occasione in originem agriculturæ digreditur, quæ est secunda huius libri pars. Bersman. VERSANDO TERRAM) Tibull. *Versarem valido pingue bidente solum.* Ouid. *Obrue versata Cerealia semina terra.* Idem. *Et grauibus rastris sub Ioue versat humum.* IMPROBVS ANSER) Anser, ait Palladius lib. 1. tit. 30. locis consitis inimicus est, quia sata & morsu lædit, & stercore. Idem antea scripserat Columella lib. 8. cap. 13. Anser nec sine aqua, nec sine multa herba facilè sustinetur: neq; vtilis est locis consitis: quia quidquid tenerum contingere potest, carpit. Quia igitur dupliciter satis officit, factum, vt anser pascens hieroglyphicum esset *Detrimenti.* De Falerno agro iubens anseres depelli Cicero, quanquam aliorsum spectet, tamen segetibus hāc auem esse noxiam indicat. Pierius. STRYMONIÆQVE GRVES) Strymon est fluuius Thraciæ, iuxta quem multi grues. Aut Strymoniæ grues, id est Thraciæ, vt sæpe aliàs per flumen regionis ipsa regio solet indicari [illegible]. Iacob. Pont. AMAR. INTYBA FIBRIS) Græcorum *πικρίδα, καὶ κιχώριον* signat, alteram erratici intybi speciem. Brod. lib. 5. cap. 36.

Dupliciter intyba nocere possunt: tum radicum fibris serpentium, terramq; defrugantium, & triticum angentium: tum anserum illecebris, mirè hoc olus expetentium. Quam etiam crediderim, caussam fuisse, cur post anseres intyborum mentionem fecerit Columella lib. 8. cap. 14. de anseribus disputans. Palustris quoq;, sed herbidus ager destinetur: atq; alia pabula conserantur, vt vicia, trifolium, fœnum græcum, sed præcipuè genus intybi, quod *σέριν* Græci appellant. Turn. lib. 27. cap. 25. * *Ab amaritudine intybi seu intyba adagium, Intyba successit ambrosia. Eam amittit, si eradicata, terra fuerit obruta. Vulgus nominat endiuiam. Vide Præd. rust. Caroli Steph. in Horto.* AVT VMBRA NOCET) In Bucol. *nocent & frugibus vmbra.* Et infrà, *& ruris opaci Falce premes vmbram.* Propter frigus videlicet quod inducit, vmbra noxia est satis.

---------------Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit: primusq; per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere graui passus sua regna veterno.
Ante Iouem nulli subigebant arua coloni:
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipsaq; tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris:
Prædariq; lupos iussit, pontumq; moueri:
Mellaq; decussit foliis, ignemq; remouit:
Et passim riuis currentia vina repressit:
Vt varias vsus meditando extunderet artes
Paulatim, & sulcis frumenti quæreret herbam:
Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.

Tunc

Tunc alnos primum fluuij sensere cauatas:
Nauita tum stellis numeros, & nomina fecit,
Pleïadas, Hyadas, claramq; Lycaonis Arcton.
Tum laqueis captare feras, & fallere visco
Inuentum, & magnos canibus circundare saltus.
Atq; alius latum funda iam verberat amnem,
Alta petens, pelagoq; alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atq; argutæ lamina serræ:
(Nam primi cuneis scindebant fissile lignum)
Tum variæ venere artes. LABOR OMNIA VINCIT
IMPROBVS, & duris vrgens in rebus egestas.

Ad horum versuum intelligentiam, proponam tibi particulam de hominis eruditi in hosce libros paraphrasi. De qua aliâs quoque sumam mutuum. Mihi enim magna curæ est, vt lumina menti tuæ quam clarissima præpandam, & ad cognitionem rerum verborumque quacunq; ratione possim, conuenienter tamen instituto meo, te perducam.

In his igitur malis quæ dicta sunt, à segetibus auertendis, bonum agricolam diligenter laborare oportet. Nam idcirco deus optimus maximus, humani generis sator, fruges vitiari permittit, vt hominum animos labore acuat, & curis exerceat. Neq; enim hanc agricolationis artem ita facilem esse passus est, vt homines securi, atq; inertes, postquam sementem fecissent, reliquo deinde tempore somno indulgerêt, & ignauo quodam otio torpescerent. Olim quidem in aurea illa ætate, de qua poetæ multum fabulantur, cum Saturnus adhuc rerum potiretur, vita hominum ita comparata fuisse dicitur: vt neq; mortales terram colerent, aut agros subigerêt: neq; certis limitibus eos distinguerent, propriosue possiderent: sed otiosi tranquillam ætatem exigerêt, omnia habentes communia, eaq; in medium proferentes: cum ipsa tellus vltrò ac liberè procrearet omnia. At nunc, postquã Saturno pulso, Iupiter imperium terrarum obtinet, antiquissimi illius sæculi fælicitas prorsum intercidit. Hic enim deus serpentibus vim venenatam, qua prius carebant, indidit: hic deus lupos, quod animal aureo illo sæculo quauis agna fuerat mitius, prædari, & in alias animantes sæuire iussit: hic deus mare suis limitibus ac terminis circumseptum olim, è fundo, imisque sedibus commoueri, & vniuersam terram inundare voluit: hic deus mella, quæ prius de arborum corticib. destillabant, foliis & frondibus ademit: hic deus insitam diu caloris vim, sine qua nihil crescere potest, à rebus nascentibus amouit: & sterile quoddam frigus, ac semiũ in naturam rerum inuexit: hic deus vini liquorem, quo riui, & amnes aurea illa ætate redundabant, aquis abstulit: eumque in vites, quas magno labore coli vult, transtulit. Quid multis? Iupiter æuum illud antiquum ex aureo argenteum, ex æneo ferreum fecit: & priora illa commoda, cum insecutis malis pessimis, & maximis permutauit. Cum enim hominum naturæ conueniens esse prospiceret, vt laboribus assuescerent, varia immisit mortalium generi mala, in quibus præcauendis, & profligandis humana ingenia exerceret. Itaq; posterioribus illis sæculis, quæ primam, & auream istam ætatem exceperunt, variæ demum artes, & disciplinæ, ad omnem vitam necessariæ, quadam hominum industria paulatim excogitatæ, & ad vitæ communis vsum productæ sunt. Ac primo omnium frumenti vsus inuentus est: quo hominum vita ad sui sustentationem minime carere potuit. Deinde cum molendi, & conficiendi panis ratio accederet, etiam ignem è venis silicum excudere, & arborum foliis cum excipere homines didicerunt: vt cum ad parandos cibos, tum ad vim frigoris propulsandam, vita humana idoneum haberet præsidium. Præterea eodem tempore ars nauigandi primùm inter homines extitit: quæ cauare arbores, trabes connectere, naues fabricare, atque armare condocefecit. Quid de Astronomia dicam? quæ & ipsa ex obseruatione cæli tunc primum inuenta, ortus, obitus, motusque siderum arte quadam demonstrauit: & sua quædam stellis nomina imposuit: quarum aliæ Pleiades, aliæ Hyades, aliæ Arcti vocarentur. Quid de vsu venandi, & piscandi loquar? Nam ea demum ætate, cum mos carnium edendarum in vita humana inualuisset, varij venatus, & varia extiterunt aucupia. Alij enim canibus saltus circundare, & laqueis, plagisque captare feras, alij auiculas implicare visco, alij fundis, & retibus pisces inuoluere, aut hamo decipere consueuerunt. Postremò (nam quis omnia percensere possit?) ferrariam quoque artem, & metallorum vsum homines repererunt: omnisque generis instrumenta fabricarunt. Nam prisci illi ligna cuneis diffidisse: at posteri illorum serris, atque asciis à se repertis, demum vsi fuisse perhibentur. Cum enim intelligerent, sibi ad vitam conseruandam huiusmodi adminiculis omnino opus esse, summis ingenij viribus, & tota animorum contentione in illis acquirendis elaborarunt. Ita rerum optimarum inopia, atque egestas laborem, labor omnes artes, & quæuis vitæ adminicula peperit. Est enim ad laborem, & hominum industriam excitandam nullum præsentius remedium, quam egestas atque inopia. Sumus enim à natura pleriq; omnes à labore ad otium procliues: iacentq; ea semper, quorum nemo indiget. Quapropter res omnes ad vitam necessarias sola inuenit inopia: neque quidquam est, cui multum laboris impendant homines: aut in quo vehementer sibi desudandum existiment, nisi id extrema requirat necessitas. GRAVI VETERNO) Veternus græcè lethargus, cuius morbi natura est, vt ex nimio otio colligatur, tandemque perpetuo somno vel in mortem, vel in hydropem desinat. Ex ignauia istius morbi factum est, vt pro quouis tepore ponatur veternus, sicut hoc loco. Nannius libro quarto, capite decimo quinto.

Catullus rectè, atque apposité stolidum vocauit, quia qui oppressi eo sunt, nihil sentiunt, ac stupent. Stuporem igitur, & stoliditatem ingenij in eo corrigere voluit, de quo hoc dixit. Vide Victor. libro 13. capit. 11.

* Vt Catullus stolidum, sic Horat. [illegible] ep. 8. lib. 1. Cur me funesto properent arcere veterno. Eius morbi curationem tradit Celsus lib. 3. cap. 20. Contrarium est plane phrenetico. In illo difficilis somnus, prompta ad omnem audaciam mens est: at in hoc marcor, & inexpugna-

expugnabilis pene dormiendi necessitas. Torpuisse veterno quodam mundum sub Saturno, nimia quiete scilicet, & otio (de quo & Ouid. Mollia securæ peragebant otia gentes *1. Metam.) indicauit Martial. lib. 12.*

> Antiqui rex magne poli, mundiq; prioris,
> Sub quo pigra quies, nec labor vllus erat.

De hoc veterno est item apud Hesiodum.

> Τῷ δ' ἴσοι θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς
> Ζώῃ, κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὀργήν.

A ANTE IOVEM NVLLI SVBIGER.) Digreditur nunc in sæculi Saturnij, siue aureæ ætatis descriptionem, quã opponit illi, qua Iupiter rerũ potitus fuit, vt ex vtriusq; collatione per dissimilitudiuem & fælicitas illius magis fiat conspicua, & huius victus laboriosior, ac difficilior cognascatur, cuius acquirendi caussa varias ab hominibus, quos Iupiter otio, & desidia pigrescere nolebat, artes excogitatas esse ostendit. Berman.

Ipsius Iouis symbolum est iugum, ait Pierius libr. 48. Iugare siquidem Iouis inuentum esse veteres tradiderunt, & a Iouis nomine Græci ζεῦξαι deduxerunt. Semina tum primùm longis cerealia sulcis obruta esse, & iuuẽcos iugo pressos ingemuisse canit Ouid. postquam Saturno in tartara misso, sub Ioue mundus esse cœpit. Genuina quodammodo Maronianis sunt illa Hesiodi.

> Πρὶν μὲν γὰρ ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
> Νόσφιν ἄτερ τε κακῶν, καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο,
> Νούσων τ' ἀργαλέων αἵ τ' ἀνδράσι κῆρας ἔδωκαν.

Idem cum his versibus Maronis argumentum continent illa Tibulli, lib. 1. eleg. 3.

> *Quam bene Saturno viuebant rege, priusquam*
> *Tellus in longas est patefacta vias?*
> *Nondum cæruleas pinus contempserat vndas,*
> *Effusum ventis prabueratq; sinum.*
> *Nec vagus ignotis repetens compendia terris*
> *Presserat externa nauita merce ratem.*
> *Illo non validus subiit iuga tempore taurus,*
> *Non domito frænos ore momordit equus.*
> *Non domus vlla fores habuit, non fixus in agris*
> *Qui regeret certis finibus arua lapis.*
> *Ipsæ mella dabant quercus, vltroq; ferebant*
> *Obuia securis vbera lactis oues.*
> *Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses*
> *Immiti sæuus duxerat arte faber.*
> *Nunc Ioue sub domino cædes, & vulnera semper,*
> *Nunc mare, nunc lethi mille repente via.*

Lucretius de vita, & moribus hominum recentium, seu primæ illius ætatis, lib. 5.

> *Volgiuago Venerem tractabant more ferarum.*
> *Nec robustus erat curui moderator aratri*
> *Quisquam: nec sciebat ferro molirier arua,*
> *Nec noua defodere in terram virgulta, neq; altis*
> *Arboribus veteres decidere falcibus ramos.*
> *Quod sol atq; imbres dederant, quod terra crearat*
> *Sponte sua, satis id placabat pectora donum,*
> *Glandiferas inter curabant corpora quercus, &c.*

NE SIG. QVID. AVT PART.) *Ouid. 1. Metamorph.*

> Communemq; prius ceu lumina solis, & auræ,
> Cautus humum longo signauit limite mensor.]

Ædem Saturni ærarium Romani esse voluerunt: quoniam tempore, quo Italiam incoluit, fertur in eius finibus nullum furtum esse commissum: aut quia sub illo nihil erat cuiusquam priuatum, vt hîc ait poeta. Ideo apud eum locaretur pecunia populi communis, sub quo fuissent cunctis vniuersa communia. Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 1. qui priore versu pro *quidem*, legit, *solum*, *Nec signare solum*, &c.

A Ex hisce carminibus Seneca hanc doctrinam, siue hoc documentum elicit epist. 90. Statum quidem generis humani non alium quisquam suspexerit magis: nec si cui permittat deus terrena formare, & dare gentibus mores, aliud probauerit, quam quod apud illos fuisse memoratur, apud quos nulli subigebant arua coloni. *Nec signare quidem*, &c. Quid hominum illo genere fælicius? In commune rerum natura fruebantur: sufficiebat illa vt parens in tutelam omnium: hæc erat publicarum opum secura possessio. Quid ni ergo illud locupletissimum genus mortalium dixerim, in quo pauperem inuenire non posses? Irrupit in res optimè positas auaritia, & reliqua deinceps, quibus aureum,

B ferreumque sæculum ante oculos ibidem statuuntur. Plato quoque hanc κοινωνίαν rerum omnium in maxima Reipub. fælicitate ponit, eamque ad deuinciendos inter se ciues plurimùm conducere arbitratur, contraq; ἰδίωσιν, vt quæ ciuitatem diuidat, & ex vna plures faciat, maximè illi perniciosam censet. Itaque optimè agi cum illa repub. putat, in quo non audiatur meum, & non meum. NVLLO POSCENTE) Ouid. 4. Metamorph. *alimentaq; debita diues Poscebatur humus.* Nullo poscente, quasi dicat, nullo imperante, & vrgente: poscimus enim imperiosè, petimus precariò, postulamus iure. Imperare aruis ipse quoque hoc eodem libro suprà. Iacob. Pont. ILLE MAL. VIRVS SERP.) Virus

C est venenum, & malum virus malum venenum, quasi possit aliquod virus etiam esse bonum, vt bonum venenum, eo enim poeta videtur respexisse. Est igitur vox media, & in vtramque partem significat venenum. Quare Caius rectè, tit. de verbor. significat. Qui venenum dicit, adijcere debet, vtrum bonum esset, an malum: nam & medicamenta venena sunt: quia eo nomine (veneni) omne continetur, quod adhibitum eius naturam, cui adhibitum esset, mutat: cumque id quod nos venenum appellamus, Græci φάρμακον dicunt, apud illos quoque tam medicamenta, quam quæ nocent, hoc nomine continentur. Vnde adiectione alterius nominis distinctio fit. Sic Homerus.

> D φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.
> *Mixta venena quidẽ bona sunt, sunt plurima amara.*

Hunc binarium (*Ille malum virus*, *Prædariq; lupos*) Lactant. libr. 5. cap. 5. ἀλληγορικῶς in hunc modum interpretatur. Id est, odium & inuidiam, & dolum hominibus inseruit, qui tam essent, quam serpentes venenati, tam rapaces quam lupi. Quod quidem verè faciunt ij, qui iustos ac fideles deo persequuntur, dantque iudicibus sæuiendi aduersus innoxios potestatem. Fortasse aliquid eiusmodi Iupiter fecerit, ad expugnandam tollendamque iustitiam, vt idcirco efferasse serpentes, ac lupos acuisse tradatur. PRÆDARIQVE LVP. IVSSIT) Lupus ante clamorem festinat, prouerbium, vbi quis admissi conscius, vltro timet priusquam accusetur.

E Etenim lupus simul atque prædam rapuit, properat aufugere, ne, coorto rusticorum clamore, veniat in periculum. Chiliad. PONTVMQVE MOVERI) Expone, fluctibus tumescere, & agitari, ad miseris mortalibus reddendam nauigationem quam difficillimam, atque periculosissimam. Quid enim esset mari quieto ac strato nauigatione ipsa iucundius? Iacob. Pont. MELLAQVE DECVSSIT FOL.) Ecl. 4. *Et duræ quercus sudabunt roscida mella.* Tibull. *Ipsa mella dabant quercus.* Vnde & μέλι δρύϊνον in epigram. Aliqui de aerio melle, quod græcè est ἀερόμελι & δροσόμελι exposuerunt, quod in plantarum folijs etiamnum nascitur. Ouid. 1. Metamorph.

> *Flauaq; de viridi stillabant ilice mella.*
> *Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.*

Euripid. Bacchis.

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον,
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν
Νέκταρι.

Iacob Pont. IGNEM REMOVIT) In silicis venis, & ferro abscondit, quem postea Prometheus admota ad solis rotam ferula furatus, & in terras detulisse dicitur in fabulis. Ignis dictus est Isidoro libr. 19. cap. 6. quod nihil gigni potest ex eo. Eius laudationẽ ex eodem capite tibi describam. Nihil est pæne, quod igni non efficiatur. Alibi enim vitrum, alibi argentum, alibi plumbum, alibi minium, alibi pigmentum, alibi medicamenta efficit. Igni lapides in æra soluuntur, igne ferrum gignitur ac domatur, igne aurum perficitur, igne cremato lapide cæmenta & parietes ligantur. Lapides nigros ignis coquendo candificat, ligna candida vrendo obfuscat, &c. Lege, si vis, Plutarchum, Commentario: vtrum ignis, an aqua sit vtilior. VSVS MED. EXTVND.) Extundere Nonio est extorquere, vel inuenire. Afran. Epistola. Atq; adeo extundo, ex officio datur mihi custodiendus. *Quis deus hanc Musa, quis nobis extudit artem?* Et, *Quem mihi vix frugum, & pecudum custodia sollers Omnia tentanti extuderat.*

Magnopere mihi ad hunc locum illustrandum videntur conducere, quę scripta legi apud Iouianum de Obedientia libr. 4. in hæc verba. Natura generi hominum consulens, quos in tantã penuriã procreatos esse sciret, ad diuersa illos studia acuit, vt varijs ministerijs apti intentiq; inopiam industria superarent. Hinc tot artes, seruiliaq; ingenia, & quæstus hominum multiplices. Verùm ne parum ipsa prudens videretur, & operis sui oblita in tanta multitudine manus exercentium, seruientiumq; necessitate, præstantes quosdam, minimeq; popularis ingenij, quasi luminosas quasdam stellas inter minutissimos ignes accendit, quorum mentes ad præclara erectæ, magnis semper rebus intenderent. Quos ideo rariores esse voluit, quod necesse sit multò maiorem illorum esse numerum, qui imperata faciant, quam qui alijs imperent, cum hic ratione tantum opus sit, illic & corporis viribus. * *Cum ista descriptione sæculi Saturnij confer Manilianos versus de hominum vita, ante cognitionem rerum cælestium, diuinamq; prouidentiam. De labore qua dicit, quam sunt hæc, vt varias vsus meditando, &c. similia?*

Sed cum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemq;
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo:
Seducta in varias certarum pectora curas.

SILICIS VENIS ABSTRVS.) Æneid. lib. 1. *Ac primum silicis scintillã excudit Achates.* TVNC ALN. PRIM. FLV.) Lucret. de vita hominum aurei sæculi, sub Saturno videlicet, li. 5.

——nec turbida ponti
Æquora lædebant naues ad saxa virosq;:
Sed temere incassum mare fluctibus sæpe coortis
Sæuibat, leniterq; minas miscebat inanes.
Nec poterat quenquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus vndis,
Improba nauigij ratio tum cæca iacebat.

Primò quidem inuento nauigiorum vsu, cauabant tantum priora sæcula trabes, arborumq; sola robora, & solida: vnde & græcè ἀίδλξυλα, & μονόξυλα dicebantur. Alludit autem per alnos cauatas ad scaphas, παρὰ τὸ σκάπτειν dictas, quod primùm ex prægrandi arbore cœptæ sint excauari. German. * *Ouid. 1. Metamorph.* quæq; diu steterant in montibus altis Fluctibus ignotis insultauere carinæ. *Conqueritur de audacia hominum, qui primi se credere marinis fluctibus non formidarunt, Horat. Ode 3. lib. 1. Et Seneca choro primo in Medea.*

Candida nostri sæcula patres
Videre, procul fraude remota,
Sua quisq; piger littora tangens,
Paruoq; senex factus in aruo,

A Paruo diues, nisi quas tulerat
Natale solum, non nôrat opes.
Bene dissepti fœdera mundi
Traxit in vnum Thessala pinus,
Iussitq; pati verbera pontum,
Partemq; metus fieri nostri
Mare sepositum, &c.

Nauigationis auctores se profitentur Phœnices, atque adeo Tyrij. NAVITA STELLIS NVM. ET NOM. FECIT) Etiam Plautus sic loquitur. Menæch. *Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi.* Ibid. *nomen Menachmo factum est mihi.* In Capt. vsus est alio verbo, *Iuuentus indidit nomen scorto mihi.* Perappositè ad hunc locum Seneca Medea, vbi in Argonautas inuehitur, qui primi mare aperuerint, siderumq; naturam, quæ secunda, quæ aduersa essent nauigantibus B primi didicerint, quorũ antea nullus erat hominib. vsus.

Nondum quisquam sidera norat,
Stellasq;, quibus pingitur æther:
Non erat vsus: nondum Pleiadas,
Hyadas poterant vitare rates,
Non Olenia sidera capræ:
Non quæ sequitur flectitq; senex
Attica tardus plaustra Bootes.
Nondum Boreas, nondum Zephyrus
Nomen habebant.

Iacob. Pont.

Hanc Iouis, hanc Martis stellã esse, nõ naturæ constitu- C tio, sed humana persuasio est, quæ stellis numeros, & nomina fecit. Hinc Cic. in somnio Scip. Ex quib. vnum globum possidet, illa, quam in terris Saturniam nominant: deinde est hominum generi prosper, & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis: tum rutilus, horribilisq; terris, quem Martem dicitis. Non ait, illam quæ Saturnia est: sed quam in terris Saturniam nominant: & ille fulgor, qui dicitur Iouis, & quem Martem dicitis. Adeo expressit in singulis nomina hæc non esse inuenta naturæ, sed hominum commenta, significatione distinctionis accommodata. Macrob. in som. Scip. lib. 1. cap. 19. PLEIADAS, HYADAS) Pleiades sunt stellæ 7. in dorso Tauri, sex tantum sunt conspicuæ. Dicuntur paulò pòst Atlantides à patre. Pleiades παρὰ τὸ πλεῖν, quod exortu suo tempus D ad nauigandum idoneum denuntiant. Etiam Virgiliæ, quod in morem virgæ porrigi videantur: aut Vergiliæ à vere, quod extremo vere oriantur. Hyadibus nomen est ab ὕειν pluere, quod non sine pluuia exoriantur. Latinis suculæ. Est manipulus stellarum in capite Tauri. Bersm. CLARAMQVE LYCAON. ARCTON) Lycaonis filia fuit Callisto, de cuius metamorphosi libr. 2. apud Ouid. & 2. Fastor. Pausan. circa initium lib. 8. Apollodorus lib. 1. in Callistus parente auctores dissentire ostendit. Hæc cum Diana venandi studio delectata, eandemq; stolam induta, virginitati se addictam fore iurauit. Verùm Iupiter, vt alijs, vitium ei attulit. Hoc furtum volens celare Iunonem, eam in vrsam vertit. Iuno Dianæ, vt imma- E nem belluam sagittis configat, persuasit. Sunt qui referant, eam Dianę sagittis ob violatam virginitatem perijsse. Infantem editum Iupiter Arcadem dixit, & in Arcadia Maiæ educandum dedit: Callisto inter astra collocauit, vrsamq; nominauit. Palæphatus inde in vrsam conuersam fuisse creditum ait, quia cum esset venatrix, & in montibus habitaret, ab vrsa aliquando consumpta est. Socij, cum eam ex vrsæ lustro amplius tedeuntem non viderent, sed vrsam solam, Callisto vrsam factam rumorem dissiparunt. Arctos Lycaonis, sicut Deiphobe Glauci, subaudi filia, ἐλλειπτικῶς. Et hæc quidem maior vrsa, longe insignior & iucundior ad aspectum, aliâs Helice. Minor Cynosura vocatur. TVM LAQVEIS CAPTARE FERAS) Dolos, calliditatem, cogitatio-

gitationes insidiosas laqueus in hieroglyphicis innuit. Nam vt laquei clam, & occultè tenduntur, sic doli, & insidiæ. Sæpe in psalmis ita inuenias poni. Seneca de beata vita, cap. 14. Quemadmodum qui bestiarum cubilia indagat, & laqueo captare feras magno æstimat, & magnos canibus circumdare saltus, vt illarum vestigia premat, potiora deserit, multisq; officijs renuntiat: ita qui sectatur voluptatem, omnia postponit, & primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit: nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit. ET FALLERE VISCO) Medici quidam *hibisco* legunt, perperam castigantes: traduntq; maceratis eius plantæ radicibus, viscum fieri. Quod, an verum sit, me præterit: nec ignoro Dioscoridem ἀλθαίαν ῥίζαν ἔχειν scripsisse: quod vt eos fortassis in eam opinionem pellexerit, nihil tamen in Virgilio interpolandum erat. Brod. lib. 2. cap. 29. CANIBVS CIRCVNDARE SALTVS) Venationem circumlocutus est, quomodo & Eclog. 10. *non me vlla vetabunt Frigora Parthenios canibus circundare saltus.* Quos agros non colebant propter syluas, aut id genus, vbi pecus posset pasci, & possidebatur, ab vsu suo saltus nominauerunt. Varro lib. 4. Plato Polit. δ. metaph. à venatione ducta inuestigat Iustitiã. νῦν δεῖ ἡμᾶς ὥσπερ κυνηγέτας τινὰς θάμνον κύκλῳ περιΐστασθαι, προσέχοντας τὸν νοῦν μή πῃ διαφύγῃ ἡ δικαιοσύνη, καὶ ἀφανισθεῖσα ἄδηλος γένηται. FVNDA IAM VERBERAT AMNEM) Rete iaculum dicitur ad verriculi discrimen: nam iaculum iacitur, seu in orbem funditur, & spargitur ad pisces capiendos, vnde & funda appellatur hic à Marone à fundendo, vel à fundo. Βόλος à Græcis dicitur, & rete iaculum vocatur. Itaq; in quadam comœdia iaculatorem pro piscatore posuerat Plautus, è quo hoc affert Isidorus: *probus quidem antea iaculator erat.*. Verriculũ non iacitur, sed verritur, id est, trahitur. Turneb. lib. 18. cap. 26. * *Isidor. lib. 19. breuiter. Funda genus piscatorij retis, ab eo, quod in fundum mittatur. A iactando etiam iaculum. Indicatur piscatio ab instrumento, & effectu.* ALTA PETENS) Ad sequentia pertinet de pelago. TRAHIT HVMIDA LINA) Verriculum, alterum retis genus. TVM FERRI RIGOR.) Rigor ferri, id est, durities: & est quædam circumlocutio. Lucret. quoq; lib. 4. *Quin labefactatus rigor auri soluitur æstu.* Idem alibi, glacies æris. Indicare vult Maro inuentionem fabricæ ærariæ, seu ferrariæ. ARGVTÆ LAM. SERRÆ) Commodè videtur Seruius accepisse serram argutam à stridore dictam, quem τετριγὸς Græci nominant. Vnde Alexand. Aphrod. οἱ ἀκόνιον τρίζοντος, ἢ πριομένου σιδήρου, τοὺς ὀδόντας ναρκῶσι. Sic autem & lecti argutationem videtur Catullus dixisse, vt hic serram argutam Maro, à fragore & stridore, quem lectica edere solet. *tremulisq; quassa lecti Argutatio, inambulatioq;* German.

Nimiam reciprocationem serræ quidam intelligunt. Sic fullones dicuntur argutari pedibus, id est alterno & reciproco pede exculcare, & lauare pannos. Illi autem argutationi contrarium est, quod apud Tertullianum, libro de Corona militis est prouerbium, per lineam eandem, serram reciprocare, hoc est, inutilem & vanum laborem assumere. Qui enim sic ducunt serram, vt aut non dimittant, aut in eadem tamen linea perseuerent, nihil agunt, vel certè non multum agunt.

Serram Dædalus inuenisse perhibetur, vel potius Perdix, ex spinæ ossium similitudine: de quo Ouid.

> *Ille etiam medio spinas in pisce notatas*
> *Traxit in exemplum: ferroq; incidit acuto*
> *Perpetuos dentes, & serræ repperit vsum*
> *Primus.*

Videtur autem laminæ appellatione, quæ de ferri, ac ligni, seu tabularum portionibus latioribus, ac tenuioribus communiter dicitur, hoc loco indicari bractea, quæ ferri est lamina tenuis, & replicata crepitum edit. Bersman. PRIMI CVNEIS SCIND. FISSILE LIG.) Non serrabant lignum primæ ætatis homines, sed cuneis findebant, quod Græcis est σχίζειν: vnde σχίδια Vitruuio sunt partes materiæ, ascia abrasæ, aut securi detruncatæ. Bersman. LABOR OM. V. IMPROB.) Concludit inductionem hanc παραδειγματικὴν epiphonemate, seu γνώμῃ, complectente caussam inuentionis artium variarum, & quidem mechanicarum præcipuè. Duas autem subijcit, μελέτην καὶ πενίαν. De illa Antiphanes, quod videtur poeta expressisse, τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίγνεται. Et ei congruenter Menander. ἅπαντα γίγνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα. De altera Horat. *Vt versus facerem, paupertas impulit audax.* Et Xenophon eandem non inscitè σοφίαν αὐτοδίδακτον, hoc est, sapientiam quæ citra doctorem contingit, nominauit. Improbus labor est indefessus, continuus, requietis impatiens labor. *Ein vnuerdrossene Arbeit.* Bersman.

Laborem plurimi verbis laudant, rebus fugiunt quibus suaue est otium, amarus, ingratusq; labor. Diuinæ naturæ proprium est maximè, nullo labore fungi, nullam sentiscere lassitudinem: at mortalium nemini concessum est, citra laborem quidquam egregium adipisci. Quomodo autem a victu, sine alimento vita tota, cum omnibus actionibus pendet: sic labori ferendum est in acceptis, quidquid in rebus contingit boni. Quocirca vt cibum potionemq; nequaquam negligunt, qui producere vitam desiderant: ita qui bona quæ sunt concupiscunt, laborem sibi adeo obtinenda ducem adsciscant. Heraclides scripto libro laborem copiosissimè commendauit. In eo dixit etiam hoc, absq; illo in rebus humanis nihil videri frugiferum: cassum quoq;, & inutilem laborem (at non vitiosum) otio ac delitiis anteponendum esse. Omnia deos laboribus vendere, Epicharmion est. Laborem gloriæ patrem vocauit Euripides. Cleanthes cum audiret Laconem quendam, laborem commendantem, eius oratione demulsus, ex Homero hemistichium subiecit. αἵματός εἰς ἀγαθοῖο φίλον τέκος. Sanguine præclaro es charissime fili. *Cæterum huic Maronianæ sententiæ gemina est quodammodo illa Senecæ, epist. 50. Nihil est quod non expugnet pertinax opera, & intenta, ac diligens cura. Laboris necessitatem in rebus omnib. ac proinde supra cætera illius decus demonstrat etiam Theodoretus de Prouidentia serm. 7. Quid verò labores carpis, inquit, ô leuissime? Et quod nam ex omnibus, quæ homini contingunt, bonis citra laborem peragitur? Quam fælicitatem hominum natura citra laborem percipit? Agricultura bonis, nempe prouentuum fructibus per labores fruimur. Vrbes ædificamus, cum labore eas extruentes. Labore duce domos incolimus, veste corpus velamus, calceamenta pedibus inducimus, & cibos omnifarios proferimus. Adhuc de necessitate & vtilitate laboris Iouianum facundissimè prædicantem audiamus, lib. 1. de Fortitud. Iam verò labores improbandi non sunt, quando ad agendum nascimur, nec nisi agendo virtutem assequi, atq; fælicitatem possumus. Nulla enim de minorib. vel artibus, vel disciplinis, absq; labore aut comparari, aut retineri diutius comparata sine exercitatione etiam multa potest. Existit enim ab exercitatione habitus, quem vt non facile quis valet exuere, sic perdifficile est induere. Siquidem compescenda sunt naturales appetitiones, consuescendumq; in multis, quibus ipsa initio natura quodammodo reluctatur, ac repugnat. Omitto reliqua, ne sim longus nimium. Atq; hæc tam multa de laudibus laboris his Collectis meis inserta volui, vt poeta verbũ quam luculentissimum, planissimumq; facerem.* DVRIS IN REBVS) Quis dubitet hic ex-

hic exponere *res duras*, res tenues, angustas, accisas, latem pauperem. *Da weder zu brocken noch zu beissen ist.* Item res duræ, res incommodæ, aduersæ, afflictæ, iniquæ, infortunatæ. Æneid. 1. *Res dura, & regni nouitas.* Sic dura seruitus, dura conditio, & similia. Iacob. Pont.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, cum iam glandes, atq; arbuta sacræ
Deficerent syluæ, & victum Dodona negaret.
Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos
Esset rubigo, segnisq; horreret in aruis
Carduus. intereunt segetes, subit aspera sylua,
Lappæq;, tribuliq;: interq; nitentia culta
INFÆLIX LOLIVM, ET STERILES DOMINANTVR AVENÆ.
Quòd nisi & assiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aues, & ruris opaci
Falce premes vmbras, votisq; vocaueris imbrem:
Heu magnum alterius frustra spectabis aceruum,
Concussaq́; famem in syluis solabere quercu.

Sic cum omnes artes, tum inprimis agrorum colendorum ratio inuenta est. Cum enim glandes iam deficerent, & syluæ victum famelicis hominibus denegarent, ibi demum Ceres inter mortales extitit, quæ hanc agricolationis artem, & vsum frumentorum inuenit: hominesq; rationem docuit, vt & arua proscindere, & fruges serere: easq; molere atq; conficere possent. Et quemadmodum Deus ille, communis rerum parens, alijs omnibus artibus laborem, quasi comitem quendam addidit: ita & agriculturæ suas molestias, suos labores adesse voluit: ideoq; fruges multiplicibus incommodis, ac vitijs subiecit: vt in illis præcauendis, & auertendis hominum industriam exerceret. Nam præter ea, quæ suprà recensuimus vitia, etiam illud frugibus adest, quod rubiginem vocant, nullo minus noxium. Hac enim segetum maxima peste, culmi & spicæ marcescunt, atque in fœtidum puluerem rediguntur. Sed & spinæ in agris enascuntur, & cardui, & lappæ, & dira res tribuli, & lolium illud infælix, & commune, præcipuumq; omnium satorum vitium auena. Quas ego res vtrum potius inter frugum morbos, an ipsas terræ pestes añumerem, haud scio. Atque hæc omnia mala diligenti cura agricolæ cauenda sunt. Nam vt ne spinæ atq; noxiæ herbæ agris innascantur, remedium erit in sarculis, & rastris, quibus ille terram assiduò exercebit. Aues sonitu & strepitu fugabit. Quæ verò segeti vmbram afferunt, ea omnia falcibus amputabit. In primis autem commodam à dijs immortalibus tempestatem optabit: & pluuias fœcundas, & calorem genialem votis exposcet. Hæc enim nisi diligenter, & studiosè faciat agricola, sua messe post destitutus, aliorum aceruos limis oculis spectabit: & inops atq; famelicus, ipse suam inediam glandibus, & victu syluestri expiabit. PRIMA CERES FERRO) Ouid. 5. Metam.

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaq́, mitia terris.

Vide suprà, principio libri, *Liber, & alma Ceres*, &c. De victu primorum hominum Ouid. 1. Metam.

Contentiq́; cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaq́; fraga legebant,
Cornaq́; & in duris hærentia mora rubetis,
Et, quæ deciderant patula Iouis arbore, glandes.

Nomine ferri, non aratrum modò, sed reliqua item instrumenta rustica intellige. VICTVM DODONA NEG.) Dodona vrbs Epiri, iuxta quam nemus Ioui sacrum, glandibus abundans. Eadem figura ab initio dixit *Chaoniam glandem.* Chaonia enim pars Epiri. MOX ET FRVM. LAB. ADDITVS) Plin. lib. 18. cap. 7. Frugum duo prima genera, frumenta, vt triticum, hordeum: & legumina, vt faba, cicer. Isidor. libro 17. capite tertio. Frumenta sunt propriè quæ aristas habent: fruges autem reliqua, vtrumque à frumendo, hoc est, vescendo. Nam frumen dicitur summa pars gulæ. * *De generibus frumenti, tritici, farris diligentissimè, & plenissimè disputatum est à Delrio in Hippolytum Senecæ actu tertio, quem legere poterit cui videbitur, & vt videatur tibi, quæso.* VT MALA CVLM. ESSET RVB.) Lege capit. 17. libro 18. apud Plinium, de vitijs frugum, & remedijs. Accessit labor ad frumenta, cum & ante in ijs labor esset: sed herbarum scilicet extirpandarum, quæ nocerent segetibus. Dixit, *culmos esset rubigo*, vt quarto Æneidos, *est mollis flamma medullas.* A rubigine, siue robigine Romanis dictus Robigus, cui instituta à Numa Robigalia. Malum est commune frugibus, & vitibus: sed in illis vredo, in his carbunculus propriè dicitur. Bersman. SEGNIS CARD. HORRER.) Segnis carduus, est infœcundus, inutilis. *Horreret*, propter aculeos. INTER. SEG. SVBIT ASP.) Sata enecantur, succrescente scilicet materia segetis alienæ, seu sylua herbarum inutilium subeunte, quibus seges vtilis oppressa strangulatur. Seruius hoc loco, Notandum, inquit, etiam de herbis syluam dictam. Cicero prætura vrbana. Tabulas & signa, quæ in ædibus tuis nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in sylua denique disposita sub dio vidimus. Horat. *Nempe inter varias nutritur sylua columnas.* Scriptum etiam in iure: sed si forte eo in loco vicinus syluam fecerit, nihil videtur contra seruitutem fecisse. Cuiacius Obseruat. libro decimo, cap. 15. NITENTIA CVLTA) Vocat ita pulchras, & pingues segetes. INFÆLIX LOLIVM) Infœcundum, inutile: sicut contrà, *felicemq́, trahunt limum*, pro fœcundo, & agris vtili. **Quo pertineat huius versus allegoria, facile videt homo non stupidus: ad sæculum nempe: quo præmia virtutis, vitia possident. Et forsitan ad hoc ipsum, quo nos viuimus: nullum enim infælici lolio, & auenis istis sterilissimis opinor plenius volui posse.* STERILES AVENÆ) Sunt enim & satiuæ quædam auenæ, quibus similes sunt illæ steriles, quæ in segetibus enascuntur, quas primum omnium frumenti vitium Plinius appellat, & hordeum in eas degenerare scribit. Ouidius.

Nec

Nec sterilis culto surgat auena solo. Bersman. * *Huc quoq;* A *confer, quæ legis in ecl. 5. super eo,* Infelix loliũ, & steriles dominantur auenæ. *num. 113.* QVOD NISI ET ASSIDVIS) *Quod nisi genus loquendi est pro nisi, crebrum idoneis scriptoribus. Eclo. 9.*

Quod nisi me quacunq; nouas incidere lites
Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix.]

Conclusio est hactenus insertæ digressionis, hortationem complectens ἀπὸ τῶν βλαβερῶν. Commemorat enim incommoda, quæ inde consequantur, nisi quis assiduò incumbat euellendis herbis noxiis, abigendis auibus, restituendæ apricationi, deniq; votis impetrandæ agrorum irrigationi. Atq; indicatur desidię comitem esse famem, fortasse imitatione Hesiodi, cuius hic legitur versus. λιμὸς γάρ τοι πάμπαν ἀεργῷ σύμφορος ἀνδρί. Bersman. SONITV TERREBIS AVES) Respicit ad id quod suprà dixerat, *nihil improbus anser, Strymoniæq; grues.* Huiusmodi terriculamenta Græcis sunt φόβητρα. RVRIS OPACI PREMES VMBRAM FALCE) Ramos, qui segetes inumbrant, falce amputabis: illis enim amputatis, vmbra ipsa coercetur, siue imminuitur. Rus igitur opacum dicit ramis, & frondibus arborum vmbrosum: alluditq; ad id, quod paulò ante subiecit, *aut vmbra nocet.* Bersm. * *Dictæ falces, quòd his primùm milites herbam filicem solebant abscindere, vnde est illud.*

Pax me certa ducis placidos curuauit in vsus:
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

Isidorus lib. 20. HEV MAG. ALTER. FRVSTRA) Magnum ex aliena vbertate cum penuria tua collata dolorem accipies. Cum gemitu opimam vicini tui messem, vix paucos ipse manipulos consecutus intuebere, cogerisque loco panis glandes esitare. Olet hæc sententia illud Hesiodium. μήπως τὰ μεταξὺ χατίζων Πτώσσῃς ἀλλοτρίους οἴκους, καὶ μηδὲν ἀνύσσῃς. Iacob. Pont. CONCVSSAQVE FAM. SOLAB. QVERCV) Horat. sat. 6. lib. 2. *Me sylua cauusq; Tutus ab insidiis tenui solabitur eruo.* Loquitur mus rusticus.

Dicendum & quæ sint duris agrestibus arma,
Queis sine nec potuere seri, nec surgere messes.
Vomis, & inflexi primùm graue robur aratri,
Tardaq; Eleusinæ matris voluentia plaustra,
Tribulaq;, traheæq;, & iniquo pondere rastri:
Virgea præterea Celei, vilisq; supellex,
Arbuteæ crates, & mystica vannus Iacchi.
Omnia quæ multò ante memor prouisa repones,
Si te digna manet diuini gloria ruris.
Continuò in syluis magna vi flexa domatur
In burim, & curui formam accipit vlmus aratri.
Huic à stirpe pedes temo protentus in octo:
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Cæditur & tilia ante iugo leuis, altaq; fagus,
Stiuaq;, quæ currus à tergo torqueat imos:
Et suspensa focis exploret robora fumus.

DICENDVM ET QVÆ SINT) Proponit dein- B ceps enarrationem supellectilis rusticæ, quæ nam sint instrumenta operi faciendo necessaria. Græcis ἐργαλεῖα γεωργικά. Atque hęc est secundùm vulgatam distributionem huius libri pars tertia, tota διδασκαλικὴ, cùm superiores duæ magis videantur παραινετικαὶ. Pleraq; eorum, quæ hic referuntur, de secundo Hesiodi expressa sunt. Bersman. DVRIS AGRESTIBVS ARMA) Arma, more Græcorum, qui ὅπλα, & τεύχεα, & ἔντεα armamenta & instrumenta vocant, vnde & ὅπλον pro fune nautico Apollonius, & Homer. ὀδ. ξ. ὅπλῳ ἐϋστρεφέϊ στερεῶς κατέδησαν, hoc est, σχοινίῳ. Et ὀδ. ο. ὅπλα τὰ σκεύη νηὸς significat. ὀδ. γ΄. ὅπλα χαλκήϊα fabrilia instrumenta. Quin & Eustath. Iliad. δ. pro cuiussuis opificij instrumentis accipi est auctor: vnde & ὁπλίζω nō solùm armo, sed & pro ἑτοιμάζω, & παρασκευάζω, vt infrà 4. Æneid. *armari classẽ, cursumq; parari.* German. * *De armis, seu instrumentis agrestibus consule Varronem lib. 1. cap. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Enumerantur multa à Catone, potissimùm cap. 10. 11. 12. è quibus non pauca explanat Turneb. lib. 7. cap. 22. 23. 24. 25. Vide etiam Palladium lib. 1, cap. 43. Isidor. lib. 20. cap. 14. Quamobrem Virgilius tam pauca enumeret, adeoq; de iis strictim differat, mirum non est: non enim de omnibus operum rusticorum instrumentis: sed de iis duntaxat, quæ ad messem, arationemque requiruntur, se scripturum professus est, illis verbis.* Queis sine nec potuere seri, nec surgere messes. *Et primorum scriptorum solemne est, non omnia à capite arcessere, nihilq; omnino præterire.* INFLEXI PRIMVM GRAVE R. ARAT.) Primo loco nominat aratrum robustum, & concinnum, quod & vomere ad terram proscindendam idoneo, & dentali valido, cui vomer infigatur, instructum sit. Plinius lib. 18. vomerum aliquot genera percenset. De aratro, & item reliquis instrumentis ad agrum pertinentibus, poteris etiã videre Præd. rusticum Caroli Stephani in Agro. ELEVS. MAT. VOLVENTIA PLAVSTRA) Ceres dicta est Eleusina, à pago regionis Atticæ, in quem illa diuertit, dum accensis facibus, raptam sibi filiam Proserpinam toto orbe quærit. Originem sacrorum quæ Eleusinia, & Thesmophoria dicuntur, & ea ipsa quæ retulimus, fusè persequitur Arnob. lib. 5. Ibidem de eorum sacrorum silentio sic ait. Mysteria illa sancta, quibus initijs nomen C est, & quæ non omnibus vulgò, sed paucorum taciturnitatibus traduntur. Vide insuper Clement. Alexandr. in Exhortat. ad gentes. De somnio Numenij Pythagorei philosophi, propter sacra Eleusinia vulgata, Crinitus ex Macrob. lib. 6. cap. 3. Cererem Athenienses propter nescio quę beneficia ab illis accępta duobus muneribus, nempe frugibus, & sacris, seu initijs illis arcanis donasse, testificatur in Panegyrico Isocrates. Templi Eleusinij, quod vnicum antiquæ fælicitatis, ac maiestatis monumentum vocat, conflagrationem deplorat Tom. 1. orat. Aristides. Iacob. Pont.

Voluens, perpessionis significatione (vt etiam voluendus)

uendus) eleganter apud Lucretium, & Virgilium poni-tur. 1. Æneid. *olim voluentibus annis.* Lucret. lib. 5. *Multaq́; per cælum solis voluentia lustra.* Valet igitur voluentia plaustra, quæ voluuntur, vel quæ voluunt se, volubilia. Turneb. lib. 30. cap. 19.

Plaustrum etiam dicitur plostrum, diminutum, plostellum. Horat. *Ædificare casas, plostello adiungere mures.* Hîc tarda Cereris plaustra accipio, quorum vsus est ad rem rusticam necessarius, siue vt fimus in agrum, siue vt demessę fruges in horreum inuehantur, siue vt aliquid aliud eo vel exportetur villa, vel importetur in eam. Iacob. Pont. TRIBVLAQ. TRAHEÆQ.) Tribula genus vehiculi, vnde teruntur frumenta, & ob hoc ita vocatur. Isidor. lib. 20. Nemo nescit, in eum vsum etiam boues & equos adhiberi solitos. In sacris litteris est, non alligabis os boui trituranti. In Germania flagellis quibusdam ligneis, capitibus ferratis vtimur. *In Teutschlandt trischt man mit Fleglen, oder Drüscheln.* *Traha,* seu *trahea* metri caussa, vehiculum carens rotis, à trahendo, *ein Schlitt.* INIQ. PONDERE RASTRI) Rastra, ait Isidorus lib. 20. aut à radendo terram, aut à dentium raritate dicta. Instrumentum glebis frangendis comparatum. Suprà. *Multum adeò rastris glebas qui frangit inertes.* Iniquo pondere, expone magnos, & graues. Existimat Vrsin. allusum ad illud Terent. in Heauton. *At istos rastros tamen interea depone.* Et paulò pòst: *Hui tam graues hos, quæso?* VIRGEA PRÆTEREA) Viminea vasa, ex viminibus nimirum, seu virgis contexta, corbes, fiscellæ, quæ à Celeo Triptolemi patre primùm inuenta feruntur: cuius supellectilis vile est pretium. MYSTICA VANN. IACCHI) Vannus est vas vimineum latum, in quod propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent, & Libero sacrum facere. Vnde mystica dixit. Est autem vsus eius, vt fabam vannet. Philargyr. * *Aliter, vanni sunt cribra, quibus frumenta purgantur: vnde verbum Varronianum, euannare, quod est per vannos expurgare. Ita Beroaldus annotat in Columell. Quare autem mystica vannus? Iacchus enim Bacchi nomen est, à clamore Bacchanalia obeuntium. Quia in sacris Liberi patris vannus adhibebatur, ad significandum animas sacris illis purgari, sicut frumenta vannis. Plures narrat caussas Bersman.*

QVÆ MVLTO ANTE MEM. PRO. REP.) Hesiod. τῶν πρόσθεν μελέτην ἐχέμεν, οἰκήια θέσθαι. Et, ὅπλα δ' ἐπάρμενα πάντα τεῷ ἐγκάτθεο οἴκῳ. *Memor,* prouidus, καταχρηστικῶς. Prouidentiæ enim est futura prospicere, memoriæ præterita repetere. SI TE DIGN. M. GLO.) Si laudem affectas boni & diligentis agricolæ. DIVINI RVRIS) Quod in deorum tutela est, eorumq́; numine propitio fœcundatur. Bersman. CONTINVO IN SYL.) Aratrum describit κατ' ἀπαρίθμησιν, hoc est, per enumerationem partium, quæ hoc loco recensentur, buris, temo, aures, dentale, vomer, iugum, stiua, rotulæ: quarum singulæ ex qua materia, & quomodo ritè parari debeant, ac possint, deinceps persequitur. Atque accommodata est ὑποτύπωσις ista Gręcorum magis, quàm Latinorum aratro: siquidem poeta Hesiodum in ea æmulatus est. DOM. IN BV.) Buris est curuamētum aratri, dictum quasi busura, quod fit in similitudinem caudæ bouis. Bura Nonio pars aratri posterior decuruata. Varro lib. 1. Et sæpe fracta bura relinquant vomerem in aruo. Virgilius burim nominat. BINÆ AVRES) Aures sunt vtrinq; circa vomerem annexi asserculi, ad ampliandum sulcum. DENTALIA) Dentale est aratri pars prima, in qua vomer inducitur, quasi dens. Ita Isidorus lib. 20. DVP. DORSO) id est, crasso, & lato, vt illud in 5. Georg. *At duplex agitur per lumbos spina,* id est, crassa, & lata: quamuis dubitanter explicari ista sciam ab interpretibus. Turneb. lib. 13. cap. 1. CÆDIT. ET. T. A. IVGO. L) Ad iugum, siue vsum iugi cęditur tilia, leuis arbor, ne pondere suo sit oneri iumentis. ALT. FAGVS) Plin. lib. 16. cap. 43. Facilis est fagus, quanquam & fragilis, & tenera. Eadem sectilibus laminis in tenui flexilis, capsisq; & scriniis sola vtilis. STIVAQ. QVÆ CVR.) Stiua aratri manica est, qua dirigitur. Currus appellat aratrum, à similitudine curriculi, cùm duabus rotis incedat. EXPLO. ROB. FVM.) Fumus explorat robora. Nam si ad hunc suspensa non faciunt rimas, satis firma sunt. Robur propriè genus quercus durissimæ, hic pro quouis ligno. Est & Hesiodi præceptum istuc de robore fumo explorando. πηδάλιον δ' εὐεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσασθαι. Bersman.

Possum multa tibi veterum præcepta referre,
Ni refugis, tenuesq́; piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & creta solidanda tenaci:
Ne subeant herbæ, neu puluere victa fatiscat.
Tum variæ illudant pestes. sæpe exiguus mus
Sub terris posuitq́; domos, atq; horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ:
Inuentusq́; cauis bufo: & quæ plurima terræ
Monstra ferunt: populatq́; ingentem farris aceruum
Curgulio, atq; inopi metuens formica senectæ.
Contemplator item, cùm se nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes:
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore:
At si luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca:

Gran-

Grandior vt fœtus siliquis fallacibus esset,
Et quamuis igni exiguo properata maderent.
Vidi lecta diu, & multo spectata labore
Degenerare tamen: ni vis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret. SIC OMNIA FATIS
IN PEIVS RVERE, AC RETRO SVBLAPSA REFERRI.
Non aliter quàm qui aduerso vix flumine lembum
Remigijs subigit, si brachia fortè remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alueus amne.

POSSVM MVLTA VET.) Renouatur attentio. Veterum, subaudi scriptorum rei rusticæ, quos initiò enumerat Varro. TENVES CVRAS) Res rusticæ ciuilibus, & bellicis collatæ, sunt humiles ac tenues, nec satis dignæ, in quibus cognoscendis viri amplissimi, qualis Mæcenas, studium ponant: ideo dixit, *ni piget*, quod est pœnitentiæ, sicut pudet verecundiæ. Iacob. Pont. AREA CVM PRIMIS) Ante vertenda manu, & sic æquanda. Cum primis autem, id est, inter prima. Philarg.

Area, inquit Festus, propriè dicitur locus vacuus, quasi exaruerit, & non possit quidquam generare. Varr. lib. 4. de ling. lat. Vbi fruméta secta terantur, & arescant, area. Propter horum similitudinem loca in vrbe pura, areæ. A quo potest etiam ara deûm esse, quòd pura. Nisi potius ab ardore, ad quem vt sit, fit ara. A quo ipsa area non abest, quod qui arefacit, ardor est solis.

E Catone sumpta esse alij quoq; annotarunt: cuius verba extant cap. 129. Aream, vbi frumentum teratur, sic facies. Confodiatur minutè terra, & amurca bene conspergatur, vt combibat quamplurimùm. Vbi bene comminuta terra fuerit, & amurcam combiberit, cylindro, aut pauicula coæquato: vbi coæquata erit, neq; formicæ molestæ erunt, & cùm pluet, lutum non erit.

M. quoq; Varro lib. 1. cap. 51. Aream, inquit, oportet esse solida terra pauitam, maximè si est argilla, ne æstu pæminosa in rimis eius grana oblitescant, & recipiant aquam, & ostia aperiant muribus, ac formicis. Itaq; amurca solent perfundere. Ea enim herbarum est inimica, & formicarum: & talparum venenum. * *Ab area frumentaria inflectitur areator, qui nimirum in ipsa area frumentum terit, & exspicat. Vtitur ea voce Columella. Germanicè,* ein Drescher. INGENTI ÆQV. CYLINDRO) Cylindrus est columna lapidea, rotunda, & volubilis, ita composita, vt per locum quem complanare volumus, circumacta, facili negotio inæquales terræ glebas subigat, ἀπὸ τοῦ κυλινδεῖν, id est, à voluendo. Columella lib. 1. cap. 6. Area, si competit, ita constituenda est, vt vel à domino, vel certè à procuratore despici possit. Eaq; optima est scilicet constrata, quòd & celeriter frumenta deteruntur, non cedente solo pulsibus vngularum, tribularumque, & eadem euentilata mundiora sunt, lapillisq; carent, & glebulis, quas per trituram ferè terrena remittit area, &c. Idem lib. 2. cap. 20. Area quoque, si terrena erit, vt sit ad trituram satis habilis, primùm radatur, deinde confodiatur, permistisque paleis cum amurca quæ salem non accepit, extergatur: nam ea res à populatione murium, formicarumq; frumenta defendit: tum æquata pauiculis, vel molari lapide condensetur, & rursus subiectis paleis inculcetur, atque ita solibus siccanda relinquatur. Vide & Pallad lib. 1. cap. 36. Idem lib. 7. cap. 1. Iunio mense area paranda est ad trituram, cuius primò terra radatur, deinde effossa leuiter mistis paleis, & amurca æquetur insulsa. Quæ res à muribus, & formicis frumenta defendit. Tunc premenda est rotundo lapide, vel columnæ quocunque fragmento, cuius volutatio possit eius spacia solidare, &c. ET CR. SOLID. TENACI) Mirum est, amurcam à Virgilio prætermitam, cùm tam firmum contra pestes, quas exponit, remedium sit, atq; ab antiquis tantopere prædicatum. *Solidanda*, pauienda est, *creta tenaci*, terra argillosa, pingui, tenacique. NE SVB. HERBÆ) Ex granis, cùm fruges triturantur, succrescant & enascantur, in rimis scilicet areæ æstu dehiscentis. PVLVE. FATISCAT) Fatiscat, id est, soluatur. Et puluere, pro siccitate. Philargyr. Aliter, ne victa fatiscat in puluerem, vel aperiatur, ac dehiscat disrupta siccitate, seu æstiuo calore. Fatiscere enim est quasi fatim, vel affatim hiscere, hoc est, rimas agere, hiare, aperiri. Plin. lib. 18. cap. 29. hanc Virgilij rationem areæ præparandæ operosiorem esse ait, ac maiore ex parte aream æquari tantum, & fimo bubulo dilutiore illini. idq; satis ad pulueris remedium videri tradit. Bersman. TVM VA. ILLVD. PESTES) Sic & 4. Georg. *Tum variæ illudent species, atq; ora ferarum.* SÆPE EXIGVVS MVS) Risimus, & meritò, nuper poetam qui dixerat, *Prætextã in cista mures rosere Camilli.* At Virgilij miramur illud, *Sæpe exiguus mus.* Nam epitheton *exiguus* aptum proprium effecit, ne plus expectaremus, & casus singularis magis decuit, & clausula ipsa vnius syllabæ non vsitata, addit gratiam. Imitatus est itaque vtrumque Horatius, *Nascetur ridiculus mus.* Quintilian. lib. 8. cap. 3. OCVLIS CAPTI TALPÆ) Captus aliquis oculis non semper eodem sensu dicitur. Nam apud Ciceronem valet delinitus, & inductus ea corporis parte, & quasi captiuus factus. Ita enim ille de C. Verre locutus est. Tametsi ne oculis quidem captus in hanc fraudem tam sceleratam, ac tam nefariam decidisti. Significat enim, vt appareat ei, qui totum locum legerit, ipsum nunquã aspexisse, quod tam ardenter tunc cupiebat. Victor. lib. 34. cap. 14.

De talpis Plin. lib. 30. cap. 3. Peculiare vanitatis sit argumentum, quod animalium cunctorum talpas maximè mirantur, tot modis à rerum natura damnatos, cæcitate perpetua, tenebris etiamnum alijs defossos, sepultisq; similes. Nullis æquè credunt extis, nullum religionis capacius iudicant animal, vt si quis cor eius recens, palpitansque deuorârit, diuinationis, & rerum efficiendarum euentus promittant, &c. INVENTVSQ. CAVIS BVFO) Bufo rana terrestris, minimæ magnitudinis, Plinio rubeta, quòd inter rubos degat. POPVLATQ. ING. F. ACER.) Non solus Virgilius dixit populat, pro populatur, sed & Cæcilius Asoto. *Iam dudum depopulat macellum.* Ennius Ambracia, *Agros audaces depopulant serui, dominorum domini.* Attius Astyanacte, *Qui nostra per vim patria populauit bona.* Nonius. CVRCVLIO) Curgulio pro Gurgulio per antistœchon, nomé vermis frumentis infesti, quæ erodit, quòd ferè nihil videatur aliud quàm guttur. INOPI. M. F. S) De formica dicemus ad lib. 4. Æneid. *Ac velut ingentem formicæ farris aceruum Cum populant.* Habet hieroglyphicum prouidentiæ formi-

formica, ad quam nos etiam Salomon mittit, Inops est sine ope, & auxilio, ait Nonius, proferens hunc locum. Et lib. 8. *res inopes Euandrus habebat*. Terent. Adelph. *Ferte misero atq; innocenti auxilium, subuenite inopi*. Cic. 2. Offi. Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiamsi referre non potest, habere certè potest. Iacob. Pontani. CONTEMPLA. ITEM CVM SE) Lucret. lib. 3. *Contemplator enim cum solis lumina cunq;*. Lib. 6. *Contemplator enim, cum montibus assimilata Nubila*. Subijcit prognosticum rusticum, futuræ fertilitatis, seu copiosi frugum prouentus, & huic contrariæ sterilitatis, sumptum à floribus amygdalæ, quorum multitudine fertilitatem portendrait: contraque ipsorum foliorum luxuria inopiam. CVM SE. N. P. SYL. IND. IN FLO.) Columella lib. 5. cap. 5. Quia quod pars palmitis præcipitata est, fructu induitur. Apud Plinium quoque terra segetibus indui dicitur. SI SVP. FOET.) Si flores sua copia excedant folia; si nuces sint plures, quàm folia. *μετωρισμένως* fœtus dixit nuces, seu flores nucum amygdalinarum. NE QVID. PING.) Minimè pingues, sine granis. SEM. VIDI EQVID. MVL.) Plinius lib. 18. cap. 17. Vino ante semina perfusa, minus ægrotare existimant. Virgilius nitro, & amurca perfundi iubet fabam: sic etiam grandescere promittit. Quidam verò, si triduo ante satum vrina, & aqua maceretur, præcipuè adolescere putant. Locum hunc Maronis adducit Columella lib. 2. cap. 10. vbi de faba serenda disserit. Vide & Pallad. lib. 1. tit. 55. Semen Vertranius dici putat, quòd se minus fit cùm seritur. Turneb. à semi, quod sit semiperfectum quiddam, habita ratione ad id, quod ex eo prodit. SILIQ. FALL.) Quę fallere plerunque solent. Interdum enim leguminum folliculi maiores videntur, quum inanes sint. Seruius. PROP. MADERENT) Veteres madere pro coqui vsurpasse, satis multis docere exemplis possum, vt hoc ipso Maronis, & Plauti in Persa. *collyra facite madeant, & coliphia*. Et in Mænechmis. *Iam ego hæc madebunt faxo, nil morabitur*. Rursum, *madida quæ mihi apposita*, id est, cocta. Id ex eo credo, quòd plerunque quæ cocta sunt, tenerescere, & madescere solent. Turneb. lib. 18. cap. 15. VIDI LECTA DIV, ET. MVL.) Columella lib. 2. cap. 9. Nam quod ait Celsus, vbi mediocris est fructus, optimam quamque spicam legere oportet, separatimq; ex ea semen reponere: cùm rursus amplior messis prouenerit, quidquid exteretur, capisterio expurgandum erit, & semper quod propter magnitudinem, ac pondus in imo subsederit, ad semen reseruandũ: Nam id plurimum prodest, quia quamuis celerius locis humidis, tamen etiam siccis frumenta degenerant, nisi cura talis adhibeatur. Neq; enim dubium est, ex robusto semine posse fieri non robustum: quod verò protinus exile natum sit, nunquam robur accipere manifestum. Ideòq; Virgilius cùm & alia, tum & hoc de seminibus præclarè sic disseruit: *Vidi lecta diu*, &c. Et Varro lib. 1. cap. 52. Quæ seges grandissima, atq; optima fuerit, seorsim in aream secerni oportet spicas, vt semen optimum habeat. NI VIS HVM. QVOTANNIS) Lucretius lib. 5.

Quod superest arui, tamen id natura sua vi
Sentibus obducat, ni vis humana resistat.

OMNIA. F. IN PEIVS) Caussam cur nostra ætate gi-
B gantes non generentur, mundi esse senectam, vt suprà dicebamus, manifestum est. Quam rem & Virgilium animaduertisse crediderim, dum & frugum semina degenerare, minoraq; in dies fieri dixit. Quanquam Aristoteles 1. Meteor. terram locis duntaxat quibusdam, non autem vniuersam, nec eodem tempore senescere, & rursus iuuentutem adipisci scribit. Mag. lib. 1. cap. 4. * *Iuuabit legisse, quæ ex Lucretio prætereà de imbecillitate terræ protulimus lib. 11. Æneid. ibi.*

Vix illud (saxum) lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Quoties autem de misera horum conditione temporum queri soles, non insulsè hoc Maronianum exclamabis, Sic omnia fatis in peius ruere, & retro sublapsa referri. *Noli super hoc plura à me desiderare, intelligenti pauca sufficiunt.*
C RETRO SVBLAP. REF.) à fluminibus retrorsum currentibus videtur ducta tralatio. NON AL. Q. Q. ADVERSO) *παραβολῇ* declarat quod dixit de rebus omnibus in peius ruentibus, qua similitudine, nauigij aduerso flumine subacti, & impulsi Seneca item vsus est in Hyppolito, vbi Phædra de vi amoris sui turpissimi inuicta, vt putat, conqueritur.

Sic cùm grauatam nauita aduersa ratem
Propellit vnda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado, &c.

ATQVE) Significat hìc, statim, continuò, properè, mox,
D Sic Ennius, *Atq; atq; accedit muros Romana iuuentus*. Gellius lib. 10. cap. vlt. vbi de significatis huius vocis disserit, & hunc Maronis locum producit. Adiũge ex Plauti Epidico. *Quum ad portum venio, atq; ego illam illic video præstolarier*. Capt. *Quò imus vna, inquam, ad prandium? atq; illi tacent*. Mostellar. *Quem (senatum congerronum) cum conuocaui, atq; illi me a senatu segregant*. Iacob. Pont. PRONO AMNE) secundo fluuio.

Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis,
Hædorumq; dies seruandi, & lucidus Anguis,
Quàm quibus in patriam ventosa per æquora vectis
Pontus, & ostriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die, somniq; pares vbi fecerit horas,
Et medium luci, atq; vmbris iam diuidet orbem,
Exercete viri tauros, serite ordea campis,
Vsq; sub extremum brumæ intractabilis imbrem.
Nec non & lini segetem, & cereale papauer
Tempus humo tegere, & iàdudum incumbere aratris,
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio: tunc te quoq; medica putres
Accipiunt sulci: & milio venit annua cura:
Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus, & aduerso cedens canis occidit astro.

At si

At si triticeam in messem, robustaq; farra
Exercebis humum, solisq; instabis aristis:
Antè tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnosiaq; ardentis decedat stella coronæ,
Debita quàm sulcis committas semina, quamq;
Inuitæ properes anni spem credere terræ.
Multi ante occasum Maiæ cæpere: SED ILLOS
EXSPECTATA SEGES VANIS ELVSIT AVENIS.
Si verò viciamq; seres, vilemq; faselum,
Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis:
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes.
Incipe, & ad medias sementem extende pruinas.
Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi sol aureus astra.

TAM SVNT ARCTVRI SID. NOB. QVAM) Distinguit poeta deinceps tempora operum rusticanorũ, vt suo quæque fiant tempore. Quia autem illorum discrimina ab obseruatione siderum recte sumuntur, ideo hanc partem astrologię, quæ tempora docet discernere, ac futuras præscire tempestates, agricolis non minus q̃ nautis esse necessariam contendit. Plinius tamen aliter sentit, cuius verba mox recitabimus. Bersman. Et est hoc initium quartæ partis huius libri. Vide synopsin.

Ergo Plin. lib. 18. cap. 24. Ita his nulla naturæ cura est, illis nimia, & ideo cæca subtilitas, cùm res inter rusticos geratur, litterarumque expertes, non modò siderum. Et confitendum est, cælo maximè constare ea: quippe Virgilio iubente, prædisci ventos ante omnia, ac siderum mores, neque aliter, quàm nauigantibus seruari.

Columella lib. 11. cap. 1. Nam cùm propriis pæne momentis fieri quidquam debeat, si vnum opus tardius, quàm oporteat, peractum sit, cætera quoque quæ sequuntur, culturæ, post iusta tempora serius adhibentur, omnisque turbatus operis ordo spem totius anni frustratur: quare necessaria est menstrui cuiusque officij monitio ea, quæ pendet ex ratione siderum cæli. Nam vt ait Virgilius, *tum sunt Arcturi sidera nobis Hædorumque dies, &c.* Contra quam obseruationem multis argumentis disseruisse me non inficior in ijs libris, quos aduersus astrologos composueram. Sed illis disputationibus exigebatur id, quod improbissimè Chaldæi pollicentur, vt certis quasi terminis, ita diebus statis aeris mutationes respondeant. In hac autem ruris disciplina non desideratur eiusmodi scrupulositas, sed (quod dicitur pingui Minerua) quantumuis vtile continget villico tempestatis futuræ præsagium, si persuasum habuerit, modò antè, modò pòst, interdum etiam stato die orientis, vel occidentis competere vim sideris. Nam satis prouidus erit, cui licebit ante multos dies cauere suspecta tempora. ARCTVRI SIDERA, HOEDORVM, ET LVCIDVS ANGVIS) Ortus & occasus horum siderum nauigantibus inimicus est, quia venti tum & tempestates creantur. Leonidas 3. Epigram. in naufragum. ἐν πολὺ κῦμα ὤλεσεν ἀρκτούρῳ λαίλαπι χρησάμενον. De hœdis Manil. *Tum subeunt hœdi, claudentes sidere pontum.* Sunt autem hœdi duæ primæ stellæ in dextra manu Heniochi siue Aurigæ, qui dicetur Erichthonius. De angue siue dracone dicitur infrà, ibi, *Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis, &c.* OSTRIFERI ABYDI) Sestos, & Abydos Hellesponti vrbes, altera in Europæo, altera in Asiatico littore, quas mare angustum, & periculosum interluit. Apud Abydum magna est ostreorum copia. Ac fortasse ad illud Catullianum alludit.

Nam te præcipuè in suis vrbibus colit ora
Hellespontiaca, cæteris ostreosior oris.

Bersman. FAVCES TENTANTVR) Fauces à fundendis vocibus nominatæ: vel quòd per eas famur voces. Isidor. lib. 11. De tralatitia significatione idem libr. 14. Fauces sunt angustorum locorum aditus, inter arduos montes loca angusta, & breuia, dicta à faucium similitudine. LIBRA DIE, SOMNIQVE PARES) Lucanus eadem sententia de æquinoctio autumnali.

Tempus erat, quo libra pares examinat horas,
Non vno plus æqua die, noctiq; rependit
Lux minor hybernæ verni solatia damni.

Quod hactenus in genere monuit de siderum obseruatione, id deinceps accommodat ad certa quædam rei rusticæ opera, præfinitis anni temporibus accommodata. Atq; hoc præcepto de aratione autumnali (quam per ingressum solis in δωδεκατημόριον libræ denotat) ad sementem lini, hordeorum, & papaueris iteranda, atque ad brumam vsque, non impediente pluuia, exercenda tradit. Caussa autem huius adæquationis diei cum nocte, quæ bis in anno contingit, est horizon, qui in sphæra obliqua æquinoctialem, in cuius intersectione cum signorum orbe sol est, principium arietis, & libræ peragrans, diuidit in duo æqualia ἡμικύκλια. Bersman. ET MEDIVM LVCI ATQVE VMBRIS DIVIDIT ORBEM) Est quædam ἐπεξήγησις illius, quod dixerat, *pares horas.* Quando enim æqua est longitudo diei atque noctis, quod fit in æquinoctio, tum horas quoque, & numero, & longitudine diurnas atque nocturnas necesse est pares esse. DIE) Veteres ab eo, quod est hic dies, patrio casu dixisse dij, dies, & die, probat Gellius lib. 9. cap. 14. In idiographo autem Virgilij affirmat, eorum testimonio, qui viderunt, scriptum hoc loco fuisse, dies, non die. Sallustius non semel dixit, die, pro diei, vt etiam acie, pro aciei, historiarum lib. 1. Horat. Ode 6. lib. 3. *Constantis iuuenem fide,* pro fidei. Vide Scholia in Iugurtham,

Aldi Manutij. Adducit in hunc locum verba Lucani lib. 4. German. *Atque iterum æquatis ad iustæ pondera libræ Temporibus vicere dies.* Et lib. 8. quæ suprà recitauimus. *Somni* autem, id est noctis. Sic Plautus. *Miris modis ludos faciunt hominibus, mirisque exemplis omnia in somnis.* Terentius Andr. *Si se illam in somnis amplecti maluit.* Iacob. Pont. SERITE HORDEA) De scriptura, & veriloquio vocis huius, memini me dicere in Eclog. 5. numer. 112. SVB EXTREMVM BRVMÆ INTRACTABILIS) Id est, non vsque ad brumæ finem, sed circa. Nam bruma finitur 8. Calend. Ianuarij. Intractabilem vocat brumam, propter frigora dura, & aspera. Seruius. * *Brumam a dierum breuitate dictam, ait Festus. Hyeme, inquit Isidorus lib. 5. sol breuiori voluitur circulo: vnde & hoc tempus bruma dicitur, quasi βραχὺ ἦμαρ.* ET CEREALE PAPAVER) Cereale vocat papauer, aut quòd Ceres herbam hanc in templis gestaret: aut eam in segetibus, tametsi eas valde lædat, sererent agricolæ, vt huic deæ postea offerrent. Brod. lib. 2. cap. 29. Notauit Turnebus Cereris simulacra non solùm papauer manu gestare solita, sed & Cereris antistitas, cùm sacrum deæ esset, ex Callimacho. γέντο δὲ χειρὶ στέμματα καὶ μάκωνα. Sed in eo videtur potius insigne, & symbolum Cereris explicari, quam gestaminis caussa. Bene Mancinellus, quod & medici asserunt, qui inter genera papauerum hortense quoddam θυλακίτην nominant, quod & panificijs accommodatissimum, & saluberrimum commendant, ἀπὸ τοῦ θυλάκου nomine ducto, quo vas ad ferendum panem significatur. Est & Μηκώνη insula sic dicta, quòd ibi primùm papaueris fructum Ceres inuenerit. German. * *Cereale papauer a poeta cur dicatur, illam fuisse rationem dicit Pierius lib. 58. quòd Cererem, atque adeò terram omnem humano commercio habitatam, hieroglyphico suo referret. Id quo pacto, tu ipse legito. Potest etiam dici, ideo vocari Cereale, quòd aptum sit ad esum, &, vt suprà dictum, ad panificium.* VERE FABIS SATIO: TVNC TE QVOQVE) Virgilius non quid verissimè, sed quid decentissimè diceretur, aspexit: nec agricolas docere voluit, sed legentes delectare. Nam vt omnia alia transeam, hoc quod hodie mihi necesse fuit reprehendere, adscribam. *Vere fabis satio,* &c. An vno tempore illa ponenda sint: & an vtriusque verna sit satio, hinc æstimes licet. Iunius mensis est quo tibi scribo, iam procliuis in Iulium. Eodem die vidi fabam metentes, milium serentes. Hæc Seneca epist. 86. Defendit tamen Virgilium Lipsius Elect. lib. 1. cap. 16. Vt libenter antiquos, inquit, sic Virgilium hic tangit Seneca, tanquam agrariæ rei parum peritum: quoniam scripsisset milium, & fabam sub idem tempus seri. Sed me hercule calumniatur, aut ludit iste Socrates. Milium est ex ijs, quæ trina tempestate anni seruntur, æstate, hyeme, vere: in Italia tamen plurimùm æstate. Quam solam sationem hìc Seneca agnoscit. At tu vide Plin. lib. 18. cap. 12. & liberabis facilè Virgilium huius culpæ. E * *Plinius in hunc modum, postquam eius laudes (faba inquam) & vsum multiplicem explicauit. Seritur ante Vergiliarum occasum, leguminum prima, vt antecedat hyemem. Virgilius eam per ver seri iubet, circumpadanæ Italiæ ritu. Sed maior pars malunt fabalia matura sationis, quàm trimestrem fructum eius.* PVTRES SVLCI) Columella. Locum, in quo medicam proximo vere saturus es, proscindito circa calend. Octob. & eum tota hyeme putrescere sinito. MILIO VENIT ANNVA CVRA) medicæ enim cura non est annua: quæ vno anno frequenter sata, alijs deinde sponte prouenit. Seruius. CANDIDVS AVRATIS APERIT CVM) Notatio est mensis Aprilis: auratis stellis propter hyadas, quæ sunt in fronte tauri: vel illustra-

A tis radijs solaribus, propter solem aureum, seu auricomum, vt poetæ loquuntur, cum illis coorientem. Forsitan alludit ad morem sacrificiorum triumphalium, in quibus taurorum cornua inaurabantur. Bersman. ADVERSO CANIS OCCIDIT ASTRO) Signum quod cum sole oritur, & cum sole occidit, semper occulitur: adeo vt vicina astra solis propinquitate celentur. Nam & canis tunc, quia vicinus tauro est, non videtur, tectus lucis propinquitate. Et hoc est quod ait Virgilius. Non enim vult intelligi, Tauro oriente cum sole, mox in occasum ferri canem, qui proximus tauro est: sed occidere cum dixit Tauro gestante solem, quia tunc incipit non videri, sole
B vicino. Macrobius in somn. Scipion. libr. 1. cap. 18. AT SI TRITICEAM IN MESSEM) Placet poetæ adoreum, atque etiam triticum non antè seminari, quàm occiderint Vergiliæ, quod ipsum numeris sic edisserit: *At si triticeam in messem,* &c. Absconduntur autem Atlantides altero & trigesimo die post autumnale æquinoctium, quod ferè conficitur 9. Calend. Octobr. propter quod intelligi debet tritici satio dierum sex, & quadraginta ab occasu Vergiliarum, qui fit ante diem 9. Calend. Nouemb. ad brumæ tempora. Sic enim seruant prudentes agricolæ, vt quindecim diebus prius, quàm conficiatur bruma, totidemque post eam confectam neque arent, neque vi-
C tem, aut arborem putent. Nos quoque non ambigimus, in agro temperato, & minimè humido sementem sic fieri debere. Cæterùm locis vliginosis, atque exilibus, aut frigidis, aut etiam opacis, plerumq; citra Calend. Octobr. seminare conuenire, dum sicca tellure licet, dum nubila pendent, vt prius conualescant radices frumentorum, quàm hybernis imbribus, aut gelicidiis, pruinisue infestentur. Columel. lib. 2. ca. 8. * *Triticum vel à tritura dictum, quòd purissimum horreo condatur: vel quia granum eius commolitur, & teritur. Isidorus lib. 17. cap. 3.* ROBVSTAQVE FARRA) Frumenta, quorum semina robustiora sunt leguminum seminibus. Far Isidoro lib. 17. dicitur eò, quòd initiò frangeretur. Apud antiquos enim molarum vsus nondum e-
D rat: sed frumentum in pilam missum frangebant; & hoc erat genus molendi. EOÆ ATLANTIDES ABSCONDANTVR) Propter occasum earum matutinum vocat Eoas, qui est occasus cosmicus. Septem fuerunt Atlantis & Pleiones nymphæ filiæ, quarum hæc producuntur nomina. Maia, Electra, Taygete, Asterope, Merope, Alcyone, Celeno. Vergiliæ dicuntur, quoniam vere oriuntur. De his vide, si placet, Diodorum lib. 3. cap. 5. Hyginum lib. 2. poet. Astron. in Tauro, Arati Phænomena. Pleione ista Oceani & Thetyos filia fuit, vt est in lib. 5. Fastorum Ouidij.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Thetyn,
Qui terram liquidis, quà patet, ambit aquis.
Hinc sata Pleïone cum stellifero Atlante
Iungitur, vt fama est, Pleïadesq; parit.

Poteris etiam videre Natal. Comit. lib. 4. cap. 7. Hesiodi præceptum cum Virgiliano consentiens producam.

Πληϊάδων ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθαι ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

ARDENT. DECED. STELLA CORONÆ) Poetica licentia dicit stellam (cùm stella propriè sit vnum quoddam cæleste lumen): sunt enim septem stellæ, quibus in cęlo corona declaratur. *Decedat,* liberetur à radiis solaribus

bus, oriaturq́; heliacè. Et hic sidera duo ad eiusdem temporis significationẽ, quomodo ante Taurus & canis coniunguntur. Corona ista existimatur Ariadnæ fuisse, à Libero patre inter sidera collocata. Dicitur enim in Insula Dia cum Libero patri nuberet, hanc primùm muneri accepisse à Venere & Horis, cùm omnes dij in eius nuptias dona conferrent, &c. Hyginus lib. 2. Astronom. Seneca Hercule furent. *Mundus puellæ serta Gnossiaca gerit.* Horat. Ode 19. lib. 2. *Fas & beatæ coniugis additum stellis honorem.* Proper. *Testis sidereæ torta corona deæ.* De ista eadem corona festiuè Manilius.

At parte ex alia claro volat orbe corona
Luce micans varia: nam stella vincitur vna
Circulus in medio radians, quæ proxima frontem
Gnossia desertæ fulgent monumenta puellæ,
Candidaq́, ardenti distinguit lumina flamma.

Et quoniam poeta ortus atque occasus variarum stellarum, astrorumúe cùm hoc, tum sequenti libro meminit, docebimus ex mathematicorum libellis, qua mente sidus aliquod poetæ oriri, aut occumbere dicant. Vnde & imperitioribus rerum cælestium auxilium quoddam ad mediocrem intelligentiam suppeditetur. Igitur poeticus ortus obitusq́; signorum triplex est, cosinicus, chronicus seu acronycus, & heliacus. Cosmicus seu matutinus ortus, est quo sidus vna cũ sole supra horizontem emergit, ad quem modum etsi sex quotidie oriuntur, tamen propriè illud signum in quo sol est, cosmicè oriri dicitur. De hoc Virgil.

Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus, & aduerso cedens canis occidit astro.

Occasus cosmicus est, cùm oriente sole, oppositum signum sub horizontem labitur. Sic sole in Tauro exoriente, Scorpius cosmicè occidit. Ad eundem modum sole in Ariete emergente, Libra cosmicè in occasum fertur. De hoc quoque Virgilius. *Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur, Debita quàm sulcis committas semina.*

Acronychus ortus, seu vespertinus est, quando signum, occumbente sole, in aduerso oriente exurgit: dictus ἀκρόνυχος, quòd ἐν ἄκρῳ τῆς νυκτός, hoc est, summitate, seu aggressu noctis contingat. Vnde aliqui diem ordiuntur. De hoc Columella. Sexto Idus Octobris Vergiliæ oriuntur vesperi. De hoc & Ouid. lib. 1. de Ponto. *Quatuor autumnos Pleïas orta facit.*

Occasus acronychus, quando sidus vesperi vnà cum sole occidit. Sic Tauri sidus sole iam in idipsum permeante, cum eodem manè quidem oritur, vesperi verò ἀκρονύχως occidit. De hoc Lucanus. *Tunc nox Thessalicas vrgebat parua sagittas.* Duabus itaque supradictis ortuum & occasuum distinctionibus sol cùm oriens, tum occidens occasionem præbuit: oriens quidem cosmico, occidens verò acronycho.

Heliacus ortus, quem solarem interpretamur, est, quo sidus quod ob solis propinquitatem cerni prius non poterat, tandem longius regresso in conspectum venit: de hoc ortu est apud Ouidium in Fast. 2. *Tum leuis obliqua succedit aquarius vrna:* hoc est, è radiis solaribus, sole paulatim sub ecliptica retrogradiente emergit, & in conspectum prodit. Et Virgil. *Gnossiaq́, ardentis decedat stella coronæ.*

Occasus heliacus est, quo sidus soli propinquius, eiusdem radiis obscuratur. Exemplum suprà recensuimus. *Et aduerso cedens canis occidit astro.*

Hic valet trita illa Physicorum sententia, minus

A lumen obscurari à maiore. Nam quemadmodum media luce soleque lucente, noster ignis, vtpote minus lucis habens, pudesit, & vix ad aliquot passus cernitur, cùm idem caligante nocte vel ad aliquot milliaria cerni possit; ad eundem modum sidera placere quodammodo sibi, & se ostentare videntur sole digresso; mox autem eodem, vtpote illustriore, appropinquante, quasi pudefacta latent. Fundamentum verò & caussa huius varietatis ortuum & occasuum est motus solis proprius, quo nunc his, nunc illis accedens sideribus, facit vt aliàs aliter sese ad solem habeant. Nunc in viam nos recipiamus. COMMITTAS SVLCIS SEMINA) Credas, tanquam depositum, à re pecunia-

B ria. Tibull. lib. 1. eleg. 7. *Primus inexperta commisit semina terra.* Eadem metaphora idem libro 2. elegia 3.

At tibi dura seges, Nemesis qua ducis ab vrbe,
Persoluat nulla semina terra fide.

INVITÆ TERRÆ) Cultura agricolarum velut coactæ ad ferendos fructus: vnde & subigi arua dicuntur. Contrarium superius de aureo sæculo, *ipsaque tellus Omnia liberius nullo poscente ferebat.* Vel inuitæ, nondum aptæ ad sationem: nam vetus est prouerbium, maturam sationem sæpe decipere solere, seram nunquam, quin mala sit, teste Columella lib. 11. cap. 2. Bersmann. EXSPECTATA SEGES VANIS ELVSIT A-

C VENIS) Vanis elusit culmis, & stipulis frugem non habentibus. Diuus enim Ambrosius sic exponit, cuius hæc sunt verba è libro de Pœnitentia. Atque vtinam hanc stipulam in messe, hoc est, inanem auenam fructus mei non abijciat. Turneb. lib. 19. cap. 29.

Tibullus libr. 2. eleg. 1. *Neu seges eludat messem fallacibus herbis.* De his valebit loco prouerbij versus iste, qui spe ingentium vtilitatum, honorumúe illustrium frustrati sunt. Breuiter, quorum vota conatusque ad irritum ceciderunt. Iacob. Pont. SI VERO VICIAMQVE SERES) De satione leguminum tenuiorum, & viliorum, viciæ, faseli, lentis, quam vt Maro Pelusiacam, sic Martialis Niliacam appellat

D in xeniis. Eruditam totius loci huius explicationem à Bersmanno require. MITTET TIBI SIGNA BOOTES) Bootes, aliàs Arcturus, & Arctophylax, vt suprà dictum est. Ouid. tardus, Claudiano piger, Propertio segnis, quòd tanquam bubulcus plaustrum sequitur. De eo lib. 2. Higynus. Cicero.

Arctophylax vulgò qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temone adiunctam præ se quatit Arcton.

Aratus sic:

Ἐξόπιθεν δ' Ἑλίκης φέρεται ἐλάοντι ἐοικὼς
Ἀρκτοφύλαξ, τόν ῥ' ἄνδρες ἐπικλείουσι Βοώτην,
Οὕνεχ' ἁμαξαίης ἐπαφώμενος εἴδεται ἄρκτου.

E IDCIRCO CERTIS DIMENSVM PARTIBVS) Vt essent vicissitudines quædam temporum, & varietates rerum nascentium, ad quas nimirum obliquitas ipsa Zodiaci peropportuna est, sol sub duodecim signis decurrens, alias atque alias terræ partes radiis suis vegetat: absque quo esset, nulla existeret nascentium varietas: idẽ enim eodem modo se habens, non gignit, nisi idem. Aristot. lib. 2. de ortu & interitu, cap. 9. Astra sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Si libet, manda versiculos memoriæ.

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
Libraq́, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces.

Quinq; tenent cœlum zonæ: quarum vna corusco
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni:
Quam circum extremæ dextrà, lęuaq; trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atq; imbribus atris.
Has inter, mediamq; duæ mortalibus ægris
Munere concessæ diuûm: & via secta per ambas,
Obliquus quà se signorum verteret ordo.
Mundus vt ad Scythiam, Riphæasq; arduus arces
Consurgit, premitur Libyæ deuexus in Austros.
Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt, manesq; profundi.
Maximus hîc flexu sinuoso elabitur Anguis
Circùm, perq; duas in morem fluminis Arctos:
Arctos Oceani metuentes æquore tingi.
Illic (vt perhibent) aut intempesta silet nox
Semper, & obtenta densantur nocte tenebræ:
Aut redit à nobis aurora, diemq; reducit:
Nosq; vbi primus equis oriens afflauit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina vesper.
Hinc tempestates dubio prædiscere cælo
Possumus: hinc messisq; diem, tempusq; serendi:
Et quando infidum remis impellere marmor
Conueniat, quando armatas deducere classes,
Aut tempestiuam syluis euertere pinum.
Nec frustra signorum obitus speculamur, & ortus,
Temporibusq; parem diuersis quattuor annum.

QVINQVE TENENT CÆLVM ZONÆ) Poeta κατὰ παρέκβασιν, siue κατ' ἔκβασιν, hoc est forma quadam digressionis, siue egressionis, & excursionis inserit Astrologica nonnulla, de distinctione orbis in certa signa, & zonas: arrepta nimirum occasione ex ijs, quæ de satione verna, & hyberna, ad ortum & occasum siderum accommodanda hactenus tradidit. Atque possunt & hæc, & quæ sequuntur, ad descriptionem sphæræ pertinentia referri inter ἐπιτηδείας: tametsi aliquanto propius argumentum propositum attingunt quàm quæ superius de aureo sæculo aspersit, quæque sub finem huius libri de prodigijs, quæ Cæsaris cædem antecesserunt, attexet. Bersman.

A

Hi versus, quibus zonæ describuntur à Marone, expressi sunt ex Eratosthene Cyrenæo, qui versibus heroicis librum conscripsit, cui Mercurio titulum indidit. Sic igitur ille apud Heraclidem Ponticum, lib. de allegorijs Homericis.

B

Πέντε δέ οἱ ζῶναι περιηχέες ἐσπείρηντο,
Αἱ δύο μὲν γλαυκοῖο κελαινότεραι κυάνοιο,
Ἡ δὲ μία ψαφαρή τε, καὶ ἐκ πυρὸς οἷον ἐρυθρή
Τυπτομένη φλογμοῖσιν, ἐπεί ῥά ἑ μοῖραν ὑπ' αὐτὴν
Κεκλιμένοι ἀκτῖνες ἀειθερέες πυρόωσιν.
Αἱ δὲ δύω ἑκάτερθε πόλοιο περιπεπηγυῖαι
Αἰεὶ κρυμαλέαι, αἰεὶ δ' ὕδατι μογέουσαι.

C

Quos obiter adstrictis numeris oratione reddere non pigebit.

Circum hanc funduntur Zonæ quintuplicis orbes.
Glaucum ex his superant Cyanum nigredine bini:
Torrida Zona vna est, sabulosaq; tota, rubentem
Quam radij flammis feriunt Hyperionis acres
Continuus, recto & subiectam tramite torrent.
At geminæ cælo diducta vtrinq; reclini,
Imbribus vsque madent, glaciali aut frigore torpent.

Sed enimuerò poetam nostrum mutuatum esse suam descriptionem ex auctore quem dixi, mecum sentit Probus Grammaticus, id quod deprehendi lectione postea, quanquam versus ipsos non profert. Hanc tamen, inquit, vniuersam disputationem certum est Virgilium transtulisse ab Eratosthene, cuius liber est hexametris versibus scriptus, qui Hermes inscribitur. Porrò Zonarum (quas eleganti carmine descripsit Claudianus libro de raptu Proserpinæ primo, & Transformationum primo Ouid.) naturam fabulosè expressit in Achillis clypeo Homerus, plicarum nomine, πτύχας, eas nominans, duas è plumbo albo fingens, australem innuendo, & septentrionalem zonas frigidas, perpetuisque niuibus obsitas: totidem æneas, æstiuam significando, & hybernam, mediæ inter candorem, & rutilum colorem temperiei: quintam, eamque mediam, auream, hoc est, igneam. Homeri versus est iste. *Τὰς δύο χαλκείας, δύο δ' ἔνδοθι κασσιτέροιο. Τὴν δὲ μίαν χρυσῆν.* Media autem est *ἰσημερινὴ*, id est, æquinoctialis: proximæ duæ *τροπικαὶ*, id est, solstitiales: à nobis habitata altera: Antichthones alteram inco-

incolunt, ita dicti, *ὡς τὴν ἐναντίον χθόνα ναιόντες*, teste Probo: extremæ duæ inhabitabiles, borealis quidem ob assiduos, nimiosq; rigores: antarctica verò, quæ & *νότιος*, siue australis, propter immodicas imbrium humiditates, quibus austrina plaga est obnoxia, vnde & nomen habet. Istud est, quod Virgilius illo versu, *Caerulea glacie cõcreta*, &c. innuere, & sentire voluit: vt verba illa, *imbribus atris*, ad austrinam plagam: at illa, *Caerulea glacie*, ad borealem referenda sint, & applicanda, vt respondeant Eratosthenicis *κρυμαλέας* propter gelu, & *ὕδασι μογεύσας* propter imbres. Iunius lib. 3. cap. 5.

Libitum est ex alijs poetis nihilominus adducere versus de zonis istis, vt cum Virgilianis, qui velit, eos comparare, & poeticam in vno genere varietatem periucundam iucundissimè intueri queat. Lucret. lib. 5.

Inde duas porrò prope partes feruidus aër,
Assiduusq; geli casus mortalibus aufert.

Varro.

At quinq; ætheriis zonis accingitur orbis,
Ac vastant imas hyemes, mediamq; calores:
Sic terra extremas inter, mediamq; coluntur,
Quam solis valido nunquam vis auferat igne.

Tibulli descriptio, quamquam longiuscula est, tamen adscribetur. Sic igitur lib. 4.

Et quinq; in partes totus disponitur orbis,
Atq; duæ gelido vastantur frigore semper.
Illic & densa tellus absconditur vmbra,
Et nulla incapto perlabitur vnda liquore,
Sed durata riget densam in glaciemq; niuemq;.
Quippe ibi non vnquam Titan superingerit ortus.
At media est Phœbi semper subiecta calori,
Seu propior terris, æstiuum fertur in orbem,
Seu celer hybernas properat decurrere luces:
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terræ,
Non illic colit arua deus, Bacchusue, Ceresue,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est, interq; rigentes,
Nostraq; & huic aduersa solo pars altera nostro,
Quas similes vtrinq; tenens vicinia cæli
Temperat, alter & alterius vires necat aër.
Hinc placidus nobis per tempora labitur annus.
Hinc & colla iugo didicit submittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos.
Tonditurq; seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur ære:
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.

Horatius Ode 22. lib. 1.

Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æstiua recreatur aura,
Quod latus mundi nebulæ, malusq;
Iupiter vrget.
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata.

ET TORRIDA SEMP. AB IGNI) Ex Posidonio Parmenidem huius diuisionis zonarum auctorem facit Strab. lib. 2. Torrida zona ea dicitur, quæ habitari ob æstum non potest. At amplius dimidio eius spatij quod tropicis includitur habitari, argumenta sunt supra Ægyptum incolentes Æthiopes, &c. QVAM CIRCVM EXTREMÆ DEXTRA) In siderum cursu orientem nominari dextram cæli partem, occiduam verò plagam, læuam, sinistramúe, ex Higyni obseruatione añotandum est. Vnde & Plin. lib. 2. cap. 8. omnium errantium siderum meat⁹, interq; ea solis, & lunæ, contrarium mundo agere cursum, id est læuum, illo semper in dextram præcipiti: cui consentit & Ptolemæus. Eodem spectat & Orphei ve-

A tustissimi poetæ dictum, solem dextrum auroram producere, læuum noctem: hoc est, in oriente diem proferre, in occasu noctem. Quid, quod apud Græcos *σκαιά*, id est, læua dici, *τὰ δυτικὰ* siue occidua annotat diligentissimus Eustathius? Quin & ex Aristotelis sententia Chalcidius Timæi Platonici interpres, orientem dextram mundi partem statuit. Attestatur idem Plutarch. libr. 2. de philosophorum placitis, in hæc verba. Pythagoras. Plato, Aristoteles, dextram mundi plagam orientalem esse dixerunt, vnde motus initium exsistat: occiduam verò læuam. At Empedocles dextram statuit ab ea parte, qua solstitium æstiuum est: sinistram, qua brumale. Similiter & Cleomedes, &c. Cleomedes Græcus autor,
B cuius opus nuper in lucem exijt, septentrionem pro dextra ponit. Similiter Hetrusci auspices dextram nominabant septentrioni subiectam, sinistram meridiei expositam, quomodo & poetæ accipiunt. Contrà apud T. Liuium in Numa, augur regiones ab oriẽte ad occasum determinans, dextras ad meridiem partes, læuas ad septentrionem esse dixit. Sed hanc distinctionem ridet Arnobius lib. aduersus gentes 4. scribitq; pro ratione situs corporis variare mũdi partes, vel læuas, vel dextras: nam quidquid teres est, & ex omni parte rotunditate solida conuexum, definire aliqua finis, aut initij portione non potest. Itaq; cum dicimus, inquit, hæc regio dextra est, illa læua, non ad mundi habitum dicimus, qui sui simil-
C limus totus est, sed ad positionem nostram, situmq; reuocamus. Iunius lib. 3. cap. 3.

De quatuor mundi partibus item Lactant. lib. 2. cap. 10. Ipsius quoq; terræ binas partes contrarias in se, diuersasq; constituit (deus) scilicet orientem occidentemq;: ex quibus oriens deo similis censetur: quia ipse luminis fons, & illustrator est rerum, & quod oriri nos faciat ad vitam sempiternam. Occidens autem conturbatæ illi prauæque menti adscribitur, quod lumen abscondat, quòd tenebras semper inducat, & quòd homines faciat occidere atq; interire peccatis. Nam sicut lux oriẽtis est, in luce autem vitæ ratio versatur: sic occidentis tenebræ sunt, in tenebris autem & mors, & interitus continetur.
D Deinde alteras partes eadem ratione dimensus est, meridiem ac septentrionem: quæ partes illis duabus societate iunguntur. Ea enim quæ est solis calore flagrantior, proxima est, & cohæret orienti. At illa, quæ frigoribus, & perpetuo gelu torpet, eiusdem est, cuius extremus occasus. Nam sicut contrariæ sunt lumini tenebræ, ita frigus calori. Vt igitur calor lumini est proximus, sic meridies orienti. Vt frigus tenebris, ita plaga est septentrionis occasui. Quibus singulis partibus suum tempus attribuit: Ver scilicet orienti, æstas meridionali plagæ, occidenti autumnus est, septentrioni hyems. In his quoq; duabus partibus, meridionali & septentrionali, figura vitæ & mortis continetur: quia vita in calore est, mors in frigore. Sicut autem calor ex igne est, ita frigus ex aqua.
E DVÆ MORTALIBVS ÆGRIS) Pluribus dicamus hoc ipsum, mortales ægri, seu miseri, ex Apuleio lib. de deo Socratis. Igitur homines ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis membris, leuibus, & anxijs mentibus, brutis, & obnoxijs corporibus, dissimillimis moribus, similibus erroribus, peruicaci audacia, pertinaci spe, casso labore, fortuna caduca, singulatim mortales cuncti, tamen vniuerso genere perpetui, vicissim sufficienda prole mutabiles, volucri tempore, tarda sapientia, cita morte, querula vita terras colunt.

Illo, *mortalibus ægris*, & aliàs, *miseris*, expressit Homericum *δειλοῖσι βροτοῖσι*. Vterq; porrò vates ad innumeras miserias & incommoda respicit, quib. omne hominum

gentis affligitur, citraq; discrimen iactatur. Iam quæ A Gellius disserit lib.13. cap. 27. de hoc, *multis mortalibus*, contendens illud cum illo, quod videtur idem valere, *multis hominibus*, nec tamen valet, eadem huc etiam, & ad similes poetæ locos, transferri optimè poterunt. Summa dissertationis Gellianæ hæc est. Longè lateq; esse amplius, prolixius, fusius in significanda totius propè ciuitatis multitudine, mortales, quam homines dixisse (dixerat autem Claudius Quadrigarius: concione dimissa, Metellus in Capitolium venit cum multis mortalibus.) Namque multorum hominum appellatio intra medium quoq; numerum cohiberi atq; includi potest. Multi autem mortales, nescio quo pacto, & quodam B sensu inenarrabili omne ferè gen⁹, quod in ciuitate est, & ordinum, & ætatum, & sexus comprehendunt. Quod scilicet Quadrigarius ita (vt res erat) ingentem atq; promiscuam multitudinem volens ostendere, cum multis mortalibus Metellum in Capitolium venisse dixit ἐμφατικώτερον, quàm si, cum multis hominibus dixisset. Non tamen semper, atq; in omni loco mortales multos, pro multis hominibus dicendum est. Hæc, inquam, nos etiā docebunt, rectius hic poetam mortalibus, quàm hominibus dixisse: aut certe poetas sæpiusculè significantius mortales dicere quàm homines: quod lector prudens facilè iudicabit. DVÆ MVNERE CONCESSÆ DIVVM) Explanat hos versus Macrob. in som. Scip. libr. 1. cap. 8. VIA SECTA PER AMB.) Vide in extremo 6. Æneid. C *Ille viam secat ad naues*. OBLIQ. QVA SE SIGNORVM) Ennius Alexandro. *Quæ caua cæli signitenentibus Conficis bigis*. Zodiacus circulus stellatus balteus vocatur à Manilio. *Sed nitet ingenti stellatus balteus orbe*. Nec malè eius situm formámue ab humero per pectus, & dorsum in latus alterum deductum cingulum videtur exprimere. De circulo hoc, eiusq; signis duodecim Cicero ex Arato in hunc modum.

Zodiacum hunc Græci vocitant, nostriq; Latini
Orbem signiferum perhibebant nomine vero.
Nam gerit hic voluens bis sex ardentia signa,
Æstifer est pandens feruentia brachia cancer.
Hunc subterfulgens cedit vis torua leonis,
Quem rutilo sequitur collucens corpore Virgo,
Exin proiecta claro cum lumine Chelæ,
Ipsaq; consequitur lucens vis magna Nepai.
Inde sagittipotens dextra flexum tenet arcum.
Post hunc ore fero Capricornus vadere pergit,
Humidus inde loci collucet Aquarius orbem.
Exin squammiferi serpentis ludere pisces.
Queis comes est Aries obscuro lumine labens:
Inflexoq; genu proiecto corpore Taurus:
Et gemini clarum iactantes lucibus ignem.
Hæc sol æterno conuestit lumine lustrans,
Annua conficiens vertentia tempora cursu.

De his ijsdem signis Manil. lib. 1.

Aurato princeps Aries in vellere fulgens,
Respicit admirans aduersum surgere Taurū, &c.

MVND. VT AD SCYTHIAM) Persequitur nunc alia sphæræ adiuncta, præcipuè verò τὸ τοῦ πόλου ἔξαρμα, quæ est altitudo poli vnius, contraq; alterius depressio, contingens ratione horizontis, & globositatis terræ, non terræ ipsius, quatenus hæc est centrum mūdi. Hac enim consideratione neque in eo aliquid est rectius, ac sublimius in septentrionem, neque obliquius, aut depressius versus meridiem. Bersman.

Opus mundi, quo nihil potest esse, nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad vtilitatem, nec ornatius ad pulchritudinem, nec maius ad molem. Firmianus de Ira dei cap. 10. Cæterùm Scythis cum Ægyptijs certamen fuisse de vetustate generis, narrat Iustinus lib. 2. Vtriusq; gentis argumenta ibidem proferuntur. Inter alia hoc Scytharum. Quod si omnes quondam terræ submersæ profundo fuerunt, profectò editissimam quamq; partem aquis primùm detectam, humillimo autem solo eandem aquam diutissimè immoratam. Et quanto prior quæq; pars terrarum siccata sit, tanto prius animalia generare cæpisse. Porrò Scythiam adeo editiorem omnibus terris esse, vt cuncta flumina ibi nata in Mæotin, tum deinde in Ponticum, &c. Habuerunt item certamen simile Athenienses cum Argiuis, & Phryges cum Ægyptiis, auctor Pausanias, lib. 1. siue Atticis. HIC VERTEX NOBIS SEMP.) Aratus.

Καί μιν πειραίνουσι δύω πόλοι ἀμφὶς ἐόντες,
Ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐπίοπτος, ὁ δ' ἀντίος ἐκ βορέαο,
Ὑψόθεν ὠκεανοῖο, δύω δέ μιν ἀμφὶς ἔχουσιν
Ἄρκτοι ἅμα τροχόωσαι.

Locus nostræ habitationis ita positus est, vt quædam stellæ ex ipso nunquam possint videri: quia illa pars cæli, in qua sunt, nunquam potest hìc habitantibus apparere. Pars enim hæc terræ, quæ incolitur ab vniuersis hominibus, quam nos scire inuicem possumus, ad septentrionalem verticem surgit, & sphæralis conuexitas australem nobis verticem in ima demergit. Cum verò semper circa terram ab ortu in occasum cæli sphæra voluatur, vertex hic, qui septentriones habet, quoquoversum mundana volubilitate voluatur, quoniam supra nos est, semper à nobis videtur, ac semper ostendit *Arctos Oceani metuentes æquore tingi*. Australis contrà, quasi semel nobis pro habitationis nostræ positione demersus, nec ipse nobis vnquam videtur, nec sidera sua, quibus & ipse sine dubio insignitur, ostendit. Et hoc est, quod poeta naturæ ipsius conscius dixit, *Hic vertex nobis*, &c. Macrobius in som. Scipio. libro primo, capite 16. * *Vertices appellat Maro, quod circa illos vertatur, hoc est, circumuersetur, circumagatur, circumrotetur mundus siue cælum, quod sæpe mundi nomine intelligitur, quia pars dignior. Sic Græci πόλους ἀπὸ τοῦ πολεῖν versare. De his Aristoteles libello de mundo. τοῦ δὲ σύμπαντος οὐρανοῦ τε, &c. Vniuersi autem mundi cæliq; globosa, vt dictum est, forma compactis, iugiq; vertigine exagitati, duo esse puncta necesse est, inter se regione obuersa, itidem atq; si globus in torno circumagatur:* D *circa quæ mundus vniuersus vertitur. Hos vertices appellant, aut cardines.* MAX. HIC FLEXV CIRCVM, PERQ. DVAS) Caudam inter vtramq; vrsam draco, siue serpens porrigit, & minorem aluo complectitur, quasi flumen se fundens. Aratus.

Ταὶ δὲ δι' ἀμφοτέρας οἵη ποταμοῖο ἀπορρώξ
Εἰλεῖται μέγα θαῦμα, δράκων περί τ' ἀμφί τ' ἐαγώς.

Id est, has vero per ambas, qualis fluuij decursus voluitatur (horrendum) ingens draco circumcirca distractus, immensus, verùm ei ex vtraq; parte spiræ hærent vrsæ.

Higynus lib. 2. cap. 3. docet quomodo hic anguis ambas vrsas complectatur, minorem collo & capite, maiorem cauda. Theon in Aratum tradit, secundum quosdā E hunc esse serpentem à Cadmo occisum, custodem hortiHesperidum iuxta alios, iuxta plerosq; Pythonē, quem Apollo iaculis confixit. Seneca Medea, actu 4.

Huc ille vasti more torrentis iacens
Descendat anguis, cuius immensos duæ
Maior minorq; sentiunt nodos feræ,
Maior Pelasgis: apta Sidoniis minor.

Silius lib. 3.

Quantus non æquas perlustrat flexibus Arctos,
Et geminum lapsu sidus circumligat anguis.

Manil. lib. 1.

Has interfusus, circumq; amplexus vtramq;
Diuidit, & cingit stellis ardentibus Anguis,
Ne coeant, abeantq; suis à sedibus vnquam.

Familia-

Familiariter Virgilius, per, pro, inter, ponere solet. Neque enim Anguis sidereus Arctos secat: sed dum & amplectitur, & interuenit, circùm eas, & inter eas voluitur, non per eas. Et scimus, Homerum quoq; sæpe tales mutasse particulas, cuius per omnia imitator Maro. Et eodem modo accipienda particula, per, pro, inter, in illis versibus suprà,

——duæ mortalibus ægris
Munere concessæ diuûm, & via secta per ambas,
Obliquus qua se signorum verteret ordo.

Lege Macrob. cap. 8. lib. 2. in som. Scip. ARCTOS OCEANI METVENTES) Metuentes tingi dixit, quæ nunquam tingerentur, quomodo Horatius Ode 2. lib. 2. pēnam metuentem solui, quæ nunquam solueretur. *Illum aget penna metuente solui Fama superstes.* Vbi in multis B libris malè legitur, *penna haud metuente solui.* Ita correxit quispiam, qui sententiam quidem videret, sed vim verborum non satis perspiceret. Quia enim quæ metuimus, refugimus, longissimeq; nos ab illis abducimus, factum, vt Horatius pennam metuentem solui dixerit eā, quæ semper longissimè ab omni solutione abfutura esset. Vide Muret. lib. 1. cap. 8. Apud Aratum autem est πεφυλαγμένας ὠκεανοῖο, quia sunt ἄμοιροι, eius lauacrorum expertes.

Brodæus lib. 5. cap. 25. sumptum, inquit, ex Homero Odyss. 5.

C Ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
Οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.

Quæ quidem metra ad eas terrarum oras referēda sunt, quarum declinatio supra XXXIIX. gradus tollitur. Harum enim sub horizontem vrsæ non merguntur. Nec ignoro Strabonem hoc prolixius enucleasse.

Leguntur etiam hac de re quatuor lepidissimi versus incerti poetæ, qui Cretica scripsit, apud Hyginum.

Tuq; Lycaoniæ mutato semine Nympha,
Quam gelido raptam de vertice Nonacrinæ
Oceano prohibet semper se tingere Thetys,
Ausa suæ quia sit quondam succumbere alumnæ.

Manil. lib. 1.

D *At quà fulgentes cælum consurgit ad Arctos,*
Omnia quæ summo despectant sidera cælo,
Nec norunt obitus, vnoq; in vertice tantum
In diuersa sita cælumq;, & sidera torquent.

* *Adijciamus hic verba Vitruuij de vrsis nunquam occidentibus, ex lib. 9. cap. 7. Namq; vti septentriones circum axis cardinem versantes non occidunt, neq; sub terram subeunt: sic & circa meridianum cardinem, qui est per inclinationem mundi subiectus terræ, sidera versabunda, latentiaq; non habent egressus orientes supra terram, &c. De vtraq; vrsa, maiore, & minore, lege Hygin. lib. 2. Astronomicôn, à principio. De ijsdem satis scitè ac disertè Manilius, docēs nos & situm earum, & nomen, & vsum nauticum: maiorem quippe Græci, minorem Phœnices nauigantes respiciunt, & inde cursum dirigunt. Audiamus.*

E Summa tenent eius (axis) miseris notissima nautis
Signa per immensum cupidos ducentia pontum:
Maioremq; Helice maior decircinat arcum.
Septem illum stellæ certantes lumine signant:
Qua duce per fluctus Graiæ dant vela carinæ.
Angusto Cynosura breuis torquetur in orbe,
Tam spatio, quam luce minor, sed iudice vincit
Maiorem Tyrio. Pœnis hæc certior auctor
Non apparentem pelago quærentibus orbem.
Nec paribus positæ sunt frontibus, vtraq; caudam
Vergit in alterius rostro, sequiturq. sequentem.

ILLIC AVT INTEMP. SILET NOX) Quis non miretur, summum & doctissimum poetam tam esse ignarum, & rudem, vt perpetua caliginosæ noctis vmbra putet eos, qui sub finitore colunt, obductos, & obtenebratos esse? Verùm ex Epicureorum opinione ille scripsit.

A Est enim & poetæ, & Maronis, multa ex aliorum scriptis suo aspergere operi. Epicureis autem sol videtur in occasu interire quotidie, & quotidie in ortu alius renasci nouus. Hæc sententia si vera est, dubitandum non est, quin, quæ sub oriente pressa sunt, perpetuis damnatæ sint tenebris à rerum natura, quod Maro breuiter perstrinxit. Turnebus libr. 21. capite decimo. * *De nocte intempesta dicemus ad 3. Æneid. ibi.* Et noctem in nimbo nox intempesta tenebat. *Interea notabis Ennij carmen hoc.* Bellum æquis manibus nox intempesta diremit. DENSANTVR TENEB.) Pro densantur quidam eruditi malunt legere, *densentur*, qua voce Lucretius solet vti. Wus & Horat. Ode 18. lib. 1. *Mista senum ac iuuenum densentur funera.* NOSQVE VBI PRIMVS EQVIS) Vicissitudo dierum atq; noctium indicatur, in vtroq; hemisphærio. Pluribus locum hunc de duplici mundo explicauit lib. 1. Manil. cuius versus iuuat lectori proponere.

——pars eius (terræ) ad Arctos
Eminet, Austrinis pars est habitabilis oris,
Sub pedibusq; iacet nostris, supraq; videtur
Ipsa sibi fallente solo declinia longa,
Et pariter surgente via, pariterq; cadente.
Hinc vbi ab occasu nostros sol aspicit ortus,
Illic orta dies sopitas excitat vrbes.
Et cum luce refert operum vadimonia terris,
Nos in nocte sumus, somnosq; in membra locamus.
Pontus vtrosq; suis distinguit, & alligat vndis.

C Timotheum Cononis legimus à Platone conuiuio exceptū concinnè admodum, & frugaliter (&, vt inquit Ion, ἀφλεγμάντοις τραπέζαις, id est, mensis non tumefacientibus, quas somni consequantur puri, cum sua corporis tranquillitate) solitum dicere: eos, quos Plato acciperet, etiam sequenti die bene valere. At nostris antipodibus optimè transmitti creditur vita, si nec orientem solem spectarint, nec occidentem. Quid enim aliud sunt quàm Antipodes saginæ mancipati, qui ad faces, & cereos viuunt, dum inter pocula transiguntur noctes, somno impediuntur dies, lucis ac tenebrarum ordine peruerso? de his puto Virgilium dixisse, *Nosq; vbi primus equis.* &c. Rhodigin. lib. 9. cap. 13.

D Collumella præfat. Mox deinde vt apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exucto sudore sitim quærimus, noctesq; libidinibus, & ebrietatibus, dies ludo, vel somno consumimus. Ac nosmetipsos ducimus fortunatos, quod nec orientem solem videmus, nec occidentem: itaq; istam vitam socordem persequitur valetudo. De Antipodibus en tibi versus haud inelegantes Manilij de lib. 1.

Altera pars orbis sub aquis iacet inuia nobis,
Ignotaq; hominum gentes, nec transita regna,
Commune ex vno lumen ducentia sole,
Diuersasq; vmbras, læuaq; cadentia signa,
Et dextros ortus cælo spectantia verso.
Nec minor est illis mundus, nec lumine peior,
Nec numerosa minus nascuntur sidera in orbe.

Monet me, quod dicitur à Columella, Heliogabali illius, hominis vitiorum omnium (si tamen hominis, & non, vt quidam historicus vocat, non solum bipedum, verum etiam quadrupedum spurcissimi) de quo Lampridius. Traiecit & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ, ita vt serò de somno surgeret, & salutari inciperet, mane autem dormire inciperet. Tacitus lib. 16. Annal. de C. Petronio, qui tam impurum scripsit satyricon. Nam illi dies per somnum, nox officijs, & oblectamentis vitæ transigebatur. Huc quadrant, quæ sunt apud M. Tull. 2. de fi.

Nolim enim mihi fingere asotos, vt soletis, qui in mensam vomant, & qui de conuiuio auferantur, crudiq; postridie se rursus ingurgitét: qui solem, vt aiunt, nec occidentem vnquam viderint, nec orientem. Seneca in istos Antipodas (seu, vt quidam latinè ad verbum expresserunt, aduersipedes, Cicero in Lucullo, qui aduersis vestigijs stant contra nostra vestigia) epist. 122. Lucet? somni tempus. quies est? (pro nocte quietem dixit) nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus. Iam lux propius accedit? tempus est cœnæ, &c. Sed in eadem epistola, en quàm bellè hos versus ille ad mores bonos docendos (quod vnum maximè studet semper) siue etiam ad malos mores dedocendos adhibuit. Sunt qui officia lucis noctisq; peruertant: nec ante diducant oculos hesterna graues crapula, quàm appetere nox cæpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (vt ait Virgilius) pedibus nostris subditos è contrario posuit. *Nosq; vbi primus equis*, &c. Talis horum contraria omnibus non regio, sed vita est. Sunt quidam in eadem vrbe antipodes, qui, vt M. Cato ait, nec orientem vnquam solem viderunt, nec occidentem. Hos tu existimas scire, quemadmodum viuendum sit, qui nesciunt quando? Et hi mortem timent, in quam se viui condiderunt, tam infausti ominis, quàm nocturnæ aues sunt. Licet in vino vnguentoq; tenebras suas exigant, licet epulis, & in multa quidem fercula distinctis, totum peruersæ vigiliæ têpus diducant, non conuiuantur, sed iusta sibi faciunt. Mortuis certè interdiu parentatur. Hactenus ille. HINC TEMP. DVBIO. P. C) Quæ quidem omnia supradicta qui diligenter obseruauerit (obseruare autem omnes agricolæ debent) facilè & futuras tempestates prædicere, & tempora sationum ac messis præfinire, commodas item nauigandi, & ligna in syluis cædendi occasiones quam optimè constituere, ac determinare poterit. Congeries quædam est vtilitatum, quæ ex astrologica ista obseruatione percipiendæ sint. INFID. REM. IMPEL. MARMOR) Trinum. Charmides maris periculo liberatus, in- A ter alia sic ad Neptunum. *Fidus fuisti, infidum esse iterant.* Lucil. *Insidi maris insidias virusq; dolumq; Vt vitare velint.* Propter inconstantiam & mutabilitatem Palinurus 5. Æneid. monstrum vocat. *huic me confidere monstro?* Marmor dicitur mare ipsum græca notione: quippe μαρμαρυγὴ fulgor, & μάρμαρον à nitore aquæ commotæ. AVT TEMPEST. SYLVIS. E. PINVM) Locum à Catone sumptum, & eum antea sumpsisse à Theophrasto ex libr. 5. histor. plantar. animaduersum ab Vrsino. NEC FRVSTRA SIGNOR. OBITVS) Neq; enim frustra siderum ortus atq; occasus speculamur: neque totus annus in quatuor æquales partes, in ver, & æstatem, & autumnum, & hyemem absq; caussà diuisus est: sed vt B certis diebus atq; temporibus obseruatis, scire possint agricolæ, quid quauis tempestate, & qualibet anni parte agendum sit. Nam aliud agendum cælo pluuio, aliud sereno: aliud item die festo, aliud profesto: aliud lunari: deinde aliud per æstatem, aliud per hyemem.

Imitatus videtur illud Catulli de coma Berenices. *Qui stellarum ortus nouerat atq; obitus.* Lucret etiam lib. 4.

Sidera cessare ætheriis affixa cauernis
Cuncta videntur, & assiduo sunt omnia motu,
Quandoquidem longos obitus exorta reuisunt.

TEMPOR. PAREM DIVERS. QVAT.) Annum in quatuor tempora ęqualiter distributum: vnicuiq; enim tres menses descripti sunt, vt alibi ex Ausonio docuimus. Et C hanc quadripartitam anni varietatem sol efficit. Qua de re Cic. 2. de nat. deor. his ipsis verbis. Inflectens autem sol cursum tum ad septentriones, tum ad meridiem, æstates, & hyemes efficit, & ea duo tempora, quorum alterum hyemi senescenti adiunctum est, alterum æstati. Ita ex quatuor temporum mutationibus, omnium quæ terra mariq; gignuntur, initia, caussæq; ducuntur. Loquitur de hac diuisione Varro lib. 1. de re rust. cap. 27. & 28. quot cuiq; dies, & quid vnaquaque parte faciendum agricolis, præscribit. Vide dialogum nostrum 17. primę Tertij. Iacob Pont.

Frigidus agricolam si quando continet imber,
Multa forent quæ mox cælo properanda sereno,
Maturare datur. durum procudit arator
Vomeris obtusi dentem, cauat arbore lintres:
Aut pecori signum, aut numeros impressit aceruis.
Exacuunt alii vallos, furcasq; bicornes,
Atq; Amerina parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis Rubea texatur fiscina virga:
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas, & iura sinunt. riuos deducere nulla
Relligio vetuit: segeti prætendere sepem:
Insidias auibus moliri: incendere vepres:
Balantumq; gregem fluuio mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis: lapidemq; reuertens
Incussum, aut atræ massam picis vrbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Fælices operum. quintam fuge: pallidus Orcus,
Eumenidesq; satæ: tum partu terra nefando
Cœumq;, Iapetumq; creat, sæuumq; Typhœa,

ET CONIVRATOS CÆLVM RESCINDERE FRATRES.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atq; Ossæ frondosum inuoluere Olympum:
Ter pater extructos disiecit fulmine montes.

FRIGID. AGRICOL. SI. Q. C. IMBER) Si quando agricolam domi mala tempestas retinebit, habebit multa quæ præparet, quæq; cælo sereno aliàs conficere debuisset. Tempestate pluuia quid agendum domi rusticis, Cato cap. 2. Cum tempestates pluuiæ fuerint, videto quot dies, quæúe opera per imbrem fieri potuerint, dolia lauari, picari, villa purgari, frumentum transferri, stercus foras efferi, sterquilinium fieri: centones, cucullionesfamiliam oportuisse sibi sarcire. CÆLO PROPSER. MATVRARE) Aliud est maturè, inquit Gellius lib. 10. cap. 11. quam properè. Maturè est, quod neq; citius est, neq; serius, & medium quiddam, & temperatum est, &c. Infra Virgilius quoque, si quis animum attendat, duo ista verba *properare*, & *maturare* tanquam plane resonantia contraria scitissimè separauit. Namque in properatu rei rusticæ per tempestates, pluuiasque, quum otium est, maturari potest: per serenas, quum tempus instat, properari necessum est. Quum significandum autem est, coactius quid factum, & festinantius: tum rectius præmaturè id factum dicitur, quam maturè. Vide & Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 8. Maturare inquit Nonius, non vti consuetudo est, properare dicendum est, sed cum modo studium adhibere festinum, à maturitate dictum, qua ratione naturæ modificatione quadam nec præcipitatur, ne præcox quid fiat, neq; differtur, ne senio dissoluatur. Recitat hunc ipsum poetæ locum. PROCV. VOM. OB. DENTEM) Acuit aciem vomeris hebetati, cudendo extenuat. Procudere est verbum fabrûm ærariorum, ac translatione venusta à veteribus ponitur pro propagare, maius, longiusq; facere, sicut ferrum cudendo malleis extendunt fabri. Varro apud Nonium, legendo autem, & scribendo vitam procudito. Plautus procudere dolos dixit in Pseudolo. Lucretius, procudit ignis ignem: item, procudere voluptatem, lib. 3. *Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas.* Bersman. CAVAT ARB. LINT.) Linter Virgilio hic est lignum excauatum, ex quo aquantur pecora & iumenta. Alij lintres in quibus vuæ portantur, quæ ligna erant cauata, alias nauia, de quibus Tibullus libr. 2. eleg. 5. *Hæc mihi seruabit plenis in lintribus vuas.* Bersmannus. * *Nonnulli interpretantur naues fluminales: sed malo de alueis accipere, ad quos potum aguntur pecora. Certum est sepius, & propriè paruã nauim, aut scapham hoc vocabulo significari. Cæsar lib. 7. de bello Gall. Conquirit etiam lintres: has magno sonitu remorum incitatas, in eandem partem mittit. Cic. pro Milone. Repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, cæmenta, atq; arma conuexit. Tibull. lib. 1. eleg. 5.* In liquida nat tibi linter aqua. AVT PECOR. SIGNVM) Consueuerunt armentorum custodes, quò suum pecus ab alieno internoscerent, signa quædam ei imprimere, quæ quoniam ferro candente vrebantur, à Græcis ἐγκαύματα dicta sunt. Meminit horum rursus in 3. *Continuoq; notas & nomina gentis inurunt.* Calpurnius eclog. 5.

——viniquoq; pondera melle
Argenti coquito: lentumq; bitumen aheno,
Impressurus oui tua nomina.

Apuleius lib. 2. Metamorph. Nec non & equum illum quoq; meum reducentibus, quem diuersum distractum notæ dorsualis cognitione recuperauerit. Et Anacreon

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι	*Equi solent inustum*
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.	*Coxis habere signum.*

Neq; verò gregibus tantum, & armentis distinctionis A caussa notas quasdam veteres inurebant, verumetiam ipsis mancipijs: vnde litteratos seruos apud Plautum, & inscriptos apud Martialem inuenias. Addam verba Isidori ex 20. Originum, cap. 16. Character est ferrum coloratum (malim ego, caloratum) quo notæ pecudibus inuruntur. χαρακτὴρ autem græcè, latinè forma dicitur. Titius lib. 7. cap. 20. AVT NVM IMPRESSIT ACERVIS) Aceruis frumentorum, seu leguminum cumulis imprimuntur numeri, quando quibusdam tesseris eorum mensuræ designantur. EXACVVNT ALII VALLOS) Id est, palos, siue sudes in terram adigendas. FVRCASQVE BICORNES) Ad fœnum, & stramenta versanda. AMERINA VITI RETIN.) Amerina vocat ab Ameria B oppido Vmbriæ, vel quod inde peterentur, vel quod ibi melius prouenirent. Columella lib. 4. cap. 30. Amerina falx gracilem virgam, & rutilam gerit. *Lenta vitis* est flexibilis. Bersman. RVBEA VIRGA) Rubea vel à loco, à Rubis Italiæ oppido, abundante virgis, viminibus, & virgultis, vt sit Rubea virga, sicut Amerina retinacula: vel vox est denominata à rubo, quem fruticem inter vitilia enumerat Plinius, quod cõmodè flecti possit: itaq; & nostrates aliquando fiscellas contexunt è virgis rubeis. Bersman. FISCINA) De hac voce ita Varro de ling. lat. lib. 4. Quibus comportantur fructus, ac necessariæ res, de ijs fiscina à ferendo dicta. Isidor. lib. 20. cap. 9. à fiscus deriuatiuum esse vult, & diminutiuum fiscella. Fiscus C autem, inquit, est saccus publicus, quem habent exactores, & in eo mittunt debitum publicum, quod redditur regibus. NVNC TORRETE IG. FRVG.) Vide 1 Æneid. *Et torrere parant flammis, & frangere saxo.* QVIPPE ETIAM FESTIS QVÆDAM) Describet Virgilius opera festis diebus permissa: vbi collatio quædam est maiorum. Festis diebus opera quædam permittuntur, quanto magis igitur pluuijs profestis? Hinc illa veterum sunt oracula, malum patrem familiâs, quisquis interdiu faceret, quod noctu posset, nisi tempestate cæli: peiorem qui profestis diebus ageret, quod feriatis deberet: pessimũ, qui sereno die sub tecto potius operaretur, quam in agro. Plin. lib. 18. cap. 6.

D Præter ea opera, quæ ritu maiorum agricolis permitti Virgilius affirmat diebus festis, recenset adhuc alia, nec pauca Columella lib. 2. cap. 22. far pinsere, faces incidere, candelas sebare, vineam conductam colere, piscinas, lacus, fossas veteres tergere, & purgare, prata sicilire, stercora æquare, fœnum in tabulata componere, fructus olíueti cõductos cogere, mala, pyra, ficus pandere, caseum facere, arbores serendi caussa collo, vel mulo clitellario afferre: sed iuncto aduehere non permittitur, nec apportata serere, neq; terrã aperire, neq; arborem collucare, & quæ sequuntur. Adde Catonem, cuius verba sunt cap. 2. Per ferias potuisse fossas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, E pratum purgari, virgas vinciri, spinas runcari, expinsi far, munditias fieri. RIVOS DEDVC.) Quod ait *deducere*, nihil est aliud, quam detergere. Nam festis diebus riuos veteres sordidatos detergere licet, nouos fodere non licet. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 3. Diducere scriptum est in optimo illo libro Colotiano, quomodo etiam legitur apud Catonem. Aquam diducere in vias, & segetem curare oportet, vti fluat. Vrsin. SEGETI PRÆTEND. SEPEM) De quadruplici sepimento vide Var. lib. 1. cap. 14. INSIDIAS

DIAS AVIBVS MOL.) Illis maximè, quæ segetibus nocent. BALANTVMQVE GREG. FLVVIO) Lib. 3. *Quin etiam ima dolor balantum lapsus ad ossa.* Lucret. lib. 2. *Balantum pecudes.* Quemadmodum porrò Virgil. dixit balantum gregem, pro ouium grege: sic Horat. Ode 2. Epod. mugientes greges, pro boum gregibus.

Columella lib. 2. cap. 22. sed cum tam otij, quam negotij rationé reddere maiores nostri censuerint, nos quoq; monendos esse agricolas existimamus, quę ferijs facere, quæq; non facere debeant. Sunt enim, vt ait poeta, quæ *festis exercere diebus Fas, & iura sinunt,* &c. Quanquam Pontifices negent, segetem ferijs sepiri debere. Vetant quoq; lanarum caussa lauari oues, nisi propter medicinam. Virgil. quod liceat ferijs flumine abluere gregem, B præcepit, & idcirco adiecit, *fluuio mersare salubri.* Sunt enim vitia, quorum caussa pecus vtile sit lauari. Consule eiusdem cap. 5. lib. 7.

Recitabimus insuper quæ scripta sunt apud Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 16. & lib. 3. cap 3. Vmbro negabat eum pollui, qui opus vel ad deos pertinens, sacrorumúe caussa fecisset, vel aliquid ad vrgentem vitæ vtilitatem respiciens actitasset. Scæuola deniq; consultus, quid ferijs agere liceret, respondit, quod prætermissum noceret. [*Huic consentaneum est, quod dicit Palladius libr. 1. tit. 6. Necessitas caret ferijs.*] Quapropter si bos in specum decidisset, eumque paterfamiliàs adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille, qui trabem tecti fractam faciendo, ab imminente vindicauit ruina. Vnde & Maro omnium disciplinarum peritus, sciens lauari ouem aut lanæ purgandæ, aut scabiei curandæ gratia, pronuntiauit, tunc ouem per ferias licere mersari, si hoc remedij caussa fieret. Adijciendo enim *salubri,* ostendit auertendi morbi gratia tantummodo, non etiam ob lucrú purgandæ lanæ caussa fieri concessum. Quid verò agendum, ne scabræ fiant oues, Cato sic docet, cap. 96. Oues ne scabræ fiant, amurcam condito, puram bene facito, aquam vbi lupinus deferuerit, & fæcem de vino bono inter se omnia commisceto pariter. Postea cum detonderis, vngito totas, sinito biduum, aut triduum consudent. Deinde lauito in mari. Si aquam marinam non habebis, facito aquam salsam, ea lauito. Si hæc sic feceris, neq; scabræ fient, & lanæ plus, & meliorem habebunt, & ricini non erunt molesti. OLEO TARDI COST. AGIT. ASELLI) Dicamus summatim, quæ de asello scribit Columella lib. 7. cap. 1. Etiam eo rure quod pascuo caret, contineri potest, exiguo & qualicunq; pabulo contentus. Quippe vel folijs, spinisque, vel perticis salignis alitur, vel abiecto fasce sarmentorum. Paleis verò, quibus pæne omnes regiones abundant, etiam gliscit. Plagarum, laborum, famis patientissimus. Huius animalis tam exiguæ tutelę plurima, & necessaria opera supra portionem respondent: cum & facilem terram, qualis in Bætica, totaq; Lybia leuibus aratris proscindat, & non nimio pondere vehicula trahat. Sæpe etiam, vt celeberrimus poeta memorat, *tardi costas agitator aselli Vilibus aut onerat pomis,* &c. Iam vero molarum, & conficiendi frumenti pæne sollennis est huius pecoris labor. Quare omne rus, tanquam maximè necessarium desiderat asellum, qui pleraq; vtensilia & vehere in vrbem, & reportare collo, vel dorso commodè potest. VILIB. POMIS) Fructibus vilioribus, qui cum ætatem non ferant, ne putrescant in pomario, citius vendendi sunt vrbanis. LAPID. INCVS.) Nomine lapidis incusi cum Seruio manualem molam, cudendo asperatam accipito, χειρομύλην. ATRÆ MAS. PICIS) Vtiq; ad vasa picanda. Pix græcum nomen est, quam illi πίσσαν vocant. Alij volunt ex pino picem vocari. Isidor. lib. 17. IPSA DIES ALIOS ALIO D. O. LVNA.) Describit discrimina dierum quatuor lunarium, quinti, septimi, noni, decimi, quæ res superstitiosa videtur, & certè Plinio parum probata lib. 18. cap. 32. Virgilius, inquit, etiam in numeros lunæ quædam digerenda putauit, Democriti secutus ostentationem. Hæc ille. Tradit tamen ibi hanc generatim lunæ legem. Omnia quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentius decrescente luna, quam crescéte fiunt. FÆLICES OPERVM) explica, quibus opera fæliciter aguntur. Sumptum ex Hesiodo, vbi quatuor versibus idem plenius.

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.
Τάων εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος ὃς τάδε πάντα
Εἰδὼς ἐργάζηται ἀναίτιος ἀθανάτοισιν,
Ὄρνιθας κρίνων, καὶ ὑπερβασίας ἀλεείνων.
Ipsa dies quandoq; parens, quandoq; nouerca est.
Is felix ac prosper aget, qui hæc omnia seruans,
Sic vitam instituet, Dijs inculpabilis vt sit,
Auguria obseruans, nec quidquam spernere tentans.

De ijsdem diebus lunaribus obseruandis lege Varronem lib. 1. cap. 37. Multa item Rhodigin. lib. 14. cap. 9. Et Politian. ep. 7. lib. 12. Cæterùm Plutarchus in Camillo scribit, ab Heraclito rectè reprehensum Hesiodum, quod alios dies faustos, alios infaustos, & infælices statuerit, tanquam ignorans, vnam dierum omnium esse naturam. ὀρθῶς Ἡράκλειτος ἐπέπληξεν Ἡσιόδῳ τὰς μὲν ἀγαθὰς ποιουμένῳ, τὰς δὲ φαύλας ἡμέρας, ὡς ἀγνοοῦντι φύσιν ἡμέρας μίαν οὖσαν.

C PALLIDVS ORCVS) Pallidus orcus est Pluto, propter vmbras pallentes. EVMENIDESQVE SATÆ) De Eumenidibus lege Natal. Comitem libr. 3. cap. 10. Gyrald: Syntag. 6. in Furijs. PARTV TERRA NEFANDO COEVM) De gigantibus Natalis lib. 6. cap. 21. CONIVRATOS CÆL. RESCINDERE) Horat. Ode 15. lib. 1.

Quam multo repetet Græcia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.

Qui sunt autem isti fratres coniurati, nisi homines aduersus deum impij, de quibus infra dicetur, θεομάχοι? TER SVNT CONATI IMPON.) Collisio vocalium. quam & contusionem, & concursum à re ipsa vocare D possumus, (Cicero hiatum vocat, & vocales ipsas dicit hiare) fieri singulis in pedibus, eorumq; concisionibus potest. Vocamus autem concisiones ipsas pedum inter se complicationes, græcè nomen habent à numero syllabarum, Tritimimeris, Heptimimeris, Enneamimeris, eaq; duobus fit modis: cum aut eædem concurrunt vocales, aut cum diuersæ. Cum altera è versu extruditur, ea tum ademptio, tum extrusio rectè vocatur: non minus fortasse propriè explosio. Cum permanent, nec truduntur loco, boatum sunt è literatoribus qui vocarint: rectius vtique complosio vocabitur, quod è resultu geminetur sonus, vt in hoc. Qui tamen resultus longe minor existit, cum è diuersis vocalibus fit, vt, *Ionio in* E *magno.* Atque ego liberè vt loquar, præterquam quod græcam habet imitationem, affertque varietatem, quæ per se ipsa delectat, & naturalis est, non video cur à Latinis complosio magnopere sit probanda, cum vix delectet, nisi in ijs, quæ è Græco sunt accepta: qualis ille versus, *Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.* Et, *Dardanio Anchisæ.* Et, *Actæo Aracyntho.* Raritas tamen ipsa, & quam dixi varietas, potest reddere illam & venustam, & suauem, suo tamen, accommoda, toq; in loco, ac verbis idoneis. Hanc ego doctrinam Iouiani in Actio dial. non indignam duxi, quæ isto potissimùm loco cum studiosis communicaretur.

De origine gigantum, belloq; aduersum deos suscepto, ita Ouid. Fast. lib. 5.

Terra

Terra feros partus immania monstra gigantes
Edidit, ausuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues,
Atq; ait, in magnos arma mouete deos.
Extruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Iouem.
Fulmina de cœli iaculatus Iupiter arce
Vertit in auctores pondera vasta suos.

Quod Ouid. ait, habuisse angues pro cruribus, & quod à poetis anguipedes vocantur isti gigantes, quærendum est, quid sibi velit. Hoc nempe, quod incessu quodam superbo tanquam anguium spiras imitati sint: videlicet non sine fastu in semicirculos contortis pedibus, seu vestigijs: id quod Thrasonibus, popularisq; auræ captatoribus in consuetudine est. De bello hoc etiam Horat. Ode 4. lib. 3.

Magnum illa terrorem intulerat Ioui
Fidens iuuentus horrida brachiis:
Fratresq; tendentes opaco
Pelion imposuisse olympo.

Vide nihilominus 1. Metamorph. Sed ante omnes huius gigantomachiæ, atq; adeo montium montibus impositorum meminit Homerus Odyss. λ.

Οἳ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην ἐν ὀλύμπῳ
φυλόπιδα στήσειν πολυάϊκος πολέμοιο.
Ὄσσαν ἐπ' οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἄμβατος εἴη.

De eadem libellum reliquit Claudian. Benedictus Pererius Tom. 2. in Genes. non putat absurdum sentire, existimantes, ex historia Moysis, cap. 6. Geneseos, priscos poetas occasionem de gigantibus fabulandi cæpisse, veritatemq; sacræ historiæ mendaciorum admixtione adulteratam & fœdatam esse: quomodo scilicet in eluuione illa Deucalionæa contigit, & in alijs quibusdam. Gigantes Cicero aliud nihil significare vult, quam impiam quandam hominum gentem, deos negantem, & ideo existimatam deos conatam cælo depellere. Pro corolario addam distichon Ouidij ex 1. Fastor. de istis montibus.

Sic petitur cælum, non vt ferat Ossan Olympus,
Summaq; Peliacus sidera tangat apex.

Iacob. Pont. TER PAT. EXTRVCT. D. F. MONT.) Extructos, id est exaggeratos, & tanquam cumulatos. Sic apud Horat. Ode 3. lib. 2. extructæ diuitiæ Apud Lucret. lib. 6. extructæ vrbes. Apud Cic. in Catone, extructæ mēsæ. Idem pro Sextio, tantos corporum aceruos extructos.

Septima post decimam fœlix & ponere vites,
Et prensos domitare boues, & licia telæ
Addere. nona fugæ melior, contraria furtis.
Multa adeò gelida melius se nocte dedere:
Aut cùm sole nouo terras irrorat Eous.
Nocte leues stipulæ melius, nocte arida prata
Tondentur: noctis lentus non deficit humor.
Et quidam seros hyberni ad luminis ignes
Peruigilat, ferroq; faces inspicat acuto.
Interea longum cantu solata laborem
Arguto coniux percurrit pectine telas:
Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis vndam tepidi despumat aheni.
At rubicunda Ceres medio succiditur æstu,
Et medio tostas æstù terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus: hyems ignaua colono.
FRIGORIBVS PARTO AGRICOLÆ PLERVNQVE FRVVNTVR,
MVTVAQVE INTER SE LÆTI CONVIVIA CVRANT.
INVITAT GENIALIS HYEMS, CVRASQVE RESOLVIT:
Ceu pressæ cùm iam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.
Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamq;, cruentaq; myrta:
Tunc gruibus pedicas, & retia ponere ceruis,
Auritosq; sequi lepores: tum figere damas
Stupea torquentem Balearis verbera fundæ:
Cùm nix alta iacet, glaciem cùm flumina trudunt.

SEPTIMA POST DECIM. FÆLIX) Lunæ calor est imbecillis prorsus, adeo vt nequaquam ita vnquam calescat, vt siccitatem queat inducere. Ceterùm ad humectationem vsq; modo progreditur. Vnde & illud consecutione

cutione quadam manifestum, pro luminis copia, & ex A eo etiam caloris, corpora humectari. Consimiliter ad defectum tendente lumine, humectationis detrimenta fieri, & caloris. Sciendum & illud, lunam priore dichotomia excalescere plus, atq; humectare, quam sequente, ratione (vt prætexuimus) augescentis, aut decrescentis luminis. Ex ijs deprehendere periti rerum, increscentis lunæ spatia esse plantationibus velut deteriora, quoniam humoris exuperantia semen madescens celerius vendicet incrementa. Vbi verò deteritur lumen, cædi optimè materiam, quæ arescat tunc, attenueturúe, propterea nec carie computrescat. Quamobrem apud Maronem cum septima post decimam nominatur, neutiquam decimam septimam intelligi posse: quamuis id B non abnuat interpres. Hanc siquidem ponendis vitibus incommodam censeri prope in confesso est, ob luminis detrimenta. Verùm probabilius id, aut septimam significari, quæ sit post decimam prima, & melior, id est, quartam decimam (vt sit septima duplicata intelligenda) quę dies comprobari omnium calculis potest, luna tum plenam faciente visitationem: aut dies collaudasse duos credamus poetam agricolationis peritissimum, septimum ac decimum: sed hunc eo amplius. Septima vtique luna dimidio orbe cæsa conuisitur. Decima amphicyrtos, id est, vtrinque gibbosa. Et vtrobique humor affatim, calorque radicibus affundi facile potest. Plura Rhodigin. libro 20. capite tertio. Vide etiam C Bersmann. ET LICIA TELÆ ADDERE) Licium dicitur, quod vtrinque stamina ligat: aliquando pro stamine ipso. Itaque hoc nunc dicitur, telæ texturam eo die fælicem futuram. Bersmann. NONA FVGÆ MELIOR) Fugæ, itineri, profectioni, luna tum suppeditante lumen contra insidias latronum, ac furum. Propertius libro tertio. *luna ministrat iter, demonstrant astra latebras.* Bersmannus. CONTRARIA FVRTIS) Fures gaudent tenebris. Nocturnum furem per XII. licet impunè occidere: diurnum autem, si se telo defenderit. MVLTA GELIDA MEL. SE NOCTE) Quæ nocte vel æstiua, vel hyberna rectius gerantur. Gelida nox est, propter solis absentiam, & vapores de terra sublatos, qui nocturnum aerem frigefaciunt. *Sol nouus* D eodem intellectu, quo alibi mane nouum & 4. Æneid. *Et iam prima nouo spargebat lumine terras.* Bersmann, ARIDA PRATA) Aridum proprie est, quod naturalem humorem amisit. Dicitur autem per contrariam significationem, quod irrigari desiit. Nam græcè irrigare est ἄρδειν hæc Festus. Vocat arida prata, in quibus per æstum diurnum gramen exaruit. Pratum Isidoro libro decimo quinto, capite decimo tertio, cuius fœni copia armenta tuetur: cui veteres Romani nomen indiderunt abeo, quod protinus sit paratum, nec magnum laborem culturæ desideret. Quæ parata sint irrigua, quæ siccanea, vide Præd. rust. Caroli Steph. in Prato. FERROQVE FACES INSPICAT) Inspicantur fa- E ces, cum in spicæ similitudinem inciduntur, in longum videlicet, minutis virgulis, vt facilius ardorem concipiant. Eclog. 8. dixit incidere. *Mopse nouas incide faces.* Turneb. libr. 27. cap. 25. Inspicat, ait Philargyr. findit in modum spicarum, cui multæ sunt aristæ. LONGVM CANTV SOLATA LABOREM) Aristoteles Problematis. *Διὰ τί οἱ πονοῦντες, καὶ οἱ ἀπολαύοντες ᾄδουσιν; ἢ ἵνα οἱ μὲν ἧττον λυπῶνται, οἱ δὲ μᾶλλον χαίρωσιν.* Tale quid Tibull. libro 2. eleg. 1.

Atq; aliqua assiduè textrix operata Mineruam
Cantat, & a pulso tela sonant latere.

Et eleg. 7.

Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

ARGVTO PERCVRRIT PECT. TEL.) Pectinem argutum, ferè vt suprà argutam serram dixit. MVSTI VVLCANO DECOQ. HVM.) De coquendo defruto disputat Columella libr. 12. cap. 21. Siræum scribit Plin. libro decimo quarto, capite nono, quod alij hepsema, nostri sapam appellant, ingenij, non naturæ opus est, musto vsque ad tertiam partem mensuræ decocto. Quod vbi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus. Defrutum dictum affirmat Seruius, quod defraudatur, & fraudem patitur: factitium enim, non naturale vinum est. Hinc defrutare defrutum conficere: & defrutarium locus, in quo defrutum coquitur, & defrutaria vasa. RVBICVNDA CERES) Catull. *Rubens arista sole feruido.* supra dixit, flaua Ceres. MEDIO SVCCIDITVR ÆSTV) sub meridiem, quo & seges demetenda est, & trituranda: siquidem exsiccatione, & calore solis ei opus est. TERET AREA FRVGES) Tibull. *Area dum messes sole calente teret.* NVDVS ARA, SERE NVDVS) Quemadmodum patuerit calumniæ hoc hemistichium, in Prodidagmatis docere memini. At Virgilius nudum agricolam arando, aut serendo esse noluit: sed tantam serenitatem notauit, vt amictus posset deijci. Locus est ex Hesiodo. *γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν, γυμνὸν δ' ἀμάειν.* Nudus serito, nudus arato, nudus quoque metito. Vbi βοωτεῖν non pro βοῦς ζευγνύειν, vt aliqui accipiunt, sed pro ἀροτριᾶν secundum Virgilij versionem intelligendum est. Vel ita secundum alium. Indicatur vtrinque, sedulò, & in tempore obeunda esse rei rusticæ opera, nec differendam esse arationem, & sationem in multam hyemem, quæ frigoris inclementia agriculturæ est aduersa, ipsumque agricolam segniorem reddit: vt sit in his verbis, *Nudus ara, sere nudus*, notatio caloris, & serenitatis vernæ, & autumnalis, quæ sole apricante terram, sæpenumero cogit agricolam vestimenta exuere. Sunt qui huc referant illud Plinij è libro de viris illustribus. Quintius Dictator dictus: ad quem missi legati, nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt. * *Cum præcepto Maroniano concordat, quod tradit Isidor. libro decimo septimo, serere Vocatum esse, quia hoc calo sereno faciendum sit, non per imbres.* HYEMS IGNAVA COLONO) Horat. Ode 7. libr. 4. *Et mox bruma recurrit iners.* MVTVAQVE INTER SE LÆTI CONVIVIA CVRANT) Perinde est, ac si dixisset, eos alternatim celebrare, agitareque conuiuia, sese vicissim ad epulas inuitantes, quæ priscis dicebatur mutitatio. Gellius. Legitur in Atterij Capitonis coniectaneis senatus decretum vetus, in quo iubentur principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus mutitarent, id est, mutua inter se conuiuia agitarent, iurare apud Cos. &c. vbi lego ex fide codicum, mutua inter se dominia agitarent. Dominus antiquis præbitor: & dominia præbitiones hilariores. Lucilius. Primùm dominia, atque sodalitia omnia tollantur. Cicero. Frumentar. in Verrem. Huius argento dominia vestra, huius signis forum, comitiumque ornari. Huc igitur, ad ista, inquam, alternantia conuiuia respexit Virgilius. Etiam Pindarus Ode 1. De Tantalo, qui *ἀμοιβαῖα θεοῖς δεῖπνα πάρεσχεν.* Lipsius, Saturnal. libro primo, capite 19. INVITAT GENIALIS HYEMS) Inuitat interpretatur hic Nonius, delectat, & inuitari est delectari. Turpil. Philopat. *Locus ipse inuitat hercle hic.* M. Tullius Hortensio. Voluptates autem nulla ad res necessarias inuitamenta afferunt senibus. Idem de Repub. idque ipsa natura non inuitaret solùm, sed etiam cogeret. CVRASQ. RESOLVIT) Quibus vsque ad messem sollicitantur, afficiuntur-

que

que rustici, dum tot incommoda, quæ alibi recensita A sunt, segetibus metuere coguntur. At cùm iam stiparũt horrea manipulis, tum cura omnis ex corde excedit, lætitia succedit. Iacob. Pont. CEV PRESSÆ CVM IAM PORTVM CARINÆ) pressæ, id est, mercibus oneratæ. Lætitiam agricolarum, quam hybernis messibus agitãt, nautarum gratulationi, saluas naues in portum appellentium, puppesq; coronantium aptè comparat. Nam vt illi pericula magna, sic hi quoq; in frugibus pestes omnes, & detrimenta euaserunt. Iacob. Pont. PVPPIBVS ET LÆTI) Repetitur Æneid. 4. Priorem dimidiatum mutuatus est Propert. lib. 3. eleg. 23. & verbum vltimum sequentis mutauit in participium.

Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,
Traiectæ syrtes, anchora iacta mihi est.

Docet porrò Turneb. ex antiquorum ritu dictum, qui tutelas, & deos in puppe nauis consecrabant, vt ea tanquam quoddam sacrarium esset, vel sacellum: vnde initò cursus vellenbus niueis, festa fronde, verbenis, sertis in deorum honorem puppes ornabantur. SED TAMEN ET QVERNAS) Alia quædã opera attingit, quæ hyberno tempore commodè fieri possunt. CRVENT. MYRTA) Myrta vocat cruẽta, matura enim cruoris imitantur colorem. Seruius. Vide etiam German. TVNC GRVIBVS PEDICAS) In voluptatibus vitæ rusticæ, quas multas diuersasq; percenset Horat. Ode 2. Epod. hanc quoque, in aucupio & venatu positam expressè ponit, his versiculis. C

Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas.
Aut amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos.
Pauidumq; leporem, & aduenam laqueo gruem
Iucunda captat præmia.

AVRITOSQ. SEQVI LEP.) Addam animi gratia de leporina. Aiunt vulgò medici, eam reddere melancholicos in cibo sumptam. Quia crassum gignit sanguinem, quòd caro sit subfrigida, & abundet humore. Quare Alexand. Seuerum Imp. necesse est quotidie melancholicum fuisse: in singulos siquidem dies leporem comedebat. Vnde epigramma apud Lamprid. quo illum ex assiduo huius carnis esu humanum, venustum etiam fieri asserebant.

A *Venatus facit, & lepus comesus,*
De quo continuum capit lepôrem.

Fuit enim hæc opinio vulgaris, valere ad formam conciliandam esum leporinæ, quod indicat etiam Martialis salso illo epigrammate ad Gelliam. Certè hoc ferculum idem valde commendat. lib. 13.

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Iacob. Pont. BALEARIS VERB. FVNDÆ) Fundis nemo figit, sed intra insidias cogit, vbi inclusam feram iaculis petijt. Ergo ὕστερον πρότερον est. De Baleanbus Diodor. lib. 5. cap. 6. Aliæ quoq; sunt insulæ, Iberiæ opposite, B à Græcis Gymnesiæ, ab incolarum nuditate, qui æstatis tempore absq; vestibus incedunt: ab accolis verò, & Romanis Baleares, à fundæ iactu, qua rectius, quàm reliqui iaciunt, appellatæ. Infrà. Arma eis sunt fundæ tres. Vna caput cingunt, altera ventrem, tertia in manibus gestatur. Ita autem rectè lapides propellunt, vt rarò effugiat ictum appetitus locus: quod eis continuus à pueritia vsus præbet, à matribus ad id certamen coactis. Imponũt enim supra erectum lignum panem, quem iactu petant: neq; antè cibum capiunt, quam panem lapide deiectum pro cibo sumant permissu matris. Eadem Veget. lib. 1. ca. 16. A funda funditor. Consule ibid. Steuechium. CVM NIX ALTA IACET) Quæritur, quare hyeme ningat, nõ C grandinet: & vere, iã frigore infracto, grando cadat. Hyeme aer riget: & ideo nondum in aquam vertitur, sed in niuem, cui aer propior est. Cùm ver cæpit, maior inclinatio sequitur, & calidiore cælo maiora fiunt stillicidia. Ideo, vt ait Virgil. noster, cùm ruit imbriferum ver, vehementior immutatio est aeris vndique patefacti & soluentis se, ipso tempore adiuuante. Ob hoc nimbi graues magis, vastiq; quàm pertinaces. Bruma lẽtas pluuias habet, & tenues, quales sæpe solẽt interuenire, cùm pluuia rara, & minuta niuem quoq; admixtam habet. Dicimus niualem diem, cùm altum frigus, & triste cælum est. Præterea Aquilone flante minutæ pluuiæ sunt: Austro imber improbior est, & guttæ pleniores sunt. Seneca Natural. lib. 4. cap. 4. GLAC. CVM FLVM. TRVD.) Pulchrè Lucr. D lib. 6. glaciem duramen aquarum nominat, hoc versu.

Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
Et mora quæ fluuios passim refrenat euntes.

Quid tempestates auctumni, & sidera dicam?
Atq; vbi iam breuiorq; dies, & mollior æstas,
Quæ vigilanda viris? vel cùm ruit imbriferum ver?
Spicea iam campis cùm messis inhorruit, & cùm
Frumenta in viridi stipula lactentia turgent?
Sæpe ego, cùm flauis messorem induceret aruis
Agricola, & fragili iam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ grauidam latè segetem ab radicibus imis
Sublimè expulsam eruerent: ita turbine nigro
Ferret hyems culmumq; leuem, stipulasq; volantes.
Sæpe etiam immensum cælo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluuia ingenti sata læta, boumq; labores
Diluit: implentur fossæ, & caua flumina crescunt,

Cum sonitu: feruetq; fretis spirantibus æquor.
Ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur dextra: quo maxima motu
Terra tremit, fugêre feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis strauit pauor: ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deijcit. ingeminant Austri, & densissimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.
Hoc metuens, cæli menses & sidera serua:
Frigida Saturni sese quò stella receptet,
Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes. *

Venio ad autumni & veris tempora, in quibus obseruandis strenueq; transigendis, non minus vigilare agricolam oportet, quàm in æstate, & hyeme. Nam iis temporibus, aeris, & cæli habitus maximè incõstans est, & variæ tempestates terra mariq; commouentur. Quid enim de autumno dicam, quàm varius sit, quamque inconstans: cùm iam æstas remissior, & quasi mollior est, & dies post æquinoctium decrescere incipiunt? Quid de vere, perpetuis imbribus ac pluuiis obnoxio: quando frumenta iam lactescunt, & culmi confirmari cęperunt, adeoque spicea quædam messis insurgit? Nam sæpe ego vidi in ipsa messe, cùm falcem iam immitterent agricolæ, damnosa imperitis ventorum prælia concurrere: quæ copiosam segetem & vberem, radicitùs euulsam longè lateque dissiparent, & sublimem abriperent: ita, vt vnà cum desectis culmis, etiam aruorum stipulæ, procellis ventorum expulsæ, hinc inde auolitarent. Sæpe etiam vidi maximum pluuiarum incursum ex altissimis nubibus fieri, & fœdas tempestates, imbresq; atrocissimos ingruere: quibus omnes agricolarum, omnes boum labores, & lætissimę segetes funditus extirparentur: omnes fossę adimplerentur: omnes fluuij redundarent: ipsum denique mare, & freta profundissima, tanquam æstu quodam efferuescerent. Sæpe cum nimbis & fulguribus etiam fulmina decidunt: quibus exterriti homines, & consternatæ feræ passim diffugiunt, ac trepidant: montes altissimi concutiuntur, & commouentur: denique totus hic terrarum orbis contremiscit. Non rarò imbres & venti simul ingruunt, ac terra marique sic imminent, vt hinc omnia littora, illinc omnes syluæ & nemora consonent. Quas tempestates cum agricolæ semper metuant, primùm sidera, & stellarum ortus atq; occasus diligenter obseruabunt: orientium siderum rationem ediscent: frigidæ Saturni stellæ transitum, & Mercurij naturam, & motum spectabunt, vt ex illis futuras tempestates aptè prænoscere, ac præsagire possint. QVID TEMPESTATES AVTVMNI) Celsus lib. 2. cap. 1. Ex tempestatibus optimæ æquales sunt, siue frigidæ, siue calidæ: pessimæ quæ variant maximè. Quò fit, vt autumnus plures opprimat. Nam ferè meridianis temporibus calor, nocturnis, atque matutinis, simulque etiam vespertinis frigus est. Naso 1. Metamorph. inæquales vocauit.

Iupiter antiqui contraxit tempora veris,
Perq; hyemes, æstusq;, & inæquales autumnos,
Et breue ver spatiis exegit quatuor annum.

Tempestas est turbo ventorum, vt hic. Tempestas est tempus quoque. Sallust. Iugurtha. Eà tempestate in exercitu nostro fuere complures noui, atque ignobiles. Lucill. lib. 28. Iam qua tempestate viuo, certo fine ad me recipio. De Senectute Cic. dixit tempestiuitas. Cursus A est certus tempestatis, & vna via naturæ, eáque simplex: sua cuique parti ætatis tempestiuitas est data. Nonius. * *Dicimus bona, mala, serena, turbida tempestas: pro quo barbari bonus, malus aer, bona, mala aura.* VBI IAM BREVIOR. D. ET MOLL. ÆSTAS) Primò auctumno dies noctibus breuiores fieri incipiunt, & feruor solis minuitur. VIGILANDO) Cura vigilanti facienda, prouidenda. Vigiliæ bonis scriptoribus significant labores: quia videlicet etiam vigilijs plerumque indigent, si magni & ardui sunt, nec cessationes, & tanquam somnos pati possunt. Iacob. Pont. RVIT IMBRIF. VER) Cùm ver præceps est, atq; ad æstatem vergit, declinat. Est autem hic sensus. Quid dicam, quàm sollicitum ac prouidum esse oporteat agricolam, B tempore verno, & autumnali? CVM MESSIS INHORRVIT) Messem inhorrescere, aut, vt alibi, segetem, agrum horrescere, seu horrere, eodem sensu dixit, quo Horatius vocauit agros hispidos. *Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros.* Intelligit enim eos, qui maturis frugibus referti sunt: nam ij spicis ipsis, atque aristis horrere quodammodo videntur, ac setosi esse. Quod magis adhuc confirmari posse videtur horrei etymo, quod Grammatici afferunt. Id enim quasi horridum, propter asperitatem aristarum nuncupari volunt, quoniam prisci fruges cum suis spicis in granaria reconderent. Titius lib. 3. cap. 23.

Alia est, & forsitan aptior huius loci explicatio, viri cuiusdam eruditi. Spicea messis inhorruit, id est, culmi C confirmari cæperunt. Propriè enim spicus, aut spica, aut spicum (idem enim tribus his generibus dicitur) est, cùm per culmi folliculum, id est, extremum tumorem, aristæ adhuc tenues in modum spiculi eminent: abusiuè autem pro frugibus. Itaque duobus his versibus *Spicea iam campis*, & qui sequitur deinceps, idem definitur veris inclinantis tempus, per spiceam scilicet messem, & fruméta lactentia. Lactantem deum fuisse, Varro tradit, qui se infunderet segetibus, & eas faceret lactescere. * *Hæc explanatio concinnata est ex Seruio, & pro Seruiana haberi potest.* FLAVIS ARVIS) maturis, seges enim matura flauescit. STRINGERET) falce apposita secaret, meteret. VENTORVM PRÆLIA) Horat. Ode 3. lib. 1. *nec timuit præci-* D *pitem Africum Decertantem aquilonibus.* Et Ode 9.

Permitte diuis cætera, qui simul
Strauere ventos æquore feruido
Deprælianteis.

Nos etc 1. Æneid. *Luctantes ventos.* Ouid. 14. Metamorph. *tumidum subitis concursibus æquor Astræi turbant, & eunt in prælia, fratres.* Lucret. libr. 1. immanitatem ac rabiem venti ponens quasi in conspectu.

Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis sternit, montesq; supremos
Syluifragis vexat flabris: ita perfurit acri

Cum

Cum fremitu fauitq; minaci murmure pontus.

A

Syluifragis flabris, id est, ventis syluas frangentibus, nempe acribus, & validis. Sed vt concursum illum, luctamq; ventorum Virgilius prælia, ita Lucret. lib. 5. eorundem quietem, & illam cæli à ventis tranquillitatem elegantissimè paces ventorum appellauit.

Non diuûm pacem votis adit, ac prece quæsit
Ventorum pauidus paces, aurasq; secundas?

GRAVIDAM SEGETEM) Spicis densam, granis turgentem, vberem. FERRET HYEMS) Furorum illum cæli, & ventorum illa prælia sic nominat: quoniam per hyemem ferè ea contingunt, & alioqui velut hyemem etiam media æstate creant. Hyems item procella, & tempestas. Iacob. Pont. ET PLVVIA INGENTI SATA) Cum his contende locum ex 2. Æneidos.

B

In segetem veluti cùm flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens,
Sternit agros, sternit sata læta, boumq; labores.

Et illa Lucretiana lib. 1. sanè ἐμφατικώτερα.

Nec validi possunt pontes venientis aquaï
Vim subitam tolerare, ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis
Dat sonitu magno stragem, voluitq; sub vndis
Grandia saxa: ruit qua quidquid fluctibus obstat.

C

Pluuiæ dictæ (Isidor. lib. 13.) quod fluant, quasi fluuiæ. Nimbus est densitas nubis intempesta, & obscura, & inde nimbus à nube. Sunt autem nimbi repentinæ, & præcipites pluuiæ: nam pluuias vocamus lentas, & iuges, quasi fluuias, vel quasi fluentes. PAT. MEDIA NIMB. IN NOCTE) Lucret. lib. 4. *Vsqueadeo tetra nimborum in nocte coorta.* Veterum opinio erat, Iouem, cùm tonabat, & fulminabat, in nubem eam, vnde fragor ille tumultuabatur, miscebatur, & fremebat, & iactus fulminum cadebat, currum agitantem descendisse, vt inde velut ictum destinaret, & agitatione currus sonitum excitaret. Hinc illud Horatianum Ode 12. li. 1. *Tu grauis curru quatis olympum.* Et Ode 34. lib. 1.

D

——— namq; diespiter
Igni corusco nubila diuidens
Plerumq; per purum tonantes
Egit equos volucremq; currum.

Quod igitur Iupiter è nubibus fulminum manubias mittere crederetur, ita scripsit Mantuanus poeta. Salmoneus quoque ille impius tyrannus, opinionis diuinæ, & maiestatis affectator, quadrigis equorum, & curribus, & lampadum quassatione iactuque, Iouis fulmen & tonitru imitabatur: quæ fabula spondet testimonium eius opinionis antiquorum, quam commemoraui. *Quattuor hic inuectus equis*, &c. Vide 6. Æneid. Turneb. lib. 9. cap. 9. CORVSCA FVLMINA MOL. DEXT.) Coruscam dextram Horatius rubentem dixit Ode 2. libr. 1.

E

Iam satis terris niuis atq; diræ
Grandinis misit pater, & rubente
Dextera sacras iaculatus arces
Terruit vrbem.

Quanquam hic *corusca* cohærere potius debet cum voce *fulmina*, quàm *dextera*. Sic Pindarus εἰδ. fulmen Iouis ὀρθόχειρον vocat, id est, telum igneum dextera contortum. Lamb. in Horat. QVO MAX. MOTV TER. TR.) Videtur tonitribus illis ipsa quoque terra succussa tremere. Lucret. *Inde tremor terras grauiter pertentat, & altum Murmura percurrunt cælum.* Quod sequitur, mortalium corda illo crepitu, fragore, cælique ruina humili pauore consternari, & ita humili eos atq; abiecto animo fieri, omnemque superbiam ponere, verissimè dictum est. Neque vlla re Dei regnantis potentiam ac maiestatem melius, quàm iis, quæ in cælo fiunt, concipimus: nec fortuitò à poetis Tonans, Altitonans pro deo ipso dicitur. Iacob. Pont. AVT ATHO, AVT RHODOPEN) Tractum è Theocrito Idyll. 7. notauit Turneb. ἢ Ἄθω, ἢ Ῥοδόπαν, ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα. Athon habent Aldini codices, & cæteri omnes, magno quidem errore, & syllabæ spatio repugnante. Ergo legendum Atho, vt sit accusatiuus Græcus Atticus, vt Apollo apud Apostolum, &, o, quod est ω apud Græcos, naturâ productum, propter sequentem vocalem corripitur, vt, *sub Ilio alto:* vtrobique enim non fit synalœphe. Erythræus Indice. ALTA CERAVNIA) Virgilius diuisim *alta ceraunia*, Horatius coniunctim, *Acroceraunia.* Ode 3. lib. 1. *Infames scopulos Acroceraunia.* HOC METVENS) hanc tempestatum stragem, quam edunt venti, imbres, fulmina, quamq; tibi modò descripsi. Deinceps duplicem cautionem proponit, vnam prouidentiæ, alteram religionis. CÆLI MENSES) tempora cæli, cuius motus mensura est tempus ipsum: vel duodecim signa, quibus annum in menses duodecim distinxerunt Astrologi. ET SIDE.) de planetis eum loqui, sequentes ostendunt versus, quibus Saturni, & Mercurij facit mentionem, quarum præcipua vis est in ciendis ventorum, & pluuiarum tempestatibus. SAT. STELLA QVO SESE RECEPTET) cum quo coniungatur, aut configurationem aliquam aspectus habeat. Nam soli aut lunæ coniunctus in signo humido, pluuiosæ tempestatis auctor est: in aliis alias ciet tempestates. ERRET IN ORBES) alludit ad græcam τῶν πλανητῶν appellationem, inter quos maximè vagus est Mercurius. Cic. lib. de suo consulatu.

Quæ verbo, & falsis Græcorum vocibus errant,
Re vera certo lapsu spatioq; feruntur.

Dicti enim sunt πλανῆται quasi errantes, & vagæ stellæ, non quòd vago incertoque motu oberrent, aut impingant, sed quòd vario, ac dispari circumferantur. Hactenus ex Berlinanno. * *Septem planetas quidam hoc carmine complexus est. μήνη, ζεὺς, ἄρης, παφίη, κρόνος, ἥλιος, ἑρμῆς. Manilius de iisdem.*

Sunt alia aduerso pugnantia sidera mundo,
Quæ cælum terramq; inter volitantia pendent,
Saturni, Iouis, & Martis, Solisque, sub illis
Mercurius Venerem inter agit, Lunamq; locatam.

IN PRIMIS VENERARE DEOS, atq; annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,
Extremæ sub casum hyemis, iam vere sereno.
Tunc agni pingues, & tunc mollissima vina:
Tunc somni dulces, densæq; in montibus vmbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:

Cui

Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho:
Terq; nouas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus, & socij comitentur ouantes:
Et Cererem clamore vocent in tecta: neq; antè
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quàm Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, & carmina dicat.

INPRIMIS VEN. DEOS) Fuit hæc pietas in veteribus, vt cùm cæteris in rebus, tum in studio præcipuè colendi ruris, quibus diuinus cultus neglectui non esset, ijs omnia prosperè successura crederent. Tibullus lib. 1 eleg. 1.

Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, & facili grandia poma manu.
Nec spes destituat, sed frugum semper aceruos
Præbeat, & pleno pinguia musta lacu.

Sequitur statim caussa, cur sperare debeat, agriculturam sibi fructuosam fore, quia colat deos.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Horat. Ode 23. lib. 3.

Cælo supinas si tuleris manus
Nascente luna rustica Phidile,
Si thure placaris, & horna
Fruge lares, auidaq; porca,
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero graue tempus anno.

Et eodem pertinere arbitror prouerbium, quod est apud Varronem libr. 1. de re rust. Dij facientes adiuuant. Facientes enim accipio eos, qui ritè operátur sacris, vt in illo, *cùm faciam vitula pro frugibus:* & Erasmú, qui multò aliter interpretatus est, falsum puto. Muret. in Tibull. * *Monet huius officij curam non esse negligendam Xenophon in Oeconom. Cùm enim dixisset Critobulus, esse permulta in agricultura, quibus ipsa non posset mederi, grandines, pruinas, glacies, imbres, siccitates, & pestes alias, quæ frequenter auferrent, quæ consilio & diligentia essent elaborata: respondet Socrates. At ego existimabam te scire, Critobule, haud minus res rusticas, quam bellicas in potestate deorum esse. Vides autem eos qui in bello sunt, ante bellicas actiones sacris operam dare, & hostiis, auspicijsq; consulere deos, quid agendum sit, quid non. De rusticis actionibus censésne minus rem diuinam esse faciendam?* ANNVA MAG. SAC. REF. CERERI) Vnde mos natus Cereri sacra faciendi, aperit Diodorus lib. 5. cap. 2. Tradunt deinceps Cererem, cùm filiam reperire non posset, facibus in Ætna accensis, varias orbis partes, Proserpinam quærentem deambulasse: hominesque qui eam gratè susceperant, tanquam beneficij memorem, frumenti edocuisse vsum: in quibus primi, propter suam erga deam humanitatem, post Siculos fuere Athenięses. Qua ex re publicè hanc deam præ cæteris coluere, tum sacrificijs amplissimis, tū Eleusinę mysterijs, quæ ob antiquitatem, castimoniamq; apud omnes homines sunt vulgata. Cùm multi ab Atheniensibus humanitatis gratia frumentū accepissent, proximis illud incolis impertiti sunt: atq; exinde per totum ferè orbem est diffusum. At Siculi, cùm propter Cereris, Proserpinæque cum illis familiaritatem primi frumenti vsum percepissent, vtriq; earum sacra cærimoniasque diuerso anni tempore instituerunt, Proserpinæ quidem messis tempore, tanta castimonia, studioque, quantum tanti doni ratio postulabat: Cereri verò, cùm semen in terram iacitur. * *Qua imagine à Veteribus exprimeretur Ceres, consule Albricum de deorum imaginibus lib. 3.* LÆTIS OPERAT. IN HERBIS) Operari, & facere pro sacrificandi verbo vsurpant latini, vt ῥέζειν ἐπὶ τοῦ θύειν. Tibull. lib. 2. eleg. 5. *Tunc operata deo proles discumbit in herba.* Horatius Ode 14. lib. 3.

Vnico gaudens mulier marito
Prodeat, iustis operata diuis.

Liuius libr. 1. de Tulli regis exitu, operatum his sacris se abdidisse. Tacit. lib. 2. Annal. Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditq; se operatum, & sanguine sacro respersa prætexta, pulchriorem aliam manibus auiæ Augustæ accepisse. Pompon. apud Nonium. Ad Veneris profectus est manè vetulus, votum vt solueret: ibi nunc operatus est. Lucil. lib. 30. *Aut operatus aliquo in celebri cum æqualibus fano.* Afran. Except. *Iubeo hominē tolli, & collocari, & cōsoneri, soluo operam Dianæ.* Propert. eleg. 12. lib. 2. *Cynthia iam noctes est operata decem.* Iulius Obsequens de prodig. Pestilétia, fameq; ita laboratum, vt ex Sibyllinis populus circum compita sacellaque operatus sederit. Operationes autem antiqui, vt ait Porphyrio, sacrificia appellauerunt. Plaut. *Isthac operatio crimen expiet.* Alioqui operari propriè opus facere est, seu operam in aliqua re ponere. Æneid. 3. *Connubiis, aruisq; nouis operata iuuentus.*

Sacrificabatur autem porca Cereri, cuius caussam exponit Ouid. Fast. lib. 1.

Prima Ceres auidæ gauisa est sanguine porcæ,
Vlta suas merita cæde nocentis opes.
Nam sata vere nouo teneris lactentia succis
Eruta setigeræ comperit ore suis.

Obseruabatur verò, vt præpinguis esset, & nulla sui parte manca, ac mutila, aut imperfecta: quod etiam vniuersè in toto victimarum genere seruabant, (id quod testimoniis compluribus asserit Magius lib. 4. cap. 4.) Cur verò Cereri porca, seu porco fieret, aliam quoque caussam multi prodiderunt, nempe quod è suillo rostro arandæ, & inuertendæ terræ ratio primùm accepta esset. Muret. lib. 3. cap. 7. TVNC AGNI PINGVES) Ex Hesiodo. τῆμος πιόταταί γ' αἶγες, καὶ οἶνος ἄριστος. Cereales vocat cœnas Plautus in Mænech. opimas & lautas, & multis ferculis oneratas, quòd Cerealibus populariter solerent genio indulgere, id quod ex hoc loco facilè potest intelligi. Sed & ante messem sacra ei faciebant, epulabanturque, &c. Turneb. lib. 18. cap. 14. MOLLISS. VINA) Vinum durum est asperum, & adhuc insuaue, neque potui tempestiuum, maturumque. Sic de vino Terent. Heautont. *hoc durum est, pater:* ei opponitur vinum molle, quod maturum est potui, mitemque adeptum est saporem. Sic Græci, vt Theocritus, & Athenæus, σκληρὸν, & μαλακὸν οἶνον dicunt. Turneb. lib. 12. cap. 8. * *Sic Horatius Ode 7. lib. 1. molle merum dixit.*

——. Sic tu finire memento
Tristitiam vitæq; labores
Molli Plance mero.

DENSÆ IN MONTIBVS VMBRÆ) propter arbores frondescentes. CERER. PVB. AGREST. ADORET) Pubes agrestis, Tibullo lib. 3. eleg. 1. rustica.

Agna

Agna cadet vobis, quàm circum rustica pubes
Clamet: io messes, & bona vina date.

LACTE FAVOS ET. M.DIL.BACCHO) Vinum Cereri libare non licebat. Itaq; Plaut. in Aulular.

STA. *Cererin' mi Strobile, hi sunt facturi nuptias?*
STRO. *Qui?* STA. *Quia temeti nihil allatum intelligo.*

Sed poeta æquè in rebus doctrinæ, & in verbis sectator elegantiæ, sciens Cereri mulso libari, adiecit, miti Baccho fauos dilue, mitescere scilicet vinum dicens, cum mulsum cœperit fieri. Nam mite vinum hic ita dixit, vt alibi ait domitum, videlicet Geórg. 4. *Et durum Bacchi domitura saporem.* Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 11. Considera insuper explanationem Seruij in hunc locum. CIRCVM FÆLIX EAT HOS. FRVGES) Ambaruale sacrificium innuit, quòd arua ambiat victima, sicut in B amburuali, vel amburbio vrbem. Ambaruales hostiæ appellabantur, inquit Festus, quæ pro aruis, ac frugibus sacrificabantur. Ambaruualis hostia est, quæ rei diuinæ caussa circum aram ducitur ab ijs, qui pro frugibus faciunt. Vide Eclog. 5. *& cùm lustrabimus agros.* Fęlix hostia, vel fœcunda est, nam sacrum illud fieri nō solebat, nisi de porca fœcunda & grauida, aut vitula, vnde est illud Eclog. 3. *Cum faciam vitula pro frugibus:* vel μετωνυμικῶς, fælicem dixit ab effectu, quia caussa esset felicis frugum prouentus. Agebantur enim celebritates istæ rusticæ ab agricolis, vt fertilitatem agris ita lustratis atque purgatis impe-

A trarent. Bersman. IN TECTA) in horrea, quibus condebant, ac reponebant fruges. Columella, *te Bacchum, teq; Lyaum, Lenaumq; patrem canimus, sub tecta vocantes.*
* *Sic item horrea appellant Catull. carm. sæculari ad Dianam.*

Tu cursu dea menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.

TORTA REDIM. TEMP. QVERCV) Quoniam arbores aliæ diis aliis fuerunt consecratæ, idcirco diis variis sacrificaturi sacerdotes, variis coronis ornabantur: in Dionysiacis myrto: in Cerealibus quercu, in perpetuam accepti ab illa dea beneficij memoriam. In sacris Herculis populo, vt est in lib. 8. Æneid. in Apollinis lauro. Et B quidem alij coronas capiti duntaxat imponebant: alij ad tempora vsq; deprimebant: alij ad collum vsque detrahebant. *Torta quercu*, quernis ramusculis in formam coronæ contortis atque compositis. DET MOT. INCOMPOS) Dare motus dixit item Lucret. lib. 2.

Cum quibus (semina) & quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiantq;

Motus incompositi sunt saltationes parum elegantes, vt sunt rusticorum, qui dummodo alterno terram quatiant pede, quamuis inscitè, nihil pensi habent: nec verò quidquam ab eorum duris corporibus motibus illis Ionicis magis abhorret. Iacob. Pont.

Atq; hæc vt certis possimus discere signis,
Æstusque, pluuiasque, & agentes frigora ventos:
Ipse Pater statuit, quid menstrua Luna moneret:
Quo signo caderent Austri: quid sæpe videntes
Agricolæ, propius stabulis armenta tenerent.
Continuò ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, & aridus altis
Montibus audiri fragor: aut resonantia longè
Littora misceri, & nemorum increbrescere murmur.
Iam sibi tum curuis malè temperat vnda carinis,
Cùm medio celeres reuolant ex æquore mergi;
Clamoremq; ferunt ad littora: cumq; marinæ
In sicco ludunt fulicæ: notasq; paludes
Deserit, atq; altam supra volat ardea nubem.
Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cælo labi: noctisq; per vmbras
Flammarum longos à tergo albescere tractus:
Sæpe leuem paleam, & frondes volitare caducas:
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.

Ad prognostica tempestatum delabitur, quæ est quinta, & extrema huius libri pars. Et sunt quædam non agricolis modò, verumetiam nautis, & pastoribus familiaria. Quia, inquit, signa futurarum tempestatum, non modò soli & lunæ, sed etiam aliis quibusdam rebus, natura subsistentibus, ita impressa sunt, vt quiuis ea nullo negotio obseruare valeat: idcirco nos, omissa cælestium motuum inexplicabili ratione, tantùm de communibus quibusdam signis atq; præsagiis (quæ etiam in oculos ineruditorum incurrere possunt) agricolam nunc admonebimus: vt inde ventorum, pluuiarum, fulminum, aut serenitatis indiciis pręcognitis ac obseruatis, suas operas maturè instituere, aut etiam differre, atque in aliud tem-

C pus agendo commodius, magisque idoneum reiicere possit. Nam & lunæ cursus menstruos, aliarumq; rerum signa opifex ille ita constituit, vt ex ijs omnium tempestatum præsagia certissima à rusticis capiantur. Quoties enim venti (nam de his prius agemus) insurgunt, atque imminent, ibi aut mare prius sensim intumescit, flatuq; altius solito iam intra esse ventos fatetur: aut ingens fragor passim in altissimis montibus auditur: aut littoris ripæq; tranquilla resonant: aut nemorum mugitus existit. Sed & mergi cum clamore ad littora è mari subuolantes, & fulicæ marinæ in sicco ludentes, ac matutinum clangorem tollentes: nec non & ardeæ è locis palustribus super nubes altissimas sublimè volitantes, asperam, &

nauigantibus aduersam tempestatem, ventosq; prænuntiant. Præterea si volitare plures stellæ videbuntur, quò ferentur albescentes, ventos ex iis partibus nuntiabunt. Postremò etiam ventos folia ludentia, aut paleæ volitantes, aquisq; plumæ innatantes præsagiunt. CERTIS SIGNIS) Cic. pro Muræna. Tempestates, inquit, sæpe certo aliquo signo commouentur, sæpe obscura aliqua caussa concitantur. MENSTRVA LVNA) Est quod ait de eadem Catullus.

Tu cursu dea menstruo
Metiens iter annuum.

Et à luna, quæ Græcis μήνη, est mensibus nomen, mensium ordo omnis, ac distributio. CONTINVO VEN. SVRG.) Quæ hìc de notis imbrium, ventorum, tempestatum, ac B serenitatis præcipit, manifestè ex Arato trãstulit, vt multa in his libris sumpsit ab Hesiodo, & à Nicandro (quem secutus est) multa, præter operis titulum, quod tamen Græci poetæ scriptis amissis iudicare non possumus. Victor lib. 14. cap. 24. FRETA PONTI INCIP. AG. TVMES.) Videtur Maro loqui de fluctu, quem cæcum vocant, & de quo disputat Turneb. lib. 6. cap. 4. In quo extremo hæc sunt. Cæcus dicitur fluctus, cuius non sentitur, aut apparet caussa, vt cùm venti quiescunt. Quæ enim præter ventum excogitari potest maris frementis, & fluctuantis caussa? quo horrescente, & aëre quieto, meritò fluctus cæcus dicitur: id autem plerumque fit ante ventos coortos, quod vult Maro insinuare. Aratus.

Σῆμα δέ τοι ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα γινέσθω.

Cicero.

Atq; etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, cùm subitò, penitusq; tumescit.

ARID. FRAGOR) Aridus fragor est asper, quem Græci ξηρὸν, & ἀζαλέαν nominant. Quare & German. ξηρὸν ἦχον apud commentatorem Apollonij respondere putat arido fragori Maronis. Lucret. lib. 6.

Aridus vnde aures tetigit sonus ille, diuq;
Ducitur, exierit donec regionibus arctis.

Cicero ex Arato.

Aut densus stridor, cùm celso è vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsu.

RESONAN. LONGE LITTORA) Plin. explicat his verbis. Mare, si in tranquillo portu à cursu stabit, & murmurauerit intra se, ventum prædicit. Si identidem, & hyemem, & imbrem. Littora, ripæque, si resonabunt tranquillo, asperam tempestatem. Idem Plin. sibilos illos, & murmur nemorum, vocat nemorum mugitum. NEMORVM INCREBRESCERE MVRMVR) In infinito geminatum, r, in hac voce, eius vim nescio quomodo magis declarat. Frigidius erit, si legamus, increbescere. Quæsitum est à Paulo Manutio Comment. in epist. Cic. super hac voce, *increbesco* dicendum sit, an *increbresco*. Apud Plaut. Trucul. est. *sin increbrauit*. Argumentatur ibidem Lamb. Si increbrare à nomine crebro figuratur, ergo & increbresco, increbrui ab eodem, non increbesco dici debet, vt vulgus putat, & docti quidam, quod miror, probant. Hæc ille. CVM MED. CEL. REVOL. EX ÆQ. MER.) Virgilius ait, tempestatem imminere, quotiescunque mergi ex mari in littus reuolant, & fulicæ relicto mari in sicco ludunt. Fugiunt enim mare, quod proximè turbatum iri præsagiunt. Hoc Virgilius voluit. Hoc Seruius rectè, & alij. Titius locorum controuers. lib. 9. ca. 16. ita explicauit, vt diceret, Virgilium scribere, imminente tempestate mergos à mari in littus se recipere, & ab littore in mare reuolare. Quod Virgilius minimè scripsit, quia nec sensit. Decepit Titium vox

A composita *reuolant*. Cùm autem versus Ciceronis ex 2. de Diuinat. quos ille de Arato latinos fecit, in suam sententiam torquet, & verbum *itidem* valere vult *iteratò*, errorem vnum alio errore cumulat. Præterea cùm Cicero de fulice loquatur, non idem sunt fulix, & mergus. Villiomar. in Titium. Sic Cicero.

Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
Nunciat horribiles clamans instare procellas.

De mergis autem sic Aratus.

Πολλάκι δ' ἀγριάδες νῆσσαι ἢ εἰν ἁλὶ δῖναι
Αἴθυιαι χερσαῖα τινάσσονται πτερύγεσσι.

Cæterùm summis auctoribus aliquando parum inter se conuenit in explicatione, & conuersione verborum Græcorum: quod ex Arato perspici potest. Καὶ δ' ἂν ἐπὶ ξηρὴν ἐρωδιὸς οὐ κατὰ κόσμον. Id Virgilius vertit: *Cùm medio celeres reuolant ex æquore mergi.* Cicero autem: *Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti.* Ita erodius Maroni mergus est, Ciceroni fulica, Plinio lib. 18. cap. 35. vt & Auieno, & aliis ardea. Sic & in eo quod statim sequitur, καὶ ὦτε, καὶ κλώσσει, Maro vertit, *notasq; paludes Deserit, atq; altam supra volat ardea nubem*. Auienus.

Mox picturati conuertit pectoris artus
Sturnus edax, premat vt tenues vis obuia plumas.

Vbi cepphus Maroni est ardea, Auieno, quod mihi permirum videtur, sturnus, aliis fulica. Turneb. lib. 19. cap. 22. SÆPE ETIAM STELLAS VENTO) Quæsitum sæ-
C pe, non in plebe vulgari modò, sed inter classicos quoq; & primæ notæ auctores, sitne, vti videtur, stellarũ è cælo casus aliquis. Quam rem credidisse poetam nobilem ex his versibus suspicari possumus. Sed quod grauiùs multò est, Euangelica veritas, Matthæi 24. cadent de cælo stellæ. Ioannes item Theologus, Apocalypseos 6. stellæ de cælo ceciderunt supra terram, sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento mouetur. Sed absurdissimè dici ista, & præter naturæ rationem, quis abnegat? Nam qui philosophiæ sacraria saltem à limine introspexerit, illud ignorare non potest, corpus cæleste nullum, aut partem omnino aliquam prolabi è cælo posse: quia ex Aristotelis astipulatu lib. 1. de cælo, sublimia, nec grauia
D sunt, nec corruptioni obnoxia. Quælibet verò stella, aut est pars globi, in quo est: aut illi cognatum corpus, inclusumque, in quo fit lucis accumulatio præsignis. Nam secundo operis eiusdem sic sancit philosophus: esse stellas luminis aggregationem. Ex quibus colligi licet, vanissimum esse, siderum labem aliquam admittere, aut cælestibus interitum ingruere. Namq; in idem feruntur naturæ ratione totum & pars. At corpori, quod circumfertur, non contingit alio agitari motu, quàm circulari: neque igitur particularum vlli. Localis autem motus aut rectus est, aut orbicularis: aut ex iis mixtus, vt compositorum corporum. Quod si qui amplius astruere secus adnitatur, sciat esse apud Euripidem, Μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει.
E Fulgor ille immortalis est, ac inconcussus, ni destituimus naturæ capacium virorum vestigia. Æterna est, inquit Plinius, cælestibus natura intexentibus mundum, intextuque concretis. Sunt qui opinentur, esse ignis ætherij ἀποῤῥοίας quasdam, id est, defluxus, qui obtingant, vbi vehementior ventus scandat altius, & inde secum auferat, quod stellarum preferat casum, dicaturq; ἀστεροειδές. Aut, sicut idem refert Plinius, si tamen creditur, sidera nimio alimento tracti humoris igneam vim abundantia reddunt, cùm decidere putantur: vt apud nos quoq; luminibus accensis liquore olei notamus accidere. Hæc, & plura Rhodiginus lib. 11. cap. 5.

Brodæi verba lib. 1. cap. 30. sequuntur. Carpunt, & stultè nonnulli hoc, *Sæpe etiã stellas vento impendente*, &c. quasi

quasi stellas labi putarit Virgilius: non hoc, ignis aetherij [illegible], traiectiones, scintillas esse, quas διάττοντας, καὶ διαθέοντας ἀστέρας Graeci vocant. Poetas edisserit Seneca: sic quae transuersae dicuntur stellae, & cadentes, praeteruolant, & secant aëra. De his consule 1. Meteor. Aristotelis.

De hoc flammarum tractu & Seneca Natural. lib. 1. cap. 14. Haec veluti stellae exiliunt, & transuolant, videnturque longum ignem porrigere, propter immensam celeritatem: cùm acies nostra non discernat transitum earum: sed quacunque concurrerunt, id totum ignem credat. Tanta enim est velocitas motus, vt partes eius non dispiciantur: sed tantùm summa prendantur. Intelligimus magis, quà appareat stella, quàm quà eat. Itaque B velut igne continuo totum iter signat: quia visus nostri tarditas non subsequitur momenta currentis: sed videt simul vnde exilierit, & quò peruenerit. Quod fit in fulmine: longiùs nobis videtur ignis eius: quia citò spacium A suum transilit, & oculis nostris occurrit vniuersum, per quod deiectus est. At ille non est extenti corporis per omne quà venit: neq; tam longa, & extenuata in impetum valent. * *De casu stellarum in terram. Et quidem apparet decidentium, Lucretius lib. 2. Vnde Virgilius mutuum sumpsit.*

Nonne vides longos flammarum ducere tractus
In quascunque dedit partes natura meatum?
Non cadere in terram stellas, & sidera cernis?

Seneca Hippolyto.

Ocyor cursum rapiente flamma
Stella cum ventis agitata longos
Porrigit ignes.

SAEPE LEVEM PALEAM) Aratus πάππους nominat.

Ἢ δὲ καὶ πάππων λευκῆς γήρειον ἀκάνθης
Σῆμ' ἐγένοντ' ἀνέμου, κωφῆς ἁλὸς ὁππότε πολλοὶ
Ἄκρῳ ἐπιπλείωσι, τὰ μὲν πάρος, ἄλλα δ' ὀπίσσω.

CADVCAS FRONDES) aridas, siccas, leues, quae sua sponte lapsae, à vento iam iam futuro, vt paleae concitantur. Bersman.

At Boreae de parte trucis cùm fulminat, & cùm
Euriq;, Zephyriq; tonat domus, omnia plenis
Rura natant fossis, atq; omnis nauita ponto
Humida vela legit. nunquam imprudentibus imber
Obfuit. aut illum surgentem vallibus imis
Aëriae fugere grues: aut bucula caelum
Suspiciens, patulis captauit naribus auras:
Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo:
Et veterem in limo ranae cecinere querelam.
Saepius & tectis penetralibus extulit oua
Angustum formica terens iter: & bibit ingens
Arcus: & è pastu decedens agmine magno
Coruorum increpuit densis exercitus alis.
Iam varias pelagi volucres, & quae Asia circùm
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores:
Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in vndas
Et studio incassum videas gestire lauandi.
Tum cornix rauca pluuiam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena.
Nec nocturna quidem carpentes pensa puellae
Nesciuere hyemem: testa cùm ardente viderent
Scintillare oleum: & putres concrescere fungos.

Hactenus ventorum praesagia: sequuntur deinceps C pluuiarum prognostica duodecim, quae sunt fulmen, & tonitru septentrionale: concursus duorum ventorum, accedentibus ad eum tonitribus ab eadem mundi plaga: gruum volatus altissimus: boum respiratio, & ore supino aëris quasi captatio: hirundinum clamantium circa lacus obuolitatio: coaxatio ranarum frequentior: formicae oua efferentes: iris aquas hauriens: coruorum è pastu discedentium crocitatio: auium ad stagna & fluuios ablutio crebra: cornicis garritus & discursatio: olei in lampadibus & lucernis scintillatio, & in fungos concretio. Bersman. BOREAE TRVCIS) violenti, & sonori, quod ex eius nomine apparet. Similia porrò sunt haec Arateis illis.

Αὐτὰρ ὅτ' ἐξ εὔροιο καὶ ἐκ νότου ἀστράπτῃσιν,
Ἄλλοτε δ' ἐκ ζεφύροιο, καὶ ἄλλοτε πὰρ βορέαο
Δὴ τότε τις πελάγει ἔνι δείδιε ναυτίλος ἀνήρ,
Μή μιν τῇ μὲν ἔχῃ πέλαγος, τῇ δ' ἐκ Διὸς ὕδωρ.

EVRIQVE ZEPHYRIQVE DOMVS) Ille ab oriente, hic ab occidente flat. Sunt ergo penitus contrarij, & inde eorum maior lucta, maiorq; vtroque flante caeli perturbatio. IMPRVDENTIBVS) ignaris, nescientibus: quippe quum in promptu sint pluuiae impendentis tam manifesta indicia, ac praesagia, vt non facile illa possint quempiam fallere imprudentem. Bersman. * *Prudentia natura alia est: ignarus extrinsecus venit. Imprudens per se, ignarus per alios. Donat. in Terent. Prudens & sciens saepe a M. Tullio coniunguntur: ex quo liquet, imprudens contrarium esse scienti. Imprudenter autem esse inscienter. & per imprudentiam, per inscitiam.* SVRGENTEM VALLIBVS IMIS) attollentem se cum nebulis. Nebulae enim assurgentes, pluuiam: humi quasi

reptantes, serenitatem inducere existimantur. Hæ enim radiis solaribus paulò pòst dissipantur: illæ verò sublato tandem vapore, quem continent, rorido, materiam pluuiæ suppeditant. Bersman. AERIÆ GRVES) sublimè volantes. Sicut aëriæ alpes, pro excelsis. BVCVLA CÆLVM SVSPICIENS, PAT.) Hic locus omnis de Varrone est: ille enim sic.

Tum liceat pelagi volucres, tardaq́ paludis
Cernere inexpleto studio certare lauandi,
Et velut insolitum pennis infundere rorem.
Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo,
Et bos suspiciens cælum (mirabile visu)
Naribus aërium patulis decerpsit odorem,
Nec tenuis formica cauis non extulit oua.

Admonuit Seruius. * *Loquens de animalibus lib. 1. Arnob. Auras accipiunt naribus, & per anhelitum reciprocatas reddunt. Octauius autem Minutius de hominibus. Auram bonis floris naribus ducimus. Cic. idem prognosticum ex Arato reddens.* Naribus humiferum duxere ex aëre succum. *Plin. Boues aërem olfactantes. Rursum Arnobius lib. 7. Virgo bucula, vitula nullis vnquam stimulis, nullius operis excitata conatu.* VETEREM RANÆ CECINERE QVER.) Veterem querelam ranarum quod ait, ad earundem ex rusticis metamorphosin respicit. Iupiter enim eos Latonam e lacu bibere prohibentes, eique conuitiantes, ac minitantes, in ranas mutauit. Ouid. lib. 6. De hoc prognostico M. Tullius in Arateis.

Vos quoq́ signa videtis aquai dulcis alumnæ,
Cum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoq́ sono fontes, & stagna cietis.

Idem ad Att. Equidem etiam pluuias metuo, si prognostica nostra vera sunt. Ranæ enim ῥητορεύουσιν. Quis est, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? sed inest mirè & ranunculis quædam natura significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior. Iacob. Pont. TECT. EXTVL. OVA FORM.) Aratus. καὶ κοίλης μύρμηκες ὀχῆς ἐξ ὤεα πάντα θᾶσσον ἀνηνέγκαντο. Plin. Segniter, & contra industriam suam absconditæ formicæ, vel concursantes, aut oua progerentes. ANGVSTVM ITER) lib. 4. Æneid. *Conuectant calle angusto.* BIBIT ING. ARCVS) Arcum cælestem, quam philosophi Irim vocant, veteres aquam suis cornibus è fontibus, & fluuiis haurire, & in nubes elicere, seu bibere censebant. Vitruuius lib. 9. cap. 4. Per calores, inquit, videmus non minus aquæ vapores à fontibus ad nubes per arcus excitari. Plaut. Curcul. *Ecce autem bibit arcus, pluet credo hercle hodie.* Propert. lib. 3. eleg. 5. *Cæruleus pluuias cur bibat arcus aquas.* Sic in illo Tibulli lib. 1. eleg. 4.

Quamuis prætexens picta ferrugine cælum,
Venturam admittat imbrifer arcus aquam,

multi interpretantur *admittat*, accipiat, hauriat: alij, significet, portendat, vt augurale verbum sit. Turneb. lib. 22. cap. 23. & 29. cap. 31. * *Vide, si placet, de Iride Rhodig. lib. 22. cap. 12. 30. & 9. Æneid. non longè à principio Symbolam in illud,* Iri decus cæli. *Ingens dicitur augendi consuetudine, vt inclamare, inuocare. Quia enim gens populi est magnitudo, ingentem per compositionem dicimus, quod significat valde magnum. Festus. Sic 9. Æneid.* Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum. CORVO. INCREP. EXER.) Plin. lib. 8. cap. 35. locum quendam Theophrasti liberius ita conuertit. Corui singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuabunt, ventos: si verò carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem. Virgilius illud Theophrasti ἐπιρροιζῶσι de stridore, quem volantes faciunt, intellexit, cùm eorum exercitus secat aërem rapido impetu, & remigio pennæ. At id de coruis intellexit Theophrastus, se concutientibus, & alis stridorem edentibus, etiam cùm nõ volant, vt facere possunt. Turneb. lib. 25. cap. 13. * *De coruorum vocibus Lucret. lib. 5.* Coruorumq. greges, &c. *vide infra.* RIMANTVR PRATA CAYSTRI)

A Cayster fluuius, & loca vicina, cygnis quàm maximè sunt frequentia: quod & ipse Virgilius hoc loco testatur: cygnos enim sine dubio intelligit, & referti sunt testimoniis veterum libri. Quare apud Propertium lib. 3. eleg. ad Tullum, pro Gygæi Caystri, legendum est *Cygnæi Caystri*, hoc disticho.

Et quà Gygas visenda est ora Caystri,
Et quæ septenas temperat vnda vias.

Lipsius variar. lect. lib. 1. cap. 2. LARG. HVM. INFVND. RORES) Aratus.

Πολλάκι λιμναῖαι ἢ εἰνάλιαι ὄρνιθες
Ἄπλητον κλύζονται ἐνιέμεναι ὑδάτεσσιν.

Plin. Et cùm terrestres volucres cõtra aquam clangores B dabunt, perfundentes sese, sed maximè cornix. Varro. *Et velut insolitum pennis infundere rorem.* INCASS STVD. GEST. LAVANDI) De voce *incassum*, sic Isid. lib. 19. Cassis genus retis venatorij, quòd capiat. Hinc est, quòd incassum dicimus, id est, sine causa, quasi sine cassibus, sine quibus venatio inanis est. Gestit, qui subita fælicitate exhilaratus, nimio corporis motu præter consuetudinem exultat. Festus. Nonio gestire significat lætum esse, dictum à gesticulis facilioribus. Producit hunc versum, & addit ex Terent. Eunucho. *Charea, quid est quod sic gestis? aut quid hic sibi vestitus quærit?* Sed cygni, & aues incassum gestiunt lauare, plumarum læuore videlicet aquam non admittente. Simile quiddam Varro. *Cernere* C *inexpleto studio certare lauandi.* Iacob. Pont. TVM CORNIX RAVCA PLVVIAM) Putauerunt antiqui, cornices pluuiam voce augurantes, eam non tantum præsagire, sed etiam vocare, qua ex opinione ita Maro scripsit. Apparet id aliquantò apertiùs ex Lucret. lib. 5.

—— cornicum vt sæcla vetusta,
Coruorumq́ greges, vbi aquam dicuntur & imbres
Poscere, & interdum ventos aurasq́ vocare,

Turneb. lib. 22. cap. 23. Aquæ augurem vocat cornicem. Horatius Ode 17. lib. 3. idque ex Euphorione, cuius est αὐτόμαντις ὅτε κρώζει κορώνη. Cic. ex Arato.

Fuscaq́ nonnunquam cursans per littora cornix,
Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.

D ET SOLA IN SICCA SECVM SPAT. ARENA) Ex Arato vertit. Tamen in Arato secus est. παρ' ἠϊόνι προὐχούσῃ χείματος ἀρχομένου χέρσῳ ὑπέτυψε κορώνη. Vel, vt in aliis libris extat, ὑπέτυψε, prominens enim saxum, & scopulum intelligit, non arenam Aratus, vt è Theophrasto constat, sic scribente: κορώνη ἐπὶ πέτρας ὀρθοζομένη. Turn. li. 25. ca. 13. * *Apud Ouid. lib. 2. narrans metamorphosin suam Coronis Coronei regis filia:* nam cùm per littora lentis Passibus, vt soleo, summa spatiarer arena. *Catull. de nupt.* Desertam in sola miseram se cernit arena. *Duo oua parere cornicem traditum est, indeq́ marem & fœminam excubare. Si geminos mares, aut geminas fœminas excluserit, quod peraro est, vtramq́ viuere calibem. Coniugatorum si moriatur fœmina, marem cum nulla amplius copulari: idem facere fœminam mare mortuo: quod forsitan poeta innuere voluit, dum ait:* Et sola in sicca, &c. *Plura Pierius lib. 20.* CARPEN. PENSA E PVELLÆ) Carpere, inquit Nonius, attenuare, aperire. Mox subiicit hæc verba Maronis. Et illa de lib. 4. *eam circum Milesia vellera nympha Carpebant hyali saturo fucata colore.* Carpere, auferre, decerpere. Virgil. eclog. 9. *Insere Daphni pyros, carpent tua poma nepotes.* Georg. 3. *Carpit enim vires paulatim, vritq́ videndo Fœmina.* Carpere, pascere. Georg. 3. *Carpamus dum mane nouum, dum gramina canent.*

Animaduerti, veteres solere, si quid ancillæ sequius fecissent, ijs quasi pœnæ loco grauius onus pensi imponere, quod nisi ad præstitutum absoluerent, vapularent. Ex qua sententia est illud Propertij eleg. 2. lib. 4.

Et grauiora rependis iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.

Lipsius

Lipsius variar.lib.2.cap.21.

Lucretius affirmat lib. 5. viros antè, quàm mulieres lanam carpere, & texere, & nere naturam docuisse. Quia viri sunt mulieribus solertiores: donec hoc ita turpe habitum est, vt lanificium mulieribus concederent: ipsi autem agrum colerent potius, atq; in opere rustico faciendo manus durarent. Ita quidem ἀντιπεριοδίζει versus Lamb. quos subijcio.

Et facere antè viros lanam natura coegit,
Quam muliebre genus. Nam longè præstat in arte,
Et sollertius est multo genus omne virile:
Agricolæ donec vitio vertêre seueri,
Vt muliebribus id manibus concedere vellent:
Atq; ipsi potius durum sufferre laborem:
Atq; opere in duro durarent membra manusq;.

PVTRES CONCRES. FVNGOS) Vt alia ferè cuncta, quibus agricolæ præsentire possent, quid sibi à superis sedibus impenderet, ita etiam hoc signum futurorum imbrium sumpsit Virgilius ab Arato. Locus autem Græci poetæ hic est. *ἢ λύχνοιο μύκητες ἀγείρωνται περὶ μύξαν.* Sed etiam Callimachus, qui eadem ætate, vt memoriæ proditum est, qua Aratus, floruit, idem animaduerterat: ipsius enim hoc testimonium citatur à Theone interprete. *νῦν τ' ἂν λύχνου δαιμόνιον ἄλλον ἐγείροντο μύκητες.* Sed verius fortasse diceretur (si, qui primus hoc memoriæ prodiderit, ostendendus foret) Theophrastum hanc notam obseruasse, qui tempore vicit tres hic suprà appellatos poetas: ille namq; in libello, quem scripsit de notis ventorū, pluuiæ, serenitatis, huiusecemodiq; omnium rerum, quæ *μετέωρα* vocantur, hoc quoq; litteris mandauit, eodem quo Aratus, & Callimachus vsi sunt vocabulo, eandem

A rem nominans, quod etiam ab illis acceptum, expressit Virgilius: inquit enim. *καὶ οἱ μύκητες, ἐὰν νότιον ᾖ, ὕδωρ σημαίνουσι.* Putari igitur debet hæc nota satis certa, postquā à tot claris ingenijs probata, & celebrata est. Sed etiam nostræ mulieres hoc verum esse affirmant. Victor. lib. 33. cap. 21. Aristophanes quoque *σφηξὶ* chorum inducit loquentem, à signoque isto affirmantem, pluuiam paucis diebus futuram, quòd fungi scilicet in lucerna conflarentur.

Οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐχ ἡμερῶν τεττάρων τὸ πλεῖστον
Ὕδωρ ἀναγκαῖον ἔχει τὸν θεὸν ποιῆσαι.
Ἔπεισι γοῦν τοῖσι λύχνοις οὑτοιὶ μύκητες.
Φιλεῖ δ' ὅταν ᾖ τοῦτο, ποιεῖν ὑετὸν μάλιστα.

B Idem Victor. lib. 18. cap. 14.

Hic *fungi* variè exponuntur. Plinius, vt Seruius refert, ait, cùm humidus aër esse cœperit, fauillam quæ cum fumo egredi solet, prohibitam crassitudine aeris, in lucernis residere. Ita Plinio fungus, fuligo est, & fauilla remanens, quę atram quandam fungi imaginem in lucerna reddit. Ac eius sententiam veriorem esse crediderim, cùm Aristophanes scribat in Vespis.

Ὕδωρ ἀναγκαῖον ἔχει τὸν θεὸν ποιῆσαι.
Ἔπεισι γοῦν τοῖσι λύχνοις οὑτοιὶ μύκητες.

Vbi interpres scintillas esse dicit, quæ ab ellychnio emicant: quod idem & Arati enarrator scribit. Ac sanè cùm
C crepitat vuido aëre lucerna, ex oleoque flamma aliquid expuit micans, scintillæ fiunt: sed quæ residentes in naso lucernæ, mixta fuligine, quam flamma immiscuit, atrum quendam efficiunt fungum. Ita fit, vt, quamuis diuersa sentire videantur, ad consensum tamen, concordiamque reuocentur. Turneb. lib. 22. cap. 18.

Nec minus ex imbri soles, & aperta serena
Prospicere, & certis poteris cognoscere signis.
Nam neq; tum stellis acies obtusa videtur,
Nec fratris radijs obnoxia surgere Luna:
Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri,
Non tepidū ad solem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi Halcyones: non ore solutos
Immundi meminere sues iactare maniplos.
At nebulę magis ima petunt, campoq; recumbunt,
Solis & occasum seruans de culmine summo
Ne quicquam seros exercet noctua cantus.
Apparet liquido sublimis in aere Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacunq; illa leuem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras,
Insequitur Nisus: quà se fert Nisus ad auras,
Illa leuem fugiens raptim secat æthera pennis.
Tum liquidas corui presso ter gutture voces,
Aut quater ingeminant: & sæpe cubilibus altis,
Nescio qua præter solitum dulcedine læti,
Inter se folijs strepitant: iuuat imbribus actis
Progeniem paruam, dulcesq; reuisere nidos:
Haud equidem credo, quia sit diuinitùs illis

Ingenium, aut rerum fato prudentia maior:
Verùm vbi tempestas, & cæli mobilis humor
Mutauere vias, & Iuppiter humidus Austris
Densat, erant quæ rara modò, quę densa relaxat:
Vertuntur species animorum: & pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.

Deinceps futuræ serenitatis prognostica nouem commemorantur, ducta & illa ab indiciis partim rerum non animatarum, partim animantium: vt sunt, claritas, & fulgor stellarum: lunæ exorientis nitor: aeris vacuitas à nubibus, & floccis volitantibus: Halcyones ad solem alas non expandentes: porci non iactantes manipulos, cũ pabulum rimantur: nebularum ad terram depressio: nocturæ post occasum solis silentium: Nisi obuolitatio: denique coruorum ouatio. Germanus Valens huius loci hanc sententiam esse arbitratur. Cùm eadem sit contrariorum scientia, ex imbri, hoc est, ex obseruatione signorum tempestatis, cognosces opposita: si enim quæ sunt tempestatis, & pluuiæ prognostica abfuerint, serenitas significabitur. NEC FRAT. RAD. OB. S. LVNA) Interpres Arati Theon, & diligens sanè atque eruditus interpres (fuit enim peritus rerum cælestium, & præterea quæ ad artificium poetarum intelligendum faciunt, nõ ignorabat) tradit tragicos poetas appellare solitos esse lunam solis filiam, quia cùm lumen accipiat à sole, sine luce, & cæca sua vi existens, quasi gignitur ab ipso. Intelligit autem potissimùm Euripidem, & Æschylum. Illius verba sunt è Phœnissis, ὦ λιπαροζώνου θύγατερ ἀελίου σελαναία χρυσεόκυκλον φέγγος. Hesiodus fratrem ipsius solem esse censuit, quem manifestò Virgilius secutus est. Victor. lib. 33. cap. 20.

Lucret. lib. 5.

Lunaq́, siue notho fertur loca lumine lustrans,
Siue suam proprio iactat de corpore lucem.

De variatione autem lunæ luminis, & figuræ, vide eundem Lucret. eod. lib. eo loco, cuius est initium: *Luna potest solis radiis percussa nitere:* & Laertium, inducentem in hanc discussionem Epicurum. Poeta quoq; epigr. lib. 4. in hanc Maronis sententiam, φαίδουσα σελήνη ἔρχεται ἀντιτύπων πιμπλαμένη φαέων. Sed & Plato auctor in Cratylo, σελήνην dictam Anaxagoræ ὅτι δ' ἡλίου ἔχει τὸ φῶς, veluti σέλας νέον, καὶ ἔνον. Catull. *Tu potens Triuia, & notho es Dicta lumine luna.* Scilicet & poetarũ aliqui mulos currui lunæ subiunxerunt, quòd mulus non ἰσογόνος, sed κοιτογόνου γένους sit, & Luna à fratre emendicato fulgeat lumine. German. * *Adde his corollarij vice locum Senecæ in consolat. ad Martiam, cap. 18. Videbis nocturnam lunæ succensionem à fraternis occursionibus lene, remissumq́, lumen mutuantem. Neque prætereire Manilium, qui quantum luna soli debeat, his carminibus lib. 2 expressit perbene.*

Tu quoque fraternis sic reddis cornibus ora,
Atq; iterum ex iisdem repetis, quantumq; reliquit,
Aut dedit ille, refers: & sidus sidere constat.

Porrò de significatione, & origine vocabuli obnoxius, *videbis, si voles, disputationem iucundam Gellij cum Grammatico insolenti, & inepto, lib. 7. cap. 17. quo hic versus adducitur. Sensus carminis est, nec luna, quæ est obnoxia radijs fratris sui Phœbi, à quo, vt aliæ stellæ, lumen mutuatur, videtur acie obtusa surgere: sed pura, & clara facie, consumptis vtpote vaporibus, quibus acies eius, id est, fulgor, hebetabatur, & obtundebatur.* TENVIA NEC LANÆ VELL.) Obserua proceleusmaticum, quales & alij apud Virgilium. Lanæ tenuia vellera nominat gracillimas, & tanquam lanam extenuatas, & candidas nubeculas. DILECTÆ THETIDI HALCYONES) Ceyx filius Luciferi coniugem habuit Halcyonen, à qua cùm prohibitus iuisset ad consulendum Apollinem super statu regni sui, naufragio perijt: cuius corpus cùm ad vxorem Halcyonen delatum fuisset, illa se præcipitauit in pelagus. Postea Thetidis & Luciferi commiseratione conuersi sunt ambo in aues marinas, quæ halcyones vocantur. [*Causam longè diuersam horum coniugum metamorphoseos refert Apollod. Biblioth. lib. 1. diuersasq́, aues nominat. Ob superbiam, inquit, extincti fuerunt. Ille enim Iunonem sibi coniugem esse prædicabat: hæc verò Iouem sibi virum esse iactabat. Vtrunq́, Iuppiter in aues, illam in halcyonem, hunc in mergum transformauit.*] Et sciendum, quia cùm de muliere dicitur, hæc Halcyone facit: quum de auibus, hic, & hæc halcyon, hi, & hæ halcyones. Istæ

B autem aues nidos faciunt in mari media hyeme, quibus diebus tanta est tranquillitas, vt penitus nihil in mari possit moueri. Inde etiam dies Halcyonij vocãtur. Seru. * *Plaut. Pænulo.*

Iam herclè tu peristi, nisi illud mihi tam tranquillum facis,
Quàm mare est olim, cùm ibi alcedo pullos educit suos.

Varro lib. 6. de lingua lat. Apud Pacuuium, Halcyonis ritu littus peruolans feror. *Hæc enim auis nunc græce dicitur ἀλκυὼν, à nostris halcedo. Hæ hyeme quod pullos dicitur tranquillo mari facere, eos dies halcyonios appellant. Fabula est apud Ouid. 11. metamorph. Quam solerter, & industriè hæc auis nidum sibi construat, memorat Plutarch. de amore parentum erga liberos. Mirificè eandem commendat lib. Vtrum terrestria, an aquatica animantia plus rationis habeant. Sapientissimum, & diuinissimum marinorum omnium animal. Quas enim luscinias suauitati cantus,*

C *quas hirundines indulgentia erga sobolem, quas columbas humanitate, quas apes summa halcyonis industria conferamus? aut cuius natales, partusq́, & dolores ipsius deorum quisquam adeo remeritus est? Latona puerperio quam volebat insulam, sed vnicam concessam scimus: Halcyoni verò mare circa solstitia totum tranquillum placidumq́, parienti sternitur. Vnde nullum est animal, quod quidem adeo colant homines, cuius beneficio septem perpetuos dies ac noctes totidem media hyeme liberè nauigetur, omnis tum per maria profectione, quam per continentem tutiore, &c. Vide insuper Plin. lib. 10. cap. 32. ipsa auis paulo amplior passere, colore cyaneo ex parte maiore, tantum purpureis, & candidis admixtis pennis, collo gracili, ac procero, & quæ sequuntur. Lege etiam Hygini cap. 65. Adijciamus pulchrum quoddam theorema D. Basilij, ex Homil. 8. in Hexaem. vbi multa de hac volucre. Quid non impetret à Deo homo, si alcedonis mare media bruma tranquillum præstatur? Quomodo hæc eadem auis nota sit tranquillitatis, insitiq́, &*

D *raræ consuetudinis, petendum à Pierio, lib. 25.* IMMVNDI SVES) Horat. epist. 2. lib. 1. *Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.* De spurca eiusdem bestiæ natura Lucretius libro 6.

Deniq́, amaracinum fugitat sus, & timet omne
Vnguentum, nam setigeris subus acre venenum est,
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contra nobis cœnum teterrima cùm sit
Spurcities, eadem subus hæc res munda videtur,
Insatiabiliter toti vt voluantur ibidem.

Varro lib. 2. ca. 4. In pastu locus huic pecori (suillo) aptus vliginosus, quòd delectatur non solùm aqua, verumetiam luto. Et infrà. Admissuras cùm faciunt, prodigunt in lutosos limites, ac lustra, vt volutentur in luto: quæ est illorum requies, vt lauatio hominis. Columella lib. 7. cap. 9.

cap.9.de suibus. At vbi penuria est arborum, terrenum pabulum consectabimur, & sicco limosum præferemus, vt paludem rimentur, effodiantq; lumbricos, atq; in luto volutentur, quod est huic pecori gratissimum. In eodem cap. Diligens autem porculator frequenter suile conuerrat, & sæpius harasnam quamuis prędictum animal in pabulatione spurcè versetur, mundissimum tamen cubile desiderat. * *Quamobrem domesticum Vesci prohibuerit Iudæos, caussam in 5. Stromat. his verbis; ex Philone, vt opinor) Clemens Alexand. differit. Quia porcus est animal voluptati deditum, & immundum, ciborum cupiditatem, & salacem in re Venerea libidinem, & inquinatum significat intemperantiam, materialemq́. & in luto iacentē, & quæ ad eadem pinguescit, & interitum. Est ergo mysterium, vt vides, & in hoc præcepto cuiusdam rei sanctæ admonitio. Cæterùm etiam porcum, auctore Isidoro lib. 12 dicitur quasi spurcum.* NEQVID SER. EXER. NOCT. CANTVS) Noctuę metamorphosin, & caussam cur interdiu lateat, cæterisq; volucribus odio sit, paucis complectitur Naso lib. 2.

An quæ per totum res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est patrium temerasse cubile
Nyctimenen? auis illa quidem, sed conscia culpæ
Conspectum, lucemq́, fugit, tenebrisq́, pudorem
Celat: & a cunctis expellitur æthere toto.

Plin. lib. 10. cap. 17. Noctuarum contra aues solers dimicatio. Maiore circundatæ multitudine, resupinæ pedibus repugnant, collectæque in arctum, rostro, & vnguibus totæ teguntur. Auxiliatur accipiter collegio quodam naturæ, bellumque partitur. Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 19. Sed in secessu auium & noctuæ paucis diebus latere traduntur, quarum genus in Creta insula non est, etiā si qua inuecta sit, emoritur. Noctuam esse hieroglyphicum mortis, vide quemadmodum doceat Pierius lib. 20. PVRP. POEN. DAT. SCYLLA CAPILLO) Quo pacto filia parentem purpureo capillo, & quam ob caussam spoliârit, eumque Minoi obtulerit. Nisus in haliætum, ipsa in Cirim volucrem commutata sit, quam haliætus semper insectatur, Ouid. 8. Metamorph. Vide quoque Hygin. cap. 198. Pausanias quidem in Atticis commentum his verbis perstringit. Est secundùm Lycij monumentum, Nisi Megarensium regis, quem cum Minos interemisset, sublatum Athenienses eo in loco sepelie- D runt. De hoc vulgatum est, capillum purpureum habuisse, quo saluo, mori se non posse ex oraculo cognouerat. Ita verò accidit, vt cùm Cretenses eius fines hostilem in modum adorti, & alia in Megaride oppida subitis incursionibus cæpissent, & ipsum intra Nisææ mœnia compulsum obsedissent, Nisi filia, Minois amore capta, crinem patri detonderit. De hac fabula extat politissimum Virgilij poematium, sub appellatione Ceiris, à tonso crine videlicet: *κείρειν* enim est tondere: quod quidem magno vir iudicio Scalig. F. nitore & elegātia nulli Latinorum cedere confirmat. Mendis autem mirè corruptum, ac deformatum non negat. Iacob. Pont. LIQVID. CORVI. P. TER. GVT. VOCES) Liquidas, id est, canoras & claras. E Horat. Ode 24. lib. 1.

—præcipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.

Fiunt autem liquidæ propter aëris subtilitatem, tempore sereno: quod & aliis animantium, & hominum vocibus vsu venit. INGEM. ET SÆPE CVBIL. Ingeminatio, id est, crebrior iteratio clamoris, & crocitationis eorum, apertum est lætitiæ indicium. Cubilia intellige vbi sedent, non vbi fœtum habent. Iacob. Pont. DVLCES QVE REVIS. NIDOS) Plinius in naturali historia dicit, coruos obliuiosos esse, & plerunque ad nidos suos minimè reuerti: sed quadam ratione naturæ congerunt ad nidos A suos, quæ vermes possunt creare, ex quibus relicti eorum pulli aluntur interdum. Horum obliuionem probat etiam ex rebus, quas quum absconderint, relinquūt. Seruius. HAVD EQVID. CREDO. Q. S. D. ILLIS ING.) Proponit sibi quæstionem, quam facile dissoluit. Cur homines, quos constat esse prudentiores animalibus, per se non sentiant qualitatem futuram aëris, sed eam magis ex alijs animantibus colligant. Et hoc dicit, homines prudentiam habere naturalem, suoq; iudicio lætos esse, vel tristes, quæ res in hæc animalia cadere non possit, quæ nihil suum habentes, naturam aëris sequuntur, & pro eius qualitate aut læta videtur, aut tristia, nec prædicere aëris naturam videntur: sed eam vel prosperam, B vel aduersam sequuntur. Nos verò & læti inter nubila esse possumus, & in serenitate solliciti. Hæc Seruius.

Ego aliquando horum versuum argumentum & intellectum ita concipiebam. Tradito prognostico de lætis coruorum crocitationibus, quęrit poeta, vnde nam auibus, & quadrupedibus, quibuscum nulla rationis pars communicata est, nec illis futuri à Deo concessa prouidentia, ista tempestatum præsensio, motusq; tam lasciui, & concentus adeo lætabundi? Respondet poeta ipsemet, eam naturam datam animantibus, & ea esse earum corpora, vt quam maximè, & quàm facillimè cæli, siue aëris mutationem percipiant. Quamobrem, cùm aut ex raritate densius, aut ex spissitudine rarius fit cæ- C lum, alios illæ, aliosque motus induunt. Ad Virgilium quasi lumine quodam collustrandum quadrant carmina Lucretij de libro 5. quorum eadem est pænè sententia.

Postremò genus alituum, variæq; volucres,
Accipitres, atq; ossifragæ, mergiq; marinis
Fluctibus in salsis victum, vitamq; petentes,
Longe alias alio iaciunt in tempore voces:
Et quum de victu certant, prædaq; repugnant,
Et partim mutant cum tempestatibus vna
Raucisonos cantus: cornicum vt sæcla vetusta,
Coruorumq; greges, vbi aquam dicuntur & imbres
Poscere, & interdum ventos, auraiq; vocare.
Ergo etsi varij sensus animalia cogunt,
Muta tamen quom sint, varias emittere voces, &c.

Iacob. Pont.

Ingenium Virgilius, quod & alij poetæ faciunt, quibus maior in verbis libertas conceditur, pro iudicio, seu mente ausus est ponere. Docebimus, hanc opportunitatem nacti, quid sit ingenium, & quid tum à mente, tum ab industria differat: sed docebimus ex Iouiano, ita differente lib. 4. de Prudentia.

Ingenium cum sit vis, & aptitudo quædam, habilitasq; animantibus a natura indita, atq; homini præsertim, videtur nomen eius et eo ductum, quòd sit natura ab ipsa nobis ingenitū. Quanquam autem & loci, & agri, & terræ, & regionis ingenium apud rerum scriptores persæpe legimus, propriè tamen de homine dicitur ob excellentiam intelligendis, aptitudinemq; ad artes diuersas, diuersaq; vitæ munera, actionesq; multimodas. Itaq; quibus in hominibus mens ipsa viget, inestq; naturale acumen ad rerum naturas cognoscendas, atq; ad vitæ tum publicæ, tum priuatæ administrationem, eos ingeniosos dicimus. Cæterùm qui & acutè, & citò, & sollerter, & præter alios disciplinarum, cognitionumq; præcepta facilè hauriunt penetrantque insita à vi, ad secreta tum naturæ, tum artium, facultatumque, hi sunt quos summum in modum admiramur, & quorum suspicimus intelligentiam, donoque deorum immortalium concessum id eis magna cum excellentia arbitramur. Ingenio autem mens hoc interest, quod mens diuina res est, cælitusque delapsa. Ingenium verò existit ex ipsa corporis, animæque compage, & constitutione, atque ex humorum, è quibus constamus, temperatura. Hi enim plurimum ingenio valent, quorum in corde ac sanguine maior inest, atque agilior calor. Torpescunt illi contra, quibus sanguis frigore concretus subest, abundeque multum lentescit. Adhæc ingenium quidem per se fert insitam tantum à natura sue vim,

pro-

propensionemque, siue aptitudinem, atq; habilitatem. Mens verò A imperium magistratumque quasi quendam, ad omnem prorsus iudicationem, rectitudinem, veritatem, distinctionem. Propter diuersitatem igitur concretionis corporeæ, quæ commistio infinita quidem est, nec omnino comprehensibilis, eueniunt tam multæ varietates, applicationesque ingeniorum, multiplices ipsæ adeo, vt quot homines, tot etiam sint ingenia. Industria ab ingenio hoc distat, quod ingenium aut acutum dicimus, aut obtusum, neutiquam autem industriam, sed aut magnam, aut paruam: etsi ingenium quoque paruum & magnum dicimus. Item mercatores, & agricolas industrios potius dicimus, quam ingeniosos: & poetas, oratores, philosophos ingeniosos magis, quam industrios. Ingenium quoque ipsum omnino inest à natura, industria vero ab exercitatione magis atque ab vsu. Quid quod hæc ipsa absque ingenij bonitate vix est aliqua? at ingeniosi permulti absque industria, aut ea omnino exigua. Præterea ingenium in alijs versutum, & callidum, in alijs mansuetum, aut contra asperum, atque insolens. Quis vnquam dixit aut asperam, aut versutam, simplicemuè industriam? Reliqua breuitatis ergò prætermitto adscribere.

Vtuntur etiam idonei scriptores voce ingenij in rebus inanimis cum elegantia. Sic Virgil. 2. Georg. *Quis locus aruorum ingeniis*. Plin. Panegyr. Aliud sollicitudinis, aliud securitatis ingeniũ est. Ibid. Exquisita ingenia cœnarum. Tertull. de Habitu muliebri. loquens de angelis, quos dicit de cælo ruisse, & cum filiabus hominum corpus commiscuisse (in quo tamẽ cum aliis quibusdam Patribus, & Græcis vehementer errat.) Nam cùm & materias quasdam bene occultas, & artes plerasq; non bene reuelatas sæculo multo magis imperito prodidissent, siquidem & metallorum opera nudauerunt, & herbarum C ingenia traduxerunt. Id est, vim earum, proprietates, naturamque publicarunt, &c. Idem auctor, artes fucandi faciem, quod mulieres solent, quæ se placere student viris, vocat ingenia, de Cultu fœminarum. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi qui & hominis spiritum malitia transfigurauit? ille indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod nascitur, opus Dei est. Ergo quod fingitur, diaboli negotium est. IVPITER HVMIDVS DENSAT) Iouem pro cælo, siue aëre nominare, vsitatum est poetis Græcis, & Latinis omnibus. Theocrit. Idyll. δ.

χ' ὁ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget.

Et noster lib. 2. Georg. *Et iam maturis metuendus Iuppiter vuis*. Horat. Ode 1. lib. 1. *manet sub Ioue frigido Venator, teneræ coniugis immemor*. Ode 22.

Quod latus mundi nebula, malusq́;
Iupiter vrget.

Legendum *denset*, secunda coniugatione, non prima, *densat*. Sic eruditiores legunt apud Horat. Ode 28. lib. 1. *Mista senum, ac iuuenum densentur funera*, & exponũt cumulantur, exaggerantur. Lucretio verbum est tam patiendi quàm agendi. lib. 1. *quia se condenseat aër*. Iidem B apud Sallust. lib. 3. Histor. legunt. Ille subsidiis princeps audere, & densere frontem. Vtrum porrò apud vatem nostrum emẽdatè legatur etiam hoc ipso libro, *silet nox Semper, & obtenta densentur nocte tenebræ*, & rursum 12 Æneid. *Vela dabit: vos vnanimes densete cateruas*, aliorum esto iudicium: mihi quidem in huiusmodi antiquitatibus esse prodigos non placet. Iacob. Pont. VERTVNTVR SPECIES ANIMORVM) Potest huc accommodari illud ex Iliad.

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε.

Quos versus à Cicerone Latinos habemus.

Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse
Iupiter auctiferas lustrauit lumine terras.

HINC ILLE AVIVM CONCENTVS) Spectant huc verba Plinij. Nec mirum aquaticas, aut in totum volucres præsagia aëris sentire: pecora exultantia, & indecora lasciuia ludentia, eandem significationem habẽt. OVANTES GVTTVRE CORVI) Crocitationibus crebris lætitiam suam significantes. Ouantes, lætantes, ait Festus, ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites geminata o, littera. Forsitan, dum τὸ Iô triumphe toties ingeminant: hoc mihi videtur voluisse Festus. Iacob. Pont.

Si verò solem ad rapidum, lunasq́; sequentes
Ordine respicies: nunquam te crastina fallet
Hora, neq; insidijs noctis capiere serenæ.
Luna reuertentes cùm primùm colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis, pelagoq́; parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (namq; is certissimus auctor)
Pura, nec obtusis per cælum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo,
Exactum ad mensem pluuia, ventisq; carebunt:
Votaq; seruati soluent in littore nautæ
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

De solis, & lunæ præsagiis, ex quorum contemplatione multò certiora tempestatum signa capi posse ostendit, quàm ex superioribus. Lunę tamen prognostica prius tradit. Solem *rapidum* vocat, propter incredibilem celeritatem qua voluitur. Lunam *sequentem*, quia sole est inferior, ac motum illius sequitur, velut regulam ac normam motus cæterorum planetarum. Vel obser- D uationes intelligit lunares, quas ordine sequentes octo enumerat Varro. 4. 7. 11. 14. 19. 21. 24. 29. *Crastina hora* συνεκδοχικῶς dies postera. Bersman. INSID. NOCT. SERENÆ) Quare insidiis? quia mutabilis, & inconstans est illa nocturna serenitas, vt frequentissimè experimur. Cùm enim cubitum discedentes, illos stellarum choros aspeximus, & admirati sumus: post dimidium noctis cælum omne

omne atris connectum nubibus intuemur. Iacob. Pont. A

LVNA REVERT. CVM. P. COLL. IG.) Arnobius lib. 2. Nunquid luna desinit redintegrare se ipsam, atq; in veteres formas nouellatum semper restitutione traducere? Colligit ignes reuertentes luna, cùm renascitur, seu renasci incipit. Ad eius ergo colorem iubet nos attendere. Et quadrat huc vulgatus versiculus: *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.* AT SI VIRGINEVM) Versum hunc, & mox illum, *Sin ortu in quarto, &c.* cum Arateis componit Brodæus, aduocato insuper Theophrasto, lib. 3. cap. 13. * *Ruborem morati appellat corporeum, sanguinis enim coniunctionem decet verecundia. Rubent autem, qui verecundantur, & cum color in subtili verecundiam videris interrogata respondet filia Aristotelis.* SIN ORTV IN QVARTO) Tertiam, & quartam ab interlunio diem esse leκτικάr, etiam B Plinius, Ptolemæus, & Aratus prodiderunt. AVCTOR) index tempestatis. OBTVSIS CORNIBVS) Suprà, de stellis, *Nam neq; tum stellis acies obtusa videtur.* EXACT. AD MENS.) finitum, peractum. SERVATI NAVTÆ) à naufragio videlicet, per continuam serenitatem, & in littore diis littoralibus, siue nauticis sacra quæ vouerunt persoluent. Dij littorales sunt, quibus in maris periculis constituti homines vota suscipere, & seruati postea in littore solebant soluere. Catull. in Phaselum.

Nec vlla vota littoralibus diis
Sibi esse facta, cùm veniret à mare
Nouissimè hunc ad vsq; limpidum lacum.

GLAVCO, ET PANOPEÆ) Hunc versum Virgilius ex Parthenio poeta, parua immutatione, nempe duorum vocabulorum facta expressit, quod notatum inuenio apud Gellium lib. 13. cap. 25. Ille Græcus, Γλαύκῳ, καὶ Νηρεῖ, καὶ Εἰναλίῳ Μελικέρτῃ.

De Ino matre, & filio Melicerta, qui & Palæmon, & Portunus, vt ipsa quoque Leucothea, & Matuta. Ouid. lib. 4. Metamorph. nihil enim attinet, me omnes fabulas è mythographis describere: eoq; minus, quòd non tyronibus, sed veteranis, & qui cùm in poetis, tum in doctrina ista mythologica non sunt omnino hospites, paramus hasce Symbolas. De Glauco Pausanias in Bœoticis. Est præterea ad mare lacus, quem Glauci saltum nuncupant. Piscatorem Glaucum, & repentè herba quadam gustata inter maris deos receptum, & futura prædicere cùm alij credidere, tum præcipuè naniculatores multa quotannis de eius diuinatione memorant. De eiusdem conuersione in deum, etiam Ausonius in Mosella. Panopea virgo quæ sit, non explicat Seruius. Panope itaq; (& metri ratione Panopea) nympha marina est, Doridis filia. Nomen ei à perspicuitate impositum, πᾶν, totum, ὄπτομαι, video. Iacob. Pont.

Sol quoq; & exoriens, & cùm se condet in vndas,
Signa dabit: solem certissima signa sequentur,
Et quæ manè refert, & quæ surgentibus astris.
Ille vbi nascentem maculis variauerit ortum
Conditus in nubem, medioq; refugerit orbe:
Suspecti tibi sint imbres. namq; vrget ab alto
Arboribusq;, satisq; Notus, pecoriq; sinister.
Aut vbi sub lucem densa inter nubila sese
Diuersi erumpent radij: aut vbi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Heu malè tum mites defendet pampinus vuas,
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso cùm iam decedet olympo,
Profuerit meminisse magis. nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluuiam denuntiat, igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento, nimbisq; videbis
Feruere: non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque à terra moneat conuellere funem.
At si, cùm referetq; diem, condetq; relatum,
Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis,
Et claro syluas cernes Aquilone moueri.
Denique quid vesper serus vehat, vnde serenas
Ventus agat nubes: quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemq;, & operta tumescere bella.

SOL QVOQVE ET EXOR.) Aratus.
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Nunc ea tempestatum prognostica persequitur, quæ à sole vel oriente, vel occidéte capi possunt, de quibus multa Plinius, Maronis prognostica ex Arateis dilatans. Cùm autem duplicia sint solis præsagia, alia scilicet prodigiosa, alia μετεωρολογικὰ, de vtrisque deinceps agit, ac primò quidem de iis, quæ sunt in sublimi, & caussas habent in natura, quarum tamen plæræque nostram fugiunt cognitionem. Postea de cæteris, quæ præter naturæ ordinem fiunt, atque hominibus ostenduntur, ex quorum numero sunt, quæ Cæsaris cædem prænuntiarunt, quæ sub finem libri persequitur. Bersman. ET QVÆ MANE REFERT) Manare solem antiqui dicebant, cùm solis orientis radij splendorem iacere cæpissent, à quo & dictum putabant manè. Alij dictum manè putabant ab eo, quod manum bonum dicebant. Festus. Diei principium manè, ait Varro lib.5. quod tum manat dies ab oriente. Nisi potiùs quòd bonum antiqui dicebãt manum. Ad cuiusmodi religionem Græci quoque, cùm lumen affertur, solent dicere φῶς ἀγαθόν. NASCENT. MACVL. VAR. ORB.) Sensus est, si sol in ortu suo maculosus sit, atque sub nube latens, aut dimidia parte apparuerit, imbres futuros innuit. Signum est enim, solem non præualere nubi, vt dissoluat eam, aut consumat, ideóque pluuiam sequi consentaneum est. Maculæ illæ à spissitudine & densitate existunt vaporum circa horizontem, qui prohibent, ne sol clara luce in ortu suo resplendeat. Bersm. MED. REF. ORBE) Etiam rotam Phœbi vocauit alibi. *Emicat Oceano Phœbi rota clara relicto*. Rotam solis Lucret. lib.5. *Hic neq; tum solis rota cerni lumine largo Altiuolans poterat*. Et, *Nec nimio solis maior rota, nec minor ardor Esse potest*. Nominat tamen orbem quoque solis lib. eod. *vel superà solis perlabier orbem*. ARB. SAT. N. P. SINIST.) Vide infrà, *quid cogitet humidus Auster*. AVT VBI SVB LVCEM) Secundum prognosticum est, quando circa ortum solis, summo mane eius radij obscura nube interrupti apparent. M. Varro. Si exoriens sol concauus videtur, ita vt è medio fulgeat, & radios faciat partim ad aquilonem, partim ad austrum, tempestatem humidam & ventosam fore innuit. SE SE ERVMP. RADII) Lucret. lib.4. *Tandem vbi se erupit neruis collecta cupido*. AVT VBI PALL. SVRGIT) Tertium prognosticon est, sol in ortu pallidus. Adscribere in singulis caussas physicas, nimis longum esset. MALE DEFEND. PAMP. VVAS) Pampinus est folium, cuius subsidio vitis à frigore, vel ardore defenditur, atq; aduersus omnem iniuriam munitur. Isid. lib.17. MVLTA IN. T. CREP. S. HOR. GRAN.) Donat. in Eunuch. Terent. ad illud, *nostri fundi calamitas*, propriè, inquit, calamitatem rustici grandinem dicunt, quòd comminuat calamum, hoc est, culmum, ac segetem. Isidor. grandinem scribit appellatam, quòd forma eius granorum similitudinem habeat, lib.13.

De speculatoribus futuræ grandinis, qui essent publicè huic rei præpositi, dicerenturque χαλαζοφύλακες, vide Senecam Natural. lib.4. cap.6. Horum & Plutarch. meminit lib.7. Sympos. cap.2. Et ne tota res, quæ alioqui primo aspectu ridicula est, fabulosa existimetur, grauis & sanctus scriptor Clemens Alexandrinus putat magis fuisse, qui longa eorum, quæ in sublimi fierent, obserua-

A tione, grandinem imminentem prænoscerent, & illis impiis sacrificiis, de quibus Seneca, aut sanguinis è digito effusione, populum in impietate, ac superstitione retinerent. Consule lib.6. Stromat. Muret. Annotat. in Senecam. EMENSO. C. L. DECED. OLYMPO) De prognosticis à sole occumbente, quæ certiora sunt, quàm orientis. CÆRVLEVS PLVVIAS) Cæruleus visitur sol, propter vaporem humidum, seu aqueum, qui inter eum, & oculos nostros interiicitur. IGNEVS EVROS) rutilus creat ventos. Si simul & rutilus fuerit, & maculosus, pluuias pariter, & ventos denuntiabit. AT SI CVM REF. CON. RELAT.) Commune orienti, & occidenti soli prognosticon, orbis eius puritas. Intelligitur enim inde futura serenitas, B quia nulla versetur in aëre materia, vnde nimbi, aut venti queant existere. Vbi autem deest caussa, deerit etiam effectus. Bersman. CLARO AQVILONE) Festus. Aquilo ventus à vehementissimo volatu ad instar aquilæ appellatur. *Clarus*, id est, claritatem, serenitatem faciens. DENIQ. Q. VESPER SERVS VEHAT) Epilogus prognosticorum solis hactenus expositorum. Satyram quandam suam M. Varro sic inscripsit, Nescis quid vesper serus vehat. Gell. lib.13. cap.18. Vsurpatur prouerbio aduersus nimium securos in rebus secundis. *Quid vehat*. Lucret. lib.3. *Posteraq; in dubio est fortunam quã vehat ætas*. Horat. Ode 29. lib.3. *Quod fugiens semel hora vexit*. SERENAS NVBES) Hoc est, siccas, serenitas enim sicca est. Vnde apud Lucretium serescit, positum C pro siccatur lib.1.

Deniq; fluctifrago suspensæ in littore vestes
Vuescunt, eædem dispansæ in sole serescunt.

Alibi, *atq; arida nubila differt*, vt hic, *serenas agat nubes*. Nonius. QVID COG. HVM. AVSTER) De Austro non ita dissimiliter locutum reperio Persium sat.6. *Hic ego securus vulgi, & quid preparet Auster Infelix pecori*. Id est, noxius, quo flante, vt ait Plin. lib.2. homines grauiores, & inualidiores redduntur: siquidem naturæ est calidæ, & humidæ, quibus in corpora animalium superfluentibus, febris solet excitari. Ab animato ad inanimum metaphora. Cogitare à cogendo dictum. Mens plura in vnum cogit, vnde deligere possit. Varro lib.5. Cogitat D autem, id est, parit aliquando serenitatem quoq;, non semper pluuias. Horat. lib.1. Ode 7.

Albus vt obscuro deterget nubila cœlo
Sæpe Notus, neq; parturit imbres
Perpetuos.

* *Vt autem Virgilio dicitur humidus, sic eidem Horatio Vdus, Ouidio pluuius, & aquaticus, Senecæ madens, Claudiano madidus, & Ouidio quoq; 1. Metam.* madidis Notus euolat alis. *Idem porrò Notus & Auster.* OPERTA TVMES. BELLA) Paulo antè, *cæcos instare tumultus*. Cæcos propter clandestinas conspirationes, occultasque insidias. Idem iteratò dicit, mutatis verbis. Operta enim bella sunt cæci tumultus, & tumescere est instare, siue insurgere. Et est in his ἀντιλογία E quædam, quæ comparationem habet minoris ad maius, quasi dicat, cùm rerum humanarum, atque euentuum, qui à voluntate pendẽt, signa perhibeat sol: non mirum est ab eodem tempestatum quoque capi posse prognostica. Bersman.

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Cùm caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaq; æternam timuerunt sæcula noctem.
Tempore quãquam illo tellus quoq;, & æquora ponti,
Obscœniq; canes, importunæq; volucres

Signa dabant. quoties Cyclopum efferuere in agros
Vidimus vndantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumq́; globos, liquefactaq́; voluere saxa?
Armorum sonitum toto Germania cælo
Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoq; per lucos vulgò exaudita silentes
Ingens, & simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis: pecudesq́; locutæ.
(Infandùm) sistunt amnes, terræq́; dehiscunt:
Et mœstum illacrymat templis ebur, æraq́; sudant.
Proluit insano contorquens vortice syluas
Fluuiorum rex Eridanus, camposq́; per omnes
Cum stabulis armenta tulit: nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessauit, & altè
Per noctem resonare lupis vlulantibus vrbes.
Non aliâs cælo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere cometæ.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi:
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam, & latos Æmi pinguescere campos.
Scilicet & tempus veniet, cùm finibus illis
Agricola incuruo terram molitus aratro,
Exesa inueniet scabra rubigine pila:
Aut grauibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaq́; effossis mirabitur ossa sepulchris.

Commoda occasione ad prodigia, quæ Iulij cædem antecesserunt enumeranda descendit, enumerat autem vnum & viginti, nec omittit calamitates, quæ ex ciuilibus bellis prouenerunt. Extinctus est in senatu confossus vulneribus tribus & viginti, è quibus tantùm duo lethalia sunt indicata. Quamobrem & abusus dominatione, & iure cęsus existimatus sit Iulius, traditum est à Suetonio à cap. 76. deinceps. Præcipuam verò, & inexpiabilē inuidiam hinc sibi maximè concitauit, quòd senatum apertè despexit, vt narratur cap. 78. & 79. Cædis ratio exponitur cap. 82. M. Tullius eandem cædem sæpiculè approbat, eiusque percussores, Philippicarum libris præsertim, laudibus ornat: Brutos inprimis, quos inter sexaginta amplius senatores, qui in eum coniurauerant, vna cum C. Cassio principes fuisse affirmat. In Officiis sceleratissimum tyrannum nominat, qui omnia diuina & humana iura peruerterit, propter eum quem sibi finxerit opinionis errore principatum. Cùm ergo tyrannus habitus sit, & re ipsa fuerit, eius mortem Reipub. gratulari par videtur. Iacob. Pont.

De interitu Iulij, deque prodigiis eum præcedentibus, ac prænuntiantibus, quorum hic multa adducit Virgilius, scriptum est à Velleio lib. 2. ad hunc modum. Neque illi tanto viro, & tam clementer omnibus victoriis suis vso, plus quinque mensium principalis quies contigit: quippe cùm mense Octobri in vrbem reuertisset, idibus Martiis coniurationis auctoribus Bruto, & Cassio, quorum alterum promittendo consulatum obli-
A gauerat, contrà Cassium offenderat, adiectis etiam consiliariis cædis familiarissimis omnium, & fortuna partium eius in summum euectis fastigium, D. Bruto, & C. Trebonio, aliisq; clari nominis viris interemptus est. Cui magnam inuidiam conciliârat M. Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponendo capiti eius, Lupercalibus sedentis pro rostris, insigne regium, quod ab eo repulsum erat, vt non offensus videretur. Laudandum experientia consilium est Pansæ, & Hirtij, qui semper prædixerant Cæsari, vt principatum armis quæsitum armis teneret. Ille dictitans, mori se quàm timeri malle, dum clementiam quam præstiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est, quum qui-
B dem plurima præsagia, atque indicia dij immortales futuri obtulissent periculi. Nam & haruspices præmonuerant, vt diligentissimè iduum Martiarum caueret diem: & vxor Calpurnia territa nocturno visu, vt ea die domi subsisteret, orabat: & libelli coniurationem nuntiantes dati, ab eo neq; protinus lecti erat. Sed profectò ineluctabilis fatorum vis, cuiuscunq; fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. De iisdem vide sis Plutarchum in Iulio. Percenset Ouidius quoque 15. Metamor. prodigia, Virgilianorum similia, quibus dij luctum suum declararint, quandoquidem ferrea Parcarum decreta rumpere nequiuerint.

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesq́; tubas, auditaq́; cornua cælo
Præmonuisse nefas. Solis quoq; tristis imago

Lurida sollicitis præbebat lumina terris.
Sæpe faces visæ medius ardere sub astris:
Sæpe inter nimbos guttæ cecidere cruentæ,
Cæruleus & vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat: sparsi lunares sanguine currus, &c.

CVM CAP. OBSCVRA NITID. FER.) Primum prodigium, solis tanta defectio, vt impia sæcula, id est, impij illius sæculi homines, qui in principem suum coniuratione facta ausi sunt insurgere, eumq; trucidare, æternas tenebras timuerint.

Quid solem deficientem videre cupientibus faciendum sit, docet Seneca Natural. lib. 1. cap. 12. Quoties defectionem solis volumus deprehendere, ponimus pelues, quas aut oleo, aut pice implemus: quia pinguis humor minus facilè turbatur, & ideo quas recipit imagines, seruat. Apparere autem imagines non possunt, nisi in liquido, & immoto. Tunc solemus notare, quemadmodum se luna soli opponat, vt illum tanto maiorem, subiecto corpore abscondat, modo ex parte, si ita contigit, vt latus occurrerit, modò totum, &c. * *Vt Virgilius dixit, solem texisse caput obscura ferrugine, ita Petronius Arbiter:* namq; ore cruento Deformis Titan vultus caligine texit. *Et quod à sole incipit, sciendum apud Persas solem supremam imperij maiestatem significasse, creditumq; illum in homines supremo in fastigio locatos futurorum signa edere. Domitiano imperante visum solem iride circumdari & obscurari. Ariolos respondisse, ipsum imperatorem iugulatum iri, quod non multo pòst euenit. Versum Maronis non ambigit Vrsin. expressum ex hoc Apollonij lib. 4.*

Ἠὲ καὶ ἠέλιος μέσῳ ἤματι νύκτ' ἐπάγησιν,
Οὐρανόθεν, τὰ δὲ λαμπρὰ δι' ἠέρος ἄστρα φαείνει.

TELL. Q. ET ÆQ. PONTI) Sed tamen elementa quoq; & animalia eius necem luxerunt. Tellus ergo concussa fuit, mare tempestatibus ferbuit, canes vlulatus ediderunt abominandos, aues funestæ, vt bubones, noctuæ horrificum cecinerunt. Importunæ volucres fortasse ideo, quia in alienum tempus ruerent, non suo tempore volantes, id est, per diem obuolitantes, cùm nocte gaudeant. Bersman. Seruius. OBSCOENIQVE CANES) Quare obscœni canes? quia in propatulo vomunt, & coeunt. Immundos vocat Horatius. Credo etiam propter pulicum copiam, quam alunt, & fœtorem. De tali quodam canum prodigio Pausanias Messen. vt ab Vrsino annotatum est. Τέταρτον δὲ ἄλλο συνέβη σημεῖον. οἱ κύνες συνελθόντες εἰς τὸ αὐτὸ κατὰ πᾶσαν νύκτα ὠρύοντο. Τέλος δὲ καὶ ἀπεχώρησαν ἀθρόοι πρὸς τὸ λακεδαιμονίων στρατόπεδον. Rursum. Μάλιστα δὲ οἱ κύνες, οὐ κατὰ τὰ εἰωθότα ὑλακτοῦντες, ἀλλὰ συνεχέστερα, καὶ βιαιοτέρᾳ τῇ κραυγῇ ἢ χρώμενοι. Iacob. Pont. CYCLOPVM EFFERVERE IN AGROS) Cyclopum in agros, an Cyclopum Ætnam? Virgilius quidem 3. Æneid. Cyclopum oras vocat. Et Achæmenides, *centum hæc habitant ad littora vulgò Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.* Ibi etiam Ætna describitur. Vulcani officinam Horatius lib. 1. Ode 4. in Ætna constituit, cui operas attribuit cyclopas, vt item Virgil. lib. 8. qui Ætnæos fratres appellat lib. 3. vbi de Ætna congruenter versibus quos in manu habemus. *Attollitq; globos flammarum, & sidera lambit.* Iacob. Pont. ARMOR. SONITVM TOTO GERMANIA CÆLO) Exauditi armorum crepitus per Germaniam, in qua ille bella gesserat: per quòd eam rebellaturam quoque significabatur. Lucretius. *Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela.* Tibullus. *Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cælo Audita.* Ouidius de hoc portento in Metamorph.

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesq; tubas, auditaq; cornua cælo
Præmonuisse nefas.

A Plinius lib. 2. cap. 57. Armorum crepitus, & tubæ sonitus auditos è cælo Cimbricis bellis accepimus, crebrosque & prius, & postea. Additur aliud de concussis Alpibus. *Insolitos motus* dicit, vel quia noui id est, nunquam antea facti, vel quia solito maiores. Bersman. VOX QVOQVE PER LVCOS) Ouidius. *cantusque feruntur Auditi, sanctis & verba minantia lucis.* SIMVLACRA MODIS PALLENTIA MIRIS) Vmbræ item, & spectra per noctem obambulare visa sunt. Ouid. *vmbrasq; silentum Errauisse ferunt.* De talibus Cic. 2. de consulatu suo.

Iam verò varia nocturno tempore visæ
Terribiles formæ, bellum, motusq; monebant.

B PECVDESQVE LOCVTÆ) De locutione pecudum vide Valerium lib. 1. cap. 6. de prodigiis. Augustinum lib. 3. de Ciuitate Dei. Plin. lib. 8. cap. 45. est frequens in prodigiis priscorum, bouem locutum. Quo nuntiato, senatum sub diuo haberi solitum. INFANDVM) Germanus infandum coniungit præcedentibus, quasi pecudes res infandas enuntiarint. TERRÆQVE DEHISCVNT) Terræ dehiscunt, quando magnis hiatibus distumpuntur, quod Latini vocant terram discedere. Æneid. 5. de mari, *totumque dehiscit Conuulsum remis, rostrisque stridentibus æquor.* ILLACRYMAT TEMPLIS EBVR) Eburneæ item per templa statuæ, & æreæ lacrymis, ac sudore manarunt. Ouid. *Mille locis lacrymauit ebur.* Tibull. *Et simulacra deûm lacrymas*
C *fudisse tepentes.* Ita Apollinem Cumanum tempore Achaici belli contra Aristonicum, fleuisse prodidit Augustin. lib. 3. Ciuit. cap. 11. Bersman. Ex Apollonio accepit Virgil. quod de lacrymis & sudore statuarum dicit. Ille enim lib. 4.

Ἠ' ὅταν αὐτόματα ξόανα ῥέῃ ἱδρώοντα
Αἵματι, καὶ μυκαὶ σηκοῖς ἔνι φαντάζωνται.

Et in epigrammat. lib. 1. Ἄρτεμις ἱδρώουσα προάγγελός ἐστι κυδοιμοῦ. Apollonij interpres in versus à me adductos, ὅταν μέλλῃ τι συμβαίνειν χαλεπὸν, εἰώθε τὰ ἀγάλματα ἱδροῦν. Vrsinus. PROLVIT INSANO) Eridanum ait proluendo euulsisse, & in gyrum violenter egisse arbores.
D Vortex vel aqua, vel res alia in se contorta. 1. Æneid. *rapidus vorat æquore vortex.* Hic fluuius aliter vocatur Padus. Lib. 2. Æneid. in comparat. à fluuio exundante. *Fertur in arua furens cumulo, camposq; per omnes Cum stabulis armenta trahit.* FLVVIORVM REX ERIDANVS) non simpliciter, non enim aut maior, aut celebrior Nilo, aut aliis, sed in Italia fluuiorum rex.

Quid caussæ fuerit, cur exponere se maledicentiæ Grammaticorum Virgilius voluerit, quum ita maluit, quàm *Eridanus fluuiorum rex*, quod per versum licebat? An quòd aurium pluris faceret voluptatem, quàm tetricum litteratorum iudicium? Languet enim sic versus, sordescitque in ore quodammodo, considerantis præsertim & quæ statim præcedunt, & quæ pòst sequuntur dictionibus. Quocirca implere illum maluit artificiosa verborum commutatione. At videte quàm concinnè inter dictiones, quæ ambæ quatuor constarent è syllabis, interiecit *Rex* quæ est vnius. Quippe quæ pòst collocata, sonoritatem illam tam suauem auribus inuideret. Hac igitur è commutatione versus ipse redditus est spectabilis, qui aliter ridiculus esset atque abiiciendus. Iouianus Actio dial. TRISTIBVS AVT EXTIS FIBRÆ) Exta pecudum per idem tempus prodigiosa reperta sunt. Ouid.

Victima nulla litat, magnosq; instare tumultus
Fibra monet, cæsumq; caput reperitur in extis.

Festus

Festus. Exta dicta, ab extando, quod ea diis prosecentur, quæ maximè extant, eminentque. In extispicio autem ex visceribus attendebant ad cor, pulmonem, iecur, etiam fel mactatæ pecudis. Fibras Seruius dicit esse venas quasdam, quæ si apparerent in visceribus, malum omen erat. Bersman.

Iram deorum per exta, contráque indicia denotari existimabant. Stat. Thebaid. 4. *aut verum spirantibus extis.* Tibullus lib. 1. eleg. 9. fibram vocat deorum consciam. Et eleg. 11. deorum nuntiam. Ouid. 5. Metamorph. *Fibra quoque ægra notas veri, monitusque deorum Perdiderat.* Hæ notæ dicebantur notæ tristes, aut minaces, vt hîc à Virgilio. Non bona autem exta tristia, irata, ominosa, quando pallida, liuida, tabida, marcida, vitiosa, aut quæ omnibus partibus suis non constabant: quibus aliquid deerat: quæ aliqua labe, & tetris notis aspersa, quæ loco mota, & naturali situ minimè posita. At quæ splendida, bene colorata, integra, plena, solida, absque vlla denique macula, & vitio, hæc bona, læta, fælicia dicebantur. Eodem pertinet, fibræ minaces, quò exta tristia. Minari namque dicebant exta, quæ malum aliquod impendere, imminereque significabant. Cicero 1. de diuinat. vt primus minentur extis, bene promittant secundis. Seneca Natural. quæst. Quidquid exta, quidquid aues minabuntur. Brissonius Formular. libro 1. CÆLO SERENO CECIDERVNT FVLG.) Cic. in Arateis, aut alibi.

Aut cum terribili perculsus fulmine ciuis,
Luce serenanti vitalia lumina liquit.

Virgil. Æneid. 8.

Arma inter nubem cæli regione serena
Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare.

Et lib. 9.

Audiit, & cæli genitor de parte serena
Intonuit læuum.

Horat. Od. 34. lib. 8.

—— namque diespiter
Igni corusco nubila diuidens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

Et Lucret. lib. 6. negans hoc fieri.

Denique cur nunquam cælo iacit vndique puro
Iupiter in terras fulmen sonitusque profundit?

Maximè autem prodigiosa fulmina ab antiquis putabantur, quæ per purum mittebantur. German. * *Sueton. Tito. Sabinos petit, aliquanto tristior, quòd sacrificanti hostia aufugerat, quódque serena tempestate tonuerat. De ignibus, atque etiam tonitruis cælo sereno Seneca lib. 1. Natural. cap. 1. ita scribit. Alij ignes) inter nubes eliduntur, alij sereno, si aer ad exprimendum ignem aptus fuit. Nam sereno quoque cælo aliquando tonat, ex eadem causa, qua nubilo, aere inter se colliso. Qui etiam si est lucidior, ac siccior, coire tamen, & facere corpora quædam similia nubibus potest, quæ percussa reddant sonum. Verùm hæc tonitrua, & ignes huiusmodi nequaquam naturales existimantur.* DIRI TOTIES ARSERE COMETÆ) Plinius lib. 11. cap. 25. Cometas Græci vocant, nostri crinitas, horrentes crine sanguineo, & comarum modo in vertice hispidas. Diri cometæ, quid ni? qui crudelia atque immania, famem, bella, clades, cædes, morbos, euersiones vrbium, regionum vastitates, regnorum mutationes, hominum interitus & exitia portendere creduntur. Lucanus lib. 1. *crinemque timendi Sideris, & terris mutantem regna cometen.* Vetus est, auctore incerto, οὐδέποτ' ἀσκητὸς ἐσεὶ κομήτης ἀγὰθ ὄν (?) Quod sic numeris hexametris conuertit quispiam, haud illepidè: *Heu nunquam certa visus sine clade cometes.* Consonum est illud Claudiani. *Et nunquam terris spectatum impunè cometen.* Tacitus lib. 14. Annal. Inter quæ & sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regnis portendat. Tibull. lib. 2. eleg. 5. *belli mala signa cometen.* Silius lib. 1. Punicorum.

Crine vt flammifero terret fera regna cometes,
Sanguineum spargens ignem, vomit atra rubentem
Fax cælo radios, & sæua luce coruscum
Scintillat sidus, terrisque extrema minatur.

Facetum quod de Vespasiano in historiam retulit Aurel. Victor. Cùm crinitum sidus apparuisset, illud, inquit, ad regem Persarum pertinet, cui capillus effusior. Quasi crines, vt quidem apparent, effusiores illius tremendi sideris hoc ipsum de Persa portenderent. Sed de principum occasu quod dicitur, cùm huiusmodi sidera in cælo visuntur, in eo pertinax est hominum opinio. Testatur id quoque Suetonius in Nerone. Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur. Idem in Claudio. Præsagia mortis eius præcipua fuerunt, exortus stellæ crinitæ, quam cometen vocant. Iacob. Pont. PARIBVS CONCVR. TELIS ROMANAS ACIES ITE. VID. PHILIP.) * *Queritur idipsum & Horat. Ode 2. lib. 1.*

Audiet ciues acuisse ferrum
Quo graues Persæ melius perirent,
Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuuentus.

Ouid lib. 15. Metam. Emathiique iterum madefient cæde Philippi.] Sensus poetæ est. Ergo post interitum Iulij Cæsaris, Philippi (vrbs est in Thracia) videre Romanas acies concurrere iterum, quæ antè ad Pharsalum Thessaliæ concurrerant. Hic victus est à Cæsare Pompeius: illic postea ab Antonio, & Octauiano Cassius, & Brutus. Modicius cap. 11. BIS SANGVINE NOS. EMATHIAM ET LATOS ÆMI) Macedonia, vt auctor est Iustinus lib. 7. antè nomine Emathionis regis, cuius prima virtutis experimenta in illis locis extant, Emathia cognominata est. Æmus est mons Thraciæ. At quemadmodum cùm Macedonia inter Thessaliam, & Thraciam posita sit, Emathiam pro Thessalia: sic etiam Æmum montem vicinæ Thraciæ pro Thessalico posuit iure suo. * *Hæc posteriora docere nihil attinet. Si enim apud Philippos Thraciæ victus est Brutus, vt suprà Modicius, & Æmus est mons Thraciæ, dicamus pro Philippis Thraciæ, seu pro Thracia ipsum montem positum. Poeta certè, quod antea dixerat iterum, nunc dicit bis, intelligens tamen diuersum locum: etsi quidam in Philippicum campum bis depugnatum dicunt, qui Philippos oppidum Thessaliæ faciunt: vnde est, quod Æmum Thraciæ montem pro Thessalico positum existimant.* PINGVESC. ÆMI CAM.) De sanguine & cadaueribus fit humus pinguior, atque ita fertilior. Ouid. *Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.* Videtur scribêdum Hæmus. Typhon enim Iouem fugiens bello giganteo, contendit in Thraciam, pugnáque ad Hæmum commissa, solidos montes iaculatus est. Hi verò contrà noua vi fulminum deturbabantur, multumque in ipso monte sanguinis exundauit: à quo Hæmi nomen factum fuisse ferunt. Apollod. Biblioth. lib. 1. Sch. ET TEMPVS VENIET) Ominatio est. TER. MOLITVS ARAT.) Terram moliri significat laborem in colenda terra suscipere. Lucretius quoque lib. 5.

Nec robustus erat curui moderator aratri
Quisquam, nec scibat ferro molirier arua.

SCABRA RVBIG. PILA) Catull. *Ne nostrum scabra tangat rubigine nomen.* Pilum quod genus teli fuerit, ex Polybio docet Lipsius de Militia Rom. lib. 3. dial. 4. GRAN. EFFOSSIS MIRABIT.) De gigantum proceritate Magius lib. 1. cap. 4. Corpora hominum minui per sæcula credebatur.

Dij patrij indigetes, & Romule, Vestaq́; mater,
Quæ Tuscum Tiberim, & Romana palatia seruas,
Hunc saltem euerso iuuenem succurrere seclo
Ne prohibete. satis iampridem sanguine nostro
Laomedonteæ luimus periuria Troiæ.
Iampridem nobis cæli te regia, Cæsar,
Inuidet, atq; hominum queritur curare triumphos.
Quippe vbi fas versum, atq; nefas, tot bella per orbem,
Tam multæ scelerum facies: non vllus aratro
Dignus honos, squalent abductis arua colonis,
ET CVRVÆ RIGIDVM FALCES CONFLANTVR IN ENSEM.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter se legibus vrbes
Arma ferunt: SÆVIT TOTO MARS IMPIVS ORBE.
Vt cùm carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia: & frustrà retinacula tendens
FERTVR EQVIS. AVRIGA, NEQVE AVDIT CVRRVS HABENAS.

DII PATRII INDIG.) Lamentationi precationem, seu votum admiscet, pro salute, & incolumitate Augusti Imperatoris tum temporis & ætate florentis, & imperio. Inuocat autem deos Romæ tutelares, πολιούχους, vt ipsum prauis sæculi sui moribus medicinam adhibentem, & rempub. collapsam instaurantem, iubeant esse longæuum: ne illo scilicet rebus humanis exempto, atque in cælestium numerum translato, actum sit prorsus de repub. iam ante bellis ciuilibus admodum concussa, ac tantum non euersa. Talis est precatio apud Horat. lib. 1. Ode 2. Bersman.

Continuata scriptura legimus, *Dij patrij indigetes:* at ego eam esse arbitror interpunctione distrahendam, *Dij patrij, indigetes:* quod equidem ex meo sensu pronuntiare non auderem: sed locupletis auctoris fide id facere posse meritò videor. Is Symmachus est, in epist. ad Valent. Theod. & Arcad. qui hunc Maronis locum æmulatus, sic scribit. Ergo à diis patriis, à diis indigetibus pacem rogamus. Sunt autem dij indigetes, qui à Græcis δαίμονες vocantur. Fulgent. lib. 3. mythol. Dæmones dicti sunt, ideo & apud Romanos indigetes. Hæc Turneb. lib. 19. cap. 29.

Indigetes sunt, qui ex hominibus ad diuinitatem peruenerunt. Etymon incertum est. Vel enim ideo dicti, quia nulla re egeant: vel quasi in diis agẽtes: vel quos indigitari, hoc est, vocari, & nuncupari nefas esset: siue contrà, qui inuocati faciles sint, & præstò adsint, in quorum custodia videlicet vrbes sint, & gentes: vel qui in eo loco sint geniti, & degentes, magis propitij patriæ, ac ciuibus suis. Gyrald. Syntag. deor. 1. LAOMEDON. LVIMVS PER. TROIÆ) Caussam cladium bellis ciuilibus acceptarum in Laomedontem periurum confert, cuius peccatum etiam ipsi Romani tam seri posteri luere debuerint. Periurium autem accipe de fraudata mercede, quã Neptuno & Apollini propter mœnia extructa promiserat.

Horat. Ode 7. Epod. qua bellum ciuile detestatur, apertius quiddam audet. Propter parricidium enim Romuli, qui Remum fratrem trucidauit, à diis pop. Romanum bellis istis ciuilibus vexatum esse confirmat. Versus hi sunt.

Sic est, acerba fata Romanos agunt,
Scelusq́; fraternæ necis,
Et immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Iacob. Pontan. CÆLI REGIA CÆSAR TE INVIDET) Aptissima his sunt illa Horatij ex Ode 2. libri 1.

Serus in cælum redeas, diuq́;
Lætus intersis populo Quirini,
Neue te nostris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat.

Queritur regia cæli, te curare hominum triumphos, quia qui in terris tibi habentur honores, magis tibi cordi sunt, quàm diuini. QVIPPE VBI FAS VERS. Αἰτιολογία, quare Augustus non debeat sibi optare diuturniorem huius vitę vsuram, quippe in qua nihil boni sit. SCELERVM FACIES) Non solùm de homine, aut equo facies, sed & de re alia qualibet dicitur. Sic lib. 4. de apibus. *Vt binæ regum facies, ita corpora gentis.* M. Tullius pro Flacco, facies ciuitatis. Idem Philipp. 8. facies senatus. SQVALENT ABD. ARVA COLONIS) Squalent arua, inculta sunt, & horrida, ac deformia abductis colonis, ad bellum scilicet. Olim enim ex agricolis deligebantur milites, quia æstum ac frigus, laborem, & inediam iuxta ferunt. FALCES CONFL. IN ENSEM) Virgil. lib. 7. Æneid. de Italis aduersum Troianos arma comparantibus.

Vomeris huc, & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor, recoquunt patriis fornacibus enses.

Lucret. lib. 5.

Inde minutatim processit ferreus ensis,
Versaq́; in opprobrium species est falcis ahenæ.

Horat. Ode 15. lib. 4.

Custode rerum Cæsare, non furor
Ciuilis, aut vis eximet otium.
Non ira quæ procudit enses,
Et miseras inimicat vrbes.

HINC MOVET EVPHR. ILL. GERM. BEL.) Amplificatio calamitatum ab enumeratione, seu inductione partium. Euphrates Mesopotamiæ fluuius erat tum terminus imperij Romanorum, & Parthorum, cuius mentione

tione nunc bellum indicat Parthicum, quod imperfectum reliquerat Antonius, fluuij scilicet notatione indicans incolas, & populos Orientales συνεκδοχικῶς. Ergo hinc, ab oriente, illinc, ab occidente, vel etiam septentrione. Sicut enim Parthicum bellum regnandi æmulatione susceptum Romanos vrgebat ab oriente, ita Germanicum populorum immanitate ac ferocitate iisdem erat terribile. Bersman.

De Euphrate ac Tigri iunctim hæc Strabo, lib. 11. Hinc (à Tauro monte) fluunt ambo, Mesopotamiam (cui inde nomen est) cingentes, inuicemque coeuntes, prope Babyloniam, ac deinde in Persicum mare excuntes. Euphrates maior est, plusq; terrarum perlabitur, alueo curuo. Fontes habet in Tauri septentrionalibus partibus. Inde fluens per maiorem Armeniam versus occasum vsque ad minorem, hanc ad dextram habens, ad sinistram autem Liscenam: deinde versus Austrum se conuertit, &c. VT CVM CARC. SESE EFFVDERE) Horat. sat. 1. lib. 1. *Vt cùm carceribus missos rapit vngula currus*. Carceres dicti, vbi coercentur equi, ne inde exeant, antequam à magistratu signum aurigantium factionibus missum, ad similitudinem carceris, vbi coercentur & custodiuntur noxij. Ita ferè Isidor. lib. 18. cap. 32. Vox græca, ἀπὸ τ͂ καρχάρῳ. Virgil. lib. 5.

Non tam præcipites biiugo certamine campum
Corripuere, ruuntq; effusi carcere currus.

Ouid. 10. Metamorph. *Signa tubæ dederant, cùm carcere pronus vterq; Emicat.* Glossarium D. Bened. carceres ἀφετήρια, & paulò pòst, ἱππάφεσις. Varro lib. 2. de re rustic. cap. 7. Ego quoque aduenienś aperiam carceres, inquit, & equos emittere incipiam. QVADRIGÆ) Gellius lib. 19. cap. 8. quærens de numero singulari quorundam nominum, docet, quadrigas plurali numero dici rectius. Ad finem capitis M. Varronis satyram citat, vbi quadrigam legitur. ADDVNT SE IN SPATIA) est, in ipsa spatia cursum intendunt. Vel, vt Seruius, currendo plus eorum cursus augetur. NEQVE AVDIT CVRR. HABENAS) Habenæ ab habendo dictæ, quòd iis equos habeamus, hoc est, teneamus. Hæc & retinacula, à retinendo ora. Isidor. lib. 20. Vtrumq; συνωνύμως hic adhibuit, vt cernis, Maro. Statius eadem figura 5. Thebaid. *Ipse graues fluctus, clauumq; audire negantem Lassat agens Typhys*, qua Virgilius, *neq; audit currus habenas*. Habet autem prouerbij speciem, de iis quæ præposterè fiunt: cùm nimirum non audiunt, seu præcipientes, quorum munus est obtemperare: seu monentes, ac bene consulentes, qui ipsimet consulere sibi nesciunt, nec per se sapiunt. Similitudinem de auriga & curru prudenter docteq; ad intellectum, siue mentem, ac sensum trahit Philo lib. 2. Allegoriar. legis. *Nihil inutilius, quàm audiri sensum ab intellectu, & non contra potiùs. Debet enim semper præesse melior, subesse deterior. At intellectus sensu est melior. Ergo sicut auriga regente, & iumenta habenis quò placet flectente, currus procedit: illis verò contumaciter frenum mandentibus, & auriga transuersus fertur, & iumenta interdum impetu suo rapiuntur in cœnum, cursu prorsus aberrante.* Ad idem declarandum aliud pręterea simile adhibet, de naui & gubernatore, quod omittamus. Iacob. Pontan.

LIBRI PRIMI GEORGICORVM FINIS.

SYM-





SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER III.

Ad secundum Georgicorum.

SYNOPSIS.



Pollicetur Virgilius, se de re vineatica, de arborum, ac potissimùm de oliuæ cultura conscripturum. Solum autem Bacchum inuocat, vt de vitibus vbertim, imprimisq; disputaturum cognoscas. Arbores existere, ac procreari partim naturâ, partim hominum ingenijs, artificio, & industria. Naturâ trifariam. Sponte, idq; locis incultis planè, ac desertis, vt siler, genista, populus, salix. Semine, quando nimirum grana, ac nuclei in terram decidentes comprehendunt, ex eaq; prorumpunt: quo pacto castaneæ, æsculi, quercus proueniunt. Radicum planta, siue è radicibus, vt cerasi, vlmi, lauri. Artificio & sollertia colonorum, vt stolones, qui abscissi de matribus, deponuntur sulcis, & rami, qui defracti, humo operiuntur. Eodem pertinent, quæ propagine, transplantatione, insitione comparantur. Deinde poeta profitetur, non esse sibi decretum, omnia de arboribus vsq; ad extremum persequi. Arbores sua sponte crescentes, steriles sunt, & infœcundæ: quanquam crescendo multùm prodire solent. Si in mitius transferantur solum, surculisque satiuorum inserantur, naturam illam feram & indomitam, atque adeo fructus expertem exuere consueuerunt. Similiter facient, quæ à radicibus sese exerunt, si in apricis, apertisque locis eas deposueris. Quæ è semine oriuntur, lenta habent incrementa, nec ipsæ modò, verùm etiam stirpes earundem degenerant, multoque labore corriguntur. Artificiosarum quædam fælicius truncis, quàm plantis conualescunt, vt oleæ: quædam fælicius ramo, & talea, vt myrtus: plantis radicum, auulsisq; stolonibus fælicissimè coryli, fraxini, populi, quercus, palmæ, abietes, &c. Sequitur explicatio gemina insitionis, quarum vna inoculatio, altera emplastratio dicitur. Porrò vnius quoq; eiusdemq; generis arbores inter se differre certum est. Sunt dissimiles naturæ vlmorum, salicum, lotorum, cupressorum. Et olearũ aliæ orchades, aliæ radij, aliæ pausiæ. Præterea satiuæ etiam, & hortenses arbores sub eodem genere discrepant. Et in vitibus non conuenire prorsus, immò permultùm interesse videas inter Lesbicas, & Italicas, &c. Cernimus insuper discrimina arborum quà locus. Nam in eadem regione visuntur, quæ gaudent locis aquosis, & palustribus: aliæ montosis lætiores sunt: aliæ frigidis, aut æstuosis, siue calidioribus tantùm veniunt. Immò verò quædam totis regionibus secernuntur atque distant: siquidem non quæuis vbique generantur. Ergo ad flumina, & torrentes volunt esse salices: vliginosa & palustria quærunt alni: montes amant orni: myrti proficiunt littoribus: vites collibus: frigidis, & ventosis taxi. Et in Arabia, aut Assyria tantummodo quædam arbores inueniuntur. Malus Medica in Media, & Perside duntaxat, balsamum in Iudæa.

Iudæa. Regiones exteræ suis quibusdam ornamentis & miraculis in re arborea commendantur: illæ quidem, sed eas omnes Italia multiplici laude antecellit: in qua frugum vbertas magna, vina generosa, olearum copiosissimi prouentus, abundantia pecoris, summa cæli salubritas, multæ, & amplæ vrbes, populus militaris, non pauci clarissimi viri, &c. Omnino præclara est ista Italiæ laudatio, & in exemplum trahenda, regionem aliquam laudare instituentibus. Docet secundùm hæc, terrarum alias oliuetis, alias serendis vitibus, alias gramini, aut arationi sementiq; aut etiam hisce omnibus idoneas videri. Item quo pacto cuiusuis terræ qualitates, nempe raritatem, densitatem, saporem, pinguedinem, humorem, grauitatem, frigus, & calorem deprehendamus. Qui vineam meditatur instituere, obseruare debet de scrobibus antea fodiendis, de cæli regione, de tempore, de ordine, & alia nõnulla. Laudatur tempestas verna: de pastinatione, pedatione, pampinatione, sepibus, repastinatione, frondatione, ablaqueatione disseritur. Ostenditur caussa, cur Baccho hircus immoletur. Cæterarum arborum culturam non æquè, vt vitis, laboriosam esse. Sequuntur fælicitates vitæ rusticæ, qua digressione hic secundus liber, quemadmodum enumeratione prodigiorum Julij Cæsaris mortem antegredientium primus, concluditur. Plantarum porrò, fructuúmque nomina hoc libro posita, vt omnia, & accuratè explanemus, nemo à nobis requirat vel ob hanc caussam, quòd his nostris regionibus multa pars eorum ignota est. Non sunt item defuturi Nomenclatores, & de lingua Latina commentarij, qui nos hoc labore leuare possint, si consulantur.

EXPLANATIONES.



Actenus aruorum cultus, & sidera cæli:
Nunc te Bacche canam, nec non syluestria tecum
Virgulta, & prolem tardè crescentis oliuæ.
Huc pater ô Lenæe (tuis hîc omnia plena
Muneribus tibi pampineo grauidus autumno
Floret ager: spumat plenis vindemia labris)
Huc pater ô Lenæe veni: nudataq; musto
Tinge nouo mecum direptis crura cothurnis,

HACTENVS ARVO. CVLT. ET SID. CÆLI) Nonius videtur legisse per hypodiastolen *Hac tenus*. at enim, licet Virgilius tenus vt præpositionem acceperit, & vt præpositionem variet, tamen maximè finem, terminumque designat Georg.2. *Hac tenus aruorum cultus*, &c. Idem lib.11 *Laterum tenus hispida nanti*. Idem lib. 12 *capulo tenus ensem*, &c. Transitio est, qua & superioris libri argumentum repetitur, & sequentis proponitur. Mirè autem, quod Seruius obseruauit, illum versum iterauit, *Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram Vertere*. SIDERA CÆLI) Tempora operi rusticano idonea, quæ siderum ortu, & occasu (à quibus & tempestatum sumuntur prognostica) definiri solent. Ita ab initio, *Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram Vertere*. NVNC TE BACCHE CANAM) Bacchi appellatione vites significat, & tria proponit explicanda: de vitibus; de arboribus syluestribus, ijs nimirum, quæ vitibus sunt vsui, sumministrando iis pedamenta, aut vincula, aut similem aliquam rei rusticæ operam præstando: denique de excolendis oleis. SYLVESTRIA TECVM VIRGVLTA) Virgulta propriè sunt arbuscullæ: hic per συνεκδοχὴν synecdochen speciei pro genere, arbores omnes significantur. PROLEM TARDE CRESCEN. OLIVÆ. Naturâ tardè crescere omnia longo æuo durantia, Plinius auctor est lib.17. cap.12. vbi scribit, ad sua vsq; tempora durasse in Linterno Africani prioris manu satas oliuas: & (vt idem lib.16. cap.140.) ducentis annis durare inter arbores in confesso est. Quin paulò pòst. Athenis etiam olea durare creditur, in certamine edita à Minerua. Quod postremum tamen Cicero deridet 1. legum. Nisi fortè Athenæ tuæ sempiternam in vrbe oleam tenere potuerunt. Varro lib.1. Contrà, palma, & cupressus, & olea in crescendo tardæ. Itaq; δυσαυξῆ illam Theophrastus appellauit. Scribit adhuc Plinius lib.15. cap.1. Hesiodus negauit oleę satorem, fructum ex ea percepisse quenquam: at nunc altero anno percipitur. HVC PAT. O LENÆE) Bene admonuit Turneb. lib.13. cap.8. Pater, nomen diuinitatis plerumq; esse, vt hic, & Æneid.8. *Tuq; ô Tibri tuo genitor, cum flumine sancto*. Nam de Deo Tiberino hoc dicit. Et 3. Æneid. *Da pater augurium*, eodem sensu accipio. Tametsi Macrobius exquisitius quiddam, reconditumque magis affert. Rursum lib.8. *Et fortia corpora voluis Tibri pater*. Est & dignitatis, vt apud eundem.

Cùm pater in ripa gelidiq; sub ætheris axe
Æneas tristi turbatus pectora bello. Et,
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta.

Sic & mater diuinitatis est, vt Luna mater, mater Matuta: & dignitatis, *casta ducebant sacra per vrbem Pilentis matres in mollibus*. Significari enim puto senatorias, no-

Z biles,

biles, patricias mulieres, quæ sacerdotes erant. Et apud Lucretium lib. 4.

Namq; ibi consessum caueaï subter, & omnem
Scenaï speciem patrum, matrumq; deorum
Inficiunt.

Hic patres, & matres coniunxit, & à cauea, cuneisq; populi separauit, orchestram significans, vnde spectabant senatores, & senatorum vxores.

Lenæus dictus est Bacchus, ὑπὸ τῶν Ληναίων, id est, à Lenæis Bacchi diebus festis. Λήναια autem fortasse ὑπὸ τοῦ ληνοῦ, id est, à torculari. Idem dictus Lyæus ὑπὸ τοῦ λύειν, de quo alibi dictum satis superque. SPVM. PLENIS VINDEM. LAB.) Calpurnius eclog. 2.

Quamuis & madidis incumbant prela racemis,
Et spument rauco feruentia musta susurro.

Nemesian. Eclog. 3. *vindemia feruet Collibus in summis.* Spumant maximè vina cùm in doliis condita sunt. NVDATAQVE MVSTO TINGE) Tibull. *Oblitus, & musto feriet pede rusticus vuam.* Idem.

Illis iucundos primùm matura sapores
Expressa incultis vua dedit pedibus.

Et, *Aurea tunc pressos pedibus dedit vua liquores.* Vinum quod sua sponte citatum defluit ante, quàm vuæ calcentur, Columellæ est lixiuium mustum, forsitan à similitudine lixiuiæ, quæ per colum madente cinere destillat: cuiusmodi vinum & πρόδρομον nominant, παρὰ τὸ προτρέχειν, quod suopte impulsu torcular anteuertat, defluens

A ipso pondere. Aliis πρόχυμα, παρὰ τὸ προχέειν, à profundendo. Frontinus in Geopon. lib. 6. cap. 16. πρὶν θλιβῆναι τοὺς βότρυας, τὸ ἐξ αὐτῶν αὐτομάτως ἀποστάζον γλεῦκος, ὃ πρόχυμά τινες καλοῦσι. Bersman. * *Mustum est vinum è lacu statim sublatum, quod in se limum & terram habeat mixtam. Nam mus terra est, vnde & humus. Cuius tanta vis feruoris est, vt vasa quamuis grandia, ex eo plena, absq; spiramine relicta, illicò disrumpat. Isidor. lib. 20. Mustum, auctore Nonio, non solum vinum, verum nouellum quidquid est, rectè dicitur. Nauius Gymnastico. Vtrum est melius, virginémne, an viduā vxorem ducere? Virginem, si musta est.* DIREPTIS CRVRA COTHVRNIS) Non temerè dicitur, *direptis crura cothurnis*: nam cothurnatus erat Bacchus, vnde apud Aristophanem in Ranis de Baccho, τί κόθορνος καὶ ῥόπαλον ξυνηλθέτην; Et apud Tacitum lib.
B 11. In celebrando vindemiæ simulacro Silius Bacchum referens, edera vinctus erat, & cothurnos gerebat. Paterculus lib. 2. Cùm antè nouum se Liberum patrem appellari iussisset, cùm redimitus hedera, coronaque velatus aurea, & thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru velut Liber pater vectus esset Alexandriæ. Turneb. lib. 25. cap. 30. * *Pro direptis legunt quidam docti deteptis, id est, depositis, detractis. Cothurni, inquit Isidor. lib. 19. cap. 34. sunt, quibus calceabantur tragœdi, qui in theatro dicturi erant, & alto intonantiq; voce cantaturi. Est enim calceamentum in modum crepidarum, quo heroes vtebantur: sed tale est, vt in dextro & læuo conueniat pede. Inde adagium in hominem inconstantem, & fidei lubricæ, cothurno versatilior. Vide Chiliad. Gestabant & fœminæ cothurnos, cui testimonio est illud ex 1. Æneid.*

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque altè suras vincire cothurno.

Principiò arboribus varia est natura creandis.
Namq; aliæ nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt, camposq;, & flumina latè
Curua tenent: vt molle siler, lentæq; genistæ,
Populus, & glauca canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt de semine: vt altæ
Castaneæ, nemorumq; Ioui quæ maxima frondet
Æsculus, atque habitæ Graijs oracula quercus.
Pullulat ab radice alijs densissima sylua:
Vt cerasis, vlmisq;: etiam Parnassia laurus
Parua sub ingenti matris se subijcit vmbra.
Hos natura modos primùm dedit: his genus omne
Syluarum, fruticumq; viret, nemorumq; sacrorum.

ARB. VAR. EST NATVRA CREANDIS) Non C solùm eruditus poeta diligenter legit, vt opus suum ornaret, absolutumque ad exitum perduceret, libros aliorum poetarum, sed philosophorum etiam, qui de eisdem rebus accuratè egissent, vt Aristotelis, Theophrasti: id quod testimonio nonnullorum locorum, atque adeò huius manifestè tenetur. Omnis enim hæc accurata diuisio politi illius, eruditique philosophi, Theophrasti, inquam, est, qui in in 2. libro de iis quæ oriuntur è terra, sic præceptionem illam auspicatus est. αἱ γενέσεις τῶν δένδρων, καὶ ὅλως τῶν φυτῶν, & quæ sequuntur toto illo ca. 24. apud Victor. lib. 14. In quo sententia multorum Maronis versuum declaratur, & singulis inter se sententiis collatis, totus locus à Theoprasto acceptus ostenditur.

Columella lib. 3. cap. 1. Sequitur arborum cura, quæ pars rei rusticæ vel maxima est. Earum species diuersæ, & multiformes sunt: quippe varij generis, sicut auctor idem (Virgilius) refert. *Nullis hominum cogentibus ipsæ Sponte sua veniunt*: multę etiam nostra manu satę procedunt. Sed quę non ope humana gignuntur, syluestres, ac feræ, sui cuiusque ingenij semina gerunt. At quibus labor adhibetur, magis aptæ sunt frugibus. * *Laudes arborum si quis requirit, Plinium adeat. lib. 12. cap. 1. Idem lib. 17. cap. 10. Aut enim semine proueniunt, aut plantis radicis, aut auulsione, aut surculo, aut insito, & arboris trunco.* NVLLIS HOMINVM COGENTIB.) Homines cogunt quodammodo naturam cura, labore, arte, industria: quæ omnia absunt ab arboribus sua sponte nascentibus. Lib. 1. *vicina coegi Vt quamuis auido parerent arua colono.* FLVMINA CVRVA) Inde littora curua, quo nomine poetis sæpissimè dicuntur. Æneid. 3. *Centum alij curua hæc habitant ad littora vulgò.* Ibid. *feror huc, & littore curuo Mœnia prima loco.*
D VT MOLLE SILER) Plin. lib. 16. cap. 18. Non nisi in aquosis proueniunt salices, alni, populi, siler, ligustra tesseris vtilissima. LENTÆ GENISTÆ) flexibiles, quarum vsus in colligandis vitibus: propter lentorem quippe nō facilè franguntur. POPVLVS) Populus duplex est, alba, & nigra. Illa λευκὴ Græcis nominatur, Homero ἀχερωΐς est, quòd redux ab inferis Hercules, populi in Acherontis

tis ripa nascentis ramo coronatus emerserit. Vnde in Bucol. *Populus Alcidæ gratissima.* Hæc verò αἴγειρος nuncupatur. Vtriusque meminit Theophrast. lib. 4. historiæ plantarum. Bersman. GLAVCA CANENT. FROND. SAL.) Seruius super hoc *glauca canentia*, sanè cacophaton, *glauca canentia*. Idem in 2. Æneid. ibi. *Panduntur portæ, iuuat ire, & Dorica castra.* Mala est compositio, ab ea syllaba incipere, qua superior finitus est sermo. Nam plerumq; & cacophaton facit, vt hoc loco. Sed & Quintilianus videndum præcipit, ne syllaba verbi prioris vltima, sit prima sequentis. Sed enim non possum ego non vehementer mirari, Fabi, tuq; inprimis Serui, vsq; adeò in interpretanda Virgiliana virtute, ac diligentia versate, concursum earundem syllabarum, genus quoddam complosionis Maronianæ musæ, auribus iucundissimum, vestras aures ita ingratè ferire, vt hanc malam esse compositionem diceretis, qua toties non insuauiter poeta lectoris blanditur auribus, atque ipso earundem syllabarum concursu, quæ tuas præcipuè, bone Serui, lædebat aures. Atque vt concursus ipse vocalium delectat, propter complosionem earundem litterarum: ita etiam, ac fortassis non multò minus earundem syllabarum, cum ipsa complosione magna fiat vocalitati accessio: per quam metrum heroicum, hoc est, generosum, maxima cum venustate assurgit atque decoro. Cuius rei fidem faciunt insequentes versus, *Fama malum, Stupea flamma manu, Date tela, Ruit Oceano nox, Hinc a stirpe pedes*, & alij innumeri, quos indicat in prolegom. suis Virgilianis Erythræus. POSITO DE SEMINE) De seminibus passim iacentibus, vt cùm de exceptis à terra glandibus arbusculæ reuirescunt: est enim in semine vis quædam foetificans, propter calorem, & humorem. Plinius lib. 17. cap. 10. Ac pleraque ex his natura ipsa docuit, & inprimis semen serere, cùm decidens, exceptumque terra viuisceret. Sed quædam non aliter proueniunt, vt castaneæ, iuglandes, cæduis duntaxat exceptis. NEMOR. IOVI QVÆ FROND. ÆSCVL. Nemorum, id est, arborum, ex toto indicatur pars. Nemus enim arboribus consitus locus. Sic 3. Æneid. *viridemq; ab humo conuellere syluam, Conatus, ramis tegerem, vt frondentibus aras.* Æsculus ex numero arborum glandiferarum est, Ioui sacra, ideo Ioui frondere dicitur à poeta. HABITÆ GRAIIS ORACVLA) In Dodonæo nemore videlicet, in parte Epiri Chaonia, vbi quercus Ioui sacræ, quòd homines ab esu carnium humanarum absterritos, ad victum è glandibus petendum conuertissent. Ibi columbæ duæ dicebantur dare responsa. Iacob. Pont. PVLLVL. AB RADICE) Primùm naturâ veniunt arbores, etiam sine vllo semine: deinde à semine decidente, aut fortuitò iacente: postremò ab radice arborum vetularum succrescunt, qui stolones dicuntur, & sunt tanquam pulli arborum, seu proles quædam, nec ad debitam arboris magnitudinem attolluntur. Atque isti tres sunt modi, quibus naturaliter arbores veniunt: hominum diligentia alios modos fabricata est. VT CERASIS) Octo genera cerasorum ponit Plin. lib. 15. cap. 25. Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia, ad annum vrbis DCLXXX. Is primùm vexit è Ponto, annisq; CXX. trans Oceanum in Britanniam vsque peruenere. Eadem vt diximus, in Ægypto nulla cura potuere gigni. PARNASSIA LAVRVS) Laurus est sacra Apollini: eidem dicatus mons Parnassus. Ergo Parnassia laurus est, quasi Apollinea laurus. Quanquam solent vocibus addi epitheta sæpe a locis, vbi res illæ vel optimè, vel plurimùm nascuntur. Ego priori de caussa laurum Parnassiam puto dictam. Iacob. Pont. SVB ING. MAT. SE SVB. VMB.) Eclo. 10. *Quantum vere nouo viridis se subiicit alnus.* Tale quid etiam apud Pindarum, Nem. Ode 8. αὔξεται δ' ἀρετὰ χλωραῖς ἐέρσαις, ὡς ὅτε δένδρεον ἀΐσσει. Ex quo loco videtur manasse illud Horatij Ode 12. lib. 1. *Crescit occulto velut arbor æuo Fama Marcelli.* FRVTICVMQVE) Frutex Theophrasto dicitur id, quod ab radice, caudice multiplici, ramosumque se attollit, vt rubus, paliurus. Fruticosæ plantæ, quæ sua natura nunquam in arborem attolluntur, aut arborescunt: sed statim ab ipsa radice sese in ramos diffundunt, & brachia attollunt, qualis est corylus, rhamnus. Carol. Steph. in Seminario. Ibidem quid suffrutices, & fruticare.

Sunt alij, quos ipse via sibi repperit vsus.
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis: hic stirpes obruit aruo,
Quadrifidasq; sudes, & acuto robore vallos.
Syluarumq; aliæ pressos propaginis arcus
Exspectant, & viua sua plantaria terra.
Nil radicis egent aliæ: summumq; putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur è sicco radix oleagina ligno.
Et sæpe alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius: mutatamq; insita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere corna,
Quare agite ô proprios generatim discite cultus
Agricolæ, fructusq; feros mollite colendo.
Neu segnes iaceant terræ, iuuat Ismara Baccho
Conserere: atque olea magnum vestire Taburnum.

SVNT ALII QVOS IPSE VSVS) Nunc de artificiosis arborum procreationibus. Primus modus est, cùm resectæ ab arborum ramis plantæ, siue stolones auulsi in fossis, siue scrobibus deponuntur, & plantantur. Secun-

dus modus, cùm stirpes, id est, trunci cum radicibus de- A fodiuntur: quomodo & sudes fissæ, & valli exacuti germinant. Aliæ arborum, propagine procreantur, qui tertius modus est, cùm rami instar arcus incuruati in terram demittuntur, humoque obruti, rursum emergunt, & arbores euadunt. Quartus modus est, cùm transferuntur plantaria. M. Cato libr. de re rustica, Oleas, inquit, vlmos, ficos, poma, vites, pinos, cupressos cùm seres, bene cum radicibus eximito cum terra sua quàm plurima, circumligato vti ferre possis. Plantaria vocantur hìc, quæ aliàs quoque viuiradices. Vide quæ dicentur hoc eodem libro, ad versum: *Mutata ignorent subitò ne semina matrem.* Quintò à frondatore, putatore, qui & arborator, B [*Arborator antiquis, vt vinitor, qui arborum colendarum, conserendarumque curam gerit. Columella libr. 11. cap. 1. Nam & arator reperitur aliquis bonus, & optimus fossor, aut fœnisector, nec minus arborator, aut vinitor.*] surculi amputantur, & terræ mandantur, qui sine radice nascuntur. Putare veteres dixerunt, vacantia ex quaque re, ac non necessaria, aut etiam obstantia, & aliena auferre, & excidere, & quod esset vtile, ac sine vitio videretur, relinquere. Sic namque arbores, & vites, sic etiam rationes dictæ putari. Gellius libr. 6. cap. 5. Disputatio, & computatio, inquit Varro libr. 5. de lingua latina, à putando, quod valet purum facere. Ideo ratio putari dicitur, in qua summa fit pura. Sic is sermo, in quo pura disponuntur verba, ne sit confu- C sus, atque vt diluceat, dicitur disputatio. Sextò procreantur arbores per insitionem, è sicco ligno, inquit, non quidem prorsus arido, quid enim inde germinaret? sed ab humore vacuo, quod radice careat, quæ succum humo attrahit. Proponit deinde exempla insitionis, qua vicissim arborum natura permutata, pyrus mala, & prunus corna ferre assueuit. Columella omnem surculum omni arbori inseri posse tradit, si non est ei, cui inseritur, cortice dissimilis. At dignum memoria est, quòd Plinius se vidisse testatur de insita arbore iuxta Tiburtes tilia, omni genere pomorum onusta, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis, malorum- D que generibus. Varro autem, quartum, inquit, genus seminis, quod transit ex arbore in aliam. De quo videndum ait, qua ex arbore in aliam transferatur, & quo tempore, & quemadmodum obligetur. * *Ergo sex modi artificiosi producendarum arborum ἐν ἀνακεφαλαιώσει sunt, plantatio, stirpium defossio, propagatio, plantariorum translatio, surculorum satio, insitio.* CAVDICIBVS SECTIS) Caudex etiam codex veteribus. Quid propriè sit caudex, quid truncus, & omnino de partibus arboris, consulas licet Prædium rustic. Caroli Steph. in Seminario. MVTATAMQVE INSITA MALA. F. PYR.) Propert. lib. 4. eleg. 2.

Insitor hic soluit pomosa vota corona,
Cùm pyrus inuito stipite mala tulit.

Ouid. de med. faciei.

Venerit insitio, fac ramum ramus adoptet:
Stetq́; peregrinis arbor opaca comis.
Cultus & inprimis succos emendat acerbos,
Fissaq́; adoptiuas accipit arbor opes.

Calpurn. eclog. 2.

Ars mea nunc malo pyra temperat, & modo cogit
Insita præcoquibus subrepere persica prunis.

Adde his Manil. *Atque arbusta vagis essent quod adultera pomis.* QVARE AGITE O PROPRIOS GENERATIM) Conclusio est propositæ hactenus partitionis naturæ, & artis, cum cohortatione ad agricolas. Sententia hæc est. Itaque studiosus ac sedulus agricola diligenter elaborabit, & in singulis arborum generibus diligentem inibit culturæ cuique congruentis rationem, studebitque fructus syluestres opera sua & industria mitiores reddere, atque loca sterilia vinetis, & oliuetis frequentare. AGITE) Græci ἄγετε. Notandum tamen, age, cohortantis vocem etiam Latinos ad plures vsurpare, vt ἄγε Græcos. Hom. ἀλλ' ἄγε μοι δότε νηᾶ. & Odyss. θ. ἀλλ' ἄγε Φαιήκων βητάρμονες. Admonet quoque Eustathius, ἄγετε pro ἄγε etiam poni. German. DISCITE CVLTVS) Huc faciunt illa Lucretij lib. 1. *quoniam incultis præstare videmus Culta loca, & manibus meliores reddere fœtus.* Idem lib. 5. *fructusq́; feros mansuescere terra Cernebant indulgendo, blandeq́; colendo.* FRVCTVSQVE FEROS MOLLITE COLENDO) Fructus syluestres, atque humanis vsibus non satis idoneos, reddite vrbanos, & quasi domesticos: siue, efficite vt cultu mansuescant, quod Græcis est ἡμεροῦν, & ἐξημεροῦν. Theophrast. 2. de causs. plant. καὶ γὰρ ἁπλῶς ἡ γεωργία μεθίστησιν ἐξημεροῦσα τὰ δένδρα, καὶ τοὺς καρπούς. Bersin. NEV SEGNES IAC.) ἀεργοί, sine cultura, infœcundę, inertes, pigræ. ISMARA BACCH. CONSER.) Ismarus, & numero multitudinis Ismara, mons Thraciæ, vini ferax. Synecdoche est, pro montibus ad vites serendas idoneis: sicut Taburnus mons est Campaniæ oleis aptus. VESTIRE TABVRNVM) Vestire, inquit Seruius, implere significat. Claudian. de raptu Proserp. lib. 3. *Itur in æterno vestitos gramine campos.* Iuuenal. Satyr. 11. *Legitimè fixus vestitur tota tabellis.* Cato simpliciter dixit, vestire, nullo vitium, aut arborum adiuncto, vt orationis breuitati consuleret, quam illis responsionibus vsurpare voluisse constat. Nam cùm ab eo quæreretur, quid maximè in re familiari expediret, respondit, bene pascere. Quid secundum? satis bene pascere. Quid tertium? bene vestire. Quid quartum? arare. Titius lib. 7. cap. 10. Luctatius, seu Lactantius Grammaticus interpres Statij, in 5. Thebaid. ex Sallustio citat hæc verba, Vestitus oleastro, ac myrtetis, aliisque generibus arborum.

Tuq́; ades, incæptumq́; vnà decurre laborem,
O DECVS, ô FAMÆ MERITO PARS MAXIMA NOSTRÆ,
Mæcenas, pelagoq́; uolans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto:
NON, MIHI SI LINGVÆ CENTVM SINT, ORAQVE CENTVM,
FERREA VOX. ades, & primi lege littoris oram.
In manibus terræ: non hìc te carmine ficto,
Atque per ambages, & longa exorsa tenebo.

TVQVE

TVQVE ADES, INCÆPTVMQ.) Post Bacchi numen Mæcenatem inuocat, sicut superiore libro inter alia numina etiam Augustum. Est autem oratio figurata, translatione sumpta à nautis, atque amplificata argumentis, ad persuadendum id quod petitur maximè appositis, cùm propter mentionem meritorum illius, & subiectionem facilitatis, atque commoditatis rei ipsius: tum pollicitatione suæ in explicando argumento hoc breuitatis, atque industriæ. Bersman. O DECVS) Sic Horat. Ode 1. lib. 1.

Mæcenas atauis edite regibus,
O & præsidium, & dulce decus meum.

Idem Ode 17. lib. 2.

Nec diis amicum est, nec mihi, te prius
Obire Mæcenas mearum
Grande decus, columenq́; rerum.

Propert. lib. 2. eleg. 1.

Mæcenas nostræ pars inuidiosa iuuentæ,
Et vita, & morti gloria iusta meæ.

FAMÆ PARS MAXIMA NOSTRÆ) in quem meritò meorum operum gloria redundat. Captatio beneuolentiæ, à significatione sui officij. Bersman. PELAGO DA VELA PATENTI) Velorum mentione fauorem videtur innuere, secundantem instituti operis cursum: pelagi autem notione materiam, seu campum huius carminis satis amplum. Propert. ad eundem modum.

Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.

Idem. NON EGO CVNCTA MEIS) Locus attentionis, ab amplitudine huius argumenti, cuius tanquam ἀντιφὰν his verbis pollicetur, quòd sui propositi non sit persequi singula: propter rerum non tam humilitatem, quàm copiam, & difficultatem. Notat compendium à Marone obseruatum Plinius procœmio lib. 14. his verbis. Quanquam videmus Virgilium præcellentissimum vatem ea de caussa hortorum dotes fugisse, è tantisque quæ retulit, flores modò rerum decerpsisse, beatum fœlicemque gratiæ, quindecim omnino generibus vuarum nominatis, tribus oleæ, totidem pyrorum, malo verò tantum Assyrio, cæteris omnibus neglectis. Bersman. NON OPTO, NON) Ante *mihi si centum*, collocanda virgula, vt sit geminata negatio, qua magni scriptores & continuatè, & quibusdam verbis interpositis venustè vtuntur. Catull. ad Caluum. *non, non hoc tibi salse sic abibit.* Propertius. *Non, non humani partus sunt talia dona.* Cicero ad Attic. libr. 10. Non sunt ab obsequio nostro, non: habent suas radices. Muret. in Catullum. * *Eandem speciem habet, quod est in 9. Æneid. Vbi Nisus sic ad Euryalum.* Equidem de te nil tale verebar, Nec fas, non ita me, &c. MIHI SI LINGVÆ CENTVM) Ouid. 8. Metamorph. Maronem, vt ille Homerum, æmulatus, vt apparet.

Non mihi si centum deus ora sonantia linguis,
Ingeniumq́; capax, totumq́; Helicona dedisset,
Tristia persequerer miserarum vota sororum.

Ita Virgilius alibi, & alij poetæ tum Græci tum Latini τὸ ἀδύνατον exprimere morem habent. Iacob. Pontan.

Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, sed læta, & fortia surgunt.
Quippe solo natura subest. tamen hæc quoque si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint syluestrem animum, cultuq́ue frequenti
In quascunque voces artes, haud tarda sequentur.
Nec non & sterilis quæ stirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros:
Nunc altæ frondes, & rami matris opacant:
Crescentiq́; adimunt fœtus, vruntq́; ferentem.
Iam, quæ seminibus iactis se sustulit arbos,
Tarda uenit, seris factura nepotibus vmbram:
Pomaq́; degenerant succos oblita priores,
Et turpes auibus prædam fert vua racemos.
SCILICET OMNIBVS EST LABOR IMPENDENDVS: & omnes
Cogendæ in sulcum, ac multa mercede domandæ.

SPONTE SVA QVÆ SE) Repetit omnes naturæ species [*tres scilicet: sponte nascentium: ab radice pullulantium (quod genus suprà tertio loco posuit) semine prodeuntium*] & earum agrestes vires ex adiunctis exponit: & docet cultu mitigari posse. Naturales autem arbores materiis magis sunt aptæ: mites, fructibus magis idoneæ, ait Columella lib. de arboribus. Et Plinius libr. 16. cap. 19. At arborum aliæ syluestres omnino sunt, vrbaniores aliæ: quas iis placet nominibus distinguere. Ergo mites, quæ fructu, aut aliqua dote, vmbrarumúe officio humaniùs iuuant, non improbè dicantur vrbanæ. Sic Plinius idem libr. 13. cap. 4. Sterilibus palmis ad materias, operaque lautiora vtitur Assyria, & tota Persis.

Similis porrò versus est Lucretij libr. 5. *Sponte sua nequeunt liquidas existere in auras.* Sed pro *auras* fortasse legendum *oras*, vt sensus sit, in luminis oras, id est, in lucem, in regionem luminis. Vsitatum genus loquendi Lucret. Lib. 1. *Nec sine te quicquam dias in luminis oras Exoritur.* Rursum.

Dum tempestates adsunt, & viuida tellus
Tutò res teneras effert in luminis oras.

Ibidem. *indignos esse putandos Viuam progeniem qui in oras luminis edant.* Lib. 5. *cùm primùm in luminis oras Nexibus ex aluo matris natura profudit.* Et sæpe aliàs. Hoc imitatus est Virgilius etiam lib. 7. Æneid. *sub luminis*

nis edidit oras. Sed videtur vterque ab Ennio sumpsisse, sic enim ille. *At se se sum qua dederat in luminis oras.* Sum autem apud Ennium valet eum, seu ipsum. Idem.

—— ô Romule, Romule, dic ô
Qualem te patria custodem dij genuerunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras.

Arnob. Lucretij verborum amator, lib. 1. antequam Tages Thuscus oras contingeret luminis, &c. Ex Lamb. in Lucret. QVIPPE SOLO NAT. Cur stirpes syluestres lætæ fortesque proueniant, caussam reddens Maro, sic canit: *Quippe solo natura subest.* Quæ verba quam vim habeant, vt oraculorum ambages, quæri solet. Sed ego (vt soleo) prætermissis aliorum sententiis, quid sentiam, eloquar. Existimo igitur, hic *solum* radicem esse, cuius in syluestribus viuida, & animosa est natura, ad eliciendum è terra succum, & concoquendum, totiq; plantæ dispensandum: radicem autem hic *solum* dici puto, vt plantam & pedem arboris. Nam apud Lucret. lib. 4. *Auia Pieridum peragro loca nullius antè Trita solo*, valet, nullius pede calcata. Turneb. lib. 2. cap. 12.

Ego quamuis Turnebi auctoritati semper assentiri soleam, tamé retineor hic non solùm loco illo apud Æsopum, quo sponte nascétium plantarum terram matrem, arte autem, & cultura nouercam vocat, hinc fieri dicens, vt materna cura syluestres maiori vbertate luxuriarent: sed & Plutarchi pondere, qui libello, περὶ δυσωπίας C hanc ipsam vim facultatemque terræ tribuere videtur, his verbis, huic loco planè assentientibus. ἔνια τῶν ἐκ τῆς γῆς φυομένων, αὐτὰ μὲν ἐστιν ἄγρια τῇ φύσει, καὶ ἄκαρπα, καὶ βλαβερὰ τοῖς ἡμέροις σπέρμασι, καὶ φυτοῖς αὔξησιν ἔχοντα, συμφυῆ δ' αὐτὰ ποιοῦνται χώρας οἱ γεωργοῦντες οὐ πονηρᾶς, ἀλλὰ γενναίας, καὶ πίονος· οὕτω [illegible] καὶ πάθη ψυχῆς ἐστιν οὐ χρηστὰ, &c. German. HÆC QVOQ. SI QVIS INSE.) Si quis frugiferarum arborum surculos iis inserat. MVTATA) de loco suo translata in alium. SCROBIBVS SVBACTIS) ritè effossis, ac præparatis. EXVERINT SYLVEST. ANIMVM) naturalem deponent asperitatem, & infœcunditatem, & assiduitate culturæ in quascunque rationes fœcunditatis, quæ arti debentur, se obsequentes præbebunt. D Bersman. NEC NON ET STERILIS QVÆ ST.) De altero genere, quæ scilicet ab radice pullulant, idem affirmat, fore videlicet frugiferas, si in apertos, & soli atque imbribus expositos campos digerantur. Quippe matrú vmbra soboles enecatur, & turba pullorum indigesta premitur, & crescentium fœtus, quem scilicet ferre potuissent, vmbra prohibetur. RAMI MATRIS) Rami dicuntur in arboribus, dum iis adhærent tanquam filij in matrum corporibus. Postquam desecti sunt, vocantur A ramalia. Ouid. 8. Metamorph. *Multifidasq́; faces, ramaliaq́; arida tecto.* Ramus autem cum fructu decerptus, dicitur termes. Carol. Steph. in Prædio. IAM QVÆ SEMINIB.) De tertio genere. Semina arborum in aliis alia sunt. Quibusdam enim pro semine nucleus est, quibusdam baccæ, aliquibus acini: in nonnullis semina sunt discreta, in nonnullis congesta: in his lignea, in illis carnosa reperiuntur. Hoc autem in præsentia traditur, arbores, quę ex seminibus producuntur, parum esse vsui, vel quia tardè proueniunt, vel quia plerumq; degenerant, & non nisi auibus diripiendos fructus proferunt. Denique omnibus istis tribus generibus plurima cultura adhibeatur, & in scrobem cogantur, vt frugifera fiant. Bersman. SERIS NEPOTIBVS) Malo non discedere à familiari, & B vulgari interpretatione, & ἐκγόνους respicere, quàm, vt quidam, satis anxia diligentia, nepotes hic pro propagine, palmitibus, & viuiradicibus accipere, ductus auctoritate Propertij, qui & seros nepotes posteros vocauit, lib. 3. *Meque inter seros laudabis Roma nepotes.* German.

Video cæteros interpretes, quos ego quidem legerim, ita hunc locum explicare, vt vocem *nepotibus* ad versum illum, *carpent tua poma nepotes*, referendam putent: qui mihi non satis Virgiliani carminis sensum videntur assecuti. Dixit enim poeticè Virgilius *nepotes*, quos Theophrastus παραβλαστήδας, & ῥάβδους, Cato autem C pullos dixerunt: quomodo alibi etiam videtur locutus, cùm cecinit, *etiam Parnassia laurus Parua sub ingenti matris se subijcit vmbra.* Rursum. *Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum.* Adhuc. *Nunc alta frondes, & rami matris opacant.* Mecum facit perantiquus liber meus, qui verbum illud *nepotibus*, exponit, radicibus: vt ex eo versu sensus hic eliciatur: satas semine arbores, nō modò ipsas tardas venire, verumetiam ab ea arbore abs terra pulli qui nascuntur, serò crescere. Hanc ego huius loci veram sententiam puto. Vrsin. POMAQVE DEGEN.) Pomi nomine capitur fructus omnis arborum, qui quidem aptus sit ad esum, siue mollis, siue durus fuerit. Itaq; & nux Plinio, & pinea nux Martiali pomum est. Glandes idem Plin. lib. 15. cap. 24. inter poma numerandas negat. D Poma à potu dicta, auctor est Varro de re rust. lib. 1. cap. 31. In poma, quæ insita erunt, siccitatibus aquam addi quotidie. A quo, quòd indigent potu, poma dicta esse possunt. Iacob. Pont. TVRPES FERT VVA RACEM.) Vua hic pro vite videtur posita: nisi velimus per racemos intelligere acinos. Propriè racemus est botrus: vua, non solum vitis fructus, sed etiam hederæ, aliarumque herbarum, aut fruticum, vuas quasdam producétium. Inde racemosus, racematus, racematio. Vide Carol. Steph. Vinetum.

Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiæ de robore myrtus.
Plantis & duræ coryli nascuntur, & ingens
Fraxinus, Herculeæq; arbos vmbrosa coronæ,
Chaonijq; patris glandes: etiam ardua palma
Nascitur, & casus abies visura marinos.
Inseritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida:
Et steriles platani malos gessere valentes,
Castaneæ fagos: ornusq; incanuit albo
Flore pyri: glandemq; sues fregere sub vlmis.
Nec modus inserere, atq; oculos imponere simplex.

Nam

Nam quà se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoq; docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, & altè
Finditur in solidum cuneis via: deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exijt ad cælum ramis felicibus arbos,
Miraturq; nouas frondes, & non sua poma.

SED TRVNCIS OLEÆ MELIVS) Ad alterum genus arborum quod attinet, quas arte & humanis ingenijs fieri verius, quã nasci ostendimus, earum aliæ melius caudicibus, seu stirpibus, quam resectæ proueniunt, qui est secundus modus de sex supra explicatis. PROPAG. VITIS) Aliæ, vt vites, propagatione, qui est artificiosæ procreationis modus tertius. Vineta ac vineæ à vite multa. Vitis à vino, idq; à vi. Hinc vindemia, quod est vinidemia, aut vitisdemia. Varro lib. 4. de ling. lat. SOLIDO DE ROB. MYRT.) Aliæ insitione, qui est modus sextus. Surculus igitur myrti, insitus robori enascitur. Robur genus quercus durissimæ. PAPHIÆ MYRTVS) Paphia est Venus. Diodorus lib. 5. cap. 15. Deos deasq; nomina adeptos esse docet à locis, in quibus libenter & diu essent commorati. Paphus Cypri vrbs, de qua. 1. Æneid. Veneri quamobrem dicata myrtus, indicat Plutarch. in Marcello. Pacis, inquit, insigne tibia est, & myrtus Veneris planta, quæ à vi & bello præter cæteros deos abhorret. Iacob. Pontan. PLANTIS ET DVRÆ CORYLI) Qui quartus modus est, plantis radicum optimè nascuntur coryli, fraxini, populi, quercus, palmæ abietes. Libri quidam habent *edura coryli*, id est, non duræ, seu molles, sicut alibi enodes trunci dicuntur, carentes nodis, & Catullus egelidos tepores dixit moderatos illos verni temporis calores, sicut Ouid. egelidum Notum appellauit tepidum. Quidam interpretantur valdè duræ, vt præpositio habeat vim incrementi, sicut in C 4. eduramque pyrum idem dixisse existimatur, valde duram. Et in 8. Æneid. *Vt procul egelido secretum flumine vidit*, Seruius egelidum exposuit valdè gelidum: INGENS FRAXINVS) De fraxino, eiusque generibus disserit Pli. lib. 16. cap. 13. Materiæ enim caussa, inquit, reliquas arbores natura genuit, copiosissimamque fraxinum. Procera hæc, ac teres, pennata & ipsa folio, multumque Homeri præconio, & Achillis hasta nobilitata. Materies est ad plurima vtilis, &c. HERCVL. ARB.) De populo Herculi sacra diximus lib. 1. Eclog. 7. *Populus Alcidæ gratissima.* eadem eius sacerdotes coronabantur, vt est 8. Æneid. D CHAONIIQ. PAT. GLANDES) Chaonium patrem vocat Iouem, id est, Epiroticum, seu Dodonæum. Ideo quercus sacra fuit Ioui, vel quòd in Arcadia ei infanti nato vmbram præbuit: vel quòd ille esum glandium hominibus demonstrarit, cùm sub Saturno carnibus hu-A manis vescerentur. Diximus suprà quoque, ibi, *habita Graiis oracula quercus.* CASVS AB. VIS. MAR.) Abies apta est nauibus & mari, in quo multi casus, tempestates scilicet, & naufragia. INSER. VERO EX FOETV) Enumerat arbores, quæ insitione iuuantur, qui erat modus vltimus. ARBVTVS HORR.) De hac arbore, & eius fructu dictum Eclog. 3. *depulsis arbutus hœdis. numer. 79.* ET STERILES PLATAN.) cælibem vocauit platanum Horat. Ode 15. lib. 2. non enim ad vites sustentandas adhibetur, vt vlmus, sed ad vmbram maximè comparandam, de quo aliàs dicemus. CASTANEÆ FAGOS) Quid? Castaneæ inseritur fagus? legendum profectò, *Castaneas fagus.* Fagus enim pluraliter, vt apud Catullum ex veteri B scriptura *myrtus*, illo carmine: *Quales Eurota progignũt flumina myrtus.* vt apud Virgil. in Culice, *Aëria platanus* Scalig. F. in Catull. GLANDEM SVES FREGERE) Varro de re rust. lib. 2. cap. 4. Hoc pecus alitur maximè glãde, deinde faba, & ordeo, & cætero frumento. Quæ res non modò pinguitudinem efficiunt, sed etiam carnis iucundum saporem. NEC MODVS INSERERE) Tria genera insitionum antiqui tradiderunt. Vnum, quo resecta, & fissa arbor resectos surculos accipit. Alterum, quo resecta inter librum, & materiam semina admittit, quæ vtraque genera verni temporis sunt. Tertium, quo ipsas gemmas cum exiguo cortice in partem sui delibratam recipit, quam vocant agricolæ emplastrationem, vel, vt quidam, inoculationem. Columella lib. 5. cap. 11. quod totum est de insitione, de qua videbis, si voles, & Plin. lib. 17. cap. 14. Pallad. lib. 3. tit. 17. Inoculatio Græcis ἐνοφθαλμισμὸς, & verbum ἐνοφθαλμίζειν. RAMIS FÆLICIBVS) Horat. Ode 2. Epod,

Inutilesq; falce ramos amputans,
Feliciores inserit.

MIRATVRQVE NOVAS FRONDES, ET NON SVA POMA) Effectus est ex hoc versu ille Calpurnianus eclog. 2.

Non minus arte mea mutabilis induit arbos
Ignotas frondes, & non gentilia poma.

Cæterùm vt Calpurnius dixit non gentilia, seu (vt in quibusdam legitur) non genitalia poma, ita Columella, *aliena stirpe granata Mitis adoptatis curuescit frugibus arbos*, eleganter sanè.

Præterea genus haud vnum nec fortibus vlmis,
Nec salici, lotoq;, nec Idæis cyparissis.
Nec pingues vnam in faciem nascuntur oliuæ,
Orchades, & radij, & amara pausia bacca,
Pomaq;, & Alcinoi syluæ: nec surculus idem
Crustumijs, Syrijsq; pyris, grauibusq; volemis.
NON EADEM ARBORIBVS PENDET VINDEMIA NOSTRIS,

Quam

Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.
Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, leuioribus illæ.
Et passo Psythia vtilior, tenuisq; Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaq; linguam,
Purpureæ, Preciæq;, & quo te carmine dicam
Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt & Amineæ vites firmissima vina:
Tmolus & assurgit quibus, & rex ipse Phanæus:
Argitisqúe minor: cui non certauerit vlla,
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, mensis & dijs accepta secundis,
Transierim Rhodia, & tumidis Bumaste racemis.
Sed ñeque quàm multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus. neq; enim numero comprendere refert.
Quem qui scire velit, LIBYCI VELIT ÆQVORIS IDEM
DISCERE QVAM MVLTÆ ZEPHYRO TVRBENTVR ARENÆ:
Aut, vbi nauigijs violentior incidit Eurus,
Nosse quot Ionij veniant ad littora fluctus.

Agit de differentijs arborum secundùm species eiusdem generis, vel sub eodem genere. Et est huius libri pars altera. Prima fuit de differentijs earum secundùm naturam, & artem. Horum versuum paraphrasin adscribam. Dixi huc vsque de duplici arborum genere: quorum vnum est earum, quæ natura duce, sine vlla cultura pronascuntur. Alterum earum, quæ sola arte, & hominum industria producuntur. Proximum est, vt de illo etiam arborum discrimine aliquid dicamus, quo eiusdem generis arbores à se inuicem distinguuntur. Neque enim vniusmodi sunt omnes, quæ communi aliqua specie, & appellatione continentur. Nam & vlmorum, & salicum, & lotorum, & cupressorum varia sunt genera. Neque oleæ tantum vna specie proueniunt. Sunt enim aliæ orchades, alia radij, aliæ vero pausiæ. Quin etiam hortenses, ac satiuæ arbores, illarumq; fructus, in eodem genere plurimas habent differentias. Nam pyra aut Crustumia sunt, eaq; dulcissima, aut Sýria, quæ ab alijs Tarentina dicuntur: aut volema, & quidem omnium maxima. Atque hæc varietas cum in omni arborum genere, tum præcipuè in vitibus solet existere. Nam inter Lesbias, & Italicas vites plurimum interesse, vini vtriusque diuersitas argumento est. Sed & Thaso suæ sunt vites, quæ Thasiæ nominantur. Sunt & Mareoticæ, quæ à palude suam appellationem sortiuntur. Aliæ deinde sunt quæ tantum pingui solo, aliæ quæ tantum gracili, & leui proueniunt. Psythia vtilis est, ex cuius fructu defrutum, aut passum fiat. Lagæa vinum procreat fortissimum, quo qui utuntur, ita inebriari solent, vt neque pes, neque lingua officium faciant. Aliquæ vites dicuntur purpureæ, aliquæ vero pretiæ. Item in agro Veronensi Rhetica, quæ vina vni Falerno posthabentur. Præterea sunt vites Amineæ, è quibus vina profluunt firmissima. Sunt item Lydiæ, & Chię & Argitis minor, quam nulla alia vel copia, vel vbertate, vel diuturnitate, & vetustate annorum facilè superauerit. Neque verò silentio prætereunda est vitis Rhodia, cuius vino secundæ mensæ in epulis hominum ac deorum honorari solent. Quibus omnibus postremo loco

A bumastum addimus, genus vitis acinosissimum, quæ ob fœcunditatem à Latinis bumamma, quasi bouis mamma appellatur. Multa præterea sunt genera vitium: quarum nec numerum, nec appellationes cum certa fide referre possumus: quippe quæ totidem ferè sunt, quot agri. Vna igitur, eademque opera arenas Lybici maris, quæ à ventis voluuntur, numerando volet comprehendere, qui omnia vitium genera, & nomina in promptu habere elaborabit. NEC PING. VNAM IN FACIEM NASC. OLIVÆ) Genera oliuarum, quomodo & vuarum, enumerat Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 20. Et Columella lib. 5. cap. 4. Olearum, sicut vitium, plura genera esse arbitror, sed in meam notitiam decem B modò peruenerunt. Pausia, algiana, liciniana, sergia, neuia, calminia, orchis, regia, circites, murtea. Ex quibus bacca iucundissima est pausiæ, speciosissima est regiæ, quæ potius escæ, quam oleo est idonea. Pausiæ tamen oleum saporis egregij, dum viride est: vetustate corrumpitur. Orchis quoque, & radius melius ad escam, quàm ad liquorem stringitur, &c. Pausiæ oleæ à pauiendo nomen factum volunt, quod non nisi pauiendo, id est, tundendo oleum emittat, vt ait Seruius: quod sanè ei commune est cum cæteris olearum generibus: seu quòd prius tundatur, quàm molæ subiicitur. Est autem oliua nigricans præ maturitate. POMAQ. ET ALCINOI SYLVÆ) De hortis Alcinoi Phæacum regis Homer. Odyss. lib. 2. C Apollon. Argonaut. lib. 4. Genera nobilium pomorum recenset Columella lib. 5. cap. 10. Præterea malorum genera exquirenda maximè scandiana, matiana, orbiculata, sextiana, pelusiana, amerina, syrica, melimela, cydonia, quorum genera tria sunt, struthia, chrysomeliana, mustea. Quæ omnia non solùm voluptatem, sed etiam salubritatem afferunt. NEC SVR. IDEM CRVSTVM.) Pyrorum genera in eodem capite. Curandum est, inquit, vt quàm generosissimis pyris pomaria conseramus. Ea sunt crustumina, regia, signina, tarentina, quæ syria dicuntur, purpurea, superba, ordeacea, aniciana, neuiana, fauoniana, lateritana, dolabelliana, turræniana, volema, mulsa, præcocia, venerea, & quædam alia, quorum

rum enumeratio nunc longa est. NON EADEM PENDET ARB.) Nunc vitium genera, varietatemq; persequetur. Ad quam intelligendam iuuabit legere, cui otium erit, Plin. lib. 14. cap. 1. & 3. Columellam lib. 3. cap. 2. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 19. Facere vindemiam Cato & Varro dicunt: colligere vindemiam Palladius. Qui vuas colligunt, vocantur vindemiatores, & leguli. Suus etiam huic versui locus erit inter adagia, cum volemus indicare nobis non esse pares cum alijs diuitias, ingeniū, honores, eruditionem, commoda, & horum denique similia. Iacob. Pont. QVAM METHYMNAEO) Ouid. 1. de arte. *Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.* Oppidum Lesbi insulæ Methymna. Sed & ipsi insulæ, & huic oppido vnde nomen inditum, docebit Diodorus lib. 5. cap. 16. Vinum Lesbium temporibus Aristotelis in præcipua commendatione fuit, per quod ille Theophrastum Lesbium sibi successorem, Menedemo Rhodio præterito callidè designauit, vt narratum est à Gellio lib. 13. cap. 5. Postquam enim vtriusque insulæ vinum afferri iussit, ac degustauit, de Rhodio dixit, firmum esse vinum, & iucundum: de Lesbio autem, [illegible]. Sic Alexis comicus, [illegible]. Iacob. Pontan. SVNT THASIAE VITES) Thasus insula Thraciæ adiacens, vnde [illegible] pro optimo, & [illegible]. Eam insulam celebrem fuisse vario deliciarum genere, vino, obsonio, muria, bellarijs, constat aliunde, & ex hoc Plutarchi [illegible], &c. vide German. SVNT ET MAREOTID. ALBAE) Mareoticum vinum scribit Athen. lib. 1 [illegible]. esse Alexandrinum, à Marea fonte, qui in Alexandria est, & ab vrbe ei fonti vicina eiusdem nominis appellatum: eamque vrbem fuisse olim maximam, nunc esse vicum. paucis verbis post, à Marone quodam vno ex ijs, qui cum Baccho militarunt, esse nominatum. Multas autem huius Mareotici vini laudes adducit idem Athenæus. Obseruauit Lamb. in Horat. * *Dixit Virgilius Thasias, & Mareotidas, & Lageas: compluresque externas, quæ in Italia non reperiuntur. Plin. lib. 14. cap. 3.* PINO. HAE TERRIS HAB.) Hæ, id est, Thasiæ desiderant terram pinguem. Illæ, id est, Mareoticæ leuem, solum macrum, seu mediocre. ET PASSO PSYTHIA) Passum est vinum è passis, & sole siccatis vuis factum, de quo Columella lib. 12. cap. 39. TENVISQVE LAGEOS) Lageon Seruius leporariam Latinè dici rectè putat: à leporis, vt opinor, colore, aut alopecis. Plin. lib. 14. cap. 3. Contrà damnantur etiam visu cinerea, & rabuscula, & asinisca, minus tamen caudas vulpium imitata alopecis. Vidi nuper quosdam, qui Lageam ex eod. Plinij capite Ægyptiam perperam interpretarentur. Scio Ptolemæum primum Ægypti regem Lago, vt putant quàmplurimi, patre genitum, vnde Lagea iuuentus, pro Ægyptia à Lucano lib. 10. nominatur. Brod. lib. 4. cap. 25. TENTATVRA PED. OLIM) Id est, tarde inebriatura, propter tenuitatem. Conuenit cum illo Terentij Eunuch. *Neq; pedes, neq; mens satis suum officium facit.* Plaut. Pseud. *pedes captat primùm, luctator dolosus est.* Anonymus in Venerem, & Bacchum, de ipso Baccho, seu vino. *Et tentat gressus, debilitatq; pedes.* Græcus Epigram. lib. 4.

[illegible Greek verse]

Propert. lib. 3 *multo mentem vincire Lyæo.* * *Teren. Eunuch. Temulenta es, &c. Vbi Donatus: ebria, à temeto, quo nomine antiqui vinum appellabant, eò quòd teneret mentem, id est, labefactaret: Subijcit hunc versum Virgilij.* PRECIAEQVE) Preciæ, inquit Plinius lib. 14. cap. 12. duo genera magnitudine acini discernuntur. Columella quoque preciam maiorem, & minorem nominat. QVO TE CARMINE DICAM RHETICA) Rheti vsque ad Italiam pertinent, supra Veronam & Comum. In radicibus montium, quos illi colunt, vinum Rheticum nascitur, quod laudatis Italiæ vinis non videtur cedere. Strabo libr. 4. De Rhetis, & Rhetia doctissimè, & exquisitissimè multa primo Antiquitatum Augustan. libro amicus noster summus, atque adeo Mæcenas, & huius reipub. ornamentum splendidissimum Marcus Velserus. Ibidem hæc de varia scriptura huius vocis. Inueniuntur enim Retia, Rhetia, Rœtia, Rhœtia, Ratia, & Rætia: ipse ex probatissimis nummis, & marmoribus Rætia cæteris præfert.

Non eodem modo explanant hæc Seneca & Plin. B Senecæ enim videtur poeta incertus laudandi, & vituperandi, cuius verba sunt, Natural. Quæst. lib. 1. cap. 11. His quod nomen imponimus? An facio quod Virgilius, qui dubitauit de nomine, deinde id, de quo dubitauerat de nomine, posuit? *Et quo te nomine dicam Rhetica?* Nihil ergo prohibet illas parelia vocari. Sed communis lectio est *carmine:* non quemadmodum Seneca legit, *nomine*, Non igitur dubitat poeta reuera: more autem laudantium locutus est. Plin. verò lib. 14. cap. 6. In Veronensi item Rhetica, Falernis tantum posthabita Virgilio. Vide Turneb. lib. 29. cap 26. NEC CELLIS IDEO CONTENDE FALER.) Seruius hunc in modum explanat. Licet sis à Catone laudata, tamen vino C te Campano præferre non debes. Cellis autem apothecis dicit. nam cellas vinarias dicimus. Et Falernus mons est Campaniæ, in quo optimum vinum nascitur. Sumptum est hoc a Varrone, inquit Vrsin. ex lib. 1. videlicet de re rust. Quod far conferatur Campano? quod triticum Appulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafro? * *Post Vinas Falernas, seu Vinum Falernum ideo primas datas Rhetico quidam arbitrantur, Vt Augusto blandiretur, quem illo maximè delectatum scripsit Suetonius. De Rh. Vini genere [illegible] quædam apud Strabonem. lib. 4. [illegible Greek]. Citat Vrsin. & similiter monet, scribendum cum diphthongo hoc verbum, Rhæticā non Rheticā, atq; auctoritate Strabonis confirmat. Quis putet cuidam hospiti suo, nemine Falerno in Campania Bac-* D *chum monstrasse hoc Vinigenum præmium hospitij, Silius lib. 7.*

Haud fas Bacche tuos tacitum transmittere honores,
Quamquam magna incepta vocant, memorabere sacri
Largitor laticis, grauida cui nectare vites
Nulli dant prelis nomen præferre Falernis, &c.

SVNT ET AMINEAE) Varia lectio. Quidam legunt, *sunt etiam Amminea vites.* Ego vtrumq; defendi video posse: hoc auctoritate Ausonij, qui scripsit, *solus qui Chium miscet, & Ammineum.* Illud Sereni, sic scribentis, *succus Aminea vitis cum pane medetur*, perspicuè defendit. Turneb. lib. 29. cap. 26. Hesychius. [illegible Greek]. Amineæ nomen est viuarum generosarum, quas E Grammatici tradunt amineas dici, quasi sine minio, id est, rubore, tanquam album sit id vinum. Macrob. vero censet ab Aminea regione nominari: fuerunt enim Aminei populi, vbi nunc Falernum est. Pronuncianda autem dictio hæc est penultima correpta, quod satis liquet ex illo Ausonij versiculo, quem adduximus, & legendum hoc Virgilij, *sunt etiam Aminea vites*, vt prima syllaba producatur. * *Ita Beroald. Annotat. in Columellam, quem secutus est Turneb. qui tamen geminat literam, m, quod nescio an Beroald. voluerit. Lege de vitibus Amineis Columell. cap. 9. lib. 3. Plin. lib. 14. cap. 2. Principatus datur amineis, propter firmitatem, senioq; proficientem vinis eius vbeq; vitam. Ibidem quinq; earum genera recensentur. Palladius lib. 3 tit 9. Sola Aminea vbicumque sint, vinum pulcherrimum reddunt.* FIRMISS. VINA) Vinum firmum vocat V. gil. consistens, & potēs, quod

que diu seruari potest, & in vigore persistere. Columell. vinum forte est generosum, & potens. Contrarium est, molle. Carol. Steph. in Vineto. TMOLVS ET ASSVRGIT) Tmolus etiam Tmelos dicitur, vino percelebris. Sic Lucillius vinum Chium, vt omnium præstantissimum, dynasten appellauit, *χῖος τε δυνάστης*, vt apparet in Seruij commentario, etsi corrupto. Et Maro honesta, præclaraq; translatione vsus est. Turneb. libr. 28. cap. 8. * *Per Tmolum montem Lydiæ, vinum Chium poeta intelligit. Vtrumq, genus assurgere Aminea: assurgimus enim quibus honorem habemus, quibusq; nos inferiores esse profitemur. Volumus.* ARGITISQ. MINOR) Argitis quæ vel à candore vuarum, vel à loco nomen trahit, quasi Argina, duplex est, maior & minor: minor præstat bonitate. Sed quanquam vini plurimum fundat, quodq; diutissimè duret, nondum est comparanda viti Amineæ. De hoc genere ita Isid. lib. 17. ca. 5. Argitis græcula vitis, generis albi, vastá materiam, & breue, & latum folium mittens, cuius fructú nisi primo tempore colligas, aut ad terram decidet, aut humore putrescet. NON EGO TE MENSIS, ET DIIS) *Sunt qui verbis transpositis ita legant versum.* Non ego te dijs, & mensis accepta secundis. *Prædicat enim vinum Rhodium, vt sacrificijs, & bellarijs idoneum. Vnas autem quæ secundis mensis inferuntur, cum Plauto escarias, cibarias appellabimus.*] Primas mensas excipiebant secundæ, & ipsæ aliquando in plures missus operis dulciarij, nec non lactarij dispertitæ, de quibus videndus Valer. Max. libr. 2. cap. 1. Gellius lib. 13. cap. 2. Macrob. lib. 3. Athenæus lib. C 14. Pindari testimonio probat, apud antiquos in vsu fuisse secundas mensas. Et Seruius in Virgilianum illud, *mensaq; remota*, duas, inquit, habebant mensas: vnam carnis, alteram pomorum. Cic. lib. 14. ad Attic. hæc scripsi apposita secunda mensa. Et ad Tironem, videor enim videre ementem te res rusticas, cum villico loquentem, in lacinia seruantem ex mensa secunda semina. Varro de re rust. lib. 3. cap. 16. Mel ad principia conuiuij, & ad secundam mensam administratur. Lamprid. in Alexand. pomis vehementer indulsit, ita vt secundæ mensæ illi sæpius ponerentur. Horat. Sat. 2. lib. 2. *tum pensilis vua secundas Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu.* Ouid. Metamorph. lib. 9. *totumq; tulit prædiuite cornu Autumnum, & mensas felicia poma secundas.* Martial. lib. 5.

Mensa munera, si voles, secunda
Marcentes tibi porrigentur vuæ,
Et nomen pyra quæ ferant Syrorum.

Hæc congessit libello de Triclinio Vrsinus. TVMIDVS BVMASTE RACEM.) *βούμαστος* Græcis genus vuæ crassioris, velut mammæ: quæ aliás bumamma, quasi di-

A cas, ingens mamma: particula siquidem *βου* in compositis, siue iunctis significatum auget. Sic *βούπεινα, βουλιμία*, magna fames, & similia. Varro lib. 2. de re rust. cap. 5. Noui, inquit ille, maiestatem boum, & ab his dici pleraq; magna, *βούπαις, βούλιμος, βοῶπιν* vuam quoque bumammam. Plin. lib. 14. cap. 1. tument mamarum modo bumasti. Iacob. Pontan. SED NEQVE QVAM MVLTÆ SPECIES) A Theophrasto lib. 2. de hist. plant. *Ἐν πλείοσι δὲ ὡς εἰπεῖν, διαφορὰ τὰ τῶν ἀμπέλων ἐστίν. ὅσα γὰρ καὶ γῆς εἴδη, τοσαῦτα τινές φασι καὶ ἀμπέλων εἶναι.* Et lib. 4. *περὶ αἰτιῶν. ὃ καὶ ἐπὶ τῶν ἀμπέλων λέγουσιν, ὡς ὅσα χώρας εἴδη, τοσαῦτα καὶ ἀμπέλων. τοῦτο ἀληθὲς ἔνδοξον.* Concluditur inductio longior, quòd infinita sint vitium genera, idque B hyperbolico pari illustratur. Columell. lib. 3. cap. 2. Multa præterea sunt genera vitium, quarum nec numerum, nec appellationes cum certa fide referre possumus: vbi citantur hi versus Maronis. Plin. lib. 14. cap. 12. Genera vitium numero comprehendi posse vnus existimauit Democritus, cúcta sibi Græciæ cognita professus. Cæteri innumera, atque infinita esse prodiderunt, quod verius apparebit ex vinis. Nec omnia dicentur, sed maximè insignia: quippe quæ totidem pænè sint, quot agri. Idem cap. 11. genera vini nobilia facit octoginta, & ex hoc numero duas partes esse Italiæ. QVAM MVLTÆ ZEPH. TVRB. ARENÆ) Arenæ nomen vim quandam rerum infinitam videtur significare. Catull.

Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpitiferis iacet Cyrenis.
Rursum.
Ille puluis Erythrei,
Siderumq; micantium
Subducat numerum prius.

Callimachus innumerabiles copias *στρατὸν ψαμάθῳ ἴσον* in hymno Dianæ dixit. In Menipeis Varro apud Macrob. sæpe pro ingenti multitudine arenam, & *ψαμμόσια* extulisse dicitur.

Græci *παροιμιακῶς ἄμμον μετρεῖς, κύματα μετρεῖς*, significatione laboris infiniti, conatusq; irriti. Nominat autem Maro præ cęteris Libycum mare, cuius etiam alibi littus arenosum fecit, quod in eo maxima est arenę D copia, propter syrtes. VIOLENTIOR INCIDIT EVR.) Imitatio ne Homeri. Odyss. ε. *Σὺν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσον, Ζέφυρός τε δυσαής.* Catull. de Faselo, *siue vtrumq; Iupiter Simul secundus incidisset in pedem.* Cic. in Arateis. *Aut grauis inciderit vehementi flamine ventus.* Bersman. QVOT VEN. AD LIT. FLV.) ex Theocrito.

Ἀλλ' ἴσος μὲν ὁ μόχθος ἐπ' αἰόνι κύματα μετρεῖν,
Ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ.

NEC VERO TERRÆ FERRE OMNES OMNIA POSSVNT.
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni:
Littora myrtetis lætissima: denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem, & frigora taxi.
Aspice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasq; domos Arabum, pictosque Gelonos:
Diuisæ arboribus patriæ: sola India nigrum
Fert ebenum, solis est thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, & baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?

Velle-

Velleraq; vt folijs depectant tenuia Seres?
Aut quos oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis? vbi aëra vincere summum
Arboris haud vllæ iactu potuere sagittæ.
Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.
Media fert tristes succos, tardumq; saporem
Felicis mali: quo non præsentius vllum
(Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,
Miscueruntq; herbas, & non innoxia verba)
Auxilium venit, ac membris agit atra venena,
Ipsa ingens arbos, faciemq; simillima lauro:
Et, si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labentia ventis:
Flos apprimà tenax: animas, & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

NEC VERO TERRÆ) Ouid.

Nec tellus eadem parit omnia: vitibus illa
Conuenit, hæc oleis, hic bene farra virent.

Lucret. lib. 1.

Nec fructus iidem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur, ferre omnes omnia possent.

Et sæpe γῆν φέρουσαν Plato. Lib. 1. super illo, *Et quid quæq; ferat regio, & quid quæq; recuset*, multa scripsimus, quæ huc etiam pertinent. Et est hæc tertia libri pars, in qua quid quibusq; locis proueniat, nos docet, quod ad arbores attinet: quas tertiò distribuit, secundum soli, & regionis discrimen. Est siquidem quoddam fluuiatile, aliud palustre, aliud montanum, aliud maritimum, aliud collinum, aliud campestre, aliud calidum, aliud frigidum, prout huic, aut illi plagæ cæli subiectum fuerit. Postea in laudes Italiæ se effundit. Si ergo vna regio sibi arbores naturaliter insitas, non in quibuscunq; locis, sed distinctis, & certis profert: multò magis vna prouincia, vel regio non potest vniuersas arbores diuersi generis continere, ait Seruius. Quibus autem terris quæ species arborum fælicius veniant, docebit Varro lib. 1. cap. 7. Et Plin. lib. 16. cap. 18, quæ arbores diligant montes: quæ montes & valles: quæ plana: quæ oderint, quæ ament aquas. De myrto idem affirmat cum Marone Martial. lib. 4. *Nec plus lotos aquas: littora myrtus amat.* Et campi largius vinum, colles nobilius ferunt, inquit Pallad. lib. 1. tit. 6. Sententiam porrò hanc, *Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt*, ex mente Virgilij ad totam ruris disciplinam referendam censet Columell. lib. 7. cap. 2. eamque ad aues emendas tuendasq; ibidem accommodat. Iacob. Pont. ASPICE ET EXT. DOM.) Per transitum maiestas, & amplitudo imperij Romani innuitur, & Augustus obliquè laudatur, qui eius fines tam latè protulerit, de quo lib. 6. Æneid. *super & Garamantas, & Indos Proferet imperium.* Bersman. EXTREMIS CVL.) vnà cum incolis vltimis, habitantibus extremas orbis terrarum plagas. Idem. EOASQ. DOM. ARAB. PIC. GELON.) Nonnullis arboribus suæ quædam propriæ sunt, & peculiares terræ, in quibus solis nascuntur: vt quæ in extremis Orientis regionibus, India, & Arabia: aut Septentrionalibus, vt apud Gelonos Scythiæ populos prouenire dicuntur. Hebenum nulla regio profert, præter Indiam. Neque thuriferæ arbores vsquam conspiciuntur, præterquam apud Adramitas, medio Sabæorum pago in Arabia. Gelonos, inquit Turneb. lib. 29. cap. 26. populos Scythiæ o-

A mnes agnoscunt, & scribunt Geographi. Vibius Sequester populos Thraciæ exponit, ita enim scribit. Geloni Thraciæ populi, picti corporis parte, nisi quis nomen Thraciæ, vt mendosum suspectat. De Gelonis iterum noster, Georg. 4.

———acerq; Gelonus
Cum fugit in Rhodopen, atq; in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Seruius *picti* interpretatur stigmata habentes. Sic Claudian. 1. in Rufin. *Membraq; qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.* SOLA IND. FERT EBEN.) De ebeno sic Plin. lib. 12. cap. 4. Vnam è peculiaribus Indiæ Virgilius celebrauit ebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodo-
B tus eam Æthiopiæ intelligi maluit, in tributi vicem regibus Persidis è materie eius centenas phalangas tertio quoque anno pensitasse Æthiopas, cum auro & ebore prodendo.

Laudatiunculam Indiæ libitum est huc adscribere, ex Diodori lib. 2. cap. 5. Est India præ cæteris pulchritudine excellens, ac multis quæ illam rigent fluminibus distincta, bisq; fructus annuatim ferens. Adeo autem omnibus exuberat ad victum necessarijs, vt semper affatim incolis fructum præbeat. Dicitur, nunquam in ea sterilitatem esse, aut fructuum vastitatem. Est & incredibilis elephantorum numerus, qui virtute & robore corporis multò Libycis præstant. similiter auri, ar-
C genti, ferri, æris, lapidum præterea pretiosorum, cæterarumq; rerum quæ ad delicias, atque opes spectant, summa copia: quæ singula nota Semiramidi, ad bellum eius animum impulere. Copiosius eadē India describitur cum moribus, & institutis suis cap. 10. ODORATO SVDANTIA LIGNO BALSAM.) Balsamum arbuscula est, vni Iudææ concessa, quam Vespasianorum triumphus Romæ ostendit, vt ante Pompei triumphus ebenum. Succus manat è plaga incisuræ: quem opobalsamum vocant. Colligitur lanis in parua cornua. Surculus xylobalsamum dicitur. Præcipua autem gratia lacrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno.
D Plin. lib. 12. cap. 25. Theophrastus. lib. 3. hist. plant. ἄκανθον arborem esse tradit in Ægypto nascentem, sic dictam, quia spinis plena est. Plura Bersman. VELLERA DEPECTANT TEN. SERES?) Coæ vestes differunt à bombycinis, & hæ à sericis. Bombyx est vermiculus Hispaniæ, Galliæ, Italiæ notissimus, setam texens. Seres autem populi sunt, lanificio syluarum nobiles, quod

Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Inuertêre, ſatis immanis dentibus hydri:
Nec galeis, denſiſq; virûm ſeges horruit haſtis:
Sed grauidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Impleuere: tenent oleæq;, armentaq; læta.
Hinc bellator equus campo ſe ſe arduus infert:
Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.
Hîc ver aſſiduum, atq; alienis menſibus æſtas:
Bis grauidæ pecudes, bis pomis vtilis arbos.
At rabidæ tigres abſunt, & ſæua leonum
Semina: nec miſeros fallunt aconita legentes:
Nec rapit immenſos orbes per humum, neq; tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.

Hinc exorditur laudes Italiæ, quam bonis omnibus abundantem, & malis carentem vniuerſis prædicat. Ita duo ſunt capita, ad quæ tota hæc laudatio luculentiſſima reuocari poteſt. Eiuſdem præconium ex aliquot primæ notæ ſcriptoribus ſubtexemus, per quod poetæ dicta non mediocriter, opinor, & illuſtrabimus, & confirmabimus.

Varro lib. 1. de re ruſt. cap. 2. Cum conſediſſemus, Agraſius, Vos qui multas perambulaſtis terras, ecquam cultiorem Italia vidiſtis? inquit. Ego verò, inquit Agrius, nullam arbitror eſſe, quæ tam tota ſit culta. Primùm cùm orbis terræ diuiſus ſit in duas partes ab Eratoſthene, maximè ſecundum naturam ad meridiem verſus, & ad Septentrionem. Et ſine dubio, quoniam ſalubrior pars ſeptentrionalis eſt, quàm meridiana: & quæ ſalubrior, illa fructuoſior, magis Europam fuiſſe opportunam ad colendum, quàm Aſiam, ibique Italiam. Primùm quòd ſit in Europa. Secundò, quòd hæc temperatior pars eſt quàm interior. Nam intus penè ſempiternæ hyemes, &c. Paulò infrà. Contrà, quid in Italia vtenſile non modò non naſcitur, ſed etiam non egregium fit? Quod far conferam Campano? Quod triticum Appulo? Quod vinum Falerno? Quod oleum Venafro? Non arboribus conſita Italia eſt, vt tota pomarium videatur? An Phrygia magis vitibus cooperta, quam Homerus appellat ἀμπελόεσσαν, quàm hæc? Aut Argos, quod idem poeta πολύπυρον, in qua terra iugerum vnum denos & quinos culleos fert vini? Quot quædam in Italia regiones? &c.

Plin. copioſè lib. 3. cap. 5. in hæc verba. Nec ignoro, ingrati ac ſegnis animi exiſtimari meritò, ſi breuiter atq; in tranſcurſu ad hunc modum dicatur, terra, omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine deûm electa, quæ cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritusq; molliret: & tot populorum diſcordes, ferasq; linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breuiterq; vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? Tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit: tanta ſingularum rerum populorumq; claritas tenet. Vrbs Roma vel ſola in ea, & digna tam feſta ceruice facies, quo tandem narrari debet opere? Qualiter Campaniæ ora per ſe, felixq; illa, ac beata amœnitas? vt palam ſit, vno in loco gaudentis opus eſſe naturæ. Iam vero tota ea vitalis, ac perennis ſalubritas cæli temperies eſt, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxij ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſyluarum genera, tot montium afflatus! tanta frugum, & vitium, olearumq; fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium, fontiumq; vbertas, totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumq; terrarum commercio patens vndiq;: & tanquam ad iuuandos mortales ipſa auide in mare procurrens. Neq; ingenia, ritusq; ac viros, & A *lingua, manuq; ſuperatas commemoro gentes. Ipſi de ea iudicauere Græci, genus in gloriam ſuam effuſiſſimum, quotam partem ex ea appellando Græciam magnam. Nimirum id, quod in mentione cæli fecimus, hac quoq; in parte faciendum eſt, vt quaſdam notas, ac pauca ſidera attingamus. Iterum lib. 37. cap. 13. Ergo in toto orbe, & quacunq; cæli conuexitas vergit, pulcherrima eſt omnium, rebusq; meritò principatum naturæ obtinens Italia, rectrix, parensq; mundi altera, viris, fœminis, ducibus, militibus, ſeruitiis, artium præſtantia, ingeniorum claritatibus, ſitu atq; ſalubritate cæli, atq; temperie, acceſſu cunctarum gentium facili, littoribus portuoſis, benigno ventorum afflatu: etenim contingit recurrentis poſitio in partem vtiliſſimam, & in-* B *ter ortus, occaſusq; mediam, aquarum copia, nemorum ſalubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, ſoli fertilitate, pabuli vbertate. Quidquid eſt, quo carere vita non debet, nuſquam eſt præſtantius. Fruges, vinum, olea, vellera, lina, veſtes, iuuenci. Nec equos quidem in trigariis præferri vllos vernaculis animaduerto. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quàm diu libuit exercere, nullis ceſſit. Gemina Plinianis ſcribuntur à Solino cap. 8.*

Vitruuius lib. 6. cap. 1. Cùm ergo ab natura rerum hęc ſint in mundo collocata, vt omnes nationes immoderatis mixtionibus ſint diſparatæ, placuit vt inter ſpacia totius orbis terrarum, regionumq; medio mundi populus Romanus poſſideret fines. Namq; temperatiſſimæ ad vtramque partem, & corporum membris, animorumque vigoribus, pro fortitudine ſunt in Italia gentes. Quemadmodum enim Iouis ſtella inter Martis feruentiſſimam, & Satur- C ni frigidiſſimam media currens temperatur, eadem ratione Italia inter ſeptentrionalem, meridianamque ab vtraq; parte mixtionibus temperatas, & inuictas habet laudes. Itaque conſiliis refringit barbarorum vires, forti manu meridianorum cogitationes. Ita diuina mens ciuitatem populi Romani egregia, temperataque regione collocauit, vti orbis terrarum imperio potiretur.

Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 1. Antiq. Rom. Quod ſi quis bonitatem regionis velit exquirere, ex qua humanum genus plurima ad vitæ hilaritatem facietia mox à ſuis initiis perceperit, ſiue ex terra, vt antiquorum habet opinio, ſiue aliunde ea fuere: non facile aliã inueniat, magis ad hoc idoneam. Si enim vnam terram conferas ad aliam magni- D *tudine parem, non ſolùm in Europa, verùm etiam in toto orbe, optima meo iudicio eſt Italia. Quamquam non me latet, quòd multis incredibilia videbor dicere, cogitantibus Ægyptum, & Africam, ac Babyloniam, & ſi quarum aliarum celebrata eſt felicitas. At ego terra opes non æſtimo ex vna aliqua fructus ſpecie: nec me ſubit deſiderium habitandi, vbi arua tantum ſint pinguia, aliarum verò*

rerum ad vitam vtilium aut nulla, aut admodum parua copia: sed quæ sibi ipsi maximè sufficit, aduectitijsq; bonis plerumq; quam minimum indiget, eam puto optimam. Hanc verò omnigenam fertilitatem & copiam, si cui alij terræ, Italiæ concessam arbitror. Non enim arua modò bona habet caret autem arboribus, vt frumentifera: neq; plantis modò quibuslibet alendis est idonea, sed inutilis segetibus, vt arbusti agri: neq; largiter quidem hæc vtraq; suppeditat, sed parum apta est alendo pecori: neq; dixerit quis eam abundare quidem frugibus ac pascuis, sed ad degendam vitam esse ingratam hominibus: sed est referta omnibus, vt breuiter eloquar, voluptatibus & commodis. Cui enim frumentifera cedunt rura Campana, non fluuiis, sed aquis rigata cælestibus? in quibus campis ego vidi arua vel trifera, æstiuā post hybernam, & autumnalem post æstiuam sementem enutrientia. Cui olinifera Mesapiorum, Dauniorum, Sabinorum, aliorumq; multorum cultura? Cui vitifera Etruria, & Albanus, ac Falernus ager, mirum in modum amici vitibus, & modico labori vberrimos reddentes fructus atq; optimos? Præter eam autem quæ colitur, multum terræ inuenias patere ouium, multum caprarum gregibus: plus etiam, & præstantius armentis equorum, & boum. Palustris enim, & pratensis herba, copiosa illa, cultiuaq; terræ irrigua, & roscida, immensum quantum æstate compascua, omni tempore vegetam præbet gregum copiam. Sed saltus inprimis admiratione digni sunt, circa prærupta & nemorosa loca, tumulosq; culturæ parum idoneos: ex quibus multam, & pulchram fabricandis nauibus, multam etiam aliis operibus aptam petunt materiem. Atq; horum nihil est vel paratu difficile, vel longè ab humanis vsibus remotum: sed omnia & confici facile, & facile conuehi possunt, propter fluuiorum frequentiam, qui vniuersam oram permeant, & magnam commoditatem importandis ac permutandis, quas terra fert, rebus, afferunt. Eadem terra habet aquarum calidarum multis in locis scaturigines, iucundissima exhibentes lauacra, morbisq; inueteratis sanandis vtilissima: metalla omnis generis, ferarum venationes luculentas, maritimosq; prouentus varios: & innumera alia vel vtilitati seruientia, vel delectantia miraculo. Sed omnium pulcherrima est aëris moderata, vt anni tempus fert, temperies, qualis nec nimio gelu, nec immenso æstu fruges lædat, aut animantia, &c. Adde Columell lib. 3. cap. 8. His tamen exemplis nimirum admonemur, curæ mortalium obsequentissimam esse Italiam, quæ penè totius orbis fruges, adhibito studio colonorum ferre didicerit.

Vide item si lubet Florum lib. 1. cap. 16. Melam lib. 2. cap. 4. Strabonem lib. 5. qui eam compendio quodam eximiè tollit, in extremo libro ab his verbis, πολλὰ δ' εἰρηκότες τὰ μέγιστα ὑπομνηματίσωμεν, ὑφ' ὧν τοῦ εἰς τοσοῦτον, &c. Lege insuper Propert. eleg. 21. lib. 3. de laudibus Italiæ, & vrbis Romæ, vbi inter cætera quàm magnificè prædicat?

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hîc posuit, quidquid vbiq; fuit.
Armis apta magis tellus, quàm commoda noxæ.
Famam Roma tuæ non pudet historiæ.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat ira manus.

MEDORVM SYLVÆ) Arbores Medorum, propter malum Medicam, quam hactenus descripsit: nec enim, teste Plinio, alia arbor laudatur in Medis. NEC PVLCH. GANGES) Ganges Indiam diuidit, Indiaque intra, & extra Gangem dicitur: vbi minimus, 7. millia passuum latus: vbi modicus, stadia centum. Plin. lib. 6. cap. 18. Vnde pulcher modò dicitur, vel potius, quia gemmifer, vt idem lib. 37. cap. 13. vel aurifer, vt idem lib. 33. cap. 4. ATQVE AVRO TVRBIDVS HERMVS) Auriferos fluuios enumerat Plin. lib. 33. cap. 4. Tagum Hispaniæ, Padum

A Italiæ, Hebrum Thraciæ, Pactolum Asiæ, Gangem Indiæ. Nec vllum, inquit, absolutius aurum est, cursu ipso trituq; perpolitum. Aiunt & in Bactris Ozum fluuium glebulas auri plurimas ferre, similiter & in Theodoronte, circa littora ebullire aurum, & aluco quoque deferri. Vide etiam Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 28. cum Tiraquell. NON BACTRA) Bactra Scythiæ prouincia est, vltra Assyriam, à flumine Bactro cognominata, cuius incolæ sunt Bactriani, vltra Tanaim habitantes. Bactrianam fertilitatem prædicat Strabo lib. 2. & 11. Plin. lib. 18. cap. 7. Tradunt, inquit, in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, vt singula spicas nostras æquent. PANCHAIA THVRIF.) *Arnob. lib. 7. Nam si honoramus hoc numina, nec indignè sustinent Panchaeas sibi ardere resinulas.*]
B Tibull. lib. 3. eleg. 2. *Illic quas mittit diues Panchaia merces.* Lucret. lib. 2. *Araq; Panachæos, exhalat propter odores.* 4. Georg. *Panchais adolescunt ignibus aræ.* Ouid. 10. Metamorph.

Cinnamaq;, costumq; suum, sudataq; ligno
Thura ferat, floresq; alios Panchaia tellus.

Bersman. HÆC LOCA NON TAVRI) Cum hoc loco poteris conferre illum Horatij ex Ode 19. Epod. vbi insulas fortunatas describit. *Non huc Argoo contendit remige pinus*, &c. TAVRI SPIRANT. NAR. IGNEM) *Fabulam pete ex Ouid. Metam. lib. 5. Integrum penè carmen mutuatum est è lib. 5. Lucretij.* Et Diomedis equi spirantes naribus ignem.] Diodorus Siculus libr. 4. memoriæ prodidit, hos regis
C Æetæ custodes fuisse, ex Taurica adductos, quos Colchi ob immane corporis robur, animique ferociam, tauros appellauerint. Argumentum à tuto, quasi dicat, Italia nō est monstrorum, aut venenatarum bestiarum ferax, quibus aliæ abundant regiones. Bersman. SED GRAVIDÆ FRVGES, ET BACCHI) Copiam rei frumentariæ, viniique vbertatem in Italia laudat. Plin. lib. 3. ca. 5. Ab hoc sinu incipiunt colles, & temulentia nobilis succo per omnes terras inclyto, atque (vt veteres dixere) summum Liberi patris cum Cerere certamen. Hinc Setini, & Cæcubi obtenduntur agri. His iunguntur Falerni, Caleni. Dein consurgunt Massici, Gaurani, Surrentiniq; montes, &c. Florus, Omnium, inquit, non modò Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est.
D Nihil mollius cælo: deniq; bis floribus vernat. Nihil vberius solo: ideo Liberi, Cererisq; certamen dicitur. Et paulò pòst. Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuuius, Ætnæi ignis imitator. Vitium principatus, inquit Plin. lib. 14. procemio, in tantum peculiaris Italiæ est, vt vel hoc vno omnia gentium vicisse, quanquam odorifera, possit videri bona: quanquam vbicunque pubescentium odori nulla suauitas præfertur. BACCHI MASS. HVMOR) Nō vno loco hoc vini genus commendat Horat. Ode 1. lib. 1. *Est qui nec veteris pocula Massici Spernit.* Ode 21. lib. 2. *Quocunque lectum nomine Massicum.* Satyr. 4. lib. 2. *Massica si cælo supponas vina sereno.* ARMENTAQ. LÆ-
E TA) Festus tradit, Italiam dictam, quòd magnos italos, hoc est, boues habeat, vituli enim itali sunt dicti. HINC BELLATOR EQVVS) Bellator equus Xenophonti est πολεμιστήριος, ad vsus bellicos idoneus, Plutarcho πολεμικός. Æneid. 3. *bello armantur equi.* ARDVVS) ardua ceruice, qui Græcis ὑψαύχην, Homero ἐριαύχην. Georg. 3. *illi ardua ceruix.* HINC ALBI CLIT. GREG.) Hęc apostrophe est, non tam ad fluuium, quàm ad fluminis deum, qui Iupiter Clitumnus dicebatur: sequitur enim, *sæpe tuo perfusi flumine sacro.* Vibius Sequester: Clitumnus Vmbriæ, vbi Iupiter eodem nomine est. Plin. epist. 8. lib. 8. Adiacet templum priscum, & religiosum. Stat Clitumnus ipse amictus, ornatusque prætexta, præsens numen, atque etiam fatidicum: indicant sortes. Turneb. lib.

lib. 29. cap. 26. * *Aqua Clitumni fluminis, quæ pene greges albescebant, vt refert Plin. lib. 2. cap. 103. reducit mihi in memoriam quosdam fontes, vbi miracula fierent. Inter eos Salmacidis, cuius aquam molles redderet, & impudicos. Quod refellit Vitruuius lib. 2. cap. 8. & caussam figmenti allegoricam proponit. Sed verba Isidori addam ex cap. 13. lib. Orig. 12. Iuxta Romam Albula aqua vulneribus medentur. In Italia fons Cicer oculorum vulnera curat. In Æthiopia lacus est, quo perfusa corpora velut oleo nitescunt. Zama fons in Africa canoras voces facit. Ex Clitorio lacu Italia qui biberint, vini tædium habent. (caueant ergo inde bibere, quibus chara sunt pocula.) In Chio insula fontem esse dicunt, quo hebetes fiunt. Turcelo quem si lubet lege, & crede quæ vis.* TVO PERFVSI FLVM. SACRO) Flumen sacrum appellat, quod sacrum esset ad pontem vsque, vt Plinius refert, adeo, vt in eo nauigare liceret, non tamen natare. Turneb. ibidem. * *Addamus sanè distichon Propertij e lib. 2. eleg. 19.*

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
 Integit, & niueos abluit vnda boues.

Claudian. de 6. consulat. Honor.

Quin & Clitumni sacras victoribus vndas,
Candida quæ Latijs præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit.

De tauris ad Clitumnum pastis, & victimis ijsdem maximis, Iuuenal. Sat. 12.

Pinguior Hispulla traheretur taurus, & ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & à grandi ceruix ferienda ministro.

Meminit item Silius lib. 4. et patulis Clitumnus in aruis Candentes gelido perfundit flumine tauros. HIC VER ASSIDVVM) Alia laudatio, à perenni cæli temperie, quam veris assidui, & æstatis alienis mensibus mentione indicat, ἑτέρῳ quodam τῆς μετοπωρίας. Habet autem & Italia, sicut aliæ regiones, annum in 4. tempora tributum: ve-

A runtamen, propter cæli clementiam videtur quasi perpetuum ver agere. Bersman. ALIENIS MENSIBVS) non consuetis. Lucret. *Incerto spacio, atq; alienis partibus anni.* BIS GRAVIDÆ PECVDES) A fertilitate pecorum. Homerus Odyss. δ. τρὶς γὰρ τίκτει μῆλα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτόν. Ab arborum denique felicitate, quas biferas dicit. AT RABIDÆ TIGRES ABSVNT) Non sunt feræ animantes in Italia, quales in Hyrcania tigres, & in Africa leones. ET SÆVA LEON. SEM.) Quinq; catulos leæna parit, ac per annos singulos vno minus. At quamuis sæuissimum sit animal leo, solus tamen preces audire, & intelligere existimatur, & ideo prostratis parcere: & vbi sæuit, in viros prius quam in fœminas fremit:
B in infantes, non nisi magna fame. Plin. lib. 8. cap. 16. NEC FALLVNT ACONIT.) Nomine aconiti omne genus herbæ venenatæ indicatur. Sed non fallunt legentes sua specie in Italia, sunt enim notæ omnibus. Sic Ouid. eo nomine omne genus veneni intellexit. 1. Metamorph. *Lurida terribiles miscent aconita nouercæ.* NEC RAPIT IMMENSOS ORBES) Propert. lib. 3. eleg. 21.

At non squamoso labuntur ventre cerastæ,
Itala portentis nec fluit vnda nouis.

Non negat Virgilius, extare in Italia serpentes, sed non esse ait tantæ magnitudinis, quantæ in Ægypto, vel In-
C dia, vbi in tantam feruntur crescere vastitatem, vt solidos hauriant tauros, ceruosq;. Vide Plin. lib. 8. cap. 14. Idem lib. 31. cap. 2. ex Iuba refert, in Troglodytis lacum esse scatentem albis serpentibus vicenûm cubitorum. Bersman.

Adde tot egregias vrbes, operumq; laborem:
Tot congesta manu præruptis oppida saxis:
Fluminaq; antiquos subterlabentia muros.
An mare, quod suprà, memorem, quodq; alluit infrà?
An ne lacus tantos, te Lari maxime, teq;
Fluctibus, & fremitu assurgens Benace marino?
An memorem portus, Lucrinoq; addita claustra,
Atq; indignatum magnis stridoribus æquor,
Iulia quà ponto longè sonat vnda refuso,
Tyrrhenusq; fretis immittitur æstus Auernis?
Hæc eadem argenti riuos, ærisq; metalla
Ostendit venis, atq; auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virûm, Marsos, pubemq; Sabellam,
Assuetumq; malo Ligurem, Volscosq; verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosq; Camillos:
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar,
Qui nunc extremis Asiæ iam victor in oris
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum.
Salue magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virûm: tibi res antiquæ laudis, & artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes:
Ascræumq; cano Romana per oppida carmen.

TOT VRBES EG. TOT OPP.) Vnde vrbis nomen ducetur, tradidimus lib. 5. Æneid. ibi. *Interea Æneas vrbem designat aratro.* OPERVMQ. LABO.) Quæ sunt in muris & mœnibus vrbium, aliisque ædificiis ac templis, ait Seruius. Ego de magnificis monumentis, vt theatris,
D amphitheatris, circis, templis, ac iis stratis, sepulchris, palatiis, &c. accipiendum sentio. Iacob. Pont. PRÆRVP. OPPIDA SAXIS) Oppidum, inquit Caius de verbor. signif. ab ope dicitur, quòd eius rei caussa mœnia sint constituta. Alciat. ibid. Oppidum videtur mihi id esse, quod

tanquam

tanquam propugnaculum aduersus hostes constructum est, & mœnibus vallatum: id enim etymologia arguit, cum dicatur ab ope, id est, auxilio, quod eius caussa factum sit: vnde vt plurimum condebantur oppida, vt etiam natura loci tuta essent. Deinde hunc locum Virgilij producit. Sunt tamen qui oppidum dictum existimant, quod eò priuati opes suas conferant: sed verior est Caij sententia. Obserua nomen oppidum etiam de non paruis vrbibus solere dici. Seruius Sulpitius ad Ciceronem, epistola, Posteaquam mihi renunciatum est, &c. Athenas, Margaram, Corinthum vocat oppida. Ennius Medea. *Asia, atq; Athenas aliquando opulentum oppidum contempla.* Iacob. Pont. FLVMINAQVE ANTIQVOS) Plin. lib. 3. cap. 5. Tot lacus, tot amnium, fontiumq; vbertas, totam eam perfundens. Aquæductus hic significari quidam putant. AN MARE QVOD SVPRA) Mare superum, Adriaticum vocatur, quia à septentrione Italiam attingit: sicut Tyrrhenum à meridie, quod idcirco nuncupatur inferum. Plin. Tot maria, portus, gremiumq; terrarum commercio patens vndique, & tanquam ad iuuandos mortales ipsa auidè in maria procurrens. ANNE LAC. TAN.) Habet & lacus complures, magnosq; Italia, inter quos præcipui Verbanus, Larius, Benacus. Larius Cisalpinæ Galliæ, prope Comum oppidum: Benacus similiter, prope oppidum Brixiam. AN MEM. PORTVS Plin. Quid portus cunctarum gentium accessu faciles? Vnus Iulius sufficit portus, vnde laus portuosorum littorum abundè cognosci possit. Hunc enim Augustus Cæsar, immisso in Lucrinum, & Auernum lacum mari, opera vicies mille seruorum, quos manu miserat, & ad remum dederat, nuper admodum effecit. * *Meminit huius portus Horat. ad Pison.*

Debemur morti nos nostraq; siue receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet.

ARGENTI RI. Æ. M. OST. VEN.) Dubitandum haud est, quin ad Lucretij versus respexerit, qui leguntur in 5.

Manabat venis feruentibus in loca terræ
Concaua, conueniens argenti riuus, & auri.

Metallum dicitur ἀπὸ τοῦ μεταλλᾶν, quòd natura eius ea sit, vt vbi vna vena apparuerit, ibi spes sit alterius inquirendæ. Isid. lib. 16. ca. 16. Venas intellige meatus terræ occultos. FLVXIT AVRO PL.) Incensis nimirum syluis à pastoribus, ac terra concalefacta. Arist. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. φανερῶς ἀργυρίῳ ῥεῦσαι. HÆC GENVS ACRE VIRVM) Tandem Italiam celebrat ab incolarum præstantia, & generositate, quam in totis nationibus, & in singulis familiis conspicuam esse ait. Inter nationes autem bellicosas memorantur Sabelli, Marsi, Ligures, & Volsci. Familias illustres nominat Deciorum, Mariorum, Camillorum, Scipionum. Bersm. ASSVETVMQ. MALO LIGVREM) Credibile est intellexisse, assuetum à teneris malo, id est, εἰθισμένον τῇ κακοπαθείᾳ, siue εἰθισμένον κακοπαθεῖν, aut κακοπαθοῦντα ζῆν. Quandoquidem à teneris assuescere multum est, vt ait ipse. Sunt, inquit German. qui κακόν interpretantur *assuetum malo*, non, labori, vt Seruius, sed κακίᾳ exponentes, ducti coniectura loci Æneid.

Vane Ligur, frustraq; animis elate superbis,
Nequidquam patrias tentasti lubricus artes.

Virgiliumque vel priuata offensa, vel vitio gentis, Liguribus non satis propitium fuisse. Malum tamen est in eadem significatione, qua κακὸν, & κακότης, quorum vtrumque sæpe laborem, & ærumnam significat, vt apud Homerum ἀναπνεῦσαι κακότητος, à malis & calamitate respirare. Nec satis videretur cauillum in Ligures hoc loco laudibus Italiæ institutis conuenire. VOLSCOS VERVTOS) Equidem sic dici crediderim, ait Turneb. lib. 30. cap. 27. quod milites veru armati essent. Vt enim telum quoddam, & ferramentum verutum dicitur, quod veru habeat: sic & homo, qui veru armatus est, verutus dicitur: vt cinctutus, cinctu vestitus. SCIP. DVROS BELLO) Scipiones intelligit, vtrumq; Africanum, de quibus & in 6. *geminos duo fulmina belli Scipiadas.* Duros bello, vel bello obduratos, vel hostibus bello duros, ac formidabiles. * *Interrogatus forte Pescennius Niger Imp. quid de Scipionibus sentiret, respondit magis felices fuisse, quam fortes. Spartian.* ET TE MAX. CÆS.) Augustum deniq; fortissimis viris accenset, & in eo nimiú blanditur, quòd eius arma vsq; ad Indos perducit, quò non peruenerunt. Quamquam toto orbe pacato, legatio Indorum Romam ad eum venerit. Bersman. IMBELLEM INDVM) Notare voluit populos Asiaticos, vt ignauos, & delicatos. ROM. ARCIB.) Romanas arces Romani imperij vrbes, vel ipsum Rom. imperium.

Capita igitur huius Virgilianæ laudationis, & excellentiæ regionis Italicæ, si aduertas, sunt septem omnino. I. à vacuitate prodigiosarum pecudum, draconum, &c: contrà, à frugibus, vitibus, pecudibus nobilibus. II. à perpetua cæli temperie. III. à vacuitate ferorum animalium. IV. ab vrbibus multis ac magnis. V. à fluminibus, maribus supero, & infero, lacubus. VI. à fodinis metallicis. VII. à populis generosis, clarisque ducibus. Quæ quidem capita omnia comprehendit etiam encomio suo Plinius suprà à nobis allato, si conferas. SALVE SATVR. TELLVS) Saturnia dicta Italia à Saturno, qui ibidem regnauit. Vide lib. 8. Sollemnis omnium poetarum locus est, postquam aliquid, siue rem, siue personam laudauerunt, ex affectu quodam & admiratione in eiusdem salutationem erumpere. Salij in 8. vbi laudes Herculis cantu prosecuti sunt, *Salue vera Iouis proles, decus addite diuis.* Catull. narrato quemadmodum in Argo naui lecti iuuenes, Argiuæ robora pubis illam auratam pellem apud Colchos petituri, sese marinis fluctibus commisissent, subijcit ita.

O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroes saluete, deûm genus, ô bona mater.

Ouidius quoque 1. Fastor. vbi docuit, quàm esset prospera & grata calend. Ianuar. dies, addit.

Salue festa dies, meliorq; reuertere semper,
A populo rerum digna potente coli.

Plura exempla apud alios notabis, cùm occurrent. Iacob. Pont. RES ANT. LET ARTIS) Res antiquæ laudis & artis est res rustica, quæ apud veteres in magno honore fuit, & cui plurimùm studebatur. INGREDIOR) ad canendum scilicet. SANCTOS FON.) propter abdita naturæ, quæ suis carminibus pandit. Bersman. Lucret. lib. 1. *Iuuat integros accedere fontes, atque haurire.* ASCRÆVMQ. CANO) Ascræum carmen, id est, Hesiodicum. Hesiodus enim Ascræus, & Ascra vicus Bœotiæ. Vides vt se discipulum Hesiodi glorietur? Sed de Georgicis Græci illius aliquid à nobis in Prodidag. Idem facere Virgilium, quod hic de se ipsemet confitetur, affirmat Propert. lib. 2. eleg. 34.

Tu canis Ascræi veteris præcepta poetæ,
Quo seges in campo, quo viret herba iugo.

Nunc locus aruorum ingenijs: quæ robora cuiq;,
Quis color, & quæ sit rebus natura ferendis.

Difficiles primùm terræ, colleſq; maligni,
Tenuis vbi argilla, & dumoſis calculus aruis,
Palladia gaudent ſylua viuacis oliuæ.
Indicio eſt tractu ſurgens oleaſter eodem
Plurimus, & ſtrati baccis ſylueſtribus agri.
At quæ pinguis humus, dulciq; vligine læta,
Quiq; frequens herbis, & fertilis vbere campus:
(Qualem ſæpe caua montis conualle ſolemus
Deſpicere: huc ſummis liquuntur rupibus amnes,
Felicemq; trahunt limum) quiq; editus Auſtro,
Et filicem curuis inuiſam paſcit aratris:
Hic tibi præualidas olim, multoq; fluentes
Sufficiet Baccho vites: hic fertilis vuæ,
Hic laticis, qualem pateris libamus & auro,
Inflauit cùm pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis ſtudium, vituloſq; tueri,
Aut fœtus ouium, aut vrentes culta capellas:
Saltus, & ſaturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infælix amiſit Mantua campum,
Paſcentem niueos herboſo flumine cygnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deſunt:
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantùm gelidus ros nocte reponet.
Nigra ferè, & preſſo pingui ſub vomere terra,
Et cui putre ſolum (namq; hoc imitamur arando)
Optima frumentis. non vllo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plauſtra iuuencis.
Aut, vnde iratus ſyluam deuexit arator,
Et nemora euertit multos ignaua per annos,
Antiquaſq; domos auium cum ſtirpibus imis
Eruit: illæ altum nidis petiere relictis.
At rudis enituit impulſo vomere campus.
Nam ieiuna quidem cliuoſi glarea ruris
Vix humiles apibus caſias, roremq; miniſtrat:
Et tophus ſcaber, & nigris exeſa chelydris
Creta. negant alios æquè ſerpentibus agros
Dulcem ferre cibum, & curuas præbere latebras.
Quæ tenuem exhalat nebulam, fumoſq; volucres:
Et bibit humorem, &, cùm vult, ex ſeipſa remittit:
Quæq; ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit,
Nec ſcabie, & ſalſa lædit rubigine ferrum:
Illa tibi lætis intexet vitibus vlmos:
Illa ferax oleæ eſt: illam experiere colendo
Et facilem pecori, & patientem vomeris vnci.
Talem diues arat Capua, & vicina Veſeuo
Ora iugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

Quarta pars libri sequitur, de differentijs terrarum, quæ pro diuersis qualitatibus aut oliueto, aut vineto, aut prato, aut aruo, aut simul his omnibus idoneæ sunt. Quomodo item cuiuslibet terræ qualitates deprehendi possint: ceu sunt raritas, & densitas, sapor, pinguedo, humiditas, grauitas, & leuitas, calor, frigus. ARVORVM INGENIIS) Quomodo ingenium dicatur etiam de inanimis, recurre ad 1. Georg. illuc videlicet, *Haud equidem, credo, quia sit diuinitus illis Ingenium.* Certè & Plinius ita locutus est de stirpibus. Palma eius est ingenij, vt nunquam ponderibus cedat. Sallust. Historiar. 5. castrisq; collatis, pugna tamen ingenij loci prohibebantur. QVÆ ROBORA CVIQVE) Robur hic accipimus vim, facultatem, vires. QVIS COLOR) Coloris meminit, nam & inde bonitas soli deprehenditur, vt ex odore, & sapore. DIFFICIL. TERRÆ, COLLESQVE MALIGNI) Vt benignus, liberalis: ita malignus sordidus sæpe, & auarus, & qui nulli est vsui, aut adiumento, omnibusq; se difficilem præbet. Terent. Hecyra:

Sed vt fit, postquam hunc alienum abesse videt,
Maligna mulier, procax facta illico est.

Hinc ducta similitudine colles malignos vocauit, quorum solum minimè ferax, & fœcundum: quiq; ad colendum non sunt satis idonei. Et 6. Æneid. lux maligna, est lux caliginosa, obscura. Sensus carminum huius, & duorum sequentium est. Quæ serendis oleis apta est terra, ea difficilis est, collina, argillosa, dumosa, calculosa. Huiuscemodi solum oleis esse fertile, argumento sunt oleastri, qui in tali vt plurimum enascuntur. Consule Columell. lib. 5. cap. 8. Pallad. lib. 3. tit. 18. PALLAD. SYLVA VIVAC. OLIVÆ) suprà, *nemorumq́, Ioui qua maxima frondet Æsculus.* Nam ibi quoque totius nomine partem indicauit. INDICIO EST OLEASTER) A coniugatis confirmatio. Si oleaster crescit in huiusmodi terra, ergo & olea. AT QVÆ PINGVIS HVMVS) Secundo loco de terreno vineis apposito disserit, cum supra de solo olivieti dixerit. Terræ vligo propriè est naturalis eius humor, ex ea nunquam recedens. Bene autem *dulci* addidit, ad discretionem amaræ. Vliginosus ergo ager, est semper humidus. Nam humidus dicitur, qui aliquando siccatur. Seruius. FERTILIS VBERE) vbertate fœcundus. Homerus οὖθαρ ἀρούρης. De Italia 1. Æneid. *Terra antiqua, potens armis, atque vbere gleba.* Mox exemplum subijcit illius agri, quem vitibus delegit. Bersman & hoc, & quæ plura sequuntur. LIQVVNTVR) destillant, ac defluunt lib. 1. *Vere nouo gelidus canis cum montibus humor Liquitur.* FELICEM LIMVM) terrarum puta, is enim fœcundat instar lætaminis: nam fluminum limus agris noxius est. EDITVS AVSTRO) meridiei expositus: talia enim loca fœcundiora sunt ijs, quæ septentrioni opponuntur. FILICEM INVISAM ARATRIS) propter plexum radicum inhibentium aratrum, quæ tamen frequenti aratione extirpantur, vt moriatur intra biennium filix sæpe conuulsa. [a] *Filicum plures sunt species. Filictum solo tractus incolle, aut monticulo circa nemora, aut inter frutetu, vel etiam seorsim, filicibus omnis generis abundans. Vide Carol. Steph. Prædio rustico in Colle.* HIC TIBI PRÆVALIDAS) Tria commoda huiuscemodi pinguis campi. Nam & robustæ in eo, ac firmæ vites prodibunt, & vinum funditur non copiosum modò, verum etiam præstans, quali vtimur in sacrificijs. In quibus libabant merum, ad indicium mentis integræ, & non fucatæ, qualem sacrorum efflagitat religio. PINGVIS TYRRHENVS) an quod eius musica pinguis sit, id est, barbara? an quod buccæ inflantis, instar pinguium tumeant, an quod Hetrusci sua natura erant pingues? Catull. *Aut parcus Vmber, aut obesus Hetruscus.* LANCIBVS PANDIS) cauis. FVMANTIA) calida. REDDIMVS EXTA) Quomodo verbo *dare*, sic etiam verbo *reddere* in sacris vtebantur. Seruius in hunc locum, Proprio, inquit sacerdotum verbo vsus est. Reddi enim exta dicebantur, cum probata, & elixa aræ superponebantur. Tacitus annal. lib. 20. lustrata boue, taurisque aræ, & super cespitem redditis extis. Sueton. Aug. Decretum etiam publicum extabat, quo cauebatur, vt quoque anno in posterum simili modo exta Marti redderentur. Tibull. eleg. 3. lib. 1. reddere thura dixit. Ouidius 6. Fastor. reddere liba. Et libr. 4. reddere vina. Brisson. Formular. libr. 1.

Exta plurali tantum numero dicimus, licet & extum apud Plinium, Celsum legamus. Sunt autem exta, auctore Plin. lib. 11. ca. 37. cor, pulmo, lien in victimis, quoniam super omnia intestina superiora extēt, quæ & vno nomine præcordia dici putat lib. 30. Festus, exta ait dicta, quod dijs ea sacrificentur, quæ maximè extant, eminentq;, ex quibus diuinationem fieri solitam scribit Cic. lib. 2. de nat. deor. & 1. de Diuinat. Cæsa enim hostia, mox sacerdos cultro ferreo viscera, & exta rimabatur, & extispicium faciebat, hoc est, per exta deos consulebat, &, an perlitatum esset, attentè explorabat, tumque exta reddi dicebantur, cum probata aræ superponebantur, vt notat Seruius. SIN ARMENTA MAGIS STVD.) Tertio loco exponit conditiones agri pascui, alendis scilicet armentis, & pecoribus idonei. Solum illius vult esse saltuosum, fertile, gramineum, riguum, pratense, ac roridum: quale esset agri Tarentini, ac Mantuani Bersman. TVERI) alere, educare. FOETVS OVIVM) agnas. Eclog. 1. *quo sæpe solemus Pastores ouium teneros depellere fœtus.* Vel ipsas oues. VRENTES CVLTA CAPELLAS) Morsus capræ arbori exitialis. Oleam lambendo sterilem facit, eaq; ex caussa Mineruæ immolatur. Plin. lib. 8. cap. 50. & 17. cap. 24. Quædam pecudes culturæ sunt inimicæ ac veneno, vt istæ (quas modo dixi) capræ. Hæ enim omnia nouella sata carpendo corrumpunt, non minimùm vites atque oleas. Varro lib. 1. cap. 2. At ibidem contra Plinium ait, Mineruæ caprini generis nihil immolari, quia dea hoc animal oderit. Idem lib. 2. cap. 3. ob hoc in lege locationis fundi excipi solet, ne colonus capra natum in fundo pascat. Harum enim dentes inimici sationis: quas etiam Astrologi ita receperunt in cælum, vt extra limbum duodecim signorum exclusérint. SATVRI TARENTI) aut fœcundi, aut vt loci sit vicini Tarentinorum finibus notatio, quē Satureum appellant. Atque Tarentum, ac Saturum vicinas fuisse vrbes, Seruius annotauit. Tarentina pascua, & pecus Tarentinum celebrantur etiam à Columella, ac lanam Tarentinam prædicat Plin. lib. 8. cap. 48. INFELIX MANTVA) παθητικὴ patriæ mentio, ex recordatione agrorum, quos Mantuanis ademit Augustus. Vnde Eclog. 9. exclamat. *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.* Nec vero pascuis solum abundare Mantuanum agrum ostendit, sed etiam fontibus, & fluminibus esse irriguum ad adaquandum pecora. HERBOSO FLVMINE CYGNOS) Expressit epitheton Homericum, qui ποταμὸν λεχεποίην dixit. De cygnis autem Aristoteles lib. 9. de histor. animal. καὶ οἱ κύκνοι μὲν εἰσὶ τῶν στεγανοπόδων, καὶ βιοτεύουσι δὲ περὶ λίμνας καὶ ἕλη. Vrsinus. LONGIS DIEBVS) æstiuis, quo tempore sunt exiguæ, id est, breues noctes. Magnum argumentum fœcunditatis. Bersman. NIGRA FERE ET PRESSO)

PRESSO) Nunc de solo frumentis idoneo, quale est nigrum, pingue, putre, nouale. Quem quæso horum versuum interpretem meliorem Columella inueniemus? Eius verba sunt lib. 2. cap. 2. Sed ex his nihil non melius resoluta humo, quàm densa prouenit. Quod noster quoque Virgilius cùm & alias fœcundi arui laudes retulisset, adiecit, *Et cui putre solum, namq; hoc imitamur arando.* Neq; enim aliud est colere, quam resoluere, & fermentare terram: ideoque maximos quæstus ager præbet. Idem pinguis ac putris, quia cùm plurimùm reddat, minimum poscit: & quod postulat, exiguo labore, atq; impensa conficitur. Cato ita scribit. Ni ager crassus, & lætus est sine arboribus, eum agrum frumentarium esse oportet. NAMQ. HOC IMIT. AR.) Non valere mihi hoc videtur id, quod putauit Seruius, qui ita explicat. Hæc arando inspicimus, & videre solemus: sic enim ipse locum accipiendum arbitror. Terram illam cui putre solum, optimam esse frumentis, indicat studium nostrum subigendi glebas, & ars deniq; aratorum: conamur enim terram solutam, putremq; reddere, & cùm hoc præstiterimus, videmur nobis officio nostro functi esse, atq; vbertatem frugum exspectare posse. Terra igitur, quæ sua vi sponteq; habet id, quod nos arte, laboreque nostro illi afferimus, idonea esse percipitur: ars enim naturam imitatur. Sed etiam Columell. perspicitur hoc pacto locum accepisse. Victor. lib. 11. cap. 23. AVT VNDE IRATVS) Sed enim nouale etiam producendis frugibus non inutile est. Nam sæpe agricolæ dumos, & vepres atq; arbusta, in quibus solummodò aues nidificāt, sarculis, rastrisque excidunt, & stirpitus eradicant. Quibus auulsis, dissipatisque nidis, & solo aratris proscisso, ager frumentarius, & optimus efficitur, & fertilitate sua quasi nouam speciem induit. ANTIQVAS Q. D. AVIVM) Lucret. lib. 1. *Frondiferasq; domos auium,* quem pro sollemni suo imitatus est Maro. Quid autem vates omnium diligentissimus, & oculatissimus in vetustis poetis, cùm Græcis, tum Latinis, aut sententia, aut verbis egregium non imitatur? NAM IEIVN. QVIDEM. C. G. R) Nam quæ terra glareosa, & cliuosa est, ea vix apibus casias, & rorem subministrare, nedum fruges hominibus, aut pabula pecudibus exhibere potest. Quæ verò tophacea, & cretosa est, ea plerumque tantùm serpentibus cibos, & latebras præstare nata est: frumentis autem proferendis ineptissima est. Ita per antithesin illustrari cernis, quod supra de agro frumentifero fuit expositum. Glarea Columellæ est terra scruposa, qualem littus, & ripæ habent: vel certè calculi illi, quibus riui abundant. Ieiuna glarea, est arida, sicca, macra. QVÆ TEN. EXHAL. NEB.) Epilogus est eorum, quæ de solo oleario, vinaceo, pascuo, frumentario hactenus exposuit. Et nunc quasi communiter illis vniuersis terram inseruientem, atq; idoneam proponit, eamque notis quibusdam, tanquam adiunctis ipsius describit, cùm vno illam nomine exprimere non posset. Atq; vt hoc ipsum explicet παραδειγματικῶς, exemplum terræ his omnibus fructibus appositæ proponit agrum Capuanum: deinde qui Vesuuium attingit: & tandem, qui Acerris est proximus. At si quod solum inquit nebulosum & fumidum sit: si multum humoris imbibat, rursumque emittat: si herbis atque graminibus sese semper operiat: si denique nulla scabie, vel salsedine infectum sit: neque vllam ferro rubiginem obducat, hoc & oleis, vitibusque conserendis, & pecudibus pascendis, & fru-

A mentis producendis ex æquo accommodatum erit. Et tale quidem solum est Campaniæ, iuxta Capuam, & mōtem Vesuuium, itemque ad ripas Clanij, iuxta Acerras, quam vrbem crebris inundationibus propemodum vacuefecit ille fluuius. FVMOS Q. VOL.) Lucretium æmulatus est lib. 5. vterque autem Euripidem, in eo, quòd puluerem, & fumum volantem faciunt, seu volare dicunt.

Principiò pars terraï nonnulla perusta
Solibus assiduis, multa pulsata pedum vi,
Pulueris exhalat nebulam, nubesq; volantes.

INTEX. VITIBVS VLMOS) pro intexet vites vlmis, hypallage. Columella lib. 9. cap. 8. Vites maximè gaudent B arboribus, quia naturaliter in sublime procedunt, & materias ampliores creant, & fructum æqualiter percoquunt. Hoc genus vitium arbustiuum vocamus. TALEM DIVES AR.) Scriptum in quodam commentario reperi, inquit Gell. lib. 7. cap. 20. versus istos ita primùm à Virgilio esse recitatos, atque editos. *Talem diues arat Capua, & vicina Veseuo Nola iugo.* Postea Virgilium petisse à Nolanis aquam, vti duceret in propinquum rus: Nolanos beneficium petitum non fecisse: poetam offensum, nomen vrbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo detraxisse, oraq; pro Nola mutasse. Ea res vera an falsa sit, non laboro: quin tamen melius, suauiusque ad aures sit, ora, quàm Nola, dubium id C non est. Nam vocalis in priore versu extrema, eadem in sequenti prima, canoro, simulq; iucundo hiatu tractum sonat. Plura eod. cap. de suauitate ex hiatibus.

Non possum non ridere opinionem, vel asseuerationem potius eorum, qui dicunt, fuisse à Virgilio scriptum *vicina Veseuo Nola iugo,* mutatum verò pòst, ob denegatam ruri eius sitienti aquam. Neque enim Virgilius, qui Nolanum agrum planè sterilem nosset, minimeque triticum alere, sed milij solius, & secalæ feracem, inter fertiles numerasset, Campanoque coniunxisset: quin vicinam oram nominans, campos innuit Acerranos, qui sub ipsum iacent Veseuum, occasum versus, suntque fertilissimi. Suos igitur numeros, suorumque concentuum suauitatem sequebatur, cùm scripsit, D *vicina Veseuo ora iugo.* Iouian. Actio. * *Sannazarius nihilominus ad vulgatam opinionem, quam Gellius prodidit, respexit, cùm in Nolam vrbem, propter Virgilium, & Iouianum suum ab ea lasos, hoc salis plenum epigramma composuit.*

Infensum Musis nomen, malè grata petenti
Virgilio optatam Nola negauit aquam.
Noluit hæc eadem Iouiano rustica vati
Hospitium paruæ contribuisse moræ.
Idcirco nimirum hoc dicta est nomine Nola,
Noluerit magnis quòd placuisse viris.
At tibi pro scelere hoc cœnolas fossa per agros
Exhausit populos styx violenta tuos.
Iamq; quid (ò nullis abolenda infamia seclis)
Imprecer? & cælum desit, & vnda tibi.

Nomen porrò huius montis variè scribitur, Vesenus, Veselius, Vesuuius, Vesbius. Hinc Vesuuia iuga, & Vesenia. De eo sic traditum reperio à Strabone, lib. 5. Vesuuius mons, agris cinctus optimis: dempto E *vertice, qui magna sui parte planus, totus sterilis est, aspectu cinereus, cauernasq; ostendens fistularum plenas, & lapidum colore fuliginoso, vtpote ab igni exesorum. Vt coniecturam facere possis, illa loca quondam arsisse, & crateras ignis habuisse, deinde materia deficiente restincta fuisse. Fortasse hæc etiam caussa est fertilitatis locorum circumiacentium. Quemadmodum Catanæ perhibent partes quæ cineribus ab Ætnæo igni sursum egestis fuerunt intecta, fuisse vinis feraces redditas. Vide insuper de incendiis, & natura montis huius Xiphilin. in Tito.*

Nunc, quo quamq; modo possis cognoscere, dicam.
Rara sit, an supra morem si densa requiras:
(Altera frumentis quoniam fauet, altera Baccho:

 Densa

Densa magis Cereri, rarissima quæq; Lyæo)
Antè locum capies oculis, alteq; iubebis
In solido puteum demitti, omnemq́; repones
Rursus humum, & pedibus summas æquabis arenas.
Si deerunt, rarum, pecoriq; & vitibus almis
Aptius vber erit: sin in sua posse negabunt
Ire loca, & scrobibus superabit terra repletis:
Spissus ager: glebas cunctantes, crassaq; terga
Exspecta, & validis terram proscinde iuuencis.

Permulta sunt terræ qualitates, siue discrimina, de quibus Varro lib. 1. de re rust. cap. 9. De iisdem, & qua ratione cognoscenda sint, Columella lib. 2. cap. 2. Palladius lib. 1. tit. 5.] Persequitur ergo hasce differentias, dicitque cum ex substantia ipsorum, quæ ex raritate, ac densitate soli cuiusq; æstimari potest, tū ex qualitate, cuius index est sapor, tactus, atque color: denique ex pondere, quod grauitas arguit, & leuitas, fieri posse de arui cuiusque conditione, ac proprietate iudicium: vt ad quas res terra quæq; bona, aut non bona sit, constet. Bersman.

Antequam igitur nos explorare doceat densitatem terræ, monet densam propter partium compactionem frumento: raram (cuius videlicet partes disiunctæ sunt inter se) vino aptiorem fore. Et est pulcherrima repetitio, quam & Seruius laudat. Cognoscemus igitur vtramuis qualitatem, si puteum, hoc est foueam, seu scrobem foderimus, terraq; egesta, eandem inculcando repleuerimus. Si deerit, raram intellige terram, aptamque pascuis, & vitiario. Si superetit, idoneam arationi, & sationi puta. Quid si æquauerit os scrobis? mediocrem existima. Columella libr. 2. cap. 2. sed & si velis scrobibus egestam humum recondere inquit, & recalcare, cum aliquo quasi fermento abundauerit, certum erit eam esse pinguem: (ergo densam) cum defuerit, exilem: cum æquauerit, mediocrem. Quanquam ista A quæ nunc retuli, non tam vera possunt videri, quam si sit pullula terra, prouentu frugum approbatur. ANTE LOCVM CAPIES) capere est eligere. 1. Æneid. *Aut capere, aut captas iam despectare videntur*, de cygnis terras ex alto despectantibus, & eligentibus, vbi consideant. Terent. Hecyra *cum illum generum capimus.* Capere est etiam decipere, circumuenire. Lucill. lib. 27. *At metuis porro ne aspectu & forma capiare.* Cic. Horten. captum me fortasse, inquit, tu putas, & id quod nollem confiteri coactum. Nonius. TERRAM PROSCINDE) Vt poeta dixit terram proscindere, eodem modo locutus est Varro, lib. 1. de re rust. cap. 29. Rursum, terram cum primum arant, proscindere appellant. Et cap. 32. Cum pro- B sciderís, effringi oportet, id est, iterari, vt frangantur glebæ. Lucret. lib. 5. *bidenti ingemere, & terram pressis proscindere aratris.* Et rursum eodem lib. *Et ferro capere solum proscindere terra.* Lucil.

Tune iugo iungas me autem, & succedere aratro
Inuitum, & glebas subigas proscindere ferro?
Plaut. Trinum.
Primùm omnium olim terra cum proscinditur,
In quinto quoq; sulco moriuntur boues.

Sic & scindere dicitur. Virgil. hoc ipso lib. *Terq; quaterq; solum scindendum.*

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix (ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina seruat)
Tale dabit specimen: tu spisso vimine qualos,
Colaq; prælorum fumosis deripe tectis.
Huc ager ille malus, dulcesq; à fontibus vndæ
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, & grandes ibunt per vimina guttæ.
Et sapor indicium faciet manifestus, & ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.

Quomodo salsus, & amarus terræ sapor exploretur. Vineis, sicut verissimè censet Celsus, optimum est solum nec densum nimis, nec resolutum, soluto tamen propius: nec exile, nec lætissimum, proximum tamen vberi: nec campestre, nec præceps: simile tamen edito campo: nec siccum, nec vliginosum: modicè tamen rosidum: quod fontibus non in summo, non in profundo terræ scaturiat: sed vt vicinum radicibus humorem subministret, eumq́ue nec amarum, nec salsum, ne saporem vini corrumpat, & incrementa virentium veluti quadam scabra rubigine coerceat, si modo credimus Virgilio dicenti, *Salsa autem tellus*, &c. Columella lib. 3. cap. 1. Idem lib. 2. cap. 2. sa- C pore sic terram dignoscemus. Si ex ea parte agri, quæ maximè displicebit, effossæ glebæ, & in fictili vase madefactæ, dulci aqua permisceantur, ac more fæculenti vini diligenter colatæ, gustu explorentur: nam qualem traditum ab eis retulerit humor saporem, talem dicemus eius soli. NEC MANSVESCIT ARANDO) quia salsugo, & amaror cum semel insederint, non facile eliquantur. Ita superius, *Exuerint syluestrem animum.* Arando passiuè, vt, *vritq; videndo fœmina* 3. Georg. Et, *cantando rumpitur anguis*, Eclog. 8. & alia similiter apud alios. NEC BACCHO GENVS) Vino, & pomis degenerantibus. QVALOS) calathos, per quos vinum liquatur vuis. Hos igitur corbes non admodum laxos esse vult.

se vult. COLAQVE PRÆLORVM) Colum idem quod qualus, à colando, quod mustum per illud defluens colatur. Prælum est trabs, qua vua calcata, vel oliua premitur. Nostri hodie in torcularibus vtuntur cochleis, per quarũ capreolatos amfractus tollitur, demittiturq; prelum, aut suculæ, aut rotæ versatione. Horat. Ode 21. lib. 1. *Cæcubũ, & prælo domitum Caleno Tu bibes vuã*. DERIPE TECTIS) Solent enim huiusmodi instrumenta sub tectis seruari, ne pluuia corrumpantur. CALCENTVR AD PLENVM) Affatim subigantur. Horat. Ode. 17. lib. 1.

Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

ELVCTABITVR) destillando, cum mora egrediendo guttatim defluet. SAPOR INDICIVM) Saporum genera 13. reperiuntur, dulcis, suauis, pinguis, amarus, austerus, acer, acutus, acerbus, acidus, salsus. Lege cap. 27. lib. 15. apud Plin. in cuius extremo hæc sunt. Mirum, tria naturæ præcipua elementa sine sapore esse, sine odore, sine succo: aquas, aera, ignes. ORA TENTANTVM) linguam, & palatum periculum facientium terræ suspectæ. SENSV TORQVEB. AMARO) Versum postremum plerique omnes sic legunt. Higynus tamen non hercle ignobilis Grammaticus, in comentarijs, quæ in Virgilium fecit, confirmat, & perseuerat, non hoc à Virgilio relictum: sed quod ipse inuenerit in libro, qui fuerit ex domo atque familia Virgilij: *& ora tristia tentantum sensu torquebit amaror.* Neq; id soli Hygino, sed doctis etiam quibusdam viris complacitum, quoniam videtur absurdè dici: sapor sensu amaro torquet: cum ipse, inquiunt, sapor sensum habeat: ac perinde sit, quasi dicatur, sensus sensu amaro torquet. Sed enim cum Phauorino Higyni commentarium legissem, atque illi statim displicita esset insolentia, & insuauitas illius: *sensu torquebit amaro*: risit, & Iouem lapidem, inquit, (quod sanctissimum iusiurandum est habitum) paratus sum ego iurare, Virgilium hoc nunquam scripsisse. Sed Higynum ego dicere verum arbitror. Non enim primus finxit hoc verbum Virgilius insolenter: sed in carminibus Lucretij inuentum est: nec aspernatus est auctoritatem poetæ ingenio, & facundia præcellentis. Verba ex lib. 4. hæc suut.

Denique, in os salsi venit humor sæpe saporis,
Cum mare versamur propter, dilutaq; contra
Cum tuimur misceri absynthia, tangit amaror.

Non verba autem sola, sed versus prope totos, & locos quoq; Lucretij plurimos secutum esse Virgilium videmus. Gell. lib. 1. cap. 21.

Quibus verbis ita à me emendatis, efficitur, vt Phauorinus sententiam Higyni probauerit: & hic Gellij in iudicando partes nullæ sint. Vtrumque contra iudicium, certe præter opinionem omnium eorum, qui hactenus Gellium legerunt, aut de illis Virgilij carminibus differunt. Lud. Cælio antiq. lect. 3. cap. 12.

Pinguis item quæ sit tellus, hoc deniq; pacto
Discimus: haud vnquam manibus iactata fatiscit:
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida maiores herbas alit ipsaq; iusto
Lætior. ah nimium ne sit mihi fertilis illa,
Neu se præualidam primis ostendat aristis.
Quæ grauis est, ipso tacitam se pondere prodit:
Quæq; leuis. promptum est oculis prædiscere nigram,
Et quisquis color: at sceleratum exquirere frigus
Difficile est: piceæ tantùm, taxiq; nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt vestigia nigræ.

Accepimus de densa, rara, salsa & amara terra exploranda & cognoscenda, nunc quod nam sit pinguis terræ argumentum discamus. Id nos Columella docebit lib. 2. cap. 2. conuenienter vtique poetæ vrbis. Itaque considerandum erit, vt solum quod excolere destinamus, pingue sit. Per se tamen id parum est, si dulcedine caret, quod vtrumq; nobis satis expedita ratione contingit discere: nam perexigua conspergitur aqua gleba, manuque subigitur. Ac si glutinosa est, & quouis leuissimo tactu pressa inhærescit, & picis in morẽ ad digitos lentescit habendo, vt ait Virgilius, eademq; illisa humo non dissipatur, ea res admonet nos, inesse tali materiæ naturalem succum, & pinguitudinem. HABENDO) παθητικῶς, dum habetur, dum versatur, tractatur, manu scilicet. Sic suprà, *ea nec mansuescit arando*. HVMIDA MAIORES HERBAS) Humidæ terræ indicium capere iubet ab herbarum, & culmorum proceritate luxuriante magis, quam granorum benigno prouentu votis agricolæ respondente: id quod annis humidioribus vsuuenire docet experientia. Plin. hoc indicium arguit, vt non satis certum, lib. 17. cap. 4. his verbis. Nec semper aquosa est terra, cui proceritas herbarum, non hercle magis, quam pinguis, adhærens digitis, quod in argillis arguitur. QVÆ GRAVIS EST) Quæ terra grauis, aut leuis sit, ipso pondere cognoscitur: color eius, siue niger, siue albus, siue quis alius, oculis diiudicatur. SCELERAT. EXQVIR. FRIG. DIFF.) Omnium difficillimè frigiditas terræ exquiritur. Sed tamen circa huius experimentum quædam sunt, quæ frigidam terrã significãt: vt taxus, & picea, & hedera nigra, & quæ in illo solo enascuntur similia. Sceleratum frigus, inquit Erythræus in Indice, iracundè poeta dixit vt pote corporis imbecillioris, vt eius vim, quam aliquando grauiorem experiebatur, hoc vocabulo infamaret, quia cunctam enecat penetrando. Sic & hastam sceleratam, quæ perforando interficit. Nam & ipse alibi penetrabile frigus, quod Lucretius tum penetrale, tum manale pari ratione vocat. Vel certè sit hæc Mantuanitas quædam, vt D. Hieronymus notat, in epist. ad Paulinum, quòd consuetudine patriæ sceleratũ frigus dixerit. [*Sic ille beatus, Virgilius alter Homerus apud nos, patria sua sequens consuetudinem, sceleratum frigus appellat.*] Adde, in huiusmodi etiam esse posse hastam sceleratam. Nec mirum, quod de Mantuanitate obseruatum est. Habet enim vnaquęq; ciuitas, quid ciuitas? immò ciuitatis regio, quid regio? immò ciuium ordo suos quosdam Atticismos, & pro-

prias loquendi rationes,rerumque priuata vocabula,& quæ ſequuntur in voce *ſceleratum*. De frigore multa Rhodigin. lib29..cap.7.& 8.HÆDE.NIGRÆ) Variæ ſunt ſpecies hederæ, quas in Horto explicat Carolus Stephanus. Vide eius Prædium ruſticum. Diximus nonnihil Eclog.7.ad illud, *Paſtores hedera*,num.152.

His animaduerſis, terram multo ante memento
Excoquere, & magnos ſcrobibus concidere montes.
Antè ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas,
Quam lætum infodias vitis genus. optima putri
Arua ſolo: id venti curant, gelidæq; pruinæ,
Et labefacta mouens robuſtus iugera foſſor.
At ſi quos haud vlla viros vigilantia fugit,
Antè locum ſimilem exquirunt, vbi prima paretur
Arboribus ſeges, & quò mox digeſta feratur:
Mutata ignorent ſubitò ne ſemina matrem.
Quin etiam cæli regionem in cortice ſignant:
Vt quo quæq; modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, qua terga obuerterit axi,
Reſtituant. ADEO IN TENERIS CONSVESCERE MVLTVM EST.

Dicamus hanc eſſe quintam huius libri partem, in qua de conſerenda Vinea nouella agitur, & Ver commẽdatur. Quædam etiam de Vinea, ſeu Vitibus fæcundandis adiunguntur. Ergo primum præceptum iubet paſtinatione, ſeu foſſione Vitiario ſolum præparare.] His rebus probè obſeruatis, quas in cultu arborum animaduertendas eſſe diximus: facilius, multoq; commodius vites, & vineas conſeres. Itaque nunc deinceps ad vitium, vinearumque culturam, quam huius libri alteram quaſi partem fecimus, non intempeſtiuè accedimus. Principiò igitur, qui vinetum, vel arbuſtum conſtituere volet, præfodere ſcrobes antè debebit, quàm vites inſerat: & ſi fieri poſſit, multò antè, vno anno, vt vult Columella, donec pingui ceſpite obducantur. Ita enim tellus ſole, pluuiiſq; macerabitur: & quod poſitum eſt, citò comprehendet. Nam quò plus fuerint reſolutæ glebæ à foſſoribus, & quò plus à ventis, pruiniſq; excoctæ, hoc erunt lautiores, ſapidioreſque fructus. In inſitione autem vitium, priuſquam ſcrobibus infodiantur, ſeminarij cura, ratioque diligens habenda eſt, vt ſit ſoli illius ſimile, in quod transferentur ſemina: ne viuiradices degenerent. Ideoque prudentes, & perſpicaces coloni ante omnia ſeminarij ſolum exquirunt, in quo ſemina vitium nouellarum conſerant, & ex quo rurſus in aliud ſolum transferant. Et quia indulgentiorem nutricem, quã matrem eſſe ſæpe conuenit: idcirco ſemen in ſimilem terram, aut meliorem tranſplantari oportet. MONTES) montanum vinetum. SVPIN.) inuerſas. FOSSOR) vinitor. ANTE LOCVM SIM.) Alterum præceptum mandat obſeruare ſolum, in quod arborum, aut vitium ſemina transferenda ſunt, quod ei debet eſſe ſimile, vnde transferuntur. Et hæc res homines diligentes ac vigilantes minimè præterit. PRIMA ARB. SEGES) Per ſegetem intelligit ſeminarium. Eſt autem ſeminarium locus ſubactus, in quo ſemina vitium arborumue panguntur: vt cùm ad certam magnitudinem excreuerint, in vinetum, vel arbuſtum, vel pomarium transferantur: quo tempore quæ prius ſemina dicebantur, viuiradices vocantur: id eſt, plantulæ cum ſua radice tranſlatæ in aliud ſolum. Græcè φυτευτήριον dicitur. De ſeminario vitiario, & arbuſtiuo Columella lib.3. Qui vineam, vel arbuſtum conſtituere volet, ſeminaria prius facere debebit. Sic enim ſciet, cuius generis vitem poſiturus ſit. Nam quæ pretio parata diſponitur, certam generoſitatis fidem nõ

A habet: quoniam dubium eſt, an is qui vendidit, legendis ſeminibus adhibuerit diligentiam. Semina Columella appellat non grana, ſed ſurculos depactos, qui dum radices egerunt, in vinetum transferuntur. Idem paulò pòſt. Optimum eſt itaque eodem agro, quo vitem poſiturus eſt, vel certè vicino facere ſeminarium. Idem lib.5. de olea loquens. Semina lege craſſa, non minus quàm manubrium bidentis, recta, leuia, procera, ſine vlceribus, integro libro: ea bene & celeriter comprehendent. Semina huiuſmodi aliquando etiam plantæ dicuntur, & ſeminaria plantaria. Plin. lib.13. de plantis verba faciens. Ergo plantaria inſtituunt, anniculoſq; transferunt, & iterum bimas: gaudent enim mutatione ſedis. Et lib.15.
B At nunc etiam in plantariis ſerunt oleas, tranſlatarumq; altero anno decerpuntur baccæ. Idem de ſtolonibus, & arborum ſobole. Omnia ea non ſtatim moris eſt in ſua locari, ſed prius nutrici dari, atque in ſeminariis adoleſcere, iterumque migrare. Nutricem appellat Plinius ſeminarium, in quo tenella adhuc ſemina educãda depanguntur, deponunturque. Idem alibi. Quamobrem & ſeminarij curam ante conuenit duci, quàm tranſeatur ad alia genera. Nam & huic principiò eligi ſolum refert: quoniam nutricem indulgẽtiorem eſſe quàm matrem, ſæpe conuenit. Hæc ex Budæo in Pand. vnde ſatis quæ ſit Virgilij mens, intellectum puto. CÆLI REG. IN CORT. SIG.) Tertium præceptum. Obſeruabunt vinitores, vt
C ſemina de vitibus notatis legant. Nam vites, priuſquam transferantur, rubrica notare conuenit: vt, cùm ſerẽtur, eaſdem cæli partes accipiant, quas etiam in ſeminario conſpexerant: vt neque aquiloniæ meridianis oppoſitæ ſolibus findantur, aut algeant meridianæ aquilonibus. Plurimum etiam refert, vt eam partem cæli ſpectent, cui à tenero conſueuerunt. Eſt ergo hoc tertium præceptum, vt in transferendis ſeminibus ſimilis cæli ſtatus & plaga obſeruetur. A TENERIS CONSVES.) In aliis exemplaribus ſcriptum eſt *à teneris aſſueſcere*. Sane nihil maius eſt aſſuetudine, id quotidiana experientia docet: & quotidiano prouerbio docemur, quo dicimus, conſuetudinem eſſe alteram naturam. Tranſit enim in naturam id demum, cui aſſueuimus. Proinde Naſo, *Et quanquam nihil aſſuetudine maius*. Et alibi. *Quod malè fers, aſſueſce, feres bene*. Memor autem Virgilius, adeò mul-

multum esse à teneris assuescere, & in brutis etiam animantibus locum habere, cecinit lib. 3. Georg.

Tu quos ad studium, atq; vsum formabis agrestem,
Iam vitulos hortare, viamq; insiste domandi,
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

Sententiam à Theophrasto desumptam monuit Vrsin. ex lib. 3. περὶ φυτῶν αἰτιῶν. Sic enim ait. ἰσχυρὸν γὰρ ὥσπερ ἐν τοῖς ἄλλοις, καὶ ἐν τούτοις τὸ ἔθος, οἷον γὰρ φύσις γίνεται. Et lib. 4. γέγονε γὰρ οἷον φύσις τὸ ἔθος. Consuetudo altera natura.

Aristoteles lib. 2. Rhetor. disputans de iucundis, docet ea iucunda esse, quæ vel secundùm naturam sunt, vel, quod huic proximũ est, consueta. Nihil enim inter- A esse putat inter naturam & vsum, siue consuetudinem, nisi quod interest inter semper, & plerumq;. Perpetuum enim est, quod indidit natura: frequens, quod vsus affixit. Idem lib. 2. Nicomachiorum cap. 1. οὐ μικρὸν οὖν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. Id est. Itaque non parum refert, hoc an illo pacto protinus à pueris consuefiamus: immo plurimum interest, vel omne potius in eo momentũ est situm. Quare sanctissimum consilium dedit, qui iussit, vt à teneris statim annis optima eligamus, quæ post, vsu futura sint etiam iucunda. Haud dissimile Virgiliano Horatianum illud, *Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu.* Chiliad.

Collibus, an plano melius sit ponere vites,
Quære prius. si pinguis agros metabere campi,
Densa sere: in denso non segnior vbere Bacchus.
Sin tumulis accliue solum, collesq; supinos,
Indulge ordinibus: nec secius omnis in vnguem
Arboribus positis secto via limite quadret.
Vt sæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto,
Directæq; acies, ac latè fluctuat omnis
Aere renidenti tellus: nec dum horrida miscent
Prælia, sed dubius medijs Mars errat in armis:
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum:
Non animum modò vti pascat prospectus inanem,
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neq; in vacuum poterunt se extendere rami.

Quartum præceptum de interuallis vitium. Sed & hoc non parum interest in satione obseruare, vtrum collibus, an plano campo vites dispositurus sis. Nam si campestres, & vliginosos agros possidebis, denso ordine vites ibi conseres: sin vero colles, & accliues tumulos vineis occupaueris, raris indulgeto ordinibus, & vites sectis viarum internodijs, per quinos pedes in quincuncem disponito, veluti aciem quandam militum. IN DENSO VBERE) Suprà *Quiq; frequens herbis, & fertilis vbere campus.* Æneid. 1. *Terra antiqua, potens armis atq; vbere gleba,* Et alibi præterea. Vide quæ super hac voce annotauimus in 3. Æneid. ibi, *qua vos à stirpe parentum Prima tulit tellus, eadem vos vbere læto. Accipiat reduces.* INDVLGE ORDINI.) Indulgere valet addictum esse, vehementius studere, & propensè incumbere. Cic. in Lælio. Videre licet eos prosperis rebus immutari, sperni ab ijs veteres amicitias, indulgeri nouis. Quintil lib. 10. cap. 1. Non multùm indulsere eloquentiæ Stoici veteres, ὡς ἄγαν περιϊδόντες, Bud. in Pand.

Quamobrem vites ita in ordinem disponendæ videantur, infra ponitur ratio. *Omnia sic paribus,* &c. Huc facit quod apud Varronem de re rust. lib. 1. cap. 7. vitibus & arboribus communiter Scrofa disserit, & quam afferat in ijs ordo vtilitatem, ostendit. De formæ culturę hoc dico, quæ specie fiant venustiora, sequi, vt maiore quoque fructu sint: vt qui habent arbusta, si sata sunt in quincuncem, propter ordines atque interualla modica. Itaque maiores nostri ex aruo æquè magno, sed malè consito, & minus multum, & minus bonum faciebant vinum: quod quæ suo quicq; loco sunt posita, ea minus loci occupant, & minus officit aliud alij ab sole, ac luna, B & vento. VT SÆPE IN BELLO) Quam decens sit ordo in vitibus, de quo præcepit, quamq; commodus, ab exercitu disposito ducta similitudine demonstrat, qua certe accomodatiorem inuenire minimè poterat. Cum manipulis, & cohortibus in legione explicatis dum dispositurам arborum vitiumue confert, non est dubitandum, quin eas in quincuncem seri præcipiat. Aptè huc Plin. lib. 17. cap. 11. In disponendis arboribus arbustisq; ac vineis quincuncialis ordinum ratio vulgata & necessaria, non perflatu modò, verum & aspectu grata, quocunque modo intueare, in ordinem se porrigente versu.

Vt enim bonus imperator productos ad pugnam C milites apte collocat, & confertam multitudinem sic explicat, vt iustum in acie inter singulos homines spatium interueniat, & in congressu neuter alterum impediat: sic etiam prudens agricola in positu vitium conuenientem tenebit ordinem, & spatia vitium, seu internodia aptè dimetietur. Non est porrò dubium, quin locus hic ab illo Lucretij lib. 2. ductus sit.

Præterea magna legiones cum loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cientes:
Et circum volitant equites, mediosq; repente
Transmittunt valido quatientes impete campos:
D *Fulgur ibi ad cælum se tollit, totaq; circum*
Ære renidescit tellus, subterq; virûm vi
Excitur pedibus sonitus, clamoreq; montes
Icti reiectant voces ad sidera mundi.

Et Xenophon, qui & ipse, quod de ordine pronunciauit, ὅτι οὐδὲν οὕτως ὅτ' εὔχρηστον, ὅτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις,

τάξιν, exemplari demonstratione tum chori canentium, tum exercitus instructi ponit ob oculos in Oeconomico. COHORTES EXPLICVIT LEGIO) Cohors origine græcanica est, & χόρτος illis περίειργμα καὶ περιχώρημα, siue, vt Hesychius, περίβολος τῆς αὐλῆς. quod clausum & septum in anteriore domo, vel villa. Latini dixerunt cohortem, vel chortem. Varro deriuat etiam à coercendo lib. 4. de lin. latin. quòd circa eum locum pecus coerceretur. Ab hac rustica etiã militaré deducit, quod vt in villa ex pluribus tectis coniungitur, & quiddam fit vnum, sic hæc ex manipulis copulatur cohors. E tribus scilicet manipulis, &c. Lipsius de Milit. Rom. li. 2. dial. 4. LATE FLVCT.) vt Euripid. qui κύματα στρατοῦ, & πόντον στρατὸν dixit, sicut Æschylus κῦμα στρατοῦ, Xenophon στράτευμα κυμαῖνον, fluctuum enim in mari sibi succedẽtium quandam imaginem sic dispositus exhibet exercitus. AERE RENIDENTI) geminata, seu repetita est syllaba, & iteratus sonus, vt etiam 2. Æneid. *Quæ tanta tenuere mora?* Lucret. lib. 5. *Sic quos ante domi domitos satis esse putabant*. Similia sunt apud alios exempla plurima. Factitarunt id crebrò veteres, nec poetæ duntaxat, verùm oratores, & historici quoq;. Nec reprehendenda fuerit A moderata eorum in hoc genere imitatio. Germa. & alij.

* *Aere renidenti, inquit poeta. In mirab. narrat. scriptum ab Aristotele mirabile quiddam de ære Indico, adeo splendidum, purum, sinceruмq́, apud eos reperiri, vt colore & specie nequaquam ab auro discerni queat. Vnde & inter Darij pocula cados quosdam esse, qui nisi olfactus iudicio ab auro distare non cognoscantur.* DVBIVS MARS ERRAT) quia Mars communis, propter incertos belli exitus. Homero ξυνὸς ἐνυάλιος. NON ANIM. MODO VTI) Obseruatio hæc interuallorum non tantùm venusta est ad aspectum, sed etiam vtilitatem coniunctam habet, quoniam arbores vel vites ita dispositæ, ad se succum è terra æqualiter trahunt, ramosq; latius propagant, per patulum, & apertum scilicet, qui alioqui in conferta densitate suffocantur. PARIB. NVM.) paribus spatiis, internodiis, interuallis. B NVMERIS DIMEN. VIARVM) Cyrus apud Xenophontem. Ταῦτα τοίνυν, ὦ Λύσανδρε, ἐγὼ πάντα καὶ διεμέτρησα, καὶ διέταξα. Et paulò antè. πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σοι, καὶ διατάξαντος. Cic. Atqui ego ista sum omnia dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio. ANIMVM INANEM) hypallage, prospectus enim est inanis. Æneid. 1. *atq; animum pictura pascit inani.*

Forsitan & scrobibus quæ sint fastigia quæras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco:
Altius, ac penitus terræ defigitur arbos:
Æsculus in primis, quæ quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neq; imbres
Conuellunt: immota manet, multosq́; per annos
Multa virûm voluens durando sæcula vincit.
Tum fortes latè ramos, & brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet vmbram.

Quinto loco de scrobibus præcipitur, & quanta eorum debeat esse altitudo ostenditur. QVÆ SINT FAST. Fastigium & summæ, & infimæ partis possumus dicere: sicut altum & mare, & cælum dicimus. Hinc est, *cælumq́ profundum*, cùm & puteus sit profundus. Seruius. Fastigia, ima altitudo. Varro de re rust. lib. 1. Fossa ita idonea fiat, vt omnem aquam, quæ de cælo venit, recipere possit, aut fastigium habeat, vt exeat è fundo aggeris. Ita Nonius.

De altitudine scrobium varia est opinio. Plin. lib. 17. cap. 11. non altiores quino semipede, nec latiores duobus pedibus, nusquam verò sesquipede minus altos: vbi varias auctorum sententias recenset. Ibid. cap. 19. In aquosis neq; altos, neq; amplos facere conuenit: aliter æstuoso solo & sicco, vt quàm maximè accipiant aquam, contineantq;. Idem cap. 22. Scrobibus latitudo est ternorum pedum in quamcunq; partem: altitudo in quocunque genere tripedalis. Columella lib. 4. cap. 1. disputat aduersus Atticum & Celsum, non esse satis altos scrobes bipedaneos vineaticis seminibus. De forma etiam scrobis ita præcipit lib. 5. cap. 10. sed scrobs clibano similis sit, cuius imum summo patentius est, vt laxius radices C vagentur, ac minus frigoris hyeme, minusq́ue æstate vaporis per angustum os penetret. ALTIVS AC PENITVS) In scrobibus arborum ponendarum attendendum est ad diuersitatem earum profundè, vel minus profundè radices agentium. Proponit exemplum æsculi, quę radices agit altissimas, neq; vllis ventorum flatibus conuelli potest, multaque sæcula perdurat. Sæculum est spatium 100. annorum, dictum à sene, quòd longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt, vt Varro inquit. De scrobibus arborum lib. 5. cap. 10. & Plin. lib. 17 cap. 11. De ætatibus autem arborum vide eundem Plin. lib. 16. cap. 44. Versus de æsculo iterantur lib. 4. Æneid. vbi Æneæ inexpugnabilis aduersum blanditias muliebres constantia exprimitur. MVLTOSQ. PER ANNOS) D Doctrina Nonij est, quoties per accusatiuum casum annos vel dies loquimur, iuges annos, vel dies significari. Quoties per ablatiuum, per interuallum interiectis aliquibus annis vel diebus. Itaque qui optantes, multis annis dicunt, multos annos melius dicerent. Recitat deinde hos Virgilij versus, & rem pluribus auctorum locis clariorem facit.

Neúe tibi ad solem vergant vineta cadentem:
Neúe inter vites corylum sere: neúe flagella
Summa pete, aut summas defringe ex arbore plantas:
(Tantus amor terræ) neu ferro læde retuso
Semina: neúe oleæ syluestres insere truncos.

Nam

Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primùm sub cortice tectus
Robora comprendit, frondesq; elapsus in altas
Ingentem cælo sonitum dedit: inde secutus
Per ramos victor, perq; alta cacumina regnat,
Et totum inuoluit flammis nemus, & ruit atram
Ad cælum picea crassus caligine nubem:
Præsertim si tempestas à vertice syluis
Incubuit, glomeratq; ferens incendia ventus.
Hoc vbi, non à stirpe valent, cæsæq; reuerti
Possunt, atq; ima similes reuirescere terra:
Infelix superat folijs oleaster amaris.

NEVE TIBI AD SOLEM) Sextum præceptum, quo vetat versus occidentem spectare vineta, propter caloris nimirum solaris defectum. Columella lib. 3. cap. 12. Quæ cuncta (sicut ego reor) magis prosunt, cum suffragatur etiam status cæli, cuius regionem quam spectare debeant vineæ, vetus est dissensio: Saserna maximè probante solis ortum, mox deinde meridiem, tum occasum: Tremellio Scrofa præcipuam positionē meridianam censente: Virgilio de industria occasum repudiante: Democrito, & Magone laudantibus cæli plagam septentrionalem, quia existiment ei subiectas feracissimas fieri vineas, quæ tamen bonitate vini superentur. Nobis in vniuersum præcipere optimum visum est, vt in locis frigidis meridiano vineta subijciantur, tepidis orienti aduertantur, si tamen non infestabuntur austris, eurisq;, velut oræ maritimæ in Bætica. Sin autem regiones prædictis ventis fuerint obnoxiæ, melius aquiloni, vel fauonio committētur: nam feruentibus prouincijs, vt Ægypto, & Numidia, vni septentrioni rectius opponentur. VERGANT VINETA) Vinetum est plaga, vel regio, aut magnus soli, vel terreni alicuius tractus, vineis consitus. Vineæ propria, peculiarisq; significatio angustior est: locum enim tantum vitibus consitum complectitur: vt quemadmodum vinetum ipsarum vinearum, ita etiam vinea ipsarum vitium dici videatur. Carol. Steph. in Prædio rust. NEVE INTER VITES CORYLVM) Septimo præcepto vetat corylos serere inter vites, siue propter naturalem quandam ἀντιπάθειαν, siue quod radices earum admodum confertæ, ac numerosæ vitibus detrimentum afferunt, alimentum earum intercipiendo. Et necant sanè inuicem inter sese arbores vmbra, vel densitate, atq; alimenti rapina, teste Plinio. Docet item, ex qua parte vitis eligenda semina, quod numerari poterit octauum præceptum. Nonum de ferro acuto, non obtuso adhibendo in vitibus rescindendis. Decimum, oleam, aut oleastros inter vites arbustiuas non esse serendos. Bersman. Versuum hæc est sententia. Præterea corylum vitibus ne quis interponat: quæ nisi procul absit, tristis erit vitis atque ægra. Semina autem eligito à partibus vitium inferioribus: quia hæ maxime sunt genitales: & quia è terræ proximo sunt, ideo melius aluntur. Taleas, & malleolos à summitatibus ne defringito. Etsi enim in summa viti lecta celerrimè comprehendunt: tamen rursus celerrimè senescunt. Quæ semina leges, ea ferro recides acutissimo. Nam obtuso quassantur potius, quam amputantur. Et quemadmodum corylos vitibus interserere iam antea prohibui: ita nunc etiā oleastros interponi veto. Nam sæpe materiā, & occasionē incendijs præbuerunt.

A Quippe vbi pastores incauti scintillas quasdam in agro amiserint, illę primùm oleastrorum cortices pinguiores apprehendunt: deinde per ramos latius paulatim serpunt: donec ad postremum, ipsum quoque verticem exuperent: & totum locum flammis, cælumque atra caligine inuoluant: præsertim si ventus accedat, qui suo flatu ignem hinc inde disijciat. Quod si hoc eueniat, ipse demum oleastri erunt infœcundi, & steriles: neque reuirescere, aut radices repullulare poterunt. TANTVS AMOR TERRÆ) Quæ hîc κατὰ παρένθεσιν inseruntur, quasi rationis subiectionem continent, qua indicatur, surculos prope terram rescindendos esse, quod hi terræ maximè sint assueti, atq; ideo celerius prouenient. NEV B FERRO LÆDERET. SEM.) Columella, deponere semina scrobibus, id est, surculos terra contegere. Semina huiuscemodi interdum plantæ dicuntur. Virgil. *Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum Deposuit sulcis.* Ipsa quoque seminaria vocantur nonnunquam plantaria. Virg. *Et viua sua plantaria terra.* Plin. lib. 13. de palmis loquens. Ergo plantaria instituunt, anniculasque transferunt, & iterum bimas. Seminarium, in quo tenella adhuc semina educanda depanguntur, deponunturque, Plin. nutricem appellauit. Ex Budæo Carol. Steph. in Prædio rust. A VERTICE) Quamuis bonus auctor Seruius, non mihi persuadeat, valere hoc loco verticem Aquilonem. Cur namq; id magis Boreas, quàm Auster, C alijq; venti detrimentum inferat? præsertim cùm acriores sępe, turbulentioresq; Austri sint. Ego significari puto à vertice, à summis stirpibus, siue à superiore cæli parte: nam docet omni tempore in agro consito oleis posse grauia damna ignem, negligenter illic relictum, importare, præcipuè autem, cùm vehementiores aliqui venti spirant, qui oliuetis incumbūt, à summis olearum ramis primò flantes, ipsasq; quatientes, ac vicinis oleis admouentes: ex ardentibus namq; iam, incendioq; correptis, flammarum globos ad alia transuehunt, atq; ita integros ordines olearum absumunt: totosq; agros deuastant. Nā quòd idem Grammaticus *ferens* interpretatur *flans*, ridiculum est: sine dubio enim poeta magnitudinē incommodi, maliq;, quod nisi antea prouisum fuerit, accipitur, D ostendens, inquit, vehementiorem vētum ex alia in aliā stirpem flammā comportare, quod tranquillo cælo non fit, nisi paruum admodum interuallum inter oleas fuerit: tantùm enim tunc ignis corripit illas, prope quas ab incautis pastoribus ignis relictus sit, aut exciderit. Ventū autem ferre incendia non paruum spatiū solere certum est, atq; id etiam docet Aristot. lib. 3. de rebus superis, vbi de cōflagratione templi Dianæ Ephesiæ loquitur, quod ipsius tempestate incensum est: id enim tum apparuisse, ab omni-

ab omnibusq; oculis cerni potuisse affirmat his verbis. πολλαχῆ γὰρ ἡ φλὸξ ἐφέρετο συνεχὴς, ὥσπερ τεταμένη χαίτη. Cum etiam in describenda tempestate, quæ classem Æneæ quassauit, Virgilius cecinit,

Vnam quæ Lycios fidumq́; vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit,

eodem (nisi fallor) modo cæpit, à verticeq́; intellexit à A superiori altioreque siue nauis, siue cæli parte, quod ne ipse quidem Seruius respuit: quamuis non vna hac interpretatione contentus sit: nam ait, à vertice, aut à puppi, quæ vertex nauis est: aut Aquilone, qui flat à mundi vertice, hoc est à septentrione. Ventos vero à superiore cæli parte principium ortus ducere certum est, testante hoc etiam Aristotele in 2. eorundem librorum. Victor. lib. 19. cap. 8.

Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor,
Tellurem Borea rigidam spirante mouere.
Rura gelu tum claudit hyems, nec semine iacto
Concretam patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis satio est, cùm vere rubenti
Candida venit auis longis inuisa colubris:
Prima vel Autumni sub frigora, cum rapidus sol
Nondum hyemem cōtingit equis, iam præterit æstas.

Vndecimum præceptum tempus denotat, & flatum ventorum vitibus serendis accōmodatum. Probat autem tēpus vernum, & autumnale, flatusq; Austrinos, improbata hyeme, & flatibus Borealibus, cum propter terram tum temporis congelatam non possit radix terræ affigi. Et verna quidem satio optima est, cum iam ciconiæ redeunt, si quidem ager pinguis fuerit, aut campestris, & vliginosa planicies. Sin exilis, atq; aridus campus: si macer, præruptusq́; collis, autumno serere conueniet: & quidem sub prima frigora, cum iam æstas præterijt, nec dum hyems incipit. CONCRETAM RADICEM) humidam, vel quia terræ concrescit. Radix cum in arbore tum in alia quauis planta, secundū Theophrastum est id, quo alimentum à terra attrahitur. Volunt quidam, inde dictā, quod sæpius effossa terra parumper radatur, vt arbor fruticescat. Quæ illi circumquaq; adhærent, quibusq; tanquam lacertis nititur, & terram vndique comprehendit, capillamenta vocantur, à Plinio etiam fibræ. VERE RVBENTI) supra, purpureum dixit, propter solem tum clarius splendentem. CANDIDA AVIS LONGIS. I.C) Periphrasis est ciconiæ ex suis adiunctis. Ciconiæ quonam è loco veniant, aut quo se referant, incompertum adhuc est. E longinquo venire non dubium, eodem, quo grues, modo: illas hyemis, B has æstatis aduenas. Abituræ congregantur in loco certo: comitatæq; sic, vt nulla sui generis relinquatur, nisi captiua, & serua, ceu lege, prædicta die recedunt. Nemo vidit agmen discedentium, cum discessurum appareat: nec venire, sed venisse cernimus: vtrumq; nocturnis fit temporibus. Et quamuis vltra citráue peruolent, nunquam tamen aduenisse vsquam, nisi noctu existimantur, &c. Honos ijs serpentium exitio tantus, vt in Thessalia capitale fuerit occidisse. Plin. lib. 10. cap. 23. Eam Petronius Arbiter istis epithetis afficit. Pietaticultrix, gracilipes, choralistria, exulhyemis. Meminit Crinit. lib. 4. cap. 13. Verni temporis hieroglyphicon est. RAPIDVS SOL) Rapidus sol, propter incredibi- C lem celeritatem, conuersionemq́; rapidissimam. Cic. in Lucullo. Ille sol, qui tanta incitatione fertur, vt celeritas eius quanta sit, ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare videtur. Iacob. Pont. NONDVM HYEM. CONTING. EQVIS) Varro de ling. lib. 5. hiems, quod tum multi imbres. Hinc hibernacula, hibernum: vel quod tum anima, quæ flatur omnium apparet, ab hiatu hiems. Tempus secundum ver, quod tum virere incipiunt virgulta, ac vertere se tempus anni. Nisi quod Iones dicūt ἔαρ. Tertium ab æstu æstas. Hinc æstiuum. Nisi forte à græco αὔθεσθαι. Quartum autumnus, reliqua desunt.

Ver adeò frondi nemorum, ver vtile syluis:
Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus.
Auia tum resonant auibus virgulta canoris:
Et venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager: Zephyriq; tepentibus auris
Laxant arua sinus: superat tener omnibus humor:
Inq; nouos soles audent se gramina tutò
Credere: nec metuit surgentes pampinus Austros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.
Non alios prima crescentis origine mundi

Illuxisse

Illuxisse dies, aliumúe habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri:
Cùm primùm lucem pecudes hausere, virùmq;
Ferrea progenies duris caput extulit aruis:
Immissæq; feræ syluis, & sidera cælo.
Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusq;, caloremq;
Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.

Digressio in laudem verni temporis, ex varijs eius A adiunctis, quod tum concipiunt plantæ, aues, pecudes, fruges, vites. Est enim ver (ait Theophrastus de caussis plantarum lib.1.ca.14.) tempus omnium viuacissimum, fœcundissimumque: vtpote quod humidum, calidumque naturâ sit. Cum hac autem descriptione veris Ouidianam, si placet, conferamus, ex Fast. lib.1.

Omnia tunc florent, tunc est noua temporis ætas,
Et noua de grauido palmite gemma tumet.
Et modò formatis operitur frondibus arbor:
Prodit & in summum seminis herba solum.
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriatq; pecus.
Tunc blandi soles, ignotaq; prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus.
Tunc patitur cultus ager, & renouatur aratro.
Hæc anni nouitas iure vocanda fuit.

Eandem anni tempestatem rursum depingit Fastor. lib. 3. *Quid, quod hyems*, &c. Et lib. 4. *Nec Veneri tempus*, &c. Est & apud eundem poetam sanè festiua descriptio, eleg.12. lib.3. Trist. Ad laudationem veris etiam pertinet principium Lucretij, & illi versus lib. 6. eiusdem.

Et cùm tempora se veris florentia pandunt.
Frigore enim desunt ignes, ventiq; calore
Deficiunt, neq; sunt tum denso corpore nubes.

Sed ne Horatium prætereamus, cuius sunt ista, Ode 4. lib.1.

Soluitur acris hyems grata vice veris & Fauoni,
Trahuntq; siccas machinæ carinas.
Ac neq; iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna,
Iunctæq; Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, &c.

Est item apud Anacreontem Oda scitissima de laudibus Veris, quam in Eclog. 3. ad illos versus descripsimus, *nunc omnis parturit arbos, Nunc frondent sylua*, &c. numer. 69. TVMENT TERRÆ) expressit Græcum verbum ὀργᾷν, quo verbo hoc ipsum, quod tradit hic poeta, Græci significant. Ductum autem id verbum est à partibus animantium, quæ manifestò appetentes coitus sunt, indeque ad res sensu carentes translatum. Idem autem alio verbo Virgil. cuius tandem eadem est notio, expressit, cùm in 7. Eclog. inquit, *iam læto turgent in palmite gemmæ.* Græci autem, qui suo verbo ὀργᾷν, intellectu hoc ipso vsi sunt, plures sunt. Theophrastus multis locis, è quibus hic est lib. 3. de caussis eorum, quæ è terra oriuntur, & videtur poeta locum hunc Græci scriptoris expressisse. ἀεὶ γὰρ δεῖ φυτεύειν εἰς ὀργῶσαν τὴν γῆν. Et Plutarch. lib. 3. Sympos. de taxo disputans, cuius vmbra necat eos, qui sub ea dormierint, præsertim eo anni tempore, quo turget, & flores fundit. ὅταν ὀργᾷ πρὸς τὴν ἄνθησιν. Victor lib.18. cap.22.

At enim Turneb. lib.25. cap.30. illud *tument* à virginibus ductum ait, quarum plena pubertate habitus viro maturus est, toto corpore velut tumescente: præsertim pectore, & mammis. Vnde & tumida virginitas eleganter à Papinio lib. 2. Thebaid. dicitur, *tumida cum virginitate iugati Gaudia mente parant.* * *Explanatio hæc à priore, vt patet, non multum discrepat, & clarior est.* TVM PAT. OMNIP.) *Statim omnino huc respexit.* ipsum in connubia terræ Æthera, cum pluuijs rarescunt nubila, soluo] Quemnam dicere deum verum oporteret, parum constitit veteribus. Nam Thales Milesius, qui omnium primus de natura quæsiuit ac disputauit, aquam esse dixit, de qua omnia nata sint. Deum autem esse mentem, quę ex aqua cuncta B formauerit. Pythagoras deum esse animum credidit, per vniuersas mundi partes, omnemque naturam commeantem, atque diffusum: ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiant. Anaxagoras auctor est, deum esse infinitam mentem, quæ per se ipsam moueatur. Cleanthes, & Anaximenes æthera dicũt summum esse deum, cui opinioni poeta noster assensit. Lactant. lib.1. cap.5. Rhodig. lib.21. cap.34.

Sententiam Æschyli ex Danaidibus retulit. Versus apud Athenæum citantur hi, & quidem perbelli.

Ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα,
Ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν,
Ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνάεντος οὐρανοῦ πεσὼν,
C Ἔλυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
Μήλων τε βοσκὰς, καὶ βίον δημήτριον,
Δένδρων τέ τις ὥρα ἐκνοτίζοντος γάμου
Τέλειός ἐστι. τῶν δ' ἐγὼ παραίτιος.

Idem à Lucretio versibus luculentis scriptum est, sumptumq; ex Euripide, sic dicente.

Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου, πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο.
Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταὐτὸν δύο,
Φύουσιν ἡμῖν πάντα, καὶ τρέφουσ' ἅμα.

Arnob. lib.5. Itaque qui dicit, cum sua concubuit Iupiter matre, non incestus significat, aut propudiosas Veneris complexiones, sed Iouem pro pluuia, pro tellure D Cererem nominat. Turneb. lib.11. cap.22. Vide Eclog.7. ibi, *Iupiter & læto descendet plurimus imbri.* numer.161. Lucretij versus, quos æmulatus est Maro, sunt hi lib.1.

Postremò pereunt imbres, vbi eos pater æther
In gremium matris terrai præcipitauit.

Gremium telluri rursum tribuit lib. 2. *Concharumq; genus parili ratione videmus Pingere telluris gremium.* Similis est ille quoq; locus eodem lib.

Omnibus ille idem (Iupiter) pater est: vnde alma liquentes
Humorum guttas mater cùm terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, &c.

Et à Virgiliano fonte suos deduxit versiculos Columella lib. 10. vbi de verno tempore agit, & quid eo fiat, disserit.

Maximus ipse deûm, posito iam fulmine fallax
Acrisionaeas veteres imitatur amores,
Inq; sinus matris violento defluit imbri:
Nec genitrix nati tunc aspernatur amorem,
Sed patitur nexus flammata cupidine tellus.

AVIA TVM RESON. AVIBVS) Auia, loca deserta, atq; inculta, quà iri non potest. Cornif. ad Herennium, Hunc dulcedo auium ducit ad auium. Plaut. *Syluans lucus extra vrbem est auius.* Ouid. suprà. *Et tepidum volucres concentibus aera mulcent.* VENEREM REP. ARM.) Lucretius in descriptione verni temporis, procemio librorum suorum ad Venerem.

Omnibus (animantibus) incutiens blandum per pectus amorem,
Efficis vt cupidè generatim saecla propagent.

CERTIS DIEBVS) quibus diebus id fiat, exponit Aristoteles in histor. animal. Homini tantum primi coitus poenitentia, augurium scilicet vitae à poenitenda origine. Caeteris animalibus stati per tempora concubitus, homini omnibus horis dierum, noctiumq;. Caeteris satietas, homini prope nulla, &c. Plinius lib. 10. ca. 63. PARTVRIT AGER) Eclog. 3. *Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos.* LAXANT AR. SINVS) Aperitur terra, calore tepido resoluta: quod cùm Aprili mense fiat, ab aperiendo illi nomen factum volunt. Suprà lib. 1. *Zephyro putris se gleba resoluit.* Ouid. *Vere nitent terra, vere remissus ager.* SVPER. HVMOR) abundat, superest. Horatius satyr. 2. lib. 2. ergo, *Quod superat, non est, melius quò insumere possis?* Cicero Paradoxo 6. Vter igitur est diuitior, cui deest, an cui superat? Idem 5. de Finib. Deque eo quod ipsis superat, aliis gratificari volunt. Humorem autem dicit seminalem, quem concipiunt ex halitibus illis foecundis, ac viuificis. NOVOS SOLES) Vernales, vel ad nos redeuntes. Georg. 1. *sole nouo terras irrorat Eous*, hoc est, matutino. Sic 4. Aeneid. *aurora nouo spargebat lumine terras.* GRAMINA) in manuscriptis est *germina.* Et ita Virgilium scripsisse Celsus ait: loquitur enim de arborum omnium foetu. SVRGENTES PAMP. AVSTROS) flatu suo rebus nascentibus inimicos. Pampini vitium sunt virgae, seu rami foliosi, à brachiis, vel palmitibus, atq; adeò ipsis caulibus prodeuntes, &, vt inquit Plin. à lateribus exeuntes, qui quidem dum grandiores sunt, & foliis onusti, vuas ab iniuriis externis defendunt, ac tegunt. Vnde Virgil. *Heu malè tunc mites defendet pampinus vuas.* Carol. Steph. in Vineto. TRVDIT GEMMAS) suprà. *Nam qua se medio trudunt de cortice gemmae.* Ouid. 4. Fastor. *Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.* Columel. quoque arbores dicit gemmas agere, & gemmascere, & gemmare. Item bigemmes, & trigemmes palmites. NON ALIOS PRIMA CRESCENT.) *Conuenienter vtique Lucretianis illis, qui leguntur lib. 6.*

At nouitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios aestus, nec magnis viribus auras.]

Forte verò vacantis operis non fuerit, breuibus hac parte explicuisse, quo anni tempore prima effulserit genitalis mundi hora, & (vt Lucretius inquit) primigena: quando certum temporis principatum non diffitemur habere hunc qui cernitur, & tangitur, & est corporatus vndique. In quo mirè disceptant Hebraeorum interpretes: nam Iosue cum plerisque sectatoribus mundum Martio factum mense nititur probare: tum, quia succrescant è terra tum pubentes herbae: tum quia Exod. 12. mensis hic dicatur primus. Eliezer autem, ac nonnulli malunt Septembri initia mundi contribuere, quoniam tunc maturescentibus fructibus, cum inclusis seminibus, absolutius videatur fuisse Dei opus. Quae

A sententia maximò praestitisse videtur, vt probabilior: quia & in Deuteronomij cap. 23. scriptum legimus, Dei opera perfecta sunt. Proinde in eam item sententiam pedibus eunt omnes, hominem primum in statu aetatis perfecto productum, quò posset generationem perficere: tunc enim vnumquodque videri perfectum, cùm simile sibi valet progignere. Quod ipsum in fructuum ratione astruendum est, qui suis sunt seminibus grauidi. Quòd verò Martius dicatur mensium primus, non ad mundi primordia referendum arbitrantur, sed ratione sollemnitatum celebrandarum dici volunt: simul propter singulare Dei beneficium, quo de Aegypto seuocati Hebraei fuerant. Quod & innuere Scriptura videtur,

B quum ait, primus erit in mensibus anni: tanquam insinuet, antea non fuisse primum. Priorem tamen opinionem tueri videtur Strabus. Sed & Ambrosius, inde, inquit, oportebat mū di exordium capi, vbi erat opportuna omnibus verna temperies, vnde & nascentis mundi imaginem annus exprimit, vt post hybernas glacies, & caligines hyemales serenior solito verni temporis splendor eluceat. Sed & illud affertur commodè, calorem genitalem requiri omnino temperatum: quo argumento reijcitur cum capricorno cancer: quin & libra, quod in frigidum ab sicco deuergens, mortis videatur esse praesagium potius, quam generationi aptum exordium. Rhodigin lib. 1. cap. 7. * *Quo anni tempore mundum à Deo procreatum videatur credibile, disputat eruditissimè*

C *Benedict. Pererius Comment. in Genesin. lib. 1. Nonnulla quoq; a nobis dicta ad dial. 6. prima tertij, qui sex mundi natales, seu Cosmopoeiam inscribitur, in opificio dei tertij exponendo scilicet.* PRIMA ORIGINE MVNDI) Ouid. 1. Metamorph. *Primaq; ab origine mundi.* Et lib. 5. *Sed pariter prima concepta ab origine mundi.* Propert lib. 3. *Nunc tibi si qua tenes ab origine dicere prima Incipiam.* Lucanus.

At simul à prima descendit origine mundi
Caussarum series: atq; omnia fata laborant.

FERREA PROGENIES DVRIS CAP.) Eruditissimus iuxta, ac eloquentissimus Lactantius lib. 2. cap. 11. Illud inquit, hoc loco praeterire non possum, quod errantes

D philosophi quidam aiunt, homines, caeteraque animalia sine vllo artifice orta esse de terra. Vnde illud Virgilianum est, *Terrea progenies*, &c. Et ij maximè fuerunt in ea sententia, qui esse prouidentiam negant. Addit idem cap. 12. non erant in principio mundi hyems, & aestas: sed perpetua temperies, & ver aequabile. Turneb. libr. 21. cap. 22. recitat, & approbat. * *Tamen quod pro Ferrea legit Terrea Lactant. facit id minus rectè, & doctis omnibus dissentientibus.*

De prima hominis origine, & formatione nihil apud Ethnicos certi, vel verisimile habetur. Fuerunt tamen, vt Diodorus Siculus auctor est, binae opiniones. Nam è philosophis alij cùm mundum ingene-

E rabilem, atque incorruptibilem putassent, genus quoque hominum sempiternum esse asseruerunt. Ita nunquam initium ipsorum fuisse arbitrati sunt. In hac opinione fuit Aristoteles, qui, vt Lactantius lib. 2. scribit, molestia ac labore se liberans, dicebat mundum semper fuisse. Itaque & hominum genus, & caetera, quae in eo sunt, initium non habere, sed fuisse semper, ac semper fore. Fuerunt alij, qui cùm mundum generabilem, ac corruptibilem putarent, homines quoque appositè, certis temporibus incaepisse affirmarunt. Et quidem apud Platonem in Menexeno, Protagora, Politico, Critia est, hominem è terra conditum, & artificis sui imagine, ob idque theoidem appellatum. Nec tamen inficiatur idem, exundante amplius humoris

moris elemento, moxque residente eo, ex humiditatis copia, & insequentis æstus, terram tot, tantæque fœcunditatis semina concipere, vt cuiusquemodi inde prorumpant animalia. A qua origine spontanea ne homo quidem abiungitur, sicut Ægyptiorum doctrina contineri nouimus, atque item Arabum, quò alludit poeta, in cuius versu legendum esset terrea, pro ferrea. Veruntamen, etsi legamus ferrea, manet, de qua diximus, allusio. In fabulis est, Prometheum primum hominem è luto finxisse, & igne à Ioue sublato illum animasse, quod Ouid. lib. 1. Metamorph. testatur, cùm de tellure inquit.

Quam satis Iapeto mistam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.

Sed hoc poetarum figmentum de nihilo natum non est. Hominem è limo terræ formatum rectè viderunt poetæ Ethnici. Neq; vt ait Lactant. lib. 2. res eos fefellit, sed nomen artificis. Nullas enim litteras veritatis attigerāt: sed quæ prophetarum vaticinio tradita in sacrario dei continebantur, ea de fabulis, & obscura opinione collecta & deprauata, vt veritas à vulgo solet varijs sermonibus dissipata corrumpi, nullo non addente aliquid, ad id quod audierat, carminibus suis comprehenderunt. Verum ergo est, quod hominem è limo terræ figuratum scribunt poetæ: sed à Prometheo formatum hominem, id omnino falsum conuincitur. Sed cum verum sit, poetas non omnino mentiri solitos: sed figuris inuoluere, & obscurare quæ dicunt, non dico mentitos esse: sed primum omnium Prometheum simulacrum hominis formasse de pingui, & molli luto, ab eoq; natam primo artem & statuas, & simulacra fingendi. Sic veritas fucata mendacio est: & illud quod à deo factum ferebatur, homini, qui opus diuinum imitatus est, cæpit adscribi. Augustin. lib. 18. de ciuitate dei, scribit, Prometheum propterea de luto formasse hominem creditum, quia optimus sapientiæ doctor fuisse perhiberetur, qui homines, etiam agrestes & indoctos, ad optimæ fidei rationem, & ciuiles mores instituerit. Hoc Hesiod. in Theogonia indicat, cum de Prometheo inquit,

Ἰαπετιονίδη πάντων περὶ μήδεα εἰδώς.
Iapeti proles reliquis sapientior vnus.

Fuerunt alij qui dicerent, certis conuersionibus cæli, & astrorum motibus maturitatem quandam extitisse animalium ferendorum. Itaque terram nouam semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdam, in vterorum similitudinem protulisse, de quibus Lucretius, *Crescebant vteri terram radicibus apti.* Eosq; cum maturuisset natura cogente ruptos, animalia tenera profudisse. Deinde terrā ipsam humore quodā, qui esset lacti similis, exuberasse. Ad hanc opinionē respicit, quod hîc Virgilius ait. Rhodig. lib. 17. c. 19. Nec res hvnc ten.) Voluit certe communis illa rerum mater natura, inter hyemem atque æstatem medium quoddam tempus interuenire, quod neq; frigore, neque calore nimio modum excederet: sed blanda quadam cæli indulgentia tepidum esset: ne res modò nascentes, & nondum auctu suo confirmatæ, aut nimio frigore læderentur, aut nimio calore languescerent. Cæli indvlgentia) Nihil aliud est ista cæli, hoc est, aeris indulgentia, quam ex calore, & frigore temperata mediocritas, quod satis ex ipsius poetæ verbis antecedentibus claret. Verna temperies, quæ rebus adhuc teneris, nondum soliditatem suam adeptis, adhuc germinantibus mirè conuenit, & conducibilis est. Iacob. Pont.

Quod superest, quæcunq; premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas.
Inter enim labentur aquæ, tenuisq; subibit
Halitus, atq; animos tollent sata. iamq; reperti
Qui saxo super, atq; ingentis pondere testæ
Vrgerent: hoc, effusos munimen ad imbres:
Hoc, vbi hiulca siti findit Canis æstifer arua.
Seminibus positis superest deducere terram
Sæpius ad capita, & duros iactare bidentes.
Aut presso exercere solum sub vomere, & ipsa
Flectere luctantes inter vineta iuuencos:
Tum leues calamos, & rasæ hastilia virgæ,
Fraxineasq; aptare sudes, furcasq; bicornes:
Viribus eniti quarum, & contemnere ventos
Assuescant, summasq; sequi tabulata per vlmos.
Ac dum prima nouis adolescit frondibus ætas,
Parcendvm teneris: & dum se lætus ad auras
Palmes agit laxis per purum immissus habenis,
Ipsa acies falcis nondum tentanda, sed vncis
Carpendæ manibus frondes, interq; legendæ.
Inde vbi iam validis amplexæ stirpibus vlmos
Exierint, tunc stringe comas, tunc brachia tonde.
Antè reformidant ferrum, tunc deniq; dura
Exerce imperia, & ramos compesce fluentes.

Qvod

QVOD SVP. QVÆCVNQVE PREM. VIRG.) Duodecimum præceptum, de stercoratione depositarum vitium, ac defensione earum aduersus aquas hyemis, & vapores æstatis. Diligenter legerat Virgilius libros Theophrasti de stirpibus: & eos, quibus ille commemorat, quæ acceperit ab alijs de natura ipsarum, aut ipse viderit: & eos item, quibus caussas affert omnium illatum rerum: ex posterioribus autem his, ijsdem eruditioribus libris plura fortasse sumi possunt, quæ faciant ad studium illud ornandum, quod habebat in manibus, ac sedulò tractabat poeta, cùm Georgica scripsit. Quin autem omnis hic locus, refertus multis & vtilibus præceptis, inde expressus sit, dubitari non potest. In 4. enim lib. *φυτικῶν αἰτιῶν* accuratè copioseq; de his B omnibus disseruit, & de lapidibus certis quibusdam duos in scrobibus infodere prope radices stirpium, valde vtile putat: inquit enim. *Ὅπως δὲ καὶ τῶν ὑδάτων τοῦ χειμῶνος ἀπολαύωσι, καὶ τοῦ θέρους καταψύχωνται, διὰ τοῦθ' ὑποβάλλουσι κάτω λίθους, ὅπως συῤῥοὴ γίνηται τοῦ ὕδατος, καὶ τοῦ θέρους ὅτι καταψύχουσι τὰς ῥίζας. οἱ δὲ κληματίδας ὑποτιθέασιν ὕδατος, οἱ δὲ κέραμον παρακατορύττουσιν ὕδατος.* Sed infrà etiam eodem lib. *συμφέρει δὲ καὶ ἄμμον πότιμον παραβάλλειν. Καὶ φέρους ἐκ ποταμῶν, ἢ χαράδρας: ἀποστέγει γὰρ ταῦτα, καὶ ἅμα δι' αὐτῶν παρέχεταί τινα δύναμιν.* Sed non tantum Theophrastus, qui hanc curam susceperat, ac de natura omnium quæ oriuntur è terra accuratè disserebat, huius præcepti, vt debebat, meminit, verùm etiam Aristoteles, non minus C diligenter, cùm aliud doceret, ac de vita & morte omnium, quæ viuere dicuntur, disputaret: ipse enim quoque tradidit, eo pacto nonnullis stirpium morbis remedium adhiberi: nam *σφακελίζειν* illæ aliquando dicuntur, vt quandoq; etiam, cùm subitò intereunt, sidere quasi ici, & *ἀστρόβλητα* esse. Addidit autem, ijsdem pænè verbis vtens. *διὸ καὶ γίνη τινὰ λίθους ταῖς ῥίζαις ὑποβάλλουσι, καὶ ὕδωρ ἐν ἀγγείοις, ὅπως αἱ ῥίζαι ψύχωσι τῶν φυτῶν.* Nonnulli item nostri, periti rerum rusticarum, hoc malum reformidantes, eodem pacto ipsi occurrunt. Sed pro lapidibus bibulis, aut vasculis aquæ plenis infodiunt in scrobibus cornua arietum, in quibus etiam seruatur diu aqua, non minus atq; in vasis. Victor lib. 36. cap. 5. [*Quàm aptè autem hic vsus sit verbo* premere *Virgil. docet Magius lib. 4. cap. 7. Horat. dixit terra premere, pro, in terram defodere, terra obruere. Ode. Epod.* D

——— haud parauero,
Quod aut, auarus vt Chremes, terra premam,
Discinctus aut perdam vt nepos.

Sed vide quæso Magium] Adducit hunc locum de lapide, & conchis infodiendis Columella lib. 3. cap. 15. Sic deinde curuatam deponere, ne duarum vitium radices implicentur: id enim vitare facile est, per imum solum iuxta diuersa latera fossarum dispositis paucis lapidibus, qui singuli non excedant quinquelibrale pondus. Hi videntur (vt Mago prodit) & aquas hyemis, & vapores æstatis propulsare radicibus: quem secutus Virgilius, tutari semina, & muniri sic præcipit, *Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas.* Et paulò post: E

——— iamq; reperti
Qui saxo super, atq; ingentis pondere testa
Vrgerent: hoc effusos munimen ad imbres,
Hoc vbi hiulca siti findit canis astifer arua.

HIVLCA SITI. F. CAN. ÆSTIF. ARVA) Findendo propter æstum, seu per æstum, facit hiulca. 3. Æneid. alijs verbis. *tum steriles exurere Sirius agros.* SEMINIBVS POSITIS, SVPEREST) Sexta libri pars, de operibus vinitorum post consitionem nouellari: vt sunt pastinatio, pedatio, pampinatio, sepes, sacrificia, repastinatio, frondatio, ablaqueatio. Quibus omnibus opponitur aliarum arborum cultura minus laboriosa, quam vitis.

A Sententia versuum hæc est. Hactenus de consitione vitium nouellarum dictum est satis: nunc ad pastinationem, & fossionem vt reuertamur, ordo instituti operis à nobis postulat. Numerus enim vertendi solum bidentibus (vt verum fateamur) definiendus non est: cum quãto crebrior sit, tanto plus prodesse fossionem conueniat. Itaq; crebrò fodito, capita vitium putato, circumfodito: vbi vites arbustiuæ sunt, ibi arare incipito: vltra citraq; sulcos perpetuos ducito. Hoc vbi ritè administraueris, pedandæ vineæ curam suscipito. Sed hic obseruandum, plerumq; teneram vineam melius leui calamorum adminiculo, quam vehementi palo acquiescere. Itaq; singulis vitibus singulas arundines applicabimus: hastilia, & furcas bicornes disponemus: quibus annectentur singulæ transuersæ perticæ, in imam partem ordinis, quod genus iugi canterium vocant rustici. Plurimum id esse refert, quod vitis his adminiculis subnixa, se in transuersa potiùs fundat, quam in edita, ventosq; facilius sustineat, & tabulata institui possint. AD CAPITA) vitium, quæ sunt radices, quibus alimentum sibi è terra familiare stirpes attrahunt, sicut animalia illud ore assumunt. IACTARE BIDENTES.) Ligonibus effodere. Videtur pastinum innuere. Pastinum, inquit Columella, vocant agricolæ ferramentum bifurcum, quo semina panguntur: vnde etiam repastinatæ dictæ fuere vineæ veteres, quæ refodiebantur. FLECTERE) moderari, ne teneras vites concutiat. RASÆ VIRGÆ) politæ, decorticatæ, ne ex corticibus virgarum, rubigo vitibus aduersa procreetur. Vsus pedamentorum, palorum, perticarum, &c. triplex in vineis. Primus, vt viticulæ ijs surrigantur, quæ sua natura fragiles sunt, neq; absque adminiculo hoc stare erectæ possunt. Secundus, vt iniuriam ventorum sustineant. Tertius, vt ad fastigium arborum, quibus maritantur, præsertim in vineis arbustiuis, facilius assurgant. Bersman. TABVLATA) id est, vt vitis innixa vlmis ascendat per tabulatum. Tabulata in arboribus dicuntur ordines ramorum imi, & summi, vel rami extenti in arboribus, non altius ascendentes sed in plana tendentes, quales potissimum in vlmis, & platanis. Vide Columell. lib. 5. cap. 6. Tabulati formam descripsit & Plinius lib. 17. cap. 23. Bersman. AC DVM PRIMA NOVIS) Pedationem sequitur deinde pampinatio, cuius ea est tempestiuitas: dum adhuc teneri palmites sunt, & iam prima ætate adolescunt, vt illis parcatur. Sed cùm ad iustam mensuram excreuerint, leui tactu digiti illorum pampini decutiuntur, & infringuntur. Nam hoc in viridi, & adhuc in matura stirpe fieri noxium. Neq; enim eatenus plaga consistit, quà vestigium fecit acies: sed æstiuis caloribus falce vulnus penitus impressum, latius inarescit, ita, vt non minimam partem de ipso matris corpore enecet. PARCENDVM TENERIS) Ad homines licet hoc transferre. Monebit prouerbiali schemate parentes, præceptores potissimùm, vti pueritiæ rationem ducant, & ab infirma ætate nequid grauius exigant. Iacob. Pont. INDE VBI IAM VALID.) At vero, cùm vehementius indurụerint, & vltra vlmos iam assurrexerint, tum & falcem admouere, & superiorem partem decacuminare, & nepotes à matre recidere, & ramorum propagines superuacuas decerpere conueniet: nec sarmentis pati syluescere, vt vitis in ceruicem confirmetur, & robustior fit. TVNC STRINGE COMAS) Eclog. 9. *hic vbi densas Agricola stringũt frondes.* Georg. 1. *Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus.* Horat. Epist. 14. lib. 1. *bouemq; Deiunctum curas, & strictis frondibus explet.* Stringere est demere, amputare, vt in Mœride explanat Seruius.

Texendæ sepes etiam, & pecus omne tenendum est:
Præcipuè dum frons tenera, imprudensq; laborum:
Cui, super indignas hyemes, solemq; potentem,
Syluestres vri assiduè, capreæq; sequaces
Illudunt: pascuntur oues, auidæq; iuuencæ.
Frigora nec tantùm cana concreta pruina,
Aut grauis incumbens scopulis arentibus æstas,
Quantum illi nocuere greges, duriq; venenum
Dentis, & admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi:
Præmiaq; ingentes pagos, & compita circum
Theseidæ posuere: atq; inter pocula læti
Mollibus in pratis vnctos saliere per vtres.
Nec non Ausonij, Troia gens missa, coloni
Versibus incomptis ludunt, risuq; soluto:
Oraq; corticibus sumunt horrenda cauatis
Et te Bacche vocant per carmina læta, tibiq;
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu:
Complentur vallesq; cauæ, saltusq; profundi,
Et quocunq; deus circum caput egit honestum.
Ergo ritè suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patrijs, lancesq; & liba feremus.
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram:
Pinguiaq; in verubus torrebimus exta colurnis.

TEXENDÆ SEPES ETIAM) At hæc positorum seminum prima cultura est. Interim texendæ etiam sepes, vineæ tutandæ caussa: ne pecus, præsertim lanatum, & ætate luxurians, nullique operi assuetum, irrumpere possit. Nam gemmante vite, procul arcendæ pecudes, quoniam facillimè gemmas auferunt. Plus vitibus damni datur ab vris syluestribus, capris, ouibus, & iuuencis, quàm à frigore hyberno prægelido, aut æstiuo calore præferuido. Neque enim vel pruinosa hyemis frigora, vel calidissimi æstatis feruores tantum nocere possunt vitibus, quantum illis nocent pecudum venenati morsus, & impressa dente pecuino vulnera. Neque sanè aliam ob caussam prisca quadam institutione Libero patri, repertori vitis hirci immolantur, quàm vt capite pœnas luant, propterea quòd vites arrodant. DVM FRONS TENERA) dum vitis adhuc est tenera, & nouella. Vera lectio est frondis. Hodie verò & à fronte, & à fronde vnus est nominatiuus, frons, vt frons frontis, & frons frondis: sicut & lens à lente, & à lende, capitis breuiore pediculo. Seruius. * *Non ait Seruius, legendum esse in carmine* frondis *pro* frons: *cuius enim hoc esset imperitiæ? sed hoc sibi vult, verum esse nominandi casum frons, huius patrij casus,* frondis. *Puto autem & apud alios inueniri hunc rectum, siue nominatiuum, & inprimis apud Varronem.* IMPRVDENSQVE LABORVM) iniuriæ impatiens, inexperta laboris. Res enim est tenera, inquit de vinea Columella lib. 4. cap. 3. infirma, iniuriæ maximè impatiens, quæ plerumque nimio labore, & vbertate consumitur, pe-

A ritque, si modum non adhibeas, fœcunditate sua. INDIGNAS HYEMES) sæuas, infestas. SOLEMQVE POTENTEM) grauem, intolerabilem. Indicatur autem, plus detrimenti afferri vitibus morsu pecoris, desiccante vites, quã intemperie aeris, cùm frigoris inclementia, tum squalore æstus vitibus inimici. SYLV. VRI ASSID.) Plin. li. 11. c. 37. de cornibus animãtium verba faciens. Vrorum cornibus barbari septentrionales potant vrnasq; binas capitis vnius cornua implent. Vros & eorum cornua describit Cæsar lib. 6. de bello Gallico, cap. 5. Tertium est genus eorum, qui Vri appellantur. Sunt magnitudine paulò infra elephantos: specie, & colore, & figura tauri. Magna vis est eorum, & magna velocitas.
B Neque homini, neque feræ quam conspexerunt, parcunt. Hos studiosè foueis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis exercent: &, qum plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines, & mansuefieri, ne paruuli quidem excepti possunt. Cornuum & figura, & species multum à nostrorum boum cornibus differt. Hæc studiosè conquisita, ab labris argento circumcludunt: atque in amplissimis epulis pro poculis vtuntur. CAPREÆ SEQVACES) Capreæ pro capræ κατ' ἐπένθεσιν. Sequaces, quæ vineta sequuntur. ILLVDVNT) per ludum nocent, pessundant. Teren. And. *Dum studeo obsequi tibi, penè illusi vitam filiæ,* id est, perdidi. VENENVM DENTIS) Quod est in morsu caprarum venenoso:

vites

vites enim plantulæ illarum morsu aduruntur. Bersm. Hoc eod. lib. *vrentes culta capellæ.* NON AL. OB CVLPAM BAC. CAPER) Quantum pecudes morsibus suis detrimenti vitibus afferrent, paulò antè dictum est: generatim culturæ inimicas esse, & quamobrem Baccho hircus sacrificetur, Mineruæ contrà caprini pecoris nihil immoletur, ostendit Varro cap. 2. lib. 1. de re rust. his verbis. Quædam enim pecudes culturę sunt inimicę, ac veneno, vt istæ, quas dixisti, capræ. Eæ enim omnia nouella sata carpendo corrumpunt, non minimùm vites atque oleas. Itaque propterea institutum diuersa de caussa, vt ex caprino genere ad alij dei aram hostia adduceretur, ad alij non sacrificaretur: cùm ab eodem odio alter videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sic factum, vt Libero patri repertori vitis hirci immolarentur, proinde vt capite darent pœnas. Contrà, vt Mineruæ caprini generis nihil immolaretur, propter oleam: quod eam quam læserit, fieri dicunt sterilem: eius enim saliuam esse fructui venenum. Est autem nomen *caper* à Marone pro hirco positum audacia poetica, sunt quippe verborum licétia liberiores poetæ, à Cicerone dictum. Quod quasi declarare, & illustrare videtur libr. 30. Turneb. in hæc verba. Poetæ licenter multa nouant, quæque oratio diserta recusaret, & sermo quotidianus vt putida, aut nō latina aspernaretur, libenter vsurpant. Infrà propriè. *Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.* Apud Ouid. habes de immolatione ista, eiusque origine Fast. lib. 1.

Sus dederat pœnas: exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito verba dolore dedit:
Rode caper vitem, tamen hinc cùm stabis ad aram,
In tua quod fundi cornua possit, erit.

Non conuenit inter antiquos scriptores, ait Muret. lib. 3. cap. 7. de caussis, ob quas hoc, aut illud animal huic, aut illi deo immolaretur. Alij enim, quod cuique deo gratissimum esset, id ad illius aras mactari solitum aiunt. Itaque equus Martis erat hostia: & quod aper Adonin interfecisset, apro Veneri rem diuinam facere nefas erat. Alij, quod quisque deus odisset, eius potissimùm cæde illum oblectari putabant. Itaque Nocti sacrificabatur gallus gallinaceus, quod cantu suo diem prouocare, noctem fugare videretur: capra Palladi, quòd oleam insigniter læderet. * *Istuc tamen Varro apertissimè negat, & probabilē caussam adiungit, vt suprà vidimus, quod fefellisse Muretum miror. Quomodo porrò, id est, quàm acutè, & argumentosè, atq; etiam quàm facundè superstitionem ethnicam in victimis alijs alij deo, dea'ue mactandis irrideat lib. 7. Arnob. videbis ab eo loco, Et quoniam nobis in manibus hostiarum sermo versatur, quæ caussa, quæ ratio est, &c. Satis hæc ad versum decimum: nunc quæ ad sequentes deinceps declarandos valebunt, ex Paraphraste primum adducamus.*

Hinc (quod Baccho propter admorsas vites hirco fieret) vetus illa tragœdia, & cæteri ludi theatrales E ac scenici suam originem apud Athenienses cæperunt. Nam & ei, qui circa pagos, & compita ludo tragico victoriam obtinuerat, & ei qui per inflatos, vnctosq; vtres in medio theatro vno pede quàm optimè saltârat, præmij loco hircus dabatur. Morem hunc, & ritum Atheniensium Latini imitati, inculto & rustico genere carminum olim Bacchum colebant, & laruati risum mouebant. Nam excauatis arborum corticibus ora velabāt, Bacchumque inuocabant, & agresti cantione laudes illius celebrabant. Peractis demum sacris, oscilla, & laruas corticeas de arboribus in honorem Bacchi suspendebāt. Et quamquam rudis illa fuit, & simplex ætas, tamen dij immortales grati animi significatione, quam prisci ho-

A mines edebant, optimè contenti erant: frugum, vinique copiam mortalibus suppeditabant. Quare & nos Baccho suum honorem exhibeamus, & patriis carminibus eum celebremus, ac liba in lancibus eidem offeramus: hircum denique ad aras illius producamus, & pinguia exta in verubus colurnis torreamus. Hinc enim omnes vineæ largissimè pubescent: omnes profundæ valles, omnesque saltus progemmabunt: & quocunque deus caput reflexerit, illic palmites, & vuæ pronascentur. PRÆM. POSVERE) caprum, qui erat præmium victoris ludis Liberalibus. Horat. *Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.* THESEIDÆ) Athenienses, sic dicti à Theseo rege κατ' ἀντονομασίαν, sicut à Cecrope B ijdem Cecropidæ appellati fuere. Primi autem Athenienses ludos Liberalia instituerunt, in honorem Liberi patris. VNCTOS SAL. P. VTRES) *Pro saliere, non desunt, qui ex veteribus codicibus, auctoritate Prisciani* saluere *legendum commendant. Et ita similiter ex antiquis libris apud Ouidium legunt in extremo quarto Fastor.* Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos.] Ascoliasmus saltatio erat, Bacchi dicata festis, quæ vocant Ascolia, quod theatri medio vtres, quos dicunt ἀσκὸς, inflatos, obunctosq; vno tantùm insilirent pede, vt delabentes risum excitarent. Hoc agere, apud Græcos dicitur ἀσκωλιάζειν, quò respexit apertissimè Virgilius, quod ineruditè nimis, καὶ ἀναγώγως, id est, ineducatè nō perpendunt interpretes, negligentia prorsum fustuario digna. Rhodigin. lib. 5. cap. 4. Pierius lib. 10. in Capra. C Verba Brodæi sunt lib. 4. cap. 7. Ludendi mos initium videtur sumpsisse è fabula, cuius meminit lib. signor. cælestium 2. in Arctophylace Hyginus, quem consule. In eodem capite ludi huius descriptionem Brodæus, verbis Græcis Scholiastæ Aristophanis exponit. * *Verba Hygini adducamus, & te lector quærendi labore leuemus. Liber pater Icario Erigones patri propter iustitiam, & æquitatem existimatur vinum, & vitem, & vuam tradidisse, vt ostenderet hominibus, quomodo sereretur, & quid ex eo nasceretur: & cùm esset natum id, quomodo vti oporteret. Qui cùm seuisset vitem, & diligentissimè administrando floridam falce fecisset, dicitur hircus in vineam se coniecisse, & quæ ibi tenerrima folia videret, decerpsisse. Icarium iratum, eum interfecisse, ex pelle eius vtrem fecisse, ac vento plenum præligasse, & in medium proiecisse, suosq; sodales circa eum saltare coëgisse. Alij dicunt, Icarium, cùm à Libero patre vinum accepisset, statim vtres plenos in plaustrum imposuisse.* D

Conquiniscere, est cernuum se inflectere, vel inclinare: vt faciunt exoneraturi ventrem. Hoc etiam veteres cernuare dicebant. Quamquam & cernuare etiam ἀντὶ F ἀσκωλιάζειν accipiebant. Varro lib. 1. de vita pop. Rom. Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibiq; cernuabant. A quo ille versus vetus est in carminibus, *Tibi pastores ludos faciunt, coriis cernualia.* Hic ludus ἀσκώλια vocabatur, quem hic intelligit Virgilius. Nam cadebant proni in armos, idq; cernuare vocabant. Scaliger F. in Festum. NECNON AVSONII) Ausonij coloni Troia gens missa, sunt veteres Latini à Troianis oriundi, rustici Itali. Hos ait versibus inconcinnè compositis lusisse, Bacchumque effuso risu, & oscillis celebrasse. ORA Q. CORTIC.) Sæpe verba pro verbis ponit Virgilius, vt hic ora pro personis. Et, *Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.* Quid est enim aura auri? aut quomodo aura refulget? Sed tamen pulchrè vsurpauit. Et, *simili frondescit virga metallo.* Quàm bene vsus est, frondescit metallo? Et, *nigro cum lacte veneni*, nigro imponere nomen lactis. Et, *Haud aliter iusta quibus est Mezentius ira.* Odio esse aliquem, vsitatum est, iræ esse, inuentum Maronis est. Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 6. OSCILLA EX ALTA SVSPEND.) Intelligit oscilla ex corticibus arborum, σχήματα, quæ erant laruæ, & προσωπεῖα, quæ in αἰώραις, & iactationibus ludicris rustici ori opponebant, vt essent magis ridiculi. Etiam ipsas illas iacta-

iactationes, & cernuationes oscilla appellarũt. Quid aũt sint oscilla Ausonio, vide Scalig. F. Ausonian. lect. lib. 2. c. 26. De oscillis, & oscillaone Turneb. l. 7. c. 20. & lib. 20. c. 24. Insuper consule Delriũ in Hippol. Senec. act. 3. PVBES. VIN.) Hac itẽ metaphora Plin. vtitur lib. 17. ca. 22. cùm ait, inimicos, & pubescẽte vua rastros. Progẽmare Columel. dicit lib. 4. ca. 27. Si palmis incipientibus, progemmantibusq; fossorem immiseris, magnã partem vindemię decusseris. Atq; vt pubesceret largo fœtu vinea, idcirco hę cærimoniæ suscipiebantur. VALLESQ. CAVÆ, SALT. PR.) Vites collinas, & campestres significat compleri vuis. ET QVOCVNQVE DEVS) vbicunque statua Bacchi circumlata fuerit, ibi existere vini prouentum magnum. CARMINIBVS PATRIIS) Romana lingua. Laudes enim Bacchi Liberalibus canebantur patrio singularum nationum idiomate. LANCES ET LIBA) liba, seu placentas in lancibus, ἐν διῒ. Vincis enim ad hunc modum lustratis, ad altare Bacchi, vnde discesserant, reuersi, sacras in lancibus victimas offerebant, ac comburebant. Quibus peractis, ad conuiuium, & de conuiuio tandem domum discedebant. Bersman. ET DVCTVS HIRCVS AD ARAM) Ducebantur victimæ, non trahebantur. Sacrorum verbum est *duci*, de quo in Formulis Brissonius libr. 1. pag. 14. STABIT AD ARAM) Obseruatum est à sacrificantibus, vt si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius eluctata: ostendissetque se inuitam altaribus admoueri, amoueretur: quia inuito deo offerri eam putabant: quæ autem stetisset oblata, hanc volenti numini dari existimabant. Macrob. Saturnal. lib. 3. ca. 5. Vide amplius 2. Æneid. ad illum locum, *Quales mugitus, fugit, cùm saucius aram Taurus.* Et Brisson. Formul. lib. 1. pag. 14. Sed habet peculiarem notionem verbum hoc *stare*, in sacris. Admota enim aris hostia dicebatur *stare*, interim dum vota conciperentur, eique vinum, & mola inspergeretur. Placidam quandam quietem significat. Georg. 3. *Sæpe in honore deûm medio stans hostia ad aras.* Seneca Hercul. Furent. *Stat ecce ad aras hostia, expectat manum ceruice prona.* Reliqua Brisson. Martial. lib. 3.

Vite nocens rosea stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche tuis victima grata sacris.

Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nunquã exhausti satis est. namq; omne quotannis
Terq; quaterq; solum scindendum: glebaq; versis
Æternùm frangenda bidentibus: omne leuandum
Fronde nemus. redit agricolis labor actus in orbem,
Atq; in se sua per vestigia voluitur annus.
Et iam olim seras posuit cùm vinea frondes,
Frigidus & syluis Aquilo decussit honorem:
Iam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus: & curuo Saturni dente relictam
Persequitur vitem attondens, fingitq; putando.
Primus humum fodito, primus deuecta cremato
Sarmenta, & vallos primus sub tecta referto:
Postremus metito. bis vitibus ingruit vmbra,
Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ.
Durus vterq; labor. LAVDATO INGENTIA RVRA,
EXIGVVM COLITO. necnon etiam aspera rusci
Vimina per syluam, & ripis fluuialis arundo
Cæditur: incultiq; exercet cura salicti.
Iam vinctæ vites, iam falcem arbusta reponunt:
Iam canit extremos effœtus vinitor antes:
Sollicitanda tamen tellus, puluisq; mouendus:
Et iam maturis metuendus Iuppiter vuis.

EST ET. IL. LABOR) Sed hoc in primis semper meminerit agricola, quod etiam antè monuimus, maximã diligentiam adhibendam esse pastinationi. Nam huius laboris nunquam potest esse satietas. Itaq; omnis vinea quotannis ter, aut quater confodienda: vt omnes herbæ & præcipuè gramina extirpentur: quæ nisi in summum reiiciantur, vitium semina ita perurunt, vt ea scabra, atq; retorrida efficiant. Pampinandæ etiam, & interim frondandę vites: vt superuacua detrahantur: nec committendum, vt in vnam materiam vires, & alimentum conferat. Sic acti labores agricolis in orbem redeunt: & eædem operæ in vitium cultura subinde iterandæ sunt, quemadmodum & ipse annus per sua vestigia voluitur, atq; reuoluitur. Peracta repastinatione, & collecta vindemia, sequens deinde tẽpus, cùm iam vinea pampinos, & frondes deponit, & folia in syluis decidunt, ampliorem curam deposcit, quæ etiam in annum sequentem se extendat. Nam priusquam frigora inuadunt, vitis ablaqueanda est: quod opus adopertas ostendit æstiuas radiculas: easq; prudens agricola ferro decidit. Nam si passus est conualescere, inferiores deficiunt: atque euenit, vt vinea summa parte terreni, radices agat: quæ & frigore infestentur, & caloribus maiorem in modum æstuent: ac vehementer sitire matrem in ortu caniculę cogant. Quare quicquid intra sesquipedem natum est, cùm ablaqueaueris, recidendum est. Postremò in omnibus vineaticæ culturæ partibus, agricola primas vbique teneat: primus terram fodiat: primus recisa vitium sarmenta cremet:

primus pedamenta, & statumina domum reportet: primus serat, primus metat. Et quoniam bis graminibus, atque herbis obducuntur: ideo bis pampinandum, & bis pastinandum, sarriendumq; agricolæ. Qui labor vterq; cùm durus admodum, & perquam sit difficilis: ideo latifundia locupletum, & rura ingentia laudanda quidem censeo: sed modicum agellum colendum arbitror: Nam bene posita vinea, boniq; generis, vtcunque sit exigua, si bono cultore non egeat, nunquam nõ cum magno fœnore gratiam reddit. Laborandum igitur, & nullum à labore vacuum tempus prætermittẽdum. Iam enim rusci, & arundines, & iunci, aliaq; vitium adminicula conquirenda: iam salicum vimina cædenda, & salicta colenda: vt vincula, & ligamenta fortiora non desint. Quibus omnibus peractis, vbi iã & vites deiunctæ palis, & vallis: & depositæ falces: etiamsi vinitor ad extremos antes peruenisse, & nihil operę vlterius restare arbitretur, tamen adhuc tellus aranda, fodienda, pastinanda: & maturis quoq; vuis cæli intemperies metuenda erit. NVNQ. EXHAVSTI LABORIS) Exhausti laboris, finiti laboris. Nunquam exhauritur ille labor, qui vitibus est adhibendus: semper opus habent vinitorum opera. OMNE SOLVM) vineaticum. OM. NEMVS) Vinearium puta. IN SE SVA PER) Varro de ling. lat. lib. 5. Annus, quòd vt paruuli circuli annuli, sic magni dicebantur anni: vnde annus. Annus ait Isid. libr. 5. cap. 26. est solis amfractus, cùm peractis 365. diebus, ad eadẽ loca siderum redit. Annus aũt dictus, quià mẽsibus in se recurrẽtibus voluitur. Ægyptij per draconem caudã suã mordentẽ figurabant. Antiquus poeta L. Varius.

Primum huic neruis septem est intenta fides,
Variiq; additi vocum modi:
Ad quos mundi resonat tenor,
Sua se voluentis in vestigia.

ET IAM. O. S. P. QVVM) De ablaqueatione. Peracta repastinatione, & collecta vindemia, sequens deinde tempus, cùm iam vinea pampinos, & frondes deponit, & folia in syluis decidunt, ampliorem curam deposcit: quæ etiam in annum sequentẽ se extendat. Nam priusquam frigora inuadant, vitis ablaqueanda est: quod opus adopertas ostendit æstiuas radiculas: easq; prudens agricola ferro decidit. Nam si passus est conualescere, inferiores deficiunt, atq; euenit, vt vinea summa parte terreni radices agat, quæ & frigore infestentur, & caloribus maiorẽ in modum æstuent, ac vehementer sitire matrem in ortu caniculæ cogant. Quare quidquid intra sesquipedem natum est, cùm ablaqueaueris, recidendum est. FRIGID. ET SYLVIS. A. D. HON. Totus versus ex Varrone Atacino. De frondibus accipe, quæ sunt honori, & ornamento arboribus. Sic Horat. Ode 11. Epod. *Hic tertius december syluis honorem decutit.* SATVRNI DENTE) falce putatoria, quæ in Saturni tutela est, qui falcifer deus à poetis. RELICTAM) desertam, otiosam, & quasi neglectam hyberno tempore. PRIMVS HVMVM FODITO) In omnibus vineaticæ culturæ partibus agricola primas vbiq; teneat. Primus terram fodiat: primus recisa vitium sarmenta cremet: primus pedamenta, & statumina domum reportet: primus serat, primus metat. DEVECTA CREM. SARMENTA) Sarmenta in vitibus sunt prælongæ earum virgulæ, in quas luxuriantes sparguntur. Vide Vinetum Caroli Stephani. ET VAL. PRIMVM) Valli, pali, sudes, ridicæ, statumina, adminicula, pedamenta, omnia idem sonant. POSTREM. METITO) Metere tam ad vites, quàm ad segetes refertur: sicut apud Græcos ἀμᾶν & ἀμᾶσθαι, non modò θερίζειν, sed & omnes fructus respicit: vt & Hesiodus, καρπὸν ἀμᾶσθαι dixit indefinitè. Et τρυγᾶν quoq; non tantùm vites, & segetes, sed & cæteros quoque fructus comprehendit: vnde & τρυγᾶσθαι φωνὴ, pal-

A ma stringi, & decerpi dicitur: & τρύγη pro vindemia, hordeo, tritico, & fructu quolibet accipitur. καλαμᾶσθαι quoq; non modò σταχυολογεῖν, & spicilegium facere, ac metere, sed & racemare, & οἰναρίζειν significat: vnde & Gazæ, καλαμώμενος ὀπίσω τρυγητῶν, qui acinos colligit post vindemiatores: & Chrysost. de sacerdotio, καλαμᾶσθαι εἰς ἄμπελον τὰ καταλειπόμενα τοῦ ἱερέως. Sed & vindemia, & vindemiare ad aliorum quoque fructuum, quàm solius vuæ collectionem pertinet. Certè mel respicit. Plin. mellis vindemia melior. Columella. Mox vere transacto, sequitur mellis vindemia. Et infrà, 4. Georg. *Bis grauidos cogunt fœtus, duo tempora messis.* Et Cic. ad Att. Ego omnes meas vindemiolas eò reseruo, vt illud subsi-
B dium senectuti parem. De studiorum fructu loquitur. German. BIS SEGETEM DENSIS OBDVC.) Lucret. lib. 1.

Quod superest arui, tamen id natura sua vi
Sentibus obducat, ni vis humana resistat.

Sensus est, bis graminibus, & herbis obducuntur vites: ideo bis pampinandum, pastinandum, sarriendumque agricolæ. Id quod laboriosum est. LAVDATO INGENT. RVRA, EXIG. COLITO) Cùm sit vterque labor durus, vt dictum est, latifundia laudanda quidem illa sunt: sed interim modicus ager diligenter colendus est. Bene enim posita vinea, boníque generis, & bono cultore, nunquam non cum magno fœnore gratiam red-
C didit, inquit Columella lib. 4. cap. 3. Idem lib. 1. cap. 3. Nos ad cætera præcepta illud adiicimus, quod sapiens vnus de septem in perpetuum posteritati pronuntiauit, μέτρον ἄριστον, adhibendum modum, mensuramq; rebus, idque vt non solùm aliud acturis, sed & agrum paraturis dictum intelligatur, ne maiorem quàm ratio calculorum patiatur, emere velit: nam huc pertinet præclara poetæ nostri sententia, *Laudato ingentia rura, Exiguum colito.* Quod vir eruditissimus, vt mea fert opinio, traditum vetus præceptum numeris signauit: quippe acutissimam gentem Pœnos dixisse conuenit, imbecilliorem agrum, quàm agricolam esse debere: quoniam cùm sit colluctandum cum eo, si fundus præualeat, allidi domi-
D num. Nec dubium, quin minus reddat laxus ager non rectè cultus, quàm angustus eximiè. Eandem sentẽtiam rotundè satis extulit Palladius lib. 1. 6. Fœcundior est culta exiguitas, quàm magnitudo neglecta. Adiungamus Plin. lib. 18. cap. 6. Modum agri in primis seruandum antiqui putauerunt. Quippe ita censebant, satius esse minus serere, & melius arare. Qua in sententia video Virgilium fuisse: verumque confitentibus, latifundia perdidere Italiam, iam verò & prouincias.

Simulata laudatione verborum plerumque id efferimus, quod toto pectore improbamus, atq; damnamus: quo factum est, vt verbum ἐπαινῶ, quod Græcis laudo significat, pro recuso, nolo, improbo adhibeatur. A-
E ristophan. in Ranis. κάλλιστ' ἐπαινῶ. Nisi me fallit animus, eadem ratione dicendi Virgilius vsus est hoc loco. Nam latifundia improbat, modicumq; agri modum præfert: ac mihi videtur imitatus Hesiodum, qui scripsit lib. 2. ἔργ. καὶ ἡμερ.

Νῆ' ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι.
Exiguas lauda naues, oneratoq; magnas.

Turneb. libr. 28. cap. 14. * *Ad multas res hoc Virgilianum transferri, & vicem prouerbij haud insulsè obtinere poterit, cùm videlicet alicui mediocritatem in genere quocunq; suadere volueris. Moderata enim vbiq; ferè tutiora sunt, & tractantur diligentius, & durant diutius, & procedunt felicius. Studioso litterarum dicemus,* Laudato ingentia rura, Exiguum colito. *hoc sensu, lauda, admirare frequentes bibliothecas, tu paucis, & bonis libris assiduè euoluendis contentus esto. Pauci enim nocturna, diurnaq; manu versato*

Versati, fructum pro impensa reddent. In Repub. versanti, & honores gerere incipienti, hoc sensu. Magnos viros puta, & ad posteros memorabiles, qui funguntur dictaturis, consulatibus: tu pratura, aut quæstura contentus esto. Regibus etiam cupiditatem complurium regnorum licet his verbis minuere. Quod optime intellexit Antiochus Rex Asiæ, qui cùm à L. Scipione Asiatico deuictus, Tauro tenus regnare iussus esset, omnemq; pænè Asiam amisisset, dicere solebat, benigne sibi à Pop. Romano factum, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur. Retulit M. Tull. orat. pro Deiotaro. Potest etiam dici his, qui πολυπαιδίας sunt cupidi. Præstat enim paucos habere liberos, quam plurimos, quò educandi labores, diurnaquè, ac nocturna sollicitudines minores, & pauciores sint.

NECNON ETIAM ASPERA RVSCI) Laborandum igitur, & nullum à labore vacuum tempus prætermittendum. Iam enim rusci, & arundines, & iunci, aliaque vitium adminicula conquirenda: iam salicum vimina cędenda, & salicta colenda, vt vincula, & ligamenta firmiora non desint. Quibus omnibus peractis, vbi iam & vites deuinctæ palis, & depositæ falces, etiamsi vinitor ad extremos antes peruenisse, & nihil operæ restare arbitretur, tamen adhuc tellus aranda, fodienda, pastinanda, & maturis quoque vuis cæli intemperies metuenda erit. RVSCI) Eclog. 7. *Horridior rusco proiecta vilior alga.* ge-

A nus virgulti, aptum vitibus alligandis. IAM VINCTÆ VITES) Epilogus præceptorum de cultu vinearum, à quo transit ad olearum, & cæterarum arborum culturam, cùm laboriosam minus, tum minus sumptuosam. EXTREMOS ANTES) Antes quadraturæ sunt ædificiorum, ex quo antæ vocantur quadratæ columnæ. Vt antica, & postica opponuntur, ait Turneb. lib. 19. cap. 19. sic & in ianua antes, & postes: illi enim ante sunt, hi pòst. Quod & ab Isidoro relatum est lib. 15. cap. 7. vnde explicandum est hoc Maronis: sunt enim in ingressu, qui & finis est laboris, cùm ad eum peruentum est. * *Antes, inquit Festus, sunt extremi ordines vinearum. Vnde etiam nomen trahunt antæ, quæ sunt latera ostiorum. Glossarium, Antes, στίχοι ἀμπέλων.* METVENDVS IVP. VVIS) B Iouem pro cælo ponere, sollemne est poetis vtriusq; linguæ. Theocritus εἰδ. δ. χ' ὁ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει. Noster Georg. 1. *Iupiter humidus austris Denset, erant quæ rara modo.* Horat. Ode 1. lib. 1. *manet sub Ioue frigido Venator.* In quem locum plura ex eodem profert testimonia Lamb. Vuæ, quòd intrinsecus humore sunt plenæ. Humidum, quod exterius humorem habet.

Contrà, non vlla est oleis cultura: neq; illæ
Procuruam exspectant falcem, rastrosq; tenaces,
Cùm semel hæserunt aruis, aurasq; tulerunt.
Ipsa satis tellus, cùm dente recluditur vnco,
Sufficit humorem, & grauidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem, & placitam Paci nutritor oliuam.
Poma quoq;, vt primùm truncos sensere valentes,
Et vires habuere suas, ad sidera raptim
Vi propria nituntur, opisq; haud indiga nostræ.
Nec minus interea fœtu nemus omne grauescit,
Sanguineisq; inculta rubent auiaria baccis:
Tondentur cytisi: tædas sylua alta ministrat,
Pascunturq; ignes nocturni, & lumina fundunt.
ET DVBITANT HOMINES SERERE, ATQVE IMPENDERE CVRAM?

NON VLLA EST OLEIS CVLTVRA) Quod minus eget alio, siue alijs, secundum Aristot. lib. 2. de Rhetorica, melius esse intelligitur: est enim magis αὔταρκες. Quæ autem in se posita omnia habent, inquit, suisque rebus contenta, non requirunt aliud, demonstratum est iam, bona esse. Hinc argumento ducto, Virgilius oleam viti anteponendam docet.

Veruntamen oleam cultum nullum requirere, in hoc Maroni ab omnibus reclamatur. Varro enim putari, ablaqueari, stramentis & amurca aquæ permistæ circumfundi iubet. Idem ferè Columel. lib. de arboribus cap. 17. Et Plin. lib. 15. cap. 1. Virgilius dixit oleas non desiderare rastros, nec falcem, aut curam. Sine dubio & in his solum maximè, cælumq; refert: veruntamen attondentur, sicut & vitis, atq; etiam interradi gaudent. Consequens eorum vindemia est, arsque vel maior oleum, quam mustum temperandi. Idem rursus lib. 17. cap. 18. Vetus oliuetum ab æquinoctio verno circa Vergiliarũ exortum interradi alternis annis, melius inuentũ: item muscum circumdare radici. Circumfodi autem omnibus annis à solstitio duûm cubitorum scrobe, pedali altitudine: stercorari tertio anno. CVM VOMERE) abundat præposito, vt in illo Ennij. *Effundit voces proprio cum pectore sancto.* PLACITAM PACI) Insigne pacis est olea, proinde à caduceatoribus gestari solebat ra-

C mus oleaginus. Virgil. lib. 8. *Paciferaq; manu ramum prætendit oliua.* NVTRITOR) nutri. Enallage generis, passiuum pro actiuo. POMA QVOQ.) arbores pomiferæ, συνεκδοχικῶς. TRVNCOS SEN. VALEN.) vbi semel vires nactæ sunt: telluris enim adhuc adminiculo opus est. OPIS HAVD IND. NOST.) Lucret. lib. 1. de natura deorum loquens. *Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.* Claudian. *Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis.* FOETV. N. O. GRAVESCIT) Sed & syluestres arbores sine cultura feraces sunt: & arbusta, in quibus aues nidificant, baccas suas depromunt. Cytisus etiam in agro plurimus sponte pronascitur: omni pecudum generi vtilissimus, quod ex eo pinguescit, & lactis plurimum D præbet. Tædas item syluæ educant, vnde faces nocturnæ accenduntur, quæ agricolis lumen de se fundant. RVBENT AVIARIA) Syluæ, seu arbores, in quibus aues nidificant, auium loca, quæ suprà domos auium dixit. ET LVMINA FVNDVNT) Lucret. lib. 4. *Semper enim noua se radiorum lumina fundunt.* ET DVBITANT HOMINES SERERE) ἐπιφώνημα σχετλιαστικόν, ad insectandam negligentiam, & socordiam humanam, cùm par sit, quandoquidem natura tam multa arborum spontè nascentium genera ad vsum vitæ producit, hanc ipsius sollertiam nos imitari artis & culturæ diligentia. Bersman. * *Increpabimus hoc carmine illos, quos laborem*

capessere in rebus honestate, & vtilitate plenis tadet. Cic. de finib. ni fallor. ipsa quærendi defatigatio turpis est, cùm id quod quæritur sit pulcherrimum. Hoc ille in philosophia dixit, nos in alijs præterea multis adhibeamus.

Quod Cicero dixit pro lege Manilia, Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum transmittendum sit, qui ad omnia nostræ memoriæ bella diuino quodam consilio natus esse videatur? Ac pòst. Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecerit? Et pro Cluentio. Et est quisquam, qui cùm hæc cognouerit, suspicari possit, Oppianicum iudicio oppressum, & circumuentum esse innocentem? hæc, inquam, videntur similia esse illis, quibus ab oratore prolatis, Aristoteles affirmauit impelli non parum ad assentiendum eos, qui audiunt: astuta enim est hæc ratio eorum, qui agunt, vt dicentes, An est quisquam, qui hoc ignoret, siue, cuncti sciunt, præ pudore cogant auditores fateri, illo modo rem se habere: vult enim vnusquisque se participem haberi eius, quod reliquos tenere audit. In quo genere loquendi etiam ipsa interrogatio magnam vim habet ad perturbandum, ac statu mentis aliquando mouet aduersarium. Sic igitur etiam Virgilius multis iam demonstratis, quæ vtilitatem rei rusticæ declararent, constitutoq; eo, quod ornare voluit, addidit hæc verba, *Et dubitamus adhuc serere, atq; impendere curam?* Eodem modo locutus est lib. 6. Æneid. *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* Victor lib. 19. cap. 15.

Prouerbium rusticanum est, serere ne dubites, quod Virgilius addita figura extulit. Monemur eo, ne quãdo pigeat eiusmodi rerum aliquid moliri, è quibus nihil omnino dispendij, plurimùm emolumenti possit proficisci, si non in præsens, certè in posterum: si non nobis, at saltem posteris. Columella lib. 12. Quare vulgare illud de arborum positione rusticis vsurpatum, Serere ne dubites, &c. Chiliad.

Quid maiora sequar? salices, humilesq; genistæ,
Aut illæ pecori frondem, aut pastoribus vmbram
Sufficiunt, sepemq; satis, & pabula melli:
Et iuuat vndantem buxo spectare Cytorum,
Naryciæq; picis lucos: iuuat arua videre
Non rastris hominum, non vlli obnoxia curæ.
Ipsæ Caucaseo steriles in vertice syluæ,
Quas animosi Euri assiduè franguntq;, feruntq;,
Dant alios aliæ fœtus: dant vtile lignum
Nauigiis pinos, domibus cedrosq;, cupressosq;.
Hinc radios triuere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolæ, & pandas ratibus posuere carinas.
Viminibus salices fœcundæ, frondibus vlmi.
At myrtus validis hastilibus, & bona bello
Cornus: Ityræos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliæ leues, aut torno rasile buxum,
Non formam accipiunt, ferroq; cauantur acuto:
Nec non & torrentem vndam leuis innatat alnus
Missa Pado: nec non & apes examina condunt
Corticibusq; cauis, vitiosæq; ilicis aluo.
Quid memorandum æquè Baccheïa dona tulerunt?
Bacchus & ad culpam caussas dedit: ille furentes
Centauros letho domuit, Rhœtumq;, Pholumq;,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

QVID MAIORA SEQVAR?) Interrogatio inserta quasi ad renouationem facit propositæ narrationis, quasi dicat, quid attinet maiorum arborum commemorationi inhærere, cùm & humiles arbusculæ magno vsui esse queant? Quadruplex porrò salicũ, genistarumq; vsus ostenditur. Præterea buxum, cuius magna copia in Cytoro monte Paphlagoniæ, (quamobrem à Catullo buxifer, & Theophrastus libr. 3. histor. plantar. καὶ γὰρ τὰ κύτωρα τοιοῦτον ὄρος, οὗ πλείστη πύξος γίνεται.) videmus prouenire sponte sua in montibus, piceas (quę frequentes apud vrbem Locridis Narycem) in syluis. Quin & arua inculta ac neglecta, habent tamen commoda quædam, & voluptates suas. Addo his alias quasdam infrugiferas & steriles, quæ in altissimis montibus procreantur, assiduis impulsæ, & agitatæ ventorum flatibus, quæ solummodo materiam ędificiis, & variorum operum structuris suppeditant. Nam syluæ, & montes sua sponte arbores eiusmodi producunt, ex quibus alia, atq; alia opera parantur: vtiles, & idoneas nauibus pinos, domibus cedros, & cupressos, ex nonnullis radij rotarum, & vehiculorum tecta, & nauium carinæ aptissimè confici possunt. Item absq; hominum ope nascuntur idoneæ vitibus, & pedamentis salices, & vlmi frondosissimæ, & myrti aptissimæ hastilibus, & cornus bellicis instrumentis

tis idonea, hastis maximè. Taxus etiam ad arcus accommodata, quales optimi Ityræi. [*Cic. 2. Philipp. Cur homines omnium gentium, maximè barbaros Ityraos cum sagittis deducis in forum?*] Et tilia atq; buxus apta torno, & operis rasilibus. Necnon & alnus nauigiis, atq; lembis, ilex apum aluearìis, quæ etiam è corticibus eius fiunt. FOECVN. FROND. VLMI) Vlmus nomen accepit, quòd vliginosis locis, & humidis melius proficit. Nam in montanis & asperis minus læta est. QVID MEM. AE Q. BACCH. D. TVL.) At vites longè alios, horumq; dissimiles fructus reddũt, quæ etiam malorum caussa possunt existere. Nam vino madidi Centauri, & Lapithę, orta inter ipsos rixa, mutuis vulneribus, siue cædibus conciderunt. ILLE FVR. CENT.) Huius pugnæ, & stragis in conuiuio nuptiali editæ, cùm A nempe Hippodamen duceret vxorem Pirithous, meminit Horatius quoque Ode 18. lib. 1.

At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata.

Describitur ab Ouid. Metamorph. lib. 12. Meminit præterea Propert. lib. 2. eleg. 6.

Aspera centauros eadem dementia iussit
Frangere in aduersum pocula Pirithoum.

RHOETVMQ.) legendum, Rhœcum (gigantis nomẽ est) etiam apud Horat. Ode 19. lib. 2. Centauri dicti, quia stimulando boues furentes apud Pelion Thessaliæ mõtem insequebantur. Vide Palæphatum, Higynum cap. 53. & 62. Natalem lib. 7. cap. 4. Diodorum lib. 4. cap. 8.

O FORTVNATOS NIMIVM, SVA SI BONA NORINT,
AGRICOLAS: quibus ipsa procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Manè salutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
Illusasq; auro vestes, Ephyreïaq; æra,
Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi corrumpitur vsus oliui:
At secura quies, & nescia fallere vita,
Diues opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, viuiq; lacus: at frigida Tempe,
Mugitusq; boum, mollesq; sub arbore somni
Non absunt: illis saltus, ac lustra ferarum,
Et patiens operum, paruoq; assueta iuuentus:
Sacra deûm, sanctiq; patres: extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Encomium istuc vitæ agricolarum, quo poeta noster hunc librum claudit, cuius tot commoda tam luculentis & verbis, & sententiis demonstrat, eaque incommodorum vrbanorum contentione illustrat, & amplificat, hoc, inquam, encomium ornatissimum vitæ rusticæ imitando, effinxit suum illud vitæ, quæ procul ab vrbibus in syluis, & agris degitur Seneca in Hippolyto, quo adolescens aduersus impuram nutricem vtitur. Hoc ipsum, vt exemplar intuitus est Politianus sylua, cui epigraphe Rusticus. *Felix ille animi, diuisq; simillimus ipsis, Quem non mendaci,* &c. Multò autem manifestius longe infrà.

O dulces pastoris opes, ô quanta beatum,
Quam tenet hunc tranquilla quies? vt pectore toto
Lætitiam, totaq; fouet bona gaudia mente?
Nempe odij, fraudumq; expers, exemptus inani
Ambitione, vacansq; metu, spe liber, & insons,
Natiuo cultu, & gaza praediues agresti,
Ipse sibi viuit nullo sub teste, suoq;
Pendet ab arbitrio, suus ipse est censor, & alto
Calcat opes animo, ac regum deridet honores.
Si non Tænariis illi stant fulta columnis
Robora, cælatumq; altè laquearia subter
Ridet ebur, postemue silex Asaroticus ornat,
Nec Maurusiacos pulchra testudinis orbes

B *Delphica sustentat, nec docto trita Myroni*
Pocula multiplici florent radiantia gemma, &c.

Cum ista porrò prædicatione Maroniana, confer aliam, quæ est in Culice eiusdem, sanè haud minus elegans, nec minus iucunda legentibus.

O bona pastoris, si quis non pauperis vsum
Mente prius docta fastidiat, & probet illis
Omnia luxuriæ pretiis incognita curis, &c.

Laudatores habet permultos vita rustica. Nominabo aliquos. Xenophon in Oecon. Ταῦτα δὴ, ὦ Κριτόβουλε, ἐγὼ διηγοῦμαι ἔφη ὁ Σωκράτης, &c. Cato præfat. libri sui. Varro lib. 1. cap. 2. Columell præfat. & cap. 1. lib. 1. Victorius
C orta. 2. vbi etiam Georgica commendantur. Orat. pro Sex. Roscio comparans Cicero vitam vrbanam cum rustica, sic habet. Vt non omnem frugem, neq; arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni vita nascitur. In vrbe luxuries creatur: ex luxurie existat auaritia necesse est: ex auaritia erumpat audacia, inde omnia scelera, ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniæ, diligentiæ, iustitiæ magistra est. Cum hoc Ciceroniano præconio, nec non cum Virgiliano valde consentit, atq; conspirat locus ille pulcherrimus Lucretij lib. 1. quo

frugalitatem aduersus opulentiam, vitamq; inhonoram ac priuatam contra ambitionem celebrat, nimirum hisce versibus.

Diuitia grandes homini sunt viuere parcè
Æquo animo, neq; enim est vnquam penuria parui.
At claros se homines voluere esse, atq; potentes,
Vt fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidam possent opulenti degere vitam:
Nequidquam, quoniam ad summũ succedere honorem
Certantes, iter infestum fecere viai.
Et tamen è summo, quasi fulmen deijcit istos
Inuidia interdum contemptim in tartara tetra:
Vt satius multò iam sit parere quietum,
Quam regere imperio res velle, ac regna tenere.
Proinde sine incassum defessi sanguine sudent,
Angustum per iter luctantes ambitionis.

Et Claudian. lib. 1 in Ruffinum, vbi eiusdem inexplebilem auaritiam persequitur, & vitam frugalem, seu paucis contentam dilaudat.

Fabricius pauco spernebat munera regum,
Sudabatq; graui consul Serranus aratro,
Et casa pugnantes Curios angusta tegebat.
Hæc mihi paupertas augustior: hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis. tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos: mihi donat inemptas
Terra dapes. rapiunt Tyrios tibi vellera succos,
Et picturata saturantur murice vestes, &c.

Nos quoq; cum dialogos de re rustica conscriberemus, à laudibus vitæ rusticæ exordiendum censuimus prima parte volum. tertij: dialogus est numero 22. Iacob. Pont. SVA SI BONA NORINT) Equopiam poeta Comico Seneca ad Lucilium profert hunc versiculum, *Non est beatus, esse qui se nesciat*, populari sermone iactatum vtiq;, vt sit credibile. sensus est, haud videri satis, vt adsit fælicitas, nisi fælicitatem tuam intellexeris, quò allusit Virgilius. Eodem pertinet, quod Martialis inter fælicitatis calculos hunc quoq; commemorat. *Quod sis, esse velis.* Quid enim felicius libertate? Atqui videas non paucos, qui sortem deplorent suam, quòd in Principum aulis locum non inueniant. Verùm, vt beatus non est, qui se non putat beatum: ita bis miser est, qui cum animi malis sit infelix, tamen sibi videtur felix. Etenim vt qui sanus est, & sibi videtur ægrotus, non fruitur suo bono: ita qui morbo tenetur, nõ intelligens suum malum, longissimè abest à sanitate: quippe qui vsq; adeo sanabilis non sit, vt sit etiam insanabilis. Chiliad. QVIBVS IPSA PROCVL DISCORD. ARMIS) Accommodatè his, & sequentibus Tibull. initiò eleg. 1. lib. 1.

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera magna soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vita traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, & facili grandia poma manu, &c.

FVND. HVMO. F. V. IVSTISS. TELLVS) Magnum, & primum commodum, victus facilitas, quem agricolis iustissima tellus (quæ scilicet nunquam recusat imperium, & cum fœnore plerunq; multo reddit quod accepit) citra periculum, id est, citra certamina, & iurgia profundit.

In ijs quæ rationis sunt expertia, non magis est obedientia (inquit Iouian. de Obedientia lib. 1.) quam iustitia, beneficentia, pietas, fides. Quamquam Maro noster dicit, *Fundit humo facilem victum iustissima tel-*

A *lus.* Sed concessum sit poetis iocari, & lasciuire, quod eorum est facultatis: ijs autem qui veritatem aut solam, aut maximè sequuntur, eadem licentia non est. Muta enim animalia, & quibus nec mens, nec consilium est, humanis carent & virtutibus, & vitijs. Sed quid agas? vocabulorum inopia laboratur. Deum irasci, misereri, angi, furere, quodq; languentis, ac defecti labore corporis est, & cessare, & quiescere dicimus. Quocirca minus mirari debemus, cũ iratum mare, cælum clemens, apes Rempublicã habere, & futuris casibus prospicere dixisse priscos legimus. Nam etsi in belluis quædam sunt similitudines, & quasi vestigia humanorum affectuum, virtutes tamen, & vitia propria sunt hominum.

B *Quod de parabili victu, terræ tribuitq; rusticorum canit Maro canit, & in eo beatos illos affirmat, grauis auctor Clemens Alexandrin. Pædagogi libr. 2. his verbis confirmat. Qui escis vtuntur vilissimis, sunt robustiores, saniores, generosiores, vt famuli dominis, & agricolæ possessoribus: nec solum robustiores, sed etiam prudentiores, vt philosophi diuitibus. Tametsi Virgilius agricolas intelliget, non qui alijs, aut etiam dominis sua mercede, sed qui ipsimet suos sibi agros colunt, vitam degentes rusticam. Quomodo autem tellus iustissima sit, ita declarat Xenophon in Oeconomico. Præterea terra sua sponte eos qui animaduertere possunt, iustitiam docet. Eos qui valde officiosi erga eam fuerunt, plurimis beneficijs remuneratur. Si quando autem hostili multitudine ingruente operarum labore priuentur, ij qui versantur in agricultura, & acriter, viriliterq; instituuntur, quia vires corporum, & animorum sibi compararunt, (nisi Deus impediat) in fines hostium, quibus ab opere reuocantur, impetu facto, possunt agere prædas, atq; sibi alimenta populari.*

C SI NON INGENTEM FORIBVS DOMVS, &c. Totus hic locus à Lucretio profluxit, lib. 2.

Si non aurea sunt iuuenum simulacra per ædes,
Lampades igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt suppeditentur,
Nec domus argento fulget, auroq; renidet,
Nec citharis reboant laqueata, aurataq; templa,
Attamen inter se prostrati in gramine molli
Propter aquæ riuum sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus iucundè corpora curant.

Eadem quoq; aura respondere mihi videntur hi versus apud Propert. lib. 3. eleg. 2.

Quod non Tænarijs domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes,
D *Nec mea Phæacias æquant pomaria syluas,*
Non operosa rigat Martius antra liquor,
At Musæ comites, & carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis

Et in Culice Maronis.

Si non Assyrio fuerint bis tincta colore
Attalicis opibus data vellera, si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit auarum,
Picturaq; decus lapidum, nec fulgor in vlla
Cognitus vtilitate manet, nec pocula grata
Alconis referunt, Boetiq; toreuma, nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus,
E *Florida cum tellus gemmantes picta per herbas*
Vere notat dulci distincta coloribus arua.

Hæc sagacissimus locorum similium apud nobilissimos quosque scriptores indagator Germanus Valens studiosissime obseruauit.

Signa collocabantur in portis vrbium, ea salutabant, & eorum dexteras osculabantur & qui peregre proficiscebantur, & qui peregre redibant. Collocabant & patroni statuas in figuram, & formam suam conformatas, pro valuis ædium suarum, vt eas clientes venerarentur, & oscularentur, si quando illi copiam sui facere non possent, vt notat Alciat. παρέργων iuris lib. 8. cap. 10. Huius salutandi moris, matutini videlicet, quod clientes potentioribus amicis, & patronis, ad eorum atria confluen-

fluentes factitabant, infinita sunt apud Latinos scriptores exempla. Cic. ad Brutum. Hæc scripsi in ipsa turba matutinæ salutationis. Q. F. de petit. consulatus. deductorum officium maius est, quam salutatorum. Martial. lib. 4.

Prima salutantes atq; altera distinet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.

Qui plura testimonia requirit, videat Ioan. Bernartium in Statium, ad 3. Thebaid. TOTIS VOMIT ÆD. VND.) Bellè, vomit vndam, & antiquè. Nam Ennius ait, *& Tiberis flumen vomit in mare salsum.* Vnde & nunc vomitoria in spectaculis dicimus, vnde homines glomeratim ingredientes, in sedilia se fundunt. Macrob. lib. 6. cap. 4.

* *Ad vtrumq; genus signorum referri potest illud Lucretij lib. 1.*

——— tum portas propter, ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari,
Sæpe salutantum tactu, præterq; meantum.

Habebant aũt superbi isti clientium tyranni (quos & Reges, & Dominos vocatos ex multis locis Valerij Martialis colligitur) libros, in quibus admittendorum erant conscripta nomina, distributa per classes, primam, secundam, & deinceps: vt nimirum eo ordine salutare permitterentur. Ita contingebat, vt qui summo mane venerat, partem de solida nonnunquam expectando nocte demeret, antequam intromitteretur: eo quòd vltimarum classium esset. quare meritò vocat Seneca duras fores, superbos regum aditus, & expertem somni clientulum illas colere. Consuetudinis assiduus testis Iuuenalis, Satyr. 5.

——— sollicitus, ne
Turba salutatrix iam tota peregerit orbem,
Sideribus dubijs, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Boota.

Hoc est, nocte media. Et ipsemet Seneca lib. 6. de Benefic. Quid? tu libros, quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria, aut manus, tu amicorum æstimas esse? non sunt isti amici, qui agmine magno ianuam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur. consuetudo est ista vetus regibus, regesq; simulantibus, populum amicorum describere. Delrius in Herc. Fur. Senecæ. NEC VARIOS INHIANT) Inhiant, est habere desiderant, vel affectant cum auiditate quadam. Vsurpauit hoc verbum quarto casu & Plautus. *Nam illic homo tuam hereditatem inhiat, quasi esuriens lupus.* TESTVD. POSTES.) Postis propriè est latus ostij, siue arrectarium portæ, vnde ostium pendet, quasi post ostium stans. ILLVSASQVE AVRO VESTES) Id est, in quibus artifex velut ludens, auro aliqua depingit. Ita Seruius. Et alludit ad Mæandros illos, siue flexuosos, & in se remeabiles limbos, qui veluti ludus quidam sunt acupictorum. EPHYREIAQVE ÆRA) Vasa Corinthia. Corinthus aliquando Ephyra, ab Oceani filia huius nominis. Ephyræam Laidem vocat Propertus, non quod esset ibi nata: fuit enim Sicula natione: sed quòd ibi diu vixisset: quare & Corinthia dicta est ab omnibus. Florus, vbi Corinthi ruinas exponit, Quid signorum, quid vestium, quidúe tabularum raptum, incensum, proiectum est? quantas opes victor abstulerit, & cremârit, hinc scias, quod quidquid Corinthij æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam & æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ vrbis fecit iniuria, quo incendio perustis plurimis statuis, atque simulacris, æris, auri, argentiq; venæ in commune fluxere. Hac æra Ephyræa, quibus cum vehementius caperetur Augustus, etiam dici Corinthiarius cæpit. Quamuis autem æs Corinthium ex multis metallis conflatum, confusumq; ex incendio illo Co-

A rinthi multi accipiant, ob illam Plinij auctoritatem: *casus hoc miscuit, cum Corinthus caperetur incensa*, tamen id longè ante vrbis eius euersionem extitisse certum est. Plura habes apud German. Ob artem ipsam, confecturæq; modum, quo Corinthi fiebat, sic appellatum constat. Candens enim æs frigidissimo in fonte Pirenes demergebatur, ex quo aquæ illius occulta vi, singulare temperamentum, speciemq; illam saturatę cohibebant massæ, quibus ad vasa, & statuas, cæteraq; id generis reddebatur aptissimæ, speciemq; & decorem eximium contrahebāt. Leonicus lib. 1. cap. 58. De ære Corinthio disputat & Plutarchus lib. de Pythiæ oraculis. Vide & Muret. lib. 3. cap. 5. Iacob. Pont. ASSYRIO FVCATVR

B LANA VENENO) Initiò purpura inficiebantur solæ lanæ: siquidem omnia tum vestimenta erant lanea. Virgil. eclog. 4. *Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti Murice.* Horat. *Muricibus Tyrijs iterata vellera lana.* Martial. *Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.* Ouid. *Phocaico bibulas tingebat murice lanas.* Assyrium venenum, tinctura Babylonica. Plinius tamen lib. 7. cap. 56. inficere lanas, Sardibus Lydos primùm inuenisse auctor est. CASIA LIQVDI) Casia frutex, qui oleo maceratus, oleum, siue vnguentum reddebat suauissimum. AT SECVRA QVIES) Tametsi agricolæ non habitant ædes splendidas: nec habent clientes, qui eos manè turmatim salutatum veniant: nec gerunt vestes purpu-

C reas, & auro intertextas: nec vnguenta olent: nihilominus animis tranquillis, & bonis potioribus fruuntur. Recitemus cognatos Hesiodi versus.

Εἰρήνη δ' ἀνὰ γῆν κουροτρόφος, οὐδέ ποτ' αὐτοῖς
Ἀργαλέον πόλεμον τεκμαίρεται εὐρύοπα Ζεύς.

Deinde.

Τοῖσι τέθηλε πόλις, λαοὶ δ' ἀνθοῦσιν ἐν αὐτῇ. Et.
Θάλλουσι δ' ἀγαθοῖσι διαμπερὲς, οὐδ' ἐπὶ νηῶν
Νίσσονται, καρπὸν δ' φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

Adducuntur ab Vrsino.

Quòd magis remota ab omni periculo detrimentoque putatur vita agricolarum, in quaq; securius viui posse videtur, habet etiam ipsa sua quædam vlcera, ac stimulos, qui pungant animum, atq; omni statu quietis

D deturbent. Id eleganter cecinit Horat. Ode 1. lib. 3. qua docet, contentum rebus necessarijs, non perturbari vllis rebus incommodis, quæ stultos semper excruciant.

Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusq; mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hyemes iniquas.

Sed Epist. quoq; 8. lib. 1. vbi *ἀηδίᾳ* quadam se teneri ostendit.

——— haud quia grando
Contuderit vites, oleamq; momorderit æstus;
Nec quia longinquis armentum ægrotet in aruis.

E Eadem autẽ studij huius vlcera enumerãtur etiã à græco poeta, cuius verba lęgũtur in sermone de morte, qui vnus est ex adulterinis Platonis: ita enim ait eius auctor. *ἀλλ' ἡ γεωργία γλυκὺ δῆλον. ἀλλ' οὐχ ὅλον, ὥς φασιν, ἕλκος αἰεὶ λύπης πρόφασιν εὑρισκόμενον; κλαίων νυνὶ μὲν αὐχμὸν, νυνὶ δὲ ἐπομβρίας, νυνὶ δὲ ἐπίκαυσιν, νυνὶ ἐρυσίβην, νυνὶ δὲ θάλπος ἄκαιρον, ἢ κρύος;* At iucunda est agricultura. Est sanè. An non totum, quod aiunt, vlcus semper doloris caussas inuenit? quum videlicet modò siccitatem deploret, modò imbres, modò vredinem, modò rubiginem, modò calorem intempestiuum, vel frigus? Sed ex collatione etiam horum locorum, quomodo Græci appellẽt morbos hos eorum, quæ è terra oriuntur, perspicitur. Victor. lib. 5. cap. 5. DIVES OPVM VARIAR.) Locuples à copia

à copia locorum: dites, quia diuidendi facultatem habet: opulentus ab opibus: potens, qui quod vult, potest: fortunatus, cui forte aliquid contigit: beatus, qui apud Graecos *μακάριος* est: pecuniosus, qui habet pecuniam, vel pecora. Cornel. Fronto.

De diuitijs rusticis licet M. Tull. audiamus in Catone. Mea quidem sententia haud scio, hac an vlla vita beatior possit esse: neq; solum officio, quòd hominum generi vniuerso cultura agrorum est salutaris: sed & delectatione, quam dixi, & saturitate, copiaq; omnium rerum, quae ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent: vt, quoniam haec quidam desiderant, in gratiam iam cum voluptate redeamus. Semper enim boni, assiduiq; domini referta cella vinaria, olearia, mellearia, & penuaria est, villaq; tota locuples est: abundat porco, hoedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Iam hortum ipsi agricolae succidiam alteram appellant. LATIS OTIA FVNDIS) A latitudine fundorum. Fundus sic dictus Varroni, quod pecudum, ac pecuniae sit fundamentum: vel quod fundat quotquot annis multa. VIVI LACVS) sunt naturales. Indicat fontes, riuos perennes, flumina manantia. Cic. 2. de nat. deor. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores pellucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concauas altitudines, saxorum asperitates, inpendentium montium altitudines, immensitatesq; camporum. AT FRIGIDA TEMPE) Quaecunq; loca amoenitate & salubritate praestant, Tempe vocari consueuerunt. ab illis videlicet, quę sunt in Thessalia, quaeq; ab Aeliano describuntur Var. histor. cap. 1. lib. 3. Est locus, inquit, inter Olympum, & Ossam situs. Sunt autem hi montes altitudine immensa praediti: & quasi diuina quadam cura disiuncti, & quae sequuntur, digitum ad locum intendi. Vide & Plin. lib. 4. cap. 8. De his item Ouid. Metam. lib. 1.

Est nemus Aemoniae, praerupta quod vndiq; claudit
Sylua, vocant Tempe, per quae Peneus ab imo
Effusus Pindo spumosis voluitur vndis, &c.

Tempe, vt dictum est, propriè sunt illa Thessaliae, Boeotiae Teumessia, Siciliae Eloria. MVGITVSQ. BOVM) Armentorum indicatur copia, & rei pecuariae abundantia. Ouid. lib. 1. de remed. amor. vbi similiter huius vitae gaudia persequitur.

Parte sonans alia sylua mugitibus alta,
Et queritur vitulum mater abesse suum.

In Culice autem inter alias iucunditates etiam auium meminit Virgil.

At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.

Bersman. MOLLESQVE SVB ARBORE SOMNI) A quietis dulcedine. Horat.

Libet iacere modò sub antiqua ilice,
Modò in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquae,
Queruntur in syluis aues,
Fontesq; lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leues.

Incerti poetae hemistichium adducit hoc loco Seruius, quod ad verbum reddidit Virgil. *μαλακοὶ δ' ὑπὸ δένδρεσιν ὕπνοι.* *Si vacat, lege aliquot epigrammata graeca lib. 1. Tit. εἰς δένδρα, quorum eadem paene est, quae versiculorum Horatianorum sententia. Etiam ibi viatores ad vmbram, somnosq; mollissimos inuitantur suauissimè.* SALTVS, AC LVSTRA FERARVM) Feras nominat Lucret. animantes omnes rationis expertes, etiam eas, quae minimè sunt ferae, aut immanes, vt sunt oues, canes, &c. atq; ita veteres alij saepe locuti sunt. Cic. lib. 1. Off. neq; vlla re longius absumus à natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem saepe dicimus, vt in equis, in leonibus: iustitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus: sunt enim orationis, & rationis expertes. Gifan. in Lucret.

Saltuum ac ferarum mentione venationis indicat voluptatem, de qua & in 2. Georg. & Horat.

Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas, &c.

Laudat item à laborum tolerantia. Nam ex agricolis, vt Cato dixit, & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur. Item à religione. EXTREMA PER ILLOS IVSTITIA) Aratus. *Καὶ ἴδη μετώπισθε δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν, ἐπὶ δ' ὑπισχεσίη.* Olim deos cum hominibus familiariter in terris versatos, dum scilicet illi pietatem colerent, poetae fabulantur. A qua postquam desciuerunt, & in scelera praecipites abire coeperunt, illi terris deserts, in caelum remigrarunt. Hoc istis versibus testatus est Catullus, in carmine de nuptijs Pelei, & Thetidis.

Praesentes namq; ante domos inuisere castas
Caelicolae nondum spreta pietate solebant.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamq; omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optauit genitor primaeui funera nati,
Liber vt innuptae poteretur flore nouercae,
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est diuos scelerare penates,
Omnia fanda, nefanda malo permista furore,
Iustificam nobis mentem auertere deorum.
Quare nec tales dignantur visere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

Eadem paene Ouid. in descriptione ferrei saeculi, Metamorph. lib. 1. vbi iustitiam postremam discessisse narrat.

Victa iacet pietas: & virgo caede madentes
Vltima caelestum terras Astraea reliquit.

Commendat igitur agricolas à studio iustitiae poeta, apud quos diutissimè illa, terris emigratura, commorata sit. Quin etiam nascente Ecclesia, & adhuc integris, incorruptisq; primorum Christianorum moribus, caelestes in terris saepenumero visi, & cum hominibus tanquam ciuibus ac domesticis suis, vt Paulus vocat, familiarem in modum collocuti sint, neminem opinor dubitare. At istis saeculis nostris deploratissimis, quibus late dominatur improbitas, & omnium rerum licentia, non lucis, sed tenebrarũ angeli se miscent hominibus, vaganturq; passim: ac pro inuidia sua erga genus nostrum non commoda nostra, sed calamitates, non salutem nostram, sed exitium crudelissimum assiduè nobis moliuntur. Iacob. Pont.

ME VERO PRIMVM DVLCES ANTE OMNIA MVSAE,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant, caeliq; vias, & sidera monstrent:
Defectos solis varios, lunaeq; labores:

Vnde

Vnde tremor terris: qua vi maria alta tumescant
Obijcibus ruptis, rursusq; in se ipsa residant:
Quid tantùm Oceano properent se tingere soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturæ accedere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis:
Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes:
Flumina amem, syluasq; inglorius. ô, vbi campi,
Sperchiusq;, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta: ô, qui me gelidis in vallibus Æmi
Sistat, & ingenti ramorum protegat vmbra.

ME VERO PRIMVM DVL.) Sic Horat. Ode 1. lib. 1. A se beatissimum fore pronuntiat, si Lyrici nomen adipiscatur, cum in studio poetico summas habeat voluptates suas. Confer totam Oden cum his, & sequentibus versibus non paucis. Quod apud Virgilium primo, apud Flaccum postremo loco est: sic enim in extrema Ode canit.

Me doctarum ederæ præmia frontium
Dijs miscent superis: me gelidum nemus,
Nympharumq; leues cum Satyris chori
Secernunt populo: si neq; tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod si me Lyricis uatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

Et Theocritus, *ἐμοὶ μῶσα φίλαι, καὶ ᾠδή.* Ita Dionysius, *μὲ μουσάων φορέει νόος.* Sic Pindarus, *ἐπ' ἄλλοισιν ἄλλοι μεγάλοι, ἐμοὶ δὲ μοῦσαι κρατερώτατον βέλος.* Præfert igitur Virgilius vitam litteris deditam vitæ rusticæ, quantumuis illa vrbanæ præferenda sit, quod docuit. [*Germanissimus locus est huic Maroniano ille Lucretij lib. 1.*

——— sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit suauem mi in pectus amorem
Musarum, quo nunc instinctus mente vigenti
Auia Pieridum peragro loca.]

Suam autem personam, vt animaduertit Seruius, pro quacunq; ponit: sicut paulò post, *Rura mihi placeant.* mihi, pro cuilibet posuit. Sic in 1. *Non illa quisquam me nocte per altum Ire.* In 3. *Ne mihi tunc molles sub diuo carpore somnos.*

Quanto sinceriores maioresq; sint lætitiæ, ex artibus ingenuis animo oborientes, quam quæ ex epulis, rebusq; Veneris nascuntur, docuit diuinitus contra Coloten Plutarchus lib. 1. Quas verò æquum est, & idoneum, inquit, hilaritates, & gaudia vocare, nihil contrarij habent admixtum, nullam inflammationem doloris, nihil quod mordeat, cuius nos pœniteat, sed animi proprium, ei reuera cognatum, germanum, non ascitum, quod eas comitatur, bonum est, non abiunctum à ratione, sed coniunctissimum, ab ea parte intelligentiæ suæ crescens, cuius pabulum est contemplatio: vel ab ea quæ actuosa est, quam omnia pulchra & magnifica delectant. Quarum vtraq; quot & quantas procreet voluptates, dicendo qui velit persequi, nullum exitum reperiet. Vt tamen paucis rem attingam, sese primum offert historia, &c. D Rursum eodem lib. Minime tamen fefellere Epicurum voluptates corporis tanquam Etesias ventos, &c. Sed nihil profecto ad sententiam poetæ confirmandam, illustrandamq; vidi aptius illis è Lucullo Tulliano verbis. Neq; tamen istas quæstiones physicorum exterminandas puto. Est enim animarum ingeniorumq; naturale quoddam quasi pabulum, consideratio, contemplatioq; naturæ: qua erigimur, altiores fieri videmur: humana despicimus: cogitantesq; supera, atq; cælestia, hæc nostra vt exigua, & minima contemnimus. Indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum, habet oblectationem. Ad id quod agimus, vehementer appositum est peruenustum, quoddam Plinij epistolium, numero 19. lib. 8. videlicet. Totum adscribemus.

C. Plinius Maximo suo S.

Et gaudium mihi, & solatium in litteris: nihilq; tam lætum, quod his lætius: nihil tam triste, quod non per has sit minus triste. Itaq; & infirmitate vxoris, & meorum periculo, quorundam verò etiam morte turbatus, ad vnicum doloris leuamentum studia confugio: quæ præstant, vt aduersa magis intelligam, sed patientius feram. Est autem mihi moris, quod sum daturus in manus hominum, ante amicorum iudicio examinare, in primis tuo. Proinde si quando, nunc intende libro, quem cum hac epistola accipies. quia vereor ne ipse, vt tristis, parum intenderim. Imperare enim dolori vt scriberem, potui: vt vacuo animo lætoq;, non potui. Porrò vt ex studijs gaudium, B *sic studia hilaritate proueniunt. vale.*

Si longior in hoc loco fui, merebor veniam, puto, apud Musarum filios, atq; satellites, quibus de eo quod sibi quotidie iucundissimum experiuntur, etiam multa & crebrò audire nō potest iniucundum accidere. MVSÆ) Mirabilem, prorsusq; incognitam multis originem Musarum refert Clemens Alexand. Exhort. ad gentes. Musæ, quos Alexander ait genus ducere à Ioue, & Memoria, & reliqui poetæ, & scriptores vt deas eas habent, & colunt, quin & totæ ciuitates Musis musæa extruunt, eas cum essent seruæ, emit Megaclo filia Macaris. Macar autem erat quidam rex Lesbiorum: semper autem litigabat cum vxore. Matris porrò vicem dolebat Me- C gaclo. Quid ni enim doleret? Et Musas has ancillas tot emit numero, & Mysas vocauit lingua Æolica. Has docuit canere, & vetera facta numerosè ad citharam modulari. Illæ verò, cum cithara assiduò sonarent, & pulchre incantarent, Macara demulcebant, & eius iram sedabant. Qua de caussa Megaclo, vt pro matre referret gratias, posuit columnas æneas, & per omnia sacra iussit honorari. Et sunt Musæ quidem tales. Est autem historia apud Myrsilum Lesbium.

Musarum nomen non de poematis duntaxat, sed de quacunq; doctrina liberali vsurpari certum est. Cic. Tuscul. 5. Quis est enim omnium, qui modò cum Musis, id est, cum humanitate & doctrina habeat aliquod commercium. In Orat. perf. Nec satis autem instructa D ad forenses caussas, quas, vt illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reliquerunt. Ad Att. lib. 2. cum omnibus Musis rationem habere cogito. Hinc indoctus vocatur Græcis *ἄμουσος*, id est, auersus à Musis. Rectissimè nimirum Musæ pro disciplinis, si *ἀπὸ τῆς μώσεως*, id est, ab inquisitione dictæ sunt Musæ, vt Phurnuto placet, qui singularum nomina interpretatur. Iacobus Pont. QVARVM SACRA FERO) Quia poetæ sacros se, Musarumq; sacerdotes dicunt, ideo carmina sua vocant sacra, &, vt sacerdotes, se ferre sacra prædicant. Persius præfat. *Ad sacra vatum carmen affero nostrum.* Ouid. 3.

Amor. eleg. 8. *At sacri vates, & diuûm cura vocamur.* A De Silio Martial. lib. 7. *Sacra cothurnati non attigit ante Maronis.* Horat. Ode. 1. lib. 3.

—— carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos
Virginibus puerisq; canto.

Turneb, lib. 21. cap. 6. * *Pluribus testimonijs stabiliendum reor, quod Turnebus ait, poetas solere, se Musarum, ac Phœbi etiam, quod ille omisit, sacerdotes, & carminum studium sacra nominare, quasi res sacras, diuinasq; & humano captu paene maiores canentes. Græci ἱεροαοιδοὺς, sacros cantores nominant. Martial. lib. 10.* Per veneranda mihi Musarum sacra, per omnes Iuro deos. *Ouid. Trist.* At mihi iam puero cælestia sacra placebāt. *Idem lib. 3. Trist. Eleg. 2.*

Nec vos Pierides, nec stirps Latonia vestro
Docta sacerdoti turba tulistis opem.

Propert. lib. 3. Eleg. 1.

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

Tibull. lib. 2. Phœbe faue, nouus ingredior tua templa sacerdos. *Rursum Ouid. lib. 3. Amor. Eleg. 7.* Ille ego Musarum purus, Phœbiq; sacerdos.

B His Germani explicationem subdemus. scilicet se Musarum sacerdotem profitetur, & in Musarum sacris curandis potissimas partes sustinere, alludens ad sacra deorum solemnia, in quibus magistri, & reges fercula ipsa, cistas & κειμήλια gestabant: vt ex illo, *Sacra Dionaea matri, diuisq; ferebam Auspicibus cæptorum operum,* constat: vt & præfuisse Cereris mysterijs matronas nobilissimas quasq; nemini ignotum est. PERCVLSVS AMORE) Ita quidem multi legunt: sed longè rectius *percussus.* Lucret. *Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.* Græci quoq; ἁψάμενον γυναικὸς dicunt eum, qui mulierem quampiam deperit. Muret in Catull. * *Adde, Lysiteles in Trinum. loquens de Amoris artibus.* Nam qui ab eo quod amat. Quam extemplo sauijs sagittatis percussus est. *Nota epitheton [illegible], suauia sagittata.*

C Dicitur autem μουσοπάταγος qui percitus est, & attonitus furore Musarum. Et transfertur ad eos, qui sua poemata sic amant, quemadmodum parentes suos liberos. Cic. ad Q. F. lib. 2. Non me hercule quisquam μουσοπάταγος sua recentia poemata libentius legit, quam ego te audio. Chiliad. CÆLIQVE VIAS ET SIDERA MONSTRENT) Aristoteles, seu quis alius, philosophus D certe, principiò libelli de mūdo philosophiam laudans, cum, inquit, per rerum naturam negatum hoc esset homini, cælestem vt in locum se corpore conferret, vtq; velut è terra peregre proficiscens, locum illum oculis perlustraret: eo factum est, animus vt humanus huius viæ ducem nactus intellectum, peregrinabundus illuc importaretur. Ex quo euenit, viam cum inuenisset philosophia lassitudinis vacuam atq; laboris, res vt inter se situ longissimè seiunctas, vna intelligentia complecteretur, facile nimirum eas res noscitans, quibuscum sibi naturalis intercedit necessitudo. Eadem etiam cum diuino animæ oculo diuinarum rerum naturam comprehendisset, hominibus subinde eas interpretari cæpit, E quasiq; antistitis officio perfungi. Pollicetur & Propertius, se, vbi militiam illam miseram, & propudiosam, Veneris desierit, ac senuerit, huiuscemodi studio daturum operam. Vt igitur lector vtrumq; poetam inter se conferre, & quam nitidè ac festiuè de rebus istis philosophicis ambo locuti sint (quamquam copiosius elegiacus) videre possit, describam locum è lib. 3. eleg. 4. Sanè, quod Virgilius *naturæ accedere partes,* pari venustate ille, *naturæ perdiscere mores.*

Tum mihi naturæ libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum,
Qua venit exoriens, qua deficit, vnde coactis
Cornibus in plenum menstrua luna redit.
Vnde salo superent venti, quid flamine captet
Eurus, & in nubes vnde perennis aqua.
Si ventura dies, mundi quæ subruat arces,
Purpureus pluuias cur bibit arcus aquas.
Aut cur Perrhebi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis.
Cur serus versare boues, & plaustra Bootes,
Pleiadum spisso cur coit igne chorus.
Curue suos fines altum non exeat æquor,
Plenus & in partes quattuor annus eat.

Maronianos hosce versus videtur mihi adumbrasse Manilius lib. 1. Tuum facio iudicium. sunt autem hi.

Nec prius imposuit rebus finemq; modumq;,
Quam cælum ascendit ratio, cæpitq; profundis
Naturam rerum caussis, viditq; quod vsquam est.
Nubila cur tanto quaterentur pulsa fragore,
Hyberna æstiua nix grandine mollior esset:
Arderent terræ, solidumq; tremisceret orbis:
Cur imbres ruerent, ventos quæ caussa moueret
Peruidit, soluitq; animis miracula rerum,
Eripuitq; Ioui fulmen, viresq; Tonantis,
Et sonitum ventis concessit, nubibus ignem, &c.

Iacob. Pont. DEFECTVS SOLIS VARIOS) Transtulit, siue pro mutuo sumpsit hoc integrum carmen à Lucretio. Nam is lib. 5. sic habet.

Defectus solis varios, lunæq; labores,
Pluribus è caussis fieri tibi posse putandum est.

Solem deficere dicunt Latini, cum eclipsin patitur, siue eclipsatur, vt barbari loquuntur. Inde solis defectio. Appellatur item deliquium solis, non quemadmodum putauit Festus, quod delinquat in cursu suo: sed quia, vt rectè docet Scalig. delinquere veteribus erat deficere. Tubero, num delinquit, aut aliquid superest tibi? Cælius in Historijs: delinquere frumentum: Sardiniam hostes tenere. Defectionem solis venustè σκιαγράφει Tibull. lib. 2. eleg. 5.

Ipsum etiam solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos.

Et Catull. de coma Berenices. *Flammeus vt rapidi solis nitor obscuretur.* Haud inuenustè etiam Lucanus lib. 1.

Ipse caput medio Titan cum ferret olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Inuoluitq; orbem tenebris, gentesq; coegit
Desperare diem, qualem fugiente per ortus
Sole Thyestæa noctem duxere Mycenæ.

Loquitur de portentis, quæ sub aduētum Cæsaris, postquam Pompeius iam fugit, Italiam terruerāt. Iac. Pont.

Qui autem *Defectus varios* cum vno tantum modo sol nobis deficere videatur, quum prima luna è regione eius obstiterit radijs, & eos fecerit nobis nō videri? Vnde varios accipimus defectus, non quia variatione contingunt, nam ratio vna est, vt diximus, sed quia vel varijs temporibus fiunt, vel variè. Nam interdum duobus diebus, interdum quatuor, interdum pluribus deficit. Seruius. Vel *varios* propter colorem deliquiorum varium, nunc nigrum, siue liuidum: nunc candidum, nunc rutilum, nunc flauum, nunc varium. Falsum porro, quod Seruius ait, solem interdum duobus, interdum pluribus diebus deficere. Bersman. LVNÆQ. LABORES) De officijs ac laboribus vtriusq; horum (nam & solis labores vocat lib. 1. Æneid.) afferam in medium, quæ inuenio apud Lactant. libr. de ira dei, cap. 13. in quo planissimè, ac doctissimè demōstratur, quod etiam Stoicis visum est, nostri caussa mundum esse generatum. Sol irrequietis cursibus, & spatijs inæqualibus orbes annuos conficit, & aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem superducit ad requiem: & tum

& tum abscessu longius ad meridiem, tum accessu propius ad septentrionem, hyemis, & æstatis vicissitudines facit: vt & hybernis humoribus, ac pruinis in vbertatem terræ pinguescant, & æstiuis caloribus vel herbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ sunt in humidis, incocta, & feruefacta mitescant. Luna quoq; nocturni temporis gubernatrix, & amissi ac recepti luminis vicibus menstrua spatia moderatur, & cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore suæ claritatis illustrat, vt æstiua itinera, & expeditiones, & opera sine labore ac molestia confici possint. Addamus de sole illud ex Plinij lib. 2. cap. 6. Sol cor cæli, oculus mundi, princeps & moderator luminum reliquorum, cuius recessu intermoriuntur, accessu viuunt & vegetantur omnia.

Laboranti lunæ, id est deficienti, pulsu tympanorum, cymbalorum, ac strepitu æris, & clamorum opem ferri putabant. Huius moris meminit & Tacitus lib. 1. Annal. vbi de seditione Pannonicarum legionum aduersus Tiberium Imp. disserit. Locum adscribo. Noctem minacem, & in scelus erupturam fors leniuit. Nam luna claro repente cælo visa languescere. Id miles rationis ignarus, omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris assimilans, prospereq; cessura quæ pergerent, si fulgor, & claritudo deæ redderetur. Igitur æris sono, tubarum, cornuumq; cócentu strepere: pro vt splendidior, obscuriorue, lætari, aut mœrere. Et postquam ortæ nubes offecere visui, creditumq; conditum tenebris (vt sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes) sibi æternum laborem portendi, sua facinora auersari deos lamentantur. Liuius lib. 26. Disposita in muris Campanorum imbellis multitudo cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet. Quem morem cum adhuc Christiani quidam tenerent, reprehendit eos Maximus Taurinensis Homil. propria, De defectu lunæ. Inter alia enim, Cum requirerem, inquit, quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi, quod laboranti lunæ vestra vociferatio subueniret, & defectum eius suis clamoribus adiuuaret. Hæc Lipsius comment. ad Tacitum.

Existimabant lunam magico carmine sollicitatam rubore suffundi, vel ob magarum impudentiam, & scelera: vel laborantem vi carminis. In defectu idem illi à veneficis euenire putabant. Qua in re tam superstitiosi Athenienses, vt eos, qui veram eclipsis caussam afferebant, tanquam impios, viuos exulsserint, teste Plutarcho in Pericle, vbi hac de re fusè disserit. Alicubi legi, Indos hoc lunę vitium copioso fletu prosequi solitos, quod arbitrarentur eam à sole ad sanguinis vsq; effusionem flagellatam. Delrius in Hippolytum Senecæ. VNDE TREMOR TERRIS) *Lucret. 5. de terramotu.*

> Deniq; sub pedibus tellus cum tota vacillat,
> Concussæq; cadunt vrbes, dubiæq; minantur,
> Terra supernè tremit, magnis concussa ruinis.

Et lib. 6. Inde tremor terras grauiter pertentat.] Quænam esse caussa videatur, quamobrem terræmotus fiant, non modo his carminibus hominum sensibus, opinionibusq; compertum non est: sed ne inter physicos quidem philosophos satis constitit, ventorum ne vi accidant, specus, hiatusq; terræ subeuntium: an aquarum subter in terrarum cauis vndantium fluctibus pulsibusque, ita vti videntur existimasse antiquissimi Græcorum, qui Neptunum ἐννοσίγαιον, καὶ σεισίχθονα appellauerunt: an cuius aliæ rei caussa, alteriusué dei vi, ac numine, nondum etiam (sicut diximus) pro certo creditum. Lege reliqua lib. 2. cap. 28. apud Gellium.

Causam terræmotus pluribus capitibus quærit, & inuestigat Seneca Natural. lib. 6. variasq; veterum philosophorum sententias producit. In præfat. autem eiusdem libri, quam graue, ac

A formidabile malum sit ista terræ concussio, his verbis ostendit. Quid enim cuiquam satis tutum videri potest, si mundus ipse concutitur, & partes eius solidissimæ labant? Si, quod vnum immobile est in illo, fixumq;, vt cuncta in se intenta sustineat, fluctuat? Si, quod proprium habet terra, perdidit, stare, vbi tandem resident metus nostri? Quod corpora receptaculum inuenient? quo sollicita confugient, si ab imo metus nascitur, & funditus trahitur? Consternatio omnium est, vbi tecta crepuere, & ruina signum dedit: tunc præceps quisq; se proripit, & penates deserit, ac se publico credit. Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet? Si hoc, quod nos tuetur, ac sustinet, supra quod vrbes sitæ sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit, ac titubat? Quid ibi esse non dico auxilij, sed solatij potest, vbi timor fugam perdidit? Quid est, inquam, satis munitum? Quid ad tutelam alterius, ac sui firmum? Hostem muro repellam: præruptæ altitudinis castella, vel magnos exercitus difficultate

B aditus morabuntur. A tempestate nos vindicant portus. Nimborum vim effusam, & sine fine cadentes aquas tecta propellunt: fugientes non sequitur incendium: aduersus tonitrua, & minas cæli subterraneæ domus, & defossi in altū specus remedia sunt. Ignis ille cælestis non transuerberat terram, sed exiguo eius obiectu retunditur. In pestilentia sedes mutare licet. Nullum malum sine effugio est. Nunquam fulmina populos percusserunt. Pestilens cælum exhausit vrbes, non abstulit. Hoc malum latissimè patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium. Non enim domos solum, aut familias, aut vrbes singulas haurit, sed gentes totas, regionesq; subuertit: & modo ruinis operit, modo in voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse: sed supra nobilissimas vrbes, sine vllo vestigio prioris habitus, solum extenditur. QVA VI MARIA ALTA TVMESC.) Æstus intelligit maris nunc accedentis, nunc reciprocantis, de quibus Plin. lib. 2. cap. 97. Aristot. 2. Meteor.

C De hoc poeta lib. 11. Æneid.

> *Qualis vbi alterno procurrens gurgite pontus,*
> *Nunc ruit ad terras, scopulosq; superiacit vndam,*
> *Spumeus, extremamq; sinu perfundit arenam:*
> *Nunc rapidus retro, atq; æstu reuoluta resorbens*
> *Saxa, fugit, littusq; vado labente relinquit.*

OBIICIBVS RVPTIS) littorum repagulis perruptis, contempta littorū, aut claustrorum quasi lege. Æneid.

> *Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis*
> *Exijt, oppositasq; euicit gurgite moles.*

QVID TANTVM OCEANO) Hi versus iterantur in extremo primo Æneid. illic assumes, quæ ad declarandum faciunt. FRIGIDVS OBSTITERIT CIRCVM)

D Sed mihi credite, si ego tarditate, & hebetudine ingenij nunc prohiberer, vt ad hæc studia nō possem accedere, nulla certe vita mihi esset optabilior, quam rustica. Tum enim valles, & riuulos amem, tum in syluis, quamquam ignotus, cum iucunditate verser. Frigidus sanguis, vt Seruio placet, secundum Physicos dixit, qui docent, stultos homines frigidioris esse sanguinis, prudentes verò calidi. Vnde & senes, in quibus friget, & pueri, in quibus necdum calet, minus sapiunt. Plenius German. Videtur, inquit, respicere illum de animalibus locum, quo docet Aristotels, omnium prudentissimum esse hominem, quod tenuissimum, purissimum, & calidissimum habeat sanguinem eum, qui circa cor versatur, &

E residet, cum & caussam sanguinem constituat eorum, quæ ad mores attinent, & ad sensum, vt materiam ipsum sanguinem omnium, cum alimentum sit quidem materia, sanguis autem postremum alimentum sit qui, & magnas efficiat diuersitates & momēta calidus vel frigidus, tenuis vel crassus, purus vel turbidus. CIRCVM PRÆCORDIA) Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellantur, quia cordi prætenduntur, quod Græci appellauerunt phrenas. Plin. lib. 11. cap. 37. SPERCHIVSQ.) Propter Thessaliam nominat Sperchium, vel ex eo Thessaliam nos vult intelligere, cuius arua feraci vbere glebæ fœcunda erant, & agricolæ optanda. Nam & Flaccus Ode 7. lib. 1. *Nec me Larissæ percussit campus opimæ*, ob pingues

 Thessalo-

A Thessalorum agros dixit: Larissa siquidem vrbs Thessaliæ. Turneb. lib. 21. cap. 10. VIRGINIBVS BACCH. LACÆNIS) Virginibus Lacænis bacchata Taygeta ideo canit, quod Bacchi orgia in montibus, & syluis celebrari solebant à furiosis, & mente captis Bacchis, quæ à Spartanis, quorum mons Taygetus erat, *Δύμαιναι* appellabantur. Hesychius, *Δύμαιναι*, inquit, *αἱ ἐν Σπάρτῃ χορείτιδες βάκχαι*. Turneb. ibid.

Verba Nonij sunt, hunc locum producentis. Bacchari veteres non solum Bacchi numine furere dici voluerunt, verumetiam loca, in quibus sit debacchatum, bacchata dixerunt. Nam & quidquid vehementius commouetur, bacchari voluerunt. Santra Nuntijs Bacchis. *Ita obsoletum sono fureuter, ab omni parte bacchatur nemus.* * *Alio intellectu protulit hoc participium Æneid. 3.* Bacchatamque iugis Naxon. *Cuius iuga essent consita vitibus, quarum domunus & præses Bacchus.*

FÆLIX QVI POTVIT RERVM COGNOSCERE CAVSSAS:
Atq; metus omnes, & inexorabile fatum
* Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari.
Fortunatus & ille, deos qui nouit agrestes,
Panaq;, Syluanumq; senem, Nymphasq; sorores.
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres:
Aut coniurato descendens Dacus ab Istro:
Non res Romanæ, perituraq; regna. neq; ille
Aut doluit miserans inopem, aut inuidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea iura,
Insanumq; forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alij remis freta cæca, ruuntq;
In ferrum: penetrant aulas, & limina regum.
Hic petit excidiis vrbem, miserosq; penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.
Condit opes alius, defossoq; incubat auro:
Hic stupet attonitus rostris: hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim plebisq;, patrumq;)
Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exilioq; domos, & dulcia limina mutant,
Atq; alio patriam quærunt sub sole iacentem.

B FÆLIX QVI POTVIT) Tametsi eodem spectet hoc versu, quo Lucretius, qui lib. 1. Epicurum per cognitionem caussarum in rebus naturalibus hominum animos timoribus sempiternis liberasse, & religionum nodis expediuisse autumat, nihilominus sententia est generalis, & planè grauis. Etenim si felix est, qui scit, hoc est, qui scientiam, siue sapientiam vigiliis, laboribusque suis est consecutus: scire autem est per caussas cognoscere: necessariò fælix numerandus erit, qui caussas rerum percepit. Nec Philosophi ob aliud fęlices censendi sunt: siquidem philosophia, vt 2. Off. definit Cic. est rerum diuinarũ, & humanarum, caussarumq;, quibus hæ res continentur, scientia. Idem lib. 1. hominis ait esse propriam inquisitionem veri. Verba ipsa adscribemus. C Inprimisq; hominis est propria veri inquisitio, atq; inuestigatio. Itaq; cùm sumus necessariis negotiis, curisq; vacui, tum auemus aliquid videre, audireq;, ac discere: cognitionéq; rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad bene beateq; viuendum necessariam ducimus. Scitè etiam, & cõgruenter his Plutarchus, lib. 1. contra Coloten. At ipsam veritatem cognoscere, tam est amabile, tam est desiderabile, quàm spirare, quàm debere vitam scientiæ. Ex materia item physicæ, & ethicæ philosophiæ subiecta, nempe causis naturalibus quas rimantur physici, & virtutibus ac vitiis, quorum explicationem profitentur ethici, nos ad philosophandum cohortatur Persius

Disciteq; ò miseri, & caussas cognoscite rerum,
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, & vnde:
Quis modus argento, quid fas optare, &c.

Iacob. Pont.

Ponderat hunc versiculum *Felix qui potuit*, &c. D. Hieronymus epist. 7. quæ est de viro perfecto, & Virgiliũ non indoctè, neq; insipienter reprehendit. Ausculta dum. Bona sententia, si ad eã suo itinere venisset, vt appareat illum ignorasse quod laudat: primis omissis, quæ sunt secunda, celebrauit. Nam & ordine præpostero etiam sapientis vertit officium, dum non rerum caussæ, sed rerum creator inquirendus est, per quam ad caussas rerum, si ipsum didicerimus, intrabimus. Cæterùm illo omisso, caussas rerum qualiter cognitas habere poterimus, cùm prius quis hæc fecerit, deinde quare fecerit, sit inquirendum? Verùm reperto auctore rerum, inueniemus & caussas. Quod iste vsque adeò non vidit, vt nimirum principalem locum hunc, quo caussas rerum potuisset cognoscere, prædicaret: secundum verò quod subiungit, qui deos, tanquam minus opus exequens, adorasset: vt quiuis agnoscat, eos creatores rerum non fuisse, à quibus cognitio rerum quasi aliena disiungitur: nec coli oportere, si hæc, quæ laudantur vt prima, præstare non possunt. ET INEXORAB. FAT.) Homer. Odyss. *Μοῖρ' ὀλοὴ τὴν οὔ τις ἀλεύεται ὅστις γένηται*.

Fatum

Fatum interpretamur hoc loco astrologicum, siue physicum, quod sapientes, & prudentes non metuunt, sicut dicitur, *Sapiens dominabitur astris.* Quod & Ptolemæus indicat his verbis: *δύναται ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀποστρέψασθαι ἐνεργείας τῶν ἀστέρων.* SVBIECIT PEDIBVS) Lucret. lib. 1. *Quare relligio pedibus subiecta vicissim Obteritur.* Hoc ideo ait Virgilius, quod philosophiæ cognitione tolli inferos, seu potius metum inferorum, quia nulli sint, existimaret. Lucret. lib. 3. *Et metus ille foras præceps Acherontis agendus.* Sic censent Epicurei. Nam inferorum metus liquidam omnem voluptatem hominibus adimit, vitamque, vt existimabant, beatam labefactat, & euertit. Turneb. lib. 21. cap. 10. STREPITVMQ. ACHER. AVARI) Iam quemadmodum priorem partem versus huius, *Subiecit pedibus,* à Lucretio, vt suprà vidisti, *relligio pedibus subiecta,* sic posteriorem hanc ab aliquo Græco poeta traduxit, vt apparet. Plutarchus Græcum hunc citat, suppresso nomine, in ἐρωτικῷ videlicet. *βορβόρου πορθμὸν φεύγοντες ἀχέροντος.* Acherontem autem auarum forsitan ea ratione dixit, qua Pluto Summanus Plauto dicitur, quasi manium summus, qui omnes auarissimè in suum thesaurum rapit: vnde summanare pro auidè rapere, & furari, Summani more, finxit Plautus. Nimirum & πλούτωνα vocant διὰ τὸ γενέσθαι πλοῦτον. Vnde & Cic. de nat. deor. Terrena vis omnis atq; natura Diti patri dedicata est: qui diues, vt apud Græcos πλοῦτον, quod recidant omnia in terras, & oriantur è terris. Vnde & Tibull. eleg. 3. lib. 3. *Diues in ignaua luridus orcus aqua.* Et sæpe Græci, ἄπρακτον ἀΐδην. German. * *Vult hoc poeta, vt paucis dicam, philosophia imbutum, mortem nequaquam perhorrescere. Cum Virgiliana sententia consentiunt illa Cic. 2. Tuscul. Philosophia medetur animis, sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed profectò nostra, hoc est, Christiana philosophia multis partibus præstat vtrumq; melius & cumulatius.* FORTVNATVS ET ILLE) *Ad commendationem vitæ rusticæ regrediens, longè eam vrbana, & aulica beatiorem affirmat.*] Etsi beati est, & verè fælicis hominis, posse rerum omnium causas cognoscere, ortus occasusque siderum obseruare, in omnes partes totius vniuersi aciem mentis intendere, omnia pericula, omnesque metus despicere, nihil extimescere, ac ne mortem quidem, aut ipsum infernum exhorrescere: tamen non minus & ille fortunatus est, qui salubri & moderato cultu, & victu quieti deditus, agrestes deos, Pana, Syluanum, & Nymphas suas ritè veneratur, quàm qui in turbis negotiorum, & medio armorum strepitu Marti, aut Quirino supplicat. ILLVM NON POP. FASCES) Fasces μετωνυμικῶς honor, nempe prætura, consulatus, magistratus denique, & imperium aliquod. Horat. epist. 16. lib. 1. *Vt si detuleris fasces indigno.* Vide adagium, fasces submittere. Pro honoribus Horat. eadem figura posuit secures Ode. 2. li. 3.

Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Iacob. Pont. INFID. AGIT. DISCORD. FRATRES) Quàm indignum ac triste, quàm contra naturam sit fraternum dissidium atque odium, & res ipsa clamat, & Plutarchus libello de fraterno amore disertè ostendit. Ex eo vnicam duntaxat sententiam recitabimus. Vmbræ enim sunt reuera multæ amicitiæ, & imitamina, simulacraq; primæ illius, quam pueris natura erga parentes, & fratribus erga fratres indidit. Et qui illam non colit atq; honorat, nunquid ille fidem beneuolentiæ alienis præstiturus est? Aut quid hominis est, qui alienum in benigna compellatione fratrem appellat, fratri autem putat non concedendum, vt ne eandem quidem eat viam? Vt enim fratris imaginem exornare, corpus autem verberare, mutilareque insani est: ita fratris nomen colere, ac honorare in aliis, fratrem autem ipsum odisse,

A ac fugere, non est eius, qui compos sit mentis, nec qui vnquam in animo suo naturam, vt sanctissimum, maximumq; sacrum expenderit. CONIVR. DESC. DACVS AB ISTRO) Aufidius Modestus legisse se affirmabat hunc morem esse Dacorum, vt, cùm ad bella proficiscerẽtur, non prius pugnarent, quàm de Istro certum modum haurientes ore, in modum sacri vini, iurarent, non se ad patriæ sedem regressuros, nisi hostibus cæsis. Et idcircò Virgilium familiari sibi hypallage vsum dixisse, Istrum coniuratum, apud quem Daci coniurare consueuerunt. Philargyr. AVT RES ROM. PERITVRAQ. REGNA.) Hæc est mens Virgilij. Non studet amplificando regno. Non illum turbat cura imperij, aut reipubl. administratio, vel Principum factiones, non regna, haud perpetuò
B duratura: sunt enim regnorum mutationes. AVT DOL. MISERANS INOPEM) Non est obnoxius perturbationibus animi, quæ πάθη Græcis. Cic. pro Sex. Roscio. Cupiditates quæ possunt esse in eo, qui ruri semper habitârit, & in agro colendo vixerit? Quæ vita maximè disiuncta à cupidiiate, & cum officio coniuncta est. Hic σοφὸς Virgilius. Tollunt enim affectus ex homine Stoici, & morbos vocant, ac pro vitiis habent. Contra quos disputat Lactant. lib. 6. Speciatim misericordiam reiicit à sapiente Seneca lib. de Clement. cap. 5. quam definit, vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorũ succidentis. Vel, est ægritudo, aut tristitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit. Sed præclarè
C Lactan. ca. 14. Si ergo in homine præclarum, & excellens bonum est misericordia: idq; diuinis testimoniis, & bonorum malorumq; consensu optimum iudicatur, apparet philosophos longè abfuisse ab humano bono: qui neq; præceperunt eiusmodi quidquã, neq; fecerunt: sed hanc virtutem, quę propemodum in homine est singularis, pro vitio semper habuerunt. IPSA VOLENTIA RVRA) Nullum quæstum norunt agricolæ, nullumq; fructum nisi eum, quem labore pepererunt. Itaq; ab omni iudiciorum seueritate, negotiorumq; forensium tumultu liberi, & à populi tabulario remoti, hortorum atq; agrorum fructus percipiunt, iisq; cum summa voluptate, & delectatione perfruuntur. Huiusmodi porrò fructus,
D quos rura sponte sua proferunt, Græcis αὐτοφυεῖς καρποὶ dicuntur. Ouid. dixit, *Contentiq; cibis nullo cogente creatis.* Videtur Lucretianos illos ante oculos habuisse Virg.

Quod sol atq; imbres dederunt, quod terra creârat
Sponte sua, satis id placârat pectora donum.

FERREA IVRA) ita vocat leges duras, quibus obligati sunt, quot in vrbibus, & in ciuili societate degunt. Bersman. POPVLI TABVLARIA) In tabulario instrumenta, litteræ, tabulæque publicæ continebantur. Cic. pro Archia. Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario interiisse scimus omnes. Tablinum autem priuatarum ædium erat, vt ex Cic. cognoscitur. German. Sed Budæum audia-
E mus Annotat. poster. in Pand. Grammatophylacium, vbi tabulæ, & instrumenta publica, monumentaque rerum gestarum, actarumq; asseruãtur, quod tablinum latinè appellatur. Plin. li. 35. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum: sed de priuato tabulario, vel tablino intellexit. Archiuum etiam significat chartophylacium, quoniam ἀρχεῖα, id est ædes magistratuum vicina sunt chartophylaciis. Eadem autẽ chartophylacia cum grammatophylaciis, vel chartophylacia potius eorum mẽbra, in quibus hodie actuarij, & scribæ, exceptoresq; acta publica condunt. SOLLICITANT ALII REM. FRETA CÆCA) Enumeratio variorum studiorum, quibus alij ducuntur. Hi tentant aleam marinam, vt rem faciant. Horat. Sat. 1. lib. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens,per saxa,per ignes.

Idem Ode 7.Epod. *Nec horret iratum mare*, de agricola. Vt Virgil. *sollicitant remis freta*, sic Claudian. *Et rudibus remis sollicitant aquas.* Tibull. de aratione, *Et teneram ferro sollicitant humum.* CÆCA) Virgil. *cæcis erramus in vndis.* Propter tempestatem nigrescentia. *ponto nox incubat atra.* 1. Æneid. Alij sectantur militiam. Alij sequuntur aulas Principum, & in familiaritatem se regum insinuant, hoc enim mox sequitur. PENET. AVL. ET LIM. REG.) Horat. Ode 2. Epod.

Forumq́; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.

HIC PETIT EXCID. VRBEM) Quidam etiam mortis præsentissimo periculo proposito, vrbes diripiunt: vt opimis ditati spoliis, ex aureis scyphis sitim restinguant, & in lectis conchylio tinctis somnum capiant. VT GEMMA BIBAT) Non solùm ex argenteis, aureisq́; poculis, sed etiam ex aureis, quæ pretiosis essent gemmis distincta, immo & gemmea, bibebant. Seneca lib. Quare bonis viris mala accidant, cùm sit prouidentia (sic enim, nõ de Prouidentia inscribendus est) cap. 3. Quanto magis huic inuidendum est, quàm illis, quibus gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, suspensam auro niuem diluit? Plin. lib. 33. proœmio. Nec hoc satis est, inquit, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ caussa tentare Indiam iuuat, & aurum iam accessio est. * *Vide plura de poculis antiquorum apud Vrsinum de Tricliniо. Propert. lib. 3. eleg. 4.*

Nec tamen inuiso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit è gemma diuite nostra sitis.

Verùm enimverò, rigidus magister virtutis Seneca, contemptu delicatarum huiusmodi nondum contentus est, aliquid vltrà desiderat. Sic namq́; legimus epist. 110. Non est quod te nimis laudes, si contempseris aureos lectos, & gemmeam supellectilem. Quæ est enim virtus, superuacua contemnere? Tunc te admirare, cùm contempseris necessaria: & ibi plura eodem pertinentia. ET SARRANO DORMIAT OSTRO) Sarra olim vocata fuit Tyros, vbi optima purpura tingebatur. Inde Sarranus color, pro purpureo. Columella lib. 9. cap. 4. Sarranæ violæ, inquit, id est, purpureæ. Omne ostrum purpura est, sed non omnis purpura ostrum: quia ostrum, vt Gellius tradit lib. 2. cap. 26. exuberantiam, splendoremq́; ruboris habet, hoc est, illustratur splendore, quo reliqua purpura caret. Hunc splendorem cocco incendi tradunt, &c. Consule Delrium in Chorum primum Medeæ apud Senecam, qui de purpura multa vtiliter colligit ex bonis auctoribus. * *Quia Sarra olim dicta est Tyros, à pisce Sar, & pro purpura dici solet, erit hic Sarranum ostrum Tyria purpura: & rursum per figuram poetis sollemnem Tyria purpura pro purpura. Hoc assuo, ne quid ambiguitatis relinquatur.* CONDIT OPES ALIVS) De pecuniæ corrasoribus dictum, qui thesauros condunt, illisque indormiunt. Contra eosdem Horatius Satyr. 4. lib. 1.

Quid iuuat immensum te argenti pondus, & auri
Furtim defossa timidum deponere terra?

HIC STVP. ATTON. ROST.) Horat. sat. 4. lib. 1. *stupet Albius ære*, id est, Lamb. interprete, miro signorum, & vasorum æreorum amore, studioq́; ducitur, eaq́; supra modum amat, & admiratur. Rursum sat. 6. *Hic stupet in titulis.* Significat oratores: qui acclamationibus populi faustis mirè lætantur, & se deos putant. HVNC PLAVS. HIANTEM) Horat Ode 17. lib. 2. *cum populus frequens Latum theatris ter crepuit sonum.* Et Ode 20. lib. 1. *datus in theatro Cùm tibi plausus.* Et sat. 1. lib. 1. ait auarus, *populus me sibilat, at mihi plaudo Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.* Propert. eleg. 8. lib. 3. *Et manibus faustos ter crepuere sonos.* Sibilis excipiebantur à populo ludos spectante, homines potentes, factiosi, inuidiosi: gratiosi contrà, clari, bene de repub. meriti plausu, & secundis clamoribus. M. Tullius ad Att. lib. 2. Populi sensus maximè in theatro, & spectaculis perspectus est. Nam gladiatoribus quà dominus, quà aduocati sibilis conscissi. Idem in Sextiana. Quid ego nunc dicam, quibus viris, aut cui generi ciuium maximè applaudatur? Neminem vestrûm fallit. Sit hoc sanè leue, quod non ita est, quoniam optimo cuique impertitur: sed si est leue homini graui leue est: ei verò, qui pendet à rebus leuissimis, qui rumore, & (vt ipsi loquuntur) fauore populi tenetur, & ducitur, plausum, immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est. In eadem. In hunc consessum P. Sextius trib. pleb. cùm ageret nihil aliud in eo magistratu, nisi meam caussam, venit, ac se populo dedit, non plausus cupiditate, sed vt ipsi inimici nostri voluntatem vniuersi populi viderent. Venit (vt scitis) ad columnam Mæniam. Tantus est ex omnibus spectaculis, vsq; à Capitolio, tantus ex fori cancellis plausus excitatus, vt nunquam maior consensio, aut apertior pop. Rom. vniuersi fuisse vlla in causa videretur. Philip. 1. Recordare quæso, Dolabella, consensum illum theatri, &c. Et in extrema, de plausu, quo absentem D. Brutum populus est honoris caussa prosecutus. Nec solùm plaudebatur claris viris in theatro, sed assurgebatur etiam, & acclamabatur. Vide Lipsium Elect. lib. 2. cap. 10. - * *Hiantem exponit Nonnius, mirantem, stupentem. Sic 6. Æneid.* inceptus clamor frustratur hiantes. *Varro Marcipore. Video hiantes, non audio. His admodum consona in Hercul. Fur. Seneca:*

Illum populi fauor attonitum,
Fluctuq; magis mobile vulgus
Aura tumidum tollit inani.

GAVDENT PERF. SANG. FR.) Non pauci ex nimia dominandi cupiditate ad arma ciuilia concurrunt, & mutuis cædibus sese conficiunt. Nam quidquid est eiusmodi, in quo non possunt plures excellere, in eo plerumque fit tanta contentio, vt difficillimum sit sanctam seruare societatem, etiam fraternam. Itaque ex hoc malo alia sequuntur, bella, rapinæ, cædes, exilium. Nam vbi altera pars alteri cedere cogitur, ibi victi domo, & patria eiiciuntur, & alibi domicilium ac sedem quæritant. Lucret. lib. 3.

Sanguine ciuili rem conflant, diuitiasq́;
Conduplicant auidi, cædem cæde accumulantes.
Crudeles gaudent in tristi funere fratres.

ALIO PAT. Q. SVB SOLE) Alio sole dixit, quia ortus & occasus, dierumq́; & noctium, aliarumq́; id genus rerum diuersa est in diuersis locis ratio. Horatius Ode 16. lib. 2. *Quid terras alio calẽtes Sole mutamus?* Idem cælum mutare dixit. Et Albinouan. apud Senecam.

An ne alio mundi positas sub cardine gentes,
Atq; alium libris intactum quærimus orbem?

Agricola incuruo terram dimouit aratro:
Hinc anni labor: hinc patriam, paruosq́; nepotes
Sustinet, hinc armenta boum, meritosq́; iuuencos.
Nec requies quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,

Prouen-

Prouentuq; oneret sulcos, atq; horrea vincat.
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis:
Glande sues læti redeunt, dant arbuta syluæ.
Et varios ponit fœtus autumnus: & altè
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea pendent dulces circum oscula nati:
Casta pudicitiam seruat domus: vbera vaccæ
Lactea demittunt: pinguesq; in gramine læto
Inter se aduersis luctantur cornibus hœdi.
Ipse dies agitat festos: fususq; per herbam,
Ignis vbi in medio, & socij cratera coronant,
Te libans Lenæe vocat: pecorisq; magistris
Velocis iaculi certamina ponit in vlmo:
Corporaq; agresti nudat prædura palæstra:
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:
Hanc Remus, & frater: sic fortis Hetruria creuit:
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma,
Septem quæ vna sibi muro circumdedit arces.
Antè etiam sceptrum Dictæi regis, & antè
Impia quàm cæsis gens est epulata iuuencis:
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.
SED NOS IMMENSVM SPATIIS CONFECIMVS ÆQVOR:
Et iam tempus equûm fumantia soluere colla.

Antithesis commodorum vitæ rusticæ. Rusticus arationi addictus, horum omnium securus, ex arui cultura annua percipit alimenta, & familiam nutrit, & armentis atq; pecoribus pabulum suppeditat. Nec à labore prius cessat, quàm fructibus annus abundet: quàm porco, hœdo, agno, frugibus, oleo, & autumni demum variis fructibus, & vuarum copia sibi satisfactum fit. Quid autem iucundius rustico, quàm domi suæ liberos suos semper habere obuios, & in cõspectu, & in complexu? quid dulcius, quàm pudica se cum vxore delectare? quæ domum regat atq; custodiat? Quid suauius, quàm spectare distẽta lacte vaccarum vbera? videre hœdorũ inter se certamina? Ipsi etiam agricolæ suos dies festos habent, quibus per herbas fusi, circa ignem sua conuiuia agitant, suisq; seruis, & pastoribus aut sagittarum certamina proponũt, aut palæstram indicunt. Eam ob rẽ veteres Sabini in vita rustica omnem ætatem contriuerunt. Hanc coluerunt Romulus, & Remus: nec alia ratione, quàm hac gens Etrusca ad tantam gloriam aspirauit. Eadem Roma mundi caput facta est, quando pascebat suas ipse senator oues. Quid, quod ipse Saturnus, priusquam Iupiter patre eiecto regnum occuparet, & priusquã carnibus pecudum vesci cæptum esset, etiam aureo illo sæculo vitam egisse rusticam ab omnibus creditur? Nam tum nullæ inter mortales rixæ, nulla bella, nec arma bellica. Sed finis tandem esto, spatium satis magnum confecimus: ad alia transeamus. MERITOSQVE IVVENCOS) Bene meritos vult dicere, propter arationem. Laboriosum animal bos, & hominum vitæ vtilissimum. Animal sine fraude doloque innocuum, simplex, natum tolerare labores. Ouid. Metam. 15. HORREA VINCAT) Georg. 1. *Illius immensa ruperunt horrea messes.* SICYON. BACCA)

A oliua, à Sicyone Laconiæ vrbe. TRAPETIS) trapetum, seu trapes est mola olearia, seu torcular olei, seu trabs qua oleum exprimitur. GLANDE SVES LÆTI RED.) Suprà *glandemq; sues fregere sub vlmis.* Vide ibid. de eorũ pastu Varronis relatam sententiam. PEND. DVLCES CIRC. OSCVLA.) Feruntur Nomades adeò immani & aspera natura fuisse, vt ne filios quidem suos oscularentur. De osculis filiorum paruulorũ Seneca ep. 78. Aliter homines amicã, aliter liberos osculantur. Tamen in hoc quoq; amplexu tam sancto satis apparet affectus. Idẽ de Benef. lib. 7. c. 13. amantium plura oscula & complexus acriores, non augent amorem, sed exercent. Quàm sit autem æquum, infantes etiam recens natos osculari, B pulchrè docet D. Cyprianus epist. ad Fidum, lib. 3. Nam & quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti, mundum non esse dixisti, quod vnusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad cælestem gloriam (per Baptismum) dandam impedimento esse oportere. Scriptum est enim, omnia munda mundis. Nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi infans à partu adhuc nouus est, non ita est tamen, vt quisquã illũ in gratia dãda atq; in pace facienda horrere debeat exosculari, quando in osculo infantis vnusquisq; nostrũ pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato, & recens nato quodãmodo exosculamur, quando id quod Deus fecit amplectimur. C Versus Lucret. de lib. 3. Maroniano huic valde cognatos subscribamus.

At iam non non domus accipiet te læta, neq; vxor
Optima, nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent.

CASTA

CASTA PVDICITIAM) Castitas, & pudicitia paria deputantur: cùm sit pudicitia ab iniuria turpium libidinum libera. Castitas & ab his continens, & remota: prætereà & religiosa munditia, & puritas. Nonius subiicit mox hunc ipsum locum, & illum è li. 6. *Quiq; sacerdotes casti dum vita maneret.* Et è 7. *Præterea castis adolet dum altaria tædis.* Plus vult esse castitatem, quàm pudicitiam, vt hæc sit abstinentia ab impermissa Venere, quæ etiam in coniuges cadit: hæc, à quacunq; Venere. sed confunduntur. Impudici Latinis, qui muliebria paterentur, crimē ipsum impudicitia. Vide Torrent. in August. Sueto. cap. 34. De pudicitia igitur, vt est virtus ignara omnis Veneris concessæ, inconcessæ, en quàm præclarè virginitatis & castimoniæ admirator summus Septimius Tertullianus lib. de Pudicitia. *Pudicitia verò flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, præiudicium omnibus bonæ mentis: quanquam rara, nec facilè perfecta, vixq; perpetua, tamē aliquatenus in sæcula morabitur, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si cēsura cōpresserit. Siquidem omne animi bonum aut nascitur, aut eruditur, aut cogitur. Sed vt mala magis vincunt, quod vltimorū temporum ratio est, bona iam nec nasci licet, ita corrupta sunt semina: nec erudiri, ita deserta sunt studia: nec cogi, ita exarmata sunt iura.* VBERA LACTEA DEMITTVNT) lacte turgentia, distenta lacte. Multa huiusmodi poetæ, vt florea rura, frondea sylua, &c. ADVERSIS LVCT. C. HOEDI) Aratus.

> Ἄλλοι δ' ἐξ ἀγέλης κεραοί, ἄλλοι δὲ καὶ ἀμνοὶ
> Εἰσόδιοι παίζουσιν ἐρειδόμενοι κεράεσσιν.

De hac lucta hœdorum, propter Venerem scilicet, in qua ipsi suam riualitatem habent. Horat. Ode 13. lib. 3. ad fontem Blandusiæ.

> *Cras donaberis hædo,*
> *Cui frons turgida cornibus*
> *Primis & Venerem, & prælia destinat.*

Tamen quia naturà petulci sunt, & lasciui, vel ob id sese cornibus petunt. Iacob. Pont. IGNIS VBI IN MED.) Tibul. in Ambarual. descriptione.

> *Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris,*
> *Ingeret ardenti grandia ligna foco.*

Ita hic Maro ad ignem in medio accensum, introducit epulantem rusticum. CRATERA CORON.) Vide 1. Æneid. ad finem. PECORISQ. MAGISTRIS) Ita pastores vocat sæpenumerò. Exempla notauimus ad Eclog. 2. *Pan curat oues, oniumq; magistros.* De palæstra diximus lib. Æneid. *Exercent patrias oleo labente palæstras.* HANC VIT. C. SABINI) Amplificatio ab exemplis maiorum, quibus dignitas rusticationis commendatur. Cic. in Catone. Possum nominare ex agro Sabino rusticos Ro-

A nos, familiares meos, &c. Vide Columell. & Plin. lib. 18. cap. 3. SCIL. ET RERVM PVLCH. ROMA) Leg. quæ ex Athenæo afferuntur lib. 7. Æneid. super illo, *nunc maxima rerum Roma colit.* Et 1. Eclog. ibi, *Verum hæc tantum alias inter caput extulit vrbes.* Propert. *Septem vrbs alta iugis, toti quæ præsidet orbi.* ANTE SCEP. DICTAEI REGIS) Iouis Cretensis, à Dicte monte Cretæ, in quo ille ab apibus educatus. Notatur sæculum aureum primorum hominum. IMPIA QVAM CÆSIS) Cic. de nat. deor.

> *Ferrea tum verò proles exorta repente est,*
> *Ausaq; funestum prima est fabricarier ensem.*
> *Et gustare manu vinctum, domitumq; iuuencum.*

B Græci versus hi sunt.

> Χαλκείη γενεὴ προτέρων ὀλοώτεροι ἄνδρες,
> Οἳ πρῶτοι κακόεργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
> Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.

Tanta putabatur vtilitas percipi ex bobus, vt illo aureo sæculo illorum visceribus vesci scelus haberetur. Pythagoras apud Ouid. 15. Metam.

> *Immemorem demum, nec frugum munere dignum,*
> *Qui potuit curui dempto modo pondere aratri*
> *Ruricolam mactare suum: qui trita labore*
> *Illa, quibus toties durum renouauerat aruum,*
> *Tot dederat messes, percussit colla securi.*

Vide Plutarchum περὶ σαρκοφαγίας. Sueton. de Domitia-
C no cap. 9. Inter initia vsq; adeo ab omni cæde abhorrebat, vt absente adhuc patre recordatus Virgilij versum, *Impia quàm cæsis, &c.* edicere destinauerit, ne boues immolarentur. AVREVS SATVRNVS) aurea Saturni ætas, sæculumq; aureum. Hesiod.

> Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων
> Ἀθάνατοι ποίησαν Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες,
> Οἱ μὲν ἐπὶ Κρόνου ἦσαν, ὅτ' οὐρανῷ ἐμβασίλευεν.

INFLARI CLAS. Indicatur sæculum ferreum, quo bella cœperunt, inuentis etiam ensibus. Tibull. lib. 1. eleg. 1. *Martia cui somnos classica pulsa fugent.* SED NOS IMMEN. SPAC.) Ennius. *Sicut fortis equus, spacio qui sæpe supremo Vicit Olympia.* Allegoricè hoc dicit, debemus fatigato ingenio parcere, & finem facere carminis. Sanè
D non est comparatio, sed translatio: sicut & in fine primi libri legimus. Ita Seruius. Homer. Odyss. ν. οἱ δ' ἵπποι μὲν ἐλαστὰν ὑπὸ ζυγῷ ἱδρώοντες, cui Virgilij versus respōdet. Tale illud Callimachi ex hymno in Palladem.

> Ἀλλὰ πολὺ πρότερον σφ' ἅρματος αὐχένας ἵππων
> Λυσαμένα παγαῖς ἔλλουσεν Ὠκεανῶ.

Simili clausula, sed aliunde translata, Palæmonem concludit. *Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.*

FVMANTIA COLLA) defatigata, ex sequenti antecedens.

LIBRI SECVNDI GEORGICORVM FINIS.





SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER IIII.

Ad tertium Georgicorum.

SYNOPSIS.



Vm Maroni sint rusticationis partes quatuor, earumq; prima in agrorumcultione constituta: altera in cura hortẽsi, siue arborum, ac præcipuè vitium: tertia in tractando pecore: postrema in procurandis apibus, hoc tertio libro agit de animantibus: verùm ita, vt villaticam pastionem omittat: pecuariam, seu pastoritiam agrestem duntaxat persequatur: & quod attinet ad armentum, in equis, & bobus tantùm: quod ad gregem seu minores pecudes, in ouibus solùm, & capris: pauca etiam de canibus adiungit, qui ad custodiam pecoris adhibentur. Postquam igitur argumentum libri breuiter concinnéque proposuit, illicò res quasdam certas, easque iam tritas, neminique amplius ignotas recenset, in quibus poetæ plerunque inanem lectorum delectationem aucupantes, nulla cum eorum vtilitate versari consueuerint: se relictis huiuscemodi figmentis, vera, fructiferaq; pertractaturum pollicetur, vt hac ratione famam sibi, celebritatemque nominis æternam acquirat. Ac de re quidem rustica se primùm scripturum carminibus, deque poetis Græcis, qui in eo genere elaborarunt, triumphum relaturum, & huius victoriæ suæ monumenta, etiam in prædio suo, quod in agro Mantuano habet, magnifica, & illustria excitaturum, quæ omnia qualia, & quàm eximia cogitarit, commemorat. Postea vbi Mæcenatem sibi beneuolum fecit, absolutaque scriptione georgica ad Augusti bella, maiorumque eiusdem decora canenda venturum recepit, ad institutum aggreditur. Sic autem de equis, ac bobus differit, vt ante omnia doceat, diligenter hîc matrum, ibi admissariorum corpora intuenda. Optimus deinde vaccæ habitus, formaq; proponitur: quando ineunda, & quousq; duret eius fœtura, ostenditur. Sequitur locus insignis de incommodis, & miseriis, quibus sibi semper succedentibus, & homines, & animalia cumulantur: donec tandem malorum omnium extremum mors eos è medio tollat. Non deerunt vnquam vaccæ effœtæ, & ob senectutem minus validæ, in quarum locum integriores, vegetioresq; sufficiendæ: vt, quod armento decedit, isto modo per sobolis nouæ procreationem, quasi sortitione restituatur. Quæ cura matrum in bubulo, eadem in equino pecore deligenda est, & pullis equinis impendenda sollicitudo educationis à principio non indiligens. Signa complura afferuntur, quibus generosum pullum cognoscere possimus. Porrò etiam talis vel morbo affectus, vel senio fessus, domi retinendus; & cùm ab omni opere, tum præsertim ab admissura prohibendus est. Quis enim dubitet, equum vetulum, & in Venerem fore frigidum, & ad laborem militiamque inutilem? Animaduer-

tenda igitur ætas cuiusque, vt, qui equus fœminis implendis accommodatus sit, nosse queas. Animaduertendus item animus, ac virtus, propter Circenses ludos, & equestria certamina: nam & in his bestiis æquè vt in homine, quendam gloriæ appetitum obseruare licet: quod poeta compluſculis carminibus ante oculos ponit. Inuentorem principem ludorum istorum facit Erichthonium: equitationis Thessalos. Parui autem refert, qua regione, in Epirône, an in Peloponneso, aut alibi natus sit equus: & vtrum ab ipsius Neptuni equis originem ducat. Si enim generosam indolem, & spiritus altos præ se non tulerit, nec in cursu acer fuerit, si ætate & robore haud integer, incassum vel vectarius fiet, vel equitationi seruiet. Quos ad admissuram deligunt, iis pascendis singularem tenent morem: atq; id propterea, vt, quantò robustiores ipsi sunt, tantò nascituræ stirpi semina valentiora suppeditent. Quod nisi fiat, patrum suorum macritudinem pulli referent. Equabus contrà sub tempus admissuræ perorigæ pabulum minuunt, ne obesiores factæ, steriles euadant. Dum ferunt autem, maiore diligentia, indulgentiaq; tractandæ sunt: id quonam modo, poeta tradit. Occasione tabani fabella de Io in vaccam mutata inseritur. Vitulus editus statim sua nota distinguendus: vt pateat, num admissuræ, an sacrificio, an arationi destinetur. Docet deinde, quomodo habendi, qui agriculturæ præparantur. Tum à iuuencis ad equulos venit, qui vel militiæ, vel certaminibus ludicris deliguntur, & qua curatione habendi sint, monet. Et quia tam bubulo, quàm equino generi immoderata Venus nocumentum non leue dat, quid agendum sit, præcipit, disertissimeq;, & festiuissimè tauri in pugna deuicti mores complectitur. Locus communis de stimulis Venereis, rabieque in hominibus, & animalibus, & ad probationem bellissima inductio: sed inprimis libidine concitari equas, quæ nonnunquam è vento grauidentur. Ibidem de veneno, quod ab illarum naturalibus destillat, & ad philtra assumitur, vocaturq; hippomanes, quia libidinem insanam scilicet, equarumque libidini similem in animis ingenerat. Et hæc quidem de equis, & bobus, de quibus libri pars prior est.

Posterior in grege consumitur. Agit de ouibus, & capris, earumque pastione gemina, æstiua, & hyberna videlicet, vt Afri, & Scythæ pascere solent. Iam verò quamquam harum rerum perdifficilis videatur explicatio, se tamen (quod profectò magni est animi) perrupturum omnem difficultatem affirmat. Disputat de lanitio ouium, de lactis auctu, de canum custodia: quorum etiam vsum esse vult in venando: nam nec venatione agricolis interdictum est penitus. Affertur doctrina de fugandis, interimendisque venenatis animalibus. Agitur de pellendis, auertendisque morbis pecudum. Ad vltimum, sæuissima hominum, bestiarumque pestilentia facundissimè, multisq; versibus quasi oculis subijcitur, in qua hypotyposi liber finitur.

EXPLANATIONES.



E quoq; magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso: vos syluæ, amnesq; Lycæi.
Cætera, quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia iam vulgata. quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?
Hippodameq;, humeroq; Pelops insignis eburno,
Acer equis? TENTANDA VIA EST, QVA ME QVOQVE POSSIM
TOLLERE HVMO, victorq; virûm volitare per ora.

TE QVOQVE MAGNA PALES) De animalibus scripturus, non immeritò (id quod prudenter animaduersum est à Seruio) deam pabuli inuocat: sicut cùm de frumentis, & vitibus esset acturus, Cererem & Liberum inuocauit. Et cùm aliud quodammodo carmen, pastorale scilicet, inchoare aggrediatur, post absolutum A georgicum, non iniuriâ nouo vtitur exordio: vt taceam, quamquã eodem omnia quatuor, de quibus totidem libris agit, pertineant, tamen concessum esse scriptoribus vt animos lectorum iteratione procemiorum reficiant.

MAGNA PALES) Palem infrà hoc eod. libro venerandam vocat. *Nunc veneranda Pales, magno nunc ore sonan-*

sonandum. Eandem deam inuocat in Culice, eiusque regnum & potestatem exprimit his carminibus, vt quidem ea correxit ex Pithœi codice Scalig. F.

Et tu sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestûm bona sors, cura secura tenes qua
Herbiferos saltus nemorum, syluasq́; virentes.

Ad Palem ait pertinere agrestûm bonam sortem, hoc est, copiam lactis, quia est *νομία*, & pastoralis dea. Quem prouētum lactis securum ob omni cura dixit: quia sine vlla cultura, ac labore illud percipiunt pastores: quū contra agricolæ maximis sudoribus terram subigant, vt ex ea percipiant fructus. *Cura secura*, Græcorum est *γυμνασίων ἀγύμναστος, ἱερῶν ἀνίερος*. Hæc Scalig. Pastorum dominam vocat Ouid. 4. Fast.

Quæ precor eueniant, & nos faciamus ad annum
Pastorum dominæ grandia liba Pali.

* *Festa huius deæ appellabantur Palilia, seu Parilia, quod pro partu pecorum ei sacrificaretur 12. Calend. Maias. Videndus Ouid. in Fastis. Palilibus obseruatum, ne qua hostia caderetur, quòd cum diem, qui patriæ natalis esset, a sanguine deceret esse purum. Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. & ibid. Tiraquell. Et quia huius Deæ festa, quemadmodum dicerentur, indicauimus, aliorum quoq; deorum, dearumq́; festa suis nominibus distinguemus ex Theodoreto de curatione Græcarum affectionum Serm. 7. His itaq; dijs, inquit, infestus hominis dæmon festos dies, sollennes cærimonias, populariaq; conuiuia celebrari instituit, suis quaq; nominibus, ac titulis insignita, Ioui quidem Pandia, & Diasia, Heræa verò Iunoni, Mineruæ Panathenæa, Baccho Dionysia, Cereri Eleusinia, & Thesmophoria, Apollini Delia, & Pythia, Hermea Mercurio, Posidonia Neptuno, Herculi Heraclea, Asclepia, & Panacia Æsculapio. Et cæteris præterea, quorum sanè magna est turba, suas cuiq; solennitates dicauit, singulorum dæmonum nomine eas vocans. Palilibus condita vrbs Roma, inquit Suetonius in Caligula cap. 16. decretumq; no, vt dies, quo cepisset imperium (puta monstri illius Caligulæ) Palilia vocaretur, velut argumentum rursus conditæ Vrbis.*

PASTOR AB AMPHRYSO) Amphrysus est fluuius Thessaliæ, circa quem spoliatus diuinitate Apollo, ob Cyclopas occisos, Admeto regi pauisse armenta fertur: quocirca eū in pręsens inuocat. Vocatur etiam Nomius, vel ἀπὸ τῆς νομῆς, id est, à pascuis, vel ἀπὸ τῶν νόμων, id est, à lege chordarum. Hæc Seruius.* *Immò & alijs nominibus à re pastorali, seu ab officio, ac munere pastoritio ductis appellatur à Græcis, ποίμνιος, ἀγραῖος, ἐπιμήλιος, ἀρνοκόμης, ναπαῖος.*

De Apolline pastore in Thessalia, petam aliquod carmina è Tibull. lib. 2. eleg. 3.

Pauit & Admeti tauros formosus Apollo,
Nec citharæ, intonsæ profueruntve comæ.
Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas,
Et potum pastas ducere fluminibus.
Et miscere nouo docuisse coagula lacte,
Lacteus & mistis obriguisse liquor.
Ah quoties illo vitulum gestante per agros
Dicitur occurrens erubuisse soror.
Ah quoties ausæ, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boues.

Hac de re, de semet, inquam, pastore memorat idem Apollo apud eundem poetam li. 3. eleg. 4. in hunc modū,

Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencas
Non est in vanum fabula ficta iocum, &c.

Sequitur autem Tibullus, vt annotatum est à Mureto in eius scholiis, Rhiani veteris poetæ Græci, & Callimachi *μυθολογίας*, qui vltrò ac sponte sua, ipsius videlicet amore captum, Admeto Apollinem seruiisse referunt: non propter Cyclopas (quia nimirum Ioui fulmina fabricassent, quibus ipse Phaetontem ipsius Apollinis, siue Solis filium, currum paternum malè moderantem excussisset, interfecissetq;) interemptos, quæ vulgata est narratio. Cui Apollodorus addit lib. 3. Iouem fuisse eum in tartara iamiam deiecturum: sed Latonæ precibus exoratum, iussisse, vt mercede seruiret. Apollinem Admeto

A seruiisse, boues omnes gemelliparas fecisse. Tamen apud Euripidem in Alcestide tragœdia, statim ab initio id confitetur. Ὦ δώματ' Ἀδμήτει', &c. Carmina Callimachi ex hymno in Apollinem consideranda demus, ex quibus cur seruierit, & quanta eius in re pastoritia potestas, liquebit.

Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή.
Κείνου δὲ θριαὶ, καὶ μάντιες· ἐκ δέ νυ Φοίβου
Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.
Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν, ἐξ ἔτι κείνου
Ἐξ ὅτ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
Ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.
Ῥεῖά κε βουβόσιον τελέθοι πλέον, οὐδέ κεν αἶγες
B *Δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες, ᾗσιν Ἀπόλλων*
Βοσκομένῃς ὀφθαλμὸν ἐπήγαγεν. οὐδ' ἀγάλακτες
Οἴιες, οὐδ' ἄκυθοι, πᾶσαι δέ κεν εἶεν ὕπαρνοι·
Ἡ δέ κε μουνοτόκος, διδυματόκος αἶψα γένοιτο.
Ille sagittantes sibi deligit, ille poetas:
Phœbo cum iaculis sunt & pia carmina curæ,
Sortilegûmq́; nota, & vates: quin & duce Phœbo
Addiscunt medici properantem auertere mortem.
Dicimus & pastoralem cognomine Phœbum,
Ex quo quadriiugos Amphrysi ad flumina pastor
Pauit equos, magno Admeti succensus amore.
Pascua plena virent, nec sunt sine mollibus hœdis
Inter oues capræ quos vultu respicit æquo
C *Phœbus oberrantes: nec sunt sine lacte bidentes,*
Nec steriles vnquam: iuncti errant omnibus agni:
Quæq́; erat vnipara, hæc pariet mox fœta gemellos.

Atq; hic, quoniam opportunitas data est, qui nam de diis, deabusq; hominibus seruierint, ex Protrept. Clem. Alexandr. dicamus. Plures siquidem, quod turpissimum profectò, ab eorumq; maiestate alienissimum est, serui hominū facti sunt. Iugum seruile subiit Apollo Admeto Phæris, Hercules Sardibus Omphalæ, Laomedonti autem fuit mercenarius Neptunus, & Apollo, sicut seruus inutilis, qui nec libertatem quidē potuit consequi à primo domino. Tunc etiam muros Troiæ ædificarunt. Nō pudet autē Homerum dicere, Mineruam Vlyssi prælu- D xisse, aureā lucernam tenentem manibus. Legimus autē Venerem tanquam lasciuam, & intemperantem quampiam ancillulam, lecticam Helenę apposuisse ex aduerso adulteri, vt eum ad cōcubitum alliceret. Panyasis autem alios quoque plurimos deos refert seruiisse hominibus, sic scribens.

Passa Ceres, passusq́; insignis Mulciber, estq́;
Passus Neptunus, passusq́; est Phœbus Apollo
Mortali ipse suas operas mercede locare,
Passus Mars q́; ferox, vrgente hoc patre coactus.

Hactenus Clemens.

CÆT. QVÆ VACVAS. T. C. MEN.) Multa sunt apud poetas, siue in doctrina poetica, quæ vacuas hominum E mentes, non grauibus, & quotidianis curis intentas delectare possint, quamquā non sine fruge aliqua. Veruntamē ea iam suos inuenisse tractatores, & explicatores affirmat. Ne quis autem diu hæreat, quænam illa tandem sint, exemplis aliquot subiectis rem declarat. Ita per cōparationem argumentum susceptum commendat, attentionemq; lectorum captat, quasi minimè multorum aliorum more ludicra, fabulosa, & leuia, sed vera, grauia, plena vtilitatis cantaturus sit.

Prope ausim dicere, locum hunc totum ex Chœrilo expressum atq; effictum mihi videri. Legūtur enim quidam illius versus, quibus queritur, præcipua argumenta scribendorum poematum à vetustis poetis occupata iam esse. Eadem est Virgilij conquestio.

Ἆ μάκαρ, ὅστις ἔην κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῆς
Μουσάων θεράπων, ὅτ' ἀκήρατος ἦν ἔτι λειμών.
Νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι
Ὕστατοι ὥστε δρόμου καταλειπόμεθ', οὐδέ πῃ ἔστι
Πάντῃ παπταίνοντα νεοζυγὲς ἅρμα πελάσσαι.

Videtur tamen Chœrilus non ita contemptus & abiectus poeta fuisse, vt eum haberi voluit Horatius: quanquam & alij, quorum maior est auctoritas, malè de eo multò ante Horatium senserunt. Versus hic ipsius, *πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ*, multos nihilominus, magnosque imitatores habuit. Muret. libr. 11. cap. 14.

EVRYSTH. DVRVM) Eurystheus rex fuit Græciæ, Persei genus, qui Iunonis instinctu imperabat Herculi, vt tot monstra superaret, quibus posset perire. Vnde eum durum appellauit, qui potuit ad complẽdum odium nouercale sufficere. Seruius. Plurimos tamẽ labores suscepit Hercules sponte sua, quos ei Eurystheus iste nequaquam imperauit.

ILLAVD. BVSIR. ARAS) Docet Gell. lib. 2. cap. 6. & ex eodem Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 7. Grammaticos quosdam nobiles, qui commentaria in Virgilium composuerant, reprehendisse nonnulla verba, vt ignauiter, & abiecta posita In illis est, illaudati, in hoc carmine, *Aut illaudati nescit Busiridis aras.* Parum idoneum verbum esse dicunt, neq; satis esse, ad faciendam scelerati hominis detestationem: qui, quòd hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detestatione, execrationeq; totius generis humani dignus esset. Respondet bifariam. Primò, nemo quisquam tam efferis est moribus, quin faciat, aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat: vnde hic antiquissimus versuum prouerbij vice celebratus est. *πολλάκι καὶ κηπουρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.* Sed qui omni re, atque omni tempore laude vacat, is illaudatus est, isque omnium pessimus deterrimusque est: sicut omnis culpæ priuatio inculpatum facit. Inculpatus autem instar est absolutæ virtutis. Illaudatus igitur quoque finis est extremæ malitiæ. Itaque Homerus non in virtutibus appellandis, sed vitiis detrahendis laudare ampliter solet, appellans heroas illos *ἀμύμονας*, inculpatos. Sic Epicurus maximam voluptatem detractionem, priuationemque omnis doloris definiuit. *Ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις.* Eadem ratione Virgilius inamabilem dixit stygiam paludem. Nam sicut illaudatum *κατὰ* laudis *στέρησιν*, ita inamabilem *κατὰ* amoris *στέρησιν* detestatus est. Secundò laudare significat prisca lingua nominare, appellareque. Sic in actionibus ciuilibus laudari id dicitur, quod est nominari. Illaudatus enim est, quasi illaudabilis, qui neque mentione, neque memoria vlla dignus, neque vnquam nominandus. Sicut quondam à communi consilio Asiæ decretum est, vti nomen eius, qui templum Ephesiæ Dianæ incendisset, ne quis vllo tempore nominaret. * *Exponit igitur Gellius illaudati Busiridis, nec nominandi, laudare enim est nominare. Plaut. Capt.* Id vt scias, Iouem supremum testem laudo Hegio. *Adde ex Budæo Annotat. in Pand. Laudare tamen, quod verbum est ipsum iuris, si quis diligenter aduertat, non modo nominare, vt Gellius, & Macrobius dixerunt, sed etiam nominatim citare significat, & appellare, hoc est, iudicio dictato interpellare. Cic. 3. de Orat. de Carneade loquens, Huius ego etsi multos auditores Athenis cognoui, tamen auctores certissimos laudare possum (ὑπέρτονος ἐπιγράφεσθαι ἐνόμασι) & socerum meum Scæuolam, qui eum Romæ audiuit adolescens. Lege quæ sequuntur pag. 269.*

Seruius vocem *illaudati*, ad Busiridis encomium refert: vt si laudatus sit, *παράδοξος, καὶ παράλογος* à Rhetore eius commendatio tentata sit. Busiris, inquit Philargyr. Ægypti Rex omnibus annis Ioui hospites immolabat. Nam per octo annos sterilitate Ægypto laborante, Pygmalion Cyprius finem non futurum ait, nisi sanguine hospitis litatum fuisset. Primus autem Thyestes alienigena immolatus, originem sacrificio dedit. Alij sic. Busiris Neptuni filius, Rex Ægypti, qui cùm Ioui hospites immolaret, pari exemplo mactatus est ab Hercule, ipsum quoque ausus aris admouere.

Busiris Libya Iouis nepte, & Neptuno satus, cùm in Ægyptum commigrasset, ibique vrbem de suo nomine dictam condidisset, hospites sacrificare consueuerat. Hunc Polycrates Rhetor & Sophista exercitationis caussa, vt videtur, defenderat: sed malè, quod ei obiicit Isocrates, & quemadmodum defendendus, ac laudandus fuisset, in eam rem composita oratione hominem docet.

CVI NON DIC. HYLAS PVER) Horat. cùm scripsit illa, Ode 6. lib. 1.

Nos Agrippa neq; hæc dicere, nec grauem
Pelidæ stomachum cedere nescij, &c.

Et epist. 1. lib. 1. *Prima dicte mihi, summa dicende Camœna,* verbo signantissimo vsus est, quo ipsum *ἔπος* exprimitur. Quamquam vox *dicere*, etiam ad alia carminum genera sæpe transfertur. *ἔπος* igitur ab *ἔπω* dico. Nam vt oratio, quamuis competat omni hominum dictioni, tamen vni eloquentiæ attributa est, cuius auctor solus, orator appelletur: ita dictio, quamquam est communis omnium locutioni, tamen solis dactylicis senariis magniloquis attributa fuit. Vnde ab Horatio forte epos, & Varius epicus nominatus, pro nobilissimo poeta. Scalig. lib. 1. cap. 41. * *De vsurpatione verbi dicere, apud poetas, monumentum adhibetur exemplum ad Eclog. 5. ibi:* ego dicere versus. *De Hyla eclog. 6.* vt litus Hyla, Hyla omne sonaret.

LATONIA DELOS) Latoniam vocat Delon, quoniam ibi Latona peperit Apollinem, & Dianam. Vide quæ scripsimus in 3. Æneid. *Quam pius arcitenens,* &c. Huc opportunè adiiciemus versiculos Theognidis, qui initio gnomarum suarum compellans Apollinem, eiusque se nunquam non memorem futurum promittens, ita subnectit.

Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε θεὰ τέκε πότνια Λητώ,
Φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαψαμένη,
Ἀθανάτων κάλλιστον ἐπὶ τροχοειδέϊ λίμνῃ,
Πᾶσα μὲν ἐπλήσθη Δῆλος ἀπειρεσίη
Ὀδμῆς ἀμβροσίης.

Sententia est, Phœbe Rex, quando te dea, veneranda Latona peperit, teneris manibus palmã complexa, immortalium pulcherrimum, ad rotundam paludem, tota Delus amplissima diuino quodam odore plena fuit. De eiusdem Latonæ partu in hac insula Homerus Odyss. lib. 2. & hymno in Apollinem, Callimachus hymno in Delum insulam, Ouid. 6. Metamorph. ✠

HIPPODAMEQVE, HVMEROQVE PELOPS) Vtriusque fabulam & Hippodamiæ, & Pelopis disertè Seruius narrat, quẽ consulas licet. Pindarus *ᾠδῇ* 1. Olymp.

Ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἐξεῖλε
Κλωθὼ ἐλέφαντι φαίδιμον
Ὦμον κεκαδμένον.

QVA ME TOLLERE HVMO) Horat. Ode. 2. libr. 3. de virtute.

Cœtus vulgares, & vdam
Spernit humum fugiente penna.

Quia humus demissa est, & in infimo iacet, & pedibus teritur, ideo humilia nominamus, quæ nullo in honore, quæ contempta, & abiecta sunt, quæ negliguntur. Item humi iacere est despici, nihili fieri, ignorari. Ergo tollere se humo, erit nomen sibi parare, in hominum notitiã peruenire, insigni videlicet facinore aliquo. Exprimunt hoc Germani, *Sich auß dem staub machen.* ✠

VICTOR) Id est propositi effector, vt quidem explanat Seruius. consecutus quod optaueram: quo intellectu hac voce pluries vsus reperitur. Infrà de Erichtonio, *rapidisq; rotis insistere victor.* Turneb. in Varron. de ling. Latina. lib. 1. Victor qui aliquid absoluit, & perfecit. Vt infra quoque, *Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro.* Sic Vartoni rex, vbi ait, Quartus, vbi est aditus, & initia regis: quò si perueniam, scientiam ad opinionem aucupabor. Interpretatur Turneb. Qui ad quartum gradum peruenit, is rex fuerit, & planè numeris omnibus rem absoluerit. Tale illud Horatianum: *at pueri ludentes, rex eris aiunt Si rectè facies.* Auson. *Qui faciet rectè, non qui dominatur, erit rex.*

VIRVM VOLITARE PER ORA) Apparet ab Ennio mutuatum: is enim sibi hoc meditatus est epitaphiũ,

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. cur? volito viuus per ora virûm.

A Nullis autem mortalibus perinde concessum est hoc dicere, & ita gloriari, quam qui studiis se litterarum inuoluunt, & nomen suum aliorumque ad posteros semper victurum per ingeniorum suorum monumenta transmittunt. Testem producam maiorem exceptione Senecam, cuius hęc est oratio in Consolat. ad Polybium, cap. 37. Fratris quoque tui produc memoriam aliquo scriptorum monumento tuorum. Hoc enim vnum est rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat vetustas. Cætera quæ per constructionem lapidum, & marmoreas moles, aut marmoreos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propagabunt longam diem: quippe & ipsa intereunt. immortalis est ingenij memoria: hanc tuo fratri largire, in hac eum colloca. Hinc & illa Horatij. *Exegi monumentum, ære perennius*, &c. aliorumq; poetarum magnificæ voces, æternitatem famæ sibi pollicentium.

Primus ego in patriam mecum (modò vita supersit)
Aonio rediens deducam vertice Musas:
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens vbi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæsar erit. templumq; tenebit.
Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi Alpheum linquens, lucosq; Molorchi,
Cursibus, & crudo decernet Græcia cæstu.
Ipse caput tonsæ folijs ornatus oliuæ
Dona feram. iam nunc solennes ducere pompas
Ad delubra iuuat, cæsosq; videre iuuencos:
Vel scena vt versis discedat frontibus, vtq;
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni:
In foribus pugnam ex auro, solidoq; elephanto
Gargaridûm faciam, victorisq; arma Quirini:
Atq; hîc vndantem bello, magnumq; fluentem
Nilum, ac nauali surgentes ære columnas.
Addam vrbes Asiæ domitas, pulsumq; Niphatem,
Fidentemq; fuga Parthum, versisq; sagittis.
Et duo rapta manu diuerso ex hoste trophæa,
Bisq; triumphatas vtroque ab littore gentes.
Stabunt & Parij lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissæq; ab Ioue gentis
Nomina, Trosq; parens, & Troiæ Cynthius auctor.
Inuidia infælix Furias, amnemq; seuerum
Cocyti metuet, tortosq; Ixionis angues,
Immanemq; rotam, & non exuperabile saxum.

[*Paraphrasin docti hominis subijcio, quod sæpe etiam per posteriores hosce duos libros facturus sum, quemodo & in prioribus duobus superioribus feci. Desidero enim, quantum consequi possum labore, industria & meo, & alieno Marte omnia lectori aperta reddere, & quam clarissima eius menti lumina propandere. Sed Verborum satis.*] Nam si Deus opt. max. vitam mihi concesserit, viresq; ingenij subministrauerit: primus ego ex latinis scriptoribus, suscepta cum Græcis velitatione, de re rustica, & pastorali commentari aggrediar: & ipsam B Græciam in Italiam transferre conabor. Quo in certamine talem me geram, vt de Hesiodo, cæterisq; Gręciæ poetis, tanquam victis, & calamo superátis hostibus, triumphum deinceps acturus sim. Itaq; in agro Mantuano, vbi meum est prædium, iuxta amnem Mincium, partæ victoriæ monumentum erigam, excitata æde marmorea: in cuius medio Augusti Cæsaris, tanquam Dei tutelaris, simulacrum collocabitur. Nam huius erit,

quicquid laudis & gloriæ à superatis Græciæ scriptoribus ad me redierit. Ludos etiam Circenses, & certamina equestria in honorem eiusdem instituam: & centum quadrigas ad Mincium fluuium agitabo. Accedent huc omnes Græcorum palæstræ, & ludi Olympici, ac Nemeæi: quorum illi Pisis iuxta Alpheum fluuium: hi prope syluam Nemeam antiquitus exercebantur. Præterea ne quid vspiam ad magnitudinem huius poetici triumphi desit, ego pôtificali veste indutus, sacra faciam, & victimas Dijs immortalibus offeram. Atq; adeò iam nunc pompas ad templum illicò deducere, & cæsas pecudes aspectare cupio. Quid? quòd ne ludos quidem scenicos, & pompas theatrales omissurus sum? Nam modò in hanc, modò in aliam partem scena conuersa, depictos in aulæis triumphos Cæsaris, & rerum gestarum species commonstrabit. Postremò templum ipsũ varijs picturis, & statuis vtrinque ornabitur in foribus. Nam ex vna parte pugnas, & victorias Augusti Cæsaris, auro & ebore cælatis imaginibus repræsentabit: neque quicquam eorum, quæ ad laudem & decus Cæsaris pertinere videbuntur, à me prætermittetur. Hîc ipsum Antonium, & Cleopatram Ægypti reginam, ab Augusto Cæsare ad Actium victos, cum trophæis, & æreis columnis constituam. Ibidem vrbes Asiaticas, & Asiæ superatos Armenios addam. Signa item, M. Crasso olim à Parthis adempta, & nunc iterum ab ijsdem Cæsari reddita, coniungam. Denique omnes ad occasum & ortum pacatas gentes: quæ magnitudinem & victoriam populi Rom. reuerentur, adijciam. Ex alia verò parte templi progenitores Augusti Cæsaris, in marmore excisi, tanquam viuæ imagines, conspicientur. Hic videre erit, Dardanum Ioue genitum, Assaracum, Erichthonium, Troem, ac Troiæ auctorem Phœbum Apollinem: & qui continua serie, ad hunc vsque Cæsarem Augustum ab illis propagati sunt. Vbi hæc maleuoli, & homines inuidi limis oculis aspexerint, totis animis contremiscent: & pauidi, in tenebris humi reptitantes, furias vltrices, aliasq; pœnas infernales extimescent.

PRIMVS EGO IN PATRIAM) Lucretij versus vtique voluebat animo, cum hæc scriberet, nempe illos lib. 4. *Auia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo,* &c. alibi enim protulimus. Prædicat ijs, se primum extitisse, qui res philosophicas carmini submiserit. Sic Ennius gloriatus est, ante se nullum visum poetam latinum egregium, seque prodijsse principem, qui iter ad Heliconem inuenerit: qui præcesserint, eos rudes atque impolitos fudisse versus, qualia olim oracula Fauni cecinerint.

Versibus quos olim vates, Fauniq; canebant,
Cum neq; Musarum scopulos quisquam superârat,
Nec dicti studiosus erat.

Sic item Horat. Ode.1.lib.3.

—— carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus, puerisq; canto.

Ode. 30. eiusdem lib.

Dicar, quà violens obstrepit Aufidus:
Et quà pauper aquæ Daunus, agrestium
Regnauit populorum, ex humili potens
Princeps Æolium carmen ad italos
Deduxisse modos, sume superbiam
Quæsitam meritis: & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Et ep. 19. lib. 1.

Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede: qui sibi fidet
Dux, reget examen.

Propert. lib. 3. eleg. 1.

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

Vide insuper Georg. 4. ad illa, *Hæc super aruorum cultu, pecorumq; canebam.*

VITA SVPERSIT) Exquisitè, & compertè Iulius Paulus dicebat, *superesse*, non simplici ratione dici tam latinè quam græce. Græcos enim περιττὰ etiam in vtraque parte ponere: vel quod superuacaneum esset, ac nõ necessarium: vel quod abundans nimis, & affluens, & exuperans. Sic quoque nostros veteres superesse aliâs dixisse, pro superfluente, & superuacuo, neque admodum necessario, ita vt supra posuimus Varronem dicere, aliâs ita, vt Cicero dixit, pro eo, quod copia quidem, & facultate cæteris anteiret: tum supra modum, tum & largius, prolixius flueret, quam esset satis. Hoc autem in loco Virgilius ἀκυρότερον hoc verbo vsus videtur, quod *supersit* dixit, pro longinquius, diutiusque absit. Illud contra eiusdem Virgilij, est probabilius,

Florentesq; secant herbas, fluuiosq; ministrant,
Farraq;, ne blando nequeant superesse labori.

Significat enim, supra laborem esse, neque opprimi à labore, Gellius lib. 1. cap. 22. * *Sed Virgilius hanc vocem superfit ea notione adhibuit, qua, restet, reliqua sit, seu diutius adsit, aliorum bonorum scriptorum exemplo: & Gellius sic locutos eosdem affirmat. Quare non est locutus ἀκυρότερον.*

IDVMÆAS PALM. REF.) Idumæas palmas ab Idume Phœnicis oppido, vbi palmarum magna frequentia. Lucan. lib. 3. *Gazaq;, & arbusto palmarum dives Idume.*

TEMPLVM PONAM) Ponere templa crebrum poetis. Sic libr. 4. Æneid. *Templa Ioui centum, latis immania regnis, Centum aras posuit.* Alicubi dixit, *templa tibi statuam.*

PROPTER AQVAM) Propter cum accusandi casu, est prope, iuxta. Eclog. 8. *Propter aquæ riuum viridi procumbit in vmbra.* Cic. in Bruto. In pratulo propter Platonis statuam consedimus. Lib. 2. de Inuent. Fluuius Eurotas, qui propter Lacedæmonem fluit

IN MEDIO CÆS. TEMP. TEN.) Quasi futurum fuerit sacrarium quoddam, & cella interior in medio templo, & ibi Cæsaris, tanquam dei simulacrum. Vide Turneb. lib. 10. cap. 11.

CENTVM QVADRIIVGOS AGITABO) Sueto. in Domitian. Circensium die, quò facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quina corripuit. Centum missus Circenses sunt, inquit Seruius, vnius diei: centum enim currus mittebantur. Vltimus autem missus, ærarius vocabatur: quanquam & centum pro multis poetarum consuetudine accipi possent. Turneb. lib. 5. cap. 4.

AD FLVMINA) hoc est, ad Euripum Circensem. Manil. lib. 4.

Littoribusq; nouis per luxum ludere ponto,
Et varios fabricare lacus, & flumina ficta.

Noua littora euripos, & noua flumina in circo emissaria vocat, quæ ipsa dicit ficta flumina Cassiodor. Circenses quasi Circuẽses, propterea quòd apud antiquitatem rudem, quæ necdum spectacula in ordinem deduxerat fabricatum, inter enses & flumina locis virentibus agerẽtur. Fluminibus ergo successit Euripus, qui, vt ait idem Cassiodorus maris vitrei reddebat imaginem: vnde illuc Delphini æquorei aquas interfluebant. Scalig. F. in Manil.

ALPHEVM LINQ. LVC. MOLOR.) Ad honorem meum ex aliis agonibus ad me certatura Græcorũ multitudo conueniet. Per Alpheum Iouis Olympici agonem

nem significat. Alphæus siquidem fluuius est Elidis, quæ ciuitas iuxta Pisam est, in qua colitur Olympius Iupiter. Per lucos Molorchi intellige syluam Nemeam, in qua celebrabatur agon in honorem Archemori cuiusdam pastoris. Molorchus autem pastor fuit, qui Herculem venientem ad occidendum Nemeæum leonem, suscepit hospitio. Eos autem ludos accipimus per Alpheum, qui olympiaci dicuntur: per lucos Molorchi eos, qui Nemeæa vocantur. Hactenus Seruius.

CVRSV ET CRVDO CÆSTV) Cursu & cæstu cõcertatur lib. 5. Æneid. ibi dictum de cæstibus. crudus cæstus id est durus.

TONSÆ FOLIIS OLIVÆ) Tonsæ oliuæ, minutis foliis compositæ, vt, *tonsisq́; ferunt mantilia villis*: Seruius.

SOLLEMNES. D. POMP. De pompa triumphali accipiendum est, in qua & boues mactabantur. Pompam dictam scribit Isid. lib. 18. ἀπὸ τοῦ πομπεύειν, hoc est, publicè ostentare.

VEL SCENA VT VERSIS) Hic existimo significari scenam, quæ periactos habet, vbi versatiles sunt machinæ, auctore Vitruuio, & Polluce, quę versatæ, quæ extra vrbem, aut in vrbe erant, ostendebant: nam & dextræ, & sinistræ erant Turneb. lib. 5. cap. 4.

PVRP. INTEXTI TOLL.) ideo ait, quia in ludis scenicis aulæum tendi solebat. Cic. pro Cælio. Deinde scabella concrepant, aulæum tollitur. Apuleius, aulæum remoueto. His autem verbis Maro ludos scenicos, & theatrales significat, vt antè gymnicos, & palæstricos. Estque phantasia: nam cum tollitur aulæum, leuaturq; per sona ei intexta ipsum leuare videtur. Ouid. 3. Metã.

Sic vbi tolluntur festis aulæa theatris,
Surgere signa solent, primumq́; ostendere vultus,
Cætera paulatim, placidoq́; educta tenore
Tota patent, imoq́; pedes in margine ponunt.

Idem lib. & cap. eodem. Aliam explicationem secundum historiam videas licet apud Seruium.

Inuenitur etiam aulæa numero singulari, quomodo Græci vtuntur. Curtius lib. 8. Cùm post aulęam, quæ lectos obduceret staret rex. Aulęa ab aulis regum, in quibus expanduntur. Eadẽ vocantur Attalica à ditissimo rege Pergami in Asia, qui aurum iisdem intexere docuit. Item Babylonica. Nam Babylonij colores diuersos picturæ vestibus intexere consueuerant. Nomine stragulæ vestis latinè indicantur. Græcis peristromata peripetasmata, tapetes, tapeta, tapetia. Si animalia habẽt intexta, vocantur belluata tapetia, ζωωτὰ à Græcis. Pallia item à quibusdam dicuntur, vt Vlpiano, cum pallium alioqui sit vestis Græcorum propria, vnde palliatæ fabulæ. Hæc ex Budæo Annotat. poster. in Pand.

IN FORIBVS PVG. EX AVRO, SOLID. ELEPH. De foribus tẽplorum, quomodo eas ornarẽt antiqui, dicetur lib. 6. Æneid. super illis, *in foribus lethum Androgeo.* vt hìc solido elephãto, ita 3. Æneid. secto elephanto, pro rebus ex ebore compositis, & pro ebore secto. Non esse dẽtes, sed cornua elephanti vult Pausan. de quo alibi.

GANGARID. PVG.) Alludit, credo, Maro ad Phidiæ opus, & commentationem, qui Mineruæ statuam egregiè fabricauit, amplitudine cubitorum 26. quæ ex ebore, & auro constabat, in cuius scuto Amazonum prælium cælauit, deorumq́;, & Gigantum dimicationem. Sic autem solido auro, & elephanto dixit, vt Val. lib. 8. cap. 16. Gorgiæ verò Leontino vniuersa Græcia in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit, cum cæterorum ad id tempus auratas collocasset. German.

Meminit hìc Maro gentis, Romanis armis nondum subactæ, sed vt optat, & auguratur, ab Augusto vincendæ, & de Gangaridis Indiæ populis victoriam, & lauream optat Augusto, quos inuictos, & exterorum armis semper intactos fuisse constat, vt res Augusti, aliorum facta superent. Cæterùm illi populi Indiæ à Ptolemæo Gangaridæ, ab aliis vt Diodoro lib. 3. Gandaridæ vocantur. Eorum etiam regio à Strabone Gandaris appellatur. Valer. autem Flaccus Gangaridas populos Scythiæ commemorat, hoc versu. *Misit in arma Darabs, acies quem Marsia curru Gangaridum.* Turn. lib. 5. cap. 4.

VICTORISQVE ARMA QVIRINI) Per victorem Quirinum, accipe Augustum. Nam tractatum est in Senatu, an, quia cõdidisset imperium, Romulus vocaretur. Sed sanctius & reuerentius visum est nomen Augusti, ait Florus in extrema historia.

MAGNVMQ. FLVENTEM NILVM) Omnium fluminum, quæ in maria, quà imperium Romanum est, fluunt, quã Græci τὴν ἔσω θάλασσαν appellant, maximus esse Nilus consentitur: proxima magnitudine Istrum scripsit Sallustius. Varro autem, cum de parte orbis, quæ Europa dicitur, dissereret, in tribus primis eius terræ fluminibus Rhodanũ esse ponit: per quod videtur eum facere Istro æmulum. Istrus enim quoq; in Europa fluit. Gell. lib. 10. cap. 3. De Nilo multa in Natur. Seneca lib. 4. cap. 2. Quod quidem ad institutum facit, subijciam. Hinc iam manifestus nouarũ virium Nilus, alto, ac profundo alueo fertur, ne in latitudinem exeat, obiectu montium pressus. Circa Memphin demum liber, & per campestria vagus, in plura scinditur flumina, manuq́; canalibus factis, vt sit modus in deriuantiũ potestate, per totam discurrit Ægyptum. Initio deducitur, deinde continuatis aquis in faciẽ lati ac turbidi maris stagnat: cursum illi, violẽtiamq; eripit latitudo regionũ, in quas extenditur, dextra lęuaq; totã amplexus Ægyptum. Diodor. lib. 1. c. 3. Nilus à meridie ad septentrionẽ fertur, ortus ex fontibus, in extremis Æthiopiæ finibus. Maximũ omnium flumen, cùm per varias, pluresque feratur regiones, magnos flexus facit, quandoq; ad orientẽ & Arabiam, quandoq; ad occidentem, & Libyã fluens, &c. Idem de caussis incremẽti Nili, & earũ ignorãtia in extremo cap. Dictus est à Nilo rege Nilus, cùm antea Ægyptus diceretur. Cur Nilus cũ tribus vrnis figuraretur, Pier. lib. 46. principio. Fluuiorũ namq; fontiumq; simulacra cum vrnis dedicabãtur. Ex quo est illud, *Cælataq́; amnem fundens pater Inachus vrna.*

FIDENT. F. P. V. SAGIT.) Parthos fugientes ex equis pugnare, traditum est. Horat. Ode 19. lib. 1. *Et versis animosum equis Parthum dicere.*

RAPT. M. TROPH.) id est, raptim, & sine labore quęsita. Non est otiosa hæc adiectio *manu*. Innuit siquidẽ poeta, non hoc auspiciis imperatoris gestũ bellũ: sed eũ præsentem, & αὐτοστρατηγοῦντα huic bello, prælioq; pręfuisse, quasi sociũ, cõsortemq; periculi: vt lib. 9. de Ascanio, *fortemq́; manu fudisse Numanũ:* quod ibi Iulus nõ solum bellico negotio auctoritatẽ præstitisset, sed αὐτόχειρ, & αὐτουργὸς percussor Rutuli insolescentis fuisset. German.

DIVER. EX HOSTE) orientis & occidentis: vnde & ab vtroq; littore: orientis propter Gangaridarum, occidentis propter Britannorum triumphum. Ita Seruius.

TRIVMPHAT. GENT.) Triumphare appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes, clamitãt per vrbem in Capitolium eunti, iô triumphe iô. Idq; à θριάμβῳ Liberi patris cognomento potest dictum esse. Varro lib. 5.

ASSARACI PROLES) Ex Ioue, & Electra Atlantis filia nascitur Dardanus, ex quo Erichthonius, cuius Troius, cuius Assaracus, cuius Laomedon, & Capys. Et Laomedontis Priamus, eius Hector, & cæteri. At Capys Anchises, cuius Æneas, cuius Iulius, à quo Iulia gens stemmate descendit ad Cæsarem. Alij sic:

Per

Amor. eleg. 8. *At sacri vates, & diuûm cura vocamur.* A De Silio Martial. lib. 7. *Sacra cothurnati non attigit ante Maronis.* Horat. Ode. 1. lib. 3.

——— carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos
Virginibus puerisq́, canto.

Turneb, lib. 21. cap. 6. * *Pluribus testimonijs stabiliendum reor, quod Turnebus ait, poetas solere, se Musarum, ac Phœbi etiam, quod ille omisit, sacerdotes, & carminum studium sacra nominare, quasi res sacras, diuinasq́, & humano captu pene maiores canentes. Græci iisquodiis, sacros cantores nominant. Martial. lib. 10.* Per venerand mihi Musarum sacra, per omnes Iuro deos. *Ouid. Trist.* At mihi iam puero cælestia sacra placebât. *Idem lib. 3. Trist. Eleg. 2.*

Nec vos Pierides, nec stirps Latonia vestro
Docta sacerdoti turba tulistis opem.

Propert. lib. 3. Eleg. 1.

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Italia per Graios orgia ferre choros.

Tibull. lib. 2. Phœbe faue, nouus ingredior tua templa sacerdos. *Rursum Ouid. lib. 3. Amor. Eleg. 7.* Ille ego Musarum purus, Phœbiq́, sacerdos.

B

His Germani explicationem subdemus. scilicet se Musarum sacerdotem profitetur, & in Musarum sacris curandis potissimas partes sustinere, alludens ad sacra deorum solemnia, in quibus magistri, & reges fercula ipsa, cistas & κανμάνια gestabant: vt ex illo, *Sacra Dioneæ matri, diuisq́, ferebam Auspicibus captorum operum,* constat: vt & præfuisse Cereris mysterijs matronas nobilissimas quasq; nemini ignotum est. PERCVLSVS AMORE) Ita quidem multi legunt: sed longè rectius *percussus.* Lucret. *Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.* Græci quoq; ἀπόλλυμαι γυναικὸς dicunt eum, qui mulierem quampiam deperit. Muret in Catull. * *Adde, Lysiteles in Trinum. loquens de Amoris artibus.* Nam qui ab eo quod amat. Quam extemplo sauijs sagittatis percussus est. *Nota epitheton in φαρέτρῃ, suauia sagittata*

C

Dicitur autem μουσοπάταγος qui percitus est, & attonitus furore Musarum. Et transfertur ad eos, qui sua poemata sic amant, quemadmodum parentes suos liberos. Cic. ad Q. F. lib. 2. Non me hercule quisquam μουσοπάταγος sua recentia poemata libentius legit, quam ego te audio. Chiliad. CÆLIQVE VIAS ET SIDERA MONSTRENT) Aristoteles, seu quis alius, philosophus certe, principiò libelli de mũdo philosophiam laudans, cum, inquit, per rerum naturam negatum hoc esset homini, cælestem vt in locum se corpore conferret, vtq; velut è terra peregre proficiscens, locum illum oculis perlustraret: eo factum est, animus vt humanus huius viæ ducem nactus intellectum, peregrinabundus illuc importaretur. Ex quo euenit, viam cum inuenisset philosophia lassitudinis vacuam atq; laboris, res vt inter se situ longissimè seiunctas, vna intelligentia complecteretur, facile nimirum eas res noscitans, quibuscum sibi naturalis intercedit necessitudo. Eadem etiam cum diuino animæ oculo diuinarum rerum naturam comprehendisset, hominibus subinde eas interpretari cæpit, quasiq; antistitis officio perfungi. Pollicetur & Propertius, se, vbi militiam illam miseram, & propudiosam, Veneris deserit, ac senuerit, huiuscemodi studio daturum operam. Vt igitur lector vtrumq; poetam inter se conferre, & quam nitidè ac festiuè de rebus istis philosophicis ambo locuti sint (quamquam copiosius elegiacus) videre possit, describam locum è lib. 3. eleg. 4. Sanè, quod Virgilius *naturæ accedere partes,* pari venustate ille, *naturæ perdiscere mores.*

D

E

Tum mihi naturæ libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum,
Qua venit exoriens, qua deficit, vnde coactis
Cornibus in plenum menstrua luna redit.
Vnde salo superent venti; quid flamine captet
Eurus, & in nubes vnde perennis aqua.
Si ventura dies, mundi quæ subruat arces,
Purpureus pluuias cur bibit arcus aquas.
Aut cur Perrhebi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis.
Cur serius versare boues, & plaustra Bootes,
Pleiadum spisso cur coit igne chorus.
Curúe suos fines altum non exeat æquor,
Plenus & in partes quattuor annus eat.

Maronianos hosce versus videtur mihi adumbrasse Manilius lib. 1. Tuum facio iudicium. sunt autem hi.

Nec prius imposuit rebus finemq́, modumq́,
Quam cælum ascendit ratio, cepitq́, profundis
Naturam rerum caussis, viditq́, quod vsquam est.
Nubila cur tanto quaterentur pulsa fragore,
Hyberna æstiua nix grandine mollior esset:
Arderent terræ, solidusq́, tremisceret orbis:
Cur imbres ruerent, ventos quæ caussa moueret
Peruidit, soluitq́, animis miracula rerum,
Eripuitq́, Ioui fulmen, viresq́, Tonantis,
Et sonitum ventis concessit, nubibus ignem, &c.

Iacob. Pont. DEFECTVS SOLIS VARIOS) Transtulit, siue pro mutuo sumpsit hoc integrum carmen à Lucretio. Nam is lib. 5. sic habet.

Defectus solis varios, lunæq́, labores,
Pluribus è caussis fieri tibi posse putandum est.

Solem deficere dicunt Latini, cum eclipsin patitur, siue eclipsatur, vt barbari loquuntur. Inde solis defectio. Appellatur item deliquium solis, non quemadmodum putauit Festus, quod delinquat in cursu suo: sed quia, vt rectè docet Scalig. delinquere veteribus erat deficere. Tubero, num delinquit, aut aliquid superest tibi? Cælius in Historijs: delinquere frumentum: Sardiniam hostes tenere. Defectionem solis venustè περιφράζει Tibull. lib. 2. eleg. 5.

Ipsum etiam solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos.

Et Catull. de coma Berenices. *Flammeus vt rapidi solis nitor obscuretur.* Haud inuenustè etiam Lucanus lib. 1.

Ipse caput medio Titan cum ferret olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Inuoluitq́, orbem tenebris, gentesq́, coegit
Desperare diem, qualem fugiente per ortus
Sole Thyestææ noctem duxere Mycenæ.

Loquitur de portentis, quæ sub aduẽtum Cæsaris, postquam Pompeius iam fugit, Italiam terruerãt. Iac. Pont.

Quì autem *Defectus varios* cum vno tantum modo sol nobis deficere videatur, quum prima luna è regione eius obstiterit radijs, & eos fecerit nobis nõ videri? Vnde varios accipimus defectus, non quia variatione contingunt, nam ratio vna est, vt diximus, sed quia vel varijs temporibus fiunt, vel variè. Nam interdum duobus diebus, interdum quatuor, interdum pluribus deficit. Seruius. Vel *varios* propter colorem deliquiorum varium, nunc nigrum, siue liuidum: nunc candidum, nunc rutilum, nunc flauum, nunc varium. Falsum porro, quod Seruius ait, solem interdum duobus, interdum pluribus diebus deficere. Bersman. LVNÆ Q. LABORES) De officijs ac laboribus vtriusq; horum (nam & solis labores vocat lib. 1. Æneid.) afferam in medium, quæ inuenio apud Lactant. libr. de ira dei, cap. 13. in quo planissimè, ac doctissimè demõstratur, quod etiam Stoicis visum est, nostri caussa mundum esse generatum. Sol irrequietis cursibus, & spatijs inæqualibus orbes annuos conficit, & aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem superducit ad requiem: & tum

& tum abscessu longius ad meridiem, tum accessu propius ad septentrionem, hyemis, & æstatis vicissitudines facit: vt & hybernis humoribus, ac pruinis in vbertatem terræ pinguescant, & æstiuis caloribus vel herbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ sunt in humidis, incocta, & ferue facta mitescant. Luna quoq; nocturni temporis gubernatrix, & amissi ac recepti luminis vicibus menstrua spatia moderatur, & cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore suæ claritatis illustrat, vt æstiua itinera, & expeditiones, & opera sine labore ac molestia confici possint. Addamus de sole illud ex Plinij lib. 2. cap. 6. Sol cor cæli, oculus mundi, princeps & moderator luminum reliquorum, cuius recessu intermoriuntur, accessu viuunt & vegetantur omnia.

Laboranti lunæ, id est deficienti, pulsu tympanorum, cymbalorum, ac strepitu æris, & clamorum opem ferri putabant. Huius moris meminit & Tacitus lib. 1. Annal. vbi de seditione Pannonicarum legionum aduersus Tiberium Imp. disserit. Locum adscribo. Noctem minacem, & in scelus erupturam fors leniuit. Nam luna claro repente cælo visa languescere. Id miles rationis ignarus, omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris assimilans, prospereq; cessura quæ pergerent, si fulgor, & claritudo deæ redderetur. Igitur æris sono, tubarum, cornuumq; cōcentu strepere: pro vt splendidior, obscuriorue, lætari, aut mœrere. Et postquam ortæ nubes offecere visui, creditumq; conditam tenebris (vt sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes) sibi æternum laborem portendi, sua facinora auersari deos lamentantur. Liuius lib. 26. Disposita in muris Campanorum imbellis multitudo cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet. Quem morem cum adhuc Christiani quidam tenerent, reprehendit eos Maximus Taurinensis Homil. propria, De defectu lunæ. Inter alia enim, Cum requirerem, inquit, quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi, quod laboranti lunæ vestra vociferatio subueniret, & defectum eius suis clamoribus adiuuaret. Hæc Lipsius comment. ad Tacitum.

Existimabant lunam magico carmine sollicitatam rubore suffundi, vel ob magarum impudentiam, & scelera: vel laborantem vi carminis. In defectu idem illi à veneficis euenire putabant. Qua in re tam superstitiosi Athenienses, vt eos, qui veram eclipsis caussam afferebant, tanquam impios, viuos exusserint, teste Plutarcho in Pericle, vbi hac de re fusè disserit. Alicubi legi, Indos hoc lunę vitium copioso fletu prosequi solitos, quod arbitrarentur eam à sole ad sanguinis vsq; effusionem flagellatam. Delrius in Hippolytum Senecæ. VNDE TREMOR TERRIS) *Lucret. 5. de terræmotu.*

Deniq; sub pedibus tellus cum tota vacillat,
Concussæq; cadunt vrbes, dubiæq; minantur,
Terra supernè tremit, magnis concussa ruinis.

Et lib. 6. Inde tremor terras grauiter pertentat.] Quænam esse E caussa videatur, quamobrem terræmotus fiant, non modo his carminibus hominum sensibus, opinionibusq; compertum non est: sed ne inter physicos quidem philosophos satis constitit, ventorum ne vi accidant, specus, hiatusq; terræ subeuntium: an aquarum subter in terrarum cauis vndantium fluctibus pulsibusque, ita vti videntur existimasse antiquissimi Grecorum, qui Neptunum ἐννοσίγαιον, καὶ σεισίχθονα appellauerunt: an cuius aliæ rei caussa, alteriusué dei vi, ac numine, nondum etiam (sicut diximus) pro certo creditum. Lege reliqua lib. 2. cap. 28. apud Gellium.

Causam terræmotus pluribus capitibus quærit, & inuestigat Seneca Natural. lib. 6. variasq; veterum philosophorum sententias producit. In præfat. autem eiusdem libri, quam graue, ac A formidabile malum sit ista terræ concussio, his verbis ostendit. Quid enim cuiquam satis tutum videri potest, si mundus ipse concutitur, & partes eius solidissimæ labant? Si, quod vnum immobile est in illo, fixumq;, vt cuncta in se intenta sustineat, fluctuat? Si, quod proprium habet terra, perdidit, stare, vbi tandem resident metus nostri? Quod corpora receptaculum inuenient? quo sollicita confugient, si ab imo metus nascitur, & funditus trahitur? Consternatio omnium est, vbi tecta crepuere, & ruina signum dedit: tunc præceps quisq; se proripit, & penates deserit, ac se publico credit. Quam latebram prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitet? Si hoc, quod nos tuetur, ac sustinet, supra quod vrbes sitæ sunt, quod fundamentum quidam orbis esse dixerunt, discedit, ac titubat? Quid ibi esse non dico auxilij, sed solatij potest, vbi timor fugam perdidit? Quid est, inquam, satis munitum? Quid ad tutelam alterius, ac sui firmum? Hostem muro repellam: præruptæ altitudinis castella, vel magnos exercitus difficultate B aditus morabuntur. A tempestate nos vindicant portus. Nimborum vim effusam, & sine fine cadentes aquas tecta propellunt: fugientes non sequitur incendium: aduersus tonitrua, & minas cæli subterraneæ domus, & defossi in altū specus remedia sunt. Ignis ille cælestis non transuerberat terram, sed exiguo eius obiectu retunditur. In pestilentia sedes mutare licet. Nullum malum sine effugio est. Nunquam fulmina populos percusserunt. Pestilens cælum exhausit vrbes, non abstulit. Hoc malum latissimè patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium. Non enim domos solum, aut familias, aut vrbes singulas haurit, sed gentes totas, regionesq; subuertit: & modo ruinis operit, modo in voraginem condit: ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non est, saltem fuisse: sed supra nobilissimas vrbes, sine vllo vestigio prioris habitus, solum extenditur. QVA VI MARIA ALTA TVMESC.) Æstus intelligit maris nunc accedentis, nunc reciprocantis, de quibus Plin. lib. 2. cap. 97. Aristot. 2. Meteor. C De hoc poeta lib. 11. Æneid.

Qualis vbi alterno procurrens gurgite pontus,
Nunc ruit ad terras, scopulosq; superiacit vndam
Spumeus, extremamq; sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro, atq; æstu reuoluta resorbens
Saxa, fugit, litusq; vado labente relinquit.

OBIICIBVS RVPTIS) littorum repagulis perruptis, contempta littorū, aut claustrorum quasi lege. Æneid.

Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exijt, oppositasq; euicit gurgite moles.

QVID TANTVM OCEANO) Hi versus iterantur in extremo primo Æneid. illic assumes, quæ ad declarandum faciunt. FRIGIDVS OBSTITERIT CIRCVM) D Sed mihi credite, si ego tarditate, & hebetudine ingenij nunc prohiberer, vt ad hæc studia nō possem accedere, nulla certe vita mihi esset optabilior, quam rustica. Tum enim valles, & riuulos amem, tum in syluis, quamquam ignotus, cum iucunditate versei. Frigidus sanguis, vt Seruio placet, secundum Physicos dixit, qui docent, stultos homines frigidioris esse sanguinis, prudentes verò calidi. Vnde & senes, in quibus friget, & pueri, in quibus necdum calet, minus sapiunt. Plenius German. Videtur, inquit, respicere illum de animalibus locum, quo docet Aristotels, omnium prudentissimum esse hominem, quod tenuissimum, purissimum, & calidissimum habeat sanguinem eum, qui circa cor versatur, & E residet, cum & caussam sanguinem constituat eorum, quæ ad mores attinent, & ad sensum, vt materiam ipsum sanguinem omnium, cum alimentum sit quidem materia, sanguis autem postremum alimentum sit qui, & magnas efficiat diuersitates & momēta calidus vel frigidus, tenuis vel crassus, purus vel turbidus. CIRCVM PRÆCORDIA) Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellantur, quia cordi prætenduntur, quod Græci appellauerunt phrenas. Plin. lib. 11. cap. 37. SPERCHIVSQ.) Propter Thessaliam nominat Sperchium, vel ex eo Thessaliam nos vult intelligere, cuius arua feraci vbere glebæ fœcunda erant, & agricolæ optanda. Nam & Flaccus Ode 7. lib. 1. *Nec me Larissæ percussit campus opimæ*, ob pingues Thessalo-

Thessalorum agros dixit: Larissa siquidem vrbs Thes- A salię. Turneb. lib. 21. cap. 10. VIRGINIBVS BACCH. LACÆNIS) Virginibus Lacænis bacchata Taygeta ideo canit, quod Bacchi orgia in montibus, & syluis celebrari solebant à furiosis, & mente captis Bacchis, quæ à Spartanis, quorum mons Taygetus erat, Δύμαιναι appellabantur. Hesychius, Δύμαιναι, inquit, αἱ ἐν Σπάρτῃ χορείτιδες βάκχαι. Turneb. ibid.

Verba Nonij sunt, hunc locum producentis. Bacchari veteres non solum Bacchi numine furere dici voluerunt, verumetiam loca, in quibus sit debacchatum, bacchata dixerunt. Nam & quidquid vehementius commouetur, bacchari voluerunt. Santra Nuntijs Bacchis. *Ita obsoletum sono furenter, ab omni parte bacchatur nemus.* * *Alio intellectu protulit hoc participium Æneid. 3.* Bacchatamque iugis Naxon. *Cuius iuga essent consita vitibus, quarum dominus & præses Bacchus.*

FÆLIX QVI POTVIT RERVM COGNOSCERE CAVSSAS:
Atq; metus omnes, & inexorabile fatum
* Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari.
Fortunatus & ille, deos qui nouit agrestes,
Panaq;, Syluanumq; senem, Nymphasq; sorores.
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres:
Aut coniurato descendens Dacus ab Istro:
Non res Romanæ, perituraq; regna. neq; ille
Aut doluit miserans inopem, aut inuidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea iura,
Insanumq; forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alij remis freta cæca, ruuntq;
In ferrum: penetrant aulas, & limina regum.
Hic petit excidiis vrbem, miserosq; penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.
Condit opes alius, defossoq; incubat auro:
Hic stupet attonitus rostris: hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim plebisq;, patrumq;)
Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exilioq; domos, & dulcia limina mutant,
Atq; alio patriam quærunt sub sole iacentem.

FÆLIX QVI POTVIT) Tametsi eodem spectet B hoc versu, quo Lucretius, qui lib. 1. Epicurum per cognitionem caussarum in rebus naturalibus hominum animos timoribus sempiternis liberasse, & religionum nodis expediuisse autumat, nihilominus sententia est generalis, & planè grauis. Etenim si felix est, qui scit, hoc est, qui scientiam, siue sapientiam vigiliis, laboribusque suis est consecutus: scire autem est per caussas cognoscere: necessariò fælix numerandus erit, qui caussas rerum percepit. Nec Philosophi ob aliud fęlices censendi sunt: siquidem philosophia, vt 2. Off. definit Cic. est rerum diuinarũ, & humanarum, caussarumq;, quibus hæ res continentur, scientia. Idem lib. 1. hominis ait esse propriam inquisitionem veri. Verba ipsa adscribemus. Inprimisq; C hominis est propria veri inquisitio, atq; inuestigatio. Itaq; cùm sumus necessariis negotiis, curisq; vacui, tum auemus aliquid videre, audireq;, ac discere: cognitionéq; rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad bene beateq; viuendum necessariam ducimus. Scitè etiam, & cõgruenter his Plutarchus, lib. 1. contra Coloten. At ipsam veritatem cognoscere, tam est amabile, tam est desiderabile, quàm spirare, quàm debere vitam scientiæ. Ex materia item physicæ, & ethicæ philosophiæ subiecta, nempe causis naturalibus quas rimantur physici, & virtutibus ac vitiis, quorum explicationem profitentur ethici, nos ad philosophandum cohortatur Persius

Disciteq́, ò miseri, & caussas cognoscite rerum,
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, & vnde:
Quis modus argento, quid fas optare, &c.

Iacob. Pont.

Ponderat hunc versiculum *Felix qui potuit*, &c. D. Hieronymus epist. 7. quæ est de viro perfecto, & Virgiliũ non indoctè, neq; insipienter reprehendit. Auscultadum. Bona sententia, si ad eã suo itinere venisset, vt appareat illum ignorasse quod laudat: primis omissis, quæ sunt secunda, celebrauit. Nam & ordine præpostero etiam sapientis vertit officium, dum non rerum caussæ, sed rerum creator inquirendus est, per quam ad caussas rerum, si ipsum didicerimus, intrabimus. Cæterùm illo omisso, caussas rerum qualiter cognitas habere poterimus, cùm prius quis hæc fecerit, deinde quare fecerit, sit inquirendum? Verùm reperto auctore rerum, inueniemus & caussas. Quod iste vsque adeò non vidit, vt nimirum principalem locum hunc, quo caussas rerum potuisset cognoscere, prædicaret: secundum verò quod subiungit, qui deos, tanquam minus opus exequens, adorasset: vt quiuis agnoscat, eos creatores rerum non fuisse, à quibus cognitio rerum quasi aliena disiungitur: nec coli oportere, si hæc, quæ laudantur vt prima, præstare non possunt. ET INEXORAB. FAT.) Homer. Odyss. ω. Μοῖρ' ἀλλὰ τὴν οὔ τις ἀλυξέμεναι δύναται γένηται.

Fatum

Fatum interpretantur hoc loco astrologicum, siue physicum, quod sapientes, & prudentes non metuunt, sicut dicitur, *Sapiens dominabitur astris.* Quod & Ptolemæus indicat his verbis: δύναται ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀποτρέπειν ἐνεργείας τῶν ἀστέρων. SVBIECIT PEDIBVS) Lucret. lib. 1. *Quare relligio pedibus subiecta vicissim Obteritur.* Hoc ideo ait Virgilius, quod philosophiæ cognitione tolli inferos, seu potius metum inferorum, quia nulli sint, existimaret. Lucret. lib. 3. *Et metus ille foras præceps Acherontis agendus.* Sic censent Epicurei. Nam inferorum metus liquidam omnem voluptatem hominibus adimit, vitamque, vt existimabant, beatam labefactat, & euertit. Turneb. lib. 21. cap. 10. STREPITVMQ. ACHER. AVARI) Iam quemadmodum priorem partem versus huius, *Subiecit pedibus*, a Lucretio, vt suprà vidisti, *relligio pedibus subiecta*, sic posteriorem hanc ab aliquo Græco poeta traduxit, vt apparet. Plutarchus Græcum hunc citat, suppresso nomine, in ἐρωτικῷ videlicet. *Βαρύβρομον πορθμὸν περῶντες ἀχέροντος.* Acherontem autem auarum forsitan ea ratione dixit, qua Pluto Summanus Plauto dicitur, quasi manium summus, qui omnes auarissimè in suum thesaurum rapit: vnde summanare pro auidè rapere, & furari, Summani more, finxit Plautus. Nimirum & πλούτωνα vocant ἀπὸ τὸ πλησίον πλουτεῖν. Vnde & Cic. de nat. deor. Terrena vis omnis atq; natura Diti patri dedicata est: qui diues, vt apud Græcos πλούτων, quod recidant omnia in terras, & oriantur è terris. Vnde & Tibull. eleg. 3. lib. 3. *Diues in ignaua luridus orcus aqua.* Et sæpe Græci, ἀρπακτὸν ἀίδην. German. * *Vult hoc poeta, vt paucis dicam, philosophia imbutum, mortem nequaquam perhorrescere. Cum Virgiliana sententia consentiunt illa Cic. 2. Tuscul. Philosophia medetur animis, sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed profectò nostra, hoc est, Christiana philosophia multis partibus præstat vtramq; melius & cumulatius.* FORTVNATVS ET ILLE) *Ad commendationem vita rustica regrediens, longè eam vrbana, & aulica beatiorem affirmat.*] Etsi beati est, & verè fælicis hominis, posse rerum omnium causas cognoscere, ortus occasusque siderum obseruare, in omnes partes totius vniuersi aciem mentis intendere, omnia pericula, omnesque metus despicere, nihil extimescere, ac ne mortem quidem, aut ipsum infernum exhorrescere: tamen non minus & ille fortunatus est, qui salubri & moderato cultu, & victu quieti deditus, agrestes deos, Pana, Syluanum, & Nymphas suas ritè veneratur, quàm qui in turbis negotiorum, & medio armorum strepitu Marti, aut Quirino supplicat. ILLVM NON POP. FASCES) Fasces ματηναμικὸς honor, nempe prætura, consulatus, magistratus denique, & imperium aliquod. Horat. epist. 16. lib. 1. *Vt si detuleris fasces indigno.* Vide adagium, fasces submittere. Pro honoribus Horat. eadem figura posuit secures Ode. 2. li. 3.

Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Iacob. Pont. INFID. AGIT. DISCORD. FRATRES) Quàm indignum ac triste, quàm contra naturam sit fraternum dissidium atque odium, & res ipsa clamat, & Plutarchus libello de fraterno amore disertè ostendit. Ex eo vnicam duntaxat sententiam recitabimus. Vmbræ enim sunt reuera multæ amicitiæ, & imitamina, simulacraq; primæ illius, quam pueris natura erga parentes, & fratribus erga fratres indidit. Et qui illam non colit atq; honorat, nunquid ille fidem beneuolentiæ alienis præstiturus est? Aut quid hominis est, qui alienum in benigna compellatione fratrem appellat, fratri autem putat non concedendum, vt ne eandem quidem eat viam? Vt enim fratris imaginem exornare, corpus autem verberare, mutilareque insani est: ita fratris nomen colere, ac honorare in aliis, fratrem autem ipsum odisse,

A ac fugere, non est eius, qui compos sit mentis, nec qui vnquam in animo suo naturam, vt sanctissimum, maximumq; sacrum expenderit. CONIVR. DESC. DACVS AB ISTRO) Aufidius Modestus legisse se affirmabat hunc morem esse Dacorum, vt, cùm ad bella proficiscerentur, non prius pugnarent, quàm de Istro certum modum haurientes ore, in modum sacri vini, iurarent, non se ad patriæ sedem regressuros, nisi hostibus cæsis. Et idcircò Virgilium familiari sibi hypallage vsum dixisse, Istrum coniuratum, apud quem Daci coniurare consueuerunt. Philargyr. AVT RES ROM. PERITVRAQ. REGNA.) Hæc est mens Virgilij. Non studet amplificando regno. Non illum turbat cura imperij, aut reipubl. administra- B tio, vel Principum factiones, non regna, haud perpetuò duratura: sunt enim regnorum mutationes. AVT DOL. MISERANS INOPEM) Non est obnoxius perturbationibus animi, quæ πάθη Græcis. Cic. pro Sex. Roscio. Cupiditates quæ possunt esse in eo, qui ruri semper habitârit, & in agro colendo vixerit? Quæ vita maximè disiuncta à cupidiiate, & cum officio coniuncta est. Hic στωΐζει Virgilius. Tollunt enim affectus ex homine Stoici, & morbos vocant, ac pro vitiis habent. Contra quos disputat Lactant. lib. 6. Speciatim misericordiam reiicit à sapiente Seneca lib. de Clement. cap. 5. quam definit, vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorũ succidentis. Vel, est ægritudo, aut tristitia ex alienis malis con- C cepta, quæ accidere immerentibus credit. Sed præclarè Lactan. ca. 14. Si ergo in homine præclarum, & excellens bonum est misericordia: idq; diuinis testimoniis, & bonorum malorumq; consensu optimum iudicatur, apparet philosophos longè abfuisse ab humano bono: qui neq; præceperunt eiusmodi quidquã, neq; fecerunt: sed hanc virtutem, quę propemodum in homine est singularis, pro vitio semper habuerunt. IPSA VOLENTIA RVRA) Nullum quæstum norunt agricolæ, nullumq; fructum nisi eum, quem labore pepererunt. Itaq; ab omni iudiciorum seueritate, negotiorumq; forensium tumultu liberi, & à populi tabulario remoti, hortorum atq; agrorum fructus percipiunt, iisq; cum summa voluptate, & delectatione perfruuntur. Huiusmodi porrò fructus, D quos rura sponte sua proferunt, Græcis αὐτοφυεῖς καρποὶ dicuntur. Ouid. dixit, *Contentiq; cibis nullo cogente creatis.* Videtur Lucretianos illos ante oculos habuisse Virg.

Quod sol atq; imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placarat pectora donum.

FERREA IVRA) ita vocat leges duras, quibus obligati sunt, quot in vrbibus, & in ciuili societate degunt. Bersman. POPVLI TABVLARIA) In tabulario instrumenta, litteræ, tabulæque publicæ continebantur. Cic. pro Archia. Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario interijsse scimus omnes. Tablinum autem priuatarum ædium erat, vt ex Cic. cognoscitur. German. Sed Budæum audia- E mus Annotat. poster. in Pand. Grammatophylacium, vbi tabulæ, & instrumenta publica, monumentaque rerum gestarum, actarumq; asseruãtur, quod tablinum latinè appellatur. Plin. li. 35. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum: sed de priuato tabulario, vel tablino intellexit. Archiuum etiam significat chartophylacium, quoniam ἀρχεῖα, id est ædes magistratuum vicina sunt chartophylaciis. Eadem autẽ chartophylacia cum grammatophylaciis, vel chartophylacia potius eorum mẽbra, in quibus hodie actuarij, & scribæ, exceptoresq; acta publica condunt. SOLLICITANT ALII REM. FRETA CÆCA) Enumeratio variorum studiorum, quibus alij ducuntur. Hi tentant aleam marinam, vt rem faciant. Horat. Sat. 1. lib. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Idem Ode 7. Epod. *Nec horret iratum mare*, de agricola. Vt Virgil. *ſollicitant remis freta*, ſic Claudian. *Et rudibus remis ſollicitauit aquas.* Tibull. de aratione, *Et teneram ferro ſollicitauit humum.* CAECA) Virgil. *cæcis erramus in vndis.* Propter tempeſtatem nigreſcentia. *ponto nox incubat atra.* 1. Æneid. Alij ſectantur militiam. Alij ſequuntur aulas Principum, & in familiaritatem ſe regum inſinuant, hoc enim mox ſequitur. PENET. AVL. ET LIM. REG.) Horat. Ode 2. Epod.

Forumq́; vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.

HIC PETIT EXCID. VRBEM) Quidam etiam mortis præſentiſſimo periculo propoſito, vrbes diripiunt: vt opimis ditati ſpoliis, ex aureis ſcyphis ſitim reſtinguant, & in lectis conchylio tinctis ſomnum capiant. VT GEMMA BIBAT) Non ſolùm ex argenteis, aureiſq; poculis, ſed etiam ex aureis, quæ pretioſis eſſent gemmis diſtincta, immo & gemmea, bibebant. Seneca lib. Quare bonis viris mala accidant, cùm ſit prouidentia (ſic enim, nõ de Prouidentia inſcribendus eſt) cap. 3. Quanto magis huic inuidendum eſt, quàm illis, quibus gemma miniſtratur, quibus exoletus omnia pati doctus, ſuſpenſam auro niuem diluit? Plin. lib. 33. proœmio. Nec hoc ſatis eſt, inquit, turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, ac temulentiæ cauſſa tentare Indiam iuuat, & aurum iam acceſſio eſt. * *Vide plura de poculis antiquorum apud Vrſinum de Triclinio. Propert. lib. 3. eleg. 4.*

Nec tamen inuiſo pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit è gemma diuite noſtra ſitis.

Verùm enimuerò, rigidus magiſter virtutis Seneca, contemptu delicatarum huiuſmodi nondum contentus eſt, aliquid vltrà deſiderat. Sic namq́; legimus epiſt. 110. Non eſt quod te nimis laudes, ſi contempſeris aureos lectos, & gemmeam ſupellectilem. Quæ eſt enim virtus, ſuperuacua contemnere? Tunc te admirare, cùm contempſeris neceſſaria: & ibi plura eodem pertinentia. ET SARRANO DORMIAT OSTRO) Sarra olim vocata fuit Tyros, vbi optima purpura tingebatur. Inde Sarranus color, pro purpureo. Columella lib. 9. cap. 4. Sarranæ violæ, inquit, id eſt, purpureæ. Omne oſtrum purpura eſt, ſed non omnis purpura oſtrum: quia oſtrum, vt Gellius tradit lib. 2. cap. 26. exuberantiam, ſplendoremq́; ruboris habet, hoc eſt, illuſtratur ſplendore, quo reliqua purpura caret. Hunc ſplendorem cocco incendi tradunt, &c. Conſule Delrium in Chorum primum Medeæ apud Senecam, qui de purpura multa vtiliter colligit ex bonis auctoribus. * *Quia Sarra olim dicta eſt Tyros, à piſce Sar, & pro purpura dici ſolet, erit hic Sarranum oſtrum Tyria purpura: & rurſum per figuram poetis ſollemnem Tyria purpura pro purpura. Hoc aſſuo, ne quid ambiguitatis relinquatur.* CONDIT OPES ALIVS) De pecuniæ corraſoribus dictum, qui theſauros condunt, illiſque indormiunt. Contra eoſdem Horatius Satyr. 1. lib. 1.

Quid iuuat immenſum te argenti pondus, & auri
Furtim defoſſa timidum deponere terra?

HIC STVP. ATTON. ROST.) Horat. ſat. 4. lib. 1. *ſtupet Albius ære*, id eſt, Lamb. interprete, miro ſignorum, & vaſorum æreorum amore, ſtudioq́; ducitur, eaq́; ſupra modum amat, & admiratur. Rurſum ſat. 6. *Hic ſtupet in*

A *titulis.* Significat oratores: qui acclamationibus populi fauſtis mire lætantur, & ſe deos putant. HVNC PLAVS. HIANTEM) Horat Ode 17. libr. 2. *cum populus frequens Lætum theatris ter crepuit ſonum.* Et Ode 20. lib. 1. *datus in theatro Cum tibi plauſus.* Et ſat. 1. lib. 1. ait auarus, *populus me ſibilat, at mihi plaudo Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.* Propert. eleg. 8. lib. 3. *Et manibus fauſtos ter crepuere ſonos.* Sibilis excipiebantur à populo ludos ſpectante, homines potentes, factioſi, inuidioſi: gratioſi contrà, clari, bene de repub. meriti plauſu, & ſecundis clamoribus. M. Tullius ad Att. lib. 2. Populi ſenſus maximè in theatro, & ſpectaculis perſpectus eſt. Nam gladiatoribus quà dominus, quà aduocati ſibilis conſciſſi. Idem in Sextiana. Quid ego nunc dicam, quibus viris, aut cui generi ciuium maximè applaudatur?
B Neminem veſtrûm fallit. Sit hoc ſanè leue, quod non ita eſt, quoniam optimo cuique impertitur: ſed ſi eſt leue homini graui leue eſt: ei verò, qui pendet à rebus leuiſſimis, qui rumore, & (vt ipſi loquuntur) fauore populi tenetur, & ducitur, plauſum, immortalitatem, ſibilum mortem videri neceſſe eſt. In eadem. In hunc conſeſſum P. Sextius trib. pleb. cùm ageret nihil aliud in eo magiſtratu, niſi meam cauſſam, venit, ac ſe populo dedit, non plauſus cupiditate, ſed vt ipſi inimici noſtri voluntatem vniuerſi populi viderent. Venit (vt ſcitis) ad columnam Mæniam. Tantus eſt ex omnibus ſpectaculis, vſq; à Capitolio, tantus ex fori cancellis plauſus excitatus, vt nunquam maior conſenſio, aut apertior pop. Rom. vniuerſi
C fuiſſe vlla in cauſa videretur. Philip. 1. Recordare quæſo, Dolabella, conſenſum illum theatri, &c. Et in extrema, de plauſu, quo abſentem D. Brutum populus eſt honoris cauſſa proſecutus. Nec ſolùm plaudebatur claris viris in theatro, ſed aſſurgebatur etiam, & acclamabatur. Vide Lipſium Elect. lib. 2. cap. 10. * *Hiantem exponit Nonius, mirantem, ſtupentem. Sic 6. Æneid.* incertus clamor fruſtratur hiantes. *Varro Marcipore. Video hiantes, non audio. His admodum conſona in Hercul. Fur. Seneca:*

Illum populi fauor attonitum,
Fluctuq; magis mobile vulgus
Aura tumidum tollit inani.

GAVDENT PERF. SANG. FR.) Non pauci ex nimia dominandi cupiditate ad arma ciuilia concurrunt, & mutuis cædibus ſeſe conficiunt. Nam quidquid eſt eiuſmodi, in
D quo non poſſunt plures excellere, in eo plerumque fit tanta contentio, vt difficillimum ſit ſanctam ſeruare ſocietatem, etiam fraternam. Itaque ex hoc malo alia ſequuntur, bella, rapinæ, cædes, exilium. Nam vbi altera pars alteri cedere cogitur, ibi victi domo, & patria eiiciuntur, & alibi domicilium ac ſedem quæritant. Lucret. lib. 3.

Sanguine ciuili rem conflant, diuitiaſq́;
Conduplicant auidi, cædem cæde accumulantes.
Crudeles gaudent in triſti funere fratris.

ALIO PAT. Q. SVB SOLE) Alio ſole dixit, quia ortus & occaſus, dierumq́; & noctium, aliarumq́; id genus rerum
E diuerſa eſt in diuerſis locis ratio. Horatius Ode 16. lib. 2. *Quid terras alio calẽtes Sole mutamus?* Idem cælum mutare dixit. Et Albinouan. apud Senecam.

An ne alio mundi poſitas ſub cardine gentes,
Atq; alium libris intactum quærimus orbem?

Agricola incuruo terram dimouit aratro:
Hinc anni labor: hinc patriam, paruoſq; nepotes
Suſtinet, hinc armenta boum, meritoſq; iuuencos.
Nec requies quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,

Prouen-

Prouentuq; oneret sulcos, atq; horrea vincat.
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis:
Glande sues læti redeunt, dant arbuta syluæ.
Et variòs ponit fœtus autumnus: & altè
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea pendent dulces circum oscula nati:
Casta pudicitiam seruat domus: vbera vaccæ
Lactea demittunt: pinguesq; in gramine læto
Inter se aduersis luctantur cornibus hœdi.
Ipse dies agitat festos: fususq; per herbam,
Ignis vbi in medio, & socij cratera coronant,
Te libans Lenæe vocat: pecorisq; magistris
Velocis iaculi certamina ponit in vlmo:
Corporaq; agresti nudat prædura palæstra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:
Hanc Remus, & frater: sic fortis Hetruria creuit:
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma,
Septem quæ vna sibi muro circumdedit arces.
Antè etiam sceptrum Dictæi regis, & antè
Impia quàm cæsis gens est epulata iuuencis:
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.
SED NOS IMMENSVM SPATIIS CONFECIMVS ÆQVOR:
Et iam tempus equûm fumantia soluere colla.

Antithesis commodorum vitæ rusticæ. Rusticus arationi addictus, horum omnium securus, ex arui cultura annua percipit alimenta, & familiam nutrit, & armentis atq; pecoribus pabulum suppeditat. Nec à labore prius cessat, quàm fructibus annus abundet: quàm porco, hœdo, agno, frugibus, oleo, & autumni demum variis fructibus, & vuarum copia sibi satisfactum sit. Quid autem iucundius rustico, quàm domi suæ liberos suos semper habere obuios, & in cõspectu, & in complexu? quid dulcius, quàm pudica se cum vxore delectare? quæ domum regat atq; custodiat? Quid suauius, quàm spectare distẽta lacte vaccarum vbera? videre hœdorũ inter se certamina? Ipsi etiam agricolæ suos dies festos habent, quibus per herbas fusi, circa ignem sua conuiuia agitant, suisq; B seruis, & pastoribus aut sagittarum certamina proponũt, aut palæstram indicunt. Eam ob rẽ veteres Sabini in vita rustica omnem ætatem contriuerunt. Hanc coluerunt Romulus, & Remus: nec alia ratione, quàm hac gens Etrusca ad tantam gloriam aspirauit. Eadem Roma mundi caput facta est, quando pascebat suas ipse senator oues. Quid, quod ipse Saturnus, priusquam Iupiter patre eiecto regnum occuparet, & priusquã carnibus pecudum vesci cæptum esset, etiam aureo illo sæculo vitam egisse rusticam ab omnibus creditur? Nam tum nullæ inter mortales rixæ, nulla bella, nec arma bellica. Sed finis tandem esto, spatium satis magnum confecimus: ad alia transeamus. MERITOSQVE IVVENCOS) Bene meritos vult dicere, propter arationem. Laboriosum animal bos, & hominum vitæ vtilissimum. Animal sine fraude doloque innocuum, simplex, natum tolerare labores. Ouid. Metam. 15. HORREA VINCAT) Georg. 1. *Illius immensæ ruperunt horrea messes.* SICYON. BACCA) A oliua, à Sicyone Laconiæ vrbe. TRAPETIS) trapetum, seu trapes est mola olearia, seu torcular olei, seu trabs qua oleum exprimitur. GLANDE SVES LÆTI RED.) Suprà *glandemq; sues fregere sub vlmis.* Vide ibid. de corũ pastu Varronis relatam sententiam. PEND. DVLCES CIRC. OSCVLA.) Feruntur Nomades adeò immani & aspera natura fuisse, vt ne filios quidem suos oscularentur. De osculis filiorum paruulorũ Seneca ep. 78. Aliter homines amicũ, aliter liberos osculantur. Tamen in hoc quoq; amplexu tam sancto satis apparet affectus. Idẽ de Benef. lib. 7. c. 13. amantium plura oscula & complexus acriores, non augent amorem, sed exercent. Quàm sit autem æquum, infantes etiam recens natos osculari, B pulchrè docet D. Cyprianus epist. ad Fidum, lib. 3. Nam & quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti, mundum non esse dixisti, quod vnusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad cælestem gloriam (per Baptismum) dandam impedimento esse oportere. Scriptum est enim, omnia munda mundis. Nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi infans à partu adhuc nouus est, non ita est tamen, vt quisquã illũ in gratia dãda atq; in pace facienda horrere debeat exosculari, quando in osculo infantis vnusquisq; nostrũ pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato, & recens nato quodãmodo exosculamur, quando id quod Deus fecit amplectimur. C Versus Lucret. de lib. 3. Maroniano huic valde cognatos subscribamus.

At iam non non domus accipiet te læta, neq; vxor
Optima, nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent.

CASTA



SYMBOLARVM

IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER IIII.

Ad tertium Georgicorum.

SYNOPSIS.



Vm Maroni sint rusticationis partes quatuor, earumq; prima in agrorumcultione constituta: altera in cura hortẽsi, siue arborum, ac præcipuè vitium: tertia in tractando pecore: postrema in procurandis apibus, hoc tertio libro agit de animantibus: verùm ita, vt villaticam pastionem omittat: pecuariam, seu pastoritiam agrestem duntaxat persequatur: & quod attinet ad armentum, in equis, & bobus tantùm: quod ad gregem seu minores pecudes, in ouibus solùm, & capris: pauca etiam de canibus adiungit, qui ad custodiam pecoris adhibentur. Postquam igitur argumentum libri breuiter concinneque proposuit, illicò res quasdam certas, easque iam tritas, neminique amplius ignotas recenset, in quibus poetæ plerunque inanem lectorum delectationem aucupantes, nulla cum eorum vtilitate versari consueuerint: se relictis huiuscemodi figmentis, vera, fructiferaq; pertractaturum pollicetur, vt hac ratione famam sibi, celebritatemque nominis æternam acquirat. Ac de re quidem rustica se primùm scripturum carminibus, deque poetis Græcis, qui in eo genere elaborarunt, triumphum relaturum, & huius victoriæ suæ monumenta, etiam in prædio suo, quod in agro Mantuano habet, magnifica, & illustria excitaturum, quæ omnia qualia, & quàm eximia cogitarit, commemorat. Postea vbi Mæcenatem sibi beneuolum fecit, absolutaque scriptione georgica ad Augusti bella, maiorumque eiusdem decora canenda venturum recepit, ad institutum aggreditur. Sic autem de equis, ac bobus differit, vt ante omnia doceat, diligenter hîc matrum, ibi admissariorum corpora intuenda. Optimus deinde vaccæ habitus, formaq; proponitur: quando ineunda, & quousq; duret eius fœtura, ostenditur. Sequitur locus insignis de incommodis, & miseriis, quibus sibi semper succedentibus, & homines, & animalia cumulantur: donec tandem malorum omnium extremum mors eos è medio tollat. Non deerunt vnquam vaccæ effœtæ, & ob senectutem minus validæ, in quarum locum integriores, vegetioresq; sufficiendæ: vt, quod armento decedit, isto modo per sobolis nouæ procreationem, quasi sortitione restituatur. Quæ cura mater in bubulo, eadem in equino pecore deligenda est, & pullis equinis impendenda sollicitudo educationis à principio non indiligens. Signa complura afferuntur, quibus generosum pullum cognoscere possimus. Porrò etiam talis vel morbo affectus, vel senio fessus, domi retinendus; & cùm ab omni opere, tum præsertim ab admissura prohibendus est. Quis enim dubitet, equum vetulum, & in Venerem fore frigidum, & ad laborem militiamque inutilem? Animaduertenda

tenda igitur ætas cuiusque, vt, qui equus fœminis implendis accommodatus sit, nosse queas. Animaduertendus item animus, ac virtus, propter Circenses ludos, & equestria certamina: nam & in his bestiis æquè vt in homine, quendam gloriæ appetitum obseruare licet: quod poeta complusculis carminibus ante oculos ponit. Inuentorem principem ludorum istorum facit Erichthonium: equitationis Thessalos. Parui autem refert, qua regione, in Epirone, an in Peloponneso, aut alibi natus sit equus: & vtrum ab ipsius Neptuni equis originem ducat. Si enim generosam indolem, & spiritus altos præ se non tulerit, nec in cursu acer fuerit, si ætate & robore haud integer, incassum vel vectarius fiet, vel equitationi seruiet. Quos ad admissuram deligunt, ijs pascendis singularem tenent morem: atq; id propterea, vt, quantò robustiores ipsi sunt, tantò nasciture stirpi semina valentiora suppeditent. Quod nisi fiat, patrum suorum macritudinem pulli referent. Equabus contrà sub tempus admissuræ perorigæ pabulum minuunt, ne obesiores factæ, steriles euadant. Dum ferunt autem, maiore diligentia, indulgentiusq; tractandæ sunt: id quonam modo, poeta tradit. Occasione tabani fabella de Io in vaccam mutata inseritur. Vitulus editus statim sua nota distinguendus: vt pateat, num admissuræ, an sacrificio, an arationi destinetur. Docet deinde, quomodo habendi, qui agriculturæ præparantur. Tum à iuuencis ad equulos venit, qui vel militiæ, vel certaminibus ludicris deliguntur, & qua curatione habendi sint, monet. Et quia tam bubulo, quàm equino generi immoderata Venus nocumentum non leue dat, quid agendum sit, præcipit, disertissimeq;, & festiuissimè tauri in pugna deuicti mores complectitur. Locus communis de stimulis Venereis, rabieque in hominibus, & animalibus, & ad probationem bellissima inductio: sed inprimis libidine concitari equas, quæ nonnunquam è vento grauidentur. Ibidem de veneno, quod ab illarum naturalibus destillat, & ad philtra assumitur, vocaturq; hippomanes, quia libidinem insanam scilicet, equarumque libidini similem in animis ingenerat. Et hæc quidem de equis, & bobus, de quibus libri pars prior est.

Posterior in grege consumitur. Agit de ouibus, & capris, earumque pastione gemina, æstiua, & hyberna videlicet, vt Afri, & Scythæ pascere solent. Jam verò quamquam harum rerum perdifficilis videatur explicatio, se tamen (quod profectò magni est animi) perrupturum omnem difficultatem affirmat. Disputat de lanitio ouium, de lactis auctu, de canum custodia: quorum etiam vsum esse vult in venando: nam nec venatione agricolis interdictum est penitus. Affertur doctrina de fugandis, interimendisque venenatis animalibus. Agitur de pellendis, auertendisque morbis pecudum. Ad vltimum, sæuissima hominum, bestiarumque pestilentia facundissimè, multisq; versibus quasi oculis subijcitur, in qua hypotyposi liber finitur.

EXPLANATIONES.



TE quoq; magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso: vos syluæ, amnesq; Lycæi.
Cætera, quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia iam vulgata. quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?
Hippodameq;, humeroq; Pelops insignis eburno,
Acer equis? TENTANDA VIA EST, QVA ME QVOQVE POSSIM
TOLLERE HVMO, victorq; virûm volitare per ora.

TE QVOQVE MAGNA PALES) De animalibus scripturus, non immeritò (id quod prudenter animaduersum est à Seruio) deam pabuli inuocat: sicut cùm de frumentis, & vitibus esset acturus, Cererem & Liberum inuocauit. Et cùm aliud quodammodo carmen, pastorale scilicet, inchoare aggrediatur, post absolutum georgicum, non iniurià nouo vtitur exordio: vt taceam, quamquã eodem omnia quatuor, de quibus totidem libris agit, pertineant, tamen concessum esse scriptoribus vt animos lectorum iteratione procemiorum reficiant.

MAGNA PALES) Palem infrà hoc eod. libro venerandam vocat. *Nunc veneranda Pales, magno nunc ore*

sonan-

sonandum. Eandem deam inuocat in Culice, eiusque regnum & potestatem exprimit his carminibus, vt quidem ea correxit ex Pithœi codice Scalig. F.

Et tu sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestûm bona sors, cura secura tenes qua
Herbiferos saltus nemorum, syluasq; virentes.

Ad Palem ait pertinere agrestûm bonam sortem, hoc est, copiam lactis, quia est νομία, & pastoralis dea. Quem prouentum lactis securum ob omni cura dixit: quia sine vlla cultura, ac labore illud percipiunt pastores: quũ contra agricolæ maximis sudoribus terram subigant, vt ex ea percipiant fructus. *Cura secura*, Græcorum est γυμνασίων ἀγύμνασος, ἱερῶν ἀνίερος. Hæc Scalig. Pastorum dominam vocat Ouid. 4. Fast.

Quæ precor eueniant, & nos faciamus ad annum
Pastorum dominæ grandia liba Pali.

* *Festa huius deæ appellabantur Palilia, seu Parilia, quod pro partu pecorum ei sacrificaretur 12. Calend. Maias. Videndus Ouid. in Fastis. Palilibus obseruatum, ne qua hostia caderetur, quòd eum diem, quo is pati in natalis esset, à sanguine deceret esse purum. Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22 & ibid. Tiraquell. Et quia huius Deæ festa, quemadmodum dicerentur, indicauimus, aliorum quoq; deorum, dearumq; festa suis nominibus distinguemus ex Theodoreto de curatione Græcarum affectionum Serm. 7. His itaq; dijs, inquit, infestus hominis dæmon festos dies, sollennes cærimonias, populariaq; conuiua celebrari instituit, suis quaq; nominibus ac titulis insignita, Ioui quidem Pandia, & Diasia, Heræa verò Iunoni, Mineruæ Panathenæa, Baccho Dionysia, Cereri Eleusinia, & Thesmophoria, Apollini Delia, & Pythia, Hermea Mercurio, Posidonia Neptuno, Herculi Heraclea, Asclepia, & Panacia Æsculapio. Et cæteris præterea, quorum sanè magna est turba, suas cuiq; solennitates dicauit, singulorum dæmonum nomine eas vocans. Palilibus condita vrbs Roma, inquit Suetonius in Caligula cap. 16. decretumq; vt dies, quo cepisset imperium (puta monstri illius Caligulæ) Palilia vocaretur, velut argumentum rursus conditæ Vrbis.*

PASTOR AB AMPHRYSO) Amphrysus est fluuius Thessaliæ, circa quem spoliatus diuinitate Apollo, ob Cyclopas occisos, Admeto regi pauisse armenta fertur: quocirca eũ in præsens inuocat. Vocatur etiam Nomius, vel ἀπὸ τῆς νομῆς, id est, à pascuis, vel ἀπὸ τῶν νόμων, id est, à lege chordarum. Hæc Seruius.* *Immò & alijs nominibus à re pastorali, seu ab officio, ac munere pastoritio ductis appellatur à Græcis, ποίμνιος, ἀγραῖος, ἐπιμήλιος, ἀρνοκόμης, ναπαῖος.*

De Apolline pastore in Thessalia, petam aliquod carmina è Tibull. lib. 2. eleg. 3.

Pauit & Admeti tauros formosus Apollo,
Nec cithara, intonsæ profueruntue comæ.
Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas,
Et potum pastas ducere fluminibus.
Et miscere nouo docuisse coagula lacte,
Lacteus & mistis obriguisse liquor.
Ah quoties illo vitulum gestante per agros
Dicitur occurrens erubuisse soror.
Ah quoties ausæ, canerct dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boues.

Hac de re, de semet, inquam, pastore memorat idem Apollo apud eundem poetam li. 3. eleg. 4. in hunc modũ,

Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencas
Non est in vanum fabula ficta iocum, &c.

Sequitur autem Tibullus, vt annotatum est à Mureto in eius scholiis, Rhiani veteris poetæ Græci, & Callimachi μυθολογίαν, qui vltrò ac sponte sua, ipsius videlicet amore captum, Admeto Apollinem seruiisse referunt: non propter Cyclopas (quia nimirum Ioui fulmina fabricassent, quibus ipse Phaetontem ipsius Apollinis, siue Solis filium, currum paternum malè moderantem excussisset, interfecissetq;) interemptos, quæ vulgata est narratio. Cui Apollodorus addit lib. 3. Iouem fuisse eum in tartara iamiam deiecturum: sed Latonæ precibus exoratum, iussisse, vt mercede seruiret Apollinem Admeto

A seruiisse, boues omnes gemelliparas fecisse. Tamen apud Euripidem in Alcestide tragœdia, statim ab initio id confitetur. Ὦ δώματ' Ἀδμήτει', &c. Carmina Callimachi ex hymno in Apollinem consideranda demus, ex quibus cur seruierit, & quanta eius in re pastoritia potestas, liquebit.

Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή.
Κείνου δὲ θριαὶ καὶ μάντιες· ἐκ δέ νυ Φοίβου
Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.
Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν, ἐξ ἔτι κείνου
Ἐξ ὅτ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
Ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.
Ῥεῖά κε βουβόσιον τελέθοι πλέον, οὐδέ κεν αἶγες
B Δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες, ᾗσιν Ἀπόλλων
Βοσκομένῃς ὀφθαλμὸν ἐπήγαγεν· οὐδ' ἀγάλακτες
Οἴιες, οὐδ' ἄκυθοι, πᾶσαι δέ κεν εἶεν ὕπαρνοι·
Ἡ δέ κε μουνοτόκος, διδυματόκος αἶψα γένοιτο.

Ille sagittantes sibi deligit, ille poetas:
Phœbo cum iaculis sunt & pia carmina curæ,
Sortilegûmq; notæ, & vates: quin & duce Phœbo
Addiscunt medici properantem auertere mortem.
Dicimus & pastoralem cognomine Phœbum,
Ex quo quadriiugos Amphrysi ad flumina pastor
Pauit equos, magno Admeti succensus amore.
Pascua plena virent, nec sunt sine mollibus hœdis
Inter oues capræ quos vultu respicit æquo
C *Phœbus oberrantes: nec sunt sine lacte bidentes,*
Nec steriles vnquam: iunctis errant omnibus agni:
Quæq; erat vnipara, hæc pariet mox fœta gemellos.

Atq; hic, quoniam opportunitas data est, qui nam de diis, deabusq; hominibus seruierint, ex Protrept. Clem. Alexandr. dicamus. Plures siquidem, quod turpissimum profectò, ab eorumq; maiestate alienissimum est, serui hominũ facti sunt. Iugum seruile subiit Apollo Admeto Phæris, Hercules Sardibus Omphalæ, Laomedonti autem fuit mercenarius Neptunus, & Apollo, sicut seruus inutilis, qui nec libertatem quidẽ potuit consequi à primo domino. Tunc etiam muros Troiæ ædificarunt. Nõ pudet autẽ Homerum dicere, Mineruam Vlyssi prælu-
D xisse, aureã lucernam tenentem manibus. Legimus autẽ Venerem tanquam lasciuam, & intemperantem quampiam ancillulam, lecticam Helenę apposuisse ex aduerso adulteri, vt eum ad cõcubitum alliceret. Panyasis autem alios quoque plurimos deos refert seruiisse hominibus, sic scribens.

Passa Ceres, passusq; insignis Mulciber, estq;
Passus Neptunus, passusq; est Phœbus Apollo
Mortali ipse suas operas mercede locare,
Passus Marsq; ferox, vrgente hoc patre coactus.

Hactenus Clemens.

CÆT. QVÆ VACVAS T. C. MEN.) Multa sunt apud poetas, siue in doctrina poetica, quæ vacuas hominum
E mentes, non grauibus, & quotidianis curis intentas delectare possunt, quamquã non sine fruge aliqua. Veruntamẽ ea iam suos inuenisse tractatores, & explicatores affirmat. Ne quis autem diu hæreat, quænam illa tandem sint, exemplis aliquot subiectis rem declarat. Ita per cõparationem argumentum susceptum commendat, attentionemq; lectorum captat, quasi minimè multorum aliorum more ludicra, fabulosa, & leuia, sed vera, grauia, plena vtilitatis cantaturus sit. ✻

Prope ausim dicere, locum hunc totum ex Chœrilo expressum atq; effictum mihi videri. Legũtur enim quidam illius versus, quibus queritur, præcipua argumenta scribendorum poematum à vetustis poetis occupata iam esse. Eadem est Virgilij conquestio.

> Ἆ μάκαρ, ὅστις ἔην κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῆς
> Μουσάων θεράπων, ὅτ' ἀκήρατος ἦν ἔτι λειμών.
> Νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι
> Ὕστατοι ὥστε δρόμου καταλειπόμεθ', οὐδέ τοι ἔστι
> Πάντῃ παπταίνοντα νεοζυγὲς ἅρμα πελάσσαι.

Videtur tamen Chœrilus non ita contemptus & abiectus poeta fuisse, vt eum haberi voluit Horatius: quanquam & alij, quorum maior est auctoritas, malè de eo multò ante Horatium senserunt. Versus hic ipsius, *πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ*, multos nihilominus, magnosque imitatores habuit. Muret. libr. 12. cap. 14.

EVRYSTH. DVRVM) Eurystheus rex fuit Græciæ, Persei genus, qui Iunonis instinctu imperabat Herculi, vt tot monstra superaret, quibus posset perire. Vnde eum durum appellauit, qui potuit ad complēdum odium nouercale sufficere. Seruius. Plurimos tamē labores suscepit Hercules sponte sua, quos ei Eurystheus iste nequaquam imperauit.

ILLAVD. BVSIR. ARAS) Docet Gell. lib. 2. cap. 6. & ex eodem Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 7. Grammaticos quosdam nobiles, qui commentaria in Virgilium composuerant, reprehendisse nonnulla verba, vt ignauiter, & abiecta posita. In illis est, illaudati, in hoc carmine, *Aut illaudati nescit Busiridis aras.* Parum idoneum verbum esse dicunt, neq; id satis esse, ad faciendam scelerati hominis detestationem: qui, quòd hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detestatione, execrationeq; totius generis humani dignus esset. Respondet bifariam. Primò, nemo quisquam tam efferis est moribus, quin faciat, aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat: vnde hic antiquissimus versuum prouerbij vice celebratus est. *πολλάκι καὶ κηπουρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.* Sed qui omni re, atque omni tempore laude vacat, is illaudatus est, isque omnium pessimus deterrimusque est: sicut omnis culpæ priuatio inculpatum facit. Inculpatus autem instar est absolutæ virtutis. Illaudatus igitur quoque finis est extremæ malitiæ. Itaque Homerus non in virtutibus appellandis, sed vitiis detrahendis laudare ampliter solet, appellans heroas illos *ἀμύμονας*, inculpatos. Sic Epicurus maximam voluptatem detractionem, priuationemque omnis doloris definiuit. *Ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις.* Eadem ratione Virgilius inamabilem dixit stygiam paludem. Nam sicut illaudatum *κατὰ* laudis *στέρησιν*, ita inamabilem *κατὰ* amoris *στέρησιν* detestatus est. Secundò laudare significat prisca lingua nominare, appellareque. Sic in actionibus ciuilibus laudari id dicitur, quod est nominari. Illaudatus enim est, quasi illaudabilis, qui neque mentione, neque memoria vlla dignus, neque vnquam nominandus. Sicut quondam à communi consilio Asiæ decretum est, vti nomen eius, qui templum Ephesiæ Dianæ incendisset, ne quis vllo tempore nominaret. * *Exponit igitur Gellius illaudati Busiridis, nec nominandi, laudare enim est nominare. Plaut. Capt.* Id vt scias, Iouem supremum testem laudo Hegio. *Adde ex Budæo Annotat. in Pand. Laudare tamen, quod verbum est ipsum iuris, si quis diligenter aduertat, non modo nominare, vt Gellius, & Macrobius dixerunt, sed etiam nominatim citare significat, & appellare, hoc est, iudicio dictato interpellare. Cic. 3. de Orat. de Carneade loquens, Huius ego etsi multos auditores Athenis cognoui, tamen auctores certissimos laudare possum (μάρτυρας ἐπιγράφεσθαι δυνάμενος) & socerum meum Scæuolam, qui eum Romæ audiuit adolescens. Lege quæ sequuntur pag. 269.*

Seruius vocem *illaudati*, ad Busiridis encomium refert: vt si laudatus sit, *παράδοξος, καὶ παράλογος* à Rhetore eius commendatio tentata sit. Busiris, inquit Philargyr. Ægypti Rex omnibus annis Ioui hospites immolabat. Nam per octo annos sterilitate Ægypto laborante, Pygmalion Cyprius finem non futurum ait, nisi sanguine hospitis litatum fuisset. Primus autem Thyestes alienigena immolatus, originem sacrificio dedit. Alij sic. Busiris Neptuni filius, Rex Ægypti, qui cùm Ioui hospites immolaret, pari exemplo mactatus est ab Hercule, ipsum quoque ausus aris admouere.

Busiris Libya Iouis nepte, & Neptuno satus, cùm in Ægyptum commigrasset, ibique vrbem de suo nomine dictam condidisset, hospites sacrificare consueuerat. Hunc Polycrates Rhetor & Sophista exercitationis caussa, vt videtur, defenderat: sed malè, quod ei obiicit Isocrates, & quemadmodum defendendus, ac laudandus fuisset, in eam rem composita oratione hominem docet.

CVI NON DIC. HYLAS PVER) Horat. cùm scripsit illa, Ode 6. lib. 1.

> *Nos Agrippa neq; hæc dicere, nec grauem*
> *Pelidæ stomachum cedere nescij*, &c.

Et epist. 1. lib. 1. *Prima dicte mihi, summa dicende Camœna*, verbo signantissimo vsus est, quo ipsum *ἔπος* exprimitur. Quamquam vox *dicere*, etiam ad alia carminum genera sæpe transfertur. *ἔπος* igitur ab *ἔπω* dico. Nam vt oratio, quamuis competat omni hominum dictioni, tamen vni eloquentiæ attributa est, cuius auctor solus, orator appelletur: ita dictio, quamquam est communis omnium locutioni, tamen solis dactylicis senariis magniloquis attributa fuit. Vnde ab Horatio forte epos, & Varius epicus nominatus, pro nobilissimo poeta. Scalig. lib. 1. cap. 41. * *De vsurpatione verbi dicere, apud poetas, nonnullum adhibetis exemplis ad Eclog. 5. ibi,* ego dicere versus. *De Hyla eclog. 6.* vt littus Hyla, Hyla omne sonaret.

LATONIA DELOS) Latoniam vocat Delon, quoniam ibi Latona peperit Apollinem, & Dianam. Vide quæ scripsimus in 3. Æneid. *Quam pius arcitenens*, &c. Huc opportunè adiiciemus versiculos Theognidis, qui initio gnomarum suarum compellans Apollinem, eiusque se nunquam non memorem futurum promittens, ita subnectit.

> Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε θεὰ τέκε πότνια Λητώ,
> Φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαψαμένη,
> Ἀθανάτων κάλλιστον ἐπὶ τροχοειδεῖ λίμνῃ,
> Πᾶσα μὲν ἐπλήσθη Δῆλος ἀπειρεσίη
> Ὀδμῆς ἀμβροσίης.

Sententia est, Phœbe Rex, quando te dea, veneranda Latona peperit, teneris manibus palmā complexa, immortalium pulcherrimum, ad rotundam paludem, tota Delus amplissima diuino quodam odore plena fuit. De eiusdem Latonæ partu in hac insula Homerus Odyss. lib. 2. & hymno in Apollinem, Callimachus hymno in Delum insulam, Ouid. 6. Metamorph. ✠

HIPPODAMEQVE, HVMEROQVE PELOPS) Vtriusque fabulam & Hippodamiæ, & Pelopis disertè Seruius narrat, quē consulas licet. Pindarus *ᾠδῇ α.* Olymp.

> Ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἐξεῖλε
> Κλωθὼ ἐλέφαντι φαίδιμον
> Ὦμον κεκαδμένον.

QVA ME TOLLERE HVMO) Horat. Ode. 2. libr. 3. de virtute.

> *Cœtus vulgares, & vdam*
> *Spernit humum fugiente penna.*

Quia humus demissa est, & in infimo iacet, & pedibus teritur, ideo humilia nominamus, quæ nullo in honore, quæ contempta, & abiecta sunt, quæ negliguntur. Item humi iacere est despici, nihili fieri, ignorari. Ergo tollere se humo, erit nomen sibi parare, in hominum notitiā peruenire, insigni videlicet facinore aliquo. Exprimunt hoc Germani, *Sich auß dem staub machen.* ✠

VICTOR) Id est propositi effector, vt quidem explanat Seruius, consecutus quod optaueram: quo intellectu hac voce pluries vsus reperitur. Infrà de Erichtonio, *rapidusq; rotis insistere victor*. Turneb. in Varron. de ling. Latina. lib. 1. Victor qui aliquid absoluit, & perfecit. Vt infra quoque, *Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro*. Sic Varroni rex, vbi ait, Quartus, vbi est aditus, & initia regis: quò si perueniam, scientiam ad opinionem aucupabor. Interpretatur Turneb. Qui ad quartum gradum peruenit, is rex fuerit, & planè numeris omnibus rem absoluerit. Tale illud Horatianum: *at pueri ludentes, rex eris aiunt Si rectè facies*. Auson. *Qui faciet rectè, non qui dominatur, erit rex*.

VIRVM VOLITARE PER ORA) Apparet ab Ennio mutuatum: is enim sibi hoc meditatus est epitaphiũ,

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. cur? volito viuu' per ora virûm.

A Nullis autem mortalibus perinde concessum est hoc dicere, & ita gloriari, quam qui studiis se litterarum inuoluunt, & nomen suum aliorumque ad posteros semper victurum per ingeniorum suorum monumenta transmittunt. Testem producam maiorem exceptione Senecam, cuius hęc est oratio in Consolat. ad Polybium, cap. 37. Fratris quoque tui produc memoriam aliquo scriptorum monumento tuorum. Hoc enim vnum est rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat vetustas. Cætera quæ per constructionem lapidum, & marmoreas moles, aut marmoreos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propagabunt longam diem: quippe & ipsa intereunt. immortalis est ingenij memoria: hanc tuo fratri largire, in hac eum colloca. Hinc & illa Horatij. *Exegi monumentum ære perennius*, &c. aliorumq; poetarum magnificæ voces, æternitatem famæ sibi pollicentium. ✠

Primus ego in patriam mecum (modò vita supersit)
Aonio rediens deducam vertice Musas:
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens vbi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.
In medio mihi Cæsar erit. templumq; tenebit.
Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi Alpheum linquens, lucosq; Molorchi,
Cursibus, & crudo decernet Græcia cæstu.
Ipse caput tonsæ folijs ornatus oliuæ
Dona feram. iam nunc solennes ducere pompas
Ad delubra iuuat, cæsosq; videre iuuencos:
Vel scena vt versis discedat frontibus, vtq;
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni:
In foribus pugnam ex auro, solidoq; elephanto
Gargaridûm faciam, victorisq; arma Quirini:
Atq; hîc vndantem bello, magnumq; fluentem
Nilum, ac nauali surgentes ære columnas.
Addam vrbes Asiæ domitas, pulsumq; Niphatem,
Fidentemq; fuga Parthum, versisq; sagittis.
Et duo rapta manu diuerso ex hoste trophæa,
Bisq; triumphatas vtroque ab littore gentes.
Stabunt & Parij lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissæq; ab Ioue gentis
Nomina, Trosq; parens, & Troiæ Cynthius auctor.
Inuidia infœlix Furias, amnemq; seuerum
Cocyti metuet, tortosq; Ixionis angues,
Immanemq; rotam, & non exuperabile saxum.

[*Paraphrasin docti hominis subijcio, quod sæpe etiam per posteriores hosce duos libros facturus sum, quomodo & in prioribus duobus superioribus feci. Desidero enim, quantum consequi possum labore, industria & meo, & alieno Marte omnia lectori aperta reddere, & quam clarissima eius menti lumina prapandere. Sed verborum satis.*] Nam si Deus opt. max. vitam mihi concesserit, viresq; ingenij subministrauerit: primus ego ex latinis scriptoribus, suscepta cum Græcis velitatione, de re rustica, & pastorali commentari aggrediar: & ipsam B Græciam in Italiam transferre conabor. Quo in certamine talem me geram, vt de Hesiodo, cæterisq; Gręciæ poetis, tanquam victis, & calamo superatis hostibus, triumphum deinceps acturus sim. Itaq; in agro Mantuano, vbi meum est prædium, iuxta amnem Mincium, partæ victoriæ monumentum erigam, excitata æde marmorea: in cuius medio Augusti Cæsaris, tanquam Dei tutelaris, simulacrum collocabitur. Nam huius erit,

quicquid laudis & gloriæ à superatis Græciæ scriptoribus ad me redierit. Ludos etiam Circenses, & certamina equestria in honorem eiusdem instituam: & centum quadrigas ad Mincium fluuium agitabo. Accedent huc omnes Græcorum palæstræ, & ludi Olympici, ac Nemeæi: quorum illi Pisis iuxta Alpheum fluuium: hi prope syluam Nemeam antiquitus exercebantur. Præterea ne quid vspiam ad magnitudinem huius poetici triumphi desit, ego pōtificali veste indutus, sacra faciam, & victimas Dijs immortalibus offeram. Atq; adeò iam nunc pompas ad templum illicò deducere, & cæsas pecudes aspectare cupio. Quid? quòd ne ludos quidem scenicos, & pompas theatrales omissurus sum? Nam modò in hanc, modò in aliam partem scena conuersa, depictos in aulæis triumphos Cæsaris, & rerum gestarum species commonstrabit. Postremò templum ipsū varijs picturis, & statuis vtrinque ornabitur in foribus. Nam ex vna parte pugnas, & victorias Augusti Cæsaris, auro & ebore cælatis imaginibus repræsentabit: neque quicquam eorum, quæ ad laudem & decus Cæsaris pertinere videbuntur, à me prætermittetur. Hic ipsum Antonium, & Cleopatram Ægypti reginam, ab Augusto Cæsare ad Actium victos, cum trophæis, & æreis columnis constituam. Ibidem vrbes Asiaticas, & Asiæ superatos Armenios addam. Signa item, M. Crasso olim à Parthis adempta, & nunc iterum ab ijsdem Cæsari reddita, coniungam. Denique omnes ad occasum & ortum pacatas gentes: quæ magnitudinem & victoriam populi Rom. reuerentur, adijciam. Ex alia verò parte templi progenitores Augusti Cæsaris, in marmore excisi, tanquam viuæ imagines, conspicientur. Hic videre erit, Dardanum Ioue genitum, Assaracum, Erichthonium, Troem, ac Troiæ auctorem Phœbum Apollinem: & qui continua serie, ad hunc vsque Cæsarem Augustum ab illis propagati sunt. Vbi hæc maleuoli, & homines inuidi limis oculis aspexerint, totis animis contremiscent: & pauidi, in tenebris humi reptitantes, furias vltrices, aliasq; pœnas infernales extimescent.

PRIMVS EGO IN PATRIAM) Lucretij versus vtique voluebat animo, cum hæc scriberet, nempe illos lib. 4. *Auia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo,* &c. alibi enim protulimus. Prædicat ijs, se primum extitisse, qui res philosophicas carmini submiserit. Sic Ennius gloriatus est, ante se nullum visum poetam latinum egregium, seque prodijsse principem, qui iter ad Heliconem inuenerit: qui præcesserint, eos rudes atque impolitos fudisse versus, qualia olim oracula Fauni cecinerint.

Versibus quos olim vates, Fauniq; canebant,
Cum neq; Musarum scopulos quisquam superârat,
Nec dicti studiosus erat.

Sic item Horat. Ode. 1. lib. 3.

——carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus, puerisq; canto.

Ode. 30. eiusdem lib.

Dicar, quà violens obstrepit Aufidus:
Et quà pauper aquæ Daunus, agrestium
Regnauit populorum, ex humili potens
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos, sume superbiam
Quæsitam meritis: & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Et ep. 19. lib. 1.

Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede: qui sibi fidit
Dux, regit examen.

A Propert. lib. 3. eleg. 1.

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

Vide insuper Georg. 4. ad illa, *Hæc super aruorum cultu, pecorumq; canebam.*

VITA SVPERSIT) Exquisitè, & compertè Iulius Paulus dicebat, *superesse*, non simplici ratione dici tam latinè quam græce. Græcos enim περιεῖναι etiam in vtraque parte ponere: vel quod superuacaneum esset, ac nō necessarium: vel quod abundans nimis, & affluens, & exuperans. Sic quoque nostros veteres superesse aliàs dixisse, pro superfluente, & superuacuo, neque admodum necessario, ita vt supra posuimus Varronem dicere, aliàs ita, vt Cicero dixit, pro eo, quod copia quidem, & facultate cæteris anteiret: tum supra modum, tum & largius, prolixius flueret, quam esset satis. Hoc autem in loco Virgilius ἀκυρότερον hoc verbo vsus videtur, quod *superſit* dixit, pro longinquius, diutiusque absit. Illud contra eiusdem Virgilij, est probabilius,

B

Florentesq; secant herbas, fluuiosq; ministrant,
Farraq;, ne blando nequeant superesse labori.

Significat enim, supra laborem esse, neque opprimi à labore. Gellius lib. 1. cap. 22. * *Sed Virgilius hanc vocem supersit. ea notione adhibuit, qua, restat, reliqua sit, seu diutius adsit, aliorum bonorum scriptorum exemplo: & Gellius sic licere loqui ibidem affirmat. Quare non est locutus ἀκυρότερον.*

IDVMÆAS PALM. REF.) Idumæas palmas ab Idume Phœnicis oppido, vbi palmarum magna frequentia. Lucan. lib. 3. *Gazaq;, & arbusto palmarum diues Idume.* ✱

C

TEMPLVM PONAM) Ponere templa crebrum poetis. Sic libr. 4. Æneid. *Templa Ioui centum, latis immania regnis, Centum aras posuit.* Alicubi dixit, *templa tibi statuam.*

PROPTER AQVAM) Propter cum accusandi casu, est prope, iuxta. Eclog. 8. *Propter aquæ riuum viridi procumbit in vmbra.* Cic. in Bruto. In pratulo propter Platonis statuam consedimus. Lib. 2. de Inuent. Fluuius Eurotas, qui propter Lacedæmonem fluit

IN MEDIO CÆS. TEMP. TEN.) Quasi futurum D fuerit sacrarium quoddam, & cella interior in medio templo, & ibi Cæsaris, tanquam dei simulacrum. Vide Turneb. lib. 10. cap. 11.

CENTVM QVADRIIVGOS AGITABO) Sueto. in Domitian. Circensium die, quò facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quina corripuit. Centum missus Circenses sunt, inquit Seruius, vnius diei: centum enim currus mittebantur. Vltimus autem missus, ærarius vocabatur: quanquam & centum pro multis poetarum consuetudine accipi possent. Turneb. lib. 5. cap. 4.

AD FLVMINA) hoc est, ad Euripum Circensem. Manil. lib. 4.

E *Littoribusq; nouis per luxum ludere ponto,*
Et varios fabricare lacus, & flumina ficta.

Noua littora euripos, & noua flumina in circo emissaria vocat, quæ ipsa dicit ficta flumina Cassiodor. Circenses quasi Circūenses, propterea quòd apud antiquitatem rudem, quæ necdum spectacula in ordinem deduxerat fabricatum, inter enses & flumina locis virentibus agerētur. Fluminibus ergo successit Euripus, qui, vt ait idem Cassiodorus maris vitrei reddebat imaginem: vnde illuc Delphini æquorei aquas interfluebant. Scalig. F. in Manil.

ALPHEVM LINQ. LVC. MOLOR.) Ad honorem meum ex aliis agonibus ad me certatura Græcorū multitudo conueniet. Per Alpheum Iouis Olympici agonem

nem significat. Alpheus siquidem fluuius est Elidis, quæ ciuitas iuxta Pisam est, in qua colitur Olympius Iupiter. Per lucos Molorchi intellige syluam Nemeam, in qua celebrabatur agon in honorem Archemori cuiusdam pastoris. Molorchus autem pastor fuit, qui Herculem venientem ad occidendum Nemeæum leonem, suscepit hospitio. Eos autem ludos accipimus per Alpheum, qui olympiaci dicuntur: per lucos Molorchi eos, qui Nemeæa vocantur. Hactenus Seruius.

CVRSV ET CRVDO CÆSTV) Cursu & cæstu cōcertatur lib.5. Æneid. ibi dictum de cæstibus. crudus cæstus id est durus.

TONSÆ FOLIIS OLIVÆ) Tonsæ oliuæ, minutis foliis compositæ, vt, *tonsisq́; ferunt mantilia villis*: Seruius.

SOLLEMNES. D. POMP. De pompa triumphali accipiendum est, in qua & boues mactabantur. Pompam dictam scribit Isid. lib. 18. ἀπὸ τοῦ φομπεύειν, hoc est, publicè ostentare.

VEL SCENA VT VERSIS) Hic existimo significari scenam, quæ periactos habet, vbi versatiles sunt machinæ, auctore Vitruuio, & Polluce, quę versatæ, quæ extra vrbem, aut in vrbe erant, ostendebant: nam & dextræ, & sinistræ erant Turneb. lib.5. cap.4.

PVRP. INTEXTI TOLL.) ideo ait, quia in ludis scenicis aulæum tendi solebat. Cic. pro Cælio. Deinde scabella concrepant, aulæum tollitur. Apuleius, aulæum remoueto. His autem verbis Maro ludos scenicos, & theatrales significat, vt antè gymnicos, & palæstricos. Estque phantasia: nam cum tollitur aulæum, leuaturq́; per sona ei intexta ipsum leuare videtur. Ouid.3. Metā.

Sic vbi tolluntur festis aulæa theatris,
Surgere signa solent, primumq́; ostendere vultus,
Cætera paulatim, placidoq́; educta tenore
Tota patent, imoq́; pedes in margine ponunt.

Idem lib. & cap. eodem. Aliam explicationem secundum historiam videas licet apud Seruium.

Inuenitur etiam aulæa numero singulari, quomodo Græci vtuntur. Curtius lib.8. Cùm post aulęam, quæ lectos obduceret staret rex. Aulęa ab aulis regum, in quibus expanduntur. Eadē vocantur Attalica à ditissimo rege Pergami in Asia, qui aurum ijsdem intexere docuit. Item Babylonica. Nam Babylonij colores diuersos picturæ vestibus intexere consueuerant. Nomine stragulæ vestis latinè indicantur. Græcis peristromata peripetasmata, tapetes, tapeta, tapetia. Si animalia habēt intexta, vocantur belluata tapetia, ζωωτὰ à Græcis. Pallia item à quibusdam dicuntur, vt Vlpiano, cum pallium alioqui sit vestis Græcorum propria, vnde palliatæ fabulæ. Hæc ex Budæo Annotat. poster. in Pand.

IN FORIBVS PVG. EX AVRO, SOLID. ELEPH. De foribus tēplorum, quomodo eas ornarēt antiqui, dicetur lib.6. Æneid. super illis, *in foribus lethum Androgeo.* vt hic solido elephāto, ita 3. Æneid. secto elephanto, pro rebus ex ebore compositis, & pro ebore secto. Non esse dētes, sed cornua elephanti vult Pausan. de quo alibi.

GANGARID. PVG.) Alludit, credo, Maro ad Phidiæ opus, & commentationem, qui Mineruæ statuam egregiè fabricauit, amplitudine cubitorum 26. quæ ex ebore, & auro constabat, in cuius scuto Amazonum prælium cælauit, deorumq́;, & Gigantum dimicationem. Sic autem solido auro, & elephanto dixit, vt Val. lib.8. cap.16. Gorgiæ verò Leontino vniuersa Græcia in templo Delphici Apollinis statuam solido ex auro posuit, cum cæterorum ad id tempus auratas collocasset. German.

Meminit hic Maro gentis, Romanis armis nondum subactæ, sed vt optat, & auguratur, ab Augusto

A vincendæ, & de Gangaridis Indiæ populis victoriam, & lauream optat Augusto, quos inuictos, & exterorum armis semper intactos fuisse constat, vt res Augusti, aliorum facta superent. Cæterùm illi populi Indiæ à Ptolemæo Gangaridæ, ab aliis vt Diodoro lib.3. Gandaridæ vocantur. Eorum etiam regio à Strabone Gandaris appellatur. Valer. autem Flaccus Gangaridas populos Scythiæ commemorat, hoc versu. *Misit in arma Darabs, acies quem Marsia curru Gangaridum.* Turn. lib.5. cap.4.

VICTORISQVE ARMA QVIRINI) Per victorem Quirinum, accipe Augustum. Nam tractatum est in Senatu, an, quia cōdidisset imperium, Romulus vocaretur. Sed sanctius & reuerentius visum est nomen Augusti, ait Florus in extrema historia.

B MAGNVMQ. FLVENTEM NILVM) Omnium fluminum, quæ in maria, quà imperium Romanum est, fluunt, quā Græci τὴν ἔσω θάλασσαν appellant, maximus esse Nilus consentitur: proxima magnitudine Istrum scripsit Sallustius. Varro autem, cum de parte orbis, quæ Europa dicitur, dissereret, in tribus primis eius terræ fluminibus Rhodanū esse ponit: per quod videtur eum facere Istro æmulum. Istrus enim quoq; in Europa fluit. Gell. lib.10. cap.3. De Nilo multa in Natur. Seneca lib.4. cap.2. Quod quidem ad institutum facit, subijciam. Hinc iam manifestus nouarū virium Nilus, alto, ac profundo alueo fertur, ne in latitudinem exeat, obiectu montium pressus.

C Circa Memphin demum liber, & per campestria vagus, in plura scinditur flumina, manuq́; canalibus factis, vt sit modus in deriuantiū potestate, per totam discurrit Ægyptum. Initio deducitur, deinde continuatis aquis in faciē lati ac turbidi maris stagnat: cursum illi, violētiamq́; eripit latitudo regionū, in quas extenditur, dextra lęuaq́; totā amplexus Ægyptum. Diodor. lib.1. c.3. Nilus à meridie ad septentrionē fertur, ortus ex fontibus, in extremis Æthiopiæ finibus. Maximū omnium flumen, cùm per varias, pluresque feratur regiones, magnos flexus facit, quandoq; ad orientē & Arabiam, quandoq; ad occidentem, & Libyā fluens, &c. Idem de caussis incremēti Nili, & earū ignorātia in extremo cap. Dictus est à Nilo rege Nilus, cùm antea Ægyptus diceretur. Cur Nilus cū tribus

D vrnis figuraretur, Pier. lib.46. principio. Fluuiorū namq; fontiumq́; simulacra cum vrnis dedicabātur. Ex quo est illud, *Cælataq́; amnem fundens pater Inachus vrna.*

FIDENT. F. P. V. SAGIT.) Parthos fugientes ex equis pugnare, traditum est. Horat. Ode 19. lib.1. *Et versis animosum equis Parthum dicere.*

RAPT. M. TROPH.) id est, raptim, & sine labore quęsita. Non est otiosa hæc adiectio *manu*. Innuit siquidē poeta, non hoc auspiciis imperatoris gestū bellū: sed eū præsentem, & αὐλοχείρουτον huic bello, prælioq; præfuisse, quasi sociū, cōsortemq́; periculi: vt lib.9. de Ascanio, *fortemq́; manu fudisse Numanū*: quod ibi Iulus nō solum bellico negotio auctoritatē præstitisset, sed αὐτόχειρ, & αὐτουργὸς

E percussor Rutuli insolescentis fuisset. German.

DIVER. EX HOSTE) orientis & occidentis: vnde & ab vtroq; littore: orientis propter Gangaridarum, occidentis propter Britannorum triumphum. Ita Seruius.

TRIVMPHAT. GENT.) Triumphare appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes, clamitāt per vrbem in Capitolium eunti, iô triumphe iô. Idq́; à θριάμβῳ Liberi patris cognomento potest dictum esse. Varro lib.5.

ASSARACI PROLES) Ex Ioue, & Electra Atlantis filia nascitur Dardanus, ex quo Erichthonius, cuius Troius, cuius Assaracus, cuius Laomedon, & Capys. Et Laomedontis Priamus, eius Hector, & cæteri. At Capys Anchises, cuius Æneas, cuius Iulius, à quo Iulia gens stemmate descendit ad Cæsarem. Alij sic:

Per

Per Assaracum Troianos dicit: nam Assaracus auus Anchisæ. Ennius. *Assaraco natus Capys optimus, isq; pium ex se Anchisen generat.* Ergo Assaraci familia vsque ad Augustum peruenit. Philargyr.

TROIÆ CYNTHIVS AVCTOR) Troiæ auctorem Cynthium, siue Apollinem nominat, quod constet, Ilion ab Ilo Apollinis monitu conditum. Vide German. Quod eius oraculo monitus Ilus, cùm in Mœsia pecus pasceret, Ilion in summo colle condiderit, vt est apud Lycophronis interpretem. Alciat. Parerg. lib. 6. c. 6. *Auctor hic non qui ipse fecerit, sed qui suaserit, monuerit, hortatus sit, non, inquam, effector, molitor, sed suasor, impulsor, consiliator. Cic. pro domo sua. Hic mihi grauissimus auctor ad restituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adiutor ad rem perficiendam fuit. Epist. lib. 10. Primùm capi suadere pacem, cuius fueram semper auctor.*

INVIDIA INFÆLIX) Autumat Maro, rerum ab Augusto gestarum magnitudinem esse tantam, vt inuidia suum in eas liuorem non sit ausa expromere. Turneb. lib. 9. cap. 28. Seruius hoc modo. Dicit se talia scripturum, vel facturum, quæ magnitudine sui mereantur inuidiam: ipsam tamen inuidiam nihil esse nocituram, timore pœnarum.

A AMNEMQVE SEVERVM) Sic Lucret. lib. 5. *Propter Atlantæum littus, pelageq; seuera.* Vbi pelage græcum est, πελάγη, vt μέλη mele. Intellige autem per pelage seuera non nauigabilia, & quæ non præbent se nauigantibus placata, aut facilia, sed infesta, inimica. Sic Plaut. in Trinum. Neptunum seuerum dicit. *Namq; te omnes saeuumque seuerumq; atq; auidis moribus commemorant.* Rursum Cistell. *Hau, voluisti istuc seuerum facere?* Quo loco Melænis meretrix Alcesimarchum adolescentem alloquitur, qui se ferrum tenens interficere voluerat. Ex Lamb. in Lucret.

TORT. IXION. ORBES) Rotam significat, ferream, inquam, rotam, cui apud inferos fuit alligatus, cum B eo, vt eius perpetuo circumactu versaretur, nec vnquam quiesceret. Iunonem videlicet ad stuprum secum faciendum inuitârat, & ea se potitum gloriatus impudentissimè fuerat, cùm ei Iupiter nubem in speciem Iunonis conformatam obiecisset. De hoc supplicio refert Tibull. quoq; lib. 2.

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.

Interea Dryadum syluas, saltusq; sequamur
Intactos, tua, Mæcenas, haud mollia iussa.
Te sine nil altum mens inchoat: en age segnes
Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cithæron,
Taygetiq; canes, domitrixq; Epidaurus equorum:
Et vox assensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæsaris, & nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.

DRYADVM SYLVAS) Dryades creditæ sunt fuisse nymphæ, quæ cum arboribus & nascerentur, & interirent. C Plura Natalis Comes lib. 5. cap. 11. Dryades, & Hamadryades, ait Gyrald. Syntag. 5. nymphæ syluestres, ἀπὸ τῆς δρυὸς nuncupatæ, quod generale nomen arborum est, & speciale quercus, vnde & Querquetelanæ nymphæ, ait Festus, præsidentes querceto virescenti, &c.

SALT. INTACTOS) Saltus intactos vocat, quoniam ante se nullus latino carmine res rusticas sumpserit ad explicandum: & se, vt id faceret, Mæcenatis auctoritate, ac iussu adductum: quanquam res minimè faciles. Vt si diceret illud Ciceronis, Magnum opus, & arduum: sed nihil difficile amanti puto.

TE SINE NIL ALT. MENS) Non meo fretus ingenio, sed tuo imperio commotus ad hanc scriptionem D accessi. Hortantur nos etiam illi montes animalibus referti, & canes Laconici. Taygeta ciuitas Laconiæ. Seruius. Altum exponit Nonius magnum, gloriosum.

DOMIT. EPIDAVRVS EQVORVM) Quod dicit de Epidauro, domitrix equorum, Græcis est εὔιππος, εὔπωλος. Strabo lib. 8. ἐνταῦθα καὶ τὸ γένος τῶν ἵππων κράτιστον τὸ ἀρκαδικόν, ὥσπερ καὶ τὸ ἀργολικόν, καὶ τὸ ἐπιδαύριον. Ciuitas est Illyrij nobilis Epidaurus, Æsculapij tutela, & aurea eburneaq; eius statua, à Thrasymede Pario sculpta, vel certè absoluta, pallio quidem (vt & Eusebius descripsit) amicta, & baculo sinuoso, serpentis nexu inuoluto innixa. German.

VOC. ING. CLAM. CITHÆRON) Bœotiæ mons Cithæron, vbi opima pascua. Hic me ad scribendum hortatur. De pascuis se dicturum innuit.

TAYGET. CAN.) Taygetus mons Laconiæ, Taygeta ciuitas eiusdem regionis. Canes Laconicos significat, qui sunt laudatissimi. Et dicendum etiam erit hoc libro de canibus, pecuariis nimirum, adeoq; de venaticis: nam & venatum permittit rusticis Virgilius. ✠

INGEM. REMVGIT) Alibi, *Non canimus surdis, respondent omnia syluæ*, per Echo videlicet. Seruius.

MOX TAMEN ARDENTES) Æneidem pollicetur, cuius libr. 6. genus Augusti, libr. 8. res gestas perstringit.

TITHONI PRIMA QVOD ABEST) Dicit se effecturum, vt fama factorum eius tot annos duret, quot anni sunt ab ipso, vsque ad mundi principium. Tithonum pro Titane; id est, pro sole posuit, vt monet Seruius. Nescio tamen, an vnquam apud poetas Græcos, aut Latinos hæc metonymia reperiatur, Tithonus pro Titane: cùm & sententia huius loci optimè constatura sit, si referamus originem Tithoni Phrygis ad Dardanum, vel ipsum Iouem κατ᾽ ἐξοχὴν, in gratiam Iuliæ familiæ, per Æneam, & Creusam à Ioue, Dardano, & Tithono ex ordine oriundæ, cùm & Tithonum quoq; Propert. eo loco respexisse videatur, eleg. 1. lib. 2.

Nec mea conueniant duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen auos.

Eustathius certè Homeri interpres historica fide Tithonum fratrem Laomedontis fuisse narrat: allegorico autem commento τιθωνὸν solem dici, διὰ τὸ πανταχοῦ τῆς γῆς τιταίνειν τὰς ἀκτῖνας. German. Ab infinito infinitum, inquit Philargyr. quia Tithoni origo non potest comprehendi. Et satis in Cæsarem blandè.

Seu

Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Pascit equos, seu quis fortes ad aratra iuuencos,
Corpora præcipuè matrum legat. optima toruæ
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, & camuris hirtæ sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis, & albo:
Aut iuga detrectans: interdumq; aspera cornu,
Et faciem tauro propior: quæq; ardua tota,
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Ætas Lucinam, iustosq; pati Hymenæos
Desinit ante decem, post quattuor incipit annos:
Cætera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, superat gregibus dum læta iuuentus,
Solue mares, mitte in Venerem pecuaria primus:
Atq; aliam ex alia generando suffice prolem.

SEV QVIS OLYMPIACÆ) siue quis studio equorum alendorum tenetur, ob victorias olympiacas, quod ἱπποτροφεῖν, τεθριπποτροφεῖν dicebatur. Horat. Ode 1. lib. 1.

Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegisse iuuat: metaq; feruidis
Euitata rotis, palmaq; nobilis
Terrarum dominos euehit ad Deos.

Victoria autem curulis certaminis in ludis olympicis erat omnium nobilissima, vt Herodoti locis plurimis, è Pindaro, & 1. Tuscul. intelligi potest. Turneb. libr. 22. cap. 13.

Olympionicæ, victores in ludis Olympicis: non enim tantum cursu equorum certabatur, sed pugilatu etiam, & alijs: & omnium olympionicarum summa gloria. B Cic. pro Flacco, pugil olympionices, quod est apud Græcos prope maius, ac gloriosius, quam Romæ triumphasse. Quare & Diagoras habitus felicissimus, qui vno die tres olympionicas vidisset. Cic. 1. Tuscul. Plutarchus in extremo Pelopida.

De origine ludorum olympicorum legendus Pausan. lib. 5. testatur Themistius grauissimus auctor, Elæos, siue Pisatas tanti olympiacum illum suum oleastrum fecisse, vt præter ingenuos, quique parentes legitimos docere possent, & τὴν ῥίζαν τῆς βλάστης ἀκίβδηλον (vt ipsius vtar verbis) ad munus exercendi cursus nullum admitterent, immò tales ceu profanos, & reijculos à sacris illis veteribus quam longissimè arcerent. Iunius lib. 4. C cap. 21.

De auctore horum ludorum, & quo tempore instituti sint, verba Velleij de lib. 1. tibi annumeremus. Clarissimum deinde omnium ludorum certamen, & ad excitandam corporis animique virtutem efficacissimum Olympiorum initium habuit, auctorem Iphitum Elæum. Is eos ludos mercatumq; instituit, ante annos, quam tu M. Vinici consulatū inires D. CCCCXXIII. Hoc sacrum eodem loco instituisse fertur ab hinc annos ferme M. CCL. Atreus, quum Pelopi patri funebres ludos faceret: quo quidem in ludicro omnis generis certaminum Hercules victor extitit. Hucusque Velleius. De eorundem auctoribus consule Diodorum lib. 4. qui Herculi & Argonautis tribuit. Atque vt Olympici D ludi, seu certamina fuerūt, sic etiam Pythia, Isthmia. Nemea, quorum priora duo dijs maiorum gentium Ioui, A & Apollini, posteriora duo indigetibus Palæmoni, & Archemoro sacra fuerunt. Et ibi præmia victoribus coronæ oleaginæ, & laureæ; hic & pineæ, & ex apio. De his extat epigramma Archiæ, Anthol. lib. 1. tit. 1. τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες, &c. Ausonius interpretatur.

Quattuor antiquos celebrauit Achaia ludos,
Cælicolûm duo sunt, & duo festa hominum.
Sacra Ioui, Phœboq;, Palæmonis, Archemoriq;,
Serta quibus pinus, poma (laurea cum baccis)
& oliuæ apium.

Et de locis horum agonum.

Prima Ioui magno celebrantur Olympia Pisæ.
Parnassus Clario sacrauit Pythia Phœbo.
Isthmia, Portuno bimaris dicat alta Corinthus,
Archemori Nemeæa colunt funebria Thebæ.

Et de auctoribus.

Primus Olympiaca sacrauit festa corona
Iupiter argiuis stadia ad longissima Circi.
Proximus Alcides Nemeæ sacrauit honorem.
Hæc quoq; temporibus quinquennia sacra notandis,
Isthmia Neptuno data sunt, & Pythia Phœbo,
Ancipiti cultu diuorum, hominumq; sepultis.

Distinctè item singulorum certaminum, auctorum, locorum, præmiorum mentionem fecisse Statium video, principiò lib. 4. Thebaid. De ijsdem copiosè Alex. lib. 5. cap. 8. Natalis comes Mythol. libr. 5. cap. 1. & deinceps sequentibus. Budæus in Pand. Qui in vno horum quatuor vicissent, Hieronicæ dicebantur. Qui in omnibus quatuor periodi victores à circuitu eorum speculatorum videlicet. De eorum honoribus etiam Vitruuius lib. 9.

FORTES AD ARATRA IVVENCOS) Cic. 2. de nat. deor. cum diuinam prouidentiam in certis animalibus demonstrat, ea dicit de boue, quæ huic loco vehementer conueniunt. Quid de bobus loquar? quorum ipsa terga declarant, non esse se ad onus accipiendum figurata, ceruices autem nata ad iugum: tum vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda, quibuscum terræ subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, vt poetæ loquuntur, vis nulla vnquam afferebatur.

OPTIMA TORVÆ FOR. BOVIS) Optimum explicatorem horum carminum fore arbitror Varronem lib. 2. de re rustica, cap. 5. vbi, quis sit probatissimus habitus, quæq

tus, quæq; optima forma bouis (seu maris seu fœminæ) his verbis tradit. Qui gregem armentorum emere vult, obseruare debet primum, vt sint hæ pecudes ætate potius ad fructus ferendos integræ, quam iam expertæ: vt integris membris, oblongæ, amplæ, nigrantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis, & nigris, pilosis auribus, compressis malis, subsimisue, gibberi, spina leuiter remissa, apertis naribus, labris subnigris, ceruicibus crassis ac longis, à collo palearibus demissis, corpore amplo, bene costato, latis humeris, bonis clunibus, caudam profusam vsque ad calces: vt habeant inferiorem partem frequentibus pilis subcrispam, compactis cruribus potius breuioribus, quam longis, rectis genibus, eminulis, distantibus inter se: pedibus non latis, neque ingredientibus qui displodantur, nec cuius vngulę diuaricent, & cuius vngues sint leues & pares: corium attactu non asperum & durum: colore potissimùm nigro, dein rubeo, tertiò, heluo, quartò albo. mollissimus enim hic, vt durissimus primus. In eod. cap. post. principium, bouis laudes exequitur, quod etiam præstat Columella præfat. lib. 6.

Nihil vetat Columellam adiungere. Eius verba deprompta sunt è lib. 6. cap. 1. Parandi sunt boues nouelli, quadrati, grandibus membris, cornibus proceris, ac nigrantibus, & robustis, fronte lata, & crispa, hirtis auribus, oculis, & labijs nigris, naribus resimis, patulisq; ceruice longa, & torosa, palearibus amplis, & pæne ad genua promissis, pectore magno, armis vastis, capaci, & tanquam implente vtero, lateribus porrectis, lumbis latis, dorso erecto planoque vel etiam subsidente, clunibus rotundis, cruribus compactis ac rectis, sed breuioribus potius, quàm longis, nec genibus improbis, vngulis magnis, caudis longissimis, & setosis, pilosisque, corpore denso, breuique, colore rubeo, vel fusco, tactu corporis mollissimo. Idem separatim de forma tauri, cap. 20. & de forma vaccæ cap. 21. Disce hoc etiam ex Varrone eodem libr. cap. 5. quatuor esse gradus ætatis in bubulo genere. I. vitulorum. II. iuuencorum. III. boum nouellorum. IV. vetulorum. Discernuntur in

A prima vitulus, & vitula: in secunda iuuencus & iuuenca: in tertia & quarta taurus & vacca. Quæ sterilis est vacca, taura appellatur: quæ prægnans, horda.

TVRPE CAP.) Amplum atque magnum, ac per hoc terribile. Philargyr.

CAMVRIS CORNIBVS) Nonius agnoscit, cameris, citans hunc versum, & interpretatur, obtortis. Vnde & cameræ, inquit, tecta in curuitatē formata. Camuri boum sunt, docente Seruio, qui conuersa retrorsum cornua habent: quibus contrarij, patuli, qui cornua diuersa habent: læui, quorum cornua terram spectant. His contrarij licini, qui cornua sursum versus reflexa habent.

B GRAD. IMA VERRIT VEST. CAVDA) Lib. 8. de delphinibus in clypeo Æneæ. *æquora verrebant caudis, æstumq́; secabant.*

ÆTAS LVCINAM, IVSTOSQVE) Varro lib. 2. de re rust. cap. 5. Non minores oportet inire bimas, vt vt trimæ pariant: eò melius, si quadrimæ. Pleræq; pariunt in decem annos, quædam etiam in plures. Quod Virgilius de bucula, simile quiddam Horat. de equa, Ode. 11. lib. 3.

Quæ velut latis equa trima campis
Ludit exultim, metuitq; tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc proteruo
Cruda marito.

C Lucina dicta Iuno, & quod partubus præsit, & lucem nascentibus præstare dicatur. Sic Terent. And. *Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.*

CETERA NEC FOETVRÆ) Cætera, subaudi ætas. Et est sensus, ante quartum annum incōmodam partui, post decennium aratro inhabilem.

SVPER. DVM. L. I. SOLVE MARES) Hoc vult, iuuenili ætate debere concumbere, quoniam meliora tempora citò depereunt. Seruius.

PECVARIA) Non loca sed ipsa pecora intelligit per vocem *pecuaria*, vt alibi idem æstiua dicit pro pecoribus, quæ in æstiuis agunt, *nec singula morbi corpora corripiunt, sed tota æstiua repente.* Philargyr.

OPTIMA QVÆQVE DIES MISERIS MORTALIBVS ÆVI
PRIMA FVGIT: SVBEVNT MORBI, TRISTISQVE SENECTVS,
ET LABOR, ET DVRÆ RAPIT INCLEMENTIA MORTIS.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis.
Semper enim refice, ac, ne post amissa requiras,
Anteueni, & sobolem armento sortire quotannis.
Nec non & pecori est idem delectus equino.
Tu modò, quos in spem statuis submittere gentis,
Præcipuum iam inde à teneris impende laborem.
Continuò pecoris generosus pullus in aruis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit:
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto:
Nec vanos horret strepitus (illi ardua ceruix,
Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga:
Luxuriatq; toris animosum pectus: honesti
Spadices, glauciq;: color deterrimus albis,
Et giluo) tum, si qua sonum procul arma dedere,

Stare

Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumq; premens voluit sub naribus ignem:
Densa iuba, & dextro iactata recumbit in armo:
At duplex agitur per lumbos spina: cauatq;
Tellurem, & solido grauiter sonat vngula cornu.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, & quorum Graij meminere poetæ,
Martis equi biiuges, & magni currus Achillis.
Talis & ipse iubam ceruice effudit equina,
Coniugis aduentu pernix Saturnus, & altum
Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto.

OPTIMA QVÆQVE DIES) Docebit nos sapientissimus A vitæ ac morum emendator Seneca, quid ista sibi velint, lib. de Breuitate vitæ, cap. 9. *Maxima vitæ iactura dilatio est. Illa primum quemq; extrahit diem, illa eripit præsentia, dum vlteriora promittit. Maximum viuendi impedimentum est exspectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum: quod in manu fortuna est disponis: quod in tua, dimittis. Quo spectas? quo te extendis? omnia quæ ventura sunt, in incerto iacent. Protinus viue. Clamat ecce maximus vates, Optima quæq; dies miseris mortalibus Prima fugit. Quid cunctaris, inquit, quid cessas? Nisi occupas, fugit: cùm occupaueris, tamen fugiet. Itaq; cum celeritate temporis, velocitate certandum est. Hoc quoq; pulcherrimè ad exprobrandam infinitam cogitationem,* B *quod non optimam quamq; ætatem, sed diem dicit. Quid securus, & in tanta temporum fuga lentus, menses tibi, & annos, & longam seriem, vtcunq; auiditati tuæ visum est, exporrigis? De die tecum loquitur, & de hoc ipso fugiente. Non dubium est ergo, quin prima quæq; dies optima fugiat mortalibus miseris, id est, occupatis: quorum pueriles adhuc animos senectus opprimit, ad quam imparati inermesq; veniunt. Nihil enim prouisum est: subitò in illam, nec opinantes inciderunt. Accedere eam quotidie non sentiebant. Quemadmodum quos aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, peruenisse se ante sciunt, quàm appropinquasse: ita hoc iter vitæ assiduum, & citatissimum, quod dormientes, vigilantesq; facimus,* C *occupatis non apparet, nisi in fine.* Eosdem hosce versus, dum docet, quo eos pacto philosophus consideret, rursum doctissimè, & copiosissimè interpretatur epist. 108. qua interpretatione adducenda, ne longior sim, supersedebo. Virgilio similes scripsit Iuuenal. sat. 9.

——festinat enim decurrere velox
Flosculus angustæ, miseræq; breuissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, vnguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

SVBEVNT MORBI) Hesiod. νόσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτί. Longis autem morbis senectus, acutis adolescentia magis patet, ait Celsus lib. 2.

TRIST. SENECTVS) Terent. Phorm. *ipsa senectus* D *morbus est.* Prouerbiali figura dictum. Vnde illud frequens apud Homerum, χαλεπὸν γῆρας, molesta senectus Horat. ad Pisones.

Multa ferunt anni venientes commoda secum:
Multa recedentes adimunt. Et,
Multa senem circumueniunt incommoda.

Iuuenalis.

Circumsilit agmine facto Morborum omne genus.

Cæcilius. Ædepol senectus, & si nihil aliud apportes tecum, cum aduenis, vnum id sat est. Et senarius græcus,

φοβοῦ τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.
Metue senectam, non enim sola aduenit.
Χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστὶν ἀνθρώποις βάρος.
Odiosa hominibus est senectus sarcina.

Hinc Lucillius Anthol. lib. 1. cap. εἰς γῆρας καὶ γέροντας.

Εἴ τις γηράσας ζῆν εὔχεται, ἄξιός ἐστι
Γηράσκειν πολλὰς εἰς ἐτέων δεκάδας.

Optat seni, cupienti vitam longiorem multas annorum decurias, vt incommoda senectutis tanto diutius sentiat.

Ex quibus omnibus perspicitur clarè, quàm non falsò poeta noster senectutem tristem appellauerit. Plato autem, siue Xenocrates in Axiocho, quam verè? Hinc alia B cogitanti obrepit senectus, in quam, quidquid naturæ ruinosum est, & interitui obnoxium, confertim effundit se, atq; erumpit, & quidem ita, vt nullis remediis hæc imbecillitas auerti queat, Quod si quis tardius veluti debitum vitam reddiderit, natura tanquam fœneratrix instans, atq; vrgens, ab alio aspectum, ab alio auditum, sæpenumerò vtrumq; tanquam pignus exigit. Ac si quis diutius maneat in vita, eum muneribus functionibusque corporis priuat, mutilum reddit, artus deniq; ea infirmitate affligit, vt quasi luxati videantur. Alij ad extremum senectutis limen perueniunt, vt in ijs verum comperiatur prouerbium, bis pueri senes, &c.

Senium, ait Nonius, est tædium, & odium, dictum C à senectute, quòd senes omnibus odio sunt, & tædio. Cæcil. Ephæstione.

Tum etiam in senectute hoc deputo miserrimum,
Sentire ea ætate esse odiosum se alteri.

Quin etiam veteres senectutem appellabant malam ætatem. Vide locum. Deteriorem vocauit Ouidius alicubi.

Iam mihi deterior canis aspergitur ætas,
Iamq; meum corpus ruga senilis arat.

Contrà, bona ætas est adolescentia, vel iuuentus. Nonius ibidem. Verumtamen, vt alia incommoda æquus animus tolerabiliora facit, sic etiam senectutem. Qua de re extant versiculi Comici Anaxandridæ. Vide insuper, quemadmodum eam M. Tullius à quatuor malorum D generibus, quæ ei obiiciuntur, in Catone vindicet. Beroald. Annotat. in Seruium exponit *Tristis senectus*, id est, querula, & morosa: sunt enim senes queruli, morosi, anxij. Cic. in Catone, & Horat. ad Pisones. Virgilium imitatus est Silius illo versu, *Curaq;, insidiæq;, atque hinc queribunda senectus*, quasi plena querimoniarum, quomodo à Virgilio tristis nuncupatur. Sed priorem explicationem puto magis placituram lectoribus.

DVRÆ INCLEMENTIA MORTIS) Hæc vna durissima omnium dearum, maximeque implacabilis habebatur: quæ cùm nullis precibus flecteretur, nulla etiã sacrifi-

sacrificia, nec templa, nec sacerdotes, nec ritus sacrorum obtinuit. Huius duritiem, & implacabilem voluntatem ita significauit Orpheus in hymnis.

Οὔτε γὰρ εὐχαῖς τὸν πείθει μόνος, οὐ τελεταῖσιν.

Nec prece, muneribus nec tu placabilis ulli.

Natalis comes Mythol. lib. 3. cap. 3. * *Subtexamus Albinouani versiculos,*

Vita data est vtenda, data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa persoluenda die.
Fortuna arbitrijs tempus dispensat vbiq;,
Illa rapit iuuenes, sustulit illa senes.
Quaq; ruit, furibunda ruit, totumq; per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Sidonius item satis scitè. O necessitas abiecta nascendi, misera viuendi, durissima moriendi. ✱

QVARVM MVTARI CORPORA MALIS) Itaq; in pecudum fœtura semper occurrent tibi effætæ, quæ valetudine afflicta, & senectute inualida erunt. Harum corpora vt cum vegetioribus permutes, antequam procreent armenta, diligenter prouidendum. Nam sobolis successione ea, quæ decesserant, quasi sortitione quadã reparari, ac instaurari possunt.

QVOS STAT. IN SPEM. S. GENT.) Quos vis admissarios fieri. Notanda sane exquisita varietas. Nam vt in bobus matres ante describit: sic in equis admissarios ante commemorat. Seruius. Veruntamen admissarium respicit aptum ad gignendum equos circenses, & militares. Quod dicit *submittere*, scriptores rustici admittere nominant: vnde & equus admissarius, & admissura, & admissio.

Ad loquendi genus quod attinet, sic Iureconsult. l. quid ergo, ff. de vsu fructu. Interim tamen quamdiu submittantur, & suppleantur capita quę demortua sunt, & reliqua. Vbi Iureconsultus proprio verbo vsus est. Est enim submittere propagandæ sobolis gratia matribus supponere, atque alendos præbere fœtus. Columella lib. 7. de ouibus loquens. Hoc qui faciet, seruare debebit, ne minori quadrimæ, neue ei, quæ excessit annos octo, prolem submittat: neutra enim ætas ad educandũ est idonea. Item de bobus. Sed non est dubium, vbi pabuli sit lætitia, posse omnibus annis partum educari: at vbi penuria est, alterius submitti. Idem, submitti autem etiam in vicinia vrbis quandoque oportebit: nam vernaculum pecus peregrino longe est vtilius: nec committi debet, vt totus grex effœtus senectute dominum destituat: cum præsertim boni pastoris vel prima cura sit, omnibus annis in demortuarum, vitiosarumq; ouium locum totidem, vel etiam plura capita substituere. Superius quoque Maro, Eclog. 1. *Pascite vt ante boues pueri, submittite tauros.* Columella lib. 4. etiam ad vites transtulit. At è contrario ad meridiem plures palmites submittantur, qui laborantem matrem æstiuis feruoribus opacent. Bud. in Pand. German.

CONTINVO PECOR. GEN.) De indole, ac forma equi obseruanda, non illius quem ante diximus, circensis, militaris, sed vulgaris, idque dum pullus est, hæc Varro. lib. 2. cap. 7. Qualis futurus sit equus è pullo coniectari potest, si caput habet non magnum, nec membris confusis; si est oculis nigris, naribus non angustis, auribus applicatis, non angusta iuba, crebra, fusca, subcrispa, subtenuibus setis implicata in dexteriorem partem ceruicis, pectus latum & plenum, humeris latis, ventre modico, lumbis deorsum versum pressis, scapulis latis: spina maximè duplici, sin minus, non extanti, coda ampla, subcrispa: cruribus rectis, & æqualibus, genibus rotundis, nec magnis, nec introrsum spectantibus: vngulis duris, toto corpore vt habeat venas, quæ animaduerti possunt: quod qui huiuscemodi

A cemodi sit, & cum est æger, ad medendum est appositus: corpore multo.

Recitabo etiam locum Columellæ, quem tu cum Varroniano, vtrumque autem cum Maroniano comparabis. lib. 6. cap. 29. Cum vero natus est pullus, confestim licet indolem æstimare, si hilaris, si intrepidus, si neque conspectu, neque rei auditu terretur, si ante gregem procurrit, si lasciuia & alacritate interdum, & cursu certans æquales exuperat, si fossam sine cunctatione transilit, pontem, flumenque transcendit. Hæc erunt honesti animi documenta. Corporis vero forma constabit exiguo capite, nigris oculis, naribus apertis, breuibus auriculis, & arrectis, ceruice molli, lataque nec longa, densa iuba, & per dexteram partem profusa, lato,

B & musculorum toris numeroso pectore, grandibus armis, & rectis lateribus inflexis, spina duplici, ventre substricto, testibus paribus, exiguis, latis lumbis, & subsidentibus, cauda longa, & setosa, crispaque, æqualibus, atque altis, rectisq; cruribus, tereti genu, paruoque, neq; introrsus spectante, rotundis clunibus, feminibus torosis ac numerosis, duris vngulis, & altis, & concauis, rotundisque, quibus coronæ mediocres superpositæ sunt: sic vniuersum corpus compositum, vt sit grande, sublime, erectum ab aspectu quoque agile, & ex longo, quantum figura permittit, rotundum: Mores autem laudantur, qui sunt ex placido, & concitato mitissimi. Nam hi & ad obsequia reperiuntur habiles, & ad certa-

C mina laborum patientissimi. Vide Palladium præterea lib. 4. tit. 13.

PECORIS GENEROSI PVLLVS) *ἵππος εὐγενὴς* Xenophõti est equus generosus. Nobilem dicimus nobilitate rerum, generosum autem eum, qui græce *εὐγενὴς* appellatur. Ita alter ex re, alter ex cognatione est. Cornel. Fronto. Veruntamen ex virtute etiam, non ex genere solo generosi dicuntur. Neque homines modò, verum & animantia, & inanima permulta. Vide Tiraquell. de nobilit. cap. 2. Pulli dicuntur omnium auium nati, sed & animalium quadrupedum nati dicuntur pulli, & homo paruus, pullus. Recentes ergo nati pulli dicuntur eo quod polluti sunt. Isidor. lib. 12.

D ALTIVS INGREDITVR) Xenophon, *ὁ μετεωρίζων ἑαυτὸν ἵππος σοβαρός.*

ET MOLLIA CRVRA REPONIT) Idem. *ὑγρῶν δὲ τῶν σκελῶν μετεωριζόμενος.*

NEC VANOS HORRET STREP.) Etiam interiectione, qua & oratores, & historici frequenter vtuntur, vt medio sermone aliquem inserant sensum, impediri solet intellectus, nisi quod interponitur, breue sit. Nam Virgilius illo loco, quo pullum equinum describit, cum dixisset, *Nec vanos horret strepitus*, compluribus insertis, alia figura quinto demum versu redit. *Tum si qua sonum procul arma dedere, Stare loco nescit.* Hæc Quintil. lib. 8. cap. 2.

E ARGVTVMQVE CAPVT) Argutum aliquando est, quidquid habet *συμμετρίας τινα*, & elegantiam: nugatur enim hic Seruius. Plin. lib. 35. primus symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli. Scalig. F. in Append. Virgilij. Nonius interpretatur, paruulum ac lætum caput. Occasione horum duorum versuũ, Apuleius de Deo Socratis, homines æque spectandos docet, vt equos mercamur. Docet, inquam, quæ potissimùm in homine considerare debeamus. Et quia locus est haud inelegans, tibi auctor sum vt per otium legas. Neq; enim in emendis equis, vsq; ad, nec ab ætate mutabile.

SPADICES, GLAVCIQVE) Spadica, scribit Gell. libr. 3. cap. 9. Doribus esse auulsum è palma termitem cum

cum fructu: & in 2.lib.cap.26.esse punicei coloris speciem, cum quo facit Seruius enarrans hunc locum. Spadices, inquit, phœniciatos vocant. Ad quod item spectare illud Firmici contenderim ex matheseos 3. qui Veneris recensens decreta per singulas cæli stationes, illam facere quandoque linteones scribit, ac plumarios: quãdoque vero tinctores, & spadicarios, aut textores, aut pigmentorum inuentores. A Quintiliano lib. 4. spadix inter organa musica reponitur. Rhodigin. lib. 9. cap. 4.

Multò breuius quam facilius hoc dictum à Marone cum generosorum equorum notas & colores demonstrat, censet Turneb.lib. 13. cap.4. Neque enim si quis eius coloris sit, protinus probandus sit. Sed mihi videtur hoc Maro dixisse, ex illorum locorum seminio, in quibus illius coloris præstantissimi equi nascebantur, vt Mycenis, & Pellæ. Vt enim ad Clitumnum boues eximiæ formæ, hique candidi nascebantur, ita Mycænis equi glauci nascebantur egregiæ dignitatis, & Pellæ spadices insignis formæ. Atque illorum equorum species iactantior, & formosior, &, vt Maro dicit, honestior quàm fortior, & animosior, laborumq; tolerantior erat. Vt ita Maronis verba acipi debere putem, mihi Gratius, qui Maronis ferè æqualis fuit, persuasit. Nam & de equis ita scribit.

Consule Penei qualis perfunditur amne
Thessalus, aut patria quem conspexere Mycenæ
Glaucum, nempe ingens, nempe ardua tollet in auras
Crura: quis Eleas potior lustrabit arenas?
Ne tamen hoc attingat opus, iactantior illi
Virtus, quam syluas, durumq́ lacessere Martem.

Iterum.

Spadices vix Pellæi potuere Ceraunii,
Et tibi deuota magnum pecuaria Cirrha,
Phœbe, decus nostras agere in sacraria thensas.

His è Gratij locis, equos ad speciem & pompam potius, sacraque curricula, quàm ad bellicum opus, aut venatorium munus à Marone descriptos intelligimus, vel potius signatos.

ET GILVO) Giluum sunt, qui ex Palladio cinericium accipiunt, quamuis Seruius melinum interpretetur. Et melinus color à Melo insula Plinio: Plutarcho, cæterisque etiam pro candido accipitur. Audiamus, si placet, Germanum. Giluus color aliis buxeus est, aliis flauus, qui ex viridi, rufo, & albo concretus est. Gellius giluum vult esse medium inter nigrum & album. Seruius giluum melinum accipit. Mancinellus autem ex Plinio melinum album interpretatur, à Melo insula. Certè poeta Græcus epig. μήλινα λαμάτια vel ab insula, vel à colore pomi vocat. μηλινὸς quoq;, & μήλινος à colore mellis χλωρὸν significat.

DVPLEX SPINA) Duplex, id est, crassa, lata: quamuis dubitanter ista explicari sciam ab interpretibus. Sic duplici dentalia dorso dixit lib. 2. crasso, & lato. Turneb.lib.13.cap.1.& 27.cap.35. De spina equi sic loquitur Xenophon libello de re equestri. Spina dorsi supra armos paulò elatior, præbet opportunius sedile equiti, & armi ad reliquum corpus firmius compinguntur, si illa duplex fuerit: tum etiam & eques residebit mollius, & forma delectabilior erit.

A SOLIDO VNGVLA CORNV) Non dicit Virgilius solido cornu distinctionis caussa, vt quidam somniant, quia bouinum pecus habet fissam vngulam. Sed explicandus locus è verbis Xenophontis ex libro περὶ ἱππικῆς. Sunt autem hæc. Πόδας δ' ἄν τις δοκιμάζοι πρῶτον μὲν τοὺς ὄνυχας σκοπεῖν. οἱ γὰρ παχεῖς πολὺ τῶν λεπτῶν διαφέρουσιν εἰς εὐποδίαν. In probandis igitur pedibus, primùm vngula consideranda: spissa enim ad pedum bonitatem longè supra tenuem excellit. Deinde paucis interiectis addit Græcus auctor. καὶ τῷ ψόφῳ δέ φησι Σίμων δήλους εἶναι τοὺς εὔποδας, καλῶς λέγων. ὥσπερ γὰρ κύμβαλον ψοφεῖ πρὸς τῷ δαπέδῳ ἡ κοίλη ὁπλή. Id est. Rectè etiam Simon scripsit, sonitu deprehendi pedum bonitatem:
B non secus caua vngula: quam cymbalum resonat. Titius lib.3.cap.4.

AMYCLÆI DOM. POLL. HABENIS CYLL.) Interpretes Pollucem, qui pugil erat, pro Castore equorum domitore Maronem dixisse putant: sed non censuerim sic pugilatus studiosum fuisse Pollucem, vt nunquam in equo sederit: & Cyllarus alternis Polluci, & Castori seruiit. Papinius lib.1. Syluar.

Et pauet aspiciens Ledæus ab æde propinqua
Cyllarus: hic domini nunquam mutabit habenas,
Perpetuis frænis, atq; vni seruiet astro.

Nam equum Domitiani vni seruiturum astro dicit, non duobus, vt Cyllarum. Turneb. lib. 3.cap.3. * *Amyclæ*
C *Vrbs Laconiæ, Vbi educati Castor, & Pollux, Tyndari regia. Alia hoc nomine Vrbs fuit in Italia, de qua lib. 10.* & tacitis regnauit Amyclis. *De hisce duobus fratribus Arnobius lib. 1. Vbi deos gentilium pro Christo irridet. Tyndaridæ Castores, equos Vnus domitare consuetus, alter pugillator bonus, & crudo inexsuperabilis cæstu, ignes & fulgores marini, & ouorum progenies dij.*

GRAII MEM. POETÆ.) Nomine Graiorum poetarum maximè Homerum capimus, quem præteritum à Virgilio in omni parte operum suorum, cum præsertim Orphei, Musæi; Hesiodi, & Theocriti meminerit, satis admirari nõ possum. Atqui cum multa ab his, quos nominaui, mutuatus sit, Homerus tamen Mantuanus non immeritò à quibusdam appellatus est qui Homerum ferè totum Æneide sua expresserit. Vrsin.

D MARTIS EQVI BIIVGES) Homero δίζυγας ἵππους: hi sunt Δεῖμος, & Φόβος. Iliad. ι. Lucretius libro 2.

Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetæ:
Sedibus in curru biiuges agitare leones.

Vrsin.

ET MAG. CVRRVS ACHILLIS) De Achille, & quare magnus diceretur, recordor me docuisse ad Eclo. 4. ibi, *Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.* Hos currus Hector Doloni, quem ad castra Græcorum exploratum mittebat, in pretium promisit. Homerus Iliad. κ. Virgil. Æneid. 12.

TALIS ET IPSE IVBAM) Fabulæ habent, Saturnum
E Philyram Oceani filiam compressisse, veritumque ne adulterio Rhea vxor superueniret, in equum cõuersum. Hoc figmentum, vt tradit Pierius lib. 4. quidam ex Astronomis ad astri velocitatem referunt, cum amplissima cæli spatia diurno motu velocissimè transcurrat, si quanto distet interuallo, quamq; magno circuitu supra planetas reliquos feratur, considerauerimus: quãuis altero motu, quem hi naturalem dicunt, tardissimus planetarum videatur.

Hunc quoq; vbi morbo grauis, aut iam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ.
Frigidus in Venerem senior, frustraq; laborem

Ingratum trahit:&,si quando ad prælia ventum est,
Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassùm furit.ergo animos,æuumq; notabis
Præcipuè:hinc alias artes,prolemq; parentum:
Et quis cuiq; dolor victo,quæ gloria palmæ.
Nonne vides,cùm præcipiti certamine campum
Corripuere,ruuntq; effusi carcere currus?
Cùm spes arrectæ iuuenum,exultantiaq; haurit
Corda pauor pulsans:illi instant verbere torto,
Et proni dant lora:volat vi feruidus axis:
Iamq; humiles,iamq; elati sublimè videntur
Aera per vacuum ferri,atq; assurgere in auras.
Nec mora,nec requies:at fuluæ nimbus arenæ
Tollitur:humescunt spumis,flatuq; sequentum.
TANTVS AMOR LAVDVM,TANTÆ EST VICTORIA CVRÆ.

AVT MORBO GRAVIS) Aptè morbo grauis, quoniam morbi graues dicuntur.Sall. Morbi graues ob inediam solitâ vescentibus. Sic dicimus morbum aggrauescere,id est,grauiorem fieri. Donat.in Hecyr. Ibidem morbo grauis,interpretatur languidus.

ABDE.D.N.T.I.SENECTÆ) Pars posterior cum priore videtur pugnare.Etenim quis equum senem possit abscondere, & simul eius senectuti non ignoscere. Quinimmò non alia ratione melius hic ignoscat, quàm si domi detineat.Quapropter pro *nec*,lego *et*:nec debet hiatus carminis impedire quemquam, quò minus admittat hanc emendationem, cùm idem etiam alibi in Virgilio reperiatur, atq; adeo non longè ab his ipsis versibus,cùm de Austro inquit, *Arcebis grauido pecori, armentaq; pascas.* Atq; haud scio,an hic hiatus quibusdam, vt &alius alibi,huius loci corrumpendi,ipsorum quidem iudicio emendandi,occasionem dederit. Canterus lib. 6.cap.8.Seruius sic,abde,& ignosce senectæ, quæ turpis non est,quia per naturam venit.

ABDE DOMO)Vox *abdo*,frequentissimè cum accusandi casu, & præpositione in, reperitur. Virgilius tamen suo more,cum auferendi casu coniunxit.Liuius.Se in suis quiq; tectis abdiderit.Et iterum. Coss.in priuato abditi.

FRIG.IN VEN.SENIOR)Senior equus,in Venerem cùm sit frigidiusculus, non modò saliendi fastidio afficitur, sed etiam ad laborem inutilis, ac ferè vitiosus redditur. Nam vbi matrem inierit, frustrà suas vires tentabit,& citò admodum languescet:non aliter,atq; ignis, qui in stipulas coniectus, breui momento rursum euanescit. *Ein alter Hengst hat wol ein Hertz,aber es ist nichts darhinder.* * *De equo dictum a Marone,etiam in hominem quadrat:cui calore per ætatem imminuto, etiam Veneris cupido minuitur. Proinde monstrosum est videre amoribus deditos aut vetulos, aut vetulas. Et rectè Ouid.*turpe senilis amor. *M. Tullius in Catone,dum respondet ad quartam caussam, per quam senectus videtur misera,quia priuet omnibus ferè voluptatibus. At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. Credo:sed ne desideratio quidem. Nihil autem molestum,quod non desideres. Bene Sophocles,cùm ex eo quidam iam confecto ætate quæreret, vteretúrne rebus Venereis. Dij meliora,inquit libenter verò istinc, tanquam à domino agresti ac furioso profugi. Cupidis enim rerum talium,odiosum & molestum est forìasse carere,& quæ sequuntur.*

ERGO ANIM.ÆVVMQ.NOT.) Quapropter diligenter obseruabis ætatem cuiusque,vt scias, qui equus cuiq; proli gignendæ sit vtilis,aut ineptus. Nam marem A putant minorem trimo non esse idoneum admissuræ: posse verò vsque advicesimum annum progenerare:fœminam bimam rectè concipere : vt post tertium annum fœtum enixa educet.Eandem post decimum non esse vtilem : quod ex annosa matre tarda sit atq; iners proles. Animos deinde,& virtutem notabis : vt scias qui ad ludos, & certamina Circensia potissimùm adhibendi sint. Nam gloriæ studium,& laudis amor, non minus equo, quàm viro inesse videtur.spe enim victoriæ excitati lætantur, & exultant : victi contristantur, & dolent, vt sequitur.

NONNE VIDES, QVVM PRÆCIPITI)Locum Homeri expressit,ex Iliad. ψ.

B Ἅρματα δ' ἄλλοτε μὲν χθονὶ πίλνατο πουλυβοτείρῃ,
Ἄλλοτε δ' ἀΐξασκε μετήορα.τοὶ δ' ἐλατῆρες
Ἕστασαν ἐν δίφροισι πάτασσε δὲ θυμὸς ἑκάστου
Νίκης ἱεμένων,κέκλοντο δὲ οἷσιν ἕκαστος
Ἵπποις,οἱ δ' ἐπέτοντο κονίοντες πεδίοιο.

Nonne videre est, quando in sacris certaminibus, vbi iam intra carceres consistunt,&animi aurigarum aut spe victoriæ erecti sunt , aut metu ignominiæ trepidant, quàm præcipiti cursu ferantur?quàm modò humiles decurrant, modò sublimes in aere assurgant? Nulla hìc mora equorum,nulla aurigarum. Hi verberibus à tergo imminent, & proni habenas laxant: illi rapido impetu currum promouent. Videas ibi sustolli ex humo pulue- C rem:videas ora equorum spumis humescere:videas flatus ignitos,& feruidos è naribus emitti anhelitus. Tantus vtrisq; est amor laudis & gloriæ, tanta victoriæ cupiditas. * *Illud* nónne vides,*è myrothecio Lucretiano petitum est: quod alibi vel admonentem, vel admonebimus. Ista interrogatio affirmationem habet.*

AERA PER VACVVM) Macrobius legit *tenerum*, pro vacuum,asseritque ad Lucretij imitationem dictum cuius versum adducit è lib.2. *Aera per tenerum liquidis loca vocibus opplent.*

FVLVÆ NIMB.ARENÆ TOLL.) Lib.8.pulueream nubem dixit.*Stant pauida in muris matres, oculisq; D sequuntur Pulueream nubem.*

TANTVS AMOR LAVDVM)Quid ergo interest inquit Lactant. lib.3. cap.8. vtrum scientiam summum bonum putemus,an illa ipsa, quæ scientia ex se parit, id est,victum,gloriam,voluptatem? quæ non sunt homini propria,& ideo ne summa quidē bona. Nam voluptatis

&victus

& victus appetentia non homini solùm, sed etiam mutis inest. Quid cupiditas gloriæ? nonne in equis deprehenditur, cùm victores exultant, victi dolent? *Tantus amor laudum, tanta est victoria curæ.* Nec immeritò summus poeta experiendum esse ait, *Et quis cuiq; dolor vi-*A *cto, quæ gloria palmæ.* * *Non ita diuersum est illud 5. Æneid de naumachia certantibus.* Exultantiaque haurit Corda pauor pulsans, laudumque arrecta cupido. *Vsus carminis erit, cùm quempiam victoria cuiuscunq; perstudiosum aut esse, aut fuisse significabimus.*

Primus Erichthonius currus, & quattuor ausus
Iungere equos, rapidisq; rotis insistere victor.
Fræna Pelethronij Lapithæ, gyrosq; dedere
Impositi dorso: atq; equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.
Æquus vterq; labor: æquè iuuenemq; magistri
Exquirunt, calidumq; animis, & cursibus acrem:
Quamuis sæpe fuga versos ille egerit hostes,
Et patriam Epirum referat, fortesq; Mycenas,
Neptuniq; ipsa deducat origine gentem.

PRIMVS ERICHTHONIVS) Fuit horum certaminum, & ludorum equestrium primus inventor Erichthonius, Vulcani filius, rex Atticæ: quem ad tegendos pedes dracontæos primũ equis iunctis fuisse vsum scriptores perhibent. Herodotus tamen in Melpomene, *καὶ τέσσαρας ἵππους ζευγνύναι παρὰ Λιβύων οἱ Ἕλληνες μεμαθήκασι.*

FRÆNA PELETHRONII) Thessalorum gentis inventum est, equos frænare, & ad cursum domare, dorsum conscendere, in gyros conuertere, solo insultare, & alterno crurum explicatu tollutim, aut quadrupedante passu raptim ingredi.

Doctissimorum scriptorum, qui vel solo nutu in sententiam omnes possunt trahere, inquit Turneb. li. 21. c. 9. longè alia mens est, in explicatione huius versus, quã Grammaticorum. Cēsent enim hi, à Lapithis Pelethroniis, qui Pelethronium montem Thessaliæ incolebant, vbi & oppidum eiusdẽ nominis erat, primùm domitos equos fuisse. Sed Plin. lib. 7. cap. 56. Pelethronium hominis nomen proprium interpretatur, qui frænis, & stratis inventis primus equos domuerit, quæ eadem Solini sententia est. Verba Plinij sunt. Frænos & strata equorum Pelethronium inuenisse dicunt. Pugnare ex equo Thessalos, qui Centauri appellati sunt, habitãtes secundùm Pelium montem. Sic gignendi casu accipiendum erit, Pelethronij frænos equo impositi, & equitantis gyros dedisse Lapithas, equumque consuefecisse superbos gressus glomerare.

EQVIT. DOC. SVB ARMIS) Ennius in 2. Annali. *Deniq; vi magna quadrupes eques, atq; elephanti Proiiciunt sese.* Quo loco vox *eques* significat ipsum equum. Plæraque enim veterum ætas & hominem equo insidentem, & equum qui insideretur, equitem dixerunt. Propterea equitare etiam (quod verbum è vocabulo equi inclinatum est) & homo equo vtens, & equus sub homine gradiens dicebatur. Lucilius equum equitare dicit his versibus.

Nempe hunc currere equum nos atq; equitare videmus.
Hic equitat, curritq;, oculis equitare videmus.

Ennium igitur Virgilius imitatus est. Hæc summatim ex Gell. lib. 18. cap. 8. ex Nonio, & ex Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 9.

INSVLTARE SOLO) L. Varius de Morte.

Quem non ille sinit lenta moderator habena
Quà velis ire, sed angusto prius ore coercens
Insultare docet campis, fingitq; premendo.

B Lucret. lib. 3. *Et contempsit aquis insultans, murmura ponti.* Horat. Ode 16. Epod. *Et vrbem Eques sonante verberabit vngula.* Ennius Annal. 8. *Consequitur: summo sonitu quatit vngula terram.* Idem lib. 17. *It eques, & plausu caua concutit vngula terram.*

GRESSVS GLOM. SVP.) Gressus glomerare, Varroni est, tollutim incedere: Plinio, tollutim carpere incessus: Martiali ad numerum colligere vngues, *ὑποκρίνειν*. Vnde equus tollutarius, gradarius, Asturco, cui, vt Plin. mollis alterno crurum explicatu glomeratio est. Germ.

ÆQVVS VTERQVE LABOR) Vterque labor, equum ad vecturam, siue ad currum trahendum, & sessorem vehendum assuefacere, æquus est, & vterque iuuenem C equum, atque alacrem, & celerem requirit. Nihil enim refert, qualem sese annis præteritis gesserit, quos in bello hostes fugârit. Nihil item, aut parum refert, quibus ex locis, aut quo semine ortum quisque ducat: dummodo bonam, & generosam indolem adhuc in tenera ætate ostentet. Nam vt maximè Epiroticus sit equus, aut Mycenæus, adeoq; ab ipso Neptuni equo procreatus, nisi ille animum fortem, & alacrem præ se ferat, & annis viribusq; sit integer, frustraq; vel ad aurigationes, vel ad equitationes adhibebitur.

MAGISTRI EXQVIRVNT) Cui præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, hi magi-D stri appellantur. Quin etiam ipsi magistratus per deriuationem a magistris cognominantur: vnde & cuiuslibet disciplinæ præceptores, magistri à monendo, vel monstrando. Vlp. de verb. signif. Magistri dicti, quoniam magis ceteris possunt: vnde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt, quàm priuati. Alciat. ibid.

CVRSIBVS ACREM) *Acer* significat celer, velox, Sic 4. Æneid. *At puer Ascanius mediis in vallibus acri Gaudet equo.* *Acre*, austerum, asperum, acerbum. Varro Parmenone. Dimittisq; acres pectore curas cantu, castaq; poesi. *Acre*, seuerum. Cic. de Off. lib. 1. Suum quoq; noscat inperium, acremque se & bonorum & malorum suorum iudicem præbeat. *Acre*, forte. Virgil. lib. 7. *Aut acrem dubites in prælia poscere Turnum.* *Acre*, vehemens, E Georg. 3. *acremq; molossum Pasce sero pingui.* *Acer*, prouidus, diligens. *Iam tum acer curas venientem extendit in annum Rusticus.* Hæc Nonius.

ET PAT. EPIR. REF. FORT. MYCEN.) Laudatur & ab equis Epirus. In Epiro, inquit Seruius, sunt equæ optimæ, quibus exercetur curule certamen Iouis Olympici.

Per Mycenas Peloponnesum intellige: equos enim Peloponnesiacos etiam commédari significat. Et idipsum arbitror insinuatum ab Horatio Ode 7. lib. 1.

Plurimus in Iunonis honorem

Aptum dicet equis Argos, ditesq́; Mycenas.

NEPTVNI ORIGINE) Vt sit procreatus de genere illius equi, quem Neptunus terra tridente percussa produxit.

His animaduersis, instant sub tempus, & omnes
Impendunt curas denso distendere pingui,
Quem legere ducem, & pecori dixere maritum:
Florentesq́; secant herbas, fluuiosq́; ministrant.
Farraq́;, ne blando nequeant superesse labori,
Inualidiq́; patrum referant ieiunia nati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes:
Atq; vbi concubitus primos iam nota voluptas
Sollicitat, frondesq́; negant, & fontibus arcent:
Sæpe etiam cursu quatiunt, & sole fatigant,
Cùm grauiter tunsis gemit area frugibus, & cùm
Surgentem ad Zephyrum paleæ iactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior vsus
Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes:
Sed rapiat citius Venerem, interiusq́; recondat.
Rursus cura patrum cadere, & succedere matrum
Incipit, exactis grauidæ cùm mensibus errant.
Non illas grauibus quisquam iuga ducere plaustris,
Non saltu superare viam sit passus, & acri
Carpere prata fuga, fluuiosq́; innare rapaces.
Saltibus in vacuis pascant, & plena secundùm
Flumina: muscus vbi, & viridissima gramine ripa,
Speluncæq́; tegant, & saxea procubet vmbra.

DENSO DISTENDERE PINGVI) Adhuc parentum delectus in bubulo, & equino pecore fuit: proximum præceptum est, vt patres saginentur, matres macerentur tempore admissionis. Saginationis & efficiens causa, & finis mox proponetur. Varro lib. 2. cap. 5. Ante admissuram mensem vnum, ne vaccæ cibo, aut potione se impleant, quod existimantur facilius macræ concipere. Idem Columella lib. 6. cap. 26. Sed & pabulum circa tempus admissuræ subtrahitur fœminis, ne eas steriles reddat nimia corporis obesitas.

NE BLANDO NEQ. SVPERES. LABORI) Blandum laborem *περιφραστικῶς* appellat initum, siue, vt iam dictum est, admissuram. Et admittere equum, taurum dicimus ad equam, vaccam implendam scilicet. Admissarius equus est *ἀναβάτης*, nam & *ἀναβαίνειν* dicunt, vt Latini superuenire, salire. Vide Budæum in Pand. annotat. poster. pag. 293. *Superesse* hoc loco putat Gellius lib. 1. cap. 22. supra laborem esse, neq; opprimi à labore, quod & suprà monuimus, iisdem verbis *(modò vita supersit)* Quod autem in eodem capite negat à veteribus dictum superesse, pro restare, & perficiendæ rei adesse, sciendum est & Tacitum, & Plinium in epistolis, quod Muretus animaduertit, sæpius ita vti: cum quibus nos errare malumus, quàm cum Gellio sapere.

IPSA AVT. MAC. TEN.) Varro lib. 2. Arietibus ac tauris datur plus cibi, vt vires habeant. Et paulò pòst. Contrà, tauros duobus mensibus ante admissuram herba, & palea, ac fœno facio pleniores, & a fœminis secerno.

VOLENTES) id est, de industria: est enim volens, Abeneuolus, vt in deorum precationibus Cato. Mars pater, te precor quæsóque, vti sies volens propitius mihi, domo, familiæque nostræ. Liuius. Pacem precibus exposcunt, vti volens propitius suam semper sospitet progeniem. Turneb. lib. 5. cap. 4. * *Catonis, & Liuij verba, quæ à Turnebo producuntur, docent manifestè, vocem* volentes *exponendam esse non* de industria, *sed* libentes. *Virgilij tamen sensus non omnino hanc interpretationem admittit, sed priorem potius. Nempe verborum liberiores sunt poetæ, quod iam centies dixi. Cicero in Tusc. cul. 3. de Attio, poeta tenuit ius suum, & dixit audacius. Hoc te audire puto locis similibus.*

SÆPÈ ET. CVRSV) Itaque meridianis temporibus, sole calidissimo, eas cursu fatigare, & multo æstu attenuare consueuerunt. Nam macræ facilius concipere, B & genitale semen ardentius rapere, atq; in vtero melius conseruare existimantur, vt sequitur.

NE LVXV OBTVS. VS. SIT GEN. ARVO) Hippocrat. Aphorism. *ὁκόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν γαστρὶ ταύτῃσι, τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ἀποπιέζει, καὶ πρὶν ἢ λεπτυνθῆναι οὐ κυΐσκουσιν.* Notat Vrsin. Rei inhonestæ quadam honesta verborum ambage, & circuitione descriptio à multis laudata, aliunde, vt pleraq; Maronis, mutuò sumpta est. Eadem igitur figura vsus erat Euripides in Phœnissis. *μὴ σπεῖρε παίδων ἄλοκα δαιμόνων βίᾳ.* Id est, ne seras sulcum liberorum inuitis diis. Id Virgilius vberius aliquantò fecit, qui non tantùm sulcum appellauit, verùm etiam honestè verecundeq́; aruum genitale nominauit. Turneb. lib. 19. cap. 18. Adde, Lucret. lib. 4. eadem metaphora, *muliebria conserit arua.*

Discamus à Virgilio verecundiam, & cùm in hominibus, tum etiam in brutis animantibus instrumenta illa ad generandum à Deo corporibus addita, quibus periphrasibus, ac metaphoris, cùm vsus postulauerit, exprimere eleganter honestéque liceat, in bonis scriptoribus obseruemus. Clemens Alexandr. in Pædag. ideo pudendum nominatum ait, quòd ea corporis parte magis, quàm alia qualibet cum pudore vtendum sit. Si vtendum cum pudore, nunquid non etiam cum pudore, an potius Cynica cum impudentia nominanda suo vocabulo, & proprio? non puto, si modo vel Ciceronem audiamus hæc dicentem Off. lib. 1. vbi nimirum de Temperantia disputatur. *Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quæ enim natura occultauit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remouent ab oculis: ipsiq́ necessitati dant operam, vt quam occultissimè pareant: quarumq́ partium corporis vsus sunt necessarij, eas neq; partes, neq; earum vsus suis nominibus appellant: quodq́ facere turpe non est, modo occultè, id dicere obscœnum est. Itaq; nec aperta actio rerum illarum, petulantia vacat, nec oratio obscœnitate. Nec verò audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerunt Stoici penè Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea quæ turpia re non sunt, verbis flagitiosa dicamus: illa autem quæ turpia sunt, nominibus appellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterari re turpe est: sed dicitur non obscœne: liberis dare operam, re honestum est, nomine obscœnum: pluraq́ in eam sententiam ab iisdem contra verecundiam disputantur. Nos autem naturam sequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipsa oculorum, auriumq́ approbatione, fugiamus.* Hæc ille. Genitalium membrorum partes, quas ex oribus verecundis infame est suis appellationibus promere, inquit politus scriptor Arnob. libr. 3. Rursum libro 4. vide quàm castè. Partes illæ, quas pudor abscondere, quas naturalis verecundiæ lex iubet, quas inter aures castas nefas est, ac sine honoribus appellare præfatis. Adhuc, Pars illa corporis, per quam sexus fœmineus & sobolem prodere, & nomen solet acquirere generi. Iam quod de vocibus ex duobus præclaris scriptoribus docui, idipsum de actione, & corporalibus illis conciliis, quemadmodum Arnobius vocare solitus est, siue hominum, siue animalium, accipiendum censeo. Violauit virginem, ait Varro lib. 5. de ling. lat. pro vitiauit dicebant. Æquè eadem modestia potius cum muliere fuisse, quàm concubuisse dicebant.

SED RAPIAT SITIENS VENEREM) Loquendi ratio hæc, Venerem rapere, & Horatio vsitata est.

——sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior cædebat, vt in grege taurus.

[*Veruntamen Horatius non de fœminis, sed de viris loquutus, & ideo que alio modo Venerem rapere intelligendi sunt. Et explanat semetipse quodammodo* more ferarum, *quod nos ex sacratissimis libris discremus, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.*]
Et Lucretio,

Et commiscendo cùm semen fortè virile
Fœmina commulxit subita vi, corripuitq́.

Aristoph. ἐκκλησ. δεινὰς γε δεῖ κατημημημένας τὴν τοῦ ἐλευθέρου ἐξαρπάζειν κύτειν. Quod Aristotel. lib. 2. de gener. animal. de asina. ἡ δ' ὄνος οὐ δέχεται τὴν ὀχείαν, ἀλλ' ἐξουρεῖ τὸν γόνον, διὸ μαστιγοῦσιν ἀκολουθοῦντες. German.

RVRSVS CVRA PATRVM CADERE ET SVCCED. MATRVM) prægnantibus maior est adhibenda cura, largoque pascuo firmandæ: nec aliquot mensibus a conceptu exercendæ, nec in angusto, clausoque continendæ: neque frigori, aut fluminibus tranandis committendæ. Nam hæc omnia incommoda fœtum abigunt. In locis autem viridibus, & aquosis, syluisque pascuis, ac iuxta fluuios pascant, & circa meridiem vmbras captent, ne calore solis languescant: frigidos locos vbique caueant, quoniam algor maximè prægnantibus obest.

FLVVIOS RAPACES) Egregium epitheton fluuiorum *rapaces*, vtpote qui omnia secum rapiunt, feruntque. Didicit à Lucretio. Ille lib. 1. *Denique per maria ac montes fluuiosq́ rapaces.* Lib. 5. *Aut ex imbribus assiduis exisse rapaces Per terras amnes.*

SALT. IN VAC. PAS.) Saltus isto loco Nonius campi spatium interpretatur. Alioqui saltus Isidoro lib. 16. ca. 8. sunt loca vasta, & syluestria, vbi arbores exiliunt in altum. Quod ibi arbores in sublimè consurgãt, vt rursum ait lib. 17. ca. 6. Varro de lin. lat. Quos agros non colebãt propter syluas, aut id gen⁹, vbi pecus potest pasci, & possidebant, ab vsu suo saltus nominarunt. Quidam censent ex eo dictum saltũ, quòd in eo feræ ac pecudes saliãt. Dicitur etiam de locis montosis, modò iidem syluosi ac nemorosi sint, vt saltus Pyrenæus, saltus Graius, &c.

SECVNDVM FLVM.) Secundum non solùm numeri & ordinis, vel prosperum, sed etiam iuxta. Varro. de vita pop. Rom. Ad portam Mugionis secundùm viam, sub sinistra. Nonius.

SAX. VMB.) Vmbra quam saxa, id est, antra, & specus faciunt: præcedit enim, *speluncaq́ tegant.*

Est lucos Silari circa, ilicibusq́; virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est: œstron Graij vertere vocantes:
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita syluis
Diffugiunt armenta: furit mugitibus æther
Concussus, syluæq́;, & sicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras
Inachiæ Iuno pestem meditata iuuencæ.
Hunc quoq; (nam mediis feruoribus acrior instat)
Arcebis grauido pecori, armentaq́; pasces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris.

EST LVCOS SILARI) Silarus Lucaniæ fluuius, Alburnus eiusdem mons est.

CVI NOM. ASILO) Varro lib. 2. de re rust. cap. 5. Itaq; quod eas æstate tabani concitare solent, & bestiolæ quędam minutę sub cauda, ne concitentur, aliqui solent includere septis.

CVI NOM. ROM. EST) Quemadmodum Plautus his loquendi modis, Demophilus scripsit, Plautus vertit barbarè,

barbarè. *Nam os columnatum inesse audiui poeta barbaro. Heus tu, in barbaria quod dixisse dicitur liberta sua patrona*, in barbaria, id est, in Italia, quemadmodum his, inquam, modis videtur linguam latinam contemnere, ita contrà Virgilius summis eam laudibus afficere conatus est, cùm ita dixit, *cui nomen Asilo Romanum est &c.* quasi posteriores Romanis Græcos fuisse insinuet. Canterus lib. 4. cap. 18. A

GRAII OESTRVM VERTERE) Nigidius de animalibus. Asilus est musca varia tabanus, bubus maximè nocens. Hic apud Græcos prius myops vocabatur, postea magnitudine incommodi œstrum appellarunt. Et hoc est quod ait, *œstrum vertere vocantes*. Non de latino in grecum, sed de græco in suam linguam, quę prior fuit. Philargyr.

Hunc quem Græci œstrum vocant, ait Seneca, ep. 58. pecora peragentem, & totis saltibus dissipantem, asilum nostri vocabant. Hoc Virgilio licet credas. Videtur Seneca dicere, istuc verbum latinum sua ætate nullum fuisse. Oestrum quidam cum tabano cōfundunt, quem Græci μύωπα vocant, in quibus Plin. lib. 11. cap. 28. & Apollon. lib. 1. vbi cū de œstro ageret, dicit: ὅν τε μύωπα βοῶν κλείουσι νομῆες, quem tabanum vocant bubuci. Obtinuit, vt μεταφορικῶς furiosi dicantur œstro perciti. Vide plura apud Delrium in Chorum Oedipi act. 2. Senecæ.

INACH. IVNO PEST. M. IVVEN.) Io Inachi amnis filiam, rapto prius eius pudore in vaccam mutauit Iupiter, ne in eam Iuno vt pellicem sæuiret. Illa nihilominus rata id quod erat, in miserum animal œstro immisso sæuiit iuxta Virgil. Plura de Io ad 7. Æneid. ibi. *Atq; leuem clypeum sublatis cornibus Io.* Æschylus Promethe͂o.

> Κλύεις φθέγμα τᾶς βούκερω παρθένου;
> Πῶς δ' οὐ κλύω τῆς οἰστροδινήτου κόρης
> Τῆς Ἰναχείας.

Leguntur etiam apud Attium tragœdia Iô hi versus.

> *Custodem assiduum Iuno instituit virgini.* Et.
> *Ex taurigeno semine ortam fuisse, an humano eam.*

Fabulam pete ex 1. Metam. Versus huc facientes ponam.

> *Protinus exarsit (Iuno) nec tempora distulit ira,*
> *Horrificamq́, oculis, animoq́, obiecit Erinnyn,*
> *Pellicis Argolicæ, stimulosq́, in pectore cæcos*
> *Condidit, & profugam per totum terruit orbem.*

Iam quia se obtulit occasio, hoc loco lectorem minus eruditum docebimus ex Lactantio lib. 1. cap. 11. quid sibi velit, quod poetę quosdam aut montium, aut fluminum filios esse dicant, quod absurdè dici videtur, & ἀδύνατον planè. Sic itaq; Lactant. Potuit & sic argumentari (Minutius Felix in Octauio) Saturnum, cùm potentissimus rex esset, ad retinendam parentum suorum memoriam, nomina eorum cælo, terræq; indidisse: cùm sæpius aliis vocabulis appellarentur. Qua ratione & mōtibus, & fluminibus nomina scimus imposita. Neq; enim cùm dicūt poetæ de progenie Atlantis, aut Inachi fluminis, id potissimū dicunt, homines ex rebus sensū carentibus potuisse generari: sed eos vtiq; significant, qui nati sunt ex iis hominibus, qui vel viui, vel mortui nomina montibus, aut fluminibus indiderunt. Nam id apud veteres, maximeq; Gręcos vsitatū fuisse. Sic maria eorum nomina traxisse accepimus, qui in ea deciderunt, Ægæum, Icarium, Hellespontieum: & in Latio Auentinus vocabulū monti dedit, in quo sepultus est. Apparet ergo non ex cælo natum esse Saturnum, quod fieri non potest, sed ex homine, cui nomen Vrano fuit. B

MED. FER. ACRIOR INSTAT) Circa meridiem tabani acrius armenta pungunt, eaque vehementius extimulant: ideoq; aut mane tantum, aut vesperi sub occasum solis pascenda sunt.

C NOCT. DVC. ASTRIS) Pari figura 2. Æneid. *Iamq́, iugis summæ surgebat lucifer Idæ, Ducebatq́, diem.* Et putarim hic latere hypallagen, amicam adeo figurā poetæ nostro, pro nocte astra ducente, seu, dum nox astra ducit. Fingitur enim Nox quoq; suo curru, & fuscis equis per cælum vectari, & eadem mater siderū vocari solet, quòd ea velut parere videatur: non enim nisi nocturnis temporibus aspiciuntur, & prodeunt. Quare festiuissimè Tibull. lib. 2.

> *Ludite, iam Nox iungit equos, currumq́, sequuntur*
> *Matris lasciuo sidera fulua choro,*

Matris enim sine cōtrouersia scriptura sincerior, vt Muretus restituit lib. variar. 5. cap. 2. non *Martis*: quid enim hic Mars faciat? ✱

> Post partum, cura in vitulos traducitur omnis:
> Continuoq; notas, & nomina gentis inurunt:
> Et quos aut pecori malint submittere habendo,
> Aut aris seruare sacris, aut scindere terram,
> Et campum horrentem fractis inuertere glebis.
> Cætera pascuntur virides armenta per herbas.
> Tu quos ad studium, atq; vsum formabis agrestem,
> Iam vitulos hortare, VIAMQVE INSISTE DOMANDI,
> DVM FACILES ANIMI IVVENVM, DVM MOBILIS ÆTAS.
> Ac primùm laxos tenui de vimine circlos
> Ceruici subnecte: dehinc, vbi libera colla
> Seruitio assuerint, ipsis è torquibus aptos
> Iunge pares, & coge gradum conferre iuuencos.
> Atq; illis iam sæpe rotæ ducantur inanes
> Per terram, & summo vestigia puluere signent.
> Pòst valido nitens sub pondere faginus axis
> Instrepat. & iunctos temo trahat æreus orbes.
> Interea pubi indomitæ non gramina tantùm,
> Nec vescas salicum frondes, vluamq; palustrem,

Sed

Sed frumenta manu carpes sata: nec tibi fœtæ,
More patrum, niuea implebunt mulctralia vaccæ,
Sed tota in dulces consument vbera natos.

NOTAS, ET NOM. GENT. INVRVNT) Cùm natus est pullus, aut vitulus, confestim eum notis inustis signare, & interstinguere bubulcum oportet: vt quos iuuencos aut admissuræ, aut sacrificiis, aut aratris, atq; plaustris consuefacere velit, in promptu habeat. Ausonius in Vrbibus de Alexandria, & Antiochia.

Magnus Alexander te condidit, illa Seleucum
Nuncupat, ingenuum cuius fuit anchora signum,
Qualis inusta solet generis nota certa per ortum.
Nam sobolis seriem natiua cucurrit imago.

Vbi, vt hoc, quia vtile scitu, addamus, ingenuum signum vocat Ausonius *αὐτοφυὲς*, vel potius, vt ex Aristotelis poeticis interpretamur, *σημεῖον σύμφυτον*. Id enim valet *ingenuum*: vt alibi, *Vsq; sub ingenuis agitata fontibus vnda.* Ingenuos fontes vocat *τοὺς μὴ χειροχοήτους*. Nam ingenium est natura ipsa. Næuius in Lycurgo,

—— ite actutum frondiferos lucos, vbi
Ingenio arbusta nata sunt, non obsita.

Id est, vbi sunt ingenua arbusta, non manu, aut arte sata. Scalig. F. Ausonian. lect. lib. 1. cap. 23. Idem Coniectan. ad Varron. de ling. lat. Instrumentum quo perurunt, dicitur *character* rei rusticæ auctoribus, verbum autem *signare*. Nonius. Signare oportet frontem calida forcipe. Veteres vocabant *dignorare*. Festus, Dignorant, signa imponunt, vt fieri solet in pecoribus. Sic & equi quadam nota insigniebantur. Anacreon.

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι	*Equi solent inustum*
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.	*Coxis habere signum.*

Vide Georg. 1. *Aut pecori signum, aut numeros impressit aceruis.*

IAM VITVLOS HORTARE) Isidor. lib. 12. cap 1. vitulus & vitula à viriditate vocati sunt, id est, ætate viridi, sicut virgo. Vitula autem parua est, & nondum enixa. Nam enixa, iuuenca est, aut vacca:

QVOS AD STVDIVM ATQ. VSVM FOR. AGR.) De domitura boum Columell. toto ca. 2. li. 6. quem lege.

DVM FAC. ANIMI) Sic paulò antè, *Præcipuum iam inde à teneris impende laborem.* Et superiore libro, *adeò à teneris consuescere multum est.* Potestne præceptum istuc ad liberorum nostrorum adolescentiam, pueritiamque transferri? maximè, immò. Idem en quam D disertè Ecclesiasticus, & quàm sapienter iubeat, cap. 30. *Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps. Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non arrideas illi, ne doleas, & in nouissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans est: ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.*

DE VIMINE CIRCLOS) Circus, ait Nonius, est ambitus vel gyrus, cuius diminutiuum circulus. Attius Andromeda, *Quot Luna circulos annuos instituit.*

IPSIS E TORQVIBVS APT. IVNGE PA.) Cùm retinaculis assueuerint, vinculaque admiserint, tum ex- E tra stabulum perducito, & duos pares coniungito, ipsosque per mille passus cōpositè, ac sine pauore ambulare doceto. Interdum ex domitis bobus valentissimum, eundemq; placidissimum cum indomito coniungimus: vt veteranus tyronem, & procurrentem retrahat, & constantem perducat. Imitando enim facilius domatur.

Videtur poeta velle, iugum bobus illigandum non cornibus, sed ceruicibus, qua de re ita disserit Columella A lib. 2. cap. 2. Igitur in opere boues arctè iunctos habere conuenit, qui spatiosius ingrediantur sublimes, & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, iugumque melius aptum ceruicibus insidat. Hoc enim genus iuncturæ maximè probatum est. Nam illud, quod in quibusdam prouincijs vsurpatur, vt cornibus illigetur iugum, ferè repudiatum est ab omnibus, qui præcepta rusticis conscripserunt, neq; immeritò, plus enim queunt pecudes collo & pectore conari, quàm cornibus. Atque hoc modo tota mole corporis, totoque pondere nituntur: at illo, retractis & resupinis capitibus excruciantur, ægreq; terræ summam partem leui admodum vomere sauciant. Ac veteres quidem à iungendo iu- B menta appellabant: quod currui iungerentur, ea erant equi, & muli: boues, armenta potius dicebantur, ab arando, vt Varro inquit, quòd is præcipuus eorum vsus. Sed Columella lib. 6. iumenta appellari credidit, quæ nostrum laborem, vel onera subuectando, vel arando iuuarent. Sed aliter Iureconsulti. Nam lege XII. tabul. à iungendo, non à iuuando iumenta dicuntur, teste Gell.

APTOS) Aptum, connexum, colligatum significat. Cic. Tusc. 5. Fulgentem gladium è lacunari seta equina aptum demitti iussit. Vide Nonium.

SÆPE ROTÆ DVCANT. INANES) Varro, Et primum in æquo loco, & sine aratro, tum eo leui, & principiò per arenam, aut molliorem terram. Quos ad ve- C cturam item instituendum, vt inania primùm ducant plaustra, & si possis, per vicum, aut oppidum, creber strepitus, ac varietas rerum consuetudine celerrima ad vtilitatem adducit.

INTEREA PVBI INDOM.) Hæc cùm ita curauerimus, tum & omne genus pabuli præparabimus, dabimusq; operam, ne penuria cibi macrescat pecus. Quare vitulis, & pullis indomitis non modò teneram herbam, frondes, & vluam subministrabimus, sed etiam manibus decerpta frumēta furfures triticeos, & farinam hordeaceam obiiciemus. In primis autem curabimus, ne vaccæ mulgeantur, & vitulis lac detrahatur. Lacte enim materno omniū optimè nutriuntur. Varro lib. 2. cap. 5. & 7.

VESCAS SALIC. FROND.) Vescum ex ve, particula, & esca copulatum est, auctor Gell. lib. 15. Et cùm ve, particula tum intētionem significet, tum minutionem, ita vescum vtriusq; diuersæ significationis vim capit. Aliter enim Lucret. vescum salem dixit, ex edendi intentione: aliter Lucillius vescum appellat cū edendi fastidio. Vescum itaq; id significat, quod in esca, & cibatu appetitur, & id, quod fastidiosum est. In altero hæc particula ve intendit, in altero minuit. Et ita Virgil. appellat vescum papauer, ab edendi intentione, quod videlicet in cibis adhibeatur: & vescas salicum frondes, quoniam scilicet escis iumentorum sunt accommodatæ. Festus quoque scripsit vescum, fastidiosum significare, & edacem. Vescus apud priscos pusillum sonabat, & vesculi malè curati, & graciles homines nuncupabantur. Exponamus igitur vescas frondes, vel quod esca sunt, & cibaria iuuencorū, vel (vt exponit Nonius) quod fastidiosæ sunt. Hæc Beroald. Annotat. in Seruium.

NEC TIBI FOETÆ IMPL. MVLT. VACCÆ) De ouibus idem præcipit apud Calpurn. Alycon pater Cantho filio.

Parce tamen fœtis, neu sint compendia tanti,
Destruas vt niueos venalis caseus agnos.

Sin ad bella magis studium, turmasq; feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Pisæ,
Et Iouis in luco currus agitare volantes:
Primus equi labor est, animos, atq; arma videre
Bellantum, lituosq; pati, tractuq; gementem
Ferre rotam, & stabulo frænos audire sonantes.
Tum magis, atq; magis blandis gaudere magistri
Laudibus, & plausæ sonitum ceruicis amare.
Atq; hæc iam primò depulsus ab vbere matris
Audiat: inq; vicem det mollibus ora capistris
Inualidus, etiamq; tremens, etiam inscius æui.
At tribus exactis, vbi quarta accesserit ætas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusq; sonare
Compositis, sinuetq; alterna volumina crurum,
Sitq; laboranti similis: tum cursibus auras
Prouocet: ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix summa vestigia ponat arena.
Qualis Hyperboreis Aquilo cùm densus ab oris
Incubuit, Scythiæq; hyemes, atq; arida differt
Nubila, tum segetes altæ, campiq; natantes
Lenibus horrescunt flabris: summæq; sonorem
Dant syluæ: longiq; vrgent ad littora fluctus.
Ille volat, simul arua fuga, simul æquora verrens.
Hic vel ad Elæi metas, & maxima campi
Sudabit spatia, & spumas aget ore cruentas:
Belgica vel molli melius feret esseda collo.
Tum demum crassa magnum farragine corpus
Crescere iam domitis finito. namq; ante domandum
Ingentes tollent animos: prensiq; negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.

SIN AD BELLA MAGIS) Dixi breuiter de ijs, quæ in domitura & cura iuuencorum agrestium obseruari conuenit. Nunc ad pullos equorum transeo, quos laboribus bellicis, ludisque Circensibus, aut sacris certaminibus præparare cupimus. In his igitur perdomandis ista tenebitur ratio. Primò omnium in stabulis fræna, & arma militaria videre, & è motu crepitus, itemque tubarum sonitus, & stridores curruum audire consuescant.

De hac domitura Varro lib. 2. cap. 7. Neque prius biennio confecto à lacte remouendum: eosque cùm stent cum matribus, interdum tractandum: ne cùm sint deuincti, exterreantur. Eademque caussa ibi frænos suspendendum, vt equuli consuescant & videre eorum faciem, & è motu audire crepitus. Cùm iam ad manus accedere consueuerint, interdum imponere iis puerum, bis aut ter, pronum in ventrem, postea iam sedentem. Scholiast. Aristoph. in Nubibus. *ὅτι, τινὰ τῶν ὀρφνίων δοκιμάζεται τῷ τοῦ κάδυτος ψόφῳ, καὶ τοὺς ἵππους ὅτε ὀδοντίζον οἱ ψοφώδεις εἶεν, ἢ οἱ θόρυβον ὑπομένειν δύναιντο.*

ALPHEA FLVM. PISÆ) Elidis amnem vocat Alpheum eclog. 10. quoniam alluit vrbem Elim, Pisæ & Olympiæ vicinam, vbi ludi exercentur Olympici. Quod sequitur de agitatione curruum in luco Iouis, qui eodē A loco erat sacer Ioui, cui etiam ipsi ludi, eandem cum priore versu sententiam continet.

LITVOSQ. PATI) Romani non solùm tubis, verumetiā lituis acuere militum animos solebant. Ex quo apud Tullium, tuba belli ciuilis, & lituus profectionis ad Pompeiū, pro impulsore posita sunt. Sic enim ad Ampiū li. 6. Qui tulissent acerbius, veniam sibi dari, quem illi appellant tubam belli ciuilis. Idem lib. 2. ad Att. Posteaque, quàm mihi litteræ à Balbo Cornelio minore missæ essent, illum existimare, Q. fratrem lituum meæ profectionis fuisse (ita enim scripsit) &c. Eodem spectat illud Æneid. 6. de Miseno, *Et lituo pugnas insignis obibat, & hasta.* Horat. Ode 1. libr. 1. tubæ sonitum cum lituo permiscet. B *Multos castra iuuant, & lituo tuba Permistus sonitus.* Et Ode 1. libr. 2. lituorum strepitum cum murmure cornuum coniungit, in describenda pugnæ imagine.

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringit aures: iam litui strepunt.

PLAVSÆ SONITVM CER. AM.) Deinde etiam dominum suum blandientem, & accedentem ferre discant, & se tractari sinant, manuumq; plausu, atq; attactu delectentur. Æneid. 12.

Circumstant properi auriga, manibusq; lacessunt
Pectora plausa cauis, & colla comantia pectunt.

Sonum

Sonum autem illum ex collisione manuum, & palpationem in equis, vocant Græci ποππυσμὸν, & ποππύζειν. Lege quæ in hunc locum ex Xenophonte de re equestri ab Vrsino desumuntur.

Depvlsvs ab vbere) Eclog. 1. *quo sæpe solemus Pastores ouium teneros depellere fœtus.* Eclog. 7. *Depulsos a lacte domi quæ clauderet agnos.*

Mollibvs capistris) Ne tenera adhuc ora lædantur.

Inscivs ævi) nondum habens ab annis fiduciam.

Qvarta ætas access.) Id est quartus annus. Nam ætatem plerumque generaliter dicimus & pro anno, pro triginta, pro centum, pro quouis tempore. Seruius.

Vix svmma vestig. p. arena) Alludere videtur ad Ladam Alexandri cursorem, qui pendentibus vestigijs vix arenam signabat, cuius Solinus meminit, & Catullus, & Martial. lib. 10.

Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte frustra ligneo curres pede.

German.

Qvalis hyperb. aqvilo) Quod longissimè exigendum, & vlterius quàm concesserit hominibus natura, proturbandum ostendere volumus, id græcè ἄχρις ὑπερβορέων ἀποπέμπειν, id est, vsq; ad Hyperboreos ablegare dicimus. Extat in epigram.

Νοῦσον τὴν στυγερὴν αὐθήμερον ἐκ βασιλῆος
Ἐσθλοτάτου πέμψαις ἄχρις ὑπερβορέων.
Pellere luce vna regalis a corpore morbum
Luctificum, vt supra cedat Hyperboreos.

Consimile est quod Nazianzenus ad Nemesium dixit, τὰ δ' ἔκτοσθε ῥῖψα γαδείρων. Vltra Gades ea abieci, hoc est, quàm longissimè. De Hyperboreis populis qui sint, & vbi terrarum positi, varia apud auctores contentio est, Nouè dixit Æschylus, τύχην ὑπερβορέαν, fortunam ingentem, aut secundam, in Agamem. μεγάλης δὲ τύχης, καὶ ὑπερβορέου μείζονα φωνεῖς. Id est, insignis fortunæ, & Hyperborea maiora loqueris. Comment. exponunt, τὴν ἄγαν πνέουσαν, velut insigniter, & magis quàm Boreas afflantem. Iunius Cent. 1. num. 99.

Contra Græcorum opinionem, & vocabuli notionem dictum esse apparet. Cùm enim trans Aquilonem Hyperborei incolant, si modò vlli sunt, inde eum oriri Maro facit: nisi si quis dicat, è finibus eorum, citra tamen, eum oriri. Sed videtur Maro parum curare eam, quam retulimus Græcorum opinionem. Turneb. lib. 5. cap. 4.

Aqvilo densvs) Densus aquilo, vt quem constet densare, & constringere, vt Austrum laxare, & resoluere. Vide Aristot. Meteor. German.

Differt nvbila) id est, dissipat, disiicit. Horat. Ode 10. Epod. *Tractosq́; remos differat.* Ibid. *Post insepulta membra differēt lupi.* Lucret. lib. 1. *Ingentesq́; ruit naues (ventus) & nubila differt.* Et lib. 2. *Scintillasq́; agere, & late differre fauillam.*

Simvl arva fvga) Quomodo Græci poetæ

A φεύγειν fugere sæpius pro eo vsurpant, quod est συντόνως τρέχειν, ita & Latini, & in eundem sensum Maro hîc fugam dixit.

Æqvora verrens) Lucret. lib. 5. *Nequicquā quoniam verrentes æquora venti Diminuunt.*

Hic vel ad elæi metas) Idem hic equus tam cursorium laudatissimè aget: & vtrobique suum officium commodissimè administrabit. Nam vel in certaminibus cursuum, & ludis equestribus maxima conficiet spatia: neque vllo sudore, neque vllis spumis, etiam cruentis ex ore promanantibus vspiam defatigabitur: vel etiam Belgicum essedum, aut quodcunq; oneratum plaustrum indefessa ceruice vectabit.

B Fer. esseda col.) Essedum est vehiculum Gallicū, genus quoddā rhedæ. Cic. ad Trebat. Essedū aliquod suadeo capias, & ad nos quamprimum accurras. Philip. 2. Vehebatur in essedo Tribunus pl. Hinc essedarius ipse auriga, epist. 6. lib. 2. sicut rhedarius in Miloniana. Cic. epist. 6. lib. 7. Tu qui cæteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedarijs capiaris, caueto. De varijs vehiculorum generibus Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 30. ✠

Tvm demvm crassa) Posthæc vbi, domitus hunc in modum equus fuerit, farraginem illi dabis. Hæc enim maximè necessaria, atque vtilissima est pecori equino. Nam & purgari hoc cibo, & eodem quā optimè saginari, & crescere solet. Ante domituram

C largiori cibo equuli non erunt obsaturandi. Nam pabulis distenti ferocient, & si comprehendas, frænos & capistra excutient, neque domitori morem gerent: ac ne verberibus quidem, & flagris ad obsequium adigi poterunt.

dvris parere lvpatis) Lupata sunt fræna, vel à lupo instrumento ferreo, vnco, & tortuoso, instar dentium lupinorum: vel quia lupinorum dentium in morem aspera, atque inæqualia, quibus equi ferociores coercentur. Vocantur etiam lupi, Ouid. *duros accipit ore lupos.* Vnde equi praeferoces, & ad tractandum difficiles λυκοσπάδες à Græcis nominantur. Ex Lamb. in Horat.

D Copiosius aliquanto Turneb. lib. 11. cap. 28. vnde sua Lambinus, vt solet, deduxit. Fræna lupata, quæ & lupata etiam, sine additamento dicuntur, fræna sunt lupos habentia, & dura asperioraque: vt currus falcati dicuntur, qui falces habent, secures dolabratæ, quæ habent dolabram: falces verticulatæ, quæ verticulum. Est autem lupus ferreum instrumentum vncum, simile dentium lupinorum. Liuius libr. 28. in alios lupi supernè ferrei iniecti, vt in periculo essent, ne suspensi in murum extraherentur. λύκος eodem modo dicitur græcè ferrum quoddam fræni, vnde lupatum: atque hinc λυκοσπάδες equi à nonnullis appellantur: Ouid. 4. Trist. eleg. 6. ex parte, totum frænum significauit, *duros accipit ore lupos.* Est & lupus ferrula manubriata apud Palladium: fræni autem lupati ad os equi quantumuis ferocis temperandum, domandumq; aptissimi sunt.

Sed non vlla magis vires industria firmat,
Quàm Venerem, & cæci stimulos auertere amoris:
Siue boum, siue est cui gratior vsus equorum.
Atque ideo tauros procul, atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum, & trans flumina lata:
Aut intus clausos satura ad præsepia seruant.

Carpit enim vires paulatim, VRITQVE VIDENDO
FÆMINA, nec nemorũ patitur meminisse, nec herbæ.
Dulcibus illa quidem illecebris & sæpe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes.
Pascitur in magna sylua formosa iuuenca:
Illi alternantes multa vi prælia miscent
Vulneribus crebris: lauit ater corpora sanguis:
Versaq; in obnixos vrgentur cornua, vasto
Cum gemitu: reboant syluæq;, & magnus olympus.
Nec mos bellantes vnà stabulare: sed alter
Victus abit, longeq; ignotis exulat oris,
Multà gemens ignominiam, plagasq; superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores:
Et stabula aspectans regnis excessit auitis.

CÆCI AMORIS) Absolutè cæcus est amor in hominibus & pecudibus, quare & oculis obligatis pingitur: & ei cæcitatem Theocritus, Menander, Archilochus, & è nostris Virgilius non vno loco tribuunt: amori, inquam, cui assidua comes est nequitia. Affectum enim in turpitudinem cæcum esse, nemo non dixerit. Appetentia enim, quæ ab oculorum sensu est, intellectum concitat ad voluptatem: ea vero tali orta principio, quæ putat in conspectu esse bona, ea tantum concupiscit, addictaque sensui, à contemplatione auertitur, neque sui compos est, vt possit eligere. Impetu igitur raptatur, & in furorem fertur. Furor dubio procul intellectum obcæcat: quique ita affectus est, cæco carpitur igni, &c. Pierius lib. 48. in Laqueo. Quamobrem Cupido cæcus fingatur & pingatur, Delrius Aduersar. in Hippolytum Senecæ pag. 97. A B

TAVROS PROCVL ATQVE IN SECRETA) Quæ ratio ad boues siue tauros firmandos valet, vt procul absint a vaccis, quarum aspectu Venereis concitantur stimulis, nec viribus validis possunt augeri, eadem ad hominum mentes, eorum puta, qui in Venerem proni sunt, sanandas, perutilis reperitur: nimirum vt se longius remoueant, ne videre queant, quarum aspectu saucientur, & inde amoribus earum dies noctesq; sollicitentur. Huius vel præcepti magistrum, vel consilij ducem habemus Propert. lib. 3. eleg. 20. versiculos memoria dignissimos accipe.

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Vt me longa graui soluat amore via.
Crescit enim assiduè spectando cura puellæ,
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Omnino quid tam in genere quoq; nostro, id est, humano verum est, quam fæminam vrere, dum videtur? præsertim si quam eximia pulchritudo tacitè commendauerit. Tales fæminæ oculis dolores inurunt, de quibus Alexander Magnus. Cum enim (auctor Plutarchus) post Persas subactos intueretur captiuas, & forma & magnitudine corporis excellentes, inquit, *ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ περσίδες*. Democritus, vt scriptũ inueni apud Tertul. Apologet. cap. 45. excæcando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, & doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. Retulit hoc ex Plutarcho, opinor, libello de Curiositate. At Christianus saluis oculis fæminam videt, animo aduersus libidinem cæcus est. Iam de pudico sexuum inter se aspectu perpende mihi, quod idem seuerissimus castimoniæ doctor asserit, lib. de Velandis virginibus. Inuicem se eadem oculorum genera desiderant. Eiusdem libidinis est videri, & videre. Tam sancti viri est suffundi si virginem viderit, quam sanctæ virginis, si à viro visa sit. Hactenus ille. Huc refer illud ex Eclog. 8. *Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.* Plotinus *ἔρωτα ἀπὸ τῆς ὁράσεως*, ab aspectu, seu visu deductum putat: siquidem plerumque ab aspectu amor nascitur: quod item confirmat Græcorum paræmia, *ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν*. Idipsum Propertius, *Si nescis, oculi sunt in amore duces.* Et multò explicatius libr. 1. eleg. 1. primis statim verbis. C D

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante Cupidinibus.
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit amor pedibus, &c.

CORNIBVS INTER SE SVBIG. DECER.) Vide quos ex Smyrnæo, & Oppiano adducit in eandem rem versiculos Vrsinus.

ILLI ALTERNANTES MVLTA VI) Locus hic, alijs tamen verbis, repetitur lib. 12. Æneid. de Turno & Ænea, taurorum instar ferocium de Lauinia virgine regia dimicantium.

Ac velut ingenti Sila, summoue Taburno,
Cum duo conuersis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi cessere magistri:
Stat pecus omne metu mutum, mussantq; iuuencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur,
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaq; obnixi infigunt, & sanguine largo
Colla, armosq; lauant: gemitu nemus omne remugit.

Comparationem hanc, eiusque sententiam aliqua verborum immutatione à Lucano vsurpatam videas, lib. 2. hoc tenore.

Pulsus vt armentis primo certamine taurus,
Syluarum secreta petit, vacuosq; per agros
Exul in aduersis explorat cornua truncis.
Excussi placuere tori, mox redditus victor
Quoslibet in saltus comitantibus agmina tauris
Inuito pastore trahit.

German.

REBOANT SYLVÆQVE) Reboare est resonare, & tanquam per echo reddere. Lucret. lib. 2. *Nec citharis reboant laqueata, aurataq; templa.* Lib. 4. *Et reboat raucum retrocita barbara bombum.* Macrob. lib. 6.

ET STAB. ASPECTANS REG.) Affectum eundem animi (quod animaduerterunt etiam veteres Grammatici) tribuit Virgilius tauro, qui victus in pugna pellitur suis sedibus, quem affectum Tullius in L. Catilina extitisse dicit, cum eiectus ab ipso ex vrbe fuit, cognouitque se ad finem pessima sua consilia perducere non posse: vtrique enim dolorem, quem animo tunc sentiebant, & quam inuiti inde abirent, signo quodam demonstrarunt. Summus igitur Orator inquit. Iacet ille prostratus, Quirites, & se perculsum, atque abiectum esse sentit, & retorquet oculos sæpe ad hanc vrbem, quã è suis faucibus ereptam esse luget. Homerus etiam hoc fieri vidit, notamque eam satis certam esse ægritudinis magnæ cognouit. Cum igitur facit Aiacem perturbatum repentè, iniecto metu à Ioue animo ipsius, discedere

dere è prælio, sed cum dignitate, ita de ipso loquitur. *ἐντροπαλιζόμενος ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων.* Liuius etiam idem narrat in Annibale conspici potuisse, cum reuocatus à patria, inuitus, mœstusq; ex hostium terra excessit. inquit enim de illo. Respexisse sæpe Italiæ littora ferunt. Et præterea Plutarchus, cum & ipse eodem pacto perturbatum exposuit Pyrrhum abijsse è Sicilia: accersitus enim ille quoque fuit à socijs, quos in eadem terra habebat: illi namque sine ipso vix in vrbibus resistere poterant hostibus. Narrat igitur regem illum, cum iam in nauim ascendisset, conuersis oculis ad eam A terram, dixisse cum dolore magno, Qualem relinquimus palæstrã Pœnis, ac Romanis? Victor lib. 28. cap. 8. * *Adde huc illud è Cic.* Et notas secum heu frustra respectat Athenas *Æneas quoq; Carthagine discedens, mœnia respicit, vt est in 5. Æneid, quod voluisset eo respectu haud obscurè prodens, manere ibidem videlicet, nisi Iupiter iussisset. Cuius rei testis ipse met lib. 6. in sermone, quo Didonem apud inferos affatur.*

— — — per sidera iuro,
Per superos, & si qua fides tellure sub ima est,
Inuitus regina tuo de littore cessi,
Sed me iussa Deûm, &c.

Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura iacet pernix instrato saxa cubili,
Frondibus hirsutis, & carice pastus acuta.
Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco, ventosq; lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.
Pòst, vbi collectum robur, viresq; receptæ,
Signa mouet, præcepsq; oblitum fertur in hostem.
Fluctus vt in medio cœpit cùm albescere ponto
Longius, ex altoq; sinum trahit: vtque volutus
Ad terras, immanè sonat per saxa, nec ipso
Monte minor procumbit: at ima exæstuat vnda
Vorticibus, nigramq; altè subiectat arenam.

IACET PERNIX) Modò perseuerans. Horat. *pernicis vxor Appuli.* Et est tractum pernix à pernitendo. Seruius.

CARICE ACVTA) Herba palustri, dura admodum, & aculeata.

VENTOSQVE LACESSIT) Ventos lacessere ictibus, videtur mihi gladiatorium verbum *ventilare* circumscribere, & repræsentare. Ventilare siquidem gladiatores dicuntur, cum ante pugnam gladijs motis, & lusorijs ictibus aerem ferientes, proludunt ad certamen. Vnde & Seneca epist. 118. Quam stultum est, cùm signum pugnæ acceperis, ventilare. Et Martial. lib. 5. & *in toto ventilat arma boue.* German. * *De Minotauro Catull. in eo de nupt.* Nequidquam vanis iactantem cornua ventis. *Lacessere ventos, est aera verberare, quod etiam a gladiatoribus ductum est, & vtitur eo Apostolus: imo illud ex hoc natum reor.*

SPARSA PROLVDIT ARENA) Proludit, non, præludit, vt *προπαίζειν, προλογίζειν* proloqui, non præloqui. Et Græcis *προαγῶνες* proludia pugnæ dicuntur, vt excursiones ad prælium lacessendum: quod verbum & ad forum traductum est: vnde & Plato. lib. 7. de leg. *προαγῶνες* prolusiones certaminum appellat: & iureconsultis prælusorium iudicium in præiudiciali caussa, hoc B est, *δίκη προαγωνιστική.* German. * *Huiuscemodi, comparationem de Pompeio inducit Lucanus lib. 2. cum eius trepidationem, fugamq; ex Italia declarat.*

Pulsus vt armentis primo certamine taurus
Syluarum secreta petit, vacuosq; per agros
Exul in aduersis explorat cornua truncis.
Nec redit in pastus, nisi cùm ceruice recepta
Excussi placuere tori.

VIRESQ. RECEPTÆ) Quidam libri, *viresq; refectæ.* Haud absurdè.

OBLIT. IN HOSTEM) securum ex anteacta victoria: nihil metuentem.

FLVCTVS VT IN MED.) Transfer huc etiam quæ C diximus ex Turnebo, ad illud lib. 7. Æneid. *Fluctus vti primo cœpit quum albescere vento.* Comparatio petita est ex Iliad. δ. ad verbum.

Ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης
Ὄρνυτ' ἐπασσύτερον, ζεφύρου ὑποκινήσαντος,
Πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δὲ τ' ἄκρας
Κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην.

OMNE ADEO GENVS IN TERRIS HOMINVMQVE FERARVMQVE,
ET GENVS ÆQVOREVM, PECVDES, PICTÆQVE VOLVCRES
IN FVRIAS, IGNEMQVE RVVNT: AMOR OMNIBVS IDEM.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sæuior errauit campis: nec funera vulgò
Tam multa informes vrsi, stragemq; dedere.
Per syluas, tum sæuus aper, tum pessima tigris;
Heu malè tum Libyæ solis erratur in agris.

Nonne

Nonne vides, vt tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantùm notas odor attulit auras?
Ac neq; eos iam fræna virûm, nec verbera sæua,
Non scopuli, rupesq; cauæ, atq; obiecta retardant
Flumina, correptos vnda torquentia montes.
Ipse ruit, dentesq; Sabellicus exacuit sus:
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atq; hinc, atq; illinc humeros ad vulnera durat.
Quid iuuenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæca, serus freta: quem super ingens
Porta tonat cæli, & scopulis illisa reclamant
Æquora: nec miseri possunt reuocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variæ, & genus acre luporum,
Atq; canum? quid quæ imbelles dant prælia cerui?

OMNE ADEO GENVS IN TERRIS) Locum húc Maronianum quasi cõmentario quodam exponit Phædra Senecæ in Hippolyto, Actu 1. Totus etiam qui sequitur Chorus, de imperio Cupidinis in deos, homines, atque bestias disserit. Puto Senecam ostendere in hoc argumento facundiam suam voluisse. Sapienter tamen Nutrix Phædræ respondet.

Deum esse amorem, turpi seruitio fauens
Finxit libido, quoq; liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit.

M. Tullius 1. Off. Commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt. Quibus verbis prima amoris caussa, & communis homini cum reliquis animalibus explicatur. Habet enim adhuc aliam, voluptatem videlicet solam, quod genus amoris indignum est eius præstantia. Sed de priore Aristotelem audiamus, si placet, ita scribentem Polit. lib. 1. cap. 2. ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ, καὶ ἄρρεν, τῆς γενέσεως ἕνεκεν. Καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι οἷον αὐτό, τοιοῦτον καταλιπεῖν ἕτερον. Necesse igitur est, primùm eos coniungi & copulari, quorum alter sine altero esse non potest, vt marem & fæminam procreationis caussa. Atque hoc est tale alterum, quale ipsum sit, cupere relinquere. De hoc igitur amore potissimùm Virgilius agit. Alterius exemplum Leandrum adducit. Anacreon paucis.

Ὁ δὲ καὶ θεῶν δυνάστης, *Ille & deus deorum,*
Ὁ δὲ καὶ βροτοὺς δαμάζει. *Hominumq; victor ille.*

Ac cæteris quidem in rebus (ait ad Nicoclem Isocrates) multos etiam è populo videbam sibi posse moderari: sed amorum illecebris etiam summos viros succumbere. Id quod nos, qui sacris Christianis imbuti sumus, facillimè credimus: nam præter summos viros, etiam sanctissimos, sapientissimosq́ue viros, & deo charissimos amoris esca miserè inescatos atq; captos, tum è sanctis litteris, tum ex historijs nouimus. Scitissimè scriptum à Fulgentio lib. 2. Parcite quæso iudices humanis ardoribus. Quid enim pueriles, aut muliebris sensus in amore efficiat, ex quo in libidinis pugna Herculea desudat virtus? Mulieris enim illecebra maior est mundo: quia quem mundi magnitudo vincere non potuit, libido cõpressit. Inuasit ergo virtutem de crimine fœmina, quam A mereri non potuit de natura: Hercules enim amauit Omphalen, quæ cum persuasit & coli delegatos eneruare contractus, & lasciuienti pollice fusi teretem rotare vertiginem. Parcè Fulgentius, præ vt Tertullianus lib. de Pallio indignitatem huius Herculeæ seruitutis exaggerat. Rursum Fulgent. Tribus modis illecebra amoris traditur, aut cantu, aut visu, aut consuetudine.

CATVLORVM OB. LEÆNA) Catuli non solum canum diminutiuè, verum omnium animalium. Virgil. alibi quoque de serpentum fœtibus, Georg. 3.

Cum positis nouus exuuiis, nitidusq; iuuenta
Voluitur, aut catulos tectis, aut oua relinquens.

Plaut. Truculento. *Iam ego hercle hic te mulier, quasi* B *sus catulos pedibus proteram.* Lucret. lib. 5. *At catuli pantherarum, scymniq; leonum.* Lucil. Satyr. lib. 4. *Concursaret agros, catulos, fœtumq; ferarum.* Nonius.

INFORMES VRSI) *Catulus Vrsinus informis caro nascitur: paulò muribus maior, sine oculis, sine pilo: Vngues tantummodo prominent. Hanc lambendo matres paulatim figurant. Plin. lib. 8. cap. 36.*] Quamuis sint hodie, qui receptam persuasionem, & multorum historicorum fidem, & asseuerationem experientiæ contrariæ vsu conuellant, negentq; informem ita carneam molem ab vrsa nixu egeri, vt aut molam muliebrem pæne, aut pondus iners inanimumque omnino referat, quam in artus mater lambendo effingat denique, videtur tamen Aristoteles non ita longe à vulgata opinione recedere, de hist. animal. C lib. 1. his verbis, vrsæ morem, ingeniumque describentibus, & ad loci huius argumentum sane congruè pertinentibus. Ἄρκτοι τὴν ὀχείαν ποιοῦνται, &c. Fertur autem Maro non solum longum tempus posuisse in scribendis versibus, sed eos sæpe solitus inducere, restituere, texere, retexere, ad paucissimos denique retractando redigere: hinc dicere, se more vrsæ lambendo partus informes conformare tandem, & effingere. German.

PER SYLVAS TVM SÆVVS APER) Apri, & tigrides percitæ Veneris ardore per nemora quærunt, vnde illum ardorem restinguant. Quod si quis tum in eas belluas oberrantes inciderit, dilaniant ipsum.

NONNE VIDES, VT) Supra. *Nonne vides cum* D *præcipiti certamine campum Corripuere.* His principijs versuum, Nonne vides, Iam ne vides, mire delectatus est Lucret: Varro quoque vtitur lib. 1. de re rust. cap. 39. Nonne vides alia reflorere verno tempore, alia æstiuo?

PERTEN-

PERTENTET) percipiat, peruadat, permoueat. Sic lib. 7. Æneid. *Ac dum prima lues vdo sublapsa veneno Pertentat sensus,* &c. Lucret. lib. 6. *Inde tremor terras grauiter pertentat.* Contrà de gaudio lib. 1. Æneid. *Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.* Et lib. 5. *Hic patris Anchisæ suspensam blanda vicissim Gaudia pertentant mentem.*

NOT. ODOR ATTVL. A) Hypallage, pro, si auræ notum odorem apportauerunt. Varro, & Columella docent, Veneris fastidium tolli in equis, si ad equarum naturalia naribus admoueantur.

CORREPTOS TORQVENT. MONTES) Montes dixit ὑπερβολικῶς pro saxis ingentibus.

ET PEDE PROSVB. T.) Breuiter Virg. eruditeq; pugnam aprorũ stimulis Veneris agitatorum describit. [*Non pugnam, sed parantes se ad pugnam, seu quid faciant ante pugnam, describit.*] Quia autem interpretes sententiam ipsius (vt opinor) non perceperunt, non inutile me facturum putaui, si, quomodo intelligendus sit locus, ostendissem, simulque vnde acceperit accuratissimus poeta, indicassem. Quod igitur inquit, *Et pede prosubigit terram,* non intellexit eos facere hoc ad acquirendum robur, quamuis studio & exercitatione vires crescant: sed significare voluit, ipsos lutum facere, in quo cùm sæpius se volutarint, deinde id exaruerit, ita durius ac crassius tergum, cutemque impenetrabiliorem reddunt, qui alter modus est, quo se armant, & quasi loricam induunt: nam alter apertè traditus est, & explanatus, *dentesque exacuit.* Quomodo autem locum cæteri accipiunt, exercitatio illa humeros non duraret: sed membra tantùm expeditiora ad certamen, viresque corporis validiores efficeret. Manifestò etiam labitur Seruius, qui putat hæc de sue mansueto dicta esse: visus argumento hoc, quòd suprà ait, *Tunc sanus aper.* Nec videt, quod vno verbo tantum illic dixerat, eum vberius nunc tradere, ac rem augere. Restat vt auctorem monstrem, vnde historiam poeta sumpsit, quod patefactum, vera esse quæ dixi, declarabit, atque omnem scrupulum, si aliquis fortè restat, euellet. Is est Aristoteles, qui in 6. de animalibus inquit, καὶ οἱ ὕες ἄγριοι χαλεπώτατοι, καίπερ ἀσθενέστατοι περὶ τὸν καιρὸν τοῦτον ὄντες διὰ τὴν ὀχείαν· καὶ πρὸς ἀλλήλους δὲ ποιοῦνται μάχας θαυμαστάς, θωρακίζοντες ἑαυτοὺς, καὶ ποιοῦντες τὸ δέρμα ὡς παχύτατον ἐκ παρασκευῆς πρὸς τὰ δένδρα διατρίβοντες, καὶ τῷ πηλῷ μολύναντες πολλάκις, καὶ ξηραίνοντες ἑαυτοὺς, & quæ sequuntur. Modum autem, quo lutum conficerent, potius aperuit poeta, quàm caussam cur id facerent, indicauit, quod relicto altero, dilucidè narrauit philosophus. Eleganter autem id docuit, vsus verbo *subigere:* intelligere enim debemus, terram madidam eam fuisse: in paludibus namque, stagnantibusque locis ferè degunt apri. Quod verò illum exacuere dentes inquit, non tetigit Aristoteles, docuit autem Euripides Phœnissis, cùm furorem, rabiemque fratrum inter se pugnantium simili hoc explicauit. Κάπρος δ' ὅπως, θήγοντες ἀγρίαν γένυν συνῆψαν ἔγχη. Victor libr. 12. cap. 9. * *Verba Plinij sunt lib. 8. cap. 52. Sues ferè semel anno gignunt. Maribus in coitu plurima asperitas. Tunc inter se dimicant, indurantes attritu arborum costas, lutoq; se tergorantes. Cur autem aper à poetis dicatur fulmineus, exposuimus in Eclog. 3. ad illum versum.* Si, dum tu sectaris apros, ego retia seruo. *Absoluemus hunc locum de ferarum libidine appositis Senecæ versiculis ex Hippolyto.*

Venere instinctus suscipit audax
Grege pro toto bella iuuencus.
Sic coniugio timuere suo.
Poscunt timidi prælia cerui,
Et mugitu dant concepti
Signa furoris: tunc virgatas
India tigres decolor horret.
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto est spumeus ore:
Pœni quatiunt colla leones,
Cùm mouit amor: tum sylua gemit
Murmure sæuo. amat insani
Bellua ponti, lucæq; boues.

A *Vellit mihi autem Nemesianus, nec suo tacerisedi.*

Cerua marem sequitur, taurum formosa iuuenca,
Et Venerem sensere lupæ, sensere leænæ,
Et genus aerium volucres, & squamea turba,
Et montes, syluæque, suos habet arbor amores.

QVID IVVENIS MAGNVM) Insani amoris in hominibus exemplum suggerit Leandrum, qui dum sæpius noctu mare tranat, Herûs fruẽdę, quæ ad alterum Hellesponti littus, oppido Sesto habitabat, quod Abydo etiam in littore positæ è regione respondebat, aliquando factus audacior, etiam concitato ac turbulento mari se credidit. Ibi submersus, & cadauer eius in littus eiectum est. Puella in turri iuxta littus, accensa lucerna viam ei monstrabat, quæ postmodum etiam se viuam in B pelagus abiecit. De his duobus Musæus poeta, ipso Homero vetustior, elegantissimum poematium reliquit. Eorundem sunt epistolæ inter illas heroidum apud Ouidium. Natationem hanc exhibuit populo Romano Domitianus, in quod spectaculum ita Martialis lib. 1.

Quod nocturna tibi Leandre pepercerit vnda,
Desine mirari, Cæsaris vnda fuit.
Cùm peteret dulces audax Leandrus amores,
Et fessus tumidis iam premeretur aquis,
Sic miser instantes affatus dicitur vndas:
Parcite dum propero, mergite dum redeo.

Mythologiam ex lib. 3. Fulgentij visum est transcribere. C *Amor cum periculo sæpe concordat, & dum ad illud solum natat, quod diligit, nunquam videt quod expedit. ἔρως enim græcè amor dicitur. Leandron verò dici voluerunt, quasi λύσιν ἀνδρῶν, id est solutionem virorum. Solutio enim viri amorem parturit. Sed natat nocte, id est, obscuro tempore tentat pericula. Hero quoque in amoris similitudine fingitur lucernam ferre. Et quid aliud amor, nisi flammam fert, & desideranti periculosam viam ostendit. Citò tamen extinguitur, quia iuuenilis amor non diu perdurat. Deniq; nudus natat, ea videlicet caussa, quod suos affectatores amor & nudare nouerit, & periculis, sicut in mari, iactare. Nam extincta lucerna, vtriusq; mors est procurata maritima: hoc in euidenti significans, quod in* D *vtroq; sexu vapore ætatis extincto, libido commoritur. In mari verò mortui feruntur, velut in humore frigidæ senectutis. Omnis enim calorata iuuentutis igniculus tepida veternositatis algescit in senio.*

INGENS PORT. TON. CÆLI) Imitatus est Ennium. Ille enim de P. Scipione, in eius persona.

Si fas cadendo cælestia scandere cuiquam,
Mi soli cæli maxima porta patet.

Quod recitat, & exagitat Lactan. lib. 1. cap. 18. Crinit. lib. 19. cap. 3. Vide & Turneb. lib. 18. cap. 27. Meminit huius distichi Enniani etiam Seneca ep. 108. sed paullò aliter legit. Verba eius apponam. Felicem deinde se putat (Grammaticus) quòd inuenerit, vnde visum sit Virgilio E dicere, *quem super ingens Porta tenet cæli.* Ennium hoc ait Homero surripuisse, Ennio Virgilium. Est Ennij apud Ciceronem in his ipsis de repub. hoc epigramma, *Si fas endo plagas,* &c.

MORIT. CRVD. FVN. V) Virgo Hero hîc, quemadmodum Pasiphae Eclog. 6. *Ah virgo infelix,* &c. Vide quæ ibidem disseruimus.

LYNCES BACCHI V) Videtur voluisse retinere græcam vocem & epitheton. Euripid. siquidem λύγκας βαλιὰς, & ἔλαφον βαλιὸν, τουτέστι κατάστικτον vocauit: & Plutarch. de audiẽdis poetis, ὦ μηχάνημα λυγκὸς αἰολώτερον. Æneid. li. 1. *maculosæ tegmine lyncis.* Lyncibus, & tigribus Bacchi currus vehebatur. Ouid. 4. Metam. *tu biiugum pictis insignia frænis Terga premis lyncum, Bacche, Satyriq; sequuntur.*

GENVS ACRE LVPORVM) Amor luporum non amplius duodecim dies durat. Proditum à Plinio lib. 8. cap. 22. caudæ lupi vulgò credi inesse amatorium virus exiguo in villo: eumque, cum capiatur, abijci: nec idem pollere, nisi viuenti direptum. A

IMBELLES DANT PRÆLIA CERVI) Ceruis quoque est sua malignitas, quanquam placidissimo animalium. A conspectu separant se: at mares relicti, rabie libidinis sæuiunt. Plin. lib. 8. cap. 32.

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, transq; sonantem
Ascanium: superant montes, & flumina tranant:
Continuoq; auidis vbi subdita flamma medullis,
(Vere magis quia vere redit calor ossibus) illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum, stant rupibus altis,
Exceptantq; leues auras: & sæpe sine vllis
Coniugijs vento grauidæ (mirabile dictu)
Saxa per, & scopulos, & depressas conualles
Diffugiunt, non Eure tuos, neq; solis ad ortus:
In Boream, Caurumq;, aut vnde nigerrimus Auster
Nascitur, & pluuio contristat frigore cælum.
Hinc demum hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus:
Hippomanes, quod sæpe malæ legêre nouercæ,
Miscueruntq; herbas, & non innoxia verba.
SED FVGIT INTEREA, FVGIT IRREPARABILE TEMPVS,
Singula dum capti circumuectamur amore.
Hoc satis armentis:

FVROR EST INSIGNIS EQVARVM) Horat. Ode. 25. lib. 1. *Quæ solet matres furiare equarum.* Hinc ἱππομανεῖν, id est, equire, quod valet, libidine maris ardere, ὀργᾷν εἰς ὀχείαν. Et mulieres libidinosæ, ac libidine ardentes, dicuntur ἱππομανεῖς, & ἱππομανεῖν. Aristot. lib. 1. de animal. cap. 6. αἱ μὲν οὖν αἱ ἵπποι θήλειαι ἱππομανοῦσιν. ὅθεν καὶ ἐπὶ τὴν βλασφημίαν τὸ ὄνομα αὐτῶν ἐπιφέρουσιν, ἀπὸ μόνων τῶν ζώων τὴν ἐπὶ τῶν ἀκολάστων περὶ τὸ ἀφροδισιάζεσθαι. Id est, Igitur equæ furunt in equos. Vnde ab vno hoc animante ductum est vocabulum, quod in mulieres conuitio dicitur, circa Venerem intemperantes. B

De equarum libidine, nisi piget, lege quæ adducit Lamb. in Oden illam Horatij, quam supra citaui. Lege item Pierium libr. 4. vbi docet meretriciæ procacitatis hieroglyphicum esse equum. Hippopornon dicimus contumeliam, cum supremam cuiuspiam nequitiam, & immoderatam lasciuiam exprobramus. In diuinis quoque litteris legimus, vnusquisque super vxorem proximi sui hinniebat, &c. Plin. lib. 10. cap. 63. quadrupedum prægnantes, inquit, Venerem arcent, præter equam, & suem. Adde Columellam ita scribentem libr. 6. cap. 27. Maximè itaque curandum est prædicto tempore anni, vt tam fœminis quam admissarijs desiderantibus coeundi fiat potestas, quoniam id præcipuè armentum, si prohibeas, libidinis extimulatur furijs, vnde etiam veneno inditum est nomen ἱππομανὲς, quod equinæ cupidini similem mortalibus amorem accendat. C

ET MENTEM VENVS IPSA DEDIT) Mentem dare, vel inijcere, est desiderium excitare in pectore alicuius, ad subitoque gerendum aliquid impellere. Loquitur ita Cic. pro Milone. Hic dij immortales (vt suprà dixi) mentem dederunt illi perdito ac furioso, vt huic faceret insidias: suprà autem dixerat, mentem iniecit. Liuius libro 6. vbi Manlium plebis animos contra patres inflammantem inducit, Dij prohibeant hæc: Sed nunquam propter me de cælo descendant, vobis dent mentem oportet, vt prohibeatis, sicut mihi dederunt armato, togatoque, vt vos à barbaris hostibus, à superbis defenderem ciuibus. Victor. lib. 7. cap. 5. D

GLAVCI POTNIADES MAL. MEMB.) Non procul à Potnijs Bœotiæ vrbe puteum fuisse legimus, ex quo si aqua hausta fuisset ab indigenis equis, furore agitabantur. Vnde appellatæ doæ Potniades, quæ furorem facerent, hoc est, μανιοποιοί. Ab eadem vrbe Potniades equæ. Ita Gyrald. Syntag. 1. Explicatio autem loci, siue intellectus verborum poetæ hic est. Nam ab eo tempore, quo iuxta Potnas, in agro Bœotiæ, equæ Glaucum discerpserunt, propterea quod eas admissura equorum prohibuisset, ipsamet Venus amoris stimulum equabus indidisse mihi videtur. Vide Natalem lib. 8. cap. 5. Fabulam hanc nihil velle aliud opinatur Palæphatus, quam Glaucum hunc, equorum nutritorem fuisse, qui domestica bona nulla in re curabat: quinimmo sumptus perquammaximos cum quotidie magis, ac magis faceret, consumptus est: sicque victus omnis, ac facultas postremò illi defuit. Hoc non ita diuersum est ab eo, quod de Actæone à canibus dilaniato fabulantur poetæ. Nam & ille studio venationis opes suas in canes electos profudisse, aut certè rem familiarem neglexisse, atque ita ad paupertatem redactus dicitur. Vide Palæphatum in Actæone, Fulgentium. lib. 3. mythol. & alios.

TRANS GARGARA) Gargara mons Phrygiæ, Ascanius fluuius eiusdem regionis. Synecdoche est, quã mox ipse poeta exponit.

Con-

CONTINVOQ. AVIDIS VBI) Poeta totum hunc locum, 13. versuum sumpsit ab Aristotele è 6. histor. animal. cuius hæc sunt verba, ordinem eundem sequentis. Λέγονται δὲ καὶ ἐξανεμοῦσθαι περὶ τὸν καιρὸν τοῦτον. Διὸ ἐν Κρήτῃ οὐκ ἐξαιροῦσι τὰ ὀχεῖα ἐκ τῶν θηλειῶν. Postremum autem hoc reliquit Virgilius, quia extra rem est, nec ad morbum ipsorum, insaniamque declarandam facit. Ὅταν δὲ τοῦτο πάθωσι, θέουσιν ἐκ τῶν ἄλλων ἵππων: θέουσι δὲ οὔτε πρὸς ἕω, οὔτε πρὸς δυσμάς, ἀλλὰ πρὸς ἄρκτον, ἢ νότον. τότε δὲ ἐκβάλλουσί τι: καλοῦσι δὲ τοῦτο ὥσπερ ἐπὶ τοῦ τικτομένου, ἱππομανές: ἐστὶ δὲ οἷον ἡ καπρία, καὶ ζητοῦσι τοῦτο μάλιστα πάντων αἱ περὶ τὰς φαρμακείας: ἐκρεῖ δὲ αὐτοῖς ἐκ τοῦ αἰδοίου, ὅμοιον γονῇ, λεπτότερον δὲ πολὺ ἢ τὸ τοῦ ἄρρενος. καὶ καλοῦσι τοῦτο τινὲς ἱππομανὲς ἀλλ' οὐ τὸ ἐπὶ τοῖς πώλοις φυόμενον. Quod igitur philosophus inquit, λέγονται ἐξανεμοῦσθαι περὶ καιρὸν τοῦτον, poeta pluribus persecutus est: nam duos versus consumpsit in tempore describendo, quo potissimùm insaniunt: tres verò in vi eius verbi exprimenda. Quod autem addit, θέουσιν ἐκ τῶν ἄλλων ἵππων, vertit ille ornatu adhibito: *Saxa per & scopulos, & depressas conualles Diffugiunt.* Præterea illa: θέουσι δὲ οὔτε πρὸς ἕω, οὔτε πρὸς δυσμάς, ἀλλὰ πρὸς ἄρκτον, ἢ νότον, consequentibus verbis, lumine orationis importato, conuersoque primùm sermone ad ventum flantem ab ortu,

—non Eure tuos, neq; solis ad ortus,
In Boream, Caurumq́; aut vnde nigerrimus Auster
Nascitur, & pluuio contristat frigore cælum.

Nam septentrionem indicauit nomine ventorum, qui inde flant. Adiungit Aristoteles ea, quæ suprà posui: illa autem Virgilius exprimit quatuor, qui restant versibus. Quod enim est, αἱ περὶ φαρμακείας in græco, noster ad nouercas, veneficasque transtulit. Neque tamen quod Virgilius vero hoc nomine vocari hippomanes dicit, distinxit illud ab herba, quæ & ipsa idem nomen habet, vt falsò putarunt interpretes, sed à carne, quæ nascitur in fronte equi: hoc enim manifestò docet philosophus his verbis: ἀλλ' οὐ τὸ ἐπὶ τοῖς πώλοις ἐπιφυόμενον. Neque tamen negarim, oriri etiam è terra, quod hippomanes vocatur, id enim apertè tradit Theocritus in 2. Idyllio, canens, ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι. Tres igitur res longè diuersæ, quia idem valebant, ac veneficij vim habebant, eodem nomine vocabantur. Victor lib. 7. cap. 6.

SVBDITA FLAMMA) Id est, subiecta. Lucretius lib. 3.

At natura boum placido magis aere viuit:
Nec minus iraï fax vnquam subdita percit.

Sic & M. Tullius pro Milone dixit subiicere faces inuidiæ. Quin hoc tempore ipso, cùm omnes à tuis inimicis faces inuidiæ meæ subiicerentur.

ORE OMNES VERSÆ IN ZEPHYRVM) Varro lib. 2. de re rust. cap. 1. In fœtura res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania ad Oceanum, in ea regione, vbi est oppidum Olyssippo, monte Tagro, quædam è vento concipiunt certo tempore equæ, vt hic gallinæ quoque solent, quarum oua ὑπηνέμια appellant: sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium viuunt. Idem traditum à Columella lib. 6. cap. 27. Nec dubium quin aliquot regionibus tanto flagrent ardore coeundi fœminæ, vt etiamsi morem non habeant, assidua, & nimia cupiditate figurantes sibiipsę venerem (cohortalium more auium) vento concipiant. Cùm sit notissimum, etiam in sacro monte Hispaniæ, qui procurrit in occidentem iuxta Oceanum, frequenter equas sine coitu ventrem pertulisse, fœtumque educasse: qui tamen inutilis est, quòd triennio prius quam adolescat, morte absumitur. Plin. item lib. 8. cap. 42. Constat in Lusitania, circa Olyssipponem oppidum, & Tagum amnem, equas Fauonio flanti obuersas, animalem conci-
A pere spiritum, idq́; partum fieri, & gigni pernicissimum ita, sed triennium non excedere. * *Hac illi tres scriptores cum Virgilio consentientes prorsus. Per os equorum in ventum obuersum, quidam earum naturalia intelligunt, sed errant. Plinius quoque de ouis hypenemijs, seu subuentaneis mira, libr. 17. cap. 60. his ipsis verbis scilicet. Irrita oua, qua hypenemia diximus, aut mutua fœmina inter se libidinis imaginatione concipiunt, aut puluere: nec columba tantum, sed & gallina, & perdices, pauones, anseres, chenalopeces. Sunt autem sterilia, & minora, ac minus iucundi saporis, ac magis humida. Quidam & vento putant ea generari: qua de caussa etiam Zephyria appellantur. Hac autem vere tantum.*

IN BOREAM, CAVRVMQVE, AVT VNDE) Ad Septentrionem, & Meridiem ait eas furore illo Venereo exagitatas currere. Aristot. idem lib. 6. de hist. animal. vt suprà vidisti.

B CONTRIST. FRIG. CÆLVM) Tralatio à re animata ad inanimam, λυπεῖ. Vtitur propriè eodem verbo Cælius ad Ciceronem epist. lib. 8. Contristauit hæc sententia Balbum, Cornelium, &c. Virgilius rursum libr. 10.

Ille sitim, morbosq; ferens mortalibus agris
Nascitur, & læuo contristat lumine cælum.

Horat. sat. 1. lib. 1. *Quæ simul inuersum contristat Aquarius annum.* Ex Lamb. in Horat.

HIPPOM. VERO QVOD NOM.) *Vero nomine, nempe quod à re ipsa est impositum, ab insania equina: insanientibus enim præ libidine destillat è natura, & est illum ardoris impotentissimi indicium.*] Vero nomine, ait Philargyr. quoniam Theo-
C critus herbam dicit nasci in Arcadia, qua gustata equæ in libidinem ardescant. Et Theophrastus carunculam in fronte equini pulli (vt etiam Plin. lib. 8. cap. 42. qui addit hoc amplius: colore nigro, quod statim edito partu deuorat fœta, aut partum ad vbera non admittit, si quis præreptum habeat.) Hippomanes autem ἀπὸ τῆς ἵππου μανίας, id est, ab equæ insania, defluens ex equarum inguinibus, quo tempore virus natum ἀπὸ τῆς μανίας τῆς ἵππου. Hippomanes humorem esse virulentum, ex equarum obscœnis defluentem, dum libidinis ardore vehementi concitantur, & insaniunt, sentit cum Virgilio Tibullus lib. 2. eleg. 4.

Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid & herbarum Thessala terra gerit,
D *Et quod vbi indomitis gregibus Venus afflat amores,*
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.

Vide suprà, *scililet ante omnes furor est insignis equarum.* De hippomane Pierius lib. 4.

QVOD MALÆ LEG. NOVER. MISCVER. HERBAS) Itaque veneficæ mulieres, si quem insano amore suo complere voluerint, ei coctum hippomanes herbis quibusdam venenatis admistis, additisque magicis incantationibus exhibere solent. * *Suprà libr. 2. vbi agit de malo Medico, eiusq́; aduersum venena vim prædicat.*

Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,
Miscueruntq́; herbas, & non innoxia verba.

De odio nouercarum in priuignos ibidem aliquid attulimus. Hic au-
E *tem non odij, sed incesti amoris caussa illas legere hippomanes, & miscere herbas cum cantionibus magicis ait. Sed vt ibi sæuæ, ita hic crudelissimæ malæ. Nominantur etiam funestæ Senecæ, Statio, Ouidio terribiles, Claudiano, & Ouid. diræ, Virgil. in eclogis iniustæ. Hæc sunt, quibus ornantur, epitheta. Nouercas nominat, quoniam illustria exempla multarum nouercarum sunt in hoc genere, Phædra in Hippolytum, Fausta vxoris Constantini in Crispum, &c. Memoranda sententia Plutarchi de huiuscemodi mulieribus in Præcept. Coniug. Quemadmodum pisces medicamentis celeriter capiuntur, sed esui inutiles fiunt: sic mulieres quæ amoris poculis, & veneficijs viros capiunt, voluptateq; in suam potestatem redigunt, stupidos eos, vecordes, corruptosq́; deinceps vitæ socios habent.*

FVGIT INT. IRREPARABILE TEMPVS) Multum ad rem pertinet, quo proposito ad quam rem accedas. Qui Grammaticus futurus Virgilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium, *fugit irrepara-*

Ii 2 *bile*

bile tempus, Vigilandum est: nisi propetamus, relinquimur. Agit nos, agiturque velox dies, inscij rapimur. Omnia in futurum disponimus, & inter præcipitia lenti sumus: sed vt obseruet quoties Virgilius de celeritate temporum dicit, hoc vti verbo illum, *fugit*. *Optima quaq; dies miseris mortalibus aui Prima fugit.* Ille, qui ad philosophiam spectat, hæc eadem quò debet, abducit. Nunquam Virgilius, inquit, dies dicit ire, sed fugere: quod currendi genus concitatissimum est: & optimos quosque primos rapi. Quid ergo cessamus nos ipsi concitare, vt velocitatem rei rapidissimæ possimus æquare? &c. Seneca epist. 108. * *De veloci cursu temporis, expeditum foret multos scriptorum locos producere: sed nihil attinet eos hoc longiores esse. Vnum accipe. Ouid. 3. de Arte.*

Ludite, eunt anni more fluentis aquæ.
Nec quæ præteriit, iterum reuocabitur vnda,
Nec quæ præteriit hora redire potest.

HOC SATIS ARMENTIS) Armenta, quòd boues ideo maximè parabantur, vt inde eligerent ad arandum: inde aramenta dicta, postea tertia litera extrita, armenta appellata. Armenta, ait Festus, sunt eorum animantium, quæ ad opus faciendum sunt idoneæ: greges, ouium, caprarum, porcorum. Ouid. 1. Metamorph. *Mille greges illi, totidemq; armenta per herbas Pascebant.* Sed noster 1. Æneid. armenta, de ceruis dixit: *hos tota armenta sequuntur.* Et contra de iuuenco Pasiphaes Eclog. 6. *Aut aliquam in magno sequitur grege.* Et Horat. Ode 2. Epod.

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.

Armenti gregem dicit Varro lib. 2. de re rust. cap. 5. Qui gregem armentorum emere vult.

-----superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtasq; capellas.
Hîc labor, hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quàm sit, & angustis hunc addere rebus honorem:
SED ME PARNASSI DESERTA PER ARDVA DVLCIS
RAPTAT AMOR: iuuat ire iugis, quà nulla priorum
Castaliam molli diuertitur orbita cliuo.
Nunc veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.

LANIGEROS GREGES, HIRTASQVE CAPEL.) Cùm sues mansueti etiam sint in gregibus, miratur magnopere Victor libr. 17. cap. 11. cur hoc libro Virgilius, quem de re pecuaria fecit, nihil de iis scripserit, quorum cura, studiumque magnum fructum affert rusticis hominibus. At certè Varro copiosè id, diligenterque persecutus est: neque enim sine aliqua culpa, iustaque reprehensione videtur posse, qui munus hoc suscepit, professusque est, docere, quæ ad studium rei pecuariæ pertinent, omittere bonam, magnamque partem eius curæ: in opere autem, quod absolutum putatur, hoc commisisse Virgilium, admirationem habet. Neque enim videtur sermonem de fœda, lutulentaque bestia despicere debuisse, de qua etiam Homerus multa in heroico carmine cecinisset: neque ipsum Iudæorum superstitioni fuisse deditum scimus: aut, ij, ad quos scribebat, his opinionibus imbuti erant. Quare quomodo ille purgari possit, docti cogitabunt.

Purgat eum Titius libr. 10. cap. 3. in hunc modum. Fortasse dici potest, non fuisse Virgilio propositum, omnes omnino rei rusticæ partes tractare: sed eas tantum, quæ illustriores essent, & cum dignitate heroico carmine exponi possent: quod de suibus facere nequiuisset, ignobili, & immunda bestia. Cum itaq; aliquot tantum rei rusticæ membra exponere in animo haberet Maro, multaq; sibi prætermittenda esse iudicaret, summo consilio à suo poemate sues exclusit. Nam & in Bucolicis, cum de pastoribus crebra fiat mentio, nunquam tamen porcarij, aut subulci commemorantur, opiliones, caprarij, bubulci sæpe comparent. Horatius quoque, de eadem re locuturus, à porcorum commemoratione abstinuit. Omisit etiam asinos, & mulos tanquam vilia animantia, & quæ tractata splendescere non poterant, à cuiusmodi argumentis poetam abstinere præcipit Horatius. Nec verò quidquam efficit, quod alicubi sues nudè nominauit: nam hoc non est de suibus agere.

HINC LAVDEM FORTES SPER. COLONI) Ex fœtura gregum non minor laus atq; vtilitas, quàm ex armentorum cura ad diligentem pastorem redire solet.

NEC SVM ANIMI DVBIVS) Etsi autem non ignoro, quàm difficile sit verbis hæc omnia consequi, & res tam angustas illustrare versibus: tamen quia amor Musarum, & vis ingenij, ipsaque rerum tractandarum nouitas, & singularis quædam scribendi cupiditas huc impulerunt: idcirco laborem istum haudquaquam defugiam: ac rem nulli veterum tentatam (nemo enim adhuc numeris, seu carmine hasce res persecutus est) alacri mente aggrediar.

Veteres ita sæpe loquebantur, dubius, incertus, victus, saucius, præstans, miser animi: & angor, pendeo, discrucior, excrucior, fallor animi, maturus æui, & similia. Quæris qui veteres? Cicero, Plautus, Terentius, Liuius, & alij. Est autem hisce quinque carminibus Lucretium suum duobus locis bellissimè, dexterrimeque imitatus. Primus è libro 1. hic est.

Nec me animi fallit, Graiorum obscura reperta
Difficile illustrare Latinis versibus esse:
Multa nouis verbis præsertim cùm sit agendum,
Propter egestatem linguæ, & rerum nouitatem.

Alter eodem lib. infrà.

Nec me animi fallit, quàm sint obscura, sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit suauem mi in pectus amorem
Musarum, quo nunc instinctus mente vigenti
Auia Pieridum peragro loca, nullius ante

Trita

Trita solo: iuuat integros accedere fontes,
Atq; haurire, iuuatq; nouos decerpere flores,
Insignemq; meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ.

VERB. E. V. ET ANG. REB. ADD. HON. Hoc vere magnum, & difficile est: sed tamen vnius eloquentis est: qui vt è magnis parua, sic eadem facultate ex paruis magna & ingentia faciet, teste Isocrate. Quid autem Marone eloquentius? Itaque hoc cum isto ipso libro, tum perfectius etiam toto quarto præstitit, & angustis rebus mirabilem, & inimitabilem verborum honorem addidit. ✶

QVA NVLLA PRIOR. CASTAL.) Dispono ire ad fontem Castalium per eam viam, per quam nullus A ante egit orbitam suam. Neq; vero hoc tantùm loco, sed alibi item se, à cæteris intacta, latino carmine persecuturum ostendit.

NVNC VENERANDA PALES) quod autem initio precatus sum à Cerere, Baccho, Pale, cæterisque dijs immortalibus, vt me in hoc nouo opere versantem, clementer adiuuare, & vnà mecum scribere velint: id ipsum nunc iterum, atque iterum omnibus precibus ab ijsdem exposco: teq; inprimis veneranda Pales inuoco atque oro: vt in hoc stadio currenti benigne adesse, & mihi de gregibus ouium, caprarumque scripturo opem B atque auxilium tuum afferre digneris. Nam te mihi præeunte, & viam commonstrante, facilius in hoc cursu omnes salebras, omnesque cliuos me superaturum confido.

Incipiens, stabulis edico in mollibus herbam
Carpere oues, dum mox frondosa reducitur æstas:
Et multa duram stipula, filicumq; maniplis
Sternere subter humum: glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemq; ferat, turpesq; podagras.
Pòst hinc digressus, iubeo frondentia capris
Arbuta sufficere, & fluuios præbere recentes,
Et stabula à ventis hyberno opponere soli
Ad medium conuersa diem, cùm frigidus olim
Iam cadit, extremoq; irrorat Aquarius anno.
Hæc quoq; non cura nobis leuiore tuenda,
Nec minor vsus erit, quamuis Milesia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores:
Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis.
Quàm magis exhausto spumauerit vbere mulctra,
Læta magis pressis manabunt flumina mammis:
Nec minus interea barbas, incanaq; menta
Cinyphij tondent hirci, setasq; comantes,
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.
Pascuntur verò syluas, & summa Lycæi,
Horrentesq; rubos, & amantes ardua dumos.
Atq; ipsæ memores redeunt in tecta, suosq;
Ducunt, & grauido superant vix vbere limen.

STAB. IN MOLLIB. HERBAM CARP.) Primùm opilioni hoc prouidendum, vt totum annum, intus & foris pecudem rectè pascat. Varro libr. 2. cap. 2. folia ficulnea, paleam, vinacea, furfures, cytisum, medicum proponit ad pabulum ouibus. Earum laudes cap. 9. exequitur. Laudat item Columella lib. 7. cap. 2. Stabula idoneo loco vt sint, ne ventosa, sed posita contra medium diem, & in longitudinem potius, sententia eiusdem, lib. 7. cap. 3. quam in latitudinem porrecta, vt simul hyeme calida sint, nec angustiæ fœtus oblidant.

FRONDOSA REDVCIT. ÆSTAS.) Id est, donec vernum tempus redeat. Nam ver & æstas vnum fuerunt, sicut etiam autumnus, & hyems, secundum rationem hemispherij, inquit Seruius. ✶ *Si Ver nomine æstatis intelligendum est, quia proximum æstati est: non erit opus multis docere, cur frondosa. Nonne de verno tempore illa sunt in Eclog. 3.* Nunc frondent syluæ, nunc formosissimus annus? *Et 2. Georg.* Ver adeo frondi nemorum, ver vtile syluis.

ET MVLTA DVRAM STIPVLA) Varro lib. 2. C cap. 2. Vbi stent oues, solum oportet esse eruderatum, & procliuum, vt euerri facile possit, ac fieri purum. Non enim solum ea vligo lanam corrumpit ouium, sed etiam vngulas, ac scabras fieri cogit. Cum aliquot dies steterunt, subijcere oportet virgulta alia, quo mollius requiescant, purioresque sint: libentius etiam ita pascuntur. Columella lib. 7. cap. 3. Namque id pecus, quamuis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est, nec minus æstiui vaporis. Paulo infra: deturque opera, ne quis humor subsistat, vt semper quam aridissimis filicibus, vel culmis stabula constrata sint, quò purius, & mollius incubent fœtæ. Sit cubila mundissima, ne qua earum valetudo, quæ præcipue cu- D stodienda est, infestetur vligine.

TVRPESQVE PODAGRAS) Respexit ad curam, quæ sine pannis, & medicaminibus sordidis non fit. Seruius.

FRONDENTIA CAPRIS ARBVTA) Columella lib. 7. cap. 6. Id autem genus (caprinum pecus) dumeta potius, quam campestrem situm desiderat: asperisq; etiam locis, ac syluestribus optimè pascitur. Nam nec rubos auersatur, nec vepribus offenditur, & arbusculis, frutetisq; maximè gaudet. Ea sunt arbutus, atque alaternus, cythisusq; agrestis. Nec minus ilignei querneique frutices, qui in altitudinem non prosiliunt. Non multò aliter, inquit Varro. lib. 2. cap. 3. tuendum hoc pecus in pastu, atque ouillum: quod tamen habet sua propria quædam, quod potius syluestribus saltibus delectantur, quam pratis. Studiosè enim de agrestibus fruticibus pascuntur, atque in locis cultis virgulta carpunt, &c.

FLVVIOS RECENTES) Id est, aquam statim haustam: nam si pigram potauerint, morbum statim contrahunt. Seruius

IRRORAT AQVARIVS ANNO) Vide Seruium.

ET STAB. A VENT. HYBER.) De stabulis Varro eod. cap. Stabulatur pecus melius, ad hybernos ortus si spectat, quod est alsiosum: sed vt pleraque, lapide, aut testa substerni oportet caprile, quo minus sit vliginosum, ac lutulentum. Columella vero eod. libr. & cap. quo supra. Ipsum verum caprile vel naturali saxo, vel manu constratum eligi debet, quoniam huic pecori nihil substernitur, &c.

NON CVRA LEVIORE TVENDA) Vtilitas ouium, & caprarum æquiparatur. Quamuis lanæ pretium maius sit, tamen partura caprarum, & mulctra, vt sequitur, copiosior est.

QVAMVIS MILESIA MAGNO) Fuere Milesij delicijs, luxuque notabiles, ex eoq; prouerbium græcè fertur. οἴκοι τὰ μιλήσια, μὴ γὰρ ἐνθάδε, hoc est, domi, non hic Milesia: in eos videlicet, qui domesticum luxum celebrant, vbi minus probatur. Nam sic Lacedæmone Milesius hospes audiuit, cum delicias patrias extolleret. Sed & Max. Tyrius idem significat, qui Milesios à vestitu molliore vocat εὐειμονεστάτους. Ex quo Virgil. tum hoc lib. tum 4. Georg. Milesiorum vellerum, vt pretiosarum meminit. Hinc etiam illud Horatianum epist. 17. lib. 1. *Alter Mileti textam cane peius & angue Vitabit chlamydem.* Sunt autem Iones quoque cæteri præquam delicijs habiti defluentes, quod in veteribus memorijs passim. Politian. cap. 16.

DENS. HINC SOB. HINC LARGI) Ouis geminos parere solet, ait Varro lib. 2. cap. 2. At capra nonnunquam trigeminos, ait Columella libr. 7. cap. 6. immò secundùm Plinium lib. 8. cap. 50. quaternos, sed rarò admodum. Probatur autem inde capella, si sit vberis maximi, & lactis abundantissimi, inquit Columella lib. eod. Quæ sub rostra duas mammulas pensiles habent, eas censet fœcundiores Varro: sicut quæ sunt vbere grandiore, eas lactis, & pinguis quidem abundantiores, pro portione. De granditate vberis paulo post iterum Virgilius, *& granido superant vix vbere limen.*

QVAM MAGIS EXHAVSTO) Quam magis, tam magis dicendum erat: sed alteram particulam, tam scilicet, omisit. Æneid. lib. 7.

Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugna.

Vide quæ ibidem annotauimus.

NEC MINVS INTEREA BARBAS) Varro lib. 2. cap. 11. Vt fructum ouis è lana ad vestimentum: sic capra pilos ministrat ad vsum nauticum, & ad bellica tormenta, & fabrilia vasa. Columella lib. 7. cap. 6. Caper cui sub maxillis binæ verruculæ collo dependent, optimus habetur, amplissimi corporis, cruribus crassis, plena & breui ceruice, flaccidis & prægrauantibus auribus, exiguo capite, nigro, densoque, & nitido, atque longissimo pilo. Nam & ipse tondetur *vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.* De hirco laudabili Varro: hircus molliori pilo, & potissimùm albo, ac ceruice, & collo breui, gurgulione longiore. Vide & Pallad. lib. 12. tit. 13.

CINYPHII HIRCI.) Cinyphes genus Libyum, à Cinyphe fluuio. Silius cum agit de populis, qui Annibali aduersus Roman. auxilio fuerunt, Macas ad Cinyphem habitantes nominat, & ita quidem, vt versus eius nonnihil ad huius loci illustrationem afferant. Sic ille.

Tum primum castris Phœnicum tendere ritu
Cinyphij didicere Macæ squalentia barba
Ora viris, humerosq; tegunt velamina capri
Setigeri, panda manus est armata cateia.

PASCVNTVR VERO SYLVAS) De pabulis caprarum supra ex Varrone & Columella eadem.

MEM. RED. IN TECTA, SVOSQVE) Cibo saturæ capellæ, & lacte distentæ, domum vltro redeunt, suosque hœdos vnà secum adducunt. Videas ibi nonnullas lactis abundantia ita turgentes, atq; oneratas, vt præ grauibus vberibus limina ostiorum vix transire possint.

Ergo omni studio glaciem, ventosq; niuales,
Quò minus est illis curæ mortalis egestas,
Auertes: victumq; feres, & virgea lætus
Pabula: nec tota claudes fœnilia bruma.
At verò Zephyris cùm læta vocantibus æstas
In saltus vtrumq; gregem, atq; in pascua mittes:
Luciferi primo cum sidere, frigida rura
Carpamus: dum mane nouum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratissimus herba est.
Inde, vbi quarta sitim cæli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ:
Ad puteos, aut alta greges ad stagna iubeto
Currentem ilignis potare canalibus vndam.
Æstibus at medijs vmbrosam exquirere vallem:
Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus

Ingen-

Ingentes tendat ramos: aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet vmbra.
Tum tenues dare rursus aquas, & pascere rursus
Solis ad occasum, cùm frigidus aera vesper
Temperat, & saltus reficit iam roscida luna:
Littoraq; halcyonem resonant, & acanthida dumi.

QVO MIN. E. ILL. C. M. EG.) Quanto minus curam sui gerere possunt, & sibi prouidere, quæ egestas mortalis desiderat, tanto studiosius illis necessaria suppeditabis. Huic pecudi nocet æstus, ait Columel. lib. 7. ca. 6. sed magis frigus, & præcipuè fœtæ, quæ gelicidio hyemis conceptum fecit. Idem cap. 3. pastionem aliquam, & pabulationem hybernam permittit, & vernam. Hyeme, inquit, & vere matutinis temporibus intra tecta contineantur, dum dies aruis gelicidia detrahat. Nam pruinosa iis diebus herba pecudi grauedinem creat, ventremq; proluit. Quare etiam frigidis, humidisq; tẽporibus anni semel tantum ei potestas aquæ facienda est. Idem Varro sentit, cuius verba sequuntur. Hyberno ac verno tempore, pruina iam exhalata, propellũt in pabulum, ac pascunt diem totum: at meridiano tempore, semel agere potum satis habent.

FOENIL.) Fœnilia, sicut & palearia, dicuntur tecta in villa, aut domo rustica, sub quibus fœnum & paleæ reponuntur. Tabulatum appellant Varro, & Columella sępius: vnde reponere fœnum in tabulato apud eosdem.

AT VERO ZEPH.) Traditur deinceps pastus communis ouium, & caprarum, æstatis tempore: in quo tempora distinguuntur duo pabulandi, totidem aquandi, vnum requiescendi, hoc modo, &c.

LVCIF. PRIMO CVM SID.) De hoc, & vespertino tempore pascendi, de potum agendo, & vmbra in meridie captãda, omissa secunda aquatione ante pastum vespertinum, ex Virgilio ita scribit Pallad. lib. 12 tit. 13. Æstiuis mensibus pascantur sub lucis initio, cùm graminis teneri suauitatem roris mistura commendat. Quarta hora calescente, potus puri fluminis, aut putei præbeatur, aut fontis. Medios calores vallis, aut arbor vmbrosa declinet. Deinde vbi flexo iam die ardor infringitur, & solum primo imbre vespertini roris humescit, gregem reuocemus ad pascua. Columel. lib. 7. ca. 3. De temporibus autem pascendi, & ad aquam ducendi per æstatem, non aliter sentio, quàm vt prodidit Maro, *Luciferi primo cum sidere*, &c. Quis autem non videat Virgilium hęc à Varrone sumpsisse? Ille enim lib. 2. cap. 2. sic habet. Recitauimus verba ad Eclo. 8. vbi idem carmen ad verbum est positum.

Nemesia. eclog. 1. hunc locum sibi exprimendũ sumpsit, *viridiq; gregem permittere campo, Et ros, & primi suadet clementia solis.* Vbi pereleganter primum solẽ vocauit, vt hic Virg. *Luciferi primum sidus*, id est, oriri incipientem, primum eius ortum: quomodo Horatius, primã noctem, quando contenebrare incipit. Præcipit in eandem sententiam Calpurnius eclog. 5.

—— tunc campos ouibus, dumeta capellis
Orto sole dabis, simul hunc accedere montem
Cœperit, & prima spatium tepefecerit hora.

Et subiicitur infra hui9 rei cautiã, quã tetigit suprà Pallad.

—— humida dulces
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tanguntur pascua rore.

Quibus ipsis verbis ad Virgilianũ locum allusum cernis.

VBI Q. SIT. COL. HORA) Horat. Ode 12. lib. 4. *Adduxere sitim tempora Virgili.*

ET CANT. QVER. R. A. CIC.) Laudes huius insecti, cicadæ inquam, mellitus Anacreon Ode quadam tota explicauit, quam lectori talium deliciarum cupidiori, ad verbum, & cum interpretatione latina exhibendam censui.

Μακαρίζομέν σε τέττιξ	*O ter quaterq; fœlix*
Ὅτι δενδρέων ἐπ' ἄκρων	*Cicada, quæ supremis*
Ὀλίγην δρόσον πεπωκὼς,	*In arborum viretis*
Βασιλεὺς ὅπως, ἀείδεις.	*Roris potum vt bibisti,*
Σὰ γάρ ἐστι κεῖνα πάντα	*Cantare dulce gaudes,*
Ὁπόσα βλέπεις ἐν ἀγροῖς,	*Reginam agens potentem.*
Χ' ὁπόσα φέρουσιν ὧραι	*Quodcunq; conspicaris,*
Σὺ δὲ φιλία γεωργῶν,	*Tuũ est quod arua gignunt,*
Ἀπὸ μηδενός τι βλάπτων.	*Quod sylua cunq; profert.*
Σὺ δὲ τίμιος βροτοῖσι,	*Te amplectitur colonus,*
Θέρεος γλυκὺς προφήτης.	*Quod eius in labores*
Φιλέουσι μέν σε μοῦσαι,	*Iniuriosa non sis:*
Φιλέει δὲ φοῖβος αὐτός,	*Colunt cicada te omnes,*
Λιγυρὴν δ' ἔδωκεν οἴμην,	*Diuina quod puteris*
Τὸ δὲ γῆρας οὔ σε τείρει	*Æstatis imminentis.*
Σοφὲ, γηγενὴς, φίλυμνε,	*Te diligunt Camœnæ,*
Ἀπαθὴς, ἀναιμόσαρκε·	*Te diligitq; Phœbus,*
Σχεδὸν εἶ θεοῖς ὅμοιος.	*Vocemq; dat canoram.*

Te non senecta carpit,
Festiua terræ alumna,
Cantus amica, & omnis
Mali, & doloris expers,
Vlla nec aucta carne,
Nec aucta sanguine vllo:
Ipsis abes parum à diis.

De cicadis habes plura Eclo. 2. ad hunc versum, puta, *Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.* Quod ad versum Maronis, *Et cantu querulæ*, &c. Hesiod.

Ἦμος δὲ χλοερῷ κυανόπτερος ἠχέτα τέττιξ,
Ὄζῳ ἐφεζόμενος θέρος ἀνθρώποισιν ἀείδειν
Ἄρχεται.

ÆST. IN MED.) Circiter meridianos æstus, dum deferuescant, sub vmbriferas rupes, & arbores patulas subiiciunt: quoad refrigerato aere vespertino, rursus pascant ad solis occasum. Ita pascere pecus oportet, vt auerso sole agat: caput enim maximè ouis molle est. Ab occasu paruo interuallo interposito, ad bibendum appellunt, & rursus pascunt, quoad contenebrauit. Iterum enim tum iucunditas in herba redintegratur. Calpurn. eclog. 5. idem præceptum his versibus complexus est.

At simul argutæ nemus increpuere cicadæ,
Ad fontem compelle greges: nec protinus herbas,
Vel campos permitte sequi. sine protegat illos
Interea veteres quæ porrigit æsculus vmbras.
Verùm vbi declinis iam nona tepescere sole
Incipiet. seraq; videbitur hora merendæ,
Rursus pasce greges, & opacos desere lucos.

MAGNA IOVIS QVER.) lib. 3. Æneid. de Cyclopibus,

—— quales cùm vertice celso
Aeriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
Constiterant, sylua alta Iouis, lucusue Dianæ.

Syluam Iouis quercetum vocat. Censent nonnulli, ideo dari solitam coronam quernam ei, qui ciuem seruasset, quòd cùm quercus sacra Ioui sit, & in Iouis tutela ciuita-

tes,

tes, par videretur eum ea fronde coronari, quæ tutori, ac præsidi omnium ciuitatum dicata esset.

SAC. NEM. ACCVB. VMB.) Accubare nemus sacra vmbra dixit, cum vmbra potius sacra accubet in nemore, ac sub arboribus iaceat, vt & ante locutus est, *speluncaq́ tegant, & saxea procubet vmbra.* Turneb, lib. 5. ca. 4.

ROSCID. LVNA) Non temere Virgil. lunam roscidam vocauit, neq; enim sequar sentẽtiam veteris interpretis, qui lunam hìc noctem accipit: nec enim omnes noctes vno tenore eãdem vim roris gignunt. Luna namque silente, non multus ros descendit: contra autem in plenilunio magna copia ipsius funditur. Sequitur igitur non rem ipsam tantùm, quam notam illi fuisse verisimile est, sed Alcmanis nobilis poetæ sentẽtiam, qui rorem Iouis ac Lunæ filium esse cecinit suaui hoc carmine. Διὸς θυγάτηρ ἔρσα τρέφει, καὶ σελάνας δίας. Nam ἔρσαν illic δρόσον valere, quo verbo consuetudo rorem vocabat, cum illud poetarum vocabulum esset, declarauit Plutarchus in commentario, qui inscribitur, αἰτίαι φυσικαί, vbi hunc versum citat. Illum vero intellexisse Macrobius videtur prope finem lib. 7. Saturnal. cum inquit. Vnde Alcman Lyricus dixit, rorem aeris & lunæ filium. Victor. lib. 14. cap. 17. * *Et Lucretius lib. 6. perelegantur roriferas noctis vmbras.* Hinc vbi roriferis terram nox obruit vmbris. *Ergo hactenus Zonarum temperatarum pastio, Italica præcipuè, descripta est: mox intemperatarum, vnius torridæ, alterius frigidæ, Libyca, & Scythica videlicet describetur.*

LITTORAQVE HALCYONEM) De halcyone dictum satis 1. Georg.

ET ACANTHIDA DVMI) Acanthis, quam alij lusciniã esse volunt, alij carduelem, quæ spinis, & carduis pascitur. & inde est apud Græcos acanthis dicta ὑπὸ τῶν ἀκανθῶν, à spinis, quibus pascitur. Seruius.

Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem, noctemq́;, & totum ex ordine mensem
Pascitur, itq́; pecus longa in deserta sine vllis
Hospitijs: tantum campi iacet. omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumq́;, laremq́;,
Armaq́;, Amyclæumq́; canem, Cressamq́; pharetram.
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam cùm carpit, & hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.

QVID TIBI PASTORES LIBYÆ) Quæ supra dicta fuerunt, in eadem regione, ac cælo temperato animaduertenda. Diuersa autem ratio est in ijs locis, vbi aut solis feruor immodicus est, vt in Libya: aut hyemis frigus intemperatem, vt in Scythia. Nam in regionibus longinquis, multa millia sæpe absunt hybernæ pastiones ab æstiuis. Igitur in Libya pastores brumali tempore agendis pecudibus diem, noctemq́ue continuant: & sæpenumero totum mensem gregem in campis latissime pascunt. Ibi enim vastæ sunt solitudines, & villæ rarissimæ, vel etiam nullæ. Portant itaq; secum crates, aut retia, quibus cohortes in solitudine faciant, cæteraque vtensilia, & arma.

MAPAL.) Mapalia casæ punicæ appellantur: in quibus, quia nihil est secreti, solet id vocabulum solute viuentibus obijci. Ita Festus. Vbi Scalig. F. ait hominibus solutè viuentibus exprobrari vocem mapalia, & verum est. Seneca ἀποκολοκυνθώσει. Ego, inquit, P. C. interrogare vobis permiseram. Vos mera mapalia fecistis, hoc est, susq́ue deque habuistis, & dissolutè potius egistis. Hæc ille. * *Quæ porrò hic mapalia, lib. 1. Æneid. magalia videtur nominasse,* Miratur molem Æneas magalia quondam.

ARMENT. AFER.) Absolute armentarium posuit, cum loquatur de gregibus.

TECTVMQVE, LAREMQVE) Quomodo tectum, & larem baiulat pastor? soluitur. Tectum dicit tentorium, vnde tectum faciat. Nunc larem, deos dicit penates, id est ignem, vnde focum faciat. Philargyr. Est autẽ figura πολυσύνδετον, vt apud Terent. Adelph. *Quod mihiq́, heraq́, filiaq́ herili est.*

AMYCLÆVMQVE CANEM) Amyclæ ciuitas Laconiæ. Laconici canes laudantur. Horat. Ode. 6. Epod.

Nam qualis aut Molossus, aut fuluus Lacon,
Amica vis pastoribus.

Sed Amycælus canis pro quouis cane, & venatico συνεκδοχῇ. Cressam pharetram eodem modo intellige. Et vult pastorem egregium etiam arma habere, quibus & se tuatur, & aliquid etiam venetur. Seruius.

INIVSTO SVB FASCE) Sub fasce, sub onere, sub sarcinis. Iniusto, id est, graui supra modum. Ferebant enim milites Romani præter arma vallum etiã, ac plusquam dimidiati mensis cibaria. Auctor Polybius, & Vegetius lib. 1. cap. 15. Inde sub sarcinis adoriri. Cæsar. 2. de bello Gall. cap. 1. Sic lib. 3. cap. vlt. Impeditos in agmine, & sub sarcinis infirmiore animo adoriri cogitabant. Ciuil. belli lib. 1. Veriti ne noctu impediti sub onere confligere cogerentur. De bello Africano. Milites sub onere, ac sub sarcinis pugnare non posse. Cum autem sine sarcinis sunt, expediti appellantur. Cæsar 2. de bello Gall. cap. 5. Nam quòd hostis appropinquabat, consuetudine sua Cæsar 6. legiones expeditas ducebat.

De laboribus & exercitationibus Romanæ militiæ Cic. Tusc. 2. Nostri exercitus primùm vnde nomen habeant, vides: deinde qui labor, quantus agminis. Ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quod ad vsum velint: ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis esse dicunt. Quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsus fuerit, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare possint. Quid exercitatio legionum? quid ille cursus, concursus, clamor, quanti laboris est? Ex hoc ille animus in prælijs paratus ad vulnera. Hæc Tullius. Meritò itaque hinc fascis iniustus à poeta dicitur, & repetitur à Vegetio lib. 1. quando & tyrones 60. librarum pondus gestare, atque iter militari gradu facere, id est 20. millia passuum, quinque horarum spatio absoluere cogebantur: quò in expeditionibus deinde facilius annonam, & arma portarent.

VIAM CVM CARPIT) Horat. Sat. 6. lib. 2. *Carpe viam (mihi crede) comes.* Idem Sat. 5. lib. 1. *Inde Rubos fessi per-*

si peruenimus, utpote longum Carpentes iter. Varius est vsus verbi huius carpere, de quo consulendus Lamb. ad Oden Horatij 11. lib. 1.

ANTE EXSPECTATVM) Philargyr. explanat, ante exspectationem, & prius quàm exspectaretur, & antequam venire putaretur. Certè hostem de improuiso opprimere, vt is non prius hostem adesse, quàm se captum intelligat, non minima pars est artis imperatoriæ, & in celeritate plerumque res sita est. Notum illud Iulij Cæsaris: Veni, vidi, vici. ✠

At non, quà Scythiæ gentes, Mæoticaq; vnda,
Turbidus, & torquens flauentes Ister arenas:
Quaq; redit medium Rhodope porrecta sub axem.
Illic clausa tenent stabulis armenta, neq; vllæ
Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes:
Sed iacet aggeribus niueis informis, & alto
Terra gelu latè, septemq; assurgit in vlnas.
Semper hyems, semper spirantes frigora Cauri.
Tum sol pallentes haud vnquam discutit vmbras,
Nec cùm inuectus equis altum petit æthera, nec cùm
Præcipitem oceani rubro lauit æquore currum.
Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ:
Vndaq; iam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris:
Æraq; dissiliunt vulgò, vestesq; rigescunt
Indutæ: cæduntq; securibus humida vina:
Et totæ solidam in glaciem vertêre lacunæ:
Stiriaq; impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non secius aere ningit.
Intereunt pecudes: stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum: confertoq; agmine cerui
Torpent mole noua, & summis vix cornibus extant.
Hos non immissis canibus, non cassibus vllis
Puniceæue agitant pauidos formidine pennæ:
Sed frustrà oppositum trudentes pectore montem,
Cominus obtruncant ferro, grauiterq; rudentes
Cædunt, & magno læti clamore reportant.
Ipsi in defossis specubus secura, sub alta
Otia agunt terra: congestaq; robora, totasq;
Aduoluere focis vlmos, igniq; dedere.
Hîc noctem ludo ducunt: & pocula læti
Fermento, atq; acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo Septem subiecta trioni
Gens effræna virûm Riphæo tunditur Euro:
Et pecudum fuluis velantur corpora setis.

AT NON QVA SCYTH. GENT.) Contrà in Scythia pastiones ouium, per totam hyemem prorsus nullæ sunt. Nam quidquid terrarum ab vno latere Istro, ab altero montibus Riphæis inclusum, vsque ad paludem Mæoticam in longitudinem, & latitudinem protenditur, id omne tanta frigoris hyberni immanitate riget, vt neque herbæ, aut gramina in campis, neque arbores frondosæ in solo sterili, atq; infœcundo existant. Itaq; & inopia pabuli, & hyemali rigore præpediti, pecudes intra septa, per totam hyemem inclusas continent: neq; in campos, niue obrutos exire patiuntur. Est enim illis in locis ea niuis altitudo, vt plerumq; vltra septem vlnas assurgat. Ventorum quoque rigor illic intolerabilis, hyemes perpetuæ, cælum asperrimum, continuæ noctes, dies nulli per totam hyemem radiis solaribus lucidi. Nã siue sol oriatur, siue occidat, suum fulgorẽ in illas terras nunquam transmittit. De Scythis, & vtrum eos Homerus ignorauerit, Strabo lib. 7.

MÆOTICAQ. VNDA) Mæotis palus cum Tanai fluuio Europam extremam à septentrione concludit.

FLAVEN, ISTER ARENAS) Ister idem qui Danu- A bius. De eo, & eius accolis Ouid. 2. Trist.

Solus ad egressus missus septemplicis Istri,
Parrhasiae gelido virginis axe premor.
Iaziges, & Colchi, Metereaq; turba, Getaeq;
Danubij medijs vix prohibentur aquis.

NVLLAE AVT HERBAE, AVT. A. F.) Horat. Ode. 22. lib. 1. de hac mundi parte.

Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor aestiua recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae, malusq;
Iupiter vrget.

Sterilis nempe, horrida inculta, perpetuis frigoribus & B niuibus rigens. Vbi caelum semper graue, nubilum, caliginosum, &c. Vbi nec oriens sol, nec occidens videtur. Sequitur amplificatio frigoris deinde ex effectis ipsius.

TVM SOL PALLENTES) Hunc versum, & qui deinceps sequuntur duos transtulit ex Homero Odyss. λ.

--- οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
Οὔθ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Οὔθ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται.

PRAECIPIT. OCEANI) Confer huc ex Brodaeo à nobis transcripta in 8. Aeneid. sub finem, ad illud, *ab aurora populis, & littore rubro.*

CONCRET. SVB. CVRRENT. IN FLVM. CRV- C STAE) Lucret. lib. 6.

——— *videmus*
Siccari, mollisq; luti concrescere crustas.
Nec minus exultant, vbi currus fortis equûm vis
Ferratos vtrinq; rotarum succutit orbes.

Arbitror hanc Virgilianam, & quidem elegantissimam periphrasin fluuij glacie astricti, poetis quibusdam scholasticis occasionem dedisse ludendi, & amnem gelu duratum, seu glacie concretum, super quo currus etiam à iumentis trahi queant, quod & ipse Virgilius addit, tãta varietate, vt videre est in Appendice Maronis, exprimendi. Animi gratia exempla aliquot consideranda tyroni proponam: reliqua sibi legat qui volet, liber e- D nim est obuius. Nec verò in his, nec in aliis eiusdem libri poematis, quae Scalig. F. perstudiosè collegit, atque in certos ordines pulchre distribuit, legendis operam perditurum spondeo.

Pompeianus,

Quà ratis egit iter, vincto boue plaustra trahuntur,
Postquam tristis hiems frigore vinxit aquas.

Maximianus.

Sustinet vnda rotam patulae modo peruia puppi,
Et concreta gelu marmoris instar habet.

Basilius.

Vnda rotam patitur, celerem modo passa carinam,
In glaciem solidam versus vt amnis abit.

Iulianus.

Quà puppes ibant, adducunt plaustra iuuenci,
Pigrior vt cano constitit vnda gelu.

CAEDVNTQVE SECVR. HVM. VINA) Quaerit Alexand. Aphrodis. problemat. α. cur oleum, & aqua frigore concrescant, vinum, & acetum non. Sed tamen vinum, quanquam calidum, & exile, certum est congelascere, non tantùm in Scythia, quod hic praeclarè sentit Virgilius: sed etiam alibi, non in ipsis tamẽ cellis, ac doliis conditum, sed in vasculo sub dio positum. Licet Plin. lib. 14. vini naturam non gelascere, sed ad frigus tantum stupere scribat, aliiq; ab Homero αἴθοπα οἶνον ea ratione appellatum tradant. Brod. lib. 5. cap. 31.

Hoc epitheton humida vina, putat otiosum Quintilianus, apud oratores intellige. Sic enim libr. 8. cap. 6. Epitheto poetae & frequentius, & liberius vtuntur. Námque illis satis est conuenire verbo, cui opponitur: & ita dentes albi, & humida vina.

IN SOL. GLA VERTERE LA.) Verbis quibusdam actiuis παθητικῶς vsos esse veteres, & hoc ipso praesertim *verto*, multis testimoniis in Catilinam Sallustij productis, demonstrauit Ald. Manut. Ipse quidem Sallustius in suis libris haec habet. Mansuetudo in superbiam, dominationemq; conuertit. Nae ista vobis mansuetudo, & misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet. Benefacere iam ex consuetudine in naturam vertit. Secundae res in miserationem ex ira vertunt. Cicero. Sed hoc vitium in bonum ei vertebat. Tacit. libr. 3. Annal. Postquam caedibus saeuitum, & magnitudo famae exitio erat, caeteri ad sapientiam conuertere. Caesar lib. 3. belli ciuil. Detrimentum in bonum verteret. Liuius libr. 10. Auspicia in bonum verterunt. Et lib. 9. decad. 4. Mores quidem populi Rom. quantum mutauerint, vel hic dies argumento erit. Et libr. 8. belli Punici 2. Non septies in die, sicut fama fert, temporibus statutis reciprocatũ. Sueton. Quoties terra in vrbe mouisset. Virgil. libr. 1. Aeneid. *nox humida caelo praecipitat.* Et libr. 2. *accingunt omnes operi.* Rursum libr. 1. *Tum prora auertit.* Lege caetera.

STANT CIRCVMFVSA PRVIN. CORP.) Ferae item agrestes, apri, cerui, ipsique adeo immanes vri, niuibus ac pruinis continenter decidentibus cincti, ac circumfusi, sic vulgò obruuntur, vt vix summis extent cornibus.

CONFERTOQVE AGMINE CERVI) Quoniam animal congregabile, siue sociale ceruus. Itaq; & 1. Aeneid.

——— *tres littore ceruos*
Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur
A tergo: & longum per valles pascitur agmen.

Miror tamen, si semper ibi hyems, nullae vnquam herbae, quomodo pecudes, & boues, & cerui vel ibidem aliquando visantur, & quo tandem pabulo alantur. An hoc de herbis tale est, quale de ceruis in Africa?

HOS NON IMMISSIS) Istarum regionum incolae feras non more aliarum gentium, sed alio quodam capiunt, & interficiunt. Montem niuis accipe, quem conantur perrumpere, sed non possunt.

PVNICEAEVE AGIT. PAVID. FOR. PEN.) De punicea penna, qua terrentur, agitanturque ferae, & in retia compelluntur, differendum est, quod ad illustrandum valeat. Plutarchus in praeceptis connubialibus, qui elephantis se admouent, vestem claram non gestant: nec puniceam, qui tauris: quod huiusmodi coloribus illa animalia maximè efferantur: sicut tigres in E tantum aguntur furorem sonitu tympanorum, vt semetipsas dilanient: feles olfactu odoramentorum perturbari, & furere traditur. Idem porro Plutarch. libr. de fortuna Alexandri: liquidius etiamnum tauros phoeniceis irritari, efferarique scribit, elephantes verò albis. Verùm, vt ex nostris item litteris haec doctrina corroboretur, apud Senecam lib. 3. de Ira reperio, Quod accidere vides animalibus mutis, idem in homine deprehendes, friuolis turbantur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat: ad vmbram aspis exsurgit: vrsos leonesque mappa proritat. Omnia quae natura fera ac rabida sunt, consternantur ad minima. Porrò & ceruos rubrae pennae aspectu terreri, nonne & Ausonius comprobat illis versibus?

An cum

An cum fratre vages dumeta per auia ceruos
Circundas maculis, & multa indagine pinnæ?

Sed & Ouid. Metamorph. 15. *Nec formidatis ceruos includite pennis.* Quin & Lucanus *sic dum pauidos formidine ceruos Claudit odorata metuentes aera pennæ.* Odoratas ait, quoniam à plerisque, & præsertim Insubribus, vstulari solebant. Seneca etiam lib. 1. de Clementia, cap. 12 Si feras, inquit, linea & penna conclusas contineas, iubeasq; telis incessi, tentabunt fugam per ista quæ fugerant, proculcabuntque formidinem. Infra alius ex eodem locus proferetur. Hoc ipsum & D. Hieronymus innuit in Luciferiani, & Orthodoxi dialogo. Et pauidorum more ceruorum, dum pennarum euitatis volatus, fortissimis retibus implicamini. Rhodigin. lib. 16. cap. 11.

Formido, vt docet Turneb. lib. 5. cap. 5. in venatione lineam significat, vario plumarum nexu discolorem qua terrentur apri, vulpes, lupi, vrsi, sed potissimùm cerui. In ea alternus textus plumarum, sed vulturis, & cygni præcipuè laudatur. Sed & interdum sandyce fucabatur. Dicitur & linea. Nemesian. lib. 1. Cyneget.

Linea quin etiam magnos circundare saltus
Quæ possit, volucresq; metu concludere prædas,
Digeras innexas non vna ex alite pennas.
Namq; vrsos, magnosq; sues, ceruosq; fugaces
Terrificant, liniq; vetant transcendere septum.

Etiam lib. 4. de venatione Oppianus δειμαλέων μήρινθον, id est, lineam formidolosam appellat, & δεῖμα ποικίλχροον, id est, formidinem multicolorem.

De hac linea, & de pennis istis loquitur Seneca lib. 2. de Ira cap. 12. Nec ideo iram quisquam magnam putet, quia formidini est: quoniam quædam etiam contemptissima timentur: venena, & offa mortifera, & morsus. Nec est mirum, cùm maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat, & in insidias agat: ab ipso effectu dicta *Formido*. Paucis interiectis. Sic itaq; ira metuitur, quomodo vmbra ab infantibus, à feris rubens pinna. * *Seneca Tragicus.*

Picta rubenti linea pinna,
Vano cludat terrore feras.

De hac iterum 12. Æneid.

Inclusum veluti si quando flumine nactus
Ceruum, aut puniceæ septum formidine pennæ
Venator cursu canis, & latratibus instat.

Et 5. Fast. pauidos formidine ceruos Terret. *Genus quoddam retis erat* formido; *eò comparatum, vt id effugere cupientes feræ, in veros casses inciderent. Multa de eo accuratè, vt solet, ac plenè Delrius noster, Commentar. in Hippolytum Senecæ, pag. 159. quem legere tibi integrum est.*

GRAVITERQ. RVDENTES) Rudere asinorum est proprium: ceruos, & onagros glocitare ait, qui poema de philomela fecit.

IPSI IN DEFOSSIS SPEC.) Ipsi specus subterraneos aperiunt, eosque fimo onerant, suffugium hyemi, & receptaculum frugibus. Ibi totos dies otiosi, iuxta focum, atque ignem agunt: & noctem cum die ludendo, atque potando continuant. Genti vniuersæ potus humor est ex fermento, atque acidis sorbis, in quandam similitudinem vini paratus. Phryges olim, & Troglodytæ sub effossis tumulis, Baleares in saxis concauis, cuniculis ad corporis magnitudinem dimensis, alij ex vlua palustri latibula intexuerunt. Marsorum gens specus infodiunt montibus, in quos se, coniuges, & liberos receptant. Æthiopes, & Indorum magna pars subterraneas domos habent, Alex. ab Alex. lib. 5. ca. 24. ibid. Tiraquell.

OTIA AGVNT) Huiuscemodi otium est, de quo 2. Georg.

Ipse dies agitat festos: fususq; per herbam,
Ignis vbi in medio, & socij cratera coronant.

A POC. FER. ACIDIS) De potionum generibus è frumento, scripsit eruditum cap. 12. li. 2. Adrian. Iunius. De quatuor sorbi generibus Plin. lib. 16. cap. 21. Osiris, si qua regio vitibus inepta esset, docuit ex hordeo potum fieri, haud multum virtute gustuque vino inferiorem. Diodor. lib. 1. cap. 2. Idem lib. 5. cap. 9. in maiore parte Galliæ tantum esse frigus, vt neque vinum ea regio, neque oleum producat. Quare coacti homines potum sibi ex hordeo comparant, quem appellant zythum. Vino præter modum adeo delectantur, vt à mercatoribus importatum, purum bibant: nimioque potu ebrij, aut in somnum incidant, aut insaniam. * *Fertur epigramma Iuliani Imp. εἰς οἶνον ἀπὸ κριθῆς, quod cum mea conuersione subiungam.*

B

Τίς, πόθεν εἶς Διόνυσε; μὰ γὰρ τὸν ἀληθέα Βάκχον,
Οὔ σ' ἐπιγιγνώσκω· τὸν Διὸς οἶδα μόνον.
Κεῖνος νέκταρ ὄδωδε, σὺ δὲ τράγου. ἦ ῥά σε Κελτοὶ
Τῇ πενίῃ βοτρύων τεῦξαν ἀπ' ἀσταχύων.
Τῷ σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον,
Πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ βρόμον, οὐ Βρόμιον.

Bacche quis? aut vnde es? tibi Bacchum iuro per ipsum,
Te minimè noui, sed Ioue nosco satum.
Tu hircum, is nectar olet: nimirum Gallica tellus
Te flaua è spica vitis inops genuit.
Dicamus te igitur Cerealem, non Dionysum:
Spicigenam potius, & Bromon, haud Bromium.

SEPTEM SVBIECTA TRIONI) Vulgus Grammaticorum Septentriones à solo numero stellarum C dictum putat. Triones enim per se nihil significare aiunt, sed vocabuli esse supplementum, sicut in eo, quod Quinquatrus dicamus, quod quinque ab Idibus dierum numerus sit, atrus nihil. Sed ego quidem cum Lælio, & Varrone sentio, qui triones rustico vocabulo boues appellatos scribunt, quasi quosdam teriones, hoc est, arandæ colendæque terræ idoneos. Itaque hoc sidus, quod à figura, posituraque ipsa, quia simile plaustri videtur, antiqui Græcorum ἅμαξαν dixerunt, nostri quoque veteres à bubus vinctis septentriones nuncuparunt, id est, à septem stellis, ex quibus quasi iuncti Triones figurantur. Addit etiam Varro, dubitare sese, an propterea magis hæ septem D stellæ Triones appellatæ sint, quia ita sunt sitæ, vt ternæ stellæ proximæ quæque inter sese faciant trigonas, id est, triquetras figuras. Ex his duabus rationibus, quas ille dixit, quod posterius est, subtilius, elegantiusque visum est. Intuentibus enim nobis in illud, ita propemodum res erat, vt ea forma esset, vt triquetra videretur. Gell. lib. 2. cap. 21.

GENS EFFRÆNA VIRVM) Consueuerunt veteres tertium nomen duobus substantiuis aptum, sæpe tribuere illi, cui minus ex vi ipsa conuenit, idque vel elegantiæ, vel versus, vel vtriusque rei caussa. Ergo gens effræna virûm, pro gens effrænorum virorum. Lucret. lib. 1.

E

Detulit (Ennius) ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

Et lib. 2. *Et varias hominum gentes, & sæcla ferarum.* Martialis. *Pierios differ cantusq; chorosq; sororum.* Et antiquus poeta apud Cicer. *Vbi satiantur gentes ferarum vltimæ.* Gifan. in Lucret.

RIPHÆO TVNDITVR EVRO) ῥιπὴ est impetus: vnde Scythiæ montes Riphæi dicuntur, quia hinc magnus ventorum impetus. Eurum pro vento posuit, notissima figura: hic enim ventus Aquilonius, non orientalis necessariò accipiendus est.

FVLVIS SETIS) Pellibus: metonymia adiuncti pro subiecto. Est autem periphrasis rhenonis, id est, vestis pelliceæ.

Si tibi lanicium curæ, primùm aspera sylua,
Lappæq;, tribuliq; absint: fuge pabula læta.
Continuoq; greges villis lege mollibus albos.
Illum autem (quamuis aries sit candidus ipse)
Nigra subest vdo tantùm cui lingua palato,
Reijce: ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum, plenoq; alium circumspice campo.
Munere sic niueo lanæ (si credere dignum est)
Pan deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans: nec tu aspernata vocantem.
At cui lactis amor, cytisum, lotosq; frequentes
Ipse manu, salsasq; ferat præsepibus herbas.
Hinc & amant fluuios magis, & magis vbera tendunt:
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi iam excretos prohibent à matribus hœdos,
Primaq; ferratis præfigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere, horisq; diurnis,
Nocte premunt: quod iam tenebris, & sole cadente,
Sub lucem exportant calathis (adit oppida pastor)
Aut parco sale contingunt, hyemiq; reponunt.

LANICIVM) Non tam curam lanæ significat lanicium, quàm lanati pecoris, quod ex Arnob. apparet lib. 1. sic scribente. Nunquid in culpa natura est, quòd laniciis extulit importunissimã belluam? lupum intellige, infestum ouibus. Iterum, Lanicia curent vestra numerosis fœtibus multiplicari. Turneb. lib. 15. cap. 21.

Columella lib. 7. cap. 3. Sequeris autem noualia non solùm herbida, sed quæ plerumq; vidua sunt spinis: vtamurq; sæpius auctoritate diuini carminis, *Si tibi lanicium curæ, &c.* quoniam ea res, vt ait idem, scabras oues reddit: *cùm tonsis illatus adhæsit Sudor, & hirsuti secuerunt corpora vepres:* tum etiam quotidie minuitur lana, quæ quanto prolixior in pecore crescit, tanto magis obnoxia est rubis: quibus veluti hamis inuncata, à pascentium tergoribus auellitur: molle pecus etiam velamen quo tegitur, amittit: atq; id non paruo sumptu reparatur. Hæc ille.

FVGE PAB. LÆTA) Pabula cum apud nostrum vatẽ, tum apud Lucret. persępe hoc epitheto *læta*, afficiuntur. Dixit tamen pinguia 1. Georg. *& pabula terra Pinguia concipiunt.*

GREGES VILL. L. MOLL. ALBOS) Formam bonæ & probatæ ouis describit his verbis Varro lib. 2. ca. 2. Ouem esse oportet corpore amplo, quæ lana multa sit, & molli, villis albis, & densis toto corpore, maximè circum ceruicem, & collum: ventrem quoq; vt habeat pilosum. Itaq; quę id non haberent, maiores nostri apicas appellabant, ac reiiciebant. Columell. lib. 7. cap. 2. quod est de ouibus emendis. Ergo duo genera sunt ouilli pecoris, molle, & hirsutum. Sed in vtroq; vel emendo plura communia, quædam tamen sunt propria. Communia in emendis gregibus ferè illa, si candor lanæ maximè placeat. Nunquam candidissimos mares legeris, quoniam ex albo sæpe fuscus editur partus, ex erythræo, vel pullo nunquam generatur albus.

QVAMVIS AR. SIT CAND.) Et arietem optimum ex Varronis eod. lib. & capite depingemus. Si sit fronte lana vestitus bene, tortis cornibus, pronis ad rostrum, rauis oculis, lana opertis, auribus amplis, pectore, & scapulis, & clunibus latis, cauda lata & longa. Animaduertendum quoq;, linguane nigra, aut varia sit: quod ferè qui ea habent, nigros aut varios procreant agnos. Sic autem Columell. lib. 7. c. 3. Itaq; non solùm ea ratio est probandi arietis, si vellere cãdido vestitur, sed etiam, si palatum atq; lingua concolor lanæ est. Nam cùm hæ corporis partes nigræ, aut maculosæ sunt, pulla, vel etiam varia nascitur proles, idq; inter cætera eximiè talibus numeris significauit Virgil.

Illum autem, quamuis aries sit candidus ipse,
Nigra subest vdo tantum cui lingua palato,
Reiice, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum.

Et post pauca: Habitus autem maximè probatur, cùm est altus atque procerus, ventre promisso, atque lanato, cauda longissima, densíque velleris, fronte lata, testibus amplis, intortis cornibus, non quia magis hic sit vtilis (nam est melior mutilus aries) sed quia minimè nocet. Intorta potius, quàm surrecta, & patula cornua. Ibidem lepida quædam subtexuntur, de superbia & petulantia cornuti arietis. Consentanea dictis de forma ouis, & arietis traduntur à Palladio lib. 8. tit. 4.

MVNERE SIC NIVEO LANÆ) Omnino talis debet esse aries candore, qualem Lunæ (si fabulas audire volumus) à Pane, vel, vt alij, ab Endymione dono datum fuisse perhibent, cùm ille oues pasceret, & in sui amorem Lunam pelliceret. Macrob. Saturna. lib. 5. scribit hanc fabulam sumptam esse de Nicandro, cuius τὰ γεωργικὰ desiderantur, è quibus tamen multa transtulisse Virgilium, testatur etiam Quintilianus.

AT CVI LACTIS AMOR) Alia porro est ratio pascendarum ouium caprarumque, è quibus lactis, aut casei copiam habere volumus. Has enim pinguiori cibo alimus, & cythisos, lotosque præbemus, & herbas sale conditas præsepibus imponimus. Nam hinc & bibendi cupiditatem maiorem concipiunt, & vbera lacte co-

copio-

piosiore distendunt, & salis insuper saporem ipso in lacte referunt. **Ex hoc & alijs praeterea compluribus locis, Virgiliũ fuisse insignem medicum probare nititur Tiraquell. de Nobilit. cap. 31. num. 214. & deinceps sequentibus.*

MVLTI IAM EXCRETOS PROHIB.) Multi etiã studio lactis & casei, agnos, ac hœdos cum excreuerunt, à matribus summouent: & ne ab illis ad vbera admittantur, hac astutia vtuntur. Capistrum ferratis aculeis configunt, & hœdi naribus ac genis circumligant. Ea res matrem à pullo auertit, cum stimulata ictibus ab eo sauciatur. Disiunguntur à matribus agni, ait Varro libr. 2. cap. 1. & 2. quadrimestres. Quo tempore quidam matres non mulgent, quia lanæ plus ferunt, & omnino agnos plures. Summotis autem agnis, fructus lactis ex matribus non minor percipitur, ait Columella libr. 7. cap. 3.

QVOD SVRGENTE DIE MVLSERE) Lac emulsum mane, vel interdiu, caseum tantùm præstat, nempe qui arescat, solidescat, & durus perduret: lac emulsum vesperi, non modo caseum item durum, & ad ferendam vetustatem idoneum præbet: sed dat præterea nobis facultatẽ efficiendi lactea diuersi generis edulia, quæ postridie manè diuendantur. Hoc tibi præsentis pecuniæ emolumentum, dare non potest matutinum, quia dum coaguli tempus exspectatur, æstus increbrescit, ipsum arescit, lucem crastinam videre non quit. Ergo quod dicit, lac mane mulsum nocte premit, intelligendum est, aptum fore ad integram pressurã, vt inde caseus aridus, & asseruandus euadat; quoniam lacteæ illæ deliciæ, quæ subitò venundentur, integrum, & solidum pressum non ferunt. Lac autem vespertinum, ad vtrumq; vsum valet. Nam vel summo mane in vimineis, aut iunceis vasis in oppida portant coagulatum tantummodo: vel salitur (si lubet) perinde atque matutinum, & pressatur, vt inde caseus solidus, & diuturnus euadat. Hæc vir doctus annotatione quadam in Calpurnium.

SVB LVCEM EXPORTANT CALATHIS) Enallage numerorum hunc locum corrupit: sed vna litterula mutata, germanam Virgilij lectionem effeceris, (vt pro exportant, legas, exportans) tollas etiam parenthesin, quæ necessaria non est. *Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor.* Scalig. F. in Catull. Quidam exponunt hoc de duplici vtilitate mulctræ, ex caseo recenti, & inueterato.

AVT PARCO SALE CONTINGVNT) Tangere

B veteres pro lingere, imbuere, linere, aspergere, inficere etiam dixerunt. Lucret. lib. 1. *Contingunt mellis dulci, flauoq́; liquore*, Rursum, *croci contacta colore*, Et, *musæo contingens cuncta lepore*, id est, imbuens, tingens: quomodo & tangere vsurpauit Cato. In Lucretio tamen cõtingere, à tingere, non tangere multi interpretãtur, nec à me reprehenduntur. Sed & contincta colore, non, cõtacta legunt. Turneb. lib. 15. cap. 17.

Adducit Cornelij Celsi ex libr. 2. cap. 22. hoc testimonium, Maroniano geminum German. stomacho aptissima sunt, quæcunq; contacta sale modico sunt. Addamus nos Varronem, lib. 3. de re rustica. Tectorio tecta esse leui circum ostia ac fenestras, ne aqua intrare, mus, aliaúe bestia possit. Eod. libr. Quis enim ignorat,

C septa è materijs ita esse oportere in leporario, vt tectorio tacta sint, & sint alta? Arnob. lib. 3. Quisquam ne est hominum, rationis alicuius sapore contactus, qui pilos, & lanugines credat in deorum corporibus nasci?

Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed vnà
Veloces Spartæ catulos, acremq́; molossum
Pasce sero pingui. nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, incursusq́; luporum,
Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.
Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros:
Et canibus leporem, canibus venabere damas.
Sæpe volutabris pulsos syluestribus apros
Latratu turbabis agens: montesq́; per altos
Ingentem clamore premes ad retia ceruum.

Canis species triplex est, venaticus, de quo mox, pecuarius, & villaticus. Duo posteriora genera ad custodiam pecoris, & villæ comparantur. Columella lib. 7. cap. 12. Vnum genus aduersus hominum insidias eligitur, & id villam, quæq; iuncta sunt villæ, custodit: at alterum propellendis iniuriis hominum, ac ferarum, & id obseruat domi stabulum, foris pecora pascentia. Tertium venandi gratia comparatur, idque non solum nihil agricolam iuuat, sed & auocat, desidemque ab opere suo reddit. Villæ custos eligendus est amplissimi corporis, vasti latratus, canorique, vt prius auditu maleficum, deinde etiam conspectu terreat, & quæ sequuntur, non pauca. Infra, Pecuarius canis neque tam strigosus, aut pernix debet esse, quam qui damas, ceruosque, & velocissima sectatur animalia: nec tam obesus, aut grauis quam villæ, horreique custos: sed & robustus nihilominus, & aliquatenus proruptus ac strenuus, quoniam & ad rixam, & ad pugnam, nec minus ad cursum comparatur, &c. De pecuario Varro libr. 2. cap. 9. Canis ita

D custos pecoris, vt eius, quod eo comite indiget, ad se defendendum. In quo genere sunt maximè oues, deinde capra. De eius autem habitu ista. Primùm ætate idonea parandi, quod catuli & vetuli neque sibi, neque ouibus sunt præsidio, & feris bestiis nonnunquam prædæ. Facie debent esse formosi, magnitudine ampla, oculis nigrantibus, aut rauis, naribus congruentibus, labris subnigris, aut rubicundis, neque resimis superioribus, nec pendulis subtus, mento suppresso, & ex eo enatis duobus dentibus dextrà & sinistrà, paulo eminulis superioribus, directis potius, quam brochis, &c. Præterea fæminas volunt esse mammosas, æqualibus papillis.

E ACREMQVE MOLOSSVM) Molossi canes magni sunt & proceri, quales nascũtur in Epiro. Hora. Sat. 6. lib. 2. *simul domus alta Molossis Personuit canibus.* Lucret. lib. 5.

Irritata canum cum primum magna Molossum
Mollia ricta tremunt duros nudantia dentes.

PASCE SERO PINGVI) Varro. cibatus canis propior hominis, quam ouis. Pascitur enim è culina, & ossibus, non herbis, aut frondibus. Diligẽter, vt habeat cibaria, prouidendum. Fames enim hos ad quærẽdum cibum ducet, si non præbebitur, & à pecore abducet. Nec nõ ita panem ordeaceum dandum, vt non potius eum in lacte des intritum: quod eo consueti cibo vti, à pecore non citò desciscunt. Morticinę ouis non patiuntur carne vesci, ne ducti sapore, minus se abstineant. Dant etiam ius ex ossibus, & ea ipsa ossa contusa: dentes enim facit firmiores, & os magis patulum, propterea quod vehementius diducuntur malæ, acrioresq; fiunt, propter medullatum saporem.

Columella lib. 7. cap. 12. Cibaria fere eadem sunt vtrique generi præbenda (villatico, & pecuario.) Nam si tam laxa rura sunt, vt sustineant pecorum greges, omnes sine discrimine canes ordeacea farina cum sero cõmodè pascit. Sin autem surculo consitus ager sine pascuo est, farreo, vel triticeo pane satiandi sunt, admisto tamen liquore coctæ fabæ, sed tepido. nam feruens rabiem creat.

NVNQ. CVSTOD. ILLIS NOCTVRN.) Accipienda sunt de villatico propriè: tametsi hoc quoque munus pecuario tribuit Columell. Est tamen laus communis canum, custodia videlicet. Idem ibidem. Nunc, vt exordio priore sum pollicitus, de mutis custodibus loquar: quanquam canis falsò dicitur mutus custos. Nam quis hominum clarius, aut tanta vociferatione bestiam, vel furem prædicat, quam ipse latratu? Quis famulus amantior domini? Quis fidelior comes? quis excubitor inueniri potest vigilantior? quis denique vltor, aut vindex constantior? similia, multoq; plura commemorat Plin. lib. 8. cap. 40. Illud verò, *incursusq́; luporum*, ad pecuarium referendum est. Subnectam pro corollario præceptum Catonis, cap. 124. Canes interdiu clausos esse oportet, vt noctu acriores, & vigilantiores sint. Hoc de villatico dictum puta.

A TERGO HORRENTES IBEROS) Iberos intellige abactores, prædatores, latrones. quoniam Iberi quondam latrociniis viuentes, pecora abigebant.

CVRSV TIMID. AGIT. ONAG.) En de venatico cane, & venatu pastorum, siue agrestium, de quo etiam lib. Georg. 1.

Tunc laqueis captare feras, & fallere visco
Inuentum, & magnos canibus circundare saltus.

De venatico Plin. lib. 8. cap. 40. sed in venatu solertia, & sagacitas præcipua est. Scrutatur vestigia, atque perse-

A quitur comitantem ad feram, inquisitorem loro retrahens: qua visa, quam silens & occulta, quam significans demonstratio est, cauda primùm, deinde rostro? Ergo etiam senecta fessos, cæcosque, ac debiles sinu ferunt, ventos & odorem captantes, prodentesque rostro cubilia.

Nulli onagri sunt in Italia, quibus populis videtur poeta artem colendi agros, & pascendi tradere voluisse, neque in vicinis etiam regionibus. Testatur hoc M. Varro lib. 2. de re rust. cap. 6. de Asinis loquens: cuius verba sunt. Horum genera duo, vnum ferum, quos vocant onagros. In Phrygia, & Lycaonia sunt greges multi. Præterea ita celeres illi sunt, vt in cursu superari nõ possint,

B ne à velocissimis quidem equis. Narrat hoc Xenophon lib. 1. *ἀναβάσεως*. Cum enim Græci, qui secuti fuerant Cyrum minorem, cum reliquis ipsius copiis venissent in ea loca, in quibus magna vis foret horum asinorum (erat autem illa Arabia) conatique essent impositi equis ipsos captare, facilè cognouerunt se frustra illo modo laborare, quia celeriores illi in cursu forent. Quare artem adhibuerunt, & plures distantibus locis positi, ita ipsos iam defatigatos excipiebant. Carnem vero eorum similem esse commemorat carni ceruorum. Sed nonnulla huiuscemodi peccata inueniuntur apud laudatos etiam poetas: ita namq; cupidi illi sunt ornamentorum, vt non caueant, neq; magno pere reformident huiusmodi culpas. Est igitur hoc tale, quale illud de cer-

C uis in Africa, & de cedro in 11. Æneid. Victor lib. 38. ca. 1.

ET CANIBVS LEPOREM) De leporibus agit Varro lib. 3. cap. 12. Ibidem de eius etymo. L. Ælius putabat ab eo dictum leporem à celeritudine, quod leui pes esset. Ego arbitror à græco vocabulo antiquo, quod cum Æoles Bœotij *λέποριν* appellabant.

VOLVTAB. PVLSOS APROS) Lucret. lib. 6.

—— vobis cœnum teterrima cum sit
Spurcities, eadem subus hæc iucunda videtur,
Insatiabiliter toti vt voluantur ibidem.

CLAM. PREM. AD RETIA) Premere verbum est venatorium. Sic in 1. Æneid. *Aut spumantis apri cursum clamore prementem.* Premit feram venator, dum

D ei canibus instat, miseramque vrget in retia: huiuscemodi clamores venatorios ex Xenophonte producit hos in Hippolytum Senecæ Delrius. *ἰὼ κύνες, ἰὼ κακοί, σοφῶς γε ὦ κύνες, ἔπεσθε ὦ κύνες.* Io canes, io segnes, bene ô canes, probè ô canes, instate ô canes. Deinde *εὖ ὦ κύνες, εὖ ὦ κύνες*, bellè ô canes. Tum *εὖγε, εὖγε ὦ κύνες, ἔπεσθε ὦ κύνες*, Deniq; *ἐπάνει, ἐπάνει ὦ κύνες*, retrò, retrò ô canes.

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoq; agitare graues nidore chelydros.
Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cælumq; exterrita fugit:
Aut tecto assuetus coluber succedere, & vmbræ,
Pestis acerba boum, pecoriq; aspergere virus,
Fouit humum: cape saxa manu, cape robora pastor,
Tollentemq; minas, & sibila colla tumentem
Deiice: iamq; fuga timidum caput abdidit altè,
Cum medij nexus, extremæq; agmina caudæ
Soluuntur, tardosq; trahit sinus vltimus orbes.

DISCE ET ODORATAM STABVLIS) Et quoniam docuimus cultum, curamque pecudum rectè valentium: nunc quemadmodum vitijs, aut morbo laborantibus subueniendum sit, præcipiemus. Primò autem

E diligenter, & ante omnia curandum, vt serpentibus tecta liberentur, ne veneno illarum afflatæ pecudes, intra septa moriantur. Hoc vt ne fiat, cedrum, aut galbanum in stabulis incende. Nam horum odor non patitur stabulis

bulis serpentium pestem consistere. Sæpe enim viperæ, & colubri tenebris assueti, & lucem exosi, in stabulis pecudum delitescunt: & cubilia sub præsepibus diu non motis, sibi deligunt. Vnde grauissima pecudibus existunt mala: & sæpe ex serpentibus contrahuntur cæci morbi: quorum caussas ne medici quidem perspicere queunt. Nam venenatæ bestiæ, postquam semel latebras in quibus se sustentare possint, repererunt, gregem impresso morsu lædere, eique lethale virus solent aspergere. Quare lapides, & sudes prehendendæ, vt illarum iactu, & ictu noxij serpentes è medio tollantur, neq; prius à cæde, & internecione abstinendum (vtcunq; illi sibilis & lingua exerta itam comminentur) quàm caput enectum sit, & cauda à reliquo corporis nexu auulsa, tardius iam moueri incipiat, aut etiam conuolui prorsus desinat.

Columella libr. 7. cap. 4. Nec tantum cœno, aut stercore, sed exitiosis quoque serpentibus tecta liberentur. Deinde hos versus Maronis recitat. Præter galbanum porro, atque cedrum, muliebres quoque capillos, aut ceruina cornua vri iubet. Huiusmodi autem tetros odores ideo sine dubio excitare conuenit, ne saxis, & sudibus aduersum serpentes pugnando periculum magnum adeatur. Accipe super eodem præcepto versus Calpurnij eclog. 5.

Lurida conueniet succendere galbana septis:
Et tua ceruino lustrare mapalia fumo.
Obfuit iste malis odor anguibus: ipse videbis
Serpentum cecidisse minas, non stringere dentes
Vlla potest vncos: sed inani debilis ore
Marcet, & obtuso iacet exarmata veneno.

Mala tactv vipera) Viperam Grammatici à A vi dictam tradunt, quod vi pariat. Ego viperam dici puto, quasi viuiperam, quod sola ferè in serpentum genere, non ouum, sed animal pariat, id quod eleganter docuit his versibus Nicander.

Οἴη γὰρ βαρύθει ὑπὸ κύματα. ταὶ δ' ἐνὶ ὕλῃ
ᾨοτόκοι ὄφιες λεπυρὴν θάλπουσι γενέθλην.
Sola etenim fœtu grauida est, cum cætera in altis
Ouipara excludant testacea pignora syluis.

Canter. lib. 6. cap. 16.

Viperam autem marem à fœmina, capite in os eius inserto, atq; abroso necari, tam nugatorium est, quàm eius bestiæ catulos, adeso matris vtero, ac lateribus, paternæ necis vindices in lucem erumpere.

B Tecto svccedere, et vmbræ) Et lib. 4. Georg. *atq; alto succedere cælo.* Æneid. lib. 4. *Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?* & alibi. Lucret. lib. 5. *Quod simulac primum nubes succedere soli Cœpere*, id est, subire solem, seu succedere sub solem. Sic enim loquitur Cæsar lib. 1. bell. Gall. ipsi confertissima acie, reiecto nostro equitatu, phalange facta, sub primam aciem nostrã successerunt. Idem li. 2. testudine facta portis succedunt, murum subruunt. Ex Lamb. in Lucret.

Timidvm capvt abdidit alt.) Mirè cum hoc loco congruit illa comparatio de serpente, quæ est 2. Æneid.

C *Qualis sæpe via deprensus in aggere serpens,*
Aerea quem obliquum rota transiit, aut grauis ictu
Seminecem saxo liquit, lacerumq; viator,
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus.

Addit præterea German. Apollonij versus ex lib. 4. de dracone, ad illustrandum satis aptos.

Agm. cavdæ) Orbes, & nexus.

Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squamea conuoluens sublato pectore terga,
Atq; notis longam maculosus grandibus aluum:
Qui, dum amnes vlli rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent vdo terræ, ac pluuialibus Austris,
Stagna colit: ripisq; habitans hic piscibus atram
Improbus ingluuiem, ranisq; loquacibus explet.
Postquam exhausta palus, terræq; ardore dehiscunt,
Exilit in siccum: & flammantia lumina torquens,
Sæuit agris, asperq; siti, atq; exterritus æstu.
Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas:
Quum positis nouus exuuiis, nitidusq; iuuenta
Voluitur, aut catulos tectis, aut oua relinquens
Arduus ad solem, & linguis micat ore trisulcis.

Ille malvs Calabris in salt. angvis) Si quis Nicandri Theriaca legat, hæc intelliget de chersydro scribi: cui si fidem tantus poeta non faciet incredulo, accedat testimonium Solini cap. 8. ita scribentis. Calabria chersydris frequentissima est, & boam gignit. Turneb. lib. 21. cap. 10. Nunc totius loci, & descriptionis huius sententiam è Paraphraste subiiciamus, quemadmodum hactenus facere consueuimus non rarò. Est verò & aliud serpentis genus, haud minus noxium, quàm viperæ, & colubri (natricem vocant) tergo squamoso, pectore elato, aluo maculosa, & oblonga. Hæc bestia verno tempore, dum austrino calore niues soluuntur, & amnes ac fontes inDundant, ripas torrentium, ac paludum obsidet, cauernasque incolit, & suam ingluuiem piscibus, & ranis explet. Æstate verò, cùm iam hyberna vligine, & fermentata destituitur, solis calore omnibus locis palustribus, & torrentibus exsiccatis, ipsa sitibunda è latebris prosilit, & quod nimio æstu, nimiaque siti torquetur, in obuia quæque grassatur, ac sæuit. Mihi certè tum non libeat sub dio somnum carpere, aut in eodem cliuo per herbas, & gramina prostrato iacere. Nam natrix deposita leberide, cùm iam senectutem exuit, ac reiuuenescit, & pullis, aut ouis intra cauernas relictis, capite elato, lingua exerta, in campo promicat, mortem, lethiferamq; noxam mihi inferat.

Contra hos igitur venenatos, & iracundos angues, non secus muniendum est pecus, atq; contra illos, qui domi sub præsepibus, atq; intra septa latitant. Et hæc quidem sunt, quæ pastorem præcauere oportet, ne noxam afferant. Alia mala sequuntur, quę vbi iam pecudem inuaserunt, agricolæ auertenda, & remediis depellenda erunt.

CVM POSITIS NOVVS EXVVIIS) Lucret. lib. 3. *vestemq́; relinquere, vt anguis Gauderet prælonga senex vt cornua ceruus*, Lib. 4. *cùm lubrica serpens Exuit in spinis vestem*. Tibul. lib. 1. eleg. 4. *Crudeles diui, serpens nouus exuit annos*. Ouid. *Anguibus exuitur tenuis cum pelle senectus*. Placidus Grammat. Reduuiæ dicuntur spolia serpentum, quibus quotannis senescētes sese exuunt, quasi quibus exuti in iuuentutem redeunt. Dicuntur enim induuiæ, exuuiæ, reduuiæ. Reperiuntur hi versus, & hæc sententia 2. Æneid. vbi Pyrrhus animosus adolescens tali serpenti comparatur. Proinde ibi plura lege, si placet. De ista porrò serpentum renouatione Plin. lib. 8. cap. 27. Anguis hyberno situ membrana obducta, fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidusque vernat. Exuit autem à capite primùm, nec celerius quàm vno die & nocte replicans, vt extra fiat membranæ, quod fuerat intus. Idem hyberna latebra visu obscurato, marathro herbæ sese affricans, oculos inungit ac refouet. Si verò squamæ obtorpuere, spinis iuniperi sese scabit.

LINGVIS MICAT ORE TRISVL.) nihil aliud est, quàm linguam subinde motitando exertat, vt German. exponit. Vide 2. Æneid. *Iubæq́; Sanguineæ.*

Morborum quoq; te caussas, & signa docebo.
Turpis oues tentat scabies, vbi frigidus imber
Altius ad viuum persedit, & horrida cano
Bruma gelu: vel cùm tonsis illotus adhæsit
Sudor, & hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluuiis pecus omne magistri
Perfundunt: vdisq; aries in gurgite villis
Mersatur, missusq; secundo defluit amni.
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti, viuaq; sulphura,
Idæasq; pices, & pingues vnguine ceras,
Scyllamq;, helleborosq; graues, nigrumq; bitumen.

TVRPIS OVES TENT. SCAB.) Ad euitandam scabiem, suprà solum ouilium sterni iussit: *glacies ne frigida lædat Molle pecus, scabiemq́; ferat*. Scabies est durior cutis rubicunda, ex qua pustulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam duriores, quædam sicciores: exit ex quibusdam sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens. Celsus lib. 5. cap. 28.

VBI FRIGID. IMBER) Quatuor caussas ponit Virgilius, ex quibus scabiem oues contrahunt, imbrem frigidum altius in corpus penetrantem, frigus, æstum sudorificum, laniatum à vepribus. Columella lib. 7. & has, & alias plures, & signa nihilominus morbi huius iam adepti, quæ prætermisit Virgilius. Oues, inquit, frequentius, quàm vllum aliud animal infestatur scabie, quæ ferè nascitur, sicut noster memorat poeta, *cum frigidus imber Altius ad viuum persedit*, &c. Vel post tonsuram, si æstiuum sudorem mari, vel flumine non abluas: si tonsum gregem patiaris syluestribus rubis, ac spinis sauciari: si stabulo vtaris, in quo mulæ, aut equi, aut asini steterunt: præcipue tamen exiguitas cibi maciem, macies autem scabiem facit. Hæc vbi cæpit irrepere, sic intelligitur: vitiosum locum pecudes aut morsu scalpunt, aut cornu, vel vngula tundunt, aut arbori adfricāt, parietibusúe detergent. Scabiem, inquit Cato cap. 5. pecori, & iumentis caueto. Id ex fame, & si impluit fieri solet.

Sequitur de his rebus Varronis sententia, lib. 2. cap. 1. Ferè morborum causæ erunt, quod laborant propter æstus, aut propter frigora, nec non etiam propter nimiū laborem, aut cōtra, propter nullam exercitationem, aut si, cum exercueris, statim sine interuallo cibum, aut potionem dederis. Signa autem sunt, vt eorum, qui siue ex æstu, siue è labore febrem habent, adapertum os humido spiritu crebro, & corpore calido. Quid faciendum autem, ne oues scabræ euadant, traditur à Catone cap. 96.

DVLCIBVS ID. FLVVIIS. P. O. MAG.) Dulcis aqua fluuiorum, & fontium, ac puteorum etiam: salsa maris. De magistris pecorum allata testimonia complura Eclog. 2. *Pan curat oues, ouiumq́; magistros.*

MERSATVR) Vide 1. Georg. *Balantumq́; gregem fluuio mersare salubri.* Et Eclog. 9. Damœtas etiam capellas se loturum ait, ob eandem caussam fortasse. *Ipse vbi tempus erit omnes in fonte lauabo.*

AVT TONSVM TRISTI CONTINGVNT) Columella lib. 7. cap. 5. agit de medicinis ouilli pecoris. Facit autem commodè, inquit, si ad fæcem & amurcam, succumque decocti lupini misceas portione æqua detritum album elleborum. Potest etiam scabritiem tollere succus viridis cicutæ, quæ verno tempore, cum iam caulem, nec adhuc semina facit, decisa contunditur, atque expressus humor eius, fictili vase reconditur, &c. Infra. Deinde figularibus tritis, & picis liquidæ, & fricti salis singulos sextarios infundunt: facit etiam sulphuris triti, & picis liquidæ modus æqualis igne lento coactus. Varro lib. 2. cap. 1. Curatio autem, cum hic est morbus, hæc. Perfunditur aqua, & perungitur oleo, & vino tepefacto: & item cibo sustinetur, & iniicitur aliquid, ne frigus lædat: sitienti, aqua tepida datur. De verbo contingere, habes supra, ad illa, *aut parco sale contingunt*.

AMVRCA TRISTI) Oliuæ constant nucleo, oleo, carne, amurca: sanies hæc est eius amara, inquit Plin. libr. 15. cap. 3. Super omnia autem celebrauit amurcam laudibus Cato. Dolia olearia, cadosque illa imbui, ne bibant oleum. Amurca subige areas terendis messibus, vt formicæ rimæque absint. Quin & lutum parietum, ac tectoria, & pauimenta horreorum frumenti, vestiarium etiam contra teredines, ac noxia animalia, amurca aspergi: semina frugum perfundi: morbos quadrupedum, arborum quoque illa medendum, efficaci ad vlcera interiora, humani quoq; oris, &c.

VIVAQVE SVLPHVRA) Ita vetustiora exemplaria, non, *ac sulphura viua*, quomodo in multis hodie libris legitur, & Seruius, ac Macrob. *δακτυλικῶς* legunt. Tale illud in 6. *quin protinus omnia Perlegerent oculis*, quæ nostri Grammatici ferè omiserunt. Sunt ergo versus dactylici, quoniam in vltima sede habent dactylum, vt spondaici, qui spondeum in quinta obtinent. Grammatici etiam hypermetros vocant. In huiusmodi versibus Homerum secutus est Virgilius, parique licentia & acephalos, & longiusculos, deliriisque profluentes imi-

A tatus est, vt Macrob. docet. Crinit. lib. 24. cap. 7. Rhodigin. lib. 26. cap. 10.

IDÆASQVE PICES) Ida Phrygiæ mons, pinis frequens. Pinus autem picis, & resinæ ferax.

SCILLAMQVE) Vulgus cum Varrone squillam vocat. Nobilissima bulborum medicamini præcipuè nata, acetoque exacuendo. De tribus eius generibus consule Carol. Steph. in Horto.

HELLEBOR. GRAV.) Helleborus, aut helleborũ aliud est candidũ, aliud nigrum. Videndus. Pli. lib. 25. cap. 5.

Non tamen vlla magis præsens fortuna laborum est,
Quàm si quis ferro potuit rescindere summum
Vlceris os. ALITVR VITIVM, VIVITQVE TEGENDO;
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, & meliora Deos sedet omina poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
Cùm furit, atq; artus depascitur arida febris:
Profuit incensos æstus auertere, & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam:
Bisaltæ quo more solent, acerq; Gelonus,
Cùm fugit in Rhodopen, atq; in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul aut molli succedere sæpius vmbræ
Videris, aut summas carpentem ignauius herbas,
Extremamq; sequi, aut medio procumbere campo
Pascentem, & seræ solam decedere nocti:
CONTINVÒ CVLPAM FERRO COMPESCE, PRIVS QVAM
DIRA PER INCAVTVM SERPANT CONTAGIA VVLGVS.
Non tam creber agens hyemem ruit æquore turbo,
Quàm multæ pecudum pestes. nec singula morbi
Corpora corripiunt: sed tota æstiua repentè,
Spemq;, gregemq; simul, cunctáq; ab origine gentem.
Tum sciat, aërias Alpes, & Norica si quis
Castella in tumulis, & Iapidis arua Timaui
Nunc quoq; pòst tantò videat, desertaq; regna
Pastorum, & longè saltus, lateq; vacantes.

FERRO RESCIND. VL. OS) Vltimum ac præcipuum scabiei remedium. Laudat hoc consilium poetæ Columella lib. 7. cap. 5. & præstantiorem medicinam vocat, hæc addens. Itaq; resecandum est, & vlcera medicamentis curandum.

ALIT. VIT. VIVITQVE TEG.) Lucret. *Vlcus enim viuescit, & inueterascit alendo*, dum alitur. Sic tegendo, dum tegitur. Suprà, *vritq; videndo*, dum videtur. Hoc ad mores tractum, docet nos, obstandum principiis; seram quippe medicinam parari, cum malum, & improbitas iam inueterauit. Multò celeriora vitiorum, quàm virtutum incrementa experimur.

SEDET OMINA POSCENS) De verbo *sedere* diximus quædam, & non vulgarem quandam eius notionẽ ostendimus in illud 12. Æneid. *sedeant, spectentq; Latini*. quæ quidem omnia ad hunc, similesq; locos accõmodabis. Legendum verò *omina* pro *omnia*, contra vulgatos codices, Canter docet lib. 1. c. 8. hoc etiam versu inter alios multos prolato in medium; Et sanè frequẽter in hac voce apud poetas peccatum est. Peccati caussa, quæ

B innumera mẽda creauit, literarum ordo peruersus, quẽadmodum si pro vis ius, suscipere pro suspicere facias.

DOLOR BALANTVM) Balantes à balatu. Ouium autem proprium est balare, vt anserum stridere, luporum vlulare, &c. Balantum gregem nominauit 1. Georg. Lucret. Balantum pecudes. Spartian. in Antonino Geta. Familiare illi fuit has quęstiones Grammaticis proponere, vt dicerent, singula animalia quomodo vocẽ emitterent, velut, agni balãt, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, eosque de veteribus approbare. Extat item carmen de vocibus animalium, quod vulgò Nasoni adscribitur.

C INTER IMA FERIRE PEDIS) Columella. subiicit deinde (Virgilius) æque prudenter, febricitantibus ouibus de talo, vel inter duas vngulas sanguinem emitti oportere. Nos etiam sub oculis, & de auribus sanguinẽ detrahimus. Varro, si hoc genus rebus non proficitur, dimittitur sanguis, maxime è capite.

ET LAC CONCRETVM) De Concanis Cantabriæ populis Horat. Ode 4.lib.1.idem narrat, videlicet bibere solitos equinum sanguinem, quem illis secta vena detraxerint. *Et lætum equino sanguine Concanum.* Martial. de Sarmatis, siue Scythis, *venit & epoto Sarmata pastus equo.* Plin.libr.18.cap.10. Sarmatarum quoque gentes hac maximè pulte aluntur, & cruda etiam farina, equino lacte, vel sanguine è cruris venis admisto. Brodæus lib. 5.cap.31.cum locum Martialis profert, tum ex Apollinari addit, aut ad Caucasigenas Alanos, ac ad equimulgos Gelonos. Quin eæ quoq; gentes lac equinum potarent, ex eoq; factum caseum (*ἱππάκην* vocãt) ederent, non abnuit Hippocrates. Aptus est huc versus Dionysij ex Periegesi, *ἀλλὰ γὰρ ἵππων, αἵματι μίσγοντες λευκὸν γάλα δαῖτα τίθενται.*

QVAM PROCVL AVT MOLLI) Signa & indicia ouis febri correptæ, & de remedio, missione sanguinis videlicet. Sunt autem signa quinque.

CONTINVO FER. CVL. COMPESCE, &c.) Mala, quæ ad publicam pestem serpunt, non tantum vinclis & carcere, sed ferro etiam coercẽda sunt. Et in eo se magistratus vindices præbere accerrimos debent, qui non frustra gladium portant: sed ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Hic erit allegoricus horum versuum vsus.

DIRA CONTAGIA) Dirum est triste, infestum, & quasi deorum ira immissum. Sic Æneid.libr.4. *vltricesq; sedent in limine Diræ.* Cic. de Senect. Intelligi potest ex his fratribus, qui in Adelphis sunt, quanta in altero diritas, in altero comitas. Nonius.

NON TAM CREBER AGENS) Diligenter prouidendum, & maturrimè succurrendum febricitantibus, ne quod maius inde malum existat. Morbi certè quibus pecudes infestantur, plures sunt, quam fluctus in mari, cum tempestas ingruit. Nec singulas oues singuli morbi inuadunt: sed frequenter vniuersum pecus, & omnis soboles simul ægrotat.

Qui ditissimi erant, inquit Turneb.libr.12.cap.14. suo pecori saltus hybernos, & æstiuos habebant: pecuarijque quoque qui non possidebant saltus, tamen pecus profitentes (alioqui lege censoria commissuri) & scripturam soluentes publicano, in aliis æstiuis, & hybernis pecus pascebant. Varro lib.2.de re rust.cap.1. Itaque greges ouium longe abiguntur ex Apulia in Samnium æstiuatum, atque ad publicanum profitentur, ne si inscriptum pecus pauerint, lege censoria cõmittant. Iterum, quod accidit iis, qui per colles syluestres longinquos solent comitari in æstiua, & hyberna. Ergo æstiua Maroni figuratè pecus pascens in æstiuis, id est, in pascuis æstatis.

TVM SCIAT AERIAS ALPES) Quemadmodum in Alpibus, & Norico, atque Venetia iam olim accidit. Nam fuit quoddam tempus, cum Alpinæ regionis, & Noricum, atque Venetia (si quis ea loca nouit) pecoribus referta essent. Postea vero quam has terras pestilens lues inuasisset, ibi omnes pecudes, omniaque armenta peste extincta sunt. Ac proinde etiamnum hodie, à tanto temporum interuallo, videre est illis in locis deserta pascua, saltus gregibus atq; pastoribus longe lateque vacantes.

IAPIDIS TIMAVI) Iapis nomen proprium Ætoli, qui in agro Veneto oppidum de suo nomine condidit: vnde regio illa, vbi Timauus fluuius est, nomen accepit. Seruius hunc in modum. Iapidis arua Timaui, id est, Venetiam. Nam Iapidia pars est Venetiæ, ab Iapido oppido dicta. Sallust. primam modò Iapidiam ingressus. Huius est fluuius Timauus.

Hîc quondam morbo cæli miseranda coorta est
Tempestas, totoq; autumni incanduit æstu:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum:
Currupitq; lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex: sed vbi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus liquor, omniaq; in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.
Sæpe in honore Deûm medio stans hostia ad aram
Lanea dum niuea circundatur infula vitta
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactauerat antè sacerdos,
Inde neq; impositis ardent altaria fibris,
Nec responsa potest consultus reddere vates:
Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri:
Summaq; ieiuna sanie infuscatur arena.
Hinc lætis vituli vulgò moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit, & quatit ægros
Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix, studiorum atq; immemor herbæ
Victor equus: fontesq; auertitur, & pede terram
Crebrà ferit. demissæ aures, incertus ibidem

Sudor,

Sudor, & ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis, & ad tactum tractanti dura resistit.

Descriptionem istam pestilentiæ cum Lucretiana, & Ouidiana lib. 2. Metam. particulatim cōtulit Scaliger Poet. lib. 5. cap. 11. Lucretius autem suam lib. 6. è Thucydidis lib. 2. sumpsit, & eam cum Thucydidis frustatim comparat in Collation. suis Vrsinus. Lucretij principium tale est.

Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æstus
Finibus Cecropiis funestos reddidit agros:
Vastauitq; vias, exhausit ciuibus vrbem.

Si cui tantum est liberi temporis, & placitum, plures pestilentiæ descriptiones legere, legat Senecam principio Oedipi, Lucanum lib. 6. Silium lib. 14. Manil. lib. 1. Sophoclem Oedipo Tyranno, Capitolinum in M. Antonino philosopho, Herodianum lib. 9. Ammianum lib. 19. Homer. Iliad. lib. 1. Videntur præcipui poetæ, vt notauit Delrius, in hunc quasi communem artis ostentandæ campum excurrisse: valde enim elaboratæ sunt.

Nunc sensum quatuor priorum versuum accipe. Infecto, corruptoque aere, quod autumnalibus diebus contingere inprimis solet, tam atrox lues, tamq; misera animantium strages exorta est, quanta nullo prius tempore, neque vllo loco prius sæuiisse creditur. Neq; enim homines solùm, sed etiam pecudes, tam feræ, quàm domesticæ communi exitio moriebantur: quippe cæli intemperie, & venenato aere tunc omnia pascua, omnes fontes deprauati erant.

MORBO CÆLI) Mirè, quod animalium est, ad inanimum trastulit. Nihil autem est aliud, nisi quod 3. Æneid. dicitur, vbi etiam de pestilentia coorta narratur, *corrupto cæli tractu*. Sic Plaut. Trinum. morbum, & mortem tribuit moribus, eadem licentia.

Nam hic nimium morbus mores inuasit bonos:
Ita plerique omnes iam sunt intermortui.

CORRVPITQ. LACVS) Lucretius.

Hæc igitur subitò clades noua, pestilitasq;
Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas:
Aut alios hominum pastus, pecudumq; cibatus:
Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso.

NEC VIA MORT. SIMPLEX) Nec moriebantur secundum naturalem ordinem, tantùm fuga animæ, sed etiam corporis resolutione. Est autem Sallustij, qui ait, nec simplici quidem morte moriebātur. Expone etiam sic: Ipsum mortis genus erat cum multis malis coniunctum, & ita minimè simplex, id, quod ab ipso poeta disertè declaratur.

NIVEA CIRCVM. INF. VIT.) Infula, fascia, instar diadematis, vittis vtrinque dependentibus. Sinon de se, 2. Æneid. cùm esset pro victima moriturus. *Mihi sacra parari, Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.*

INTER CVNCT. MINISTROS) Minister in scriptis veterum poetarum, cùm de sacrificiis agitur, est popa, qui victimam cædit. Dionys. ὑπηρέτας vocat. Ouid. 2. Fast.

Nominis esse potest succinctus caussa minister,
Hostia cælitibus quo feriente cadit.

A Sic alibi Ouid. Lucan. Lucret. Vide Barnabæ Brisso. Formul. Rom. lib. 1. num. 12.

NEQ. ARD. ALT. FIBRIS) Plinius ait, cor eorum, qui veneno perierint, cremari non posse. Vtrum eadem ratione peste infecta cremari nequeant, considerandum est.

CONSVLTVS VATES) Extispex, qui consulendis extis immolatæ victimæ, futurum præsagiebat.

SVPPOS. TING. SANG. CVLTRI) Æneid. 6. *Supponunt alij cultros.* Vide ibi quid Turneb. dicat, & in Oedipum Senecæ Delrius. Ouid. 1. Metam. de victima. *subitò collapsa sine ictibus vllis Exiguo tinxit subiectos sanguine cultros.*

B SANIE IEIVNA) Sic appellat sanguinem concretum, & corruptum. Seneca Oedip.

Colla tacturus steterat sacerdos
Dum manus certum parat alta vulnus,
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur segnis: patuit sub ictu
Ponderis vasti resoluta ceruix:
Nec cruor ferrum maculauit, atra
Turpis è plaga sanies profusa est.

ET DVLCES ANIM. RED.) De pestilentia Cretensi lib. 3. Æneid. *Linquebant dulces animas.* Propert. *Hanc animam extrema reddere nequitia.* Tacit. lib. 14. Annal. de cæde Agrippinæ. Post hanc vocem cum supremo mixtam gemitu, animam tandem post fera C tristem vulnera reddidit. German.

HINC CANIB. B. RAB.) Per canes blandos forsitan catulos Melitæos significat, qui nobilibus fœminis erant in delitiis. Sed melius est generatim de canibus accipere, quo genere animalium nihil est blandius, nec dominorum amantius. [*Testem producamus M. Tull. 2. de natur. deor. Canum verò tam fida custodia, tamq; amans dominorum adulatio, tantumq; odium in externos, &c.*] De iisdem peste morientibus Lucret.

Et moriebatur cum primis fida canum vis,
Strata viis animam ponebat in omnibus ægram.

QVATIT ÆG. T. A. SVES) Ita Catull. *Hic me grauedo frigida, & frequens tussis Quassauit.* Homines quoque D tussis mortifera vexabat, vt Lucret. ait,

Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore,
Salsaq; per fauces raucas vix edita tussi.

FAVC. ANG. OBESIS) Anginam innuit, quæ à suibus ὑάγχη. Et fauces obesæ, sunt tumentes.

LABIT. INFEL. VICTOR EQVVS) Sed omnium miserrima erat equorum conditio, quotquot ista lues inuaserat. Illi enim cibum, & potum fastidire, pedibus terram crebrò pulsare: aures demittere, multis vicibus, sed incertis tamen, sudorem excernere, eumq; frigidū, præsertim iam morituri. Pellis arida atq; exsucca, & attactu dura, quæq; se attrectanti resisteret.

IMMEMOR HERBÆ) Sic eclog. 8. *Immemor herbarum quos est mirata iuuenca,* Musam videlicet, siue cantum pastorum Damonis, & Alphesibœi.

Hæc ante exitium primis dant signa diebus:
Sin in processu cœpit crudescere morbus,
Tum verò ardentes oculi, atq; attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu grauis: imaq; longo
Ilia singultu tendunt: it naribus ater
Sanguis, & obsessas fauces premit aspera lingua:

Profuit inserto latices infundere cornu
Lenæos: ea visa salus morientibus vna.
Mox erat hoc ipsum exitio: furiisq; refecti
Ardebant: ipsiq; suos, iam morte sub ægra,
(DII MELIORA PIIS, ERROREMQVE HOSTIBVS ILLVM)
Discissos nudis laniabant dentibus artus.

HÆC ANTE EXITIVM) Signa superius dicta ferè mortem ipsam præcedebant. Postquam autem morbus inualuisset, & iam finis vitæ appropinquasset, tum demum oculi erant ardentes, atque inflammati: æger, ac difficilis anhelitus, & interdum cum gemitu, aut singultu cōiunctus: profluuium sanguinis è naribus, linguæ asperitas, & faucium obstructio.

ARDENTES OCVLI) Lucret. quamquam de hominibus.

Principio caput incensum feruore gerebant:
Et duplices oculos suffusa luce rubentes.

ATTR. AB ALTO SPIRITVS) Seneca Oedipo. *Intima creber viscera quassat. Gemitus stridens.* Vt Virgilius attractum ab alto spiritum, sic Horat. sublimem anhelitum dixit, Ode 15. lib. 1. qui videlicet multo extrinsecus hausto aere, & ita dilatatis, & diductis pulmonibus expiratur, & qui ex alto, imoque pectore ducitur: quod accidere solet in magno corporis labore, & longo cursu, vel grauiore aliqua animi cura. Lamb. in Horat. [*Rursum Ode 11. Epod.*

In queis amantem & languor, & silentium
Arguit. & latere petitus imo spiritus.]

Idem quoque dixit, ilia ducere, epist. 1. libr. 5. *Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.* Lucan. *Et defecta grauis longè trahit ilia pulsus.* Plin. de verbasco. Non tussientibus modo, sed & ilia trahentibus auxiliatur. German.

PROFVIT INSERTO) Non inueniebatur vllum remedium, quod vtentem iuuaret. Nam quod aliàs prodesse solebat, id in hoc genere morbi nocebat. Vinum namque in os pecudis infusum per cornu, quo aliàs morbidum pecus optimè curari solet, & in quo vnico fere omnem spem salutis magistri repositam habebant, adeo nihil auxilij contra hanc luem afferebat, vt malum etiam augeret. Nam vino inflammati equi, in sua membra sæuiebant: & (quod ego malum vix hostibus imprecer) sub ægra morte suis dentibus suos ipsimet artus dilaniabant.

CORNV) Infundibulum, fistulam vocat Columella.

LATICES LENÆOS) Periphrasis vini. Nimirum ipse Bacchus Lenæus. Georg. 2. *Huc pater ô Lenæe veni.* Æneid. 1. *Regales inter mensas, laticemq; Lyæum.* Et lib. 4. *Gens epulata toris Lenæum libat honorem.*

ERAT HOC IPSVM EXITIO) Lucret.

Nec ratio remedi communis certa dabatur.
Nam quod alis dederat vitales aeris auras
Voluere in ore licere, & cœli templa tueri,
Hoc aliis erat exitio, lethumq; parabat.

DII MELIORA PIIS) Est optandi formula, per aposiopesin, plena affectus, & enargiæ. Cic. 4 in Anton. Dij meliora: id enim ipsum agimus, ne quis posthac eiusmodi quidquam audeat polliceri. Ouid. epist. Helenes. *Dij melius. similis non fuit ille tui.* Idem Metamorph. *procul ô procul omnia dixit Talia dij pellant.* Et epistola Laodamiæ ad Protesilaum, *Dij precor à nobis omen remo-* A *uete sinistrum.* Tibull. libr. 3. Dij meliora ferant. *Non enim optandi, quam abominandi, & auersandi formula est, Dij meliora. Cic. Philipp. 8. Ergo habet Antonius quod suis polliceatur, nos numquid tale habemus? dij meliora. Liuius lib. 39. Id vbi mulier audiuit, perturbata, dij meliora, inquit. Vide Brisson. Formular. lib. 1. pag. 94. & deinceps.*

ERROREMQ. HOSTIBVS ILLVM) Affine huic illud 2. Æneid. *quod dij prius omen in ipsum conuertant.* Et lib. 8. *Dij capiti ipsius generiq; reseruent.* [*Plurima huiusce modi collegit Brissonius lib. 1.*] Quidam in hoc eodem versu, *ardoremq; hostibus illum*, pro, *errorem*, legi volunt: ego receptam lectionem mutare non possum. Nam error pro furore vsurpatur à Marone, vt supra, Eclog. 8. *vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.* Sæpe autem hic B poeta, & Lucretius errorem pro noxa, & infortunio accipit, vt Græci aliquando πλάνην, & ἁμάρτημα, vt docet eleganti inductione Plutarchus, libr. περὶ εὐθυμίας, &c. German.

A primis ortus nostri incunabulis medullitus hausimus illud mali, quod libenter hostibus nostris, si quid aduersi sit, quantumuis dirũ, & exitiosum imprecemur. Vsitatissimum proinde est Græcis Latinisque scriptoribus, cum magnum aliquod malum significare, ac describere volunt, sine longiore vlla oratione, quidquid id est, hostibus precari. Sophocles Electra.

Εἰ μὲν πέφυκεν ἐσθλά, δὸς τελεσφόρα·
Εἰ δ' ἐχθρά, τοῖς ἐχθροῖσιν ἔμπαλιν μέθες.

C Id est, si quidem bona sunt, dato integra, & ad exitum perducta: sin inimica, & mala, ad hostes transferto. Xenophon ἀναβάσ. γ. οἶμαι γὰρ ἂν ἡμᾶς τοιαῦτα ἂν παθεῖν, οἷα τοὺς ἐχθροὺς οἱ θεοὶ ποιήσειαν. Puto fore, vt talia nobis accidant, qualia dij immortales hostibus suis ingerant. Æschylus Prometheo.

Τοιάδ' ἐπ' ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι Κύπρις.
Talis Venus contingat hostibus meis.

Loquitur de Danai filiabus, quæ maritos suos prima congressus coniugalis nocte interfecturæ essent. Ibid. Prometheus ad Mercurium, gaudij cuiusdam caussam quærentem.

Χλιδῶντας ὧδε τοὺς ἐμοὺς ἐγὼ ἐχθροὺς ἴδοιμι.
D *Voluptuantes sic hostes videam meos.*

Nicand. Theriacis.

Ἐχθρῶν που τέκεα κεῖνα τεράατ' ἐμπελάσειεν.
Hæc portenta hostes feriant, adigantq; sub vmbras.

Talis est Aristotelis illa imprecatio apud Stobæum, ad fastuosiorem adolescentem. Qualem te esse existimas, talem ego me optarim: at cuiusmodi reuera es, τοιοῦτοί μοι ἐχθροὶ γένοιντο, tales mihi obtingant hostes. Apuleius lib. 2. Hostes, inquit, & omnes inimici nostri tam diram, immo verò Vlyssæam peregrinationem incidant. Ad poetas transeamus. Terent. Heauton. *Ah, obsecro te, istuc inimicis nostris fiet.* Plaut. Asin. *Vtinam malè qui mihi volunt, sic rideant.* Horat. Ode 27. lib. 3.

E *Hostium vxores, puerique cæcos*
Sentiant motus orientis hœdi, &
Æquoris nigri fremitum.

Ouid. *Hostibus eueniat conniuia talia nostris.* Et 3. de Art.
Hosti-

Hostibus eueniat tam fœdi caussa pudoris. Et 3. Fast. *Eueniat nostris hostibus ille color.* Propert. lib. 3. *Hostibus eueniat lenta puella meis.* Ex Chiliad. Lamb. in Horat. Iunij Cent. 1. adag. 22.

Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem:
Extremoſq; ciet gemitus. it triſtis arator
Mœrentem abiungens fraterna morte iuuencum,
Atq; opere in medio defixa relinquit aratra.
Non vmbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata mouere animum: non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Soluuntur latera, atq; oculos ſtupor vrget inertes,
Ad terramq; fluit deuexo pondere ceruix.
Quid labor, aut benefacta iuuant? quid vomere terras
Inuertiſſe graues? atqui non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ.
Frondibus, & victu paſcuntur ſimplicis herbæ:
Pocula ſunt fontes liquidi, atq; exercita curſu
Flumina: nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.

ECCE AVTEM DVRO) Exemplum de boue variis modis amplificatum.

ABIVNGENS IVVENCVM) Abiungere, & iungere equos aut boues, contraria ſunt. Interiungere equos eſt, cum itinere, aut labore fit pauſa, & disiuncti à curru, reficiuntur ſuo pabulo, vt fit plerumque ad meridianum tempus. *wannn man einkehret, oder außſpannet.* Deinde rurſus iunguntur.

NON VMBRÆ ALTORVM NEMORVM) Locus iſte perſimilis eſt Lucretiano illi lib. 2. videturque ex eodem expreſſus. Eſt autem de vacca vitulum amiſſum requirente, & ob eum omnia faſtidiente.

At mater virides ſaltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus veſtigia preſſa biſulcis,
Omnia conuiſens oculis loca, ſi queat vſquam
Conſpicere amiſſum fœtum: completq; querelis
Frondiferum nemus aſſiſtens, & crebra reuiſit
Ad ſtabulum, deſiderio perfixa iuuenci.
Nec teneræ ſalices, atq; herbæ rore vigentes,
Fluminaq; vlla queunt ſummis labentia ripis
Oblectare animum, ſubitamq; auertere curam.

NON MOLLIA PRATA) Eclog. 10. *hic mollia prata Lycori.* Mollia, propter gramen molle.

PVRIOR ELECTRO) Nam ſicut electrum cæteris metallis defæcatius eſt omnibus, ita & currens aqua cæteris purior. Seruius.

QVID LABOR, AVT BENEFACTA) Neque hic benemerito tauro labores præteriti, & tot impenſæ operæ quidquam proderant: neque illum à peſtilentia defendebat, quod duriſſimas terras collo toties inuertiſſet, & maxima beneficia in communi vita mortalibus præſtitiſſet. An non igitur iure optimo exclamet quiſpiam? quæ nam iſta rei iniquitas, quod inculpata, & ſalutaria hominibus iumenta, communi pœna cum ſce-
A leratis mortalibus plectuntur? Hæccine gratia reddenda de hominum vita bene merentibus bobus? hoccine officium deorum immortalium, peſte occidere innocentes, atque immerentes pecudes? Atqui illis morbus iſte non obuenit ex aliqua cibi, & potionis intemperantia. Neq; enim illis aut vinum ſapidiſſimum, aut epulæ exquiſitiſſimæ morbos afferre poſſunt, quemadmodum voluptariis, & genio deditis hominibus. Quippe victu vtuntur ſimplici herbarum & graminum. Potui illis humor eſt fontium, aut riuorum, amniumque decurrentium aqua: neque ipſæ ſtudio rei augendæ, quod faciunt auari, ſomnos ſibi abrumpunt: ſed omnis curæ, omniſque ſollicitudinis expertes, in diem viuunt. At nihilo-
B minus tamen communi lue cum voluptariis, & conſceleratis hominibus armenta, & pecudes intereunt.

MASSICA BACCHI MVNERA) Æneid. 7. *vertunt felicia Baccho Maſſica.* Horat. Ode. 1. lib. 1.

Eſt qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die
Spernit.

EPVLÆ REPOSTÆ) Abundantes, variæ, quæ ſemel abſumi nequeunt.

SIMPLICIS HERBÆ) Propter epularum varietatem dixit *ſimplicis.*

SOMN. ABRVMP. CVRA SALVB.) Curis impediri, turbariq; ſomnum, puto eſſe neminem, qui non
C experiundo didicerit. Cic. ad Att. epiſt. 16. lib. 2. Primùm epiſtola illa ita me pupugit, vt ſomnum mihi ademerit. locus inſignis eſt 4. Æneid. de Didone, cuius animus erat in amore Æneæ heu nimium occupatus. Vide dicta 10. Æneid. ibi, *Æneas (neq; enim membris dat cura quietem).* Laudes ſomni habes apud Senecam Hercule Fur. choro 4. Et comment. Delrij, pag. 292.

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boues Iunonis, & vris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Ergo ægrè rastris terram rimantur, & ipsis
Vnguibus infodiunt fruges: montesq; per altos
Contenta ceruice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias explorat ouilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat. timidi damæ, ceruiq; fugaces
Nunc interq; canes, & circum tecta vagantur.
Iam maris immensi prolem, & genus omne natantum
Littore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit: insolitæ fugiunt in flumina phocæ.
Interit & curuis frustra defensa latebris
Vipera, & attoniti squamis astantibus hydri.
Ipsis est aër auibus non æquus, & illæ
Præcipites alta vitam sub nube relinquunt.

QVÆSIT. AD SACRA. B. IVN.) Argiua sacerdos curru vehebatur in Iunonis templum. Hinc illud 1. Tuscul. Deorum immortalium iudicia solent in scholis proferre de morte: nec vero ea fingere ipsi, sed Herodoto auctore, aliisque pluribus. Primùm Argiæ sacerdotis, Cleobis & Biton filij prædicantur. Nota fabula est. Cum enim illam ad solemne, & statum sacrificium curru vehi ius esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque iumenta, tunc iuuenes ij, quos modo, nominaui, veste posita corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserunt: ita sacerdos aducta in fanum. Cum currus ductus esset à filiis, precata deam dicitur, vt illis præmium daret, quod maximum dari posset à deo. Pòst epulatos cum matre adolescentes, somno se dedisse, mane inuentos esse mortuos. Talem igitur vecturæ necessitatem Virgilius modò insinuat.

VRIS IMPARIBVS) Vris imparibus, secundum Seruium, inæqualibus: nimirum quod penuria, & pecoris internecione illud sæculum non modo cicuribus, & mansueris bobus, sed feris, agrestibus, iisque imparibus, & obuiis ad vecturas vti cogeretur. Veteres quippe, & nostræ ætatis homines, non solum in opere rustico faciendo, ex armento veterina paria delecta coniungebant, & comparabant, sed inter vrbanas delicias, in carpentis, vectabulis, triumphantiumque curribus ad venustatem idem quoque obseruabant: vt & Iureconsultus iugum, parque mulorum ex æqualitate commendat, & altero iugalium sublato, aut oblæso, propter imparitatem depretiati iugi damnum, multamque maioris æstimat, &c. German.

ALTA AD DONARIA) Hic donaria pro templis: sicut aliquando puluinaria.

ERGO Æ. RAST. TER.) Mirandnm itaque non est, si peste ènectis bobus, homines ipsi tunc terram fodiebant, rastris arabant, digitis occabant, frugesque vnguibus operiebant, & ex altissimis montibus plaustra ceruice deuehebant. Illud fortasse non ab re miretur quispiam, quod hac lue grassante, pax & concordia inter omnes animantes, alioqui sibi inuicem aduersissimas, coalescebat. Metu pestis turbatæ vagabantur, nec licebat vita spoliare alias, quando ipsæ, de sua tam erant sollicitæ.

NON LVPVS INSID. OVIL. CIRCVM) *Triste lupus stabulis*, Eclog. 3.

NOCTVR. OBVMB.) nocturnus, pro noctu. Vide annotata lib. 8. Æneid: ibi, *Nec minus Æneas se matutinus agebat.*

TIMIDI DAMÆ, CERVIQ. FVG.) Eclog. 8. *Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.* Seneca Oedipo.

Non lupos cerui metuunt rapaces:
Cessat irati fremitus leonis,
Nulla villosis feritas in vrsis.

Cerui fugaces sunt, quia timidi. Quia & homini sæpe pedibus timor addidit alas.

IAM MARIS IMMENSI PROLEM) Quid, quod hoc genus contagij, non modo terram omnem longè latéque infestabat: sed aquas etiam, & immensa maria perreptabat? Nam vndis corruptis, pisces in mari extinguebantur, mortuique in littus, non aliter ac naufragio eiecta corpora, à fluctibus propellebantur: phocæ pestilenti maris aqua turbatæ, grauiterque offensæ, in fluuios se receptabant.

PHOCÆ) vituli marini, qui spirant, & dormiunt in terra, vt scribit Plin. lib. 9. cap. 7. quod etiam 4. Georg. dicitur. *Sternunt se somno diuerso in littore phocæ.*

IPSIS EST AER AVIBVS NON ÆQVVS) Lucret.

Nec tamen omnino temere illis sedibus vlla
Comparebat auis, nec tristia sæcla ferarum
Exibant syluis, languebant pleraq; morbo,
Et moriebantur.

Præterea, nec iam mutari pabula refert:
Quæsitæq; nocent artes: cessere magistri,
Phillyrides Chiron, Amythaoniusq; Melampus.
Sæuit & in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone: morbos agit, antè metumq;,
Inq; dies auidum surgens caput altius effert.
Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes,

Aren-

Arentesq; sonant ripæ, collesq; supini.
Iamq; cateruatim dat stragem, atq; aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadauera tabo:
Donec humo tegere, ac foueis abscondere discunt.
Nam neq; erat coriis vsus: nec viscera quisquam
Aut vndis abolere potest, aut vincere flamma.
Nec tondere quidem morbo, illuuieq; peresa
Vellera, nec telas possunt attingere putres.
Verùm etiam inuisos si quis tentarat amictus,
Ardentes papulæ, atq; immundus olentia sudor
Membra sequebatur: nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus sacer ignis edebat.

NEC. I. MVT. PAB. REF.) Quod aliâs præsentissimum in hoc casu remedium, maximeque salutare esse consueuit, vt pabula mutentur, & aquationes totius regionis, & alius quæratur status cæli, hoc ipsum nihil quidquam contra hanc pestem, quamcunque pecudem iuuabat. Quidquid enim auxilij ab arte medica petebatur, id non modò malum hoc non leniebat, sed insuper ægrotantibus noxam afferebat. Proinde optimi quique medici, omni spe salutis abiecta, ægros deserebant, & magnitudine mali superati, remedia omittebant. Erat omnium rerum facies miserabilis, contagiosa lue in dies crescente, & paulatim longius, latiusq; proserpente, homines ipsi pauore exanimati, ac metu trepidi, vulgò dicebant, infernales Furias ex erebo in lucem emissas, quæ res mortalium crudelissimè sursum ac deorsum agitarent.

QVÆSIT. NOCENT. A) Lucret.

Nec requies erat vlla mali, defessa iacebant
Corpora, mussabat tacito medicina timore.

Thucyd. *οὔτε ἰατροὶ ἤρκουν τὸ πρῶτον θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ, ἀλλ' αὐτοὶ μάλιστα ἔθνῃσκον, ὅσῳ καὶ μάλιστα προσῄεσαν.*

PHYLL. CHIRON) Phyllyram Oceani filiam Saturnus vitiauerat, ex quo furto Chiron centaurus est procreatus. Ouid. 6. Metam. *Vt Saturnus equo geminum Chirona creauit.* Meminit etiam Arnob. lib. 9. cum contemptu senis vsqueadeo salacis. Eius verba sequuntur. Nunquid senex Saturnus, iam dudum obsitus canis, atq; annorum vetustate iam frigidus, vestris carminibus indicatur ab vxore in adulterio comprehensus, induisse formam feri, & sub pecoris specie hinnitibus euolauisse iactatis? Chiron, & Melampus hoc loco ponuntur pro insignibus medicis. Chiron, ait Plin. lib. 7. cap. 36. herbarum vires ad medicamenta reperit.

AMYTHAON. MEL.) De Melampo, seu Melampode medico excellentissimo affert multa Tiraquell. de Nobilit. cap. 31. num. 221. Eum primùm docuisse medicamentis, & purgationibus sanare, auctor Apollodorus, & Pausan. in Arcadicis. Curauit Prœtidas, de quibus eclog. 6. Virgil. *Prœtides implerunt falsis mugitibus agros.*

MORBOS AG. A. METVMQVE) Aliter, & in alia re Tibull. lib. 1. eleg. 2. *Ille licet Cilicum victas agat ante cateruas.*

BAL. PEC. ET CREB.) Nullus locus ab isto malo immunis, omnesq; fluuij, omnes ripæ, omnes colles pecudum morientium balatu, & taurorum subita peste cadentium horribili mugitu personabant. In ipsis stabulis tanta pecudum strages edebatur, vt cadauera interemptorum illic cateruatim aggesta iacerent: donec tandem fossis latissimis, in altitudinem 15. pedum eductis, humarentur, & terra contegerentur. Greges peste consumpti inhumandi sunt, quia corium vellusq; pestiferum est.

IAMQ. CATERV.)

Inde cateruatim morbo, mortiq; dabantur. Et,
Confertos ita aceruatim mors accumulabat.

NAM NEQ. E. C. VSVS) Corium etsi detrahi poterat, non erat tamen vsui. Nec poterant ablui intestina, nec concremari: nec tonderi vellera, erosa vi pestis lana. Quod si quid etiam telæ inde factum esset, attingi sine pernicie non poterat. Papulæ ardentes, & pustulæ in toto corpore repente existebant, & dolor membrorum deterrimus, ac sudor immundissimus continuò sequebatur. Paulò pòst insanabilis sacer ignis, quem pusulam vocant pastores, sic hominem, & pecudem obruebat, vt illo omnes ægrotantis artus absumerentur, neq; medicamentorum, neq; ferri remedia morbus vlla in parte pateretur, ac pæne ad omnem tactum excandesceret.

SACER IGNIS) Seneca Oedipo. *Oculiq; rigent, & sacer ignis pascitur artus.* Sacrum ignem sacrum morbum falso interpretatur Seruius: sacer enim morbus, est morbus caducus, seu, Herculeus. At sacer ignis vulgò dicitur ignis S. Antonij, de quo Columella lib. 7. cap. 5. Est etiam insanabilis sacer ignis, quam pusulam vocant pastores. ea nisi compescitur, intra primam pecudem, quæ tali morbo correpta est, vniuersum gregem contagione prosternit: sic quidem, quod neq; medicamentorum, nec ferri remedia patitur, &c. Sola tamen ea fomenta non aspernatur lactis caprini: quod infusum tantum valet, vt & blandiatur igneam sæuitiam, differens magis occidionem gregis, quam probibens. De hoc igne & Lucret. lib. 6.

Corpus, vt est, per membra sacer cum diditur ignis.
Existit sacer, ignis & vrit corpore serpens.
Quamcunq; arripuit partem.

Sacer ignis, inquit Celsus libr. 5. malis vlceribus annumerari debet.

TERTII LIBRI GEORGICORVM FINIS.

SYM-



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER V.

Ad quartum Georgicorum.

SYNOPSIS.



Lurimùm profectò honestissimæ delectationis parit iste liber, ingeniumq; poetæ ad excogitandum vberrimum luculenter pandit: quippe qui in re tenui atque humili tam multa inuenire potuit, quæ cum tanta dignitate pertractaret. Quare non vulgarem ex ista scriptione laudem, admirationemq; consecutus est, dum hoc insecti genus, & istas mellificas matres tam laudabiles, & suspiciendas omnibus efficere studuit. Augurium de hac sua gloria fecit ipsemet illis verbis, In tenui labor: at tenuis non gloria, si quem Numina læua sinunt, &c. *Nec eum fefellit. De apibus multa Plinius, & scitissimè paucis verbis lib. 11. cap. 5.* Inter omnia insecta principatus apibus, & iure præcipua admiratio, solis ex eo genere hominum caussa genitis. Mella contrahunt, succumq; dulcissimum, atq; subtilissimum, ac saluberrimum. *Ante omnia, quasi de re eximia, & magna, seu de re non magna magnificè scripturus, attentionem comparat. Prima præceptio est de sede apum, qualis vitanda, qualis deligenda: vbi vtriusque proprietates enumerantur, ne quid mellificij studiosos latere possit. Hinc de alueari siue è corticibus, siue è salignis virgulis conficiendo, ac diligenter perungendo, deque angusto eius ore, siue aditu: vt hyeme quidem quàm minimum frigoris, æstate quàm minimum caloris admittat: ne vel algore hyberno mel congelascat, vel æstiuis feruoribus resoluatur, liquescatq; penitus. Quidquid tetri odoris est seu in plantis, seu in rebus aliis, remouendum ab aluearibus, ac recedendum à rupibus, vallibusque, vbi per echo voces repercutiuntur: ne huiusmodi pulsibus alternis iactentur misellæ. Exponitur deinceps earum multiplex labor, & industria, qua redeunte æstate funguntur. Quanquam non modò fugæ, & quasi coloniæ deducendæ, verumetiam pugnæ atque conflictus nonnunquam se foras penetrant è cubilibus. Seditione tanquam ciuili concitata, hostilibus animis congrediuntur, & vtraque pars ducem, regemque suum consequitur. Hoc loco atrocitas dimicationis lectori velut oculis spectanda subiicitur. Sed enim ea interiectu modici pulueris compressa finitur. Quod quando futurum sit, certis quibusdam indiciis mellarius prædiscere poterit. Discrimen inter reges aperitur, quorum melior conseruari, deterior interfici iubetur. Regum suorum similitudinem gerunt ipsæ etiam apes: nimirum vt iis vel elegantia, vel deformitate respondeant. Docet porrò quomodo in aluearijs retinendæ sint, ne foris ludibundæ vagentur, fugamq; capessant: nempe si regi alæ euellantur: qui si intra alueare manserit, nulla apum erumpere audebit.*

audebit. Præterea si locum apiarij fragrantibus herbis, ac floribus, naturæ apum conuenientibus conseras. Ponendus etiam in vestibulo Priapus tutelaris Deus. Et quamuis res ipsa, institutumque videatur postulare, inquit, vt, cùm sine herbis, floribusque nequeant pabulari, & mella generare, ego nonnihil de hortorum cura, serendisque, & tractandis floribus atque herbis disseram, tamen cùm in extrema parte operis mei verser, & ad finem iam prodeat ipsa rerum rusticarum à me susceptarum explicatio, melius fore duco, vt id alijs relinquam. Vidi certè senem quendam Tarenti, cui cùm à patre pro herediolo paruus agellus obuenisset, nec is vel pastioni, vel segeti, vel vitibus idoneus, perfecit ille labore ac diligentia sua, vt rebus omnibus, quibus horti commendantur, abundaret. Mox ad apum naturam, moresque dispiciendos descendit, vbi multa sanè diuinæ sapientiæ admirandæ, & collaudandæ materia, quæ in tantillis bestiolis quoque singulari modo elucet. Communis eis soboles, commune domicilium: in medium quæsita conferunt: habent à natura sibi inscriptas leges, quibus obtemperant: sunt inter eas distributa munera, nec omnes administrãt omnia, quemadmodum videlicet in bene ordinata ciuitate fieri solet. Mitto reliqua, ne longus sim. Inprimis autem mirabile est, quòd Veneris penitus expertes, citra concubitum, è solis flosculis sobolem progignunt. Fuerunt igitur, qui apum studia, rationesque considerantes attentius ac diutius, illis partem humanæ mentis inesse crederent. His doctrina de castrandis alueis, siue de mellatione subnectitur. Sunt nihilominus etiam morbis quibusdam subiectæ, in quos cùm inciderint, nosse debet mellarius, quo pacto curentur. Hîc signa ægrotationis, & remedia traduntur: ac postremò liber fabula Aristæi concluditur: quem Cyrene mater perdocet, quomodo amissas reparare liceat. Monet Seruius, vltimam huius libri partem mutatam esse: habuisse enim prius Galli laudes, cui cum poeta necessitudo summa fuit, & in quem scripta est vltima Ecloga. Pòst verò Gallo occiso, Augusti voluntate hoc figmentum esse suppositum, cuius mira iucunditas. Qui volet delectare otium suum pernoscendis apum rebus ἐν ἐπιτομῇ, legat extremum dialogum meum, 26. volum. 3. qui inscribitur Villatica pastio. *Coarctauimus enim, quæ à scriptoribus georgicis fusius disseruntur. Testimonium porrò, quod Maroni ob istam tractationem impertiuit Columella lib. 9. cap. 2. visum adiungere. Venio nunc ad alueorum curam, de quibus neq; diligentius quidquam præcipi potest, quàm ab Hygino iam dictum est, nec ornatius, quàm Virgilio, nec elegantius quàm Celso. Hyginus veterum auctorum placita secretis dispersa monumentis industriè collegit. Virgilius poeticis floribus illuminauit. Celsus vtriusq; memorati adhibuit modum.*

EXPLANATIONES.

Rotinus aerij mellis cælestia dona
Exequar: hanc etiam Mæcenas aspice partem.
Admiranda tibi leuium spectacula rerum,
Magnanimosq; duces, totiusq; ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.
IN TENVI LABOR, AT TENVIS NON GLORIA, si quem
Numina læua sinunt, auditq; vocatus Apollo.

PROTIN. AERII MELL. C. D. ADMIR. TIBI, &c.) A Bene Seruius, poetam [illegible], de rebus minimis dicturum, magna promittere, materiamq; leuem subleuare, & attentum facere auditorem. Attentio enim comparatur, cum nos de rebus magnis, nouis, mirabilibus, inusitatis dicturos pollicemur. *Protinus* est porrò, sine intermissione, continuò, vide Nonium. Expone etiam, deinceps, exinde. Quid est autem aerij mellis? Mel, inquit idem Seruius, ex rore colligitur, qui vtique ex aere defluit. Vnde est & *cælestia dona*, id est, munera deorum.

Omninò mellis genera tria sunt, vernum, æstiuum, syluestre. Æstiui generis mel illud est, quod horæum vocatur, à tempestiuitate præcipua, ipso Sirio exsplendescente, post solstitium, diebus 30. ferè. Immensa circa hoc subtilitas naturæ mortalibus patefacta est, nisi fraus hominum cuncta pernicie corrumperet. Namque ab exortu sideris cuiuscunque, sed nobilium maximè, aut cęlestis arcus, si non sequantur imbres, sed ros tepescat solis radiis, medicamenta, non mella gignuntur, oculis, vlceribus, internisque visceribus dona cælestia.

Vide Plin. libr. 11. cap. 14. 15. 16. inde percipies his epithe- A tis non hyperbolicam laudem, sed physicam veritatem contineri.

CÆLESTIA DONA) Siue quod Iupiter melle nutritus sit in insula Creta: siue quod in aëre concipiatur. Nam vt ait Cornel. Celsus, apes ex floribus ceras faciunt, ex rore matutino mel. Philargyr.

HANC ETIAM MÆCEN. ASP. PARTEM) Sicut aspexisti reliquas tres priores: omnes enim tibi vni dicantur, & offeruntur. Aspice ergo & hanc, faue huic quoque; liceat mihi tuis auspiciis & hanc exequi. Fauoris notionem habet interdum hoc verbum *aspicere* Vt 2. Æneid. Anchises ad Iouem. *Aspice nos, hoc tantum.* Si quis tamen explicet, sume in manus hanc quoque partem: dignare & hæc legere, non admodum ei aduerser. De vera autem, & germana scriptura huius nominis Mæcenas, consule Mureti annotat. ad Oden 1. libr. 5. apud Horat. & Lamb. Comment. ibidem. Diximus nónulla ad 1. Georg. ibi. *Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram Vertere Mæcenas*, &c. Eundem virum ex optimis scriptoribus laudauimus. Nunc rursum, vt poëtarum amicum maximum, tutorem, patronum, & altorem, quod quidem illi sempiternæ gloriæ fructum attulit, ex Panegyrico Lucani ad Pisonem ornabimus.

Ipse per Ausonias Æneia carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat olympum,
Mæoniumq́; senem Romano prouocat ore,
Forsitan illius nemoris latuisset in vmbra,
Quod canit, & sterilis tantum cantasset auena,
Ignotus populis, si Mæcenate careret.
Qui tamen haud vni patefecit limina vati,
Nec sua Virgilio permisit nomina soli.
Mæcenas tragico quatientem pulpita gestu
Erexit Varium, Mæcenas alta Tonantis
Eruit, & populis ostendit nomina Graiis.
Carmina Romanis etiam resonantia chordis,
Ausoniamq́; chelyn gracilis patefecit Horati.
O decus, & toto meritò venerabilis æuo,
Pierij tutela chori, quo præside tuti
Non vnquam vates inopi timuere senecta.

ADMIRANDA LEVIVM SPECTACVLA RER.) De quibusdam admiratoribus apum, earumque naturæ studiosissimis inuestigatoribus ita scriptum à Plinio libr. 11. cap. 9. Ne quis miretur, amore earum captos Aristomachum Solensem, duodesexaginta annis nihil aliud egisse: Philiscum verò Thasium in desertis apes colentem, Agrium cognominatum: qui ambo scripsere de his.

IN TENVI LABOR, AT) lib. 2. Georg.

Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam sit, & angustis hunc addere rebus honorem.

Compensatio est laboris, quod magnam dat gloriam, B si fuerit materia exilis ornata. Seruius.

Sunt quædam res, quæ, quod Quintilianus dicit de Grammatica, plus habent in recessu, quàm fronte promittunt, in speciem exiguæ: sed si bene tractentur, magnarum vtilitatum conciliatrices, & honoris etiam non vulgaris quibusdam: qualia item artificia quædam illiberalia cæteroqui, & quæ tibimet cogitanti similia occurrent. Quales sunt scriptiones quædam poëtarum, præter hác, de bestiolis: vt Hom. de bello ranarū, & murium, Hieron. Vidæ de bombycibus, & aliorū de aliis.

NVM. LÆVA SINVNT) Dextro Castore, vel Hercule fieri dicitur, quod fit propitio, & fauente Castore, vel Hercule. Ex contrario igitur etiam intelligi possunt C læua, etsi aliter quoque explicari animaduerto. Turneb. lib. 29. cap. 35. Græci quoq; λαιοὺς, & σκαιοὺς θεοὺς vocant, vt ἀγαθούς. German.

Simulacrum dei Veiouis, quod est in æde, inter arcem & Capitolium, sagittas tenet, quæ videlicet sint paratæ ad nocendum. Propterea Virgilium quoque aiunt multæ antiquitatis hominem, sine ostentationis odio peritum, numina læua deprecari, significantem quādam vim esse huiuscemodi deorum in lædendo magis, quàm in iuuando potentem. Gell. libr. 5. cap. 12. * *Ex sententia igitur Gellij,* numina læua *erunt sinistra, noxia, magisq; lædentia, quam iuuantia numina. Vide Beroald. Annotat. in Seruium in extremo.*

Principiò, sedes apibus, statioq́; petenda,
Quò neq; sit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neq; oues, hœdiq́; petulci
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & surgentes atterat herbas.
Absint & picti squalentia terga lacerti
Pinguibus à stabulis, meropesq́;, aliæq́; volucres,
Et manibus Progne pectus signata cruentis.
Omnia nam latè vastant, ipsasq́; volantes
Ore ferunt, dulcem nidis immitibus escam.

PRINCIPIO SEDES APIBVS) De apium rebus, naturaq́; præcepturus, meritò à tali principio est exorsus. Habebat enim ante oculos prudens, & cautus poëta, quàm imbecilla esset earum natura, quódque in condenda illarum vrbe potissimùm erat inspiciendum, locus vt is eligeretur, qui incolentium vitæ esset præcipuè accómodatus. Idq; prudenter, & appositè, & secundùm naturam. Iouian. Ægid. dial.

De sede apibus paranda, seu de loco sedis, ita Varro lib. 3. cap. 16. μελιττῶνας, quos alij μελιττοτροφεῖα (latinè apiaria, mellaria, aluearia) faciendum primùm secundùm villam, potissimùm vbi nó resonent imagines: hic enim sonus, horum fugæ caussa existimatur esse. Vbi aër temperatus, neque æstate feruidus, neque hyeme non apricus, vt spectet potissimùm ad hybernos ortus, & prope se loca habeat, vbi pabulum sit frequens, & aqua pura.

Columella libr. 9. cap. 4. probatis apibus destinari debent pabulationes secretissimæ, vt & noster pręcepit Maro, viduæ pecudibus, aprico, & minimè procelloso cæli statu. Copiosè de eadem re cap. sequenti. Sedes apibus collocanda est contra brumalem meridiem, procul à tumultu, & cœtu hominum, ac pecudum, nec calido loco, nec frigido, nam vtraq; re infestantur. Hæc autem sit ima parte vallis, & quæ sequuntur de apium castris, vt vocat Palladius lib. 1. cap. seu tit. 37.

STATIO-

STATIO Q. PET.) A re militari. Et meritò, ſuprà enim, *Magnanimosq́ duces, & prælia dicam*. Statio locus vbi naues, aut milites ad tempus ſtant. Virgil. 9. Æneid. *Succedunt ſeruantq́ vices ſtatione relicta.* Cæſar lib. 4. de bell. Gall. Hi qui pro portis caſtrorum in ſtatione erant, Cæſari renuntiarunt.

QVO NEQVE SIT VENTIS ADITVS) Notandum, poetam in loco apibus habendis idoneo deſcribendo primùm recenſere, quæ apibus incommodant, & quæ omnino abeſſe ab earum caſtris oportet, vt ſunt venti, pecudes quædam, ſerpentes, & volucres.

HOEDI Q. PET.) Quis ignorat petulans, & laſciuum animal eſſe hœdum? Seneca Hercule Fur.

Errat curſu leuis incerto
Molli petulans hœdus in herba.

Petulantes, & petulci etiam appellantur, inquit Feſtus, qui proteruo impetu, & crebrò petunt lædendi alterius gratia. Deinde hunc locum teſtem laudat. Lucret. lib. 2.

Præterea teneri tremulis cùm vocibus hœdi
Cornigeras norunt matres, agniq́ petulci.

Petulcus autem qui petit, ea forma dicitur, qua hiulcus, qui hiat, vt tradit Cariſius.

ABSINT ET PICTI LACERTI) Abſint etiam lacerti, & ſtelliones, omniſque generis venenata animalcula: ne aut herbæ ac flores eorum afflatu inficiantur, & apibus pabulantibus noxam pariant: aut in aditu aluei lacertus, velut cuſtos veſtibuli, prodeuntibus apiculis inhiet, ipſiſque exitium afferat. Præterea iiſdem à locis arceantur volucres, præſertim hirundines, & meropes. Nam ab iſtis auibus apes mordicus apprehenduntur, & deglutiuntur. Stellionem, lacertæ ſimilem intellige, de quo infrà, *nam ſæpe fauos ignotus adedit Stellio.* Tamen & lacerti à Columella & Palladio inter apum hoſtes numerantur.

PING. A STAB. Pinguitudinem mellis, & propter mella, pinguia ſtabula intelligimus.

ET MANIBVS PROGNE) Hirundinis periphraſis. Progne tamen potius in luſciniam verſa dicitur, Philomela in hirundinem. Verùm iſta figura in vicinis & cognatis vnam rem pro altera nominandi, valdè trita eſt poetis. Fabulam vide apud Natal. Comitem lib. 7. cap. 10.

PECTVS SIGN. CRVENT. Ouid. 6. Metamorph. *neq; adhuc de pectore cædis Exceſſere notæ, ſignatáq́ ſanguine pluma eſt.*

DVLCEM NIDIS IMMITIBVS ESC.) Lib. 12. Æneid. de hirundine, *pabula parua legens, nidisq́ loquacibus eſcam.*

At liquidi fontes, & ſtagna virentia muſco
Adſint, & tenuis fugiens per gramina riuus,
Palmaq; veſtibulum, aut ingens oleaſter obumbret:
Vt cùm prima noui ducent examina reges
Vere ſuo, ludetq; fauis emiſſa iuuentus,
Vicina inuitet decedere ripa calori,
Obuiaq; hoſpitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, ſeu ſtabit iners, ſeu profluet humor,
Tranſuerſas ſalices, & grandia coniice ſaxa:
Pontibus vt crebris poſſint conſiſtere, & alas
Pandere ad æſtiuum ſolem, ſi fortè morantes
Sparſerit, aut præceps Neptuno immerſerit Eurus.
Hæc circùm caſiæ virides, & olentia latè
Serpylla, & grauiter ſpirantis copia thymbræ
Floreat, irriguumq; bibant violaria fontem.

AT LIQ. F. ET STAG.) Varro libr. 3. cap. 16. quod totum eſt de apibus. Cibi pars quoque potio, & ea iis aqua liquida, vnde bibant, eſſe oportet: eamque propinquam, quæ præterfluat, aut in aliquem locum influat: ita vt ne altitudine aſcendat duo, aut tres digitos: in qua aqua iaceant teſtæ, aut lapilli, ita vt extent paulum, vbi aſſidere, & bibere poſſint. In quo diligenter habenda cura, vt aqua ſit pura: quod ad mellificium bonum vehementer prodeſt. Columella lib. 9. cap. 5. Tum perennis aqua, ſi eſt facultas, inducatur, vel extructo canali manu detur, ſinè qua neque faui, neque mella, nec pulli denique figurari queant. Ariſtotel. lib. 8. hiſtor. animalium cap. 11. Apis nulla putidis aſſidet, nec vtitur alio cibo, quàm dulci: aquam enim inde libentiſſimè hauriunt, quam ſinceri, clariſſimique fontes ſcaturiunt.

PALM. VESTIBVLVM) Prope aluearia ſunt item habendæ arbores, velut palmæ, oleaſtri, & ſimiles non ingratæ apibus: vt cùm vere nouo ſe profundunt examina, & fauis emiſſa in aprico ſole ludunt, continuò aut ripam aquæ vicinæ, aut ramos vmbroſæ arboris petere, ibique æſtus vitandi cauſſa aliquantiſper diuerti, & conquieſcere poſſint.

FAVIS EMIS.) Fauus eſt, quem fingunt multicauatum è cera, cùm ſingula caua ſena latera habeant, quot ſingulis pedes dedit natura. Varro.

IN MEDIVM SEV STABIT) Repetitur præceptum de aqua, tanquam ponticulis diſtinguenda, quo facilius aquentur, & ad ſolem ſiccentur apes. De lapillis in aquam coniiciendis vbi aſſiderent, ſuprà Varro. Columella: ſiue igitur, vt dixi, præterfluens vnda, vel putealis canalibus immiſſa fuerit, virgis ac lapidibus aggeretur, apum cauſſa. Palladius lib. 1. tit. 37. Fons, vel riuus huc conueniat ocioſus, qui humiles tranſeundo formet lacunas, quas operiant rara & tranſuerſa virgulta, ſedes tutas apibus præbitura cùm ſitient.

INERS HVMOR) eſt ſtagnum.

NEPTVNO IMMERSERIT) Neptuni nomine aquam accipe, eadem figura, qua pro mari. Sententia est, siue stagnans aqua fuerit, siue riuus currens per gramina, virgulas salicum, & saxa maiora iniice, vt in iis tanquam ponticulis consistant apes: ibique alas ad solem pandant, vt siccentur, si forte tardius domum redeuntes ventus aliquis nubicogus pluuia cõsperserit, aut omnino etiam in aquam miseras proiecerit. ❧

HÆC CIRCVM CASIÆ) Columella. Conseri deinde circa totum apiarium debent arbusculæ incrementi parui, maximeq́; propter salubritatem. Nam sunt etiam remedio languentibus cytisi, tum deinde casiæ, atque pini, & rosmarinus, quin etiam cunilæ, thymi frutices: itemque violarium, vel quæcunque vtiliter deponi patitur qualitas terræ.

OLENTIA LATE SERPYLLA) Eclog. 2. *Allia, serpyllumq́, herbas contundit olentes.*

GRAVITER SPIRANTIS) modò bene, & multùm spirantis significat: alias malè, vt, *Aut vbi odor cœni grauis.* Item, *graueolentis Auerni.* Seruius.

IRRIGVVMQ BIBANT. V. F. Sic Eclog. 3. *Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.* Tibull. *Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.* Pabula apium enumerat Varro. Si pabulum, inquit, naturale non est, ea oportet dominum serere, quæ maximè sequuntur apes. Ea sunt rosa, serpyllum, apiastrum, papauer, faba, lens, pisum, ocymum, ciperum, medica: & maximè cytisum, quod valentibus vtilissimum est. Sed vt hoc aptissimũ ad sanitatem apium, sic ad mellificium, thymum, &c. Vide Columellam lib. 9. cap. 4. Eademq́ue regio fœcunda sit fruticis exigui, & maximè thymi, aut origani &c. Et subinde consumptis in proximo floribus, inquit Plin. lib. 11. cap. 8. speculatores ad pabula vlteriora mittuntur. Noctu deprehensæ in expeditione, excubant supinæ, vt alas à rore protegant.

Ipsa autem seu corticibus tibi suta cauatis,
Seu lento fuerint aluearia viminè texta,
Angustos habeant aditus. nam frigore mella
Cogit hyems, eademq́; calor liquefacta remittit.
Vtraq; vis apibus pariter metuenda: neq; illæ
Nequicquam in tectis certatim tenuia, cera,
Spiramenta linunt, fucoq́; & floribus oras
Explent, collectumq́; hæc ipsa ad munera gluten,
Et visco, & Phrygiæ seruant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effossis (si vera est fama) latebris,
Sub terra fodere larem: penitusq́; repertæ
Pumicibusq́; cauis, exesæq́; arboris antro.
Tu tamen & læui rimosa cubilia limo
Vnge, fouens circùm, & raras superiniice frondes.
Neu propius tectis taxum sine: neúe rubentes
Vre foco cancros: altæ neu crede paludi:
Aut vbi odor cœni grauis: aut vbi concaua pulsu
Saxa sonant, vocisq́; offensa resultat imago.

SEV CORTICIB. SEV LENTO FVER. ALV. VIM.) Per metonymiam aluearia dicit pro aluis, vel alueis, vt sit continens pro contento: aluearium quippe est locus alueorum. Ordinatis sedibus, inquit Columella libr. 9. cap. 6. aluearia fabricanda sunt pro conditione regionis: siue illa ferax est suberis, haud dubitanter vtilissimas aluos faciemus ex corticibus, quia nec hyeme rigent, nec candent æstate: siue ferulis exuberat, iis quoque, cùm sint naturæ corticis similes, è quibus commodè vasa texuntur. Si neutrum aderit, opere textorio salicibus connectuntur: vel si nec hæc suppetunt, ligno cauatæ arboris, aut in tabulas dissectæ fabricabuntur. Deterrima est conditio fictilium, quæ & accenduntur æstatis vaporibus, & gelantur hyemis frigoribus, &c. Eadem est Varronis de fictilibus sententia, vnde hausit Columella. Aluos, inquit, alij faciunt ex viminibus rotundas, alij è ligno & corticibus, alij ex arbore caua, alij fictiles: alij etiam ex ferulis quadratas, &c. De materia alueorum Plin. lib. 21. cap. 14.

ANGVSTOS HAB. ADITVS) Foramina quibus intrant, & exeunt. De aditu hæc Columella, cap. 7. Nam frigus ignauiam creat, propter quod etiam foramina, quibus exitus, aut introitus datur, angustissima esse debent, vt quam minimùm frigoris admittant: eaque satis est ita forari, ne possint capere plus vnius apis incrementum. Sic nec venenatus stellio, nec obscœnum scarabei, vel papilionis genus, lucifugæque blattæ, vt ait Maro, per latiora spatia ianuæ, fauos populantur.

FRIG. MELLA COGIT HYEMS, CALOR LIQVEFAC.) Frigoris est astringere, durare: ergo caloris erit laxare, resoluere, mollefacere. Contrariorum contraria debent esse consequentia, iuxta Dialecticorum axioma. Quanquam & calor per siccitatem indurat, & astringit, dum videlicet humorem omnem rebus aufert. Aliter frigus, eum ipsum vehementer condensans. ❧

VTRAQVE VIS) Tam caloris, quàm frigoris. Quod licet vtrumq; æquali modo metuendum sit, tamen dissimiliter nocet. Nam calore liquefacta defluunt mella, vt suprà dictum est: quę si fuerint frigore condurata, apes constrictas interimunt. Seruius.

SPIR. LINVNT) Spiramenta sunt spiracula, meatus, rimæ, pori. Georg. 1.

Seu plures calor ille vias, & caeca relaxat
Spiramenta, nouas veniat quà succus in herbas.

PHRYG. PIC. I. EN. IDAE) Quoniam Ida mons Phrygiae pinifer, inde tanta picis copia. Varro lib. 3. Extra ostium aluei obturant omnia, quà venit inter fauos spiritus, quam ἐρίθακον appellant Graeci.

SAEPE ET. EFFOSSIS) Non alia de caussa apes quaedam sub terras fauos faciunt, si auctoribus credendum est, & in cauernosis lapidibus, atque exesis arboribus, quàm vt frigus, & iniurias caeli in locis abstrusioribus commodè declinare, ac euitare possint. Aristoteles Historiae lib. 5. cap. 22. id confirmat. Apud Themiscyram, ait, circa Thermodontem amnem apes tam in terra, quàm in alueis faciunt fauos, qui parum admodum cerae contineant, & mel crassius reddant. Et paulò pòst ibid. Sunt etiam apes, quę fauos sub terra triplici ordine faciant, in quibus mel est, vermis nullus.

PVMICIB. CAVIS) Cauernosus lapis pumex, corporibus lęuigandis accommodus. Nunc quemuis cauernosum lapidem συριγγώδη χηλὸν significat.

EXESAEQ. ARB. ANTRO) Aristot. lib. histor. animal. 5. cap. 22. Ad Amisum vrbem conuehitur à locis superioribus mel candidum, crassumq; maiorem in modum: quod apes faciunt in arboribus sine fauo: quale etiam fieri in Ponto cognitum est.

LAEVI RIMO. CVBIL. LIMO) Quicquid deinde rimarum est, aut foraminum, luto, & fimo bubulo mistis illinemus extrinsecus, nec nisi aditus, quibus commeēt, relinquemus. Et quamuis porticu protecta vasa, nihilominus congestu culmorum, & frondium supertegemus, quantumq; res patietur, à frigore & tempestatibus muniemus. Columell. lib. 9. cap. 14.

NEV PROP. T. TAXVM. S) De taxo, tanquam apibus inimica, Eclog. 9. *Sic tua Cyrnaeas fugiant examina taxos.* Et 2. Georg. taxique nocentes appellantur. Nominatim verò taxi repudiantur à Columella lib. 9. cap. 4. Plinius tamen non videtur taxum improbare, cùm ait, ex omnium satorum floribus ceram confingi, excepta tamen rumice, & chenopode. lib. 11. cap. 8.

NEVE VRE CAN. A. V. OD.) Columella lib. 9. cap. 5. inter caetera de sedibus apum eligendis. Sed in ea parte, quae tetris latrinae, sterquilinijque, & balnei libera est odoribus. Et ad finem cap. Grauis & tetri odoris non solùm virentia, sed & quaelibet res prohibeantur, sicuti cancri nidor, cùm est ignibus adustus, aut odor palustris coeni. Nec minus vitentur cauae rupes, aut valles argutae, quas Graeci ἠχοῦς vocant.

Plin. lib. 11. cap. 18. Odere foedos odores, proculque fugiunt, sed & infectos. Itaque vnguenta redolentes infestant. Cancrorum etiam odore, si quis iuxtà coquat, exanimantur. Palladius lib. 1. tit. 36. sed ab his apium castris longè sint omnia odoris horrendi, balneae, stabula, coquinae, fusoria. Et infrà. Vitetur odor coeni, & cancer adustus, & locus qui ad humanam vocem falsa imitatione respondet. Absint & herbae titimallus, helleborum, tapsia, absinthium, cucumis agrestis, & omnis amaritudo conficiendae aduersa dulcedini. Aristoteles historiae libr. 9. cap. 40. mundissimum omnium hoc animal est. Quamobrem saepenumerò cùm alui necessitas est, auolant, & in secessu reddunt excrementum, quoniam malè oleat. Varro lib. 3. cap. 16. Itaq; nulla harum assidit in loco inquinato, aut eo qui malè olet: neq; etiam in eo qui bonè olet vnguenta. Itaque his vnctus qui accessit, pungunt.

Huc etiam pertinet, quod de curatore his verbis Columella lib. 9. cap. 14. Verùm maximè curandum est

A curatori, qui apes nutrit, cùm aluos tractare debet, vti pridie castus sit ab rebus Venereis, nec nisi lotus accedat, abstineatque ferè ab omnibus redolentibus esculentis, vt sunt salsamenta, & rerum omnia eliquamina, itemq; foetentibus acrimoniis allij, vel ceparum, caeterarumq; rerum similium.

Cùm igitur certum sit, bestiolam hanc non ferre, & pungere homines recentes à Venere, quaerit caussam Plutarchus lib. de caussis naturalibus, cap. 36. An quod animal mynditiae, & elegantiae perquam studiosum, praeterea olfactus sensu valet plurimum? Quum itaque impuri congressus propter impudicitiam, & immoderatam libidinem soleant esse immundiores, &

B citius ab apibus deprehenduntur, & odium vehementius aduersus illos concipiunt, &c.

VOCISQ. RESVL. IMAGO) Sic appellatur echo etiam ab Horat. Ode 12. lib. 1. *Cuius recinet iocosa Nomen imago?* Et eod. lib. Ode 20.

—— datus in theatro
Cùm tibi plausus,
Chare Maecenas eques, vt paterni
Fluminis ripae, simul & iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Est autem ἠχὼ (vt Aristotel. scribit in problemat.) τμηθ. ἀπὸ τοῦ τῆς φωνῆς λυγύνος. id est, echo tactio est nouissimae, seu postremae vocis desinentis. Resonam appel-

C lant Latini, vt docet auctor Vocabularij latinograeci: & fit in locis leuibus, tortuosis & concauis, vt vallibus, & antris, & parietibus cameratis. Ex Lamb. in Horat. & Lucret. Varro de collocandis alueis. Hic enim sonus harum fugae existimatur esse [*quandoquidem per illam repulsionem, intectionemq; vocis, alterum agitantur ictibus, & grauius quatiuntur. Quod & Plin. confirmat lib. 11. cap. 19. inimica & echo est, resultante sono, qui pauidas alterno pulsat ictu.*] De hac & Curtius libr. 3. Redditur & à Macedonibus maior exercitus numero, iugis montium, vastisque solitudinibus repercussis: quippe semper circum recta nemora, petraeque, quantamcunque accepere vocem, multiplicato sono referunt. Sed Lucanus

D quoque libr. 7. de echo loquens, Virgilium quodammodo retulit.

Excepit resonis clamorem in vallibus Arnus,
Peliacisq; dedit rursus geminare cauernis.

Lucret. lib. 2. *clamoreq; montes Illi reiectant voces ad sidera mundi.* Idem lib. 4.

Pars solidis allisa locis reiecta sonorem
Reddit, & interdum frustratur imagine verbi,
Quae bene cùm videas, rationem reddere possis
Tute tibi, atq; aliis, quo pacto per loca sola
Saxa pares formas verborum ex ordine reddunt,
Palantes comites cùm montes inter opacos

E *Quaerimus, & magna dispersos voce ciemus.*
Sex etiam, aut septem vidi loca reddere voces,
Vnam cùm iaceres: ita colles collibus ipsis
Verba repulsantes, iterabant dicta referre.

Caussam metamorphoseos, & naturam echûs habes descriptam ab Ouid. lib. 3. principium duntaxat fabulae apponam. *(ceruos*

Aspicit hunc (Narcissum) trepidos agitantem in retia
Vocalis Nymphe, quae nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis echo.
Corpus adhuc echo, non vox erat: & tamen vsum
Garrula non alium, quam nunc habet, oris habebat.

His pro auctario libitum est addere epigramma perlepidum Ausonij.

Echo ad pictorem.

Vane quid affectas faciem mihi ponere pictor,
Ignotamq́, oculis sollicitare deam?
Aeris, & linguæ sum filia, mater inanis
Iudicij, vocem quæ sine mente gero.
A *Extremos pereunte modos à fine reducens,*
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et si vis similem pingere, pinge sonum.

Quod superest, vbi pulsam hyemem sol aureus egit
Sub terras, cælumq́; æstiua luce reclusit:
Illæ continuò saltus, syluasq́; peragrant,
Purpureosq́; metunt flores, & flumina libant
Summa leues. hinc nescio qua dulcedine lætæ
Progeniem, nidosq́; fouent: hinc arte recentes
Excudunt ceras, & mella tenacia fingunt.
Hinc vbi iam emissum caueis ad sidera cæli
Nare per æstatem liquidam suspexis agmen,
Obscuramq́; trahi vento mirabere nubem,
Contemplator: aquas dulces, & frondea semper
Tecta petunt: huc tu iussos asperge sapores,
Trita meliphylla, & cerinthæ ignobile gramen:
Tinnitusq́; cie, & Matris quate cymbala circùm.
Ipsæ consident medicatis sedibus, ipsæ
Intima more suo sese in cunabula condent.

VBI PVLSAM HYEM. SOL.) Hyeme conduntur B (apes scilicet.) vnde enim ad pruinas, niuesq́ue, & aquilonum flatus perferendos vires? Plin. lib. 11. cap. 6.

SVB TERRAS EGIT) Secundum physicos, qui dicunt, tempore quo hic hyems est, æstatē esse sub terris: & versa vice, cùm hic æstas, illic hyemem. Quod etiam Lucretius exequitur, & trahit in argumentum putealem aquam, quæ æstate frigidissima est, hyeme verò calidissima. Seruius.

Sed præstat intelligere *sub terras*, id est, ad antipodas, quibus tum hyems est, cum nobis æstas. Vniuersæ prouolant, si dies mitis futurus est, inquit Plin. lib. 11. cap. 10. prædiuinant enim ventos, imbresq́ue, & tunc se cōtinent tectis. Itaque temperie cæli (& hoc inter præscita habent) cùm agmen ad opera processit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasq́ue lanugine totius corporis: quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt, & supradicta conuehunt: seniores intus operantur.

CÆLVMQVE ÆSTIVA LVCEM RECLVSIT) Per hyemem cælum videtur clausum, quia plerumque altis nubibus, & nebulis obtectum, & rarius videmus solem: æstate cælum est purius, & aspicimus solem pæne quotidie, qui sua luce recludit, & aperit oras illas cælestes.

PVRPVREOSQVE METVNT FLORES) Non tantum purpureos, id est, rubentes, sed aliorum quoque D colorum. species posita est pro genere: & purpurei flores cæteris sunt ad aspectum gratiores.

NESCIO. Q. DVL. LÆTÆ) Georg. lib. 1. de coruis. *Nescio qua præter solitum dulcedine læti.*

PROGENIEM) Sic quoq; vocat hirundinum pullos libr. 12.

HINC VBI IAM EMISSVM CAVEIS AD SIDER.) Columella lib. 9. cap. 9. Apes diligentiorem postulant curam, cum vernant, & exundant nouis fœtibus, qui nisi curatoris obsidio protinus excepti sunt, diffugiunt: quippe talis est apium natura, vt pariter quoq; plebs generetur cum regibus: qui vbi euolandi vires adepti sunt, consortia dedignantur vetustiorum, multoq́ue magis imperia. Idem cap. 12. Est & illa vernaculi examinis cura, si fortè prædicto tēpore facta eruptione patriam fastidiens sedem, longiorem fugam denuntiauit. Id autem significat, cùm sic apis euadit vestibulum, vt nulla intro reuolet, sed se confestim leuet sublimius. Crepitaculis æreis, aut testarum plerumq́; vulgò iacentium sonitu terreatur fugiens iuuentus.

Varro lib. 3. Cum examen exiturum est (quod fieri solet, cùm adnatæ prosperè sunt multæ, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam, vt olim crebrò Sabini factitauerunt propter multitudinem liberorū) C huius duo solent præire signa. Vnum, quod superioribus diebus maximè vespertinis, multæ ante foramen vt vuæ, aliæ ex aliis pendent conglobatæ. Alterum, quod cùm iam euolaturæ sunt, aut etiam inceperunt, consonant vehementer, proinde vt milites faciunt, cum castra mouent. Quæ primò tum exierant, in conspectu volitant, reliquas, quæ nondū congregatæ sunt, respectātes, dum cōueniant. Cùm à mellario id fecisse sunt animaduersæ, iaciundo in eos puluerem, & circum tinniendo ære, perterritas quò voluerit perducet: Idem, non vt muscæ liguriunt, quod nemo has videt, vt illas in carne, aut sanguine, aut adipe. Ideo modò considunt, in quo est sapor dulcis.

Plin. libr. 11. cap. 20. Gaudent plausu atque tinnitu æris, eoq́ue conuocantur: quo manifestum, auditus quoq; inesse sensum. De qua re Aristot. ambigit: sic namque apud eum est Histor. lib. 9. cap. 40. Gaudere etiam plausu atque sonitu apes videntur. Quapropter tinnitu æris, aut fictilis conuocari eas in aluum aiunt. Quanquā incertum est an audiant, & voluptate ne, an formidine id faciant.

NARE PER ÆSTATEM) Nare pro volare, sicut contrà volare pro nare, seu natare, reciprocæ metaphoræ.

OBSCVRAM NVBEM) In extremo libro, *ruptis efferue-*

efferuere costis Immensaq; trahi nubes. De militibus Turni lib. 7. *Insequitur nimbus peditum.* A

FRONDEA TECTA PETVNT) Arbores sine controuersia intelligit. Lucret. lib. 1. nidos ipsos auium in arboribus, frondiferas domos vocat.

TRITA MELIPHYLLA) Melissophyllon, vel meliphyllon, quasi folium apium, & melleum, siue melitum folium, iucundissimum apibus: vnde hac herba solent confricare aluearia rustici, si quando apes reuocare cupiunt, dum aufugerunt.

CÆRIN. IGNOB. GRAM.) Vile, vbiq; nascens.

TINNITVSQVE CIE, ET MATRIS) Catull. de nupt. *Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.* Mater intelligenda Cybele, in cuius sacris sacerdotes eius Galli pulsare cymbala, ac tympana consueuerant. Propter cymbala porrò, & montes, apes Musarum volucres existimatas, his verbis auctor est Varro lib. 3. cap. 16. Quæ apes cum caussa Musarum esse dicuntur volucres, quod & si quando displicatæ sunt, cymbalis, & plausibus, & numero reducantur in locum vnum, & vt Musis Helicona, atq; olympum attribuerunt, sic his floridos, ac incultos natura attribuit montes.

Sin autem ad pugnam exierint (nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu)
Continuoq; animos vulgi, & trepidantia bello
Corda licet longè præsciscere. namq; morantes
Martius ille æris rauci canor increpat: & vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter se coeunt, pennisq; coruscant:
Spiculaq; exacuunt rostris, aptantq; lacertos:
Et circa regem, atq; ipsa ad prætoria densæ
Miscentur, magnisq; vocant clamoribus hostem.
Ergo vbi ver nactæ sudum, camposq; patentes,
Erumpunt portis, concurritur: æthere in alto
Fit sonitus, magnum mistæ glomerantur in orbem,
Præcipitesq; cadunt. non densior aere grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
Ipsi per medias acies, insignibus alis,
INGENTES ANIMOS ANGVSTO IN PECTORE VERSANT,
Vsq; adeo obnixi non cedere, dum grauis aut hos,
Aut hos versa fuga victor dare terga coegit.
Hi motus animorum, atq; hæc certamina tanta
Pulueris exigui iactu compressa quiescent.

SIN AVTEM AD PVGNAM EXIERINT) Apes B & inter se, vnius examinis sociæ, & cum aliis præliantur. Flagrant odio breues contra longas, easque alueis pellere conantur, ait Aristoteles libr. 9. cap. 40. Columella libr. 9. cap. 9. Ferè ante triduum, quàm eruptionem facturæ sunt, velut militaria signa mouentium tumultus, ac murmur exoritur, ex quo, vt verissimè dicit Virgilius, *Corda licet vulgi præsciscere*, & quæ sequuntur. Itaque maximè obseruari debent, quæ istud faciunt, vt siue ad pugnam eruperint (nam inter se tanquam ciuilibus bellis, & cum alteris quasi cum externis gentibus præliantur) siue fugæ caussa se proripuerint, &c. Plin. libro 11. cap. 17. Quod si defuerit alicuius aluei cibus, impetum in proximas faciunt rapinæ proposito. At illæ contra dirigunt aciem: & si custos adsit, alterutra pars, quæ suis fauere sentit, non appetit eum. Ex aliis quoque sæpe dimicant caussis, easque acies contrarias duo imperatores instruunt, maximè rixa in conuehendis floribus exorta, & suas quibuscunque euocantibus.

REGIBVS INCESSIT DISCORDIA) Incessere, pro lacessere, insectari, molestiam exhibere, conturbare, nunc datiuo, nunc accusatiuo iungitur. Liuius lib. 9. Tanta cura patres incessit, vt pariter eam susceptam, neglectamque timerent. Idem decad. 4. lib. 7. Timor incessit Liuium, ne auxiliares circumuenirentur. φόβος ἐνέπεσεν Λιβίῳ. Sallustius, mulieribus insolitus timor incesserat. Quintil. de Seneca lib. 10. cap. 1. Sed potioribus præferri eum non sinebam, quos ille non destiterat incessere. λόγῳ βάλλειν, ἐρεσχελίζειν. Hæc Budæus in Pand.

MART. ÆRIS RAVCI CANOR) Lib. 8. *Et rauco strepuerunt cornua cantu.* Aristot. lib. 8. de histor. animal. ὅταν δ' ἄφεσις μέλλῃ γίνεσθαι, φωνὴ μονότης, καὶ ἴδιος γίνεται ἐπί τινας ἡμέρας. Suprà ex Varrone: consonant vehementer, proinde vt milites faciunt, cùm castra mouent.

FRACT. SONIT. IMIT. TVBAR.) Innuit fragorem Virgilius, & stridorem æreum tubarum, qui rumpi & restringi magis, quàm edi videtur: quem murmur C tumultuantium apum quodammodo imitatur. Animaduertendum autem, physicè poetam fractos tubarum sonitus dixisse, quasi refractos: cum æs & corporis soliditate, leuitate, & concauitate sit ad sonorum generationem, & redditionẽ metallorum accommodatissimum, vt docet Aristot. lib. de animo 2. καὶ τῶν τυχόντων πληγὴ ὁ ψόφος, &c. Non autem in hanc sententiam fractos sonos accipit Tacitus lib. 14. Annal. sed pro mollibus vsurpauit, vbi non de permissa solùm iuris licentia, sed & vi adhibita agit, & ad scenam compulsa nobilitate Romana, his verbis. Ac iustitiam augurij, &

decurias equitum, egregium iudicandi munus expleturas, si fractos sonos, & dulcedinem vocum peritè audissent.

TVM TREPIDÆ) Trepidare est festinare. Æneid. 9. *Ne trepidate meas Teucri defendere naues.* Ergo hìc trepidæ, festinæ. Nonius.

PENNISQ. CORVS.) Pennas vocat alas, quibus, vt aues pennarum auxilio, volant.

AD PRÆTORIA DENSÆ MISCENT.) Castrense vocabulum ad apum tumultum transtulit. Est enim in expeditione prætorium, vbi præfectus exercitus præsidet, & ius dicit, vt in vrbe vbi Prætor. Hinc & ex sententia Columellæ, & Palladij prætoria in rusticis prædiis ampla ædificia accipiuntur. Vnde tradit Vlpianus, rusticorum prædiorum seruitutes esse, licere altius tollere, & officere prætorio vicini, vel cloacam habere, ducere per vicini domum, vel prætorium. Hinc Martial. lib. 10. ridet Otacilium, qui supra facultates imitari studeat hortorum, & ædificiorum Torquati magnificentiam.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum,
Ad quartum breue rus emit Otacilius, &c.

German. * *De prætorij positura, magnitudine, partibus exquisitè agit Lipsius Milit. Rom. lib. 5. dialog. 2. Quod ait Poeta, ipsas circa regem densas esse, faciunt id etiam extra aluearum. Plin. cap. 17. cuius verba recitabuntur infrà, ad illud*, Præterea regem non sic Ægyptus, &c.

ERGO VBI VER NACTÆ SVDVM) Nactæ idoneam dimicãdi occasionem, sudo aëre, & aprico campo, in hostem impetum faciunt, & magna alacritate concurrunt: sublatoque murmure, & bombis, militari more, nunc agmen quadratum efficiunt, nunc in orbem glomerantur. Quæ in in acie victæ sunt, hæ præcipiti casu in terram desuper exanimes labuntur: non aliter, ac si vel grando ex aëre, vel glandes ex fulminata ilice decidãt.

CONCVRRITVR) Horat. Sat. 1. lib. 1. *quid enim? concurritur, horæ Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.* Æneid. 7. *raptis concurrunt vndiq. telis.* Et lib. 12. *mihi ius concurrere soli.*

IPSI PER MEDIAS ACIES) Reges ipsi in media acie, similes exhortantibus obseruantur, & angustis corporibus animos ingentes præ se ferunt. Neq; enim prius pugna excedunt, quam pars alterutra succumbat, & victoribus tergum vertat.

A

INGENTES ANIMOS) Stat. libr. 1. Thebaid. *totosq. infusa per artus Maior in exiguo regnabit corpore virtus.* Homer. de Tydeo Iliad. 5. Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής. Seruius. Quem versum expressit nescio quis, Lusibus in deum hortorum.

Vtilior Tydeus, qui, si quid credis Homero,
Ingenio pugnax, corpore paruus erat.

Et in antiquo lapide Romæ epigramma lepidissimum incisum est, in quo versus hic legitur, *Corpore in exiguo res numerosa fui.* Vrsin. * *Prouerbiale carmen, in quemlibet masculum animosum, & imperterritum,* Ingentes animos angusto in corpore versant: *quemadmodum & græcum Homeri à me adductum de Tydeo. Nota elegantem antithesin, ingentes animos, angusto corpore. Talis & illa Horatij de formica Sat. 1. lib. 1.* Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris.

B

HI MOTVS ANIM. ATQ. H. CERT. T) Quanti, quantaque iam descripta sunt, ironia est.

PVLVERIS EXVI IACTV) Pugna quidem vel vnius inter se dissidentis, vel duorum examinum discordantium facilè compescitur: nam vt idem (Virgilius) ait, *Pulueris exigui iactu compressa quiescent.* Aut mulso, passoue, aut alio quouis liquore simili resperſæ, videlicet familiari dulcedine sæuientium iras mitigante: nam eadem mirè etiam dissidentes reges conciliant. Sic Columella cap. 10. Varro lib. 3. Cùm à mellario id fecisse sunt animaduersæ, iaciendo in eas puluerem, & circumtiniendo ære, perterritas quò voluerit perducet. Plin. cap. 17. Quæ dimicatio iniectu pulueris, aut fumo tota discutitur. Reconciliantur verò lacte, vel aqua mulsa. Vterq;, Plin. puta, & Columella, mutuatus est à Varrone. Quæ crebrius inter se pugnabunt, inquit ille, aspergi eas oportet aqua mulsa, quo facto nõ modo desistũt pugna: sed etiã conferciunt se lingentes, eo magis si mulso sint asperſæ, quo propter odorem auidius applicant se, atq; obstupescunt potantes.

C

Verùm vbi ductores acie reuocaueris ambos,
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci: melior vacua sine regnet in aula.
Alter erit maculis auro squalentibus ardens:
(Nam duo sunt genera) hic melior, insignis & ore,
Et rutilis clarus squamis: ille horridus alter
Desidia, latamq; trahens inglorius aluum.
Vt binæ regum facies, ita corpora gentis.
Namq; aliæ turpes horrent, ceu puluere ab alto
Cùm venit, & terram sicco spuit ore viator
Aridus: elucent aliæ, & fulgore coruscant,
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis.
Hæc potior soboles: hinc cæli tempore certo
Dulcia mella premes: nec tantum dulcia, quantum
Et liquida, & durum Bacchi domitura saporem.

DVCTORES ACIE REVO.) Sunt enim sæpe plures vnius populi duces, & quasi procerũ seditione plebs in partem diducitur: quod frequenter fieri prohibendum est, quoniam intestino bello totæ gentes consumuntur. Itaque si constat principibus gratia, manet pax incruenta. Sin autem sæpius acie dimicantes notaueris, duces seditionum interficere curabis: dimicantium verò prælia prædictis remediis sedantur. Columella cap. 9. Ne omittamus Varronem. Præterea vt animaduertat, ne reguli plures existant. Inutiles enim fiunt propter seditiones. Et vt quidam dicunt, tria genera cum sint ducum in apibus, niger, ruber, varius, qui ita melior, vt

D

expedi-

vt expediat mellario cum duo sunt eadem aluo, interficere nigrum, quem scit cum altero rege esse seditiosum, & corrumpere aluum, quod fuget, aut multitudine fugetur.

DEDE NECI) Plaut. Asinar. *Cur tu, obsecro, immerito meo me morti dedere optas.*

MELIOR) id est, fortior, valentior. Sic Græci, ἀμείνων, κρείσσων, κάῤῥων.

VACVA IN AVLA) Non ita dixit vacua aula, quomodo 2. Æneid. vacua atria: sed vacua ab rege altero, siue ductore, vt ipse appellauit.

ALTER ERIT MACVLIS) Columella cap. 10. Sunt autem ij reges maiores paulò, & oblongi magis, quàm cæteræ apes, rectioribus cruribus, sed minus amplis, pinnis pulchri coloris, & nitidi, leuesque, ac sine pilo, siue spiculo: nisi quis fortè pleniorem quasi capillum, quem in ventre gerunt, aculeum putet, quo & ipso tamen ad nocendum non vtuntur. Quidam etiam infusci, atque hirsuti reperiuntur, quorum pro habitu damnabis ingenium. Deinde ipsos Maronis versus adducit. Plin. lib. 11. cap. 16. Reges plures inchoantur, ne desint. Postea ex his soboles cū adulta esse cœpit, concordi suffragio deterrimos necant, ne distrahant agmina. Duo autem genera eorum, melior rufus, quàm niger, variusque, omnibus forma semper egregia, & duplo quàm cæteris maior, pénè breuiores, crura recta, ingressus celsior, in fronte macula ceu quoddam diadema candicans. Multum etiam nitore à vulgo differunt.

LATAMQ. TRAH. INGLOR. ALVVM) Quod de lata aluo dicitur, nimirum & prisci imperatores in habendo delectu nimium denso ventre militem reiiciebant. Sed nec generosis apibus aluus protensior conuenire videtur, cum compressiore, & graciliore corpore gens apum genuina esse soleat: vnde & per translationem σφηκώδεις dicuntur non solum macilenti, rarique sed & qui cinctu sunt strictiore & expeditiore, εὔζωνοι, & εὔζωστοι. σφῆκες siquidem vespæ, & apes. German.

VT BINÆ REGVM FACIES) Faciem totius corporis formam posuit prudens antiquitas. Vt ab aspectu species, à fingendo figura, ita à factura corporis facies. Plaut. Pœnulo. *Sed earum nutrix qua sit facie, mihi expedi: statura non magna, corpore aquilo, ipsa est.* D Pacuu. Niptris. *Ætate integra, feroci ingenio, facie procera virum.* Sallust. Historiar. lib. 2. Sardinia in Africo mari, facie vestigij humani, in occidentem, quàm in orientem latior. Hæc Nonius.

NAMQ. ALIÆ TVRP.) Quemadmodum suprà ex adiunctis duo genera regum, ita hic ex adiunctis quoq; totidem iis respondentia apum genera describuntur. Varias autem species fecisse Aristotelem, & eum hoc

A loco sequutum esse Maronem, affirmat Columella cap. 3. libri iam centies à me nominati. Aristoteles, inquit, in iis libris, quos de animalibus conscripsit, apum, siue examinum genera complura demonstrat, earumq; alias vastas, sed glomerosas, easdemque nigras, & hirsutas apes habet: alias minores quidē, sed æq; rotūdas, & infusci coloris, horridiq; pili: alias magis exiguas nec tā rotundas, sed obesas tamē, & latas, coloris meliusculi: nōnullas minimas, graciles que, & acuti alui, ex aureolo varias, atq; leues: eiusque auctoritatem sequens Virgilius, maximè probat paruulas, oblongas, leues, nitidas, ardentes auro, & paribus lita corpora guttis, moribus etiam placidis. Nam quantò grandior apis, atque etiam rotundior,
B tanto peior. Si verò sæuior, maximè pessima est: sed tamen iracundia notæ melioris apium facile delinitur assiduo interuentu eorum, qui curant aluearia: nam cùm sæpius tractantur, celerius mansuescunt.

Plin. cap. 18. Apes sunt & rusticæ, syluestresq;, horridæ aspectu, multò iracundiores, sed opere ac labore præstantes. Vrbanarum duo genera. Optimæ breues variæq;, in rotunditatem compactiles: deteriores longæ, & quibus similitudo vesparum: etiamnum deterrimæ ex iis pilosæ. In Ponto sunt quædam albæ, quæ bis in mense mella faciunt. Circa Thermodontem autem fluuium duo genera: aliarum quæ in arboribus mellificant: aliarum quæ sub terra, triplici cerarum ordine vberrimi prouentus. Varro quoq; alias feras, alias cicures facit.
C Feras quæ in syluestribus locis pascitant: cicures, quæ in cultis, &c.

PARIBVS LITA CORP. GVTTIS) Hoc est, maculis notata, & distincta, quod idem dixit alibi, *sparsis etiam nunc pellibus albo.* Item, *& maculosæ tegmine lyncis.* Iouian. de Aspirat. lib. 1.

HINC CÆLI TEMP. CERTO) Ex sobole igitur illa meliore, certis statisq; anni temporum vicibus (verno & auctumnali) mella dulcissima, & liquidissima colliges, quibus si vinum permisceas, optimum mulsum efficies. οἰνόμελι.

DVLCIA MELLA) Lacti, & melli sæpissimè epitheton, *dulce* adiungitur. De vtroq; lib. 2.

Huc accedit, vti mellis lactisq; liquores
Iucundo sensu lingua tractentur in ore.

Adagium, mellis medulla, de re mirandum in modum suaui. Huius notæ sunt apud Plautum, *O melle dulci dulcior mihi es tu*, &c. Ponitur vox *mel* sæpius in blandimentis apud eundem Comicum, & melliculum. Apud alios mellitus. 1. Æneid. dulce nectar vocauit.

ET LIQVIDA) Liquida interpretare, defęcata, sine sordibus: nā quæ non fluunt, mala sunt. Sanè maiores vina asperrima mellis dulcedine tēperabant. Seruius.

At cum incerta volant, cæloq; examina ludunt,
Contemnuntq; fauos, & frigida tecta relinquunt:
Instabiles animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor: tu regibus alas
Eripe: non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter, aut castris audebit vellere signa.
Inuitent croceis halantes floribus horti,
Et custos furum, atq; auium, cum falce saligna
Hellespontiaci seruet tutela Priapi.
Ipse thymum, pinosq; ferens de montibus altis,
Tecta serat latè circùm, cui talia curæ:
Ipse labore manum duro terat, ipse feraces
Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.

CAELOQ. EXAM. LVDVNT) Plin. libr. II. cap. 10. Effecto opere, educto fœtu, functæ munere omni, exercitationem tum solemnem habent: spaciatæq; in aperto, & in altum datæ, gyris volatu editis, tum demum ad cibum redeunt.

FRIGIDA TECTA) melle vacua, inoperosa, vbi non fit opus. Contrarium, *Feruet opus*. 1. Æneid. de iisdem apibus. Vox *frigere*, metaphora quadam de iis dici solet, qui lentè quippiam, & remissè tractant, qui in negotio tardius, segnius procedunt, immò qui cessant. Etiã de rebus, quarum vigor desinit, quæ non feruent, & calent quodammodo, nec cursum suum tenent. Teren. *Sine Cerere & Baccho friget Venus*. Cic. in Verrem. Cùm omnia iudicia frigerent. In Philipp. Iacent beneficia Nuculæ friget Antonius. Epist. lib. 8. Quod tibi suprà scripsi, Curionem frigere, iam calet.

B

TV REG. ALAS ERIPE) Columella cap. 10. Qui tamen & ipse spoliandus est alis, vbi sæpius cum examine suo conatur eruptione facta profugere. Nam veluti quadam compede retinebimus erronem ducem detractis alis: qui fugæ destitutus præsidio, finem regni non audet excedere: propter quod ne ditionis quidem suæ populo permittit longius euagari. Plin. cap. 17. Si quis alam regi detruncet, non fugiet examen.

CASTRIS VELL. SIGN.) Vide lib. II. *vbi primùm vellere signa Annuerint superi*. Palladius lib. 1. confirmat, apes non esse discessuras, si oribus vasculorum primogeniti vituli stercus allinamus.

C

INVITENT CROCEIS) Deinde etiam hac ratione non inuitas in apiario suo continebit apes: si hortum apiarij (quod suprà præcepimus, cùm de alueis constituendis ageremus) fragrantissimis herbis, & floribus, apum naturæ conuenientibus diligenter conseret. Præterea cùm nullum sit tempus, quo non curam desiderent apes, eamque multò diligentiorem, cùm vernant, & nouis exundant fœtibus, idcirco ne assiduus procurator desit, Priapus in vestibulo apiarij cum falce saligna ponatur: vt & fures auesque arceat, & apes diuina quadam custodia, & perenni tutela conseruet. In primis autem boni curatoris est, vt hortum suauissimis floribus atque herbis ipse conserat: ipse arbores idoneas circa apiarium plantet: ipse manus operi ac laboribus admoueat: ipse stirpes, & plantas terræ infigat: ipse aquas in plantas infundat.

D

ET CVSTOS FVRVM) Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 6. producens hunc versum, *Et custos furum*, &c. sic ait. Hìc vtique custodem prohibitorem auium, furumque significat, vt fortasse ibi, Æneid. 11. *At Triuiæ custos iam dudum in montibus Opis*, quæ se prohibuerit, & continuerit à sacris. Eodem modo Philargyr.

A Hic custos, inquit, pro obseruator, & prohibitor. Et alibi, *hortorum custos cum falce saligna*. Eclog. 7. *custos es pauperis horti*. Horat. sat. 8. lib. 1.

——ego furum auiumq́,
Maxima formido: nam fures dextra coercet,
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa.

Lactantius lib. 2. cap. 4. prolatis versibus Horatij è satyra iam nominata.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm faber incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum: deus inde ego furum, auiumq́
Maxima formido.

Quid, inquit, maiestatis possunt habere simulacra, quæ in homunculi potestate, vel vt aliud fierent, vel vt omnino non fierent? quis non sit tanto hoc custode securus? Fures enim tam stulti sint, vt Priapi tentiginem timeant, cùm aues ipsæ, quas terrore falcis, aut inguinis abigi existimant, simulacris fabrefactis, id est, hominum planè similibus insideant, nidificent, inquinent? sed Flaccus, vt satyrici carminis scriptor, derisit hominum vanitatem. Deniq; poeta maximus, homo in cæteris prudẽs, in hoc solùm non poeticè, sed aniliter desipuit, quum illis emendatissimis libris (Georgicorum) etiam fieri hoc iubet, his versiculis.

Et custos furum, atq́ auium cum falce saligna
Hellespontiaci seruet tutela Priapi.

HELLESPONTIACI) Propter Lampsacum vrbem Hellesponti, quòd ibi natus esset, vnde & Lampsacus & Lampsacenus deus est cognominatus. De hoc deo vide Gyrald. Syntag. 9. Natal. Comit. lib. 5. cap. 15.

PINOSQ. FERENS) Pinus appellatur non tantùm vasta illa arbor, sed virgultum quoddam, quod perpetuam viriditatem retinet. Columella enim lib. 9. vbi de pabulis apum disputat, enumeratis iam herbis, quæ gratæ ipsis sunt, addit. Posthæc frequens sit incrementi maioris surculus, vt rosmarinus, & vtraq; cytisus, est enim satiua, & altera suæ spontis: itemq; semper virens pinus, & minor ilex, nam prolixior ab omnibus improbatur. Non intelligere autem hìc eum scriptorem ingentem pinum, constat: neq; enim rectè inter surculos poneretur: & cùm flores suaues non fundat, accommodata esse apibus non potest. Nec igitur verisimile est, Virgilium immensam illam arborem significasse, sed eandem quam Columella. Victor. lib. 25. cap. 5.

AMICOS IR. IMB.) Quamuis consuetudine solum agmen cælestium aquarum, & pluuiarum soleamus imbrem vocare, tamen ex hoc loco docet Nonius, etiam ad alias aquas posse traduci. Variat igitur auctoritas.

Atq; equidem, EXTREMO NI IAM SVB FINE LABORVM
VELA TRAHAM, ET TERRIS FESTINEM ADVERTERE PRORAM:
Forsitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem: biferiq; rosaria Pesti:
Quoq́; modo potis gauderent intyba riuis,
Et virides apio ripæ: tortusq; per herbam
Cresceret in ventrem cucumis: nec sera comantem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi,
Pallentesq́; hederas, & amantes littora myrtos.
Namq; sub Oebaliæ memini me turribus altis,
Quà niger humectat flauentia culta Galesus,
Corycium vidisse senem: cui pauca relicti

Iugera

Iugera ruris erant. nec fertilis illa iuuencis,
Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus, albaq; circum
Lilia, verbenasq; premens, vescumq; papauer,
Regum æquabat opes animis: seraq; reuertens
Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis.
Primus vere rosam, atq; autumno carpere poma,
Et cùm tristis hyems etiamnunc frigore saxa
Rumperet, & glacie cursus frænaret aquarum:
Ille comam mollis iam tum tondebat acanthi,
Æstatem increpitans seram, zephyrosq; morantes.
Ergo apibus fœtis idem, atq; examine multo
Primus abundare, & spumantia cogere pressis
Mella fauis: illi tiliæ, atq; vberrima pinus.
Quotq; in flore nouo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit vlmos,
Eduramq; pyrum, & spinos iam pruna ferentes,
Iamq; ministrantem platanum potantibus vmbram.
Verùm hæc ipse EQVIDEM SPATIIS EXCLVSVS INIQVIS
PRÆTEREO, ATQVE ALIIS POST ME MEMORANDA RELINQVO.

ATQVE EQVIDEM EXTREMO NI IAM) Atque equidem res ipsa, & suscepti operis ratio postulare nunc videtur, vt hoc loco aliquid de cultu hortorum, herbarumque præcipiam. Nam quia apes sine florum, & herbarum auxilio pabulari, & opera sua conficere nequeunt, dicendum iam erat, quæ ratio sit plantandi omnis generis flores, & quo pacto serendæ, & aquis rigandæ herbæ, ceu intybus, apium, cucumis, narcissus, acanthus, hedera, myrti, & consimiles. Equidem Tarenti me videre memini senem quendam Cilicem, eius oppidi peregrinum ciuem: cui cùm à patre relicta esset parua villa, & agellus paucorum iugerum, neque vel pecudi pascendæ, vel segeti educandæ, vel vitibus conserendis idoneus, ipsum circa villam in dumis, solo sterili pulcherrimas herbas, lilia, verbenas, & papauera obseuisse, & regias opes ex agro diligenter consito reportasse, suamq; mensam, quotiescunque noctu domum reuertebatur, cibis inemptis, ac proprio solo educatis, lautissimè instruxisse. Nam primus ille vere rosas decerpebat: primus autumno poma ex arboribus capiebat: primus hyeme tristissima, quando gelu omnia essent obruta, & glacie hyberna terra & aqua constricta, herbas, & folia acanthi stringebat, primus temporis moram accusabat, quod æstas non properaret, vt ipse operas suas in horto colendo posset perficere. Idem hic apibus tam fœtis, quàm nouo examine primus abundabat: primus, fauis expressis mella colligebat. Sed & arborum optimarum, ceu tiliarum, & pinuum prouentu nunquam destituebatur. Nam quotquot gemmas quæuis arbor vere protruserat, totidem matura poma autumno proferebat. Quippe tanta diligentia colebat arbores, tantoque ordine disponebat, vt vlmorum, & pyrorum, à se consitarum fructus perciperet, & spini, quas ille plantarat, pruna ferrent, & platani hominibus vmbram præberent. De his omnibus dicendum esset. Sed cùm in extrema parte operis mei verser, & finem addere huic scriptioni iam dudum properem, hoc argumento lubens supersedebo, aliisq; post me scripturis hanc materiam relinquam.

A

Elegantissimè, suauissimeq; laudat hortos, quamque multos illustres viros eorum studium atque cultura tenuerit, demonstrat Lipsius de Constantia libr. 2. cap. 2. & 3. Vtrum porrò Columella rectè fecerit, qui relictam à Virgilio scriptionem de hortorum olerumque cultu ipse occupauit, & eidem librum proprium dedit, legendus auctor magis indisertus, quàm indoctus, & paucis notus, Ang. Decembrius Politiæ litterariæ libr. 1. cap. 11. Ipsum Columellam rationem facti sui edentem audiamus, præfat. libr. 10. Isque (cultus

B hortorum) sicut institueram, prosa oratione prioribus subnecteretur, nisi propositum meum expugnasset frequens tua postulatio, quæ peruicit, vt poeticis numeris explerem Georgici carminis omissas partes: quas tamen & ipse Virgilius significauerat, posteris se memoranda relinquere: neque enim aliter istud nobis fuerat audendum, quàm ex voluntate vatis maximè venerandi: cuius quasi numine instigante ingressi sumus tenuem admodum, & pæne viduatam corpore materiam, &c. Plin. lib. 14. proœmio. Nec decrescit quarundam rerum humilitas, sicut & in animalibus fecit. Quanquam videmus Virgilium præcellentissimum vatē, ea de caussa hortorum dotes fugisse: è tantisque quæ retulit, flo-

C res modò rerum decerpsisse, beatum fælicemque gratiæ quindecim omnino generibus vuarum nominatis, tribus oleæ, totidem pyrorum, malo verò tantùm Assyrio, cæteris omnibus neglectis.

PING. HORT.) Hortus nominatur, quod semper ibi aliquid oriatur. Nam cū alia terra semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Isidor. lib. 17. c. 10.

BIFERIQVE ROSAR. PESTI) Oppidum Calabriæ Pestum, propter cæli clementiam in anno bis fert rosas, Maio, & Septembri videlicet.

GAVD. INTYBA) De intybo dictum 1. Georg. ibi, *Strymoniæq́; grues, & amaris intyba fibris.*

ET VIR. APIO RIPÆ) Apium selinon Græcis, vide Carol. Steph. in horto. Ibidem de cucumere, & acantho. De narcisso eclog. 2. 5. & 8. his inquam eius floris meminit.

AMAN. LIT. MYRT.) Georg. 2. *Littora myrtetis latissima.* Georg. 3. *Et amantes ardua dumos.* Sic sonat illud lib. 5. *huc dirige cursum: littus ama, & leuas stringat sine palmula cautes.*

SVB OEBAL. T) Oebaliam arcem Tarentinam dicit, à Lacedæmonio Oebalo, longè petito epitheto, quia Lacedæmonij duce Phalanto Tarentum condiderunt. Philarg.

NIG. GALESVS) Nescit Erythræus, cur *niger* dicatur Galesus. Quod si *piger* legatur, inquit, conuenit sanè epitheton cum eo, quod de fluuio accolæ narrant, videlicet eum leniter admodum labi. Apud quem pagus incolitur, Galasus nuncupatus. Sed Turneb. lib. 4. cap. 14. dictum putat nigrum, quia profundus est & altus: solet enim aqua profunda nigrum colorem ducere: vnde & πηγὴ μελάνυδρος ab Homero, fons aqua abundans. Quid si autem nigrum Galesum dixit, ait Germa. vt nemus nigrum, lucum opacum, & vmbrosum dicimus: & Proper. ipsum illum Galesum vmbrosum? *Tu canis vmbrosi subter pineta Galesi.*

HVMECTAT) Quod noster *humectat*, Euripid. loquens de Nilo, in prologo Helenæ, dixit ὑγραίνει. Aristoph. in Thesmoph. ποτίζει. Idem Euripid. alibi laudans Crathin flumen eiusdem patris Italiæ, cuius Galesus, ὑγραίνει vsurpat. Vide Victor. lib. 26. cap. 8.

CORYC. SENEM) Aut à Coryco ciuitate Ciliciæ: aut nomen erit proprium, aut appellatiuum eius, qui more Corycio hortos excolit, &c. German. Huic seni Corycio valde respondet senex Veronen. quē describit Claudian.

Fœlix qui propriis æuum transegit in aruis,
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem,

& quæ sequuntur. Omnia porrò ad laudationem quoq; vitæ rusticæ accommodari poterūt, quæ est lib. 2. Georg.

RELICTI IVG. RV.) Relictum rus, desertum, & contemptum interpretes accipiunt. Alij patrium, & hęreditarium interpretātur: vt Martial. *Res non parta labore, sed relicta:* vt item bona quæsita & relicta classicis palam dicuntur, & iureconsultis. Relinquere enim & Latinis, & Græcis verbū est funebre, & testamentarium, vt ex oratoribus, historiographis, & poetis cōstat. Homer. Iliad. 6.

Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπε πολύαρνι Θυέστῃ,
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι.

Talem agrum potuit poeta innuere, qualem Horat. *auitus cum lare fundus.* German.

VESCVM Q. PAP.) Lucret. lib. 1. *Nec mare qua impendēt vesco sale saxa peresa:* vbi aliqui salem vescum à facultate appetentiam excitandi, & irritandi edacē, tralatione ad saxa facta, interpretantur. Hic tamen vescum Seruius, quo vescimur, accipit, hoc est, edule, ἐδώδιμον, quæ contraria apparet superiori significatio. German.

REG. ÆQ. OPES ANIM.) Senec. in epist. ex Epicuro. Si ad naturam viues, nūquam eris pauper: si ad opinionē, nunquam eris diues. Exiguum natura desiderat, opinio immensum. Alibi idem, ni fallor, animus tuus diuitem se sentiat, non arca.

DAP. INEMP.) Sibi in horto suo natis, nullo pretio cōparatis. Horat. Ode 2. Epod. de rustica vita.

Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparat.

Dapes, ait Seruius alicubi, regum sunt, epulæ priuatorū. Vel, dapes deorum sunt, epulæ hominū. Sed hoc discri- A men negligunt poetæ. Nunc hîc etiā de vilibus & contemptis escis dictum dapes. Daps, inquit Festus, apud antiquos dicebatur res diuina, quæ fiebat aut hyberna semēte, aut verna. Quod vocabulum ex græco deducitur, apud quos id genus epularum δαὶς dicitur. Itaq; & dapticè se acceptos antiqui dicebant, significantes magnificè, & dapticum negotium amplum, & magnificum.

PRIM. VERE ROS.) Variæ sunt rosarum species, quas describit Plin. lib. 21. ca. 4. Vide pręd. rust. Carol. Steph. in Horto. Flos ipse rosa: frutex, seu spina rosarium: locus rosariis consitus rosetum dici potest: pro quo etiam Plin. Columella, & alij sæpius rosarium. Flos est profectò, quod de medicis Homerus ait, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Putatur B Sapphus esse illa rosæ laudatio, sed solutis numeris, & metro in prosam à nescio quo conuerso. εἰ τοῖς ἄνθεσιν ἤθελεν ὁ Ζεὺς ἐπιθεῖναι βασιλέα, τὸ ῥόδον ἂν τῶν ἀνθέων ἐβασίλευε. γῆς ἐστι κόσμος, φυτῶν ἀγλάϊσμα, ὀφθαλμὸς ἀνθέων, λειμῶνος ἐρύθημα, κάλλος ἀστράπτον ἔρωτος πνέει, ἀφροδίτην προξενεῖ, εὐειδέσι φύλλοις κομᾷ, εὐκινήτοις πετάλοις τρυφᾷ, τὸ πέταλον τῷ ζεφύρῳ γελᾷ. Si floribus vellet Iupiter imponere regem, rosa inter flores regnū obtineret. Terræ est ornamentum, plantarum decus, oculus florum, prati rubor, pulchritudo coruscans. Amore spirat, Veneris est conciliatrix, formosis foliis comata est, nobilibus frondibus luxuriat, calyx zephyro ridet. Sunt & illa non insuauiter in rosam ab Anacreonte cantata.

C

Ῥόδον ὦ φέριστον ἄνθος,	*Rosa honor, decusq́; florum,*
Ῥόδον εἴαρος μέλημα,	*Rosa cura, amorq́; veris,*
Ῥόδα καὶ θεοῖσι τερπνά.	*Rosa calitum voluptas.*

Laudat iterum alibi Ode longiuscula, cuius initium Στεφανοφόρου μετ' ἦρος, &c. De scarabæo tradit lib. 8. Pierius, odore rosarum emori, quasi virtutē quantumuis masculā (nam sacerdotibus Ægyptiis virtutis, & ferociæ indiciū fuit scarabæus) illecebris eneruari documento sit. Quod quidem ab Aristot. traditum, dat ansam hieroglyphico non insulso: si, puta, quis velit Hannibalem durum, Capuæ desidentem effœminatum pingere, scutum illi cum scarabæi signo tribuat, oras verò clypei rosarū sertis ambiat, aut quid huiusmodi. Ibidem Pierius quosdam illu- D stres viros nominat, qui odorem rosarum ferre nequiuerint, quos scarabæorum fratres fuisse dixeris. ῥόδον appellatum Plutarchus ait, ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, quod ingenti odoris redundantia diffluat. Litteræ diuinæ, vt Cyprianus ait, gloriosam famam appellare solent odoramenta. Vnde Paulus, Christi bonus odor sumus. Pro martyribus hieroglyphicè poni rosas, à rubore sanguinis, ait Eucherius. Vide Pierium lib. 55.

Cur rosæ Veneri dicatæ sint, Fulgent. lib. 2. hasce causas statuit. Rosæ .n. & rubent, & pungunt, vt etiā libido. Rubet verecundiæ opprobrio, pungit peccati aculeo. Et sicut rosa delectat quidē, sed celeri motu temporis tollitur: ita & libido libet momentaliter, & fugit perenniter.

GLAC. C. F. AQV.) Lucret. de flumine gelu durato, E seu glacie aspetato, lib. 6.

Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
Et mora qua fluuios passim refrænat euntes.

Idē posteriore versu significat, quod priore. Glacies fluuios moratur, & gelu durat aquas, facitq; glaciē. Ex similitudine autem lib. 1. glaciē æris dixit tenuē æris laminā, seu bracteam, quæ glaciei instar sit leuis, & rigida. *Tum glacies æris flāma deuicta liquescit.* Iam quod Virg. & Lucret. vtūtur metaphora ab equis ducta, Horat. sat. 3. li. 1. sumit à vinctis. *Thracane vos, Hebrusq́; niuali compede vinctus.*

ÆSTATEM INCREPITANS SER.) Nonius adducens hunc locum, increpitat, inquit, & increpat paria sunt: & est aut incusare, aut insultare. lib. 10. *Hostis amare, quid increpitas?* Et lib. 9. *Quem Turnus pariter cursu, teloq́; secutus Increpat his victor.*

ILLI

ILLI TILIÆ) In tilia mas, & fæmina. Materies maris dura, robustiorq́;, ac nodosa, & odoratior, cortex crassior, ac detractus inflexibilis. Nec semen fert, aut florem vt fæmina, quæ crassior arbore, materia candida præcellensq́; est. Mirum in hac arbore, fructum à nullo animalium attingi, foliorum corticisque succum esse dulcem. Inter corticem ac lignum tenues tunicas multiplici membrana, è quibus vincula tiliæ vocantur: breuissimæ earum philyræ, coronarum lemniscis celebres, antiquorumque honore. Plin. lib. 16. cap. 14.

POMIS SE ARBOS INDVERAT) Induere sæpius ita vsurpatum legas. Georg. 1. *& cùm se nux plurima syluis Induet in florem.* Columella lib. 4. cap. 24. Non ita se induunt vuis, vt nequeant maturitatem capere. Et cap. 27. Est etiam sapientis rustici, reputare, num maiore fructu vitis se induerit, quã vt perferre eum possit. Ibid. Eæque vbi se frondibus, & vuis vestierint. Et libr. 5. cap. 47. Eximia tamen eius (oleæ) ratio est, quod leui cultu sustinetur, & cùm se non induit, vix vllam impensam poscit. Cic. in Lucull. Philo in idipsum se induit, quod timebat.

SERAS VLMOS) maiores, quod difficile est.

IN VERSVM DISTVLIT) in ordinem transtulit. Per versum fortasse quincuncem intellexit.

EDVRAMQVE PYRVM) Ex, & e, in compositione augent. Edurus apud Ouid. *Nec tamen edurè, quod petit ille, nega.* Ex augere, est valde augere. Sic excelsus, & apud Plin. exalbidus. Vide collectan. Gifan. in Lucret. verbo *Eximius.*

MINISTRANT. PLAT. POT. VMB.) De platano, & potantibus sub ea, Horat. Ode. 11. lib. 2.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos
Dum licet, Assyriaq́; nardo
Potamus vncti?

Non temerè Maro platanum potoribus conciliat: quandoquidem, auctoribus Plinio, & Macrobio, platani vino exhilarantur, & aluntur: adeo vt Hortensius petierit a Cicerone diem actionis cõmutari, quod esset eo die iturus in Tusculanum ad platanos suas vino irri-

A gandas. Nempe respexisse arboris naturæ habitum poëta videtur, quæ in modum tecti concamerari ab antiquis solebat, qualem celebrat lib. 9. Mart. platanum Cordubensem, à Cæsare ipso plantatam, his post alios versibus.

Ædibus in mediis totos amplexa penates,
Stat platanus densis Cæsariana comis.
Auctorem, dominumq́; suum sentire videtur,
Sic viret, & ramis sidera celsa petit.

Talis ab historicis memoratur in Lycia, modo domicilij concaua: & platanus Caligulæ in Agro Veliterno, & in Creta, sub qua Europam compressit Iupiter: & platanus deniq; Delphis Agamemnonis manu sata. Germ.

Et quoniam à veteribus illis platanus tantùm pro-

B pter vmbram tantopere expetebatur, & colebatur, Horat. cælibem nuncupauit. Ode. 15. lib. 2. De eadem vide mihi quid scribat Varro lib. 1. de re rust. cap. 37. aliæ enim (arbores) angustius radices diffundunt, vt cupressi: aliæ latius, vt platani: vsque eo, vt Theophrastus scribat, Athenis in Lyceo, cùm etiam tunc platanus nouella esset, radices trium & triginta cubitorum egisse. Admiraberis etiam stoliditatem Xerxis Persarum regis, si apud Ælian. de var. histor. lib. 2. cap. 14. legere volueris, quomodo ille proceram platanum quandam in Lydia, purpura, & torquibus aureis honorauerit. Similem fatuitatem Passieni Crispi inuenias apud Plin. lib. 16. cap. 44. Qui in suburbano agri Tusculani, in fagino nemore, arborem

C speciosam ita adamauit, vt non modo sub ea cubare, illi vinum affundere, sed insuper eam amplecti, & osculari soleret. Idem fusè de platano lib. 12. cap. 1. Platanon locus est platanis consitus. Plin. epist. 3. lib. 1. Quid agit Comum, tuæ, meæque deliciæ? quid suburbanum amœnissimũ? quid illa porticus verna semper? quid πλάτανων opacissimus? Intelligis opinor, quare opacissimus. ✠

SPATIIS EXCLVSVS INIQVIS) Exclusus temporis angustiis ait etiam siue Cic. siue alius quidã probatissimus scriptor. Huius loci ita meminit Columel. li. 10.

Hortorum quoq; te cultus Syluine docebo:
Atq; ea, quæ quondam spatiis exclusus iniquis,
Cum caneret lætas segetes, & munera Bacchi,
Et te magna Pales, nec non cælestia mella,
Virgilius post se nobis memoranda reliquit.

Nunc age, naturas, apibus quas Iuppiter ipse
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum sonitus, crepitantiaq́; æra sequutæ,
Dictæo cæli regem pauere sub antro.
Solæ communes natos, consortia tecta
Vrbis habent, magnisq́; agitant sub legibus æuum:
Et patriam solæ, & certos nouere penates:
Venturæq́; hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.

NVNC AGE NATVR. APIBVS QVAS IVPPITER) Non solum in magnis robustisq́;, sed etiam exilibus, minutisq́; animantibus dei sapientiam admirari licet. Vide Basilium Homil. 9. in Hexaëm. vbi ad hoc ipsum peridonea similitudo affertur. Apis natura, quanquam minutæ bestiolæ, nimium miris modis mirabilis est, vt Plautus loquitur. Figmentum poëtarum est, Iouem has vires, & hasce naturas, quas deinceps depingit, apibus indidisse mercedis loco, quod Corybantum tinnitus secutæ, infantem sub antro Dictæo mellitis roribus suis aluerint. Est autem in verbis poëtæ hypallage. Nã videtur dicere, apes affectas ab Ioue hoc beneficio, secutas sonitum Curetum pauisse Iouem: cùm contrà accipienda sint. ✠

D CVRETVM CANOROS SONITVS) Curetes, & Corybantes alij eosdem faciunt, alij diuersos. Strabo libro 10. dictos vult Curetes, vel quod adolescentes, (κοῦροι ὄντες) id ministeriũ obiuissent, vel quod puerum educassent, διὰ τὸ κουροτροφεῖν τὸν Δία. Diodor. libr. 4. cap. 5. lib. 6. cap. 11. & 15. Gyrald. Syntag. 1. Ouid. Fastor. 1.

Ardua iam dudum resonat tinnitibus Ide,
Tutus vt infanti vagiat ore puer.

Lactant. lib. 1. cap. 21. Hanc totam opinionem, inquit, quasi à poëtis fictam, Sallustius respuit: voluitque ingeniosè interpretari, cur altores Iouis dicantur Curetes fuisse, & sic ait. Quia principes intelligendi

 diuina

diuina fuerunt, vetustatem, vt cætera, in maius componentem, altores Iouis celebrasse. Quantum errauerit homo eruditus (Sallustius) iam res ipsa declarat. Si enim princeps est Iupiter & deorum, & religionum, si ante eum dij nulli colebantur vulgò, quia nondum nati fuerant qui coluntur, apparet Curetes ex diuerso principes fuisse diuina non intelligendi, per quos error omnis inductus est, & Dei veri memoria sublata.

De Curetum cymbalis, & strepitu hisce verbis Lucret. lib. 2.

Dictæos referunt Curetas, qui Iouis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Cùm pueri circum puerum pernice chorea,
Armati, in numerum pulsarent æribus æra.

Stat. lib. 4. Thebaid.

——qualis Berecinthia mater,
Dum circa puerum iubet exultare tonantem
Curetas trepidos. Illi certantia plaudunt
Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ide.

Quorsum verò isti pulsus ac strepitus? Ne Saturnus vagitum eius exaudiens, eum, vt reliquos vxoris suæ partus, immanissimè deuoraret. Hanc ipsam rationem mox ibidem subnectit Lucret. *Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus.* Quare autem deuoraret? Quod oraculum accepisset, se à prole sua regno pellendum, & ita miser ipse multaretur exilio. Iuuabit audire Lucianum quoque ita scribentem, commentario de saltatione. Hoc verò saltandi artificio aiunt Rheam potissimùm oblectatam, in Phrygia quidem Corybantes, in Creta autem Curetas saltare iussisse. Nec verò modicum cæpit ex illorum arte compendium. Quippe circùm saltantes, Iouem illi seruarunt incolumem: ita vt Iupiter non grauiter fateatur, salutis contributæ præmia se illis debere, per illorum saltationem patrios dentes effugiens. Porrò autem hæc saltatio ab armatis desaltabatur, gladiis ad scuta collidentibus, ac bellicum quiddam, & attonitum saltantibus. Mox verò inter Cretenses, vt quisque maxime nobilitate præcellebat, summo studio hanc rem exercentes, præstantissimi saltatores reddebantur. Fertur autem loco Iouis infantis lapidem, astutia Rheæ vxoris inuolutum fasciis deglutiuisse. Commentum totum persequitur Hesiod. in Theogonia, & Fast. 4. Ouid.

Reddita Saturno sors hæc erat: optime regum,
A nato sceptris excutiere tuis.
Ille suam metuens, vt quæq; erat edita, prolem,
Deuorat, immersam visceribusq; tenet.
Sæpe Rhea questa est toties fœcunda, nec vnquam
Mater: & indoluit fertilitate sua.
Iupiter ortus erat: pro magno teste vetustas
Creditur: acceptam parce mouere fidem.
Veste latens saxum cælesti gutture sedit:
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua iamdudum resonat tinnitibus Ide.
Tutus vt infanti vagiat ore puer.
Pars manibus clypeos, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem, prisciq; imitamina facti
Æra deæ comites, raucaq; terga mouent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
Tibia dat Phrygios, vt dedit ante, modos.

Arnobius lib. 4. irrisor falsorum deorum argutissimus, & gentilium sacrorum reprehensor vt verissimus, ita potentissimus, Iouis originem, educationemque subsannans, sic loquitur. Ergone, iterum dicam, tonans, fulgens, & fulminans, & nubila terribilia conducens, suxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repsit? Atque vt fletum poneret ineptissimè tractû, crepitaculis obticuit auditis, & ad somnos inductus est in mollissimis cunis iacens, & vocibus delinitus infractis? Qui plura de Curetibus desiderat, legat mythologos, præcipuè Natalem Comitem lib. 9. cap. 7. Apollodorum Bibliothecæ libr. 1. qui Rheam vterum ferentem, in Cretam profectam, ibique in antro Dictæo Iouem edidisse, Curetibus, Adrastæ, & Idæ nymphis educandum commisisse narrat.

Remouens nonnullas quæstiones de apibus ab agricolis Columella lib. 9. cap. 2. Nec sanè rustico dignũ est, inquit, sciscitari, fuerit ne mulier pulcherrima specie Melissa, quàm Iupiter in apem conuertit, an (vt Euhemerus poeta dicit) crabronibus, & sole genitas apes, quas nymphæ Phryxomides educauerint, mox Dictæo specu Iouis extitisse nutrices, eaque pabula munere dei sortitas, quibus ipsæ paruum educauerant alumnum. ista enim quamuis non dedeceant poetã, summatim tamen, & vno tantum versiculo breuiter attigit Virgilius, cùm sic ait, *Dictæo cæli regem pauere sub antro.*

Dionysius in libris ἐξηγήσεως περιηγητικῆς ait Mellisea Cretensium regem primum diis sacrificasse, ac ritus nouos, sacrorumque pompas introduxisse. Huius duas fuisse filias, Amalthæam, & Melissam, quæ Iouem puerum caprino lacte, & melle nutriuerunt: vnde poëtica illa fabula originem sumpsit, aduolasse apes, atq; os pueri melle complesse, Melissam verò à patre primam sacerdotem Matri magnæ constitutam, vnde adhuc eiusdem Matris antistites Melissæ nuncupantur. Lactan. lib. 1. cap. 22. * *Callimachus hymno in Iouem, controuersiam esse ait de loco natali Iouis, cùm quidam in Creta, quidam in Arcadia natum sentiant. Ipse Arcadem esse vult. Narrat ibidem, quò pacto Rhea mater Neda nympharum maxima post Stygem, & Philyram in Cretam portandum tradiderit: & quomodo ibi lacte Amalthææ capellæ, atq; apium subitò è Tanacris montibus existentium melle nutritus, choros ducentium, ac perstrepentium Curetum sonitu à Saturni dentibus seruatus sit, &c. Proferuntur & nymphæ nutrices Iouis. A Pausania tres in Arcadicis, Thisoa, Nede, Agno. Alibi Ithonem quandam nominat. Ab aliis Adrastæa, & Ida. Lege, si placet, Diodorum quoq; lib. 3. cap. 5.*

CREPITANTIA ÆRA) Æris vim multa in priscis monumentis attestari videntur. Omnino siquidem pleraque ænea ad rem diuinam adhiberi solita, pluscula indicio sunt, & in his maximè sacris, quibus delinire aliquos, aut deuouere, aut denique exigere morbos volebant, quod significare videtur hic poeta. Lege cætera apud Rhodigin. lib. 29. cap. 6.

DICTÆO SVB ANTRO) Apoll. Argonaut. lib. 1. ὄφρα Ζεὺς ἔτι κοῦρος ἔτι φρεσὶ νήπια εἰδὼς Δικταῖον ναίεσκεν ὑπὸ σπέος.

SOLÆ COMMVNES NATOS) Qualis communitas à Socrate fingitur 5. de Repub. apud Platonem, nõ solum liberorum, sed bonorum omnium & animi, & corporis, & fortunæ. Sententia versuum hæc est. Hoc aliis animantibus apes præstantiores esse, quod solæ nihil nouere, nisi commune. Nam & soboles ipsis communis, & commune inter eas domicilium, quasi quædam ciuitas, & vitæ societas. Leges etiam habent ab ipsa natura inscriptas, quibus vltro parent atque obtemperant. Solę item patriam, & suos parentes norunt. Præterea futuræ hyemis non ignaræ, colligunt æstate, & intra alueos reponunt, quod hyeme comedant.

CONSORTIA TECTA VRBIS) Varro, hæ vt hominum ciuitates, quod hic est & rex, & imperium, & societas.

MAGNIS SVB LEGIBVS) Id est, æternis, nunquam mutabilibus: iisdem enim legibus semper vtuntur, nec eas, vt homines, sæpe commutant. Seruius.

CERT. NOVERE PEN.) charissimos habent, vt, *hic inter flumina nota,* id est, chara. Seruius.

VENTVRÆQVE HYEMIS MEMO.) De formica A Horatius satyr.1.lib.1.similia. Lege apologum Æsopi de formicis & cicada, & caue, ne tu quoque in æstate saltes, hyeme esurias.

IN MEDIVM QVÆSIT. REPON.) In commune conferunt. Ipse alibi *In medium quærebant*. Omnia igitur sunt omnium. Hem, tam pusillas volucres quis obsecro docuit vitam agitare tam ciuilem?

Namq; aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra septa domorum,
Narcissi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ purissima mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti,
Inq; vicem speculantur aquas, & nubila cœli:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.
Feruet opus, redolentq; thymo fragrantia mella.
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis
Cùm properant, alij taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntq;: alij stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus Ætna:
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantq; tenaci forcipe ferrum:
Non aliter (si parua licet componere magnis)
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamq; suo.

NAMQVE ALIÆ VICTV) Aristot. in histor. lib. 6. cap. 40. Partiuntur inter se opera, vt aliæ flores conuehant, aliæ extruant, aliæ poliant fauos, & dirigant, aliæ mella, aliæ erithacam, aliæ importent aquam ad cellas, & mella temperent: aliæ munus externum subeant. Neque ipsæ sunt inficientes, inquit Varro, nec non oderunt inertes. Repetuntur 1. Æneid. versus 5.6.7. vide quę ibi scripta sunt in Symbola. *Victu*, pro victui, vt curru pro currui, & alia multa cùm apud nostrum, tum Lucretium, de quibus alibi.

INTRA SEPTA DOMORVM) Tale est, qualia sunt, clausa domorum, strata viarum, & sexcenta prætereà, à nobis alibi, ni fallor, prolata.

NARCISSI LACRYMAM) Conuersionem eius in florem simul innuit. Suimet enim amore extabuisse, & vt dixi, in florem sui nominis mutatus dicitur. Lacrymam narcissi intellige florem cum rore, rorulentum narcissum.

SPEM GENTIS) In quibus est spes posteritatis ipsarum. Spem gregis dixit de gemellis hœdis eclog. 1.

SVNT QVIBVS AD PORTAS) Quædam militari more portas custodiunt, & tempestates cæli obseruant. Prædiuinant enim ventos, & imbres. Atque harum officium est, vt gerulis obuiam prouolent, easque exonerent. Eædem lictorum munere funguntur, & fucos, apes imperfectas atque inertes extra tecta proturbant. His rebus fit, vt opera reliquarum apum dexterrimè procedant, & fragrantissima mella omnes aluei redoleant.

FVCOS A PRÆSEP.) De fucis ista Columella lib. B 9. cap. 15. ex quibus planum est, non omnino inutiles videri. Mox vere translacto, sequitur, vt dixi, mellis vindemia, propter quam totius anni labor exercetur. Eius maturitas intelligitur, cùm animaduertimus fucos ab apibus expelli ac fugari, quod est genus amplioris incrementi, simillimum apis: & vt Virgilius ait, ignauum pecus, & sine industria fauis assidens. Nam neque alimenta congerit, & ab aliis inuecta consumit. Veruntamen ad procreationem sobolis conferre aliquid hi fuci videntur, insidentes seminibus, quibus apes figurantur. Itaque ad fouendam, & educandam nouam prolem familarius admittuntur. Exclusis denique pullis, extra tecta proturbantur, &, vt idem ait, à C præsepibus arcentur. Hos quidam præcipiunt in totum exterminari oportere, quod ego Magoni consentiens, faciendum non censeo, verùm sæuitiæ modum adhibendum. Nam nec ad occidionem gens interimenda est, ne apes inertia laborent, quæ, cùm fuci aliquam partem cibariorum absumunt, sarciendo damna fiunt agiliores: nec rursus multitudinem prædonum coalescere patiendum est, ne vniuersas apes alienas diripiant.

Aristoteles in historia, ait apes otiosas, & minus parcas à cæteris tolli. Quod Plinius libr. 11. cap. 11. & D 17. planius disserit. Cùm mella cæperunt maturescere, abigunt eos (fucos) multæque singulos aggressæ, trucidant. Fucos idem Aristoteles de ortu animantium lib. 3. cap. 10 facit apum filios, inermes, & sine aculeo, corpore tamen regibus similes. In historia libro 5. cap. 22. idem quidem ait, sed fucos à furibus distinguit, & grandiores etiam esse affirmat, vt lib. 9. cap. 40.

Plinius sic eas definit lib.11.cap.11. Sunt autem fuci, sine aculeo, velut imperfectæ apes, nouissimæque à fessis, & iam emeritis inchoatæ, serotinus fœtus, & quasi seruitia verarum apum. Quamobrem imperant iis, primosq; ad opera expellunt: tardantes sine clementia puniunt. Neque in opere tantum, sed in fœtu quoque adiuuant eas, multum ad calorem conferentes, turba. Certè, quò maior fuerit multitudo, eò maior fiet examinum prouentus.

AVT ONER. ACCIP. VEN.) Apes seniores ternæ, aut quaternę gerulas iuuenes excipiunt, atq; exonerant. Plin.lib.11.cap.10.

PRÆSEPIBVS) id est, alueis, & aluis (vtrumque enim dicitur in re apiaria) domibus, stabulis, aluearis, tectis, laribus, cubilibus, nidis, cæreis regnis, aulis, thalamis, oppidis. His quippe nominibus pæne omnibus libertate quadam, & festiuitate poetica per hunc librum vtitur. Præsepia non tantùm quibus aut cantheria, aut iumenta cætera, aut vetera animalia pabulantur: sed & omnia loca clausa, & tuta, dicta præsepia. Nonius, adducens hunc poetæ versum. ✠

REDOL. THYMO) Quare potissimùm thymo fragrantia mella dixerit, & non alio genere, aut floris, aut herbæ, intelligitur ex eius præstantia, de qua suprà ex Varrone retulimus: & est eo apibus nihil gratius. Ad commendandam denique industriam, & φιλοπονίαν harum auicularum, faciunt etiam quæ refert Plinius cap. 10. Mira obseruatio operis. Cessantium inertiam notant, castigant mox, & puniunt morte. Mira munditia. Amoliuntur omnia è medio, nullæque inter opera spurcitiæ iacent, Quin & excrementa operantium intus, ne longius recedant, vnum congesta in locum, turbidis diebus, & operis otio egerunt.

AC VEL. LENTIS) locus iste pænè ad verbum iteratur lib.8. vbi Æneæ arma Vulcanus fabricare instituit cum cyclopibus suis.

IN NVMERVM) in numerum, est aptè, compositè, A numerosè. Lucret.lib.2. *Armati in numerum pulsarent aribus æra.* Virgil. Sileno. *Tum verò in numerum Faunosque videres Ludere.* Vide num.130. Contrarium est, extra numerum, Lucret.lib.5. *Atq; extra numerum procedere membra mouentes.*

PARVA COMP. MAGNIS) Componere valet comparare. Accius Armorum iudicio. *Quid est cur componere ausit mihi te, aut me tibi?* Lucillius satyrarum lib.4.

Samnis, spurcus homo, vita illa dignu' locoq́;
Cum Pacidiano componitur, optimu' multo
Post homines natos gladiator qui fuit vnus.

Sallust. Iugurtha. Vbi Marcelli dicta cum factis compo- B nit. Componere est etiam finire. Æneid.1. *Antè diem clauso componet vesper olympo.* Eclog.3. *Non nostrum inter nos tantas componere lites.* Item ornare, colligere, simulare, &c. Vide Nonium. Eadem porrò sententia vsus Cic. in Orat. perf. Parua enim magnis sæpissimè rectè comparantur. Vide symbolam Eclog.1.num.11. ad illud, *Sic paruis componere magna solebam.* Ouidius in illa pulcherrima, & tristissimi affectus plenissima elegia, quæ est 3. lib.1. Tristium, cùm de discessu suo, & lamentis suorum, atq; complorationibus agit.

Si licet exemplis in paruo grandibus vti,
Hæc facies Troiæ cùm caperetur erat. ✠

CECROP. APES) Atticas voluit significare, quòd in C Attica apes lectissimæ. Cecrops quondam rex fuit Atheniensium. Ibi magna thymi copia, ex eo pabulo mel præstantissimum. Inde & Cecropiæ apes pro electissimis apibus. Aut simpliciter pro apibus, vt sępe species pro genere. ✠

AMOR VRG. HAB. MVN. QVANQVE SVO) Natura feruntur ad habendum, ad comparandum, & in eo nulli parcunt labori: sic, vt quæque munus suum agat, nulla alteri inuideat, nec alienum sibi officium vindicet. Quod vtinam homines imitarentur. Quid hoc aliud nisi pax, & concordia est? ✠

------ Grandæuis oppida curæ,
Et munire fauos, & Dædala fingere tecta.
At fessæ multa referunt se nocte minores,
Crura thymo plenæ: pascuntur & arbuta passim,
Et glaucas salices, casiamq́;, crocumq́; rubentem,
Et pinguem tiliam, & ferrugineos hyacinthos.
Omnibus vna quies operum, labor omnibus vnus.
Manè ruunt portis, nusquam mora: rursus easdem
Vesper vbi è pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus, mussantq́; oras, & limina circum.
Pòst, vbi iam thalamis, se composuere, siletur
In noctem, fessosq́; sopor suus occupat artus.
Nec verò à stabulis pluuia impendente recedunt
Longius, aut credunt cælo aduentantibus Euris:
Sed circùm tutæ sub mœnibus vrbis aquantur:
Excursusq́; breues tentant, & sæpe lapillos,
Vt cymbæ instabiles fluctu iactante saburram,
Tollunt: his sese per inania nubila librant.

GRANDÆVIS OPPIDA CVRÆ) Seniores apes intra alueos labore suo distinentur, cellas ædificant, (quas hic lepidè vocat oppida, & quia, vt videtur, cum ingenio, vocat dædala tecta) & fauos conficiunt. Aristot. lib.9.

lib. 9. de histor. animal. τῶν δὲ μελιττῶν αἱ μὲν πρεσβύτεραι τὰ εἴσω ἐργάζονται, καὶ δασεῖαί εἰσι, διὰ τὸ εἴσω μένειν. αἱ δὲ νέαι ἔξωθεν φέρουσι, καὶ εἰσὶ λειότεραι. Multa ex eodem philosopho sumit in hoc ipso argumento, quæ omnia huc afferre nimis longum esset: & ab instituto alienum. Sciunt eruditiores, vnde sibi reliqua petant.

DÆDALA TECTA) Præstantissimus faber, & architectus fuit Dædalus. Itaque Græci poetæ opera affabrè, & summo artificio elaborata, δαίδαλα nominant. Lucret. lib. 4. linguam dædalam verborum appellat, propterea quod voces articulat, vt ille loquitur. Hinc etiam Græci λογοδαιδάλους verborum opifices quosdam, & variandæ atque ornandæ orationis facultate instructos. Idem Lucret. dædalam terram (propter mirabilem & velut magno artificio quæsitam varietatem ex ea prodeuntium, vt opinor) Lamb. in Horat. * *Vide adag. Dædali opera. Et apud Iunium Cent. 6. num. 31. Dædali machæra. Nonnulla dicemus de hoc magistro ad initium 6. Æneidos.*

MINORES CRVRA THYMNO PLENÆ) Minores natu apes, flores & pabula comportant, prioribus pedibus femina onerantes, pedes rostro, planeq; onustæ remeantes, sarcina pandatæ. Pabula autem, seu mellis generandi materiam ex arbutis, salicibus, liliis, casia, croco, & hyacintho conuehunt. * *Locus erat hic differendi, seu enumerandi ex Varrone, & Columella apium pabula: quod cum suprà, data occasione, fecerimus, nihil attinet hic denuo facere. Consule & Plin. lib. 21. cap. 12.*

FERRVGIN. HYACINTHOS) Ferrugineum colorem ferri similem esse volunt. Verè autem cærulæus est. Plaut. Milite. *Palliolum habeas ferrugineum: nam is color thalassicus est.* Et hic Virgil. Nonius.

OMNIBVS VNA QVIES) Vnà quiescunt omnes, vnà operantur omnes: mane exeunt: laborem nusquã intermittunt: sero vespere defatigatæ è pastu domum A redeunt, & se quieti cõponunt, curatis antè corporibus.

ET CORPORA CVRANT) De hoc loquendi genere *curare corpora*, & de vi verbi *curare*, explicatum lib. 8. Æneid. ibi, *fessiq́, & equos, & corpora curant.*

MVSSANTQVE) Mussant, hoc est, murmurant, quæ vox ponitur & in tacendi significatione, vt apud Enniũ Annal. 17. *Nõ possunt mussare boni, qui facta labore Nixi militiæ peperere.* Dicẽtur alibi plura super hac voce.

SILETVR IN NOCTEM) De quiete nocturna ita Plin. cap. 10. Cùm aduesperascit, in alueo obstrepũt minus ac minus, donec vna circumuolet, eodem, quo excitauit bombo ceu quietem capere imperans: & hoc castrorum more. Tunc repente omnes conticescunt.

B FESSOSQ. SOP. SVVS OCCVP. ART.) 2. Æneid. *Conticuere: sopor fessos complectitur artus.*

NEC A STABVLIS PLVVIA) Pluuia aut vento imminente, quæ præsentiunt, longius non euolant, sed circa alueos suos tutæ, in proximo aquantur, & pabulantur. Nonius, copiantur, inquit, à copia honestè positum, vt lignantur, pabulantur. Claud. Quadrigar. libr. 1. de bello ciuil. multis armis, & magno cõmeatu, prædaq; ingenti copiantur. Cæsar. lib. 1. belli ciuil. his pontibus pabulatum mittebat, quod ea, quæ citra flumen fuerant, superioribus diebus consumpserat.

ET SÆPE LAP. VT CYMBÆ) si aduerso flatu necessitas exire cogat, instar cymbarum, quò grauiores C sint, se saburrant lapillo apprehenso. Aristot. Quoties verò, inquit, flatu vehementi iactantur, lapillum gestãt, quo se quasi subere & fundamine stabiliunt contra flatum. Plin. cap. 10. Gerulæ secundos flatus captant. Si coriatur procella, apprehensi pondusculo lapilli se librãt. Quidam in humeros eum imponi tradunt. Iuxta verò terram volant in aduerso flatu vepribus hebetato.

Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verùm ipsæ foliis natos, & suauibus herbis
Ore legunt, ipsæ regem, paruosq; Quirites
Sufficiunt: aulasq;, & cerea regna refigunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attriuere, vltroq; animam sub fasce dedere:
TANTVS AMOR FLORVM, ET GENERANDI GLORIA MELLIS.
Ergo ipsas quamuis angustus terminus æui
Excipiat (neq; enim plus septima ducitur æstas)
At genus immortale manet, multosq; per annos
Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum.

CONCVBITV INDVLGENT) Abiectione nouissimæ litteræ, casu tertio dixit, quod in nominibus quarti declinatus semper facit, vt, *portuq́, subimus Chaonio:* &, *teq́, aspectu ne subtrahe nostro:* &, *Daphnis & Armenias curru subiungere tigres Instituit.* Et. 1. Æneid. *Parce metu Cytherea.* Id quod etiam in prosa oratione nobis interdum licet, hoc M. Tullij exemplo. Quibus subito impetu, ac latrocinio resistat. Quin & Cæsar, optimus linguæ latinæ auctor, in huiusmodi omnibus finalem, i, litteram censuit demendam, qui in Anticatone suo dixit, vnius arrogantiæ, superbiæq;, dominatuq;. Idem in Dolabella, & honori erant, & ornatu. Lucilius. *Quod sumptum atq; epulas victu præponis honesto.* sic lectum est anu, pro anui, & alia apud veteres similiter, in quibus D sit hoc etiam Apuleij libr. 1. Ego verò quod primum ingressu stabulum conspicatus sum, accessi. Sallust. Iugurtha, non se luxu, atque inertiæ corrumpendum dedit. Terent. *Vestitu nimio indulgens.* Tacitus libr. 3. Annal. Per cultum, & munditias, copiasq;, & affluentiam luxu propior. Et 14. cruciatu, aut præmio cuncta peruia esse. Gell. lib. 4. cap. 16. Erythræus indice.

Vtrum examina, tanquam cætera videmus animalia, concubitu sobolem procreent, an hæredem generis sui floribus progignant, quod affirmat noster Maro, &, vtrum euomant liquorem mellis, an alia parte reddant, hæc & his similia, magis scrutantium rerum naturæ latebras, quàm rusticorum est inquirere. Studiosis quoq; litterarum gratiora sunt ista in otio legentibus, quàm

negotiosis agricolis: quoniam neque in opere, neque in re familiari quidquam iuuant. Columella libr. 9. cap. 2.

Fœtus quonam modo progenerarent, magna inter eruditos, & subtilis quæstio fuit. Apum enim coitus visus est nunquam. Plures existimauere, oportere confici floribus compositis aptè atque vtiliter. Aliqui coitu vnius, qui rex in quoq; appellatur examine. Hunc esse solum marem, præcipua magnitudine, ne fatiscat. Ideo fœtum sine eo non edi: apesq; reliquas tanquam marem fœminas comitari, non tanquam ducem: quam probabilem aliàs sententiam fucorum prouentus coarguit. Quæ enim ratio, vt idem coitus alias perfectas, imperfectas generet alias? Propior vero prior existimatio fieret, ni rursus alia difficultas occurreret. Quippe nascuntur aliquando in externis fauis apes grandiores, quę cæteras fugant: œstrus vocatur hoc malum: quonā modo nascens, si ipsæ fingunt? Quod certum est, gallinarum modo incubant. Id quod inclusum est, primùm vermiculus videtur candidus, iacens transuersus, adhærensq; ita, vt pascere videatur. Rex statim mellei coloris, & electo flore ex omni copia factus, neque vermiculus, sed statim penniger. Cętera turba cùm formam capere cœpit, nymphę vocantur: vt fuci, sirenes, aut cephenes. Si quis alterutris capita demat, priusquam pennas habeant, pro gratissimo sunt pabulo matribus. Tempore procedente instillant cibos, atque incubant, tum maximè murmurantes, caloris (vt putant) faciendi gratia, necessarij excludendis pullis, donec ruptis membranis, quæ singulas cingunt ouorum modo, vniuersum agmen emergat. Spectatum hoc Romæ consularis cuiusdam suburbano, alueis cornu laternæ translucido factis. Fœtus intra quadragesimum quintum diem peragitur. Plin. ca. 16. Consule præterea, si otium suppeditat, Aristot. lib. 3. de ortu animal. cap. 10. * *Ex hoc, quod poeta de procreatione apum ex foliis, & suauibus herbis affirmat, Lactantius lib. 1. cap. 8. argumentum elicit, quo docet etiamsi opus sit deo generare, vt habeant vel ministros, vel in quos dominentur, non tamen opus esse sexu. Nam deus qui est omnipotens & vocatur, sine vsu & opera fœmina filios poterit procreare. Etenim si quibusdam animalibus id præstitit, vt sibi è folijs natos, & suauibus herbis ore legant, cur existimet aliquis ipsum deū, nisi ex permistione sexus alterius nō posse generare? Habent porrò hieroglyphicum castitatis, seu virginitatis apes duplici de caussa, tum quod coitum nesciunt, tum quod à coitu olentes, præsertim mulieres, non ferunt, eosq; aculeis ab aluearibus abigunt. Quo circa cum alioqui castum, & amorum fugientem villicum esse oporteat, vt Columella, & Xenophon præcipiunt, tum potissimùm, si apes tractare voluerit.*

CORPORA IN VENER. SOLVVNT) vsque adeo soluit Venus corpora, vt *μικρὰν τινα ἐπιληψίαν* Hippocrates *τὴν συνουσίαν* vocauerit. Et Pythagoras interrogatus, quando id esset faciendum respondit, cùm te ipso infirmior fieri vis.

FOETVS NIXIBVS EDVNT) Nituntur fœminæ cùm pariunt. Partio non fit sine nixu. Vnde enixæ, pariendi labore defunctæ. Sunt etiam in animantibus, dum fœtum edunt, quidam nixus, quidam labor. Iob. cap. 39. de ceruis. Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.

PARVOSQVE QVIRITES SVFFICIVNT) Hoc speciosum est. Non solùm de apibus vt de populo quodam vnius ciuitatis loquitur, sed omnino vt de Romano populo Quiritium. Hoc verè est ex paruis magna facere: neq; id Rhetoricæ tantùm, vt dixit Isocrates, sed, vt nobis dicere licet, etiam poeticæ proprium.

ANIMAM SVB FASCE DEDERE) Fascem posuit pro onere, vt Eclog. 9. *Cantantes vt eamus, ego hoc te fasce leuabo*: potest enim exponi onus, sarcina. Item Georg. 2. de milite Romano, *Iniusto sub fasce viam dum carpit*. Pro edidere animam, dixit *dedere*. Dare ergo animam est, quale Germanicum, *Den geist auffgeben*.

TANT. AMOR FLORVM) Amor, cupiditasque mellificandi tanta omnibus innata est, vt se ipsas præ nimia diligentia sæpe affligant, alas nonnunquam inter lapides aberrando atterant: animam denique oneribus oppressę amittant. Simile epiphonema 2. Georg. *Tantus amor terræ*. Et 3. *Tantus amor laudum*.

ET GENERANDI GLORIA MELLIS) Quærens Lactant. lib. 1. cap. 10. vtrum bestiis insit vis rationis, & in partem aientem complura signa proferens, etiam apum meminit, adeoq; hunc ipsum locum tangit, in hæc verba. Nam quibus generandi mellis officium est, cùm assignatas incolunt sedes, castra muniunt, domicilia venerabili arte componunt, regi suo seruiunt, nescio an in his perfecta sit prudentia.

ANGVSTVS TERMINVS ÆVI) Consideremus quid de apum diuturnitate cæteri scriptores probatissimi statuerint. Aristoteles histor. lib. 5. cap. 22 Vita apum anni sex: nonnullæ etiam septem possunt complere. Quod si examen nouem, aut decem annos durauerit, prosperè actum esse existimatur. Columellæ verba sunt cap. 3. libri toties nominati. durantque, si diligenter excultæ sunt, in annos decem, nec vllum examen hanc ætatem potest excedere, quamuis in demortuarum locum quotannis pullos substituant. Nam ferè decimo ab internecione anno, gens vniuersa totius aluei consumitur. Consentit cum Columella Plinius cap. 20. Vita eis longissima, vt prosperè inimica, ac fortuita cedant, septem annis vniuersa. Alueos nunquam vltra decem annos durasse proditur.

STAT FORTVNA DOMVS, ET AVI NVMERANTVR AVORVM) Quasi in familiis nobilibus, propagatur posteritas, & sursum versus aui, proaui, ataui numerantur:

Præterea regem non sic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes
Obseruant: rege incolumi, mens omnibus vna est:
Amisso, rupere fidem: constructaq; mella
Diripuere ipsæ, & crates soluere fauorum.
Ille operum custos, illum admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso, stipantq; frequentes.
Et sæpe attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant, PVLCHRAMQVE PETVNT PER VVLNERA MORTEM.

His

His quidam signis, atq; hæc exempla secuti,
Esse apibus partem diuinæ mentis, & haustus
Ætherios dixere. DEVM NAMQVE IRE PER OMNES
TERRASQVE, TRACTVSQVE MARIS, CÆLVMQVE PROFVNDVM.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemq; sibi tenues nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum, sed viua volare
Sideris in numerum, atq; alto succedere cælo

REGEM NON SIC ÆGYPTVS) *Certè Ægyptij sacerdotes, cùm populum regi suo obtemperantissimum hieroglyphicè vellent innuere, apem effingebant, seu examen apum potius De vita regum Ægyptiorum, populiq; erga ipsos studio, & beneuolentia Diodor. parte 2. lib. 1. cap. 3.*] Mira sanè quæ produntur de studio & amore apum erga regem suum. Nos quæ de eodem apud Plin. legimus, simul lectori sub vnum aspectum subiiciemus. cap. 11. libri videlicet. 11. Regias imperatoribus futuris in vna parte aluei exstruunt amplas, magnificas, separatas, tuberculo eminentes: quod si exprimatur, non gignitur soboles. cap. 17. Mira plebi circa regem obedientia. Cùm procedit, vnà est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore, cùm populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam, lictoresque assidui, custodes auctoritatis. Cùm processere, se quæque proximam illi cupit esse, & in officio conspici gaudet. Fessum humeris subleuant, validius fatigatum ex toto portant. Vbicunque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt. Duce prehenso, totum tenetur agmen: amisso, dilabitur, migratque ad alios. Esse vtiq; sine rege non possunt. Inuitæ tamen interimunt eos, cùm plures fuere, potiusq; nascentium domos diruunt, si prouentus desperatur. Rege peste consumpto, manet plebs ignaua dolore, nõ cibos conuehit, non procedit, tristi tantum murmure glomeratur circa corpus eius. Subtrahitur itaque deductæ multitudini: aliàs spectantes exanimem, luctum non minuunt. Tunc quoq;, ni subueniatur, fame moriuntur. Adde Varronem. Regem suum sequuntur quocunque it, & fessum subleuant, & si nequit volare, succollant, quod eum seruare volunt.

Aristoteles cap. 40. libr. 9. histor. reges nunquam prodeunt foras, vel vt pascantur, vel alia de caussa, nisi vniuersa cum plebe, & si, cùm pergunt, rex ipse fortè aberrârit, omnes inquirere, odoratuque fugaci persequi, donec inueniant, accepimus. Gestari eum à plebe, cùm volare non potest, &, si perierit, omnes discedere: vel, si aliquandiu manserint, fauos quidem conficere, sed mel nullum: nec fieri posse, quin breui omnes discedant. Caussam verò tantæ obseruantiæ idem Aristot. refert non ad vllam regiæ maiestatis reuerentiam, sed ad physicam prolis rationem, quod illum tanquam marem, nõ tanquam ducem sequantur. Vide lib. 3. de ortu animalium, cap. 10.

NEC POPVLI PARTHORVM) *De origine, ac moribus Parthorum Iustinus non pauca lib. 41. Apud eos Arsaces, quæsito simul, & constituto regno, non minus memorabilis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus. Cuius memoriæ hunc honorem tribuerunt, vt omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent.*] Credo aliquo subauditu Persas natura φιλοβασιλεῖς à Marone sub his gentium nominibus, vt finitimos comprehensos: apud quos regibus suis συζῶντας, καὶ συνθνήσκοντας, ἐγχωλιμαίους, & deuotos fuisse constat. Parthi verò inter alias gentes regem suum superstitiosè venerabantur, adorabantq;, & osculis pedum, & seruilibus supplicationibus, immo & eum adituri, terram ore tangebant, vt auctor est Xenophon. Germ.

MEDVS HYDASPES) Hydaspes Indiæ fluuius, quem Horat. Ode. 22. lib. 1. fabulosum vocat, quod de eo in historiis multa sint fabulosè tradita. Cur igitur hìc appellatur Medus? Quia regibus Medorum parere consuetus, ait quidam interpres. Seruius dicit esse fluuium Mediæ, fortasse illi Indico cognominem. Ego ἐπέχω. ✠

REGE INCOL. M. O. VNA. A. R. F) Quod solemne est stoicorum grauissimo Senecæ, etiam hæc Virgiliana ad mores excolendos conuertit epist. 114. Ideo ille (animus) curetur: ab illo sensus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis est habitus, vultus, incessus. Illo sano ac valente, oratio quoq; robusta, fortis, virilis est. Si ille procubuit, & cætera sequuntur ruinam. *Rege incolumi mens omnibus vna est: Amisso, rupere fidem.* Rex noster est animus: hoc incolumi cætera manent in officio, parent & obtemperant. Cùm ille paululum vacillauit, simul nutant. Cùm verò cessit voluptati, artes quoque eius artusq; marcent, & omnis ex languido, fluxoque conatus est. Quoniam hac similitudine vsus sum, perseuerabo, &c. Eadem poetæ verba adducit libr. 1. de Clementia, cap. 4. dum ostendere conatur, Principum, ac regum salute, populi salutem, incolumitatemque contineri. Suam itaque incolumitatem amant, cùm pro vno homine denas legiones in aciem deducunt, cùm in prima fronte occurrunt, & aduersa vulneribus pectora ferunt, ne imperatoris sui signa vertantur. Ille est enim vinculum &c.

ET SÆPE ATTOLLVNT HVMERIS) Succollare Suetonio est attollere humeris. In Claudio cap. 10. Ab his, quia serui diffugerant, vicissim succolantibus in castra delatus est. In Othone cap. 6. laxato calceo restitit, donec omissa mora succollatus, &c.

PVLCHRAMQ. PET. PER VVLN. MORTEM) Nimium hebes sit, qui non intelligat, quorsum hæc verba παροιμιακῶς, ἢ γνωμικῶς accommodari queant, ad illos nempe, qui in bona caussa in acie vitam profundunt. Hæc est enim pulchra mors, quàm Alexand. Seuerus optabat. Vide dicta 2. Æneid. super illo, *pulchrumq; mori succurrit in armis.* ✠

HIS QVIDAM SIGNIS) Concluditur ex antecedentis politiæ ratione, secundum quorundam opinionem apes aliquid rationis habere, & caussa ex anima mundi repetitur, de qua 6. Æneid. *Principio cælum, & terras, camposq; liquentes,* &c.

PARTEM DIVINÆ MENTIS) Sic Horat. diuinæ particulam auræ dixit. Multi autem philosophi de apibus, apumque mente, & syllogissimo iudicium suspenderunt, vt videre est apud Aristotelem libr. 2. Phys. διὸ ἀποροῦσί τινες, πότερον νῷ ἤ τινι ἄλλῳ ἐργάζονται οἵ τε ἀράχναι, καὶ οἱ μύρμηκες, καὶ τὰ τοιαῦτα. German.

DEVM NAMQVE IRE PER OM.) Vide Aristot. de mun-

de mundo, cap. 6. vbi de deo tanquam rerum omnium A conseruatore, ac parente disputat. Virgil. Pythagoræ sectam versat, quam & Stoici sequuntur. Et quidam accusant Virgilium, quòd cùm sit Epicureus, alienam sectam vsurpare videatur. Sed ego puto simpliciter referri sententias philosophorum. Neq; enim statim Epicureus debet videri, si libertate poetica ait,

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.]

Philargyr. * *Conferatur hic locus cum Lucretiano illo, qui patet libr. 2. est siquidem planè geminus, eandemq; complectitur sententiam.*

Deniq; cælesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus ille idem pater est: vnde alma liquentes
Humorum guttas mater cùm terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustaq; læta,
Et genus humanum, parit omnia sæcla ferarum,
Pabula cùm præbet, quibus omnes corpora pascunt:
Et dulcem ducant vitam, prolemq; propagent.

VIVA VOLARE SID. IN NVM.) Est in Timæo Platonis expressa hæc Pythagoræ opinio, quod deus astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens: eisque tanquam vehiculo impositis, monstrauit vniuersi naturam, ac leges fatales edixit: quę animæ tandem ex varia cómigratione corporum perpurgatæ, ad suum astrum redirent.

Si quando sedem angustam, seruataq; mella
Thesauris relines, prius haustus sparsus aquarum,
Ore foue, fumosq; manu prætende sequaces.
Bis grauidos cogunt fœtus, duo tempora messis:
Taygete simul os terris ostendit honestum
Pleias, & Oceani spretos pede reppulit amnes:
Aut eadem sidus fugiens vbi piscis aquosi,
Tristior hybernas cælo descendit in vndas.
Illis ira modum suprà est: læsæq; venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt,
Affixæ venis, animasq; in vulnere ponunt.

SERVAT. MELLA THES. RELIN.) Agit de mellatione, castrandisúe alueis, cuius duo tempora describuntur, ver nempe, & autumnus: quæ per exortum, & occasum Pleiadum denotat. Quibus occidentibus, piscis Austrinus è regione exoritur. Plin. æstiuam mellationem addit, cap. 14. & 15. Vernum ex floribus constructo fauo, quod idem vocatur anthinum. Hoc quidam attingi vetant, vt largo alimento valida exeat soboles. Alij ex nullo minus apibus relinquunt, quoniam magna sequatur vbertas magnorum siderum exortu. Est autem in eximendis fauis necessaria dispensatio: quoniam inopia cibi desperant, moriunturque, aut effugiunt: contra, copia ignauiam affert, ac iam melle, non erithace pascuntur. Æstiua mellatione decimam partem Cassio Dionysio relinqui placet, si pleni fuerint aluei: sin minus, pro rata portione: aut si inanes, omnino non attingi. Vide insuper Columel. lib. 9. cap. 15. & Pallad. lib. 7. tit. 7.

De hac Varro. Eximendorum fauorum signum sumunt ex ipsis, cùm plenos aluos habent, & cùm illos geminauerint, ex apibus coniecturam capiunt, si intus faciunt bombum, & cùm introeunt, ac foras trepidant, & si opercula alui cùm remota sint, fauorum foramina obducta videntur, mellis membranis. Cùm sunt repleti melle, in eximendo quidem oportere nouem partes tollere, decimam relinquere. Quod si omne eximas, fore vt discedant. Alij hoc plus relinquũt quam dixi: vt in aratis qui faciunt restibiles segetes, plus tollunt frumenti ex interuallis: sic in aluis, si non quotannis eximas, aut non quoque multum, & magis his assiduas habeas apes, & magis fructuosas. Sequitur deinde de triplici mellatione, tribus diuersis temporibus, verna, æstiua, autumnali, quod secutus est Plin. quem vide cap. 16. Duplicem agnoscit etiam Aristot. additq;. Cùm autem fauos apiarij eximunt, cibi tantum relinquunt, quantũ per hyemẽ sufficiat. Quod si satis sit, seruatur examen: sin minus, vel moritur ibidẽ, si, ne discedat, hyems obstat: vel deserit sedem, si serenum nanciscitur.

PRIVS HAVST. SPARS. AQVAR.) Sparsus pro B spargens. Sparge haustum aquarum in modum pluuiæ, quem haustum ore foueris, seu continueris.

FVMOSQVE MANV PRÆTENDE) De fumo Plin. cap. 16. Cùm eximuntur mella, apes abigi fumo vtilissimum, ne irascantur, aut ipsæ auidè vorent. Fumo crebriore etiam ignauia earum excitatur ad opera. Apes ideo nequire fumum pati, docet libr. de caussis natural. Plutarchus, cap. 35. quod meatus spiritus vitalis perangustos habeant, qui fumo interceptus, & conclusus, angit, & propemodũ ad mortem apes adigit, siue quod acredo, amaritudoque fumi in caussa est: gaudent enim dulcibus apes, neque alio nutrimento aluntur. Itaque vt contrariam, & noxiam rem propter amaritudinem, C fumum detestantur. Qua de caussa mellarij cùm fumum abigendis apibus faciunt, amaras herbas, vt cicutam, & centaureum incendere solent.

OCEANI AMNES) Homerus quoque ὠκεανοῖο ῥοάων. Et Mimnermus ὠκεανοῖο ῥόον.

ILLIS IRA MODVM SVPRA) De ira apum cauenda in mellatione, Plin. cap. 18. Aculeum apibus natura dedit, ventri consertum: ad vnum ictum hoc infixo, quidam eas statim emori putant. Aliqui non nisi in tantum adacto, vt intestini quippiam sequatur: sed fuces postea esse, nec mella facere, velut castratis viribus, pariterque & nocere, & prodesse desinere. Est in exemplis, equos ab iis occisos. Videtur ab Aristotele hoc sumpsisse Plin. Sic enim ille. Intereunt quæ percusserint, D quoniam sine intestini eruptione aculeus eximi non potest. Necant vel maxima animalia ictu sui aculei. Iracundissimæ, & pro captu corporis pugnacissimæ sunt apes, inquit Seneca lib. 1. de Clementia, cap. 19. & aculeos in vulnere relinquunt. Ab ista apum natura, aculeo scilicet pungendi, & in vulnere relinquendi, metaphoram duxit Cic. pro Flacco, quod obseruatum est à Germano. Flacco verò quid profuit? qui valuit tamdiu, dũ huc prodierit: mortuus est aculeo iam dimisso, ac dicto testimonio. Plato quoq;, quem & imitatus videtur Cicero, eadẽ est vsus. ὥσπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν οἰχήσομαι.

De te-

De regibus apium quæstio est, ecquid habeant aculeum. Seneca libro paulò antè nominato negat. Rex, inquit, ipse sine aculeo est. Caussam subiungit statim. Noluit illum natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere: telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens. Est enim illi (naturæ) mos exercere se in paruis, & ingentium rerum documenta minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores: cùm tantò hominum moderatior esse animus debeat, quanto vehementius nocet. Vtinam quidem eadem homini lex esset: & ira cum telo suo frangeretur: nec sæpius liceret nocere quàm semel, nec alienis viribus exercere odia. Facilè enim lassaretur furor, si per se sibi satisfaceret, & si mortis periculo vim suam effunderet. Plin. hoc tantum, lib. 11. cap. 17. sed quomodo sine aculeo nascantur, in quęstione est.

LÆSÆQ. VENEN. MORS. INSPI.) Animal paruissimum apis, infixo aculeo magnum homini dolorem facit. Recordor dicti cuiusdam Brasidæ, quod ponitur à Plutarcho in Apophthegmat. Lacon. Cùm in caricis fortè murem deprehendisset, morsus, eum continuò missum fecit. Tum ad astantes. Nihil est, inquit, tam exiguum, quod saluum esse non possit, si vim inferentes audeat vlcisci. Verùm apis se etiam cum interitu suo vlciscitur: sequitur enim, *animasq; in vulnere ponunt*, quasi præoptet mori, quàm se non vindicare. Nam præcedebat illud, *Illis ira modum supra est.*

Sin duram metues hyemem, parcesq; futuro:
Contusosq; animos, & res miserabere fractas:
At suffire thymo, cerasq; recidere inanes
Quis dubitet? nam sæpe fauos ignotus adedit
Stellio: lucifugis congesta cubilia blattis:
Immunisq; sedens aliena ad pabula fucus,
Aut asper crabro imparibus se immiscuit armis,
Aut durum tineæ genus, aut inuisa Mineruæ
In foribus laxos suspendit aranea casses.
Quò magis exhaustæ fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent, generis lapsi sarcire ruinas,
Complebuntq; foros, & floribus horrea texent.

SIN DVR. MET. HYEM.) Faui non omnes eximi debent. Nam priore messe, dum adhuc rura pastionibus abundant, quinta pars fauorum, posteriore, cùm iam metuitur hyems, tertia relinquenda est hyemationi: ne maior exemptio totum mellificium destruat, & apes animo deficiant.

AT SVFFIRE THYMO) suffumigandi aluei, quod & salubre est apibus, & ad prædones prohibendos valet. Suffire est vaporare, suffumigare. Lucret. lib. 2. *Ignibus ætherëis terras suffire feraces:* Item lib. 4. *Et miseram tetris se suffit odoribus ipsa.* Apud Plin. crebrò leges suffitus, suffitiones, suffimenta. Ouid. *Sanguis equi suffimen erit.* Columella cap. 14. suffitas deinde, & æstuantes apes refrigerare oportet.

FAVOS IGNOT. ADEDIT STELLIO) Ignotus sæpe valet ignobilis, & ita hîc Seruius exponit, vel, ex improuiso veniens. Auctor est Plinius, stellionem animal esse, generi humano valde noxium: sed & quod homini plurimùm inuideat, quoque vti mulieres solent ad veneficium, quodque cùm natura pellem suam homini ad morbi comitialis depulsionem, & remedium commodam, & salutarem intelligat, eam detractã prorsus voret, ne suo beneficio frui quæat homo, consentiente cum lynce more, qui lyncurion quoq; hominibus inuidet.

Audi rursus Columellam. Præterea vt tineæ, si apparuerint, euertantur, papiliones enecentur, qui plerumque inter aluos morantes, apibus exitio sunt. Nam & ceras erodunt, & stercore suo vermes progenerant, quos alueorum tineas appellamus. Idem cap. 7. dum pręcipit, foramina alueorum angusta esse debere: sic nec venenatus stellio, nec obscœnum scarabæi, nec papilionis genus, lucifugæq; blattæ, vt ait Maro, per laxiora spacia ianuæ fauos populantur. Idem cap. 14. vt omnia purgamenta, quæ sunt hyberno tempore congesta, eximantur, & vt araneis, qui fauos corrumpunt, detractis, fumus immittatur incenso bubulo fimo. Hic enim quasi quadam cognatione generis maximè est apibus aptus. Vermiculi quoque, qui tineæ vocantur, & item papiliones enecandi sunt. Quæ pestes plerunque fauis adhærentes decidunt, si fimo medullam bubulam misceas, & his incensis nidorem admoueas.

Plurimorum animalium iniuriis obnoxias esse apes, Plinius docet cap. 18. Impugnant eas naturæ eiusdem degeneres vespæ, atq; crabrones, & è culicum genere, qui vocantur muliones, populantur hirundines, & quædam aliæ aues. Insidiantur aquantibus ranæ, quæ maxima earum est operatio, tum, cùm sobolem faciunt. Nec hæ tantùm, quæ stagna riuosque obsident, verùm & rubetæ veniunt vltrò, adrepentesque foribus, per eas sufflant: ad hoc prouolant, confestimque abripiuntur. Nec sentire ictus apum ranę traduntur. Inimicæ & oues, difficile se à lanis earum explicãtibus. Cãcrorum etiam odore, si quis iuxtà coquat, exanimantur. Et cap. 19. Aranei quoq; vel maximè hostiles, cùm præualuere, vt intexant, enecãt alueos. Papilio etiam hic ignauus, & inhonoratus, luminibus accensis aduolitans, pestifer, nec vno modo. Nam & ipse ceras depascitur, & relinquit excrementa, quibus teredines gignuntur: filis etiam araneosa, quacunq; incessit, alarum maximè lanugine obtexit. Nascuntur & in ipso ligno teredines, quæ ceras præcipuè appetunt.

LVCIFVGIS BLATTIS) Naturam vermiculorum expressit, in balneis, & in humidis, obscurisq; locis nascentium. Vsus est hac voce iuncta etiam Cic. 1. de Finib. Ecce autem alij minuti, & angusti, aut omnia semper desperantes, aut maleuoli, inuidi, difficiles, lucifugi, maledici, monstrosi.

IMMVNIS FVCVS) Sine officio, & munere. Nonius, proferens hunc locum.

INVISA MINERVÆ) propter Arachnen, quod & Philargyr. monet. Propter Arachnen, inquam, textricem peritissimam, & subtilissimam, quacum ab ea despecta certauit opere textorio Minerua, eamque victam in araneam commutauit. Metamorph. lib. 6.

LAXOS SVSPENDIT AR. CASS.) Araneum vocari ipsum animal dicit Seruius, ipsa retia quæ facit, fœminino genere, araneas. Inueniuntur araneola, & araneolus. Seneca epist. 121. Non vides, quàm nulli mortalium imitabilis sit illa araneæ textura? Quanti operis sit fila disponere? Alia in rectum immissa firmamenti loco, alia in orbem currentia, ex denso rara, quæ minora animalia, in quorum perniciem illa tenduntur, velut retibus implicata teneant.

Araneorum naturam Plin. lib. 11. cap. 24. vel præci- A pua admiratione dignam censet. Tertium, inquit, eorundem genus erudita operatione conspicuum. Orditur telas, tantique operis materiæ vterus ipsius sufficit: siue ita natura stato tempore (vt Democrito placet) siue est quædam intus lanigera fertilitas: tam moderato vngue, tam tereti filo, & tam æquabili deducit stamina, ipso se pondere vsus. Texere à medio incipit, circinato orbe subtemina adnectens, maculasque paribus semper interuallis, sed subinde crescentibus, ex angusto dilatans, indissolubili nodo implicat. Lege reliqua.

QVO MAGIS EXHAVSTÆ) Quo magis numerus à bestiis imminuitur, pabulumque subtrahitur, hoc acrius illę incumbunt laboribus: vt & amissam sobolem celeriter reparent, & recentibus cibis alueos, & sua loculamenta compleant.

Si verò (quoniam casus apibus quoque nostros
Vita tulit) tristi languebunt corpora morbo:
(Quod iam non dubiis poteris cognoscere signis.
Continuò est ægris alius color: horrida vultum
Deformat macies: tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & tristia funera ducunt:
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in ædibus omnes,
Ignauæq; fame, & contracto frigore pigræ.
Tum sonus auditur grauior, tractimq; susurrant:
Frigidus vt quondam syluis immurmurat Auster,
Vt mare sollicitum stridet refluentibus vndis,
Æstuat vt clausis rapidus fornacibus ignis)
Hîc iam galbaneos suadebo incendere odores,
Mellaq; arundineis inferre canalibus, vltrò
Hortantem, & fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit & tunsum gallæ admiscere saporem,
Arentesq; rosas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel psythia passos de vite racemos,
Cecropiumq; thymum, & graueolentia centaurea.
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba.
Namq; vno ingentem tollit de cespite syluam:
Aureus ipse, sed in foliis quæ plurima circum
Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ.
Sæpe deûm nexis ornatæ torquibus aræ.
Asper in ore sapor: tonsis in vallibus illum
Pastores, & curua legunt prope flumina Mellæ.
Huius odorato radices incoque Baccho,
Pabulaq; in foribus plenis appone canistris.

APIBVS QVOQVE NOST. CAS. VIT. TVLIT) Nostri, id est, hominum casus sunt varij morbi, in quos cadimus: quomodo ergo in aliis, sic in hoc quoque hominum similes sunt apes, quod nonnunquam deterius valent. Tulit non minus cęteris quoque animantibus, vt vidimus libro præcedente.

CONTIN. EST ÆG. AL. COLOR) Plurima signa per longam parenthesin apium ægrotantium propo- B nuntur. Varro de iisdem, & sanitatis quoque argumentis. Sanitatis signa sunt, si sunt frequentes in examine, &, si nitidæ: &, si opus quod faciunt, est æquabile, ac leue. Minus valentium signa, si sunt pilosæ, & horridæ, & vt puluerulentæ, nisi opificij eas vrget tempus. Tum enim propter laborem asperantur, ac macescunt. Ponit & signa quædam Plin. cap. 18. qnin & morbos suapte natura sentiunt. Index eorum tristitia torpens, & cùm ante fo-

res in teporem solis promotis aliæ cibos ministrant, cùm defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exequias. De morbis earundem & remediis Columella lib. 9. cap. 13.

CORP. LVCE CAREN. EXP.) Columella cap. 13. Nec non etiam ille morbus maximè est conspicuus, qui horridas, contractasq; carpit, cùm frequenter aliæ mortuarum corpora domicilijs suis efferunt, aliæ intra tecta vt in publico luctu, mœsto silentio torpent. Aristot. ἐὰν δ' ἴσω τις ἀποθάνῃ, ἐξάγουσιν ὁμοίως. Et paulò pòst. τάς τε ἀποθνηκυίας τῶν μελιττῶν, ἐκκομίζουσιν ἔξω, καὶ τ' ἄλλα δὲ καθαριώτατόν ἐστι τὸ ζῷον. * *Vita est quoddam lumen, quadam lux. Vel potius viuentes sunt, & versantur in lumine, mortuus in tenebris. Vnde lumine cassi, luce carentes, qui esse in lumine, seu videre lumen desierunt, vita defuncti.*

PEDIBVS CONNEXÆ AD LIM. PEND.) De vua dictum est, quam inter se complicatæ, atque à se vicissim dependentes efficiunt. De hac loquitur Columella cap. 9. vbi de apum pugna sermo est. Ac deinde cùm agmen glomeratum in proximo frondentis arbusculæ ramo consederit, animaduertito an totum examen in speciem vnius vuæ dependeat: idque signum erit, aut vnum regem inesse, aut certè plures bona fide reconciliatos, quos sic patieris, dum in suum reuolent domicilium: sin autem duobus, aut etiam compluribus velut vberibus diductum fuerit examen, ne dubitaueris & plures proceres, & adhuc iratos esse.
Plinius quoq; cap. 17. Tunc ostenta faciunt priuata, ac publica, vua dependente in domibus, templisue. Meminit & Virgil. 7. Æneid.

Huius apes summum densæ, mirabile dictu,
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ,
Obsedere apicem: & pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.

Iuuenal. sat. 13. *Examenq; apium longa consederit vua.*

TRACTIMQ. SVSVRRANT) Sine intermissione, iugiter. Ita Seruius. Nonius, longo tractu, afferens illud ex Amphit. *Quid si ego illum tractim tangam, vt dormiat?*

MARE SOLLIC.) Sollicitus est inquietus, mobilis, celer. Hæc princeps huius verbi vis est, ac potestas. Vide quæ diximus 12. Æneid. ibi, *Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra Sollicitat.* Lucret. lib. 1.

Multa modis multis varia ratione moueri
Cernimus ante oculos: quæ, si non esset inane,
Non tam sollicito motu priuata carerent,
Quam genita omnino nulla ratione fuissent.

Lib. 3. de animalibus loquens: *neq; enim, sine corpore cùm sint, Sollicita volitant morbis, alguq; fameq;.*

A HIC IAM GALBAN.) Morbi remedia nouem recensentur. Columellam cap. 13. auscultemus paululùm. Nos magis, ne intereant, quæ deinceps dicturi sumus, ægris examinibus exhibenda censemus. Nam vel grana mali punici tunsa, & vino Aminæo cõspersa, vel vuæ passæ cum rore Syriaco pari mensura pinsitæ, & austero vino insuccatæ dari decet: vel si per se ista frustra sunt, omnia æquis ponderibus in vnum læuigata, mox etiá refrigerata, ligneis canalibus apponi, &c. Paulò pòst. Id cùm accidit, arundineis infusi canalibus offeruntur cibi, maximè decocti mellis, & cum galla, vel arida rosa detriti. Galbanum etiam, vt eius odore medicentur, incendi conuenit, passoq;, & defruto vetere fessas sustinere. Op-
B timè tamen facit amelli radix: cuius & frutex luteus, purpureus flos. Ea cum vetere Aminæo vino decocta exprimitur, & ita liquatus eius succus datur.

TVNSVM GALLÆ AD. SAP.) De galla, eiusq; differentiis consule præd. rust. Caroli Steph. in Sylua.

AVT IGN. P. M. DEFR.) De defruto dictum Georg. 1. ibi, *Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem.*

GRAVEOLENT. CENT.) Centaureon, ait Festus, medicamentum, à Chirone centauro inuentum. Lucret. lib. 2.

At contrà tetra absinthi natura, feriq;
Centauri fœdo pertorquent ora sapore.

Idem lib. 4. *Abrotaniq; graues, & dulcia centaurea.* Ferum appellat propriè, respiciens Chironem centaurum,
C partim equum, partim hominem, & ita immanem, agrestem, & non humanum. Vtroque autem modo, centaureum, & centaurium dicitur, productis iis syllabis, quæ sunt ante vltimas. Lamb. in Lucret.

FLOS CVI NOM. AMELLO) Græcè μελίφυλλον in veteri quodam Lexico. Alibi, Amellus στρύθιον. Ita in neutro, & masculino diuersas putat herbas, quicunque illa glossemata scripsit. Turneb. lib. 19. caq. 18. Huius herbæ Columella meminit ca. 4. inter apum pabula. Mille præterea semina, vel eruto cespite virentia, vel subacta sulco flores amicissimos apibus creant, vt sunt in irriguo frutices amelli. Rursum cap. 13. optimè autem facit amelli radix: cuius est frutex luteus, purpureus flos, &c. Qui-
D dam putant hanc herbam esse chamemelum: alij chelidonium minus, quia habeat flores aurei splendoris, & in foliis purpureas maculas.

TORQVIBVS) coronis.

RAD. INCOQVE BAC.) Horat. Ode 3. Epod. *Num viperinus his cruor Incoctus herbis me fefellit.* Et sat. 8. lib. 2. *Erucas virides, inulas ego primus amaras Monstraui incoquere.*

PLENIS CANIST.) Species pro specie, vasculis.

Sed si quem proles subitò defecerit omnis,
Nec genus vnde nouæ stirpis reuocetur habebit:
Tempus & Arcadij memorare inuenta magistri,
Pandere quoq; modo cæsis iam sæpe iuuencis
Insincerus apes tulerit cruor. altius omnem
Expediam, prima repetens ab origine, famam.
Nam, quà Pellei gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura phaselis:
Quaq; pharetratæ vicinia Persidis vrget,
Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,
Et diuersa ruens septem discurrit in ora

Vsq;

Vsq; coloratis amnis deuexus ab Indis:
Omnis in hac certam regio iacit arte salutem.
Exiguus primùm, atq; ipsos contractus ad vsus
Eligitur locus: hunc angustiq; imbrice tecti,
Parietibusq; premunt arctis: & quattuor addunt
Quattuor à ventis obliqua luce fenestras.
Tum vitulus bima curuans iam cornua fronte
Quæritur: huic geminæ nares, & spiritus oris
Multà reluctanti obstruitur: plagisq; perempto
Tunsa per integram soluuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt: & ramea costis
Subijciunt fragmenta, thymum, casiasq; recentes.
Hoc geritur, Zephyris primùm impellentibus vndas,
Antè nouis rubeant quàm prata coloribus, antè
Garrula quàm tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Æstuat, & visenda modis animalia miris,
Trunca pedum primò, mox & stridentia pinnis
Miscentur, tenuemq; magis, magis aera carpunt,
Donec, vt æstiuis effusus nubibus imber,
Erupere: aut vt neruo pulsante sagittæ,
Prima leues ineunt si quando prælia Parthi.

SED SI QVEM PROLES SVBITO) Dehinc vsque ad finem operis, quemadmodum apes penitus amissæ sint restituendæ, docebimur, è bouis nimirum sanguine putrefacto: quam ad rem Aristæi fabula attexitur. De reparandis igitur apibus hæc Varro. Primùm apes nascuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Itaq; Archelaus in epigrammate ait eas esse βοὸς φθιμένης πεποιημένα τέκνα. Item, ἵππων μὲν σφῆκες γενεαί, μόσχων δὲ μέλισσαι. Idem, Prouidendum vehementer, ne propter æstum, aut propter frigus dispereant. Si quando subito imbri in pastu sunt oppressæ, aut frigore subito, antequam ipsæ prouiderint id fore (quod accidit rarò, vt decipiantur) & imbris guttis vberibus offensæ iacent prostratæ & afflictæ, colligendum in vas aliquod, & reponendum in tecto loco, ac tepido. Promendum die, quàm maxime tempestate bona, & cinere facto è ficulneis lignis, infriandum, paulò plus calido, quàm tepidiore. Deinde concutiendum leuiter, vt manu non tangas, & ponendæ in sole. Quæ enim sic concaluerunt, restituunt se, ac reuiuiscunt: vt solet similiter fieri in muscis aqua necatis. Hoc faciendum secundum aluos, vt reconciliatæ ad suum quæque opus, & domicilium redeant.

Vtramque rationem breuiter differit Plinius cap. 20. Sunt, qui mortuas, si intra tectum hyeme seruentur, deinde sole verno torreantur, ac ficulneo cinere toto die foueantur, putent reuiuiscere. In totum verò amissas reparari ventribus bubulis recentibus cum fimo obrutis: Virgilius iuuencorum corpore exanimato, sicut equorum vespas, atque crabrones, sicut asinorum scarabæos, mutante natura ex aliis quædam in alia.

Verba Columellæ cap. 14. sic habent. Cæterùm hoc eodem tempore progenerari posse apes iuuenco perempto, Democritus, & Mago, nec minus Virgilius prodiderunt. Mago quidem ventribus etiam bubulis idem fieri affirmat. Quam rationem diligentius persequi superuacuum puto, consentiens Celso, qui prudentissimè ait, non tanto interitu pecus istud amitti, vt sic requirendum sit.

ARCADII MAGISTRI) Pro Arcadici. Eodem modo in Culice, vt quidem corrigendum censuit Scalig. F. *Omnis vt historiæ proludens consonet ordo Notitiæ.* Historiæ notitiæ, pro historicæ. Sic Galliæ mulieres apud Sallustium, citante Nonio, pro Gallicæ, more Græcorum, qui dicunt Ἑλλάδες γυναῖκες. Sic Horat. Metaurum flumen, Stertinium acumen.

ALTIVS EXPEDIAM) Altum, vetus, antiquum. Sic 8. Æneid. *Quid caussas petis ex alto?* Attius Armorum iudicio. *Cur vetera tam ex alto appetistis dissidia Agamemno?* Altum aliquando, pressum, obscurum. lib. 10. *quid me alta silentia cogis Rumpere?* Ibid. *sin altior istis Sub precibus venia vlla latet.* Nonius.

NAM QVA PELLÆI GENS. F. CAN.) Alexandriæ primùm locis vicinis, apes occidione deletas, & Nili inundatione absorptas, hac arte, boue, inquam, necato, reparatas fuisse constat. Ea vrbs totius Ægypti florentissima est, vicina Canopo insulæ, sita in ripa Nili, qua parte Ægyptus in orientem spectat contra Persidem. Incolæ vrbis stagnante Nilo, nauigiis vtuntur, & pictis phaselis sua rura circumnauigant. Nam hic amnis vniuersam Ægyptum quotannis irrigat: & cùm tota æstate obrutam, oppletamq; tenuerit, tum recedit, mollitosq; & pingui fimo oblimatos agros ad serendum relinquit. Oritur autem Nilus ex montibus inferioris Mauritaniæ, & longo spatio per fines Mauritanorum, Æthiopum, & Afrorum fertur: multisque effectis insulis, Africam ab Æthiopia disterminat. Postquam omnes aquas recepit, & totam Ægyptum permeauit, tandem in mare septem ostiis influit.

Pella vrbs Macedoniæ, & regia Alexandri: à quo

Alexan-

Alexandria Canopo vicina ædificata est: vnde nunc Pellæus Canopus. Stephan. de vrb. Πέλλα πόλις μακεδονίας, ἀχαΐας, κοίλης συρίας ἡ βοῦτις λεγομένη. ἡ δὲ μακεδονίας βύτομος τὸ πρότερον ἐκαλεῖτο, &c. Canopum oppidum Spartani condidere, vt Tacitus refert Annal. 2. dictum, ob illic sepultum rectorem nauis Canopum: qua tempestate Menelaus Græciam repetens, diuersum ad mare, terramq; Libyam delatus inde. Longo autem epitheto, inquit Philargyr. *Pellei Canopi* sic vsus est, vt alibi, Tyrios, & Agenoris vrbem: &, Assaraci domum, Romam. * *Pompon. Mela. lib. 2. cap. 3. Tot Macedonum populi, quot Vrbes habitant: quorum Pellam maximè illustrem alumni efficiunt, Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Asiæ. De Canopo Strabo lib. 17. Canopus CXX. stadiis distat ab Alexandria terrestri itinere, cognominis Canopo, qui Menelai gubernator fuerat, & ibi mortuus est.*

EFFVSO STAG. FLVM. NILVM) Seneca Natural. lib. 4. cap. 2. Illa facies pulcherrima est, cùm iam se in agros Nilus ingessit. Latent campi, apertæque sunt valles: oppida insularum modo extant. Nullum in mediterraneis, nisi per nauigia, commercium est, maiorq; est lætitia gentibus, quo minus terrarum suarum vident. Hunc nobilissimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita disposuit, vt eo tempore inundaret Ægyptum, quo maximè vsta feruoribus terra, vndam altius traheret, tantum haustura, quantum siccitati annuæ sufficere possit. Nam in ea parte, quæ in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis cælestibus terram non adiuuent. Vnam Ægyptus in hoc spem suam habet. Proinde aut sterilis annus, aut fertilis est, prout ille magnus influxit, aut parcior. Nemo aratorum aspicit cælum. Aliam eiusdem philosophi sententiam de Nilo reperies libr. 9. Æneid. ibi, *aut pingui flumine Nilus*. Vide etiam Plutarchum de placitis philosophor. lib. 4. cap. 1.

PICTIS PHASELIS) Horat. Ode. 14. lib. 1. *Nil pictis timidus nauita puppibus Fidit.* Naues enim pictura illustrare solebant antiqui, & Græci ποικίλας ναῦς dicunt. Est autem phaselus, siue faselus, (nam vtraque scriptura probatur) genus nauis à similitudine seu specie illa leguminis, ad cuius imitationem fit. A Phaselide loco, sunt quibus dictum placet.

PHARETRATÆ PERSIDIS) lib. 11. *Vnum exerta latus pugna pharetrata Camilla.* Sic Ouid. cupidinem pharetratum puerum, Dianam quoque pharetratam deam appellat. Horat. Ode. 4. libr. 3. *Visam pharetratos Gelonos.* De Indis noster Georg. 2. *Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.*

ÆGYPT. NIGRA FOECVND. ARENA) Complures Ægyptum à fertilitate soli laudauerunt. Homerus ζείδωρον ἄρουραν vocat. Dionys. λιπαρὸν πέδον, καὶ εὔβοτον. Addit, εὐλειμόν τε, καὶ ἀγλαὰ πάντα φέρουσα. Strabo ex auctoritate Aristotelis, Ægyptum publicum orbis horreum fuisse nominatum testatur. Caussa fertilitatis huius & ab aliis in Nili irrigationem confertur, qui à Nazianzeno καρποδότης dicitur.

In Encomio Busiridis Isocrates, dum caussas in medium profert, quibus ille impulsus, maternum in Africa imperium reliquerit, & in Ægypto sedem sibi fixerit, regnumque fundarit, illustribus hanc terram, eiusque flumen Nilum (de quo & supra diximus nonnihil, & mox iterum dicemus) laudibus, & ad hunc etiam locum quodammodo pertinentibus condecorat. ἑώρα γὰρ τοὺς μὲν ἄλλους τόπους, &c. Videbat enim cætera loca non commodè, neq; conuenienter ad vniuersi mundi naturam posita, partim feruoribus infestari: hanc verò prouinciam in commodissima orbis parte sitam, plurimorum, ac potius omnis generis bonorum esse feracissimam, & Nilo, immortali muro circumdatam, qui eam non tan-

A tum muniat, sed vi insita etiam liberaliter alat: insuperabilis, & inexpugnabilis insidiatoribus: ijs autem, qui intra eum habitant, ad deriuationes, & alia complura opportunus. Nam præter ea quæ diximus, potentiam quoque eorum in cultura terræ prope diuinam efficit. Imbrium enim, & siccitatum, quorum aliis Iupiter promus condus est, horum vtrorumque potestatem quiuis per se habet: ac tam immensa felicitate sunt, vt si præstantiam spectes, naturamque regionis, & campos latissimè patentes, terra continente fruantur: exportatione autem rerum quibus abundant, importatione quarum egent, ob fluminis huius commoditatem, insulam incolant. Nam circum circa eam ambiens, & totam interfluens, magnam eis opportunitatem vtriusq; rei suppe-
B ditat.

De Nilo Lucret. lib. 6.

Nilus in æstate crescit: campisq; redundat,
Vnicus in terris Ægypti totius amnis:
Is rigat Ægyptum medium per sæpe calorem.

De eadem re, ac simul de ignoto eius fonte, siue origine Tibull. libr. 1. eleg. 6.

Qualis & arentes cùm findit Sirius agros,
Fertilis æstiua Nilus abundat aqua.
Nile pater, quanam te possum dicere caussa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?
C *Te propter nullos tellus tua postulat imbres,*
Arida nec riguo supplicat herba Ioui.

Cic. 2. de nat. deor. Ægyptum Nilus irrigat, & cùm tota æstate obrutam oppletamq; tenuerit, tum recedit, mollitosq;, & oblimatos agros ad serendum relinquit. Plin. lib. 18. cap. 18. Nilus in Ægypto coloni vice fungens, euagari incipit à solstitio, aut noua luna: ac primò lentè, deinde vehementius, quamdiu in leone sol est. Mox pigrescit in virginem transgresso, atque in libra residet. Si duodecimum cubitum non excessit, fames certa est. Nec minus, si 16. exuperauit. Tantò enim tardius decedit, quantò abundantius creuit, & sementem arcet.

D Verum enimuero, in Ægypto nunquam cadere pluuiam, & loco pluuiarum, illi aquam Niloticam superfundi, cùm veritate sacrarum litterarum pugnare videtur. Et enim in Genesi scriptum est, quia 7. annis cælum clausum fuerat, difficultatem annonæ secutam esse, in Iosephi, inquam, patriarchæ historia. Respondent quidam, pluere quidem in Ægypto, sed rarius, potioremq; fertilitatis caussam à Nilo esse. Nili autem inundationem fieri maximè, cùm in Æthiopia pluuiæ sunt creberrimæ, auctor est Cleomedes. Confirmat Herodot. libr. 3. Siue Thalia. Sub eius autem (Amasis) filio Psammenito maximum extitit Ægypti portentum. Apud Thebas Ægyptias (quod neque prius vnquam, neque postea ad meam vsque ætatem contigit, vt ipsi The-
E bani aiunt) pluit. Nam in superiore Ægypto penitus non pluit, Thebis tamen tunc pluit guttis. Hæc ille historicus. Ex cuius oratione patet, alicubi pluere per Ægyptum.

Diodorus lib. 1. cap. 3. Nilus etiam leniter fluens, cùm multam variamque terram secum ferat, quibusdam in locis humilibus paulùm stagnans, regionem fructiferam, fertilemque efficit. Ibid. de eius fœcunditate plura. Poetæ, vt obseruat Pierius lib. 46. in Aquaticis, modo pinguem, modo potu fœtiferum dicunt, quod animalia quæ ex eo bibunt, & pinguiosa, & obesiora fieri compertum est: quare suum illum Apim tanta cura cultuque nutritum, ex Nilo bibere quàm religiosissimè vetuerunt: siquidem & macilentiam, & gracilita-

tem omni pondere vacuam diuinitati propiorem arbitrabantur, vt Plutarchus assenerat. Eadem de caussa sacerdotes plurimo vti ieiuno, & abstinentia consuesse testatur Porphyrius.

COLORATIS AMNIS DEVEXVS AB INDIS) Simulacra reliquis fluminibus ex lapide candido fieri solebant, vt vndarum nitorem exprimerent, Nilo verò ex nigro, vt Pausanias ait, propterea quod ex Æthiopia delabitur, vt hic dicitur, sic enim licet interpretari coloratos Indos. Et ipse fluuius à nigrore Melonis olim cognomentum habuit. Vnde Catull. cum ait æquora colorare: latè enim, longeq; inficit mare quia limosus est, & vnda turbidiore: quare in mare delapsus, aquam nactus nitidiorem, per longa spatia colorem seruans exspatiatur. Pierius lib. 46. non longè à principio.

EXIGVVS PRIMVM) Demonstrat quemadmodum tractetur iuuencus, vnde apes nascituræ, quomodo compactus in locum angustissimum, quatuor fenestellas habentem, quæ aërem à quatuor mundi plagis intromittant, incluso spiritu eo vsque diuerberetur, dum rupto ventre intestina effundat. Quo facto cadauer intra illas angustias, seu in clauso illo relinquunt, & stirpes apiarias, thymum, casiam ac similes substernunt.

ANGVSTIQVE IMBRICE TECTI) Imbrex tegula curua est, & obtorta: quales sunt, quæ tectorum fastigiis superponuntur. Hinc imbricare verbum, in modum imbricum copulare.

ZEPHYRIS PRIMVM IMPELL. VND.) Et hæc omnia, quæ supra dicta sunt, primo vere peragunt, pri- A usquam herbæ, & flores in pratis existant, & hirundines veniant. Putrefacto demum vituli sanguine, & iam veris calore accedente, animalia hinc nascuntur, primùm sine pedibus, quasi truncata, & vermiculorum similia: mox & pedibus instructa, & pennigera, ac paulatim magis ac magis semet attolentia. donec tandem viribus sumptis, vniuersum agmen emergat, tantaq; copia prorumpat, quanta aut repentinus imber ingruit, aut quàta sagittæ, à Parthis cõtra hostẽ immissæ in acie prouolant.

*Descripta est eadem hæc ratio à Nasone Fastor lib. 1. atq; eadem fabula Aristæi, sed breuius: quam, vt cum Virgiliana descriptione cõponatur, seu vt inde aliquid lucis ista nostra, quæ sequuntur, accipiant, Nasonis versus describemus.

Flebat Aristæus, quod apes cum stirpe necatas
Viderat incæptos destituisse fauos.
B Cærula quem genitrix ægre solata dolentem
Addit hæc dictis vltima verba suis.
Siste puer lacrymas, Proteus tua damna leuabit:
Quoq; modo repares, quæ periere, dabit.
Decipiat ne te versis tamen ille figuris,
Impediant geminas vincula firma manus.
Peruenit ad vatem iuuenis, resolutaq; somno
Alligat æquorei brachia capta senis.
Ille suam faciem transformat, & alterat arte:
Mox domitus vinclis in sua membra redit.
Oraq; cærulea tollens rorantia barba,
Qua, dixit, repares arte requiris apes?
Obrue mactati corpus tellure iuuenci:
Quod petis à nobis, obrutus ille dabit.
Iussa facit pastor, feruent examina putri
De boue: mille animas vna necata dedit.

Quis Deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem?
Vnde noua ingressus hominum experientia cœpit?
Pastor Aristæus, fugiens Peneïa tempe
Amissis (vt fama) apibus morboq;, fameq;,
Tristis ad extremi sacrum caput astitit amnis,
Multa querens, atq; hac affatus voce parentem.
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis huius
Ima tenes: quid me præclara stirpe deorum
(Si modò, quẽ perhibes, pater est Thymbræus Apollo)
Inuisum fatis genuisti? aut quò tibi nostri
Pulsus amor? quid me cælum sperare iubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum, & pecudum custodia sollers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.
Quin age, & ipsa manu fælices erue syluas:
Fer stabulis inimicum ignem, atq; interfice messes:
Vre sata, & validam in vites molire bipennem:
Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.

QVIS DEVS HANC MVSÆ) Ad comparandam attentionem ex adiuncta rei magnitudinẽ, inuocat Musas. Hæc autem sententia primis duobus versibus continetur. Quis obsecro hanc artem nõ maximo Dei munere hominibus concessam esse arbitretur? Quis hoc tam admirandum experimentum cælitus nobis commonstratum esse non credat? Quis primum inuentorem diuina fuisse mente præditum non iudicet? Vos Iouis filiæ, memores omnium rerum Musæ, vos hîc oro, & obsecro, vt mihi de inuentore huius artis pauca di- C centi, eadem gratia, & ope adesse velitis, qua me in toto opere clementer admodum, & benignè huc vsque adiuuastis.

PASTOR ARISTÆVS FVGIENS) Totus aditus fabulæ Aristæi sumptus est ex Iliad. 18. vbi & moderatio, & numeri, & rerum prudentia maior Virgilio. Nimius est in recensendis Nereidibus Homerus, perinde atque caneret elegiam. Prudentiæ fuit illud, Aristæum in Penei ripis constituere, vt à matre exaudiretur: nam de profundo maris Achilles flens inten-

in tentoriis, qui possit? præsertim cùm dij Homerici nihil audiant, aut sciant, nisi per nuncios, aut quæ sub oculis habeant. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 5.

PENEIA TEMPE) De locis quæ tempe dicuntur qualia essent, docuimus 2. Georg. ad illud, *Spelunca, viuiq; lacus: at frigida tempe.*

SACRVM CAPVT EXTREMI AMNIS) Fontium, & fluuiorum capita, sunt origines & principia ipsorum, vnde primùm erumpunt, & manant. Hic autem caput amnis est, quo in mare influit, quod alioqui appellatur ostium. Cæsar quoque lib. 4. de bello Gall. loquens de Rheno: multisq; capitibus in Oceanum influit. Lambin. in Horat. sed cur sacrum caput? Declarat Seneca epist. 41. Magnorum fluuiorum capita veneramur: & subita amnis eruptio aras habet. Diuinitatem quoque aquis tributam sæpe apud poetas reperies.

MVLTA QVERENS) Vt illud, *haud multà moratus:* &, *multà gemens*, aliaque sexcenta, quanquam ἐλλειπτικῶς.

MATER CYRENE MATER) Totius loci intellectus hic est. Mater mater Cyrene, quæ in hoc antro habitare diceris, quid me deorum immortalium satu conceptum, (si modo Apollo, quem perhibes, mihi pater est) tam infælicem ac miserum progenuisti? aut quonam filij tui amor, & cura à te recessit? quid vana spe vitæ cælestis consequendæ animum meum impleuisti, si ne hoc quidem mortale æuum, & tam breue viuendi curriculum commodè possum transigere? Nam quæ hæc fati infęlicitas, quod ego Cyrenæ filius, omnium laborum, omnis arationis, omnis pastionis fructum repente amitto? quæ hæc miseria, quod ego satu Apollinis editus, omni pecudum, ac frugum præsidio destituor, ac rebus omnibus frustra tentatis, ægrè vitam sustineo?

Hic actus totius fabulæ magnopere similis est querimoniæ Achillis, quam apud Thetidem matrem propter abreptam sibi ab Agamemnone Briseidem deponit. 1. Iliad. *αὐτὰρ ἀχιλλεὺς δακρύσας*, &c. German.

De genere & ἀποθεώσεως Aristæi hunc in modum Diodor. libr. 4. cap. 14. hic ex Apolline, & Cyrene Penei filia genitus est. Cùm enim Cyrene apud Peneum virgo educaretur, Apollo eius forma captus, raptam in Libyam detulit, ad ea loca, in quibus postmodum vrbs cōdita est eius nomine Cyrene. Ex ea filium suscepit Aristæum, quem infantem tradidit nymphis nutriendum, à quibus triplici nomine est appellatus, Nomius, Aristęus, Argæus. Ab his nymphis cùm lac coagulare, mel atque oleum conficere didicisset, primus ea in vsum hominum traduxit. A posteris, meritis honoribus, sicut & Bacchus, cultus est. De eodem ibidem plura.

QVEM PERHIBES) Non temere dictum *quem perhibes*: patrem quippe suum nemo nouit, matribus affirmantibus omnes credimus, quæ vnde liberos concipiant, solæ sciunt rectissimè. Quare Telemachus in Odyss. 1. interrogatus à Minerua, num Vlysses ei pater sit, ita prædicare matrem Penelopen ait: nam suum patrem certò scire neminem. ✠

THYMBRÆVS APOLLO) Dij cognomenta à locis in quibus coluntur, sæpè accipiunt. Locus propè Troiam à copia herbæ thymbræ dictus est Thymbra: ibi templum Apollini dedicatum. Inde Thymbræus, vt Grynæus, &c.

PECVD. CVSTODIA) Non solum quadrupedes, sed alia quoque animalia dicere pecudes, auctore Virgilio possumus, Sic 1. Æneid. *Ignauum fucos pecus.* Varro Sexagesi. Neque quas agi pennis anates tremipedas, buxeis rostris pecudes. Lucret. lib. 1. *Mutaq; natantes squamigerûm pecudes.* Nonius.

FELICES ERVE SYLVAS, &c.) Aristæum aratorem, pastorem, apiarium, vinitorem fuisse significat.

INTERFICE MESSES) Interficere, & occidere veteres, vt Nonius admonet, ad inanima quoque transtulerunt. Cic. Oecon. Nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere, & interfici, neq; terram à sole percoqui. Catull. in Rufum de fœtore illo, quem, Græci τράγον, Latini hircum dixere: *crudelem nasorum interfice pestem.* Muret. in Catull. * *Non solùm vocem interficere, sed etiam occido, & interire eodem modo vsurpari docet exemplis Nonius, quod notatu dignum putaui. Plautus Menachmis.* Occisa est hæc res. *Lucillius.* Durum molle vocas, fragmenta interfice panis. *Sallust. Historiar. lib. 2.* multiq; cōmeatus interierant, insidiis latronum. *Lucillius.* Intereunt, labuntur, eunt ur omnia versum. *Sed de verbo* interire *dubitatio nulla est.*

Pythagorismus est, non solū stirpes esse animatas, sed animalia esse. Videndus Plutarch. in placit. Philosoph. Germa. Ex sententia Empedoclis Plato stirpes animales, & sentientes ait. D. Augustin. Ciuit. lib. 1. cap. 20. Quidā hoc præceptum, *Non occides*, etiam in bestias ac pecora conantur extendere, vt ex hoc nullum etiam eorum liceat occidere. Cur non ergo & herbas, & quidquid humo radicitus alitur, ac figitur? Nam & hoc genus rerum, quamuis non sentiat, dicitur tamen viuere: ac per hoc potest & mori: proinde etiam, cùm vis adhibetur, occidi. Vnde & Apostolus, cùm de huiusmodi seminibus loqueretur, Tu, inquit, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Et in Psalmo est, occidit vites eorum in grandine.

His Augustinianis adiungamus locum Arnobij ex lib. 3. Flora illa genitrix, & sancta, obscænitate ludorum, bene curat, vt arua florescant: & cur quotidie gemmulas, & pubescentes herbas adurit, atque interficit nocentissimum frigus? Eiusdem est hoc libr. 1. genus omne occiditur, atq; arroditur frugum. Plin. libr. 17. cap. 11. Quinimo, si plures ita continuentur anni, etiam ipsæ moriuntur arbores.

Adde insignem locum Taciti ex 13. Annal. Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quæ super octingentos, & triginta ante annos (sic enim pro, *quadraginta* emendauit Lipsius) Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente trunco deminutam, prodigij loco habitum est, donec in nouos fœtus reuiresceret. Columella lib. 5. cap. 8. Hanc arborem (oliuam) plerique existimant vltra millarium sexagesimum à mari aut non viuere, aut non esse feracem. Varro lib. 4. de ling. lat. Proxima animalibus sunt ea, quæ viuere dicuntur, neq; habere animam, vt virgulta. Trucidari ignem dixit Lucret. lib. 6.

Fit quoq; vti è nube in nubem vis incidat ardens
Fulminis, hæc multo si forte hùmore recepit
Ignem, continuò magno clamore trucidat.

Non immeritò trucidari, quando & viuere dicitur.

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit, eam circum Milesia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali saturo fucata colore:

Drymoq;, Xanthoq;, Ligeaq;, Phyllodoceq;:
Cæsariem effusæ nitidam per candida colla.
Nisæe, Spioq;, Thaliaq;, Cymodoceq;,
Cydippe, & flaua Lycorias (altera, virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores)
Clioq;, & Beroe soror: Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ,
Atq; Ephyre, atq; Opis, atq; Asia Deïopea:
Et tandem positis velox Arethusa sagittis.

MILESIA VELLERA) Quod scribit de Milesiis A velleribus hyali colore fucatis, id est, vitreo, rursum infrà, *vitreisq; sedilibus omnes Obstupuere*. Hoc ideo, quoniam diis marinis, vt cæruleus, & glaucus, sic vitreus color tribuitur. Et Horat. vitream Circen dixit, vt maritimam deam, aut maris accolam. Turneb. lib. 19. cap. 5.

DRYMOQVE XANTOQVE) Ad tot nomina nympharum quod attinet, sanè mira varietate hìc vsus est. Nam ne tam longa commemoratio illarum posset creare fastidium, in aliis habitum, in aliis virginitatem, in aliis pulchritudinem adiunxit.

CÆSARIEM EFFVSÆ NITID.) A cædendo dictam volunt cæsariem, & ideo virorum tantum esse, quos tonsos esse deceat, id quod mulieres nó decet. Sed B eos hic locus refellit.

INCINCTÆ PELLIBVS) Pellicearum vestium vsum non admodum frequentem fuisse arbitror, magisque ad tenuis fortunæ homines, ad seruos, & agricolas, quàm ad patricios pertinuisse. Nullæ enim statuæ, quas ego vnquam viderim, huiusmodi vestitum præ se ferunt, raraque eius apud auctores mentio visitur, prælterquam cùm de priscis mortalibus, aut Scythis, reliquisque septentrionalibus hominibus agunt, qui maximè frigoribus vrgentur: aut de his, qui agrestes mores penitus non abdicarunt. Talibus enim vestibus primi homines vti cœperunt, quòd cuique essent obuiæ, & nullo labore pararentur. In Genesi deus dicitur fecisse Adamo, & Euæ tunicas pelli- C ceas. Priscos huiusmodi vsos esse testantur Lucret. lib. 5. Iuuenalis satyra 6. Ouidius non semel de aquilonaribus, Varro libro 2. de re rustica, Iustinus libro 2. Cæsar libr. 6. de bello Gallico. Non mirum igitur, si & hìc nymphæ pellibus cinctæ, & Romulus 1. Æneid. cùm pelle lupina inducatur. Magius lib. 3. cap. 6.

Locum hunc Virgilianum de Cyrene sub vndis vnà cùm nymphis suis, bellè imitatus est Sannazarius, lib. 3. de partu Virginis: facit enim ipse quoque Iordanem in antro sub aquis delitentem, multasque apud ipsum nymphas, easdem & filias.

Herboso tum forte toro, vndisonisq; sub antris
Venturas tacito voluebat pectore sortes
Cæruleus rex humentum generator aquarum
Jordanes, quem iuxta hilari famulantia vultu
Agmina densentur nata, pulcherrima Glauce,
Dotoq;, Protoq;, Galenaq;, Lamprothoëq;,
Nuda humeros, nudis discincta veste papillis.
Callirhoë, Biroq;, Pherusaq; Dinameneq;,
Asphaltisq; assueta leues fluitare per vndas:
Ipsaq; odoratis perfusa liquoribus, Anthis,
Anthis, qua non vlla nouos miscere colores
Doctior, aut pictis caput exornare coronis.
Mox Hyale, atq; Thoë, & vultu nitidissima Crene:
Congistoq;, Rhoeq;, & candida Limnoria,
Et Dryope, & virides Botane resoluta capillos:
Ore omnes formosæ, albis in vestibus omnes.
Omnes puniceis euincta crura cothurnis.

POSITIS ARETHVSA SAGITTIS) quippe venatrix olim, modo nympha Thessalica. Vide initium eclog. 10.

Inter quas curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martisq; dolos, & dulcia furta,
Aq; chao densos diuûm numerabat amores.
Carmine quo captæ, dum fusis mollia pensa
Deuoluunt, iterum maternas impulit aures
Luctus Aristæi: vitreisq; sedilibus omnes
Obstupuere: sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens, summa flauum caput extulit vnda.
Et procul, ô gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura
Tristis Aristæus Penei genitoris ad undam
Stat lacrymans, & te crudelem nomine dicit.
Huic percussa noua mentem formidine mater,
Duc age, duc ad nos: fas illi limina diuûm
Tangere, ait: simul alta iubet discedere latè

Flumi-

Flumina, quà iuuenis gressus inferret. at illum
Curuata in montis faciem circumstetit vnda:
Accepitq; sinu vasto, misitq; sub amnem.

VVLCANI MARTISQVE) De adulterio Martis cum Venere, deque cubili in quo complexi iacebant, à Vulcano tenuissimo reti circundato, Lucian. dial. Apoll. & Mercurij tom. 4. & in Demonacte. Ouid. Metamorph. lib. 4. Homer. Odyss. 8.

ET DVLCIA FVRTA) Vocabulum *furtum*, & inde deflexum furtiuus, quanquam non modò ad res surreptas, verùm etiam ad quidquid occultè geritur, soleant accommodari, tamen in stupris, & mœchiis sæpissimè apud poetas ponuntur: siue quia furtim, & clandestinò perpetrantur (quomodo fures occultè, & plerumque noctu furatum veniunt) siue quia genera quædam furti sunt, cùm sibi homines vel pudicitiam, vel castitatem, animis antea per blandimenta captis, surripiunt, ac thesauro grandi, nec recuperabili, volentes tamen, idcircoq; citra iniuriam spoliant. Nam voleti non fit iniuria. Ad testimonia accedamus. Ouid. loco citato, *furta tori, furtiq; locum monstrauit*. Catull. *Rara verecunda furta feremus heræ*. Ibidem de Ioue adulterorum alpha.

Sæpe etiam Iuno maxima cælicolûm
Coniugis in culpa flagrauit quotidiana,
Noscens omniuoli plurima furta Iouis.

Notabilis est locus Maronis lib. 4. Æneid.

Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem,
Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Et lib. 7.

Collis Auentini silua, quem Rhea sacerdos
Furtiuum partu sub luminis edidit oras.

Et libr. 10. de Paride raptore Helenæ, *& fœdera soluere furto*.

A CHAO) inde vsq; Principio ducto à Chao, quo nihil antiquius, deorum amores narrabat.

CARMINE QVO CAPTÆ) Eius sermonibus cæteræ nymphæ non parum oblectatæ, pensa fusis alacriter deuoluebant, & lanificio sedulæ vacabant. Interim Aristæus iterum atque iterum exclamat. Omnibus attonitis, & re noua perturbatis, Arethusa prodit, & summo antro caput effert: ac circumcirca prospicit. Vbi Aristæum tristem in ripa astare videt, statim Cyrenen alloquitur, eiq; filium adesse nunciat, vultu tristi querentem de matris in se crudelitate.

DVM FVSIS MOLLIA PENSA) Sic apud Ouid. 4. Metamorph. Mineides dum lanas ducunt, & stami-A na pollice versant, laborem suum fabularum narratiunculis leuant. Quod autem hic Virgilius paucis verbis, videre est quanta cum Venere, & quàm suauiter Catullus in carmine de nuptiis Pelei, & Tethidis, vbi Parcas nentes, & Achillis fata canentes inducit.

Læua colum molli lana retinebat amictam:
Dextera tum leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens,
Libratum tereti versabat pollice fusum:
Atq; ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaq; aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ prius in leui fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.

B Nihil potuit elaboratius.

TVA MAXIMA CVRA) Qui tibi maximæ curæ est. Æneid. 1. Venus de Ascanio nepote, *mea maxima cura*.

NOVA FORMID.) id est, magna, insolita. Hoc enim valet interdum ista vox, vt alibi docuimus.

DVC AGE, DVC AD NOS) Iubet introduci filium Cyrene, quippe cui diuino semine nato, sacratissima deorum adyta intrare fas esset.

CVRVATA IN MONTIS FACIEM) Lactant. libro 4. cap. 10. de emigratione Israelitarum ex Ægypto inter cætera sic. Traiecit enim populum medio C mari rubro, præcedente angelo, scindente aquam, vt populus per siccum gradi posset: quem verius, (vt ait poeta) *Curuata in montis faciem circumstetit vnda*. Sed Maro, quod perspexit Hartungus, decur. 2. cap. 9. ex 11. Odyss. transtulit carmen. Sic namque Homerus. κῦμα περιστάθη οὔρεϊ ἶσον κυρτωθὲν ἄρα πορφύρεον.

Quia verò poeta monti quoque faciem tribuit, non fuerit inutile, quid super hac voce à Gellio scriptum sit pernoscere, lib. 13. cap. 28. Animaduertere est, pleraque verborum latinorum ex ea significatione, in qua nata sunt, decessisse, vel in aliam longè, vel in proximam: eamque decessionem factam esse consuetudine, & inscitia temerè dicentium, qui cuiusmodi sint non didicerint. Siquidem quidam faciem esse hominis putant D os tantum, & oculos, & genas, quod Græci πρόσωπον dicunt: quando facies sit forma omnis, & modus, & factura quædam corporis totius, à faciendo dicta: & ab aspectu species, &c.

Iamq; domum mirans genitricis, & humida regna,
Speluncisq; lacus clausos, lucosq; sonantes,
Ibat, & ingenti motu stupefactus aquarum,
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat, diuersa locis: Phasimq; Lycumq;:
Et caput, vnde altus primùm se erumpit Enipeus:
Vnde pater Tiberinus, & vnde Aniena fluenta,
Saxosumq; sonans Hypanis, Mysusq; Caicus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus: quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.

IAMQVE DOMVM MIRANS) Ingressus ille in A domum matris, primò regiam contemplatur, mox in abditis montium cauernis fontes fluuiorum, lucosque perlustrat, motus ac strepitus emergentium aquarum admiratur: amnium quoque plurimorum, ad diuersas mundi plagas excurrentium origines spectat. Erant in hoc nympharum antro scaturigines Lyci, Phasis, Enipei, Tiberis, Anienis, Hypanis, Caici, Eridani: qui nunc alio etiam nomine Padus dicitur, in paruo cursu violentissimus.

CAPVT VND. S. E. ENIP.) Latini scriptores vocem *caput*, in fluuiorum origine ponunt, quod multis testimoniis planum faciemus: idque eò libentius, quòd Lambinus, cùm de fluminibus enuntiatur, non origi- B nem, sed finem potius, vbi videlicet flumina se in mare egerunt, significare contendit. Seneca in epist. magnorum fluminum capita veneramur. Idem Natural. cap. 3. quidam existimant terram quoque concuti, & dirupto solo, noua fluminum capita detegere. Propert. lib. 2. eleg. 13. *Fluminaq. ad caput incipient reuocare liquores*. Ouid. Trist. lib. 1. *In caput alta suum labentur ab aequore retro Flumina*. Neque aliter videtur hic dixisse Maro de capite Enepei. Tibull. lib. 3.

Nile pater, quanam te possim dicere caussa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?

Procul dubio hic de fonte, atque origine Nili caput enuntiatur. Denique ipse Lucret. de ipso eodem Nilo verba faciens lib. 6. *Fit quoq. vti pluuia forsan magis ad* C *caput eius Tempore eo fiant*. Hæc strictim ex Titij lib. 4. cap. 24.

Quod attinet ad genus loquendi *se erumpit*, monet Gifan. sic loqui Lucret. libr. 4. *Tandem vbi se erupit neruis collecta cupido*. Apud Nonium Accius, stupiditate erumpit se. Cælius ad Ciceron. lib. 8. epist. sed ad bellum se erumpit. Ita vetus liber. Gell. lib. 15. cap. 22. In fugam se prorupit.

TAVRINO CORNVA VVLTV) Ea est fluuiorum natura, vt angues lapsu imitentur, obliquasque reddant ripas. Quamobrem egregiè Ouid. 1. Metamorph. *Fluminaq. obliquis cinxit decliuia ripis*. Vnde qui præesse fluminibus existimati sunt dij, cornuti fingebantur, propter riparum, alueorumque curuitates, flexusque ad cornuum bouinorum similitudinem. Quare hic Virgilius Eridano cornua, & taurinum vultum tribuit. Probus ad hunc locum. Ideo *taurino vultu*, ait, quòd eius sonus sicut tauri mugitus, & ripæ flexuosæ, vt cornu. Sic ille. Vnde figmentum de Acheloi cornu ab Hercule auulso, & Horat. lib. 2. Ode 14.

Sic tauriformis voluitur
Qui regna Dauni perfluit Appuli,
Cum sæuit.

Ex Magio lib. 4. cap. 2.

Euripides in Ione Cephisum fluuium ταυρόμορφον appellauit. ὦ ταυρόμορφον ὄμμα Κηφισοῦ πατρός. Et in Oreste Oceanum dixit ταυρόκρανον. Cur autem taurino vultu fluuij fingantur, caussam affert interpres Sophoclis in Trachiniis, adducto Homeri testimonio: οἱ ποταμοὶ ταυρόκρανοι διετυποῦντο, ἢ ὅτι μυκηθμῷ εἰσι παραπλήσιοι περὶ τὰς ἐκβολάς. ὅμηρος. μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος. ἢ ὅτι σχίζουσι τὴν γῆν ὡς βόες. Vrsin.

AVRATVS CORNVA) Ductum epithetum è cælesti eius imagine. Eridanus enim triginta quatuor stellis insignitum sidus in cælo est.

IN MARE PVRPVREVM) Homer. εἰς ἅλα πορφύρεον, cæruleum.

Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Peruentum, & nati fletus cognouit inanes
Cyrene: manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonsisq; ferunt mantilia villis.
Pars epulis onerant mensas, & plena reponunt
Pocula: Panchæis adolescunt ignibus aræ.
Et mater, cape Mæonij carchesia Bacchi:
Oceano libemus, ait. simul ipsa precatur
Oceanumq; patrem rerum, nymphasq; sorores,
Centum quæ syluas, centum quæ flumina seruant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,
Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa.

POSTQVAM EST IN THAL.) Postquam verò D in secretum quoddam conclaue peruentum est, verbis vltrò citroq; habitis, primùm Cyrene tristitiam filij, & caussas non ita arduas, remotuq; faciles cognoscit. Pòst regio apparatu mensam instruere iubet, & filium exquisitissimo victu loco festiuo excipit. Hic aliæ nympharum aquam manibus ministrant: aliæ mantilia proferunt: aliæ cibos mensis imponunt: aliæ vino oppleta pocula apportant. Sunt quæ thus aræ inferant, & admoto igne suffumigent. Tum mater, hoc, inquit, carchesio vinum pretiosissimum in honorem Oceani libemus, & in hanc aram thure succensam pefundamus. Simul poculum manu prehendit, & Oceanum patrem rerum precatur, ac nymphas sorores, quibus aut syluarum, & ruris custodia, aut fluuiorum, & aquarum cura commissa fuerat. Ter vinum ardenti foco asperserat: ter flamma ad summum conclauis tectum ferebatur, ibiq; relucebat. Vnde bono omine capto, animoq; confirmata Cyrene, sic ad filium loquitur.

MAN. LIQ. D. O. FONTES) Compara hæc cum illis de 1. Æneid. *Dant famuli manibus lymphas, Cereremq; canistris Expediunt*, &c.

PANCHAIS IGNIBVS) Lucret. lib. 2. *Araq; Panchaeos exhalat propter odores*. Et lib. 4. *adolentq; altaria donis*.

CARCHESIA) De carchesio Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 21.

MÆONII BACCHI) Est regio sole perusta, quæ

Mysi

Mysi possident, & Lydi: exuta arboribus omnino visitur, præter vitem, κατακεκαυμένην vocant. Inde vinum habetur virtute præstans, κατακεκαυμενίτης οἶνος vocatur. Ex quo & nonnullorum perelegans circumfertur iocus, Dionysium rectè dici πυριγενῆ, id est, ex igni natum. κατακεκαυμένην dici coniectant de fulminum frequentia, quam κεραυνοβολίαν appellant, auctor Stephanus, meminit Strabo. Hoc vinum significasse videtur hic Virgilius, etiamsi id minus aduertunt interpretes. Rhodigin. lib. 7. cap. 14.

OCEAN. PATR.) Nemes. eclog. 1. *& rerum caussa liquorem.* Oceanum patrem rerum secundum Physicos dixit, qui aiunt, omnium rerum elementum aquam esse A in quibus Thales primus. Philargyr. Homer. Iliad. ξ. ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν.

TER LIQ.) Numerus ternarius ad sacra, diuinumque cultum pertinet.)

ARDEN. VESTAM) Metonymia est, pro igne. Ouid. 6. Fast.

Nec tu aliud Vestam, quàm puram intellige flammam,
Nataq; de flamma corpora nulla vides.

AD SVMMVM TECTI) Cùm subitò, vel sponte flamma in sacris & libamentis exiliebat, & sursum altissimè se efferebat, fœlicissimum erat augurium. Sic & Ouid. 10. Metamorph. *Flamma ter accensa est, apicemq; per aera duxit.*

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor,
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiæ portum, patriamq; reuisit
Pallenen: hunc & nymphæ veneramur, & ipse
Grandæuus Nereus. nouit namq; omnia vates
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno visum est, immania cuius
Armenta, & turpes pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi nate prius vinclis capiendus, vt omnem
Expediat morbi caussam, euentusq; secundet.
Nam sine vi non vlla dabit præcepta, neq; illum
Orando flectes: vim duram, & vincula capto
Tende, doli circum hæc demum frangentur inanes.
Ipsa ego te, medios cùm sol accenderit æstus,
Cùm sitiunt herbæ, & pecori iam gratior vmbra est,
In secreta senis ducam, quò fessus ab vndis
Se recipit: facilè vt somno aggrediare iacentem.

EST IN CARPATHIO) Carpathij maris deum B facit Proteum Cyrene, eumque ait piscibus insidentem, itemque curru à marinis equis, qui sunt bipedes, tracto, inuehi solere. An Virgilius fingens Aristæum admonitum à matre Cyrene, atque eius rei rationem omnem edoctum vinclis cepisse Proteum, indeque rationem apum recuperandarum accepisse, sumpsit à Pherecyde? Interpres enim Apollonij in 4. Argonaut. dicit ipsum tradere, Herculem eodem pacto didicisse à nymphis ex Ioue & Thetide natis, Padique antra incolentibus, viam, rationemque inueniendarum terrarum, vbi nascerentur aurea mala, quæ imperio Eurysthei petere debebat. Dictum enim ipsi, vt Nereum vinciret, qui omnia poterat aperire. Ille igitur cùm antea & ipse versa forma corporis in aquam, ignemque conatus esset eum eludere, postea tamen dolis suis inanibus cognitis, verè egit, ac locum indicauit: quo accepto, statim Hercules se accinxit itineri, in expeditionemque illam profectus est. Victor libro 10. cap. 21. * *Quis fuerit ab initio Proteus iste, & vnde natum figmentum de eius mutabilitate in diuersas formas, aperit Diodorus libro 1. parte 2. cap. 2. ab eo loco, Defuncto rege tum Ægypti. &c. De eodem Gyrald. Syntag. 5. Pauca ex Pierij libro 41. de eodem adiungam. Sic ille in Annulo. Inter insignia reliqua spectare est nonnunquam arborem, nonnunquam flammulis promicantem: quandoque flores, quandoque plumas in varias cristarũ species dispositas, quæ modò ad decorem, modò ad stuporem comparabantur. Quibus cùm Proteus Ægypti rex nominatissimus variè vteretur, datus est fabulæ locus, vt in tot se vultus commutaret. Quamuis non sim nescius, Protei figmentum in longè sectiorem intellectum ab antiquis interpretibus acceptum. Porro vt Virgilius mittit Aristæum ad consulendum Proteum, ita Silius libro 7. nymphas Tyrrheni maris ad eundem Capreis insula in antro habitantem, super aduentu classis Punicæ in Italiam. Totus locus ex Maroniano velut depictus est, cuius initium,*

Ecce autem flatu classis Phœnissa secundo
Littora Caietæ, Lestrygoniosq; recessus, &c.

PISCIBVS ET BIPEDVM EQVOR.) Piscibus qui sunt bipedes. Seu, vt Seruius, equis marinis, qui sunt prima parte equi, postremò resoluuntur in pisces.

HIC NVNC EMATHIÆ PORTVS) Emathiæ C portus, sunt Thessaliæ portus. Et hic Proteus nymphis, ac Nereo patri ipsarum est acceptissimus, propter vaticinandi peritiam.

QVÆ SINT, QVÆ FVERINT) Versus Homeri ex 1. Iliad. ὃς ᾔδει τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. Lucret. lib. 1. *Transactum quid sit in æuo: Tum quæ res instet: quid porro deinde sequatur.* Sic & Plaut. Amphit. tria tempora vno versu cõplectitur. *Quod neq; est, neq; fuit, neq; futurum est, Mihi prædicas.* Cic. ad Brutum lib. epist. 11. Dij isti Segulio malè faciant, homini nequissimo omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. Et Catull. venustissimè,

Disertissime Romuli nepotum

Quot

Quot sunt, quotq́; fuere, Marce Tulli,
Quotq́; post aliis erunt in annis.

TVRPES PHOCAS) Antiquus poeta apud Victorinum, *Non phocæ turpes, non marcentes balenæ.* De his Horat. Ode 2. lib. 3. *Omne cùm Proteus pecus egit altos Visere montes.*

VT OMNEM EXPED. Odyss. δ. de eadem.

Τὸν γ' εἴ πως σὺ δύναιο λοχησάμενος λελαβέσθαι,
Ὅς κέν τοι εἴπῃσιν ὁδὸν, καὶ μέτρα κελεύθου,
Νόστον θ' ὡς ἐπὶ πόντον ἐλεύσεαι ἰχθυόεντα.

MORBI CAVS. EVEN.) Duplex finis oraculi, mali cognitio, & remedium.

VIM DVRAM) E contrariis argumentum est. Nō flectes precibus, vim igitur adhibebis.

DOLI CIRC. H. FRANG.) Sic enim ludibria, & doli ipsius superari,, & frangi poterunt.

IPSA EGO TE) Quò certior sis apprehendendi senis, ego te circa meridiem, quo tempore æstus vitandi caussa pecudes stabulant, & vmbris succedunt, in conclaue illius deducam, quò ille fessus è pastu plerumq; se recipit, vt tu somno oppressum, & nihil suspicantem, repente obruas.

A MED. CVM SOL ACCEND. Æ) *Infrà aliis verbis hoc idem elocutus est,* medium sol igneus orbem Hauserat. *Et quæ sequuntur. Digna obseruatu vtraq́;, & longiuscula. Et elegans meridiei periphrasis.*] Austrum diis attribuebant. Proinde meridie ingruente, in deorum templis pandebantur vela: nec homini ingressus patebat, veluti diis esset destinatum eiusmodi tempus: in ianuis quoque meridiei, & austri visebantur symbola. Nec in ianua vlla, quæcunque esset hora, loqui fas arbitrabantur. Nam Pythagoricorum, & Ægyptiorum sapientum dogma id fuit, quum deum innuerent silentio colendum, à quo sunt rerum primordia. Ex his, opinor, Virgilij locus illustratur. Rhodigin. lib. 15. cap. 23. Homerus Odyss. δ. ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει.

B IN SEC. SENIS) Dij marini finguntur senes, & cani, propter spumam maris videlicet.

VT SOM. AGGR. IAC.) Sic Chromys, & Mnasylus pueri iacentem in antro Silenum bene potum, & sopitum aggrediuntur, eiq; vincula iniiciunt. Eclog. 6. Facilè aggrediere, inquit, nam dormientes non plus resistunt quàm mortui, quorum gerunt imaginem.

Verùm vbi correptum manibus, vinclisq; tenebis,
Tum variæ illudent species, atq; ora ferarum.
Fiet enim subitò sus horridus, atraq; tigris,
Squamosusq́; draco, & fulua ceruice leæna:
Aut acrem flammæ sonitum dabit: atq; ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed quantò ille magis formas se vertet in omnes,
Tantò nate magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris incepto tegeret cùm lumina somno.
Hæc ait, & liquidum ambrosiæ diffudit odorem,
Quo totum nati corpus perduxit: at illi
Dulcis compositis spirauit crinibus aura:
Atq; habilis membris venit vigor.

TVM VAR. ILL. SPEC.) Georg. 1. *Tum variæ illudant pestes.* Vide Homerum Odyss. δ. & prouerbium Proteo mutabilior. Fabulam istam de mutabilitate Protei ad saltationis artificium, quo excelluerit, Lucianus refert, libello περὶ ὀρχήσεως. Verba eius sunt. Etenim vetus illa fabula. Proteum illum Aegyptium nihil aliud, quàm saltatorem fuisse eximium, mihi planè confirmare videtur, hominem effingendi, imitandique peritum, quique semet in varios rerum facies demutare, & transformare potuerit, vt modò in aquas tenues dilapsus abiret imitando, modò ignis celeritatem, & vehementiam agilitate corporis, mox leonis immanitatem, ac pardi impetum, deinde arboris motum flexibilem: postremò in summa, quidquid collibuisset, exprimeret. Cæterùm fabula, has Protei proprietates ad inusitatiorem opinionem detorquens, eam eius naturam fuisse commenta est, quasi ea ipse quoque fieret, quæcunque saltandi artificio imitaretur. Qua facultate & eos, qui hodie saltationibus dant operam, præditos esse animaduertimus, videasque illos eodem tempore diuersissimis modis immutari, ac plane ipsius Protei esse æmulos. Et si quid coniectura assequendum est, & Empusam suspicor (quæ & ipsa in varias rerum facies se transfundere dicta est)

C non aliam, quàm saltatricem fuisse, fabularum inuolucro significare homines voluisse.

SED QVANTO ILLE MAGIS) Consilium alterum, vt semel captum, constrictumque, in quascunque tandem formas & facies se commutauerit, ne dimittat, dum ad eam faciem redeat, cum qua inuentus est ab initio.

INCOEPTO TEG. C. LVM. SOMNO) Catull. *Nec somnus tegeret quiete ocellos.*

LIQ. AMB. DIFF. OD.) Videtur quibusdam hoc expressisse Horat. illis verbis Ode 5. lib. 1.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis vrget odoribus?

D Turneb. lib. 2. cap. 1. legit *defudit.* Quemadmodum dicitur latinè, defundere vinum. Id est, de dolio in craterem, aut de cratere in pateram fundere. Cic. 2. de Finib. Quibus vinum defusum sit è pleno œnophoro. Id est, deorsum in pateram, aut poculum infusum. * *Liquamen illud, seu liquor ille ambrosius, quo filij corpus mater perfudit, fecit, vt & capilli eius odorem spirarent suauissimum, sicut Veneris abeuntis à filio, 1. Æneid.* Ambrosiæq; comæ diuinum vertice odorem Spirauere: *& membra corroborarentur. Et alioqui olei hæc natura est, vt corpori vigorē addat: qua de caussa artus oleo athletæ perungebant.*

Est

--------Est specus ingens
Exesi latere in montis, quò plurima vento
Cogitur, inq; sinus scindit se se vnda reductos,
Deprensis olim statio tutissima nautis.
Intus se vasti Proteus tegit obijce saxi.
Hîc iuuenem in latebris auersum à lumine Nympha
Collocat: ipsa procul nebulis obscura recessit.
Iam rapidus torrens sitientes Syrius Indos
Ardebat cælo, & medium sol igneus orbem
Hauserat: arebant herbæ, & caua flumina siccis
Faucibus ad limum radij tepefacta coquebant:
Cùm Proteus consueta petens è fluctibus antra
Ibat: eum vasti circum gens humida ponti
Exultans, rorem latè dispergit amarum.
Sternunt se somno diuersæ in littore phocæ.
Ipse (velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper vbi è pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisq; lupos acuunt balatibus agni)
Consedit scopulo medius, numerumq; recenset.

Erat antrum quoddam non procul ab vrbe Pallena, in latere montis exesi, ventis expositum, & fluctibus maris vndequaq; obuium: nam illo impulsi sinum quendam efficiebant, olim nautarum periclitantium statio: sed nunc Protei domicilium: in quo ille se vastissimi lapidis oppositu, aduersus tempestates protegere solebat. Hoc ergo antrum ingressa Cyrene, cum filio Aristæo, primùm ipsum ab ostio semotum, in latebras abdit: vbi & tutò latere, & Proteo aduenienti insidiari posset: ipsa dein nebulis circumsepta, procul ab aditu loci consistit.

OLIM STATIO TVTISS. NAVTIS) Contrarium de Tenedo 2. Æneid. *Nunc tantum sinus, & statio malefida carinis.*

AVERSVM A LVMINE) Ne conspici posset à Proteo.

IAM RAPIDVS TORRENS) Descriptio temporis meridiani ab adiunctis. Vide Odyss. Δ. Syrius stella est in ore canis, cuius exortu intenduntur calores in æstate. 3. Æneid. *tum steriles exurere Sirius agros. Arebant herbæ.*

GENS HVMIDA PONTI) Georg. 3. *Iam maris immensi prolem, & genus omne natantum.* Item: *Et genus æquoreum.*

ROREM AMARVM) aquam salsam. Sæpe ros pro aqua, vt alibi ostendimus.

IPSE VELVT STAB. CVSTOS) Illustratio per similitudinem. Veluti bubulcus terrenorum, sic Proteus marinorum vitulorum pastor quiescebat reducto grege, ille in stabula, hic in littus ad quiescendum.

RECENSET) Eclog. 3. *Bisq; die numerant ambo pecus, alter & hædos.*

Cuius Aristæo quoniam est oblata facultas,
Vix defessa senem passus componere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisq; iacentem
Occupat. ille suæ contrà non immemor artis,
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemq;, horribilemq; feram, fluuiumq; liquentem.
Verùm vbi nulla fugam reperit fallacia, victus
In sese redit, atq; hominis tandem ore loquutus:
Nam quis te iuuenum confidentissime nostras
Iussit adire domos? quidúe hinc petis? inquit: at ille,
Scis Proteu, scis ipse, neq; est te fallere cuiquam.
Sed tu desine velle, Deûm præcepta secuti
Venimus huc, lapsis quæsitum oracula rebus.
Tantum effatus. ad hæc vates vi deniq; multa
Ardentes oculos intorsit lumine glauco,
Et grauiter frendens, sic fatis ora resoluit.

Non te nullius exercent numinis iræ:
Magna lues commiſſa: tibi has miſerabilis Orpheus,
Haudquaquam ob meritum pœnas (ni fata reſiſtant)
Suſcitat, & rapta grauiter pro coniuge ſæuit:

MANICIS) Manicæ ſunt vincula manuum, vt pedicę pedum. Æneid. 2. *Ipſe viro primus manicas, atq; arcta leuari Vincla iubet Priamus.* Vide ibi annotata.

OMNIA TRANSF.) Vide ſuprà, in quas formas Proteum ſeſe commutaturum Cyrene filio prædixerit.

CONFIDENTISSIME IVVENVM) Cicero Tuſcul. 3. Qui fortis eſt, idem eſt fidens: quoniam confidens mala conſuetudine loquendi in vitio ponitur. Ductum verbum à confidendo, quod laudis eſt: qui autem eſt fidens, is profectò non extimeſcit, diſcrepat enim à timendo confidere. In bonam partem vſus eſt Plautus Capt. *Decet innocentem ſeruum, atque innoxium confidentem eſſe ſuum apud herum potiſſimum.* Sed in B partem malam longè plura inueniuntur teſtimonia. Plaut. Amphitr. *Quis me alter audacior homo eſt, aut quis confidentior?* Terent. Phorm. *Homo confidens, (qui illum dij omnes perdant) hoc conſilium quod dicam dedit.* Cicero Philipp. 7. de Antonio. Suſcipiunt partis patrocinium, qui ſic diſputant. Irritari Antonium non oportuit, nequam eſt homo ille, atque confidens. Idem ſentias de abſtracto, quod vocant, confidentia. Quod nonnunquam pro conſtantia, frequentius pro temeritate, & audacia reperias. Vide Nonium in confidentia. ❧

NEQ. EST TE FALLERE QVIDQVAM) Helleniſmus. Horat. *quod verſu dicere non eſt*: pro, quod dici non poteſt. Suprà de μαντικῇ Protei. *Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.* ❧

SED TV DESINE VELLE) Ellipſis, ſubauditur, cauſſam noſcere, aduentus ſcilicet mei, cùm ſcias, vt poA te vates. Nihilominus ſummatim edicit. Eclog. 5. *Sed tu deſine plura puer.*

DEVM PRÆCEP.) Auget, nam ſola mater Cyrene hoc præceperat.

AD HÆC VATES VI DEN.) Hæc pauca locuto Ariſtæo, iratus Proteus, toruo hominem vultu aſpiciebat, & dentibus iuſuper frendebat. Tandem vi adactus vt diceret, huiuſmodi vaticinium edidit. Scio, inquit, nō omnino nullas eſſe cauſſas, quæ te huc perpulerunt: ſcio non omnino nullis premi te pœnis, & calamitatibus. Nam magna lues gregem tuum inuaſit, quæ & pecudes, & apes tuas vna occidione in totum deleuit. Sed hoc malum tibi Orpheus imprecatur: is tibi tantarum calamitatum auctor eſt. Ac niſi dij immortales prohibeant, ille adhuc maiores, quàm vel tu promeritus es, vel præteritæ ſuperiores fuerunt, in te pœnas excitabit. Nam ſupra modum ille ſæuit, quòd tu ipſi Eurydicen vxorem vitiare tentaueris, & fugienti cauſſa mortis extiteris.

GRAVIT. FREND.) Dentibus fremens, & ſtridēs. Frendere autem propriè eſt frangere. Varro de re ruſt. lib. 2. cap. 4. Amiſſo nomine lactentis, dicuntur nefrendes ab eo, quod nondum frendere poſſint. Hinc frendeo, vel frendo, pro dentibus concuſſis fremo, aut ſtrideo. Plaut. Capt. *ita frendebat dentibus.* Et Truculento. *Traxit ex intimo ventre ſuſpirium: hoc vide, dentibus frendit: Icit femur.*

MAGNA LVES COMMISSA) in apibus tuis de- C letis.

NI FATA RESISTANT) patris Apollinis, & Cyrenes matris. Puniteris grauius, niſi illi impedirent, ſeu, niſi illorum ratio haberetur.

Illa quidem dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Seruantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus æqualis Dryadum clamore ſupremos
Implerunt montes: flerunt Rhodopeïæ arces,
Altaq; Pangæa, & Rheſi Mauortia tellus,
Atq; Getæ, atq; Hebrus, atq; Actias Orithyia.
Ipſe caua ſolans ægrum teſtudine amorem,
Te dulcis coniux, te ſolo in littore ſecum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Tænarias etiam fauces, alta oſtia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingreſſus, maneſq; adiit, regemq; tremendum,
Neſciaq; humanis precibus manſueſcere corda.
At cantu commotæ Erebi de ſedibus imis
Vmbræ ibant tenues, ſimulacraq; luce carentum:
Quàm multa in ſyluis auium ſe millia condunt,
Veſper vbi, aut hybernus agit de montibus imber:
Matres, atq; viri, defunctaq; corpora vita,
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæq; puellæ,

Impositiq; rogis iuuenes ante ora parentum.
Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardaq; palus inamabilis vnda
Alligat, & nouies Styx interfusa coercet.
Quin ipsæ stupuere domus, atq; intima lethi
Tartara, cæruleosq; implexæ crinibus angues
Eumenides: tenuitq; inhians tria Cerberus ora,
Atq; Ixionei vento rota constitit orbis.

ILLA QVIDEM DVM TE FVG.) Cùm enim te persequentem Eurydice fugeret, malo fato accidit, vt præcipiti cursu in serpentem incideret: & improuisa morte icta puella miserè interiret. Ex quo magnus æqualium nympharum luctus extitit. Dryadum enim ploratibus omnes montes completi fuerunt. Luctu insonuit Rhodope, Pangæus, Thracia tota, Getarum tellus. Cum primis verò ingemuit Orithyia nympha, illius regionis incola.

RHESI MAVORT. TEL.) Mauortiam appellat propter bellicosos in ea homines, & laborum militarium tolerantes. 3. Æneid. *Terra procul vastis colitur Mauortia campis, Thraces arant.* De Rheso scriptum lib. 1. Æneid. *Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria velis.*

ACTIAS) Attica, filia regis Atheniensium Erichthonij. Attica autem ab *ἀκτῆ* littus, quia maxima illius pars in littus porrigitur. Nota *παρέργως*, viros Athenis natos dici *ἀθηναίους* non *ἀττικοὺς*, contrà fœminas nunquã *ἀθηναίας*, sed *ἀττικάς*.

IPSE CAVA SOLANS) Ante omnes ipse Orpheus in luctum miserrimum tua culpa coniectus est. Nam summo animi dolore perculsus, nullis remediis sanari, nullo solatio recreari potuit. Sæpe quidem citharæ sono, & suauitate numerorum hanc ægritudinem animo tentauit expellere: sed in ipso concentu nihil aliud repetebat, quàm suam coniugem, suam Eurydicen. Hanc die, & nocte referebat: de hac vna omnibus locis, omnibus horis cogitabat, & loquebatur.

TE VENIEN. DIE, TE D. CAN.) Horat. Ode 9. lib. 2.

Tu semper vrges flebilibus modis
Mysten ademptum: nec tibi vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.

Seruius hos versiculos ex Cinna proponit.

Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem vidit paulo pòst Hesperus idem.

De Orpheo in cygnum conuerso, postquam est dilaniatus à mulieribus, vt qui insignis Musicus fuerat, musicã idem perseuerantius exerceret, vide Pierium lib. 23. in Cygno.

TÆN. ET. FAVCES) Tænarus Laconiæ promontorium, vbi patere ad inferos descensus dicitur. Describitur à Seneca Hercule Fur. Act. 3. Fabulam de Orpheo Eurydicen vxorem suam ab inferis repetente, persequitur Ouid. Metamorph. 10. A Virgiliano fonte riuum suum deduxit Seneca, eandem compositè admodum, & suauiter narrans in Herc. Fur. verbis huiuscemodi.

Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum dominos, & prece supplici
Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.
Quæ syluas, & aquas, saxaq; traxerat
Ars, quæ præbuerat fluminibus moras:
Ad cuius sonitum constiterant feræ:
Mulcet non solitis vocibus inferos,
Et surdis resonat clarius in locis.
Deflent Eurydicen Threiciæ nurus:
Deflent & lacrymis difficiles dei,
Et qui fronte nimis crimina terrica
Quærunt, ac veteres excutiunt reos,
Flentes Eurydicen iuridici sedent.
Tandem mortis ait, vincimur, arbiter:
Euade ad superos, lege tamen data:
Tu post terga tui perge viri comes:
Tu non ante tuam respice coniugem,
Quàm cùm clara deos obtulerit dies,
Spartaniq; aderit ianua Tænari.
Odit verus amor, nec patitur moras.
Munus dum properas cernere, perdidit.

Vide etiam chorum Act. 3. in Hercule Oetæo. Virgilius quoque in Culice. Eiusdem meminit lib. 6. Æneid.

Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus
Threïcia fretus cithara, fidibusq; canoris.

Item Diodorus lib. 4. cap. 3. in illa digressiuncula de Orpheo. Ob vxoris amorem ad inferos descendens, à Proserpina suauitate cãtus allecta impetrauit, vt defunctam ab inferis reduceret. Quod & antea fecerat Bacchus, quẽ dicunt matrem Semelen ab inferis quoque eductam, immortalitateque donatam, Theionen denominasse. De hac ipsa Plato in Symposio, vbi de amore differens Phædrus, docet amantium esse proprium, pro se morte occumbere. Orpheum verò Oeagri filium re irrita ex inferis emiserunt, mulieris eius, propter quam ad inferos descenderat, imagine tantum monstrata, non ipsa illi reuera restituta, quòd, vtpote citharœdus, mollius & ignauius se hac in re gessisset: & quum non auderet, quemadmodum Alcestis, amoris gratia mortem oppetere, exquisitas quasdam, versutasque rationes excogitasset, quarum vi ad inferos viuens descenderet, quam ignauiam quoq; minimè inultam dij siuerunt, ob eamq; rem eas pœnas Orpheo imposuerunt, vt à mulieribus interficeretur.

NESC. HVM. PREC.) Idem Horat. Ode 14. lib. 2.

Non si tricenis, quotquot eunt, dies
Amice places illacrymabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen, Tityonq; tristi
Compescit vnda.

Retulit Virgilius hoc ad euentum, siue exitum rei: non enim est reddita, postquam violata est conditio, cum qua ad superos reduci permittebatur: reuera enim hic mansuescunt, commouenturque eius cantu, & precibus, vt ei Eurydicen abducendam reddant.

EREBI DE SED. VMBRÆ IBANT.) Simillimus locus est 6. Æneid. *Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat: Matres atq; viri*, &c. Paulo post. *Quin ipsæ stupuere domus, atq; intima lethi Tartara.* Huc quadrant Horatiana illa ex Ode 13. lib. 2.

Quam pene furuæ regna Proserpinæ,
Et iudicantem vidimus Æacum.

Sedesq́; discretas piorum, &
Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo
Alcæe plectro dura nauis,
Dura fugæ mala, dura belli?
Vtrumq; sacro digna silentio
Mirantur vmbræ dicere: sed magis
Pugnas, & exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.

SIMVLAC. L. CAREN.) εἴδωλα καμόντων dixit Homerus. Virgil. ex 4. Lucretij hemistichium mutuatus est, *atq; in somnis cùm sæpe figuras Contuimur miras, simulacraq́; luce carentum.*

QVAM MVLTA IN SYL.) Suauitate cantus omnes defunctorum animas suis sedibus excitabat: maniumque innumerabilium turbam cogebat. Hi enim auium ritu (quarum sæpe aliquot millia in syluis congregari solent) vtriusque sexus animæ, virorum, fœminarum, heroum, necnon puerorum, puellarumque, quos immatura mors è parentum complexu eripuerat, cateruatim ad Orpheum confluebant, vt ipsum canentem audirent.

INNABILIS VNDA) Quibusdam placet inamabilis. Sed hoc hemistichium, & qui sequitur versus, de sexto Æneid. est, ut ibi hinc repetitus est. Proinde eius explicationem ibi videbis.

A IPSÆ STVP. DOM.) Quanta fuerit cantus Orphei dulcedo, satis ostenditur, quod etiam supplicia impiorū quasi obstupefacta cessarunt. Totam fabulam ex Ouidio cum Virgiliana narratione, si lubet, contende. Primi versus sunt.

Talia dicentem, neruosq́; ad verba mouentem,
Exangues flebant animæ: nec Tantalus vndam
Captauit refugam: stupuitq́; Ixionis orbis,
Nec carpsere iecur volucres: vrnisq́; vacarunt
Belides, inq́; tuo sedisti Sisyphe saxo.

Referri etiam huc ad comparationē possunt, quæ suprà ex Horat. recitauimus, *Vtrumq; sacro digna silētio*, &c.

IMPLEXÆ CRIN. ANG.) De anguibus, quos furiæ B crinibus gestent implicitos, etiam Catull. de nupt.

Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantes præportat pectoris iras.

Et Seneca principio Medeæ.

TENVITQ. INHIANS TRIA CERB.) De Cerbero vide quæ diximus lib. 6. Æneid. ibi *Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci.* Horat. Ode 13. lib. 2.

Quid mirum? vbi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures: & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues.

Quare centicipitem nominat? propter serpentum capita, quæ loco iubarum, seu tanquam iubas gerit.

Iamq; pedem referens, casus euaserat omnes,
Redditaq; Eurydice superas veniebat ad auras,
Ponè sequens (namq; hanc dederat Proserpina legem)
Cùm subita incautum dementia cepit amantem:
(Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes)
Restitit, Eurydicenq; suam iam luce sub ipsa,
Immemor, heu, victusq; animi respexit: ibi omnis
Effusus labor, atq; immitis rupta tyranni
Fœdera: terq; fragor stagnis auditus Auernis.
Illa, Quis & me, inquit, miserā, & te perdidit, Orpheu?
Quis tantus furor? en iterum crudelia retrò
Fata vocant, conditq; natantia lumina somnus.
Iamq; vale: feror ingenti circundata nocte,
Inualidasq; tibi tendens, heu non tua palmas.
Dixit: & ex oculis subitò, ceu fumus in auras
Commistus tenues, fugit diuersa: neq; illum
Prensantem nequicquam vmbras, & multa volentem
Dicere, prætereà vidit: nec portitor Orci
Amplius obiectam passus transire paludem.

IAMQVE PEDEM REF.) Postquam hac arte Eurydicen suam à Plutone, & Proserpina impetrasset Orpheus, & legem hanc accepisset, ne in egressu retrò ad subsequentem Eurydicen oculos reflecteret, neu respiceret, celeriter viam arripit, & cum vxore sua optatissima ad superos contendit. Sed vt est nimij amoris cæcitas, atque incogitantia, homo legis oblitus, & animo victus, in ipso penè exitu restitit, vxoremq; ponè sequentem respicit. Leue quidem hoc peccatum, si inferi scirent ignoscere. At hoc delicto tantoperè illi offensi fuerunt, vt concessam prius Eurydicen illicò reducerent, pactumq; omne rursus irritum facerent. Itaque omnes C labores Orphei, omnes conatus irriti fuerunt, & vno quasi momento perierunt.

SCIR. SI IGNOSC. MANES) Virgil. Culice.

Sed tu crudelis, crudelis tu magis Orpheu,
Oscula chara petens, rupisti iussa deorum.
Dignus amor venia, paruum si tartara vellent
Peccatum ignouisse.

ILLA, QVIS ME, INQVIT) Mœsta in hoc casu Eurydice, cum se retrahi videret: quis, inquit, Orpheu, & me miseram, & te vnà perdidit? quæ tāta hæc audacia est? En iterum retro per vim crudelissimè abripior, iterū mors atrox ante oculos mihi obuersatur. Vale mi Orpheu,

pheu, vale inquam. Ego mortis caligine circumdata, abs A te auferor, & imbelles manus, iam non tua, sed mortis præda, frustra ad te tendo.

EX OCVLIS CEV FVMVS) Vix hoc elocuta Eurydice, ceu fumus in aera ex oculis euanuit: neque Orpheum in tenebris palpitantem, ac multa volentem dicere, diutius potuit aspicere. Neq; etiam Charon Orci portitor stygiam paludem amplius transire passus est: sed infelicem hominem omni locorũ aditu prohibuit.

PRENSANTEM, AC MVLTA VOLENTEM) Æneid. 2. Æneas de Creusæ simulacro:

Hac vbi dicta dedit, lacrymantem, & multa volentẽ
Dicere, deseruit, tenuesq; recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago.

PORTITOR ORCI) 6. Æneid. *Portitor hac horrendus aquas, & flumina seruat.* Aliàs ianitor Orci.

Quid faceret? quò se rapta bis coniuge ferret?
Quo fletu manes, qua numina voce moueret?
Illa quidem Stygia nabat iam frigida cymba
Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aëria, deserti ad Strymonis vndam
Fleuisse, & gelidis hæc euoluisse sub antris,
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.
Qualis populea mœrens philomela sub vmbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Obseruans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoq; sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis latè loca questibus implet.
Nulla Venus, nulliq; animum flexere Hymenæi.
Solus Hyperboreas glacies, Tanaimq; niualem,
Aruaq; Riphæis nunquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen, atq; irrita Ditis
Dona querens. Spretæ Ciconum quo munere matres,
Inter sacra deûm, nocturnaq; orgia Bacchi
Discerptum latos iuuenem sparsere per agros.
Tum quoq; marmorea caput à ceruice reuulsum,
Gurgite cùm medio portans Oeagrius Hebrus
Volueret, Eurydicen vox ipsa, & frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.
Hæc Proteus: & se iactu dedit æquor in altum:
Quaq; dedit, spumantem vndam sub vertice torsit.

QVO FLETV MANES) Supra enim, *Nesciaq; B humanis precibus mansuescere corda.* Item, *scirent si ignoscere manes.*

SEPTEM ILLVM TOTOS) Hebræi, quomodo Ægyptij, septem pro pluribus, item pro re pluries repetita ponunt. Argentum septies purgatum. Redde vicinis nostris septuplum in sinum eorum. Chrysostomus actione in Iudæos 5. ait septenarium numerum in diuinis litteris infinitæ multitudinis signum habere. Et ita forte hoc Virgilianum accipiendum, vt & alibi, *immania septẽ terga boum*, & alia pleraq;. Pierius, lib. 36.

RVPE SVB AERIA) Horat. Ode. 12. lib. 1.

Aut in vmbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidoue in Hæmo, C
Vnde vocalem temere insecuta
Orphea syluæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresq; ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Et Ode 24. lib. 1.

Quod si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem.

Illa quoq; de lyra, seu cithara Orphea pro certo accipienda sunt, Ode. 11. lib. 3.

Tu potes tigres, comitesq; syluas
Ducere, & riuos celeres morari.
Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulæ
Cerberus, quamuis furiale centum
Muniant angues caput eius, atq;
Spiritus teter, saniesq; manet
Ore trilingui.
Quin & Ixion, Tityosq; vultu
Risit inuito, stetit vrna paulùm
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Propert. lib. 3. eleg. 2.

Orphea, te tenuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threïcia detinuisse lyra.

Eodem alludit lib. 2. eleg. 13.

Iussit & Ascraeum sic habitare nemus,
Non vt Pieria quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismaria ducere valle feras.

Pausan. Eliacorum 2. narrat Ægyptium quendam sibi dixisse, Amphionem, & Orphea magos fuisse, atque idcirco hunc feras, illum saxa quibusdam vocibus, & carminibus, id est, ἐπῳδαῖς quocunque voluissent, ducere dictos esse. Orpheæ lyræ, seu cantus Orphei allegoria est apud Horat. ad Pison.

Syluestres homines sacer interpresq; deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq; leones.

Est etiam à nescio quo versibus explicata eadem allegoria in Append. Virgilij, quos propter elegantiam adscribemus.

Threicius quondam vates fide creditur canora
Mouisse sensus acrium ferarum.
Atq; amnes tenuisse vagos:
Et surda cantu concitasse saxa.
Suauisonosq; modos testudinis arbores secutæ
Umbram feruntur præbuisse vati.
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit,
Doctaq; vitam voce temperauit.
Iustitiam docuit, cœtu quoq; congregauit vno,
Moresq; agrestes expoliuit Orpheus.

Aliam quandam mythologiam de Bacchis fœminis, eius cantu à montibus deductis, habes apud Palæphatum in Orpheo. Vide quid idem dicat de Amphione saxa sono testudinis mouente ad mœnia Thebarum construenda. Lamb.

QVALIS POPVLEA) Similitudo desumpta ex Odyss. 7. ὡς δ' ὅτε πανδαρέου κούρη, &c. ad amplificandum luctum Orphei lamentantis Eurydicen, à philomelæ, seu lusciniæ cantu, de qua Catullus ad Ortalum.

Qualia sub densis ramorum concinit vmbris
Daulias absumpti fata gemens Ityli.

Et Catullum imitatus Albinouanus, elegia de morte Drusi ad Liuiam.

Talis in vmbrosis mitis nunc denique syluis
Deflet Threïcium Daulias ales Itym.

Martial lib. 14.

Flet philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

In eius musica declaranda multus est Plin. libr. 10. cap. 29. Lusciniis diebus ac noctibus continuis 15. garrulus sine intermissione cantus, densante se frondium germine, non in nouissimum digna miratu aue. Primùm tanta vox in tam paruo corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in vna perfectæ musicæ scientia modulatus

A editur sonus, & quæ sequuntur. Eandem à cantu admiratur, & laudat Maioragius præfat. in lib. de Orat. ✠

MISERAB. CARM. INTEGRAT) Apud nostrũ est *integrat*: apud Terent. And. integrascit, quanquam absolutè. *vah, hoc malum integrascit.* Vbi Donatus, interpretatur, vbi quid ad integrũ redit, quod repetitur, quod instauratur. Deinde Virgilium pro teste adducit. Integrare, est redingrare, inquit Nonius. Vsi sunt hoc verbo Attius Antenoridis. *Namq; huic iuuenio, vt mea ope opus integres.* Pacuuius Chrys. *Sed cesso inimicitiam integrare.* Sisenna. Vltro citroque integrant in oppido cædem. De philomela vide Eclog. 6. *Quas illi philomela dapes, quæ dona pararit*, num. 143. ✠

B LATE LOCA QVESTIBVS IMPLET) Lucret. lib. 2. *Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent.*

NVLLA VENVS, NVLLIQVE) Ouid.

——— omnemq; refugerat Orpheus
Fœmineam Venerem: seu quod male cesserat illi,
Siue fidem dederat: multas tamen ardor habebat
Iungere se vati: multæ doluere repulsæ.

SOLVS HYPERBOREAS GLACIES) Quare nulla iam voluptas mœrentem Orpheum afficit: nullæ mulieres, nullum ei matrimonium placet. Solus deserta Scythiæ peragrat: solitudines vastas perlustrat: ripas Tanais, & agros perpetua niue obrutos peruagatur, assiduis querelis Eurydicen bis sibi ereptam inclamitans.

C Atque hoc summo desiderio vxoris suæ, & contemptu omnium aliarum, magnum aduersus se odium cæterarum concitauit. Nam die quodam, cum bacchanalia celebrarent Thraciæ mulieres, egressæ in nemora & syluas, forte in Orpheum suæ Eurydices casum deplorantem inciderunt, ipsumque nihil tale metuentem, membratim discerpserũt. Caput à reliquo corpore auulsum, & Hebro iniectum fuit. Sed nihilominus, quod dictu mirabile est, lingua & vox Eurydicen inclamabat: Eurydicen ripæ ipsæ cruentati amnis referebant.

MARMOREA A CERVICE REVVLSVM) Marmorea ceruix, est candida ceruix, à candore marmoris, & marmoreum poetis sæpe est candidum. Næuius apud Carisium, *Collum marmoreum torques gemmatis*
D *coronis.* Lucret. *cærula quæ sunt Nunquam in marmoreum possunt migrare colorem.* Ouid. in Fast. *Aurea marmoreo redimicula demite collo.* Et Metamorph. *Quas vbi marmoreo detersit pollice virgo.* Varro Attacinus.

Oscitat in campis caput à ceruice reuulsum,
Semianimesq; micant oculi, lucemq; requirunt.

HÆC PROTEVS, ET SE IACTV) Homer. Odyss. δ. ὣς εἰπὼν ὑπὸ πόντον ἐδύσετο κυμαίνοντα. Postquam hæc Proteus Aristæo respondit, effugium adeptus, vno se iactu in mare præcipitauit, & aquam tranans, ex oculis disparuit. Ille mœstus, animi pendebat, nec quid ageret, aut inceptaret, certum exploratumq; habebat.

At non Cyrene. namq; vltro affata timentem,
Nate, licet tristeis animo deponere curas.
Hæc omnis morbi caussa, hinc miserabile Nymphæ,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus: tu munera supplex
Tende, petens pacem, & faciles venerare Napæas.
Namq; dabunt veniam votis, irasq; remittent.
Sed modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios præstanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi,

Delige, & intacta totidem ceruice iuuencas.
Quattuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, & sacrum iugulis demitte cruorem:
Corporaq; ipsa boum frondoso desere luco.
Post vbi nona suos aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei lethæa papauera mittes,
Et nigram mactabis ouem, lucumq; reuises:
Placatam Eurydicen vitula venerabere cæsa.
Haud mora continuò matris præcepta facessit:
Ad delubra venit: monstratas excitat aras:
Quattuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit, & intacta totidem ceruice iuuencas.
Post, vbi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumq; reuisit.
Hîc verò subitum, ac dictu mirabile monstrum
Aspiciunt: liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes vtero, & ruptis efferuere costis:
Immensasq; trahi nubes: iamq; arbore summa
Confluere, & lentis vuam demittere ramis.

AT NON CYRENE) Cyrene mater nihil oratione Protei perterrita, vltro iuuenem alloquitur, & pænitantem tali oratione consolatur. Fili mi, ne animo deficias, neu dolori succumbas: sed istum mœrorem abiicias. Nam quæ caussa sit, cur pecudes, & apes tibi interierint, vides. Etenim nymphæ Dryades misertæ Eurydices, suæ olim sodalis, hoc exitium apibus tuis non iniurià immiserunt. Quod igitur nunc tui erit muneris, illis supplica, illas venerare, illas tibi sacris reconcilia. Nam & veniam tibi dabunt, & conceptam iram faciles remittent.

PETENS PACEM) Pacem, & veniam à diis petere, sollemne fuit. Cic. pro Fonteio. Illi in bellis gerendis à diis immortalibus pacem, ac veniam petunt. Et pro Rabirio perduell. reo. Ab Ioue opt. max. cæterisque diis, deabusque immortalibus pacem, ac veniam peto. Vide Brisson. Formular. lib. 1. pag. 81.

QVATVOR EXIMIOS TAVROS) Eximij in sacrificiis vocabulum, non poeticum ἐπίθετον, sed sacerdotale nomen est. Veratius enim in pontificalibus quæstionibus docet, eximias dictas hostias, quæ ad sacrificium destinatæ, eximantur è grege: vel quod eximia specie, quasi offerendæ numinibus eligantur. Quod eximuntur autem eximias, quod eliguntur, præstanti corpore dixit. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 5.

Non quæuis victimæ eligebantur in sacrificia, sed quæ præstantiores essent, multò ante reseruabantur: quare cum è grege deligerentur, egregiæ victimæ dictæ sunt: at cum eximerentur ex armentis, sacræ, eximiæ. Nam trifariam armenta diuidebant antiqui, cum aliam partem destinarent fœturæ, aliam laboribus, aliam reseruarent ad altaria, vt innuit poeta 3. Georg.

Continuoq; notas, & nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris seruare sacris, aut scindere terram.

Natalis Comes lib. 1. cap. 10. * *Distinctius lib. 1. Formularum Brissonius, ex Donato in Hecyram Terent. Porci maiores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascebantur, eximij appellabantur: sicut boues ad hoc electi, egregij: oues vero lecta. Sed Virgilius, vt cernis, eximios etiam vocat tauros.*

INTACTA CERVICE) ἀζυγας, iniuges, quæ iugum nondum pertulerunt, currui, vel aratro nondum subiunctæ. Æneid. 6. *Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos.*

QVATVOR HIS ARAS) His quatuor aras constitue iuxta nympharum delubra, & pecudes super eas macta: corpora vero cæsarum in luco relinque: & post nouem dies Orpheo mittito inferias, & nigram ouem iugulato: Eurydicen cæsa vitula placato: & rebus omnibus peractis in lucum redito.

ALTA AD DELVBRA DEARVM) Lucret.

—— & pandere palmas
Ante deûm delubra, nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum.

INFERIAS MITTES) Lucret. lib. 3. *& nigras pecudes, quas manibus diuis Inferias mittunt.*

VITVLA VENERAB. CÆSA) Omnes diuini cultus species *venerandi* verbum quadam communione complectitur: cuius officium propriè diis impendi testantur cuilibet obuij Ciceronis loci, ex lib. 1. & 3. de nat. deor. & 1. Tuscul. & orat. de leg. Agrar. Nec vero salutationis tantum, aut adorationis ritu, sed & precibus, sacrificiis, victimis, & donis, ac muneribus deos venerari, latini auctores dixerunt. Plura Brisson. Formular. lib. 1. pag. 42.

IMMENSAS NVBES) Examina nubium in modum densata; multitudines instar nubium.

VVAM DEMITTERE) de hac vua diximus nonnihil supra, hoc ipso libro.

Hæc super aruorum cultu, pecorumq; canebam,
Et super arboribus: Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorq; volentes
Per populos dat iura, viamq; affectat olympo.

Illo

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti:
Carmina qui lusi pastorum: audaxq; iuuenta
Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi.

HÆC SVPER ARVORVM) Peroratio totius operis Georgici, cùm epilogo rerum, & notatione temporis, item loci, & auctoris, quando, & vbi à Virgilio Bucolicorum auctore hæc scripta sint.

SVPER ARVORVM CVLTV) libro primo videlicet.

PECORVMQVE) 3. & 4. nam & apes pecoris nomine possunt comprehendi.

ET SVPER ARBORIBVS) lib. 2. Modestissimè claudit opus suum: & veritus plagiariorum temeritatē, tum hic posuit nomen suum, tum prudenter innuit initio diuini operis, *Ille ego qui quōdam*, &c. quæ qui abstulere, suā faciunt Æneidem, non Maronis. Horatius inflatior in operis sui commendatione, *Exegi monumentum are perennius*, &c. Haud multum absimilis Ouidius, immo superbior, si legas totum.

Iamq; opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas, &c.

Modestissimè Statius.

O mihi bis senos multum vigilata per annos
Thebai, iam certe præsens tibi fama benignum
Strauit iter, &c.

Lucanus autem, quasi verus vates, præuenit exitium suum his versibus, qui non in fine operis, quippe imperfecti, sed in nono sunt.

Nam si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores, &c.

Scalig. Poet. libr. 5. cap. 15.

Atque in hoc sanè ab Homero desciuit Virgilius: quod ille neque de patria sua quidquam prodidit, nec proprium nomen suis poematis intexuit. Virgilius & huic Georgico carmini nomen suum inseruit, & se eius auctorem asseuerauit, vindicatis etiam sibi Bucolicis, contra temporum, & maleuolorum iniuriam. ibi quoq; nomen patriæ cùm quadā actione poetica adiecit, *Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas*, & quæ sequūtur. De quorum operum, & Æneid. quasi possessione per omnia sæcula retinenda sollicitus, hoc etiam veluti prælvdio heroici carminis ita canit, *Ille ego qui quondam* &c. Et quis vatem accusat, quod ita suæ gloriæ, ac nomini non inuiderit? cum hac ratione, hoc est, perfectis summo ingenio carminibus, & quadam singulari industria, atque egregia arte elaboratis, se humo aliquando tollere (quod ipse de se canit) & ora per virorum volitare & cogitauerit, & contenderit? Quod expressit, cū ait,

Me verò primùm dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore
Accipiant,

& quæ ibi habentur: quod cum effecerit, iactatione illa summis tantum poetis concessa, nominis etiam immortalitatem aliis, Niso scilicet, & Euryalo polliceri nō dubitauit. Erythræus.

CÆSAR DVM FVLMINAT) Confer huc quæ annotauimus lib. 6. Æneid. ad illa, *duo fulmina belli Scipiadas*. Bassus in quodam epigrammate, *ἀς ἐγέλων κεραυνοὺς πολὺν ἐνιαυτόν*. Lucanus lib. 1. Pharsaliç cum natura & impetu fulminis heroicam Iulij virtutem, atq; ardorem, & impetum comparat.

Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulsi sonitu, mundiq; fragore
Emicuit, rupitq; diem, populosq; pauentes
Terruit, obliqua perstringens lumina flamma, &c.

Fulminare item dicuntur bonis scriptoribus reges ac principes, quando pestem, & exitium alicui moliuntur, aut grauissimè quempiam affligunt. Tales calamitates appellant fulmina. Ouid. quidem non semel Augusti fulmine petitum se queritur.

VOLENT. PER POP. DAT IVRA) Quod inquit, cum volentibus imperare populis, nescio an hunc etiam locum, vt alia quædam, teste Macrobio à Demosthene sumpserit. Eadem certè sententia vsus est. Nam verba Demosthenis sunt *ἑκόντων ἦρξαν ἑλλήνων*. Sed prior Isocrates in Areopagiticō de Atheniensibus eadem protulisse videtur. *ὥστε τοὺς πλείστους αὐτῶν ἑκόντας ἐγχειρίσαι τῇ πόλει σφᾶς αὐτούς*.

VIAMQVE AFFECTAT OLYMPO) M. Tull. pro Sex. Roscio. Nunc vero quam viam muniter, quò iter affectet. Plaut. Aulul. *Vt me deponat vino, eam affectat viam.* Terent. Heaut. *Nam disciplina est eisdem, munerarier ancillas primùm, ad dominas qui affectant viam.* Ergo affectare viam plenum est, idem, quod, id agere, conari, contendere, id operam dare. *ἐπιτηδεύειν* est, affectare. *olympo*, ad diuinos honores. Georg. 1. *Tuq; adeo, quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertū est.*

DVLCIS PARTHENOPE) Sirenum huic vrbi contigisse nomen canit Silius lib. 12. hisce versibus.

Nam molles vrbi ritus, atq; hospita Musis
Otia, & exemptum curis grauioribus æuum,
Sirenum dedit vna suum, & memorabile nomen
Parthenope muris Acheloias, æquore cuius
Regnauere diu cantus, cum dulcè per vndas
Exitium miseris caneret non prospera nautis.

STVDIIS IGNOBILIS OTII) Periphrasis poetica. Ouid. 4. Trist.

Sæpe pater dixit, studium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipse reliquit opes.

TITYRE TV PATVLÆ) Habet hic versus synecdochen: siquidem pro tota ecloga ponitur: quinimmo pro omnibus eclogis. Sed de hoc ipso monuimus ad eclog. 5. ibi *Tale tuum carmen nobis*, &c. num. 114. Et ad principium Æneid. ibi, *Arma virumq; cano.*

LIBRI QVARTI GEORGICORVM FINIS.

SYM-



EVROPAE PARS
AENEAE
NAVIGATIO
Liburni
Heneti
HESPERIA SATVR
NIA et ITALIA
HADRIATICVS SINVS
Illyrici.
MACEDONIA,
cuius populi Pelasgi,
Achiui, Argiui
Danai, Myrmi-
dones, Dolopes,
Dores, et
Iones
Gens inimica mihi TYR
RHENVM navigat
AEQVOR
MARE
AVSONIVM
Aeoli insula
OCCIDENS
IONIVM
MARE
TRINA- CRIA
PELOPON
NESVS
Dryopes
Septima post Troiae excidium iam vertitur aestas:
Cum freta, cum terras omnes, tot inhospita saxa,
Syderaque emensae ferimur: dum per MARE MAGNVM
Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
PVNICA
REGNA
Syrtis in-
hospita.
Maurusij
Getuli.
Barcaei.
Massyli.
Breuia et Syrtes
LIBYAE, SIVE AFRI-
CAE
MERIDIES

ÆTIO.



ASIA PROPRIA sive pars ASIAE MAGNAE

Agathyrsi

Getæ

THRACIA

Byzantium

Rhodope mons

TROAS

PHRYGIA

LYCIA

Teucri

Lesbos

AEGAEVM PELAGVS

Scyros

Cyclades

insulæ

Samos

Patmos

Delos

Naxos

Melos

Rhodus

CYPRVS

Paphos

Carpathium mare.

Curetes. CRETA.

LIBYCVM MARE

Naves quæ ferre paratæ
Corripiunt, onerantque auro; portantur avari
Pygmalionis opes pelago; dux fœmina facti.

Sidon

Tyrus

PHOENICIA

ORIENS

Septem gemini ... Nili

AEGYPTVS PARS

Sinus Arabici pars.

MERIDIES

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus
Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor,
Vix septem conuulsæ undis, Euroque supersunt.
Europa atque Asia pulsus *Aeneid. 1.*





SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER VI.

Ad primum Aeneidos.

QVOD SIT PRINCIPIVM TOTIVS Æneidos.



Vper primis istis carminibus positus in fronte operis, Ille ego qui quondam, &c. *dubitatum video, an esset initium Æneidos, necne. Qui id affirmant, praecepto Horatij se tuentur, docentis, ingressum, ac exordium heroici poematis non esse par, ac simile reliquo contextui: sed aliquanto siccius, demissius, ac simplicius: a quo omnis ingenij & doctrinae ostentatio, omnis granditas, nimius, & exquisitior cultus absit. In quo & Cyclicum poetam castigat, Homerumq; contra laudat. Ponuntur etiam in culpa à doctioribus Lucanus, & Papinius, quorum principia valde turgida, & inflata, extraq; modum sonantia, & omnino vasta apparent. Aiunt praeterea, Virgilium lib. 7. quo loco posteriorum sex librorum materiam proponit, eadem ratione lente, & quietè exorsum, clariores deinde sonos edidisse.* Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum, Quis Latio antiquo fuerit status, &c. *Qua de enumeratione librorum à se antea scriptorum, id nihil obstare principio: similiterq; Argonautica sua inchoasse Orpheum, aut si quis alius illius monumenti auctor est. Pugnat pro hac sententia Corradus, & quod obijci poterat de propositione, seu inuocatione, seu separata, seu mista, conatur dissoluere.*

Ego verò his, & si qua insuper adduci ad probandum possunt, nec tantillum conturbor, eorumq; sententiam quemadmodum vulgariorem, ita veriorem amplecti malo, qui Æneida ab illo versu ordiuntur: Arma virumque cano, &c. *& versiculos superiores a Varo, Tuccaq; meritò submotos opinantur. Nam ipse quoq; Virgilius pro principio eos haberi voluisse non videtur: sed pro quodam prooemio duntaxat, ex quo nosceret posteritas, ipsum illorum operum, de quibus loquitur, parentem extitisse: ne quis (vt aliis contigit) per summam impudentiam versus alienos suffuratus, librum non suum pro suo euulgaret. Fecit sanè Bathyllus hoc viuo: quòd ne iterum, & in re maiore sibi demortuo, aut idem nebulo, aut alius ei geminus faceret, non iniuriâ timendum est arbitratus. Atq; idcirco etiam in fine Georgicorum sua esse, cùm Bucolica, tum Georgica, testari non omisit. Sentio autem, nihilominus teneri praeceptum Horatij, quamuis inde coeperimus:* Arma virumque cano, &c. *Est enim hoc quoq; exordium Homerico illi tantopere ab Horatio celebrato, non rebus modò, sed etiam dictione quàm simillimum. Aut vtrumq;, inquam, elatum, calamistris inustum, elaboratissimum, quod negabit Flaccus: aut vtrumq; graue quidem, sed tamen placidum, summissum, ac temperatum est. Vtrobiq; non ex fulgore fumus, verùm quasi ex fumo lux datur, & speciosa dehinc miracula promuntur. De ista quaestione libet transcribere locum Petri Nannij e Miscellan. lib. 6. cap. 11. qui quidem à nobis nihil diuersum docet.*

Passus erat aliquando plagiarium in suis carminibus Virgilius: idem furtum ne denuò pateretur, quasi per catalogum recensuit, quicquid à se vnquam conditum esset, & Bucolica, Georgicaq; ἀνακεφαλαιώσει *operi Æneidos quasi conferruminauit, fecitq; id more Orphei, qui in Argonauticôn principio omnia sua poemata breui enumeratione complexus est. Apud veteres enim duplex formido fuit: ne scripta vel à fure occuparentur: vel subdititijs versibus adulterarentur. Atq; hinc est, quod Theognis singulis suis carminibus sigillum apprimè desiderat: ne nothorum subreptionibus ingenua familia poematis inquinaretur.*

> Κύρνε σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφρηγὶς ἐπικείσθω
> Τοῖς δ᾽ ἔπεσι, λήσει δ᾽ οὔποτε κλεπτόμενα.
> Cyrne disertanti mihi fida sigilla parabis,
> Quae clàm de versu tollere nemo queat.

Sed tamen ne sic quidem falsarios euitauit. Multa enim illegitima eius operi aspersa sunt, inter quae nonnulla Soloni attribuuntur: vt interim taceam de inferioris notae scriptoribus. Non igitur vano metu sollicitus Virgilius, hanc cautionem contra plagiarios, & falsarios adhibuit. Quod Homero summisq; viris acciderat, de eo securus esse non potuit. In ipsa au-

*tem anacephaleosi, antequam ad propositionem veniat, humili phrasi vtitur, & adhuc Bucolica, vtpote de Bucolicis men-
tionem faciens, ac nonnihil, sed molliter assurgit, vbi de re Georgica loquitur. Postmodum ad ipsum operis ingressum per-
tingens, quasi relicta fistula lituum inflare videtur,* At nunc horrentia Martis Arma virumque cano. *Sed Tucca cum
suis hanc inæqualitatem versuum non ferens, præsertim in ipso vestibulo, vbi omnia sunt conspectiora, ista carmina, quasi
superflua recidit. Id quoq; eum incitauit, vt Propositionem Homericam in primo versu æmularetur,* Μῆνιν ἄειδε θεά; *cui
magna similitudine respondet,* Arma, virumque cano. *Postremò, vt prima auis ad augurium obseruatur, ita primum
verbum in poemate pro omine haberi solet: vt, dum audis in prima voce,* Arma, *non nisi bella expectanda putes. His caus-
sis, vt arbitror, inuitatus Tucca, Virgilij indicem de suis operibus Æneidi præfixum, vt inutilem amputauit: vtpote qui
Virgilij carmina videbat ipsius morte quasi consecrata, & Augusti cura defensa, nullum defraudatorem, aut adulte-
rum passura. Hucusq; Nannius.*

*Quod autem quidam non indoctus homo istam sententiam irridet, de coercendo nimirum fure ac plagiario: quia
nihil vetuisset, quò minus illi Georgica surriperentur, quæ tali munimento carerent. Nam versus qui in calce libr. 4. ha-
bentur, faciliùs inde, quàm à principio remoueri potuisse. Præterea constare inter omnes, Virgilium Augusto, & Octauiæ
sorori aliquot de Æneide libros recitasse: neq; existere quemquam facile potuisse, qui se tam inclyti operis parentem atq;
auctorem profiteri auderet: ac proinde Tuccam potius, quam ipsum Maronem hos composuisse, & in limine operis appo-
suisse versiculos. Quod, inquam, hæc sentit, sanè parum sentit, & leuissimis ratiunculis parùm probat: vt multò plus apud
me, quæ in contrariam partem allata sunt, ponderis ad persuadendum habeant. Illud de Tucca, auctore carminum isto-
rum, mihi tum vanum, tum delirum esse videtur, vt ait Lucretius. Sed ad institutum regrediamur. Ex illo quoq; Ouidij
disticho, quod legitur 2. Trist. quidam opinantur faciendum Æneid. initium ab his verbis,* Arma, virumq;.

Et tamen ille tuæ fælix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumq; toros.

SINGVLORVM LIBRORVM ÆNEIDOS PERIOCHÆ ex Politiani Sylua Manto.

I.

Ac primùm Siculis magnum producet ab oris
Laomedontiaden, vndisq; & turbine sæuo
Auferet in Libyen, quem Dido ignara futuri
(Sic placitum superis) animoq;, domoq; recepiet.

II.

Reginæq; hospes diri commenta Sinonis,
Mendaces Graios, vanæ periuria gentis,
Et populata malis Neptunia Pergama flammis,

III.

Se quoq; iactatum referet terraq;, mariq;.

IV.

Illa auidis bibet ignem oculis, noctemq; diemq;
Nutriet infelix vesanum pectore amorem.
Venatu tandem in medio Saturnia nimbum
Pronuba diffundet, soloq; Hymenæus in antro
Affuerit, nullasq; faces mœstum afferet omen,
Fulgoresq; dabit nymphis vlulantibus æther.
Ipse Iouis monitu Æneas rursum ire per vndas
Cogetur vento, rursum Itala quærere regna,
Surgentem Auloniæ solio impositurus Iulum.
At Phœnissa rogum sæuo furiosa dolore
Incendet moritura, trucesq; in vota vocabit
Eumenidas, mox & Phrygium, prò tristia dona,
Ah niueum per pectus aget miserabilis, ensem.

V.

Discolor interea taurino combibet ore
Iris aquas, iterumq; antris effundet apertis
Hippotades hyemem, & rapidis ruet æquora vẽtis.
Zancleas iterum fessi eijcientur ad oras
Troës, & hospitio fidi accipientur Acestæ.
Hic patris ad tumulum sollemnes ordine pompas
Dux feret, ac meritos celebrabit littore ludos.

VI.

Tum pelagus relegens amisso præside puppis
Vix tandem Euboica lacrymans potietur arena.
Atq; vbi fata deûm viuacis ab ore Sibyllæ
Hauserit, infernas etiam descendet ad vmbras,
O pietas, manesq; petet per auerna paternos,
Romanosq; suos Lethæi ad fluminis vndam
Conferet, & magnos gaudens cognoscet Iulos,
Paciferumq; ducem, fuluo cui pulchra metallo
Sæcla fluent, cui pressa graui pede bella iacebunt.
His lætus porta ad socios euadet eburna
Dux Anchisiades, Thuscumq; enabit ad amnem.

VII.

Necdum parta quies, restant bella altera, restant,
Et crassus multo stagnabit funere Tibris.
At tibi Castalijs renouentur pectora lymphis
Chare nepos, nunc nunc ingenti est ore sonandum
Grande opus à tergo. Quis enim alto euincere cantu
Clamoresq; virûm, atq; hinnitus speret equorum?
Tu tamen euinces, licitum tibi maxime vatum
Arma, acies, furias, Martem ipsum æquare canẽdo.
Iamq; volans superas Alecto impunè per auras
Tartareum canit, & resides stridentibus hydris
Instimulat, dux ipsa manu Saturnia sæua
Claustra quatit belli, postesque irata refringit.
Iam Latiæ coiere manus, domat aspera duris
Ora lupis sonipes, facilesque in puluere gyros
Flectit eques, ipsæ alpino de vertice syluæ
Præcipitant auidæ phrygios haurire cruores.
Iam rastri pondus rigidum diffingit in ensem
Cædis amor, versique abeunt in pila ligones,
Attritusque caua mutatur casside vomis.
Iamque aurem horrisono rumpunt fera classica bombo,
Armorumque minax perstringit lumina fulgor.

VIII.

Dumque alacres secum in Martem Cythereïus heros
Arcadas, & missum auspicio Pallanta sinistro
Audacem puerum, melioraque fata secutos
Tyrrhenos rapit, & tantis accingitur ausis,

IX.

Ecce furens Rutulus, sæuoque instinctus amore
Nequidquam in Phrygiam iaculatus lampada classem
Miratur subitas pelago consurgere nymphas.
Nec minus irrumpit castris, altamque cruentus
Dat stragem, fluuioque euadit lætus amico.

X.

Vltor adest, sociosque exponens littore tuto
Auspicium belli, maternis fulget in armis
Dardanides, totasq; in pugnam exsuscitat iras.
O qui sudor equis, qui se alto in puluere reges
Turpabunt, quanto exurget rubra sanguine tellus.
Nec tuus hasta deus, nec te tua dextera forti
Merenti letho eripiet, visque effera mentis,
Sed consors nato accedes tumulique necisq;.

XI. XII.

At tu quò nimio spoliorum, & laudis amore
Inconsulte ruis? quin sæuas bellica virgo
Insidias prius, & venientem respicis hastam?
Tuque miser, pone ô rapti mala gaudia balthei,
Et cæsi exuuias pueri, inuidiamq; deorum
Turne caue, dabis heu pœnas, dabis improbe, & istam
Euandro debes animam, atq; victricibus armis.

DE

DE PARTIBVS LIBRI PRIMI.

QVinque partes, siue narrationes diuersas hic liber continet, tanquam actus dramatis, cùm sit velut tragicocomœdia quadam. Habet principium triste, ac lugubre, finem lætum, & catastrophen planè comicam. Quippe in primo actu Iuno, & Æolus immissa tempestate, Æneam & Troianos miserè vexant, ab instituto'que itinere versus meridiem repellunt, & in summum capitis periculum fortunis omnibus multatos adducunt. In secundo actu Neptunus cum Tritone, ac Cymothoë, mare commotum tranquillant: Æneas portum Carthaginensem subit: ibi socios expositos cibo, potu'que recreat. In tertio Venus apud Iouem pro Troianis, & filio Ænea supplicat: cui Iupiter Romanam ex Ænea, & Ascanio posteritatem promittit. Quibus illa verbis confirmata, Ænea, & Achati locos explorantibus, habitu venatricis sese offert, indicata'que hominum, & locorum conditione, vtrumque septum nebula Carthaginem in templum perducit, vbi picturas Æneas Troiani belli contemplatur. In quarto actu Ilioneus apud Didonem hospitium rogat, cui petitioni Æneas, & Achates interueniunt, socios reperiunt, in regiam conuiuatum inducuntur. Achates ad Ascanium cum muneribus Reginæ largiendis adducendum mittitur. In quinto actu Venus Cupidinem pro Ascanio subornat, vt Didonem flammis incendat, veterem'que Sichæi amorem nouo Æneæ deleat. Epulis vacatur, canitur, varij sermones hilariter seruntur. Ex Proleg. viri cuiusdam eruditi.

QVOMODO VIRGILIVS HOMERVM HOC libro imitetur.

ETsi passim Homericos locos inseruit huic libro Virgilius, tamen quatuor præcipuè Odysseæ libros hoc vno expressit. Vt enim Iuno opera Aeoli tempestatem in Troianos & Aeneam immittit, eos'que a proposito itinere, quod è Sicilia in Italiam susceperant, retrò in Africam pellit, ita Neptunus lib. 5. Odyss. Vlyssem, cui infensus erat, a suscepta nauigatione ex insula Calypsûs in Ithacam, retrò in Corcyram agit: hoc tantum discrimine, quòd Homericus Vlysses a Calypso muliere, a qua amabatur, ad regem Alcinoum defertur: noster autem Aeneas a rege Aceste è Sicilia ad reginam Dido in Africam reiicitur, cui similiter, vt ille Calypso, esse incipit in amoribus. Deinde quemadmodum hìc Neptunus tempestatem a Iunone commotam placat: ita apud Homerum Minerua tempestatem a Neptuno concitatam sedat. Preterea vt Venus pro Troianis, & Aenea apud Iouem precibus intercedit: ita Minerua lib. 1. Odyss. pro Vlysse, & sociis Ioui supplicat. Et sicut ibidem Minerua a Ioue digressa, Mentæ regis Taphiorum faciem induit, & ad Telemachum proficiscitur, ei'que viam & rationem perueniendi ad patrem ostendit: ita hic Venus, habitu venatricis assumpto, Aeneæ occurrit, eum'que de hospitio Didonis certum facit: simul viam eò perueniendi commonstrat, & nebula circumfusum in oppidum deducit. Ilioneus verò, & Aeneas Didoni pro hospitio supplicantes, ex lib. 7. Odyss. delineati sunt, vbi Vlysses Aretæ vxori regis Alcinoi eodem modo, eadem'que de caussa fit supplex. At Venus Cupidinem subornans, vt reginam amore erga Aeneam accendat, exemplum est Mineruæ, quæ lib. 6. Odyss. Nausicaam Alcinoi filiam ad amandum Vlyssem per somnium inflammat. Iopas denique ad modum Phemij, & Demodoci in conuiuio cantat cithar. Æneas igitur, vt comprehendam breui, Vlyssis atque Telemachi personam: Dido Alcinoi, atque Calypsûs, item'que Nausicaæ, & Aretæ: Iuno Neptuni: Venus Mineruæ: Iopas Phemij, & Demodoci sustinet. Vt autem non necessarias personas sapienter omittit: ita necessarias quasdam alias ex suo ingenio substituit. Nam Iunoni Aeolum pulcherrimè adiungit, & Aeneæ indiuiduum comitem Achatem, (quo cura, & sollicitudo significatur) perpetuò addit, item'que oratorem Ilioneum eidem affingit: Neptuno verò Tritonem, & Veneri Cupidinem annectit. Quæ omnia occulta quadam naturæ ratione non carent. Ex iisdem.

EXEMPLA HOC LIBRO PROPOSITA.

IN hoc libro proponuntur etiam illustria virtutum & vitiorum exempla: quæ vel ad vitam communem pertinent, vt fortitudo Aeneæ in aduersis: clementia, & miseratio Neptuni erga afflictos: fides, & amor Aeneæ erga socios: eiusdem φιλοστοργία erga Ascanium: hospitalitas Didonis: conuiuij hilaritas: & contra Iunonis inuidia: temeritas Aeoli: parricidium atque crudelitas in Sichæum, & si quæ sunt alia: vel ad rempub. spectant, vt principis officium in gubernatione rebellium, in sedando pacando'que tumultu: eiusdem sollicitudo, & cura erga subditos: item diuina prouidentia, amor dei erga pios: precum exauditio, & multa similia, tum ad rempub. tum ad religionem, & sinceram de deo opinionem pertinentia. Ex iisdem.

SYNOPSIS.



VIrgilius noster prælia, & errores Æneæ Troiani sese cantaturum profitetur à principio: tum non sine ingenti admiratione, ac propè cum stomacho quodam, de Musa, Iunonis in ipsum, Troianamque gentem vniuersam odiorum, crudelitatisque caussas exquirit, quas enumerat. Soluentibus è Sicilia Troianis, Iuno de præsenti exitio miseris afferendo secum voluntans, ad Æolum regem ventorum celeri profectione contendit, ab eo ventos ad mare concitandum, atque ad naues ab Italia, quò cursum dirigebant, quàm longissimè tempestatis procella dispellendas, aut omnino etiam submergendas impetrat. Ita verò excellenter tempestas expingitur, & ita eius sæuitia, & immanitas sub aspe-

ctum quodammodo subijcitur, vt in tota lingua Latina simile quippiam non simus inuenturi. Hac igitur vexatus, oppressusque Æneas, beatos præ se iudicat omnes, quibus licitum fuerit ante muros patriæ, ante oculos parentum, propinquorumque, animas cum gloria profundere. Neptunus tandem Eurum ac socios atrociter increpitos cum minis domum remittit, ac sine vlla mora regnum suum tranquillare insistit. Troiani Africæ portum (qui proximus erat) fessi nimium, ac propemodum exanimes tenuerunt: peramœnum sanè, & naturâ cùm ad afflictos, perditosque recreandos, tum ad nauigia occultanda mirabiliter opportunum. Ibi mox foco excitato, frumenta siccant, siccata molis frangunt, panes coquunt.. His ita occupatis, Æneas in rupem altam ascendit, duodecim alias naues à septem reliquis ventorum inclementia distractas, longiusque proiectas mœstus, & anxius requirit. Aliquot eximia corporum magnitudine ceruos iaculis prosternit, singulosque in singulas naues distribuit: eadem ratione vinum, quod Acestes Siciliæ rex, & amicus, abeuntibus donauerat: consolationem insuper sapientiæ, & paterni cuiusdam amoris plenam adiungit. Troiani solutis curis epulantur, & refectis iam, instauratisque viribus, de amissorum salute sociorum colloquuntur. Sub occasum solis Iupiter, vti summus rerum custos, arbiterq; præcipuus, mundum, atque adeò Africam totam cogitabundus despectat. Quam occasionem nacta Venus, patri pro Troianis suis flebilem in modum supplicat: promissa ei in memoriam redigit. Ille spe optima filiam implet: quæ promiserit, omnia se facturum spondens: de posteritate, potentiaque Romanorum multa prædicens. Mittitur Mercurius, qui Afrorum animos Troianis iam iamque affuturis placabiles, ac beneuolos efficiat. Vbi pulsa nocte dies rediit, Æneas cum Achate loca exploratum vadens, in matrem incidit, quam nisi in recessu haud agnoscit. Ab hac de Carthagine, de fortuna, statuque Didonis, de seruatis nauibus fit certior: iubeturque concepta fiducia in vrbem pergere, quod facit. Ac primò quidem in ipso templo, dum reginam eò venturam expectat, bellum Iliacum in pariete, non vulgari artificio depictum, cum singultibus, profusisque lacrymis contemplatur. Introgressa cum stipatoribus templum Didone, ecce tibi Ilioneo oratore Troiani supplices accedunt, responsum auferunt longè humanissimum. Dat se in conspectum Æneas, reginæque in se ac suos propensissimam, & liberalissimam voluntatem quantis potest laudibus in astra tollit. Ab eadem cum tota illa legatione in regiam inuitatur: ibi apparatissimis dapibus accumbitur. A nauibus accersitur per Achatem puer Ascanius, cui Veneris dolo, & machinatione Cupido substituitur. Offert Æneas reginæ plura, & cùm sexui, tum maiestati regiæ conuenientia munera: poculis, & cantionibus vacatur. Non potest satiari sermonibus Æneæ Dido: quem rogat, vti longiuscula expositione, idque à primordijs rei suscepta, Troianæ vrbis cladem vltimam, & errores suos, periculaque per terras, & maria toto septennio adita recenseat: id quod duobus libris insequentibus ita præstatur, vt amplius nihil sit, quod meritò requiramus. Nunc demùm est, cùm nos maximè auritos fieri condecet, ad istos cantus, quibus similes nec insonuerunt vnquam, nec insonabunt. Quod si non vulgarem hausimus voluptatem ex rebus pastoritijs, & rusticis, conuenienti sermonis figura, & habitu compositis: quanto tandem maiorem ex tam illustri, ac singulari argumento, cum tanta, quanta dici non potest, dignitate, splendore, grandiloquentia, explicato hauriemus? Hoc igitur agamus, quemadmodum in sacris dici solutum est.

EXPLANATIONES.



Lle ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen: & egressus syluis, vicina coegi,
Vt quamuis auido parerent arua colono,
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis
Arma, virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; venit

Littora:

Littora: MVLTVM ILLE ET TERRIS IACTATVS ET ALTO
Vi superûm, sæuæ memorem Iunonis ob iram,
Multa quoq; & bello passus, dum conderet vrbem,
Inferretq; deos Latio: genus vnde Latinum,
Albaniq; patres, atq; altæ mœnia Romæ.

ILLE EGO) Cùm concursus fuerit in primo pede, ea è re numerus ipse fit solidior, cum quadam etiam iucunditate: præsertim vbi eædem concurrunt vocales, vt hic. Et, *Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu.* Et, *Illi indignantes, magno cum murmure montis.* At cùm diuersæ vocales hiant, numerus solidescit ipse quidem, non eadem tamen cum voluptate audientium, vt, *Credo equidem, nec vana fides.* Et, *Cuncta equidem tibi rex.* Solidiorem autem, stabilioremque numerum inde fieri manifestò apparebit, si dixeris, *Cuncta quidem tibi rex.* Qua è re numerus statim languescet. Iouian. Actio dial.

Est autem Orpheum imitatus Maro, qui Argonautico in principio compendiosa enumeratione opera sua est complexus, & professus: breui enim anacephalæosi sua quoque distinxit, & comprehendit, ne aut plagiarij, à quibus olim vexatus fuerat, sacrilegio versus diuinos sublegerent, sibique adscriberent, aut eos falsarij adulterare auderent. Tucca tamen, post Virgilij mortem, nullo discrimine principium hoc recidere est aggressus, quod ab vtrisque nihil metuendum esse videret, iam temporibus Augusti integro poemate, & opere Maronis sub germano auctoris nomine euulgato, & recognito. German.

Veritus, inquit Scalig. Poet. lib. 5. cap. 17. plagiariorum temeritatem, tum in extremo 4. Georg. nomen posuit suum, tum hic prudenter innuit. Quæ qui abstulêre, suam faciunt Æneidem, non Maronis. Et erat apud priscos in more positum, vt non titulis solùm adscriberent nomen, sed operis statim principiis apponerent. Sic omnes Arabes, & Chaldæi, ac prophetæ veteres. Visio Azahelis. Iudicium Abdiæ. Dixit Auenzabri. Sermo filij Zacuth. Proponens Barthecuas. Sic Herodotus, sic Thucydides. Idem Poet. lib. 1. cap. 56. Sunt & in generibus poematum procemia, vt in Musicis ἀναβολαί. In quibus plurimus fuit Claudianus, separato carmine à iusto poemate. Diuinus autem poeta vnum corpus fecit. Illa enim fuerant procemium, *Ille ego qui quondam, &c.* vt pessima temeritate prætulerint arbitrium suum ij, qui exemerunt ea de iudicio tanti viri. Tales sunt operum conclusiones, quas Epilogos Græci nominant, vt apud Horatium, *Exegi monumentum ære perennius.* Et Ouid. *Iamq; opus exegi,* quæ sunt à iusto opere separatę. At non separauit idem Virgilius à Georgicis, *Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope.* Lege etiam Viperanum, Poetices lib. 2. cap. 5.

Prudenter animaduersum à Sebast. Corrado, quemadmodum res ipsæ ita sibi successerunt, vt se contingere videantur, pastoritia, rustica, ciuilis: ita Virgilium opera sua, quibus hanc triplicem varietatem explicaret, quasi colligare voluisse. Cum Bucolicis enim Georgica his verbis coniunxit, *Hinc canere incipiam:* perinde ac si dixisset, absolutis Bucolicis, Georgica scribam. Georgica verò sic finiuit.

Carmina qui lusi pastorum, audaxq; iuuenta
Tityre, te, patulæ cecini sub tegmine fagi.

At verò Æneida cum vtrisq; hoc modo, *Ille ego qui quõdam,* &c.

Certissimum est Virgilium singulis poematis suis singulos dicendi characteres, seu figuras aptasse, humilem A Bucolicis, mediam Georgicis, grauem Æneidi: id quod rerum personarumque qualitas exigebat. Quod non solùm ex ipsorum poematum lectione, sed etiam ex hisce quatuor versibus primis satis superque perspici potest. Quorum quidem versuum naturam, formam, stylum, rationem, si quis æqua lance perpendat, poetam in illis prope clamare animaduertet, opus Georgicorum Bucolico, & Æneidis tantum præstare Georgico, quantum secundus versus distat à primo, & quartus differt à secundo. nam quid hoc versu gracilius, humiliusque dici, aut excogitari potest? *Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena Carmen.* Hoc nos admonet, stylo tenui opus Bucolicorum esse compositum. Sed obserua, vt B sensim, & gradatim verbis insurgat,

——— & egressus syluis vicina coegi,
Vt quamuis auido parerent arua colono:
Gratum opus agricolis.

Hæc omnino altiora sunt primis: vt intelligas opus Georgicorum altiori, quàm carmen Bucolicum, stylo fuisse perscriptum. At hoc extremum Æneidos opus quantùm rerum pondere, & grauitate reliquis excellere debere cognouit, tantùm hos nouissimos versus prioribus sublimiores esse curauit: subdit enim, *at nunc horrentia Martis Arma, virumq; cano.* An hæc cum superioribus, aut illa cum istis sunt conferenda? Quæ cum verborum C sonitu rei magnitudinem indicant, tum rerum quasi tumultu, apta quadam cum orationis acrimonia vsque adeo resonant, vt cuiusque auidas aures, atque immensum aliquid, infinitumque desiderantes implere possint. Ab his igitur versibus vario stylo compositis, inchoatam fuisse a Virgilio Æneidem nemo vel mediocriter eruditus ignorat. Nascimbænus Commentat.

* *Hausit hoc à Corrado Nascimb. qui asseuerat, ita esse composita hæc carmina quatuor prima, vt verbis ipsis, ac dicendi figuris res tripartito opere explicatas referant, pastoritiam simplicitatem, rusticam sedulitatem, ciuilem dignitatem, & tres characteres, attenuatum, mediocrem, grandem, paucissimis verbis esse repetitos. Plura ibidem de horum versuum artificio.*

QVONDAM) Iuuenis, annum agens octauum supra vicesimum, vt putat Corrad.

D GRACILI AVENA) Genus dicendi insinuat. Syluestrem musam, & agrestem vocat in Bucolicis. Vocat item tenuem auenam, leues calamos. Nemesian. gracilem arundinem. Tibull. arentem auenam. *Et satur arenti primùm est modulatus auena.*

CARMEN) Vide Eclog. 5. super illo, *Tale tuum carmen nobis, diuine poeta.* Carmina Varro lib. 6. de ling. lat. vult dicta à Carmena, pro quo antiqui Casmena: in pluribus enim literam, s, pro r, vsurpabant, dicebantq; Cusiatij, pro Curiatij, plusima, fœdesum: pro plurima, fœderum, &c. Carmen vocatur, auctore Isidoro libr. 1. quidquid pedibus continetur: cui datum nomen existimant, seu quod carptim pronunciaretur: vnde hodie lanam, E quàm purgantes discerpunt, carminare dicimus; seu quòd, qui illa canerent, carere mente existimabantur.

ET EGRESSVS SYLVIS) Vt si diceret, & perfectis Bucolicis, seu pastoritiis illis carminibus, in quibus multa syluarum mentio, quoniam pastores plurimùm

mùm in syluis versantur. Potest autem coniungi *syluis* cum *egressus*, & cum *vicina*. Corrad.

Vt qvamvis avido) Id est, admodum, seu quantumuis, aut quantumcunque auido. Catull. in Asinium. *Quamuis sordida res, & inuenusta est.* Plaut. Mænech. *Quamuis ridiculus est, vbi vxor non adest*, id est, nihil eo magis ridiculum ne optari quidem potest. Lucret. libr. 2. *quia quamuis effera proles Officiis debet molliri victa parentum*: Ex Muret. in Catull. * *Adde his. Varro de re rust. libr. 2. cap. 5. At Quintus Lucienus Senator, homo quamuis humanus, ac iocosus. Liuius lib. 1. & posse quamuis languida mergi aqua infantes spem ferentibus dabat. Cic. Rhetorem quamuis eloquentem non pertimesco.*

Parerent arva colono) Efficerent quátum ipse cuperet, & optaret: eius sese imperio audientia quodammodo ostenderent. Georg. 1. *Illa seges demũ votis respondet auari Agricolæ.* Colonus ab agro colendo dictus est: qui nempe aut ipse suum sibi colit: aut pacta mercede, propositaue parte fructuum, à domino colendum conducit. Cic. pro Cæcina. Qui colonus habuit conductum de Cæsennia fundum. Aliquando coloni qui ex vna vrbe ad aliam condendam, habitandamq; deducuntur, quiq; non suis, sed metropolis suæ legibus plerumque viuunt. Sic infrà. *Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni.* Sic contra Rullum. In omnes colonias totius Italiæ colonos deducant. Est itaque tribus primis versibus, & dimidiato quarto hæc subiecta sentẽtia. Qui primùm omnium carmen pastorale modulatus sum: deinde quasi egressus syluis, vbi pecora pascuntur, ad rem rusticam tanquã vicinam (arua enim vicina syluis) tractandam me contuli: docuique ea ratione agrestes fundos suos colere, ita illos exercere, illisque imperare, vt eorum votis ac desideriis vbertate frugum efferenda satis facere cogerentur. Quo quid acceptius agricolis præstare, quæso, potuissem? ✠

At nvnc horrentia) Particula, at, nescio quàm differentiam, & nescio quid contrarium significat: vt, *Conticuit tandem, factoq; hic fine quieuit*, *At regina graui*, &c. Nam quiescere, & curis angi, sunt contraria: sic isto loco sublimia humilibus contraria sunt. Corrad.

Arma virvmqve cano) in hac longiuscula propositione, quemadmodum lectorem poeta docilem, attentum, ac beneuolum faciat, demonstrat Corrad. Quomodo quidam minus consideratè hæc duo verba ad 12. libros Æneidos, in duos senarios distributos ὕστερον πρότερον accommodent, idq;, vt putant, de Maronis ipsius mente, diximus in Prodidagmatis cap. 3. Citat hanc propositionem Vegetius libr. 2. cap. 1. Res militaris, inquit, sicuti Latinorũ egregius auctor carminis sui testatur exordio, armis constat, & viris. Per eandem, per duo, inquam, hæc prima verba *Arma virumq;*, complures totam Æneidem significarunt. Martial. lib. 8.

Protinus Italiam concepit, & arma virumq;,
Qui modò vix culicem fleuerat ore rudi.

Idem libr. 14.

Accipe facundi Culicem studiose Maronis:
Ne, nugis positis, arma virumq; legas.

Ouid. 3. Trist.

Et tamen ille tuæ felix Aeneidos auctor,
Contulit in Tyrios arma virumq; toros

Persius quoq; Sat. 1. dum negat Æneidem esse turgidam. *Arma virum nonne hoc spumosum, & cortice pingui?* Vide Prodidag. cap. 8. Sic Cic. ad Atticum lib. 16. epist. 11. ex primis verbis libellum suum de Senectute indicauit, hoc modo. O Tite tibi prodesse lætor. Id est, te, ô Attice, ex libro meo de Senectute commodum capere,

A vtilitatemque gaudeo. Rursum eundem librum ab ipso initio indicat idem Cic. libri eiusd. epist. 3. Quod verò scribis, te magis delectari, O Tite, si qvid ego, si quid agis, addis mihi scribendi alacritatem. Sic idem Cic. Ennij Medeam notat lib. 1. de finibus, quum ait. At, Vtinam ne in memore nihilominùs legimus, quam hoc idem græcum. Hoc enim principium fuisse isti tragœdiæ, manifestũ ex Euripidis Medea, quàm conuertit Ennius. His adde, quod ipsemet Virgilius, Ecloga 5. in extrema illis verbis, *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin*, Eclog. secundam: & illis, *cuium pecus? an Melibœi?* tertiam indicauit. Notat Horat. Tigellium Sat. 3. lib. 1. qui ab ouo vsque ad mala, id est, à prima mensa ad secundam citaret Io Bacche. Verisimile est fuisse B carmen quoddam in laudem Bacchi, hoc principio, *Io Bacche.*

Grammaticorum est munus poetas exponere. Ex his igitur verbis Virgilianis perlepidè occasionem sumit Ausonius, irridendi cuiusdam Grammatici, cui erat rixosa, & querula vxor. Inducit autem ipsum loquentem.

Arma virumq; docens, atq; arma virumq; peritus
Non duxi vxorem, sed magis arma domum.
Namq; dies totos, totasq; ex ordine noctes
Litibus oppugnat meq;, meumq; larem.
Atq; vt perpetuis domita à Marte duellis,
Arma in me tollis, nec datur vlla quies.
C *Iamq; repugnanti dedam me, vt deniq; victum*
Surget ob hoc solum, iurgia quod fugiam.

Quanquam è Græco potius interpretatus est, Palladæ, inquam, cuius est illud libr. 1. Anthol. titulo εἰς γραμματικούς. Μῆνιν τ' οὐλομένην, γαμετὴν, &c. Quomodo autem idem Palladas ex initio 2. Iliados iocandi materiam petat, videbis eodem titulo. Præterea quomodo hæc & sequentia ad perspicuam intelligentiam distinctè legenda sint, docet Quintil. lib. 11. cap. 3. ✠

Troiæ. q. primvs ab oris) Fœdo, & ridiculo in errore sunt, qui Virgilium existimant nomen Æneæ consultò hoc initio tacuisse: quia turpe censeret laudare proditorem patriæ. Quid ergo? de eius laudi- D bus tot libros facere, cum toto opere cum tantis præconiis nominare honestum fuit? *Æneis vtiq;* ab Ænea deflectitur: qui nisi vir pius, ac probus ante fuisset habitus à Romanis, & Græcis, potuisset ipse operis index lectorem statim offendere. Hoc itaque statuendum, ornatius, iucundius, & copiosius, cum attentione lectorum rem cum circumscriptione exprimi, quam si apertè ac nudè nominaretur. Achillis nomen primo versu Iliad. Homerus collocauit, quod ipsum vocabulum Ilias non declarabat. At in Odyssea circutione vsus est, à quo didicit noster, quod in Ænea suo fecit. Hæc carptim ex Gulelmi Modicij libello, cap. 14. in quo libello Virgilius à calumniis vindicatur.

E Quo pacto primus in Italiam à Troia venit Æneas, cum ex ipso Virgilio constet hoc ipso libro, ante eum venisse Antenorem, Patauiumq; in Venetia condidisse? *Antenor potuit mediis elapsus Achiuis*, &c. [*Nec post illum quisquam secundus, aut tertius venit, vt eorum respectu primus diceretur.*] Soluitur. Suo more, primus, pro princeps, aut primarius dixit, vt lib. 8. *Primus ab æthereo venit Saturnus olympo*, cùm tamen eo prior Ianus in Italiam venerit. Sic 2. Æneid. enumeratis ducibus, qui ex equo illo ligneo descenderant, Tisandro, Sthenelo, Vlysse, Athamante, Thoante, Neoptolemo, post infert, *primusq; Machaon.* Quomodo potest primus dici post tot, qui supra dicti sunt? Verùm intelligimus primum pro principe: vel quia is illis temporibus circa peritiam medicæ artis præcipuus

cipuus fuisse traditur. Aurelius Victor. de orig. gent. Rom.

Corradus & de Antenore obiicit, & de Euandro, qui etiam fato venit in Italiam. Respondet, simul omnia sumenda esse, vt effugiamus calumniam, & poetam defendamus: nempe, *Troiæ qui primus ab oris Italiam fato profugus Lauinaq́ venit littora.* Neminem enim præter Æneam inuenies, cui hæc omnia simul conueniant. Antenor venit ab oris Troiæ, & venit in Italiam: sed non primus ab oris Troiæ: nam Dares Phrygius, & Dio ante Antenorem, Troia profectum Æneam testantur, etsi prius in Italiam peruenit, quàm Æneas. Non venit etiam fato, nec ad Lauina littora. Euander fato fuit profugus, & venit fato in Italiam, & ad Lauina littora, sed non ab oris Troiæ.

Oræ, extremæ partes terrarum, id est, maritimæ dicuntur. Vnde & vestimentorum extremæ partes: quæ quidem & primæ dici possunt. Cæcilius in Æschrione visus est pro initio rei, cùm ait: *Oram reperire nullam, quam expediam, queo.*

ITALIAM FATO PROFVGVS) Timæus in historiis, quas oratione græca de rebus pop. Rom. conscripsit, & M. Varro de antiquitatibus rerum humanarum, terram Italiam de græco vocabulo appellatam scripserunt: quoniam boues græcè veteri lingua ἰταλοὶ vocati sunt, quorum in Italia magna copia fuerit, buceraque in ea terra gigni, pascique solita sint compluria. Gellius lib. 11. cap. 1. Verba Varronis lib. 2. de re rustica, cap. 5. sunt. Nam bos in pecuaria, maxima debet esse auctoritate, præsertim in Italia, quæ à bubus nomen sit habere existimata. Græcia item antiqua (vt scribit Timæus) tauros vocabat ἰταλοὺς, à quorum multitudine, & fœtu vitulorum Italiam dixerunt. Alij scripserunt, quòd è Sicilia Hercules persecutus sit eò nobilem taurum, qui diceretur Italus.

Copiosè, ac diligenter de variis Italiæ nominibus, eorumque caussis Adrianus Iunius lib. 1. cap. 22. in hunc modum. Eam regionem primò Agressam fuisse nominatam, aut secundum alios Margessam, à Margetum gente (quos Halicarnasseus per quartam vocalem Morgetas appellat) ex Antiocho Syracusano constat: deinde à Iano Ianiculam, quod in Originibus scripsit Cato: rursus à Saturno, cui sacrata fuit, Saturniam, teste Halicarnasseo, & Trogo: postea Ausoniam, ab Ausone Vlyssis, & Circes filio, vti Zezes, aut vt alij, ab Ausone Itali, & Leutariæ filio: Stephanus ab Ausone, genito ex Atlante. & Calypso: nam Ausoniam propriè dictam fuisse tractum maritimum Auruncorum, inter Campanos, & Volscos, auctor est Dio. At Portius Cato Calabros prius Ausones nuncupatos ait. Iam verò & Hesperia audiit ab Hespero Atlantis fratre, ab ipso in exilium acto, secundum Seruium, & huc appulsum. Quin & Oenotria eadem terra fuit dicta: in quo nomine ingens est pugna: siquidem ab Oenotro Arcade Lycaonis filio, qui primus transfretato sinu Ionio Italiam incoluit, ita appellatam scribit Halicarnasseus: cui fermè consentit Myrsilus Lesbius, & Pausanias, qui in Arcadicis sic ait. Oenotrus filiorum Lycaonis natu minimus, à Nyctimo fratre pecuniis, virisque impetratis, in Italiam traiicit, primus omnium qui è Græcia coloniam nauigio deportauit: immò ne barbarus quidem vllus ante Oenotrum alienam terram inuasisse, ei qui diligenter omnia excusserit, inuenietur. Hæc ille. Antiochus quoque Syracusanus Oenotrium ducem Arcadum in Calabriam appulisse, ibique in ora maritima colonias posuisse commemorat. Sed hæc vt mendacia refellit in Originibus Cato, nomen istud sortitam Italiam dictitans ab Oenotro vetustissimo rege Sabinorum, & Hetruscorum, penes quem imperium erat. Idem ex quorundam opinione Oenotrium cum Iano eundem facit, qui primus Italis vinum, & far ostenderit. Varro Oenotrum Latinorum regem nomen creasse regioni existimat. Seruius à vino optimo nomen sumpsisse Oenotriæ annotat, quod οἶνον Græci vocant, ridicula nominis deriuatione. Postremo Italiæ nomen indidisse Italum quendam Arcadum regulum Thucydides in sexto refert. Hyginus Italum ducem ex Penelope, & Telegono natum comminiscitur. Halicarnasseus Italum Siculorum regem, qui primus agricolationis opera in Italiam inuexerit, regionem à se transnominasse scribit. Timæus fabulatur dici ab Italo boue, vno ex armento Geryonis, qui abactus ab Hercule, Siculi freti angustias tranauerat, Tyrrhena lingua Italum taurum nominante. Hellanicus verò, quoniam opimos boues gignat ea regio, eiusdem vocabuli occasione nuncupatam voluit. Recenset etiam in Originibus Cato, Italum Hesperi fratrem, vnde gemina Italiæ nomina creuerint.

Quomodo fato profugus in Italiam venerit Æneas, id est, fatis ducentibus, vt ait de eodem Liuius, ita intelligendum est, ex ipso Virgilio. Apud Troiam Cassandra Anchisæ vaticinata fuerat, visurum aliquando Italiam: credibile est, addidisse, cum filio. De hoc oraculo habes lib. 3. Prædicit eidem Æneæ aduentum in Italiam Creusæ ἀποθεωθεῖσα imago. Lib. 2. Et lib. 3. antiquam exquirere matrem iubetur, quod illi responsum in somnis penates de Italia interpretantur. Etiam à Grynæo Apolline iussum se Italiam petere in quarto Didoni affirmat, vbi idipsum intelligit, quod lib. 3. habetur. Adhuc eodem libro Iupiter idem testatur, fatale scilicet esse ipsi Italiam petere, *fatisq́ datas non respicit vrbes.* Hinc postmodum Æneas.

Me puer Ascanius, capitisq́ iniuria chari,
Quem regno Hesperiæ fraudo, & fatalibus arvis.

De eadem re Ilioneus lib. 7. *Sed nos fata deûm vestras exquirere terras Imperiis egere suis.* Et apud Euandrum Æneas lib. 8. *Sed mea me virtus, & sancta oracula diuûm,* &c.

LAVINAQ. VEN. LIT.) In agrum Laurentem venisse primùm AEneam, scriptum est à Liuio: quomodo igitur ad Lauina littora? aut quæ tandem sunt ista Lauina littora? Vt agamus breuiter, & dilucidè, Aeneas ducta in matrimonium Lauinia Latini regis filia, oppidum condidit, quod ab ea Lauinium appellauit. Poeta κατὰ πρόληψιν nunc agrum Laurentem, ab oppido Laurentum sic nominatum, appellat à vicino Lauina littora, quæ postea habitarunt, qui ab vrbe Lauinio dicti sunt Lauinij, quos inter Latij populos Plinius numerat. Laurentum porrò habuisse alia duo nomina, Lauinum à fratre Latini Lauino, & Lauinium ab ipsa regis Latini filia, Seruianum commentum habetur.

MVLTVM IL. E. T. IACT. ET ALTO) *Ille* elegantissimè redundat, vt in 12. *Saucius ille graui venantum vulnere pectus Tum demum mouet arma leo.* Et in eodem.

Qualis vbi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoq́ potitus aperto,
Aut ille in saltus armentaq́ fugit equarum, &c.

Iterum. *Cen Sirius ardor: Ille sitim, morbosq́ ferens mortalibus ægris.* Turneb. lib. 18. cap. 32. Vacat fortasse, quod ad verborum ordinem & constructionem pertineat: quod *primus*, vt Seruius ait, ad omnia referatur, cæterà non vacat, sed ἔμφασιν, & ἀγανάκτησιν habet, vir ille tantus & tam pius iactatus est. Versum quoque numerosum reddit, &c. Conrad.

Plenus,

Plenus hic quidem versus, canorus, grauis, numerosus, quæ laus tota existit de collisione vocalium statim repercussa, atque ingeminata. Quod si dictionem eam subtrahas, quæ est, *ille*, ac dicas, *Multumq́ & terris iactatus, & alto*, mirum est, quantum de versus ipsius dignitate, grauitate, magnitudine detrahatur. Quod quidem ipsum fit etiam ob accentus vnius detractionem. Etenim pars ea, quæ est, *multumq́*, vnum tantum secum adducit accentum, eumque subinclinatum: at, *multum ille*, duos, quos vtiq; collisio ipsa & coniungit simul ambos, & eos efficit tum pleniores, tum etiam magis sonoros. Iouian. Actio.

Bene Donatus, hic aliam diuisionem esse bipartitam, qua poeta profiteatur se scripturum, quæ Æneas terra, quæq; mari passus sit, separatim. Nam quod Corradus tertium membrum adiicit, quæ passus sit terra & mari simul, idq; vult illis verbis comprehẽdi *multa quoq; & bello passus*, quia cum Turno terra marique bellum gesserit, hoc minimè probatur. Etenim quod bellũ mari gesserit Æneas, tota Æneide non inuenies, bellum aliquod eius nauale scilicet. Iam bella in terris gesta ad illud genus incommodorum referuntur, quod complexus est illis *terris iactatus*. Cur igitur separatim ait, *multa quoq; & bello passus?* Cur? vt tanto miseriorem Æneam ostenderet, & ei plus beneuolentiæ conciliaret. Iactari autem etsi sæpius coniungatur cum mari, fluctibus, tempestatibus, tamen ipse Maro hoc libro dixit, *quibus orbis in oris Iactemur doceas:* Mare vocant altum poetæ, quia profundum, & profundum cælum vicissim infra dicet Maro noster. Forte etiam, quod altius sit terra vt Corrad. putat. ✠

VI SVPERVM) Deorum superûm (immò etiam inferûm propter Furiam in 7.) violentia & machinationibus, quos Iuno Troianis irata ad nocendum illis sua auctoritate induxit. Qua de re Corrad.

SÆVÆ MEMOREM IVNONIS OB IRAM) Quod Virgilius iræ Iunonis adiunxit, appellans ipsam *memorem*, negotij multum attulit Grammaticis, rationem eius epitheti reddere conantibus. Absurdum enim primò videtur, sensum datum motioni animi: dictamque iram, quæ citò venit, atque abit, recordari: cùm hoc diuturnius, stabiliusque naturâ sit. Quare Seruius interpres ita locum opinatur accipiendum, vt memorem dixerit: non quæ meminerat, sed quæ in memoria erat. Ego verò puto hìc fecisse poetam, quod multis aliis locis: vt sensum tribueret rei, non modo sensu, sed etiam corpore carenti: ausumque id esse auctoritate Græcorum, quorum vestigia libenter sequitur. Inuenio enim Æschylum eodem pacto in Agamemnone μῆνιν μνάμονα vocasse. Locus est in primo choro eius fabulæ, cùm senes illi, ex quibus constabat, in extrema vaticinatione Calchantis, quam recitarunt, dixere. μίμνει γὰρ φοβερὰ, παλίνορτος, οἰκονόμος, δολία, μνάμων μῆνις τεκνόποινος. Hunc verò grauem tragicum, philosophumque, vt ferunt, Pythagoreum, accuratè legisse Virgilium, multosque ab ipso accepisse locos, notum est: vt non sine caussa existimari possit, hoc etiam inde sumpsisse. Victor. libr. 25. cap. 2.

De ista Æschyli imitatione equidẽ assentior Victorio. Seruij nihilominus explicationem vtrobiq; locum habere, & in illo Græco, & in hoc Latino posse arbitror. Quærere enim similiter licet, cur Græcus vocauerit μῆνιν μνάμονα. Num etiam illum in hoc alium fuisse imitatum dicemus? non ipinor. Donatus in Andria super illo Sosiæ: *nam isthæc cõmemoratio Quasi exprobatio est immemoris beneficij:* sunt, inquit, qui ad beneficium referunt *immemor*, vt, *memorem Iunonis ob iram*, vt sit sensus. Isthæc A commemoratio, quasi est exprobratio immemoris beneficij, id est cuius nemo meminerit. Vidi qui vocem hanc isto loco ἐνεργητικῶς, non παθητικῶς exponendam censeret. Non cuius Iuno meminisset, seu quæ Iunoni in animo & in memoria erat, sed quæ Iunonem memorem faceret. Ira enim dum manet in animo, memores nos facit acceptæ iniuriæ, & ad vlciscendum sollicitat. Hæc explanatio mihi friuola, & inanis videtur: non enim nos ira memores iniuriæ, sed memoria iniuriæ iratos facit. Illud idem scriptor non absurdè, μῆνιν Homeri duabus vocibus exprimere Virgilium voluisse. Etenim μῆνις est Eustathio ἡ ἐπιμένουσα ὀργὴ, ἐκ τοῦ μένειν, permanens ira, à manendo. Quare quam Græcus ille, B Achillis μῆνιν οὐλομένην, pertinacem iram Achillis, perniciosam, eam latinus vates iram memorem, id est, pertinacem, ac permanentem sæuæ Iunonis dixit. Sed iam de hoc isthoc epitheto plus satis. ✠

MVLTA QVOQVE ET BELLO PASSVS) Si dicas, *Multa etiam bello passus*, túmet intelliges, quanta fiat sonoritatis immutatio, & quidam quasi languor, ob soni ipsius exilitatem, quam dictio illa *quoq;*, non solùm exterminat, verùm etiam ipsummet auget, & implet sonum, quem nequaquã etiam implesset, si dixisset, *Multa quidem & bello passus*. Nam paulò antè cùm dixisset, *Multum ille*, in ea, quæ statim sequebatur, copulatione, non erat à numeri plenitudine corruendum. Dixit C igitur, *Multa quoq;*: nam tum, etiam, quidem, sonum faciunt satis exilem: contrà, dictio *quoq;* implet eum. Iouian. Actio dialogo.

DVM CONDERET VRBEM) Quam vrbem poeta hìc intelligit? Illam ne, de qua Liuius lib. 1. his verbis? Inde in Siciliam quætentem sedes delatum (Aeneam puta) ab Sicilia, classe Laurentem agrum tenuisse. Troia & huic loco nomen est. De qua sic est lib. 7. apud nostrum.

——— ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturq́, locum, primasq́, in littore sedes
Castrorum in morem pinnis, atq; aggere cingit.

Nequaquam hanc, sed illam, de qua Drances princeps legationis Latinorum, lib. 11. suorum operam ad eius D ædificationem pollicens.

Quin & fatales murorum attollere moles,
Saxaq́, subuectare humeris Troiana iuuabit.

De qua item ipsemet Aeneas lib. 12. fœdus percussurus.

——— socer arma Latinus habeto,
Imperium sollemne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, vrbiq́, dabit Lauinia nomen.

Hanc inquam, intelligit, cui primum sacra Troiana deosque intulit, quæ diu floruit, parens Albæ ac metropolis, vnde Lauinienses, seu Lauinij: cum oppiduli illius Troiæ nemo meminerit, nisi vt Virgilius ✠

INFERRETQVE DEOS LATIO) Respondet ferè illud Euripidis in Bacch. Τὸν δ' αὖ θέλεις τὸν δαίμον' ἀν- E θρώποισιν εἰσφέρειν νέον. Constat verò ex Valerio lib. 1. cap. 8. penates deos Aeneam Troia aduectos Lauinij collocasse: inde ab Ascanio filio eius Albam, quàm ipse condiderat, tralatos, pristinum sacrarium repetisse. Sic German. Latium modò tanquam speciem ponit, præsertim cum in Latium venerit Aeneas.

GENVS VNDE LATINVM) Vnde, à quo, Aenea scilicet. Sic Terent. Eunucho, *è prædonibus, vnde emerat, se audisse*. Et Hecyra. *caussam dicere prius, vnde petitur aurum*. Ergo ab Aenea. Plaut. Mostellar. *Nam eccum, vnde ædes filius meus emit.* non à Latio, ridiculum enim esset. Quis enim nesciat à Latio esse Latinos? à Germania Germanos? Sed quanam istuc ratione, cum Latini sint appellati, antequàm eò veniret Aeneas? Respondeamus

mus cum Seruio, meritò ab Aenea videri eos habere, quod per eum tanquam victorem poterant amittere, qui vtramq; gentem Troianos potuisset appellare. Sed quò eorum deuinciret animos, vetus nomen reliquit, & vtramque gentem, ne sub eodem solùm iure, sed etiam nomine omnes essent, vt est apud Liuium, Latinos nominauit. Certè Iuno, ne secus fieret, magnopere metuens, lib.10. seriò Iouem precatur, Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos permittat. Huc etiam spectare mihi videntur, quæ legi apud Senecam in Cōsolat. ad Heluiam, cap. 7. Romanum imperium nempe auctorem exulem respicit: quem profugum, capta patria, exiguas reliquias trahentem, necessitas, & victoris metus longinqua quærentem in Italiam detulit. Hic deinde populus quot colonias in omnes prouincias misit? vbicunque vicit Romanus, habitat. ✤

ALBANIQ. PAT. ATQVE ALTÆ MOEN. ROMÆ) Qui hinc putant, Maronem statuisse carmen suū per reges Albanos vsque ad Romulum deducere, perinde sunt inepti, vt si quis, cùm audiret me dicentem: ego Romam visum proficiscar, vnde tot per orbem, & tam præclaræ coloniæ deductæ, putaret me etiam illas colonias obiturum. Reges Albanorum hoc ordine recenset Liuius. Ascanius, Syluius, Latinus Syluius, Alba, Atys, Capys, Capetus, Tiberinus, Agrippa, Romulus Syluius, Auentinus, Proca, Amulius. Quod si quis Ouidij, Dionysij, Eusebij catalogos cum hoc Liuiano contulerit, non mediocre discrimen omnium inter se in appellationibus inueniet. ✤

Sallust. proœmio Catilin. Vrbem Romanam, sicuti ego accepi, condidere, atque habuere initiò Troiani, qui Ænea duce profugi, sedibus incertis vagabantur, cumq; his Aborigines, genus hominum agreste, &c. Sed reges potissimùm intelligit, qui per Romulum, & Remum quasi patres Romanorum fuerunt. Liuius bellum inter Roman. & Albanos tractans, ait sibi illud bello ciuili simillimū videri, quòd esset prope inter parentes natosq; Troianam vtramque prolem, cùm Lauinium ab Troia, ab Lauinio Alba, ab Albanorum stirpe regum oriundi Romani essent. Corrad.

ALTÆ ROMÆ) Vel propter gloriam, vel propter ædificia, vel quia in collibus sita. Seruius.

Musa, mihi caussas memora, quo numine læso,
Quidúe dolens regina deûm tot voluere casus
INSIGNEM PIETATE VIRVM, tot adire labores,
Impulerit. tantæne animis cælestibus iræ?
Vrbs antiqua fuit (Tyrij tenuere coloni)
Carthago: Italiam contra, Tiberinaq; longè
Ostia, diues opum, studiisq; asperrima belli.
Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Posthabita coluisse Samo: hîc illius arma,
Hîc currus fuit: hoc regnum dea gentibus esse,
(Si quà fata sinant) iam tum tenditq;, fouetq;.
Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum latè regem, belloq; superbum
Venturum excidio Libyæ. sic voluere Parcas.
Id metuens, veterisq; memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis.
Necdum etiam caussæ irarum, sæuiq; dolores
Exciderant animo: MANET ALTA MENTE REPOSTVM
Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ,
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.
His accensa super, iactatos æquore toto
Troas relliquias Danaûm, atq; immitis Achilli,
Arcebat longè Latio, multosq; per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
TANTÆ MOLIS ERAT Romanam condere gentem.

MVSA MIHI CAVSSAS MEMORA) Inuocare poetis propriū, & ab historicis alienum esse testatur manifestè T. Liuius præfat. in hæc verba scribens. Cùm bonis potius ominibus, votisq; ac precationibus deorum, dearumq;, si, vt poetis, nobis quoq; mos esset, libentius inciperemus, vt orsis tāti operis prosperos successus darent. Quare Valer. Max. iure notatus est, qui Tiberium Cæsarem tanquam deum inuocare ab initio libri sui nō est veritus. De poetarum inuocatione multa eruditè hîc Corrad. quæ, cùm voles, ipsemet legere poteris. ✤

QVO NVM. LÆSO) Veteres suorum incommodorum causas diis attribuebant, quos sibi infestos, & suo aliquo merito, & noxa læsos opinabātur: ex qua opinione hoc dixit poeta. Simile est illud Tibulli lib. 1. eleg. 2.

Num feror incestus sedes adiisse deorum? Papinius 5. Sylu. *quæ vestra sorores Orgia Pieria, quas incestauimus aras?* Et mox. *Nunquid inaccesso posui vestigia luco? Num vetito de fonte bibi?* Turneb. lib. 18. cap. 32.

Quo, id est, qua in re, aut quo eius (Iunonis scilicet) numine læso: plura enim sunt eiusdem numina, siue potestates. Consule Gyraldum Syntagm. 3. Cæterùm hac inuocatione, & istis quæstionibus latenter, atque aliud agens Æneam tuetur: Iunonem autem in magnum adducit odium, quæ persecuta sit innocentem, ab eo nihil læsa: hoc primùm. Deinde tot incommodis, tamq; grauibus. Postremò cùm esset dea, & cælestis: deos autem illos omni turbido motu, nedum tanta sæuitia, & iniquitate, vacare deceat.

QVIDVE DOLENS REGINA DEVM) Apud Homerum præcipua numina factionibus dissident: altera pars Troianos fouet, altera oppugnat: odij tamen, & amoris caussæ non exponuntur, quæ à Virgilio omissæ non sunt: sed eas per *συναθροισμῷ* in vnum colligit. Omnino enim Virgilius (vt carminis maiestas accresceret) numinum studia humanis rebus interesse voluit. Homerus, qui ea in re immodestior est, dum deorum pugnas, vulnera, & monomachias describit, furere à sui temporis hominibus dictus est. Virgilius eam calumniam reformidans, potius studia, affectusq; numinum, quàm pugnas descripsit. Præter enim Iuturnā, & Opim, nulli omnino dij operam vllam *συμμαχικὴν* in bello gerēdo aduersus homines edunt. Iunonem autem iratā Troianis, vt apud Homerum inuenerat, reseruauit. Neptunum publicè quidem hostē Troianorum, priuatim verò Æneæ fauentem, ex hoste Troianis amicum refinxit. In huius locū successit Æolus: ambo tamen numina à bello abstinent: in tempestatibus suas vires exerunt. Mars apud Homerum *ἀλλοπρόσαλλος*: sed frequentior tamen in partibus Troianorum, apud Virgilium nusquam apparet. Vulcanus in Homeri poemate Græcis addictus est, in Virgilij, Troianis. Credo quòd tum zelotypiam deposuerat. Homericus Iupiter, & Virgilianus planè idem, in neutram partem propensus. Palladem Virgilius nusquam, nec iratam, nec amicam adhibuit. In caussa est, quòd eam infensam Troianis describere noluit, fauentem non potuit, ne nimirū ab Homerico archetypo dissentiret. Apollinis & Dianæ exigua mentio, atque ita, vt priuatis videantur fauere, publicè in hanc vel illam gentem affectus non habeant. Xanthus topicus deus, qui sedes habet in Phrygia, rebus Italicis adesse nō potuit. Huius vicem implet Tiberinus: sed armis feriatur, idq; necessariò: non enim debebat aduenis Troianis contra Italos indigenas studere, nec rursus sustinere partes Italorū ne ex diametro cum persona Xanthi dissideret, Troianis addictissimi. Nūc autem dicam latentem rationem, cur Homerus Neptunum, Palladem, Iunonem, Vulcanum, Græcorum partes tueri dicat. Rursus à Troianis Apollo, Diana, Venus, Mars, Xanthus, consistere videantur. Græci semper rebus maritimis excelluerunt, atq; ex eo studio ipsi Neptunum videntur habere propitium. Pallas lanificium, armorumq; peritiam tenet: his quoq; dotibus Græci eximij fuerūt. Iuno pronuba est, & matrimonij sanctitatem inuiolatam cupit. At ideo Græcos amat, vt coniugij sanctiores cultores. Troiani contrà, vt barbari, impetu potius, quàm arte in bella vadunt. Ergo in eorum factione Mars annumeratur. Ijdem libidinosi, & matrimonij violatores. Habent igitur tutelarem Venerem. Arte quoque sagittarum præstabiles sunt: adduntur iis dij iaculatores, Apollo, & Diana. Et Apollo, qui in monomachiis nunc Æneam, nunc Hectorem à periculo exemit, inducta nube, nihil aliud denotat, quàm

A nube sagittarum victores hostes deterritos esse, ne in victos vlterius grassarentur. Non potuit igitur Virgilius Palladem assignare Italis, qui illi respectu Troianorum barbari erant: nec eandem assignare Troianis, ne Homericæ œconomiæ repugnaret: nec rursum Martem Troianis, quia ille potius per ea tempora moribus Italorum, quàm Troianorum congruebat, si vtramq; gentem de humanitate in comparationem mitteret. Ita factum est, vt Virgilius vel consilio, vel necessitate abstinuerit à monomachiis deorum. Nannius libro 6. cap. 12.

Miratur sapiens poeta, quid ita vir religiosissimus atq; integerrimus, tot casibus tam grauiter afflictus fuerit, cùm contra eum diis potius magnæ curæ, & in primis acceptum esse oportuisset. Vnam caussam profert, iram, & odium Iunonis. Veruntamen è caussis huius odij Æneam, si perpendas, nulla attingit. Ergo in summa innocentia, velut nocentissimus tam infanda pertulit. Sed ita deo placitum, vt mala bonis accidant: cuius rei caussas XI. ex D. Chrysostomo affert Muretus Orat. 4. volum. 2.

TOT VOLVERE CASVS) Hypallagen esse volunt pleriq; omnes interpretes. Doctus quidam vir censet hoc genus loquendi absq; hypallage quandam *κατατρέπειν*, & tali poeta dignam audaciam habere: quin etiam allusionem ad illud, quod ab ipso quoq; Terentio prouerbiale dicitur, *hoc saxum voluo*. Huius autem prouerbij non parua debet esse auctoritas, cùm ab ipso vsq; Sisypho eius origo repetatur, qui apud inferos saxum ingens voluit, vt apud Lucretium legimus. Considera Corradi explanationem, amabo te. Tot voluere casus, in tot calamitates, & casus incidere, quos tamen ille adeò sapienter ac fortiter tulit, vt eos voluisse videatur, quæ summa sit laus hominis, quum facit, quod in 5. Æneid. Nautes monet.

Nate dea, quò fata trahunt, retrahuntq;, sequamur:
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Et sic Æneas fecit, non vt regeretur à casibus, sed vt regeret ipse casus, quod in exordio Iugurth. Sallust. faciendum docet. Si dicas esse *ὑπαλλαγὴν*, Æneas tantopere non commendatur.

INSIGNEM PIETATE VIRVM) Eximiam, & multiplicem Æneæ pietatem in deos atque homines, prolatis in medium è Virgilio locis, pulcherrimè ostendit Scaliger Poet. lib. 3. cap. 12. Vide infrà, *Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste penates, &c.* Pluribus cùm sententiis, tum exemplis è diuina scriptura petitis ostendi hoc ipsum potest, insignes pietate viros semper varios casus voluisse, & oportere voluere, vt placeant deo, qui quos amat, arguit, & castigat.

TOT ADIRE LABORES IMPVL.) Virgilius sollertissimarum aurium sollertissimus subblanditor, si obire dixisset, in asperitatem quasi quandam, & confragosum incidisset sonum, coniungens statim, tot, & ob, cùm alibi quòd extollenda vox esset, dixerit, *Et lituo pugnas insignis obibat, & hasta*. Tenuitas enim antecedētis syllabæ suffragio egere subsequentis videbatur. Iouian. Actio.

TANT. ANIM. CÆLEST. IRÆ?) Poeta ex persona sua plenus admiratione exclamat. Iusta autem est hæc exclamatio. Aut enim nunquam irasci deos immortales oportet, neq; motu hoc turbido animos eorū vexari: aut facilè, si fortè alicui irascantur, placari. Euripides etiam in tragœdia, quam Bacchas vocauit, nullo modo hoc cōuenire deorum naturæ, induxit Cadmum dicētem, cùm se purgaret Libero patri, vehementerq; sibi iratū illum placare studeret: ait enim Cadmus. *ὀργὰς πρέπει θεοὺς οὐχ ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς*. Victor. lib. 25. cap. 2.

Non aliena huius loci arbitror illa quoque apud Arnobium contra gentes lib.1. Et tamen ô magni cultores atque Antistites numinum, cur irasci populis Christianis augustissimos illos asseueratis deos? Ita nõ aduertitis, non videtis, affectus quàm turpes, quàm indecoras numinibus tribuatis insanias? Quid est enim aliud irasci, quàm insanire, quàm furere, quàm in vltionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione bacchari? Hoc ergo dij magni norunt, perpetiuntur, & sentiunt, quod feræ, quod belluæ, quod mortiferæ continent venenato in dente natrices. Quod leuitatis in homine, quod terreno in animante culpabile est, præstans illa natura, & in perpetuæ virtutis firmitate consistens, scire asseueratur à vobis. Et quid ergo sequitur necessariò, nisi vt ex eorum luminibus scintillæ emicent, flammæ æstuent, anhelum pectus spiritum iaciat, ex ore, ex verbis ardentibus labrorum siccitas inalbescat? Quod si verum est istud, & est exploratum, & cognitum, feruescere deos ira, & huiusmodi motus perturbatione iactari, immortales & perpetui non sunt, nec in diuinitatis alicuius æstimatione ponendi. Vbi enim est vllus, sicut sapientibus videtur, affectus, ibi esse necesse est passionem. Vbi passio sita est, perturbationem consentaneum est consequi. Vbi perturbatio est, ibi dolor, & ægritudo est. Vbi dolor, & ægritudo est, immutationi, & corruptioni iam locus est: quæ duo si vexant, adest vicinus interitus, mors omnia finiens, & cunctis adimens sentientibus vitam. Huc vsque Arnobius. Qui etiam lib.7. eodem vsus argumento, iram à diis remouet. Immò verò ait, cum vniuersi animorum motus diis ignoti sint, consentaneum est credere, nullum affectum magis esse ab his longè, quàm qui feris & belluis proximus, turbat tempestatibus patientes, & ad periculum interitionis inducit. * *Vides igitur quàm rectè intelligentissimus poeta iram, & præsertim tam effrænatam iram à diis immortalibus alienissimam censuerit? Argumenta Stoicorum, quibus deo gratiam inesse contendunt, iram ab eo remouent, prosequitur Lactant. de ira dei cap.5. Iisdem affinia leguntur apud Senecam lib.2. de ira, cap.27.*

VRBS ANTIQVA FVIT) Vnisyllabæ voces & inchoandis, & finiendis versibus varietatem afferunt numerorum, valdeque illos sistunt, si à spondeis foueantur, auspicando præsertim versu. Stabiliunt enim sonorem, qui vnus est in vnius syllabæ voce: quod Virgilius frequentissimè seruauit in principiis narrationum.

Est in conspectu longè locus.
Rex arua Latinus, & vrbes.
Est specus ingens.
Est curuo anfractu vallis.
Vt belli signum.
Sic fatur lacrymans.
At Regina graui.

Non quòd dactylus rectè & commodè ibidem non collocetur, vt,

Tu quoq; littoribus nostris: &
Mos erat Hesperio in Latio: &
Nox erat, & somnus:

verùm aures si consulueris, stabilimentum illud soni ab ipso initio, tanquam à fundamento firmiter iacto, nescio quid amplius plenitudine delectat sua. Iouiã. Actio.

Caussas iam quas supra rogauit Musam, ipsemet, tanquam Musa suppeditante refert: aut etiam ipsa Musa memorat: ambiguè enim posita sunt verba, quomodo factum videbat ab Homero in Odyssea, Iliade. Sunt autem poetæ vt in aliis multis, sic in hoc historicis persimiles, quod vtriq; caussas rei, quam scribendam susceperunt, prius explicant, &c. Corrad.

Vides quemadmodum inter caussas irarum, quæ Iunonem iam pridem coquebant, sollicitabantque, vt reliquias Troianorum, in tot casus quà terris, quà pelago obiiceret, prima recenseatur Carthago: quam cùm haberet adeò in amatis, vt eam vel Samo (qua in insula natam, educatam, & Ioui nuptam fabulantur) anteponeret, & inde vsq; à primordio terrarum principem, gentiumque dominam efficere meditaretur: Troianos & paucos, & calamitosos, quorum è sanguine exorituri erant, qui eam olim omnibus rebus ornatam, & florentẽ euerterent, disperdere prius, quàm Italiæ littora tenerent, summis opibus contendit. Hanc porrò caussam eo modo, & tam scitè dilatauit poeta, vt vrbium nobis laudandarum typum, formamque præscripserit: siquidem à locis septem Carthaginem commendat. Ab antiquitate, à conditoribus, à situ, à diuitiis, seu potentia, à studiis, à fauore numinis, à diuinis, cælestibusque in ea monumentis. Vrbium porrò laudandarum præcepta quædam petere licet etiam à Quintiliano lib. 3. ca. 6. Scalig. Poet. lib.3. ca.106. Isocrates in Panathen. Athenas laudaturus, eiusq; vrbis, seu ciuitatis potius admirabile decus, & præstantiam incredibilẽ ex collatione Lacedæmoniorũ demonstraturus, præceptum quoddã iis omnibus, qui ciuitates laudare aggrediuntur, perstudiosè obseruandũ cõstituit. Ἡγοῦμαι γὰρ χρῆναι τοὺς βουλομένους ἐγκωμιάσαι τινὰ τῶν πόλεων ἀκριβῶς, καὶ δικαίως, μὴ μόνον ποιεῖσθαι περὶ αὐτῆς τοὺς λόγους, ἧς προῃρημένοι τυγχάνουσιν, ἀλλ' ὥσπερ τὴν πορφύραν, καὶ τὸν χρυσὸν θεωροῦμεν, καὶ δοκιμάζομεν ἕτερα παραδεικνύοντες, τῶν καὶ τὴν ὄψιν ὁμοίαν ἐχόντων, καὶ τῆς τιμῆς τῆς αὐτῆς ἀξιουμένων: οὕτω ταῖς πόλεσι παριστάναι, μὴ τὰς μικρὰς ταῖς μεγάλαις, μηδὲ τὰς πάντα τὸν χρόνον ὑφ' ἑτέραις οὔσας, ταῖς πάντα τὸν χρόνον ἄρχειν εἰθισμέναις. μηδὲ τὰς σῴζεσθαι δεομένας ταῖς σῴζειν δυναμέναις: ἀλλὰ τὰς παραπλησίαν καὶ τὴν δύναμιν ἐχούσας, καὶ περὶ τὰς αὐτὰς πράξεις γεγενημένας, καὶ ταῖς ἐξουσίαις ὁμοίαις κεχρημένας. Eorum autem, qui vrbem aliquam accuratè, ac pro merito laudare voluerint, officium esse puto, non ipsius tantùm, de qua dicere instituerunt, facere mentionem: sed, quemadmodum purpuram atque aurum spectamus, & probamus aliorum collatione, quæ & speciem eandem præ se ferunt, & eiusdem esse pretij putantur: sic vrbibus etiam è regione collocandas esse, non paruas magnis, neque aliis perpetuò parere solitas, iis, quæ perpetuò imperare consueuerunt: nec quæ aliorum ope indigent, iis quæ opem ferre possunt: sed eas, quæ & consimili potentia, & iisdem in negotiis versatæ sunt, & parem potestatem habuerunt. Nunc, vnde aliquantum aberrauimus, eò reuertamur. Ad laudationem originis, Carthaginis nempe, refertur, quod Venus in sylua filio factæ obuiam, narrationi suæ interserit.

Mercatiq; solum facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circundare tergo.

Item prodigium, quod, dum fundamenta aperirentur, lætissimum se obtulit.

Lucus in vrbe fuit media, lætissimus vmbra,
Quo primùm iactati vndis & turbine Pœni
Effodêre loco signum: quod regia Iuno
Monstrârat, caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per sæcula gentem.

Vide Strabon. lib. 17. Eustathium in Dionys. de situ orbis. Iustinum lib.18. Vadianum in Pomp. Melæ lib.1. Sallust. in Iugurtha satius putat de ea tacere, quàm pauca dicere. Florus lib.2. cap.15. Quanta vrbs deleta sit, inquit, vt de cæteris taceam, vel ignium mora probari potest. Quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incẽdium extingui. *Vrbs antiqua*, id est, vel nobilis (hæc enim istius vocis interdum est notio apud Maronẽ) vel

antiqua reuera, quæ etiam ante Romam condita, à qua tamen ad Virgilij ætatem plura secula iam fluxerant.

TYRII TEN. COLONI) Colonos, cultores aduenas interpretatur Seruius. Rectè mea sententia: nempe de Tyro venisse constat, qui condiderunt Carthaginem. Ego colonos tamen non simpliciter cultores hic accipiendos censeo: sed respectu coloniæ, quasi in coloniam deductos, vt Græci ἀποίκους. Sed & Cicero colonos in alium locum à metropoli habitandi caussa deductos intelligit, 3. de natur. deor. Quanquam Circen quoque coloni nostri Circeienses religiosè colunt. Et 2. Philipp. adscribere colonos nouos dixit. Germ.

Colonias, teste Seruio in schedis, ita definiebant. Cœtus eorum hominum, qui vniuersi deducti sunt in locum certum, ædificiis munitum, quem certo iure obtinerent. Alij: Colonia est, quæ græcè ἀποικία vocatur, dicta autem est à colendo. Est autem pars ciuium, aut sociorum, missa vbi rempub. habeant ex consensu suæ ciuitatis, aut publico eius populi, vnde profecta est, consilio. Coloniæ igitur, quæ ex consensu publico, non ex secessione sunt conditæ. Poeta noster iure suo dixit audacius, *Tyrij tenuere coloni.* De colonia & colonis exquisitè disserit Budæus Annotat. posterior. in Pandect. pag. 362. * *De origine Carthaginensium Iustinus libr. 18. Festus. Tyria maria, in prouerbium deductum est: quòd Tyro oriundi Pœni adeò potentes mari fuerunt, vt omnibus mortalibus nauigatio esset periculosa. Solinus cap. 40. Vrbem istam, vt Cato in oratione senatoria autumat, cum rex Iarbas rerum in Lybia potiretur, Elisa mulier extruxit, domo Phœnix, & Carthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit, ciuitatem nouam. Mox sermone verso in verbum Punicum, & hæc Elissa, & illa Carthago dicta est. Qua post annos septingentos triginta septem exciditur, quàm fuerat extructa. Deinde à C. Graccho colonis Italicis data, & Iunonia ab eo dicta, aliquantisper ignobilis, humili & languido statu, demum in claritatem secunda Carthaginis interiectis centum & duodecim annis, M. Antonio, & Dolabella COSS. enituit, alterum post vrbem Romam terrarum decus.*

ITALIAM CONTRA, TIBERIN.) Opposita Italiæ, qua parte Tiberis se in mare voluit. Quasi aliud agens, à loco, attributis personæ, forma, studio argumentatur, non fuisse cur Iuno tantoperè Carthagini à Romanis timeret, cùm tam longè abesset Carthago ab Italia, tam diues, tam exercitata bellis, vt magis ipsa alteri bellum facere posset, quàm ab alio illatum non sustinere. Quod totum ad laudem Romanorum pertinet, qui talem ac tantam vrbem postea excidere potuerunt. Corrad.

Quàm longè ab ostio Tiberino absit Carthago, quæritur. Modicius ait, recto cursu, siue recta linea non minus quadringentis millibus passuum. Quod verò Plinius lib. 4. cap. 5. ex Varrone Italiam abesse ab Africa scripsit passuum minus ducentis millibus, de aliqua extrema Italiæ parte, vt de Brutiis, locutus est.

STVDIIS ASPER. BELLI) Tria bella cum Romanis gessit, quæ dicuntur Púnica, & alia cum aliis, ad quæ respicit poeta. Bellicosam fore portendit caput equi, de quo postea.

QVAM IVNO FERTVR) Aristoteles lib. de poetica, quod fieri non posse videtur, apud poetas tribus modis, quorum vnus fama est, defendi dicit. ὅλως δὲ τὸ ἀδύνατον μὲν ἢ πρὸς τὴν ποίησιν, ἢ πρὸς τὸ βέλτιον, ἢ πρὸς τὴν δόξαν δεῖ ἀνάγειν. Hoc est. In summa, quod fieri nequit, vel ad poesin, vel ad meliorem eius modum, siue etiam ad famam referendum est. Quamobrem Virgilius noster, vt & alij poetæ, quæ magna admirabiliaque sunt, & fidem excedere videntur, famæ adscribit, vt hoc loco. Item in 3. *Fama est Enceladi,* &c. Et in 6. *Dædalus, vt fama est.* Et. *Namque ferunt fama Hippolytum:* vt erret Valerius Probus, antiquus, & non indoctus Virgilij expla-

A nator, qui comment. in Eclog. 6. id proprium, & peculiare Virgilio esse affirmat. Mag. lib. 3. cap. 12.

TERRIS MAG. OMN. VNAM POSTHAB. COL. SAMO) Colebat & alias terras, in quibus ipsa colebatur, sed minus quàm Carthaginem: præ qua etiam Samum quodammodo negligebat. Iliad. δ. nullam facit Sami mentionem Iuno, cùm gratas, & addictas sibi ciuitates enumerat. Nominat Argos, Spartam, Mycenas. Solent autem poetæ, quas dij deæúe in tutela vrbes, insulasúe, aut montes habent, diligenter recensere, iisque ipsis subiicere, & in memoriam redigere, vt videre est in hymnis Homeri, & Callimachi. German.

Non est cur quisquam miretur, Samum à Iunone B prętermitti, quanquam sibi charissimam, ob tres caussas suprà explicatas. Res enim ipsa postulabat, vt non nisi de vrbibus Græciæ, quas diligeret, mentionem faceret: Samus insula est, nec in Græcia. Hanc scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi, vt dicebamus, Iuno adoleuerit, Iouiq; nupserit. Itaque nobilissimum, & antiquissimum templum eius est Sami, inquit Lactant. lib. 1. cap. 17. Et simulacrum in habitu nubentis figuratum, & sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrantur. Et Augustin. Ciuit. lib. 6. cap. 2. Sacra sunt Iunonis, & hęc in eius dilecta insula Samo celebrantur, vbi nuptum data est Ioui. Dicta est item Dryusa, & Anthemusa, & Melamphylos, auctore Stephano. Rebus omnibus, prater- C quam vino ditissimam fuisse narrat Strabo lib. 14. ac propterea dictum, ferre gallinarum lac. Celebrantur etiam vasa fictilia de argilla Samia. Plin. lib. 30. cap. 12. Samia etiamnum in esculentis laudantur. Samium lutum ea vasa nominauit Ausonius epigr. 6. *Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.*

HIC IL. ARM. H. CVR. F) Hunc locum imitatus est Ouid. Fast. 6.

Pœniteat, quòd non foui Carthaginis arces:
Cùm mea sint illo currus & arma loco.

Corrad. notat, Iunonem ὁπλοσμίαν dictam. Certè ab Aristotele fit mentio ὧδε ὁπλοσμίν de partib. animal. cap. 10. Currus Iunonij descriptionem, Hebesque au- D rigationem vide Iliad. 2. German. Curitim, ait Festus, Iunonem appellabant, quia eandem ferre hastam putabant. Est autem curis hasta, Sabinorum lingua. Currus hic aut verè currum, quo secundum Homerum in cælo vtitur: aut thēsam significat, qua deorum simulacra portantur. Seruius.

HOC REG. DEA GENT. ESSE) Irridenda est hoc loco Sebast. Corradi subtilitas, qui obiicit, Carthaginensium statum non fuisse regnum, id est, non vsos monarchia, sed repub. quam vocamus politiam. Quasi non & ciuibus ipsis respub. & populis quibus imperarent, regnum dici potuerit. Idem bene animaduertit, latenter valde commendari Romanos, qui Carthaginenses E vincere potuerint, quos dea, & quidem talis dea gentibus imperare voluerit. * *Silius lib. 1. Punicor.*

Hîc Iuno ante Argos (sic credidit alta vetustas)
Ante Agamemnoniam gratissima tecta Mycenen
Optauit profugis æternam condere gentem.

Vide quæ ex Iouiano adducentur in illum versum, Tantæ molis erat, &c.

SI QVA FATA SINANT) Particula, quà, minimè otiosa est, quod putant quidam interpretes (quid enim inane & superuacaneum in Virgilio?) quid ergo? Iunonis molitionem, conatusque declarat, quæ (fatis tamen non aduersantibus) Carthaginem gentium dominam, quo iure, qua iniuria, & quocunque tandem modo constituere studeat. Tertullianus Apologet. cap. 24. ex his verbis contemnendæ Iunonis, & eius imbe-

cillitatis

cillitatis arguendæ anſam captans ait. Vellet Iuno (ſi dea eſſet) Punicam vrbem, poſthabita Samo dilectam, ab Æneadarum vtique genere deleri? quòd ſi *hic illius arma, Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus eſſe*, &c. miſera illa coniux Iouis, & ſoror aduerſus fata non valuit, planè *fato ſtat Iupiter ipſe.* Nec tantum tamen honoris Romani dicauerunt Fatis dedentibus ſibi Carthaginem, aduerſus deſtinatum, votumque Iunonis, quantum proſtitutiſſimæ lupæ Larentiæ. ✱

IAM TVM TENDITQ. FOVETQVE) Iam tum, ab initio, nondum plane prorſus ædificata Carthagine. Probè autem verſum claudit πολυσύνδετον vt, tectumq; laremq;: cælumq;, diemq;.

PROGENIEM SED ENIM) Sunt qui per progeniem Corneliam gentem accipiant, propter vtrumq; Scipioné Africanum videlicet. Nam ſi Romanos accipias, bis idem dicit poeta. Romani euertent Tyrias arces, id eſt, Carthaginem, & Romani venient excidio Libyæ. Quod ſequitur, *hinc populum*, illud, hinc, referendum putant ad, *Troiano a ſanguine*, ex quo tam populus quàm progenies illa deſcendit.

AVDIERAT) Ab Ioue vtique: non enim omnes dij futura cognoſcunt. Hinc illud Iouis poſtea ad Venerem.

Hic (tibi fabor enim, quando hac te cura remordet,
Longius & voluens fatorum arcana mouebo)

Et in 3. ſub perſona Celenus.

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis furiarum ego maxima pando.

Per annos CXV. aut bellum inter eos populos (Romanos, & Carthaginenſes) àut belli præparatio, aut infida pax fuit. Neque ſe Roma iam terrarum orbe ſuperato, ſecuram ſperauit fore, ſi nomen vſquã ſtantis maneret Carthaginis: adeò odium certaminibus ortum vltra metum durat, & ne in victis quidem deponitur, neque antè inuiſũ eſſe deſinit, quàm eſſe deſiit. Velleius lib. 1.

TYRIAS OLIM QVÆ VERT. ARCES) *Horat. Ode 7. Epod.*

Non vt ſuperbas inuidæ Carthaginis
Romanus arces vreret.]

Æneas Didonem nunquam vidit, nec potuit, quippe qui ante Albam longam ab Aſcanio filio conditã fuerit. Regnatum eſt autem Albæ annos trecentos, vt poeta dicit, ante Romam conditam. Ante Romam condidit Carthaginem Dido annis 72. aut circiter. Hinc ſubducta ratione videas eam minimùm ducẽtis, triginta & amplius annis Ænea poſteriorem extitiſſe. Finxit tamen Maro, vel ab Ennio multo ante fictum accepit hoc de Didone, & Ænea. Qui, Ennius inquam, Romanis gratificari voluit, & mordere Carthaginenſes, quorum reginam & auctorem, Romani generis auctor conſtupraſſet: quaſi iam tum fuiſſet augurium, fore vt Romani Carthaginenſibus, vt viri mulieribus imperarent, eoſque ſubigerent. Corrad.

OLIM) Septingenteſimo, triceſimo & ſeptimo anno poſtquam fuit condita.

VERTERET) Corrad. legit *euerteret* ex libris vetuſtis, aitque concurſum vocalium ſimilium, qui hiantem, & vaſtam orationem facit, hic vaſtatam vrbem referre, vel vaſtandam ſignificare.

HINC POP. L. R. BELLOQVE SVP.) Expreſſit Homericum epitheton per ſolutionem, quo ſæpenumero ille exornat Agamemnonem, εὐρυκρείων ἀγαμέμνων. Sic & Pindarus Neptunum εὐρυβίαν, εὐρυμέδοντα, & Callimachus Dianam εὐρυάνασσαν vocat. Turneb. libr. 12. cap. 12. & German. ✱ *Horat. Ode 17. lib. 3. de Lamo.* latè tyrannus: *Hic etiam verbis, vt notauit Naſcimban. pop. Rom. poteſtas, amplitudo, ſplendor, maieſtas, & gloria bello parta exaggeratur. Dixit* A *idem quod Virgilius alio verbo, & feſtiuiter Arnobius lib. 4. loquens nimirum de Venere, quàm Lucretius quoque Æneadûm, id eſt, Romanorum, genetricem nominauit. Gentis illa genitrix Martia, regnatorũ & populi procreatrix. Bello ſuperbum Corradus expoſuit, re vera ſuperbum quia Romani ſuperbe imperarint. Reprehendit rectè Modicius in hunc modum. In malam partem bello ſuperbus eſt, qui dominandi cauſa bellum iniuſtum infert: qui ſuperbè imperat, dominatu, non bello ſuperbus dicendus videtur.*

Bello ſuperbum, expone, inclytum armorum gloria. Cic. 1. Tuſcul. Quid loquar de re militari? in qua cùm virtute noſtri multum valuerunt, tùm plus etiam diſciplina. Florus. Pop. Rom. ita latè per orbem terrarũ arma circumtulit, vt qui res eius legunt, nõ vnius populi, ſed generis humana facta diſcant. Et Romulus apud Liu. B lib. 1. Proculo Iulio cælo delapſus ſe obuiam dans, vt ille narrat, Abi, nuntia, inquit, Romanis, cæleſtes ita velle, vt mea Roma caput orbis terrarum ſit. Proinde rem militarem colant, ſciantque, & ita poſteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis reſiſtere poſſe. Ac fuit ſanè hæc ars propria Romanorum. Patet è Salluſt. initio Catilinar. coniurat. Hinc noſter Maro in ſexto.

Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Adde his vaticinium Ennij ex lib. 1. Annalium, quo vrbem condendam affatur.

Naſcere quæ populos terraq; mariq; laceſſes
C *Belli turbine præpropero, concuſſa tremiſcent.*
Cuncta acres a te vires.

Sed agè, Plutarchus nobis carmen Maronianum illuſtret. Inſignem locum ex commentario de Fortuna Romanorum proferemus. Sed tam facilè rerum ſucceſſus affluens, vndæq;, vt ita dicam, impetus in tantas opes amplitudinemque euehentis, nón manibus hominum, non vi humana hoc eſſe comparatum imperium clamitat, ſed deorum ductu potius, auſpiciis, vrgentiſque adeo fortunæ velis. Trophæa alia ſuper alia eriguntur, triumphi triumphos excipiunt, arma ſanguine calentia, nouo ſubinde ſanguine abluũtur, victorias numerant non cadauerum, ſpoliorumúe aceruis, ſed ſubactis regnis, populiſque in ſeruitutem redactis, D inſulis, continentibuſque claſſibus ſuis patefactis. Ea eſt Romanorum imperij magnitudo. Vna pugna Philippus Macedoniã perdidit; vna clade accepta Antiochus Aſia ceſſit: vno prælio victi Carthaginenſes Libyen amiſerunt. Denique vir vnus vnius exercitus impetu, imperio Armeniam adiecit, Pontum Euxinum, Arabiam, Syriam, Albanos, Iberas, & omnino quæ cis Hyrcanos, Caucaſumq; ſunt, &c. Hæc eadẽ ad verſum illum transferantur, qui infrà legitur, *Romanos rerum dominos.*

VENTVRVM EXCIDIO LIBYÆ) Hic eſt modus vnus loquendi de his, quorum afflatu ad grandiloquentiam ſtilus noſter animari debet. Locutio non vulgaris *Venturum excidio Libyæ*, eodem filo quo dicimus, E venire ſubſidio, aut auxilio. Neque rectè Seruius interpretatur, ad excidium, hoc enim languidum eſt: neque *venturum* ſignificat motum: ſed tempus tantùm: æque atq; ſi dixiſſet, futurum excidio, id eſt exitio: ſed grandius ſonat *excidium*, quia opus, operamque ipſam deſignat exſcindendi. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16.

Et Seruius, & alij plerique exponunt hæc & ſuperiora eo modo, vt poeta videatur idem bis dicere. Nam progeniem naſcituram è Troiano ſanguine, quæ Tyrias arces, id eſt, Carthaginem euertat, & hinc populum latè regem venturum excidio, id eſt, ad excidium Libyæ, Carthaginis (vt totum pro parte ſumas) idem prorſus eſt, & aliud non ſignificat exſcindi Carthaginem, quàm euerti. Quare cenſet Modicius cap. 18. *excidio* hic non ſignificare rerum antecedentium finem, vel effectum: ſed cau-

ſed cauſſam rerum, quæ ſecutæ ſunt. Nam propter excidium Carthagius Romani facti ſunt orbis terrarum principes. Accipiamus igitur *venturum*, id eſt futurum: vt ſignificetur non mutatio loci, ſed fortunæ, ac dignitatis incrementum. *Excidio*, propter excidium, non ad excidiũ: vt ſit ſenſus veriſſimus, & elegantiſſimus. Audierat à ſanguine Troiano ductum iri progeniem, populum ſcilicet Romanum oriturum: qui aliquando euerteret Carthaginem. Deinde propter eam victoriam, ſiue propter excidium Carthaginis, fieret latè imperitans, & bello nobilis, omnibusque ſuperior: Nam vt quiuis Romanæ hiſtoriæ vel parum peritus nouit, Romani grauiores hoſtes, quàm Carthaginenſes nunquã habuerunt, à quibus ad extremum periculum ſunt deducti. Iis autem victis, tantas opes, tantumque nominis ac dignitatis ſunt conſecuti, vt cætera omnia Romanis armis prona, ac facilia viderentur: nec poſt bellum ſecundum Punicum vllum regem, vllamque nationem Romanis cedere puduit. Hoc voluit poeta. Vocem autem *venturum* valere aliquando idem quod futurum, probari poteſt. Virgil. 9. bella fato ventura dixit. Et lib. 6. vates præſcia venturi. Cic. lib. de Fato venturum dixit eſſe immutabile. Et poetis multa conceduntur. Caue igitur, lector, hunc ſenſum ineptiſſimum approbes. Audierat Iuno, à Troianis populum Romanum oriturum, qui aliquando Carthaginem euerteret. Hinc populum Romanum venturum (pedibus, aut nauibus) ad excidium Carthaginis. Quid magis ridiculum?

Tria bella Romani cum Pœnis, ſiue Carthaginenſibus pro gloria, & imperio terrarum orbis geſſerunt, quod teſtatur. 1. Off. M. Tullius: quorum poſtremum non adeo multum, vel potius minimum laboris habuit: quia nimirum non tam cum viris quàm cum ipſa vrbe pugnatum fuit: ſed euentu plane ſecundiſſimo: quippe cum eo tandẽ finita ſit Carthago. Cauſſa belli, quod aduerſum fœdera contra Numidas quidem ſemel paraſſet claſſem, & exercitum, frequens autem Maſiniſſæ amici, & ſocij Romanorum fines incurſaret. Cum ſederet bellum, de eo finiendo conſultum eſt in ſenatu. Ibi duæ pugnantes dictæ ſententiæ. Nam Cato, vt populo Rom. aliquando ab armis quieſcere liceret, exſcindendendam ſuaſit. Confitetur id ipſemet libello de Senectute apud M. Tull. At ſenatui, quæ ſunt gerenda, præſcribo, & quomodo Karthagini maleſam diu cogitanti bellum inferatur, multo ante denuntio: de qua vereri non ante deſinam, quàm illam exciſam eſſe cognouero. Scipio Naſica ſeruandam cenſuit: ne videlicet metu æmulæ vrbis ſublato, iuuentus in ignauiam ſeſe, libidinemque effunderet, atque ita boni mores velut exulatum irent. Hunc veriùs, vtiliusque ſenſiſſe docet in Iugurthino Salluſtius, inquiens. Nam ante Carthaginem deletam populus, & ſenatus Romanus placidè modeſteque rempub. inter ſe tractabant: neque gloriæ certamen, neq; dominationis inter ciues erat: metus hoſtis in bonis artibus ciuitatem continebat. Sed vbi illa formido à mentibus diſceſſit, ſcilicet ea, quæ res ſecundæ amant, laſciuia, atque ſuperbia inceſſere. Florus libr. 2. cap. 15. Plutarch. in Catone. Auguſtin. Ciuitat. libr. 1. cap. 30.

Expugnauit & incendit Carthaginem Scipio Æmilianus, quem P. Scipionis Africani maioris filius adoptarat. Sed notatu plane dignum, qua nam re Cato Senatum maximè ad vrbis huius opulentiſſimæ & ampliſſimæ euerſionem inflammarit, ficu nempe præcoce Africana demonſtrata. Hoc Plin libr. 15. cap. 18. diſertim narrat, qui locus, quoniam inſtituto noſtro eſt accommodatus, ad verbum tranſcribetur. Agens igitur Plin.

A in eo capite de ficis: Sed à Catone appellata iam tum Africana, admonet & Africæ, ad ingens documentum vſo eo pomo. Namq; perniciali odio Carthaginis flagrãs, nepotumque ſecuritatis anxius, cum clamaret omni ſenatu Carthaginem delendam, attulit quodam die præcocem in curiam ex ea prouincia ficum. Oſtendensque patribus, interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum ex arbore putetis. Cum inter omnes recentem eſſe conſtaret: Atqui tertium, inquit, ante diem ſcitote decerptum Carthagine: tam propè à muris habemus hoſtem: ſtatimque ſumptum eſt Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta eſt. Super omnia quiddam eſt, quo nihil equidem duco mirabilius, tan- B tam illam vrbem, & de terrarum orbe per CXX. annos æmulam, vnius pomi argumento euerſam. * *De excidio Carthaginis, atq; adeo de Romanorum monarchia poſt Græcorum, ſeu Macedonum imperium, Sibylla his carminibus vaticinata eſt.*

Οὔτε μακεδονίης αἰὲν κράτος, ἀλλ' ἀπὸ δυσμῶν
Ἰταλὸς ἀνθήσει πόλεμος μέγας, ᾧ ὑπὸ κόσμος
Λατρεύσει δούλειον ἔχων ζυγὸν Ἰταλίδησι,
Καρχηδὼν καὶ σεῖο χαμαὶ πᾶς πύργος ἐρείσει.
Nec ſemper Macedo dominabitur, occiduumq;
Surget ab Italia bellum, cui ſubditus orbis
Subdet colla, iugis Italis ſeruire coactus,
Procumbentq; tuæ Carthago funditus arces.

SIC VOLVERE PARCAS) Parcas pro fatis dictum, & alluſum ad nomẽ primæ (tres autem ſunt) quæ *κλωθὼ* vocatur, *κλώθειν* eſt voluere.

C ID METVENS) Doloris, iræ, odij Iunonis in Troianos maxima & præcipua cauſſa eſt Carthago, à poſteris eorum, Romanis euertenda, quod his etiam verbis duobus ſignificatur: etſi ſtatim aliæ, ſed minus præcipuæ ſubiiciuntur. Et rectè *metuens*. Eſt enim Cicer. in 4. Tuſcul. metus opinio impendentis mali, quod intolerabile videatur.

VETERIS BELLI) Non quod multis annis antè geſtum fuit, nondum enim ſeptem præterierant ab Ilio exciſo, ſed quod diu, nempe 10. annos durauerat. Melius tamen cum Seruio ad poetæ perſonam referemus, cui meritò vetus eſt bellum Troianum. Sic alibi. *Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum, Flagrantesq; dei* D *vultus*, partim ad ſe retulit, partim ad Tyrios, qui deum eſſe neſciebant.

SATVRNIA) Antonomaſia, Saturni filia, & quidem ante Iouem nata. Sic enim ipſa 6. Faſt. *Saturnum prima parentum Feci, Saturni ſors ego prima fui.*

PRIMA QVOD AD TROIAM) *Prima* exponit Seruius, princeps. Ante Græcos enim Hercules eam vrbem expugnarat. Magis placet, vt ſit poſitum, prima, pro primò, ſeu, priùs, nomen pro aduerbio, quod faciunt poetæ, & quidem *ἑλληνίζοντες, τὰ πρῶτα*. Horat. *veſpertinus pede tectum*, id eſt, veſperi Itaque Eclog. 6. cùm ait, *Prima Syracoſio*, &c. manifeſtum eſt, exponendum illud, prima, primò. Primùm enim affirmat Muſam ſuam agreſte carmen cecini ſſe, & Theocritum ſe imitatũ E eſſe: poſtea reges, & prælia dicere voluiſſe. Adi locum, & vide Symbolam meam. Si cui aliter videbitur, cum eo non contendam. ❧

GESSERAT) Auctor gerendi fuerat, & ipſamet etiam geſſerat.

MANET ALTA MENTE REPOST.) Infrà, *premit altum corde dolorem*. Repoſtæ epulæ dixit 3. Georg. Lucret. lib. 1. *tereti ceruice repoſta*. Horat. Ode. 9. Epod. *Quando repoſtum cæcubum ad feſtas dapes*. Etiam poſta, compoſta, diſpoſta apud Lucretium eſt inuenire.

IVDICIVM PARIDIS) Iudicium Paridis factũ eſt ante bellum annis aliquot, bellũ durauit decennium: pòſt abierunt anni ferme ſeptem, illa tamẽ nondum erat oblita huius iudicij. Totum hoc iudicium, quo pacto ſibi

cto sibi nomine Iouis per Mercurium mandatum sit, quid dearum trium singulæ sibi promiserint, si secundum ipsas litem daret, narrat ipse Paris Epistola ad Helenam. Est etiam totum à Luciano quodam dialogo descriptum. Caussam huius iudicij poetæ, & cum ipsis Lucianus Tom.4.dial. Panopes & Galenes, fabulantur pomum ab Eride, siue Discordia, & illud quidẽ aureum, proiectum in medium apud conuiuas deos, deasque in nuptiis Pelei, ac Thetidis in Thessalia, cum hac inscriptione, ἡ καλὴ λαβέτω. De quo Iuno, Minerua, & Venus litigarint, & ab Ioue ad Paridem pastorem, cuius tum iustitia in iudicando inclyta erat, in Idam montem, Mercurio duce missæ sint. Vide etiam Hygini fabulas, cap.92.& Silium libr.7. qui idem strictim tractauit.

B *Laomedonteus Phrygia cum sedit in Ida Pastor, &c.*

Eiusdem meminit in encomio Helenes Isocrates, & callidè factum Paridis interpretatur, eumque multis verbis excusare nititur. Nihil mirum: in argumento versatur absurdo, & admirabili, ingeniumque, & eloquentiam ostentat, more sophistarum videlicet. Οὐ πολλῷ γὰρ χρόνῳ διελθόντος, καὶ γενομένης ἐν θεαῖς περὶ κάλλους ἔριδος, ἧς Ἀλέξανδρος ὁ Πριάμου κατέστη κριτὴς, καὶ διδούσης Ἥρας μὲν, αὐτῷ βασιλείαν τῆς Ἀσίας· Ἀθηνᾶς δὲ, κρατεῖν ἐν πολέμοις· Ἀφροδίτης δὲ, τὸν γάμον τὸν Ἑλένης· τῶν μὲν σωμάτων οὐ δυνηθεὶς λαβεῖν διάγνωσιν, ἀλλ' ἡττηθεὶς τῆς τῶν θεῶν ὄψεως, τῶν δὲ δωρεῶν ἀναγκασθεὶς γενέσθαι κριτὴς, εἵλετο τὴν οἰκειότητα τῆς Ἑλένης ἀντὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων· οὐ πρὸς τὰς ἡδονὰς ἀποβλέψας (καίτοι καὶ τοῦτο τοῖς εὖ φρονοῦσι πολλῶν αἱρετώτερόν ἐστιν, ἀλλ' ὅμως οὐκ ἐπὶ τοῦθ' ὥρμησεν) ἀλλ' ἐπεθύμησε Διὸς γενέσθαι καὶ κληθῆναι κηδεστὴς· νομίζων πολὺ μείζω, καὶ κάλλιω ταύτην εἶναι τὴν τιμὴν, ἢ τὴν τῆς Ἀσίας βασιλείαν· καὶ μεγάλας μὲν ἀρχὰς καὶ δυναστείας καὶ φαύλοις ἀνθρώποις ποτὲ παραγίνεσθαι, τοιαύτης δὲ γυναικὸς οὐδένα τῶν ἐπιγινομένων ἀξιωθήσεσθαι. πρὸς δὲ τούτοις οὐδὲν ἂν κάλλιον κτῆμα καταλιπεῖν τοῖς παισὶν, ἢ παρασκευάσας αὐτοῖς, ὅπως καὶ πρὸς πατρὸς, καὶ πρὸς μητρὸς, ἀπὸ Διὸς ἔσονται γεγονότες. ἠπίστατο γὰρ τὰς μὲν ἄλλας εὐτυχίας ταχέως μεταπιπτούσας, τὴν δ' εὐγένειαν ἀεὶ τοῖς αὐτοῖς παραμένουσαν. Hoc est. Post paruum enim temporis spatium orta inter deas lis est de præstantia formæ: & eius arbiter honorarius Priami filius Alexander delectus. Is Iunone regnum Asiæ, Minerua victoriam in bellis, Venere coniugium Helene pollicente, quum non posset corpora diiudicare, neque diuinorum vultuum fulgorem sustinere, ac munerum potius esse iudex cogeretur, consuetudinem Helenæ cæteris omnibus anteposuit: non quod voluptates præcipuè spectaret (etsi enim eas viri sapientes multis aliis rebus præferunt, non tamen eò impulsus est) sed Iouis gener fieri, & nominari studuit: quem honorem longè maiorem & præclariorem, quam Asiæ regnum existimabat. Magna enim imperia & potentiam, etiam nihili hominibus obuentura olim: tali verò muliere ex omni posteritate dignatum iri neminem. Animaduertit etiam, se nullum pulchrius patrimonium suis liberis posse relinquere, quàm si tam paternam, quàm maternam originem ad Iouem referrent: quippe qui sciret, cætera fortunæ commoda celeriter aut interire, aut transire ad alios: sed nobilitatem semper apud eosdem permanere. Hoc iudicium, & vnà cùm ipsius Veneris (quæ rem huiusmodi, pulcherrimam videlicet fœminam, eandemq; cum viro nuptam, aut non promittere, aut promissam minimè præstare debuisset) tum Paridis culpam insinuans Arnobius, sic ait lib.1. Vt Helena diis ducibus atque impulsoribus rapta, & suis esset dirũ, & venturis temporibus fatum, religionis nostræ attributũ est crimini?

Macrobius alieni iudicij mancipium, supina quadam temeritate negat in 5.Saturnal. vsquam ab Homero de Paridis iudicio factam mentionem, sed à Virgilio temere occupatam. Iam tum primùm quid nobis aut dicendum, aut suspicandum est? Macrobium excerpsisse potiùs ex aliis calumnias, quàm Homerum legisse. An Græco popularis lectionis memoriam intercidisse? An verò si Homerus aut ignorauit, aut dissimulauit illius iudicij fabulam, non licuit viro omnium doctissimo ex aliorum eruditione depromptam posteritati profiteri? At enimuerò in vlt. Iliad. sic scriptum est.

Ἔνθ' ἄλλοις μὲν πᾶσιν ἑήνδανεν, οὐδέ ποθ' Ἥρῃ,
Οὐδὲ Ποσειδάων', οὐδὲ γλαυκώπιδι κούρῃ.
Ἀλλ' ἔχον, ὥς σφιν πρῶτον ἀπήχθετο Ἴλιος ἱρὴ,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἄτης
Ὃς νείκεσσε θεάς, ὅτε οἱ μέσσαυλον ἵκοντο,
Τὴν δ' ᾔνησ', ἥ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν.
Omnibus hoc aliis placuit: sed casta virgo
Neptunus, Iouis & coniux alia omnia sensit.
Namq; vetus fouêre odium, quo Pergama primùm,
Et Priamum auersi, populumq; fuere, malorum
Quæ Paris innexit caussa, quum paupere diuas
Acceptas tecto despexit, eamq; probauit,
Unde voluptatem pensandam luctibus hausit.

Scalig. Poet. lib.5. cap.3. * *Vtrum in Ida monte, an apud Antandrum exercuerit Paris hoc iudicium, auctores disputant. Vide plura apud Delrium comment. in Troad. Senecæ pag.423.*

SPRETÆQ. INIVR. F) ἐπεξήγησις. Iudicium Paridis, id est, spretæ formę iniuria. Homer. lib.24. Iliad. Iunonem, & Palladem, quòd ipsis Venerem in iudicio de C forma prætulisset, tantoperè Ilio, Troianisque infensas fuisse narrat, vt Hectoris quoq; prorsus innocentis corpus, nequaquam vt dij reliqui miserarentur.

ET GENVS INVIS.) Genus inuisum est Dardanus, Iouis ex Electra pellice filius, vnde Troiani, qui & Dardanidæ. Genus Electræ vocat ipsos Troianos Iuno apud Ouid. 6. Fast.

Tum me pœniteat posuisse fideliter iras
In genus Electra, Dardaniamq; domum.

ET RAPTI GANYM.) Hoc est, surrepti ab aquila, vt fabulosè canunt poetæ. Hunc Ioui ad pocula stare finxerũt. Hinc in Lusibus *sacra alite raptus, Misceat amatori pocula grata suo.* Cic.1. Tusc. Non enim ambrosia deos, aut D nectare, aut Iuuentate pocula ministrante lætari arbitror, &c. Nonius Comment.5. in vocabulo Honor, *rapti honores* iungit, & rapta integritas interpretatur. Erythręus in Indice. * *Idipsum per solum patrium casum rapti intelligit Seruius. Sed quos ad probandum adducit locos, nihil probant. Quare melius, rapti, id est, sublati, & in cœlum ab aquila deportati.*

HONORES) Quales fuerunt, à Ioue diligi, eidem pocula miscere, inter sydera collocari, deum haberi, &c. Lactant. superstitionum veterum accusator acerrimus, falsorumq; deorum exagitator seuerissimus, lib.1. cap.1. postquam demõstrauit, quàm egregij fuerint dij, & quã cęlo digni propter flagitia sua, Æsculapius, Apollo, Mars Castor, & Pollux, Mercurius, Liber, Iouem quoq; Opt. E Max. ad extremũ inuadit, eiusq; stupra, & adulteria summarim detegit. Tandẽ plenus iusta indignatione, ita pergit. Illud verò summæ impietatis ac sceleris, quòd regiũ puerum rapuit ad stuprum. Parum n. videbatur, si in expugnanda fœminarũ pudicitia maculosus esset ac turpis, nisi etiã sexui suo iniuriã faceret. Hoc est verum adulterium, quod fit contra naturã. Hęc qui fecit, viderimus an maximus, certè optimus non est, quod nomẽ à corruptoribus, ab adulteris, ab incestis abest: nisi fortè nos erramus homines, qui talia facientes sceleratos vocamus, ac perditos, omnibusq; pœnis dignissimos iudicam*. Stultus aũt M. Tullius, qui C. Verri adulteria obiecit: eadẽ. n. Iupiter, quem colebat, admisit. Qui P. Clodio incestum? at illi Opt. Max. eadem fuit & soror, & coniux.

De rap-

De raptu porrò Ganymedis etiam Virgilius noster in 5. Homerus Iliad. υ. Lucianus dialogo 1. Tomo. 4. Eundem raptum, & ministerium pocillandi exprobrat Ioui Iuno, dial. 2. Meminit eiusdem tom. 2. in Dearum iudicio. Cic. 1. Tuscul. Nec Homerum audio, qui Ganymedem à diis raptum ait, propter formam, vt Ioui pocula ministraret. Non iusta caussa cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Vbi obserua *μνημονικὸν ἁμάρτημα* Ciceronis. Nam Ganymedes filius fuit Trois, fratrem habuit Ilum patrem Laomedontis: Laomedon pater Priami. In 5. Tuscul. idem affirmat, quod Lactantius. Herodianus in Commodo, dum docet vnde vocabulum Pesinunti in Phrygia: Hic etiam fama fert Ganymedem ipsum, trahentibus in diuersa germani, atque amatoris manibus, vita esse orbatum: sublatumque è medio, pro calamitatis solatio, relata ad Iouem raptorem fabula: diuinis fuisse honoribus affectum. Vide insuper emblema 4. Alciati, & in id Claudium Minoem. ✤

HIS ACCENSA SVPER) Super his accensa: est enim anastrophe. Quæ dicta sunt, fuerunt Iunonis incendio, iræ, inquam, flagranti velut materia. Et his de caussis miseros, & pauculos illos Troianos, quos Græcorum, præsertimque Achillis gladius consumere non potuit, tot annis per diuersa maria iactatos, vexatosque ab ingressu Italiæ coercuit, ne nascerentur aliquando ibidem, qui Carthaginem exscinderent. ✤

IACTATOS ÆQVORE TOTO) Suprà, *terris iactatus, & alto.* Est autem *ὑπερβολὴ*, & *συνεκδοχή*.

IMMITIS ACHILLI) Sæui, violenti, indomiti, ferocis, atrocis, sanguinolenti, duri. Hinc Horat. ad Pison.

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer:
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Nec viuus solum, sed mortuus etiam in Troianos immitis fuit: propter Polyxenam, quàm sibi ad tumulum suum, super eo apparens, mactari petiit. Ouid. 18. Metamorph. *Cinis ipse sepulti In genus hoc sæuit, tumulo quoq; sensimus hostem.* Corrad. Achilli dixit, detracta s. littera propter *ὁμοιοτέλευτον*, vt Seruius notauit.

ARCEBAT LONGE LATIO) Infra Venus apud Iouem conquerens, *vnius ob iram Prodimur, atq; Italis longè disiungimur oris.*

MVLTOSQVE PER ANNOS ERRAB.) Septem, vt in fine huius: *nam te iam septima portat Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas.*

ACTI FATIS) Ducentibus fatis, ait Liuius. Agebantur quidem fatis in Italiam, sed odio & machinatione Iunonis errabant. Quod tamen ipsum quoq; in eorum fatis fuit. ✤

TANTÆ MOLIS. E. ROM. COND. GENT.) *Initia Romanæ gentis & Vrbis persequuntur Liuius, Dionysius & alij, paucis Iustinus lib. 43.*] Demetrius disserens de epiphonemate, definit esse dictionem, quæ ornatum affert, seu rem iam prolatam exornat, & ipsum in dicendo, atque in omni ratione magnificentissimum, cumq; ijs rebus, quæ & in domibus diuitum, fortunatorumque hominum, & in vestitu reliquaq; vita ad speciem, & pompam adhibentur, similitudinem magnam affirmat. Huius plenam esse Homeri poesin: exempla quædam producit. Cuius ornamenti etiam apud Latinos & poetas, & oratores exempla sunt, è quibus illustre censetur ipsum, quo, sublata voce superiorem expositionem auget. Sic Lucret. in 1. *Tantum relligio potuit suadere malorum.* [*Rursum.* Tantum elementa queunt permutato ordine solo. *Et noster lib. 3. Æneid,* Tantū æui longinqua valet mutare vetustas.] Hoc quoque Ciceronis in Verrem elegans est, atque id prorsus facit, quod proprium ipsius esse declarat Demetrius. Vna atque eadem nox erat, qua Prætor amoris turpissima flamma, & classis pop. Rom. prædonum incendio conflagrabat. Vide Victor. in eundem locum Demetrij, & Rhodigin. lib. 23. cap. 7.

Adscribamus etiam iudicium Iouiani de artificio huius carminis. Sic ille in Actio, in quo dialogo tam eruditè, tantoq; cum iudicio Virgilianos numeros, concinnitatemque examinauit. Claudit sæpenumero Virgilius plures versus sistendo sonum, illumq; remoratur, ne ipsa aut deliqueat sonoritas, aut præcipitetur. At videre, obsecro, quàm appositè, quàm studiosè præstruit tribus è dictionibus versum, iisq; dissyllabis, & tanquam prima in acie spondeum collocat, solutum quidem ac liberum, indeque præterea secunda alterum, atque alterum in tertia, & quarta acie. Inter primùm autem spondeum, ac secundum, vnum quidem secunda in acie constituit dactylum, & ait, *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.* Et alibi. *Si quà fata sinant, iam tum tenditq; fouetq;.* At si inuertas, *Molis erat tantæ*, &, *Fata sinant si quà*, omnis illa vocalitas iam exhalatur, quod Virgilius vt prohibeat, solutum ab omni connexione spondeum in principio collocat, vt alio in loco, cum ait: *Curru iungit Halesus equos.* Potuisset enim dicere. *Iungit Halesus equos curru.* Numeris tamen maluit, auribusq; consulere. Dilabi enim videtur sonus, pæne fugere, cum dicit, *Iungit Halesus equos*, tali præsertim in loco. Apparet enim elegiacus semiuersus: contrà verò constitit vox, & sibi ipsi præsidio est, ne (vt dixi) exhaletur, ac difluat, cū dicitur, *Curru iungit Halesus equos.*

Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant:
Cùm Iuno æternum seruans sub pectore vulnus,
Hæc secum: me ne incepto desistere victam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasné exurere classem
Argiuûm, atq; ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilêi?
Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Disiecitq; rates, euertitq; æquora ventis.
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloq; infixit acuto.

Ast ego

Aſt ego quæ diuûm incedo regina, Iouisq;
Et ſoror, & coniux, vna cum gente tot annos
Bella gero. & quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea? aut ſupplex aris imponat honorem?

VIX E CONSPECTV SICVLÆ) Vix Troiani naues in aquam deduxerant, paulumque à littore in altum proceſſerant, & adhuc Siciliam in conſpectu habebant, ſeu conſpicere poterant, cùm Iuno, &c.

LÆTI) Gaudentes, propter vicinitatem Italiæ.

SPVMAS SALIS ÆRE RVEBANT) Sine controuerſia de nauibus roſtratis intelligendum eſt, quæ æreo roſtro in prora armatæ erant, vnde & æratæ dicuntur lib. 10. *Quot prius æratæ ſteterant ad littora puppes.* Et libr. 5. *Conuulſum remis, roſtriſq; tridentibus æquor,* eadem de cauſſa dicitur. Senſus igitur eſt. Mare roſtra nauium, quæ ærata erant, ſeu naues æreis roſtris ſecabant, & ita ſpumas eruebant. Turneb. lib. 12. cap. 12. & lib. 26. cap. 23. * *Alibi dixit,* campos ſalis ære ſecabant. B *Et Catull. de nupt.*

Omnia quæ toto delapſa è corpore paſſim
Ipſius ante pedes fluctus ſalis alludebant.

Lucret. lib. 4. Nam quæcunque ſupra rorem ſalis edita pars eſt Remorum. *De ſpumis, quæ agitatione remorum, & nauium roſtris per mare excitantur, elegantiſſimè idem Catull. in eodem poemate.*

Quæ (Argo) ſimul ac roſtro ventoſum proſcidit æquor,
Tortaque remigio ſpumis incanuit vnda.

Et infrà vocat canentem gurgitem.

Emerſere feri canenti è gurgite vultus,
Æquoreæ monſtrum Nereides admirantes.

CVM IVNO ÆTERNVM) *Quàm elegantem ſæpe vſum particula* cum *habeat, vide Cardinalem, à quo & hic locus cum alijs Virgilianis afferri potuiſſet.*] Ad peripetiam ſeſe accingit poeta, id eſt, ad ſubitam & ingentem fortunæ mutatio- C nem. Nam cùm Æneas ventis fæliciter ſpirantibus, Italiæ portum, quem proximum videbat, breuiſſima nauigatione ſe capturum ſperaret, id non modo non poteſt aſſequi, ſed potius in grauiſſimum vitæ diſcrimen, hoc eſt, in horridam tempeſtatem incidit, & in Africam, quò minimè volebat, vi ventorum impellitur. Hoc ſanè peripetiæ proprium eſt, ſubitos atq; admirabiles caſus cum ſubita etiam atq; ingenti immutatione in apertum proferre. Cùm verò ait poeta, *æternum ſeruans ſub pectore vulnus,* Iunonem valde iratam, animoque irato locuturam deſignat. Naſcimb.

Æternum vulnus licet interpretari, immedicabile, inſanabile vulnus, hoc eſt, iram implacabilem, D quomodo alibi dixit, *Iunonis grauis ira, & inexſaturabile pectus.* Vulnerare, & vulnus, in amore, dolore animi, incommodo, calamitate, atque pernicie. In 4. *Vulnus alit venis.* Et, *tacitum viuit ſub pectore vulnus.* Ibidem, *graui iamdudum ſaucia cura.* Idem eſt ſauciari, quod vulnerari. Lucret. lib. 1. *æterno deuinctus vulnere amoris.* Horat. Ode 27. lib. 1.

—— dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.

Nunc ad alias notiones venio. Cic. 1. Catil. Et quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Ad Att. lib. 5. Si ad cętera vulnera, quibus putaſti rempub. deleri, E hanc quoq; mortiferam plagam inſtituiſſes conſulatus tui. Lib. 4. epiſt. ad famil. Nunc autem tam graui vulnere etiam illa, quæ conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt. Idem ſunt, Reipub. prouinciæ, ciuitati, imperio, vulnus imponere, inurere, infligere. Rectè etiam, reſpub. magnum vulnus accepit. Cic. de ſe ipſo in Academ. Nunc verò & fortunæ grauiſſimo perculſus vulnere, & administratione reipub. liberatus, doloris medicinam à philoſophia peto. Virgil. lib. 8. *grauior ne nuntius aures Vulneret.* Lib. 12. *triſti turbatam vulnere mentis.* Lucret. lib. 2. *Aeternumq; daret matri ſub pectore vulnus:* quod mutuatum Virgilium nonne vides? ✠.

HÆC SEC.) Alibi, *tacitus mecum ipſe voluto.* Sulpic. ad Cicer. epiſt. lib. 4. Cæpi egomet mecum ſic cogitare. Homer. Odyſſ. 1. προτί δ᾽ ὃν μυθήσατο θυμόν. Euripid. αὐτὴ πρὸς αὐτήν. German. * *Terent. Andr.* Egomet continuò mecum, Certè captus eſt, habet. *Subauditur, cogitabam, voluebã, &c.*

MENE INC. DESIST.) En vt Iunonis ira, aduerſus inſontes Troianos, felicibus Auſtris per placatum pelagus è Sicilia propinquam petentes Italiam efferueſcit. Quã B iniquis oculis claſſem ęquatis procedentem velis intuetur? Quàm ſe ad id vſq; temporis incaſſum ſæuiiſſe dolet? quàm ipſa fata contemnit? non minus ſibi, minus autem? plus etiam quàm Palladi licere oportere audaciſſimè pronuntiat. Niſi exules iſtos oppreſſerit, diuinitatẽ, maieſtatemque ſuam auguſtiſſimam deinceps mortalibus futuram ludibrio: vt quæ aduerſus paucos, imbelles, profugos, & omnium rerum difficultate circumuentos tanto molimine, tantiſq; conatibus nec hilũ valuerit. ✠

Artificium orationis huius tam iracundæ, ſubtiliter, & ingenioſè conſiderauit Scalig. Poet. lib. 3. cap. 24. Conſiderationem ſubiicio. Indignatur Iuno, ſine proœmio, ſed ex abrupto, vt aiunt, idq; per interrogationem. Nihil C proponit, ſed ſupponit. *Méne incepto deſiſtere victam?* at non propoſuit inceptum illud, tum quia irata eſt, tũ quia ſecum loquitur: mox tamen aliquid explicat, vt auditori ſatisfaciat. *Nec poſſe Italia Teucrorũ auertere regem.* Confirmat propoſitum per detractionẽ obiectionis: nam fata obſtabant: At exemplo appoſito demõſtrat alias id factum, idq; à minore numine: præterea minore in re, minore merito, fortioribus inſtrumẽtis. Idcirco dixit, *Pallas,* & ſubdit de ſe per collationem efficientis. *Aſt ego quæ diuûm incedo regina, Iouiſq; Et ſoror, & coniux.* Factum quoq; exácerbabat ſupplicij immanitate. Duo enim extrema ſunt, exurere igni, & aqua necare: immane enim eſt, elementa puriſſima fieri noxia. At ipſa huic, aut eiuſmodi crudelitati oſtendit ſeſe non ſtudere: ſatis ſibi fu- D turum fuiſſe, ſi auertere poſſet Teucrum, non Italũ ab Italia, non à Troia. Dixit autem regem Teucrorum, non Teucros, vt vnius perſonæ appellatione rem oſtenderet faciliorem. Præterea æquum videtur, vt, ſi Teucrorũ rex eſt, extra Teucrorum gẽtem ne quærat regnum. Poſuit etiã claſsẽ Argiuorum, ſcilicet victorum. Adhæc totam Pallas gentem perdidit ob vnius noxã tantùm: eiuſq; nõ ſui compotis, ſed furioſi: minus .n. ſupplicij meretur. Et populus nihil pro rege. Adde ꝙ Aiax iſte non fuerit magnus Telamonius, ſed [illegible] Oilei, vt nequaquã populi interitus debuerit interuẽnire. Amplificat deinde factũ Palladis, quæ fulmẽ non ſuum, ſed Iouis iaculata ſit, idq; è nubibus, quę in regno ac poteſtate Iunonis ſunt. Addit E etiã tempus: nãq; ilicò de Aiace ſupplicium ſumpſit. Aſt ego tot annos bella gero, & vna cũ gente. Concluſio aũt eſt, per indignationem. *Et quiſquã numẽ Iunonis adoret?*

Valet huiuſmodi oratio per infinitum ad animi affectum vehementiorẽ exprimendum. Sic in hoc ipſo lib. *méne Iliacis occumbere cãpis Non potuiſſe, tuaq; animã hãc effundere dextra?* Cic. lib. 14. ep. 1. ad Terẽtiã ſuã. Me miſerum, te iſta virtute, fide, probitate, humanitate, in tan-

tas ærumnas propter me incidisse? Tullioláq; nostrã, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus? Et epist. 2. eiusdem lib. Hem mea lux, meum desideriũ, vnde omnes opẽ petere solebãt: te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lachrymis, & sordibus? idq; fieri mea culpa, qui cæteros seruaui, vt nos periremus. Et 14. Philip. Quenquã ne tam fuisse sceleratũ, qui hoc fingeret? tam furiosum, qui crederet? Lucret. lib. 2. *nónne videre, Nil aliud sibi naturã latrare*, &c. Oratio est præcisa, & decurtata: quali vti solẽt in perturbationibus, & indignationibus: proinde ac si dixisset, nónne sunt cæci, vt non videant, nihil aliud naturam latrare, id est, poscere, nisi vt, &c. Terent. Andr.

Adeon' impotenti esse animo, vt præter ciuium
Morem atq; legem, & sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?

Horat. Ode 8. Epod.

Rogare longo putidam te sæculo,
Vires quid eneruet meas?

Ex Lamb. in Horat. & Lucret. & aliis. * *Sed est etiam in pronomine illo, me, hoc loco egregia emphasis, quæ infrà explicatur.* Ast ego quę diuũm incedo regina, Iouisq; Et soror, & coniux. *Inceptum porrò eius est, vexare, persequi, ab Italia longè arcere Troianos. Ab his rebus vt victam, & sæpe frustratam desistere, nimis acerbum, nimis turpe, & indignum videtur.*

TEVCR. REG.) Credo εἰρωνικῶς accipiẽdum. Qualis .n. rex, qui regno caret, & qui tam paucis imperat? Vt enim sint 20. naues, & in iis aliquot hominũ millia, quid hoc C ad maiestatem regiã? Certè & in diuinis libris scriptũ est. In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis, ignominia principis. Contemnit ergo illum, & inde, quia contra βασιλέα istuc nihil possit, vehementius indignatur.

QVIP. VET. FAT.) Non nescit se fatis vetari. Suprà audierat, &, *sic voluere Parcas*. Ipsa in septimo.

Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis
Atq; immota manet fatis Lauinia coniux:
At trahere, atq; moras tantis licet addere rebus.

Hìc autem præ furore contemnit & irridet, quod ei de fatis possit obiici, & ad comparationem venit. Corrad.

PALLASNE EXVR. CLAS.) Argumentatio est à minore, cui similis illa apud Cic. 1. Catil. An verò vir amplissimus P. Scip. Pont. max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipub. priuatus interfecit, L. verò Catilinã orbẽ terrarum cædibus, & incendiis vastare cupientẽ, nos consules perferemus? Et classẽ inuidiosè dicit, quasi de multis, non de vna Aiacis naue loqueretur. Nascimb. * *Quomodo sit à minoribus ista argumentatio, explicandum est. Cõparantur enim in ea, vt bene animaduertit Corrad. persona cum persona, Pallas cum Iunone, dea inferior cum regina deorum, tempus cum tempore. Illa suos inimicos breui tempore vlta est: hæc tot annos cum suis bella gerit. Res cum re. Illam offenderat vnus, & tamen potuit totam nauem eius cum vectoribus submergere, &c. Hæc à multis læsa, nondum se vlcisci potuit. Et Pallas quidem victores vicit, Iuno victos vincere nondum potuit. Cæterùm talẽ nauigationem Horat. Mæuio poetæ maledico imprecatur, Ode 10. Epod.* E

Quietiore nec feratur æquore,
Quam Graia victorum manus,
Cùm Pallas vsto vertit iram ab Ilio
In impiam Aiacis ratem.

OB NOX. ET FVR.) De culpa caussa cognoscitur, quã extenuat, simulq; Aiacis crimẽ excusat, vt honestior irascendi, atq; indignandi caussa sibi esse videatur. Noxam dicit, quod leuioris criminis nomen est: & vnius, quod facile condonari potest: & furentis, vt nec crimen, nec culpa sit. Nam furioso homini peccatum nõ adscribitur, qui mentis consiliiq; inops est. Caussam igitur criminis, si crimen dici potest, furori assignat, quod veniali statu defendi solet. Quãquam hic furor, amoris furor est. Nã per vim Cassandram traxit, & violauit in tẽplo Palladis.

A Qua de re ita apud Euripidem Minerua loquitur. οὐκ οἶσθ' ὑβρισθεῖσάν με, καὶ ναοὺς ἐμούς: id est, nescis læsam me, & templa mea? Cui Neptunus respõdet, οἶδ' ἡνίκ' Αἴας εἷλκε Κασσάνδραν βίᾳ, id est, noui, quando Aiax traxit Cassandram per vim. Nascimb. * *Tryphiodorus Græcis omnibus propter hominem vnius sacrilegum iratam canit.*

Intactæq; pedes sub Palladis acer Oilei
Aiax oppressit Cassandram confugientem.
Indignata dea est, & vim facinusq; perosa
Auertit solitum à Danais Ioue nata fauorem,
Vnius ob noxam cunctis infensa Pelasgis.

Aiacem hunc Oilei filium Locrensium ducem, eorumq; 40. nauium facit in Bœotia Homerus, eumq; & laudat, & cum Aiace Telamonio comparat, quem præfert. Λοκρῶν δ' ἡγεμόνευεν Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας, μείων, οὔτι τόσος γε, &c.

B IPSA IO. RAP. IG.) Seruius hos deos fulminatores enumerat, Iouem, Vulcanum, Mineruam. Ab aliis etiam Summanus additur, qui summus est manium. Apud nostrũ hìc Pallas non contẽta suo fulmine, Iouis ignẽ (quò magis sæuiret) eiaculatur. Vnde colligimus, deos nunc suis, nunc alienis fulminibus vti. Nannius lib. 3. cap. 3. Sed duplicẽ vtriusq; fulminis differentiã obseruauit Delrius in Hercul. Oetæũ Senec. Priorẽ ex Acrone, quòd aliorũ deorũ fulmen album vel nigrũ, solius Iouis rubrum. Vnde Horat. *& rubente Dextera sacras iaculatus arces.* Alterum, quòd alij dij tantũ possidebant grauius fulmen, quo noxij puniũtur: illud verò, quod secunda, seu fausta tela vocat Ouid. minus & leue Senec. hoc ad solũ Iouẽ pertinebat, & ab eo tantũ non nisi monendi homines gratia mittebatur. Quia (vt Seneca docuit) ad regem maximè spectat inuandorum subditorum cura, & sollicitudo. Lege reliqua. *Rapidum Iouis ignem*, periphrasis est fulminis.

IAC. E NVB.) Cic. 2. de diuin. Placuit Stoicis, si nubium cõflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Facit hic Pallas sacrilego suo, quòd optauit fieri Lucret. sceleratis hominibus (si dij fulmina mitterent, quod ille nõ credit) nimirũ vt, quibus est potestas, & ius iaciẽdi fulminis, eos vlciscerentur, non aũt insontes planè, quod tamen videmus fieri, & miramur: quia æquum nõ videtur, vt pœnas luant, qui nihil peccauerunt. Quod si punirentur hac ratione homines improbi, proficeret id reliquis ad emen- D dationem vitæ. Tale quid optat lib. 4. Iarbas Getulorum rex, quẽ Dido maritum fuerat dedignata, pium virum, potentem, Afrum: & se aduenæ, turpi cupidine capta, stupro magis, quàm matrimonio coniunxerat.

Aspicis hæc, an te, genitor, cum fulmina torques,
Nequidquam horremus, cæciq; in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miscent?

Sed iam Lucretianos versus tibi ante oculos ponemus.

Quòd si Iupiter, atq; alij fulgentia diui
Terrifico quatiunt sonitu cælestia templa,
Et iaciunt ignes, quo cuiq; est cunq; voluntas,
Cur, quibus incautum scelus auersabile cunq; est,
Non faciunt, ictis flammas vt fulguris halent,
Pectore perfixo documen mortalibus acre?
Et potius nulla sibi turpis conscius rei,
Voluitur in flammas innoxius, inq; peditur,
Turbine cælesti subitò correptus, & igni?

EVER. ÆQ. VENT.) Tranquillũ prius mare adeo perturbauit, vt euersũ videretur. Hoc vt posset, à Neptuno, sicut ventos ab Æolo impetrauit. Et est ὕστερον πρότερον, prius n. mare oportuit perturbari, quàm naues disiicerentur. Corrad.

ILLVM EXPIR. T. P. FLAMMAS) Delectus ipse verborum, poetæ nobilitat supellectilem. Verùm satis non est delegisse, nisi etiam seligas: fit enim delectus plerumque è multis, selectio verò è paucis. Itaque & voces, & syllabas, etiam litteras seligere oportet, quo versus vndique sibi ipse constet, ex eoque tanquam in quadrum redacto numerum perficias, id quod versus hic indicat,

indicat. An non poterat etiam sic, *traiecto pectore*, suo A quidem, ac proprio verbo? sed cùm ante collocasset vocem illam, *exspirantem*, pòst verò *flammas*, refertam vtramque consonantibus litteris, voluit etiam in medio collocare vocẽ, quæ similibus quoq; literis consonaret. Quippe cùm in dictione, *traiecto* ea non esset consonantium litterarum copia, nec similitudo, quæ vtraque est in *transfixo*. Iouian. Actio. Flammas accipe fulminis, quas vnà cum scelerata anima expirauit.

TVRBINE CORRIPVIT) Genus venti intelligit, quod Græci πρηστῆρα.

SCOPVLOQVE INFIXIT ACVTO) Cautibus Euboicis, apud montem Caphareum, de quo lib. 11. Venulus, vt à Diomede cognouerat legatus.

EGO QVÆ DIVVM INCEDO REG.) Semper arbitratus sum, plus aliquantò latere in his verbis, quàm statim à nobis animaduerteretur. Tandem autem ex Athenæo didici, insigni quadam maiestate incessus veteres existimasse Iunonem procedere, quò respexisse poetam iudicaui. Nam Athenæus ἥραιον βαδίζει, id est, Iunonio incessu ambulat, pro grauitate quadã, & magnificentia incessus dixit: vt & Propert. libr. 2. eleg. 2. *Et incedit vel Ioue digna soror*. Eum fortasse incessum etiam imitabantur, qui eius sacra ferebant: vnde & Flaccus scripsit Sat. 3. libr. 1. *sæpe velut qui Iunonis sacra ferret*: quod tamen propter dignitatem sacrorum tantæ deæ, & propter pompam potius fiebat. Ea porrò sacra ferebant puellæ, vt ait Ouidius, & dicebantur κανηφόροι.

More patrum sancta velata vestibus albis,
Tradita supposito vertice sacra ferunt.

Quanquam & aliàs sacra etiam omnia tardo gressu ferebantur, & vt ait Cicero, fercula pomparum. Turneb. lib. 13. cap. 16.

Locus Ciceronis à Turnebo insinuatus, est 1. Offic. de moderando incessu. Cauendum est, ne aut tarditatibus vtamur in ingressu mollioribus, vt similes pomparum ferculis esse videamur: aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates. Quod Virgilius diuûm reginam vocat, Catullus ad Mallium, maximam cælicolûm: Claudian. dominam stellantis olympi. De Didone quoque in hoc libro infra. *Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit*, vt incedere personam regiarum, aut illustrium valde, præsertimq; fœminarum esse videatur. Cum hoc, *Ast ego quæ diuûm*, &c. & sequentibus duobus, compone illos de lib. 7.

Ast ego magna Iouis coniux, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea.

IOVISQVE ET SOROR, ET CONIVX) Homerus Iliad. π. ἥρην δὲ προσέειπε κασιγνήτην, ἄλοχόν τε. Apud Horat. Ode. 3. lib. 3. vbi se Troiam, si instauretur, denuò euersuram minatur.

Ducente victrices cateruas
Coniuge me Iouis, & sorore.

Ouid. 1. Metamorph. socia generisq;, toriq; vocatur. Et lib. 3. cum aduersus Semelen baccharetur.

——— ipsam, si maxima Iuno
Rite vocor, perdam: si me gemmantia dextra
Sceptra tenere decet: si sum regina, Iouisq;
Et soror, & coniux, certè soror.

Rursum lib. 6. Fast. *Ex illis fuit vna sui germana mariti.* Ac paulò pòst ita de vtroque, sanguinis, inquam, & tori communione cum Ioue, se iactans inducitur.

Est aliquid nupsisse Ioui, Iouis esse sororem:
Fratre magis dubito glorier, anne viro.
Si genus aspicitur, Saturnum prima parentem
Feci: Saturni sors ego prima fui.

Si torus in pretio est, dicor matrona tonantis,
Iunctaq; Tarpeio sunt mea templa Ioui.

Martialis quoque libr. 9. *matrona tonantis*. Vide etiam notata ad 10. Æneid. ibi *O germana mihi, atq; eadem gratissima coniux*.

Verum enimuerò, hanc esse deorum licentiam, cum consanguineis, & sororibus coniungendi matrimonij, indicat his versibus. 9. Metamorph. Ouid.

——— Dij nempè suas habuere sorores.
Sic Saturnus Opim iunctam sibi sanguine duxit,
Oceanus Thetin, Iunonem rector olympi.
Sunt superis sua iura.

Qua occasione Iouis vxor facta sit Iuno, commentũ explicat Natalis Comes libr. 2. cap. 4. Verùm quàm ista, B quantumuis nobili, & omnibus modis eximia vxore parum contentus fuerit Iupiter; quot aliena matrimonia adulteriis, quot virgines stupris fœdauerit, à quibus item deabus non abstinuerit, poetæ, & mythologi monstrabunt. Vnus nunc Apollodorus occurrit, libr. 1. Bibliothecæ. Eiusdem libidines etiam disertè vehementerque exagitat scriptor facundissimus, ac veteris elegantiæ cõsectator diligens Arnobius, cuius vnam hic ex lib. 4. sententiam describemus. Potest vlla grauior contumelia Ioui vestro infligi, aut quidquam est aliud, quod labefactet, aut destruat deorum principis auctoritatem, quàm quod eum creditis voluptatibus aliquando libidinosis C victum, & in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluisse feruore? Et quid regi Saturnio matrimoniis fuerat cum alienis rei? Non illi fuerat satis Iuno, nec sedare impetum cupiditatum in regina poterat numinũ, cùm nobilitas eam commendaret tanta, facies, oris dignitas, & vlnarum niuei, marmoreique candores? &c. Hactenus Arnobius. Iam quomodo iratam sibi Iunonẽ reconciliarit, atq; ad se, nouas fingendo nuptias, quercu videlicet in mulieris similitudinem conformata, & in pompã deducta reduxerit Iupiter, legat qui volet Pausaniã in Bœoticis, & Euseb. de præparat. Euãg. lib. 3. ca. 1.

Constat ex Græcorum, Plutarchi præsertim, commentariis, diuersè in Græcia indulta cum sororibus matrimonia, vterinis, & germanis. In Latio diu cum ne- D cessariis prohibita, tandem citra sorores ipsas progressa, ad coniunctas omnes personas, vt docet Plutarch. ἐν ῥωμαϊκ. cap. διὰ τί συγγενεῖς τῷ στόματι φιλοῦσιν αἱ γυναῖκας. German. * *Quomodo igitur huiusmodi vxores dici poterant sorores, aut quomodo tandem sorores istæ potuerunt fieri vxores, cum teste Nonio soror appellata sit, quod quasi seorsim nascitur separaturq; ab ea domo, in qua nata est?*

Latet porrò hic mythologia, quam ipsius Macrobij verbis explanabimus. Sic enim ille in som. Scip. lib. 1. cap. 17. Aratus de sideribus locuturus, à cælo, in quo sunt sidera, exordium sumendum esse decernens, ab Ioue incipiendum esse memorauit. ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Hinc Iuno & soror eius, & coniux vocatur. Est autem Iuno aër: & E dicitur soror, quia iisdem seminibus quibus cælum, etiã aër est procreatus: coniux, quia aër subiectus est cælo. * *Cic. etiam 2. de nat. deor. hoc figmentum μυθολογοῦντι his verbis. Aer autem, vt Stoici disputant, interiectus inter mare & cælum, Iunonis nomine consecratur, quæ est soror & coniux Iouis: quòd & similitudo est ætheris, & cum eo summa coniunctio. Effœminarunt autem eum, Iunoniq; tribuerunt, quod nihil est aere mollius. Clarius, & paucis. Iuno est aer, Iupiter ignis. Ad ignem subtilitate quàm proximè accedit aer: hinc illa Iouis soror. Et quoniam aer subiectus est igni, hinc etiam coniux.*

TOT ANNOS) minimùm septendecim.

ET QVISQ. NVM. IVN. ADOR.) Lib. 3. *Iunonis magna primùm prece numen adora*. Et innuit poeta, quod solebant miseri, & cæci mortales, ex pœnis improborum credere deos esse: & impunitate eorundem, existimare nullos esse. [*Varro Atacinus.*

Marmoreo

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo,
Pompeius nullo. credimus esse deos?]

Conclusio per indignationẽ, in qua tractatur locus ab euẽtu. Quanto enim dedecori, ac damno sibi futurum sit, nisi Æneam ab Italia depellat, ostendit. Et videtur locus ex Homero sumptus, Odyss. 13. vbi Neptunus Vlyssi iratus, ita loquitur. *Ζεῦ πάτερ, οὐκ ἔτ' ἔγωγε μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι*, & quæ sequuntur. Nascimbæn.

De Iunone & Euripid. *τοιαύτῃ θεῷ τίς ἂν προσεύχοιτο*): Hunc locum est imitatus Ouid. lib. 3. eleg. *Et quisquam pia tura focis imponere curet?* Et 2. Metamorph.

Est vero cur quis Iunonem lædere nolit,
Offensamq́; tremat, quæ prosum sola nocendo?

German.

In huiusmodi autem forma interrogandi, post rationes in medium allatas, seu post asseuerationem, mira inest vis, & festiuitas. Si dicas, nemo adorabit numen posthac meum, frigebit oratio. Sic Cic. pro lege Manil. Et quisquam dubitabit, quid virtute profecturus sit, qui tantum auctoritate profecerit? Citat hoc testimonium, vt item Virgilij, quod infra ponemus, Victorius lib. 19. cap. 15. vbi huius locutionis, Et quisquam dubitabit, &c. artificium explanat. * *Adijciamus illud pro Milone. Et erit dignior locus in terris vllus, qui hanc virtutem excipiat, quã hic, qui procreauit? Noster poeta 2. Georg. multis iam demonstratis, quæ vtilitatem illius studij declararent, addidit:* Et dubitant homines serere, atq; impendere curas? *Quanto hæc omnia venustius, quantoq; vehementius sonant, quam per negationem solam?*

A ARIS IMPONAT HONOREM) *Hostiam, victimam, exta, sacrificium, qui est honor Deorum. lib. 4. Æneid.* cum dona imponeret aris.] Illud animaduertes, voce hac *honorem* frequenter vsum fuisse, ad augendam dictionis maiestatem, vt hic. Item hoc eodem lib. *Diuûm templis indicit honorem.* Et, *In mensa laticum libauit honorem.* Est enim *εὐφημεῖν*, quod proprium in sacrificiis, in quibus bene ominatis verbis vtebantur: *ὄρασι.* Et, *lætos oculis afflarat honores*, scilicet iuuentæ. Et in 3. *meritos aris mactauit honores.* Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16. * *Adde ex eodem Vergilio. 3. Æneid.* perfecto lætus honore, *id est perfecto sacrificio, vt ibidem Seruius, qui est honor deorum. Et,* Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum. *Et 3. Georg.* Sæpe in honore deûm medio stans hostia ad aras. *Tibull. lib. 2. eleg. 2.* Ipse suos adsit Genius visurus honores. *Inde apud Vergil. indicere, mactare, instaurare, celebrare, persoluere honorem, honores. Tertullian. quoq; Apologet. Si quis aut ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos vltro sui caussa placare debent. Plura Brissonius Formular. lib. 1.*

B Litterarum hiatus fiunt quoque in secundo pede sustentandi tenoris atq; implendi numeri gratia, etiam cum dignitate, nullam tamen ob necessitatem. Videbitur autem tenor ille flaccessere, si dixeris, *Præterea? supplexue aris imponat honorem?* Cum in illa collatione non solùm hiet A. verùm alterum A, quod est primùm elementum, in voce Aris, de proximo loco hiatũ ipsum assonando adiuuet. Sic infra. *Ductoresq; ipsos.* Poterat enim: *Ductores ipsos.* Iouian. Actio.

Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit. hîc vasto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesq́; sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt: celsa sedet Æolus arce,
Sceptra tenens, mollitq́; animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras, cælumq́; profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantq́; per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molemq́;, & montes insuper altos
Imposuit, regemq́; dedit, qui fœdere certo
ET PREMERE, ET LAXAS SCIRET DARE IVSSVS HABENAS.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est.

TALIA FLAMMATO) Cur non, *Talia succenso?* Nimirum, quia vocalis, a, clarum, e, tenuem edit sonum, at, u, vocalis subobscurum. Itaque si u, post duplex a, subdidisset, claritatem, quàm affectabat illo in loco, obscurasset, eamque ob rem submittendo alterum atq; alterũ a, adauxit litteræ claritudinem. Iouian. Actio. Flammatum, est prorsus flãmis comprehensum: accensum, quod igne est correptum. Vnde lib. 4. *His dictis incensum animum inflammauit amore.* Iuno accensa erat antè: sed cùm vidit, se inuita, tendere in Italiam Troianos, tota in flammas abiit. Corrad.

SECVM DEA CORDE VOLVTANS) lib. 4. Æneid. *insistit, secumq; ita corde volutat.* Libr. 6. *Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat.* Lucil. *Hæc tu me insimulas? non antè in corde volutas?* Lucret. lib. 3. *quædam qui mente volutent.* Plaut. Capt. *Quanto in pectore hanc rem meo voluto magis*

NIMBORVM IN PATRIAM) Quæ illis tanquam patria est, vbi nascuntur, & habitant cum ventis, quibuscum etiam gignuntur. Videtur esse *ἐπεξήγησις*.

C LOCA FOETA FVR. AVST.) Fœtum significat plenum. Sic lib. 2. *Scandit fatalis machina muros, Fœta armis.* Nonius. Cur non plana? videlicet quod allitteratio delectat magis aures. Iouian. De ventis, quam multi sint, & quibus è locis spirent, docebit te Gyrald. Syntag. 5.

ÆOLIAM VENIT. HIC VASTO) Potuit sic, & cum præterito tempore, *Æoliam venit, vasto hic rex Æolus antro.* Præterquam autem quod præsens tempus repentinam, vehementemque Iunonis commotionem indicat, magis quam præteritum, quando res ipsa

D geri iam videtur, & hiatus ille, & monosyllabarum duplicatio eo in loco tum versum, tum numerum nimio plus stitissent, quod ipsum pronuntiando sentitur Iouian. Actio.

Æolias insulas septem tradunt Geographi, quarum hæc sunt nomina. Lipara, Hiera, Strongyle, Didyme, Eriphusa,

riphusa, Phœnicusa, & Euonimos. Eædem à Plin.lib.3. Vulcaniæ, & Hephæstiades dicuntur. Alij inter istas septé Prochytam adnumerant. Interpres Hesiodi duplices Æolias facit: alteras, circa Mitylenen: alteras, circa Rhegium. Homerus non nisi vnam Æoliam agnoscere videtur. Quem Virgil. secutus est. Stephanus quoq; non nisi vnam Æoliam ponit. Nannius lib.7.ca.1. Quod à poeta dicitur, *Aeoliam venit*, etsi de omnibus Aeoliæ insulis nō incommodè accipi potest, est tamen aptius Strongylen intelligi, quam Aeoli domum, non dubiæ auctoritatis scriptores affirmāt. Solin.ca.12. Strongyle tertia, Aeoli domus, vergit ad solis exortum. Turneb.lib.21.cap.10.

** De insulis Æoliis, & imperio Æoli, vide, si placet, Dionysium in descript. orbis. Etiam Diodor. lib.5. cap.3. & Strabon. lib.6.*

B REX ÆOLVS) De Æolo sic Homer. Odyss.κ. in princip. libri.

Αἰολίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ', ἔνθα δ' ἔναιεν
Αἴολος Ἱπποτάδης φίλος ἀθανάτοισι θεοῖσι, &c.

Quo loco appellat eum *ταμίην ἀνέμων*, id est, ventorum promum & condum, vt Plautino verbo vtar. Horat. verò Ode 3 lib. 1. ventorum patrem. Ex Lamb. in Horat.

** De Æolo, & caussis, quare ventorum rex sit creditus, consulendus Gyraldus Syntagm. 5. Quod autem idem ab Homero ventos in vtre clausos Vlyssi tradidisse prædicatur, ait Palæphatus, commentum istuc nihil aliud velle, quàm ipsum fuisse Astrologum, qui Vlyssi tempora, quibus exortus flantium quorundam ventorum fierent, prædixerit.*

LVCTANTES VENTOS, TEMPESTAT. SONORAS) Solent poetæ, ac plerumque oratores verbis ad sonum, rerumque naturam exquisitis vti, vt ex hoc Virgilij loco apparet. Nam quam grandia hæc, atque sonora verba sunt, *Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras?* Sic quoque Cicero pro Milon. Scutorum, gladiorum, frænorum, sparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi posse iudicabatur. Vides quantus sit in verbis strepitus, & sonoritas, quæ rem quoq; maiorem, ampliorémq; facit? Nascimb.

IMPERIO PREMIT, AC VINC. ET CAR. FR.) Locum hunc de antro Æoli, ventisq; tanquam in carcere inclusis, & erumpere conantibus, complectebatur mente Statius lib.10. Thebaid. cùm scripsit.

Non aliter, moto quàm si pater Æolus antro
Portam iterum saxo premat imperiosus, & omne
Claudat iter, iam iam spirantibus æquora ventis.

De eodem ventos tanquam vinculis cohibente, Horat. Ode 3. lib.1. ad nauim Virgilij.

Ventorumq; regat pater
Obstrictis aliis, præter Iapyga.

De duplici ventorum origine, vide quæ scribuntur à Nannio lib. 7. cap. 1. Quare autem Æolus rex ventorum sit creditus, copiosè Corradus, quem legere poteris.

VINCLIS, ET CARCERE FRÆNAT) Omnia *κατὰ προσωποποιΐαν* ventis affinguntur, quæ hominum ira furentium propria, & peculiaria videmus. Scitè vinclis eos, & carcere frænari dicit, vt eorum naturæ quietem, atque cessationem maximè contrariam, & inimicam esse ostendat. Quia enim spiritus sunt, nihil illis quasi optatius, & conuenientius quàm spirare. Quare Horat. Ode 15. lib. 1. à Nereo Troianorum fata Paridi vaticinaturo, eos in grato otio, id est, molesto, & naturæ ventorum repugnante obrutos esse aptissimè dixit.

ILLI INDIG. MAG. CVM MVRMVRE) Lucret. libr.6.

Speluncasq; velut saxis pendentibu' structas
Cernere, quot venti cum tempestate coorta
Complerunt, magno indignantur murmure clausi
Nubibus, in caueisq; ferarum more minantur.

A Vt porrò hic de murmure montis, sic infrà de maris. *Interea magno misceri murmure pontum.*

CIRCVM CLAVST. FREM.) Clostrum seu claustrum à claudendo, vt haustrum ab hauriendo. Senec. de Benef. lib.7. cap.21. Deinde per clostrum, quia se commissura laxauerat, quatuor denarios in tabernam inseruit. Per clostrum, per seram, ait Muretus in Notis. Fremere circum claustra, est fremere circa obices portarum: si quà exitus detur, erumpere gestientes.

CELS. SEDET ÆOLVS ARCE SCEPT. TENENS) Poeta Aeoli regis grauitatem, maiestatemque, necnon prudentiam, animique temperantiam in regendis ventis, eorumq; impetu compescendo depingit. Sedet igitur, non quasi otiosus, sed in celsa sede, vt cum regia grauitate & maiestate, munere fungatur suo. Nascimb. In eo quod est *celsa sedens*, & *sceptra tenens*, simul insunt & alliteratio, & conflictatio, quæ aures submulceant. Quod verò ait *mollit*, potius, quàm *lenit*, hoc videtur fuisse caussæ, quòd vocalis e, cùm sonorem demittat, si *lenit* dixisset, eam trigeminasset, indeque generosus ille canor, suprà quàm oportebat demissus, pænè contabuisset, quem plenitudine sua vocalis o, & sustentauit, & illustrem reddidit. Iouian. Actio.

MOLLITQ. ANIMOS) Multa cum elegantia pronuntiauit Apuleius lib.1. inter cætera magorum effecta etiam illud falsò credi, ventos inanimes exspirare. Appellatur enim ventus à Græcis ἄνεμος, quò credibile sit, C Maronem allusisse: atque adeo inde ab Horatio quoq; & Lucretio, & hoc ipso vate nostro animæ pro ventis sæpe dicuntur. Vnico exemplo in præsens vtar ad confirmandum. Horat. Ode 12. lib. 4.

Iam veris comites quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Iam, animos fieri inanimes, hoc est, ventos amittere, & defici spiritu, & exspirare spiritum, habent apud festiuas aures venustum quiddam. Geminum prorsus huic illud Arnobij lib.1. numquid suas animas exspirauere venti?

NI FACIAT, MAR. AC TERR. CÆLVMQVE)
D Cùm maiore vocalitate hiatus sit in tertio pede, sordescet planè numerus, si dixeris, *Ni faciat, pelagus, terras, cælumq; profundum.* Iouian. Actio.

Probè Seruius, hic tria elementa nominari, æthera omitti, quòd venti non turbent superiora, vt apud Lucanum, *pacem summa tenent*.

Cùm mare, aut maria dicimus, quoduis mare, vel omnia potius simul intelligimus. Et mare quidem ipsum Aristides oratione in Ægæum pelagus, nullum adhuc vel poetarum, vel oratorum vniuersè celebrasse autumat: sed Homerum quidem violaceum vocasse, & nigrum pontum, Euripidem verò mare purpureum, & alium aliud: verùm plerunque conuiciatos mari, salsum & fremebundum, & similibus appellantes nomi-
E nibus. Laudauit mare Cicero, sed breuiter 2. de natur. deorum his verbis. At verò quanta maris est pulchritudo? quæ species vniuersi? quæ multitudo, & varietas insularum? quæ amœnitates orarum, & littorum? quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad saxa natiuis testis inhærentium? Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus claudit, vt vna ex duabus naturis conflata videatur. Hæc ille.

CÆLVMQVE PROFVND.) De cælo veteres vt altum, sic profundum dicebant. Etenim sublime, seu altum, & profundum reciproca translatione, vt alia multa inter se commutantur. Ennius. *Fortes Romani quàm quam cælus profundus.* Noster quoq; 2. Georg. fastigia, de scrobibus

bibus loquens, pro altitudine seu profunditate posuit. Gifan. in Lucret.

QVIPPE FER. RAP.) Horat. Ode 15. lib. 1. vocauit celeres, alibi vagos, Statius insanos, Ouidius vim feram ventorum, ac rabiem, Cato vesanientes.

VERRANTQVE PER AVRAS) Nonius exponit, trahant. Lucret. lib. 1.

Quæ mare, quæ terras, quæ deniq; nubila cœli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.

Et lib. 5. *Partim quod validi verrentes littora venti Demittunt.* Et lib. 6.

Contemplator enim, cum montibus assimulata
Nubila portabunt venti transuersa per auras.

Et Maro Georg. 3. *Ille volat simul arua fuga, simul æquora verrens.* B * *Ventorum incitatissimos impetus, furoremq;, vt ita dicam, furiosissimum, luculentissimis etiam verbis habemus declaratum ab Ouidio 1. Metamorph.*

His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aera permisit; vix nunc obsistitur illis,
(Cùm sua quisq; regat diuerso flamina tractu)
Quin lanient mundum: tanta est discordia fratrum.

SED PATER OMNIPOTENS) Deum nonnulli, etiam quorum tenebris fides lucem non attulit, ęternam substantiam esse intellexerant, à qua res ortæ essent, & cuius prouidentia omnia gubernarentur, suumque ordinem, & statum conseruarent. Ex humanis igitur rebus ducta similitudine, quemadmodum eum, à quo familia propagata est, cuiusq; consilio, & imperio regitur, patrē C vocabant: ita hac ratione factum est, vt deum, quem omnium rerum opificem, & rectorem agnoscebant, Patrem appellari voluerint. Eodem nomine sacræ etiam litteræ vsæ sunt, cùm de Deo loquentes, vniuersorum creationem, potestatem, admirabilemque prouidentiam ei tribuendam iudicarent. Sunt & aliæ rationes, ob quas pater, & fidelium, id est, Christianorū pater diceretur, quas in præsentia non attingam. Et cùm sanctæ Scripturæ soleant multis nominibus Dei summam vim, & immensam maiestatem explicare, vt ostendant quanta A religione, & pietate illius sanctissimum numen colendum sit, in primis illi *omnipotentem vim* frequentissimè tribuunt, eamque nonnunquam non vno, sed pluribus verbis idem significantibus exprimunt. Intelligimus autem verbo *omnipotens* nihil esse, nihil animo, & cogitatione fingi posse, quod deus efficere nequeat: etenim nō solùm hæc, tametsi maxima sunt, aliquo tamen modo in cogitationem nostram cadunt, efficiendi potestatem habet, vt nimirum omnia ad nihilum recidant, atque vt plures mundi è nihilo repentè existant, verum etiā multò maiora in illius potestate sita sunt, quę humanæ menti, & intelligentiæ suspicari non licet. Plura Catechism. Trident. in Symbolum.

SPELVNC. ABDIDIT ATRIS) Atræ speluncæ, sunt profundæ: quò enim profundiores, aut secretiores recessus, ac latebræ, eò magis tenebrosæ, & obscuræ. Suprà, vastum antrum appellauit. ✱

MOLEMQVE, ET MONTES) Non est verum, quod aiunt Grammatici, epitheton excludi in voce, intelligi in significatu, hoc exemplo, *molem, & montes*, id est, inquiunt, molestos montes: nugæ enim sunt, somniaque delirantium: sed est expositio, molem, quam molem? montes altos. Id est, molem altorum montium. Sic, *Italiam venit*. Qua parte? *Lauina littora*. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 27.

ET PREM. ET LAX. D. IVSS. HABEN.) Demonstratur per habenarum adductionem, & remissionem pulchra, scriptoribusq; bonis frequentata metaphora, in quo potissimùm versetur Principis officium: nempe in eo, vt in populos subiectos imperium, neúe durè nimis, & inclementer, neúe dissolutè, ac negligenter nimis exerceat. Bonus Princeps, inquit Seneca de Clementia, lib. 1. cap. 18. similis est patri, & ideo pater patriæ appellatur. Ibid. cap. 24. Non minus Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera. Et: Remissius imperanti, melius paretur. Est igitur admodum rebus fœcundum hoc Maronis carmen, & sensu prædiues. ✱

Æole (namq; tibi diuûm pater, atq; hominum rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosq; penates.
Incute vim ventis, submersasq; obrue puppes:
Aut age diuersas, & disijce corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deïopeiam
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo:
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.
Æolus hæc contrà. Tuus, ô regina, quid optes
Explorare labor, MIHI IVSSA CAPESSERE FAS EST.
TV MIHI QVODCVNQVE HOC REGNI, tu sceptra, Iouemq;
Concilias, tu das epulis accumbere diuûm,
Nimborumq; facis, tempestatumq; potentem.

ÆOLE) Admonuerunt quidam eruditi, & in his Seruius, in appellationibus, quoties superiores alloquimur, nō eos proprio, sed dignitatis, ac muneris ipsorum nomine afficiendos. Rex, magister, domine, pater, dicet subiectus, discipulus, seruus, filius. Quoties verò nobis inferiores alloquimur, suis eos nominibus compellan- D dos, Petre, Ioannes, Sabina, Claudia, &c. Istuc obseruatum hoc loco obseruemus licet. Iuno siquidem deorum regina paruum quendam, ac pænè triobolarem deum suo nomine vocat, Æole. Quamquam & illa de caussa nomen eius à principio vsurpatum videri queat, quòd rem blandiendo, non pro imperio agendo impetrare vult.

vult. Est autem blandimentum quoddam in propriis nominibus, & suo se quisq; nominari gaudet. Captat igitur sic beneuolentiam Iuno, quam, potestatem eiusdem Æoli declarans, auget. Ille contra dominam suam, non Iunonem, sed reginam nuncupat, *Tuus ô regina*, &c. Sic Ilioneus orator Troianus exorsu orationis suæ ad Didonem, *O regina, nouam cui condere Iupiter vrbem*, &c. Hoc præceptū nō est sanctū capite. Certè olim principes, & Imperatores suis se nominibus ab infimis quoq; passos appellari, & voluisse appellari legim⁹. Tāta fuit in summa potestate moderatio. De varietate ista appellationum, & salutationum consulendus Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19. & Ibid. Tiraquellus in Annotat.

NAMQVE TIBI) Parenthesis est vsque ad verbum *incute*, & αἰτιολογία, qua ostendit fieri facile posse, quod petitura est: & ostendit antequam petat, ne statim possit negari, vt iam πρόληψις esse cognoscatur. B

DIVVM PATER, ATQVE HOM. REX.) Persius Sat. 3. *Magne pater diuûm*, &c. Catull. de nupt. *diuûm genitor*. Nec aliud est, quod infra legimus. *O qui res hominumq́; deumq́; Æternis regis imperiis*. Nam & patris est regere, qui in domo familiaq; sua rex est. Varro de ling. lat. lib. 1. eundem (Iouem) appellans dicit Ennius, *diuumq́; hominumq́; pater Rex*. De eiusdem Aeoli regno, atque potentia Statius lib. 4. syluar.

Et pater Æolio qui frangit carcere ventos
Cui varij flatus, omnisq́; per æquora mundi
Spiritus ac hyemes, nimbosaq́; nubila parent.

ET MVLCERE DEDIT) Bene Virgilius, tibi dedit mulcere fluctus, & tollere vento. ipse enim κινεῖν habet, tu χρῆσιν, neq; simpliciter, sed, vt suprà dictū, iussus habes: quod quia non ad augendā, sed minuendam potius dignitatem pertinebat, tacuit Iuno, & absolutè locuta est. Videtur tamen mentiri quædam Iuno, vt caussæ suæ seruiat. Neq; enim Iupiter Æolo dedit, vt fluctus mulceret, aut tolleret vento: sed eum regem vētis dedit, qui fœdere certo & premere, &c. Cur enim alteri daret, quod ne ipse quidem vsurparet, vt regnum fratris turbaret? sed quia ventis surgentibus mare turbatur, & cessantibus placatur, hoc Æolo, qui ventis imperat, à Ioue concessum, quasi ab effectis argumentatur. Hæc propemodum, Corrad.

GENS INIMICA MIHI) Secundùm procemium caussam ingreditur, quam statim iustam honestamque ostēdit esse ratione inimicitiæ: vnde occultè innuit, iure aliquid contra hostes fieri interdum, & postulari posse: augetque emphasi, quod ait, *Gens inimica mihi*, mihi ipsa, non ego illi: ad exprobrandam Troianorum superbiam, qui deorum reginam lacessere non dubitent. Boni enim oratoris est, aduersarios deturpando, auditorum sibi beneuolentiam, quàm potest maximam aucupari. Nascimb. Astutè non nominat Æneam, ne statim obiiciat Æolus, se illi, vt pio, & Iouis nepoti nocere non posse.

TYRR. NAVIG. ÆQVOR) Nauigare æquor, πλέειν τὴν θάλατταν Demosth. & Homero ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα.

ILIVM IN ITALIAM PORTANS) Non absq; inuidia, *Ilium in Italiam portans*, quasi vrbem, & Troianos oculis cernat. Ita etiā 2. Æneid. ὑπερβολικῶς, & inuidiosè Androgeos sociis ignauiam obiectans, *alij rapiunt incensa feruntq́; Pergama*. Apud Euripidem choros de Paride verba faciens qui Helenam abduxit, Græciam ad Ilium duxisse ait.

Διὰ δίκας ἔβα θεῶν νέμεσις εἰς Ἑλλάδα.
Λαικρίνοισι γὰρ Ἑλλάδ' ἅπασαν ἔπλησε,
Διὰ τὸν ὑλόμενον Ἰδαῖον
Πάριν, ὃς ἄγαγ' Ἑλλάδ' εἰς Ἴλιον.

A Nascimb. * *Imitator Maronis quā studiosissimus Silius li. 1. Punic. Vide quomodo sua huc cōformauerit: loquitur Iuno irata Romanis.*

Intulerit Latio spreta me Troius, inquit,
Exul Dardaniam, & bis numina capta penates?

VICTOSQVE PENATES) Augustinum Ciuitatis lib. 1. cap. 3. tibi producam, differentem aduersus penates istos, & impiam, ac stultam religionem veterum, nō sine perhonorifica mentione vatis nostri. Ecce qualibus diis vrbem seruandam Romani se commendasse gaudebant. O nimium miserabilem errorem. Et nobis succensent, cum de diis eorum talia dicimus: nec succensent auctoribus suis, quos vt ediscerent, mercedem dederunt: doctoresq; ipsos insuper & salario publico, & honoribus dignissimos habuerūt. Nempe apud Virgilium, quē propterea paruuli legunt, vt videlicet poeta magnus, omniumque præclarissimus atque optimus teneris ebibitus annis, non facile possit obliuione oboleri. Apud hunc ergò Iuno inducitur infesta Troianis, Æolo ventorum regi aduersus eos irritādo dicere, *Gens inimica mihi*, &c. Ita ne istis penatibus victis Romam, ne vinceretur, prudentes commendare debuerunt? Sed hæc Iuno dicebat, velut irata mulier. Quod Æneas ipse pius toties appellatus, nonne ita narrat in 2.

Panthus Otriades, arcis Phœbiq́; sacerdos
Sacra manu, victosq́; deos, paruumq́; nepotem
Ipse trahit, cursuq́; amens ad littora tendit?

C Nōne deos ipsos, quos victos nō dubitat dicere, sibi potius, quam se illis perhibet cōmendatos, cum ei dicitur, *Sacra, suosq́; tibi cōmendat Troia penates*? Omitto cætera.

INCVTE VIM. V. SVBMER. OB. PVPP.) Apud Terent. And. Charinus Pamphilo. *Nunc te per amicitiam, & per amorem obsecro, Principiò vt ne ducas*. Respondet Pamph. *dabo equidem operam*. Rursum Charinus. *Sed si id non potes, aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi, saltem aliquot dies profer, dum proficiscar aliquò, ne videam*. Quem in locum Donat. Primò quæ maiora sunt petit. Posterius quæ ex his videntur minima, & hoc arte. Mox hunc ipsum Maronis locum propter similitudinē ad illustrandū apponit, qui vicissim è Terentiano illustratur.

DISIICE CORP. PON.) Non virorum solum, sed D & nauium, inquit Seruius: vt, *toto descendit corpore pestis*.

SVNT MIHI BIS SEPTEM) Postquam rogauit Æolū Iuno, vt sibi gratificatus, immissa tempestate Troianos in Italiam cursum tenentes affligeret, eorumque naues aut submergeret, aut alias in oras dissiparet, hoc si fecerit, præmium daturam se pollicetur. Conatur Æolum ea re corrumpere, qua non reges modò, sed omnino homines facilè ab officio transuersim aguntur. Voluptates enim blandissimæ dominæ, sæpe maiores animi partes à virtute detorquent, ait 2. de Offic. Cic. Tametsi non meram voluptatem, sed quod honestius est, immo honestissimum, ex illa voluptate prolē quoq; spōdet.

Hoc versu *Connubio iungam stabili*, &c. multa contineri Serta E perspexit, quæ ad coniugij felicitatem pertineant. Nos aūt his quinque carminibus, *Sunt mihi*, & quæ sequuntur. res octo notauimus cōprehensas, quibus matrimonij beatitas æstimetur. Eius itaque prima laus est, quod connubium est, non scortatio. & vir maritus, mulier vxor est. Altera, si careat diuortio; propter amborum videlicet coniugum irruptum amorem, perennemq́; concordiam. De qua suauiter Phocylides.

Στέργε τεὴν ἄλοχον. τί γὰρ ἡδύτερον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέῃ φίλα γήραος ἄχρι,
Καὶ πόσις ᾗ ἀλόχῳ, μηδ' ἐμπίπτῃ δίχα νεῖκος;

Huc aptum est, quod ad Geminum scribit Plinius epistola 8. lib. 8. de Macrino dolente super vxoris obitu. Graue vulnus Macrinus noster accepit, amisit vxorem singularis exempli, etiam si olim fuisset. Vixit cum hac triginta nouem annis sine iurgio, sine offensa. Quam illa reuerentiam marito suo præstitit, cum ipsa summā mereretur? Tertia, si nullum intercedit adulterium, si sit, inquam, vxor viri sui propria ac peculiaris, ac nulli præterea mortalium obsequatur. Quarta, si, cui nupta est, ei studiosè, & promptè pa-

prè pareat. Quo refertur illud *dicabo*: dicari quippe sunt ad alicuius obsequium traditi. Vox *connubij* primam laudem, *stabili* secundam, *propriam* cõtinet tertiam. Quamquam est nõ nemo, qui censeat, vocem *propriam* non ad adulterium, sed ad diuortium referẽdam, vt sit repetitio, siue expositio eius, quod præcedit, *Connubio iungam stabili*. Proprium enim, vt infrà dicemus, diuturnum ac perpetuum est. *Dicabo*, vt diximus, quartam; quatuor verba, quatuor bona coniugij. Sed arbitror ex versu secundo, ex quarto, & quinto totidem alia posse colligi. Formam nuptæ egregiam (*quarum quæ forma pulcherrima.*) Diuturnitatem huius arctissimæ societatis (*omnes vt tecum meritis pro talibus annos Exigat.*) Fœcunditatem, & liberos præclari vultus. (*& pulchra faciat te prole parentem.*) Non satis est, quæ te faciat patrem, quæ tibi det liberos: sed formosos liberos, quales plerunq; ex non deformibus generantur. Hæc octo esse bona matrimonij, iisq; vniuersam prope eius fœlicitatem includi, facilè ex eorum contrarijs intelliges, quæ mala habentur, illamq; coniunctionem miseram, & infelicem reddunt. Quid enim infelicius, ac miserabilius eo coniugio, in quo vxor non est vxor, sed pellex, aut concubina potius, quia scilicet leges sacratæ vxorem eam habere non sinunt? In quo aut factum est, aut faciendum timetur diuortium? cum dicendum est, res tuas tibi habe? In quo aut viro mulier, aut mulieri vir de alienis amoribus per zelotypiam suspectus est? aut etiam torus nefario pellicatu sordidatur? In quo dominari, & præesse vult, quam & natura, & lex diuina subesse voluit? Quid ingratius, & iniucundius, quàm assiduo inuenustam, ac turpem intueri coniugem? quàm morte interueniente paucis post annis abrumpi illa gaudia? quàm nullos aspicere velut imagines sui liberos, sed quasi sterilem domi mulam pascere? quàm monstrosas demum progenerasse proles, quarum occursum quodammodo refugiant ciues? Cæterùm postqum hæc omnia, quæ enumerauimus, bona affuerint, adhuc duobus ad coniugij tranquillitatem maximè opus erit, nempe, vt vir surdus, vxor cæca sit: quod de felicitate matrimonij interrogatus Antonius Panormita respondit, vt narrat Iouian. de Obedient. lib. 2. hæc in extremo capite subijciens. Omnis igitur pæne rei vxoriæ molestia ortum habet ab obedientia, quæ totam sæpissime rem familiarem interuertit, conijcitq; ipsos patresfamiliâs in ærumnas quam grauissimas. Quamquam & aliquando viri ipsi sunt in culpa, dum aut pecuniæ cupiditate, aut ambitione capti præcipitãtur in nuptias, nescientes, nobilitatis, & amplæ dotis duo pessimæ mala socia esse, vxoris superbiam, & viri seruitudinem. Itaq; non iniuria apud Plautum nostrum veretur ille magnatem, dotatamque matronam ducere, ne sibi dicendum esset, Argentum accepi, dote imperium vendidi. Quare obedientiam quoq; annumeres: veruntamen eam ipsam nõ omisimus, quam verbo *dicabo* significari docuimus: potius vacuitatem suspicionis annumeremus, quã viri surditas, vxoris cæcitas συμβολικῶς significat. Conditiones plures colligantur, si lubet, ex Plutarchi præceptis connubialibus. De fœlicitate matrimonij Christiani Tertullianus libr. 2. de cultu fœminarum. Vnde sufficiam ad enunciandam fælicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renunciant, pater ratum habet? Quale iugum fidelium duorum, vnius speciei, vnius voti, vnius disciplinæ, & quæ sequuntur. Hanc autem orationem Iunonis prorsus imitatam ex oratione eiusdem Iunonis ad Somnum, Iliad. ξ. testificatur lib. 18. cap. 32. Turneb. Illic & Pasitheam vnam ex Gratiis pollicetur vxorem, si Iouem consopiuerit.

PRÆSTANTI CORPORE NYMPHÆ) Arist. 1. de arte dicendi, vnumquodq; à propriis, aptisque illi virtutibus laudandum præcipit, vt militem à fortitudine, ducem à peritia militari, animique magnitudine, sacerdotem à pietate, & castitate. Mulieris virtutes, quas natura corpori tribuit, formam esse vult, & magnitudinem: quas his duobus verbis poeta fuisse complexus videtur *præstanti corpore*. Nam corpus præstans esse dicitur, quod magnum, & pulchrum est, cum pulchritudo nisi in magno corpore, non sit. Pulchritudo (inquit Arist. 3. Ethic.) in magno corpore consistit: parui verò formosi sunt quidem, sed non pulchri Nascimb. * *Talem commendat Propert. lib. 2.*

Fulua coma est, longæq; manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna soror.

Quam sit verò acer ad coniugium stimulus venustas fœminæ, & sacris, & profanis exemplis notum est innumeris. Id quidem in vna Penelope ingenium Homeri cumulatè demonstrauit. Verissimè Afranius.

Formosa virgo est. dotis dimidium vocant
Isti, qui dotes negligunt vxorias.

DEIOPEIAM) Prisci Latini Græcos sequuti auctores, frequentissimè vsi sunt pentasyllabis loco vltimo, quibus scatet Lucretius.

Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes. &,
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur. &,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur.

Quin etiam soluebant diphthongos, vocalesque simul coactas, vt, *Effice vt interea fera munera militiaï.* Aliquando & Horatius auribus hunc suis numerum exhibuit. *Olim qui magnis legionibus imperitarunt.* Virgilius non omnino reiecit. Nam præter hoc exemplum inuenies hæc quoque, sed omnia propria.

——nec Thesea, Pirithoumq;
——his Laodamia.
——graue olentia centaurea.

Nihil est enim, quod non raritas approbet, auribus tædium, ac satietatem recusantibus, cum præsertim græca lingua numeris his mirificè lætetur. Sed tamen non debet raritas vacare diligentia. Iouian. Actio.

CONNVBIO IVNGAM STABILI) Cic. 2. Philipp. Curio te matrimonio stabili, ac certo locauit. De firmo certoq; coniugio, nec diuortio fortasse vnquam dirimendo dicitur. Sed, vt opinor, ita appellabant, velut quodam omine stabilitatem, & firmitatem matrimonio augurantes: cum præsertim nec nuptias contrahant, nisi spe permansionis, & diuturnitatis. Commodè dixit, iungam connubio: ipsa enim est pronuba, ipsa cui vincla iugalia curæ.

PROPRIAMQVE DICABO) Propria dicuntur, in quibus nemo alius quippiam iuris habet, & quæ perpetuam domino afferãt possessionem, qua ratione hoc dictum est à Virgilio, *Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo*, cum nuptias liberas à diuortio, & vendicatione alterius mariti polliceretur. Hoc quoq; 6. Æneid. *nimium vobis Romana propago Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent.* Nam in commodatitiis temporaria possessio est. Nannius lib. 4. cap. 8.

OMNES VT TECVM AN. EXIGAT.) Exigere, significat agere, ait Nonius. Plaut. Capt. *Salue Tyndare. Et tu, cuius caussa hanc ærumnam exigo.* Lucil. *cum cognoueris, vitam sine cura exigas*, Philemon, & Baucis coniuges apud. Ouid. 8. Metamorph. deos orantes. *Et quoniam concordes egimus annos, Auferat hora duos eadem.* Terent. Hecyra.

Illiq; exopto, vt reliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui sit fortunatior.

Vrbanè Plautus, dum in prologo Trinummi facit luxuriam Lesbonico adolescenti, qui rem paternam ista adiutrice perdiderat, Inopiam filiam suam pro vxore tradere, cum qua ætatem exigat.

Quoniam ei qui me aleret, nihil video esse reliqui,
Dedi meam natam, qui cum ætatem exigat.

Omnes annos secum coniuges exigunt, qui in stabili, fidoque matrimonio ad summam senectutem ambo viuunt. Hoc Sara à Deo precabatur, quando Tobiæ iuniori iuncta fuit nuptiis. Miserere nobis domine, inquit, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani.

PVLCHRA FACIAT TE PROLE PARENTEM) Iuno Iliad. ξ. vbi somno vnam ex Gratiis vxorem se daturam promittit, vtitur impudica voce, ὀπυιέμεναι. Sane ὀπυίειν actum venereum significat aliquãdo, vt in 8. Iliad. de morte Gargythionis. Quod melius noster. Non solum pollicetur oblectationem, quod bestiarum est, sed prolem, cuius gratia matrimonium est institutum. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3. Tacitus Annal. 11. de Messalina, quæ viuo Claudio, palàm Silio nupsit. Haud sum ignarus fabulosum visum iri, tantum vllis mortalium securitatis fuisse

fuisse,in ciuitate omnium gnara, & nihil reticente: neadum Consulem designatum cum vxore principis, prædicta die,adhibitis qui obsignarent,velut suscipiendorũ liberorum caussa conuenisse.Hæc formula, inquit Lipsius,in nuptiis legitimis solemnis,ad cõiugij verum finé. Nec enim ob aliud,ait Augustinus, fœmina nubit,quã vt mater fiat. Vnde & matrimonium ominis caussa dictum. Id Græci definiunt, *γάμον σύνοδον ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς κατὰ νόμον, ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ.* Et pulchrè Menander apud Clementem Alexandrinum. *παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων δίδωμι σοί γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα.* Et Augustus senile quoddam coniugium iniustum pronuntiauit, quoniam non quærendorum liberorum caussa initum,ait Valerius lib.7.cap.7.In ipsis autem tabulis ea verba solita exprimi, testatur Augustinus lib. 14.Ciuitatis. Quid concubitus coniugalis, inquit, qui secundum matrimonialium præscripta tabularum,procreandorum fit caussa liberorum? Adde & Sueton.Iulio,cap.51.

ÆOLVS HÆC CONTRA) *Quod probati scriptores reliqui docent contra, Sallustius in Iugurthino dixit contra ea,dignum certè animaduersione. Romani pro ingenio quisque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare: euadere alij, alij succedere, ac murum modò suffodere, modò scalis aggredi: cupere prælium manibus facere. Contra ea oppidani in proximos saxa voluere.*] Immo & Cæsar 3. de bello ciuili. Contra ea Cæsar neque satis perterritis militibus confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat. Æmilius Probus frequenter. Præfat. Contra ea si quid aduersi accidisset. Et in Agesil. Contra ea Tissaphernes nihil aliud, quàm bellum comparauit. Congessit hæc Lamb.

TVVS QVID OPTES EXPLORARE LABOR) Quod hic Virgilius inducit Æolum ita Iunoni dicere, cùm se paratum ostendere velit, facere, quodcunque illa iusserit: nec posse aut debere vllum ipsius imperium detrectare, idem quod apud Euripidem Ione respondet vetus famulus illius familiæ, Creusæ: quæ se opera illius vti velle significarat in re non satis honesta, vel potius affini graui sceleri, ac nefario. Hæc igitur ipsius verba sunt, ostendi sibi volentis locum, ac modum illius rei peragendæ. *Σὺ καὶ τὸ δρᾶσαι, ὃν λέγεις: τολμᾶν δ' ἐμέ.* Potest igitur facilè cognosci, huius etiam sententiæ exemplo,breuitas,& elegantia græci sermonis, qui paucioribus verbis idem expressit. Sed etiam auctoritate horum duorum locorum perspicitur, hanc orationem conuenire illis, qui paratos se ostendunt, cùm rogantur à potentioribus, facere aliquod improbum facinus: aliquo modo enim ita se purgant, & obscurè culpam illorum scelerum in auctores conferunt. Nam quod petierat etiam Iuno, sæuum erat, tantum periculum creare classi, & illam pænè mergere fluctibus, nullius culpæ conuictam, sed ob proprias tantum inimicitias, & odium. Victorius libro 29. capit. 4.

MIHI IVSS.CAP.F.EST) Pro,nefas est non capessere.*λιτότης*,vt notat Seruius.

TV MIHI QVODCVNQVE HOC REGNI) Iunonis erga se beneficia cum exaggeratione recenset, pro quorum magnitudine omnia se illi debere profitetur. Extenuat imperium suum, inquiens, *hoc regni*: quoque magis Iunonis potestatem, atque dignitatem extollat, vtitur repetitione ex adiunctione: quarum altera grauem, altera festiuam orationem reddit. Hic etiam diligenter obseruandum, sapienter poetam fecisse,vt Aeolus Iunonis beneficia recenseret,quæ Iuno ipsa tacuerat. Nam personæ graues,atq; magnanimæ,quę in alios contulerint,libentius audiunt,quàm vt ipsę narrent aliis. Aristot.4.Eth. Nascimb.

Ad hos versus,& qui præcesserunt de nympha Deiopeia,quam illi Iuno promisit,idonea fuerit imago Aeoli,quam sic describit libello de deorum imaginibus Albricus. Stabat in antro Aeolus, linea veste indutus,& præcinctus,tenens sub pedibus folles,in manu autem vtraque cornua:quæ ori admouens, ea sufflare, & ab vnoquoque cornuum sex ventos emittere videbatur. Et quia Iuno regnum ei dedisse fingitur, à dextris ei astans, septa nube,coronam ei imponebat. A sinistra verò eius nympha vmbilico tenus nuda extare è mari, quam ei coniugem Iuno pollicita est.

TEMPESTAT.POTENTEM) Sic lib.3.*Dij maris, & terræ,tempestatumq; potentes.*Horat.Ode 3.lib.1. *Sic te diua potens Cypri.*Id est, domina,more Græcorum,*κρατοῦσα Κύπρου.*Sic Ode 5.*suspendisse potenti Vestimenta maris deo.* Ode vlt.Epod. *Phœbe,syluarumq; potens Diana.* Ex Lamb.in Horat.Adde ex Nemesian.eclog.2. *Et nemorum Syluane potens.*

Hæc vbi dicta,cauum conuersa cuspide montem
Impulit in latus;ac venti velut agmine facto,
Quà data porta,ruunt,& terras turbine perflant.
Incubuere mari,totumq; à sedibus imis
Vnà Eurusq;, Notusq; ruunt,creberq; procellis
Africus:& vastos voluunt ad littora fluctus.
Insequitur clamorq; virûm,stridorq; rudentum.
Eripiunt subitò nubes cælumq;,diemq;,
Teucrorum ex oculis:ponto nox incubat atra.
Intonuere poli,& crebris micat ignibus æther:
PRÆSENTEMQVE VIRIS INTENTANT OMNIA MORTEM.
Extemplò Æneæ soluuntur frigore membra.
Ingemit,& duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert. O TERQVE QVATERQVE BEATI,
Queis ante ora patrum,Troiæ sub mœnibus altis,
Contigit oppetere. ô Danaûm fortissime gentis
Tydide, méne Iliacis occumbere campis

Non potuisse? tuaq; animam hanc effundere dextra?
Sæuus vbi Æacidæ telo iacet Hector, vbi ingens
Sarpedon, vbi tot Simois correpta sub vndis
Scuta virûm, galeasq;, & fortia corpora voluit.

CAVVM CONVERSA CVSP.) Ipsum hunc locum, atq; adeo descriptionem Virgilianam tempestatis turbulẽtissimæ, & grauissimæ, conatus est imitari Valer. Flaccus Argonaut. lib. 1. Vt igitur ex collatione deteriorum, tantò clarius Maronis præstantiam cognoscamus, Flacci verba subiiciam. Dixerat, *At cuncti fremere intus, & æquora venti Poscere.* Hæc respondent illis superioribus, *Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt.*

——tum valido contortam turbine portam
Impulit Hippotades. Fundunt se carcere læti,
Thraces equi, Zephyrusq;, & nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus, crinemq; procellis
Hispidus, & multa flauus caput Eurus arena
Induxere hyemem, raucoq; ad littora tractu
Vnanimi freta curua ferunt, nec sola tridentis
Regna mouent, vasto pariter ruit igneus æther
Cum tonitru, piceoq; premit nox omnia cælo.
Nauibus excussi remi, conuersaq; frontem
Puppis in obliquum resonat latus accipit ictus.
Vela super tremulum subitus volitantia malum
Turbo rapit, qui tum Minyis trepitantibus horror,
Cum picei fulsere poli? pauidamq; corusca
Ante ratem cecidere faces? antennaq; læuo
Prona dehiscentem cornu cum sustulit vndam?

Lege quæ sequuntur, &, si per otium licet, particulatim omnia cum Maronianis confer: quæ quanto illustriora sint, oportet cæcum esse prorsus, qui non videat. Sed Maronem consequi cùm adhuc datum sit nemini, quò quis imitando ad eius excellentiam propius accesserit, hoc vtiq; se admirabiliorem præstabit. ✤

MONT. IMP. IN LATVS) Impulsio montis in latus, quod & Quintilianus docet, sæuissimæ, ac certissimæ tempestatis futuræ est indicium. Et quod cauũ montem dicit, physicam rationem attingit, quoniam concaua loca ventis facilè replentur: vnde & terræmotus quãdoq; fiunt. Nascimb.

QVA DATA PORTA RVVNT) Credidit antiquitas, Æolum ventos tenere clausos carcere, & patefacta ab eo porta, erumpere illos, terrasq; perflare. Itaque quia à cauis illis globis aqua plenis, quà foramẽ est, cùm indũtur in ignẽ, magna vis halitus effertur: propter eius irruptionem sunt Æolipylæ vocatæ, id est, Æoli portæ, de quibus Vitruuius lib. 1. cap. 6. Turneb. lib. 25. cap. 12.

TERRAS TVRBINE PERFLANT) Ieiuna plane interpretatio, per terras flant, quasi dictum sit eo tantum modo, quo illud, *Atq; rotis summas leuibus perlabitur vndas,* id est, per vndas labitur, more Græcorum scilicet, præpositionem casus verbo adiungentium. *Ἐμφαίνεται αὐτῷ*, pro, *ἐπ' αὐτῷ*, Inapparet ipsi, pro, in ipso apparet. Vitiosa est, inquam, interpretatio, non enim flatum longè, latéque vagantem: sed eius vehementiam, atque impetum, ad terrarum spacia permiscenda, ac perturbanda effusum indicare hoc verbo, voluit. Modicius.

INCVBVERE MARI) Hoc verbo impetus, & conatus ventorum in mari concitando exprimitur: neque enim illud ab imis sedibus potuissent euertere, nisi incubuissent ad eam rem penitus.

CREBERQVE PROCELLIS AFRICVS) Africus ab occasu hyberno spirat, Arist. 2. *μετεώρ.* opponitur-A que Cæciæ linea recta, ab æstiuo flanti, Zephyroq; seu Fauonio proximus est. Hoc loco Virgilius Africũ dixit pro Zephyro, quẽ nominat Odyss. 2. Homer. Σὺν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσε Ζέφυρός τε δυσαής. Vbi Homerus motum duntaxat, noster autem, cum *ruunt* dixit, etiam occupationem significauit. Vt autem notat Strabo lib. 5. apud Homerum Zephyrus non est Fauonius, sed is, quem nunc Maro vocat Africum. Sic & infra, *Eurum ad se, Zephyrumq; vocat,* de Africo accipiendum est: aut quod incredibile dictu est, ventum non antè appellatum nominat. Turneb. lib. 18. cap. 32. * *Horatius item cum scripsit Oda 1. libr. 1.* Luctantem Icariis fluctibus Africum, *quid nisi procellosum videtur nominasse? Venti quatuor sunt, inquit Seneca Natural. lib. 5. cap. 16. in ortum, in occasum, meridiem, septentrionemq; diuisi.* B *Cæteri quos variis nominibus appellamus, his applicantur.*

Eurus ad auroram, Nabathæaq; regna recessit,
Persidaq;, & radiis iuga subdita matutinis.
Vesper, & occiduo quæ littora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro. Scythiam septemq; triones
Horrifer inuasit Boreas. Contraria tellus
Nubibus assiduis, pluuioq; madescit ab Austro.

Vel, si breuius illos complecti mauis, in vnam tempestatem (quod fieri nullo modo potest) congregentur. Vnà Eurusq; Notusq; ruunt, creberque procellis Africus. *Et qui locum in illa rixa non habuit, Aquilo. Lege totum caput: & insuper Vitruuij cap. 6. libr. 1. & Plin. lib. 2. à cap. 45. vsq; ad 50. & Gell. lib. 2. cap. 22. Violentes ventorum multas enumerat Seneca Natural. lib. 5. cap. 18.*

VASTOS VOLVVNT AD LITTORA FLVCTVS) Lucret. lib. 2.

C *Vt mare cum magni commorunt æquora venti,*
Vertitur in canos candenti marmore fluctus

Vasti fluctus sunt immensi, ingentes, decumani.

INSEQVITVR CLAMORQVE VIRVM) In hoc versu singulæ voces litteram habent asperam. Namq; aliarum principium, aliarum finis, aliarum & principiũ, & pausa trahit secum asperitatem litteræ rigidioris, qua multiplicata horror quasi quidam gignitur loco illi debitus. Ipsæ quoque inclinatiuæ particulæ, dum accentus ad se rapiunt, horrori etiam ipsi non parum adiungunt, clamorque, stridorque. Quid quod in tempestate obscuritas terrorem auget? Virûm, & rudentum vltimæ, sonant etiam nescio quid obscurum. Iouian. Actio. D * *Quid mirum, tempestate commota exoriri clamores nautarum, vectorumq; sese ad diuersa officia in præsenti periculo cohortantium? Stridere etiam funes nauticos dum vela contrahuntur, & fiunt, quæ res tum postulat?*

STRIDORQVE RVDENTVM) Rectè stridor, ex nimio enim stridore ita nuncupati sunt illi funes nautici, quod videantur scilicet rudere.

ERIP. SVB NVB. CAELVMQ. DIEMQ.) Lib. 3. *Inuoluêre diem nimbi, & nox humida cælum Abstulit,* vbi similiter luculenta est grandis cuiusdam tempestatis descriptio. Cum his autem duobus versibus, & illis, quorũ iam principium adduxi è lib. 3. comparemus licet nonnullos è lib. 6. Lucret. vbi ille fulmina cælo sereno gigni negat, & ab ipsa sensus experientia probat, cælo nubibus E planè operto, ac turbido fieri.

Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res,
Quod tunc per totum concrescunt aera nubes
Vndiq;, vti tenebras omnes Acheronta reamur
Liquisse, & magnas cæli complesse cauernas:
Vsq; adeo tetra nimborum nocte coorta
Impendent atræ formidinis ora supernè,
Cum commoliri tempestas fulmina cœptat.

Vide

Vide & lib. 4. *Præterea modò cùm fuerit liquidissima cæli Tempestas, &c.* Descripsit tempestatẽ multis admodum versibus Naso Metamorph. libr. 11. quam si cum Maroniana cõtuleris, hanc vt breuissimam, ita euidentissimã, grauissimamq; confitebere. De qua Scalig. Poet. lib. 3. cap 4. adeo luculentam esse, vt ne à natura quidem illustrius committi queat. Eandem ponderat idem lib. 5. ca. 48. & cum Ouidiana, Lucanicaq; confert diligenter lib. eodem, cap. 12. Luxuriat Ouid. suo more videlicet: locum indicabo. *Cùm mare sub noctem tumidis albescere cœpit Fluctibus.* De istiusmodi autem cæli obscuratione, cùm atræ nubes interpositæ, lunæ aspectum omnem adimunt, ipsamq; noctem longè tenebrosiorem faciũt. Horat. Ode 16. lib. 2.

Otium diuos rogat in patenti
Prensus Ægæo, simul atra nubes
Condidit lunam, neq; certa fulgent
Sidera nautis.

Profert Muretus quoq; lib. 4. cap. 6. haud illepidam descriptionem ex Varronis Marcipore, castigatis à se versiculis. Sed cùm ille vir magnus tres primos, pariterq; tres extremos prætermiserit, pretium fore duco, totum carmen, vt in Appendicem Virgilianam ab eruditissimo Ioseph. Scalig. relatum legitur, in medium proponere.

Repente noctis circiter meridiem,
Cum pictus aer feruidis latè ignibus
Cæli choreas astricas ostenderet,
Nubes aquales frigido velo leues
Cæli cauernas aureas subduxerant:
Aquam vomentes inferam mortalibus,
Ventiq; frigido se ab axe eruperant,
Phrenetici septentrionum filij,
Secum ferentes tegulas, ramos, syrus.
At nos caduci naufragij ciconiæ,
Quantum bipennis fulminis plumas vapos
Percussit alte in veste in terram cecidimus.

Et apud M. Tullium lib. 1. de diuinat. è veteri poeta quodam hoc recitatur, è Pacuuio forsitan.

Tenebræ conduplicantur: mariuq;, & nimbûm occæcat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit,
Grando mista imbri largissimo subita præcipitans cadit,
Vndiq; omnes venti erumpunt sæui existunt turbines.
Feruet æstu pelagus.

Adiiciamus adhuc Statij ex libr. 5. Thebaid. vt vberior queat fieri vnius cum tam multis comparatio.

——inde horror aquis, & raptus ab omni
Sole dies, miscet tenebras: quis protinus vnda
Concolor, obnixi lacerant cana nubila venti,
Diripiuntq; fretum, nigris redit humida tellus
Vorticibus, totumq; Notis portantibus æquor
Pendet, & arquato iam iam prope sidera dorso
Frangitur.

Cui tantum est otij, consideret etiam illam Senecæ in Agamemnone act. 3. cuius hoc principium, *Agitata ventis vnda venturis tumet,* &c.

Quod verò noster vates in hac tam admiranda hypotyposi semper indicãdi modo vsus est, id ad amplificationem rei, exaggerationemq; inprimis valere non est dubium: magis enim sẽper quæ instant, & supra caput sunt, quàm quæ iam præterierunt, commouere, & concutere homines solent.

INTON. POLI) Præpositio hîc significatum auget, ꝙ aliàs minuit. Ergo intonuere, id est, vehemẽter tonuere.

CREB. MIC. IGN. ÆTHER) Periphrasis fulgurũ, seu fulgetrorum. Æther dixit, pro aer, verbũ grauius, & magis sonorum ponendo, vt seruiret maiestati carminis heroici. Corrad.

A INTENTANT OMNIA MORT.) Catull. *Ostentant omnia lethum.* Hoc à Catullo quidem accepit Virgilius, sed grandius fecit.

EXTEMP. ÆNEÆ SOLVVNTVR) Extemplò est continuò, inquit Varro de ling. lat. lib. 6. Est autem, vt ibidem notat Scalig. F. in Coniectan. verbum sacrorum, sicut *Ilicet* iudiciorum. Vt enim hoc dimisso senatu, sic & illud sacrificio patrato à præcone pronuntiabatur: quo significabatur, vt exirent ex templo. Quod quia citò fiebat, inde pro citò, & properè sumi cœptum est. Cur frigus, & tremor membra occupet in timore, caussa physica redditur, nempe hæc. Vbi res terribilis sensui obiecta est, spiritus & sanguis repentè ad cor fouendum, tanquã
B ad fontem vitalitatis congregantur. Inde artus extremi maximè, à sanguine, spiritibusque, quæ sunt natiui caloris veluti duo vehicula, destituti, frigore, pallore, ac tremore corripiuntur. Quamobrem autem sapiens in periculis, & tempestatibus commoueatur, ac timeat, explicat caussam secundum opinionem Epicteti Gell. lib. 19. ca. 1. vbi faceta narratur historia de Stoico quodam philosopho, quem vnà cum cæteris eadem in naui tempestas iactabat.

Aiunt tamen quidam explanatores, Æneam hoc loco, vt fortem, & gloriæ cupidum virum, non timuisse mortem vllo modo, sed genus mortis, omni honore & gloria vacuum. Satis enim illa, *Mene Iliacis occumbere*
C *campis Non potuisse, &c.* mori paratum fuisse, sed in acie potius, quàm invndis significant. Itaq; non solùm phantasia commouetur, vt Stoicus ille sapiens, verùm re ipsa, cui συγκατατίθεται. Iuuat adscribere, quæ à Iouiano super his Virgilianis disseruntur lib. 1. de Fortitud. Quorsum hæc finguntur à poeta in viri, ducisq; fortissimi persona, vt quem hostiles tot congressus nunquam fregissent, præruptus ille aquæ mons tam humiliter atque infractè de sua, suorumq; coegerit salute desperare? an quod illud moriendi genus nullum esset decus allaturum? nec virtuti suæ vllum sentiret locum inter transtra, remosq; relictum? Itaq; nõ fert grauato animo mori, sed quod sic moriendum esset. Idem dico de Hippomedonte apud
D Statium lib. 9. Thebaid. Is enim diu inter aquas colluctatus, cùm tandem à torrente raperetur, exclamat, queritur, deos incusat, quod tam indignè secum ageretur.

——fluuione (pudet) Mars inclyte merges
Hanc animam? segnesq; lacus, & stagna subibo,
Ceu pecoris custos subito torrentis iniquis;
Interceptus aquis? Ideone occumbere ferro
Non merui?

Et nonnullis interiectis: Et viri tamen fortes in mari deprehensi à tempestatibus, non ita erunt consternati, vt humiles, demissiq; appareant. Tolerabunt itaq; procellas, non eo tamen, quo nautæ animo: qui cùm ferendis tempestatibus sint assueti, & bene sperant, se inuicẽ confirmantes, & suum interim munus exequuntur. Cùm il-
E li, vt parum assueti, ac inexperti, de salute subinde desperent, ac tale mortis genus quàm molestissimè ferant, cũ etiam intelligant, nullam in eo se dignam operam nauare posse.

Idem quod Iouianus, sentit Scalig. Poet. lib. 3. cap. 12. Differit quædam huc etiam pertinentia Nannius lib. 7. cap. 2. Sic apud Curtium lib. 3. cùm Alexãder in Cydnum amnem, qui Tarsum Ciliciæ interfluit, calidi corporis abluendi descendisset, moxq; per artus ita obriguisset, vt penè efflaret animam, morienti similem ministri in tabernaculum portant, cum lachrymis conquerentes, in tanto impetu, cursuq; rerum, omnis ætatis ac memoriæ clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste deuictum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse, &

extinctum. Et infrà. Animi ægritudo autem corpus vrgebat. Quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur. Vinctum ergo se tradi, & tantam victoriam eripi sibi è manibus, obscuraq; & ignobili morte in tabernaculo extingui se querebatur. * *Alexander item Seuerus Imp. vt narrat Lamprid. cùm à mathematico audisset, se gladio barbarico periturum, lætatus est, quod sibi bellicam & imperatoriam mortem imminere crederet, tantumq́; animi habuit, vt putaret se diis comparandum, si in bello periret. Sic Ouid. eleg. 2. lib. 1. Trist. naufragium deprecatur, non propter mortem, sed genus mortis ingloriũ, & omni solatio carens. Carmina hæc sunt.*

Non lethum timeo, genus est miserabile lethi,
Demite naufragium, mors mihi munus erit.
Est aliquid fatoq; suo, ferroque cadentem
In solita moriens ponere corpus humo:
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulchrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.

DVPLICES TEND. AD SID. PALMAS) Heroes manibus in cælum sublatis Iouem, cæterosque deos cælestes precari solebant: marinos, ad mare proiectis: manes, & inferos, terra percussa. Primi moris & hoc exemplum est, & illud è 3. *tendoq́; supinas Ad cælum cum voce manus.* Et in 4. de Hiarba. *Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.* Homer. Odyss. 1. εὔχετο χεῖρ' ὀρέγων εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα. Secundi exemplum occurrit hoc ex 5. Æneid.

Ni palmas ponto tendens vtrasq; Cloanthus,
Fudissetq́; preces, diuosq́; in vota vocasset.
Dij quibus imperium pelagi.

Postremi sunt hæc. Euripid. Hecuba. ὦ χθόνιοι θεοί, σώσατε παῖδ' ἐμὸν, ὃς μόνος οἴκων ἄγκυρ' ἔτ' ἐμῶν, &c. Ad quem locum vetus interpres notat, histrionem, cùm hæc verba loqueretur, terram pulsasse. M. Tull. Tuscul. 2. Tum Cleanthem, cùm pede terram pede percussisset, versum ex Epigonis dixisse ferunt, *Audisne hæc Amphiarae sub terram abdite?* Zenonem significabat, à quo illum degenerare dolebat. Lamb. in Horat. * *Lucretius dixit, pandere palmas, lib. 5.* Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas Ante deûm delubra.

O TERQVE QVATERQVE BEATI) Terque, quaterq; beatos Græci vna voce τετραμακαρεῖν dicunt. Brodæus lib. 2. cap. 1. illud ex Eustathio affert, τὸ ἢ, καὶ τετράκις, ἀφελῶς εἴρηται, καὶ πρὸς τὸ ἓν μέγα. Tibull. vt Virgilius, *O felicem illum terq; quaterq́; diem.* Horatius. *Felices ter & amplius, Quos irrupta tenet copula.* Id est, O ter quaterque felices, si quid tamen ad hunc felicitatis gradum addi potest. Macrobius in somnium Scip. lib. 1. cap. 6. postquam numerum septenarium perfectissimum esse docuit, & de eius vi ac potestate multa verba fecit. Vnde Virgilius, inquit, nullius disciplinæ expers, & per omnia beatos exprimere volens, ait, *ò terq́; quaterq́; beati.*

Septenarium numerum maxima ingenia mirari non desinunt: siquidem totus impar numerus primus ternarius est, totus par quaternarius, ex quibus duobus consurgit septenarius: ideo pro vniuerso sæpe ponitur: sicut est: septies in die cadet iustus, & resurget: id est, quotiescunque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de perturbationibus, leuioribusq; culpis ad humilitatem perducentibus intelligi debet. Et, Septies in die laudabo te, quod alibi alio modo dictum est: semper laus eius in ore meo. Et multa eiusmodi in diuinis auctoribus reperiũtur, in quibus septenarius pro cuiusq; rei numerositate poni solet. Propterea eodem sanctus sæpe signatur Spiritus. Hinc est illud propheticum S. Augustino interprete. Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum septuplum. Et in Euang. S. Lucas scribit de Magdalena septẽ prosiluisse dæmona. Quo fit, vt Homericum illud ad hunc ferè sensum interpreter, etiamsi Strabo grauissimus auctor aliter sensit ac docuit. Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' A ὄλοντο. Quod extulit his verbis Virgilius. *O terq; quaterq́; beati,* &c. Rhodig. lib. 22. cap. 12. * *Tamen non sit piaculare, credo, affirmare, poetam & in hoc ἰμπερίζειν, vt in aliis centum millibus, esseq́; numerum finitum pro infinito, vt & Seruio placet.*

O DAN. FORTISS. TYDIDE) Homerus Diomedem κάρτιστον ἀχαιῶν vocat, quò videtur allusisse Virgilius. Fortitudo, fortis, fortissimus, quamquam ferè ad animum, & virtutem adhibentur, tamen nonnunquam etiam in corpore, & viribus magnis dicuntur. Cic. 1. Off. Neque vlla re longius absumus à natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem sæpe dicimus, vt in equis, in leonibus. Sed hic locus est ambiguus: & Ennius cùm dixit, *Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit* B *olympia*, intellexit generosum, & ob similitudinem quãdam, magnanimum equum. Clarior est ille Cæsaris belli Gall. lib. 1. cap. 11. totidem numero pedites velocissimi, ac fortissimi, id est, valentissimi, ac robustissimi. Dixit etiam 2. belli ciuil. ligna fortissima.

MENE ILIAC. OCCVMB. CAMP. NON POT.) De oratione per modũ infinitum diximus suprà, *Méne incepto desistere victam?* Similis querimonia est Scipionis Cos. apud Sil. lib. 4. in flumine Trebia. *Ingrauat ad cælum sublatis Scipio palmis: Dij patrij,* &c. Sed cur non potuit, quemadmodum optat, ad muros patriæ, Diomedis nobilissimi, bellicosissimique ducis manu occumbere? Quoniam Venus, mater, & Apollo Troianorum tutelaris eum præsenti discrimini subduxerunt, vt scri- C ptum extat Iliad. 5.

TVAQVE DEXTRA) Tam forti & felici: qua mihi ἴσχιον, Veneri χεῖρα, Marti κενεῶνα vulnerasti; & tot Troianos interfecisti. Emphasis est. Corrad.

SÆVVS VBI HECTOR) Sæuus valet veteribus durus, immitis, asper, violentus, vehemens, acer, animosus, fortis: & vt pro vehementi fortis, ita pro forti sæuus ponitur, in bonam partẽ. Sic Lucr. sæuum bellum dixit, vt Virgil. lib. 10. durum. Lucil. vtrumque lib. 30. *Et sæuo ac duro in bello multò optimus hostis.* Idem Virgilius sæuas tempestates dicit, vt Lucretius sæuas procellas. Et Cicer. ventus sæuus, turbines sæui. Eleganter etiam Lu- D cret. sæuas secures magistratuum Rom. id est, inexorabiles. Gisan. in Lucret.

ÆACIDÆ TELO) Æacidarum, atque adeo ipsius Æaci, vnde genus illis, non vulgaris laudatio reperitur apud Isocr. in Euagora: quàm vt Symbolis nostris commodaturã, decreui ad verbum transcribere. ὁμολογεῖται μὲν γὰρ τοὺς ἀπὸ Διὸς εὐγενεστάτους τῶν ἡμιθέων εἶναι, &c. nolo græcis ad verbum ponendis molestiam generare eius linguæ imperitioribus: quamobrem etiam alibi sæpe mihi tempero. Etsi miror valde, quomodo quisquam de litteratis æquo animo eam ignorare possit, vt non vel senex cum Catone sibi discendam statuat. Sed ad Isocratem reuertamur, cuius verba latinè sonant ita. Nam E in confesso est, oriundos à Ioue, semideorum esse nobilissimos: inter hos autem, nemo est, quin Æacidis principatum deferat. In aliis enim familiis alios præstantiores, alios deteriores inueniemus: hi verò suis temporibus omnes omnium fuere celeberrimi. Æacus enim, qui & Iouis filius, & generis Teucridarum habetur auctor, tantum excelluit, vt siccitate premente Græciam, multisque mortalibus extinctis, cùm iam nihil ad magnitudinem calamitatis posset accedere, magistratus vrbium supplices eum adierint: existimantes se per eius nobilitatem, & pietatem, celerrimè vrgentium malorum à diis remedium impetraturos. Salutem porrò adepti, votorumque omnium facti compotes, in Ægina templum omnium Græcorum nomine ædificarunt, quo in loco votum ille nuncuparat. Is igitur & dum

dum vixit, inter homines maxima semper gloria fuit: & post obitum Plutoni, & Proserpinæ, maximis honoribus præditus assidere perhibetur. Huius filij fuerunt Telamon, & Peleus: quorum alter expeditionis Herculanæ, contra Laomedontem susceptæ socius, primas virtute meruit: Peleus autem re contra centauros bene gesta, & multis aliis pugnis spectatus, Thetidis Nereidos, mortalis ipse, immortalis coniugio potitus est: & solius huius ex omni vetustatis memoria in nuptiis hymenæum deos cecinisse memoriæ proditum est. Hi ambo filios habuerunt, Telamon Aiacem, Teucrum: Peleus Achillem: qui maximum, & clarissimum virtutis suæ specimen ediderunt. Nec enim in suis vrbibus tantum principem locum tenuere, nec ijs in locis, quæ incoluerunt: sed expeditione à Græcis suscepta contra barbaros, & multis vtrinq; congregatis, quum nullus vir nominatus mãsisset domi: in illis periculis vt Achilles omnibus antecelluit, sic Aiax secundum ab eo virtutis locum obtinuit. Teucer vero & horum cognatione dignus, & nemine cæterorum inferior, quum in expugnanda Troia strenuam operam nauasset, Cyprum aduectus, & Salaminam condidit, prioris ei patriæ nomine imposito: & eam quæ nunc regnat familiam reliquit.

VBI HECTOR, VBI ING. SARPED.) Hosce duos potissimùm nominat, quia vult cum his comparari, quorum alter fortis, alter dei, id est, Iouis esset filius: & ipse fortis erat, & filius deæ Veneris. Corrad. Sarpedon fuit filius Iouis, frater Minois & Rhadamanthi. Is cognominem sibi filium genuit hunc Sarpedonem, quẽ tamen ipsum quoq; sunt qui à Ioue procreatum dicunt. Diodorus lib. 5. cap. 15. De eodem Tryphiodorus,

Fundebant Lycij lacrymas Sarpedone caso,
Freta Iouis thalamis quem mater ad Ilion altum
Miserat, auxiliũ vt Teucris, socia armaq; ferret,
Clausurum dulcem Patrocli vulnere vitam.

Donis amplissimis, & duplicatis sibi eum Priamus adiunxit, ideo nec prece, nec precibus Phalidis Sidoniorũ regis adduci potuit, vt Græcorũ classem sequeretur. Dictys lib. 1. Epitaphiũ eius apud Ausonium est eiusmodi.

Sarpedon Lycius, genitus Ioue, numine patris
Sperabam cælum, sed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lacrymis. Prô ferrea fata.
Et patitur luctum, qui prohibere potest.

VBI TOT SIMOIS CORREPTA) Locus hic de Simoente, ex initio 2. Iliad. petitus est.

Καὶ σιμόεις, ὅθι πολλὰ βοάγρια, καὶ τρυφάλειαι
Κάππεσον ἐν κονίῃσι, καὶ ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν.

Pomponius Mela li. 1. cap. 18. Huc ab Idæo mõte demissus Scamãder & Simois, fama quã natura maiora flumina.

SVB VNDIS) Legitur in quibusdam *sub vndas.* Tum accusatiuus hic ad vocem *correpta*, pertinebit, correpta sub vndas, voluit.

FORTIA CORPORA) Quid hac figura tritius? fortium virorum corpora, adiunctum pro subiecto.

Talia iactanti stridens Aquilone procella
Velum aduersa ferit, fluctusq; ad sidera tollit.
Franguntur remi: tum prora auertit, & vndis
Dat latus: insequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi summo in fluctu pendent, his vnda dehiscens
Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.
Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet:
(Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras,
Dorsum immane mari summo) tres Eurus ab alto
In breuia & syrtes vrget (mirabile visu)
Illiditq; vadis, atq; aggere cingit arenæ.
Vnam quæ Lycios, fidumq; vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit. excutitur, pronusq; magister
Voluitur in caput: ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
APPARENT RARI NANTES IN GVRGITE VASTO:
Arma virûm, tabulæq;, & Troïa gaza per vndas.
Iam validam Ilionêi nauem, iam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & qua grandæuus Alethes,
Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisq; fatiscunt.

TALIA IACTANTI STRIDENS) *Frustra effundenti, quippe quibus nihil proficeret. Æneid. 2.* Talia iactabam, & furiata mente ferebar. *Eclog. 2.* ibi hæc incondita solus Montibus & syluis studio iactabat inani. *Ex his & aliis praeterea locis discas licet, in voce iactare, frustrationis significatũ inesse.*] Redit ad tempestatem, & quod antea communiter complexus fuerat, nunc separatim describit, & primùm quid Æneæ, deinde quid sociorũ eius nauibus contigerit, perspicua narratione declarat. Qua in re omnia illa breui oratione complexus fuisse videtur, quæ cum Epici, tum Tragici poetæ, ex institutione poeticę artis vno pathetico poemate cõplecti debẽt: cõmiseratione, horrorẽ, admirationẽ, atrocitatẽ. Nam cum Æneæ velum feriri, remos frangi, aliorumq; naues alias in scopulos, alias in syrtes impelli dicit, misericordiam mouet. Vbi verò illos fluctu pendentes, hos in imũ deiectos depingit, horrorẽ incutit. Cum autẽ cumulum aquæ quasi mõtẽ altissimũ subsequutum, fluctusq; ad sidera sublatos, & terrã inter vndas apet-

das apertā fuisse memorat admirationē parit. Postremò, dum rem totam ita describit, vt ob oculos nostros fieri videatur, atrocitatem quandam nobis intuendam, inspiciendamque proponit. Nascimb.

FRANGVNTVR REMI) Remis igitur, & velis nauigabant.

PRORA AVERTIT) Secundum Herodianum prora vocatur quasi πρώρα, quòd præcedat quasi. Prora item quia prorsum prospicit, & est pars nauis anterior, à προορᾶν, id est, à prospiciendo. A prora deflectuntur proreus, & proreta, qui in prora ventos captat. Verbum ipsum est πρωρατεύειν, proretam agere. ✱

AQVÆ MONS) In fine delectant monosyllaba, dummodo rarò fiat: & præponendus est dactylus, qui eo in loco idem habet instar ad tarditatem temperandam, quàm ad moderandam in illo ab initio celeritatem spondeus. Initio tamen facto à monosyllaba, sequitur. *Sic fatur lacrymans.* Hic præit: vt item in illis. *Fracta vires, auersa dea mens. Et, ruit Oceano nox.* Et, *diuûm pater, atq; hominum rex.* Sed nec Lucretius est veritus spōdeum præmittere, cum dixit: *& ingrati genitoribus inuenti sunt.* Iouian. Actio. *✱ Montes aquarum est legere apud Ouidium quoq; Metamorph. lib. 15.*

Cum mare surrexit, cumulusq; immanis aquarum
In montis speciem curuari, & crescere visus,
Et dare mugitus, &c.

Et in Tristibus, qui versus iam iam producetur.

HI SVMMO L. F. P. HIS VNDA DEHIS.) Lib. 3. Æneid.

Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos descendimus vnda.

Ouid. eleg. 2. lib. 1. Trist.

Me miserum, quanti montes voluuntur aquarum?
Iam iam tacturos sidera summa putes.
Quanta diducto subsidunt æquore valles?
Iam iam tacturas tartara nigra putes.

Habet & illud Lucani quandā huius loci imaginē, lib. 5.

Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur, tantum nauta videre trementes
Fluctibus è summus præceps mare, cumq; tumentes
Rursus hiant vndæ, vix eminet æquore malus:
Nubila tanguntur velis, & terra carina.

TRES NOTVS) Quare appellarunt Notum vētum à meridie flantem? vtrum quia ventus est humidissimus, & pluuias, humiditatesque, νοτίδας concitat? An potius νοτὶς, id est humor, à Noto deductum fuit? Notus verò id nominis fuit sortitus, quod ex inferiore, & occulto spiret loco, tanquam sit νέατος, id est, imus quispiam, secundum Plutarchum. Nam globi partes ad meridiem secundum nostram habitationem, vbi sol nunquam vertici nostro imminet, extremam habēt declinationem. Camerar. Decur. 2. de orig. ven. problemat. 10.

SAXA LATENTIA) Non latebant aliàs, tum latebant, propter tempestatem scilicet, & tenebras densissimas.

MED. Q. IN FLVCT. ARAS) Aræ fuerunt propitiæ 9. inter Sardiniam, & Africam celebres, icto ibi inter Afros, & Romanos fœdere, de quibus Lucan. lib. 8.

———augustius aris
Victoris Lybico pulsatur in æquore saxum
Tarpeiis.

Quo quidem è loco saxa illa magna religione, & veneratione fuisse culta colligitur. Hæc Turneb. lib. 26. cap. 23. Aras vocarunt Itali hosce scopulos, quòd cum ad aras, seu in templis fœdera soleant ferire, hi scopuli Romanis, & Carthaginensibus pro aris fuerint.

IN BREVIA, ET SYRTES VRGET) Quæ Latini breuia nominant, vadosa quædam in mari spatia, ea

A Græci βράχεα, &c. vide Brod. lib. 6. cap. 24. Sallustius in bello Iugurthino duas syrtes ponit, maiorem & minorem, atque ait à tractu nominatas. Eas describit in hunc modum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxima terræ præalta sunt: cætera, vti sors tulit, alta: alia in tempestate vadosa. Nam vbi mare magnum esse, & sæuire ventis cœpit, limum, arenamque, & saxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis simul mutatur: syrtes à tractu nominatæ. De syrtibus multa Strabo in extremo lib. 17. vbi earum pericula exponit. Item Dionysius de situ orbis, & eius interpres Eustathius. Syrtim vnam intelligit poeta, quæ multis passuum millibus separantur. Vtitur tamē numero iure suo multitudinis: siue vt rem magis augeat.

B

Sed Corrado videtur hic locorum imperitus Maro, quod Eurus spiret ab oriente: nec possit vrgere naues in syrtes, quæ & ipsæ sunt ad orientem. Quem errorem hausit à Donato, qui parcius est locutus. Situs, & positio à Dialecticis in relatione statuuntur. Itaque eadem columna, quæ mihi dextra est, tibi sinistra potest esse. Italiam Græci habent ad occidentem, Hispani ad orientem. Sic venti septentrionales habent syrtes ad meridiem, Eurus ad occidentem, Africus ad orientem. Non videtur ergo quare Eurus non possit naues ex alto in syrtes impellere. Modicius cap. 21.

C

ILLIDITQVE VADIS) Vada sunt loca in mari periculosissima, in quibus hærentes naues sæpe dissoluuntur, & perfringuntur. Sic lib. 10.

Namq; inflicta vadis dorso dum pendet iniquo
Anceps, sustentata diu, fluctusq; fatigat,
Soluitur, atq; viros mediis exponit in vndis.

IPSIVS ANTE OCVLOS) Hoc ad dolorem Æneæ maius fuit atque acerbius, quod eo vidente excussus est rector, & nauis in profundum hausta. Longe etenim vehementius afficiunt in vtramque partem quæ videntur, quàm quæ audiuntur. Horat. ad Pisones. *Segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.* Cicero, oculi augent dolorem. Sic Priamus lib. 2. atrocitatem facinoris in Pyrrho etiam ex hoc loco amplificat, *qui nati coram me cernere lethum Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.* ✱

D

INGENS A VERTICE PONTVS) Magna pars ponti, non vniuersus pontus. Hunc locum videtur mihi Seruius non intellexisse, nec interpretes alij, quos mihi saltem videre contigit. Id vt liqueat, addemus Seruij verba. A vertice, aut à puppi, quę vertex nauis est: aut ab aquilone, qui flat à mundi vertice, hoc est, Septentrione, vt ipse alibi. *Hic vertex nobis semper sublimis.* Hactenus ille. Quî quæso pontus in puppim ferit, si à puppi (quam ipse verticem interpretatur) feriat? planè id absonum, & cum natura pugnans. Iam quod secundò verticem aquilonem exponit, non tam ridiculum, nequaquam tamen verum est. Miror que Seruium illum accusatiuum *vnam* in constructione verborum non respexisse: pontum scilicet vnam nauim à vertice in puppim ferire. Describit autem Virgilius mirabilem subuersionem nauis, & quæ vix vnquam, nisi in sæuissimis tempestatibus contingere solet. Vndas scilicet sublata in altum prora, nauem in puppim statuisse, adeo vt gubernator, quum pedes illi in altum tollerentur, pronus in caput necessariò excideret. Nec abludit ab ista imagine equus Mezentij.

E

Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumq; equitem super ipse sequutus
Implicat, eiectoq; incumbit.

Liuius lib. 4. secundi belli Punici. Ferrea manus firmæ catenæ

catenæ illigata, quum iniecta prora esset, graui libramẽto plumbi reuelleret ad solum, suspensa prora nauim in puppim statuebat. Nannius lib. 7. cap. 3.

Brodæus hoc modo enucleat. *Ingens à vertice pontus in puppim ferit*, id est, fluctus percusso gubernatoris capitis vertice in puppim ingruit. Ex Odyss. ι. ὣς ἄρα μιν εἰπόντ᾽ ἔλασεν μέγα κῦμα κατ᾽ ἄκρης Δεινὸν ἐπισσύμενον. Eustathius. ἀντὶ δ᾽ ἐπλήξε κατὰ τῆς κεφαλῆς. Modicius isto modo. Astrologi cogitant in cælo punctum, quod suprà caput hominis immineat: à quo linea perpendicularis in nostrum verticem, & in cuiusuis rei ducatur, Arabes Zenith vocant, nostri punctum verticale. Quæ ex alto per eam lineam cadunt, dicuntur ad perpendiculum cadere. Virgilius dixit, à vertice ferire, si vnda in altum erecta & sublata, reflexa obliquo lapsu à dextra parte nauim feriat in puppim, resilit in sinistram partẽ, extra nauim, quàm non submergit. Si recto lapsu in puppim feriat, toto pondere, totaque aquarum mole incumbens, extra non resiliens puppim deprimit, & nauim submergit, quod naui Orontis accidisse existimamus.

MAGISTER) Leucaspis, vt est lib. 6.

VOLVITVR IN CAPVT) It præceps per caput, vt Catull. ad coloniam. ἐπὶ κεφαλὴν, Lucian. Hæc verò pars carminis à reliqua parte diuellitur, vt magister è naui deiicitur, & diuellitur, sensu perfecto, & pede finito. Corrad.

ILLAM TER FLVCTVS IBIDEM) Sæpe apud poetas cum Græcos, tum Latinos τρὶς, & ter vsurpatum videas pro multum & sæpe. Horat. Ode 18. libr. 1. *licebit iniecto ter puluere curras.* Ode 17. libr. 2. *Laetum theatris ter crepuit sonum.* Ode 3. lib. 3. *Gaudet inuisam pepulisse fossor Ter pede terram.* Ode 22. *Quæ laborantes vtero puellas Ter vocata audis.* Atque hoc ex eo natum, quod numero ternario in sacris, in rebus diuinis, atque adeo in carminibus, & excantationibus vtebantur, tanquam naturæ diuinæ accommodatissimo, & gratissimo. Etiam oratores non repudiant. Demosthenes περὶ παραπρεσβ. τρὶς, οὐχ ἅπαξ ἀπολωλέναι δίκαιος. Id est, dignus, qui ter, non semel moriatur.

RAPIDVS VORAT VORTEX) Propriè rapidus, rapit enim secum vortex. Aristoteles vbi de vortice loquitur, dixit, καταπίνει. Verùm hoc verbum *vorat*, grauius est, quàm bibit, quare eo poeta vti maluit. Corrad.

APPAR. RARI NANT. IN GVR. VASTO) Dixit raros, & contrà *in vasto gurgite*, qua voce indicauit maris impetum. Neque enim verum est, quod ait Seruius, hic esse tapinosin: id est, rei ingentis humilem descriptionem, atque idcirco addidisse *vasto*, quia gurges aquam pusillam significat: non ita est: sed gurges quamcunq; aquæ cuiuscunq; celeritatẽ designat, γοργός. Numerus verò spondaicus pingit ipsam natandi difficultatem. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3.

Sed hallucinatur fortasse Scalig. Quæ nam enim est maris celeritas, vt rectè, proprieque gurgitem vocauerit? Flumen videmus dici rapidum, ei tribui cursum, mari non memini. Gurges, inquit, Isidor. lib. 13. propriè locus altus in flumine. Dicamus ergo cum Seruio, hic ταπείνωσιν esse, gurges pro mari. Tali etiam Propertius vsus, lib. 2. eleg. 26. de mari Ionio, appellat enim rorem: quo, quid humilius?

A *Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina*
Ionio lassas ducere rore manus.

Paulo post nominat gurgitem.

At tu vix primas extollens gurgite palmas,
Sæpe meum nomen iam peritura vocas.

Rursus Maro lib. 3. Æneid. *magnaq́; surgunt Æquora, dispersi iactamur gurgite vasto.* Georg. 4. *Est in Carpathio Neptuni gurgite vates.* Catull. de nupt. canentem gurgitem, propter spumas scilicet ab Argo naui excitatas. Locus hic est.

Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortaq́; remigio spumis incanuit vnda,
Emersere feri canenti è gurgite vultus.

B Cæterùm duos hosce versus *Apparent*, & *Arma virûm*, de naui Orontis esse accipiendos quis dubitet? ✱

Videtur porrò hic versus *Apparent rari*, &c. quod monet Chiliastes, subolere prouerbium, de re quapiam difficili, quam nisi pauci, atque illi quidem sapientes extricare non possunt. Vsurparet eundem quispiam, & melius de amplo gymnasio, in quo pauci discipuli: & de exercitu paruo in latissimo campo, &c.

TROIA GAZA) Gaza, inquit Hesychius, πλοῦτος. ✱ ἢ τὰ θησαυρὰ βασίλεια, ἃ οἱ ἐκ τῶν πολλῶν φερόμενοι φόροι, ἢ τὰ τίμια. M. Tullius, qui ab auro, gazáque regia manus abstinuissent. Et Offic. 2. omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus. Horat. Ode 16. lib. 2.

C *Non enim gaza, neq́; consularis*
Summouet lictor miseros tumultus,

Notauit hos locos Lamb. in Horat. ✱*De notione huius verbi gaza sic scriptum reperio apud Pomp. Melam lib. 1. cap. 11. Cæterũ in Palæstina est ingens, & munita admodum Gaza (sic Persæ ærarium vocãt) & inde nomen est, quod cum Cambyses armis Ægyptum peteret, huc belli & opes, & pecuniam intulerat.*

ILIONEI NAVEM) συνεκφώνησις, siue συνίζησις est, pro Ilionei. Sic Eclog. 6. *Aut vt mutatos Terei narrauerit artus.* & alibi.

VICIT HYEMS) Non quidem demersit, sed ita aquis compleuit, vt vix extarent vectores, laxis videlicet laterum compagibus. Vocabulo hyems non modo
D quartam anni tempestatem, sed turbines etiam, imbres, grandines, procellas, quamquam frequentius tempestatem, id est, turbulentissimum cœli statũ poetæ crebrò appellant, vt hic, & infra, *Emissamq́; hyemem sensit Neptunus.* Et lib. 5.

Olli cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyemémq́; ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Item lib. 1. *sæpè illos aspera ponti Interclusit hyems.* Ouid. 11. Metamorph. in descriptione tempestatis. *Aspera crescit hyems.* Flaccus lib. 1. Argonaut. *Scio me cunctis è gentibus vnum Illicitas tentare, vias, hyememq́; mereri.* Claudian. de Theodosio aduersus Eugenium tyrannum ducente.

O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes: tibi militat æther,
E *Et coniurati veniunt ad classica venti.* ✱

ACCIP. INIMICVM IMB.) Inimicus imber est inimica aqua. Inimica autem, quia classem videbatur demersura. Consuetudo, inquit Nonius, induxit, imbrem solùm dici agmen cælestium aquarum, & pluuiarum, cũ tamen auctoritas variet, significetq́; omnem humorem aqueum. Lucret. *Ex igni, terra, atq; anima nascuntur, & imbri.* ✱

Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamq́; hyemem sensit Neptunus, & imis
Stagna refusa vadis: grauiter commotus, & alto

Prospi-

Prospiciens, summa placidum caput extulit vnda.
Disiectam Æneæ toto videt æquore classem,
Fluctibus oppressos Troas, cæliq; ruina.
Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ:
Eurum ad se, Zephyrumq; vocat, dehinc talia fatur.
TANTANE VOS GENERIS TENVIT FIDVCIA VESTRI?
Iam cælum, terramq; meo sine numine, venti,
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
QVOS EGO. SED MOTOS PRÆSTAT COMPONERE FLVCTVS:
POST MIHI NON SIMILI POENA COMMISSA LVETIS.
Maturate fugam: regiq; hæc dicite vestro,
NON ILLI IMPERIVM PELAGI, SÆVVMQVE TRIDENTEM,
SED MIHI SORTE DATVM. tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se iactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

INTEREA MAGNO) Totum hunc locum de Neptuno regnum suum componente, considerans Iouian. de Obedient. lib. 5. ita scriptum reliquit. In Neptuno supremi magistratus, qui exortam comprimere seditioné velit, persona exprimitur. Isq; vbi turbari, ac misceri videt omnia, statim auctores seditionis *Eurum ad se, Zephyrumq; vocat, dehinc talia fatur: Tantáne vos generis, &c.* Quæ quidem, aliaque vbi dixit, tum dicto citius tumida æquora placat, collectasque fugat nubes, &c. Et quia pulsis turbulentis ciuibus, sua vrbi tranquillitas restituitur, tum

Cimothoe simul, & Triton adnixus, acuto
Detrudunt naues scopulo, leuat ipse tridenti, &c.

Et verò poetæ non tam nostra ad deos trásferunt, quam illos nobis exempla proponunt, & vel confirmare res hominum, vel improbare hac ratione volunt. Qui quasi rempub. aliquam instituant, hos bellis præficiunt, maritimis rebus illos, aliisq; muneribus alios: supremum autem Iouem faciunt, cui & senatum decernunt, & assessores dant deos.

MAGNO MISC. MVR. PONT.) Alliteratio, ma, mi, mu. Et solet in tempestate maris murmur existere. Ideo mare Græcis ἠχήεσσα, ἀγάστονος, πολύφλοισβος. Corrad. Adde ex Lucret. lib. 1. *saeuitq; minaci murmure pontus.* Suprà *magno cum murmure montis.*

EMISS. HYEM. SENS. NEPTVN.) Sensit hyemem ab Æolo emissam, id est, ventos, vnde procellæ, & imbres, quales hyberno tempore: sensit, inquam, vt optimus magistratus, & Rex. Reges enim plures oculos, plures aures, & longas manus habere dicuntur, vt vigilent, sentiant, & ita curent, ne quid in regno tumultus excitetur: &, si fortè excitetur, auctores tumultus castigent, atque omnia tranquilla reddant. Quæ quidem nunc omnia facit Neptunus, præter illud, quòd ventos non punit, vt cupiebat, quia pœnam differendam censuit, vt Troianis periculosè laborantibus succurratur. Corrad. Cic. de natur. deor. lib. 2. Vt à portu Portunus, sic Neptunus à nando, prioribus litteris paulum immutatis. Melius Varro lib. 4. Neptunus, quod mare terras obnubit. Ciceronis locus videtur corruptus, scribendumq; à nubendo, vel à nuptu. Res auctor est, & Cicero ipse, qui comparat Neptuni etymon cum Portuni. Stolidus aliquis, qui nubendi verbum non nisi in coniugiis nouerat, malè correxit. Lipsius Saturnal. lib. 1. cap. 2. De veriloquio vocis Neptunus, & græcæ ὁ ποσειδῶν, Gyrald. Syntag. 5.

IMIS STAG. REF. VAD.) Suprà enim dictum, *Incubuere mari, totumq; a sedibus imis Vnà Eurusq;, Notusq; ruunt.* Intelligimus hinc, deorum marinorum domicilia esse in imis gurgitibus & vadis, & in imis pumicibus, & speluncis, antrisque maris habitare putabantur, vt & lib. 4. Georg. ad finem, vbi Aristæus Cyrenen matrem suam conuenit. Et Manil. lib. 5. ait. *ipsumq; sub antris Nerea, & æquoreas conantur visere nymphas.* Neptunus igitur sensit commotam esse tempestatem, mari ab imis vadis agitato, & euerso, seu in imis, profundisq; vadis refusa aqua, & agitata. In imis, profundisque vadis refusam, agitatam, & turbatam aquam, & quasi ab imo totum mare euersum sensit Neptunus. Turneb. lib. 12. cap. 12. & lib. 18. cap. 32.

ALTO PROSPIC.) Ambiguum est, *alto prospiciens.* Aut enim è mari erigens caput: aut mari prouidens, id est, consulens. Quemadmodum verò placidum caput, si grauiter commotus? irascitur ventis, propitius est Troianis. Non igitur sunt pugnantia. Seruius.

DISIECTAM CLASSEM TOTO ÆQV.) Suprà, *aut disiice corpora ponto*, quod de nauibus quoque, non hominibus tantum accipiendum docebamus. Classis hæc 20. nauium fuit.

CÆLIQ. RVINA) Quam ἐμφατικῶς *cæli ruina!* Siquidem vi tempestatis, tonitruorum, imbrium, grandinum, ventorumque de cælo præcipitantium, simul cælum in miseros Troianos ruere, illosque opprimere videbatur. De largis imbribus Martialis lib. 3. *Imbribus immodicis cælum nam forte ruebat.* Timere autem ne cęlum ruat, est frustra timere. Germanorum, Gallorumue legati, cùm responderent Alexandro interroganti, quid maximè metuerent: metuere se, ne cælum rueret, se omni prorsus metu eius potentiæ expeditos esse indicare voluerunt.

TANTANE VOS GENERIS) *Studiosè verba Virgilij imitatus est magnus poeta Claudianus. Itaq; hoc carmen ita suum fecit de bello Gildonico,* Tantáne deuinctos tenuit fiducia Mauros? *Rursum de bello Getico.* Tantáne vos, inquit, Getici fiducia belli Erigit?] Neptuni oratio in ventos partim increpatoria, partim comminatoria, partim etiam expostulatoria est. Ab increpatione inchoat, nulla seruata exordij ratione, atque lege: non enim decet iratos sermonem suum ratione exordiri, sed ex abrupto, & cum impetu quodã animi, ac vocis verba proferre. Primùm igitur ventos grauiter increpat, deturpatque à genere, quia ab Astræo

gigante

gigante, & Aurora originem ducunt: deinde illis supplicium minatur. Hæc vero increpatio à caussa ducta est, impellente ad iniuriam: quæ est confidentia generis, vnde arguit ventos natura prauos, qui pessimo genere orti sint, cuius confidentia aliena etiam inuadere non dubitant.

TENVIT FIDVCIA) Fiduciam posuit pro confidentia. Illa enim in bonis, hæc in malis dicitur, vt notum est latinè scientibus.

CÆLVM, TERRAMQVE MISCERE) Cælum terræ miscere, adagium satis protritum, significat omnia conari, & quò iure quà iniuria velle optata consequi, aut perficere. Terras quidem principiò perflabant turbine isti venti: nunc autem cum pelagus propemodum euertant, tantamque vim procellarum cælestium exsuscitent, aptius mare cælo, quam terram miscere dicerentur, quod etiam in prouerbiis, eodem sensu, quo prius illud adhibetur. Veruntamen non potuisset hoc posterius isto loco pari Venere vsurpari, nec tantam *ἐνάργειαν* habuisset. Hoc meum qualecunque *νόημα* sub calamo currente natum, cum lectore communicare visum est. ✠

Quærit Seruius, quamobrem de cælo, & terra queratur Neptunus, & non de aqua sola, quod eius regnum est. Respondet. Quoniam hæc numina, licet habeant imperia diuisa, tamen totius regni videntur habere potestatem. Lege quæ sequuntur. Potest etiam videri, vt sentit Corrad. Neptunus omnia elementa esse complexus: vt per cælum æthera, & aërem comprehendat, deinde per terram significet aquam, in qua moles, quas ait, tollantur.

MEO SINE NVM. VENTI) Me non annuente, me inconsulto, sine meo concessu. In voce autem venti, inest contemptio aperta cum indignatione, quasi dicat, cum sitis res inanissima, & leuissima. ✠

QVOS EGO. SED MOTOS) Ponitur à M. Tullio figura quædam, neque nominatur. Cum, inquit, plus intelligitur, quam dicitur. Quintilianus emphasin interpretatur. Cæterùm emphasis non vniusmodi est. Interdum namque talis est, vt, *Quos ego.* Emphasis est hic in pronomine, cuius significatio angusta in ostensione est: sic enim latinè græca illa vox dabitur nobis. Ex his porrò angustiis effusum erit significatum ad illa. Ego Neptunus maris deus, cuius potentia tanta est, vt etiam ventos castigare possim: præsertim ex Thaletis sententia, qui aquam omnium rerum, nedum ventorum elementum profitebatur. Et sanè ventus si vapor, aut à vapore est: & vapor siue exhalatio inter aerem, & aquam affinis vtriq; natura quadam, non temere aquarum numen explicat vim suam, sub offensione suæ personæ per pronomen, ego. Nonnunquam vero fit multis verbis appositis ad efficaciam. Quid enim aliud est, Hectorei socij, nisi, vt quemadmodum hortatur, insurgant remis, id est, fortissimi? Nec minoris est in tertia persona, tanquam de alio, apposito nomine, non pronomine. Vt in 5. *quæ munera Niso Digna dabis, primam merui qui laude coronam?* Scalig. Poet. lib. 3. cap. 79.

Sed alij versum hunc incuriosius perpendentes, aiunt esse figuram *ἀποσιώπησιν*, quam Cicero Reticentiam, & Præcisionem vocet. Huius aliud genus esse *ἀνα-θλε*, cum aut interuentu alterius sermo abrumpitur: aut cum vno tacente, sermonem adimplet alter, vt fieri solet apud Comicos. Aliud *παθητικὸν* & oratorium, id fieri modis vsitatis quatuor. Vel cum vehementem animi motum vox non sequitur, vt apud Terentium Chremes interrogatus, quare filiam Cliniæ spondere nollet, inquit. *Quamobrem, me rogas? homini.* Plaut. Amphit. *Quem pol ego iam scipione.* Vel cum sermo præciditur, cum transitione ad rem aliam. Aliter si facias. Sed reprimam me. In quo genere est locus Virgilij, quem tractamus. Et ille Terent. *quem quidem ego si sensero. Sed quid opus est verbis?* Vel cum non fit transitus, sed in proposito manetur. *Tam ob paruulam rem pene ex patria? turpe dictu.* Vel cum abrumpitur oratio, sed tamen cum communicatione consilij, aut sui excusatione. *Quid facias? vt homo est, ita morem geras.* Vide Donat. in illud And. Actu. 4. *Si pol nõ Glycerio omnia hæc.* Idẽ illud Pamphili, cum Dauo irasceretur seruo, à quo delusus fuerat,

——hei mihi,
Cur non habeo spatium, vt de te sumam supplicium, vt volo?
Namq; hoc tempus præcauere mihi me, non te vlcisci sinit,

tale esse pronuntiat, quale nostrum hoc, *præstat motos componere fluctus.*

NON SIMILI POENA) Nunc enim verbis duntaxat vos vlciscor, tantum increpo, quæ tam grauiter offendentibus, & tam audacibus nebulonibus vobis nimis parua est pœna. Sed me salus Troianorum non sinit in hoc scelere vestro persequendo vltrà immorari. Si quid huiuscemodi in posterũ, sentieris quẽ læseritis. ✠

MATVRATE FVGAM) Gell. lib. 10. cap. 11. ex Nigidio docet, maturè id esse, quod neq; citius est, neque serius, sed medium quiddam, & temperatum. Quoniam autem id, quod non segniter fiebat, maturè fieri dicebatur, progressa plurimum est verbi significatio: & non iam quod segnius, sed quod festinantius fit, id fieri maturè dicitur. Nigidianum porrò rei atque verbi temperamentum D. Augustus duobus verbis græcis elegantissimè exprimebat. Nam & dicere in sermonibus, & scribere in epistolis solitum esse aiunt *σπεῦδε βραδέως.* per quod monebat, vt ad rem agendam adhiberetur simul & industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas: ex quibus duobus fit maturitas. Hinc puto intelligi, quid voluerit Neptunus, cum dixit. *Maturate fugam:* nec serius, nec citius, ne impetus discedentiũ non minus Troianis, quam ipsa perseuerantium sæuitia noceat. Eadem Macrob. lib. 6. Saturnal. cap. 8. Atqui Turneb. lib. 12. cap. 12. non agnoscit illam subtilitatem, quã afferunt veteres Grãmatici, & maturare fugã, existimat esse festinare, discedere, atq; properare, vt dicere solebant: maturat ab vrbe proficisci: & Cic. dixit, maturare mortẽ eodẽ modo.

SÆVVMQVE TRIDENTEM) Sæuum interpretare potentem, *μεγαλοπρεπῶς*. Tridens *τρίαινα* Græcis, Neptuni telum est, quo non solum mare, sed etiam terram moueat. Itaq; mari turbato, Æolus tempestatis illius concitator videtur vsurpasse tridentem. Turneb. lib. 18. cap. 32. A tridente quod eius quasi sceptrum est, Græci vocant *τριαινοῦχον*. Sed & *εὐτριαίνης* interdum dictus est, hoc est, tridente, & fuscina bonus. Vide Gyrald. Syntag. 5. in Neptuno. Ouid. 11. Metamorph. *Cumq; tridentigero tumidi genitore profundi.* Quod cuiq; deo telũ, & armorum genus, quidam poeta vetus his versibus docuit, cuius me monuit tridens Neptuni.

Fulmen habet mundi dominus, tenet illud apertè
Nec datur æquoreo fuscina tecta deo.
Nec Mauors illum, per quem valet, occulit ensem
Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.
Num pudet auratas Phœbum portare sagittas?
Clauine solet pharetram ferre Diana suam?
Num tegit Alcides nodosa robora claua?
Sub tunica virgam num deus ales habet?
Quis Bacchum gracili vestem prætendere thyrso,
Quis te celata cum face vidit Amor?

SED MIHI SORTE DATVM) Quod sibi tridentem, & imperium pelagi sorte datum affirmat, inde poetis rector pelagi, aquarum, salis dominus. Plauto in Trinum. Salsipotens Iouis frater, vt Ouid. 1. Metamorph. Cæruleus frater. Fabulantur poetę, Iouem, Neptunum, Plutonem Saturni filios mundum quondam inter se, velut hæreditatem partitos: ita quidem, vt Ioui cælum, seu supera, Neptuno maria, (idcirco regna secunda Senecæ in Medea, quia secunda sorte ei obtigerunt, cùm prima esset Iouis. Apud Lucan. lib. 4. sors secunda) Plutoni infera obuenerint. De hoc fertur distichon vetus, & elegans.

Iupiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto
Regna paterna tenent, tres tria, quisq; suum.

De hac ipsa sortitione apud Homer. Neptunus Iliad. 15. τρεῖς γὰρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοί, &c. Tangit eãdem Tibull. lib. 3. eleg. 5.

Parcite, pallentes vmbras quicunq; tenetis,
Duraq; sortiti tertia regna dei.

Disseremus de eadem libr. 10. ibi. *Nunc etiam manes (hac intentata manebat Sors rerum) mouet.* Terra, dices, cui cessit? in commune relictam sunt qui tradãt. Iunoni quidem arces, & regna terrarum cessisse dicunt, de qua nihil apud quempiam maiorum gentium scriptorẽ ad- A huc legimus. Lactant. lib. 1. cap. 11. vnde hæc fabula nata, & quænam eius cõminiscendæ occasio fuerit demonstrat: quomodo scilicet rei veritas obliqua figuratione, vt ipse loquitur, obscurata, inuoluta, ac tecta sit. Eius originem narrat etiam Diodor. lib. 5. cap. 5. Plutarch. in vita Homeri sortitionem hanc φυσικῶς explanat. ✠

TEN. ILLE IMM. SAXA Suprà *molemq; & montes insuper altos Imposuit.*

ILL. SE IACT. IN AVL.) Aeoli habitationem non absurdè vocasse aulam notat Rhodigin. lib. 12. cap. 5. Vocatur enim aula locus, qui perflatum habet, & hoc nomine apud Homerum semper hypæthra, id est, subdialia intelliguntur. Vnde διαυλωνίζειν dicimus, quum vtrin B que perflatur regio aliqua. * *Sed videtur per ludibrium imvocasse, cum statim vocet carcerem: quomodo etiam suprà, cum de eius in ventos potestate loqueretur, dixit,* vinclis, & carcere frænat. *Cum hoc dicto Neptuni comparat illud Thrasonis in Eunucho Donat.* Eóne es ferox, quia imperium habes in belluas?

CLAVSO CARCERE REGNET) Summus contemptus. Quale regnum? primùm in ventos, deinde in captiuos, quos si velit, emittere non possit. Suprà quippe lectum est, *regemq; dedit, qui fœdere certo Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.* Melius certè custos carceris, quàm rex diceretur. ✠

Sic ait, & DICTO CITIVS tumida æquora placat,
Collectasq; fugat nubes, solemq; reducit.
Cymothoe simul, & Triton adnixus acuto
Detrudunt naues scopulo: leuat ipse tridenti,
Et vastas aperit syrtes, & temperat æquor,
Atq; rotis summas leuibus perlabitur vndas.
Ac veluti magno in populo quum sæpe coorta est
Seditio, SÆVITQVE ANIMIS IGNOBILE VVLGVS,
Iamq; faces, & saxa volant, FVROR ARMA MINISTRAT:
Tum pietate grauem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, ARRECTISQVE AVRIBVS ASTANT:
ILLE REGIT DICTIS ANIMOS, ET PECTORA MVLCET:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cæloq; inuectus aperto
Flectit equos, curruq; volans dat lora secundo.

ET DICTO CIT. TVM. ÆQ. PLA.) Peripetia est, quæ admirationem habet: mirum est enim vel ipsis Troianis, ex tanta procella tam repente liberari, & æquor tam turgidum, ac tantopere concitatum tam subitò placari, atque quiescere. Qua ex re illud colligitur, quod rhetores præcipiunt, habendam esse vbique temporis, ac personarum rationem. Nam quia periclitantibus Troianis citò subueniendum fuerat, hîc Neptunum facit celeriter maria placantem: in quinto verò, vbi nullum mortis periculum Troianis impendet, hoc otiosius agit, & latius oratione vagatur. Igitur ad designandam facti celeritatem dixit poeta, *dicto citius.* Nam vbi quis citra moram id re præstat, quod verbis est pollicitus, Latini non absque prouerbiali specie, dicto citius dicunt, id est, illico, postquam dixeris: sumptumque apparet ex Homero Iliad. αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δ' ἔργον. Nascimb.

Dicunt etiam Latini, quod idem valet, ex Terentio, dictum ac factum. Græci ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον. Et αὐτοβοεί. Vide Chiliad. Quemadmodum mare tranquillet Neptunus apud Flaccum Argonaut. libr. 1. ad normam Vir- C gilij, tu ipse cum volueris leges, initium ponam. *cum subitò trifida Neptunus in hasta Caruleum fundo caput extulit.* Non ineptè mare dicitur placari, siquidem & irasci, & quod eodem pertinet, tumescere: nam qui irascuntur tumescunt, vnde & tumere pro, in ira esse, seu irasci reperies alicubi apud scriptores classicos. Horat. Ode 2. Epod. *Nec horret iratum mare.* Idem Ode. 9. libr. 3. *Iracundior Adria.* Ode. 3. lib. 1. *Qui vidit mare turgidum.* Æneid. libr. 3. *Nos tumidum sub te permensi classibus æquor.* Georg. 1. *aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere.* Et lib. 2. *quà vi maria alta tumescant.* Quin & fluctus placari dicunt Latinitatis cõditores. Cic. ad Att. ep. 3. lib. 6. Qui autem locus erit nobis tutus, vt iam placatis vta- D mur fluctibus? ✠

Tumida æquora placat, hiatus est in quinto pede. Quoties autem fit in quarto, quinto, etiam in 6. pede, & versus ipse mirificè assurgit, quadam etiam cum magnitudine, & rara quædam inde comparatur numeris ipsis dignitas. Talia sunt.

Fundamenta locant alij, immanesq; columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.

Et vero

Et vera incessu patuit dea. Ille vbi matrem
Agnouit, tali fugientem est voce sequutus.
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos.
Sanus vbi Æacidæ telo iacet Hector, vbi ingens.

Iouian. Actio. * *Huic de tumido æquore placato, & de collectis, fugatisq; nubibus germani sunt duo illi versus de lib. 5.*

Subsidunt vndæ, tumidumque sub axe tonante
Sternitur æquor aquis, fugiunt vasto æthere nimbi.

COLLECTASQVE FVGAT NVBES) Aut colligit, & deinde fugat: aut ante à ventis collectas fugat, & dissipat. Seruius.

CYMOTHOE SIMVL, ET TRITON) Duo simul ante descripserat, maris procellam, cælique tempestatem: ideo nunc placidum factum ait esse æquor, & serenatum cælum. Tertium relinquebatur, vt naues, quæ in scopulum, & syrtes vi tempestatis impulsæ fuerant, leuarentur. Quocirca Neptunus Cymothoen, & Tritonem ad eas è saxis detrudendas mittit, ipse etiam in partem laboris venit. Nascimb.

Vna ex nymphis Cymothoe, filia Doridis, & Nerei. Hanc potissimùm posuit, quòd opus erat ministra veloci, quæ per vndas curreret, vt Cymothoe verti potest. Triton Neptuni buccinator, vt testatur Ouid. 1. Metamorph. Huius superior pars corporis, ad vmbilicum vsque fuit hominis: at inferior vsque ad caudam, delphini. duos pedes priores equinos habuisse dicitur, caudamque duplicem, in lunæ formam. Vide plura apud Natalem Com. lib. 8. cap. 3. & Gyrald. Syntag. 5.

APERIT SYRTES) Mitigat, placat, vt exponit Nonius: vel simpliciter, aperit, vt ex his naues exire possint.

ROTIS SVMMAS PERLABITVR VNDAS) Veteres interdum non addebant præpositionem, si ea iam esset in verbo composito, vt, adigere arbitrum potius, quàm adigere ad arbitrum, & adigere iusiurandum. Propugnat nugis apud Horatium. Lucret. lib. 1. *An pecudes alias diuinitus insinuet se.* Et lib. 2. *Hoc etiam magis hac animum te aduertere par est.* Nascimbæn. & alij.

AC VELVTI MAGNO IN POP. CVM SÆPE) Atrocissimam tempestatem in tranquillum collatam narrans, idonea, & festiua comparatione rem illustrat. Mari enim amplissimam ciuitatem: vastis fluctibus magnum, seu frequentem populum coeuntem, & plateas concursationibus implentem: nubibus cæcis (vnde ponto nox atra incubat) seditiosas illas cogitationes, & turbulentos animorum motus: ignibus, imbribus, tonitribus, ventis, faces, & saxa, & telorum omne genus, quæ ad ædes magistratuum petendas, oppugnandasq; furore & amentia præceps animus suggerit, bellissimè componit. Ipsum autem Neptunum rectorem pelagi, qui dicto citius tumultum omnem regni sui compressit, atq; compescuit, nubium globos dissipauit, solis vultum nitidissimum reduxit, oratori, seu graui viro, prudenti ac diserto fuisse similem asserit. Quo conspecto (quoniam eximia est illius propter morum integritatē & dicendi facultatem auctoritas) cateruas condensantis, & immanè frementis populi audacia, & importunitas fracta desinit: nec ad exitum scelera meditata perducuntur. Nonnulli Maronem his carminibus M. Tull. præcipuè, propter compositam inter equites ac plebem discordiam, seditionemq; Roscij caussa in theatro excitatā laudare voluisse coniectāt. Et cùm possit pariter ad Menenium Agrippam, M. Valerium, M. Popilium, & quosdam alios Romanos accommodari, nihilominus illis Ciceroné insinuari placet. Potuisse hoc factum Ciceronis

A etiā videre Virgilium. Insuper tam multa ab eo mutuatū vt ἀχαριστίας crimen incurrere potuerit, si non alicubi de tanto viro prædicasset quocunq; modo, omisso eius nomine, propter Augustum scilicet. Pulchrum sanè, si minus verum, hoc διήγημα. Tui iudicij esto.

Obiter id quoq; annotemus, in hoc versu parēthesin esse, idq; in verbo *sæpe*. Ita enim sententia est ordinanda. Ac veluti magno in populo quū coorta est seditio sæpe: nimirum vt sæpe fit: quod clarius patebit, si versum ad istum modum legas. *Ac veluti magno in populo quum (vt sæpe) coorta est Seditio.* Nannius lib. 7. cap. 4.

SEDITIO) Seditionis proprietas è M. Tull. manifesta est lib. de repub. 6. Eoq; in dissensione ciuium, quod se-
B orsim eunt alij ad alios, seditio dicitur. Nonius. & Isid.

SÆVITQ; ANIM. IGNOB. VVLG.) Cætera vitia singulos corripiunt: hic vnus affectus est, qui interdum publicè concipitur. Nunquā vniuersus populus vnius fœminæ amore flagrauit. Nec in pecuniā, aut lucrum tota ciuitas spem suam misit. Ambitio viritim singulos occupat. Impotentia non est malum publicum. Sæpe in iram vno agmine itum est. Viri, fœminæ, senes, pueri, principes, vulgusq; consensere: & tota multitudo paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit. Seneca de Ira lib. 3. cap. 2. * *In Monostichis.*

Ἰσχυρὸν ὄχλος ἐστὶν, οὐκ ἔχει δὲ νοῦν.
Robusta res est populus, at mentis caret.

IAMQ. FACES VOL.) In generibus telorum nume-
C rantur faces, id est, vrentes quædā hastulæ, è picea, tæda, larice, & si quod tale genus. Stat. lib. 5. *vstaq; sudes, fractiq; molares, Spiculaq;, & multa crinitum missile flamma.* Lucan. in Pharsal. *inde sagittæ, Inde faces, & saxa volant.* Silius in pugna Cannensi. *Hi sude pugnant, Hi pinu flagrante cient, hi pondere pili.* Xenophon de suis Græcis. τοξεύματα, σφενδόναι, λίθοι, ἦσαν δὲ οἱ καὶ πῦρ προσέφερον. Sagittæ, fundæ, lapides. Erant autem qui & ignem præferrent. Heliod. Æthiop. 1. de Ægyptiis. ὁ μὲν ξύλῳ κατεαγὼς, ὁ δὲ δαλῷ κατέφλεκτο. Alius ligno percussus, iste face adustus erat. Hæc Lipsius Poliorceticôn lib. 4. dial. 4.

ET SAXA) De lapidatione accipiendum. Nonnunquam in principes viros pop. Rom. conspiratione inita,
D & seditione excitata impetum faciēs, lapidibus eos persequebatur. Cicero non vno loco de ista lapidatione loquitur. Porro de varia notione verborum istorum, lapidare, lapidatio, item quid elapidare, dilapidare, lapidescere, Crinit. lib. 25. cap. 6.

FVR. ARMA MINIST.) Hoc ipsum è Græco sermone fluxit: hæc enim verba à vetere scriptore prolata leguntur apud interpretem Homeri Eustathium pluribus locis. τὸ παρατυχὸν ὄργανον ὅπλον ἐστὶν ἀχορηγήτῳ θυμῷ. Verum etiam idem in tragœdia verbis aliis dictum fuerat, vt Basilius pius auctor testatur, qui tamē simpliciter hoc prolatum non probat: at correctione putat indigere. Id autē nisi primus pes deesset, integro senario editum foret.
E Absoluta verò sententia ita illic pronuntiatum fuerat. ὅπλ᾽ ἐχθρῶν θυμὸς ὁπλίζει χέρα. Victor. lib. 8. cap. 15.

Cur quæuis arma furentibus idonea videantur, seu quamobrem furore, & iracundia inflammati, quod primum possunt, pro telo arripiant ad se vlciscendos, caussam Virgil. ipse lib. 2. Æneid. prudēter ponit, quia *furor, iraq;* (subita intellige) *mentem Præcipitant.* Quoniam igitur tum mente sunt emota, quid mirum, eos armis non armis pugnare acerrimè ac sæuissimè? Ait tamen Caius Iurecons. tit. de verb. signific. armorum appellatione non vtiq; tantum scuta, & gladios, & galeas significari, sed & fustes, & lapides. Philosophus quidam nomine Eurylochus, seruo factus iratior, eum rapto veru cum affixis carnibus per publicū est insecutus. quid hoc dici potest

φιλοσοφωτέραν? Noui patremfamiliâs, qui ipso in accubitu, ob rem minimam in vxorem efferuescens, à mensa se proripientem pane apposito peteret. Pueri quidem iracundia stimulante, tanquam bestiæ, dentibus, & vnguibus sæuiunt in eos, à quibus læsi sunt. In conuiuio nuptiali apud Ouid. 5. Metamorph. Perseus Eurithum non admoto petit ense, sed altis

Extantem signis, multaq; in pondere massa
Ingentem manibus tollit cratera duabus,
Infligitq; viro.

Similia armorum genera in furentibus inueniet, qui excutere aliquantum memoriam suam, & eam deposita reposcere non grauabitur.

TVM PIETATE GRAVEM ET MERIT. &c.) B Versus isti mihi quid Ennianum, aut Lucillianum sapere videntur, præsertim illud carmen, *Tum pietate grauem, & meritis si fortè virū quem*, & numero, & sono inconditum est. Monosyllaba enim voce, sine vlla legitima caussa hexametrum claudere, idq; per apostrophen, omnino intolerabile videtur. Deinde in ὁμοιοτελεύτοις illis, *grauem, &, virum quem*, inamœna κακέμφατον est, nec concinnior, quàm illa Ouidiana, *Quot cælum stellas, tot habet tua Roma puellas*. Ennianos autem versus suo operi Maronem inspersisse, etiam Macrobius auctor est, qui multa eius generis collegit. Et Seneca, qui id Virgilium ait tribuisse auribus sæculi sui, quo Ennius erat apud plerosq; in miris deliciis, ac proinde Virgilium non C suo iudicio, sed alienis emblematis horridiorẽ, & incultiorem videri. Cuiuscunque autem iste versus est, Græcorum phrasin imitatus est: illi enim τινα, cùm non interrogatiuum, sed infinitum est, appellatiuis subiiciunt.

Quàm cognata sunt his illa Iuuenal. satyr. 10. de principe Oratorum Græciæ Demosthene?

——sanus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.

Omnium eruditorum opinione, Virgilius oratorem exprimit, quem Cato postulat esse virum bonum, dicendi peritum. Citat Quintilianus libr. 12. cap. 1. in quo D docere nititur, eum qui sit orator, non solùm bonum esse virum oportere: sed ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum. Præter alia argumenta hunc quoque Maronis locum adhibet. Atq; ego haud scio, an vlla horum poetæ verborum lucultior, & illustrior declaratio possit inueniri ea, quam 1. de Orat. legimus. Vbi L. Crassus de laudibus eloquentiæ, & eloquentis sic inter cætera. *Quid enim aut tam iucundum cognitu, atque auditu, quam sapientibus sententiis, grauibusq; verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quam hominum animos vnius oratione conuerti? Quid admirabilius, quam res splendore illustrata verborum? Oratoris est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia: eiusdem & languentis populi incitatio, & effrænati moderatio.* Ibid. post pauca interiecta. *Sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione, & sapientia, non solum ipsius dignitatem, sed & priuatorum plurimorum, & vniuersæ reipub. salutem maximè contineri.* Bene autem lib. 3. idem Crassus admonet, quò maior sit eloquentiæ vis, hoc magis probitati iungendam, summæq; prudentiæ, quarum virtutem expertibus si dicendi copiam tradiderimus, nõ eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quędam arma dederimus. Ipsemet Cic. in Bruto de M. Popilio, qui cũ Cos. esset, eodemq; tẽpore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione, & seditione nunciata, vt erat læ-A na amictus, ita venit in concionem, seditionemq; cùm auctoritate, tum oratione sedauit. In cuius loci explicatione vir ingenio, & doctrina præstans Sebast. Corrad. Maronis hosce versus adducens, ostendit illa, *Tum pietate grauem, & meritis*, &c. ad auctoritatem pertinere, quæ facit audientiam. Illa, *ille regit dictis animos*, &c. ad orationem, quæ assequitur quod volumus. Et auctoritas potissimùm ex bonitate morum, non ex vsu dicendi cõparatur. Huc etiam quadrant illa ex eodem Ciceronis commẽtario de clar. orator. Quod si fuit in repub. tempus vllum, cùm extorquere arma posset è manibus iratorum ciuium boni ciuis auctoritas, & oratio. Et Persius satyr. 4. cùm agit de officio Rectoris, siue Principis, eloquẽtiam quoq; in eo ad tumultum populi comprimendum requirit.

Ergo vbi commota feruet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus: quid deinde loquere? Quirites,
Hoc puto non iustum est: illud malè, rectius istud.

Bene igitur Plutarchus libr. de ciuili institut. Menandrum reprehendit, qui mores dicentis, non orationem persuadere dixit. Non est quidem rhetorica suadendi opifex, sed adiutrix. Vtrumq; est, quod rem efficit, mores & oratio, Nisi quispiam dicat, nauem à gubernatore duntaxat dirigi, non à clauo quoque: & equitem esse, qui equum in gyros versat, non etiam frenum. Reges illi magni, & Ioue sati (vt inquit Homerus) tametsi sceptris, & purpura nobiles, satellitibus constipati, deorum demum oraculis inflati, & tumidi, vulgus territare soliti, ac sibi subiicere, volebant tamen verborum oratores effici, gratiamque dicendi nequaquam aspernabantur, conciones, in quibus clari solent effici viri, non negligebant, &c.

Duplicem intelligas oratorem, inquit Scalig. Poet. lib. 3. cap. 16. alterum virum bonum, prudentem, sapientem: cuius consilio, atque oratione vniuersus reipub. status temperatur. Talem intellexit hic diuinus vates. Tales celebrauit Ennius Lælium, Cethegum, & Ælium Sextum tribus diuersis locis. De Lælio, *mitis sapientia Leli*. De Ælio mira illa, *Egregiè cordatus homo catus Ælius Sextus*. De Cethego. *Additur orator Cornelius suauiloquenti Ore Cethegus*. Duos sibi finxit maximus poeta, Ilioneum, & Venulum: quorum sapientiam atq; facundiam ex vtriusque orationibus intelligere poteris. Alterum genus oratoris nomine tantum, non re. Neque enim dignus est, qui cum illo quidquam commune habeat: sed fori tintinnabula potius, aliarum fortunarum atque capitis mercatores, ac potius mangones. Quæ monstra generis humani alit apud nos natura, vt inter superos ostentet diram speciẽ tartari inferni. Vulturij, Harpyiæque, crumenimulgæ, qui nec sanguine quidem miserorum exsaturari queant.

VIRVM QVEM CONSPEXERE) Aut prætereuntem E forte, aut accurrentem etiam ad seditionum fluctus comprimendos.

ARRECT. AVRIBVS ASTANT) Ducta metaphora ab animantibus, quarũ plerisq; mos est, si quando quid eminus audierint, aures surrigere. Nam vni animãtium homini natura dedit auriculas immobiles. Plinius tradit hoc esse peculiare ceruis, vt cũ aures surrexerint, nihil sit illis auritius: rursus, vbi demiserint, nihil surdius. Aristot. itẽ lib. de nat. animal. 9. tradit ceruos haudquaquam latere insidias, quoties arrectis sunt auribus: propterea quod tum auditus sunt acerrimi: contrà, cùm demiserint aures, facile capi. Dicitur prouerbiali schemate de his, qui sitiẽter, atq; auidè auscultãt, aut certè auscultare debent iis q̃ dicũtur, aut exspectare cupidè quiddice ndũ

sit

A sit, illud Teren. And. *Arrige aures Pāphile.* Propert. lib. 3. *ab origine prima Incipe, suspēsis auribus ista bibā.* Chiliast. * *Sunt non aliena hoc loco verba M. Tullij lib. 2. de Offic. Magna est enim admiratio copiosè, sapienterq́; dicentis. Quem qui audiunt, intelligere etiam, & sapere plusquam cæteros arbitrantur. Ne Plutarchi quidem lib. de Ciuili Institutione. Lupum quidem aiunt auribus teneri non posse, populum autem duci inde maximè oportere. Verùm, vt aures arrigere attentionem significat, ita similiter ἐπὶ τοῦ ἐναντίου demittere auriculas vsurpari potest, translatum æquè à iumentis, quæ id faciunt, cum oneribus grauantur, & corporibus fessa sunt. Valebit igitur in homine, torpere, quippiam molestè pati, animum habere languidum, & iniquum. Horat. Sat. 9. lib. 1.* Demitto auriculas, vt iniquæ mentis asellus, Cum grauius dorso subiit onus.

SIC CVNCTVS PELAGI CECIDIT FRAGOR) B Fabium oratione sedantem tumultum militum, arma poscentium, Neptuno tranquillantem aspectu suo fluctus maris comparat Silius lib. 7.

His dictis fractus furor, & rabida arma quierunt.
Ut cum turbatis placidum caput extulit vndis
Neptunus, totumq; videt, totoq́; videtur
Regnator ponto, saui fera murmura venti
Dimittunt, nullasq; mouent in frondibus alas
Tum sensim infusa tranquilla per æquora pace
Languentes tacito lucent in littore fluctus. ✠

Poeta maluit *cunctus*, quam *omnis*: tum quia plenior sonus: tum quod omnis populus potest mihi ire obuiam, etiamsi sigillatim exeant: cunctus autem & omnem significat, & simul. Tametsi puto iniuriam factam alteri: est enim omnis ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ ortum, sicut & homo, quippe qui sit animal sociale. ἀθρόον cunctum Græci dicunt. Scalig. Poet. lib. cap. 16.

PROSPICIENS GENITOR) Cur genitor Neptunus? quoniam antiqui deos omnes vocarunt patres. Sic Iupiter πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Sic Apollo pater, Liber pater, Neptunus pater, Mars pater cæteriq; ad eundem modum. Lucilius in deorum concilio.

Ut nemo sit nostrum, quin pater optimus diuûm:
Ut Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,
Ianus, Quirinus, pater nomen dicantur ad vnum.

Sed Oceanum præcipuè, quod aquæ rerum omnium tribuerent principatum. * *Et eò forsitan etiam hîc respexit poeta, ad Thaletis, inquam, dogma, quod est, aquam rerum omnium esse principium. Idipsum est apud Homerum quoq;*

FLECTIT EQVOS) Equos Neptuni intelligo hippocampos, inquit Turneb. lib. 26. cap. 23. qui priores pedes habeant, posterioribus careant, sed pontum legant, & natent: quod testimonio optimi poetæ Papinij comprobauimus. lib. 1. Achilleid.

——— & triplici telo iubet ire iugales.
Illi spumiferos glomerant a pectore fluctus,
Pone natant, delentq́; pedum vestigia cauda.

Qui Neptuno appinguntur equi scribit li. 3. Pierius, pernicis eiusdem cursus indices habentur, qui maritima fit nauigatione. Naues enim equorum, curruumq́ue vsum affatim suggerunt. Iam & prouerbium vsurpatum à Cicerone, Tum equis, tum velis, ad Q. F.

CVRRVQVE VOL. D. LORA SECVN.) significat hoc, laxat equis suis habenas Neptunus, celeriter currentibus, eos sequente curru. Premere habenas, & adducere, est equos à liberiore retinere, coercereque impetu, & cursu: dare habenas, & immittere, est equis liberum campum, cursumq; permittere. Pierius lib. 12. cap. 12.

Fingitur à Platone in Critia, equos Neptuni fuisse alatos, eorumq́ue habenas ipsum, cum curru inuehitur, C manu tenere. Huc sine controuersia Maro allusit & supra, cum leuibus rotis summas ipsum vndas perlabi dixit, & hîc multò apertius. Lib. 5. vbi Veneris precibus annuens, nauigaturo Æneæ mare sedatum, ac tutum reddere inducitur, pari ratione currum iungere, & per vndas inuehi, agitatas, inquam, ac tumentes dicitur, phantasia poetica scilicet, vt Seruius consueuit appellare.

Iungit equos curru genitor, spumantiaq́; addit
Fræna feris, manibusq́; omnes effundit habenas,
Cæruleo per summa leuis volat æquora curru.

Defessi Æneadæ, quæ proxima littora, cursu
Contendunt petere, & Lybiæ vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inq; sinus scindit sese vnda reductos,
Hinc atq; hinc vastæ rupes, geminiq; minantur
In cælum scopuli: quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent. tum syluis scena coruscis
Desuper, horrentiq; atrum nemus imminet vmbra.
Fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, viuoq; sedilia saxo:
Nympharum domus: hîc fessas non vincula naues
Vlla tenent, vnco non alligat anchora morsu.
Huc septem Æneas collectis nauibus omni
Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi OPTATA POTIVNTVR TROES ARENA,
Et sale tabentes artus in littore ponunt.

DEFESSI ÆNEADÆ) Fessi rerum, infrà. Tempestate videlicet tam graui, tantisq; iactationibus.

LITTORA QVÆ PROXIMA) Quæcunq; tandem illa essent. Quid enim naufragis, aut pæne naufragis potuit optabilius littore contingere? idq́; quàm pri-D mùm: quare etiam cursu contendunt petere, id est, omni qua poterant celeritate. ✠

ET LIBYÆ VERTVNT. AD ORAS) Quid caussæ est, quamobrem Virgilius Æneam è portu Siculo soluentem, Italiamq́ue proximam petentem, tempestate coorta

coorta potius in Lybiam, quam aliā in terram reiecerit? A Vt nobilissimæ vrbis illius, Carthaginis, inquam, primordium, originemq; exponendi ansam haberet, odiorumque illorum, quibus in Romanos ardebant Carthaginenses, caussas partim certas, partim incertas adduceret, & fatales. Quæ res hoc primo libro, & quarto habentur. Non suorum tantummodo Romanorum, sed Carthaginensium quoq;, Romani imperij æmulorum originem, atque principium celebrare voluit. Priorem caussam nō obscurè ipsemet in operis vestibulo indicat.

Progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum latè regem, belloq; superbum
Venturum excidio Lybiæ. B

Nam cum Carthaginenses, qui Phœnicum, Tyriorumque coloni fuerunt, maximo populi Romani odio flagrarent, & Asdrubale, atque Annibale ducibus tam diu bellum cum ipso gessissent, donec à Scipione minore, seu Æmiliano vincerentur omnino, ipsorumque vrbs deleretur, placuit poetæ hoc libro primas huius odij caussas, & quasi radicem ostendere. Vtpote quibus infatis esset, ab illis olim euerti: quod ipsum quia metueret Iuno, idcirco AEneam ab Italia in Africam auerteret, vt ibi coniugio Didonis implicatus hæreret: nec in Italia Romanos propagaret, euersores Carthaginis suæ. Ille autem prodita Didone, cui tantum debebat, cuius etiam corporis vsuram sibi ceperat, in Italiam fugit, & ita optimæ fœminæ, ac bene meritæ moriendi ansam præbuit. Hæc liberius ex Frischlin. Prolegom cap. 7.

EST IN SECESSV LONGO) Sinu quodam, & tractu longe remoto à mari, ita vt è mari prospectus esse videatur in locum longè semotum.

INSVLA PORTVM EFFICIT) Quem insula portum efficit, omittit enim relatiuum: vt, *Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.* Et alibi item. Portus inquit Vlpian. tit. de verb. significat, est conclusus locus, quo importantur merces, & vnde exportantur: eaque nihilominus statio est conclusa, atque munita: vnde angiportum dictum est. Vbi Alciat. portum antiqui plerumque pro insula, aut domo, teste Festo, dicebant, cuius rei rationem Iurecos. hic assignat, quod scilicet merces in eam portarentur. Hinc à similitudine portus appellari cœpta est nauium statio, qua inclusæ naues à ventis tutæ essent: isq; frequentissimus est huius verbi significatus. Sed & angiportum angustam viam inter portus, id est, domos, dixerunt. Huius autem portus descriptio ad verbum fere ex Homeri Odyss. 13, traducta est. Quod Grammatici dicunt, Hispanicæ Carthaginis portum esse descriptum, fieri sanè potest, vt hæc descriptio ad eum accommodata fortuna quadam, & casu potius, quam poetæ consilio, aut voluntate conuenerit, cum poeta tamen ad Homeri exemplum properauerit. Turneb. libr. 18. cap. 32. Super hac re Corrad. consule.

GEM. MINI. CÆL. SCOP.) Exponit Turneb. in cælum vsque minaces illi scopuli videntur attolli, & eminere, lib. 12. cap. 12.

QVORVM SVB VERTICE) Circa radices, quæ ad rectam lineam suspiciunt verticem.

ÆQVORA SILENT) Partes æquoris, id est, aquæ, quæ in ponto, qui est latissimus, includuntur.

SYLVIS SCENA CORVSCIS) Videtur ad theatralem scenam alludere, quæ de vmbraculorū, & frondium contextu temperatis sæculis fiebat, vt syluarum scenam licet naturalem, vrbis imitatam cultum, apparatum, & artem significet: tanta se illæ syluæ desuper venustate, & specie ostentare videbantur. German.

HORRENTIQVE VMBRA) Verbum istuc ad sacra & religionem transtulit etiam libr. 6. Æneid. *horrendaq; procul secreta Sibyllæ*, id est venerandæ. Lucret. de Cybeles simulacro cum corona turrita.

Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrificè fertur diuinæ matris imago.

Notatum à Gifan.

ATRVM NEMVS) Propter opacitatem ex densitate frondium.

INTVS AQVÆ DVLCES) Dicitur aqua dulcis fontium, puteorum, & fluminum, non salsa, vt est marina. Cic. lib. 6. in Verr. In hac insula extrema est fons aquę dulcis, cui nomen Arethusa est. Oppius de bell. Alexan. Nam fossis, aquam dulcem reperiri posse affirmabat. Lucret. lib. 6.

Quod genus endo mari spirat fons dulcis aquaï,
Qui scatit, & salsas circùm se dimouet vndas.

VIVOQVE SEDIL. SAXO) Ouid. 5. Metam. *electa iurant per flumina nymphæ, Factaq; de viuo pressere sedilia saxo.* C Producto hoc loco Nonius, etiam quæ nec animo, inquit, nec spiritu mouentur, viua dici possunt. auctore Virgilio. Æneid. 3. *viuo preteruehor ostia saxo.* Et 2. Georg. *Spelunca, viuiq; lacus, & frigida Tempe.*

NYMPHARVM DOMVS) Locus est sacer nymphis, ait Turneb. lib. 12. cap. 12. quem & incolere credebantur, vt numina sua templa. Antra autem nymphis sacrari solent.

VNCO NON ALL. ANCH. MORSV) Lib. 6. *tū dente tenaci Anchora fundabat naues.*

HVC SEPTEM ÆN.) Nauibus 20. conscendit mare, vna periit, duodecim aliò depulsæ sunt, de quibus paulò pòst Venus lætissimum affert nuntium. Hoc ex D arte obseruant optimi poetæ, Homerus inprimis, atque Virgilius, vt prius locum describant, quò aliquis peruenerit, quam illum eò peruenisse dicant. Redit igitur per ὑπόθεσιν ad narrationem, quidque egerint Troiani, cum primùm terram optatam attigerint, mira breuitate describit. Nascimb.

MAGNO TELL. AMORE) magno desiderio, cuiuscunque scilicet, post pericula. Vnde superius, *quæ proxima littora, cursu contendunt petere.* Tellurem autem pro terra posuit, cum Tellurem deam dicamus, terram elementum. Seruius.

ET SALE TAB. ARTVS) Salsa maris aqua, quæ magnam vim corrumpendi, & exedendi habet, & E ita est sordida, vt ea madidus tabescere, ac putrescere videatur. ✱

IN LITTORE PONVNT) Ad solem, vt siccarentur, & calefierent eius radiis. Aristot. Problem. οἱ περὶ θάλασσαν ἡλίῳ χαίρουσι.

Ac primum silicis scintillam excudit Achates,
Suscepitq; ignem foliis, atq; arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitq; in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam vndis, Cerealiaq; arma
Expediunt fessi rerum: frugesq; receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Æneas

Æneas scopulum interea conscendit, & omnem
Prospectum latè pelago petit, Anthea si quà
Iactatum vento videat, Phrygiasq; biremes
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.

SILICIS SCINT. EXCVD.) id est, è silice scintillam excutit. Nam silicis gignendi casu probare non possum. Turneb. lib. 12. cap. 12. * *Apparet Turnebum legisse*, Ac primùm è silice, *aut citra præpositionem*, Ac primùm silice, *vel illa vocalis vltima vel Græcorum more, vel penthemimeri extendatur. Lib. 6 statim initio, eodem sensu, verbis paulum diuersis*, quærit pars semina flammæ abstrusa in venis silicis. *Et Georg. 1.* Et silicis venis abstrusum excuderet ignem. *Silex, inquit Isidor. lib. 16. est lapis durus, eo quod exiliat ignis ab eo, dictus.*

NVTRIMENTA) videtur vox humilis, sonus tamen grauis: vt alibi rudimenta, tentamenta. Intelligit autem nutrimenta, quæ Aristoteles vocat ὑπεκκαύματα. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16.

RAPVITQVE IN FOM. FLAMMAM) Rapuisse in fomite flammam de Achate dicit, vbi ei tribuit, quod fomiti, nutrimentoq; ignis tribuẽdum fuit. Fomes enim flammam corripuit. Sed cùm eam in fomite excitasset Achates, meritò in eo dictus est ipsam rapuisse, quam in eo quærebat, eleganti figura orationis. Turneb. lib. 12. cap. 12. Nam Corrad. in hunc modum. Flammam traxit in illa nutrimenta in fomite: id est, flammam, quam in fomite conceperat, in nutrimenta pertulit in fomite.

CERER. COR.) Pæne corruptum, ac perditum frumentum.

CEREALIA ARMA) Arma sunt cuiusuis artis instrumenta. Agricolarum ligones, aratra, plaustra. Nautarum vela, rudentes, antennæ. Cocorum ollæ, cochlearia, verua. Studiosorum libri, calami, & reliquorum similiter.

FESSI RERVM) Stat. *fessus belliquè viæq;.* Subauditur caussa, vt apud Græcos ἕνεκα. Fessi rerum, id est, fatigati naufragij calamitate, & tempestatis iactatione. Sic infrà. *sunt lachrymæ rerum*, id est, calamitatum, rerum aduersarum. Itaq; paulò pòst scribit, *Tum victu reuocant vires.* Turneb. lib. 12. cap. 12.

ET TORRERE PARANT FLAM. ET FRANGE. SAXO) Georg. 1. *Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.* Fornacalia, inquit Festus, feriæ sunt institutæ farris torrendi gratia, quòd ad fornacem, quæ in pistrinis erat, sacrificium fieri solebat. Idem alibi. Fornacalia sacra erant, cùm far in fornaculis torrebant. Seruius auctor est, apud priscos molarum vsum non fuisse: fruges enim torrebant, & deinde in pilis pinsebant: & hoc erat molendi genus: quod & suo tempore adhuc factitatum esse ait. Secundum quem morem ita dixerit Virgilius, *Et torrere parant flammis, & frangere saxo.* [*Seruium refellit Corradus, quia Plinius libro 7. cap. 50. scribat. Cererem molere docuisse. Porrò molere à molis ducitur: & Ceres multo ante Æneam fuit.*] Molæ autem postea inuentæ sunt, asinariæ quædam, quædam trusatiles: id est, hominum opera versatiles. Gell. lib. 3. cap. 3. de Plauto Comico loquens. Sed enim Saturionem, & Addictum, & tertiam quandam comœdiam, cuius nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro, & plerique alij memoriæ tradiderunt, cùm pecunia omni, quam in operis artificum scenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam rediisset, & ob quærendum victum, ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset. Hoc autem non sine ingenti labore, ac fatigatione virium fiebat: vt pistrinum pro loco fatigationis pleno, & pro negotio operoso ac molesto, vireisque conficiente ponatur. Hieronym. in præfat. Danielis. Denique ego adolescentulus, post Quintiliani, & Tullij lectionem, cùm me in linguæ Chaldaicæ pistrinum inclusissem, & multo sudore, multoq; tempore vix cæpissem anhelãtia, stridentiaq; verba resonare, & quasi per cryptam ambulãs, rarum desuper lumen aspicerem, impegi nouissimè in Danielem. Pistrinum pro ærumna dixit studij difficillimi. μυλὼν à Græcis dicitur. Aquariarum autem molarum loca, quibus nunc vtimur, molestrinas, vt arbitror, appellare possumus, vt ex Nonio colligo. Bud. in Pand. * *Lucret. lib. 1. simile genus loquendi habet. Frangere fruges saxo, ait Vergil. Ille*, frugesq; minutas Robore cum saxi franguntur.

ÆNEAS SCOP. INT.) Segregatur quidem Æneas à vilibus officiis, vt dicit Seruius: tamen lib. 6. in funerandis suorum corporibus nõ segregatur. Lege quæ ibidem diximus. Et est hæc pars quędã de officio Principis, sollicitum esse de salute suorum, eosque amissos requirere, quod nunc Æneas facit.

PROSPECT. LAT. PEL. P) In omnes partes pelagi, quàm latè potest, prospicit. Catul. de nupt. *At pater vt summa prospectum ex arce petebat.* Ibid. *Vnde aciem in pelagi vastos protenderet æstus.* Liuius lib. 1. signum contra quod longissimè oculi conspectum ferebant. Lib. 6. Æneid. de columbis in sylua visis ab Aenea, eundem Liuij sensum, ecce quibus verbis concluserit.

Pascentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie possunt oculi seruare sequentum.

Sallustius Iugurth. paulò diuersè. Postremò omnia, quà visus erat, constrata telis, armis, cadaueribus.

CELS. IN PVP. A. CAICI) Puppis pars nauis posterior est, altior priore, ideo dixit *celsis.* Puppibus arma solebãt præfigi, vt lib. 10. *præfigere puppibus arma.* Et arma solent esse lucida, nitentia, vt procul possint videri. Corrad.

Communis loquendi vsus populorum & Iurecoss. insignia armorum nomine appellat. Et fortè nõ ineptè, aut certè non sine ratione: quoniã plerumq; hæc insignia in armis insculpi & antiquis, & nostris tẽporibus solebãt, vt hinc armati, facie armis operta dignoscerentur. In quo sensu hoc Maronis potest accipi. Et lib. 3. *cristasq; comantes Arma Neoptolemi*, tanq̃ scil. cristæ illę comantes essẽt illius insignia. Et lib. 6. *Nomen & arma locum seruãt.* Vbi Seruius, arma, inquit, depicta: q̃ rectius de insignibus, q̃ de armis propriè intellectis, immò vix de illis intelligi potest. Et rursum li. 10. *Pacẽ orare manu præfigere puppibus arma.* Nam & huiusmodi insignia, puppibus quoq; solebant præfigi, vt idẽ ostendit eod. lib. 10. *Æneia puppis Prima tenet, rostro Phrygios subiuncto leones.* Ex quo intelligis, leones Phrygum fuisse insignia. Donat. in Eunuch. enarrans illum locũ, *hanccine ego vt contumeliam tam insignem in me accipiam?* Scribit insignia armorum esse. Sic Tiraquell. de Nobilitate cap. 2. num. 19.

Nauim in conspectu nullam, tres littore ceruos
Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur
A tergo, & longum per valles pascitur agmen.
Constitit hîc, arcumq; manu, celeresq; sagittas

Corri-

Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.
Ductoresq; ipsos primùm, capita alta ferentes,
Cornibus arboreis, sternit: tum vulgus, & omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quàm septem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerũ cum nauibus æquet.
Hinc portum petit, & socios partitur in omnes.
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes
Littore Trinacrio, dederatq; abeuntibus heros,
Diuidit, & dictis mœrentia pectora mulcet.
O socij (NEQVE ENIM IGNARI SVMVS ANTE MALORVM)
O PASSI GRAVIORA, DABIT DEVS HIS QVOQVE FINEM.
Vos & Scyllæam rabiem, penitusq; sonantes
Accestis scopulos, vos & Cyclopea saxa
Experti: reuocate animos, mœstumq; timorem
Mittite. FORSAN ET HÆC OLIM MEMINISSE IVVABIT.
PER VARIOS CASVS, PER TOT DISCRIMINA RERVM
TENDIMVS IN LATIVM, sedes vbi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
DVRATE, ET VOSMET REBVS SERVATE SECVNDIS.

TRES LITT. CERVOS PROSP.) Homerum imitatur poeta in 10. Odyss. in hoc tamen ab eo diuersus, quòd ille ceruum ab Vlysse vnum, hic verò septem ab Ænea ceruos fusos, necatosque dicit. [*Potius imitatur eundem 9. Odyss. sed quomodo, & quo discrimine, monstrat Corrad.*] Sugillant Critici Virgilium, quod ceruos finxerit ab Ænea in Africa inuentos, & stratos, cùm Geographorum ferè omnium, & Plinij in primis auctoritate lib. 8. cap. 33. Africa ceruis careat. Quibus ita ex Aristotelis sententia respondemus, quædam peccata ex ignoratione artis fieri, quædam verò accidentaria esse. Hoc si peccatum est, non ignoratione artis est, sed per accidẽs: quod facilè condonari solet: nam poetæ verisimilia sequuntur: nec damnandi, si falsa sequantur, modo fuerint verisimilia. Quis autem historicorum vnquam dixit, Æneam in Africam delatum fuisse? & reuera non fuit. Fuisse tamen probabile est. Quamobrem nec Pindarus ab Aristotele damnatur, licet ceruæ cornua tribuerit, quæ omnino cornibus caret. Nam hoc leuius peccatum est, quàm si rem aliquam malè descripserit: id enim ex ignoratione artis nasceretur: & ceruam habere cornua etsi verum non est, tamen habere posse probabile est. Nascimb. * *Ad huius item loci defensionem assume, qua petiuimus ex Victorio, in illum versum lib. 11.* & olentem scindere cedrum. *Docet autem Festus, ceruum, quod κέρας, id est, cornua gestet, appellatum. Varro lib. 4. de ling. lat. Cerui, quod magna cornua gerunt, mutato g, in c, vt in multis: quasi gerui.*

HOS TOTA ARM. SEQVVNTVR A TERGO) A tergo ipsorum sequebatur illos tres ceruos, tanquam duces, magnus ceruorum numerus. Pleonasmum autem hunc defendit Corradus, *sequũtur a tergo*, cùm qui sequitur, non possit nisi à tergo sequi. Aliis omissis, sic etiam Cicero locutus est Tusculan. 1. Adolescentes in cursu à tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus.

FID. QVÆ TELA GERBB. ACHAT.) Quod fidissimum, atque indiuiduum comitem Achatem Æneę Virgilius adiungit, μυστηριώδες est. Ἄχος enim Græcis curam, & sollicitudinem sonat. Quare insinuare voluit, bonum principem cura & sollicitudine bene imperandi (quod vnum omnium difficillimum esse Diocletianus affirmabat) vacare nunquam oportere. Agit hac de re subtilius libro de rege, & regno Viperan. cap. 11. quod est de ciuili scientia, quæ humano ingenio, & arte percipi posse non videtur: sed diuino quodam afflatu indigere. Ideo ciuilem scientiam Plato vaticinium vocat, vtpote diuinitus infusam: & sceptrum quod Minoi à Ioue collatum Hesiodus scribit, nihil aliud esse putat, quàm Iouis doctrinam, qua Cretam diuina quadam ratione gubernauit. Quem ob id Homerus ὀαριστὴν, id est, Iouis familiarem, atque discipulum vocat. Et Achatem Æneę, quem ante curã interpretati sumus, alij bonum, & diuinum Geniũ esse volunt, qui præstãtibus quibusdam hominibus est præsens, ab illisq; solis conspicitur: vt de suo prædicantem sæpe multa Socratem legimus.

CAP. ALTA FEREN. CORN. ARB.) Natura ceruo animali admodum degeneri cornua magnitudinis adeo spectandæ, ac asperitatis horrificæ contribuit, quo argumentum esset, eos qui audacia, & fiducia prædit non essent, frustra vllum apparatum, & instrumẽta bellica comparare. Egregiè Chabrias Atheniensium dux: formidabiliorem esse ceruorum exercitum leone duce, quàm leonum duce ceruo. Tertullianus, nosse ait se Christiani gregis pastores aliquos in pace leones, in pręlio ceruos. Pierius lib. 6.

Cornua arborea nominat, propter ramos, quos instar arborum propagant. Est igitur cornibus arboreis, cornibus ramosis, vt sunt arbores. Plin. lib. 11. cap. 37. de varietate cornuum in animalibus. Omnibus autem caua, & in mucrone demum concreta sunt. Ceruis tantum tota solida, & omnibus annis decidua. Cæterorum ossibus adhærent, ceruorum tantùm cutibus enascuntur.

VVLG. MIS. AGENS TELIS) Indicat, licet latenter, timiditatem ceruorũ poeta, ex fuga videlicet. Caussa huius eorum timiditatis frigus est, sicut animositatis leonum, & audaciæ, calor. Hoc ita Lucret. docet lib. 3.

At ventosa magis ceruorum frigida mens est:
Et gelidas citius per viscera concitus auras:
Quæ tremulum faciunt membris existere motum.

Iam quid nos ceruorum ista timiditas, cum tam altis asperisque cornibus moneat, nisi quid te detinet, audi Plutarchum lib. posterior. de fortuna Alexandri. Quapropter naturam, inquiunt, ceruo animali ignauissimo cornua magnitudine visenda, & aspera ingenerasse, nimirum specimen dantem, qui audere ipsi, fiduciamque sibi imperare nequeunt, nullum iis armorum apparatū, bellique instrumentum vsui esse. Hoc sæpe modo fortuna socordibus, stolidisque opes, & imperia adsciscens, quibus ipsi demum degeneres arguuntur, astruit, honestatque virtutem: vt pote in qua vna sita sint amplitudo, decorq; viri.

NEM. FRONDEA) Frondea positum pro frondosa, vt infrà, florea rura, pro florida. Sic Horat. Ode 35. lib. 1. purpurei tyranni pro purpurati.

QVAM SEPTEM INGENTIA VICTOR) Ne hoc quidem loco ab Homero suo recedit, etsi numero, genere cæsorum animantium, & nauium ab illo variet. In singulas quippe ex duodecim, nouem capræ sortitò distributæ sunt, decē Vlyssi datæ soli. At Æneas septem nauibus totidem ceruos fundit, ac se per omnia reliquis parem facit. Humilius est, quod Vlysses venatur capras: heroicum plane, quod Æneas ceruos. Locus est Odyss. ι. ἐννέα δ' ἐς ἑκάστην λάγχανον αἶγες ἐμοὶ δὲ δέκ' ἔξελον οἴῳ, &c. Nascimb.

VICTOR) Assequutus quod volebat: hanc enim notionem dare huic voci libitum est Maroni nostro. exempla in 3. Georg. nisi fallor, accumulaui.

NVMERVM CVM) Cacophaton notant Seruius, & Donatus.

PORTVM PETIT) Vbi socios reliquerat.

BONVS ACESTES) Vir quidam singularis doctrinæ allusisse vult poetam ad nomen Acestæ, & bonum dixisse, quod Græcis ἀκεστὴς, medicus, & doloris sanator dicitur. Acestes autem inducatur semper beneuolus, beneficus, & vbiq; rebus asperis subueniens Troianis. Tamen & passim bonum Æneam, & Eurytiona, & alios complures nominat. German.

Apud veteres Romanos non modo dij boni, deæ bonæ, bonæ preces, bona verba, & similia: sed etiam boni viri, bonæ fœminæ, appellatione, quàm vulgus opinatur, secretiore. Et solebat regibus boni epitheton attribui, quo monerentur, quid maximè ab ijs exspectandum esset subditis. Homerus. ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. Quo versu, quod in eo duo, quæ potissimùm elucere in viris principibus debent, contineantur, in primis delectatum scribit Alexand. Magnum Plutarchus in moralibus. Sic Capis Ennio optumus. Ab ea mente Tiberius Imperat. apud Suetonium. Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. Hæc ex viro erudito, qui fragmenta Ennij cum commentario publicauit.

VINA CADIS ONERARAT) Onerarat, aut cū littore Trinacrio coniungitur, aut separatim sumitur. Tum versus citra interpunctionem ita legendus erit, virgula post Acestes locata. *Littore Trinacrio dederatq; abeuntibus heros.* Onerare est imponere. merces enim onerari dicuntur, quando illis nauigium, aut iumentum oneratur. Turneb. libr. 27. cap. 30. Animaduerte ὕστερον πρότερον, seu hypallagen, si cadis est auferendi casus: non enim cadis vinum, sed vino cados onerauerat Acestes. Talia in poetis frequenter cernuntur.

Festiuè Iouianus in Charonte dialogo, inducens Pedanum, Theanum, Menicellam Grammaticos cum Mercurio fabulantes, primum illum rogantem fingit Mercurium, vt suo nomine quædam discipulis suis referat. Cum quæsisset Mercurius, quæ nam illa forent, subiicit Pedanus. Virgilium nuper a me conuentum dicito. Quærenti ex eo mihi, quot vini cados decedenti è Sicilia Æneæ Acestes dedisset, errasse se respondisse, neq; enim cados fuisse, sed amphoras. Ea enim tempestate cadorum vsum in Sicilia nullum fuisse. Partitum autem amphoras septē in singulas triremes, accessisseq; aceti sextariolum, idq; se compertum habere ex Oenosio Æneæ vinario. Ex Hipparcho autem mathematico intellexisse, Acestem ipsum vixisse annos centum viginti quatuor, menses vndecim, dies vndetriginta, horas tres, ac semitonium. Plures huiuscemodi nugas ibi cumulat Iouian. quibus facetè stultam Grammaticorum diligentiam, curiositatemque insectatur. Et tamen talia quædam, infrugifera penitus, atq; inania Grammaticos quondam interrogari solitos à curiosis, indicat Iuuenal. Satyr. 7. in quibus est etiam de Aceste duplex quæsitum.

——— *vt fortè rogatus*
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen, patriamq; nouercæ
Archemori: dicat quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.

Præterea hoc genus quæstiones è quodam libro recitat Gellius: quot fuerint Pythagoræ nobiles, quot Hippocrates. Quā ob caussam Telemachus cubans, iunctū sibi cubantem Pisistratum non manu attigerit, sed pedis ictu excitârit, &c. Vide lib. 14. cap. 6. Huius farinæ fuerūt quas solitus est ponere Tiberius Grammaticis (notitiæ enim fabularis studiosum fuisse vsq; ad ineptias, & derisum ait Suetonius cap. 70.) Quæ mater Hecubæ. Quod Achilli nomen inter virgines fuisset. Quid Sirenes cantare sint solitæ. A Seneca, & Didymo Grammatico proferuntur hæ, epist. 88. Quæ patria Homeri. Quæ Æneæ mater vera. Libidinosior, an vinosior fuerit Anacreon. An Sappho publica fuerit: quæ, inquit, dediscenda erant, si scires. Aliàs ab eodem scriptore alibi, & ab aliis relatas omitto, & hanc παρέκβασιν, siue declinationem paruam à proposito, lectori non iniucundam fuisse spero.

HEROS) *Vnde nomen heroum, copiosè disputat Michael Brutus annot. in Hor. lib. 3. Ode 12. quē lege, & cum eo Gyrald. Syntag. 1. Hist. deorum.*] Acestes Criniso fluuio, & Segesta Troiana ortus erat: vnde meritò heros appellatur, id est, semideus, vt ex deo & mortali natus. ἀνδρῶν γὰρ ἡρώων θεῖον γένος οἳ καλέονται ἡμίθεοι. vt ait Hesiodus.

DICTIS MOERENT. PECT. MVLCET) Eorum mœrorem consolando leuat. Hominem in aliqua ægritudine constitutum, ab homine nō stulto profecta oratio sanare sola potest. En tibi è Monostichis huius rei testes aliquit senariolos, εἰς λόγον.

λόγος γάρ ἐστι λύπης φάρμακον μόνος.
λύπην γὰρ οὐδὲν οἶδεν ἰᾶσθαι λόγος.
ὁ λόγος ἰατρὸς τῶν κατὰ ψυχὴν παθῶν.
ψυχῆς νοσούσης ἐστὶ φάρμακον λόγος.

Reddamus Latinè.

Vna ægritudinem profugat oratio.
Sanat dolorem beneuolens oratio.
Morbus animi sermone curatur statim.
Languentis animi pharmacum est oratio.

O SOCII) Quomodo hac oratione Æneæ Virgilius Homerum superauerit, ostendit Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 11. Homerus Odyss. 10.

ὦ φίλοι, οὐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν,

Οὐ μὲν δὴ τόδε μεῖζον ἔπει κακόν, ἢ ὅτε κύκλωψ
Εἴλει ἐνὶ σπῆϊ γλαφυρῷ κρατερῆφι βίηφι.
Ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ βουλῇ τε, νόῳ τε
Ἐκφύγομεν, καί που τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω.

Vlysses ad socios vnam cõmemorauit ærumnam. Hic ad sperandã præsentis mali solutionẽ, gemini casus hortatur euentu. Deinde ille obscurius dixit, καί που τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω: hic, apertius, *Forsan & hæc olim meminisse iuuabit*. Sed & hoc, quod noster adiecit solatij fortioris est. Suos enim non tantùm exemplo euadendi, sed spe futuræ felicitatis animauit: per hos labores non solum sedes quietas, sed & regna promittens. Fuit ergo locupletior Virgilius.

Æquare se militibus, & inferioribus, quod hîc facit Æneas, magnæ humanitatis est in Imperatore, ac Principe. Sueton. de Iulio. nec milites eos pro concione, sed blandiore nomine, cõmilitones appellabat. Quod ipsum tamẽ in maiore auunculo suo (fuit enim auiæ frater Iulius) reprehendere solitum Augustum, tradit idẽ Sueton. Quia dum affectasset charior fieri, auctoritatem Principis emolliuisset. Rursum cur idem Augustus nec ipse eos ita nominarit, nec ab aliis nominari passus sit, hunc in modum idem scriptor docet cap. 25. Neq; post bella ciuilia aut in concione, aut per edictum vllos militum commilitones appellabat, sed milites. Ac ne à filiis quidem, aut priuignis suis imperio præditis aliter appellari passus est: ambitiosius id existimans, quã aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua, domusq; suæ maiestas postularet. Iulium imitatus est Antoninus Caracalla, vt prodidit memoriæ Herodianus lib. 4. Tum cõmilitonem, inquit, quam Principẽ appellari se malle. Plin. Paneg. in Traianum. Non enim de tyranno, sed de ciue: non de domino, sed de parente loquimur. Vnum se ille ex nobis, & hoc magis excellit, atq; eminet, quod vnũ ex nobis putat: nec minus hominẽ se, quam hominibus præesse meminit. Achilles quoque Myrmidonas vocat socios, Iliad. ψ. ἐμοὶ εἵποντ' ἑταῖροι. Vlysses item vt supra vidisti, ὦ φίλοι, οὐ γάρ πω, &c. ex quo carmine suum Maro pæne ad verbum conuertit. Cyrus apud Xenophontẽ semper, ἄνδρες φίλοι. Plus tamen est socios, quã amicos appellare, maioremque habet enargiam: quandoquidem participem rerum aduersarum, & fidum ad omnia comitem significat: quod ipsum non quiuis amicus facit. ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος, aiebat Socrates.

NEQ. ENIM IGNARI SVMVS) Parenthesis est, vt in parenthesi ætiologia illius verbi, *socij*, hoc modo. O socij scilicet laborum, periculorum, malorum: non enim sumus ignari præteritorum malorum. Vel ætiologia sequentiũ verborum, *ô passi grauiora*. Vel, passi grauiora, non enim sumus ignari præteritorum malorũ, ita vt nesciamus vos passos grauiora. Corrad.

ANTE MALORVM) Compendio orationis dictũ interpretator, velut desiderato articulo, aut subaudito: etsi articulorũ supplementa latinus sermo recusat. Sed profectò dictũ est, vt si græce diceres, ἵνα ἀμνήμονες ὦμεν τῶν πρὸ τῶν κακῶν. Id igitur valet, malorum quæ ante perpessi sumus, præteritorum malorum. Simile est illud Ouidij. Metamorph. 1. *Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.* id est, βάρος ἔχοντα τοῖς ἄνευ βάρους. Turneb. lib. 18 cap. 32. Huius classis sunt, apud Lucretium subter labentia, teste Seruio, & semper florentis Homeri, teste Don. in And. Terent. apud Nasonẽ Ante mei, apud Propertium, semper amicitiæ, apud Terentiũ semper lenitas, apud Horatium post genitis: quæ nonnulli cũ prosodia ὑφὲν scribere solent. Est autem ea lineola repanda, vt in 2. de Aspirat. Ionianus definit, quæ dictionibus subA iicitur, cum duas voces coiisse simul, & in vnum transisse demonstrari opus est: sic, ante-malorum.

O PASSI GRAVIORA) Horat. Ode. 7. lib. 1. *O fortes, peioraq; passi Mecum sæpe viri.* Comparatio est à maioribus. Qui tulit grauiora, poterit, & debebit etiam ferre leuiora.

DABIT DEVS HIS QVOQ. FINEM) Scitè, & sapienter dictum, & ad multa quæ nobis in hac vita aduersa eueniunt, quæq; solatiũ postulant, aptissimè. Certè nisi finem speraremus in malis nostris, quis ea toleraret æquo animo? Finemq; autem à deo precari, & exspectare pium est. Cum fortè quidam viseret traditum in vincula, eiusq; solandi caussa hoc Virgilianum inter cæ-B tera diceret, *dabit deus his quoq; finem*, illi, qui se capitis reum sciret, ac de vita desperaret, vna littera cõmutata lepide respondit, dictum iterans, *dabit deus his quoq; funem.*

VOS ET SCYLL. RABIEM) Probat grauiora passos. Sed obiici potest, præsentem hanc calamitatem fuisse grauiorem, in qua vna nauis sit amissa, & tot credantur amissæ: quũ Troiani nihil apud Scyllam, & Cyclopas passi sint. Lege disputatiunculam Corradi super hac quæstione. Bene rabiem, nam lib. 3. *Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.*

ACCESTIS SCOPVLOS) Accestis pro accessistis. Sic. lib. 4. extinxem, pro extinxissem. Talia inueniC untur, apud Lucret. consumpse, pro consumpsisse, apud Catullum promisse, apud Horatium euasti, percusti, diuisse, erepsemus, apud Terentium & Virgilium vixet, direxti.

TIMOREM MITTITE) Ponitur pro, omittite. Sic Horat. Ode. 20. lib. 2. *ac sepulchri Mitte superuacuos honores.* epist. 5. libr. 1. *Mitte leues spes, & certamina diuitiarum.* Et epist. ad Pison in extrema, *Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.* Terent. Adelph. *Hera, lacrymas mitte.*

FORS. ET HÆC OL. MEMIN. IVVAB.) Ad memoriam præteritorum malorum quod attinet, quam poeta iucundam fore pronuntiat, non male referimus D quod habet Macrob. Saturnal. libr. 7. cap. 2. cuius inscriptio, De quibus quisq; libenter interrogetur. Pericula quoque præterita, vel ærumnas penitus absolutas qui euasit, vt referat, gratissimè prouocatur. Nam qui adhuc in ipsis vel paulum detinetur, horret admonitionem, & formidat relatum. Id adeo Euripides expressit. ὡς ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. Adiecit enim σωθέντα, vt ostenderet, post finem malorum gratiam relationis incipere. Et poeta noster adiiciendo, *olim*, quid nisi post emensa infortunia futuro tempore iuuare dicit memoriam sedati laboris? * *Cic. ad Lucceium epist. 12. lib. 5. Habet enim præteriti doloris secura recordatio delectationem. Et lib. 2. de finib. Quid si etiam iucunda memoria præteritorum malorum? Vt prouerbia nõnulla veriora sint, quam vestra dogmata. Philipp. 3. His auctoribus* E *& ducibus, diis iuuantibus, nobis vigilantibus, & multum in posterum prouidentibus, pop. Rom. consentiente, erimus profectò liberi breui tempore. Iucundiorem autem facit libertatem seruitutis recordatio. Et Seneca* Dulce est meminisse, quod durum fuit pati. *In adagio, Iucunda laborum præteritorum memoria, duo eiusdem sententiæ huius hexametri afferuntur.*

Καὶ μέγα γάρ τε καὶ ἄλγεσι, τέρπεται ἀνὴρ
Μνησάμενος, ὅστις πολλὰ πάθοι, καὶ πολλὰ ἔοργεν.

Magnopere est iucunda viro renouata dolorum
Mentio, qui permulta tulit, permultaq; gessit.

Vide etiam adag. Iucundi acti labores. Huius totius rei illa caussa est, quod contraria magis apparent, cum sibi comparantur, & cum sunt propinqua, maioremq; vim habent in vtramq; partem.

PER VAR. CASVS TENDIMVS IN LAT.) Hoc quod adiecit poeta, solatij fortioris est. Suos enim Æneas non tantum exemplo euadendi, sed & spe futuræ felici-

felicitatis animauit, per hos labores non solùm sedes A quietas, sed & regna promittens. Macrob. Monet Rhodigin. lib. 7. cap. 1. Maroni propositum fuisse vtramque philosophiam, θεωρητικὴν, & πολιτικὴν Æneide sua exprimere, & officium docere sapientis. Quæ ad locum præsentem pertinent, apponam. Cogita ergo, primis quinque libris non fermè aliud agi, quàm quo pacto sapiens ab humanis interim sequestratus, animum politicis, & purgatoriis emaculet virtutibus. Hoc ipsum significat atrox in primo tempestas, Didonis conuiuium, in quo rationalis anima obbrutescens corporis fomitibus & vitiorum incentiuis, rationis luminibus sese ingerentibus, illa pænè restincta sui obliuiscitur, & ad corporeum reuoluitur tota. Æstuationes hæ sunt animi, ad pro- B cinctum tendentis, & ad originem properantis. Quod hæc verba abundè significant, *per tot discrimina rerum*, &c. Ergo Latij nomine statum purgati animi intelligo, qui defæcatus, & à mundana aspergine presè, pureque detersus est. Cuius illa sunt munera præcelsa, vt docet grauis auctor Plinius, sola nosse diuina, cupiditatum obliuisci penitus, perturbationes ignorare, vt, si fractus illabatur orbis, Impauidum feriant ruinæ. Postremò, cum mente ita diuina connecti, vt nulla fiat inde conuulsio.

SEDES QVIET.) Nam in Thracia, & Creta non habuerunt quietas.

ILLIC FAS REG. RESVRG. TROIÆ) Fas illic, nefas alibi, vt sit λιτότης, vt suprà, *mihi iussa capessere fas* C *est*. Sic fata volunt. Atque hoc Æneas occupat, ne socij fortasse putarent, melius esse in alio quouis loco sedes capere, & ita vellent ibi manere. Corrad. De Troia in Italia resurgente dixit Ennius quoq; Annali 1. *In Roma, Troia reuixit*. Scitè quoque Propert. lib. 4. eleg. 1. *Dicam Troia cadas, & Troïca Roma resurges*. Id est, canam caducam, & recidiuam Troiam: canam ἰλίου ἅλωσιν, & aduentum Æneæ in Italiam, qui fuit in vrbe Roma Troiæ παλιγγενεσία, eaq; talis, vt si Troia esset, se miraretur. Tibull. lib. 2. eleg. 6.

Troia quidem tunc se mirabitur, & sibi dicet,
Vos bene tam longam consuluisse viam.

DVRATE ET VOSMET REBVS SERV. SECVN.) In Monostichis.

Ἀνδρὸς τὰ προσπίπτοντα γενναίως φέρειν.
Νικᾷ λογισμῷ τὴν παροῦσαν συμφοράν.
Fortis viri est, sufferre quidquid accidit.
Ratione præsens vincito infortunium.

Seneca epist. 22. Non est vir fortis, & strenuus, qui laborem fugit: verùm vbi crescit illi animus ex ipsa rerũ difficultate. Durum, inquit Nonius, est patiens & perseuerans. Georg. 2. *Scipiadas duros bello*. Terent. Adelph. *Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest.*

Absolutum est modò *durare*, aliàs transitiuum, vt apud Horat. Ode 14. libr. 1. *vix durare carinæ Possunt imperiosius Æquor*, id est, sustinere, perferre. In Sileno positum est, pro durescere. *Tum durare solum, & discludere Nerea ponto*. De rerum secundarum, aduersarumque vicissitudine, eleganter, & grauiter Plin. Panegyr. Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur. Occultat vtrorumque semina deus, & plerumq; bonorum, malorumq; caussæ sub diuersa specie latent.

Talia voce refert, curisq; ingentibus æger,
SPEM VVLTV SIMVLAT, PREMIT ALTVM CORDE DOLOREM.
Illi se prædæ accingunt, dapibusq; futuris:
Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.
Pars in frustra secant, verubusq; trementia figunt.
Littore ahena locant alij, flammasq; ministrant.
Tum victu reuocant vires: fusiq; per herbam,
Implentur veteris Bacchi, pinguisq; ferinæ.
POSTQVAM EXEMPTA FAMES EPVLIS, MENSÆQVE REMOTÆ,
Amissos longo socios sermone requirunt:
SPEMQVE METVMQVE INTER DVBII, seu viuere credant,
Siue extrema pati, nec iam exaudire vocatos.
Præcipuè pius Æneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit: & crudelia secum
Fata Lyci, fortemq; Gyan, fortemq; Cloanthum.

TALIA VOCE REFERT) Non est pleonasmus, D *voce refert*, vt interpretes somniant: sed hoc dicit poeta doctissimus: hæc voce quidem proferebat Æneas, sed aliud in corde gerebat. Propterea subdit, *premit altum corde dolorem*. Nascimb.* *Vt non sit in præsens pleonasmus, tamen aliàs persæpe est: Vt hac quoq; sic ore locutus est, his auribus hausi.*

CVR. INGEN. ÆGER) Boni regis officium, cui subiecti sunt loco filiorum, angi eorum malis, tametsi confidat fore melius.

SPEM VVLTV SIMVL, PREMIT ALT. CORD.) *Spes pro lætitia ponitur, vt ex antecedente consequens intelligamus: qui enim sperant, hilari sunt vultu. Simulabat ergo Æneas lætitiam, ne ex sua tristitia suorum augeret mæstitudinem: sed erat animo tristissimo.*] Tanta interdum vis est fortunæ, casuum, rerumque humanarum varietatis, atque inconstantiæ, vt pro loco ac tempore non modò simulare, aut dissimulare, verùm etiam fictionibus vti sit necessarium, idque maximè honestum existimetur, ac summa etiam commendatione dignum: cùm alioqui in virtute nihil fictum inesse debeat, nihil simulatum. Bene igitur hìc AEneas spem vultu simulat, id est, lætitiam, vt exponit Seruius, cùm sit interim curis ingentibus æger. Ferunt Annibalem cognita repentè Hasdrubalis fratris cæde, ac totius exercitus clade, composuisse vultum, risisseq; conditionem humanam magis, quàm aut dolorem præ se tulisse, aut animi consternationem videri vellet, quò videlicet militum, ac ducum suorum animos confirmaret. Pop. Rom. quo tempore idem Annibal muris insultabat vrbis, iussit classem cum exercitu in

Hispaniam à portu soluere. Prudentissimè ab vtroque, A & pro tempore, ac pro rerum, & fortunæ euentis. Iouian. de Prudentia lib. 4. Idem de Sermone libr. 2. Simulamus quæ nullo modo vera sunt, quæque ipsi nec fecerimus, nec dixerimus, quæque nec seruare in animo habemus. Contrà, dissimulamus quæ ipsa quidem dicta, aut facta sunt, perinde ac nec dicta fuerint, nec facta, aut non quemadmodum, quoque animo, consilioue aut fecerimus, aut dixerimus. Qua ratione Sallustius Catilinam cuiusque rei simulatorem esse dixit, ac dissimulatorem. Cùm tamen & simulare, & dissimulare, nonnunquam prudenti viro sit permissum, vt qui *spem vultu simulat, premit altum corde dolorem*.

Quæ ex animo, citraque fucum dicuntur, aut geruntur, vera fronte fieri, dicique dicuntur. Cicero pro C. Rabirio. At si verum, tum verissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur. Contrà, dicemus mendaci fronte fieri, quod geritur per simulationem. Cic. ad Q. Frat. Frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio verò sæpissimè. Frons, & oculi maximè declarant animi affectum: nam verba fingere, non est difficile: sed difficile est crimen non prodere vultu. Ad affectum igitur ipsum simulandum, mentiendumque valet, vultum fingere. Terent. Heaut. *Vah, etiam vultum fingit carnifex*. Præterea ista simulatio hilaritatis, ac beneuolentiæ in vultu dicitur græcè φιλοπροσωπεῖν, quam vocem frequentat in epist. M. Tullius. Chiliastes. * *Tiberius dictitabat, Principis animum nemini cognitum esse oportere. Proinde sic affectus suos occultos tenebat, vt quæ cupiebat, nunquam ferè diceret, & cum oratione eius mirè pugnaret voluntas, ac desiderium. Detestabatur, quod expetebat maximè, & quod oderat, dissimulabat. Irascebatur nulla re conturbatus: iratus, tranquillissimo, æquissimoq; animo esse putabatur, &c. Multos necari iussit ob hoc solum, quod dicerent à se eius voluntatem perspectam & cognitam. Xiphilin.* D

PRÆDÆ SE ACCINGVNT, DAPIBVSQ. FVT.) Vt ceruos ab Ænea acquisitos absumerent famelici, præparabant se ad eos exenterandos, & coquendos, siue assandos. Ad laniorum, cocorumq; munera aggrediebantur.

TERG. DIRIP. COSTIS) Deripiunt, quidam malunt legere, in his Turneb. lib. 12. cap. 12. vt sit, corium detrahunt. Et quemadmodum apud Horat. Ode 9. lib. 1. *Pignusq; dereptum lacertis*. Sic nonnulli censent legendum apud Tibullum lib. 1. eleg. 2. *Sertaq; de sanctis deripuisse focis*, non diripuisse. Et Statium libr. 3. Thebaid. *Ergo manu vittas, damnataq; vertice serta Deripite*. Lucret. lib. 4. *Quæ quasi membrana de summo corpore rerum Derepta volitant*. Vtitur lectissimis verbis in re nihili. Non dixit pellem, aut corium: sicut in Georg. *nam neque erat coriis vsus, sed tergora*. Et verbum lectum, *deripiunt*, non dixit deglubunt, vt Catullus, *glubit magnanimos Remi nepotes*. Non dixit concidunt, sed *in frusta secant*. Et cùm operam illam explicaret torrendi, addidit aliquid ad efficaciam, *trementia*, inquit. Neque elixationem, nisi circumscriptione, & omissione, quam παράλειψιν ὑποτυπώσεως partem diximus. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16. E

ET VISCERA NVDANT) Viscus, vt docet Seruius in 6. Æneid. super illo, *Et solida imponit taurorum viscera flammis*, non solùm intestina significat, sed quidquid inter ossa, & cutem est. Lucret. quoque lib. 1. quem citat Nonius, *de pauxillis, atq; minutis Visceribus viscus gigni, sanguenq; creari*. Sueton. Vitellio cap. 13. Viscus & farra pæne rapta à foco. Arnob. lib. 7. Si aliquod viscus fuerit aris traditum. Torrent.

VERVBVSQ. TREM. De verubus certant Grammatici, sunt enim qui veribus per, i, legendum censeant

apud Virgilium, vbicunque verubus per, u, litteram legitur. Si verubus esset legendum, nunquam id tacuisset Priscianus. Charisius lib. 1. hunc ipsum versiculum Maronis proferens, legit *veribus*. Hæc Emmanuel Aluarus.

LITTORE AHENA LOCANT ALII) Ahena, inquit Seruius, quibus vtebantur, non ad elixandas carnes, sed ad lauandas. Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa. Sed aduersantur huic sententiæ poetarum loci. Ouid. 1. Metamorph.

Atq; ita semineces partim feruentibus artus
Mollit aquis, partim subiecto torruit igni.

Idem de Itylo.

—pars inde cauis exultat ahenis,
Pars verubus stridet. B

Valerius Flaccus lib. 8.

Mox epulas, & sacra parant syluestria læti,
Præmia venatu facili quæsita supersunt.
Pars verubus, pars vndanti despumat aheno.

Seneca Thyeste.

Hæc verubus hærent viscera, & lentis data
Stillant caminis: illa, flammatus latex
Querente aheno iactat.

Iuuenal. sat. 15.

—nec ardenti decoxit aheno,
Nec verubus.

Claudian. in Eutrop.

Quas figat verubus partes, quæ frusta calenti
Mandet aqua.

* *Hæc aduersus Seruium colligit vir doctus Ioseph Castalio in Var. lect. Par est credere, Troianos, dum carnes assarentur, voluisse lauari, & ob id ahena in littore locasse, flammas ministrasse, vt aqua calida vterentur. Potest tamen hoc ipsum quoq; ad carnes elixandas referri, quarum vsum aliquem apud veteres, & heroum temporibus fuisse probat Corrad. quem legas velim.*

TVM VICTV REVOCANT VIRES) Tantum cibi & potionis adhibendum præcipit in Offic. Cicero, vt reficiantur vires, non vt opprimantur. Ergò benè, reuocant vires victu. Audi Celsum vtiliter ad tuendam valetudinem ita dicentem libr. 1. Nunquam vtilis est nimia satietas: sæpe etiam nimia abstinentia. Intéperantia D tutior est in potu, quam in esca. Largius bibisse Troianos quàm prandisse mox significat poeta.

IMPLENTVR VET. BACCHI) Græcanicum est. Apud ipsos enim πληροῦν gignendi casum exigit Turneb. lib. 12. cap. 12. * *Plaut. Amphit.*

Erroris ambo ego illos, & dementiæ
Complebo, atq; omnem Amphitruonis familiam.

Alibi dixit, compleuit cum flagitij.

Veteris Bacchi, inquit. De vino veteri, eiusq; effectis scribit in hæc verba Athenæus lib. 1. cap. 23. Pindarus quidem vinum laudat antiquum, at flores iuniorum hymnorum. Sed vt ingenuè loquamur, non voluptati solum, verumetiam sanitati magis confert vinum E antiquum: quod cibum magis digerit, & cum sit tenue, facilè distrahitur, & somnos præbet non perturbatos.

Romanos vina, quæ annum saltem præteriissent, vt plurimum bibere consueuisse, præter alios etiam Galenus docet. Idem in Comment. super primum de nat. hum. rationes varias exponens, quibus hyeme pituita adeo copiosa in hominum stomachis gignitur, inter alias, quas multas recenset, eam ponit, quod plurimi tunc noua vina bibant, quæ aptissima sunt in pituitam conuerti. Mercurial. Variar. lib. 1. cap. 15.

PINGVISQVE FERINÆ) Sallust. Iugurth. quia Numidæ plerumque lacte, & ferina vescebantur. Ita dicimus suilla, bubula, caprina, vt subaudiatur, caro.

POSTQ. EXEMPT. FAM. EP.) Homeri versus pluri-

A pluribus locis reperitur, sed precipuè lib. 1. & 2. Odyss. Αὐτὰρ ἐπὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο. Remotis autẽ mensis, communi hominum more subsequitur sermo. Et quia quæ nobis gratissima sunt, de ijs libenter loquimur, de sociis, quos charos habebãt, sermonem instituunt. Nascimb.

MENSÆQVE REMOTÆ) Dapes quæ relictæ erant, remotæ sunt. Alioqui cibum sumpturis, etiã mensæ apponebantur, quæ postea remouebantur. Sed cum per herbam discubuissent Troiani, nõ habuerunt mensas huiusmodi. Corrad.

NEC IAM EX AVDIRE VOCATOS) Ad antiquam consuetudinem respicit, & mortuos significat. Nam quos desiderabant, & amiserant, antequam discederent è loco, sæpius vocare soliti erant. Homerus Odyss. ι.

Οὐδ' ἄρα μοι προτέρω νῆες κίον ἀμφιέλισσαι,
Πρὶν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι,
Οἳ θάνον ἐν πεδίῳ Κικόνων ὑπὸ δῃωθέντες.

Id est, Neq; vero mihi prius, seu vlterius naues vtrinq; incuruæ cucurrerunt, quam vnumquemque infelicium sociorum, qui in campo Ciconum ferro interempti erant, ter vocassemus. Virgil. lib. 6.

Tunc egomet tumulum Rhetæo in littore inanem
Constitui, & magna manes ter voce vocaui.

Eodem allusum 2. Æneid. *mœstusq́; Creusam Nequidquam ingeminans iterumq́; iterumq́; vocaui.* Sed & vocare pro sepultura habebatur in mortuis. Ausonius de Deiphobo.

Nec tumulum ipse habeo, nisi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas, & Maro composuit.

PRÆCIPVE PIVS ÆNEAS) Quia pietatis officium erat, dolere amissos socios, et tam multos, debuit in eo ferre primas, cuius erat spectatissima pietas, B & qui tanquã patrem se gerebat in ciues suos.

NVNC ACRIS ORONTI) Patrius casus est Orontis, Oronti more veteri: sicut illa apud Ciceronem Timarchidi, Theophani, Pericli, Thucydidi in 4. Verrin. lib. 9. ad Attic. 2. de orat. Bruto. Et apud Terent. Heaut. Archonidi. Consule Priscian. lib. 6.

NVNC AMYCI CASVM) Orontis viderat, Amyci, Lyci & aliorum fata suspicabatur, quæ, si interiissent, crudelia fuisse putabat. Corrad.

Et iam finis erat, quum Iupiter æthere summo
Despiciens mare veliuolum, terrasq́; iacentes,
Littoraq́;, & latos populos, sic vertice cæli
Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.
Atq; illum tales iactantem pectore curas,
Tristior, & lacrymis oculos suffusa nitentes,
Alloquitur Venus. O qui res hominumq́; deûmq́;
Æternis regis imperiis, & fulmine terres,
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certè hinc Romanos olim voluentibus annis,
Hinc fore ductores reuocato à sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus: quæ te, genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Troiæ, tristesq́; ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
NVNC EADEM FORTVNA VIROS TOT CASIBVS ACTOS
INSEQVITVR, quem das finem rex magne laborum?
Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui:
Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arua sonanti.
Hîc tamen ille vrbem Pataui, sedesq́; locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaq́; fixit
Troïa: nunc placida compostus pace quiescit.
Nos, tua progenies, cæli quibus annuis arcem,
Nauibus (infandum) amissis, vnius ob iram
Prodimur, atq; Italis longè disiungimur oris.
HIC PIETATIS HONOS? sic nos in sceptra reponis?

ET IAM FINIS ERAT) Cœnæ, longi sermonis, & diei. Duo hæc monosyllaba, & iam, coniunctim posita adhibentur commodè, cum de re ad rem transitur. Alibi. *Et iam prima nouo spargebat lumine terras*, &c.

IVP. ÆTH. SVM. DESP. M. VELI.) Hypotyposis est cogitantis, & solliciti, ac fauentis. Videtur poeta respexisse ad hieroglyphica Ægyptiorum, qui oculũ fauoris, & beneficentiæ signum esse voluerunt. Et in sacris literis verbum aspicere, & respicere, propitium, & benignum se ostendere significant. In Eclesiasticis quoque precationibus, vt, Respice quæsumus omnipotens deus, &c. Sebast. Regulus. Ennius Phœnice. *Ibi tum derepente exalto in altum respexit mare.* Nonius in Derepente.

Credo Nasonem 1. Metamorph. à Virgilio mutuatum, vbi de Phaethonte currum patris sui, Solis inquam, quod impetrarat, sed exitu infaustissimo ducente, ita cecinit.

Vt verò terras despexit ab æthere summo
Infelix Phaethon penitus, penitusq́; iacentes.

Despicere, est deorsum aspicere. Idem valet frequentatiuum *despectare*. Virg. libr. 10. *Ille sedens victor flammas despectat ouantes.* Lucret. lib. 2.

Sed nil dulcius est, benè quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena,
Despicere vnde queas alios, passimq́; videre
Errare.

Despectus quoque est de loco superiore aspectus. Cæsar. 2. de bello Gall. Quod oppidum, cum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes, despectusque haberet. ✠

Lamb. in Lucret. Mare veliuolum vocat Lucretius libr. 5. *Tum mare veliuolum florebat nauibus pandis.* Initio operis, variauit. *Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes.* Sed ante vtrumque id vsurparat Ennius. Et Liuius Andronicus in Helena, *Tu qui permensus ponti maria alta, veliuola.* Cato in Frag. Postquam Massiliam præterimus, inde omnem classem ventus auster lenis fert: mare velis florere videres.

De laudibus maris hoc ipso libro suprà me aliquid ex Cicerone in medium afferre memini. Eius encomium reperies vberius apud D. Basilium Homil. 4. in Hexaëm. Extremum en accipe. Bonum est etiam (mare) & alio modo, partim quod insulas præcingit, ornamentum inde ipsis simul, tutelamq́; præstando: partim quia continentes plurimum inter se distantes, ac insulas per se ipsum coniungit, atq; liberas nauigantibus congressiones concedit: quibus sanè tum notitias rerum ignotarum parit: tum opulentiæ mercatoribus consequendæ caussa fit, vitæque omnino necessitatibus perfacilè succurrit: iis qui copia rerum abundant, in exportandis ijs quæ supersunt, facultatem subministrando: ijs qui egent, id quod ipsis deest supplendo.

Theodoretus autem serm. 2. de Prouidentia, in maris commendatione quam disertus est? ibidem ratio ponitur, cur deus oceano terras absciderit, vt est apud Horatium. Sed ipsum virum sanctum audire lubet. Proinde vt hæc tibi plenius constent, ad mare rursus descendito, illius profunditatem, amplitudinem, fretorum interstitia, littora, portus, & in medio sitas eius insulas, piscium item genera, species, formas, & amorem quo terras appetunt, considera. Nonnullis interiectis. Adhæc, per mare terras diuisas videmus, quo etiam ceu sequestro, quæ procul inter se distant, in amicitiam coierunt. Concordiam enim humano generi inserere volens dominus, mutuis illos operis, & auxiliorum necessitate constrinxit. Per mare longinquas peregrinationes facimus, & ea quibus indigemus, à nobis inuicem petimus, simulq; aliis, quæ ipsis necessaria sunt, rependimus. Nec enim aliquam terræ parté summus ille rerum administrator cultoribus suis omnia simul ad vsum, victumque necessaria proferre passus est, ne nullis ope indigens copia, mutuæ amicitiæ noceret. Iniuriis enim gaudet rerum saturitas, & turbarum parens est, &c.

* *Perspicere te hinc opinor, quàm aptè dicatur mare Velivolum, quoniam Velis per illud Volatur propter tam multas capiendas Vtilitates, quibus maria seruiunt, quæ omnes hoc adiuncto ad nomen, seu epitheto insinuantur, cum cætera epitheta magis naturam eius conditionemq́;, non conditoris ipsius erga genus humanum curam, prouidentiamq́;, declarent.*

TERRASQVE IACENTES) Expositas, infrà positas, in longum, latumque porrectas.

LITTORAQVE) Ad mare referendum est.

ET LATOS POPVLOS) Ad vrbes, regiones....

TAL. IACT. PECT. CVRAS) Cum aliis, tum hac etiam de caussa deum vocamus patrem, quoniam velut paterfamiliàs domus vniuersæ: sic ille huius magnæ domus suæ, nostrûmque etiam omnium particulatim curam assiduam gerit, nostrisque rebus prospicit. Est ergo hoc loco Virgilius diuinæ prouidentiæ assertor manifestissimus, & ab Epicuri placitis longissimè discedit. ✠

Ex Odyss. transtulit hunc locum. Nam vt Pallas Iouem de Græcorum rebus cogitantem, atque adeo loquentem, sic Venus eundem de Troianis, de Libya certè, vbi tunc erant Troiani, cogitantem alloquitur. Macrob. libr. 6. Saturnal. putat hæc omnia poetam è libr. 1. Næuij sumpsisse. Corrad.

Admonemur hìc, oportere nos, aliquid à Principibus petituros, tum id tentare, cum illi vel in loco ad id apto consident: vel de re cum eo, quod nos petimus, coniuncta, deliberant. Sebast. Reg.

LACRYM. OCVL. SVFFVSA NITENT.) Deos non plorare, sed quasi plorare affirmat Ouid. libr. 4. Fast. loquens de Cerere, Proserpinam filiam inuestigante.

Dixit, & vt lacryma (neq; enim lacrymare deorum est)
Decidit in tepidos lucida gutta sinus.

Veruntamen & dij & deæ frequentissimè à poetis simpliciter lacrymantes inducuntur. Nec mirum, quando & alia plurima, si non omnia, humana ijs non ab Homero solùm sed aliis etiam affinguntur. Quæ est vberrima Arnobio insanas gentium religiones insectandi, & irridendi materia. ✠

O QVI RES HOMINVMQVE, DEVMQVE) Lib. 10. eodem sensu, vt contra Probum sentit Turneb. *O pater, ô hominum, diuûmq́; æterna potestas.* Ouid. 3. Metamorph.

Ille pater, rectorq́; deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Similia sunt ex Horat. Ode 12. lib. 1.

——qui res hominum, ac deorum,
Qui mare, & terras, variisq; mundum
Temperas horis

Ode 4. lib. 3.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & vrbes, regnaq́; tristia,
Diuosq́;, mortalesq́; turbas
Imperio regit vnus æquo.

Confectus est hic locus de Venere pro filio Ænea supplici apud Iouem, partim ex illo 1. Iliad. vbi Thetis eidem Ioui pro Achille suo aduersùm Græcos supplicat partim ex orat. Agamemnonis lib. 2. qui Iouem leuitatis quoque, & inconstantiæ reprehendit, quod cum sibi an-

biantea euersionem Ilij promiseris, nunc se rebus infe-A
ctis domum redire iubeat. ✻

ET FVLMINE TERRES) Quare Ioui fulmina tribuerit antiquitas, quærit & explanat caussam hisce verbis Seneca Natural. lib. 2. cap. 41. Quid tam imperitum est, quàm credere fulmina è nubibus Iouem mittere, columnas, arbores, statuas suas nonnunquam petere, vt impunitis sacrilegis, percussis ouibus, incensis aris, pecudes innoxias feriat, & ad suum concilium à Ioue deos, quasi in ipso parum consilij sit, aduocari? Illa læta & placata esse fulmina, quæ solus excutiat: perniciosa, quibus mittendis maior numinum turba interfuit? si quæris à me quid sentiam, non existimo tam hebetes fuisse, vt crederent Iouem aut non æquæ voluntatis, aut B certè minus paratum esse. Vtrum enim cùm emisit ignes, quibus innoxia capita percuteret, scelerata transiret, aut noluit iustius mittere, aut non successit? Quid ergo sequuti sunt, cùm hoc dicerent? Ad coercendos animos imperitorum sapientissimi viri iudicauerunt ineuitabilem metum, vt supra nos aliquid timeremus. Vtile erat in tanta audacia scelerum, aliquid esse, aduersum quod nemo sibi satis potens videretur. Ad conterrendos itaq; eos, quibus innocentia nisi metu non placet, posuere super caput vindicem, & quidem armatum.

✻ *Lege etiam quæ continuè sequuntur duo capita, 43. 44. Fulminator dictus est Iupiter Latinis, Græci κεραύνιον appellauere. Item ἀργικέραυνον, quasi coruscantem fulmine. Alicubi etiam ἀρχικέραυνος dicitur, quasi fulminum princeps, Latini quidam Fulguratorem quoq;* C *dixere. Vide Gyrald. Syntag. 2.*

QVID MEVS ÆNEAS IN TE) Expostulatoria oratio, nam ita queritur de Ioue Venus, vt illum (modestè tamen) cùm inconstantiæ, tum iniustitiæ accuset. Iniustitiæ quidem, quia cùm nihil Troiani in ipsum admiserint, in animaduersione, supplicioque in eos durior, quàm æquitas postulet, ipse videatur. Inconstantiæ verò, quia cùm perpetuitatem, summumque imperium pollicitus fuerit, non modò id eis non præstet, sed de eorum vita potius, ac nomine delendo cogitare videatur. Mira profectò est orationis huius varietas, multiplicesque affectus. Modò queritur Venus, modò blandis vtitur verbis: quandoq; iracundiæ ardore flagrat, & contentione D disrumpitur: interdum dolet, atque inuidia laceratur. Nascimb.

QVID TROES POT. COMMIT.) Poetæ verbo *possum* cum aliis verbis coniuncto, pro illis ipsis verbis periphrasticè non sine aliqua venustate vtuntur frequentissimè: vt cùm potuisse aliquem dicere, aut facere aliquid, pro, dixisse, vel fecisse scribunt. Ita hic, quid potuit committere? pro, quid commisit? Infrà, Antenor potuit Illyricos penetrare sinus, pro, penetrauit. Plurimis hoc exemplis, è compluribus poetis demonstrat Canter. lib. 2. c. 2. & nos nō pauca ex eodem recitauimus Eclog. 6. ad illud, *Soluite me pueri, satis est potuisse videri.*

TOT FVN. PASSIS) Quot à scriptoribus rerum Troianarum referuntur. Et ob id dignis, quorum omnes misereantur, non eos insectentur, vt facit Iuno, sic, E vt eos toto terrarum orbe conetur excludere. Corrad.

CERTE HINC) Ex Ænea, & Troianis.

OLIM VOLVENT. ANNIS) Annis trecentis triginta tribus minimùm post, vt infrà colligitur. Voluens non ineleganter tum isto loco, tum 1. Georg. in perpessione positum est. *Tardaq; Eleusinæ matris voluētia plaustra.* Valet enim, quæ voluuntur, vel quæ voluunt se. Sic voluendus, quod futuri videtur temporis, si Grammaticis credimus, tamen in præterito vsurpatum reperimus, vt 9. Æneid. *voluenda dies en attulit vltrò*, id est, voluta. Et apud Lucret. lib. 6. *Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.* Et lib. 5. *Quæ voluenda micant æterni sideramundi.* Turneb. lib. 30. cap. 19.

REVOCATO A SANG. TEVCRI) Tu pollicitus es, quamuis Troia esset euersa, & sanguis Teucri pæne extinctus, fore tamen, vt sanguis ille quasi restitueretur, & magni duces inde nascerentur.

QVI MARE, QVI TERRAS) Idem dicit, quod infra, *Romanos rerum dominos.* Et lib. 3. *Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris.*

QVÆ TE GEN. SENTENT. VERT.) Videtur vertisse, cum non fierent, quæ erat pollicitus. Repellebatur Æneas ab Italia. Quod dicit, *genitor*, à publica persona ad priuatam venit, vt hoc liberius posset dicere: filiæ enim, & dolenti facilè ignoscit pater. Corrad.

HOC EQVIDEM OCCAS. TROIÆ SOLAB.) Renouat commiserationis affectum per locum communem ex his, quæ præter spem contingunt, nam id omne sibi nunc ereptum esse lamentatur, vnde aliquam præteritæ Troianorum calamitatis consolationem sperabat, quia eadem fortuna, ijsdemq; casibus Troianos adhuc vexari, perturbariq; videt, quibus iam inde ab initio vexati fuerunt. Fatum erat, vt Ilium periret, & fato Æneas in Italiam nauigabat: vnde Romani genus ducturi erant. Hoc est igitur, quod Venus ait, se fatis fata rependere, & hoc se solatio vti solitam. Etenim vt ex priori fato dolorem: sic ex altero gaudium capiebat. Nascimb.

OCC. TROIÆ) Sic Cic. 3. Catilin. totius vrbis, & imperij occasum dixit. Hic occasus est materia 2. Æneid.

FATIS CONT. FAT. REPEND.) De fatis Troiæ (plura enim fuerunt) dicemus alibi. Rependens translatio est à pecuniis, quæ olim pendebantur, id est, per libram ponderatæ soluebantur. Apud Ouid. Sappho.

Si mihi difficilis formam natura negauit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Cic. dixisset, compensans.

EADEM FORT.) mala & iniqua, qualis fuit à principio.

VIROS) Bonos, innocentes, omni misericordia dignissimos.

QVEM DAS FINEM) Gell. cap. 19. libr. 13. multis in medium adductis exemplis demonstrat, elegantissimos scriptores non tam religiosè Grammaticorum canones secutos, maiorem rationem sonitus vocum, verborumque iucunditatis habuisse. Sed in illo quoque, ait, itidem Virgilij versu: *hæc finis Priami fatorum*, simul vt hic finis dicas, durum atque absonum erit, respuentq; aures, quod mutaueris: sicut illud contrà eiusdem Virgilij insuauius facias, si mutes. *Quem das finem rex magne laborum?* Nam si ita dicas, *quam das finem*, iniucundum nescio quo pacto, & laxiorem vocis sonum feceris.

REX MAGNE) *βασιλεὺς μέγας* dictus est rex Persarum, Iosepho Antiquitat. lib. 11. Herodoto lib. 5. & 8. Xenophont. *ἀναβασ.* lib. 1.

ANTENOR POTVIT MEDIIS) *Argumentatio est, à minorum comparatione. Antenor homo ignobilis, & nulla tecum sanguinis communione coniunctus, hostium gladios euadere, in remotas terras saluus peruenire, periculosa loca superare, Vrbem condere, Vitam in pace finire potuit: nos genus tuum, & quibus cælum promisisti, perpetuis iactamur infortuniis.*] Antenor non Illyricum, non Liburniam, sed Venetiam tenuit. Sed ex Illyrico venit quidam Henetus rex, qui Venetiam tenuit, à cuius nomine Henetiam dictam, posteri Venetiam nominarunt. Ita quidem Seruius: sed aliter longè Liuius lib. 1. ab V.C. Casibus deinde variis Antenorē cum multitudine Henetū, qui seditione è Paphlagonia pulsi, & sedes & ducem, rege Pylæmene ad Troiam amisso quærebāt, venisse in intimum maris Adriatici sinum, Euganeisque, qui inter mare, alpesque incolebant pulsis, Henetos, Troianosque eas tenuisse terras: & in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur: pagoque inde

inde Troia nomen est: gens vniuersa Veneti appellati. Rectum porrò ordinem seruasse hìc Virgilium, Illyricos ante Liburnos ponendo, docet Modicius cap.23.

MEDIIS ELAPSVS ACHIVIS) Nil mirum, pacis, & reddendæ Helenæ semper auctor fuit, vt inquit Liuius lib.1. Fauisse Græcis, vel ex hisce verbis apud Dictyn. lib.4. deprehendas. Cùm enim Vlysses secunda legatione Helenam repetisset, & illi eam non redderent, omnia, inquit Antenor, quæ memorata à vobis sunt, scientes prudentesque patiemur: neque voluntas bene consulendi abest, si potestas concederetur. Sed, vt videtis, summa rerum potiuntur illi, quibus cupita vtilibus potiora sunt. Antenorem secuti sunt (auctor Dares) duo millia quingenti.

FONTEM TIMAVI) Vt vrbem Pataui, Buthroti. Arbitratur Corradus, poetam dixisse fontem Timaui, quia Timauus nunc mergitur, nunc erumpit, vt Plinius docet: & ita fontes facit, vt fons potius, quàm fluuius esse videatur.

VNDE PER ORA NOVEM VASTO) Nouenarium numerum veteres pro qualibet multitudine ponebant. Nicander duos habentem aculeos, ἐννεάκεντρον vocauit, quod est aculeorum nouem. Sed & alibi in quodam genere scorpionum, quibus septem insunt sphondyli, dixit σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι, volens significare πολυδέσμους, ac si dicas, multarum commissurarum, aut colligationum. Idipsum in præconum enneade apud Homerum Iliad.2. annotauit Eustathius. Sed & in nouem bellatoribus Hectori obiectis. Ad quam Græcorum doctrinam, poetam opt. max. respexisse hoc loco contenderim, & in 6. cùm ait. *Et nouies styx interfusa coercet.* Nam cùm Timauo septem ora attribuerent alij, nonnulli etiam nouem, vt Pomponius, alij octo, vnde & multifidum appellauit Timauum Martial. lib.8.

An tua multifidum numerauit lena Timauum,
Quem prius astrifero Cillarus ore bibit,

propterea doctissimus auctor, in opinionum fluctu, nouenarium numerum sibi censuit maximè vsurpandum, vt interiorum litterarum, sicuti frequenter solet, quippiam operi inspergeret, quod illotis (vt aiunt) pedibus ingredientes male feriati quidam aut transiliunt, aut impingunt, scholarum cantilenas insecuti. Eodem modo & Horatianum illud in arte poetica intelligendum, *nonumq; prematur in annum.* Adstipulatur & Theon Arati interpres doctissimus, qui super eo poetæ versiculo, Χειμῶνας μέγα κῦμα, καὶ ἐννέα γηρακορώνη. ἐννέα, inquit, pro multis poeticè accipiendum: ἤγουν ἡ πολὺ γηρακορώνη. Rhodigin. libr.22. cap.8. Alciatus Parerg. iuris libr.10. cap.10.

IT MARE PRORVPTVM) Mirantur multi, fluuium à Marone mare appellatum fuisse. Hi mirari desinent, cùm idem à Nicandro factum intellexerint, qui in Theriacis scribit, τὴν ἀπὸ Θρηΐκης νομάδες ποταμοῖο φέρουσιν, ὅν τε πόντον καλέουσι. Turneb. lib.10. cap.11.

HIC TAMEN) Quamuis ille quoque magnas habuerit difficultates, magnosq; labores sustinuerit, ad eorum tamen finem peruenit.

VRBEM PATAVI) Amant poetæ rem vnius sermonis circumlocutionibus dicere. Nam vt hic vrbem Pataui, pro Patauium, sic suprà fons Timaui, pro Timauus. Et in 3. Buthroti arcem, pro Buthroto. Cic. Verrina 3. ciuitatem Lampsaci. Sic epist.18. lib.5. ad Att. oppidum Antiochiæ. De Patauio his verbis Strabo lib.5. Propius paludes situm est Patauium, omnium eius regionis vrbium præstantissima. In qua aiunt nuper censos fuisse 10. viros equestres, & antiquitus ad bellum mittebat CXX. militum millia. Multitudo etiam mercium, quas

A Romam ad mercatum mittunt Patauini, cùm aliarum, tum vestimentorum, ostendunt quantum viris, & opibus vrbs ea polleat.

GENTI NOMEN DEDIT) Antenoridas à se appellauit. Vel potius omnes Venetos appellauit, vt habet Liuius. Et sic nomen dedit propemodum, vt Æneas Latinis. Corrad.

* ARMAQVE FIXIT) Vt gladiator emeritus. Solebant enim gladios illi suos, & reliqua Herculi suspendere. Horat. *Veianius armis Herculis ad postem fixis.* Seruius.

PLACIDA COMPOSTVS PACE QVIESCIT) Componi dicuntur, qui sepulcris mandantur, & compositi, sepulti.
B Catull. eleg. ad Mall. loquens de fratre suo, in agro Troiano, tam longe ab Italia humato.

Quem nunc tam longè, non inter nota sepulchra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troia obscœna, Troia infelice sepultum
Detinet a nostro terra aliena solo.

Tacitus Historiar. libr. 1. Pisonem Verania vxor, ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispini filia composuere, quæsitis, redemptisq; capitibus, quæ venalia interfectores seruauerant. Et in vita Iulij Agricolæ. Paucioribus tamen lacrymis compositus: & in nouissima luce desiderauere aliquid oculi tui. Et pergit. Si quis piorum manibus locus, si, vt sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ, placidè quiescas. Vide
C præterea infrà, *Antè diem clauso componet vesper olympo.*

NOS TVA PROGEN.) Nos dixit, vt Iouem magis moueret, quum audiret etiam filiam laborare: vel quia matres reuera laborantibus filiis laborant: vel quia qui caussas agunt clientium, vt suas agunt, vt 2. de Orat. præcipitur. *Tua progenies,* ego filia, & Æneas nepos. Corrad.

CÆLI QVIBVS ANNVIS ARCEM) Veneri iam concessa fuerat cæli arx, sed tamen *quibus* dicit, nempe mihi pro Ænea roganti, & illi, vt nepoti.

NAVIBVS (INFANDVM) AMISSIS) Vna tantum amissa erat, fidum quæ vehebat Orontem.
D Reliquas sciebat esse saluas, vt mox nuntiabit filio. Sed certè à Troianis habebantur pro amissis. *Infandùm,* est interiectio indignantis, vt, miserùm, nefas, turpè, malùm.

VNIVS OB IRAM) Nomen prudenter tacet, & sic maiorem mouet inuidiam. Quasi dicat: cæteri omnes cupiunt Æneam in Italiam venire, sed vnius ira, & furor impedit.

PRODIMVR) Cum contemptu, & stomacho dictum *prodimur,* & habet vim concitandi Iouis aduersus Iunonem, quo nihil est optatius Veneri. Et astutè id seruauit ad finem, ne si fortè hoc ægrè tulisset Iupiter, illius animum initio orationis à se alienaret. Nascimb. *Prodimur,* ambiguum est, vel enim est, expellimur, quasi
E porrò damur, vt sequentia ostendunt: vel proditione velut hostibus tradimur, quod in filia irata ferri potest. Corrad.

HIC PIETATIS HONOS? SIC NOS) Occupato grauissimis argumentis Iouis animo, Venus apertis, quod aiunt, tibiis in querelam prorumpit, & ira vehementer exæstuans, nimis indulgenter loquitur, & omne prorsus iracundiæ, atq; odij virus effundit. Nascimb.

* *Congruunt cum his Catulliana illa de nupt. Vbi contra Theseum in quærimonia sua Ariadna turpiter deserta.*

At non hæc blanda quondam promissa dedisti
Voce mihi, non hoc miseram sperare iubebas:
Sed connubia læta, sed optatos hymenæos.

IN SCEPTRA REPONIS) Aut reponis dixit pro simplici, quod non est inusitatum poetis, & per sceptra intelle-

intellexit promissum regnum: aut hunc sensum hæc verba continent. Æneas apud Troiam prope regias opes, & auctoritatem habuit: sic tu illi hæc in naufragiis, A & calamitatibus tantis scilicet restituis? vel ita dictum est, vt quod infrà sequitur, *illic fas regna resurgere Troiæ.* ❧

Olli subridens hominum sator, atq; deorum,
Vultu quo cælum, tempestesq; serenat,
Oscula libauit natæ: dehinc talia fatur.
Parce metu Cytherea: manent immota tuorum
Fata tibi: cernes vrbem, & promissa Lauini
Mænia, sublimemq; feres ad sidera cæli
Magnanimum Æneam, neq; me sententia vertit.
Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius & voluens fatorum arcana mouebo)
Bellum ingens geret Italia: populosq; feroces
Contundet, moresq; viris, & mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaq; transierint Rutulis hyberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,
Additur (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)
Triginta magnos voluendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumq; à sede Lauini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.
Hîc iam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea: donec regina sacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fuluo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, & mauortia condet
Mœnia, Romanosq; suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi: quin aspera Iuno,
Quæ mare nunc, terrasq; metu, cælumq; fatigat,
CONSILIA IN MELIVS REFERET, mecumq; fouebit
Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.
Sic placitum: veniet lustris labentibus ætas,
Quum domus Assaraci Phthiam, clarasq; Mycenas
Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar,
IMPERIVM OCEANO, FAMAM QVI TERMINET ASTRIS,
Iulius à magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim cælo spolijs Orientis onustum
Accipies secura: vocabitur hic quoq; votis.
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.
Cana Fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt: diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ, furor impius intus
Sæua sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ora cruento.

OLLI SVBRID.) Seruatur τὸ πρέπον, & maiestas regia: Regum quippe (vt etiam virorum grauium, atq; sapientum) non est effusè ridere vnquam, sed tantum subridere. Ecclesiast. cap. 21. Fatuus in risu exaltat vocē suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Antiquè dictum olli, pro illi, sicut ollis pro illis. Dicebant autem olla cēturia,

ollus letho datus est, teste Varrone lib. de ling. lat. 6. Est A
item hoc verbi apud Cic. lib. de legibus.

VVLTV QVO CÆL. TEMPEST.) Cæli tempestates serenat, componit, fugat, ex turbido serenum reddit solo aspectu, quod est omnipotentiæ argumentum. * *Similem quodãmodo sententiã habent illa Horat. de Augusto, Od. 5 lib. 4.*

Instar veris enim vultus vbi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent.

OSC. LIB. NATÆ) Oscula quidã ὀνομαστικῶς accipiunt, parua ora. Sic apud Ouid. *videt ignẽ micantis Sideribus similes oculos, videt oscula.* Aptum sanè Veneri, in qua omnes elegãtiæ muliebres: & os paruum ornat fœminam, vastum deformat. Sensus igitur erit, paruum os leuiter contigit ore suo, quod ad grauitatem, pudicitiãq; B
pertinet. De Ænea tamen adolescentulum filium osculo impertientem similiter locutus est. Lib. 12. *Summaq́; per galeam delibans oscula fatur.* *Natæ* generandi casus potius quàm dandi est. ✠

PARCE METV CYTHER.) Oratio ista Iouis partim purgationem, partim futurarum rerum, earumq́; lętissimarum narrationem habet. Cùm autem in exordio parandus sit animus ad audiendum attentè, nemoq́; id facere possit, qui in timore est, statim ei metum adimit, & explet animum eius gaudio. Artificium huius orationis perpendit Seb. Regulus. Quomodo veteres dandi casum quarti ordinis maluerint terminari in vocalem u, non ui, vt dicerent senatu, non senatui, docet Gellius lib. C
4. cap. 16. & nos compluribus exemplis rem constabiliuimus. Georg. lib. 4. ibi, *quod nec concubitu indulgent.* Vt autem hic parce metu, ita infrà dicet, solue metum. Et Dido, *Soluite corde metum, Teucri, secludite curas.* Silius Italicus lib. 3. Annibale iam Alpes penetrante, Venerem Romanorum suorum curam gerentem, ac pro eis apud Iouem supplicantem fingit. Respõdet Iupiter. Responsio ad imitationem cõposita est tota. Principium sic habet.

Pelle metus, neu te Tyria conamina gentis
Turbarint Cytherea: tenet, longumq́; tenebit
Tarpeias arces sanguis tuus. ✠

MANENT IMMO. TVOR. FATA) Tui generis. Non D
Troianos solum, sed Romanos etiam significat, de quibus erat in fatis.

VRB. ET PROMIS. LAVINI MOEN.) ἐπεξήγησις, est, vrbem, id est, promissa Lauinij mœnia.

SVBLIM. FER. AD SID. CÆLI) Apud Ennium 1. Annali Mars ad Iouem de filio Romulo in deos transferendo, cuius rei aliquando spem fecerat Marti, dicto huiuscemodi, *Vnus erit, quem tu tolles in cærula cæli Templa.* Quem versum Ouid. 2. Fast. vbi similiter Mars Iouẽ promissorum in eodem negotio admonet, opportunè inseruit.

Vnus erit quem tu tolles in sidera cæli,
Tu mihi dixisti, sint rata dicta Iouis. E

De apotheosi Æneæ idem Ouid. Metamorph. lib. 14.

Iamq́; deos omnes, ipsamq́; Æneia virtus
Iunonem veteres finire coercuit iras:
Cum bene fundatis opibus crescentis Iuli
Tempestiuus erat cælo Cythereïus heros,
Ambieratq́; Venus superos, colloq́; parentis
Circumfusa sui, nunquam mihi dixerat, vllo
Tempore dure pater, nunc sis mitissimus opto:
Æneaq́; meo, qui te de sanguine nostro
Fecit auum, quamuis paruum, des, optime, numen,
Dummodo des aliquod. Satis est inamabile regnum
Aspexisse semel, Stygios semel isse per amnes.
Assensere dei: nec coniux regia vultus
Immotos tenuit: placatoq́; annuit ore.
Tum pater, estis, ait, cælesti numine digni:
Quæq́; petis, pro quoque petis, cape nata quod optas.
Fatus erat: gaudet, gratesq́; agit illa parenti:
Perq́; leues auras iunctis inuecta columbis,
Littus adit Laurens, vbi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius vndis.
Hunc iubet Æneæ quæcunq́; obnoxia morti
Abluere, & tacito deferre sub æquora cursu.
Corniger exequitur Veneris mandata, suisq́;
Quidquid in Ænea fuerat mortale, repurgat,
Et respergit aquis: pars optima restitit illi.
Lustratum genetrix diuino corpus odore
Vnxit, & ambrosia, cum dulci nectare mista
Contigit os: fecitq́; deum, quem turba Quirini
Nuncupat indigetem, temploq́;, arisq́; recepit.

TIBI FABOR ENIM) Tanquam filiæ, quod alteri non dicerem.

TE CVRA REMORD.) Sæpius mordet, recursans sollicitat.

POPVLOS FEROCES) Quos enumerat lib. 7. qui secuti sunt Turnum, & Rutulos. Ferox propemodum valet, quod animosus, elatus, superbus: non, vt vulgus putat, crudelis, aut inhumanus. Quod exempla ex bonis auctoribus latinę linguæ declarabunt. Pauca producam. Horat. Ode 4. lib. 4. *nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam.* Cic. epist. 8. lib. 4. Sed miserius nihil, quàm ipsa victoria: quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresque reddit. Catull. de nupt. *Marte ferox Theseus,* id est, morte Minotauri elatus. Liuius lib. 1. Pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus. Ibidem. in eum hæc gloriantem, cum globo ferocissimorum iuuenum Romulus impetum facit. Sallust. Iugurth. Vt ille, qui nunc sceleribus suis ferox, atque præclarus est. Ex Lamb. in Horat. inde, qui volet, plura petat.

MORES, ET MOEN. PON.) ὕστερον πρότερον, quum prius, vt fieri solet, mœnia quàm mores posuerit.

TERT. DVM LAT.) Hic ordo est. Ponet mores & mœnia, dum tertia æstas viderit regnantem, id est, illo triennio, quo regnabit, leges dabit, & vrbem ædificabit. Sanè Æneas, vt Dionysius, & Eutropius aiunt, quum tres annos post obitum Latini regnasset, quarto & ipse anno post bellum moritur. Corrad. De excessu Æneæ Liuius lib. 1. paucis in hæc verba. Secundum inde prælium Latinis, Æneæ etiam vltimum operum mortalium fuit. Situs est, quemcunque eum dici ius, fasque est, super Numicum flumen, Iouem indigetem appellant. Dionysius verò ita memoriæ prodidit. Commisso acri prælio, haud procul à Lauinio, atque multis vtrinque cæsis, exercitus superueniente nocte sunt separati. Æneæ autem corpus nusquam apparens, alij in deos translatum, alij in fluuio, iuxta quem prælium fuit, esse submersum putant. Eique Latini templum construxerunt tali inscriptione, πατρὸς θεοῦ χθονίου, ὃ ποταμοῦ Νομικίου ῥεῦμα διέπει. Patris diui terrestris, qui fluuij Numici vndas gubernat. Cur autem Æneæ multis in locis sepulchra narrentur, & monstrentur, cùm vnus & idem pluribus locis sepultus esse nequeat, caussam vehementer probabilem affert idem Dionysius.

AT PVER ASCANIVS) Dictus est ab Ascanio Phrygiæ fluuio, vt Seruius putat. Iulus verò à prima lanugine, quæ ἴουλος Græcis. Ab Iulo autem Iulia gens nomen duxit. Ab Ilio dictum Ilum, quis non videt?

DVM RES STETIT ILIA REGNO) Dum regnum Ilij fuit incolume. Res pro regno, & imperio positum etiam lib. 3. *Postquam res Asiæ, &c.*

TRI-

TRIGINTA MAG. VOL. MENS.) Triginta annos Ascanius apud Albam longam regnabit. Mirificè ludit Ausonius in numero tricenario per circuitionem sæpissime efferendo, epist. ad Theonem, à quo 30. ostrea dono acceperat, pauca, vt sibi quidem videbatur. In illis periphrasibus etiam hic locus est, vt ille in 3. *Triginta capitum fœtus enixa iacebit.* Animi caussa aliquot exempla subiungentur.

Quot ter luctatus cum pollice computat index.
Geryones quot erant, decies si multiplicentur.
Ter quot erant Phrygij numerata decennia belli.
Cornibus a primis quot habet vaga Cynthia noctes.
Singula percurrit Titan quot signa diebus.
Quot numero annorum Vestalis virgo ministrat,
Dardaniusq́ nepos regno quot protulit annos.
Priamidæ quot erant, si bis deni retrahantur.
Quot genuit fœtus Albana sub ilicibus sus, &c.

Hunc, & alios non paucos lusus ingeniosè, & lepidè ludit ille Ausonius. In quo genere vtinam iuuentus nostra se exerceat.

MAGNOS VOLVEND. MENS. ORBES) Anni [illegible] est. Sunt autem duodecim menses in anno solari. Magnos orbes vocauit, quasi cum lunæ orbibus compararet.

REG. AB SED. LAVIN.) De regno ab sede Lauinij Albam translato Varronem audi, lib. 4. de ling. lat. Oppidum quod primum conditum in Latio stirpis Romanæ, Lauinium. Nam ibi dij penates nostri. Hoc à Lauinia appellabatur. Hinc post 30. annos oppidum alterum conditur, Alba: id ab sue alba cognominatum. (Concinit & Propert. lib. 4. *Et stetit Alba potens, albæ suis omine dicta.*) Hæc è naui Æneæ cum fugisset Lauinium, 30. parit porcos. Ex hoc prodigio post Lauinium conditum annis 30. hæc vrbs facta, propter colorem suis, & loci naturam Alba longa dicta. Hinc mater Romuli Rhea: ex hac Romulus, hinc Roma.

Liuius similia lib. 1. ab. V. C. Is Ascanius, vbicunq; & quacunq; matre genitus (certè natum Ænea constat) abundante Lauinij multitudine, florentem iam (vt tum res erant) atque opulentam vrbem matri, seu nouercæ reliquit: nouam ipse aliam sub Albano monte condidit: quæ ab situ porrectæ in dorso vrbis, longa Alba appellata. Inter Lauinium, & Albam longam coloniam deductam, triginta ferme interfuere anni. Vide item lib. 3. *Triginta capitum fœtus*, &c. Iuuenal. Sat. 12.

——— iam deficientibus Austris
Spes vitæ cum sole redit: tum gratus Iulo,
Atq; nouercali sedes prælata Lauino
Conspicitur sublimis apex: cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.

LONG. MVLT. VI MVN. ALBAM) Prodigium de simulacris penatium, Lauinium repetentium, etiam secundò, lege apud Dionysium lib. 1.

HIC IAM TERCENT. T. REG. AN.) Arnobius lib. 2. longe plures annos numerat. Quot, inquit, apud Albam regnatum est annis? quadringentis, & prope bis denis. Sed cur poeta hunc numerum maluerit, tercentum, vide. Corrad. * *De numero tricentûm annorum nulla est inter scriptores discrepantia. Supra hos alij plures, alij pauciores ponunt. Quod quidem Virgilium minime ignorasset. Sed cur vel eorum minoris momenti fecerit prætermisit, vel rotundo numero carmen rotundius facere voluit.*

GENTE SVB HECTOREA) Troiana, seu forti, qualis Hector fuit.

DONEC REG. SACERD.) Syluia, Ilia, Rhea Numitoris regis Alb. filia, & ob id regina. Respexisse huc videri potest Statius lib. 1. Syluar.

Quis septemgeminæ posuisset mœnia Romæ,
Imperij Latiale caput, nisi Dardana furto
Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos?

Verba sunt Veneris.

MARTE GRAVIS) Id est, grauida ex Marte. Eclog. 1. *Non insueta graues tentabunt pabula fœtas.* Sibylla apud Tibullum libr. 2. eleg. 5. in prædictione sua apud Æneam.

Te quoq; iam video Marti placitura sacerdos
Ilia Vestales deseruisse focos:
Concubitusq́ tuos furtim, vittasq́ iacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.

De satu, & partu Romuli, vide initium 3. Fast. & Liuium lib. 1. cuius in præfatione quidem verba sunt huiusmodi. Et si cui populo licere oportet consecrare origines suas, & ad deos referre auctores, ea belli gloria est pop. Rom. vt cum suum, conditorisque sui parentem Martem potissimùm ferat: tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur. Horat. Ode 3. lib. 3. de Romulo. *Troica quem peperit sacerdos.* Troicam sacerdotem nuncupat, quod sacerdotio Vestæ præesset, cuius sacra in Italiam Æneas attulit, quod vt faceret, ab Hectore illi secundùm quietem præceptum est lib. 2. Æneid. Idem Horat. Ode. 8. lib. 4. Iliæ Mauortisque puerum vocat; id est filium. Cic. 1. de nat. deor. Martis cum Ilia complexum vt fabulosum irridet. Sunt qui procorum quempiam fuisse putent: Martem vero nominatum, quia deus auctor culpæ honestior videretur, vt Liuius habet. Quidam ipsum Amulium patruum armis ad Martis speciem indutum. Alij Genium loci, alij sacerdotem, seu Pontificem. Vide Dionys. lib. 1. Fuit & illa caussa fingendi Martem Romuli patrem, vt originem vrbis suæ augustiorem facerent (si à diuina stirpe condita crederetur) & animos propter eandem fidem, & cælestis auxilij fiduciam ad ardua quæque extimularent.

LVPÆ FVLVO NVTRICIS TEG. LÆT.) Romulum quidam à ficu ruminali, alij, quod lupæ ruma nutritus, appellatum esse, ineptissimè scripserunt. Quem credibile est à virium magnitudine, vt & fratrem eius Remum appellatos. Festus. Quis fuerit pellium vsus apud priscos mortales, & quando cæperit, eruditè admodum disputauit Magius lib. 3. cap. 7. quem leges. De expositione Romuli, & Remi agetur lib. 8. sub finem, ex Ouid. De nutrice lupa sic Iustin. lib. 13. Sed fortuna origini Romanæ prospiciens, pueros lupæ alendos obtulit: quæ amissis catulis, distenta vbera exinanire cupiens, nutricem se infantibus præbuit, quum sæpe ad paruulos, veluti ad catulos reuerteretur. Eam sic affatur Propert. lib. 4. eleg. 1.

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus
Qualia creuerunt mœnia lacte tuo?

Multo autem plenius, & fusius Plutarchus de virtute Romanorum. Verumenimverò, genitos eos (Romulum & Remum) tyranno interimere volente, fortunæ beneficio suscepit non barbarus, non trux facinoris minister, sed clementia quidam, & humanitate præditus, ita vt ne interficeret. Lupa tum forte orba, lacte exuberans, districtisque supra modum grauata vberibus, leuari onere cupiens, infantibus amplexabunda incubans, sugendas papillas præbuit. Auis autem sacra, quam picum Martium vocant, ad eos ventitans, leniterque eis insidens, eorum oscula vnguiculis diducens, in ea turundam indebat, consueti sibi cibi. Propterea ruminalem

nalem caprificum nominarunt, priscis vtique Latinis rumam papillam vocitantibus, quam lupa ingeniculata infantibus summiserat. Ex eo factum, vt loci illius accolæ diu infantes nullos omnino exponerent, sed omnes, quotquot geniti essent, tollerent, in Romuliq; honorem, & imitationem educarent.

Romuli nutrix lupa honoribus est affecta diuinis. Et ferrem, si id animal ipsum fuisset, cuius figuram gerit. Auctor est Liuius, Larentiæ esse simulacrum: & quidem non corporis, sed mentis, ac morum. Lactant. lib. 1. cap. 20. Verba Liuij sequuntur. Tenet fama, cum fluitantem alueum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse: eam summissas infantibus adeo mitem præbuisse mammas, vt lingua lambentem pueros magister regij pecoris inuenerit. Faustulo nomen fuisse ferunt. Ab eo ad stabula Larentiæ vxori educandos datos. Sunt qui Larentiam vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putent, inde locum fabulæ, ac miraculo datum.

Affinis est valde Romuli Remique expositioni, nutrici, inuentioni, educationi, cum sua expositione, nutrice, inuentione, educatione Cyrus Astyagis Medorum regis, ex Mandane filia, & plebeio Persa nepos. Lege Iustinum lib. 1. De nutrice, eius verba proponam. Pastor reuersus in syluam, inuenit iuxta infantem canē fœminam, paruulo vbera præbentem, & à feris alitibusque defendentem. Verùm vt ideo à lupa lactati memorantur Romulus & Remus, quia Larentia Faustuli pastoris vxor, quæ eos aluit, lupa fuit, vulgato scilicet inter pastores corpore, vt ait Liuius: ita Cyri nutrix dicta est fuisse canis, quia Persæ, nomine Spacos & nutricem, & canem exprimunt: quod & Iustinus tradidit. Hoc poetæ frequenter solent, vt quæ gesta sunt verè, obliquis figurationibus, vt Lactantius loquitur, lib. 1. cap. 11. in alias species cum decoro aliquo conuersa traducant. Præter Romulum, & Cyrum à bestiis nutritos, refert Ælianus libr. 12. cap. 24. var. histor. etiam Thelephum Agaues & Herculis filium à ceruа: Peliam Neptuni, & Tyrûs ab equa: Alexandrum Alopes, & Priami ab vrsa: Ægisthū Thyestæ, & Pelopiæ à capra lactatum. Denique exempla expositorum, & à bestiis nutritorum infantium recenset aliquam multa Hyginus cap. 252. & Alex ab Alex lib. 2. cap. 31. *

Impius videtur fuisse Romulus, dum ornari voluit potissimùm pelle lupæ, à qua fuisset nutritus. Imo se gratissimùm in hoc ostendit, qui nutricis suæ pellem etiam mortuæ gestare voluerit, vt diphtheram Iupiter, & quidem tum, cum rex Romanorum nondum esset: nam postea trabea est vsus. Vide plura apud Corrad.

* *Haud ita diuersum ab hoc facto Romuli, quod Vespasianum Augustum de poculo auiæ suæ fecisse mandauit literis Sueton. cap. 2. Auiæ paternæ memoriam (Tertullæ videlicet) sub qua fuerat educatus, tantopere dilexit, vt solemnibus ac festis diebus poculo quoq; eius argenteo potare perseuerauerit. Vterq; igitur ro nutricis suæ latum, ille corio, hic poculo.*

ROMVLVS EXCIPIET GENTEM) Excipiet, vt quasi rursus excitet gentem Hectoream, tunc pæne cadentem, & deficientem, Numitore iam sene, & orbo: quippe cuius filium Lausum Amulius interfecerat. Corrad.

MAVORTIA CONDET MOENIA) Oppidi mœnia faciet bellica, quæque vim hostilem facilè sustinere poterunt. [*Quanquam non de muris magis, quibus circumdaretur vrbs, quam de ipsis, qui mœnibus continerentur, id est ciuibus loquitur poeta, qui reuera fuerunt Mauortij, hoc est, virtute, & disciplina militari excellentes, & victores omnium gentium. Atq; hi progenies, & posteritas Romuli.*] Meritò igitur apud Ennium 2. Annal. populus Rom. inter cætera Romulum sibi ereptum cum gemitu sic compellat.

——ô Romule Romule dic ô
Qualem te patriæ custodem dij genuerunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras.

Non enim tantum seruauit oppidum Romam ne planè periret: sed & quod alioqui exiguum, vile, & interitui proximum, vrbem fecit magnam, vt tempora ferebant, validam, & toti orbi æuiternùm imperaturam: incolasque vilius latentes produxit in lucem, & orbis conspectum. Hæc homo doctus in frag. Ennij. Qui nosse vult varias opiniones de conditoribus Romæ vrbis, item de tempore, quo condita fuerit, Dionysium adeat libr. Antiq. 1. conditam post captum Ilium anno 432. refert idē lib. 2. & qui cum Romulo condere cœperint, fuisse pedites ter mille, equites circiter trecentos. Eundem morientem reliquisse peditum 45. millia, equitum fere mille.

ROMAN. SVO DE NOM. DICET.) Quid Romanos, & Romam, de nomine Romuli dictos adiungit Maro, dicemus ex Liuio super ea re, deinde versus Ennij eiusdem argumenti ex libr. 1. Diuinat. apud Ciceronem proferemus. Interuenit deinde his cogitationibus auitum malum, regni cupido, atque inde fœdum certamen, coortum à satis miti principio: quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset: vt dij in quorum tutela ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen nouæ vrbi daret, qui conditam imperio regeret. Palatinum Romulus, Remus Auentinum ad augurandum templa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures. Iamque nuntiato augurio, cum duplex numerus se Romulo ostendisset, vtrūque regem sua multitudo consalutauerat: tempore illi præcepto, at hi numero auium regnum trahebant. Inde cum altercatione congressi, à certamine irarum ad cædem vertuntur: ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum nouos transiluisse muros: inde ab irato Romulo, cum verbis quoque increpitans adiecisset: sic deinde, quicunq; alius transiliet mœnia mea, interfectum. Ita solus potitus imperio Romulus: condita vrbs cōditoris nomine appellata. Prodeat nunc Ennius ille τρικάρδιος: sic enim gloriatus est, tria se corda habere, quod tribus linguis loqui sciret, latina, græca, osca.

Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operam simul auspicio, augurioq;:
Hinc Remus auspicio se deuouet, atq; secundam
Solus auem seruat. At Romulus pulcher in alto
Quærit Auentino, seruans genus altiuolantum.
Certabant, vrbem Romam, Remurámne vocarent:
Omnis cura viris, vter esset Endoperator
Exspectant. Veluti Consul cum mittere signum
Vult, omnes auidè spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis ex faucibus currus:
Sic exspectabat populus, atq; ora ferebat
Rebus, vtri magni victoria sit data regni.
Interea sol albus recessit in infera noctis.
Exin candida se radiis dedit icta foras lux,
Et simul ex alto longè pulcherrima præpes
Læua volauit auis: simul aureus exoritur sol,
Cedunt ter quatuor de cælo corpora sancta
Præpetibus hilares sese, pulchrisq; locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna, solumq;.

Qui præterea varias opiniones vult nosse, vnde vrbi Romanæ facta sit appellatio, legat Dionys. libr. 1. Plutarch. in Romulo. Solin. lib. 1.

HIS EGO. N. M. RER.) Quadam periphrasi hoc idem Silius lib. 7.

Tum pius Æneas terris iactatus & vndis,
Dardanios Itala posuit tellure penates.
Dum cete innabunt ponto, dum sidera cælo
Lucebunt, dum sol Indo se littore tollet,
Hic regna, & nulla regnis per sæcula meta.

Ouid. 2. Fast.

Gentibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spacium est vrbis & orbis idem.

Imperium Romanum, orbem appellat præter Spartianum, Lampridium, Marcellinum, & alios eius ætatis scriptores Optatus Afer lib. 3. de dogmate Donatistarum. Sed in montem Sion, qui est Ecclesia, qui per omnem orbem Romanum caput tulit sub toto cælo, &c. Orbem porrò pro ditione & imperio antiquioribus temporibus dictum inuenio. Ouid. Metam. sub Minois persona.

Certè ego non patiar Iouis incunabula Creten,
Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.

Plin. quoque lib. 12. cap. 12. pro regione vocem hanc accepit, inquiens, In nostro orbe proximè laudatur Syriacum, &c. Quare non rectè Hegesippus lib. 2. cap. 9. orbem Romanum appellatum, quia toti orbi imperarunt. In ipsorum quoque nomen, ait, elementa transierunt, in quos etiam transiuit orbis terrarum. Deniq; à plerisque Orbis Romanus appellatur. Non est satis assecutus caussam appellationis Hegesippus, vtpote nec Latinæ linguæ satis gnarus, parumque versatus in Latinis auctoribus. Nam etsi ditionis Romanæ amplitudo id nominis exigere videretur, nihilominus cum & Cretam insulam præ Romano imperio exiguam, Minois orbem dici conspiciamus, vox huiusmodi ad imperium videtur aliquo pacto pertinuisse, quòd ditio, quatenus progrederetur, limitibus quasi in orbem circumscribi soleret. Magius lib. 4. cap. 5.

NEC TEMP. PONO) Quod imperium Romanum quemadmodum rerum, ita neq; temporis metas habiturum crederent, ipsam quoque vrbem Romam omni æuo mansuram crederent, epitheton ei ÆTERNA addiderunt, vt nimirum vrbem æternam vocarent. Vide annotat. in dial. meum 6. secundę tertij. Ad carmen hoc, *His ego nec metas rerum, nec tempora pono*, facit quod Halicarnasseus habet in proœmio suarum Antiquitat. Romanos enim omnibus ciuitatibus & gentibus cum rerum gestarum, tum imperij magnitudine ac diuturnitate antecelluisse. Per collationem cum Assyriis, Medis, Persis, Macedonibus, Græcis, (inter quos principatum tenuerunt Athenienses, Lacedæmonij, Thebani) disertissimè docet. Idem hanc vrbem iustissimè *τὴν ἡγεμόνα γῆς καὶ θαλάσσης ἁπάσης πόλιν*, terrarum marisq; principem nuncupat.

QVÆ MARE, TERR. CÆLVMQVE FATIG.) Fatigat, exponit Nonius commouet, perturbat. Ipsa fatigabat, quia caussa erat, cur venti cælum, & terram miscerent. Prouerbialis hyperbole de his, qui in aliquo negotio omnia perturbant, omnemque lapidem mouent, vt illud perficiant. Idem est, cælum terramque miscere. Sed Iunonis factum extenuat Iupiter, cùm ait, *metu*. Nam Troianos ob id maximè persequebatur, vti etiam supra dictum est, quod Carthagini suæ ab eorum posteris excidium metuebat. Apud Horat. autem Ode 3. lib. 3. in consilio deorum introducitur fata Romanorum canere, nempe summam illorum potentiam, Romuli *ἀποθέωσιν*, cui ne se quidem aduersaturam promittit, hac lege, ne Troiam reparare velint, hoc enim se

A neutiquam passuram. Versiculos, quoniam & ad superiorem, *His ego nec metas rerum, nec tempora pono*, Et ad mox secuturum, *Romanos rerum dominos, gentemq́; togatam*, illustrandos mirè quadrant, recitabo.

——protinus & graues
Iras, & inuisum nepotem
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo: illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, & adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum,
Dum longus inter sæuiat Ilion,
Romamq́; pontus: qualibet exules
B *In parte regnanto beati,*
Dum Priami, Paridisq́; busto
Insultet armentum, & catulos feræ
Celent inultæ: stet Capitolium
Fulgens, triumphatisq́; possit
Roma ferox dare iura Medis.
Horrenda latè nomen in vltimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Quà tumidus rigat arua Nilus.
Quicunq́; mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens
Qua parte debacchentur ignes,
C *Qua nebulæ, pluuiiq́; rores.*

Sequuntur minæ, & interdictum de Troia non restituenda, seu reædificanda.

CONSILIA IN MELIVS REF.) Tempore belli Punici secundi, Iuno fauere cœpit Romanis, vt hoc loco ait Seruius.

ROMANOS RER. D. GENT. TOGATAM) Magnam generositatem præ se fert numerus, quoties primas, medias, & vltimas versus partes possederint trisyllaba, vt hìc. Quem contextum & numerum nunquam meo iudicio satis laudare quisquā poterit. Iouian. Actio. Hunc versum profert in Octauio Sueton. cap. 40. Etiam habitum, inquit, vestitumq; pristinum reducere statuit.
D Ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus, & clamitans ait. En, *Romanos rerum dominos, gentemq́; togatam*. Negotium ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circoúe, nisi positis lacernis togatum consistere. Lege etiam Crinit. lib. 5. cap. 7. & de toga diligentissimè, ac disertissimè scripta à Lipsio Elector. lib. 1. cap. 13. Et Bud. annotat. poster. in Pand. Ex oratione Aristidis Tom. 1. qua Romam laudauit, permulta ad potentiam Romanorum declarandam petere licebit. Pauca subtexam. Quod enim de Asia dixit auctor quidam, quantamcunq; sol peragraret regionem, huic vnum imperare regem (id quod falsò protulit, quandoquidem Africam totam, atq; Europam solis ortu, & occasu exemit) id iam verum est effectum, quando & so-
E lis cursus vestro est æqualis imperio, & vestram vrbem sol peragrat. Infrà. Quid quod nihil vos effugit, non vrbs, non gens, non portus, non locus vllus, nisi quem pro inutili habueritis? Disertè etiam demonstrat lib. 17. in calce Strabo ex tribus mundi partibus, Europa, Africa, & Asia, quomodo Romani sint rerum domini.

Illa in 7. à Fauno, consulenti se Latino filio dicta, præclarè cum his consentiunt, & locos cum locis non eiusdem modò scriptoris, & Virgilianos cum Virgilianis, sed diuersorum quoque in eodem argumento inter se comparare, negotium fructuosum fuerit.

Externi veniant generi, qui sanguine nostrum

Nomen in astra ferant, quorumq́ à stirpe nepotes
Omnia sub pedibus vertiq́, regiq́, videbunt.

Eiusmodi est etiam hoc Ouidij è lib. Fast. 4.

Vrbs oritur (quis tunc hoc illi credere possit)
Victorem terris impositura pedem.

Tibull. lib. 2. eleg. 5.

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Quà sua de cælo prospicit arua Ceres:
Quaq́; patent ortus, & qua fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Horatius Ode 15. libr. 4. Augustum miris laudibus efferens.

Et veteres reuocauit artes,
Per quas Latinum nomen, & Italæ
Creuere vires, famaq́, & imperi
Porrecta maiestas ad ortum
Solis, ab Hesperio cubili.

Cic. Philipp. 6. Non modò hic latro, quem clientem habere nemo velit, sed quis vnquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se pop. Rom. victoris dominiq; omnium gentium patronum dicere auderet? Eiusdem generis sunt illa Philip. 3. Et amplissimi orbis terræ consilij principes vos esse aliquando recordamini. Ibidem Nos principes terrarum, omniumque gentium. Philipp. 6. Pop. Rom. victoris, dominique omnium gentium. Et ad finem. Pop. Rom. seruire fas non est, quem dij immortales omnibus gentibus imperare voluerunt.

His verbis, *Romanos rerum dominos*, &c. Romæ pietatis nostræ principatum, & in togata præcipuè gente constituendum (vt Euangelicam interim veritatem prætereamus) vel Maro ipse supremæ intelligentiæ actus spiritu diuinauit, dum Iouem inducit asserentem, *Romanos rerum dominos, &c.* cui quidem imperium sine fine concessisset: quippe quòd eorum constitutiones essent in omnem terrarum orbem, vt Theophylacti verbis vtar, exituræ, neq; vllo vnquam tempore desituræ. Neque verò mirum in Marone, homine diuini numinis experte, & qui verum pietatis ritum adhuc abditum ignoraret, diuinationis lumen illuxisse: quia verisimile est eum in huiusmodi vaticinio ex veterum arcanis, aut Marci, aut Sybillarum, aut Hetruscorum prædictionem illam excerpsisse. Vel quoniam summus ille spiritus nullum hominum genus, nullam vnquam nationem aspernari compertus est: quare Balaam legimus hominem, & alienigenam, & piorum hostem præclara tot super Israelitarum successu diuinasse. Pierius lib. 45.

VEN. LVST. LAB. ÆTAS) Lustrum apud Latinos, quod olympias à Græcis dicitur, id est, quinquennium, ita tamen, vt quadriennio exacto, quinto quoque anno ineunte, lustrum peractum esse intelligatur. Plin. lib. 2. omnium quidem (si lubet obseruare minimos ambitus) redire easdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modo, verùm & reliquarum tempestatum magna ex parte. Et est principium lustri eius semper intercalari anno, caniculæ ortu. Intercalarem annum dixit, quem bissextilem dicimus. Bud. in Pand.

QVVM DOMVS ASSAR. PHTH.) Id est, familia Troiana. Assaracus enim Capyn genuit, Capys Anchisen: vnde Æneas, auctor Romani generis: ex quibus Mummius, qui Achaiam vicit. Seruius. Sic lib. 6.

Eruet ille Argos, Agamemnoniasq́, Mycenas,
Ipsumq́, Æaciden genus armipotentis Achilli,
Vltus auos Troiæ.

A L. Mummio victore Achaiæ Seruius interpretatur, prærogatiuamque Grammaticorum primæ classis meruit: ego tamen (Turnebus puta, lib. 10. cap. 11.) potius de

A Paulo Æmilio intellexerim, à quo victa Macedonia, Thessalia patria Achillis, quæ Macedonum regno parebat, venit in ditionem Romanorum, & Græcia subactis Macedonibus sub imperium Roman. ferè videtur concessisse, etsi antè à Flaminio libertate donata. Atque hac quidem in sententia videtur esse Propertius, quod ad patriam Achillis attinet, cùm ita scribat lib. 4. eleg. 12.

Et Persen proaui simulantem pectus Achillis,
Quiq́; tuas proauus fregit Achille domos.

* *Quemadmodum Vergil. vocat Assaraci domum, id est, familiam, eos qui inde genus ducunt, Romanos nempe: sic Horat. Ode 13. Epod. Assaraci tellurem, ipsam Troiam, cuius oppugnatio Achilli seruata sit.*

TROIAN. ORIG. CÆS. IVL.) Sueton. in Iulio ca.
B 6. Quæstor Iuliam amitam, vxoremque Corneliam defunctas laudauit è more pro rostris: sed in amitę quidē laudatione, de eius & patris sui origine sic refert. Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternū cum dîis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Martio sunt Martij reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent: & cærimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. Turneb. lib. 10. cap. 11. de Augusto, quam de de Iulio Cæsare dictatore mauult sumere, vt sit videlicet Iulius adiectiuum, præsertim cùm sequatur, *Hunc tu olim cælo spoliis orientis onustum Accipies.* Quod si histo-
C riæ fidem habemus, Iulio non potest conuenire, Augusto potest. * *Communis tamen sententia (quidquid Turnebo videatur) de Iulio dictum intelliget. Hunc magnificè prædicat Velleius lib. 2. Hic nobilissima Iuliorum genitus familia, & (quod inter omnes antiquissimos constabat) ab Anchise & Venere deducens genus, forma omnium ciuium excellentissimus, & cætera. digitum intende.*

IMPERIVM OCEANO FAM. QVI TER. AST.) Anonymus Anthol. lib. 1. in Philippum Demetrij F. regem Macedonum, ἁ δὲ Φιλίππω Δέξατο πάλαι θεῖον αἴσχε- Cαις θρόνον. Ad hoc Virgilian. effinxit suum illud Claudian. in 4. Consulat. Honorij, de Theodosio magno eius patre.

Sed laudes genitor longè transgressus auitas,
D *Subdidit Oceanum sceptris, & margine cæli*
Clausit opes.

Ad famam Iulij etiam pertinere potest, quod memoriæ consignauit Solinus, cap. 6. Huius ductibus vndecies cētum, & nonaginta duo millia cæsa sunt hostium. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit, noluit annotari. Signis collatis quinquagies, & bis dimicauit. Ad hæc nullus celerius scripsit: nemo velocius legit: quaternas etiam epistolas simul dictasse perhibetur. Benignitate adeò præditus, vt quos armis subegerat, clementia magis vicerit. Lege Orat. pro M. Marcello, vbi multa dicuntur, quæ illum possunt immortalem facere. Vnam sententiam adduco. Obstupescent posteri certè imperia, pro-
E uincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos, audientes, & legentes tuos. ✱

HVNC TV OLIM CÆLO) Post multa præclara facinora, multasq; ab eo pop. Rom. sibiq; partas victorias, Cæsari diuinitatem pollicetur. Olim strenuissimi viri, ob rerum gestarum magnitudinem inter deos referebantur, vt Hercules, Theseus, Quirinus, Liber, de quibus Horat. epist. 1. lib. 2.

Romulus, & Liber pater, & cum Castore, Pollux,
Post ingentia facta, deorum in templa recepti.

De his extat lex duodecim tabul. in hunc modum. Diuos, & eos qui cælestes semper habiti sunt, colunto: illos quos in cælum merita vocauerunt, Herculem, Liberum.

rum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum, & illa propter quæ datur homini ascensus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunto: nec vlla vitiorum sacra solemnia obeunto. Quòd additur *vocabitur hic quoq; votis*, factum esse, ex 1. Philipp. & Suetonio disci potest. Nascimb. * *De apotheosi Iulij Cæsaris Ouid. 15. Metamorph. in extremo.*

Vix ea fatus erat, media cum sede senatus
Constitit alma Venus, nulli cernenda, suisq;
Cæsaris eripuit membris, nec in aëra solui
Passa recentem animam, cælestibus intulit astris.
Dumq; tulit, numen capere, atq; ignescere sensit,
Emisitq; simul, simul euolat altius ille,
Flammiferumq; trahens spatioso limite crinem
Stella micat.

ASPERA TVM POSITIS) Tum, postquam in B cælum receptus fuerit Iulius, & regnare cœperit Octauius.

CANA FIDES) Horat. Ode 35. lib. 1. *Te spes, & albo rara Fides colit Velata panno.* Seruius ait, canam dici, vel quod in canis hominibus inueniatur, vel quod ei albo panno manu inuoluta sacrificabatur, per quod ostenditur, fidem debere secretam esse. Satis ineptè illud, canam dici, quod in canis hominibus reperiatur. Verius, in canis hominibus vt reperiatur, æquum esse. [*Dixisset Seruius, canam dici, quia apud antiquos & vetustos illos mortales reperta sit. Canum, inquit Nonius, dicitur vetus, antiquum. Varro Eumenid. Et ecce de improuiso ad nos accedit cana veritas. Planè,* cana fides, *vt Varronis cana veritas, dictum arbitror.*] Coluisse Romanos Fidem pro dea, testantur Cicero, Lactant. C Augustin. Eius ædes in Capitolio fuit, vt Plin. lib. 35. innuit. Cic. 3. Off. Fidem vicinam Ioui in Capitolio. In 2. de nat. deor. ab Attilio Calatino consecratam dicit. Liuius lib. 1. de Numa Pompilio. & soli Fidei sollemne instituit. Ad id sacrarium flamines bigis curru arcuato vehi iussit, manuque ad digitos vsque inuoluta rem diuinam facere: significantes fidem tutandam, sedemq; eius etiam in dextris sacratam esse. Consule Gyrald. Syntag. 1.

ET VESTA) Vesta potissimùm nominatur, quod Æneas eius sacra secum tulit, & quod Augustus, referente Suetonio, commoda Vestalium auxit, &c. Vide Corrad.

REMO CVM FRATRE QVIRINVS) Curis est D Sabinè hasta. Vnde Romulus Quirinus dictus, quod eam ferebat: & Romani à Quirino Quirites. Quidam dictum putant à Curibus, quæ fuit vrbs opulentissima Sabinorum, ita Festus. Per Remum M. Agrippam generum, per Quirinum Augustum intellige, qui eum vt fratrem dilexit, qui & victoriæ socius fuit, & in regendo imperio proximum locum tenuit. Vide plura apud Corrad. * *Populum Romanum Octauio tria obtulisse nomina, Cæsaris, Augusti, & Quirini asserit Seruius, eumq; omnibus vsum diuersis temporibus. Et hoc dicere Suetonium. Certè Sueton. nullum verbum de appellatione Quirini habet, id quod Annotat. in Seruium nominis Beroaldus.*

CLAVDENTVR DIRÆ BELLI PORTÆ) De portis hisce etiam lib. 7. *Sunt geminæ belli portæ*, &c. Di- E ræ, quia nihil bello dirius, per quas reseratas exit. De templo Iani ab Augusto clauso, pace terra mariq; parta, Horat. Ode 15. libr. 4. in Augusti laudibus, *& vacuum duellis Ianum Quirini clausit.* De iisdem portis est apud eundem Satyr. 4. libr. 1. *postquam discordia tetra Belli ferratos postes portasque refregit.* Id sic explicandum è Plutarcho. Iani templum portas habuisse bifores, vocatumq; esse belli portam. Eius verba sunt in Numa. ἔστι δὲ καὶ αὐτοῦ ναὸς ἐν Ῥώμῃ δίθυρος, ὃν πολέμου πύλην καλοῦσι. Turneb. lib. 5. cap. 3. * *Tertia porta, inquit Varro de ling. lat. lib. 4. est Ianualis, dicta ab Iano, & ideo ibi positum Iani signum, & ius institutum à Numa Pompilio, vt scribit in annalibus L. Piso, vt sit clausa semper, nisi cum bellum sit. Ianum porro ab Augusto nón semel duntaxat, & tertiò, sed ter clausum probat Lipsius Elector. lib. 1. cap. 20. Quater clausisse narrat Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 14. Constantinus quoq; post Maxentium deuictum, templum hoc clausisse traditur à Marcellino, lib. 16. De Nerone Sueton. cap. 14. Perductum inde in theatrum (Tiridatem regem Armeniæ) ac rursus supplicantem, iuxta se latere dextro collocauit. Ob quæ imperator, laurea in Capitolium lata, Ianum geminum clausit, tam nullo, quam residuo bello. Videri enim voluit, (vt ibidem ait Torrentius) ridiculus Princeps ambitiosa hac Tiridatis ostentatione, terrarum orbem, velut nusquam residuo bello, pacasse. Sollemnia verba, quibus Impp. Ianum à se clausum testarentur, sunt hæc.* PACE TERRA MARISQVE PARTA IANVM CLVSIT. *Vide Brisson. lib. 1. num. 128.*

CENT. VINCTVS AHENIS) *Manilium apparet hæc secum versasse, cum scriberet.*

Sed satis hoc fatis fuerit, iam bella quiescant,
Atq; adamanteis discordia vincta catenis
Æternos habeat frænos in carcere clausa.

Et Calpurnium Eclog. 1.

Dum populos Deus ipse reget: dabit impia iunctas
Post tergum Bellona manus.]

Videtur Maro his versibus adumbrasse bellum ab Apelle pictum, restrictis post tergum manibus, quam tabulam Augustus in suo foro dicauit. Verba Plinij lib. 35. cap. 4. Super omnes D. Augustus in foro suo celeberrima in parte posuit tabulas duas, quæ belli pictam faciem habent, & triumphum. Et cap. 10. Pinxit Apelles belli imaginem restrictis ad terga manibus, Alexandro in curru triumphante. Turneb. lib. 10. cap. 11. Dicamus etiam alludere ad simulacrum à Pausania memoratum, Martis apud Spartam vincti, & cathenis hinc inde constricti, manibusq; & spoliis insidentis: eò symbolo spectante, ne Lacedæmone cederet, aut ad finitimos hostes transfugeret. Non ob aliud autem hæc dicere Maronem apparet, quam vt per ænea furoris vincula æternam futuram pacem insinuet. * *Agè, quomodo furorem vinculis solutum depingat in Satyrico Petronius Arbiter, videamus.*

Quos inter furor abruptis ceu liber habenis,
Sanguineum latè tollit caput, oraq; mille
Vulneribus confossa, cruenta casside velat.
Hæret detritus læua Mauortius vmbo,
Innumerabilibus telis grauis, atq; flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.

FREMET HORRID. ORE CRVENTO) Compositionis δυσφωνία, ait Rhodigin. libr. 23. cap. 7. hoc est asperitas orationis, plerumq; magnitudinem conciliat: vt apud Homerum totius eloquentiæ auctorem eminentissimum. Αἴας δ' ὁ μέγας αἰὲν ἐφ' Ἕκτορι χαλκοκορυστῇ. Et hoc ipsum Maronis, *fremet horridus ore cruento.*

Hæc ait, & Maia genitum demittit ab alto,
Vt terræ, vtq; nouæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret: volat ille per aëra magnum
Remigio alarum, ac Libyæ citus astitit oris.
Et iam iussa facit, ponuntq; ferocia Pœni
Corda, volente deo: inprimis regina quietum

Accipit

Accipit in Teucros animum, mentemq; benignam.
At pius Æneas per noctem plurima voluens,
Vt primum lux alma data est, exire, locosq;
Explorare nouos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant (nam inculta videt) hominesné, feræné
Quærere constituit, socijsq; exacta referre.
Classem in conuexo nemorum sub rupe cauata,
Arboribus clausam circum, atq; horrentibus vmbris
Occulit. ipse vno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.

HÆC AIT, ET MAIA) Huc etiam quadrant, quæ de Mercurio posuimus lib. 4. ibi, *Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat*, &c.

NOVÆ CARTH. ARCES) Supra Tyrias arces appellauit. Nouæ autem, quæ tum ædificabantur. Arces propriæ sunt partes vrbis excelsæ, atque munitæ. Nam quæcunq; tutissima vrbium sunt, ab arcendo hostem arces vocantur. ita Isidor. lib. 15. cap. 2.

NE FATI NESCIA DIDO FINIBVS ARCER.) Voluit Iupiter Didonem moneri, ne Troianos hospitio prohiberet, nec insidias, aut quippiam mali regno suo ab illis timeret, quoniam ipsi fato petebant Italiam, ita vt non possent nec deberent de alieno regno occupando cogitare. Ilioneus hoc significauit ibi, *Huc cursus fuit*. Cur igitur se Dido postea iunxit Æneæ? quia cæcus est amor, nec Ilioneus ita fatum expressit, vt Dido potuerit intelligere: & prius amare cœpit, quam ab Ænea intellexit: & ob id, posteaquam Æneas fata in quarto narrauit, vel neglexit, vel non credidit,

—— nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso
Interpres diûum fert horrida iussa per auras.

Corrad. * *Cur Troianos finibus arcere posset, caussam ipsamet edit infrà, respondens Ilioneo.*

Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & latè fines custode tueri.

REMIGIO ALARVM) De remigio alarum disseruimus aliquid in lib. 6. ibi. *Redditus his primùm terris tibi Phœbe sacrauit Remigium alarum*. Cur hic Iupiter Mercurium non alloquatur, neque ille pedibus talaria nectat, vt lib. 4. caussa est, quod obseruat Corrad. celeritas quam res exigebat, ne Troiani malè multarentur, quod iam fieri cœptum erat à littorum custodibus.

REGINA QVIET. ACCIP.) Politissimus scriptor Arnobius, in placidos sensus, assumpta tranquillitate migrâuit. Hoc est quietum, & benignum animum sumere.

IN TEVCROS) Quos de fama nôrat:

MENTEMQVE BENIGNAM) Id est, liberalem, & propensam ad beneficia conferenda: nam benigni à Latinis dicuntur, qui beneficia in alterum conferunt, vnde dicta est terra benigna, id est, fertilis, & benignitas pro beneficentia, & liberalitate accipitur. Vnde, alicui benignè facere. Cic. ad Att. Benignitas amicorum exhausta est. Vbi benignitatem intellexit liberalitatem. Sebast. Reg.

ÆNEAS PER NOCT. PLVR. VOL.) Vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo voluebat, inquit, ni fallor, Sallustius. Sed per noctem voluebat secum plurima noster Æneas. Hoc μυστηριῶδες puta. ἐν νυκτὶ βουλή, in nocte consilium, vetus est parœmia: siquidem propter rerum quietem, ac silentium ad consultationem opportunum est nocturnum tempus. Plutar-A chus in Symposiacis, auctore Platone, ait, apud Lacedęmonios nocturnum agi conuentum solitum, ad quem difficiles caussę reiiciebantur. Noctem vocatam εὐφρόνην docet Clemens Alexand.. Stromat. lib. 4. quoniam anima tunc conuertitur ad se ipsam, & est magis prudentiæ particeps. Propterea sacra quoq; mysteria maximè noctu fiunt, significantia eam, quæ noctu fit, animæ à corpore contractionem. Hoc vir sanctus è Plutarchi fontibus hausit, cuius verba è libello de Curiositate tibi annumerabo. Siquidem & musæa quàm maxime procul ab vrbe collocabant, & noctem velut amicam intelligentię, vocabant euphronen: videlicet arbitrantes, quietem, & assiduitatem illam, nullis interpellantibus aliarum reB rum curis, multum habere momenti ad inuentionem eorum, quæ inquiruntur. Porrò Antonio quoq; noctem fuisse εὐφρόνην Crassus indicat 2. de Orat. his verbis. Nox te nobis, Antoni, expoliuit, hominemq; reddidit. Nam hesterno sermone vnius cuiusdam operis, vt ait Cæcilius, remigem aliquem, aut baiulum nobis oratorem descripseras, inopem quendam humanitatis, atq; inurbanum. Vitanda est tamen summopere valetudinis bonæ amantibus, illa nocturna, & inquieta præsertim, sollicita, anxia commentatio, siue cogitatio, & cura animi. Celsus præfat. de rerum naturę contemplandæ nimium studiosis: scilicet his hanc (medicinam) maximè requirentibus, qui corporum suorum robora, inquieta coC gitatione, nocturnaq; vigilia minuerunt. ✱

Inter pleraq; Homeri carmina, quæ loco prouerbiorum solita iactari testatur Macrob. illud vel præcipuè numerauerim, quod est Iliad. 2.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.
Haud dignum duce id est, noctē dormire per omnē.

Admonet adagium, vigilantiam ac sollicitudinem potissimùm conuenire Principibus: vt qui tantam negotiorum sarcinam sustineant humeris. Vnde & Virgilius suum Æneam aliis aut dormientibus, aut voluptati indulgentibus, vel vigilantem facit, vel certè excitat, fingitque cogitabundum, sobrium, & de futuris agitantem animo, vt hîc, & alibi, *Ænea potes hoc sub casu duD cere somnos?* Iterum, *vigilasné deûm gens Ænea? vigila, & velis immitte rudentes*. Agamemnonem Homerus reliquis dormientibus vigilantem solum facit. Iliad. 7. Sic Iouem Iliad. 2. Narrat Plutarch. Comment. Aduersus ducem imperitum, Regi Persarum hunc fuisse morem, vt semper vnum quempiã haberet cubicularium, cui hoc muneris erat mandatum, vt manè regium cubiculum ingressus, his verbis eum expergefaceret. ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ μεσορομάσδης ἠθέλησε. Surge Rex, & negotia cura, quæ te curare Meloromasdes iussit. Plura Chiliad. * *Xenophon libello de laudibus Agesilai, Ne somno quidem vt domino, sed vt eo, qui illi curis distento cederet, minimeq; negotium facesseret, vtebatur.*

VT PRI-

VT PRIMVM LVX ALMA) Postquam diluxit, quod nocte secum deliberârat. Et sanè mature facto opus erat. Ipse autem vadit: tum quod suos loco satis tuto relinquit; tum quod viros strenuos esse nouit, vt etiam absente duce contra vim, si qua ingruisset, se possent defendere.

QVI TENEANT) Tenere loca vsitatum bonis scriptoribus loquendi genus. Ipse noster supra, *Vrbs antiqua fuit, Tyri tenuere coloni.* Infra. *genitor tum Belus opimam Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.* Liuius lib. 1. ab V. C. Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca. Probus Miltiade. Thraces tum eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. Plura tute collige.

NAM INCVL. VID.) Parenthesis hæc ætiologiam habet, quamobrem dubitaret Æneas, vtrum homines, an feræ tenerent illa loca. Si enim culta vidisset, homines ibi habitare omnino judicasset. Homer. 10. Odyss. ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν, οὔτ' ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα. Corrad. * *Contrà Aristippum naufragio eiectum ad Rhodiensium littus, cum in puluere animaduertisset descripta quadam schemata Geometrica, exclamauit ad comites, bene speremus: hominum enim vestigia video. Quo dicto, nec esse inculta illa loca, & ibi veros homines, id est, doctos habitare indicauit. Vitruuius præfat. lib. 6.*

EXACTA REFERRE) Quæsita, cognita, accepta, vt pecuniæ accipiuntur, cum exiguntur. Vel exquisita, probè explorata. Horat. sat. 4. lib. 2. *Non prius exactâ tenui ratione saporum.* Virg. lib. 4. *tempus secum ipsa modumq; Exigit.*

CLASS. IN CONVEXO NEM.) Notarunt quidam Grammatici, poetam 4. Æneid. illis verbis, *tædet cæli conuexa tueri*, conuexa pro concauis dixisse, cum sit conuexum curuum, cauo oppositum, & ita conuexum cæli cerni non possit. Sed tamen tum ex hoc ipso fortasse loco, conuexum significare etiam cauum, intelligi potest, & è Iustino, qui lib. 2. de Xerxe ita scribit. Et montes in planum ita deducebant, & conuexa vallium æquabant. Turneb. lib. 30. cap. 27. * *Nisi quis licentia quadam conuexum pro cauo vsurpari posse & solere contendat.*

VNO GRADITVR COMITATVS ACHATE) Quòd fidissimum atq; indiuiduum comitem Achatem Æneæ Virgilius adiungit, μυρμηκωδέστερον est. Ἄχος enim Græcis curam, & sollicitudinem sonat. Quare insinuare voluit, bonum Principem cura & sollicitudine benè imperandi, quod vnum omnium sibi difficillimum videri Diocletianus affirmabat, vacare nunquam oportere. Philosophatur Viperanus hac de re subtilius lib. de rege & regno, cap. 11. quod est de ciuili scientia, quæ humano ingenio, & arte percipi posse non videtur: sed diuino quodam afflatu indigere. Ideo ciuilem scientiam Plato vaticinium vocat, vtpote diuinitus infusam: & sceptrũ, quod Minoi à Ioue collatum Hesiod. scribit, nihil aliud esse putat, quam Iouis doctrinam, qua Cretam diuina

A quadam ratione gubernauit. Quem ob id Homerus ὀαριστήν, hoc est (Platone interprete) Iouis familiarem, atq; discipulum vocat, & Achatem Æneæ, quem antè curam interpretati sumus, alij bonum, & diuinum Genium esse volunt, qui præstantibus quibusdam hominibus est præsens, ab illisq; solis conspicitur: vt de suo prædicantem sæpe multa Socratem legimus.

Ex hac Æneæ profectione, seu exploratione nouorum locorũ multam sibi materiem comparauit poeta, vt pulcherrimis episodijs augeret opus suum, & exornaret splendidissimè, matris nempe colloquium, reginæ hospitium, conuiuium, rerum narrationes, reginæ amorem, & miserabilem interitum, quibus rebus quatuor pæne libros impleuit.

B Sed cur ipse, cur non aliquos potius è socijs mittit, & cur pæne solus? *vno*, inquit, *comitatus Achate.* Respondet Modicius cap. 24. Non ibat exploratum Æneas, vt speculatores faciunt, qui clandestino aditu hostium facta, & consilia non sine magno periculo perquirunt: sed exploratum apertè, qui homines ea loca habitarent, quod ex quouis viatore, qui occurreret, cognoscere licebat, nullum erat bellum, nulli certi hostes. Virgil. in Ænea veterum heroum morem expressit. Theseus, Pirithous, Tydeus, & alij, freti viribus, animiq; præstantia, sine satellitibus peregrinabantur.

BINA MANV LATO) An vero ibi, *Bina manu, &c.*

C seipsum, auresque suas ignorauit Virgilius? cum enim hac in structura, singulisq; in dictionibus disyllabis primas ad syllabas statuatur accentus, quadrato quasi agmine (quaterni namq; accentus è quaternis illis dictionibus in aciem simul prodeunt) quaterni simul accentus eodem spatio consonant. At nihil generosum habuerit, nihil selectum, si protuleris, *Ferrea cum valida crispans hastilia dextra*, plebeiusq; hic versus fuerit: ille vero Maronianus. Et cum alibi dixit *contra tela furit*: an non poterat, *tela furit contra?* Sed noluit esse in accinendo præproperus. Sic cum dixit, *Turno tempus erit*, Et *Parcæ fila legunt*. Iouian. Actio.

CRISPANS HASTILIA) Crispare Maroni est,

D quod Homero πάλλειν, hoc versu. Αὐτὰρ ὃ δοῦρε δύω κεκορυθμένα χαλκῷ πάλλων. hoc enim à poeta Græco mutuatus est. Alio loco coruscare dixit, *oditq; moras, hastamq; coruscat.* Hæc Turneb. lib. 23. cap. 14. Sciendum hastæ gestamen haudquaquam inter vulgares honores habitũ, tantæq; apud veteres venerationis fuisse, vt loco diadematis pro insigni regio haberetur. Neq; temere Virgil. Æneas *Bina manu lato crispans hastilia ferro* ingreditur. Et regis filius Pallas apud eundem, *telo rapto volat obuius ipse Æneæ.* Neq; quidem ea solum donari solitos tradunt, qui fortiter in bello fecissent, verùm & Iunonem Curitin ab ea nuncuparunt. Curis enim hasta Sabinis erat, quod iam apud omnes peruulgatum est.

Cui mater media sese tulit obuia sylua,
Virginis os, habitumq; gerens, & virginis arma
Spartanæ: vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalice, volucremq; fuga præuertitur Hebrum.
Namq; humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatq; comam diffundere ventis:
Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluentes.
Ac prior, Heus, inquit, iuuenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem fortè sororum:
Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis,

Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.
Sic Venus. At Veneris contra ſic filius orſus.
Nulla tuarum audita mihi, neq; viſa ſororum.
O quam te memorem virgo? namq; haud tibi vultus
Mortalis, NEC VOX HOMINEM SONAT. ô dea certe:
An Phœbi ſoror, an nympharum ſanguinis vna?
Sis felix, noſtrumq; leues quæcunque laborem.
Et quo ſub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas (ignari hominumq; locorumq;
Erramus, vento huc, vaſtis & fluctibus acti)
Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.

VIRGINIS ARMA SPARTANÆ) Conſtat ex Plutarcho in Lycurgo, eadem inſtitutione Gymnaſiorũ, & muſices, cum maribus virgines Lacænas excoli: nuptas autem omnia armorum ſtudia, priorisq; diſciplinæ deponere ſolitas, & in luxum, otiumque degenerare. Quod cacoethes Ariſt. in lib. de repub. acriter reprehendit, & Plato νομ. ζ. his verbis. ὃ τὸ τότε δὴ δεῖ μένειν, & quæ ſequuntur, recitat German. * *Idem Lycurgus, percunctanti, cur corpora virginum curſu, lucta, diſci, & iaculi iactu exerceret, reſpondit: vt in valido corpore fœtus validas agens radices pulchre adoleſcat, ipſaq; deinde mulieres robore in partu freta, dolores facile ſuſtineant, atq; ſuperent: vtque ſi ita neceſſitas poſtulet, pro ſe, ſuisq; liberis, & patria poſſint pugnare.*

Vnde nam fluuio ipſi Eurotæ, regioni Lacedæmoniæ, vrbi Spartæ nomina ſint impoſita, ſic narrat Pauſan. in Laconicis. Mylete mortuo, Eurotas filius eius in regnum ſucceſſit. Is cum ſtagnantem in campis aquam ad mare alueo deduxiſſet, nulla ſuſcepta virili ſobole, regnum Lacedæmoni reliquit. Erat hic quidem eadem matre genitus, à qua mons nomen accepit. Patrem Iouem ei fuiſſe fama prædicabat. Vxorem vero duxerat Sparten Eurotæ filiam, ac vt primum ad regnum acceſſit, regioni, & incolis omnibus de ſe nomen indidit. Vrbem quam condidit, de vxoris nomine, quod noſtra etiam ætate retinet, Sparten appellauit.

EQVOS FATIGAT) Non ſuos, nec in quibus equitaret ipſa. Nam nec ipſa laudaretur à celeritate, ſi equis vteretur: nec cõparatio quadraret, quãdo hic Venus pedes agnoſcitur, vt, *& vera inceſſu patuit dea*: ſed equos aliorũ, vt Getarum, à quib' captum patrem celerius liberauit, quam de fœmina credi poſſit. Id vero cũ fecit, Getas videtur inſecuta, & equos illorũ fatigaſſe. Corra.

HARPALICE) Harpalyce puto ſcribendum. Fuit & Harpalyce, an hæc, neſcio, virgo quę Iphiclum ardentiſſimo amore cum deperiret, ſpreta, dolore animi confecta interijt, à qua & canticum quoddam harpalyce dicebatur. Turneb. lib. 10. cap. 11.

VOLVCREMQVE. F. P. HEB.) Quod ad comparationem, lege dicta lib. 7. ad finem, vbi & Camillæ celeritas duabus collationibus declaratur. Sed de Harpalyce vt rem melius nôris, verba Hygini recitabimus, mythologiæ cap. 193. Regis Thracum Amymneorum, nomine Harpalyci filiam fuiſſe dicit, quam ille amiſſa matre, vaccarum, equarumq; vberibus nutriendam curauit, & creſcentem armis exercuit, habiturus ſucceſſorem regni ſui. Poſtmodum nec ſpes paternas puella decepit. Nam tanta bellatrix euaſit, vt etiam ſaluti fuerit parenti. Nam reuertens à Troia Neoptolemus, cum expugnaret Harpalycum, grauiq; eum vulnere affeciſſet, illa periturum patrem impetu facto conſeruauit, fugauitq; hoſtem, &c.

DE MORI) Venantium, præſertim Tyriorum.

HABILEM SVSP. ARCVM) Habilem arcum exponit Seruius, aptum ſexui.

DEDER. COM. DIFFVND. VENT.) De ſparſis capillis Horat. quoq; Ode 10. lib. 3.

Fertur & leni recreare vento
Sparſum odoratis humerum capillis.

NVDA. G. NOD. SIN. COLL.) De Amazonibus, quemadmodum cingerentur, ſimile quiddam venatricum Spartanarum inuenio apud Curtium, lib. 6. Nec tamen ſinus veſtis, quem nodo colligunt, infra genua deſcendit. Cum verſibus iſtis de habitu Spartanæ virginis & venatricis, compone illos Liuij Andronici in re haud diſpari.

Et iam purpureo ſuras include cothurno,
Balteus & reuocet volucres in pectore ſinus.
Preſſaq; iam grauida crepitent tibi terga pharetra.

Claud. de Diana.

Brachia nuda nitent: leuibus proiecerat auris
Indociles errare comas, arcuq; remiſſo,
Otia neruus agit: pendent poſt terga ſagittæ:
Criſpatur gemina veſtis Gortynia cinctu,
Poplite fuſa tenus.

AC PRIOR, HEVS) Terent. And. P. *Charinum video, ſalue.* CH. *O ſalue Pamphile.* Vbi Donatus, non imperitè Pamphilum priorem loqui fecit, ſed vt fiduciam det Charino loquendi. Quod & Virgilius eleganter, *Heus iuuenes, inquit*, &c.

MEARVM SORORVM) Sociarum. Exprimit ſe virginem, cum quaſi ſe timere oſtendit, ne [illegible] ſibi inferatur à duobus iuuenibus ſoli, & in ſylua, niſi dicat, ſe ſocias habere in ea ſylua, quæ ſtatim poſſint accurrere, ſi modo inclamarit. Corrad.

APRI CVRS. CLAM. PREMENT.) Premere verbum venatorium eſt, vt & agitare, & excitare, cum feram venator ſequitur, magnoq; clamore canes impellens vrget. [*Lucatius Papinij explanator, Venatores cum inueſtigant, errant: cum perſequuntur, premunt.*] Valerius lib. 8. per metaphoram de Abſyrto Medeam ſequente dixit, *diramq; premens clamore ſororem.* Et Virgil. 3. Georg. *Ingentem clamore premes ad retia ceruum.* Harum locutionum perceptio, gratiam, & venerem addit poemati: ignoratio, poema ſuis ornamentis ſpoliat, atque nudat. Turneb. lib. 12. cap. 12. lib. 29. cap. 4. * *Perlepide Martialis lib. 11. in epitaphio canis venatorij, apri percuſſu interempti.*

Non me longa dies, nec inutilis abſtulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani:
Fulmineo ſpumantis apri ſum dente perempta,
Quantus erat Calydon, aut Erymanthe tuus.
Nec queror, infernas, quamuis citò rapta ſub vmbras,
Non potui fato nobiliore mori.

SIC VEN. AT CONT. V. S. FIL. OR.) Æneæ matrem eſſe Venerem, confitetur Homerus Iliad. ε.

Αἰνείας

Αἰνείας δ' ὅδε μεγαλήτορος Ἀγχίσαο
Εὔχεται ἐκγεγάμεν, μήτηρ δέ οἵ ἐστ' Ἀφροδίτη.

Id est, Æneas gloriatur & prædicat se ab Anchisa esse natum, mater autem eius est Venus. Et Sophocles in Laocoonte. *νῦν δ' ἐν πύλαισιν Αἰνείας ὁ τῆς θεοῦ.* Nunc autem in portis est Æneas deæ filius. Noster lib. 7.

Talia connubia, & tales celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus, & rex ipse Latinus.

Liuius lib. 1. ab. V. C. ducem Æneam, filium Anchisæ, & Veneris. Lamb. in Lucret. *Vide infra, ad illud,* quem Dardan. Anchisæ Alma Venus, &c. *Non dispar est illud Tibulli.* Sic ego, sic Bacchi respondit rustica proles. *Quam festiuitatem orationis imitatus est Muretus adolescens illo bellissimo epigrammate, quo magistrum suum Iulium Cæs. Scalig. ab elegantia sermonis collaudauit.*

Dicite mi Musæ cultissima numina nobis,
Quo nam Scaligeri pascitis ora cibo?
Sic ego, sic Musæ: quam te sententia fallit?
Nectare quo potius nos alat ipse, roga.

NVLLA TVARVM AVDITA MIHI) Ἐλλειπτικῶς, pro, à me. Horat. Ode 6. lib. 1. *Scriberis Vario.* Ode 7. lib. 2. *Et regnata petam Laconi Rura Phalanto.* libr. 1. epist. 1. *Prima dicte mihi, summa dicende Camœna.* Ouid. libr. 1. Trist. eleg. 4. *O mihi post vllos nunquam memorande sodales.* Catul. *Pro qua mihi sunt magna bella pugnata.* Virg. 3. Georg. *Cui non dictus Hylas?* Cicer. pro Marcell. Intellectum est enim mihi paulò ante.

NAMQVE HAVD TIBI VVLT. MORT.) Ætiologia dubitationis. Atque in hac re, artificio superat Homerum, qui lib. 6. Odyss. inducit Vlyssem ambigentem quidem, mortalis ne, an dea esset Nausicaa: sed nullis ad id probandum coniecturis vtentem. Quanquam illa mortalis erat, hæc dea. Corrad.

Pro eo ac consueuit, hunc quoq; locum tractat ἀλληγορικῶς Seneca, & eleganter adeo, vt supra nihil possit esse. Hæc igitur sunt eius verba ex ep. 115. *Si nobis animum boni viri liceret inspicere, ô quam pulchram faciem, quã sanctam, quam ex magnifico, placidoq́; fulgentem videremus: hinc iustitia, illinc fortitudine, hic temperantia, prudentiaq́; lucentibus. Præter has, frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas, comitasq́;, & (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum, splendorem illi suum affunderent. Tum prouidentia, tum elegantia, & ex istis magnanimitas eminentissima, quantum, dij boni, decoris illi, quantum ponderis, grauitatisq́; adderent? quanta esset cum gratia auctoritas? Nemo illum amabilem, qui non simul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentioremq́;, quam cerni inter humana consueuit, nonne velut numinis occursu obstupefactus resistat, & vt fas sit vidisse, tacitus precetur? Tum euocante ipsum vultus benignitate productus, adoret, ac supplicet: & diu contemplatus multum extantem, supraq́; mensuram solitorum inter nos aspici, elatum, oculis mitis quidem, sed nihilominus viuido igni flagrantibus, tum demum Virgilij nostri vocem verens atq; attonitus emittat.*

O quam te memorẽ virgo? namq; haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat.
Sis felix, nostrumq́; leues quæcunq; laborem.

Aderit, leuabitq́;, si colere eam voluerimus. Colitur autẽ non taurorũ opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoq́; suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia, & recta voluntate. Nemo non, inquam, amore eius arderet, si nobis illam videre contingeret, &c.

O DEA CERTE) Conclusio διλήμματος, aut homo, aut dea es: non es homo, ergo dea.

AN PHOEBI SOR. AN NYMPH. VNA) Diana cum esset venatrix, altè succincta erat, vestisq; sinus fluentes nodo supra genu collectos habebat, ex quo & illud à Prudentio pulchrè, sciteq; scriptum est hym. 10. περὶ στεφάνων.

A *Tum quod Dianam molle succinctam vident,*
Venantis arcum pertimescunt virginis.

Ergo cum Æneas vidisset Venerem genu nudo esse, nodoque sinus fluentes collegisse, esse putauit venatricem Dianam. Proinde interrogauit, *An Phœbi soror.* Turneb. lib. 28. cap. 16. *Tibullus ad Phœbum.* Sic tua perpetuò sit tibi casta soror. *Mart. li. 9.* Respiciens Phœbum pariter Phœbiq; sororẽ.

Dubitat adhuc quæ dea sit, cum deam esse affirmarit, quamuis à loco, & ab habitu propemodũ putet esse Dianam, aut nympham aliquam. Siquidem Diana eodem habitu vtebatur, & in syluis versabatur: vbi nymphæ quoq; habitant: & ob id addidit, *nympharum sanguinis vna*: quod Homerus omittit, vt alia, quia nolebat B prorsus putari Nausicaam esse deam, quę dea non esset. Itaque Vlysses incipit à dea, & in hominem desinit, vt multo plura de homine, quam de dea loquatur. Æneas contra incipit ab homine, & paulatim probat esse deam, deinde vt de dea loquitur. Corrad.

ET QVO SVB CÆLO) Sub alio cælo, id est, sub alia cæli parte Latini dicunt: quomodo & cælum mutare dicitur, qui in aliam terram, regionemúe proficiscitur. Idem valet, sub alio sole. Virg. 2. Georg. *Atq; alio patriã quærunt sub sole iacentem.* Horat. Ode. 16. lib. 2. *quid terras alio calentes Sole mutamus?* Et apud Ouid. in alio orbe. *Aut in quo lateas ferrem orbe licet.* Ipse Maro sese explicat, subiicit enim, *quibus orbis in oris.* Ergo alio sub cælo, seu, quo sub cælo? est in alia ora mundi, seu qua C in ora, siue parte orbis?

TANDEM) Vacat, *tandem.* Sciendum, multas particulas ad ornatum pertinere tantũmodo: vt puta, enim, dum, gentium, locorum, terrarum. Seruius. [*Sed cum cætera satis nota, & sæpe lecta sint, illud,* locorum, *confirmabo testimoniis duorum scriptorum maximi censûs. Sallust. Iugurth. Tamen is ad id locorum talis vir (nam postea ambitione præceps datus est) consulatum appetere non audebat. Plaut. Capt.* Philocrates, vt adhuc locorum feci, faciam sedulò.] Tandem cùm significat aliquando, interdum ex superuacuo ponitur. Vt apud Terent. Phormione cum ait. *Itane tandem vxorem duxit Antipho iniussu meo?* Non enim hic tempus vllum significat. At Cicero etiam duplicat temporalem D significationem, cum ait, tandem aliquando. 2. Catilin.

MVLT. T. ANTE AR. N. C. H. DEXTRA) Locus à gratitudine animi. Apud Homerũ nihil promittit Vlysses Nausicaæ, quia nihil habet, sed Deos rogat, vt ei dent, quæ optat. Et hostiam Æneas tanquam deæ pollicetur, ratus esse deam. Similis est locus lib. 14. Metamorph. sub persona Æneæ ad Sibyllam, nisi quod ibi pro accepto, hìc pro accipiendo beneficio sacrificium pollicetur.

Seu dea tu præsens, seu dîs gratissima, dixit,
Numinis instar eris semper mihi, meq́; fatebor
Muneris esse tui, quæ me loca mortis adire,
Quæ loca me visa voluisti euadere mortis.
Pro quibus aërias meritis euectus ad auras
Templa tibi statuam, tribuam tibi thuris honores

E Nascimb.

Proprie hostia, quæ deuictis hostibus mactatur. Festus hoc nomen omni victimæ quæ feritur cõmune docet, quia ferire veteres hostire dixerunt, & ab hostiendo hostia. Seruio auctore, hostię dicuntur sacrificia eorum, qui in hostem pergunt: victimæ sacrificia quæ post victoriam fiunt. Sed hæc, ait, licenter confudit auctoritas.

CADET HOSTIA) Cadere victimam dicunt poetæ, cũ percussa procumbit humi: est igitur sollemne hoc verbum. Tibull. eleg. 1. lib. 1. *Agna cadet vobis.* Propert. eleg. 6. lib. 4. *Et cadat ante meos icta iuuenca focos.* Plura cumulat Brisson. Formular. lib. 1. addit, atq; vt Latini stãtem, & cadentẽ hostiam dicunt, sic & apud Halicarn. li. 7. ἑστῶτος, καὶ πίπτοντος θύματος. Vti vero caderet hostia, & in quã partem, obseruasse veteres, in verbo *piacularia*, Festus docet.

Tunc

Tunc Venus, HAVD EQVIDEM TALI ME DIGNOR HONORE.
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoq; altè suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris vrbem:
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta,
Germanum fugiens. LONGA EST INIVRIA, LONGÆ
AMBAGES: SED SVMMA SEQVAR FASTIGIA RERVM.
Huic coniux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœnicum, & magno miseræ dilectus amore,
Cui pater intactam dederat, primisq; iugarat
Ominibus: sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, SCELERE ANTE ALIOS IMMANIOR OMNES.
Quos inter medius venit furor: ille Sichæum
Impius ante aras, atq; auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ: factumq; diu celauit, & ægram
(Multa malus simulans) vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Coniugis, ora modis attollens pallida miris.
Crudeles aras, traiectaq; pectora ferro
Nudauit: cæcumq; domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam, patriaq; excedere suadet:
Auxiliumq; viæ, veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.
His commota fugam Dido, sociosq; parabat.
Conueniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat. naues quæ fortè paratæ
Corripiunt, onerantq; auro. portantur auari
Pygmalionis opes pelago. dux fœmina facti.
Deuenere locos, vbi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentemq; nouæ Carthaginis arcem:
Mercatiq; solum facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.

HAVD EQVIDEM TALI ME DIGN.) Promiserat ei victimam Æneas, sacrificium cruentum. Recusatio autem non tantum est summissionis, vt apparet, sed etiam cuiusdam mysterij. Non enim Veneri sanguine, sed floribus, & thure sacrificabatur, vnde sequitur: *vbi templum illi, centumq; Sabæo Thure calent aræ, sertisq; recentibus halant.* Proinde & Horatius Ode 19. libr. 1. bene ei verbenas, cespitem, & thura promittit. Nannius lib. 3. cap. 8.

Atqui Nascimbænus hunc locum interpretans, tacito eius nomine refutat Nannium. Sic enim scribit. facta sacrificij mentione, nō ordine quęsitis respondet, sed illud inprimis de diuinitatis opinione refellere conatur. Nisi enim primùm sacrificij oblationem renuisset, vtique se deam esse indicium fecisset. Primùm igitur non primis, sed nouissimis occurrit, cumque virgo, non dea sit, sacrificio se dignam esse negat. Sic locus iste intelligendus, non vt alij quidam interpretantur. Haud dignor, id est, dedignor me tali sacrificio non quia floribus tantū delectetur: nā cæde etiam animalium delectari solet Venus. Scriptum quippe extat in Græcorum monumentis, Veneri olim sue litatum esse, idque Athenæus Callimachi testimonio comprobat lib. 3. Quin etiā Zenodorus refert, eius festa *ὑσεία*, id est, suilia appellari. Apud Plautum quidam agnis mactatis se Venerem sibi placatam reddidisse memorat. Quibus ex rebus facile colligitur, locum hunc simpliciter accipiendum, atq; ita intelligendum, se, cùm mortalis sit virgo, sacrificij honore indignam esse.

VIRGINIBVS TYR. MOS EST) Æneæ argumentum confutat, à loco, & habitu factum.

B PVRPVREOQ. A. SVR. V. COTH.) Cum vsq; ad genua esset sublata vestis, ideo altos gerebat cothurnos, ne cruribus nudis cerneretur: eosque rubros, quod calceatum eius coloris mulieres amarent. Hinc illud Persij Sat. 5. *Solea puer obiurgabere rubra.* Et Eclog. 7. *Puniceo stabis*

ſtabis ſuras euinčta cothurno. Turneb.lib.28.cap.16. Regulus hoc modo. Purpureo ideo dixit, quia apud Tyrios multi volunt inuentam eſſe purpurã, & eo colore exterrentur feræ, & præcipuè cerui, vel quod Diana hoc colore delectatur, vt in Bucol. *Puniceo ſtabis ſuras euinčta cothurno.*

PVNICA REGNA VIDES, TYRIOS) Veneris, & Æneæ colloquium, matutino tempore, in ſylua, magno otio, nullo periculo imminente, quàm breue eſt atque expeditum? Petit Æneas de regione, deque incolis doceri. Venus paucis, atq; acceleratis verbis reſpõdens, rerum tamen copia, quanta opus erat, illi ſatisfacit: 30. verſibus, longam & multiplicem hiſtoriam comprehẽdit, vſq; ad illum, *Sed vos qui tandem?* &c. quam neque B Homerus, neq; alius Græcorum quiſpiam paucioribus, quàm centum verſibus tam plenè, atq; abſolutè exponere potuiſſet. Hac perſonarum, & negotiorum narratione nihil aptius, elegantius, perfectius, magnificentius, mirabilius deniq; dici, aut cogitari poteſt. Breuis eſt verborum paucitate, plena rerum neceſſariarum copia, diſpoſitione, atque ordine clara, & perſpicua verborum munditia ſuauis, & pura, rerum ſplendore magnifica, quot verba, pæne tot ſententiæ. Deſcribitur regio, docẽtur mores, vnde colonia deducta, reginæ genus. Sunt rerum cauſſæ, ſunt iniuriæ, ſunt euentus inopinati, auari ſcelus tyranni, fœminæ conſilium, ciuium conſpiratio, res celeriter geſta, theſauri exportatio, auari improbitas C eluſa, in tyrannum iucunda inſultatio, nauigatio proſpera, longinqua, ſoli callida, atq; aſtuta emptio, vrbis demũ ingentis ædificatio. Deus bone, quis non miretur, quis non obſtupeſcat, tantam nobilium rerum copiam, triginta verſibus, paucis ſcilicet verbis, tam clarè, tamque perſpicuè comprehenſam eſſe? Nullum ineſt verbum, quod idem non ſit à Cicerone vſurpatum, nullum, inquam, verbum aſperum, diſtortum, mutilatũ, vt Homeri pleraque, quibus Demoſthenes nunquam eſt vſus. Structura nõ eſt hiulca, ſalebroſa, ſed æquabilis, concinna, cohærens, profluens. Non ſunt repletiuæ particulę, quibus veriùs à Græcis referciuntur. Nihil eſt inane, nihil ſuperuacaneum. Ne minima quidem ſyllaba eſt, quæ D ſuperabundet. Nihil eſt licentius dictum, nihil nouum, aut inuſitatum. Omnia deniq; ita ſunt ad vnguem facta, quadrata, & expolita, vt in vniuerſa Græcia narrationem poeticam, quæ cum hac Virgiliana conferri poſſit, reperiri non putem. Modicius.

ET AGENORIS VRBEM) Verba illa, *Punica regna vides,* reſponderunt illis, *Et quo ſub cælo tandem, quibus orbis in oris.* Hinc capta occaſione excurrit in hiſtoriam de Didone, & Tyriis.

Agenoris vrbem, quam fecerunt Agenoridæ. Agenor autem rex Phœniciæ. Sic libr. 6. *Et tandem Euboicis Cumarum allabimur oris.* id eſt, ad Cumas, quas fecerunt hi, qui à Chalcide venerãt, Eubœæ ciuitate. Sed quia Tyrij & alibi eſſe potuerunt, apertè regionem oſtendit, lau- E demq; à re militari adiungit, vt in primo, *ſtudiiſq; aſperrima belli.* Seruius.

IMPERIVM DIDO) Proprium nomen ei fuit Eliſa, aduentitium Dido. Sic enim dicta eſt ab effectu, quod nimirum virorum opus exercuerit, ſeu res viriles geſſerit. Dido enim virago ſonat.

LONGÆ AMBAGES) Æneas ſollicitus de ſe ac ſuis, longam narrationem audire non poterat, ideo debebat Venus ſtatim per exordium docilitatem, & attentionẽ captare, quod breuiter, & ſũmatim eſſet narratura, quæ ſcire cuperet Æneas. hæc Regulus. Ambages verbum poeticum eſſe arbitror, licet eo vtantur Liuius, & Tacitus. Sed hiſtorici amant, vt ſcimus, verba poetica.

A Cicero vocat circuitionẽ. Nunc aliquot è poetis exempla referamus. Ouid. 3. Metam. *Præbuerat longis, Pentheus ambagibus aures.* Horat. ep.7. lib. 1. *ne te longis ambagibus vltra Quam ſatis eſt morer.* Lucret. libr.6. *& nimium longis ambagibus.* Ibid. *Nec tibi tam longis opus eſt ambagibus vnquam.*

HVIC CONIVX SICHÆVS) Nihil fere harum rerum nõ etiam à Iuſtino, ſed paulò aliter quædam narrantur lib.18. Sicut etiam nonulla ad mortem eius, Didonis inquam, pertinentia, de qua poeta lib. 4.

DITISS. AGRI PHOENICVM.) Hic Virg. attingit genus illud diuitiarum, quod omnium vetuſtiſſimũ eſt, cum veterum opes in agris, atque in gregibus pecorum poſitæ eſſent. Regulus.

CVI PATER INTACTAM) Intactam, id eſt virginem. Horat. Ode.7. lib.1.

Sunt quibus vnum opus eſt, intacta Palladis vrbem
Carmine perpetuo celebrare.

Catull. carm. nupt. *Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta ſeneſcit.* Helena Paridi apud Ouid. de Theſeo, à quo ſe virginem reſtitutam affirmat, fuerat enim ab eo rapta prius.

Reddidit intactam, minuitq; modeſtia crimen,
Et iuuenem facti pœnituiſſe patet.

Dicitur autem κουριδία Græcis, quæ virgo nupſit. Vnde apud Homerum 1. Iliad. κουριδίην ἄλοχον, τοῦ ἐκ παρθενικὴν γυνὴ, ſiue, ἥν τις κόρην οὖσαν ἠγάγετο, & κουριδίας γυναῖκας. πόσις κουρίδιος, ὁ ἐκ παρθενίας γεγαμηκὼς γυναῖκα. German.
* *Virgo intacta, aliis intemerata, quomodo Camillam noſter appellat lib 11.*

——— ſola contenta Diana
Æternum telorum, & virginitatis amorem
Intemerata colit.

Terentio integra à viro. Pulchre Lucilio, ſignata, quaſi dicas, clauſa. Tertull. lib. de veland. virgin. Euam iam Adamo libatam, dicit virginitatem reſignaſſe. Dicuntur præterea virgines dum florem amittunt, imminui. Plautus, imminuere cuipiam pudorem. Græci διαπαρθενεύεσθαι, ad verbum, deuirginari.

PRIMISQVE IVG. OMINIB.) Quid vult primis ominibus iugârat? Solebant olim omina captare in nuptiis: itaque prima omina, primas nuptias intelligit. Cic. D lib.1. de diuinat. Cum vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonio collocare, exiſſe in quoddã ſacellum ominis captandi cauſſa, quod fieri more veterum ſolebat. Turneb. lib.10. cap.11. * *Significare vult poeta noſter, Didonem Sichæo commiſſam vxorem, vt ſupra dictum, κουριδίαν quæ antea cum nemine corpus miſcuiſſet: vt ſit epexegeſis, ſeu ſchema in παρέλκον inuectam, id eſt, primis ominibus: quales iterationes non ſunt infrequentes poetis. Iugârat quod ait, ſic Catull. de nupt.* Cum Thetidi pater ipſe iugandum Pelea ſenſit.

REGNA TYRI PYGMAL.) Pygmalionis regis, quem infenſum ſibi Dido metuebat, vt hoſtem acerrimum, quamuis frater foret. meminit Porphyrius libr.4. περὶ ἀποχῆς, vel potius indicat auctorem, qui, quod teſtari volebat, diligenter tradiderit. Is autem eſt Aſclepia- E des Cyprius, qui in commentario, quem ſcripſerat de Cypro, ac Phœnice, viuente Pygmalione narrauit cœpiſſe mortales carne veſci: quamuis ſummo ſtudio ipſe nouo huic cibo, ac σαρκοφαγίᾳ reſtiterit, vt ſceleri alicui, ac nefario facto, vſus atrocibus ſuppliciis in eos, qui primi hoc tentarunt: nec tamen guſtata iam ſuauitate carnis, oſtendit homines abſterreri pœnis illis potuiſſe. Nam quod tradit genere ipſum Phœnicem fuiſſe, Cypri tamen regnaſſe, id etiam inſinuauit Maro iſtis verbis, *genitor tum Belus opimam Vaſtabat Cyprum.* Hinc autem intelligitur falſum eſſe quod Seruius illic ſcripſit, Belum Didonis, ac Pygmalionis patrem ſubactam Cyprum conceſſiſſe Teucero: poſſedit namque illam filius. Teucer vero oppidum tantum illius inſulæ tenuit.

 Hoc

Hoc prorsus Asclepiadi credi debet, qui in primis callere debuit, quæ in sua terra facta essent. Victor. lib. 12. cap. 12.

ANTE ALIOS IMMAN. OMNES) Quid distet à crudelitate immanitas, quam hic Pygmalioni tribuit Maro, docet Iouian. libr. 1. de Immanitate hunc in modum. Crudelitas vindictam magis sequitur, nec electione est vacua: immanitas impetu potius rapitur, sponteq; sua fertur in præceps. Item, crudelitas legem humanam, ritusq; tantùm honestos transgreditur: per immanitatem ab homine desciscitur, fitq; ad bestias etiam monstrosas, atque ad illarum rabiem transitio, & est in quibusdam feritas etiam maior, atque violentior. Quænam enim è numero bestiarum mater inuenta est, quæ fœtum medicamentis adhibitis ex vtero eiecerit? aut, ne partitudo ipsa palam fieret, in cloaca suffocauerit editam prolem? aut viuam tellure suffossa condiderit? &c.

QVOS INTER) Inter quos, Pygmalionem scilicet, & Sichæum, de qua explicatione consule Corrad.

ILLE SICHÆVM IMPIVS) Verè impius, quippe qui & sororis maritum innocentem, & ante ipsas aras, in deorum conspectu, à quibus timere repentinam vltionem debuisset, occidit. Huius cædis caussa fuit auaritia, propterea subiicit, *atq; auri cæcus amore.* Vide quid non mortalia pectora cogat auri sacra fames. Et additur occasio, *incautum*, non enim difficile fuit nihil timentem necare. Item spes celandi, *clam.* ☙

SECVRVS AMOR. GERM.) Pygmalionem fuisse securum dicit amorum germanæ, id est, contempto rem, solutum metu, ne pro amore odium consequeretur. Sic, *securi pelagi, atq; mei*, Iuno dicit in 7. atq; 10. *Securus amorum*, priuatus, secretus ab amorum cura. Scal g. Poet. lib. 4. cap. 16. * *Amorum hic intellige Sichæi, quibus Dido in Sichæum erat inflammata, cui maritus erat charissimus, & quem amabat ex medullis. Pygmalion igitur, quanquam hoc non ignoraret, tamen à scelere meditato non reprimebatur, vt scilicet saltem sorori parceret, quam ex cæde viri, & tam nefaria cæde non dolorem modò, verumetiã morbum posse adipisci erat verisimile. Proinde Scaligeri explanatio*, securus amorum germanæ, *horum verborum, inquam, tolerari non potest.*

FACTVMQVE DIV CEL. ET ÆGR.) Hæc ad astum, & nequitiam hominis significandam pertinent, qui facinus dirissimum tam artificiosè tegere, & sorori fucum facere posset.

IPSA SED IN SOMNIS) πρόληψις, ne quis quærat, quo pacto sciri potuerit cædes, si clam facta fuit.

INHVMATI) Hoc etiam ad scelus Pygmalionis augendum.

ORA MOD. ATTOLL. PALLID. MIR.) Lucret. lib. 1. *Sed quædam simulacra modis pallentia miris.* Quem versum & hic imitatus est Virgil. & Georg. 1. *& simulacra modis pallentia miris.* Et 6. Æneid. *Multa modis simulacra vides volitantia miris.* Et lib. 10. *Ora modis Anchisiades pallentia miris.* Congessit Lamb. in Lucret.

CRVD. ARAS) Ante quas crudeliter fuisset interfectus.

CÆCVM DOMVS SCELVS) Occultum familiæ scelus, quoniam ab affine, & cognato erat trucidatus.

CELERARE FVG. PATRIAQVE EXCEDE.) ἐπεξήγησις.

VET. TELL. RECLVDIT THES.) Thesaurus iuxta græcam proprietatem ἀπὸ τῆς θέσεως, à positione, hoc est, à reposito nominatur. Et est nomen ex Græco & Latino compositum, quasi dicas, repositum aurum. Isidor. lib. 16. cap. 17. Sic autem thesaurum definit Paul. Iurecos. lib. 41. Pand. tit. 2. de exquiren. rer. dom. Est quædam vetus depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam

A dominum non habeat. Sic enim fit eius qui inuenerit quòd non alterius sit. Alioqui si quis aliquid vel lucri, vel metus, vel custodiæ caussa condiderit sub terra, non est thesaurus: cuius etiam furtum fit. Nunc in memoriam regredior historiæ cuiusdam facetæ, de Cæcilio Basso, qui Pœnus origine, & se, & Neronem ludificatus est miserè, dum sibi grandem à Didone post conditam Carthaginem thesaurum certo loco humi defossum per quietem nocturnam ostendi credidit, Imperatoremq; eadem vanitate compleuit. Lege Tacitum initio 16. Annal. Rem exponit Sueton. in Nerone, cap. 32. his verbis. Ad hunc impendiorum furorem super fiduciam imperij etiam spe quadam repentina immensarum, & recon-

B ditarum opum impulsus est iudicio Equitis Rom. pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui paruula molientium opera.

FVG. DIDO, SOCIOSQ. PAR.) Verè fugam, nõ profectionem, & quidem celerem parabat Dido, propter auaritiam fratris, qui Sichæi thesauros iam spe, & animo deuorauerat, eoque occiso, facilè se iis potiturum arbitrabatur. Sed ereptus est illi bolus de faucibus, & quod captauit, capere non potuit. ☙

CONVEN. QVIB. AVT OD.) Affluxerunt ad Didonem socij, quorum partim oderant tyrannum, par-

C tim metuebant. Mirum quare disiungat odium à metu: cùm notum sit illud, *quem metuunt, oderunt.* Poterat ergo iisdem esse odio, quibus metui. Sed quanquam hoc ita est, tamen poeta odium videtur illis tribuere voluisse, qui ab eo insigniter læsi essent, idcirco apposuit *crudele*, μετωνυμικῶς, pro crudelis. Metum iis, qui quod aliis factum viderant, ne sibi perinde fieret, assiduè timebãt: tametsi ijdem quoque ob hoc ipsum oderant.

NAVES QVÆ FORTE PARATÆ) ad frumentationem.

ONERANTQ. AVRO) Suprà etiam argenti meminit, sed aurum ponit vt nobilius. Et auri nomine sæpius argentum, omnesq; diuitiæ intelliguntur.

PYGMALIONIS OPES) Quas putabat iam suas

D esse.

DVX FOEM. FACTI) Non sine magna laude Didonis dictum est.

VBI NVNC) Quum primum ascenderis collem, qui plurimus vrbi imminet.

FACTI DE NOM. BYRSAM) Coniunxit Virgilius hæc duo nomina, Carthaginem, & Byrsam, vt res vicinas. Βύρσα enim Græcè corium, Carthago à cartha deduci videtur, vtrobiq; vocabulo ex taurino tergo deriuato: postea tamen diuersa significata accepere. Byrsa enim, teste Strabone, Carthaginis arx est, vti Athenis Acropolis, Thebis Cadmeia: Carthago autem vniuersa vrbs est, quæ à Stephano & κατὰ πόλιν, & Cadmeia, & O-

E nussa dicitur. Nannius lib. 7. cap. 5.

TAVRINO QVANT. POSS. CIR. TERGO) Quo tempore antiquam Carthaginem (verba Herodiani lib. 5.) dissecto corio ædificauit Dido, posuisse creditur simulacrum Vraniæ, quod ipsis Carthaginensibus, totiq; Africæ venerabile fuit. Et Afri quidem Vraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes. Congruere asserens Pseudantoninus matrimonium Solis & Lunæ, simulacrum illud Romam afferri iussit. Erat ipse sacerdos Solis, & genere Phœnix. Quo autem modo simulacrum Solis effingerent Phœnices, ibidem.

Multa de nummorum generibus Rhodigin. lib. 10. cap. 2. Pompilius Numa, vt in quibusdam Græcorum monumentis repetitur, primus ex ferro, & ære procudit numis-

nummismata, quæ ex proprio auctoris nomine Numia sunt appellata, cum ante illum scortea, & ostracina pecunia impleret vsum. Legimus tamen alicubi, populo à Numa congiarium datum asses ligneos, & scorteos. Nummi scortei meminit item D. Hieronym⁹, & Donatus ad hunc sensum istuc de taurino tergo enarrat. Boui id honoris habuerunt veteres, vt propter multas quæ ex eo capiuntur vtilitates, in aureorum nummûm parte vna bouis effigies, in altera principis facies cuderetur. Nam quod pecunia aliquando fuerit ex corio bubulo, eoq́; spectare Didûs mercatarum, asseuerate non ausim: tametsi Tib. Donato commentum placet. Et Græcorum nonnulli ante Numam scorteas, & ostracinas pecunias in vsu fuisse dicunt: quod & Tranquillus litteris mandauit. Et illud fama tenet, asses ligneos & scorteos ab eodem Numa, qui postea ferrum adimisto ære signauit, in congiario populo datos. Apud rerum scriptores inuenias, sæpe imperatores exercituum, rei pecuniariæ inopia, scortea persoluisse stipendia: mox allatis pecuniis iustum vnicuiq; precium restitutum. Pierius libr. 3. Alexand. Neapolit. libr. 4. cap. 15. * *Tergum hic in eo ponitur, in quo corium, pellis, δέρμα. Rem Silius quoq; 1. Punicor. complexus est his carminibus.*

Pygmalionæis quondam per cærula terris
Pollutum fugiens fraterno crimine regnum,
Fatali Dido Libyes appellitur oræ:
Tum pretio mercata locum, noua mœnia ponit,
Cingere qua secto permissum littora tauro.

Scorteis nummis vsos Lacedæmonios, confirmat Seneca de Benef. lib. 5. cap. 13. in hæc verba. Aes alienum debere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod vsum numeratæ pecuniæ præstat.

SED VOS QVI TANDEM? QVIBVS AVT VENISTIS AB ORIS?
QVOVE TENETIS ITER? quærenti talibus ille,
Suspirans, imoq; trahens à pectore vocem:
O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum,
ANTE DIEM CLAVSO COMPONET VESPER OLYMPO.
Nos Troia antiqua (si vestras forte per aures
Troiæ nomen ijt) diuersa per æquora vectos,
Forte sua Lybicis tempestas appulit oris.
Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste penates.
Classe veho mecum, fama super æthera notus.
Italiam quæro patriam, & genus ab Ioue summo.
Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor,
Matre dea monstrante viam, data fata sequutus:
Vix septem conuulsæ vndis, Euroq; supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,
Europa atq; Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus, medio sic interfata dolore est.

SED VOS QVI TANDEM) Triplex interrogatio. De genere, de patria, seu vnde veniant, de loco ad quem tendant. Multum enim hæc scire in perigrinis & aduenis refert. *Tandem* particula eleganter adhibetur in interrogationibus. Cic. in Bruto. Nunquid nam tandem noui? Tuscul. 1. Quonam tandem modo? De finib. lib. 1. Quamobrem tandem non satisfacit? Et sexcentis demum locis. Regulus, Homeri locum est, imitatus, inquit. nam. 8. Odyss. Alcinous ignotus ignotum Vlyssem hospitio exceptum interrogat, vnde veniat, quas petat terras, & quis sit. Et lib. 7. Arete Alcinoi vxor idem quęrit ab Vlysse totidem pæne verbis. Et habet oratio hæc τὸ ἰσοξῶν. Nam cum Venus Æneæ dixerit, quæ ipsa sit, quid ageret, ac quæreret, narraueritq́;, quæ scire vellet, consentaneum erat, vt vicissim quis esset, & quomodo eò venisset, & quò iret, quæreret. Nam hoc maximè naturale est, & frequentissimè fieri solet, vt sibi occurrentes, & præsertim peregrini sese vicissim interrogent, qui sint, vnde, quò, & qua de caussa eant, & poeta est naturæ imitator &c.

SVSPIRANS, IMOQVE TRAHENS) More suo indicat, qualis futura sit insequens oratio Æneæ, à signo antecedente, quod est suspirium, & vox ab imo ducta pectore: nam qui tristia sunt dicturi, & qui magno aliquo dolore afficiuntur, ij solent suspiria edere, ac voce ipsa in principio dolorem, & tristitiam suam indicare. Reg.

O DEA, SI PRIMA) Oratio Æneæ tota est pathetica, id est, affectibus ac perturbationibus plena, quæ breuem laborum, calamitatumq́ue ipsius expositionem continet. Omnibus interrogationis partibus respondet quidem, sed ordine planè mutato. Nam primò respondet secundæ, secundò primæ. At in exponendis ærumnarum suarum procellis ordinem temporis ita obseruat, vt quod primum gestum, illud etiam ex rhetorum præceptis primum exponere videatur. Primum igitur Veneris beneuolentiam sibi conciliat, honorifica ac planè diuina nominis appellatione: nam adhuc in sententia perstat, eam esse deam, quam & attentam facit proposita ærumnarum suarum multitudine, atq; magnitudine. Nascimb.

PRIMA REPET. AB ORIG.) A raptu Helenæ. Propert. lib. 3. eleg. 5. *ab origine dicere prima Incipe.* Ouid. 1. Metamorph. *primaq́; ab origine mundi.* Et quoniam, vt philosophi docent, idem quodammodò est primũ & vltimum, ponuntur etiam voces, *extremum, & vltimum* in eadem re, in qua vox primum. Sic Terent. extremam

amoris

amoris lineam vocauit, aspectum scilicet, quæ prima etiam dicitur. Virgil. 8. Æneid. *isq; parentem Te Saturne refert, tu sanguinis vltimus auctor.* Muret in Catull.

ET VACET ANNAL. NOST. AVD. LAB.) Pontificem Æneam, vel ex nomine referendorum laborum eius ostendit: Pontificibus enim potestas, memoriam rerum gestarum in tabulas conferendi, & hos annales appellant & quidẽ maximos, quasi à Pontificibus maximis factos. Vnde ex persona Æneæ ait. *Et vacet annales nostrorum audire laborum.* Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 2.

Historiam ab annalibus quidam differre eò putant, quod cum vtrumq; sit rerum gestarum narratio, earum tamen propriè rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narrat. Potest videri nonnihil esse rationis in hac opinione, quod historia græcè significat rerum cognitionem præsentium. Sed nos audire soliti sumus, annales omnino esse id, quod historiæ sint, historias nõ omnino id esse quod annales sint. Sicuti quod est homo, id necessario animal esse: quod est animal, nõ id necesse est hominẽ esse. Ita historias quidã esse aiunt rerum gestarum vel expositionem, vel demonstrationem, vel quo alio nomine id dicendum est: annales verò esse, cum res gestæ plurium annorum, obseruato cuiusque anni ordine deinceps componuntur. Gell. lib. 5. cap. 18. Audias licet Cic. 2. de Orat. sic scribentem de annalibus. Erat historia annalium confectio. Res omnes singulorum annorum mandabat Pont. max. efferebatque in album, & proponebat tabulam, domi potestas vt esset populo cognoscendi: hiq; annales nominantur.

DIEM CLAVS. COMP. V. OLYMP.) De die tanquam mortuo locutus est, nam mortui dicuntur componi. Horat. Sat. 9. lib. 1. *Omnes composui felices, nunc ego resto.* Et noster de Antenore, *nunc placida compostus pace quiescit.* Turneb. lib. 10 cap. 11. Iterum, & fusius aliquãtò libr. 18. cap. 14. In fabula Plautina Menæchmus iocatur: *clam vxorem, vbi sepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem.* Hanc sententiam habet: vbi mortuo die & exacto, genium curemus, & epulemur. Nam mori diem dicebant. Papin. lib. 4. Syluar. *Iam moriente die rapuit me cœna benigni Vindicis.* Hinc etiam dies componi, vt mortuus dicebatur, id est sepiliri. Lib. 18. cap. 27. à cadaueribus dictum esse reor, inquit, quorum ossa & reliquiæ in vrna componebantur. * *Huiusmodi metaphora est etiam quæsita Eclog. 9.* Cantando puerum memini me condere soles. *Vide ibi dicta. Statius. 1. Thebaid. simile quiddam Maroniano huic, de die composito, quasi mortuo,* vix lucis spatio, vix noctis abactæ, Enumerare queam noctes. *Componere inquit Nonius, est finire. laudat hunc Maronis locum. Et Eclog. 3.* Non nostrũ inter vos tantas cõponere lites. *Componere, lenire. Sed præstat motos componere fluctus. Item constituere lib. 3.* Quam tuta possis vrbem componere terra. *Iam hoc Virgilianum Cic. sic effert, dies me deficiat. Plaut. Capt.* Si ego item memorem, quæ me erga fecisti bene, nox diem citius adimat.

NOS TROIA ANTIQVA) Secundæ interrogationi, *quibus aut venistis ab oris?* respondet primo loco. Deinde primæ, postremò tertiæ. *Vox antiqua*, exponenda est hic, vt alibi sæpe, inclyta, nobilis. Troia antiqua, id est, Troia nobili, celebrata, & vt quidam loquuntur, famigerata. ✱

VESTRAS FORTE PER AVRES) Opportuna, negotioq; apta parenthesis. Nam etsi credebat esse deam, non ita tamen apertè illi in opinione standum erat, quin aliquando ei concederet (præsertim ipsa dissimulante) quod dea non esset. Itaq; quasi cum virgine Carthaginensi loquitur. Si forte, inquit, nomen Troiæ audistis aliquando. Et numero multitudinis vtitur, vestras aures, non tuas: ac si diceret, si fortè in his vestris regionibus Troiæ nomen vnquam auditum est. Nasimb.

A * *iure dubitat, Vtrum in Africa quoq; tam longinqua terra, Troia acceptæ sit memoria: nondum enim Carthagine pictum in pariete bellum intuetur.*

FORTE SVA TEMP.) Casu suo, vt Seruius. Scribit Nonius, sors & fortuna hoc differunt: sors est casus temporalis, fortuna dea ipsa.

LYBICIS ORIS) Vt ex te intellexi, quæ dixisti fines Libycos esse.

SVM PIVS ÆNEAS) Ad primam interrogationem respõsio. Pius Æneas vocatur, & meritò. Pius enim fuit in deos, pius in patrem, pius in filium, pius in vxorem, quos ex incendio omnes rapuit. Pius in patriam, quàm tutari conatus est. Est enim pietas officiosus erga deos, patriam, parentes, sanguine coniunctos cultus,
B & gratitudo ijs, quibus debemus. Vide suprà, *insignem pietate virum.*

Ἀνεμέσητος περιαυτολογία, laus propria, & permissa heroibus, carens reprehensione. Sic Homer. Odyss. 7. ἢ οὐδενὶ φημὶ θεοῖς ἐναλίγκιον εἶναι. Et Achilles Iliad. οὐχ ὁρᾷς οἷος ἐγὼ καλός τε μέγας τε. Rhodigin. lib. 7. cap. 5. Hartungus Decuria 4. cap. 10. in quo agit de schematibus Eustathio familiaribus. Libellus fertur Plutarchi, hac inscriptione, Quomodo quis semet citra inuidiam laudet. In eo statuũtur caussæ aliquot, ob quas de se ipso quispiam prædicare possit. Totus locus Virgil. ex 9. Odyss. videtur expressus, vbi Vlysses Alcinoo Phæacum regi ærũmnas suas enarrat.

C FAMA SVPER ÆTH. NOTVS) Putidi Grammatici, cum accusant Virgilium illius laudis, *fama super æthera notus*, damnare prius Homerum debuere, καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει: præsertim cum ambiguum sit, an doli quempiam ad cælum vsque euehere fama possint. At nostri, qui deos penates à seruitute vindicasset, seruaret, fatalia ad loca deorum iussu atque oraculis transferret, meritò fama inter deorum sedes nota esset. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3.

Fortem par non est gloriosum, vanumq́ue rerum ostentatorem esse, quoniam in fortitudine omnia solida, nihil fictum, nihil fucatum esse debet. Quanquam locus, tempus, fortuna, res sæpe ipsa de se suisq; vt prædicet fortis, exigunt. Tum quidem ad rem ipsam, atque
D ad tempora, non ad ostentationem quæ dicit, referre ipsum apparebit. Vt hic Æneas facit: fuerat enim ad ignota loca, atq; ad barbaros tempestate delatus. Iouian. lib. 1. de fortitud.

Quomodo sese homines habere consuetint, aliorum laudibus audiendis, quamuis ipsi de se non prædicent, sed ab alijs prædicentur, memorabili sententia docuit Plin. iunior. epist. 8. lib. 1. cuius extremum est: *& ea solum non carpimus, quæ in obscuritate & silentio reponuntur. Aliorum commendationem nostram vituperationem nescio quomodo ducimus: & quoniam ipsi laudanda non facimus, alios ea facere difficile ipsi credimus, & ab aliis*
E *facile credi ægre ferimus.* Bene Pericles apud Thucydidẽ in orat. funebri, lib. 2. Laudes eo vsque tolerabiles sunt, donec ea dicuntur, quæ auditores se quoque facere posse arbitrantur. Si maiora dicuntur, inuident, non credunt. Quod ex Thucydide videtur traduxisse Sallust. Sic enim est in Catilin. Dein quia plerique, quæ delicta reprehenderis, maleuolentia, & inuidia dicta putant: vbi de magna virtute, atq; gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit, supra, velut ficta pro falsis ducit. Summa hæc est: vel se ipsum etiam iusta de caussa, vel alium laudare lubricum est. Hinc illa in Monostichis.

Τὸν ἐξ σεαυτοῦ μὴ φόρει ἐγκώμιον.
Φίλων ἔπαινον μᾶλλον, ἢ σεαυτοῦ λέγε.

Deo

De te caueto gloriosa prædices.
Potius amicos tolle, quam te laudibus.

Quia homines libentius alios vituperari, quã laudari audiunt: tanta est naturæ nostræ, iudicijq; peruersitas. ✠

ITAL. Q. PAT. ET GEN. AB IOVE SVMMO) Respondetur tertiæ interrogationi. Seruius ita distinguit primum versum, vt Æneas tria videatur quærere, primùm prouinciam, Italiam: deinde Corytum Tusciæ ciuitatem, vnde Dardanus fuit: tum genus, quia ex Electra, & Ioue Dardanus, qui Dardanus auctor est Troiæ.

BIS DENIS NAVIBVS) ἦθος eorum exprimit, qui maria ac terras diuersas obierunt, multaq; perpessu grauia pertulerunt: libenter enim ea narrant aliis. Numerum nauium ambitiosè extollit, *bis denis*, poterat enim dicere, viginti.

MATRE DEA MONST. VIAM) Ne temere, aut forte, vt plerique, nauigasse videatur, hoc addit, & alludit ad historiam, quã ex Varrone recitat Seruius: ex quo Æneas Troia egressus fuerit, quotidie ei stellam Veneris apparuisse, donec in agrum Laurentem venerit.

DATA FATA SECVTVS) Ad refellendam patriæ proditionis suspicionem: quod non sponte, sed dijs ita volentibus patria cesserit. Nascimb. * *Huic suspicioni ex sua persona Maro statim ab initio Æneidos occurrit per illud, Fato profugus.*

VIX SEPTEM) propter atrocissimam tempestatem superius expositam. De reliquis adhuc nihil certi habebat, & perijsse potius arbitrabatur. Affectum miserationis amplificat à commutatione fortunæ per αὔξησιν, & cum emphasi. Nam in alienis regionibus neminem nosse, vel à nemine nosci, miserum est. [*Quomodo igitur fama super æthera notus, vt paulo ante dixit, si ignotus? an non sunt hæc pugnantia? Notũ se fama, id est, de nomine dixit, nõ etiam de corpore, & de facie.*] Ibidem inopia premi, rerumque omnium egere, miserius est: at in solitudine errare, vbi nec victus suppetit, nec qui eum suggerat existit, miserrimum est. Postremò etiam addit inuidiosè gradum, quod est, vt ait Fabius, quodammodo supra summum, se Europa atq; Asia pulsum, id est, omnium iam hominũ auxilio destitutum. Nam Troia pulsus Italiam capere non potest, & Libyæ deserta permigrat. Huic geminus locus est apud Euripid. in Hecuba, vbi perdita illa regina suas itidem Agamemnoni ærumnas, atq; infortunia exponit, cum inquit.

Τύραννος ἦν ποτέ, ἀλλὰ νῦν δούλη σέθεν.
Εὔπαις ποτ᾽ οὖσα, νῦν δὲ γραῦς, ἄπαις θ᾽ ἅμα,
Ἄπολις, ἔρημος, ἀθλιωτάτη βροτῶν.
Regina dudum, ancilla nunc quidem tua.
Modò cincta gnatis, orba nunc, anus simul
Deserta, & exul, infima in mortalibus.

Nascimb.

Respondent verbis istis Æneæ tam miserabilibus, illa Adherbalis apud Sallustium, quem quidẽ Iugurtha per scelus regno, & fortunis expulerat. Nunc vero exul patria, domo, solo, atque omnium honestarum rerum egens, quos accedam, aut quos appellem? Poterit etiam conferri illa Platæensiũ querimonia in Plataico Isocratis, qua oratione eos ab Atheniensibus amicis restitutionem flagitantes inducit, cum pacis tempore à Thebanis afflicti atq; euersi essent. Est autem perorationis ferè initium. *τίνας γὰρ ἂν ἡμῶν εὕροι τις*, &c. Quos enim nobis miseriores quisquam inueniat, qui & vrbe, & agro, & opibus vno die spoliati, rebus omnibus maximè necessarijs æque omnes destituti, errones, & mendici facti sumus, ignari quo nos conuertamus? Pulsi enim patria, desperabundi, & errantes Græciam circuimus, & omnibus habitationibus angimur. Siue enim calamitosos aliquos inuenerimus, dolemus, qui præter mala domestica, etiam alienorum participes fieri cogimur: siue ad felices peruentum est, dolor noster recrudescit: non quod illorum opibus inuideamus: sed quia in aliorum rebus secundis, nostras miserias, quantæ sint, perspicimus, quæ nos nullum diem sine lacrymis exigere sinunt. Nam & patriam lugere, & hanc mutationem lamentari nullo tempore desistimus. Nominantur autem hìc tres mundi partes, Africa, in qua se iam versari ex indicio Veneris intellexit, Europa, Asia, quib⁹ exclusus sit: illa, propter Italiam: hæc, propter Troiam. Itali enim Europæi, Troiani Asiatici, quippe Phryges: sed vtrũq; inuidiosè, *καὶ αὐξητικῶς*. Fuerunt qui in duas partes orbem tribuerent, vt Varro de ling. lat. lib. 4. Sallust. in Iugurth. Isocrates in Panegyrico, in Asiam & Europam, Africam nimirum cum Europa coniungentes. Verba Sallustij sunt. In diuisione orbis terræ pleriq; in parte tertia Africam posuere: pauci, tantummodo Asiam, & Europam esse: sed Africam in Europa. Nonnulli quatuor fecerant, Africam, Europam, Asiam, Indiam, cuius loco huius memoriæ Geographi nominant Americam, Americi Vespucij, hominis Itali nauigatione primùm apertam, & cognitam. ✠

NEC PLVRA QVER. PASSA VEN.) Quatuor de caussis diutius conqueri Æneam Venus non sinit. Quia nouerat omnia: quia erant illi molesta: quia cõmotis auditorum animis oratoria in conquestione immorari nõ oportet: quia mater erat, & consulendum erat filij dolori, & calamitati. Regulus.

INTERFATA) Huius verbi *interfata*, vsus & structura notanda est Non solum enim Valerius lib. 9. cap. 5 tit. de superbia hoc verbum accusandi casui iunxit, hac sententia, Parui enim habuit L. Philippum Cos. quia interfari cõcionantem ausus fuerat, obtorta gula in carcerem præcipitem egisse: sed & Liuius lib. 36. dicere exorsum Cos. interfatus. Et Plin. epist. 23. & quem interfari nefas esset, hoc est, interpellare, & interrumpere loquentem. German.

Quisquis es, haud, credo, inuisus cælestibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adueneris vrbem.
Perge modò, atq; hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios, classemq; relatam
Nuntio, & in tutum versis aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Aspice bis senos lætantes agmine cygnos,
Ætheria quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cælo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam despectare videntur.
Vt reduces illi ludunt stridentibus alis,

Et cœtu cinxere polum, cantusq; dedere:
Haud aliter puppesq; tuæ, pubesq; tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modò, & qua te ducit via, dirige gressum.

QVISQVIS ES) Perseuerat adhuc, quasi cum incognito loquatur, & quis, qualisúe sit Æneas, se nescire simulat, vel potius se scire dissimulat. Quisquis es, siue tu is es, quem te esse dixisti, siue aliquis alius heros, hinc te felicem constat esse, quia Carthaginem venisti, quib⁹ verbis Æneæ animum angoris plenum valde leuat, & ad sibi obtemperandū præparat: suasura est enim mox, vti vrbē petat, nihil de duodecim nauib⁹ amissis sollicitus, quæ omnes in portū partim iam venerint, partim mox venturæ sint. Quod ipsum, ne tanquā à dea sibi nuntiari existimet, addit, se id ex augurandi disciplina, à parentibus percepta, prædicere: adhuc enim non Venus, sed virgo Tyria videri vult. Augurium statim subijcitur. ✠ A

HAVD CRED. INVIS. CÆLEST.) Charus, λιτότης. B

TYR. QVI AD. VRBEM) Ætiologia, vbi tam benignè hospitio à Didone accipiendus sit.

NAMQVE TIBI RED. SOCIOS) Ratio quare non debeat reuerti, sed rectà pergere. Atq; hactenus quidē Venus vt mortalis locuta est: deinceps loquitur vt augur, sic, vt habeat aliquid diuinitatis: & tandem se deam demonstrat. Corrad.

VANI PARENTES) Vanum est mendax. Sallust. Mauri vanum genus. M. Tull. 1. de Off. Nihil proficiunt, nisi admodum mentiantur: nec vero quidquam est turpius vanitate. Idem Tuscul. 3. Tum ita varijs imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Nonius.

IOVIS ALES) Tribuitur Ioui aquila, quod ei aduersum gigantes fulmina ministrarit. Vnde Horat. ministram fulminis appellat. Ciceroni 1. de diuinat. Iouis pinnata satelles.

APERTO TVRB. CÆLO) Odium inter aquilas, & cygnos est intestinum, vt cygni aquilas tantū repellant, non aggrediantur. Ælian. ex Arist. lib. 1. cap. 4. var. hist. καὶ μάχεσθαι τοὺς κύκνους τοῖς ἀετοῖς, ἀμύνεσθαι γε μὴν αὐτοὺς, ἀλλ' οὐκ ἄρχειν χειρῶν ἀδίκων. Est & alioqui cygnus felicissimum nautis augurium. Turneb. lib. 10. cap. 11. * *Odium hoc aquilæ aduersus cygnum declarauit rursum Maro lib. 12. Vbi per illam, intelligendus Æneas: per hunc, Turnus ab eo superandus, & neci dandus omnino.*

Namq; volans rubra fuluus Iouis ales ab æthra
Littoreas agitabat aues, turbamq; sonantem
Agminis aligeri: subitò cum lapsus ad vndas
Cygnum excellentem pedibus rapit improbus vncis.

Dixit autem turbabat, *vt iam nunc Æneas sedatam tempestatem intelligat, & suos periculo defunctos.*

AVT CAP. AVT CAPT. DESPECT.) Capere, designare, eligere, non prorsus prendere, quum adhuc despiciant captas: nam si iam descendissent, & terras cepissent, qui despicerent? Capere esse deligere, docet item Donat. in Heautont. hunc ipsum Maronis versum producens. Atq; hoc etiam verbū videtur augurale fuisse, quum Liuius lib. 1. dicat, prospectu in vrbem, agrumq; capto. De cantu cygnorum egimus in Eclog. 9. super illo. *Cantantes sublime ferent ad sidera cygni.* Quare inde petas licet, quæ hîc requires. De eodem cantu en habe carmina Lucretij è lib. 4. quibus propter suauitatem cygneæ modulationi poesin suam comparat.

Suauidicis potius, quam multis versibus edam:
Paruus vt est cygni melior canor, ille gruum quam
Clamor in æthereis dispersus nubibus Austri.

Lucanus Panegyrico ad Pisonem, verbis non nihil mutatis, retento sensu.

Sed nec olorinos audet Pandionis ales
Parua referre sonos, nec, si velit, improba possit.

His latinis non admodum aliena sunt Antipatri lib. 3. Epigram.

Λωΐτερος κύκνου μικρὸς θρόος, ἢ κολοιῶν
Κρωγμὸς, ἐν εἰαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις.
Paruus cygnorum melior cantus, strepitus quàm
Graccorum nebulis sparsus in ætheriis.

Ioseph. Scalig. in illud è Diris, *Battare cygneas repetamus carmine voces.* Qui omnem prorsus salutis spem C abiecerunt, dicuntur prouerbialiter. τὸ κύκνειον ᾄδειν. Iulianus [illegible]. Ἐνταῦθα τὸ πρῶτον ἐχρῆν ἄνδρα τῶν Πλάτωνος, καὶ Ἀριστοτέλους ζηλωτὴν δογμάτων ἢ ἄρα προσορᾶν ἀνθρώπους ἀθλίους τοῖς κλέπταις ἐκδιδομένους, ἢ κατὰ δύναμιν ἀμύνειν, οἶμαι, ὡς ἤδη τὸ κύκνειον ἐξᾴδουσι διὰ τὸ δημιῶδες ἐργαστήριον τῶν τοιούτων. Hic ἐξᾴδειν, vt decantare apud Ciceronem, & depræliari apud Horatium.

AVT PORTVM TENET) Tenere portum & Ciceronis est, ad Lentulum lib. 1. epist. Tenere portum si nequeas nauigando, tempestati obsequi, artis est. Horat. Ode 14. lib. 1. occupare portum. Anacharsis percunctanti, quam nauim, seu quod genus nauis (sunt enim plura genera) putaret esse tutissimum, quod, inquit, in portum appulsum est. Monere voluit, quamcunq; nauigationem periculosam esse. Eiusdem est, tres digitos à morte distare, qui nauigant: quanta videlicet crassitudo esset tabularum nauis. ✠

Dixit: & auertens rosea ceruice refulsit,
Ambrosiæq; comæ diuinum vertice odorem
Spirauêre: pedes vestis defluxit ad imos.
Et vera incessu patuit dea. ille, vbi matrem
Agnouit, tali fugientem est voce sequutus.
Quid natum toties crudelis tu quoq; falsis
Ludis imaginibus? CVR DEXTRÆ IVNGERE DEXTRAM
NON DATVR? ac veras audire, & reddere voces?
Talibus incusat, gressumq; ad mœnia tendit.
At Venus obscuro gradientes aëre sepsit,
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,

Moliriúe

Moliriue moram, aut veniendi poscere caussas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesq; reuisit
Læta suas: vbi templum illi, centumq; Sabæo
Thure calent aræ, sertisq; recentibus halant.

ROSEA CERVICE) Id est, eleganti, nitida, vti rosa flos est purissimus, & suauissimus. Horat. Ode 13. lib. 10.

Cum tu Lydia Telephi
Ceruicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia.

Est autem ceruix posterior colli pars, vnde origo omnibus neruis, iugulus anterior, vnde vox, halitusq; procedit: collum partes omnes complectitur. *Rosea ceruice refulsit*, inquit Erythræus Indice, id est, suo flori concolore. Poëtæ cum Græci, tum Latini, os, ceruicem, digitos roseos dicunt, niueum candorem rubore sanguinis penitus cum venustate suffusum significantes, qualis color suauiter rubet in rosa, non quæ Milesia sit, quæ nimis purpurea ardere quodammodo videtur, nec rursus alba, sed quæ vtrinq; decorem trahit. Hanc Itali à colore ipso corporis, quod formosum sit, incarnosam, aut carnosonem nominant: quod corpus hominis vulgò carnem appellamus. * Leibfarbrosen. *De rosa præstantia, & supra cæteros flores tanquam regno, diximus ex Anacreonte in 4. Georg.* Primus vere rosam, atque autumno carpere poma.

DIVINVM VERTICE OD. SPIRA.) Vt pleraque alia in poetis, è veterum de dijs opinione explicandum est, quos credebant suauissimum odorem spirare. Ouid. Fast. lib. 5. *Mansit odor: posses scire, fuisse deam.* Turneb. lib. 30. cap. 38. * *Et Virgil. lib. 5.* diuini signa decoris, Ardentesq; notate oculos, qui spiritus illi. *Ouid. de Daphne Apollinem fugiente 1. Metamorph. tale quiddam, hoc est tam decentem fugam, discessumq; canit.*

Plura locuturum timido Peneia cursu
Fugit, cumq; ipso verba imperfecta reliquit.
Tunc quoque visa decens. Nudabant corpora venti,
Et leuis impulsos retro dabat aura capillos.
Aucta fuga forma est.

PEDES VEST. DEFL. AD IMOS) Quæ prius ad genua nodo collecta erat.

VERA INCESSV PATVIT DEA) Homerus vt aliam linguam, verbaq; tribuit dijs, quam hominibus, ita & alium incessum, vt in Neptuno, Iliad. ξ.

Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων
Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος, ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ.

Eius igitur imitatione Maro de Venere, *Et vera incessu patuit dea.* Turneb. lib. 11. cap. 8.

QVID NATVM TOTIES) Incusatio est non contumeliosa, aut de amaritudine veniens, sed de religione & affectu. Cur, inquit, tanquam aliena mecum locuta es? cur nomen tuum mater filio confiteri noluisti? Ergóne tam sum infelix, vt ex pectore materno depromi crudelitas debuerit? Et hunc quidem lusum lusisti sæpius. Quanto tandem æquius erat, vt verbis maternis leuaretur mœstitudo mea, & data dextra se proderet tua in me fides & pietas? Donatus.

TOTIES) Ex 2. Æneid. cognoscimus, sæpe Æneæ Venerem, non tamen adeò clara, & manifesta specie visam.

CRVDEL. TV QVOQVE) Vt Iuno, & qui mihi aduersantur dij. Melius, hoc verbo amantis affectum exprimi, cui ab amato deseri, aut secum fictè aut durius agi, crudelitatis instar videtur. In amore enim omnia sincera, & aperta esse debent. Sic Eclog. 2. *O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas.* ✠

VERAS AVD. ET REDD. VOCES) Vt tanquam cum matre filius colloquar.

TALIB. INCVSAT) Longa post fugientem incusatio esse non debuit, sed tanta, quanta peruenire posset ad aures tanta celeritate recedentis, inquit Donatus.

AT VENVS OBSCVRO) Locus ex Odyss. η. vbi similiter Vlysses à Minerua nebula septus, in Alcinoi regis ædes perducitur.

CERNERE NE QVIS EOS) De istis caussis videndus Cortad.

VBI TEMPLVM ILLI) Quod augustum esset in vrbe Papho Veneri templũ, ex eo intelligimus, quòd ibi centum aras fuisse scribit. Etsi enim ad augendum magno est vsus numero, tamen ex eo conijcimus loci & sanctimoniam, & amplitudinem. Nec tamen ex amplificationis licentia, sed historiæ fide, certoque, & pleno numero Papinius accepisse videtur, cum lib. 5. Thebaid. sic scribat. *Illa Paphon veterem, cẽtumq; altaria linquens.* Turneb. lib. 26. cap. 30. Horat. Ode 30. lib. 1. *O Venus regina Cnidi, Paphiq;.*

CENTVMQ. SABÆO THVRE CAL. ARÆ) Ad aras Paphiæ incruentas alludere videtur Catullus de coma Beronices. *Placabis festis luminibus Venerem Sanguinis expertem.* Germ. Adde ex Tacito, Sanguinem aræ affundere vetitum: precibus, & igne puro altaria adolentur, nec vllis imbribus, quamquam in aperto, madescunt.

Porro duarum syllabarum vocibus suus vbiq; decor inest, quæ vbi binatim fuerint, aut ternatim collocatæ, aut fortè quaternatim, quinatimue, siue etiam senatim, siue inchoandis, siue finiendis versibus, siue intertexendis, mirum est quantopere delectent: repellunt enim satietatem illam auribus tam improbè inimicam, ut.

Monstra deum refero. &
Thure calent aræ. &
Proijce tela manu sanguis meus. &
Et campos vbi Troia fuit. &
Feror exul in altum. &
Ipsa canas, oro, &
Finem dedit ore loquendi

Quid quod historici quoq; voces huiusmodi perlibenter videntur fuisse complexi? vt Sallustius. Arma, tela, equi, viri, hostes atq; ciues permisti. Iouian. Actio.

Recentiorem esse thuris vsum in sacrificijs deorũ, ostendit Arnobius lib. 7. Nouella enim propemodum res est, inquit, neque annorum inexplicabilis series, ex quo eius notitia profluxit in has partes, & delubris meruit interesse diuinis. Namq; neq; temporibus, quemadmodum creditur, & perhibetur, heroicis, quid nam esset thus, scitum est, scriptoribus vt comprobatur à priscis, quorum in libris posita nulla eius mentio inuenitur: neque genetrix & mater superstitionis Hetruria eius opinionem nouit, aut formam sacellorum vt indicant ritus: neq; quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in vsum cuiquam venit, sacra cum res fieret: neq; ipse Romulus, aut religionibus artifex in comminiscendis Numa aut esse sciuit, aut nasci: vt pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum sollemnium munia. Vnde igitur cœpta est vsurpatio eius assumi? aut in antiquam, & veterem consuetudinem quæ nam irruit nouitas, vt quod tempestatibus tantis necessarium nõ fuit, locum sumeret in cæremonijs primum? &c. Sed ante Arnobium Plin. lib. 13. cap. 1. Iliacis temporibus, inquit, non erant vnguenta, nec thure supplicabatur: cedri tantum, & citri suorum fruticum in sacris fumo conuolutũ

nidorem verius, quam odorem nouerant. Non fuisse tamẽ thuris vsum valde largum in sacrificijs, documento esse potest, quod ab eodem Plinio relatum est lib. 12. cap. 14. de Alexandro puero, cui sine parsimonia thura aris ingerenti Leonides Pædagogus dixerat, vt illo modo sacrificaret, cum thuriferas regiones deuicisset. At A ille Arabia potitus, thure onustam nauim misit ei, exhortatus, vt largè deos adoraret.

SERTISQVE RECENTIBVS HALANT) Vtraq; re halant, & thure, & floribus, sed illo etiam, vtpote incenso, calent. Recentia serta expone, è recentibus floribus, id est, vernis contexta.

Corripuere viam interea, quà semita monstrat.
Iamq; ascendebant collem, qui plurimus vrbi
Imminet, aduersasq; aspectat desuper arces.
Miratur molem Æneas, magalia quondam:
Miratur portas, strepitumq;, & strata viarum.
Instant ardentes Tyrij: pars, ducere muros,
Moliriq; arcem, & manibus subuoluere saxa:
Pars optare locum tecto, & concludere sulco.
Iura, magistratusq; legunt, sanctumq; senatum.
Hîc portas alij effodiunt: hîc alta theatris
Fundamenta locant alij: immanesq; columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes æstate noua per florea rura
Exercet sub sole labor, quum gentis adultos
Educunt fœtus, aut quum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientûm, aut agmine facto
IGNAVVM FVCOS PECVS A PRÆSEPIBVS ARCENT.
FERVET OPVS, redolentq; thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum iam mœnia surgunt,
Æneas ait, & fastigia suspicit vrbis.
Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetq; viris, neque cernitur vlli.

CORRIP. VIAM) Qui ibant, ab itu iter appellarunt: B quà angustæ semitæ, vt semiiter dictũ. Var. lib. 4. de ling. lat. Officium celeriter eundi arripuerunt; neq; enim via corripitur. Seruius. Dixit alibi Virgil. corripuere spatiũ. Sueton. Tiberio. cap. 34. impensas corripuit, pro imminuit, & cõtraxit. Ita correptas syllabas vocant Grammatici, quod breues cum sint, citius ꝓnuntientur. Torrent.

IAMQVE ASCEND. COLLEM) Hoc spectat ad verisimilitudinem eorum, quæ mox dicturus est de Æneæ admiratione, ac speculatione: locus enim describitur ad spectandum aptissimus, altus scilicet, & longus vnde poterat Æneas spectare, & admirari omnia, quæ narrantur deinceps à Virgilio. Regulus.

QVI PLVRIMVS VRBI IMMIN.) Plurimus, id est lon- C gus, vt, *cui plurima ceruix*, id est, longa. In verbo *aspectat*, rei inanimæ sensum attribuit. Seruius. Tria millia passuũ fuisse longũ ex Polybio, & Appiano docet Corra.

MIRATVR MOL. ÆN. MAG. QV.) Ausim affirmare, hunc locum ab Homero traductũ. Ille enim quoq; naufragum Vlyssem, cum amissis socijs, à Nausicaa Alcinoi filia in vrbẽ Phæacum ductus esset, fecit mirari & portus Phæacum, & naues, & mœnia vrbis, & fora. Quibus omnibus rebus intelligitur amplitudo, & dignitas alicuius ciuitatis, & publicorũ in ea locorum. Ambo autẽ principium ducunt à motu, qui subitò inuasit animos duorum illorũ sapientium virorum. Vers. Home. sunt.

Θαύμαζεν δ' ὀδυσεὺς λιμένας, καὶ νῆας ἐΐσας,
Αὐτῶν δ' ἡρώων ἀγορὰς, καὶ τείχεα μακρὰ,
Ὑψηλὰ σκολόπεσσιν ἀρηρότα, θαῦμα ἰδέσθαι.

Sic Cæsar lib. 5. de bell. Gall. de seipso, cum spectasset rem nouam, & supra omnẽ suam expectationem, institutas turres, testudines, munitionesq; hostium admiratur. Non est verò hæc, si diligenter attendimus, admiratio illa, quam vehementer accusabat Democritus, ac vitam beatam impedire, aut partam iam, labefactare opinabatur, cum inprimis laudaret *ἀθαυμασίαν*, animumq; vacuum ab ipsa, & qui despiceret cuncta, quæ cęteri sine caussa suspiciunt. Non putabat enim ille, oportere, qui securo animo esse vellet, admirari aurũ, gemmas, vestes pretiosas, picturas, ac statuas magno artificio confectas, populares honores, & cætera huiusmodi, quorum desiderio magno qui tenentur, nunquam illi sitim suam explere possunt. Quare in omni vita solliciti sunt. Contra autẽ, quæ præter nostram opinionem sunt, ac videntur superare vires, ac fortunas eorum qui fecerunt, possumus sine culpa admirari. Victor. lib. 35. cap. 6.

MAGAL. QVOND.) Lib. 4. *Vt primum alatis tetigit magalia plantis*. Magalia, & mapalia Afrorum casæ, idem significant. Censet Regulus, respexisse poetam ad id, quod narrant historici de loco, vbi primùm Roma est ædificari cœpta, ibi scilicet fuisse nemora, & pastorũ humiles casas, & omnia ex paruis initijs ducta paulatim crescere. Magalia Isidor. lib. 15. cap. 12. ædificia Numidarum agrestium oblonga, incuruis lateribꝰ tecta, quasi nauium carinæ sint, siue rotunda in modum furnorum. Et magalia dicta, quasi magaria, quia magar Punici nouam villam dicunt, vna littera commutata, l, pro r.

MIRATVR PORTAS) Vnde porta nominata, Isid. lib. 15. Etymol. ex Catone. Qui vrbem nouam condit, tauro & vacca aret: vbi arauerit, murum faciat: vbi portã vult esse, aratrũ sustollat, & portet, & portã vocet.

ET STRATA VIARVM) Strata viarum Lucretius quoque dixit lib. 1. *Stratáq; iam vulgi pedibus detrita viarum.* Est autem tale hoc, qualia illa, suprema montium, clausa domorum, viarum, vana rerum, amara curarũ, munita viæ, acuta, subtai, incerta belli, & alia mille.

MOLIRIQVE ARCEM) Moliri, extruere, dictum à molibus, Vnde demoliri valet destruere. Cic. 3. de Offic. Demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis. Nonius. Stat. 4. Thebaid. *Monstrat Cyclopum ductas sudoribus arces.* [*Possis etiam sic exponere, eos cœpisse exædificare arcem, vt principium actionis notet hoc verbum. Quomodo videtur accipiendum illud Terentij:* dum moliuntur, dum comuntur, annus est, *hoc est dum conantur sese ornare, antequam finem faciant.*] Arx ab arcendo, inquit Varro de ling. lat. libr. 4. quod is locus munitissimus vrbis, è quo facillimè possunt hostes arceri.

PARS OPTARE LOCVM TECTO) Scribendũ putant nonnulli *aptare*, ex antiquis codicibus: sed ineptè. Est enim verbum militare *optio*. Cum locus peteretur à principe, dicebatur optari. Sic 3. Æneid. *Optauitq́; locum regno.* Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16. Terent. And.

Quæ se inhonestè optauit parare hic diuitias
Potius, quam in patria pauper viuere.

Vbi Donatus, optare est vnum de duobus eligere: citat hunc ipsum locum Maronis. Scalig. F. in Varronem. Optare proprie est eligere, considerare. Ergo hic, *Pars optare locum*, id est, eligere. Et optio, electus, ab ὄπτω Græco, video, considero. * *Confirmat Nonius. Optare, est eligere. Lucil. Sat. 19.* Quare vt dicimus, non video hic quid magnopere optem. *Profert etiam illud è lib. 3. Æn.* Optauitq́; locũ regno.

CONCLVDERE SVLCO) Sulcum posuit pro fossa, in qua fundamenta iacerentur.

IVRA MAG. L. SAN. SEN.) Originem, caussamque instituendorũ magistratuum, & condendarum legum demonstrat disertissimè Theodoretus sermon. 7. de prouidentia. Non enim, inquit, ab initio statim rerũ opifex his quidẽ seruitutis iugum, illis vero herilem potestatem distribuit: sed vnum omnium nostrum genus creauit. Præterea cum Noæum arcam parare iussisset, & vt salutem ipsi, iustitiæq; mercedẽ tribueret, ipsum & & vxorem vna cum filiis, & eorundem nuptis ingredi arcam præcepit, nec quisquam seruus ingressus est: sed ea solummodo, quæ verè serua sunt, brutorum videlicet animalium genera, quæ & idcirco vniuersalis rerum conditor in vitam introduxerat. Postquam vero in ijs, quæ postea contigerunt, multa inordinatè, & indecenter, ex hominũ licentia, nullo magistratuum metu coercita prodiisse vidit, omnemq; iniquitatem citra omnem timorem patrari, in magistratus, & subditos humanum genus diuisit, vt nimirum magistratuum metus peccatorum multitudinem imminueret, & quæ sequũtur, scripta, si quod est meum iudicium, prudentissimè. * *De initiis item, & progressu legum per digressionem disserit Tacitus, cui historico magnam prudentiæ laudem concedi ab omnibus video. Disserit autem Annal. lib. 3. Vetustissimi mortalium, inquit, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, &c. satis esto, monstrasse locum, De veriloquio vocis magistratus ita Varro libr. 4. de ling. Lat. Magister equitum, quod summa potestas huius in equites, & accensos: vt est summa populi Romani Dictator, à quo is quoque Magister populi appellatus. Reliqui, quod minores quam hi magistri, dicti magistratus, vt ab albo albatus.*

Quod libertas sit, ita viuere vt velis, hæc non modo libertas non est, sed vel maximè aduersatur libertati. Qui enim viuit ita vt vult, is quodcunq; appetierit, volet, agetque, iura ipsa naturæ humanæ societatis violans, ac prosternẽs. Apud rectè verò sentientes illi & sunt, & habentur liberi, qui perinde vt debent viuunt, funguntur-que viri boni, patrisfamilias frugi, & iusti ciuis officiis. Veraq; libertas est, seruare leges, tueri iura, eaq; agere, atq; afferre in medium, quæ ad tuendã, stabiliendamq; hominum coniunctionem quàm maximè conferunt. Illisq; qui ferendis, ac seruandis legibus præpositi sunt, quiq; publicæ salutis curam gerunt, ita obtemperare, vt à communi bono ne hilum quidem, vt dici solet, recedatur. Iouian. de Obedient. lib. 4.

SANCTVMQ. SENAT.) Propriè sancta sunt, inquit Martianus Iurecos. quæ ab hominum iniuria defensa & munita sunt. Id perspicuè ex verbis M. Tullij cognoscitur, ita dicentis 2. Philipp. Quanquam nemo erat eorum qui tunc tecũ fuerunt, qui mihi nõ censeret parci oportere. Tanta est enim charitas patriæ, vt vestris etiam legionibus sanctus essem, quod eam à me seruatã esse meminissent. Pro Deiotaro: Quiq; illum ordinẽ ab adolescentia grauissimum, sanctissimumq; duxisset. ✠

HIC PORTVS ALII EFFOD.) Prudenter Afri, quæ salutis dignitatisq; sunt, primùm curant, quæ voluptatis, deinde. In theatris tragœdiæ, & comœdiæ aguntur, variiq; generis ludi fiunt, quibus oblectari populus consueuit. Fortasse autem ad theatrũ alludit, quod Romæ M. Scaurus Ædilis struxit, opus, vt Plinius ait, maximum omnium, quæ vnquã fuerunt humana manu facta. Scenam habuit triplicem: cuius ima pars è marmore fuit, media è vitro: columnas miræ altitudinis. Propterea ait, *immanesq́; columnas.* Nascimb.

QVALIS APES ÆSTATE) Inter locos, quos ita Virgilius ab Homero transtulit, vt & vicerit, primus hic est, de apibus, iudice Macrob. Saturn. lib. 5. cap. 11. Describuntur enim à nostro opifices, ab Homero vagæ tantũ. Alter ille discursum, & solam volatus varietatẽ: noster, exprimit naturæ officium. Versus sunt hi 2. Iliad.

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἁδινάων
Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων
Βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
Αἱ μὲν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα.
Instar apum, denso pulchras examine petras
Cum linquunt, glomerantq́; ingentes pluribus vuas
Agminibus, trepidumq́; volant, & florea libant
Rura per æstatem, sparsæq́; simulq́; vagantes
Nunc hùc, nunc illùc.

Plutarchus Commentario de Iside & Osiride, auctorẽ secutus Aristotelem, scribit vnguentorum, florum, pratorum odoriferas respirationes non voluptati tantum, verum etiam valetudini bonæ prodesse: quandoquidẽ cerebrum natura frigidum, & cõcretum, calore & leuitate sua sensim resoluunt. Fucos Xenophon ἀχρήστους prior vocauit, inutiles, siue ignauos eosq; ait ἐκ τῶν σμηνῶν ἀφαιρεῖν. Victor. lib. 37. cap. 18.

ÆSTATE NOVA) *Vbi pulsam hyemem sol aureus egit sub terras, cœlumq́; æstiua luce reclusit*, vt est in 4. Georg. Noua æstate, quia est & adulta, & præceps. Sic Vere nouo 1. Georg.

DVLCI DISTEND. NECT. CELLAS) Haud multum diuersa Tibull. illo disticho lib. 2. eleg. 1.

Rure leuis verno flores apis ingerit alueo,
Compleat vt dulci sedula melle fauos.

De fucis, & thymo diximus in 4. Georg. vbi extremi duo versus ad verbum positi reperiuntur. Inde patebit, cur thymo potissimũ mella redolere dixerit poeta. De voce, *præsepe* disseruimus lib. 7. ad illud. *Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.* ✠

O FORTVNATI, QVORVM) Bene, fortunati, qui iam faciũt, quod ipse desiderat, nec potest, reluctãte fortuna.

FASTIG. SVSP. VRBIS) Fastigia intellige operum

rum summitates, ideo suspicit, id est alta aspicit. Quan- A quam & miratur licet exponere. Seruius. * *Credibile fit, Lucanum voluisse hunc locum reddere, vbi Cæsaris iter Brundusio Romam describit lib.3*

Excelsa de rupe procul iam suspicit vrbem,
Arctoi toto non visam tempore belli,
Miratusq; suæ, sic fatur, mœnia Romæ.
Tene deûm sedes non vllo Marte coacti
Deseruere viri?

NEQVE CERNITVR VLLI) Vide Apuleium de deo Socratis, de dæmonum corporibus, qualia sint. pag. 115. Græcorum loquendi genus, *neq; cernitur vlli.* Huc etiam valebunt, quæ collegi in illum locum supra. *Nulla tuarum audita mihi,* &c. Cornel. Fronto. Videmus natura, spectamus voluntate, intuemur cura, aspicimus ex improuiso, animaduertimus animo, cernimus oculis. ❧

Lucus in vrbe fuit media, lætissimus vmbra,
Quo primùm iactati vndis, & turbine Pœni
Effodêre loco signum, quod regia Iuno
Monstrârat, caput acris equi, sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per sæcula gentem.
Hîc templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine Diuæ:
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæq;
Ære trabes: foribus cardo stridebat ahenis.
Hoc primùm in luco noua res oblata timorem
Lenijt: hîc primùm Æneas sperare salutem
Ausus, & afflictis melius confidere rebus.

CAPVT ACRIS EQVI) Apud auctores Græcos B iuuenias bouem, quod terræ laboribus exercendis sit destinatus, *γαῖον* appellari. Apud Mathematicos tauro ascendente genitos, laboriosos, atque perpetuæ deditos seruituti, propterea quod hoc animal ad iugum præcipuè natum est. Qua de caussa Tyriis Carthaginem ædificari aggressis, intermissum opus est, bouillo capite adinuento, alioque vrbis mœnia translata: videbatur enim ostentum id nil, nisi laborem, & anxietatem minitari, donec equi mox adinuento capite, belli signum excepere. Horum alterum Virgilius dissimulauit, qui fabulam scribebat, non historiam, rem tamen agnouisse visus, quod bello genus intractabile futurum dixit: sed facilem victu per sæcula gentem: quippe quæ vel iugū C acceptura esset, vel freno coercenda. Quamuis non postremi interpretes, *facilem victu* interpretari malint, ad victum comparandum. Pierius lib.3. in Tauro. Idem eodem lib. in Equo. Quod subiungit Virgilius, facilem victu, non de bouillo capite, vt Seruius, sed de ipso eodem equino intelligendum: cuius ostenti ea sit interpretatio, vt facilem victu per sæcula gentem, facilem quæ tandem vinceretur, exponamus: hoc enim magis ad Virgilianam sententiam accedit, quamuis in Tauri commentatio Seruianum intellectum illustrare conati simus. * *Immo enimuero, nihil magis hac interpretatione tua, doctissime Pieri, à Virgiliana sententia recedit. Nam quo tandem pacto consentiunt, esse bello egregiam, & facilem quæ tandem vincatur? Contra potius, si bello egregia, ne tandem quidem vincetur, sed in-* D *uicta erit magis. Præterea cum illud caput Iuno tutelaris monstrauerit, vtrum illi animos facere, an desperationem inijcere debuit? Rem itaq; Seruius tetigit.*

Carthaginem veteribus dici quandoque caccaben, id est *κακκάβην*, quod illarum gentium lingua equinum indicet caput, & eo his versibus allusisse Virgilium, existimat Rhodigin libr.18. cap.38. Quod ad numerum attinet, monosyllabæ binæ simul collocatæ post dactylicam properationem aliquam, numerosæ sunt in medio, sistunt enim tenorem, quem etiam varietate condiunt, vt in hoc ipso verbo, *caput acris equi, sic nam fore bello*, & istis, quos exempli caussa adducemus.

Præcipuè cū iam hic trabibus contextus acernis. &,
Visa viri, nox cum terras obscura teneret. &,
Quæ rellìgio, aut quæ machina belli. &,
Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?

In principio similem in modum, veluti ab ipso fundamento tenorem stabiliuut. vt,

Quam tu vrbem soror hanc cernes? &,
Nos te Dardania incensa. &,
Si nunc se ille aureus arbore ramus.

In fine quoque id præstant, vt dactylicam aliquam properationem contineant, ac maturent pausam, vt,

Dardaniumq; ducē, Tyria Carthagine qui nunc. &,
Manibusq; meis Mezentius hic est. &,
Quam pro me curā geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas.

Atque hic quidem extremus versus & in principio, & in fine, atque in ipso medio monosyllabis instructus est, magna cum dignitate. Iouian. Actio.

HIC TEMPLVM IVN.) Hîc, apud lucum, in media vrbe, vbi deus tutelaris templum, vt hîc Iuno, tenere debet, id est, in loco, vnde mœnium maxima pars conspiciatur. Vitruuius lib.1. cap.7. Locus medius in vrbe, datur religioni vt omnium præstantissimæ, & omnibus anteponendæ: locus enim medius præstantissimo cuiq; datur. Regulus.

INGENS) Et pro magnitudine ipsius numinis, & pro amplitudine futuræ vrbis. Videtur describere, seu innuere Pantheon, templum à M. Agrippa diis omnibus commune exædificatum, quod gradus æneos, trabes inauratas, valuas æris Corinthij habuisse fertur.

DONIS OPVLENTVM) Similiter Tacitus Historiar. lib.5. de Hierosolymitano, immensæ opulentiæ templum.

NVMINE DIVÆ) Laudauit hoc templum à loco, quod in vrbe media, à nobilitate deæ, cui condebatur, ab auctore, quæ condebat, ab opulentia. Nunc etiā à præsentia, & maiestate diuinitatis, ibi se exerentis laudat. Denique etiam partes illius describere non omittit. ❧

FORIBVS CARDO STRID. AHEN.) Confer cum illo in Ceiri. *sonitum nam fecerat illi Marmoreo* E *æratus stridens in limine cardo.* Et lib.6. Æneid. *Tum demum*

mum horrisono stridentes cardine sacræ Panduntur portæ. A putarit, opus huc confugere. Quanquam enim non timebat Æneas, à matre confirmatus, tamen non carebat omni timore eius securitas. Tale est quod in Miloniana ait M. Tullius. Nam illa præsidia, quæ in templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid, vt in foro, & in iudicio, quanquam præsidiis salutaribus, & necessariis septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Præterea ita natura comparatum est, vt sæpe tam diu non timeamus, quam diu res quæ timorem facit, in sensus non incurrit. Cum in illam incidimus, illico omnia præcepta, monita, rationes & argumenta effluunt. Ad ignotos mortales ipse de facie ignotus, multis nec fama cognitus veniebat: & inter ignotos versari incipiebat.

* *Templa diuersis locis per orbem Christianum a Christianis Principibus condita, eaq; sumptuosa, ac magnifica, enumerat Steph. Durantius lib. 1. de ritibus Ecclesiæ, cap. 2. Magnificentissimum Deiparæ à Iustiniano constructum refert Zonaras libr. 3. annal. Alias item Mariæ Virgini ædes idem Imper. Procopio teste condidit, multas, magnificas, & non dicenda pecuniarum mole: Vt si quis vnam duntaxat earum videat, credat hoc solum opus ab eo fuisse absolutum, ac circa illud toto imperij sui tempore fuisse versatum. Templa in ciuitatibus esse oportet, sine quibus quis credat pios esse ciues? Mihi vero ciuitas, inquit Chrysost. Homil. 17. ad pop. Antioch., non habens pios ciues, omni villa vilior est, & quacunq; spelunca ignobilior.*

HOC PRIMVM IN LVCO) Primùm, signatè, quoniam & alia secuta sunt, quæ formidinem detraxere. Sed cur post visam matrē, & post illa verba, *Haud, credo, inuisus cælestibus auras Vitales carpis,* & quæ sequūtur, quidquam timet? Putat Seruius, hunc locum esse vnum de insolubilibus: plures enim notauit. Sed nihil

Namq; sub ingenti lustrat dum singula templo
Reginam opperiens: dum quæ fortuna sit vrbi,
Artificumq; manus inter se, operumq; laborem
Miratur: videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaq; iam fama totum vulgata per orbem:
Atridas, Priamumq;, & sæuum ambobus Achillem.
Constitit, & lacrymans, quis iam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus: SVNT HÌC ETIAM SVA PRÆMIA LAVDI,
SVNT LACRYMÆ RERVM: & mentem mortalia tangunt.
Solue metus: feret hæc aliquam tibi fama salutem.
Sic ait: atq; animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoq; humectat flumine vultum.

REGINAM OPPERIENS) Quia fortè audierat, B vel certè putabat venturam, quum tam ingens templū conderetur, vt regina non posset non illud sæpe visere. Corrad.

BELLAQVE IAM TOT F. VVLG. PER ORBEM) Quia Europa intulit, Asia passa est, Africa pinxit. Seruius.

ATRIDAS, PRIAMVMQVE) Seneca epistola 105. se legisse hoc loco Atriden, non Atridas ostendit. Et sic legendum tum locutio, tum res ipsa docet. Nam si tres, Agamemnonem, Priamum, & Menelaum proponat, quo pacto postea dicit, & sæuum ambobus Achillem? Nec Achilles Menelao sæuus fuit, sed Agamemnoni, quem confodere voluit 1. Iliad. Quàm verò Priamo sæ- C uus fuerit, occiso eius filio Hectore, notum est. Corrad.

Troianorum temporibus picturam non fuisse, litteris proditum est à Plinio libr. 35. cap. 3. Hoc si ita est, poetæ peccatum est. An vero ex illis, non quæ per se sunt, sed quæ κατὰ συμβεβηκός, id est, secundum accidens, de quibus Arist. in poeticis meminit, an secundum neutrum, viderint alij. Ego tantum dicam quod sentio. Si auctoritati innitendum, non minorem esse Maronis, quàm Plinij. Sin autem Plinius vera scripserit, id πλάσσεσθαι à poeta factum fuisse, vt pictores templum Iunonis figuris ornarent, cum pictura adhuc in vsu non esset. Non enim tam exiguo temporis interuallo à Troia capta ad Carthaginis ædificationem pictura eo excel- D lentiæ peruenisse poterat, vt hominibus admirationem afferret. Nascimb.

Æneas picturam belli Troiani in pariete Carthagine fixo obtutu contemplans, indeq; ingemiscens, & collacrymans, quoddam memoria, & celebratione dignum Iulij Cæsaris facinus mihi in mentem reuocat, quod quidem ex intuitu cuiusdam picturæ natum est. Postquam enim ei Quæstori vlterior Hispania obuenit, Prætoris mandatu conuentus iure dicundo circumiens, visa Gadibus apud Herculis ædem Alexandri M. imagine, ingemuit, & quasi pertæsus socordiam, ignauiamq; suam, quod, qua ætate Alexander orbem domuisset, ipse nihil adhuc egregium gessisset, continuò missionem ad captandas maiorum rerum occasiones efflagitauit. Ita Sueton. cap. 7. Hinc scitissimum epigramma M. Ant. Casanouæ.

Spectat Alexandri picta vt certamina Cæsar,
Ast ego nondum aliquid gessi, ait illacrymans.
Quid si & Alexander spectasset Cæsaris acta?
Dixisset: Persas vincere pigritia est.

CONSTITIT, ET LACRIMANS) Paulò pòst iterum, *Multa gemens, largoq; humectat flumine vultum.* Et libr. 5. *Et consanguineo lacrymans commendat Acestæ.* Et lib. 6. *Sic fatur lacrymans, classiq; immittit habenas.* Ibid. *Demisit lacrymas longè.* Lib. 9. de Alethe, quem annis, & grauem animi maturū antea vocârat. *Sic memorans humeros, dextrasq; tenebat Amborū, & vultum lacrymis atq; ora rigabat.* De omnibus Troianorū primoribus simul, qui de salute expedienda consultabant, vbi animum Euryali generosissimum, & ad quæque pro suis ciuibus pericula adeunda promptissimum viderant, *perculsa mente dederunt Dardanidæ lacrymas.* De Iulo infrà, *Sic ait illacrymans, humero simul exuit ensem.* De Ænea rursum lib. 11. *Sic ait illacrimans,* Pallantis funeri videlicet, quem ibidem vt fortiter mortuum laudat. Testimoniorū locorumúe ex vno Marone plus satis, opinor, comportauimus mediocri quadam diligentia. Vides ne, lector, heroibus, ac viris fortibus

tus, &c. De Rheso defleto à Thracibus Tryphiod. ini- A tio poematis de euerso Ilio.

Et regis Thraces vlulabant funera Rhesi,
Lethalis somnus quem captum in nocte dolosa
Perdidit, ac sano mactandum prabuit hosti.

Sed cur solius Diomedis meminit Virgilius? quoniam ipse in cæde solus versabatur, cæsos autem Vlysses pedibus abstrahebat, vt ad ipsum regem peruenire possent. ✱

NIVEIS TENTORIA VELIS) Vegetius, Tertull. Plin. & alij, papiliones vocant, à similitudine volatilis, cui istuc nominis. Fiebant è velis tensis. Quædam è tabulis consertis mutatilia, quæ Cæsar & alij tabernacula vocant, à similitudine tabernarum, quæ ipsæ, quod B ex tabulis olim fierent, sic dictæ. Fuerunt & alia tentoria scortea, quæ Iureconsulti, Cicero, & alij pelles nominant. Inde apud historicos, sub pellibus esse, sub pellibus hybernare. Plura Steuechus ad cap. 3. lib. 1. Vegetij. Sed enucleatissimè, vt solet, & plenissimè, de tentorijs agit Lipsius de Milit. Rom. lib. 5. dial. 5.

ARDENTESQVE AVERTIT EQVOS) Homerus, apud quem fabula Rhesi est Iliad. κ. de his equis. λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. Catull. *Non Rhesi niueis, citisq; bigis.* Sed Virgilius vtrumq;, id est, colorem, & celeritatem complexus est, cum eos ardentes vocauit. Ex Mureto in Catull. * *Verbũ auertere sæpius eandem habet vim, quam subducere, abducere, compilare, furari, &c.* C *Cic. in Philipp. auertere legiones ab aliquo, pro abducere. In Verrem Is auersa pecunia aufugit. Ibid. frumentum auersum à repub., abreptum ab aratoribus. Et in epist. Ne patiare Erotem hæreditatem Turianam auertere.*

PRIVSQVAM PAB. GVST. TROIÆ) Si enim prius, quã auerterentur, pabula gustassent Troiæ, Xanthumque bibissent, rex ipse Rhesus secundùm oraculum acceptum interfici non potuisset, vt scribit interpres Homeri lib. 10. nec dissentit Eustathius.

FVGIENS AMISSIS TROILVS ARMIS) Horat. de Troilo Ode 9. lib. 2.

——— nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiæ sorores
Fleuere semper.

Cic. 1. Tuscul. Quanquam non malè ait Callimachus, multo sæpius lacrymasse Priamum, quam Troilum.) Quæ de Troili morte traduntur ab auctoribus, non vsquequaq; videntur inter se consentire. Quidam enim, vt hic Virgilius, & Calaber, ni fallor, cum Achille congressum in prælio Troilum narrant, & cum viribus esset inferior, peremptum fuisse. Alij, vt Lycophron, & Theocritus, quia ab eodẽ Achille turpissimè perpeti nollet, in tẽplo Apollinis ab eo occisum: quam opinionẽ Tzezes in enarratione Lycophronis refutat, ostendens non fuisse tum eiusmodi Troilum, vt ab Achille flagitiosè amari potuerit: eius verba recitat Canterus lib. 2. cap. 9.

Ex Polybio constat, arma amisisse capitale fuisse militi, cum duplici restrictione, si in acie, si per metum. Signiferis quoq;, si signa. Græcis μιψάσπιδες prouerbio infames sunt: & apud Germanos, ait Tacitus, scutum reliquisse, præcipuum flagitium. Pluribus ista Lipsius de Militia Rom. lib. 5. Dial. 18. qui est de pœnis militarib⁹.

CVRRV INANI) Cum dominus esset occisus, quamuis pedibus hæreret.

PVLVIS INSCRIBITVR HASTA) Vocem *inscribitur*, Seruius exponit, laceratur. Quis vnquam audiuit, puluerem lacerari? sed scribere fuit, quod scalpere, vel sulcare. Ferreo namq; stylo ceratas tabulas, elementorum notis sulcabant. Hoc patet in Nubibus Aristophanis. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16. Hasta autem ipsius Troili, non hostis. Troili epithaphiũ ex Ausonio subiecimus.

Hectore prostrato, nec dijs, nec viribus æquis
Congressus perij Troilus Æacidæ.
Raptatus bigis, fratris coniungar honori:
Cuius ob exemplum nec mihi pœna grauis.

Interea ad templum non æquæ Pallidis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumq; ferebant,
Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis.
Diua solo fixos oculos auersa tenebat.
Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros,
Exanimumq; auro corpus vendebat Achilles.
Tum verò ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Vt spolia, vt currus, vtq; ipsum corpus amici,
Tendentemq; manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permistum agnouit Achiuis,
Eoasq; acies, & nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, medijsq; in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetq; viris concurrere virgo.

INTEREA AD TEMPLVM) Ex Homero Iliad. 9. Prorsum cognatus huic loco, eiusdemq; tanquam germanus apparet ille lib. 11., vbi Amata regina, comitibus D matronis, Palladi aduersus Æneam supplicat, vrbi ingruentem, & exitium apportantem.

Nec non ad templum, summasq; ad Palladis arces
Subuehitur, magna matrum regina caterua,
Dona ferens: iuxtaq; comes Lauinia virgo,
Caussa mali tanti, atque oculos demissa decoros.
Succedunt matres, & templum thure vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces, &c.

Locum vtrumq; lib. 10. Thebaid. adumbrauit Statius hisce versibus.

At procul Argolici supplex in limine templi
Cœtus, & ad patrios fusa Pelopëides aras,
Sceptriferæ Iunonis opem, reditumq; suorum

Exposcunt, pictaq; ferunt, & frigida vultu
Saxa terunt, paruosq; docent procumbere natos.
Consideránt iam vota diem: nox addita curas
Iungit, & aggestis vigilant altaria flammis.
Peplum etiam dono, cuius mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito
Versarat calathis, casta velamina diuæ
Haud spernenda ferunt.

Sallust. in Catilinar. coniurat. de fœminis Romanis, instante à cõiuratis totius vrbis pernicie. Adhęc mulieres, quibus pro reipub. magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese: manus supplices ad cælũ tendere: miserari paruos liberos: rogitare: omnia pauere: superbia atq; delicijs omissis, sibi, patriæq; diffidere.

CRINIB. ILIAD. PASSIS) Ab eo quod est pando, passum veteres dixerunt, non pansum, & cum præpositione expassum, non expansum. Cælius.

Heri verò prospexisse eum se ex tegulis
Hac nuntiasse, & flameum expassum domi.

Capillo quoq; esse mulier passo dicitur, quasi proiecto, & expanso. Et passis manibus, & velis passis dicimus, quod significat diductis, atque distentis. Itaq; Plaut. in Milite, à, littera, in e, mutata, per compositi vocabuli morem dispessis dicit, pro eo quod est, dispassis.

Credo ego istoc exemplo tibi esse eundum extra
Portam, dispessis manibus, patibulum cum habebis.

Gellius lib. 15. cap. 15. Mulieres solutis, passis, demissis capillis, solitas dijs supplicare, ex poetis demonstrat Brissonius Formular. lib. 1. pag. 41.

PEPLVMQVE FEREB.) Magnis in periculis deos precantes, & obsecrantes, eorumq; fidem implorantes etiam vestibus ornabant, illo cultu fauorem numinis emere se credentes. Hoc ex interprete Æschyli confirmat Turneb. lib. 14. cap. 15. græcè sic est παρετίθεσαν γὰρ καὶ πέπλους, καὶ ἐνέδυον καὶ πέπλους τὰ ἀγάλματα. Peplum igitur mulieres Troianæ ferunt, vt ea veste Mineruæ simulacrum induant, & deam propitiam habeant. Peplus aut peplum, est vestis muliebris candida. Erat & distincta clauis aureis, & ad extremos vsq; talos defluens, quæ simulacris diuorum, & primùm quidem ab Atheniensibus Mineruæ Panathenęis offerebatur. Hinc matronę Troianæ ab Homero τανύπεπλοι. Montfortius. Multa de peplo Titaquell. in Leq. connub. 4. num. 27. in voce Peplus. Mittit nos insuper ad Pollucem lib. 7. cap. 13. & Rhodigin. lib. 14. cap. 18.

FIX. OCVL. AVERSA TEN.) Ne intelligas, simulacrũ Palladis sese vertisse: nihil enim vult aliud *auersa*, quam aspernans, renuens, indignans preces illas matronarum. Horat. Ode 10. Epod.

Et illa non virilis eiulatio,
Preces & auersum ad Iouem.

TER CIRCVM ILIACOS RAPT.) Hoc sciebat Æneas, & propterea facilè intellexit, quod pingi non potuit: quod tamen poeta voluit exprimere, quum dixit *raptauerat*, non, *raptabat*, vt dixit, *ferebant, vendebat*. Cortad. Singula huius carminis verba, *Ter circum*, &c. singulos habent tum misericordiæ, tum etiam indignationis affectus. Nam vir mortuus raptatur, non vehitur: nec semel tantum, sed ter: & circum muros patrios raptatur. Hæc commiseratio, ab adiunctis, seu circumstantijs nominatur. Si verò Achillis crudelitatem spectes, indignatio est. Nascimb.

Mentio tractus & venditionis huius fit apud Homerum Iliad. 24. & 22. vbi perfossis pedibus ad Achillis currum alligatum, inspectantibus de muro Priamo, & Hecuba ad naues trahitur Hectoris cadauer, alibi ter circum Patrocli bustum. De eodem tractu Cic. 1.

A Tuscul. Sed plena errorum sunt omnia. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles: lacerari eum, credo, & sentire putat. Ergo hic vlciscitur, vt quidem sibi videtur: at illa (vel Hecuba, vel Andromacha) sicut acerbissimam rem mœret.

Vidi, videre quod me passa ægerrimè,
Hectorem curru quadrijugo raptarier.

Quem Hectorem? aut quandiu ille erit Hector? melius Attius, & aliquando sapiens Achilles. *Immo enimuero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli*, Quædam ex Dictys lib. 3. superaddamus. Ipse cum cæde inimicissimi, tum memoria doloris ferox, spoliatum armis hostem, mox constrictis in vnum pedibus, vinculo currui

B postremo adnectit. Dein vbi ascendit ipse, Automedonti imperat, daret lora equis. Ita concito curru per campum, quà maximè videri poterat, peruolat, hostem mirandũ in modum circumtrahens. Genus pœnæ nouum, miserandumq;. Visis spolijs Hectoris desuper è muro, intellectaq; cæde, tantus lamentantium clamor tota ciuitate exortus est, vti aues superuolantes consternatæ deciderent (si credere dignũ est) Gręcis cõtrà, præ lætitia exclamantib⁹. In Culice, vbi culex narrare introducitur, quæ, & quos heroas conspexerit apud inferos.

Hic erat Æacides vultus elatus honore
Alter, Dardanio fusis quod sanguine campis
Hectoreo victor lustrauit corpore Troiam.

C Item huius tractus, simulq; venditi corporis exanimi, & luctus consanguineorum ob interfectum hunc vnicum patriæ seruatorem, præclarè itẽ meminit Pentadius in epitaphio Hectoris elegantissimo iuxta ac mœstissimo, cuius posteriores versus apponimus.

Hunc ferus Æacides circum sua mœnia traxit,
Quæ iuuenis manibus texerat ante suis.
Heu quantos Priamo lux attulit illa dolores,
Quos fletus Hecuba, quos dedit Andromacha?
Sed raptum pater infelix, auroq; repensum
Condidit, & mœrens hac tumulauit humo.

Alexander M. Batin Præfectum Gazæ, quod captus, supplex sibi esse detrectasset, simili pœna multauit. Per

D talos enim spirantis lora traiecta sunt, religatumq; ad currum traxere equi, gloriante rege, Achillem, à quo genus ipse duceret, imitatum se esse supplicio de hoste capiendo. Curtius lib. 4. Longe humanius se in Darium hostem iam mortuũ gessit. Nam vt scriptũ offendi apud Plutarchum lib. poster. de Fortuna Alexandri, quo loco eum præstantissimis belli ducibus comparat, & singulis anteponit, animi magnitudine vel magnũ Achillem vicit: quippe ille parua pecunia Hectorẽ defunctum vendidit: hic vero grandi ære Darium funerauit.

VT SPOLIA) Quæ Hectori ablata, Greci iussu Achillis circũtulerunt, vt ea Troiani videre possent. Dictys l. 3.

VT CVRRVS) Currum Achillis intellige, non Hectoris, vt perperam Cortrad. quem iurè Modicius re-

E prehendit. Pictura quippe ostendebat Hectorẽ raptatum: quem Achilles currui suo alligauerat. Hector cum fugeret, cum interficeretur, curru suo vsus non fuerat.

TENDENTEMQ. MANVS PRIAM.) Quomodo Priamus, vt Hectoris sui corpus ad sepulturam ab Achille mercaretur, duce Mercurio in eius tentorium venerit, ab eodemq; humaniter habitus, & cœna exceptus sit, habes apud Homer. lib. 24. Iliad. Quem locum inserit Seneca in cap. 33. lib. 2. de Ira, cum docet, sæpe adeo nõ expedire iniuriam vlcisci, vt ne fateri quidem expediat. Exemplum affert Pastoris Equitis Romani apud C. Cæsarem. Deinde ista subnectit. Quid ille Priamus? non dissimulauit iram, & Achillis genua cõplexus est? Funestam, perfusamq; filij cruore manũ ad os suum retulit, & cœna-

& cœnauit: sed tamen sine vnguento, sine coronis: & A illum hostis sæuissimus multis solatijs, vt cibum caperet, hortatus est, non vt pocula ingentia, super caput posito custode, siccaret. Totam historiam accuratè etiã ponit Dictys lib. 3. Quid factũ relato à Priamo in vrbem Hectoris cadauere, & de eius sepultura idem lib. 4. ✠

SE QVOQVE PRIN. PERMIST. ACH.) Fortem, & strenuum, manuq; promptum virum Æneam significat, qui non staret post principia, vt Thraso ille Terentianus: sed qui ita acriter, & audacter pugnaret, vt non aduersarijs tantum se obijceret, sed in eorum etiam ordinibus, in media eorũ acie versaretur. Quod & Homericum est. Nam de Diomede. Iliad. 5. sic scribitur.

Τυδεΐδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη,
Ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι, ἦ μετ' Ἀχαιοῖς.
Tydidem haud noris quorum nam in partibus esset,
An socius Graiis, an miles in agmine Troum.

Turneb. lib. 18. cap. 32. & Nannius lib. 7. cap. 6. Non igitur alia mente dictum videtur, quam illud quoque lib. 2. *Vadimus immixti Danais haud numine nostro.* Nam quod de insinuata proditione fabulatur Seruius, nimis premeret Æneam, quem poeta vbiq; *ἀμύμονα* inducit. Vide German.

ET NIGRI MEM. ARMA) Rex Assyriorũ Teuthamus, à Nino vicesimus, per legatos rogatus à Priamo, auxilia misit 20. millia, partim Æthiopes, partim Susianos. Ducem præfecit Memnonem Tithoni filium. C Tithonus autem præfectus Persarum erat. Hæc Diodorus lib. 2. cap. 6. Poetæ Tithoni (qui fuit frater Laomedontis) & Auroræ filium hunc Memnonem dictitant. Quem quidem ab Achille cæsum vti mater luxerit, memorat. lib. 13. Metamorph. Ouid.

Non vacat Auroræ, quamquã iisdem fauerat armis,
Cladibus, & casu Troiaq;, Hecubaq; moueri.
Cura deam propior, luctusq; domesticus angit,
Memnonis amissi: Phrygijs quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuspide mater.
Vidit, & ille color, quo matutina rubescunt
Tempora, palluerat: latuitq; in nubibus æther.

Seneca item Troadibus.

—— cuius ob luctum parens
Pallente mœstum protulit vultu diem,
Suiq; victor operis exemplum horruit,
Didicitq; Achilles & dea natos mori.

Ex huius cineribus quo pacto progeneratæ sint aues, quæ appellantur Memnonides, Ioue scilicet Auroræ precibus annuente, ibidem inuenies, & apud Plin. lib. 10. cap. 26. Designatè dictum est, *nigri Memnonis arma.* Nam vt ait Dictys, neq; in eadem arte simplex, atque idẽ modus, sed vt quemq; regionis suæ mos assuefecerat, ita telis in alium modum formatis, scutorum etiam, & galearum multiformis species, horrendam belli faciem præbuerunt. Lege quæ sequuntur de eius prælijs, E & morte lib. 4. Etiam huic Vulcanum ab Aurora rogatum fabricasse arma traditur 8. Æneid. ✠

DVCIT AMAZONID. LVN. AG. PELT. PENTHES.) De origine, & facinoribus Amazonum multa Diodorus lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 4. Herodotus lib. 4. Iustin. lib. 2. Orosius lib. 1. cap. 15. Pausan. lib. 1. Hæ solæ ex omnibus fœminis nulla vnquam clade potuerunt deterreri, quin nouam semper aleam subirent: nam & Themiscyra capta, & copijs quas contra Athenienses miserant deletis, ad Troiam cum Atheniensibus ipsis, & vniuersis Græcis pugnarunt. Rationem nominis hanc tradunt, quod infantium puellarum (nam masculos necabant) dextras mammas inurerent, ne sagittarum iactus, seu commoditas hastæ gerendæ impediretur. Ideo Titinnius poeta priscus vnimammas vocauit. Diodorus ita scribit. Amazones *τῶν θηλυτέρων τὸν δεξιὸν μαζὸν ἐπικαίειν, ἵνα μὴ κατὰ τὰς μάχας τῶν σωμάτων ἐπαιρόμενος ἐνοχλῇ. ἀφ' ἧς αἰτίας συμβῆναι τὸ ἔθνος τῶν ἀμαζόνων ταύτης τυχεῖν τῆς προσηγορίας.* Hoc est, virginibus dexteram mammam inurere, ne in prælijs tumore suo corporis agilitatem impediat: eaque de causa factum, vt Amazonum gens hoc nomen inuenerit. * *Quia verò securibus vtebantur in pugna, ideo Ouidius in epistola Phædræ securigeras puellas vocauit. Vide amplius de Amazonibus lib. 11. ibi* Quales Threiciæ cùm flumina Thermodoontis. *Digna item cognitu, quæ Æneas Syluius in historia Boëmorum cap. 7. de illius gentis Amazonibus, præsertimq; de earundem tanquam Penthe-* B *silea, & regina, Valasca litteris commendauit.*

LVNATIS PELTIS) Quid inter parmam, clypeum, scutum, peltam, ancile, discriminis, disputat Aldus Manutius Pauli F. de rebus per epistolam quæsitis lib. 1. cap. 6. Lunam semiplenam pelta referebat. Et Suidas, *πέλτην ἀσπὶς ἴτυν μὴ ἔχουσα*, clypeus rotunditatẽ non habens. Describit peltam Pierius à se Romæ in marmore visam, lib. 42. in Scuto. Eo scuti genere, vt ex Virgilio, Plinio, Nonio perspicuum fit, Amazones vtebantur. Item Macedones, vt Liuij, Plutarchi, Æliani testimonio patet. De materia sequimur Seruium, qui ait loreum scutum fuisse. Ælianus etsi materiam non nominat, leue tamen scutum, exiguumq; vocat.

PENTHESILEA FVRENS) De Penthesilea hæc habeo quæ dicam. Dictys lib. 3. Penthesilea regina Amazonum, incertum pretio, an bellandi cupidine auxiliatum Priamo aduentauerat. Gens bellatrix, & ob id à finitimis indomita, specie armorum inclyta per mortales. De eius pugna cum Græcis, & morte lib. 4. Dares. A Neptolemo obtruncatam refert. Penthesilea, inquit Iustinus lib. 2. regno potita est, cuius Troiano bello inter fortissimos viros, cum auxilium aduersum Græcos ferret, magnæ virtutis documenta extitere. Idem. Orosius lib. 1. cap. 15. Venit autem suppetias post cædem Hectoris, ingentique numero Græcorum perempto, tandem ipsa quoq; fortissimè dimicans ab Achille interfecta fuit. Auctor Dictys, & Diodorus lib. 2. Accipe D & versus Tryphiodori super ea, vt quidem Xylander latinos fecit.

Tunc & Amazonides à Thermodoonte feroci
Innuptæ, teneræ quæ propter prælia mamma
Fœcundam exurunt toto tenus orbe papillam,
Plangebant armis præclaram Penthesileam,
In varios veniens quæ cœtus Martis anhelis,
Fœminea multos dextra dare terga coëgit
Ipsas ad naues, nubem repulitq; virorum,
Solus & Æacides congressum illius Achilles
Sustinuit, valida & traiectam cominus hasta
Ad manes misit, cum vitaq; exuit armis.

EXERTÆ CINGVLA MAMMÆ) Exertæ Seruius intelligit nudatæ: nudatam autem vult esse exustam. Supra ex Diodoro cognouimus, dextram adurere solitas: nudassent ergo dextram secundum Seruium. Contrà, hanc, seu locum potius huius tectum habuisse, sinistram autem integram seruasse, & eam exeruisse, perspici potest ex verbis Q. Curtij lib. 6. Agens ille de congressu Thalæstris reginæ Amazonum cum Alexandro, Vestis, inquit, non toti Amazonum corpori obducitur, nam læua pars ad pectus est nuda, cætera inde celantur: nec tamen sinus vestis, quem nodo colligunt, infra genua descendit. Altera papilla intacta seruatur, qua muliebris sexus liberos alunt: aduritur dextra, vt arcus facilius intendant, & tela vibrent. Quæ extrema, eadem sunt cum superioribus. ✠

Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum ſtupet, obtutuq; hæret defixus in vno:
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Inceſſit, magna iuuenum ſtipante caterua.
Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros: quam mille ſecutæ
Hinc atq; hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradiensq; deas ſupereminet omnes.
Latonæ TACITVM PERTENTANT GAVDIA PECTVS.
Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat
Per medios, instans operi, regniſq; futuris.
Tum foribus Diuæ, media teſtudine templi
Septa armis, ſolioq; altè ſubnixa, reſedit.
Iura dabat, legeſq; viris, operumq; laborem
Partibus æquabat iuſtis, aut ſorte trahebat:
Cum ſubitò Æneas concurſu accedere magno
Anthea, Sergeſtumq; videt, fortemq; Cloanthum,
Teucrorumq; alios: ater quos æquore turbo
Diſpulerat, penituſq; alias aduexerat oras.
Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul perculſus Achates:
Lætitiaq;, metuq; auidi coniungere dextras
Ardebant: SED RES ANIMOS INCOGNITA TVRBAT.
Diſſimulant, & nube caua ſpeculantur amicti,
Quæ fortuna viris, claſſem quo littore linquant.
Quid veniant. cunctis nam lecti nauibus ibant
Orantes veniam, & templum clamore petebant.
Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido ſic pectore cœpit.

HÆC DVM) Hæc quæ ſunt dicta, non omnia quæ erant picta, ne & Æneas nimis otioſus fingeretur, qui omnia conſideraret, cum aliud acturus veniſſet, & poeta nimis lõgus videretur, ſi omnia referret. Corrad.

OBTVTV DEFIX. IN VNO) ſolo, ita vt nihil tunc aliud intuerentur.

REGINA AD TEMPLVM) Venus ſupra, Æneam condocefaciens de locis, & hominibus, ad quos eũ venti proiecerant. *Imperium Dydo Tyria regit vrbe profecta*, inquit. Et ipſo in æde aduentum eius præſtolante, operaq; artificum, & imaginem belli Troiani cum ſtupore contemplante, regina eadem cum ſatellitio accedit, alto in ſolio reſidet, quæqúe regum partes ſunt, iura, & leges ſancit. Didonem ergo reginam Maro, & hiſtorici faciunt. Quo loco nec inelegans, & grauis poteſt exiſtere diſputatio, Ecquid fœmina principatum vtiliter adminiſtret. Adducam argumenta in vtramq; partem, ſi quis fortè oratoriæ ſtudioſus, declamationem volet conſcribere, & hæc noſtra paucula, exemplorum, inuentorumque ſuorum acceſſione cumulare. Vt autem nóris, cur declamationis meminerim, Caluum & Titianum magiſtros olim rhetoricos Seruius memorat, diſcipulis exercendis, è P. Virgilij Æneide, ac præſertim è lib. 6. declamationum controuerſias deligere pro ſolemni habuiſſe. Themata, inquam, Virgiliana, eorum ſimilia, quæ in forenſi deliberationum, iudiciorumq; diſceptatione verſarentur, illis proponebant: locorum artis in quamq; cauſſam conuenientium admonebant: multa, quæ ad inuentionem, collocationem, elocutionem requirerentur, eorum ſollertiæ ac induſtriæ relinquebant. Ad quem ferè modum adoleſcentem ſe in ſcholis declamitare coactum D. Auguſtinus in Confeſſion. prædicat: vt facilè cognoſcamus, per Africana quoque Gymnaſia, hoc moris fuiſſe celebratum.

Pro parte igitur inficiante ſic rationes concludemus. I. Cùm mores animi ſequantur temperamentum corporis, fœminaq; ſit imperfectiore corpore, probabile euadit, animo quoq; imperfectiorem eſſe: qui quam diu corpus incolit, eius inſtrumentis ad functiones ſuas explendas vtitur. II. Secundùm naturam eſſe omnes confitebuntur, vt, quod minus perfectum eſt, à perfectiore gubernetur, illiq; ſubſit. Atqui omnis fæmina viro eſt imperfectior. Ergo illi parere debet, non præcipere. III. Negotium abſurdiſſimum videtur, fœminas condere leges, viris quæ agenda ſint edicere, bella procurare, bonos, fortes, ac ſapientes docere. Quod cùm ita ſit, etiam perabſurdum ſtatuatur neceſſe eſt, fœminas in viros imperium moliri. IV. In politicis Ariſtoteles clariſſimis verbis id prohibet: ait enim marem imperare, fœminam, obtemperare oportere. Marem meliorem eſſe natura quàm fœminam. Marem, niſi à natura diſceſſerit, imperio eſſe aptiorem fœmina. Adde, quod deus mulieri dixit, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Quibus verbis ſexum hunc imbecillum, & deteriorem præſtantiori ſubiectum eſſe voluit. Non igitur æquum videtur, à fœminis tractari imperia. Pro parte affirmante hæc dici poſſunt. I. Fæmina perinde atque vir ſecundùm naturam conſilio, virtute, prudentia valere poteſt. Qui his valent, eos natura dominos conſtituit. II. Leges, inſtituta, exempla maiorum hoc fieri poſſe coarguunt: nempe vt mulier hiſce ornamentis prædita, atque ideo digna ſit, quæ rempub. moderetur. III. Corporis mollities aut imperfectio humoris fœminam non plus, quam ſenem, aut infirmæ valetudinis hominem mercede virtutis, id eſt, honore, debet pri-

bet priuare. IV. Testimonio sacrarum litterarum imperia muliebria comprobantur. Est enim in lib. Iudicum de Delbora, quæ ius dixit Hebræis. V. Postremò legimus gentes nonnullas, apud quas mulieres de summa repub. consulerentur, & iudiciis præessent, vt Semiramis, Nitocris apud Assyrios, Zenobia apud Palmyræos. Claudian. lib. 1. in Eutrop.

------ Medis, leuibusq́; Sabæis
Imperat hic sexus, reginarumq́; sub armis
Barbariæ pars magna iacet.

Patet etiam ex Cæsare, Tacito & aliis scriptoribus, cùm plurima, tum maxima Germanos olim de sententiâ mulierum gessisse.

FORMA PVLCHERRIMA DIDO) Decoram speciem, & conformationem quandam oris atque corporis totius in regibus etiam quæri, & ad subiectorum conciliandos animos valere plurimum, constat satis inter eruditos. Curtius lib. 6. Plurimis gentibus in corporum maiestate veneratio est, magnorumq́; operum nõ alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. Quod ipsum cum minime ignoraret poeta prudentissimus, pari modo reginæ formam excellentem tribuendam existimauit. *Forma pulcherrima* inquit. Doctrinam salutarem Philonis lib. 2. Allegoriar. legis, à me animaduersam, quid nimirum faciendum sit nobis, cùm in formosæ mulieris alicuius aspectũ inciderimus; quomodo item in ijs, quæ reliquis obijciuntur sensibus, nos ex officio gerere debeamus, visum est hic potissimùm ijs proponere, quorum affectus vel ætatis maturitate, vel disciplinæ seueritate nondum deferbuerũt: sed adhuc exultant, & frænis parere pro supplicio habent. *Si pulchritudine conspectâ captus, periclitaris ne offendas ad eam, fuge clam ab eius imaginatione, nihil amplius menti renuncians; hoc est, caue mediteris eam, & cogitatione repetas. Nam continuæ reminiscentiæ veras formas imprimendo, lædunt mentem, & inuitam concitant. Atque eadem ratio sensuum omnium, quicunq; nos attrahunt ad aliquid. In his enim clancularia fuga saluti esse solet: cunctatio verò, renunciatio, dilatioq́; superat rationem, & in seruitutem redigit. Quapropter caue anime, ne vnquam rem sensibilem, a qua periculum imminet, tibi ipsi renuntiet, néue retractes eam, ne forte succumbens ei, reddaris infelicissimus: fuge potius, manumittens te ipse, libertatem ferocem seruituti mansuetæ præferens.* Addamus Clem. Alexand. ex Pædag. lib. 3. c. 11. dictum insigne, & mandandum memoriæ. *Videtur super omnia auersandus mulierum aspectus: nõ solum si tangantur, sed etiam si spectentur, peccari potest. Etsi enim* D *fieri potest, vt, qui viderit, se fortiter gerat, veruntamen ne cadat cauendum est. Fieri enim potest, vt qui viderit labatur: sed fieri nõ potest, vt qui non viderit, concupiscat.* Sed dicas forsitan: quàm durus hic sermo? & quis potest audire eum? Audi ergo mollius quiddam prolatum à D. Chrysostomo, Homil. 15. ad populum Antiochenum: *Laqueus maximus mulieris forma: imò non mulieris forma, sed lasciuus aspectus. Non enim res calumniemur, sed nos, & nostrum torporem. Neque dicamus: ne sint mulieres: sed, ne sint adulteria,* &c. Etiam P. Syri verbum est, *Nil peccant oculi, si animus oculis imperet.* Ignoscent mihi cordati lectores, vti confido, si interdũ ad mores honestos, Christianæq́; philosophiæ consentaneos, vel meo Marte, vel ex probatorum scriptorum libris docendos excurram.

MAGNA IVVENVM STIP. CATERVA) Libro 4. *Tandem progreditur magna stipante caterua.* Nimirum vt regina, vt populi sui Princeps, & domina. Cum magistratus omnes, tum reges præsertim satellitibus, & stipatoribus cingi debent partim honoris, partim securitatis caussa. Valebunt huc etiam, quæ lib. 4. in eadem poetæ verba de comitatu Principum attulimus.

A QVALIS IN EVROTÆ RIP. &c.) Priore loco dicemus de hisce versibus, quatenus ad ipsam Dianam pertinent, & de ea sine comparatione sumi possunt: postea cõparationem eius cum Didone perpendemus: Ergò cum Virgilius Homeri lineamentis tabellam saltantis Dianæ, choreasq; ducentis expingit, Momus querat, quid ita visum sit vtriq; poetæ, potius eam in ripis Eurotæ tripudiantem statuere, quàm alicuius alterius fluminis. Nam de iugis Cynthi, ꝓpter natalem Delon, nihil habuerit Momus, aut Zoilus quod carpat. Vt igitur à calumnia vtrumq; poetam liberemus, hoc existimo ab eis consilio scriptum esse, quod Taygetus mons Eurotæ imminens, esset Dianæ sacer: vt verisimile sit, B eam in loco sibi dicato, sacroq;, & grato, in numerum cum Nymphis saltare libenter solere, non propter aquæ riuum, sed fluuium potius amœnum. Callimachus hymno in Dianam his verbis ei charissimum esse dicit Taygetum. Νῆσον μὲν Δολίχην, πολλῶν δέ τοι εὔαδε Πέργη, Τηΰγετος δ' ὀρέων. Equidem credo etiam non defuturos qui mirentur, quid ita deam illam puerperiorum, venationumq́; præsidem, tripudiatricem, saltatricemq́; inducant: sed mirari desinent, vbi intellexerint, ita animis hominum religionem illam sectantium insitum fuisse, vt eam semper in montibus, nisi venaretur, saltare existimarent. Argumento est prouerbium, πῦ τ' Ἄρτεμις οὐκ ἐχόρευσε; quando Diana non saltauit? & quòd, vt poeta idem Callimachus canit, saltatriculas comites à Ioue C poposcerit sexaginta Nymphas. Δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορίτιδας ὠκεανίνας. Sed & Oreades eam sequuntur, glomeranturq;, cum choros exercet, quia montes omnes in potestate Dianæ sunt: & omnes Nymphæ montium, eius familiares, & propè contubernales habebantur. Nam apud Callimachũ sibi poscit à Ioue montes omnes donari. Δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα. Hæc Turneb. lib. 6. cap. 2. Nunc ad alterum promissi caput.

Nihil tam improspere ex Homero conuertisse Virgilium, iudicauit Valerius Probus, vt refert Gell. lib. 9. cap. 9. quam hos versus Homeri de Nausicaa. Odyss. 6.

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα,
Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον,
Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι,
Τῇ δέ θ' ἅμα Νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο
Ἀγρονόμοι παίζουσι· γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.
Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεθ', καλαὶ δέ τε πᾶσαι·
Ὣς ἥγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἀδμής.
Qualis per montes incedit læta sagittis
Diana, aërium per Taygetum, aut Erymanthum,
Et rapidis ceruis, & apris se oblectat agendis.
Illi colludunt Joue natæ agrestia Nymphæ
Numina. Latonæ pertentant gaudia pectus.
Vertice at illa sacro cunctas supereminet, inter-
Nosci perfacilis, decus egregium omnibus vt sit.
Sic intacta suas anteibat virgo puellas.

Primùm omniũ diuersum esse dicebat Probus, quod apud Homerũ quidē virgo Nausicaa, ludibunda inter familiares puellas, in locis solis, rectè atq; commodè E confertur cum Diana venante in iugis montium, inter agrestes deas. Nequaquã autem conueniens Virgilium fecisse, quoniam Dido in vrbe media ingrediens, inter Tyrios principes, cultu atq; incessu serio, instans operi (sicut ipse ait) regnisq; futuris, nihil eius similitudinis capere possit, quæ lusibus atq; venatib⁹ Dianæ congruat. Tum postea quòd Homer. studia atq; oblectamẽta in venando Dianæ, honestè apteq; dixit: Virgilius autẽ cùm de venatu deæ nihil dixisset, pharetram tamẽ facit eam ferre humero, tanq̃ onus & sarcinam. Atq; illud impensè

Probus demirabatur, quod Homerica quidem Λητὼ gaudium gaudeat genuinum, & intimum, atque in ipso penetrali cordis, & animi vigens. Siquidem non aliud est, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ. Ipse autem imitari hoc volens, gaudia fecerit pigra, & leuia, & cunctantia, & quasi in summo pectore natantia. Nescire enim sese, quid significaret aliud, *pertentant*. Præter ista omnia, florem ipsius totius loci Virgilium videri omisisse, quod hunc Homeri versum exiguè secutus sit. Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι. quando nulla maior, cumulatiorque pulchritudinis laus dici potuerit, quàm quòd vna inter omnes pulchras excelleret, vna facile ex omnibus nosceretur. Hæc Gellius. Adde ex Vrsino, non satis rectè comparatam Dianam Didoni, cui nec mater erat, & iam Sichæo nupta fuerat: Homerum autem aptè Nausicaæ comparasse, cuius mater Arete viuebat, nec dum ipsa alicui desponsa fuerat.

Nunc quemadmodum defendi queat Virgilius, à Scaligero discamus, Poet. libr. 5. cap. 3. qui hos quidem versus à magistro, illos autem græcos à discipulo confectos se ostensurum pollicetur. Et quanquam huiuscemodi iudicatio, inquit, à doctis explosa, atque ab omnibus excussa est, nobis tamen, quæ diceremus, non pauca, eaque optima reliquerunt. Principiò, cùm personæ comparantur, earum status, mores, studia exprimenda, non loca, vel ipsius Homeri doceamur auctoritate. Idomeneum in campo cōparat apro qui sit in monte. Igni, qui est in montis vertice, armorū fulgorem in campo. Humanæ cogitationi, quæ in cerebro, aut in corde est, Iunonis motum. Leoni in stabulis, Diomedem in acie. Muscis in stabulis circum mulctras, Grecos & Troianos circum Sarpedonis cadauer. Et Aiacem cedentē fortissimè, asino obstinatæ lentitudinis. Pantheræ quæ in syluis esset, extra syluas Agenorē. Postremò Penelopen quoq; comparat Dianæ: quam tametsi non statuit in venatione, nunquam tamen alibi intelligitur à poetis. Præterea quanquam est Nausicaa in agro, non tamen in montibus, non cum arcu, & pharetra. Quod aiunt serium Elisæ incessum esse, longè diuersum ab incessu Dianæ: finxerunt Dianam Bacchanal quodpiā, quasi Nausicaa non moderatè incederet. Neque enim cursum vllum ibi exprimit Homerus, nullam venandi actionem, sed τερπομένη inquit. Quare ne tertia quidem obiectio quidquam est. Nam neque Homerus posuit, neq; Virgilius addidit venationem: sed insignia tantùm, sed chori tantùm exercitationem. Cuiusmodi, verò sit gaudium illud genuinū, sanè nescio: nisi putarint φρένα aliud esse à Latona. Multo verò efficacius est percurri pectus gaudio (metaphora sumpta à citharoedis) quàm simpliciter gaudere: omnes enim partes occupantur. Longe etiam valentius detineri, idq; in frequentatiuo, & addita, *per:* nam & omnes, vt dicebam, designat partes, & perfectionem vltimam. Quemadmodum igitur illa in montibus, ita hæc in vrbe. Illa inter Nymphas, hæc inter matronas. Illa instans venatibus, hæc operi. Quæ isti duces cæcorum scire noluerunt, pharetræ futiles calumniatores: est enim ibi loco epitheti: qualia multa apud Homerum. Nam etiam inter epulas Apollo ἀργυρότοξος, Achilles vel dormiens πόδας ὠκύς. Et quod isti ignorarunt, ex diuini poetæ verbis addiscant. Neque enim temere appendit humeris pharetram. Soli enim Dianæ, & Apollini id licebat, Nymphæ ad latus gerebant: sicut soli dij ἀμφηρεφέα: alij verò non, sed detectam. Quod si omnia vngue tentare licet, quæram ego quoque vicissim, an Latona ibi sit: neque enim sequitur Dianam. Tum autem quomodo ludunt Nymphæ, si sunt in venatu? Nihil enim venatori detestabilius, quàm fabulæ, & lusus inter venandum: putatur enim à nobis infelix futura venatio. Præterea si extat capite, qua ratione frōtem addidit? Postremò longè consultius dilatum gaudium illud in epiphonema. Est enim Latona tota, extra totam materiam. Huc vsq; Scaliger.

HINC ATQVE HINC GLOM) Vsus est Virgilius, inquit Iouian. in Actio, mirabili artificio, cum vellet duas quatuor syllabarum voces, easdemque dactylicas simul connectere. Præmisit enim duo monosyllaba inter se copulata, quib⁹ numeris quid excogitari potest hilarius, vel quod auribus tam adulanter blandiatur? In octauo quoque, & duodecimo mirificè huiusmodi dictiones implent aures, præsertim vbi fuerint spondaici, vt,

Pallantis proaui de nomine Pallanteum. &.
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia.

Quid cùm idem poeta tres simul collocauit quatuor syllabarum voces, insonuitque? *Cornua velatarum obuertimus antennarum.* Vtque sonus esset vocalior, & explosionem adhibuit, cum dicere posset *vertimus*, & id præstitit, mediæ vt syllabæ assonarent vltimis. Hilarem, ac maximè gratum numerum exhibuit Lucretius, duobus è tetrasyllabis, ijsque dactylis, interiecto trisyllabo, post quoque collocato monosyllabo, inquiens. *Omnigenis perfusa coloribus in genere omni.*

GLOMERANTVR OREADES) Nymphæ montium dicuntur Oreades, vt syluarum Dryades, fontium Napææ, vel Naiades, maris Nereides. Sed de generibus Nympharum lege Gyrald. Syntag. 5. & Natalem lib. 5. cap. 12. Napæas quidam contra Seruium potius conuallium, & saltuum esse dicunt, quam fontium, ἀπὸ τῆς νάπης.

GRADIENSQVE DEAS SVPEREM. OM.) Nimirum in muliebri corpore quum alia, tum statura quoque commendatur, cæterisque paribus, quæ longiores sunt, pulchriores ducuntur. Magnitudinem quoq; alteram virtutem corporis muliebris ponit Aristoteles lib. Rhet. 1. cap. 5. Multa super hac re exprobatissimis scriptoribus Tiraquell. in 2. leg. Connub. num. 73. & deinceps. Hoc ergo voluit noster vates. Nec fugit illum, qui in exponendis cuiusdam laudibus, ait,

Fulua coma est, longaq; manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna soror.

TACITVM PERTENT. GAVD. PECTVS) Homerus, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ. Hoc ita, & suauiter admodum expressit Lucretius, *& tacita pectus dulcedine tangunt.* Expressit etiam Virgilius, secutus Lucretium, & adiutus ipsius ingenio, sed minus poeticè. Victor. lib. 7. cap. 15.

Vt omittam expressisse τὸ ἦθος parentum super incolumitate, fælicitate, pulchritudine, secundis denique rebus sibi gratulantium, ac lætantium, gaudere Latonam super filia in tacito sinu, voluit dicere: quibus verbis intimum quoddam, & secretissimum, & in ipsis medullis gaudium declaratur: quod se foris in vultu non ostendit. Quorum enim vultus multa hilaritate diffunditur, ac rubescit, qui etiam risum edunt in lætitia, eorum gaudium cordis nominat Ecclesiast. cap. 30. *Non est census super censum salutis corporis: & non est oblectamentum super cordis gaudium.* Producit ex 4. Tuscul. insignem locum Corrad. & eo respexisse vult Maronem. Quum ratione animus mouetur placidè, atque constanter, tum illud gaudium dicitur: quum autem inaniter, & effusè animus exultat, tum lætitia gestiens, vel nimia dicitur. Hæc lætitia non modo non cadit in deum, sed ne in sapientem quidem: quando, vt ait idem Cicero, gaudere decet, lætari non decet. Plura vide ibi.

INSTANS OPERI) Sic Græci curatores operum ἐπιστάτας, & ἐργοδιώκτας vocant. Vnde & Iureconsultis, serui institores: & instans operi, ἐπιστάτης, vrgens, maturans opus.* *Supra*, Instant ardentes Tyrij, *absolutè positum est. Sic lib. 2.* Instamus tamē immemores. Ille instat factum, *lego apud Terentiū.*

TVM FOR. D. MED. TEST. TEMP.) Verba ex sententia Donati sic ordinat Corrad. Tum septa armis foribus Diuæ, solioque altè subnixa media testudine templi, resedit: hoc est, quum reliquisset armatos satellites ad custodiam in foribus diuæ, & ipsa intrasset in templum, media sub testitudine templi in alto solio consedit. Sic 2. Æneid. etiam loquitur, *iuuenes fortissima pectora*, &c. Et Georg. 4. *Vulcani, Martisq; dolos, & dulcia furta*, nam Vulcani dolos, & Martis furta dicas oportet.

Puto in medio templi fores fuisse, non tantum in primo, & quodam septo disclusum diuæ sacrariū fuisse, interioremq; cellam, & iuxta eam in medio templo tribunal reginæ. In medio autem templo numinis erat simulacrū, cui templū erat dicatum. *In medio mihi Cæsar erit, templumq; tenebit*, inquit Maro. Apuleius, Namq; in ipso ædis sacrę meditullio, ante deæ simulacrum constitutū tribunal ligneum iussus superstiti. Eodem modo dixit Sedulius: *Dumq; sui residens media testudine tēpli.* Turneb. lib. 10. cap. 11. Testudines sunt loca in ædificijs camerata, ad similitudinē aquatilium, ait Corrad. testudinum, quæ duris tergoribus sunt, & incuruis. Nonius, Solet fieri testudo in tēplo, vt cæli imago reddatur, vt ita nos ad deum, qui in cælo est, colendū magis excitemur.

IVRA DABAT, LEG. VIRIS) Quod in templo ius dicit, videtur poeta ad morem Romanorum respicere, vt enim Gell. libr. 14. cap. 7. ex Varrone refert, nō licuit senatusconsultum facere, nisi in loco per augures constituto, q̄ templum appellaretur. Corrad. Sic in 5. Acestes in primordijs statim vrbis nouæ *Indicitq; forū, & patribus dat iura vocatis.* Iure optimo. Dixit persapienter Heraclitus: ciues oportere pugnare, non minus pro legibus, quàm pro mœnibus: his quippe carere ciuitatem posse, illis non posse. *Facultati legislatoriæ quatuor hæc coniunctissima esse traditū est à Philone, lib. de vita Mosis: charitatem erga proximos, iustitiam, amorē virtutum, & odium vitiorum. Quisquis enim ad leges ferendas animū appulit, ab his caussis singulis permotus est. Siquidem charitas docet sententias vtiles proferre in mediū. Iustitia honoratur vt æquabilitas, suū cuiq; tribuens. Virtutū amor approbat quidquid natura bonū est, & id omnibus dignis exhibet sine inuidia. Odium autē vitiorum, exagitat contemptores virtutis, suspectos habens vt hostes humani generis publicos, & perpetuos. Hæc vel singula magnū est alicui contingere: mirandū verò, si vniuersa vnus possit consequi.*

DABAT VIRIS) Ipsa fæmina cum esset, supra captum communē illius sexus, tantū valebat prudentia, vt viris posset quid agendū esset, & quo pacto iustitiæ seruiendū, præscribere. Est ergo ἔμφασις in vocabulo *viris*.

PARTIB. ÆQ. IVST. A SORT. TRA.) In distribuendis operum laborib⁹ aut sua iustitia, aut sorte vtebatur: iustitia, si videbat ita posse partiri, vt neminem offenderet: sorte, si nō poterat partiri sine alicuius offensione. Corr.

QVVM SVBITO ÆNEAS) Dolor ingens cum insperata, & summa lætitia commutatur. Quos enim fluctibus haustos, ac penitus periisse crediderat Æneas, ij salui, & incolumes apparebant. Præcipuis nominatis, vulgus indicat, *Teucrorumq; alios.* Nascimb.

CONCVRSV MAGNO) Intellige Afrorū multitudinem, qui cupidi rerum nouarū, vt etiam nostrū vulgus, aduenas circumdabant, & in templū comitabantur, q̄ nonnullū Æneæ timorē afferebat, vt sequitur. Nascim.

OBSTVPVIT SIMVL IPSE) Admirationem, lætitiam, metum visis socijs cum Afrorum concursu, auditisq; eorum clamoribus supplicibus, æneam & Achatem concepisse ait. Obstupuit, & perculsus, ad primum affectum refero. In exspectata enim, seu improuisa admirationem generant. Et quanquam à Venere naues cum socijs in portum venturas audierat, tamen nec prędictionis memor erat, cuius ipsum admonet Achates: & ie illo loco eos visurum non sperabat. Gaudiū ei creabat eorum liberatio. Metum incutiebat concursus Pœnorum, quorum nondum erat manifesta affectio. Quare tametsi vehementer cupiebant iungere dextras, tamē dissimulandum adhuc censebant, cognoscendumque prius, quo loco res ipsorum essent, bono ne, an malo: vbi classem reliquissent: quid petituri ad reginam accederent. Pacem orabant illi quidem anteq̄ Didonē alloquerentur. Sed quare (ꝓpter impetū nempe, quē in naues, seu egredientes è nauib⁹ faciebāt Pœni, & ꝓpter incendium, q̄ inferebant) id nec dū exploratū illis erat. ✠

ORANTES VENIAM.) Verbum *venia*, frequenter in precibus ponitur, & est Pontificale, vt inquit Seruius. Dicta autem venia ad eliciendam misericordiam: meretur enim beneuolentiam numinum, qui licet innocens sit, veniam, tanquam peccauerit, petit. Lib. 4. *Tu modo posce deos veniam.* Cicero addit, pacem. Pro Fonteio. In bellis gerendis à dijs immortalibus pacem, & veniam non petunt barbaræ istæ gentes. Pro Caio Rabir. A Ioue pacem, & veniam peto. ✠

TEMPLVM CLAM PETEB.) Cur extra templum clamarint Troiani, & apud Reginā Ilioneus placido pectore cœperit dicere, docet Regulus.

POSTQVAM INTROGRESSI) Interdum collisione ex ipsa vel extruditur, vel exciditur poti⁹ integra syllaba, vel eius bona pars, id est, vocalis cū consonante littera, vt hoc loco, &, *Illum expirantē transfixo pectore.* Item, *Illum & labentem Teucri.* si detraxeris, &, deq; altero, ex, dixerisque. *Illum labentem Teucri. Illum spirantem transfixo pectore*, curtum nescio quid statim offenderit. Hoc autem ideo dicimus, quod non vtiq; collisiones ipsæ fiunt necessitate carminis, sed arte potiùs, atq; aurium obsequio, id est numerorum gratia. Cur autem syllabæ ex vocali, & m, compactæ deturbentur vbiq; nunc è versu (nam priscis illis sæculis non semper excludi esse solitum, versus ille Ennianus docet, *& millia millitum octo*) videtur caussæ illud esse, quod propter, m, terminalem, obtusum nescio quid, ac subobscurum sonent, quod aures vix patiantur in fine vocum. Iouian. Actio.

O regina, nouam cui condere Iupiter vrbem,
Iustitiaq; dedit gentes frænare superbas:
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos à nauibus ignes,
Parce pio generi, & propius res aspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis

Est lo-

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atq; vbere glebæ.
Oenotrij coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit.
Cum subitò assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cæca tulit, penitusq; procacibus austris,
Perq; vndas superante salo, perq; inuia saxa
Dispulit: huc pauci vestris adnauimus oris.
QVOD GENVS HOC HOMINVM? QVÆVE HVNC TAM BARBARA MORem
PERMITTIT PATRIA? HOSPITIO PROHIBEMVR ARENÆ.
Bella cient, primaq; vetant consistere terra,
SI GENVS HVMANVM, ET MORTALIA TEMNITIS ARMA,
AT SPERATE DEOS MEMORES FANDI, ATQVE NEFANDI.
Rex erat Æneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis:
Quem si fata virum seruant, si vescitur aura
Ætheria, nec adhuc crudelibus occubat vmbris,
Non metus: officio nec te certasse priorem
Pœniteat. sunt & Siculis regionibus vrbes,
Armaq;, Troianoq; à sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et syluis aptare trabes, & stringere remos.
Si datur Italiam socijs, & rege recepto
Tendere, vt Italiam læti, Latiumq; petamus:
Sin absumpta salus, & te pater optime Teucrûm
Pontus habet Libyæ, nec spes iam restat Iuli:
At freta Sicaniæ saltem, sedesq; paratas,
Vnde huc aduecti, regemq; petamus Acestem.
Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.

NOVAM CVI COND. IVP. VRBEM) Ilioneus primùm reginæ imperium gratulatur, eiusq; iustitiam, quæ prima ac præcipua imperantium virtus est, collaudat. Deinde qua barbarie, & inhumanitate, atque adeò immanitate ab eius subiectis tractentur Troiani, ipsi nullum prorsus maleficium, nullam incursionem in fines, nullam denique cædem, aut populationem meditantes, sed hospitium tantum ad breue tempus in littore petentes, donec se ad nauigationem repetendam cōparassent, exponit. Cælestem Carthaginensibus vltiorem comminatur. A prædicatione Principis sui Æneæ, ab amicitia regis Siciliæ Acestæ, Didonem ad benefaciendum egentibus, & afflictis allicit, subducendæ, instaurandæque classis facultatem petit. Vides nostrum quoque Homerum facere *διοτρεφέας βασιλῆας*? Agnoscunt ambo à natura docti, quod scriptum reliquit Apostolus, Omnis potestas est à Deo. Et quod in sacris prouerbijs legimus, Meum est consilium & æquitas: per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt: per me Principes imperant, & potestates decernunt iustitiam. ✠

IVSTITIAQVE DEDIT G. FRÆN. SVP.) Probantur versus illi maximè, qui inter dimetiendū inueniuntur complicatis inter se pedibus, inuicemq; insertis, vt pes pedi sit tanquā catena iunctus, ex quo genere hic est. Ad sententiam verborum quod attinet, Cicero 1. Off. Mihi quidem non apud Medos solùm, vt ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros seruandæ iustitiæ caussa videntur olim bene morati reges cōstituti. Nam cum premeretur initio multitudo ab ijs, qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant, virtute præstantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari iure retinebat.

TROES TE MISERI) Digni ergo misericordia quæ debetur miseris: & non offensione ac malo tanquā hostes, cum nocere Poenis nihil possint. ✠

VENTIS MARIA OM. VECTI) Alibi, *acti fatis maria omnia circum.*

PARCE PIO GEN.) Ne, quamuis prohibeat infandos à nauibus ignes, ipsos tamen tanquam prædones interfici iubeat.

PROPIVS ASPICE RES NOSTRAS) Non desunt, qui oculum fauoris, & beneficentiæ signum dicant: & in sacris verbum *aspicere* significare se propitiū, & benignum ostendere. Videmus enim apud Maronem,

nem, vbi Iupiter Libyæ defixit lumina regnis, reginam rite quietum accipere in Teucros animum mentemq; benignam. Contrà vero, de Pallade acriter irata, *Diua solo fixos oculos auersa tenebat.* Hunc vero fauorem, qui per oculum indicatur, Theologi nostri gratiam vocant. Vnde quos Deus aspicit, fortunatos: quos auersare videtur, derelinqui, & infelices esse profitemur. Pierius lib. 38. in Oculo.

Res nostras, res vestras, meum, tuum, suum, nostrum, vestrum, nihil his inter homines dictu vsitatius: quia videlicet nos dominos, ac possessores rerum putamus: nec intelligimus quomodo nihil penitus, nec corpus, nec animus, nec aliarum rerum quidquam in nostra sit potestate. Tantummodo enim ad vsum, & fructum nobis à Deo concessa sunt. Quare χρήσει μὲν, at non κτήσει nostra dicamus licet? Super hoc sapienter scriptum reliquit Philo. libro de Cherubin. *Equidem constitutus ex corpore & animo, qui mentem, rationem, sensum habere videor, nihil horum meum peculiare inuenio. vbi enim erat meum corpus antequam nascerer? quò discessurũ post obitum? vbi sunt quæ aliquid videntur, ætatum differentia? vbi infans, puellus, puer, ephebus, adolescentulus, vestitus prima lanugine, perfectus vir? Vnde venit anima? quo discessura? quamdiu nobiscum habitatura? quænam eius essentia? Possumusné dicere, quando eam accepimus? ante natiuitatem? sed tum nondũ eramus. Concreta ne sunt corporibus? at sic deuoluemur ad redíuiuas natiuitates. An non sunt? Certè nunc cum viuimus, imperata facimus magis, quam imperamus, & noscimur magis, quam noscimus. Nouit enim nos ipsa, nobis incognita, mandata dat quæ exequi necessum est, quasi famulos domina: & vbi nos relinquere voluerit, ac migrare ad suum illum principem, desertum destituet hoc, in quo viuimus, domicilium: & retinere si voluerimus, elabetur. Habet enim naturã tenuium partium, vt nullã ansam præbeat corpori. Quid intellectus qui in me habitat, fallax, coniector, erroneus æstimator, delirans, stultescens, demens interdum in excessu, & atra bili, & longo senio? At sermo mihi peculiaris est, aut vocis instrumẽta. Nonnè ad quemuis morbum lingua deficit? nónne vel eloquentissimũ os obturatur? Nonne multi exspectatione mali alicuius nequeunt hiscere? Atqui ne sensus quidem dominus comperior, & bonum, si non etiam seruus, ab eo per vim tractus, ad colores, ad figuras, ad voces, ad odores, ad sapòres, ad cætera corpora. Per quæ omnia liquere satis puto, nos alienis vti possessionibus, nec gloriam possidendo, nec diuitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quidpiam vel corpori, vel animæ proprium, immo ne vitam quidem. Vsum fructum habemus solum. Quod si agnosceremus, curaremus tanquã res dei, præcogitantes, morẽ esse domini recipere sua, quandocunq; ipsi visum fuerit. Sic enim adempta ferremus leuius. Nunc pleriq; omnes dum existimant hæc sua esse, ac ꝓpria, priuati quopiã eorum, & egentes mox opprimuntur mœstitia. Est igitur non solum verum, sed etiam ad consolationem vtilissimum, credere, mundum hunc, & quæcunq; continet, esse creatoris, ita possessiones sunt opera, &c.*

NON NOS AVT FERRO) Occupat quod poterat obijci. Græcis olim, & Barbaris mare accolentibus, & insulanis hunc prędandi morem fuisse, proditum est à Thucydide lib. 1. Cum enim nauigijs consueuissent inter se commeare, tandem ad piraticam faciendam se dederunt. Quibus se viri potentes etiam duces præbuerunt, & tenuiores hinc præcipuè sibi victum quæritabant. Nondum enim istuc in turpibus numerabatur, sed potius in honorificis: quasi videlicet progymnasma quoddam militare esset. Apud veteres etiam poetas, prænauigantes semper interrogantur, num

A prædones sint. Tanquam his qui interrogantur non turpe sibi ducentibus hoc facinus, & his qui quærunt, non exprobrantibus.

EST LOCVS, HESPER.) Narratio, quæ cum exordio, vel præjudicio pulchre connectitur. Non venimus Libycos populare penates, sed Italiam petimus, vt dicetur: quod Ilioneus vt faciat, ante locum describit, & ita narrat. Corrad. Viderunt Seruius & Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 1. ab Enniano fonte manasse illud, *Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.* Ille enim sic in 1. Annal. *Est locus, Hesperiam mortales quam perhibebant.* Hesperus autem Hispaniæ rex à germano Atlante ob regni cupiditatem pulsus, ad Tuscos se cõ-

B tulit, factusq; Etruriæ Principi adhuc infanti tutor, & administrator, Saturniam à suo nomine Hesperiam dixit. Macrobio tamen Hesperia ἀπὸ τῆς ἑσπέρας, quod occasui subiecta.

TERRA ANT. POTENS ARMIS) Antiqua, vel nobilis, vel quæ vetustate certet cum cæteris regionibus, habitata à Iano, & Saturno dijs antiquissimis. Antiquam autẽ vocat & lib. 3. Potens armis, quæ multum valeat viris & armis. Georg. 2.

Quæ genus acre virûm, Marsos, pubemq; Sabellam,
Assuetumq; malo Ligurem, Volscosq; verutos.

Corrad.

VBERE GLEBÆ) Vide 2. Georg. de laud. Italiæ.

C OENOTRII COLVERE VIRI) Hic Virgilij quasi interpretem egit Aristoteles, cuius verba è 7. Polit. adscribam. *φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι, τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς οἰνωτρίας, ἀφ' οὗ τό τε ὄνομα μεταβαλόντας ἰταλοὺς, ἀντ' οἰνωτρῶν κληθῆναι, καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς εὐρώπης ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν ὅσον ἐντὸς οὖσα τοῦ κόλπου τοῦ σκυλλητικοῦ, καὶ χαμιτικοῦ,* Interpretari nihil attinet, cũ Virgil. eius verba summa fide retulerit. Quidã libri, quos castigatiores puto, nõ *Oenotrij coluere viri*, sed Oenotri trisyllabos legunt, vt ω in dictione græca incolumis maneat. Oenotria autem dicta fuit ab Oenotro Lycaonis filio, qui ex Arcadia huc cõmigrauit, cumq; quintũ numerant ab Ægæo, & Phoroneo, qui primi in Peloponneso regnum obtinuerunt. Nonnulli hunc eundẽ, & Noe,

D & Ianum fuisse existimant, idq; ex linguarum etymologijs deducunt. Nannius lib. 7. cap. 7.* *Cum Peucetio fratre, alijsq; Græcis è Peloponneso in Italiam traiecit Oenotrus. Ille super Iapigia promontorium cum suis sedem fixit. Hic occidentalem Italiæ partem, quæ tum Ausonia ab Ausonibus indigenis, occupatur. Ibi parua & contigua oppida condidit, & quantum agri obtinuit (fuit autem id non modicum) ab se Oenotriam nominauit. Vide plura lib. 1. apud Dionysium.*

NVNC FAMA MINORES ITAL. DIXISSE) De nominibus Italiæ ex Iunij Animaduersionibus, principio huius libri satis multa, quæ hic quoq; poni potuissent. Minores apud idoneos scriptores dicuntur posteri, seu posteriores, quibus respondent maiores. Horat. ad Pison. *censor, castigatorq; minorum.* Lucret. lib. 5. *quas*

E *lacrymas peperere minoribus nostris.*

HVC CVRSVS FVIT) Dedita opera creditur imperfectum fecisse versum, vt abrupto eo, cursum abruptũ significaret. Complura sunt hemistichia eiuscemodi in Æneide, nec omnia sensu perfecto: quæ Virgilius vtiq; perfecisset, si libros suos emendare potuisset. Quamq; sunt, qui cum cõsultò imperfectos reliquisse asserant, quasi qui nosset, futurum neminem, qui ceu Apellis inchoatam, seu dimidiatam Venerẽ posset absoluere. Et sane de vetustioribus poetis non fuit, qui id tentare auderet. Sed ista hemistichia, primi duntaxat, & secundi libri apud Nannium integrata inueniuntur. Vtrum vero Nannius ipse integrauerit, quædam saltem, an ab alio ita cõpleta acceperit, curiosius exquirere nihil est

opus. Placet ea carmina hîc proponere, & lectori censenda relinquere. Aliena verba, seu assumenta mutata litera notauimus.

Huc Cursus fuit, huc ventis cita classis abibat.
Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, nutuq; eadem, vultuq; professi.
Munera, lætitiamq; dei liquidissima vina.
Accipe nunc Danaûm insidias, & crimine ab vno
Disce omnes, vultumq; & verba vt finxerit idem.
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat. sed cum damnatum fata trahebant.
Ferro accincta vocat, prædasq; ostentat ab alto.
Vos agitate fugam, mihi viuere non datur vltra.
Attentare nefas, donec me flumine viuo
Abluero, tum te confestim onere ipse leuabo.
Congeritur, pueri & pauidæ longo ordine matres
Stant circũ, gemitu, & lacrymis terra ipsa madescit.
Quem tibi iam Troia peperit fumante Creusa. *aut,*
Quem tibi iam Troia obsessa est enixa Creusa.

Currere porrò, & cursus ad nauigationem transferuntur. Horat. Ode 6. lib. 1. *Nec cursus duplicis per mare Vlissei.* Ode 34. eiusdem lib. *nunc retrorsum Vela dare, atq; iterare cursus Cogor.* Noster Æneid. 3. *Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?*

NIMBOS. ORION) Dictus est primum Vrion, deinde propter euphoniam Orion. Vide Palęphatum. Ortus huius creat tempestates.

IN VADA CÆCA TVLIT) Cæcum poetis est sæpissime ἀόρατον, quod sub aspectum non cadit, quod cerni non potest, quod occultum, quod abditum est, quod latet. Lucret. lib. 1. *Quare etiam atq; etiã sunt venti corpora cæca.* Vocat ventos corpora cæca, quoniam nescitur quid, & vnde sit ventus, & tamen esse aliquid, & corpus, ex effectibus, & agitatione syluarũ, aquarum, nubiũ apparet. Idem. *Ictibus illorũ cæcis impulsa cientur.* Virgil. 4. Georg. de apibus. *& spicula cæca relinquunt.* Lib. 2. Æneid. *Limen erat, cæcæq; fores.* Et lib. 3. *cæcis erramus in vndis.* Lib. 6. *cæca regens filo vestigia.* M. Tull. lib. 2. de orat. res cæcas, & ab aspectus iudicio remotas.

PENITVSQ. PROCACIB. AVSTRIS) Terent. Hecyra, de Bacchide. *Maligna multò, & procax facta illico est*, id est, dispoliatrix, & petax. Procare enim est petere. Et procacibus austris, id est, impudentibus: nam qui multum petit, impudens est, & procax. Sic Donatus ibidẽ. Lucret. lib. 6. *Interdum perscissa furit petulantibus Euris.* Horat. Ode 26. lib. 1. *Tradam proteruis in mare Creticum Portare ventis.* Et Ode 16. Epod. *quocunq; per vndas Notus vocabit, aut proteruus Africus.* A græco autẽ fonte hæc cadunt. Pollux lib. 1. Εὔπολις δὲ καὶ ἄνεμον ἀσελγῆ εἶπε τὸν βίαιον. Eupolis, inquit, ventum impotentem, & furiosum, vocat petulantem, proteruum, procacem, lasciuum. Gifan. in Lucret.

QVOD GEN. HOC HOM.) Postquam ostendit, Troianos non venisse populatum, sed vi tempestatis compulsos, & ideo misericordia dignos, qui contrà afficiebantur iniurijs (ante aduentũ Mercurij puta, quo auctore postea ferocia corda posuere) dolore & ira commotus abrumpit orationem, & inuehitur in Carthaginenses. Corrad.

QVÆVE HVNC T. B. PAT.) Arbitratur Regulus, hæc verba, *Quod genus hoc hominum, quæue hunc tam barbara*, &c. posse referri aliò, non ad Tyrios, vt dicat, non reperiri vllum genus hominum, quod hoc faciat, peregrinos videlicet à littore arceat: neq; vllam gentẽ esse adeo barbaram. Vnde magnitudo iniuriæ perspicitur: quippe cuius nullum exemplum extet vel apud barbaros. Sed poeta se valde imperitum ostenderet.

A Quare eo sensu dictum accipiamus, vt sit inuectio cum admiratione, è dolore profecta, vt rectè sentit Corrad. Barbaras gentes, quæ peregrinos, & hospites exosos habuerint, eorumq; commercia penitus auersatæ sint, recenset Alex. ab Alexand. lib. 4. cap. 10. Ibid. qui nam populi hospitia sanctè coluerint.

HOSPITIO PROHIB. ARENÆ) Genus loquendi bonis scriptoribus solemne. Plautus Milite. *me vxore prohibent.* Cic. pro Ligario. nos iacentes ad pedes, supplicum voce prohibebis? Liuius lib. 7. & prohibendo populationibus, quos rapto viuere necessitas cogebat. Cognata hæc sunt adagio, Ne terra quidem iuuit, οὐδ' ἀπὸ γῆς ὤνησεν, id est, ne minimo quidem. Quasi dicat,
B ne glebam quidem impertiuit, aut, ne terræ quidem hospitio dignatus est.

SPERATE DEOS. M. F. ATQVE NEF.) In Monostichis.

Ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
Θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός.
Est iustitiæ oculus, cuncta qui considerat.
Euadet alti nemo plagam numinis.

Theognis.

Οὐδεὶς τοι ξεῖνον πολυπαίδυ ἐξαπατήσας,
Οὐδ' ἱκέτην θνητῶν ἀθανάτους ἔλαθε.

SI GEN. HVM. AC MORTAL.) En quam inuidiosè. Genus humanũ, inquit, & mortalia arma, cum paucos
C illos Troianos prohibuissent in littus descendere. Sed hoc oratorium est, ex paruis magna facere. Possunt hi duo versus quamuis potentissimum, ac superbissimum ad modestiã adducere. Deus enim est, qui deponit potentes de sede, & superbis resistit. Ille pro rectè factis præmium, & pro scelere supplicium rependit. Huius manus nemo, ne mortuus quidẽ effugiet. Nabuchodonosor Assyriorum rex vocauit omnes maiores natu, omnesq; duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui: dixitq; cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio. Et ecce vna mulier fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor. Iudith. cap. 2. & 14. Alius huic cogno-
D minis, propter superbiã quoq; eiectus est ab hominibus, cum feris habitauit, fœnum vt bos comedit. Donec scias, inquit Daniel. cap. 4. quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunq; voluerit, det illud. Senacherib item, qui Ezechiæ arma temnebat, vna nocte centum octoginta quinque millia militum perdidit, & ipse à filijs suis est iugulatus. Regum libr. 4. cap. 19.

REX. ER. ÆN. N. Q. I. ALT.) Poterat obijci, cur absque duce nauigarent, quod minimè fit ab illis militibus, qui magna aliqua de caussa aliquò proficiscuntur. Quamobrem ὑπαντητικῶς occurrit, sibi regem esse, quem ab ijs bonis commendat, quibus regem, &
E imperatorem inprimis decet excellere. Ea sunt iustitia, pietas, prudentia, & fortitudo militaris. Videtur respexisse ad illud Homeri carmen, quod Alexandro M. summopere placebat, & quo vniuersum regis officium complexus est. ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. Nascimb. Cœperat narrare Ilioneus, sed cum venisset ad locum, vbi Troiani tanta fuerant iniuria affecti, indignatione abstractus, digreditur. Laudat Æneam à quatuor virtutibus, iustitia, religione, prudentia militari (dum dicit, nec bello, nam in bello est consilium & prudentia, in armis robur spectatur) & fortitudine. Corrad. * *Sed quia verum est illud Platonis: quales in Repub. Principes sint, tales reliquos solere esse ciues, ex regis sui commendatione, sibi quoq; & suis laudem quærit.*

SI VE-

SI VESCITVR AVRA) Sic postea in 3. *Quid puer Ascanius, superátne, & vescitur aura Ætheria?* De qua tautologia vide Corrad. Veteres studiosè fecerunt, vt non modo verbis, sed etiam totis sententijs eadem iterum eloquerentur. Vt Homer. Iliad. β. *ὑπέσχετο, καὶ κατένευσεν.* Et Iliad. γ. *κοιμήσαντ' ἄρ' ἔπειτα, καὶ ὕπνου δῶρον ἕλοντο.* Et ibid.

Ὅς δυνλὸς τε ἔοι καὶ ἄλλοι ἀμήτορες ἄλλων,
Χαλκῷ τε ῥυθλὸς, μεγάλοισί τε χερμαδίοισι.

Vescitur aura Lucret. quoq; dixit lib. 5. *Nam quæcunq; vides vesci vitalibus auris*, vt Græci *βιοτεύουσι πνεύμασι.* Et Sophocles, *τίνος δὲ κύρεις πνεύμασι βίοτον.* German. & alij. Vesci etiam significat vti, Nonius, citans hunc ipsum poetæ versum. Et Lucret. lib. 5.

Quo'ne modo genus humanum variante loquela
Cœperit inter se vesci per nomina rerum.

Pacuuius Chryse. *Fugimus, qui arce hac vescimur.* Idem Armorum iudicio. *Qui viget, vescatur armis, vt percipiat premium.* Cic. 5. de finibus. Si gerundis negotijs possit orbatus paratissimis vesci voluptatibus.

NON METVS, OFF. NEC TE CERT. PRIOR.) Si viuit Æneas, ne te pœniteat priorem in illum officia cótulisse: perinde, ac si dicat, futurum est, vt duplex ad te gratia reuertatur, vt Gratiarum simulacrú docet. Corrad. Turneb. lib. 10. cap. 11. mauult legere. *Non metus, officio ne te certasse priorem Pœniteat*, quàm *nec te certasse.* Vt dicat, Haud equidem vereor, ne te pigeat, pœniteatq; in nos officia aliqua contulisse. Porrò Græci eodé modo dicunt, *ὁ φίλος.*

SVNT ET SICVLIS REG.) Dici posset, Si verò Æneas perijt, quis gratiam referet? Sunt, inquit, in Sicilia amici nostri, potentes, qui possunt referre gratiá. Sed dum addit *arma*, videtur etiam vltionem minari, & Didoni metum incutere, si patiatur vltra lædi Troianos. Corrad.

TROIAN. SANG. CLARVS ACEST.) Vide Dionysium lib. 1.

QVASSATAM VENTIS LICEAT) Epilogus, summam petitionis in exordio positæ continens, & consilium ac finem Troianorum, per narrationem explicatum summatim complectens: continet etiam rei facilitatem, qui vnus est ex locis suadendi præcipuus. Facile est enim quassatam classem subducendi facultaté dare, vt ex syluis trabes conficiantur, ac remi ad nauigandum. Regulus.

Petitio justa *liceat subducere*, in terram trahere naues (contrarium deducere) & in syluis aptas trabes

A remis legere. *Stringere* defrondare. Seruius. Sequitur ratio petitionis bipartita. Ideo cupiunt resarcire classem, ut vel in Italiam queant porrò pergere, rege tamen, & socijs septem nauium antea relictis: vel si id non contingat, si Æneas (quod quidem miserabile, & indignum foret) submersus cum filio perijt, Æneas qui est eorum salus prima, altera Ascanius, in Siciliam ad Acesten hospitem, & amicum reuerti possint, & ibidem quod reliquum est æui exigere.

SIN ABSVMPTA SALVS) Explicatur verbis sequentibus. Si tu pater optime Teucrûm perijsti naufragio, & perijsti cum Ascanio, qui erat altera spes nostra, tunc vnà nos tecum quoq; perijmus, & salus no-
B stra, quæ à tua salute pendebat, simul absumpta est. Pro perditis enim sese ducunt, si Italiam visuri nó sint, sed in Sicilia cogantur sedem ponere.

AT FRETA SICANIÆ SALTEM) Siculi quondam Italiam habitarunt. Deinde Pelasgis simul, & Aborriginibꝰ bello impares, liberis, ac coniugibus cum auro & argento sublatis, totam regionem suam eis cesserunt: versiq; per montana ad meridiem, & peragrata tota inferiore Italia, cum vndecunq; pellerentur, tandem paratis ad fretum ratibus, & obseruato secundo æstu ex Italia traiecerunt in insulam proximam. Sicani tum eam tenebant, genus Hispanicum: quod fugatum à Liguribus paulo antè ibi habitare cœperat: Sica-
C niamq; de suo nomine vocauerat, quæ prius Trinacria dicebatur, à forma triangula. Horum numerus non magnus erat, pro insulæ amplitudine, plerisq; agris incultis jacentibus. Huc igitur deuecti Siculi, primum partes ad occidentem versas coluere, deinde & plerasq; alias: mutatoq; nomine insula cœpit vocari Sicilia. Atq; ita Siculum genus reliquit Italiam. Hæc Dionysius lib. 1.

CVNCTI SIMVL ORE FREM.) Alludit ad morem cum Græcorum, tum etiam Romanorum, apud quos res publicè approbari solebant strepitu, plausúq; populari. Cic. pro Archia. Et nostri illi fortes viri, & rustici ac milites dulcedine quadam gloriæ commoti,
D quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbauerunt. Igitur *fremebant*, id est, murmurantes approbabant. Et est Hom. versus 1. Iliad. *Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν ἀχαιοί.* Nascimb. * Cuncti *significat quidem omnes, sed coniuncti, & congregati: at verò* omnes, *etiamsi diuersis locis sint. Festus. Veruntamen poeta verborum liberrimi, hoc discrimen, vt item alia in alijs haud religiosè admodum seruans. Seruauit hic Vergilius, & propriè locutus est.*

Tum breuiter Dido vultum demissa profatur.
Soluite corde metum Teucri: secludite curas.
Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & latè fines custode tueri.
QVIS GENVS ÆNEADVM, QVIS TROIÆ NESCIAT VRBEM?
Virtutesq;, virosq;, & tanti incendia belli?
NON OBTVSA ADEO GESTAMVS PECTORA POENI:
Nec tam auersus equos Tyria sol iungit ab vrbe.
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaq; arua,
Siue Erycis fines, regemq; optatis Acestem:
Auxilio tutos dimittam, opibusq; iuuabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Vrbem quam statuo, vestra est: subducite naues.
TROS, TYRIVSQVE MIHI NVLLO DISCRIMINE AGETVR.

Atq; vtinam rex ipse Noto compulsus eodem
Afforet Æneas. equidem per littora certos
Dimittam, & Libyæ lustrare extrema iubebo,
Si quibus eiectus syluis, aut vrbibus errat.

TVM BREVITER DIDO) Pro se, ac socijs orantem Ilioneum, amicè attenteq; audiuit Dido, atq; vt fœminæ, tametsi viris imperitanti, decorum fuit, oculos demissos tenens, vicissim respondet ea, quibus se Troianis medullitus ostenderet, quæque tristitiam, & metum illis omnem, vt ita dicam, expectorarent, & ad talem mulierem in omni genere virtutis, humanitatisq; perfectã imis sensibus colendam, ac diligendam hortarentur. Initio responsionis bonum eos habere animum iubet: quod quidem habitum futuræ orationis indicat, vt aliàs etiam fieri mos est, & Donatus solet obseruare. Post, suspicionem depellit; caussas, quamobrem fines suos diligenter tueatur, duas adducit: nouitatem regni scilicet, cui magnæ semper difficultates obijciuntur, & odium in se fratris. Declarat tandē quo sit erga Troianos animo, omniaq; illis officia sua effusissimè pollicetur.

VVLTVM DEMISSA) Vt pudica, nam in quarto postquam soluit pudorem, huc illuc voluit oculos.

SOLVITE CORDE METVM) Supra similiter Iupiter anxię Veneri respondens, statim ei à principio timorem detraxit. *Parce metu Cytherea.* Sed, *soluite corde metum*, quid aliud est, quam quod mox sequitur, *secludite curas?* ἐκ παραλλήλου vocant Grammatici. Etsi enim curis agitari potest, qui non metuat, tamen in metu sine magna, magnisúe curis nemo est. Quemadmodum verò vsitatè dicunt latini, soluere animum cura, metu, & similibus: sic item soluere curam, metum. Horat. Ode 9. Epod.

Curam, metumq; Cæsaris rerum iuuat
Dulci Lyæo soluere.

Luc. lib. 1. *Atq; animi curas è pectore soluat.* Sic impedire animum curis, expedire curas.

QVIS GENVS ÆNEADVM) Statius 1. Thebaid. vide quomodo hæc sua fecerit.

——— quid nota recondis?
Scimus ait, nec sic auersum fama Mycenis
Voluit iter, regnum, & furias, oculosq; pudentes,
Nouit & Arctois si quis de solibus horret,
Quiq; bibit Gangen, aut nigrum occasibus intrat
Oceanum, & si quos incerto littore Syrtes
Destituunt.

VIRTVT. VIROSQVE) ἓν διὰ δυοῖν. Virtutes virorū.

TANTI INCENDIA BELLI) In belli mentione sæpè ignem videas vsurpari: & aruspices belli significatum ei tribuerunt. Ardere bello Italiam dixit Cicero.

NON OBTVSA ADEO GEST. PECT.) Terentius Eunucho, *Non adeo inhumano ingenio sum, vt quid amor valeat, nesciam.*

NEC TAM AVERS. EQVOS) Turnebus arbitratur in hanc dictum sententiam, lib. 18. cap. 32. non adeò obtusi & hebetes, ignarique & stupidi sumus. Stupidiores enim sunt, qui longius ab aura solis, & tepore incolunt, vt populi Septentrionales. Atqui hoc ipsum, Turnebe, dixerat poeta verbis antegressis expresse, non esse adeo stupidos, & obtusos, nec adeo omnē sensum humanitatis amisisse: vt hoc altero versu videatur caussam addere, cur nō sint tam obtusi, & inhumani, quia non tam longè à sole remoti sint, quia non in mundi angulo habitent. Omnino verisimilius, qui allusum censent ad fabulam de Atreo, cuius immanitatē, cum ille fratris sui Thyestæ liberos iugularet, coctosq; patri edēdos apponeret, sol, ne aspiceret facinus crudelissimū, alio à Mycenis flexisse

A cursum dicitur. Hygin. cap. 88. Quare sententia erit vtriusq; carminis simul: non sumus tam crudeles, nec in figura humana belluarū mores, feritatēq; imitamur.

SEV VOS HESPER. MAG.) Primùm se, suosq; purgauit, & suspicionē inhumanitatis, immanitatisq; amolita est. Nunc plus offert multò quam rogabatur, quod regium est: regum est enim liberalitas, & munificentia. Offert præsidium ad eos siue in Italiam, siue in Siciliam deducendos. Offert commeatum, & pecuniam. Offert deniq; ipsam vrbem, & quos nunquam viderat, propter opinionem virtutis, inter ciues suos numeraturam pollicetur. Quid hac regina beneuolentius, quid humani9 fingi poterit? Hesperia vocatur etiam Hispania. Idcirco B additur hìc *magnam:* nō quod amplior sit, sed illustrior. Respicit, ni fallor, poeta ad id, quod bona pars eius magna Græcia dicta est, à plurimis vrbibus, quas in ea Græci condiderunt.

VRBEM QVAM STAT. V. EST) Mutatur aliquando genitiu9 partitionis in casum partiū apud Græcos. Hom. οἱ δὲ δύο σκόπελοι ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει. Quod exemplum citans Demetrius, multò hoc grandius, & magnificentius dictum vult, quam si dixisset, τῶν δὲ δύο σκοπέλων, &c. Caussam affert, quia sic consuetudinem imitatus esset, & vsum loquendi communem: quidquid autem ex consuetudine est, & peruulgatum, idem humile, & abiectū est, & admiratione caret. Ista igitur ratio est, cur poetæ C libenter à vulgaribus loquendi modis discedant, vt nouitate admirationem, & dignitatē poemati concilient. Ex istiusmodi locis etiam hic Virgilianus est, quo Latinus poeta à consuetudine discedens, nō parū ei dignitatis ob ipsam nouitatem conciliauit. Victor. in Demetriū.

Sic interdū loqui solent boni scriptores, & maximè poetæ & Epici, & Comici, vt antecedens priore loco positum eiusdem casus sit ad relatiuum. Ter. Eunuh. *Eunuchum quē dedisti nobis, quas turbas dedit?* Lege ibid. Donat. Plaut. Amphit. *Naucratem quem conuenire volui, in naue non erat.* Epid. *Sed istum quem quæris Periphanem Platenium, Ego sum si quid vis.* Lamb. in Plaut.

SVBDVCITE NAVES) Vt eas vel reficiatis, vt petistis, vel, vt hic maneatis, si vultis.

D AGETVR) regetur. Vult igitur ipsa eorum esse regina, nō eis partem regni tradere. Nam τὸ *Vrbem quam statuo vestra est*, dixit more communi. Dicimus enim, quod meum est, tuum est, & tamen vt nostrum tuemur. Etsi hoc etiam modo exponere liceat, vestra est, vt in ea habitetis, non regnetis. Corrad.

ATQVE VTINAM REX IPSE) Considerandū, quàm artificiosè poeta verisimiliter ad amorem Didonis in Æneam quasi per gradus quosdam descendat. Nã primò per picturam ostendit Æneam inter principes Didoni notum. Deinde per orationem Ilionei omnium regum virtute ac iustitia præstantissimum. Ex quo verisimile fit, Didonem tanti viri videndi desiderio captam E esse. Hinc ad præstantiam illius miro quodam modo, ac diuinam pulchritudinem veniet, vnde sequetur maximè verisimilis amor reginæ. Regulus.

EQVIDEM PER LITT. CERT.) Hoc quasi ἐπίμετρον, & auctarium quoddam est meritorum, ac beneficentiæ idonis, quod etiam certos, id est fideles per omne imperium suum se missuram recipit, qui Æneam ipsorum ducem diligenter per vrbes, & syluas inuestigent: si forte

si forte naui fracta eiectus alicubi vagetur: inuentumq; A ad se perducant, vt humanitatem suam in eum nauare possit. Quamuis autem Carthago sit in ea parte Africæ, quę dicitur Libya, non tamen ipsa totam tenebat Libyã. Quare συνεκδοχικῶς dictum accipe.

AVT VRBIBVS ERRAT) vicinis, aut vicinorum, non ipsius Didonis. Iarbas lib. 4. *Fœmina quæ nostris errans in finibus vrbem Exiguam pretio posuit.*

His animum arrecti dictis & fortis Achates
Et pater Æneas, iam dudum erumpere nubem
Ardebant. prior Æneam compellat Achates.
Nate dea, QVÆ NVNC ANIMO SENTENTIA SVRGIT?
OMNIA TVTA VIDES, classem, sociosq; receptos;
Vnus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum: dictis respondent cætera matris.
Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente
Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum.
Restitit Æneas, claraq; in luce refulsit:
OS HVMEROSQVE DEO SIMILIS. namq; ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariusúe lapis circundatur auro.

ERVMP. NVBEM) Erumpere sæpius poetis agendi verbum est. Sic Tibull. *Fontibus vt dulces erumpat terra liquores.* Cic. quoq; ad Atticum. ne in me stomachum erumpant, cum sint tibi irati.

PRIOR ÆNEAM COMP. ACH.) Quærit minor maioris sententiam. Plura ei euenta proponit, ex quibus facilè colligat Æneas, quid facto opus sit, nempe, vt se reginæ exhibeant. Nascimb.

VNVS ABEST, MED. IN FLVCT.) Vnus ille, quem oculis suis submergi viderunt, est Orontes cum Lycijs suis, de quo supra.

Vnam quæ Lycios, fidumq; vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit, &c.

QVVM CIRCVM. REPENTE) Homerum imitatur, apud quem Vlysses nebula à Pallade circumfunditur: cumq; ad Alcinoum regem, eiusque vxorem Areten accessisset, nebula euanuit.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' Ἀρήτης βάλε γούνασι χεῖρας Ὀδυσσεύς,
Καὶ τότε δή ῥ' αὐτοῖο πάλιν χύτο θέσφατος ἀήρ.

IN ÆTH. APERTVM) Id est, purum, serenũ. Nonius,

CLARA LVCE REFVLSIT) Quanto magis fulsisset in tenebris? Vel refulsit, cum in clara luce fuit, nam prius in nube, seu nebula non fulgebat.

OS HVMEROSQVE DEO SIMIL.) Homeri sunt ex 6. Vlysseæ.

Τὸν μὲν Ἀθηναίη θῆκεν Διὸς ἐκγεγαυῖα
Μείζονά τ' εἰσιδέειν, καὶ πάσσονα, κὰδ δὲ κάρητος
Οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.

Superat multis modis Virgilius. *Os humerosq; deo similis*, luculentius est, quam maiorem, & crassiorem efficere, hoc enim boum est. Et, *cæsaries* est verbum militare. Quo non contentus, addit, *decoram*. Homerus autem οὔλας pessimè. Crispitudo namque pusilli animi nota est, aut leuitatis. Idcirco leones crispi minus animosi existimantur. Illa vero pæne supra humanum captum, *lumenq; iuuentæ Purpureum*. Et illa non minus, *lætos oculis afflarat honores*. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3. Quomodo in hac descriptione pulchritudinis Virgil. pictores imitetur: quomodo Æneam à partibus corporis, & ab adiunctis, ab effectrice demum huius elegantiæ commendet, videndus Regulus. Hellenismus est, os humerosq; deo similis, qualis apud Horat. sat. 1. lib. 1. *multo iam fractus membra labore*. Et Ode 1. lib. 1. *nunc viridi membra sub arbuto stratus*, & mille talia.

LVMEN. IVVENT. PVRP.) Purpureum, & roseum, quod alibi me docere memini, poetis valent, pulchrũ, nempe ab elegantia & pulchritudine purpuræ, & floris illius, quẽ ex Anacreonte laudauimus lib. 4. Georg. Itaque multa dicuntur, à poetis præsertim, purpurea, quæ colorem purpuræ non imitantur. Quid enim minus, quã nix? Albinouanus tamen purpuream vocauit, *purpurea sub niue terra latet*. Credo, quod ab Horatio purpureos olores, id est, excellenter candidos, nitidos, puros, ideoq; elegantes appellari animaduerterat. Ciceroni, & Virgil. Georg. 4. mare dicitur purpureũ. Propertio lib. 1. purpureum papauer, quod Catullo luteũ. De luce Maro 6. Æneid. *& lumine vestit Purpureo.* Est tamẽ ferrugineæ quoddam purpuræ genus, secundum quod mare, & papauer forsitan purpurea nominantur. Porrò natura, varietasq; purpuræ, ex Iun. animaduersor. lib. 2. cap. 2. planissimè cum explicari, cum intelligi posse videt. Tria fermè, ait, purpurearũ vestium genera, ab auctoribus enumerata lego, ἁλουργίδα, πορφυρίδα, καὶ φοινικίδα. Et post pauca: Enimuerò vocabulorũ etyma intuenti mihi, atq; expensius rimanti, ἁλουργὶς videtur cæruleum paludamentũ, siue mauis, trabea exponi posse. Nam colorẽ cæruleũ ἁλουργὸν à maris colore dici puto, ἀπὸ τῆς ἁλὸς: quo modo accipitur, quod legimus, Odysseam Homericã olim ἐν ἁλουργοῖς ἐνδύμασιν, vt Iliada ἐρυθροβάφοις, agi consueuisse: cœruleis quidẽ illam, ꝓpter Vlyssis per mare errores: hanc verò rubeis, propter cædes, & cruenta bellorum vulnera. Deinde φοινικίδα interpretor, quæ palmeum colorem mentiretur, illis φοίνικα palmã nuncupantibus. Postremo πορφυρίδα, rectè purpuream à cruore, saniéue piscis purpuræ dici posse censeo: nigricantẽ videl. magis, à cuius similitudine πορφύρεον κῦμα, & πορφύρεον θάνατον Homer. extulit.

LOT. OCVL. AFF. HON.) Læti honores oculorum, est vultus splendor quidã, & dignitas admiranda, cuius præcipua pars oculi: quos cum suffuderit lætitia, mirũ dictu, quantus vultui decor accedat. Stat. li. 2. Thebaid.

Quantus honos, quantusq́; pudor (ne credite patri)
Et super hesternas licuit cognoscere mensas.

Loquitur de filiabus suis Adrastus Argiuorum rex. Pulchritudo ista Æneæ tam admirabilis, à Venere matre collata mihi redigit in memoriam sanctissimę viduæ Iudithæ speciem illam, qua Assyrij tantopere obstupefacti sunt, qua captus Holofernes caput amisit. Quamuis igitur iam antè esset mulier formosissima, tamen quia rem magnam, nempe salutem patriæ agitabat animo, scriptum est cap. 10. postquam expositum est, quomodo sese compsisset, & omne corpus ornauisset: Cui etiam dominus contulit splendorem: quoniã omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat. Et ideo dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omniũ oculis appareret. Verè huic magnanimæ fæminæ, liberatrici, & seruatrici suorũ ciuiũ dici potest deus & decorã cæsariem, & lumẽ iuuentæ purpureum, & lætos oculis honores afflauisse.

PARIVSVE LAPIS) Candidissimum est marmor Parium. Hor. Ode 19. lib. 1.

Vrit me Glycera nitor
Splendentis Pario marmore purius.

Hinc Maro insulã Paron nominauit niueam. 3. Æneid. Plin. lib. 36. cap. 5. loquens de nobilibus operibus, & artificibus statuarijs, Omnes autem tantum candido marmore vsi sunt è Paro insula, quem lapidẽ cœpere lychnitem appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, vt auctor est Varro, multis postea candidioribus repertis, nuper etiam in Lunensium lapidicinis. Sed in Pariorum mirabile proditur, gleba lapidis vnius cuneis diuidentium soluta, imaginem Sileni intus extitisse.

Tum sic reginam alloquitur, cunctisq́; repente
Improuisus ait, Coram, quem quæritis, adsum
Troius Æneas, Libycis ereptus ab vndis.
O sola infandos Troiæ miserata labores:
Quæ nos, relliquias Danaûm, terræq́; marisq́;
OMNIBVS EXHAVSTOS IAM CASIBVS, OMNIVM EGENOS,
Vrbe, domo socias: GRATES PERSOLVERE DIGNAS
NON OPIS EST NOSTRÆ, Dido: nec quidquid vbiq; est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
DII TIBI (SI QVA PIOS RESPECTANT NVMINA, SI QVID
VSQVAM IVSTITIÆ EST, ET MENS SIBI CONSCIA RECTI)
PRÆMIA DIGNA FERANT. QVÆ TE TAM LÆTA TVLERVNT
SÆCVLA? QVI TANTI TALEM GENVERE PARENTES?
IN FRETA DVM FLVVII CVRRENT, DVM MONTIBVS VMBRÆ
LVSTRABVNT CONVEXA, POLVS DVM SIDERA PASCET,
SEMPER HONOS, NOMENQVE TVVM, LAVDESQVE MANEBVNT,
Quæ me cunq; vocant terræ. Sic fatus amicum
Ilionea petit dextra, læuaq́; Serestum.
Post alios, fortemq́; Gyan, fortemq; Cloanthum.

CORAMQVE QVEM QVÆR. AD) Exabrupto decuit inchoare orationem, qui improuisus, & insperatus apparebat. Optabat quidem eius præsentiam apertis verbis Regina: sed occultè, quotquot aderant eius proceres, & satellitium. Rectè igitur, cunctis, ait, quando cunctorum erat vnum, idemq́ue desiderium, talem virum videre gestientium. Vel ad Didonem tantùm, & Ilioneum refertur τὸ quæritis, Illa enim dixerat, *Si quibus eiectus syluis, aut vrbib⁹ errat*. Hic verò, *Sin absumpta salus, & te pater optime Teucrûm Pontus habet Libyæ.* Atque hæc ex Donati sententia.

O SOLA INFANDOS) Gratias agit, & est demõstratiui generis oratio, cuius artificium ex Rudolpho Agricola perpendit Regulus. Vehementer sibi reginã conciliat, dum eius in se, ac suos singulare genus pietatis per exclamationem extollit. Quò enim quis calamitosior, & egentior est, eò illi succurrentis benignitas laudabilior. Quæ si cumulatior etiam, quàm pro necessitate fuerit, satis laudari non potest. Talis est Didonis, quæ tot malis, & ærumnis terra mariq́ue pressos, & omnium rerum penuria conflictantes, ciuitate donare parata est, ac pro suis ducere, nullo discrimine. Cur autẽ dicat *sola*, cum & homines quidam, & dij nonnulli eorum labores miserati sint, caussas plures adducit Corrad. quem adi. Ex tribus prima placet: sola, inter mortales, & alienos. Nam de dijs, Venere, Apolline non loquitur poeta: & Anius amicus peruetus, Helenus & Acestes propinqui erant, vt non potuerint quodammodo non miserati suos.

VRBE, DOMO SOCIAS) Malè Seruius, vrbe, domo, id est, hospitio publico, & priuato: quia tunc oratio descenderet: nec hoc ipsum dixerat Dido, sed obtulerat vrbem, & sedem, id est ciuitatem, & domicilium: quæ duo vult Æneas duobus etiam verbis significare, vrbe, & domo. Potest autem quis habere ciuitátem, siue ciuis esse, nec tamen in vrbe domicilium habere. Corrad.

GRATES PERSOL. DIGNAS) Qui beneficiorum memores fuerint, gratiamq́ue retulerint, enumerantur aliquot ab Æliano variæ histor. libr. 4. cap. 5. Nugantur, qui grates referri, gratias agi volunt: id est, grates ad facta, gratias ad verba pertinere. Veteres vtraque voce indiscriminatim vsi sunt. Ouid. in Ibin grates agere dixit. Cic. in som. Scip. Et grates, inquit, tibi ago summe sol. Liuius libr. 10. Læti, atque alacres, dijs populoq; Romano grates agunt. Vt autem gratias agere, referre, sic &

ſic & grates agere, referre, (pro quo hic Virgilius perſol-uere) latinè dicimus. Grates habere, quemadmodum gratias habere, inuenies apud Plautum in Perſa, & Sticho.

MAGNVM QVÆ SPARSA PER ORB.) Meminit hiſtoriæ. Multi enim poſt excidium Troiæ, orbis diuerſa tenuerunt, vt Helenus Epirum, Antenor Venetiam, alij Sardiniam ſecundum Salluſtium. Seruius.

DII TIBI SI QVA PIOS) Gratus eſt ſine dubio, non ſolum qui reddit beneficium, ſi poteſt, verum etiã qui illud crebra recordatione vſurpat. Pius autem, qui bene merenti à deo, cuius eſt orbis terræ, & plenitudo eius, pro exiguis ingentia, pro caducis immortalia, pro terrenis cæleſtia ex animo precatur. Et id ex Chriſtianorum officiis haud poſtremum eſt. Cur verò dubitat vir religioſiſſimus, an numina reſpectent pios? An non multis id exemplis in ſe ipſo cognouit? Duplex occurrit ſolutio. Virgilius aliquot locis non ſe ſatis Stoicum præſtat in aſſerenda diuina prouidentia, ſed ἐπικούρειον quiddam olet. Poteſt etiam reſponderi, locutum more vulgi. In rebus enim certis, ac veris planè, hanc tamen formam ſermonis adhibemus, vt dubitare videamur, cum aſſeramus potius. Vt, ſi eſt vlla dei miſericordia, nõ abijciet nos ſperantes in ſe. Perinde eſt, ac ſi dicamus. Deus eſt miſericors, & idcirco non deſeret nos ſperantes in ſe. Ita hoc loco: *Si qua pios reſpectant numina*, &c. id eſt, quàm numina reſpectant pios, & quàm vſpiam eſt aliquid iuſtitiæ, ſeu probitatis in terris, tam te reſpiciant, propter virtutem tuam, ac tibi præmia digna ferant. *Si quid noniſti rectius iſtis Candidus imperti, ſi non, his vtere mecum.*

Modicij explanatio hæc eſt. Qui benefaciunt miſeris, accipiunt præmia à deo, ab hominibus, & à conſcientia ſua. Deus tribuit, quia reſpicit pios. Homines iuſti tribuunt, quia natura quandam iuſtitiã inſeuit hominibus, qua impelluntur ad amandum eos, quos alijs vident benefacere, etiamſi nihil ipſi accipiant. Illis habent gratiam, & referunt, cum opus eſt. Conſcientia denique pro præmio eſt. Vt enim qui ſibi conſcij ſunt officij prętermiſſi, dolent: ſic qui officium præſtiterunt, gaudent in ſinu, & ſentiunt animi quandam quietem, quæ pro pulcherrimo pręmio eſt. Eſt igitur verborũ ſenſus. Parem tibi gratiam referre non opis eſt noſtræ Dido, nec aliorum omnium Troianorum. Dij tibi, ſi reſpiciunt pios: ſi quid vſquam iuſtitiæ eſt, homines ſcilicet, ſi qui iuſti ſunt, & mens ſibi conſcia recti, id eſt, conſcientia tua rectè facti præmia digna ferant.

QVÆ TE TAM LÆTA TVL. SÆCVLA) Mos hominũ eſt, ex viuentium probitate & præſtantia laudare ætates ſiue ſæcula, & ex liberorum virtutib⁹, beatos prædicare parentes. Sic in 3. Helenus Anchiſæ. *Vade, ait, ô felix nati pietate.* Plaut. *Fortunatus, qui illum eduxit ſibi.* Ita apud Terent. And. dicit ſe propter mores Pamphili honeſtos laudari Simo.

Cum id mihi placebat, tum vno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.

Obſeruat Donatus interpres.* *Sed iuſtiſſimè tantopere admiratur, & ore pleno Didonem commendat Æneas, quandoquidẽ nulla re homines propius ad deorum excellentiam, vt traditum ab idoneis ſcriptoribus accepimus, quã dandis beneficijs, iuuandoq́; accedunt.*

IN FRETA DVM FLVVII) Seneca Medea, *Dum flumina in pontum cadent.* Eclog. 5. *Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit, Dumq́; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.* Hæc tametſi eandẽ continent ſententiam, tamẽ non ſunt æquè ſpecioſè dicta: vt iſta, *In freta dum fluuij* &c. Seruijt enim poeta dignitati materiæ, vt in

A Bucolicis humilitati. Cic. 2. Philipp. Dum genus hominum, dum pop. Romani nomen exſtabit, quod quidem erit, (ſi per te licuerit) ſempiternum, tua illa peſtifera interceſſio nominabitur. Nam in reprehenſione, perinde vt in laude hac forma orationis vti conceſſum eſt.

DVM MONT. VMB. LVST. CON.) Dum in montibus vmbræ partes inclinatas tegent, & perambulabunt. Nam cum de montibus vmbræ cadunt, vt ait in Bucol., eas potiſſimùm partes, quæ ſunt inclinatæ & cõuexæ, ſolent occupare. Corrad.

POLVS CONVEX. DVM SID. PASCET) Primum recitabo ſentiam Brodæi, deinde Turnebi. Ille lib.
B 2. cap. 17. in hunc modum. Ego, reclamante vulgata codicum fide, *palus* approbo. Neque enim quo pacto polus, id eſt, vt arbitror, cælum paſcat ſidera, in animum induco: Stoici autem, quorum ferè placita amplectitur Virgilius, terræ, oceaniq; vaporibus planetas, ſtellas alias, atq; aſtra ali crediderunt: quia nullus ignis ſine paſtu aliquo poſſit permanere. Teſtis in libris κυκλικῆς θεωρίας Cleomedes, & Laertius in Zenone. Τρέφεσθαι δὲ τὰ ἔμπυρα ταῦτα, καὶ τὰ ἄλλα ἄστρα, τὸν μὲν ἥλιον ἐκ μεγάλης θαλάττης, τὴν δὲ σελήνην ἐκ ποτίμων ὑδάτων, τὰ δ᾽ ἄλλα ἀπὸ τῆς γῆς. Item Plin. lib. 2. cap. 68. Per paludem igitur aut omnẽ ſimpliciter humorem intellige, aut mare ipſum: quod, vt aliâs planum feci, λίμνην vocat Homerus. Quid
C ſi oſtendam Seruium palus legiſſe? Paſci inquit, aquis marinis cæleſtes ignes phyſici dicunt. Niſi enim ita eſſet, cur aquarum marinarum, nihil ad potum ſpectantium, mentionem inferret? Cur deinceps ſcholium ſuum Lucani hoc docêtis teſtimonio fulciret? Vnus me pungit aculeus, quo ſublato, patent omnia. Is vtiq; eſt, quod Virgilius 6. ſpiritum Titania aſtra alere, Deum innuens, refert (hunc enim ſpiritum quendam igneum eſſe, per vniuerſum mundũ permeantem, ac peruagantem, e Stoicorum ſchola depromit) cuius prouidentia, tanq̃ domini, ſidera alantur. Eis verò nutrimentum humor ſuppeditet: vti familiæ, ac ſeruis heri procuratione cibis, ac potus alimentum accommodant, & ſuggerunt.
D Quidam apud Virgilium per ſpiritum, cæleſtem, & æthereum teporem, naturæ ſeminarium, ſpiritumq́; vitalem intelligunt.

Turneb. lib. 5. cap. 5. Aſtra conuexa non videntur, cum globoſa potius, & rotunda ſint: ego conuexa dici aſtra interpretor, non ſingula, ſed vniuerſa: conuexitatem enim eandem, quam cęlum efficiunt, toto obſita, & diſperſa cælo vndiq; in orbem. Sed ecquonam modo polus ea paſcit? Cenſent Stoici ſidera, cum igneæ ſint, & feruentis naturæ, paſci humore. Quare aliqui *palus* legunt, non polus. Sed nihil cenſeo eſſe cauſſæ, cur hic nouitatis ſtudioſi ſimus. Nam cum cælum verſet aſtra tanquam palantia, & errantia, & tanquam alimentum ſequentia dum voluuntur, fit perinde, vt tanquã paſtor
E ea paſcere videatur. Hoc ſi ſenſũ accipias, qui, vt reor, & probalis eſt, nec indignus poeta, nihil profectò habeas, cur quidquam hic nouandum putes.

Non multum diuerſis verbis ab his dixit Lucretius lib. 1. *vnde æther ſidera paſcit.* Ex opinione vtiq; veterum philoſophorum, exiſtimantium ſolem, & cætera ſidera, & ſtellas humoribus Oceani, & terræ vaporibus ali. [*Quam opinionem tetigit & Anacreon Ode quadam, vbi per inductionem probat, cum omnia bibant, ſibi quoq; potatione haud intercendum.*

Πίνει θάλασσα δ᾽ αὔρας — Et potat, æquor auras,
Ὁ δ᾽ ἥλιος θάλασσαν. — Phœbusq; potat æquor.

Et Lucanus, Nec non Oceano paſci Phœbumq;, polumq;. *Claudian. 2. Raptus, de Luna.* Læua parte ſoror vitrei libamina potat vberis. *Mitto alios.*] Sic M. Tull. lib. 2. de natur. deor.

Ergo

Ergo cum sol igneus sit, Oceanique alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere: necesse est aut ei similis sit igni, quẽ adhibemus ad vsum atq; victum: aut ei, qui corporibus animantiũ contine- A netur. Ibid. Probabile est igitur, præstantẽ intelligentiã in sideribus esse, quæ & ætheream mundi partem incolant, & marinis, terrenisq; humoribus longo interuallo extenuatis alantur. Hæc Lamb. in Lucret.

Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto: & sic ore loquuta est.
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
Túne ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndam?
Atq; equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patrijs, noua regna petentem,
Auxilio Beli. genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.
Tempore iam ex illo casus mihi cognitus vrbis
Troianæ, nomenq; tuum, regesq; Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seq; ortum antiqua Teucrorum à stirpe volebat.
Quare agitè, ô, tectis, iuuenes succedite nostris.
Me quoq; per multos similis fortuna labores
Iactatam, hac demum voluit consistere terra.

NON IGNARA MALI MISERIS SVCCVRRERE DISCO.

SIDON. DIDO) Cur nam Sidonia vocatur Dido, cum Tyrij condiderint Carthaginem, duce Didone eò profecti? Quia cognati Sidoniorum fuerunt Tyrij, quod vtramque vrbem, Tyrum inquam, & Sidona ædificasset Agenor. Hinc Tyro capta ab Alexandro, multis saluti fuere Sidonij, qui intra Macedonum præsidia erant. Hi vrbem quidem victores intrauerunt, sed cognationis cum Tyrijs memores, multos Tyriorum etiã protegentes, ad sua perduxere nauigia: quibus occultati, Sidona vecti sunt. Curtius lib. 4.

IMMANIB. APP. ORIS) Non tam propter mare, vt ait Seruius, importuosum, quàm propter gentes immanes, quæ sunt ibi. Afri enim mobiles, violenti, callidi, bilingues, sæui, infidi, & perfidi à scriptoribus appellantur: suprà Venus, *genus intractabile bello*. Vide Corrad.

TVNE ILLE ÆN.) Exornatio est, laudatur enim Æneas, & secũdus amoris gradus indicatur, nempe colloquium. Laudatur autem primum à parentibus nobilissimis. Sed quia, vt ait Arist. lib. 1. Rhet. certa & indubitata laudamus, principio orationis non dubitanter, neque interrogatiúe, vt Grammatici loquuntur, sed auctore Quintil. lib. 11. cap. 3. cum admiratione, & emphasi protulit hæc verba, *Tu ne ille Æneas?* Regulus.

QVEM DARD. AN. A. V. GEN.) Arnobius lib. 4. vbi deas hominũ amorib⁹ implicatas recenset, etiã Venerẽ cum Anchisa nominat. Sed soli amant apud vos mares (Dij) & fœmineo sexui sua conseruata est sanctitas. Nõne vestris cautum est litteris, adamatum esse ab Aurora Tithonum, arsisse in Endymionem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis genitorem Thetin, Proserpinam in Adonem, matrem eius Cererem in Iasonem nescio quẽ rusticanum, & post Vulcanum, Phaetontem, Martem, in Anchisæ nuptias ipsam illam Venerem Æneadũm matrem, & Romanæ dominationis auctorem?

Ennius lib. 1. Annal. *Te nunc sancta precor Venus,* B *& genetrix patri⁹ nostri.* Vbi Æneam Troianum sine controuersia intelligit, qui Reipub. Rom. princeps, eã ob caussam toties à Virgilio pater est appellatus. Horat. Ode 15. lib. 4.

Troiamq;, & Anchisen, & alma
Progeniem Veneris canemus.

Quamuis fortasse hoc melius de Æneæ posteris, & Iulia gente accipiatur, à Venere oriunda. Ab eo Romani dicti Æneadæ Iustiniano Imp. Nouell. 47. in præfat. Si quis respexit, inquit, ad vetustissima hominum, & antiqua Reipub. Æneas nobis Troianus rex, reipub. princeps, & nos quidem Æneadæ ab illo vocamur. Hinc nomen Veneris Genitricis toties ab auctorib⁹ vsurpatum. C De genealogia vero Æneæ placitum est versus aliquot de 4. Fastor. Nasonis subtexere.

Dardanon Electra quis nescit Atlantide natum?
Scilicet Electram concubuisse Ioui.
Huius Erichthonius, Tros est generatus ab illo:
Assaracum creat hic, Assaracusq; Capyn,
Proximus Anchises, cum quo commune parentis
Non dedignata est nomen habere Venus.
Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes,
Sacra, patremq; humeris altera sacra tulit.

Quem Anchisæ, inquit Virgilius, Venus genuit. Sic Terent. Andr. *Perecastor scitus puer natus est Pamphilo.* Noster lib. 12. *quos fida crearat Vna tot Arcadio coniux* D *Tyrrhena Gylippo.* * *Natum Æneam Venere & Anchise, clarissimis verbis testatur in catalogo Homerus, simulq; locum vbi conuenerint exprimit.*

Δαρδανίων αὖτ' ἦρχεν ἐῢς παῖς Ἀγχίσαο
Αἰνείας, τὸν ὑπ' Ἀγχίσῃ τέκε δῖ' Ἀφροδίτη
Ἴδης ἐν κνημοῖσι θεὰ βροτῷ εὐνηθεῖσα.

Lucianus lib. de Astrologia, vide quaso quorsum hanc diuinam Æneæ, & quorundam aliorum originem referat. Nam qui consentaneum est, credere Æneam Veneris fuisse filium, aut Minoa Iouis aut Ascalaphum Martis, aut Autolycum Mercurij? Verùm si homines pij, dijsq; grati fuerunt, eis nascentes, hunc Venus, illum Iupiter, alium respiciebat Mars. Etenim qui patresfamilias sunt [illegible]

mortalibus in hoc progignendi genere, quod velut parentes sibi similia producunt omnia, & colorem, & formam, & facta, & animum. At rex quidem Minos Iouis auspicijs, Æneas formosus Veneris fauore natus est, sic Autolycus: ac nataliis ferocitas ex Mercurio contigit. Hæc quantum apud te valere debeant, nosti Christiane lector, sunt enim vanissima.

ATQVE EQVIDEM TEVCRVM) Occupat Dido, quod Æneas quærere, vel dubitare poterat, quo pacto hæc ipsa sciret. Idcirco affirmat, à Teucro hæc omnia audiuisse. Teucri in exilium vltro abeuntis meminit quoq; Horat. lib. 1. Ode 7. Teucer siquidem, vt patris iracundiam declinaret, lueretq; inultam sua socordia fraternam cædem, solum vertit, & Sidona peruenit, cum solerent Græci vel leuissima de caussa, ne paternas diras irritarent, voluntarium exilium consciscere: vnde apud Homerum Phœnix.

Ἀλλ', ὅτε δὴ πρῶτον λίπον Ἑλλάδα καλλιγυναῖκα,
φεύγων νείκεα πατρὸς ἀμύντορος ὀρμενίδαο.

German. * *Teucer non receptus à patre Telamone ob segnitiem non vindicata fratris iniuria, Cyprum appulsus, cognominem patriæ suæ Salamina constituit. Velleius lib. 1. Horat. Ode citata.*

Certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure noua Salamina futuram.

De Belo, & Cypro vide annotata supra, ad illum locum, sed regna Tyri germanus habebat Pygmalion.

MEMINI SIDONA VENIRE) Sidonem Phænices ita à piscium vbertate appellarunt. Sidon Phænicum lingua piscem significat. Traduntur Sidonij inuentores sideralis scientiæ, & arithmeticæ: ijdem primi mortalium certam nauigandi rationé inuenere. Plura Montf.

IPSE HOSTIS TEVCROS INSI. L. FER.) Ex oculato teste cognouit Dido bellum illud Troianum, atque adeo excidium. Nihilominus in extremo libro ab Ænea audire concupiscit, quæ eodem illo Græco narrante cognouerat. Res enim magnæ, & ipsa nouitate mirabiles, etiam iterũ, ac tertiò auditæ delectant. Plura tamen ibi petit, *Erroresq; tuos*, de quibus Teucer nihil narrare potuit. Cuius testimonium de Troianorum virtute ideo maiorem vim habet, quia hostis. Nam vt amici laus suspecta, reprehensio sincera: sic inimici vituperatio pro falsa, laudatio pro vera habetur. Nam si quid in re inesset vitij, illi potissimùm reprehéderent. Gloriabatur præterea Teucer apud Didonem de materno genere magis, quam de paterno. Quo argumento intelligi potuit, quanti Troianos faceret. Et hoc ad Æneæ laudem proficit, cuius nobilitatem, & claritudinem gentis fateantur etiam ipsi hostes, adeo, vt quia inde vel ex parte oriundi sint, se beatissimos putent. Erat verò mater Teucri Hesione Laomedontis filia, Priami soror, quam priore expugnatione Ilij Hercules Telamoni (quem patrem Teucer habuit) virtutis ergô in munere dedit.

QVARE AGITE O TECTIS) Inuitatio in regiam. Cum ego vobis auxilium, & ciuitatem sim pollicita: cum nata sim ex eo patre, qui sit alijs auxiliatus: cum vos digni sitis, qui beneficium accipiatis. Corrad.

ME QVOQVE PER MVLTOS) Suo exemplo ad spem rerum meliorum eos erigit. Vt ipsa ex infelici felix euaserit, vt sibi labores in requiem versi sint, ita secum quoque actum iri confidant.

NON IGNARA MALI, MIS. S. DISCO) Eruditè Rhodigin. lib. 24. cap. 2. quid apathia, dispathia, metropathia, propathia, sympathia, antipathia sit, exponit. Est autem oratoribus item sua homoeopathia, de passionis nata similitudine, quam vndiq; scientissimus exprimit poeta, velut hóc ipso loco sub persona Didonis: & lib. 9. *Et patriæ strinxit pietatis imago.* Item in 12. *fuit & tibi talis Anchises genitor.* * *Pro Murena Cic. Hoc natura affert, vt eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur. Est igitur hic verborum Maronis intellectus. Docuerunt me mala mea, quæ passa sum, aliorum misereri: quod minus faciunt, qui similia non sunt experti.*

Sic memorat: simul Ænean in regia ducit
Tecta: simul diuûm templis indicit honorem.
Nec minus interea socijs ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos,
Munera, lætitiamq; dei.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, medijsq; parant conuiuia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroq; superbo:
Ingens argentum mensis, cælataq; in auro
Fortia facta patrum: series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.

SIC MEMOR. SIMVL ÆN.) Valerius Flaccus lib. 2. Argonaut.

Sic memorat, lætosq; rapit, simul hospita pandi
Tecta iubet, templisq; sacros largitur honores.

Vides, credo, vnde effinxerit.

DIVVM TEMP. IND. HONOR.) Supplicationes indixit, vt Carthaginenses ad omnia delubra dijs gratulatum irent, propter aduentũ Troianorum, præsertimq; Æneæ, tanti viri, & Anchisæ atque Veneris filij. Qua verò cærimonia peragerentur supplicationes, quibus de caussis indicerentur, accurate litteris persecutus est Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27.

VIGINTI TAVROS) Quamuis essent naues tantum 19. Sed maluit superesse, quam deesse. Non in præsentes duntaxat, sed absentes etiam est liberalis, quibus mittit munera, quæ laudantur à genere, à numero, & à fine, cuius caussa missa sunt, vt scilicet diem illũ lætum traducant. Hic Principis liberalis perfecta forma expressa est, qui dat beneficia, quibus, quando, quomodo & qua de caussa debet. Vide Arist. 4. Ethicor. cap. 1. Regulus.

HORRENTIA TERGA) Non sale, neque setis, vt placet Corrado, sed magna, ingentia, quorum aspectus horrorem posset incutere.

MVN. LÆTITIAMQVE DEI) Pro certo confirmat Gell. lib. 9. cap. 14. hoc loco scripsisse Virgilium dij, pro diei. Quod imperitiores dei legunt, ab insolentia scilicet vocis illius abhorrentes. Sic autem dij declina-

declinatum est à veteribus, vt fames famij, pernicies A pernicij, progenies progenij, luxuries luxurij, acies acij, &c. Quòd vinum appellat lætitiam, ex effectu efficiens intelligimus, seu effectum pro caussa positum accipimus. Munera autem dei, Bacchi scilicet, quoniam vini inuentionem fabulæ ad eum referunt. Infra, eundem lætitiæ datorem vocat Dido: cui testimoniũ ferre possunt præter alios auctores vinosi poetæ duo, Horatius, & Anacreon. Sine caussa, vt arbitror, hic verbosus est Corrad. vt aliâs sæpe. ✠

AT DOM. INT. REG. SPLEN. LVX. INST.) Dum superiora fierent, pars domus interior, non ea, in quam ductus Æneas fuerat, regalibus ornamentis instruitur, & fit splendida. Vel, quamuis sit splendida, B tamen instruitur. Ita Corrad. Sine vlla dubitatione Catullum est imitatus, de nupt. Pelei & Thetidis inter alia sic canentem.

Ipsius at sedes quacunq; opulenta recessit
Regia, fulgenti splendens auro, atq; argento.
Candet ebur solijs, collucent pocula mensis:
Tota domus gaudet regali splendida luxu.

MEDIISQVE PAR. CONVI. TECTIS) intelligendum est, triclinia in media cœnatione sterni consueuisse, vt ministrantibus nimirum liberrimus relinqueretur locus. Sic lib. 3. legimus, *Aulai in medio libabant pocula Bacchi.* Malè quidam exponunt, medijs tectis, sub dio: quomodo enim potuissent lychni dependere laquearibus aureis? * *Huc assumat, qui volet, lectionem de sumptuosissimis, adeoq; intemperantissimis Heliogabali, Galieni, Caij, Sullæ, Vitellij, Neronis conuiuijs, deq; conuiuiorum generibus, quæ produntur litteris à Iouiano Pontano, de Conuenientia, libello prorsus aureo, omniumq; elegantiorum ingeniorum lectione dignissimo. Quanquam quis tandem illius & eruditissimi, & facundissimi, ac nitidissimi scriptoris liber, quæ pagina, qui versus, non sit lectu dignissimus?*

ARTE LABOR. VESTES) Vestis generaliter dicitur, vt stragula, forensis, muliebris. Vestimentum pars aliqua, vt pallium, tunica, penula. Festus. Vide præterea quæ à nobis notata sunt infra, *stratoq; super discumbitur ostro.* Omnino hic stragulæ vestes & quæ dicuntur peristromata, accipienda sunt. ✠

INGENS ARGENT. MENSIS) Ingentia ex argento pocula. Mensarum apparatum argenteum appellabant argentum, vt etiam auri nomine vasa aurea. Scæuola, Auro legato vasa aurea continentur, & gemmis gemmea. Licet etiam hunc locum sumere de abacis, seu repositorijs pretiosæ materiæ & operis, haud minus ipsis lectis discubitorijs, in quibus solebant exponere lances, & vasa omnis generis, argentea, aurea, pura, cælata, aut gemmis etiam distincta, murrhina, crystallina, gemmea, aut ab excellentibus fabricata artificibus. * *En tibi iam Valer. Flaui imitationem, lib. 2.*

Stant gemmis, auroq; tori, mensæq; paratu
Regifico, centumq; pares primæua ministri
Corpora, pars epulas manibus, pars aurea gestant
Pocula, bellorum caussas expressa recentum.

SER. LONGISS. RERVM) Rerum ab ipsis patribus gestarum. C

PER TOT DVCTA VIROS) Iouem, Epaphum, Belum priscum, Agenorem, Phœnicem, Belum minorem, qui & Metres dicitur, patrem Didonis.

Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem:
Ascanio ferat hæc, ipsumq; ad mœnia ducat.
OMNIS IN ASCANIO CHARI STAT CVRA PARENTIS.
Munera præterea Iliacis erepta ruinis
Ferre iubet, pallam signis, auroq; rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho:
Ornatus Argiuæ Helenæ, quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, inconcessosq; hymenæos,
Extulerat: matris Ledæ mirabile donum.
Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim
Maxima natarum Priami, colloq; monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroq; coronam.
Hæc celerans, iter ad naues tendebat Achates.

ÆNEAS RAPID. AD NAVES) Postquam quæ D Dido faciebat descripsit, ad Æneam reuertitur, vt dicat etiam quid ille fecerit. Ille vero misit Achatem, qui filium adduceret, reliquos consolaretur, & munera simul afferret, quæ reginæ offerentur, quod ante facere non poterat, quam omnia tuta esse cognosceret. Corrad.

NEQVE ENIM PAT. CONSIST. M. PASS. AM.) Quemadmodum Virgilius, consistere mentem non patitur amor, sic Cice. consistere eius animum sine furore, & amentia non sinunt. Idem in Anton. Nec vero vnquam te vigilantem, neque in somnis mente credo posse consistere. German.

OMNIS IN ASCANIO. CHARI) Quare omnis cura Æneæ staret, id est, defixa esset in Ascanio filio, patet ratio: quia filius, quia vnicus, quia illi imperium Italiæ, Romanaque tellus debebatur, vt ait in 4. Iupiter, & non ignorabat Æneas. Ipse tantarum rerum fundamenta duntaxat, & initia expediturus erat. Nec verò vlla res tam visitata est parentibus, quam velle gaudijs suis interesse, participesque fieri liberos. ✠

MVN. PRÆTER. ILIACIS) Ad duplicandam diei hilari-

hilaritatem, ad commendandam Æneæ magnificentiam, studiumque referendæ gratiæ & ad reginam deniq; arctius deuinciendam, valde opportunè dona quædam Virgilius, eaq; maximè idonea, idoneo tempore, inter medias scilicet epulas offerenda excogitauit, id est, in medio gaudiorum. Ea sunt quinque: palla signis aureis rigida: cyclas, circumtexum habens limbum, in acanthi similitudinem: sceptrum: monile ingens, baccis consertum: corona gemmis interlucentibus. Prima duo fuerunt Helenæ: reliqua Iliones, natu maximæ filiarum Priami, Thracum reginæ: quippe quæ cũ Polymnestore nupta fuerat. His Dido & sexui, & personæ suæ congruenter, atq; perfectè exornatur: mulier cultu muliebri, regina ornatu reginarum. Quæ quidem & Æneam virum principem, regis potentissimi generum dare, & Didonem talem fæminam, reginamq; accipere conueniebat. Hac ratione Æneas seruauit ègregiè, quod in donatione munerum obseruandum præcipit Seneca lib. 1. de Benef. cap. 2. Cauebimus, ait, ne munera superuacua mittamus, vt fœminæ, aut seni arma venatoria, aut rustico libros, aut studijs ac litteris dedito retia. Vide prouerb. Cani das paleas, asino ossa. Sed quo pacto seruauit? quia, vt dictum est, mulieri muliebria, reginæ regia donauit. ☙

PALLAM SIG. AVRO QVE RIG.) A jureconsultis inter muliebria ornamenta ponitur. Liuius lib. 7. decad. 3. ait senatum Romanum ad reginam Cleopatram dono misisse pallam pictam, cum amiculo purpureo. Nonius ait esse honestæ mulieris vestimentum, hoc est, tunicæ pallium. Dictam sentit Seruius ἀπὸ τοῦ πάλλειν, ea autem ad vestigia vsq; demittebatur. Tibull. lib. 1. eleg. 7. *Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.* Plura Tiraquell. in 4. legem Connubial. num. 26.

CROCEO VELAM. ACANTHO) Per velamen croceo acantho circumtextum, quod Euripides κρόκεον πέπλον, videtur poeta innuere κροκωτὸν, vnde & κροκώτιον, vestem nimirum rotundam, & fimbriatam, quæ nobilioribus matronis in vsu fuit, à quo κροκωτοφόρος. German.

ORNAT. ARGIVÆ HEL.) Argiuam vocat, nõ quod Argis nata sit, oppido non ita longè à Mycenis distante in Peloponneso: sed quod Argos non solum pro vrbe, verùm pro Peloponnesi tota regione vsurpatum sit, vt docet lib. 8. Strabo. Helena autem filia Tyndari regis Laconiæ fuerit, & Lacedæmonem Peloponneso contineri non dubium sit. Sed non solum Peloponnesiacos, quin Græcos omnes Argiuos dictos ex æquo, auctor est Plutarchus in Quæst. Rom. Germ.

PERG. CVM PETERET) Helenæ perfidiam, & mœchiam carpit Oenone epist. ad Paridē apud Ouid.

Sit facie quamuis insignis, adultera certè est,
Deseruit socios hospite capta deos.

Inter declamationes veterum quorundam Græcorum Sophistarum, est illa Gorgiæ in Helenam, qua in absurdo, seu incredibili argumento ludens, eam quadripartita hac disiunctione, iniustè ob desertum, violatumq; matrimonium accusari contendit. Si in crimine est Helena, quia Troiam cum Paride nauigauit, cum id vel diuina necessitate compulsa, vel vi rapta, vel oratione persuasa, vel amore hospitis fecerit, sequitur ob horum vnam causam esse. Sed ob nullam est, quod, vt dicebam, ludens ostendit. Frustra itaque reprehenditur. Cæterùm petebat quidem Helena cum adultero suo Pergama, verùm aduersantibus ventis in Ægyptum delata, & à Proteo rege retenta est, Paride demum dimisso. Historiam persequitur Herodotus lib. 2. Euterpe. Principium hoc est, Et sane percunctanti mihi sacerdotes de Helena, referebant ita rem esse gestam. Alexandrum rapta è Sparta Helena, quum renauigaret domum, in mari Ægæo ventis excussum in Ægyptiacum pelagus, atq; illinc, non remittentibus flatibus, appulsum in Ægyptum ad ostium Nili, quod vocatur Canabicum, &c. Inter declamationes Libanij fertur vna, qua Menelaum pro concione Troianorum Helenam suam repetentem, ac nisi reddatur, perniciem illis ab exercitu, qui iam aderat, denuntiantem inducit. Troianos ciues vehementer offensos fuisse, cum viderent adduci Helenam, auctor est Dictys Cretensis lib 1. cum pars exemplum facinoris execraretur, pars iniurias in Menelaum admissas doleret, nemo approbaret, indignarentur, vt dictum est, omnes, & res ad tumultum spectaret. Catalogum raptarum, & bella propter mulieres gesta, habes lib. 1. apud Herodotum. Stesichorum poetam lyricum oculis orbatum, quia de Helena contumeliosè locutus sit, editaq; postmodum palinodia, aspectum recuperasse, fabulosè traditum, & creditum est. Meminit Plato in Phædro, hosce eiusdem versiculos recitans.

Οὐκ ἔστ' ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος,
Οὐδ' ἔβας ἐν νηυσὶν εὐσέλμοις
Πέργαμα Τροίας.
Non verus fuit ille sermo, neq; cauis
Nauibus excessisti, neq; adisti
Pergama Troia.

Quomodo rapta sit à Theseo, consule Diodorum lib. 4. cap. 7. ☙

MATRIS LED. MIRAB. DONVM) Inter donum, ait Vlpian. de verb. signif. & munus hoc interest, quod inter genus, & speciem. Nam genus esse donũ Labeo ait, vel à dando, vel à donando dictũ: munus speciem. Nam munus esse donum cum caussa, vtputa natalitium, nuptiarum. Quam varijs autem ex caussis quam varia munerum nomina apud Græcos haberentur, vide ibidem Comment. Alciati, & eiusdem Dispunct. lib. 3 cap. 13.

MONILE BACCATVM) Monile dicitur ornatus muliebris, qualem habuisse Eriphylen fabulæ ferunt. Ex eo etiam equis propendens à collo ornamentum monile vocatur, ita Festus. De baccato monili Sueton. in Galba cap. 18. Monile margaritis gemmisque consertum, ad ornandam fortunam suam Tusculanam, ex omni gaza secreuerat.

HÆC CELERANS) Positum vides in actione hoc verbum, quemadmodum & properare alicubi, exemplo Græcorum nimirum. Nam σπεύδειν, & ταχύνειν aliquando ijs actiua sunt. ☙

At Cytherea NOVAS ARTES, NOVA PECTORE VERSAT
CONSILIA: vt faciem mutatus, & ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat: donisq; furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.

Quippe domum timet ambiguam, Tyriosq; bilingues:
Vrit atrox Iuno, & sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem.
Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus:
Nate, Patris summi qui tela Typhoëa temnis,
Ad te confugio, & supplex tua numina posco.
Frater vt Æneas pelago tuus omnia circum
Littora jactetur, odijs Iunonis iniquæ,
Nota tibi: & nostro doluisti sæpe dolore.
Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisq; moratur
Vocibus, & vereor quò se Iunonia vertant
Hospitia: HAVD TANTO CESSABIT CARDINE RERVM.
Quocirca capere ante dolis, & cingere flamma
Reginam meditor: ne quo se numine mutet,
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Quà facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius accitu chari genitoris ad vrbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura:
Dona ferens pelago, & flammis restantia Troiæ.
Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,
Aut super Idalium secreta sede recondam:
Ne quà scire dolos, mediusúe occurrere possit.
Tu faciem illius, noctem non amplius vnam,
Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Vt cum te gremio accipiet lætissima Dido
Regales inter mensas, laticemq; Lyæum:
Cum dabit amplexus, atq; oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasq; veneno.

AT CYTHEREA NOVAS ARTES) Pulcherrima *οἰκονομία* poetæ, qui res omnes optimè describit. Dido Æneam in regia tecta duxerat, ad socios Æneæ munera mittebat, & ornandam domum curabat: Æneas Achatem ad filium mittebat, Achates properabat. At Venus mater, quæ pertinebant ad Æneæ salutem, satagebat, Cupido paulo post matri parebit. Ita suo quisq; munere fungitur. Corrad.

Quod videret poeta, pudicæ mulieris regno nouo constituendo, stabiliendoq; intentæ difficillimè animum ad amores, ac voluptates corporis adduci posse, quodq; nouerat ingenium Pœnorum perfidum, ne à verisimili discedat, ad deorum opem atq; consilium confugit. Sic enim quæ infra, & in 4. de Didonis in Æneam amore narrantur, magis fiunt verisimilia, quamuis sint falsa. Ergo ad hoc fingendum, vide quam aptas elegerit personas. Venerem matrem, deam, ac fœminam, Cupidinem deum amoris, filium Veneris, Æneæ fratrem, puerum. Venus enim, quod mater est, non potuit obliuisci filij vteri sui. Quod est fœmina, ad dolos est ꝓpensa. Nihil enim fœmina fallacius. Quod Venus, hoc est eius proprium munus, amorib⁹ incendere hominum animos. Hoc idem conuenit & Cupidini filio: nam quales parentes, tales & filij. Ratione quoq; Tyriorum hoc fuit faciendū, nam cum dolosis A dolosè est agendum, & cum Cretensi cretizandum. Regulus.

Cytherea, Venus, ab vrbe Cythera, in quam primum deuecta esse dicitur concha, cum in mari esset concepta. Festus. Seruius ab insula dictam vult, quæ tantum numero plurali dicitur, vt lib. 10. *sunt alta Cythera*. Vide amplius de hoc nomine Pierium lib. 47. in Lyra, hieroglyphico Amor. Artes τῶν μέσων est, sunt enim bonæ, sunt malæ artes. De bonis Terent. And.

Nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro,
Sed his, quas semper in te intellexi sitas,
Fide, & taciturnitate.

B Sallust. in Catilin. imperium ijs artibus facilè retinetur, quibus initiò partum est. Ibid. Huic, quia bonæ artes desunt, dolis, atque fallacijs contendit. Item. Animus imbutus malis artibus, haud facile libidinibus carebat.

FVRENTEM INCENDAT) Id est, incendendo furere faciat, vt, *animumq; labantem Impulit*. Et supra, *submersas obrue puppes*.

OSSIBVS IMPLICET IGNEM) De igne amatorio dicetur principio lib. 4. *traxitq; per ossa furorem*, dixit de eadem lib. eodem.

QVIPPE DOM. TIMET AMB.) Ætiologia, quare Venus velit Didonē Æneæ amore capi. Quia induci deinde non

de nō poterit, vt illi noceat. Est verò caussa timendi, nō triplex, vt vult Corrad. sed duplex: siquidem domus ambigua, & Tyrij bilingues vnam faciunt, vt sit ἐπεξήγησις. Bilingues vocat Tyrios, id est Pœnos, quia fraudulenti, & dolosi, tales enim videntur duas habere linguas. Altera est atrox Iuno, infensissima Troianis. Aliter Turneb. exponit illud bilingues, lib. 11. cap. 24. Nam Carthaginenses & Tyriorum, & Afrorū lingua vtebantur. Duplici autem lingua qui vtuntur, infideles, & veteratores improbiq; habentur. Itaq; Hannonem Plaut. Pœnulo, vt bilinguem dicit esse bisulca lingua, quasi proserpentē bestiam.

SVB NOCTEM CVRA RECVRRSAT) Cura, quæ propter Iunonis odia Veneri nata fuerat, quotidie sub noctem recursabat. Vel dicas, eodem die sæpius aliquem posse de vna re cogitare: & ita Venerem crebrius eo die, præsertim sub noctem cogitasse, ita, vt cura recursarit, & sub noctem, quæ si non instabat, non procul tamen erat. Corrad.

ALIGERVM AMOREM) A Platone in Phædro Cupido dicitur πτερὸς id est alatus, vel pennatus. Cic. 2. de natur. deor. pennatum vocat. A Phurnuto dicitur πτερωτὸς, quasi dicas volans, & pennatus, quoniam amantium cogitationes tenues, & ad auium modum vagas facit.

NATE, MEÆ VIRES) Non enim sine amore colitur Venus. Artificium huius orationis docebit te Regulus.

PAT. SVMMI QVI TEL. TYPH. TEMNIS) Haud insulsè quidam triumphum Cupidinis scripsit, quo in libro, non modo potentissimum deorum Cupidinem, sed etiam victorem facit. Enumeratis quippe amoribus singulorum, quibus in potestatem Cupidinis, ditionemque venissent, instruit pompam, in qua Iupiter cum cæteris dijs ante currum triumphantis ducitur catenatus. Lactant. lib. 1. cap. 11. * *De potestate Cupidinis, etiam aduersum deos illos immortales, scriptum est epigramma illud in Append. Virgiliana, eius statuæ subscriptum.*

Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in vndis,
Pensa dedi Alcidæ, Bacchum seruire coegi.

De eadem multis prædicat Venus dialogo quodam Luciani Tom. 4. non longe ab initio, quem habet cum Cupidine: vbi ille etiam leonibus se imperare autumat, eorumq; tergis conscensis, & prehensa iuba equitis ritu insidere. De Typhœo gigante Seneca Medea. Qui regna concussit Iouis. *Describunt eum Hesiod. in Theogonia, Apollodorus lib. 1. & eiusdē cum Ioue pugnam, & deorum trepidationem exponunt: qui eius metu varias formas sub quibus laterent, sumpserant. Ouid. 15. Metamorph. de insula Sicilia eidem supplicij caussa iniecta.*

FRATER VT ÆNEAS NOTA TIB.) Tibull. lib. 2. eleg. 5. *Impiger Ænea volitantis frater amoris.* Nota tibi, pro notum, numerus pro numero, & est hellenismus. Plaut. non rarò, mira sunt, pro mirum est.

NOSTRO DOL. SÆPE DOLORE) Cur non dixit, casu accusandi, & nostrum doluisti sæpe dolorem? elegantet hoc, vt Cælius ad Ciceron. epist. 2. libr. 8. In theatrum Curionis Hortensius introijt, puto vt suum gaudium gauderemus.

TEN. DIDO, BLANDISQVE MORAT. VOCIBVS) Quam multos blandæ istiusmodi fæminarum voces (de quibus potissimùm puta dixisse P. Syrum in Mimis, *Habet suum venenū blanda oratio*) ergo quam multos moratæ sint, atque à maximis, & gloriosissimis inceptis retardauerint, historiæ loquuntur. Hoc & Æneæ viro sapienti contigit, vt oblitus quò tendebat, & immemor promissi in Italia imperij, apud Didonem hæreret in Africa. Quare Iupiter necesse habuit, cælesti nuntio susceptam illi, nec dum peractam profectionē, & sedes illas in Italia quietas in memoriam redigere. Et credibile est, Æneam aliquamdiu se forticulum præbuisse, animoque aduersus blandimenta muliebria obfirmato perstitisse. Sed habent hoc naturale blanditiæ, inquit Seneca lib. 5. Natural. cap. 1. etiam cum reijciuntur, placent, & sæpius exclusæ, nouissimè recipiuntur.

IVNONIA HOSPITIA) Iunonia hospitia ex eo dicta, quod Carthago Iunoni dicata esset, quæ Iunonia quoq; vocata est. Turneb. lib. 18. cap. 32.

HAVD TANTO CESSAB. CARD. RERVM) Hunc habet sensum, non poterit in tanta rerum opportunitate cessare: vt sit de prouerbio tractum, quo dicitur, Res in cardine est: hoc est, in articulo. Ita Seruius. M. Tullius: in eo cardo vertitur, pro eo, quod est, ex hoc tota res pendet. Quintil. lib. 12. Nam vt taceam de negligentibus, quorum nihil refert, vbi litium cardo vertatur. Idem lib. 5. Nam si fatetur, multis ex caussis potuit cruenta esse vestis: si negat, hìc caussæ cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. Sumptum ab ostijs, quæ cardinibus sustinentur, voluunturque. Chiliad. * *Adde hæc ex Budæi Forensib. Cardinem caussæ in aliquo articulo ponere, vel summam controuersiæ, & denique caussæ factum ex eo pendere velle: est, quod aiunt Forenses, ius ex eo sumere.*

ET CINGERE FLAMMA) Vox militaris, cingere flamma, & metaphorica, ab obsessis igne ferroque vrbibus. φλογὶ ἀμφιβάλλειν. German.

NE QVO SE NVM. MVTET) Ne aliquo numine quasi imperante sententiam mutet, & quem amare cœpit, certè hospitio accepit, offendat, persequatur, aut etiam occidat. Numen Iunonis significat, quæ vel Irim mittere, vel ipsa venire potuisset, & hoc Didoni mandare. Numinis autem nomen tacet hìc, vt ante in verbo *cessabit*, ne toties Iunonem nominans, Cupidinem tantæ deæ maiestate terrefaciat. Corrad.

QVA FACERE ID POSSIS) Facere à facie, quod rei quam facit, imponit faciem, vt fictor cum dicit fingo, figuram imponit: cum dicit informo, formam: sic cum dicit facio, faciem imponit. Varro libr. 5. de ling. latin.

NOSTRAM NVNC ACCIPE MENTEM) Locus attentionis. *Nostram mentem*, consilium, rationem.

REGIVS PVER) Tum propter Priamum, cuius erat ex filia Creusa nepos: tum propter regnum illi in Italia destinatum.

AD VRBEM SIDON.) quam condunt Sidonij, id est, Tyrij, à vicino, Tyrus enim vrbs Phœniciæ vicina Sidoni. Vnde & ipsa Dido Sidonia in hoc ipso, supra, & 4. lib.

MEA MAXIMA CVRA) Est quidem Æneas cura, sed longe maior Ascanius, cuius pluribus locis prouida, & sollicita introducitur. Hoc autem more communi parentum, qui magis amant nepotes quam filios, quandoquidem magis per illos, quam per hosce immortales se futuros sperant. Dona quæ sint, iam audisti: ea & medijs è flammis erepta, & è fluctibus ipsis integra seruata sunt: quorum prius dixit ad commendationem supra, *Munera præterea Iliacis erepta ruinis.*

HVNC EGO SOPITVM SOMNO) προκαταληπτικῶς obiectioni occurrit, ne quæratur, quid Ascanio fiet, si ego abiero? Sopitum autem, id est somno approbè irrigatum.

SVPER ALTA CYTHERA) De insula Cytheris quid mãdauerit memoriæ grauissimus scriptor Thucydides, pretium fuerit audire, lib. 4. Cythera autem insula est, è regione Laconiæ sita, ad Maleam promontorium. Lacedæmonij verò incolunt eam vicinam, & quotannis mittebatur eo prætor ex Sparta, qui in Cytheris ius dicere solebat. Erat enim eis ibi onerariarum nauium ex Ægypto, & Libya accurrentium receptus, & inde prohibebantur latrocinia, vt è mari minus Laconiam vexare possent. Nam ab hac parte solum opportunum erat eam maleficiis infestare. Tota enim insula versus Siculum, & Creticum mare vergit. Hæc Thucyd. * *Duæ fuerunt tantum huius insulæ ciuitates, quarum altera dicebatur Scandia, versus mare sita: altera insulæ ipsi cognominis, Cythera. Sed pro insulæ numero multitudinis Cythera Cytherorum effertur.*

FACIEM ILLIVS FALLE DOLO) Videtur hic fallere faciẽ dixisse, vt Sophocles in Philoctete μορφὴν δολοῦν. Hîc siquidem fallere faciem est, ὑποκρίνεσθαι mentiri, & simulare. German. Faciem falle, ait Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16. id est falsam habeas, præ te feras. Inusitatus dicẽdi modus. Dicim⁹ enim, Cupido fallit Elisam, σφάλλει. Fallit autem falsa facie, id est, non sua: ergo non vera. Quare si facies falsa est, ergo aliquis illã fefellit, ἔσφηλεν: quod est, dimouit à natura sua. Non quod Ascanij facies immutata sit: sed quod ab alio repræsentata. Etiam apud Hesychium scriptũ est, σφάλλει, χωλάινειν. Igitur etiam simulare significauit. Hoc non animaduerterunt Grammatici: & Seruius malè interpretatus est, faciem pro vul- C tu. Nemo, inquit, alienam faciem potest accipere. Profecto nemo homo: at poetarum dij possunt. *Iuturna in faciem mutata Metisci.* Et. *Fit Beroe Ismarij coniux longæua Doryeli.* Nisi Ascanij faciem sumpsisset sibi Cupido, frustra vultu illius se, suosq; texisset dolos. * *Quod Scalig. affirmat, deos poetarum facies alienas, hominum nempe assumere, confirmat Homerus locis pluribus per Odysseam & Iliadem, vt norunt qui legerunt, quique ἀμαρτύρως mihi credent.*

NOCTEM NON AMPL. VNAM) Breue tempus petit Venus, vt facilius impetret. Nec postea quidquam de Cupidinis discessu, & Ascanij reditu dicet: quoniam multa tacentur, quæ facta intelliguntur. Corrad.

NOTOS VVLTVS) notos ipsis Troianis, notos tibi, qui cognoscis Ascanium, vt fratris filium.

REGAL. INT. MENS. LAT. LYÆVM) Facile amor conciliatur inter epulas, & pocula. Sine Cerere & Baccho friget Venus. Est autem Latinus poeta Græcos imitatus in illo, laticemque Lyæum, pro Lyeium, & περιφραστικῶς dixit pro vino, seu liquore Bacchico. Vt item libr. 11. *Erranere ingis, ferro sonat alta bipenni.* Solent Græci interdum duo substantiua coniungere, quorum alterum pro adiectiuo accipiendum: vt, νηυσὶ πρυμνῇσι in nauibus puppibus, pro postremis nauibus, seu nauium partibus. Iliad. κ. νηῒ ἔπι πρύμνῃ. Odyss. 2. νηῒ δ' ἐνὶ πρύμνῃ. Latex à latendo. Omnis autem liquor dici potest hoc nomine, propriè quidem aqua, ab eo, quod intra terræ venas lateat. Vinum latet intra vuam. Solinus pau- E lò licentius, Non coibant in corpus vnum latex vineus, A & latex aquæ. Apud Lucretium inuenies latex absinthij: apud Ouid. latices Palladios, pro olei liquore. Expleri latice fontis lacteo Apuleius libr. 1. Metam. pro aqua pura, & nitida. Hartungus Decuria 3. cap. 6. & alij. * *Latex Lyæus pro Lyaius, id est, Bacchicus. Bacchus enim vini repertor poetis, quod pueris notum est. Hoc ipsum, eiusq; nomina, & effectum indicat in Athamante Ennius, vt est apud Charisium in his versibus.*

Iis erat in ore Bromius, his Bacchus pater,
Illis Lyæus vitis inuentor sacræ.
Tum pariter, Euan, euhoe, euhoe, Euius,
Ignotus iuuenum cœtus, alterna vice,
Inibat alacris, Bacchico insultans modo.

ATQVE OSCVL. D. FIGET) Osculorum alia diuina sunt, alia humana, & vtrorumque modi varij. Le- B ge Lipsium Elector. lib. 2. cap. 6. Neq; vero genas duntaxat, sed oculos quoq;, & os, seu labra, quod vulgus semilitteratorũ ignorat, idq; honestissimè etiam osculabantur. Quin os sæpius: nam auctore Festo, osculari inde dictum est, quod ora inter se, qui oscularentur conferent. Catull. ad Verannium ex Hispania reducem.

Visam te incolumem, audiamq; Iberûm,
Narrantem loca, facta, nationes,
Vt mos est tuus, applicansq; collum
Iucundum os, oculosq; suauiabor.

Plin. libr. 11. cap. 37. Profectò in oculis animus habitat: Ardent, intenduntur, humectant, conniuent. Hinc illæ misericordiæ lacrymæ. Hos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere. Osculum, & suauium his intellectibus discernuntur, ait Nonius: quod ab ore osculum, & suauium à suauitate dicatur. Ac propriè quidem si loqui velimus, oscula secundum Donatum in And. Terentij officiorum sunt, basia pudicorum affectuum, suauia amorum, siue libidinum. Vsus, vti alia innumera, confudit.

OCCVLTVM INSPIRES IGNEM) Aptè, atque eleganter imitatus est Homerum ille enim ἐμπνεῖν. Vsus est autem pluribus locis hoc suo verbo Virgilius, sed eximiè in præsenti, cum facit Venerem erudire filium, instruereq;, vt melius efficiat, quod volebat, ac tempus illud requirere suspicabatur, id est, vt in animo Didonis D πόθον excitet, inflammetque ipsam amore Æneæ. Vbi autem Vlysses apud Homerum admonet Achillem, vt antequam educat copias in aciem, iubeat milites curare corpora, quia prælium longo temporis spatio perduraturum erat, acriter pugnaturis Græcis, ac Troianis, cum deus ambabus partibus robur dederit, ita locutus est: ἐν δὲ θεὸς πνεύσῃ μένος ἀμφοτέροισιν. Sic in 15. verbum mutauit, & pro ἐμπνεῦσαι dixit ἐνῆκεν, μένος πολύθαρσες ἐνῆκεν. Virgil. autẽ delectatus est hoc verbo, *inspirare*. Nam de Alecto quoq; ait. *Vipeream inspirans animam.* Et de apibus, *læsæq; venenum Morsibus inspirant.* Et de Ænea, *magnam cui mentem animumq;, Delius inspirat vates.* Aliquando tamẽ ipse quoq; illud variauit, vt cum dixit, *Immisitq; fugam Teucris, atrumq; timorem*, vt Homerus, ἐν γὰρ Ἀπόλλων ἧκε φόβον. Victor. lib. 38. cap. 6.

Paret Amor dictis charæ genitricis: & alas
Exuit, & gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat: & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.
Iamq; ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyrijs, duce lætus Achate.

Cum venit, aulæis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamq́; locauit.
Iam pater Æneas, & iam Troiana iuuentus
Conueniunt: stratoq́; super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas: Cereremq́; canistris
Expediunt, tonsisq́; ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemq́; pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.
Nec non & Tyrij per limina læta frequentes
Conuenere, toris iussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum,
Flagrantesq́; Dei vultus, simulataq; verba:
Pallamq́;, & pictum croceo velamen acantho.
Præcipuè infelix pesti deuota futuræ
EXPLERI MENTEM NEQVIT, ARDESCITQVE TVENDO
Phœnissa, & puero pariter, donisq́; mouetur.
Ille vbi complexu Æneæ, colloq́; pependit,
Et magnum falsi impleuit genitoris amorem,
Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fouet inscia Dido
Insideat quantus miseræ deus. at memor ille
Matris Acidaliæ, paulatim abolere Sichæum
Incipit, & viuo tentat præuertere amore
Iam pridem resides animos, desuetaq́; corda.

ET ALAS EXVIT) Horat. Ode 12. libr. 3. *Cithereæ puer ales.* Ales Amori attribuerũt recentiores poetæ, aiunt Græci, cum vetustissimi nihil de eo tale prodiderint. Ac fuit, cum non solum alatum, sed etiam barbatum pinxerunt, quod minus vulgare est. Ita enim de se loquentem introduxit Theocritus. *μόνῳ τρέσῃς ἄν τυόδε ὦν δάκνια βλέπεθαι λέχρα.* Sic enim legendum, *τυόδε* Doricè *τύθδε*. Scalig. F. in Append. Virgil.* *Sed quamobrem alas affinxerunt tandem Cupidini? Caussam discimus vel ex Propertij lib. 2. eleg. 12. quo loco reliqua item eius arma, siue insignia, proprietatesq́; explicantur.*

Idem (pictor) non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare deum:
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Nostraq; non vllis permanet aura locis.

GAVDENS) Quòd amor lætus esse soleat: quod libenter obediret matri: quòd libenter talia faceret, vt qui suo fungeretur officio: quòd opem ferret fratri: quòd referret Ascanium, qui tum lætus erat, & ad patrẽ iturus. Corrad.

AT VENVS ASCANIO) Arist. lib. 1. inter caussas, quibus quis adducitur ad faciendam iniuriam, & aliquem fallendum, spem celandi annumerat. Hinc intelligitur Veneris cõmentum de fallenda Didone verisimiliter à poeta excogitatũ, & cum superius dixit, *Hunc ego sopitum somno*, &c. & nunc, cum inquit, *At Venus*, &c. vbi à persona Veneris decorum seruatur: nam dolosæ sunt naturà mulieres. Cadit etiam in puerum hoc ipsum cõmentum. Pueri enim sunt plurimi somni, & à matrib⁹ solent foueri in mollibus toris, & lectulis odoratis collocari, quò altius dormiant. Item à loco res fit

A verisimilis, in lucis altis, & in vmbra, inter molles herbas, & arbusta facilè quis latere potest puer. Regulus.

PER MEMB. Q. IRRIGAT.) *Lucret. libr. 4.* Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem Irriget. *Furius Bibaculus*, mitemq́; rigat per pectora somnum.] Præclare scriptum extat à Iouiano sub extremum Actij Dialogi, poetæ finem, seu officium esse, dicere appositè ad admirationem. Quem tenorem comparandæ admirationis non tantum in grauioribus, ac serijs seruant rebus, verùm in ijs quoque, in quibus lectorum, atque auditorum delectatio, voluptasq; sola quæritur, vt in hoc loco. Singulis pæne è verbis, Venerisque è gestibus gignitur virtus hæc, quam & in dicendo, & in mouendo, nec minus in oblectãdo assequi poetę omni arte, studioq́; cõtendunt.

B MOLLIS AMARACVS) Amaracus herba mollis, laudatissima in Cypro nascitur, vt scribit Plin. libr. 21. cap. 22. suaueolentem vocat Catull.

DVLCI COMPLECT. VMBRA) Altius dormitur in vmbra. Hinc Ouid. somni domum collocat, quò sol nunquam accedat. Corrad.

IBAT DICTO PARENS) Ibat Carthaginem versus, obsequens Veneris auctoritati.

PORTABAT) Non portabat suis humeris, quippe puer, sed portantibus quasi præerat.

AVREA) vel regina, & tum explicabis, *pulchra*, vt aurea Venus: vel aureis vestibus ornata: vel sponda, & tum fiet synæresis.

C SPONDA) Lecti latere, id est, tabula, quæ lecti latus sustinet, quam vel hodie spondam vocamus, & quidem lecti, in quo dormimus. Sed & lecti dicitur, in quo

in quo comedentes accumbebant, qui sternebatur pro A dignitate personarum. Vnde hic aurea sponda, id est, stragula veste aurea cooperta. Vide Corrad.

MEDIAMQ. LOCAVIT) In lecto, qui medius esset, accubuit: ne quis credat Æneam, & aliũ quempiam in eodem etiam lecto sic accubuisse, vt Dido media esset. Nam mulieres in eodem lecto non accumbebant cum viris, nisi mariti, aut amatores essent. Vide. Corrad.

A Græcis primùm manauit accubitus, quàm pop. Rom. semel acceptum, in magnis copijs perpetuò retinuit. Sed vt accubitus index est dissolutæ lætitiæ, & incunditatis cuiusdam viro parum dignæ: sic sessio seuerior, & à voluptate remotior. Propterea Cato ille Vticensis, quo nemo patriam dilexit magis, post exortum ciuile bellum, B mœrore animi affectus sedens, non cubans semper cœnauit. Fortasse eodem modo Græci, cum fastidita vetere pasimonia, contemptaque verecundiæ norma, delicatè, & molliter viuere placuit, morem cubandi in cœna à barbaris acceperunt. Nam Syphacem Numidiæ regem cubantem cœnasse, & cum eo Scipionem, & Hasdrubalem testatur Liuius libr. 8. de bello 2. Punico. Nec dubito, quin Virgilius, cum hæc de Didone scriberet, ad barbaram hanc consuetudinem respexerit: vt item lib. 2. *Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.* Apud veteres Romanos illos considendi, non accumbendi vsus erat. Postea viri discumbere cœperunt, mulieres sedere: quia turpis visus est in mulieribus ac- C cubitus. Postea tamen mulieres cum viris accumbere cœpisse, contagione morum deprauatas, indicat Valer. libr. 2. Lege Plura apud Ald. Manut. de quæsit. per epistolam lib. 2. cap. 4. de accumbendi, & comedendi ratione. Dicemus rursum lib. 7. ad illud, *Perpetuis patres soliti considere mensis.*

TROIANA IVVENTVS) Illi qui cum Ilioneo venerant, quos etiam supra iuuenes vocauit Dido, & alij fortasse, qui Ascanium comitati venerant. Corrad.

STRA. SVP. DISCVMB. OSTRO) Super lectis ostro seu purpura stratis, quod sub horam cœnæ fiebat. Stragulæ vestes, propterea quod toris inijcerentur, vocatæ sunt toralia, vocabulis græcis peristromata, & peripetasmata. D Et erant purpurea, ac ferè textilia, siue acu picta. Martial. *Babylonica picta superbè Texta Semiramia quæ variantur acu.* Plautus.

Ita vestra ego latera loris faciã vt valdè varia fient,
Vt ne peristromata quidẽ æquè picta sint Campanica,
Neq; Alexandrina belluata, consutaq; tapetia.

Et poeta noster, *Conuenere, toris iussi discumbere pictis.* Huc quadrant etiam verba Ciceronis è Tuscul. 5. Collocari iussit hominem in aureo lecto, stratoq; pulcherrimè textili stragulo, magnificis operibus picto. Eadem hæc ad illum versum qui præcedit accommodentur, *Arte laborata vestes, ostroq; superbo.* Vbi verò se in lectis ordine collocassent Romani (quorũ varios ritus varijs in locis depingit Virgilius, suumq; poema ijs exornat) E solebant lauare manus. Quapropter cum illa præcessérint, *stratoq; super discũbitur ostro:* bene subijcitur, *Dant manibus famuli lymphas.* Plaut. Persa.

Tu Sagaristio, accumbe in summo, meum natalem
agitemus amœnum
Date aquam manibus, apponite mensam.

Pro *lymphas* quidam eruditiores legunt, *nymphas*, quod multò πιθανώτερον est.

CEREREM CANISTRIS EXPEDIVNT) Expedire hìc, est proferre. Cicer. in Verrem de supplicijs. Hominem proripi, atque in medio foro nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet. Nonius.

ORDINE LONGO) Legitur, *ordine longam*, vt referatur ad penum, quæ vox continenti versu sequitur. Testatur Gellius lib. 4. cap. 1. Meministi enim credo, inquit, queri solitum, quod Virgilius dixerit: penum construere vel longam, vel longo ordine.

ADOLERE PENATES) Verbum proprium sacra reddentium, quod significat votis, ac supplicationibus numen auctius facere: vt est in ijsdem, *macte esto*, & intelligi debet ab eo, quod est adoleuit, id est, creuit, & adultum, quod est auctum, & aucta ætate. In Bucol. *Verbenasq; adole pingues, & mascula thura*, id est adde, cumula. Lucret. lib. 4. adolentq; altaria donis. Nonius.

* *Obseruare licet Statium hanc descriptionem conuiuij secundis Musis æmulantem 1. Thebaid.*

---------- adolere focos, epulasque recentes
Instaurare iubet: dictis parere ministri
Certatim accelerant, vario strepit icta tumultu
Regia, pars ostro tenues, auroq; sonantes
Emunire toros, altosq; inferre tapetas.
Pars teretes leuare manu, ac disponere mensas.
Ast alij tenebras, & opacam vincere noctem
Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis, &c.

CENTVM ALIÆ TOTIDEM, PAR.) Quod famulas famulis, muliebrem sexum virili admiscet poeta in ministrando, eius rei caussas Corrad. statuit tres. Vel voluit ostendere etiam tum morem fuisse apud externos, vt famulæ simul cum famulis maribus ministrarẽt: vel decorum seruauit, quod est, vt reginæ vtique famulæ potius, quam famuli seruiant, mulieres mulieri: vel significauit hoc ipso, apparatum tantum fuisse, vt onus totum famuli sustinere non possent, nisi famulæ subuenirent.

Ministrabant autem Romæ mensis pueri ætate pares, veste pretiosa non tam vestiti, quàm ornati. Ministrabant etiam puellæ, quod antiqua marmora Romæ extantia demonstrant. Sueton. Tiberio. Sex Claudio libidinoso, ac prodigo, se in cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine mutaret, aut demeret, neq; vllis puellis ministrantibus cœnaretur.

TORIS PICTIS) Non ostro stratis, vt illi, in quibus discumbebant Troiani: hospitibus enim honor habendus fuit.

FLAGRANTESQVE DEI VVLTVS) qui scilicet faces, atq; incendia amoris præ se ferrent. Sic. Cic. pro Cælio, flagrantiam oculorum: qui nempe amoris æstum atque incendium intuendo emitterent. Dei dicit ex sua persona, non enim Tyrij sciebant esse deum, hoc est, Cupidinem. Et quomodo hìc negat Didonem spectando expleri potuisse ob diuinam elegantiam pueri: ita lib. 8. pastores ait satiari non potuisse, spectanda vastitate, ac mole Caci. *nequeunt expleri corda tuendo.*

FALSI IMPLEVIT. G. AMOREM) Quod Pseudascanium illum, Æneæ amorem impleuisse dicit, pari ferè sententia Tacitus lib. 1. Cum osculis, cum lacrymis dolorem meum impleuero, me quoq; trucidari iube. obseruat. German. Videtur hypallage, pro, impleuit falsum genitorem magno amore: id est, satiauit amorem Æneæ complexu suo.

REGINAM PETIT) vt puer osculaturus, vt Cupido capturus. Apto verbo vsus est, quasi insidijs aggressurus. Mire autem exprimit factum, affectumq; mulieris puero blandientis, quam venusta exornat repetitio: & ex futura illius calamitate commiserationem renouat. Nascimb.

AT MEM. ILLE MAT. ACID.) Memor Cupido præceptorum matris, paulatim ex animo Didonis, imaginem Sichæi delet, ac penitus eradit: ac pro illo amore pigro, inerti, mortuo, alium sufficit, iuuenilem, vehementem, viuidum, flagrantem, in Æneam scilicet. Hoc eam præuertit, id est, præoccupat, ne quid Æneæ

Iunonis

Iunonis machinatio, si quid tanto cardine rerum incepauerit nocere queat. Iacob. Pont. Acidalia Venus dicitur, vel quia inijcit curas, quas Greci ἀκίδας dicunt, iuxta illud Catulli, *spinosas Erycina serens in pectore curas*: vel certè à fonte Acidalio, qui est in Orchomeno Bœotiæ ciuitate, in quo se Gratiæ lauant, quas constat Veneri esse sacratas: ipsius enim & Liberi filiæ sunt: nec immeritò, Gratiæ enim per horum fere munera con- A ciliantur. Seruius.

PAVLATIM ABOLERE SICHÆVM) Vt nemo repente fit bonus, ita nec malus: gradus sunt vitiorum, quemadmodum & virtutum. Vt igitur τὸ εἰκὸς seruetur, paulatim, non subito debet Cupido ex animo Didonis Sichæi delere memoriam: quod fieri necesse erat ad id, quod volebat Venus. Nam vigente prioris mariti amore, nouo amori nullus erat locus. Regulus.

Postquam prima quies epulis, mensæq; remotæ.
CRATERAS MAGNOS STATVVNT, ET VINA CORONANT.
Fit strepitus tectis, vocemq; per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi: & noctem flammis funalia vincunt.
Hîc regina grauem gemmis, auroq; poposcit,
Impleuitq; mero pateram, quàm Belus, & omnes
A Belo soliti: tum facta silentia tectis.
Iupiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyrijsq; diem, Troiaq; profectis
Esse velis, nostrosq; huius meminisse minores.
Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno:
Et vos ô cœtum Tyrij celebrate fauentes.
Dixit, & in mensa laticum libauit honorem,
Primaq; libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans: ILLE IMPIGER HAVSIT
SPVMANTEM PATERAM, ET PLENO SE PROLVIT AVRO:
Post alij proceres. cithara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisq; labores:
Vnde hominum genus, & pecudes: vnde imber, & ignes:
Arcturũ, pluuiasq; hyadas, geminosq; Triones:
Quid tantùm Oceano properent se tingere soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausum Tyrij, Troesq; sequuntur.
Nec non & vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido: longumq; bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc quibus Auroræ venisset filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immò age, & à prima dic hospes origine nobis
Insidias, inquit, Danaûm, casusq; tuorum,
Erroresq; tuos. nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas.

POSTQ. PRIMA QVIES EPVL. MEN. REM.) Bene sapienterq; Maro indicat tumultuosum, ac sobrium vno eodemque versu, sub paucorum verborum immutatione conuiuium. Nam vbi sub apparatu regio procedere solet luxus ad strepitum, *Postquam prima quies epulis*, inquit: at cum heroes castigatis dapibus assidunt, non reducit quietem, quia nec præcessit tumultus: sed inquit, *Postquam epulis exempta fames*. Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 1. Turneb. libr. 22. cap. 22. hic mensas intelligit fercula, & magidas, & lances. Nam saturis conuiuis remouentur. Vrsinus de Triclinio, Siue oblonga, inquit, B siue, vt postea, rotunda, apponi dicebatur mensa, media scilicet inter conuiuas: vnde putat Varro dictam mensam, quasi μέσην. Vbi verò cœnassent conuiuæ, mensa tolli dicebatur. Plaut. Truculento. *Cedò soleas mihi. Properate, atq; auferte mensam.* Atheneus lib. 5. ἀπαλλαγέντων δὲ τῶν δειπνητῶν, αἱ τράπεζαι ἐβαστάζοντο. Toties autem mensas, hoc est, repositoria, quoties fercula, & obsonia mutari, & conuiuantibus apponi à duobus solita fuisse, non, vt postea mos obtinuit, vt singula fercula singuli ferrent, conijcere possumus ex ex ijs, quæ scribit Alexis apud Athenæum.

Ὡς εἶδε τὴν τράπεζαν ἀνθρώπους δύο
φέροντας εἴσω, ποικίλων πεπλησμένην
Κόσμων βρύουσαν, &c.

Mensas enim dicebant, quibus imponebantur vasa tum escaria, tum vinaria, quas ferculis onustas duo serui, vt diximus, conuiuis apponebant. Ad quod testimoniũ accedit Seruij etiã auctoritas, qui in versum hũc sic scribit. Quia apud antiquos mẽsas ipsas apponebant pro discis. * *Cur mensa cum tolleretur, semper omnino aliquid super ea relinqui vellent, caussas aliquot indicat Plut. Quaest. Rom. quaest. 24.*

CRATER. MAG. STATVVNT, ET V. COR.) Crater vas est, quod Latini crateram vocant, in quo veteres vinum aqua temperabant. Statuebant autem tres crateras antiqui Graeci in coena: primam Mercurio, alteram Gratijs, tertiam Ioui Seruatori, quẽ διὰ σωτῆρα vocabant. Sed & earum vnam post epulas mensis remotis statuebant ad libationẽ, & inuitationem. Nam se Graeci post conuiuium poculis inuitare solebant, quam consuetudinem hic imitatus est Maro. Vertit autem verbum Homericum Iliad. 1. κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο, alio sensu, quam interpretes Graeci accipiunt, qui *coronant*, explanant, ad summam coronam, & marginem implẽt, cum Maro explicet, vinum floreis coronis ornant, vt ex illo 3. Aeneid. intelligitur, vbi scribitur. *Tum pater Anchises magnum cratera corona Induit, impleuitq; mero.* Coronabant enim pocula & hilaritatis caussa conuiuialis, & libationis: vt Maronis expositio melior sit, quàm Graecorum interpretum. Turneb. lib. 12. cap. 13. * *κρατὴρ dictus est, quasi κερατὴρ, quod veteres è cornu bibere solerent: inde factum verbum κεράννυμι miscere, seu temperare vinum. Putat Mercurial. Variar. lib 1. cap. 22. hoc rudibus eorũ moribus tribuendum, & quia forte crediderint, inde potandi maiorem securitatem accedere. Nã reges Indorũ ex Asini Indici cornu bibere voluisse, auctor est Aelianus, sperãtes, à morbo epileptico, & venenis inde tutos fore. Ritum huius coronandi pocula testis citetur etiã Tibullus lib. 2. eleg. 5.*

Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquae quà leuis vmbra cadit,
Aut è veste sacris tendent vmbracula sertis
Vincta, coronatus stabit & ipse calix.

Graecorum autem fuisse consuetudinem, quod & Turnebus notauit, pcedente conuiuio, seu secundũ conuiuiũ proculis maioribus poscere, id est, inuicẽ se prouocare, testatus est in 3. Verrin. M. Tullius his verbis. Fit sermo inter eos, & inuitatio, vt Graeco more biberetur: hospes hortatur, poscunt maioribus poculis. Voluit hac oratione significare Cicero, quod Graeci dicebant τὴν μείζονα αἰτεῖν, subaudientes vocẽ κύλικα. Consule, si otium est, Victor lib. 22. cap. 1. Est autem hoc admirari solitus Anacharsis Scytha: quippe qui arbitraretur potum non ad aliud adhibendum, nisi ad sitim depellendam. Quamobrem perabsurdè fieri, si tum plus bibatur, cum iam nulla restet sitis.

Caeterùm cur in conuiuijs publicis contrariis poculis vterentur, in principio scilicet minutis, in fine verò amplioribus, caussam rationi consentaneam ex Alexandri Tralliani problem. 1. refert Mercurialis Variar. lib. 1. cap. 22. Epularum gratia, in quibus frequentius bibere decebat, vt crebrius potarent, ideo à paruis incipiebant: quippe cum parua pocula implere satis, vbi liberalissimè potare liberet, nequirent. Quod si ab amplioribus incepissent, aeque repleri necesse erat, & subinde minus potare: siquidẽ natura à largo protinus haustu accepto velut expleta, copiam omnem subsequentem contemnit. Exaduerso, si paruis poculis assuetae, paulatim ampliora exhibeantur, facile copiam quamcunq; sustinet.

Verumenimuero aduersus ista immania pocula, haustusq; immodicos, & crebros quid Athenaeus lib. 11. ca. 21. ex Sympósio Xenophontis à Socrate dictũ narret, in rem nostrã erit cognoscere. Videntur mihi etiam virorum corpora idem pati, q̃ plantae, quae in terra natae fuerint. Illae siquidem, vbi caeli frequentibus imbribus irrigatae sunt, nullo se pacto erigere possunt, neq; auris perflantur. Verùm vbi quantum sufficit biberunt, & rectè, & feliciter surgunt, & ad fructuum generationem

A facillimè producuntur. Sic nos etiam sumus affecti. Nã si potum frequentiorem hauriamus, statim & mens, & corpora nostra ab aequitate declinãt, ac ne respirare, nedum dicere quidquam possumus. Quod si nobis pueri in minora pocula irrorauerint, vt Gorgoneis verbis & ipse vtar, sic vino non coacti ebrij fieri, verum leniter commoti, in comitatem laetitiamq; conuertemur.

DEPENDENT LYCHNI) Inseruit operi suo Virgilius & graeca verba: sed non primus hoc ausus: auctorum enim veterum audaciam secutus est. Sicut Ennius in 9. *lychnorum lumina bis sex.* Et Lucret. in 5. *Quin etiam nocturna tibi terrestria quae sunt Lumina pendentes lychni.* Sed hac licentia largius vsi sunt veteres, parcius Maro.

B Quippe illi dixerunt & pausam, & machaeram, & acaciã, & malacem, & similia. Nec non & Punicis, Oscisq; verbis vsi sunt, quorum imitatione Virgilius peregrina verba non respuit, vt in illo 2. Georg. *Syluestres vri assiduè.* Vri enim Gallica vox est, qua feri boues significantur. Et 3. Georg. *camuribus hirta sub cornibus aures.* Camuris peregrinum verbum est: id est, in se redeuntibus. Et forte nos quoq; hac ratione cameram figuramus. Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 4.

Eadem voce, lychnus, Cicero vtitur pro Caelio. Alia fori vis est, alia triclinij, alia subselliorũ ratio, alia lectorum: non idem iudicum cõmessatorumq; conspectus, lux deniq; alia solis, alia lychnorum. Horatius ferè in cõ-

C uiuijs suis lucernas vocare maluit. lib. 3. Ode. 21. *vinaq; producent lucernae.* Ode. 8. eiusdem lib. *vigiles lucernas Perfer in lucem.* Iterum. *Vino & lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat.* Apud Suet. in Iulio cap. 37. lychnuchi sunt iuuenes, qui vecti elephãtis, lychnos prę ferebant in triumpho Gallico Capitolium ascendenti: aut certè iuuenum simulacra, quemadmodum inquit Lucret. lib. 2. initio. Torrentius in Sueton.

Nunc ad morẽ explicandũ veniamus, hactenus enim de vna voce dictum. Faciemus autem istuc recitato loco Lipsij ex Elect. lib. 1. cap. 3. In omni publica, & priuata laetitia, mos fuit ianuã ornari lauro, & lucernis. Quẽ ornatum intellexit Seneca ep. 67. Quid tu existimas ea tantũ

D optabilia esse, quae per voluptatẽ, & otium veniunt? quae excipiuntur foribus ornatis? Et Tertul. clarè in Apolog. Cur die laeto nõ laureis postes adumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est, sollemnitate publica exigente inducere domi suae habitum alicuius noui lupanaris. Apulei⁹ lib. 4. domus tota lauris obsita, tędis lucida, strepebat hymenęũ. Eiusmodi autẽ lucernae pensiles erant, suspendebanturq; catenulis, accensae ad aedium singularum ianuas, aut fenestras. Has lucernas puto hic intellexisse Virgilium.

Sed cum poeta dicat, lychnos illos, siue lucernas dependere laquearibus aureis, liceat nobis doctorum opinionem secutos, nominatim Bernartij in Papini-

E um, pace & venia bona Lipsij, de lucernis tricliniaribus interpretari, quarum vsque hodie in peruetustis marmorib⁹ exempla monstrari dicuntur, vtebanturq; his quondam, si quando in noctem intempestam conuiuij hilaritatem extenderent. Immo candelabrorum olim in coenis nullus fuit vsus. Noctis tenebras lucernis pensilibus dispellebant. Horat. Ode 8. lib. 3.

Sume Maecenas cyathos amici
Sospitis centum, & vigiles lucernas
Perfer in lucem.

Reliqua omitto. Non id tamen rigidè verum, scribente Lucret. lib. 2.

Si non aurea sunt iuuenum simulacra per aedes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt suppeditentur.

LAQVEA-

LAQVEARIBVS AVREIS) Laquearia sunt, quæ cameram subtegunt, & ornant, quæ & lacunaria dicuntur, quod locos quosdam quadratos, vel rotundos ligno, vel gipso, vel coloribus habeant pictos, cum signis intermicantibus. A lacu per diminutionem fit lacunar. Inde alia diminutio lacunarium & per antistoechon laquearium. Isid. lib. 15. cap. 8.

HIC REG. G. GEMMIS PAT.) Remotis primis mensis mos fuit, vt calix maximus apponeretur, vini plenus, qui boni ominis caussa circumferebatur, ac de illo gustabant omnes. Hoc Athen. fiebat, & nunc in Germania. Regulus.

Non dispar locus est apud Statium, ex hoc vtique conformatus, vt apparet.

Victa fames, signis perfectam, auroq; nitentem
Iasides pateram famulos ex more poposcit,
Qua Danaus libare deis, seniorq; Phoroneus
Assueti.

Præterea in poculis erant pateræ, inquit Varro lib. 4. eò quod pateant, latinè ita dictæ. Hisce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinendæ caussa, cum magistri fiunt, potio circumfertur, & in sacrificando dijs, hoc poculo magistratus dat deo vinum.

TVM FACTA SIL. TECTIS) Regina & locutura, & libatura, rectè tanquam in sacris fit silentium, faueturq; linguis.

IVPIT. HOSPITIBVS) Deus hospitalis dicitur, quem hospites inuocabant, si quando hospitium violaretur, Iouem Xenium appellant, quemadmodum amici φίλιον Iouem inuocabant, & sodales ἑταιρεῖον, & gentiles, id est, cognati ὁμόγνιον, & qui eiusdem fratriæ erant, φράτριον, & fœdere coniuncti ἐνόρκιον, quasi iurisiurandi vindicem. Erant autem hospitia priuata apud antiquos, quæ magna erat necessitudo: idcirco hospitium sæpe pro amicitia ponitur. Fuit item antiqui moris tesseram dari hospitibus dimidiatam, quam quicunque attulisset ad hospitem, continuò agnosci posset, & hospitio accipi, tanquam amicus, & vetus hospes. Hoc autem jus necessitudinis ad posteros transibat. Ob id tesseram hospitalem diligenter obseruabant. Plaut. Pœnulo. *Deum hospitalem, & tesseram mecum fero.* Qui autem ius hospitij violabat, is tesseram hospitalem confregisse dicebatur. Idem Cistell.

Abi, quære vbi iureiurando tuo satis sit subsidij.
Hic apud nos iam, Alcesimarche, fregisti tesseram.

Si quem igitur contracti hospitij pœnituisset, renuntiare hospitium solebat, ne hospitij jus violaret. Cicer. in Verr. act. 3. Itaq; iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renuntiat, domo eius emigrat Hospitium autem publicè interdum contrahebatur, quæ græcè proxenia dicitur. Liuius lib. 5. de Timasitheo quodam Liparensi, qui legatos Romanorum Delphos prosecutus, Romam inde hospites restituit, à piratis liberatos: hospitium, inquit, cum eo senatusconsulto est factum, donaque publicè data. * *Inter sexcenta Iouis cognomina est etiam ξένιος & hospitalis, quasi hospitij præses, & vindex, sub quo cognomine apud antiquos magna religione colebatur. De eo Ouid. 10. Metamorph.* Ante fores horum stabat Iouis hospitis ara. *Meminit & Cicero pro Deiotaro. Si veneno te intereremisset, Iouis quidem illius hospitalis numen nunquam celare potuisset, homines fortasse celauisset. Vide Bud. annotat. poster. in Pand.*

HVNC LÆTVM TYRIIS DIEM) Quare appellet diem, cum esset nox, tres ponit caussas Corradus. Vel intelligendus dies ciuilis, in quo dies & nox continetur. Vel cum more Græco fiat conuiuium, fortasse tempus etiã more Græcorum describitur. Athenienses enim à sole occaso ad solem iterum orientem, omne id medi-

A um tempus vnũ esse diem dixerunt. Vel locutus est more Romano: qui sacra, quæ fiebant sex horis prioribus noctis, diei superiori tribuebant. Tunc verò Dido Ioui libans, quasi rem sacram faciebat.

ESSE VELIS) Religiosus veterum mos fuit, quo deos rogabant, vt vellent Plin. libr. 28. cap. 2. In Africa nemo destinat aliquid, nisi præfatus Africam: in cæteris verò gentibus, deos ante obtestantur, vt velint. Ouid. 3. de arte. *O ita Phœbe velis, ita vos pia numina vatum.* Tibull. lib. 3. eleg. 4.

Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum pertimuisse velit.

Adi Brisson. Formular. lib. 1. pag. 69.

B ADSIS LÆTITIÆ BACCHVS DATOR) Non tantum vt volens propitiusque esset is deus, quem inuocabant, sed etiam vt dexter adesset interdum rogabant, & simpliciter, vt adesset. Brisson. Formular. libr. 1. pag. 69. Rectè Virgilius in conuiuijs adesse voluit datorem lætitiæ Bacchum. Ornat autẽ, & vt ita dixerim, hilarat cœnam, aut conuiuium etiam vultus placidus, & sermones admodum familiares, & iucundi. Titi quidẽ filij Vespasiani conuiuia non profusa, sed iucunditatis plena fuisse referunt. Augustus quoque maiore comitate, quam sumptu conuiuia exercuit. Quocirca non pauci in hoc peccant, qui tristitiam, & supercilium afferunt ad conuiuium. Iouian. libr. de Conuiuentia.

C * *Quoniam ergo hoc vino tribuit Maro, & verissimè tribuit, vt animum exhilaret, quod & in diuinis voluminibus scriptum reperitur: Vinum lætificat cor hominis, age super hoc argumento Varronis versiculos recitemus lepidissimos.*

Vino nihil iucundius quispiam bibit.
Hoc continet coagulum conuiuia,
Hoc hilaritatis dulce seminarium
Hoc ægritudinem ad medendam inuenerunt.

Tibull. item pluribus, quam lætus sit Bacchus, hoc est, quam lætos efficiat mortales vini potio, lib. 1. eleg. 7.

Illi (Osiridi) iucundos primùm matura sapores
Expressa incultis vua dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
D Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, non luctus Osiri:
Sed chorus, & cantus lenis, & aptus amor.
Sed varij flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

ET BONA IVNO) In Arcadicis scribit Pausanias, ad sinistram viæ, quæ in montem Mænalum ducit, fuisse ἀγαθοῦ θεοῦ ναόν, dei boni templum. Quod si, inquit, bona contribuunt dij hominibus, inter deos autem summatem esse Iouem nouimus, consecutione nimirum probabili coniectare licet, eius dei cognomentum esse. Vnde Mantuani vatis interior doctrina retegitur, qui forE tasse huc etiam respiciens, Iunonem Iouis sororem, dearum maximam, vocauit *bonam*. Rhodigin. li. 28. cap. 6. * *Apertius est, ideo vocasse bonam, quod Carthaginensium tutelare numen esset. Bonus, valet propitius: propterea erat Iuno cliemtibus suis, quod ni? indicat ille locus satis apertè.*

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, ac numine Diuæ.

IN MENSA LAT. LIB. HONOREM) In mensa, & in mensam legitur. In secunda mensa solebat libatio fieri, & precatio ad deos adhiberi. Sic Horat. de Augusto, *& alteris Te mensis adhibent deum.* Id est, Romani tui, Auguste, te pro deo colunt, & in mensa secunda (in qua libatur dijs, & obsecrationes fiunt) te vt deum obsecrant, & tibi, vt laribus, libant. Itaque mox libatio apud Flaccum sequitur. *Te multa prece, te prosequimur*

quimur mero Defuso pateris. Turneb. lib. 24. cap. 35. [*Confer huc quæ ex Macrobio recitauimus in illum versum lib. 8.* In mensam læti libant, diuosq; precantur, *vbi eiusdem calumnia, verbis Lipsij respondimus, poetamq; nostrum vindicauimus.*] De poculo autem pleno libabant, id est, defundebant vinum, idq; vel in aram faciebant, vel in mensam, quæ loco aræ erat, vel in focum, qui sacer habebatur, vel in mare, in honorē deorum marinorum. Idem Turneb. lib. 11. cap. 7. * *Exemplis hæc illustrantur à Bernartio in 1. Thebaid. Vbi & illud notatur, vsitatum fuisse in hac libatione, vt capiti coronas imponerent, etiam in mensa. Vergil. lib. 7.*

Huc pateras libate Ioui, precibusq; vocate
Anchisen genitorem, & vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat.

Et lib. 8.

Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris,
Communemq; vocate deum, & date vina volentes.

Olim si dijs superis libarent, poculo supino id faciebant: si dijs inferis, prono, & inuerso. Magnæ autem poculum id æstimationis habebatur, quo libatio peragi solebat. Atque ideo Amphitryoni apud Plautum talis phiala pro ingenti præmio donata fuit. Ægyptij eo poculo augurari consueuēre. Gen. 44. Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus quem furati estis, ipse est, è quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet. Nannius. lib. 7. cap. 8.

LATICVM HONOREM) Honoratum laticem, quippe deo consecratum, aut quo deo esset honor habitus. Et crebro Virgilius sacrificia, resq; numini dicatas nomine honoris afficit, quia dijs sint honori.

SVMMO TENVS ATTIG. ORE) Verecundè, vt decebat, non pleno haustu, sed summo tantum ore vinum attingit Dido, pitissat. Quo pacto honestè se gerant mulieres in potu, docet Clemens Alexand. Pædagogi lib. 2. cap. 2.

TVM BITIÆ DEDIT) *Non dubium est quin propinationes, & inuitationes ad compotandum, siue, vt honestius dicam, ad combibendum, ad amicitiam vel instituendam, vel confirmandam & pertineant hodie, & olim quoque pertinuerint.*] Non temere Virgilius nomen Bitiæ induxit: nam id non fictitium, sed de historijs mutuatum. Bitias enim Cypri sacerdos: ad quem cum venisset Dido, ipse se ei coniunxit, cum magna manu puellarum. Fuit autem & alter Bitias, magister equitum, quo tempore Carthago capta est ab Africano minore. Merito igitur regina vel sacerdoti, vel magistro equitum, vt primæ inter suos dignitatis viro primum propinauit. Est tamen iucunda allusio, quasi non Bitias, sed Bibias dictus sit, & propterea illi auiditas meri. Qui cum reginam tenuiter degustasse vidisset, ipse totum poculum ingurgitauit. Nannius lib. 7. cap. 8, * *Huius Bitiæ, & pateræ illi a Didone regina præbitæ mentio fit à Martiale lib. 8. vbi Eucti cuiusdam poculum, seu potius Euctum, crateris sui antiquitatem immodestè laudantem irridet.*

Hac propinauit Bitiæ pulcherrima Dido
In patera, Phrygio cum data cœna viro est.

DEDIT INCREPITANS) Quod forte aliò respiceret, quod non statim, vt decebat, acciperet.

IMPIGER HAVSIT SPVM. PATER.) *Haustus, vt vere dicam, Germanicus. Hic enim terrarum non est inusitatum spumantes haurire pateras, ac pleno si non auro, certè vitro, & eo ingenti (* Wilkum *vocant) se proluere. Vide adag.* ἀμυστὶ *πίνειν*, inn einem suff. *Festiuissimum caput est apud Muretum, cui plurimum se debere fateantur oportet politiorum litterarum cultores, quod huic loco, quem habemus in manibus, illustrando, seu potius occasione verborum Maronis, artium ingenuarum studiosis gratificandi caussam bonam partem subtexere statuit. Est autem Variar. lect. 8. lib. 4.*] Aristoteles lib. 3. ad Nicomachum homines intemperantes & asotos, cum in ijs voluptatibus versari dixisset, quæ gustatu percipiuntur, quæq;
A tactu, addit postea, eos gustatu nihil omnino, aut perparum vti. Cum enim gurgites illi, ita vinum in guttur suum, quasi in vtrem aliquem inuergant, nihil curantes, nisi vt quam plurimum exhauriant, prope vt percolando vino nati esse videantur: non admodum possunt eius suauitatem percipere: cum contra, delicati & elegantes homines, qui grato illo liquore linguam sibi, ac palatū titillari volunt, paulatim id in gurguliōnem instillent verius, quam infundant, guttatim propè ducentes: etiam antequam bibant, oculis poculum sæpe, ac naribus admouentes, nulla vt sit in eo particula suauitatis, quam non ipsi accuratè exprimant, exquisiteq; persentiant: quod in Euripidis Sileno optimè
B cerni potest. Id non faciunt, qui gutture tantum pro infundibulo vtuntur.

Tralationem certum est Maronem duxisse à belluis, quas videmus dum bibunt plerasq; tota labra, totum rostrum in aquas immergere. Sic Persius prolog. *Nec labra fonte prolui caballino.* De veriloquio pateræ supra dictum ex Varrone. Horat. Ode 13. lib. 1.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat de patera nouum
Fundens liquorem?

Consuetudo Persis fuit, vt nobiliores, rerumq; administrationi, & actioni aptiores crederentur, qui postquam vino se affatim proluissent, mente nihilominus
C consisterent. Ex quo Cyrus Darij filius, cum de se ad Lacones daret litteras, non solum fratri se Artaxerxi magica disciplina præstare, sed in perpotando mero adeo excelluisse asseruit, vt quamquam esset supra cæteros multibibus, vsum tamē mentis retineret. Iam de vino, & vini potoribus, pretium operæ censeo cognoscere, quid Hebræorum eloquentissimus Philo, commentario de Temulentia disserat. *Suapte natura genus humanum est ad vinum procline, quo vix vnquam saturatur, quando somno, cibo, coitu, similibusq; rebus nemo non expletur, mero autem non item, præsertim qui exercent hoc studium: bibendo enim sitiunt, incipientes à minoribus cyathis: procedente vero potatione, iubent pincer-*
D *nas in maiores infundere calices: postquam incaluerunt, iam, parum sui compotes, infundibula, crateres, amystides integras exhaurientes, & merum ingurgitantes, donec profundus somnus occupet, iam nec se ipsos, nec quæ ingesserant continere valentes, regurgitando potu nimio. Et tamen sic quoque insatiabilis appetitus, tanquam famelicus, furere non desinit.* Hactenus Philo. Suggerit nobis memoria nobilissimum potatorem Bonosum, de quo apud Vopiscum est his verbis. De Bonoso, quem militiæ caussa in honore habebat, dicebat Aurelianus: non vt viuat natus est, sed vt bibat. Qui, quamlibet bibisset, semper securus & sobrius, & adhuc in vino prudentior. Et quantum biberat, tantum meiebat, neque
E vnquam aut eius pectus, aut venter, aut vesica grauabatur. Cum laqueo vitam finisset, dixit quidam, amphoram pendere, non hominem. Vt absoluam, qui gloriantur se quam plurimum bibentes non fieri ebrios (& sunt qui glorientur) ijs respondendum, quod ob hoc ipsum glorianti respondit Diogenes: hoc etiam mulus facit. corollarium sit, quod ait Theognis.

Οἶνον τοι πίνειν πουλὺν κακὸν, ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸν, ἀλλ' ἀγαθός.

PLENO SE PROLVIT AVRO) Horat. sat. 5. lib. 1. *Multa prolutus vappa.* Et sat. 4. lib. 2. *lenis præcordia mulso Prolueris melius.*

CITHARA CRIN. IOPAS) *Iopas canit ea, quæ maximus Atlas docuit. Ea vero sunt quæ sequuntur, quæ pertinent ad astro-*

ad astrologiam, & philosophiam, quarum peritissimus Atlas fuit, Vnde cælum sustinuisse dicitur. Corrad. Recte ne an secus faciant, qui Musicos adhibent in conuiuio, ex Platone, Xenophonte disputat Murctus lib. 6. cap. 15. quem licet ipse legas. In eodem, huius etiam loci meminit.] Inter cœnandum veteres acroamata omnis generis adhibebant: nam aut symphonia personabat triclinium, aut instrumenta, organaq; varia concinebant, aut tragœdiæ, comœdiæ, mimiq; agebantur, aut spectacula alia iucunda inducebantur: incendebantur & odores naribus gratissimi. Seneca de vita beata cap. 11. Aspice, inquit, Nomentanum, & Apicium, terrarum ac maris, vt isti vocant, bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vides hos eosdem è lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes, mollibus, lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus. Et ne nares interim cessent, odorib⁹ varijs inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentetur. Liuius lib. 29. Tunc psaltriæ, sambucistriæq;, & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis. Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 4. de Augusto. Delectatus inter cœnam erat pueris symphoniacis Turonij Flacci mangonis, atque eos frumento donauerat, cum in alia acroamata fuisset liberalis nummis. Hinc in marmoreis triclinijs fidicinas, & aulœdos scalptos videmus. Plaut. Sticho.

Lectos eburatos, auratos, Babylonica peristromata,
Consutaq; tapetia, fidicinas, tibicinas, sambucinas.

Qui mos iam inde ab heroicis vsque temporibus ductus videri potest, vt ostendit Homerus, apud quem in Phæacum conuiuio canit Demodocus, in Ithacensium Phemius. Quem morem notat Athæneus lib. 1. cum inquit. ἐχρῶντο δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις καὶ ψαλμοῖς, καὶ ὀρχησαῖς, &c.

Rhodig. libr. 7. cap. 1. effusè laudans poetam, & poeticam, inter alia sic habet. Iam illud quale est, quod apud eminentissimum quemq; poetarum legimus, in regum, principumq; symposijs, deorum, heroum, & omnino virorum excellentium, qui lucem nobis suis virtutib⁹ pepererunt, laudes suauiter concini? Nonne insignis est, & maximè efficax ad bonam frugem cohortatio? An Iopas ille, cum canit errantem lunam, solisq; labores, altiores item scientias, physiceng; totam carminibus insertam non perdocet manifestè? Proindeq; non esse poeticen, vt somniauit Epicurus, ὥσπερ ἐλέβειαν μύθων δίδαξας. * *More fuisse receptum multis ante ætatem suam sæculis, vt in epulis carmina de clarorum virorum laudibus à conuiuis canerentur, traditum à Catone in Originibus. Auctor M. Tull. Tuscul. 1: & in Bruto. Vnde vox ἐγκώμιον παρὰ τὸ ἐν κώμοις ᾄδεσθαι τοὺς ἐπαίνους τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν. Est autem citharista qui pulsat citharam: citharœdus, qui simul vocem adhibet, quod credibile est fecisse Iopam, & apud Homerum in Odyss. facit Demodocus, Græcorum in patriam euersa Troia reditum canens.*

ERRANTEM LVN. SOLISQVE LABORES) Antiquissimam extitisse Musicen, omnium studiorum in litteris, testimonio sunt clarissimi poetæ, apud quos inter regalia conuiuia laudes heroũ, ac deorum ad citharam canebantur. Iopas vero ille Virgilianus, nonne canit errantem lunam, solisque labores, &c. Quibus certe palam confirmat auctor eminentissimus, musicen cum diuinarũ etiam rerum cognitione esse coniunctam. Hæc Quintilian. lib. 1. cap. 10. Eiusmodi res, astrologicas, inquam, & naturales, canit Apollo inter Musas apud Statium lib. 6. Thebaid.

Interea cantu Musarum nobile mulcens
Concilium, citharaq; manus insertus Apollo
Parnassi summo spectabat ab æthere terras,
Orsa deûm (nam sæpe Iouem, Phlegramq; suiq;
Anguis opus, fratrumq; pios cantarat honores)
Tunc aperit, quis fulmen agat, quis sidera ducat
Spiritus, vnde animi fluuijs, quæ pabula ventis,
Quo fonte immensum viuat mare, quæ via solis
Præcipitet, noctem qua porrigat, imáne tellus,
An media, & rursus mundo succincta latenti.

ERRANTEM LVNAM) Quia vna est è septem planetis, id est, errantibus. Falsò autem vocari stellas errantes, docet Cic. de natur. deor. & Plato in 7. de leg. Vagam nominat Horat. sat. 8. lib. 1. quod eius cursus non est rectus, sed obliquus & vagus.

SOLISQVE LABORES) Vel quos ipse sol sustinet, quum facit, quod ait apud Ouid. 2. Metam.

Nitor in aduersum, nec me, qui cætera, vincit
Impetus, & rapido contrarius euehor orbi.

Vel defectionem eius significat.

IGNES) Fulgura, fulmina, & reliqua id genus.

PLVVIASQVE HYADAS) Quod ab earum exortu pluere crebrius incipit, vnde nomen ductum, vt M. Tullio placet. Pluuias denunciant illæ stellæ, atq; adeo important. Vnde Horat. Ode 3. lib. 2. tristes. Idem quoq; nominat pluuios ventos, qui imbrem inuehunt, & cælum pluuium Varro, & ver pluuium Columella.

GEMINOSQVE TRIONES) Quid sint triones, & vnde nata vox, docet Varro de ling. lat. lib. 6. cuius verba ponemus. E queis signa sunt, quod has septem stellas Græci, vt Homerus, vocant ἅμαξαν, & propinquum eius signum βοώτην: nostri eas septem stellas boues, & triones, & prope eas axem. Triones enim & boues appellantur à bubulcis etiam nunc, maximè cum arant terram: è queis vt dicti valentes glebarij, qui facile proscindunt glebas: sic omnes qui terram arabant, à terra teriones vt dicerentur, e, detrito. Scalig. ad eundem locum in Coniectan. ita scribit. Næuius, Trionum hic moderator rusticus. Puto striones prius dictos, à stria, quam proscindendo sulcos faciunt. Sic & ipse Varro in striam iubet sulcos imprimi. Sic Plinius vetat in arando sæpius striare, id est, sæpius iterare striam. Quamquam melius alij apud Plinium legunt, strigare. Ab eo ergo striones: vt in tritauus, & similibus, s, quæ erat aduentitia, sic in strione, quæ natiua erat, perijt.

QVID TANTVM OCEANO PROPERENT) De spatio dierum atq; noctium Lucret. lib. 5.

Crescere itemq; dies licet, & tabescere noctes:
Et minui luces, cum noctes augmina sumunt.

Infra.

Propterea noctes hyberno tempore longè
Cessant, dum veniat radiatum insigne diei.

Totum locum de longitudine, ac breuitate dierum, noctiumq; perlege. Obserua appellari solem festiuissima periphrasi, radiatum insigne diei. Sic Cic. in Arateo carmine radiantem vocauit. *Hoc motu radiantis Etesiæ in vada ponti.*

TROESQVE SEQVVNTVR) Decebat enim Tyrios, qui domi erant, præire: Troianos, vt hospites, & peregrinos, sequi.

INFÆLIX DIDO) Quia pesti deuota futuræ.

LONGVMQVE BIBEBAT AMOREM) Quoniam amor, vt ait in Eunuchum Donat. est occultum quoddam venenum: ideo rectè *bibebat*, tanquam venenum scilicet. Voluit poeta abundantiam, & incremẽtum affectus in regina hac metaphora declarare. Quãtum alij se complebant vino: tantum se illa amore veluti ingurgitabat.

MVLTA SVPER PRIAMO) Sciebat multa, quippe quæ ex Teucro audire potuit, & pingenda in pariete curauit: sed ex ore Æneæ jucundius eadem & plura audire cupiebat. In hoc versu Epanalepsis est, siue conduplicatio, qualis apud Persium sat. 3. *Hoc est, quod palles: cur quis non prandeat, hoc est.* Et sat. 4. *Vt nemo in sese tentat descendere, nemo.* Et sat. 5. *Centum ora, & linguas optare in carmina centum.* Et 4. Georg. *Amba auro pictis incincta pellibus amba. Super* autem esse idem quod de, docet Festus in *superescit.* Plaut. Aulul. *Dixi tibi mater, iuxta rem mecum tenes super Euclionis filia.* In Cistell. *quid nuntias Super anu?* Cic. hac super re ad te scribam. Et in XII. tabb. Paterfamilias vti super familia pecuniaúe sua legauerit, ita ius esto.

AVRORÆ FILIVS) Memnon, de quo suprà, *& nigri Memnonis arma.* Cecidit in conflictu apud Troiam. Quomodo mater eum luxerit, sic canit Tryphiodorus.

At nati cadem miserata Aurora cruentam
Memnonis, abiecit cælestem mœsta nitorem,
Qui solet ante ortum terras conspergere solis,
Dum croceo nubes, ac summos lumine montes
Imbuit, & nubis se atro velauit amictu.

A PRIMA ORIGINE) Lapsus est Seruius, cum *à prima origine* interpretatus est, à raptu Helenæ. Non enim inde cœperunt Græci, sed apertum bellum moliri sunt. Anno decimo, cum armis nihil proficerent, fessi diuturna obsidione, ad dolos & insidias confugerunt, vnde initium perpetuatæ narrationi fieri Dido voluit. Declarat hoc Æneas ijsdem verbis, quibus narrationem exorditur. Modicius cap. 25.

INSIDIAS DAN. CAS. TVOR.) Ad fauorem Troianorum ait, *insidias & casus*, ne virtute videantur superati: & quasi euentu Troia, non fati necessitate conciderit. Ergo ista duo lib. mox sequenti: errores autem tertio.

NAM TE IAM SEPT. PORT.) Per septimam æstatem septimũ annum intellige. Tantum enim temporis abijsse ex Teucro potuit cognoscere. Seruius. Multa hic de septima æstate Corrad. quæ otiosum lectorem postulant. Super ista eadẽ lege Modicium cap. 5. Eius verba referemus lib. 5. ad illum versum, *Septima post Troiæ excidium iam vertitur æstas.*

Obseruatio.

Atq; huius tantum libri exitus non est tragicus: cæterorum omnium tragici. Tam diuersa tamen rerum compositione, vt in animis, ingenijsq; diuinis mirificam excitet admirationem: tanta, tamq; diuersa varietas est. In secundo Creusa eripitur, vt inter deos sit. In tertio vulgari morte Anchises. In quarto seipsam Dido interficit. In quinto Palinurus in mare deturbatur. In sexto Marcello, tanquam mortuo, canitur epicedium. In septimo eorum catalogus texitur, qui ad interitum eunt. In octauo ad clypei picturam multę mortes, Cleopatræ exitium, & gentes victæ. In nono Troianorum strages in suis castris. In decimo Mezentius ab Ænea interimitur. In vndecimo delentur Volscorum acies. In duodecimo Æneæ manu Turnus cadit. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 28.



SYMBO-



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER VII.

Ad secundum Aeneidos.

SYNOPSIS.



Ox vbi Regina Æneam orauit, vti artes, machinationesq́; Græcorum, quibus Ilium subuertendum, penitusq́; delendum suscepissent, ac deinde quã multis, ac varijs ipse cum suorum illis reliquijs terra, mariq́; incommodis laborasset, idq́; toto pæne septennio, exponeret, repente altum ab omnibus quiq́; in conuiuio accubabant, quiq́; conuiuantibus ministrabant, silentium est consecutum, & ad audiendum mentes cum auribus adhibitæ. Æneas præfatus, se hostium etiam miseratione, & lacrymis digna enarraturum, incipit. Totius, & suauissimæ simul, & ad ciendum fletum aptissimæ ἐξηγήσεως summam ante oculos ponemus. Græcorum duces, qui se iam decimum annum casso labore Troiam obsidere cernerent, nec manu, & armis ea potituros confiderent, quod tam longo interuallo à virtute nequiuissent, hoc ab astu, periurioq́; sibi petendum iudicasse. Proinde equum obstupescendæ molis ligneum extruxisse, Mineruæ dicatum simulasse, eò fortissimũ quemq; inclusisse, in insulam Tenedum desertam latitandi caussa se contulisse. Troianos, vt homines incallidos, ac simplices, nihil fraudum atq; imposturæ suspicatos, reseratis portis, castrorum loca animi oblectandi speculatum egressos. Ibi tum Thymeten auctorem fuisse, vti equum æterno, pulcherrimoq; vrbi monumento futurum inducerent: Laocoontem sensisse alia omnia: hastam quoque vi magna in monstrum illud intorsisse, confestim graues pœnas exsoluisse. Postea à Troianis pastoribus Sinonem nescio quem, Græcum hominem, qui consultò in agro Troiano solus remanserat, seque de industria pastoribus curiosè circumcursantibus capiendum obtulerat, adductum in medium: eum vafritie, simulatione, dolis, ac fallacijs suis, è quibus totus erat conflatus, eò improuidos, nimiumq́; credulos perpulisse, vt equum mœnibus recipiendum consensu decernerent. Quo cum cærimonia, & gratulatione publica introducto, per noctem à Tenedo processisse classem hostium: Sinonem claustris patefactis, delitentes emisisse: hos sine mora (quemadmodum res ipsa hortabatur) ad vigilum cædes faciendas incubuisse, portis apertis, multa sociorum millia sese infudisse. Æneam secundùm quietem ab Hectoris simulacro de vrbe iam ab hoste oppressa, deq́; fuga (vtpote rebus planè desperatis) arripienda monitum: ipsum verò, vt virum magnanimum, cum socijs aliquot pari fortitudine præditis prius vltima, in afferenda ope, & auxilio occidenti patriæ, experiunda sibi censuisse. Duos ex his Græcorum ferro occubuisse: rursum alios duos Troianorum ipsorummet telis, cum, quòd armis se Græcorum induissent, pro hostibus haberentur, oppetijsse: vnum & alterũ super-

stites

ſtites ſecum ad regiam defendendam accurriſſe. Illam acerrimis conatibus oppugnatam, & expugnatam, iniectis ignibus conflagraſſe. Priamum à Pyrrho ad aram Iouis Hercæi crudeliter mactatum periiſſe. Se Helenam, vt horum malorum omnium fontem atque caput gladio transuerberare habuiſſe quidem in animo & iam rem confecturum fuiſſe, verùm à matre cohibitum, ac domum ad ſuos in præſentiſsimo diſcrimine tutandos abire iuſſum. Ibi patrem Anchiſen, vti ſe perdita, ac deplorata prorſus vrbe ſaluum exportari pateretur, flectere nulla ratione potuiſſe: niſi poſtquam puero Aſcanio cæleſti flamma comæ, tactu innoxio exarſerint. Tum deniq; prodigio commotum ceſſiſſe. Ita ſe cum vxore, patre, filio paruulo egreſſum: ſed vxorem in itinere amiſiſſe: regreſsum quà venerat, magnis clamoribus, & indagine multa amiſsam requiſiſſe, nullam inueniſſe. Ab eius idolo, ſiue vmbra tandem certiorem factum, cum Creuſa bene ac feliciter agi, ipſum ſe, erroribus, & caſibus fatali quadam neceſſitate perfunctum, nouo, nobiliſsimoque matrimonio in Italia inclytum, ac beatum fore. Poſt hæc ſe ad ſocios, quos apud Cereris extra vrbem reliquerat, reuerſum, maiorem multò, quàm antè fuerat, vtriuſq; ſexus multitudinem offendiſſe, paratam eius ſequi ductum, & auſpicia, quocunq; terrarũ eos ducere conſtituiſſet. Atq; hæc iſtius libri capita, hæc veluti quædam ſumma ſummarum eſto. Exemplum Homeri intuitus eſt Virgilius, qui Vlyſſem Odyſ. η. à cœna errores ſuos Aretæ vxori regis Alcinoi exponentem fingit. Macrob. lib. 5. Saturnal. cap. 2. è Piſandro hunc librum pæne ad verbum eſſe tranſcriptum affirmare non veretur. Scena multi ſalis eſt apud Plaut. Bacchid. in qua ſeruus veterator herum ſenem argento circumducturus, dolum & artes ſuas cum expugnatione Ilij, Græcorumque ducum partibus appoſitè confert. Initium eſt. Atridæ duo fratres cluent feciſſe facinus maximum, &c.

EXPLANATIONES.



CONTICVERE OMNES, INTENTIQVE ORA TENEBANT.
Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.
INFANDVM REGINA IVBES RENOVARE DOLOREM,
Troianas vt opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai: QVÆQVE IPSE MISERRIMA VIDI,
ET QVORVM PARS MAGNA FVI. QVIS TALIA FANDO,
MYRMIDONVM, DOLOPVMVE, AVT DVRI MILES VLYSSI
TEMPERET A LACRYMIS? & iam nox humida cælo
Præcipitat, ſuadentq́; cadentia ſidera ſomnos.
Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,
Et breuiter Troiæ ſupremum audire laborem:
QVANQVÀM ANIMVS MEMINISSE HORRET, LVCTVQVE REFVGIT,
Incipiam.

CONTICVERE OMNES) Quoniam dixerat ſuprà, *Fit ſtrepitus tectis, vocemq́; per ampla volutant*, Et, *cithara crinitus Iopas Perſonat aurata*, Et, A

Ingeminant plauſum Tyrij, Troeſq́; ſequuntur:
Nec non & vario noctem ſermone trahebat
Infelix Dido,

meritò ita incepit librum ſecundùm, vt dicat, conticuiſſe ſimul omnes, Tyrios ſcilicet, ac Troianos, qui ſtrepebant vocibus, plauſu: Iopam quoque, & Didonem ipſam. Addit, omnes in Æneam immobili vultu, cum ſumma attentione tacuiſſe, partim nimirum propter eius honorificentiam, qui fuerat locuturus: partim propter deſiderium audiendi: quia mens hominum nouis narrationibus mirè delectatur. Præterea reginæ volenti audire, debuerat exhiberi ſilentium. Donatus.

Numeros interdum ſedatus eſſe debet, proinde vt oratio, vt verba, è quibus ipſa conſtat: quales ſunt narrationes eæ, in quibus non exigitur vel magnificentia verborum, vel pondus ſententiarum: ſed paratur tantum audientium attentio, vt Rhetores præcipiunt, qualis eſt hæc, *Conticuere omnes*, &c. Fluunt verba, labitur oratio, nihil in hoc principio confragoſum, nihil cæſum, aut ex parte, vt videtur, colliſum habens. Quid explicatione illa iucundius?

Sic fatur lacrymans, claſſiq́; immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Quid alia illa ſedatius?

At regina graui iamdudum ſaucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Fluunt itaq; numeri ipſi, quibus nihil profectò lenius, vt nulla

vt nulla videatur ars adhibita, nulla ipsi appareant cura temperati. Iouian. in Actio.

INTENTIQ. ORA TENEB.) Enclitica, quæ, frequenter apud poetas videtur ἐξηγητικὸν μέσον, pro, *hoc est*: ora enim tenere, est silere, seu cōticescere. Vt lib. 6. *tenuitq́, inhians tria Cerberus ora*. Modum loquendi mutuatur ab Ennio, cuius est in 1. Annal. ad declarandam summam populi, in fratres Romulum & Remum auguria captantes fixi, attentionem, *Sic expectabat populus, atque ora tenebat Rebus*. Id est, cum silentio quodam oculos habebat intentos in ea, quæ agebantur. * *Poterat itaq́; Æneas huiuscemodi verbis exordiri, quibus quartam Catilinariam exorsus est M. Tull. Video in me omnium vestrûm ora, atq́; oculos esse conuersos. Idem enim valet*, intentiq́; ora tenebant. *ora namq́; totos vultus hic significant*. Cuius ob os Graij ora obuertebant sua, *antiquus poeta*.

TORO PAT. ÆN. AB ALTO) Altum torum, summum locum accipit Seruius, quem locum ait pontificalem fuisse. Attamen in conuiuijs, auctore Festo, supra omnes sacerdotes accubabat rex sacrorum, post eum Flamen Dialis, deinde Martialis, mox Quirinalis, inde Pont. Max. Potuit tamen sic locus vocari è dignitate Pont. Max. cæteris pontificibus imperantis. Plutarchus in Symposiacis, apud Romanos dicit honestissimum fuisse locum vltimum secundi lecti, ac consularem fuisse. Nam fortassis alius olim fuerat honestior locus, id enim Plutarchus de sua ætate scribit. Seruius quidem domini locum medium esse ait, in illud Maronis *mediamq́, locauit*, lib. 1. atque è Sallustio exemplum affert. Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, supra eum Thurius, Fabius Hispaniensis, senator ex proscriptis: in summo Antonius: & infrà, scriba Sertorij Versius, & alter scriba Mæcenas in imo. Medius inter Tarquitium, & Ouium Perperna. Cum autem magna lætitia conuiuium agitabatur, lege quadam cōuiuiali, si quis quid peteret, id ab summo omnibus dabatur, vt ab summo ad infimum vsq; omnibus vini cyathi in pocula certo numero dabantur. Plautus. *Da puer ab summo*. Turneb. lib. 6. cap. 21.

Fuluius Vrsinus libello de Triclinio, existimat versum hunc Maronis, *Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto*, non esse ad altitudinem tori referendum, sed altum torum dixisse Virgilium tori summum locum, in quo discumberet Æneas, quod is locus esset dignior tertio, qui Achati assignatus erat: nam medius locus, in quo se Dido locauerat, ita dignior cæteris erat, vt post eum primus, deinde tertius numeraretur. Vnde Plautus videtur in Sticho dixisse,

Haud postulo equidem in medio lectulo accumbere?
Scis tu me esse imi subsellij virum.

Rursum in Persa.

Ergo oratores populi summates viri
Summi accumbent: ego infimatis infimus.

In imo autem solebant parasiti accumbere, &c.

Ne recusa, lector, adire Lipsium, Antiquar. lect. lib. 3. cap. 1. in quo veterum conuiuiorum ritus vt planissimè, sic accuratissimè exponuntur, multorumque scriptorum loci eadem opera declarantur. Notiones huius vocis *torus* complures inuenio. Torus est lectus, ab intortis herbis ita nominatus, quare sine halitu, siue nota aspirationis scribenda vox, quā certè nullam habet vocabulū *intorqueo*, siue simplex *torqueo*: quod ad reliquas quoq; notiones velim pertinere, quæ sequuntur. Est etiam torus caro pulposa, seu musculosa. Cic. Tusculan. 2. *O pectora, ô terga, ô lacertorum tori*. Sunt item aurea, siue argentea ornamenta, bullæ, & similia, quæ pileis affiguntur. Plaut. Amphit. *Tum patri autem meo torulus inerit aureus*. Dicuntur quoq; partes quædam extantes in coronis tortiles. Cic. Orat. perf. Aut addit aliquos, vt in corona toros. Ad extremum torus in arboribus vocatur intortum quiddam, & tanquam callum in se conuolutum.

Patrem vocat Æneam poeta multoties: id eo modo factum, quo dictum est cognomen Ioui: quippe Iouem patrem sunt venerati, propterea quod, vt ait Porphyrius, ad eum omnes familiæ referrentur. Sic Æneam patrem dicit, qui Romanorum principium esset. Quod & manifestius ibi, *At pater Æneas Romanæ stirpis origo*. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3. Pater nomen honoris est, inquit German. nec semper ad ætatem refertur, ad grandiorem inquam: vt apud Homerum Odyss. θ. Δεῦρ' ἄγε καὶ σὺ ξεῖνε Πάτερ πείρησαι ἀέθλων, de Vlysse, cuius ante robur, & iuuentam laudauerat.

INFAND. REG. IVB. R. DOL.) In 9. Odyss. hæc sunt, ad quæ respexit Maro noster.

Σοὶ δ' ἐμὰ κήδεα θυμὸς ἐπετράπετο στονόεντα
Εἴρεσθ', ὄφρ' ἔτι μᾶλλον ὀδυρόμενος στεναχίζω.
Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω,
Κήδε' ἐπεί μοι πολλὰ δόσαν θεοὶ οὐρανίωνες;

Sed Virgilij diuina, & inimitabilia sunt. Semina posuit in proœmio eorum, quæ dicturus erat in narratione. Κήδεα igitur non sua solum, sed cum præposuit vniuersa, subdit & sua. Proposita igitur miseria præ oculis, addit rationes, *regnum lamentabile eruttum*. Neque statim, vt ille, confugit ad aram communem, deos malorum auctores, sed *quæ vidi*, & quidem *miserrima*. Non solum autem vidi, sed *quorum pars magna fui*, quæ ipsemet vna passus sum ita, vt magna pars illius communis calamitatis in me redundarit. Deinde per interrogationem πάθος explicat: quando ne hostes quidem sine miseratione id enarrare posse profitetur. A temporis quoq; incommoditate auget difficultatem narrationis. Omnia sanè non sine illa diuinitate sua, vt non tam imitatus Homerū, quam nos docuisse, quomodo ille ea dicere debuisset, videatur. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3. * *Ad Virgilianum locum proculdubio respexit Seneca in Agamem. Vbi Eurybates nuntius Clytemnestra eum interroganti.*

Quis, fare, nostras hauserit casus rates,
Aut quæ maris fortuna dispulerit duces.

respondet.

Acerba fatu poscis, infaustum iubes
Miscere læto nuntium: refugit loqui
Mens ægra, tantis atque inhorrescit malis.

INFANDVM RENOVARE DOLOREM) Lib. 1. *O sola infandos Troiæ miserata labores*. Iubes, ô regina, refricare vulnus, quod iam occalluerat: dies enim, vt ait in Heaut. Terentius, adimit ægritudinem hominibus.

TROIANAS VT OPES) Imperium Troianum. Horat. Ode 12. lib. 2. *Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes*. Principio libri sequentis quiddam grandius, *Postquam res Asiæ, Priamiq́, euertere gentem*, &c.

QVÆQVE IPSE MISERR. VIDI) Infrà. *Vidi Hecubam, centumq́, nurus*, &c. *Vidi ipse furentem Cæde Neoptolemum*. Thucydides lib. 1. vt fidem faciat historiæ suæ, affirmat se res gestas describere, non quas temere ab alijs sciscitatus fuerit: sed quibus & ipsemet interfuerit, & quas ab alijs studiosissimè perquisitas didicerit. Sanè multum testibus oculatis tribuitur.

ET QVORVM PARS MAGNA FVI) Æneas

 non

non ita fuit pars magna illius calamitatis, vt esset ipse quoque calamitas, & clades atq; miseria: sed fuit non postremus, vel potius pæne primus de illis, quibus ipsa flebilis calamitas subeunda fuit. Valerius Max. Asinius etiam Pollio non minima pars Romani styli: hoc est, non minimus inter scriptores Romanos. Spartana mater ad filium è bello fugitiuum, Ἔῤῥε κακὸν σκυλάκευμα, κακὰ μοῖρα, mala pars, vne de malis, & ignauis, de imbellibus ciuibus. In quodam epitaphio græco quidam Musicus, Ἦν δ' οὗτος μουσῶν ἱερὰ μοῖρα. Huius notæ puta, cum dicimus quempiam esse alicui rei, aut ad rem aliquam, aut alicuius rei caput, id est, præcipuam operam ad eam conferre: quomodo locutus est Plaut. Asinar. *Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.* Terent. And. *Nam si hic mali est quidquam, hem illic est huic rei caput.* Virgil. lib. 11. *ô Latio caput horum, & caussa malorum.*

QVIS TALIA FANDO MYRMID.) Ecce tibi expressum à Silio lib. 2. de Saguntho vrbe Hispaniæ, à Pœnis deuastata.

Quis diros vrbis casus, laudandaq; monstra,
Et fidei pœnas, & tristia facta piorum,
Temperet euoluens lacrymis? vix Punica fletu
Cessassent castra, ac miserescere nescius hostis.

Gerundium *fando*, perpessionis est, vt etiam infrà, *Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures.* Malo παθητικῶς dictum, quam ἐνεργητικῶς, vt exponit Modicius. Quis miles Græcus, hostis scilicet, & euersor narrans hæc, temperet à lacrymis? De Myrmidonibus & Dolopibus multa Montfortius.

AVT DVRI MIL. VLYSSI) Militem Ælius à mollitia κατ' ἀντίφρασιν dictum putat, eo quod nihil molle, sed potius asperum quid gerat. Sic ludum dicimus, in quo minimè luditur. Ita Festus.

NOX HVM. CÆLO PRÆCIP.) Nox cælo præcipitat, cum præceps, & inclinata ad occasum festinat: cum ad finem appropinquat: cum ad exitum suum accedit: cum cæli conuersione ad suum occasum inclinat, quo tempore & astra occidunt. Verbum *præcipitat* absolutum, poetis & historicis frequentatum est. Cæsar lib. 3. belli ciuil. Multi iam menses transierant, & hyems præcipitauerat. Liuius lib. 7. Creditum vulgò est, in puteum apertum ex equo præcipitasse. Et lib. 44 Et pars maxima inermis per inuia, & rupes præruptas præcipitantes fugerunt. Cic. alicubi, sol iam præcipitans.

SVAD. CADENT. SID. SOM.) Cœnam extenderat Dido in multam noctem. Æneas igitur admonet, appropinquare auroram, & quod reliquum est temporis, somno concedendum.

Cadunt sidera diluculo, albescente cælo, exorta aurora, exacta propè nocte. Sic alio loco scribit: *Ergo age nate dea, primisq; cadentibus astris Iunoni fer ritè preces.* Id est, sub auroram, cum astrorum, aduentante sole, hebescit acies, & fulgor obscuratur. Æneas igitur significat, propè transactam esse noctem. Turneb. lib. 6. cap. 21.

SED SI TANT. AMOR CAS. COG. NOST.) Conclusio exordij, qua propensionem animi sui in reginam declarat, cuius studium, ac desiderium suis doloribus velit anteponere. Quod mox sequitur *& breuiter*, ad attentionem pertinet. Nascimb.

QVANQVAM ANIM. MEMIN. HORRET) Multa sumpsisse Virgilium non à poetis modò, verùm

A etiam ab ijs, qui soluta oratione scripserunt, notum est. Quare facilè crediderim, versum hunc, *Quanquam animus meminisse*, &c. è Cicerone imitatum esse. Ita enim ille oratione in Antonium 14. scripserat. Refugit animus P. C. eaque formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmensium liberis, & coniugibus effecerit. Muret. lib. 5. cap. 3.

LVCTVQVE REFVGIT) Versus μείουρος, siue τελίαμβος, iambus enim pro spondeo. De quibus versibus Athenæus lib. 14. Terentian. Maurus de re metrica.

Caput est insigne apud Macrobium, nempe 2. B lib. 7. Saturnal. in quo docemur, de quibusnam rebus, quisq; libenter interrogetur, alacriterque, & cupidè respondeat. Sanè Æneas hic ostendit, se à Didone de ijs interrogatum, quorum commemoratio parum sibi iucunda sit futura. Si enim animus meminisse horret, quomodo ea non reformidabit oratio? Præterea, si hostis ipsemet sine fletu, ex commiseratione oborto, audire non possit, is qui intulit, quomodo tandem sine gemitu saltem, & dolore mentis commemorabit qui pertulit? Veruntamen rogantis auctoritati dandum est aliquid, & satisfaciendum illi, sed breuiter. Verborum Macrobij particulam apponam. Nec negauerim esse quædam malorum genera, quæ non vult qui passus est vel transacta meminisse: nec minus in- C terrogatus offenditur, quam cum in ipsis malis fuit. Vt qui carnifices expertus est, & tormenta membrorum: vt qui infaustas pertulit orbitates: vel cui nota quondam affixa censoria est. Caue interroges, ne videaris obijcere. Hactenus ille. Sed mala quæ expositurus est Æneas, alterius cuiusdam generis sunt, & alia de caussa eorum parum iucunda vel narratio, vel etiam recordatio. Immeritam quippe gentem, & patriam euertere visum superis.

Super capta ac diruta patria videamus quid ad consolandum afferri possit. Optimus quisque ac generosissimus ciuis patriam cum primis amat. Quare ob eam euersam maximè doleat necesse est, in qua non solum genitus sit, altus, educa- D tus: sed liberos quoque sustulerit, honores gesserit, magistratu functus sit, ac magnorum virorum familiaritatem, amicitiamq; obtinuerit. Tamen quò maior, & diuturnior est ea amissa dolor, eò firmiorem habere animum oportet, & tanquam acrius futurum sit maiore cum hoste certamen, armis sese validioribus instruere. Cumque non prædam ex agris, sed arcem ipsam peti sentiat, coactis in vnum viribus pugnabit. Esse vt hominum, sic & vrbium interitus: futuram quoque aliquando orbis deflagrationem. Proponet sibi ante oculos Athenas, Lacedæmonem, Thebas, Crotonem, Tarentum, Beneuentum, Capuam, Syracusas, Numantiam, Carthaginem, Romam. Ipsas quoque nationes stirpitus esse sublatas, deleta imperia, reges extinctos, & genus ipsum hominum aliquando vniuersum pæne absorptum diluuione fuisse, nec indignandum esse, manere nostram quoque Rempubl. commune omnium fatum. Quæ acciderint, naturalia esse, & quanquam rara, tamen necessaria. Nihil e- E nim, quod aliquando cœperit, non interiturum. Multum etiam ad consolandum confert illorum enumeratio, qui fortiter & ipsi sustinuere. Hique tanquam socij asciscendi sunt. Proponatur ante oculos Clitomachus Carthaginensis, qui non ipse tantum forti animo tulit, sed ciues quoque cohortatus est suos, ad excidium patriæ viriliter ferendum. Proponatur etiam Stilpo Megarensis, qui patria capta, ac direpta interroganti Demetrio, nihil se amisisse respondit. Nam Archimedes Syracusarum direptionem ne sensisse quidem videri potest: qui radium tenens, ac lineas ducens, geometricæ figuræ contemplandæ intentus cum esset, à milite confossus fuerit. Talibus igitur monitionibus & his tanquam propugnatoribus tutanda est arx, sedandusque initio dolor, pòst etiam ab animo repellendus. Iouian. lib. 1. de Fortitud.

Seneca libro, Quod in sapientem non cadit iniuria,

ria, de Stilpone philoſopho, cuius mentionem facit Iouianus. Megaram Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit. Ab hoc Stilpo philoſophus interrogatus, nunquid perdidiſſet, Nihil, inquit, omnia namq; mea mecum ſunt. Atqui & patrimonium eius in prædam ceſſerat, & filias rapuerat hoſtis, & patriam. At ille victoriam illi excuſſit: & ſe vrbe capta non invictum tantum, ſed indemnem eſſe teſtatus eſt. Habebat enim ſecum vera bona, in quæ non eſt manus iniectio. At ea, quæ diſſipata, & direpta ferebantur, non iudicabat ſua, ſed aduentitia, & nutum fortunæ ſequentia. Ideo n[illegible]n vt propria dilexerat. Laudat eundem de hoc reſp[illegible]ſo Plutarch. lib. de Tranquillitate animi.

——— Fracti bello, fatisq; repulſi
Ductores Danaûm, tot iam labentibus annis,
Inſtar montis equum, diuina Palladis arte
Ædificant, ſectaq; intexunt abiete coſtas.
Votum pro reditu ſimulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virûm ſortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri: penituſq; cauernas
Ingentes, vterumq; armato milite complent.
Eſt in conſpectu Tenedos, notiſſima fama
Inſula: diues opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantum ſinus, & ſtatio malè fida carinis.
Huc ſe prouecti deſerto in littore condunt.
Nos abijſſe rati, & vento petijſſe Mycenas.
Ergo omnis longo ſoluit ſe Teucria luctu:
Panduntur portæ: iuuat ire, & Dorica caſtra,
Deſertoſq; videre locos, littuſq; relictum.
HIC DOLOPVM MANVS, HIC SÆVVS TENDEBAT ACHILLES:
CLASSIBVS HIC LOCVS: HIC ACIES CERTARE SOLEBANT.

FRACTI BELLO, FATISQVE REPVLSI) Exordium narrationis ducit artificioſè à cauſſis fugæ Græcorum, quas duas potiſſimùm Laconicè recenſet: tædium diuturni belli, & fatum Troianorum ineuitabile. Montfort.

DVCTORES DANA.) Lucret. lib. 1. *Ductores Danaûm delecti, prima virorum.* A ducendi verbo duces, & ductores Varro format. Inde & verbũ *ductandi*. Salluſt. Exercitum in Aſiam ductauerat. Et verbum ductus eidẽ lib. 3. Hiſtor. Quoties, inquit, à prima adoleſcentia ductu meo ſceleſtiſſimi hoſtes fuſi? Æmil. Probus, quorum ductus res malè geſtę dicerentur. Pro eodem alij videntur poſuiſſe nomen *ducatus*, vt Iulius Capitolin. & Sueton. Tiberio. Notat Steuechius ad Veget. lib. 1. cap. 13.

TOT IAM LABENT. ANNIS) decem annis, menſibuſq; octo, diebuſq; duodecim, ſi Dareti credimus. Verbum *labi*, & participium *labens*, de temporis fluxu non rarò videbis apud ſcriptores idoneos: labi autem propriè eos dicimus, qui veſtigia in lubrico imprimentes, ad terram lentè, ac ſenſim feruntur. Ad teſtimonia veniamus. Virgil. 1. Æneid. *veniet luſtris labentibus ætas.* Hora. Ode 12. lib. 2. *Eheu fugaces Poſthume Poſthume labuntur anni.* Ouid. *Tempora labuntur, tacitiſq; ſeneſcimus annis.* Et,

Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit.

INSTAR MONT. EQVVM) Videre videor digladiantes Grammaticos ſuper hoc verſu, *Inſtar montis equum*, &c. dum quid *inſtar* ſignificet, parum intelligunt. Neq; enim Ciceronem animaduerterunt ſcribentem ad Atticum. Mearum litterarum nulla eſt ſynagoge: ſed habet Tiro inſtar ſeptuaginta. Et quidem ſunt à te quædam ſumendæ, eas ego oportet perſpiciam, corrigam, tum deniq; edentur. Et in Oratore ad Brutum. Nam inuenire, & iudicare quid dicas, magna quidem illa ſunt, & tanquam animi inſtar in corpore. Quid, cum dixit idem Cicero ex ore Antimachi in Bruto, Plato enim mihi vnus inſtar eſt omnium, an ſibi vult aliud, quam quod Platonis vnius audientia idem valeret apud eum, tantumq́ue haberet auctoritatis, quantum ſi vniuerſus Athenienſis populus ad audiendum conueniſſet, intentuſq; recitantem ſpectaret? quodq́; inuentio, ac iudicium in oratore idem quidem polleat, quod in corpore ipſo animus? Verùm hæc à nominis ipſius deductione aliquanto ſunt remotiora. Cum tamen & Cicero, & Virgilius eam innuant, vt, quæ inſtar aut ſunt, aut habent, ea quaſi oculis, ac menti inſtent, illiſq; perinde, vt exemplar quoddam, ſint propoſita. Quod fabris atque artificibus vſu venit, qui propoſitum ad exemplar fabricantur, ad illudq; opus ſuum dirigunt, id quod Virgilij verba præ ſe ferunt, dicentis, equum illum Troianum ædificatum ea vaſtitate, vt quaſi imago montis fuiſſet propoſita ædificatoribus, quam & ipſi imitarentur, & equus ipſe illam referret, quod ipſe alibi declarat, cùm ait,

Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
Roboribus textis, caloq; educere iuſſit.

Et Cicero, cum reſpondet Attico: habet Tiro inſtar ſeptuaginta, an aliud ſignificat, quam quod cum ipſe efflagitatarum ab illo epiſtolarum nullum haberet penes ſe exemplum, originales epiſtolæ (ſic enim hodie non pauci loquuntur) quaſq; ipſe dictaſſet, à Tirone aſſeruarentur, quodq́; de exemplaribus illis, vtpote archetypis, exemplum eſſet ſumendum? Idem Cicero declarat hoc apertius, ſcribens ad Varronem. Equi-

dem hos tuos Tusculanos dies instar esse vitæ puto. Ac si diceret, vitæ genus dierum illorum, quibus fui in Tusculano, esse alijs vitæ suæ exemplum, ac specimen debere iudico. Itaq; tum exemplar, tum exemplum videtur instar significare, quod & Virgilius confirmat, cum dicit, *quantum instar in illo?* Recentiores tamen, vt Plinius Secundus, alia quadam ratione videntur hac vsi dictione, neque impropriè tamen, neq; indecenter, vt cum ait de Traiano, instar refectionis existimas mutationem laboris. Nam & apud Ciceronem legitur, instar mortis; itemq; & alibi, instar vltionis videretur, cernere laceros artus, truncata membra. Item, maximum beneficium vertebatur in grauissimam iniuriam, ciuitasq; Romana instar erat odij, & discordiæ, & orbitatis. Iouian. in Actio.

Equum hunc peritè simul, & eleganter durateum vocauit Lucretius lib. 1.

Nec cum durateus Troianis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Graiugenarum,

quæ græca, & poetica vox ligneum significat. Et sanè durateum vocat hunc equũ etiam Homerus 8. Odyss. sic inquiens.

Ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι, καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον
Δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ.

Et pauld post idem, Δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅθ' εἵατο πάντες ἄριστοι, vulgusq; eundem nõ durateum, sed durion communiore lingua nominat: sicuti etiam poeta Aristophanes. Hinc vox duria, seu durica (non dorica) apud Valerium Flaccum 2. Argonaut. qua scilicet inclusos vtero Danaos equus ille durius, hoc est, idem qui durateus, pactefactus ad auras reddiderit. Neq; autem diphthongus impediat: quam enim δούρειος græcè, tam & δούειος. Hoc quidem modo Politian. cap. 5.

Δοῦρον, inquit Gifanius Collectan. in Lucret. antiquo Græcorum sermone ξύλον sonat, id est, lignum. Hinc δούρειος, & δουράτεος, ligneus. Homerus ἵππον δούρειον. Apollon. πύργον δουράτεον dixit. Non rectè ergò, meo iudicio, contra libros veteres formis, manuq; descriptos, ex Politiani auctoritate hodie extat in quibusdam cod. Valerij Flacci libro 2. *manet immotis nox durica lustris, Et genus Æneadûm, & Troia,* &c. Equus durius ac durateus dicitur, nunquam duricus: nam eadem ratione quis pro ligneus, lignicus faceret, aut similia. Sed fac ita esse, tamen quis noctem duricam, id est, ligneam, diceret? miror homini doctissimo hoc excidisse. Lego ergo ex vetere codibe *nox Dorica*, vt apud Virgilium 2. Æneid. Dorica castra. Itaq; dictum videtur, vt dies Alliensis: nempe qua nocte Dores ceperunt, & inflammarunt Pergama.

A Politiano mutuatus est, quæ scripsit lib. 29. cap. 25. Rhodigin. addens, equos durios ex poetica historia posse dici permagnos, staturososq;, de magnitudine videlicet illius equi Troiani. Citat Aristophané in Auibus. καὶ Θεογένης ἐναντίον δύ' ἅρματε ἵππων ὑπόντων μέγεθος, ὅσον ὁ δούρειος. Putant eruditi, Comicum scientissimum de equo æneo, qui fuerit in Atheniensium acropoli, siue arce, intellexisse: qui etsi æneus foret, durius tamen nuncupabatur eo titulo.

Animaduertendum etiam, ait Victor. lib. 19. cap. 18. cum equum δούρειον ligneum cæteri accipiant, Euripidem aliud etymon huius vocabuli afferre: putareq;, δούρειον vocatum à spiculis, armisque, quæ condita in eo erant: δοῦρα namque, affirmantibus hoc etiam antiquis Grammaticis, & δόρατα, & ξύλα valent. Locus est in Troad. prologo. ὁ γὰρ Παρνάσιος, &c.

De hoc equo quædam haud iniucunda cognitu Erythræus in Indice, in voce *simulacrum*. Eius tota fabricatio, & artificium à Tryphiodoro explicatũ est, quem lege. Equum Troianum appellant interdum scriptores, & ita semper M. Tullius: equum Mineruæ Horatius: quasi arte fabricatum, & ligneum, quo nomine eum afficit Plautus Bacchid. de eodem, & Græcis in eius vterum inclusis Petronius Arbiter in carmine, cui index, Troiæ halosis, quæ iambea Virgilij paraphrasis apparet.

Iam decima mœstos inter ancipites metus
Phrygas obsidebat messis, & vatis fides
Calchantis atro dubia pendebat metu:
Cum, Delio præfante, cæsi vertices
Idæ trahuntur, scissaq; in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurarent equum.
Aperitur ingens antrum, & obducti specus
Qui castra caperent. Huc decenni prælio
Irata virtus abditur, stipant graues
Equi recessus Danai, & in voto latent.

In occasione huius figmenti de equo, per quem Troia capta, dissentiunt auctores. Sunt qui dicant portam, cuius insigne pictus equus, ab Antenore Græcis apertam: sunt qui malint à Græcis equestri prælio victos Troianos in eam calamitaté incidisse. Nec desunt, qui Grecos positis in Hippio monte insidijs, interceptoq; Troianorum exercitu, in vrbem irrupisse contendant.

DIVINA PALLAD. ARTE) Arguté, ac si diceret, consilio deæ Troianis infensæ. Homer. vt suprà vidimus, Epeum ait fabricasse cum Pallade: instinctu, & quasi ad præscriptum Palladis.

SECTAQVE INTEX. AB. COSTAS) Hoc loco Virgilius abiegnum facit equum durateum. Infrà dicit contextum fuisse trabibus acernis. Item è querna materia, ibi,

Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, caloq; educere iussit.

Nam robur, & quercum pro vna eademq; arbore promiscuè vsurpari, non à poetis modò, sed & ab oratoribus, nemo sanus dubitarit. Sed tenet morem poetarum, qui frequentissimè aliud solent pro alio ponere: sunt enim verborum liberiores. Catullus cum ait,

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus,
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas,

procul dubio pinum pro quacunque arbore nauibus construendis accommodata dixit. Eandem enim nauim Orpheus fagineam fuisse canit. Euripides πεύκην piceam solam nominat: cuius Medeæ principium conuertens latinè Ennius, audet abiegnam facere. Et Pausanias in Laconicis memorat hunc equum ex cornis in monte Ida apud Troiam ex Apollinis luco succisis ædificatum. Titius lib. 1. cap. 25.

ABIETE) Proceleusmaticus pro dactylo, vt alibi, *Parietibus hærent scalæ.* Et Eclog. 3. *reijce capellas:* quæ metienda sunt per συνίζησιν, & ex vocali, i, facienda consona. Reijce autem accipiendum, quasi scriptum esset græca diphthongo, ει.

Costas esse puto interiora quædam statumina, & firmamenta quib⁹ laterum, seu tabularũ compages, & coassatio cónexa nitebatur: quales in naui costas videmus, Græci ἐγκοίλια vocant. Et apud Persiũ sat. 6. *costas ratis lacera.* Plin. lib. 13. cap. 9. nec minus spina celebratur in eadem gente, duntaxat nigra, quoniã incorrupta etiam in aquis durat, ob id vtilissima nauiũ costis. Sensus igitur verborũ Maronis est, statumina tabulas connexura intus, intexunt ei operi. Ea spina ἄκανθος à Theophrasto appellatur. Turneb. lib. 12. cap. 5. & l. 26. c. 23.

VOTVM PRO REDITV SIMVLANT) Non minimum de strategematis est, cum, qui ciuitates, & castella

castella obsident, quasi desperata expugnatione, discessum simulant, vt securis oppidanis, noctu superueniant, scalas admoueant, mœnia conscendant. Monet igitur Vegetius lib. 9. cap. 26. maiorem adhibendam custodiã, cum hostis abscesserit. Exempla istius doli habet Frontinus lib. 3. cap. 6. 10. 11. ✠

Hinc leuis emergit Græcorum deturpatio, qui per speciem religionis insidias moliuntur. Hinc in prouerbium abijt, ἵππος δώρειος, seu δουράτεος, de quibuslibet insidijs occulis. Nascimb. * *Quia simulabant Græci, se hunc equum placanda Pallade construxisse, vocat eum Horat. sacra mentitum Ode 6. lib. 4.* Ille (Achilles) non inclusus equo Mineruę sacra mentito. *Varia votorum genera, & exempla profert in mediũ Brisson. Formular. lib. 1. pag. 99. è quibus multiplices eorum conceptiones, conditionesq́; possis colligere. Item vota pro reditu eorum, qui peregre aberant, solebant suscipi, vide pag. 101.*

EA FAMA VAGATVR) Cicero famam ait venire, manare percrebrescere, locum aliquem, & fines peragrare.

HVC DELECTA VIRVM) Enumerantur à Tryphiodoro duces, qui se in hunc equum passi sunt cum periculo capitis compingi, quos Minerua pauit ambrosia. Vlysses portam clausit, seditq; in capite tanquam speculator. Hunc equum, & hoc Græcorum factum Cicero respiciens, dixit 2. Philipp. In huius me consilij societatem (coniuratorum aduersum Cæsarem) tanquam in equum Troianum includi cum principibus nõ recuso. Horum quosdam poeta recensebit postea, illis versibus,

——illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætiq́; cauo se robore promunt
Tisandrus, Stenelusq́; duces, & dirus Vlysses, &c.

Hi delecti ex multis fuere, deinde sorte ducti, ligno inclusi sunt. Ita quę apparebãt pugnãtia, belle cõcordãt. ✠

ARMATO MILITE) συνεκδοχὴ, cum ab vno plura intelliguntur: à Cornificio dicitur intellectio. Nascimb.

In adagio, Porcus Troianus, Paræmiographus: Gulæ veteres architecti & hoc cõmenti sunt, vt bos, aut camelus totus apponeretur, differtus intus varijs animantiũ generibus. Hinc & porcus Troianus venit in populi fabulam, cui hoc nomen inditum, quod ita varias animãtium species vtero tegeret, quemadmodũ durius equus texit armatos viros. Conuenit in opipara conuiuia, aut in hominem varijs delicijs expletum.

EST IN CONSPECTV TENEDOS) Tennus Cygni filius, Neptuni nepos fuit. Eius ephebi iam, & vt Græci dicunt, ἀρτιγενείου desiderio tacta nouerca Philonome, seu, vt alij vocant, Peribœa, sermonem cum eo de stupro contulit. Reiecta & repudiata, insimulauit eum apud patrem, eodẽ planè modo, quo Hippolytum Phædra. Credulus parens, inclusum in capsam quandam filium proiecit in mare. Tulit opem Neptunus innocenti nepoti, delataq; est capsa ad insulam Leucophryn: quã cum incolæ aperuissent, non tantùm Tenno regnum detulerunt: sed etiam de nomine ipsius insulam Tenedon nominarunt, quin & mortuum pro deo coluerunt. Muret. lib. 1. cap. 12.

De insula Tenedo, rebusq; gestis Tenediorũ habes nonnulla apud Diodorum lib. 5. cap. 17. De ea sic Strabo lib. 13. Tenedus non amplius 40. stadijs à continente dissita, ambitu est ad XXC. stadiorum: vrbem habet Æolicam, & portus duos, templumq; Apollinis Sminthei, quod & Homerus 1. Iliad. testatur. σμινθεῦ τενέδοιό τε ἶφι ἀνάσσεις: circa hanc minutæ insulæ multæ iacẽt, de quibus sunt, quas Calydnas dicunt, &c. Mela in hunc modũ lib. 2. cap. 7. Extra Hellespontum, earum quæ Asiaticis regionibus adiacent, clarissimæ insulę sunt Tenedos, Sigæis aduersa littoribus, & quæ dicentur ordine ad promontorium montis expositæ, quos quidam dici putauere μακάρων, &c.

PRIAMI DVM REGNA MAN.) Nam ipso bello deserta fuit ab incolis, & prædæ Achilli exposita.

STATIO MALEFIDA CARIN.) Vulgata notione *statio* hic ponitur. Minus vulgatas sex obseruat Scholijs eruditissimis in 1. Thebaidos Papinij Ioan. Bernartius pag. 29.

NOS ABIISSE RATI) Probabilis coniectura, à qualitate loci deducta, vnde ingens exoritur commiserationis affectus, per locum communem, ex insperato incommodo. Nam cum Troiani se iam omni periculo liberatos putarent, tunc maiorem calamitatem, maiusque infortunium subire coguntur, quod peripetiæ genus est. Non dissimilis ferè conquestionis locus est apud Sophoclem in Antigone. Nam Creon perempta Antigone cum diu lætè se victurum, omnique molestia cariturum speraret, vxoris suæ interitum luxit. Nascimb. * *De discessu Græcorum à Troiano littore, relicto Simone ad incautos mortales verborum præstigijs capiendos, perdendosq́; fundit sic, Tryphiodorus.* Iam nox obscura terras inuoluerat vmbra, &c.

PETUSSE MYCENAS) Græciam, à parte totum, vt ibi, *Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.*

ERGO OMNIS LONGO) Omnis Teucria, omnis ætas, vterq; sexus, omnis ordo, conditio, vno verbo, populus vniuersus longum luctum, quippe annorum decem, ex quo Troia obsidione premi cœpta est, valere iussit. Apertis item portis, quod pacis argumentum est certissimum (Horatius ad Pison. *& apertis otia portis*) ad castrorum loca voluptatis ergô contemplanda, ex vrbe processit. Quæ autem ciuitas tam inuidens fælicitati suæ, vt hoc nõ faceret? Triphyodorus super hoc egressu disertè.

Panduntur portæ subitò, peditesq́; equitesq́;
Mœnibus effundunt sese, campisq́; propinquant;
Exploraturi, si fors qua lateret Achiuûm
Turma per insidias. Priamo quoq; Dardanidarum,
Iungentes celeres desueta sub esseda mulos,
Exibant cum rege senes, neq; tarda senectus
Natorum dulci incensos retinebat amore:
Quos Danaûm sæuo incolumes a Marte relictos
Sperabant læta victuros tempore pacis,
Tranquillam tutosq́; attingere posse senectam.
Mox verò summi immitis Iouis ista voluntas
Gaudia multiplici pensauit inania luctu. ✠

DORICA CASTRA) κακέμφατον est, & species pro genere συνεκδοχικῶς: varia quippe sunt Græcorum genera. Sed poetarum morem nosti perbene. Notatum est in his verbis, vt dixi, κακέμφατον, quod nõ vsqueadeo fugiendum in 5. monebimus, hoc autem exemplum laudari non potest: geminata enim syllaba, ca, quid efficiat, diuinatione haud opus. Huiuscemodi reperitur in 3. *caca caligine soles.* ✠

HIC DOLOPVM MANVS, HIC SÆVVS) Hypotyposis singula loca in re præsenti inter se admirantium, præ exuberanti lætitia, vbi castra, vbi stationes, vbi campus fuisset, vbi acies concurrere solebant, à distributione. Montfortius.

Etiam ista pertractat Tryphiodorus cuius libri cum hoc secundo permagna elucet in plerisque similitudo. Ouid. epistola Penelopes, postquam Græcorum duces saluos domum reuersos, & iam coniuges ab ore virorũ suorum, Troianum excidium referentium pendere dixit, hæc subijcit, quibus locum Maronis adumbratum existimare licet. Naso etenim non in Metamorphoseon duntaxat, sed in alijs quoq; libris suis, Virgiliana obseruans vestigia, per eadem incedere consueuit.

Iamq́; aliquis posita narrat fera prælia mensa,
Pingit & exiguo Pergama tota mero.
Hac ibat Simois: hic est Sigeïa tellus:
Hic steterat Priami regia celsa senis.

Illic Æacides, illic tendebat Vlysses:
Hic lacer admissos terruit Hector equos.

Obseruo præterea locum isti persimilem lib. 2. Histor. Taciti, de victoria Vitellij apud Bedriacum. Aderant Valens, & Cæcina, monstrabantq; pugnæ locos: hinc erupisse legionum agmen, hinc equites coortos: inde circumfusas auxiliorum manus. Vulgus quoq; militum clamore, & gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri, mirariq;. Atq; vt Maro voculam *hic*, ita Homerus ἔνθα γ. ἔνθα μὲν αἴας κεῖται ἀρήϊος, ἔνθα δ' ἀχιλλεύς, ἔνθα δὲ πάτροκλος.

TENDEBAT) Tentoria, tabernacula habebat, fixerat. Eadem forma crebrò vsurpatur *tendere*, ab historiographis. Tacitus, Principia, ea castrorũ loca sunt, vbi tendebant magistratus, erantque signa legionum. Annal. lib. 13. Quod grauiter Corbulo accepit, increpuitque Pactium, & Præfectos, militesq; tendere omnes extra vallum iussit. German. * *Virgil. lib. 8.* cessaque omnis

A de colle videri, Iam poterat legio, & latis tendebat in aruis. *Suet. Galba. cap. 12, Iam Germanorum cohortem, à Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisq; experimentis fidelissimam, dissoluit, ac sine vllo commodo remisit in patriam, quasi Cn. Dolobellæ, iuxta cuius hortos tendebat, proniorem.*

SÆVVS ACHILLES) Maximè propter Hectorem interfectum. Lib. 1. *Atridas, Priamumq;, & sæuum ambobus Achillem.* Alibi immitem vocat. Hectorem quoque sæuum dixit lib. superiore, *Sæuus vbi Æacidæ telo iacet Hector*, sed alio intellectu, quomodo etiam lib. 12. Ænean *maternus sæuus in armis.*

CLASSIBVS HIC LOCVS) Classes Isid. lib. 9. & Turneb. lib. 26. cap. 22. de exercitu pedestri potiùs, quàm de nauibus exaudiunt, vt etiam Seruius de eque-
B stri. Isidori verba sunt. Classes dictę propter diuisionem, qui postea manipuli dicti sunt. Vnde & Virgilius: *Classibus hic locus:* nam postea classica nauium dicta. Classes igitur apud Maronem manipulos intelligit, quæ sententia non est improbanda.

Pars stupet innuptæ donum exitiale Mineruæ,
Et molem mirantur equi: primusq; Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari:
Siue dolo, seu iam Troiæ sic fata ferebant.
At Capys, & quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaûm insidias, suspectaq; dona
Præcipitare iubent, subiectisq; vrere flammis:
Aut terebrare cauas vteri, & tentare latebras.
SCINDITVR INCERTVM STVDIA IN CONTRARIA VVLGVS.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterua,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce.
Et procul, O MISERI, QVÆ TANTA INSANIA, CIVES?
Creditis auectos hostes? AVT VLLA PVTATIS
DONA CARERE DOLIS DANAVM? SIC NOTVS VLYSSES?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui;
Aut HÆC IN NOSTROS FABRICATA EST MACHINA MVROS,
Inspectura domos, venturaq; desuper vrbi:
Aut aliquis latet error. EQVO NE CREDITE TEVCRI.
QVIDQVID ID EST, TIMEO DANAOS, ET DONA FERENTES.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inq; feri curuam compagibus aluum
Contorsit. stetit illa tremens, vteroq; recusso
Insonuere cauæ, gemitumq; dedere cauernæ.
Et, SI FATA DEVM, SI MENS NON LÆVA FVISSET,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras,
Troiaq; nunc stares, Priamiq; arx alta maneres.

PARS STVPET INNVPTÆ) Calaber lib. 12.

Ἵππον δ' εἰσορόωσαι ἐΰξοον, ἀμφὶ δ' αὐτῷ
Θάμβεον ἑστῶτες, μάλα γὰρ μέγα ἔργον ἐτύχθη.

Tryphiodorus. Οἱ δ' ὅτε τεχνήεντος ἴδον δέμας αἰόλον ἵππου, θάμβεον ἀμφιχυθέντες. Innuptam vocat Mineruam, quæ nunquam nuberet, quæ perpetuam virginitatem coleret. Quod quidem quid sibi velit, mythologi docebunt. Nuptæ, ait Isido. lib. 10. cap. 8. dictæ, quod vultus suos velent: translatum nomen à nubibus, quibus tegitur cælum. Vnde & nuptiæ dictæ, quod ibi primùm nuben-
C tium capita velantur. Obnubere enim cooperire est. Contrarium innuba, hoc est innupta, quæ adhuc vultum suum non velat.

ET MOLEM MIRANTVR EQVI) Quis non admiraretur instar montis equum ligneum? Nemo vnquam tale quidquam se vel vidisse, vel audisse, vel saltẽ somniasse meminerat. Omnia magna, noua, inusitata admirationem, & stuporem afferunt vulgo mortalium, non perinde sapientibus.

PRIMVSQVE THYMOETES) Meminit huius Home-

Homerus Iliad. 3. sedisse inter senes cum Priamo supra Scæam portam, & spectasse Græcorum exercitum. Plura Montfortius.

DVCI INTRA MVROS) Totum ex Homero expressum, Odyss. 8. vide Vrsin.

SIVE DOLO) Caussam hortationis facit ambiguam, & verisimiliter narrat. Priamus eius vxorem cum fœtu occiderat, sine caussa. Potuit igitur conscius technæ Græcorum, per speciem boni consilij hortari ad inducendum equum, armatis refertum, vt ita se de Priamo vlcisceretur. Vide Montfort.

AT CAPYS, ET QVORVM) Hic quoque vnus Troianorum principum, à quo postmodum Capua in Italia, & Campania nominata. Decorè huic Æneas sanius consilium affingit: vel ut eam gloriam ad suam familiam deriuet (videtur enim agnatus fuisse, cum ab auo paterno Æneæ nomen habeat) vel vt à se, & suis omnẽ fraudis suspicionem depellat. Montfort.

SVBIECTISQVE VR. FLAM.) Que, copulatiua cõiunctio est, non disiunctiua. Quomodo ergo cum disiunctiua coniunxit? Poetarum est, partem pro parte ponere, vt toruum pro toruè, voluentibus pro volubilibus. Coniunctionem ergo pro coniunctione posuit. Seruius.

TEREBRARE CAVAS) Lucret. lib. 1.

Talibus in rebus poteris cacaq́; latebras
Insinuare omnes, & verum protrahere inde.

Æschylus quoq; Eumenid. τυδίος σκότυς vocat. German. Terebro à terebra. Terebra autem à verme ligni, qui sic vocatur, quem Græci τερηδόνα dicunt. Hinc terebra dicta, quod vt vermis terendo forat, quasi terrefora, vel quasi transforans. Isiod. lib. 19. cap. 19.

SCINDITVR INCERTVM ST. IN. C. VVLGVS) Cum sapientibus rarò sentit vulgus, in quo non est consilium, nec prudentia, nec iudicium, ideoque incertum appellat, cuius infinitati plerumq; sapientes cedere coguntur. Quamobrem Seneca dicere solebat, se nunquã voluisse populo placere. Nam ꝙ probat, inquit, populus, ego nescio: & quæ ego scio, nõ probat populus. Et Democritus, sibi populum esse pro vno, & vnum pro populo. Nascimb. * *Cic. pro Plancio. Non enim est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia. Et pro Murana. Nihil est incertius vulgo. Bellua est populus, sed multorum capitum. Diuersorum autem populorum diuersam esse naturam, variosque mores, & studia docet exemplis Plutarch. lib. de instituti. cinele.*

PRIMVS IBI ANTE OMNES) Errat hic Seruius, qui futili quadam distinctione hunc locum conatur exponere, cum dicit, *Ante omnes* aut perissologia est, quia dixit *primus*: aut *ante omnes*, id est, videntibus omnibus. Res profectò indigna tanti nominis viro. Ergo *primus*, tanquam dux & imperator: *ante omnes*, anterior omnibus, quibus associatus erat. Huic rei fidem faciunt antiqui codices nõnulli, in quibus legere est, *ante alios* Alterum igitur dignitatis est, alterum ordinis. Nascimb.

ET PROCVL.) Aposiopesis, subaudi, exclamat. Et procul à ciuibus: non enim exspectare potuit, donec ad eos accessisset: sed adhuc in ipso cursu exclamauit. Apparet; concitati animi vehemens impetus.

O MISERI, QVÆ TANTA INSANIA) Inuectio, sed non contumeliosa, verùm ex singulari in patriam charitate proficiscens. Initium habet abruptũ, qualè omnes ferè iratorum, animoque concitatorum orationes habere solent: vbi & ciuium suorum imprudentiam, ne dicam temeritatem carpit, & imminentem ex ea calamitatem prænuntiat, cum ait *miseri*. Quasi dicat, miseri estis, qui hostem in vrbem vestram, in domos vestras introducitis. Pronuntiandum est autem vno spi-

A ritu celerrimè, vt magnus dicentis ardor exprimatur. Talis ferè est Ascanij increpatio in Troianas mulieres, quæ naues combusserant, in 5. Æneid. cum ait.

Quis furor iste nouus? quò nunc, quò tenditis? inquit,
Heu misera ciues. Non hostem, inimicaq́; castra
Argiuûm, vestras spes vritis

Nascimb.

CREDITIS AVECT. HOSTES, AVT VLLA PVTAT.) Etiam interrogando affirmamus. Hoc igitur vult: nec discesserunt penitus Græci, vt videri volunt, & hæc dona, hic equus fraudem olet, de qua mox plenius loquitur.

SIC NOTVS VLYSSES) Vlyssem Homerus vbiq;
B versutum facit, ac simulantem, dissimulantemque, & statim initio Odysseæ πολύτροπον appellat. Hinc Ὀδυσσείας μηχανὴ, Vlysseum inuentum, callidum, vafrum, astutum dicebant. Vide insuper Iunij Cent. 1. adag. 14. Themistoclea vafricies.

Ab exemplo. Vlysses enim mendici habitu Ilium ingressus ad explorandum vrbis situm & statum, tum etiam ad surripiendum Palladium, Helenæ indicio proditus in præsentissimum periculum inciderat, nisi Hecubæ beneficio seruatus fuisset. Hoc ipsum ei Hecuba apud Euripidem obiicit. Montfort.

AVT HOC INCLVSI LIGNO) Q. Calaber, siue Smyrnæus, loquens de ijs, lib. 12. [Greek word] qui se in
C hunc equum includi siuerant, incerto iam tum exitu, dicit eos tacitè insedisse magno silentio, velut medio inter vitam, mortemque spatio perplexos. Eius verba sunt.

—— τοὶ δὲ σιωπῇ
Πάντες ἔσαν βιοτῆς μεσσηγὺς καὶ ὀλέθρου.
—— *silenter,*
Insedere omnes medij vitaq́, neciq́.

Igitur. *Inter vitam, & mortem* conueniet dici in eos, qui in magno discrimine versantur, & ad extrema redacti pericula, rebus in ancipiti positis. Finitimum est, inter sacrum saxumque sto. Iunius Cent. 1. in adag. 7.

Totum hoc disiunctiua enuntiatio est: quæ vt
D vera sit, vna tantum eius pars vera esse debet, vt veteres dialectici voluerunt. Quare falsa apud illos habetur, si omnes eius partes, quotquot tandem constiterit, aut veræ, aut falsæ fuerint. Cum igitur hoc Virgilianum enuntiatum tribus partibus constet, & omnes sint veræ (nam & Græci latebant in ligno illo, seu equo ligneo: & ipsa machina in muros Troianos, eo modo quo sequitur, fabricata est: nempe vt desuper vrbi, ceu malum omen veniat, & scandat fatalis machina muros, mediæq; minans illabatur vrbi, vt infrà legimus, cum inducitur: & latet ibi error, id est, dolus, qui errare faciat) cum, inquã hoc ita sit, videtur pronuntiatum istuc falsum. Tamen alia est recentiorum opinio, qui verum censent, si vel vna, vel plures etiam, vel simul omnes veræ sint: falsum
E nunquam, nisi omnes partes sint falsæ. Controuersiam hanc quomodo componat doctissimus noster Petrus Fonseca, Dialect. instit. lib. 3. cap. 17. videas licet. * *Virgilius igitur rectè locutus est. Aliud oblatum mihi exemplum, & manifestius, apud M. Tull. 2. Philipp vbi disiunctiua est trium enuntiationum, & tamen omnes vera sunt. Volens enim orator ostendere, Antonium non esse Consulem. Non tractabo illum, inquit vt Consulem: nec ille me vt consularem. Etsi ille nullo modo Consul, vel quod ita viuit, vel quod ita Rempub. tractet vel quòd ita factus est Consul. Certè enim Antonius & erat flagitiosissimus, & oppugnabat rẽpub. & beneficio Cæsaris tyranni, non libero populi suffragio creatus erat.*

OCCVLTANTVR ACHIVI) Achiuorum nomine κατὰ συνεκδοχὴν Græcos intelligunt. Ita Romani. (sed alia de caussa) per Achaiam, totam Græciam, quod obseruat Lipsius in 1. Taciti Annal. Scriptor quispiam

apud

apud Suidam. Μέμμιος τὴν Κόρινθον ἑλὼν αἰχμαλώτους ἐποιήσατο παῖδας, κατὰ τοῦτο δὲ ἑλληνικοῦ ἔθνους λοιποῖς καὶ νῦν Ἀχαΐας ὀνομάζουσι τὴν ἑλλάδα οἱ ῥωμαῖοι, ἐς τὸ χειρωθῆν ἔθος ὅ τε πρῶτος ἦν τότε τῆς ἑλλάδος τὴν ὅλην μεταβαλόντες τῆς χώρας ἐπωνυμίαν. Pausan. lib. 7. Porrò redacta vniuersa Græcia in prouinciæ formam, mittitur ad eam obtinendam ex vrbe Prætor, quem Achaiæ, non Græciæ appellant, quod scilicet Græci subacti sunt, obtinentibus principatum Achæis.

IN NOST. FAB. EST MACH. MVROS) Græcis est μηχανὴ, παρὰ τὸ μάνω, μάω ab inueniendo, aut sapiendo: siue παρὰ τὸ μὴ χαίρειν, vt Eustathius vult, ὃ μὴ ἐῶσα χαίρειν τινὰ ψεκτικῶς, διὰ τὸ δύστυχές καὶ ἄπορον αὐτῆς: quæ hiscere scilicet aliquem non finit, neque reprehendi caussa os soluere, ob efficaciam in ea, & artem. Sanè ab ingenio consensu deriuant, quod interuenit: & posteriores scriptores Latini hæc ideo ingenia, & eorum architectos ingeniarios dixerunt. Asconius, Machina est, vbi non tam materiæ, quam ratio artis, atque ingenij ducitur. Itaque fraudes, doli, insidiæ in hoc nomen apud Comicos, aliosq; venerunt, sed & molitiones altiusculæ, machinæ, &c. Lipsius Poliorcet. lib. 1. dialogo 3.

INSPECT. DOM. VENT. DESVP. VRBI) Hunc habet sensum, vrbi superuentura, eamque oppressura, vt quæ ex alto ingruunt, & suo casu, grauitateque subiecta premunt, & onerant, & ruina sua inuoluũt, & obruunt. Ea quoque tempestas importunior, & atrocior infertur, quæ tanquam à vertice deiecta incumbit, *Præsertim si tempestas a vertice syluis Imminet.* Turneb. lib. 12. cap. 5. Libro autem 14. cap. 16. sic scribit. Sentit eleganter lib. 2. Vitruuius, Maronem de equo Troiano, vt de machina oppugnatoria loqui, quæ muris vrbis editior sit, & altior, & veniens desuper, oppidanos sit oppressura. Verba ipsius sunt. Præterea partem muri, ad quam conatur machina accedere, cæmento, atq; lapidibus, postremo tabulatis extruendo faciunt altiorem, vt defensores mœniũ desuper vrbi ventura possint opprimere. * *Adde pro corollario versiculos ex Alexandra Ennij, quos habet Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 2.*

Nam maximo saltu superauit
Grauidus armatis equus,
Qui suo partu ardua perdat
Pergama.

Idem lib. 6. ad illa Valent. & forsitan magis, Cum fatalis equus saltu super ardua venit Pergama, &c.

QVIDQVID ID EST) Ad rem multiplicem, & ambiguam claudendam, aptum hoc, Lucret. lib. 5. *Quidquid id est, nihilo fertur maiore figura.* Et ibid.

Quidquid id est, quacunq; è caussa flammeus ardor
Horribili sonitu flammas exederat altas.

TIMEO DAN. ET DONA FERENTES) Merito Laocoon timet dona Danaûm, quoniam iuxta prouerbiũ, Hostium munera non munera. Græcè melius, τῶν ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. Crediderunt igitur prisci, vel maximè obseruanda munera, à quibus, quo animo mitterentur: propterea quod quæ darentur ab ijs, qui nobis malè cuperent, exitio plerunq; fuisse constaret: ita vt sint pyxis illa fallax, per Pandoram à Ioue Prometheo missa: quẽ

A admodum fuit & vestis, qua Medea nouam nuptam Iasonis donauit, &c. Chiliad.

VALID. ING. VIRIB. HAST.) Validis viribus quòd hastam contortam ait, sumpsit à Lucretio. *Id validis iterum contortum viribus ire, Quod fuerit missum maius.*

INQVE FERI ALVVM) Ferus, interdum pro equo tam vero, quàm ficto accipi, testis est Nonius, exemplũque citat ex Attij Medea. *Peritè in stabulis frenos immittentes feris.* Sed & pro alijs quoque brutis animantibus accipi posse videtur, quando Seruius interpres etymon *feri* docet ab eo esse, quod toto corpore feratur. Virgil. ferum pro ceruo posuit illo loco lib. 7. *Pectebatq; ferum, puroq; in fonte lauabat.* Nascimb. * *Adde Columellam lib.* B *9. cap. 1. Nec verò patiendus est oryx, aut aper, aut aliquis ferus vltra quadrimatum senescere.* Manil. lib. 5. Ille tenet medicas artes ad membra ferorum. *Et alibi,* Exagitare feros, pronumq; anteire volentes. *Vide Duzam in Satyricon Petronij.*

INSONVERE CAVÆ CAVERNÆ) παρονομασία, vt pugnare pugnam, gaudere gaudium. λῆρον ληρεῖς, μέμψομαι μέμψιν. Aristoph.

GEMITVMQVE DEDERE) Gemere & gemitus cũ sint hominum propria, sæpe ad inanima transferuntur. Tonsis gemit area frugibus, 3. Georg. Gemit sub pondere cymba 6. Æneid. gemunt antennæ Ouid. 14. Metamorph. gubernacula Plinio, statua gemit Claudiano. Gemit impositis incudibus antrum 8. Æneid. *Et gemitum ingentem pelagi, pulsatáq; saxa Audimus longè.* 3. C Æneid.

ARGOL. FOEDAR. LATEB.) Noluit dicere lacerare ferro latebras, sed fœdare, vt aliter scilicet, quàm vulgus loqueretur. Seruius notauit fœdum non turpe, sed crudele apud poetam, & Sallustium significare. Cæterùm nullam attulit eiusmodi vsus rationem. Ratio est à fœderibus, quæ nunquam sine sanguine fierent. Sic in 3. Æneid. *Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres.* Præterea non rectè negat turpe significare. Ibidem namq; de immundo, *vestigia fœda relinquunt.* Scalig. Poet. l. 4. cap. 16. * *Fœdare videtur apud idoneos scriptores eandem habere vim, quã vulnerare, lacerare, concidere. Æneid. 3.* Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres. *Lib. 11.* Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora. *Horat. Sat. 5. lib. 1.* at illi fœda cicatrix Setosam leui fronD tem turpauerat oris. *Plaut. Amphit.* Fœdant, & proterunt hostium copias iure iniustas.

TROIAQVE NVNC STARES, PRIAM. ARX ALTA MANER.) Egregium schema, orationis ad res inanimas & sensu carentes, tanquam ad animatas & sentientes conuersio, quo poetæ vtuntur sæpius. Horatius alloquitur nauem Ode 3. lib. 1. Blandusiæ fontem Ode 13. lib. 3. Arborẽ, cuius casu pæne oppressus fuerat Ode 13. lib. 2. Catullus Sirmionem peninsulam, & fundum suũ. Ouid. librum. Alij demum alia. Norunt, qui vel à limine poetas salutarunt. Cicero pro Milone. Vos enim Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor, vosq; Albanorum obrutæ aræ, sacrorum pop. E Rom. sociæ, & æquales, quas ille præceps amentia, cæsis, prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestræ tum aræ, vestræ religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat.

Ecce, manus iuuenem interea post terga reuinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui se ignotum venientibus vltro,
Hoc ipsum vt strueret, Troiamq; aperiret Achiuis
Obtulerat, FIDENS ANIMI, ATQVE IN VTRVMQVE PARATVS,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.

Vndiq;

Vndiq; visendi studio Troiana iuuentus
Circumfusa ruit, certantq; illudere capto.
Accipe nunc Danaûm insidias, ET CRIMINE AB VNO
DISCE OMNES.
Namque vt conspectu in medio turbatus, inermis
Constitit, atq; oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? AVT QVID IAM MISERO MIHI DENIQVE RESTAT?
Cui neque apud Danaos vsquam locus, & super ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conuersi animi, compressus & omnis
Impetus. hortamur fari, quo sanguine cretus:
Quidúe ferat, memoret: quæ sit fiducia capto.

MANVS POST TERGA REVINCTVM) Solent captiuorum manus & brachia à tergo reuinciri. Rursum lib. 11. *Vinxerat & post terga manus.* Horat. Ode 5. lib. 3. *vidi ego ciuium Retorta tergo brachia libero.* Et epist. 1. lib. 2. *Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.* Ouid. 3. Trist.

Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis,
Respiciens frustra rura, laremq́; suum.

Liuius lib. 5. Denudatum deinde eum, manibus post terga illigatis, reducendum pueris tradit. Et lib. 9. manus post tergum vinciri iubent. Homerus Iliad. φ.

Τοὺς ἐξῆγε θύραζε τεθηπότας ἠΰτε νεβρούς,
Δῆσε δ' ὀπίσσω χεῖρας ἐϋτμήτοισιν ἱμᾶσι.

B Id est, eos autem foras eduxit, expauefactos, tanquam hinnulos: manus autem in tergum loris reuinxit. Demosth. orat. περὶ παραπρεσβ. Οὐδὲν ἄλλο φαίνεσθαι, πλὴν παραδόντες Φιλίππῳ, καὶ Θηβαίοις Φωκέας, μόνον οὐκ ὀπίσω τὼ χεῖρε δήσαντες. Nihil aliud videbantur, quam Philippo, & Thebanis Phocenses tradidisse, tantum non manus in tergum reuincientes.

HOC IPSVM VT STRVERET) A caussa finali. Tralatio est à cæmentarijs, & fabris. Vtrumq; verbum, struere & fabricari crebrò inuenias ad machinationes, inimicitias, fraudes, & dolos adhiberi. Plaut. Asinaria. *Neque puduit eum id ætatis sycophantias struere.* Ibid. *Fabricare quiduis, quiduis comminiscere.* Et Casina. *nec fallaciam Astutiorem vllus fecit poeta, atque vt hæc est* C *fabrefacta a nobis.* Cicer. 2. de Orat. Ex his locis & odium in alios struere discimus. Struere insidias vulgatissimum est.

IN VTRVMQVE PARATVS, SEV VERSARE) Prouerbiale, in hominem ludicris & serijs accommodatum, aut versatilis ingenij. * *Illud* vtrumque *mox declaratur. Talem in vtrumq; scilicet paratum, seu hominem versipellem, & tanquam in theatro histrionem ad diuersas personas agendas accommodum se profitetur in Capt. Pseudotyndarus.*

Vtroque versum rectum est ingenium meum.
Ad te atque ad illum pro rota me vti licet.
Vel ego huc, vel illuc vertar, quò imperabitis.

SEV VERSARE DOLOS) Doli vocabulo nunc tantum in malis vtimur: apud antiquos etiam in bonis D rebus vtebantur. Vnde adhuc dicimus, sine dolo malo: nimirum quia solebat dici & bonus. Festus. * *Quo plus & persuaderet Troianis, & magis eorum commoueret animos hic Sinon versutissimus, vulnera sibi inflixerat, flagellis tergum concidi curauerat, quæ postea, à Græcis sibi facta, tanquam qui fugam dissuasisset, mentiretur. Vide Tryphiodorum. Huiuscemodi facinus narrat de Zopyro Herodotus lib. 3. de Sexto Tarquinio Tarquinij Superbi filio Liuius lib. 1. vterque tali astu, quod voluit, consecutus est.*

VNDIQVE VISENDI STVDIO) Curiositas, & leuitas iuuentutis vitia sunt. Ruit & circumfunditur illa ætas audiendi, cognoscendique studio, si vel rerum nouarum narrator aliquis apparuerit: vel quippiam nouum, peregrinum, mirabile, inexspectatum fortè in medium venerit. Si id non potest, mœnia, turres, tecta conscendit, vt oculos pascat. Irridere autem, illudere, naso suspendere, subsannare, vbi est aliqua materia, tam illi facile ac procliuum est, vt has artes in ludo, & à magistro pridem didicisse videatur.

CERTANTQVE ILLVDERE CAPTO) certatim capto illudunt: quemadmodum Iudæi domino IESV fecerunt, ex horto captiuum ad Annam trahentes. Ac proinde hoc, vt alia multa è Virgilio, centones componentibus fuerit accommodatissimum. Nec modo illudere alicui, aut aliquem sed etiam in aliquem, auctore M. Tullio 3. de oratore, dicamus licet.

ACCIPE NVNC DAN. INSIDIAS) Cic. Accipe nunc aliud eius facinus nobile. Lucill. lib. 30. *Hoc etiam accipe quod dico, nam pertinet ad rem.* Nonius. Sicut aliquem iubemus accipere, ita eum dicimus habere, vt sint ἔχεις τι. Quod enim tenemus corpore, ait Donat. in Eunuch., habemus animo: quodq; item animo habemus, intelligimus. Ergo *habes* pro intelligis. hic dicitur *accipe*, hoc est, habe. Eodem itaque sensu hæc duo efferuntur, accipere, & habere, inquam. Quod ad sententiam attinet, Æneas rem miram, & inexspectatam dicturus, attentionem renouat, & ab aduersariorum persona beneuolos facit audientes.

CRIMINE AB VNO DISCE OM.) Omnes Græcos ex vno deturpat, & in odium rapit, quod in gerendis rebus fraude ac insidijs, adde etiam, specie simulatæ religionis, non aliqua virtute nitantur. Ergo omnes dolosi sunt, ac insidiatores Græci. Ita quoque Terent. in Phorm. de seruis, *Vnum cognoris, omnes noris.* Hinc illud adagium, à Suida relatum, ἐξ ἑνὸς τὰ πάνθ' ὅρα, ex vno, specta omnes, seu totum. Quidam ex sententia Donati *crimen* legunt, hac interpunctione. *Accipe nunc Danaûm insidias & crimen, ab vno Disce omnes.* Quæ lectio, etsi minime inuenusta est, vulgata tamen est receptior. Nascimb.

Crimine ab vno interpretatur Scalig. F. Coniectan. in Varron. de ling. lat. lib. 6. ab vno reo, vt sit crimen pro reo, seu crimini obnoxio, quemadmodum apud Catullum, lutum, lupanar de meretrice. Et apud Lucillium, *carcer vix carcere dignus.* Apud Terent. scelus pro scelerato. Apud Martialem vitium pro vitioso. Huiusmodi quandam sententiam protulit Isæus (animaduertit Vrsinus) ἐν τῷ περὶ γεωργικῷ πρὸς Καλλίμαχον, vbi scriptum est. ἓν δὲ μόνον ἀκούσαντες τῶν τούτῳ πεπραγμένων, ῥᾳδίως καὶ τὴν ἄλλην αὐτοῦ πονηρίαν γνώσεσθε. Et Cic. in Pison. Cognoscis ex particula scelerum, & crudelitatis tuæ genus vniuersum.

IN MEDIO TVRBATVS) Non reuera turbatus, sed turbato similis. Sic infrà, *Prosequitur pauitans, & ficto pectore fatur.*

PHRYG. AGM. CIRCVMSPEXIT) Spondaicum temere adhibuere veteres, præsertim Græci: etiam Catullus paulo frequentius: Virgilius suo more, id est prudenter: in re quippe fixa, vt hic: fixis quippe vestigijs oculos circumtulit. Et in nixu. *Cornua velatarum obuertimus antennarum.* Turrium quoq; firmitatem, & Apennini, & Hellesponti tractum eadem clausione mensi sunt. *Turrigeræ Antennæ.* Sic, *castam longo subduxeris Apennino. Producitur Hellespontus.* Rariores disiunctis vocibus. *Quod fieri ferro, liquidóne potest electro.* Multo durius, si monosyllaba sit in fine, vt apud Homerum non semel. Rarissimi Latinis terni in fine, vt apud Catull. *Phasidos ad fluctus, & fines Æetaeos.* Scalig. Poet. lib. 4. cap. 48.

QVÆ ME ÆQVORA POSSVNT) Cic. 2. Acad. Quid est tam planum, quam mare? vnde etiam æquor illud vocant poetæ. Sed in malacia intellige. Vento enim surgente, nihil eo inæqualius, nihil minus planum. lib. 3. Æneid. *Continuò venti voluunt mare, magnaq; surgunt Æquora.* An non porrò similis est huic Sinonianæ, illa Ciceroniana conquestio pro P. Quintio? Quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius fides hominis imploranda est? qui denique questus, qui mœror dignus inueniri in calamitate tanta potest? Non minus illa, quæ extat 3. Tusculana. Et multo etiam propter dignitatem personæ, & amissum regnum grauior, ex Hecuba Ennij, vt docti quidam coniiciunt.

——————— quid petam
Præsidij? quid exequar? quò nunc aut auxilio, aut fugæ,
Fretæ sim? arce, & vrbe sum orba. quò accedam? quò applicem?
Cui nec patriæ aræ domi stant, fractæ, & disiectæ iacent.
Fana flamma deflagrata, tosti alti stant parietes,
Deformati, atque abiete crispa.

Ennius Medea.

Quo me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternámne? an ad Peliæ filias?

Talis questus est item Aiacis apud Sophoclem.

Καὶ νῦν τί χρὴ δρᾷν, ὅτις ἐμφανῶς θεοῖς
Ἐχθαίρομαι; μισεῖ δέ μ᾽ Ἑλλήνων στρατός.
Ἔχθει δὲ Τροία πᾶσα, καὶ πεδία τάδε.

DARDANIDÆ) quibus saluti sum futurus. ἐμφατικῶς.

VITAM CVM SANGVINE POSCVNT) Sæpius in mentione mortis, aut solius sanguinis, aut animæ, aut vitæ & sanguinis vocabula legimus. Sanguinis vox vna ponitur haud absurdè. Vt enim scriptum est à Plinio lib. 11. cap. 38. in sanguine magna est vitalitatis portio. Emissus, spiritum secum trahit. Quasi diceret poeta, sanguinem poscunt, quod est vitam poscere, seu cum quo ipsam effundi vitam necesse est: siquidem & oleo deficiente lumen extinguitur. Tametsi hostes propriè vitam poscunt, non sanguinem, sed per profusum ex vulneribus sanguinem.

QVO GEMITV CONVERSI ANIMI) Quantum oratione, actioneq; simulata efficere potuerit Sinon, ex ea re colligi potest, quod homines sibi infensos solo gemitu, vel lacrymula ad commiserationem perduxit. Nisi id bonitati Troianorum tribuendum mauis, ex qua eos occulte videtur commendare. Tribuit itaque Virgilius Troianis pietatem, simplicitatemque animi: Græcis vero impietatem, fraudulentiam, & mendacium, vt maior in circumuenientibus, quàm in circumuentis turpitudo appareat. Nascimb.

HORTAMVR FARI QVO SANG. CRETVS) His & sequentibus verbis duo exquirunt Troiani, & vnum monent Sinonem. Scire enim ex eo volunt genus eius, quibus sit parentibus, aut qua vrbe oriundus: Græcum enim esse, ipse habitus indicabat. Deinde, quid sibi velit, & quis sit status eius. Monetur postremò vt veritatem dicat, & in eo captiuis viuendi fiduciam esse repositam meminerit, si vera fateri voluerit.

Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur.
Cuncta equidem tibi rex, fuerint quæcunq;, fatebor,
Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo,
Hoc primùm. NEC SI MISERVM FORTVNA SINONEM
FINXIT, VANVM ETIAM, MENDACEMQVE IMPROBA FINGET.
Fando aliquid, si fortè tuas peruenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria: (quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci: nunc cassum lumine lugent)
Illi me comitem, & consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regnumq; vigebat
Consilijs, ET NOS ALIQVOD NOMENQVE DECVSQVE
Gessimus: inuidia postquam pellacis Vlyssi

(Haud

(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris,
Afflictus vitam in tenebris, luctuq; trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens: & me fors si qua tulisset,
Si patrios vnquam remeassem victor ad Argos,
Promisi vltorem, & verbis odia aspera moui.
Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Vlysses
Criminibus terrere nouis: hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conscius arma.
Nec requieuit enim, donec Calchante ministro.
Sed quid ego hæc autem nequidquã ingrata reuoluo?
Quidúe moror? si omnes vno ordine habetis Achiuos,
Idq; audire sat est, iam dudum sumite pœnas:
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

CVNCTA TIBI REX. F. QVÆCVNQVE) Et Sinonis, & regis orationẽ habes apud Tryphiodorum. Ex veterib⁹ libris nonnulli melius legi putant *fuerit quodcunq;*. Initio beneuolentiam sibi, attentionemq; comparat, & docilitatem: nam se vera dicturum, nulla rerũ, periculorumq; habita ratione pollicetur. Aristot. lib. 3. Rhetoricorum, dociles potissimùm ab eo effici auditores tradit, qui præstare potest, vt vir æquus, ac bonus esse videatur. Hoc ipsum vera pollicendo conatur Sinon. Tale propemodũ extat orationis initium apud Sophoclem in Antig. vbi nuntius, antequã Eurydicæ rem aperiat, longo sermone vtitur, vt metu se liberet, atq; ita ait. *ἐγὼ φίλη δέσποινα, καὶ παρὼν ἐρῶ, κοὐδὲν παρήσω τῆς ἀληθείας ἔπος*. Nascimb.

NEQVE ME ARGOLICA) Planè fatetur, quod negare non potest: & astutè à veris inchoat, vt reliqua sine fraude dicturus videatur. Sic Achemenides in 3. qui sit profitetur. *Scio me Danais è classibus vnum, Et bello Iliacos fateor petijsse penates.*

NEC SI MISERVM FORTVNA SINONEM) Mirè sibi populum conciliat, tum per commiserationem ex sua calamitate: tum etiam per simulatam quandam simplicitatem. Nam & vultu, & verbis, & gemitu id efficit, vt simplex, sincerus, apertus, ac verax esse videatur. Sumpsit autem ex Attio, vt sentit Macrob. lib. 6. cap. 1. Nam ille sic,

Nam si à me regnum fortuna atq; opes
Erripere quiuit, at virtutem nequiuit.

Nascimb.

* *Terent. Eunucho*: simul consilium cum re amisisti? *& Salust. Catil. Neq; fortuna eget: quippe quæ probitatem, industriam, aliasq; bonas artes neq; dare, neq; eripere cuiquam potest. Confer cum Sinoniana sententiam istam Cic. ex 2. Paradox. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus sese, quiq; in se vno sua ponit omnia. Cuius autem spes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi.*

MISER. FORT. FINXIT) Cic. de Diuinat. Quid est enim aliud sors, quid fortuna, quid casus, quid euentus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, vt vel non cadere, atque euenire potuerit? Fingere interpretatur hìc Nonius, effigiare, formare, facere. Cic. 2. de nat. deor. Deinde in ore sita est lingua, finita dentibus: ea vocem immoderatè profusam fingit, & terminat. De Offic. lib. 3. Virum bonum fingimus. Sallust. in Catilin. Quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit. Varro. *ταφῆ μνήματα*. Vt hirundines figulis, oblitis luto tegulas fingebant.

FANDO ALIQVID SI FORTE) Cernis hìc gerundium in do, *fando παθητικῶς* positum? Eodem modo à M. Tullio pro P. Quintio. Nulla intercessit postulatio, mitto æqua: verum ante hoc tempus ne fando quidem audita. In 1. de nat. deor. & 4. Tuscul. similiter. Sic Georg. 3. *vritq; videndo Fœmina*, id est, dum videtur. Lucret. lib. 6. *Sunt etiam fructus per nubila, qui quasi murmur Dant infringendo grauiter.* Infringendo, dum infringuntur. Æque gerundia in dum perpessionem significantia reperire licet. Varro lib. 1. de re rust. cap. 20 de nouellis iuuencis. Diebus paucis erunt mansueti, & ad domandum proni, id est, vt domentur. ✠

TVAS PERVEN. AD AVRES) Infrà, *vulgi quæ vox vt venit ad aures*. Ouid. *Fama loquax vestras iam nunc peruenit ad aures*. Et lib. 5.

Fando aliquem Hippolytum vestras si contigit aures,
Credulitate patris, scelerata & fraude nouercæ
Occubuisse neci.

Cic. pro Sylla. Vix ad meas aures istius suspicionis fama peruenit. Pro M. Marcello. Sæpe enim venit ad aures meas, te idem istuc nimis crebrò dicere. Plaut. Trinum. *Atque hanc tuam gloriam iam ante auribus acceperam.* ✠

BELID. NOM. PALAMED.) Chorus apud Euripidem in Palamede, quæ tragœdia intercidit, cum alijs eiusdem poëtæ permultis.

Ἐκάνετ᾽ ἐκάνετε τὰν πάνσοφον ὦ Δαναοί,
Τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα μουσᾶν.

Necastis, necastis omniscium ô Danai, Musarum lusciniam, cunctis inoxiam. Sed hoc de Socrate ab Atheniensibus cicutæ veneno sublato, sub Palamedis persona ad inuidiam dicti vitandam prolatum, cum populus animaduerteret, & conscientia sceleris in virum innocentissimum, ac sapientissimum perpetrati percelleretur, dicitur toto theatro in fletum prorupisse. De Palamede autem Vlyssis artibus à Græcis apud Troiam lapidibus obruto, vide Seruium. Caussam quamobrem capitali eum odio prosequeretur, ex Hygino referemus, cap. 95. Agamemnon, & Menelaus Atrei filij, cum ad Troiam oppugnandam coniuratos duces ducerent, in insulam Ithacam ad Vlyssem Laertis filium venerunt: cui erat responsum, si ad Troiam isset, post vicesimum annum, solum, socijs perditis, egentem domum rediturum. Itaq; cum sciret ad se oratores venturos, insaniam simulauit, equum cum boue iunxit ad aratrum. Quem Palamedes vt vidit, sensit simulare, atq; Telemachum filium eius, cunis sublatum aratro ei subiecit, & ait: simulatione deposita inter coniuratos veni.

Tunc Vlysses fidem dedit venturum, & ex eo Palamedi infensus fuit. Hæc ille. Dictys Cretensis lib. 2. de eiusdem nece sic scriptum reliquit. Per idem tempus Diomedes, & Vlysses consilium de interficiendo Palamede ineunt, more ingenij humani, quod imbecillum aduersum dolores animi, & inuidiæ plenum, anteiri se à meliori, haud facile patitur. Igitur simulato, quòd thesaurum repertum in puteo cum eo partiri vellet, &c. Meminit huius Palamedis iniustè occisi etiã Socrates apud Xenophontem in Apologia. Non enim mihi (quod innocens moriar) sed condemnantibus hoc turpe. Solatur autem me & Palamedes ille, non dissimiliter condemnatus, qui etiã nunc maiores, & pulchriores laudes reportat, quàm Vlysses, qui per iniuriã ipsum interfecit. B

** Accusationem Palamedis, in persona Vlyssis cõscripsit Alcidamas Rhetor. Defensionem in persona ipsius Palamedis Gorgias, qua tamen accusationi ille non respondet. Traditum est, fuisse virum in philosophia excellentem, & ad pangendum carmen naturà idoneum. Bellum Iliacum cecinisse, sed ab Homero per inuidiam poema illud abolitum. Carmen autem Euripid. suprà positum, citat Philostratus in Heroicis. Iunius Cent. 1. adag. 18. De varijs inuentis huius Palamedis vide adag. 15. Cent. 2. eiusdem. De literis ab eodem bello Troiano inuentis quid afferat Lipsius, cognosces ex eiusdem commentarijs ad 11. Annal. Taciti.*

ET INCLYTA FAMA GLORIA) Inclytam vocat gloriam, quod adiunctum cum eius natura egregiè consentit. Tres gloriæ definitiones inueniuntur apud M. Tullium. Pro M. Marcello. Gloria est illustris, & peruagata multorum, & magnorum vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Philipp. 1. Est autem gloria laus rectè factorum, magnorumq; in Rempub. fama meritorum: quæ cum optimi cuiusque tum etiam multitudinis iudicio comprobatur. Tuscul. 2. Gloria est solida quædam res, & expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute.

NVNC CASS. LVMINE LVGENT) Cassus, vt suspicor, à careo deducitur. Vt enim à cœno cœnaui, & cœnatus, sic & cassus à careo. Lucret. lib. 3. *Cassum anima corpus durare, & sensibus uti.* Quod & Priscianus non improbat, lib. 9. ad finem; qui caritum & cassum à careo deduci scribit, & apud Plaut. Aulul. dote cassam, id est, carentem. Turneb. lib. 29. cap. 24. Adde, *Cassum lumine*, id est, mortuum, hoc cæli lumine priuatum. Stat. 2. Thebaid. *quanquam functis, & lumine cassis.* Lucret. lib. 5. *Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.*

ILLI ME COMITEM, ET CONSANG.) Tribus ex locis, quæ personarum attributa vocantur, deducere argumenta ad fidem probitatis suæ faciendam videtur, ex ætate, ex victu, ex fortuna. Hæc enim præcipuè in coniecturalibus caussis cõsiderari solent, quemadmodum, & apud quos, & à quibus eruditus fuerit, quibus cum vixerit, an puer sit, an adolescens, an diues, nobilis, an ignobilis, vt ex ijs, vtrum aliquid factum sit nec ne, trahi suspicio possit. Igitur ex communione vitæ, & ex frequenti, longaque consuetudine iam inde à puero, cum Palamede viro tum optimo, tum nobilissimo, sibique consanguinitate coniunctissimo, conatur ex Troianorum animis omnem vel prauitatis suæ, vel fraudis suspicioné eximere. Nascimb.

PAVPER IN ARMA PATER MISIT) Olim militandi caussa paupertas fuit, cum tamen stipendia tanta non essent, quanta hodie: nihilominus permultis iucundius est mendicatò viuere, quàm rei militari, rei honestissimæ operam dare. Achæmenides quoque lib. 3. paupe-

A re genitore Adamasto, in militiam se profectum testatur. Stasimus Seruus in Trinummo, cum Lesbonicus dominus pararet agellum, quem ex asotia reliquum habebat, dare dotem sorori,

Sed si alienatur, actum est de collo meo,
Gestandus peregre clypeus, galea, sarcina.

Senex apud Terent. in Heaut. *Cum hinc egens profugerit aliquò militatum.*

PRIMIS AB ANNIS) Quid hîc apud Romanos in more fuerit, docebit Alex. Neap. lib. 1. cap. 20. Indicat breuiter his verbis Sigon. de iure ciuium Romanorum lib. 1. cap. 15. Quoniam autem mos, vt opinor increbuerat, minores annis septendecim aliquando scribere, propterea C. Gracchus in tribunatu legem, teste Plutarcho, tulit, ne quis ante annum decimum septimum ad militiam cogeretur. Qua ætate qui conscribebantur, tyrones, vt contrà, qui legitima omnia, vel certè plurima stipendia confecerant, veterani dicebantur. Vegetius lib. 1. cap. 4. de ætate qua probandi sint tyrones, ita traditum reliquit. Si antiqua consuetudo seruanda est, incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat. Non enim tantum celerius, sed etiam perfectius imbibuntur, quæ discuntur à pueris. Adolescentes legendi sunt, sicut ait. Melius enim est, vt exercitatus iuuenis causetur ætatem nondum aduenisse pugnandi, quàm doleat præterijsse. Lege in idem cap. Ste-
C uechium.

Lipsius de Milit. lib. 1. dial. 2. Seruius Tullus ab anno decimo septimo quod idoneos iam esse reipub. arbitrabatur, milites scripsit. Atque illud mansit. Et in Punico secundo bello, cum necessitas violasset, tum decretum, vt Tribuni plebis (Liuij verba lib. 25.) ad populum ferrent, vt qui minores annis septem & decem sacramenta dixissent, ijs proinde stipendia procederent, ac si septem & decem annorum, aut maiores milites facti essent. Ecce, in iuuentutis inopia quidam tunc etiam prætextati milites capti: id ne fraudi ijs esset, & quia præter Seruij, ac vetus institutum, lege subuentum fuit, & anni illi in stipendia venerunt, haud secus quã si à decimo
D septimo cœpissent. Atqui ambitio etiam interuenisse videtur, & quidam, vt citò ad honores, & tribunatus venirent, ante id tempus militiæ adscripti, quod Gracchi lex cauit, & interdixit *νεώτερον ἑπτὰ καὶ δέκα ἐτῶν μὴ καταλέγεσθαι στρατιώτην*, iuniorem annis septem & decem, militem non legi. Auctor Plutarch. Vegetium ergo miror scribere, si antiqua consuetudo, &c. Quod districtè verùm non est, nec decimus septimus certè annus incipiens pubertas.

NOMENQVE DECVSQVE GESSIMVS) Hoc ad fidem faciendam dicit. Haud enim probabile est, vt qui aliqua rerum gestarum gloria claruerit, in fraude, aut scelerum turpitudine nomen suum obscurari velit.
E Ita Nascimb.

Vox *nomen* persæpe famam, gloriam, dignitatem sonat. Id probat multis scriptorum locis Tiraquell. in Alexand. cap. 7. lib. 2. Nonnullos producam. Cic. pro Deiotaro. Quantum nomen eius fuerit. Liuius lib. 1. Vrbes quoque, vt cætera, ex infimo nasci: deinde quos sua virtus, & dij iuuant, magnas opes, magnumque sibi nomen facere. Virgil. 5. Æneid. *multam in medio sine nomine plebem.* Vbi Seruius, sine gloria, sine fama. Horat. Ode. 9. lib. 7. *Multi Lydia nominis.*

Et nos aliquod nomenq; decusque Gessimus, est, quod græce dicitur *εἶναί τι*, aliquid esse, quo vtitur D. Paulus

D. Paulus ep. ad Gal. cap. 2. *ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι.* Cic. ad Lepram epist. lib. 6. qui (liber de oratore) si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoq; aliquid sum. Vtrum vero cõtrario sensu latinus sermo sit, nihil sum, nihil sumus, me dubitare confiteor. Per τὸ nullus sum apud Comicum, non modo status abiectio, sed extrema etiam calamitas significatur, vt Germanis, *es ist aus mit mir.* ❧

INVIDIA POSTQVAM PELLACIS VLYSSI) De inuidia, & inuidis disputationem longè disertissimam summi oratoris, & sanctissimi Pontificis Gregorij Nysseni, pete, si vis, ex eius libro de octo beatitudinibus. Videtur mihi, inquit, inuidiæ, atque simulationis vitium ira multò grauius esse: quanto occultum malum etiam aperto atrocius est. Etenim ex canibus eos magis cauemus, quorum neque latratus iram præsignificat, neque ex aduerso incursus est: sed miti pariter, ac mansueto habitu, non præuidentes, neq; circumspicientes nos obseruant. Tale est inuidiæ, atque simulationis vitium, &c.

Pellicere, ait Festus, est in fraudem adducere. Item alibi, in verbo Lacit. lax fraus est. Apud Lucret. lib. 2. est pellacia, id est, fallacia, à pelliciendo, *néue vllo tempore credant Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.* Vtitur eadem voce etiam lib. 5.

Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem, ridentibus vndis.

Arnob. lib. 4. Quis est, inquam, qui credat ad humanas accubuisse deum mensas, interemptum auaritiæ caussa, fefellisse supplices ambiguitate responsi? præcellere in furum ordine? adulterasse, seruijsse? vulneratum esse? & adamasse? & per omnes libidinum formas incestarum, cupiditatumqne circumegisse pellaciam? Ex Lamb. in Lucret.

Quanquam Grammatici omnes pellaciam, & pellacem à pelliciendo deducant, ego tamen malo à pellando, verbo exoleto, à quo composita, appello, interpello, compello: quod non vocare, aut simpliciter nominare, sed blandius sollicitare significabat. Vnde & Iurisconsultus: Item ad Labeonem, Parag. *Si quis virgines*: auctor est, eum, qui virgines appellarit, hoc est, earum pudicitiam blanditijs, & verborum lenocinijs attentarit: sæpius ea voce à Iurisconsulto eorsum repetita. * *Caussam inuidiæ, & qua techna Palamedem proditionis insimularit Vlysses, Græcisq; lapidandum obtulerit, exponit Seruius. Hanc malignitatem, scelusq; nefarium obijcit ipsi Aiax, in illa nobili armorum Achilleorum petitione, quæ est apud Nasonem lib. 13. Metamorph.*

Vellet & infælix Palamedes esse relictus:
Viueret, aut certè lethum sine crimine haberet.
Quem malè conuicti nimium memor iste furoris,
Prodere rem Danaûm finxit, fictumq; probauit
Crimen, & ostendit, quod iam præfoderat aurum.

HAVD IGNOTA LOQVOR) λιτότης, notissima, certissima, in quibus mihi falsum quippiam assuere, aut veri quippiam dissimulare non licet. Famam ergo ipsam diuulgatam suæ narrationis testem facit. Non se quippiam olim factum in medium afferre, in quo possit mentiri, nullius memoria iam refellente: sed nuper gestum, & nec ipsis Troianis inauditum. ❧

SVPERIS CONCESSIT AB ORIS) Desijt esse apud superos, inter viuos, qui ratione inferorum sunt superi, & noster mundus superior: inferior autem, si cælestem regionem spectes. Æneid. 6. *Sed reuocare gradum* (ab inferis) *superasq; euadere ad auras.*

A Facetum simul, & dilucidum exemplum huius notionis est in Plauti Aulularia, vbi Pythodicus seruus:

Curate, ego interuisam quid faciant coqui,
Quos pol vt ego hodie seruem, cura maxima est:
Nisi vnum hoc faciam, vt in puteo cœnam coquant,
Coctum inde sursum subducemus corbulis.
Si autem deorsum comedent, si quid coxerint,
Superi incœnati sint, & cœnati inferi.

❧

VITAM IN TENEBRIS LVCTVQVE TRAHEB.) Vt Græci per φάος, lætitiam, fælicitatemque significant, & per σκότον priuationem vtriusque: ita & Latini lumen, lucem, tenebrasque vsurpant. Euripid. Hecuba. *ἀλλ' ἦτεχ' ἡμεῖς οὐκ ἔτ' ἦμεν ἐν φάει, κηρυχῷ δ' ἐσήμαιν' ἄστυ πολεμίων ὕπο.* Et in Oreste de aduentante Argos Menelao. *ἥκει φῶς ἐμοῖς, καὶ τοῖς κακοῖς.* Vt autem hic trahere vitam, sic & eodem loco Euripid. *βίοτον ἕλκειν* dixit: & in Phœniss. *ἕλκεις μακρόχρονον ζωάς.* German.

NEC TACVI DEMENS) Reticemus dolores: obticemus pudenda: tacemus secreta. Donat. in Heaut.

ET ME FORS SI QVA TVLISSET) Vox ista fors, pro fortuna ponitur persæpe. Cicer. ad Att. Sed hoc fors viderit, quæ talibus in rebus plus quam ratio potest. Idem. Quemcunque fors tulerit casum. Apud
C Sallust. proœmio Iugurthæ quidam sic legunt. Falsò queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla, atque æui breuis, forte potius, quam virtute regatur. Forte pro sorte: & quidam impressi sic habent. Est autem fors τῶν μέσων, vt fortuna, id est, in vtramque partem, bonam & malam dicitur. Ergo si qua fors me tulisset, explana, si mihi fortuna aliqua contigisset: talis nimirum, vt domum victor redirem.

PROMISI VLTOREM) Pro minatus sum. promittimus enim bona, minamur mala. *κατάχρησις* est. Contrà Horatius minantis pro promittentis, iactantis, posuit sat. 3. lib. 2.

D *Atqui vultus erat multa, & præclara minantis,*
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.

Et epist. 8. lib. 1. *Si quæret quid agam: dic multa, & pulchra minantem Viuere.* Plin. præfat. librorum suorum. Ipsa Censorij Catonis verba ponam: vt appareat, etiam Catoni de militari disciplina comminanti, &c. Exponit Turneb. annotat. in eandem, scribere paranti, & scripturum se esse ostendenti. Reponunt quidam *commentanti*: quam scripturam non reijcit Turneb.

HINC MIHI PRIMA MALI LABES) hoc calamitatis meæ initium fuit.

CRIMINIBVS TERRERE NOVIS) Commiserationem mouet ex sua calamitate. Hinc enim secu-
E tum est oraculum, & Calchantis deliberatio, de quibus infrà. Sed antequam Vlysses voti sui compos fieret, se ab eo sæpius territum fuisse ait multis criminationibus. Nascimb.

Crimen interdum valet idem quod accusatio, calumnia, criminatio. Manifestè hoc docent exempla. Cice. pro Deiotaro. cui ego crimini respondere sine mea maxima laude non possum. Pro Sylla. & ex ea crimen aliquod in P. Syllam quæris. Philipp. 2. Hæreditates mihi negasti obuenisse: vtinam hoc tuum verum crimen esset.

SPARGERE VOCES IN VVLG.) Plato lib. 10. de legibus *κατασπείρειν λόγους*, disseminare sermones.

διασπείρειν τὸν τοιοῦτον εἰς τὴν ἀυλαν Isocrates. Cicer. vtrumq; videri potest imitatus pro Archia. Ego vero omnia quæ gerebam, iam tum in gerendo spargere me, ac disseminare arbitrabar in orbis terræ memoriã sempiternam. Vide Victor. lib. 10. cap. 16. *Rumoresq́; serit varios*, dixit lib. 12.

AMBIGVAS) Dubiè, ac perplexè loquebatur vafer homo, ne, si apertè ageret, accusator esse videretur. Hoc etiam ad Sinonis commendationem referri potest, quasi diceret, ideo ambiguè loquebatur, quia in me, quæ verè obloqueretur, non habebat. Nascimb.

ET QVÆRERE CONSCIVS ARMA) Quærebat arma, fraudes & dolos comminiscebatur, quarum artium erat sibi conscius, vt me perderet. Arma sunt instrumenta cuiuslibet rei. Vnde & insidiantis fraudes arma nominauit. Nascimb.

DONEC CALCHANTE MINISTRO) Cicero diceret, administro: hac enim voce vtitur etiam in malo. In Verrem. Timarchides erat administer cupiditatum Verris. Et pro Quintio. Administri, & satellites Sex. Næuij. Et Catilinar. 1. C. Manlium audaciæ satellitem, atq; administrum tuæ.

SI OM. VN. O. H. ACHI) Si omnes Achinos, inquit, vno ordine habetis, id est, si omnes eodem loco, & numero ducitis, & pro hostibus habetis. Turneb. lib. 6. cap. 21. Suprà, *& crimine ab vno Disce omnes.*

HOC ITHACVS VELIT, ET M. MER. ATRID.) Ex Homero profluxit. Nam Iliad. 1. sic est. *ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες.* Turneb. lib. 6. cap. 21. Astutè, vt vitam impetret, factum vituperat, per communẽ indignationis locum, ex voluntate aduersariorum. Tale est Ouid. ex 2. Fast. de Sexto, Tarquinij Superbi filio.

Nudarunt gladios, occidite dixit inermem:
Hoc cupiunt fratres, Tarquiniusq́; pater.

Et in epistola Deianiræ apud eundem.

Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana Tonantis,
Lætaq́; sit vita labe nouerca tua.

Nascimb. * *Ex hoc loco, nempe à gaudio, & voluntate inimicorum, gentiumque verum deum ignorantium, sæpe ad misericordiam Israelitis tribuendam, atque ad defensionem eorundem capessendam diuina scriptura deum conatur adducere. David in psalmis pro semet non semel ita argumentatur. Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis. Esther cap. 14. Ne tradas domine sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram. Plura notauit, & notabit pius lector.*

Tum verò ardemus scitari, & quærere caussas
Ignari scelerum tantorum, artisq; Pelasgæ.
Prosequitur pauitans, & ficto corpore fatur.
Sæpe fugam Danai Troia cupiere relicta
Moliri, & longo fessi discedere bello.
Fecissentq; vtinam. sæpe illos aspera ponti
Interclusit hyems, & terruit auster euntes.
Præcipuè quum iam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus, isq; adytis hæc tristia dicta reportat.
Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,
Cum primùm Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaq; litandum
Argolica. vulgi quæ vox ut venit ad aures,
OBSTVPVERE ANIMI, GELIDVSQVE PER IMA CVCVRRIT
OSSA TREMOR, cui fata parent, quem poscat Apollo.

TVM VERO ARD. SCITARI) Nactus est Sinon, quod potissimùm quærebat: vt interrogaretur à Troianis, cur tantopere ipsius interitũ optarent Græci. Ita necessariò occurrebat, vt caussam redderet, quamobrem Græci non abijssent, quos tamen Troiani nauigasse putabant: quæ quidem caussa totum ipsius Sinonis commentum verisimile faciebat. Nascimb.

ARTIS PELASGÆ) Inuidiosè, & cum felle. Sic infrà, *ille dolis instructus, & arte Pelasga.* Reuera autem fraudulenti sunt habiti Græci. Plaut. *Græca mercamur fide.* Seruius.

FICTO PECTORE FATVR) Pectus non fingitur: nemo enim aliud habere in animo potest, quam habet: non potest, inquam, aliquis semet fingendo decipere, sibiq; imponere. Oratio autẽ fingitur, cum ab eo quod est in pectore, discrepat. Potius igitur dicendũ erat, ficto ore profatur. Sed maluit ita, & per fictum pectus intellexit fingens pectus, animum subdolum, simulatorem, ac velut personatum, verbis credibilib⁹, & bonis se talem ostendentem, qualis non erat.

SÆPE FVGAM DANAI) Mendacium cum argumento coniungit, quò credibile videri posset, quod dicebat. Parauerant inquit sæpe reditum Græci, hoc falsum erat. Addit caussam reditus maturandi, à diuturnitate temporis, *longo fessi bello.* hoc verum erat. Optat deinde eos pridem decessisse, quod Troiani libenter audiebant: & Sinoni proderat, nec enim aræ destinaretur. Et quia potuit dici è diuerso, si hoc disposuerant, cur factum non est? vltro rationem præstat, vt euentus defuisse videatur voluntati. Nec soli venti, vel asperitas maris, sed & immodici cælo ruentes imbres ad extremum ab incepto distinuerunt euntes, id est, ire cupientes, vt, *Quum canerem reges, & prælia Cynthius aurem vellit.* id est, cum canere vellem, & est figura, vbi statuitse aliquid pro inchoatione habetur. Donatus, Seruius.

ASPERA PONT. INTER. HYEMS) Claudi dicuntur maria hyeme, quod sine magno discrimine salutis

salutis nauigari nequeant. Id fit à 3. Id. Nouemb. vsque A ad 6. Iduum Martij, teste Vegetio lib. 4. cap. 39. Hic autem non ipsam anni partem, quæ proprio nomine hyems vocatur, sed tempestatem debemus accipere, quàm hyemis vocabulo sæpe exprimi à poetis qui nescit, eum valdè hospitem in literis esse oportet.

SCITATVM ORACVLA PHOEBI) *Oraculum est voluntas diuina, hominis ore enuntiata, ait Seneca præfat. Controuersiar. Celebria per orbem terrarũ oracula enumerat Theodoretus serm. 10. de curat. Græcar. affection. cuius lemma, de veris & falsis oraculis.*] Cum his omnibus non immeritò mouerentur, missus est ad Apollinem Eurypylus, vt quid facto opus esset, possemus adducere: Sed is remeans, triste quiddã, & dubium renuntiauit nobis. Donatus.

ADYTIS REPORTAT) Ἄδυτον substantiuè templi B pars, seu locus secretior, in quem solis sacerdotibus fas est ingredi. Cæsar de bel. ciuil. lib. 3. Pergamique in occultis, ac remotis templi, quò præter sacerdotes adire fas nõ est (quæ Græci ἄδυτα appellant) tympana sonuerunt. Hic locum Virg. vnde oraculum reddebatur, quasi sanctiorem, ac numinis plenum meritò adyta nominauit.

SANGVINE PLACASTIS. V. ET. V. CÆSA) Thyestæ simulacrum in Agamemnone apud Senecam, *cruore ventos emimus*, huc enim respexit. Ceruam Dianæ peculiarem in venatu Rex Agamemnon interemerat, & in ipsam verbis contumeliosus fuerat. Ideo dea naues apud Aulidem Bæotiæ, immissa assidua tempesta- C te detinuit, donec consultus augur, regis filiam Iphig. deæ immolandam esse respondit. Theognis.

Ἄρτεμι θηροφόνη θύγατερ Διὸς, ἣν Ἀγαμέμνων
Εἵσαθ' ὅτ' ἐς Τροίην ἔπλεε ναυσὶ θοαῖς.

Dictys lib. 1. capream fuisse ait. Ob eam fuisse immissam pestilentiam, quæ homines, & iumenta absumeret, mulieremq; deo plenam respondisse, eam capream Dianæ dicatam fuisse: nec cessaturam luem, donec rex filiam suam natu maximam pro ea Dianæ sacrificaret. Ibidem leges, quo pacto fictis literis, tanquam ab Agamemnone scriptis, Vlysses puellam à matre Clytemnestra, vt Achilli nupturam impetrarit, & qua ratione ab eodem Achille liberata sit. Denique de immolatione (seu immolanda potius, ceruã enim Diana pro ea supposuit, ipsamque virginem in Tauricam regionẽ, sacerdotio sibi functuram transtulit: & ceruam deæ illi postea mactari solitam, testatur etiam hoc disticho Ouidius,

Quæ semel est triplici pro virgine cæsa Diana,
Nunc quoq; pro nulla virgine cerua cadit,)

ergo de immolanda Iphigenia Agamemnonis filia, vt Diana reconciliata, prospera ad nauigandum tempestas concederetur, Euripides tragœdiam fecit, quæ inscribitur, Ἰφιγένεια ἐν Αὐλίδι. De eadẽ re Ouid. 12. Metamorph.

Permanet Aonijs Nereus violentus in vndis:
Bellaq; non transfert, & sunt qui parcere Troiæ
Neptunum credant, quia mœnia fecerat vrbis.
At non Thestorides, neq; enim nescitue, tacetue,
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Esse deæ. Postquam pietatem publica caussa,
Rexq; patrem vicit, castumq; datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris:
Victa dea est, nubemq; oculis obiecit, & inter
Officium, turbamq; sacri, vocesq; precantum,
Supposita fertur mutasse Mycenida cerua.
Ergo vbi qua decuit lenita est cæde Diana,
Et pariter Phœbes, pariter maris ira recessit,
Accipiunt ventos a tergo mille carinæ:
Multaq; perpessæ Phrygia potiuntur arena.

Apud eundem lib. 13. Vlysses in oratione aduersus Aiacem super armatura Achillis, se Agamemnoni reluctanti, & quæ videbatur summa crudelitas, recusanti, vt suæ pietati publicam vtilitatẽ anteponeret, persuasisse gloriatur. Matrẽ quoq; Clytemnestram callidè, vt ab se filiã dimitteret, induxisse. Atq; ita, quod Græci opportunos ad nauigandum ventos recuperauerint, & Aulide tandẽ aliquãdo soluerint, suũ quoq; beneficiũ videri postulat.

Vt dolor vnius (Menelai) Danaos peruenit ad omnes,
Auliaq; Euboicam complerunt mille carinæ, &c.

Elaboratissimis autem, ac nitidissimis versibus Lucret. lib. 1. vbi docere conatur, religionem sæpenumero in caussa magnorum scelerum fuisse, quale fuerit, à parente ad Dianæ iram placandam, mactari filiam.

Aulide quo pacto Triuiaï virginis aram
Iphianassaï turparunt sanguine fœdè
Ductores Danaûm delecti, prima virorum.
Quo simul infula virgineos circundata comptus
Ex vtraq; pari malarum parte profusa est:
Et mœstum simul ante aras astare parentem
Sensit, & hunc propter ferrum celare ministros,
Aspectuq; suo lacrymas effundere ciues,
Muta metu terram genibus submissa petebat:
Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat,
Quod patrio princeps donarat nomine regem.
Nam sublata virûm manib⁹, tremebundaq; ad aras
Deducta est, non vt sollemni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari hymenæo:
Sed casta incestè nubendi tempore in ipso
Hostia concideret mactatu mœsta parentis,
Exitus vt classi felix, faustusq; daretur.

Meminit etiam Tullius Tuscul. 1. quanquam diuersum sentiens à Lucretio: quippe qui regiam illam virginem libenter isse ad mortem prædicet. Iphigenia Aulide duci se immolandã iubet, vt hostium sanguis eliciatur suo. Sanè apud Euripidem, ἄγετέ με, inquit, τὰν Ἰλίου, καὶ Φρυγῶν ἑλέπολιν. Tamen non errat Lucretius: siquidem & Euripides à principio minimè animosam, sed imbecillẽ, mortemque à patre flebiliter deprecantem, postea demum volentem ac paratam inducit. In quo reprehensum legi, vt pote qui non studuerit, vt persona seruaretur ad imum, qualis ab incepto processisset, sibiq; con- D staret, quemadmodum est in præceptis. Cæterùm in 3. Offic. confirmat Cicero, Agamemnonem voti damnatum voluisse sacrificare filiam. Quid Agamemno? cum deuouisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolauit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. In Orat. perf. cũ Timantem pictorem laudat, huius immolationis quoq; recordatus est. Verba subijcimus. Si denique pictor ille vidit (decorum) cum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, mœstior Vlysses, mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari. Vide prætere quæ dicta sunt lib. 4. Æneid. ibi, *Non ego cum Danais* E *Troianam exscindere gentem Aulide iuraui*, &c. Et Iunium Cent. 6. num. 2. prouerbio, Pro virgine cerua. Fabulam Iphigeniæ disertè explicat Hyginus cap. 98. & 261.

ANIMAQVE LITANDVM ARGOL.) De verbo *litare* dissereturad 4. Æneid. ibi, *Principio delubra adeunt, sacrisq; litatis.*

OBSTVPVERE ANIMI, GELIDVSQVE) πάθος, subitiq; pauoris descriptio. Et callidè sanè ait omnes timuisse: ne si solũ se timuisse diceret, solus inter cæteros dignus videretur, qui propter scelera aliqua sacrificio, tanquam piacularis hostia traderetur, homo sacer videlicet. Porrò quidam vltimo versu ταυτολογίαν esse volunt, id est eandem per diuersa verba sententiam. At-

tamen

tamen non longè à vero, vt opinor, aberrabit, qui alterum ad fatum Sinonis, alterum ad Apollinis voluntatem referet. Igitur cui fata (Sinonis videlicet) parent A mortem: quasi fatum esset Sinoni, vt hoc genere mortis periret. Nascimb.

Hîc Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ sint ea numina diuûm
Flagitat. & mihi iam multi crudele canebant
Artificis scelus, & taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies: tectusq; recusat
Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Compositò rumpit vocem, & me destinat aræ.
Assensere omnes: & quæ sibi quisq; timebat,
Vnius in miseri exitium conuersa tulere.
Iamq; dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.
ERIPVI (FATEOR) LETHO ME, & vincula rupi,
Limosoq; lacu per noctem obscurus in vlua
Delitui, dum vela darent: si fortè dedissent.
Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumq; parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
Effugia, & culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te per superos, & conscia numina veri,
Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam
Intemerata fides, oro: MISERERE LABORVM
TANTORVM: MISERERE ANIMI NON DIGNA FERENTIS.

VATEM CALCHANTA) De hoc Homerus, I. B Iliad.

Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,
Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα,
Καὶ νήεσσ' ἡγήσατ' ἀχαιῶν Ἴλιον εἴσω,
Ἣν διὰ μαντοσύνην, τήν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων.
Calchas Thestorides longè celeberrimus augur,
Qui quæ nunc fierent, & quæ ventura, tenebat,
Idem qui caneret, quæ dudum facta fuissent:
Quem Danai tumidum sulcantes nauibus æquor,
Constituere ducem sacram Simoentis ad vrbem,
Cui Phœbus pater ipse suas concesserat artes.

De huius contentione cum Mopso in augurandi disciplina, Strabo lib. 14.

ARTIFICIS SCELVS) Rursum in 11. *Vel cum se pauidum contra mea iurgia fingit, Artificis scelus.* Festus, artifices dicti, quod artem suã per artus exercent: siue quod aptè opera inter se artent, qua ex caussa etiam artes appellatæ sunt.

TACITI VENT. VID.) Trium syllabarum verba ternatim collocata variant numeros, quadam cum moderatione, vt hîc *taciti ventura videbant*, & libro superiore, *croceo velamen acantho.* Qua in collocatione & textu, si adhibeatur aut hiatus vocalium, aut explosio, non parum sibi grauitatis numerus ipse adiungit, quadã etiam cum generositate, vt

Si omnes vno ordine habetis Achiuos. &,
Oculis Phrygia agmina circumspexit. &
Troiæ supremum audire laborem.

In primis quoque carminis partibus adiuuat textura hæc numerositatem, vt, *Mutemus clypeos, Danaûmq; insignia.* Quod si collisio inciderit, tenorem quoq; versus efferet: vt,

Vndiq; collecti inuadunt. &,
Gemini Atridæ, Dolopumq; exercitus.

Quaternæ autem syllabæ continenter positæ numerũ bene implent. *Lubrica conuoluit sublato pectore terga.* Iouian. Actio. Sensus verborum est, videbat animis futurum, id quod euenit, sed nemo vllum ea de re verbũ faciebat, in Vlyssis gratiam videlicet, cuius erat apud omnes magna reuerentia, & auctoritas.

BIS QVINOS SILET ILLE DIES) Quantum potest Calchantis crimen extenuat, quò magis scelus Vlyssis C amplificet. Sequitur enim, *Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus*, non sponte, neque ex animi sententia, sed Vlyssis importunitate coactus. Tamẽ reum facit, sed caussam criminis in Vlyssem transfert. Finxit Calchas, sed cum eò induxit Vlysses, cum quo pactus est illud silentium, & illam vim, quæ sibi ab eo clamoribus magnis afferretur. Ita ferè Nascimb.

TECTVSQVE RECVS. PROD. VOCE) Cunctabundus inducitur etiam I. Iliad., cum ab Agamemnone de caussa exortæ pestilentiæ interrogaretur.

COMPOSITO RVMP. VOCEM) Quod Virgilius dicit compositò, Plaut. Capt. de compacto. Afranius, cõpactò. Est autem compositò, id quod Græci, *ἐκ παρασκευῆς*, D id est, re inter ipsos comparata, & constituta. Terent. Phorm. *Compositò factum est, quomodo hanc amans habere posset.* Probus in Darame. Pisidæ noua re commoti, in opinionem adducuntur, perfugas mala fide, compo-

compoſitoque feciſſe, vt recepti, eſſent maiori calamitati.

Rumpere vocem, ait Victor. lib. 10. cap. 8. eleganter dicitur de aliquo, qui cum diu tacuerit, repente quippiam edit, quod tunc Calchanti auguri contigit. Flagitioſè autem labitur Seruius in huius verſus declaratione. Eſt namque modus loquendi ſumptus à Græcis, paſſimque veteres eius gentis ſcriptores eo vtuntur, vt Herodotus Euterpe, narrans conſilium Pſammetichi, qui, quam primam vocem ederent infantes, non docti à nutricibus ſcilicet, ſcire voluit: inquit enim *ἥν τινα φωνὴν ῥήξωσι πρώτην*. Et Demoſth. 3. Philipp. [*Producit Turnebus etiam ex Ariſtophane teſtimonium lib. 6. cap. 21.*] Pergit Victorius. Vt autem hic poeta rumpere vocem, ita in 4. rumpere queſtus dixit, cùm diuerſa conſilia in animo agitantem reginam, miſeraſq; vndique res ſuas clare eam exponentem inducit. Lacrymæ quoq; eadem ratione rumpi poſſent dici, vt Sophocles Trachinijs, cum inquit, *ἔρρωγεν παγὰ δακρύων*. Et in eadem fabula pòſt, *καὶ δακρύων ῥήξασα θερμὰ νάματα*. Ariſtoteles præterea de menſtruis ita locutus eſt lib. 1. de ortu animal. *ταῖς δὲ θήλεσι ῥήγνυται τὰ καταμήνια*.

QVÆ SIBI QVISQVE. T. V. IN MIS. EX.) *Sic in decimatione militum, & omnino in ſortitionibus rerum detrimentoſarum planè fit, vbi metus ad omnes, pœna ad paucos peruenit.*] Nimirum & vicarios interdum Latini dicunt, qui in vicem aliorum exitio deuouentur, vt ipſi ſuo capite procurent, & luant ea, quæ alijs, aut ciuitati impendebant mala: vt ex carmine deuotionis docet Turneb. quod eſt, *Eoſq́; ego vicarios pro me, fide magiſtratuq́; meo, & pop. Rom. exercitibus, legionibuſq́; noſtris do, deuoueo.* Tale quid & apud Tacitum lib. 1. vbi de legionibus agit, quæ in ſeditioſos ſuſpectæ & ipſæ rerum nouarum, ſatis aſperè decreuerunt: Et gaudebat (inquit Tacitus) miles cædibus, tanquam ſemet abſolueret. German.

MIHI SACRA PARARI) Parabantur. Infra. *Nos pauidi trepidare metu.* Enallage, vſitata hiſtoricis.

ET SALSÆ FRVGES) Mola ſalſa, id eſt, farina horna, permiſto ſale, qua victimæ aſpergebantur.

ET CIRCVM TEMP. VITTÆ) Vittis capita victimarum vinciri conſueſſe, multis poetarum locis patet.

ERIPVI FATEOR LETHO) Fortaſſis alludit ad fugam C. Marij: conſueuit enim ſui temporis hiſtorias, & memorabiles illuſtrium Romanorũ caſus, vt etiam ritus, verſibus ſuis includere. Marius igitur Sullæ crudelitatem, & equites eius ſe inſectantes, & ad necem conquirentes timens, nudus, ac limo obrutus, auctore Velleio lib 2. oculis tantum, ac naſo eminentibus, in arundineto ad paludem Maricæ ignotus latuit. Monuimus in Prodidagmatis.

VINCVLA RVPI) Victimas ſacrificiorum tempore fuiſſe ſolutas ſcribit Seruius, ligatas cum ducerentur. Sed Sinon videtur vincula religionum intelligere, & ad victimarum vincula alludere.

LIMOSOQVE LACV IN VLVA DEL.) Lucan. lib. 2. hunc locum expreſſit, loquens de Marij fuga. *Exul limoſa Marius caput abdidit vlua.* * *Sumtu aliud à Virgilio Plaut. cuius hæc ſunt verba Bacchid. Mneſilochus Sinon eſt. Relictus ille non in buſto Achillis, ſed in lecto accubat. In monumento Achillis latuiſſe hunc impoſtorem dicit: at noſter Maro in vlua paluſtri, limoſoq́; lacu. ſed in mendacio non eſt nimis requirenda veritas.*

PER NOCTEM OBSCVRVS) Vel ignoratus, vel per obſcuram noctem, vt ſit hypallage.

NEC MIHI IAM PATRIAM ANTIQVAM) Non videtur mihi tantum occultare myſteriorũ, quantum nonnulli comminiſcuntur: Poetam enim perſuadere conantur id ob antiquitatem Argiuorum dixiſſe: ego vero exiſtimo, cum Sinon transfugam ſimulet, qui iam ſolum mutarit, & patriam velut nouã, nouaſq; ſedes exilio quæſierit, eum appellare patriam antiquam, patriam priſtinam, cuius ſolum verterit, & cuius amiſerit ius, qui ſe in aliam velut dicarit, priore deſerta. Eſt enim antiqua patria, à qua demigratum vel à colonis, vel exulibus, vel transfugis. Sic Tyrus Didonis antiqua patria dicitur. *Namq; ſuam patria antiqua cinis ater habebat.* Iterum. *& Troia antiqua maneret.* Erat enim euerſa, & alias quærebat ſedes Æneas. Turneb. lib. 12. cap. 5. * *De patria diſſeruimus in Eclog. 1. ſuper illo carmine,* Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua. *Vt porrò nos à patre (ſcribit Plutarchus lib. Num ſenis gerenda Reſpub.) πατρίδα videlicet, ſic Cretenſes à matre vocant patriam, μητρίδα, quaſi dicas, matriam. Nunc ſuaues aliquot verſiculos è Catullo recitabimus de patria deſiderio. Sic enim in Galliambo Atys, poſtquam de quiete molli, rabida ſine rabie, liquidaq́; mente, vt poeta loquitur, ſua facta recoluit, alloquens patriam mœſta voce miſeriter.*

Patria ô mea creatrix, patria ô mea genetrix,
Ego quam miſer relinquens, dominos vt herifugæ
Famûli ſolent, ad Idæ tetuli nemora pedem,
Vt apud miſer ferarum gelida ſtabula forem,
Et vt omnia earum adirem furibunda latibula:
Vbinam, aut quibus locis te poſitam, patria, rear?
Cupit ipſa pupula ad te ſibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breue tempus animus eſt.
Egó ne à mea remota hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?

NEC DVL. NAT. EXOPT. PAR.) Cic. poſt red. in Senat. Nihil enim dedit hominibus natura dulcius, quam ſuos cuique liberos. Liuius lib. 1. Illas tamen in matrimonio, in ſocietate fortunarum omnium, ciuitatiſq;, & quo nihil charius humano generi ſit, liberûm fore. Virgil. iterum lib. 4. *Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?* Horat. Ode 2. Epod.

Quod ſi pudica mulier in partem iuuet
Domum, atque dulces liberos.

Euripid. Alcmene, *δεινὸν δὲ τέκνων φίλτρον ἔθηκε θεὸς ἀνθρώποις.* Vehementem amoris affectum erga liberos deus indidit hominibus. Matrum tamen, quam patrũ effuſior eſt in proles amor, multoq; indulgentior, ac proinde ex illis, quam iſtis dulciores. Prudenter ſanè ſcriptum eſt à Macrobio Saturnal. lib. 1. de amore filiorum in hæc verba. Multas, variaſque res in hac vita natura nobis conciliauit: ſed nulla nos magis, quàm eorum, qui è nobis procreati eſſent, charitate deuinxit: eamq; noſtram in his educendis curam eſſe voluit, vt parentes neq; ſi id quod cuperent, ex ſententia cederet, tantum vlla alia ex re voluptatis, neq; ſi contra eueniret, tantũ mœroris capere poſſent. Poteſt etiam huc conferri, quod eſt in 2. de Orat. vbi de locis diſputatur. Si feræ ſuos partus diligunt, qua nos indulgentia in liberos noſtros eſſe debemus? Veruntamen non aliter eſt, quàm vt ait Seneca epiſt. 9. Fructuoſior eſt adoleſcentia liberorum, infantia dulcior. Quoniam autem nihil eſt luce optatius atque iucundius, videas ab eruditis filios etiam parentum oculos, & lumina appellari, quod animaduerſum eſt à Lipſio Elect. lib. 1. cap. 24. Auſon. in Parental. ad Cælium Arborium auum ſuum.

Amiſſum flеſti poſt trina decennia natum,
Sancius extincto lumine caſſus eras.

Quintil. lib. 6. Albi filius minor, quintum egreſſus annum, vt in malis agerem, prior alterum è duobus eruit lumen. Feſtus, Orba eſt, quæ patrem, aut matrem, aut filios quaſi lumen amiſit. Adde his illam lacrymabilem orationem Annæ matris Tobiæ iunioris, qua

filij tam diuturnam absentiam lugebat. Heu, heu me A fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, &c.

QVOS ILLI FORS AD POENAS) Videtur hìc poeta respexisse antiqui iuris Romanorum, & Græcorum consuetudinem, quæ obtinuerat, vt ciuium liberi, tanquã Reipub. oppignorati, & dati obsides luerent, & præstarent delicta: tum vt cura liberorum, & metu coërcerentur, & in officio continerentur patres: tum ne priuata ob editum in patres exemplum offensa, vlcerato, & alienato in patriam animo liberi, in res nouas propensiores laberentur. Cuius rei sunt apud Iureconsultos monumenta quædam, & reliquiæ: eiusque fidem facit nobis in epistola ad Atticum Cicero: qua B licet non omnino Antonij liberis iniquus videatur, tamen paterni exilij comites Themistoclis liberos per Græciam errauisse, atque eguisse testificatur. Cuius consuetudinis, vel legis acerbitatem innuere videtur Plato in Critone sub persona Socratis, fugam arripere, quam Crito patefaciebat, obtrectantis his verbis: *σκόπει γὰρ δὴ ταῦτα παραβὰς*, &c. German.

QVOD TE PER SVPEROS) Asconius, quod, pro, quocirca accipit. Alij expletiuam volunt esse particulam, vt Græcis nonnunquam ὅτι, πλεονάζει. Nimirum & illud Palinuri ad Æneam lib. 6. simile est. *Quod te per cæli iucundum lumen, & auras, Per genitorem oro.* Obseruanda est in hac particula, per, frequens apud Maronem Grammatica anomalia, vt quæ non satis ad exactos Grammaticæ canonas coërceri possit. Etenim hìc dicendum videretur, vt orationis structuræ, & normæ satisfieret, per, si qua est, quæ restat, intemeratam fidem. Sed eadem poetica libertate & lib. 6. videtur vsus: *Per sidera iuro, Per superos, & si qua fides tellure sub ima est.* Et Æneid. 12. *Turne per has ego te lacrymas, per, si quis Amatæ Tangit honos animum.* Et lib. 10. *Vnum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro, Corpus humo patiare tegi.* German.

PER SI QVA EST INTEM. FIDES) In deprecationibus, & obtestationibus vtebantur his vocibus, *per fidem.* Apud Petronium, per fidem, saltem nobis parce, qui te nunquam lapidauimus. Apul. lib. 2. metam. Per fidem vestram Quirites, per pietatem publicam perempto ciui subsistite. Videndus Brisson. Formular. lib. 8. num. 707.

His lacrymis vitam damus, & miserescimus vltro.
Ipse viro primus manicas, atque arcta leuari
Vincla jubet Priamus: dictisq; ita fatur amicis.
Quisquis es (amissos hinc iam obliuiscere Graios)
Noster eris: mihiq; hæc edissere vera roganti.
Quò molem hanc immanis equi statuêre? quis auctor?
Quidue petunt? quæ relligio? aut quæ machina belli?
Dixerat. ille dolis instructus, & arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.
Vos æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen, ait: vos aræ, ensesq; nefandi,
Quos fugi, vittæq; deûm, quas hostia gessi,
Fas mihi Graiorum sacrata resoluere iura,
Fas odisse viros, ATQVE OMNIA FERRE SVB AVRAS,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus vllis.
Tu modò promissis maneas, seruataq; serues
Troia fidem, si vera feram, si magna rependam.

HIS LACRYMIS VITAM) Troianos à pieta- C te, & clementia commendat: quos vel hostium lacrymæ, & calamitates mouent. Occultè tamen (vt mihi quidem videtur) ex persona poetæ Troianorum leuitas, ac imprudentia notatur, quod hosti, præsertim Græco, tam citò, tamq; facilè crediderint. Nascimb.

MANICAS, ATQVE ARCTA LEVARI) Posterius explanat prius, sunt enim manicæ vincula manuũ. Sic Georg. 4. de Aristæo, vincula Proteo injiciente, *Cum clamore ruit magno, manicisq; iacentem occupat.* Plaut. Capt. *Inijcite huic actutum manicas mastigia.* Et Asin. *Vbi manus manica complexa.* Cic. Philipp. 11. de C. Antonio. Solet enim accipere ipse manicas, nec diutius obsidionis metum sustinere. Lucil. lib. 30. *Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita est.* Infra Virgil. *teneras arcebant vincula palmas.*

VINCLA LEVARI) Tibull. *Seruiat aquè Victus vterque tibi, vel mea vincla leua.*

IVBET PRIAMVS) Nomen regis huius à πρίαμι cadit, quod est emo. Patiendi vox πρίαμαι, & inde Priamus. Ilio namq; ab Hercule expugnato, vnà cum sorore Hesione in Greciam captiuus abductus, ac postmodum auro redemptus est. Hinc Priamides, Priamëius.

QVISQVIS ES) Obuios quos minimè nossent, aut vidissent antea, his verbis compellabant. Sic lib. 1. Venus Æneam in sylua. *Quisquis es, haud, credo, inuisus cælestibus auras Vitales carpis.* Lib. 6. *Quisquis es, armatus qui nostra ad littora tendis, Fare age quid venias.* Verba Charontis sunt ad Æneam. Plures locos ex Ouidio adducit Brisson. Formular. lib. 8.

D AMISSOS HINC IAM OBLIVISCERE GRAIOS) Requisiturus à Sinone Priamus, quidnam petant, quidúe moliantur Græci, primùm, vt par est, eum securum reddit, omniaque ei beneuolentiæ, humanitatisque signa ostendit, quò liberiùs, quod nouit, eloqui possit. Nullum sanè maius

beneuo-

beneuolentiæ signum ostendere poterat Sinoni Priamus, quam deposita pæne regis maiestate, cum hoste, & captiuo perinde loqui, atque cum amico amicus, cum fratre frater. Nascimb.

Amittere antiqui, pro dimittere dixerunt. Terent. Heaut. *Prius proditurum te tuam vitam, & prius Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium.* Sallust. Pactione amissa publico consilio. Tale & hoc Virgilij.

NOSTER ERIS) Formula transfugas in fidem accipientium, vt ait Seruius.

QVO MOLEM HANC) Quam ob caussam? & huic respondet Sino, *Ne recipi portis.*

QVIS AVCTOR?) Respondet, *Hanc tamen immensam Calchas attollere molem.*

QVIDVE PETVNT) Respondet, *hanc pro Palladio monitis*, ad placandam Mineruam. Seruius.

SVSTVLIT AD SIDERA PALMAS) Gestus precantium, aliquando lætantium. Cic. lib. 7. epist. Sustulimus manus ego, & Balbus.

VOS ÆTERNI IGNES) Ætherem igneum, stellas quoque igneas esse, Epicurus, Zeno, Anaxagoras, Plato quoque crediderunt: quorum tamen sententiam Aristoteles confutauit. Lucretius sæpe ætherem igniferum vocat ex Epicuri dogmate quod sequitur, qui ætherem ex liquidissimis ignibus constare affirmauit. German.

ET NON VIOLAB. VESTRVM NVMEN) Vt intelligas, cur vestrum numen dictum sit, Plato (inquit Apuleius de deo Socratis) perinde vt maiestas postulabat, dijs immortalibus cælum dicauit: quos quidem deos cælestes partim visu vsurpamus, alios intellectu inuestigamus. Ac visu quidem cernimus *Vos ô clarissima mundi Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum.*

VESTRVM NVMEN TESTOR) Sæpenumero deos testabantur, verbo *testor*. Cic. Philipp. 13. Testor & vos, & pop. Rom. & omnes deos, qui huic vrbi præsident. Quintil. testor deos, non recessi à custodia, donec me bellum auocauit. Seneca Hercule Oetheo. *Testor nitentes flammas, & Phœbi rotam, Superosq; testor.* Idem Troade. *Testor deorum numen aduersum mihi.* Et hac etiam verborum conceptione testabantur deos. Esto nunc sol testis, Dij mihi sint testes. Interdum deos hominesq; testabantur. Vide Brisson. Formular. lib. 8. pag. 717.

VITTÆQVE DEVM, QVAS HOST.) Infula redimiri solebat & sacerdotes, & victimæ. Sic & de immolanda Iphigenia Lucret. lib. 1.

Cui simul infula virgineos circumdata comptus
Ex vtraq; pari malarum parte profusa est.

Est autem infula fascia in modum diadematis, aliquando lata, aliquando tortilis, ex albo & cocco: vittæ ab vtraq; parte dependent. De sacerdote, Æneid. 10.

Nec procul Æmonides Phœbi, Triuiæq; sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

Metaphoricôs infula pro insigni summarum dignitatum capitur. Cic. contra Rullum. His insignibus, atque infulis imperij venditis. Codice Iustin. lib. 12. De Consulibus antiquitus statutum est, consularibus viris cæteros quidem honoratos ipsius trabeæ summitate, pares verò infulis, consideratione tantum temporis anteire. Quis enim in vno, eodemq; genere dignitatis prior esse debuerat, nisi qui prior meruit dignitatem, &c. Nannius in epistolam Ambrosij ad Valentinian. De vittis, & infulis alibi dicemus plura.

GESSI) Non verè gesserat, sed quantū ad Græcos pertinet, dixit.

SACRATA RESOL. IVRA) Hic ius sacratum dicit, quo sacramenti militaris religione teneri videbatur: nam iureiurando sacrabatur, id est fide. Cicer. lib. 3. Offic.

Cuiusq; princeps iurisiurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem:
Furere assimulauit, ne coiret institit.
Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepset malitiosam audaciam,
Fide sacratum ius perpetuò falleret.

Turneb. lib. 6. cap. 21. De sacramento militari videbis cum voles Carol. Sigon. de antiquo iure ciuium Rom.

TENEOR PAT. NEC LEG. VLLIS) Propter id, *Noster eris.*

SERVES TROIA FIDEM) Quia quod rex promittit, videtur respub. polliceri.

Omnis spes Danaûm, & cœpti fiducia belli
Palladis auxilijs semper stetit: impius ex quo
Tydides sed enim SCELERVMQVE INVENTOR VLYSSES,
Fatale agressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem: manibusq; cruentis
Virgineas ausi diuæ contingere vittas:
EX ILLO FLVERE, AC RETRO SVBLAPSA REFERRI
SPES DANAVM: fractæ vires, auersa deæ mens.
Nec dubijs ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum, arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsusq; per artus
Sudor ijt, terq; ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamq; ferens, hastamq; trementem.
Extemplò tentanda fuga canit æquora Calchas:
Nec posse Argolicis excindi Pergama telis,

Omina ni repetant Argis, numenq; reducant,
Quod pelago, & curuis secum aduexere carinis.
Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma, deosq; parant comites: pelagoq; remenso
Improuisi aderunt. ita digerit omina Calchas.

PALLAD. AVXIL. SEMP. STETIT) Ouid. 1. Fast. *Ingenium vultu statq, caditq, tuo.* Et illud, *Moribus antiquis res stat Romana, viris q.*

IMPIVS TYDIDES) Propter vulnerata numina, Martem, & Venerem.

SCELERVMQVE INVENT. VLYSSES) Hortator scelerũ ab Aiace vocatur Vlysses 13. Metamorph. & à Deiphobo 6. Æneid. Plaut. Capt. *sator, sartorq, scelerum, & messor maxume.* Ciceronis est, princeps, & architectus sceleris. Obserua quæso, quomodo Sinon hunc virum, Vlyssem dico, ex vnius cuiusdam criminis inuidia, pluribus sceleribus implicitum videri concupiscat: nisi velimus etiam ad se respexisse, quem ille per scelus, quasi ab Apolline postulatum, ad mortem trudat. Sed adhuc grauius quam pro re, *scelerum inuentor.*

FATALE AGG. SACR. AVELLERE TEMPLO) Vlyssis, & Diomedis temeritatem in ipsa criminis amplificatione triplici ratione detestatur. Quòd rem fatalem, ac numinis, diuinitatisq; plenam: quòd de loco sacro: quòd confidenter surripuerunt. Ergo in singulis singula sunt sacrilegij genera. Auellere autem *ματαφοειμῶς* à plantis, pro violenter surripere positum est: vt ostenderet poeta, simulacrum inuita dea fuisse sublatum. Nascimb. * *Ad nocturnam istam Palladij surreptionem respexit Cicero pro Milone. Exhibe, quæso, Sex. Clodi, exhibe libellarium illud legum vestrarum, quod te aiunt eripuisse è domo, & ex medijs armis, turbaq, nocturna, tanquam Palladium sustulisse. Quomodo Palladium Troianis contigerit, quid eis profuerit, cur, & à quibus ablatum, quo demum translatum sit, exponit 6. Fast. his versibus Ouid.*

Mœnia Dardanides nuper noua fecerat Ilus:
Ilus adhuc Asiæ diues habebat opes.
Creditur armiferæ signum cæleste Mineruæ
Vrbis in Iliacæ desiluisse iuga.
Cura videre fuit, vidi templumq; locumque:
Hoc superest illic: Pallada, Roma tenet.
Consulitur Smintheus, lucoq; obscurus opaco
Hos non mentito reddidit ore sonos.
Æthercam seruate deam: seruabitis vrbem:
Imperium secum transferet illa loci.
Seruat, & inclusam summa tenet Ilus in arce:
Curaq; ad hæredem Laomedonta venit.
Sub Priamo seruata parum: sic ipsa volebas.
Ex quò iudicio forma reuicta tua est.
Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Vlysses,
Seu pius Æneas, eripuisse ferunt.
Auctor in incerto est, res est Romana: tuetur
Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt.

Dictys Cretensis lib. 5. ab Antenore sublatum, & Græcis ex promisso traditum refert.

PALLADIVM) multi fortasse admirabuntur, si didicerint, Palladium (quod appellatur Diopetes, vt quod à Ioue deuolarit, quod Diomedes quidem, & Vlysses feruntur Troia abstulisse, deposuisse autem apud Demophoontem) fuisse constitutum ex ossibus Pelopis, quemadmodum Olympium ex albis ossibus belluæ Indicæ. Atqui adduco Dionysium hæc referentem, in quinta parte circuli. Apellas autem in Delphicis dicit, duo fuisse Palladia, & fabricata fuisse ab hominibus. Clemens Alexand. Protrept. ad gentes. De Palladio qui plura cupit, legat Natal. Com. lib. 4. cap. 5.

Adijciamus locum Herodiani ex Commodo, vbi ita scriptum est de Palladio. Sed vbi templum (Pacis) omne consumptum ignibus est, plurima quoque, & pulcherrima vrbis ædificia conflagrarunt. Inter quæ Vestæ templum, sic, vt Palladium quoque conspiceretur, quod inprimis colunt, atque in arcano habent Romani, Troia, vt perhibent auectum, ac tum primùm postquam in Italiam deuenit, conspectum ab hominibus. Quippe raptum id Vestales virgines media sacra via in aulam Imperatoris transtulerunt. Idem Herodian. Historiar. lib. 5. in Pseudantonino, narrans quo pacto stolidus ille etiam deo suo (Soli) vxorem quæsierit, vt non humana tantum matrimonia luderet, Palladis simulacrum, ait, quod occultum Romani, neminique videndum colunt, in cubiculum suum transtulit: immotumque ad eam diem, ex quò Ilio auectum fuerat, præterquam quum templum conflagrauit, ipse emouit sedibus, eamque deam sui dei coniugem in aulam imperatoriam adduxit, &c. Cicero Philipp. II. Reddite prius Brutum, lumen & decus ciuitatis, qui ita conseruandus est, vt id signum, quod de cælo delapsum, Vestæ custodijs continetur: quo saluo, salui sumus futuri.

Non ideo Troia perijt, inquit Augustin. de Ciuit. lib. 1. cap. 2. quia Mineruam perdidit. Quid enim ipsa prius Minerua perdiderat, vt periret? An forte custodes suos? Hoc sanè verum est: illis quippe interemptis, potuit auferri. Neque enim homines à simulacro, sed simulacrum ab hominibus seruabatur. Quomodo ergo colebatur, vt patriam custodiret, & ciues, quæ suos non valuit custodire custodes?

CÆSIS SVMMÆ CVSTOD. ARCIS) Crimen amplificat per locum communem, ad sacrilegium accessisse homicidium dicit. Hæc autem cum indignatione, & acrimoniæ pronuntianda esse videntur, quod custodes templi, quod in templo, ac in ipso pæne templi adyto ante ora Palladis occisi sunt. Nascimb.

VIRGINEAS VITTAS) Aliæ erant nuptarum, aliæ virginum vittæ, seu aliæ matronales, aliæ virginales; quòd alio virgines cultu capitis & ornatu, quam nuptæ, & matronæ vterentur: sed vtræque ingenuarum. De virginali vitta sic scribit Val. Flaccus lib. 8. Argonaut. *Vltima virgineis tum flens dedit oscula vittis.* Erat enim mox nuptura Medea. De maritali Propert. lib. 4. eleg. 12. *Vinxit & acceptas altera vitta comas:* nam alteram à virginali intelligit, matronalem scilicet, & sensus est, postquam nupsi. Turneb. lib. 23. cap. 5. & lib. 29. cap. 3. * *Pallas, seu Minerua semper vt virgo inducitur à poetis. Rationem pete à Mythologis. Quomodo Athenienses Demetrio Macedoni nuptijs Minerua blanditi sint, & quomodo is deam in arce ludificatus sit. Clemens Alexand. Exhort. ad gentes.*

EX ILLO FLVERE, AC RETRO) Pœnam ex peccato describit, mouetque commiserationem ex desperatione Græcorum victoriæ. *Ex illo* vt Græci ἐκ τοῦ, ἐξ ἐκείνου, subaudimus χρόνου. Fluere anceps verbum est, siue μόνον, ideo ait, retro. Contrà Sallust.

rebus supra votum fluentibus. Seruius, Nascimb. * *Georg. 1. non tantum simili sententia, sed similibus pane verbis legis,* omnia vidi In peius ruere, ac retro sublapsa referri. *Cic. pro Marcello. Omnia, quæ dilapsa iam fluxerunt, seueris legibus vincienda sunt.* A

TRITONIA) De caussa nominis huius agemus lib. 11. ad illa, *Armipotens belli præses, Tritonia virgo.* Liuius præfat. de mutatis in deterius pop. Rom. moribus alia, sed tamen non dissimili metaphora vtitur. Labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primò mores sequatur animo: deinde vt magis, magisque lapsi sint: tum ire cœperint præcipites, &c.

DVBIIS MONSTRIS) Monstrum, vt Ælius Stolo interpretatur, à monendo dictum est, veluti monestrum. Item Sisinnius Capito, quòd monstret futurum, & moneat voluntatem deorum. Quod etiam prodigium, velut productum, & quasi prædictum, quod prædicat eadem: & portentum, quod portendat, & significet. Inde dici apparet id quartum, quod mihi visum est adijciendum, præsertim cum ex eadem significatione pendeat, & in promptu sit omnibus, id est ostentum, quod item ab ostendendo dictum est. Monstra dicuntur naturæ modum egredientia, vt serpens cum pedibus, aut cum quatuor alis, homo cum duobus capitibus, iecur cum distabuit in coquendo. Festus.

ARSERE CORVSCIS LVM. FLAMMÆ) Videat lector lib. 12. ad illa verba, *oculis micat acribus ignis.* Oculi ardentes, & tanquam scintillantes iratæ mentis argumentum sunt.

SALSVSQVE PER ART. SVD.) Calamitatum futurarum indicium est sudor huiuscemodi. Quò pertinet illud ex prognosticis Cæsarianæ cædis 1. Georg. & *mæstum illacrymat templis ebur, æraq; sudant.* Cur autem sudor salsus, Aristotel. problem. sect. 2. quæst. 42. Rhodigin. lib. 27. cap. 15.

TER SOLO EMICVIT) Emicuit videtur hic in ea esse significatione, qua micare digitis, & vt supra in Georg. equos micare auribus dixit: & lib. 5. Æneid. *ante omnia corpora Nisus emicat:* vt simulacrum constiterit D velut in pedes arrectum, & nouo motu excitatum, quod prodigiosum esse augurum docebat disciplina. Lib. 12. *Emicat in currum.* Et eodem.

Emicat hic impunè putans, & corpore toto
Altè sublatum consurgit Turnus in ensem.

Est ergo hìc, solo emicuit, constitit, seséque in pedes erexit: vt poeta antiquum Palladij situm, posituramque insinuarit. Etenim Eustathius in eum Iliad. ζ. locum, θεῖναι ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο, docet, statuas Palladis sedentes semper exhibitas fuisse. καθῆνται δὲ, inquit, ἀθηνᾶς ξόανα καὶ ἐν φωκαίᾳ, καὶ ῥώμῃ, καὶ μασσαλίᾳ καὶ χίῳ. Hastam autem trementem, δόρυ τρέμειν poetæ. German.

TENTANDA. F. CAN. ÆQVOR. CALCHAS) Amplificat ab auctoritate sacerdotis, qui prodigiorum peritissimus, quid illa portenderent signa, optimæ nouerat. Nascimb.

OMINA NI REPET.) Omina legendum, non *omnia*, vt docet Canterus lib. 1. cap. 8. in quo plurimis cum Virgilij, tum aliorum poetarum productis in medium exemplis, manifestè demonstrat, hanc vocem sæpius peruersè, elemento videlicet transposito, in aliam migrasse. Monet item sic legendum Turneb. lib. 6. cap. 21. & interpretatur, auspicia. Legimus enim frequenter, duces è Prouincia, & exercitu auspiciorum repetendorum caussa, Romam aduolasse. Liuius, Namque B Papirius dictator, à pullario monitus, cum ad auspicium repetendum Romam proficisceretur, magistro equitum denuntiauit, vt sese loco teneret. Sed &, *ita digerit omina Calchas*, Seruius legisse videtur, non, vt diuulgatũ est *omnia*. Porrò Germanus omina repetere, à veterib⁹ dictum ait redauspicari, à Græcis μετοιωνίζεσθαι, additque Liuiano loco, quem profert Turneb. hunc è tertio Annal. Taciti. Drusus vrbe egressus repetendis auspicijs, mox ouans introijt.

ARGIS) Apud Argos, vbi regnauit Diomedes, conuenisse scribit duces Græcos Dictys lib. 1. ibidem coniurasse, Martemque, & Concordiam sacrificijs propitiasse. Duos annos in parandis telis, armis, equis, nauibus consumpsisse. C

NVMENQVE REDVCANT) sibi reconcilient.

QVOD PATRIAS VENT. P. MYCEN.) Antiquam esse locutionem, & significare, quantum ad id attinet, quod illi nauigarunt Mycenas, monet Lamb. in Asinar. Plauti, ibidemque ex probatis scriptoribus multa eius exempla colligit, in Actum 4. videlicet. Quomodo iubentur omina Argis repetere, & illi petunt Mycenas? Esto, vtrumque idem valeat per figuram, quod Græcia, Argi, inquam, & Mycenæ, num etiam eandem vtroque putabimus significari vocabulo? Nequaquam, sunt diuersæ omnino: sed vsus est iure suo vates, & vicinam pro vicina appellauit. Solent id poetæ in locis, & personis. Quod qui nescit, sæpius tanquam in tenebris offendit. Dicemus rursum super hac re infra, ibi *Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.*

ARMA DEOSQ. PAR. COM.) Non tantum arma, sed deos etiam comites in armis habere oportet: *nam nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.* nec potuit vlla maior esse impietas, quam Aiacis apud Sophoclem, qui se cum dijs, & sine dijs victorem fore autumat.

PELAG. REMENSO IMP. AD.) Callidè Troianos de futuro sollicitos reddit, admonens, reuersuros Græcos, vt præsentem firmet securitatem. Verè autem improuisi affuerunt. Nascimb.

DIGERIT OMINA) interpretatur numinis commotionem.

Hanc pro Palladio moniti, pro numine læso
Effigiem statuere, nefas quæ triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cæloq; educere iussit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia possit:
Neu populum antiqua sub relligione tueri.
Nam si vestra manus violasset dona Mineruæ,
Tum magnum exitium (QVOD DII PRIVS OMEN IN IPSVM

CONVERTANT) Priami imperio, Phrygibusq; futurum.
Sin manibus vestris vestram ascendisset in vrbem:
Vltro Asiam magno Pelopeia ad mœnia bello
Venturam, & nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidijs, periuriq; arte Sinonis
Credita res: captiq; dolis, lacrymisq; coactis,
Quos neq; Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

HANC PRO PALLAD. MON. PRO. N. LÆSO) Caussam effectæ machinæ exponit, quàm totam religioni tribuit. Sic enim facilius fidem facere poterat, quia cum vi sublatum Palladium fuisset, non obscura coniectura ab omnibus formari poterat, deam Græcis iratam esse Nascimb.

ROBORIBVS TEXTIS) Equum Troianum è quernis trabibus fabricatum hoc loco dicit, aliâs ex alijs: idem enim robur & quercus. Sic infrà. *sacrum qui cuspide robur Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.* Idem Petronius Arbiter in Troiæ halosi secutus est.

Cum Delio præfante, cæsi vertices
Idæ trahuntur, scissaq; in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurarunt equum.

Sed poetis solemne est verba pro verbis ponere. De qua figura prçter cçteros videndus Macrobius Saturnal. lib. 6. Consule etiam quæ dicta sunt super illo, *sectaq; intexunt abiete costas.*

CÆLOQVE EDVCERE IVSSIT) Alibi *eductas cælo turres.* Et, *æquataq; machina cælo.* De duob⁹ scopulis in portu Carthaginensi lib. 1. *geminiq; minantur In cælum scopuli.*

QVOD DII PRIVS OM. IN IPSVM) Sic lib. 8. *Dij capiti ipsius generiq; reseruent.* Et Georg. 3. *Dij meliora pijs, erroremq; hostibus illum.* Homer. Iliad. Σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι, γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσι. Prouerbium est, *vates secum auferat omen*, in eos, qui nobis dira minitantur, aut acerba prænuntiant. Vide Chiliad. * *Cælius ad Ciceron. lib. epist. 8. Quod ipsorum capiti sit. Cic. 4. Philipp. quibus (ô dij immortales, auertite, & detestamini quæso hoc omen a repub.) Vrbem se diuisurum esse promisit. Auersabantur, & detestabantur mala, infausta, tristia, sinistra omina his verbis antiqui: quod abominor, quod dij omen auertant. Ouid. procul omen abesto. Terent. Sin eueniat, quod dij prohibeant. Fusius Brisson. Formular. lib. 1. pag. 94. & 113.*

SIN MANIBVS VESTRIS) Alterum est conclusionis membrum, superiori contrarium, vbi occultè adhortari videtur Troianos ab vtili, vt æquum illæsum in vrbem recipiant: quod vt facilius persuadeat, eos in spé adducit futuræ vltionis in Græcos. Nascimb.

TALIBVS INSIDIIS) Prouerbium est, superauit dolum Troianum, ex Plauto sumptum. Nam in Pseudolo senex laudans seruum suum, quod arte noua, structis insidijs per subornatum quendam imposuerit Ballioni lenoni, ita loquitur. *Superauit dolum Troianum, atq; vicit Pseudolus.* Sentit de equo Troiano trabibus contexto. Quemadmodum autem Græci per subornatum Sinonem imposuere Troianis, ita Pseudolus per Harpagem imposuit lenoni. Chiliad.

LACRYMISQVE COACTIS) Legitur *coactis* in vulgacis codicibus, pro *coacti*, eamque lectionem agnoscit etiã Seruius: nec malè. Sic Terent. de meretricula. *Vna lacrymula, quam oculos terendo misere, vix vi expresserit,* Et Ouid. ni fallor, *Vt flerent, oculos erudiere suos.* De huiusmodi lacrymis, fictis videlicet, nec ex animo profluentibus, eleganter Seneca de Tranquillit. cap. 15. *In tuis quoque malis id agere te oportet, vt dolori tantum des, quantum poscit ratio, non quantũ consuetudo. Pleriq; enim lacrymas fundunt, vt ostentent, & toties siccos habent oculos, quoties spectator defuit, turpe iudicantes non flere, cum omnes fleant.* Occurrit adhuc in eodem argumento lepidum epigramma Martialis in Gelliam.

Amissum non flet, cum sola est Gellia, patrem,
Si quis adest, iussa prosiliunt lacrymæ,
Non dolet hic quisquis laudari, Gellia, quærit:
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

Quas Virgilius coactas, Martialis festiuè admodum iussas lacrymas appellat.

QVOS NEQVE TYDIDES, NEC) Exaggerat à ducum virtute, à tempore, & à numero nauium, atque militum, qui in nauibus erant. Vnde Troianorum laus nõ absque Græcorum dedecore emergit, à fortitudine, & à potentia. Quia quos nec temporis longinquitas, nec peritia belli, nec ducum fortitudo, nec copiarum multitudo, numerusque nauium vnquam vincere potuit, eos fraus, dolusq; Grçcorum deuicit. Perinde ac si diceret, Græcos nec scire, nec posse, nisi dolo, & fraude vincere. Porrò occultè ad illud Lysandri dictum, de quo in eius vita Plutarchus, alludere videtur: quò leonina pellis non attingeret, eo vulpinam esse assuendam. Huic loco affinis est Ouidianus ex epistola Deianiræ.

Quem non mille feræ, quem non Semeleïus hostis,
Non potuit Iuno vincere, vicit amor.

Nec dissimilis est Horatianus in Epodo, Ode. 16.

Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit.
Quem neq; finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusci Porsena manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Nouisq; rebus infidelis Allobrox.

Nascimb.

NEC LARISSÆVS ACHILLES) Larissa vrbs Thessaliæ. Multæ fuerũt Larissæ. Fuit in Creta. Fuit in Asia iuxta Cymam. Fuit in agro Attico Trallianus quoque vicus nomine Larissala, à qua Larissius Iupiter. Est & Larissa pagus, monti Hçmo finitimus. Quin etiam in Peloponneso Argiuorum arx Larissa memoratur, quàm Cyclopes condiderunt. Ideo Larissæus apex appellatur à Statio arx Argiuorum, qui alibi dixit Cyclopum fabricatam manu. Beroald. in Apul. lib. 1.

NON ANNI DOM. DECEM) Qui factum sit, vt Troiani totis decem annis resisterent, declarat hac oratione Thucydides lib. 1: postquam disseruit de Homeri catalogo. Et maximis itaque, & minimis nauibus, si de medijs coniecturã faciamus, non adeò magnã multitudinẽ conuenisse apparet, pro eo, quòd ex tota Græcia communiter ad hoc bellum mitterentur. Caussa verò erat, non tam hominum paucitas, quam pecuniæ inopia.

inopia. Propter enim cõmeatuum indigentiam minorē duxerunt exercitum, nempe quantum eo in loco, dum bellum gererent, ali posse sperarent. Postquam verò ad Ilion peruenerunt, ac primo prælio victoriam obtinuerunt, sicut res ipsa ostendit (non enim vallum ad communienda castra, nisi vicissent, extruere potuissent) tunc quoque non totis viribus ad bellum vsi sunt: sed ad colendos agros in Chersoneso conuersi sunt, & propter commeatuum inopiam prædas egerunt: inde factum est, dum nostri ita fuerunt, vt Troiani toto decennio resistere possent, viribus relictæ parti exercitus semper pares existentes. Si verò Græci, cùm ad bellum proficiscerentur, abundassent commeatu, atque omnes congregati mansissent, non occupati agricultura, aut piratica, sed continuo tempore bello tantum gerendo institissent, facilè pugna superiores, vrbe potiri potuissent: siquidem, cum non essent coniuncti, ea tantum parte exercitus, quæ fortè aderat, restiterunt hosti. Obsidioni verò si incubuissent, & breuiori tempore, & minori cum labore Troiam cepissent.

Iunius cent. 2. num. 37. Grauius sit quam Troiam capere. De re factu minimè procliui, sed imprimis difficili & ardua, vsus est prouerbialis senarij ex Eubuli Comici Amalthea.

Τοῦτ᾽ ἐσθ᾽ ἑκάστῳ μεῖζον, ἢ Τροίαν ἑλεῖν.

Id eniq; grauius, Ilion quàm vincere.

Troia opulentissima, copiosissimaq; vrbe Asiæ, & multarum gentium viribus subnixa ægrè, nec nisi astu, post decennalem obsidionem, Græci potiri potuerunt. Vnde iocus Fimbriæ Romani (qui reædificatam Troiam, sed priori imparem, intra vndecimum diem ceperat postea) gloriantis totidem diebus à se captam Troiam, quot annis à tota Græcia domari olim nequiuerit. Eleganter ad animum transfertur, si dicamus, animum vitijs addictum frænare operosius, quam Troiam capere. Vel ita, Troiam citius expugnes, quam auaritia obsessum animum.

NON MILLE CARINÆ) Propert. *Et Danaûm Euboico littore mille rates.* Homerus mille centum octoginta sex naues in catalogo numerat. Dares 1140. Dio mille ducentas. Euripidis scoliastes mille, centum, & septuaginta fuisse affirmat. Sed Virgilius rotundius voluit dicere, quod sollemne est auctoribus bonis. Sic Cic. 1. Catilin. at nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis, cum esset tantum duodevicesimus dies post factum S. C. vt notat Asconius. Sic in Pisonem pro triginta sex annis, quadraginta dixit. Sic centumuiri dicebantur, cum essent centum & quinque. Hæc ex Comment. Mureti in 1. Catilin. * *Confirmat sententiam Mureti quod scriptum extat à Varrone, lib. 2. de re rust. cap. 2. Si, inquam, numerus non est ad amussim, vt non est, cum dicimus, mille naues isse ad Troiam: centumuirale esse iudicium Romæ. Quinam duces, & quot singulis nauibus ad Troiam expugnandam profecti sint, narrat item Hyginus cap. 97. & Dictys Cretensis lib. 1. Catalogum verò ducum, qui partim mercede, partim sponte Troianis venerunt subsidio, proponit idem lib. 2. Catalogum ducum Græcorum cum nauibus texit Dares. Idem quoque Troianos duces recenset, & illustrium personarum huius belli, vtriusq; partis, habitum & corpora describit.*

His aliud maius miseris, multoq; tremendum
Obijcitur magis, atq; improuida pectora turbat.
Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos
Sollemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem, gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterq; ad littora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubæq;
Sanguineæ exuperant vndas: pars cætera pontum
Ponè legit, sinuatq; immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo: iamq; arua tenebant,
Ardentesq; oculos suffecti sanguine, & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.

IMPROVIDA PECT. TVRB.) Grauiora improuisa, & inopinata, ait Cic. 3. Tuscul. Omnia quæ mala putantur, nisi ante prouisa fuerunt, si præter omnem exspectationem veniunt, lædunt vehementius. Animus enim se ad ea ferenda instruere & confirmare prius non potuit: & sæpe videmur effugere ea potuisse, si præscissemus: vt ad malum hic etiam dolor accedat, malum alterum. Sed verum est apud plurimos, & in plurimis, *τὸ μέλλον ἄδηλον.* ✠

SORTE DVCT. SACERD.) Notandum genus loquendi *sorte duci*, quo & Tacitus reperitur vsus lib. 1. quem locum profert. German. Idem annus nouas cærimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, vt quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Tatios instituit: sorte ducti è primoribus ciuitatis vnus & viginti.

SOLLEM. AD ARAS) Aras illas sollemnes, ad quas taurum immolat Laocoon, in littore fuisse suspicor. Nam & Neptuno apud Homerū in littore sacra facit Nestor, & deo marino littoralia sacra videntur conuenire, & prodigiosæ anguium narrationi hoc quoque consentaneum erit. Turneb. lib. 12. cap. 12. * *Non mirum, dixisse aras sollemnes, cum sacrificium sollemne dicatur. Sollemnia sacra dicuntur, ait Festus, quæ certis anni temporibus fiunt. Sollemne item dicitur, quod in annos singulos tempore definito præstandū est. Cic. pro Milone ait eidem fuisse iter Lanuuinum sollemne, legitimum, necessarium, ante 15. Calend. Feb. ad Flaminem prodendum, quoniam erat Dictator Lanuuij. Quis non videt, iter sollemne vocari, quod singulis annis Miloni obeundum erat? sic sollemnes dies, certos & similes. Et quia quod sollemne est, non solet prætermitti, aut negligi, ponitur hæc vox in eodem etiam, in quo præscriptum, certum, constitutum, maximè obseruandū. Cic. in Quintiana. Qua ex re intelligi facile potuit, nullum esse officium tam sanctum, atq; sollemne, quod non auaritia, communuere, atq; violare soleat.*

ECCE AVTEM) Scribunt Asconius, & Donatus, voculam *ecce* propriam esse Ciceroni in rebus repentinis, & improuisis. Donatus addit, Ecce dicitur, cum repente triste aliquid rebus interuenit lætis: aut certè cū aliud agitur, aliud emergit. Citat hunc ipsum locum Virgilij. Libenter adijciebant illi veteres huic ad-

verbio

verbio dandi casum pronominis ego. Cic. Off. 3. Ecce tibi, qui rex populi Romani esse concupierit. Pro Cluent. Ecce tibi eiusmodi sortitio, vt in primis Balbo esset iudicandum. 2. de Orat. Ecce tibi exortus est Isocrates, Cornif. lib. 4. ad Heren. Ecce tibi iste de loco superiore impetum facit. Neque verò (vt volebant Donatus, & Asconius) semper in rebus inopinatis, aut nouis, aut tristibus, cum lætis interueniunt, verè autem, cum aliud agitur, aliud emergit, particula *ecce* locum habet. Quod confirmare testimonijs nihil attinet.

GEMINI A TENEDO TRANQ.) Tale, ac tantum est descriptionis huius artificium, vt non modò partes singulas, verùm etiam singula pæne illius verba diligenter sint obseruanda: cuius vsus talis est, vt rem ipsam nō intelligamus solum, sed etiam videre videamur. Hæc ὑποτύπωσις, & ἐνάργεια, & repræsentatio, & euidentia nominatur. Hoc orationis genus Ciceroni, & Aristoteli illustre, ac splendidum appellatur, in quo verba grauitate delecta ponuntur, vt, *tranquilla per alta, immensis orbibus angues Incumbunt pelago. Immensa volumine terga*: neque enim significantiora, neque meliora inueniri possunt. Ponuntur superlata, vt, *Clamores simul horrendos ad sidera tollit.* Sunt ad nomen adiuncta, quæ dicuntur adiectiua. Sonitus autem ab imitatione rerum non abest, *fit sonitus spumante salo.* Et, *sibila lambebant linguis.* Quid multis moror: omnia sic sunt illustria, vt res non scribi, sed ante oculos legentium fieri videatur. Nascimb.

HORRESCO REFERENS) *Horror mihi membra dictis tuis percipit*, est nescio vbi apud Plautum. Horret animus meminisse, vt suprà noster.

IMMENSIS ORBIBVS ANGVES) Tantum superfuit vel diligentiæ, vel curæ Græcis Grammaticis, vt geminos angues, qui suis voluminibus implicatum cum liberis Laocoontem, quòd hasta violasset equum durium, interfecerunt, conquisierint, & nominibus suis appellauerint, Porcen, & Charitæan, vt ab interprete Lycophronis relatum est. De his & Triphyodorus, & paruæ Iliadis auctor. Atque vt reor hoc lib. 2. Maro paruam Iliadem imitatus est, cuius auctorem Homerum, sunt qui putent: sunt qui Leschen credant. Turneb. lib. 17. cap. 4. ** Eandem hanc historiam, siue potius fabulam de serpentibus duobus, & Laocoonte, cum filijs miserabiliter ab ijs interempto, ex Virgilianis heroicis explicauit iambicis versibus Petronius Arbiter.*

Ecce alia monstra: celso quà Tenedos mare
Dorso repellit, tumida consurgunt freta,
Vndaq; resultat scissa, tranquilla minor.
Qualis silente nocte remorum sonus
Longè refertur, cum premunt classes mare.

Reliquam appendice Verg. lib. 2.

IVBÆQVE SANGVINEÆ) Iubas pro cristis dixit & Cornif. ad Heren. lib. 4. Ille quotidie per forum medium, tanquam iubatus draco serpit. Quidam tamen exponunt, iubatos angues, siue serpentes, crinitos, hirsutos videlicet, pendentibus è collo crinibus. Et sanè iuba pro cristis nimis videtur ἄκυρον. Pergamus de serpentum Virgilianorum oculis, & linguis dicere. Ardere illos ait, sanguine, & igni suffectos. Sic Ouid. 3. Metamorph. de dracone. *igne micant oculi.* Plaut. Menæch. *vt oculi scintillant?* Idem Capt. *Ardent oculi.* Cic. 2. Verrin. Nam cum spumas ageret in ore, arderent oculi. Homer. 13. Iliad. ὀφθαλμῶ δ' ἄρα οἱ πυρὶ λάμπετον. *Linguis vibrantibus*, id est, emicantibus, & coruscantibus. Lucret. lib. 3. loquens de serpente. *Quin etiam tibi si lingua vibrante minantem Serpentem.* Cic. de Miloniano iudicio dixit, corpore præ metu vibrante & voce interrupta, quod Plutarch. reddidit, κεκραδασμένος τὸ σῶμα, καὶ τὴν φωνὴν ἐπισχόμενος. Valer. Max. lib. 8. cap. 9. Missi enim à sæuissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, sermone eius obstupefacti, districtos iam, & vibrantes gladios, cruore vacuos vaginis reddiderunt. Interdum tamen vibrare est ἐναγκυλᾶν, vt sicas vibrare apud M. Tull. 2. Catilin. & spicula vibrare apud nostrum hunc lib. 11. & vibrare cæsariem apud Arnob. lib. 2. Iam duos versus, *Ardentes oculos*, & qui sequitur, æmulari conatus est Silius in serpente, quem lib. 2. per mediam Saguntum prolapsum comminiscitur.

Ignea sanguinea radiabant lumina flamma,
Oraq; vibranti stridebant sibila lingua.

Lambin. in Lucret. & alij.

SINVANTQVE IMMEN. VOL. TERGA) Tergis voluendis sinus faciunt. Ostendit, quomodo sese voluerint, vt nimirum propter longitudinem sæpius sese replicarent. In 3. Georg. dum qua ratione equus generosè educetur præcipit, *sinuetq; alterna volumina crurum.*

LINGVIS VIBRANTIBVS) *Linguis micat ore trisulcis* de serpente dixit Georg. 3. Et Seneca Medea. *Hic fera serpens corpus immensum trahit, Trifidamq; linguam exsertas.* Ouid. 3. Metamorph.

Martius anguis erat, cristis præsignis, & auro,
Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno,
Tresq; micant linguæ.

Quanquam non verbo, re idem dixit hic Maro: ex illa enim vibratione tres apparent, cum sit vna lingua.

Diffugimus visu exangues: illi agmine certo
Laocoonta petunt: & primùm parua duorum
Corpora natorum serpens amplexus vterq;
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, spirisq; ligant ingentibus: & iam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite, & ceruicibus altis.
Ille simul manibus tendit diuellere nodos,
Perfusus sanie vittas, atroq; veneno,
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus, fugit cum saucius aram
Taurus, & incertam excussit ceruice securim.

At gem-

225 At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sæuæq; petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibusq; deæ, clypeiq; sub orbe teguntur.

DIFFVGIMVS VISV EXANGVES) timidis refugit sanguen, alicubi Cicero ex antiquo poeta. Pallent ora timentium. Et erat caussa cur timerent, serpentum magnitudo, & aspectus horribilis.

AGMINE CERTO) impetu certo: sic voce hac vsum alibi videas, vt lib. 1. de ventis, *illi agmine facto.* Et 6. de Furijs, *vocat agmina sæua sororum.*

PARVA DVOR. CORP. NAT.) Antiphantem, & Thymbræum nominat hosce pueros duos Hyginus, & supplicij istius aliam quandam caussam adducit in medium cap. 135.

SPIRISQVE LIGANT INGENTIBVS) De inusitatæ magnitudinis serpentibus multa Lucanus lib. 9. sæpe etiam Strabo. De serpente quodam Æthiopico dictu incredibilia prorsus affert Diodorus lib. 3. cap. 3. Immo verò apud Æthiopas tantæ magnitudinis serpentes inueniri, vt non modo boues, ac tauros, sed etiam elephantos occisos à se deuorent. Quid? an vnquam legisti quippiam ὑπερβολικώτερον? *Et quidquid Græcia mendax Audet in historia*, ait Iuuenalis.

BIS MEDIVM AMPL. BIS COLLO) Repetitio hæc vim augendæ commiserationis videtur habere, estque locus ex Arato sumptus, cuius carmina ita reddidit Cic. 2. de nat. deor.

Hic pressu duplici palmarum continet anguem,
Atq; suo ipse manet religatus corpore toto:
Namq; virum medium serpens sub pectore cingit,
Atq; oculos vrget pedibus, pectusq; nepaï.

Si verò diligenter rem expendamus, multa etiam ex 2. Iliad. Homeri, vbi memorat à serpente è cælo delapso passeris pullos cum matre deuoratos, in hunc locum translata iudicabimus. Romæ olim simulacrum Laocoontis antiquissimũ fuit, ex solido marmore, & adhuc extat, non tamen integrum, quod Plinius, vt ipse refert lib. 36. cap. 5. in Titi palatio vidit, opus omnib⁹ picturis, & signis meritò anteponendum, ex quo quidem simulacro non difficilis coniectura trahi potest, totam hanc Maronis descriptionem sumptam esse. Nascimb.

CLAM. AD SID. TOLLIT) Sic loquuntur boni scriptores. Virgil. lib. 9. *vndiq; clamor Tollitur.* Et lib. 12. *Tollitur in cælum clamor.* M. Tull. lib. 4. accusat. clamor à vigilibus, fanique custodibus tollitur. Lucret. lib. 4. *Tollunt clamores quasi si iugulentur ibidem.*

QVALES MVGITVS, FVGIT CVM) Etsi hanc similitudinem Virgilius adhibuit, vt clamores horrendos taurorum exprimeret: tamen non improbum factu credidi, si annotarem, Romanos piacularia auspicia appellasse, quæ sacrificantibus tristia portendebant: vt si hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis, quam oporteret, decidisset. Turneb. lib. 6. cap. 21. [*Magni referre credebant antiqui, num repugnarent victimarijs hostiæ, num se placidè & quietè stantes iugulandas præberent, atque etiam annuentes. Si hoc, tum gratum dijs: si illud ingratum fore sacrificium diuinabant. Tale quoq; ostentum de tauro fugiente in prodigium interpretatur Tacitus lib. Annal. 19. inter cætera, quæ exitium Vitellio portendebant, his verbis. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, disiecto sacrificij apparatu, longè vbi feriri hostias mos est, confossus. Sueton. in Tito cap. 10. Sabinos petit, aliquanto tristior, quod sacrificantis hostia aufugerat, quodq; tempestate serena tonuerat. Idem in Galba cap. 18. Cum per omne iter, dextra, sinistraq; oppidatim victimæ caderentur, taurus securis ictu consternatus, rupto vinculo essedum eius inuasit. Non est oblitus huius loci Silius. itaque lib. 5. inter prodigia quæ Flaminio cladem prænunciabant,*

Nec rauco taurus cessauit flebile ad aras
Immugire sono, pressamq; ad colla bipennem
Incerta ceruice ferens altaria liquit.

Verùm hac de re fusè ac diligenter agit lib. 1. Formularum pop. Rom. Brissonius.] Idem Turneb. scribit lib. 15. cap. 12. hunc in modum. Hostias solebant veteres primùm securibus cædere, aut clauis, deinde prostratas suppositis cultris iugulare, idq; à ministris, popis, aut victimarijs fiebat, quod ex Halicarnasseo intelligimus, ita scribente, θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον. τῶν δὲ οἱ μὲν ἑστῶτας ἔτι τ̃ θύματος σκυτάλῃ τοὺς κροτάφους ἔπαιον, οἱ δὲ πίπτοντας ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας. His Dionysij verbis, vt insertis in fenestras solis radijs totum conclaue illustratur, sic elucescit, quod à Marone scriptum est hoc loco. Malè enim impactam securim à ministro, deijcere hostiam parante intelligit Seruius.

SECVRIM) Suauius dixisse hoc loco Maronem *securim*, quàm si dixisset *securem*, vt item alibi turrim, non turrem, & alia multa huius generis, quæ iucundioris gracilitatis sunt per i, quam per e, litteram elata, annotauit Gellius lib. 13. cap. 19. Securi autem victimas feriri solitas, sæpius apud poetas præsertim deprehendas.

GEMINI LAPSV DEL. AD SVMMA) Silius quoque huius loci elegantia commotus, suum quendam sibi serpentem finxit, qui per mediã Saguntum labens, vt supra dictum est, animos ciuium formidinis, ac terroris impleret. Igitur vt imitationem cognoscas, auscultandum.

Excitus, sede horrendùm prorupit ab ima
Cæruleis maculis auro squalentibus anguis.
Ignea sanguinea radiabant lumina flamma,
Oraq; vibranti stridebant sibila lingua:
Isq; inter trepidos cœtus, mediamq; per vrbem
Voluitur, & muris properè delabitur altis,
Ac similis profugo vicina ad littora tendit,
Spumantisq; freti præceps immergitur vndis.
Tum verò excussi amentes, &c.

Varro lib. 8. rerum diuin. delubrum, ait, alios existimare, in quo præter ædẽ sit area assumpta deûm caussa, vt est in circo Flaminio Iouis Statoris: alios, in quo loco dei simulacrum dedicatum sit. Et adijcit, sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellatum: ita in quo deum ponerent, delubrum nominatum. His à Varrone præscriptis, possumus intelligere id potissimùm ab eo probatum, quod ex sua consuetudine in vltimo posuit: vt ab dei dedicato simulacro delubrum cœperit nuncupari. Virgilius tamen vtramque rationem diligenter est executus. Vt enim à postrema incipiamus, obseruauit delubrum nominaturus, aut propriè deorum nomina, aut ea, quæ dijs accommodarentur inserere. *At gemini lapsu delubra ad summa dracones Effugiunt.* Et vt mox simulacrum nominaret, subtexuit, *sæuaque petunt Tritonidis arcem, Sub pedibusq; deæ, clypeiq; sub orbe teguntur.* Item.

Nos delubra deûm, miseri, quibus vltimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per vrbem.

Illam verò opinionem de area, quam Varro prædixerat, non dimisit, lib. 4. Æneid. *Principiò delubra adeunt, pacemq; per aras Exquirunt.* Et mox. *Aut ante ora deûm pingues spatiatur ad aras.* Quid enim aliud est spatiari, quam spatio lati itineris deambulare? ob quod

adijciendo, *ante aras*, ostendit aream assumptam deo- A
rum caussa. Ita suo more, velut alia agendo implet arcana. Macrob. lib. 3. cap. 4.

SVB PEDIBVSQ. DEÆ) Phidias draconem Palladi apposuisse perhibetur: quod cum optimè calleret Maro, dracones illos geminos à Tenedo in terram elapsos, post facinus in Laocoonta, eiusq; liberos perpetratum, ad summa Palladis delubra confugisse dicit, sub pedibusq; deæ, clypeiq; sub orbe locum tutelæ sibi delegisse, &c. Pierius lib. 41.

CLYPEIQVE SVB ORBE) Huius clypei cælaturam mirè expressit in 8. Æneid.

Ægidaq; horrificam turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum, auroq; polibant,
Connexosq; angues, ipsamq; in pectore diuæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Politianus, Romæ se vidisse consimile Palladis simulacrum, gestans ægida squamoso draconum corio contectam: sic, vt extremum ipsius ambitum dracunculi ad limbi, aut fimbriæ vicem circumcluderent. Montfort.

Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor: ET SCELVS EXPENDISSE MERENTEM
LAOCOONTA FERVNT, sacrum qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaq; diuæ
Numina conclamant.
Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbis,
Accingunt omnes operi: pedibusq; rotarum
Subijciunt lapsus, & stupea vincula collo
Intendunt. scandit fatalis machina muros,
Fœta armis: circùm pueri, innuptæq; puellæ
Sacra canunt, funemq; manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæq; minans illabitur vrbi.
O patria, ô diuum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidûm. quater ipso in limine portæ
Substitit, atq; vtero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores, cæciq; furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei iussu non vnquam credita Teucris.
Nos delubra deûm, miseri, quibus vltimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per vrbem.

NOVVS INSINVAT PAVOR) Nouus pauor est B
magnus, ingens, insolitus pauor. Docuimus in Eclogis singularem quandam vim huius vocis. *Insinuare* à sinu verbũ, est velut in sinum im̃ittere. Sed insinuat pro insinuatur, est illius ordinis, cuius præcipitat pro præcipitatur, auertit pro auertitur, & alia magno numero. ✠

SCELVS EXPEND. MERENTEM) Meritam pro scelere pœnã luisse. Scelus pro supplicio, caussa pro effectu.

SCELERATAM INTORS. HASTAM) Quæ excidij vrbis caussa fuit, ideo sceleratam vocat: vt porta scelerata Romæ, vnde Fabij infelici omine exierunt. Et est allusio, ni fallor, ad hastam sceleratam, quæ ante vrbium expugnationem ab imperatoribus olim in hostium conspectu poni solebat, quæ illarum excidium C
significabat. Seruius hìc meras nugas effutit, & somnia comminiscitur. Nascimb. * *Secus est, mi Nascimbane. Nam etsi interpretatio tua est eruditior, Seruij tamen simplicior, & verior. Sceleratam, inquit, pro, ipse sceleratus, vt,* inutile ferrum Cingitur, *de Priamo sene lib. 1. pro, ipse inutilis: & est ὑπαλλαγή.*

DVCENDVM AD SEDES) Ad quas sedes? in arcem. sic infrà, *Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.*

ORANDAQ. DIVÆ NVM.) Diuæ numina intellige Mineruam, cui dicatus hic equus: cuius fauore, & clementia vt res feliciter eueniret, eam precibus venerandam omnes concorditer censebant. ✠

DIVIDIMVS M. ET MOEN. P. VRB.) Dictys. Sed postquam magnitudine operis impediri per portas ingressum animaduertere, cõsilium destruendorum desuper murorum capiunt: neq; quisquam secus præ tali studio decernebat. Ita violatum multis tempestatibus murorum opus, Neptuniq; (vt perhibetur) atq; Apollinis maxima monumenta nullo delectu ciuium manibus dissoluuntur. Sic hieronicæ, qui scilicet in quatuor illis sacris Græciæ certaminibus vicissent, Olympijs, Pythijs, Isthmijs, Nemeis, non per portam cõsuetam, sed honoris amplissimi caussa per murum dirutum introducebantur in patriam. Sueton. Nerone. cap. 25. Reuersus è Græcia Neapolim, quod in ea primùm artem protulerat, altis equis introijt, disiecta parte muri, vt mos hieronicarum est. Caussam Plutarchus 2. Sympos. hanc adducit, vt significarent, non magnopere ciuitati muro opus esse, viros habenti, qui pugnare possint, & vincere. ✠

Non arbitror ex abundanti *muros*, & *mœnia* à Marone contexta: nam etsi hæ duæ voces confundantur interdum, tamẽ muros propriè pro ambitu lapideo accipio, vrbẽ cogente: mœnia autẽ à muniendo, & mœniendo dicta, nõ tantùm vrbis esse, sed etiam munitionum, castrorum, & aliorum ædificiorum, ex illo Cæ-

saris

ſaris 2. bell. ciuil. cùm pæne ædificata in muris ab exercitu noſtro mœnia viderentur. Et Virgil. lib. 9. *ingenti clamore per omnes Condunt ſe Teucri portas, & mœnia complent.* Vnde & Plaut. Bacchid. *Cum Priami patriam Pergamum diuina mœnitum manu.* Et Lucret. *mœnia mundi.* Neq; ſolùm mœnia τείχη ſonare videntur, ſed propugnacula, munitionesq; omne genus, ad tuendam vrbem pertinentes, hoc eſt, ἔρυμα καὶ ταφρεύματα. Quidam volunt per mœnia etiam Scæam portam, ruina, & demolitione ſua Troiæ confatalem reſpexiſſe poetam. Neque etiam ad copiam coniunxit *diuidere*, & *pandere*. Cum pandere non ſimpliciter aperire, vt diuidere, ſignificare videatur, ſed amplius aliquid, & forte etiam ædificiorum moles complanare, & maiore hiatu patefacere, vt ſuprà, *Panduntur portæ.* Et de Cerbero, *tria guttura pandens.* German.

ACCINGVNT OMNES OPERI) Cur tanta religione equum duratum in vrbem induxerint Troiani, latens quædam, & obſcura cauſſa eſt, vt multa ſunt in Virgilio, quæ vulgò minus aduertuntur. Quæ enim ἐυλάβεια in thenſis, eandem Virgilius in hoc equo conſtituit. Sunt autem thenſæ deorum vehicula, de quibus ita Aſcon. in 3. Verrin. Thenſæ ſacra vehicula, pompa ordinum, & hoſtiarum. Thenſas alij à diuinitate dici putant. Alij, quòd ante ipſas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere, & tangere, qui eas deducunt. Vides verba ipſa quæ Aſconius habet, Virgilium ſuis carminibus implicuiſſe? Nannius lib. 7. cap. 9. Statius de equo Domitiani Syluar. lib. 1.

Hunc neque diſciſſis cepiſſent Pergama muris,
Nec grege permixto pueri, innuptæq; puellæ,
Ipſe nec Æneas, nec magnus duceret Hector.

De iſta introductione fatalis monſtri, & gaudio ciuitatis, Chorus 3. in Agamem. apud Senecam.

Vidimus ſimulata dona molis immenſæ,
Fatale munus Danaûm traximus noſtra
Credulæ dextra, &c. &

Tryphiodorus.

Heu nimium ingents captas caligine mentes
Veſanorum hominum, ſortisq; ignara futura, &c.

Infra.

Troades interea per totam protinus vrbem
Matronæ, & ſponſæ iuxta, innuptæq; puellæ
Ducebant lætas circum ſua damna choreas,
Aut fatalis equi celebrabant carmine laudes.
Aſt aliæ, tutus quò poſſet ab imbribus eſſe,
Illi purpureos tunc inſtrauere tapetes.
Inde aliæ teneræ ſoluentes ſtamina mitræ,
Pulchre contextis ornarunt floribus ipſum,
Deq; cado quadam depromens diuite vinum
Infecitq; croco permiſcens læta, ſolumq;
Sparſit odorato circum illum fœmina Baccho.
Miſcetur clamorq; virûm, & ſtrepitus muliebris,
Conclamant pariter pueri, effœtiq; ſenectæ.

VINCVLA COLLO INTENDVNT) innectunt, illigant. Cic. de Supplicijs. Tabernacula carbaſeis intenta velis collocabat. Nannius.

O PATRIA, O DIVVM DOMVS) Locus ex Ennio, quem Cic. 3. Tuſcul. adducit.

O pater, ô patria, ô Priami domus,
Septum altiſono cardine templum, &c.

Plaut. Bacchid. *O Troia, ô patria, ô Pergamum, ô Priame.*

QVAT. IPSO IN LIM. P. SVB.) Ominoſum putabatur, vel egrediendo, vel ingrediendo limen tangere, quò alluſit Virgilius. Præcipuè autem id in nouis nuptis religioni habebant.

INSTAMVS TAM. IMMEM.) Tryphyod.

Nec minus inſtabant operi, molemq; ſacrata
Dardanidæ infeſtam ſiſtebant Palladis arce.

SACRATA SISTIMVS ARCE) vt cenſuerat faciendum Thymœtes, de quo dictum, *Duci intra muros hortatur, & arce locari.*

DEI IVSSV NON VNQ. CRED. TEVCRIS) Seneca in Troade.

Quæcunq; Phœbas ore lymphato furens,
Credi deo vetante, prædixit mala.

Caſſandra Priami, & Hecubæ filia in Apollinis fano ludendo laſſa obdormiſſe dicitur. Quam Apollo cum vellet comprimere, corporis ſui copiam ei negauit. Ob quam rem fecit, vt eius vaticinia fidem non haberent. Ita Hyginus cap. 93. Eadem Apollodorus lib. 3. Anchiſes lib. 3. hanc ipſam rem tetigit.

Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat.
(Nunc repeto hæc generi portendere debita noſtro,
Et ſæpe Heſperiam, ſæpe Itala regna vocare.)
Sed quis ad Heſperia venturos littora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Caſſandra moueret?

De eadem vate contempta Propert. lib. 3. Eleg. 12.

Certa loquor, ſed nulla fides, neq; enim Ilia quondam
Verax Pergameis mœnas habenda malis.
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, ſola
Fallacem patriæ ſerpere dixit equum.
Ille furor patriæ fuit vtilis, ille parenti,
Experta eſt veros irrita lingua deos.

Narrat & Tryphiodorus, ab ipſo patre Priamo in hoc ſuo vaticinio vt mendacem, communisq; lætitiæ perturbatricem obiurgatam fuiſſe. Horat. lib. 1. Ode 15. Nereum, Paridi cum Helena capta in Aſiam nauiganti, Troiæ euerſionem prænuntiantem inducit. *

DELVB. MISERI FESTA VEL. FRONDE) Solebant veteres diebus feſtis, & lætis deorum templa ramis ornare, & velare. In magna quoq; lætitia, familiaribusq; ſacris, & nuptijs ſuos poſtes etiam ſertis inumbrabant, atque velabant, & infulis decorabant, & inſigniebant. Lucan. lib. 2.

Feſta coronato non pendent limine ſerta,
Infulaq; in geminos diſcurrit candida poſtes.

Addebant etiam lucernas. Septimius Florens Apol. aduerſus gentes cap. 35. Plures iam inuenies Ethnicorum fores ſine lucernis, & laureis, quàm Chriſtianorũ. Ibidem ergo, inquis, honos eſt dei, lucerna pro foribus, & laurus in poſtibus. Et alibi. Cur die læto non laureis poſtes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? Turneb. lib. 25. cap. 4. * *Sed quoniam hæ feriæ Troianis exitio fuerunt, ideo male feriatos vocat Horat. Ode 6. lib. 4. Miſeri erant Troiani in illo triumpho, & gaudio ſuo, quia extrema gaudij luctus, & lacryma exceptura erant:* quibus vltimus eſſet ille dies, *inquit poeta. Id quo pacto, ſequitur vt audiamus.*

Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox,
Inuoluens vmbra magna terramq;, polumq;,
Myrmidonumq; dolos. fuſi per mœnia Teucri
Conticuere, ſopor feſſos complectitur artus.
Et iam Argiua phalanx inſtructis nauibus ibat

A Tenedo, tacitæ per amica silentia lunæ,
Littora nota petens: flammas cum regia puppis
Extulerat, fatisq; deûm defensus iniquis
Inclusos vtero Danaos, & pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus: lætiq; cauo se robore promunt
Tisandrus, Sthenelusq; duces, & dirus Vlysses,
Demissum lapsi per funem: Athamasq;, Thoasq;,
Pelidesq; Neoptolemus, primusq; Machaon,
Et Menelaus, & ipse doli fabricator Epeus.
INVADVNT VRBEM SOMNO VINOQVE SEPVLTAM.
Cæduntur vigiles, portisq; patentibus omnes
Accipiunt socios, atque agmina conscia iungunt.

VERTITVR INTEREA CÆLVM) Ex Homero sumptum notat Macrob. lib. 5. cap. 5.

Ἐνθ' ἔπεσ' ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,
Ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.

Ennius 6. Annal. *Vertitur interea cælum cum ingentibus signis.* Ad Troiani excidij descriptionem sese accingit, in qua ad vnguem ea obseruare videtur, quæ probabilem reddere narrationem solent. Nam personarum dignitatibus caussam accommodat: caussam facti assignat: loci, temporis, cæterorumq; rationem habet, quibus cum vti oportet, qui rem quampiam verisimilem facere velit. Nam & facere poterant Græci, quia vafri, & dolosi: & pati poterant Troiani, quia creduli, & propter ostentorum apparitionem nimium erant incauti. Erat caussa insidiarum, quod per decennium nec virtute, nec armis Græcorum vinci vnquam potuerunt. Facultas non defuit, equus ligneus armatis hominibus repletus. Cicer. de Inuent. facultatem eam esse dicit, qua facilius fit, aut sine qua aliquid confieri non potest. Remota hac belli machina, quam illi Mineruæ votum pro suo reditu simulant, nulla apparet in Græcis Troiæ capiendæ facultas extitisse. Occasio præualuit, quia Troiani bene poti, somno grauiter premebantur. Locus fuit opportunus, quod in arce vrbis loco munitiore, & ad vrbem occupandam aptiore equus fuerat collocatus. Tempus sese idoneum ostendebat, obscura nox: spatium temporis, tota pæne nox. Nascimb.

RVIT OCEANO NOX) Occidente sole, sensus communis vulgi tenebras ex Oceano terras ambiente oriri iudicat. Lapsu enim solis in occasum, ab ea plaga nox surgere videtur.

INVOLVENS VMB. MAG. TER. POL.) Statius 3. Thebaid. *nigroque polos inuoluit amictu.* Idem lib. 5. *caloq; canam nox induit vmbram.* Definitionem noctis expressit, quam aiunt esse vmbram terræ. Nec ab re epitheton *magna* addidit: nam ita magna est, vt astrologi perhibent, vt etiam cæli conuexa prohibeat illustrari. Cur verò conticuerint Teucri, caussa redditur, quia sopiti iacebant. Nascimb. Seruius.

ARGIVA PHALANX) Macedonum propria phalanx. Curtius, Macedones phalangem vocant peditum stabile agmen. A parte totum exercitum accipe.

TACITÆ PER AM. SIL. LVNÆ) Dictionum, quæ è quatuor constant syllabis, ea ratio habenda est,

A vt neque ipsæ mussent, neque vastitatem faciant aliquam. Virgilius eas libenter in quarto, & quinto pede collocat: & sistunt enim, & implent numeros, temperantque celeritatem, si quà fortè antecesserit. Talia sunt.

Totoq; ingens extenditur antro. &c.
Danaumq; insignia nobis. &c.
Paribus curis vestigia figit. &c.
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui. &c.
Per tot ducta viros, antiqua ab origine gentis.

Collocat easdem libenter in primis etiam locis, subijcitq; sæpenumero etiam spondeum, vbi dactylicæ voces illæ fuerunt. *Interea Æneas. Incipiam. Fracti.* B Quin etiam spondeos aliquando iungit. Sed consulendæ aures, videndumq; vbi aut celeritate maiore, aut tarditate aliqua opus sit. Iouian. Actio.

Lunam autem intelligit, quam vocant silentem, hoc est, minimè tum quidem lucentem, vt latere insidiæ magis possent. Pulchra nimirum tralatione, ab auribus ad oculos. Nam sicut silentio nihil auditur, ita tenebris nihil cernitur. Plinius igitur lib. 16. diem, inquit, coitus lunæ, ab alijs silentis lunæ, ab alijs interlunium appellari. Et lib. 18. & hoc, ait, silenti luna seri iubent. M. Cato de re rust. Nunc stercus euehi luna silenti: nunc item silente luna ficus, oleas, mala, pyros inseri. Fuerat igitur hoc tempus, cum luna non luceret, obseruandum Græcis. Ita Politianus cap. 100. C

Turneb. lib. 12. cap. 5. Etsi luna, inquit, silere dicitur, cum intermenstrua est, neq; lucet, tamen tacitæ amica silentia lunæ Maro dixit, nocturnum eius lumen intelligens, quod noctem silere dicerent. Catull. *Aut quam sidera multa, cum tacet nox*, id est, cum est nox. Dies enim inquietus, & clamosus est: nox tranquilla, & tacita. Et à Flacco eleganter scriptum est, Ode 5. Epod.

———— ô rebus meis
Non infideles arbitræ
Nox, & Diana, quæ silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra.

D Nam & ad tacitæ lunæ silentium nocturnum respexit, & ad silentium sacrorum, in quibus imperari solebat, vt linguis faueretur, ne quod malè ominatum verbum excideret, quod sacra violaret. Atq; id quod dixi, de silentio lunæ apud Maronem, eo verius puto, quod sciam à Petronio Arbitro scribi, captam Troiam fuisse plena luna, quæ pernox solet lucere. Sic enim inquit,

Iam plena Phœbe candidum extulerat iubar,
Minora ducens astra radianti face.
Cum inter sepultos Priamidas nocte, & mero
Danai relaxant claustra, & effundunt viros.

FLAMM. CVM REG. PVPP.) Seneca Agamem. *Signum recursus regia vt fulsit rate.* Quamuis hanc significationem Helenæ lib.6. tribuere videatur Maro: *flammam media ipsa tenebat Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat*, tamen vtrumq; & Helenam, & Sinonem dedisse signum, nihil vetat. De vtroq; affirmat Tryphiodorus, vt patet ex his versibus.

Ilicet Æacidæ iuxta sublime sepulcrum,
Exhibuit signum lucenti lampade Graijs
Æsonides, tacitè monuitq́, recurrere classe,
Peruigil ipsa etiam è celso formosa cubili,
Purpureo socios hortata est Tyndaris igni.

Audiendus est nobis hîc etiam diligentissimus omniũ antiquitatis rimator Lipsius. Verba eius sunt de Militia lib.5. dial.9. Etsi alio etiam fine ignes in turrib⁹, aut speculis fuisse probè scio, quod genus Græci dicũt φρυκτὸς. Suidas inter alios. Phryćti faces quædam è ligno factæ, quas super muros ferentes, significant vicinis, aut socijs, cum vident hostes aduentantes. Atq; etiam cum socios, vel auxilium vident: sed cum istos, gestant faces quietas, cum hostes, quatiunt, & mouent. Inuentum hoc Sinoni attribuit Plinius lib. 8. specularem, inquit, significationem bello Troiano Sinon inuenit. Calaber facula leuata Græcis signum dedisse ait. Romani etiam vsurparunt. Fusius hæc auctor.

REDDIT EQVVS) Reddere est nixus vocabulum. Vnde Lucret. duratei equi partum dixit. German. Licebit etiam sic explanare. *Reddit*, tanquam creditum, seu depositum. Horat. Ode 3. lib.1.

Nauis quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor.

Vel, reddit in auras, tanquam mater fœtum, siue partum. Ennius apud Macrob. lib.6. cap.2. de eodem istoc equo. *Qui suo partu ardua perdat Pergama.* Sic terra cũ fœnore dicitur reddere creditum sibi semen.

CAVO SE ROBORE PROMVNT) Tryphiod.

Nec minus armati vasto se robore promunt
Argolici reges, cæcas linquuntq́, cauernas
Grandis equi, & gratas tandẽ egrediuntur in auras.

Permultos autem ibi latuisse, declarat eiusdem comparatio, sumpta ab apibus confertim ex alueari euolantibus.

TISAND. STHENELVSQVE DVCES) Hinc prouerbio tritum est, Equus Troianus, pro societate non in perniciem modò cuiuspiam inita, verùm & ad bonam frugem aliquam. Cic.2. de Orat. ex Isocratis ludo velut exequo Troiano meros dicendi principes exijsse scribit. Ratio adagij notissima est. Principes enim Græcorum inclusi in illo equo fuerunt, quos hîc enumerat poeta: & initio libri dixit, *Huc delecta virûm sortiti corpora furtim Includunt cæco lateri.* Tradiderunt quidam, delituisse in eo tria millia hominũ supra quinquaginta. Alij viginti tres tantùm. Illud poeticum, hoc historicum. Dicitur porrò fuisse in Lesbo vates, nomine Prylis, Cadmi, hoc est, Mercurij, & Issæ Nymphæ filius, qui appulsis in Lesbum Græcis, à Palamede permulsus donis, captiuitatis Ilij modum sit profatus, equi durij, hoc est, lignei ratione præmonstrata. Rhodigin. lib.29. cap.25. Nomina inclusorum in hoc equo recensentur à Q. Calabro Paralip. lib.12.

A DEMISSVM LAPSI PER FVNEM) Plutarchus libello de Homero. ἔστι καὶ ἔμφασις, ἥτις διὰ ὑπονοίας ἐπίτασιν τοῦ λόγου παρίστησιν, οἷον Αὐτὰρ ὅτ' εἰς ἵππον κατεβαίνομεν, ὃν κάμ' Ἐπειός, ἐν τῷ, κατεβαίνομεν, τὸ μέγεθος τοῦ ἵππου ἐμφαίνει. Hoc idem & Quintilianus hoc loco in Virgilio notat, cuius ex lib.8. cap.3. hæc sunt verba. Sed amplior virtus est emphasis, ampliorem præbens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Eius duæ sunt species: altera, quæ plus significat, quam dicit: altera, quæ etiam id, quod non dicit. Prior est apud Homerum, cum Menelaus Graios in equum ascendisse ait. Nam verbo vno magnitudinem eius ostendit. Et apud Virgilium, *Demissum lapsi per funem.* nam sic quoq; B altitudo demonstrata est. Vrsin. * *Sed Fabius labitur dupliciter, tum quod non Menelaus, sed Demodocus illa dicit lib.8. Odyss. tum quod sedisse in equo, non ascendisse ait.*

PRIMVSQVE MACHAON) Æsculapius, qui adhuc rudem & vulgarem hanc scientiam paulò subtilius excoluit, in deorum numerum receptus est. Huius deinde duo filij, Podalirius, & Machaon bello Troiano ducem Agamemnonem secuti, non mediocrem opem commilitionibus suis attulerunt. Quos tamen Homerus non in pestilentia, neque in varijs generibus morborum aliquid attulisse auxilij, sed vulneribus tantummodo, ferro & medicamentis mederi solitos esse proposuit. Celsus lib.1. præfat. Dial. lib.4. cap.9. * *Quomodo primus Machaon, cum ante eum plures se dimiserint, vide dicta 1.* C *Æneid. ad illud*, Troiæ qui primus ab oris. *Chironis discipulum in re medica facit Homer. 4. Iliad. Machaoniam opem, pro ope medica dixit Ouid. Idem Machaonios succos, Machaonias artes. Meminerunt eius etiam Martialis, & Propertius. Eius filius Nicomachus, medicus nobilissimus.*

DOLI FABRICAT. EPEVS) Fabrum huius equi Epeum vocat similiter Homerus in Odyss. Fuisse verò Panopei filium tradunt, ac de equi substructione hippotectona vocatum. Rhodigin. lib.29. cap.25.

Victor. lib.19. cap.18. coquum etiam fuisse docet. Meminit huius artificis Euripid. Troad. Athenæus, Calaber, Lycophron. Arist. in mirab. narrat. ipsius instrumenta, quibus equum durium architectatus est, Palladi suspensa, & dedicata commemorat. Verba Varronis D sunt è lib.6. de ling. lat. Plautus, *Epeum fumificum, qui legioni nostræ habet coctum cibum.* In quem locum Scalig. F. Coniectan. cocum fuisse etiam testatur epigramma, quod legis apud Athenæum, quod quia ante nos indicauit doctissimus Victor. non apponam. Tantum afferam ex Theocrito versus, quos ipse Victorius non produxit, in quibus & lixa quoq; inducitur Epeus. Leguntur autem in Πελεκυδίῳ Theocriti.

Οὐκ ἐναέθμιος γαγαὼς ἐνὶ προμάχοισιν Ἀχαιῶν
Ἀλλ' ἀπὸ κρανᾶν καθαρὸν νᾶμα χθονὶ ζευς δυσκλεύς.

Meminit eiusdem Epei Tryphiodorus.

Tunc & consilijs Tritonidos actus Epeus,
E *Quo peritura capi simulacro Pergama possent,*
Magna molis equum solita vafer arte struebat

INVADVNT VRBEM SOM. VIN. SEPVL.) Ennius, 8. Annal. *Nunc hostes vino domiti, somnoq́, sepulti.* Dictys lib.5. Fessis dein vino, multoque somno barbaris, quæ vtraque per lætitiam, securitatemque pacis interuenerant, nostri multo silentio ad ciuitatem nauigant, &c. Diem festum videlicet equo introducto, & hostibus, vt putabant, liberati penitus, egerant, seseque vino, epulis obruerant, choris ducendis, & omni genere gaudiorum in lassitudinem dederant, omnis iam calamitatis obliti, & stertentes securissimè: quæ opratissima Græcis inuadendæ, ac potiundæ vrbis fuit occasio. Triphyod.

Tum totam celebrant conuiuia læta per vrbem, A
Luxuriaq; omnis nimio Troia ebria fastu,
Stultitia, & vino pariter, somnoq; sepulta,
Et nimium temere curis secura relictis.
Ipsa vrbis commissa fuit custodia paucis:
Oceano quoniam se sol iam merserat vndis;
Et nox obscura periura inuoluerat vmbra
Pergama, & extrema miseros caligine Teucros.

Sic etiam Babylon à Cyro capta est, vrbs potentissima atque amplissima. Hæc enim est oratio Herodoti lib. 1. Tunc ex inopinato illis (Babylonijs) Persæ superuenerunt. Tantaque erat vrbis magnitudo, vt (quemadmodum narrant accolæ) cũ capti essent, qui extremas vrbis partes incolebant, ij qui mediam vrbem incolerent, id B nescirent. Sed quod forte dies festus eis esset, exercendis choreis, atque oblectationibus operam dabant, donec planè resciuerunt. Epaminondas cum Thebana ciuitas diem festum ageret, ciuesq; crapulæ indulgerent, noctu obibat muros cogitabundus, ac sobrius. Percunctatus est eum quidam è familiaribus, quid esset, cur solus ipse communis gaudij expers, & ita tristis obambularet. Vt vobis, inquit, tanto securius ebrijs, ac stertentibus esse liceat. Plutarch. lib. In Principe requiri doctrinam, & in Apophtheg. Regum ac Princip. Iam verò sic etiam lib. 6. loquitur Maro, *somno, vinoq; sepulti Procubuere.* Ibid. *Rutuli somno, vinoq; sepulti Conticuere.* Dux ei fuit, credo, vt aliâs sæpissime Lucret. lib. 5.

A *Et quæ res nobis vigilantibus obuia mentes*
Terrificet morbo affectis, vinoq; sepultis.

Ouid. 3. Metamorph. haud dissimiliter locutus cernitur. *Ille mero, somnoq; grauis.* Et alibi, *Iamq; cibo, vinoq; graues, somnoq; iacebant.* Ennius. *Hunc hostes vino domiti, somnoq; sepulti.* Liuius lib. 4. Deinde festo die graues somno, epulisque incolas veteres noui coloni nocturna cæde adorti. ✠

Quàm honesta translatione à Marone dictum est *sepultam?* quod valet obrutam, & quietam, à sepultis, qui terra operiuntur, & quiescunt. Sepultos etiam ventos, pro quietis dixit Lucret. in 6. hoc versu *In statione locata, sepultis vndiq; ventis.* Saturnalia dies festos mense decembri omni hilaritate traducebant Romani, vino & conuiuijs dediti. Itaque coniurati Saturnalia ad cædes faciendas constituerant, quoniam tum ciuitas somno, vinoq; sepulta, facillimè videbatur opprimi posse.

CÆDVNTVR VIGILES) tanquam pecudes, non resistentes, quod ipsi quoque in communi lætitia suas partes egissent, seseque vino approbè irrigassent, & somno pleni quid agerent, aut vbi essent, nescirent. Tales custodes nunquid non ipsimet custodibus indigent? Tamen infrà eos ait prælia tentare, & cæco Marte resistere. Sed conatu irrito: mox enim iugulati perierunt. Sed optima vrbis custodia deus, de qua Dauid propheta. ✠

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono diuûm gratissima serpit.
In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosq; effundere fletus,
Raptatus bigis, vt quondam, aterq; cruento
Puluere, perq; pedes traiectus lora tumentes.
Heu mihi qualis erat, QVANTVM MVTATVS AB ILLO
HECTORE, quid redit exuuias indutus Achilli,
Vel Danaûm Phrygios iaculatus puppibus ignes.
Squalentem barbam, & concretos sanguine crines,
Vulneraq; illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios. vltro flens ipse videbar
Compellare virum, & mœstas expromere voces.
O LVX DARDANIÆ, SPES O FIDISSIMA TEVCRVM,
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? vt te post multa tuorum
Funera, post varios hominumq;, vrbisq; labores
Defessi aspicimus? quæ caussa indigna serenos
Fœdauit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?

TEMPVS, QVO PRIMA) Legunt quidam, *cum* C *prima quies*, more Græcorum ἦν χρόνος, ὅτε, &c. Tibull. *Tempus erit, cum me Veneris præcepta ferentem.* Capere soleo voluptatem, quoties incido in locum aliquem apud poetas Latinos, quem de Virgilio expressum video: & sentio ad eum amorem, quem iam pridem gessi erga poetam, longè maximum, nescio quid accedere. Seneca igitur totum hoc de Hectore per quietem se subijciente Æneæ, eumq; de fuga monente ita est imitatus, & Andromacham in somnis ab Hectore de Astyanacte abscondendo moneri finxit. Tu esto testis, in Troadibus. Versus ordine sequuntur.

Partes fere nox alma transierat duas,
Clarumq; septem verterant stellæ iugum:
Ignota tandem venit afflictæ quies,
Breuisq; fessis somnus obrepsit genis,
(Si somnus ille est, mentis attonitæ stupor)
Cum subitò nostros Hector ante oculos stetit,
Non qualis vltro bella in Argiuos ferens,
Graias petebat facibus Idæis rates:
Nec cæde vasta qualis in Danaos furens
Vera ex Achille spolia simulato tulit:
Non ille vultus flammeum incendens iubar,
Sed fessus, ac deiectus, & fletu grauis,

Simi-

Similisq́, nostre, squalida obtectus coma.
Iuuat tamen vidisse tuum quassans caput,
Depelle somnos, inquit, & natum eripe
O fida coniux. lateat, hac vna est salus.
Omitte fletus. Troia quod cecidit gemis?
Vtinam iaceret tota: festina, amoue
Quocunq, nostra paruulam stirpem domus.

Quinnos quoque imitationi huius poetæ, Virgilij inquam, tot exemplis cum Senecæ, tum aliorum incitati, studiosè damus operam?

Non est hæc primæ partis noctis descriptio, sed cõcubij, quam ad sui excusationem Æneas posuisse videtur: ne torporis, aut ignauiæ accusari posset, quod ipso dormiente Troia capta fuerit. Nam illi iure ignoscendum putant, quia ea noctis parte somno se dedit, qua semotis omnium rerũ curis, cogitationibusq́; eo beneficio fruitur, quod à Deo opt. max. æquè omnibus datũ est. Nam somnus diuinum munus est. Proinde subdit, *& dono diuûm gratissima serpit.* Nascimb.

MORTALIB. ÆGRIS) Georg. 1. *dua mortalibus agris Munere concessa diuûm.* Quam clausulam versus putatur à Lucretio mutuatus. Ille lib. 6. initiò statim. *Prima frugiferos fœtus mortalibus ægris Dididerunt,* &c. Est tamen apud Homerum δειλοῖσι βροτοῖσι.

DONO DIVVM GRATISS.) Donũ dei somnus, si eius effecta consideremus. Valet enim ad ciborũ concoctionem, ad reparandas vires, ad obliuionẽ curarũ, ad leniendam ægritudinem. Iris apud Ouid. lib. 11. ad somnum.

Somne quies rerum, placidissime Somne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasq́, labori.

VISVS ADESSE MIHI) Totus hic locus ex Ennij Annalium primo videtur haustus ad verbum pænè. Fragmentum est, *Visus Homerus adesse poeta.* Fortasse integer Ennij versus fuit, *In somnis mihi visus Homerus adesse poeta.* Confirmant quæ apud Cornutum in Sat. 6. Persij. Nam inter alia. Sic enim ait Ennius in Annalium suorum principio, vbi se dicit vidisse in somnis Homerum dicentem, &c. Iamque ad illud Virgilij, *Visus adesse,* Seruius hæc habet. Bene visus, quia somnia videntur tantùm, non sunt naturaliter vera. Et Donatus, Virgilius tractat non veras, sed verisimiles imagines videri, quum aliquæ dormientibus offeruntur. Attius in Bruto.

Cum iam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, sopore placans artus languidos:
Visus est in somnis pastor ad me appellere.

RAPTATVS BIGIS) De raptatione Hectoris, incerti poetæ versus leguntur apud Tullium, Tuscul. 1.

Vidi, videre quod me passa ægerrimè,
Curru Hectorem quadrijugo raptarier.

Sũpsit ab Homero ex Iliad. χ. ἦ ῥα καὶ ἕκτορα δῖον ἀεικέα, &c. Vide l. 1. *Ter circũ Iliacos raptauerat Hectora muros,* &c.

CRVENTO PVLVERE) Hunc puluerem cruore, & sudore mixtum, Græci λύθρον vocant.

PEDES TRAIECTVS LORA) ἐλλειπισμὸς, siue, συνεκδοχή. vt infra de serpẽte, *& cærula colla tumentem.* A traiectione, & tumore pedum Oedipus nomen inuenit.

HEV MIHI QVALIS ERAT) Πάθος amplificat per exclamationem, quæ comparationem habet à dissimili. Nam Hectoris formam vsque adeo immutatam fuisse memorat ab illa, quam olim habuit, cum Patroclum occidit, Græcorumq́; naues incendio dedit, vt alius omnino esse videretur. Tale illud in 6. Metamorph.

Heu quantum hæc Niobe Niobe distabat ab illa,
Quæ modo Latois populum summouerat aris:
Et mediam tuleras gressus resupina per vrbem,
Inuidiosa suis.

Felicem igitur illius victoriæ statum, cum infelici, miserandoq́; necis illius casu comparat. Hunc rhetores locũ à misericordię appellant à cõmutatione fortunę. Nascim.

Notat Seruius, hũc Ennij versum esse, *Heu mihi,* &c. conquerebatur apud Ennium spectrum illud ex Achetonte profectum, & Homeri speciem indutum, se in pauonem damnatum, quod lib. 1. de anima indicat Tertullianus, vbi disputat aduersus Pythagoræ, & Empedoclis opiniones de metempsychosi, & metensomatosi. Nimirum, ait, magna merces bonis, in animalia quæq́; restitui. Pauum se meminit Homerus, Ẽnio somniante: sed poetis nec vigilantibus credam, &c. Post pauca. Sed necessariò hanc quoq́; speciem intulimus, & exclusim⁹ vt superioribus coherentẽ, quo perinde in pauone tunderetur Homerus, sicut in Pythagora Euphorbus. Nec
B conquerebatur solùm, sed & lacrymas effundebat salsas, vt de eodem somnio narrat lib. 1. Lucret. Quod autẽ est Lucretio lacrymas effundere salsas, Virgilio est, largos effundere fletus. Alterutrũ Ennij. Et magis puto quod apud Lucretium. Id autẽ paulò ornatius apud Virgiliũ, nescio an efficacius. Hæc vir doctus, & diligens in Fragmenta Ennij, quæ publicauit à se congesta, & digesta, & cõmentarijs illustrata, magno vtriq́; studiosorum bono.

EXVVIAS INDVT. ACHIL.) De exuuijs istis Achilleis Hyginus cap. 106. Cum Argiui ab Hectore fugarentur, Achilles (qui iratus Agamemnoni, propter abductã sibi Briseidẽ pugna abstinebat, & in castris desidebat) obiurgatus à Patroclo, arma ei sua tradidit: quib⁹ ille Troianos
C fugauit, æstimantes Achillẽ esse. Postea ipse Patroclus ab Hectore interficitur, & arma ei ab eodẽ detrahuntur.

PHRYG. IACVLAT. PVPP. IGNES) Iaculatus arces dixit Horat. Ode 2. lib. 1. De incendio ab Hectore Græcorũ nauibus illato, sic est apud Dictym lib. 2. Hector ad naues progressus, ignẽ in proras iacere, ac sæuire incendijs nullo nostrorum auso resistere. Qui territi, atq́; improuiso tumultu exangues, genibus Achillis prouoluti, auxilium renuentis, tamen aduoluebantur. Infrà. Cæterùm proras nauium duarum, quibus ignis illatus, eam tantummodo partem consumpserat, Epeus breui restituit. Apud Ouid. 13. Metamorph. Aiax Telamonius se faces istas reiectasse à nauibus prædicat, & ibidem igna-
D uiæ Vlyssem accusat.

At non Hectoreis dubitauit cedere flammis,
Quas ego sustinui, quas hac à classe fugaui.

SQVALENT. BARB. ET) Renouat πάθος ab adiunctis.

VVLNERAQVE ILLA G. Q. CIR. P. MVR.) Ex Homeri Iliad. 22. discimus in Hectorem extinctum omnes Græcos circumstantes tela coniecisse, eiq́; insultasse.

——— ἄλλοι δὲ περίδραμον υἷες ἀχαιῶν,
Οἳ καὶ θηήσαντο φυὴν καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορος. οὐδ' ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη.
At reliqui Graij accurrunt, cinguntq́, cadauer,
Hectoris eximiam speciem, formamq́, stupentes:
Nec tamen astitit exanimi sine vulnere quisquam.

Sed nimirum iuxta adagium, Facile est mortuo leoni
E barbam vellere. Quadrat huc epigrama, cuius lemma est, τίνας ἂν εἴποι λόγους ἕκτωρ τιτρωσκόμενος ὑπ' ἑλλήνων.

Βάλλετε νῦν μετὰ πότμον ἐμὸν δέμας, ὅττι καὶ αὐτοὶ
Νεκροῦ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.
Post mortem Danai nostrum configite corpus,
Et lepores audent cæso insultare leoni.

VLTRO VID. COMP. VIR.) Ratio enim, inquit Seruius, exigebat, vt loqueretur ille, qui venerat.

O LVX DARD. SPES O) Producuntur à Macrob. lib. 6. ca. 2. vers. Ennij quos verisimile est æmulatũ poetam.

——— *o lux Troiæ, germane Hector,*
Quid ita cum tuo lacerato corpore miser?
Aut qui te sic respectantibus tractauere nobis?

Chorus in Troade apud Senecam, dum luget Hectorẽ, magnificè cum prędicat, his verbis.

Columen

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisq; tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit, summusq; dies,
Hectoris idem, patriæq; fuit.

Et epitaphio Pentadius poeta elegantissimo.

Defensor patriæ, iuuenum fortissimus Hector,

A

Qui murus miseris ciuibus alter erat,
Occubuit telo violenti victus Achillis
Occubuere simul, spesq; salusq; Phrygum, &c.

* *Vide Antholog. lib. 3. Titulo εἰς ἥρωας. Dicitur ibidem θεοδόμου τεῖχος ἕρκος ἐρυμνότερον. Hectoris nomen fluxit παρὰ τὸ ἔχω τὸ κρατῶ, teneo, contineo, vinco, occupo, domo. Futurum ἕξω, vnde, Hector, quod sonat victor, seu in cuius potestate Troiani essent, quibus in bello præerat. Non male forsitan ab ἐκθορεῖν proripio, prosilio, exilio, quod se cum suis alacriter in hostem per portas effunderet.*

Ille nihil: nec me quærentem vana moratur:
Sed grauiter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge nate dea, teq; his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia.
SAT PATRIÆ, PRIAMOQVE DATVM. Si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosq; tibi commendat Troia penates:
Hos cape fatorum comites: his mœnia quære:
Magna pererrato statues quæ deniq; ponto.
Sic ait: & manibus vittas, Vestamq; potentem,
Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.
Diuerso interea miscentur mœnia luctu:
Et magis atq; magis (quanquam secreta parentis
Anchisæ domus, arboribusq; obtecta recessit)
Clarescunt sonitus, armorumq; ingruit horror.

ILLE NIHIL, NEC ME QVÆR. VANA) Defectio orationis. Rei præcipiti attemperauit orationis figuram. Caussa additur quare nihil responderit Hector, quia interrogatio vana erat, & otiosa prorsus tum, cum patria periret. Montfort.

HEV FVGE, NATE DEA) Εἰδωλοποιΐα est, id est, simulacri effictio: Hectori enim mortuo sermonem tribuit, vbi præcipuè habetur ratio temporis: nam breuitati temporis breuitatem orationis accõmodat. Non enim in tanto, tamque imminenti periculo, longiori opus erat oratione. Iis tamen partibus constare videtur, quæ ad persuadendum facere solent, vtilitate, honestate, necessitate, facultate. Initiò signum doloris habet, heu, quod ad excitandum, & terrendum Æneam plurimùm valet: in reliquis etiam partibus tota pathetica est. Nascimb.

C

HOSTIS HABET MVROS: RVIT) Difficilem primùm, quia hostes ingressi iam sunt, deinde etiam desperatam esse vrbis defensionem indicat, quia à culmine iam ruit. Et innuit fato Troiam perire. Vnde colligitur honesta fugiendi caussa: constat siquidem aduersus fata neminem quidquam posse. Nascimb. Infra, *sternitq; à culmine Troiam.*

SAT PAT. PRIAM. DAT.) Lib. 9. *Sat fatis, Venerique datum.*

ETIAM HAC) δεικτικῶς. Sic infrà Hecuba ad Priamum, *non si ipse meus nunc afforet Hector.* De sua igitur, non de Æneæ dextra loquitur, vt nugatur Seruius, affirmatque, nec id arroganter, obstitisse sibi fata, quo minus patriam sua virtute seruaret. Quasi diceret τὸ, *heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.*

D

SACRA SVOSQVE TIBI) Respexit huc Martialis, cum scripsit epigrammate 5. lib. 11. pro Nerua Traiano ad deos.

Sacra, Laresq; Phrygum, quos Troia maluit heres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes, &c.

Halicarnasseus simulacra penatium ab Ænea allata in

B

Italiam in templo quodam non procul à foro, sito in loco obscuro, propter circumiecta ædificia, se oculis suis vidisse autumat.

PENATES) Idem Dionysius, quos Romani penates vocent, ait Græcos vario modo conatos exprimere. Reddiderunt enim alij πατρῴους, alij γενεθλίους, quidam κτησίους, quidam μυχίους, nonnulli ἑρκίους, quare appellationum singulæ, aliquam eorum proprietatem exprimere voluisse videntur.

HOS CAPE FAT. COMIT.) Occurrebat, quomodo effugere potero, vrbe iam ab hostibus occupata? Occupat Hector, deos, inquit, comites habebis. Tum errores, laboresque diuturnos ei prænuntiat, quietem etiam ac tranquillitatem.

MAGNA MOENIA) Quæ condidit, interfecto Turno ducta Lauinia, de qua vrbe ipsemet lib. 11. *vrbiq; dabit Lauinia nomen.* & Liuius lib. 1. Oppidum cõdunt, Æneas ab nomine vxoris Lauinium appellat. De his mœnibus accipiendum credo illud lib. 3. *tu mœnia magnis Magna para.*

ÆTERNVMQVE IGNEM) Hunc ignem Eurip. in Androm. intellexit οὐδ' ἔτι πῦρ ἐπιβώμιον ἐν τρίποσι θεοῖσιν λέλαμπεν πατρῷ' ὀνείδει. Hunc ignem Romam Troia delatum ab Ænea prodiderunt multi auctores: & annuit illud Propertij lib. 4. eleg. 4.

Nam vestra Iliaca falix tutela fauilla
Culpam alis, & plures condis in ossa faces.

[*Adde Silium.*
Et vos virgineæ lucentes semper in ara
Laomedonteæ Troiana altaria flammæ.]

Huic sententiæ astipulatur & Liuius, qui Vestæ sacra vt vetustissima, ab Albanis accepta tradit, à Numa autem primùm instituta. Ignem quoq; Vestæ cõsecratum constat ea cura seruatum, vt per negligentiam fortè extinctum, nequaquam ex alio igne reconflari, & resuscitari fas esset: sed accensa per fomites ex sole flamma, purũ, & cælestem ignem elici, sacra imperasse. German.

In æde

In æde Vestæ seruabatur ignis æternus, & custodiebatur à virginibus. Cic. 2. de leg. Virgines Vestales in arce custodiunto ignem foci publici sempiternum. Hinc Horat. Ode 5. lib. 3. Vestam vocat æternam, vbi nihil aliud intelligit, quam æternum ignem, πῦρ ἄσβεστον. Ex Lamb. in Horat.

Pulchrè Arnob. lib. 4. Vestales vocat castas, virgines perpetui nutrices, & conseruatrices ignis, de quibus & Dionys. lib. 1. αἱ τὸν ἀθάνατον πῦρ φυλάττουσαι. Virginibus potius quam viris hanc custodiam fuisse creditam vult idem lib. 2. quod vt virgo incorrupta, ita ignis incontaminatus sit, atque ita castissimo numini gratam esse rem apud mortales itidem purissimam. Nõ solum autem ignem, sed alia quoq; sacra vulgò incognita, ab ijsdem custodiri solita, idem scriptor è multis sese fatetur suspicari. Tam multos autem, & eximios illis à ciuibus vniuersis honores haberi, vt nuptiarum liberorumq; nullo tangantur desiderio. De quarum tamen castitate longè aliter Minutius in Octauio. Nisi forte, inquit, apud istos (Romanos) maior castitas virginum, aut religio sanctior sacerdotum: cum pænè in plurib⁹ virginibus (Vestalibus) & quæ inconsultius se viris miscuissent, Vesta sanè nesciente, sit incestũ vindicatum: in residuis impunitatem fecerit, non castitas tutior, sed impudicitia fælicior. Formula Vestalis capiendæ hæc fuit. SACERDOTEM VESTALEM, QVÆ SACRA FACIAT, QVÆ IVS SIET SACERDOTEM VESTALEM FACERE, C PRO POP. ROM. QVIRITIBVS, VTI QVOD OPTIMA LEGE FIAT, ITA TE AMATA CAPIO. Gell. lib. 1. c. 12.

Stoici fabulam Saturni, qui patrem absciderit, ad rationem physicam conantur traducere. Quorum sententiam de natura deorũ disserens Cicero posuit, eius verba sic habent. Cælestem, altissimam, æternamque naturam, id est, igneam, quæ per sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quæ coniunctione alterius egeret ad procreandum. Quæ ratio in Vestam potuit conuenire, si mas diceretur. Idcirco enim virginem putant Vestam, quia ignis inuiolabile sit elementum, nihilq; nasci possit ex eo: quippe qui omnia, quæ arripuerit, absumat. Ouid. Fast. lib. 6.

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammã,
Natamq; de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

A Lactant. lib. 1. cap. 2.

Vestalis ille ignis, ait Pierius lib. 46. quem tanta diligentia Romanæ virgines nutriebant, sublimiorem, diuinioremq; vitam præ se ferre videbatur: hunc itaq; & custodia, & nutrimento adiuuabant, quod superioris illius vitæ symbolum æternum videretur. Atq; inter portenta, vt & Dionysius, & alij referunt, vrbis periture præsagium habebatur, si casu aliquo accidisset eum extingui. Hinc Camillus ad Quirites ait: Quid de æternis Vestæ ignibus, signoq;, quod imperij pignus custodia eius templi tenetur, loquar?

DIVERSO INTEREA MIS. MOEN. LVCTV) Alij alios, & omnis ætas acerbe lugebat, lamentis plena B erant omnia. Quid mulieres Troianæ fecerint, capta iam vrbe, & Grecis ferro grassantib⁹, narrat Tryphiod.

At tristi patriæ casu intra tecta domorum
Troades auditu, & percepta clade suorum,
Accensa longo pars libertatis amore,
Ad cædem miseris præbebant colla maritis,
Pars prolem querula lugebat hirundinis instar.
At iuuenem tenera florens ætate maritum,
Cæsum sponsa vt adhuc recenti morte trementem
Conspexit, statuit Stygias comes ire sub vmbras,
Vincula victoris potius quam ferre superbi,
Ad cædem mouitq; inuitum Dardanis hostem,
Cumq; suo obtinuit sponso commune sepulchrum.
Multa præterea tantorum mole malorum,
Necdum præsentem prolem, vitaq; carentem,
In lucem ingenti fractæ terrore dederunt,
Ante suum tristesq; edentes tempus abortus,
Clauserunt misero cum fœtu tempora vitæ.

ARBOR. OBT. RECESS.) Pari forma Catull. de nupt.

Ipsius at sedes quacunq; opulenta recessit
Regia, fulgenti splendens auro atq; argento.

Et infra Maro: *Hic spelunca fuit, vasto semota recessu.* Alludit ad Romanorum procerum luxum, & delicias, qui etiam in vrbe lucos in domibus haberent: vnde Tibull. lib. 3.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurataq; trabes, marmoreumq; solum.

Ex decoro autem poeta magnificè Augustalem domũ Anchisæ tribuit, quales περιτεμφέδυς οἰκίας Græci, & διαλαύρυς, Principum ædes, à priuatorum domibus distinctas, & secretas, quas Latini insulas. German.

Excutior somno, & summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto.
In segetem veluti cùm flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boumq; labores,
Præcipitesq; trahit syluas: stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum verò manifesta fides, Danaumq; patescunt
Insidiæ. iam Deiphobi dedit ampla ruinam
Vulcano superante domus: IAM PROXIMVS ARDET
VCALEGON: Sigæa igni freta lata relucent.
Exoritur clamorq; virûm, clangorq; tubarum.
Arma amens capio, nec sat rationis in armis:
Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem
Cum socijs ardent animi: FVROR IRAQVE MENTEM
PRÆCIPITANT: PVLCHRVMQVE MORI SVCCVRRIT IN ARMIS.

EXCVTIOR SOMNO) Bene, excutior somno, A vt appareat terroris esse, non satietatis.

ARRECTIS AVRIBVS) Tralatio est ab animantibus. Sic lib. 1. *atque arrectis auribus astant.* Vide quid ibidem ex Chiliaste scripserimus. Inde etiam translatum vult Seruius hoc Terentij, *Arrige aures Pamphile*, quod tamen alij aliunde tractum affirmant.

IN SEGETEM VELVTI CVM FLAMMA) Incendium vrbis Troianæ, incendio segetis, vento perflante, illiusq; excidium, & ruinam, agrorum satorum, syluarumq; ruinæ comparat, quę ex montani fluminis rapacitate fieri solet. Et sanè huic negotio mirè quadrat hæc duplex comparatio: nam Ilium non solùm cremabatur, verùm etiam sternebatur, indeq; omnia, præsertim optima auferebantur. Nascimb. * *Lege quæ scripsimus in illum versum 1. Georg.* Sæpe etiam immensum cælo venit agmen aquarum. *Similis comparatio est infrà.*

Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exijt, oppositasq; euicit gurgite moles, &c.

Silius Ital. lib. 4. Gracchum Cos. Pœnos quosq; obuios sternentem, Virgilio praeunte, vt opinor, cum torrente è montibus ruente, magnoq; impetu saxa, & arbores secum trahente contendit.

Vt torrens celsi præceps è verticè Pindi
Cum sonitu ruit in campos, magnoq; fragore
Auulsum montis voluit latus, obuia passim
Armenta, immanesq; feræ, syluæq; trahuntur,
Spumea saxosis clamat conuallibus vnda,

RAPID. MONT. FLVM. TORRENS) Rapax torrens Senecæ in Thebaid. Aliàs & noster, & Lucret. fluuios rapaces. Torrens Festo est fluuius subitis imbribus cócitatus, qui alioqui siccitatibus exarescit. Audi & Isidorum lib. 13. cap. 21. Fluuius est perennis aquarum decursus, à fluendo perpetim dictus. Propriè autem flumen ipsa aqua, fluuius cursus aquæ. Prius autem flumen, quam fluuius. Duo sunt fluminum genera, vnum torrens, alterum viuum. Torrens est aqua veniens cum impetu. Dictus autem torrens, quia pluuia crescit. Pacuuius, *flammeo vapore torrens torret.* Cui Græci ab hyeme nomen dederunt χείμαῤῥος, nos ab æstate: illi à tempore, quo siccatur.

STVPET INSCIVS) Inscius aliquid nescit, nescius nihil nouit. Alter in parte errat: alter in toto. Cornel. Fronto. Inscius, inquit Seruius, nó ignarus: nam videt: sed qui non valde sit cautlarum peritus, id est, simplex.

SAXI DE VERTICE) id est, montis. Contra in 6. montem pro saxo posuit, vt, *Prensantemq; vncis manibus capita aspera montis.*

IAM DEIPHOBI DEDIT) Probabile est, in eam prius domum impetum factum, vbi caussa bellorú extabat. Nam Deiphobus Priami filius à morte Paridis Helená vxorem duxerat, vt è 6. Æneid. colligi potest. Nascimb.

VVLCANO SVPERANTE) Horat. sat. 5. lib. 1.

Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.

Lucret. de Ætna lib. 6. *Flamma tempestus Siculúm dominata per agros.*

PROXIMVS ARDET VCALEGON) Qui admonent quépiam, vt sibi caueat, & ex infortunijs alienis discat, sibi quod ex vsu sit, quum malú illud pares ei, similesq; antea inuaserit, simili vtuntur plerunq; propinquarum ædium: cum enim aliqua conflagrare cœperit, ægrè incendium à proximis arcetur. Vsi sunt eodé simili Græci, Latiniq; scriptores, quorú testimonia producit Victorius lib. 16. cap. 13. Ex quibus Horatianum illud satis tritum est, & abijt in prouerbium. *Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.* Eodem pertinet etiam iste Virgilij locus: habet enim vim eandem prorsus. ✠

SIGÆA IG. F. L. REL.) Æmulatus est in hunc modú Silius lib. 2. agens de incensa Saguntho. *respódet imagine flamma Æquor, & in tremulo vibrant incendia ponto.*

EXORIT. CLAM. VIR. CLANG. TVB.) Subrigendú supercilium cum fuerit, magnoq; tonandum ore, numeri ipsi conferti, tanquam conferta in pugna milites esse debent, atq; vbi est opus, vt & ipsi horrorem quoque incutiant. Quin & litteræ, & syllabæ vastiores conquirendæ sunt: nonnunquam etiam asperiores, aut hiulcæ. Quæ hic exaggeratio? quæ verborum, quæ tum litterarum, tum syllabarum selectio? clamor, clangor, virûm, tubarú. Qui accentus pænè quaterni tam accommodati? Sigæa, igni, freta, lata. Quid ille, qui è vestigio sequitur, duarum vocum ab eadem littera incipientium conuocalis sonus? *Arma amens capio.* An est quod aures vltra eligant? Sed adhuc aduerte B quæso admirabilem in ijs verborum conquisitionem. Voces illæ ambæ disyllabæ *clamor*, & *clangor*, à syllabis incipiunt rigidioribus, desinunt in horridis: illæ alteræ virûm, & tubarum, quæ copulationem finiunt, in syllabis desinunt subobscuris: obscuritas vero omnis horrorem incutit. Quod idem poeta seruauit in illa tempestate, cum dixit, *clamorq; virûm, stridorq; rudentum.* Quo in verbo singulæ dictiones verśum constituentes, litteram habent asperam, qua multiplicata, horror quasi quidam gignitur, loco illi debitus. Ipsæ quoque inclinatiuæ particulæ, dum accentus ad se transferunt, horrori etiam ipsi non parú adiungunt, *clamorq, stridorq,.* Iouian. Actio.

C ARMA AMENS CAPIO) Arma proprie sunt scuta, vt Tarpeia est necata armis Sabinorum, id est, scutis, & ancilia arma, id est, scuta. Arma itaq; ab armo, quia in eo gestarentur. Armus commissura brachiorum ab humeris. Itaq; ab ἀρμὸς dicta. Scalig. F. in Varron.

Continuare duas, aut plures voces ab eodem elemento incipientes, mos veterum fuit: sæpe enim in Plauto, atq; Ennio deprehendas. Etiam Ouidius non neglexit: Virgilius verò nó sine ratione nunquam posuit. *Arma amens capio.* Est enim anhelitus in iterata vocalis vastitate. Sic, *sale saxa sonabant, Sana sedens super arma.* Scalig. Poet. lib. 4. cap. 48.

Sententia totius carminis ita potest concipi. Clamoribus illis virûm, clangoribusq; tubarum, de quib⁹ D paulo ante, vehementer animo perculsus, & indignatione summa concitatus, arma capio ad succurrendum patriæ: in quibus si sat rationis fuisset, id est, si ego dum arma illo articulo capiebam satis sapuissem, fugere potius, vt in re desperatissima debuissem quàmprimùm. Furor & ira, non consilium me regebant. ✠

NEC SAT RATIONIS IN ARMIS) Terent. And. Nec satis ad obiurgandum caussæ: vbi deest, habui, vel erat, vt hic. Clodius Albinus, vt in historiá retulit Capitolinus, eruditus litteris Gręcis, ac Latinis mediocriter, quod esset animi iam militaris, & superbi, fertur in scholis sæpissime cantasse inter puerulos, *Arma amens capio, nec sat rationis in armis, Arma amens capio.* ✠

E FVROR. IRAQ. M. PRÆCIP.) Bene consulere nemo potest, cuius animus aut dolore tenetur, aut voluptate, præsertim nimia, prudenterq; apud Sallustium Cæsar, qui de reb⁹ cósultent dubijs, ab odio, amicitia, ira, atq; misericordia oportere vacuos esse censet. Etenim affectiones illæ, quæ bono honestoq; cósultantem detorquent, vel à dolore excitantur, vel à voluptate nimia, pessimis hominú consiliarijs. Itaq; non malè illi quidé, qui téperantiam in castris excubare aiunt debere prudentiæ, atq; in statione agere, quando, vt hic dicit poeta, furor, iraq; menté pręcipitant. Iouian. de Prud. lib. 3.

Huc mihi perquam videtur idoneum, quod legi apud Thucydidem lib. 3. duas res maximè ait contrarias esse consilio, festinationem, & iram: quorum alteram

terum est sine cogitatione, alterum habet errantes impetus, & breuem cogitationem. Alexander Magnus suæ claritati magnam offudit caliginem, qui, vt scriptú est apud Arrianum lib. 4. duobus maximis in vita vitijs, quæ vel priuato homini turpissima sunt, se passus est superari, ira, & ebrietate. Iam de remedio iræ Plutarchum audi, libello de cohibenda iracundia. Quod nutrices pueris dicunt: μὴ κλαῖε, καὶ λήψῃ, ne plora, & accipies, hoc iræ nos dicamus: ne festina, ne clama, ne vrge, atque ita certiùs quæ vis, fient, & meliùs.

PVLCHRVMQVE MORI SVCC. IN ARM.) Intelligit poeta excellentissimus, ac prudentissimus, qualis mors virum fortem deceat. Quibus vero laudibus, quantaque gloria fortium virorum obitus sint prosequendi, illud planè docet, quòd hominum consensu Hercules in deorum est numero habitus. Et verò florentissimæ vrbes, populiq; bene instituti, reges item ijs, qui in bello, in maximis reipub. periculis, mortem oppetiissent, statuas ponere, honores quam maximos habere, etiam in diuos referre consueuerunt. A quibus ne Christiani quidem dissentiunt, qui diuinos honores martyribus tribuunt, licet illorum mortes ad deum potiùs, quam ad virtutem, decusq; referantur. Quocirca cum pulcherrimum sit in bello mori, atque in maximis belli periculis, qui intrepidum se, atque inuictum in ijs gesserit, is est quem viuum suspicimus, in quem mortuum honores conferimus, ac titulos. Senior ille Phorbas apud Statium lib. 7. Thebaid. vide quo adhortationis, ac laudis genere prosequatur in A bellum proficiscentes.

Ite alacres: vestri nunquam morientur honores,
Bellaq́; perpetuo memorabunt carmine Musæ.

Et viuis illis, & mortuis honores proponit, etiam sempiternos. Iouian. de Fortit. lib. 1.

Dicere solebat Epaminondas, pulcherrimum esse genus mortis, in bello mori: quod hæc mors primùm cum laude fortitudinis coniuncta sit, modò bellum geratur pro patria. Itaque grauiter, vereq; Alcæus in Lacedæm. qui in Thermopylis occubuerunt, εἰ τὸ καλῶς θνήσκειν ἀρετῆς μέρος ἐστὶ μέγιστον. deinde breuis, non diu crucians hominem, aut paulatim extabefaciens. Isocrates quoque epistola ad Philippum non simpliciter B in bello, sed pro patria in bello occumbere laudandum asseuerat, cuius verba sic se habent χρὴ δὲ μὴ καλὰς ἁπάσας ὑπολαμβάνειν τὰς ἐν τοῖς πολέμοις τελευτάς. ἀλλὰ τὰς μὲν ὑπὲρ τῆς πατρίδος, καὶ τῶν γονέων, καὶ τῶν παίδων, ἐπαίνου ἀξίας. τὰς δὲ ταῦτά τε πάντα βλαψάσας, καὶ τὰς πράξεις τὰς πρότερον κατωρθωμένας καταισχυνάσας, αἰσχρὰς νομίζειν, καὶ φεύγειν, ὡς αἰτίας ἀδοξίας γενομένας. Id est. Neq; vero semper præclarum habendum est, in bellis occumbere: sed quando id fit pro defensione patriæ, parentum, & liberûm, laudabile est. Cum verò talis obitus & his omnibus nocet, & superiorum temporum successibus labem aspergit, turpis habendus, & fugiendus est, vt ignominiæ conciliator. Hinc laus Atheniensium qui bello Persico, & Laconum, qui ad Thermopylas occubuerunt apud eundem Isocratem in Panegyrico.

Ecce autem, telis Panthus elapsus Achiuûm,
Panthus Otriades, arcis, Phœbiq́; sacerdos,
Sacra manu, victosq́; deos, paruumq́; nepotem
Ipse trahit, cursuq́; amens ad littora tendit.
Quo res summa loco Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit.
VENIT SVMMA DIES, ET INELVCTABILE TEMPVS
DARDANIÆ: FVIMVS TROES, FVIT ILIVM, ET INGENS
GLORIA TEVCRORVM: ferus omnia Iupiter Argos
Transtulit: incensa Danai dominantur in vrbe.
Arduus armatos medijs in mœnibus adstans
Fundit equus: victorq́; Sinon incendia miscet
Insultans: portis alij bipatentibus adsunt,
MILLIA QVOT MAGNIS NVNQVAM VENERE MYCENIS.
Obsedere alij telis angusta viarum
Oppositi. stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci: vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, & cæco Marte resistunt.

ECCE AVTEM TELIS PANTHVS) Signo quam C manifestissimo perspici poterat, desperatam esse vrbis salutem, quando Panthus sacerdos fugiens, deos, nullius amplius potestatis, secum asportaret, vt indicium alijs faceret, aduersus illam vim auxilio iam humano opus non esse. Vox *Ecce*, πάθος habet, quo malum insperatum designatur.

PARVVM NEP. IPSE TRAHIT) quia æquis passibus patrem sequi non poterat, vt Ascaniolus Æneam infra. Sic de Astyanacte hoc eodem libro, *& auo puerum Astyanacta trahebat*, Andromache mater videlilicet socero Priamo.

CVRSVQVE AMENS AD LITT. TEND.) Legi etiam *cursum*, testatur Seruius. Hoc ποιητικώτερον est. Vt 1. Æneid. *Talibus incusat, gressumq́; ad mœnia tendit.* Et 6. Æneid. *Tendit iter pennis.* Pro, *ad littora*, Seruio placet legere, *ad limina*. Æneæ, inquit, religio laudatur, & virtus. Videtur dicere, Panthum depositis in domo dijs penatibus, illum ad pugnam secutum. Hoc inconsideratius dicitur à Modicio. Quid enim tum vspiam tutum? & sacerdos scilicet magis de pugna, quam de fuga cogitare debuit. Rectius ita, eum festinasse ad littora, quasi nauim ibi, qua fugeret exitium, repertu-

rum. Hoc autem faciebat amens, id est, in ipso illo tumultu, ac summa rerum omnium perturbatione haud satis animo constans.

Res summa) Res summa, est respub. Cic. 2. Philipp. de summa re dissentientes. Dicebant etiam summa respub. pro quo multi nunc, sum̃a reipub. Plaut. Mercato. *vbi loci res summa nostra est publica?* & in Milite. *Is publicè legatus Naupactum hinc fuit, magnaï reipub. gratia.* In Cicerone, loco recitato legit vetus liber, *de summa resp.*

Quo res summa) Damnatur ab omnibus Homeri loquacitas in mediis pugnis, tumultibus ac periculis: longissimas enim tum inter personas confabulationes immiscet. Ab eo vitio longissimè abest Virgilius, vbiq; sobrius, parcus, prudens, & grauis. Lectorem cum omnibus locis, tum in colloquiis, & narrationibus mirabili voluptate retinet: nunquam afficit satietate. In nocturno tumultu, Troia capta & incensa quid breuius, aut expeditius rogari potuit, quam illud vno versu, *Quo res summa loco Panthu? quam prendimus arcem?* Panthus breui, & accelerata oratione respondens, duodecim versibus multas res cognitu necessarias complectitur, vt Æneas deliberare possit, pugnandum ne sit: an sacris acceptis, vt dij penates seruentur, vrbe cedendũ. Tot res, tam cognitu necessariæ, tanto in tumultu, paucioribus verbis exponi non potuere. Modicius, cap. 7.

Fuim. Troes) Existimat Politianus cap. 88. hoc de consuetudine chori illius Lacedæmonij dictum, quasiq; in adagium ascitũ. Nam vt scribit Plutarchus libro. Quo pacto se quis citra inuidiam laudet: chorus erat Lacedęmoniorũ trifarius, senum, puerorum, iuuenum. Canebant autem senes ita, ἄμμες ποτ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι. quo significabant, fuisse se quondam robustos iuuenes. Pueri sic, ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάῤῥονες, ex quo se futuros longè his meliores profitebantur. Iuuenum autem cantio hæc, ἄμμες δέ γ' ἐσμὲν, αἰ δὲ λῇς αὐγάσδεο, indicans ipsos iam id esse, quod vel illi fuissent, vel hi se futuros sperarẽt, eius rei paratos facere periculũ. Cõsimile prouerbiũ de Milesijs ponit Aristophanes in Pluto. πάλαι ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι. Sic Cic. de coniuratis: vixerunt, extinctos ea nocte, nescio quo pacto significatius declarans, minusq; multò inuidiosè, quàm si occisos dixisset.

Sed Victor. lib. 28. cap. 1. non idem de hoc loco sentit. Putat ipse Virgilium respexisse ad locum quendam Euripidis Troadibus, expressisseque sententiam illam. Est autem hic, πρίν ποτ' ἦμεν, βέβακεν ὄλβος, βέβακε Τροία, pronuntiatus à duobus calamitosis personis, Andromacha, & Hecuba. Prima namq; tria verba illic Andromacha, reliqua Hecuba edidit. Cum enim studiosus valde fuerit eius tragici poetæ Virgilius, eam inprimis fabulam verisimile est accuratè legisse, vt inde multa transferret in secundum suum Æneidos, quo in libro idem pæne argumentum persequitur, vel potiùs multis signis perspicitur, hoc ipsum sedulò fecisse.

Non admodum dispar commiserationis locus est in Hecuba Euripidis, vbi illa infelicissima regina Vlyssi in hunc modum.

Οὐ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν, ἃ μὴ χρεὼν,
Οὐδ' εὐτυχοῦντας εὖ δοκεῖν πράξειν ἀεί.
Κἀγὼ γὰρ ἦν ποτ', ἀλλὰ νῦν οὐκ εἰμ' ἔτι,
Τὸν πάντα δ' ὄλβον ἦμαρ ἕν μ' ἀφείλετο.

Et infra Agamemnoni.

Τύραννος ἦν ποτ', ἀλλὰ νῦν δούλη σέθεν.

Neq; queis secundæ res, oportet fidere
Easdem futuras semper ex sententia.
Etenim ipsa quondam quæ fui, non sum amplius,
Opes sed omnes vnicus rapuit dies.

Et infra.

Regina dudum, ancilla nunc quidem tua

Omnia Iup. Arg. transtulit) His verbis præter euocationem, de qua infra, etiam vim deuotionis, in qua præcipuè Iupiter inuocatur, Virgilium voluisse ostendere, affirmat Macrob. lib. 3. cap. 9. Vrbes autem exercitusque sic deuouebantur, numinibus euocatis: & Ductores, Imperatoresque soli deuouere poterant. *Dis pater, siue Iouis manes, siue quo alio nomine fas est nominare, vt omnes illam vrbem Carthaginem, exercitumq́, quem ego me sentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis. quiq́, aduersus legiones, exercitumq́, nostrũ arma, telaq́, ferent, vti vos eos exercitus, eos hostes, eosq́, homines, vrbes, agrosq́, eorum, & qui in his locis, regionibusq́, agris, vrbibusq, habitant, abducatis, lumine supero priuetis: exercitumq, hostium, vrbes, agrosq́, eorum, quos me sentio dicere, vti vos eas vrbes, agrosq́, capita, ætatesq́, eorum deuotas, consecratasq́, habeatis, illis legibus, quibus quandoq́, sunt maximè hostes deuoti: eosq́, ego vicarios pro me, fide, magistratuq́, meo, & pro pop. Rom. exercitibus, legionibusq, nostris do, deuoueo: vt me meamq́, fidẽ, imperiumq́, legiones, exercitum nostrum, qui in his rebus gerundis sunt, bene saluos sinatis esse,* &c.

Victorque Sinon) Victor, est propositi effector, vt aliâs sæpe. delectatur enim Virgilius hac voce, cum ista, quam dixi notione.

Magnis Mycenis) Eam vrbem describit Strabo lib. 7. Addit, quod animaduertendum diligenter, Argos & Mycenas ob vicinitatem poetæ tragici veluti vnam promiscuè appellant, & Euripides in vna eademq; fabula eandem iam Argos, mox Mycenas appellat, vt in Iphigenia, & Oreste. Vnde nomen Mycenis videbis Delrij comment. in Agam. Senecæ, Pag. 489.

Angusta viarum) Lucret. lib. 1. *Ardua dum metuunt, amittunt vera viaï.* Videtur Maro hellenicè illud Thucydidis vertisse, στενωπὸς τῶν χωρίων. Euripid. Andron. στενωποὺς κατ' ἐξόδους, angustos aditus. German.

** Huiusce modi sunt, cuncta, vana, abdita rerum, amara curarum apud Horat. incerta casuum, diuersa montium, vitalia rerum, opaca domorum, rara viarum, apud Lucretium. Aristoph. Pluto. ὁ Ζεὺς μὲν ἂν εἰδὼς τὰ τούτων μωρά. Iupiter sciens horum stulta, id est, stultitias. Nonnunquam & alibi hunc hellenismum, produximus exempla aliquot.*

Cæco Marte) τυφλομαχοῦντες scilicet. Hæc cũ apertam commiserationis vim, tum occultam etiam Æneæ commendationem habent, à magnitudine animi: cui licet horrenda, ac vehementer fugienda referantur, tamen, vt vir fortis, intrepide dimicat, vt videbis deinceps. Nascimb.

Talibus Otriadæ dictis, & numine diuûm
In flammas, & in arma feror, quò Tristis Erinnys,
Quò fremitus vocat, & sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios Ripheus, & maximus armis
Iphitus, oblati per lunam, Hypanisq;, Dymasq;,
Et lateri agglomerant nostro: iuuenisq; Chorœbus

Mygdo-

Mygdonides, illis qui ad Troiam forte diebus
Venerat, inſano Caſſandræ incenſus amore:
Et gener auxilium Priamo, Phrygibuſq; ferebat.
Infelix, qui non ſponſæ præcepta furentis
Audierat.
Quos vbi confertos audere in prælia vidi,
Incipio ſuper his. Iuuenes, fortiſſima fruſtra
Pectora (ſi vobis audentem extrema cupido
Certa ſequi, quæ ſit rebus fortuna, videtis:
Exceſſere omnes, adytis, ariſq; relictis
Dij, quibus imperium hoc ſteterat) ſuccurritis vrbi
Incenſæ: moriamur, & in media arma ruamus.
Vna salvs victis, nvllam sperare salvtem.
Sic animis iuuenum furor additus. inde (lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catuliq; relicti
Faucibus exſpectant ſiccis) per tela, per hoſtes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæq; tenemus
Vrbis iter. nox atra caua circumuolat vmbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut poſſit lacrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos:
Plurima perq; vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perq; domos, & relligioſa deorum
Limina. nec soli poenas dant sangvine tevcri:
Qvondam etiam victis redit in præcordia virtvs,
Victoresqve cadvnt danai. Crudelis vbiq;
Luctus, vbiq; pauor, & plurima mortis imago.

In flammas, et in arma) Ingens commiſerationis locus: nam ciuitas in peiorem ſtatum redigi non poteſt, quàm cùm armis, flammiſque ſubiecta eſt. Olim cum bellum exitiale noſtri maiores ſignificabant, ferro flammaq; rem geri dicebant. Cic. pro L. Flacco. O dij immortales, quid hoc miſerius? Nos qui P. Lentulo ferrum, & flammam de manibus extorſimus, imperitæ multitudinis iudicio confidimus? Naſcimb. * *In extrema pernicie, exitioq; exprimendo plerumq; ferrũ & ignem, ſeu flãmam à probatis ſcriptoribus coniungi cernas. Philip. 1. Antonius patriæ igni, ferroq; minitatur. Catilin. 3. Rempub. Quirites, vitamq; omnium veſtrûm, &c. laboribus, conſilijs periculiſq; meis ex flamma atq; ferro, ac pæne ex faucibus fati ereptam, & vobis conſeruatam, ac reſtitutam videtis.*

Qvo tristis erinnys vocat) Quò me furor bellicus rapit.

Maximvs armis) Pro maximus armis, emendant, quidam *maximus annis*, quod infrà ſequatur, *quorum Iphitus æuo Iam grauior.* Volunt enim hunc honorem haberi Æneæ, vt ille ſit maximus armis, & in iſta nocturna pugna Imperator: reliqui, vt etiam à poeta vocantur, comites & ſocij. Tamen cum hoc ab Ænea dicatur, poſſitque & debeat is, qui in aliquo genere familiam ducit, ſua perſona ſepoſita, de conſortibus iudicare, non intelligo quamobrem non & Iphitus, ad alios comparatione facta, maximus armis queat nominari. Quod ſi etiam ex perſona poetæ hæc Iphito laus tribueretur, nihilominus occurrere nobis legentibus deberet, in re diſſimili illud Ciceronis, mirè interdum commendantis philoſophos, *Platonem ſemper excipio.* ✠

Per lvnam oblati) Quod per lunam oblatos dicit, non pugnat cum illo, *tacitæ per amica ſilentia lunæ.* Nam cum dato ſigno phalanges Græcorum à Tenedo venerunt, & viri ex equo prodierunt, tunc luna ſilebat. Sed interiecto non modico temporis interuallo, cum ciuitas diripi, ac inflammari cœpiſſet, planeque Græcorum inſidiæ patefactæ eſſent, tunc luna ſurgens, adulta nocte viros oſtendebat. Naſcimb.

Ivvenisqve choroebvs) Pleniore oratione de Chorœbo tanquam de nobiliore agit, nam quis fuerit quo tempore, & quamobrem ad Troiam venerit, planum facit. Hunc Homerus Iliad. 5. Othyroneum appellat: quem ait ex vrbe Cabyſſo veniſſe, amore Caſſandræ incenſum, Priamoqúe pollicitum, ſe ſua virtute Græcos à Troia pulſurum: eaque propè omnia refert, quæ hic noſter de Chorœbo narrat: quem ab Idomeneo Cretenſium rege occiſum memorat, Naſcimb.

Phrygibvsqve ferebat) Si poſt *ferebat* τελείαν στιγμὴν ponas, erit venuſtior lectio, Virgilianæq; maieſtati conuenientior, vt ſit exclamatio ad commiſerationem excitandam per locum cõmunem: vt cum ſe fugaturum Græcos, vti ſocero pollicitus fuerat, ſperaret, non modò id adeptus non fuerit, verùm in illud

potius, quod neq; volebat, neq; cogitauerat, hoc est, in necis discrimen, immo in necem ipsam inciderit. Hæc vera peripetia est. Nascimb.

SPONSÆ PRÆCEPTA FVRENTIS) Supra, *Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris Ora.*

INCIPIO SVPER HIS) Super his incipio, insuper his (quæ sequuntur scilicet) incipio eos affari, & ex audacibus audaciores reddere. Vnde sequitur, *Sic animis iuuenum furor additus.*

IVVENES FORTISS. FRVSTRA. P) Constructio confusa est, quæ sic expeditur. Iuuenes fortissima pectora, frustra succurritis vrbi incensæ. Videtis quæ sit rebus fortuna. Excessere omnes dij, adytis, arisq; relictis. Si vobis certa cupido audentem extrema sequi, moriamur, & in media arma ruamus. Vna salus, &c. Etsi pectus forte nihil aliud est, quam fortis animus, quia latinis scriptoribus pectus non raro idem valet, quod animus, tamen si rem bene consideremus, hoc ipsum fortissimum pectus, aut fortissima pectora φιλοσοφικῶς dictum videri potest, & erudite admodum. Cum enim sit triplex animæ facultas, ratio, ira, & cupiditas, primam tanquã principẽ in capite, velut in arce ponunt Platonici, alteram in pectore, postremam subter præcordia. Iam, sicut prudentia versatur circa id, quod est in anima præcipuum, temperantia autem, quod est in ea infimum: sic fortitudo, quod est velut medium. Proinde cum tres illæ facultates discretas in corpore sedes occupent, si prima ad caput, extrema ad ventrem, media ad pectus pertinebit, tanquam ad regionem suam propriam videlicet. Iram Peripatetici cotem dicunt esse fortitudinis. Nisi illa accendat animum, nihil expugnari posse. Virum videri negant, qui irasci nesciat. ✻

EXCESSERE OMNES, ADYTIS) Credebant Romani singulis ciuitatibus tutelares quosdam deos peculiares præsidere, qui eas vel conseruare possent, vel perdere. Itaque cum obsiderent vrbem hostium, eamq; iam capi posse confiderent, certo carmine per sacerdotes, deos illos euocabant, quòd aut aliter vrbem capi non posse crederent: aut si posset, nefas fortasse existimarent, deos habere captiuos. Orabant igitur deum illum, ne imperio & felicitati Romanorum ipse repugnaret: longè etiam maiorem cultum, maioresq; honores, quàm eo loco haberet, Romę consecuturum promittebant. Vel si ibi permanere mallet, longè celebriora templa, & sacra ibi se extructuros recipiebant. Qua de caussa Veientes, auctore Liuio, ignari se iam à suis vatibus, & externis oraculis proditos, iam deos suos votis ex vrbe euocatos, hostium templa, nouasq; sedes spectare, in muros pro se quisq; frustra discurrunt. Proptereaq;, vt scribit Plin. lib. 28. cap. 2. Alexander ab Alex. lib. 2. cap. 22. & lib. 6. cap. 4. nomen eius dei, qui imperatrici vrbi præsidebat, sacro silentio occultabatur, ne hostes Romanorum, eodem consilio vsi, illum similiter fortè euocarent. Et hinc principiò tam paucos Romę deos fuisse scribit Prudentius 2. contra Symmachum, sed,

Innumeros post deinde deos, virtute subactis
Vrbibus, & claris peperit sibi Roma triumphis.
Inter fumantes templorum armata ruinas,
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiua domum venerans ceu numina vexit.

Ad hanc igitur consuetudinem referendos Virgilij versus censuerunt Seruius, & Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 9. Apud quem etiam ipsius euocationis carmen extat in hæc verba. *Si deus, si dea es, cui populus, ciuitasq́ Carthaginensis est in tutela, teq́ maximè, qui vrbis huius, populiq́ tutelam recepisti, precor, veneror q́, veniamq́ à vobis peto, ut vos, populumq́, ciuitatemq́ Carthaginensium deseratis: loca, templa, sacra, vrbemq́, eorum relinquatis, absq́ his abeatis: eiq́ populo, ciuitatiq́, metum, formidinem, obliuionem inijciatis: proditiq́, Romam ad me, meosq́, veniatis: nostraq́ vobis loca, templa, sacra, vrbs acceptior, probatiorq́ sit: mihi quoq́, populoq́ Rom. militibusq́, meis præpositi sitis, vt sciamus, intelligamusq́. Si ita feceritis, voueo vobis templa, ludosq́ facturum.* Idem Macrob. lib. 5. cap. 22. hoc Virgilium de Troadibus Euripidis traxisse ostendit. Apud Liuium. lib. 5. Camillus Iunonem è Veijs ita euocat. *Te simul Iuno regina, quæ nunc Veios colis, precor, vt nos victores in nostram, tuamq́, mox futuram vrbem sequare, vbi te dignũ amplitudo tua templum accipiat.*

Muretus lib. 5. cap. 19. etsi hanc opinionem, quia & ratione probabili nixa, & à bonis, vt ipse ait, auctoribus (ex Verrio enim Flacco Plinius refert) profecta est, non reijcit, hanc tamen suam veriorem, & simpliciorem iudicat. Ea nocte, qua capta est Troia, visos esse deos Æneæ, exeuntes è templis, & simulacra sua asportantes. Solitas certè à dijs suis deseri eas ciuitates, quæ mox in hostium potestatem venturæ essent, aut saltem eam fuisse veterum opinionem, ostendit Æschylus, apud quem Eteocles offensus superstitione mulierum, quæ vagantes per templa, in tanto ciuitatis periculo, implebant omnia clamoribus, iubet eas id modò precari, vt turris ciues ab armis hostium protegat. Quem cum illæ interrogassent, vnde nam id, nisi à dijs futurũ putaret, respondens ille, quasiq; illudens ait, vulgò dici solitum: excedere deos, cum vrbs aliqua capitur. Versus hi sunt, in fabula, quæ inscribitur Septẽ ad Thebas.

ET. Πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ.
Χο. Οὐκοῦν τάδ' ἔσται πρὸς θεῶν; ετ' ἀλλ' οὖν θεοὺς
Τοὺς τῆς ἁλούσης ἐκλείπειν λόγος;

Quem in locum scholiastes ait, id contigisse Troianis. Λέγεται γὰρ δὴ, ὅταν ἔμελλε πορθηθῆναι ἡ Τροία, ἐφάνησαν οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν ἀπελθόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν. Æneæ autem propter singularem ipsius pietatem eos potiùs, quam cuiquam alij apparuisse credibile est. Sic & Tyriorum multis, cum Tyrum Alexander Philippi F. obsideret, visus est in somnis Apollo dicere, se ad Alexandrum abire: non enim sibi placere, quæ in ciuitate fierent. Neq; ita multò pòst capta est Tyrus. Hæc Muretus, quicum facit Turneb. lib. 14. cap. 15. producens etiam hoc testimonium ex interprete Æschyli, superiori genuinum. εἴρηται δὲ καὶ ἐν Ξοανηφόροις Σοφοκλέους, ὡς οἱ θεοὶ ἀπὸ τῆς Ἰλίου φέρουσιν ἐπὶ τῶν ὤμων τὰ ἑαυτῶν ξόανα, εἰδότες ὅτι ἁλίσκεται. Auctorem igitur interpres ille laudat Sophoclem, qui in fabula Simulacriferi deos induxit humeris suis sua gerentes simulacra. ✻ *De isto deorum excessu etiam Hierosolymis, cùm eas Titus obsideret, nugatur Tacitus Historiar. lib. 5. Expassa repente delubri fores, & audita maior humana vox: excedere deos. Simul ingens motus excedentium. Atqui Iudæos tum præsertim nullos deos præter vnum, eumq́ verum coluisse, & simulacra penitus nulla adorasse tam manifestum est, vt mirandum videatur, quomodo id Tacitus ignorare potuerit. Tam verisimile hoc vtique, quam quod de capite asini ab ijsdem culto (ob fontes nimirum asinorum ductu in solitudine inuentos) & ipse Tacitus, & alij quidam verè ipsimet magni asini, litteris commiserunt. Lepidum quiddam Curtius lib. 4. de Tyrijs, dum ab Alexandro obsiderentur. Cumq́ vnus è ciuibus concioni indicasset, oblatum esse per somnium sibi speciem Apollinis, quem eximia religione colerent, vrbem deserentis, quamquam auctor leuis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu, aurea catena deuinxere simulacrum, araq́ Herculis, cuius numini vrbem dicauerant, inseruere vinculum, quasi illo, deũ Apollinem retenturi. Oedipus apud Senecam Thebaid.* vnica Oedipo est salus, non esse saluum. *Apparet ex Virgilio tractum. Vegetius lib. 3. cap. 21. quo docet*

docet viam fugiendi permittendam hostibus, quò facilius deleantur fugientes, in extremo sic ait. Cæterùm clausi, licet exigui numero, & infirmis viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares, quia desperantes sciunt aliud sibi licere non posse. Nam Vna salus victis, nullam sperare salutem.]

VNA SALVS VICTIS, NVLLAM) Sallustius de bello Iugurthino, cum induxit Syllam cũ paucis, quos secum babebat, pęne insidiis circumuentum, milites ad fortiter præliandum adhortantem, atque ita loquentem, Quanto sibi in prælio minus pepercissent, tanto tutiores fore, interpretatus videtur sententiam illam græcam, *μαχέσωνται ὡς τεθναξόμενοι, καὶ οὐ τεθνάξονται.* Hoc enim memoriæ proditum est scripsisse Spartiatas, qui domi in magistratu erant, Leonidæ fortissimo Imperatori, qui cum parua manu contra infinitam multitudi- B nem hostium pugnaturus erat: hic enim motus animi, & quasi desperatio rerum suarum aliquando nonnullis in bello saluti fuit: conspicitur namque sæpe in prælio interfici vitæ nimiũ retinendæ studiosos: incolumesq; ac viuos inde euadere, qui omnẽ sui capitis curam abiecerunt. Quare consilium id L. Syllæ eo tempore verum atque vtile fuit. Quin autem Virgilius hic, dum facit Æneam extremo tempore patriæ magni animi iuuenibus ita dicentem, idem intellexerit, dubitari non debet. Sed etiam Thucydides lib. 6. laudans consilium Syracusanorum, qui cominus cum Atheniensibus, profligati iam pugnare nollent: tantumque iter eorum leuibus certaminibus morarentur, idem protulit: docuitque, quàm C inutile periculosumque sit, cum hominibus vitam suã desperantibus congredi: idque sæpius illis bono esse, quàm ijs, qui numero, fortunaque superiores sunt, affirmauit. Victor. lib. 33. cap. 11.

De huiuscemodi salute, seu victoria ex desperatione parta à Locrensibus contra Crotonienses, narrat Iustinus lib. 20. Itaq; cum in aciem processissent, & Crotoniensium centum viginti armatorum millia constitissent, Locrenses paucitatem suam circumspicientes (nam sola quindecim millia millitum habebant) omissa spe victoriæ in destinatam mortem conspirant: tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, vt victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori ho- D nestè quærunt, feliciter vicerunt. Nec alia victoriæ caussa fuit, quam quod desperauerant. Hoc autem Virgilianum carmen ita Græcè redditum est ab erudito quodã viro. *νικηθεῖσι μόνη σωτηρίη, ὅτι μὴ ἔλπειν.* Eiusdem in idẽ parodias animi gratia subiungemus.

Vna salus bello, in dextra sperare salutem.
Vna salus, non plus, quam par sit, amare salutem.
Vna salus, hosti non cedere velle salutem.
Desperare fugam in bello via prima salutis.
Vna salus victo, spes posse resurgere victum.
Vna salus ægris, non desperare salutem.
Vna salus, nullam absq; deo sperare salutem.

Seneca Natural. lib. 2. cap. 59. Nullus perniciosior hostis E est, quam quem audacem angustiæ faciunt: longeque violentiùs semper ex necessitate, quàm ex virtute corrigimur. Vegetius lib. 5. cap. 21. Ex desperatione crescit audacia: & cum spei nihil sit, sumit arma formido. Curtius lib. 5. Ignauiam quoque necessitas acuit, & sæpe desperatio spei caussa est. Idem lib. 4. Effugit mortem, quisquis contempserit: timidissimum quemque consequitur.

INDE LVPI CEV) Sumptus est locus ex Hom. Iliad. lib. 16. Et sanè hæc comparatio mirè apta est huic negotio. Nam lupus ferox animal est: ideo rectè cum hominis ferocitate comparari potest. Atra nebula obscuræ noctis similitudinẽ habet: catuli ad liberos Tro- A ianorum referuntur: rabidi ex fame lupi è lustris exeũt, cibos inquisituri, vt se catulosq; suos alant: Troiani ex dolore rabidi, è domibus exeunt pugnaturi, vt se liberosq; suos ex seruitute, si fieri possit, & morte liberent. Nascimb.

LVPI RAPTORES) Bellicosis viris plerisque omnibus is naturæ mos insitus, vt conuectare iuuet prædas, & viuere rapto, id quod etiam inter præcipua virtutum suarum præconia, magnificè admodum, atque gloriosè recensere solent. Vnde furacem, & raptorem hominem per lupum ostendi, multi aptum & congruens existimarunt hieroglyphicum. Lupi nomen in diuinis literis, non secus ac vulpeculæ, semper in mali cuiuspiam significatu accipitur. At cacodæmõ est interdũ lupus, plerumque tamen raptor. Euangelium: Intrinsecus autem sunt lupi rapaces, de hæreticis. Pierius lib. 11. * *Etiam in sacro Euangelio quibusdam lupi hoc additur nomen: qui foris se pelle ouilla contegunt, intus autem sunt lupi rapaces, & dispergunt oues, quarum curam dimittunt mercenarij, cum vident venientem bestiam, & se in fugam dant: magis enim semetipsos, quam illas student pascere, ac tueri. Quanti igitur in laude ponendi, qui principem pastorum imitantes, vitam pro grege suo libenter impendunt?*

IMPROBA VENTRIS RABIES) Ægyptij hominem famis inpatientem exprimere si curassent, lupum vel hiantem ore, vel terram mordicus apprehendentẽ hieroglyphicè figurabant. Vide Pierium lib. 11.

CATVLIQVE REL. FAV. EXSP. SICCIS) Qui ieiunant, quocunque id fiat tempore, eos siti excellenter infestari, ampliùs quàm fame, idque etiam in cæteris animantibus fieri solere certum est, & nunc scientissimus poeta, *catuliq́, relicti Faucibus exspectant siccis.* Sed vnde fiat, quæri potest. Plutarchus in Symposiacis, vnde multa, & hoc ipsum mutuatur Macrobius. Nam etsi, inquit, humanum corpus ex quatuor elementorum qualitatibus compactum constat, & continuatum ratione artificis mira: vna tamen ex ijs est, quæ vel sola, vel omnium maximè iuge sibi cõmodumq; deposcit alimentum. Is autẽ est calor, qui humecti quippiã sibi suggeri in dies, & horas quærit. Id verum cõprobari vel eo potest argumento, quod nõ aquæ, non terræ, non deniq; aëri vllam absumendi quod in ꝓximo sit, inesse vim perspicuum est. Ignis modò, velut inexplebile animal, fomitem hinc inde perpetem conquirit, alioqui momento periturus. Rationem suggerit ætas prima, caloris nimietate pleraque auidius consumens. At senes, in quibus conflaccescit qualitas, ea, extabescitq;, nullo negotio pati ieiunium possunt, velut parte plurima interextincto eo, quod refici alimentis solet. Quin vbi agitatione languescentem caloris vim excitauimus, stomachi inualescit appetentia. Inde quoque assertio hæc perspicua fit: quod inter animalia, quæ sanguinis sunt expertia, cibum caloris inopia nullum affectent. Quamobrem, si appetentiam conciliat calor, humectaque vis proprium est illius pabulum, summa prorsum ratione fieri fatendum est, per ieiunium corpori nutrimenti indigo, genuinum id præcipuè exigere calorem, quo excepto corpus vniuersum refici, instaurariq; pernoscitur. Rhodig. lib. 27. cap. 18.

VADIMVS HAVD DVB. IN MORT.) Græci quoque *ἴωμεν εἰς θάνατον.* Laudabile factum, ad mortem non dubiam vltro proficisci in caussa honesta, aut reip. vtili, aut nobis salutari. Hinc tantopere tollitur Seruius Sulpitius 9. Philipp. qui auctoritatem senatus, legationem ei ad Antonium imponere cupientis, cum esset adhuc satis ægra valetudine, vitæ suæ anteferendam putauit, & cum aliqua perueniendi ad M. Antonium spe profe-

profectus est, nulla reuertendi. Legiones Romanas scripsit Cato (vt est in 1. Tuscul.) sæpe alacres in eum locum profectas, vnde se redituras non arbitrarentur.

NOX ATRA CA. CIRCVM.) Hic, vt alijs quoq; locis, cauum appellat, quod solidum non est, sed inane. lib. 6. *Ni doceat volitare caua sub imagine forma.* Turneb. lib. 12. cap. 5. Lib. 6. rursum Virgil. *Sed nox atra caput tristi circumuolat vmbra.*

QVIS POSSIT LACRY. ÆQ. LAB.) Silius lib. 5.

Quis deus, ô Musæ paribus tot funera verbis
Euoluet, tantisq; vmbris in carmine digna
Quis lamenta ferat?

Cic. Philipp. 11. Quid loquar de cęde ciuiū Romanorū? de direptione fanorū? Quis est, qui pro rerū atrocitate deplorare tantas calamitates queat? Quàm simile est his, quæ deinceps cōsequuntur, *Plurima perq; vias sternuntur,* &c. principium lib. 4. Historiar. apud Tacitum? Armati per vrbē victores, implacabili odio, victos cōsectabantur. Plenæ cædibus viæ, cruenta fora, templaq;, passim trucidatis, vt quemque sors obtulerat, &c. Tryphiod. Tumultu tanto, & clamoribus dissonis, item tot mortuis ad se venientibus perterritum Plutonem protulisse caput, timuisseq;, ne iratus nimium Iupiter, omnes homines simul morte multaret. Et adiungit.

Vsque adeo immensi quassabant omnia motus,
Et populabatur Troianos maxima clades.
Namq; alios Scæas ad portas confugientes
Astantes cæco mittebant Marte sub vmbras.
Ast alius lecto dum quæritur arma relicto
Occultè hostili confossus concidit hasta.

Lege consequentia, & præterea Dictym lib. 5. Excidium Troiæ incidisse in id tempus, quo Heli apud Hebræos sacerdotio, & principatu fungebatur, ostendit Pererius Comment. in Daniel. lib. 2. ✠

VRBS ANTIQVA RVIT) Vrbs antiqua, ait Seruius, vel quia nobilis, vel quia duobus millibus, & octingentis annis regnasse fertur. Hoc mendacium refutat Modicius cap. 26. Suprà, *ruit alto à culmine Troia.* Vetustatem, & antiquitatē pro nobilitate ponebant, cum dicerent, vetustas familiæ, vetustas, antiquitas generis. Antiquū absolutè pro nobili. Inde etiam illa Virgilij, lib. 1. Æneid. *Nos Troia antiqua,* &c. *Terra antiqua potens armis.* Lib. 4. *Carthago, aut antiqua Tyros.* Omitto locos alios, vbi Seruius semper ita exponit, vt dixi. Est autem isti versui, *Vrbs antiqua ruit,* &c. etiam apta sententia Senecæ ex 3. Natural. cap. 27. Nihil difficile est naturæ, vtique vbi in finem sui properat. Ad originem rerum parcè vtitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus: subitò ad ruinam toto impetu venit. Quam longo tempore opus est, vt conceptus ad puerperium perducatur infans? quantis laboribus tener educatur? Quā diligenti nutrimento obnoxium nouissimè corpus adolescit? At quàm nullo negotio soluitur? Vrbes constituit ætas, hora dissoluit. Momento fit cinis, diu sylua,

A &c. Liuius lib. 1. de Alba diruta. Vnaq; hora annorum quadringentorum opus, quibus Alba steterat, excidio, ac ruinis dedit. Concinunt Virgilianis illa Silij lib. 2. de Saguntho à Poenis vasta.

Vrbs habitata diu fidei, caloq; parentem
Murorum repetens, ruit inter perfida gentis
Sidonia tela, atq; immania facta suorum,
Iniustis neglecta deis, furit ensis, & ignis. ✠

PLVR. PERQVE. V. ET REL. D. LIM.) Commiseratio, vel indignatio à loco. Sacra enim loca nefas profanare cædibus, & sua cuique domus tutissimum debet esse perfugium.

Obseruandum est hoc in loco, tragœdiam Homerica breuitate excitari: nam tragicam orationem Homerus (vt tradunt Aristoteles, & Hermogenes) docuit, Demosthenesq; imitatus est. Quo vero modo Homerus in suo poemate tragœdiam excitarit, ita declarat Hermogenes. Nam Troiæ capturam, excidiumq; non retulit, sed ijs paucis verbis omnem ciuitatis ruinam absoluit: viros interficiunt, vrbem incendio delent, filios alij, alij ornatas mulieres abducunt. Hæc ille. Cui loco iste Virgilianus locus, & alij in hoc 2. lib. complures valdè similes existunt. Nascimb.

QVONDAM ETIAM VICTIS) interdum, aliquando. Horat. Ode 10. lib. 2.

——— *non si malè nunc, & olim*
Sic erit. quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.

Agrætius Grammat. Olim, & quondam, & aliquando tria tempora tenent, præteriti, præsentis, & futuri: affatim inueniuntur exempla. Præsentis demus, quod difficile videtur. Virg. *tumidis quod fluctibus olim Tunditur. Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.* Et Cic. Expergiscimini aliquando, & capessite rempub. Similia Plato in Charmide. ἀνεθάῤῥησα τε καί μοι πολλὰ ἐμπροσθεν πάλιν ὁ θερμότης ξυνηγείρετο, καὶ ἀνεζωπυρούμην. Homerus Iliad. ξ.

Οὔ θην οἴοισίν γε πόνος τ' ἔσσεται ἠδ' ὀϊζὺς
Ἡμῖν, ἀλλὰ ποθ' ὧδε κατακτανέεσθε καὶ ὔμμες.

CRVD. VBIQVE LVCTVS) Tacit. lib. 4. Histor. Ac mox augescente licentia, scrutari ac protrahere abditos: si quem procerum habitu, & iuuenta prospexerant, detruncare: nullo militum, aut populi discrimine. Paulò post. Vbiq; lamenta, conclamationes, & forma captæ vrbis.

PLVRIMA MORTIS IMAGO) Silius lib. 4. *Mille simul lethi facies.* Quidam eruditus accipit de summo pallore, qualis est in mortuis corporibus: sed elegantius, opinor, ac verius de varietate, ac dissimilitudine cædium. Quam varietatem forsitan & Tibull. lib. 1. Eleg. 3. intellexit illis verbis de ferreo sæculo: *nunc lethi mille repente via.* Genera, inquam, mortis, seu modos, quibus homo ab homine etiam extra bellum occiditur. ✠

Primus se Danaûm magna comitante caterua
Androgeos offert nobis, socia agmina credens
Inscius: atque vltro verbis compellat amicis:
Festinate viri. nam quæ tam sera moratur
Segnities? alij RAPIVNT INCENSA, FERVNTQVE
PERGAMA: vos celsis nunc primùm à nauibus itis?
Dixit: & extemplò (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.

OBSTV-

OBSTVPVIT, RETROQVE PEDEM CVM VOCE REPRESSIT.
Improuiſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſq; repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem:
Haud ſecus Androgeos viſu tremefactus abibat.
Irruimus, denſis & circumfundimur armis:
Ignaroſq; loci paſſim, & formidine captos
Sternimus: ASPIRAT PRIMO FORTVNA LABORI.

FESTINATE VIRI) Quantum valeant, in media etiam pugna, ad milites incitandos, acrioresque reddendos, ducum, imperatorumq; hortationes, facile omnes intelligunt. Vnde qui res geſtas litteris diligenter mandant, hoc quoque exprimere conſueuerunt. Grauis autem inprimis, vehemensque eſt illa, quam Cyro illi maiori affingit Xenophon, in lib. 3. Pædiæ. Narrat enim eum, cum ante alios ſtaret, vicinis iam hoſtibus, commotum animo, oblitumq; firmæ progreſſionis, currere cœpiſſe ſimulq; inclamaſſe, *τίς ἕψεται; τίς ἀγαθός; τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ;* Quas voces ab ipſo acceptas (adiungit) qui propinqui erant, & ipſas ad remotiores cohortandos clare repetiſſe. Eodem pacto Virgilius, Troia iam capta, Androgeũ corripientem facit quos putabat ſuos, inertiæq; inſimulantem. Similis eſt autem his hortatio illa, quam in fabula vocata Heraclidæ expreſſit Euripides. In medio enim ardore pugnę inter Athenienſes, & Argiuos narrat has voces audiri potuiſſe.

Ὦ ταὶ Ἀθήνας, ὦ τὴν Ἀργείων γύην
Σπείροντες, οὐκ ἀρήξετ᾽ αἰσχύνην πόλεις;

Victor. lib. 35. cap. 19.

Aliud eſt feſtinare, aliud properare. Qui vnumquodq; maturè tranſigit, is properat: qui multa ſimul incipit, neque perficit, is feſtinat. Qui neque citius agit, neque ſerius: ſed medium quiddam tenet, is maturat. Ex Feſto, & Gellio.

RAPIVNTQVE FERVNTQVE PERGAMA) Tritiſſima quidem, ſed tamen prouerbialis apud Græcos figura eſt, *ἄγουσι, καὶ φέρουσι*, pro eo quod eſt, hoſtili more diripiunt, populantur, aut vexant. Lucianus dixit, *ἄγει καὶ φέρει*, pro eo quod eſt, ſuo arbitratu quò vult trahit. Sic Tacitus Hiſtoriar. lib. 1. Cum alij ſacerdotia, & conſulatus vt ſpolia adepti, procurationes alij, & interiorem potentiam, agerent, ferrentq; cuncta. Et de Oratoribus. Nunc principes in Cæſaris amicitia agunt feruntq; cuncta: atque ab ipſo principe cum reuerentia quadam diliguntur. Homer. Iliad. 5.

——— ἀτὰρ οὔτι μοι ἐνθάδε τοῖον
Οἷόν κ᾽ ἠὲ φέροιεν Ἀχαιοὶ, ἤ κεν ἄγοιεν.
——— Neque enim hic mihi quidquam
Tale eſt, a Danais vt ferri poſſit, agíue.

Verba ſunt Sarpedonis excitantis Hectorem ad bellum pro tuenda patria, cum ipſe pugnaret, nihil habens, quod Græci poſſent auferre, nimirum Lycius patria. Curtius lib. 4. pro *ἄγεσθαι, καὶ φέρεσθαι* dixit volui agique, &c. Vide Chiliadas.

Ἄγειν καὶ φέρειν à Gręcis accipiuntur ꝓpriè, & tranſlatè. Propriè de ijs, qui, cum, quò volumus, ire nolunt, ferendi trahendiq; ſunt: & quia in ea re vexatio aliqua corporis poſita eſt, hinc *ἄγειν καὶ φέρειν* pro vexare vſurpatum eſt. Tranſlatè Plutarchus locutus eſt, cũ de Philoſophis dixit *ἀλλήλοις ἡμῶν ἀγόντων καὶ φερόντων*, id eſt, nos inter nos mutuò agitantib⁹. Propriè Demoſthenes cũ
A inquit in Philippicis, *ὑπὸ τῶν ὑμετέρων ὑμῖν πολεμεῖ συμμάχων ἄγων καὶ φέρων τοὺς πλέοντας τὴν θάλατταν.* Item. *εἰς Λῆμνον, καὶ Ἴμβρον ἐμβαλὼν, αἰχμαλώτους πολίτας ὑμετέρους ᾤχετ᾽ ἄγων.* Declarat ergo quaſi, quid ſit *ἄγων καὶ φέρων*, cum ſubdit *αἰχμαλώτους ἄγων*, id eſt, captos abducens. Rurſum tranſlatè, verum tranſlatione ea, quæ ad proprietatem proximè accedit, locutus eſt Dionyſius lib. 11 *τοὺς θρασυτάτους τῶν νέων εἴασαν ἄγειν καὶ φέρειν τὰ τῶν ἐναντιουμένων τῇ πολιτείᾳ.* Quanquam autem *ἄγειν καὶ φέρειν* eſt vexare, tamen non eſt hoc verbum, quo latini græcam eam formam expreſſerint. Etenim vt illi dixerunt *ἄγειν καὶ φέρειν*, ſic latini agere & ferre. Liuius, Hi ferre, agere plebem, plebiſq; res. Item, Tum demum fracta perti-
B nacia eſt, cum ferri agiq; res ſuas viderunt. Item. Cum ante oculos prope ſuos ſociorum res agi, ferriq; viderunt. Atq; hoc eſt, quod dixit Demoſthenes, *τοὺς συμμάχους ἄγων καὶ φέρων.* Hæc Carolus Sigonius Emend. lib. 1. aduerſus Robortellum. qui Paulum Manut. quod ex Demoſth. *ἄγων καὶ φέρων*, reddiderat, captum abducens, inſcitè, ac malum interpretem reprehenderat.

NEQVE ENIM RESP. DABANTVR) Stat. 2. Thebaid. *nec reddita contra Vox, fidamq; negant ſuſpecta ſilentia pacem.*

SENSIT MED. DELAP. IN HOST.) Græca planè eſt hæc loquendi figura, *οἶδα θνητὸς ὤν.* Demoſth. *περὶ παραπρεσβ. καὶ τοσαύτας ἀνανδρίας, καὶ κακίας ὁμολογοῦν-*
C *τε ὑμεῖς εἶναι μεστοί.* Ariſtoph. *μανθάνεις δὲ φησὶν εἶναι.* Horat. Ode 2. lib. 1. *patiens vocari Cæſaris vltor.* Sic Ode 27. lib. 3. *vxor inuicti Iouis eſſe neſcis?* Et epiſt. 7. lib. 1. *Vir bonus, & ſapiens dignis, ait, eſſe paratus.* Catull. *Ait fuiſſe nauium celerrimus.* Propert. *Viſura & quamuis nunquam ſperares Vlyſſem.* Idem lib. 1. eleg. 6. *Iurabo & bis ſex integer eſſe dies.* Plaut. Aſinar.

Argenti viginti minæ me modò ad mortẽ appulerunt,
Quas hodie adoleſcens Diabolus ipſi daturus dixit.

Sic enim eſt in veteribus libris, pro, daturũ dixit. Item Bacchid. *Eia, nunc eſſe ego opinor Herculem, tu autem Linus.* Ouid. 13. Metamorph. *Sed enim quia rettulit Aiax Eſſe Iouis pronepos.* Alibi, *Acceptum refero verſibus eſſe*
D *nocens.* Lucan. *totumq; putauit Iam bonus eſſe ſocer.* Tacitus Hiſtoriar. lib. 4. Ipſe è maioribus ſuis hoſtis populi Rom. quàm ſocius iactabat. Sic enim reſtituit Lipſius. Iactat eſſe ſocius: quod plebs dixerit, iactat ſe ſocium eſſe. Apuleius lib. 7. Summos illi promitterent honores habituri mihi. Homerus. *Ὃς Διὸς εὔχετ᾽ ἐσθενέος παῖς εἶναι.* Ex Lamb. in Horat. Mureto in Catull. Lipſij antiq. lect. lib. 2. cap. 7. & in Tacitum, & alijs.

OBSTVPVIT, RETROQVE PEDEM) Homerus Iliad. γ. *παλίνορσος ἀπέστη.* Et paulo pòſt. *Ἂψ δ᾽ ἀνεχώρησε.* Lucret. *retroq; Vulgus abhorret ab hac.* Vbi retro abhorrere nihil aliud eſſe puto, quam horrendo retro cedere, refugere, & reformidare, & retro quaſi pedem reprimere. Lamb.

IMPROVISVM ASPRIS VELVTI) Ab Homero petita comparatio, ex Iliad. γ.

Ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
Οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
Ἂψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς.

Aſpris, vt compoſtus, & ſimilia, per ſyncopen.

ANGVEM) χελυχερσικῶς, quum anguis aquarum, non agrorum eſſe dicatur.

HVMI NITENS) incedens per humum, & eſt aduerbium.

ABIBAT) Bene imperfecto vſus eſt, non enim abijt. Seruius.

IGNAROSQVE VIÆ) Oſtendit his adiunctis, à paucis plures potuiſſe ſuperari, quia videlicet quà irent, B quà non irent, neſciebant, nocte præſertim: & inde eos timor inuadebat. Cum timidis autẽ, locorumq́; ignaris ſecurè pugnatur. Platæenſes, vt ſcriptum eſt à Thucyd. lib. 2. Diodoro lib. 2. cum oppreſſi à Thebanis ſe dediſſent, quod longe maiorem putarent irrupiſſe numerum hoſtium, animaduerſo trecentos tantum eſſe, A adhuc dubia luce cõmunicato inter ſe conſilio, in eos irruunt, rati illos, vt in alieno, ignotoq; oppido timidiores, & ſe propter locorũ notitiam ſuperiores fore. Thebani ſe conglobati acriter defendebant. Cum autem ea nocte largiores pluuiæ cecidiſſent, & plerique clamoribus etiam ſeruorum, fœminarumq́;, quorum opera lapidibus, ac tegulis ædium obruebantur, conſternati huc illuc fugitarent per tenebras ac lutum, viarum, ac regionnm prorſus ignari, & quò fugerent neſcientes, idcirco ab inſequentibus ciuibus facile iugulabantur. Quidam in muros euadebant, inde corpora ſaltu ad terram mittentes, quorum pauci cum vita effugiebant. Alij alijs locis diſperſi, ac intercepti ſunt. Tandem qui reliqui erant, ſe ciuium poteſtati permiſerunt. Nonne etiam Græci, vt infra mox dicetur, diffugiunt alij ad naues, alij formidine turpi ligneum equum rurſus ſcandunt? ✠

ASPIRAT) fauet, vnde & fauor aura dicitur, vt, *gaudens popularibus auris*. Seruius. Ouid. 1. Metam. *dij cœptis Aſpirate meis*.

Atque hîc exultans ſucceſſu, animiſq; Chorœbus:
O ſocij, quà prima, inquit, fortuna ſalutis
Monſtrat iter, quaq; oſtendit ſe dextra, ſequamur.
Mutemus clypeos, Danaûmq́; inſignia nobis
Aptemus. DOLVS, AN VIRTVS, QVIS IN HOSTE REQVIRAT?
Arma dabunt ipſi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clypeiq́; inſigne decorum
Induitur, lateriq́; Argiuum accommodat enſem.
Hoc Ripheus, hoc ipſe Dymas, omniſq; iuuentus
Læta facit: ſpolijs ſe quiſq; recentibus armat.
Vadimus immiſti Danais, haud numine noſtro:
Multaq; per cæcam congreſſi prælia noctem
Conſerimus, multos Danaûm demittimus orco.
Diffugiunt alij ad naues, & littora curſu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rurſus equum, & nota conduntur in aluo.

O SOCII, QVA PRIMA) oratio parum prudens decorè attribuitur Chorœbo: quippe ſtulto ac vecordi, & ſucceſſu vno proſperiore immoderata lætitia geſtienti. Montfort.

MVTEM. CLYP. DANAVMQVE INSIG. NOB.) Quàm improuidum hoc fuerit cõſilium, quàm etiam noxium, mox docebit euentus. Quæ enim conducta videbantur ad victoriam & gloriam, ea peſtem ac perniciem attulerunt. *Inſignia* exponit Seruius, arma omnia: & tamen quod ſequitur cum interrogatione legit *Arma?* Quid ineptius hoc, Danaûm arma nobis aptemus. Arma? dabunt ipſi. Ego ad comantem galeam exiſtimo referendum: tametſi clypeum quoque mox inſigne decorum vocat, hoc eſt ornamentum decorum: quoniam nõ ſunt duo epitheta, vt monet Seruius, & rectè id quidem. ✠

DOLVS AN VIRTVS QVIS IN. H. REQVI.) Non diſſimile eſt hoc ab eo, quod præcipit Pindarus in 4. Ode Iſthmiorum: nulli enim rei parcere nos oportere dicit, vt conteramus hoſtem, gloriamq́; eius exC tinguamus. Verba poetæ ſunt. χρὴ δὲ πᾶν ἔρδοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν. Victor. lib. 8. cap. 15. * *Adde ex Vrſino. Thucyd. lib. 5. καὶ τὰ κλέμματα ταῦτα καλλίστην δόξαν ἔχει, ἃ τὸν πολέμιον μάλιστ' ἄν τις ἀπατήσας, τοὺς φίλους μέγιστ' ἂν ὠφελήσειε. Et Lyſander, vt ſcribit Plutarch. in Apopht. πρὸς τοὺς ψέγοντας αὐτὸν ἐπὶ τὸ δι' ἀπάτης πολλὰ πράττειν, ὡς ἀνάξιον τοῦ Ἡρακλέους, ἔλεγεν, ὅπου μὴ ἐφικνεῖται ἡ λεοντῆ, προσραπτέον εἶναι ἐκεῖ τὴν ἀλωπεκῆν. Parmenio tamen cum incitaret Alexandrum, vt hoſtes necopinantes per noctem inuaderet, quod nox terrorem allatura eſſet, reſponſum accepit, victoriam furari turpe eſſe: manifeſtò, ac ſine dolo vincendum. Hoc reſponſum commendat magnopere Arrianus lib. 3. & rationes eiuſdem à ſe prudenter excogitatas adiungit. Sic Diuico Princeps legationis Heluetiorũ ad Cæſarem lib. 1. de bello Gall. ſe ita à patribus maioribusq́; ſuis didiciſſe, vt magis virtute, quam dolo contenderent, aut inſidijs niterentur. Et Hirtius de bello Africano, loquens de Gallis: Bellare conſuetos contrà Gallos, homines* D *apertos, minimeq́; inſidioſos, qui per virtutem, non per dolum dimicare conſueuerunt.*

Dolo vincere hoſtes laudabile ſit néc ne, viderint alij. Equidẽ ſi de laude ipſe certarem, dolis minus vterer: cum de vita & ſalute dimicatur, dicerem cũ poeta, *dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* Ageſilaus ille Lacedæmonius ſentiebat, fœdus frangere impium eſſe: hoſtem verò dolo vincere, nõ iuſtum modò, ſed etiam hone-

honestum, & iucundũ. Ac quoniam hostes etiam ipsi dolis innitũtur, malo nodo (vt est in prouerbio) malus cuneus. Et quidem ista duo militis officia esse putantur, aut insidias facere, aut manu cum hoste confligere. Viperanus lib. de rege, & regno, cap. 19. * *Vide Plutarch. lib. de vtilit. capienda ex inimicis. Sunt qui rem ita distinguant: in odijs priuatis nec ferro nec dolo vtendum. In bello iuste suscepto ad dolum licere confugere. Verba D. Augustini sunt quæst. 10 super Iosue: vt aperte quis pugnet, aut insidijs, nihil ad iustitiam interest. Sensit hoc etiam Xenophon in Hipparcho. Veget. lib. 3. cap. 9. Boni enim duces non aperto Marte, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, vt integris suis, quantos possint hostes interimant certe, vel terreant.*

SIC FATVS, DEINDE COMANTEM) Chorœbus consilium suum primus exequitur: vt non solum verbis, sed re ipsa etiam socios hortari videatur. Nam in huiusmodi negotijs facta magis, quam oratio mouere solet. Id effectus comprobauit: omnes enim adducti exemplo eius, ad dolos insidiasq; se accingunt. Nascimb.

LATERIQVE ARGIVVM ACCOM. ENS.) adiungit, applicat, vt explanat Nonius. Cic. de Orat. lib. 2. Africano illi superiori coronam sibi in conuiuio ad caput accommodanti. *Ense latus cingit*, ni fallor, Ouid.

HAVD NVMINE NOSTRO) Aut dijs contrarijs: aut quia in scutis Græcorum Neptunus, in Troianorum Minerua fuerat depicta. Ita Seruius. Priorem interpretationem malo. lib. 12. *Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem*, id est, nobis fauentem, ac propitium.

MVLTOS DEMITTIMVS ORCO) *Ἄϊδι προΐαψεν*, vt est 1. Iliad. *πολλὰς* à numero, vnde occulta deducitur consilij à Chorœbo cõmendatio, quod eius persuasione multi Troianorum hostes necantur. Nascim. * *Suprà eidem verbo eundem casum dedit, in eandem sententiam*, Demisere neci, *Palamedem videlicet. lib. 12. meminit locutionem*, Aut hac Dardanium dextra sub tartara mittam.

DIFFVG. ALII AD NAVES) Magna virtus paucorum Troianorum, magna gloria: contrà, ingens timiditas, & ignauia Græcorum, qui essent tam multi aduersus paucissimos, hìc exprimitur. Laudatur simili ratione Æneas, vituperanturq; à timiditate Græci lib. 6. qui vnum illum cõspicientes apud inferos, quò cum Sibylla descenderat, tremiscunt omnes, pars etiam, vt hic fugam capessunt: nec milites solùm, verum etiam ipsimet duces. Sic enim habet poeta.

At Danaûm proceres, Agamemnoniaq́; phalanges
Vt videre virum, fulgentiaq́; arma per vmbras
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates.

Similis laus Atheniensium, quorum vnà cum Platæensium auxilijs non erant plus decem millibus, & tamen plurima Persarum millia profligarunt, atque perterruerunt, vt se quoque non ad castra, sed ad naues reciperent. Verba Æmilij Probi ex Miltiade adscribemus. Itaque in aciem (Datis) peditum centum, equitum decem millia produxit, præliumq; commisit. In quo plus virtute valuerunt Athenienses, vt decuplicem numerum hostium profligarent: adeoq; perterruerunt, vt Persæ non castra, sed naues peterent. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. ✻

INGENTEM FORMID. T. SCAND. EQVVM) Nulla re significantius timiditatem, & imbelliam Græcorum potuisset ostendere: quinetiam simul stultitiam subindicat, qui se machinæ illi ligneæ crederent, quæ dolo iam cognito facile subiectis flammis exuri poterat. Sed timor quoque vehemens, & repentinus homini mentem eripit, facitque vt minimè tuta pro tutis amplectatur. ✻

HEV NIHIL INVITIS FAS QVENQVAM FIDERE DIVIS.
Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus à templo Cassandra, adytisq; Mineruæ,
Ad cælum tendens ardentia lumina frustra,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus,
Et sese medium iniecit moriturus in agmen,
Consequimur cuncti, & densis incurrimus armis.
Hic primùm ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur: oriturq; miserrima cædes,
Armorum facie, & Graiarum errore iubarum.
Tum Danai gemitu, atque ereptæ virginis ira,
Vndiq; collecti inuadunt: acerrimus Aiax,
Et gemini Atridæ, Dolopumq́; exercitus omnis.
Aduersi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusq́;, Notusq́;, & lætus Eois
Eurus equis: stridunt syluæ, sæuitq́; tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.

HEV NIHIL INVITIS) Generalis quidem sententia, sed loco congrua: sequitur enim & Cassandræ captiuitas, fidentis sacerdotis: & præcesserat armorum mutatio, quæ nunc deprehenditur: alioqui vitiosa est, cum discrepat à specialitate. Seruius. Hanc explicationẽ quodammodo *παραφραστικῶς* tractat Nascimbænus. Quia dixerat, *exultans successu*, exclamatione pathetica vtitur, quæ significationem doloris

habet. Nam sententia generalis quidem est, & ex illis, quæ veræ sententiæ dicuntur (nam id verum est, nihil inuitis dijs fieri posse: vnde probatur deos esse, & mortalia curare) sed huic etiam loco valde apposita. Nam antea dixerat, Troianos successu lætos, fortunamque laboribus inter initia aspirasse: nunc verò, dijs ita volentibus, ait reflare cœpisse. Sumptum apparet ex illo Eurip. in Supplicibus. ἡ ἀρετὰ δ' οὐδὲν φέρει βεβαίοτερ, εἰ μὴ τὸν θεὸν χρήζοντ' ἔχει. * *Vel ab Homero ex Iliad. μ.* θεῶν δ' ἀέκητι τέτυκτο Ἀθανάτων, τῷ ὅτι πολλὸν χρόνον ἔμπεδον ἦν. *Theog.*

> Θεοῖς εὔχου οἷς ἔπι μέγα κράτος, οὔτι ἄτερ θεῶν
> Γίγνετ' ἀνθρώποις οὔτ' ἀγαθ', οὔτε κακά.

Stat. nec numina contra Tendere fas homini. *In Monostichis diuersis de diuini efficientia auxilij.*

> Θεοῦ συνεργοῦντ, πάντα ποιῶ ῥᾳδίως.
> Θεοῦ θέλοντος, κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις.
>
> *Deo iuuante facilè fiunt omnia.*
> *Ramus etiam, deo volente, nauis est.*

ECCE TRAHEBATVR PASSIS) Hoc illud est, cuius caussa exclamauit Æneas, *Heu nihil inuitis*, &c. Casus repentinus, & insperatus exoritur, Cassandra Priami regis filia capillis ab hostibus tracta, quæ res efficit, vt Troiani agnoscantur, & pœnas luant. Porrò singula huius descriptionis verba, ex varijs circumstantijs singula habent tum commiserationis, tum indignationis affectus: præsertim à genere, à sexu, ab ætate, à loco, à modo. Hæc Nascimb. à quo hæc sigillatim pulchre declarantur.

AD CÆLVM TENDENS) Ouid. I. Metamorph. *tractisq́, comis antistita Phœbi, Non profecturas tendebat ad æthera palmas.*

ARDENTIA LVMINA) Arbitror hìc nitentes, & lucidos oculos significari, laudarique virginem hanc à pulchritudine, cuius præcipua pars est in oculis. Alioqui etiam iratorum oculi sunt, & dicuntur ardentes. Lib. 12. *Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit*: sed aliter. flammam enim, & colorem ignis imitantur: at illi splendorem fulgoremque tantummodo. Et aliud Germanis *glantzende*, aliud *feurige augen*. ✠

ARCEBANT) Hoc est, constringebant, vinciebant. Suprà, *arcta leuari Vincla iubet Priamus.* Ea enim D arcendi vis est. Sunt & qui carcerem ab hoc verbo deducunt, vt εἱρκτὴ apud Græcos, παρὰ τὸ εἵργειν. Quod autem poeta oculos sustulisse in cælum Cassandram, non item manus vinculis impeditas dicit, elegans hìc latet Euripidis imitatio, inducentis Andromacham à Menelao damnatam, & cædi destinatam, eandemque manibus reuinctam Peleum inclamare, obsecrantem his verbis:

> Ἀλλ' ἀντιάζω σ', ὦ γέρον, τῶν σῶν πάρος
> Πίτνουσα γονάτων, χειρὶ δ' οὐκ ἔξεστί μοι
> Τῆς σῆς λαβέσθαι φιλτάτης γενειάδος.
> Ῥῦσαί με πρὸς θεῶν.
>
> *Tibi verò eo aduersum, ô senex, atq́, genua*
> *Prouoluor ante tua, quòd haud mihi manu*
> *Mentum tuum dulcissimum contingere est*
> *Copia: deos per oro te, me liberes.*

German.

NON TVLIT HANC SPECIEM) Species sæpe πρόσοψις dicitur Euripidi: vt in Oreste, πικρὰν θέα A μα, καὶ πρόσοψις ἀθλία, de Oreste damnato, & Pylade. German.

FVRIATA MENTE) Claudian. de raptu. furiatum pectus. Pindar. Pyth. Ode 2. de Ixione μαινομέναις φρασίν. Inter furiatus autem, & furiosus hoc interest. Furiosus, à quo furor nunquam recedit: furiatus, qui furit ex caussa.

MED. MOR. IN HOST.) Melior sensus est, si ad dimicantis affectum referatur. Sicut de Tarchonte, de quo dixit: *& medios fertur moriturus in hostes*, quum tamen vicerit. Seruius. * *Credibile fit, poetam ad exemplum Deciorum respexisse, qui se pro patria deuouentes, in mediam hostium aciem immiserunt. Suprà idem hortabatur socios Æneas,* moriamur, & in media arma ruamus. *Hoc est, ruamus in medios* B *hostes morituri.*

DENSIS INCVRRIMVS ARMIS) Supra, *Irruimus, densis & circumfundimur armis.*

DELVB. CVLMINE) tecto, veteres enim ædes culmis tegebant. Aliud exoritur incommodi genus, ad commiserationem amplificandam, ex infelici Troianorum euentu, quibus propter ereptam Cassandram contigit, non solum vt ab hostibus agnoscerentur, verum etiam vt propter armorum hostilium errorem, à suis ciuibus miserabiliter occiderentur. Nascimbæn. * *Appositum huc, quod habet Vegetius lib. 4. cap. 25. Quid facere debeant oppidani, si hostis irruperit ciuitatem. Sæpe ab oppidanis interempti hostes, qui ciuitatem iam occuparunt: dum videlicet* C *illi muros ac turres retinent, vel altiora occupant loca. Tunc enim de fenestris, ac tectis, omnis ætas, ac sexus irrumpentes obruunt saxis, alijsq́, generibus telorum. Vide quæ ex Thucydide diximus de Thebanis, & Platæensibus paulo ante.*

IVBARVM) Pro cristarum, inquit Seruius, quæ de caudis equorum fiebant. Alibi, *cristaq́, hirsutus equina.*

ACERRIMVS AIAX) Telamonis nempe filius, quem ex Homero Ouid. lib. 13. Metamorph. dominũ clypei septemplicis nominat. Vbi idem, dum arma Achillis fratris sui patruelis petit à ducibus, aduersus competitorem Vlyssem, sua facinora cum illius contemptu magnificè, planeq; Thrasonicè iactat. E quibus satis apparet, quò collimarit noster Maro, cum eum acerrimum appellare voluit. Postquam verò arma illa Vulcania Vlyssi adiudicata sunt, doloris impatiens, versus est in furorem, & in gladium ipse suum incubuit. De quo extat Sophoclis. Αἴας μαστιγοφόρος. ✠

ADVERSI RVPTO CEV QVONDAM) Expressisisse videtur Homericam illam comparationem Iliad. γ.

> Ὡς δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα
> Βορέης, καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον
> Ἐλθόντ' ἐξαπίνης, ἄμυδις δέ τε κῦμα κελαινὸν
> Κορθύεται, πολλὸν δὲ παρὲξ ἅλα φῦκος ἔχευαν.

Ennius Annal. lib. 17.

> E *Concurrunt, veluti venti cum spiritus austri*
> *Imbricitor, Aquiloq́, suo cum flamine contra,*
> *Indu mari magno fluctus extollere certant.*

Vrsin.

SPVMEVS) Pro spumosus, vt floreus pro floridus, frondeus pro frondosus apud hunc nostrum, & similia apud alios sexcenta.

> Illi etiam, si quos obscura nocte per vmbram
> Fudimus insidijs, totaq; agitauimus vrbe,
> Apparent: primi clypeos, mentitaq; tela

Agno-

Agnoſcunt, atq; ora ſono diſcordia ſignant.
Ilicet obruimur numero. primuſq; Chorœbus
Penelei dextra diuæ armipotentis ad aram
Procumbit: cadit & Rhipheus, IVSTISSIMVS VNVS
QVI FVIT IN TEVCRIS, ET SERVANTISSIMVS ÆQVI.
DIIS ALITER VISVM. pereunt Hypaniſq;, Dymaſq;,
Confixi à ſocijs: nec te tua plurima Panthu
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Teſtor, in occaſu veſtro, nec tela, nec vllas
Vitauiſſe vices Danaûm. &, ſi fata fuiſſent
Vt caderem, meruiſſe manu. diuellimur inde
Iphitus & Pelias mecum: quorum Iphitus æuo
Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vlyſſi.

ILLI ETIAM) Propter illud, *Hic primùm ex alto*, &c. Præterquam enim, quod telis noſtrorum, ex armis Grecos nos eſſe arbitrantium, ex alto obruebamur, etiam illi, quos fugaueramus, olfacientes quod res erat, in nos inuadebant atrocius.

OBSCVRA NOCTE PER VMBRAM) Id eſt, per vmbram noctis obſcuræ.

FVDIMVS INSIDIIS) fugauimus, ſequitur enim, *totaq́; agitauimus vrbe.*

MENTITAQVE TELA) Verbo communi, hoc eſt, quæ nos Græcos eſſe mentiebantur.

SIGNANT) deſignant, aut per vocem, aut per ſymbolum, ſeu teſſeram, qua vtebatur exercitus.

DIVÆ ARMIPOTENTIS) Lib. 11. *Armipotens belli præſes Tritonia virgo.* Martial. lib. 7. belligera.

IVSTISS. VNVS. Q. F. IN TEVCRIS) De Galeſo ſene lib. 7. *iuſtiſſimus vnus qui fuit, Auſoniis olim ditiſſimus agris.*

SERVANTISS. ÆQVI) æquitatis. Sæpe non à poetis modò, ſed oratoribus quoque, Græcorum more, adiectiua neutra pro fæmininis, quę abſtracta vocant Grammatici, ponuntur. Homer. Odyſſ. δ. ſententia planè ſimili, laudis plena. Παντοίης ἀρετῆσι κεκασμένον ἐν Δαναοῖσι.

DIIS ALITER VISVM) Cum ſuos caſus non ſibi adſcribebant, ſed dijs, dicere ſolebant, *ſic viſum ſuperis.* Sic Virgilius cum hoc libro, tum initio tertij, *Poſtquam res Aſiæ, Priamiq́; euertere gentem Immeritam viſum ſuperis.* Vide ibi notata. * *Poteſt huc aptari illud Theognidis opportuniſſimè.*

Ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν εἰδότες οὐδὲν,
Θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον.

Quid homini diſciplina Chriſtiana imbuto in rebus aduerſis voluntatem, interdumq́; cum ingenti detrimento euenientibus dicendum ſit, norunt omnes: nempe illud, Fiat voluntas tua. *Et quod tolerantiſſimus ille Iobus edidit, qui tot & tam grauibus incommodis affectus atq; afflictus eſt:* ſicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen domini benedictum. *Non enim humanis rationibus diuinitatis ſecretiſſima, eademq́; iuſtiſſima conſilia metienda ſunt. Diſcamus ergo vel ab Ethnicis de deo reuerenter loqui, cum ab eo malè habemur, eiusq́; prouidentiæ nos totos volentes, libenteſq́; permittere.*

NEC TE TVA PLVR. PANTHV) Panthum nō ſua pietas, eademque maxima, & ſacerdotem ſuum A- A pollo non eripuit à cæde: & videbatur vtraque cauſſa eum ſeruare ab interitu debuiſſe. Sed & hìc dijs aliter viſum. Nam quomodo ſupra iuſtiſſimus cecidit, quod dij ferre non debuiſſe videbantur: ita hìc cadit religioſiſſimus, cui ad ſalutem nihil videtur profuiſſe religio, vt Rhipheo nihil profuit iuſtitia. Nos autem Chriſtiani teneamus, quod ex ſanctorum librorum paginis docti ſumus, quodque dictitare ſolebat Socrates: viro bono nec viuo, nec mortuo quidquam mali poſſe accidere.

ILIACI CINERES ET FLAM. TESTOR) Teſtor hìc eſt, iuro. iurabant autem per res chariſſimas, in quibus & per ſuorū cineres. Sic Hecuba apud Sen. Troad. B *Teſtor deorum numen aduerſum mihi, Patriaq́ue cineres*, &c.

VITAVISSE VICES DAN.) Seruius dicit, pugnas: quia per viciſſitudinem pugnabatur. Non ita eſt. vices, vulnera ſignificant, & cædes, vt quemadmodum vel percuſſerat, vel interfecerat, idem pateretur. Vbi igitur ab Argiuis tantundem fiebat operis ad pugnandum, eò Æneas ſe induebat. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16. * *Quod quidē caput, valde auctor ſum ſtudioſis poetica elocutionis, vt perlegant, ſi vllum aliud ex toto illo volumine. Innumeros quippe ſingulari cum diligentia flexus orationis, modosq; loquendi venuſtiſſimos, planeq́; poeticos Virgilij à ſe animaduerſos, ibidem ante oculos, & ad vtilitatem communem proponit.*

VT CADEREM, MER. MANV) Eſt quædam mors C merita, vt quam bellorum caſus, & morbi, intemperantia & cruditate quæſiti, aut ſcelera, aut crimina afferunt: meruit enim mori, qui in aciem prodijt. Turneb. lib. 11. cap. 19. * *Hoc vult Turneb. Qui peſtem alteri comparat, eum ſcire oportet, ſibi paratum eſſe, vt participet parem. Qui alium trucidare nititur, ipſe vt ab eodem trucidetur, eſt meritus. Atqui hoc fit in acie, vbi par pari meritò refertur, & vulnera vulneribus, cædes cædibus iuſtiſſimè penſantur.*

VVLNERE TARD. VLYSSI) Non quod accepiſſet Vlyſſes, ſed quod dediſſet. Multa ambiguæ ſignificationis, ſeu quæ in vtramque partem ſignificatione reciproca & aduerſa, quæúe vtroque verſum dicuntur, agendiq́;, & patiendi vim habent, enumerantur à Gellio lib. 9. cap. 12. formidoloſus, inuidioſus, ſuſpicioſus, D ambitioſus, gratioſus, laborioſus, infeſtus, metus, iniuria, neſcius, ignarus, &c.

Protinus ad ſedes Priami clamore vocati.
Hîc verò ingentem pugnam, ceu cætera nuſquam

Bella forent, nulli tota morerentur in vrbe:
Sic Martem indomitum, Danaosq; ad tecta ruentes
Cernimus, obsessumq; acta testudine limen.
Hærent parietibus scalæ, postesq; sub ipsos
Nituntur gradibus: clypeosq; ad tela sinistris
Protecti obijciunt, prensant fastigia dextris.
Dardanidæ contrà turres, ac tecta domorum
Culmina conuellunt: his se (quando vltima cernunt)
Extrema iam in morte parant defendere telis:
Auratasq; trabes, veterum decora alta parentum,
Deuoluunt. alij strictis mucronibus imas
Obsedere fores, has seruant agmine denso.
Instaurati animi regis succurrere tectis,
Auxilioq; leuare viros, vimq; addere victis.

AD PRIAMI SED. CLAM. VOCATI.) Non alio clamore quam oppugnantium regiam ac defendentium, qui maior ibi, & idem latius exaudiebatur.

HIC VERO ING. PVGNAM) Quanquam tota vrbe pugnaretur acerrimè, ac cædes innumeræ factitarentur, essetque crudelis vbique luctus, & plurima mortis imago, tamen tam infestis animis & corporibus, tanta contentione, tantis furijs oppugnabatur regia, vt reliqua vrbe pacem agitari, & tranquillitatem crederes. Ipsa autem oppugnatio graphicè describitur. Cur igitur istuc? dicet aliquis: quia illic erant, à quibus potissimùm animaduertenda erat, quæ fuerat accepta iniuria. Cur Helenã reddere Priamus noluit? Cur tot annis eo ad filij adulterium conniuente, tantum Græci sanguinis fusum est? B Addit aliam caussam Seruius, quam cupiditas & auaritia: vt illam superiorem, dolor & ira faciebant. Maior ibi spes prædæ, inquit. Magna militi ad fortiter pugnandum illecebra, aurum, argentum, pretiosa vestis, opima præda denique. Hæc si in regum domibus speranda non sunt, vbi tandem sunt? ✠

OBSESSVMQVE ACTA TEST. LIMEN) Diodorus *συνασπισμὸν*, quasi dicas, conscutationem, ab heroibus inuentum fuisse bello Troiano scribit, ad Homericum illud, opinor, respiciens. *ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.* Idque Philippum ait imitatum Macedonia phalange: aliud tamen id, quam testudo est: cuius ratio Romanæ militiæ erat, non Græcæ: C cum primi summisso genu subsidebant clypeis protecti, à tergo proximi eorum capita suis scutis tegebant, vt & horum alij: vt ea species tecti imbrices referret, vt Plutarch. in Antonio scribit, Turneb. lib. 6. c. 21. Idem melius lib. 9. cap. 8. his verbis. Illud porrò apud Cæsarẽ de bello Gall. lib. 2. testudine facta portis succedunt, de ea testudine intelligo, quàm faciebat exercitus, se tegumẽtis scutorum vndique operiens, vt testudo suo obducta est putamine, eaque specie referebat tectum ædificiorum: sic autem se operiebant crate perpetua clypeorũ aduersus sagittas Parthorum, & aduersus omnia missilia supernè cadentia, cum vrbem oppugnabant. Hinc Maro scribit, *obsessumq; acta testudine limen*. Quod de machina videtur Seruius intelligere, cui interpretatio- D ni, *acta*, conuenire videtur. Sed, acta, pro, facta, hìc dictum crediderim. Plutarchus in Antonio de clypeorũ testudine sic scribit, *αὐτοὶ δὲ κλίναντες εἰς γόνυ προσβάλλοντο τοὺς θυρεούς*, & quæ sequuntur. * *De testudine quidnam, & quotuplex fuerit, disserit accuratissimè Lipsius Poliorcetici lib. 1. Dial. 5. Vbi Homericum versum sic interpretatur.* Scutum scuto hæret, galeæ galea, atque viro vir. *Et monet, Horatium nil nisi densationem, & consertam aciem notare: scuta elata supra caput, quod proprium testudinis est, non notare. Quomodo autem, seu qua vi resisteretur testudini, & scalis, lib. 5. dial. 1.*

POSTESQVE SVB IP. NIT. GRAD.) Argumentum habet, in edito ianuam fuisse, gradibusque ad eam aliquot ascendi solitum, quod hodieque fieri videmus in optimatum ædibus, regijsque Principum. Turneb. lib. 12. cap. 5. Postes quidem primitus *παραστάδας*, latera ostiorum in ædificiis, quorũ fores alter cardinibus sustinet, alter seram, & repagula recipit: hìc tamen pro ostio sumitur, & foribus, vt apud Lucret. lib. 3.

Iam magis exemplis oculis debere videtur
Cernere res animus, sublatis postibus ipsis.

Et lib. 4. *Primus enim est, citra postes qui cernitur aër.* German.

DARDANIDÆ CONTRA TVRRES) Troiani diruebant turres, domorumque ruinis pro telis vtebantur. Caussam idoneam reddit: extrema iam in morte constituti, & neminem videntes, cui illa deberent reseruari: ne trabibus quidem auratis parcendum putabant, quibus reges Troiani conclauia decorauerant. Et hæc quidem extrinsecus, & in superioribus agebantur. Deorsum, & intrinsecus alij fores obseruabant, paratis, ad necem mucronibus: vt si hostes aditum perforassent, in ipsis ingressibus mactarentur. Donatus.

INSTAVRATI ANIMI) Instaurare propriè renouare interpretantur Grammatici, quasi instar alterius facere, quoties aliquid ad pristinam formam & nitorem restituitur. Eadem forma dictum, *finite, instaurata remissam Prælia*. Montfort.

VIMQVE ADDERE VICTIS) Exemplo nostro facere illis animos, vt rediret illis in præcordia virtus, vt quasi non victi, pugnarent nobiscum vnà alacriter. Dici vix queat, quantũ recreet in acie militem fidelis commilitonis animositas. ✠

Limen erat, cæcæq; fores, & peruius vsus
Tectorum inter se Priami, postesq; relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant,

Sæpius

Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, & auo puerum Astyanacta trahebat.
Euado ad summi fastigia culminis, vnde
Tela manu miseri iactabant irrita Teucri.
Turrim in præcipiti stantem, summisq; sub astra
Eductam tectis, vnde omnis Troia videri,
Et Danaûm solitæ naues, & Achaïca castra:
Aggressi ferro circùm, quà summa labantes
Iuncturas tabulata dabant, conuellimus altis
Sedibus, impulimusq;: ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit, & Danaûm super agmina latè
Incidit. ast alij subeunt: nec saxa, nec vllum
Telorum interea cessat genus.

LIMEN ERAT, CÆCÆQVE FORES) Magna arte A describit, quod Latini quidam Græco vocabulo ψευδόθυρον appellant. Cic. 4. Verrin. *Ex pecuniæ, quemadmodum ad istum per pseudothyrum reuertantur, tabulis vobis, & testibus planum faciam.* Est autem pseudothyron, siue, quod rectius puto, pseudothyrion, latens ianua: ea verisimile est Æneam intrare potuisse. Nannius. lib. 7. cap. 11.

Dicimus foris, forem, & fore. Terent. Heaut. *Mane, mane, quid est, quod à vobis grauiter crepuit foris?* Plaut. Milite. *Sed foris concrepuit hinc a vicino sene.* Liuius lib. 14. forem ex æde Lunæ, quæ in Auentino est, receptam tulit. Horat. Sat. 2. lib. 1. *Exclusus fore, cum Lõgarenus foret intus.* Dicta est foris, siue fores, quòd olim B apud veteres Romanos foras, non intro aperiebantur: vt scribit Seruius ad illum locum lib. 1. *foribus cardo stridebat ahenis.* Hinc fieri videmus, vt apud Terent. & Plautum, vbi quis domo prodit, crepent fores. Nam qui domo foras prodibant, antequam fores aperirent, crepitu illo significabant ijs, qui per viam publicam iter faciebant, & eà forte præteribant, vt sibi cauerent, ne à foribus læderentur. Ex Lamb. in Horat.

FERRE INCOMITAVA SOLEBAT) Incomitata perpessionis est, sine comitibus. Sic Lucret. lib. 6. *Incomitata rapi certabant funera vasta.* Incomitem priscis dictum pro sine comite, obseruat Festus.

ET AVO PVERVM ASTYAN. TRAHEB.) Desinunt C quodammodo gaudere filiis parentes, cum ex ijs procreatos sibi nepotes aspexerint: multo magis, si etiam ex nepotibus pronepotes: quoniam in his familiæ vltra atque vltra propagandæ magna spes sita. Et quia iam senes, dici nõ potest, quantam ex consuetudine illa cum paruulis incommodorum ætatis suæ leuationem sentiant. Hoc vidit etiam Virgilius. Catullus item elegia ad Mallium, cum ostendere conaretur, quàm vehementer Laodamia Protesilaum maritum amauisset, ait, non esse tantum amorem quo auus nepotem ex vnica filia, præcipiti iam ætate susceptum prosequatur.

Nam neq; tam charum confecto ætate parenti
Vna caput seri nata nepotis alit.

Germanum huic facto Andromaches, quod in 3. de D raptu Claudian. Electram Nympham, nutricem Proserpinæ, sæpius eam paruulam ad Iouem patrem cum ea collusurum ducere consueuisse.

Aspicit Electram (Ceres) natæ quæ sedula nutrix
Oceani priscas inter notissima nymphas.
Par Cereri pietas: hæc post cunabula dulci
Ferre sinu, summoq; Ioui deducere paruam
Sueuerat, & genibus ludentem aptare paternis.
Hæc comes, hæc custos, hæc proxima mater haberi.

Idem Panegyr in 4. consulat. Honor. de Placilla matre, & eodem Honorio adhuc infante. *tum lenibus vlnis Sustulit, & magno porrexit ad oscula patri.* Imperator quoque M. Antoninus, cognomento philosophus, Commodum filium infantem sæpe vlnis gestans, militibus dabat in manus, & ita ipsum quasi eorum fidei commendabat. Herodian. in Commodo. De Argia Adrasti Argiuorum regis filia, quæ cum Polynice Oedipi filio nupta erat, & ad patrem auxilium marito, contra Eteoclem fratrem apud Thebas pro regno pugnanti petitura veniebat, Statius 3. Thebaid. quippiam re simile, nempe paruum nepotem dicit auo ostentasse: sed alia longè de causa, non vt cum eo lusitaret, sed vt eius aspectu cõmotus, patrem pueri, & generum suum Polynicen, & filiæ maritum sibi armis adiuuandum susciperet.

At gemitus Argia viri non amplius æquo
Corde ferens, sociumq; animo miserata dolorem,
Sicut erat laceris pridem turbata capillis,
Et fletu signata genas, ad celsa verendi
Ibat tecta patris, paruumq; sub vbere caro
Thessandrum portabat auo, &c.

Binominis fuit. Astyanax ἀπὸ τοῦ ἄστυ, καὶ ἄνακτος, quod pater eius Ilium virtute sua seruaret. Ipse autem Hector eum Scamandrum, à fluuio Troiano nominauit. Testis Homerus. De genere mortis eius dicemus lib. 3. ad illud,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.

EVADO AD SVMMI FASTIG. CVL.) Eà, quà se Andromache ferebat ad soceros, nec videbatur ab aliquo, ego euado ad summi fastigia culminis: hoc est, vadendo, & ascendendo peruenio ad fastigia culminis summi, illò, vnde nostri satis instanter tela non tam iaciebant, quam spargebant, quia nihil profutura. Testudo enim superius descripta, telis ipsis adimebat effectũ. Dicit deinde consilium suum, quod suggesserat necessitas pro ratione loci, ac temporis, & personarum. In summo enim fuerunt, qui hostes in imo positos impedirẽt, & propter testudinem frustra pugnabant. Proijciendum fuit aliquid, quod non qualicunque ictu eam læderet, sed pondere suo opprimeret. Ergo, *Turrim in præcipiti,* &c. Meritum turris dicitur, sed iam solitis officijs non necessariæ. Omnis enim felicitas Troiana conciderat. Contemnenda igitur fuerat, quæ cum suis defensoribus mox fuisset arsura. In præcipiti stantem, in alto, vnde quis potest præceps dari, sequitur enim *summisq; sub astra Eductam tectis.* [*Turris altitudo significatur quidem verbis illis*, summisque sub astra Eductam tectis: *at illis*, in præ-

in præcipiti stantem, *situs eius, & positio, non altitudo. Sunt enim turres in medijs ædibus: quarum pars summa, si conuulsa deijciatur, cadet in tecta subiectarum ædium. Elegit poeta turrim, coniunctam quidem cum domo regia: sed quæ haberet latus vnum apertum, vnde quiduis præceps rueret, caderetq́; in imum solum, in terram vsq;. Quæ res fuit apta ad obruendos Græcos, regiam oppugnantes. Qui vero opinantur, hanc esse illam turrim, vnde 3. Iliad. Priamus cum senibus aliquot, & primoribus Troianis Græcorum castra contemplabatur, errant. Illa erat ad portam Scæam, coniuncta mænibus, hæc in regia. Medicius cap. 26.*] Hanc ferro aggredimur in sublimi, & abscissis iuncturis omnibus, quæ magnitudinem tantæ altitudinis retinebant, quà faciles ad rescindendum erant, impulimus. Ea super Danaos latè incidit, & quam plurimos obtriuit. Verùm alij continuò subierunt, quod in tanta multitudine facillimum A fuit. Nec nostri saxis, & quibuscunque telis potuerunt, se defendere destiterunt. Benè addidit genus, telum enim dicitur græcis ἀπὸ τοῦ τηλόθεν, quidquid longe iaci potest. Sic Græci βέλος dicunt, ἀπὸ τοῦ βάλλειν. Donatus, Seruius. * *Vide amabo Gellium de euphonia quarundam vocum disputantem lib. 13. cap. 19. vbi & de voce, turrim.*

EA LAPSA RVIN. CVM SON. TRAH.) Hæc, & quæ sequuntur verba, ipsa celeritate numeri casum turris celerem sub aspectum subijciunt: vt conatum, tarditatemq́ue remigantium ille, *Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.* Hoc etiam vnum est præceptorum de elegantia carminis, nempe vt numerus cum ipsa rerum qualitate consentiat. ❧

Vestibulum ante ipsum, primoq́; in limine Pyrrhus
Exultat, telis, & luce coruscus ahena.
Qualis vbi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis nouus exuuijs, nitidusq́; iuuenta,
Lubrica conuoluit sublato pectore terga
Arduus ad solem, & linguis micat ore trisulcis.
Vnà ingens Periphas, & equorum agitator Achillis
Armiger Automedon: vnà omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, & flammas ad culmina iactant.
Ipse inter primos, correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesq́; à cardine vellit
Aeratos: iamq́; excisa trabe, firma cauauit
Robora, & ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, & atria longa patescunt.
Apparent Priami, & veterum penetralia regum:
Armatosq́; vident stantes in limine primo.

VESTIBVLVM ANTE IPSVM) Quid maximè significet vestibulum, & quæ sit eius vocabuli ratio doceamur a Gellio lib. 16. cap. 5. nonnulla describã. Ve, particula, sicut quædam alia, tum intentionem significat, tũ imminutionem. Nam vetus, & vehemens, alterum ab ætatis magnitudine compositum, elicitumq́ue est, alterum à mentis vi atque impetu dicitur. Vescum autem, & quod ex ve, particula, & esca copulatum est, vtriusque diuersæ significationis vim capit. Aliter enim Lucretius vescum salem dicit, ex edendi intentione, aliter Lucilius vescum appellat, cum edendi fastidio. Qui domus igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante ianuam relinquebant, qui inter fores domus, & viam medius esset. In eo loco, qui dominũ eius salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant, & neq; in via stabant, neq; intra ædes erant. Ab illa ergo grandis loci cõstitutione, & quasi quadam stabulatione, vestibula appellata sunt spatia, sicut diximus, grandia, ante fores ædium relicta, in quib⁹ starent, qui venissent, priusquam in domum intromitterentur. Meminisse autem debebimus, id vocabulum non semper à veteribus propriè, sed per quasdam translationes esse dictum, quę tamen ita sunt factæ, vt ab ista de qua diximus, proprietate non longè desciuerint. * *Plura quæ voles, consulat Symbolas nostras in 6. Æneid. ibi,* Vestibulum ante ipsum, primisq́; in faucibus Orci.

EXVLTAT TEL. ET LVCE CORVS. AHEN.) Epigrãma extat Anthol. 1. in hunc iuuenẽ magnorũ spirituum, hoc titulo, *τίνας ἂν εἴποι λόγους πύῤῥος ἐπιβὰς τῆς τρωίας.*

Μόχθος ἐμοῦ γενετῆρος ἀμύμονος οὐ τέλος εὗρεν.
Ἀλλὰ ἐγὼ Τρώεσσι φόνον πάντεσσι κορύσσων
Ἤλυθον, ἠνορέῃ γὰρ ὑπέρτερον εὖχος ἀείρω
Καὶ πρίαμον βασιλῆα, καὶ οὓς φυλάσσοντας ἀχιλλεὺς
Πάντας ἐμοῦ κατὰ μᾶλλον ἐμὸν μένος οἶδεν ὀλέσσαι,
Καὶ τρώιος πολίεθρον ἀρήιον ἐξαλαπάξω,
Καὶ δαναοῖς δεκέτηρον ἐμὸν δόρυ μόχθον ἀνύσει.

Latinè. labor parentis mei integerrimi finem huic bello imponere non valuit. Ast ego Troianis omnibus cædem, & interitum certissimè importans, furens in armis huc venio, maiusq́ue decus, & ampliorem gloriam virilitate & strenuitate mea adipiscar. Nam Priamum regem, & quib⁹ adhuc belli fortuna pepercit, eos excepto nemine, ira & ardor animi mei cõgressos facilè neci dabit. Et vrbem Troiæ Martiam deuastabo, obsidionemq́; decem annorum victor soluam.

Arma antiquitus non fiebant ferrea, sed ærea, aut etiam stannea, propter ferri penuriam. Alcæus poeta æreorum tibialium, & ensium meminit in illis versibus, qui apud Athenæum leguntur lib. 14. cap. 11. Hesiodus etiam rustica instrumenta fuisse olim ærea, nec ferrum in vsu fuisse confirmat.

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι.
Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο. μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

Id est, ijs autem erant aerea quidem arma, æreæque domus, ære operabantur: nigrum enim non erat ferrum. D Verum nemo miretur, ex molli metallo præ ipso ferro, rustica instrumenta, & arma facta esse, siquidem temperatura

peratura quadam, vt Proclus, & Tzetzes Hesiodi interpretes testantur, æs ipsum densabant, qua per fabrorũ incuriam amissa, ad vsum ferri deuentum sit. Antiquorum armorum consuetudinem & Virgilius hoc loco indicauit. Idem ex sacris litteris patet. Legimus enim Regum lib. 1. cap. 17. Goliath hæc aerea arma habuisse, cassidem, ocreas, & clypeum. Magius lib. 3. cap. 3. * *Quin tamen poetis familiare sit, æs pro ferro dicere, nemo nisi illiteratissimus inficiabitur.*

Fidus, inquit Gellius lib. 2. cap. 3. optatusq; multi nominis Romæ Grammaticus ostendit mihi librum Æneid. secundum, mirandæ vetustatis, emptum in Sigillarijs 20. aureis, quem ipsius fuisse Virgilij credebat, in quo duo isti versus cum ita scripti forent,

Vestibulum ante ipsum, primoq; in limine Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruscus aena,

additam vidimus suprà, h, litteram, & , *ahena*, factum. Olim, vt tradit Iouianus de Aspirat. lib. 1. quemadmodum hodie fit apud Græcos, supra vocalem apex quidã notabatur, quam dasiam illi vocant. Atq; ea quidẽ parcius multò, quam nunc, vetustissimos Latinos cõperio vsos, & fere in illis solum dictionibus, quib[9] natura inesset, vt ijs animi motus quidã, & affectus declararẽtur. Heu, hei, heiulo. Posteriores verò figuram aspirationi certam dedêre, & inter litteras notare maluerunt.

QVALIS VBI IN LVCEM COLVB.) Consule 3. Georg. ibi, *Cùm positis nouus exuuijs, nitidusq; iuuenta Voluitur.* Tertull. lib. de pallio. Nominandus est & serpens, licet ponè pauum. Nam & iste quod sortitus est, cõuertit corium, & æuum. Siquidem vt senium persensit, in angustias stipat, pariterq; specũ ingrediens, & cute egrediens, ab ipso statim limine erasus, exuuijs ibidẽ relictis, nouus explicat, cum squammis, & anni recursantur.

MALA GRAMINA) Vt Virgil. mala gramina, sic Tibull. lib. 1. eleg. 2. *Sola tenere malas Medea dicitur herbas.* Nicander mentam τοκῶν βοτάνην vocat, quod muliebrem conceptionem olfacta corrumpat, aut interpellet. German.

LVBRICA CONVOL.) Anguis hyberno situ membrana corpori, præcipuè autem oculis obducta occæcatur, verno verò tempore fœniculum pastus, id Græce μάραθρον est, eiusq; succo oculos inungens, impedimẽtum illud exuit, & acutissimo, quo pollet, visui restituitur: senectutemq; ita singulis deponit annis, nudusq; propemodũ vernat, & glabro corpore iuuenis, vt Maro ait, *Lubrica cõuoluit sublato pectore terga.* Leberida verò, mẽbranam scilicet, quã deponit, ita exuit, vt à capite orsus, interiore parte in exteriorẽ, exterior in interiorem versa, cute intùs altera subnascente, &c. Pier. li. 14.

LING. MICAT ORE TRISVL.) Sulcus omne quidquid A in longitudinem aculeatum est. Varro Bimarg. Et pater diuûm trisulcum fulmen igni feruido actutum mittat in tholum Marcelli. Nonius, adducens præterea hunc ipsum Maronis locũ. Sed ex celeritate quã mouet linguam, videtur habere trisulcam, id est, trifidam. Vide supra, *inbaq; Sanguineæ exuperant.*

EQVORVM AGITATOR ACHILLIS) Hic pro auriga simpliciter. Alioqui agitatores dicti sunt aurigæ in curuli certamine, & ludis Circensibus, quorum factiones erant russati, albati, prasini, veneti, à colore panni dicti, quibus Domitianus duas addidit, &c. Bud. in Pand. Equorum agitator, ἱππηλάτης, ἐλάσιππος, ἁρμηλάτης, διφρηλάτης. Similiter & Iurisconsulti agitatores dixerunt, B vt in l. Athletas. ff. de ijs, qui not. infam. his verbis. Et generaliter omnes opinantur, & vtile videtur, vt neq; thymelici, nec agitatores, nec qui aquam equis spargunt, cæteraque eorum ministeria, qui certaminibus sacris deseruiunt, ignominiosi habeantur. German. * *Verum esse quod German. & Budæus aiunt, Vocem hanc de aurigis ludorum circensium dici, etiam Ciceronis auctoritate probatur. Lib. 4. Academ. Ego enim vt agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo: eoq; magis, si locus is, quo ferentur equi, præceps erit. Ad Att. lib. 13. Nec est melius quidquam, quam vt Lucullus sustineat currum, equosq;, vt bonus sæpe agitator. Verbum agitare in eadem re positum est Georg. 3.* Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

IPSE INTER PRIMOS) Pyrrhus non alijs tantum imperabat, vt pugnarent, sed ipse pugnabat: neq; C post principia, vt Terentianus ille Thraso, sed inter primos aderat. Vnde deducitur commendatio ab ardore, & magnitudine animi. Demonstrat item virium eius præstantiam, & in conficiendo negotio celeritatem quod sequitur, *iamque excisa trabe firma cauauit Robora,* &c. Nascimb.

INGENTEM FENESTRAM) Ταπείνωσις est, aucta epitheto. Nam cum dicendum fuisset, cauernam factam, per quã interiora videbantur, fenestram dixit, sed auxit per epitheton, vt diximus, & adhuc illis, *lato ore.* Sic in 1. Æneid. *Apparent rari nantes in gurgite vasto.* cum de mari loqueretur. Nascimb. * *Adagium, fenestram aperire, id est, alicuius rei occasionem atq; ansam præbere: sed tan-* D *tum in malam partem. Terent. Heautontim.* Hui quantam fenestram ad nequitiam patefecerit. *Vide Chiliad.*

APPARET DOMVS INTVS, ET ATRIA) *Tautologia* est, ad augendam commiserationem ex præcipiti calamitate, & fortunæ Priami cõmutatione, quod exiguo vnius noctis spatio, tota regis domus infaustè, miserabiliterq; corruit, quæ multis iam sæculis prospera durauerat: quodq; nulla regia dignitatis habita ratione sic diruitur, sic muris exterioribus nudatur, vt omnia illius quasi viscera appareant. Nascimb.

At domus interior gemitu, miseroq; tumultu
Miscetur, penitusq; cauæ plangoribus ædes
Fœmineis vlulant: FERIT AVREA SIDERA CLAMOR.
Tum pauidæ tectis matres ingentibus errant:
Amplexæq; tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent. labat ariete crebro
Ianua, & emoti procumbunt cardine postes.
FIT VIA VI: rumpunt aditus, primosq; trucidant
Immissi Danai, & latè loca milite complent.
Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exijt, oppositasq; euicit gurgite moles,

Fertur in arua furens cumulo, camposq; per omnes
Cum stabulis armenta trahit. vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminosq; in limine Atridas:
Vidi Hecubam, centumq; nurus, Priamumq; per aras
Sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes.
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro, spolijsq; superbi
Procubuere. tenent Danai, quà deficit ignis.

AT DOMVS INTERIOR) Ennius 2. Annal. Albæ excidium describens, *At domus interior gemitu, miseroq; tumultu.* Sequentia desiderantur, quæ forsitan Virgilius, vt hoc, mutuatus est.

CAVÆ ÆDES) Per cauas ædes, cauædium intelligit, quod post atrium erat, explicaturq; à Varrone lib. 4. & Vitruuio lib. 6. cap. 3. Turneb. lib. 12. cap. 5.

FERIT AVREA SID. CLAMOR) Alibi, *Tollitur in cælum clamor.* Item. *It clamor cælo.* Lucret. lib. 2. *clamoreq; montes Icti reiectant voces ad sidera mundi.*

AMPLEX. TEN. P. ATQVE OSCVLA FIG.) Hoc, vt opinor, è Romanorum moribus dictum est, qui religionis aliquid liminibus, & postibus tribuebant. Apud Plautum limen superum, & inferum quadam religione B salutatur: & apud Tibullum liminibus oscula dantur: & hic apud Maronem postibus: & qui ædem dedicabat, postem tenebat, ad deorumq; placandam iram, poste caput tundebat. Tibullus igitur lib. 1. eleg. 2.

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.

Et apud poetas, amatores dant postibus serta. Quod si hoc non satis religionis opinionem confirmat, at certè verisimile, eandem posti reuerentiam, & cærimoniam tributam. Igitur amplectuntur postes, & osculantur, eorum religione se tutos fore, & immunes ab hostium C iniuria existimantes. Ita Turneb. lib. 12. cap. 5. aliter autem lib. 26. cap. 23. Hoc faciunt, inquit, mulieres, quæ se in captiuitatem abreptum iri suspicantur, seq; procul auectū iri in Græciam, ac Troiam relicturas. Qui enim domum sic deserebant in perpetuum, limina salutare solebant. Quod & Charinus adolescens apud Plautum Mercatore facit, aliò proficisci in perpetuum deliberans, mutato domicilio, versoq; solo.

Limen superum, & inferum salue, simul autem vale.
Hunc hodie postremū extollo mea domo patria pedem.

Ita fieri quoq; solebat, inquit Nascimb. in conuiuio silicernio, de quo abeuntes senes, veluti se amplius non visuri, se mutuò salutabant, atq; amplexabantur. Varro D apud Nonium in Silicernium. Hic autem locus ex Apollonio petitus videtur, lib. 4. inter initia, vbi Medeam poeta è patria domo abeuntem, postes ac parietes amplexantem, & torum deosculantem suum inducit. Versus hi sunt Κῦσε δ' ἰοῦσα λέχος, καὶ δικλίδας ἀμφοτέρωθεν Σταθμοὺς, καὶ τοίχων ἐπαφήσατο. * *Solitos veteres religionis caussa osculari fanorum limina, cum quippiam à dijs peterent, testimonio est locus ille apud Arnob. lib. 1. Et quoniam beneficia salutis data aliorum numinū comparatis, & Christi: quot millia vultis à nobis ostendi debilium, quot tabificis affectos morbis nullam omnino retulisse medicinam, cum deorum ante ora prostrati, limina ipsa conuerrerent osculis? &c. De diuinis osculis haud vulgaria Lipsius Elect. lib. 2. cap. 6.*

INSTAT VI PATRIA PYRRHVS) Inuidiosè, vt ego quidem sentio, in Achillem patrem, & Pyrrhum filium, necabsque turpitudinis nota (quia sub persona A Æneæ dicuntur) quasi nihil vnquam more patrio, nisi violenter, crudeliterq; nouerit facere. Ita oratorio more filium ex parente deturpat. Contra in 1. Didonem à parentibus commendat, cùm ait: *qui tanti talem genuere parentes?* Nascimb. * *De Pyrrho, qui & Neoptolemus in 3. vocatur, eiusq; sepulchro Strabo lib. 9. Epitaphium eius ex Ausonio producemus lib. 3. Caterū* τὸ *vi patria non ad violentiam, crudelitatemq;, sed ad virtutem paternam potius referendum puto, ad eam scilicet, qua multa oppida expugnauit.*

LABAT ARIETE CREB. IAN.) Arietem Iosephus de bello Iudaico lib. 3. sic decribit. Immensa est materia, malo nauis assimilis, cuius summū graui ferro solidatum est, arietis effigie fabricata, vnde nomen accepit. Dependet autem funibus medius, ex trabe alia, velut ex trutina palis vndiq; fulta. Retrorsum magna virorū multitudine repulsus, in fronte prominente ferro mœnia percutit. Eius inuentionem Carthaginensibus tribuit Vitruuius lib. 10. cap. 19. Operæ fuerit ipsa verba legere. Plinius lib. 7. cap. 56. Epeum ad Troiam inuentorem statuit. De ariete nemo aut distinctius, aut copiosius, aut dilucidius scripsit Iusto Lipsio. Vide eius Poliorcet. lib. 3. dial. 1.

AGGERIB. RVPT. CVM SPVM. AMNIS) Lucret. lib. 1.

Montibus ex altis magnus decursus aquaï
Fragmina conijciens syluarum, arbustaq; tota,
Nec validi possunt pontes venientis aquaï
Vim subitam tolerare, ita magno turbidus imbri
Molibus incurrit validis cum viribus amnis,
Dat sonitu magno stragem, voluitq; sub vndis
Grandia saxa, ruit qua quidquid fluctibus obstat.

Amnis propriè dicitur à circumnando, quoniam, am, ex græca præpositione sumptum, quæ est ἀμφὶ, significat, circum, & nare, fluere. Festus.

SANG. FÆD. Q. IP. S. IG.) Existimo in illa ara Iouis Hercei, ad quam Priamus occisus fuit, sacratum fuisse ignem peruigilem, & perpetuum. Turneb. lib. 14. cap. 15. Ouid. 3. Metamorph. *Exiguumq; senis Priami Iouis ara cruorem Combiberat.*

QVINQVAGINTA ILLI THALAMI) Quinquaginta liberos genuisse Priamum, Homerus quoque, & D Euripides confirmant. Hic quidem τῶν πεντήκοντ' ἀρσένων τέκνων vocat. At ille Iliad. ζ.

Πεντήκοντ' ἔνεσαν θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο,
Πλησίον ἀλλήλων δεδμημένοι, ἔνθα δὲ παῖδες
Κοιμῶντο Πριάμοιο παρὰ μνηστῇς ἀλόχοισι.

Testis huius rei & M. Tullius Tuscul. 1. vbi hoc addit, decem & septem fuisse illi è iusta vxore, hoc est ex Hecuba, natos. At ipse Priamus apud Homerum nouendecim, hoc versu. ἐννέα καὶ δέκα μέν μοι ἰῆς ἐκ νηδύος ἦσαν. Ipsa Hecuba in Troadibus Senecæ, *Et vos meorum liberûm magni greges.* In quem locum vide Delrii Comment. pag. 420. Nomina omnium qui requirit, Hyginum legat, cap. 90. Bocatium, & alios mythologos. Πολυπαιδία barbarorū Principum propria est, propter vxorum, seu concubinarum videlicet, quibus vtuntur, multi-

multitudinem. Artaxerxes Persarum rex centum & decem procreasse filios traditur. At Erotimus Arabs (incredibile memoratu) etiam septingentos, auctor Iustin. lib. 39. Veruntamen in libro quoque Geneseos de multis legimus, & genuit filios, & filias, etiam ex vna vxore, deo tantam sexui ad humani generis celerem propagationem fœcunditatem largiente: ne frustra dictum esset, Crescite, & multiplicamini, & replete terram.

BARBAR. POSTES AVRO, SPOL. SVPERBI) Cic. 1. Tuscul. ex antiquo poeta, *Astante ope barbarica.* Vbi barbaricum interpretor Phrygium, vt sit, stante Phrygum imperio. Sic apud Horat. epist. 2. lib. 1. *Græcia Barbariæ lento collisa duello*, id est, Phrygiæ. Et apud eundem Ode 9. Epod.

Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis barbarum,

id est, Phrygium. Ita hic apud Maronem, barbarico auro, id est Phrygio. Phryges enim opibus, & auro abundabant, opinioq; Græcorum erat, eos opulentos fuisse, vt & Persas. Itaq; vt barbarus ætate Demosthenis dicebatur Persarũ rex: sic barbaros, qui de bello Troiano scripsere, aut tragœdias illius argumenti attigere, Phryges intellexerunt: quamquam latiùs barbari nomen patet. Quod autem duo hæc regna opulentissima fuerunt, inde barbaricum aurum dixit Maro. Et vetus poeta apud Cic. in 2. Tuscul. *quibus magis palæstra, Eurotas, sol, puluis, labos, militia in studio est, quam fertilitas barbara*, id est, quam barbarorum deliciæ, & copiæ. Turneb. lib. 9. cap. 18.

Auro barbarico, id est, de barbaris parto: eo postes superbos, id est, magnificè exornatos esse dicit. Seu ita, A *barbarico auro, spoliisq; superbi*, id est, aureis barbarorũ spolijs splendidissimè decorati. Virgilius sub persona Æneæ, nunquam res Troianas appellasset barbaricas. Et certè Romani auos suos Troianos in barbaris non ducebant. Et erant Troiani Græcorum coloni: siquidem Teucer in Phrygiam Cretensium coloniam deduxerat. Græcè loquebantur: erantq; bello egregij, & de ijs fere semper honorificè loquitur Maro. Mouet hoc versu misericordiam, dum ostendit quibus in bonis, & victorijs fuerint Troiani: nunc quibus in malis, & cladibus versentur. Modicius cap. 27. Superbi postes sunt μεγαλοπρεπικῶς, quorum domini sunt superbi, seu qui propter magnificentiam, & pretium facere possunt superbum, B seu simpliciter, vt aliâs alibi, postes superbi, id est, ornatissimi, & sumptuosissimi, planeq; regij. Sic Horat. dixit. Ode 2. Epod. *Et superba ciuium Potentiorum limina.* Quod autem addit *spolijs* superbi, vide quæ disseruimus ad illum versum lib. 7. *Multaq; præterea sacris in postibus arma.*

TENENT DANAI) Verbum *tenere* pro vi occupare, sæpius legas apud idoneos scriptores. Cic. lib. 4. epist. Sed mihi crede, etiam is qui omnia tenet, fauet ingenijs. In Vatin. tenere templum armatis hominib⁹. Ad Att. lib. 10. Existimat, eum qui mare teneat, necesse esse rerum potiri. Alios, ne sim longus, missos facio.

QVA DEFIC. IGNIS) Quà ignis non habet, quod depascatur amplius. Magna significatio. Ignis enim quamdiu materiam habet, vrere non desinit, cum præsertim nemo est qui restinguat, vt tum nemo erat. Cum igitur defecerit, signum est, exustam prope totam regiam, & omnia à Græcis loca occupata.

Forsitan & Priami fuerint quæ fata requiras.
Vrbis vbi captæ casum, conuulsaq; vidit
Limina tectorum, & medium in penetralibus hostem:
Arma diu senior desueta trementibus æuo
Circumdat nequidquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur: ac densos fertur moriturus in hostes.
Ædibus in medijs, nudoq; sub ætheris axe
Ingens ara fuit, iuxtaq; veterrima laurus,
Incumbens aræ, atque vmbra complexa penates.
Hîc Hecuba, & natæ nequidquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ, & diuûm amplexæ simulacra tenebant.
Ipsum autem sumptis Priamum iuuenilibus armis
Vt vidit, quæ mens tam dira miserrime coniux
Impulit his cingi telis? aut quò ruis? inquit.
NON TALI AVXILIO, NEC DEFENSORIBVS ISTIS
TEMPVS EGET: non si ipse meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes,
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese, & sacra longæuum in sede locauit.

FORSITAN ET PRIAMI. F. Q. FATA) Vbiq; aliquid iacit seminum ad futurã messem Virgilius, vt auditorem quasi prægustatione alliciat ad epulas, vt isto loco. Similis præparatio in 1. Cum enim recipiendus esset Æneas, proponit hoc intelligendum ex pictura. In ea namq; ipse quoq; pictus erat. Et de fortuna Elisæ, C *Ille dies primus lethi, primusq; malorum Caussa fuit.* Prædicit etiam de balteo in 10. cuius caussa in 12. occiditur Turnus, *Quo nunc Turnus ouat spolio.* Palinurum quoque inuenio tacitè prædicentem mortem suam, quasi vaticinio. *non si mihi Iupiter auctor Spondeat, hoc sperem Italiam contingere calo.* Itaq; ne contigit quidem, au-

manibus tantùm cōtigit, & cadauere. Est hæc [illegible] futuri argumenti, quam non nisi diuini animi vel comminiscuntur, vel intelligunt. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 26.

Non imprudenter fata Priami seorsim recensenda duxit Virgilius: tum quia regiam tantis operibus conatibusque oppugnatam, & occupatam narrauerat, & verisimile erat regem ipsum, æui præsertim adeò maturum, fuga minimè elapsum: tum quia id imprimis lectorem scire desideraturum, non erat animi dubius (etenim occasus regum atque principium, quia ferè aut inexspectati, aut ad memoriam insignes sunt ac diuturni, auidius solemus cognoscere) vel quia cum de repub. vniuersa narrasset, de alijs quoque seorsim aliquid narrandum fuit, quod nunc præstabit, capietque initium à rege ipso, tanquam capite, & ad se, suosq; descendet.

VRBIS VBI CAPTÆ CASVM) Liber hoc loco vrbis captæ imaginem ab optimis auctoribus, Græcis & Latinis depictam proponere. Apud Homerum igitur ἰλ. ι. vxor Meleagri Cleopatra, virum suum orans, ne Calydoniorum vrbem à Pleuronijs capi, atque euerti sinat sic loquitur.

> Καὶ τότε δὴ μελέαγρον ἐΰζωνος παράκοιτις
> Λίσσετ' ὀδυρομένη, καί οἱ κατέλεξεν ἅπαντα
> Κήδε', ὅσ' ἀνθρώποισι πέλει, τῶν ἄστυ ἁλώῃ,
> Ἄνδρας μὲν κτείνουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει:
> Τέκνα δέ τ' ἄλλοι ἄγουσι, βαθυζώνους τε γυναῖκας.
> Τοῦ δ' ὠρίνετο θυμὸς ἀκούοντος κακὰ ἔργα.

quorum versuū hæc ferè sententia est. Tunc igitur Meleagrum vxor Cleopatra supplex lamentabili voce orabat, eique mala omnia enumerabat, quæ ijs accidunt, quorum vrbs capta sit. Hostes viros capiunt: vrbis ædificia incendio vastant, atque in cinerem vertunt: liberos & mulieres alij in seruitutem abducunt. Eius autem animus commotus est, vbi hæc atrocia facinora audisset. Aeschines in orat. κατὰ κτησιφῶν. hoc modo de Thebis ab Alexandro Macedone vi expugnatis, ac direptis. Ἀλλ' ἐπειδὴ τοῖς σώμασιν οὐ παρεγένεσθε, ταῖς γε διανοίαις ἀποβλέψατ' αὐτοὺς εἰς τὰς συμφοράς, καὶ νομίσατε ὁρᾶν ἁλισκομένην τὴν πόλιν, τειχῶν κατασκαφάς, ἐμπρήσεις οἰκιῶν, ἀγομένας γυναῖκας, καὶ παῖδας εἰς δουλείαν, πρεσβύτας ἀνθρώπους, καὶ πρεσβύτιδας γυναῖκας ὀψὲ μεταμανθάνοντας τὴν ἐλευθερίαν, κλαίοντας, ἱκετεύοντας ὑμᾶς, ὀργιζομένους οὐ τοῖς τιμωρουμένοις, ἀλλὰ τοῖς τούτων αἰτίοις. Interpretationem subscribo. Verùm quandoquidem corporibus præsto non fuistis, saltem animis adeste, & cogitationibus vestris calamitates eorum cōtemplamini. Fingite vos videre vrbem capi, muros suffodi, ac funditus euerti, domos incendi, mulieres & pueros in seruitutem abduci, senes, & anus libertatem serò dediscentes, plorantes vobis supplicantes, irascentes non ijs, qui tam crudeles ab ipsis pœnas expetiuerunt, sed ijs, quorum opera, & culpa in has miserias inciderūt.

Non admodum dissimile est illud ex Cornificio lib. 4. rhetoric. ad Herennium. O feros animos. O crudeles cogitationes. O derelictos ab humanitate homines, qui agere ausi sunt, aut qui cogitare potuerunt, quo pacto hostes reuulsis maiorum sepulcris, deiectis mœnibus ouantes irruerent in ciuitatem: quomodo deûm templis spoliatis, optimatibꝰ trucidatis, alijs abreptis in seruitutem, virginibus, matribusfamiliâs, ingenuis pueris sub hostilem libidinem subiectis, vrbs acerbissimo concidat incendio conflagrata. Et illud alterum ex eodem lib. infra. Nam neminem vestrum fugit, Quirites, capta vrbe quæ miseriæ consequi soleant. arma qui contra tulerunt, statim crudelissimè trucidantur: cæteri qui possunt per ætatem, & vires laborem ferre, rapiuntur in seruitutem: qui non possunt, vita priuantur. vno denique atque eodem tempore domus hostili flagrant incendio, & quos natura, aut voluntas necessitudine, aut beneuolentia coniunxit, distrahuntur: liberi partim à gremiis parentum deripiuntur, partim in sinu iugulantur, partim ante pedes constuprantur: nemo, iudices, est, qui possit satis rem consequi verbis, nec referre oratione magnitudinem calamitatis.

Eodem pertinent ea, quæ Cæsar apud Sall. ait esse ab ijs, qui ante se sententias dixerant, de belli sæuitia, disputata, his verbis. Pleriq; eorum qui ante me sententias dixerunt, compositè ac magnificè casum reipub. miserati sunt? quæ belli sæuitia esset, quæ victis acciderent, enumerauere: rapi virgines, pueros: diuelli liberos à complexu parentum: matres familiarum pati, quæ victoribus collibuissent: fana atque domos spoliari: cædem, incendia fieri: postremò armis, cadaueribus, cruore atq; luctu omnia repleri.

Accedat his Cremonæ exscidium apud Cornelium Tacitum lib. 19. Non dignitas, non ætas protegebat, quo minus stupra cædibus, cædes stupris miscerentur. Grandæuos senes, ex acta ætate fœminas, viles ad prædam in ludibrium trahebant. Vbi adulta virgo, aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium diuulsus, ipsos postremò direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniā, vel grauia auro templorum dona sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi, truncabantur, &c. Hosce locos quatuor annotauit Lab. in Horat.

MEDIVM IN PENET. HOST.) Pro, in medijs penetralibus. hypallage. Legitur etiam *medijs in penetralibus*, vt more vetusto elidatur, s, sicut ibi, *inter se coiisse viros, & decernere ferro.* Potest tamen, si sic legendum censeas, omitti præpositio.

ARMA DIV SEN. DESVETA) Commiserationem auget ex facto Priami. Rex annosus, tremulus, aspectu hostium territus, eo redigitur, vt se armis cogatur induere, nihil vel patriæ, vel sibi, vel suis etiam profuturis. Occultè tamen cum laudat à prudentia, & magnitudine animi, qui ruere in hostem, & strenuè mori, quam seruitutis iugum, regibus grauissimum perpeti malit.

INVTILE FERRVM CING.) Et Galba Imp. inutile ferrum cingebatur. Ridebatur maximè, inquit Xiphilin. quod in itinere gladium semper gestaret, homo iam senex, & imbecillis. Quis autem huiuscemodi milites sine risu aspiciat? Tamen etiam honoris caussa gestatur gladius, non offensionis aut defensionis tantum gratia. Apud Iapones gentem ingenio præstantem, & honoris auidissimam, positum est in more, statim primò pubertatis anno, id est, decimo quarto accingi pugione: potestq; de illa iuuentute, si de vlla in terris, illud Sallustianum dici ex Coniurat. Catilin. magisque in decoris armis, & militaribus equis, quam in scortis, atq; conuiuiis lubidinem habebant.

DENSOS FERTVR MORIT. IN HOSTES) Suprà, *Et sese medium iniecit moriturus in agmen.*

ÆDIB. IN MED. N. S. Æ. A. ARA FVIT) Hic à poeta describitur Iouis Hercæi ara, quæ in mediis ædibus in impluuio erat, sub dio, Græcorū more. Athenæus lib. 5. Ὅμηρος δὲ τὴν αὐλὴν ἀεὶ τάττει ἐπὶ τῶν ὑπαίθρων τόπων, ἔνθα ἦν ὁ τοῦ ἑρκείου Ζηνὸς βωμός. In illa autem ara perpetuus seruabatur ignis. Turneb. lib. 14. cap. 15. [*De hac eadem ara, statuaq; Iouis apud ipsam, lege quæ ex Pausania repetit Pierius, lib. 33. in Oculo.*] Idem Turneb. lib. 29. cap. 6. axem, ait, hic cælum interpretor. Sub axe nudo, id est, sub dio, sub cælo. & lib. 8. *gelidoq; sub ætheris axe.*

ATRA CEV TEMPESTATE COLVMBÆ) Columbam pro trepidatione ponere, vsitatissimum est hieroglyphi-

glyphicum: nam & nomen illi apud Græcos τρήρων hoc idem significat: à τρέω enim, timeo, trepido deducitur. Et poetæ tam Græci, quam Latini passim in pauidis vsurpant hanc comparationem, vt Homerus.

Αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι.

He pauidæ gressu similes abiere columbæ.

Quam similitudinem hic Maro transtulit. Etymologici enim τρήρων patronymon, nō epitheton columbæ ponunt. Pier. lib. 22. in Columba.

DIVVM AMP. SIM. TENEB.) Solebant in magno discrimine, & metu, desperationeque salutis amplecti deorum simulacra, vt eorū fide tuti essent. Idem quod hic à Marone, etiam ab Æschylo scriptum recordor. *πέπτεσ᾽ αὖτ᾽ ἐγὼ ποτὶ πάσσ᾽ ἀρχαῖα βρέτη δαιμόνων.* Iterum *ἀκμάζει βρέτεων ἔχεσθαι.* Plaut. Rudent. *Hic in fano, Veneris signum flentes amplexæ tenent.* Aras quoque tangebant. Virgil. lib. 6. *Talibus orabat dictis, arasq́; tenebat.* Turneb lib. 14. cap. 15. & lib. 26. cap. 2. * *Ouidius hasce res compendio narrans lib. 13. Metamorph.*

Dardanidas matres patriorum signa deorum,
Dum licet, amplexas, succensaq́; templa tenentes
Inuidiosa trahunt victores præmia Graij.

Quemadmodum mos sit hominibus, rebus aduersis demum meminisse dei, atq; ad eum confugere, secundis autem obliuisci, pulchrè ostensum reperio à Lactantio lib. 2. cap. 1. sic autem scribit. Nam tum maximè deus ex memoria hominum elabitur, quum beneficiis eius fruentes, honorem dare diuinæ indulgentiæ deberent. At verò si qua necessitas grauis presserit, tunc deum recordantur: si belli terror infremuit, si morborum pestifera vis incubuit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauit, si sæua tempestas, si grando ingruerit: ad deum confugitur, à deo petitur auxilium, deus vt subueniat oratur. Si quis in mari vento sæuiente iactatur, hunc inuocat: si quis aliqua vi afflictatur, hunc protinus implorat: si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, deum solum obtestatur, & per eius diuinum, atque amicum numen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur dei meminerunt, nisi dum in malis sunt.

QVÆ MENS TAM DIRA MISERI. CON.) Quasi deorum ira immissa. Verba sunt Hecubæ, dehortantis Priamum ab inutili, & ab impossibili, cum increpatione doloris, commiserationisq; plena. Huic parum dissimilis extat locus apud Homer. Iliad. 7. vbi Menelaus cum Hectore congredi volens, arma induit, sed ab Agamemnone prohibetur. Sic autem Agamemno.

Ἀφραίνεις Μενέλαε διοτρεφές, οὐδέ τί σε χρὴ
Ταύτης ἀφροσύνης· ἀνὰ δ' ἴσχεο κηδόμενός περ·
Μηδ' ἔθελ' ἐξ ἔριδος σεῦ ἀμείνονι φωτὶ μάχεσθαι
Ἕκτορι Πριαμίδῃ, τόν τε στυγέουσι καὶ ἄλλοι.
Καὶ δ' Ἀχιλεὺς τούτῳ γε μάχῃ ἔνι κυδιανείρῃ
Ἔρριγ' ἀντιβολῆσαι, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων.
Ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν ἷζευ ἰὼν μεθ' ἔθνος ἑταίρων.
Insanis Menelae, nec aut quò progrediare,
Aut quod opus conere vides. quin abijce porrò
Stultum istum feruorem animi, nec te meliori
Congredere, aut conferre stude certaminis ergò:
Præcipuè cum Priamida, quem Graia iuuentus
Tota reformidat: quem bello inuictus Achilles
Nonnunquam exhorrere solet, cum te sit Achilles
Fortior, & longè sumptis præstantior armis.
Nunc agè te recipe, & retro concede quiescens
Cum reliquis.

Obseruauit Nascimb.

IMPVLIT HIS CINGI TELIS) Quibus vti per ætatem non potes, quæ tibi apta non sunt, quibus tu magis alligaris, quam ipsa tibi.

NON TALI AVXILIO, NEC DEFENSO.) Quàm lepidum, politiq; hominis proprium sit, aptè temporeq; vti alicuius nobilis poetæ sententia, & quantas sæpe vtilitates id afferat, à veteribus optimis auctoribus declaratum est: in quibus etiam hoc, quod narrabo, à Sexto memoriæ proditum est. Sostratum doctum, & acutum virum, quum missus foret à Ptolemæo ad Antigonum, vt rem, si posset, regi suo accommodatam ab eo extorqueret, negante ipso, obtinuisse quod volebat statim, cum his tantum Homericis versibus pronuntiatis.

Οὕτω γὰρ δὴ τοι γαιήοχε, κυανοχαῖτα,
Τόνδε φέρω Διὶ μῦθον ἀπηνέα τε, κρατερόν τε,
Ἦ τι μεταστρέψεις; στρεπταὶ μέν τε φρένες ἐσθλῶν.

B Auditis enim illis, consilium mutasse Antigonum. Editi autem hi sunt apud diuinissimum poetam ab Iri, quæ missa fuerat ab Ioue ad Neptunum, vt illi imperaret, discederet subitò è prælio. Cùm enim ille videretur nolle parere, & elato animo respondisset, ipsa quoque illis verbis ita versauit animum ipsius, vt protinus dicto audiens maiori fratri fuerit. Audiui etiam Centurionem quendam Germanum, cum vrbs Roma capta iam foret, nonnulli tamen priuatam domum munirent, cunctaq; sedulò pararent, quæ ad eam tuendam facere videbantur, spectato illorum inani studio exclamasse, *Non tali auxilio, nec defensoribus istis Tempus eget.* Victor. lib. 34. cap. 18.

C NON SI IP. M. N. AFF. HECT.) Hector, cuius vmbra secundùm quietem visa Æneæ suprà sic aiebat,

Sat patriæ, Priamoq́; datum: si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.

Quam dilexerit autem præ tot liberis Hecuba Hectorem (nec immeritò, quippe murum, & propugnaculum Troiæ, quo viuo illa capi nunquam potuit) declarat Ouid. lib. 13. Metamorph. vbi de Troadum mulierum discessu agit. Et sanè miserabile spectaculum regina anus præbuit.

Vltima conscendit classem, miserabile visu
In medijs Hecube natorum inuenta sepulchris.
Prensantem tumulos, atq; ossibus oscula dantem,
Dulichiæ traxere manus. Tamen vnius hausit,
Inq; sinu cineres secum tulit Hectoris haustos.
D *Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,*
Inferias inopes, crinem, lacrymasq; reliquit. *

HÆC ARA TVEBITVR OMNES) Æschylus quoque in eandem sententiam. *κρεῖσσον δὲ πύργου βωμός, ἄρρηκτον σάκος.* Solent autem poetæ rebus bello, aut vrbis captiuitate desperatis perfugium miseris dare in sacra, & templa, vt & Euripid. in Suppl. fuso Thebano exercitu ab Atheniensibus: *βοῇ δὲ κωκυτὸς ἦν ἄστυ πᾶν κάτα, νεώτεροι, ἱερά τ' ἐξεπίμπλασαν φόβῳ.* German.

Perfugium & nunc est, & quondam fuit vel miseris, vel nocentibus ara. Cic. pro Roscio Comœdo. Sicut in aram confugit ad huius domum. Terent. *Nemo te accusat Syre: ne tu aram tibi, aut deprecatorem pararis.* Ouid. in Tristib. *Vnica fortunis ara reperta meis.*

E AVT MORIERE SIMVL) Non modo viuere cum vxore, liberis, propinquis, & consanguineis, sed etiam cum ijsdem, aut in eorum complexu emori iucundum est. Et hoc sæpe multis optatum legimus. Cicero ad Terentiam epist. 4. ego verò te quam primum, mea vita, videre cupio, & in tuo complexu emori. *

SIC ORE EFFATA) Alibi, *sic ore locuta est.*

LONGÆVVM) *ihren alten Herrn.*

Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites,
Vnus natorum Priami, per tela, per hostes,

Porticibus longis fugit. & vacua atria lustrat
Saucius: illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur, iam iamq; manu tenet, & premit hasta.
Vt tandem ante oculos euasit, & ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hîc Priamus, quamquã in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, NEC VOCI, IRÆQVE PEPERCIT.
At tibi pro scelére, exclamat, pro talibus ausis,
Dij (si qua est cælo pietas, quæ talia curet)
Persoluant grates dignas, & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere lethum
Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.
At non ille, satum quo te mentiris Achilles,
Talis in hoste fuit Priamo: sed iura, fidemq;
Supplicis erubuit: corpusq; exangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meq; in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumq; imbelle sine ictu
Coniecit: rauco quod protinus ære repulsum,
Et summo clypei nequicquam vmbone pependit.

ECCE AVTEM ELAPSVS) Fortunam Priami, quam A suprà posuit, poeta describit. Voluit enim mori, occurrit vxor ne fieret, sed casus attulit viam pereundi. Polites quippe vnus ex filiis lethali vulnere percussus, seruauit ex euentu animam, donec in conspectum parentum fugiens perueniret. Sed vrgente hoste, & ita imminente, vt alio ictu saucium grauius premeret, concidit, & mortuus est. Donatus.

ATRIA VACVA) Ampla, magna, quæ difficilè complentur. Atrium, docente Festo, est genus ædificij ante ædem, cõtinens mediã aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia descendit. Dictum autem atrium, vel quia id genus ædificij Atriæ primùm in Etruria sit institutum: vel quia à terra oriatur, quasi aterreum.

VITAM CVM SANGVINE FVDIT) Modò eos sequitur, qui sanguinem vitæ sedem volunt: alibi eos, qui ipsum sanguinem vitam dicunt, vt, *Purpuream vomit ille animam*. Seruius. * *Empedoclem censuisse animam esse cordi suffusum sanguinem, testatur M. Tull. Tuscul. 1. vbi varias de eius essentia philosophorũ opiniones enumerat. magna enim est inter eos super ea re dissensio. Lactant. de Opificio dei, cap. 17. Quid autem sit anima, inquit, nondum inter philosophos conuenit. Etenim alij sanguinem esse dixerunt, alij ignem, alij ventum: vnde anima, vel animus nomen accepit, quod græcè ventus ἄνεμος dicitur. Hæc ille ex Cicerone mutuatus est. Quod autem sequitur, ad hunc locum valde pertinet. Non enim si anima sanguine aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumpto, videtur extingui, continuò in materia sanguinis animæ ratio ponenda est: veluti si veniat in quæstionem, lumen, quo vtimur, quid sit, & respondeatur oleum esse, quoniam* C *consumpto illo, lucerna extinguitur: cum sint vtraq; diuersa, sed alterum sit alterius alimentum. Videtur ergo anima similis esse lumini, quæ non ipsa sit sanguis, sed humore sanguinis alatur, vt lumen oleo.*

IN MEDIA IAM MORTE) Manifesta, vt, *sensit medios delapsus in hostes*.

AT TIBI PRO SCELERE) Particula, at, malè precantibus conuenit. Catull. *At vobis malè sit malæ tenebræ*. Et iterum, in Mummium.

At vobis mala multa dij, deæq;
Dent, opprobria Romuli, Remiq;

Tibull. lib. 1. eleg. 9.

At te qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis vxor inulta dolis.

Terent. in And. *At tibi dij dignum factis exitium duint*. Item initijs librorum, apud poetas. Virgil. 4. Æneid. *At regina graui*. Ouid. 4. Metamorph. *At non Alcithoë Mineias*. Vide Indicem Erythræi.

DII PERSOLVANT GRAT. DIG.) Iulianus in quodã epitaphio in occisum, & ab interfectore ipso sepultum, *ἶσον ἀντιλύχοις ἱερόθεν χαρίτων*. loquitur ipse interfectus.

QVI NATI CORAM ME CERN. LETHVM) Priamus execrans Neoptolemum ob atrox ipsius immiteque factum, non accusat hostem, quod filium necarit, sed quod ante oculos eum suos obtruncarit: contemeraueritque B aspectum paternum cæde filij: neque enim maior vllus dolor inuri potest patri, quàm spectãte ipso necari filium: multo namque magis homines mouent, quæ fieri vident, quàm quæ facta audiunt. Hoc etiam narrat fecisse Cardianos in oratione contra Aristocratem Demosthenes, cùm Milthocydem Thracé, amicum Atheniensium, proditum Charidemo cum filio, ab ipso, vt pœna afficerẽt, accepissent: auget enim crudelitatem Cardianorum, πάθος q; mouet: docens eos non tantum ambos interfecisse, sed nato ante oculos patris in nauicula iugulato, patrem postea in mare abiecisse: atque ita & voluntati Charidemi satisfecisse, & animum suum impleisse, quòd eum, qui fauebat rebus Atheniensium, quos ipsi malè oderant, crudelem in modum interemissent. Idem etiam longè maiore in persona, nec humili penitus animo muliere significauit Plutarchus, dum miserum interitum Cleomenis regis Laconum, sociorumque ipsius fortissimorum virorum commemorat. Cum enim illi frustra magno facinore Alexandriæ tentato, destituti iam ab omni spe, sponte occubuissent, mandato regis Ptolemæi, à militibus Strateticlea Cleomenis vxor cum filiis, ac reliquæ Spartanæ mulieres, captæ ad supplicium ducebantur: generosæ autem stirpis fæmina satis constanter acerbum illum casum tulisse tradita est, tantumq; petijsse, vt ante filios interficeretur. Cum tamen ad locum muneribus

neribus illis destinatum venerunt, ministri regij, spretis precibus ipsius, primùm liberos spectante matre necarunt, statimque ipsam interfecérunt, quam solam in tanta acerbitate commemorat Plutarchus conuersis oculis ad natos dixisse, ὦ τέκνα, ποῦ ἐμβάλλε; Victor lib. 1.cap.8. * *Adde his de Caligula, qui referente Suetonio cap.27. parentes filiorum supplicio interesse cogebat. Quorum vni valetudinem excusanti, lecticam misit. Alium è spectaculo pœnæ epulis statim adhibuit, atq; omni comitate ad hilaritatē, & iocos prouocauit. Fœdissima crudelitatis est, quod Xiphilinus affert. Cass. Melinū occidi iussit, coegitq; Capitonem patrem eius, virum bonum, nullius accusatum delicti, supplicio filij interesse. Qui dum à Caio peteret, vt sibi oculos claudere liceret, iussus est pariter occidi. Exprobrat & Claudian. Rufino immanitatem huiuscemodi lib. 1.* iuuenum rorantia colla Ante patrum vultus stricta excidere securi. *Apud Euripid. in Hercule furente, Amphitryo à rege Lyco contendit, vt ipse prior occidatur cum matre filiorum, quàm filij eius, & nepotes. Horrendum enim spectaculum esse iudicat, parentes natorum necem oculis suis intueri.*

Κτεῖνόν με, καὶ τήνδ' ἀθλίαν παίδων πάρος,
Ὡς μὴ τινὶ εἰσίδωμεν ἀνόσιον θέαν,
Ψυχορραγοῦντα, καὶ καλοῦντα μητέρα,
Πατρός τε πατέρα.

Qui fecisti, inquit Priamus, me nati lethum cernere. Sic sæpe loquuntur boni scriptores cum Virgilio, Plautus, & Lucretius, ex quo aliquot testimonia producemus. Lib.3. *Harmoniam Graij quam dicunt, quod faciat nos Viuere cum sensu.* Eodem lib. infrà. *Quæ faciunt tremulum membris existere motum.* Et lib.6. *Flumina abundare vt facerent, camposq; natare.* Ibid. *Hæc faciunt primùm paruas consistere nubes.* Eod. lib. *Vrget, & è supero premit, & facit effluere imbres.* Lib.5. *Quæ faciunt ignes interstingui atq; perire.* Collegit Lamb.

PATRIOS FOED. FVN. VVLT.) tam crudeli spectaculo inquinasti.

AT NON ILLE, SATVM QVO TE) Per comparationem à contrario deductam nititur Priamus Pyrrhū omni splendore, generisque nobilitate priuare, quasi Achillis filius non sit, sumpto argumento ab ingenij, morumque dissimilitudine, quod probat exemplo ipsius Achillis, qui nihil vnquam tale admisit. Quintil. lib. 5. id appellat exemplum à contrario. Dici etiam potest coniectura à facto: nam ex inhumano Pyrrhi facinore, conijcit humanissimi Achillis eum non esse filium. Eius verò humanitatem ex eo probat, quod sibi corpus Hectoris reddiderit, illæsum è castris in regnum suum abire permiserit. Nascimb. * *Vide 1. Æneid. ad illum versum,* Tendentemque manus Priamum conspexit inermes. *Reddit etiā, quamquam gratis, Lausi à se interempti corpus Æneas lib. 10. quem ægre fert, tardius cum à suis auferri.*

——— teq; parentum
Manibus, & cineri (si qua est ea cura) remitto.
——— increpat vltro
Cunctantes socios, & terra subleuat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos

TEL. IMB. SINE ICTV) Imitatus est, & exposuit quodammodo Statius lib.9. Thebaid.

——— nec plura, sed ingens
Interquet iaculum, duro quod in ære moratum,
Transmissumq;, tamen clypei stetit orbe secundo

Imbelle telum dixit eo modo, quo suprà inutile ferrum, ipse inutilis, & imbellis, propter senium. Ergo turpe senex miles iste.

SVMMO CLYP. VMB. PEPEN.) Quomodo pependit telum in summo vmbone, id est, in eminentia clypei, si protinus rauco ære repulsum est? sunt enim contraria hęc duo. soluitur. Nequidquā pependit, id est, non pependit. Seruius. Vel secundum Donatum, penetrato scilicet aliqua ex parte scuti contextu, telum pendens inhærebat. De vmbone consule lib. 10. ibi, *& vastos vmbo vomit aureus ignes.* Tamen etiam hîc rem verbis Lipsianis tradere nihil prohibet. Dialogo 1. lib. 3. de Militia Romana, Vmbonem certum est, inquit, mediam illam partem scuti dictam, quæ protuberat, & exeritur, cum rotundo tumore. Ideo vmbo, quod Græcis est ἄμβων. Montes, & eminentias hoc voce Statius poeta sæpe appellat. Sed & Latini vestis positum, qui ad pectus exibat in tumorem, sic dixerunt. Lege reliqua.

Cui Pyrrhus. Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristia facta,
Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. hæc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati:
Implicuitq; comam læua, dextraq; coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priami fatorum: hîc exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam, & prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis, terrisq; superbum
Regnatorem Asiæ. iacet ingens littore truncus,
Auulsumq; humeris caput, & sine nomine corpus.
At me tum primùm sæuus circumstetit horror:
Obstupui: subijt cari genitoris imago:
Vt regem æquæuum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: subijt deserta Creusa,
Et direpta domus, & parui casus Iuli.
Respicio, & quæ sit me circum copia lustro.

Deseru-

565 Deseruere omnes defessi, & corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.

REFERES ERGO HÆC, &c.) Extremum casum A Priami poeta noster mirabiliter amplificauit, remque videri longè omnium atrocissimam fecit in senem à iuuene superbo, & audaci commissam. Amplificationes omnes (sunt autem xi.) ego ad vsum studiosorũ collegi, & sub vno aspectu proposui.1. Sarcasmo miserum irridet.2.trahit.3. ad altare. 4. trementem, ob senectutem videlicet frigidam.5.lapsantem.6. in sanguine nati. 7. in multo sanguine. 8. implicat capillis eius læuam suam, seu crinibus illum arripit. 9. in viscera gladium defigit vsque ad capulum. 10. caput à ceruicibus desecat.11. truncum volucribus, & canibus laniandum, ac deuorãdum obijcit. Horum singula quantam vim habeant ad συμπάθειαν ciendam, quis non videat? Ouidius vno versu necem hanc tangit Metamorph.13. *Exiguumq́, senis Priami Iouis ara cruorem Combiberat.* Virgilius quoque longæuũ suprà appellauit: meritò igitur exiguum cruorem: senes quippe non abundant sanguine. Cassandra in Agamemnone apud Senecam

Vidi, vidi senis in iugulo
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingi.

DEGENEREMQVE NEOPT. N. M) lib.9. Turnus Pandaro, iam iam à se trucidando, *Inuentumq́, alium Priamo narrabis Achillem.* Huiuscemodi quippiam Sueton. de Tiberio, cap.57. Scurram, qui prætereunte funere clarè mortuo mandaret, vt nuntiaret Augusto, nondũ reddi legata, quæ plebi reliquisset, attractũ ad se recipere debitum, ducique ad supplicium imperauit, & patri suo verum referre. Xiphilinus idem, nisi quod insusurrasse mortuo in aurem id ipsum affirmat. Huc etiam facit quod de anu Iunia scriptum est in facetiis, apud M. Tull. lib.2. de orat. Sic enim ille de Crasso. Pro dij immortales, quæ fuit illa, quanta vis, quam inexspectata, quam repentina? cum coniectis oculis, gestu omni imminenti, summa grauitate, & celeritate verborum, Brute (a foti cuiusdam nomen est) quid sedes? quid illam anum (efferebatur cum funere anus Iunia) patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberauit? quid te facere, cui gloriæ, cui virtuti studere? Apud Euripidem abducenda iam iam ab Vlysse Polyxena, vt ad tumulum Achillis honorarium pro inferiis mactaretur, inter illa verba multo mœstissima, quibus Hecubæ matri valedicit,

Τί σοι πρὸς Ἕκτορ' ἢ γέροντ' εἴπω πόσιν;
Quid Hectori ex te nuntiem, aut seni viro?

Sed hęc, & quæ horum possunt adduci similia, ex illa veterum opinione manarunt, qua animos è corporibus excedentes inter se cognoscere, sermones miscere, & quæ hìc fierent, nuntiare putabant.

Quam autem minimè degener fuerit Pyrrhus, & quomodo patrissaret, luculenter expositum est à Dicty, lib.4. sub extremum.

NVNC MORERE. HÆC DICENS, &c. Tryphiodorus his versibus cædem regis complexus est.

Confectum senio, & magnorum mole laborum
Æacides Priamum Pyrrhus, patris vltus Achillis
Interitum, Hercei Iouis obtruncauit ad aram,
Nil precibus motus regis, nil supplice gestu,
Nec veneratus auum est æquanum Pelea, canam
Cæsariem effœto deturpans sanguine, at illum
Quantumuis sæuus, tamen est miseratus Achilles.

Hecuba in Troad. Senecæ.

Vidi execrandum regiæ cædis nefas,
Ipsasq́, ad aras maius admissum scelus
Æacidæ armis: cùm ferox sæua manu
Coma reflectens regium torta caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit:
Quod penitus actum cum recepissent libens,
Ensis senili vix tinctus iugulo redit.
Placare quem non potuit à cæde effera
Mortalis æui cardinem extremum premens,
Superiq́, testes sceleris, & quondam sacrum
Regni iacentis?

ALTARIA AD IPSA) Cic.1. Tuscul. Priamum autẽ B tanta progenie orbatum, cum in aram confugisset, hostilis manus interemit. Ibidem ex Andromacha Ennij adducit hos versiculos.

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram sanguine turpari.

Neoptolemæa vltio apud Græcos, hinc tam celebris prouerbij locum sibi acquisisse videtur: quod tunc cõmemorari sanè solet, quũ quispiam ijs, quæ prius in alium cru deliter patrauerit, ipse postea eodem etiam modo ab alijs meritò plectitur. Cum enim Neoptolemus Achillis filius Priamum iam senem (id quod hoc loco poeta disertissimè describit) ante sacras Iouis Hercei aras iugulasset: ipse postea domum rediens, ab Oreste C in Delphici Apollinis templo, ante illius aram interfectus est, (quod item Andromache lib.3. Æneæ narrat) à quo Neoptolemæa vocata est vltio. Leonicus lib.1. cap.55. Arrianus lib.1. auctor est, Alexandrum Magnum parentasse Priamo ad aram Iouis Hercei, quò illius manes in gentem Neoptolemi, à quo ipsi maternum genus, benignos, placatosque redderet.

CAPVLO TENVS AB. ENSEM) Capulus vocatur, vel quia caput est gladij: vel quia ibi capitur, vt teneatur. Nam alibi acies ferri non finit. Et ensis propriè ferrum tantum dicitur, gladius totus, Isid. lib.18. cap. 6.

HÆC FINIS PRIAMI) Durum, & absonum fuisset, D & quod aures respuissent, *hic finis.* Sicut illud contrà insuauius facias, si mutes: *quem das finem rex magne laborum?* Nam si ita dices, quam das finem, iniucundũ nescio quo pacto, & laxiorem vocis sonum feceris. Gell. lib.13. cap.19.

Expositis singulis, quæ Priamo acciderunt incommodis, postremò ipsius narrationis capita breuiter colligit, quę magnis affectibus inflammat. Ita docuit Quintilian. lib.4. post narrationem interdum subiungi conclusionem, quæ solet in argumẽtis summa esse. Id quoque obseruasse videtur Cicero cum alibi, tùm maximè in orat. pro Milone, cum ait. Hæc, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices, insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Nascimb.

E TROIAM INCENS. ET PROLAP. VID. PERG.) Tiberius, cum sæpe illud in ore haberet, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, Me mortuo terra cum igne misceatur: tum sæpe etiam Priamum fortunatum dicebat, quod ei cum patria, & regno perire contigisset. Xiphilin. O votum sacrilegissimum. Et tamen Nero quoque, vt scribit idem, cum vrbem, atq; imperium viuus etiam cuperet, perdere funditus, Priamum fuisse beatissimum prædicabat, cui interitum patriæ videre contigisset.

REGNA

REGNATOREM ASIÆ) Plaut. Menæch. *in Sicilia, vbi rex Agathocles regnator fuit.* Et noster lib. 8. *Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.*

INGENS LITTORE TRVNCVS) Littus propriè maris est, ripa fluminum. Veteres tamen μεταφορικῶς littus de quacunque extremitate dixerunt, vt hîc Virgil. Illud, propriè, inquam, acceptam hanc vocem, sic definit Celsus de verb. significat. Littus est, quousq; maximus fluctus à mari peruenit.

Truncus in homine pars ea corporis est, quæ collo inferior, sustinetur à coxendicibus. Cic. de Orat. trunco magis toto se moderans. Pro Rabir. Nemo illum ex trunco corporis spectabat: sed ex artificio comico æstimabat. Et est truncus, cum caput amputatum est. Rectè igitur Virgilius, *iacet ingens littore truncus*, cum sequatur, *auulsumq́ humeris caput.* Turneb. li. 29. cap. 21. [*Seneca Troadibus.*

——— ille tot regum parens
Caret sepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia.

Adde ex Germano. Manilius lib. 4. Priamumq; in littore truncum, Cui nec Troia rogus. Plutarch. in Galba de truncatis capite cadaueribus. *ὅτι τῶν νεκρῶν ἀκεφάλων ἐν ταῖς ὑπαλλαγαῖς ἐκείνοις ἐρριμμένων ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς.*] Mirum autem videtur, hoc à Marone scribi, cum velut immemor sui, quem in penetralibus scribit interfectum, in littore extra vrbem iacere dicat. Aut igitur littus dixit, quòd vrbs non longè à mari esset, aut quod eum alij in littore interfectũ scripsissent. Solet enim sic obiter sententias attingere. Idem lib. 25. cap. 30. * *Non abhorret item à vero, poetam Cn. Pompei miserabilem exitum nobis sub imagine Priami redigere in memoriam. Etenim prælio victus ille à Cæsare, dum è Thessalia in Ægyptum fugit, iamq́ in littus parat descendere, iussu Ptolemæi regis pueri, à L. Septimio transfuga milite suo obtruncatur. Florus lib. 4. cap. 2. Eleganter Velleius lib. 2. In Pompeio tantum à se discordauit fortuna, vt cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulchrum. Ex verbis istis,* iacet ingens littore truncus, Auulsumq; humeris, *&c. Ausonius talem tumulum scripsit Priamo.*

Hic Priami non est tumulus: nec condor in ista
 Sede. Caput Danai diripuere meum.
Ast ego cum lacerum sine nomine funus haberem,
 Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic & natum, Troiamque, Asiamq; sepultam
 Inueni, & nostrum quidquid vbique iacet.

Titulo εἰς ἥρωας 3. Anthol. tumulus est eiusdem, scriptus ab Antipatro. Ait ipse Priamus, sibi exiguum ac vile obtigisse sepulcrum: non quia honoratius, ampliusq́ non meruerit, vtpote regnator Asiæ, sed quoniam ab hostibus tumulatus sit: hostes autem hostibus honorem inuident. Accipe græca.

A Ἥρωος πριάμου βαιὸς τάφος, οὐχ ὅτι τοίου
 Ἄξιος, ἀλλ' ἐχθρῶν χερσὶν ἐχωννύμεθα.

In veteri tragœdia quapiam conqueritur nescio quis de malè excepto Priami cadauere, his verbis, quæ repetuntur à M. Tullio 1. Tuscul.

Heu reliquias semiassi regis, denudatis ossibus
Per terram sanie delibutas fœdè diuexarier.

SVBIIT CHARI GEN. IMAGO) Occulta laus Æneæ cum à pietate erga patrem, & filium, tum ab amore erga vxorem, quæ ab Anchise sene, aut ab Ascanio puero auxilium sperare nullum poterat: ideo eam quasi in solitudine versantem, desertam vocat.

VITAM EXHALANTEM) secundum eos, qui animam volunt esse ventum: vt, *atq; in ventos vita* B *recessit.* * *Ex illa opinione, animam esse ventum, seu tenuem quendam aerem, profluxerunt aliquot loquendi genera bene latina, quibus in obitu alicuius significando vtimur. Exhalare, efflare animam, vitam, spiritum. Exspirare animam, spiritum extremum reddere, effundere, edere. Cicer. 2. Tuscul. dixit efflare extremum halitum.*

ME CIRCVM COPIA) Copia, pro, copiæ, contra Grammaticorum senatusconsultum, numero singulari hoc verbum apud probatos scriptores reperitur, eadem prorsus notione, & vi, qua numero multitudinis. Cic. ad Att. ep. 17. lib. 8. D. Ælio mandaram, quòd maiores copias sperabam eos habituros, vt, si vobis videretur, alteruter vestrûm ad me veniret: alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuæ, & circum Capu- C am comparastis, & cum ijs militibus, quos Faustus legit, proficisceretur. Idem ep. 19. neque solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris, vt frumentatum eas. Sallust. in Catilin. Postremò, ex omni copia, neque in prælio, neque in fuga quisquam ciuis ingenuus captus est. Sueton. Aug. coercuit etiam Dacorum, tribus eorum ducibus magna copia cæsis. Virg. Culice. *Illa vices hominum testata est copia quondam.* Et paulo pòst. *hic modo lata Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis.* Varro 3. rerum humanar. (vt citat Probus in 6. Eclogam Maronis) in tres partes diuisa copia, in populos XII. Sic etiam inuenies, loci, locos, pro, loca, sæpius apud Virgilium, Sallustium, alios, D quod tamen non patiuntur, aut ægrè patiuntur Grammatici. ✠

CORPORA IGNIB. DEDERE) Dare, sæpe eam vim subiectam habet, quam proijcere, demittere, prodere, affligere, deijcere, perdere. Lucret. dare in lectum, medium, in terram.

Iamq; adeo super vnus eram, cum limina Vestæ
Seruantem, & tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio. dant clara incendia lucem
Erranti, passimq; oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, & deserti coniugis iras
Permetuens, Troiæ, & patriæ communis Erinnys,
Abdiderat sese, atq; aris inuisa sedebat.
Exarsere ignes animo: subit ira, cadentem
Vlcisci patriam, & sceleratas sumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis, patriasq; Mycenas
Aspiciet? partoq; ibit regina triumpho?
Coniugiumq;, domumq;, patres, natosq; videbit,

Deseruere omnes defessi, & corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.

REFERES ERGO HÆC, &c.) Extremum casum A Priami poeta noster mirabiliter amplificauit, remque videri longè omnium atrocissimam fecit in senem à iuuene superbo, & audaci commissam. Amplificationes omnes (sunt autem xi.) ego ad vsum studiosorũ collegi, & sub vno aspectu proposui. 1. Sarcasmo miserum irridet. 2. trahit. 3. ad altare. 4. trementem, ob senectutem videlicet frigidam. 5. lapsantem. 6. in sanguine nati. 7. in multo sanguine. 8. implicat capillis eius læuam suam, seu crinibus illum arripit. 9. in viscera gladium defigit vsque ad capulum. 10. caput à ceruicibus desecat. 11. truncum volucribus, & canibus laniandum, ac deuorãdum obijcit. Horum singula quantam vim habeant ad *συμπάθειαν* ciendam, quis non videat? Ouidius vno versu necem hanc tangit Metamorph. 13. *Exiguumq́, senis Priami Iouis ara cruorem Combiberat.* Virgilius quoque longæuũ suprà appellauit: meritò igitur exiguum cruorem: senes quippe non abundant sanguine. Cassandra in Agamemnone apud Senecam

Vidi, vidi senis in iugulo
Telum Pyrrhi vix exiguo
Sanguine tingi.

DEGENEREMQVE NEOPT. N. M) lib. 9. Turnus Pandaro, iam iam à se trucidando, *Inuentumq́, alium Priamo narrabis Achillem.* Huiuscemodi quippiam Sueton. de Tiberio, cap. 57. Scurram, qui prætereunte funere clarè mortuo mandaret, vt nuntiaret Augusto, nondũ reddi legata, quæ plebi reliquisset, attractũ ad se recipere debitum, ducique ad supplicium imperauit, & patri suo verum referre. Xiphilinus idem, nisi quod insusurrasse mortuo in aurem id ipsum affirmat. Huc etiam facit quod de anu Iunia scriptum est in facetiis, apud M. Tull. lib. 2. de orat. Sic enim ille de Crasso. Pro dij immortales, quæ fuit illa, quanta vis, quam inexspectata, quam repentina? cum coniectis oculis, gestu omni imminenti, summa grauitate, & celeritate verborum, Brute (asoti cuiusdam nomen est) quid sedes? quid illam anum (efferebatur cum funere anus Iunia) patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberauit? quid te facere, cui gloriæ, cui virtuti studere? Apud Euripidem abducenda iam iam ab Vlysse Polyxena, vt ad tumulum Achillis honorarium pro inferiis mactaretur, inter illa verba multo mœstissima, quibus Hecubæ matri valedicit,

Τί σοι πρὸς Ἕκτορ᾽ ἢ γέροντ᾽ εἴπω πόσιν;
Quid Hectori ex te nuntiem, aut seni viro?

Sed hęc, & quæ horum possunt adduci similia, ex illa veterum opinione manarunt, qua animos è corporibus excedentes inter se cognoscere, sermones miscere, & quæ hic fierent, nuntiare putabant.

Quam autem minimè degener fuerit Pyrrhus, & quomodo patrissaret, luculenter expositum est à Dicty, lib. 4. sub extremum.

NVNC MORERE. HÆC DICENS, &c. Tryphiodorus his versibus cædem regis complexus est.

Confectum senio, & magnorum mole laborum
Æacides Priamum Pyrrhus, patris vltus Achillis
Interitum, Hercei Iouis obtruncauit ad aram,
Nil precibus motus regis, nil supplice gestu,
Nec veneratus anum est æquæuum Pelea, canam
Cæsariem effœto deturpans sanguine, at illum
Quantumuis sæuus, tamen est miseratus Achilles.

Hecuba in Troad. Senecæ.

Vidi execrandum regiæ cædis nefas,
Ipsasq́, ad aras maius admissum scelus
Æacidæ armis: cùm ferox sæua manu
Coma reflectens regium torta caput,
Alto nefandum vulneri ferrum abdidit:
Quod penitus actum cum recepisset libens,
Ensis senili vix tinctus iugulo redit.
Placare quem non potuit à cæde effera
Mortalis æui cardinem extremum premens,
Superiq́, testes sceleris, & quondam sacrum
Regni iacentis?

ALTARIA AD IPSA) Cic. 1. Tuscul. Priamum autẽ B tanta progenie orbatum, cum in aram confugisset, hostilis manus interemit. Ibidem ex Andromacha Ennij adducit hos versiculos.

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam euitari,
Iouis aram sanguine turpari.

Neoptolemæa vltio apud Græcos, hinc tam celebris prouerbij locum sibi acquisisse videtur: quod tunc cõmemorari sanè solet, quũ quispiam ijs, quæ prius in alium crudeliter patrauerit, ipse postea eodem etiam modo ab alijs meritò plectitur. Cum enim Neoptolemus Achillis filius Priamum iam senem (id quod hoc loco poeta disertissimè describit) ante sacras Iouis Hercei C aras iugulasset: ipse postea domum rediens, ab Oreste in Delphici Apollinis templo, ante illius aram interfectus est, (quod item Andromache lib. 3. Æneæ narrat) à quo Neoptolemæa vocata est vltio. Leonicus lib. 1. cap. 55. Arrianus lib. 1. auctor est, Alexandrum Magnum parentasse Priamo ad aram Iouis Hercei, quò illius manes in gentem Neoptolemi, à quò ipsi maternum genus, benignos, placatosque redderet.

CAPVLO TENVS AB. ENSEM) Capulus vocatur, vel quia caput est gladij: vel quia ibi capitur, vt teneatur. Nam alibi acies ferri non finit. Et ensis propriè ferrum tantum dicitur, gladius totus, Isid. lib. 18. cap. 6.

HÆC FINIS PRIAMI) Durum, & absonum fuisset, D & quod aures respuissent, *hic finis.* Sicut illud contrà insuauius facias, si mutes: *quem das finem rex magne laborum?* Nam si ita dices, quam das finem, iniucundũ nescio quo pacto, & laxiorem vocis sonum feceris. Gell. lib. 13. cap. 19.

Expositis singulis, quæ Priamo acciderunt incommodis, postremò ipsius narrationis capita breuiter colligit, quę magnis affectibus inflammat. Ita docuit Quintilian. lib. 4. post narrationem interdum subiungi conclusionem, quæ solet in argumẽtis summa esse. Id quoque obseruasse videtur Cicero cum alibi, tùm maximè in orat. pro Milone, cum ait. Hæc, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices, insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Nascimb.

E TROIAM INCENS. ET PROLAP. VID. PERG.) Tiberius, cum sæpe illud in ore haberet, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, Me mortuo terra cum igne misceatur: tum sæpe etiam Priamum fortunatum dicebat, quod ei cum patria, & regno perire contigisset. Xiphilin. O votum sacrilegissimum. Et tamen Nero quoque, vt scribit idem, cum vrbem, atq; imperium viuus etiam cuperet, perdere funditus, Priamum fuisse beatissimum prædicabat, cui interitum patriæ videre contigisset.

REGNA

REGNATOREM ASIÆ) Plaut. Menæch. *in Sicilia, vbi rex Agathocles regnator fuit.* Et noster lib. 8. *Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.*

INGENS LITTORE TRVNCVS) Littus propriè maris est, ripa fluminum. Veteres tamen *μεταφορικῶς* littus de quacunque extremitate dixerunt, vt hìc Virgil. Illud, propriè, inquam, acceptam hanc vocem, sic definit Celsus de verb. significat. Littus est, quousq; maximus fluctus à mari peruenit.

Truncus in homine pars ea corporis est, quæ collo inferior, sustinetur à coxendicibus. Cic. de Orat. trunco magis toto se moderans. Pro Rabir. Nemo illum ex trunco corporis spectabat: sed ex artificio comico æstimabat. Et est truncus, cum caput amputatum est. Rectè igitur Virgilius, *iacet ingens littore truncus,* cum sequatur, *auulsumq; humeris caput.* Turneb. li. 29. cap. 21. [*Seneca Troadibus.*

——— ille tot regum parens
Caret sepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia.

Adde ex Germano. Manilius lib. 4. Priamumq; in littore truncum, Cui nec Troia rogus. Plutarch. in Galba de truncatis capite cadaueribus. *ὅτι τῶν νεκρῶν ἀκεφάλων ἐν ταῖς ὁπλιτικαῖς ἐσθῆσιν ἐῤῥιμμένων ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς.*] Mirum autem videtur, hoc à Marone scribi, cum velut immemor sui, quem in penetralibus scribit interfectum, in littore extra vrbem iacere dicat. Aut igitur littus dixit, quòd vrbs non longè à mari esset, aut quod eum alij in littore interfectū scripsissent. Solet enim sic obiter sententias attingere. Idem lib. 25. cap. 30. * *Non abhorret item à vero, poetam Cn. Pompei miserabilem exitum nobis sub imagine Priami redigere in memoriam. Etenim prælio victus ille à Cæsare, dum è Thessalia in Ægyptum fugit, iamq; in littus parat descendere, iussu Ptolemæi regis pueri, à L. Septimio transfuga milite suo obtruncatur. Florus lib. 4. cap. 2. Eleganter Velleius lib. 2. In Pompeio tantum à se discordauit fortuna, vt cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulchrum. Ex verbis istis,* iacet ingens littore truncus, Auulsumq; humeris, *&c. Ausonius talem tumulum scripsit Priamo.*

Hic Priami non est tumulus: nec condor in ista
Sede. Caput Danai diripuere meum.
Ast ego cum lacerum sine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic & natum, Troiamque, Asiamq; sepultam
Inueni, & nostrum quidquid vbique iacet.

Titulo εἰς ἥρωας 3. Anthol. tumulus est eiusdem, scriptus ab Antipatro. Ait ipse Priamus, sibi exiguum ac vile obtigisse sepulcrum: non quia honoratius, ampliusq; non meruerit, vtpote regnator Asiæ, sed quoniam ab hostibus tumulatus sit: hostes autem hostibus honorem inuident. Accipe græca.

Ἥρωος πριάμου βαιὸς τάφος, οὐχ ὅτι τοίου
Ἄξιος, ἀλλ' ἐχθρῶν χερσὶν ἐχωννύμεθα.

In veteri tragœdia quapiam conqueritur nescio quis de malè exeso Priami cadauere, his verbis, quæ repetuntur à M. Tullio 1. Tuscul.

Heu reliquias semiassi regis, denudatis ossibus
Per terram sanie delibutas fœdè diuexarier.

SVBIIT CHARI GEN. IMAGO) Occulta laus Æneæ cum à pietate erga patrem, & filium, tum ab amore erga vxorem, quæ ab Anchise sene, aut ab Ascanio puero auxilium sperare nullum poterat: ideo eam quasi in solitudine versantem, desertam vocat.

VITAM EXHALANTEM) secundum eos, qui animam volunt esse ventum: vt, *atq; in ventos vita recessit.* * *Ex illa opinione, animam esse ventum, seu tenuem quendam aerem, profluxerunt aliquot loquendi genera bene latina, quibus in obitu alicuius significando vtimur. Exhalare, efflare animam, vitam, spiritum. Exspirare animam, spiritum extremum reddere, effundere, edere. Cicer. 2. Tuscul. dixit efflare extremum halitum.*

ME CIRCVM COPIA) Copia, pro, copiæ, contra Grammaticorum senatusconsultum, numero singulari hoc verbum apud probatos scriptores reperitur, eadem prorsus notione, & vi, qua numero multitudinis. Cic. ad Att. ep. 17. lib. 8. D. Ælio mandaram, quòd maiores copias sperabam eos habituros, vt, si vobis videretur, alteruter vestrûm ad me veniret: alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuæ, & circum Capuam comparastis, & cum ijs militibus, quos Faustus legit, proficisceretur. Idem ep. 19. neque solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris, vt frumentatum eas. Sallust. in Catilin. Postremò, ex omni copia, neque in prælio, neque in fuga quisquam ciuis ingenuus captus est. Sueton. Aug. coercuit etiam Dacorum, tribus eorum ducibus magna copia cæsis. Virg. Culice. *Illa vices hominum testata est copia quondam.* Et paulo pòst. *hic modo læta Copia nunc miseris circumdatur anxia fatis.* Varro 3. rerum humanar. (vt citat Probus in 6. Eclogam Maronis) in tres partes diuisa copia, in populos XII. Sic etiam inuenies, loci, locos, pro, loca, sæpius apud Virgilium, Sallustium, alios, quod tamen non patiuntur, aut ægrè patiuntur Grammatici. ✠

CORPORA IGNIB. DEDERE) Dare, sæpe eam vim subiectam habet, quam proijcere, demittere, prodere, affligere, deijcere, perdere. Lucret. dare in lectum, medium, in terram.

Iamq; adeo super vnus eram, cum limina Vestæ
Seruantem, & tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio. dant clara incendia lucem
Erranti, passimq; oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, & deserti coniugis iras
Permetuens, Troiæ, & patriæ communis Erinnys,
Abdiderat sese, atq; aris inuisa sedebat.
Exarsere ignes animo: subit ira, cadentem
Vlcisci patriam, & sceleratas sumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis, patriasq; Mycenas
Aspiciet? partoq; ibit regina triumpho?
Coniugiumq;, domumq;, patres, natosq; videbit,

Iliadum turba, & Phrygijs comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine littus?
Non ita. namq; etsi NVLLVM MEMORABILE NOMEN
FÆMINEA IN POENA EST, nec habet victoria laudem:
Extinxisse nefas tamen, & sumpsisse merentis
Laudabor pœnas: animumq; explesse iuuabit
Vltricis flammæ, & cineres satiasse meorum.

IAMQ. ADEO SVPER VNVS) Ab hoc initio, vsq; ad illum versum, *Cum mihi se non antè oculis*, &c. carmina duo & viginti Tucca, & Varus (quib⁹ Æneidem Augustus recognoscendam cõmiserat, sic tamen vt nihil adderent, demerent autẽ, si quid demendũ putarent) sustulerunt: quod his cõtineretur quidpiam, in viro forti parum laudabile: quem ita insanè stomachari contra vnam fœminam haud deceret. Nec ea vel Donatus, vel Seruius explanat: qui, Seruius inquã, aliam adhuc caussam addit, cur loco moti sint. Apologiam breuẽ Scalig. ex lib. 3. Poet. c. 12. adscribemus. Sic autẽ concepta est.

Non est obstrependum Æneæ aduersus Helenam irascenti. Nam & ipse ibi disputat, & ita mouetur, vt vincat melior sententia: quam diuinus poeta meritò adscribit deæ. Neq; enim aliud ratio est in mente humana, qua superantur affectus, quam radius quidam, vt ita dicam, primæ illius lucis, sine qua omnia sanè meritò & dicuntur tenebræ, & existunt. Disputationem ecce qualem. *namq, etsi nullum memorabile nomen Fæminea in pœna est, nec habet victoria laudem.* Non quærit igitur aut nomen, aut laudem, sed iustitiam, vt suorum deleat ignominiam. Quis enim patiatur affines suos, fœminas primarias premi seruitio impudicæ mulieris? Igitur rectè interpretatur factum suum sic: *Extinxisse nefas.* Nullius enim non interest nefas tollere. Vir enim iustus nullum malum superesse pati debet. Quare Grammaticuli, qui hosce luculentissimos, operosissimosq; versus sublatos voluere, vulgaribus moti affectibus, ignoratis rationibus, iustitiam de sapiente abstulere. Eadem ferè idem Scalig. cap. 24.

Virgilius his versibus 22. id quod in hominum vita sæpe solet euenire, scitè & eleganter expressit. Et qui iudicant, eum defendi non posse, nihil iudicant. Non considerant isti morum magistri seuerissimi, & honoris iudices nimium religiosi, hominem in pugna, & cæde multas horas noctis versatum, inter incendia, & ruinas domorum per tela, per ignem ingredientem, flammis vndiq; occurrentibus ambustum, torridum, atq; æstuantem, ab ira, & furore vacuum esse non potuisse. Quid igitur mirum, si in tanto incendio, tantaq; rerum desperatione de muliere infausta, atq; importuna, patriæ vlciscendæ caussa, Æneas primo aspectu supplicium sibi sumendũ esse cogitauerit? De illo iudicant isti, vt de homine otioso, qui rebus pacatis, & tranquillis animo remisso esse debuerit. Modicius cap. 4.

De his ipsis carminib⁹ pretium operæ fuerit & Nascimbæni sententiam adducere. Sic verò ille. Hæc duo & viginti carmina, nõ quod essent adulterina, sed quasi cum illis, quæ à Deiphobo de Helena in 6. dicuntur, pugnarent, cõstat à Tucca, & Varo fuisse detracta. Quorum sententiæ, vt video, in hodiernũ diem vulgus litteratorum subscribit. Ego verò non possum satis mirari, quomodo viri doctissimi horũ duorũ diligentiam tanti fecerint, vt Maronis iudiciũ neglexerint. Possunt duo isti loci facilè cõciliari. Nam etsi in sexto scribitur Helenam domi Deiphobi fuisse, & Menelaũ, aliosq; Græcos ex arce ad eum occidendum vocasse, nõ obstat tamen, quin occiso Priamo, in regia reperiri potuerit, cũ Priami nurus esset. Nam Deiphobi domus igne conflagrauit tota. Sic enim antea cecinit poeta, *iam Deiphobi dedit ampla ruinam Vulcano superante domus.* Quamobrẽ necesse est Helenam inde vel aufugisse, vel abductam aliò fuisse: alioqui & ipsa igne combusta fuisset. Quò verò abierit, vel ducta fuerit, ne verbum quidem poeta facit. Sed probabilius esse putant Virgiliomastiges, à Menelao coniuge, alijsq; Græcis, quos ipsa ex arce vocarat, abductam, seruatamq; fuisse, quã in regiam Priami se contulisse: quando non aliam ob caussam Græci cum Troianis bella gesserint, nisi vt Helenam abstraherent. Quorum tamen opinioni Euripidis auctoritas reclamare videtur: qui eam Græcis odiosam facit, & cũ alijs matronis Troianis captiuam fuisse ductam scribit: cuius opinionem secutus iudicatur Virgilius. Sic enim in Troadibus Neptunus loquitur.

Ὅσαι δ' ἄκληροι Τρῳάδων ὑπὸ στέγαις
Ταῖσδ' εἰσί, τοῖς πρώτοισιν ἐξῃρημέναι
Στρατοῦ, σὺν αὐταῖς ἡ λάκαινα τυνδαρὶς
Ἑλένη, νομισθεῖσ' αἰχμάλωτος ἐνδίκως.
Quæ verò sortem non tulerunt Troades,
Hoc sub tecto sunt delecta primoribus
Ducibus exercitus: Lacæna Tyndaris
Helena cum illis iustè captiua ducitur.

Quibus ex verbis facilè intelligitur, duo hæc Maronis loca minimè inuicem pugnare. Nam etsi Helena (vt cũ eo gratiam iniret) Menelaum ad occidendũ Deiphobũ domum vocarat, atq; ille conditionem acceperat, non tamen vxori Helenæ (vt ex hoc Euripidis loco, quem procul dubio Virgilius imitatus est, perspicitur) reconciliatus est: quod profectò Virgil. quoq; videtur innuere.

Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum sic posse malorum.

Perinde ac si diceret: sperabat quidẽ se id assecuturam, sed spes eam fefellit: at paulò infra id apertissimè declarat Virgil. vbi ait. *Illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros*, & quæ sequũtur. Potuit igitur Helena ex Deiphobi domo in regiam transferri. Quo autẽ pacto, etsi poeta nõ meminit, haud tamẽ mirũ videri debet. Nam & alia multa κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligenda relinquit. Homerus autẽ Helenã in ipso tempore obsidionis intus in vrbe fuisse, & Virgil. eãdem iam per proditionẽ Sinonis capta, mulierem illam ibidẽ inuentam asserit.

In vtroq; discrepat Herodotus, qui lib. 2. refert, se à sacerdotibus Ægyptijs hęc cognouisse, qui ipsimet ea à Menelao coram audierant. Rapta Helena Græcos Menelaũ cũ magnis copijs ad Ilium expugnandũ secutos. In terrã egressos, misisse legatos in vrbem, & cũ his Menelaũ, ad Helenam reposcendã. Illos iusiurandũ dedisse, Helenam in Ægypto apud Proteum regẽ esse, Græcos non credidisse. Hæc vt vera approbans Herodotus, adijcit. Si intra Ilium fuisset Helena, vtiq; fuisset Græcis tradita

tradita, siue volente Alexandro, siue inuito. Neque A enim ita desipiebat Priamus, aut alij eius propinqui, vt suis, ac liberorum corporibus, atque etiam vrbe periclitari vellent, quò Alexander Helenæ contubernio potiretur. Quod si inter initia ita sensissent, tamen, posteaquā cum multi aliorum Troianorum, tum verò Priami filiorum duo, tresúe, aut plures perierant cum Græcis præliantes, si quid referentibus credi versificatoribus debet, hæc, inquam, omnia cum contigissent, ego crediderim Priamum, vel si ipse in contubernio Helenam habuisset, Achæis redditurum fuisse, cupiditate præsentia mala vitandi. Neque verò regnum ad Alexandrum erat peruenturum, vt iam sub eo res essent, seniore Priamo, cum Hector & natu maior, & B virtute præstantior, quam ille, regnum esset defuncto Priamo suscepturus: quem haudquaquā decuisset fratri iniuste agenti indulgere, cum præsertim tanta mala propter eum tum priuatim ipsi, tum cæteris Troianis omnibus euenirent. Sed nec poterant reddere Helenam, nec verum dicentibus eis Græci fidem habebant, numine (vt quod sentio, dicam) disponente, vt funditus euersi, planum facerent hominibus, magnarum iniuriarum magnas à dijs esse vltiones. Huc vsque Herodotus.

Adducetur & Modicij iudicium, mihi quidem, si quid sentio, probatissimum. Helena de equo ligneo, in quo insidiatores laterent, idem quod Laocoon suspicabatur, & Græcorum classem non longe abesse. Itaque principio noctis, cum Troiani vino, somnoq; sepulti conticuissent, illa, inquit poeta, chorum simulans, & flammam tenens ingentem, summa Danaos ex arce vocabat. Cum armati ex equo desilirent, domum se recepit, & Menelao, qui cum Vlysse primum impetum in ædes Deiphobi fecit, fores aperuit. Occiso Deiphobo, Menelaus non est vxoris aspectu delinitus, vt eam alloquendo, & amplectendo occasionem victoriæ quietus, & cessator omitteret: sed incensa Deiphobi domo, regiam abijt oppugnatum. Helenæ quæ in domo incensa comburi noluit, necesse fuit alium locum quærere, vbi lateret, exitumq; nocturnæ pugnæ exspectaret. Propterea se non in domum Priami, sed in ædem Vestæ recepit. Hæc gesta sunt Ænea dormiente, qui ea lib. 6. ex Deiphobo cognouit, vt poeta ibidem narrat. Experrectus armorum sonitu, atque horrore, in tectum domus ascendit, incendioq; viso dixit, *Iam Deiphobi dedit ampla ruinam Vulcano superante domus.* Tum sumptis armis, & fortissimorum iuuenum globo facto, multis horis per vrbem pugnauit: ad regiam defendendam concurrit, & ex alto culmine Menelaum in limine pugnantem vidit. Regia ab hostibus expugnata descendit, vt familiæ suæ prospiceret. Erranti, & furenti incendia lucem dabant, atque ita in sacello Vestæ latentem vidit Helenam, de qua furens pœnas sumpsisset, nisi dea mater, id est, recta ratio E furentem repressisset. Non igitur contraria dixit, si ante mediam noctem fuit Helena in domo Deiphobi, & ea cremata, reliquum noctis in templo Vestæ fuit. Hæc ille cap. 5. * *Libet assuere, quod traditum inueni à Clemente Alexandrino, lib. 1. Stromatum, vnde cognoscas mollitiem Menelai, & illustri exemplo verum esse intelligas illud Anacreonteum: νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον, καὶ πῦρ καλή τις οὖσα. Menelaum Troia capta, cum incitaretur vehementer ad Helenam occidendam, victum eius pulchritudine, gladium abiecit, osculum petiuit.*

Qui hanc sibi materiam ad dicendum exercitationis caussa sumere volet, & ex hisce Maronianis versibus docere, interficiendum esse hoc monstrum mulieris, & hæc ex Virgilio deducta tractabit argumenta, & sua illis adiunget. I. Hæc mulier nō Troiæ tantùm, sed etiam toti Græciæ malum supremum, pestis, clades, & calamitas est: idque dum libidini suæ exsatiandæ studens, torum legitimum deserit, & in spurcissimo adulterio volutari, quàm in honestissimo matrimonio mauult viuere. II. Quare Æneas, si possit honestè vlcisci parentem suum, non vlciscatur honestissimè parentem communem, patriam nimirum, quæ omnes omnium charitates complectitur? Si eam bestiæ euertissent, an non occideremus illas, quamuis bestias? Et sinemus respirare liberè istam mœcham, quæ eam sciens, volensq; perdidit? III. Quam indignum, vt illa velut nobis triumphatis in Græciam redeat, liberos, maritum, cognatos; patriam recipiat, Troianis stipata famulis, Troianis, ijsq; nobilissimis, matronis vt pedisequis comitata incedat, decus, & gloriam pristinam omnem recuperet, propter quam nos hæc omnia amisimus? IV. Quamquam laudi non datur, viro præsertim militari atq; nobili, interimere mulierem, nihilominus huiuscemodi mulierem, tam execrabilem occidere, non potest non esse aliqua ex parte laudabile: id enim est scelus ipsum tollere, seu sceleris ipsam radicem exscindere. V. Si laudi non erit, at certè saltem voluptati erit hæc cædes cum Æneæ, tum etiam Troianorum manibus, qui iam pridem adulteræ huius cruorem pro inferijs sibi deposcunt.

ILLA SIBI INFESTOS) Eodem consilio, & caussificatione vicem suam dolet, & lamentatur Helena apud Calabrum, interfecto à Philoctete Paride, his verbis.

———————— οὐδέ τι οἶδα
Ἐκφυγέειν. εἰ γάρ κε φύγω Δαναῶν ἐς ὅμιλον,
Αὐτίκ' ἀεικίσσουσιν ἐμὸν δέμας. εἰ δέ κε μίμνω,
Τρωαὶ, καὶ Τρῶές με περισταδὸν ἄλλοθεν ἄλλος
Αἶψα διαρραίσουσι, νέκυν δ' οὐ γαῖα καλύψει.

C Sententia est, nec quò fugiam scio. Nam si ad Græcos confugero, mox me indignum in modum tractabunt. Si mansero, Troiani, Troianæq; me circumfundent, & aliunde alius in frusta me discerpent, & insepultam abijcient. German.

PATRIÆ COMMVNIS ERINNYS) Pestis, exitium, pernicies. Habet speciem prouerbij, vt illud Comici, Fundi nostri calamitas. Locum hunc reddidit Valer. Flaccus Lb. 8. de Alexandro, seu Paride loquens. *nec Marte cruento Europam atq; Asiam prima hæc communis Erinnys.*

ARIS INVISA SEDEBAT) Ad aram confugiebant, qui sibi timebant & serui, & liberi. Sic supra D de Hecuba, & filiabus.

Ingens ara fuit, iuxtaq; veterrima laurus,
Incumbens aræ, atq; vmbra complexa penates.
Hic Hecuba, & natæ nequidquā altaria circū, &c.

Æmilius in Pausania. Fanum Neptuni est Tænari, quod violari nefas putant Græci. Eò ille index confugit, in ara consedit. Plaut. Mostell. *Ego interim hanc aram occupabo.* Terent. Heautont. *Ne te admisce, nemo accusat Syre te, nec tu aram tibi, Neq; precatorem pararis.* Ex Lamb. in Æmil.

SCILICET HÆC SPARTAM) Obseruandum videtur, poetam diuersa sentire de Helena. Nam paulo ante eam facit Græcis, Troianisque inuisam, cum ait, *Illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros, Et pœnas Danaûm*, &c. vbi Euripidem secutus videtur in Troadibus. Hic verò innuit Helenam coniugi Menelao, reliquisq; Græcis charissimam, id quod etiam indicat Euripides in Helena, quem proculdubio hic æmulatus est Virgilius. Igitur concedi videtur poetis, rem pro suo arbitratu variare posse. Aut nunc id conceditur Æneæ, qui nimio irarum æstu fluctuans, quid dicat, ipse non cogitat. Sed Plato omnem difficultatem tollit, qui in libris de legibus scriptū reliquit, poetas de industria, vel quandoque etiam cogi ipso numine, pugnantia dicere, vt spiritu Musarum afflati esse videantur. Nascim.

Totum hunc locum ex Oreste Euripidis desumptum esse, ea parte fabulæ, qua Pylades cum Oreste cædem

dem Helenæ molitur, prolatis versib⁹ docet German. Idem ad Romanorũ morem allusum putat illis verbis, *Phrygijs comitata ministris*. Plurimùm enim Romani vtebantur seruitijs, & opera mancipiorum Phrygiorũ, quod essent præ cæteris gentibus delicatissimi, & peritissimi. Certe Phrygiones inde.

OCCIDERIT FERRO PRIAMVS) Amplificat à qualitate necis Priami, excidijq; vrbis, atq; à strage suorum Troianorum: vtitur breuibus clausulis, crebrisq; interrogationibus, quæ iratæ personæ mirum in modum conueniunt. Nascimb.

DARD. SVD. SANG. LITTVS) Ouid. lib. 12. Metamorph.

Nec Phryges exiguo quid Achaica dextera possit
Sanguine senserunt: & iam Sigæa rubebant
Littora.

Ad Troiam corruêre ex Argiuis 886. millia. Ex Troianis vsq; ad oppidum proditum 676. millia. Ex Darete.

NON ITA) Latinum hoc nostrum exprimi à Græcis per οὐ δῆτα, prolatis testimonijs demonstrat Germa. Et est in vtroq; maior quædam negandi vis.

NVLLVM MEM. NOM. F. IN POENA) Mulier naturaliter imbecilla est, & meticulosa, vir robustior, & audentior. Vnde vir nominatus est, quod in eo maA ior vis est, quam in fœmina: & hinc etiam, à viro, inquam, virtus nomen accepit: mulier autem à mollitie dicta est, vt sit mulier quasi mollior. Ob hoc, ait Aristoteles in problematis, mulierẽ interfecisse, iniquius esse, quàm virum, quamuis mas fœmina præstantior sit: quia scilicet fœmina imbecillior est, id est, minus facere iniuriam potest. Eniti igitur aduersus id, quod longè infirmius est, nihil virile, immò stolidum, atque iniquissimum est, quod innuere vult Virgilius. Beroald. in Apul. lib. 1.

Rationem eandem adducit Tiraquell. in leg. Connub. num. 75. Et præterea ex Vopisco, Aurelianum imperat. cum Zenobia ad pœnam vocaretur à militibus, B quod sibi imperiũ vsurpasset, illam vita donasse, quod indignum existimaret, mulierem interficere. In quam sententiam Euripid. in Hecuba. Ὡς ἀποκτείνειν φθόνος γυναῖκας. Idem Tiraquell. in leg. Connub. 8. hanc Virgilij sententiam ad coniuges potissimùm pertinere ait, easque verberibus accipere, indignam rem videri, diuinis, & humanis argumentis copiosè docet, ac ei multum debent, quæcumque morosiores, aut iracundiores maritos nactæ sunt. Vide à num. 10.

EXTINXISSE NEFAS) Nefariam, vt scelus pro scelesto.

Talia iactabam, & furiata mente ferebar,
Cùm mihi se non antè oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam: qualisq; videri
Cælicolis, & quanta solet: dextraq; prehensum
Continuit: roseoq; hæc insuper addidit ore.
Nate, QVIS INDOMITAS TANTVS DOLOR EXCITAT IRAS?
QVID FVRIS? aut QVONAM NOSTRI TIBI CVRA RECESSIT?
Non prius aspicies, vbi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? superet coniúxne Creusa,
Ascaniusq; puer? quos omnes vndiq; Graiæ
Circumerrant acies: & ni mea cura resistat,
Iam flammæ tulerint, inimicus & hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacænæ,
Culpatusúe Paris, VERVM INCLEMENTIA DIVVM
HAS EVERTIT OPES, sternitq; à culmine Troiam.
Aspice (namq; omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam: TV NE QVA PARENTIS
IVSSA TIME, NEV PRÆCEPTIS PARERE RECVSA)
Hîc vbi disiectas moles, auulsaq; saxis
Saxa vides, mistoq; vndantem puluere fumum,
Neptunus muros, magnoq; emota tridenti
Fundamenta quatit, totamq; à sedibus vrbem
Eruit: hîc Iuno Scæas sæuissima portas
Prima tenet, sociumq; furens à nauibus agmen
Ferro accincta vocat.
Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas

Insedit

Insedit, nimbo effulgens, & Gorgone sæua.
Ipse pater Danais animos, viresq; secundas
Sufficit, ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe nate fugam, finemq; impone labori.
Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.

QVALISQVE VID. CÆL. ET QVANTA SOLET) Maiores, & augustiores esse credebant habitu corporis deos, quàm homines. Tranquill. in Claud. cap. 1. Non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris, humana amplior, victorem tendere vltra sermone latino prohibuisset. Tacitus Annal. 11. Oblata ei species muliebris vltra modum humanum, & audita etiam vox. Plinius super eodem miraculo. Inclinato die spatiabatur in porticu. Offertur ei muliebris figura, humana grandior, pulchriorque. Quod ait vltra modum humanum, semper ita antiqui, vt fidem diuinitatis adstruant eiusmodi idolis. Infra de Creusa. *Visa mihi ante oculos, & nota maior imago.* Xenophon. lib. 8. παιδείας. ἔδοξεν αὐτῷ προσελθὼν, κρείττων τις, ἢ κατ' ἄνθρωπον, εἰπεῖν, συσκευάζου ὦ Κῦρε, ἤδη γὰρ εἰς θεοὺς ἄπει. Visus ei quispiam augustior, quàm pro homine, accedere cum his verbis. Compara te Cyre, iam enim ad deos abibis. Tacitus lib. 1. Annal. Erupisse cella Iunonis maiorem humana speciem. Turneb. lib. 30. cap. 39. Lipsius ad 11. Annal. Taciti. B

Huiuscemodi maiorem augustioremque habitum quendam fuisse Romuli, post excessum visi à Proculo Iulio, satis declarant verba Liuij lib. 1. nempe ista. Romulus, Quirites, parens huius vrbis, prima hodierna luce cælo repente delapsus, se mihi obuium dedit. Cùm perfusus horrore, venerabundusque astitissem, petens vt contra intueri fas esset, &c. Compertum est etiam diuos nostros, τοὺς ἐν ἀγυίαις, cum res hominum inuisunt, singulari plerumque, & illustri cum forma solere conspici à mortalibus. Mater quidem dei sæpissimè, nunc vt eximia & incredibili specie virgo, nunc vt matrona longè decentissima sese videndam præbuit. Nec vero aliter etiam, nisi quàm pulcherrimi pinguntur à nobis illi cælites. Quod non leui argumento est, diuinum quoddam bonum à nobis iudicari pulchritudinem illã oris, ac totius corporis. C

DEXTRAQVE PREHEN. CONTINVIT) Quòd filium dextra prehendit Venus, furentemq; obiurgat, imitatio est Homerica. Nam Iliad. α. Achillem similiter iratum, & iam iam Agamemnonem transfixurum retrahit, & obiurgat Minerua. Apud Euripidem quoq; in Oreste Apollo Menelaum volentem interficere Helenã reprehendit. Subest etiam allegoria huic figmẽto. Sicut Venus mater Æneam filium aduersus Helenam animo & cogitatione furentem, iamq; gladium in eius viscera parantem adigere coercet, & ab incepto auertit: ita ratio quæ nobis tanquam mater est, illa inquam superior pars animi nostri, cui regnum in inferiores concessum est à deo, nos sæpe in scelera iam iam lapsuros retrahit, & increpat. Cuius monita ductumque si sequemur, cæleste numen propitium semper habebimus. D

QVONAM. N. T. CVRA RECES.) Georg. 4. Aristæus ad matrem. *aut quò tibi nostri Pulsus amor?*

FESSVM ÆTATE) Affecta, & præcipiti iam ætate.

ASCANIVSQVE PVER) Filius, παῖς enim & ætatem puerilem, & filium, & famulum significat. Horat. lib. 1. Ode. 12. *Dicam & Alciden, puerosq; Ledæ.* De varia pueri notione disseruimus Eclog. 1. ibi, *Pascite vt ante boues pueri.*

NI MEA CVRA RESISTAT) Tryphiod.

Ast atate grauem cadi Cytherea cruenta
Anchisam eripuit, longam miserata senectam,
Æneamq; vna, natum Anchisaq;, suumq;.

INIMICVS ET HAVSERIT ENSIS) Hoc magis probauit, quam, *inimicusq; hauserit ensis.* Vt expediret rem simul cum dactylo, non est veritus postponere coniunctionem, cuius natura est præponi. Licet enim poetę contra tum leges, tum consuetudinem loqui. Arcessere præterea voces alias ab illis, quæ in communi vsu sunt. Nihil enim maiorem comparat gratiam, quam nouitas. Quare cum Plautus, auctore Festo, patulos dixerit boues, quibus supra vulgarem modum cornua panderentur, maluit poeta dicere, patulam fagum: cornua verò nouo epitheto insignire, *camuris sub cornibus aures.* Scalig. Poet. lib. 4. cap. 48.

NON TIBI TYND. FACIES) Ex Homero, vt apparet, Iliad. γ. vbi sic Priamus ad Helenam.

Οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσὶ, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν,
Οἵ μοι ἐφόρμησαν πόλεμον πολύδακρυν ἀχαιῶν.

Obseruandum, inquit Montfort. rectè ac decorè à poeta Veneri Paridis & Helenæ patrocinium tribui, cuius opera & beneficio coniuncti erant. Prudenter itaque ambos culpæ eximit, eam in deos, & fata transmouens. Et ne vanitatis coarguatur, confirmat verba sua testimonio præsentis rei: ac gradatione quadam paulatim ad summa peruenit.

VERVM INCLEMENT. DIVVM) Citra dubitationem melius est in quibusdam libris per ἀναφορὰν, seu geminationem vocis *diuûm*, hoc modo, *diuûm inclementia diuûm Has euertit opes.* Hanc lectionem Terentianus interpres in Andria confirmat.

STERNITQVE A CVLMINE TROIAM) Suprà, *ruit alto à culmine Troia.* Minatur Laurento oppido Æneas lib. 12.

Vrbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frænum accipere, & victi parere fatentur
Eruam: & æqua solo fumantia culmina ponam.

QVÆ NVNC OBD. TVENTI) Ennius apud Nonium. *Ecce autem caligo oborta est, omnem prospectum abstulit.* Apud Lucretium lib. 5. *& tenebris obducere terras.*

PARERE RECVSA) κακέμφατον, eadem syllaba, re, tertiùm iterata.

NEPTVNVS MVR. MA. E. TRIDENTI) Neptunum censebant tridente suo non solùm mare, sed terram etiam mouere, & labefactare: sed & partes abrumpere. Strabo lib. 10. φασὶ δὲ τὴν Νίσυρον ἀπόθραυσμα εἶναι τῆς κῶ, προστιθέντες καὶ μῦθον, ὅτι Ποσειδῶν διώκων ἕνα τῶν γιγάντων πολυβώτην ἀποθραύσας τῇ τριαίνῃ τρύφος τῆς κῶ ἐπ' αὐτὸν βάλλοι. Hoc & Tritonem fuscina facere poetæ canunt. Attius apud Cic. 2. de nat. deor. E

Aut forte Triton fuscina euertens specus
Subter radices penitus vndanti in freto,
Molem ex profundo saxeam ad cælum vomit.

Turneb. lib. 16. cap. 33.

HIC IVNO SÆVISSIMA) Proderit legere, quæ ex A Nannio dicta sunt lib.1. super illo, *quidúe dolens regina deûm*, &c. Odiosè in Iunonem, quam semper infestam Troianis inducit, toto opere. Nec potuit melius eius grauem iram, & inexsaturabile pectus exprimere, quam vt eam ferro quoque accingeret, & velut antesignanam faceret Græcis. Deos deasque omnes cum lanceis figurare solitos illos veteres, notat Pierius lib.42. quò eos ita redderent honestiores. Nihil enim apud eos ignauia turpius, contrà, nihil bellica virtute præstantius habebatur. ✠

SCÆAS PORTAS) Reuersus è Phrygia Priamus, Ilij mœnia ampliora fecit, vrbem communiuit, regiam cũ Iouis ara, & statua condidit, Ilio portas fecit, quarum hęc B sunt nomina. Antenoride, Dardanie, Ilia, Scæa, Catumbria, Troiana. Hæc Dares Phrygius. Portas celebres apud varias gentes recenset nominatim Alex. ab Alex. lib.4. cap.16. ad finem. ✠

SOCIVMQVE EVR. A. N. AG.) Statius 5. Thebaid. hinc sua illa deriuauit.

——illa, qua rara silentia, porta,
Stat funesta Venus, ferroq́, accincta furentes
Adiuuat.

TRITONIA PALLAS) Vide lib.10. *Armipotens belli præses Tritonia virgo.*

ET GORGONE SÆVA) De Gorgonibus sororibus, & vnius earum Medusæ resecto capite à Perseo, quod C clypeo suo Pallas inseruit, Apollodor. lib.2. Gyrald. Syntag.11. Lib.8. Æneid. de isto clypeo.

Ægidaq́, horrificam turbatæ Palladis arma
Certatim squamnis serpentum, auroq́, polibant,
Connexosq́, angues, ipsamq́, in pectore diuæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo. ✠

ERIPE NA. FVGAM) Nihil te remoretur, perrumpe omnia, & fuge. Horat. Ode 29. lib.3. *Eripe te moræ.*

Cæterùm quemadmodum ex oratione irascentis, ac pæne furentis Æneæ argumenta, locosque ad partem aientem, de trucidanda videlicet Helena excepimus: sic ex oratione Veneris filiũ castigantis, alia similiter in partem negantem excipiemus, vt in promptu sint ijs, qui se declamatiunculis more, & instituto antiquissimo exercere voluerint. I. Virum egregium, prudentem nõ oportet vel cuiuis, vel quantumcunque, vel quandocunque irasci. In reprehensione est tuus iste Ænea furor: contra nocentem quidem, sed fæminam. Quod si immeritò tam immodicè irasceris, an eam meritò interimes? Sinoni hoc modo irascere: illum, si inueneris, in frusta concidito. II. Dij, qui cuiq; præmia sua pro factis ferunt, Helenam punient, ne tu eorum tibi officium insipienter arrogato. III. Erras Ænea, si hanc horum malorum præcipuam auctorem credis. Diuûm inclementia has opes euertit. Dij nobis infesti, iratiq; sunt. Hi Troiam exscindunt: quæ si instaurari posset mille mortibus Helenæ, tum esset profectò, cur eam millies letho dares. IV. Stultum est in alienos vindicare priùs, quam tueri, & conseruare suos: malle inimicum necare, quam charissimos neci impendenti eripere. Vxorem, patrem, liberos iam iam ferrum hostile mactabit: circumcursant enim Græci ædes tuas strictis ensibus furibundi, & tu hic furis? Et si vnam mulierculam peremeris, Africam, aut Europam te subegisse gloriabere? V. Etiam (quod diuina, & humana iura condemnant) supplicem, ante aram in cõspectu Vestæ miseram interficere, & sanctissimũ simulacrum sanguine vnius adulteræ cogitas respergere? VI. Timor pœnarum, quas a Troianis, quas a suis exspectat, morte illi est acerbior, Si punire eam atrocissimè vis, diu timere sinito. VII. Nihil rectius, aut salutarius facies Ænea, quam si cum tuis fugam ineas. Eò redacta res est, vt in fuga iam laus tua tota sit posita. Facies nunc quod te decet, si feceris quod nuper dedecuit. Tempori cedere sapientis est. Nec tam fugere dicendus eris, quam vtilitatem a tergo positam persequi voluisse. ✠

Dixerat & spissis noctis se condidit vmbris.
Apparent diræ facies, inimicaq; Troiæ
Numina magna deûm.
Tum verò omne mihi visum considere in ignes
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troia.
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum,
Cum ferro accisam, crebrisq; bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim: illa vsq; minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat:
Vulneribus donec paulatim euicta supremùm
Congemuit, traxitq; iugis auulsa ruinam.
Descendo, ac ducente deo flammam inter & hostes
Expedior: dant tela locum, flammæq; recedunt.
Ast vbi iam patriæ peruentum ad limina sedis,
Antiquasq; domos, genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumq; petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troia,
Exiliumq; pati. VOS O QVIBVS INTEGER ÆVI
SANGVIS, ait, solidæq; suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si cælicolæ voluissent ducere vitam,
Has mihi seruassent sedes. satis vna, superq;
Vidimus excidia, & captæ superauimus vrbi.
Sic ô, sic positum affati discedite corpus,

Ipse

Ipſe manu mortem inueniam, miſerabitur hoſtis,
Exuuiasq; petet. FACILIS IACTVRA SEPVLCHRI EST.
Iam pridem inuiſus diuis, & inutilis annos
Demoror, ex quo me diuûm pater, atq; hominum rex
Fulminis afflauit ventis, & contigit igni.

SPISS. N. S. COND. VMB.) Deſiit videri in illis nocturnis vmbris à filio Venus, quia deſiit circumfundi pura illa luce, de qua ſuprà. Eius tamen beneficio terribiles vultus, & minarum plenos vidit deorum, ad Troiæ totius perniciem incumbentium, qui quidem nominati ſunt antè: ſed & alios nihilominus intelligere poſſumus, qui ipſis gratum facere ſtuderent.

AC VELVTI. S. ANTIQ. I. M. ORNVM.) Hom. Iliad. δ.

—— ὃ δ' ἐν κονίῃσι χαμαὶ πέσεν αἴγειρος ὥς,
Ἥ ῥά τ' ἐν εἱαμενῇ ἕλεος μεγάλοιο πεφύκει
Λείη, ἀτάρ τέ οἱ ὄζοι ἐπ' ἀκροτάτῃ πεφύασι.
Τὴν μέν θ' ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ
Ἐξέταμ', ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέϊ δίφρῳ.
Ad caſum datur ille ſolo, prolapſus arena,
Populus ad magnam velut humectata paludem
Iam ſummo natos extendit vertice ramos:
Sed faber hanc nitidi decidit acumine ferri,
Appoſitam egregio ducturus in abſida curru.

Non multò maior opera poſita eſt in hac narratione, quam in cædenda populo fecerit carpentarius. At in noſtro, Muſa loquitur: nec ſi ipſe Iupiter poeta fiat, melius loquatur. *Antiquam* igitur *ornum* cum antiqua Troia. *Acciſam ferro* illam: hanc longinquo bello attenuatam. *Agricolæ* Græci ſunt. Naturam verò ſpecta ipſius arboris. *Illa minatur*: ſed *vſque, & tremefacta, & nutat, & paulatim euicta.* Addidit & attributionem, *congemuit*. Nam ictibus ſanè reſpondet arbor ſonitu. Et, *traxit ruinam* ſecum: ſicut Ilij euerſio traxit ſecum Æneæ, opes, & Antenoris, & Heleni, & aliorum. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3.

DVCENTE DEO) Ipſi dij pro fœminis interdum apud veteres accipiuntur, etiamſi ἀρσενικῶς pronunciemus, quod & Macrobius teſtatur. Ariſtophanes Venerem Ἀφρόδιτον appellauit, & Terentius Varro Palem deum ſcripſit, & Deum pro luna quidam dixerunt, cuius templum Carris viſeretur, ab Ælio Spartiano relatum eſt, qui Cæſarem inquit Antoninum Caracallam templum dei Lunij acceſſiſſe, quem mirifica veneratione Carreus populus coluit: adeò vt mulieres virili veſte, viri autem muliebri ſacra illa perficerent. Qua ratione quoq; & Ægyptij (etſi lunam fœminino genere habēt) deum tamen appellant. Crinit. lib. 23. cap. 6.

Legendum igitur deo, non, dea. In Cypro quidē viſebatur barbata Venus, quamquam in veſte muliebri. Et putabant eandem marem, ac fœminam eſſe. Leuinus etiam ſic ait. Venerem igitur almum adorans, ſiue fœmina, ſiue mas eſt, ita vt alma noctiluca eſt. Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 8.

AST VBI IAM PATRIÆ) Tranſitio ad domeſticam tragœdiam: & primùm quidem ad pietatem ſuam ergo patrem Anchiſen, quem humeris ſuis efferre ex vrbe ardente cupiebat. Montfort.

ABNEG. EXCISA TROIA) Pro *exciſa*, putat German. ſincerius legi *exſciſſa*, cum excidium ab exſcindo manare, ratio moduli oſtendat: vnde & Maro, exſcindere vrbem, & reſcindere vultum.

QVIBVS INTEGER ÆVI SANGVIS) Sic lib. 9. *Atq; integer ani Aſcanius.* Horat. Ode 22. lib. 1. *Integer vitæ.* Et Sat. 3. lib. 2. integer animi. Talia ſunt, æui maturus, amēs animi, fortunatus laborum, ſanus mentis, vagus animi

A apud Virgilium noſtrum, Horat. Plautum, Catullum. Sanguis autem integer æui aliud nihil eſt, quam integra ætas Terentio in And. Pacuuius apud Nonium, integer annis. Iam vt Maro integrum ſanguinem in oſtendenda firma ætate, validaq; appellauit, ſic Plautus, cum Demiphonem ſenem in Mercatore induxit peccatum ſuum falſa ratione defendentem: vitam enim ſe velle colere oſtenderat, quæ illi ætati turpis eſt, in adoleſcente autem veniam inuenit.

Nam hanc ſe bene habere ætatem nimis eſt æquius.
Adoleſcens quom ſis, te, cum eſt ſanguis integer,
Rei tuæ quærenda conuenit operam dare.

Quærendum autem eſt, an eo ſermone copiam ſangui-
B nis ſignificare voluerint, ſiue potius ſincerum illum, ac purum. Nam integer etiam, puruſq; ſanguis vires adiuuat, contraq; deprauatus humor ille, vitioſuſq; imbecillum hominem reddit: eorum autem qui in flore ſunt ætatis, ac firmum corpus habent, ſanguinem meliorem eſſe, ſenum autem peiorem, teſtatus etiam eſt Varro, cuius è libro de liberis educandis exemplum hoc ſumpſit Nonius. Eam nutricem oportet eſſe adoleſcentē. anus enim vt ſanguis deterior, ſic lac: lac enim (vt quidam dicunt Phyſici) ſanguinis ſpuma eſt. Quod autem ſanguis non paruam vim habeat ad animum homini, vireſq; addendas, declarat etiam Æſchines, qui Demoſthenem carere penitus ſanguine dixit: timidū videlicet, ac nul-
C lius animi ſignificare volens. Victor lib. 25. cap. 25.

ME SI CÆLICOLÆ. V. D. VIT. HAS. M) Prima cauſſa, cur ſibi fugiendū eſſet, ducebatur ab ætate, & facultate. Fugerent ipſi, qui id maximè poſſent, propter vires ſolidas, & ætatem integram: ſibi non eſſe hanc facultatem, cui propter affectam ætatem ſanguis, vireſq; iam imminutæ eſſent. Hæc altera cauſſa ducitur à deorum voluntate, quibus mortem ſuam adſcribere videtur ex aperta coniectura: hoc enim ait, ſibi ſatis eſſe excidiū illud vrbis ſub Laomedonte vidiſſe: cum vero hoc alterum ſuis oculis cernere ſibi contingat, facilè ſe colligere, ſic dijs placitum, vt ſpes vna cum imperio intereat. Naſcimb.

CAPTÆ SVPERAVIMVS VRBI) Superare valet non-
D nunquam ſuperſtitem eſſe. Lib. 3. *Quid puer Aſcanius, ſuperatne, & veſcitur aura Ætheria?* Viuendo vincere quodammodo, vt loquitur in 8. quæ ſignificatio eſt etiā in voce germanica, *vberleben.* Ergo & abſolutè, & caſu adiuncto ſuperare dicitur, pro ſupereſſe.

SIC O, SIC. P. AFF. D. CORPVS) Exaggerat comiſerationis affectū à deſperatione vitæ, non quia non poſſit, ſi velit, viuere: ſed quia putat deos nolle. Inquit enim, affamini me ijs verbis, quibus affari ſoletis mortuos, cū à buſto recedentes dicitis, vale, vale, perinde quaſi ego perierim. Renouat deinde conqueſtionem à ſatietate vitæ κατ' ἀντίθεσιν, quæ latet in ſenſu: hoc enim innuere videtur, vos viuite, ego moriar manu hoſtis, non ma-
E nu mea: alioqui viri prudentis τὸ πρέπον non ſeruaret, cuius non eſt, ſibi vnquam necem conſciſcere.

IPSE MANV. M. INVENIAM) Quod viri prudentis non eſſe ait Naſcimb. ſibi vnquam necem conſciſcere, melius dixiſſet, ſi non eſſe viri Chriſtiani dixiſſet, ſibimet vitam vlla de cauſſa adimere. Multi enim, alioqui minimè fatui, quibuſdam preſſi incommodis, ſibi an-

sibi annos suos ad viuendum concessos quasi amputarunt. Hi, vt prudentes fuerint, fortes certè non fuerunt. Et tamen omnis virtutis magister Seneca, hoc consuluit, in istoq; scelere suadendo acutus, & disertus, fuit non semel. Vide lib. 6. *qui sibi lethum Insontes peperere manu.* Cicero quoque à talibus consilijs dandis non abhorret. Eius enim oratio est lib. 1. de Officijs. Atqui cæteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod eorum vita lenior, & mores fuerunt faciliores: Catoni autem cum incredibilem tribuisset natura grauitatem, eamque ipse perpetua constantia roborasset, semperque in proposito, susceptoque consilio permansisset, moriendum potius, quam tyranni vultus aspiciendus fuit. Quocirca, *Ipse manu mortem inueniam,* huc referri potest, vt τὸ διαχειρίζεσθαι circumlocutus sit, & αὐτόχειρ significauerit. Miserebitur hostis, tali spectaculo: ablatisque exuuijs me insepultum relinquet. Non curo: facilis iactura sepulchri.

MISEREBITVR HOSTIS) Est pænè hemistichij superioris ἑρμηνεία. Hostis, inquit, misericordia ductus me hac luce priuabit. Vnde conquestionis ingens affectus deducitur, à tædio vitæ: nam tanto amissæ patriæ dolore premitur, vt vitam cum morte commutare sibi iucundissimum putet. Ita etiam 9. Æneid. mater Euryali.

Aut tu summe pater diuûm miserere, tuoq;
Inuisum hoc detrude caput sub tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

Nascimb. Assume etiam, si placet, ad hunc locum, quæ ibidem dicemus.

EXVVIASQVE PETET) Exuuiæ ab exuendo, sunt tegmina, & vestes non hominum modò sed & serpentum, animalium, quod exemplis confirmat Nonius.

FACILIS IACTVRA SEPVLCHRI) Permulta sunt exempla, è quibus discitur, quàm facilem sepulcri iacturam veteres illi sapientes putauerint. Occurrit Diogenis, à quo cum quæreretur, vbi sepeliri vellet, respondit, in agrum me proiicite. Tum illi: feræ & volucres te laniabunt. Bacillum, inquit, prope me ponite, vt eas abigam. Rursum illi: atqui nihil senties. Quid igitur, ait Diogenes, ferarum laniatus mihi oberit, nihil sentienti. Narrat in epilogo 1. Tuscul. M. Tullius, vbi preclarè de sepultura disseritur.

Huc percommodè referri queunt verba Senecæ ex epist. 29. Nemo liber est, qui corpori seruit. Nam vt alios dominos, quos nimia pro illo sollicitudo inuenit, transeas, ipsius morosum, delicatumque imperium est. Ast hoc modò æquo animo exit, modò prosilit sapiens, nec, quis deinde reliquiis eius futurus sit exitus, quærit. Sed vt ex barba capillos detonsos negligimus: ita ille diuinus animus egressurus hominem, quò receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat, non magis ad se iudicat pertinere, quàm secundas ad editum infantem. Vtrum proiectum aues differant, an consumatur canibus data præda Latinis, quid ad illum? Qui tunc quoque, cum inter homines est, nullas timet minas, vllasné timebit post mortē minas eorum, quibus vsque ad mortem timeri parum est? Nemo conteret, inquit, me, nec vncos, nec proiecti ad contumeliam cadaueris laceratio, fœda visuris. Ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quē sæuitia proiecerit, dies condet. Disertè Mæcenas ait, *Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.* Idem Seneca in Excerptis. Insepultus iacebis. Quid aliud respondeam, quàm illud Maronis, *facilis iactura sepulcri?* Si nihil sentio, nō pertinet ad me iactura corporis insepulti. Si sentio, omnis sepultura tormentum est. Insepultus

A iacebis. *cælo tegitur, qui non habet vrnam.* Quid interest, ignis me, an fera consumat, an tellus omnium sepultura? Istud non sentienti superuacuum est, sentienti onus. Insepultus iacebis. At tu combustus, at tu obrutus, at tu inclusus, at tu putridus, at tu euisceratus, & cōstrictus, ac traditus lapidi, qui te paulatim edat, & exsiccet. Nulla est sepultura, non sepelimur, sed proijcimur. Non sepelieris. Quid inter tutissima trepidas? Vltra pœnarum omnium terminum iste locus est. Vitæ multa debemus, morti nihil. Non defunctorum caussa, sed viuorum inuenta est sepultura, vt corpora & visu, & odore fœda amouerentur. Alios terra obruit, alios flamma consumpsit, alios lapis ossa redditurus inclusit. Non de-
B functis, sed nostris oculis parcimus.

Addam his præclaram sententiam Periclis apud Thucydidem in oratione funebri, lib. 2. Illustrium virorum sepulcrum omnis terra est, & monumentum est non tantùm inscriptio in tumulo, sed etiam non scripta memoria, quæ in mentibus, non in tumulis commoratur. Addam & locum Augustini, Ciuit. lib. 1. cap 12. Sepulturæ curam etiam philosophi contempserunt, & sæpe vniuersi exercitus dum pro terrena patria morerentur, vbi postea iacerent, vel quibus bestijs esca fierent, non curarunt. Licuitque hac de re poetis plausibiliter dicere, *cælo tegitur, qui non habet vrnam.* Quanto minus de corporibus insepultis timere Christiani
C debent, quibus & ipsius carnis, & membrorum omnium reformatio, non solum ex terra, verumetiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quò dilapsa cadauera recesserunt, in temporis puncto reddenda, & redintegranda promittitur.

Verumtamen officium esse pietatis, humare mortuos, idē docet lib. de cura pro mortuis agenda. Docet quoque ille quasi fluuius eloquentiæ Tullianæ, vt vocat D. Hieronymus, ille inquam Lactantius lib. 6. cap. 12. qui & caussam adducit, quare virtutis ill[illegible] iustitiæq; doctores philosophi antiqui, vltimum illud, & maximum pietatis officium, peregrinorum, & pauperum sepulturam prorsus non attigerint. Nec enim poterant id vi-
D dere, inquit (esse tantę pietatis munus) qui vtilitate omnia officia metiebantur. In cæteris enim, quæ suprà dicta sunt, quamuis verum limitem non tenuerint, tamen quoniam commodi aliquid in his deprehenderūt, quasi odore quodam veritatis retenti, propius aberrauerunt: hoc autem, quia nihil videre in eo commodi poterant, reliquerunt. Quin etiam non defuerunt, qui superuacaneam facerent sepulturam, nihilque esse dicerent mali, iacere inhumatum, atq; abiectum: quorum impiam sapientiam cùm omne humanum genus respuit, tum diuinæ voces, quæ id fieri iubent. Verùm illi non audent dicere, id non esse faciendum: sed si fortè non fiat, nihil esse incommodi. Itaque in ea re non tam præcipientium, quam consolantium fungun-
E tur officio: vt si fortè id sapienti euenerit, ne se idcirco miserum putet. Nos autem, non, quid sapienti ferendum sit, dicimus, sed quid facere ipse debeat. Itaque nō quærimus nunc, vtrum tota sepeliendi ratio sit vtilis nec ne: sed hæc, etiamsi sit inanis (vt illi existimant) tamen facienda est, vel ob hoc solùm, quod apud homines bene, & humanè fieri videtur. Animus enim quæritur, & propositum ponderatur. Non enim patiemur figuram, & figmentum dei feris, ac volucribus in prædam iacere: sed reddemus id terræ, vnde ortum est: & quamuis in homine ignoto necessariorum sepulturam nulli negandam impendemus: in quorum locum, quia desunt, succedat humanitas, & vbicunque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In quo

autem

autem magis iustitiæ ratio cõsistit, quàm in eo, vt quod A præstamus nostris per affectum, pręstemus alienis per humanitatem, quæ est multò certior iustiórque? cum iam non homini pręstatur, qui nihil sentit, sed deo soli: cui charissimum sacrificium est, opus iustum.

DIVVM PATER, ATQVE HOMINVM REX) Callimachus hymno in Iouem, quò eius maiestatem, auctoritatem, imperium, ac potestatem collatione quadam cum dijs alijs demonstraret, affirmat illos in homines priuatos, regibus subiectos, Iouem in ipsos reges exercere imperium. Quare hominũ rex erit quidẽ Iupiter, sed modo excellentiori, quia excellentiorũ, immo excellentissimorũ hominũ, regum nempe, immò etiam sic vniuersè hominum, quamuis non proximè. B

Εἵλεο δ' αἰζηῶν ὅ,τι φέρτατον· οὐ σύ γε νηῶν
Ἐμπεράμους, οὐκ ἄνδρα σακέσπαλον, οὐ μὲν ἀοιδόν.
Ἀλλὰ τὰ μὲν μακάρεσσιν ὀλίζοσιν αὖθι παρῆκας
Ἄλλα μέλειν ἑτέροισι· σὺ δ' ἐξέλεο πολιάρχους
Αὐτοὺς, ὧν ὑπὸ χεῖρα γεωμόρος, ὧν ἴδρις αἰχμῆς,
Ὧν ἐρέτης, ὧν πάντα· (τί δ' οὐ κρατέοντος ὑπ' ἰσχύν;)
Αὐτίκα χαλκῆας μὲν ὑδείομεν Ἡφαίστοιο·
Τευχηστὰς δ' Ἄρηος· ἐπακτῆρας δὲ χιτώνης
Ἀρτέμιδος. Φοίβου δὲ λύρης εὖ εἰδότας οἴμους
Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
Θειότερον· τῷ καί σφι τεὴν ἐκρίναο λάξιν
Δῶκας δὲ πτολίεθρα φυλασσέμεν· ἵζεο δ' αὐτὸς
Ἄκρῃς ἐν πολίεσσιν, ἐπόψιος, οἵ τε δίκῃσι
Λαὸν ὑπὸ σκολιῇς οἵ τ' ἔμπαλιν ἰθύνουσιν.
Ἐν δὲ ῥυηφενίην ἔβαλες σφίσιν, ἐν δ' ἅλις ὄλβον·
Πᾶσι μὲν, οὐ μάλα δ' ἶσον.

Inde viros iuuenum legisti ex ordine summos:
Non bellatores, non nautam, aut deniq; vatem.
Sed das cælicolis longè inferioribus illa,
Sed curanda alijs. tum reges eligis ipsos,
Queis miles, quibus agricola, queis nauita solers,
Omnia queis parent: quid enim non subiacet illis?
Mulciberi sacros celebramus carmine fabros,
Armigeros Marti, venatoresq; Dianæ.
At Phœbo vates fidibus cantare peritos.
A Ioue sunt reges: *Ioue nil sublimius alto.*
Regibus inde tuum das ius, & fœdere certo
Das seruare vrbes: excelsis ipseq; præes
Vrbibus inspector, seu pressum lege gubernant,
Obliqua populum, seu candida iura tuentur.
Das quoq; diuitias, & opum quod sufficit illis.
Haud tamen ex æquo.

Sentit idem Horat. & breui, Callimachi vniuersam sententiam, complectitur Ode. 1. lib. 3.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis,
Clari giganteo triumpho
Cuncta supercilio mouentis.

FVLMINIS AFFLAVIT VENTIS) Fulminatum à Ioue Anchisen narrat Hyginus cap. 94. quia contra quam illi Venus mandauerat, in vino, & inter sodales, se Venerem habuisse, gloriatus sit. Liquet hoc ex carminibus, hymno in Venerem apud Homerum, vbi id ei Venus ipsa comminatur.

Εἰ δέ κεν ἐξείπῃς, καὶ ἐπεύξεαι ἄφρονι θυμῷ,
Ἐν φιλότητι μιγῆναι ἐϋστεφάνῳ κυθερείῃ
Ζεύς σε χολωσάμενος βαλέει ψολόεντι κεραυνῷ.

C Fulminum genera plura traduntur, ait Plin. lib. 2. c. 25. Quæ sicca veniunt, nõ adurunt, sed dissipant, Quæ humida, non vrunt, sed infuscant. Tertium est, quod durũ vocant, mirificæ maximè naturæ, quo dolia exhauriuntur, intactis operimentis, nulloq; alio vestigio relicto. Aurum, & æs, & argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidẽ signo ceræ. Martia princeps Romanorũ icta grauida, partu exanimato, ipsa citra vllum aliud incommodum vixit. Plura alibi idem scriptor, & multa in Naturalibus Seneca.

Talia perstabat memorans, fixusq; manebat.
Nos contrà effusi lacrymis, coniuxq; Creusa,
Ascaniusq;, omnisq; domus: ne vertere secum
Cuncta pater, fatoq; vrgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoq;, & sedibus hæret in ijsdem.
Rursus in arma feror, mortemq; miserrimus opto.
Nam quod consilium, aut quæ iam fortuna dabatur?
Méne efferre pedem genitor te posse relicto
Sperasti? tantumq; nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta superis placet vrbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituræq; addere Troiæ
Teq; tuosq; iuuat: patet isti ianua letho.
Iamq; aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quòd me per tela, per ignes
Eripis? vt medijs hostem in penetralibus, vtq;
Ascaniumq;, patremq; meum, iuxtaq; Creusam
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma viri, ferte arma: vocat lux vltima victos.
Reddite me Danais, sinite instaurata reuisam
Prælia: nunquam omnes hodie moriemur inulti.

TALIA PERSTABAT MEMORANS) Ne tantillum quidem à sententia discedebat senex. Obstinauerat mori. Contrà nos dolorem nostrum vberrimis lacrymis profitebamur, nec verbis solum & precibus humillimis vtebamur, ego, inquam, vxor Creusa, puer quamuis Ascanius, tota familia. Obtestabamur, ne quandoquidē religioni haberemus ipsum deserere, & vt in rebus desperatissimis, (matris præsertim auctoritate accedente, *Eripe nate fugam*, &c.) salutem fuga quęrere, ipse nos omnes secum in idem exitiū raperet, seu potius eodem interitu secum inuolueret, mortiq; occurreret vltro, quam declinare posset. Sed littori loquebamur, vt dicitur, & in ventos verba profundebamus. Tum mihi mors in optatis esse in tantis malis. Rursum arma capio. ✠

ET SEDIBVS HÆRET. IN IISDEM) Decorè, fingit patrem sedentem, vt senem decrepitum, & inualidum. Hæret obstinatus in proposito consilio, à quo, vt neque à sella potest dimoueri. Montfort.

RVRSVS IN ARMA. F. MORT.) Ex incommodis, calamitatibusq; suis misericordiam mouet, quibus premitur tantopere, vt mortem quærat, caussam assignat, quia neque consilio, neq; auxilio videbatur iam locus. Nascimb.

ME NE EFFERRE PEDEM) Qualis affectus? quam pius erga patrem Æneas? Namq; Priamum cæsum vbi vidit, subijt chari genitoris imago. Inde actutum eò. At verò Anchise pertinace ad manendum, mauult mori. Omnia enim illius caussâ posthabuisse. *Rursus in arma feror*, inquit. Quin etiam, quod mirabile dictu est, patrem filio suo prætulit. Sunt in nobis insita Zopyra quædam, id est, semina æternitatis: quam cum haud possimus per nos comparare, generis propagatione assequimur. Hæc est caussa, propter quam chariores nobis sunt liberi, quàm parentes. In patre enim desinit, quod incipit in filio. At pius Æneas, qui à patre accepit vitam, patris vitam præfert vitæ filij, cui nihil debet, & satis dedit. Quapropter humeris impositum patrem gerit: filium, vix qui sequi possit, ponè trahit veriùs, quàm ducit. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 12.

D Probatæ pietatis filius Æneas non semel, sed sæpius patrem monet, iterum hortatur, vt impetum hostium fugiat, omnia tentat, omnem lapidem mouet, vt eum à tam præpostera mente, obstinatoq; animo reuocet. Vnde apertissimè elicitur Æneæ commendatio ab officio pietatis erga patrem. Nam cùm iterum arma sumpsisset, animo pugnandi, ac moriendi, paterna pietate retentus, Méne, inquit ἐμφατικῶς. Perinde quasi diceret. Egóne, qui pietatem profiteor, istuc conari queam, vt te relicto abeam? Huic respondit illud Ouid. in epist. Hermiones.

Ipsa ego non longos etiam nunc scissa capillos
Clamabam, sine me, me sine mater abis?

E Et Iuturna in 12. Æneid. *haud quidquam dulce meorum Te sine frater erit.* Magna vis est in pronominibus istis, me, te. Locus autem hic de Sophoclis Aiace flagellifero sumptus videtur, sic enim ait. τί γὰρ δεῖ ζῆν με σοῦ τεθνηκότος; Huic quoque persimile est Horatianum illud lib. 2.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec dijs amicum est, nec mihi, te prius
Obire, Mæcenas, mearum
Grande decus, columenq́, rerum.

Vno verbo deinde & patrem excusare, & reprehensionem temperare videtur, cùm ait, *excidit*. Illud enim ex ore, seu ex lingua excidere nobis dicitur, quod inconsultò profertur, ac nobis pæne inuitis ex ore nostro

A labi videtur. [*Non rarò apud Homerum, quod huic Verbo excidit, respondet. & inconsideratius aliquid dictum esse declarat,* ποῖόν σ' ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; *Quale Verbum tibi fugit extra septum dentium? Vetus poeta nescio quis, simili sensu,* Mea puera, quale verbum ore tuo profluit? *Et Ennius apud Nonium in* Duriter. Quam tibi ex ore orationem duriter dictis dedit?] In hac pænè tota Æneæ, & Anchisæ contentione, poeta Euripidem sine dubio imitatus est: apud quem Hecuba, & Talthybius itidem mutuò altercantur de profectione. Hecuba negat abire, sed excisa Troia, flammisque consumpta, vnà quoq; & ipsa vult perire: Talthybius verò ipsam increpando ad fugam hortatur. Versus reperies in extremis Troadibus. Nascimb.

ET SEDET HOC ANIMO) Perstat in reprehensione, quam ab æquo, & honesto deducit, hoc modo. Si ipse mortem negligis, immo potiùs appetis, nec in vita amplius esse vis, tuorum tamen habenda tibi ratio est: quib⁹ longè antiquior est vita, quam mors. Huc acciri potest affectus ille ex 10. Æneid.

Si nulla est regio, Teucris quam det tua coniux
Dura, per euersa genitor fumantia Troia
Excidia obtestor, liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.

Nascimb.

Sueton. Aug. cap. 28. Ita mihi saluam ac sospitem rempub. in sua sede sistere liceat. Sedem pro firmo, ac stabili rerum statu dixit. Sicut & Horat. Ode 13. Epod. C *deus hæc fortasse benigna Reducet in sede vice.* Nec multum dissimile illud pro Archia. Sedem omnium rerum, ac fortunarum suarum Romæ collocauit. Hinc sedere, pro firmiter placere, quod & hic vsurpauit poeta, & in 5. *idq́, pio sedet Æneæ.* & in 7. *vbi certa sedet patribus sententia pugnæ.* Ex Torrent. in Sueton.

PATET ISTI IANVA LETHO) Pro caussa, & quasi fenestra interitus dixit *ianua lethi* per metaphoram. Lucretius lib. 1. *hæc rebus erit pars ianua lethi.* Et lib. 3. *Haud igitur lethi præclusa est ianua menti.* Et lib. 5. *Haud igitur lethi præclusa est ianua cælo.* Arnob. lib. 2. Omnis enim passio, lethi atque interitus ianua est. *Dixit* & limen lethi Lucret. lib. 2.

Nam quare potius lethi iam limine ab ipso
Ad vitam possint coniecta mente reuerti.

Et lib. 6. *Languebat corpus lethi iam limine in ipso.* Gifan. in Lucret.

IAMQVE AD. MVLTO. P. D. S. PYRRHVS) Vt patrem moueat, Pyrrhum iam iam dicit affuturum. Vt verò eum magis terreat, illius crudelitatem, atque impietatem exemplo in Priamū, & Politen edito amplificat. Adhuc doloris sui magnitudinem varia sermonis commutatione tum ad mouendam, tum ad amplificandam commiserationem ostendit. Modò enim patrem reprehendit, modò matrem accusat: interdum omnia desperans, iterum arma poscit, vt strenuè dimicando, honestè occumbat. Nascimb.

NATVM ANTE ORA PAT.) suprà, *Qui nati coram me cernere lethum Fecisti.*

HOC ERAT ALMA PARENS) Plaut. Menæch. *Hoc erat quod hæc te meretrix huius vocabat nomine.*

VOCAT LVX VLTIMA VICT.) Satis innuit se fortiter pugnaturum, vt cui dies illa sit vltima. Qui enim desperarunt, audaciores fiunt in prælio.

REDDITE ME DANAIS) à quibus me mater eripuit.

SINITE INSTAVR. RE. PRÆLIA) finite ipse instaurando reuisam. Hæc cum celeritate pronuntianda sunt, vt animum illius concitatum exprimant. Nascimbæn.

NVNQVAM OM. H. MOR. INVLT.) Victoriam hostibus nostris cruentam relinquemus. Non virtus hostium, sed multitudo nos opprimet. Et nos ferrum haud debili dextra spargere didicimus, & de nostro etiam vulnere sanguis sequitur, vt est in duodecimo. Catilina suos aduersus C. Antonium instante prælio cohortans, Quod si virtuti vestræ fortuna inuiderit: cauete ne inulti animam amittatis: neu capti potius, sicuti pecora trucidemini, quàm virorum more pugnantes, cruentam, atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis. ✱

Hîc ferro accingor rursus: clypeoq; sinistram
Insertabam aptans, meq; extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine coniux
Hærebat, paruumq; patri tendebat Iulum.
Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum:
Sin aliquam, expertus, sumptis spem ponis in armis,
Hanc primùm tutare domum. cui paruus Iulus,
Cui pater, & coniux quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat:
Cùm subitum, dictuq; oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter, mœstorumq; ora parentum,
Ecce leuis summo de vertice visus Iüli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.
Nos pauidi trepidare metu, crinemq; flagrantem
Excutere, & sanctos restinguere fontibus ignes.

HIC FERRO ACCING. RVRSVS) Accingere, & accingi sæpius dicitur in reb' bellicis, & valet armare sese, instruere sese ad periculũ aliquod, certaménue subeundum. Lucret. lib. 2. tralatè. *& si tibi vera videtur, Dede manus: aut, si falsa est, accingere contra.* Valet item quippiam aggredi, aut suscipere. *Accingunt omnes operi.* Et lib. 1. *Illi se prædæ accingunt.* ✱

CLYP. SINIST. INSERT. APT.) Propter insertorium, quod est lorum in scuto, annuli vice, inter quod, & scutum, insertatur manus. Solebat autem scutum, & etiamnum solet, sinistra manu capi. Vnde Scipionem, ostentanti affabrè factum scutum militi dixisse, scribit Ælianus, non in læua, sed in dextra homini Romano spem ponendam. Rhodig. lib. 10. cap. 3.

COMPLEXA PED. CON. P. P. TEND. IVLVM) Hæc muta persuasio est, quæ non verbis fit, sed rebus. Nam Creusa, cum vel propter doloris magnitudinem verba sibi ad persuasionẽ deesse videret: vel ea potius, si protulisset, inania fore cognosceret, ad pedes coniugis se deijcit, eique natum, cuius salutem, si abijsset, prodebat, ostendit. Qua quidem in re maior plerunq; vis inesse, quàm in oratione solet: magis enim quandoque spectacula mouent, quàm verba. Atq; illud est, quod Cic. in Partit. disputat. fidem non verbis tantùm, sed rebus etiam fieri. Quamobrem cum caussam quandam peroraret, vt ipse in Oratore testatur, puerum paruulum sustulit: quo plorante, totum forum lamentatione completum est. Nascimb.

Quod ad pathos pertinet, & speciem vxoris, viro pupum obtendentis, séque ipsam miserantis, talis est ὑποτύπωσις apud Homerum Iliad. ζ. sub persona Andromachæ, Hectori ad prælium erupturo occurrentis. Vide German. De Achęmenide quoque in 3. dixit, *genibusq; volutans Hærebat.*

SI PERITVRVS ABIS, ET NOS) Eiusdem generis est affectus Halcyones apud Ouidium 11. Metamorph.

Quod tua si flecti precibus sententia nullis
Chare potest coniux, nimiumq; es certus eundi,
Me quoq; tolle simul: certè iactabimur vnà.

[*Immo etiam coniugis ipsiusmet Ouidij, quem sic ponit ob oculos eleg. 3. lib. 1. Trist. Vbi suorum lacrymas propter se in exilium abiturum commemorat.*

Tum vero coniux humeris abeuntis inhærens,
Miscuit hæc lachrymis tristia dicta meis.
Non potes auelli, simul hinc, simul ibimus ambo:
Te sequar, & coniux exulis exul ero.
Et mihi facta via est: & me capit vltima tellus:
Accedam profugæ sarcina parua rati.
Te iubet à patria discedere Cæsaris ira:
Me pietas: pietas hæc mihi Cæsar erit.

Cupit & Horatius Mæcenati suo comes ire in omnia pericula, & eosdem cum eo casus perferre forti pectore. Vide Oden 1. Epod.]

A iusto, honesto, vtili argumentatur Creusa per dilemma seu complexionem. Aut tibi omnino pereundum putas, aut aliquam salutis spem habes. Si illud, pereamus vnà omnes, rape nos tecum ad mortem. Si hoc, si inquam, in dextra tua aliquid spei collocatum habes, primùm defende tuos. Hoc iustum, hoc honestum, hoc vtile est. Vociferatio autem non ad indignitatem rei, sed ad ægritudinem, ac dolorem referenda est. Nascimb.

CONIVX QVONDAM TVA DICTA) Quondam aut aliquando significat, quasi nunc vxor non sit, quæ relinquitur: aut certè quondam semper significat, vt in Georg. *Vt quondam in stipulis magnus sine viribus ignis.* Et est sensus, quam semper coniugem nominasti. Haberi enim quæuis poterat: nominari, non nisi nobilis. Seruius. * *Forsitan Seruius, cum hæc scriberet, historiæ recordatus est, quam de Ælio Vero Spartianus reliquit. Vxori conquerenti de extraneis voluptatibus, dixisse fertur, Patere me per alias, exercere cupiditates meas: Vxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis. Inter speramus, inquit Nonius, dictam,*

pactam, & ſponſam hoc intereſt, quòd virgo poſtquam petitur, ſperata dicitur: dehinc promiſſa, dicta, vel pacta. Vergil. & coniux quondam tua dicta. *Vide exempla reliqua.* A

MIRABILE MONSTRVM) Monſtrum vocat, quod aliquid futurum monſtret, regem ſcilicet fore Aſcanium nepotem. Quo viſo, ceſſit Anchiſes.

SVMMO DE VERT. VIS. IVLI. F. L. APEX) Meminit huius prodigij Claudian. in quarto conſulatu Honorij, his verbis.

Apparet quid ſigna ferant. ventura poteſtas
Claruit Aſcanio, ſubita cum luce comarum,
Innocuus flagraret apex, Phrygioq́ue volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor.

Quàm ſimilis hæc fictio hiſtoriæ illi, quæ eſt apud Liuium lib. 1. de Seruio Tullo puero, quæ & ipſa fortaſſe B fabula eſt: nam Liuius quoq; non audet pro certo veram affirmare. Et potuit eam ex Annalibus Romanis, vt alia innumera in ſuum poema transferre Virgilius. Vt autem à ſtudioſo vtraque narratio conferri poſſit, Liuianam ad verbum ſtatui ſubijcere. Eodem tempore in regia prodigium viſu, euentuq; mirabile fuit. Puero dormienti, cui Seruio Tullo nomen fuit, caput arſiſſe ferunt, multorũ in conſpectu. Plurimo igitur clamore inde ad tantæ rei miraculum excitum regem: & cum quidam familiarium aquã ad reſtinguendum ferret, ab regina retentũ: ſedatoq; iam tumultu, moueri vetuiſſe puerum, donec ſua ſponte experrectus eſſet: mox cum ſomno & flammam abijſſe, &c. Monſtrũ perſimile ex- C tat lib. 7. vbi Lauiniæ, dum patri ſacrificanti aſtat, igne coma corripitur, ſed ſine damno. Significatio autem, vt hìc quoque, rei cuiuſdam fuit illuſtriſſimæ.

Præterea caſtis adolet dum altaria tædis,
Et iuxta genitorem aſtat Lauinia virgo:
Viſa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atq; omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regaleſq́ue accenſa comas, accenſa coronam
Inſignem gemmis: tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Vulcanum ſpargere tectis.
Id verò horrendum, ac viſu mirabile ferri.
Namq; fore illuſtrem fama, fatiſq́ue canebant
Ipſam: ſed populo magnum portendere bellum.

Omnino ignis vrens citra noxiam, veterib⁹ alicuius claritudinis futuræ indiciũ habuit. Viſus eſt hoc portenti genere, coma in quã innocuis ardente flammis, deus in Soſio Diacono. Nam cùm fortè Euangeliũ in æde ſacra clara voce populo legeret, cõſpexit S. Epiſcopus Ianuarius in eius capite flam̃as exiſtere, ſtatimq́; Chriſti martyrem futurũ ꝓnuntiauit. Haud ita multi dies interceſſerunt, & vnà cũ Epiſcopo ſuo, deſecto capite, martyriũ obiuit. Teſtes huius rei Beda, Ado, Proſper, & alij. ❧

LAMBERE FLAMMA COMAS) Lucret. lib. 2.

Ne cum ſubſiliunt ignes ad tecta domorum,
Et celeri flamma degustant tigna trabeſq;.

Et lib. 5. *Ignis enim ſuperauit, & ambens multa peruſſit.* Participium ab ambeſſe, pro ambedere. Lambunt propriè linguis animalia. Pro, cingere igitur, & ambire tratio eſt. Sic Perſius prologo, *quorum imagines lambunt Hederæ ſequaces.* ❧

SANCT. RESTING. F. IGNES) Sanctum eſt (vt Trebatius docet lib. Religionum 10.) interdũ idem quod ſacrum, idemq; quod religioſum: interdum aliud, hoc eſt, nec ſacrum, nec religioſum eſt. Quod ad ſecundam ſpeciem pertinet, Æneid. 12. *Sancta ad vos anima, atq; iſtius inſcia culpæ Deſcendam.* Non enim ſacro, aut religioſo eius anima tenebatur, quam ſanctam, hoc eſt, incorruptam voluit oſtendere: vt in illo quoque eiuſdem, lib. 11. *tuq́; ô ſanctiſſima coniux Felix morte tua.* In quo caſtitatis honorem incorruptæ vxoris amplexus eſt. Vnde & ſanctæ leges, quæ non debent pœnæ ſanctione corrumpi. Quod autem ad priotem ſpeciei definitionẽ de ſancto attinet, id eſt, vt non aliud ſit quàm ſacrum, aut religioſum, *Ecce leuis ſummo de verticé viſus Iüli Fundere lumen apex.* Et paulo pòſt.

Nos pauidi trepidare metu, crinemq́; flagrantem
Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.

Hìc enim ſanctos ac ſi ſacros accipiemus: quia diuinitus cõtigerunt. Item. *tuq́; ô ſanctiſſima vates Preſcia venturi,* nõ aliud, niſi ſacram notat, quã videbat & vatem, & deo plenam, & ſacerdotẽ. Macrob. Saturn. lib. 3. c. 3.

At pater Anchiſes oculos ad ſidera lætus
Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit,
Iupiter omnipotens, precibus ſi flecteris vllis,
ASPICE NOS, HOC TANTVM: ET SI PIETATE MEREMVR,
DA DEINDE AVXILIVM PATER, atq; hæc omina firma.
Vix ea fatus erat ſenior, ſubitoq́; fragore
Intonuit læuum, & de cælo lapſa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram ſe condere ſylua,
Signantemq́; vias: tum longo limite ſulcus
Dat lucem, & latè circum loca ſulfure fumant.
Hìc verò victus genitor ſe tollit ad auras,
Affaturq́; deos, & ſanctum ſidus adorat.
Iam iam nulla mora eſt: ſequor, & quà ducitis, adſum.
Dij patrij ſeruate domum, ſeruate nepotem.
Veſtrum hoc augurium, veſtroq́; in numine Troia eſt.
Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuſo.

OCVL. AD SID. ET PALM. CVM VOCE) Erecto vultu, manibuſq; paſſis, & ſupinis venerari & precari deos mos fuit. Apuleius lib. de mundo. Nam habitus orantium hic eſt, vt manibus extenſis ad cælũ precemur.

Sic 3.

Sic 3. Æneid. *At pater Æneas passis de littore palmis Numina magna vocat.* Idem lib. 5. *Ni palmas ponto tendens vtrasq; Cloanthus Fudissetq; preces.* Et lib. 10. *Et duplices cum voce manus ad sidera tendit.* Lucretij, Horatij, Ouidij, Silij & Liuij verba omitto, quæ ad idem hoc confirmandum adducit Formular. lib. 1. Brissonius.

ASPICE NOS) Vsitata fuisse in precibus verba aspicere, respicere, docet idem lib. 1. Formular. pag. 79.

HÆC OMINA FIRMA) Omen vnum atque augurium non videbatur Romanis hominibus satis habere ad persuadendum fidei. Proinde ad confirmationem prioris augurij secundum poscere solebant. Cùm igitur arsissent comæ innoxia flamma Ascanio, postulauit confirmari hoc omen alio omine Anchises. Sequitur mox. *Vix ea fatus erat senior, subitoq; fragore Intonuit læuum.* Cic. in Mario. *Sic aquila clarum firmauit Iupiter omen.* Silius. *Adsis ô firmesq; tua pater alitis omen.* Turneb. lib. 13. cap. 16. * *Legit omene, pro, omina Turnebus: tametsi eodem recidat, si legas, omina. Marcell. lib. 23. Vt omen per hostias litando firmaret.*

SVBITOQVE FRAG. INTON. LÆVVM) Hinc satis intelligi arbitror, quid sit firmare omen. Quod tamen apud Silium videtur esse, non alio omine confirmare, nullum enim præterea succedit, sed euentu, factisque id quod augurium portendit, promisitque præstare: nam in Cicerone antecedit, *Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris.* Turneb. lib. 13. cap. 16.

Parum diligenter, parumque curiosè introspexisse videtur Seruius Virgilianam maiestatem, quando à poeta dicitur, *Intonuit læuum,* est enim id totum ex arcana augurum disciplina translatum, & à nobis diligentius exponendum, ad iuuandam studiosorum eruditionem. Etrusci cælum in 16. partes diuiserunt, ex quibus octo ab exortu sinistras, totidem è contrario appellauere dextras. Hinc omnia fulmina læua, existimantur esse prospera: quoniam à læua parte mundi ortus est, vt auctor est Plinius: & vt scribit Cicero in 2. de Diuinat. optimum auspicium habebatur apud Romanos, quod sinistrum fuerat. Verùm cum Romani sinistra meliora existimarent, Græcis, & Barbaris dextra videbantur auspicatiora. vnde apud Homerum Aiax sic loquitur: *Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.* Virgilius, idemque omnis antiquitatis consultissimus, ex ritu Romani augurij, dixit intonuisse læuum: hoc est sinistrum, quod fælicitatem portendere credebatur. Beroaldus Annotat. in Seruium. Rursus idem in Apuleium. Notandũ, in auguriis sinistrum accipi pro prospero, & salutari: & sinistras aues, quæ portendunt fælicitatem. Festus Pomp. & Seruius sinistrum auspicium ait à sinendo dici, quod nos aliquid agere sinat. M. Varro lib. Ep. quæst. ait ad sinistram partes esse mundi exorientes, ad dextrã occidentes. Vnde factũ arbitrantur, vt sinistra meliora auspicia, quam dextera esse existimentur. Plinius quoque fulmina læua, hoc est, sinistra, refert prospera existimari: quoniam læua parte mundi ortus est. Ex hac augurij consuetudine scripsit Ennius, *Contonuit læuum bene tempestate serena.* Statius 3. Thebaid. *Signa feras, læuumq; tones.*

DE CÆLO LAPSA PER VMBRAS STELLA) Aruspicum obseruationes stellam aiunt prosperitatis, ac læti alicuius euenti signum esse. Hinc locis inaugurandis stella ex lamella ærea, qua specie reliquæ spectantur in cælo stellæ, præfigebatur. Disciplinam hanc secutus Virgilius, fælicissimum Troianæ posteritatis successum Anchisæ ita præmonstratum ait. *Intonuit læuum, & de cælo lapsa per vmbras Stella facem ducens,* &c. Neque immeritò Cæsar Aug. crinitam stellam visendæ magnitudinis, quæ Iulio Cæsare sublato statim apparuit, cum paucis admodum sententiam suam professus, fælicitatis, quæ se deposceret, ostentum interpretatus est, &c. Pierius lib. 44. Beroald. hæc verbis Plinij posse explicari censet, quę sunt lib. 2. c. 26. Emicant & faces, nõ nisi cum decidunt, visæ: qualis Germanico Cæsare gladiatorum spectaculum edente, præter ora populi meridiano transcurrit. Duo genera earum: lampades vocãt plane faces: alterum bolidas, quale Mutinensibus malis visum est. Distant, quod faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte: bolis verò perpetua ardens, longiorem trahit limitem.

DII PATRII) Hoc loco dij patrij intelligendi, non patriæ, vrbisque custodes, sed patrum, familiæ, & generis præsides. Item apud Cic. orat. 3. in Verrem, patrij dij sunt, qui pietati præsunt patrum in liberos, & liberorum in parentes, cùm scribit. Rapiunt eum ad supplicium dij patri, quòd iste inuentus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem daret. Turneb. lib. 6. cap. 11. Melius idem lib. 17. cap. 4. Dij patrij sunt, & qui Græcè θεοὶ πάτρειοι, qui in patria coluntur nostra: sunt & πατρῷοι, qui à patribus nostris culti sunt, quorumque per manus à patribus religionem accepimus. Hìc posteriori sensu intelligeret Xenophon, qui de Ænea ita scribit. Αἰνείας δὲ σώσας τοὺς πατρῴους, καὶ μητρῴους θεούς. Nec Hyginus aliter apud Macrob. censet.

SERVATE DOM. SERVATE NEP.) Varia à dijs petebantur, in queis generalia hæc, vt seruarent, vt fauerent, vt ferrent opem, & his similia. Plaut. Capt. *Serua Iupiter supreme & me, & meum gnatum mihi.* Cistellar. *Seruate me dij, obsecro.* Noster 3. Æneid. *dij talem auertite casum, Et placidi seruate pios.* Quinetiam quibus deorũ beneficio, ac munere aliquid boni præter spem obtingebat, ij gaudij testandi caussa dicere solebant, dij me seruant, vel, me seruatũ cupiunt, volunt. Simile est illud Plauti Mostell. *dij me adiuuant.* His quoq; quos saluos cupiebãt, ita bene precabantur, dij te seruassint mihi. Dij te omnes mihi seruent. Brisson. Formular. lib. 1.

Dixerat ille, & iam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiusq; æstus incendia voluunt.
Ergo agè chare pater, ceruici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris: nec me labor iste grauabit.
QVO RES CVNQVE CADENT, VNVM, ET COMMVNE PERICLVM,
VNA SALVS AMBOBVS ERIT. mihi paruus Iülus
Sit comes, & longè seruet vestigia coniux.
Vos famuli, quæ dicam, animis aduertite vestris.
Est vrbe egressis tumulus, templumq; vetustum
Desertæ Cereris, iuxtaq; antiqua cupressus,

Relligione patrum, multos seruata per annos.
Hanc ex diuerso sedem veniemus in vnam.
Tu genitor cape sacra manu, patriosq; penates:
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.
Hæc fatus, latos humeros, subiectaq; colla
Veste super, fuluiq; insternor pelle leonis:
Succedoq; oneri: dextræ se paruus Iulus
Implicuit, sequiturq; patrem non passibus æquis.
Ponè subit coniux. ferimur per opaca locorum:
Et me, quem dudum non vlla iniecta mouebant
Tela, neq; aduerso glomerati ex agmine Graij:
NVNC OMNES TERRENT AVRÆ, SONVS EXCITAT OMNIS
Suspensum, & pariter comitiq;, oneriq; timentem.

ET IAM) Dum scilicet negat se loco cessurum Anchises, dum ostenduntur auspicia.

AVDITVR IGNIS) non tantum videtur, propter crepitus nimirum nodosarum trabium. Nec ferè vllus ignis non edit principio ardoris sui strepitum.

PROPIVS) Propter illud, *arboribusq; obtecta recessit*. Et est ordo, incendia propius voluunt æstus, id est calorem, vnde & æstas dicitur.

ERGO AGE) Quoniam consensisti, & ignis propinquat.

CERVICI IMP. N. IP. SVB. HVM.) Ceruix numero singulari collum est, ceruices superbia. Isidor. lib. 11. c. 1. Veteres plurali tantum numero ceruices dicebant, primus Hortensius ceruicem singulariter dixit. Addit idẽ ex Seruio, numero multitudinis valere cõtumaciam, & superbiam. Cic. in Verr. Prætorem tu accusas? frange ceruices. Sed tamen Cic. sæpe ceruices pro membro, seu parte corporis dixit: nam de poetis haud mirum.

VNVM ET C. P. VNA SAL. AMBOB.) In eandem sententiam Tacitus lib. 17. in oratione Othonis ad milites. Auditis ne, vt pœna mea, & supplicium vestrum simul postulentur? adeò manifestum est, neque perire nos, neque saluos esse, nisi vnà posse. German.

MIHI PARVVS IVL. SIT COMES) Quidam audent legere, *mihi solus Iulus sit comes:* Sequitur enim, *& longè seruet vestigia coniux*. Seruius explicat *longè*, valde: quoniam infra est, *Ponè subit coniux*. Modicius cap. 27. *longè*, accipit propria & vsitata significatione. Ergo longè, sed tamen intra conspectum antecedentium. Vxor propinqua fecisset gregem: grex trium vel quatuor, nõ tam facilè fefellisset hostes. Longè, vt sola esset. Longè accipitur pro ratione rerũ, & locorum. In templo longè stas à concionante, quem vides, cuius vocem audis, verba non percipis. Ad mensam longè discumbit filius à patre.

TEMP. VETVST. DESERTÆ CER.) Cur desertæ Cereris dicat poeta, quærit Seruius. Adscribam Germani iudicium, quod & ille multò ante tetigit. An desertæ, inquit, à filia? vt, *Nec repetita sequi curet Proserpina matrem*. Sed explicatius German. Credo equidem inquit, hoc templum Cereri consecratum, respiciente nuncupatione raptum Proserpinæ, & spoliatam, & orbatam filia matrem à Dite, & ita desertam à charissima virgine, quam ad inferos vsque secuta requisiuerit. Quã sententiam adiuuat ἕρμιον, vel ἑρμιόνη, templum in Peloponeso Cereri, & Proserpinæ sacrum, asyli vice, quod quasi ἐρήμιον, vel ἔρημον Grammatici quidam dictum volunt: etiamsi ἕρμιον cum nota aspirandi multi scribant.

MVLTOS SERVATA PER ANNOS) Ex illo Lucretij lib. 1.

Qualibus ex rebus consistit summa creata,
Et multis etiam magnos seruata per annos.

E DIVERSO SED. VEN. IN VNAM) Vlpian lib. 1. sub tit. de pactis, hunc versum ferme exprimere videtur, his: Conuentionis verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotij contrahendi, transigendique caussa consentiunt, qui inter se agunt: nam sicuti conuenire dicuntur, qui ex diuersis locis in vnum locũ colliguntur, & veniunt: ita qui ex diuersis animi motibus in vnum consentiunt, id est, in vnam sententiam decurrunt. German.

DONEC ME FLVM. V. ABLVERO) Hæc Æneas, cũ se violatum, & multa cæde pollutum nosset. Post Caietæ quoque nutricis sepulturam, quò potissimùm nauigans appellitur, quàm ad eam partem, per quam fluuio Tiberinus amœno in mare prorumpit, vt confestim in ipso Italiæ limine fluuiali vnda ablutus, posset quàm purissimè Iouem, Phrygiamque ex ordine matrem inuocare? Quid quod Euandrum aditurus per Tiberim nauigat: quod cum esset reperturus Herculi sacra celebrantem, vt sic purificatus, sacris possit hospitalibus interesse? Hinc & Iuno ipsa conqueritur, nõ magis, quòd Æneam contigisset contra suum velle in Italiam peruenire, quàm quòd optato potiretur Tibridis alueo. Quia sciret eum hoc amne purificatum, posse sacra etiam sibi ritè perficere. Nam ne supplicari quidem sibi ab eo vellet. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 1.

Aquæ purgationis vim non modicam esse, non solum Latini, sed & Græci olim censuerunt. Ex qua opinione & hoc, & illud in 6. dictum: *Spargens rore leui.* Qua de re Festus inquit. Itaque funus prosecuti, ignem supergrediebantur aqua aspersi, quòd purgationis genus appellabant suffitionem. Verùm hæc satis cognita, & Sarracenis, Iudæis, Turcisq; hodie (qui toti abluuntur) vsu recepta. Illud certè obseruatione dignum videtur, Ethnicos illos, licet rectæ fidei luminis exortes, tanquam essent Christianis dogmatibus addicti, quod est piè sanctèq; apud nos in more positum, vt templũ ingres-

ingressuri, vel statim ingressi, sacra aqua, purificationis ergò respergamur, seruasse. Etsi illi non sacram, sed simpliciter aquam, putam tamen vsurpasse videntur. Huius rei testem habeo antiquum auctorem Ethnicum, in libro de morbo sacro, qui Hippocrati vulgò adscribitur, cuius verba, quòd pietatem Christianam planè præ se ferunt, latinè recitabo. Deus itaque est, qui maxima, & sceleratissima peccata purgat, ac purificat, & liberatio nostra existit: ipsique terminos templorum, ac delubrorum designamus, vt nullus qui non purus sit, eos transcendat. Et ingressuri respergimur, non velut qui inquinemur: sed si quod etiam priùs scelus habemus, vt purificemur. Hæc ille. Marinam aquam ad lustrationes adhibitam obseruauit apud Dionem historicum lib. 48. vbi ille de virtutis statua, & apud Euripidem in Tauris, Hieronymus Magius lib. 4. cap. 10. cuius hæc est Symbola.

Turnebus lib. 1. cap. 29. in illud carmen Horatij Sat. 5. lib. 1. *Ora, manusq; tua lauimus Feronia lympha*, religione quadam, inquit, & cærimonia factum existimo, vt se viua, sacraque Feroniæ aqua lauarent, purificarentq;, cùm in conspectum eius fani venissent. Nam se flumine viuo abluere in parte religionis ponebant, vt è Marone, & alijs poetis notissimum. Idem rursus lib. 17. cap. 13. Apparet veteres ad purificationem non quauis aqua contentos fuisse, sed viuam, & perennem, & limpidam desiderasse, non desidem, non stagnantem, non turbidam è lacuna: vt non temere Virgilius dixerit, *flumine viuo*. Nam torrens, aqua est, sed nõ viua, nec ad purificandum idonea. Quod non in sacris tantùm, sed etiam in penore tangendo obseruauere: tanta castimonia veteres erant. Verba sunt Columellæ lib. 12. cap. 4. Quibus si fuerit operatus vel vir, vel fœmina, debere eos flumine, vel perenni aqua, priusquam penora contingant, ablui. Idem lib. 19. cap. 20. Purificatio aquam viuam desiderat, non pluuiam, aut stagnantem, aut torrentem: & fluuius duplex dicitur, torrens, & iugis, & perennis, qui idem viuus vocatur. * *Aqua aspersione, ait Cic. 2. de leg. labem corpoream tolli, & castimoniam corporis præstari indicabant. Antequam autem rem sacram, aut vota facerent, sese abluebant. Liuius lib. 1. Quidnam tu hospes paras, inquit, inceste sacrificium Dianæ facere? quin tu antè viuo perfunderis flumine? infima valle profluit Tiberis. Vnde in 4. Dido,* Dic corpus properet fluuiali spargere lympha. *Persius Sat. 2.*

Hæc sanctè vt poscas, Tiberino in flumine mergis
Manè caput bis, terq;, & noctem flumine purgas.

De ablutione ista χερνιπτικῇ præclara multa ex Hesiodo, Homero, Euripide, Sophocle, Catullo disserit German. quem lege. In Hercule Furente Amphitryo ipsum Herculem sacrificaturum monet, vt prius cruentas manus abluat. Nate, manantes prius Manus cruenta cæde, & hostili expia. *Vide Formular. Rom. Bressonij. lib. 1.*

LAT. HVM. SVB. COLLA) Ouid. lib. 13. Metamorph.

———sacra, & sacra altera patrem
Fert humeris venerabile onus Cythereius heros:
De tantisq; opibus prædam pius eligit illam,
Ascaniumq; suum.

Propert. lib. 4. eleg. 1.

Cum pater in nati tremulus ceruice pependit,
Et verita est humeros vrere flamma pios.

Actum hunc Suetonius succollare vocat, Græci ὠμοφορεῖσθαι. Vide eius Neronem, & Othonem, si placet. ❧

Non iniquè sanè pius Æneas toties à poëta dictus est: quando tum deos erga, tum erga patrem suum mirificã multis locis pietatem ostendit. Capto, & incenso Ilio Græci fortunam Troianorum miserati, permiserunt, vt ciuis quisque ex domesticis rebus vnum quid tolleret, auferretque. Tum Æneas dicitur cunctis alijs facilè ne- A glectis, aut necessitate reiectis, patrios selegisse quos asportaret deos. Id cum intuerentur Græci, plurimumque ea re forent oblectati, eidem permiserunt iterum, quod vellet, ex bonis suis sibi caperet. Qui geminata pietate, multo iam senio fessum parentem humeris subiens, efferre properabat. Ea cum, vti erant, stupenda victoribus acciderent, viro maximè pio domesticis cedentes omnibus, quotquot iure belli erant adepti, abire quò vellent, liberè permisere, fatentes hostilitatis remitti iura, & mansuetudinem induere aduersum eos, qui verecundè se in deos, ac parentes ita gerant. Ælian. lib. 3. cap. 22. Rhodigin. lib. 19. cap. 23.

Considerans hoc exemplum pietatis Seneca lib. 3. B de beneficijs cap. 37. sic ait. Vicit Æneas patrem, ipse eius in infantia leue tutumque gestamen, grauem senio, per media hostium agmina, & per cadentis circa se vrbis minas ferens, cum complexus sacra, ac penates deos religiosus senex, non simplici vadentem sarcina premeret: tulit illum per ignes. Et quid non pietas potest? pertulit, colendumq; inter conditores Romani imperij posuit. Sed cur dicat vicisse, docebunt capita superiora 35. & 36. Potest enim vinci, qui dedit id beneficium, quo est aliquid melius. Pater dedit filio vitam, est autẽ vita aliquid melius, &c. lege quæ sequuntur.

Elegans emblema, numero 194. confecit super hac pietate Æneæ in patrem Anchisen Alciatus, quod C tamen è Græco petitum apparet.

Per medios hostes patriæ cum ferret ab igne
Æneas humeris dulce parentis onus:
Parcite dicebat, vobis sene adorea rapto
Nulla erit, erepto sed patre, summa mihi.

Græcum.

Ἐκ πυρὸς Ἰλιακοῦ, δορικτῶν μέσον ἥρπασεν ἥρως
Αἰνείας, ὅσιον παιδὶ βάρος πατέρα.
Ἔκλαγε δ' Ἀργείοις· μὴ ψαύετε, μικρὸν ἐς Ἄρη
Κέρδος ὁ γηραλέος, τῷ δὲ φέροντι μέγα.

Ex hoc ipso Æneæ facto laudatissimo occasionem nactus est facetè ludendi in Neronem Ausonius: quippe D qui se Æneadem haberi vellet. Occidit autem, siue de medio sustulit matrem suam Agrippinam. Itaque scripsit poeta, & lusit in ambiguitate vocis, *sustulit*.

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Liuius lib. 1. Ænea, & Antenore omne ius belli Achiuos abstinuisse scribit, & vetusti iure hospitij, & quia pacis, reddendæq; Helenæ semper auctores fuerant. Iouian. lib. 2. de Obed. vbi docet obedientiam erga parentes, nõ debere à metu, aut vtilitate proficisci: & Rhodigin. lib. 11. c. 17. admirabile quoddam exemplũ narrant de duobus fratribus Catanensibus, cuius meminerunt etiam E Aristoteles de mundo, Valer. Max. Solinus, Claudianus, Ausonius: de Amphinomo, & Anapio Siculis, qui cum pernicitate pedum flammas euadere potuissent, relictis parentibus, & succedere auitis bonis, adepturi ex illorum morte sine infamia vlla patrimonium, immò cum vtilitate etiam multa, quæ nulla quidem erat è vita (erant enim parentes ipsi in vltima senectute constituti, & annis graues, atque inutiles) eos tamen ceruicibus impositos, per medios sæuientis Ætnæ ignes tulerunt adolescentuli non vtilitatis spe aliqua, verùm cum maximo vitæ discrimine, & summi in parentes ipsos amoris, pietatisq; testimonio. Deinde subiungit Iouianus Æneæ istuc præclarissimum facinus his verbis. Et quamquam minus est auctoritatis in fabula, Æneas tamen ille

men ille, qui apud Virgilium Anchisen patrem humeris suis per hostium tela, conflagrantiumque domorum incendia, & ruinas portat, docet amandos esse parentes, non vtilitatis præcipuè caussa: sed vt naturæ pareatur, hoc ipsum iubenti, & deo imprimis, cuius iussu dât tela locum, flammæque recedunt. Addit in extremo cap. de iuuene quodam cognatam huic historiam. Paucis ante annis iuuenis quidam, cuius nomen excidit, Lipara Neapolim profectus, vt patrem à prædone redimeret, sponte se in seruitutem dedidit, patreque in libertatem restituto, qui erat iam senior, ipse remo addictus mansit in potestate prædonis. Quænam hîc iuueni erat vtilitas? immò quod non potiùs damnum? Certat cum his, quod scriptum reperi libello de furoribus Gallicis exemplum pietatis filiæ in patrem, quem cum inter præsidiarios arcis oppido (in quo ipsa degebat) imminentis, occisum iam crederet (ducentos quippe Hagonoti perfidiosè interemerant: alios non paucos è rupe præcipites egerant) sola in arcem ascendit, perque cuneos hostium penetrans animo imperterrita, cadauerum aceruos scrutatur: tandem patrem inuenit, multis illum quidem concisum vulneribus, sed palpitantem adhuc, & propemodum extremum ducentem spiritũ. In humeros tollit, mirantibusq; summopere hostibus, domum deportat, diligentissimaque, & amantissima cura, & curatione vitæ sanitatique restituit. Apud Moruasium res gesta est, ad littus Rhodani, in Toparchia Venetica. Omitto aliud de filia quæ patris Christiani, & propter Christum tormentis affecti, lapidibusq; obruti cadauer dum vestigat, semianimem inuenit, & sedulitate pia ad sanitatem reduxit. Auctor D. Cyprianus in epistolis. Satis hæc fore arbitror ad Maronis locum illustrandum. Lutatius auctor vetus, narrat Æneæ permissum ab Agamemnone ire quò vellet, & humeris suis quod potissimum putaret, hoc ferret: nihil illum præter deos penates, & patrem, duosq; paruulos filios, vt quidam tradunt, vt verò alij, vnum, cui Iulo nomen, pôst etiam Ascanio fuerat, secum extulisse. Qua pietate motos Achiuorum principes, permisisse, vt reuerteretur domum, atque inde omnia quæ vellet, secum auferret. Itaque eum magnis cum opibus, pluribusque socijs vtriusque sexus Troia digressum. Hæc historia paulò ante etiam ex Æliano, & Rhodigino relata est, sed aliquanto aliter.

Qui ingentibus periculorum vndis circumscriptum aliquem, aut difficillimis rebus irretitum explicat, is è media flamma talem liberare prouerbialiter dicitur. Aristides in Apellæ genethliaco. Ἐκ μέσου φασὶ πυρὸς τὸν ἄνδρα σώζειν, id est medio, quod aiunt, incendio virum seruare. Et iterum τίνα δ᾽ ἐκ ἂν οὗτός γε καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένου βουληθεὶς ἀναρπάσειεν; Id est, quem non ille ex ardẽte flamma consultus eripuerit? Iunius cent. 5. num. 89.

SEQVITVRQVE PAT. NON PASS. ÆQ.) Stat. 5. Thebaid.

Audet iter, magniq́, sequens vestigia mutat
Herculis, & tarda quamuis se nolle ferentem,
Vix cursu tener æquat Hylas.

Germana his sunt illa superiora de Panthu, *paruumq́, nepotem Ipse trahit*. Et de Andromacha, *& auo puerum Astyanacta trahebat*. Nam hi quoq; non æquis passibus sequebantur.

PONE SVBIT CONIVX) Quiddam reconditum de Creusa virum è patria abeuntem prosequente Clemẽs Alexand. Pædagog. lib. 3. cap. 11. Dicunt autem Æneæ vxorem propter insignem honestatẽ, ne cum Troia quidem caperetur, perterritam se detexisse: sed etiam dum ab incendio fugeret, mansisse coopertam.

PER OPACA LOCORVM) Opaca locorum, vt clausa domorum, strata viarum, & sexcenta huius generis. Ideo autem per opaca, quia & ipsa domus Anchisæ erat in nemore, & nondum vbiq; clara incendia lucem præbebant, sicut postea præbuerunt vxorem quæritanti: præsertim cum Æneas, quò securior esset, celebriores vias relinqueret per angiportus incedens.

ET ME QVEM DVDVM) Timor iste charitate procedebat, non ex infractione animi, quod manifestum est ex ipsis verbis. Timebat non sibi, sed oneri, & comitibus.

Iamq; propinquabam portis, omnemq; videbar
Euasisse viam, subito cùm creber ad aures
Visus adesse pedem sonitus: genitorq; per vmbram
Prospiciens, nate, exclamat, fuge nate, propinquant:
Ardentes clypeos, atq; æra micantia cerno.
Hîc mihi nescio quod trepido malè numen amicum
Confusam eripuit mentem. namq; auia cursu
Dum sequor, & nota excedo regione viarum,
Heu misero coniux fatóne erepta Creusa
Substitit, errauítne via, seu lassa resedit,
Incertum: nec pôst oculis est reddita nostris.
Nec prius amissam respexi, animumq; reflexi,
Quàm tumulum antiquæ Cereris, sedemq; sacratam
Venimus: hîc demum collectis omnibus, vna
Defuit, & comites, natumq;, virumq; fefellit.
Quem non incusaui amens hominumq; deorumq;?
Aut quid in euersa vidi crudelius vrbe?
Ascanium, Anchisenq; patrem, Teucrosq; penates
Commendo socijs, & curua valle recondo.

Ipſe vrbem repeto, & cingor fulgentibus armis.
STAT CASVS RENOVARE OMNES, OMNEMQVE REVERTI
PER TROIAM, & rurſus caput obiectare periclis.

FVGE NATE, PROPINQVANT) Verba ſunt Anchiſæ patris, filium ad fugam hortantis. Ita qui dudum mori volebat, nunc mortem euitare ſtudet. Ex quo intelligi poteſt, omnibus natura inſitum, velle diu viuere. Naſcimb. Anaphora autem vocis, nate, trepidationem arguit.

ARDENT. CLYP. A. ÆRA. M. CERNO) Cum eſſet cæcus Anchiſes, hunc verſum, *Ardentes clypeos*, &c. Critici Æneæ malunt attribuere. Sed quamuis cæcus, ita vt in conſuetudine ſolemus, potuit Anchiſes loqui. Nam obliti ſui plerunq; cæci, ea dicunt, quæ videntium ſunt: pauorq; ita mentem conſternarat eius, vt ſe putaret videre, quod metuebat. Æs autem more poetarum Græcorum pro ferro, vt & in illo verſu, *Exultat telis, & luce coruſcus ahena.* Turneb. lib. 26. cap. 23.

MALE NVMEN AMICVM. C. ERIP. M) Vt quisq; deus cuiq; hominum bene, aut male conſultum cuperet, ita putabatur bonum aut malum conſilium ei dare, profuturas, aut nocituras cupiditates in animum illius immittere. Cuius rei exempla innumera peti poſſunt à poetis, è quibus & hoc eſt, & illud Catulli.

Quis deus tibi non bene aduocatus
Vecordem parat excitare rixam?

Cicer. pro Milone. Hic dij immortales, vt ſupra dixi, mentem dederunt illi perdito, ac furioſo, vt huic faceret inſidias. Aliter perire peſtis illa non poterat. Cupiditates etiam, quæ in hominum mentibus naſcuntur, itemq; conſilia quæ capiuntur, à dijs immitti, multi veterum crediderunt. Hinc in ſcriptis poetarum videmus heroas omnia de conſilio alicuius dei facere: Agamemnonem Iunoni, Achillem, Aiacem, Diomedem, Vlyſſem Palladi, Paridem Veneri, alios denique alijs dijs obtemperare. Muret. in Catilinarias.

HEV MISERO CONIVX) Timorem ſequitur dolor: nam coniugem ſibi ablatam narrat, & narrando varios paſſim admiſcet conqueſtionis, ac doloris affectus. Huic querelæ admodum ſimilis illa Orphei apud Virgil. lib. 4. Georg. de vxore Eurydice apud inferos amiſſa. *Iamq; pedem referens caſus euaſerat omnes,* &c. Naſcimbæn.

NATVMQVE, VIRVMQVE FEFELLIT) Latuit. λανθάνειν græcis eſt latere, pro quo fallere Latini ſæpe. Horat. *Non vixit male, qui viuus, moriensq; fefellit.*

QVEM NON INCVS. A. HOM. DEOR.) In more hominibus eſt, vt cum grauiter dolent, alia atq; alia, quaſi malorum ſuorum cauſſas accuſent. Quod autem deos incuſat vir alioqui religioſus, affectus magnitudo excuſare debet. Ab hoc verſu Virgilius amorem, affectumq; coniugalem, mariti videlicet in vxorem, Æneæ in Creuſam (qua quidem vna re plurimum ſeſe Didoni commendat, illiusq; flammas auget) hinc, inquam, deſcribere incipit: quippe quam cum præſentiſſimo vitæ ſuæ periculo quærere amiſſam non dubitat. Lectu periucundum eſt, quod de iuuene quodam Lucano erga vxorem à piratis captam ſcribit Iouian. de Obedientia lib. 3. Quomodo autem ſe conſolari poſſit, qui vxorem, & bonam vxorem amiſerit, docet in Excerptis Seneca: quamquam illa Senecæ perperam adſcribi, ſentit Muretus. Vxorem bonam amiſi. Vtrum inueneras bonam, an feceras? ſi inueneras, habere te adhuc poſſe ex hoc intelligas licet, quod habuiſti. Si feceras, bene ſpera. Merx perijt, ſaluus eſt artifex, &c.

AVT QVID IN EVERSA) Catullus. *Quid faciant hoſtes capta crudelius vrbe?*

Principiò muros, obſcuraq; limina portæ,
Quà greſſum extuleram, repeto: & veſtigia retro
Obſeruata ſequor per noctem, & lumine luſtro.
Horror vbiq; animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.
Inde domum, ſi forte pedem, ſi forte tuliſſet,
Me refero. irruerant Danai, & tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento
Voluitur: exuperant flammæ: furit æſtus ad auras.
Procedo ad Priami ſedes, arcemq; reuiſo.
Et iam porticibus vacuis, Iunonis aſylo,
Cuſtodes lecti Phœnix, & dirus Vlyſſes
Prædam aſſeruabant: huc vndiq; Troïa gaza
Incenſis erepta adytis, menſæq; deorum,
Crateresq; auro ſolidi, captiuaq; veſtis
Congeritur: pueri, & pauidæ longo ordine matres
Stant circùm.
Auſus quin etiam voces iactare per vmbram,
Impleui clamore vias. mœſtusq; Creuſam
Nequicquam ingeminans, ITERVMQVE ITERVMQVE VOCAVI.

PRINCIPIO MVROS) prosequitur historiæ seriem de reditu suo in vrbem. Admirabilis est in hypotyposi trepidè per noctem vadentis, & subinde ad quamlibet auram respectantis. Exaggerat ea, quibus horror inijciebatur. Nox terrebat, solitudo, silentium, incendium, amorum crepitus. Montfort.

OBSCVRA LIMINA) Aut per noctem obscuram, aut certe limina postici dicit. Vides posticum in mœnibus iuxta portam collocare Seruiũ? atqui nos posticum non intelligimus, nisi in ædibus. Obscurum igitur portæ ingressum significari arbitramur. Ita Modicius c. 27.

LVMINE LVSTRO) oculos circumfero.

IPSA SILENTIA TERRENT) Quæ terrere non debent, præcipuè inter hostes. Sed naturalibus tantum B cedit. In eandem sententiam Tacitus lib. Annal. 19. de Vitellio latebras quærente, & Flauianas partes fugiente. Terret solitudo, & tacentes loci: tentat clausa: inhorrescit vacuis, &c.

SI FORTE PEDEM, SI FORTE TVLISSET) Iteratione auxit dubitationem.

IRRVERANT DANAI) quos Venus ante prohibuerat: vnde est, *& ni mea cura resistat*, &c.

ILICET IGNIS EDAX) Ilicet pro confestim, quasi illico à sacris, hoc enim verbo pronuntiato, quod sonat, ire licet, statim discedebat populus.

VOLVITVR AD FASTIG. VENTO) quia ventus adiuuat incendium.

FVRIT ÆSTVS AD) Suprà quoque æstus de igni. *& iam per mœnia clarior ignis Auditur, propiusq́ue æstus incendia voluunt.*

IVNONIS ASYLO CVSTOD. LECTI) Troia mater Romani populi, sacratis in locis deorum suorum munire non potuit ciues suos ab ignibus, ferroque Græcorum, eosdem ipsos deos colentium. Electus est videlicet locus tantæ deæ sacratus, non vnde captos non liceret educere, sed vbi captiuos liberet includere. Compara nunc asylum illud non cuiuslibet dei gregalis, vel de turba plebis, sed Iouis ipsius sororis, & coniugis, & reginæ deorum, cum memorijs nostrorum Apostolorum. Illuc incensis templis, & dijs, erepta spolia portabantur, A non reddenda victis, sed diuidenda victoribus: huc autem & quod alibi ad ea loca compertum est pertinere, cum honore, & obsequio religiosissimo reportatum est. Ibi amissa, hic seruata libertas: ibi clausa, hic interdicta captiuitas: ibi possidendi à dominantibus hostibus premebantur: huc liberandi à miserantibus hostibus ducebantur. Postremò illud Iunonis templum sibi elegerat auaritia, & superbia leuium Græcorum: istas Christi basilicas misericordia, & humilitas etiam immanium barbarorum. Sed Virgilius poetarum more illa mentitus est. Immo verò morem hostium ciuitates euertentium ille descripsit. Augustinus Ciuit. lib. 1. cap. 4. cũ de vrbe Roma à Gothis Alarico duce direpta disserit.

HVC VNDIQVE TROÏA GAZA CONG.) Tryphiod.

Egeritur domibus dum Troia gaza superbis.
Mox splendore suo classem oratura Pelasgam,
Ex thalamis viduisq́ue effertur maxima præda,
Captiuasq́ue suis cum natis Troadas inde
Ad naues ducunt.

CAPTIVAQVE VESTIS) captiuis detracta, ablata. Sic captiuum aurum, æs, & alia.

PVERI ET PAVID. L. O. MAT. S. CIR.) Ad hæc, & quæ paulo ante de præda coacta, & asseruata dixit poeta, vide annotata lib. 3. ad illa, *quæ fortitus non pertulit vllos.*

AVSVS VOCES IACTARE PER VMB.) Profectò C me horror capit, atque etiam quatit, vbi videre, atque audire videor, in nocte, inter hostes, fortem simul atq; pium virum etiam cum clamore charissimam vxorem quærere. Sed ille non in suos modò pius, verùm etiam in hostes suos placidus, lenis, clemens, pius fuit. Namq; & Lausum miseretur interemptum, & oratoribus sepulturæ veniam petentibus, etiam pacem offert viuis, cælestibus illis versibus.

Pacem me exanimis, & martis sorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.

Scalig. Poet. lib. 3. cap. 13.* *Mirum valde, qui tot rebus paulo ante terrebatur, nunc audere magno clamore vxoris nomen appellare. Sed hoc ideo, vt nullam officij partem in amore coniugali se prætermisisse testaretur.*

Quærenti, & tectis vrbis sine fine furenti,
Infælix simulacrum, atq; ipsius vmbra Creusæ
Visa mihi ante oculos, & nota maior imago.
OBSTVPVI, STETERVNTQVE COMÆ, ET VOX FAVCIBVS HÆSIT.
Tum sic affari, & curas his demere dictis.
QVID TANTVM INSANO IVVAT INDVLGERE LABORI
O dulcis coniux? NON HÆC SINE NVMINE DIVVM
EVENIVNT, nec te hinc comitem asportare Creusam
Fas: haud ille sinit superi regnator olympi.
Longa tibi exilia, & vastum maris æquor arandum.
Ad terram Hesperiam venies, vbi Lydius arua
Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris,
Illic res lætæ, regnumq́ue, & regia coniux
Parta tibi. lacrymas dilectæ pelle Creusæ.
Non ego Myrmidonum sedes, Dolopumúe superbas
Aspiciam, aut Graijs seruitum matribus ibo,
Dardanis, & diuæ Veneris nurus:
Sed me magna deûm genitrix his detinet oris.
Iamq; vale, & nati serua communis amorem.

INFELIX

INFÆLIX SIMVLACRVM) Prudenter fecit Maro Æneam, qui recipiendus esset à fæmina, tanquam ab vxore, priorem vxorem amittere. Quod simulacrum dicat, ipse statim explanat, *ipsius umbra Creusæ*, sunt enim lignea, lapidea, &c. simulacra.

ET NOTA MAIOR IMAGO) Ad Platonis doctrinam alludit: qui putat, animam post terrenum corpus maiori corpore vti, aërio videlicet. Nascimbæn. Iam ex magnitudine deam esse significat: dijs enim, & deabus ampliorem formam attribuebant, vt suprà diximus. Turneb. lib. 26. cap. 23. Vide supra, *qualisq́, videri Calicolis, & quanta solet.*

OBSTVP. STETERVNT) Pæne totus locus repetitur lib. 6.

INSANO LABORI) Id est, magno. Sic insanæ substructiones, pro magnis, in Miloniana. & Eclog. 9. *Insani feriant sine littora fluctus.* Suprà de Choræbo, *insano Cassandræ incensus amore.* Congruit his, quod ait Varro de ling. lat. lib. 6. Idem (Plautus) vehementer cũ vellet dicere, *insanè*: quòd insani faciunt omnia vehementer. Aperit igitur caussam Varro locutionum huiuscemodi, quales protulimus.

NEC TE HINC COM. ASPORT. CRE.) Digladiantur inter se Grammatici, & eruditi homines super hoc versu, ita qui in vulgatis exẽplarib⁹ legitur: *Eneniunt. nec te comitem hinc asportare Creusam.* Vitiosè profectò. Cui alij demunt locale aduerbium, *hinc*, ne vno pede redundet: quidam verò *portare* legunt, vt ad numerum cadat: nonnulli, *hinc asportare*, legendum mordicus defendunt, versumque esse pentametrum choriambicum hypercatalecticum asserunt: denique in hoc omnes periti conuenire videntur, versum hunc exlegẽ esse. Ego quoque dicam sententiam meam. Sed illud prius, qui fieri potuit, tantam in peritos litterarum homines imprudentiam, ne dicam cæcitatem cecidisse, in re luce meridiana clariore caligauerint, non animaduertentes transpositionem verborum ab imperito quopiam librario factam fuisse, indeque tot Grammaticorum altercationes, & meras nugas emanasse? Quod si ita legeris, *nec te hinc comitem asportare Creusam*, versus suum numerum, suosque pedes habebit, & omnis friuola, leuisque Grammaticorum disputatio corruet. Nascimb.

VAST. MAR. ÆQVOR. ARAND.) Lege quæ notauimus ad illud. lib. 3. Æneid. *nullum maris æquor arandum.*

AD TERRAM HESPERIAM VENIES) Commemoratis malis, ad bona prænuntianda aggreditur, vt coniugem consoletur. Ita quoq; Helenus facit in 3. Sic Æneas socios suos consolatur in 1.

Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostendunt, illic fas regna resurgere Troiæ.

Hęc Nascimb. Vt poeta noster dixit, terram Hesperiam, ita Cæsar lib. 1. belli Gall. c. 7. terræ Galliæ. Tamen eam rem non minus ex vsu terræ Galliæ, quam pop. Roman. accidisse.

LENI FLVIT AGMINE LYD. TIBRIS) Ennius lib. 5. Annal. *Quod per amœnam vrbem leni fluit agmine flumen.* Lucret. lib. 5. *Inde super terras fluit agmine dulci, Qua via secta semel liquido pede detulit vndas.* Tiberim per Tyrrheniam, siue Etruriam labentem vocat Lydium à Lydis, qui in eam Italiæ partem colonias deduxerunt, & à duce suo Tyrrheno, prouinciam illam Tyrrheniam cognominarunt. Id quomodo acciderit, scriptum ab Herodoto lib. 1. in hæc verba. Aiunt etiam se in Tyrrheniam, hoc est in Tusciam, siue Etruriam colonos deduxisse. Tempore enim Atyis, Manis regis filij, annonæ difficultatẽ per vniuersam Lydiam valdè grassatam esse. Et initio quidem Lydos vitam assiduis laboribus tolerasse: postea verò, cum non cessaret malum, remedia quæsiuisse, & alium aliud excogitasse, &c. Multa super hoc etiam Dionysius lib. 1. Cic. in Orat. perf. laudans Herodotũ, & Thucydidem. Alter enim (Herodotus) sine vllis salebris quasi sedatus amnis fluit: alter incitatior fertur. Nonne videtur tibi hoc ipsum poetæ expressisse? Ararim quoq; Cæsar lib. 1. de bello Gallico ista fluxus lenitate insignem narrat. Flumen est Arar, quod per fines Æduorum, & Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita vt oculis, in vtram partem fluat, iudicari non possit.

AVT GRAIIS SER. MAT. IBO) At contrà Hecuba *modo regia coniux, Regia dicta parens, Asiæ florentis imago*, se Penelope seruitum ituram cõqueritur apud Ouid. lib. 13. Metamorph.

———modò maxima rerum,
Tot generis, natisq́, potens, nuribusq́, viroq́,
Nunc trahor exul: inops, tumulis auulsa meorum,
Penelope munus: quæ me data pensa trahentem
Matribus ostendens Ithacis, hac Hectoris illa est
Clara parens: hac est, dicet, Priameïa coniux.

Talem seruitutem Andromachen Græcis matribus seruituram, Hector Iliad. ζ prædicit

NATI SERVA COM. AMOR.) Sic & Alcestis apud Euripidem moriens, ad virum Admetum. *παῖδας χερὸς ἐξ ἐμῆς δέχου. σὺ νῦν γενοῦ τοῖσδ' ἀντ' ἐμοῦ μήτηρ τέκνοις.* Et Propert. lib. 4. per personam Corneliæ ad Paulum.

Nunc tibi commendo communia pignora natos:
Hæc cura & cineri spirat inusta meo.

German. * *Filiorum huiuscemodi à matribus iam morituris cõmendatio non solum ex illarum amore creditur proficisci: sed ex timore etiam propter nouercam futuram, si marito libeat secundum matrimonium. Nam nisi tunc pater se patrem esse meminerit, quid fiet miserrimis liberis?*

Hæc vbi dicta dedit, lacrymantem, & multa volentem
Dicere, deseruit, tenuesq; recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
PAR LEVIBVS VENTIS, VOLVCRIQVE SIMILLIMA SOMNO.
Sic demum socios consumpta nocte reuiso.
Atq; hîc ingentem comitum affluxisse nouorum
Inuenio admirans numerum: matresq;, virosq;,
Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.
Vndiq; conuenere, animis, opibusq; parati,

In quascunq; velim pelago deducere terras.
Iamq; iugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatq; diem: Danaiq; obsessa tenebant
Limina portarum: NEC SPES OPIS VLLA DABATVR.
Cessi, & sublato montem genitore petiui.

LACRYMANT. ET M. V. DICERE) Hanc eandem sententiam aliter protulit in 4. Georg. de Eurydice verba faciens.

Dixit, & ex oculis subitò, ceu fumus in auras
Commistus tenuis fugit diuersa, neq; illum
Prensantem nequicquã vmbras, & multa volentẽ
Dicere, præterea vidit, nec portitor Orci
Amplius obiectam passus transire paludem.

Nascimb.

TER CONAT. IBI COLLO) Hic Homeri locus est ex 11. Odyss. vbi Vlysses apud inferos Anticleæ matris suæ itidem vmbram frustra complecti conatur: sic enim habet.

Τρὶς μὲν ἐφωρμήθην, ἑλέειν τέ με θυμὸς ἀνώγει,
Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ εἴκελον, ἢ καὶ ὀνείρῳ
Ἔπτατο.
Me ter in hãc tulit impetus, & comprẽdere mi mens
Suasit, at è manibus, ceu somnus, & vmbra volauit.

Sed Homerus impetum tantùm dixit, noster verò conatum, & brachia, & apposuit, *frustra*, vmbramq; conuertit in ventos, vt plerumque facit, qui non addictus Homero interpres videri vult, sed plerumque liber iudex. Nascimb. * *Sic Lucanus, de vmbra Iulia, quæ per quietem Pompeio se obiecerat.* Sic fata refugit Vmbra per amplexus trepidi dilapsa mariti. *Quod ad figuram sermonis, noster item lib. 10. de Turno à Iunone represso, cum se nunc gladio vellet induere, nunc in pelagus proijcere, & ad suos nando reuerti:*

Ter conatus vtramq; viam: ter maxima Iuno
Continuit, iuuenemq; animi miserata repressit.

ING. COM. NOVOR. NVMER. MAT.) Numerum hunc fuisse ter mille quadringentorũ, Dares prodidit, vt etiam hic curiosioribus satisfiat. Et credibile est, viginti nauibus nõ paruum numerum fuisse impositum. Matres intellige fœminas, non enim omnes pepererant, quia nec omnes nuptæ. Vnde in 3. *Connubijs, aruisq; nouis operata iuuentus.* Sed poëtæ sexum deteriorẽ, muliebrem videlicet, libenter ab eo appellant, quod ei magnũ honorem, & apud maritos amorem conciliat. Viris sat magno est honori, quod viri sunt, nõ fœminæ. Si quis autem quærat, cur dicat, *vulgus miserabile*, attendat quod præcedit, *exilio*. Miserum est cogi in exilium: & eò miserius, si nescias quonam. *Incerti quò fata ferant, vbi sistere detur*, ait in 3. ✱

ANIMIS, OPIBVSQVE PARATI) Et volebant, & poterant, hoc enim sonat, *animis, opibusq; parati.* Tale quid apud Platonem Leg. 6. vbi de lustratione agit per coloniam: *ὅσοι ἐγχωρεῖν ἕτοιμοι αὐτοὺς ἐκδιδόντας.*

IVG. SVM. SVRG. LVCIF. IDÆ) Lucret. lib. 5.

Quod genus Idæis fama est è montibus altis
Dispersos ignes orienti lumine cerni.

Quiddam huiuscemodi Lucanus lib. 10.

Lucifer a Casia prospexit rupe, diemq;
Misit in Ægyptum primo quoq; sole calentem.

DANAIQVE OBSESSA TENEBANT) Posuit saluti B suæ, suorumque contraria: vnum lucis, quæ retectura fuerat, quæ velauerant tenebræ: aliud, quòd tenebant hostes omnes egressus: quæ res ostendebat victoriam esse confectam: & quod fuit tertium, nullam defensioni locum superesse. Cessit igitur potioribus: neque enim debuit vlterius niti, qui toties, dijs repugnantibus, frustra certauerat. Seruius, Donatus.

MONTEM PETIVI) Idam, vt patet ex initio lib. sequentis, *classemq; sub ipsa Antandro, & Phrygia molimur montibus Idæ.* Idipsum clarè perspicitur ex lib. 9. *Tempore quo primùm*, &c.

Annotatio.

C Didicimus ergo hoc libro, à Græcis Troiam captam, & funditus euersam: in quo consentiunt auctores omnes Græci, & Latini, præter vnum Dionem Chrysostomum, qui scripto volumine, vt etiam refert Rhodigin lib. 19. cap. 23. conatus est rationibus multis, satisq; probabilibus demonstrare, ab Iliensibus fuisse Græcorum exercitum victum, fugatumque: nec ab eo Ilium, quod Homerus cecinerit, expugnatum. Non modò igitur Homero, sed & Dareti, & Dicty, & omnibus qui eorũ fidem sequuntur, per summam licentiam repugnauit. De fuga autem Æneæ, reliquorumq; vtriusque sexus Troianorum, de quibus sub finem huius libri poeta, longe aliter narrat Dionysius lib. 1. quem leges, cum visum fuerit. ✱



SYNOP-



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER VIII.

Ad tertium Aeneidos.

SYNOPSIS.



Ccupato vastatoq; Ilio, qui effugere vel exitium, vel seruitutem potuerant vtriusq; sexus mortales, apud Idam montem ædificata classe, præcipiti vere, ductu, & auspicijs Æneæ vela in incertum exilium dederunt. Primùm omnium in Thraciam delati, dum illic vrbem nouam, sedem fortunis suis condere moliuntur, à Polydoro monentur, vt regione, quam tyrannus Polymnestor auaritia, & crudelitate sua infamarat, nihil cunctati excedant. Polydorum hunc Priamus pater natu minimum, Troia circumuallata iam à Græcis, req; ad desperationem propendente, in Thraciam ad hospitem, & amicum Polymnestorem miserat, eiq; ad vitam tolerandam, si egeret, auri talenta compluria tradiderat. Eius auri amore cæcatus auarißimus rex, fœdus conculcat, puerum occidit, insepultum abijcit. Sed vt ad superiora redeamus, visum maioribus natu obtemperandum salubri consilio, illicoq; deserendam Thraciam. Dantur tamen prius inferiæ Polydoro, consueta Troianis cærimonia. Appelluntur Delum, ab Anio rege hospitalem in modum, honorificeq; tractantur. Æneas oraculum consulens, terram matrem, è qua nimirum Troianæ gentis auctor, ac parens in Phrygiam venerat, ibique vrbem posuerat, petendam esse discit: eodem loci posteritatem suam magna gloria, fælicitateque regnaturam. Cæterùm, quoniam Teucer, alter ex primis, & vetustissimis Troianorum propagatoribus, è Creta se illuc attulerat, Anchises insulam illam, nonnullis præterea coniecturis, rerumq; similitudinibus deceptus, suaderi falsò ratiocinatur, eademque falsitate alios secum inuoluit. Quamobrem insulas aliquot legentes, eò cursum dirigunt. Cum illic deintegro oppidum excitare instituerent (nuper enim idipsum in Thracia, sed dijs parum secundis tentauerant) & iam sub legibus vitam agitare inciperent, exorta pestilentia, finibus illis perinde abitum capessere compelluntur. Suasor fit Anchises, Delum reuertantur, vbi exploratius, quò sit eundum intelligant. At ecce per quietem Penates, quos Troia secum exportabat Æneas, ipsam Italiam, non Cretam requirendam eße commonefaciunt. Quæ species sibi de nocte oblata sit quiescenti, quidq; in mandatis acceperit, parenti filius renuntiat. Ille se ambiguitate locorum deceptum fassus, Penatibus assentitur: cum præsertim Cassandræ vatis auctoritas accederet, cuius dicta eius memoriam tangebant. Sequitur magnæ tempestatis luculenta descriptio, qua defuncti, Strophadas tenent. Apud eas insulas magis molestum, quàm periculosum aduersus Harpyias, fœdissima mõstra, certamen illis offertur: quarum princeps Celæno diram famem Italiam ingreßis perferendam denuntiat.

nuntiat. Abeunt, atque in littore Actiaco Apollini ludos faciunt: deinde ad templi valuas prægrandem clypeum græcum, loco anathematis affigunt. Corcyram prætervecti, in Epirum descendunt: vbi quiddam incredibile ad aures eorum venit: Helenum Priamo genitum, cum Andromache, vxore quondam Hectoris, coniugio copulatum imperitare. Eam ipsam, Andromachen, inquam, à portu progressi, ante vrbem duabus aris cespititijs Hectori suo parentalia soluentem offendunt. Inopinatissimo Troianorum conspectu, miseram deficit animus: ad terram collabitur: tandemq; recreata, ipsissimine Troiani, an Troianorum potius simulacra sint, percunctatur. Veritatem noscit, vicissimq; de suo statu interrogata, beatam præ se exclamat Polyxenam, quæ innupta adhuc, & seruitutis expers, ad Achillis tumulum occubuerit: se iuuenem superbissimum, puta Pyrrhum, pro hero, & marito perpeti coactam: qui dum Oresti desponsam Hermionen Menelai filiam præripere conatur, ab eodem commerita morte sit affectus. Sic partem Epiri ad Helenum (quam ille Chaoniam nominauerit) peruenisse: cui quidem famulo ipsa famula nupserit. Contrà, quænam Æneæ fortuna, & quomodo eò locorum delatus sit, nec non quid Ascanio fiat, sciscitatur. Suauissimo colloquio Helenus nec opinatò interuenit, ciues suos agnoscit, in oppidum introducit, liberaliter habet. Hunc tanquam diuinum, die tertio Æneas de reliqua conditione sua audire cupit. Audit, se antè visurum mare Siculum, & ad inferos descensurum, quam Italiæ compos euadat, in qua vrbis constituendæ locus prædicitur. Quas vrbes, ut hostiles euitet, admonetur. Item de Scylla, & Charybdi fugienda, de Iunone imprimis propitianda, de Sibylla consulenda, præcepta ei traduntur. Secundùm hæc valedicit Æneæ, eumq; donis regia magnificentia dignis prosequitur. Andromache quoque textilibus, quæ ipsamet laborauerat, puerum Ascanium muneratur. Lacrymans in digressu Troianus heros, perpetuum inter suos, illorumq; posteros fœdus, amicitiamq; pollicetur. Italiam gratulabundi conspiciunt, & quatuor equorum omen, in partem meliorem interpretantur. Iunoni sacra iussa peragunt. Agitur deinceps de Ætnæis incendijs. Cum in sylua noctem, propter varia terriculamenta, insomnem exegissent, sequenti luce Achæmenides homo Græcus, horribili macie confectus, & ab Vlysse casu in illis locis relictus prodit: suppliciter orans, vti se communis memores humanitatis in nauim dignentur accipere. Polyphemi crudelitatem, & quo pacto oculus ei sit exterebratus, quibusq; cibis ipse per trimestre spatium victitauerit, enarrat. Apparet interea cum ouibus suis exoculatus ille Polyphemus, ad mare gradum fert, cruentam oculi latebrã abluit. Troianis metus incessit: derepente præcisis anchoralibus fuga sibi consulunt. Tollit ingentem clamorem bellua, quo exciti Cyclopes accurrunt, & in littore instar altissimarum arborum astantes, quos lædere nequibant, nauigantes, quousque oculi prospectum ferunt, sequuntur. Recensentur loca Siciliæ, quæ in transitu occurrerint. Ad extremum apud Drepanum Anchises vita cedit, quod Æneas cum magni significatione doloris pro epilogo addit.

Illud inprimis meminisse oportet, huius libri tantam esse difficultatem, ob multorum descriptionem, commemorationemq; locorum, vt nisi ab ijs, qui ea inuiserint loca, absolutè intelligi nequeat. Nam sicuti (vt ait D. Hieronymus) Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint: & sanctam scripturam (librum præsertim παραλειπομένων) lucidius intuentur, qui Iudææ, & Palestinæ regionis loca oculis perlustrarunt, ita hunc tertium Maronis librum æquius expendet, meliusq; intelliget, qui à Troade per Leucaten, & Acroceraunia ad Siciliam, indeq; ad ostia Tiberina nauigauerit. Ne illud quidem prætereundum videtur, quod si perplexum, seu complicatum poema simplici præferendum sit, illudq; perplexum dicatur poema, quod agnitionibus, & peripetijs constat, hic liber reliquis ferè Æneidos libris anteferendus est, in quo plures agnitiones, & illæ quidem probatiores existunt, plures etiam peripetiæ inueniuntur. Totus autem ferè hic liber ad imitationem noni Odysseæ scriptus est. Nascimb.

EXPLANATIONES.



POstquam res Asiæ, Priamiq; euertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditq; superbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia:
Diuersa exilia, & desertas quærere terras
Augurijs agimur diuûm: classemq; sub ipsa

Antandro,

Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ,
Incerti quò fata ferant, vbi sistere detur:
Contrahimusq; viros. vix prima inceperat æstas,
Et pater Anchises dare fatis vela iubebat.
Littora tum patriæ lacrymans, portusq; relinquo,
Et campos vbi Troia fuit. feror exul in altum
Cum socijs, natoq;, Penatibus, & magnis dijs.

Postqvam res Asiæ) Huius libri πρόθεσις habet μετάβασιν, quam Latini scriptores transitionem appellant: nam breuiter colligit, quæ antea dixerat: mox summatim proponit, quæ dicturus est. Hoc igitur est primum transitionis membrum: *Postquam res Asiæ*, &c. alterum verò, *Diuersa exilia*, &c. Huic principio germanum est illud 2. Georg. *Hactenus aruorum cultus, & sidera cæli, Nunc te Bacche canam*, &c. Exorditur à commiseratione, quam excitat ex infælici, & infausta tum vrbis, tum etiam hominum Troianorum clade, & auget ab excellentia rerum, & indignitate personarum. Res Asiæ Troianorum imperium intelligit ambitiosè, quasi innuere velit, prostrato imperio Troiano, totã pene Asiam prostratam videri. Nascimb.

Imperium Troianum erat in Phrygia minore, ipsa Phrygia in Asia: vt intelligas quamobrem & hìc res Asiæ, & lib. 2. Regnatorem Asiæ dixerit Priamum: non enim Troiæ duntaxat, sed Phrygiæ quoque, & aliarum Asiæ prouinciarum rex erat: ne temere dictum videatur, *regnatorem Asiæ*, in extremo secundo. Neque hic ambitiosius quam verius affirmatum, res Asiæ euersas. Pereunte enim Troia, arce & domicilio clarissimi imperij, necesse fuit perire regna cætera, & in potestatem hostis concedere. Tametsi quod sequitur, *Priamiq; euertere gentem* ad Ilienses propriè referendum, quorum casus lib. antecedente narratus est. ✠

Res pro imperio, diuitijs, possessione, opibus, vtroq; numero vsitata vox Latinis. Lucret. lib. 5.

Vt satius multò iam sit parere quietum,
Quam regere imperio res velle, & regna tenere.

Plaut. Trinum. *Postquam hic eius rem confregit filius.* Ausonius. *Imperium, litem, Venerem cur vna notat Res?* Persius, *Rem populi tractas.* Horat. Sat. 3. lib. 2. *Postquam omnis res mea Ianum Ad medium fracta est.* Seruius Sulpit. ad Cic. lib. 4. epist. Qui rem à parente traditam per se tenere possent.

Visvm svperis) Sic loquebantur veteres in rebus parum secundis, & casibus aduersis. Lib. 2. *Dijs aliter visum.* Recurre illuc ad Symbolam cum appendice. Ibid. *Si nihil ex tanta superis places vrbe relinqui.* Horat. Ode 33. lib. 1.

Sic visum Veneri, cui places impares
Formas, atq; animos sub iuga ahenea
Sæuo mittere cum ioco.

Homer. Iliad. β. Οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι. Plaut. Amphit. *Ita dijs placitum, voluptati vt mæror comes consequatur.* Ex Lamb. in Horat. & Turneb. lib. 6. cap. 21. * *Latenter suos excusat, qui non viribus hostium, sed deorum voluntate victi sint. Quos, inquam, dij prapotentes voluerunt perditos: aduersum quos irritus, & inanis est omnis conatus: esse quidem certè debuit, si dij non commentitij, sed veri essent. Hinc illa exclamatio in secundo*, Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.

Cecidit qve ilivm) Quoniam vrbes cum euertuntur, ac diruuntur, etiam dicuntur cadere, conuenienter dictum à Seruio Sulpitio ep. 5. lib. 4. cum vno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant. A Dixerat autem paulo ante de Ægina, Megara, Corintho florentissimis quondam vrbibus, siue oppidis, vt ipse vocat: nunc prostrata, & diruta ante oculos iacent. Cadauer enim est à cadendo. Lucret. lib. 2. cum ait:

Cur supra bellum Thebanum, & funera Troiæ
Non alios alij quoq; res cecinere poetæ?

videtur casum eius intellexisse, & mutato verbo cadauer appellasse. Quid enim aliud est funus Troiæ? Tamen licet de indigenis accipere. ✠

Svperbvm ilivm) Poetis superbum sæpe est idem quod nobile, magnificum, sumptuosum, splendidum, opulentum, ex quibus rebus nascitur superbia. Lib. 1. *Hinc populum latè regem, belloq; superbum.* Vel, B quia nobilitatis vitium superbia, ideo superbum sępius pro nobili, & quidem apud Virgilium multis locis. Vtroque etiam genere, muliebri, inquam, & neutro dicimus hanc vrbem, Ilios, & Ilium. Crebrò Homerus Ἴλιον ἱρὴν. Horat. Ilios vexata. Propriè Ilium ipsa ciuitas, regiunculæ nomen Troia. Sed in talibus quem tandem fugit poetarum quidlibet audendi potestas? ✠

Omnis troia) pro tota Troia. Omnis, & omne tametsi spectant ad numerum, totum autem ad magnitudinem, nihilominus à poetis promiscuè adhibentur. Sic 1. Æneid. de ceruis, *hos tota armenta sequuntur.* Anacreon καὶ τὴν λύρην ἅπασαν. Sed in re certa, & perspicua nihil attinet plura cumulare testimonia. ✠

C Hvmo fvmat nept. troia) Hæc meo quidem iudicio αὔξησιν habent: res Asiæ, Priami gentem, Troia Neptunia: maiorq; misericordiæ affectus concitari videtur ex hoc postremo, quàm ex reliquis duobus: quod vrbs non hominum, sed deorum: non humana manu facta, sed diuina, igne consumpta corruit. Nec illud quidẽ minori animaduersione dignum, quod, cùm Troiani imperij excellentiam, atque maiestatem triplici conquestionis affectu exaggerasset, triplici quoque verborum mutatione, atque significatione illius excidium exprimere, ac propè etiam delineare voluit, *euertere, cecidit, humo fumat.* Nam multa cadunt, quæ non euertuntur: & quæ euertuntur, diuer- D sa ratione possunt euerti. Igitur ait, Ilium cecidisse, & funditus corruisse: tertiò etiam addit modum, igne conflagrasse. Vtq; nihil non consumptum remansisse ostenderet, dixit, ab humo fumat. Nam ædificium ab humo fumat, quod totum ardens corruit. Illud etiam mihi succurrit, quod Plin. in naturalibus historijs, Hierichunta Palæstinæ oppidum, quod Hierosolymitano bello à Romanis captum, & incensum est, bustum vocat. Vnde mihi suspicio est, vrbes omnes, quæ hostili flamma perierint, ab antiquis busta vocari solitas. Horat. lib. 3. Od. 3.

——— qualibet exules
In parte regnanto beati,
Dum Priami, Paridisq; busto
Insultet armentum.

Nascimb.

Videtur, inquit Victor lib. 34. cap. 11. hoc verbum *fumat*, de interitu Troiæ vſurpatum, ab Euripide ſumptum, quem poetam, vt reliquos Tragicos, noſter Epicus accuratè legerat, indeque multos floſculos, vel potius fructus decerpebat, quibus opus ſuum eximiè ornaret. In prologo enim Τρωάδων Neptunus ita loquitur, iniquo animo ferens interitum eius vrbis, cuius mœnia ipſe cum Apolline ſuis manibus exſtruxerat. ἃ νῦν καπνοῦται, καὶ πρὸς Ἀργείου δορὸς Ὄλωλε πορθηθεῖσα. In fabula enim Æſchyli, Septem ad Thebas, ita chorus canit, referens mala, in quæ cadunt ciuitates captæ ab hoſtibus. ἄλλος δ' ἄλλον ἄγει, φονεύει, τὰ δὲ καὶ πυρφορεῖ, καπνῷ δὲ χρίνεται πόλισμ' ἅπαν. Sed tamen prior locus magis exprimitur verſu latino. Accepi etiam regem Gallorum Franciſcum, cum de ſuis rebus geſtis contra Carolum Hiſpaniarum regem magnificè (vt verè tunc facere poterat, initio enim illæ valde ſecundæ fuerunt) loqueretur, hoc verbo vti ſolitum, dicereque, ſe feciſſe, vt multa oppida regni cuiuſdam illius, ante oculos ſuos fumarent, iniecto in ipſa igne à ſuis. * *Fumat pro fumauit apparet eſſe enallagen temporis, cum præceſſerit* occidit. *Huiuſcemodi eſt etiam principio lib. 2.* Quamquam animus meminiſſe horret, luctúque refugit, *præteritum pro præſenti. Quidam hic ſyncopen faciunt, vt ſit e medio detrita ſyllaba.*

Neptunia appellatur Troia, quoniam Neptunus, & Apollo cùm Laomedontem Phrygiæ regem mœnibus Troiam circundare viderent, opuſque eſſe ingens, operam ſuam regi locauerunt, magna auri mercede, quam perfecto opere Laomedon eſt inficiatus. Ouid. 11. Metamorph.

Inde nouæ primùm moliri mœnia Troiæ
Laomedonta videt (Apollo) ſuſceptaq́ue magna labore
Creſcere difficili: nec opes expoſcere paruas.
Cumq́ue tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam, Phrygiæq́ue tyranno
Ædificat muros, pacto pro mœnibus auro.
Stabat opus. pretium rex inficiatur, & addit
Perfidiæ cumulum falſis periuria verbis.

Iam iſtuc Virgilij, *& omnis humo fumat Neptunia Troia,* Catull. in carmine de nupt. ſic extulit prior.

Nam ſimul ac feſſis dederit fors copiam Achiuis,
Vrbis Dardaniæ Neptunia ſoluere vincla.

Quanquam Ouidius epiſtola Paridis, mœnia Troiæ, Apolline lyram percutiente, conſtructa fabulatur:

Ilion aſpicies, firmataq́ue turribus altis
Mœnia Phœbææ ſtructa canore lyræ.

Deos ambos propter ſeruile miniſterium, & quia ſe deceptum iri neſciuerint, hunc in modum irridet D. Auguſt. Ciuit. lib. 3. cap. 2. Primùm ipſa Troia, vel Ilium eoſdem habens deos, & colens cur à Græcis victum, captum, atq; deletum eſt? Priamo, inquiunt, ſunt reddita Laomedontea paterna periuria. Ergo verum eſt, quod Apollo atque Neptunus eidem Laomedonti mercenarijs operibus ſeruierunt. Illis quippe promiſiſſe mercedem, falſumq; iuraſſe perhibetur. Miror Apollinem nominatum diuinatorem, in tanto opificio laboraſſe neſcientem, quod Laomedon fuerat promiſſa negaturus. Quanquam nec ipſum Neptunum patruum eius, fratrem Iouis, regem maris decuit eſſe ignarum futurorum. Nam hunc Homerus de ſtirpe Æneæ Iliad. 2. à cuius poſteris condita Roma eſt, cum ante illam vrbem conditam idem poeta fuiſſe dicatur, inducit magnũ aliquid diuinantem. Neſcientes igitur tanti dij (Neptunus, & Apollo) Laomedontem ſibi negaturũ eſſe mercedem, ſtructores mœnium Troianorum gratis, & ingratis fuerunt.

Lactant. lib. 1. cap. 10. Quid Apollo pater eius (Æſculapij) nonne ob amorem, quo flagrabat turpiſſimè, & gregem pauit alienum, & muros Laomedonti extruxit? cum Neptuno mercede conductus, quæ illi negari potuit impunè: ab eoq; primo rex perfidus, quicquid cum dijs pepigiſſet, didicit abnegare.

Docent tamen mythologi, occaſionem huic commento inde datam, quod Priamus pecuniam horum deorum ſacrificiis deſtinatam, & conſecratam, ad commodum ſuum, atque adeo ad ędificandos vrbis ſuæ muros conuerterit, nec eam (id, quod ſe facturum receperat) ſacerdotibus reſtituerit. Calamitates autem, quibus ob id ſacrilegium multatus eſt, aliud nihil ſignificare aiunt, quàm diuinum cultum haud impunè negligi. * *Magnopere hoc notandum ſacrilegis, templorumq; ſpoliatoribus. Quadrat huc parœmia, Aurum Toloſanum. Hoc quoq; commentum notabis, allatum à Delrio in principium Troadis apud Senecã, mœnia illa non tota ab illis dijs duobus fuiſſe conſtructa. Nam cùm fata ſtatuiſſent Troiam diruи, crederentq; id fieri non poſſe, ſi dij totos muros ædificaſſent, partem laboris Æaco mandarunt. Traditũ à Pindaro Olymp. 8.*

—————— υἱὸς Αἰακοῦ
Τὸν παῖς ὁ Λατοῦς, εὐρυμέδων τε Ποσειδᾶν
Ἰλίῳ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον
Τεῦξαι καλέσαντο συνεργὸν
Τείχεος, &c.

Apparet ſatis, velut ad archetypum, Senecam principium Troadis ſuæ conformaſſe ad huius libri exordium. Conſidera tute lector.

—————— columen euerſum occidit
Pollentis Aſiæ, cælitum egregius labor.
Ad cuius arma venit & qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit:
Et qui renatum prorſus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrin immiſcet freto:
Et quæ vagos vicina proſpiciens Scythas
Ripam catervis Ponticam viduis ferit.
Exciſa ferro eſt Pergamos, incubuit ſibi,
Et alta muri decora congeſti iacent,
Tectis aduſtis regiam flammæ ambiunt,
Omniſq; latè fumat Aſſaraci domus.
Non prohibet auidas flamma victoris manus,
Diripitur ardens Troia: nec cælum patet
Vndante fumo, nube ceu denſa obſitus
Ater fauilla ſqualet Iliaca dies.

Multum arriſit Senecæ τὸ omnis humo fumat Troia. *Quocirca in eo cum iterũ-iterũ explicando fuit copioſior.*

DIVERSA EXILIA) Super Æneæ exilijs, & erroribus, variorum opiniones colligit Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 1.

ET DESERTAS QVÆR. TERRAS) Cur hoc dixit Maro? puto quòd vrbem eſſet Æneas conditurus. Conditur autem, in quibus locis non erat. Sic loca illa ſola ſunt, & deſerta, quæ coloni condunt, & frequentant: niſi quis explicet, ex eo quod ſcribitur ab eodem lib. 7. *hinc Dardanus ortus, Huc repetit.* Turneb. lib. 17. cap. 6.

Si *diuerſas* legas cum antiquis codicibus, erit maior ex repetitione commiſerationis affectus. Si *deſertas*, explica, incultas, & ab hominibus derelictas, quò ijs peruenire contingit, qui longa, & incerta nauigatione feruntur. Aut, incognitas. Nam deſerta, id eſt, poſſeſſioribus vacua, maiore ex parte incognita eſſe ſolent. Naſcimb.

Liceat mihi quoque quid ſentiam, verbis prodere. Ego putarim *deſertas terras* explanari poſſe, longè remotas, ſeu remotiſſimas, ac penitus repoſtas: quales ſolent deſeri, nec habitari à mortalibus. Talis etiam Italia Phrygibus videri potuit. Quare & ad Helenum infrà ipſemet Æneas, *& cuncti ſuaſerunt numine diui Italiam petere, & terras tentare repoſtas.* Seruij quidem explanatio, deſertas, à Dardano, nam vbique vberes eas eſſe legimus, vt, *atq; vbere gleba,* non eſt vnius aſſis.

AVGVRIIS AGIM. DIVVM) Flammam illam accipe, auguriorum vocabulo, quæ innoxia capillum Aſcanij lambere viſa eſt. Et ſtellam, quæ facem ducens multa cum luce cucurrit. Et prædictioné Creuſæ. Hæc omnia in ſecundo.

SVB

SVB IPSA ANTANDRO) Ob copiam, & commoditatem naualis materiæ ex Ida monte, Maro Æneam Antandri classem ædificasse scribit, ac eò certè in loco plerumque naues fiebant. Xenophon Hellenicis. ἐκέλευσε ναυπηγεῖσθαι τριήρεις ἐν Ἀντάνδρῳ. Item, ἄλλας ἐν Ἀντάνδρῳ ἐναυπηγεῖτο. Turneb. lib. 17. cap. 6. * *Et Thucydides lib. 4. Erat enim opportuna (Antandros) ædificandis nauibus, propter copiam lignorum, quibus hic locus abundabat, ab Ida monte, qui prope constitit incumbit, &c. Cur Antandros dicta hæc Vrbs, duplicem caussam affert Pomponius Mela lib. 1. cap. 8. Alij Ascanium Æneæ filium, cum ibi regnaret, captum à Pelasgis ea se redemisse commemorant: alij ab ijs putant conditam, quos ex Andro insula vis & seditio exegerat. Hi, Antandrum quasi pro Andro: illi, quasi pro viro accipi volunt. Affert autem, vt monet Ionian, varietas hæc lucunde cum sequenti versu non sine aurium voluptate etiam dignitatem. Nam & nouitas delectat per se ipsa. & assultus ille hinc versum inchoantis, illinc terminantis vocalis, suam quoque vocalitatem auget. Talea sunt præterea,* Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæq; Aere trabes. Talem diues arat Capua, & vicina Vesevo Ora iugo. It clamor ad alta Atria. Expectata dies aderat, nonamq; serena Auroram Phaetontis equi, &c. Manifesto in limine vidi Intrantem muros.

CLASSEM MOLIMVR) Moliri, est operari, & industriè aliquid conari, aut tractare. Sic lib. 12. *Saltuq; superbus Emicat in currum, & manibus molitur habenas.* In Georgicis dixit, *insidias auibus moliri.* Molimur classem, studiosè ædificamus, compingimus. * *Et est classis multitudo nauium, dicimusq; classem parare, ædificare, ornare, instruere, deprimere, &c. Nonnunquam significat ordinem, vt cum Liuius ait, pop. Rom. in quinque classes ex censu distributum fuisse.*

PHRYGIÆ MONT. IDÆ) Lib. 9.

Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Æneas classem, & pelagi petere alta parabat.

Ab Idæo monte Pomp. Mela Scamandrum, & Simoënta, fama, quàm natura, maiora flumina demitti scribit. * *Phrygia Ida nomen accepit ab illa Cretensi, vt infra docebit Anchises. Hinc (è Creta, vnde Teucer venit) Idæum nemus inquit. Antecessit autem,* Creta Iouis magni medio iacet insula ponto, Mons Idæus vbi.

INCERTI QVO FATA FER.) Pathos ab incertitudine casus, vt fraudis, doliq; absit suspicio.

CONTRAHIMVSQVE VIROS) A re militari, in qua tumultuariè contrahitur exercitus. Vndiq;, non solùm è Troia, sed è proximis oppidulis ea nocte, illo incendio exciti, confluxerunt. Ergo non respicitur ad Troianos tantùm. Montfort. * *En tibi locos aliquot, vnde contrahere verbum esse militia cognoscas. Cic. ad Att. lib. 8. Vos hortor, vt quoscunq; militum contrahere potueritis, contrahatis. Ibid. Ex quibus non amplius XIV. cohortes contrahere potui. Lucret. lib. 2.* Ex infinito contractum tempore bellum. *Et rursus lib. 4.* Nautæ cum ventis contractum cernere bellum. *Non tantum igitur milites, copias, exercitum, sed & bellum contrahere dicimus.*

VIX PRIMA INCEP. ÆSTAS) est enim adulta quoque, & præceps. Idem de alijs anni temporibus, seu trimestribus intelligas. Cicer. pro lege Manil. Bellum extrema hyeme apparauit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.

LITTORA TVM PAT. LACRYM.) Πάθος à dolore, quem profectò magnum, atque incredibilem accipit, qui de patria sua ita recedit, vt eam se non amplius visuram speret. Quamobrem de matronis Troianorum in 2. dictum est, *Amplexæq; tenent postes, atq; oscula figunt*, tanquam eos postremùm viderint. Et apud Euripid. in Troad. absque dolore, & lacrymis in Græciam non soluunt Troianæ mulieres. Nascimb. * *Conqueritur etiam Melibæus Eclog. 1. quod cogatur patriæ fines, & dulcia arua relinquere. Et in 2. Sinon cum gemitu,* Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi. *Ad quos locos quædam haud insuauiora nos annotasse confidimus.*

ET CAMP. VBI TROIA FVIT) *Quàm bene in hanc sententiam, Ouid. epist. Penelopes, vastitatem, inquam, Troiæ, quam commodè similibus verbis, pluribus tamen, quasi spectandam, ante oculos constituit?*

Iam seges est, vbi Troia fuit, resecandaq; falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virûm curuis feriuntur aratris
Ossa, ruinosas occulit herba domos.]

Quatuor sunt genera dicendi, inquit Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 1. Copiosum, in quo Cicero dominatur: breue, in quo Sallustius regnat: siccum, quod Frontoni adscribitur: pingue, & floridum, in quo Plinius Secundus luxuriatur. Sed apud Maronē hæc quatuor genera reperies. Vis audire illum tanta breuitate dicentem, vt arctari magis, & contrahi ipsa breuitas non possit? *Et campos vbi Troia fuit.* Ecce paucissimis verbis maximam ciuitatem hausit, & absorpsit: non reliquit ei nec ruinam. Vis hoc ipsum copiosissimè dicat? Æneid. 2.

Venit summa dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Iupiter Argos
Transtulit, incensa Danai dominantur in vrbe.
O patria, ô diuûm domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidûm.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos.

Quis sonus, quis torrens, quod mare tot fluctibus, quot hic verbis inundauit? cedò nunc siccum illud genus, & quæ sequuntur: locum indicaui.

FEROR EXVL IN ALTVM) subaudi mare, siue in pelagus, quod iam à littore distat remotius. Sic infrà.

Postquā altum tenuere rates, nec iam amplius vlla
Apparent terræ, cælum vndiq; & vndiq; pontus.

Et lib. 1. *Vix è conspectu Siculæ telluris in altum Vela dabant læti.* Cic. 4. de finib. in eandem sententiam de mari vtrumque verbum illigauit, *altum*, inquam, & *profundum.* Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad respirandum, qui ad summam iam aquā appropinquant, sed nihilo magis respirare posse, quam eos, qui sunt in profundo? Vt mare altum, sic cælum profundum: vt intelligas reciprocari hæc duo, seu retrouersùm dici, vt Gellius loquitur. ✠

CVM SOCIIS, NATOQVE, PENAT. E. M. DIIS) Duo hic humana posuit, socios, & natum: diuinum verò vnum, penates, & magnos deos. Cur patris mentionem non fecerit, Seruius hanc caussam assignat: quia secundùm Virgilium ad Italiam non venit. Ego verò aliam esse existimo. Quia cum dudum pater imperasset, vt soluerent (nam dictum est, *Et pater Anchises dare fatis vela iubebat.*) nihil erat, cur patris, vtpote maioris auctoritatis viri, mentionem faceret: sed nati, sociorumque, in quos tanquam dux, Æneas imperium habebat: & deorū, quos illi Hector commendauerat 2. Æneid. *Sacra, suosq; tibi commendat Troia penates.* Qui verò fuerint, magni dij, varij varia sentiunt. Seruius penates, & magnos deos eosdem esse autumat: & rectè sanè: nam in statuis penatium, quæ hodie etiam Romæ sunt, inscriptum est, Dij magni, θεοὶ μεγάλοι. Ergo penatibus, & magnis dijs, id est magnis dijs penatibus, per appositionem. Sed lege Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 4. Diuinus Plato solem, & lunam magnos deos nominat, lib. 3. de leg. Nascimb.

Magnos deos à penatibus diuersos facit Maro, etsi multi eosdem censent. Sed penates dij penetrales censentur fuisse, dijq; familiæ: dij magni illi, qui maximum imperium, & numen habent, publiceq; coluntur, vt Iupiter, Iuno. Arnob. lib. 1. non denique dij magni, aut fingentes se deos, genus omne mortalium territant. Iterum. Hoc ergo dij magni nouerunt, A petiuntur, sentiunt. Turneb. lib. 15. cap. 21. * *Per magnos deos, maiorum gentium intellige, vel qui selecti dicuntur, præcipui quidam, & summates, quorum amplior potestas: celebriores, & qui cultu maiore afficerentur, mares duodecim, fœminæ octo, de quibus consulendus Gyrald. Syntag. 1. Lege eundem de dijs penatibus Syntag. 15. Doctissimè de ijsdem Delrius noster Comment. in Thyesten Senecæ, pag. 376. quem consule.*

Terra procul vastis colitur Mauortia campis:
(Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo:
Hospitium antiquum Troiæ, socijq; penates,
DVM FORTVNA FVIT. feror huc, & littore curuo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis:
Æneadasq; meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionææ matri, diuisq; ferebam
Auspicibus cœptorum operum: superoq; nitentem
Cælicolûm regi mactabam in littore taurum.
Fortè fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridemq; ab humo conuellere syluam
Conatus, ramis tegerem vt frondentibus aras:
Horrendum, & dictu video mirabile monstrum.
Nam quæ prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur: huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. MIHI FRIGIDVS HORROR
MEMBRA QVATIT, GELIDVSQVE COIT FORMIDINE SANGVIS.
Rursus & alterius lentum conuellere vimen
Insequor, & caussas penitùs tentare latentes:
Ater & alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa mouens animo, nymphas venerabar agrestes,
Gradiuumq; patrem, Geticis qui præsidet aruis,
Ritè secundarent visus, omenq; leuarent.
Tertia sed postquam maiore hostilia nixu
Aggredior, genibusq; aduersæ obluctor arenæ,
(Eloquar, an sileam?) gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures.
Quid miserum Ænea laceras? iam parce sepulto,
Parce pias scelerare manus. non me tibi Troia
Externum tulit: haud cruor hic de stipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.
Nam Polydorus ego: hîc confixum ferrea texit
Telorum seges, & iaculis increuit acutis.
Tum verò ancipiti mentem formidine pressus
OBSTVPVI, STETERVNTQVE COMÆ, ET VOX FAVCIBVS HÆSIT.

TERRA PROCVL VASTIS) Locos recensere incipit, ad quos classe profectus est: quorum alios breui oratione perstringit: nonnullos simplici nominis significatione designat. Nunc Thraciam, quò primùm prospera nauigatione peruenerat, breui descriptione complectitur. [*Dionysius lib. 1. ex Hellanico ista refert. Æneas parata iam classe, traiecit Hellespontum, proximam* B *peninsulam, quæ ab Europa in mare procurrens, Pallene dicitur, nauibus petens. Eam tenebat socia gens Thracum, Crusæa nomine, cuius strenua opera in bello vsi fuerant.*] Deinde quid ibi ipse fecerit, quidque sibi contigerit, memorat. Nascimbæn.

Imitatus est hîc Euripidem, qui in Hecuba de Polymnestore.

Ὃς τὴν ἀρίστην χεῤῥονησίαν πλάκα
Σπείρει, φίλιππον λαὸν ἰθύνων δορί.
Qui Cherrhonesi fertilem glebam colens,
Armis ferocem Martijs gentem regit.

Maro enim, vt & Euripides, gentem Martiam dicit, & campos frumentarios. Vasti autem campi sunt magni campi, qui, quod arabantur, & serebantur, frugiferi intelligi debent. Turneb. lib. 11. cap. 19.

Ex descriptione Thraciæ, quæ est apud Pomp. Melam lib. 2. de situ obis, cap. 2. huc transferemus quędam peridonea. Regio nec cælo læta, nec solo: & nisi quà mari propior est, infœcunda, frigida, eorumq; quæ seruntur, malignè admodum patiens. Rarò vsquam pomiferam arborem, vitem frequentius tolerat: sed nec B eius quidē fructus maturat, ac mitigat, nisi vbi frigora obiectu frondiū cultores arcuere. Viros benignius alit, non ad speciem tamen: nam & illis asper, ac indecens corporum habitus est, cæterùm ad ferociam, & numerum, vt multi immitesq; sint, maximè ferax. Cernis de fertilitate aliud ab Euripide sentire Melam? De Thracia item, Thracumq; moribus, & institutis agit Solinus cap. 16.

De Thraciæ amplitudine Herodotus lib. 5. seu Terpsichore. Gens Thracum secundùm Indos omniū maxima est: quæ si aut vnius imperio regeretur, aut idem sentiret, vt mea fert opinio, inexpugnabilis foret, & omnium gentium multò validissima: sed quia id ni- C mis arduum illis est, & nulla ratione contingere potest, ideo imbecilles sunt. Habent autem multa nomina singularum regionum singuli. Moribus tamen, ac opinionibus consimilibus imbuti sunt, præter Getas, & Trausos, & Crestonæos, &c.

ACRI REGNATA LYCVRGO) Hellenismus. Horat. Ode 6. lib. 2. *& regnata petam Laconi Rura Phalanto.* Idem Ode. 19. lib. 13. *Quid Seres, & regnata Cyro Bactra parent.* Ode. 3. lib. 3. *Ilion mihi, Castæq; damnatum Mineruæ*, id est, à me. Vide ad illud lib. 1. *Nulla tuarum audita mihi, neq; visa sororū est.* Lycurgus Driantis filius, Liberū de regno suo fugauit, deum negans. Vites excidere dum conatur, quod diceret vinum esse D veneni genus, quod hominum mentes immutatet, pedem sibi amputasse dicitur. Huc forsitan Virgilius collimauit, cum eum acrem nominauit. Alterius autem Lycurgi, legislatoris Spartiatarum elogium tale apud Velleium extat lib. 1. Clarissimus Graij nominis Lycurgus Lacedæmonius, vir generis regij, fuit seuerissimarum, iustissimarumq; legum auctor, & disciplinæ conuenientissimæ vir: cuius quam diu Sparte diligens fuit, excellissimè floruit. Hæc ille. Quem quidem his de caussis non immeritò etiam ipsum acrem dici posse quis dubitet? ✤

HOSPIT. ANTIQ. TROIÆ. S. PENATES) Hospitium aliquando coniunctionem, & consuetudi- E nem hospitalem significat, non locum ipsum, in quo diuersamur, & vt hospites tractamur. Inde illa loquendi genera, hospitium cum aliquo facere, hospitio coniungi, alicui cum aliquo esse hospitium. Et hospes meus est, qui eo iure apud me diuersatur, vel qui mecum hospitio est coniunctus, tali scilicet genere necessitudinis, & amicitiæ. Nec tantum inter priuatos, sed inter populos quoque hospitij necessitudo contrahebatur, & inter ciuitates. Cæsar de Heduis. Quibus pręlijs, calamitatibusq; fractos, qui & sua virtute, & pop. Rom. hospitio, atque amicitia plurimum ante in Gallia potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare. Vide supra lib. 1. *Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquun-* A *tur.* Hoc genus amicitiæ Græci προξενίαν, hospitium autem inter priuatos cōtractum ἰδιοξενίαν vocauerunt. Vide Bud. annotat. poster. in Pandect.

DVM FORTVNA FVIT) Πάθος à commutatione fortunæ. Fidem vnà cum fælicitate defecisse ostendit. Vnde Horat. lib. 2.

——— diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre iugum pariter dolosi.

Nascimb. * *Verè, ac prudenter Cornificius ad Herennium lib. 4. in exemplis similitudinum. Vt hirundines æstiuo tempore præstò sunt: simul atque hyemem fortuna viderint, deuolant omnes. Cui vero non millies auditum est illud,* Dum fueris fælix multos numerabis amicos? *Bonos quidem viros, sincerosq; amicos non solere ab amico recedere, quamuis fortuna recesserit, & ex secunda in aduersam migrauerit, confirmat Horat. Vulgus, & infideles amicos, qui vtilitate sua omnia metiuntur, tum solere diffugere, cum amicorum opes defecerint. Lege Ode 35. lib. 1.*

ÆNEAD. M. N. DE NOM.) Dionysius lib. 1. Primùm appulerunt ad Pallenen Thraciæ peninsulam, habitatam, vt dixi, à Crusæis barbaris: tutò ibi excepti hospitio. Hic dum hybernant, Veneri templa extruxerant, in vno è promontorijs, & oppidum Æneam condiderant: in quo nauigationis pertæsos reliquerunt, & si qui fuere manendi cupidi, habituros posthac eum locum pro patria. Id oppidum durauit vsq; ad imperium successorum Alexandri Macedonum. Cassandro demum regnante, dirutis pristinis sedibus Æneatæ in Thessalonicam, recens tum conditam, cum alijs multis migrare iussi sunt. Plin. lib. 4. cap. 11. in recensendis Thraciæ vrbib*, & populis, hoc oppidum Ænos vocat. Oppidum, inquit, Ænos liberum, cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regia. Mela lib. 2. cap. 2. similiter. Eximia est Ænos, ab Ænea profugo condita.

SACRA DIONÆÆ MATRI) Inter decreta Pontificum maximè quæritur, quid sit sacrum. Quærendū vtrum ea voce secundùm definitionem suam Virgilius vsus sit, vocabuliq; proprietatem suo more seruauerit. Sacrum est, vt Trebatius lib. 1. de religionibus refert, quicquid est, quod deorum habetur. Huius definitionis poeta memor, vbi sacrum nominauit, admonitionem deorum pæne semper adiecit, vt hic, & Æneid. 4. *Sacra Ioui Stygio quæ rite incepta paraui.* Item Æneid. 8. *tibi enim, tibi maxima Iuno Mactas sacra ferens.* Macro. Saturnal. lib. 3. cap. 3.

Dionæa mater est ipsa Venus, Diones filia, quo nomine, Dionen, inquam, appellare videtur ipsam Venerem Catullus, *Hunc ego, si placet Dione*, &c. Idem poeta Iulium Cæsarem, vna litera exempta, vocat columbulum Dioneum, hoc est, Venerium, sed hoc metri caussa. *Vt albulus columbulus Dioneus.* Iambus est. ✤

AVSPICIBVS COEPTOR. OPER.) vt virum pium decebat. Cicero ait, omnium rerum magnarum à dijs immortalibus capienda esse primordia. Quid autem maius, quam vrbem nouam condere? Adhæc, morem Romanum tangit. Romani enim, teste eodem Cicerone 1. de diuinat. nihil publicè sine auspicijs nec domi, nec militiæ gerebant. Auspicari, est secundis auspicijs quippiam aggredi, seu inchoare. Sic inauspicatò quippiam facere, est infelicibus auspicijs, & quasi deo repugnante facere. Auspicibus dijs, id est, propitijs, beneuolentibus, ac secundis. ✤

NITENTEM TAVRVM) nitentem, opimum interpretor: nam quæ saginata sunt, nitere dicuntur. Turneb. lib. 4. cap. 22. * *Suffragatur huic explanationi*

Horatius ep. 4. lib. 1. Vbi de semet sic ait: Me pinguem, & nitidum bene curata cute vises. *Cur nitidum? quia pinguem. Vnde pinguem? propter bene curatam cutem. Fruges nitidas Lucret. lib. 1. vocauit pingues, plenas, amplas.*

CÆLICOLVM REGI) Quod ipsi quoque dij immortales vni Ioui parent, pluresq; dominos, ac præsides non habent, hoc ipsum ad probandum, monarchiam esse optimum imperij statum Isocrates in Nicocle vsurpat, quem audiamus sanè. Εἰ δὲ δεῖ καὶ τῶν ἀρχαίων εἰπεῖν, λέγονται καὶ τοὺς θεοὺς ὑπὸ τοῦ Διὸς βασιλεύεσθαι. περὶ ὧν, εἰ μὲν ὁ λόγος ἀληθής ἐστι, δῆλον ὅτι κἀκεῖνοι ταύτην τὴν κατάστασιν προκρίνουσιν. εἰ δὲ τὸ μὲν σαφὲς μηδεὶς οἶδεν, αὐτοὶ δὲ εἰκάζοντες οὕτω περὶ αὐτῶν ὑπειλήφαμεν, σημεῖον, ὅτι πάντες τὴν μοναρχίαν προτιμῶμεν. οὐ γὰρ ἄν ποτε αὐτῇ χρῆσθαι τοὺς θεοὺς ἔφαμεν, εἰ μὴ πολὺ τῶν ἄλλων προέχειν αὐτὴν ἐνομίζομεν. Latinè sic: Quod si quid è vetustatis memoria repetendum est, dij etiam regem habere Iouem dicuntur. Qui sermo si verus est, apparet deos etiam hunc statum cæteris anteferre. Sin rei veritatem nemo nouit: sed ipsi coniecturis in eam opinionem adducti sumus, id argumento est, eos omnes monarchiam præstantissimam iudicare. Nec enim tali deos vti repub. diceremus, nisi eam longè præstare cæteris crederemus.

MACTABAM) Mactare propriè valet magis augere, auctare, ornare, honorare. M. Tullius apud Nonium. Ferunt laudibus, mactant honoribus. Itaque non solum ita loquimur, mactare dijs hostiam, id est, immolare: sed & mactare deos, pro eo, quod est, sacrificijs deos honorare, seu placare. M. Tullius in Vatin. cum puerorum extis deos mactare soleas. Ex quo, mactare malo, & infortunio, damno, apud Plaut. & Terent. Lamb. in Lucret.

Ab Euangelo apud Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 10. carpitur Virgilius, vt pontificij iuris ignarus, quippe qui nescierit, Ioui taurum immolari vetitum. Producit verba Atteij Capitonis ex lib. 1. de Iure sacrificiorum. Itaque Ioui tauro, verre, ariete immolari non licet. Et Labeonis, qui docet, nisi Neptuno, Apollini, & Marti taurum non immolari. Ad hæc Prætextatus renidens: quibus deorum immolatur tauro, si vis cum Virgilio communicare, ipse te docebit. *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.* Vides in opere poetæ verba Labeonis? Igitur vt hoc doctè, ita illud argutè. Nam ostendit deo non litatum. Ideo secutum, *Horrendum dictu, & visu mirabile monstrum.* Ergo respiciens ad futura, hostiam contrariam fecit. Sed & nouerat hunc errorem non esse inexpiabilem. Atteius enim Capito, quem in acie contra Maronem locasti, adiecit hæc verba. Si quis forte Ioui tauro fecerit, piaculum esto. Committitur ergo res non quidem impianda, insolita tamen. Et committitur non ignorantia: sed vt monstro locum faceret secuturo. Seruius item contra rationem Ioui taurum sacrificatum putat, cum vbique iuuencus ei sacrificetur: adeo, vt hinc putetur esse secutum prodigium. Sed iam Maronem ab Atteio excusatum audiuisti.

QVO CORNEA SVMMO VIRG.) Hoc mihi è consuetudine doctissimus poeta finxisse videtur, qui tumulis, & bustis cum alia virgulta, tum myrtum imponere solebant, quod Victorius notauit lib. 16. cap. 2. Verius sit tamen, hoc finxisse Maronem, quod è corno, & myrto hastas facerent antiqui, quibus ait confixum Polydorum fuisse. Turneb. lib. 4. cap. 22.

HASTILIBVS HORRIDA MYRTVS) Myrtus arbuscula est, sacra Veneri, vt aliæ arbores alijs A numinibus. Veneris igitur filium, & Veneri matri sacrificium facturum, prudenter facit myrtum vellere, qua aram cooperiat. Res suæ cuique alienis gratiores sunt. ✠

RAMIS TEG. VT FROND. ARAS) Solebant aras coronare, & ornare fronde fælici, vt myrto, aut oliua, quam verbenam vocabant: sed & thus adolebant, & vinum è patera libabant. Ex illa consuetudine verbenis aras tegendi, hoc scripsit Maro. Lactant. lib. 6. cap. 24. ex eo ritu dixit: ad quod sacrificium neque verbenis opus est, neque fibris, neque cespitibus, quæ sunt vtique vanissima. Hæc Turneb. lib. 21. cap. 21. Bene variat, inquit Seruius, vt nunc syluam, nunc virgulta, B nunc ramos, nunc vimina, nunc arborem dicat. Animaduertenda & hic, & alibi poetæ copia.

HVIC ATRO LIQ. SANG. GVTTÆ) Sanguis iste miraculo tribuendus, immo Polydori sanguis accipiendus est, vt sequitur. *Quid miserum Ænea laceras?* &c. Alioqui habent & sanguinem suum arbores, & alia quoque, quæ in animalibus reperiuntur, suo quodam modo videlicet. Qua de re Plin. lib. 16. cap. 38. Humor & cortici arborum est, qui sanguis earum intelligi debet, non idem omnibus. Ficis lacteus: huic ad caseos figurandos coaguli vis. Cerasis gummosus, vlmis saliuosus, lentus, ac pinguis malis, vitibus ac pyris aquosus. Viuaciora, quibus lentior. Atque in toto C corpore arborum, vt reliquorum animalium, cutis, sanguis, caro, nerui, venæ, ossa, medullæ. Deinde singula qualia sint, explicat. Sic Manilius lib. 5. succum illum arborum vocauit viridem neruorũ sanguinem. *Et viridis nemori sanguis decedit.* Nonius legit *linquuntur*, pro liquuntur, & ait, linquere deplucre est. Sic Georg. 3. *Huc summis linquuntur rupibus amnes.*

TERRAM TABO MACVLANT) corrupto sanguine: & est nomen casus septimi tantum, vt sunt sponte, natu. Quod si velis declinare, hæc tabes huius tabis dices. Seruius. Infrà hoc lib. *vidi atro cum membra fluentia tabo Manderet*, Lib. 8. *& sanie taboq; fluentes.*

D MIHI FRIG. HORROR. M. QVATIT.) Hunc, & qui paulò post sequitur, locum, *Obstupui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit*, Seneca principio Act. 3. in Hercule Oetæo imitando coniunxit, & ἐναργέστερον locutus est,

Vagus per artus errat excussos tremor,
Erectus horret crinis, impulsis adhuc
Stat terror animis, & cor attonitum salit,
Pauidumq; trepidis palpitat venis iecur.

Ciceroniana sunt, omnibus artubus contremisco, toto corpore contremisco, tum ego contremui timore perterritus. Plaut. Amphit. *Mihi horror membra percipit dictis tuis.* Frigidus autem horror, quoniam qui E horrent, frigent propter sanguinem ab externis partibus ad intimas confluentem. Vnde quodammodo per membra consistere & gelascere videtur, sequitur enim: *gelidusq; coit formidine sanguis.* ✠

CAVSSAS PENIT. TENT. LAT.) Vide impigrum Æneæ studium in explorandis tanti prodigij caussis. Non enim statim ab initio terretur, sed iterum, ac tertiò experitur.

NYMPHAS AGRESTES) Hamadryadas, ita dictas, quòd cum arboribus & nascantur, & intereant. Quoniam ergo videbat Æneas sanguinem ex arbore, cuius ipse ramos vulserat, stillantem, nympharum pacem petijsse se ait, veritus nimirum, ne earum aliquam in ar-

in arbore læsisset. Eædem interdum & Naiades dicuntur. Ouidius.

Naiada vulneribus succidit in arbore factis:
Illa perit, fatum Naiados arbor erat.

Mortales quosdam deos creditos patet ex verbis Martiani Capellæ. Panes, Fauni, Satyri, Syluani, Nymphæ, Fatui, Fatuæq; , vel etiam Fanæ, à quibus fana dicta, quòd soleant diuinare: hi omnes post prolixum æuum moriuntur, vt homines.

GRADIVVMQVE PATREM) Gradiuus Mars, à gradiendo in bello vltro, citroque: siue à vibratione hastæ, quod Græci dicunt κραδαίνειν: vel, vt alij dicunt, quia gramine sit ortus, quod interpretantur, quia corona graminea in re militari maximę est honorationis. Fest*. * *Seruius, quod impigrè gradiuntur milites. Ergò à gradu militari, quo Viginti millia passuum horis quinq; dumtaxat æstiuis conficienda sunt. Veget. lib. 1. cap. 9.*

GETICIS QVI PRÆSID. ARVIS) Hic Getica arua Thraciæ interpretor, cuius partem olim tenuerunt Getæ, vt scribit Thucydides: sed inde demigrauere. Nam non est infrequens gentium migratio in alias terras. Igitur Æneas in Thracia cum esset, perculsus illo monstro, precari Gradiuum patrem cœpit, qui Thraciæ imperat. Turneb. lib. 4. cap. 22. Ioan. Bernartius in 6. Thebaid. Statij.

SECVNDARENT VISVS) Prospera facerent visa, facerent, vt visa in meliorem partem euenirent. Visus posuit pro visa, masculinum pro neutro. Tunc enim virili genere vtimur, cum de his loquimur, quibus videmus: vt si dicam, nubecula obest visibus meis. Si autem neutro vtamur, ea, quæ videntur, significamus: vt si hoc loco diceret, rite secundarent visa, quod propter metrum nequaquam potuit. Seruius.* *Adde ex Æneid. 7.* dij nostra incepta secundent. *Seneca Herc. Fur.* Votum secundet, qui potest, nostrum deus. *Eadem Vis est Verbi.* fortunare, *quo etiam in precibus, & sæpius Vtebantur.*

OMENQVE LEVARENT) Bonum, ac leue facerent.

MAIORE NIXV) Malè tractatum est verbum *nisus*, & in nixus comutatum. Idem accidit τῷ *connisus*, quod est verbum egregium, vimq; magnam exprimit. Lib. 10. *Et toto connisus corpore ferrum Coniicit.* Valer. Flaccus lib. 3. vt est in vet. lib. *Torserat hic totis connisus viribus hastam.* Prudent Psychom. *Et ense coruscat Connisa in plagam.* Gifan. in Lucret.

GENIB. AD. OB. ARENÆ.) Quod dixerat *maiore nixu*, apertius declarat his verbis sequentibus, & καθ' ὑποτύπωσιν acrem illum in euellendo virgulto conatum exprimit. Parenthesis autem *(eloquar, an sileam)* est ad stuporem posita: quæ dubitationem habet, per quam locus attentionis inducitur. Nam magnum quiddam se dicturum innuit. Est autem hoc, quod vox lacrymabilis è tumulo audita est, quæ diceret quæ sequuntur. Nascimb.

ELOQVAR, AN SILEAM?) Vix enim credetur: & parum credibilia taceri, melius est, quá frustra proferri. Commouet etiam attentionem hæc dubitatio, siue interrogatio. Rem enim minime solitam, insuetam, nouam dicturum apparet. ✠

QVID ME MISERVM ÆNEA LACERAS) Principium expostulatorium de facti iniuria, quod immeritus violetur. Obtestatur per viri pietatem, suam innocentiam, & affinitatem, vt à scelere desistat. Montfort.

IAM PARCE SEPVLTO) Parce iam sepulto. Lex erat 12. tab. Defuncti iniuria ne afficiantur: deorū A manium iura sancta sunto. Ex Solonis sanctionibus, Ne in vita defunctos conuitia iaciantur: ne quis sepulchra deleat, aut violet etiam. Per has leges, nefas erat sepulchris ossa extrahere: aggerem, tumulumúe disijcere, cineres effodere. Violatoribus sepulchrorum supplicia erant proposita ex Pauli I. C. sententia, humilioribus, capitis mulctatio: honestioribus, in insulam deportatio, aut relegatio, aut in metallum damnatio.

PARCE PIAS SCELER. MAN.) Eclog. 8. *Sæuus amor docuit natorum sanguine matrem Commaculare manus.* Superioribus verbis, *iam parce sepulto*, rogauerat Æneam Polydorus, ne se mortuum vexaret, & quasi occisum occideret, & id insinuauerat crudelitatis B esse: quod nunc apertius demonstrat per vocem *scelerare*. Neque hunc locum satis expendit Seruius, qui *scelerare* sermonem esse Plautinum refert, quo in præsentia non vtimur, quasi necessitate adductus, verbo antiquo, & inusitato poeta vsus fuerit: cum tamen *maculare*, absque carminis offensione scribere potuisset. Nam stabat versus hoc modo: *Parce pias maculare manus.* Cur ergo vsus est antiquo verbo, cùm vsitato vti potuerit? Missum facio, quod vetustatis amantissimus poeta vetustis persæpe verbis vtitur: illud dico, huiusmodi criminis magnitudinem neque expressius significari, neque significantius exprimi, neque elegantius potuisse. Nam cum pias manus dixisset, ἀντιθέτωςque oppo- C nendum indicasset, non potuit verbum reperire melius, neque magis oppositum hoc verbo *scelerare*. Nam quemadmodum eos, qui singulari quadam animi benignitate, ac misericordia præditi sunt, pios appellamus: ita qui insigne quiddam, ac inhumanum, ab omnique pietate, & misericordia alienum facinus admittunt, eos nomine sceleris notamus. Virgil. 1. Æneid. *Pygmalion scelere ante alios immanior omnes, Quos inter medios venit furor.* Vnde fit *scelerare* verbum, quo non solum Plautus, sed & alij posteriores, & qui non multis admodum sæculis ante Seruium floruerunt, quos ipse ceu optimos auctores citare plerunq; solet, Statius, & Silius, vsi sunt. Nascimb.

D NON ME TIB. TROIA. E. TVL. AVT) Troia me tulit, genuit non externum tibi, sed ciuem, sum ciuis tuus, & cruor quem cernis de stipite manantem, non est externus, sed Troianus, Troiani hominis.

HEV FVGE CRVDELES TERRAS) Hortatur Æneam ad fugam, cum interiectione dolentis, vt illum terreat: & quia fugiendi necessitas incumbebat, vt eū magis excitaret, repetitione vtitur: & ne fortè id temere magis, quàm necessario fieri putet, præter quòd se se illi affinem profitetur, vnde maiorem illi fidem habere debet, duas etiam assignat caussas: alteram crudelitatis, alteram auaritiæ. Vbi, licet ad Polymnestoris regis crudelitatem, & auaritiam alludat, de quo infrà, ta- E men apertè Thraces omnes, vt crudeles, & auaros detestari videtur. Nascimb.

HIC CONF. FERR. TEG. TEL. SEG.) In eo dissentit ab Euripide Maro, quod scribit Polydorum iaculis confossum multis fuisse, quæ & in sepulcri aggere viridanti fruticata sint. Contrà Euripides, eum ab hospite, & educatore Polymnestore cæsum clam, & in mare proiectum fuisse. Turneb. lib. 11. cap. 9. * *At Homerus ab vtroq; aliud sentit, & Iliad. χ. ab Achille interfectum narrat. Ausonius Polydoro ipsi in epitaphio talia Verba affingit:*

Cede procul tumulo, myrtum fuge nescius hospes,
Telorum seges est sanguine adulta meo.
Confixus iaculis, & ab ipsa cæde sepultus,
Condor in hoc tumulo bis Polydorus ego.

Scit pius Æneas, & tu rex impie, quòd me
Thracia pœna premit, Troica cura tegit.

Ex verbis Maronianis, vt satis liquet, argumentum sumpsit.

TELORVM SEGES) Seges sæpe pro copia. Hîc tamen ait, myrtea illa iacula in speciem segetis ex corpore Polydori excreuisse: vnde apparet, quàm multis confixus fuerit.

ET IACVLIS INCREVIT ACVTIS) Traxit hoc de historia Romana: nam Romulus captato augurio hastam de Auentino monte in Palatinum iecit, quæ fronduit, & arborem fecit. Seruius.

OBSTVP. STET. COMÆ) Statius, *Stant tristes horrore comæ.* Ouid. 3. Fast. *Obstupui, sensiq; metu riguisse capillos.* Homerus Iliad. ω. de Priamo loquens.

Ὣς φάτο (Mercurius) τοῦ δὲ γέροντι νόος χύτο, δείδιε δ'
Ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι. (*αἰνῶς.*
Στῆ δὲ ταφών.
Sic ait: at mentem senis circumstetit horror
A *Confusam senis, attonitus qui constitit, egre*
Arrectis per membra comis.

Rationem affert Aristoteles, problem. sect. 8. quæst. 8. & 11. Varro de ling. lat. lib. 5. Tremo dictum à similitudine vocis, quæ tunc, cum valde timetur, apparet: tum etiam in corpore pili, vt arista in spica hordei, horrent. Sed Lucret. lib. 3. naturam hominis timore perculsi depinxit graphicè.

Verum vbi vehementi magis est commota metu mens,
Consentire animam totam per membra videmus:
Sudores itaq; & pallorem existere toto
Corpore, & infringi linguam, vocemq; aboriri:
Caligare oculos, sonere aures, succidere artus.
B *Deniq; concidere ex animi terrore videmus*
Sæpe homines.

VOX FAVCIBVS HÆSIT) Terent. And. *Censen' vllum potuisse verbū proloqui?* Eunucho, *lingua hæret metu.* Catull. *Lingua sed torpet.*

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infælix Priamus furtim mandarat alendum
Threicio regi: cum iam diffideret armis
Dardaniæ, cingiq; vrbem obsidione videret.
Ille, vt opes fractæ Teucrûm, & fortuna recessit,
Res Agamemnonias, victriciaq; arma secutus,
FAS OMNE ABRVMPIT: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. QVID NON MORTALIA PECTORA COGIS
AVRI SACRA FAMES? postquam pauor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumq; parentem
Monstra deûm refero, & quæ sit sententia posco.
Omnibus idem animus, scelerata excedere terra,
Linquere pollutum hospitium, & dare classibus austros.
Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus, stant manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis, atraq; cupresso:
Et circùm Iliades crinem de more solutæ.
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamq; sepulcro
Condimus, & magna supremùm voce ciemus.

HVNC POLYDORVM AVRI QVONDAM) Totum locum expressit Virgilius ex Hecuba Euripidis, nempe ex ipso prologo, vbi eadem de se Polydorus. Eandem rē exponit Ouid. secutus Euripidem, 13. Metamorph. hisce carminibus.

Est, vbi Troia fuit, Phrygiæ contraria tellus
Bistoniis habitata viris, Polymnestoris illic
Regia diues erat: cui te commisit alendum
Clam, Polydore, pater, Phrygiisq; remouit ab armis.
Consilium sapiens, sceleris nisi præmia, magnas
Adiecisset opes, animi irritamen auari.
Vt cecidit fortuna Phrygum, capit impius ensem
Rex Thracum, iuguloq; sui demisit alumni.
Et tanquam tolli cum corpore crimina possent,
Exanimem è scopulo subiectas misit in vndas.

Quid autem ab Euripide Maro discrepet, superius ex Turnebo cognouimus.

ILLE, VT OPES FRACTÆ TEVCRVM) *Frangi alicuius opes, eleganter dictum. Ita & Cicero locutus est, epist. 6. lib. 6. Contentione frangi senatus opes, desinentione bellum com-*C *le excitari videbam. Est item in aliis frequens tralatio huius verbi, vt cum dicit, aliquem frangi, alicuius furorem, petulantiam, audaciam, impetum frangere, &c.*] De amicitia Polymnestoris cum Græcis, hæc Dictys lib. 4. Per idem tempus Aiax Telamonius Thracum Cherronesum omni modo infestabat. Sed vbi rex eorum Polymnestor virtutem, atq; gloriam viri cognouit, diffidens rebus suis, deditionem accepit. Tumque Polydorus Priami filius, quem rex recens natum, clam omnibus alendum ei transmiserat, merces pacis ab eo traditur. Aurum etiam, aliaque huiusmodi dona ad conciliandos hostium animos affatim præbebantur. Dein frumentum per omnem exercitum totius anni pollicitus, naues onerarias, quas ob id Aiax secum habuerat, replet, multisque execrationibus
D amicitiam Priami aduersum Græcos renuens, in pacem, fidemque receptus est. Lege quæ scripta sunt in Chiliad. prouerb. Ad felicem inflectere parietem.

RES AGAMEM. VICTRICIAQ. ARMA) Agamemnonē per digressionem, vt eximium planè imperatorem, & de vniuersa Græcia longè optimè meritum,

celebrat

celebrat in Panathenaico Isocrates. Principium duntaxat subijciam. ἡ δὲ Ἀργείων πόλις Ἀγαμέμνονα, &c. Argiuorum ciuitas Agamemnonem præbuit, non vna atque altera virtute præditum, sed omnibus, quas nominare queas: neque ijs mediocriter, sed excellenter. Neminem enim ex omnibus inueniemus, qui res vel magis officio suo conuenientes, vel pulchriores, vel maiores, vel Græcis vtiliores, aut pluribus laudibus dignas gerendas susceperit, &c.

Vt autem intelligamus, quare eundem M. Tullius regem regum nominauerit epist. 14. lib. 9. vbi ait ad Dolabellam, *Est tamen non alienum à dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni regum regi fuit honestum, habere aliquem in consilijs capiendis Nestorem*, notanda sunt, B quæ apud Isocratem infrà leguntur. ἐν τούτῳ γὰρ μεγαλοφρονέστερος ἦλθεν, &c. Nam tanta in eo fuit animi magnitudo, vt non contentus è singulis vrbibus tot priuatæ conditionis milites delegisse, quot libitum fuit: regibus etiam, qui in suis vrbibus faciunt, quæ volunt, & alijs imperant, sibi vt parerent persuaserit, & cōtra quoscunque duxisset, sequerentur, & imperata facerent, & regiam in militia vitam degerent, atque etiam pericula adirent, & bellum gererent, non pro sua patria, & regno: sed verbo pro Helena, Menelai vxore: re ipsa pro eo, ne Græciam barbari vel eodem modo tractarent, &c. Epitaphium Agamemnonis ex Ausonio tale est.

Rex regum Atrides fraternæ coniugis vltor,
Oppetij manibus coniugis ipse meæ.
Quid prodest Helenæ raptum puniſſe dolentem,
Vindicem adulterij cum Clytemnestra necat?

De cæde hac vide Senecæ Agamemnonem, Euripid. Electram. De Polymnestore autem, & Polydoro longè diuersa narrat Higynus, cap. 109. Pacuuius eum fecisse videtur Ilionæ filium, Priami nepotem. Ex quo Cic. 1. Tusc. hos versus tanquam insepulti, & matrem in quiete sepulturam flagitantis adducit.

Mater, te appello: tu quæ curam somno suspensam leuas,
Neq; te mei miseret: surge, & sepeli natum.

Sentit idem Horatius, Sat. 3. lib. 2.

————-quem Fusius ebrius olim
Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis
Mater, te appello, clamantibus.

Vide Lamb. ibidem. Cicero ipse in Hortensio. Quid Iliona somno illo? *Mater, te appello.* Nonne illa credit filium locutum, vt experrecta etiam crederet?

FAS OMNE ABRVMPIT) Omnia diuinarum, humanarumq; legum iura perfregit. Hoc, similiue modo orator dixisset. Qui tritas habent aures legendis oratorum scriptis, præsertimque vnius M. Tullij, iudicabunt. Habetur autem prope parricidium, interficere hospitē. Horat. Ode 13. lib. 2.

Illum & parentis crediderim sui
Fregiſſe ceruicem, & penetralia
Sparſiſſe cruore nocturno
Hospitis.

Cic. pro Deiotaro. Vt enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum penatium necare hospitem.

POLYDOR. OBTRVNC. ET AVRO VI POTIT.) Tale scelus propter similem caussam comissum in hospitem ab hospite, narrat Tranio Seruus vafer Teuropidi seni peregrè redeunti, quò cum à suis ipsiusmet ædibus introëundis deterreat, quia ibi iaceat sepultus ille necatus, in Mostellar.

TR. *Scelus, inquā, factum est iam diu, antiquum, & vetus.*
Antiquum id adeo nos nunc factum inuenimus
TH. *Quid istuc est, scelestè? aut quis id fecit? cedò.*
A TR. *Hospes necauit hospitem captum manu.*
Iste vt ego opinor, qui has tibi ædes vendidit.
TH. *Necuit?* TR. *aurumq; ipsi ademit hospiti,*
Eumq; hic defodit hospitem ibidem in ædibus

QVID NON MORTALIA PECTORA) Epiphonema per admirationem, quo concluditur narratio. Illustrandus est hic locus è primarijs scriptoribus. Cic. pro Quintio. Nullum est officium tam sanctum, atque sollemne, quod non auaritia comminuere, atque violare soleat. Idem 2. Offic. Nullum vitium est tetrius, quàm auaritia, præsertim in principibus, & rempub. gubernantibus. Sallust. Catilin. Namque auaritia fidem, probitatem, cæterasq; bonas artes subuertit: pro his superbiā, B crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Infrà. Auaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupiuit. Ea quasi venenis malis imbuta, corpus, animumque virilem effœminat, semper infinita, insatiabilis est: neq; copia, neq; inopia minuitur. Quantum possit aurū, & quomodo crescat eius amor, crescente pecunia, Horat. Ode 16. cap. 3.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo, &c.

Consentanea his sunt illa Lucā lib. 3. *Vsq; adeo solus ferrum, mortemq; timore Auri nescit amor.* Plin. lib. 33. cap. 2. Vtinamq; posset è vita in totum abdicari aurum, sacra fames, vt celeberrimi auctores dixere, proscissum C conuitijs ab optimis quibusq; & ad perniciem vitæ repertum &c. Phocylides.

Χρυσὸς ἀεὶ δόλος ἐστὶ καὶ ἄργυρος ἀνθρώποισι.
Χρυσὲ κακῶν ἀρχηγὲ, βιοφθόρε, πάντα χαλέπτων,
Εἴθε σε μὴ θνητοῖσι γενέσθαι πῆμα ποθεινόν.
Σεῦ γὰρ ἕκητι μάχαι τε λεηλασίαι τε, φόνοι τε,
Ἐχθρὰ δὲ τέκνα γονεῦσιν, ἀδελφειοί τε συναίμοις, &c.

Anacreon, postquam conquestus est id, quod ait, Propert. *Nil tibi nobilitas poterit conducere amanti:* Et rursum,

Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores,
Semper amatorum ponderat illa sinus,

D (quod item pluribus locis Plautus conqueritur) ita subijcit.

Ἀπόλοιτο πρῶτος αὐτὸς,	*Pereat malè, expetendi*
Ὁ τὸν ἄργυρον φιλήσας,	*Qui primus auctor auri.*
Διὰ τοῦτον οὐκ ἀδελφός.	*Spernuntur hinc parentes:*
Διὰ τοῦτον οὐ τοκῆες.	*Hinc cura nulla fratris:*
Πόλεμοι, φόνοι δι' αὐτόν.	*Hinc & cruenta bella.*
Τὸ δὲ χεῖρον, ὀλλύμεσθα	*Quod maximum malorum est,*
Διὰ τοῦτον οἱ φιλοῦντες.	*Quicunq; amamus, omnes*
	Per hoc perimus Vnum.

Ornatius, ἀκριβέστερον eosdem hoscē versiculos, ijsdem numeris conuertit Lamb. Commentar. in 11. Oden. Epod. apud Horatium.

AVRI SACRA FAMES) Catull. *Dij magni, horribilem, & sacrum libellum.* Virgil. *sacras depellere* E *tædas.* Sumptum ab homine sacro. Homo sacer is est, inquit Festus, quem populus iudicauit ob maleficium, neq; fas est eum immolari: sed qui eū occidit, parricidij non damnatur. Ex quo quiuis homo malus, atq; improbus sacer appellari solet. Afranius Fratribus. *ô sacrum scurram, & malum.* Turpilius in Demetrio. *Etiamne irrides pessime, & sacerrume?* Plaut. Pœnulo.

Venditq; has omnes, & nutricem, & Virginem
Præsenti argento, homo (si modo leno est homo)
Quantum hominum terra sustinet sacerrumus.

Ex Mureto in Catull. * *Et Bacchid.* Ego sum sacer, scelestus. *Mostellar.* Perdidit patrem, vnus istic seruus est sacerrumus. *Sic sacrum cruorem Horatius, Seneca Thebaid. sacrum aurum, Statius sacram insaniam. Sacrare alicuius caput, est ipsum deuouere, dete-*

plures Græcos de eo disseruisse, vt Philemonem, Anaxandridem, Erathostenem, Demosthenem, quod apud eundem Macrobium Eustathius affirmat. Cymbium ab effigie cymbæ denominatum est, & per immutationem, vt ait Macrob. à cymba dicitur. Mirandum porrò non est, Macrobio hac in re excidisse, cum in carchesio etiam pari fere errore deliquerit, quando & hoc ipsum verbum à Liuio quidē Andronico positum est, qui Latinorum poëtarum vetustissimus meritò habetur. Sic enim Liuius de carchesio. *Florem exantlabant Liberi ex carchesijs.* Quod & Pompeius Festus obseruauit, cuius eruditionem idem Macrob. magnopere commendat. Verba Macrobij sunt. De carchesijs, & cymbijs apud Latinos haud scio an vnquam mentionem reperias. Nam sic vnus apud eos Virgilius. *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.* De animis hominū circa sepulchra corporum suorum errantibus, & eadem incolentibus, multa cognitu periucunda, & perutilia ex optimis scriptoribus collegit Magius lib. 4. c. 12.

ANIM. SEPVL. COND.) Ad tumulum elicimus. Censet Turneb. lib. 4. cap. 22. è veterum opinione dictum, qui sepulchrum mortuorum domicilium credebant, & portum corporis appellabant. Cic. è vetusto poeta.

Neq; sepulcrum quò recipiatur habet, portum corporis,
Vbi remissa vita corpus requiescat à malis.

A Idem lib. 22. cap. 10. Cæterùm Ausonius, inquit, in Parentalibus manes mortuorum ad tumulum vocandi, & eorum, qui sepulcro carebant, nomen ciendo, velut humandi consuetudinem commemorans, Maronem & hic, & in 6. illustrat, nempe ibi, *Tunc egomet tumulum, &c.*

Hoc satis & tumulis, satis & telluris egenis:
Voce ciere animas funeris instar habet.
Gaudent compositi cineres sua nomina dici,
Frontibus hoc scriptis & monumenta iubent.
Ille etiam mœstæ cum defuit vrna sepulcro,
Nomine ter dicto pene sepultus erit.

Iterum de Deiphobo, in heroum tumulis.

B *Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis*
Et pius Æneas, & Maro composuit.

SVPREM. VOCE CIEMVS) Voces supremæ in funeratione *salue, vale,* vt Græcis χαῖρε, ἴθι. Vide Germ. lib. 11. ad illa, *Salue æternùm mihi maximè Palla, Æternumq; vale.* In funebribus cærimonijs sollemne fuit (pono verba Montfortij) omnibus rite peractis, & cadauere rogo imposito, mortuum proprio nomine ter inclamare: fortassis quod ad nihil æque atq; ad propriū nomen expergisci soleamus: ad quod si vitalis aliquis calor adhuc inclusus lateret, vitæ signum aliquod ederetur. Quod si ne tum quidem se proderet spiritus vitalis, de eo conclamatum dicebatur.

Inde vbi prima fides pelago, placataq; venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auster in altum:
Deducunt socij naues, & littora complent.
Prouehimur portu, terræq;, vrbesq; recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri, & Neptuno Ægæo:
Quam pius arcitenens oras, & littora circum
Errantem, Mycone celsa, Gyaroq; reuinxit,
Immotamq; coli dedit, & contemnere ventos.
Huc feror: hæc fessos tuto placidissima portu
Accipit: egressi veneramur Apollinis vrbem.
Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; sacerdos,
Vittis, & sacra redimitus tempora lauro
Occurrit, veterem Anchisen agnoscit amicum.
Iungimus hospitio dextras, & tecta subimus.
Templa dei saxo venerabar structa vetusto.
Da propriam Thymbræe domum, da mœnia fessis,
Et genus, & mansuram vrbem: serua altera Troiæ
Pergama, relliquias Danaûm, atq; immitis Achilli.
Quem sequimur? quóue ire iubes? vbi ponere sedes?
Da pater augurium, atq; animis illabere nostris.

INDE VBI PRIM. FID. PEL.) Cum primum fidi C pelago potuit, propter id, quod sequitur, quia venti scilicet erant remissi, faciebantque, vt æquor placidis vndis stratum, se nauigabile præberet. Cum mare aperiretur, quod hyeme clausum erat. Neque enim integro anno (verba sunt Vegetij lib. 4. cap. 39.) vis atq; acerbitas maris pariter nauigantes, sed quidam menses aptissimi, quidam dubij, reliqui classibus intractabiles sunt lege naturæ. Lege reliqua.

Videtur respexisse illam nauigationem, quæ auctorib⁹ classicis prima dicitur, quæ post sæuitiam hyemis, vel tempestatis nauigantibus aperitur: quam & Græci πρῶτον πλοῦν, ad δεύτερον referentes dicebant. German.

LENIS, CREPITANS AVSTER) En epitheta geminata *lenis, crepitans,* citra coniunctionem: quod Seruius, & alij in versu vitiosum statuunt. Et addit Seruius, 12. locis hoc admisisse Virgilium. Miror hoc ab eo reprehendi, cum Lucretius id sæpe faciat, & sæpius,

quam Seruius putauit, Maro, vt ipse deprehendi. Non A nego rarius hoc faciendum: eaq; in re ab Ennio, & antiquissimis dissentio, qui hoc factitarunt plurimis in locis: sed interdum si fiat, reprehensionem minimè meretur: aut grauiores illi auctores laudent, quam sint Virgilius, & Lucretius. Sæpe autem vulgò deprauata sunt, vt in illo Ouid. Metamorph.

Territa turba pauet, cognouit numina castus
Euinctus vitta crines albente sacerdos.

Sic ex vet. lib. puto legendum. Vulgò *castos*. Virgil. lib. 12. *infelix humero cum apparuit ingens Balteus:* quem locum etiam mutilarunt quidam. Horat. sat. 4. lib. 1.

——— at pater ardens
Sæuit, quod meretrice nepos insanus amica,
Filius vxorem grandi cum dote recuset
Ebrius.

Prudent. lib. 1. in Sym. *Nec terrestre Deum decuit mortale subire Coniugium.* Gifan. in Lucret.

DEDVCVNT SOCII NAVES) Horat. Ode 4. lib. 1.

Soluitur acris hyems grata vice veris & Fauoni,
Trahuntq; siccas machinæ carinas.

Contrarium est, naues subducere. Æneid. 1. *Urbem quam statuo vestra est: subducite naues.*

PROVEHIMVR PORTV) prouehimur in altum, à littore nauigando in altum mare progredimur. In altum prouehi sermo est Plaut. Cicer. & Lucretij.

TERRÆQVE VRBES Q. RECED.) Eleganter. Cum enim nauigio vehimur, quoniam in eo stamus, oculus conquiescere nos indicat: motu verò conspecto, quasi semet retractans, ripas, arbores, oppida nauem versus tendere suspicatur. Brod. lib. 5. cap. 36.* *Aduersus nauem tendere, eamq; præterire, voluit dicere. Etiam hypallage est.*

Per immoderatam rei, quæ cernitur, distantiam fit, vt & eo qui cernit, quiescente, res quæ cernitur, cum mouetur, quiescere: & eo qui cernit, locum mutante, res quæ cernitur, cum quiescit, & fixa manet, moueri videatur. Itaq; qui nauigant, si e portu soluunt, & in altum prouehuntur, ijs vrbes recedere videntur: contrà, si ex alto portui appropinquant, vrbes ad eos accedere. Ex hac opinione dixit Virgilius, *Prouehimur portu, terræq; vrbesq; recedunt.* Rursum hoc eodem lib. *angusti rarescent claustra Pelori.* Et,

Quarto terra die primùm se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, & voluere fumum.

Ibid.

Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

De hac fallacia, seu deceptione oculorum (quamquã ille, vt Epicureus, sensus minimè, animum potius falli vult) ita Lucretius, lib. 4.

Qua vehimur naui, fertur, cùm stare videtur:
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire:
Et fugere ad puppim colles, campiq; videntur,
Quos agimus præter nauim, velisq; volamus.
Sidera cessare ætherijs affixa cauernis
Cuncta videntur: at assiduo sunt omnia motu.

Hæc verba poetæ, operæpretium est noscere, quàm egregiè ad celerem huius vitæ nostræ, quam degimus, cursum, ætatumq; gradus, per quos veluti nauigamus, detorqueat grauissimus auctor Seneca, epist. 70. Prænauigamus, mi Lucili, vitam, & quemadmodũ in mari, vt ait Virgilius noster, *terræq;, vrbesq; recedunt:* sic in hoc cursu rapidissimi tẽporis primùm pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quicquid est illud inter iuuenem, & senem medium, in vtriusq; cõfinio positum: deinde ipsius senectutis optimos annos, &c. Nouissimè incipit ostendi publicus finis generis humani. scopulum illum esse putamus dementissimi? Portus est, aliquando petendus, nunquam recusandus. In quem si quis intra primos annos delatus est, non magis conqueri debet, quàm qui citò nauigauit.

SACRA MARI COLITVR) Dilatat narrationem à chorographia Deli insulæ. Hanc describit à religione deæ tutelaris, & Apollinis ibi nati & educati, à situ, & circumfusis circumquaq; insulis periphrastice, vt satis liqueat, quam insulam velit innuere. Montfort.

NEREIDVM MATRI) Doridi, quæ ex Nereo suscepit filias 50. quarum nomina sunt apud Hyginũ principio libri. Item apud Apollodorum lib. 1.

B NEPTVNO ÆGÆO) Ægęus appellatur, vt opinor, Neptunus, quod magna veneratione Ægis (oppidum est Eubœæ) coleretur. Eius rei locupletem auctorem dare possum Homerũ, qui scribit Iliad. ν de Neptuno.

——— τὸ δὲ τέτρατον ἵκετο τέκμωρ
Αἰγὰς, ἔνθα δέ οἱ κλυτὰ δώματα βένθεσι λίμνης
Χρύσεα, μαρμαίροντα τετεύχαται, ἄφθιτα αἰεί.

——— quarto peruenit ad oras
Ægarum terras, vbi subter in æquore sedes
Auro florentes, immortalesq; tenebat.

Turneb. lib. 3. cap. 10. * *Mens poetæ non est Neptuni cognomentũ de Ægis oppido nobis indicare: sed in quo mari situ sit Delos, nempe in Ægæo, à quo ipsemet Neptunus hic Ægæus nominatur, vtpote eius præses, ac dominus. Ipsum verò pelagus ab Ægis, id est,* C *caprarum insulæ nomen obtinuit, de quo alibi.*

QVAM PIVS ARCITENENS) Pius non est proprium Apollinis epitheton: sed hìc ideo pium vocat, quia pietate quasi materna adductus, non passus est terram sibi natalem diutiùs errare: sed duabus insulis, Mycone, & Gyaro eam religauit. Hodie tamen seiuncta conspicitur. *Arcitenens* hìc antonomasia est, aliàs adiunctum, quo sæpe Homerus vtitur, τοξοφόρος. Nascimb. * *Ab Attio quoque sic dictam esse Dianam, animaduertit German.* Quid vtinam me suis arcitenens telis mactasset Dea. *De ipso Apolline Ennius Alcmæone,*

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum lunã innixus.

D *Respondent huic latino illa duo apud Homerum, ἰοχέαιρα, ἑκηβόλος, longè iaculans.*

GYAROQVE REVINXIT) Gyarus nunc Cycladum parua, & abiecta insula, quò deportabantur exules. Iuuenal. sat. 1. *breuibus Gyaris, & carcere dignum.* Strabo sua ætate vicum exiguum, & à piscatoribus fuisse habitatum describit. Vide eius lib. 10.

IMMOTAMQVE COLI DEDIT) Sed mouetur & Ægyptus, & Delos, quam Virgilius stare iussit (eleganter, quod de Apolline Virgilius dixerat, ad ipsum Virgilium Seneca transfert) Hanc philosophi quoq; credula natio, dixerunt non moueri, auctore Pindaro. Thucydides ait, antea quidem immotam fuisse: sed cir- E ca Peloponnesiacum bellum tremuisse. Callisthenes & alio tempore ait hoc accidisse. Inter multa, inquit, prodigia, quibus denuntiata est duarum vrbium, Helices, & Buris euersio, fuere maximè notabilia, columna ignis immensi, & Delos agitata. Quam ideo instabilem videri vult, quia mari imposita habeat concauas rupes, & saxa p[illegible] quæ dent deprehenso aëri reditum, & quæ sequuntur. Seneca Natural. lib. 6. cap. 26. Addit in Annotat. huius cap. Muretus. Herodotus tremuisse ait Delon, quo tempore Darius in Græciam exercitũ duxit: cum prius oraculo ita responsum esset. *Quin etiam Delon, quanquam est immota, mouebo.* Thucydides ait lib. 2. ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη, ὀλίγον πρὸ τούτων, πρότερον οὔπω σεισθεῖσα, ἀφ' οὗ Ἕλληνες μέμνηνται). Plin. de lustratione eiusdẽ insulæ

insulæ, facta ab Atheniensibus, deq; sacro Penteterico, & ludis gymnicis, atq; musicis ibidem institutis lib. 3. Idem lib. 4. ipsaq; longè clarissima Cycladum media, templo Apollinis, & mercatu celebrata: quæ diu fluctuata, vt proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem. Mutianus prodidit bis concussam. * *Hanc fabulam de insula Delo reuincta, & stabilem, cum antea esset vaga, comprehendit phalaeciis poëtulis auctor incertus, nempe his.*

Delos iam stabilis reuincta terra
Olim purpureo mari natabat,
Et moto leuis hinc & inde vento
Ibat fluctibus inquieta summis.
Mox illam geminis deus catenis
Hac alta Gyaro ligauit, illac
Constanti Myconæ dedit tuendam.

Asteriem Titanis filiam, cum Iouis complexum aspernaretur, ab eodem in auem ortygem, seu coturnicem conuersam, & in mare proiectam fabulantur. Eandem deinde mutatam in insulam, Ortygiam appellatam, qua cum fluitaret, iussu Iouis constitit, Latonaq; profuga ad pariendum locum dedit. Peperit autem ibi Dianam & Apollinem. Delos nomen accepit, quod cum sub vndis primo latuisset, postea apparuerit. Ortygiam hanc insulam infra non longe, appellat ipse Maro. Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus.

VEN. APOLL. VRBEM) Delos & vrbs, & insula est. Hoc referendum ad morem salutandi loca propter præsides genios, de quo agemus lib. 7. Ouid. Metamorph. 2.

Cadmus agit grates, peregrinaq; oscula terræ
Figit & ignotos montesq;, agrosq; salutat.

REX ID. H. PHOEBIQVE SACERD.) Morem antiquum haud dubiè respexit poeta, Ægyptiorũ, Græcorum, & Romanorum videlicet, quibus reges ἱερωσύνην, καὶ ἱερέων, regnum & sacra procurabant, vt docet Plutarchus multis locis, & Plato his in Politico verbis: τὸ γὰρ διὰ τῶν ἱερέων σχῆμα, &c. Vide German. * *Dedit deus etiam nostro sæculo, vt eundem regem, & sacerdotem, atq; adeo Archiepiscopum videremus, Henricum scilicet Emmanuelis filium, qui caso in Africa Sebastiano, cuius erat patruus maior, nempe aui frater, quanquam senecta atate, Lusitania biennium præfuit, de quo* [illegible] *aliquando.* Henricus rex idem hominum, Christiq; sacerdos. *In sacra Genesi de Melchisedecho legimus, fuisse & regem, & sacerdotem dei altissimi. Consules quoque, & Imperat. Rom. Pont. Max. se creari non erubuerunt. Adeo non spernenda est summis etiam potestatibus sacerdotij dignitas.*

Anium Delo imperasse, commemorat lib. 1. Dionysius, & Troianos duce Ænea in illo errore classe Delon appulisse. ἐκ δὲ τῆς Παλλήνης ἄρξαντες οἱ Τρῶες εἰς Δῆλον ἀφικνοῦνται, βασιλεύοντος αὐτῆς Ἀνίου. Turneb. lib. 4. cap. 22. * *Ouidius 13. Metamorph. quo pacto ab Anio Æneas acceptus sit refert.*

Intrat Apollineam socijs comitantibus vrbem.
Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phœbus
Rite colebatur, temploq;, domoq; recepit,
Vrbemq; ostendit, &c.

De eodem Anio lege quæ traduntur à Rhodigin in extremo cap. 15. lib. 7.

VITTIS ET LAVRO RED. TEMP.) corona laurea, & vittata, seu vittis dependentib⁹ vt sacerdos, & Apollinis sacerdos.

OCCVRRIT, VET. ANCH. AG. AM.) Et honoris caussa prodibat obuiam: & præter spem vidit Anchisen veterem amicum, quem lætus ac lubens agnouit, & excepit. Amicorum post longa temporum interualla iucundissima est agnitio. ✠

IVNG. HOSP. D. ET. T. SVB.) Sæpe discontinuatos versus legimus in Virgilio, quos idcirco præcisis sensibus videmus, quod ille morosissimo iudicio alios de medio sustulit, quibus illi cohærebant, quoad excogitaret atque insereret meliores. Talis est hic locus. Nõ enim hinc probè sequitur ille, *Templa dei saxo, &c.*

A Sicut ne illi quidem colligantur in hoc eodem libro. *Sed fugite ô miseri, fugite, atque ab littore funem Rumpite.* Quare?

Nam qualis quantusq; cauo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atq; vbera pressat.

At ibi illo occupato non est fugiendum. Certè alij versus intercedebant. Scalig. poet. lib. 4. cap. 23. * *Certum est, duos hosce versus non colligari cum illo,* Sed fugite ô miseri, &c. *non enim caussam continent veram fugiendi, & funis quam primum abrumpendi. Continent autem duo qui sequuntur,* Centum alij curua hæc, &c. *at non sine præcedentibus. Est igitur quatuor versuum hæc sententia. Quam vastus, & immanis est Polyphemus, cui voluptati est ouium tractatio: tam vasti, immanes atq; horribiles multi præterea ad littus vagè habitant, à quibus possint opprimi, nisi fuga sibi sine mora consulant.*
B *Fidei, & amicitiæ symbolum est dextra: Liuius lib. 1. Sed date dextras, fidemque, haud impune adultero fore. Cic. Philipp. 11. dextræ, quæ fidei testes esse solebant, perfidia sunt, & scelere violatæ. In extremo hoc libro,*

Ipse pater dextram Anchises haud multa moratus
Dat iuueni, atq; animum præsenti pignore firmat. ✠

Est quoque in dextris religio. Eam porrigimus, si quid data fide futurum pollicemur: in ipsa enim fidem sacratam Numa Pompilius coluit, sacrumque Fidei instituit, ad quod flamines curru arcuato, manu [illegible] digitos inuoluta, solemni pompa vehi iussit, magno argumento, illam in dextris sanctam, sacratamque, & propterea minimè violandam esse. Alex. ab Alex lib. 2.
C cap. 19.

TEMPLA DEI. S. VEN. ST. VET.) Æneam Virgilius vbique religionis amantissimum facit. Hic naui egressus, templum Apollinis, vt Macrobius nominat, *Genitoris* veneraturus ingreditur. Cuius templi tantam apud eos populos religionem atque antiquitatem Cic. in 3. Verrina fuisse scribit, vt in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrarentur. Nascimb.

In insula Delo ara fuit, dicata Apollini, in qua nullum immolabatur animal, quam Pythagoram velut inuiolatam adorasse produnt. Idem Aristoteles in Deliorum repub. teste Laërtio, adorasse modò Pythagoram Apollinis Genitoris aram in Delo, quæ retro cor-
D neam est posita, quoniam farra, hordeum, placentasq; solas citra ignem apponere illis moris sit, victimas verò nullas. Huc respexisse & Ciceronem certum est in 3. de natur. deor. cum scribit. Ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluisse Pythagoram, ne aram sanguine aspergeret. Quam aram, quia in ea nullum animal immolabatur, εὐσεβῶν βωμὸν, id est, piorum, seu ritè venerantium aram, sua etiam ætate dictam extitisse refert Cyrillus lib. 9. aduersus Iulianum. Ex his liquet, cur venerandi vocabulo vsus poeta, non hostias mactantem, sed solemni tantùm precatione vsum Æneam faciat. Neque enim dubium mihi est, quin doctissimus Maro sciuerit istuc, & accuratissimè obseruarit.
E Iunius lib. 1. cap. 21. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 6. cuius etiam hæc sunt ibidem, quæ sequuntur.

Non omittendum puto, cur saxo vetusto dixerit extructũ templum. Velius Longus, immutatio est, inquit, epitheti, vult enim dicere vetustatem templi. Sed frigidum est, ædificij ætatem notare. Epaphus, vir plurimæ lectionis, lib. 17. ait: Delphis quodam tempore euenisse, vt templum religiosum antea & intactum, spoliatum, incensumq; sit. Et adijcit, multas circa Corinthum vrbes, insulasq; proximas terræmotu haustas, Delon neq; antea, neq; postea hoc incõmodo vexatam, sed semper in eodem manere saxo. Thucydides etiam historiar. lib. 3. idem docet. Non mirum ergo, si præsidio religionis tutam insulam semper o-

 stendens,

ftendens, & reuerentiam fibi locorum acceffiffe dicit continuam faxi eiufdem, id eft, infulæ firmitatem.

DA PROPRIAM THYMBRÆE DOM) Obferuatione, memoriaq; dignum, Apollinem hoc in loco non Delium, aut Cynthium appellari: cum tamen huiufmodi cognomina hoc tempore illi magis conuenire viderentur, quia in Delo infula, vbi etiam mons eft Cynthius, preces fundebantur. Sed Thymbræus vocatur, à loco Troiæ vicino, vbi fumma cum veneratione à Troianis colebatur. Quafi dicat: Tu Phœbe, qui patrius es nobis deus, cui apud Thymbræum noftræ ditionis locum, templum ereximus: vt precibus, & donis perpetua religione colereris: afpice nos, & foue tua pietate: nec finas nos tuos populos, tibique B obnoxios incertis amplius fedibus vagari: fed da pater locum, vrbi condendæ opportunum: annue quò nos ire iubeas: vt perpetui domicilij noftri fundamenta iacere poffimus, & has Troianorum tuorum reliquias fartas tectas ab omni periculo conferuato. Nafcimb. * *Thymbræum Apollinem Vergilius à monte Thymbrao appellauit, qui eft in agro Troiano. Feftus. Dictus forfitan ab herba thymbra, cuius eft fertiliffimus.*

DA PATER AVGVRIVM) Haud vulgari fenfu extulit: rectè namque refpicit ad cognomen Apollinis Genitoris, cuius in Delo extabat ara hoc cognomento: quem Cato in oratione de educandis liberis A Genitiuum dixit. Huius meminit in Argonaut. 5. Flaccus. *Phœbi Genitoris ad aras, Venturus ait.* Cloatius Verus, Deli, inquit, ara eft Apollinis γενήτορος, in qua nullum animal eft facrificatum. De quo fupra ex Iunio, & Macrobio. Cum ergo dicit Æneas, *Da pater*, nonne γενήτορος expreffit? At verò cum taurum mox immolat Apollini, & Neptuno, apud aliam vtique aram factum intelligimus. Et bene hic tantummodo patrem, quod hoc loco proprium eft, & infra, quod commune eft, Apollinem nominat. * *Æneidos lib. 4. cognominatur augur, de qua illius poteftate Tibull. lib. 2. eleg. 5.*

Tu procul euentura vides, tibi deditus augur
 Scit bene quid fati prouida cantet auis.
Tuq; regis fortes, per te præfentit arufpex,
 Lubrica fignauit cùm deus exta notis.
Te duce Romanos nunquam fruftrata Sibylla eft,
 Abdita quæ fenis fata canit pedibus.

ANIM. ILLAB. NOSTRIS) Vt tuam planè affequi poffimus mentem, *animis illabere noftris*. Nam Apollinis oraculum etfi verum eft, latet tamen propter obliqua, & tortuofa refponfa, quæ illius reddebant vates: quò faciliùs imponerent confulentibus. Ideo Λοξίας dictus eft. Vide Macrob. lib. 1. cap. 17. in Som. Scip. Et Eurip. Scholaft. in Oreften. Attamen plenius hic aliquid intelligendum puto: nam cum ait, *illabere animis noftris*, diuinitatem, ac vaticinandi poteftatem ab eo petere videtur. Nafcimb.

Vix ea fatus eram: tremere omnia vifa repentè,
Liminaq́;, laurusq́; dei, totusq́; moueri
Mons circùm, & mugire adytis cortina reclufis.
Submiffi petimus terram, & vox fertur ad aures.
Dardanidæ duri, quæ vos à ftirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos vbere læto
Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.
Hîc domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
ET NATI NATORVM, ET QVI NASCENTVR AB ILLIS.
Hæc Phœbus: miftoq́; ingens exorta tumultu
Lætitia, & cuncti, quæ fint ea mœnia, quærunt:
Quò Phœbus vocet errantes, iubeatq́; reuerti.
Tum genitor, veterum voluens monumenta virorum,
Audite ô proceres, ait, & fpes difcite veftras.
Creta Iouis magni medio iacet infula ponto,
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula noftræ.
Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna.
Maximus vnde pater (fi rite audita recordor)
Teucrus Rhœteas primùm eft aduectus ad oras,
Optauitq́; locum regno. nondum Ilium, & arces
Pergameæ fteterant, habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaq́; æra,
Idæumq́; nemus: hinc fida filentia facris,
Et iuncti currum dominæ fubiere leones.
ERGO AGITE, ET DIVVM DVCVNT QVA IVSSA SEQVAMVR:
Placemus ventos, & Gnofia regna petamus.
Nec longo diftant curfu: modo Iupiter adfit,
Tertia lux claffem Cretæis fiftet in oris.

TREM-

TREM. OM. VISA REP. LIMINAQVE, LAV.) A Aduentante Apolline sic omnia mouebantur. Οἷον ὁ τ' ὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὅρπηξ, Οἷα δ' ὅλον τὸ μέλαθρον, inquit Callimachus, cuius interpres ait, hoc fieri ἐπιδημοῦντος τοῦ θεοῦ, id est, aduentante deo, tumq; vera reddi oracula, vt eo absente, falsa. Particulam autem, que, vel Homerico more produxit sequente liquida (his enim litteris sequentibus, plerumque breues Homerus producit, vt, αὐτὸς φιλήϊα τεύχεα κεῖσαι: quomodo Persianum melos defendi potest: nisi si quis seruato æque, incolumique numero legat, *Cantare Pegaseïum melos credas*, quod nonnullis video placuisse) vel terminationis caussa, vt Grammatici scribunt. Turneb. lib. 4. cap. 22. Vide & German. super illo, *tremere omnia visa repente*. B

ADYT. CORT. RECLVSIS) Cortina locus vnde oraculum datur. Rationem nominis vide apud Seruium quadruplicem. Varro lib. 6. de ling. lat. Cana cortina, quod est inter terram, & cælum, ad similitudinem cortinæ Apollinis: ea à corde, quòd inde sortes primum æstimatæ.

SVBMISSI PETIMVS TERRAM) Lucret. lib. 1. de Iphigenia filia Agamemnonis iam iamq; immolanda. *Muta metu terram genibus summissa petebat*. Prop. *Nunc ô Bacche tuis humiles aduoluimur aris*.

DARDANIDÆ DVRI, QVÆ VOS) Diuulgatis docemur exemplis, quàm pæne semper cum prædicuntur futura, tamē ita dubijs obscurentur, vt nihilominus C diligens scrutator, nisi diuinitus impediatur, subesse reperiat apprehendendæ vestigia veritatis. Vt ecce Homericum somnium 2. Iliad. à Ioue, vt dicitur, missum, ad conserendam futuro die cum hostibus manum, sub aperta promissione victoriæ, spem regis animauit. Ille velut diuinum secutus oraculum, commisso prælio, amissis suorum plurimis, vix, ægreq; in castra remeauit: dicendum est deum mandasse mendacium? Non ita est. Sed quia illum casum Græcis fata decreuerant, latuit in verbis somnij, quod animaduersum, vel ad verè vincendum, vel ad cauendum saltem potuisset instruere. Habuit enim præceptio, vt vniuersus produceretur e- D xercitus. At ille sola pugnandi hortatione contentus, non vidit, quid de producenda vniuersitate præceptum sit: prætermissoque Achille, qui tunc recenti lacessitus iniuria ab armis cum suo milite feriabatur, rex progressus in prælium, & casum qui debebatur excipit, & absoluit somnium inuidia mentiendi, non omnia de imperatis sequendo. Parem obseruantiæ diligentiam, Homericæ perfectionis per omnia imitator Maro in talibus quoque rebus obtinuit. Nam apud illum Æneas regionem regno instruendo fataliter eligendam satis abundeque Delio instructus oraculo, in errorem tamen vnius verbi negligentia relapsus est. Sed cum origo vetus parentum sequenda diceretur, fuit in verbis, quod E inter Cretam, & Italiam (quæ ipsius generis auctores vtraque produxerunt) magis ostenderet, & quod aiunt digito monstraret Italiam. Nam cum fuissent inde Teucer, hinc Dardanus, vox sacra sic alloquendo, *Dardanidæ duri*, apertè consulentibus Italiam, de qua Dardanus profectus esset, obiecit: appellando eos parentis illius nomine, cuius erat origo rectius eligenda. Macrob. in som. Scip. lib. 1. cap. 7. * *De Dardano, & Dardanis, seu Dardanidis Diodorus lib. 5. cap. 11. Tradunt eo tempore ex Ioue ac Electra Dardanū Iasionem, & Armoniam ortos. Dardanum vero primum in Asiam nauigio transfretasse, vrbem Dardaniam condidisse, constitutoq; regno circa Troiam, quæ postea condita fuit, populos sibi subditos Dardanos vocauit. In multas præterea gentes imperio diffuso, Dardanos in eis pro Thracibus locauit. Duri vocantur Troiani laudis caussa: quamquam etiam reprehensionis nomen est. Ergo* duri, id est laborum tolerantes, rebus aduersis inuicti. Sic 1. Æneid. Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

VBERE LÆTO) 1. Æneid. *Terra antiqua, potens armis, atq; vbere glebæ*. Nomine vberis, fœcunditas terræ significatur, per quam homines frugum copia, vt infantes, & bestiolæ matrum vberibus lacte tumentibus aluntur. Alioqui cum tellus mater dicatur, sciendum est eidem etiam, velut animanti suas esse mammas, amnium videlicet, & fontium fluenta, quibus stirpes irrigantur, & potus præbetur animalibus. Ossa etiam eius dici possunt lapides, sanguis eius vinum, & ita Aristoteles epistola quadam ad Alexandrum vocasse fertur. Sic vulgò venas in terra dicimus, siue quibus aqua conclusa latet, siue quibus metalla eruuntur. Vide Muret. lib. 10 cap. 1. ✠

ANTIQVVM EXQVIR. MATREM) Ouid. 13. Metamorph. super eadem re.

Cumq; dies surgunt, adeuntq; oracula Phœbi.
Qui petere antiquam matrem, cognataq; iussit
Littora.

Si porrò terra quæ nos genuit, & educauit, hoc est, ipsa patria, non malè mater nominatur, quomodo (quod quidam negant) parentis vocabulo cohonestanda non est: & cur affectus amoris in illam non sit dicendus pietas? quod etiam repudiant. ✠

HIC DOM. ÆN. C. D. ORIS) Domus Æneæ, eiusque posteritas cunctis dominabitur oris, quoniam Romani, qui ab eo genus ducent, erunt rerum domini, quibus Iupiter nec metas rerum, nec tempora ponet, imperium sine fine dabit. ✠

ET NATI NATORVM, ET QVI) Homeri est Iliad. υ. sub persona Neptuni de Æneæ fatali, perpetuoque imperio, ad Iunonem,

Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων,
Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει.
Καὶ παίδων παῖδες, οἵ κεν μετόπισθε γένωνται.
Nunc genus inuisum Priami Saturnius odit,
Sed pius Æneas Troas dominabitur inter,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Prouerbiali figura longam rei propagationem significamus. Adagij vice vsurpatum fuisse indicat Plato 3. de leg. & alibi. ἐς παίδων παῖδας, ὃ λέγομεν, id est, natos natorum, vt dicimus. Chiliad.

CVNCTI Q. SINT EA. M. QVÆR.) Post eiusmodi responsum, quo solum continebatur incertum, vt constaret quæ esset illa regio, ad quam tendere deberent, læti quidem fuerunt omnes, quod optata cognouissent, sed vniuersi quærebant nomen loci. Antiqua enim memoria fuit, quam posterioris æui homines ignorabant. Quam cum nemo nosset, Anchises, qui longè cæteris scientia, & annis præstabat, reuoluta priscorum familia, expositionem responsi audacter est ingressus. Donatus.

QVO PHOEBVS VOCET ERRANT.) In Phrygiam ne reuocaret, quæ etiam videri potuit antiqua mater, an aliò, & quænam esset illa terra.

SPES DISCITE VESTRAS) vestras qui estis iuuenes: ego senex breui moriar, nec videbo illa bona, quæ uos manent.

CRETA IOVIS. M. MED.) Cretam hodie Candiam vulgus nominat. Eam insulam describit Strabo lib. 10. Solinus cap. 17. Mela lib. 2. cap. 7. Super eas iam in medio mari ingens, & centum quondam vrbibus habitata Crete, ad orientem promontorium Samonium, ad occidentem κριοῦ μέτωπον immittit, nisi maior esset, Cypro similis, multis famigerata fabulis, aduentu Europæ, Pasiphaës, & Ariadnæ amoribus, Minotauri feri-

 tate,

tare, fatoque, Dædali operibus, & fuga, Tali statione, atque morte, maximè tamen eo, quod ibi sepulti Iouis pænè clarum vestigium, sepulcrum est, cui nomen eius inscriptum esse accolæ ostendunt. Vrbium notissimæ Gnosos, Gortyna, Lyctos, Lycastos, Holopyxos, Phæstos, Cydon, Mamethusa, Dictynna, &c.

De patria Iouis Pausanias. Longum, & difficile, vt maximè quis propositum id haberet, populos enumerare, qui Iouem apud se natum & educatum affirmant. Nam & Messenij Iouis incunabula sibi vindicant, eiusque nutrices nominant Nedam, à qua fluuius, & Ithomen, à qua mons nomen acceperit. Hæc in Messenicis. Idem in Arcadicis in hæc verba. Ad læuam Heræ Lycæum mons est, quem Olympum, Sacrum alij Arcadum iugum nuncupant. In hoc monte educatum Iouem vulgò traditum est. Ager est in Lycæo, quæ Cretæa vocatur, ad læuam luci, qui Apollini sacer est, cognomento Parrhasio. Hunc esse locum in quo sit educatus Iupiter, non autem Cretam insulam, contra Cretensium sermonem contendunt Arcades. Nymphas etiam nominant, quæ Iouem nutrierint, Thisoan, Nedam & Agno. Callimachus quoque, hymno in eundem de eius patria discrepantes ferri sententias affirmat.

Πῶς καὶ νιν Δικταῖον ἀείσομεν, ἦε Λυκαῖον;
Ἐν δοιῇ μάλα θυμός, ἐπεὶ γένος ἀμφήριστον.
Dictæumne Iouem cantabimus, anne Lycæum?
Sum dubius, genus est quando certamine plenum.

Cum igitur multæ sint nationes, quæ Iouem apud se natum glorientur, constantior, & verior sententia est, in Creta natum, & educatum: quam ob caussam poeta eius insulam, natalem scilicet vocauit. Hinc etiam rex Dictæus, Idæus, ab illius insulæ montibus cognominatur.

Sed esto Cretensis, vt diximus. sepulcrum quidem eius in Creta ostendebatur. Testis Cic. 1. Tuscul. Lucianus de sacrificijs: Cretenses non solùm natum apud se, & sepultum Iouem testantur, sed etiam sepulcrum eius ostendunt. **De profectione Troianorum in Cretam ex falsa interpretatione oraculi, & de corrupta caloris aestu, quæ eos non multo post excedere illa insula compulit, de quo infra dicitur, hæc breuiter, & velut ἐν παρόδῳ Ouid. lib. 13. Metamorph.*

Inde recordati Teucros à sanguine Teucri
Ducere principium, Cretam tenuere, locique
Ferre diu nequiere Iouem; centumque relictis
Vrbibus, Ausonios optant contingere portus.

GENTIS CVNAB. NOSTRÆ) Non aliud vult, quam exordium generis nostri. Primum cunabulum pro initio rei, & auspicatu, prouerbiali specie dictum à Nazianzeno, orat. in D. Athanasium. Notauit Iunius Cent. 6. num. 46. *ἀρχὴ γὰρ σοφίας, φόβος κυρίου, καὶ οἷον τι πρῶτον σπάργανον.* Sapientiæ namque initium est, & velut primum cunabulum dei timor. Fortunatianus Afer cunabula verborum dixit, pro ipsa origine. Iureconsultus legum cunabula, pro prima institutione, & rudimento legum. Apuleius lib. 2. prima cunabula vrbis conditæ, pro, prima auspicia, & primordia. Declamator ille in Sallustium, de eloquentia loquens; An vlla alia putas esse rudimenta, & incunabula virtutis, hoc est initia. Latinus Pacatus Panegyrista, Terra Cretensis, parui Iouis gloriata cunabulis, id est, ortu.

CENTVM VRBES HABITANT MAGNAS) Consentit cum Homero, qui 2. Iliad vocauit *ἑκατόμπολιν*. Lucan. lib. 3. vbi narrat hanc insulam Pompeio studuisse, bello ciuili. *Iam dilecta Ioui centenis venit in arma Creta vetus populis.* Ariadne Theseo apud Ouidium,

Non ego te Crete centum digesta per vrbes
Aspiciam, puero cognita terra Ioui.

A Horat. Ode. 27. lib. 3. *Quæ simul centum tetigit potentem Oppidis Creten.* Agit de Europa à tauro in Cretam è Phœnicia transuecta. Idem Ode. 9. Epod.

Aut ille centum nobilem Cretam vrbibus
Ventis iturum non suis.

VBERRIMA REGNA) Referuntur ad illa oraculi, *eadem vos vbere læto, Accipiet reduces.*

MAX. VNDE. P) A descriptione transit ad argumenta, quibus colligit, eam terram esse, quam petendã obscuris ambagibus moneat Phœbus.

OPTAVITQVE LOCVM) elegit, vt in 1. *Pars optare locum tecto.*

NONDVM ILIVM, HAB. VALL. IMIS) Homeri locum
B Iliad. 20. expressit.

Κτίσσε δὲ Δαρδανίην, ἐπεὶ οὔπω Ἴλιος ἱρὴ
Ἐν πεδίῳ πεπόλιστο πόλις μερόπων ἀνθρώπων,
Ἀλλ' ἔθ' ὑπωρείας ᾤκεον πολυπιδάκου Ἴδης.
Dardaniam extruxit, nondũ quòd in æquore campi
Ilios extiterat, multis vrbs millibus aucta,
Irrigua sed adhuc fuerant sub montibus Idæ.

Quibus in versibus plurimùm Maro ab explanatione Platonis, & Strabonis recedere fortasse videatur: illi enim scribunt, post diluuium primùm homines summa montium insedisse cacumina, metu aliarum eluuionũ: deinde paulatim, terra iamicciore, in montium descendisse radices, ibique sibi domicilia parasse, eas enim
C esse *ὑπωρείας*: postremò campos occupasse, & secundũ fluuios sedes sibi legisse. At Maro *ὑπωρείας* valles imas interpretatus, nonnihil à poetæ Græci sententia deflexit, vt quis putaret: existimo tamen significari ab eo mõtium radices, vt Homerus scripsit. Turneb. lib. 4. cap. 11. * *In loco editiore ædificatam fuisse vrbem, facilè hinc colligitur, quod eos antè vallibus imis habitasse dicit. In vrbibus autem condendis valles omnimodis vitandas monent scriptores architectonici.*

CVLTRIX) montis Phrygiæ cultrix, in quo ipsa colitur. Sic Catull. de Pallade in car. de nupt. *Vnigenamque simul cultricem montis Itoni.*

CYBELE) ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν κεφαλῇ, à rotatione capitis, quod proprium erat eius sacerdotum, quidam deriuãt,
D teste Seruio.

CORYBANTIAQVE ÆRA) Corybantes Rheæ sacerdotes ἀπὸ τοῦ κρύπτειν dicti: propterea quod cũ Rhea partum, partusque dolores Saturnum filios suos deuorare solitum celare vellet, eos ad eam rem administros, & adiutores adhibebat: illi autem tympanorum pulsu cymbalorum sonitu, cornuum & tibiarum cantu partim Saturnum terrebant, partim Iouis vagientis, & Rheę parturientis vocem auertebant. Ex Lamb. in Hor. * *Recurre ad 4. Georg.* Curetum sonitus, crepitantiaque æra sequutę. *Horat. Ode. 16. lib. 1.* Sic geminant Corybantes æra. *De verbo corybantia, vide quid dicat Turneb. lib. 13. cap. 24.*

FIDA SILENTIA SACRIS) Tanquam in sacris Eleusinijs, siue Cereris. Vnde & Alcibiades mysterio-
E rum Cereris euulgatorum damnatus est: quæ ita *ἄρρητα*, & religiosa fuerunt, vt enuntiari ritus, cærimoniasue eorum nefas haberetur. Horum sacrorum reticẽtiam perstringit Aristoteles Ethicorum lib. 3. Æschylus autem, quod tragœdia quadam sacra Cereris enuntiasse populo visus esset, in theatro per tumultum prope discerptus fuit, non euasurus, nisi apud Areopagitas caussam dixisset, iuratusque; arcana ea esse, & ritum non reuelandi ignorasse se, affirmasset. Scilicet & Plutarch. libello *περὶ ἀδολεσχίας*, diuinum & mysticum quid docet esse silentium, & multas cærimonias taciturnitate peragi, his verbis: *Ἡμεῖς, οἶμαι, τοῦ μὲν λέγειν ἀνθρώπους, τοῦ δὲ σιωπᾶν θεοὺς διδασκάλους ἔχομεν, ἐν τελεταῖς, καὶ μυστηρίοις σιωπὴν παραλαμβάνοντες.* German. * *Omnino vendunt initiatis.*

inuitiatis, id est profanis, sacra aperire & enuntiare, nefas habebatur, & etiam praesertim, porrigere quae dicuntur. Vide formulas Brissonij pag. 3.

CVRRVM DOM. SVBIERE LEONES) *Vide lib. 6.* qualis Berecynthia mater Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes. *Ibi ex Lucretio eam mythologiam accipies nempe quid sibi velint omnia, quae huic deae a poetis attribuuntur. & insuper eiusdem varias appellationes.*) Plin. lib. 8. cap. 16. Primus Romae leones ad currum iunxit M. Antonius, & quidem ciuili bello, cũ dimicatum esset in Pharsalicis campis, non sine quodam ostento temporum, generosos spiritus iugum subire prodigio illo significante. Plutarchus autem in vita Ciceronis copiose recenset interitus eiusdem causas, quibus M. Antonius ad necem eum postulauit. Nulla tamen potior fuit, quàm quòd Cicero, cum sibi maximè esset opus, seruire tempori non potuerit. Actionibus enim Philippicis in senatu habitis, & publicatis, sic excanduit Antonius, vt inde omnem lapidem moueret, quò Cicero de medio tolleretur, id quod est factum. Hoc igitur existimat Alciatus insinuare inprimis voluisse Antonium, cum leones iunxit: se nimirum etiam fortissimum, sibique infestissimum domuisse. Emblema est 29.

Romanum postquam eloquium Cicerone perempto
Perdiderat patriae pestis acerba suae,
Inscendit victor currus, iunxitq; leones,
Compulit & durum colla subire iugum.
Magnanimos cessisse suis Antonius armis
Ambage hac cupiens significare duces.

De Antonino Heliogabalo sic a Lampridio proditum. Quaternos canes ad currum iunxit, eoq; modo vectatus est: sed & leones iunxit, Cybelen se appellans. De Firmo Imperatore, qui robustissimus est habitus, illud traditum litteris, eum fuisse vectum ingentibus struthionibus, adeò vt magis volare, quam gestari videretur. Crinit. lib. 16. cap. 10. * *Commentum de Atalanta. & Hippomene coniugibus, qui quòd in templo Cybeles, nulla deae veneratione, & intempestiua concitati Venere secreta coniugalia miscu-* A *issent, ab ea in leones conuersi sunt, & ad currum eius adiuncti, persecutum est Ouid. Metam. 10. Physicam allegoriam docet Fulgentius lib. 3. Ouidius sic:*

——— turritaq; mater
An Stygia sontes dubitauit mergeret vnda.
Poena leuis visa est. Ergò modò leuia fuluae
Colla iubae velant: digiti curuantur in vngues,
Ex humeris armi fiunt: in pectora totum
Pondus abit: summae cauda verruntur arenae.
Iram vultus habet: pro verbis murmura reddunt,
Pro thalamis celebrant syluas: alijsq; timendi
Dente premunt domito Cybeleia fraena leones.

DIVVM DVCVNT QVA IVSS. S) Puto huc accommodari posse prima illa disticha epigrammatis Ausonij ad Theodosium Imp. cui tanquam deo blanditur, in B quod peccatum haud scio an prae alijs scriptoribus poetae soleant incidere.

Agricolam si flaua Ceres dare semina terrae,
Gradiuum iubeat si capere arma ducem,
Soluere de portu classem Neptunus inermem,
Fidere tam fas est, quam dubitare nefas:
Insanum quamuis hyemet mare, crudaq; tellus
Seminibus, bello nec satis apta manus,
Nil dubites auctore bono. Mortalia quaerunt
Consilium: certus iussa capesse dei.

Haec eadem verba Anchisae prouerbij speciem habent, quibus ad complectendam in aliquo negotio, & exequendam exploratam dei voluntatem hortari quemcunq; licebit.

C PLACEMVS VENTOS) tanquam deos sacrificijs propitiemus. Lib. 2. *Sanguine placastis ventos.*

MODO IVPITER ADSIT) Vel caelum serenum, & bona tempestas, Iupiter enim est aer. Horat. *manet sub Ioue frigido Venator.* Vel reuera Iupiter, si fauerit videlicet, & nobis ventos miserit secundos. * *Hoc posterius malim: est enim pietati senis conueniens ita loqui. Satis quippe feliciter ventis nauis nauigat, quae deum habet nauigationis suae comitem.*

Sic fatus, meritos aris mactauit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo:
Nigram Hyemi pecudem, Zephyris faelicibus albam.
Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaq; littora Cretae,
Hoste vacare domos, sedesq; astare relictas.
Linquimus Ortygiae portus, pelagoq; volamus:
Bacchatamq; iugis Naxon, viridemq; Donysam,
Olearon, niueamq; Paron, sparsasq; per aequor
Cycladas, & crebris legimus freta consita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor:
Hortantur socij, Cretam, proauosq; petamus.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntes:
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.

MERITOS ARIS MACTAVIT HON.) Infrà dicetur de hoc loquendi modo, *meritos honores*, ad illum versum, *Numina magna vocat, meritosq; indicit honores.*

TAVRVM NEPT. TAVR. TIBI) Versus est Homeri. ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι. Quem Virgilius mutuatus est, non sanè rem parem, neq; similem fecit. Esse enim videtur Homeri simplicior, & sincerior: Virgilij autem πολυτελέστερος, & quodam quasi fermine immisso fucatior. Gell. lib. 13. cap. 25.

D Ταύρεος Neptunum quidam vocatum tradiderunt (vocatur autem ita apud Hesiodum, in Scuto Herculis) vel propter vndarum sonum, quae boum instar mugiunt: vel quia Neptunus taurina induebatur galea: vel quia ita eum Boeotij vocitabant à tauri sacrificio, quod illi erat institutum, de quo hic Maro. Pierius lib. 3.

PVLCHER APOLLO) Aptum Apollini epithetum, imberbi, & perpetua iuuenta florenti. Sic enim à poetis ad naturam solis respicientibus, fingitur: qui siue occidat, siue

dat, siue oriatur, nunquam senio frangitur. * *Si ideo pulcher Apollo, quia idem sol, iure dicitur profectò pulcher. Quid est enim, obsecro te, illo moderatore ac duce luminum cælestium pulchrius? adeo, vt multæ gentes etiam diuinitate illum impertiuerint. Deos formosos poeta quidam eleganter complexus est hisce carminibus.*

Forma Mercurius potest placere.
Forma conspiciendus est Apollo.
Formosus quoq; pingitur Lyæus.
Formosissimus omnium est Cupido.

NIGRAM HYEMI PECVD.) Tempestates, quæ à ventis excitantur, nigræ sunt, idcirco tempestatibus, & hyemi nigra pecus immolatur. Itaque Horat. ventos nigros, & Eurum nigrum appellauit, Ode 5. lib. 1. & Ode 19. Epod. Tempestates autem turbulentæ, & minus serenæ, fœdæ, & informes dicuntur. 1. Georg. *Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris.* Horat. Ode 10. lib. 2. *informes hyemes reducit Iupiter: idem Summanos.* Ex Lamb. in Horat.

Fecit quoque Horatius Tempestati, cum esset ritu Romana dea, agnam immolari, Ode 10. Epod. quæ eadem caussa fuit Virgilio.

Libidinosus immolabitur caper,
Atq; agna tempestatibus.

Aristoph. in Ranis.

Ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε,
Τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.
Agnam, nigrantem agnam pueri efferre volo vos,
Vortex enim erumpere procellosus parat.

ZEPHYRIS FELICIBVS ALBAM) Etiam venti pro dijs habiti, & culti sunt. Herodot. Polymnia, ait inter cætera, quæ ex oraculo Græci fecere ad arcendam, & expiandam deorum iram in Persarum descensu in Græciam, eos ventis aram in Thyra statuisse. Legimus & Phœnicem Visionem ventis templa posuisse, & illis sacra fecisse. Legimus & Augustum vota Circio fecisse vento, ne Galliam infestaret, & votum, sacrumque exsoluisse. Cuius venti plerumque tanta vis erat, vt tecta auferret. Plura Gyrald. Syntag. 5. in Æolo. Bono vsus est ordine, vt prius auerteret mala, deinde conciliaret optanda. frustra enim profutura poscuntur, aduersis sequentibus. Seruius.

FAMA VOLAT, PVLSVM REGNIS) Ad fidem oraculi accedebat occasio valde opportuna, quòd Idomeneus hostis Troianorum regno Cretæ cessisset, à populis expulsus. Itaq; fiebat, vt eo libentius nauigarent, & potiundi illius regni spe non exigua tenerentur. Nascimbæn.

Minois Cretensium regis filij fuerunt Deucalion, & Molus. Ex illo Idomeneus, ex hoc natus est Meriones. Cum nauibus 90. ad Troiam profecti sunt, reuersique postea, in patria diem suum obierunt: honorificeque sepulti, diuinos honores meruerunt. Sic Diodorus lib. 5. cap. 15. Pulsum tamen ait Virgilius. Quare pulsus? quia in reditu ab euersa Troia, cum tempestate affligeretur, vouit dijs, sacrificaturum se illis, quod sibi de reb' suæ domus primum occurrisset. Occurrit vnicus filius, quem cum aut immolasset, aut immolare voluisset, à populo regno pulsus dicitur. In hanc sententiã Seruius. * *Quid historia Iephta legistis vnquam tam simile? nisi quod ille idem vouit si bello, hic si e tempestate saluus domum rediret. Illi filia gratulabunda huic filius obuiam prodijt. Ibi mactabantur in sacrificanda filia (quia tamen solui potuisset) populus consensu approbauit: hunc contrà detestatus est.*

LINQ. ORTYG. PORTVS) Ouid. 3. Metamorph. etiam munera nominat quibus Anius rex abeuntes Anchisen, Æneam, Ascanium sit prosequutus. Atque ita quæ de donationibus Heleni in 3. scribuntur à Virgilio, ad Anium accommodat.

PELAGOQVE VOLAMVS) Ab auibus homines nauigare didicerunt, earum quasi volatum remigio in vndis imitantes. Alibi, *pelago volat velis carina.*

BACCHATAMQVE IVGIS NAXON) cuius iuga, siue colles vitibus admodum consiti sunt: vites autem in tutela Bacchi.

VIRIDEM DONYSAM) propter copiam pabuli. Olearon nullo ornat epitheto, varietatis gratia.

NIVEAMQVE PARON) Candidissimum est marmor Parium. Quare Paron insulam cohonestat adiuncto isto ad nomen significantissimo. Quid enim niue candidius?

SPARSASQVE PER ÆQVOR CYCLADAS) Cycladas autumant inde dictas, quia licet spatiis longioribus à Delo proiectæ, in orbem tamen circa Delum sitæ sunt: & orbem κύκλον Græci. Solinus cap. 17. Celebrem, inquit Strabo lib. 10. eam (Delum) fecerunt circumpositæ insulæ Cyclades, honoris caussa publicè mittentes qui sacra frequentarent, tum victimas, choros virginum, & sollennes ibi magnos agitantes conuentus. Ab initio XII. numerabantur: sed accesserunt plures. Artemidorus eas numerat, cum de Helena insula loquens: A Thorico, inquit, ea vsque ad Samium iuxta porrigitur longitudine LX. circiter stadiorum. Ab hac incipiunt Cyclades. Nominat deinde Ceon, vicinissimam Helenæ. Post hanc Cythnum, &c.

LEGIMVS FRETA CONSITA TERRIS) Hypallage est, pro, legimus, id est, prçternauigamus crebras terras fretis consitas. *Wir lassen vil Insel, vnd lender ligen.*

NAVTICVS EXOR. CLAMOR) Morem nautarum è portu soluentium exprimit, κέλευσμα dicunt.

PROSEQVITVR SVRGENS A PVPPI VENT.) Qui interrogabitur, quis sit ventus secundus, hoc carmen poterit pronuntiare. Surgere venti dicuntur, cum flare incipiunt, vt, *& fando surgentes demoror Austros.* Contrà, cum non flant, aut flare desierunt, dicuntur ponere, & residere, vt, *Cum venti posuere, omnisq; repente resedit Flatus.*

TANDEM) Ad desiderium pertinet nauigantium: nam sequitur, *Ergo auidus muros*, &c. Omnis enim mora longa cupientibus.

ANTIQ. CVR ORIS) Curetes sunt primi cultores Cretæ, ait Seruius. Infrà, *Ignariq; via Cyclopum allabimur oris.*

Ergo auidus muros optatæ molior vrbis,
Pergameamq; voco: & lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemq; attollere tectis.
Iamq; ferè sicco subductæ littore puppes:
Connubijs, aruisq; nouis operata iuuentus:
Iura, domosq; dabam: subitò cùm tabida membris,
Corrupto cæli tractu, miserandaq; venit

Arbori-

Arboribusq́;, satisq́; lues, & letifer annus.
LINQVEBANT DVLCES ANIMAS, AVT ÆGRA TRAHEBANT
CORPORA. tum steriles exurere Sirius agros.
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiæ, Phœbumq́; remenso
Hortatur pater ire mari, veniamq́; precari:
Quem fessis finem rebus ferat: vnde laborum
Tentare auxilium iubeat: quò vertere cursus.

ERGO AVIDVS) Auidus à non videndo propter nimiam cupiditatem: sicut amens, qui mentem suam non habet. Festus. Non auari, sed cupidi notantur hac voce. Lib. 1. Æneid. *Lætitiaq́, metuq́, auidi coniungere dextras Ardebant.* Lib. 12. *auidus confundere fœdus.* Horat. Ode 18. lib. 1. *Cum fas atq́, nefas exiguo fine libidinum Discernunt auidi.* Et saty. 4. lib. 1. *E quibus vnus amet quauis aspergere cunctos, Præter eum, qui præbet aquam.*

MVROS MOLIOR) è fundamentis educo, & fossa cingo. Liuius, moliri fundamenta. Noster lib. 1. *molirią́ arcem.* Principio libri, *classem molimur.*

PERGAMEAMQVE VOCO) Pergamum inter clarissimas Cretæ vrbes numeratam fuisse à veteribus, testatur Plin. lib. 4. cap. 12. Hanc nunc antiquitate, & origine sua donat poeta à Pergamis Troadis: quare ob nominis rationem suos socios lætos fuisse memorat. Monfortius.

HORTOR AMARE FOCOS) Seruius hunc versum ita exponit, vt de celebrandis sacris, domibusque ædificandis intelligendum velit. Mihi verò longè alia mens est, qui de priuatorum domibus, deq́; arce ædificanda intelligendum puto. Nam etsi focus pro sacrificio ob id quandoq́; ponitur, quia nullum fere sacrificium absque igne fiat: tamen pro priuata cuiusque domo accipi frequentiùs consueuit. Itaque Cicero focos patrios pro proprijs ædibus posuit in Rosciana: & pugnare pro aris & focis multis locis ab eo dictum est. Cum igitur Æneas vrbem designasset, eiq́; nomine imposito muros parasset, illa duo tantùm deesse videbantur, vt ciuitas priuatorum ædibus repleretur, & arce munitior, ab hostium impetu tutior fieret. Nam sacra, antequam vrbem conderent, κατὰ τὸ σιωπώμενον ab eo perfecta fuisse credendum est: cum veteres illi nihil, præsertim magnum, priùs vnquam facerent, quàm sacrificassent. Ideo paulo infrà Troiani, connubia celebraturi, sacra faciunt: inquit enim, *Connubijs, aruisq́, nouis operata iuuentus.* Quamobrem socios hortatur, vt focos ament, hoc est, vt quisq́; sibi domicilium paret, vnaq́; etiam arcem struendã aggrediantur. Sed & verbum *attollere* diligenter obseruandum est: nam cùm multa opera arcis ædificatio egeat, plus etiam significare poeta videtur in verbo *attollere*, quàm si tollere posuisset. Quod verò Seruius ait, *arcemq́, attollere tectis*, poetica periphrasi domos struere significari, caret exemplo. Quis vnquam bonus, primæq́; classis poeta arces attollere dixit, pro, domos ædificare? quod si ita esset, arces potiùs numero multitudinis, quam arcem dixisset: cum id & absq́; carminis incommodo facere posset, & non vnam domum, sed multas ædes ponendas admoneret. Nascimb.

Æneas hoc versu, *Hortor amare focos*, &c. hortatur socios ad procurandam rem & priuatam, & publicam. Focus laribus dicatus, est in ædibus veluti ara in templis. Ignis est quasi anima domus. In arce erat regia, sedes, inquam, principis, & templum dei, qui ciuitati præsideret. Hinc dicimus pro aris & focis pugnare, id est, pro rebus carissimis priuatis, & publicis, quibus patriæ salus continetur. *Hortor amare focos*, cum quadam caritate domos ædificare, vxores ducere, liberis operã dare, rem deniq́; familiarẽ cõstituere. Arx vero magnificentioribus ædificijs est extollenda. Modicius cap. 18.

SVBDVCTÆ PVPP.) Lib. 1. *subducere naues.* Contrarium est, deducere naues.

CONNVB. ARVISQVE NOVIS OPER.) Subductis nauibus, tanquam mansuri perfecerunt sacrificia propter connubia, & nouas sedes: quia apud veteres neq́; vxor duci, neq́; ager arari, nisi peractis sacrificijs poterat. Seruius. Operari est sacrificare. Virgil. 1. Georg. *Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.* Vide sis annotata. Brissonius lib. de ritu nuptiarum in hanc rem, de sacris, inquam, nuptialibus Senecam ex Octauia producit, dum Neroni nuberet.

Formam senatus, thura cum superis daret,
Sacraq́, grata spargeret aras mero
Velata summum flammeo tenus caput,
Et ipse lateri iunctus, atq́, hærens tuo
Sublimis inter ciuium læta omina
Incessit habitu, atque ore lætitiam gerens
Princeps superbo. Talis emersum freto
Spumante Peleus coniugem accepit Thetin.

Item Valer. ex lib. 8.

Inde vbi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Æsonides, vnaq́, adeunt: pariterq́, precari
Incipiunt, ignem Pollux, vndamq́, iugalem
Prætulit, vt dextrum pariter vertuntur in orbem.

DOMOSQVE DABAM) loca ædificandis domibus: aut ipsarum domorum iura.

SVBITO CVM TABIDA MEMB. CORRVP. CÆL. TRACTV) Quamobrem deus non soli aëri, sed terræ etiam mala adiunxerit, vt obesse possint, non prodesse tantùm, disertè docet Theodoret. de curat. græcar. affect. Serm. 3.

LINQVEB. DVLCES ANIM.) Georg. 3. *Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.*

STERIL. EXVR. SIRIVS AG.) Sed ecce securis, ac depositis curis omnibus, repentinam morbi calamitatem perniciosus attulit casus. Nam ex corruptione cæli lues exorta, contagionem inflixit diram, non tantum humanis corporibus, verum etiam arboribus, & his omnibus, quæ victus caussa fuerant. Aut moriebantur homines: aut corporibus tabe dissolutis, miserabilem vitam trahebant. Præterea caniculæ sidus ardoribus suis, agros exurendo, eos steriles faciebat, vt si quid etiam herbarum esset à lethifero aëris cõtactu purum, id æstu periret. Donatus.

De sidere, quod canis dicitur, multa eruditè disseruntur à Delrio Senecæ interprete, in 1. Actum Oedipi. Ætæi caniculæ ortum quotannis diligenter obseruabant, & inde salubrisne, an pestilens futurus esset

annus conijciebant. Si obscura, & caliginosa extitisset, pingue, ac concretum esse cælum, proinde eius afflatum grauem, ac pestilentem: si illustris, ac pellucida, cælum tenue, ac purum, futuramq; salubritatem præsagiebant. Pierius lib. 43. De eodem Iunius lib. 1. cap. 5. Item Lamb. in illud Horatij Ode 13. lib. 3. *Te flagrantis atrox hora caniculæ.* De huius sideris effectus Plin. lib. 2. cap. 40. Nam caniculæ exortu accendi solis vapores quis ignorat? Cuius sideris effectus amplissimi in terra sentiuntur. Feruent maria exoriente eo, feruent in cellis vina, mouentur stagna. Canes quidem toto eo spatio maximè in rabiem agi non est dubium. De ardore autem hoc cælesti etiam Manil. lib. 1. docens famem, & pestilentiam ab eo procreari:

Nunquam futilibus excanduit ignibus æther,
Squalidaq; elusi deplorant arua coloni,
Et steriles inter sulcos defessus arator
Ad iuga mœrentes cogit frustrata iuuencos.
Aut grauibus morbis, & lenta corpora tabe
Corripit exustis lethalis flamma medullis,
Tabentesq; rapit populos, totasq; per vrbes
Publica succensis peraguntur fata sepulcris.

SEGES ÆGRA) Seges hìc, & alibi ipsum agrum significat. Vide Georg. 1. *Quid faciat lætas segetes.*

AD ORACLVM ORTYGIÆ) Ortygiam, & Delum eandem esse dicunt multi. Ouid. *temporeq; fuit, quo nauit in vndis, Nunc sedet Ortygie.* Vbi apertè Ortygiam Delum vocat. Distinguuntur tamen ab Orpheo, & Homero, qui ambo, Dianam quidem in Ortygia, Apollinem vero in Delo editum aiunt. Homerus quidem sic.

Χαῖρε μάκαιρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα,
Ἀπόλλωνά τ' ἄνακτα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
Τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ.

Salue diua mihi Latona, quòd inclyta nixu
Pignora fusa tuo: dura regnator Apollo
In Delo, sed in Ortygia pharetrata Diana.

Strabo lib. 14. aliam quandam à Delo Ortygiam describit, vbi de nonnullorum sententia Dianam, & Apollinem natos esse confirmat.

B

QVEM FESSIS FINEM) Triplex petitio proponitur, ait Nascimb. Vt longis Troianorum erroribus modum faciat: vnde summam arguit Apollinis potestatem, quod ad eius beneuolentiam conciliandam multum conducit. Sic in 1. *quem das finem, rex magne, laborum.* Vt, vnde pestilentiæ huic remedium inuestigari possit, indicet. Vt sedis eorum perpetuæ locum demonstret.

FESSIS REBVS) fessorum rebus. In 1. dixit, *Ausus & afflictis melius confidere rebus.* Ibid. *Fessi rerum.*

Nox erat, & terris animalia somnus habebat:
Effigies sacræ diuûm, Phrygijq; penates,
Quos mecum à Troia, medijsq; ex ignibus vrbis
Extuleram, visi ante oculos astare iacentis
In somnis, multo manifesti lumine, quà se
Plena per insertas fundebat luna fenestras.
Tum sic affari, & curas his demere dictis.
QVOD TIBI DELATO ORTYGIAM DICTVRVS APOLLO EST,
HIC CANIT: & tua nos en vltro ad limina mittit.
Nos te Dardania incensa, tuaq; arma secuti:
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor:
Iidem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumq; vrbi dabimus: tu mœnia magnis
Magna para, longumq; fugæ ne linque laborem.
Mutandæ sedes, non hæc tibi littora suasit
Delius, aut Cretæ iussit considere Apollo.
Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ.
Oenotrij coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.
Hæ nobis propriæ sedes, hinc Dardanus ortus,
Iasiusq; pater, genus à quo principe nostrum.
Surge age, & hæc lætus longæuo dicta parenti
Haud dubitanda refer. Coritum, terrasq; require
Ausonias: Dictæa negat tibi Iupiter arua.

NOX ERAT ET T. AN. SOM. HAB.) Sic lib. 4. *Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem Corpora.* Et Horat. Ode 15. Epod. *Nox erat, & cælo fulgebat luna sereno.* Habere, & haberi multum discrepant. Habet somnus animantes, quoniam eas totas occupat, vt C mortuis similes faciat.

Rem verisimilem facit à tempore, & parte temporis. A tempore quidem, cum ait, *Nox erat.* A parte temporis, cum subdit, *& terris animalia somnus habebat:* nam conticinium designat, quo tempore omnia ferè

ferè animalia somnum capiunt. Hoc ferè temporis articulo apparent hominibus dij, ideo paulo pòst sequitur, *visi ante oculos astare iacentis In somnis.* Nascimb.

QVOS MECVM A TROIA MED) *De hoc lib. 2. Vbi Hector dormienti apparet, eumq́; ad fugam hortatur.*

Sacra, suosq; tibi commendat Troia penates.
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ deniq; ponto.
Sic ait, & manibus vittas, Vestamq; potentem,
Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.]

Deorum patriorum secundùm quietem oblatam speciem Æneæ in Italia, narrat ex historia vetere Dionysius, vnde & occasio hic Maroni fingendi fuit. Nam etsi alio tempore, & loco obuersatos Æneæ deos penates ait, tamen ex prisca historia hoc ipsum hausit. Turneb. 17. cap. 6.

PLENA LVNA) Cur in pestilentia lunæ plenæ mentionem fecerit, docet caussam Rhodigin. lib. 20. cap. 7.

PER INSERTAS FENEST) *Insertas* interpretor, quæ ædibus insertæ, & interpositæ erant, vt apud Lucretium. *cum solis lumina, cumq; Inserti infundunt radij per opaca domorum.* Inserti enim radij sunt, qui per domos inseruntur, & in eas subeunt, solisq; lumina spargunt. Turneb. lib. 4. cap. 22. Sed potius sequi debemus Lucret. in hac voce interpretationem, quam Seruij, aut ipsiusmet Turnebi, ait German. cum hic versus omnino ex illo Lucretij manârit. lib. 2.

Contemplator item, cum solis lumina, cumq;
Insertim fundunt radios per opaca domorum.

Quibus & adstipulari videtur illud Aristotelis lib. 1. de animo: *οἷον ἐν τῷ ἀέρι τὰ καλούμενα ξύσματα, ἃ φαίνεται ἐν ταῖς διὰ τῶν θυρίδων ἀκτῖσιν, ὧν τὴν πανσπερμίαν, στοιχεῖα λέγει ὅλης τῆς φύσεως.* Vt *insertas* accipiamus pro traiectas, & penetratis: vt pellucida corpora à lumine transmitti solent, aut corporibus luminosis, vt sole, & luna, quæ à fratre lumen mutuatur. Propert. lib. 1. *Donec diuersas percurrens luna fenestras.* * *Non eodem modo posteriorem Lucretij versum ambo legunt, vt vidisti. Ille* Inserti infundunt *hic.* Insertim fundunt *Erit ergo dictum per hypallagen, pro. luna plena inserta per fenestram, vt illud lib. 2.* lunaque luce per noctem obscurus in vlua Delitui.

TVM SIC AFFARI) In principio duæ simul monosyllabæ collocatæ, velut ab ipso fundamento tenorem stabiliunt, vt, *Quam tu vrbem soror hanc cernes? Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus.* In fine quoque id præstant, vt dactylicam aliquam proportionem contineant, ac maturent paulam, vt, *Dardaniumq; ducem Tyria Carthagine qui nunc. Manibusq; meis Mezentius hic est. Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me Deponas.* Iouian. Actio.

CVRAS HIS DEM. DICTIS) More suo Virgilius, qualis sit futura oratio, ab initio statim indicat. Est autem nunciatoria deorum penatium: cui vt maior fides habeatur, iussu Apollinis se nunciare dicunt. Sic infra Harpyia Celæno.

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.

Et quia adhuc dubitare poterat Æneas, ne falsa quadam imagine illusus fuisset, ideo præterquã quod in nimbo, magnoq; splendore apparuerant, seq; ei de facie cognoscendos præbuerant, quò eum magis securum reddant, circumstantijs quoq; non obscuris nomen suum profiteri, calamitates suas, illiusq; erga se beneficia recensere non dubitant: vtq; eum ad certam potentiæ, quietisq; spem erigant, se quoque optimè sperare demonstrant: acceptorumq; beneficiorum vsuram, ac maiore etiam cum fœnore, quod acceperunt, ei reddituros pollicentur. Nascimb.

TVAQVE ARMA SECVTI) imperium tuum, vel tanquam ad militiam te duce profecti. Supra: *Res Agamemnonias, victriciaq; arma secutus.*

IMPERIVMQVE VRBI DABIMVS) Alludit ad Romanorum imperium, & fortasse κατ᾽ ἐξοχὴν Augusti monarchiam designat.

MOENIA MAGNIS MAGNA PARA) Magnam vrbem magnis nepotib⁹ parare iubent. Nam quibus magnum, latumq; futurum erat imperium, illis quoque magna, amplaq; ciuitas cõuenire videbatur. Nascimb.

MVTANDÆ SEDES) A necessitate: vnde etiam Anchisen in interpretando Apollinis oraculo errore lapsum fuisse colligitur. Nascimb.

EST LOCVS, HESPERIAM) Quatuor hi versus positi sunt etiam lib. 1. in oratione Ilionei ad Reginam Didonem: illuc recurre. Describitur, & laudatur Italia à nomine, ab antiquitate indigenarum, à studio, & gloria rei militaris, à fertilitate soli, à maioribus Troianorum, qui inde in Phrygiam venerunt.

HINC DARDANVS ORTVS) Dardanus & Iasius fratres fuerunt, Electræ filij: sed Dardanus de Ioue, Iasius de Corito Tusciæ rege procreatus est, à cuius nomine & mons, & oppidum nomen accepit. Postea Iasium dicitur Dardanus occidisse. Seruius.

AQVO) A Dardano, non ab Iasio, nam anteriori respondet. Dardanus quippe ex Teucri filia Erichtonium genuit, is Troem, Tros Ilum, hic Laomedontem Priami patrem. Seruius.

HAVD DVBITANDA) ne propter somnium non crederet. *Haud dubitandum*, ab auctoribus pro certo, minimeq; ambiguo poni consuetum est. Apud Claudianum in 7. Panegyri reconditum, ac minimè vulgarem eius vsum obseruare licet.

Visa etiam medio populis mirantibus audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso
Languida.

Vbi *dubitanda nihil*, pro non parua, aut exigua accipitur: siquidem exilia, quæq; oculorũ aciem prope subterfugiunt, præ nimia exilitate dubitationem nobis afferre solent. Iunius lib. 1. cap. 7.

CORITVM) Designant partẽ prouinciæ, ne alter error procrectur ex magnitudine locorum. Seruius.

TERRAS AVSONIAS) Ab Ausone Vlyssis, & Calypsus, vel Vlyssis, & Circes filio, qui ibi regnauit. Serui.

DICTÆA ARVA) Dictæus mons Cretæ est, dictus à Dicte nympha, quæ illic colitur, in quo dicitur altus Iupiter, vt, *Dictaeo cœli regem pauere sub antro.* Seruius.

Talibus attonitus visis, ac voce deorum,
(Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus,
Velatasq; comas, præsentiaq; ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
Corripio è stratis corpus, tendoq; supinas

Ad cælum cum voce manus: & munera libo
Intemerata focis. perfecto lætus honore,
Anchisen facio certum, remq; ordine pando.
Agnouit prolem ambiguam, geminosq; parentes,
Seq; nouo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat. nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat.
(Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro,
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.)
Sed quis ad Hesperiæ venturos littora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moueret?
CEDAMVS PHOEBO, ET MONITI MELIORA SEQVAMVR.
Sic ait, & cuncti dictis paremus ouantes.
Hanc quoq; deserimus sedem, paucisq; relictis
Vela damus, vastumq; caua trabe currimus æquor.

ATTONITVS TAL. VISIS) in stuporem datus, & tanquam tonitru percussus, ac propemodum exanimatus. Attonitus est Latinis, quod Græcis ἐμβρόντητος, & ἐμβεβροντημένος, cuius mens aut ictu fulminis, aut incredibili eius pauore obstupescit. Vtrumq; vocabulum ad alia transfertur, & significat stupidum, atque impotentem animi. Lege Brodæum lib. 1. cap. 31.

NEC SOPOR ILLVD. E. S. COR. AG.) Silius lib. 3. vbi Mercurius secundùm quietem apparet Annibali, hortans eum ad petendam Italiam:

Hæc trepidus monstro (neq; enim sopor ille, nec alta
Vis aderat noctis, virgaq; fugante tenebras
Miscuerat lucem somno deus)

Declarat paraphrasi quadam, quid antea nomine visorum intellexerit, & occupat quod poterat obijci, vana esse somnia, nec illis habendam fidem.

VELATASQ. COMAS) Velatas comas exponi rectè video, vittatas, vt & velatis manibus est apud Plaut. Amphit. id est; cum velamentis, & vittis. Et velamenta apud Liuium, supplicū vittæ sunt. Turneb. lib. 4. c. 22.

TVM GEL. TOTO MAN. CORP. SVD.) Non philosophis modò, sed poetæ quoq; nostro cognitū erat, in grauissimis æstuationibus, timoribus, horroribusq; sudorem profluere frigidum &c. diximus alibi ex Rhodig. lib. 6. cap. 5.

Sudorem ijsse per artus dixit supra. *falsusq; per artus Sudor ijt.* Imitatus est Ennium, vt obseruat Macrob. lib. Saturnal. 6. cap. 1. *Tum timido ex omni manat mihi corpore sudor.* Valerius Æditus in epig. *Per pectus miserum manat: subitò mihi sudor.* Silius lib. 3.

Hic ægrum stimulis liquere deusq; soporq;,
It membris gelidus sudor, lætoq; pauore
Promissa euoluit somno, noctemq; retractat.

CORRIPIO E ST. CORPVS, TENDOQ. SVPINAS) Quam pius, quā alacer in obtemperando diuis Æneas? Lucret. lib. 3. *Corripere è somno corpus, mutareq; voltum.* Ibidem. *Quin correptus homo ex somno*, &c. lib. 4. dixit, *& corpus de terra corripere instant.* Ausonius Ephemeride, ad seruum etiamnum stertentem, sanè iocosè.

Surge nugator lacerande virgis,
Surge: ne longus tibi somnus, vnde
Non times, detur. rape membra molli
Parmeno lecto.

Idem voluit Sueton. in Nerone, cap. 41. Cum annotasset insculptum monumento militem Gallum, ab equite Romano oppressum trahi crinibus, ad eam speciem exiluit gaudio, cælumq; adorauit.

A

ET MVNERA LIBO INTEM. FOCIS) Silius.

Iamq; deûm regi, Martiq; sub omine fausto
Instauratur honos: niueoq; ante omnia tauro
Placatur meritis monstrator Cyllenius aris.

Intemerata se munera libare ait, id est, legitima ratione, & rite oblata.

PERFECTO HONORE) perfecto sacrificio, qui est honor deorum. Frequenter honoris nomine sacrificia appellat.

ANCHIS. FACIO CERT) pro, facio certum: oratores, facio certiorem.

B

REMQVE ORD. PANDO) *Pandere* verbum adhibent libenter poetæ. Virgil. lib. 6.

Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
Pandere res alta terra, & caligine mersas.

Idem lib. 7. *Pandite nunc Helicona deæ, cantusq; mouete.* Lucret. lib. 1. *& rerum primordia pandam.* Et alibi.

AGNOVIT PROLEM AMBIGVAM) Recordatione oraculi Cassandræ, Anchises errorem suum agnoscit, & fatetur, culpam incredulitatis suæ aliò transferens. *Ambiguam prolem*, non incertam, sed duplicem: sequitur enim, *geminosq; parentes*, Teucrum & Dardanum. Propter illum, de Creta falsò oraculum interpretatus est.

C

ILIACIS EXERCITE FATIS) Exercitum dicitur fatigatum, dictū ab exercito. Sallust. Iugurth. Nabdalsa exercito corpore. Plaut. Bacchid. *Quæ sodalem, atq; me exercitos habet.* Lucret. lib. 2. *Concilijs & dissidijs exercita crebris.* Apud Afranium, animi exercitus. Nonius. Adde, Cicero pro Milone. Quid enim nobis duobus, Iudices, laboriosius? quid magis sollicitum, magis exercitum dici, aut fingi potest? Liuius lib. 49. de Catone. Simultates multo plures & exercuerunt eum, & ipse exercuit eas. Horat. Ode 7. Epod. minus vsitatè dixit syrtes exercitatas Noto. Fatigatus autem reuera fuit Æneas toto decennali bello apud Troiam, & impensè exercitus.

CASVS CASSANDRA CANEBAT) Inter ea quæ duram & insuauem orationis cōpositionem efficiunt, vix quidquā est, quod magis reprehendatur à dicendi magistris, quàm crebra, & cōtinuata eiusdem litteræ repetitio. Itaq; tum hoc ipsum in Virgilio est obseruatum,

tum

tam in Terentio: *nactam, tam improuisam*. Et, *consilia consequi similia*. In Cicerone, statua tua stabat. Et, inuisæ visæ. Et in Cæliana, vnquam quanquam: eiusdemq; modi alia in alijs primæ classis auctoribus notantur. Muret. lib. 1. cap. 15. qui præterea duo insignia exēpla huius duræ compositionis, ex duobus optimis & præstantissimis poetis, Euripide, & Sophocle producit. In extremo cap. Ennianum illum decantatissimū ponit, *O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti*. Neque valde ab eo abludit, inquit, Homericum illud, *μηδὲ γέροντα μοῦ κομιόντα*.

Sed Turneb. lib. 7. cap. 19. postquam declarauit illud carmen Tullianū, *O fortunatam natam, me consule, Romam*: neque verò est, inquit, cur vel à Quintiliano. lib. 9. cap. 4., vel à Iuuenale Sat. 10. irrideatur hic versus ob iterationem earundem syllabarū. Hoc enim veteres in delicijs habebant, vt de Amicitia Cicero, etenim eo loco locati sumus: & Maro, *tales casus Cassandra canebat*. Hanc figuram posteritas fastidiuit, & ex suo fastidio ea, quæ de industria vt venusta affectauerant antiqui, aspernata est. Quæ tamen multis in rebus ineptius multò, & putidius lasciuijt, & lusit: vt meritò, in quibus se circūspicat, interdum à serijs, & intelligentibus irrideri queat.

GENERI PORTENDERE) portendi, est enim enallage generis.

QVEM TVM VAT. CASS. MO.) De Cassandra, cur eius vaticinijs non haberetur fides, diximus lib. 2. ibi,

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei iussu non vnquam credita Teucris,

Excusat igitur errorem suum Anchises per communē opinionem, quæ tum de prædictionibus huius virginis nulla erat. Sæpe autem multitudo errantium eundem errorem, ad purgationem valet. Sed errare, humanum est. In errore autem perseuerare, vbi manifestæ affulsit veritatis lumen, insipientis est.

CEDAM. PHOEBO, ET M. M.) Hoc versiculo, *Cedamus Phœbo*, &c. vti poterimus, quando veritate ad liquidum perspecta, erratum nostrum corrigimus. Cedere, ait Nonius, est obsequi. Sic lib. 2. *Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso*.

PAREMVS OVANTES) læti ab ouatione, de qua vide Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 17.

HANC QVOQVE) vt Thraciam deserueramus.

PAVCISQVE RELICTIS) ad inhabitandam nouam vrbem.

CAVA TRABE) Naui, *ὑπαλλαγμένως*. Sic Catullus in faselum. *Neq; vllius natantis impetum trabis Nequisse præterire*. Horat. Odes. lib. 1. *aut trabe Cypria Myrthoum pauidus nauta secet mare*. Ouid. lib. 1. de Ponto, eleg. 4. *Quo duce trabs Colcha, sacra cucurrit, aqua*. Iuuenal. Sat. 14. *Est plenum magnis trabibus mare*. Persius Sat. 1. *cantas, cum fracta te in trabe pictum Ex humero portas*. Id est, tuam calamitatem & naufragium in tabula. Eandem vim habet principium politissimi poëmatis de nupt. Pelei, & Thetidis apud Catull.

Peliaco quondam prognata vertice pinus,
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas.

CVRRIMVS AQVOR) Currere & cursus etiam in nauigatione habent quoddam suum domicilium, vt loquitur ad Tironem Cicero. Sic in calce huius libri. *Fata renarrabat diuūm, cursusq; docebat*: vt alia huius nostri exempla taceam. Horat. Ode 28. lib. 1.

At tu nauta vaga ne parce malignus arenæ,
Quanquam festinas, non est mora longa: licebit,
Iniecto ter puluere, curras.

Ouidius prædicans quandam nauim suam.

Siue opus est velis, minimam bene currit ad auram,
Siue opus est remis, remige currit iter.
Nec comites volucri contenta est vincere cursu,
Occupat egressas quamlibet ante rates.

Catull. de nupt. *Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten*. Cic. 3. de natur deor. Dionysius cum secundissimo vento cursum teneret. Cæsar. de bello Gall. lib. 5. Ad solis occasum naues soluit, & leni Africo prouectus, media circiter nocte vento intermisso cursum non tenuit. Non enim tantummodo de nauigatione, sed de prospera nauigatione vsurpatur, ac de nauibus, quæ aduersa tempestate à portu destinato non reijciūtur, seu quæ haud quaquam aliò depulsæ, in portum, stationemúe destinatam rectà appelluntur, & pleno subeunt ostia velo. Cursum tenere etiam non inuenuste ad vitam transfertur, siue à nauigatione, siue à circo. Cic. 1. de Orat. perbeati fuisse illi videri solent, qui in opt. Repub. cum & honoribus, & rerum gestarum gloria florerent, eum vitæ cursum tenere potuerunt, vt vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. Idem epist. lib. 1. Hic meæ vitæ cursus offendit eos fortasse, qui splendorem, & speciem huius vitæ intuentur. Philipp. 14. Magnus est in repub. campus, vt sapienter dicere solebat Crassus, multis apertus cursus ad laudem. Satis iam vim huius verbi perceptam arbitror, & latinarum elegantiarum sitientibus, etiam multa in vnam rem auctorum testimonia, non multa videri solere perspectum habeo.

Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius vllæ
Apparent terræ, CÆLVM VNDIQVE ET VNDIQVE PONTVS:
Tum mihi cæruleus supra caput astitit imber,
Noctē, hyememq; ferens: & inhorruit vnda tenebris.
Continuò venti voluunt mare, magnaq; surgunt
Æquora: dispersi iactamur gurgite vasto.
Inuoluere diem nimbi, & nox humida cælum
Abstulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, & cæcis erramus in vndis.
Ipse diem, noctemq; negat discernere cælo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in vnda.
Tres adeo incertos cæca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

Quarto terra die primùm se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, ac voluere fumum.
Vela cadunt, remis insurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.
Seruatum ex vndis, Strophadum me littora primùm
Accipiunt.

POSTQVAM ALTVM TEN. RAT.) Ex Homero A Odyss. μ.

> Ἀλλ' ὅτε δὴ τὴν νῆσον ἐλείπομεν, οὐδέ τις ἄλλη
> φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα,
> δὴ τότε κυανέην νεφέλην ἔστησε Κρονίων
> νηὸς ὕπερ γλαφυρῆς, ἤχλυσε δὲ πόντος ὑπ' αὐτῆς.

Lucret. lib. 4. *Quippe vbi nil aliud, nisi aquam, cælumq; tuemur.* Vrsin. Sequitur tempestatis pulcherrima descriptio, cuius diuersa membra, ac singula pœne verba pedum, syllabarumq; celeritati accommodata, nascentis tempestatis velocitatem κατ' ὑποτύπωσιν ita exprimunt, vt ob oculos legentium fieri videatur. Nascimb.

CÆRVLEVS IMBER) ater, cæruleum enim accedit ad nigrum, vnde pro nigro seu atro accipitur.

NOCTEM, HYEMEMQVE FERENS) caliginem cum procella, seu tempestate. Sic lib. 5. vbi similiter narratio est cuiusdam tempestatis. *Noctem, hyememq; ferens.*

IACTAMVR GVRGITE VASTO) Recurre ad 1. Æneid. *Apparent rari nantes in gurgite vasto.*

NOX HVMIDA) nubes caliginosæ.

ABRVPTIS NVBIBVS IGNES) Quod vulgo in Virgilianis codicibus legitur *abruptis*, antiqua exemplaria docent legendum, abrupti. Lucret. lib. 2. *Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes Concursant.* Sic Græci ἀπορρῶγας, id est, ignem abscissum, & qui nubibus scissis erupit, quod notat Turneb. lib. 5. cap. 27. Lambinus in Lucret.

EXCVTIMVR CVRSV) vi tempestatis à proposito itinere auertimur.

TRES ADEO INCERTOS) A diuturnitate temporis tempestatem exaggerat. Est autẽ locus ex 9. Odyss. petitus, vbi Vlysses consimili ferme tempestate vexatus describitur, dum ad Lotophagos nauigaret. Hoc differunt, quod Vlysses nouem dies se tempestate iactatũ, decimo ad Lotophagos peruenisse: hic verò tres dies se fluctib⁹, in maximis tenebris agitatum, quarto verò die ad Strophades insulas appulsum fuisse, cõmemorat. Nascimb.

Magnum videtur Æneæ, toto triduo tempestatem pertulisse. At ille in Hecyra dies triginta, & amplius.

> Dies triginta, aut plus eo in naui fui,
> Cum interea semper mortem exspectabam miser:
> Ita vsq; aduersa tempestate vsi sumus.

CÆCA CALIGINE SOLES) Cacemphaton est, nam quę vltima primi verbi, ca eadem prima sequentis, *caligine*. Idem vitium commissum lib. 2. *Et Dorica castra.* Lib. 1. *numerum cum nauibus æquat.* Vetat hoc fieri Quintil. lib. 9. cap. 4. Sed illud κακέμφατον præcipuè vitiosum est, cum syllabæ ita concurrentes, alicuius rei fœdæ significationem efficiunt, vt in prioribus duobus exemplis. Atque vt hic Virgilius tres soles dixit, pro tres dies, effectorem scilicet, seu causam pro ipso effecto nominans, ita Lucret. lib. 6. *Nec tamen omnino temere illis solibus vlla Comparebat auis.* Nec multum dissimiliter B suprà, idem, nempe eodem lib.

> *Octauoq; ferè candenti lumine solis,*
> *Aut etiam nona reddebant lampade vitam.*

Persius Sat. 5. *Tecum etenim longos memini consumere soles.* Sic in quodam epitaphio 3. Anthol. in adolescentulũ qui vixit supra decimum quintum annum dies 24. tantũ. τετράκις ἓξ μόνας ἤλασεν ἠελίους. Et Sappho de semet. eod. lib. οὐδέ τι ἴσαι τῶν ἀελίου ἑπτὰ τόσσων ἐλειπόμ. Quod hic tribus verbis, infrà sub finem libri tribus versibus, elegantissima periphrasi elatum habes.

> *Nam neq; erant astrorum ignes, nec lucidus æthra*
> *Siderea polus, obscuro sed nubila cælo,*
> *Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.*

C Contraria sunt, nox sideribus illustris, quo crebriùs Tacitum vti deprehendas in Annal., & sublustris. ✠

TERRA SE ATTOLLERE) Naturaliter dixit: quoties enim appropinquamus littoribus, exurgere terra videtur, & fumum emittere. Seruius.

ADNIXI TORQ. S. E. C. VER.) Ipsa versus tarditate ex tot spondeis laborem magnũ remigantium expressit: & sæpe numeros rebus ipsis, quod ingenij est, accommodat. Qua de re præcipimus in poeticis nostris Institut. lib. 2. cap. 9. ✠

SERVATVM EX VNDIS) Liberatum præsenti periculo naufragij. De nautis & oleastro lib. 12. *Seruati ex vndis vbi figere dona solebant.*

——— Strophades Graio stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno: quas dira Celæno,
Harpyiæq; colunt aliæ: Phineïa postquam
Clausa domus, mensasq; metu liquere priores.
TRISTIVS HAVD ILLIS MONSTRVM, NEC SÆVIOR VLLA
PESTIS, & ira deûm stygijs sese extulit vndis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluuies, vncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.
Huc vbi delati portus intrauimus, ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenumq; pecus, nullo custode, per herbam.

Irrui-

Irruimus ferro, & diuos, ipsumq; vocamus
In prædam, partemq; Iouem. tunc littore curuo
Extruimusq; toros, dapibusq; epulamur opimis.

STROPHADES GRAIO STANT NOM.) Phineus A Thraciæ, seu Arcadiæ rex, filios duos ex Cleopatra susceptos, nouercæ Harpalices criminatione inductus, oculis orbauit. Deinde consilia deorũ euulgauit. Quare ipse vicissim à Ioue oculis multatus est: insuper appositæ misero Harpyiæ, quæ cibos ei ab ore raperent. Has in insulas Plotas fugarunt Zethus, & Calais pennati iuuenes, Aquilonis & Orithyiæ filij inter Argonautas, propterea quod ipsis Argonautis, iter demonstrauerat. Tum ab Iride admoniti sunt, ne Iouis canes vltra persequerẽtur. Reuersi sunt igitur in Arcadiam, à qua reuersione Strophades. De eodem Phineo vide Apollodorũ lib. 1. vbi etiam de Harpyis eadem prorsus quæ hic disseruntur. Adi præterea Diodorum lib. 4. cap. 4. Palæphatus μυθολογικῶς ait eiusdem fuisse filias duas, quæ patre sene & cæco, mortuo iam fratre, dona facultatesque paternas dissiparunt: quas miserti duo vicini illius, Zethus, & Calais cuiusdam Boreæ filij coërcuerint. Phineum cum socijs Harpyijs imaginem auari vult esse Fulgent. lib. 3. in extremo.

TRISTIVS HAVD ILLIS MONSTRVM) Triste nonnunquam iratum, mali ominis, & minax significat, vt notat Nonius. Ouid. tristia omina, item Liuius noster lib. 5. triste augurium, Liuius triste prodigium.

VENTRIS PROLVVIES) Lucretius lib. 5. *quibus exibant humore fluenta Lubrica, proluuie larga lauere humida saxa.* Et lib. 6. *Vlceribus tetris, & nigra proluuie alui.* Alui profusionem, profluuium vocat Celsus. Idem sic loqui consueuit, venter fluit, profluit, fluor ventris. Cicero Græca voce διάῤῥοιαν appellat. Et notanda est locutio. Sic enim ait epist. 26. lib. 7. In eas (fungos, heluellas, herbas bene conditas) cum incidissem in cœna augurali apud Lentulum, tanta me διάῤῥοια arripuit, vt hodie primùm videatur cœpisse consistere. Dignum etiam animaduersione, quod à Celso lib. 4. de ista profusione ventris, nullo medicamento, sed sponte sua proueniente traditum est. Vno die fluere aluum, sæpe pro medicina est, atque etiam pluribus, dum febris absit, & intra septimum diem conquiescat. Purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, vtiliter effunditur. Verùm spatium perniciosum est.

Futilem loquacitatem, merisque nugis diffluens colloquium, λογοδιάῤῥοιαν cum Athenæo dicemus, velut quandam verborum proluuiem. Est autem apud Medicos διάῤῥοια copiosum alui profluuium, ex concoctionis impotentia solitum nasci vitium, quomodo garruli verba non cócocta temere effutiunt. Athenæus lib. 4. ὑπὸ λογοδιαῤῥοίας ἐνοχλούμενοι, quos agitat verborũ proluuies. Iunius Cent. 4. num. 28.

Plura significata ventris annotat Alciat. Parerg. lib. 6. cap. 7. μετωνυμικῶς plerunq; accipiunt pro fœtu, qui in ventre continetur. Vnde Rubrica præt. Si mulier ventris nomine in possessionem missa sit. Sic dicimus, instituit ventrem, exhæredauit, in possessionem missit, & similia. Quo modo loquendi etiam Cicero vtitur. Quandoq; μεταφορικῶς. Alphenus, paries ita ventrem faciebat, vt in vicini domum semipedem, aut amplius procumberet: non licet ei ita protectum habere, &c. Videtur Plautus accepisse in Trinummo μεταληπτικῶς, apud quem, cum filius absente patre vendidisset domũ, & pecuniam ventri, gulæque consumptam tulisset, vicinus senex ait:

Pol, opinor, affinis noster aedes vendidit:
Pater cum peregre aduenerit, in porta est locus:
Nisi fortè in ventrem filio correpserit.

Accipitur sæpius ἀκύρως, vt cum dicimus, alicui dolere ventrem. Difficile aiebat esse Cato, ad ventrem verba facere, qui caret auribus. Hæc ex Alciato. * *Super est vero medorum peculiaris, de qua supra nonnihil. Ad eam pertinent hæc quoq; loquendi genera, quæ explicatione opus non habent. Hoc aut aliud ventrem astringet, resoluet. Vbi venter suppressus parum reddit. Ventrem solutum vomitus comprimet, compressum soluit. Impetum ventris prohibere. Venter resolutus, liquidus. Ventrem soluere. Venter nihil, aut tardè respondet. Cibo vti ventrem contrahentibus. Fluor ventris. Nemo miretur, si in scriptis medicorum tam crebra alui mentio, quoniam nisi ea rectè habuerit, desperanda est omnis omnium curationum efficacia.*

B Vsurpantur autem Harpyiæ pro nequissimis mulieribus μεταφορικῶς ab Apuleio. Sunt qui scribant eas ideò virgines fingi, quòd omnis rapina arida sit, ac sterilis. Ideo plumis circumdatas, quòd quidquid innascit rapina, celat. Volatiles autem, quòd omnis rapina ad volandum sit celerrima: dicitur enim Aello, quasi ἑλὼν ἄλλο, id est alienum tollens. Ocypete, citiùs auferens. Cælenum verò Græci nigrum vocant. Quæ omnia id demum significare cognoscimus, quòd aliena cõcupiscimus primò, mox expetita inuadimus, postremò inuenta semel abscondimus, illatebramusq;. Sed & ipsum Harpyiarum nomen inditum à rapacitate videtur: siquidem eo nomine indicatur Græcis rapina. Vnde & Harpax in Pseudoli argumento. Apud eundem, Plautũ C inquam, harpagare verbum est. Sunt qui putent tribus Harpyijs addi ab Homero quartam, nomine Thyellam. Fulgentius mythol. lib. 1. Rhodigin. lib. 29. cap. 27.

VNCÆQVE MANVS) Manus, pro vnguibus. Græcè γαμψώνυχες.

ET PALLIDA SEMPER ORA FAME) De fame vehementi, quam Græci βούλιμον, & βούπειναν dicunt, lege eruditam dissertationem Magij lib. 2. cap. 1. Famem porrò ingeniosè, luculenterq; depingit lib. 8. Metam. Versus recitabo animi gratia.

Quæsitamq; Famem lapidoso vidit in agro,
Vnguibus, & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,
D *Labra incana situ, scabri rubigine dentes.*
Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incuruis extabant arida lumbis:
Ventris erat prò ventre locus: pendere putares
Pectus, & à spina tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumq; tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

Iam famem inexsaturabilem, & illam plusquã caninam appetentiam quemadmodum ante oculos ponat in Erisichthone, operæ pretium erit cognoscere.

—— petit ille dapes sub imagine somni:
Oraq; vana mouet, dentemq; in dente fatigat,
Exercetq; cibum delusum, guttur inani:
E *Proq; epulis tenues nequidquam deuorat auras.*
Vt vero est expulsa quies, furit ardor edendi:
Perq; auidas fauces, immensaq; viscera regnat.
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aer,
Poscit, & appositis queritur ieiunia mensis,
Inq; epulis epulas quærit: quodq; vrbibus esse,
Quodq; satis poterat populo, non sufficit vni,
Pluraq; cupit, quò plura suam demisit in aluum.
Vtq; fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosq; ebibit amnes:

Vtq; rapax ignis non vnquam alimenta recusat,
Innumerasq; faces cremat, & quo copia maior
Est data, plura cupit, turbaq; voracior ipsa est:
Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani
Accipiunt, poscuntq; simul: cibus omnis in illo
Caussa cibi est, semperq; locus fit inanis edendi.

HVC VBI DELATI) Homerus Odyssex μ. Solis gregem à socijs Vlyssis violatum narrat, quem hic noster sequitur.

CAPRIG. PECVS) Epthetum hoc ex Pacuuio, & Attio sumpsit. Ille in Paulo. *Quamuis caprigeno generi grandior gressio est.* Hic in Philoctete, *Caprigenûm trisu vngulis.* Idem in Minotauro dixit, *tauriguenoq; semine ortu.* Macrob. lib. 6. cap. 5.

IN PRÆD. PARTEMQVE IOVEM) In partem vocare, iuris verbum est, pro, participem facere, & partiariũ admittere. Cic. pro Cæcina. Mulieres in partem vocatæ sunt. Nam & de præda dijs immolabant, & partes etiã

A quasdam eis interdum suspendebant de tholo, & consecrabant, vt Dianæ aprorum capita, & ceruorum. Maro Eclog. 7.

Setosi caput hoc apri tibi, Delia, paruus,
Et ramosa Mycon viuacis cornua cerui.

Ex lib. 9. *si qua ipse meis venatibus auxi, Suspendiue tholo, aut sacra ad fastigia fixi.* Turneb. lib. 4. cap. 22.

Romanis, inquit Seruius, mos fuit, vt bella gesturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur, adeò vt Romæ fuerit vnum templum Iouis Prædatoris, non quòd prædæ præesset: sed quòd ei aliquid ex præda deberetur. Videtur itaq; huc respexisse Virgilius, quemadmodum ad alia Romana alibi. *In partem prædamq;*
B pro, in partem prædæ, vt, *molemq; & montes insuper altos,* & alia multa similia, ἓν διὰ δυοῖν.

EXTRVIMVSQVE TOROS) lectos ex herbis intortis. De varia notione vocis torus, alibi me dicere commemini.

At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas:
Diripiuntq; dapes, contactuq; omnia fœdant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cauata,
Arboribus clausi circum, atq; horrentibus vmbris
Instruimus mensas, arisq; reponimus ignem.
Rursum ex diuerso cæli, cæcisq; latebris,
Turba sonans prædam pedibus circumuolat vncis,
Polluit ore dapes. socijs tunc arma capessant
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus, ac iussi, faciunt, tectosq; per herbam
Disponunt enses, & scuta latentia condunt.
Ergo, vbi delapsæ sonitum per curua dedere
Littora, dat signum specula Misenus ab alta
Ære cauo: inuadunt socij, & noua prælia tentant,
Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neq; vim plumis vllam, nec vulnera tergo
Accipiunt: celeriq; fuga sub sidera lapsæ,
Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt.

AT SVBITÆ HORRIF.) Vulgati codices *subitæ* legunt. C Subitò autem recipi posset, nisi grauiter aures offenderet, quarum iudicium, vt inquit Cicero, superbissimum est. Versus est Apollonij, præter quod ille de nubibus, id est, ἐκ νεφέων, hic verò de montibus lapsas dicit. Qua in re copiosior quoque fuit Apollonius, qui lapsum Harpyiarum eleganti comparatione ex subita tempestate, improuisoq; fulgore deducta ornauit. Virgilius, quia de montibus venisse dixit, comparationem fulminis, aut tempestatis, quæ ex aere, seu ex nubibus veniunt, apponendam non existimauit. Sic igitur Apollonius.

Ἀλλὰ διὰ νεφέων ἄφνω πέλας ἀΐσσουσαι
Ἅρπυιαι στόματος, χειρῶν τ' ἀπὸ γαμφηλῇσι
Συνεχέως ἥρπαζον, &c.

Nascimb.

HORRIFICO LAPSV) Infrà, *celeriq; fuga sub sidera lapsæ.* De columba lib. 5. *mox aere lapsa quieto Radit iter liquidum, celeres neq; commouet alas.*

RVRSVM IN SECESSV) Iterum harpyiarum ingluuiem considerandam proponit. Nihil tam tutum, tam remotum, & abditum esse potuit quod earum rapinis non esset expositum. *Rursum,* ad illud solum pertinet, *Instruimus mensas.* nam ante in speluncis non fuerant.

ARBORIBVS CLAVS. ATQVE HOR. VMB.) arborum, & syluarum vmbris.

ARISQVE REPON. IGNEM) Cur aris reponunt ignem? quia dictum, *In partem prædamq; Iouem,* cui sua illa pars adolebatur.

EX DIVERSO CÆLI, CÆCISQVE) è secreto montium loco. Ex diuerso tractu, regione.

D TVRBA SONANS) Si tres, quomodo turba? Soluitur. Figura ἔμφασις est: impetum enim earum ostendit: & alludit ad furias, de quibus alibi, *vocat agmina sæua sororum.* Sic statim gentem nominat. Seruius.

PEDIB. CIRCVMVOL. VNCIS) complectitur, surripit, à vola, vnde & inuolare est.

TECT. PER HERB. DISP. EN) Tectos per herbam disponunt enses, id est, disponendo tegunt, seu disponunt, & tegunt, vt ex inopinato eas inuadant. Sic, *scuta latentia condunt*, id est, condendo latere faciunt. Datur signum prælij ineundi à Miseno, cuius mors celebratur lib. 6.

NOVA PRÆLIA) Vel quia pugnare aduersum Harpyias rarum, ac inusitatum est: vel sibi noua, & inusitata, & insueta: vel quia vulnerari non poterant: vel noua, id est, magna.

OBSCOENAS VOLVCRES) Appellantur obscœnæ aues, quæ canendo aduersa significant. Ita quo- A que Festus docet, obscœna antiquis dici, quæ mali ominis sunt. Rectius, si simpliciter (propter fœditatem & diritatem illarum) accipias.

PELAGI VOLVCRES) quia dicuntur Ponti, & Terræ filiæ: vnde insulas habitant, partem terræ, partem maris tenentes. Seruius.

SED NEQVE VIM PLVM) Vim, aut vulnera non accipiunt, plumarum leuore, & raritate ictum eludente. Cedunt rara omnia, densa resistunt, faciliusq; plagam accipiunt.

VESTIGIA FOEDA) Propter ventris proluuiem. Suprà, *contactuq; omnia fœdant Immundo.*

Vna in præcelsa consedit rupe Celæno,
Infelix vates: rupitq; hanc pectore vocem.
Bellum etiam pro cæde boum, stratisq; iuuencis,
Laomedontiadæ, bellúmne inferre paratis?
Et patrio insontes Harpyias pellere regno?
Accipite ergo, animis atq; hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis: ventisq; vocatis
Ibitis Italiam, portusq; intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus vrbem:
Quàm vos dira fames, nostræq; iniuria cædis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit, & in syluam pennis ablata refugit.
At socijs subita gelidus formidine sanguis
Diriguit: cecidere animi, nec iam amplius armis,
Sed votis, precibusq; iubent exposcere pacem:
Siue deæ, seu sint diræ, obscœnaq; volucres.

VNA IN PRÆCELSA) In præcelsa rupe consedit, quoniam viderat parari armorum violentiam.

INFÆLIX VATES) Nuntia infælicitatis, vt Homerus μάντι κακῶν. Agamemno Calchantem compellat, à quo de pestilentia magis per exercitum magisq; vulganda audierat, nisi sacerdoti filiam redderet, quod minimè volebat. Infelix vates erat etiam Micheas Ioram regi Israelis, de quo ipse ad Iosaphat regem Iuda lib. 3. Reg. cap. 22. sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. ✻

RVPIT VOCEM) quia cum indignatione loquitur. Epitaphio quodam lib. 3. de cantatrice. ὁ θεῖον αὐδᾶς μοῦνον ... ἔσβεσεν.

BELLVM ETIAM PRO CÆDE) Abruptum exord. & cum stomacho. Continent hæc omnia expostulationem de accepta iniuria, & damno. Exaggeratur crimen. Insuper bellum infertis, & quod indignius est, conamini nos patrio regno pellere. Postremò minatur talionem. Et ne tanquam vana repudietur, à Iouis & Apollinis auctoritate confirmat.

LAOMEDONTIADÆ) Id est perfidi, à rege natum opprobrium, qui deos fefellit, & promissa eos mercede fraudauit.

PATRIO REGNO) propter earum originem, quia Ponti filiæ.

ANIMIS MEA FIGITE DICTA) Par, vel maior etiam emphasis est in illis, inscribere, insculpere ani- B mis. De eiusmodi rebus nimirum, quarum nos perpetuò memores esse conuenit. Cic. pro Cornel. Balbo. postremò, illud fixũ in animis vestris tenetote, vos, &c. Et epist. 35. lib. 10. Quæ perpetuo animo meo fixa manebunt. Dido in 4. *Si mihi non animo fixum, immotumq; sederet.* ✻

QVÆ PHOEBO PATER OMNIPOTENS) Sicut hic Phœbus ex oraculis Iouis, venturorum cognitionem illi dictantis, prædicere hominibus futura inducitur, sic apud Euripidem Oreste Glaucus Anthedonius ex Nerei vaticinio prædicit Menelao, quid suis acciderit, vbi ipsum appellat Νηρέως προφήτην. Istud sonat Græcis ὑποφήτης, & προφήτης, hoc est, effator, & oraculorum
C enuntiator, quemadmodum de Apolline dixit Æschyl.

Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός.
Apollo dicta patris effatur Iouis.

Iunius lib. 4. cap. 22.

Etiam in hoc Æschylum secutus est, qui in fabula, quæ Latinè Sacerdotes inscribitur, sic ait:

Στέλλειν ὅπως τάχιστα, ταῦτα γὰρ πατὴρ
Ζεὺς ἐγκαθίησι Λοξίᾳ θεσπίσματα.
Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός.

Ecquid clarum factum, inde sumpsisse Virgilium, quod Apollo ea vaticinetur, quæ sibi Iupiter fatur? Macrob. lib. 5. Saturnal. cap. 22.

Est autem gradatio, quæ Græcis κλῖμαξ dicitur, vt in Bucol. *Torua leæna lupũ sequitur, lupus ipse capellam.* Sic apud Horat. epist. 19. lib. 1.

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram,
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Nascimbæn.

VENTISQVE VOCAT. IB. ITAL.) A prosperis, fælicibusq; vaticinium inchoat, vt in aduersis, tristibusque prædicendis fidem sibi compararet. Prius certè, quam vrbem in Italia condiderunt, mensas absumpserunt, vt est in 7. Æneid. *Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus.* Et hic autem, & ibi paniceì orbiculi intelliguntur, quos subiecerunt dapibus. Hac de re pluribus Dionysius Halicarnass. lib. 1. Nascimb.

SVBIGAT MAL. ABSVM. MENSAS) Subigat, pro, cogat. Sic lib. 6. *castigatq́, auditq́, dolos, subigitq́, fateri.* Georg. 1. est colere. *Ante Iouem nulli subigebant arua coloni.* Aliquando est acuere, vt lib. 7. *subiguntq́, in cote secures.* Famem hanc, & de mensis absumendis Dionysius ait, prædicta Æneæ apud Dodonam, aut in Erythris Idæ viculo, à Sibylla quadam eius loci nympha, & fatidica.

ET IN SYLVAM. P. A. REF.) Non ex metu, non enim id minanti conueniret: sed citò auolauit, ne placari posset à Troianis, neu per preces ira mitigaretur.

AT SOCIIS SVBITA) Suprà, *gelidusq́, coit formidine sanguis.* Vsqueadeo conciderant metu sociorum animi, vt affectu bellandi reiecto, censerent fundendas preces offensis, & vota facienda, vt placarentur, & veniam reis darent. Nec cogitandum in tali caussa, quæ essent auctores dictorum talium, sed qualia dicta sint. Siue enim essent deæ, siue monstrosæ volucres, respiciendum non esse, dummodo fierent ea, quibus imminentia mala remoueri possent. Donatus.

CECIDERE ANIMI) Propert. *cecidit spiritus ille tuus.* Cic. epist. 1. lib. 6. non debemus ita cadere animis, quasi aliquid euenerit, quod fieri posse nunquam putauerimus.

VOTIS PRECIBVSQVE IVBENT EXPOSCERE PACEM) Greci tam precationes, quam vota communi vocabulo εὐχὰς appellant. Valer. tamen Max. lib. 1. cap. 1. vota sic à precationibus distinguit, vt dicat, veteres, cum aliquid exposcendum erat, voto, cum commendandum, precatione vsos. Quo exposcendi verbo prisci auctores non raro hac in re vtuntur, vt hic Virgilius. Et Ouid. 9. Metam. *Cogor opemq́, tuam timidis exposcere votis.* Liuius lib. 1. in Romulo. Pacem precibus exposcunt, vti volens propitius suam semper sospitet progeniem. Et lib. 5. pacem deûm, veniamq; irarum cælestium, & finem pesti exposcunt. Brisson. Formular. lib. 1. num. 108.

At pater Anchises, passis de littore palmis,
Numina magna vocat, meritosq; indicit honores.
DII PROHIBETE MINAS, DII TALEM AVERTITE CASVM:
Et placidi seruate pios. tum littore funem
Diripere, excussosq; iubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti: fugimus spumantibus vndis,
Quà cursum ventusq;, gubernatorq; vocabant.
Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumq;, Sameq;, & Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacæ, Laërtia regna,
Et terram altricem sæui execramur Vlyssis.
Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, & paruæ succedimus vrbi,
Anchora de prora iacitur, stant littore puppes.

AT PATER ANCHISES) Omnibus locis Virgilius primas dat Anchisæ consiliorum omnium partes, ipsi sacrorum scientiam plenam fuisse commemorat. Videamus & hic, quid consilij habuerit. Quum omnes Troiani dicerent, placandas esse votis & precibus Harpyias, *Siue deæ, seu sint diræ obscœnæq; volucres,* ille prouidentissimus, non secutus est errorem communem. Non rogat Harpyiam, quam constabat esse monstrosam: non rogat eam, quæ se aliorum iussiones perferre professa est. Rogabat, inquit, magna numina: ipsa enim placanda fuerant, à quibus origo feralis nuntij dicebatur exorta. Donatus.

MERITOSQVE IND. HON.) Meritos honores debemus accipere, non delatos Harpyis offensis: sed dijs potissimùm conuenientes pro magnitudine petitionis, & eorum persona. Sequitur petitio, secundùm quam soluere mox iubet: fugienda enim fuerant illa loca, in quibus tam execranda monstra commorabantur. Quia autem fugiens nauigat, eò fere tendit, quò duxerit ventus: gubernator quoque, quia aliud non potest, vento consentit. Donatus.

Non tantum vt debita, sed & merentibus, seu meritis dijs reddi vota dicebantur. Ouid. 3. Fast. *Redduntur merito debita vina Ioui.* Et 4. Trist. eleg. 2. *Munera dat meritis, sæpe datura, deis.* Et 1. Trist. eleg. 9. *Et si contigerint, merita cadet agna Mineruæ.* Tibull. lib. 1. eleg. 10. Veneri merenti fixam palmam dicit. Et in veteri inscriptionum Romanorum versu, Fortunæ merenti dona consecrari dicuntur. Hinc & meritos honores dixit Virgilius, & meritas aras Seneca in Hercul. Fur. Liuius lib. 45. Ad eosdē deos, quibus vota nuncupauit, merita dona pop. Rom. traducit. Brisson. Formul. lib. 1. nū. 103.

DII PROHIB. MINAS) Quibus verbis vterentur antiqui in malis deprecandis, & auersandis, Brisson. Formular. lib. 1. num. 94.

ET PLAC. SERVATE) placati, benigni, propitij.

EXCVSS. LAX. RVD.) funes nauticos, πρυμνήσια, iubet oram soluere.

NEMOROSA ZACYNTHOS) Et hæc, & aliæ quæ nominantur insulæ, sub imperio Vlyssis erant. Est, quod

quod ab Homero dicitur, ὑλήεντι ζακύνθῳ, verbum è verbo expressum. Turneb. lib. 4. cap. 22. A Delo Troianos in insulam Cythera venisse auctor est Dionysius lib. 1. deinde Zacynthum, ab ijs iure cognationis, & amicitiæ receptos, quam cognationẽ ibi explicat. Vide locum, si placet.

EFFVGIMVS SCOP. ITHA. LAERT.) Ad contemptũ, & irrisionem scopulos, & regna vocauit Ithacam, ac Ciceronem imitatus est, qui de Vlyssis patria scribit. 1. de Orat. Vt Ithacam illam asperrimis saxulis affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret. Turneb. lib. 4. cap. 22. Sic lib. 1. Neptunus ad ventos, magno cum contemptu.

——— regiq; hæc dicite vestro:
Non illi imperium pelagi, sæuumq; tridentem,
Sed mihi sorte datum: tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos, illa se iactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

Egregium verò, & præpotentem sanè regem, cuius regnum vel scopuli, vel vastitates antrorum, ventorum carceres. Quanquam Tityrus nullam suæ gloriæ diminutionẽ patitur, dum tugurium suum sua regna vocat. Repete quæ illic disseruimus. De sterilitate autem huius insulæ, Ithacæ, inquam, (sterilem enim esse oportet, si tam saxosa est) Plutarch. lib. Quod bruta ratione vtantur, in persona Grylli cum Vlysse disputantis. Velim itaque mihi tu respondeas, virorum sapientissime: nam te nuper audiui Circæ quędam de Cyclopum terra narrantem, quam neque penitus ab vllo aratam, neq; vllo seminum genere à quoquam cultam, sola bonitate ac generositate ingenita omnes ferre fruges per se ipsam asserebas: nonne igitur illam magis laudas, quã montosam Ithacam, caprasq; pascentem, quæ vix operibus multis, magnisq; laboribus culta, quædam parua, & tenuia, & nullo pretio digna cultoribus rependit? Et quomodo tibi graue non erit, si præter id, quod manifestũ est, patriæ charitate ductus responderis? ✠

MOX ET LEVCATÆ NIMBOSA) Designat Epirum, cuius Leucates mons est altissimus. In eo petra albi coloris, & in pelagus proiecta, à qua mons nomen habet. In ea petra Apollinis fanum: quẽ ideo nautis formidabilem narrat Æneas, quia locus est tum multitudine, tũ asperitate saxorũ in aquis latentiũ periculosus. Et quia poterant reprehendi Troiani, qui cùm aliò cursum nauigationis vertere possent, locum tamen periculosum, & propter asperitatem scopulorum prorsus fugiendũ subire maluerunt, προληπτικῶς occurrit obiecto cum ait, *fessi*: vnde πάθος moueri potest à labore, quod Troiani longa nauigatione defessi, quieti, refectionique se tradere vsqueadeo cupiebant, vt ne periculosissimum quidem locum adire vererentur, modò fessis corporibus suis aliquid laxamenti præbere possent. Nascimb.

B *✱ Leucatem Seruius montem esse dicit altissimum in promontorio Epiri, iuxta Ambraciam oppidum. Tamen & Leucadem insulam, & montem hunc alij magis ad Acarnaniam aiunt pertinere. Sed ea finitima est Epiro, vnde excusari potest Seruius.*

APERITVR APOLLO) apparet, se ostendit templum Apollinis in Actiaco littore. Suprà. *Quarto terra die primũ se attollere tandem Visa, aperire procul montes.*

PARVÆ SVCCED. VRBI) Leucadi: alij Actium. Actium ante coloniam ab Augusto eò deductam, reuera paruum erat, & obscurum. Hæc parua vrbs duo mihi apophthegmata redigit in memoriam, quorum prius est Stratonici citharistæ, & inter alia eiusdem relatum est ab Athenæo lib. 8. cap. 7. qui cum doceret in parua vrbe, non est, inquit, πόλις, ἀλλὰ μόλις. Alterum

C Diogenis, qui cum exiguæ vrbis videret ingentem portam, ciues monuit, cauerent, ne ipsorum vrbs exiret. ✠

ANCHORA DE PRORA) Anchora dens ferreus, ex græca etymologia nomen ducit, quod quasi hominis manus cõprehendat vel scopulos, vel arenas. Nam manus græcè χείρ. Apud Græcos autem aspirationem non habet. Nam ἄγκυρα dicitur, vnde & apud maiores sine aspiratione proferebatur. Isid. lib. 19. c. 3. Eius definitionem hanc inueni. Anchora, est ferramẽtum vtrinq; vncum, quod alligatur funibus, & in vndam demissum, naues retinet, ne tempestate ingruente, loco moueantur.

Ergò insperata tandem tellure potiti,
Lustramurq; Ioui, votisq; incendimus aras:
Actiaq; Iliacis celebramus littora ludis.
Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socij, iuuat euasisse tot vrbes
Argolicas, mediosq; fugam tenuisse per hostes.
Interea magnum sol circumuoluitur annum,
Et glacialis hyems Aquilonibus asperat vndas.
Aere cauo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus aduersis figo, & rem carmine signo:
Æneas hæc de Danais victoribus arma.
Linquere tum portus iubeo, & considere transtris.
Certatim socij feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aërias Phæacum abscondimus arces,
Littoraq; Epiri legimus: portuq; subimus
Chaonio, & celsam Buthroti ascendimus vrbem.

LVSTRAMVRQVE IOVI) Ioui sacrificando peccatum nostrum expiamus, & piaculum in eius canes, Harpyias cõmissum. Vel sic, abluimur, vt sacris Ioui operemur, si quid peccati cõtraxissemus, sequitur enim, *votisq; incendimus aras.*

D VOTISQVE INCENDIMVS ARAS) ad vota facienda cum sacrificio in aris ignem accendimus.

ACTIAQVE ILIACIS. C. L. LVD.) Augustus Cæsar & Apollinis templum vetus apud Actium ampliauit,

pliauit, & Nicopolim propter victoriam condidit, de qua Strabo consulendus, lib. 7: & Actiũ, coloniam misit. In ore ipso, inquit Plinius lib. 4. cap. 1. de Epiro loquens, colonia Augusti Actium cum Apollinis templo nobili, & ciuitate libera Nicopolitana. Instituit autem postea ludos ibidem, & Romæ quoque Augustus, ad quos hic, & in 3. Georg. respicit poeta. Quanquam, vt scribit Strabo, ludos non tam ibi primus instituit Augustus, quam celebriores reddidit. Sueton. Augusto, cap. 18. Quóq; Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, vrbem Nicopolim apud Actium cõdidit, ludosq; illic quinquennales constituit, & ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat vsus, exornatum naualibus spolijs, Neptuno ac Marti consecrauit. Ad hosce ludos igitur alludit Virgilius, & Augusto blanditur.

EXER. PAT. O. L. P. N. SOCII) Lacedæmonij primi nudauerunt corpora, atq; in publico, vestibus depositis, inter exercendum oleo vngi cœperunt. Olim autẽ in certaminib⁹ olympiacis athletæ pugnabant habentes subligacula circa pudenda, neq; multi anni sunt, ex quo hic mos desijt, &c. Thucyd. lib. 1. Oleo autem palestritæ vel ad corpus viresq; confirmandas, vel ad prehensiones olei lubricitate euitandas vngebantur. Qui id munus curabant, aliptæ audiebant.

Palestra latinè luctatio, à παλαίειν luctari. Vide Hieronymum Mercurialem de arte gymnast. lib. 1. cap. 9. C Ex quo pauca describemus. Palæstra apud vtriusq; linguæ auctores multa significat. Primò totũ ipsum gymnasium, vt est videre penes Vitruuium. Secundò, locũ quemcunq; exercendis corporibus idoneum: quo pacto locutus est Cicero ep. 1. lib. 3. ad Q. F. & 2. de Leg. dum villam suam Arpinatem describens, palæstram ibi nominat: nec non Virgilius cum hic, tum 6. Æneid. *Pars in gramineis exercent membra palæstris.* Et Geta apud Terentium Phorm. vbi dixit, *Eccum a sua palæstra exit foras.* Tertiò, certam Gymnasij partem, in qua ex sententia Plauti, Galeni, & Oribasij tot exercitationes factas prædiximus, & cuius parietum sordes collectas & in panno applicatas, furunculos maturare scripse- D runt Plinius, & Theodorus, Priscianus, &c. * *De Theseo, vt auctore atq; inuentore palæstræ, sic memoria prodidit Pausanias in Atticis, siue lib. 1. Ac atate quidem mea locus quidam, qui ab Alopes tumulo non longè abest, Cercyonis palæstra appellatur, vbi dicitur Cercyon omnes, qui secum certassent occidisse, præter Theseum tamen, à quo luctandi imprimis arte est superatus. Palæstricem enim Theseus primus inuenit, & ab eo profecta palæstritarum disciplina, ab eius res magistris celebrari cœpta, cum antea sola corporis magnitudine, & robore in lucta certaretur. Variæ sunt exercitationes corporum, de quibus legere poteris, quem ante nominaui, Mercurialem. Commendat exercitationem generatim Celsus lib. 1. cap. 1. his verbis. Sani debent se frequenter exercere: siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat: illa, maturã senectutem: hic, longam adolescentiam reddit. Cap. 2. Commode exercent, clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio, atq; hæc non vtiq; plana commodior est.*

INTEREA MAG. ANNVM) Mensis, lunæ annus E est, intra quem cæli ambitum lustrat. Nam & à luna mensis dicitur, quia græco nomine luna μήνη vocatur. Virgilius ad discretionem lunaris anni, qui breuis est, annum, qui solis cursu efficitur, significare voluit, dum magnum appellauit, cõparatione scilicet lunaris. Nam cursus quidem Veneris, atque Mercurij pæne par soli est. Martis verò annus ferè bienniũ tenet: tantò enim tempore cælum circumit. Iouis autem stella duodecim, & Saturni triginta annos in eadem circuitione consumit. Macrob. in som. Scip. lib. 2. cap. 11. Idem Saturnal. lib. 1. cap. 14. Sicut lunaris annus mensis est, quia luna paulo minùs quàm mensem in Zodiaci circuitione consumit: ita solis annus hoc dierũ numero col-

A ligendus est, quem peragit, dum ad id signum se denuo vertit, ex quo digressus est. Vnde annus vertens vocatur, & habetur magnus, cum lunæ annus breuis putetur. Horum Virgilius vtrumq; complexus est. Hinc Ateius Capito annum à circuitu temporis putat dictum: quia veteres, an, pro *circum* ponere solebant, vt Cato in Originibus, an terminum, id est, circum terminum: & ambire pro circumire.

CIRCVMVOL. ANNVM) Allusum apparet ad etymon, annus enim quasi annulus, rotundus. Græcis ἐνιαυτὸς, vnde Maro alibi, *Atq; in se sua per vestigia voluitur annus.* * *Quanta varietas anni fuerit apud gentes varias, & quomodo alij aliter eum metirentur, Alex. Neapol. lib. 3. cap. 24. ibidem de anno magno.*

B ÆNEAS HÆC DE DANAIS) Ad dedecus Græcorũ hæc fatur Æneas: in regione Græca, ipse victus de ijsdem victoribus arma dedicat. Et vult significare, superesse adhuc, qui se vlcisci possint de Græcis.

Imitatus est omnino Maro antiquas Græcorum, concisasq; in trophæis inscriptiones, quas hac formula conceptas recenset Plutarch. in lib. περὶ τοῦ μὴ χρᾶν. οὐ δυσχεραίνεις, οὐδ' οἰκτείρεις τοὺς Ἕλληνας ἐπὶ τῶν καλῶν ἀναθημάτων αἰσχίστας ἀναγινώσκων ἐπιγραφάς· Βρασίδας καὶ Ἀκάνθιοι ἀπ' Ἀθηναίων, καὶ Ἀθηναῖοι ἀπὸ Κορινθίων, Ἀμφικτύονες ἀπὸ Φωκέων. German.

In huiuscemodi statuarum, trophæorũ, donariorum inscriptionibus verbum *fixit, posuit, ac dicauit* eleganter omittebant. Sic Græci omittunt ἀνέθηκε, vt sæpius videre est apud Pausan. & Eunapium. Item in illa inscriptione apud Æschinem cõtra Ctesiphontem, Ἀθηναῖοι ἀπὸ Μήδων, καὶ Θηβαίων, ὅτε τἀναντία τοῖς Ἕλλησι ἐμάχοντο.

CERTATIM SOCII FER. M. ET ÆQ. VER.) Respondet celeritate pedum rebus ipsis hic versus. Eiusdem prorsus sententiæ est infrà hicce: *Verrimus & proni certantibus æquora remis.* Æquora verrunt, videtur sumpsisse è Catullo, cuius est in de nuptijs Pelei & Thetid. *Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.*

PHÆACVM ABSCONDIMVS ARCES) Seneca æuum nostrum cursui nautico aptè comparans, sic ait ep. 70. eodemq; verbo vtitur, quo Virgilius. Prænauigamus, mi Lucili, vitam, & quemadmodum in mari, vt inquit Virgilius, terræq; vrbesq; recedunt, sic in hoc cursu rapidissimi temporis primùm pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, deinde quidquid est illud inter iuuenem, & senem medium, &c. suprà enim eundem locum me afferre memini. Per Phœacum arces intellige Corcyram insulam, à quodam Phœaco sic dictam.

LITTORAQ. EPIRI LEGIMVS) Nauticum verbum *legimus.* Liuius lib. 5. terram legentes. Et, oram Italiæ legens. Sueton. August. Pompeianis terram legentib⁹. Et hic noster, *& crebris legimus freta consita terris.* Hypallage, pro, terras crebras cõsitas fretis: notauimus & suprà: sed idem studiosis aliquando in memoriã denuo redigere, quamuis non magni momenti, sæpe est alicuius momenti. Spectare autẽ mihi huc videbantur quæ scribit Mela lib. 2. c. 3. in extremo de vrbibus ad ista littora positis. In Epiro, inquit, nihil Ambracio sinu nobilius est: facit sinus, qui angustis faucibus, & quæ minus mille passib⁹ pateant, grande pelagus admittit. Faciunt vrbes quæ assidunt, Actiũ, Argi, Amphilochij, Ambracia, Æacidarum regia, Pyrrhiq;: Buthrotum vltra est.

PORTVQVE SVBIMVS CHAONIO) portum Buthroti intelligit: quem idcirco Chaoniũ appellat, quia Buthrotum ciuitas est in prima parte Epiri, quæ olim Chaonia dicta est à Chaone Heleni fratre, vt mox dicet Andromacha. Nascimb.

BVTHROTI VRBEM) vt vrbem Patauii, & similia.

Hic

Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Primiaden Helenum Graias regnare per vrbes,
Coniugio Æacidæ Pyrrhi, sceptrisq; potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui: miroq; incensum pectus amore
Compellare virum, & casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes, & littora linquens.
Sollemnes tum fortè dapes, & tristia dona,
Ante vrbem in luco, falsi Simoëntis ad vndam
Libabat cineri Andromache, manesq; vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi què cespite inanem,
Et geminas, caussam lacrymis, sacrauerat aras.
Vt me conspexit venientem, & Troïa circum
Arma amens vidit, magnis exterrita monstris,
Diriguit visu in medio: calor ossa reliquit.
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur.
Veráne te facies, verus mihi nuntius affers,
Nate dea? viuis ne? aut si lux alma recessit,
Hector vbi est? dixit: lacrymasq; effudit, & omnem
Impleuit clamore locum. vix pauca furenti
Subijcio, & raris turbatus vocibus hisco.
VIVO EQVIDEM, VITAMQVE EXTREMA PER OMNIA DVCO.
Ne dubita, nam vera vides.
Heu quis te casus deiectam coniuge tanto
Excipit: aut quæ digna satis fortuna reuisit?
Hectoris Andromache, Pyrrhin' connubia seruas?

INCREDIBILIS RERVM) non enim verisimile videbatur, hominem Troianum, ductū à Græcis captiuum, ipsis Græcis imperare. Hinc igitur mira ἄυξησις colligi potest, ex circumstantiarum varietate, sed inprimis à persona: cuius varia fortuna rem ab omni verisimilitudine alienam facit. Nam Helenus Troianus, Priami regis filius, & frater Paridis, qui Helenam abduxit, victus inter victores regnat: nec vni tantum vrbi, sed pluribus imperat, & Pyrrhi superbissimi Græcorū regis, cuius olim ipse captiuus fuerat, coniugio & sceptro potitur. Ergò magnum est Helenum regnare: maius inter hostes regnare: maximum, coniugio & imperio hostis potiri. Nascimb.

CONIVGIO ÆACIDÆ) id est coniuge. Propertius, *fidum fœmina coniugium*, loquens de Penelope Dicemus infra de hoc loquendi genere.

SCEPTRTRISQVE POTITVM) Quando, & à quo conditū Epiri regnum, quæ regum successio, quomodo Alexander M. genus maternum à Pyrrho Achillis filio duxerit, expositum est à Iustino lib. 17. his ipsis verbis, quæ quidem cum huic, tum loco infrà sequenti in oratione Andromaches, *Me famulā, famuloq; Heleno transmisit habendam, Ast illum erepta*, &c. lucem dabunt nō modicam. Molossorum primùm in ea regione regnum fuit. Post Pyrrhus Achillis filius amisso per absentiam (Troianis temporibus) paterno regno, in his locis consedit, qui Pyrrhidæ primò, postea Epirotæ dicti sunt. Sed Pyrrhus cum in templum Dodonæi Iouis ad consulendum venisset, ibi Lanastam neptem Herculis rapuit: ex cuius matrimonio octo liberos sustulit. Ex his nōnullas virgines nuptū finitimis regibus tradidit, opesq; affinitatum auxilio magnas parauit: atq; ita Heleno filio Priami regis, ob industriā singularem, regnum Chaonū, & Andromachen Hectoris, quā & ipse matrimonio suo, in diuisione Troianę prædæ acceperat, vxorem tradidit: breuiq; post tempore Delphis, insidijs Orestæ, filij Agamemnonis inter altaria dei interijt. Successor huic Pialis filius fuit. Per ordinem deinde regnum ad Arrybam descendit: cui quoniam pupillus, & vnicus ex gente nobili superesset, intentiore omnium cura seruandi eius, educandiq; publicè tutores constituuntur. Huius filius Neoptolemus fuit: ex quo nata est Olympias mater Alexandri Magni, & Alexander, qui post eum regnū Epiri tenuit, & in Italia bello gesto, in Brutijs interijt, &c.

ET PATRIO AND. CESS. MARITO) patrio, id est, Troiano, nam alioqui Andromache Thebana erat, & è Cilicia oriunda. Sed vxor domiciljum viri sequitur.

ET LITTORA LINQVENS) Ad hūc versum ita Seruius. Finit⁹ est versus participio, ꝙ raro fit apud Latinos, apud Græcos verò vitiosum est. Gramaticorum grammaticissime, antequam hanc veluti legem promulgares (vt de Græcis interim taceam) nonne id priùs communicatū saltem cum tuo Virgilio oportuit, an id verè, & ex eius obseruatione traderes? An verò tibi ἀσύμφωνον quippiā, aut κακόφωνον videri potuit, ꝙ summus vates frequentissimè vsurpauerit? Nam sicuti per cæteros casus vtriusq; numeri, magna vis vtiq; terminatorum apud eum participio versuum est, ita non infrequens in ans, vel in ens participialis rectus (de quo ipse, puto, sentiebas) versum claudit. Erythræus prolegom. Virgil. qui mox per notas

numerales quam plurimos apud eundẽ versus partici-pio in ans, & ens finitos indicat. Consule item Institut. nostrarum poët. lib.2.cap. II.

SOLLEMNES TVM. F. DAPES) Ex hoc facto Andromaches occulta laus emergit à pietate, & amore coniugali: Andromache etsi nuptias repetiuerat, tamẽ pietatis, & officij sui erga priorem maritum non obliuiscebatur: sed sacrificijs sollemnibus, inani sepulcro illius manes conciliabat. Nascimb.

IN LVCO) Manes fere in lucis habitare credebantur. Vnde lib. 6. de Manibus. *Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.* Luci erant syluæ, ferè in conspectu villæ, fundique, incæduæ, dijs consecratæ, quas ferro temerare nefas erat, vt dictum aliâs.

FALSI SIMOENTIS AD VNDAM) De Simoente falso vide infrà, ad illos versus. *Procedo, & paruā Troiam,* &c.

MANESQVE VOCAB. H. AD TVM.) Vt initio de Polydori manibus, *aramq́; sepulcro Condimus, & magna supremum voce ciemus.* Vide ibi. Tumulum de cenotaphio accipe, de quo dictum lib. 6. super illo, *Tunc egomet tumulum Rhetao in littore inanem Constitui,* &c.

GEM. SACRAVER. ARAS) Videntur veteres manibus honoratorum virorum aras esse soliti consecrare duas, cum aliâs etiam manes in deorum numerum semper referrent, vt hoc in loco patet: quod & in apotheosi facit Maro. *en quatuor aras, Ecce duas tibi Daphni, duoq́; altaria Phœbo.* Turneb. lib. 17. cap. 6.

Verbum *sacrauerat*, inquit Alciatus Parerg. lib. 10. cap. 12., indicat sensisse Virgiliũ, sacrum, seu religiosum locum esse. Sed certè nõ loquitur Virgilius de simplici cenotaphio, id est, inani tumulo, sed de eo, ad quẽ geminæ aræ, & quidem sacræ extructæ erãt, & ad quem sacrificijs factis elliciti, vocatique erant manes Hectorei. Tranquillus in Claudio cenotaphium tanquam græcã vocem non dixit: sed dixit Latinè, honorarium tumulum: siquidem, vt Dionysius Halicarnasseus lib. 1. inquit, illustris fortunæ virorum locus quidem vnus erat, quo corpus conderetur: monumenta alia alibi à beneficiarijs extruebantur, ob beneuolentiam, & grati animi argumentum. Quare, quamuis in Numico flumine obierit Æneas, eius tamen monumenta extra terram Italiam varijs in locis reperiuntur. Vnde vetustæ marmorum inscriptiones primo versu habent, OB HONOREM, nimirum indicantes, esse cenotaphium.

DIRIGVIT VISV IN MEDIO) Quàm plenè, eleganterque λειποψυχίαν circumlocutus est: quam, quomodo Latini efferrẽt, docui prolatis exemplis ad 4. Æneid. ibi, *suscipiunt famulæ collapsaq́; membra Marmoreo referunt thalamo.* Talis defectio est Euandri lib. 8. Ea ex impotenti affectu contingit, si inde cõtingit. ex affectu, inquam: potest enim aliunde etiam accidere.

ET LONGO VIX TAND. TEMP. FAT.) Postquam ad se redijt, adhuc vix loqui potuit, vt stupore mẽtem oppressam intelligas. Hoc ipsum perspicitur ex verborum tautologia, quibus non gratulatur illum quidẽ aduenisse, id quod primùm decebat: sed admiratione perculsa, verba plena quasi amentiæ effundit.

VERA NE TE FACIES) *Qua nimiopere optamus, difficilimè credimus. Terent.* Teneon' ego te Antiphila? *Et Catullus ad Sirmionem insulam.* Quam te libenter, quamq́; lætus inuiso, Vix mi ipse credens.] Affectus exprimitur dubitantis de maximis suis gaudijs, quasi quæ fidem superent. Interrogatio autem ista bimembris est. Tune vera mihi facie appares, ac viuus? an sub idoli specie simulacrum tui exhibes, vt mortuus? Quod si mortuus (nam in eam partem magis suspicio Andromaches inclinat) Hector vbi est? Solet vetustas credere certis temporibus anni terram patere,

A ac tum manes libere vagari. Putat ergo Hectoris vmbrã in comitatu Æneæ esse, vt socij quondã charissimi. Eadem addubitatio repręsentata est à Terentio Heautót. cum ait. Me. *Nunquid nam de gnato meo audisti Chreme?* C. *Valet, atq́; viuit.* M. *vbi nam quæso est?* C. *Apud me domi.* M. *Meus gnatus?* C. *Sic est.* M. *Venit?* C. *Certè.* M. *Clinia meus venit?* C. *Dixi.* M. *Eamus, duc me ad eum, obsecro.* Vides quanta inculcatione opus est, vt tantum suum gaudium senex credat? vt per partes fidem concipiat? vt singulis insistat? quasi qui totum simul nec in aures, nec in animum admittere queat. Nannius lib. 2. cap. 1.

AVT SI LVX ALMA RECESSIT) si mortuus es, si es

B lumine cassus. Oratorium, ex hac luce discedere, quòd poetæ per tropum efferunt, inuertentes videlicet locutionem.

HECTOR VBI EST?) Quamuis esset cum Troiano nupta, atque nobili, (quippe fratre germano Hectoris) tamen manebat ardens quidam in illum iam pridem interfectum amor, quem satis inferijs istis, anniuersarijs, quod credibile est, & ipsa interrogatione declarat.

Fertur declamatiuncula Libanij, festiua admodũ & pathetica hac inscriptione: QVÆ DIXERIT ANDROMACHE INTERFECTO HECTORE. Ea quoniam non nihil ad sequentem Androm. orationem, qua Æneæ respondet, videtur pertinere, ad verbum adscribetur. Ex qua

C etiam patebit, quàm non immeritò exclamarit illa Æneas,

Heu quis te casus deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna reuisit?

Euenit quod timebam, & verba mea despiciens Hector, ad optima hortatum esse cognouit. Admonueram vt sibi parceret. Ille verò contra, suam salutem vilem habuit. Ergo extinctus est non meis, proh dij, in manibus, verùm ab Achille. Quod ille occubuit, hoc est interijsse Priamum, Hecubam, fratres, hunc ipsum puellum (Astyanactem) me, ciuitatem omnem. Ille tuebatur Ilium. A quo igitur posthac seruabitur? Interierunt, occiderunt omnia, facta sum mulierum infelicissima. Quanta me felicitate, cuius gustum modò dederat fortuna, spoliauit? Erant mihi in

D *regijs pater ac mater, tum fratrum chorus, nitidaq́; ac lauta omnia. Accedebat ad hæc aliud maximum omnium, cõiux Hector, bellator insignis. Spectabar, beata dicebar. Et si quis adiret me, Andromachen appellabat, cognominis vice, adijciebat, imperatoris, victoris, fortunatam. Oportebat igitur in eadem fortuna pariter consenescere. At non passus est sæuus iste Achilles, quem quidem in meum exitium produxit Thetis. Patrem mihi ademit, trucidauit fratres, seruitutem matri iniecit. Deinde restituta est. Ac ne ea quidem superest. Et hæc grauia quidem, verùm tu tolerabiles reddebas ærumnas Hector, atq́; vnus præstabas omnia. Et quibus eram orbata, ea rebar adesse per te. Sed occisus es, accepisti vulnus. Nos rapimur, perdimur, instant tri-*

E *stia. Impendet periculum, imminet incendium. Videre mihi videor Troianos cædi, vxores per vim indignè tractari, liberos trahi, videre ferrum, videre flammam. Aperta est hostibus Troia, te haud amplius pro portis propugnante. Ah puer, forte prehensum te quispiam hostium, ad turrim adiget. Strenuus erat pater, a te pœnas repetent Græci. Me forsitan occidet alia vis. Atq́; in hoc quidem fortunata erimus. At non continget. Seruitus me manet, & famulatus, plagæ, & in extremũ vsq́; anilacryma. Haud etiam scio an visura sim terram, vnde nobis hostis iste aduenit. Mox etiam, quod acerbissimum est, concubitum cogar pati eius, qui interemit Hectorem.*

FVRENTI) immodicè dolenti.

RARIS TVRB. VOCIB. HISCO) Hisco est frequentatiuum

tatiuum ab hio. Solent hiscere, qui præ animi turbatione vix loqui possunt. Vel ita, singultibus vocem interrumpentibus pauca loquor.

HEV QVIS TE CASVS) Pathetica exclamatio in eractam, & præsentem fortunam. Vicissim interrogando materiam suppeditat narrandi casus suos, & conditionem præsentem. Montfort.

HECTORIS ANDROM. PYRRHIN*) Hectoris Andromache, scilicet vxor, vt Andromache sit vocandi casus. Sic in 6. *Deiphobe Glauci*, subauditur, filia. ἐλλειπτικῶς est. Et quamquam audierat, Helenum iam eam duxisse, voluit tamẽ ex ea rem certò cognoscere, vtrũ ita esset. ✱

Hæc tria nomina emphasin habent. Sed illa duo cum laude extollenda, Hectoris, Andromache: Pyrrhi verò nomen cum turpitudine deprimendum est: tanquam virtute, atq; genere longè inferior fuerit Hectore, nec satis dignus, qui tam nobili fœmina, tantiq; viri vxore potiretur. Vel qui Priami ipse cædem fecit, eiusque filius est, qui Hectorem necauit. Nascimb. * *Pyrrhus Achillis filius, si fidem Pausaniæ habemus lib. 1., primum Ilio exciso, omissa in Thessaliam reditu in Epirum appulit, atq; ibi Heleni vatis monitu consedit. Cui cum nulla ex Hermione proles esset, ex Andromacha tres suscepti sunt filij, Molossus, Pielus, & natu minimus Pergamus.*

Deiecit vultum, & demissa voce locuta est.
O felix vna ante alias Priamëia virgo,
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori: quæ sortitus non pertulit vllos,
Nec victoris heri tetigit captiua cubile.
Nos patria incensa diuersa per æquora vectæ,
Stirpis Achilleæ fastus, iuuenemq; superbum
Seruitio enixæ tulimus: qui deinde secutus
Ledæam Hermionen, Lacedæmoniosq; hymenæos,
Me famulam, famuloq; Heleno transmisit habẽdam.
Ast illum ereptæ magno inflammatus amore
Coniugis, & scelerum furijs agitatus Orestes,
Excipit incautum, patriasq; obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi, regnorum reddita cessit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamq; omnem Troiano à Chaone dixit:
Pergamaq;, Iliacamq; iugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quis te ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius: superátne, & vescitur aura?
Quem tibi iam Troia.
Ecquæ iam puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem, animosq; viriles
Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector

DEIECIT VVLT. ET DEM.) Etiam Dido lib. 1. vultum demissa profatur: sed illa pudore matronali, & vt decorum est fœminæ, non defigere in vultibus virorum oculos: hęc, quia de conditione pudenda, non sine rubore locutura est. Cum autẽ alta vox mulierem nunquam deceat, tum hic Andromachen demissa, & fracta vox mirè decuit. ✱

O FELIX VNA ANTE ALIAS) Quædam videntur grauia per se, parricidium, cædes, veneficium: quædam dicendo grauia efficienda sunt. Id autem contingit, aut cum magnis alioqui malis grauius esse id quod passi sumus, ostenditur: quale est Virgil. *O felix vna ante alias Priameia virgo, Hostilem ad tumulum*, &c. Quam miser enim casus Andromachæ, si comparata ei fęlix Polyxena? Aut cum ita exaggeramus iniuriam nostram, vt etiam quæ multò minora sunt, intoleranda dicamus. Si pulsasses, defendi non poteras: vulnerasti. Quintil. lib. 6. cap. 2.

Danai victores, cum ab Ilio classem conscenderent, vellentque in patriam suam quisque reuerti, & prædam quisque sibi duceret, ex sepulcro vox Achillis dicitur prædæ partem expostulasse. Itaque Polyxenam Priami filiam, quæ virgo fuit formosissima, propter quã Achilles, cum eam peteret, & ad colloquium venisset, ab Alexandro, & Deiphobo est occisus, ad sepulcrum eius immolauerunt. Hæc Hyginus, cap. 110. Quomodo verò Achilles, & vbi in amorem huius puellæ regiæ inciderit, quantum æstuarit eius desiderio, quibus illi conditionib⁹ ab Hectore promissa sit, enucleatè exequitur Dictys lib. 3. Apud Hectoris sepulcrum eam cõspexisse, & adamare cœpisse, ac mox per seruum ab Hecuba vxorem petijsse, narrat Dares.

Euripides eam in Chersoneso Thraciæ scribit ad inanem, & honorarium Achillis tumulum immolatam fuisse. Philostratus in heroicis, vltro ad sepulchrũ Achillis sponsi sui gladio incubuisse. Immolationem Polyxenæ more suo tragicè admodum, hoc est, miserabiliter describit in Hecuba Euripides, quem lege, si vacas. Describitur item ex Euripideis à Nasone Metamorph. lib. 13. quos versus huc addere collibuit.

Vir-

Vtq; Neoptolemum stantem, ferrumq; tenentem,
Vtq; suo vidit figentem lumina vultu:
Vtere iam dudum generoso sanguine, dixit:
Nulla mora est: aut tu iugulo, vel pectore telum
Conde meo, (iugulumq; simul, pectusq; retexit.)
Scilicet haud vlli seruire Polyxena vellem.
Haud per tale sacrum numen placabitis vllum.
Mors tantum vellem matrem mea fallere posset.
Mater obest, minuitq; necis mihi gaudia, quamuis
Non mea mors illi, verum sua vita gemenda est.
Vos modo ne stygios adeam non libera manes,
Este procul, si iusta peto, tactuq; viriles
Virgineo remouete manus: acceptior illi,
Quisquis is est, quem cæde mea placare paratis,
Liber erit sanguis. Si quos tamen vltima nostri
Verba mouent oris, Priami vos filia regis
Nunc captiua rogat, genetrici corpus inemptum
Reddite, neue auro redimat ius triste sepulcri,
Sed lacrymis: tunc, cum poterat, redimebat & auro.
Dixerat: at populus lacrymas, quas illa tenebat,
Non tenet: ipse etiam flens, inuitusq; sacerdos
Præbita coniecto rupit præcordia ferro.
Illa super terram defecto poplite labens,
Pertulit intrepidos ad fata nouissima vultus.
Tum quoq; cura fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, castiq; decus seruare pudoris.

Egit quodammodo interpretem Euripidis Ouidius, & de suo pauca adiecit. Conferat eos inter se, qui volet. Meminit huius immolationis etiam Catullus de nupt.

Deniq; testis erit morti quoq; dedita præda,
Cum teres excelso coaceruatum aggere bustum
Excipiet niueos percussa virginis artus.
Nam simul ac fessis dederit Fors copiam Achiuis
Vrbis Dardaniæ Neptunia soluere vincla,
Alta Polyxenia madefient cæde sepulcra,
Quæ velut ancipiti succumbens victima ferro,
Proijciet truncum submisso poplite corpus.

Ipsius Achillis vmbra seu idolum ad Græcos abitum parantes apud Senecam Troadibus:

Desponsa nostris cineribus Polyxena,
Pyrrhi manu mactetur, & tumulum riget.

Ex Virgilio, & Euripidis Hecuba natum est, quod Polyxenæ composuit epitaphium Ausonius.

Troas Achilleo coniuncta Polyxena busto,
Malueram nullo cespite functa tegi.
Non bene discordes tumulos miscetis Achiui.
Hoc violare magis, quam sepelire fuit.

QVÆ SORT. N. P. VLL. VICT.) Τὸ ἄκληρον est fælicitatis Polyxenæ, quia iugum seruitutis non subiuit, nec hosti pudicitiam suam vi deflorandam tradidit. Si fœminæ ab huiusmodi incommodo alienæ, fælices sunt, ipsa igitur misera est, quæ & seruituti obnoxia est, & Pyrrhi victoris studio obsecuta: nam contrariorum contraria sunt consequentia. Sed obseruatione dignum, quod ait, *quæ sortitus non pertulit vllos*. Id est, quæ victori per sortem non cessit. Erat enim moris, in antiqua Græcorum militia, vt capta vrbe, in omnes quidem mares, qui per ætatem arma ferre possent, iure belli sæuiretur: cætera verò direpta vnum in locum cogerentur, nimirum fœminæ, pueri, aurum, argentum, equi, arma, pretiosa vestis, & omne genus suppellectilia, quib^9^ rebus summo loco nati viri præponebantur, qui prædam asseruarent, & sorte inter milites diuiderent, vt in 2. Æneid. apud Maronem, & in 1. Iliad. apud Homerum videre est. Sed priusquã ad sortem deueniretur, selectissima quæq; ijs, qui se optimè in bello gessissent, non sortitò, sed iu-

A dicio dabantur. Ita regum regi Agamemnoni Cassandra Priami filia regis, fortissimo duci Pyrrho fortissimi Hectoris vxor Andromache cessit. Astutissimus omnium Græcorum Vlysses prudentissimam omnium Troianorum Hecubam habuit. Ea munera Græci ἐξαιρετά, Latini, sorti excepta, interdum exorta vocant. De quibus Euripides principio Troadum.

Ὅσαι δ' ἄκληροι τρωάδων ὑπὸ στέγαις
Ταῖσδ' εἰσὶ, τοῖς πρώτοισιν ἐξῃρημέναι
Στρατοῦ.

Id est quotquot verò sorti non sunt subiectæ ex Troianis, sub tecto hoc sunt, principibus selectæ. Et Virgil. lib. 9. *Ipsum illum clypeum, cristasq; rubentes Excipiam*
B *sorti*, Item in 5. *exortem ducere honorem.* Quod verò Andromache sortitus se pertulisse innuit, cum se infæliciorem Polyxena prædicet, quæ nullos pertulit sortitus, non ob id dictum videri debet, quod ea conditione fuerit Andromache, vt per sortem victori contingere deberet: sed ad hunc modum à poeta summo artificio inducitur loquens, vel vt maiorem commiserationis affectum moueat, vel quasi militaris consuetudinis ignara esset: quæ ignorantia, fœminæ præsertim, summæ laudi ducitur. Nascimb.* *Non caret probabilitate ista sententia. Veruntamen nihil absurdum fuerit, si ipsosmet duces misisse intelligamus sortē super fœminis hisce illustrissimis. Sortes erant Græcis calculi, seu glebulæ è terra sictili, inscripti sortientium nomina. Ii coniecti in vrnam versabantur. Cuius sors prior educebatur, priores fe-*
C *rebat siue in placitis, siue in displicitis. Hecuba ipsa apud Senecam in Troadibus conditionem istam, & sortitum hunc ita luget.*

——— non tamen superis sat est:
Dominum ecce Priami nuribus, & natis
Sortitur vrna. præda quem vilis sequar?
Hic Hectoris coniugia despondet sibi,
Hic optat Heleni coniugem, hic Antenoris:
Nec deest tuos, Cassandra, qui thalamos petat.
Mea sors timetur, sola sum Danais metus.

De sortitione ista libet Dictys verba de lib. 5. adscribere. Igitur vbi satietas Troiani sanguinis tenuit, & vrbs incendijs complanata est, initium soluendi per quædam milites capiunt primò à captiuis fœminis, puerísque adhuc imbellibus. Itaque ex his prima omnium
D Helena sine sorte Menelao conceditur. Deinde Polyxena, suadente Vlysse, per Neoptolemum Achilli inferias missa. Agamemnoni Cassandra datur, postquam forma eius captus, quin palam desiderium fateretur, dissimulare nequiuerat. Æthram, & Clymenen Demophoon, & Acamas habuere. Reliquarũ sors agi cœpta, atque Neoptolemo Andromacha euenerat, adiunctis etiam eius filijs, in honorem tanti ducis. Vlyssi Hecuba obuenit. Et hæc de nobilissimis fœminis.

STIRPIS ACHILL. FAST. IV. SVP.) Fastus & spiritus isti Pyrrho nati sunt, quod tãti ducis filius, quod Politen filium, & ipsum Priamum occidisset.

SERVITIO ENIXÆ TVL.) Seruitium multitudo
E est seruorum: seruitus conditio seruiendi: sed veteres indifferenter seruitium & pro seruitute posuerunt, vt, *Seruitio enixè tulimus.* Ita Charisius. Hic quidam legunt cum diphthongo *enixæ*, vt sit sensus, pertulimus, donec in seruitio positæ eniteremur.* *Enixas, aut Nonius, non solum in partu positum docere, sed etiam omni labore exercitas, auctore Virgil. Stirpis Achilleæ fastus, &c. Sed præstat ad partum referre hoc participium. Si enixè adverbialiter legas, enixè, seruitutis pondus, & grauitas exprimetur. Molossum Pyrrho, & alios duos Andromache serua peperit.*

LEDÆAM HERM.) Hermionen Ledæam vocat, quia Ledæ neptis, filia scilicet Helenæ, & Menelai. Menelaus autem Spartæ rex, quæ est vrbs Laconiæ, Laconia regiuncula Peloponnesi.

ME FAMVLAM) Ostendit nunc, quomodo à Pyrrhi serui-

rhi seruitute liberata fuerit. Famulam se illius vocat: A etsi enim pro vxore habebat Andromachen Pyrrhus, non tamen vt vxorem, sed vt concubinam tractabat, & veluti famulam nullo in honore habebat.

SCEL. FVRIIS AG. ORESTES) Ægistum Orestes, matremq; Clytemnestram, socia cõsiliorum omnium sorore Electra, virilis animi fœmina, obtruncat. Factum eius à dijs comprobatum spatio vitæ, & fælicitate imperij apparuit: quippe vixit annis XC. regnauit LXX. qui se etiam à Pyrrho Achillis filio virtute vindicauit. Nam quod pactæ eius, Menelai atq; Helenæ filiæ Hermiones nuptias occupauerat, Delphis eum interfecit. Hæc Velleius lib. 1.

Rem gestam his verbis persecutus est Hyginus B cap. 123. Neoptolemus Achillis, & Deidamiæ filius, ex Andromacha Eetionis filia captiua procreauit Amphialum. Sed postquã audiuit Hermionen sponsam suam Oresti esse datam in coniugium, Lacedæmonem venit, & à Menelao patre sponsam suam petijt. Cui ille abductam ab Oreste tradidit. Orestes iniuria accepta, Neoptolemum Delphis sacrificantem occidit, & Hermionen recuperauit. Multò plenius Dictys lib. 6. in extremo, ab eo loco. Per idem tempus Neoptolemus cõfirmato iam cum Hermione matrimonio, &c.

De furijs eius in hunc modum Pausanias in Arcadicis. Distat à Megalopoli Messeniã versus stadia haud amplius 7. ad læuam viæ militaris dearum fanum, quas, C & item sacrum ipsis agrum Manias vocant: est, quantum coniecturis assequor, Furiarum appellatio. Hoc in loco ob matris cædem insanisse Orestem tradunt. Non longè ab eo fano terræ agger surgit, non vtiq; magnus, è lapide excisum digitum insigne prætendens, vnde & illi tumulo *digiti monumentum* nomen est. Ibi furentẽ Orestem tradunt alterius manus digitum alterum abrosisse. Prope est alter tumulus, Ace nomine, quod ad eum insaniæ medelam Orestes nactus fuerit: & illic est alterum Furiarum templum, &c. * *Plura (si voles legere) lib. 4. ibi*, vltricesq; sedent in limine Diræ. *Rectè*, agitatus furijs, *tribus enim notissimis illis quarta additur, Lyssa, id est, rabies. Et furias dictas scribit Isidor. quod stimulis suis mentẽ feriant, & quietum esse non sinant. Orestem rectum, & consentaneum nomen consecutum esse ait Plato in Cratylo, siue forte fortuna nomen hoc* D *quispiam ei imposuerit, siue poetarum aliquis, ferinam illius naturam, & immanem, & quasi montosam, atq; asperam demonstrans. De cadauere eius per oraculum à Spartanis inuento, Herodot. lib. 1. Epitaphium Pyrrhi apud Ausonium tale extat.*

Orbe tegor medio, maior virtute paterna
Quod puer, & regis Pyrrhus opima tuli.
Impius ante aras quem fraude peremit Orestes
Quid mirum? cæsa iam genitrice furens.

EXCIP. INCAVT) Excipere, inquit Nonius, est opprimere, vel circumuenire. Citat hunc locum. Cic. ad Atticum lib. 4. Quod si est, nõ modo iter meum interclusum, sed me ipsum plane exceptum putabat. Et rursum. Admoniti sumus vt caueremus, ne exciperemur à Cæsare. Sed hæc significatio perparum ab illa discrepat, E quia à venatorib. ducitur hoc verbum *excipere*. Quod, vt dicam summatim, frequenter ad improuisam circũuentionem, fraudem, dolos, insidias, & oppressionem deniq; inopinatam pertinet. Vide eclog. 3. ad illa verba, *Nõ ego te vidi Damonis, pessime, caprũ Excipere insidijs.*

PATRIASQ. OBTRVN. AD ARAS) Quas hic appellet *patrias aras*, ambigitur. Ego, vt augeatur scelus sacrilegæ necis, dici puto, cum interfectum esse ad publicam, & patriam Delphorum aram, Apollini cõsecratam, quod & ab Euripide scribitur in Andromacha. Non desunt tamen, qui aram Achillis accipiant, & à Neoptolemo Apollini insultante, consecratam patri intelligant. Audiui & qui *patrias*, Apollineas interpretarentur, non à Patris vrbe Achaiæ, vt Seruius exponit: sed è cognomine Apollinis, qui πατρῷος à Græcis, vt refert in Atticis Pausanias. Alij ad Apollinem cognomẽto Genitiuum, qui Deli colebatur, & eodem fortasse cognomine Delphis, referendum censent: aut si Delphis hoc cognomento non colebatur, fuisse tamen Apollinis hoc cognomen prædicant. Genitor dicitur à Valerio Flacco, *Phœbi genitoris ad aras Ventum ait.* Alij, quod pater Apollo sit: vnde & à Marone scriptum, *Da pater augurium.* Turneb. lib. 17. cap. 16.

Apollo in Oreste fabula Euripidis.

Θανεῖν γὰρ αὐτῷ μοῖρα Δελφικῷ ξίφει,
Δίκας Ἀχιλλέως πατρὸς ἐξαιτοῦντί μοι.
Fatale Pyrrho est Delphico gladio mori,
Pœnas Achillis patris vt pendat mihi.

Vt proinde Virgilius rectè dixerit, *patrias obtruncat ad aras*. Etenim Achilles pater eodem modo ante aram Apollinis ceciderat, quod & Pausanias tradit lib. 1. [*Igitur* patrias ad aras, *hunc sensum habebit, ad aras Apollinis, perinde, vt is & pater eius apud Troiam ad eiusdem dei aram à Paride interfectus fuerat. Pathos hic mouere à loco, & loco sacro indicat. Macrob. lib. Saturnal. 4. cap. 3.*] Illud non omiserim, gladiũ Delphicum simpliciter accipi, quia ad aram Apollinis Delphici Pyrrhus sit occisus: & nihil pertinere ad Delphicam machæram, cuius Aristoteles 1. Politic. mentionẽ facit, quamuis secus videatur Erasmo. Et Delphicus gladius sic acceptus, ad eos referri potest, qui eodẽ fato, eodemq; vindice pereunt. Cum ille gladius Delphicus, de quo Aristoteles, fuerit machæra, prima tantum parte ferrea, vt pro ense esset: cętera lignea, vt alijs quoq; vsibus accõmodaretur. Sic enim veteres Grammatici tradiderunt. Alciat. Parerg. lib. 7. cap. 6. * *Atque ita quod alteri, nempe Priamo, fecerat, ab alio, scilicet Oreste, ipse tulit: par pari relatum est. Vnde & Neoptolemaa vltio dicta Græcis, de qua ex Leonico nonnulla produximus lib. 2. ad illa verba*, altaria ad ipsa trementem Traxit.

MORTE NEOPTOLEM. REGNORVM) Narrat quo ordine etiam ad Helenum regni potestas peruenerit. Per Molossum vtiq; cessit reddita, id est data, per enallagen figuræ. Qua adepta, affectum retinens patriæ gentilis, propter pręsentis temporis solatium plurimis locis Troiana indidit nomina: & hanc terram Chaoniam dixit, propter memoriam Chaonis, quem constat Troianum fuisse. Donatus.

Epirum descripturus Strabo lib. 7. ex Theopompo refert, gentes Epiroticas esse 14. Earum nobilissimæ sunt Chaones, & Molossi, propterea quod olim toti Epiro imperauerunt prius Chaones, post hos Molossi, qui & ob cognationem regum magna fecerunt incrementa (erant enim ex Æacidũm familia) & ob Dodonæum apud ipsos oraculum vetustum ac celebre, &c.

QVI CVRS. VENTI) Cum admiratione dictũ est, qui venti? id est, tam prosperi. Quæ fata? tam nobis fœlicia. Quis Deus? qui pręstitit nobis, vt te videre possemus.

IGNARVM) aliud disponentem. Non enim eò tendebat sciens. Seruius.

SVPERATNE, ET VESCITVR AVRA?) Eodem modo induxit Euripides colonũ, interrogantem Electram vxorem in fabula, cui ipsa nomen dedit: vt videatur Epicus Latinus poeta, è Tragico Gręco hunc locũ transtulisse. Cum enim ab opere rediens ille, inuenisset domi cum vxore colloquentes adolescentes duos, ac percunctatus esset, quinam illi forent, accepissetq; ab Oreste missos, statim inquit. *τί φασιν, ἀνὴρ ζεῖ, καὶ λεύσσει φάος;* Valet autẽ apud Latinum poetam *superat*, quod apud græcum ζεῖ: id enim primùm interrogari debuit: neq; enim mirũ fuisset, vtrumq; tantis malis oppressum vitam finiuisse. Quod verò additur ab vtroque, est tanquam

 declara-

declaratio eius, quod vno tantùm verbo, ac nimis concisè dixerat. A consequentib⁹ igitur ambo vitam significarunt: nam qui viuunt, luce fruuntur, & quasi vescuntur. Victor. lib. 2. cap. 19. * *Superare est hic superstitem esse. Plaut. Truculento, nomen adaugeat.* Quid multa? ætas huic si superet mulieri. *Sequitur illud,* & vescitur aura? *Arnob. lib. 7. Quod enim spirat. & reciprocos halitus aeris commeabilibus lucis, id necesse est esse mortale, quia cali sustinetur a pastu. Consule lib. 1. Vbi in oratione sleuinus idem hemistichium cum toto sequenti iteratur. Quod poeta dixit, vesci aura. & alij dicunt athere vesci, vitales auras carpere. Venustissimè dixit Cic. in Orat. pers. animam de calo ducere: quomodo alias dicimus, spiritum ducere.*

QVEM TIBI IAM TROIA) Quidam hoc hemistichium sic integrarunt, *peperit fumante Creusa.* Alij, *obsessa est enixa Creusa.* Sed hemistichia Virgiliana, quæ multa sunt, velle perficere & complere, est Apellis dimidiatam Venerem conari absoluere.

AMISSÆ CVRA PARENTIS) Parentis nomine patriam intelligit Seruius, quod Andromache Creusam amissam ignoraret. Sed illa cum à Troia captiua abducta sit, facilè eius casum cognoscere potuit. Æneas annum iam quintum errabat, quo tempore illa rem sæpius potuit audiuisse. Modicius cap. 29. * *Sicut mulier est animal natura φιλότεκνον, ita vicissim & viri sunt φιλομήτορες. Quem amorem pariunt consuetudinis assiduitas, lactationes, gestationes, blanditia, basiationes, diurnaq; & nocturna officia: qua omnia suadet suauissima maternitas. Non itaq; imprudenter Andromache interrogat, quo animo puer Ascanius desiderium matris ferat.*

Posterioris interrogationis, agricolæ illius, qui in Electra inducitur, imitatio esse videtur, cum ait: *ἦ κἀν τεκόντες, οὔ τι μήτηρ ζῇ σέθεν;* vt falsa prorsus, explodendaq; videatur sententia eorum, qui in latino carmine *parentis* valere putarunt, patriæ. Nam similes etiam hi loci valde inter se sunt, quod ambæ hæ personę quæ interrogant, commotæ animo sunt, re noua atque inexspectata perturbatæ: quare conuenit ipsis mirificè vehemens hæc, acrisq; interrogatio. Victor. lib. cap. 19.

ECQVID IN ANTIQVAM VIRTVTEM) De indole Ascanij quærit, num videatur aliquando patris sui, & Hectoris auunculi fortissimorum virorum similis futurus. Non enim multi hominum illustrium filij parentum similes euadunt, plures deteriores, pauci meliores. Vide lib. 12. *& te animo repetentem exempla tuorum,* &c. Antiqua virtus, vt antiqui mores, id est, optimi, laudatissimi.

ANIMOSQ. VIRILES) Sunt enim quidam animi muliebres, quales Romanæ iuuentuti exprobrauit Ennius. De hoc eodē Ascanio lib. 9. *Ante annos animumque gerens, curamq; virilem.* Cic. ad Att. lib. 14. Acta enim illa res est animo virili, consilio puerili. Tales animi vicissim fœminis insunt. Val. de Lucretia lib. 6. cap. 1. Dux Romanæ pudicitiæ Lucretia, cuius virilis animus maligno errore fortunæ, muliebre corpus sortitus est. *φρένας ἀρσένας* dixit in Oreste Euripid. Horat. mares animos. Dicitur & masculus animus.

TALIA FVNDEBAT LACRYMANS, longosq; ciebat
Incassum fletus: cùm sese à mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Agnoscitq; suos, lætusq; ad mœnia ducit:
Et multùm lacrymas verba inter singula fundit.
Procedo, & paruam Troiam, simulataq; magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum
Agnosco, Scææq; amplector limina portæ.
Nec non & Teucri socia simul vrbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus: paterasq; tenebant.

INCASSVM) Bene incassum. Quid enim prodesse poterant lacrymæ, cum amissa reparari non possent? Dictura adhuc intelligitur fuisse complura, & responsurus proculdubio fuit Æneas interrogationibus, tanta benignitate prolatis: sed ne id fieret, Heleni aduentus effecit, qui cum magna deductorum caterua insperatus processerat. Fecit autem Helenus, quod est inter homines sæpe difficile. Nonnulli enim fortunæ suffragijs suffulti, despiciunt eos, quos aduersa fata deiecerunt. Nonnulli pudore potius, quam voluntate humani sunt. Iste agnouit suos, & lætos domum duxit. Quod ait, multùm lacrymas inter singula verba fudisse, duos motus animi eodem tempore Heleno dedit, lætitiæ scilicet, & mœroris. Quod lætum dicit, & flentem, alterum fuit, quod videbat suos: alterum, quod malorum communium recordatio dolorem cogebat ad lacrymas. Donatus.

CVM SESE A MOEN. HEROS) A nomine ἔρως amor, manat vocabulum heros: quia omnes heroes ex deorū erga mortales mulieres, aut mortalium erga deos amoribus nati sunt. Atticus etiam antiquus sermo hanc vocem ἥρως de illo dicebat, qui dicendi, siue disserendi facultate valeret, & ad interrogandum aptus esset. Sed & tum ab ἔρως deflectebatur. Hæc carptim ex Platonis Cratylo. Vsus vocis heros patet longe latius, atq; eam notionem habet iam, quam Germanicum *Held.*

MVLTIS COMITANTIBVS) Quod alibi, *magna stipante caterua.*

AFFERT) Malim legere, affert, quam offert, & ita, fretus multorum librorum scriptura emendaui. Nam afferre se quopiam, pro accedere, aduenire, latinè dicitur, & nescio quomodo venustius. Plaut. *Ego sum Ioui dicto audiens, eius iussu nunc huc me affero.*

AGNOSCITQ. SVOS) Ex captiuo rex Helenus, in illa amplissima fortuna sua non erubuit Æneam affinem & exulem: sed omni cum humanitate tractauit. Notandum exemplum. Reperiuntur enim multi, in quibus honores mutant mores. Laudandus Vitellius Aug. qui sæpe mentionem faciebat veterum sodalium, eosq; habebat in honore. Neq; enim turpe, aut se indignū putabat, si aliquem ex eis agnoscere videretur: quod plerīq; faciunt, qui elati maximis, & insperatis honoribus, oderunt eos, à quibus se intelligunt humiles antea, & abiectos cognitos fuisse. Hæc de eo Xiphilinus.

MVLTVM

MVLTVM LACRYMAS) Euenire ſolet naturâ, vbi ſe conſpiciunt longo poſt tempore amici, & conſanguinei, multis interim periculis, & laboribus exantlatis, vt contrarij vnà miſceantur affectus, & præteritorũ periculorum, longiorisq; abſentiæ memores, & præſentis voluptatis, ac lætitiæ indices. Vtrumq; produnt vnæ, eædemq; lacrymæ [*idq; alijs etiam in rebus, lacrymæ, inquam, eadem, & doloris, & voluptatis ſimul indices fluunt.*] Manare autem lacrymas gaudio non minus, quàm luctu, multi auctorum loci teſtes ſunt. Terent. *Obe, lacrymo præ gaudio.* Liuius lib. 5. Certatim patribus, plebique manare gaudio lacrymæ. Quintil. lib. 11. Lacrymas natura mentis indices dedit, quæ erumpunt dolore, aut lætitia manant.

PARVAM TROIAM SIMVL.) Expreſſit veterem ritum Græcorum Virgilius, cum indicauit Helenum augurem Priami filium (qui morte Pyrrhi, cui in ſeruitutem addictus fuerat, affinitateq; heri regnum in Epiro conſecutus eſt, atque vrbem condidit) plures vrbis partes, agriq;, nominibus appellaſſe, quibus vocabantur patriæ ipſius Ilij loca: apud Græcos namq; hoc vſitatum erat, vt qui in coloniam mitterentur, aut aliquo caſu patriam relinquere cogerentur, patris nouis ſedibus hoc facerent, atq; ita acrem illum amorem patriæ conſolarentur: ſiue id dignitati natalis ſoli, reuerentiæq; dabant. Polybius grauis rerum Romanarũ, græcusq; auctor, hoc duobus locis apertè ſignificauit. In excerptis enim 8. lib. quæ reſtant, illo, quo defectio Tarenti commemoratur, moris huius mentio eſt: vbi Hannibalem capta iam ciuitate, muroq; ab arce defenſo, ad Galeſum flumen caſtra poſuiſſe narrat: quem docet alio nomine etiam vocatum Eurotam, ab Eurota propinquo mœnibus Lacedæmonis, cum Tarentum colonia Spartanorum eſſet. Victor. * *Huc conferas licet, quæ ex Turnebo ſumimus lib. 5. in illum verſum,* Nullàne iam Troiæ dicentur mœnia? *&c. Supra,* falſi Simoentis ad vndam. *Et infra,* effigiem Xanthi, Troiamq. videtis, Quam veſtræ fecere manus. *Xanthus autem alio nomine dictus eſt Scamander.*

Tamen in Romanis quoq; colonijs, non Græcis tantùm, quod ad publica ſpectat ædificia, morem fuiſſe docet in 5. Auguſtan. Antiquit. doctiſſimus, & accuratiſſimus Marcus Velſerus, nõ res modò, verùm appellationes quoq; ad Romanum exemplar conformatas, ſiue dominæ vrbis imitatione, & ad eius quodãmodo præiudicium, ſiue tacito naturæ inſtinctu, quo ad patrij ſoli memoriam omnibus modis reuocamur. Inde eſt, quod in quibuſdam colonijs campum Martium, & neſcio quæ huius generis reperimus, ſed frequentiſſimè Capitolia. Nam Capitolia habuiſſe illuſtres vrbes, Capuam, & quæ ſequuntur pag. 87. liber eſt obuius.

AMPLECTOR LIMINA PORTÆ) Et poſtes domorũ, & portarum limina amplecti ſolebant, qui exulatum ibant, aut peregrinatum, diu abfuturi domo. Iidem etiam reduces oſculari, & amplecti ea ſolebant. Flaccus lib. 1. Argonaut. *patriaq; amplector limina porta.* Quod & faciebant in patriæ imagine, & aſſimulatione, vt hîc vides, & in colonijs. Turneb. lib. 22. cap. 28. Vide præterea locum illum lib. 2. *Amplexaq; tenent poſtes, atque oſcula figunt.*

PORTICIBVS ACCIPIEB.) Verbum accipiebat, Seruius de conuiuio intelligendum putat, citatq; illud Terentij. *Accipit homo nemo melius, neq; prolixius,* id eſt, paſcit. Attamen ego non multum ei aduerſarer, qui de introductione Troianorum in regiam ſentiret: nam ſequitur ſtatim conuiuij mentio. Naſcimb. * *Quod ſequitur, expolitio quædam, & veluti explicatio eſt verbi accipiebat: quales ſexcentæ occurrunt per hoſce libros. Quare cum Seruio ſentiendum puto, & ſalſi Naſcimbænum. Catonis, Plauti & aliorum auctoritatibus vſum hunc verbi accipere, aut etiam cum adiuncto, hoſpitio accipere, nihil eſt cur velimus probare, in promptu ſunt. Tamen vnam hanc Ciceron. accipe lib. 6. de Repub. Poſt adventum regio apparatu acceptus, ſermonem in multam noctem produximus.*

AVLAÏ IN MEDIO) Diphthongus, æ, olim ſcribebatur per, ai, ne cui mirũ ſit, ex, ae, heri *κατὰ διαίρεσιν*. Apud noſtrum eſt etiam pictaï, auraï. Apud Lucretiũ, militiaï, viaï, naturaï, materiaï, Geryonaï: & alia innumerabilia. Apud Cic. in Arato, aquaï. Aula, inquit Iſidor. lib. 15. cap. 3. eſt domus regia, ſiue ſpatioſum habitaculum, porticibusq; quatuor concluſum.

LIBAB. POC. BACCHI) antequam veniretur ad compotationem, ſeu principio conuiuij de vino libabant vel Ioui hoſpitali, vel Baccho. Ergo ab eo quod præcedit, intellige id quod ſequitur. Obliti miſeriarum, vino ſe largius inuitabant, quod etiam illis verbis innuit, *pateraſq; tenebant.* Sæpe enim habere in manibus pocula, ſcis cuius rei ſit indicium. ⁂

IMPOSIT. AVRO DAPIB.) Ex hoc etiam cæteram ſupellectilem auream fuiſſe diſcimus, ad oſtentationem videlicet regiæ magnificentiæ, & ad honorem tantorum hoſpitum. ⁂

Iamq; dies, alterq; dies proceſſit: & auræ
Vela vocant, tumidoq; inflatur carbaſus auſtro.
His vatem aggredior dictis, ac talia quæſo.
Troiugena, interpres diuûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clari lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ:
Fare age (namq; omnem curſum mihi proſpera dixit
Relligio: & cuncti ſuaſerunt numine diui
Italiam petere, & terras tentare repoſtas:
Sola nouum, dictuq; nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, & triſtes denuntiat iras,
Obſcœnamq; famem) quæ prima pericula vito,
Quidúe ſequens, tantos poſſim ſuperare labores.
Hîc Helenus, cæſis primum de more iuuencis,
Exorat pacem diuûm: vittaſq; reſoluit

Sacrati capitis: meq; ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit:
Atq; hæc deinde canit diuino ex ore sacerdos.

IAMQVE DIES, ALTERQVE DIES) Argumentum A benignitatis ostendit, cum hoc non tantum vna die, sed & altera exhibetur hospitium. Donat.

AVRÆ VELA VOCANT) Alibi contra, *vocat iam carbasus austros.*

TROIVGENA) Ac si diceret, nobilissime vir, vt alibi, *Dardanide magni, genus alto à sanguine diuûm.*

INTERPRES DIVVM) Augur erat Helenus. augures autem sunt quidam interpretes, & internuntij deorum. Liuius Carmentam Euandri matrem veridicam deorum interpretem, eandem & fatiloquam vocat lib. 1. Cicer. Philipp. 13. Vtrum igitur augurem Iouis opt. max. cuius interpretes, internuntijq; sumus, pop. Rom. libentius sanciet? Mercurium sic vocauit 4. Æneid. B *Interpres diuûm fert horrida iussa per auras.*

QVI TRIPODAS) Quid tripus fuerit, Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est. Homerus Iliad 4. videtur asserere, vas fuisse, quod tribus pedibus fulciebatur, ansisq; , siue aures, quibus capiebatur, habebat. Callimachus in lauacra Dianæ, tripodem sellam fuisse scribit, tribus pedibus innixam, cui insidens Pythia, oracula fundebat. Hellanicus, vas pulueribus plenum. Strabo, speluncam profundâ. Luctatius lauri speciem, habentem tres radices, Apollini consecratas, propter triplicem vim diuinationis. Nam & sol præterita videt, inquit, præsentia cernit, & futura visurus est. Est etiam C tripes mensa Apollinis, corio Pythonis serpentis tecta. Hæc ille. At longè diuersa de tripode Plutarch. in Solone, eum consule, & dial. Luciani de Astrologis. Ioan. Bernartius in Statij Thebaid. lege præterea Rhodigin. lib. 8. cap. 15.

ET VOLVCRVM LINGVAS) Quanta superstitione veteres auspicia coluerint, quæ aues ominosæ, & inauspicatæ haberentur, docet Crinit. lib. 21. cap. 15. Oscines porrò vocatæ sunt, quæ ore cantuq; auspicium facerent, vt coruus, cornix, picus. Quæ futura volatu portenderent, vt buteones, sanualiæ, aquilæ, & vultures, si fælices fuissent & prosperæ, eas appellarunt præpetes: sin aduersa, atque ominosa prænuntiassent, me- D tras dixerunt, quod aliquid fieri inhiberent, vt est auctor Sex. Pompeius. Tum metras etiam vocarunt, quæ tardare auspicium, atq; morari existimarentur. Virgilius præpetes, & oscines manifestè indicat. Helenum dicit Cicero de diuinat. augurijs diuinasse, vt Cassandram mentis incitatione & furore: ita sola auguria Heleno tribuere videtur, cui Maro omne prope diuinationis genus his verbis concedit, *Troiugena interpres diuûm, qui sidera sentis, Qui tripodas,* &c. Turneb. lib. 5. cap. 21. De generibus auspiciorum, & quibus ea verbis peragerentur, consuluito Brissonium lib. 1. pag. 122. & 124.

PRÆPETIS OMINA PENNÆ) Penna pro aue, vt Sophocl. in Colon. [Greek]. Item Callim. in Baln. de augurijs. [Greek]. Sic & Propert. lib. 3. de natali amicæ. *Tuq; ò charo mihi felicibus edita pennis Surge,* &c. hoc est, bonis, & fortunatis auibus. German.

Oratio hæc multiplices habet beneuolentiæ locos, quia varios continet commendationis gradus. Nam primo Helenum commendat à dignitate, seu ab officio, quod deorum sit interpres: deinde à peritia diuinandi: quia Apollinis oracula cæteris omnibus obscuriora, atq; intellectu difficiliora, quantum intelligi possint, intelligat; & verbis mirificè exprimat: postremò ab optima varij augurorum generis cognitione. Vnde plena, perfectaq; fieri laus videtur. Nam cum variæ diuinandi rationes, quatuor inprimis, existant, docet Helenū omnes illas possidere, & æquè perspectas, exploratasq; habere. Ad quam profectò laudem maior cumulus minime accedere posse videtur. Nascimb.

FARE AGE) Fari interdum non est loqui, sed augurari. Varro lib. 5. de ling. lat. Qui diuina prædiuinando solent fari, fatidici dicti. Ennius.

Atq; Anchisa doctus Venus quem pulchra dearum Fari donauit, diuinum & pectus habere.

Attius. *Neq; me Apollo fatis fandis dementem inuitam ciet.* Sen. Oedipo. *Responsa solue. fare, quem pœnæ petunt.* Delrius ibidem.

TERRAS TENT. REPOST.) longè positas. Suprà Anchises. *Sed quis ad Hesperia venturos littora Teucros Crederet?*

SOLA NOVVM DICTVQVE) Suprà, *Accipite ergo animis,* &c. Et est caussa explicata, quamobrem de vitandis periculis quibusdam, & pugnantibus quodammodo oraculis ipsum consulat.

TRISTES IRAS) Deorum, ob iniurias sibi illatas.

OBSCOENAMQVE FAMEM) Aut quia homines ad obscœna etiam compellit, vnde & malesuada fames: aut quia obscœna auis eam prædixerat. Seruius.

QVÆ PRIMA PERICVLA VITO) Duo petit, quemadmodum aut periculis careat: aut quibus consilijs per esse laboribus queat. Seruius.

HIC HELENVS, CÆSIS PRIMVM) Vates responsa daturi consulentib9, sacris operabantur, & adhibebant certas cęrimonias, quibus, significabatur aliquid vulgo ignotum. Illis autem, sacris inquam, sibi deorum gratiam conciliabant, ne fraudi esset, quod mortalibus eorum consilia patefacerent. Sic Sibylla lib. 6. diuorum pacem exoratura, antequam numen concipiat, Æneam ad hostias iuuuges cædendas hortatur.

VITTASQVE RESOL. SACRAT. CAP.) Qui deos venerabantur, operto erant capite, cuius ritus rationem multis verbis reddit Plutarchus, Quæst. Rom. quæst. 10. vbi etiam caussa aperitur, cur illud potentioribus obuiam facti nudarent. Plaut. Amphitr. *Inuocat deos immortales, vt sibi auxilium ferant, Manibus puris, capite operto.* Lucret. lib. 5.

Nec pietas vlla est, velatum sæpe videri,
Vertier ad lapidem, atq; omnes accedere ad aras

Præterea velati dicebantur, quorum caput laneo licio circumdatum erat: quod vsurpabant legati, qui res re- E petebant. Liuius lib. 2. Legatus vbi ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato, &c. * *Multa sunt dicta de Vittis lib. 10. ad versum illum,* Infula cui sacra redimibat tempora vitta. *Est autem mos Graecis contrarius, vt significet, animo libero, & nullo piaculo obstructo, quippe iam per sacrificium expiatos, ad numen accedere. Quadam enim, vt monet Seruius, quæ in animo fiunt, per corpus significantur.*

MVLTO SVSPENS. NVMIN.) Si *suspensum* legas, quam lectionem vulgati omnes retinent, ad Æneam pertinebit, significabitq; attentum, & sollicitum,

tum, toto animo, & cogitatione in numen Apollinis conuersum, religione ictum, sanctitate loci commotum. Sin *suspensus*, vt Seruius legi posse indicat, expone, plenus multo numine, Helenus videlicet.

Nate dea (nam te maioribus ire per altum
Auspicijs manifesta fides: sic fata deûm rex
Sortitur, voluitq; vices: is vertitur ordo)
Pauca tibi è multis, quò tutior hospita lustres
Æquora, & Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis: prohibent nam cætera Parcæ
Scire Helenum, fariq; vetat Saturnia Iuno.
Principiò Italiam, quam tu iam rere propinquam,
Vicinosq;, ignare, paras inuadere portus,
Longa procul longis via diuidit inuia terris.
Ante & Trinacria lentandus remus in vnda:
Et salis Ausonij lustrandum nauibus æquor,
Inferniq; lacus, Ææaq; insula Circes:
Quàm tuta possis vrbem componere terra.
Signa tibi dicam, TV CONDITA MENTE TENETO.
Cum tibi sollicito secreti ad fluminis vndam,
Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit,
Alba solo recubans, albi circum vbera nati:
Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

NATE DEA) Primùm ex persona Æneæ beneuolentiam colligit, cum non proprio, sed dignitatis eum nomine appellat, *nate dea*. Tota autẽ hæc Heleni vaticinatio ex 2. Apollonij lib. sumpta est: vbi Phineus fugatis Harpyiis, euentum nauigationis, itinerisque finem Argonautis prædicit. Hoc autem inter vtrumq; interest, quod alia Apollonius, alia Virgilius loca describit. Nam aliò Troiani, aliorsum Argonautæ nauigarũt, Nascimb.

MAIORIBVS AVSPICIIS) cælesti quodam ductu, quod est maius quiddam, quàm quod ex auium garritu, aut volatu captatur.

SIC FATA DEVM REX SORT.) voluendo fatorum vices, atque adiutando disponit.

PROHIBENT NAM. C. P. S. HEL.) Quod dicit, vetari se à Parcis plura scire, est ex intima disciplinæ profunditate sententia. Vide cap. 7. lib. 1. in somnium Scipionis apud Macrob. ab initio. Quomodo in deũ nomen *Parcæ* conueniat, μοῖρα græcè vt ἀνάγκη, εἱμαρμένη, πεπρωμένη, νέμεσις, ἀδράστεια, αἶσα, videndus Aristoteles libello de mundo.

Seruius tamen sic distinguit, vt sit sensus, cætera te scire non sinunt fata: Helenum verò Iuno prohibet dicere etiam quæ audire poteras, vt de Didonis amoribus, quorum adeo tristis exitus. Hoc enim illa facit, quò regnum Italiæ Libycas auerteret oras. Vt Æneas implicitus, & irretitus Didonis amore, remaneat in Africa. Alioqui quomodo prohiberet Iuno dici, si fata scire prohibent? nullus enim vetatur loqui, quod nescit. Quæ sunt igitur, quæ scire Æneam fata vetant? mortem patris in Sicilia, tempestatem ab Æolo immissam. Certè de patris morte sibi non prædicta, conqueritur ipse Æneas infrà his verbis. *Nec vates Helenus, quum multa horrenda moneret, Hos mihi prædixit luctus.*

IGNARE PARAS) Enallage est, pro ignarus.

LONGA PRO. LONG. V. D. IN.) Traductio. Et, via inuia dictum, vt innuptæ nuptiæ, mentes dementes, iniusta iusta, artes inertes, & alia sexcenta, quæ à Græcis manarunt, illi enim *νύμφην ἄνυμφον, φίλον ἄφιλον*, & similia dicunt.

TRINACRIA LENT. REM. IN VNDA) id est, Siculo mari nauigandum. Cum enim remiges magnis viribus remigant, lentant, id est curuant, & flectunt, pandantque remos: qui & ea de caussa lenti Catullo, cuius versus Virgiliani carminis explanatio erit. *Quinà fugit lentos incuruans gurgite remos?* Turneb. lib. 4. c. 28.

Seneca in Agamemnone. *Properat iuuentus omnis adductos simul Lentare remos.* Hinc & Virgil. 3. Georg. lentas massas pro ductilibus. *Ac veluti lentis cyclopes fulmina massis Cum properant.* Sic Horatius lenta brachia, pro flexilibus, & ad amplectendum accommodatis.

Arctius atq; hedera procera astringitur ilex,
Lentis adhærens brachijs.

Ioan Bernartius in 1. Thebaid. Statij.

INFERNIQVE LACVS) Lucrinum & Auernum, inter quos spelunca, qua ad inferos descendebatur.

ÆÆÆQVE INSVLA CIRCES) Vnde Ææa Circe dicatur, Grammatici nostri exponnunt, nec tamen, quod afferunt, satis mihi probant. Ego Maronem, Homeri exemplo eam ita vocasse puto. Homerus enim scribit, Ὡς δ' ὅτε κέρκη καλλιπλόκαμος ἐν μεγάροισιν Αἰαίη Κίρκη. Erat igitur Æa ad Phasin amnem peninsula, vt Græci scribunt, metropolis Colchorum, vt sit Ææa, Colchica: atque eiusdem nominis etiam prope Italiam erat insula Circes. [*dicta secundum Plutarchum ἀπὸ τοῦ αἰάζειν, lugere & lamentari, propter mutationes factas ex hominibus in bestias. Virgil. lib. 7. Hinc exaudiri gemitus, iræq; leonum, &c.*] Ææ Colchorum sic Herodotus meminit lib. 1. καταπλώσαντες γὰρ μακρῇ νηῒ ἐς Αἶαν τε τὴν Κολχίδα, καὶ ἐπὶ Φᾶσιν ποταμόν. Turneb. lib. 7. cap. 14.

QVAM TVTA POSSIS VRB.) tuta, propter Cretam, & Thraciam, in quibus hoc non potuit. Et est intelligendum de Alba longa, propter omen scrofæ, de quo sequitur mox.

SOLLICITO) anxio de laborum exitu.

LITTOREIS INGENS) Hic, & deinceps tres versus sequentes, repetuntur ad verbum lib. 8. à Tiberino.

TRIGINT. CAP. FOET. ENIXA) De numero triginta, quomodo eum exprimat Ausonius, vide lib. 1. Æneid. *Triginta magnis voluendis mensibus orbes Imperio explebit.* Ibidem de Alba condita. Huc aptari possunt verba Varronis è lib. 2. de re rust. cap. 4. Parere tot A oportet porcos, quot mammas habent. Si minus pariat, fructuariam idoneam non esse: si plures pariat, esse portentum. In quo illud antiquissimum fuisse scribitur, quòd sus Æneæ Lauinij XXX. porcos peperit albos. Itaque quod portenderit, factum XXX. annis, vt Lauinienses condiderint oppidum Albam. Huius suis, ac porcorum etiamnunc vestigia apparent Lauinij: quod & simulacra eorum ahenea etiam nunc in publico posita, & corpus matris ab sacerdotibus, quod in salsura fuerit, demonstratur. Hactenus Varro. Eniti, est nitendo parere: cum nisu totius corporis fœtum ex vtero profundere. Eniti etiam, est valde niti.

Nec tu mensarum morsus horresce futuros.
FATA VIAM INVENIENT, ADERITQVE VOCATVS APOLLO.
Has autem terras, Italiq; hanc littoris oram,
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,
EFFVGE: CVNCTA MALIS HABITANTVR MOENIA GRAIIS.
Hîc & Narytij posuerunt mœnia Locri,
Et Salentinos obsedit milite campos
Lytius Idomeneus: hîc illa ducis Melibœi
Parua Philoctetæ subnixa Petilia muro.
Quin vbi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris iam vota in littore solues:
Purpureo velare comas adopertus amictu:
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc socij morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casta maneant in relligione nepotes.

NEC TV MENSAR. MORSVS) Adimit timorem, spemque dat futuræ quietis, & felicitatis. De industria verò rem duram, perpessuque asperam duris & asperis exprimit verbis. Vt in lib. 1. *fremet horridus ore cruento.* Obseruandum hic, non dari Troianis securitatem euitandæ famis: sed hoc ait, ne horrescat morsus mensarum. Perinde quasi diceret, quod licet consumpturus sit mensas, ob id tamen nihil esse, quod spem futuræ fælicitatis amittat, quia omina illa prosperè, ac feliciter euentura sint. Nascimb.

FATA VIAM INVENIENT) Prouerbiale carmen, quo quis semet, aliumúe in rebus dubijs, perplexis, incertis planè, item in tristibus, & ærumnosis sollicitum, atque anxium alloqui, leuareque poterit. Habet eandé C vim cum illo, Adhuc est aliquis Deus.

ADERITQVE VOCAT. APOLLO) aderit inuocatus ὡς [illegible], ἢ ἀλεξίκακος, cuius nomine minata est Celæno.

HAS AVTEM TERR. ITALIQVE) De Campania, & Calabria dictum, quæ pars Italiæ magna Græcia vocata est, à Græcis vrbibus ibidem conditis. Condiderunt autem tum in ea, tum in alijs partibus Italiæ Græci ciuitates multas, de quibus memoriæ prodidit Iustinus, cuius verba ita sonant, lib. 20. Prima illi militia (Dionysio) aduersus Græcos, qui proxima Italici maris littora tenebant, fuit: quibus deuictis, finitimos quosque aggreditur, omnesque Græci nominis Italiam possi- D dentes, hostes sibi destinat: quæ gentes non partem, sed vniuersam ferme Italiam ea tempestate occupauerant. Deniq; multæ vrbes adhuc post tantam vetustatem ve- B stigia græci moris ostentant. Namque Tusculorum populi, qui oram inferi maris possident, à Lydia venerunt. Adria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Adriatico mari nomen dedit, Græca vrbs est. Arpos Diomedes exciso Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit. Sed & Pisæ in Liguribus Græcos auctores habent: & in Tuscis Tarquinij à Thessalis, & Spinambris. Perusini quoq; originem ab Acheis ducunt. Quid Cære vrbem dicam? Iam Falisci, Nolani, nonne Chalcidensium coloni sunt? Quid tractus omnis Campaniæ? Quid Brutij, Sabinique? Quid Samnites, quid Tarentini? quos Lacedæmone profectos, spuriosque vocatos accepimus. Thurinorum vrbem condidisse Philocteten ferunt, ibique adhuc monumentum eius visitur: & Herculis sagittæ in Apollinis templo, quæ fatum Troiæ fuere. Metapontini quoque in templo Mineruæ ferramenta, quibus Epeus, à quo conditi sunt, equum Troianum fabricauit, ostentant: propter quod omnis illa pars Italiæ, maior Græcia appellata est. De Græcia magna insuper consule Rhodigin lib. 7. cap. 9.

HIC ET NARYTII LOCRI) Narytij scribendum, non Naritij, vt habent vulgati codices, à Naryce Locridis vrbe. Turneb. lib. 17. cap. 16. Locros describit Strabo lib. 6.

DVCIS MELIBOEI) Ita nominat à patria, Melibœa videlicet, quæ est vrbs Thessaliæ.

PARVA PHILOCT. S. P. MVRO) In descriptione Lucaniæ, Strabo lib. 6. Petilia Lucanorum vrbs, hodieq; satis est frequens hominibus. Condidit eam Philoctetes, cum Melibœa ob seditioné profugisset. Vrbe est na-

est natura loci munita: itaq; & Samnites aliquando castellis extructis, se contra eam tutati sunt. Philoctetæ opus est etiam Crinusa vetus, iisdem in locis, &c.

Quam variè vsi sint veteres hoc nomine Philoctetes, docet Alciatus Parergon iuris lib. 5. cap. 6. Significauit illis ex vi etymologiæ auarum, & possessionum cupidum (quod ostendimus Eclog. 9. ibi, *nostri possessor agelli.*) Nonnunquam ex moribus hominis illius, & euentis tracta est significatio. Cum enim ad Troiam vnà cum cæteris Græcis proficisceretur, natrix eius pedes inuasit, vt est apud Philostratum, & Q. Calabrum lib. 9., aut, vt alibi traditum est, venenata sagitta in eius pedem incidit. Quare subsedit in Lemno insula, multa interim mala Græcis imprecans, à quibus ibi desertus esset. Vide fabulam apud Hyginum, cap. 102. Hinc Cicero Trebatium iureconsultum, qui Cæsarem in Britanniam euntem subsecutus non erat: sed excusatione quadam vsus, Samarobrinæ substiterat, eleganter Philoctetem vocat, Epist. ad familiar. lib. 6. Quam lectionem ego magis probo, quam illorum, qui Philotheoron legunt, spectaculorumque amatorem, vel peregrinationis studiosum interpretantur. Ex eadem fabula Cicero Philocteten vocat eum, qui plurima mala patriæ suæ, aut ciuibus suis imprecatur: id enim, vt dictum est, ille faciebat. Ouid. Metamorph. *Dure Philoctete licet execrere, meumq; Deuoueas sine fine caput.* Ausonius Philocteten pro molli & effæminato accipit, *Herculis heredi quam Lemnia suasit egestas.* Epig. 70. Quo nomine notatus est à etiam Martiale lib. 2.

Mollis erat, placidusq; viris Pœantius heros,
Vulnera sic Paridis dicitur vlta Venus.

PETILIA) Turneb. lib. 30. cap. 18. nouam quandam quorundam nominum scribendorum consuetudinem reprehendens: sed ne Petillius quidem, inquit, scribendum est, cum nec Petilia vrbis nomen, vnde ductum videtur, consonantem duplicet: quæ à πέτεσθαι, & ab Ilio deriuata appellatio est: siue à petilio, quod exile, aut paruum est, vt à rutilo Rutilius.

PVRPVREO VEL. COMAS) vt sacra dijs facientes, eosq; venerantes, excepto solùm Saturno, caput tegerent, antiquum fuit institutum. Vide Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 10. Vt in culpam meritò veniat Triclinius, illud Pindari hymno Olympiorum. 6. πολλὸς ὑπαίδεος sic edisserens: δίχα τινὸς ἐν τῇ κεφαλῇ καλύμματος. οὕτω γὰρ ἦν ἔθος εὔχεσθαι. Iudæi, sicut nunc etiam videre licet, deo supplicantes, linteo caput obnubunt. Brod. lib. 5. cap. 8. * *Vide supra ad illud,* Exorat pacem diuûm, vittasque resoluit Sacrati capitis. *Præterea consule German. super hoc loco. De Vitellio Sueton. cap. 2. Primus C. Cæsarem adorari vt deum instituit, cum reuersus ex Syria, non aliter adire ausus esset, quam capite velato, &c. Plaut. Curcul.* Quis est hic, qui operto capite Æsculapium salutat? *Vide Torrentium in Sueton. locum, vbi etiam gestus habitusq; deos adorantium explicatur. Vide insuper Formulas Brissonij lib. 1. nihil requires amplius.*

CASTI MAN. IN REL. NEPOTES) id est ἁγνοί, contrarium, ἄναγνοι. Non semper Latini vocem *castus* ad libidinem respicientes vsurpant. Sæpe enim illis valet castum, quod integrum, incorruptum, sincerum, pium, sanctum, religiosum, &c. Cic. pro lege Manil. Labor meus in priuatorum periculis castè integréque versatus. Philipp. 5. per ironiam de Antonio. Legem etiam iudiciariam, homo castus, atque integer, iudiciorũ, & iuris auctor. Idem epist. 4. ad Terent. quando neque dij, quos tu castissimè coluisti: neque homines, quos ego seruaui semper, nobis gratiam retulerunt. Virgil. lib. 6. *Nulli fas casto sceleratum insistere limen.* Vitruuius lib. 1. cap. 1. Nullum opus verè sine fide & castitate fieri potest. Hic castitatem sanctimoniam quandam, & integritatem morum, ab auaritia, & sordibus abhorrentem, & alienam appellat, atque auaritiæ opponit. Auaritia enim sordida est, inquinat quod purum est. Turneb. lib. 30. cap. 36.

Videtur hic poeta religionem, ritusque illibatos, immutatosq; posteris, nepotibusque transmittendos decernere, ex Platonis doctrina Leg. 1., qui veluti perpetui cautione edicti legislatores, non modò ciues, vetat immota hæc mouere, his verbis. ἀεὶ δὲ αὐλὰ φυλᾶττειν, &c. German. * *Vtinam porrò veterum Germanorum nepotes in ea religione casti mansissent, quam ab illis per manus traditam acceperant: non omnia sursum ac deorsum ferri videremus. Tantum, non religio, vt ait Lucretius, sed capitulis ille, at sempiternus humani generis inimicus potuit suadere malorum.*

Ast vbi digressum Siculæ te admouerit oræ
Ventus, & angusti rarescent claustra Pelori:
Læua tibi tellus, & longo læua petantur
Æquora circuitu: dextrum fuge littus, & vndas.
Hæc loca vi quondam, & vasta conuulsa ruina
(TANTVM ÆVI LONGINQVA VALET MVTARE VETVSTAS)
Dissiluisse ferunt. cùm protinus vtraq; tellus
Vna foret, venit medio vi pontus, & vndis
Hesperium Siculo latus abscidit: aruaq; & vrbes
Littore diductas angusto interluit æstu.
DEXTRVM SCYLLA LATVS, LÆVVM IMPLACATA CHARYBDIS
OBSIDET: atq; imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusq; sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naues in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: postrema immani corpore pristis,

Delphi-

Delphinum caudas vtero commissa luporum.
Præstat Trinacrij metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos & circumflectere cursus,
Quàm semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.

AST VBI DIGRESSVM) digressum à littore Calabriæ.

RARESCENT) ideo, quia venientibus de Ionio ad Calabriam, propter curuaturam littorum clausæ apparent angustiæ, quæ paulatim propinquantibus aperiri videntur. Seruius.

CLAVSTR. PELORI) Pelorum siue Pelorus, vt quibusdam placet, vnum ex tribus Siciliæ promontorijs: alterum Pachynum siue Pachynus, tertium Lilybæum: est enim triquetra, seu triangularis: triquetras oras vocat Lucret. lib. 1. Et Pelorum vergens in Italiam, Scyllæ aduersum, nomen tulit, vt scripsit Mela lib. 2. cap. 7. à Peloro gubernatore Annibalis, ibidem condito, quem idem vir profugus ex Africa, ac per ea loca Syriam petens, quia procul intuenti videbantur continua esse littora, & non peruium pelagus, proditum se arbitratus, occiderat.

LÆVA TIBI TELLVS) Putat Nascimb. Apolloniũ hîc esse imitatum à contrario, quem vide.

LONGO CIRCVITV) Totam enim pæne circuiturus est Siciliam, ad cauendum periculum, de quo statim subiungit. Seruius.

HÆC LOCA VI QVONDAM) Sallust. in Frag. Italiam coniunctam Siciliæ constat fuisse: sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est aquis, aut propter angustiam scissum. De hoc Diodorus in extremo cap. 14. lib. 4. Siciliam idem describit lib. 6. cap. 1. ipse Siculus. Et Strabo lib. 6. Iustinus initio lib. 4. ad hunc modum de abrupta Sicilia. Siciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiæ adhæsisse, diremptamque velut à corpore maiore, impetu superi m[illegible]s, quod toto vndarum onere illuc vehitur. Meminerunt etiam Luc. lib. 1. in hæc verba.

Insula quem (Empedoclem) triquetris terrarum gessit in oris:
Quam fluitans circum magnis amfractibus æquor
Ionium, glaucis aspergit littus ab vndis,
Italia terraï oras a finibus eius.
Hic est vasta Charybdis.

Claudian. lib. 1. de raptu Proserp.

——Trinacria quondam
Italiæ pars vna fuit: sed pontus & æstus
Mutauere situm, rupit confinia Nereus
Victor, & abscissos interluit æquore montes,
Paruaq; cognatas prohibent discrimina terras.

Lucan. lib. 3.

Curio Sicanias transcendere iussus in vrbes,
Quà mare tellurem subitis aut obruit vndis,
Aut scidit, & medias fecit sibi littora terras.
Vis illic ingens pelagi, semperq; laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes.

Mela lib. 2. cap. vlt. Thucyd. lib. 6. Plin. lib. 3. cap. 8. his verbis, Sicilia Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, aut Triquetra, à trianguli specie: circuitu patens, vt auctor est Agrippa, DCXVIII. M. passuum, quondam Brutio agro cohærens, mox interfuso mari auulsa, XIII. M. in longitudinem freto: in latitudinem autem M. D. passuum, iuxta columnam Rhegiam. Ab hôc dehiscendi argumento Rhegium Græci dedere nomen oppido, in margine Italiæ sito.

Seneca quoque in Consolat. ad Martiam cap. 17. Videbis primùm ipsam insulam (Siciliam) ab Italia angusto intercisam freto, quam continenti quondam cohæsisse constat: subitum illò mare irrupit, & *Hesperiũ Siculo latus abscidit.* Natural. lib. 6. cap. 29. Stratum diuisam non miror, cum dixerim montes à montibus recessisse, & ipsum diruptum esse ab imo solum. *Hæc loca vi quondam,* &c. Vides totas regiones à suis sedibus reuelli, & trans mare iacere, quod in confinio fuerat: vides & vrbium fieri discidium, cum pars naturæ concitata est ex se, vel aliquod mare ingens spiritus impegit, quorum mira, vt ex toto, vis est. Quamuis enim parte sæuiat, mundi tamen viribus sæuit. Sic & Hispanias à contextu Africæ mare eripuit. Sic hac inundatione, quã poetarum maximi celebrant, Italia à Sicilia reiecta est.

TANTVM ÆVI LONGINQVA) Vocant ἐπιφώνημα Grammatici huiuscemodi orationis genus, quasi dicas, acclamationem. Georg. 2. *Adeo à teneris assuescere multum est.* Et Georg. 3. *Tantus amor laudum, tanta est victoria curæ.* Lucret. lib. 1. *Tantum religio potuit suadere malorum.* Et Propert. *Tantum in amore preces, & benefacta valent.* Ad sententiam quod attinet, affinis est hic versus illis Lucretij de lib. 2.

Et quasi longinquo fluere omnia cernimus æuo,
Ex oculisq; vetustatem subducere nostris.

Ouid. *Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas Omnia destruitis.* Cic. pro Marcello. Nihil est enim opere, aut manufactum, quod aliquando non conficiat, & cõsumat vetustas. Varro lib. 4. de ling. lat. Vetustas pauca non deprauat, multa tollit. Quem puerum vidisti formosum, nunc vides deformem in senectute. Tertium sæculum non videt eum hominem, quem vidit primũ. Vetustatis vox etiam diuturnitatem in futurũ significat, quod ex Cic. & Varronis testimonio patet.

CVM PROTINVS VTRAQVE TELL. VNA FOR.) Italia, & Sicilia Isthmo coniungebantur, eratq; Sicilia peninsula. Protinus est porrò, sine intermissione, continuò. Ergo protinus erat vna, erat continens terra.

ANGVSTO ÆSTV) paruo freto. Æstus non modo calorem illum flagrantis solis, sed & maris impetus, commotionesque significat, quales in angustijs illis necesse est euenire. Lucret. lib. 4. *Frigus vt a pluuijs, calor ab sole, æstus ab vndis Æquoris.* Nonius.

DEXT. SCYLL. LAT. L. IMPL. CHAR.) De vtraq; breuiter Ouid. 13. Metamorph. imitatus, vt apparet, hunc locum.

Scylla latus dextrum, læuum irrequieta Charybdis
Infestat. Vorat hæc raptas, reuomitq; carinas:
Illa, feris atram canibus succingitur aluum,
Virginis ora gerens, & (si non omnia vates
Ficta reliquerunt) aliquo quoq; tempore virgo.

Eiusdem transformatio describitur lib. 14. non longè ab initio. De Charybdi Cic. 2. Philipp. Charybdis, quæ si fuit, animal vnum fuit. Oceanus medius fidius tantas res tam citò absorbere non potuisset.

Quid de Charybdi ferri soleret, indicat his verbis Seneca, epist. 79. Scyllam saxum esse, & quidem non terribile

terribile nauigantibus scio. Charybdis an respondeat fabulis, perscribi mihi desidero. Et si fortè obseruaueris (dignum autem est vt obserues) fac nos certiores, verum vno tantùm vento agatur in vortices, an omnis tempestas æquè mare illud contorqueat: & an verum sit, quidquid illo freti turbine acceptum est, per multa millia trahi conditum, & circa Taurominitanum littus emergere. Idem in Consolat. ad Martiam cap. 7. Videtis illam fabulosam Charybdin, quamdiu ab austro vacat, quietam. At si quis inde ventus spirauit, hiatu magno profundoq; nauigia sorbentem.

SIDERA VERB. VNDA) ὑπερβολικῶς, vt Horat. *Sublimi feriam sidera vertice.* Eleganter transfertur hoc verbum *verberare* ad multa. Horat. Ode 1. lib. 3. *Non verberata grandine vineæ.* Cicer. Ante consules, oculosq; legatorum tormentis Mutinam verberauit. Plaut. Amphit. ad aures transtulit: *Hinc enim mihi dextra vox aures, vt videtur, verberat.* Verberare conuitio dixit. Cic. in Pisonem: os tuum ferreum senatus conuitio verberari voluisti. Sic cum verberatio sit pulsatio, translatè est increpatio. Q. Cic. Tironi scribens, Epist. ad familiar. lib. 16. Mirificam, inquit, mihi verberationem cessationis, epistola dedisti. ✠

AT SCYLLAM CÆCIS) Accommodat hanc Scyllæ descriptionem ad hominem Rhodigin. lib. 18. cap. 3. his verbis. Prima hominis pars rationalis anima, huic committitur inutilis caro; & fluida, & receptandis tantùm cibis habilis, vt ait Posidonius. Virtus illa diuina in lubricum desinit, & superioribus partibus venerandis atque cælestibus, animal iners, & marcidum atteritur: quodq; horribilius est, captiuam ducit rationem. Plurimis corpus voluptati est, anima oneri: quamuis illud natura, vt quandam vestem ac velamentũ circumdedisset animo. Ex hac voluptuaria officina mirũ est quanta se promant fœditatum agmina, quæ libidinum turpitudo, &c. * *De Scylla consule Symbolas in Eclog. 6.*

PRIMA HOMI. FACIES) τὰ πρῶτα ἀνθρωπ❧.

POSTREMA) τὰ ἔσχατα.

CAVD. COMMISSA) Caudas commissas habens, id est, adaptatas, vel iunctas. Sic & alij poetæ sunt locuti. Ausonius, qui versus huc maxime pertinet. *Scylla triplex, commissa tribus, cane, virgine, pisce.* Seneca in Hercule Oetæo. *Iste est pater, quem nocte commissa dies Quasiuit vnus.* Idem in Thyeste. *penitus premens iugulo manum Commisit.* Claudian. *qua pristis commissa viro.* Manil. de centauro. *Pars hominis, tergo pectus commissus equino.*

PRISTIS) Duplicem lectionem obseruaui, legentibus nonnullis, *postrema immani corpore pistrix*: alijs, pristis: sed vtramq; approbo, apud probatos auctores receptam. Est autem pistrix, siue pristis cetus marinus, quomodo hic Virgilio accipitur, & lib. 10. *Frons hominem prafert, in pristin desinit aluus.* Lege reliqua apud Iuniũ, lib. 2. cap. 13. Seruius pro naui *pristim* legi vult.

METAS LVSTRARE PACH.) oras & fines circumnauigare.

CÆRVL. CANIB. RES. SAXA) Alludit ad illud Homeri, Odyss. μ.

Ἔνθα δ' ἐνὶ Σκύλλη ναίει δεινὸν λελακυῖα,
Τῆς ἤτοι φωνὴ μὲν ὅση σκύλακος νεογιλῆς
Γίγνεται.
Hic habitat Scylla, horrendos ad sidera tollens
Clamores, quantos tollit modò nata leæna.

B

Hoc auté ideo factum esse crediderim, quia hoc saxum (vt nautæ perhibent, qui eò accesserunt) dum crebris, validisq; fluctuum ictibus feritur, sonum effundit canum latratibus persimilem. Quamobrem Cic. orat. de arusp. responsis, de Scylla verba faciens, eiq; Clodium comparans, ait: aut tam eminentibus canibus Scyllam, tamq; ieiunis, quàm quibus istum videris Gellijs, Titijs nostra ipsa mandentem? Nascimb.

Quomodo suprà vterum lupi, & delphinum caudas ei attribuit, hic autem canis? Quæ est ista inconstantia? Etiam lib. 1. cum ait, *Vos & Scyllæam rabiem, penitusq; sonantes Accestis scopulos*, insinuat profectò canibus cinctam, quorum est rabire, & quorum furor dicitur rabies. Apertissimè autem Ecloga 6.

C

Quid loquar, aut Scyllam Nisi, aut quã fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates: & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?

Et de canina metamorphosi omnes alij poetæ. An quia aliàs consueuit, vt arborem pro arbore, personam pro persona, locum pro loco, rem denique vicinam pro vicina nominet, idem hìc facit, vt animal pro animali, & quidem verum pro non vero nominet? Quid aliud dicam, in præsens non video. Ouidij versiculos subijciam ex 14. Metamorph. de mutatione Scyllæ, quæ quidem, vt ille narrat, Circes veneficio contigit.

D

Scylla venit: mediaq; tenus descenderat aluo:
Cum sua fœdari latrantibus inguina monstris
Aspicit: ac primò non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitq;, abigitq;, timetq;,
Ora proterua canum: sed quos fugit, attrahit vnà,
Et corpus quærens, femorum, crurumq;, pedumq;,
Cerbereos rictus pro partibus inuenit illis.
Statq; canum rabies, subiectaq; terga ferarum
Inguinibus truncis, vteroq; extante coercet.

Præterea (si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris implet Apollo)
Vnum illud tibi nate dea, præq; omnibus vnum
Prædicam, ET REPETENS ITERVMQVE ITERVMQVE MONEBO.
Iunonis magnæ primùm prece numen adora:
Iunoni cane vota libens: dominamq; potentem
Supplicibus supera donis: sic deniq; victor
Trinacria fines Italos mittère relicta.
Huc vbi delatus Cumæam accesseris vrbem,
Diuinosq; lacus, & Auerna sonantia syluis:
Insanam vatem aspicies. quæ rupe sub ima

 Fata

Fata canit, folijsq; notas, & nomina mandat.
Quæcunq; in folijs descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit:
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verùm eadem verso tenuis cùm cardine ventus
Impulit, & teneras turbauit ianua frondes:
Nunquam deinde cauo volitantia prendere saxo,
Nec reuocare situs, aut iungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemq; odere Sibyllæ.
Hîc tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti,
(Quamuis increpitent socij, & vi cursus in altum
Vela vocet, possisq; sinus implere secundos)
Quin adeas vatem, precibusq; oracula poscas.
Ipsa canat, vocemq; volens, atque ora resoluat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaq; bella,
Et quo quemque modo fugiasq;, ferasq; laborem,
Expediet, cursusq; dabit venerata secundos.
HÆC SVNT QVÆ NOSTRA LICEAT TE VOCE MONERI.
Vade agè, & ingentem factis fer ad æthera Troiam.

HELENO SI. Q. PRVD. SI QVA FIDES) si qua Heleno prudentia est, vt homini: si qua fides, vt vati. Plaut. *Facis vt tuis nulla apud te sit fides.* Et Pseud. *Paruam esse apud te mihi fidem ipse intelligo.* Fide nulla sunt, quibus nihil creditur.

PRÆQVE OMNIBVS) Non desunt qui magis probent, *proq; omnibus*, hoc est, quod sit instar omniũ. Vide obseruat. Fabricij.

ITERVMQVE ITERVMQVE) Paulus Iurecos. in l. veluti si peregit. C. de edendo, hanc vocem *iterum* non secundò tantùm significare docet, sed sæpius, his verbis. Hæc vox *iterum*, duas res significat: altera est, qua demonstratur tempus secundum, quod Græci *δεύτερον* dicunt: altera quæ ad insequentia quoq; tempora pertinet, quæ græcè dicitur *πάλιν*, quod ita accipitur, quoties opus erit: nam potest fieri, vt his editam sibi rationem quis perdiderit, vt verbum *iterum* pro sæpius accipiatur: in quam partem eò magis capiendum hîc videtur, quòd geminatum est. German.

PRECE ADORA) Adorare precibus dixit Ouid. quoque 4. Fastor., & 1. Trist. eleg. 3. Adorare votis., 15. Metamorph. Adorare thure, Plin. lib. 12. cap. 14. Obseruatum à Brissonio in Formul. Receptissimus, & velut sollemnis deos adorantium mos fuit, eminus stantes manum porrigere, eamq; statim reuerenter ad os suum referre, & suauiari. Vnde Latinis censeo formatum verbum adorandi, quia scilicet manus ad ora admouerent ait Lipsius Elect. lib. 2. cap. 6.

IVNONI CANE VOTA LIB.) Tribus hisce coluntur maximè dij, precibus, votis, donis. Illud *libens* putant quidam eruditi insinuare formulam antiquam dedicationum, LIB. MER. pro, libens meritò. * *Cum vota dicantur suscipi, concipi, nuncupari, fieri, cur eum iubet vota canere? nisi quia ad morem respexit deos precandi carminibus. Horat. ep. 1. lib. 2.*

Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret vnde preces, vatem ni Musa dedisset?

DOMINAMQVE POTENTEM) vt hîc dominam Iunonem vocat Maro, ita Sophocles in Electra *δέσποιναν ἄρτεμιν*. Placanda autem aduersa numina, & adoranda, monet Apollonius, inducens Phineum suadentem Iasoni, vt Venerem propitiet. Homerus Tiresiam inducit, adhortantem Vlyssem, vt Neptuno sacrificet, ad expiandam Polyphemi excæcationem, Odyss. λ. Apud eundem Iliad. ζ. Helenus monet Hectorem, vt matri suadeat, Palladem votis, sacrificijsque placare: cuiusmodi consilium hic rursus vates expedire Æneæ videtur Homerica imitatione, cum Palladis longè infælicissimũ Troianis numen fuisse nemo ignoret. Cum autem hic Maro admonet, superandam donis Iunonem, respicit illud Græcorum, à Platone lib. 3. de Repub. adductum: *δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας.* Vt Euripid. in Med. *πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς, λόγος.* German.

Interdum & dij domini vocabantur, & hoc illis epitheton Ouid. tribuit lib. 3. Amor. eleg. 9. Sol quoque dominus nominatur, in quadam veteri inscriptione. Similiter & deas dominas vocabant. Petron. Arb. in Satyrico. Timidissimo murmure votum feci, &c. domina, inquam, Venus. Dominam tamen propriè matrem deûm vocari ex Varrone autumat. Seruius. Plura Brisson. Formular. lib. 1. num. 45.

SVPPLICIBVS SVPERA DONIS) Animum eius vince, & coge tibi esse mitem, ac beneuolum, hostijsq; mactandis tibi obliga.

TRINACRIA RELICTA) Sicilia, propter tria promontoria, etiam Triquetra vocatur à Lucretio, vt suprà monuimus. De his, eorumq; ad mundi partes responsu eleganter Ouid. lib. 15. Metamorph.

Inde futurorum certi, quæ cuncta fideli
Priamides Helenus monitu prædixerat, intrant
Sicaniam. Tribus hæc excurrit in æquora linguis.
E quibus imbriferos versa est Pachynos ad Austros:
Mollibus expositum Zephyris Lilybæon: ad Arctos
Æquoris expertes spectat Boreamq; Peloros.

Hanc insulam miris laudibus cohonestat initio orationis 2.

nis 2. in Verrem M. Tullius. Dicitur etiam Sicania, à rege antiquo Sicano. ✠

CVMÆAM ACCESSERIS VRBEM) Cumæam vrbem, sicut Buthroti arcem, fontem Timaui.

DIVINOSQVE LACVS) consecratos, Lucrinum scilicet, & Auernum.

ET AVERNA SON.) Dicta auerna, quod aues ibi præter volantes, propter teterrimam mephitim inde exhalantem, decidant mortuæ. Plura lib. 6.

INSANAM VATEM) deo plenam, diuino furore afflatam, & vaticinatricem, à Græcorum tractum etymologia, qui μάντιν ἀπὸ τῆς μανίας appellauerunt. Nam supra sensus humanos intelligentia, furor, & insania dicitur, teste Cic. lib. 1. de Diuinat. Huic præstantissimæ B rei nomen nostri à diuis, Græci (vt Plato interpretatur) à furore dixerunt, prorsus furoris diuinationem Sibyllinis maximè versibus contineri arbitrati.

FATA CANIT, FOLIISQVE NOTAS) Vide adagium, folium Sibyllæ: intellige autem folia palmarum. Et lib. 6. *folijs tantum ne carmina manda.* Tribus modis futura prædicit, aut voce, aut scriptis, aut signis, id est, quibusdam notis, vt in obeliscis Romæ videmus. Vel, vt alij dicunt, notis litterarum, vt per vnam litteram significet aliquid. * *Sententiam Seruij de triplici ratione prædicendi Sibyllæ, per vocem, scripta, notas, refutat Nascimb. & duabus tantum rationibus, voce & scripto, quæ sint notæ litterarum, eam vsam fuisse contendit. Alioqui notæ etiam appellantur, quas barbari abbreuiationes dicunt, contractas scribendi rationes,* C *seu scribendi compendia videlicet. Fertur Valerij Probi antiqui Grammatici de notis libellus, quem par est legisse eos, qui in antiquitatibus versari cupiunt.*

DIGERIT IN NVM.) ordinat, disponit.

CARDINE VERSO) aperta ianua.

TVRBAVIT IANVA FRONDES.) Non ianua, sed ventus, qui per ianuam apertam ingreditur.

INCONSVLTI) inscij, rerum ignari, sine consilio. Consultus est, qui consulitur: inconsultus, qui A non accipit consilium. Seruius. Interpretatur Nonius, quibus consulentibus religio nihil diceret.

NE QVA MORÆ FVERINT DISPEND.) D. Basil. Homil. 3. in Hexaëm. Ea temporis pars, quæ deo mutuò datur, non amittitur, sed ab eo magna cum accessione, largoq; fœnore redditur.

IPSA CANAT) Ne scribat in folijs, quæ vento turbari possint.

VOCEMQVE VOLENS RESOL.) Ex formula sollemni tractum illud *volens*, qua deos orabant, quorum nomen inuocabant, vt essent volentes propitij. Vide Brisson. lib. 1. num. 68.

IPSA TIBI ITAL. POP. VENTVRAQVE BELLA) B Prædictio ista Sibyllæ his versibus concepta est lib. 6.

O tandem magnis pelagi defuncte periclis:
Sed terra grauiora manent. In regna Latini
Dardanidæ venient, &c.

VENERATA) Passiuè. Sic & Horat. *Et venerata Ceres, vt culmo surgeret alto.* Nimirum veteres venero, & aduenero actiue dicebant, quasi veniam oro. Complura verba enumerat Gellius lib. 15. cap. 13. quæ vtroque versum dicuntur, vocanturq; à Grammaticis communia, hortor, vereor, interpretor, largior, consolor, vtor, veneror. Citatur eodem capit. hic versus, & superior: *cursusq; dabit venerata secundos*, pro veneranda, seu, quam veneratus eris. ✠

C CVRSVS DABIT SECVND.) rationem nauigandi in fatalem Italiæ partem monstrabit.

HÆC SVNT QVÆ NOSTRA) Epilogus, cum exhortatione ab honesto. *Hæc sunt*: Oratores, hæc habui, quæ dicerem.

INGENT. PER AD ÆTH. TROIAM) Ingétem Troiam, accipe continens pro cótento, vrbem pro ciuibus, vt sit sensus, Troianos celeberrimos (quis Troiæ nesciat vrbem, virtutesq; virosq;? ait Dido) tuis ad huc factis in Italia celebriores redde: iam enim Troia est in vobis. ✠

Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro grauia, sectoq; elephanto,
Imperat ad naues ferri: stipatq; carinis
Ingens argentum, Dodonæosq; lebetas:
Loricam consertam hamis, auroq; trilicem,
Et conum insignis galeæ, cristasq; comantes,
Arma Neoptolemi, sunt & sua dona parenti.
Addit equos, additq; duces.
Remigium supplet: socios simul instruit armis.
Interea classem velis aptare iubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore.
Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo,
Cura deûm, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniæ tellus, hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est:
Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, ô fælix nati pietate, quid vltra
Prouehor, & fando surgentes demoror Austros?

DONA DEHINC AVRO GRAVIA) Mos antiquus, hospites abeuntes non tantùm bonis verbis, sed muneribus etiam prosequi: quæ hic enumerantur: ast materia, non forma (præter lebetas, quos credimus fuisse

æreos)

æreos) nominatur. Dedit igitur aurea, argentea, & eburnea, id est, planè regia. ✱

SECTOQVE ELEPHANTO) eboris politi, facti.

STIPATQVE CARINIS) densat, cumulat.

DODONÆOSQVE LEBETAS) Vt haberet domesticum oraculum Æneas, dati sunt ei lebetes Dodonæi. In epistola Ausonij, inquit Crinitus lib. 25. cap. 10. leguntur hi versus ad Paulinum.

Ad numerum quoties radijs facientibus icta,
Respondent dociles moderato verbere pelues.

In quibus Paulinum ipsum arguit nimij silentij, cum omnia quidem animantia, vt inquit, vocem aliquam emittant, nihilq; sit à natura constitutum, in quo non reddatur aliquis sonitus, vt in sistro, cymbalis, ac peluibus Dodonæis. Vt autem hoc intelligatur de sonitu Dodonæo, legendi sunt Græci auctores, qui morem fuisse referunt, vti vaticinantes mulieres ad quercum agerent, quæ in vrbe Dodona erat. Qui verò ad capiendum responsum ingrederentur, protinus moueri quercum, & sonitum fieri credebant. Ibi enim statua visebatur, virgam ferens, qua lebetem, qui prope aderat, percutiebat, ex quo responsum, vt inquit Ausonius, moderatis ictibus pelues referrent. Hinc à Virgilio Dodonæi lebetes dicuntur. Hoc ipsum de responsis Dodonæis per sonitum, cum locis multis apud Græcos exponitur, tum in Suidæ collectaneis, Ausonius pelues posuit, quos Græci lebetes nominant.

Commendat à loco. Est autem Dodona Epiri ciuitas. Et lebetes Seruius hic expont vasa, in quæ aqua dum lauantur manus, decidit, quod decentius Æneæ donum conuenire videtur, quam vt culinæ dona præstentur. Etiam hodie principibus viris huiusmodi vasa donari mos est, cum gutturnijs: malluuia vocant. Poculorum genus vult significari Donatus. * *Lebetes olim æreos & pro munere magno, & pro victoria præmio dari solitos, ex poetis cognoscitur. Nec satis videtur veritati consentaneum, Dodonæos lebetas ab Heleno donatos Æneæ, vt haberet domesticum oraculum. Quid enim ei post tot oracula, & nouissimè post tam distinctum, ac longum ipsius Heleni vaticinium, opus erat nouo oraculo? Præterea Sibyllam adire iussus erat.*

LORICAM CONSERTAM HAMIS) Loricas hamatas dixerunt Latini, credo, quia circuli, & catenæ nexæ hamuli speciem dimidiatæ referebant: an quia & hami catenulas iungebant? Lorica quidem hamata versa à veteri bibliorum interprete lib. 1. Reg. cap. 17. vbi in græco θώραξ ἁλυσιδωτὸς, ad verbum, lorica catenata. Et hamos, siue catenas legis hic passim. Sic in Lucano lib. 7. *quà torta graues lorica catenas Opponit.* Statius lib. 12. *Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ.* Et non aliud quidem fuit, quam circuli, siue annuli ferrei inter se nexi, more quem hodie Galli & Germani seruamus, etsi exolescentem. Lipsius de Militia Rom. lib. 3. dial. 6.

AVROQVE TRILICEM) De lorica trilice vide quid scribant Turneb. & Lipsius. Citauimus lib. 5. ibi. *Lenibus huic consertam hamis, auroq; trilicem Loricam.* Amat, & delectatur Virgilius armis pulchris, nec ea solum ducibus, sed etiam priuatis concedit, quod cum alibi, tum in quinto obseruabis. Quantæ curæ fuerit Xenophonti, vt haberet arma pulchra, & polita, indicat Ælianus lib. 3. cap. 24. Aiebat enim, si vicisset hostes, elegantissimo quoque ornatu se dignum esse: & si vitam amitteret in prælio, cum quodam decore oppetiturum in armatura splendida. Nam hæc esse strenuo, & forti viro ornamenta sepulchralia, quæ reuerà ipsum ornent. Dicitur ergo habuisse scutum Argolicum, thoracem Atticum, galeam Bœotico artificio factam, equum Epidauricum. Satis præterea ex eius libris apparet, quàm fuerit φιλόκαλος hic historicus, miles, & philosophus. Quare Alexander scuta laminis argenteis operuerit, equos frænis aureis ornauerit, discas è Curtio lib. 5. ✱

CONVM INSIGNIS GALEÆ) A parte totum, nam conus est curuatura, quæ in galea prominet, super qua sunt cristæ.

CRISTASQVE COMANTES) Mirè dictum, quomodo enim cristæ comantes, cum cristæ sint ipsæ comæ? sic quoque Statius, 2. Thebaid. *cristasq; videt rutilare comantes.* Et lib. 9. *interdum cristas hilaris iactare comantes.*

SVNT ET SVA DONA PARENTI.) Decorum, quod Græci τὸ πρέπον vocant, id donationibus istis obseruandum fuit, vt cuique donaretur, quod esset illi aptum, & conueniens. Æneas vir fortis galeam & thoracem, Anchises senex seni congruentia accipit: quæ verò, aut qualia fuerint, nobis cogitandum relinquit. [*Fingamus fuisse scipionem auro & ebore distinctum, poderem holosericum, subsutum delicatis, ac preciosis bestiolarum pelliculis, ad calefaciendum senile corpus, quales sunt, quos Zebellinos vocant.*] Vectoribus seu classiarijs donat arma, commeatū, &c. ex quo regia munificentia magis elucet, cum neminem à se indonatum dimittat. Nascimb.

REMIG. SVPPLET) Bene verbo militiæ vsus est, vt supplementum diceret: nam multos in Creta perdiderat. Seruius. *Remigium* remigum turbam.

INTEREA CLASSEM VELIS) Helenus in officijs religiosis fuerat occupatus: quum autem hæc ageret, iubebat suos Anchises parare naues, & aptari nauigationi necessaria, hoc est, aptè, & congrue disponere. Donatus.

VENTO FERENTI) vento secundo, vt Græci φορὸν ἄνεμον.

CONIVG. VEN. DIG. SVPERBO) Quomodo superbum hoc Anchisæ & Veneris coniugium vocat Maro, sic & Peleus suum cum Thetide apud Euripid. in Androm. γενναῖα συγκοιμήματα. Vt autem hic *dignate* passiuè extulit, ita & Manil. lib. 1. *An fortes animæ, dignataq; nomina cælo.* German.

Fuit tamen non coniugium, sed stuprum. Verùm poeta tegit rem inhonestam, verbo honesto. Vxor Vulcani fuit Venus: alterius fuisse non legimus. Scito præterea coniugium dictum à Propertio, pro coniuge, & hospitium pro hospite, vt seruitium pro seruo dicitur. Græci certe τὸ λέχος, quod ipsum Propertius reddidit eleg. 5. lib. 2. *Felix Admeti coniux, & lectus Vlyssis.* Penelope scilicet.

CVRA DEVM) amor, vt, Veneris iustissima cura. Qui curæ es dijs, vtpote illis charus. 1. Æneid.

Regius accitu chari genitoris ad vrbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura.

Eclog. 10. *tua cura Lycoris.*

BIS PERGAM. EREPTE RVIN.) Probat curam deûm. Et sciendum, rhetorica esse argumenta, quæ à contrarijs laudant. Quod enim supra Anchises infælicitatis putauit, *satis vna superq; Vidimus excidia, & captæ superauimus vrbi*, hoc hic argumentum conuertit in laudem. Bis autem, propter Herculem, qui quondam: & propter Græcos, qui modò expugnauere Troianos. Seruius. * *Quamobrem, & cum quibus Troiam Hercules sub Laomedonte expugnauerit, inuenies apud Daretem Phrygium.*

ECCE TIBI AVS. TELLVS) Aut vacat *tibi*, vt in Tullio, Qui mihi accubantes in conuiuijs. Aut certè altius dictum est, tibi: ac si diceret, qui Italiæ hanc tantum

tum visurus es partem, non etiam eam, quam fata Æneæ promittunt. Seruius.

ARRIPE VELIS) eò tende velis. illic enim sacrificaturus est.

FÆLIX NATI PIETATE) Aristoph. in Vespis, ὦ μακάριε τεκνώσιος. Et ex parentibus fælices iudicantur liberi, & ex liberis parentes. Vnde 1. Æneid. de Didone

A Æneas, *qui tanti talem genuere parentes.* Vide ibidem annotata, si lubet. In diuinis litteris legimus, gloria patris sui filius sapiens.

PROVEHOR) sermonem prosequor, extendo. Cicero quoque de oratione, hanc vocem vsurpauit, 3. de finib. Sentio me longius prouectum, quam proposita ratio postularet.

Nec minus Andromache, digressu mœsta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestes,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem: nec cedit honori:
Textilibusq; onerat donis, ac talia fatur.
Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearũ
Sint, puer, & longum Andromaches testẽtur amorem,
Coniugis Hectoreæ: cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago:
SIC OCVLOS, SIC ILLE MANVS, SIC ORA FEREBAT:
Et nunc æquali tecum pubesceret æuo.
Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis:
VIVITE FÆLICES, QVIBVS EST FORTVNA PERACTA
IAM SVA: nos alia ex alijs in fata vocamur.
Vobis parta quies, nullum est maris æquor arandum:
Arua neq; Ausoniæ, semper cedentia retro,
Quærenda. effigiem Xanthi, Troiamq; videtis,
Quam vestræ fecere manus, melioribus, opto,
Auspicijs, & quæ fuerit minùs obuia Graijs.
Si quando Tibrim, vicinaq; Tibridis arua
Intraro, gentiq; meæ data mœnia cernam:
Cognatas vrbes olim, populosq; propinquos
Epiro Hesperia, quibus idem Dardanus auctor,
Atq; idem casus, vnam faciemus vtramq;
Troiam animis: maneat nostros ea cura nepotes,

DIGRESSV. M. SVP. FERT. PICT.) Πάθος. nõ enim nisi graui dolore affici poterat ex eorum digressu, de quorum aduentu lætitiam incredibilem ceperat. Et mirè τὸ πρέπον personarum in istis donationibus seruatur: Nam mulier puero donat textilia, picturatam auro vestem, quasi prætextam, quæ puerorum indumentũ est. Inde chlamydem præbet, quæ vestis militaris fuit, vt eum non solùm ad decus exciret: sed vt etiam vestigia quædam auitæ virtutis se in eo cognouisse, planum faciat. Qua in re Maronem Homero & acutius vidisse, & subtilius iudicasse liquidò perspicitur. Nam Odyss. lib. 5, Helenam, Telemachum veste donantem facit, quã vxori suæ det, cum illam duxerit. Δῶρόν τοι καὶ ἐγὼ, τέκνον. &c. Nascimb.

PICTVR. AVRI SVBTEM. VEST.) vestes, quibus variæ animantium formæ aureo subtemine erant intextæ. Subtemen filum est sub stamine. Stamen in tela filum firmum est: subtemen verò vltro citroque transmittitur. Montfort. Subtemen dictum, ait German., quasi substemen, quod subit stamini: quare ita legi postulat, substemine, inquam, pro subtemine. Vide locum.

PHRYGIAM ASCANIO CHLAMYDEM) Sueton. loquens de pueritia Tiberij, cap. 6. Munera, quibus à Pompeia, Sex. Pompeij sorore, in Sicilia donatus est, chlamys & fibula, item bullæ aureæ. In quem locum ita Torrentius, citato primum Maronis versu: chlamys enim quanquam militare vestimentum erat (vnde Plautus chlamyde, machæra, & petaso militi opus esse ait) inter puerilia quoque ponitur ab Vlpiano l. XXIII. De auro & argento legato, &c. Phrygiam chlamydem Isidor. lib. 19. cap. 22. cum Seruio interpretatur acu pictam. Phrygia inuenta est, & artifices dicuntur Phrygiones.

Nonius, Phrygia vestis picta est. Eius artifices Phrygiones sunt appellati. Plaut. Menæch. *pallam ad phrygionem fert, confecto prandio.* Tale genus vestis e- C tiam verbis superioribus forsitan significatur, *Fert picturatas auri subtemine vestes.* His amplius Seruius, aut ob hoc addidit, *phrygiam*, quasi per quam patriæ memoria retineretur.

NEC CEDIT HONORI) Tanta munera dat, quanta merebatur Ascanij dignitas.

TEXTIL. ON. DON.) Poetæ Græci γεραρὰ ὕφασμα, & ὑφάντον sæpe vsurpant. Textilia autem dona videtur dixisse, vt Hom. Odyss. ν. χρυσεόντα ἄλις ὑφαντά δ' ὑφαντήν. Sed & Catullus linum catagraphon dixit, quasi picturatum: & Luc. textilibus picturis, ostroq; rubenti. Tales,

& variegatas vestes θρόνα Græci poetæ, vt Hom. Iliad. χ. A
δίπλακα μαρμαρέην ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε. German.

ACCIPE ET HÆC) præter priora illa munera, habe tibi etiam ista.

SOLA MEI SVP. ASTYAN. IMAGO) Imaginum aliæ dicuntur, & sunt artificiales, aliæ naturales. Hoc discrimen est inter illas, quòd quæ ab arte promuntur, ea id, cuius sunt imagines, æquiuoce dicuntur: quippe sunt imperfectæ, neque enim picto homini animam, & inde vitam dederit vlla ars. Naturales verò vniuoce: viuunt namque, & primitiuis similes à natura producuntur, nec differunt nisi numero: aliud enim producens est, aliud productum, quòd poeta expressit his versibus. Inuenimus item picturas, vel statuas nuncupari ethicas, quibus non imagines modò exprimuntur, sed mores quoque, vt tantum non spirare videantur. Rhodigin. lib. 29. cap. 24. * *Astyanax puer, vnicus de Priami stirpe reliquus, in quem sæuire possent Græci, & quo sublato, omni timore referendæ iniuriæ vacarent, ab illis per summam crudelitatem de muris, siue de turri præcipitatus est. Vide Troadem Senecæ, & Troadas Euripidis. Meminit huius præcipitij Tryphiodorus.*

Flebat & excelsa de turri præcipitatum
Funestis puerum manibus crudelis Vlyssi
Andromache crebris vlulatibus Astyanacta.

Ouid. quoque lib. 13. Metamorph.

Mittitur Astyanax illis de turribus, vnde
Pugnantem pro se, proauitaq; regna tuentem
Sæpe videre patrem, monstratum a matre solebat.

Accipe eiusdem epitaphium, sanè festiuum ex Ausonio.

Flos Asiæ, tantaq; vnus de gente superstes,
Paruulus, Argiuis sed iam de patre timendus,
Hic iaceo Astyanax, Scæis deiectus ab altis.
Prô dolor, Iliaci Neptunia mœnia muri
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

SOLA SVPER) Vt Græci præuerbia pro verbis interdum pereleganter ponunt, vt μέτα, pro μέτεστι, πάρα pro πάρεστι, sic & Virgilius hoc loco *super*, pro superstes, seu superest. Quamquam aliter à Seruio explicatur. Sed ab eius recedere iudicio, non est fortasse piaculare. Valerius quoque lib. 8. *Nec spes vlla super.* Turneb. lib. 23. cap. 5. Vide insuper German. de huius particulæ vi disputantem.

SIC OCVLOS, SIC ILLE MANVS) Ex Homero redditus. Ille enim Odyss. δ.

Κείνου γὰρ τοιοίδε πόδες, τοιαί δέ τε χεῖρες
Ὀφθαλμῶν τε βολαί, κεφαλή, ἐφύπερθέ τε χαῖται.

Animaduerti hunc versum imitari voluisse Statium 1. Achilleid. vbi Thetis Achillem filium adolescentulum, iam muliebri stola indutum, & regi Lycomedi pro filia puella commendandum, tradendumque instituit. *Sic ergo gradus, sic ora, manusq; Nate feres, comitesque modis imitabere fictis.*

ÆQVALI TECVM PVB. ÆVO) Pubes, qui iam generare potest: is incipit esse à quatuordecim annis, fœmina viripotens à duodecim. Festus. Quidam, inquit Isidorus lib. 11. ex annis pubertatem existimant: id est, eum puberem esse, qui quatuordecim annos expleuerit, quamuis tardissimè pubescat. Certissimum autem, puberem esse, qui & habitu corporis pubertatem ostendat, & generare iam possit. Pubescit autem homo solus, vt ait Plin. lib. 11. cap. 39. quod nisi contingat, sterilis in gignendo est seu mas, seu fœmina.

HOS DIG. LACRY. AFFAB. OBORT.) Et quomodo sine lacrymis potuisset fieri ista coniunctissimorum disiunctio? Par enim est credere, nec Heleni, & Andromaches oculos caruisse fletu. Constantem hospitibus loco gratiarum actionis fælicitatem precatur: & à perenni, nec vnquam, vt videtur, cessatura calamitate sua miserationem commouet. Finis, inquit, vnius casus, principium est alterius.

VIVITE FELICES, QVIBVS) Potest legi cum hac interpunctione *Viuite: felices quibus est.* &c. Et valebit *viuite* idem quod valete. Eclog. 8. *viuite syluæ.* Aliquid nescio quo modo ἐμφατικώτερον habet ista lectio.

NVLL. MAR. ÆQVOR. ARAND.) Miserias suas, fortunamqúe aduersam cum eorum rebus secundissimis comparat. Dicimus etiam æquor terræ, seu campi. Cic. Babylonij in camporum patentium æquoribus habitantes. Et quod haud scio, an quispiam adhuc annotauerit, æquor cæli. Attius Atreo.

Sed quid tonitru turbida torno
Concussa repente æquora cæli
Sensimus sonere?

B Muret. in Catull.

Quod ad genus loquendi spectat, licet id confirmare ex alijs quoq; vatibus. Ouid. lib. 1. Trist. eleg. 2.

Non ego diuitias auidus sine fine parandi,
Latum mutatis mercibus æquor aro.

Et lib. 3. eleg. 12. *Non nisi vicinas tutus araret aquas.* Ex eodem fonte hauritur illud, æquor proscindere. Catull. de nupt. *Quæ simul vt rostro ventosum proscidit æquor.* Et secare mare, fluctus, &c. Horat. Ode. 1. lib. 1. *Myrtoū pauidus nauta secet mare.* Virgil. lib. 5. *fluctusq; atros Aquilone secabat.* Et lib. 10. *media Æneas freta nocte secabat.* Ouid. lib. 5. Trist. eleg. 3. *Et Scythicum profuga scindere puppe fretum.* Et lib. 1. de Ponto, eleg. 5. *Nos fragili*
C *ligno vastum sulcauimus æquor.*

SEMPER CED. RETRO) Alibi, *iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.* Fessis viatoribus, & aliquò perueniendi cupidioribus videntur loca fugere. Magis tamen id aliunde, præsertim nauigio abeuntium sensus iudicat. Inde est, *Prouehimur portu, terræq;, vrbesq; recedunt.*

MINVS OBVIA GRAIIS) minus obnoxia Græcorum iniurijs.

COGNATAS VRBES OLIM) Conditorum vota in vtramque partem rata esse solent. Dido in 4.

——— nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor,
D *Qui face Dardanios, ferroq; sequare colonos.*
Nunc, olim, quocunq; dabunt se tempore vires,
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsiq; nepotes.

Vides acerrima bella terra marique optasse Didonem, & consecuta esse, nec inimicitias positas, nisi alterius gentis internecione? Poetæ igitur, quia tantum numē est in votis conditorum, quicquid alicui genti vel bello, vel pace obuenit, id in imprecationibus complecti solent. Sic tria illa Punica bella cum ipso Annibale, intra deuotiones Didonis comprehenduntur. Cæterùm, quænam fuerit ista tanta amicitia inter Molossos, & Romanos, ad quam haud dubiè Virgilius allusit, nemo omnium interpretum mentione dignatus est, cum œ-
E conomia poetæ, & virtus illius ingenij hinc potissimùm innotescere possit. Halicarnasseus ista lib. 1. scribit. Ex Ambracia Anchises terram cum nauibus legens, Buthrotum portum Epiri deuehitur. Æneas, & florentissimi quique ætate ex toto exercitu, iter bidui emensi, Dodonam perueniunt, oraculum numinis cōsulturi, ibique Helenum cum Troianis reperiunt. Acceptis autem responsis de condenda vrbe, donarijsque Troicis, ac inter alios duobus crateribus æreis, numini consecratis, quorum nonnulli etiamnum supersunt, titulis admodum vetustis consecratores suos præferentibus, ad classem redeunt, quatridui ad summum itinere confecto. Buthroto verò secundùm littus vecti, vsq; ad portum tum quidem Anchisen nomine, nunc propemodum

Ionium transmittunt, ducibus illis istius nauigationis, qui vltro se comites huic nauigationi addiderant, allectis quoque illis, qui cum patrono Thurio aduenerant. Horum plerique cum exercitus saluus in Italiam traiecisset, ad suos redierunt. Patron autem persuasus ab Ænea, vt socius esse vellet istius nunc coloniæ, vnà cum quibusdam amicis in castris mansit. Quos tamen nonnulli aiunt in Atlandio Siciliæ sedes cepisse. Recordatione istius beneficij, Acarnanibus Romani Leucaden, & Anactorium adempta Corinthijs, progressu temporis largiti sunt: concessum quoq;, vt Oeniades recuperarent, & in Insula Echinadum communia vectigalia cũ Aetolis haberent. Nannius lib. 7. cap. 12.

Versuum quatuor *Cognatasq; vrbes olim &c.* sententia est obscura, nisi colonia Buthrotum à Romanis deducta intelligatur. Helenus Buthrotum habebat pro Troia, quam simulauerat. Æneas Troiam in Italia condere cogitabat, cum eò peruenisset, quod postea fecit. Sed illa citò interijt: pro qua conditum est Lauinium, vnde Alba, deinde Roma. Romani nepotes coloniam miserunt: ad quam respicit poeta. Sensus est: *Cognatasque vrbes*, duas scilicet Troias, *populosq; propinquos*, alterum scilicet ab Hesperia, alterum ab Epiro, *quibus idem Dardanus auctor, Atq; idem casus*, eadem calamitas fuit, olim faciemus Troiam vnam animis. *maneat nostros ea cura nepotes*, quod factum fuit: quia Buthrotij, colonia deducta, ciues Romani fuerunt. Modicius cap. 50.

Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta:
Vnde iter Italiam, cursusq; breuissimus vndis.
Sol ruit interea, & montes vmbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris, ad vndam,
Sortiti remos: passimq; in littore sicco
Corpora curamus: fessos sopor irrigat artus.
Necdum orbem medium nox horis acta subibat:
Haud segnis strato surgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos, atq; auribus aëra captat.
Sidera cuncta notat tacito labentia cælo:
Arcturum, pluuiasq; Hyadas, geminosq; Triones,
Armatumq; auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt cælo constare sereno,
Dat clarum è puppi signum: nos castra mouemus,
Tentamusq; viam, & velorum pandimus alas.

PROVEHIMVR PEL. VICIN. CER.) relicto Buthroto prouehimur pelago iuxta Ceraunia, qui sunt montes Epiri. Iidem Acroceraunia, à crebris fulminibus propter altitudinem ita nominati. *Cursus breuissimus*, adeo, vt mediæ noctis spatio transfretauerit.

MONTES VMB. OPACI) Eclog. 1. *Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ.*

OPTATÆ TELLVRIS) nauigantibus enim semper optata est terra, siue littus. Vel ideo optatæ, ne nocturno aliqua iactatione à proposito cursu auerteremur.

SORTITI REMOS) per sortem diuisi ad officia remigandi. Seruius. [*Remi autem à remouendo, & decutiendo fluctibus: sicut tonsores à tundendis, & decutiendis crinibus. Isid. l. 19.*] Nam sic facere consueuerunt nautæ, vt cum iter essent facturi vel longum, vel periculosum, sortes traherent, quis cuiq; officio nautico incumberet, quod eleganter, & scitè declaratur lib. 8. *Ocyus incubuere omnes, pariterq; laborem Sortiti.* Nascimb.

CORPORA CVRAMVS) cibo, & potione vires reficimus, & instauramus. Est autem militaris sermo, cuius exempla crebra apud Liuium. Rursum noster lib. 8. *fessiq; & equos & corpora curant.*

FESS. SOP. IRRIG. ART.) Sopor altus per vocem hãc metaphoricam *irrigat*, benè declaratur. Alibi dixit *sopor fessos complectitur artus.*

ARCTVR. PLVVIASQVE HYAD.) Gubernator, qui explorat cælum, crebrò reflectere ceruicem debet captans de diuersis cæli regionibus securitatem sereni. Hoc D mirè, & veluti coloribus pinxit. Nam quia Arcturus iuxta septentrionem est, Taurus verò, in quo sunt Hyades, & Orion, in regione austri sunt, crebram ceruicis B reflexionem in Palinuro sidera consulente descripsit. *Arcturum*, inquit. Ecce intuetur partem Septentrionis. Deinde, *pluuiasq; Hyadas*. Ecce ad Austrum flectitur. *Geminosq; Triones*. Rursus ad Septentrionem vertit aspectum. *Armatumq; auro circumspicit Oriona*. Iterum se ad Austrum reflectit. Sed & verbo *circumspicit*, varietatem sæpe se vicissim conuertentis ostendit. Homerus Odyss. 5. gubernatorem suum semel sæpe inducit intuentem Pleiadas, quæ in Australi regione sunt, semel Booten, & Arcton, quæ sunt in Septentrionali polo. αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ, &c. Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 11. * *Pluuias hyadas vocat etiam 1. Æneid. Vbi idem carmen legitur ad verbum. Cic. de his stellis 2. de nat. deor.* Corniger est valido connixus corpore taurus. *Eius caput stellis conspersum est frequentibus.* C Has Græci stellas hyadas vocitare suerunt, *à pluendo, ὕειν enim est pluere. Nostri imperitè suculas: quasi à suibus essent, non ab imbribus nominatæ.*

ARMATVMQVE AVRO ORIONA) armatum dicit, ob naturam sideris violentissimi in concitandis ortu suo tempestatibus.

CÆLO CONST. SERENO) constanter respondere. Lucret. lib. 4. *Serena silentia noctis Vndiq; cum constent.*

DAT CLARVM E PVP. SIGNVM) Clarum signum, non faculam eleuatam, vt Seruius: sed vocale signum intellige, strepitum tubæ, quo excitarentur dormientes, qui muto signo excitati non fuissent. In 2. autem Æneid. facem efferre ideo oportebat, ne si vocale cecinisset, dolus Græcis non procederet. Nascimb.

NOS CASTRA MOVEMVS) Pro classe dixit castra, sicut lib. 2. *Classibus hic locus*, dixit, pro, castris.

PANDIMVS ALAS) antennas cum velis intendimus, quæ sunt veluti alæ nauis. Seruius.

Iamq; rubeſcebat ſtellis Aurora fugatis:
Cum procul obſcuros colles, humilemq; videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
Italiam læto ſocij clamore ſalutant.
Tum pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, impleuitq; mero, diuosq; vocauit,
Stans celſa in puppi:
Dij maris, & terræ, tempeſtatumq; potentes,
Ferte viam vento facilem, & ſpirate ſecundi.
Crebreſcunt optatæ auræ, portusq; pateſcit
Iam propior, templumq; apparet in arce Mineruæ.
Vela legunt ſocij, & proras ad littora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curuatur in arcum,
Obiectæ ſalſa ſpumant aſpergine cautes,
Ipſe latet, gemino demittunt brachia muro,
Turriti ſcopuli: refugitq; à littore templum.
Quattuor hîc (primum omen) equos in gramine vidi
Tondentes campum latè, candore niuali.
Et pater Anchiſes, bellum ô terra hoſpita portas.
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen ijdem olim curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, & frena iugo concordia ferre.
Spes eſt pacis, ait.

IAMQVE RVBESCEB.) Poeticas diei orientis deſcriptiones aliquot congeſſimus lib. 4. ad illud.

Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens aurora cubile.

OBSCVROS COLLES) vel propter longinquitatem, vel ſolis radijs nondum ſatis illuſtratos.

HVMILEMQVE ITAL.) Humilem Italiam vocat, quia ibi Italia altos montes non habet: ſed colles, qui idcirco etiam humiliores videbantur, quam re ipſa ſunt. Ad quos quanto propius accedas, creſcere, & in altum attolli videntur. Quamobrem paulo poſt ait, *attollit ſe diua Lacinia contra.* Naſcimb.

Humilem dixit, vel quia plana eſt & mollis Italia, vt Salluſt. ait, ſiue ex phyſica ratione, quod è mari cernentibus humilis terra appareat, vt contrà è terra ſpectantibus, altius mare. Seruius.

ITALIAM LÆTO SOCII) Vt aliâs in alijs, geminatio eiuſdem vocis affectus magnitudinem indicat. Hinc eſt illud Eclog. 3. *Et longùm formoſe vale, vale, inquit, Iola.*

Quod additur de ſocijs, eos læto clamore Italiam ſalutaſſe, inueniuntur huius moris, nempe ſalutandorum locorum, regionumque (quod vel eas primùm ingredientes, vel ad eas interuallo redeuntes, piè ac religiosè ſolebant) non pauca exempla. Colligit quædam in Catullum Muretus. Cauſſam ibidem hanc fuiſſe docet, quod ſuum quendam genium peculiarem cuique loco præeſſe crederent. In perſona Æneæ Italiam ingredientis lib. 7.

Continuò, ſalue fatis mihi debita tellus:
Vosq;, ait, ô fidi Troia ſaluete penates.

Apud Xenophontem Cambyſes cum Cyro filio Mediam ingrediens cum exercitu, deos terræ præſides precatur, vti ſe volentes ac propitij, fauentesq; accipiant.

CRATERA CORON. INDVIT) *corona induit craterem, id eſt floream coronam ei circumdedit. Vide 1. Æneid.* Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.] Ex frequenti hoc facto apud poetas, cognoſcitur ſacrificiũ vini dijs olim gratiſſimum fuiſſe. Priamus apud Hom. Iliad. ω priuſquam ad Achillem proficiſcatur, ab vxore admonitus, vinum Ioui libat.

DII MARIS, ET TERRÆ) Deos marinos precatur, quia nauigat: tempeſtatum, vt proſpere nauiget: terræ, quia terras inquirit. Naſcimb.

CREBRESCVNT OPTAT. AVRÆ) Cæſar lib. 3. belli ciuil. Cum iam noſtris remiſſiore vento appropinquaſſet, idem Auſter increbuit, noſtrisque præſidio fuit. Magnum Anchiſæ meritum oſtenditur, qui mox exauditur. Pateſcit portus, propinquantibus ſcilicet, vt, *& anguſti rareſcent clauſtra Pelori.*

TEMPLVM MINERVÆ) Bene templum Mineruæ, (quæ & Pallas) in arce apparuiſſe dicit, ipſa enim arcium inuentrix, & cuſtos. Eclog. 2. *Pallas quas condidit arces, Ipſa colat.* Seruius. * *Ex Arnobij lib. 6. annotat Turneb. Mineruium pro Minerua templo, ſicut & Dianium Dianæ templum eſt. Verba luculentiſſimi ſcriptoris ita ſonant. In nono hiſtoriarum Antiochus memorat, Athenis in Mineruio Cecropem eſſe mandatum terra.*

PORTVS CVR. IN ARCVM) Portus primæ oræ Italiæ deſcriptionem aggreditur: Salentini videlicet, quem tranquilliſſimum, nulliſque obnoxium eſſe fluctibus depingit. Curuus eſt, id eſt, formam arcus habet, cautes ex eo eminent naturales, veluti brachia mari oppoſita, quibus ab alto facilè ſcindi poſſunt fluctus: ipſe verò portus ab omni impetu, ac tempeſtate tutus latet. Naſcimb. Mela lib. 1. cap. 19. de Ponto Euxino: inflectitur ad formam Scythici arcus, maximè incuruus.

REFVGITQ. A LITT. TEMPLVM) Sic lib. 2. *Anchiſæ domus arboribusq; obtecta receſſit.*

TON-

TONDENT. CAMP. LATE) Notat Suetonius, Iulium equorum greges, quos in flumine Rubicone traijciendo consecrârat, vagos, sine custode dimisisse. Hoc è veterum religione dixit, equos consecratos, vagos esse dimissos: quæ enim animalia sacrabant dijs, ea è manu dimittebant, mancipioq; suo abiudicabant, ac ea suo iuri, libertatiq; reddebant, quæ & *ζῶα ἄφετα* à Græcis ideo vocabantur. Equos etiam consecratos Mineruæ puto fuisse quatuor hos, currum velut quadriiugum Mineruæ aliquando subituros, aut etiam simulantes. Turneb. lib. 2. cap. 27. * *Tondentes campum, inquit. Tu confer huc, quæ congessimus nos super illud. Georg. 1.* Tercentum niuei tondent dumenta iuuenci. *Et adde è Lucret. lib. 2.*

> Nam sæpe in colli tondentes pabula læta
> Lanigeræ repunt pecudes, quò quamque vocantes
> Inuitant herbæ gemmantes rore recenti,
> Et satiati agni ludunt, blandeq; coruscant.
>
> *Rursum.*
>
> Sæpe itaque ex vno tondentes gramina campo
> Lanigeræ pecudes, & equorum duellica proles,
> Bucenæq; greges.

BELLVM O TERRA HOSP. PORT.) Subito aspectu equorum perterritus Anchises, primùm ex vsu animantis illius (militare enim est) malè ominatur, bellum videlicet. Deinde se colligens, & idem animal iugale, & vectarium esse considerans, melius, & pacem ominatur. Ex equino capite, quod effoderant Pœni, dum templi fundamenta foderent, vtrumque, bellum, inquam, & pacem, qua agri coluntur, & magni frugum prouentus existunt, ex natura equi ad arma, & aratrum apti colligebant. Seu, vt dicam rectius, vrbem Carthaginensem belli studijs, & opulentia, quæ pacis comes est, claram fore diuinabant. *sic nam fore bello Egregiam, & facilem victu per sæcula gentem.* Hospita vsurpatum ait Seruius, quoniam in os communia, fœmininũ in, a, nõ mittant. Refellitur exemplis. Cic. ad Att. ep. 1. lib. 5. ego sum, inquit Pomponia, hic hospita. In Verrinis, te lineamẽta hospitę delectabant. Sed sollemne est Grammaticis, ad hunc scopulum cymbam suam allidere, & negare latinè dici, quæ à latinissimis adhibentur. *

BELLO ARMANTVR EQVI. B. H. A. M) Equus inprimis belli signum est, hoc clarissimo vatis testimonio. Et duellicam equorum prolem Lucretius, vt vidisti, appellat. Horus apud Plutarchum apparuisse dicitur Osiridi, eumq; multarum rerum vsum edocuisse, præcipueq; , quod animal bello vtilius esset, sciscitanti, equũ ei negotio maximè cõmodum esse respondisse. Cumq; Osiris leonem præstare arbitraretur, respondisse Horum: posse quidem eum auxilio esse, verùm vbi semel fugam arripuisset, irreuocabilem abire: cum alioqui bellatori necesse esset nonnunquam cedere, nonnunquam ex inclinata iam acie rursus hostem aggredi, proque loco & tempore Fortunæ sese imperijs accommodare: idcircoque equum omnibus his officijs omnino magis officiosum esse. Pierius lib. 4.

SED TAMEN IIDEM OLIM CVRRV SVCCED.) Omen in contrarium torquet, etiam à natura huius quadrupedis. Et curru pro currui, vt aliâs consueuit.

ET FRENA IVGO CONCORDIA FERRE) Homo ferox, inuictoq; animo, imperio tamen, & rationi obsequens, hieroglyphicè per frænatum equum significatur. Hinc Panætius apud Cic. Africanum solitum ait dicere, vt equos propter crebras contentiones prœliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere soleant, vt his facilioribus vti possint: sic homines secundis rebus effrænatos, sibiq; præfidentes, tanquam in [illegible]rum rationis, & doctrinæ duci oportere. Animal nimirum ferox, atq; magnanimum, quod leges tamẽ subijt, nec frænum depulit ore, vt ait Horatius de equo, qui hominis opem implorauit, seséque frænari sit passus. Quum Romani contra Antiochum iam in Asiam traiecissent, iisque legatos demum de pace misisset ad Scipionem, respondit is: Id prius factum oportuisse, non postquam & sessorem, & frenum accepisset. Pier. lib. 4.

---- tum numina sancta precamur
Palladis armisonæ, quæ prima accepit ouantes:
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu:
Præceptisq; Heleni, dederat quæ maxima, rite
Iunoni Argiuæ iussos adolemus honores.
Haud mora, continuò perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obuertimus antennarum
Graiugenûmq; domos, suspectaq; linquimus arua.
Hinc sinus Herculei (si vera est fama) Tarenti
Cernitur: attollit se diua Lacinia contrà,
Caulonisq; arces, & nauifragum Scylacæum.
Tum procul è fluctu Trinacria cernitur Ætna:
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataq; saxa
Audimus longè, fractasq; ad littora voces:
Exultantq; vada, atque æstu miscentur arenæ.
Et pater Anchises: nimirum hæc illa Charybdis,
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.
Eripite ô socij, pariterq; insurgite remis.
Haud minùs, ac iussi, faciunt: primusq; rudentem
Contorsit læuas proram Palinurus ad vndas:
Læuam cuncta cohors remis, ventisq; petiuit.

Tollimur in cælum curuato gurgite, & ijdem
Subducta ad manes imos descendimus vnda.
Ter scopuli clamorem inter caua saxa dedere.
Ter spumam elisam, & rorantia vidimus astra.

PALLADIS ARMISONÆ) Lib. II. *Armipotens, belli præses Tritonia virgo.* Deam bellicam alicubi vocat Ouidius.

CAPITA PHRYG. VEL AMICTV) Tutulum Fulgentius pallium accipit, quo ex sacro ritu caput obnuberent sacerdotes ad sacra accessuri, & hoc loco quidã intelligunt tale pileum. Turneb. lib. 26. cap. 10. Rhodigin. lib. 25. cap. 30. De isto ritu consulendus Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 12. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 14. & rursum cap. 19. & cap. 22. Dicam paucis. Ideo capita in sacris cooperiebantur, vt honores qui haberentur dijs, longe diuersi ostenderentur ab his, qui in homines cõferuntur: quin etiam vt tum visus à quibusque rebus occurrentibus auerteretur, & ita sacra maiore cum religione & castitate peragerentur.

DED. QVÆ MAXIMA) Dixerat namque, *præq; omnibus vnum*, &c.

IVNONI ARGIVÆ) Quæ à Græcis præcipuè, & in vrbibus Græcorum coleretur: nomine enim Argiuorum ipsi Græci sæpe intelliguntur. Verùm quid si dicamus, ad oppidum Argos in Peloponneso maximè poetam respicere, quod sibi cum Sparta, & Mycenis apud Homerum Iliad. δ. ipsa Iuno affirmat præ omnibus vrbibus esse charissimum? Vnde & Horat. Ode 7. lib. 1.

Plurimus in Iunonis honorem
Aptum dicet equis Argos, ditesq; Mycenas.

Scimus autem deos, deasq; solere cognomina accipere à locis, quæ vel ipsi potissimum diligunt, vel in quibus veneratione præcipua coluntur.

CORNVA VELAT. OBVERT.) Horat. Ode 16. Epod. *Non huc Sidonij torserunt cornua nautæ.*

GRAIVGENVMQVE DOMOS) Eadem forma Troiugena, superius. Hoc præceptum fuit Heleni, *Effuge, cuncta malis habitantur mœnia Graijs.*

HERCVLEI TARENTI) Cur Herculeum Tarentũ epitheto notarit, antiquitatis altissimus gurges Virgilius, altiore indagine perquirendum esse duxi, ait Iunius lib. 1. cap. 9. quando minimè omnium placuerit Seruij annotamẽtum, quo Herculeum dici vult à Phalanto auctum, octaua generatione ad Herculem genus suum referente. Equidem existimo poetam respexisse (id quod non semel aliàs fecisse deprehenditur) ad locum Aristotelis in lib. *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων*, qui sic habet, *λέγεται δὲ μετὰ τὸ παραλαβεῖν τοὺς Ταραντίνους, Ἡράκλειαν τὸν τόπον καλεῖσθαι, ὃν νῦν κατοικοῦσιν, ἐν δὲ τοῖς ἄνω χρόνοις τῶν Ἰώνων κατεχόντων, Πλεῖον, ἔτι δ' ἐκείνων ἔμπροσθεν ὑπὸ τῶν πρώτων κατασχόντων αὐτὴν, Σίγειον ὠνομάσθαι.* Id est. Fertur loco nomẽ esse Heraclea (quasi Herculea dicas) postquam Tarentini eum à se occupatum habitare cœperunt. Superioribus temporibus, cum eum Iones tenerent, dictum Plium. Ante eos à primis habitatoribus fuisse Sigæum nominatum. Ad quem locum respexisse poetam vt credam, faciunt illa verba, (si vera est fama) vt Aristotelis fidei non planè stare se ostenderet: quippe è fama cognita pleraque illic referentis, & quæ sequuntur. De Tarento autem à Phalanto condito Iustinus lib. 3. De eiusdem vrbis origine ex Antiocho, & Ephoro Strabo. lib. 6.

ATTOLLIT SE DIVA LACIN.) A rege conA ditore dictum est templum hoc Lacinium, seu à Lacinio latrone, quem ibidem Hercules occidit, & hoc loco expiato, Iunoni templum constituit. Seruius. Vide plura apud Gyrald. Syntag. 3. in Iunone. Attollit autem, aperitur. supra, *portusq; patescit.*

CAVLONISQVE ARCES) Caulon oppidum, quod à Plinio collocatur in prima regione Italiæ: & Strabo in 6. Cauloniam appellat, cui astipulatur Mela in Geographicis.

NAVIFRAGVM SCYLACÆVM) vbi naues franguntur. Sic Horat. Ode. 16. lib. 1. vocat mare nauifragum. Statius in 5. Thebaid. *Proram naufragus audiam concurrere saxis.* Vide indicem Erythræi. Fuit oppidum Calabriæ, cum Caulone coniunctum. B

TVM PROCVL E FLVCTV) More suo complura superflua descripsit hactenus, vt delaberetur ad id, quod est necessarium, & vt fidem prædictorum Heleni ostenderet, quam primus Anchises intelligit: vnde exclamat, *nimirum hæc illa Charybdis, Hos Helenus scopulos*, &c. Hîc autem loca Charybdi vicina describit.

FRACTAS VOCES) cum fragore venientes. Hoc est, sonitus vndarum se ad littus frangentium.

EXVLTANTQVE VADA) *Exultare* hîc interpretatur Nonius, exilire. Cicer. 3. Academ. Et vt nos nunc sedemus ad Lucrinum, pisciculosque exultantes videmus.

C ÆSTV MISCENTVR ARENÆ) lib. 1. *Furit æstus arenis.* Hæc, & antecedentia Donatus, & alij.

ERIPITE O SOCII) Parum fuit loca periculosa intellexisse, nuntiasse etiam. Dat igitur consilium, & hortatur, vt totis viribus ad euadenda incumbant. Socios non frustra appellauit: in communi enim periculo omnibus fuerat laborandum, ne simul omnes absorberet Charybdis. *Cohors* deinde ait, quia supra dixerat, nos castra mouemus. Donatus, Seruius.

RVDENTEM PRORAM) Proram fluctibus percussam rudere dicit, quod asinorum est proprium.

TOLLIMVR IN CÆL. CVRVAT. GVRG.) *Georg. 4.* Curuata in montis faciem circumstetit vnda. *Æneid. 1.* Hi summo in fluctu pendent *&c. Vide ibi annotata ex Ouid. & Lu-* D *cano.*] Poetica ὑπερβολὴ, cum ea perspicuitate, vt cerni potius, quam legi videatur. Venustè Charybdis violentiam, æstumq; terribilem, fluctus vicissim in immensam altitudinem modò attollentem, modò rursum in vastam profunditatem dehiscentem exprimit: opponens inter se cęlum sursum, & inferos (quos nunc imos manes vocat) deorsum.

TER SCOPVLI CLAM.) Amplificat Scyllæ ex aduerso sæuientis rabiem, ternarij iteratione. Tractum est de historia: vndæ enim illisæ concauis saxis, canum imitantur latratus.

RORANTIA ASTRA) Id est, irrorata, seu quæ irrorabantur. Seruius. Hanc dehiscentis maris vim, & E procellæ impetum expressit item Tibull. lib. 4.

Non violenta suo consumpsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.

German. Adde ex Ouidio *cælumq; æquare videtur Pontus, & inducta aspergine tangere nubes.* Seneca in Agamem. *In astra pontus tollitur, cælum petit.*

Interea

Interea fessos ventus cum sole reliquit:
Ignariq; viæ, Cyclopum allabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse, sed horrificis iuxtà tonat Ætna ruinis:
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla:
Attollitq; globos flammarum, & sidera lambit.
Interdum scopulos, auulsaq; viscera montis
Erigit eructans: liquefactaq; saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoq; exæstuat imo.
Fama est Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq; insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam expirare caminis:
Et, fessum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cælum subtexere fumo.
Noctem illam tecti syluis immania monstra
Perferimus, nec quæ sonitum det caussa videmus.
Nam neq; erant astrorum ignes, nec lucidus æthra
Siderea polus: obscuro sed nubila cælo,
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

VENTVS CVM SOLE RELIQ.) cecidit ventus, cadente sole venti posuere, sole ad occasum vergente.

PORTVS AB ACCESSV) Seneca scribens ad Lucilium, quòd is tum esset in Sicilia, vt sibi de Ætna scribat. Sollemnem omnibus poetis locum attingas: quem quo minùs Ouidius tractaret, nihil obstitit, quod iam Virgilius impleuerat. Ne Seuerum quidem Cornelium vterq; deterruit. Itaque cum Ouid. 15. Metamorph., Virgil. hoc libro tantùm de ea tractarent, frustra augurantur hoc poema esse Virgilij, quum ex verbis Senecæ, Cornelij Seueri esse necesse sit. Hæc Ioseph. Scalig. in Append. Virgil.

In ijs, inquit apud Gellium Phauorinus lib. 17. cap. 10. quæ videntur retractari, & corrigi debuisse, is maximè locus est, qui de Ætna monte factus est. Nam cum Pindari veteris poetæ carmen, quod de natura, & flagrantia montis eius compositum est, æmulari vellet, eiusmodi sententias & verba molitus est, vt Pindaro quoque ipso, qui nimis opima pinguiq; facundia esse existimatus est, insolentior hoc quidem in loco, tumidiorq; sit. Hoc enim est carmen Pindari, super monte Ætna, Pythicis, ᾠδῇ α.

— κιὼν
δ' οὐρανία συνέχει
νιφόεσσα Αἴτνα πανέτης,
χιόνος ὀξείας τιθήνα,
τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλά-
του πυρὸς ἁγνόταται
ἐκ μυχῶν παγαί. ποταμοὶ
δ' ἁμέραισι μὲν προχέοντι ῥόον καπνοῦ
αἴθωνα, ἀλλ' ἐν ὄρφναισι πέτρας
φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖ-
αν φέρει πόντου πλάκα σὺν πατάγῳ.
κεῖνο δ' Ἁφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετὸν
δεινοτάτους ἀναπέμ-
πει. τέρας μὲν θαυμάσιόν τι ἰδέ-
σθαι. θαῦμα δὲ καὶ παριόν-
των ἀκοῦσαι.

Virgilij versus sunt, quos inchoauit verius, quàm fecit. *Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens*, cum reliquis septem, iam suprà ad verbum positis. Iam principio Pindarus veritati magis obsecutus, id dixit, quod res erat, quodq; istic vsu veniebat, quodq; oculis videbatur, interdiu fumare Ætnam, noctu flammigerare. Virgilius autem dum in strepitu, sonituque verborum conquirendo laborat, vtrumq; tempus nulla facta discretione confundit. Atque ille Græcus quidem fontes imitus ignes eructare (sic enim legendum contendit Lipsius Elect. lib. 2. cap. 3. non, *imitatus*. Et est imitus, vt stirpitus, radicitus, medullitus) & fluere amnes fumi, & flammarum fulua, & tortuosa volumina in plagas maris ferre, quasi quosdam igneos amnes, luculente dixit. At hic noster, atram nubem turbine piceo, & fauilla fumantem, ῥόον καπνοῦ αἴθωνα interpretari volens, crasse, & immodicè congessit. Globos quoq; flammarum, quos esse κρουνοὺς dixerat, & duriter, & ἀκύρως transtulit. Item quod ait *sidera lambit*, vacanter hoc etiam accumulauit, & inaniter. Neque non id quoq; inenarrabile, & propemodú insensibile, quod nubem atram fumare dixit turbine piceo, & fauilla candente. Non enim solent fumare neq; atra esse quæ sunt candentia: nisi si *candente* dixit peruulgatè, & impropriè, pro feruenti fauilla, non pro ignea & relucenti. Nam candens scilicet est à candore dictum, non à calore. Quod saxa autem, & scopulos eructari, & erigi, eosdemq; ipsos statim liquefieri, & gemere, atque glomerari sub auras dixit, hoc nec à Pindaro scriptum, nec vnquam fando auditum, & omnium quæ monstra dicuntur monstrosissimum est. Eandem reprehensionem inuenies apud Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 17.

Defensionem copiosissimam suscipit in dialogo Antonio Iouianus Pontanus. Negat voluisse Maronem mótis Ætnæ flagrantiam ad Pindari imitationem exequi, eosq; censet & cæcutire, & delirare, qui ita existimant. Sed præstabit, opinor, ab initio totam apologiam legere, cuius hoc est exordium. Atque hic po-

tissimum incipiam, de quo me paulo ante Claudianus admonuit, &c. pag. 76. Aldinæ edit. At enim defensio Iouiani videtur non parum frigida Scalig. Poet. lib. 5. cap. 4. ipse Virgilium naturæ parem, Pindaro longe maiorem conatus ostendere, & in eo totum pœne caput consumit, quod legendum suadeo. Est etiam apud Claudianum lib. 1. de raptu, Ætnæ descriptio, quæ in eodem cap. ad censuram vocatur. Ouidianam è lib. 15. Metamorph. adducemus.

Nec quæ sulphureis ardet fornacibus Ætna,
Ignea semper erit: neq; enim fuit ignea semper.
Nam sine est animal tellus, & viuit, habetq;
Spiramenta locis flammam exhalantia multis,
Spirandi mutare vices, quotiesq; mouetur,
Has finire potest, aliasq; aperire cauernas:
Siue leues imis venti cohibentur in antris,
Saxaq; cum saxis, & habentem semina flammæ
Materiam iactant, & concipit ictibus ignem.
Antra relinquentur sedatis frigida ventis.
Siue bituminea rapiunt incendia vires,
Luteáue exiguis arescunt sulfura fumis,
Nempe vt terra cibos, alimentaq; pinguia flammæ
Non dabit, ac sumptis per longum viribus æuum,
Naturæq; suum nutrimen deêrit edaci,
Non feret illa famem, desertaq; deseret ignes.

Locum Iustini è lib. 4. apponam. Est autem ipsa terra (Sicilia) tenuis ac fragilis: & cauernis quibusdam, fistulisq; ita penetrabilis, vt ventorum tota ferme flatibus pateat: nec non & ignibus generandis, nutriendisque, soli ipsius naturalis materia: quippe intrinsecus stratum sulphure & bitumine traditur: quæ res facit, vt spiritu cum igne inter interiora luctante, frequenter, & compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Inde denique Ætnæ montis per tot sæcula durat incendium. Et vbi acrior per spiramenta cauernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur.

Seneca ad Lucilium epist. 79. nonnulla memoratu sanè digna de hoc monte. Si hæc mihi perscripseris, inquit (quid in circuitu Siciliæ obseruâris, & de Charybdi) tunc tibi audebo mandare, vt in honorem meum Ætnam quoque ascendas: quam consumi, & sensim subsidere, ex hoc colligunt, quòd aliquanto longius nauigantibus solebat ostendi. Potest hoc accidere, non quia montis altitudo desedit, sed quia ignis euanuit, & minus vehemens, ac largus effertur, ob eandem causam fumo quoq; per diem segniore. Neutrum autem credibile est, nec montem qui deuoretur quotidie minui, nec ignem non manere eundem: qui ipse ex se est, sed in aliqua inferna valle conceptus exæstuat, & alibi pascitur, in ipso monte non alimentum habet, sed viam. Ætnæ meminit Lucret. lib. 1. occasione Empedoclis Siculi.

Hic (in Sicilia) est vasta Charybdis, & hic Ætnæa minantur
Murmura flammarum rursum se conligere iras:
Faucibus eruptos iterum vt vis euomat ignis:
Ad cælumq; ferant flammaï fulgura rursum.

De causis incendiorum disputat idem lib. 6. ab eo loco.

Nunc ratio quæ sit per fauces montis, vt Ætna
Expirent ignes interdum turbine tanto, &c.

Vide item quæ habet Turneb. lib. 20. cap. 18. Et Plinium lib. 2. cap. 106. de locis semper ardentibus. Adi præterea super Ætna Strabonem lib. 6.

CANDENTE FAVILLA) Vocauit Virgilius candentem fauillam, vt eam ostenderet ex verè flammante igne erumpentem: quum etiam fauilla mortua, quam

A μαρίλην vocant Græci, possit emitti ex pigris & sopitis ignibus. Sed ignis Ætnæ est vegeta flamma, nō tantum λιγνύς. Quare immeritò reprehenditur Virgilius ab illo Græculo (Phauorino) cuius cum nugas in cōmentarios suos retulerit Gellius, non tantùm illi, sed & sibi quoq; ἀβελτερίαν προσῆψε. Sic Cornelius Seuerus in Ætna, *Materiam ne aliam credis furere igne fauillam,* id est, si credis illam fauillam quæ furit, aliam esse materiam, quam ignem. Ioseph. Scalig. in Append. Virg.

AVVLSAQVE VISCERA MONTIS) saxa è visceribus montis. Nam & ossa terræ dicuntur.

FAMA EST) Bene se, fabulosam rem dicturus, excusat. Nam reuera quæ de gigantibus legimus, nisi B fabulosè dicta accepērimus, ratio non procedit. Nam cum in Phlægra, loco Thessaliç dicantur pugnasse, quomodo in Sicilia est Enceladus, Othus in Creta secundùm Sallustium, vnde Othij campi, Typhoëus in Campania: vt, *Inarime Iouis imperijs imposta Typhoeò.* Seruius.

ENCELADI SEMVSTVM FVL. CORP. VRG.) Hinc sua conformauit Claudian. lib. 1. de Raptu Proserp. vbi Ætnam describit.

Ætna gigantæos nunquam tacitura triumphos,
Enceladi bustum, qui saucia membra reuinctus
Spirat inexhaustum flagranti pectore sulphur,
Et quoties detrectat onus ceruice rebelli
In dextrum læuumq; latus: tunc insula fundo
C *Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus vrbes.*

Pro Encelado Typhoëum nominat Ouid. lib. 5. Metamorph. illiq; totam insulam dicit iniectam, seu illum sub Sicilia sepultum, & sub Ætna illius caput constituit. Nominatur idem à Virgilio inter gigantes cælum oppugnare ausos Georg. lib. 1. vbi nulla mentio Enceladi: cuius tamen Enceladi rursum meminit lib. 4. Æneid. cum Ceo illum coniungens.

Illam (Famam) terra parens ira irritata deorum
Extremam, vt perhibent, Ceo, Enceladoq; sororem
Progenuit.

Sed Ouidio demus paruam operam.

Vasta giganteis iniecta est insula membris
D *Trinacris, & magnis subiectum molibus vrget*
Ætherias ausum sperare Typhoëa sedes.
Nititur ille quidem, tentatq; resurgere sæpe:
Dextra sed Ausonio manus est subiecta Peloro,
Læua Pachyne tibi: Lilybæo crura premuntur:
Degrauat Ætna caput: sub qua resupinus arenas
Eiectat, flammamq; fero vomit ore Typhoëus, &c.

Ætna, prouerbiali metaphora accipitur & pro libidinis incentiuo, & pro re odiosè graui. Illo modo dixit Saluianus Massiliensis Episcopus lib. de Prouidentia 7. Quis nescit Africam totam obscœnis libidinum tedis semper arsisse, non vt terram ac sedem hominum, sed vt Ætnam putes impudicarum fuisse flammarum. Quo spectant & D. Hieronymi verba. Non tam Ætnæi E ignes, aut Vulcania tellus, non Veseuus, & olympus tantis ardorib⁹ æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. Posteriore modo dictum est ab Euripide in Hercule furente illud: ἁ νεότας μοι φίλον· ἄχθος, τὸ δὲ γῆρας αἰεὶ βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων. Id est, Iuuenta gratum mihi onus est, at senium grauius Ætnæis cautibus capiti impendet. Vnde mutuatus est Cic. lib. de Senect. illa verba. Plerisq; senibus senectus sic odiosa est, vt onus se Ætna grauius dicant sustinere. Huc faciunt & verba Nazianzeni, σκοπέλων ἄχθεα τετραπείρων, montis pondera Trinacrij. Iunius cent. 7. num. 75.

MVTAT LATVS) Mutat latus probam esse scripturam asseuerat German. ex Callimacho, à quo in Deli hymno hunc versum videtur traduxisse Virgilius:

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽

Ὡς δ᾽ ὕπερ᾽ αἰπεινὸν ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο
Σείονται μυχὰ πάντα χαλυβδαίοιο γίγαντος
Εἰς ἑτέρην βελαρῆς ἐπωμίδα κινυμένοιο.

* *Vsus est etiam Vates noster hoc verbo Eclog. 6.* tum rigidas motare cacumina quercus. *Et Eclog. 5.* Siue sub incertas Zephyris motantibus vmbras.

Cælvm svbtexere fvmo) Ouid. 14. Metamorph. de Circe. *Et patrio capiti bibulas subtexere nubes.* Sic vsus est Tibull. verbo prætexere lib. 1. eleg. 4. *Quamuis prætexens picta ferrugine cælum.* Ex Lucretij lib. 5. & 6. adducit hos versus German.

Corpore concreto subtexunt nubila cælum,
Et quasi densendo subtexit cærula nimbis.

Immania monstra) Monstrosus flammarum eructantium crepitus. Ergo nec animis, nec oculis, vt vult Seruius, sed auribus perferimus. Ipsemet Virgil. hæc monstra statim nominat sonitus: & suprà dixit, *Ipsa sed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis.*

Astrorvm ignes) Pro stellis. Sic lib. 8. *Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes.* de lucifero.

Lvcidvs æthra sider. polvs) Per A æthram sideream, id est, per splendorem ætheris, ætherem ipsum elementum, æthram splendorem ætheris nominamus. Seruius. Vide Macrob. lib. 6. cap. 4.

Nox intempesta) Intempesta nox, in Bruto Cassius, quod dicebat Lucretia, *Nocte intempesta nostram deuenit domum.* Intempestam Ælius dicebat, cum tempus agendi est nullum: quod alij concubium appellarunt, quòd ferè omnes tunc cubarent: alij ab eo quòd sileretur, silentium noctis. Quod idem Plautus conticinium: scribit enim. *Videbimus, factum volo: i, redito conticinio.* Varro de ling. lat. lib. 5. Idem lib. 6. Intempesta nox dicta ab tempestate. Tempestas ab tempore: intempesta nox, quo tempore nihil agitur. Ser- B uius exponit nimium obscura, nox media, inactuosa, id est, carens actibus per quos tempora dinoscuntur. Respexit ad versum Ennij, qui est. in Annal. *Cùm superum lumen nox intempesta teneret.* Afranius.

Quis es? ventoso in loco
Soleatus intempesta nocte, sub dio,
Aperto capite, silices cum findat gelu.

Vrsin.

Postera iamq; dies primo surgebat eoo,
Humentemq; aurora polo dimouerat vmbram:
Quum subitò è syluis, macie confecta suprema
Ignoti noua forma viri, miserandaq; cultu
Procedit, supplexq; manus ad littora tendit.
Respicimus: dira illuuies, immissaq; barba,
Consertum tegmen spinis: at cætera Graius,
Et quondam patrijs ad Troiam missus in armis.
Isq; vbi Dardanios habitus, & Troïa vidit
Arma procul, paulùm aspectu conterritus hæsit,
Continuitq; gradum: mox sese ad littora præceps
Cum fletu, precibusq; tulit: per sidera testor,
Per superos, atq; hoc cæli spirabile lumen:
Tollite me Teucri, quascunq; abducite terras.
Hoc sat erit. scio me Danais è classibus vnum,
Et bello Iliacos fateor petijsse penates.
Pro quo, si sceleris tanta est iniuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoq; immergite ponto.
Si pereo manibus hominum, perijsse iuuabit.
Dixerat: & genua amplexus, genibusq; volutans
Hærebat. qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur: quæ deinde agitet fortuna, fateri.
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus
Dat iuueni, atq; animum præsenti pignore firmat
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatvr:

Postera iamqve dies) ὕστερον πρότερον in sensu, ante enim aurora est, quam sit dies. Amœnissima extat huius vicissitudinis diei, & noctis hypotyposis apud Tertullianum scriptorem quamquam non dilucidissimum, certè reconditæ doctrinæ refertissimum, quam adscribemus hoc loco potissimùm. Est autem in lib. de Resurrectione carnis. Dies moritur in noctem, & vsquequaq; sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent, cuncta: vbiq; iustitium est, quies rerum: ita lux amissa lugetur. C Est tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra, & tota vniuerso orbi reuiuiscit, interficiens mortem suam, noctem: rescindens sepulturam suam, tenebras, hæres sibimet existens: donec nox reuiuiscat cum suo & illa suggestu. Redaccenduntur enim & stellarum radij, quos matutina successio extinxerat. Reducuntur & sydetum absentiæ, quas temporalis distincto exemerat.

Hvmentem vmb.) *Nox humida cælo præcipitat,* lib. 2.

QVVM SVBITO E SYLVIS) Totus locus sumptus A est ex Sophoclis Philoctete, vbi Philoctetes ipse queritur, suamquè Neoptolemo calamitatem narrat, quòd desertus à Græcis in littore maris, arcu & sagittis victũ sibi parare cogatur. Nascimb. Talem etiam situm & squalorem Philoctetæ describit Calaber lib. 9. *καὶ οἱ πᾶν μεμάρυντο* &c.

NOVÀ FORMA VIRI) Quasi ab homine ferè in belluam deformati, quemque hominem fuisse neges, sed tantùm hominis speciem, laruam, & imitationem, vt infrà: *forma magnorum vlulare luporum*: quòd ficti simulatiq; lupi essent. German.

DIRA ILLVVIES) Illuuies, sordes. Lucill. lib. 20. *Illuuies, scabies oculos huic deinq; petigo Conscendere.* Idé B lib. 46. Hic cruciatur fame, frigore, illuuie. Nonius. Noster item 3. Georg. in extremo, *illuuieq; peresa Vellera.*

IMMISSAQVE BARBA) Immissum pro demissum, prominens, & longius pendens. Sisenna Histor. lib. 3. Complures menses barba immissa, & intonso capillo. Lucill. lib. 30. *neq; barbam immiseris istam.* Nonius.

CONSERTVM TEGMEN SPINIS) lappis, & spinis densum, qualis solet esse eorum habitus, qui per metũ in vlua, & spinis diu delitescentes, fame, & siti contabescunt.

CÆTERA GRAIVS) Id est ex reliquo habitu satis constabat illũ esse Græcum. Hellenismus. Horat. epist. C 10. lib. 1.

Hæc tibi dictabam post fanum putre Vacunæ,
Excepto quod non simul esses, cætera lætus:

Id est, quod ad cætera attinet. Nascimb. * *τἆλλ' ἄνα dicunt Græci, & vtuntur eo etiam non poetæ. Lamus, Verum cætera egregium secuta ambitio est. Videtur & Cicero pro P. Quinctio sic locutus. Sanè cætera paterfamiliâs & prudens, & attentus, &c. Vulgò legitur, sanè cæterarum rerum paterfamiliâs, &c. Sallust. Iugurthino. Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, præter nomen cætera populi Romani ignarus. Vide Lamb. in Horat. Ode 2. lib. 4. plura congerentem, docentemq; quo pacto M. Tullius huiusmodi sententiam efferret.*

ISQVE VBI DARD. HABITVS) Ex eo magis intelleximus, vnum fuisse de hostibus, & ex eo prior nostra firmata suspicio, quia cum nos Troianos cultu, & armo- D rum indicio cognouisset, territus conscientia substitit paululum: sed necessitas vicit. Accurrit ergo ad littus præceps, hoc est, vltra modum festinans, sine respectu salutis scilicet, postquam Cyclopum grauiora cogitauit pericula. Cum longè adhuc esset, gestu corporis se supplicem demonstrauit: cum ad littus peruenisset, addidit preces, & lacrymas, quando videri poterat, & audiri. Donatus.

ASPECTV CONTERRITVS HÆSIT) Decorum seruat: fieri enim non poterat, quin viso hoste extimesceret, quanquam alioqui mortem exoptaret etiam, dũ ne à Polyphemo deuoraretur, quod ipsa morte dirius reputabat.

PER SVPER. ATQVE HOC CÆLI) Sequitur eius obtestatio, rogat autem liberari ab istis locis, ne deuoretur ab immanissimo cyclope: siue illi postea eum donare vita velint, quãquam longissimè, & ad terras prorsus ignotas abductum: siue etiam tanquã hostem (Græcum enim se apertè fatetur, & ad Troiam cum cæteris oppugnandam venisse non negat, quò ipsa cõfessione misericordiam facilius impetret) interimere, & in frusta discerptum proijcere in vndas velint. Solatio sibi futurum, si ab hominibus occidatur: cyclopem enim Polyphemum habet pro immani bellua. ✠

HOC SAT ERIT) Satis mihi fuerit vitasse cyclopas, & esse cum hominibus.

DANAIS E CLASSIBVS VNVM) Classiarij dicuntur nauales siue socij, siue milites, *ἐπιβάται* Græcis. Sic Sinon lib. 2. quò veniam facilius consequeretur, *neq; me Argolica de gente negabo.* Sæpe confessio facti ad veniã, negatio ad supplicij grauitatem proficit. Hegio senex in Capt. ad Stalagmum seruum qui ei filiolum quadrimũ surripuerat, & vendiderat:

Propemodum vbi loci fortuna tuæ sint, facile intelligis.
Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliusculam.

SI PEREO) Perire, & interire plurimum differentiæ habent, quod perire leuior res est, & habet inuentionis spem, & non omnium rerum finem. Plaut. Capt. *Qui per virtutem perit, at non interit.* Sic quidem B Nonius. Quid ergò? qui exclamant in Comœdia, perij, occidi, nullus sum, num spei quidquam habent? Certè qui perierunt, nihil distant à perditis. Perditi autem sunt perditi. Ergo perire est interire. Plaut. hoc sensu dixit, qui perit corpore ob virtutem, non perit, seu interit fama & gloria, sed in superstitum memoria, & ore habitat. ✠

ET GENVA AMPLEXVS) De genibus, quòd ea supplices attrectabant, multa fit apud auctores vtriusq; linguæ mentio: misericordiæ sedem in genibus consecratam fuisse à vetustate, memorat Seruius, quod disertissime his verbis extulit lib. 11. cap. 45. Plinius. Hominis genibus inest & quædam religio, obseruatione gen- C tium. hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant: fortasse quia inest illis vitalitas: quippe quorum inanitate perfossa, ceu iugulo, spiritus fugiat. Priamus Iliad. vlt. iubetur à Mercurio itineris duce, Hectoris corpus redẽpturus, aduolui supplex ad Achillis genua. *γούνων ἁψάμενος λιτανεύσομεν, ἄψ ἐλεήσῃ.* Et Iliad. 6. *λαβὼν ἐλλίσσετο γούνων.* Ita hoc loco Virgilius. Et iterum. *Et genua amplectens effatur talia supplex.* Sic apud Tryphiodorum Sinon periurus *ἱκεσίας παλάμῃσιν ἐφάψατο γούνων*, Priamo aduolutus. Similiter apud Euripidem Orestes supplex Menelai genua contingit, *τῶν σῶν δὲ γονάτων*, inquiens, *προσπίτνω Σεγὰν*. Synesius, *πρηνὴς, καὶ γονυπετὴς ἱκέτης γενόμενος*, pronus atq; in genua procidens supplex factus. Liuius lib. 5. decad. 4. vbi D de Perseo agit: summittentemque se ad pedes sustulit, nec attingere genua passus. Claud. de raptu Proserp. *genibusq; suas cum supplice fletu Admouere manus.* Apud Q. Curtium, mater, & coniux Darij prouolutæ ad pedes Alexandri erant, vt liceat sibi patrio ritu sepelire Darium, quem rebantur in acie cecidisse. Huc spectat quod Homer. Iliad. 9. Litas deas supplices fingit esse claudas, eo quòd *γονυκλινῶς*, id est, flexis genibus supplicent, qui priores offenderint. Iunius lib. 2. cap. 11. * *Apud Græcos poetas in supplicatione non modo genua, sed mentum quoq; & dextram tangi videmus. Vide Hecubam Euripidis, & 1. Iliad. vbi Thetis Iouem orat pro Achille filio vlciscendo. Sed de genibus tangendis in supplicando, vide præterea Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19. & in eundem Tiraquell. qui, vt est diligentissimus, lectu di-* E *gna collegit è scriptoribus primarijs.*

QVI SIT FARI, QVO SANG.) Tria quæruntur, nomen, parentes, seu genus, fortuna, siue conditio. Hortamentis Anchises robur adijcit, porrigendo ei dextram: quod quia fuit beneuolentiæ, dubitantis, ac pauentis animus firmatus est, & securus effectus. Donatus.

ILLE HÆC DEPOS. T. FOR. FATVR) Repetit versum integrum ex secundo, positum illic de Sinone homine plano & bilingui. Fictè agebat ille: hic verè, & ex animo. Quod cum ita sit, tamen poeta rem dissimilem similibus verbis efferendam censuit. Videas, & alibi eosdem versus in rebus multum disparibus adhibitos. ✠

Sum pe-

Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Vlyssi,
Nomine Achæmenides, Troiam genitore Adamasto
Paupere (mansissetq; vtinam fortuna) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socij vasto Cyclopis in antro
Deseruere: domus sanie, dapibusq; cruentis
Intus opaca, ingens: ipse arduus, altaq; pulsat
Sidera (dij talem terris auertite pestem)
NEC VISV FACILIS, NEC DICTV AFFABILIS VLLI.
Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cùm corpora nostro
Prensa manu magna, medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieq; aspersa natarent
Limina: vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impunè quidem: nec talia passus Vlysses,
Oblitusúe sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul EXPLETVS DAPIBVS, VINOQVE SEPVLTVS
Ceruicem inflexam posuit: iacuitq; per antrum
Immensum, saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commista mero: nos magna precati
Numina, sortitiq; vices, vnà vndiq; circum
Fundimur, & telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torua solum sub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbææ lampadis instar.
Et tandem læti sociorum vlciscimur vmbras.
Sed fugite ô miseri, fugite, atq; ab littore funem
Rumpite.
Nam qualis, quantusq; cauo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atq; vbera pressat:
Centum alij curua hæc habitant ad littora vulgò
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.

A SVM PAT. EX ITHACA) ergo Vlyssis non tantum comes, quod subiungitur, sed subiectus etiam: nam Vlysses Ithacensium rex. Quare autem infælicem vocat Vlyssem? An infælicem intelligit sibi, id est infidum, quippe à quo desertus fuit in antro Polyphemi? An infelicem, id est, teterrimum hostem Troianis? An infortunatum, vt qui tam multa aduersa in reditu pertulerit? Alius plures caussas, & meliores commentetur.

NOMINE ACHÆMENID.) Fabricius legit *Nomen Achæmenidæ*, ἑλληνικῶς, & elegantius. Omnia exemplaria, tam scripta, quàm impressa in nomine Achæmenides consentiunt. Ego tamen ausim quemuis quouis pignore prouocare, olim fuisse scriptum Agamemnides, vel Agamenides. Quum enim sciam nullum proprium nomen temerè à Virgilio, vel Homero vsurpari, coactus sum requirere etymon in Achæmenides, quod nullum apparuit. Iam cum poetæ ipsi subinde latenter indicent, & multa allusione celebrent caussas ἐτύμων, putaui & hic quoque Virgilium aliquid tale fecisse, idq; consistere in his versibus.

Hic me dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socij vasto Cyclopis in antro
Deseruere.

Persuadeo enim mihi, hunc Agamemnidem dictum, quod nimium diu manserit in spelunca Polyphemi, dū socij abeunt. Atq; eadē ratione Parmenonem esse vocatum, q̄ assiduè permanserit apud fores Thaidis, vnde scomma Gnathonis. *Etiam tu hic stas Parmeno? Ehe, num nam hic relictus es custos, Ne quis forte internuntius clam ad istam cursitet?* Ita quoque Agamemnon, quod tam diu in bello hæserit, nomen sortitus est, interprete ipso Platone in Cratylo. Ex eodem fonte profluxerunt *μενεδήϊοι, καὶ μενεχάρμαι*, quod in bello, & pugna as-B sidui essent. Nannius lib. 7. cap. 13.

TROIAM GENIT. ADAM. PAVP. PROF.) Vide 1. Æneid. *Pauper in arma pater primis huc misit ab annis*, & adde ex Heautont. Terentij, vbi Menedemus de se,

Ego istuc ætatis non amori operam dabam,
Sed in Asiam hinc abij propter pauperiem, atq; ibi
Simul rem & gloriam armis belli repperi.

Et Adelph.

Et Adelph. *Videre videor iam diem illum, cum hinc egens Profugiet aliquò militatum.*

MANSISSETQVE VTINAM PORT.) vtinam mansisset genitor, quamuis pauper. Immò, vtinam me pauper ipse pauperem filium apud se retinuisset. Quam vellem castra nunquam vidisse, si hæc erat mea futura conditio?

DOM. SAN. DAPIBVSQVE) Dictum est, *domus saniе, dapibusq; cruentis*, vt illud in 8. *Ipse Quirinali lituo paruaq; sedebat Succinctus trabea*: non enim succingi poterat lituo. Turneb. lib. 28. cap. 5.

NEC VISV F. NEC. D. AFF.) Attius Philoctete. *Quem neq; tueri contra, neq; affari queas.* Seruius legit, *nec dictu effabilis vlli*: id est, vt idem ait, sermone non replicabilis. Melius, *affabilis*. Nam & faciem Cyclopi tyrannicam, & motum ferocitatem tribuit talem, vt nemo illum posset & sine consternatione intueri, & absque periculo alloqui. * *De ingluuie, & immanitate Polyphemi quid narret Ouid. lib. 14. Metamorph. sub persona Achæmenidis, iucundum est cognoscere, ab eo loco.* Quid mihi tunc animi, *&c. Et est totus ille locus cum hac Virgiliana narratione comparandus. Ouidium quidem, quàm Maronem fusiorem, & more suo luxuriantem cernes.*

HAVD IMPVNE QVID.) De socijs Vlyssis à Cyclope deuoratis, & exoculatione Homerus Odyss. 1. à quo locum hunc suum transtulit Virgilius. Notant German. & Vrsin.

OBLITVSVE SVI EST ITHACVS) Vafer, callidus, versipellis inducitur à poetis Vlysses, δολομήτις. Pellacē appellat noster lib. 2. Non est oblitus astutiæ, calliditatis suæ. Vsus est ea ad Polyphemum exoculandum, cum eum inebriasset prius vino, quod secum tulerat, generoso, & sapido. Iocosè lusit in Ithacenses Agathocles Siciliæ rex, vt in Apophtheg. Regum Plutarchus narrat. Cum enim illi nautas eius accusarent, quod ad insulam illam appulsi, pecus abegissent, respondit rex: Atqui cum ad nos venisset rex vester, non ouibus tantum ablatis, sed insuper excæcato pastore abijt.

NAM SIMVL EXPLETVS DAPIBVS) Ennius lib. 11. Annal. *Cyclopis venter velut olim turserat alti, Carnibus humanis distentus.*

VINOQVE SEPVLTVS) vino dulci quod ab Vlysse acceperat. Iam illud, iacuisse per antrum immensum, corporis eius incredibilem vastitatem ostendit.

CERVICEM INFLEXAM POSVIT) Non collum, vt ait Seruius, sed posteriorem colli partem significat ceruix. Quin ceruix interdum pro superbia, & contumacia legitur.

SANIEM ERVCTANS, AC FRVSTA) Argumentum est magnæ ebrietatis, crapulam vomere. Quamobrem inter cætera illud ceu sordidissimum à Cicerone obiectum fuit Antonio 2. Philipp. quod crapulam vomuerit, frustisque esculentis, ac vinum redolentibus gremium suum, & totum tribunal impleuerit.

ARGOLICI CLYPEI) Clypeus rotundus erat, vt auctore Virgilio intelligi potest, qui prægrandem Cyclopis oculum comparat clypeo Argolico: oculi autem figura rotunda est: scutum formæ oblongæ, maiusque clypeo. Itaque pro clypeo secundæ classi datum scutum est, quod sine lorica esset, vt scutum & clypei, & loricæ loco esset, & totum corpus protegeret. Maro Æneid. 8. *scutis protecti corpora longis.* Hinc & θυρεὸν Græci vocant, quod referat similitudinem forium, quæ longiores, quàm latiores solent esse. Turneb. lib. 11. cap. 29. Idem lib. 24. cap. 10. de magnis & rotundis clypeis Argiuorũ ad amplificationem, superlationemq; poeticam accipiendum est, qui totum tegebant corpus. Vnde illud Iliad. 2. ἀσπίδες ἀμφιβρόται ab Homero dictum est, & ex acie exanimes in clypeo, propter magnitudinem, velut feretro efferebantur. De Argolico clypeo scribit Ælianus, λέγεται δὲ ὁ τοῦ Γρύλλου ἀσπίδα μὲν Ἀργολικὴν ἔχειν. Dionys. lib. 4. τούτοις δὲ συντάξας εἰς ὀγδοήκοντα λόχους ὅπλα φέρειν ἐπέταξεν ἀσπίδας ἀργολικάς, καὶ δόρατα, καὶ κράνη. * *Non modicum oportebat esse clypeum Argolicum, siquidem, vt iam dicebatur, super eo mortui ex acie efferri solebant. De hoc præclaro oculo ipsemet apud Ouid. Metamorph. lib. 13.*

> Vnum est in media lumen mihi fronte, sed instar
> Ingentis clypei. Quid? non hæc omnia magno
> Sol videt è cælo? solis tamen vnicus orbis.

Solem Lucret. quoq; lib. 5. æternam lampada mundi, & roseam facem nominat, vel potius tribuit illi roseam facem. somnoq; sepulti Dum rosea face sol inferret lumina cælo. *De discrimine clypei à scuto, & vtriusque formam habes apud Lipsium de Militia lib. 3. dialogo. 2.*

SED FVGITE Ô MISERI) Exhortatio est ab vtili. Et sanè optima dispositione vsus est, qui antequam Troianis fugam accelerandam demonstret, naturam, formámque cyclopis exposuit, vt periculo territi, celerius fugiant: vtque fugiendi necessitatem, grauéque, atque imminens Troianis morantibus periculum ostenderet, verbum *fugite* iterauit. Nascimb.

AB LITTORE FVNEM RVMP.) Vis & celeritas ostenditur, vt faciunt nautæ, quoties ex improuiso hostibus interuenientibus, ne in naues insiliant, funes nõ soluunt, sed ferro repente præcidunt: quippe quibus tum mora omnis, & cunctatio periculosa sit.

NAM QVALIS QVANTVSQVE) Persuasionis rationem πιθανωτικὴν assignat. Occurrebat enim, si cæcus est, cur timeretur? Soluit obiectum. Non solus est Polyphemus, sed alij plures extant Cyclopes tales ac tanti, qualis, quantusq; est Polyphemus. Nascimb.

INFANDI CYCLOPES) Dicti sunt ab vno oculo rotundo in media fronte.

ET ALTIS MONTIBVS ERRANT) per altos montes vagantur. De Pasiphaë Eclog. 6. *tu nunc in montibus erras.* De Didone in sexto. *Errabat sylua in magna.*

Tertia iam lunæ se cornua lumine complent,
Cùm vitam in syluis, inter deserta ferarum
Lustra, domosq; traho: vastosq; ab rupe Cyclopas
Prospicio, sonitumq; pedum, vocemq; tremisco.
Victum infælicem, baccas, lapidosaq; corna
Dant rami: & vulsis pascunt radicibus herbæ.
Omnia collustrans, hanc primùm ad littora classem
Conspexi venientem: huic me, quæcunq; fuisset,
Addixi. satis est gentem effugisse nefandam.

Vos ani-

Vos animam hanc potius quocunq; absumite letho.
Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole mouentem
Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem.
MONSTRVM HORRENDVM, INFORME, INGENS, cui lumen ademptum:
Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat.
Lanigeræ comitantur oues. ea sola voluptas,
Solamenq; mali: de collo fistula pendet.
Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit,
Luminis effossi fluidum lauit inde cruorem.
Dentibus infrendens, gemitu: graditurq; per æquor
Iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit.

TERTIA IAM LVNÆ) Interruperat narrationem, nunc redit: & bene in desertis locis ex lunę ratione tempora colligit.

SE COMPLENT) quia suum non habet lumen, sed à sole accipit.

LVSTRA) cubilia: vnde etiam lupanaria lustra dicimus, vbi habitant lupæ, id est, meretrices: dictæ, ab obscœnitatis, & odoris similitudine. Seruius.

VICTVM INFELICEM BACCAS) Ouid. *Glande famem pellens, & mista frondibus herba.* Terent. And. *lana, ac tela victum quæritans.* Et Heaut. *Post illa cœpit victum vulgò quærere.* Vbi Donatus, cibus est, qui etiam delicatis præbetur. Victus in paruis aridisque alimonijs est constitutus. Affert hunc ipsum Maronis locum. Atque huiusmodi ciborum delicijs vsi sunt, qui vitam exegerunt in solis locis ac desertis. *ξηροφαγίαν* Græci appellant. Hoc vitæ genus amplissimis verbis prædicat D. Hieronymus epistola ad Heliodorum, eundem ad eiusdem societatem inuitans.

HVIC ME ADDIXI) tanquam seruum. Ouid.

Hanc procul aspexi longo post tempore nauem,
Oraui, fugam gestu, ad littusq; cucurri,
Et moui: Graiumq; ratis Troiana recepit.

QVOCVNQVE ABSVM. LETHO) dixit etenim supra, *Si pereo manibus hominum, perijsse iuuabit.*

SVMMO CVM MONT. VID. IPSVM) Ne vanus redarguatur Achęmenides, studio Polyphemum quasi in rem præsentem inducit, & ne Troiani stultè creduli, per ignauiam, & vanum metum in fugam temere acti iudicentur. Donat.

MONSTRVM HORR. INFOR. ING.) Producit de vastitate Polyphemi hos Lucillij versus Crinit. lib. 17. cap. 3.

Multa hominum portenta in Homero versificata
Monstra putant: quorū in primis Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes: huic porro maiu' bacillum
Malus maximu' sit quam in naui, & corbita in illa.

Idem Crinitus, quid fuerit salutare Cyclopem, eodem cap. nos erudite docet. Lepidissima autem narratio est Magij lib. 1. cap. 4. in quo de gigantum proceritate, & magnitudine disserit. Ex Bocatio igitur lib. 4. Geneal. sic refert. Bocatius sua ætate rusticos quosdam in Sicilia, non procul à Drepano fodientes, maximum adinuenisse antrū scribit, in quo sedens esset gigantis cadauer, quod læua contum, cuiusvis nauis malo maiorem teneret. Quò in cineres, vt vetustissimis cadaueribus vsu venit, statim soluto, plumbum quod conto inerat, plusquam mille & quinquaginta libras excessisse: dentes libras nouenas: cranei verò partes multos frumēti modios excepisse. Aitq; idem Bocatius, facta supputatione, gigantem illius proceritatem vltra ducentos cubitos processisse, vnde Polyphemum fuisse creditum sit. * *Imitatus est grauatatem. & hiatum huius hemistichij* Monstrum horrendum, informe, ingens, *Sanazarius 2. de partu Virginis:* dapandere factum Mirum, indictum, insuetum, ingens.

TRVNCA MAN. PIN. REGIT.) Quod pinus manū regit, id est, quod pino pro scipione vtitur, etiam hinc vastitas corporis eius perspicitur. Quintil. lib. 8. cap. 4. Ouid. 13. Metam.

Cui postquam pinus, baculi quæ præbuit vsum,
Ante pedes posita est, antennis apta ferendis.

DE COLLO FIST. PENDET) Nec Donatus agnoscit hæc verba, nec Seruius, nec in veteribus libris apparent, & præcedentis versus, ac hemistichij elegantiam tollunt. Meminerunt eius fistulæ Ouidius, & Theocritus, cum Galateæ blandientem inducunt, tacet omnino Homerus. Quare Turnebum lib. 28. cap. 15. tam turpiter deceptum miror, sic enim scripsit. Ea pastorū erat olim consuetudo, fistulam de collo gerere: ita & decorum seruauit poeta nobilis, & poësin ornauit. Sic nonnunquam vel summis viris deest perspicientia: & nemo omnibus horis sapit.

POSTQVAM ALT. TET. FLVC.) *ὕστερον πρότερον*, prius enim ad æquora venire debuit, quam altos fluctus tangeret.

FLVID. LAVIT. IN. CRV.) Sic Georg. 3. *Præcipitē Oceani rubro lauit æquore currum.* Horatius semper ferè hoc verbo in tertia flexione vtitur, nunquam in prima. Ode 3. lib. 2. Ode 3. & 4. lib. 3. Ode 6. lib. 4. Sat. 5. lib. 1. Sic Catull. ad Egnatium, *Aut quilibet qui puriter lauit dentes.* Lucret. lib. 1. expressit, puto, hanc cyclopæam Polyphemi vastitatem.

Deniq; cur homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus qui pontum per vada possent
Transire, & magnos manibus diuellere montes?

DENT. INFREND. GEMITV) Propter salsedinem aquæ marinæ, quæ mordebat vulnus.

GRADITVRQVE PER ÆQVOR IAM MED.) Non vtique *γεωμετρικῶς* per medium, quia nec ipsi Troiani sic in medio: sed hoc intellectu accipiamus, non parum à littore iam recesserat. Et adhuc manet hyperbole non minima.

NEC DVM FLVCT. LAT. ARD. TINX.) Seruius legit, fluctu: communis scriptura est, fluctus, quod etiam monet. Huc pertinet versus secundus Lucretij de illis tribus paulo ante à me positis. *pedibus qui pontum per vada possent Transire.*

Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice sic merito: tacitiq; incidere funem:
Verrimus & proni certantibus æquora remis.
Sensit, & ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verùm vbi nulla datur dextram affectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo:
Clamorem immensum tollit: quo pontus, & omnes
Intremuere vndæ, penitusq; exterrita tellus
Italiæ, curuisq; immugijt Ætna cauernis.
At genus è syluis Cyclopum, & montibus altis
Excitum ruit ad portus, & littora complent.
Cernimus adstantes nequicquam lumine toruo
Ætnæos fratres, cælo capita alta ferentes.
Concilium horrendum: quales cùm vertice celso
Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi
Constiterant, sylua alta Iouis, lucusúe Dianæ.
Præcipites metus acer agit, quocunq; rudentes
Excutere, & ventis intendere vela secundis.
Contrà iussa monent Heleni, Scyllam, atq; Charybdin
Inter vtramq; viam lethi discrimine paruo,
Ni teneant cursus. certum est dare lintea retro.

NOS TREPIDI) id est, festini: vt, *Ne trepidate meas Teucri defendere naues.* Item. *Accepit trepidos, & Nisum dicere iussit.*

SIC MERITO) Vocat meritum, quòd eius omnia dicta probauerant, nec, vt Sinonem, fallacem repeterant. Immò, quoniam ab eo edocti, periculum euadebant. Hoc erat bene meritum esse de Troianis.

VERRIMVS ÆQVORA REMIS) Supra, *Certatim socij feriunt mare, & æquora verrunt.* A scopis ad remos, à solo ad mare metaphora.

AD SONITVM VOCIS) Remorum sonitum vocem dixit: vox enim est omne quod sonat. Sic alibi, *fractiq́ ad litora vocis.* Nam de hominibus non dixit, quia supra est, *tacitiq́ incidere funem.* Seruius.

DEXTRAM AFFECTARE) Affectare dextram, est magno affectu atque auiditate manum intendere, seu inijcere, vt nauim apprehendat. Sic & affectare viam ad aliquid dicimus. Terent. Phorm. *Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.* Nascimb. Cogor bona venia doctorum suspicari, dextram affectare, esse gladiatorum, luctatorum, vel arenæ vocabulum: verisimile tamen mihi videtur, Maronem illum locum Homeri Odyss. λ. repræsentare voluisse: πιλναί τις ἐμὴ χεῖρας ὀρέξασθαι μενοινῶν. quod & docti multi συμψηφοὶ comprobant. German.

NEC POTIS ION. FLVCT. ÆQ. SEQ.) nec potest nos per Ionios fluctus fugientes æquare, non potest nos assequi, quod vnum maximè cupiebat.

CLAMOR. IMMENS. QVO PONT. ET OMNES) Hyperbolis rem grandem amplificat, sed aliquanto splédidius, quam Græcus, qui effosso oculo horrendùm gemuisse, & saxum sonuisse tantum, & cyclopas euocatos canit. Noster vero quanto sublimiùs omnia: qui ad Polyphemi fremitum maria intremuisse, Italiam exterritam, Ætneas cauernas immugijsse dicit? Montfortius.

IMMVGIIT ÆTNA) Sueton. Caligula cap. 51. Peregrinatione quidem Siciliensi, irrisis multorum locorum miraculis, repente à Messana noctu profugit, Ætnæi verticis fumo, ac murmure pauefactus.

CERNIMVS ASTANT. NEQVIDQVAM) ex loco enim longinquo nocere nobis nequibant.

ÆTNÆOS FRATRES) Vetus opinio est, non solùm Latinorum, sed Græcorum quoque monumentis, literisque testata, immanes illos Cyclopas eam partem Siciliæ incoluisse, vbi Ætna, & Leontinus ager est. Certè Maro Ætnæos fratres vocat. In quo tamen ab Homero, ad cuius speculum se totum fingit, atque componit, recessit. Nam apud eum Cyclopes non insulæ, sed continentis habitatores sunt. Lege cætera apud Turneb. lib. 24. cap. 10. Interpretari libet cum Seruio, feritate germanos: nam nomen fratris sæpe videas ad significandum in genere aliquo similitudinem adhiberi. Cælius Rhodigin. lib. 21. cap. 23. Ætnæos dixisse Virgilium vult, pro magnos. Iam quomodo Virgiliani versus de magnitudine & mole ista cyclopica cum Callimachi carminibus in hymno Dianæ consentiant quæ quidem à Germano referuntur, tu ipse iudicabis.

QVALES CVM. VERTICE CELSO. A. QVER.) Collatione à quercubus, & cyparissis deducta locum exornat: & cyclopum proceritatem ὑπερβολικῶς extollit. Hac comparatione iterum, diuersis tamen verbis vsus est poeta lib. 9. de Bitia, & Pandaro verba faciens. *Quales aëria liquentia flumina circum*, &c.

CONIFERÆ CYPARISSI) Conus fructus cyparissi, in similitudinem nucis pineæ.

SYLVA IOVIS) Propter quercum, ea enim sacra Ioui: lucus Dianæ, propter cyparissum, quæ Dianæ inferæ seu Hecatæ sacra est. Sequitur duplex πάθος, à timore, & periculo. Seruius.

LVCVSVE DIANÆ) Luci erant syluæ cultæ, inceduæ, dijs consecratæ. Plin. de arboribus agens. Hæc fuere numinum templa, priscoq; ritu simplicia rura. Etiam nunc deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia, atque ebore simulacra, quàm lucos, & in ijs silentia ipsa adoramus.

NI TEN. CVRSVS) Ni, inquit Seruius, antiquum est, pro ne, qua particula plenus est Plautus. [*Donatus quoq; in Eunuch. Terent. Ni, inquit, ne significat: & ne, non. Mox hunc locum profert.*] Sensus ergo talis est. Timor cogebat, vt quocunque nauigaremus, & ventum sequeremur, non iudicium: sed occurrebat præceptum Heleni, vitare iubentis Scyllam, & Charybdim. Quare placuit, ne inter vtramque, inter Scyllam inquam, & Charybdim cursus teneant viam, cum modico mortis interstitio, id est, cum summo vitæ periculo. Quod dum cogitamus, prosperior nobis flare cœpit Boreas.

DARE LINTEA RETRO) Calabriam, aut sinum Tarentinum versus. Horat. Ode 34. lib. 1. *nunc retrorsum Vela dare, atq; iterare cursus Cogor relictos.* Et linteis porrò pro velis vsus est idem Ode 14. lib. 1. *non tibi sunt integra lintea.* Et Ode 16. Epod. *neu conuersa domum pigeat dare lintea.*

Ecce autem Boreas angusta à sede Pelori
Missus adest: viuo præteruehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosq; sinus, Tapsumq; iacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum
Littora Achæmenides, comes infelicis Vlyssi.
Sicanio prætenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium vndosum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare: qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur vndis.
Numina magna loci iussi veneramur: & inde
Exupero præpingue solum stagnantis Elori.
Hinc altas cautes, proiectaq; saxa Pachyni
Radimus: & fatis nunquam concessa moueri.
Apparet Camarina procul, campiq; Geloi,
Immanisq; Gela, fluuij cognomine dicta.
Arduus inde Agragas ostentat maxima longè
Mœnia magnanimûm quondam generator equorũ.
Teq; datis linquo ventis palmosa Selinis:
Et vada dura lego saxis Lilybeïa cæcis.
Hinc Drepani me portus, & illætabilis ora
Accipit: hîc pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, OMNIS CVRÆ, CASVSQVE LEVAMEN
AMITTO ANCHISEN. hîc me pater optime fessum
Deseris, heu tantis nequicquam erepte periclis.
Nec vates Helenus, cùm multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno.
HIC LABOR EXTREMVS, LONGARVM HÆC META VIARVM.
Hinc me digressum vestris deus appulit oris.
Sic pater Æneas, intentis omnibus, vnus
Fata renarrabat diuûm, cursusq; docebat.
CONTICVIT TANDEM, FACTOQVE HIC FINE QVIEVIT.

ECCE AVTEM BOREAS) qui Græcè Boreas, Latinè Aquilo dicitur. Testis Gell. lib. 2. cap. 22. sed qui ab æstiua, & solstitiali Orientis meta venit, latinè Aquilo, græcè *βορέας*, ἀπὸ τῆς βοῆς nomen habet.

MISSVS ADEST) fauore scilicet numinum, quem suprà Anchises à dijs optauerat. *Ferte viam vento facilem, & spirate secundi.*

VIVO SAXO) Sic lib. 1. *viuoq; sedilia saxo.* natura, non humana opera sic parata. Pantagias nomen fluuij. Megara oppidum. Tapsus insula non longè à Syracusis. Sequitur epilogus, occultam prolepsin habens: occurrebat enim, vnde hæc loca nouerat Æneas?

RELEGENS) renauigans.

OSTIA PANTAGIÆ MEGAR. SIN. TAP.) Consule super his locis interpretes, Geographos.

ERRATA LITTORA) vt Græci passiuè efferunt. Xenophon. [illegible] ἁμαρτανόμενα τῶν περὶ τὴν [illegible] ἁμαρτανομένων.

INFELICIS VLYSSI) Hoc etiam epitheto ante vsus fuerat, sed sub persona Achæmenidis: quod optimè quadrare videbatur. *Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Vlyssi.* Nam vt à Troianis gratiam iniret, Vlyssem infelicem dixerat. Nihil enim hosti gratius, quàm audire, hostem suum in summas calamitates incidisse. Hic nescio an tam bellè ab Ænea conueniat dici. Seruius putat, ad implendum versum positum esse, more græco, sine respectu negotij. Ego verò arbitror, cum Achæmenides infelicem Vlyssem dixisset, Æneam, qui, quæ ab Achæmenide audierat, exponebat, illius quoque epitheto vti voluisse, quasi non ex sua, sed illius persona loqui videretur. Seruius, German. Nascimb.

Magis tibi Modicij forsitan probabitur explanatio. Cap. 6. sic habet. Placet Seruius, quatenus testatur morem Græcorum fuisse, ad implendos versus epitheta sine negotij respectu apponere. Sed hoc de Virgilio non est dicendum. Nihil enim temere dicit, nullum verbum inane, aut superuacaneum, nihil denique quod negotijs non conueniat. Quod vero pro varietate negotiorum homines aliud atque aliud sentiant, hoc exemplo declaramus. In nauali pugna ad Echinadas, qua Turcarum classis à nostris deuicta est, quidā Turca Christiano naufrago, & pereunti, quem fluctus ad suam triremem appulerat, funem demisit, quem ille repudiauit, & à nostris mox seruatus est. Barbarus tamen eum, quem pugnantem occidere voluisset, naufragum, & misere natantem seruare conatus est. Sic Æneas exitium patriæ narrans, de Vlysse, vt de hoste pernicioso sensit, & locutus est: quem dirum, sæuum, pellacem, & scelerum inuentorem appellauit. Cum verò suos errores diuturnos, ærumnas multas, graues tempestates, & pericula sæua narraret, quoniam Vlysses simili fortuna vsus, graues tempestates subijt, cum Cyclope conflictatus est, & diu nauigando multa mala pertulit, de eo, vt de errante, naufrago, & iactato sensit, & locutus est, infelicem appellans, quasi sui similem. Cum enim Achæmenidem Ithacensem, Vlyssis comitem, & apud Cyclopem eiusdem periculi, atque acerbitatis socium lacerum, macilentum, & enectum fame, misericordia motus in nauem recepisset, quid mirum, si Vlyssem Achæmenidis ducem infelicem appellauit?

SICANIO PRÆTENTA SINV) à Sicania insulæ Siciliæ quadam parte, in finibus Agrigentinis. Aliquando tota insula dicta est Sicania, id quod alibi docuimus.

ALPHEVM FAMA EST). Tangit eandem hanc fabulam principio Eclog. 10. his verbis:

Sic tibi cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat vndam.

Pausan. lib. 5. Neque tamen Alphei ipsius, inquit, in Eleo agro, sed in Arcadia fontes sunt, de quo vulgata est fabula, virum illum fuisse venatorem, Arethusam amasse, & ipsam venandi studiosam. Quæ cum illius nuptias recusasset, in insulam, cui Ortygiæ nomen fuit, prope Syracusas dicitur transmisisse, atque ibi in fontem conuersa. Ipsi etiam Alpheo accidisse, vt præ amore in amnem mutaretur: quæ omnia fabulosè dicta, facilè videri possunt. Meantem verò subter mare amnem, fonti apud Syracusas immisceri, quid caussæ sit quare non credam, non planè video, cum Delphici Apollinis voce, rei fidem factam meminerim. Is enim Archiam Corinthium ad Syracusas coloniam deducendam proficisci iubens, huiusmodi vsus est versibus.

Trinacriam supra medio iacet insula ponto,
Ortygiam dixere, vbi cana fluenta refundit
Alpheus, pulchra sese immiscens Arethusæ.

A Atq; ex eo quidem, quod in Arethusam fontem illabitur Alpheus, fabulæ de Alphei amore locum datū crediderim. [*Tametsi rideat tamen Strabo lib. 6. quem vide*]. Idem scriptor de Alpheo in Arcadicis ita disserit. Alpheus lōgè alia, quàm cæteri amnes, præditus est natura: abditum se intra terram sæpe, & rursus exoritur è Philyca primùm, & à Symbolis emanans mergit se in Tegeatico agro. Mox in Asæa erumpens, Eurotæ aquas permiscens suas, cuniculo iterum absorptus, emergit, quo loco fontes Arcades nominant: ac Pisæū agrum, & Olympium præterlapsus, suprà Cyllenen Elæorum nauale in mare prorumpit. Neque potest cursum eius Adriatici maris concitatio retardare, quo minus magnum, & B violentum internatans pelagus, ad Ortygiam Syracusarum insulam, pristino Alphei nomine conseruato, Arethusæ fonti permisceatur.

Cæterùm fabulam Arethusæ persequitur Ouid. 5. Metamorph. De ipso fonte Cic. ait 2. in Verrem, seu lib. 4. In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, cui nomē Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium, qui fluctu totus operiretur, nisi munitione, & mole lapidum à mari disiunctus esset. De hoc item fonte Seneca in Consolat. ad Martiam scitissimè, cap. 17. Videbis celebratissimū carminibus fontem Arethusam, nitidissimi ac perlucidi ad imum stagni gelidissimas aquas profundentem: siue illas ibi primùm nascentes C inuenit: siue immersum terris flumen integrū subter tot maria, & à cōfusione prioris vndē seruatum reddidit. Apponam pro corollario locum eiusdē ex Natural. lib. 3. cap. 26. Quidam fontes certo tempore purgamenta eiectant: vt Arethusa in Sicilia quinta quaq; æstate per Olympia. Inde est opinio, Alpheum ex Achaia eo vsq; penetrare, & agere sub mare cursum, nec antè, quam in Syracusano littore emergere. Ideo illis diebus, quibus Olympia sunt, victimarum stercus secundo traditum flumini, illic redundare. Vt absoluam, vide etiam, quæ annotatā Eclog. 10. ad illos versus.

Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat vndam.

D STAGNANTIS ELORI) campis enim, vt Nilus, superfunditur. Ab Eloro rege dictus, qui eū ponte iunxit.

PROIECTAQVE SAXA) *Proiecta*, si secundùm consuetudinem dicatur, intelligitur obiecta: si secundum veteres, *proiecta* porrò iacta, prominentia. Alibi ait, *proiecto dum pede læuo Aptat se pugnæ.* Sed & Sisenna in 2. dixit. Et Marti propius succedunt. Atque ita scutis proiectis, tectis saxa certatim lentā manibus conijciunt in hostes. Et in eodem. Vetus atque ingens erat arbor ilex, quæ circum proiecta ramis, maiorem partem loci summi tegebat. Et Lucret. in 3. *Quamlibet immani proiectu corporis extet.* Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 4. Sic & Iureconsulti proiecta, podia, mæniana vocant: alibi poeta procurrentia saxa dixit. German.

E APPARET CAMARINA PROCVL) Consulas licet prouerbium, mouere Camarinam, quod est, sibi ipsi malum accersere. Vide præterea Seruium super hoc versu, & Alciatum Parergon Iuris lib. 5. cap. 21. cuius tamen verba ponemus lib. 6. ibi, *portusq́; require Velinos:* nam vtriusq; loci vna est, eademq; aduersus Grammaticos defensio. Ho.

ARDVVS AGRAGAS) Mons est muro cinctus, in cuius summa parte oppidum. Seruius. Hæc omnia *κατὰ πρόληψιν* figuram à Marone dicta multi contendunt: quia inter Geographos constat, hæc oppida non fuisse, quum Æneas nauigaret, quam opinionem non probat Seruius, probat & defendit Nascim. quem lege.

PALMO-

PALMOSA SELINIS) M. Tullius Act. ult. in Verrem. Nautæ coacti, radices palmarum agrestium, quarum erat in illis locis, sicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebant. Vidi etiam apud Antonium Augustinum Episcopū Ilerdensem ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΩΝ numisma argenteum, in cuius altera parte has ipsas palmas agrestes notatas animaduerti. Vrsin.

HEV GENITOR. AMITTO ANCHIS.) *Dum exclamat cum dolore, & patrem amissum velut coram præsentem alloquitur, Didoni à pietate non parum sese commendat.* } Varia admodū & inter se discrepantia de morte Anchisæ veteres prodiderunt. Sunt enim qui annos natum octoginta in Phrygia obiisse dicant, ostendiq; tumulū eius in monte Ida, vbi pastores, & bubulci quotannis per autumnum sacra faciunt. Pausanias mortuum in regione Laconica tradit, antequam in Siciliam perueniret, sepultumq; in monte, qui ex eo Anchisias vocetur. Virgilius in Sicilia, quam opinionem [illegible] ait esse Eustathius. Cato, vt à Seruio relatum est, cum Ænea filio in Italiam peruenisse. Muret. lib. 13. cap. 3.

Et mortes quidem apud Maronem, quas frequenter necesse erat describere, nunquam eiusdem modi. Fato suo fungitur Anchises, Misenus ab æmulo Tritone ob inuidiam & temeritatem. Palinurus ob fidem, Lausus ob pietatem, Mezentius ob vltionem, Pallas ob audaciam, Aruns ob perfidiam, Camilla ob fortitudinem, Turnus ob auaritiam, & gloriam, spolijs detractis. Videbis quoq; in ipsis prælijs tot diuersos modos, quot intereunt. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 4.

TANTIS NEQVID. EREP. PER) Quia ei Italiam adire non contigit.

NEC VATES HEL. CVM MVLT. HORREND.) Dolorem suum exaggerat ex insperato incommodorū A euentu: nam quæ præuidentur iacula, minus ferire solent: & improuisa mala grauiora. Nascimb.

VEST. DEVS APP. ORIS) Didonis animum confirmat, illiusq; beneuolentiam, & gratiam sibi conciliat, ex euentu rei, cum se ad eam deorum voluntate accessisse significat. Nascimb.

Donatus in Eunuchum super illo. *Quid si hoc quispiam voluit deus?* Pleraque inquit, repentinis impulsionibus nota, mirisq; prouentibus, deo adscribi solent, vt, *Descendo, ac ducente deo flammam inter & hostes Expedior.* Et, *Hinc me digressum vestris deus appulit oris.* Et Sallust. Vt tanta repente mutatio non sine deo videretur. Idem Donat. in And. Appellere propriè dicitur, cum ex pelago, aut freto quis ad littus B accesserit.

FATA RENAR. CVRSVSQ.) *Fata* ad secundum librum refertur, *cursus* ad hunc tertium: *Renarrabat*, quod ait, quid si contra Seruium accipiamus, inquit German. plures factas de excidio Troiano narrationes (ille enim, re, vacare dicit) ab Ænea, interpellato ab amante Didone sæpius, sed magis concisas, & minus elaboratas hac, quæ hoc toto 3. lib. continentur, vt ex præcedentibus liquere videtur.

Nec non & vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumq; bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc quibus Auroræ venisset filius armis.

Et ex sequentibus.

Iliacosq; iterum demens audire labores
Exposcit, pendetq; iterum narrantis ab ore.

CONTICVIT TANDEM) Diuturnitatem narrationis exprimit, non molestiam: nihil enim auditu iucundius his narrationibus.





SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER IX.

Ad quartum Aeneidos.

SYNOPSIS.



Iquidò satis ex narrationibus antegressis cognouit regina, qualem quantumq; virum hospitio accepisset: nempe quo nihil nobilius, bellicosius, laborum tolerantius, atque vt paucis comprehendam verbis, omni virtutis laude cumulatius, atque insignius. Quare tota in eius amorem abiens, non se tenuit, quin eundē apud Annam sororem singularibus verbis extolleret, ac de voluntate matrimonij cum eo coniungendi liberè confiteretur, nisi perpetuæ viduitatis obligata Sichæo fides, consilio huic aduersaretur. Verùm Anna, callida fœmina, ipsa quoque in Æneam mirè propensa, pluribus argumentis animum Didonis labefactat, & ad negligendam iurisiurandi religionem, obtentu, & spe amplißimorum cōmodorum allectat. Tamen ne quid temere, & dijs inconsultis agere videantur, templa adeunt, vota concipiunt, hostias mactant: quæ omnia mulieri amorum blanditijs iam tum inescatæ, furentiq; prodesse quid poterant? Ex eo veniebat, vt Troianū circumducens, suas ei molitiones, operaq; eximia, & regalibus instituta sumptibus demonstraret: ut eius neq; aspectu expleri, neq; sermonibus satiari posset: vt peruigilaret: vt ædificationes interruptas pendere sineret. Hoc odorans, vel potius manifestè cernens Juno, vt Æneam in Africa retineret, Troianorumq; fata ad nihilum caderent, nec aliquando exorirentur Romani, qui Carthaginem ipsius clientam exscinderent, pacem Veneri astutè offert, & ad nuptias eam inter Æneam, Didonemq; approbandas cohortatur. Venus clauum clauo, vt aiunt, ac simulationem simulatione ludens, sibi eius desiderium haud displicere prædicat, modò Jupiter auctor fiat. Id curæ sibi futurum Juno pollicita, quo pacto, dum venationi vterque dant operam, ambos in eandem speluncam per caußam imbris, ac tempestatis cogere, ibiq; rei coniugalis initia expedire meditetur, enuntiat. Apparatus venatorius, ipsaq; venatio depingitur. Confertur ad rem Junonia machinatio. Atque is dies, quæ deinceps consecuta sunt, malorum, puta, cruciamentorum animi ob discessum Æneæ, insanissimarum motionum, quibus aßiduè tanquam fluctibus tunderetur, ipsius denique voluntariæ necis, quam sibimetipsa consciscere voluit, principium, & προπαρασκευὴ quædam fuit. Cœpit enim iam non occultè vt antea, sed palàm agere Dido, seseq; pro Æneæ coniuge legitima palam gerere, & illum pro vero marito habere, haberiq; velle. Per vniuersam Libyam fama percrebrescit, & Iarbas Getulorum rex, quem illa se ambientem reiecerat, aduersus Æneam aduenam stomacho & iracundia efferuescit: cum Joue de imposita sibi, ipso conniuente, iniuria expostulat. Mittitur Mercurius,

Mercurius, qui Æneam ex Africa in Italiam ad res maiores, Iouis nomine discedere iubeat. Imperata Mercurius facessit. Æneas certus parere mandatis cælestibus, quanam oratione, quo colore, & artificio reginam nihil huiuscemodi suspicantem aggrediatur, haud dispicit: vocat duces suos, edicit, vti negotium tacitum habeant, dissimulanterq́; ad profectionem naues instruant: se, vbi opportunissimum fore iudicauerit, reginam compellaturum. Illam paulò sagaciorem, res clandestinis agitata consilijs minimè latet, quid agatur intelligit, furit, Æneam verbis durioribus pro perfido, ingratoq́; insectatur: sed ad extremū humillimis eum precibus rogat, obtestaturq́; ne se desertam velit. Æneas crimen hominis beneficiorum obliti amolitur, abitum, Iouis iussa proferens excusat: aliter se facere citra impietatem non posse. Rursus per impotentiam animi, inhumanitas & immanitas ei obijcitur: qui nec precibus, nec lacrymis emollescat: adduntur minæ grauissimæ: collapsam præ defectione animi dominam pedisequæ subleuant, & in thalamum reportant. Troiani naues deducunt, onera inferunt, ad nauigandum se accingunt. Regina experitur omnia, & adhuc germanam, quam sciebat præcipuum familiaritatis locum apud Æneam tenere, supplicatum mittit. Frustra: nam heros in sententia persistit immobilis. Aliquot futuræ mortis omina recensentur. Tandem (vide quò res euadit) sese manu sua interficiendi consilium capit. Sorori mandat, in ædibus interioribus pyram extruat, monumenta ab hospite relicta superimponat, quò ijs crematis, ipsa amore soluatur: ita enim faciendum veneficam Maßylam suasisse. Sed longè aliud meditabatur miseranda mulier. Rursum fluctuat animo, de indulto hospitio dolet: sororem, à qua in fraudem acta sit, malis verbis obiurgat. Monetur per quietem Æneas, proficisci maturet, ne à Carthaginensibus ipsi periculum creetur. Discedentes aspectans Dido, multa per fœmineam leuitatem, & amentiam effutit, Troianos detestatur, & quid non malorum imprecatur? Barcen anum arcessitum sororem ablegat, ipsa interim rogum conscendit, illic in gladium ab Ænea fortè relictum moritura incumbit. Vrbs tota infælicem casum lamentatur. Accurrens Anna capillum vellit, genas vnguibus carpit, semet accusat, cuius culpa huc peruentum sit.

Hic liber omnium ab omnibus, etiam à veteribus, elegantissimus est habitus, & eum præ cæteris crebrò fuisse in manibus hominum Romæ, testatur Ouid. lib. 2. Trist.

Nec legitur pars vlla magis de corpore toto,
Quàm non legitimo fœdere iunctus amor.

In quo Virgilius ingenium ostentauit maximè, dum naturam effrenem vesani amoris in fœmina nobili spectandam nobis tanquam in speculo exhibuit, effecitque, vt ab eo honestatis studiosæ mentes maiori ope abhorrerent: hunc etenim fuisse eius scopum, petitum ex communi consilio, seu fine poetarum, satis apparet. Ebrietas dicitur illa quidem insania voluntaria: sed impermissus amor magis hoc ipsum dici potest. En, quæ introducta est lib. 1. fœmina grauis, verecunda, prudens, casta, quæ instabat operi, regnisq́; futuris, quæ labores iustis partibus distribuebat, populo ius dicebat, quæ (ut sim breuis) personam regiam præclarè tuebatur, in hoc quàm est sui dissimilis? Adeóne homines immutarier ex amore, vt non cognoscas eundem esse? *inquit Terentius. Prudenter item ac verißimè Plutarchus in ἐρωτικῷ. Sicut Romæ Dictatore creato, reliqui magistratus abdicant omnes: sic quos Amor dominus inuasit, liberi, & manumissi, tanquam sacris addicti, serui postmodum degunt. Totum librum percurre, quæq́; dixerit, quæq́; fecerit expende: disces, opinor, euidentissimè qualis carnifex sit amor, qui non modò vrat, & discruciet animum: sed corpus simul tabefaciat, adeoq́; interficiat. Quot enim amantes, quæso, non alijs solùm & manibus, & sine manibus, sed sibimet quoque suis ipsorum manibus necem attulerunt? Cognosces etiam, quàm verùm dixerit Ouidius,* Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur Maiestas, & amor. *Tria sunt admiranda in hoc libro: poetæ ingenium, amoris vis, & tyrannis, Æneæ constantia, qui, quanquam aliquid humanum passus, tamen deinde nullis*

fletibus

fletibus mouetur, nullis blanditijs emollitur, quò minus ad dei voluntatem, arbitriumq; fingat animum suum, & actiones dirigat: quem virum in aspernandis mulierum malarum sollicitationibus par est nos imitari. Perutile fore arbitror, propter rerum similitudinem his nostris attexere, quæ de materia, & scopo huius libri, de eiusdemque præstantia, & vtilitate ab hominibus bene doctis doctè scripta iam pridem legisse memini.

Maphæus Vegius lib. 1. de pueror. educat. cap. 18.

Tota Æneis summa Philosophiæ mysteria sub poeticorum figmentorum ornamento habet abscondita: quæ nisi ad alia edisserenda vocaremur, fortasse attingeremus. Sed illud saltem, quod ad rem, de qua agitur, pertinet, non omittemus. Nam cum Virgilius sub Æneæ persona virum omni virtute præditum, atque ipsum nunc in aduersis, nunc in prosperis casibus demonstrare voluerit: ita per Didonem fœminas etiam, quibus vitam rationibus instituere deberent, vel præmio laudis, vel metu infamiæ, ac tristissimi demum interitus, omni illa sui poematis editione admonere studuit. Quæ nam enim audiens illam condendis tantæ molis mœnibus intentissimè vacantem, iuraq;, & leges populis iustissimè moderantem, marito etiam extincto fidem ac pacta toti conseruantem, cum summa laude sua, & veneratione, finitimorumq; omnium timore, non eius exemplo moueatur, atque ad virtutis studium magnopere incendatur? Contrà verò, intelligens noui eam hospitis amore insanientem, ab extructione vrbis, gubernationeq; populorum cessantem, lusibus tantum, & conuiuijs indulgentem, derelictamq; ab amante demum, dolentemq;, & affligentem sese, deperditaq; omni spe, mortem etiam vltro sibi consciscentem, non animo conquassetur, non exterreatur, non contremiscat? non pudicitiam, licet austeriorem, malit amplecti, quam blandiorem libidinem? cum huius fructus tandem amarissimi, illius semper suauissimi habeantur. Operæ pretium autem est videre, quàm ne petulanti vnquam vel verbo, vel sententia in horum descriptione prudentissimus poeta vsus fuerit, quàm honestissimè, modestissimeq; singula explicauerit: nisi fortè, quod summæ laudi illi attribuendum est, quis dixerit, ita eum affectus furentis fœminæ expressisse, vt expressius nihil dici, aut cogitari possit. Virgilius itaque, ac cæteri, qui eadem scribendi vestigia obseruarunt, ab optimis & doctissimis quibusque meritò commendati, susceptiq; sunt, quod eorum carminibus virtutem sequi, vitiaq; fugere maxime doceamur: licet sub figmentorum quorundam velamento, quod ornandi magis, illustrandiq; poematis caussa est adinuentum. *Hactenus Maphæus. Nunc ex alio quodam eruditissimo viro de vtilitatibus libri huius dissertationem accipe.*

M. Antonius Maioragius præfat. in IV. Æneid.

Cùm omnes huius auctoris libri sint vtiles maximè, hic profectò quartus, quem nos interpretandum suscepimus, omnium vtilissimus est. Nam præterquam, quod nos id vitium fugere docet, quod omnes pæne mortales illaqueat, & in maximos errores, maximaq; scelera inducit (quot enim ob turpes amores facinora perpetrantur, quot amicitiarum violationes, quot contentiones, quot cædes?) etiam artem quandam orationis mirificam in se habet, quam, vt spero, vobis notam faciam: & ita grauiores illos affectus concitat, vt D. ille Augustinus, vir sanctissimus, cum Didonis querelam legeret, lacrymas se continere non potuisse fateatur. Quid de Philosophicis quæstionibus dicam, quibus vndique liber hic scatet? quæ quamuis obscura, & ab ipsa natura inuoluta videantur, spero tamen me tam apertè illas declaraturum, vt etiam ij, qui primas tantùm litteras attigerunt, eas præclare intelligant. Idem ead. præfat. de ordine in hoc libro seruato hæc habet. *Vt aliorum librorum ordinem prætermittam, quid hoc quarto libro magis ordinatum? vbi per gradus quosdam sanus ille puer, qui Cupido dicitur, pudicæ matronæ mentem expugnat. Non enim illi statim obscœnam voluptatem proponit, ne turpitudinis facies eius conatum infringat: sed Æneæ virtutem, & nobilitatem, & pulchritudinem ostentat: quæ omnia admirata Dido, sororem suam Annam alloquatur, & Æneam quidem prædicet, sed tamen fidem Sichæo datam frangere se nolle dicat. Verum Anna multis rationibus ostendit, vtile Didoni fore, si sese Æneæ coniunxerit: quibus verbis animum iam incensum inflammauit, atque ita paulatim tantum effecit, vt occasionem in spelunca nacta, pudorem omnem exuerit. Deinde cum Æneas discessurus esset, quid non effecit, quid non tentauit Dido, vt eum, si quo modo fieri posset, in Africa retineret? Sed tandem postquam nullam spem sibi superesse vidit, de consciscenda sibi morte cœpit cogitare. Hic est ordo pulcherrimus, atque naturalis.*

Idem 4. Æneid. interpretaturus.

Cum in omnibus operibus suis Virgilium admirabilem, ac verè diuinum (siquidem diuinitatis nomen poetæ sibi vendicant) esse semper iudicarim, tum in Æneidos suæ libro quarto se ipsum etiam vicisse, atque omne ingenium suum, artem, & doctrinam suam ostentasse, facile quiuis paulo doctior intelligere potest. Quàm enim ingeniosè, quam artificiosè, quam doctè in eo vires amoris indicat? Quid ad graues illos Didonis affectus, & ad amoris impotentiam ostendendam hoc Virgiliano poemate fieri potest illustrius, aut euidentius? *In eadem oratione sub finem, complures caussas enumerat, quare Virgilius Æneam suum, quem tanquam aliquod insigne probitatis, & sapientiæ exemplar nobis proposuit, amoris tamen laqueis irretitum fuisse velit.*

Scalig. Poet. lib. 5. cap. 6. & Nascimb.

In hoc libro perscribendo, sunt qui Virgilium tertium Argonauticum Apollonij expressisse contendant, in quibus est potissimum Seruius. Sed hoc parum probabile, vel potius impudens mendacium habendum est. Non enim argumentum conuenit, nisi in hoc solo, quod amauit hospitem Medea: at vniuersa orationis contextus longè alius est. Sanè paucula quædam, vna videlicet & altera comparatio in hunc librum ex Apollonio deriuata apparet, quædam ex Euripidis Medea, Hippolyto, alijsq; tragœdijs: non nulla etiam ex 5. Odyss. vbi de Calypsone Homerus verba facit: vnde totum ferè huius libri argumentum effictum esse videtur, etsi alia est prorsus rerum verborumq; series. Itaque fit, vt nullus auctor certus afferri possit, quem hic noster potissimum fuerit imitatus. Credendum igitur, poetam nostrum huius libri argumentum sibi quidem finxisse, sed varijs ex auctoribus varia, quæ ad illud ornandum facerent, collegisse.

EXPLA-

EXPLANATIONES.



At regina graui iamdudum saucia cura,
VVLNVS ALIT VENIS, ET CÆCO CARPITVR IGNI.
Multa viri virtus animo, multusq; recursat
Gentis honos: HÆRENT INFIXI PECTORE VVLTVS,
Verbaq; : nec placidam membris dat cura quietem.

AT REGINA GRAVI) Summo artificio hunc librum poeta superiori annectit. Nam cum Æneas finem dicendi fecisset, quod optimè exposuit poeta, cum ait, *factoq; hic fine quieuit*, non erat omittendum, quin reginæ mentio fieret: quamobrem ita subsequutus est, *At regina graui*, &c. Ac si dicat, Æneas quidem quiescebat, at Dido magnis amoris perturbationibus agitabatur, lege quæ sequuntur. Nascimb.

GRAVI IAM DVD. SAVCIA CVRA) Lucret. lib. 4. *Idq; petit corpus mens vnde est saucia amore.* Idem. *Veneris qui telis accipit ictum.* Id est, qui amat, qui amore saucius est. Ennius Medeam amore sæuo sauciam dixit. Quare autem tam graui cura saucia Dido? quare flammis intimis correpta? Ob id, quod statim legis, ob virtutem viri. Tantùm? & vultum illius, & verba: quorũ vtrumque, vt & virtus, recursabant, & obuersabantur eius animo, eamq; & sauciabant, & inflammabant magis amore, partim laudabili: virũ quippe strenuum cur non amaret? partim reprehendendo, quia eundẽ contra fidem Sichęo datam, iam tum pro marito habere, ac retinere meditabatur: & ita pudorem extinguere, quo sidera se adijsse postea confitetur. Animaduerte, quàm verè ille summus vir, & Hebræorũ decus Philo, Comment. in illud, *Resipuit Noe*, scriptũ reliquerit. Quemadmodum, inquit, vis ignis tantisper dum materia caret, quiescit, qua accedente, incenditur: sic quæ sunt in anima potentiæ, spectantes virtutem, aut vitium, extinguuntur, destitutæ, vt dixi, opportunitatibus: fortuitis autẽ excandescunt occasionibus. Sed notandum, quòd poeta fœminam hanc sauciam venis ait esse, & igne quidem carpi, sed cęco, id est, occulto. Nam plaga hæc non est foris, sed intus: ac proinde non externa illa, & vsitata pharmacopœorum, sed alia quædam medicamenta requirit, vt sanetur. Nam rectè apud Ouidiũ Apollo Medicus de semet lib. 2. Metamorph.

Heu mihi quod nullis amor est medicabilis herbis,
Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus, artes.

Adscribam præterea insignem locum, & ad rem valde opportunum è Propert. lib. 2. Eleg. 4.

Non hic herba valet, non hic nocturna Cytæis,
Non per Medea gramina cocta manus.
Quippe vbi nec caussas, nec apertos cernimus ictus,
Vnde tamen veniant tot mala, cæca via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger:
Hic nullum cæli tempus, & aura nocet.

VVLNVS ALIT VENIS) Iure vulnus amor, quandoquidem Cupidini arcus, & tela tribuuntur. Propert. lib. 2. eleg. 12.

Et meritò hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia vtroq; sonat.
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.

Tibull. lib. 1. eleg. 7. *Te quoque si certo puer hic concusserit arcu.* Noster item hoc eod. libro, *tacitum viuit sub pectore vulnus.* Lucret. lib. 1. *æterno deuinctus vulnere amoris.* Theocritus Cyclope. ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος Κύπριδος ἐκ μεγάλας, infestissimum sub corde vlcus,
A seu vulnus habens à Venere. Vulnus & ignem venustè vnico verbo iuncto comprehendit in amoris significatione Lucianus in Asino, ἀνείκαστον τρῶμα ἔχων, inquit. Etiam sacri scriptores his metaphoris, sagittarum, & vulneris in diuini illius amoris significatione multùm, & crebrò vtuntur. D. August. in psal. 56. super illud, *Dentes eorum arma & sagitta.* Illi (Iudæi) sagittas malas: ille (Christus) bonas. Nam habet & ipse sagittas bonas, verba bona, vnde sagittet cor fidele, vt ametur. Idem in psal. 119. Super versum, *Sagitta potentis acuta.* Sagittæ potentis acutæ, verba dei sunt. Ecce iaciuntur, & transfigunt corda: sed cum transfixa fuerint corda sagittis verbi dei, amor excitatur, non interitus comparatur.
B Nouit dominus sagittare ad amorem: & nemo pulchrius sagittat ad amorem, quam qui vero verbo sagittat: immo sagittat cor amantis, vt adiuuet amantem. Quin sacrosanctæ litteræ hoc faciunt. Non semel legas de his vulnerib⁹ in illo mystico, ac dulci carmine, quod Cantica Canticorum appellatur. *Vulnerata charitate ego sum.* Iterum, *vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa: vulnerasti cor meum.*

ET CÆCO CAPITVR IGNI) Catullus Epithalamio.

Ille non minus atque tu
Pectore vritur intimo:
Flamma sed penita magis.

Cyrus apud Xenophontem affirmat ignem adurere
C homines, qui eum tangunt, præsentes scilicet: amorem nõ præsentes modò, verum etiã longè distantes incendere. Vide Pieriũ lib. 46. in Facibus. Prorsus initio huius libri, id est, quinque primis versibus è regione quodam modo respondent Catulliana illa ex carmine de nuptijs Pelei, & Thetidis. Sic enim de Ariadne, & Theseo.

Nec prius ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quàm toto concepit pectore flammam,
Funditus atq; imis exarsit tota medullis, &c.

Vide infrà ad illud, *Solàne perpet. mærens carpère iuuenta?* Horat. eodem plane sensu, *quàm lentis penitus macerer ignibus.*

MVLTA VIRI VIRTVS) Παρίσωσις est *viri virtus*,
D quem ornatum orationis captauit etiam Cicero in Miloniana, vt animaduersum est à doctis. Non vnius viri vires, atque opes iudicentur. Item, cum vi vis illata defenditur. Si minus fortissimi viri virtus grata omnibus cecidisset.

In amore virtutem esse aliquo numero, nec omnino obtusos habere aculeos, quidquid hic interpres moliatur, auctor Euripid. in Androm.

φίλτρον δὲ καὶ τόδ' οὐ τὸ κάλλος ὦ γύναι,
ἀλλ' ἀρεταὶ τέρπουσι τοὺς ξυνευνέτας.

German.

ANIMO RECVRSAT) subinde, siue identidem pulsat, percutit animum. vsus est hoc verbo Lucret. lib. 2. de atomis disputans.

Paucula quæ porro magnum per inane vagantur,
Et cita dissiliunt longe, longeq; recursant.

HÆR. INFIXI P. VVLTVS) Ouid. in declaratione amoris sui aduersus Atticum, lib. 2. de Ponto, eleg. 4.

Ante meos oculos praesto est tua semper imago,
Et videor vultus mente videre tuos.
Seria multa mihi tecum collata recordor:
Nec data iucundis tempora pauca iocis.
Saepe cita longis visa sermonibus hora:
Saepe fuit breuior, quam mea verba, dies.

Vtuntur hac voce Latini in numero multitudinis, pro singulari. Cic. ep. lib. 12. Vultus tuos mihi expressit om- A nes. Et lib. 2. de Orat. vultus omnes aduersarij diligenter perspiciendi. Virgil. lib. 1. *notos pueri puer indue vultus.*

NEC PLACID. M. DAT. C. QVIET.) Contrà Georg. 3. *nec somnos abrumpit cura salubres.* Vide locum ad finem libri. Et hoc ipso lib. infrà, *At non infelix animi Phœnissa, nec vnquam Soluitur in somnos,* &c. Hic placida quies, alibi placidus sopor. *Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem Corpora per terras.*

Postera Phœbea lustrabat lampade terras,
Humentemq; aurora polo dimouerat vmbram:
Cùm sic vnanimem alloquitur male sana sororem.
Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?
QVIS NOVVS HIC NOSTRIS SVCCESSIT SEDIBVS HOSPES?
Quem sese ore ferens? quam forti pectore, & armis?
Credo equidem (nec vana fides) genus esse deorum.
DEGENERES ANIMOS TIMOR ARGVIT. heu quibus ille
Iactatus fatis? quæ bella exhausta canebat?
Si mihi non animo fixum, immotumq; sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit:
Si non pertæsum thalami, tædæq; fuisset,
Huic vni forsan potui succumbere culpæ.
Anna (fatebor enim) miseri post fata Sichæi
Coniugis, & sparsos fraterna cæde penates,
SOLVS HIC INFLEXIT SENSVS, ANIMVMQVE LABANTEM
IMPVLIT. agnosco veteris vestigia flammæ.
SED MIHI VEL TELLVS OPTEM PRIVS IMA DEHISCAT,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam:
Antè pudor quàm te violem, aut tua iura resoluam.
ILLE MEOS, PRIMVS QVI ME SIBI IVNXIT, AMORES
ABSTVLIT: ille habeat secum, seruetq; sepulchro.
Sic effata, sinum lacrymis impleuit obortis.

POSTERA PHOEBEA LVST. LAMP.) Eandē sententiam cōtinent duo illi versus Lucret. lib. 2. de ortu solis.

Sol etiam summo de vertice dissupat omnes
Ardorem in partes, & lumine conserit arua.

Qui exempla requirit ortus diei à poetis expressi, inueniet infrà in hoc libro, ibi,

Et iam prima nouo spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Lucretio nona lampas, est nonus dies. Sic namq; in descriptione pestis ait, *Aut etiam nona reddebant lampade vitam.* ✱

MALE SANA) Hoc epitheton, ijs qui amant, dant poetæ Latini, imitatione Græcorum, qui amantes κακῶς φρονοῦντας sæpe dicunt: & Plato in Phædro, καὶ γὰρ αὐτοὶ ὁμολογοῦσι νοσεῖν μᾶλλον ἢ σωφρονεῖν, καὶ εἰδέναι ὅτι κακῶς φρονοῦσιν, ἀλλ' οὐ δύνασθαι αὑτῶν κρατεῖν. German. * *Aduerbium hoc malè, cum adiectiuis additur ἐπιτατικῶς apud poetas (& additur frequentissimè) habet vim ἀφαιρετικὴν ἢ στερητικὴν μορίου, idemque valet quod, non, vel, in, vel quippiam adhuc amplius. Malesanus est non sanus, vel insanus. Malè casta mulier, est impudica, malè doctus indoctus, vel etiam indoctissimus. idem de cæteris dictum esto.*

SVSPENSAM INSOM. TERRENT.) Lege, si lubet, B quæ ex Macrobio transcripsimus ad illum versum è sexto, *Sed falsa ad cælum mittunt insomnia manes.* Est autem planè in calce libri. Verum est illud Lucretij lib. 4.

Et cui quisq; ferè studio deuinctus adhæret:
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati:
Atq; in qua ratione fuit contenta magis mens:
In somnis eadem plerunq; videmur obire.

Vide locum, & ibid. commentar. Lambin. Fertur & poematium Petronij Arbitri de somnijs, quod ob elegantiam adscribimus.

Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus vmbris,
Non delubra deûm, nec ab æthere numina mittunt,
Sed sibi quisq; facit. nam quum prostrata sopore
Languent membra quiete, & mens sine pondere ludit,
Quicquid luce fuit, tenebris agit. oppida bello
Qui quatit, & flammis miserandas sæuit in vrbes:
Tela videt, versasq; acies, & funera regum,
Atq; exundantes profuso sanguine campos.
Qui caussas orare solent, legesq; forumq;,
Et pauido cernunt inclusum corde tribunal.
Condit auarus opes, defossumq; inuenit aurum.
Venator saltus canibus quatit. eripit vndis,

Aut

Aut premit euersam periturus nauita puppim.
Scribit amatori meretrix. dat adultera munus.
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

NOST. SVCC. SEDIB. HOSPES) Catull. de nupt.
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia, in nostris requiesset sedibus hospes.

QVAM FORT. PECT. ET ARMIS) Principiò statim non solùm hærent infixi pectore vultus, sed etiam *Multa viri virtus animo recursat.* Ex quib⁹ poeta intelligi vult, Didonem masculam fœminam, non tantum forma Æneæ, quantum virtute impulsam ad amandum. Certum est enim, sępe virtutem, & illam animi pulchritudinem magis, quàm corporis præclaram speciem, amorem gignere. Et exemplis doceri potest, fœminas multas propter eximiam pudicitiam multò magis, quam venustatem, placuisse mulierum amatoribus, ac proinde eorum insidias pertulisse. Quod de fœminis erga viros affirmari similiter potest. Sic Theseum Ariadna, sic Iasonem Medea, aliæ alios diligere cœperunt. Et id quoque fictis quibusdam historijs verum esse comprobatur. ✠

CRED. EQ. GEN. ESSE DEOR.) Credo, Æneam dijs oriundum. Tanta apparet hominis virtus, vt credam diuino semine procreatum.

DEGEN. ANIM. TIM. ARG.) Arguere hic est demonstrare. Sic Horat. Ode 11. Epod.
—— Conuiuiorum & pœnitet,
In queis amantem languor & silentium
Arguit, & latere petitus imo spiritus.
Et Ode 13. lib. 1.
—— humor & in genas
Furtim labitur, arguens
Quàm lentis penitus macerer ignibus.

Ciceroni insimulare, reprehendere, & accusare significat, atque etiam Maroni in 11. *meque timoris Argue tu Drance.* Vt autem Virgil. *Degeneres animos timor arguit,* non dispari admodum sententia Stat. 1. Thebaid. *nam vos Haud humiles tanta ira decet.* ✠

QVIBVS ILLE IACTAT. FATIS) quia terris iactatus, & alto per septem æstates, vt est in fine 1. Æneid. In 3. Anchises. *nate Iliacis exercite fatis.*

QVÆ BELLA EXHAVST. CAN.) Euripid. non modò ἐξαντλῶν πολέμους, κινδύνους, sed & γῆν dixit. Plato in Epitaph. καὶ ὅτος μὲν πάσῃ τῇ πόλει διηντλήθη ὁ πόλεμος. German.

ANIMO FIX. IMMOTVMQVE SED.) Lib. 2. *& sedet hoc animo.* Lib. 11. *omnia secum Versanti, subitò vix hæc sententia sedit.* M. Tull. pro Muræna. Dixisti quippe, iam fixum, & statutum est. Ad Att. lib. 8. ep. 22. Et simul scito labare consilium meum, quod iam satis fixum videbatur. Academ. 4. Decretum non solum nõ esse falsum, sed etiam stabile, fixum, ratum esse debet. Qui sedent, euerti difficulter possunt: & quæ fixa sunt, clauis pręsertim, moueri nequeunt. Probe igitur ad rei immobilitatem, constantiamque declarandam hæ duæ voces adhibentur. ✠

ME VINCLO SOCIARE IVGALI) Apud Latinos vsus erat, vt noua nupta, sponsusq; iugum pariter subirent, vnde Iuno iugalis dicta, quasi æquissimo iure, & concordibus animis inuicem necterentur, societasque, & communicatio vitæ coita foret. Ex Seruio Alex. Neapol. lib. 2. cap. 5.

PRIMVS AMOR DECEPT. MORT. FEFEL.) Participia breuitatem afferunt orationi, verbo iuncta, hoc modo, ambulans doceo, inambulo, & doceo. Vide

A Prisc. lib. 11. Postquam primus amor deceptam fefellit, id est, decepit ac fefellit. Horat. lib. 3. Ode 14.
Vnico gaudens mulier marito,
Prodeat iustis operata diuis.

Prodeat, & operetur. Lucret. lib. 1. *Interdum rapido percurrens turbine campos Arboribus magnis sternit.* Percurrit, & sternit. Et rursum. *deceptaq; non capiatur,* decipiatur, vt non capiatur. Apud Græcos nihil frequentius. Gifan. in Lucret.

SI NON PERTÆS. THALAMI) Plaut. Mostellar. *Ita me ibi male conuiuij, sermonisq; pertæsum est.* Cic. lib. 1. Epist. ad Q. F. Pertæsum est enim leuitatis.

HVIC VNI SVCCVMB. CVLPÆ) Digamia apud Ethnicos quoque infamis fuit, propter suspicionem intemperantiæ, ac libidinis. Itaque apud Romanos quæ, viris mortuis, secundis nuptijs abstinebant, ijs coronam, pudicitiæ signum gestare in publico licebat. Cum apud Portiam Bruti vxorem mulier quędam, vt bene morata laudaretur, quæ tamen secundum inierat matrimonium, respondit illa: *felix ac pudica matrona non nubit nisi semel.* Non sustinuit eam in bene moratis numerari, quæ citra necessitatem se alteri viro iungeret: quasdam enim id facere necessitas compellit, quæ proinde non sunt felices. Nubere autem coitus gratia tantùm, non est pudicatum. Non malè igitur Dido iteratas nuptias culpam vocauit, quæ cum ab Iarba rege in coniugium peteretur, nec se illius vim effugere posse arbitraretur, in ardentem sese rogum conijcere, quàm nubere maluit. Quamquam aliud finxit de castissima muliere noster Virgilius. Addamus his Tertulliani dictum ex lib. 2. ad vxorem. Nam quanto grandis est continentia carnis, quæ viduitatem ministrat, tanto, si non sustineatur, ignoscibilis videri potest: difficilium enim facilis est venia. Idem libro de Pudicitia sic habet de secundis nuptijs. Incontinentia incontinentiæ necessaria est, incendium ignibus extinguitur. Vide etiam, si placet, Rhodigin. lib. 28. cap. 22. Mulierem quandam nobilem cui vitio dabatur, quod iterum nupserat, vide quomodo defendat. Plin. epist. 18. lib. 8.

Culpæ, inquit Seruius, propter antiquum ritum, quo repellebantur à sacerdotio bis nuptæ. Certe & nunc quoque in iure Pontificio, qui secundo vxorem duxit, aut viduæ se matrimonio addixit, omnibus exuitur clericorum priuilegijs, nec ad sacerdotij dignitatem admittitur. Valer. lib. 2. Olim quæ vno matrimonio contentæ fuerant, corona pudicitiæ honorabantur: multorum matrimoniorum experientiam, legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum credebant: vbi Valer. legitimam intemperantiam vocat secundas nuptias. Tacitus item est auctor, lege apud Germanos secundas nuptias mulieribus prohibitas fuisse. German.

SPARSOS FRAT. CÆDE PEN.) Propert. lib. 2. *Spargereq; alterna communes cæde penates.* De ista cæde Venus lib. 1. *ille* (Pygmalion) *Sichæum Impius ante aras,* &c.

ANIMVMQVE LABANT. IMPVLIT) impellendo labare fecit, siue labascere, ne se penitus victam fateri videatur.

AGNOSCO VET. VEST. FLAMM.) Flammam vocat illum coniunctionis appetitum, quem deus cunctis animantibus ideo inseruit, & quidem ardentissimum, vt ea ratione propagari, & multiplicari genera possent. Homini autẽ vehementiorem fecit hanc cupiditatem, atq; appetentiam duabus de caussis, quarum posterior mirificè conuenit cum sequentib⁹ reginæ verbis, quæ

magna sine dubio illius virtute, castitateq; videntur procedere. Vel quia hominum multitudinem voluit esse maiorem: vel quoniam virtutem soli homini dedit, vt esset laus, & gloria in coërcendis voluptatibus, & abstinentia sui. Lege, si vacas, reliqua apud Lactant. lib. 6. cap. 23. ex quo ista mutuati sumus. Flamma vetus illa est, de qua lib. 1. Venus.

Huic coniux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœnicum, & magno misera dilectus amore.

Refrixerat pectus Didonis iam pridem, & sopitus erat ignis ille maritalis, qui nunc reuiuiscere incipit: recalescit animus. ✠

VEL TELL. PRIVS, ANTE) Priùs, &, antè particulas geminauit non necessariò, cum altera satis esset ad sententiam. ita quoq; Homerus πρὶν interdum geminare solet. Turneb. lib. 26. cap. 5.

MIHI TELLVS IMA DEHISCAT) Tametsi Dido, vt audiemus, nō diu mansit in forti illo, dignitatisq; pleno proposito: sed facilè inde & sororis suasu, & amoris illecebris deiecta est. Alias præterea sententias græcas, huic germanas producit ex poetis Victor. lib. 26. cap. 9.

Cic. lib. 9. Epist. ad Att. Aberit non longè, quin hoc à me decerni velit, neq; sit contentus Galba, Scæuola, Cassio, Antonio. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. *tellus ipsa mihi tunc ampla dehiscat.* Hemistichium est ex 4. Iliad. Lucianus in Lapithis καὶ τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου, χανεῖν μοι τὴν γῆν ηὐχόμην. Id est, iamq; illud, quod vulgò dici solet, optabam, vt mihi terra dehiscat. Chiliad.

ANTE PVD. QVAM TE VIOLEM) Apostrophe, & prosopopœia venustiorem orationem reddit. Vir quidam approbè doctus legit modo indicatiuo, *violo*, quomodo locutus est Cicero Philipp. 1. Antequā de repub. dicere incipio. Sallust. Iugurth. sed priusquam huiusmodi rei initium expedio. Rursum Cic. in som. Scip. Grates tibi ago summe Sol, quod priusquam ex hac vita migro. Si igitur huic lectioni subscribimus, quæ reijcienda non videtur, legendus erit hic versus hoc modo, vt etiam vltimi verbi modus commutetur. *Antè pudor quam te violo, aut tua iura resoluo.* ✠

ILLE MEVS PRIM. QVI ME. S. IVNX.) Eò laudabilior viduarum, quam virginum castitas, quò difficilior: quamquam haud idcirco nobilior. In virginibus, inquit Tertullianus ad vxorem lib. 1. integritas solida, & tota sanctitas de proximo visura est faciem dei. Tamen vidua habet aliquid operosius: quia facile est non appetere quod nescias, & auersari, quod desideraueris nunquā. Gloriosior est continentia, quæ ius suum sentit: quę quid viderit, nouit. Poterit virgo fœlicior haberi, at vidua laboriosior. Illa, quod bonum semper habuit: ista, quod bonum sibi inuenit. In illa, gratia: in ista, virtus coronatur. Quædam enim sunt diuinæ liberalitatis, quædam nostræ operationis. Quæ à domino indulgentur, sua gratia gubernantur: quæ ab homine captantur, studio perpetrantur. Hæc ille.

Hinc non apud Christianos modò, verùm gentiles quoque tantopere laudatæ sunt, quæ iterare matrimonium noluerunt. Et eius rei suasores sunt disertissimi, Tertull., quique ex eo vindemiam fecit, D. Hieronymus. Ille, in libris ad vxorem, Exhortatione castitatis, de Monogamia: hic, epistolis ad Furiam, Gerontiam, contra Iouinianum, &c. Ad Saluinam quidem ita ascribit. Tu quæ in tumulo mariti sepeliuisti omnes pariter voluptates, quæ litam purpurisso, & cerussa faciem, super feretrum eius diluisti, pullam tunicam, nigrosq; calceos candidæ vestis, & aurati socci depositione sumpsisti, nihil necesse habes, nisi perseuerare in ieiunio: pallor itaq; & sordes gemmæ sint: plumæ mollities iuuenilia membra non foueat: balnearum calor sanguinem non accendat: audi Didonem apud Virgilium secundas nuptias recusantē, *Sed mihi vel tellus, &c.* Laudat Marcellā quæ Cerealis cōsulis secundas nuptias recusauit. Blesillam quæ adolescentula 20. annorū, septimo à nuptijs mense orbata viro, ita doleret, vt magis amissam virginitatem, quā mariti deploraret interitū.
B Laudat item lib. 1. in Iouinianum fœminas complures ethnicas, quæ primis maritis noluerunt superuiuere.

Tertull. quoque fœminis Christianis exprobrans incontinentiam, exempla aduersum eas Romana, & in ijs Didonem hanc nostram producit. Exurget regina Carthaginis, & decernet in Christianos: quæ profuga, & in alieno solo, & tantæ ciuitatis cum maximè formatrix, cum regis nuptias optasse debuisset, ne tamen secundas eas experiretur, maluit è contrario vri, quam nubere. Assidebit & illi matrona Romana, quæ etsi per vim nocturnam nihilominus experta alium virum, maculam carnis suo sanguine abluit, vt monogamiam in semetipsam vindicaret. Fuerunt & quæ post viros nubebant idolis: his certe monogamia & viduitas ap-
C paret. Fortunæ muliebri coronam non imponit, nisi vniuira, sicut nec matri Matutæ. Pontifex max. & Flaminica nubunt semel. Cereris sacerdotes viuentibus etiam viris, & consentientibus, amica separatione viduantur. Sunt & quæ de tota continentia iudicent nos, virgines Vestæ, & Iunonis Achaicæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythii. * *Veteres illi Christianæ religionis magistri, & interpretes, quòd erant omnis virtutis, & sanctimoniæ amantissimi, dehortabantur homines ab iterando connubio: quamquam neq; secundas, neq; tertias damnarent nuptias: qui enim poterant? Id ipsum alijs quoq; de caussis faciebant, quas qui voluerit, ex Patribus suprà nominatis, & alijs præterea petat.*

Notat Nascimb. honestissimè, & admodum verecundè dixisse Didonem, non, cui ego iuncta fui, seu cui
D nupsi: sed, *qui me sibi iunxit.* Quasi ad dictum Spartanę illius nouæ nuptæ, & iuuenculæ respiceret, quæ interrogata, an iam cum viro suo rem habuisset: non, inquit, sed ille mecum.

SINVM LAC. IMPL. OBORT.) Mirè naturam ac morem verecundantis mulieris exprimit, quæ quod verbis explanare erubescit, lacrymis indicat. Nascimb.

Sinus hic pro concauitate oculorum Turneb. accipit: alij pro vestibus: vt Homer. Odyss. κ. εἵματα δ᾽ αἰεὶ δάκρυσι δεύεσκον. Alij ἀντὶ τῶν κόλπων, vt, δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι. Certè Græci quoq; κόλπον tam pro concauitate illa, quæ est inter brachiorū & pectoris cōplexum, quàm pro vestibus ipsis accipiunt: in quem sensum si
E consentiemus, vberiores amantis reginæ lacrymarum fluxus videbuntur, quam si Turnebi sequemur sententiam: nam non temere epigr. 3. poeta γλυκύδακρυν ἔρωτα vocat, & πολύδακρυν. German. Τὰ ἔγκοιλα τῶν ὀφθαλμῶν κόγχοι καλοῦνται, inquit Pollux, ὁ περὶ τοῖς βλεφάροις σπινθῆρ. Eam oculorum cauitatem à Virgilio sinum appellari crediderim, quam in sententiam vadit & Seruius. Turneb. lib. 24. cap. 26.

Anna refert. O luce magis dilecta sorori,
Soláne perpetua mœrens carpêre iuuenta?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?
ID CINEREM, AVT MANES CREDIS CVRARE SEPVLTOS?

Esto,

Esto, ægram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyæ, non antè Tyro despectus Iarbas,
Ductoresq; alij, quos Africa terra triumphis
Diues alit: placitóne etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis aruis?
Hinc Getulæ vrbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ infræni cingunt, & inhospita Syrtis:
Hinc deserta siti regio, lateq; furentes
Barcæi. quid bella Tyro surgentia dicam,
Germaniq; minas?
Dijs equidem auspicibus reor, & Iunone secunda
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
Quam tu vrbem soror hanc cernes? quæ surgere regna
Coniugio tali? Teucrûm comitantibus armis,
Punica se quantis attollet gloria rebus?
Tu modò posce deos veniam: sacrisq; litatis,
Indulge hospitio, caussasq; innecte morandi:
Dum pelago desæuit hyems, & aquosus Orion,
Quassatæq; rates, & non tractabile cælum.

O LVCE MAG. DIL. SORORI) In blandimentis est, mea lux. Cic. ad Terentiam, Hem mea lux, meum desiderium. Mitto poetas. Satis igitur blandè lucem suam vocasset Didonem Anna, & fuisset satis sororium. Verùm callida fęmina quam significantissimè exordiri voluit, vt miseram sibi quam conciliatissimam redderet, cui, vt ipsa vita (lux enim pro vi a sępe) sibi chariori consilium datura fidelissimum videretur. Iam huic orationi, qua sorori connubium suadet, & quidem Æneæ, magnanimi, ac nobilissimi viri connubium, gemina est quodammodo illa apud Statium in Epithalamio, qua fingitur Venus Violantillæ virgini suadere, Stellæ in amplissima familia nati adolescentis matrimoniū. Sunt autem versus hi:

Tunc ipsam solo reclinem affata cubili:
Quonam hic vsq; sopor, vacuiq; modestia lecti,
O mihi Laurentes inter dilecta puellas?
Quis morum, fideiq; modus? nunquamné virili
Submittère iugo? veniet iam tristior ætas.
Exerce formam, & fugientibus vtere donis.
Non ideo tibi tale decus, vultusq; superbos,
Meq; dedi, viduos vt transmittare per annos,
Ceu non cara mihi. Satis ô, nimiumq; priores
Despexisse procos: at enim hic tibi sanguine toto
Deditus, vnam omnes inter miratur, amatq;,
Nec forma, nec stirpis egens,

& quæ sequuntur. ✠

PERPET. MOER. CARP. IVVENT.) Id est, paulatim senesces, minueris, tabesces. Seneca Hercul. Fur. *Prima quæ vitam dedit hora, carpsit.* Catull. ad Mall. *Illa mihi sedes, illic mihi carpitur ætas.* Id est, sensim senesco. Translatio est vel à fructibus, & floribus, vel à lanificio. Ex Lamb. in Horat. * *Nec lac lacti tam simile, quam huic loco ille apud Senecam in Hippolyto, vbi impura anus Phædræ nutrix corrumpere iuuenis castissimi conatur animum. Et puto Senecam hunc paraphrasin quandam facere voluisse. Principium hoc est, act. 2.*

Sed tu beatis mitior rebus veni:
Namq; anxiam me cura sollicitat tui, &c.

NEC DVLCES NATOS) Georg. 2. *Et totis in* A *dulces consument vbera natos.* Æneid. 2. *Nec dulces natos, exoptatumq; parentem.* Liberos parentibus magnum esse solatium, atque oblectamentum, potissimùm autem adhuc teneros, nemo nescit. Id ipsum significare voluit admiratione sua Cæsar Iulius. Admirabatur autem, vt Plutarchus auctor est in Pericle, cum vidisset Romæ quosdam peregrinos & diuites canum catulos, & simiarum circumferre, & confouere gremio, habereque in delicijs. Num, inquit, fæminæ apud istos non pariunt pueros? Laudat hanc admonitionem Plutarchus, quasi dixerit, natiuam & insitam nobis charitatem, indulgentiamq;, & hominibus seu liberis nostris debitam, non esse adhibendam bestijs: & longe decen- B tius, atque elegantius foueri gremio, & gestari in vlnis puerulum, quam catellum, aut simiam. ✠

VENERIS PRÆMIA) Legitimæ, & concessæ Veneris pręmia sunt liberi, quorum procreandorum caussa institutum à deo matrimonium. Quod inde dictum, quia fæminæ eo matres fieri debent. Sed cum prius vocarit dulces natos, aptè mox præmia nominat: est enim in præmio iucunditatis quędam significatio, imò & honoris. Et ita generasse liberos non solum iucundum est parentibus, sed etiam honorificum: siquidem sterilitas, & infœcunditas probro quodam, & dedecore non carent. Sed mulieres etiam, quam viri liberorum generandorum cupidiores cernuntur, & est earum maxi- C mum, præcipuumq; munus, vt aiunt Iureconsulti, concipere, ac tueri conceptum. Da mihi liberos alioqui moriar, dicebat Rachel Iacobo Patriarchæ. ✠

CINER. AVT MAN. CRED. CVR.) Terent. *Id populus curat, scilicet.* Seruius Sulpit. in consolatoria super obitu Tulliæ ad M. Ciceron. Quod si quis etiam inferis sensus est, illa certè hoc te facere non vult. Ad homines omni metu, & religionum nodis exsoluendos nihil melius, quam tollere inferos, quod quidam Philosophi fecerunt, & videtur hic Anna facere. ✠

ESTO, ÆGRAM NVLLI) Esto, concessionis particula, vt Græcè ἔστω, & εἶεν. Sic lib. 12. *Cum iam connubijs pacem felicibus, esto, Component.* Lucret. lib. 4. *Sed*

tamen esto, iam quantotis eris honore. Cic.lib.2.de finib. Esto, fecerit, si ita vis, Torquatus propter suas vtilitates. Gifan.

TYRO DESPECTVS IARBAS) Id est, contemptus à Tyro, & per denominationem, à te Tyria muliere. Non enim assentior Seruio, qui Iarbam facit Tyrium, quem è Trogo, & hoc 4. libro constat Afrum fuisse. Turneb. lib.23.cap.3.

Versus hic, *Non Lybiæ, non antè Tyro despectus Iarbas* malè interpunctus, & distinctus, multos decepit. Duas ergo periodos puncto interposito distinguo. In priore, poeta de procis, qui mariti esse cuperent, in genere loquitur. In altero, descendit ad speciem, & ad exépla: quamquā vnum tantum habuit, quem nominaret. B Quia verò Dido vidua exposita est prius Tyri, deinde post fugam in Libya, ordinem temporum, & locorum poeta per hoc aduerbium *antè*, porrigit. Sic igitur intellige totum locum. Ægram, tristem, & lugentem propter Sichæum à fratre trucidatum, nulli quondam flexere antè mariti Tyro, pro, Tyri vel in Tyro. Hìc puncto periodum termino, & alteram incipio. Despectus est à te Iarbas, & despecti ductores alij, &c. Modicius cap.31.* *Hac interpunctione, & explanatione nihil verius. Eandem distinctionem vidit Passeratius apud German. Neq; enim verisimile esse, Iarbam Didûs ambijsse matrimonium, cum illa adhuc esset in Vrbe Tyro.*

PLACIDONE ETIAM PVGNAB. AMORI) Quoniam eras ægra animo adhuc propter amissum Sichæ- C um, & displicebat tibi secundum matrimonium, non iniuriam procos illos recusasti, seu spreuisti. Nunc quoniam hunc virum propter virtutem amare cœpisti, & ille solus inflexit animum tuum, si repudiasti quod non placebat, non debes auersari, & reijcere quod tantopere placet. Vides vafritiem?

NEC VENIT IN MENT. QVORVM) Liuius lib.8. Non venit in mentem pugnæ apud Regillum lacum?

ET NVMID. INFRÆNI) Silius lib.1. quod Virgil. Numidæ infræni, dixit, *Numida gens inscia fræni.*

LATEQVE FVRENT. BARCÆI) Non de nihilo à Marone scriptum est, *Latè furentes Barcæi*, quod olim plurimum in Africa potuerint, vt & Cyrenæi: & D in re militari floruerint. De ijs ita Æneas scribit: κυρηναίους, καὶ βαρκαίους λέγω, καὶ ἄλλας τινὰς πόλεις ταῖς ἁμαξηλάτους τε ὁδοὺς, καὶ μακρὰς ὁδοὺ συνειδότων, καὶ ζευγῶν βουθεῖν. Sed & Sophocles in Electra eos equitatu valuisse, & currus ad sacra Græciæ certamina missitasse dicit. Nam cū dixisset, δύο Λίβυες ζυγωτῶν ἁρμάτων ἐπιστάται, subiungit infrà, Μέτωπα συμπαίνει βαρκαίοις ὄχοις: vtrumque tamen poetam non crediderim temporum incorruptam secutum fidem, quod existimem nondum Troianis téporibus Barcæorum opes floruisse: sed citerioribus & recentioribus, Grecosq; eos, & Cyrenæos esse numeratos, ideoque ad ludos Græcorum admissos. Turneb. lib.22. cap.26.

QVID BELLA TYRO SVRG.) Terrorem amplificat ab exspectatione aliorum malorum, quæ à Pygmalione fratre impendebant, propter thesauros, quos Dido fugiens secum asportauerat. Hoc insinuabat lib.1. respondens Troianis, *Res dura, & regni nouitas*, &c.

DIIS EQVID. AVSPICIB.) Ad nuptiarum auspices puto allusum, de quibus vide Alex. Neapolit. lib.2.cap. 5. & ibidem Tiraquell.

Fælicem faustumque hunc Troianorum aduentum esse conijcit ex præiudicijs deorum, præsertim Iunonis, quæ & vrbi Carthagini, & coniugijs præest: eo enim videtur alludere: quoniam non absque auspicijs nuptiæ fiebant. Huc accedit, quod quæ præter spem vltro obtingunt, ea diuinitus prouerbio veteri fieri dicuntur. Terent. *Quid si hoc quispiam voluit deus?* Nascimb.

IVNONE SECVNDA) beneuola, propitia. Præsidet autem Iuno sacris maritalibus. Infrà, *cui vincla iugalia curæ.*

QVAM TV VRBEM SOROR) A spe amplissimorum commodorum, & summæ dignitatis. Si cum Ænea tam forti, ac strenuo viro matrimonio copulaberis, tuas res primò collocabis in tutissimis. Deinde habebis regnum armis, & opibus florentissimum, vt vel amico prodesse possis, vel inimicum perdere, cum summa gloria. Locum hunc æmulatus videtur Statius Achilleid. lib.1. vbi Neptunus ita ad Thetidem Achilli suo timentem, propter bellum Troianum, quod imminebat,

Quem tu illic natum Sigæo in puluere? quanta
Aspicies victrix Phrygiarum funera matrum?
Cum tuus Æacides tepido modò sanguine Teucros
Vndabit campos, modò crassa exire vetabit
Flumina, & Hectoreo tardabit funere currus.

POSCE DEOS VENIAM) Poscere veniam dici solebat in deorum veneratione ab antiquis, quo verbo aliquid sibi à dijs concedi petebant. Sensus ergo est, pete à dijs, vt concedant, atque adeo da operam rei diuinæ, deosque precare: id enim ex parte significat. Simile est illud Cic. pro Rabir. ab Ioue pacem, veniamque peto, precorq;.

SACRISQVE LITATIS) Inter sacrificare, & litare hoc interest, quod illud, est veniam petere: hoc, propitiare, & votum impetrare, ait Nonius, laudans hunc ipsum locum, & illum è Plauto, quem mox proferemus. * *Itaq; illud,* posce deos veniam, *referendum erit ad ipsum sacrificium, vt sensus sit, sacra facito, sacrifica:* sacrisque litatis, *ad ipsorum extorum perfectionem, hoc sensu: & feliciter peracto sacrificio, vbi exta votis responderint, vt spes est, indulge hospitio, &c.*

Veruntamen *sacris litatis* hìc nihil aliud est, quam simpliciter hostijs, siue victimis ritè immolatis. Neque enim cùm suaderet Anna deos poscendos esse veniam, certa fuit eos exoratum iri, & in extis læta fore, & secunda. Seruij commentatio non apta ad hunc locum, qui sacris litatis pro dijs litatis esse dictum existimat. Litare deos nemo dixit, qui latinè locutus est: litare sacra, litare hostias, pro, ritè immolare, & offerre frequentissimum est. Sueton. Othone cap. 8. Nam & Diti patri victimas cæsas litauit, cum tali sacrificio contraria exta sint potiora. Propert. lib. 4.

Parua saginati lustrabant compita porci,
Pastor & ad calamos exta litabat ouis.

Cicero quoq; hoc modo vsus videtur passim in diuinat. Cum enim, inquit, tristissima exta sine capite fuerunt, quibus nihil videtur esse dirius, proxima hostia litatur pulcherrima. Gellius. Si hæ res diuinæ factæ, riteque perlitatæ essent, haruspices dixerunt, omnia ex sententia successura. Videtur igitur verbum, litare, quoties si- E bi casum accusantem rei adsciscit, habere, quam dixi, significationem. Vbi verò minimè, tum demum idem esse, quod Græcis est καλλιερεῖν, quod euidens est ex illo Plauti.

Si hercle istud vnquam factum est, tum me Iupiter faciat
Vt semper sacrificem, neq; vnquam litem.

Victor Gisel. in Prudent.

Adijciam carptim de hoc verbo ex Formul. Brisson. lib.1.cap.28. Cum bona exta nuntiata, deos placatos, & propitios indicabant, promittebantq; ijs, pp̄itijs bene ac feliciter euenturum, quod aggrediebantur, seu in animo habebant, qui sacrificauerant, tum litasse dicebant: Litare enim Macrob. lib. 3. cap. 5. explicat, sacrificio facto placare numen. Vnde & litationem propitiatio-

pitiationis, idem dixit lib. 1. in som. Scip. cap. 8. Plaut. A Pœnul. Lycus narrat, se dijs suis iratis, sex agnos immolasse, nec potuisse tamē propitiam Venerem sibi facere: & quoniā litare nequibat, iratum se discessisse. Sueton. Nerone cap. 56. Ante paucos quam periret menses, attendit & extispicijs, nec vnquam litauit. Spartian. in Didio Iuliano, rem diuinam facienti, ne litaret optarunt. Liuius lib. 27. per dies aliquot hostias maiores sine litatione cæsas narrat, diuq; non impetratam pacem deûm. Idem vocabulo huic *litare*, interdū aduerbia hæc, *egregiè*, & *prosperè* adiungit. Quod si primis hostijs litatum non esset, aliæ cędebantur, quoad perlitaretur. Hæ hostiæ, quæ quasi piaculi luendi gratia, in priorum locum substituebantur, succidaneæ appellabantur, vt Gell. lib. B 4. cap. 6. tradidit.

DVM PELAGO DESÆVIT HYEMS) Desæuire, & exsæuire, est sæuire desinere. Liuius. Consulem Claudium atrox tempestas adorta, in metum ingentem adegit: Populoneos inde cum peruenisset, stetit ibi, dum reliquū tempestatis exsæuiret. Lucan. *Nec, dum desæuiat ira Expectat*. Alias tamen pro ἀγριαίνεσθαι. Columella lib. 6. cap. 2. Patere vnum diem, noctemq; desæuiant. Tranquill. in Nerone, & cum affatim desæuisset, conficeretur à Doryphoro liberto. German.

Quatuor caussas videtur afferre, quibus retineri possit Æneas: sed eæ ad duas redigi possunt. Prima est hyems, quo anni tempore non datur nauigare, propter crebras, & graues tempestates videlicet. Altera, naues fractæ & laceræ, quibus reficiendis ac reparandis vtiq; tempus non ita breue concedendum est.

HIS DICTIS INCENSVM ANIMVM INFLAMMAVIT AMORE,
Spemq; dedit dubiæ menti, soluitq; pudorem.
Principiò delubra adeunt, pacemq; per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboq;, patriq; Lyæo:
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.
Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit:
Aut ante ora deûm pingues spatiatur ad aras.
Instauratq; diem donis: pecudumq; reclusis
Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.
Heu vatum ignaræ mentes: QVID VOTA FVRENTEM,
QVID DELVBRA IVVANT? est mollis flamma medullas
Interea, ET TACITVM VIVIT SVB PECTORE VVLNVS.

INCENS. AN. INFLAM.) Alludit ad prouerbium, C Igni ignē addere, siue, oleum camino. Iam ante flagrantem amore, multò vehementius accendit. Nempe quia facile est, eò animū propellere, quo sponte sua inclinat.

SPEMQVE DED. DVB. MENTI) Nuberet necne incertæ, & religione ictæ, quam soror illi ex animo excussit, vt diuos, & mariti manes minus sibi eo nomine infestos fore speraret. Si enim dij etiam videntur admonere, neque sensus vllus rerum nostrarum ad mortuos peruenit, quid reliquum est, nisi vt violato voto appetitui obediat, & pudorem posthabeat? Montfort.

DELVBRA ADEVNT) Delubra veteres dicebant templa fontes habentia, quibus ante ingressum diluebantur, & appellata delubra à diluendo. Ipsa nunc sunt D ædes cum sacris fontibus, in quibus fideles regenerati purificantur. Isid. lib. 15. cap. 4.

PACEMQVE PER. AR. EXQVIR.) Etiam pacē petebant, non modo veniam, cum sibi placatos optabant deos, propitiosque. Pacem hic accipio gratiam, nō contrariam bello, vt infra lib. 10. *Sin sine pace tua, atq; inuito numine Troes Italiam petiere, luant*. Et Lucret. lib. 5. *Non diuûm pacem votis adit*. German.

LECTAS DE MORE BIDENT.) Eximia pecora dicuntur, quæ à grege excepta sunt ad vsus dominorum suorum, vt vberius pascantur. Sed propriè eximij sunt porci maiores, qui ad sacrificandum excepti, liberius pascuntur. Etenim boues qui ad hoc electi sunt, egregij E dicuntur, & oues lectæ. Donatus in Hecyram, producens hunc ipsum locum.

LEGIF. CERERI. PHOEB. PAT. LYÆO) Ideo sacra fiunt Cereri, Phœbo, Baccho, vt opinor, quod cùm vrbem fundaret Dido, leges erat datura, quarum inuentio tribuitur Cereri, cognomēto ea de caussa θεσμοφόρῳ. In cuius rei memoriam Eleusinia sacra instituta in Græcia fuerunt, quæ mysteria vocabantur. Nec temere Bacchi mentionem facit, cum ijsdem in sacris augustissimè, religiosissiméq; cum Cerere coleretur, vt ex auctoribus Græcis constat. Phœbo autē ob auspicia, & auguria, quibus domi & militiæ respub. regitur, rem diuinam facit Dido. Turneb. lib. 24. cap. 20.

Diodorus lib. 1. cap. 2. Osiris est Bacchus, Isis vero Ceres. leges quoque Isidem statuisse ferunt, quibus, iustitia æquè ab hominibus seruaretur, vi atque iniuria pœnæ timore sublatis. Hac de causa prisci Græci Isidem legiferam appellarunt, tanquam primam legum inuentricem. Idem. lib. 5. οὐκ ἄξιον δὲ παραλιπεῖν, &c. Id est. Non est autem prætereundum huius deæ (Cereris) immensum beneficium. Nam præterquam quod frumētum inuenit, etiam eius subigendi rationem docuit, & leges dedit, quibus iustitiam colere didicerunt. Atque ob hanc caussam dicūt eam legiferam esse nominatam. His autem beneficijs nullum maius reperiri potest. Nā & viuendi, & bene viuendi rationem continent.

IVNONI ANTE OMNES, CVI VINCLA) Quod præsideret matrimonijs, siue nuptijs Iuno, dicta est ab antiquis pronuba, quomodo eam Virgilius quoq; hoc eodem libro nominat. Ouid. epist. Phyllidis. *Iunonemq;, toris quæ præsidet alma maritis*. Et epist. Medeæ. *Conscia sit Iuno sacris præfecta maritis*. Ab hac potestate, varia illi cognomenta. *Opigena*, quòd parientibus ferret opem. *Vnxia*, quòd sponsa domū mariti ingrediens, prius postes oleo, axungia, vel adipe lupino inūgeret, vnde vxores, quasi vnxores. *Cinxia* λυσιζώνη, quod nuptæ nouæ cingulū solueret, seu cinguli solutionē fortunaret. *Iuga* seu

iugalis

iugalis quod nuptias iungeret. Vide suprà. *Nec cui me vellem vinclo sociare iugali.* Iugæ Iunonis ara fuit Romæ in vico, qui ideo Iugarius dictus est, vt Festus ait. Scribũt alij, quòd ad hanc oram veteri ritu nubentes vinculis iungebantur, in omen futuræ concordiæ. Græce ζυγία dicitur. Latinè, *Socigena, Interduca, Domiduca.* Vide plura apud Delrium Comment. in Medeam Senecæ, & Gyrald. in Iunone.

CAND. VACCÆ MED. INT. CORN. FVND.) Mos veteribus fuit, vti capitibus stantium sub ictu, cultroq; victimarum, vinum infunderetur. Hunc eundem indicant duo illi versiculi, quorum auctor Euenus, in caprũ vites depascentem.

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοι τράγε θυομένῳ.

Eos sic 1. Fast. reddidit Ouidius.

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aras,
In tua quod fundi cornua possit, erit.

Quomodo verò Græcos παρῳδικῶς Romani in Domitianum Cæsarem detorserint, legendi Sueton. & Polit. cap. 26. *Candentis vaccæ.* Chorus primus apud Senecam Medea, canens Iasoni, & Creusæ Corinthiorum regis filiæ epithalamium, & de sacrificijs faciendis memorans,

Primus sceptriferis colla tonantibus
Taurus celsa ferat tergore candido,
Lucinam niuei fœmina corporis
Intentata iugo placet.

ANTE ORA DEVM. P. SPAT. AD ARAS) Dicit more Romano, quo matronæ ante aras faculas tenentes gestu graui, saltationemque seueram, & verecundam imitante mouebantur, & ferebantur. Quod Horatium intellexisse puto, cum in Arte scribit, *Vt festis matrona moueri iussa diebus.* Sic sensus Horatij enucleatur, non omnibus perinde clarus, atq; illustris. Turneb. lib. 23. cap. 3.

INSTAVR. DIEM DONIS) muneribus, quæ aut dijs offerebat, aut offerebat Tyrijs, vel Troianis. Instaurat autem, quia suprà quoque sacrificauerat, *simul Ænean in regia ducit Tecta, simul diuûm templis indicit honorem.* Ita Seruius.

PECTORIBVS INHIANS) Vt exploraret, vtrum dij vellent huic matrimonio assentiri. Hoc sacrificij genus haruspicina dicebatur, in qua deorum voluntas per exta, hoc est, per hostiarũ intestina exquirebatur. Nascimb.

Credebant prauis erratibus imbuti, esse in extis aliquam vim, quæ declararet futura, ex eorumque habitu, colore, & notis pericula, vel commoda significari, denuntiari, & ostendi. Quorum interpretes erant ex Etruria, qui propriè exta consulere dicebantur, cum ea inspicerent. Eiusmodi consultationis illustre exemplũ est in Oedipo Senecæ Actu 2. scen. 2. Vide Brisson. Formular. lib. 2.

Sentiunt docti quidam tribrachym pro dactylo poni solere, non solùm in tertia sede, verum etiam in secunda. Sic Lucret. lib. 4. *Ater init oculos.* Quamquam init illo loco præteriti temporis esse potest, vt sit init, pro, iniuit. Et Horat. Ode. 3. lib. 1. *Perrupit Acheronta Herculeus labor.* Idem Sat. 3. lib. 2. *Exclusus qui distat agit vbi secum erat, an non.* Hæc tamen etiam cæsuris excusantur. Cæsurarum species multæ sunt.

Trebatius lib. 1. de religionibus docet, hostiarum genera esse duo, vnum consultorium, in quo voluntas dei per exta disquiritur: alterum animale, in quo sola anima deo sacratur: vnde & aruspices, animales has hostias vocant. Vtrumque hostiarum genus Virgilius in carmine ostendit. Et primum quidem illud, quo voluntas numinum per exta monstratur, vt hoc loco. Alterum, in quo hostia animalis dicitur, quòd eius tantum anima sacratur, ostendit, cum facit Entellum victorem Eryci mactare taurum. Nam vt expleret animalis hostiæ caussas, ipso vsus est nomine. *Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis.* Et vt nuncupata vota significaret, ait *Persoluo*, quod de voto proprie dicitur: vtq; ostenderet persolutum dijs, significauit dicens, *Sternitur, exanimisq; tremens procumbit humi bos.* Videndum etiam, ne & illam hostiam ostendat animalem Æneid. 2.

Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,
Cum primùm Iliacas Danai venistis ad oras,
Sanguine quærendi reditus, animaq; litandum
Argolica.

Nam & animam, id est, hostiæ nomen posuit: & litare, quod significat, sacrificio facto placare numen. In his ipsis hostijs, vel animalibus, vel consultorijs, quædam sunt quæ hostiæ iniuges dicuntur, id est, quæ nunquam domitæ, ac iugo subditæ sunt. Harum quoque poeta noster sic meminit lib. 6. *Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos Præstiterit.* Et vt iniuges euidentiùs exprimeret, adiecit, *& intacta totidem ceruice iuuencas.* Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 5.

HEV VATVM IGNARÆ MENTES) Hic sugillant noui quidam Critici Virgilium, quod ex sua persona, contra ius fasq; poetæ exclamauit: id quod ab Homero, inquiunt, nusquam factum fuisse apparet. Quasi verò nihil fieri possit, præter id, quod Homerus fecit. Sed ausim dicere, nullam hic esse exclamationem, verùm potius indicationem quandam cum irrisione in sacerdotes: qui Didonem nõ credituram admonuerant. Maior enim est in fæmina amore flagrante vis amoris, quã religionis: cuius rei non ignarus poeta, iudicium suum adhibuit, sacerdotum inscitiam irridens: qui cum multa prænuntiassent futura, huic coniugali copulę contraria, non tamen viderant, Didonem nimio Æneæ amore incensam, minimè verbis ipsorum fidem adhibituram. Sed sit, vt reuera est, exclamatio cum irrisione, vnde nam mihi ostendent isti delicatiores Critici, poetas Epicos ex sua persona exclamare non posse? Quando hac de re Aristoteles, qui multa præcepta in poëticam facultatem tradidit, ne verbum quidem fecit. At Homerus ex sua persona non exclamauit. Quid si hoc alij fecerunt grauissimæ auctoritatis viri? Sed stultum est eos auctoritate magis, quam ratione moueri. Nulla quamobrem id fieri nõ possit, ratio est. Quòd verò fieri possit, ipsa natura, & auctoritas persuadet. Nam cum poeta homo sit, humani nihil ab eo alienum putandum est. Est autem cuiusuis hominis proprium moueri, perturbari, huiusmodique affectibus, varijs in rebus, præsertim duris atque difficilibus affici. Quamobrem effectum est, vt poetæ plurimi cùm Græci, tum Latini, atq; illi quidem non infimæ celebritatis viri, ex sua persona gemuerint, doluerint: præ gaudio, dolore, stupore exclamauerint, Hesiodus, Apollonius, Lucretius, Ouidius, Lucanus, Statius: sed inprimis Virgilius, nec iudicio, nec fortassè etiam doctrina Homero inferior: qui tametsi animaduerterat, Homerum nunquam ex sua persona exclamasse, tamen ipse bis, & sæpius voluit exclamare in 4. hoc Æneid. *Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?*

Vidit, thuricremis cùm dona imponeret aris
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros.

Et in 7.

Huius apex summum densa (mirabile dictu)
Stridore ingenti liquidum trans æthera vecta

Obse-

Obsidere apicem.

Et in 9.

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.

Sed quid ego illa recenseo, quæ cuilibet legenti vltro sub oculos venire possunt? Sunt enim non pauca, in quib⁹ nõ adeò frequens fuisset poeta eminentissimus, nisi illud ex sua persona iure fieri potuisset. At poeta humanas tantum actiones sub aliena persona imitatur. Quid tum? Igitur exclamare ex sua persona non potest? miror profectò, viros doctos in huiusmodi ineptias incidere, & absq; iudicio loqui. Nascimb.

QVID VOTA FVR. QVID DELVB. IVVANT) Putare illi prodesse posse sacrificia, & pro ea deos consulere, quæ cum sacris, & sine sacris statuerat amori se dedere, & cui iam non ratio, sed affectus, & libido dominabatur, erat profectò longe à scopo aberrare. Frustrà hæc agebantur omnia, & in speciem tantummodo. Caussam iam dictam ipse poeta mox indicat. ✠

EST MOLLIS FLAM. MED.) Catull. ad Cæcil. *ex eo misellæ Ignes interiorem edunt medullam*. Et alibi. *totis me magnus edebat amor*. Et.

Vt multo mihi maior, acriorq;
Ignis mollibus ardet in medullis?

Et noster Maro. *Nec te tantus edat tacitum dolor.* Cicer. ex Homero. *Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.* Horat. *si quod, Est animum, differs curandi tempus in annum.* Quod ad vocem *flammæ* attinet, sic Horat. Ode 27. lib. 1. *digne puer meliore flamma.* Quæ exempla congessi, vt magis perspiceretur huius verbi in talibus exprimendis elegantia, inquit Muret. in Catull. Epitheton mollis referri debet ad vocem *medullas*, & est quarti casus numeri multitudinis. German. * *Quod Vates noster dicit de Didone*, est mollis flamma medullas, *& rursum*, vritur infelix Dido, *ardorem, inquam, istum carne mihi, quantu cum energia expresserat in persona Phædræ Seneca.*

——— pectus insanum vapor,
Amorq; torret, intimas sæuus vorat
Penitus medullas, atque per venas meas
Visceribus ignis mersus, & venis latens,
Vt agilis altas flamma percurrit trabes.

TACITVM VIVIT SVB. P. VVL.) De vulnere in significatione amoris, vide annotata principio lib. huius, ibi, *Vulnus alit venis.*

Vritur infelix Dido, totaq; vagatur
Vrbe furens: qualis coniecta cerua sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitq; volatile ferrum
Nescius: illa fuga syluas, saltusq; peragrat
Dictæos, hæret lateri lethalis arundo.
Nunc media Æneam secum per mœnia ducit:
Sidoniasq; ostentat opes, vrbemq; paratam.
INCIPIT EFFARI, MEDIAQVE IN VOCE RESISTIT.
Nunc eadem labente die conuiuia quærit:
Iliacosq; iterum demens audire labores
Exposcit, PENDETQVE ITERVM NARRANTIS AB ORE.
Post, vbi digressi, lumenq; obscura vicissim
Luna premit, suadentq; cadentia sidera somnos:
Sola domo mœret vacua, stratisq; relictis
Incubat: ILLVM ABSENS ABSENTEM AVDITQVE, VIDETQVE.
Aut gremio Ascanium genitoris imagine capta
Detinet, infandum si fallere possit amorem.
Non cœptæ assurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet: portusúe, aut propugnacula bello
Tuta parant: PENDENT OPERA INTERRVPTA, minæq;
Murorum ingentes, æquataq; machina cælo.

VRITVR INFELIX DIDO) Quare infelix? aut in quo est ista Didonis tam perditè amantis infelicitas? primùm in ipsa hac amoris insania. Deinde in his, quæ ipsamet obscurans, & obtestans Æneam ne se deserat, infra distinctè commemorat.

Te propter Libycæ gentes, Nomadumq; tyranni
Odere: infensi Tyrij: te propter eundem
Extinctus pudor, & qua sola sidera adibam,
Fama prior.

Sed ad hos versus de ardore & furore Didonis adhibeas licet istos ex Hippolyto Senecæ, vbi de Phædra Nutrix in hunc modum.

Spes nulla tantum posse leniri malum,
Finisq; flammis nullus insanis erit.
Torretur æstu tacito, & inclusus quoque
Quamuis tegatur, proditur vultu furor. ✠

QVALIS CONIECTA CER. SAGIT.) Didonis amorem amplificat per cõparationem à cerua, telo pastoris vulnerata, quæ vti dolore confecta huc illuc discurrens, stare loco nescit: ita Dido amore saucia huc illuc vagatur, has illasq; ineptias, nulla dignitatis suę habita ratione, facit. Et sanè huic negotio quam aptissima comparatio esse videtur. Nam Dido telo Cupidinis saucia, ceruæ sagitta pastoris vulneratæ, sylua ciuitati, mobilitas cursusq; ceruæ, Didonis motibus, ineptijs, concursationibusq; comparatur. Nascimb.

Scyllæ furorem amatorium in Minoa describens Virgilius in Ceiri, non admodum hisce dissimilia canit. Quare locos inter se conferre, fuerit operæpretium.

Quæ simul ac venis hausit sitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in ossa furorem:
Saua velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,
Ictáue barbarico Cybeles antistita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in vrbe,
Non storace Idæo fragrantes picta capillos
Cognita,non teneris pedibus Sicyonia seruans,
Non niueo retinens baccata monilia collo.

VOLATILE FERRVM) Volatile ferrum dixit etiam lib.8. *Stupea flamma manu, teloq; volatile ferrum Spargitur.* Lucret. 1. *iaciatq; volatile telum.*

MEDIAQVE IN VOCE RESISTIT.) πάθος amantium. Horat. Ode 1. lib. 4.

Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio?

Catull. *lingua sed torpens*, ex Sapphonis græco, ἐμοὶ γὰρ ὡς ἴδω σ' οὐδὲν ἔτ' εἴκει. Ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγε. Tota oda huc pertinet. Totus verò locus hic ex 3. Apollonij sumptus est, vbi de Medea sic scribitur.

Μῦθος δ' ἄλλοτε μέν οἱ ἐπ' ἀκροτάτης ἀνέτελλε
Γλώσσης, ἄλλοτ' ἔνερθε κατὰ στήθος πεπότητο.
Πολλάκι δ' ἱμερόεν μὲν ἀνὰ στόμα θυῖεν ἐνισπεῖν,
Φθογγῇ δ' οὐ προὔβαινε παροιτέρω.

Sed mirè tot Apollonij carmina vno versu complexus est. Nascimb.

Lipsius Antiquarum lect. lib. 1. cap. 13. corrigens versum hunc è Milite Plauti, *Dum te obtuetur, interim lingua, atque oculi perierunt*, è veteribus libris legit, *linguam oculi præciderunt.* Eleganter. Nam in amore cum oculi cupidè, quod amant, intuentur, non solum mens, sed etiam lingua obbrutescit. Ita fit, vt quasi præcipi, & præcidi verba ab aspectu videantur. Hanc quoque amantium vacillationem, & titubationem in confessione morbi repræsentat his verbis Valer. Æditituus apud Gellium cap. 9. lib. 19.

Dicere cum conor curam tibi Pamphila cordis,
Quid mi abs te quæram, verba labris abeunt, &c.

Meminit German. * *Plutarchus in vita Demetrij, filij Antigoni, qui nefando amore ardebat in nouercam Stratonicem, vide quid narret. Sententiam Virgilianam his verbis complexus est in Hippolyto Seneca,*

Sed ora cœptis transitum verbis negant.
Vis magna vocem emittit, at maior tenet.
Vos testor omnes cælites: hoc quod volo,
Me nolle.

Ouid. alicubi.

Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit
Lingua: ter in primo destitit ore sonus.

DEMENS) Meritò demens. Nam vt Cic. ait in Catone, Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica: ac mentis (vt ita dicam) perstringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium.

PENDETQ. ITER. NARR. AB ORE) Pendere ab alicuius ore dicuntur, qui cũ diligenter, attenteq; audire volunt. Ouid. epist. Penelopes. *Narrantis coniux pendet ab ore viri.* Sed hic amantis affectus exprimitur: quæ ex ore viri pendebat, nõ modo vt eũ audiret, verùm etiam vt intueretur: *nam oculi sunt in amore duces.* Nascimb.

VBI DIGRESS. LVMENQ. OBSCVRA) Valerius Flaccus principio lib. 7. de Medea, & Iasone.

Te quoq; Thessalico iam serus ab hospite vesper
Diuidit, & te iam tua gaudia virgo relinquunt:
Noxq; ruit, soli veniens non mitis amanti.
Ergo vbi cunctatis extremo in limine plantis
Contigit ægra toros, & mens incensa tenebris,
Vertere tunc varios per longa insomnia questus, &c.

A Sensus verborum est. Vbi digressi sunt, qui adesse solebant, qui reginæ apparebant, vnusquisq; nimirum ad habitaculum, seu cubiculum suum: quippe luna premente lumen, nocte diei succedente, sub noctem, cum luna, quæ tenuem lucem fundit, & cuius orbis non est ita lucidus, exoritur.

SOLA DOMO MOERET VACVA) In amplissimo palatio (vacuum enim valet amplum, spatiosum) vbi omnes lætabantur (Troiani, ꝓpter socios receptos, & reginæ beneficentiam: Tyrij, propter hospites gratissimos) sola regina, quia amorem suum apertè confiteri nõ audebat, illiq; satisfacere, mœrori se dabat. Nascim.

STRATISQVE RELICTIS INCVBAT) Ea mihi vis videtur
B huius vocabuli, vt Didonem significet, more personarum, quæ animi ægritudine somnos ægrè capiunt, & lecto in hanc illamq; partem inquieti iactantur, interdum assurgere quoque è stratis, & cubito, toroque, dum consistere mente, corporeq; nequeunt, incumbere: quale est illud apud Propert. lib. 1. *Sic ait in molli fixa toro cubitum.* & infrà noster: *Incubuitq; toro, &c.* Stratis autem relictis, vt videatur Dido instabili mentis habitu & statu, relictum lectum post paulò repetere, & in eum se reijcere, ac reuoluere, id est, eidem loco rursus incumbere. German. * *Huc peraccommodati versiculi ex Hippolyto Seneca, vbi Phædra:*

Non me quies nocturna, non altus sopor
Soluere curis: alitur, & crescit malum,
Et ardet intus, qualis Ætnæo vapor
C Exundat antro.

ILLVM ABSENS ABSENTEM AVD.) Pulcherrima alliteratione amantis affectum ante oculos constituit, *absens absentem auditq;, videtq;.* Ita quoq; Ouid. epist. eiusdem Didonis ad Æneam.

Æneaq; oculis semper vigilantibus hæret,
Æneamq; animo noxq;, diesq; refert.

Sed nemo melius Terentio: qui in Eunucho Phædriam cum Thaide ita loquentem facit.

Cum milite isto præsens, absens vt sies,
Dies, noctesq; ames me: me desideres,
Me somnies, me exspectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes; mecum tota sis.
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.

D Nascimbæn.

Principio libri dixit, *hærent infixi pectore vultus, Verbaq;.* Sed nunc maius quiddam, id est, maiorẽ quandam affectus impotentiã demonstrat, atq; exprimit his verbis, *Illum absens, &c.* Neq; inscitè dictũ est, nescio à quo, amantium animos ibi magis esse vbi amant, quam vbi animant. Omnia illorũ verba, vultus, gestus, habitus, incessus, motus omnis sẽp animis obuersantur. Docuit hoc disertè in Sexto Tarquinio Lucretiæ corruptore Ouid. 2. Fast. nam cum in castra redijsset cũ Collatino:

Carpitur attonitos absentis imagine sensus
Ille, recordanti plura magisq; placent.
E *Sic sedit, sic culta fuit, sic stamina neuit:*
Iniecta collo sic iacuere comæ:
Hos habuit vultus, hæc illi verba fuerunt:
Hic color, hæc facies, hic decor oris erat.

INFAND. SI FALL. POSSIT AMOR) *Prudenter Seneca in Hipol.*

Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Sero recusat ferre, quod subijt iugum.}

Quod etiam Græci dicunt, θέλγειν ἔρωτα, id est, solatia quædam, & oblectamenta adhibere, quibus animi ægritudinem ex amore natam leuare possimus, aut quibus animum ab amoris cogitatione auocemus. Horat. sat. 7. lib. 2. fallere curam dixit, *Iam vino quærens, iam somno fallere curam.* Ex Lamb.

Optimum autem, longeque certissimum remedium

dium fallendi, seu curandi, ac depellendi potiùs amoris, obstare principijs, quoniam mala, quæ mora ipsa conualuerunt, medicinam spernunt, vt docet Ouid. lib. 1. de Remed. amor. In quam sententiam scripta sunt quoque quæ antecedunt, ista nempe:

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine siste pedem.
Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi:
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora dat vires: teneras mora percoquit vuas:
Et validas segetes quæ fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus vmbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli:
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

Adde his illa Lucretiana è lib. 4.

Nam vitare plagas in amoris ne iaciamur,
Non ita difficile est, quàm captum retibus ipsis
Exire: & validos Veneris perrumpere nodos.

Adijciamus his quoque consilium Senecæ ex epist. 69. Quemadmodum ei, qui amorem exuere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius, quàm amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagrauit, & oculos, & aures ab his quæ reliquit, auertat. Hæc ille. Crates Thebanus amorem aiebat fame sedari: sin minus, tempore. Quod si duo hæc non suffecerint, ad laqueum esse accedendum. Hanc sententiam quidam festiuo epigrammate inclusit. Festiuitas & in sensu est, & in illa trium vocum παρηχήσει, nempe λιμός, χρόνος, βρόχος, quibus tres nostræ, fames, tempus, laqueus, vides quàm non respondeant?

Ἔρωτα παύει λιμός· εἰ δὲ μή, χρόνος.
Ἐὰν δὲ μηδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβέσῃ,
Θεραπεία σοι τὸ λοιπὸν ἀρτάνη βρόχος.

De ægritudine amoris & viribus, item de remedijs eius ex veterum commentarijs nonnulla congessit Crinitus lib. 2. cap. 1. & lib. 16. cap. 4. & lib. 21. cap. 14. ✱

NON COEPTÆ ASSVRG. TVRRES, &c. *Quantum* A *socordiam, rerumq́; negligentiam creet immodicus amor, multis exemplis ostendit Robertus Titius lib. 5. cap. 6. quæ quidem ad hos versus, & ad hunc poetæ locum illustrandum accommodatissima sunt, ni fallor.*] Amoris vbiq; vim, vel potius vitium carpit, quod ab omni negotiorum cogitatione mentes hominum auertit. Sed occultè Didonis muliebrẽ stultitiam sugillat, quæ amore perdita, ea quæ suæ, ciuiumq́; suorum salutis intererant negligere, eosq́; inertes ac ignauos reddere videbatur. Tria enim attingit vrbibus conseruandis maximè necessaria, quę Dido stultè neglexisse videbatur: iuuentutis exercitationẽ ad arma: portum, ad commoditatem victus: mœnia, turres, & propugnacula ad defensionem vrbis, & populi. Nascimb.

MINÆQVE MVRORVM INGENT.) Hic minæ B significant partes illas murorum, in quibus sunt propugnatores, hostibusq́; minantur, quæ ad emissionem telorum fenestratæ sunt, ἐπάλξεις ferè à Græcis vocantur. Rufinus in Iosepho, Et desuper eam minæ quidem binis, propugnacula ternis cubitis ambiebant. Iterum. In summo autem propugnaculis, minisq́; erat armata. Rursus. Et minas quidem binis cubitis, propugnacula verò ternis habebat. Turneb. lib. 3. c. 14. * *Vtrum muris sit cingenda ciuitas, disputari potest. Alcidamas Lacedæmoniorum dux, rogatus cur eorum vrbs mœnia non haberet, iuuentutem in armis demonstrans, Hi sunt, inquit, Spartæ mœnia. Aduersatur item Plato 6. de legibus. Sed risum debent, quicunq; ita sentiunt. Certe illa ἀτείχιστος Sparta à Thebanis, Pelopida & Epaminonda ducibus obsidione labefactata, & quia carebat mœnibus, facillimè oc*C*cupata est: Alcidamas in potestatem adductus, nihil vel sibi, vel patriæ illis, de quibus gloriabatur, muros profuisse docuit. Non impedit virtutem militarem munitio: nec magnitudini animorum mœnia aduersantur. Poterunt enim qui mœnibus vrbes circumdatas habent, nihilominus exire, & quasi vrbs aperta, & immunita sit, manum cum hoste conserere. Murorum destructio pœnæ loco indicta est sæpe ciuitatibus. Sueton. in Galba, cap. 12. Præcesserat de eo fama sæuitiæ simul, atq; auaritiæ, quod ciuitates Hispanorum, Gallorumq́;, quæ cunctantibus sibi accesserant, grauioribus tributis, quasdam etiam murorum destructione punisset. Exempla notauit Torrentius apud Thucyd. lib. 1. & 3. apud Liuium lib. 8. cum ait. In Veliternos, quod toties rebellassent, grauiter sæuitum, ac muri deiecti. Apud Herodianum lib. 3. de Byzantio, apud Appianum in Illyricis de Termisso Vaccæorum. Muros veterum describit Lipsius, docens eos firmos, magnos, altos fuisse, Poliorcet. lib. 3. dial. 5.*

Quam simulac tali persensit peste teneri
Chara Iouis coniux, nec famam obstare furori,
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.
EGREGIAM VERO LAVDEM, ET SPOLIA AMPLA REFERTIS,
Tuq́;, puerq́; tuus, magnum & memorabile nomen,
Vna dolo diuûm si fœmina victa duorum est.
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia nostra
Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.
SED QVIS ERIT MODVS? aut quò nunc certamine tanto?
Quin potiùs pacem æternam, pactosq́; hymenæos
Exercemus? HABES TOTA QVOD MENTE PETISTI.
Ardet amans Dido, traxitq́; per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusq́; regamus
Auspicijs: liceat Phrygio seruire marito,
Dotalesq́; tuæ Tyrios permittere dextræ.
Olli (sensit enim simulata mente locutam,
Quò regnum Italiæ Libycas auerteret oras)
Sic contrà est ingressa Venus. Quis talia demens
Abnuat? aut tecum malit contendere bello?

Si modò, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Iuppiter vnam
Esse velit Tyrijs vrbem, Troiaq; profectis,
Misceriue probet populos, aut fœdera iungi.
Tu coniux, tibi fas animum tentare precando:
Perge, sequar.

TALI PESTE TENERI) plus longe, quam si dixisset, amore. Et dicitur ex persona, & iudicio poetæ, qui scit illi istam amationem pestem, interitumque allaturam. Sic in 1. *pesti deuota futuræ.* Venenum quoque appellauit eodem libro. Christiani peccata grauiora mortes vocitare solent. ✠

A NEC FAMAM OBSTARE FVRORI) Vt nihil aliud, hoc certe Didonem fræna pudoris iam rupisse indicabat, quod famam contemnebat, quam verentur etiam sceleratissimi. Famam multi, inquit Seneca, conscientiam pauci verentur. Dido nostra neutrum, quia semel verecundiæ fines transiit. ✠

TALIBVS AGGREDITVR) Hoc verbo futuræ orationis habitus ostenditur, dolo videlicet, & insidijs plenæ. Est enim aggredi interdum dolose, & insidiose, hoc est decipiendi caussa quempiam adire. Terent. Phorm. *Ita ne agitis mecum? Satis astutè aggredimini.* Verba sunt Phormionis, insidias timentis. Nascimb.

B EGREGI. VERO LAVD.) Irridet Venerem Iuno, quod spreto pæne diuinitatis decoro, nullaq; eius habita ratione, vna cum filio suo Cupidine insidias fœminæ intenderit. Vnde communis etiam indignationis locus deduci potest, qui apud Ciceronem vndecimus est, quem alij indecentiam, nonnulli in conuenientiam appellant, per quam ostendimus ab eo factum fuisse aliquid, à quo minimè oportebat, vt apud Terent. Eunucho. Thais factum indecens Cheręæ obijcit. *Non te dignum Cherea Fecisti: nam si ego digna hac contumelia Sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen.* Nascimb.

Referre laudem, translatio à re militari. Liuius, referre victoriam. Cicero, manubias. Laudem vult Titius lib. 4. cap. 1. hoc loco in deteriorem partem sumi, & esse hanc vocem ambiguæ significationis, vt alias nonnullas. Lege, si otium est, totum caput. Sensus erit, turpem, minimè pulchram, inhonestam laudem refertis ex victoria vnius fœminæ, duo diui, quam per dolum vicistis. ✠

VNA DOLO DIVVM SI FÆM. V. DVOR.) In singulis verbis est emphasis, & quædam antithesis. Illa, quia iam fœminæ, & deorum fit mentio, duo quædam attinguntur extrema, infimum, & summum, propter quod fœmina deorum insidijs resistere nequit. Hæc, quia vna opponitur duobus, fœmina diuis, dolus victoriæ, & laudi, spolijsq; : non enim dolo vera laus, sed virtute acquiritur. Nascimb.

Imbecillitas muliebris sexus etiam in hoc apparet, quod facile decipitur. Nam vt Anacreon canit, natura τοῖς ἀνδράσι φρόνημα dedit, prudentiam, non mulieribus. Quare cum nec homo quidem sese iactare possit de in fraudem inducta fœmina, multo minus deus, minimeq; duo dij: quibus tantum abest, vt gloriæ sit tale facinus, vt etiam ignominiæ magnæ sit. Audi Chrysost. sic scribentem Homil. 23. in Matthæum. Sexus mulierum incautus, & mollis est. Incautus, quia non omnia quæ videt, aut audit, cum sapientia, & ratione considerat. Mollis verò, quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. Idem Homil. 23. in 2. ad Corinth. mulierum ait esse proprium decipi. ✠

Geminum huic Virgil. illud Tibulli, lib. 1. eleg. 6.

Quid tibi sanitia mecum est? an gloria magna
Insidias homini composuisse deum?

Et quidam in Epigrammat. græcis.

Τί πλέον εἰ θεὸς ἄνδρα κεραυνοῖς, ἢ τί τὸ σεμνὸν
Δνώσας ἀπ' ἐμῶν ἄλλον ἔχει κεφαλῆς;

Muret. in Tibull.

NEC ME ADEO FALLIT) Λανθάνει. Sic verbum *fallere* sæpissime vsurpat Horatius, pro *latere* nimirum. Paucis exemplis rem declarabo. Ad Pison. *Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.* Ode 16. lib. 3.

Puræ riuus aquæ, syluaq; iugerum
Paucorum, & segetis certa fides meæ
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit sorte beatior.

Id est, dominus Africæ non intelligit, exiguam meam sortem ipsius opibus esse beatiorem. Ode 15. Epod. *Nec te Pythagoræ fallant arcana renati.* Ode 3. eiusdem lib. *Num viperinus his cruor Incoctus herbis me fefellit?* Pro eodem Lucret. lib. 1. *Nec me animi fallit, Graiorum obscura reperta.* & 4. *Nec Veneres nostras hoc fallit.* Terent. Heaut. *Num me fefellit hosce id struere?* Cic. pro Flacco. Multa nos fefellerunt. Et pro Quintio. Non multum me fallit, si cõsularis, quid sis responsurus. Et 1. de Orat. Neq; enim hoc te Crasse fallit, quàm multa sint, &c. Liuius lib. 23. Nec fefellit Annibalem, suis se artibus peti. C Et lib. 31. Non fefellit Achæos, quo spectasset tam benigna pollicitatio. Ex Lamb. in Horat. & alijs.

SVSPECTAS HABVISSE DOMOS) Suspicio, inquit Arnobius lib. 2. est opinatio mentis incerta, & in nil expositum iaculatio mentis illata. Ergo qui suspicatur, non tenet, nec in limine positus cognitionis incedit.

CARTHAG. ALTÆ) Expone quemadmodũ lib. 1. *atque altæ mœnia Romæ*, aut propter gloriam scilicet, aut propter ædificia. Respicit Iuno ad illa, quæ Venus lib. 1. inter cætera ad Cupidinem, *& vereor, quo se Iunonia vertant Hospitia, haud tanto cessabit cardine rerũ.* Hortatur eam non ad breuis temporis inducias, sed perennem pacem iucundam secum, quando consecuta D iam sit, quod vehementer optabat: nempe, vt Dido amore Æneæ implicaretur, atque ita ei nihil moliretur incommodi. Recordare illorum, *& cingere flamma Reginam meditor, ne quo se numine mutet*, &c. Verùm maligno hoc totum animo, nempe vt Æneam in Africa retineat. Quod mox ipsemet poeta nos monebit. ✠

SED QVIS ERIT MODVS?) Dehortatio ab ira & odio pristino, ad conciliandam amicitiam.

QVIN POT. PACEM ÆT. PACT. HYM.) Consilium. Et rectè post mentionem pacis hymenæum intulit: nam absque nuptijs, affinitatisq; coniunctione pax hæc æternare non poterat. Nascimb.

E PARIBVS AVSPICIIS) æquali iure ac potestate, à comitijs ductum.

PHRYGIO MARITO) Videtur per cõtemptum ita appellasse, quasi peregrino, & exuli.

LIBYCAS AVERT. ORAS) Verbo *auertere* dolus sæpe indicatur. Cic. Frumentaria. Quid si doceo, te non minus

minus domum tuam auertisse, quam Romam misisse amicum decumarum nomine? Licinius Macer pro Tuscis (citat Priscianus) Quos oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias auerterunt. Catull. de nupt. *Auratam optantes Colchis auertere pellem.* Ibi hæc Muret.

SIC CONTRA EST INGRESS. VENVS) Ab Homero hausit.

Τὴν δ' αὖτε προσέειπε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη.
Οὐκ ἔστ' οὐδὲ ἔοικε τεὸν ἔπος ἀρνήσασθαι.

QVIS TALIA DEMENS ABNVAT) Callidè, quasi eius consilium probet, Iunonis votis se præstò futuram simulat: non enim ignorat, satius esse nonnunquam retinere simulatum amicum, quam reddere apertum inimicum. Veruntamen ostendit se sentire fucum, cum conditionem ferat, inquiens. *Si modò, quod memoras, factum fortuna sequatur.* Vox *tecum* habet emphasin. Tecum, quæ es Iouis coniux, & deorum regina. Et quamquam dicit, se fatis incertam ferri, tamen longè aliter est. Tenet enim memoria quæ suprà sibi Iuppiter pollicitus sit, nec ignorat, fata non posse mutari. Sed astutè dissimulat, ne reniti videatur. Nascimb. * *Iuxta prouerbium, vulpinatur cum vulpe Venus, artem arte deludit, par pari refert, quod eam mordeat. Honorificè satis eam ad Iouis animum explorandum mittit, a quo, tanquam vxor, impetrare quidquid æquum, facilè possit.*

MISCERIVE PROBET POPVLOS) Troianos cum Pœnis in vnum corpus coalescere.

--------Tum sic excepit regia Iuno.
MECVM ERIT ISTE LABOR: nunc qua ratione, quod instat,
Confieri possit, paucis, aduerte, docebo.
Venatum Æneas, vnaq; miserrima Dido
In nemus ire parant, vbi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radijsq; retexerit orbem.
His ego nigrantem commista grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, saltusq; indagine cingunt,
Desuper infundam, & tonitru cælum omne ciebo.
Diffugient comites, & nocte tegentur opaca.
Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deuenient: adero: &, tua si mihi certa voluntas,
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo.
Hic Hymenæus erit. Non aduersata petenti
Annuit, atq; dolis risit Cytherea repertis.

REGIA IVNO) Regis filia, regis soror, & vxor, Sed regius, & regia sæpe idem poetis, quod rex, & regina.

MECVM ERIT ISTE LABOR) Transigendi negotij prouinciam recipit, quod tamen fatis aduersantibus non transiget. Quare ad consilium vtriusque alteri iungendi, nullis nuptiarum auspicijs, nullis legitimis cærimonijs se vertit, si quid etiam cōtra vetitum possit proficere. Sed Venus consilium ridet, vt doli plenum, & vaferrimæ simulationis scilicet. Montfort.

CONFIERI POSSIT) Confieri, pro, confici, casta elocutio est, neque, con, vt scribit Seruius, in hoc verbo abundat. Quin potiùs, sicut pleniore intellectu conficio, quam facio dicimus, cum confectæ res propriè dicantur, non nisi magnæ atque arduæ, quæ perfectæ sunt, quale est bellum, quod cum perfectum est, confectum magis ex linguæ latinæ proprietate dicitur, quod antea affectum diceretur: ita confieri hoc loco positum de re magni momenti: quippe de Æneæ, & Didonis congressu, quem tantopere Iuno cuperet, quemque curaturam omnino se Veneri recepisset: cuius spem, vt certi euentus fide confirmaret, nūc id eam, qua ratione confieri possit, id est, confici, docet. Sic & Terentianus Simo Pamphili nuptias sperat confore, id est, confieri, vt interpretatur Donatus. Cæsar etiam in 7. de bello Gallico, de Labieno sic loquitur. Posteaquam id difficiliùs confieri animaduertit. Erythræus in Indice. * *Adde Lucretium, qui hac voce vtitur sæpius. Lib. 3.* Id quoque enim sine pernicie confiet eorum. *Et lib. 4.* Aëribus binis, quoniam res confit vtrinq;. *Et lib. 5.*

Ne fortè ex homine, & veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, neque esse.

Adde & hoc Liuianum è lib. 5. quod cum in publico deesset aurum, ex quo summa pacta mercedis Gallis confieret. Donat. ad illud Terent. And. restat Chremes, qui mihi exorandus est, & spero confore. *Confore, ab eo quod est, confit, id est, perficitur, futurum tempus infinitiui modi confore facit: id est perfectum iri. Sic in Adelph.* Verùm quid ego dicam? hoc confit, quod volo. *Confieri, id est, perfici. Columella quoq; lib. 1. cap. 8. Sic enim curabit, vt & panis diligenter confiat.*

VENATVM ÆN. VNAQVE MIS. DIDO) Vt hospitem suum sibi iam familiariorem, quam oportebat, honore insigni, miraq; voluptate recrearet, etiam ruri venationem Dido instituit, quo lusu, vt omnes norunt, Reges ac Principes inprimis remittere animos consueuerūt. Cōmendat istam remissionem, ludumq; in Traiano Plinius. Sic namque in Paneg. Quæ enim remissio tibi, nisi lustrare saltus? excutere cubilib⁹ feras? superare immensa montium iuga, & horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu, nullius vestigio adiutum? Habet sanè venatus iucunditatis non parum, nec artis minus: quod non fugit historicorum suauissimum Xenophontem: qui & in libris de vita Cyri venationem quin laudet, facere nō potest, & ei proprium insuper libellum dicat. Ex hoc fonte, item ex Petro Angelio Bargæo, Natali Comite, Francisco Patricio lib. 3. de regno, titulo 6. Latinis, & Oppiano Græco poëtis quantum, & quomodo placuerit, haurient, quibus præconium venationis contexere libuerit. Scripsimus & nos dialogum de ea inter miscellos, parte 2. Tertij Voluminis. ✠

HIS EGO NIGRANT. NIMBVM) Lucret. lib. 2. *Aut ea quæ nigrant, nigro de semine nata.*

DVM TREPID. ALÆ) Alas venatorum intellige, qui in dextra, sinistraq; saltus parte, tanquam in corpore auis alæ locati, apertam feris planitiem ad excurrendum relinquebant. *Trepidant*, festinant.

SALTVSQ. INDAGINE CINGVNT) Nonnulli indaginem,

ginem hic non ferarum indagationem, vt Seruius exponit, sed plagarum seriem significare censent, in varros A arrectarum, id est in furcas venatorias, qualem describit Lucan. in 5. Pharsaliæ.

Aut dum dispositis attollat retia varris
Venator, tenet ora leuis clamosa molossi, &c.
Et in 6.
——— *magnoq́, recessu*
Amplexus fines, saltus, nemorosaq́, tesqua,
Et syluas, vastaq́, feras indagine claudit.

Indago propriè est id, quod à Græcis στοιχισμὸς dicitur, id est, αἱ λεγόμεναι σάγηναι καλὰ στοῖχον κείμεναι. Stœchi enim Græcè varri sunt, vnde stœchismus indago, id est, plagarum expansio varris subiectarum, ferarũ lustra, & B stabulationes ambiens. In Pandectis autem, vbi legitur in lege De act. empt. Veluti cum futurum iactum retis, à piscatore emeris, aut indaginem plagis impositis à venatore, vel pantheram ab aucupe, scito ibi indaginem accipi pro effectu, & proposito indaginis, id est, pro captura, quo modo & græcè therama (quod Gellius indaginem vertit) non magis venatum significat, id est, actum, quum effectum, hoc est, τὸ θηρευθέν. Plura Budæus in Pand.

HIC HYMENÆVS) Hymenæus qui & Hymen, nuptiarum deus à Græcis habitus est, vt à Romanis Thalassio. Hymenæus etiam, seu numero multitudinis, Hymenæi, pro ipsis nuptijs dicitur. Hymenæa, sunt festa, C siue sacra nuptialia. Pingebatur Hymenæus, (quod ex Catulli epithalamio colligitur) coronatus floribus, & amaraco, dextra facem tenens, sinistra flammeum (lutei velaminis genus est) in pedib⁹ croceos soccos habens. Plura Gyrald. Syntag. 2. in Hymenæo. In nuptijs quondam canebatur ad hunc prope modum. Ὑμὴν ὑμέναι ὦ ὑμήν. Vnde illud Veronensis poëtæ in carmine nuptiali. *Hymen ô hymenae hymen, ades ô hymenee.* Plaut.

Age tibicen, dũ illam educunt huc nouã nuptam foras,
Suaui cantu concelebra omnem hanc plateã hymenæo.
Io hymen, hymenae, Io hymen.

Medea ad Iasonem.

At subito nostras vt hymen cantatus ad aures
Venit, & accenso lampades igne micant.,

Item illud Hypermnestræ. *Vndique collucent præcinctæ lampades auro, Vulgus hymen hymenae vocat.*

RISIT CYTHEREA) Risus est signum, quo sese profert occultum mentis gaudium, qui affectus est inter omnes alios honestissimus, replens tranquillitate, ac securitate totam animam. Philo lib. de præmijs & pœnis.

Constituit autem Clemens Alexand. Pædagogi lib. 2. cap. 5. risus genera tria, quæ vocat μειδίαμα, καὶ χλιασμὸν, καὶ καγχασμὸν. Quæ enim vultus tanquam alicuius instrumenti fit per harmoniam decora remissio, appellata est μειδίαμα, hoc est subrisio. Ita est appellata diffusio, & exhilaratio, & risus eorum, in quorum vultu residet modestia. Immoderata autem, & incontinens vultus dissolutio, si sit quidem in mulieribus, appellatur κιχλισμὸς, hoc est risus immodestus, & lasciuus: is est autem risus meretricius: sin autem in viris, καγχασμὸς, hoc est cachinnatio. Est autem hic procorum risus insolens, & proteruus apud Homerum. Fatuus in risu exaltat vocem suam, inquit Scriptura: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Et quoniam de risu loquimur, risisseq; Venerem poeta autumat, sciendum ei apud Homerum non rarò epitheton tribui φιλομειδὴς, risus amans, libenter ridens. Horatius id expressit Ode 2. lib. 1.

Siue tu mauis Erycina ridens,
Quam Iocus circumuolat, & Cupido.

Nimirum poetæ illud sibi volunt, sine ioco, risu, lusibus inuenustam esse Venerem. Vt ille aiebat, *sine Cerere, & Baccho friget Venus.*

Oceanum interea surgens aurora reliquit:
It portis iubare exorto delecta iuuentus.
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Massyliq; ruunt equites, & odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exspectant: ostroq; insignis, & auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
TANDEM PROGREDITVR MAGNA STIPANTE CATERVA,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo:
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

OCEANVM INTER. SVRG. AVR.) Duces venatum D deducturus, principium à periphrastica matutini temporis descriptione sumit. Indicat autem id tempus, quod solis exortum proximè antecedit, aptum venationi. Tunc enim feræ è lustris in pastum maximè prodeunt, quemadmodum & vesperi sub occasum solis. Montfort.

IVBARE EXORTO) Seruius, *iubare exorto*, nato Lucifero. Nam iubar propriè Lucifer est: quod iubar lucis effundat. Est autem hysteron proteron in sensu: ante enim oritur iubar, deinde aurora. Nos sic. Aurora surgens Oceanum reliquit interea, dum Iuno, & Venus colloquerentur. Postea iuuentus it portis exorto iubare, id est, sole: qui verè iubar lucis effundit. Iubar pro sole posuit. Ouid. 1. Metamorph. de Clymene. *Spectansq́, ad lumina solis, Per iubar hoc, inquit.* Virgilius alibi de sole, *flammiferumq́, iubar.* Et non est ὕστερον πρότερον: neque animaduertit Seruius, quod supra Iuno dixit:

Venatum Æneas, vnaq́, miserrima Dido
In nemus ire parant, vbi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radijsq́, retexerit orbem.

Titan, id est, sol, non lucifer. Modicius cap. 31.

DELECTA IVVENTVS) Diligenter venationẽ à personis, & earum ætate, & armis venatorijs describit. Xenophontem videtur secutus, qui libello de venat. venatorem vult esse virenti ætate adolescentem, viginti annos natum. Desiderat agilitatem, proceritatem corporis, robur, & animum laboris, incommodorumque patientem. Hanc prosopographian duobus verbis

poeta

poeta exprimit, cùm delectam iuuentutẽ portis venatum emittit. Montfortius.

Retia rara, plagæ) Generali nomini subiectam speciem arbitror, & plagas, maiora retia suspicor, vt minora, casses. Nam casses esse videntur ἄρκυες, plagæ δίκτυα, id est retia, quæ maiora sunt. Plagis autem nomen videtur inditum à similitudine reticulorum, quibus capillos colligant mulieres, quod plagæ suis nexibus, & maculis eodem modo reticulatæ sint. Turneb. lib. 30. cap. 39.

Odora canvm vis) Læuij poetæ veteris (non Liuij Andronici, qui nullum versum heroicum scripsit, nedum ἔπος, carmen) est, *Dirige odorisequas ad cæca cubilia canes*. Ita sentit Scalig. F. Imitatione Græcorum B poetarum dixit, *odora canum vis*: alibi, *fida canum vis*, [*quod etiam imitatus est Papinius lib. 1. Thebaid.* Impastæ fugistis aues, rabidamque canum vim.] Cic. in Arato. *Serius hæc obitus terrai visit equi vis*. Sic enim emendauit Turneb. lib. 28. cap. 30. Lucret. quoque dixit, *fortis equi vis*. Idem Turneb. lib. 6. cap. 6. vt à Marone canum vis, pro canibus, sic à Lucretio quoq; dicitur. Ab eodem rursus eodem etiam modo plumbi potestas, hoc versu. *Et simul argenti pondus, plumbiq́; potestas*. Et rursum. *Ex alienigenis membris composta potestas*.

Locus Lucretij cuius meminit Turneb. est lib. 4. hic videlicet: *tum fissa ferarum Vngula quò tulerit gressum promissa canum vis Ducat*. Quem locũ sic interpretatur Lamb. Id est, canes odoratu valentes, & sagaces, C promissi. *Promissa* enim legendum videtur potius, quã *præmissa*, vt promissa, idem valere intelligamus, quod longè, & porrò tenus missa, vel è longinquo loco odores sentiens. Iam vt elegantem similitudinem à sagacitate ista naturali canum, qua ad feras insectandas capiendasq; vtuntur, ad virtutis cupidos ducat Philo lib. de Somnijs, nisi quid te detinet, audi. Quemadmodũ enim canes venaticos aiunt, è longinquo ad feras peruenire odorem secutos, cuius eximio sensu à natura sunt præditi: eodem modo à iustitia, cæterisq; virtutibus, exhalantes suaues auras amator scientiæ vestigat, cupiens originem tantæ voluptatis assequi, huc illuc cursitans, & D vel ipso honestatis odore tanquam sacro nidore se recreans. * *Quare tempore verno difficilè à canibus indagentur feræ, Plutarchus de causs. natural. cap. 23. hanc rationem affert, quia stirpium, florum, & fruticum halitus per ver fequentes, obscurant odores, quos in vestigijs feræ relinquunt. cap. sequentibus 24. & 25. cur plenilunio, & hyberno tempore. Olfactum Ægyptij sacerdotes per canem significabant. Satis enim constat, olfactum canis esse præcipuum, de cuius sagacitate (eam enim præcipuè canibus attribuit Cicero, & à sagire, quod acutè sentire est, deductum asserit) plurima passim videntur exempla. Dominum enim, qui vel dintissimè abfuerit, agnoscunt olfactu solo, & ignotum quoq; si repente veniat. Scrutantur in venatu vestigia, atq; persequuntur, cunctantem ad feram inquisitorem loro retrahentes, etiamsi aquam ea transierit, & abditissimo quouis loco sese occultauerit. Pierius lib. 5. lege quiddam singulare ibidem de canibus Gallicis.*

E Reginam thal. cvnctantem) Post narrationis apparatum ratio exigit, vt reginæ progressio sequatur. Qua in re morem regum egregiè designat, qui diutius exspectari volunt. Maiorem quoque operam ideo reginam adhibuisse in se ornanda credendum est, vt Æneæ pulcherrima videretur. Nascimb.

Mulierum in se ornando studium, nimiamque diligentiam ostendere volens Terentius, ita cum stomacho loquentem facit Clitiphonem Heaut.

Non cogitas hinc longiùs abesse? & nosti mores mulierũ;
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Quibus verbis abundè insectatus est fœminarum vitium in pulchritudine comparanda. Existimo autem Sybaritarum morem respexisse Terentium, apud quos legem fuisse produnt, anno priore mulieres inuitandi, si quas publico sacrificio, aut conuiuio interesse vellent: concedebant enim ipsis illud spatium, quo se comere, atque ornare per otium possent: cuius legis meminit Plutarchus in Conuiuio septem sapientum, & Athenæus lib. 12. Titius lib. 2. cap. 2. * *Ad istos mulierum mores, & sese ornandi ambitiosissimum studium declarandum, apios esse iudico Plauti versiculos ex Pœnulo.*

Negotij sibi qui volet vim parare, nauem & mulierem
Hæc duo sibi comparato. nam nullæ magis res duæ
Plus negotij habent: eas forte si exornare occœperis.
Neq; vnquã hæ duæ res satis ornantur, neq; eis vlla satis
Ornandi satietas est.

Ibidem.

Quæ noctes, diesq; omni in ætate semper
Ornantur, lauantur, terguntur, poliuntur.
Postremo modus muliebris nullus est.

Qui præterea multa legere cupit de ista φιλοκοσμίᾳ fœminarum, legat Tiraquellum in leg. Connubial. tertiam.

Primi poenorvm exp.) Theocrit in Helen. χερὶν ὑπὸ πρώτῳ Δαίδαλο τοὶ πρώτω τέκνον, cuius imitatione Horatius primos verbis dixit: Et Euripid. αἰδεῖ τῷ πρώτῳ ... παῖδα ... σφάγιον ἐξαιτούμενος, de Achille in Hecuba. Sæpe autem idem Euripid. πρῶτοις, & ἄκροις ἀργυρίων. German.

Ostroqve insig. et avro st. sonip.) Regalis luxus omni ambitionis genere exprimitur. Nã ne equus quidem splendido carebat ornatu. Extollitur autem duplici laudationis genere equus. Primùm ex ornamentis, quòd ostro, & auro insignitus est: deinde ex quibusdam generosæ naturæ argumentis. Quod ferox, quòd frænum mandit, quòd spumas agit, Ergo stat, id est, paratus est: nam qui stat, non probatur. Vide illud 3. Georg. *Stare loco nescit*.

Fræna ferox mandit) Hic obseruanda est elegans alliteratio, fræna ferox. Nam veteres scriptores, Ennius imprimis, & Plautus duas, aut plures voces ab eodem elemento incipientes continuare oppidò delectabantur. At Virgilius nunquam ferè absque ratione posuit. Vt ergo equi ferocitatem magis exprimeret, duriusculis verbis vsus est, ab f. incipientibus, *fræna, ferox*. Id quod magis etiam expressisse videtur dactylorum compositione, quorum celeritate, equi celeritatem, viuidamq; naturam designare voluit. Nascim.

Fræna dicta, inquit Isidor. lib. 20. quod equos fremere cogant: vel hæc equi frendant, id est, inprimant dentibus, & obmordeant. Vnde & nefrendes dicti, adhuc lactantes porculi, quod nondum aliquid frendant, & comminuant dentibus.

At Ascanij equum acrem vocat, non ferocem ex farragine, & hordeo, vt hic Elisæ: qui tametsi fræna mãdit, & spumas edit, tamen eodem in vestigio stat. Descriptio autem illa ex arte, & rei cognitione,

——quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis, frontemq́; ostentans arduus albam.

Intellige enim frontem stella candida spectabilem, non autem totam albam, deteriores enim sunt. Maiore affectu quàm cum designauit equum Mezentij.

——hoc decus illi
Hoc solamen erat: hoc bellis victor abibat
Omnibus,

vt & felicem faceret equum, non solùm fortem. Quin etiam fidelem agnouit, cum mœrentem dixit. Sic etiam Pallantis equum flentem. Turni verò equi describuntur non sine hyperbole,

Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia,
Qui candore niues anteirent, cursibus auras.

At Æneæ

At Æneæ qui attribuuntur, etiam suprà omnium naturam.

——geminosq́; iugales
Semine ab atherio spirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos dadala Circe
Supposita de matre nothos furata creauit.

Scalig. Poët. lib.3.cap.3. * *Ferocem vocat equum hunc: de qua voce consule Nonium. Cum hoc autem caballo Didonis sumptuosissimè ornato confer illos Latini regis lib.7. quos è trecentis, nitidis, & in præsepibus altis stantibus centum delegit, & oratoribus Troianis centum, donauit ad reditum*

Instratos ostro alipedes, pictisq; tapetis:
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Nec tantum sonipedes, sed etiam alipedes, & cornipedes à poetis dicuntur equi: quorum nominum ratio manifesta est. Eximij sanè versus de hoc Didonis equo, instrato purpura, & dominam exspectante voluit imitari Silius, sed succubuit. Sic enim lib.5. de equo Flaminij Cos.

Stat sonipes, vexatq; ferox humentia fræna,
Caucasiam instratus virgato corpore tigrim.

PROGREDITVR MAGNA STIP. CAT.) Sic lib.1.

Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Incedit magna iuuenum stipante caterua.

De custodia corporis, etiam præcepit Nicocli regi Isocrates in parænesi illa βασιλικῇ, ad hunc modum. Corporis custodiam tutissimam esse puta, tum in virtute amicorum, tum in beneuolentia ciuium, tum in tua prudentia esse collocatam. Hæc enim sunt, per quæ imperium facillimè & paratur, & cõseruetur. Plin. Panegyr. Fidelissima custos Principis, ipsius innocentia. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentũ, munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit: armis enim arma irritantur. Adde Herodianum, Beneuolentia subditorum, inquit, facit tutum imperium, non metus.

SIDONIAM PICTO CHLAMYDEM) Non temerè doctissimus poeta, cum Didonem proficiscentem in venationem describit, ornatam rebus omnibus, quas tempus illud postulabat, chlamydem etiam gerentem fingit: erat enim chlamys tegmen quoque venatoris. Nam qui peregrinabantur, longumque iter aliquod suscipiebant, vti ea consuesse, vt ad iniurias cæli depellendas apta, certum est. Illud autem testatur Pollux in Onomastico, vbi quæ adiuuent id studium, exponit, copioseque de vtensilibus venatoris agit. Addit verò ipse etiam, vsui chlamydem esse posse, sinistra manu implicatam, cum feræ in eum insiliunt, aut ipse venator pugnam cum illis capessit. Victor. lib.2.cap.22.

CVI PHAR. EX AVRO, CRIN. N. IN AVR. AVREA) Quis non videat poetam ornare voluisse hunc locum, quo studium Didonis in se ornanda, vt amatori suo placeret, exprimere studuit, repetita sæpe voce, quæ rem significat ornamenti plenam, & qua mortales vti consueuerunt, cum aliquid illustrare volunt, & plurimum ipsi splendoris afferre? Nec id vno hoc tantum loco, sed alijs pluribus fecit, vt cum de ornatu equorum Latini regis, quos oratoribus Æneæ dono dedit, in 7. ita loquitur.

Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Et in 11. cum de Chloreo Cybeles sacerdote ita cecinit.

Aureus ex humero sonat arcus, & aurea vati
Cassida, tum croceam chlamydemq́; sinusq́; crepantes
Carbaseos fuluo in nodum collegerat auro.

Et paulò etiam supra eandem materiam appellauit. Sumpsit autem Latinus poeta à Græco eiusdem generis omniũ optimo decus hoc, lumenq; orationis. Victor. lib.33. cap.12. * *Adscribamus Tertulliani locum sanè grauem, & illustrem, de cultu ornatuq; mulierum, quoniam occasionem dat nobis Victorius. Tertullianus igitur lib. cui index, De habitu muliebri. Habitus feminæ duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem conuenit dici. Ille in auro, argento, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis.*

Nec non & Phrygij comites, & lætus Iulus
Incedunt. ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Æneas, atq; agmina iungit.
Qualis, vbi hybernam Lyciam, Xantiq; fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo,
Instauratq; choros. mistiq; altaria circum
Cretesq;, Dryopesq; fremunt, pictiq; Agathyrsi:
Ipse iugis Cynthi graditur, molliq; fluentem
Fronde premit crinem fingens, atq; implicat auro:
Tela sonant humeris. haud illo segnior ibat
Æneas: tantum egregio decus enitet ore.

ET LÆTVS IVLVS INCEDIT) Puerilis ætas gaudet lusibus, etiam laboriosis. Et simul generosa indoles pueri notatur, non secus atque Cyri pueri apud Xenophontem, in venationem vnà exire gestientis.

QVALIS, VBI HYBERNAM LYCIAM) Quintil. lib. 8. cap. 3. agens de similitudine, monet in ea præcipuè custodiendum, ne id quod similitudinis gratia asciuimus, aut obscurum sit, aut ignotum. Debet enim, quod illustrandæ alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminat. Quare sane poetis permittamus huiusmodi exempla, *Qualis, vbi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta*, &c. Non idem decebit oratorem, vt occultis aperta demonstret.

Non de nihilo istuc dixit Maro. Nam vt scribit interpres Pindari in Pythia, adulta Diana Dicten in Creta occupauit, Apollo Lyciam: Delon, in qua nati erant, matri Latonæ concesserunt. Turneb. lib. 19. cap. 29.

Antiquitus, inquit Strabo lib. 10. iam inde à Saturni temporibus in magno fuit hæc insula honore. Fabulæ enim perhibent, ibi Latonam partus doloribus solutam in lucem edidisse Apollinem & Dianam, &c. Sumpta autem, vt notauit idem Turneb. lib. 3. cap. 2. comparatio ex Apollonij lib. 1.

Οἷος δ' ἐκ νηοῖο θυώδεος εἶσιν Ἀπόλλων
Δῆλον ἀν' ἠγαθέην, ἠὲ Κλάρον, ἢ ὅγε Πυθὼ,
Ἢ Λυκίην εὐρεῖαν ἐπὶ Ξάνθοιο ῥοῇσι.

DELVM

Delvm mat. invisit) Opinio erat, Apóllinem peregrinari, & sedem cõmutare, ac Delum migrare, illincq; demigrare aliò, vt in Lyciam. Proinde ἀποδημία, & ἐπιδημία Ἀπόλλωνος dicebatur. Procopius. ἐπεὶ γὰρ ὅλως οἱ Δηλιοὶ αὐτὸν ἀπεῖναι τὸν Ἀπόλλωνα ἔλεγον, οἱ δὲ παρόντος ἐκείνου ἑορτὴν ἄγουσι, τὴν ἐπιδημίαν Ἀπόλλωνος. Eius à Delo profectionem describit Æschylus in Eumenidibus. λιπὼν δὲ λίμνην, Δηλίαν τε χοιράδα. Turneb. lib. 24. c. 26.

Instavratqve choros) In Delo sacrum nullum obibant, absq; saltatione, & Musica. Prodibant autem puerorum chori, tibiis ac cithara præcinentibus, è quibus selecti peritissimus quisque saltabant. Eorum item cantilenæ à saltationis vsu dicebantur ὑπορχήματα. Cæterùm vbi aram saltantes obibant, hunc morem seruabant, vt à sinistris dextrorsum pergerent prius, Zodiaci quadam imagine, cuius motus cælo diuersus apparet, ab occasu ad exortum: inde à dextris læuorsum, pro ratione cælestis vertiginis. Proditum est memoriæ, Theseum quoque in Delum insulam appulsum ex Creta, inibi saltationem iniuisse cum pueris, quæ Labyrinthi præferret errores, orbibus orbes impediens apud aram κερατῶνα, ex sinistris modò compactam cornibus. Rhodigin. lib. 5. cap. 3.

Cretesqve, dryopesq. fremvnt) Opinor, significat, quotannis solitos esse ad Apollinis aduentũ Cretenses Delum, iam inde ab vltima antiquitate dona mittere, etsi vilia. Mittebant autem, vt & Hyperborei, frugum primitias. Eam crediderim esse caussam, cur Tibullus scribat lib. 4. *etiam Phœbo gratissima dona*. Cultores autem Apollinis Cretas fuisse, ita ostendit interpres Arati. Ἕρμιππος δέ φησιν, ὅτι διὰ Ἀπόλλωνος τιμῇ ἡγήσαντο χρυσὸν εἰς Δελφούς. Dryopes autem fere propinqui Delphis sunt, vel Oethæi, vel Trachinij, vt & eos tum non sit verisimile, parum in Apollinem religiosos fuisse. Sed & Dryopes Parnassum Apollini sacrum, Delphosque tenuere, atq; incoluere, vt Grammatici Græci tradunt. Turneb. lib. 24. cap. 26.

Pictiq. agathyrsi) Cur Agathyrsi dicantur picti à Marone, explicabit Marcellinus lib. 13. Gelonis Agathyrsi collimitant, interstincti colore cæruleo corpora simul, & crines: & humiles quidem minutis, atq; raris, nobiles verò latis, fucatis, & densioribus notis. Et Mela lib. 2. cap. 1. Agathyrsi ora, artusq; pingunt, vt quiq; maioribus præstant, ita magis, vel minus. Cæterùm iisdem omnes notis, & sic, vt ablui nequeant. Ita quoq; his temporib9 Ægyptij: præsertim qui Alexandriam, Memphimq; incolunt, nouas nuptas pingunt. Quibus verbis liquidò perspicitur, Seruiũ meras nugas effutire, ac somnia comminisci. De Agathyrsis autem Maro scribit, quod alij de Hyperboreis narrant, qui primitias solebant Delum mittere, initiò per virgines suas, deinde per populos, subinde tradentes vlterioribus: quamquã & Agathyrsos ipsos Delum ad sacra Apollinis facienda venisse probabile est, & aliquo in scriptore Plato legerat. Turneb. lib. 24. cap. 26. & lib. 30. c. 39.

Ipse ivgis cynthi graditvr) Non videtur hoc in loco *graditur* simpliciter accipiendum, sed cum emphasi, quasi elato gradu. Tale est illud ex primo de Diana, *gradiensq́ deas supereminet omnes*.

Molliq. flv. f. prem. crin.) Ex 2. Apollonij. Verùm illud interest, quod illic, simplex capillorum Apollinis defluxio in vtramq; genam describitur: sic enim ille ait. χρύσεοι δὲ παρειάων ἑκάτερθε πλοχμοὶ βοτρυόεντες ἐπεῤῥώοντο κιόντι. Hic vero additur compositio, concinnitasq́; ex fronde, atque auro, vnguento etiam interposito: nam mollem crinem vnguentatũ intellige.

Tela sonant hvmeris) Hoc idem ex Apollonio est lib. 2. Et profectò locupletior est Apollonij descriptio, qui Apollinẽ in læua manu arcum tenentem, ex eiusq; humeris pharetram pendentem facit. Sic enim habent versus.

λαιῇ δ' ἀργύρεον νώμα βιὸν, ἀμφὶ δὲ νώτοις
γωρυτὸς τετάνυστο κατωμαδίην.

Hîc verò noster breuitati consulens, *tela sonant humeris*, ait, nullam arcus mentionem faciens. Sed facilè intelligitur, qui pharetram telis plenam gerit, cum quoque arcum gerere. *Sonant* autem ideo dixit, quia ipsum gradientem describit.

Havd illo segnior ibat æneas) Genus comparationis est, quod Græci εἰκόνα vocant. Cum singularem Æneæ pulchritudinem humana comparatione monstrare non posset, ad diuinam confugit: erat enim Æneas paulò humana augustiore, vt qui à Venere tam excellentem formę pulchritudinem accepisset. Cumq; in 1. Æneidos Didonem reginam Dianæ comparasset, nunc Apollini Æneam cõparandum esse censuit. Hanc verò comparationem non desunt, qui propterea non probent, in quibus est Fabius, quia quod similitudinis gratia adscitũ est, cum clarius eo ipso esse debeat, quod illustrandum sumitur, tamẽ obscurum, ignotumq; magis esse videatur. Hanc tamen veniã poetis dari permittunt, quam oratoribus concedi posse negant. Nascimb.

Tant. eg. decvs enit. ore) Epiphonema, quo Æneam Apolline haud inferiorẽ forma fuisse declarat. Et scimus præ alijs dijs Apollinem pulchrum, ac formosum haberi.

Postquam altos ventum in montes, atq; inuia lustra,
Ecce feræ saxi deiectæ vertice capræ
Decurrêre iugis: alia de parte, patentes
Transmittunt cursu campos, atq; agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant, montesq; relinquunt.
At puer Ascanius medijs in vallibus acri
Gaudet equo: iamq́; hos cursu, iam præterit illos:
Spumantemq́; dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Invia lvstra) lustra sunt ferarum habitacula Georg. 2. *Non absunt illic saltus, ac lustra ferarũ.* Æneid. 3. *Cum vitam in syluis, inter deserta ferarum Lustra domosq́ traho.* Lustra etiã significant lacunas lutosas, quæ sunt in syluis, aprorum cubilia, à qua similitudine ij, qui in locis abditis, & sordidis ventri, & desidiæ operam dant, dicuntur in lustris vitam agere. Lustra, inquam, sunt lupanaria. Vnde apud Plautum, studere lustris, iacere in lustro. Cic. 2. Philipp. vino, lustrisq; confectus. Nonius, & Festus.

FERÆ SAXI. D. VERT. CAPRÆ) Feræ capræ sunt, quas Plinius rupicapras, Germani *gemsen*. Eas quidam imperitè damas nominant. Damæ cornicula habent antrorsus inflexa, capræ syluestres retrorsus. Seu, vt Plinius loquitur, rupicapris cornua dedit natura in dorsum admota, damis in aduersum. Vide autem quomodo cum de duobus animantium generibus loquatur, vtriq; suum, & conuenientem locum attribuat. Capræ gaudent montibus (saxum hìc pro monte ταπινῶς) cerui camporum planitie, quamquam & in collibus pascunt: quos hic auxesi quadam montes vocat.

TRANSMITTVNT CVRSV CAMPOS) Lucret. lib. 2.

Et circumuolitant equites, mediosq; repente
Transmittunt valido quatientes impete campos.

Quem locum profert Macrob. lib. 6. Saturnal. docetq; ex eo hunc Virgilianum effictum, atque imitatum esse. Sic & Valer. Flaccus lib. 3. *iamq; ipse recenti Stat tumulo, placida transmittens agmina lauro.* ✱

AGMINA CERVI FVGA GLOMERANT) Fugitiuum hieroglyphicè notare qui vellent, currentem ceruum describebant. Est vero fugacitas ceruo natura insita. Hinc Lucret. *& fuga ceruis A patribus datur, & patrius pauor incitat artus?* Quàm verò pedum agilitatem auctores in Achille fuisse tradunt, vt ποδάρκης, καὶ πόδας ὠκὺς passim ab Homero vocitetur, sunt qui autument inde factum, quod eius infantia sub Chirone fuerit ceruorum medullis plurimum enutrita. Porrò illum esse assecutum ceruos absq; canibus, & retium insidijs, Pindarus Nemeis canit. Κτείνοντ' ἐλάφους ἄνευ κυνῶν, δολίων δ' ἑρκέων. Pierius lib. 7. * *Ad naturalem ceruorum fugacitatem, de qua Lucretius, pertinet festiuus Æsopi Apologus, cuius initium est, suam cuiq; naturam esse ducem, seu,* Naturæ sequitur semina quisq; suæ. *Quæsiuit aliquando hinnulus de ceruo, Mi pater, inquit, qui fit, vt cum tu sis multò maior canibus, & cornua geras ramosa, & acuta, quibus te facilè aduersum eos possis defendere, adeò tamen illos timeas, & fugias? Respondit ceruus, Est ita sanè, mi fili, vt tu dicis. Verumtamen nescio quomodo audito latratu canum statim ad fugam incitor.*

ACRI GAVDET EQVO) Illo equo citra dubitationem, quem à Didone muneri acceperat, electo videlicet, & regio, de quo legimus lib. 5.

Extremus, formaq; ante omnes pulcher Iulus
Sidonio est inuectus equo: quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum, & pignus amoris.

SPVMANT. D. AP. AVT FVL. LEON.) De Sallustio videtur translatum, qui Iugurtham scripsit adolescentem plurimi fecisse leonem, aliasq; feras se primũ, aut in primis in venatione ferire. Quod autẽ poeta noster adolescentulum quoq; venatum educit, insinuat credo morem antiquum, de quo ita Plinius in Panegyrico. Olim hæc experientia iuuentutis, hæc voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu: cum audacibus robore: cum callidis astu: nec mediocre pacis decus habebatur, submota campis irruptio ferarum, & obsidione quadam liberatus agrestium labor. * *Arbitror Virgilium hæc scribentem versasse animo venationem Cyri pueri, cuius miram alacritatem in feris insectandis, & animum ingentem in apro spumante iaculo conficiendo Xenophon Pædia lib. 1. depingit. Iam quomodo intelligendus Sallustius, qui procœmio Iugurthinæ historiæ venationem seruile vocat officium, consulendus Victor. lib. 6. cap. 1. Spumigerum suem vocat aprum Lucret. lib. 5.*

FVLVVM LEONEM) fuluus propriè leonum color est. Lucret. *corpora fulua leonum.* Virgil. lib. 2. *fuluiq; insternor pelle leonis.* Tibullus. *Armenias tigres, & fuluas ille leænas.* Seneca Oedipo. *Fuluam minaci fronte concutiens iubam.*

Interea magno misceri murmure cælum
Incipit: insequitur commista grandine nimbus.
Et Tyrij comites passim, & Troiana iuuentus,
Dardaniusq; nepos Veneris diuersa per agros
Tecta metu petiere. ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido, dux & Troianus eandem
Deueniunt: prima & tellus, & pronuba Iuno
Dant signum: fulsere ignes, & conscius æther
Connubij, summoq; vlularunt vertice Nymphæ.
ILLE DIES PRIMVS LETHI, PRIMVSQVE MALORVM
CAVSSA FVIT. neq; enim specie, famáue mouetur,
Nec iam furtiuum Dido meditatur amorem:
Coniugium vocat, HOC PRÆTEXIT NOMINE CVLPAM.

MAGNO MIS. MVR. CÆL.) *Infrà.* cæciq; in nubibus ignes Terrificant animos, & inania murmura miscent. *Tonitralia cæli templa appellat Lucret. lib. 1. Et lib. 6.* & altum Murmura percurrunt cælum.] Fiunt ea, quæ Iuno futura prædixerat, mouetur cælum, tonitrua concrepant, nimbi funduntur, grando exitium portat, & contra naturam rerum, de summis montium verticibus amnes præcipitantur plurimi. Deserta venandi voluptate, fugiunt omnes, & diuersa occupant tecta. Diuersa ideo, quod dispersæ rusticæ domus tantam multitudinem adunatam capere non poterant. Vel quod vnusquisq; vsus in tanta necessitate compendio, nõ pulchrum suffugium tecti, sed proximum quærebat. Donatus.

RVVNT DE MONT. AMNES) Quam largus imber fuerit, vel hinc cognosce, quòd aquæ instar amnium defluebant de montibus. hyperbole.

SPELVNCAM DIDO) Quemadmodũ hunc locum contra Criticos defendat, Virgiliumq; à calumnia liberet Nascimb. ex Aristotele, vide eius Comment.

ET TELL. ET PRONVB. IVNO DANT SIG.) Non temere est, quòd signorum, & prodigiorum in nuptijs mentionem facit. Nam superstitiosa illa priscorum natio, cum in alijs, tum in coniugijs vel maximè omina obseruabat: vnde illud, *primiq; iugarat Ominibus.* Et nuptijs auspices adhibebantur. Papinius quoq; describens infaustas filiarum Adrasti nuptias, commemoratis prodigijs, addit, *cunctos tamen omina rerum Dicta mouent, varijsq; metum sermonibus augent.* Turneb. lib. 3. cap. 14. Consule item Alex. Neapolit. lib. 2. cap. 5.

Signum

Signum, inquit Nannius lib. 7. cap. 14., pro iudicio, & nota, aut, vt Græci, pro ostento posuit. Intelligimus autem hic per signum, quod terra edidit, terræmotum, vt per Iunonis signū terrestre tonitru, χθονίας id βροντὰς appellant. Auditum (inquit Trebellius Pollio) tonitruum terra mugiente, non Ioue tonante, quo motu multæ fabricæ sunt deuoratæ, multi terrore mortui. Iunoné capi pro terra, vel vnicus Virgilij versus arguerit.

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium læta descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus.

Ætherem hîc pro aere, Iunonem pro terra posuit, astipulante etiam Seruio. Cæterùm in terrestri tonitru, vt in cælesti fulmine, esse auspicium nuptiarum, nondum apud cæteros auctores deprehendere potui. Quod autem est in hominibus nutus, id in Ioue, & Iunone est tonitru. Vnde est illud, *Annuit, & totum nutu tremefecit olympum.* In fulmine autem omen esse nuptiarum, multis testimonijs probari potest. Claud. lib. 2. de raptu Proserp.

—— *ni Iupiter æthere summo*
Pacificas rubri torsisset luminis alas,
Confessus generum nimbus Hymenæon hiulcis.
Intonat, & testes firmant connubia flammæ.

Hic autem & Iupiter, & Iuno non approbant nuptias: sed eas contractas esse, & celebrari, suis ostentis demōstrant. Id quoque ad ritus nuptiales pertinet, *summoq́; vlularunt vertice Nymphæ.* Moris enim fuit, vt puellæ ante thalamos, vbi noui nupti inerant, vesperi vsque ad mediam noctem concinerent, quæ carmina κοιμητικὰ, hoc est, somni conciliatoria vocabantur. Rursus alia ab ijsdem canebantur carmina matutina, quæ διεγερτικὰ, hoc est excitatoria nūcupabantur. Huius generis egregium exemplum habes apud Theocritum, in Idyllio, cui nomen, Helenes epithalamium. Nymphæ, siue illæ Oreades sunt, siue Naiades, siue Napeæ, hoc genus officij impleuerunt. Cæterùm vt suprà se ἀδιακρίτως tenuit in ostentis nuptialibus, quæ nec approbationem, nec improbationem clarè præ se ferebant: ita hic quoque dubium verbum elegit: *vlulare* enim & lætitiæ, & luctus capax vocabulum est. Vnde Lucanus, *& lætis vlulare triumphis.* Quamobrem Virgilius in incerto reliquit, lugubriter, an festiuiter cecinerint, naturā prodigiorum secutus, in vtramque partem dubia significatione replicatilem. Operosior hîc fui, quia mihi Seruiana non satis enucleata videntur. Ille enim omne fulmen ait aduersari nuptijs, quum Claudiana carmina longè aliud doceant.

VLVLARVNT NYMPHÆ) Vt in ijs nuptijs, quas mors secutura esset: nihil enim aliud, quam mortem vlulatus ille portendebat, quod egregiè poeta ipse de-

clarat, cum subdit, *Ille dies primus lethi,* &c. Nascimb.

ILLE DIES PRIM. LETHI. P. MAL. CAVSSA) Hinc mihi prima mali labes, *inquit lib. 2. Sinon. Ipsa apud Ouid. in epistola.*

Illa dies nocuit, qua nos decliue sub antrum
Cæruleus subitis compulit imber aquis.
Audieram voces, nymphas vlulasse putaui,
Eumenides fatis signa dedere meis.]

Qui collegerunt, inquit Muretus lib. 13. cap. 16. indicaruntq́; locos Virgilij ex alijs scriptoribus expressos, ad hunc versum alij alia notarunt. Ego autē existimo, Virgilium habuisse tunc in animo dictum Melesippi Spartiatæ, qui principio belli Peloponnesiaci, cum ad pertentandos animos Atheniensium missus esset, cumque illi inauditum statim ad suos redire iussissent, ex Atticæ finibus excedens dixisse fertur, illum diem Græcis magnorum malorū principium fore. Qua de re ita Thucydides lib. 2. ὁ δὲ ἐπειδὴ ἐπὶ τοῖς ὁρίοις ἐγένετο, καὶ ἔμελλε διαλύεσθαι, τοσόνδε εἰπὼν ἐπορεύετο, ὅτι ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει. Fuit autem Virgilius grauissimi illius rerum scriptoris studiosissimus, vt multis, certisq́; argumentis peruinci facilè potest.

NEQVE ENIM SPECIE FAM. MOVETVR) Quod nec specie, nec fama motam ait, hunc habet intellectū. Species rerum præsentium est, quod quasi aspicitur: fama autem rerum absentium. Hoc ergo dicit, nō eam mouet nec præsens deformitas, quod non in thalamo, sed in specu concubuerat: nec futura mox fama, & sermones vulgi. Seruius.

Validum auocamentum à peccatis fama: qui ergo ea non mouetur, nec curat quid de se quisq; sentiat, aut dicat, impudentissimus sit oportet. Est hominis ingenui, ait Cic. 3. de finibus, velle bene audire à parentib9, à propinquis, à bonis etiam viris: & futuræ post mortem famæ, etiam detracto vsu cōsulendum est. Famam sinistram cauere nos hortatur Hesiodus. Facile eam leuari, onerosè portari, difficile deponi: nec conticescere, quæ semel per populos diuulgata sit. Versus sunt hi:

—— δεινὴν δὲ βροτῶν ὑπαλεύεο φήμην·
Φήμη γάρ τε κακὴ πέλεται, κούφη μὲν ἀεῖραι,
Ῥεῖα μάλ᾽ ἀργαλέη δὲ φέρειν, χαλεπὴ δ᾽ ἀποθέσθαι.
Φήμη δ᾽ οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα πολλοὶ
Λαοὶ φημίζουσι.

CONIVGIVM VOCAT: HOC. P. N. CVLP.) Medea apud Nasonem Metamorph. 7. *Coniugiumne putas, speciosaq́; nomina culpæ Imponis Medea tuæ?* Nomine honestissimo coniugij seu matrimonij non solum quidam libidines suas excusant: sed etiam sacrilegi quidam sua sacrilegia, dum virgines deo dicatas nuptijs infandis polluunt. Certè Iouinianus Imperator capitis supplicio sanxit, ne quis virginem sacram vel ad coniugium auderet sollicitare.

Extemplò Libyæ magnas it fama per vrbes:
FAMA, MALVM, QVO NON ALIVD VELOCIVS VLLVM:
Mobilitate viget, viresq́; acquirit eundo.
Parua metu primo, mox sese attollit in auras:
Ingrediturq́; solo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens ira irritata deorum
Extremam (vt perhibent) Cœo, Enceladoq́; sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis:
Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.

Nocte volat cæli medio, terræq́; per vmbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat vrbes:
Tam ficti, prauiq́; tenax, quam nuntia veri.

EXTEMP. LIBYÆ MAG. IT FAM. PER VRB.) A vt rectè facta, sic & peccata Principū longè citius, atq; etiam longè latius diuulgantur. Habet enim hoc primùm magna fortuna, inquit in Panegyr. Plinius, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: Principum verò non modo domos, sed cubicula ipsa, intimosq; secessus recludit, omniaq; arcana noscenda famæ proponit, atque explicat. Quin, vt traditum est à Plutarcho, lib. In principe requiri doctrinam: minima etiam nobilium, & illustriū delicta calumniantur homines. Catoni vinum obijciebatur: Scipioni somnus: Lucullus ob cœnas sumptuosiores male audiebat. Quò spectat Iuuenalis illud.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Esse solet, quanto maior qui peccat habetur.

Et confirmatur eleganti similitudine à Plutarcho alicubi posita. In facie inquit, plus offendit næuus, aut verruca: sic exigua delicta magna videntur in Principe, cuius vita in conspicuo. Nec inconsultò positum credas, *per magnas vrbes.* Nam cum ferè otiosorum hominum sit captare rumusculos, & rebus nouis aures dedere, in amplis ciuitatibus plurimi reperiuntur otiosi, & eò magis importantur narrationes huiuscemodi. Athenienses hoc morbo laborasse indicat in Olynthiacis Demosthenes, & D. Lucas in Actis Apostolicis, eos ad nihil aliud vacasse ait, quam ad res nouas audiendas. Paruæ vrbes negotijs, & rei familiari intentæ, aures famigeratoribus occlusas habent. Quid multa? Nihil est pigrius delicatis, aut curiosius otiosis, ait Plin. in ep.

FAMA, MALVM QVO NON) Describit & Valerius Flaccus famam lib. 2. ad hunc modum.

Quā pater omnipotens digna atq; indigna canentem,
Spargentemq́, metus placidis regionibus arcet
Ætheris: illa fremens habitat sub nubibus imis,
Non erebi, non diua poli, terrasq́; fatigat,
Qua datur. audentem primi spernuntq́; fugantq́;:
Mox omnes agit, & motis quatit oppida linguis.

At multò sanè copiosiùs, multoq; disertius, & elegantiùs, & lepidius Naso Metamorph. lib. 12. quamquam ille domum potius famæ, quàm ipsam famam describit. Veruntamen ita istuc præstat, vt præclarè quæ sit natura, quod ingenium famæ, intelligatur. Carmina sequuntur.

Orbe locus medio est inter terrasq́;, fretumq́;,
Cælestesq; plagas triplici confinia mundi,
Vnde quod est vsquam, quamuis regionibus absit,
Inspicitur, penetratq́; cauas vox omnis ad aures:
Fama tenet, summaq́; domum sibi legit in arce.
Innumerosq́; aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis inclusit limina portis.
Nocte, dieq́; patet, tota est ex ære sonanti,
Tota fremit, vocesq́; refert, iteratq́; quod audit.
Nulla quies intus, nullaq́; silentia parte.
Nec tamen est clamor: sed paruæ murmura vocis,
Qualia de pelagi (si quis procul audiat) vndis
Esse solent, qualemue sonum, cùm Iupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet, veniunt leue vulgus, euntq́;,
Mistaq́; cum veris passim commenta vagantur.
Millia rumorum, confusaq́; verba volutant.
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio, mensuraq́; ficti
Crescit, & auditis aliquid nouus adijcit auctor.
Illic credulitas, illic temerarius error,
Vanaq́; lætitia est, consternatiq́; timores,
Seditioq́; recens, dubioq́; auctore susurri,
Ipsa, quid in cælo rerum, pelagoq́; geratur,
Et tellure, videt, totumq́; inquirit in orbem.

De famę item natura, proprietateq; grauiter, eruditeq; Tertullianus in Apologetico, occasione sumpta ex hoc loco Virgilij, quem profert, cap. 8. Sic autem habet. *Natura famæ omnibus nota est. Vestrum est, Fama malum,* B *quo non aliud velocius vllum. Cur malum fama? quia velox, quia plurimùm mendax: quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, retrahens, adijciens, demutans de veritate. Quid quod ea illi conditio est, vt non, nisi cum mentitur, perseueret? & tam diu viuit, quam diu non probat. Siquidem vbi probauit, cessat esse, & quasi officio nuntiandi functa, rem tradit: & exinde res tenetur, res nominatur. Nec quisquam dicit (verbigratia) fama est, hoc Romæ factum, aut, fama est, illum prouinciam sortitum: sed sortitus est ille prouinciam: &, hoc factum est Romæ. Fama incerti est: locum non habet, vbi certum est. An verò famæ credat, nisi inconsideratus? quia sapiens non credit incerto. Omnium est æstimare,* C *quantacunq́, illa ambitione diffusa sit, quantacunq; asseueratione constructa. Quòd ab vno aliquando principe exorta sit, necesse est, exinde in traduces linguarum, & aurium serpat. Et ita modici seminis vitium exorta rumoris obscurant, vt nemo recogitet, ne primum illud os mendacium seminauerit: quod sæpe fit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non noua, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate. Bene autem, quod omnia tempus reuelat, testibus etiam vestris prouerbijs atq; sententijs, ex dispositione naturæ, quæ ita ordinauit, vt nihil diu lateat, etiam quod fama non distulit.*

NON ALIVD VELOCIVS VLLVM) Iustin. lib. 2. Ibi ante cōgressionem, cum classes (Græcorum & Persarum) ex aduerso starent, fama ad vtrumq; exercitum D venit, vicisse Gręcos, & Mardonij copias occidione occidisse. Tantam famæ fuisse velocitatem, vt cum matutino tempore prælium in Bœotia commissum sit, meridianis horis in Asiam per tot maria, & tantum spatij, tam breui horarum momento de victoria nuntiatum sit.

PARVA METV PRIMO, MOX SESE) Ab Homero mutuò sumpsit, qui eadem de Contentione lib. 4. Iliad. scripsit.

Ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.
Quæ primùm attollit se parua: sed inde per arces
Firmauit caput ætherias, tellureq́; vadit.

[*Et secundum versum (Ingrediturq́; solo) à Callimacho quoque, qui sic hymno ad Cererem.* ἴχνια μὲν χέρσῳ, κεφαλὰ δ' οἱ ἅπτετ' ὀλύμπῳ.] Reprehendit hunc locum Macrob. lib. 5. c. 14. quem defendit Iouian. in dial. Antonio. Vtriusque disputationem cognoscere fuerit operæpretium. Macrob. igitur sic: Homerus ἔριν, hoc est, contentionem à paruo

pacto dixit incipere, & postea in incrementum cælum A vsq; subcrescere. Hoc idem Maro de fama dixit, sed incongruè. Neq; enim æqua sunt argumenta contentionis & famæ. Quia contentio etsi vsque ad mutuas vastationes, & bella processerit, adhuc contentio est, & manet ipsa quæ creuit: fama verò cum in immensum prodit, fama esse iam desinit, & fit notio rei cognitæ. Quis enim iam famam vocet, cum res aliqua à terra in cælum nota sit? Deinde nec ipse hyperbolen potuit æquare. Ille, cælum dixit: hic, auras & nubila. Hæc autẽ ratio fuit non æquandi omnia, quæ ab auctore transcripsit, quod in omni operis sui parte alicuius Homerici loci imitationem volebat inserere: nec tamen humanis viribus vbiq; illam diuinitatem potuit æquare.

Iouianus contrà. Nesciebas, puto, Grammatice, versus facere: qui non videris tribus tantùm syllabis potuisse hyperbolen æquare, &, *caput inter sidera condit*, dicere. O crassum, & supinũ ingenium. Atqui noluit Virgilius *intra sidera* dicere. Nam cum intelligeret famam plura sæpe, quæ certa non essent, diuulgare, ac fera falsis miscere, & facta atq; infecta nuntiare, caput eius cõdit intra nubila, cum cæterum corpus videri dicat. Itaq; & magnitudinem eius ostendit, cum attollit eam in auras, & versari inter homines docet, cum ingredi eam solo facit, & quod multa secum ferret, quæ non statim cernerentur, veráne an falsa essent, inter nubila caput abscondit. Etenim cum oculis nostris offusa nubes est, C veras cernere rerum species nequimus. Vnde ipse alibi nubẽ, quæ mortales hebetaret sensus, caligaretq; oculos circùm, eripit. Agnoscitis singularem Maronis prudentiam, Grammaticis non modò non perspectam, sed nec nisi maximis quidem poetis perspectabilem. Non sunt, inquit, æqua famæ contentionisq; argumenta. Detur ignorantiæ hominis, non esse paria. Sed tu mihi videris, bone Macrobi, fama quid sit, non intelligere, qui dicas, eam postquam in immensum prodijt, famam esse desinere, ac rei cognitæ notionem esse. Quod si sit, passim Liuium, Sallustium, Ciceronem, & rerum scriptores alios errare inuenjemus, nec permissum nobis erit dicere, fama prælij ad Cannas facti adhuc manet. D Nec, rerum à Pop. Rom. gestarum fama perpetua erit. Nec, Atheniensium res gestæ minores aliquanto fuere, quam fama feruntur. Nec, famæ consulendũ est. Atqui scriptores famæ potissimùm student. Et Cæsar, Alexanderq; plura famæ gratia fecisse videntur: nec temere Alexander dicebat: fama, bella constare. Aliud est igitur fama, quam quod tu Grammatice putas: nec fama esse desinit, cum in immensum creuit, efficiturq; rei cognitæ notio, vt tu ipse garris. Nam & Ciceronem consulem fuisse planè scimus: tamen famam consulatus dicimus magnam adhuc esse, & Annibalem in Africa superatum fuisse à Scipione notissimum est: tamen famam victoriæ eius extare dicimus. Cæsarem maximas res gessisse, etiam mulierculis notum est. Num propterea E minus dicimus, rerum à Pompeio, quam à Cæsare gestarũ famam minorem esse? aut Alexandri famam nulla posse vetustate obliterari, licèt eius facta sint cognitissima? Et quod ab occasu solis ad ortum vsque Herculis labores cogniti sunt, famam propterea Herculis laborum dicere non licebit? Desine igitur oblatrare catelle, & fama quid sit, quot etiam dicatur modis, disce: nam & vetustissimarum rerum celebritas fama dicitur, vt quæ nunc à Turcarum geruntur rege, fama per orbem terrarum feruntur: & qui nunc scribendis annalibus dant operam, famæ suæ, illorumq; de quibus scribunt, consulunt: & fama est, gentes quasdam vagantes, atq; incertis sedibus vitam agere: & nescio cur pecuniæ magis quam famæ seruiendum sit: ac si quibus alijs modis fama inter loquendum, scribendumq; vsu venit.

Quæ nugantur Grãmatici de Eride Homerica, & fama Virgiliana, valde ridicula sunt, inquit Scalig. Poet. lib. 5. c. 5. Clamant, quod Maro de fama dixit, eam inter nubila caput condere: quum tamẽ Homerus, vnde ipse accepit, in cęlo caput Eridis constituat. Iam tibi pro me respondeo. Non sum imitatus. Nolo imitari. Nõ placet. Non est verum, contentionem ponere caput in cælo. Ridiculum est, fatuum est, Homericũ est, Gręculum est, Virgilianum non est, Romanum non est. Præterea latet eos vis iudicij Maroniani. Abscondit enim famæ caput nubibus propterea, quod famæ caput, id est, auctor B rumorum ferè incertus est. Et dixit *nubila*, non, cælum: quia ad nubes vsq; peruenire à terra clamor potest.

ILLAM. T. P. IRA IRRIT. DEORVM) De Cæo, & reliquis gigantibus è terra procreatis, qui cælum oppugnare sunt ausi, est Georg. 3.

—— tum partu terra nefando
Cœumq́, Iapetumq́, creat, sæuumq́, Typhœa,
Et coniuratos cælum rescindere fratres.

Deturpat igitur eam à genere, cum gigantum sororem esse dicit. Et in eo ipso, quod extremam ait editam, vituperatio est. Qui enim multorum extremus nascitur, is, vt Physici dicunt, futilis est, atque omnium pessimus. Illud, *ira irritata deorum*, Seruius vult esse ἀμφίβολον. Vel sua ipsius ira propter extinctos gigantes, de quo in 1. Metamorph. Ouid. vel ira, quæ extinxerat gigantes, cælum videlicet affectantes. Dicitur autem terra parens generatim, quia mater est rerum omnium. Columell. lib. 1. præfat. Neq; prudentis est credere, tellurem, quæ diuinam, & æternam iuuentam sortita, communis omnium parens dicta sit, quia cuncta peperit semper, & deinceps paritura sit, velut hominem consenuisse. Hinc illa interpretatio somnij, quo perturbatur Iulius Cæsar, vt refert Sueton. cap. 7. In vrbe etiam confusum eum somnio proximæ noctis (nam visus erat per quietem matri stuprum intulisse) coniectores ad amplissimam spem incitauerunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes, quando mater, quam subiectam sibi vidisset, non alia esset, quàm terra, quæ omnium parens haberetur. Quam meritò item Terra mater dicatur, indicat his versibus Lucretius lib. 2.

Omnibus ille idem pater est, vnde alma liquentes
Humorum guttas mater cum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustaq́, læta,
Et genus humanum: parit omnia sæcla ferarum,
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt:
Et dulcem ducunt vitam, prolemq́, propagant.
Quapropter meritò maternum nomen adepta est.

Et copiosius lib. 5.

Linquitur, vt meritò maternum nomen adepta
Terra sit, è terra quoniam sunt cuncta creata. &c.

MONSTRVM HORRENDVM, INGENS) Character, est dictio similis eius rei, cuius nota est, substantia, quantitate, qualitate. Est in Fama substantia sua, *monstrum*. Est quantitas, *ingens*. Est qualitas, *horrendum*. Rei dictio similis. Namq; in voce hac, *monstrum*, asperitas est. In hac, *ingens*, magnitudo. In hac, *horrendum*, sanè horror. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 1.

CVI QVOT SVNT, C. PLVMÆ) Famæ quot sunt in corpore plumæ: tot vigiles oculi sunt subter plumas, singuli sub singulis. Modicius.

TOT SVBRIG. AVRES) Subrigere, siue surrigere est extollere, arrigere, & erigere. Glossæ veteres, subrigit, ὑπορθοῖ, ὑποσκελίζ, subrigo, ἀναβιβάζω, ἀνορθῶ. Significat idem Virgilius, quod Terentius, *arrige aures Pamphile*.

TAM FICTI. P. TEN. Q. NVNT. VERI) Ouid. 9. Metamorph.

——— cum fama loquax peruenit ad aures
Deïanira tuas, quæ veris addere falsa
Gaudet: & è minimo sua per mendacia crescit.

Hactenus de natura famæ. *Famigeratores* appellantur rumigeruli, quasi famæ, rumorumque gestores, qui libenter apportant aliquid noui, quos hodie Germani A nouellantes nominant, & pretio à viris summatibus conducuntur. Plaut. Trinum.

Ego de eorum verbis famigeratorum insciens,
Prosilui amicum castigatum innoxium.
Quod si exquiratur vsq; a stirpe auctoritas
Vnde quidquid auditum dicant, nisi id appareat,
Famigerator iure fiat cum damno & malo. ✠

Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens: ET PARITER FACTA, ATQVE INFECTA CANEBAT:
Venisse Æneam Troiano à sanguine cretum:
Cui se pulchra viro dignetur iungere Dido.
Nunc hyemem inter se luxu, quam longa, fouere,
Regnorum immemores, turpiq; cupidine captos.
Hæc passim dea fœda virûm diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarbam,
Incenditq; animum dictis, atq; aggerat iras,
Hic Ammone satus, rapta Garamantide nympha,
Templa Ioui centum latis immania regnis,
Centum aras posuit, vigilemq; sacrauerat ignem.
Excubias diuûm æternas: pecudumq; cruore
Pingue solum, & varijs florentia limina sertis.
Isq; amens animi, & rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina diuûm,
Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.

MVLTIP. POP. SER. REPLEB.) Quia non idem semper eadem de re nuntiari referrique: sed quod exiguum est, sæpenumero augeri, maiusq; fieri solet, ideo dictum, *multiplici populos sermone replebat*. Quamobrem & hoc sensu illud accipi potest, quod paulò ante dictum est, *& vires acquirit eundo*.

GAVDENS) Lætitia fingitur in fama, quia homines rebus nouis maximè delectantur, & miram ex ijs, iucunditatem capiunt.

PARITER FACTA, A. INFECTA CAN.) Qui læta nuntiant, ideo affingunt quædam, vt ea ipsa faciant lætiora. Sed cur tristibus affinguntur tristia? nisi quia delectat famam mentiri, & abuti credulitate hominum: *von hören sagen leugt man gern.* ✠

PVLCHRA DIDO) Emphasin habet, quæ propter eximiam pulchritudinem cuiuis magno Africæ Principi vxor fuisset gratissima.

QVAM LONGA) Sic lib. 8. *Tibrim fluuium, quam longa est, nocte tumentem.* Hyemem totam ait eos luxu, voluptatibusque consumere: & periphrasi obscœnitatem euitauit: nam in alijs delicijs illorum, etiam τὰ ἀφροδίσια intelligenda sunt. Propterea sequitur, *turpiq; cupidine captos.*

REGNORVM IMMEMORES) istam, sui Carthaginensis: vnde infra, *pendent opera interrupta*: illum, Italiæ, quò tendebat.

HIC AMMONE SATVS) Iupiter Ammon in Africa, pater fuit Iarbæ. Paululum digreditur, vt regis huius genus, religionemq; describat.

TEMPLA IOVI CENTVM) Numerum templorum, vt reor, amplificauit. Obiter autem significauit, Iarbam conditorē templi Iouis Ammonis fuisse, quod apud Garamantas oraculo nobile erat. Turneb. lib. 24. B cap. 26. Idem lib. 26. cap. 5. *centum*, vt apud Homerum, multa significat.

VIGILEMQVE SACRAVER. IGNEM) Vt in Prytaneis Græciæ peruigil erat, æternusque ignis: sic & in templo Iouis Ammonis, vel Plutarcho teste, lib. De defectu oracul. sic enim scribit. πρώην δὲ γεγονὼς παρ' Ἄμμωνα, τὰ μὲν ἄλλα τῶν ἐκεῖ δῆλος ἦν μὴ πάνυ τεθαυμακώς, περὶ δὲ τοῦ λύχνου τοῦ ἀσβέστου διηγεῖτο λόγον ἄξιον σπουδῆς. Non est igitur illud à poeta ex illo poeticorum figmentorum, & mendaciorum licentia, & impunitate excogitatum, sed ex fide historiæ commemoratum. Turneb. lib. 2. cap. 14. * *Præter ignem illum Vestalium, quem inextinctum seruare debebant, nisi à Pontifice verberibus vellent multari, inuenimus & alios perpetuos, ac peruigiles ignes, vt in Poliadis Mineruæ templo in Attica, apud Delphos, apud Persas, & alibi. Adi Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 12.* C

ISQVE AMENS ANIMI) Mens animi dicunt boni auctores, Catullus, Plautus, Lucretius. Sic ingenium animi dixit poeta quidem vetus apud Cornificium lib. 2. Sin inuerecundum animi ingenium possidet. Ex Muret. in Catull. * *Ergo amens animi dicitur (quod Muretus videtur velle) qui nullam mentem animi habet, vt Plautus loquitur, qui vix apud se est, præ affectu aliquo ingenti.*

MANIB. SVPPLEX ORASSE SVPIN.) sic lib. 3. Æneid. *tendoq; supinas Ad cælum cum voce manus.* Hor. Ode 23. lib. 3.

Cælo supinas si tuleris manus
Nascente luna rustica Phidile.

D Adde ex Ouid. 8. Metam. à Germano citatum.

Attoniti nouitate pauent, manibusq; supinis
Concipiunt Baucisq; preces, timidusq; Philemon.

Immò adde ex lib. 1. Formular. Brissonij, vbi prolatis in medium locis plurimis, veteres sublatis, & passis ad cælum manibus preces concepisse docet pag. 39. & 40. lib. 3.

Lib. 3. Æneid. *At pater Anchises passis de littore palmis Numina magna vocat.* Passis palmis, Nonius apud Ennium Annal. 10. exponit, patentibus, & extensis. Poetas mitto libens. Liuius lib. 1. de Camillo. Dicitur manus ad cælum tollens ita precatus esse. Idem lib. 36. Nixæ genibus, supinas manus ad cælum, ac deos tendentes, orantesque. Vide cætera.

Iupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem,
Aspicis hæc? an te, genitor, cum fulmina torques
Nequicquam horremus? cæciq; in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miscent?
Fæmina quæ nostris errans in finibus, vrbem
Exiguam pretio posuit, cui littus arandum,
Cuiq; loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.
Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu,
Mæonia mentum mitra, crinemq; madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamq; fouemus inanem.

IVPIT. OMNIP. CVI NVNC MAVR.) Expostulatoria oratio. Expostulat autem cum Ioue patre suo, de iniuris à Didone sibi illata, à qua receptus aduena, ipse exclusus. Indignitatem rei exaggerat à circumstantijs, vtpote cui ipse cum gente sua latè sacrificet. Æneam contemnit, &c. Montfortius.

ASPICIS HÆC? AN TE CVM FVL. TORQ.) Dubitasse veteres certum est, num esset prouidentia, & an res hominum deo curæ essent, quia bonis mala, contra malis bona videbant euenire. Miratur etiam Chorus in Hippolyto apud Senecam act. 3. cùm reliqua rectè gubernentur à deo, res humanas ab eo negligi, quod ex eodem argumento demonstrari putat, de quo iam dicebamus. Sed caussam dubitandi nullam esse ostendunt C viri sancti, inprimisq; D. Chrysostomus. Ostendit item peculiari libello Seneca. ✱

CÆCIQVE IN NVB. IG. TERRIF. AN. ET INAN. MVR.) Lucret. lib. 1. & 4. *Et quæ res nobis vigilantibus obuia mentes Terrificet.* Catull. de nuptijs, *Horrificans Zephyrus.* Noster infrà, *Multaq; præterea vatum prædicta priorum Terribili monitu horrificant.* Opinio erat, ab Ioue mitti fulmina, quod Epicurei negant, ad quorum sententiam Maro respexit. Id è Lucretio cognosci potest, lib. 5. ne diutius hic immorer, ait Turneb. lib. 24. cap. 26. Recurre ad illud lib. 1. *O qui res hominumq; deumq; Æternis regis imperijs, & fulmine terres.* Docuimus ibidem ex Seneca, quamobrem Iouem ful- D minatorem finxerit vetustas. Idem philosophus cap. 43. & 44. lib. 2. duas quæstiones persoluit, quare id fulmen, quod solus Iupiter mittit, placabile sit: perniciosum autem id, de quo deliberauit, & quod alijs quoque dijs auctoribus misit. Item cur existimatū sit, Iouem tela mutare. Quia, inquit, Iouem, id est, regem, prodesse etiam solum oportet: nocere non, nisi cum pluribus visum est. Discant hoc ij, quicunque magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio nec fulmen quidem mitti: aduocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant, vbi aliquid percuti debet, ne Ioui quidem suum satis esse consilium. In hoc quoque tam imperiti non fuere (antiqui) vt Iouem putarent tela mutare. Poëticam ista licentiam decent.

B *Est aliud leuius fulmen, cui dextra Cyclopum Sæuitiæ, flammæq; minus, minus addidit iræ: Tela secunda vocant superi.*

Illos verò altissimos viros error iste non tenuit, vt existimarent Iouem modò grauioribus modò leuioribus fulminibus, & lusorijs vti: sed voluerunt admonere, eos quibus aduersus peccata hominum fulminandum est, non eodem modò esse omnia percutienda: quædam frangi debere, quædam elidi & destringi, quædam admoueri.

De timore, atq; horrore hominum, eiusq; caussa, cum tonat cælum, & fulmina cadunt, iucundum erit cognoscere versus Lucretij è lib. 5.

*Præterea cui non animus formidine diuûm
Contrahitur? cui non conrepunt membra pauore,
Fulminis horribili cum plaga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cælum?
Non populi, gentesq; tremunt? regesq; superbi
Conripiunt diuûm perculsi membra timore,
Ne quod ob admissum fœdè, dictumq; superbè
Pœnarum graue sit soluendi tempus adactum?*

* *Vsque adeo porro terrificant animos ignes illi cæci. Vt etiam inde numen in cælo esse creditum, ac timeri cœptum sit. Petronius Arbiter.*

Primus in orbe deos fecit timor: ardua cælo
Fulmina cum caderent, discussaq; mœnia flammis,
Atq; ictus flagraret Athos.

Sueton de Tiberio, cap. 69. Circa deos ac religiones neglegentior: quippe addictus mathematicæ, persuasionisq; plenus, cuncta Fato agi, tonitrua tamen præter modum expauescebat, & turbatiore cælo nunquam non coronam lauream ceruice gestauit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis. Idem de Caligula, *cap. 51. Nam qui deos tantopere cōtemneret, ad minima tonitrua, & fulgura conniuere, caput obuoluere: ad verò maiora proripere se è strato, sub lectumq; condere solebat. At gens quædam Thracia, tonante cælo vsque adeo non metuebat, vt etiam in sublime iacula mitteret, illiq; deo minitaretur, quod nullum alium præter suum putaret. Herodotus lib. 4.*

FÆMINA QVÆ NOST. ERRANS IN FINIB.) Malè audiebant apud veteres peregrinæ. Hinc est quod Medea apud Ennium Corinthijs matronis persuadere conatur, ne sibi illæ vitio verterent, quod procul abesset à patria. Auget etiam quod ait, *nostris in finibus.* Nascimb.

DOM. ÆN. IN REG. RECEPIT) Domini vox propie

ptie non nisi seruis vsurpanda: seruorum, inquam, domini dicuntur ÷ sic dominorum serui. Quare meritò Tiberius, vt retulit Annal. lib. 2. Tacitus, acerbè increpuit eos, qui ipsum dominum dixerant. [*Sueton. in eius vita, cap. 27. cuidam dominum se appellanti denuntiauit, ne se amplius contumeliæ caussa appellaret.*] Legimus & Adrianum repudiasse hoc nomen, vt per se quiddam durius, & tyrannicum sonans. Alexander Seuerus, teste Lampridio, dominum se appellari vetuit, & epistolas ad se tanquam ad priuatum scribi iussit, seruato tantum nomine Imperatoris. Reperio, inquit Lipsius in Tacitum, Augusti æuo, & infrà, à liberis patres appellatos dominos: & à fratribus blandientibus fratres. Quod tamen Augustus in domo sua vetuit. Sueton. dominum appellari se nec à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel seriò, vel ioco passus est: atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Tangit ecce vtrumque morem. Quod patres domini, etiam ex Diadumeni Cæsaris epistola cognoscitur, ad matrem. Lamprid. Dominus noster, & Augustus nec te amat, nec ipsum se, qui inimicos suos seruat. Et clarè ex illo Martialis.

E seruo scis te genitum, blandeq́; fateris,
Cum dominum appellas Sosibiane patrem.

Quod fratres sic dicti, locus elegans Senecæ epist. 105. Illud mihi in ore erat domini mei Gallionis, qui cum in Achaia febrim habere cępisset, cōfestim nauim cōscendit: clamitans, nō corporis esse, sed loci morbum. Nam loquitur de fratre Iunio Gallione. Præterea sicut mariti vxores dominas, sic ipsæ viros dominos videntur appellasse, vt hic locus Virgilij testari potest. Quamuis etiam pro rerum potente per contemptum, & εἰρωνείαν dictum sit fortasse. Insuper obuios vulgò dominos appellabant. Idem Seneca. Quomodo obuios, si nomen non occurrit, dominos salutamus. * *Habes igitur quintuplicem vsum huius vocis dominus, idq́; diligentia & obseruatione Lipsij. Quod ait, vxores videri maritos appellasse dominos, scimus hunc morē in epistola catholica, à D. Petro in Sara laudari, & eam in hoc exemplo fœminis Christianis proponi. Sicut Sara obediebat Abraham, inquit, dominum eum vocans. Et Bethsabe Danidem, Viuat, dominus meus Dauid, in æternum. Sed Lipsius de non sanctis, neq; de talibus locutus est fœminis. Tamen hoc poetam voluisse, sine piaculo affirmare liceat.*

MÆONIA MENT. MITRA) Turneb. lib. 4. cap. 14. sic locum explanat. Sub mitra crinem, mentumq; subiectum habens. Mitram autem gestasse viris turpe, & molle censebatur. Lucian. ἐγγλίδωθε κεχρυσωμένος βοστρύχους τῇ μίτρᾳ τούτους ἀνειλημμένον. Et Iuno Ioui Bacchi mollitiem obijciens apud eundem, ait, μίτρᾳ ἀναδεδεμένος τὴν κόμην. Quin & θηλυμίτρης per probrum illic vocatur. Et 9. Æneid. *& habent redimicula mitræ.* Lydorum tamen, & Phrygum tegmen capitis erat, parum virile habitum. Idem Turneb. lib. 29. cap. 25. Æneam vt semiuirum, & mollem incessit Iarbas: mitram enim Lydorum, & Troianorum gerebant mulieres, viris probrosam. Sed & multo magis, cum redimiculum habebant, vt in 9. *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.* Mitræ religantur. sed & de mitris redimiculum habentibus Euripides Hecuba: ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις μίτραισιν ἐρρυθμιζόμαν.

ET NVNC ILLE PARIS CVM SEM. COMIT.) A Didonis persona ad Æneam transit, quem per pronominationem contemnit: appellat eum Paridem, hoc est, lasciuum, effæminatumq; hominem, & alienarum vxorum oppressorem, qualis ille fuit. Quin Troianos omnes à mollitie corporis, & animi perstringit, vt Numanus 9. Æneid. *O verè Phrygiæ, neq; enim Phryges.* Idē eos ab habitu vituperat, vt hic à mitrarum gestione, & vnguētis, *Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis, Desidia cordi.* Inuidiosa postmodum exprobratione Iouem iniustitiæ arguit, illiusq; potestatem deridet, quasi nulla sit: propterea, quod nec impios punit, nec bonos religionisq; studiosissimos, quod digni sunt pręmio, afficit. Ex quo colligi vult, aut eum non esse deum, vt hominum vulgus credit: aut si sit, iniquum esse. Nascimb.

CRINEMQVE MADENTEM) Coma tam apud Græcos, quam Latinos mollitiei semper signum fuit: comatum enim puerum Græci probri caussa dicunt. Et Cicero passim, capillum nunc compositum, & delibutum, nunc comptum & madentem, nunc calamistratum in vnguentato cōsule incessit. Non igitur mirum, si & Maro madentem crinem Mœonia suffultum mitra reprehendat. Pierius lib. 32.

RAPTO POTITVR) In similem sententiam Tibullus eleg. 5. lib. 1.

Omnia persolui, fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix vtitur ille meis.

German.

NOS NVN. TEMP. QVIPPE) Phædria in Eunucho, cum suam in Thaidem liberalitatem memorasset, addit, *Tamen contemptus à te.* Super ijs verbis Donatus. Et hoc seruatur in beneficijs. Nam maiora sunt, cessantibus meritis eorum, quibus præstantur. Ob hæc facta à te spernor. Subijcit deinde hūc Maronis versum ad confirmandum.

Cum autem dona, aut munera numini alicui offerrent, credibile est eos his verbis vsos, Accipe libens. Tibull. lib. 4. *Magne Geni, cape thura libens.* Seneca in Agamemnone. *Generis nostri Iupiter auctor, cape dona libens.* Etiam preces suas cum precarentur, rogabant accipi. Cum illud, tum hoc pluribus exemplis ostendit Brisson. Formular. lib. 1. num. 33.

Talibus orantem dictis, arasq; tenentem
Audijt omnipotens: oculosq; ad mœnia torsit
Regia, ET OBLITOS FAMÆ MELIORIS AMANTES.
Tunc sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat.
Vade age nate, voca Zephyros: & labere pennis,
Dardaniumq; ducem, (Tyria Carthagine qui nunc
Exspectat, fatisq; datas non respicit vrbes)
Alloquere, & celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promisit, Graiûmq; ideo bis vindicat armis:
Sed fore qui grauidam imperijs, belloq; frementem

Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
SI NVLLA ACCENDIT TANTARVM GLORIA RERVM,
NEC SVPER IPSE SVA MOLITVR LAVDE LABOREM:
Ascanióne pater Romanas inuidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam, & Lauinia respicit arua?
Nauiget. HÆC SVMMA EST, HIC NOSTRI NVNTIVS ESTO.

ARASQVE TENENTEM) Est profundam scientiam huius poetæ in vno sæpe verbo reperire, quod fortuitò vulgus dictum putaret. Multifariam enim legimus, quod litare sola nõ possit oratio, nisi & is, qui deos precatur, etiam aram manibus apprehendat. Inde Varro rerum diuinar. lib. 5. dicit, aras primum ansas dictas: quod esset necessarium à sacrificantibus eas teneri. Ansas autem teneri solere vasa quis dubitat? Commutatione ergo litterarum aras dici cœptas, vt Valesios, & Fusios dictos priùs, nunc Valerios, & Furios dici. Hæc omnia illo poeta executus est versu. Nonne eò additũ credideris, non quia orabat tantùm, sed quia & aras tenebat, auditum? Nec non cum ait, *Talibus orabat dictis, arasq; tenebat.* Item lib. 12. *Tango aras, mediosq; ignes, & numina testor*, eandem vim nominis ex apprehensione significat. Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 2. * *De consuetudine aras tenendi, & amplectendi inter precandum, locos auctorum producit Brisson. Formular. lib. 1. pag. 40. Etiam aras tangebant, seu tenebant, qui sanctè iurabant. Cic. pro Flacco. Ergo is, qui, si aram tenens iuraret, crederet nemo, per epistolam quã volet, iuratus probabit? Probus in Annibale. Simulq; ad aram adduxit (Hamilcar Annibalem filium nouennem) apud quam sacrificare instituerat: eamq;, cæteris remotis, tenentem iurare iussit, nunquam me in amicitia cum Romanis fore. Narrat enim hæc de se ibidem Annibal.*

OBLITOS FAMÆ MEL. AMANTES) non coniuges, sed amantes. Nam & ipse Æneas infrà, *nec coniugis vnquam Prætendi tædas.* Ergo hic etiam Æneas reprehenditur, vt qui bonam famam cupiditati suæ posthabuerit, irretitus, & captus fœmineis illecebris. Nec verò cum de Didone vulgaretur vitium, poterat de Ænea rumor secundus spargi. Et obserua, poetam neglectæ famæ iam tertiùm facere mentionem. Vnde & semetipsum latenter bonæ famæ studiosum ex contrario videtur innuere. ✠

VADE AGE NATE) Ex Homero Iliad. 6. vbi Somnus à Ioue ad Agamemnonem cum mandatis mittitur.

Βάσκ' ἴθι οὖλε ὄνειρε θοὰς ἐπὶ νῆας ἀχαιῶν,
Ἐλθὼν ἐς κλισίην ἀγαμέμνονος ἀτρείδαο
Πάντα μάλ' ἀτρεκέως ἀγορευέμεν, ὡς ἐπιτέλλω.
— *Vade ad celeres Somne improbe naues*
Argiuûm, magniq; potens tentoria Atridæ
Intrato, tum deinde hæc qualia nunc tibi mando,
Talia verba refer.

Mittitur idem Mercurius etiam lib. 1. ab Ioue Carthaginem ad animos Carthaginensium, & Reginæ Troianis hospitibus mox aduenturis præparandos. Quid mirum? est enim magni Iouis ac deorum nuntius, vt eum vocat Horat. Ode 10. lib. 1. Apud Lucianum quoque tom. 2. matri Maiæ de varietate negotiorum, ac ministeriorum suorum conquerens, καὶ διαστρώσαντα, inquit, τὴν ἐκκλησίαν, εἶτα εὐθετίσαντα ἕκαστα, παρεστάναι τῷ Διὶ, καὶ διαφέρειν τὰς ἀγγελίας τὰς παρ' αὐτοῦ ἄνω καὶ κάτω ἡμεροδρομοῦντα, καὶ ἐπανελθόντα ἔτι κεκονιμένον, παραθεῖναι τὴν ἀμβροσίαν, &c. Tum vbi curiam in qua consultant, vndiq; strauero, ac singula, ita vt oportet, composuero, Ioui A necesse est assistere, ac perferendis illius mandatis, toto die sursum ac deorsum cursitare. Insuper cum redeo puluerulentus, adhuc ambrosiam apponere cogor. Vnde autem dictus Mercurius, & cur ei alæ in capite, & pedibus assignatæ, videbis Gyrald. Syntag. 9. statim à principio. ✠

GENETRIX PVLCHERRIMA) Nihil, ne interdeas quidẽ Venere formosius. Iam quod ad picturam, & simulacra eius attinet, considera mihi, quod scribit Arnobius lib. 6. Phryne meretrix, cum in acumine esset pulchritudinis, & floris, exemplar fuisse perhibetur cunctarũ quæ in opinione sunt Venerum, siue per vrbes Graias, siue iste quò fluxit amor talium cupiditasque signorum. Itaq; artifices omnes ipsis iisdem qui B temporibus extiterant, quibusq; primas dabat exprimendarum similitudinum veritas, omni cura studioq; certabant, filum capitis prostituti Cytherea in simulacra traducere.

Idipsum prius in Protrept. retulerat Clemens Alexand. Et ante vtrumq; prodiderat memoriæ Lucian. tom. 4. pag. 288. Sic Apelles illam suam dimidiatam Venerem, de qua hunc in modum Cicero ep. 9. lib. 1. Vt Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit (quam deinde absoluere nemo pictorum potuit, quia oris venustas incredibilis reliqui corporis C imitandi spem auferebat, vt idẽ Tullius alibi affirmat) hanc inquam Venerem suam, quæ etiam prouerbio locum fecit, ex ore scorti sui Champaspes ab Alexandro in munere accepti, depinxisse scribitur. Fuit & Arellius Romæ celeber, paulo ante D. Augustum, vt relatum est à Plinio, lib. 35. cap. 10. celeber, inquam, nisi flagitio insigni corrupuisset artẽ, semper alicuius fœminæ amore flagrans, & ob id deas pingens, sed dilectarum imagine. Itaq; in pictura eius scorta numerabantur. ✠

GRAIVMQVE IDEO BIS VIND. ARMIS) Semel ex Diomedis, iterum ex Achillis manibus vindicasse intelligenda est, quicquid interpretes dixerint. Cum altero sponte, vt Pandari corpus de Græcorum manibus eriperet, Homer. Iliad. 5. cum altero autẽ Apollinis hor- D tatu congressus est, Hom. Iliad. 20. Et quamquam Neptuni opera ereptus fuit, vt Homerus ipse testatur: vnde illud est Neptuni ex 5. Æneid. *Pelidæ tunc ego forti Congressum Ænean nec dijs, nec virib⁹ æquis Nube caua eripui*, tamen κατὰ τὸ σιωπώμενον illud precibus Veneris factum fuisse intelligendum est. Sensus igitur hoc habet, eum non idcirco bis ex Græcorum armis ereptum, vt otio voluptatiq; se dedat, sed vt ea, quibus ad altum gloriæ, immortalitatisq; fastigium eueh potest, prosequatur: feroces Italiæ populos domet, surgentiaq; imperia sua ingenti virtute compescat. Nascimb.

QVI GRAVID. IMPERIIS ITAL.) Ausonius imitator Virgilij epig. 2. *Imperijs grauidas quà seco Pannonias.* Loquitur Danubius. Vide laudes Italiæ ex Dionysio, Georg. lib. 2.

TOTVM SVB LEG. MIT. ORBEM) per Romanos rerum dominos. Quidam Augusti monarchiam credunt insinuari.

ASCAN. P. ROM. INVID. ARCES) Videtur singulari artificio, ac prope adulatorio excogitatum, quòd non tam Æneæ, quam Iulo quæri Italia significatur, vt Iuliæ familiæ, quæ rerum potiebatur Virgilij ætate, gratia quæratur, ad quam deorũ fatis imperium delatum sit. Sic enim scribit, *Cedes Iulus agris.* Et hic, *Ascanióne pater*, &c. apud Lucanum quoq; lib. 1. penates patrij, quos Æneas in Italiam classe vexerat, & è Lauinio Albam transtulit Iulus, à Cæsare gentis Iuleæ dicuntur esse. Verba sequuntur: *Phrygiiq; penates gentis Iuleæ.* Proinde quasi Iulij hæredes familiæ, & successores sacrorum Iuli essent. Nam & Halicarnasseus lib. 1. Iulo tradita dicit sacra fuisse, quæ deinceps familiæ Iuliæ prodita sint, & ab eo possessa. Eius verba sunt. *Ἰούλῳ δὲ ἀντὶ τῆς βασιλείας ἱερά τις ἐξουσία προσετέθη, καὶ τιμὴ, ἣν ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ τὸ ἐξ αὐτοῦ γένος ἐκαρποῦτο. Ἰούλιοι κληθέντες ἀπ' ἐκείνου.* Multa eiusdem generis latent apud Maronem, ingenij, & eruditionis magnæ pignora, atque monumenta, quibus explanatis, multò magis dignitas, & elegantia apparet: non explicatis, de admiratione eius, & gratia multum decedit. Turneb. lib. 10. cap. 7.

QVID STRVIT, AVT QVA SPE) Quid illi negotij cum æmulis, cum inimicis? cur non cogitat de posteritate sua in Italia, cuius ei promissum est imperium? Non licet hic ei morari. Hæc est summa mandatorum meorum, hæc conclusio definita præcepti, vt relinquat Carthaginẽ nauigando, & hoc solum volo ei nuntiari. Conferenda sunt, quæ Iarbas in inuidiam contulit, ne in exclusione Æneæ vindicatus à Ioue videatur: nam non ita est. Iupiter quippe magis inde cõmotus est, quod Æneæ in obliuionem quodammodo venisset Italia, & consulentis officio Mercurium mittit, qui ad meliora, & propria trudat segnem. Proinde si omnia ipsius Iouis verba considerentur, nihil Iarbæ contemplatione inuenietur mandasse. Donatus.

NAVIGET: HÆC SVMMA EST) Breuiloquentia ad imperandum est aptissima, & reges, ac principes pro maiestate sua paucis verbis dare mandata, cõuenit. Quæ præcesserunt, caussam mandati continebant, cũ obiurgatiuncula Æneæ. Et fuisset durum, hoc vnum præcise nuntiari Æneæ, nauiga Ænea, Iupiter iubet.

Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio, & primùm pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, siue æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit: hac animas ille euocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit:
Dat somnos, adimitq;, & lumina morte resignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila. iamq; volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit:
Atlantis, cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput & vento pulsatur, & imbri:
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.
Hîc primùm paribus nitens Cyllenius alis
Constitit: hinc toto præceps se corpore ad vndas
Misit: aui similis, quæ circùm littora, circùm
Piscosos scopulos humilis volat æquora iuxta.
Haud aliter terras inter, cælumq; volabat,
Littus arenosum Libyæ, ventosq; secabat
Materno veniens ab auo Cyllenia proles.

ILLE PATRIS MAGNI .P. P) De varijs nominibus, & officijs Mercurij, in quibus sunt, deorum esse nuntium, animas ad inferos deducere, legendus Phurnutus in Mercurio. Ibidem, quid talaria sibi velint. Quod dixi deorum esse nuntium, intellige superùm, & inferùm. Apud Claudian. Pluto mittens eum ad Iouem. lib. 1. de Raptu Proserp.

Atlantis Tegeæe nepos, commune profundi,
Et superis numen, qui fas per limen vtrumq;
Solus habes, geminoq; facis commercia mundo,
I celer, & proscinde Notos, & iussa superbo
Redde Ioui.

Apud Ciceronem extat prouerbialis allegoria, Talaria induere, pro eo quod est, fugam adornare, quasique velle quopiam auolare. Ad Att. lib. 4. Nemo est istorũ, inquit, qui otium non timeat: quare talaria induamus. Sumptum ab Homero, qui Mercurium auolaturum aliquò, frequenter adornat talaribus.

Αὐτίκ' ἔπειθ' ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
Ἀμβρόσια, χρύσεια, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν
Ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.

Hunc locũ Maro noster velut interpretatus est. Chiliad

Et hos, & qui deinceps sequuntur versus, totum, inquam, locum de Mercurio se ad volatum instruente, æmulatus est Statius 1. Thebaid. vbi similiter a Ioue, nõ quidem ad terras, sed ad inferos mittitur Mercurius.

Paret

Paret Atlantiadas dictis genitoris, & inde
Summa pedum properè plantaribus illigat alis,
Obnubitq; comas, & temperat astra galero.
Tum dextra virgam inseruit, qua pellere dulces,
Aut suadere iterum somnos, qua nigra subire
Tartara, & exangues animare assueuerat vmbras.
Dissiluit, tenuiq; exceptus inhorruit aura.
Nec mora, sublimes raptus per inane volatus
Carpit, & ingenti designat nubila gyro.

In hac, & alijs prӕterea quamplurimis imitationibus videre licet, quam apud hos imitatores omnia luxurient, apud Maronem omnia castigata, ac prӕparata sint: vt de alijs discriminibus nihil dicam in prӕsenti.

B QVÆ SVBLIMEM ALIS, SIVE ÆQVORA SVPRA) Mercurius minister deorum, cui alӕ à poetis affinguntur. Et is diuersas ob caussas de cӕlo in terras mittitur, diuinaq; mandata hominibus enuntiat, & quӕ agenda accepit, fideliter peragit. Hoc item per angelos suos deus facit, qui inde, quòd nuntient, appellationem habent. Hi etiam alati à nobis introducuntur. Alarum in ijs varia est interpretatio. Significant sublimitatem naturӕ: velocem in cuncta discursum: commorationem in loco altissimo: expeditissimum motum, ministeriumq; celerrimum ad id, quod deus illis prӕcepit, exequendum. Talaria porrò appicta alicuius pedibus, velociorem motum, atq; adeo fugam significare possunt: quam etiam exprimimus, cum, pedibus timor addidit alas, & similia dicimus.

C TVM VIRGAM CAPIT) De virga Mercurij etiam Horat. Ode 10. lib. 1. *virgaq; leuem coërces Aurea turbam.* Et Martialis. lib. 7.

Cyllenes, caliq; decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret.

Ob hanc virgam auream cognominatus est χρυσόῤῥαπις.
** Dicitur caducem hac virga, & est pacis signum. Legati de pace caduceatores. ipse Mercurius ab Ouidio caducifer.*

HAC ANIMAS EVOCAT ORCO) In hoc verbo inest cuiusdam imperij, & potestatis notio, ac proinde dijs, magnis dominis, magistratibus, imperatorib⁹ frequenter tribuitur. Porrò non vno in loco affirmat D. Chrysostomus, conuenienter sacrosancto Euangelio, animos nostros corporum vinclis solutos deductorib⁹ egere. Nam si ciuitatem, inquit, ciuitate vertentes deductoribus egemus, multo magis anima à carne diuulsa, & ad summam transiens vitam, opus habebit viӕ ducibus. Et in sacrificio quod fit pro defunctis in Ecclesia, id muneris Michaëli Archangelo tribuitur. Verùm Ethnici, qui veritatis quandam vmbram sunt assecuti, & inanium deorum superstitione erant obligati, id officij Mercurio χθονίῳ, id est, terrestri assignabant, quem ideo Πομπαῖον, hoc est, deductorem, vel emissorem dixere. Quare Aiax apud Sophoclem, sibi necem allaturus inquit.

Τοσαῦτά σ' ὦ Ζεῦ προὐτρέπω, καλῶ δ' ἅμα
Πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον εὖ με κοιμίσαι
Ξὺν ἀσφαδάστῳ, καὶ ταχεῖ πηδήματι
Πλευρὰν διαῤῥήξαντα τῷδε φασγάνῳ.
Hac te ô Iupiter deprecor, voco autem simul
Emissorem Mercurium terrestrem, bene me soporare
Cum immobili, & celeri saltu
Latus aperientem hoc gladio.

Plutarch. problem. 136. vt à terra mortuorum cadauera, sic à Mercurio mortuorum animas suscipi creditum esse testatur. Vnde apud Valer. Max. quӕdam haustu veneni moritura, fusis Mercurio libamentis, eiusq; inuocato nomine orauit, vt se placido itinere in meliorē sedis infernӕ partē deduceret. Horat. Ode supra citata.

A *Tu pias lætis animas reponis*
Sedibus, virgaq; leuem coërces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus & imis.

Vmbrarū ductorem creditum fuisse Mercurium perspicere licet etiam apud Lucianum in Mortuorum dialogis, & in Mercurio. Hӕc persuasio inde apud antiquos orta est, quod ille tam superorum, quam inferorum legatus, & prӕco est existimatus. Dijs verò inferis obtemperare videtur, dum animas, siue vmbras, quę ipsis debentur, ad eos perducit. Aut fortasse quòd Mercurius tanquam interpres quidam diceretur, quare nomen ei ἑρμῆς. Vnde illi linguas ob interpretationem attributas, & à discedentibus ex cœnis sacrificatas esse testatur Athenӕus lib. 1. cap. 9. interprete autem maximè viderentur indigere, qui in ignota loca illa, & formidolosa ituri essent. Magius lib. 4. cap. 11.

LVMINA MORTE RESIG.) Tametsi à propinquis solebant oculi mortuis claudi, tamen ijsdem in rogo aperiebantur, ob id dictum, *& lumina morte resignat.* Plin. lib. 11. cap. 37. Morientibus illos operire, rursusq; in rogo patefacere, Quiritum magno ritu sacrum est: ita more condito, vt neque ab homine supremùm eos spectari fas sit, & cӕlo non ostendi nefas. Id igitur à Marone ita dictum est, vt, quia Mercurius dicitur ψυχοπομπὸς, id est maniū ductor, videatur ipse in pyra mortuis oculos à nobis clausos aperire. Non me latet, à Seruio aliam afferri interpretationem. Exponit enim *resignare*, claudere, perturbare: quӕ interpretatio (pace tanti Grammatici dixerim) & violenta est, & inepta. Homerus, quem Virgilius imitatur, tantum somnos à Mercurio virga immitti scribit. ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει, καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει. Turneb. lib. 24. cap. 26. & lib. 26. c. 5.

Vt Seruium Turneb. sic vicissim Turneb. Ioseph. Castilio reprehendit, vt audies.

Prudentius aduersus Symmachum videtur Virgilium interpretatus, qui sic scripserit.

D *Nec non Thessalica doctissimus ille magia*
Traditur extinctas sumpta moderamine virga
In lucem reuocasse animas, Cocytia lethi
Iura resignasse, sursum reuolantibus vmbris:
Ast alias damnasse neci, penitusq; latenti
Immersisse chao.

Turnebus hoc loco Seruiū reprehendit, qui ineptam interpretationem attulerit: vt suam ipse afferat longè ineptiorem. Quid quӕso commune hominibus cum dijs esse poterat? Num verò, quod cognatorū erat officium, ad Mercurium pertinere opinatus est? Rectius, petendam eius loci, & verbi expositionem à Prudentio dixerim, qui repetitione elegantissimè vsus, *resignare* esse, ab inferis excitare, testatur. Resignat enim lumina, est repetitio, siue exegesis, & expositio eius, quod prӕcesserat, *adimit somnos.*

E APICEM ET. L. ARD. CER. ATLANTIS) Quid est, quòd cùm ad Æneam Mercurius mittitur, & Carthaginem mittitur, ille per Atlantem descendit? dispendiū enim viӕ, non compendium quӕsiuit, cum breuiore via peruenire ad Æneā rectè potuerit. Subiecerit quispiam, ab eo conspectum esse Atlantem, non tamen inde descensum petitum esse: quod aliter est: nam mox subijcit. *Hic primùm paribus nitens Cyllenius alis Constitit.* Ideo factum crediderim à Marone: & quod ab Atlante stirpem duxerit Mercurius (Atlas enim eius erat auus) & quod dijs à cӕlo descendentibus, scalas etiam quasdam, ne prӕcipites caderent, fabricarint. Etsi superior caussa verior est. Ad auum igitur visendi caussa diuertit. Sidonius Apollinaris.

Iamq́; vt conueniant superi, Tegeaticus Arcas
Nunc plantis, nunc fronte volat: vix contigit arua,
Et toto descendit auo.

Interdum tamen poetis descendit è cælo, Atlante prætérito. Turneb. lib. 25. cap. 6.

Bene Atlanti monti quæ sunt hominis dat, apicem, & latera ardua, &c. nam rex fuit, qui cum Perseum non suscepisset hospitio, propter oraculum, quo responsum fuerat, vt à Iouis filio caueret, & præ timore nullum susciperet, à Perseo in montem conuersus est, viso Gorgonis capite. Seruius.

CÆLVM QVI VERT. FVLCIT) Hoc eodem libro infrà, *Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

CINCTVM CVI NVB. AT. PINIF. CAP.) Non quasi montem, sed quasi hominem effingat, humani corporis partes recenset, caput, humeros, mentum, barbam, in quibus recensendis eo tamen artificio vtitur, vt rei vtriusque, hoc est, montis, hominisq; significationem afferre videatur. Nam & piniferum caput, & humeros niue infusos, tum flumina à mento fluentia, & barbam glacie rigentem dicit. Nascimb.

HIC PAR. NIT. ALIS CONST.) Ἦθος auium Mercurio, qua alatus est, attribuit. Aues enim vbi volando fatigatæ sunt, in summis montibus interquiescunt. Macrob. in recensendis carminibus, quæ Virgilius ex Homero transcripsit, nihil istius loci meminit, cum inter synepias ista carmina, vel primo loco afferri debuerint. Vt id clarum fiat, versus Homericos afferemus. Odyss. ε.

Πιερίην δ' ἐπιβὰς ἐξ αἰθέρος ἔμπεσε πόντῳ·
Σεύατ' ἔπειτ' ἐπὶ κῦμα, λάρῳ ὄρνιθι ἐοικὼς,
Ὅς τε κατὰ δεινοὺς κόλπους ἁλὸς ἀτρυγέτοιο
Ἰχθῦς ἀγρώσσων, πυκινὰ πτερὰ δεύεται ἅλμῃ.
Pieria inscensa se misit ab æthere in vndas:
Deinde laro similis volitat iuxta æquora summa,
Qui maris indomiti sinuosa ad littora sæpe
Captando pisces aspergine tingitur vnda.

Nannius lib. 7. cap. 15.

AVI SIMVL. QVÆ CIRCVM LITTORA) Valde admiror cur Virgilius nomen auis omiserit, & in genere versari potiùs, quam in specie maluerit: quum non sine caussa Homerus larum ex omnibus piscatoribus auibus exemerit, cui Mercurium in volando assimilem esse vellet. Vt enim aquila Ioui, pauo Iunoni, gallus gallinaceus Marti: ita larus Mercurio dedicatus est, qui à loquacitate nomen inuenit. Λάρος enim quasi λάλος dictus, ac propterea in tutelam eius dei adscribitur, qui loquendi artifex perhibetur. Omnia mihi versanti, nihil verisimilius videtur, quam etiam tum in controuersia fuisse, quo nomine hæc auis à Latinis appellari debeat. Sunt enim qui interpretantur fulicam, vt B. Augustinus. Sunt qui ganeam, inter quos est Theod. Gaza. Alij herodion, alij ciconiam, alij ibidem, quæ & ipsa auis sacra est Mercurio. Virgilium igitur, ne litem suam faceret, nullum nomen Latinum huic aui imposuisse existimo. Nannius lib. 7. cap. 15.

Grammatici inter cætera duo notarunt verba, quorum alterum circumscriptione, alterum alia voce texerit, atq; dissimulauerit Virgilius. Seruius enim negat, heroici maiestati mergi nomen conuenire, atq; idcirco à poeta contemptum, illis verbis designatū, *aui similis, quæ circum littora*, &c. At enimuero memoria exciderat tanto viro versus ex eiusdē Æneid. 5. *Et apricis statio gratissima mergis.* Præterea non video, quare potius in heroicum vel formica, vel hirundo, quàm mergus admittatur. Altera vox est *mulier*, quam negant toto opere inueniri. Sanè nusquam inueni. At ab ea deductam posuit in 11. *Aduenit quæ vestra dies muliebribus armis Verba redargueret.* Scalig. lib. 4. Poet. cap. 16.

* *Quid hoc esse dicam? itane vero, qui Virgilium comedit totum, & concoxit, in Virgilio toto hanc vocem* mulier, *nullam vidit? Vbi erat igitur, quando toties legit illud 7. Æneid. de Auentini matre?*

Collis Auentini sylua quem Rhea sacerdos
Furtiuum partu sub luminis edidit oras,
Mista deo mulier.

Sanazarius de partu Virginis lib. 3. hunc locum de Mercurio cū mandatis a Ioue acceptis Carthaginem versus deuolante expressit, & ad Gabrielem Archangelum, quem deus Virgini nuntium in terras è cælo demisit, bellissimè transtulit Virgilianam elegantiam. Sed hoc mutat, quòd non mergo, verùm cygno angelum comparat. Versus subijciemus.

Dixerat. ille altum Zephyris per inane vocatis
Carpit iter, scindit nebulas, atque aera tranat,
Ima petens, pronusq; leues vix commouet alas.
Qualis, vbi ex alto notis Mæandria ripis
Prosperit vada, seu placidi stagna ampla Caystri,
Præcipitem sese candenti corpore cygnus
Mittit agens, iamq; implumis, segnisq; videtur
Ipse sibi, donec tandem potiatur amatis
Victor aquis: sic ille auras, nubesq; secabat.

HAVD ALITER TERR. INTER, &c.) Ἀπόδοσις est, qua allata comparatio ad institutum accommodatur.

LITTVS ARENOSVM) Quia littus ferè semper arenosum, ideo simpliciter arenam posuit pro littore lib. 1. cum de appulsu nauium Troianarum loqueretur in persona Ilionei, *hospitio prohibemur arena*, non sinimur littus tangere, in littore consistere. Pulchrè D. Basil. Homil. 4. in Hexaëm. Mare ipsum, quod vi tempestatis intolerabile constat esse, rerum omnium inualidissima, debilissimaq; arena firmatur, & coercetur.

VENTOSQ. SECABAT) Ventos secare, est per aërem volare, tranare: sæpius enim venti pro aëre. Magna quæstio, quid tandem sit ventus. Quidam non dubitarunt dicere, nil esse aliud, quam agitatum aërem: hinc fortasse hoc genus loquendi profluxit: seu vsurpatio venti, pro aeris elemento apud poetas.

CYLLENIA PROLES) Mercurius Cyllenius à monte Arcadiæ Cyllene vbi editus: mater eius Maia, Atlantis filia. Testis vtriusq; rei poeta ipsemet 8. Ænei.

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.

Festus ad hunc modum. Cyllenius Mercurius dictus, quod omnem rem sermo sine manibus conficiat, quibus partibus corporis qui carent, κυλλοὶ vocantur: ideoque quadratum eum fingunt. Alij, quod in monte Arcadiæ Cyllene: alij, quòd à Cyllene nympha sit educatus.

Vt primùm alatis tetigit magalia plantis,
Æneam fundantem arces, ac tecta nouantem
Conspicit: atq; illi stellatus iaspide fulua
Ensis erat: Tyrioq; ardebat murice læna,
Demissa ex humeris. diues quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreuerat auro.

Conti-

Continuo inuadit. Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramq; vxorius vrbem
Extruis? HEV REGNI, RERVMQVE OBLITE TVARVM.
Ipse deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cælum, & terras qui numine torquet:
Ipse hæc ferre iubet celeres mandata per auras.
QVID STRVIS? AVT QVA SPE LIBYCIS TERIS OTIA TERRIS?
Si te nulla mouet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem,
Ascanium surgentem, & spes hæredis Iuli
Respice: cui regnum Italiæ, Romanaq; tellus
Debentur. tali Cyllenius ore locutus,
Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.

TETIGIT MAGALIA) Catull. Galliambo *Phrygium vt nemus citato cupidè pede tetigit*. A Magalia casæ, domus villaticæ, villæ. Vide Seruium 1. Æneid. ibi, *Miratur molem Æneas, magalia quondam.*

ÆN. FVNDANT. ARCES) Huic loco similis est apud Apollonium in 4. vbi Thetis à Iunone ad Argonautas missa, eos disco, & sagittis se oblectantes reperit, quos hortatur, vt Iunonis præceptis audientes, soluant è littore, *τοὺς δ' ἦυρε ... καὶ σόλῳ, ῥιπῇσι τ' ὀϊστῶν τερπομένους.* Fundantem porrò arces, ac tecta nouantem non tam oculis quam animo conspicit, ipsum quippe nouorum quæ videbat operum, auctorem existimabat.

STELLATVS IASPIDE FVLVA ENSIS) Vel interprete satyra, de vagina gladij gemmata intelligitur. Iuuenal. B Sat. 5.

A digitis, quos in vagina fronte solebat
Ponere, zelotypo iuuenis prælatus Iarbæ,

Non otiosè dictum à Virgilio iaspide fulua stellatum Æneæ ensem fuisse, quo præcipuè tempore Didûs gratia expetebatur, cuius amore detentus, Carthaginis fundabat arces, ac tecta nouabat. Iaspidem enim pro gratia poni auctores tradunt. Sumptum ab eius vi, quod mortalibus persuasum est, gemmam eam hominum gratiam conciliare erga gestantem. Pierius lib. 41.

ARDEBAT LÆNA) fulgorem, & splendorem emittebat. Sic lib. 11. *Ardet apex capiti, tristiq; a vertice flamma Funditur*. Nonius. Læna, quam Græci χλαῖναν, C vestis erat, quæ à militibus per æstum ferebatur: ea quoque villosa antiquos in sacrificijs vsos, Cicero in Bruto testatur. Demissam ex humeris dixit, vt morem Romanorum exprimeret in chlamyde induenda, quæ ab humeris dependens, bonam anterioris corporis partem relinquebat. Commendat postea hanc lænam ex opulentia materiæ, & ex grauitate artificis. Non enim potest esse vestis non maximi pretij, quam diues regina suis manibus texuit. Hanc inquit lænam Æneæ vsibus ipsa confecerat Dido, vt amorem erga illum ostenderet suum, & diuitias suas. Tantum purpuræ, & auri habebat, & ita fulgebat, vt eam ardere putares. Nascimb. Donatus. Turneb. lib. 26. cap. 5.

CONTINVO INVADIT) Obiurgatoriam fore D dictionem poeta statim ostendit, dicendo, *Continuò inuadit*. Nam impatientia commotionem mentis demonstrat. Inuadit verò ad id pertinet, quia talem personam Mercurius Æneæ repræsentare debet, qualis illius fuerat, qui mandauit. Ex præsentibus autem ipsi obiurgationi initium dedit. Donatus.

TV NVNC CARTHAG.) Emphasin habet, tu. Tu, qui deorum nutu nauigas, & cui fata Romanum imperium ex se nascituro spondent. Nunc, cum refectis nauibus summa nauigandi facultas existat. Nascimb.

PVLCH. VXORIVS VRBEM) Vxorij appellantur mariti, qui se totos ad arbitrium vxorum fingunt, & accomodant, qui eis omnibus fere in rebus obtemperant. Horat. Ode 2. lib. 1. de Tiberi.

Ilia dum se nimium querenti
Iactat vltorem, vagus & sinistra
Labitur ripa Ioue non probante v-
Xorius amnis.

Græci vocant γυναικοκρατουμένους. Ex Lamb. in Horat.

Spartanas imperasse viris suis discimus ex Polit. Aristot. lib. 2. cap. 7. quod improbat, & ex Plutarchi Lycurgo. Narrat idem in Apohtheg. Laconicis, cũ Gorgoni Leonidæ vxori dixisset quædam peregrina, *μόναι τῶν ἀνδρῶν ἄρχετε ὑμεῖς αἱ Λάκαιναι*, subiecisse illam, *μόναι γὰρ τίκτομεν ἄνδρας*. Vxorem Paulini amici sui Ausoni⁹ vocat Tanaquilem: quod ita solerent vocari temporib⁹ illis, quæ maritis imperabant. Sidonius, Temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua. de Tanaquile Rom. Liuius lib. 1. Obseruat Scalig. Ausoniar. lect. lib. 2. cap. 16.

Plautus argumẽto Asinariæ. *Sub imperio viuens vxorio*. Hoc imperium quale, quantumq; sit, declarat disertim M. Tullius Paradoxo quinto. An ille mihi liber videatur, cui mulier imperat? cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat quod videtur? Qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit, dandum est: vocat, veniendum: eijcit, abeundum: minatur, extimescendum, &c. Dixerit aliquis, de seruitute Ciceronem loqui, quam amatores seruiunt amicis suis. Imò verò generatim de seruitute, quæ seruitur mulieribus: ergo etiam quæ vxoribus.

Transferemus huc quæ scripta sunt à Budæo in Pand. super imperio isto vxorio, & de vxorijs. In 3. Politicon. Arist. œconomicum magistratum appellat, id est, *οἰκονομικὴν ἀρχὴν* potestatem illam, qua vir vxori, & liberis, & omni familiæ præest, pudendo eorum more, qui vsqueadeo vxorij sunt, ne dicam ignaui, vt domi suæ priuati sint, & vxoriæ potestati pareant, cum foris magistratus gerant, & viris imperare se dignos esse censeãt. Quos Aristoteles in 2. Politicon *γυναικοκρατουμένους* appellat, id est, in vxorio imperio viuentes, quorum status *γυναικοκρατεία* dicitur, qui etiam sententia nostra *ὀχλοκρατεία* propriè dici potest, hoc est, turbidus status,

cum legibus, illis gynæcocraticis parendum est. Iuuenal. Sat. 6.

Nil vnquam inuita donabis coniuge, vendes
Hac obstante nihil: nihil, hac si nolet, emetur.
Hæc dabit affectus: ille excludetur amicus
Iam senior.

Propterea Aristot. in eodem secundo. Quanquam, quid referre putamus, inquit, mulieres ne magistratus gerant, an magistratus gerentes mulieribus pareant? Itaque scitum illud fabulamentum videtur eius, qui Martem cum Venere illaqueasse primus dicitur. Huiusmodi enim viri in Venerem maximè proni, muliebri imperio regi ferè nati sunt. Plin. lib. 6. gynæcocratumenos appellat populos quasdam Amazonum vicinos, bello ab Amazonibus victos: ex eo sic dictos, quod victricibus obsequantur, ad procreandam eis sobolem.

IPSE DEVM REGNA.) Suffecerat indicasse, à quo esset missus: sed cum notũ esset, quantũ Iupiter posset, adiecit iniiciendi maioris metus caussa potestates eius, & quòd ille celerius omnia perferri iussisset, ostendens ex eo mandata maturius debere compleri. Donat.

QVID STRVIS, AVT QVA SPE) Velim nosse, qua spe ducaris, cum aliena agas, & olim inimicos tibi futuros nunc adiuues, & relicta rerum necessariarum, ac fataliũ sollicitudine, in his rebus versere, quæ sine illis alijs A sunt merum otium, mera segnities. Certè si adeò contemnis vtilitaté tuam, & tantarum rerum gloriam spernis, expergiscere aliquando, & officio saltem paternæ pietatis admonitus, vel filij partes, vtilitatemque perpende. Debitum est imperium Italiæ filio tuo: non debet perire per te, quod non nisi per te ad ipsum potest hæreditario iure transire. Non exspectat responsum, hoc est, quod ait, mortales visus medio sermone reliquisse. Donatus.

TALI CYLLENIVS ORE LOCVTVS) Variè iungitur cum alijs hæc vox, ore, apud vatem nostrum. Ore effata, roseo hæc addidit ore, diuino ex ore canit, finem dedit ore loquendi, vox excidit ore, intonat ore, fuditque has ore loquelas. B Sciendum Latinos poetas, cum de graui facundia loquuntur, os solere vsurpare, hanc vocem, inquam: & ferme, quando de sermone heroum loquuntur. Vbi de infami facundia, & scurrili dicacitate, linguam ponunt, vt lingua parasitorũ, lenonum, sannionum, rabularũ: & lingulacæ dicti verbosi, à procacitate linguæ. Plautus, *lingulaca est, nunquam tacet.*

MEDIO IN SERMONE RELIQ.) Atqui executus est omnia, quæ Iupiter dixerat. Sed sermo est consertio orationis, & confabulatio duorum, vel plurium. Medius ergo sermo est, cum persona, cum qua quis loquitur, non respondet, vt nunc fecit Æneas. Seruius.

At verò Æneas aspectu obmutuit amens,
Arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæsit.
Ardet abire fuga, dulcesq; relinquere terras,
Attonitus tanto monitu, imperioq; deorum.
(Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? quæ prima exordia sumat?)
ATQVE ANIMVM NVNC HVC CELEREM, NVNC DIVIDIT ILLVC:
In partesq; rapit varias, perq; omnia versat.
Hæc alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea, Sergestumq; vocat, fortemq; Cloanthum:
Classem aptent taciti, socios ad littora cogant:
Arma parent, & quæ sit rebus caussa nouandis
Dissimulent. sese interea, quando optima Dido
Nesciat, & tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, & quæ mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. OCYVS OMNES
IMPERIO LÆTI PARENT, AC IVSSA FACESSVNT.

ASPECTV OBMVT. AMENS) Terror infelicis C conscientiæ, amentiam parit, adimit defensionis rationem, efficitque animi perturbationem, quam à signis externis, & accidentibus notat. Montfort.

Hic *amens*, vt & sæpe, est consternatus, & attonitus, quod euenire solet horrore, pauoreque perculsis. Lucret. lib. 6. *Ne trepides cæli diuisis partibus amens.* Id est, ex metu non compos mentis ne sis. Simile illud Maronis lib. 8. *non te rationis egentem Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.* Id est, non te expauefecit, neq; consternauit. Turneb. lib. 24. cap. 26.

ARRECT. HORROR. COMÆ, ET VOX. F. HÆS.) Quadrat his illud Terentij in And. *Censen' me quidquã potuisse proloqui?* Et Plauti in Amphit. *Nec secus est mihi, quam si ab Acheronte veniam, Ita mihi animus etiam nunc abest.*

ARDET AB FVG. DVLCESQ. REL. TERR.) Quod hominis persuasione fieri vix poterat, vt Æneas dulces iam sibi, iucundasque terras relinqueret, id Iouis mandato perficitur. Quamobrem rectè admonet Aristoteles in Poet. quod per homines fieri potest, id deorum interuentu fieri non debere, & econtrà. Omnino non poterat absque diuino monitu Æneas à Didone recedere: tanta vis erat amoris. Veruntamen hac in re laude dignus est Æneas, qui semel admonitus dictis paret: nec, quod appetitus suggerit, verùm, quod ei ratio perscribit, deorumque voluntas iubet, id exequitur.

HEV QVID AGAT? QVO NVNC) Exclamatio rei D difficultatem significat. Statuerat quidem Æneas obtemperare diuinis iussibus: sed cum secum cogitaret, quantum reginæ esset dolorem inusturus hoc discessu, quære-

quærebat modum aliquem, quò id bona pace illius fieret. Nec tamen videbat. Ad extremum, in varia, & ancipiti cogitatione occurrit, quod esset factu optimum. ✠

AMBIRE FVRENT. REGINAM) interpellare. Aliquando *ambire*, est ambitionibus appetere, vt lib. 7. *Ne connubijs ambire Latinum Æneadæ possint*. Terent. And. *Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis*. Nonius. *Furentem reginam*, id est, pæne insanientem amore sui, super discessu alloqui, petere, vt id bona eius venia liceat, quàm durum videbatur? nec quibus id verbis faceret, satis videbat. Ex altera parte, merita optimæ fœminæ, & incredibilis humanitas, & iam certissimo, & arctissimo fœdere confirmata familiaritas (quamquam contra iubente numine) ne quid ei offensionis afferret, nec se tam dulci consuetudine priuaret, hortabantur. His fluctibus iactabatur eius animus. Volebat, nolebat: quemadmodum videlicet nobis vsu venit, cum sensuũ blandimentis ad peccandum inuitamur: ibi (vt aliquid de sanctis literis vsurpem) caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc duo sibi inuicem acerrimè aduersantur. Et animos nostros in illa lucta nunc huc, nunc illuc diuidimus. ✠

ANIM. NVNC HVC CEL. NVNC) Reperiuntur hi duo versus iterati initio lib. 8. quibus sententiam non absimilem continet ille Catullianus, *Nos aliò mentes, aliò diuisimus aures*. Diuisimus mentes, inquit. Lib. 12. Æneid. pæne eodem sensu, alijs verbis dixit.

Heu quid agat? vario nequidquam fluctuat æstu:
Diuersaq; vocant animum in contraria curæ.

Cic. 1. Offic. in quo considerando, sæpe animi in contrarias sententias distrahuntur. Idem est, quod paulò pòst sequitur. Cum enim vtilitas ad se rapere, honestas contrà ad se reuocare videtur, fit vt distrahatur in deliberando animus, afferatq; ancipitem curam cogitandi. ✠

ARMA PARENT) ad resistendum, si abeuntibus vim parent Carthaginenses.

SE SE TENTATVRVM ADITVS) In illa pugna cogitationum suarum Æneas de se ipso triumphat, & iussa diuina cupiditati suæ anteponit, mauultque deo, quam sibi morem gerere. Statuit igitur conuenire reginam: sed capto tempore. Nam, vt est in monostichis, καλὸν τὸ καιροῦ πάντας εἰδέναι τρόπον. Et Isocrates, τὸ γὰρ ἄκαιρον, πανταχοῦ λυπηρόν. ✠

ET QVÆ MOLLISS. FAND. TEMP.) Quanta vis in omni re gerenda sit temporis, testimonijs optimorũ vtriusque linguæ poetarum declarari potest. Quæ namque vix, aut ne vix quidem à fortunatis hominibus aliena tempore obtinentur, ea suo, accommodatoque non magno negotio ab ijsdem impetrantur. Hoc verò imprimis diligenter custodiri debet ab ijs, qui volunt sibi aliquid concedi, quod sit illis, vnde extorquendum est, odiosum, ac molestum. Cum igitur ita fecit Æneam loqui cum principibus suarum copiarum, aperireq; quid sui consilij esset in discessu illo ex Africa, vel potiùs subita fuga, quam tegere, occultamque esse Didoni, quantum res pateretur, studebat, his verbis vsus est, quæ suprà posui. Sed etiam infrà, ex persona Didonis, quæ dolis cognitis, volebat, si posset, mutare animum sui amatoris, atque ita cum sorore egit, qua vsa semper fuit tanquam interprete suarum curarum, *Sola viri molles aditus, & tempora noras*. Exemplũ autem huius documenti reperitur etiam apud Euripidem, qui in fabula Ione induxit Xuthum, cum Ione ipso, quem ex se natum putabat, loquentem: pollicebatur enim se illi regnum Athenarum daturum, quod tamen inuita vxore non facilè præstare poterat: ab illa enim ipsum acceperat, & tamen sperabat se quandoq; adhibita diligentia, vt id efficere posset, contentaq; ea re ipsa foret, impetraturum. Ita igitur locutus est.

Χρόνῳ δὲ καιρὸν λαμβάνων προσάρξομαι
Δάμαρτ' ἐᾶν σε σκῆπτρα τἄμ' ἔχειν χθονός.

λαμβάνειν igitur καιρὸν idem significat, quod apud Latinum poetam, tentare aditus, & tempora fandi mollissima. Hoc verò cum effici subitò nullo modo possit, ambo significarunt, se loco, temporeq; id conaturos. Græci, vt apparet etiam ex hoc loco, verba distincta habebant, quibus ostenderent duo hæc diuersi generis tempora. Latini sæpe tempus appellant, (vt Virgilius hîc facit) etiam καιρὸν. Terentius quoq; eodem pacto accepit hoc verbum, cum induxit Syrum cum Clitiphone ita loquentem. (erit autem idem locus exemplum & notionis, quã dico esse huius nominis, & rei etiam ipsius, quam hîc adnotaui.) *In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum*. Victor lib. 37. cap. 16.

QVI REBVS DEXT. MOD.) vt commodè atq; aliqua dexteritate, citra importunitatem res tractari queant.

LÆTI PARENT) vtpote in terram fato destinatam discessuri, vbi res fore lætas, paratumq; regnum Æneæ Creusa prædixerat in fine secundi.

AC IVSSA FACESSVNT) Facessere significat interdũ facere, vt est, iussa facessunt. Interdum verò pro abire ponitur. Pacuuius. *Facessite omnes hinc*, id est abite. Fest°.

At regina dolos (QVIS FALLERE POSSIT AMANTEM?)
Præsensit: motusq; excepit prima futuros,
OMNIA TVTA TIMENS. eadem impia fama furenti
Detulit, armari classem, cursumq; parari.
SÆVIT INOPS ANIMI, totamq; incensa per vrbem
Bacchatur: qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusq; vocat clamore Cithæron.
Tandem his Æneam compellat vocibus vltro.

AT REGINA REGINA DOL. PRÆSN.) Quamquam amor fingitur cæcus, mirum est tamen dictu, quam sint oculati qui amant, quam nasuti etiam: vident, odorantur, ac præsentiunt, quæ alios fallunt. Nemo quidquam Didoni de discessu Æneæ narrauerat, illa tamen quid moliretur, prima sentiebat. Rectè igitur etiam Ouid. epist. Oenones. *Vnde hæc compererim tam bene, quæris? amo*. Et idem huius rei caussam adfert epistola Penelopes, hoc versiculo. *Res est solliciti plena timoris amor*.

ARMARI CLASSEM CVRSVMQVE PAR.) Rectè *armari classem*, cum & nautis sua sint arma, id est, instrumenta, quemadmodũ cæteris artibus. *Cursum*, id est nauigationem, in qua notione, etiã oratoribus ea vox ponitur. Sic alibi noster, *vastumq; caua trabe currimus æquor*. ✠

SÆVIT INOPS ANIMI) Bene, *inops animi*. Quemadmodum enim tumor accidit ex magna in carne plaga, ita

ga, ita in mollissimis animis, si quis se præbeat dolori, hoc ipso quo maior est imbecillitas, hoc maiorem elicit iracundiam. Atque hac de caussa mulieres iracundiores sunt viris, ægroti sanis, senes ætate vigentibus, infælices fælicibus. Plutarchus de cohibenda iracundia.

QVALIS COMMOT. EXCITA SACRIS) Gemina isti comparatio est apud Senecam actu 3. Medea, vbi nutrix de alumna sua furente, & impotente.

Incerta qualis entheos cursus tulit,
Cum iam recepto Mænas insanit deo,
Pindi niualis vertice, aut Nisæ iugis:
Talis recursat huc, & huc modo effero,
Furoris ore signa lymphati gerens.

Huiuscemodi comparatione quam multi poetę vsi sint, vide Aduersaria Delrij in eundem.

Sacra Bacchi recondita in cistis, è templis vrbanis in montes, solitudinesque ad orgia celebranda à Bacchis portabantur. Et quia sacra illa furioso tumultu, & perturbato impetu commouebant, idcirco dixit Plaut. Pseud.

Scis tu quidem hercle, mea si commoui sacra,
Quo pacto, & quantas soleam turbellas dare.
Horat. Ode 18. lib. 1.
— non ego te candide Bassareu
Inuitum quatiam, nec varijs obsita frondibus
Sub diuum rapiam.

Turneb. lib. 21. cap. 21.

TRIETERICA BACCHI) Antiquitus apud Atticos consueuerant annos, ac numerum accedentem à Dionysijs numerare, quemadmodum ex Olympiadibus. Iterabatur autem Dionysiorum festum tertio quoque anno. Vnde Virgil. trieterica vocat. Chiliad.

Trieterica sacra sunt, quæ tertio quoq; anno per-A aguntur. Dicuntur etiam τριετηρίδες. Orgia de omnibus sacris dici affirmat Seruius, abusiúe autem de sacris Liberi. [*Puto dicendum potius fuisse, de omnibus sacris Liberi dici orgia, de cæteris abusiue, ex eo quod sequitur apud Seruium. Nictelia item vocatur, quod Bacchus noctu coleretur, vt & hic Virgilius indicat. Quid autem gestarent bacchantes, & de generibus orgiorum, videndus Delrius in Hercul. Oetæum Senecæ, Choro Act. 2.*] Et dici ἀπὸ τῆς ὀργῆς à furore, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, à montibus, quod præcipuè in montibus celebrentur.

Bacchi sacerdotes fæminæ plerumq; fuerunt, quæ nunc ab insania Mænades: nunc ab impetu & furore Thyades, vel à Thya, quæ prima sacra Bacchi instituit: nunc ab intemperantia morumq; prauitate Bacchæ vocabantur. Ideo porrò à mulieribus, quod eas in expedi-
B tione Indica socias habuisset. Bacchæ dictæ etiam ab insanis clamoribus: currebant enim cum tædis, & accensis funalibus per noctem, quibus vtebantur in illis sacrificijs, crinibus passis. Natal. Comes lib. 5. cap. 13.

Horum originem Diodor. lib. 4. cap. 3. affirmat esse hanc, quod Thraces Baccho in memoriam Indicæ expeditionis hæc sacra instituerunt. Vnde & in multis Græciæ vrbibus triennio Bacchides mulieres conueniunt, apud quas de more virgines thyrsum ferunt, in honorem dei bacchantes, eique per cœtum sacrificantes.
* *Probè hunc locum imitatus mihi videtur Statius 5. Thebaid. dum annum quandã Lemniacã Polyxo, bacchico velut furore correptum, & ciues suas aduersum maritos, quibus ob intolerabilem fætorem Veneris ira illis conciliatum exosa erant, exacerbantem inducit,*

C Cùm subitò horrendas æui matura Polyxo
Tollitur in furias, thalamisq; insueta relictis
Euolat. insano veluti Theumesia Thyas
Rapta deó, cum sacra vocant, Idæaq; suadet
Buxus, & à summis auditus montibus Euan:
Sic erecta genas, aciemq; effusa trementi
Sanguine, desertam rapidis clamoribus vrbem
Exagitat, clausasq; domos, & limina pulsans,
Concilium vocat infælix.

Dissimulare etiam sperasti perfide tantum
Posse nefas? tacitusq; mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hyberno moliris sidere classem,
Et medijs properas Aquilonibus ire per altum
Crudelis. quid si non arua aliena, domosq;
Ignotas peteres, & Troia antiqua maneret?
Troia per vndosum peteretur classibus æquor?
ME NE FVGIS? per ego has lacrymas, dextramq; tuã te
(Quando aliud mihi iam miseræ nihil ipsa reliqui)
Per connubia nostra, per inceptos hymenæos,
SI BENE QVID DE TE MERVI, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum: miserere domus labentis, ET ISTAM
Oro (SI QVIS ADHVC PRECIBVS LOCVS,) EXVE MENTEM.
Te propter Libycæ gentes, Nomadumq; tyranni
Odêre, infensi Tyrij: te propter eundem
Extinctus pudor, & qua sola sidera adibam,
Fama prior. cui me moribundam deseris hospes?
Hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater
Destruat? aut captam ducat Getulus Iarbas?

Saltem

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, SI QVIS MIHI PARVVLVS AVLA
LVDERET ÆNEAS, qui te tantùm ore referret,
Non equidem omnino capta, aut deserta viderer.

DISSIMVLARE ETIAM SPER.) *Artificium huius orationis sollertissimè inuestigauit Scalig. Poet. lib. 3. cap. 14. De eo etiam Bartholomæus Riccius lib. 2. de imitatione. Catullus inquit, cum Thetidis & Pelei nuptias celebraret, &c. Admonet etiam German. videndam querelam, & expostulationem Medeæ cum Iasone de ipsa reddenda, vel deponenda cum Absyrto paciscente. Apollonij lib. 4.*] Dido irata non à beneuolentiæ loco orationē auspicatur, sed ex abrupto, & statim Æneæ duo grauia crimina obijcit, perfidiæ, & crudelitatis. Et nefas vocat, & tantum nefas: auget factum, *tacitus*, tanquam proditor, vel saltem ingratus. Nascimb.

MEA TERRA) Videtur arguere illum imprudentiæ, quasi qui id conetur, quod si ipsa nolit, si eum impedire velit, ad exitum perducere neutiquam possit. Nascimbæn.

NEC TE NOSTER AM. NEC TE DATA) Illa potissimùm recenset, quæ vim ad mouendū eum videbantur habitura maximam, amorem quo eum prosecuta sit, seu mutuum illum amborum, & tanquam coniugalem amorem: datam sibi ab eo fidem: mortem deniq; suam, & illam quidem crudelem: iam nunc enim incumbere in gladium cogitat, si, quod cupit, non impetret. Nascimb.

HYBERNO MOL. SID. CLASSEM) Claudi maria hyeme, vere aperiri dicuntur, quod ibi ad nauigandum intempestiua: hìc, tempestiua sint. Vegetius lib. 4. cap. 39. ex die tertio Iduum Nouemb. vsq; ad diem sextum idus Martij maria claudi. Præcipit etiam Hesiodus abstinendum nauigatione post occasum Virgiliarū, quia tum mare tempestatibus magnis ferueat. Vere autem ineunte, silentibus aquilonibus spirant Fauonij, tum licet deducere naues. Horat. Ode 4. lib. 1.

Soluitur acris hyems grata vice veris & Fauoni,
Trahuntq; siccas machinæ carinas.

Idem ei obijcit in epistola apud Nasonem.

Quò fugis? obstat hyems, hyemis mihi gratia prosit:
Aspice vt aduersas concitet Eurus aquas.
Quod tibi malueram, sine me debere procellis:
Iustior est animo ventus, & vnda tuo.
Non ego sum tanti, quamuis merearis, inique,
Vt pereas, dum me per freta longa fugis.

Iudicium porrò de hac epistola Didonis quodnam fecerit Scaliger, si quis scire auet, hoc est, Poet. lib. 6. c. 7. Inter heroidas Dido artificiosissimè, copiosissimè, scitissimè, elegantissimè loquitur. Extat item querela persimilis apud Propertium lib. 1. Eleg. 8.

Tu ne igitur demens? nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi iam tanti, quicunq; est iste, videtur,
Vt sine me vento quolibet ire velis?
Tūne audire potes vesani murmura ponti?
Fortis & in dura naue iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcare pruinas?
Tu potes insolitas Cynthia ferre niues? ✠

QVID SI NON ARVA ALIENA) A maiori: nam si Troiam notam, patriam dulcissimam, sæuientibus ventorum procellis non repeteret, multo minus ignota regna, turbulento cælo quærenda sunt. Montfort.

ME NE FVGIS?) ἐμφατικῶς, quæ tot beneficia in te contuli. Quæ tamen adhuc illi aperte exprobrare non vult, sicut paulo post irata facit. Nascimb.

PER EGO HAS LACRYMAS) Vt Latini in iurando plerumq; inter præpositionem, & eius casum aliquid interponunt, item & Græci, qui Latinis exemplo fuerunt. Euripid.

Ναὶ πρός σε τῆς σῆς δεξιᾶς ἱκνοῦμαι,
Ὦ πρός σε γονάτων, μηδαμῶς μ' ἐξεργάσῃ.

Turneb. lib. 19. cap. 17.

QVAND. ALIVD MIHI IAM) Non mediocris inest in verbis istis commiseratio. Ait enim sibi iam nihil reliquisse præter lacrymas, & obtestationem: honorem, pudicitiam, regnum Æneæ caussa posthabuisse. Et modestè, *Si quid bene merui.* Ingratum enim genus hominum beneficia exprobrantium, quod tamen postea, vbi omni spe decidit, factura est. Amat etiam poeta verecundiam, qui illis verbis, *fuit aut tibi quidquam Dulce meum*, rem inhonestam honestè extulit, idemq; voluit, quod Terent. And. *Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.*

MISERERE DOMVS LABENTIS) Eleganter, & insigniter, quòd distracto coniugio domus dissoluatur atque dilabatur. Turneb. lib. 26. cap. 5.

At enim Dido non tam ad distractionem coniugij, quamquam, tristem ac miseram, quam ad prolis ex Ænea susceptæ suscipiendæúe, eiusq; masculæ orbitatem videtur respicere, ac dolere tantopere, quia sibi nulla relicta sobole discedat. *Miserere domus labentis*, inquit. Qua de caussa, quia ob id generis, familiæq; perpetuitas tollitur, ruina domus non immeritò timetur. Vt enim est in monostichis,

Στύλοι γὰρ οἴκων παῖδές εἰσιν ἄρσενες.
Domus columina liberi sunt masculi.

Eodē referendū, quod paulo post sequitur, *si quis mihi paruulus aula Luderet Æneas.* Tametsi enim de sola ibi voluptate loquatur, quā ex infantibus, paruisq; adhuc prolibus matres capiunt, tamē in ijsdem verbis votum quoq; posteritatis eius intelligi nihil absurdū reor. Atqui, dicat aliquis, fuisset hoc modo Æneæ, non Didonis genus propagatum, filij enim patrem sequuntur. Ego verò & Æneæ, & Didonis aio, cuius apud Pœnos semper maior, quàm illius habita fuisset ratio. ✠

TE PROPTER LIBYCÆ GENTES) Satis plena perfectaq; oratio fuisset, si hoc ibi perorasset, *Et istam oro si quis adhuc*, &c. Verum quoniam ad cōmiserationem augēdam, animosq; emolliendos enumeratio incommodorū plurimùm valet, idcirco per disttributionem præteriti, præsentis, futuriq; temporis, Dido sua incōmoda deplorat, exaggeratq; per αὔξησιν: vtq; acrimoniā orationi maiorem adiungat, colore vtitur repetitione: quod ad amplificationem maximè facit. Nam à gentibus, &, quod grauius est, à regibus Libycis se odio haberi dicit: idq; quod grauissimum adiungit, sibi Tyrios esse infensos. Tanta autem in fœmina est vis pudicitiæ, vt ea sæpe à magnis incommodis tuta conseruari videatur. Hoc igitur innuere regina videtur: quod licet inter barbaras, ferasq; nationes vrbem posuerit, indeq; ingens vndiq; sibi periculum immineret, tamē antea sperabat fore, vt pudicitiæ, probitatisq; suæ, ex qua celebrem iam sibi famam comparauerat, ratio haberetur: nunc verò cum omnis pudor eius extinctus sit, nihil sibi præter excidium, extremamq; calamitatem exspectandum esse. Nascimbæn.

QVA SIDERA ADIBAM FAMA) Simile, in cælo esse: contrarium, de cælo detrahere. Cic. Philipp. 2. Collegam

gam quidem (Dolabellam) de cælo detraxisti, esse- A
cistiq; , non tu quidem etiam nunc, vt sit similis tui, sed certè, vt dissimilis esset sui. Non immeritò autem famam, & tam illustrem famam suam esse extinctam dolet Dido. Etenim vt ignis semel accensus facilè conseruatur, extinctus non facilè rursum accenditur: sic famam tueri non est difficile: amissam autem & velut extinctam restituere, difficillimum est. ✠

ANTE FVGAM) Amatoriè, & amarè *ante fugam*. Nam fugam rursum illi obijcit, & ingentem amoris sui affectum ex nimio habendi filij desiderio declarat. Nascimbæn.

SI QVIS MIHI PAR. AVL. LVD. ÆN.) *Tale est illud Catulli suauissimum, in napt. Iuliæ.* B

Torquatus, volo, paruulus
Matris è gremio suæ
Porrigens teneras manus
Dulcè rideat ad patrem,
Sed micante labello.
Sit suo similis patri
Manlio, & facilè inscijs
Noscitetur ab omnibus.]

Prima pueritia lusibus intenta est: quam prudenter describes, ne ineptias: pauci namq; probant Homerum, nemo potest defendere, cum Phœnix exprobrat infantiam Achilli.

Πολλάκι μοι κατέδευσας ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα,
Οἴνου ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ.

Parum enim differt ab ijs, quæ Aristophanes in Nubibus, *βρῦν, μαμμᾶν, κακᾶν.* Verùm sanè nobis coluntur, vt ait Martialis, Musæ seueriores. Parcissimè noster hic, *si quis mihi paruulus aula Luderet Æneas.* Scalig. Poet. lib. 3. cap. 15.

QVI TE TANTVM ORE REFERRET) Signum coniugalis pudicitię, viro similes generare liberos, quã vnam ex fælicitatibus aurei sæculi nominat Hesiod. Horatius quoq; lib. 4. Ode 5. *Laudantur simili prole puerpera.* Megara Herculi marito aqud Senecã. *Agnosce Megaram, natus hic vultus tuos Habitumq; reddit.* Adde Martial.

Est tibi quæ patrij signatur imagine vultus
Testis maternæ nata pudicitiæ.

De caussis physicis huius similitudinis Aristot. lib. 4. de generat. animal. cap. 3. Plutarch. lib. 5. de placit. philosoph. cap. 11. & 12. Censorinus lib. de die natali. Plin. lib. 7. cap. 12. Tiraquell. 7. lege Connubiali à num. 50. Hæc Delrius Aduersar. & Cóment. in Senecã. * *Iulia autem Augusti filia, Agrippa viro suo pariebat simillimos liberos, cum esset interim adultera, & cum alienis quoq; libidines exerceret suas. Mirantibus igitur quid responderit, habes apud Macrobium Saturnal. lib. 2. cap. 5.*

Dixerat. ille Iouis monitis immota tenebat
Lumina, ET OBNIXVS CVRAM SVB CORDE PREMEBAT.
Tandem pauca refert. Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam, regina, negabo
Promeritam: nec me meminisse pigebit Elisæ,
DVM MEMOR IPSE MEI, DVM SPIRITVS HOS REGET ARTVS.
Pro re pauca loquar. nec ego hanc abscondere furto
Speraui, ne finge, fugam: nec coniugis vnquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspicijs, & sponte mea componere curas:
Vrbem Troianam primùm, dulcesq; meorum
Relliquias colerem, & Priami tecta alta manerent,
Et recidiua manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ iussere capessere sortes.
Hic amor, hæc patria est. si te Carthaginis arces
Phœnissam, Libycæq; aspectus detinet vrbis:
Quæ tandem Ausonia Teucros considere terra
Inuidia est? & nos fas extera quærere regna.
Me patris Anchisæ, quoties humentibus vmbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis, & turbida terret imago:
Me puer Ascanius, capitisq; iniuria cari,
Quem regno Hesperiæ fraudo, & fatalibus aruis.
Nunc etiam interpres diuûm Ioue missus ab ipso
(Testor vtrumq; caput) celeres mandata per auras
Detulit. ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemq; his auribus hausi.

DESINE,

DESINE MEQVE TVIS INCENDERE, TEQVE QVERELIS:
Italiam non sponte sequor.

IMMOTA TENEB. LVMINA) Cum ita moueatur Æneas miserijs alienis, vt etiam multis locis fundat lacrymas, cur Elisam siccis oculis flentem aspicit? Non decuit consuetudine stupri moueri pium virum. Vbi verò apud inferos sui caussa extinctam resciuit, illacrymatur, additis illis verbis, *Funeris heu tibi caussa fui.* Nec lacrymatur solùm, sed etiam illam auersantem, atque abeuntem prosequitur, miseratione non vulgari. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 12. * *Non ideo siccos habet oculos Æneas, quia consuetudine stupri commoueri turpe ducat, sed vt poeta dixit, Iouis monitu, cui ille parebat, vt tamen cum affectu suo luctaretur: sequitur enim,* obnixus curam sub corde premebat. *Erupissent vtiq; in lacrymas vt pius, & humanus, nisi illum maior quadam caussa, & religio iniecta continuissent. Itaq; vicit carnem spiritus, vt noster est loquendi modus.*

EGO TE QVÆ PLVR. FANDO) Tota oratio Æneæ consistit in dilutione exprobrationis, & translatione criminis in fata. Interpretatur enim res ipsas subtilissimè. Is namque est caussæ status, relatus ad qualitatem. Itaq; etiam cum insinuatione ingreditur: & appellat Reginam, non coniugem, & memorem se pollicetur fore beneficiorum. Vt aliusmodi relaturus sit olim gratiam, quàm faceret vnà manendo. Hoc satis esse debet inter bene institutos ciues. Non enim datur beneficium spe tantundem recipiendi, sed simplici animo, non opera venali. Idcirco Gratiæ & nudæ sunt, & tres, vt qui beneficio prior certat, vbi quippiam vicissim recipit, de integro itidem refundat. Diluit autem nomẽ coniugis, & coniugij, vt subtrahat se crimini impietatis. Quis enim cõiugem sine impietate posset deserere? & appellat fœdus, quod tamen negando tollit. Dum hæc dicit, temperata vtitur oratione primùm, quam deinde excitat argumentis, & interrogatiunculis. A maiori: si non fuit fas in pristina terra, quæ auita fuit mihi, vel regnum reparare, vel saltem consistere: magnum quiddam esse oportet, quod mihi certam destinet, eamq; aliam à Carthagine, fatis immobilibus designatam. Obserua verò efficacissimam collationem. Etenim tu, si non petis Italiam, sed fato tibi attributæ Carthagini acquiescis: quare vis nos deserere sortem nostram? Verbis autem inuidiosioribus animat sententiam: *Quæ tandem Ausonia Teucros considere terra Inuidia est?* Non quasi hìc nos velis, sed quasi nos ibi nolis. Renouat postremò abeundi necessitatẽ non tam per fata (nam & incerta sunt aliquando nobis, & obscura ob vetustatem, & communia nimis) sed Iouem illico auctorem presentem facit, atq; Anchisen. Quodque maius sit, horum nihil pro se studere: Ascanio hæc omnia laborari. Quibus ambitionem à se aufert, quam nefas erat amicitia esse potiorem. Consensu verborum adauget sententiam, cum appellat *puerum*, & adiungit affectum, *capitisq; iniuria chari.* Scalig. Poet. lib. 3. cap. 24.

NEC ME MEMIN. PIG. ELISÆ) Immortales tibi ago gratias, agamq; dum viuam: nam me talaturum affirmare nõ possum, ait Plancus epistola quadam ad M. Tullium. Eandem sententiam continet, quod Æneas hìc promittit. Quod autem dicit, non pigebit meminisse, pro, libenter, & volens meminero, rectè dictum est, iuxta illud Ciceronis 1. de finibus. Est autem situm in nobis, vt & aduersa quasi perpetua obliuione obruamus, & secunda iacundè, ac suauiter meminerimus. Quod ipsum grati animi officium est in acceptis beneficijs: quorũ crebra recordatio ad amandum bene meA ritos impellit: cum & bestiæ diligant eos, à quib⁹ bene sunt habitæ. *

ELISÆ) Duplex nomen gessit hæc fœmina. Dido enim iuxta, & Elisa dicta est. De vtroq; consulas disputationem Petri Fabri, Semestrium lib. 3. cap. 13.

NEC EGO HANC ABSCOND. FVRTO) Confutato ingrati animi crimine, in caussam præcipuæ quęstionis ingreditur, & attentam, docilemq; Didonem reddit. Quod ait, *nec ego hanc abscondere furto,* &c. speciem habet propositionis, quod non fugam, sed profectionem pararit. Quam statim subsequitur ratio quædam. Cur fugerem, cum nulla extiterit inter nos matrimonij coniunctio? Non enim veneram, vt te vxorem du-
B cerem: neq; id etiam feci: siquidem nullis solitis cæremonijs hoc coniugium, si ita appellandum, celebratum est. Nascimb.

Furtum vocabant, quicquid occultè fieret. Catull.

Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
Furtiuos hominum vident amores.

Tibull. *Veneris per dulcia furta.* Et noster Æneid. 9. *hic furto feruidus instat,* cum de cæde & strage nocturna loqueretur. Ex Muret. in Catull. Adde hæc. Velleius lib. 2. Pont. Max. in C. Cæsaris locum furto creatus. Statius 9. Thebaid. *Ausus erat furto dextram iniectare Leontem.* Pro insidijs, Curtius lib. 4. Parmenio peritissimus inter duces artium belli, furto, non prælio opus esse cense-
C bat: incepta nocte opprimi posse hostes.

NEC CONIVGIS PRÆTENDI TÆDAS) Vsus facum erat in nuptijs: puer patrimus eam nouæ nuptæ præferebat, cum noctu in domum mariti deduceretur: duo alij pueri eiusdem conditionis, eam deducebant. Plura Pierius lib. 46. in Facibus. Diximus alibi, ni fallor, plura de face nuptiali. Multa Delrius in Medeam Senecæ, Actu 1. ad illud, *manibus excutiam faces.*

ME SI FATA MEIS PAT. AVSPICIIS) Hanc sententiam complectuntur. Si mihi, vt volo, & opto, res ex animi sententia constituere, & curas, consiliaq; componere liceret, coloniam ad renouandum nomen, & memoriam antiquæ patriæ conderem. Sed mihi non licet
D arbitratu meo viuere: sed parendum fatis est, & imperium Italiæ fatale capessendum, non colonia tantùm condenda, cui vel in Africa possem sedem ponere. Paulò aliter vsurpauit vocem *auspicijs*, quam cum aliquem suis auspicijs gessisse bellum dicimus. Nam hic mea auspicia dicit, quæ, quod volo, pollicentur, neque voluntati meæ refragantur, & proinde pro voluntate posuit. Sic in 12. *Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,* id est, nobis fauentem, & secundum. Turneb. lib. 24. cap. 26. & lib. 26. cap. 5.

Meis auspicijs, pro, meo arbitratu, meisq; præsidijs dixit. Translatum ab Romanis imperatoribus, quibus mos erat, non committere prælium, nisi consul-
E tis auspicijs. Eius autem auspicijs res gerebatur, penes quem summa rei gerendæ potestas erat. Potest ergo in prouerbijs haberi *meis auspicijs:* cui simile est, meo Marte. Cicero in Verrem lib. 5. Præsertim cum vos vestro Marte his rebus omnibus abundetis. Nostro Marte fit, quod fit nullis auxilijs aliunde ascitis. Chiliad.

ET RECIDIVA PERGAMA POSVISS.) Pergama recidiua & hic, & lib. 10. dixit, nempe quæ reuertantur & redeant: vt recidiua in morbo dicitur: quod enim restituitur, recidere, & redire videtur. Sic

annum redeuntem recidiuum appellat Tertullianus. Reciprocarum frugum, & viuidorum elementorum, recidiui anni fidem argumentantur. Turneb. lib. 29. cap. 24. * *Rediuiua dicimus, ait Charisius, quæ post interitum redeunt: recidiua, quæ ex suo casu restituuntur. Citat hunc Maronis locum.*

QVÆ TANDEM .T. AVSONIA. C. TERRA) Ausoniam appellauit Auson Vlyssis, & Calipsus filius, eam primam partem Italiæ, in qua sunt vrbes Beneuentum, & Cales. Deinde paulatim quoque tota Italia, quæ Apennino finitur, dicta est Ausonia ab eodé duce, à quo etiam conditam fuisse Auruncam vrbem ferunt.

ME PAT. ANCHISÆ QVOTIES) Censebant inferos, furias, & huiusmodi alia terriculamenta nocturno solùm tempore inter homines vagari, die lucescente, robur omne amittere, & humanis se aspectibus subtrahere. Hinc vmbra Anchisæ solem oriri causatur lib. 5. *Et me sæuus equis oriens afflauit anhelis.* Huc pertinet illud ex Horat. sat. 5. lib. 2. *sed me sæua trahit Proserpina,* quæ scilicet inferni leges ab vmbris quibus preerat, violari non sineret. Propert. lib. 4. eleg. 7. de vmbris agens.

Nocte vagæ ferimur, nox clausas liberat vmbras,
Errat & abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethæa ad stagna reuerti:
Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.

Papin. Thebaid. 5. de vmbra Laij. *Dixit, & abscedens, etenim iam pallida turbant Sidera lucis equi.* De vmbra Theodosij sub auroram Claudian. *Dixit, & afflatum vicino sole refugit.* Hæc Delrius Comment. in Hercul. Fur. Senecæ, quæ te, vt alia eiusdem doctissimi viri libenter lecturum confidebam. Nunc quid sibi verba poetæ velint, age despiciamus.

Similem, inquit, obiurganti video in somnijs, per quietem patrem meum, & instantem, vt Italiam petam: nec id semel, sed noctibus singulis. Toties ille adest, & sua me præsentia, auctoritatis plena horrore quodam perfundit, & ex officio paternæ pietatis me de itinere à principio instituto ad finem perducendo admonet. Donatus.

NOX OPERIT TERR. AST. IGNEA SVRG.) Tibullus, vt antea docuimus, noctem siderũ matrem, Euripides in Electra eorundem nutricem vocauit.

Ὦ νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρων τροφέ.
Nox atrarum furua nutrix siderum.

Muret. lib. 5. cap. 2.

Vtilitatem magnam noctis, quod nimirum ad temporis mensurã, ac distinctioné valet, hac ratione explicat Theodoretus de Prouidentia sermone 1. Quoniam enim natura nobis mortalis est, & finitam, certisque temporis spatijs vitam circumscriptam viuimus, oportebat vtique nos temporum etiam mensuras edoceri. Nox itaque diebus media intercedens, temporis mensuras constituit. Nam si lux quædam perpetua, nullo alio intercedente medio permansisset, certè nec annorum orbes, nec mensium numerum dicere, vel edocere potuissemus: sed vnica illa dies continua præsentis sæculi mensura fuisset, qualem nimirum illius sæculi futuram conditionem credimus. Illum quippe diem sine vespera fore, & omni alia successione cariturum esse, edocti sumus. Etenim huiusmodi sæculum ijs, qui immortales futuri sunt, conuenit. Cum verò in præsenti hoc, propter naturam nostram mortalem, fatoq; obnoxiam multa nobis desint, temporibus mensuras, B & spatia nouisse necessarium est, vt dum tempus hoc elabi cernimus, salutis cura tangamur, nosq; ad peregrinationem, & abitionem à sæculo præparemus.

CAPITIS INIVRIA CHARI) Vt Græci φίλη, μιαρὰ κεφαλὴ, sic Latini sæpe charum, dulce caput, scelestum, detestandum, inuisum, lepidum, ridiculum caput. Apud Plautum legas verbereum caput, periurij, scelerum caput.

Notat Lamb. in sat. Horat. 5. lib. 1. quæcunque in homine præcipuam vim habent salutis, & vitæ conseruandæ, aut quæ summam præbent voluptatem, atq; vtilitaté, à poetis Græcis chara dici, vt φίλη ψυχὴ, φίλον κῆρ, φίλος θυμὸς, φίλα γυῖα, φίλη κεφαλὴ, φίλα ὄμματα, C φίλοι ὀφθαλμοὶ, φίλη μήτηρ, φίλα τέκνα. Sed hìc charum caput de capite Ascanij, seu Ascanio dicitur. Quin autem & latinè quis suum caput sibi charum rectè appellet, nemo dubitat. Horat. Sat. nominata. *Si increbuit aura, Cantus vti velet charum caput.*

QVEM REGNO HESPER. FRAVD. ET FAT. ARVIS) Ob familiam Iuliam, cui fatis imperium poeta debitum fuisse canit, non sine blandimento quærendæ gratiæ Cæsaris dictum est. Turneb. lib. 26. cap. 5.

ITAL. NON SPONTE SEQVOR) Intelligendum est, aliud esse, non sponte facere, aliud inuitum facere. Neque enim quisquis non sponte fecit, inuitus fecisse dicendus est. Vbi vis adhibetur, is demum planè D inuitus facit, qui ad vim extrinsecus adhibitam, nihil ipse omnino confert. Vt si per vim deiectus, aut casu lapsus à tecto, ruina mea aliquem obtriuero. Sin ipse quoque aliquid conferat, non agit quidem omnino sponte, sed non agit inuitus. Qui merces, leuandæ nauis caussa in mare proijciunt, non planè sponte agunt: quis enim res suas sanus sponte proijciat? sed nec prorsus inuiti quidem. Est enim ijs liberum simul cum eis mergi, si velint. At illud malunt: sponte igitur, vt vitam periculo eripiant, mercium iacturam faciunt. Hæc Muret. Commentario libelli de legibus, & senatusconsulto.

Talia dicentem iamdudum auersa tuetur,
Huc illuc voluens oculos, totumq; pererrat
Luminibus tacitis: & sic accensa profatur.
Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: sed DVRIS GENVIT TE CAVTIBVS HORRENS
CAVCASVS: HYRCANÆQVE ADMORVNT VBERA TIGRES.
Nam quid dissimulo? aut quæ me ad maiora reseruo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit, aut miseratus amantem est?
QVÆ QVIBVS ANTEFERAM? iam iam nec maxima Iuno,

Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis
NVSQVAM TVTA FIDES. eiectum littore egentem,
Excepi, & regni demens in parte locaui:
Amissam classem, socios à morte reduxi:
Heu furijs incensa feror. nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso
Interpres diuûm fert horrida iussa per auras.
SCILICET IS SVPERIS LABOR EST: ea cura quietos
Sollicitat: neq; te teneo, neq; dicta refello.
I, SEQVERE ITALIAM VENTIS, PETE REGNA PER VNDAS.
Spero equidem medijs (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis, & nomine Dido
Sæpe vocaturum. sequar atris ignibus absens:
Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus vmbra locis adero. dabis improbe pœnas.
Audiam, & hæc manes veniet mihi fama sub imos.

TALIA DICENTEM IAM DVDVM AVERSA TVET.) A Huiusmodi oratione & se expurgantem, & fugam excusantem, ab initio eum quasi auersata, intuita fuit.

DVRIS GEN. TE CAVCAS. HYRCANÆQVE AD. VB. TIG.) Affinia sunt hæc Catullianis illis de nuptijs.

Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit vndis?
Quæ syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis?

Idem alibi.

Num te leæna montibus Libyssinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte
Tam mente dura procreauit, ac tetra,
Vt supplicis vocem in nouissimo casu
Contemptam haberes? ah nimis fero corde,

Tibull. lib. 1. eleg. 1.

Flebis, non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.

Lege quæ diximus in Eclog. 8. super illis, *Nunc scio quid sit amor*. Eadem Dido apud Nasonem epist. ad Æneam.

Te lapis, & montes, innatáq; rupibus altis
Robora, te sæuæ progenuere feræ.
Aut mare quale vides agitari nunc quoq; ventis:
Quo tamen aduersis fluctibus ire paras.

Similiter apud Nasonem 8. Metamorph. detestatur Scylla Nisi Megarensium regis filia Minoem regem Cretensum, Iouis & Europæ filium, se contempta discedentem, cui tamen patriam prodiderat, ex impotenti amore videlicet, cui nihil est tam sanctum, quod non violet.

Hanc quoq; (Cretã) si prohibes, & nos ingrate relinquis,
Non genetrix Europa tibi est, sed inhospita Syrtis,
Armeniæq; tigres, Austroq; agitata Charybdis.
Nec Ioue tu natus, nec mater imagine tauri
Lusa tua est: generis falsa est ea fabula, verùm
Et ferus, & captus nullius amore iuuenca
Qui te progenuit taurus fuit.

Deniq; tota oratio Scyllæ, *Quo fugis? exclamat*, &c. valde concordat cum querela Didonis, *tacitumq; mea discedere terra*, &c. Sic Ouid. amicum diris figit, qui fidem violauerat, lib. 1. Trist. eleg. 7.

Non ego te genitum placida reor vrbe Quirini,
Vrbe, meo quæ iam non adeunda pede est:

Sed scopulis Ponti, quos hæc habet ora, sinistri,
Inq; feris Scythiæ, Sarmaticisq; iugis.
Et tua sunt silicis circum præcordia venæ:
Et rigidum ferri semina pectus habet.
Quæq; tibi tenero quondam ducenda palato
Plena dedit nutrix vbera, tigris erat.

Pulcherrima sanè disputatio est Phauorini philosophi apud Gell. lib. 12. cap. 1. qua ille nobili fœminæ suadet argumentis pluribus, vt liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret. Qua de re item Plutarchus lib. de educandis liberis, & lib. 1. cap. 4. eiusdem argumenti Maphæus Vegius. Sed in Gelliana illa dissertatione sub finem est his verbis, quod quidem B huic loco illustrando faciat. Patiemur ne igitur infantem hunc nostrum pernicioso contagio infici? & spiritum ducere in animum, atque in corpus suum ex corpore, & animo deterrimo? Id hercule ipsum est, quod sæpenumero miramur, quosdam pudicarum mulierũ liberos, parentum suorum neq; corporibus, neq; animis similes existere. Scitè igitur, & peritè noster Maro, qui cum versus illos Homeri consectaretur, Patrocli, inquã, Achillem obiurgantis Iliad. π ob animum præfractum, & inexorabilem,

Νηλεὲς, οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεὺς,
Οὐδὲ Θέτις μήτηρ, γλαυκὴ δὲ σ' ἔτικτε θάλασσα,
Πέτραι δ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνὴς,

C non partionem solam, tanquam illam, quam ille sequebatur, sed alituram quoque feram, & sæuam criminatus est. Addit enim hoc de suo, *Hyrcanæq; admorunt vbera tigres*. Quoniam videlicet in moribus inolescendis, magnam ferè partem ingenium altricis, & natura lactis tenet: quæ iam à principio imbuta paterni seminis concretione, ex matris etiam corpore, & animo recentem indolem configurat.

Adde his ex Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3. Rectè addita vis nutritionis. Neque enim satis, bonis prognatum esse: sed primis alimentis augeri, aut immutari infantium naturam. Propterea quod & ætas est prope principia, atq; in ipsis principijs: & lac haud ita multum abest D à seminis natura. Etenim sanguis discoctus alter in mamillis, alter in testiculis. Vide etiam Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 11.

Quæri potest, naturá ne, an educatione, & disciplina homines seu meliores, seu deteriores euadant.

Horat. Ode 4. lib. 4. primum locum naturæ, & generi, secundum institutioni, educationiq; tribuit. Idem Plato facit in oratione funebri. Idem Aristoteles 3. Polit. Idem Euripid in Hecuba. Videtur idem sentire M. Tullius 2. Philipp. An verebare, ne non putaremus te natura tam improbum potuisse euadere, nisi accessisset etiam disciplina?

CAVCASVS HORRENS) Vide quid de eo tradat Strabo lib. 10.

NVM FLETV INGEM. NOSTRO) Quæstionem soluit, & ab effectu Æneam crudelem esse probat, qui ipsa lugente, ne ingemuit quidem, aut vllum pietatis, ac misericordiæ erga illam signum ostendit, perinde quasi sensibus omnibus careret. Percurrit autem omnes fere extenuationis circumstantias, quæ in hac re attingi possunt, gemitus, oculorum flexiones, lacrymas, misericordiam: hæc omnia humanitatis, pietatisq; signa sunt: quorum omnium cum Æneas expertem se præstiterit, illius crudelitas vehementer exagitari, deturparique videtur. Vtq; animum reginæ concitatum, iracundiæ, dolorisq; affectibus perturbatū poeta ostenderet, colore Repetione vtitur, quæ breuib⁹ sententijs, crebrisque figurarum mutationibus adiuncta, cum orationem valde patheticam, tum iratæ personæ naturam, moresque demonstrat. Nascimb.

QVÆ QVIBVS ANTEFERAM) Ἀπορία, quid prius, quid posterius dicam? Figura, cum animo perplexi, nescimus quid potissimùm dicamus, aut faciamus. Mox nimio iracundiæ æstu agitata, vbi satis in Æneam oblocuta est, ne dijs quidem parcit, & in Iunonem, ac Ioué, qui sunt dij γαμήλιοι, more desperantium, iram omnem effundit, iniustitiæ, & iniquitatis illos accusans. Nascimb.

NVSQVAM TVTA FIDES) Id est, non tutum est quemquam in fidem recipere, aut de quoquam bene mereri: cum tanta in hominibus perfidia, & ingrati animi peruersitas, & prauitas reperiatur. Nam Æneas, de quo tam bene merita sum, in me ingratus est, & ingrato tamen animo prætexit deorum imperium, perfidiæ latebram quærens, cum simulet se deorum iussis cogi: id enim est, *Nunc Lycia sortes, nunc & Ioue missus ab ipso*. Turneb. lib. 26. cap. 5. * *Similiter dictum hoc à Virgilio, vt illud in Terentio, And. in persona Birriæ serui, conquerentis de leuitate, & perfidia Pamphili, qui patri se vxorem ducturum, contra fidem sodali suo Charino datam facillimè promiserat.* Nulla ne in re esse homini cuiquam fidem? *Rursum Adelph.* Ah me miseram: quid iam credas, aut cui credas? *Et sollemne est hominibus, propter vnam culpam queri de omnibus.*

EIECT. LITTORE EGENT. EXCEPI) Epistola ad Æneam, ipsa apud Ouid.

Fluctibus eiectum tuta statione recepi,
Vixq; bene audito nomine regna dedi.

Seneca de Beneficijs lib. 7. cap. 25. Aristippus aliquando delectatus vnguento: Male, inquit, istis effæminatis eueniat, qui rem tam bellam effæminauerunt. Idem dicendum est, male istis improbis, & importunis beneficiorum suorum quadruplatoribus eueniat, qui tam bellam admonitionem inter amicos sustulerunt. Ego tamen vtar hoc iure amicitiæ, & beneficium ab eo repetam, à quo petijssem, qui alterius beneficij loco acceptturus est, potuisse reddere. Nunquam ne querens quidem dicam, *eiectum littore egentem Excepi, & regni demens in parte locaui*. Non est ista admonitio, non: conuitium est. Satis abundeque est, submissis, & familiaribus verbis memoriam reuocare, *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam Dulce meum.* Ille inuicem dicat, Quid ni meruerıs? eiectum littore egentem, excepisti. Notabis igitur, auctore Seneca, horum versiculorum festiuum, elegantemque vsum. Obseruauit Hartungus Decuria 3. cap. 9.

HEV FVRIIS INCENSA FEROR) Cum desint plura exprobranda, exclamat per indignationem. Et quia culpam fugæ, si qua esset, in deos Æneas transferebat, hunc Dido cum conetur refellere argumentis, neque valeat, mimesi ludit. Montfort.

NVNC AVGVR APOLLO) Augurem appellat etiā Horat. Ode 2. lib. 1.

——tandem venias precamur
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.

Vbi *μάντιν* intellige, id est, futurorum prouidum, qui præsentit ac diuinat futura, eaq; interpretatur. Sic Chiron apud Pindarum πύθ. ᾠδ. θ. ait Apollini rerum omnium euentum certum, fixum, notum esse: illum rerum progressiones, & caussas cernere: illum scire quot frondes ineunte vere terra profundat, quot arenæ in mari, & fluminibus impetu ventorum, & fluctibus agitentur. Et apud Ouid. lib. 1. Metam. ipse de se, *per me quod eritq;, fuitq;, Estq;, patet.*

IOVE MISSVS AB IPSO INTERP. DIVVM) Mercurius deorum nuntius. Horat. Ode 10. lib. 1. *Te canam magni Iouis, & deorum Nuntium.*

SCILICET IS SVPERIS LABOR EST) Ludit argumenta, & caussas nauigationis, ironia, cum non sit, quibus refutet: respiciens ad quorundam philosophorum impiam opinionem, tollentium diuinam prouidentiā. Montfortius.

Terent. And. *Id populus curat scilicet.* Epicureum dogma est, vt meminit Cicero 1. de nat. deor. Quod æternum beatumque sit, id nec habere ipsum negotij quidquam, nec exhibere alteri. Itaque neque ira, neque gratia teneri: quòd quæ talia essent, imbecilla essent omnia. Quam sententiam impiam, & à sacris Christianorum litteris longe alienissimam, expressit hisce versibus Lucret. lib. 1.

Omnis enim per se diuûm natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, seiunctaq; longè.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

NEQVE DICTA REFELLO) Oratorium verbum est, refellere. Oratorum enim est argumenta aduersariorum refellere, id est, refutare, ac dissoluere. Post, ironica concessione Æneam arguit imprudentiæ, ac temeritatis, qui in tali tempore, mari tempestuoso nauigare audeat. Et pessimè ominatur, coniectura ducta ex eius crudelitate, deorumque iustitia, quos tamen paulò ante vt iniustos criminata est, vt inconstantiam furentis fœminæ agnoscas. Nascimb.

I, SEQVERE ITALIAM VENTIS) Terentianum illud simile huic, in persona Demeæ ad Mitionem, de corrupto filio. *tibi si istuc placet, Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.*

SPERO EQVIDEM MED. SVPPLICIA HAVS. SCOP.) A difficultate perueniendi in Italiam, si modo perueniat. Nam si in scopulos impingat, id quod optat, expendet dijs perfidiæ suæ pœnas. Obseruandum, medios scopulos hic dici, qui inter Africam, & Italiam sint occursuri. Montfort.

SEQVAR ATRIS IGNIBVS ABSENS) Seruius putat hoc poetam velle, sequar te nauigantem flammis rogalibus, quia occidam me. Et huiusmodi flammę viliæ sunt mali ominis. Hæc explanatio nō placet: melius est, accipere dictum de facibus furiarum, quas ei, vt scelerato, minatur

minatur. Eas autem Cicero, vt alibi retulimus, conscientiarum stimulos, & surda illa verbera, angores, & cruciatus animi ob maleficia interpretatur. Idem tamen quæ sequuntur, Seruius, non imperite.

ET CVM FRIGIDA MORS) Frigida mors, vt frigus pigrum, ab effectu. Horatio gelida. *gelidaq; diuos Morte carentes.* Huc adde Lucretij, *Et gelidos artus in lethi frigore liquit.* Virgil lib. 9. *Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen Frigidus.*

ANIMA SEDVXERIT ARTVS) Hypallage est, pro animam artubus seduxerit.

OMNIBVS VMBRA LOCIS ADERO) Dicunt Physici, *τοὺς βιοθανάτους* animas non recipi in originem suam, nisi vagantes legitimú fati tempus compleuerint: quod B poetæ ad sepulturam transferunt, vt, *Centum errant annos,* lib. 6. Hæc ergo nunc dicit Dido: Occisura me ante diem sum: vaganti mihi dabis pœnas. nam te persequar semper: si autem recepta fuero in originem, pœnas tuas audiam, quas videre non potero. Hic ergo est totus sensus. Si visis rogalibus flammis euaseris tempestatem, vmbra mea te persequetur: si & hanc euaseris, vel recepta audiam famam suppliciorum tuorum.

Censebantur mortuorum manes infesti quibusdam viuis esse, à quibus illi in vita læsi fuissent, & eos pœnis exagitare. Sic etiam ab Ouidio scriptú est in Ibin.

Tunc quoq; factorum veniam memor vmbra tuorum,
Insequar & vultus ossea forma tuos.

Turneb. lib. 22. cap. 1.

Sic item ab Horatio Ode 5. Epod. vbi puer, quem Canidia cú alijs veneficis mento tenus humi defoderat, vt eum fame necaret, & ex eius iecinore, atque medulla poculum amatorium temperaret, sic illis minatur.

Quin vbi perire iussus expirauero,
Nocturnus occurram furor,
Petamq; vultus vmbra curuis vnguibus,
Quæ vis deorum est Manium:
Et inquietis assidens præcordiis,
Pauore somnos auferam,

* *Minatur & Theseo Ariadna desertori suo, homini perfidissimo,* A *apud Catull. carm. de nupt. Pelei & Thetidis, furias viua adhuc illi imprecatur.*

Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius à fesso discedent corpore sensus,
Quàm iustam à diuis exposcam prodita multam,
Cælestûmq; fidem postrema comprecer hora.
Quare facta virûm multantes vindice pœna
Eumenides, &c.

Et vmbra Iulia Pompeio apud Lucan. lib. 3. qui ab eius funere statim Corneliam pellicem in matrimonium duxerat.

En nupsit tepido pellex Cornelia busto.
Hęreat illa tuis per bella, per æquora, signis,
Dum non securos liceat mihi rumpere somnos:
Et nullum vestro vacuum sit tempus amori:
Sed teneat Cæsarq; dies, & Iulia noctes.
Me non letheæ coniux obliuia ripæ
Immemorem fecere tui, regesq; silentûm
Permisere sequi. Veniam, te bella gerente,
In medias acies, nunquam tibi, Magne, per vmbras,
Perq; meos manes generum non esse licebit.
Abscindis frustra ferro tua pignora, bellum
Te faciet ciuile meum.

Exempla terrorum, & exagitationum à manibus vel læsorum, vel interfectorum suppeditabunt historia. Vide quod Plutarchus narrat accidisse Pausaniæ, qui puellam occiderat insontem, in vita Cimonis. Vide item quod de Theoderico rege Italiæ memoret Sigonius libb. de regno Italiæ, postquam ille Boetium, & Symmachum viros optimos per scelus interimi iussit. Dicta nonnulla inuenies infra ad illum versum, Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes.

Plato in Phœdone, quæ polluta impuraque anima è corpore discesserit: hoc est, quæ illud semper amplexa coluerit, & amauerit, eius voluptatibus, ac libidi- C nibus seruierit, eam morte obita circum monumenta, ac sepulchra reuolui tradit, vt quæ prorsus ab eo non emigrarit. Sunt qui eorum animas, qui sibi mortem consciuerunt, post fata cadaueribus magis magisque vinciri, atque his assiduò cohærere, ideoque circa funus ac sepulturam peruagari suspicentur. Hinc orti phantasmatum, vmbrarum, lemurum terrores. Apuleius Apol. 1. Omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terricula menta. Poetæ verò, qui nihil sibi non permittunt, ipsas è sepulcris vmbras euocant, & inimicos suos spectris exagitare, ac imaginibus quibusdam exercere comminiscuntur. Brodæus lib. 5. cap. 11.

HIS MEDIVM DICTIS SERMONEM ABRVMPIT, & auras
Ægra fugit: seq; ex oculis auertit, & aufert,
Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere. suscipiunt famulæ, collapsaq; membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisq; reponunt.
At pius Æneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, & dictis auertere curas,
MVLTA GEMENS, MAGNOQVE ANIMVM LABEFACTVS AMORE:
Iussa tamen diuûm exequitur, classemq; reuisit.
Tum vero Teucri incumbunt, & littore celsas
Deducunt toto naues: natat vncta carina.
Frondentesq; ferunt remos, & robora syluis
Infabricata, fugæ studio.
Migrantes cernas, totaq; ex vrbe ruentes.
Ac veluti ingentem formicæ farris aceruum
Cum populant, hyemis memores, tectoq; reponunt.
It nigrum campis agmen, prædamq; per herbas
Conuectant calle angusto: pars grandia trudunt

Obnixæ

Obnixæ frumenta humeris: pars agmina cogunt,
Castigantq; moras: opere omnis semita feruet.

HIS MED. DICT. SERMON. ABRVMP.) Non suum sermonem abrumpit, sed Æneæ, qui multa dicturus erat, sed Dido exanimata, & humi collabens fecit, vt tacere cogeretur. Diximus supra, quid sibi vellet, medius sermo. ❧

Vt epitasis insurgat, fingit Didonem animo deficere præ mentis impotentia, & ægritudine: rursus Troianos fugæ studio classem studiosè reparare, omnia sarcire, priusquam à Pœnis opprimantur. Atque admirabili artificio ingenia amantium, excandescentisque reginæ ac furentis, tum autem Troianorum vim metuentium sedulitatem in expediendis nauibus, oculis subijcis. Montfortius.

AVRAS ÆGRA FVGIT) Quæ exanimatur, nec respirat. Qui enim respirat, aura fruitur: qui non respirat, aura & aëre nihil vtitur, nec vescitur. Turneb. lib. 26. cap. 5.

SVSCIPIVNT FAMVLÆ) Ex verbis istis eam, (vt vulgus semilatinorum loquitur) in deliquium cecidisse intellige. Quod veteres deficere animum, defectionem animi, linqui animo, animo male factum, & animo malè esse dicebant. Lucret. lib. 3. *Quod genus est, animo malefactum cum perhibetur, Aut animam liquisse.* λειποψυχία græcè. Plaut. Curcul. *Date viam mihi, animo malè est.* Cæsar lib. 6. de bello Gall. cap. 7. Reliquit animus Sextium grauibus acceptis vulneribus. Deficiens, ægre per manus tractus, seruatur. Tale quiddam accidit etiam Euandro, dum Pallantem vnicum suum cum Ænea abiturum ad bellum contra Rutulos extremùm complectitur. *hac genitor digressu dicta supremo Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.* Homerus aliquanto fusius dolorem, defectionemque Penelopes, vbi clam Telemachum suum abijsse cognouit, lib. Odysseæ 4. expressit, sane admodũ patheticè. principium loci est. τὸν δ' ἄχος ἀμφιχύθη θυμοφθόρον, &c. ❧

PIVS ÆN. QVAMQ. LENIRE DOL.) Duplex Æneæ commendatio, vna Troianorum. Prima illius à pietate, & commiseratione: sentit dolorem miseræ, ingemiscit, solatijs eam permulcere cupit. Secunda ab animi fortitudine, qua sibimet imperat, seseque à re iucundissima deo obsequutus auellit. Laudantur Troiani à studio, & diligentia in instruendis, deducendisq; nauibus, & rebus omnibus comparandis, quæ ad profectionem necessariæ videbantur. Haud enim libenter in Africa desidebant, cum in Latio sedes quietas, & regnum sibi promissum scirent. ❧

IVSSA TAMEN DIVVM EXEQVITVR) Pulcherrimus locus, & ad Christianos docendos quam accommodatissimus. Insculpe animo tuo, mi lector, voculas istas, *Quanquam*, & *Tamen*: & magistro saltem Marone disce diuina humanis antiquiora habere, & chariora ducere in omni genere, in omni tempore. Cogita tecũ sæpissime, deum esse amandum super omnia: quem is demum vere amat, qui eius iussa exequitur, postpositis omnibus. Quanquam igitur blandissimæ dominæ voluptates te inuitent, animumque tuum pertentent, tamen iussa dei exsequere, & citius vitam, quam vitæ auctorem desere. ❧

MIGRANTES CERNAS) Secundam pro tertia persona posuit, *cernas* pro cernat quis, vt Terent. *Fidelẽ haud ferme mulieri inuenias virũ*: pro inueniat quis, vel inuenire possit. Plaut. Capt. *videas corde amare inter se.*

VELVT INGENTEM FORMICÆ FARRIS ACERVVM) Lucem accipiet hic locus, & celebrabitur huius bestiolæ, formicæ, inquam, diligentia, nobilium auctorum sententijs. Primus esto Plutarchus lib. Vtrum animalia plus rationis habeant, terrestria, an aquatica. *Nullum enim natura maximarum, pulcherrimarumq; rerum tam augustum speculum habet: quoniam hic ceu pura quadam in guttula, virtutis totius significatio clarissimè relucet. Amicitiæ imago est, illa inter ipsas communicatio: fortitudinis simulacrum, illa in ferendis laboribus alacritas: multa temperantia, prouidentiæ multa, multa iustitiæ semina, & argumenta sunt. Iam verò nota sunt omnibus, illa primum in occursu beneuolentia, dum vacua onustis cedunt via, ac transitum prabent: dum quæ vel gestatu, vel importatu difficiliora sunt, arrosa partiuntur prius, ac gestabile pondus in plurimos distributum reddunt: dum semina exponunt, siccantq; sub dio, quam rem pluuiæ signum Aratus fecit. Omnem verò intelligentiæ cogitationem superat illa, ne rursus in frugem exeant semina, procuratio: neq; enim vt sicca incorruptaue in antrum congesta semina maneant, contingit: sed mox humiditate loci perfusa, lacteum quiddã contrahant, mollescantq;, ac verti in herbam pergant. Vt ne igitur pullulent, ac in frugem corrumpantur, alimentiq; vim amittant, durent autem, & esui sint, vmbilicũ grani, quà mitti germen solet, erodunt multò ante, castrantq;.* Vide & Plin. lib. 11. cap. 30. Phocylid.

Μύρμηκες γαίης μυχάτους προλελοιπότες οἴκους,
Ἔρχονθ' βίβλοιο κεχρημένοι, ὁππότ' ἄρουραι
Λήϊα πειράμεναι καρπῶν πλήθουσιν ἀλωαὶ
Οἱ δ' αὐτοὶ πυροῖο νεοτριβέας ἄχθος ἔχουσιν,
Ἢ κριθῶν, αἰεὶ δὲ φέρον φορέοντα δίωκει,
Ἐκ θέρεος ποτὶ χεῖμα βορὴν σφίσιν ἐσάγοντες
Ἄτρυτον: φῦλον δ' ὀλίγον τελέθει πολύμοχθον.

Horat. Sat. 1. lib. 1.

Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Se se ferre, senes vt in otia tuta recedant,
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria, sicut
Paruula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit quodcunq; potest, atq; addit aceruo
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ simul inuersum contristat Aquarius annum,
Non vsquam prorepit, & illis vtitur antè
Quæsitis patiens.

Ouid. 7. Metamorph.

Hic nos frugilegas aspeximus agmine longo
Grande onus exiguo formicas ore gerentes,
Rugosoq; suum seruantes cortice callem.

Infrà graniferum agmen lepidè vocat. Per formicam diligentissimam inuestigationem, solertiamq; in ijs comparandis, quæ ad vsum vitæ facerent, ostendebant. Formica siquidem ea quoque deprehendit, quæ quisquam accuratissimè occultauerit. Mox & prouidentiam, quia memor hyemis, cibaria comparat, & recondit, & cellas promptuarias facit, semina interim, ne renascantur, morsu secat. Lege quæ sequuntur, digna cognitu apud Pierium lib. 8. in Formica.

IT NIGR. CAMPIS AGMEN) Ennij hemistichiũ est. dixerat ille de elephantis. Rei humilitatem magnitudine verborum extollit. videtur enim nõ de formicis, sed de militum turmis agere. Sic in 4. Georg. cum de apibus loquitur, rem verbis mirum in modum effert.

Admiranda tibi leuium spectacula rerum,
Magnanimosq; duces, totiusq; ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.

Con-

CONVECTANT CALLE ANGVSTO) Non, *conuehunt*, dixit, sed *conuectant*, quia non semel tantùm, sed sæpius, more militum prædantium hoc faciunt. Virgil. 9. Æneid. *Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto*. Illud etiam diligenter obseruandũ est, poetam spondei tar- A ditate vehendi tarditatem, difficultatemq́; designare voluisse. Nam formica animal paruum est, nec nisi magno labore, ac tarditate granũ impellere potest: cui illud quoq; accidit perincõmodum, quod calle angusto, multisq́; difficultatib⁹ impedito illud trahit. Nascimb.

Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus?
Quosúe dabas gemitus, cum littora feruere latè
Prospiceres arce ex summa, totumq́; videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
IMPROBE AMOR, QVID NON MORTALIA PECTORA COGIS?
Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & supplex animos submittere amori:
Ne quid inexpertum, frustra moritura, relinquat.

QVIS TIBI TVNC DIDO CER. TAL. SENS.) Tale quid accidisse Ariadnæ à Theseo in littore desertæ narrat Catullus politissimis versibus.

Namq; fluentisono prospectans littore Dia
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur,
Indomitos Ariadna gerens in corde furores.

Similes interrogatiões sunt illæ. Terent. Adelph. *Quid illi tandem creditis fore animi misero?* Cic. Philipp. Quid tibi tunc animi? Demosth. contra Aphobũ. τίν' οἴεσθε αὐτὴν ψυχὴν ἔχειν, ὅταν ἐμὲ μὲν ἴδῃ, &c. Apollon. ζεῦ ἄνα, τίς πολίας νόος; Duorum sensuum mentio fit à poeta, visus, & auditus. Videbat, quæ parabant ad abitũ: ipsos C præ lætitia clamantes, & inter se gratulantes audiebat: quæ ambo mirè cruciabant Didonem. German. Vrsin. Nascimb. * *Cernenti talia, inquit, non, audienti: quo maiorem necesse fuit dolorem exoriri* Segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus, *inquit, ad Pison. Horatius. Quare tyranni quos grauius cruciare volunt, eos aliorum aspicere supplicia prius, charorum maximè, cogunt.*

IMPROBE, AMOR QVID NON) Cum indignatione B exclamatio in amorem, qua potestas eius extollitur. Similis illa in aurum lib. 3. *Quid nõ mortalia pectora cogis Auri sacra fames?* Sumpsit ex Apollonij lib. 4. σχέτλι' ἔρως μέγα, &c. hoc discrimine, quod Græcus nonnulla incommoda, quæ ex amore proueniunt, separatim pluribus recenset, discordias, luctus, gemitus, doloresque infinitos: Virgilius communiter paucis omnia complectitur. Nascimb.

IRE ITERVM IN LACRYMAS) Dicit ad quid Didonem amor coëgerit, & id planè pręter decorum reginæ. Sed amantes seruiunt, & amor est durissima seruitus. Nascimb. * *Hanc ipsam seruitutem non tibi videtur hic describere Virgilius? iterum flere, iterum precari verbis summissis, alios rogatum allegare, & sese penitus amori quasi conculcandum subijcere.*

NE QVID INEXPERTVM RELINQVAT) Horat. ad Pisones. *Nil intentatũ nostri liquere poetæ*. Terent. And. *Omnia experiri certum est prius, quam pereo*. Et rursum, *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.*

Anna vides toto properari littore circùm:
Vndiq; conuenere: vocat iam carbasus auras,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. miseræ hoc tamen vnum
Exequere Anna mihi. solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus.
Sola viri molles aditus, & tempora noras.
I soror, atq; hostem supplex affare superbum.
Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui, classemúe ad Pergama misi:
Nec patris Anchisæ cineres, manesq́; reuelli.
CVR MEA DICTA NEGAT DVRAS DEMITTERE IN AVRES?
Quò ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti:
Exspectet facilemq́; fugam, ventosq́; ferentes.
Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro:
Nec pulchro vt Latio careat, regnumq́; relinquat.
Tempus inane peto, requiem, spatiumq́; furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam (miserere sororis)
Quam mihi cum dederis, cumulatam morte relinquam.

VOCAT IAM CARBAS. AVRAS) Ouid. *Torta coronatae soluunt retinacula puppes.* Vocat carbasus auras, pro auræ vocant carbasa, nota, & Virgilio valde familiaris figura, Inuersio scilicet, siue hypallage. lib. 3. *lenis crepitans vocat Auster in altum.* Ibid. *& vi cursus in altum Vela vocet.*

A

PVPPIB. ET LÆTI NAVTÆ IMPOS. CORON) Ex antiquorum ritu dictum est [*Vt etiam monumentum 1. Georg. vbi idem versus ad verbum repetitur positum*] qui tutelas, & deos in puppi nauis cõsecrabant, vt ea quoddam tanquam sacrarium essent, vel sacellum. Ita initio cursus, velleribus, festa fronde, verbenis, sertis in deorũ honorem puppes ornabant: vt & alijs templa ferijs solebant ornare. Turneb. lib. 26. cap. 5. Lętitiæ, inquit Nascimb., securitatisq; animi signũ est, coronare naues: id enim facere solebant nautæ, cum præsertim aliquo migrarent, vbi se aliquid boni consecuturos sperarent.

B

HVNC SI POTVI. TANT. SPERARE DOLOR.) Sperare pro timere ἀκυρολογία est, speramus bona, timemus aduersa. Hoc autem dicit: Si scissem abiturum Æneam, non tantum dilexissem: si non ita dilexissem, minus nunc dolerem. Si potui, pro si potuissem, enallage temporis. Seruius.

PERFIDVS ILLE) Non Æneas, sed ille, sicut apud Terent. And. Charinus Birriæ de Philumena, *Quid ais Birria? datur ne illa hodie Pamphilo Nuptũ?* velut amatoriè de certa loqueretur persona. Sic suprà Pamphilus Mysidi de Glycerio. Quid agit? vbi similiter Donatus, amatoriè inquit, & familiariter nõ addidit, quæ. Virgil. *Quæ mihi reddat eum, vel eo me soluat amantem.*

C

ARCANOS ETIAM TIBI CRED. SENS.) Arcani sermonis significatio trahitur siue ab arce, quæ tutissima pars est vrbis, siue à genere sacrificij, quod in arce fit ab auguribus, adeo remotum à notitia vulgari, vt ne litteris quidẽ mandetur: sed per memoriam successorum celebretur: siue ab arca, in qua quæ clausa sunt, tuta manent, cuius ipsius origo ab arcendo pendet. Festus. Sic ferè Nonius: Arcanum dicitur secretũ vel absconditum, quod quæ in arcis sunt, celata sunt, & abscõdita.

VIRI MOLLES ADITVS, ET TEMPORA) Suprà, *Tentaturum aditus, & quæ mollissima fandi Tempora.* Pertinent huc etiam quæ in eum versum attulimus. In Monostichis εἰς καιρόν.

D

Ἅπαντα καιρῷ χάριν ἔχει τριγώμενα:

Omnia suo percepta recreant tempore

Molliores aditus sunt, & tempora ad agendum opportuniora cum otiosis, quietis, & molestia vacuis, quam cum perturbatis, ac sollicitis: cum valentibus, quam cum ægrotis, cum lætis, quam cum mœstis: cum gaudentibus nostris sermonibus, quam cum eos non requirentibus. Certè in epistolis reddendis Cic. tempus captari voluit, vide Epist. 16. lib. 11. ad familiar. Et Horat. in volumine per Vinnium reddendo Augusto epist. 13. lib. 1. Biblis apud Nasonem Metamorph. lib. 9.

E

Forsitan & missi sit quadam culpa ministri,
Non adijt aptè, non legit idonea, credo,
Tempora: nec petijt horamq́, animumq́, vacantem

Trist. lib. 1. eleg. 1.

Si poteris vacuo tradi: si cuncta videbis
Mitia: si vires fregerit ira suas.

Vespasianus, auctore Suetonio, cap. 21. nullo tempore, quam in balneo, & triclinio comior, eaq; momenta domestici ad aliquid petendum magnopere captabant.

CVM DAN. TROIAN. EXSCIND. GENT. AVLIDE IVRAVI) Horat. Ode 15.

——— *Mala ducis aui domum*
Quam multo repetet Græcia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.

Eustathius in illum locum Homeri, Iliad. β. τῷ δὲ συνθεσίαι τε καὶ ὅρκια βήσεται ἡμῖν, hæc tradit ex Stesichoro. Cum Græcorum fortissimus, & præstantissimus quisq; Helenam sibi vxorem expeteret, tum propter generis splendorem, tum propter eximiam formã, pater Tyndareus, seu Tyndarus, veritus ne vno delecto, & cæteris antepositо, alios sibi inimicos & infensos redderet, eos omnes ad iusiurandum adegit, ei cui filiam suam in matrimonium collocaret, opitulaturos, si qua in illum propter Helenam à quoquam inferretur iniuria. Quo iureiurando ab omnibus dato, & accepto, Helenam Menelao despondit: ita non multo pòst tempore rapta Helena, principes Græcorum in societatem belli venerunt, iurisiurandi religione obstricti. Hæc ex Lamb. in eundem locum. Horat.

Coniurarunt duces illi Græcorum, vindicaturos Menelao factam iniuriam, antequam appellerentur in illam Bœotiæ partem Aulidem, vbi aduerso detenti vento, versus Ilium cum classe procedere nequierunt prius, quam Dianæ Agamemnoni propter ceruam iaculo confixam vehementer iratæ, responso Calchantis Iphigenia ipsius Agamemnonis filia immolanda decerceretur. Ouid. lib. 12. Metamorph.

Desuit officio Paridis præsentia tristi
Postmodo qui rapta longum cum coniuge bellum
Attulit in patriam, coniurataq́, sequuntur
Mille rates, gentisq́, simul commune Pelasgæ.
Nec dilata foret vindicta, nisi æquora sæui
Inuia fecissent venti, Bœotiaq́, tellus
Aulide piscosa puppes tenuisset ituras.

Vide lib. 2. ibi. *Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,* &c. *Ad Pergama,* in Pergama, seu contra Pergama. Ad, enim valet hìc, aduersus: quo pacto Græci πρός solent vsurpare. Horat. 9. Epod.

Ad hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Cæsarem.

id est, contra hunc, Antonium videlicet. Nam Galli equites ab Antonio ad Cæsarem defecerunt. Martiam Reguli coniugem eo in Africam ad supplicium reuertente, maritum prosequi cupientem simili sententia lamentantem inducit Silius lib. 6.

Non ego Amyclæum ductorem in prælia misi,
Nec nostris tua sunt circumdata colla catenis.

NEC PAT. ANCHIS. CIN. MAN. REVELLI) Nullum genus hominum detestabilius, sepulcrorum violatoribus. Concil. Toletan. 4. can. 45. decreuit, quòd clericus, si in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur, ab ordine suo submoueatur, & triennio pænitentiæ deputetur. Crimen hoc si patrauerit vir patricius, videlicet ossa, corporisq; reliquias bustis suis, locisq; eximens, exilio perpetuo: si vero plebeius, aut mediocris fortunæ ciuis, extremo supplicio mulctabitur: qui verò, cuiuscunq; tandem sortis fuerit, armata id manu, latronis instar fuerit aggressus, capitaliter omnino plectendus erit. Hæc, multoq; plura, liberali eruditione plena, super sepulcrorum violatoribus cap. 17. Apologiæ pro defunctis Petrus Bacherius.

CVR MEA DICTA NEG. D. DIMIT. IN AVR.) Caussam suam egit Dido, dum rationẽ petitionis Annæ præscribit, & per speciem vtilitatis Æneæ, sibi pulchre cõsulit.

EXTREM. MVNVS) Quæ extrema petuntur, solent impetrari facilius. Vnde & statim sorori, *Extremã hanc oro veniam.* Adduntur duo velut arietes ad animum quamuis obfirmatũ expugnandum, *amanti,* &, *misera.*

REQVI-

REQVIEM SPATIVMQVE FVRORI) Eadem Dido in epist. apud Ouid.

Dum freta mitescunt, & amor dum temperat vsum,
Fortiter ediscam tristia posse pati.

Respexit etiam huc Naso lib. de remed. amor. in persona Circes ad Vlyssem iam ab insula soluentem.

Ne properes oro, spatium pro munere posco:
Quid minus optari per mea vota potest?

Sic & Tacitus lib. Annal. 13. de Octauio Sagitta Pontiam depereunte, & eius nuptias ambiente, his verbis. A Octauius contrà modò conqueri, modò minitari, famam perditam, pecuniam exhaustam obtestans, denique salutem, quæ sola reliqua esset, arbitrio eius permittere: ac postquam spernebatur, noctem vnam ad solatium poscit, qua delinitus, modum in posterum adhiberet.

EXTREMAM VENIAM) Extremam gratiam, vltimũ beneficium. Lib. 10. *Sin altior istis Sub precibus venia vlla latet.* Pollicetur deinde, se non ante morituram, quam ei cumulatissimè responderit. Nascimb.

Talibus orabat, talesq; miserrima fletus
Fertq;, refertq; soror: SED NVLLIS ILLE MOVETVR
FLETIBVS, AVT VOCES VLLAS TRACTABILIS AVDIT.
Fata obstant, placidasq; viri deus obstruit aures.
Ac veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, & altè
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis, & quantùm vertice ad auras
Ætherias, tantùm radice in tartara tendit.
Haud secus assiduis hinc, atq; hinc vocibus heros
Tunditur, & magno persentit pectore curas:
Mens immota manet, lacrymæ voluuntur inanes.

FERTQVE REFERTQVE SOR. SED NVLLIS ILLE) Fert ad Æneam, & iterum fert, sæpius fert. Sæpius ei querimonias, & lacrymas Didonis exponit, eum eius verbis orat, ne abeat. Si id non possit, adhuc ad tempus hæreat Carthagine, dum miseræ mulieri dies leniat ægritudinem, & consuetudine dolendi, dediscat dolere. Sed hæc omnia incassum. Caussa subditur, fata & deus: & ad viri constantiam in optima sententia exprimendam, illustris adhibetur comparatio. ✻

Gratissimo animo fuisse Æneas ostenditur, quum tam luculentis verbis in primo gratias agit reginæ, ob clementer auditam legationem, atque socios receptos: & quum in hoc libro, his ipsis verbis:

——— ego te, quæ plurima fando
Commemorare potes, nunquam, regina, negabo
Promeritam.

Pollicetur enim æternã apud se memoriam beneficij. *Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.* Ne igitur crudelem, aut ingratũ putes, vbi dicitur, *sed nullis ille mouetur Fletibus.* Reiectus enim est & effectus, & caussa in deos, illo versu, *Fata obstant, placidasq; viri deus obstruit aures.* Ita placidæ suapte natura erant aures, fato autem factæ duræ. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 12.

✻ *Suprà eandem animi constantiam sic expressit,* ille Iouis monitis immota tenebat Lumina, & obnixus curam sub corde premebat. *Horat. Ode 7. lib. 3.* Frustra. nam scopulis surdior Icari Voces audit adhuc integer.

PLACIDASQ. VIRI DEVS OBSTRVIT AVR.) Placidissimi viri aures deus obstruit, dei iussa faciunt virum alioqui mitissimum, & exoratu facillimum, prorsus inexorabilem. Locutus est eodẽ modo Tacitus Annal. 10. B Restitit idem Valentinus, obstruxitq; ciuitatis suæ aures. Notauit. German.

AC VELVTI ANNOSAM QVERCVM) De animo Didonis inexorabili aliunde duxit similitudinem lib. 6.

Nec magis incepto vultum sermone mouetur
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Ad huiuscemodi siue pertinaciam, præfractumque, & inexpugnabilem animum, siue constantiam exprimendam, valebit etiam adagium illud, Incus maxima non metuit strepitus.

ALPINI BOREÆ) Cum à septentrionibus spiret Boreas siue Aquilo, cur illum poeta Alpinum vocat? Proditum litteris est à magnis auctoribus, Riphæos, & C Alpes eosdem dici montes, qui ab Hyperboreis incoluntur. Athenæus item lib. 6. Riphæi montes inquit, qui postea Albij, nunc Alpes. Dicitur autem Aquilo à vehementissimo, aut perceleri volatu. D. Hieronymus scopam viarum appellat, tanquã difflando perpurget, quicquid temere in vijs obiacet, simulque conuerrat etiamnum puluerem. E diuerso Austrum ab eodẽ dici reperio, pincernam pluuiarum, quoniam esse Notum pluuiæ conciliatorem indicio nomen est, quod ab humoris ratione ducitur. Rodigin. lib. 15. cap. 7.

CONSTERNVNT TERR. FRONDES) Lucret. lib. 5. *Concidere, atq; graui terram consternere casu.*

MENS IMMOTA MANET) Philo, Comment. Quod omnis probus liber, ex Zenone Stoicorum principe: Facilius est vtrem inflatum mergere, quam quemuis virum probum inuitum ad aliquid agendũ cogere. Nam inuictus animus, rationis rectæ placitis confirmatus, cedit nemini.

Tum verò infælix fatis exterrita Dido
MORTEM ORAT: TÆDET CÆLI CONVEXA TVERI.
Quò magis inceptum peragat, lucemq; relinquat,
Vidit, turicremis cum dona imponeret aris,

 (Horren-

(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaq; in obscœnum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Præterea, fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niueis, & festa fronde reuinctum.
Hinc exaudiri voces, & verba vocantis
Visa viri, nox cum terras obscura teneret:
Seraq; culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.

FATIS EXTERITA) Quod Æneas fato ex Africa trahi videretur, seu necessitate quadã fatali, vnde ipsam vitæ pigere cœpit. Cogitantem autem de vita abrumpenda, incitarunt magis, & ad peragendum incœptum hortata sunt omina, ostenta, & responsa vatum, quibus omnibus ei mortem denuntiari apparebat.

CÆLI CONVEXA TVERI) Annotant Grammatici quidam, conuexum cælum cerni non posse, sed eius concauum. Ac deniq; conuexa pro concauis dixisse poetam, &c. vide locum illum lib. 1. *Classem in conuexo nemorum*, &c. Porrò qui mori cupiunt, ijs lux, quæ ipsa vita est, semper infensa esse solet. Hinc illud lib. 6. *lucemq́, perosi Proiecere animas.* Nascimb.

LVCEMQVE RELINQVAT) Ennius Annal. 3. *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.* Cic. lib. 2. de diuinat. *Luce serenanti vitai lumina liquit.*

THVRICREMIS CVM DONA IMP. ARIS) De thure, & vino in sacrificijs deorum, cum eorundem faceta irrisione hæc Arnobius lib 7. Verùm omnis hæc ratio longè est ab dijs sita, nec exigui limitis interiectione discreta. Nam si verum est, (vt à sapientibus creditur) incorporales hos esse, neque validitatis alicuius eminentia subleuari, inanis apud hos odor est, nec sensibiliter cõmouere aura eos potis est nidoris alicuius: non si mille tu pondera masculi thuris incendas, cælumq; hoc totum redundantium vaporum nebulositate cludatur. Quod enim non habet robur, & substantiam corporalem, contrectari à substantia non potest corporali: odor autem corpus est, tactis sicut naribus indicatur: à deo ergo sentiri ratione non potest vlla, qui caret re corporis, atq; omni sensu, & cogitatione priuatus est. Merum thuris est socium, quod explanari cõsimiliter poscimus, cur ei superfundatur incensioni. Si enim ratio cur fiat non ostendetur, nec habebit expositam sui caussam, non iam istud errori obijciendum est ludicro, sed (vt dicamus expressius) insaniæ, dementiæ, cæcitati. Vt enim iam sæpius dictum est, debet omne quod geritur, caussam sui habere perspicuam, nec caliginis alicuius obscuritate contectam. Si ergo fiditis facto, aperite, monstrate, liquor iste cur detur, id est, vinum superfundatur altaribus. Nunquid enim numinum corpora sitim sentiunt aridam, & eorum necesse est siccitates humore aliquo temperari? Nunquid nobis vt mortalibus mos est, cœnis intermiscere potiones, pari etiam more post solitos victus liborum, & pultium, hostiarumq; cæsarum, quo putrefiat faciliùs, & percoquatur cibus, frequentissimo irrigant, accipiuntq; se vino? Date quæso immortalibus dijs bibant, scyphos, brias, pateras, sympiniaq; depromite: & quoniam tauris pinguibusq; se dapibus, atq; opimis inferciunt escis, ne quod in stomachi tramite male transvoratum substiterit viscus succurrite, properate, Ioui optimo maximo merum, ne præfocetur, date: cupit eructare, nec potis est: ac ni illa labatur, & dissoluatur obstructio, periculum maximum est, ne oblisus intercumpatur spiritus, & viduatum remaneat sine suis administratoribus cælum. Sed frustra, inquis, inequitas nobis: non enim nos superis ob eas profundimus merum caussas, tanquam illos existimemus aut sitire, aut bibere, aut suauitatis eius affectione lætari. Honoris eis ergô datur: quò fiat illorum elatior, amplior, augustiorq; sublimitas, altaria super ipsa libamus, & venerabiles enissas carbonibus excitamus extinctis. Et quæ grauior infligi contumelia dijs potest, quam si eos credas accepto mero propitios fieri: aut honorem existimes habitum his magnum, si modo vini exigui rorem super viuidam ieceris, atq; instillaueris prunam? Non nobis est sermo cum hominibus rationis expertibus, neque quibus non sit communis intelligentiæ veritas: inest & vobis sapientia, inest sensus, verumq; nos dicere apud uos ipsi interiore iudicio scitis. Sed quid facere possumus considerare nolentibus penitus res ipsas, secumq; ipsis loqui? Facitis enim quod fieri cernitis, nõ quod fieri oportere cõfiditis: nimirum quia apud vos plus valet nullam habens consuetudo rationem, quàm rerũ inspecta natura veritatis examinatione põderata. Quid est enim deo cũ vino, aut in eius materia vis qualis, aut quanta est, quod cum effusum fuerit, sublimitas eius augescat, & honorata existimetur auctoritas? Quid, inquam, deo cum vino est, Venereis re proxima, neruos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris, & castitatis inimica? Quod in insanias, & furores mẽtes sæpius præcipitauit excitas, ipsosq; illos deos maledictis compulit exauctorare dementibus. Itáne istud non nefas, & plenum sacrilegij crimen est, honori hoc dare, quod si tu auidius sumpseris, quid facias nescias: quid loquaris ignores: ad extremũ temulenti, luxuriosi, & perditi, conuitiũ, infamiamq; merearis? Hactenus ille. *Cum dona imponeret aris.* Sic lib. 1. *aut supplex aris imponat honorem?*

IN OBSCOEN. SE VERT. VINA CRVOR.) Sen. Oedipo. *Libata Bacchi dona permutat cruor.* Etiam Valerius inter aduersa, minaciaq; prodigia refert his verbis lib. 1 de Xerxe loquens. Priusquam Athenas deleret, Lacedæmonis inuadendæ cõsilium agitanti, admirabile inter cœnam prodigium incidit: infusum namq; pateræ eius vinum in sanguinem, nec semel, sed iterum & tertiò conuersum est. German.

Fuit & sanguinis signum, oblatum in sacris vinum, atq; eo nonnunquã cognomento nuncupatum. Quare non tantum ostenti loco hic positum: sed videtur Maro aliquod significatum attigisse, quod & pro vino sanguis, & pro sanguine vinum acciperetur. In Deuteron. Et sanguinem vuæ biberent meracissimum. Et in psal.

Sangui-

Sanguinem vuæ biberunt, &c. Pierius lib. 53. in Vite. A
* *Facit huc quod legitur apud Plinium lib. 14. cap. 5. Androcydes, vt Alexandri M. in bibendo intemperantiam cohiberet, Vinum, inquit, poturus rex, memento te bibere sanguinem terræ.*

FVIT IN TECTIS DE MAR. TEMPLVM) Priuatim cuiq; licebat, quem vellet, ex suis consecrare, & illi familiare templum erigere, quod hic à Didone factũ est, eoq; allusum ab Ouid. in epist. Briseidos ad Achillem.

Perq; trium fortes animas, mea numina, fratrum,
Qui bene pro patria, cum patriaq; iacent.

VELLERIB. NIVEIS, ET FESTA FRONDE REVINCT.) Seruius longè aliter intelligit, quàm ego intelligendum puto, sic enim ait. Exhibendo ea, quæ circa viuos fieri solebant. Moris enim fuerat, vt nubentes puellæ, simul ac venissent ad limen mariti, postes ornarent laneis vittis. Vnde ait, *Velleribus niueis*. Hactenus Seruius. Atqui hoc faciebat noua nupta, non coniux, aliquandiu matrimonio inueterato, nec nisi semel fiebat. Iam Dido maritum, non sponsum colebat. Cæterùm omnes dij stemmatis solebant coli. Est autem stemma, teste Sophoclis interprete in Oedipode tyranno, lana ramo circumuoluta, quam rem Virgilius περιφραστικῶς extulit, & Ouidius eandẽ periphrasin retinuit. B

Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus:
Appositæ frondes, vellera & alba tegunt.

Deorum autem simulacra huiusmodi stemmatis integi solere, apud Iulium Obsequentem inuenias, vbi inter prodigia refertur, ea à statuis decidisse. In lectisternio, C inquit, Iouis, terræmotu deorum capita se conuerterũt, lana cum integumentis, quæ Ioui erat apposita, decidit. Nannius lib. 7. cap. 16

Turneb. lib. 22. cap. 12. Apparet veteres solitos esse templa deorum, quæ magno honore colebant, præsertimq; diebus festis, vittis ornare. Seruius de postibus, quos nuptæ laneis vittis ornare, antequã ingrederentur solent, intelligit. Nostræ patrocinatur sententiæ Papinius lib. 4. Syluar. sic scribens.

Pande fores superũm, vittataq; templa Sabæis
Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple

Solebant & ferijs suas domos ornare frondibus; & lucernis. Tertull. Plures iam inuenias ethnicorum fores sine lucernis, & laureis, quam Christianorum. Ex his facilè illud Persianum declaratur. Satyr. 6. *vinctaq; fenestra Dispositæ pingues nebulam vomuere lucernæ.* Sed idẽ Turneb. lib. 24. cap. 26. vult Maronem respexisse ad Romanorum consuetudinem, qui suos Cæsares in deorum numerum referebant, flaminibusque, & sacerdotijs honorabant. Nam Dido videtur pæne fuisse flaminica Sichæi.

HINC EXAVDIRI VOCES, ET VERBA PRECANTIS VIRI) Tale ostentum per quietem eodem gestu Cæcinæ obseruatum narrat Tacitus lib. 1. his verbis. Ducem terruit dira quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum, & paludibus emersum cernere, & audire visus est, velut vocantem, nec tamen obsecutus, & manum intendentis repulisse. German. * *Et Sueton. de Nerone, cap. 46. De Mausoleo, sponte foribus patefactis, exaudita vox est nomine eum ciens.*

SERAQVE CVLM. F. CAR. BVBO) Sic legit etiam Nonius in voce Bubo, non *sola*. Erit ergo *sera bubo*, vel nocte canens, vel in auspicatò, vt hoc vocabulum postea ex Turnebo explicabitur, lib. 5. ad illum versum, *Seraq; terrifici cecinerunt omina vates.* Plinius de bubone lib. 10. c. 12. Bubo funebris, & maximè abominatus, publicis præcipuè auspicijs: deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam, & inaccessa: noctis monstrum, nec cantu aliquo vocali, sed gemitu. Itaque in vrbibus, aut omnino in luce visus, dirum ostentum est. Priuatorum domibus insidentem, plurimis scio fuisse feralem. Volat nunquam quò libuit, sed transuersus aufertur. Capitolij cellam ipsam intrauit Sex. Papellio Istro L. Redamio Coss. propter quod Nonis Martijs vrbs lustrata est eo anno.

Bubo cantu suo, vel gemitu potius tristia nunciat, & est hoc tertium omen necis futuræ Didonis. Primũ fuit siquidem vinum in sanguinem mutatum. Alterum, vocis nocturnæ tanquam Sichęi, eam accersentis. Ominosus, inquam, est bubonis cantus. Ouid. 5. Metamorph. *Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo.* Et noster lib. 12.

Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serùm canit importuna per vmbras.

Nascimb.

Ferali carmine dicit, quasi funebri. Quia enim veteribus mors dicebatur Fera, huic omnia quæ ad mortuos, manesque pertinebant, vocabant *feralia*. Ergo ferales cyparissi apud Ouidium: feralia officia apud Apuleium lib. 1. Metamorph. epulum ferale apud Plin. ligna feralia apud Minutium in Octauio, reliquiæ ferales apud Tacitum lib. 2. Beroald. in Apuleium Turneb. lib. 14. cap. 22. Obseruauit Delrius Aduers. in Sen. Hercul. Furent.

LONGAS IN FLETVM DVCER. VOCES) longas, & flebiles voces, seu cantus edere.

Multaq; præterea vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant. agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas: semperq; relinqui
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, & Tyrios deserta quærere terra.
Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas:
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes
Armatam facibus matrem, & serpentibus atris
Cùm fugit, vltricesq; sedent in limine Diræ.

VATVM PRÆDICTA PRIORVM) Respicit illud. D
Heu vatum ignaræ mentes, quid vota furentem, Quid delubra iuuant?

HORRIFICANT) Id est, horrorem incutiunt. Suprà dixit, terrificant animos, tonitrua videlicet, & fulmina. id est, terrorem animis afferunt.

AGIT FVRENTEM) Agere hoc loco est insequi, agitare, persequi, nullam requiem permittere.

IN SOMNIS) Sunt quibus videatur scita magis lectio *insomnis* pro insomnijs, ab insomnia, primi ordinis, vigilijs.

das, ſed exſpectaſſe dum exiret. Hinc ita Virgil. *vltriceſq; ſedent in limine Diræ.* Euripides in Oreſte ex perſona Apollinis prædicit venturum eum Athenas, & ibi in Ariopago fore, vt ex diuina ope abſolueretur, Furiæq; amplius eum non infeſtarent: aduerſus eas enim deos victoriam daturos. Cic. pro Milone. Non ſine cauſſa doctiſſimi homines fictis fabulis prodiderunt, eum, qui patris vlciſcendi cauſſa matrem necauiſſet, variatis hominum ſententijs, non ſolum diuina, ſed etiam deæ ſapientiſſimæ (Mineruæ) ſententia liberatum. Alciat. Parerg. lib. 7. cap. 6. Vide lib. 3. ibi, *Aſt illum ereptæ magno inflammatus amore Coniugis,* &c.

Ergo vbi concepit furias, euicta dolore,
Decreuitq; mori: tempus ſecum ipſa, modumq;
Exigit: & mœſtam dictis aggreſſa ſororem,
CONSILIVM VVLTV TEGIT, AC SPEM FRONTE SERENAT.
Inueni germana viam (gratare ſorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſoluat amantem.
Oceani finem iuxta, ſolemq; cadentem
Vltimus Æthiopum locus eſt, vbi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Maſſylæ gentis monſtrata ſacerdos,
Heſperidum templi cuſtos, epulaſq; draconi
Quæ dabat, & ſacros ſeruabat in arbore ramos,
Spargens humida mella, ſoporiferumq; papauer.

ERGO VBI CONCEPIT FVRIAS) Aggreditur ad modum explicandum, quo vſa eſt Dido in nece ſibi paranda.

AC SPEM FRONTE SERENAT) Hypallage eſt, *ſpem fronte ſerenat,* id eſt, ſerena, & exporrecta, hilariq; fronte ſpem ſimulat. lib. 1. *Spem vultu ſimulat premit altum corde dolorem.* Catull. *celans dulci crudelia forma Conſilia, in noſtris requieſſet ſedibus hoſpes.* Sophocleus Aiax à priore ſententia ſe receſſiſſe fingit, Thecmeſſæ remouendæ cauſſa, ne ſe interficere volenti impedimento foret. Quæ Sophoclis fictio ſic Virgilio placuit, vt eam huc tranſtulerit. Sic Medea apud Senecam ad Iaſonem, de quo ſe vltura erat atrociſſimè.

—— & illud voce iam extrema peto:
Ne ſi qua noſter dubius effudit dolor,
Maneant in animo verba: ſed melior tibi
Memoria noſtri ſubeat: hæc ira data
Obliterentur.

GRATARE SOR.) Gratari pro gratulari, poetârum eſt. Sic tamen locutus inuenitur Liuius lib. 7. tuum ſequentes currum, Iouis opt. max. templum gratantes, ouanteſque adire. Et lib. 9. colligebantq; in vnum copias, inuicem inter ſe gratantes. Tacitus hiſtor. lib. 1. Tribuni tamen, centurioneſque, & proximi militum gratabundi reſpondent.

QVÆ MIHI REDD. EVM) Æneam, quem quaſi notum noluit dicere. Aut quia faſtidio quodam eius nomen abhorret. Seruius.

VEL EO ME SOLVAT AMANTEM) Tibull. de ſaga lib. 1. eleg. 2.

Quid credam? nempe hæc eadem ſe dixit amores
Cantibus, aut herbis ſoluere poſſe meos.

VBI MAX. ATLAS AXEM HVM. TORQ.) Fabula inde conficta eſt, quod Atlas omnium primus ſolis, & lunæ curſus, ſiderumq; omnium motus, ortus & occaſus certa quadam moueri lege deprehendiſſe creditus eſt, eaq; diligenter obſeruata, mortalium vſui promulgaſſe. Et cùm in veterum ædificijs videamus imagunculas quaſdam, nunc virili, nunc bouilla, nunc alterius animalis facie, quæ vel mutulos, vel coronas ſuſtentent, ſciendũ huiuſmodi ſuſtentacula Atlantes à Græcis vocari ſolita. Pierius lib. 49.

Cur autem Hercules dicatur ſuppoſuiſſe humeros, Diodor. lib. 4. cap. 3. hanc cauſſam affert. Hercules inſecutus prædones, qui Atlantis filias rapuerant, ijs interfectis, puellas patri reſtituit. Quo ille beneficio motus, non ſolum dignis facto muneribus donauit Herculem, ſed Aſtrologiam inſuper docuit. In qua cum operá, curamq; impendiſſet præcipuam, ob ſphæram aſtrorum à ſe inuentam, orbem ſuis ferre humeris exiſtimatus eſt. Hercules quoq; cum ſphæram ad Græcos tranſtuliſſet, magna eſt gloria potitus, exiſtimantibus eum omnibus Atlantico orbi ſucceſſiſſe. * *Humeros Atlanteos ſapiens auctores διακονικοὺς de negotijs, & rebus quas quiſpiam præcipuè moderatur, ſuaq; auctoritate, prudentia, labore ſuſtentat, ſolent vſurpare. Cicero pro Milone. Contulit ſe ad eius competitores, ſed ita, totam vt petitionem ipſe ſolus, etiam inuitis illis gubernaret, ſola vt comitia ſuis, vt dictitabat, humeris ſuſtineret.*

STELLIS ARDENTIBVS APTVM) A poetis cælum ſtellis aptum dicitur, id eſt, ſtellis fixum, conſertum, & conſperſum. Apud Macrob. lib. 6. cap. 1. Ennius, cuius verſum Virgilius eſt æmulatus. *Qui cælum verſat ſtellis fulgentibus aptum.* Lib. 6. *Autumnoq; magis ſtellis fulgentibus apta.* Lib. 5. *ſtelliſq; micantibus æthera fixum,* dixit, nos verbi illius notionem edocens. Axem autem hîc cælum interpretor, vt lib. 2. *nudoq; ſub ætheris axe,* quod eſt ſub dio, ſub cælo. Et lib. 8. *gelidiq; ſub ætheris axe.* Turneb. lib. 22. cap. 23. & lib. 29. cap. 6.* *Varro lib. de ling. la. 6. ex Attio.*

—— peruade polum
Splendida mundi ſidera bigis
Continuò ſex apti ſignis.

Sic perturbatos reſtituit verſus, & corruptos emendauit Scalig. P. Mundum aptum ſex ſignis intelligit hoc ſuperius hemiſphærium: nam ſex altera ſigna ſunt in inferiore. De iucundiſſimo aſpectu huius regia ſtellantis, vt vocat in 7. ſic Lactant. lib. 6. cap. 20. Voluptas oculorum varia, & multiplex eſt, quæ capitur ex aſpectu rerum, quæ ſunt in vſu hominum vel natura, vel opere delectabiles. Hanc philoſophi rectiſſime ſuſtulerunt. Aiunt enim multo eſſe præclarius, & homine dignius, cælum potius, quam cælata intueri, & hoc pulcherrimum opus intermicantibus aſtrorum luminibus, tanquam floribus ornatum. quã picta, & ficta, & gemmis diſtincta mirari Anaxagoras, vt refert Laertius, cũ ab eo quæreretur, cuius rei cauſſa

natum

natum sese putaret, respondit, solis, lunæ, ac cæli videndi. Quod responsum valde reprehendit Lactant. lib. 3. cap. 9.

HESPERIDVM TEMPLI CVSTOS) Consule Symbolas Eclog. 6. ibi, *Tum canit Hesperidum miratam mala puellam*. De ijsdem lege Diodor. lib. 4. cap. 3.

SPARG. HVMIDA MELLA, SOPOR. PAPA.) Locus hic negotium facessit Seruio, quærenti nodum dissoluere, qui torquet illum magnopere: neque enim videtur cibus accommodatus peruigili serpenti, custodiq; aureorum pomorum papauer, quod somnum inducit. Sumpto enim illo, parum rectè munere illo suo fungi posset. Victor. lib. 4. cap. 3. ita scrupulum euelli posse arbitratur. Cum fera admodum, truculentaque illa foret bestia, sine periculo ali, curariq; non poterat. Quare oportebat sæuam illius naturam mollire. Eodem igitur tempore cibaria, quibus in vita eum retineret, custos illa templi præparauit, ac sibi consuluit. Nam miscuit, infuditque cibis illis papauer, vt asperum ingenium serpentis mitigaret: hac enim ratione diritas ipsius frangebatur: nec tamen profundus somnus inducebatur. Mel verò aut ipsum quoque humore suo idem præstitit: aut suauitatem addens cibo, faciebat vt libentius deuoraretur. In 6. quoq; lib. vates illa sapiens inferorum canem, ne molestus esset Æneæ, demulcere volens, *Melle soporatum, & medicatis frugibus offam Obijcit.* Medicatas namque fruges accipere debemus, quibus aspersum sit papauer, aut aliquid quod somnum conciliet: vt medicatæ herbæ vocatæ sunt à Celso, quibus vtimur ad pellendos morbos, quòd sulphur, aut huiusmodi aliam materiam redoleant, insitamque eius vim habeant. Accepi Turcarum regem alere tigrim, quæ catenis etiam vincta, tutò tractari nō possit. Quare cum aliquò ipsam vehere velint curatores eius, succum mandragoræ præbere solitos.

Turneb. lib. 28. cap. 45. versum hunc. *Spargens humida mella, soporiferumq; papauer*, explicans, posterius inquit, alienum est à fida perpetuaq; custodia. Sic sentio, immanem illum draconem, vt locum amaret, iucundo linctu mellis retinendum fuisse: & ne perdius, & pernox insomnis tandem deficeret, medicamento velut soporifero ad vires reficiendas, & somnum conciliandum opus fuisse. Maga papauer oblinit melle, vt auidius liguriatur à peruigili serpente. Humidum autē mel dixit, non soporiferum. Et quomodo hic mel ad condimentum papaueris adhibetur: sic illic ad gratiam saporis adijcitur medicatis frugibus, id est, papaueri, & alijs id genus. Idem lib. 29. cap. 6. Hic locus à Criticis reprehensus est, quod Maro peruigili draconi soporatas epulas, quæ somnolentū, ac veternosum redderent, dederit: ac in solo papauere notatur, non in melle. Quod tamen Medicus noster soporatum esse contendit inuito Æsculapio. Hic haud me pœnitet eorum esse sententia, qui censent soporiferum papauer esse admixtum epulis, quo truculenta, sæuaque bæstia paulum deliniretur: non vt ad saporem daretur. Nam papauer, quod alijs veternū induceret, tantum peruigili, & insomni draconi quendam languorem, & lenitatem, quandamque tarditatem afferebat, vt minus sæuiret. Aut in vicem ipsa interdū seruabat aurea mala, insomniam miserata draconis: epulisque papauer miscebat, vt somno breui, & leui recreatus, integrior ad pristinam custodiam reuerteretur, quod & verius reor.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes
Quas velit, ast alijs duras immittere curas:
Sistere aquam fluuijs, & vertere sidera retro.
Nocturnosq; ciet manes. mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.
Testor, chara, deos, & te, germana, tuumq;
Dulce caput, magicas inuitam accingier artes.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige: & arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuuiasq; omnes, lectumq; iugalem,
Quo perij, super imponas. abolere nefandi
Cuncta viri monumenta iubet, monstratq; sacerdos.
Hæc effata silet: pallor simul occupat ora:
Non tamen Anna nouis prætexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores
Concipit, aut grauiora timet, quam morte Sichæi.
Ergo iussa parat.

HÆC SE CARMINIBVS PROMITTIT) Promittit, inquit. Occultè ad morem impostorum alludit, sese mirabiliter iactantium, & magna pollicentium, hominibusque fucum facientium. Nascimb.

CARMINIBVS SOLVERE MENTES) Tibull. lib. 1. *eadem se dixit amores Cantibus, aut herbis soluere posse meos.*

Scalig. Poet. lib. 3. cap. 2. in quo agit de expressione personarum. Quod si adscribes, inquit, officium quodpiam rarum, & inusitatum, licebit tibi subtilius, atq; accuratiùs scribere. Sin erit commune, ac vulgatū, simplicissima, ac breuissima narratione contentus eris. Itaque magæ personam cum vellet introducere poeta, & artis tetigit capita, & ex historia vetere ortum repetiuit, summa sanè prudentia, quò rem faceret credibiliorem. Quin etiam vbi magæ narrat scientiam, ipse nullam asserit: sed spem affert ex pollicitis personæ, magna, atque præclara de se ipsa prædicantis. Qui mos est horum impostorum.

SISTERE AQVAM FLVVIIS E. V. SID. RETRO)

Crede-

A Credebant antiqui, cantamine magico fieri posse, etiã quæ naturaliter non possent: magico susurramine, vt loquitur Apuleius lib. 1., amnes agiles reuorti, mare pigrum colligari, ventos in amnes expirare, solem inhiberi, lunam despumari, stellas euelli, diem tolli, noctẽ teneri. Rursus eodem lib. Saga, & diuinipotens, cælum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, deos infimare, sidera extinguere, tartarum ipsum illuminare. Quod confirmat illa triuenefica apud Ouid. Medea, inquam, ita enumerans artis suæ multiplicem efficacitatem, atq; potentiam.

Quorum ope cum volui ripis mirantibus, amnes
In fontes rediêre suos: concussaq́; sisto,
Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubilaq́; induco: ventos abigoq́;, voceq́;:
Vipereas rumpo verbis, & carmine fauces,
Viuaq́; saxa, sua conuulsaq́; robora terra,
Et syluas moueo, iubeoq́; tremiscere montes:
Et mugire solum, manesq́; exire sepulchris.
Te quoq; luna traho, quamuis temerata labores
Aëra tuos minuant: currus quoq; carmine nostro
Pallent, ac pallet nostris Aurora venenis.
Vos mihi taurorum flammas hebetastis, & vnco
Haud patiens operis collum pressistis aratro.
Vos serpentigenis in se fera bella dedistis,
Custodemq; rudem somni sopistis, & aurum
Vindice decepto Graias misistis in vrbes.

De potentia eiusdem Medeæ Valer. Flaccus. lib. 6.

Sola animo Medea subit, mens omnis in vna
Virgine, nocturnis qua nulla potentior aris.
Illius ad fremitus, sparsosq; per aëra succos
Sidera fixa pauent, & aui stupet orbita Solis,
Mutat agros, fluuiumq́; vias, &c.

Propert. lib. 1. eleg. 1.

Tunc ego crediderim vobis, & sidera, & amnes
Posse Cytainis ducere carminibus.

Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi,
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditq́; solum, manesq́; sepulchris
Elicit, & tepido deuocat ossa rogo.
Iam cies infernas magico stridore cateruas:
Iam iubet adspersas lacte referre pedem.
Cum libet, hæc tristi depellit nubila cælo:
Cum libet, æstiuo conuocat orbe niues.

Super hoc eodem argumento Petronij Arbitri ex Append. Virgiliana versus annumerabo. Loquitur Saga.

Quicquid in orbe vides, paret mihi: florida tellus,
Quum volo, spissatis arescit languida succis.
Quum volo, fundit aquas scopulis: atq; horrida saxa
Niliadas iaculantur aquas: mihi pontus inertes
Submittit fluctus: Zephyriq́; tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes: mihi flumina parent,
Hyrcanaq́; tigres: iussi seruire dracones.
Quid leuiora loquar? Lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis: trepidusq́; furentes
Flectere Phœbus equos reuoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. Taurorum flamma quiescit
Virgineis extincta sacris. Phœbeia Circe
Carminibus magicis socios mutauit Vlyssi:
Proteus esse solet, quidquid libet. His ego callens
Artibus, Idæos frutices in gurgite sistam,
Et rursum fluuios in summo vertice ponam.

Si nondum ista sufficiunt, videas licet quæ disseruimus in Eclog. 8. ibi, *Carmina vel cælo possunt deducere Lunã.* Vide & Senecam Actu 4. Medeæ, & in eundẽ M. Ant. Delrium. Quod si otium est, & lubet nosse artis magicæ originem, eiusq; genera, adi Plin. lib. 30. cap. 1. & 2.

MAGICAS INVITAM ACCINGIER ARTES) A neces-
B sitate se excusat, quod artes magicas tentet, & confirmationis ergò per deos, & caput Annæ iurat, seu peierat potius. Subest etiam occulta artium magicarũ execratio, & Romanis semper displicuisse, insinuatur.

TV SECRETA PYRAM TECTO) Vbi animaduertit, fidem ita à se factam sorori de sacerdote maga, vt nihil amplius suspicari possit mali, iubet, quasi rem sacram factura, vt pyram struat, ita enim velle ait sacerdotem. Quod vt magis etiam ei probabile videatur, monet, vt remotis arbitris id faciat. Nascimb.

ARMA VIRI) Intellige ensem, quem ei pro mnemosyno reliquerat, non vt se eo interficeret, nec ideo vocatur impius, quod somniat Seruius.

C LECTVMQVE IVGALEM, QVO PERII) propter proditam in eo pudicitiam meam, vbi toties violaui pudorem, quo adibam sidera. Is enim mihi tam gloriosus erat. Seu cum vi erepta est, seu cum illecebris amoris prostrata est pudicitia, perijsse dicitur mulier. Iudicauit hoc ita esse infelix Lucretia, vt proditum est à Liuio lib. 1. Lucretiam sedentem mœstam in cubiculo inveniunt: aduentu suorũ lacrymæ obortæ, quærentiq; viro, satin' saluè? Minimè, inquit. Quid enim salui est mulieri, amissa pudicitia? Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo. ✱

ABOLERE NEFANDI MON. IVBET) Caussam facti assignat, quã de sacerdotis voluntate deducit. Nascim.

D HÆC EFFATA SIL. PALL. OCCVPAT ORA) Horat. Ode 7. Epod. *Tacent: & ora pallor albus inficit.* Habitus mulieris necem sibi meditantis, Annæ imprudentiam excusat, argumento probabili ex eo, quod in hominum opinionem non cadit. Nam quis vnquam credidisset, Didonem per speciem noui, inusitatiq; sacrificij necem sibi parare voluisse? Auget deinde factum, & perstat in argumentatione, & eandem rem exornat per comparationem à maiori. Si necem non intulerat sibi ob mortem Sichæi, minus putandum fuerat id facturam ob discessum Æneæ. Nascimb.

NON TAMEN ANNA NOVIS. P. P. SACRIS) Quid-
E nis potius suspicabatur Anna, quam sororem meditari sibi necem, eamq; sub istis insolitis sacris celare, & contegere. Nec grauiore in ægritudine futuram discessu Æneæ putabat, quam extincto Sichæo fuisset. Montfortius.

At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta, ingenti, tædis, atque ilice secta,
Intenditq; locum sertis, & fronde coronat
Funerea: super exuuias, ensemq; relictum,
Effigiemq; toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circum: & crines effusa sacerdos

Tercentum tonat ore deos, Erebumq; Chaosq;,
Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ.
Sparserat & latices simulatos fontis auerni:
Falcibus & messæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni.
Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus,
Et matri præreptus amor.
Ipsa mola, manibusq; pijs altaria iuxta,
Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta
Testatur moritura deos, & conscia fati
Sidera: tum, si quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet, iustumq;, memorq; precatur.

TÆDIS ATQ. ILI. SECTA) facibus ex ilice confectis. A

INTENDITQVE LOCVM SERTIS) Circumligat coronas ex floribus per locum, honoris sacrorum, & decoris gratia. Prætexerta etiam frondes cupressinas addiderat, quæ pyris mortuorum cremandorum adhibebantur. Necis igitur suæ conscia parat, quæ cum suo corpore cremari volebat. Nascimb.

EFFIGIEM TORO LOCAT) In sacris illis Stygijs, siue Cocytijs, quæ ad amorem pertinebant, de quibus infra dicemus, ibi, *Sacra Ioui Stygio quæ rite incepta paraui*, in his, inquam, sacris aut effigies cerea, similis ei quem deuouebant, ponebatur, quomodo hoc loco exponendum est, contra opinionem Seruij: aut laminæ in eiusdem similitudinem effictæ, quæ ipsullices, vt puto, vocantur à Festo. Ipsullices, inquit, bracteæ in virilem, muliebremq; speciem expressæ. Sed ipsiplices B puto legendum. Lege quæ sequuntur apud Ioseph. Scalig. in Ceirin Virgil.

TER CENTVM TON. ORE DEOS) magna voce saga illa deos quam plurimos inuocat.

EREBVMQVE, CHAOSQVE) Chaos est rudis, inordinatæq; materiæ confusa congeries, vt patet ex 1. Metamorph. & Eclog. 6. Hic, locus est inferorum: vt apud Senecam Medea, actu 1.

——— quosq; Medea magis
Fas est precari, noctis æterna chaos,
Aduersa superis regna, manesq; impios.

C TERG. HEC. TRIA VIRG. OR. ✱) Tergeminū dici, quod ternario constat, præter Horatios, Curiatios, Geryonē, Cerberum docet ex Instituto Lambin. in Horat. Ode 1. lib. 1. Solebat autē Diana & pingi, & fingi triformis, & tribus animalium nominibus vocari gaudebat. Porphyr. lib. 4. de non edendis animalib⁹, ἰδὲ Ἑκάτη ταῦρος, κύων, λέαινα ἀκούουσα μᾶλλον ὑπακούει. Turneb. lib. 27. cap. 5.

Alias caussas adducit Rhodigin. lib. 20. cap. 6. cur tergemina dicta sit. Quia, inquit, triplicem facit visitationem Luna: quum surgit in cornua, & falcata dicitur: cumq; diuidua est: & cum orbe circumacto. Hinc propagatum autumant poeticum cōmentum de triformi Diana. Alij ideo tergeminam dici scribunt, quia vt in D Argonaut. ait Orpheus, sit trium capitum, ideo τρικέφαλον vocari. Esse dextrum caput equi, sinistrum canis, mediū hominis agrestis. Lege cætera. Tergemina dicta sit forsitan, quod eadem sit Luna, Diana, Proserpina. Vocatur à Lucretio Triuia virgo lib. 1. Dicta est Triuia, vt scribit Varro lib. 6. de ling. lat. vel quod in triuio ponatur, vel quod luna putetur esse, quæ in cælo trib⁹ vijs mouetur, in latitudinem, longitudinem, altitudinem.

✱ *Et bene Virgo, id enim vt esset perpetuò, à patre Ioue impetrauit, teste Callimacho. Cic. 6. Verrin. Verres temperantissimæ sanctissimæq; Viri monumentū, Dianæ simulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua semper meretricia lenonum flagitia? Dicta fuit etiam Minerua virgo. Cic. ibid. Hic ornamentum Mineruæ virginis in meretriciam domum transtulit.*

SPARS. ET LAT. SIMVLAT. FONT. AVERNI) Mulieres, quæ olim alios solitæ erant expiare, vt eos qui ad dementiam delapsi erant, *simulatrices* vocabantur. Opinor, quòd multa simularent, & simulatis pro veris vterentur, quod & in sacris facere solebant. Erant & simpulatrices mulieres, sacris deditæ, à simpulo ita vocatæ. Turneb. lib. 3. cap. 10. Insinuat Turneb. quod apertius lego apud Alexand. Neapolit. lib. 3. cap. 13. Quoties aliquid inuentu rarum, aut difficilè sacrificio adhiberi oporteret, illud cera, vel pane effictum apponere satis habebant, simulacraq; eiusmodi ficta, & commentitia, ac si ipsa res repræsentaretur, eandem vim, & vigorem habebant. Simulatio enim in sacris pro veris accipitur, ait Seruius, vnde hausit Alex. Et eodem refert, quod hìc dicit Maro de simulatis Auerni laticibus. Vide & Tiraquell. in cap. citatum Alex.

In expiationibus, & deuotionibus χύτλα quæ vocabantur à Græcis, spargebantur ramo oliuæ. Et hos latices consentaneum est spargi ramo oliuæ. Nihil enim sunt, nisi χύτλα, vt etiam docemur ex Orphei Argonauticis. Sed & alibi facit mentionem rami oliuæ, lib. 6.

Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ:

FALCIBVS ET MESSÆ AD LVNAM) Aes in sacris, & excantationib⁹ magnam habuisse vim & auctoritatem veteribus, scribit Theocriti interpres in Pharmaceutria, propterea in lunæ deliquijs adhiberi solitum, καὶ ἐπὶ τοῖς τελευτῶσι, id est, & hominum morte: purius enim cæteris habebatur ἀπελαστικὸν τῶν μιασμάτων, pollutionum expiatorium. Inde eo vtebantur in purificationibus vniuersis. Sophocles tragœdia, cui nomen ῥιζοτόμοι, herbarum sectores, Medeam scribit herbas secantem, succos in cados refudisse æneos, herbas vero æneis subsecuisse falcibus. Rhodigin. lib. 19. cap. 10.

Turneb. lib. 6. cap. 10. Nam & vim æri medicatam esse credebant, vt ahenis potiùs falcibus à venefica secarentur herbæ, quam ferreis: nisi poeticè æs pro ferro ponitur. Ouid. 7. Metamorph. *Et plantas partim radice reuellit, Partim succidit curuamine falcis ahenæ.* Et ad lumen Lunæ lectas herbas efficaciores veneficijs credebant, quod Lunam veneficijs præesse censerent, & herbas sua quadam spuma, & saliua inficere. Lucan. lib. 6. *Donec suppositas propior despumet in herbas.* Et Valerius Flaccus lib. 6. *Quamuis Atracio lunam spumare veneno Sciret.* Eodem modo & de venefica scripsit lib. 8. *Contra tartareis Colchis spumare venenis.* Itaque

in ea re vim maiorem lunæ plenæ etiam credebant. Ouid. 7. Metamorph. *postquam plenissima fulsit, Et solida terras spectauit imagine luna.*

PVBENTES HERBÆ) Pubentes herbæ non sunt adultæ, vt vulgò accipi intelligo, sed lanosæ, lanuginosæ, villosæ. Nam in veneficio, quo viri, qui pubent, & barbati sunt, petuntur, & incantantur, maiorem vim habere, plusq; pollere, quàm læues, & impuberes censebantur. Sic & lib. 12. *Puberibus caulem folijs*, declaro, villosa pube lanuginosis: talia enim folia tribuit dictamno Dioscorides lib. 3. cap. 31. Turneb. lib. 26. c. 5.

NASCENT. EQVI DE FRONT. ET M. P. AMOR) Amorem appellauit philtron, id est, medicamentum, amorem concilians. Amor enim de fronte reuulsus, est philtron, quod hippomanes vocatur. Quod tamen, vt multa alia, stulta hominum, & credula opinione receptum, vanitatis plurimum habet, nihil veritatis. Sed poetæ erroris propagatores stultas inhærere vulgo opiniones malunt, quam eripi. Sed enim hippomanes non tam ad restinguendũ amorem (quod se facere velle Dido simulabat) quàm excitandum, inflammandumque valebat. Hîc igitur reprehendi fortasse Virgil. iure posset. Verùm huic insimulationi facillimum est respondere. Nam hippomanes medicamento adhibitum eam vim habuisset: sed igni mandatum exustumque, amorem penitus aboleuisset: quod quidẽ erat Dido factura. Turneb. lib. 15. cap. 8. * *De hippomane scriptum à nobis Georg. 3. ad illum versum*, Hippomanes, quod sæpe malæ legere nouercæ, *&c.*

VNVM EXVTA PED. VINCLIS) Sacra magica in- A feris Dido se facturam simulans, hoc è ritu & consuetudine nocturnorum sacrorum, & veneficiorum agit, vt & apud Ouid. 7. Metamorph.

Egreditur tectis, vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.

Apud Horat. venefica succincta est Sat. 8. lib. 1. *Vidi egomet nigra succinctam vadere palla Canidiam*: sine calceis tamen, & capillo passo, *pedibus*, inquit, *nudis passoq; capillo*. Vt & apud Ouid. 7. Metamorph. *passis Medea capillis*. Turneb. lib. 6. cap. 10. * *Seneca Medea*

Tibi more gentis vinclo soluens comam,
Secreta nudo nemora lustraui pede.

Quod ad phrasin spectat exuta pedem vinclis, *sæpe nomine vinculorum poeta calceamenta, siue sandalia, siue cothurnos intelligunt.* B *Tibull. lib. 1. eleg. 5.* Vinclaq; de niueo detrahet ipse pede. *Ouid. Fast. 3.* Rumpebant magni vincula parua pedes. *Metamorph. 3.* Vincla duæ pedibus demunt. *Et cũ per pedes intelligantur affectus, exuere calceos videtur esse affectus exuere, ac deponere. Cum ergo vnum pedẽ vinclis liberauerit Dido, arbitrantur quidam innuisse à poeta significari, vno affectu, formidine scilicet mentis eam solutam, quippe quæ vitam contempserit.*

IN VESTE RECINCTA) succincta vestem. Etiam hæc vna fuit de cærimonijs magicis, sicut comarũ solutio.

ET CONSCIA FATI SIDERA) Ad Chrysippi opinionem alludit, de necessitate fati. Quasi non sponte sibi mortem allatura sit, sed fato trahatur.

TVM SI QVOD NON ÆQ. FOED. AM. C. NVM. HAB.) Si quis deus est, qui iniquo fœdere (violato fœdere) amantes respicit, cum testem inuoco, me indigna pati. Et hunc inuoco, vt periurij huius, ruptiq; fœderis memor esse velit, violatoremque iustissimo supplicio vlcisci. Montfortius.

NOX ERAT, ET PLACIDVM CARPEBANT FESSA SOPOREM
CORPORA PER TERRAS, syluæq;, & sæua quierant
Æquora: cùm medio voluuntur sidera lapsu,
Cùm tacet omnis ager, pecudes, pictæq; volucres,
Quæq; lacus latè liquidos, quæq; aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.
At non infælix animi Phœnissa: nec vnquam
Soluitur in somnos, oculisúe, aut pectore noctem
Accipit. ingeminant curæ: rursusq; resurgens
SÆVIT AMOR, MAGNOQVE IRARVM FLVCTVAT ÆSTV.

NOX ERAT, ET PLACIDVM) Locum hunc, vt alios C innumeros, adumbrat etiam Silius in Annibale lib. 7.

Cuncta per & terras, & lati stagna profundi
Condiderat somnus, positoq; labore dierum
Pacem nocte datam mortalibus orbis agebat.
At non Sidonium curis flagrantia corda
Ductorem, vigilesq; metus haurire sinebant
Dona soporifera noctis.

Videtur sanè hanc noctis descriptionem imitatus, & quidem fæliciter Sannazarius lib. 2. de partu Virginis.

Tempus erat, quo nox tardis innecta quadrigis
Nondum stelliferi mediam peruenit olympi
Ad metam, & tacito scintillant sidera motu:
Cum syluæq;, vrbesq; silent: cùm fessa labore
Accipiunt placidos mortalia pectora somnos:
Non fera, non volucris, non picto corpore serpens
Dat sonitum.

SYLVÆQVE, ET SÆVA QVIERANT ÆQVORA) Hîc poeta etiam mari somnum tribuit, & syluis, quod vt per transnominationem accipi potest. Et verius est, vt aues, & pisces tum sopitos fuisse credamus: tamen ea licentia interdum est poetices, vt surdis & inanimis naturis animas attribuat, & animatorum euenta, & affectus. Nam mare, etiam arbores, fluuios dormire videtur innuere Papinius lib. 5. Syluar. ad Somnum.

Et simulant fessos curuata cacumina somnos,
Non trucibus fluuijs idem sonus, occidit horror
Æquoris, & terris maria acclinata quiescunt.

Turneb. lib. 26. cap. 5.

Quid est quod Maro facit noctu syluas, & maria quiescere, q[illegible] sæuissimæ tempestates nocturnæ esse soleant? An[illegible]d Seruius memorat de animantibus, aut nihil est, aut nimis curiosè exquisitum? neq; poeta D semper esse dicit tranquillas noctes: sed tunc illam fuisse, & medium quidem tempus ipsius. Tradunt autem astrologi, plerumq; solere tempestatem mutari, medio diei & noctis tempore. Camer. Problemat.

SVB NOCTE SILENTI) Cur nocte sonantiùs omnia audiantur, abditam quandam, perobscuramq; caussam proponit Epicuri schola, dum ab atomis suis reuelli ne-

quit. Eam verò apud Plutarchum in Sympoſiacis Boëthus recenſet, docens rareſcente aëre, ac ſeſe latius fundente, inter atomos non ferè vacuum cõparere. Conſtipante verò ſe, atq; amplius coëunte, denſari perinde atomos quoq;, extimumq́; vacuum fieri ſpatioſum, & veluti hians. Id quod noctu euenire exploratiſſimũ eſt, ſi coniectemus, frigus cogendi, arctandiq́; vim habere efficaciſſimam. Lege quæ ſequuntur apud Rhodigin. lib. 5. cap. 10.

LENIBANT CVRAS, ET COR. OB. LAB.) Statius Thebaid. lib. 3. *Nox ſubit, & curas hominũ, motusq́; ferarum Compoſuit.* Lucret. lib. 5. *Sed temere, incaſſum mare fluctibu' ſæpe coortis Sæuibat.* Catull. *Vellera virgati cuſtodibant calathiſci.* Lucret. lib. 5. *nec ſcibat ferro molirier arua.* Terent. Eunuch. *Scibis: principiò eam eſſe dico liberam.* Diomedes lib. I. ait, veteres verba hæc ſine, e, pronunciaſſe. Giſan.

AT NON INFEL. A. PHOENISSA) Hoc eſt, cuius cauſſa adhibita eſt tot rerum comparatio, noctisq; deſcriptio. Et eſt Apollonij verſus, quem, ſi cum hoc Virgiliano cõparaueris, illum nudum, omniq; indumento carentem, hunc pretioſè ornatum dixeris. Sic Græcus. Ἀλλὰ μάλ' οὐ Μήδειαν ἐπὶ γλυκερὸς λάβεν ὕπνος. Id eſt, Medeam non attigit ſuauis ſomnus. Tu attende, quot, qui- A busúe ornamentis, quantáue varietate ornatus prodeat hic noſter, qui & affectum commiſerationis immiſcet, *At non infelix animi Phœniſſa.* Et eleganti dormitionis ταυτολογίᾳ, cum venuſtiſſima verborũ varietate locum illuſtrat, dum ſubdit, *nec vnquam Soluitur in ſomnos.* Illudq́; etiam mirè addidit, *oculisúe, aut pectore noctem Accipit.* Audiamus cauſſam tantæ vigiliæ. *Ingeminant curæ,* &c. Apollonius, πολλὰ γὰρ Αἰσονίδαο πόθῳ μελεδήματ' ἔγειρεν. Multæ enim præ amore Æſonidæ, id eſt, Iaſonis curæ excitabant. En, cauſſam & ipſe affert, cur Medea ſomnum capere nó poſſet: quam quidẽ eleganti comparatione amplificat, ſumpta ex tremulo aquæ aheno infuſæ, quam iubar irradiat, qua vſus eſt noſter lib. 8. B Hìc verò non apponenda fuit furoris exaggerandi gratia comparatio, cum eius concitatiſſima querela appoſita fuerit, ex qua facilè perſpici poſſit, quam varia illi mens eſſet, quantoq́; doloris, atque iracundiæ æſtu fluctuaret. Naſcimb.

IRARVM FLVCTVAT ÆSTV) Lib. 12. dixit, *Irarum tantos voluit ſub pectore fluctus.* Catull. de nupt. *Et magnis curarum fluctuat vndis.* Lucret. lib. 3. *Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.* Et lib. 4. *Fluctuat incertis erroribus ardor amantum.* Fluctuat animus, eſt apud Plautum, & Liuium.

Sic adeò inſiſtit, ſecumq́; ita corde volutat,
En quid agam? rurſusné procos irriſa priores
Experiar? Nomadumq́; petam connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes, atque vltima Teucrûm
Iuſſa ſequar? quiáne auxilio iuuat ante leuatos,
Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti?
Quis me autem (fac velle) ſinet? ratibusq́; ſuperbis
Irriſam accipiet? neſcis heu perdita, NEC DVM
LAOMEDONTEÆ SENTIS PERIVRIA GENTIS?
Quid tum? ſola fuga nautas comitabor ouantes?
An Tyrijs, omniq́; manu ſtipata meorum
Inſequar? & quos Sidonia vix vrbe reuelli,
Rurſus agam pelago? & ventis dare vela iubebo?
Quin morere, vt merita es, ferroq́; auerte dolorem.
Tu lacrymis euicta meis, tu prima furentem
His germana malis oneras, atque obijcis hoſti.
Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ, tales nec tangere curas?
Non ſeruata fides cineri promiſſa Sichæo.
TANTOS ILLA SVO RVMPEBAT PECTORE QVESTVS.

EN QVID AGAM? RVRSVSNE) Talis eſt διαπόρησις, C & διαλογισμὸς apud Euripid. in Medea, ſub perſona ipſius Medeæ.

Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,
Οὓς σοι προδοῦσα, καὶ πάτραν ἀφικόμην;
Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ' ἂν οὖν
Δέξαιντό μ' οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον.

Sophocl. quoque in Aiace. καὶ νῦν τί χρὴ δρᾶν; Et paulo pòſt. ὤμοι, τί δράσω; German.

Senecæ Medea ad Iaſonem, ex Euripidea eiuſdem nominis tragœdia, quod ſatis liquet.

Penatibus profugere quam cogis tuis,
Ad quos remittis? Phaſin, & Colchos petam,
Patriumq́; regnum? quaq́; fraternus cruor
Perfudit arua? quas peti terras iubes?
Quæ maria monſtras? Pontici fauces freti?
Per quas reuexi nobiles regum manus,
Adulterum ſecuta per Symplegadas.

Ennius.

Quò nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne, an ad Peliæ filias?

Ita poetæ dubitantes, hęſitantesq́;, & animi perplexos inducunt ſæpe, qui graui aliquo caſu oppreſſi ſunt. Donat. in illud Terent. Eunucho. *Quid igitur faciam?* Apparet & multa ſecũ cogitaſſe adoleſcentem, & tandem in hæc verba prorupiſſe. Menander, ἆρα τι ποιήσω

Profere

Profert deinde hunc Virgilij locum, *En quid agam?* &c. additq; Et est ἀμφιλογισμὸς perditę mentis, post multam frustra cogitationem.

PROCOS IRRISA PRIORES) Procari, poscere. Vnde procaces meretrices ab assiduè poscendo: & proci, vxorem poscentes in matrimonium. Festus.

TOTIES IAM DEDIGNATA MARITOS) Non qui essent mariti, sed qui volebant, & petebant esse. Procos enim suprà nominauit. Talis figura loquẽdi crebra est poetis. Sic Eclog. 8. Damon Nisam vocat coniugem, quę tamẽ, quod grauiter conqueritur, Mopso nubit. Horat. ep. 2. lib. 1. *Sponsi Penelopæ*, non reuera sponsi: fidẽ enim Vlyssi suo constantissimè seruabat illa mulier, propterea omnium litteris celebratissima: sed qui connubium eius ambirent, quorumq; vnusquisq; sponsum se fieri optaret. Sed vt eleganter Propert. lib. 2. Eleg. 9.

Penelope poterat bis denos salua per annos
Viuere, tam multis fœmina digna procis.
Coniugium falsa poterat differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo.
Visura & quamuis nunquam speraret Vlyssem,
Illum exspectando facta remansit anus.

Et mox.

Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Dij faciant isto capta fruare viro. Eleg. 6.
Nec quæ deleƈtu potuit componere Thebas
Phryne, tam multis facta beata viris.

Et eleg. 33. *Vino sæpe suum nescit amica virum.* Catull. ad Ortalum, *Vt missum sponsi furtiuo munere malum*, id est proci.

VLTIMA TEVCRVM IVSSA) Teucrum iussa, non quæ ipsi iusserant, sed ea, quæ iussa sunt. Seruius. Non displicet per ταυτολογίαν hæc accipere, vt idem sit cum superiore, & passiuè capiatur, iussa: hoc enim modo idem erit, sequi iussa Troianis à Ioue data, atq; classes Iliacas sequi. Et est allusio ad illud, quod ante dictum fuit, *Nauiget, hæc summa est.* Sequitur proximè propositionis cõfutatio, per εἰρωνείαν, qua Troiani etiam ἀχαριστίας arguuntur. Nascimb.

QVIA NE AVXILIO IVVAT) Veteribus scriptoribus vsitatum & frequens est, dictioni, qua interrogant, particulam, ne, adijcere. Plaut. Cistell. *quámne in manibus tenuit?* Iterum. *quané inficias eat?* Et in Milite. *Quemné ego seruaui?* Terent. Phorm. *Quodné ego perscripsi porrò illis, quibus debui?* Tale hoc est Maronis, pro, an quia, Et est sensus archaismi, quasi vero profuerit mihi, eos ante leuasse auxilio. Turneb. lib. 28. cap. 1. & lib. 29. c. 6.

Particulam, ne, Torrentius in Iulium Suetonij cap. 28. nec dubitantem, nec interrogantem, in talibus loquendi formis, sed confirmantẽ, atq; enuntiantem esse, auctore Prisciano docet, qui eam sic accipit in illo Hor. Sat. 10. lib. 1. *ô seri studiorum, qui ne putetis*, &c. Adducit hunc ipsum Virgilij locum, & præterea Catulli illos ex carmine de nupt. *Quem ne ipsa reliqui? Qui ne fugit?* Apud Suetonium quoq; eodẽ cap. mauult ipse legere, quãdo ne plebiscito Pompeius postea abrogasset, sic intellecta eadem particula, quemadmodũ suprà docuim⁹.

QVIS ME AVTEM, FAC VELLE) Quos proximè ingratitudinis arguerat, nunc eorum quoq; perfidiam carpit. Et est sensus, si Troianos sequi voluero, ipsi me (quæ in illis est superbia) non accipient: aut si acceperint, tandẽ fidem prodent, sunt enim Laomedontei, & qualis rex, talis populus. Laomedon fefellit fidem datam Neptuno, & Apollini. Nascimb.

NAVT. COMITAB. OVANT.) Nautas iniuriosè dixit, non, Troianos. Quasi diceret, qui aliud nihil norũt, quã nauigare. *Ouantes*, lætantes. Propriè ouatio est minor triumphus.

AN TYRIIS, OMNIQ. MAN. STIP. ME.) An armata ciuiũ meorum manu fugientes per mare insequar? sed hoc quoq; à difficili reijcit cum argumẽto à minori. Montf.

VIX VRBE REVELLI) Quomodo vix? cum dicat in 1. *Conueniunt, quibus aut odium crudele tyranni, Aut metus acer erat.* Si vltro cõuenerunt, quomodo dicit vix vrbe reuelli? Soluitur. Vix, nõ ad difficultatem retulit, sed ad tempus: vt vix dicatur, modò. id est, nuper. Nam nulla ratione dimitterent patriam, nisi eos aut odium crudele Pygmalionis coegisset, aut timor.

QVIN MORERE, VT MERITA ES) Omnis intentio eius trahit ad mortem. Nam si procos rogare turpe est, solam sequi impossibile, & inhonestum, Tyrios trahere difficile, quibus, vt supra dixit, iam exosa est, sola mors superest. Seruius.

TV LACRYMIS. E. M. TV. PRIMA FVR.) Calamitatis suæ culpam omnem transfert in sororem, verùm ita, vt eam nihilominus excuset, cũ suis lacrymis compulsam dicit, vt ei suaderet coniugiũ, & Æneæ copularet, à quo ea passa sit, vt ab hoste grauiora pati nõ possit. Montfor.

THALAMI EXPERT. VIT. MORE FERÆ) Reticentiæ quidam modus est, qui non tam defectu, quam veluti ex circuitione, excitat vlteriorem, plenioremq; intellectionem. Quam figuram propterea nouo nomine diximus Innuitionem. Talis est in hisce versibus. Quanquã enim coniugis pœnitebat Didonem, tamen vt aliquo modo contexeret excusationem cum accusatione, sic locuta est. Quid enim aptius ad excusandum, quam ostendere, vitam illam, quam optabat, esse ferarum, ac brutorum vitam? Hanc autem hominum: ac propterea non damnandum. ἔμφασιν græcè fortasse possis. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 80. Quintilianus, vnde Scaligerum sua hausisse crediderim, planius & dilucidius lib. 9. Est emphasis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur, vt apud Virgil. *Non licuit thalami*, &c. Quamquam enim de matrimonio queritur Dido, tamẽ huc erupit eius affectus, vt sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum.

MORE FERÆ) Auspicatissimũ in nuptijs signum erat cornix, maximæq; fidei, & inuiolati fœderis indiciũ. Nam ex duabus socijs altera extincta, vidua altera perpetuò manet. Plutarch. lib. Quod bruta ratione vtantur. Ælian. lib. 3. de animal. Et lynces post amissam coniugem alteri non iunguntur, vt hic Seruius testatur.

FIDES CINERI PROMISSA SICHÆO) Sichæo pro Sichæio, sicut, laticemq; Lyæum pro Lyæium. De fide data Sichæo, se eo mortuo nupturam nemini, suprà:

Si mihi non animo fixum, immotumq; sederet,
Ne cui me vellem vinclo sociare iugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit.

TANTOS ILLA SVO RVMPEBAT) Vide quæ allata sunt in illud lib. 2. ex Victor. *Compositò rumpit vocem.*

Æneas celsa in puppi, iam certus eundi
Carpebat somnos, rebus iam rite paratis.
Huic se forma dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in somnis: rursusq; ita visa monere est,
(Omnia Mercurio similis, vocemq; coloremq;,

Et crines flauos, & membra decora iuuentæ.)
Nate dea, POTES HOC SVB CASV DVCERE SOMNOS?
Nec quæ circumstent te deinde pericula cernis,
Demens? nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos, dirumq; nefas in pectore versat,
Certa mori, varioq; irarum fluctuat æstu.
NON FVGIS HINC PRÆCEPS, DVM PRÆCIPITARE POTESTAS?
Iam mare turbari trabibus, sæuasq; videbis
Collucere faces, iam feruere littora flammis,
Si te his attigerit terris aurora morantem.
Eia age, rumpe moras. VARIVM, ET MVTABILE SEMPER
FÆMINA. sic fatus nocti se immiscuit atræ.

CARPEBAT SOMNOS) Carpere somnum, soporem poetæ, capere somnũ oratores dicunt. Suprà. *Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem Corpora.* Subtexit excusationem Æneæ, ne quis imprudentiæ arguat, quòd dux & Imperator dormiat. Verumtamen quia adhuc erat, quod viro prudenti timendum esset, rectè eum proxime reprehendit Mercurius. Nascimb.

ET FLAVOS CRINES) Flaui crines tum fœminis, tum viris apud poetas tribuuntur, tanquam formosi & decentes: quoniam videlicet aurum imitantur, cuius aspectu nihil est iucundius. Imperatorem Verum testatur Capitolin. tantam gessisse curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta inspergeret, quò magis coma illuminata flauesceret. Quod item Commodus Aug. factitauit, auctor Lamprid. Aliter tamen scriptum ab Herodiano, cuius tibi verba referam. Flaua ei, & crispa cæsaries, vt in sole ambulanti, velut igne quodam rutilaret: sic, vt euntem quidam scobe aurea putarent conspergi: quidam etiam pro argumento diuinitatis acciperent, ac radios esse illos circa verticem genitiuos opinarentur. Homero non semel ξανθὸς μενέλαος. ✠

NEC QVÆ CIRCVMSTANT PERICVLA, NEC ZEPH.) Duplex caussa, quare somno indulgendum non sit modò, sed sine mora nauigandum. Quia versetur in periculo magno. Amatricem ante fuisse Didonem: nunc quia obsecrando obtestandoque nihil profecerit, mutasse animum, & nisi primo quoque tempore nauiget, interfectricem fore: quod sequentibus magis declaratur. Et sane nihil intolerabilius ijs, qui ex amicis inimici facti sunt, longe enim grauius oberũt. Altera caussa, quia ventus sit secundus, & vtendum est occasione, nauigandumq; non quando volumus, sed quando possumus. ✠

IAM MARE TVRBARI) Silius lib. 3. Mercurium fingit à Ioue mitti ad Annibalem apud Carthaginem nouam in somnis.

Turpe duci totam somno consumere noctem,
O rector Libyæ: vigili stant bella magistro.
Iam maria effusas cernes turbare carinas,
Et Latiam toto pubem volitare profundo,
Dum lentus cœpti terra cunctaris Ibera.

LITTORA FERVERE FLAMMIS) Dixisse antiquos feruit, multis testimonijs confirmat Nonius. A *feruit*, igitur breuiato accentu venit *feruere*, quo vsi sunt Afranius, Lucilius, Attius, Lucretius. Noster Maro etiam alibi, vt lib. 8. *Feruere Leucaten, auroquè effulgere fluctus.*

VARIVM, ET MVTABILE SEMPER FÆM.) Nihil huic sententiæ grauissimæ vel declarandæ, vel illustrandæ conuenientius illis Propertianis è lib. 2. eleg. 9. Inuehitur in leuitatem mulierum.

Sed vobis facile est verba, & componere fraudes:
Hoc vnum didicit fœmina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto,
Quam citò fœminea non constat fœdus in ira,
Siue ea caussa grauis, siue ea caussa leuis.

In Monostichis.

Ὡς ἔστ' ἄπιστον ἡ γυναικεία φύσις!
Dij magni, vt perfida est natura muliebris?

Tum verò Æneas, subitis exterritus vmbris,
Corripit è somno corpus, sociosq; fatigat.
Præcipites vigilate viri, & considite transtris:
Soluite vela citi. deus æthere missus ab alto
Festinare fugam, tortosq; incidere funes
Ecce iterum stimulat. sequimur te sancte, deorum
Quisquis es, imperioq; iterum paremus ouantes.
Adsis ô, placidusq; iuues, & sidera cælo
Dextra feras. Dixit, vaginaq; eripit ensem
Fulmineum, strictoq; ferit retinacula ferro:
IDEM OMNES SIMVL ARDOR HABET: rapiuntq;, ruuntq;.
Littora deseruere: latet sub classibus æquor.
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

CORRIPIT E SOMNO CORPVS) Lucret. lib.3. *Corripere è somno corpus, mutareq́ vultum.* Hoc autem verbū celeritatem, & impetum præ se fert, vt apud eundem lib.4. de canum somnijs

At consueta domi catulorum blanda propago
Degere, sæpe leuem ex oculis, volucremq́ soporem
Discutere, & corpus de terra corripere instant.

German. * *Corripuo è strato corpus, dixit lib.3. De impigre è cubili prosilientibus dicetur. De Endymionibus autem Salomon Prouerb. cap.26. sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.*

SOCIOSQVE FATIGAT) Fatigare socios idem est quod excitare, & hortari. Sequitur exhortatio à necessario.

FESTINARE FVGAM) Fugiendi magnam necessitatem ostendit, cum non fugere, sed fugam festinare dixerit. Et ne forte breue aliquod ad fugiendum spatium sibi datum iri putent, quanta hæc debeat esse celeritas planum facit, subiungens, *tortosq́ incidite funes.* Nascimb.

SEQVIMVR TE SANCTE, DEOR.) In precationibus deos quoque plerumq; *sanctos* appellabant. Horatius Cocles apud Liuium lib.1. ad Tiberinū. Tiberine pater, te sancte precor, hæc arma, & hunc militem propitio flumine accipias. Cic.2. de nat. deor. O sancte Apollo, qui vmbilicū terrarum certum obsides. Idem 4. Tuscul. hunc versum citat. *Te Apollo sancte, fer opem, teq́ omnipotens Neptune inuoco.* Tibull. lib.1. eleg.2. A ad Cupidinem. *Sancte veni dapibus festis.* Idem Genium sanctum, Iunonem sanctam. Virgil. Palem sanctam. Ouid. in epist. heroid. Dianam sanctam, &c. Vide plura apud Brisson. Formular. lib.1. pag.44.

Ennius, *Respondit Iuno Saturnia sancta dearum.* Potest etiam distinctionis nota poni post vocem *sancte*, vt nos fecimus. Cur dubitat quis sit, cum suprà vocauerit Mercurium? Multa super hoc Seruius, quem lege.

IMPER. ITERVM PAREMVS) Iterum parere se dicit, quoniam semel iam in nauigiorum præparatione paruerat.

SID. CÆLO DEXTRA FERAS) hoc est, ventos, qui exortu siderum aut prosperi, aut aduersi sunt. Seruius. B

RAPIVNTQVE, RVVNTQVE) Lib.9. *Immanem Teucri molem voluuntq́, ruuntq́.* Lucret. de ventis sæuientibus lib.1. *trudunt res ante, ruuntq́ Impetibus crebris.*

ADNIXI TORQVENT SPVM. ET CÆRVL.) Nautarum de littore soluentium festinationem, laboremq́ καθ' ὑποτύπωσιν describit: nec profectò breuius, nec absolutius totum hoc negotium explicari poterat, quam duobus hisce versibus factum est, vndecimo, & duodecimo inquam. Videri enim videntur nautæ ingenti cū festinatione funes, lora, aliaque huius generis nautica instrumenta trahere, nauesque ipsas remis impellendo deducere. In voce *adnixi* magnus nautarum conatus exprimitur. Nascimb.

Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina è speculis vt primum albescere lucem
Vidit, & æquatis classem procedere velis,
Littoraq́; & vacuos sensit sine remige portus:
Terq́; quaterq́; manu pectus percussa decorum,
Flauentesq́; abscissa comas: prô Iuppiter, ibit
Hic, ait, & nostris illuserit aduena regnis?
Non arma expedient, totaq́; ex vrbe sequentur?
Diripientq́; rates alij naualibus? ite:
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.

ET IAM PRIMA NOVO SPARG.) Hoc pro mutuo C sumpsit à Lucretio, lib.2. Sic enim ille. *Primùm aurora nouo cum spargit lumine terras.* Sed age totum transcribamus: est enim ortus diei, seu temporis illius matutini perbella descriptio. Agens itaq de celeritate motus, sic canit.

Primùm aurora nouo cum spargit lumine terras:
Et variæ volucres nemora auia peruolitantes
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent:
Quam subito soleat sol ortus tempore tali
Conuestire sua perfundens omnia luce,
Omnibus in promptu, manifestumq́ esse videmus

Lib. 5.

Tempora item certo roseam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, & lumina pandit.

Iterum.

Sed taciti respectabant, somnoq́ sepulti,
Dum rosea face sol inferret lumina cælo.

Elegantiss. Catull. Galliambo.

Sed vbi oris aurei sol oculis radiantibus
Lustrauit æthera album, sola dura, mare ferum:
Pepulitq́ noctis vmbras vegetis sonipedibus.

Virgil. 3. Æneid.

Posteraiamq́ dies primo surgebat Eoo,
Humentemq́ aurora polo dimouerat vmbram.

Lib. 12.

Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemq́ elatis naribus efflant.

In Culice.

Igneus æthereas iam sol penetrarat in arces,
Candidaq́ aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus & roseis tenebras aurora fugarat.

Merentur his adiungi Sannasarij ex lib.3. de partu Virginis.

—— nitor roseo sed fulsit ab ortu
D *Clarior, & radijs dux præuia matutinis*
Oceani procul extremo se littore tollit
Exoriens aurora, sinusq́ induta rubentes,
Ante diem citat auricomos ad fræna iugales.

TITHONI CROCEVM LINQ. AVR. CVB.) Immortalitatem quidē quam optauerat ab Aurora Tithonus, impetrauit: sed non ἀγηρασίαν, id est, vitam senectutis expertem, & perpetuam iuuentam, quā petere eum fugerat. Ita factum est, vt insuauem vitam degeret, cum se ætatis culpa omnibus voluptatibus priuatum sentiret, tandem-

tandemque in cicadam versus sit, animal aridissimum, & siccissimum, canorum tamen & garrulum: quæ senectuti conueniunt. Senectus enim est natura loquacior, vt scribit Cicero in Catone, & sola ferè in senibus remanet. Admonet autem Eustathius ad primùm versum Iliad. λ. Tithoni nomen vsurpari solere de senibus infælicibus, & laboriosis. Ex Lambert. in Horat. * *De amore Auroræ erga maritum Tithonũ, quamuis iam senem. Propert. lib. 2. eleg. 18.*

At non Tithoni spernens Aurora senectam,
  Desertum Eoa passa iacere domo est.
Illum sæpe suis decedens fouit in vlnis,
  Quam prius adiunctos sedula lauit equos.
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos,
  Maturos iterum est questa redire dies.
Illa deos, currum conscendens, dixit iniquos,
  Inuitum & terris præstitit officium:
Cum maiora senis Tithoni gaudia viui,
  Quam grauis amisso Memnone luctus erat.

REGINA E SPECVLIS) Specula locus editus, & eminentior, siue turris, siue mons, siue aliud, vnde longè videre aliquid, & speculari solent. Cic. in Verrem. Non enim, sicut antea consuetudo erat, prædonum aduentum significabat ignis è specula sublatus, aut tumulo. Liuius lib. 31. Multos, & locis altis positas turres habet Hispania, quibus & speculis, & propugnaculis aduersus latrones vtuntur. Iterum, extemplò datum è speculis signum, & in oppido ad arma conclamatũ est. Speculæ illæ in locis mediterraneis maximè vsui: in maritimis, phari constituebantur. Quorum vsus fuit nocturno nauiũ cursui ignes ostendere, ad prænuntianda vada, teste Plinio, nomenque acceperant à Pharo Alexandriæ portu, teste eodem Plinio, & Solino. A speculis speculatores. Hæc Steuechius ad Veget. lib. 3. cap. 8.

A

VT PRIMVM ALBESCERE LVCEM) Aristoteles passim astra alba, lumenque, & lucem albam depingit. Cæsar. lib. 1. bell. ciuil. Albente cælo omnes copias castris educit. Euripid. Iphig. λευκαίνει τόδε φῶς ἤδη λευκὸν ἦμαρ. Æschylus in Persis. λευκόπωλον ἡμέραν vocat, & λευκὸν ἦμαρ. German. Bene hanc primam inducit vidisse crepusculũ, quæ quasi amatrix tota nocte vigilauerat. Seruius.

Albescere lucem hypallage est, luce enim albescunt omnia, non ipsa lux, quam sæpe vocant auream poetæ.

ÆQVAT. VEL.) feliciter plenis, sine motu aliquo.

B

TERQVE QVATERQVE MAN. P. P. DECORVM) De hoc numero, seu modo loquendi diximus 1. Æneid. ibi, *ô terq; quaterq; beati*. De Iuturna lib. 12. iisdem pæne verbis omnibus, *Terq; quaterq; manu pectus percussit honestum*. Et pectus, & frontem ferire, indignationis argumentum est. Eodem pertinet comarum dilaceratio, seu euulsio.

PROH. IVPITER, IBIT HIC, AIT) Abruptum principium, furenti idoneum. Tota oratio pathetica, plena, breuis membris, & fluctuans. Hortatur absentes ad persequendos fugientes: rursus ad se ab illa alienatæ mentis insania, & errore reuersa, ceu sui oblita fuisset, vesanum consilium damnat. Oratio est incomposita, inordinata, & dissoluta, ad affectus, quibus varie afficitur, repræsentandos videlicet. Montfortius.

C

QVID LOQVAR? AVT VBI SVM? QVÆ MENTEM INSANIA MVTAT?
Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt.
TVM DECVIT, CVM SCEPTRA DABAS. en dextra, fidesq;,
Quem secum patrios aiunt portare penates:
Quem subiisse humeris confectum ætate parentem.
Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium? patriisq; epulandum apponere mensis?
Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna. fuisset:
Quem metui moritura? faces in castra tulissem,
Implessemq; foros flammis: natumq;, patremq;
Cum genere extinxem: memet super ipsa dedissem.

QVID LOQ. AVT. VBI SVVM) Quis non videt, hæc esse plena vehementiæ, plena affectus, plena doloris, & miserationis?

INFÆL. DIDO NVNC TE F. IMP. TANGVNT) ista iam lentiora sunt: & fato quodam se rapi ad mortem intelligit. Elegantius sub tertia persona, nunc te tangunt, quã sub prima, nunc me tangunt.

TVM DECVIT, CVM SCEPTRA DABAS) εἰρωνικῶς: hoc est, tum decuit eum bello persequi, & finibus arcere, cum eum in regnum reciperes, eiusque ius cum nominis tui im̃ortali dedecore illi traderes: quare & opulentissimos Africæ reges tibi inimicos reddidisti. Mõtf. * *Claudian. lib. 2. in Eutrop. par facere studuit.*

Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas: veteri post obruta morbo
Corpora, Pœonias nequidquam admoueris herbas.

EN DEXTRA FIDESQVE, QVEM SECVM) En fides, subaudi illius, quem secum, &c. Irridet Æneam, vt falsò à pietate laudatum, & cupit totum pro commento, & fabula haberi. Extulit deos, & patrem ex incendio Troiæ Æneas, vt vidimus sub extremum lib. 2. Vtrumque autem actum Æneæ, deos inquam, patremque portantis, quos noster duobus, Tibullus vno ferè carmine scitissimè comprehendit lib. 2. *postquam ille parentem Dicitur, & captos sustinuisse deos.* Silius lib. 6. in persona Martiæ, Regulum maritum ad Pœnos omnino sequi cupientis, nec impetrantis.

D

En qui se iactat Libye, populisq; nefandis,
Atq; hosti seruare fidem: data fœdera nobis,
At promissa fides thalamis, vbi, perfide, nunc est? *

DIVELL. CORP. ET VNDIS SPARGERE) Supra lib. 3. *Spargite me in fluctus*, verba sunt Achæmenidis.

PATRIIS EPVLAND. APPON. MENSIS) Respicit ad fabulam Ityos, de qua Metamorph. lib. 6. & cœnam Thyestæ, de quo habes Senecæ tragœdiam. German.

E

VERVM ANCEPS FVERAT FORTVNA) Anceps significare videtur id, quod ex vtraq; parte caput habeat, vt securis, bipennis. Sed magis à capiendo, quòd ex vtraque parte æquè capiatur, appellatum est. Festus.

NATVM-

NATVMQVE, PATREMQVE EXTINXEM) Igneæ A naturæ esse animum plerique veteres credidere. Adducebantur autem in eam opinionem, quod calore foueri, ac vegetari viderent: tum quòd frigere cadauera: vnde & frigidam vitai pausam dixit Lucretius. Sed & mouetur per se ignis, & pascitur: quæ certo quodam modo propriè animalium sunt. Ergo ex ea opinione multa loquendi genera fluxerunt in quotidianam loquendi consuetudinem. Nam extinguendi verbum, quod in igne proprium est, etiam in animalib⁹ dicitur, vt hoc loco vides, & illo, *animam extinguam seni.* Et viuere, ab ijs quæ animata sunt, ad ignem transfertur. Plaut. Aulul. *Nam si ignis viuet, tu extinguêre extempulo.* Et Horat. viuas lucernas dixit accensas. Od. 21. lib. 3.

Viuaq; producent lucernæ,
Dum rediens fuget astra Phœbus.

Quod autem mihi rarum in primis visum est, etiam interfectum torrem, pro extincto, Attius dixit: eius enim hi versus, Meleagro.

Tum suum vitæ finem, ac fati internecionem fore
Meleagro, cum torris esset interfectus flammeus.

Muret. lib. 7. cap. 6.

MEMET SVPER IPSA DEDISSEM) Possit videri respicere Altheæ fabulam, quæ cum incenso fatali torre Meleagrum consumpsisset, in eius rogum, sera remorsa pœnitentia, se præcipitem dedit, vt videre est apud Eustathium. German.

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuq; harum interpres curarum, & conscia Iuno,
Nocturnisq; Hecate triuijs vlulata per vrbes,
Et diræ vltrices, & dij morientis Elisæ,
Accipite hæc: meritumq; malis aduertite numen:
Et nostras audite preces: si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est,
Et si fata Iouis poscunt, hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus, & armis,
Finibus extorris, complexu auulsus Iuli,
Auxilium imploret, videatq; indigna suorum
Funera: nec cum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, mediaq; inhumatus arena.
Hæc precor. hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

SOL QVI TERRAR. FLAMMIS) Imprecatura Æ- B neæ extrema humanorum supplicia, obtestatur præcipuos mundi, & rerum quæ variæ in vita geruntur, arbitros, & spectatores, vt hanc precationem, imprecationemque suam, qua hostes deuouet, exaudire velint. Montfortius.

Ennius. *Sol qui candentem in cælo sublimat facem.* Arnob. lib. 1. Siderum sol princeps, cuius luce omnia vestiuntur, atque animantur. Hoc pæne idem est illi Euangelico, Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Quod Tertull. lib. de patientia perquam scite sic extulit. Deus florem lucis huius super iustos, & iniustos æqualiter spargit. Coniunximus hic duos auctores, quorum posterior priori, vt etiam S. Cypriano pro C magistro fuit.

Homer. Odyss. λ. Ἠέλιος, ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει. Æschylus Prometh. Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ ἴδεσθαι. Ennius in Medea exule.

Iupiter, tuq; adeò summe sol, qui res omnes inspicis,
Quiq; tuo lumine mare, terram, ac cælum contueris,
Inspice hoc facinus, prius quam fiat, prohibe scelus.

Lucretius.

Sic vigiles mundi magnum, & versatile templum
Sol, & luna suo lustrantes lumine circum.

Sic autem moriturus, & imprecatus Atridis Aiax apud Soph. conuertit sermonem ad solem. σὺ δ' ὦ τὸν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν ἥλιε. German.

TVQVE HARVM INTERPRES CVRARVM) nuptialium, quasi ea pronuba, & auctore, Æneæ se iunxerit innuptis nuptijs.

B NOCTVRNISQVE HECATE TRIVIIS) Hecate dea nocturnis sacris coli solebat, cum in dijs inferis numeraretur, quibus noctu sacra facere religio antiquorum præcipiebat. Veneficæ itaque ei tum operari solebant in triuijs, cùm ea τριοδῖτις ista de caussa à Græcis vocetur, à Latinis Triuia: cum vlulatu autem ei veneficæ sacra faciebant. Horat. sat. 8. lib. 1. *Cum Sagana maiore vlulantes.* Apul. lib. 11. heu nocturnis vlulatibus horrenda Proserpina. Nam Hecate Proserpina censetur. Fiebant & ei sacra in locis solis, procul ab hominum celebritate, vt ab Apollonio scribitur.

DII MORIENTIS ELISÆ) in quorum tutela viua sum: vel qui tutelares estis vrbis Carthaginis.

C HIC TERMINVS HÆRET) Id est, hoc immutabile est, nec aliter euenire potest, ratum est: vt agrorũ terminos altè solo defixos, & hærentes mutare non licet, & de termino prodito, est actio. Sed & qui terminum exarasset, Numa eius boues sacros esse iussit. Ab agrorum terminis, & finitoribus itaque ducta est metaphora, & à Lucret. quoque vsurpata lib. 1. & 6. *finita potestas deniq; cuiq; Quanam sit ratione, atq; altè terminus hæret.* Ille igitur terminus hæret, cui rei cuiusque temporis spatium ita circumscriptum est atque definitum quadam velut meta, vt vltra propagari eius diuturnitas non possit. De cuiusq; duratione, & statu, ac permansione dicitur. Turneb. lib. 18. cap. 6. & lib. 25. c. 1. D & lib. 29. cap. 6.

FINIB. EXTOR. COMPLEXV) Extorris quasi extra terram, vel terminos. Nonius. At Isidorus ita, & plenius. Extorris, qui extra terram suam est, quasi exterris.

Sed propriè extorris, cum vi expulsus sit: & cum terrore solo patrio eiectus: & extorris, ex terra sua pulsus. Sequuntur imprecationes complures. Vt cum in Italiam venerit, si omnino necesse est illum venire (quod ipsa minimè vellet: sed potius cum medijs absumi fluctibus) bello lacessatur ab Italis, quos à fortitudine cõmendat, & armorum studio. Vt pellatur Italiæ finibus. Vt filium spem vnicã posteritatis suæ, & imperij amittat. Vt auxilia quærat, nec impetret. Vt suos internecio- A ne deleri, & ab hostibus prosterni suis oculis videat. Vt cum pacem cum hostibus, & quidem iniquis conditionibus fecerit, non fruatur pace, & sede quieta. Vt ante diem, ante senectutem, & quidẽ ferro intereat. Vt insepultus iaceat. Viden' virulentiã, & fel mulieris? Et addit, se morte, & sanguine suo velle testari, se hęc ex animo, & medullitus imprecatã esse. Velle, inquã, hęc tanquam testamentũ suum annulo, sic sanguine quẽ mox adacto sibi in pectus ense profusura sit, obsignare.

Tum vos ô Tyrij, stirpem, & genus omne futurum
Exercete odijs: cineriq; hæc mittite nostro
Munera. nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor,
Qui face Dardanios, ferroq; sequare colonos,
Nunc, olim, quocunq; dabunt se tempore vires.
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsiq; nepotes.
Hæc ait: & partes animum versabat in omnes,
Inuisam quærens quamprimùm abrumpere lucem.

TVM VOS Ô TYRII) Ad Tyrios sermonem conuertit, quos monet, vt futurum etiam genus Troianorum, eorum posteros Romanos capitalib' odijs, & implacabilibus inimicitijs prosequantur. Has sibi inferias, hæc munera suis manibus fore acceptissima. Nascimb.

Sine dubio ad tria bella Punica respexit vates, & ad fœdus tertium perfidissimè ruptum, de quo Silius lib. 1. Punicorum.

—— ter Marte sinistrò
Iuratumq; Iouis fœdus, conuentaq; patrum
Sidonij fregere duces: atque impius ensis
Ter placidam suasit temerando rumpere pacem.

EXORIARE ALIQ. NOST. EX OSSIB. VLTOR QVI) Annibalem à poeta insinuari volunt quidam, & signatè dictum, aliquis. Is nempe, de quo Liuius, annorum nouem puerum ab Amilcare patre altaribus admotum, & B iurare coactum, se cum primum per ætatem possit, hostem fore populo Romano.

LITTORA LITTORIB. CONTRARIA) Tantum valet odium, vt etiam inter inanima velit esse discordiam, & inimicitias. Et est amplificatio imprecationis.

PARTES ANIM. VERSAB. IN OM.) Suprà, hoc eodem libro.

Atq; animum celerem nunc huc, nunc diuidit illuc,
In partesq; rapit varias, perq; omnia versat.

INVISAM QVÆR. ABRVMP. LVCEM) Vt hìc inuisam lucem, sic lib. 6. lucemq; perosi. Lucret. lib. 3.

Vt sæpe vsque adeo mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium, lucisq; videndæ,
Vt sibi consciscant mœrenti pectore lethum.

Cic. pro Milone, lucem intueri. Græci poetæ, *ὁρᾷν φάος ἠελίοιο*. Ex Lamb. in Lucret.

Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi:
(Namq; suam patria antiqua cinis ater habebat)
Annam chara mihi nutrix huc siste sororem:
Dic, corpus properet fluuiali spargere lympha:
Et pecudes secum, & monstrata piacula ducat.
Sic veniat: tuq; ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Ioui stygio, quæ rite incepta paraui,
Perficere est animus, finemq; imponere curis:
Dardanijq; rogum capitis permittere flammæ.
Sic ait: illa gradum studio celerabat anili.

CHARA MIHI NVTRIX) Terent. Adelph. *Obsecro, mea tu nutrix.* Ibid. Donatus: honorificum est, quod dicit, nutrix. Sunt enim nomina ad aliquid, quibus nos tamen velimus appellari, vt magister, medicus, orator. Profert etiam hunc locum Maronis.

ANNAM HVC SISTE SORORREM) Decorè nutrici negotium mandat, & vt eam à se submoueat, & vt spatium ipsa habeat exequendi consilij, dum Anna conficiendis mandatis occupatur. Priora quidem ad sororem pertinent, posterius ad nutricem Barcen. Mandat vtrisque religionis negotium, vt eius C prætextu minus minusque fraudem subodorentur. Montfort.

CORP. PROP. FLVVIAL. SPARG. LYMP.) Purificationem ad sacra superorũ deorũ pertinentem nõ ignorasse Virgiliũ docuimus in illud 2. Æneid. *Tu genitor cape sacra manu*, &c. Eiusdem moris proprietatem etiam circa inferorum deorum cultum expressit. Constat dijs superis sacra facturũ corporis ablutione purgari. Cum verò inferis litandum est, satis actum videtur, si aspersio sola contingit. Rectè igitur Dido dijs inferis sacra instituens, *Dic, corpus properet fluuiali spargere lympha.* Et alibi.

Et alibi. *Sparserat & latices simulatos fontis Auerni.* Nec non cum Misenum sepulturæ mandatum refert idem, *ter socios pura circumtulit vnda, Spargens rore leui.* Sed & cum facit Æneam, apud inferos ramum Proserpinæ consecraturum, ita refert, *occupat Æneas aditum, corpusq́; recenti Spargit aqua.* Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 1.

Corpus fluuiali spargere lympha. Sic & Euripid. in Alcest. ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρόα ἐλούσατο. Nimirum stagnantes, torpentesq́; latices antiqua religio à sacris summouebat, viuamq́; aquam lustrationibus, purgationibusq́; adhibebat, vt καθαρτικὸν ὕδωρ χύσιν. vt lib. 2. *me attrectare nefas, donec me flumine viuo Abluero.* Et lib. 8. *rite cauis vndam de flumine palmis Sustulit.* German.

SACRA IOVI STYGIO) Credidit antiquitas, inferos curas, & amores soluere: quæ est Didoni caussa simulandi susceptionem eorum sacrorum, & ita dissimulandi moriendi cōsilium. Silius eadem de re lib. 8.

Nigro forte Ioui, cui tertia regna laborant,
Atq; atri socia thalami noua sacra parabam,
Queis ægram mentem, & trepidantia corda leuaret,
Infelix germana tori.

Turneb. lib. 21. cap. 22. & lib. 25. cap. 6. Porrò Iupiter stygius vocatur Pluto: summus ille deorum imperator, qui in arce cæli regnat, Iupiter supremus. Arnob. lib. 2. Iupiter tam supremus, quam stygius. Idem Turneb. lib. 13. cap. 14. * *Quomodo Virgilio Pluto est Iupiter Stygius, sic Senecæ infernus, Statio profundus Iupiter, Homero καταχθόνιος. Etiam Proserpina Virgilio, & Claudiano inferna, profunda Iuno. Caussa est, quod Stoici vnum deum pro varijs actibus, & potestate varia credebant habere nomina. Qua de re alicubi in Saturnal. Macrob. Quin etiam Neptunum vocatum Iouem, & hoc nomen tribus illis fratribus commune fuisse, monuit in 1. Achilleidos Statij eruditissimus Ioan. Bernartius. Vocauit autem Statius secundum Iouem.*

DARDANIIQVE ROGVM CAP. PER. FLAMMÆ) Est animus his curis amatorijs finem imponere. Imponetur, vbi imago Æneæ, & aliæ res ab eo relictæ flammis impositæ, & consumptæ fuerint, vt me faciendum docuit sacerdos maga videlicet. Est animus caput Dardanium flammæ rogi permittere, hoc est rogo ardenti ad abolendum eius amorem inijcere, vt ea peste aliquando liberer. Montfortius.

ILLA GRAD. STVD. CELER. ANILI) Horat. Ode 3. lib. 1.

Semotisq́; prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

Sed hoc, quod non ita obscurum prima specie videri potest, interiorem sensum occulit. Videtur enim dicere: illa, vt anuum sedulitas est, properabat. Vide tamen, ne significet eius studium sine effectu fuisse, cum studeret properare, sed anile studium esset, neque voto succederet conatus: ac ne me in alienis venditem, hunc sensum Donatus in Terentium audit in versu Virgiliano. Sic enim ait in hunc Eunuchi locum, *Video, sed nihil promoues.* Hinc est istuc Virgilianum, *illa gradum studio celerabat anili.* Scilicet non re celerabat, sed studio. Turneb. lib. 2. cap. 14.

At trepida, & cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam voluens aciem, maculisq; trementes
Interfusa genas, & pallida morte futura,
Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conscendit furibunda rogos, ensemq́; recludit
Dardanium, NON HOS QVÆSITVM MVNVS IN VSVS.
Hîc postquam Iliacas vestes, notumq́; cubile
Conspexit: paulùm lacrymis, & mente morata,
Incubuitq́; toro, DIXITQVE NOVISSIMA VERBA:
Dulces exuuiæ, dum fata, deusq́; sinebant,
Accipite hanc animam, meq́; his exsoluite curis.
VIXI, ET QVEM DEDERAT CVRSVM FORTVNA, PEREGI:
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Vrbem præclaram statui, mea mœnia vidi.
Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi:
FÆLIX, HEV NIMIVM FÆLIX, SI LITTORA TANTVM
NVNQVAM DARDANIÆ TETIGISSENT NOSTRA CARINÆ.
Dixit: & os impressa toro, moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait. sic? sic iuuat ire sub vmbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & nostræ secum ferat omina mortis.

AT TREPIDA, ET COEPTIS IMMANIBVS EFFERA) Festinantem reginam facit ad mortem, metu, ne sororis interuentu consilium impediatur. Atque disertè funesta signa in vultu, mortis narrat, quæ in meditantibus abominanda eiusmodi consilia apparere solent: flammantes oculos, maculosas notis sanguineis genas, pallidam cæterâ faciem horrore futuræ mortis. Montf.

MACVLISQVE TREMENTES) maculis quas in Capt. Plautus vocat luridas, id est, croceas, seu luteas.

PALLIDA) Virgilius mox explicat, *& pallida morte futura.* Qualis est luræ color. Est autem lura pellis non tincta.

ENSEMQVE RECLVD. DARD.) De hoc ense haud inuenustum extat epigramma Sannazarij lib. 1. quod subijcio.

Immemor ah misera cur ensem linquis Elisa
Nate dea? profugas non grauat ille rates:
Anné parum fuerat caussam dare mortis acerbæ,
Ni ferrum fugiens tu quoq; triste dares?
Tolle precor tumidas tecum hoc, iam tolle per vndas,
Discessu satis est si perit illa tuo.

Optat etiam Deianira apud Sen. in Hercule Oetęo ensem relictum esse à marito, quo se queat perimere. *Vtinam esses, vtinam fixus in thalamis meis Herculeus ensis.*

HIC POSTQVAM ILIACAS VESTES) Totum hunc locum, quo deplorat fortunas suas Dido, postquã mori deliberauit, videtur transtulisse è Trachinijs Sophoclis: res enim similis admodum est. Cognito namque errore suo Deianira, & quemadmodum coniugem fortissimum virum miserabili letho peremisset, in vita & ipsa amplius manere noluit. Quod igitur græcus poeta ita rem narrantem inducit nutricem, ἐξαίφνης σφ' ὁρῶ τὸν ἡράκλειον θάλαμον εἰσορμωμένην: Latinus inquit, *Interiora domus irrumpit limina.* Præterea quod tragicus,

------ ὁρῶ δὲ τὴν γυναῖκα δεμνίοις
τοῖς ἡρακλείοις στρωτὰ βάλλουσαν φάρη.
Ο῎πως δ' ἐτέλεσε τοῦτ', ἐπενθοροῦσ' ἄνω,
Καθέζετ' ἐν μέσοισιν εὐναστηρίοις·
Καὶ δακρύων ῥήξασα θερμὰ νάματα,
Ε῎λεξεν, ὦ λέχη τε, καὶ νυμφεῖ' ἐμά,
Τὸ λοιπὸν ἤδη χαίρεθ', ὥς ἔμ' οὔποτε
Δέξεσθ' ἔτ' ἐν κοίταισι ταῖσδ' εὐνήτειαν.

Epicus noster, *Hic postquam Iliacas,* &c. Neque enim tantum adumbrauit, sententiasque, quæ cõueniebant, inde accepit, sed verba quoq; expressit. Nam ἐπενθοροῦσ' ἄνω reddidit illis verbis aptissimè, *Incubuitq; toro.* Vict. lib. 5. cap. 14.

PAVLVM LACRYMIS ET MENTE MORATA) Duo potissimùm mortem nonnihil distulere, quo minus illico in ferrum se indueret. Lachrymæ ex affectu promanantes, quibus spatium dandum fuit: & horror quidam mortis præsentis. Mentem enim hic vocat animum nonnihil restitantem, & refugientem à facinore. Montfortius.

DVLCES EXVVIÆ DVM FATA) Pathetica oratio, qua animam præsentibus exuuijs mandat, moritura. Ac consolatur se celebritate nominis, & rerum perpetratarum laude.

VIXI) Tibull. *Sine erimus, seu nos fata fuisse velint.* Plaut. Capt. *Nunc illud est, cum me fuisse quam esse, nimio mauelim.* Bacchid. *Vixisse nimio satius est, quam viuere.* Trucul. *Ita tibi pene fuit Phronesium.* Est & illud simile 2. Æneid. *fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens gloria Teucrorum.* Sic dicebant antiqui, viximus, inquam, vixerunt, vixi, ne dicerent, perierunt, mortui sunt, quæ videbantur duriuscula. Plutarch. in Cicerone. ὁρῶν δὲ πολλοὺς ἐκ τῆς συνωμοσίας ἐν ἀγορᾷ συνεστῶτας ἀθρόους, καὶ τὴν μὲν πρᾶξιν ἀγνοοῦντας, τὴν δὲ νύκτα προσμένοντας, ὡς ἔτι ζώντων τῶν ἀνδρῶν, καὶ δυναμένων ἐξαρπασθῆναι, φθεγξάμενος μέγα πρὸς αὐτούς, ἔζησαν, εἶπεν. Deinde subijcit οὕτω δὲ ῥωμαίων οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι, τὸ τεθνάναι σημαίνουσι. Id est, Videns autem Cicero multos etiam de coniuratis, in foro, denso agmine simul stantes, & quid actum ab eo esset, ignorantes, noctem autem exspectantes, tanquam illis etiamnum viuentibus, & quasi per vim eripi possent, voce sublata, & ad eos conuersa, vixerunt, inquit. Sic autem Romani ij, qui mali ominis verbum loqui nolunt, mori significant. Hæc pœne omnia Lamb. in Capt. Plauti.

ET QVEM DED. CVRS. F. PEREGI) Seneca scriptor grauissimus, cum aliorum, tum maximè Virgilij versus libenter, ac sæpe ad mores docendos trahit. Hunc igitur ipsum epist. 12. ad hunc modum. Itaque sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen, & consummet, atq; expleat vitam. Pacuuius qui Syriam vsu fecit suam, cum vino, & illis funeris epulis se sepelisset, quasi si parentaret, sic in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorũ hoc ad symphoniam caneretur, βεβίωκε, βεβίωκε. Nullo non se die extulit. Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus, & in somnum ituri, læti, hilaresque dicamus, *Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.* Crastinum si adiecerit Deus, læti recipiamus. Ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Quisquis dixit, Vixi, quotidie ad lucrum surgit. Cæterùm quod ad loquendi modum spectat, similiter locutus est in Miloniana Cicero, vt quidem ex antiquioribus libris legit Victor. lib. 22. c. 22. Vestras verò, & vestrorum ordinum concursationes, studia, sermones, quemcunq; cursum fortuna dederit, secum se ablaturum esse dicit. In quibusdam vulgatis legitur *casum*, pro cursum, sed vitiosè. Significat igitur Cicero, in quascunque terras venturus sit Milo, & vbicunque reliquam ætatem traducturus, vel quamcunq; vitæ conditionem subiturus sit &c. Nam cursum etiam vitæ μεταφορικῶς dici, certum est.

MAGNA MEI SVB TERRAS IBIT IM.) Credebant non animas ipsas à corpore separatas: sed nuda quædam simulacra, & imagines τύπους, καὶ εἴδωλα, seu spectra ad inferos descendere: animas in alia potius corpora migrare, de qua opinione satis copiosè Plotinus sæpe disputat. Ennio tribuit Lucretius. lib. 1.

—— *esse Acherusia templa*
Ennius æternis exponit versibus edens:
Quò neq; permanent animæ, neq; corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris.

In hac opinione fuit Virgilius quoq; tum hîc, tum ibi, *Morte obita quales fama est volitare figuras.* Fuerunt & cæteri poetæ, quando non animas, sed simulacra, figuras, vmbras nominant. Tibull.

Vidit vt inferni Plutonis subdita regno
Magna deûm soboles lenibus discurrerat vmbris.

Claudian. quando de Plutone. *Vmbrarumquè potens.* Homer. Iliad. ψ. animas vocat εἴδωλα καμόντων, simulacra mortuorum. Apud eundem in Odyss. Vlysses ait se vidisse βίην ἡρακληείην, εἴδωλον, vim Herculeam, simulacrum: ipsum vero apud immortales deos oblectari in conuiuijs, & habere καλλίσφυρον ἥβην. Pomponius Sabinus. Vmbra ex homine petit inferos, anima quæ è cælo est, vt scribit Seneca, petit cælum: corpus terra absumitur. Hæc Delrius Comment. in extremam Hercul. Oethæum Senecæ.

Quem delectant Platonica, Rhodigin. totum hunc locum ex eius philosophiæ mysterijs explicantem legat, lib. 17. cap. 6. Magnam imaginem cur poeta dixerit, caussam putat Turneb. lib. 22. cap. 26. & lib. 29. cap. 6. quia cum tempore nocturno vmbras, & ludibria spectrorum videmur videre, ea metu perterritis magna obijciuntur: & opinio erat, manium speciem magnam esse. Quia verò à Gręcis, & Romanis heroum, beneq; de repub. meritorum statuæ ponebantur corporibus illorum maiores, prout maiori honore digni putarentur,

tur, & Dido omnia quæ à ſe exigi poterant, officia abſoluerit, vt ipſa memorat, exiſtimat Pierius lib. 49. eò his verbis alludi. * *Opinionem illam antiquorum, de ſimulacro, ſeu vmbra ad inferos deſcendente ridet Vrbanè, & in ea vexat Herculem Diogenes apud Lucianum Tomo 3. Non eſt inficetus dialogus.*

VRBEM PRÆCLARAM STATVI) Ipſa in epiſtola apud Naſonem.

Vrbem conſtitui, lateq́; patentia fixi
Mœnia, finitimis inuidioſa locis.

VLTA VIRVM POENAS INIMICO. A. F) Sichæum, trucidatum à fratre Pygmalione. Quas autem pœnas ſumpſit? fugit cum theſauro: quo amiſſo, ille, vt homo auariſſimus, in magna moleſtia fuit. Atque ex his rebus præclare geſtis, mulier ſuam fœlicitatem metitur, abſolutam illam quidem, niſi Troianorum appulſus eam labefactaſſet.

NIMIVM FELIX, SI LITTORA TANTVM) Catull. de nupt.

Iupiter omnipotens, vtinam nec tempore primo
Gnoſia Cecropiæ tetigiſſent littora puppes.

Accuſatur Ennius, inquit Iouianus lib. 2. de Fortuna, tanquam poeta rudior, quòd nimis remoto è loco, vel queri cœperit, vel incuſare.

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet ad terram abiegna trabes,
Neue inde nauis inchoanda exordium
Cœpiſſet, quæ nunc Argo nominatur nomine.

Rectè autem, & conſideratè Virgilius non à cæſu arborum in Pelij montis nemoribus, ſed ab annauagatione tantùm, atque in littus appulſu. * *Reliquum Ennij, vt eſt à Cornificio 2. ad Herenn. relatum, cum recitatu diſſit, attexemus, quoniam lucem dat iſti voto Didonis, quæ prudenter ſubticet, quod auditor per ſe nullo negotio intelligit. Ennius autem vt hoc enuntiauit, ita verſus ſuos ex græca Euripidis Medea effinxit, ex initio, inquam, tragœdiæ: ſunt autem verba nutricis, dolentis de aduentu Iaſonis, qui cum hera aufugit.*

Argo, qua vecti Argiui delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis, imperio regis Peliæ, per dolum.
Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægra, amore ſæuo ſaucia.

ET OS IMPRESSA TORO) Ordinem à Virgilio diligentiſſime ſeruatum ſic demonſtrat Scalig. Poet. lib. 3. cap. 4. Dido primùm per ſe tentat Æneam auertere à ſententia. Vbi non procedit, per Annam. hæ preces: quas fruſtra eſſe quum videt, ad minas ſe conuertit. Quum nec his impetrat, decernit à ſe ipſa. Tempus eligit, & modum, poſtremò peragit. Quo in dramate habes omnia, perſonam, conſilium, factum, cauſſas, tempus, modum, affectum, inſtrumentum, euentum.

MORIEM. INVLTÆ. SED. MOR. SIC? SIC IVVAT IRE. S. VMB.) Verba hæc plena ſunt iræ, & indignationis, ideoque quaſi ignauiam ſuam redarguens, moriemur, inquit, hac iniuria impunita? & cunctata paululum, quaſi reſipuerit, omnes conatus ſuos inanes, vanosq; reputans, conſilium mutat, ſubditq; *ſed moriamur*, quaſi nulla re alia, præterquam morte ſui criminis labem eluere, illatamque ſibi iniuriam vindicare poſſit. Propterea ſequitur. *Sic ſic iuuat ire ſub vmbras.* Vbi nullum approbo dialogiſmum, interrogantis videlicet, & reſpondentis, vt prima vox cum interrogatione, & admiratione proferatur quaſi ab alio, & reſpondeat Dido. Hæc enim παλιλογία ſine interrogatione, tum aſſeuerationis, tum acrimoniæ plurimam habet. Naſcimb.

HAVRIAT HVNC OCVLIS IGNEM) Lib. 12. *Ille oculis poſtquam ſæui monumenta doloris, Exuuiasq́; hauſit.*

NOSTRÆ SECVM FERAT OMINA MORT.) Vide principium lib. 5. *quæ tantum accenderit ignem Cauſſa latet*, &c.

Dixerat: atq; illam media inter talia ferro
Collapſam aſpiciunt comites, enſemq́; cruore
Spumantem, ſparſasq́; manus. it clamor ad alta
Atria: CONCVSSAM BACCHATVR FAMA PER VRBEM.
Lamentis, gemituq́;, & fœmineo vlulatu
Tecta fremunt: RESONAT MAGNIS PLANGORIBVS ÆTHER:
Non aliter, quam ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros: flammæq́; furentes
Culmina perq́; hominum voluantur, perq́; deorum.
Audijt exanimis, trepidoq́; exterrita curſu
Vnguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.

FERRO COLLAP. ASPICIVNT) Ouid. lib. 14. Metamorph. pauciſſimis verbis materiam quarti Æneid. complectens.

Excipit Ænean illic animoq́;, domoq́;,
Non bene diſcidium Phrygij latura mariti
Sidonis: inq́; pyra ſacri ſub imagine facta
Incubuit ferro: deceptaq́; decipit omnes.

Decepta ab Ænea videlicet, qui non ita ſe gerebat, quaſi multùm amplius de Italia petenda cogitaret: ac proinde eum à Ioue per Mercuriũ admoneri oportuit. ✠

IT CLAM. AD ALTA ATRIA) Non ita diſſimilis eſt locus ille lib. 2. *At domus interior gemitu, miſeroq́; tumultu*, &c.

NON ALITER QVAM SI IMMISSIS) Eleganti ſimilitudine commiſerationis affectum exaggerat. Macrob. Saturnal. lib. 4. docet hic augeri πάθος à maiore. Quanquam falsò quidam, inquit, à maiori rem augeri poſſe negant. Nam hoc ſignificare videtur poeta doctiſſimus, non minorem fuiſſe luctum ex vnius morte, quam ſi tota vrbs (quod proculdubio fuiſſet maius) ruiſſet. Alludit ad Carthaginis direptionem, quæ tertio bello Punico facta eſt, duce Scipione Æmiliano. lege Apianum in Libyco. Attamen & Homerum imitatur Iliad. lib. 22. vbi conſpecto Hectoris ab Achille raptati cadauere, Hecubam, & Priamum parentes illius eadem fere agentes inducit, quæ hic Anna facit. Naſcimb.

AVT ANTIQVA TYROS) Tyri expugnatio facta ab A Alexandro M. describitur lib. 4. Curtij. Tyrus septimo mense, quàm oppugnari cœpta erat, capta est: Vrbs & vetustate originis, & crebra fortunæ varietate ad memoriam posteritatis insignis: condita ab Agenore: diu mare non vicinum modò, sed quodcunque classes eius adierũt, ditionis suæ fecit. Et, si famæ libet credere, hæc gens litteras prima aut docuit, aut didicit. Coloniæ certæ eius pænè toto vrbe diffusæ sunt. Carthago in Africa: in Bæotia Thebæ: Gades ad Oceanum. Credo libero commeantes mari, sæpiusque adeundo cæteris incognitas terras elegisse sedes iuuentuti, qua tunc abundabant: seu quia crebris motibus terræ (nam hoc quoque traditur) cultores eius fatigati, noua, & externa domicilia armis sibimet quærere cogebantur.

TREPID. EXTERR. CVRSV VNG. ORA SOR.) Fœminæ improuiso casu consternatę, & dolore immodico accensæ morem, naturamque his versibus nobis spectandam exhibet, cui, quæ mox sequitur, miserabilis oratio consentanea est. Audit sororẽ incubuisse in gladium, exanimatur: ad moribundum corpus aduolat: quæ in magno dolore mulieribus sollemnia sunt, laniare genas, pectus pulsare pugnis, non omittit. Nihil reuerita, impotenter ruit per turbas, quas rumor exciuerat. Deniq; nomen sororis ingeminat. ✠

MORIENTEM NOMINE CLAMAT) Hoc ita accipiendum, vt si quid vitalis spiritus, & mentis insit, signum edat. Notæ sunt inclamationes, & conclamationes in funeribus apud veteres, quod vitalis spiritus interdum conclusus adhuc, etiam viuos fallere solet. Montfort.

Hoc illud germana fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes, aræq; parabant?
Quid primùm deserta querar? comitémne sororem
Spreuisti moriens? eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor, atq; eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosq; vocaui
Voce deos, sic te vt posita crudelis abessem?
Extinxti te, meq; soror, populumq;, patresq;
Sidonios, vrbemq; tuam: date, vulnera lymphis
Abluam, & extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. sic fata, gradus euaserat altos,
Semianimemq; sinu germanam amplexa fouebat
Cum gemitu, atq; atros siccabat veste cruores.

HOC ILLVD GERMAN. FVIT?) Terent. And. *at*, B *at, hoc illud est*. Donat. Ibid. Ἀπόδειξιν est eius rei, quam in animo conceperamus. Mox verba Maronis subiungit. Cum hac Annæ querimonia confer illam matris Euryali lib. 9. super nece filij, sanè lugubrem ac lacrymosam. Ex eo autem Anna mirificum amorem in Didonem demonstrat, quod se libenter cum ea eodem ferro perituram fuisse confirmat. Item quod se huic neci subseruijsse, & tantam toti vrbi calamitatem inuexisse nimiopere dolet. ✠

ME FRAVDE PETEBAS) vt rogum sacrorum prætextu extruerem, in quo perires. Iteratæ interrogationes seruiunt affectui.

SIC TE VT POSITA) Eadem forma suprà lib. 2. *Sic* C *ô sic positum affati discedite corpus*. Quod κείμενον, & mortuum Turneb. accipit, fauente, meo iudicio, illo, lib. Æneid. 11. *Corpus vbi exanimi positum Pallantis Acœtes Seruabat*. Sic suprà. *volucres somno posita sub nocte silenti*. Credo equidem, hanc vocem, *posita* omnino à Græcis imitatione desumptam, quibus sepulchrale vocabulum est τιθέναι, & τίθεσθαι. Plato leg. 8. Οὐ τὸν μακάριον γεγονότα θέντες κύκλῳ χώσαντες, &c. German.

EXTINXTI TE MEQVE SOR. POP. PAT.) Ab incommodis, quibus & se, & suos affecerit. Hic autẽ nomen populi positum est pro plebe. Populus enim (Isidori verba sunt lib. 9. cap. 4.) vniuersi ciues sunt, connumeratis senioribus ciuitatis: plebs autem reliquum vul- D gus, sine senioribus (*der gemeine mann*). Populus ergo tota ciuitas: vulgus verò plebs est. Et dicitur plebs à pluralitate: maior est enim numerus minorum, quam seniorum: populus autem quasi πολιτῶν ἀθροισμὸς, id est, ciuium cœtus.

VVLNERA LYMPHIS ABLVAM) Vide lib. 6. de Miseno, *corpusq; lauant frigentis, & vngunt*.

EXTREMVS SI QVIS SVPER HALITVS) Ouid. consolat. ad Liuiam.

Sospite te saltem morior Nero, tu mea conde
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

Lib. 7. Metamorph. *Infelicem animam nostroq; exhalat in ore*. Obseruatum fuit à veteribus, vt proximus sanguine, morientis corpus, dum trahit animam, amplexus, & vultum vultui imponens, quasi fugientem animam osculo exciperet, mox decedentis oculos, & ora clauderet. Nefas enim existimabant à viuentibus decedentium oculos spectari. Alexand. Neapol. lib. 3. cap. 7. Cic. 7. in Verrem. Matresque miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberũm exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi vt filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret. Quintilian. declamat. 6. Non morienti pater assedi, non ægri caput molliori sede composui, non fatigatum latus mutaui, non spiritum excepi.

SIC FATA, GRADVS) Cum mouendæ miserationis duplex ratio sit, rebus & verbis, vtrumque hic positum est, vt tragœdia lacrymosior excitetur. Nam soror verbis hactenus satis conquestionis excitauit, iam verò sese ad gestus accingit, & rogum quamuis altissimum ascendit, sororemque moribundam amplectitur mediam, amplexuque fouet: vnde maior etiam, quam ex verbis existit commiseratio. Nascimb.

GRADVS ALTOS) Pyram, in qua defuncti corpus cremaretur, pro opibus, virtutibus, dignitate, & honoribus, quos viuus gesserat, modò maiorem, modò minorem extruebant. Hoc vult, credo, Virgil. Nam & Seruius

uius in hæc verba ipsa, Ascenderat, inquit, rogum, qui pro qualitate fortunarum, & personę fiebat. Vnde in.6. *Congerere arboribus, celoq; educere certant*, de funere Miseni. De eodem, *ingentem struxere pyram*. vbi Donatus hoc factum ait, vt robur, & meritum viri sic appareret. Ea de caussa de Patroclo Homerus. *ποίησαν ὃ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα.* Fecerunt autem pyram centum pedum vtrinq;. Halicarnass. lib. antiq. 11. scribit milites Sicinium virum fortissimum sepelijsse, & honestissimè extulisse, rogumq; maximum aggessisse: aliaq; pro viribus implesse quæ in supremum honorem strenuis viris fieri lex iubet. De rogo Herculis Seneca, *In astra tollunt Herculi angustum rogum.*

SEMIANIMEMQVE SINV) Vtitur hac voce *semianimis* Cicero in Mario, ex quo proferuntur versus aliquot lib. 1. de diuinat. Vtitur etiam Probus in Pausania. Hic cum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflauit. Virgil. & hic, & alibi.

Illa graues oculos conata attollere, rursus
Deficit: infixum stridet sub pectore vulnus.
Ter sese attollens, cubitoq; innixa leuauit;
Ter reuoluta toro est, oculisq; errantibus alto
Quæsiuit cælo lucem, ingemuitq; reperta.
Tum Iuno omnipotens longum miserata dolorem,
Difficilesq; obitus, Irim demisit olympo:
Quæ luctantem animam, nexosq; resolueret artus.
Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoq; accensa furore,
Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioq; caput damnauerat orco.
Ergo Iris croceis per cælum roscida pennis,
Mille trahens varios aduerso sole colores,
Deuolat, & supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero: teq; isto corpore soluo.
Sic ait, & dextra crinem secat: omnis & vnà
Dilapsus calor, atq; in ventos vita recessit.

GRAVES OCVL. CONATA ATTOLLERE) Lucret. lib. 1. *Primum Graius homo mortales tendere contra Est oculos ausus.* Videtur autem hic locus referri posse ad illum Euripid. in Phœnissis, vbi moriens Eteocles matris vocem agnouisse narratur. *ἤκουσε δ' ὑπὸ φώνημ' αὐτῆς*, &c. German.

Rectè *conata* dixit, quia graues. Nam vis illa animi, atq; corporis iam cœperat languere, ideo sequitur, *rursus deficit*. Non enim vigor, vel potius vigoris ille conatus diutius manere poterat: caussa subditur, *infixum stridet sub pect. vulnus*. Sanguis enim magna vi, & copia prorumpebat. Nascimb.

INFIXVM STRIDET SVB PECT.) Malo huius ita orationis particulas comparare, vt infixum sub pectore accipiamus potius, quam stridet sub pectore. German.

TER SESE ATTOLLENS) Violentæ mortis difficultatem exemplo Didonis designare poeta videtur, locũq; eleganti repetitione illustrat. Talis est illa 2. æneid.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago.

Cur ingemuit reperta luce? quia pœnituit eam, sibi cõsciuisse necem: vel quia ipsam vitæ tædebat. Sed melior prima expositio: nemo enim sibi vnquã vulnus lethale infligit, què, stimulante conscientia, facti non pœniteat.

LONG. MIS. DOL. DIF. OBITVS) Meritò longus dolor morientis, & difficilis obitus, quia anima exire luctabatur, quasi in palæstra aduersariũ conaretur totis viribus subijcere. Probè, & conuenienter philosophorum sententiæ, *nexos artus resoluere*: quoniam anima nõ in vna aliqua parte est, sed tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte: quæ pars si tollatur à corpore, non simul anima tollitur, nec se retrahit, vt pueri fortasse imaginantur, sed eam animare desinit.

NEC FATO, MERITA NEC MORTE PERIB.) Mors est quædam naturalis, cum fatalẽ annorum summam confecimus, vt cum morimur in senectute profunda. Mors est etiam merita, vt quam bellorum casus, & morbi, intemperantia, & cruditate quæsiti, aut scelera, & crimina afferunt: meruit etiam mori, qui in aciem prodijt. Hinc illud Æneæ, *Et si fata fuissent Vt caderem, meruisse manu.* Is quoque mortem lacessit, qui luxuriosè, intemperanterque viuendo valetudinem labefactat. At nec fato, nec merita morte Dido occidebat sed morte immerita, vt subito furore correpta. Itaq; fatali morti, & naturali, (quæ contingit, quum quis non moritur ante diem) istuc, *Sed misera ante diem subitoq; accensa furore*, Virgilius opponit. Turneb. lib. 11. cap. 19.

Rhodigin. lib. 21. cap. 4. id quod secundo loco positum est, præcedentis expositionem ait esse, qui mos est Virgilio frequentissimus. Quid enim est fatalis mors aliud, quam merita, seu debita ex naturali proueniens discrasia? &c. Similis sententia est in 1. Philipp. Vt si quid mihi humanitus accidisset (multa autem impendere videbantur præter naturam, præterque fatum) huius diei vocem, testem Reipub. relinquerem meæ perpetuæ erga se voluntatis. Vbi quærit Gell. lib. 13. cap. 1. an Cicero vtrinque idem valere voluerit fatum, atque naturam: an verò diuiserit, separaritque, vt alios casus natura ferre videatur, alios fatum. Deinde miratur, qua ratione dixerit, accidere multa humanitus posse præter fatum: quando sic ratio, & ordo, & insuperabilis quædã fati necessitas constituitur, vt omnia intra fatum claudenda

denda sint. Nihil autem dubium est, quin violentam, & inopinatam mortem significauerit, quæ quidem potest rectè videri accidere præter naturam. Sed quomodo præter fatum? Virgilius sanè idem quod Cicero de fato opinatus est, cum hoc dixit, tanquam in faciendo fine vitæ, quæ violenta sunt, non videantur è fato venire.

In rebus humanis, ait Nannius lib. 7. cap. 17. aut fatum, aut natura, aut casus. Sed de his Seruius. Cæterum supra fatum, aliquid contingere, testis Homerus est.

Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Stultitiis præter fatum patiuntur acerba.

B Ita hìc quoque præter fatum Dido extinguitur, id est, ante diem fatalem, idque nullo scelere, quod indicatum est his verbis, *merita nec morte peribat*. Quippe quæ nullam culpam admiserat, cur mori deberet. Seruius tamē meritam mortem pro naturali exponit, quod mihi non per omnia arridet. Quæ enim à Virgilio adduntur, nostræ interpretationi fidem astruunt, dum dicit per epexegesin, *sed misera ante diem*, nimirum præter fatum: *subitoq; accensa furore*, quæ verba eius rei interpretationem habent, *merita nec morte peribat*: quippe quam nullum peccatum, sed furor è vita sustulerit. Memor est enim Virgilius, quòd suprà dixit, *Ergò vbi concepit furias euicta dolore, Decreuitq; mori*. Naturæ, fatiq; nomine à Cicerone loco suprà citato nihil diuersum significatur.

C Mors igitur naturalis, est mors fatalis: cum quis peracto ætatis cursu tandem extrema senectute in fata concedit (vt optimi scriptores loquuntur) seu extinguitur. Quæ autem mors ferro, igne, alioue casu infertur, neque naturalis est, neque fatalis. Id ex orat. pro Cælio intelligitur, in cuius peroratione ita scriptum est. Nolite iudices hunc iam natura ipsa occidentem velle maturius extingui vulnere vestro, quam suo fato. Vbi disertè morti naturali, & fatali, mortem vulnere illatam opponit. Idem facit Virgilius, cum de Didone, quæ sua se manu interfecit, ita scripsit, *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat*. Id est, non secundùm naturæ institutum, quo homines nulla extrinsecus vi allata placidè

D moriuntur, & quasi obdormiscūt. Hæc Ferrarius emendat. in Philipp.

NONDVM ILLI FLA. PROSERP. CRIN. ABSTVL.) Proserpina, prius Preserpina, à φερσεφόνη. Nam ferè quæ in, o, nunc dicimus, per, e, enuntiabant. Scalig. F. in Varr.

Hos versus oscitanter Seruius interpretatus est. Ita enim scribit. Trahit hoc de Alcestide Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam secantem, quia fato peribat mariti. Sed apud Euripidem nulla prorsus hac quidem in re Mercurij mentio est. Introducitur quidem Mors, quæ se venisse ait, vt illi optimæ mulieri crinem secet: neque tamen id fieri ait, quod illa mariti fato peritura esset. Quin ostendit eum secari solitum ijs omni-

E bus, quibus fatalis aduenisset dies. Vniuersè enim pronuntiat, eum sacrum esse dijs manibus, cuius ipsa crinē hasta libauerit, ita enim loquitur.

Στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει,
Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα.

Hoc igitur apud Euripid. ὁ θάνατος loquitur, qui tamē illic quoque librariorum vitio falsò putatur esse Charon. Muret. lib 4. cap. 16.

Existimabant autem antiqui, eos, qui essent proximi, à Proserpina primùm tonderi, & his quasi primitijs Orco initiari: nec aliter diem suum obire posse, & hanc caussam Didonis difficulter morientis affert Maro, & addit, *Ergo Iris croceis per cælum roscida pennis*, &c. Quòd igitur Iris hic fingitur Proserpinæ officio fungi, parum me mouet, siue quod illa per se, siue alterius opera effecerit. Hoc insinuauit Horat. illo carmine. Ode 28. lib. 1.

Mista senum ac iuuenum densantur funera, nullum
Sæua caput Proserpina fugit.

Quem versum malè, & ineptè explicant interpretes. Canterus lib. 4. cap. 20.

Libet etiam Turnebi sententiam apponere, ex lib. 19. cap. 17. Quæ caussa vtrumque poetam, Euripidem, & Virgilium ad secandum crinem impulerit, Seruius non quæsiuit: ego id eos à ritu sacrificorum sumpsisse crediderim. Qui enim moritur, cum tanquā Orci victima sit, non illepide cōminiscetur, qui, quæ immolationis, & sacri sunt, ad hominum mortem traduxerit. Antequam autem pecudes in sacris immolarentur, capitis eorum setæ ferro secabantur. Homer. ἀπὸ κρατὸς τρίχας... Et Macrob. 6. Æneid.

Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima.

Inde autem hoc sumptum esse significat Euripides, cū sacrificali verbo vtitur, κατάρξωμαι.

Perelegans sanè Ausonij epigramma in mortem Didonis.

Infelix Dido, nulli bene nupta marito,
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Quid autem in Fastis, & in epistolis hoc ei velut epitaphium fecit.

Præbuit Æneas & caussam mortis, & ensem:
Ipsa sua Dido concidit vsa manu.

Porrò non fuit hæc, quam Virgilius narrat, mortis caussa, cum omnia, quæ de Didone, & Ænea ab ipso memorantur, falsa sint omnino: quoniam Ænea veniente in Italiam nec Carthago erat, nec Dido. Ædificata est illa vrbs ante Romam annis circiter LXX. Æneas ante conditam Romam CCCC. annis, & ampliùs in Italiam venit. Fuit autem Dido mulier castissima, quæ ferrum sibi in pectus adegit, spectanteque populo in rogum se coniecit ideo, ne Iarbæ Getulorum, seu Mauritaniæ regi contra datam Sichæo marito fidem nubere cogeretur: siquidem ille precibus, & minis vehementer instabat. Iustin. lib. 18. in extremo. Testis item Tert. exhortat. ad castitatem, cum de monogamia, seu vniuiratu loquitur, vt quidem ipse nominat, & de mulieribus vniuiris. Erunt, inquit, nobis in testimonium & fœminæ quædam sæculares, ob vniuiratus obstinationem, famam consecutæ, vt Dido, quæ profuga in alieno solo, vbi nuptias regis vltro optasse debuerat, ne tamen secundas experiretur, maluit è contrario vri, quam nubere. Augustin. quoque lib. Confess. 1. cap. 3. mendacium vocat. Adi item, si otium est, Macrob. Saturnal. lib. 4. cap. 19. Ausonius nomine Didûs hanc insignem iniuriam sibi à Marone impositam his versiculis queritur.

Illa ego sum Dido, vultu quam conspicis hospes,
Assimulata modis pulchraq; mirificis.
Talis eram, sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namq; nec Æneas vidit me Troius vnquam,
Nec Libyam aduenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens, atq; arma procacis Iarbæ,
Seruaui, fateor, morte pudicitiam.
Pectore transfixo, casto quod pertulit ense,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse iuuat: vixi sine vulnere famæ,
Vlta virum, positis mœnibus oppetij.

Inuida

Inuida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret vt nostra damna pudicitia?
Vos magis historicis lectores credite de me,
Quam qui furta deûm, concubitusq́, canunt.
Falsidici vates, temerant qui carmine verum,
Humanisq́, deos assimulant vitijs.

Hæc Ausonius ex epigrammate græco, sed more suo, id est liberius. Inuenies translatum quoque ab Angelo Bargæo. Marull. eodem his versiculis collimauit.

Nec mihi Phryx nocuit, nec enim Phryga nouimus vllum,
Cura sed antiqui casta, tenaxq́, tori.
Quam ne coniugio Libyci violare tyranni
Cogerer, hac cecidi fortiter vsa manu.
At vos ô vates, si sunt hæc præmia laudis,
Quæ ferat incesti fœmina adulterij?

IRIS CROCEIS PER CÆL. ROS. PENNIS) Irim Thaumantis filiam fabulantur poetæ. Nihil enim omnium, quæ in locis superis naturæ vi, & ingenio procreantur, vel spectatu mirabilius, vel obseruatu dignius hoc arcu. De quo lege Plinium, Senecam, Aristotelem.

SVPRA CAP. ASTITIT) sic lib. 1. *Tum mihi cæruleus supra caput astitit imber.*

DITI SACRVM IVSSA FERO) Crinem fatalem Plutoni dicatum esse credidit antiquitas. Euripid. in Bacchid. vnam illatum huius crinis mentionem sic facientem inducit.

Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ αὐτὸν τρέφω.
Sacer capillus est, deo ipsum nutrio.

Nascimbæn.

DILAPSVS CALOR, ATQ. IN VENT. V. RECESS.) Secundùm eos, qui dicunt animam calorem, seu ignẽ B esse, quo recedente, corpus friget, vnde frigentes pro mortuis. *Vim*, anima. Lucret. lib. 6. *Quemq́, sibi tenues nascentem accersere vitas.* Et dicendo *in ventos*, aut eos sequitur, qui animã aërem dicunt, eamq́; in materiam suam redire significat: aut certè eos, qui dicunt animã perire cum corpore, vt intelligamus, euanuit. Seruius.



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER X.

Ad quintum Aeneidos.

SYNOPSIS.



Rouecti iam in altum Troiani, cùm (vt solent, qui seu terra, seu mari iter habent, conuertere sese, locaque à quibus abierunt, quasi denuo ipsis valedicentes respectare) ad Carthaginem, vnde soluerant, oculos retorquerent, viderunt ingens ibidem ad cælum ferri incendium, suspicatiq́; sunt, id quod res erat, Reginam præ doloris impatientia in rogum insiluisse. Vltrà iam cursu delatis, turbidissima tempestas commouetur. Palinurus gubernator in tanta ventorum rabie, procellaq́s ad Italiæ littus se appellere nauim posse neutiquam confidit, vel potiùs omnino desperat: satiùs sibi videri, vti eò tendant, quò venti vrgeant, ad Siciliam nimirum. Gratum id consilium Æneæ, propterea quòd & Acestes ibi regia cum potestate præerat, amicus Troianorum, & eâdem in insula parentis Anchisæ tumulus, cui anniuersaria cerimonia parentandi occasio præberetur. Descendentibus in terram Rex se obuiam fert, summa eos humanitate, & benignitate accipit. Postera luce Æneas socios cogit: quid sibi de sacris Anchisæ faciendis potißimùm placeat, exponit: boues Acesten suppeditaturum promittit: ludo-


rum genera in patris honorem committtenda recenset, victoribus præmia daturum spondet. Capita myrteis coronis induere iubet: id ipse primus cum fecisset, ad sepulcrum paternum procedit, inferias persoluit, manes salutat. Emersus ab adytis serpens tumulum complectitur, dapesq; leniter degustans, læso nemine, eodem vnde prorepserat, relabitur. Atque hunc serpentem Æneas aut loci genium, aut parentis esse famulum opinatur. Postquam præfixa ludis dies illuxit, permulti è vicinis locis, partim aduenarum visendorum, partim certaminum suscipiendorum studio, accurrunt. Præmijs in medio collocatis, signum tuba datur. Ac primùm quidem certamen nauale fuit. Delecti duces quatuor, à quibus singulis singulæ Romanæ familiæ propagatæ, Mnestheus, Gyas, Sergestus, Cloanthus. Nauium quoque nomina referuntur. Meta, scopulus haud multùm remotus à littore constituitur. Signum currendi nautæ cupidè exspectant: quo exaudito, magno spectantium plausu procurrunt. Primus erumpit Gyas, secundus est Cloanthus: reliqui duo, Mnestheus, & Sergestus cernuntur æquales: sed alter alterum tamen anteuertere, omni ope adnititur. Cloanthus Gyæ primas rapit: qui magistro suæ nauis factus iratior, à puppi eum in mare deturbat, ipsemet clauum arripit. Miser in scopulum ægrè euadens, quod biberat aquæ, cum risu spectantium reuomit. Hortatu Mnesthei faciunt impigrè officium remiges, Sergestumq; post se relinquunt, quem casus quidam retardauit: immò verò penitus vltrà tendere prohibuit. Denique Cloanthi est victoria, quam sacra dijs vouens impetrasse videbatur. Eum Æneas per præconem victorem pronuntians, laurea donat. Cuique naui bouem cum vino, & auri talento, ducibus quoq; ipsis sua munera, Cloantho eximiam chlamydem, Mnestheo loricam, Gyæ duos lebetas æreos, poculumq; argenteum largitur. Sergestus tandem à scopulo, in quem nauim suam impegerat, expeditus, vno remorum ordine spoliatus reuertitur: quem nihilominus ob seruatum nauigium promisso præmio honestandum Æneas existimat. Secundùm istuc ludi genus, spectatorum agmine comitatus Æneas, in planitiem progreditur: ibi ludicrum cursus, certis etiam muneribus proponit. Cum porrò cursuram inire volentium maior sese numerus offerret, septem duntaxat ex ijs insigniores, Troiani quinque, Siculi duo designantur. Æneas ipse dona, quibus singulos, quibusq; tres primos ornaturus sit, palam dicit. Signo moniti cursum ineunt: Nisus longo planè interuallo vincit: proximus est Salius: tertium tenet locum Euryalus, quartum Helymus, quintum Diores. Sub metam ipsam fallente vestigio prolabitur Nisus, cuius beneficio primus euadit Euryalus, (quem amore magno diligebat) & post eum Helymus, postremus Diores metam tenet. Salium nihilominus haud indonatum finit Æneas. Sequitur tertium certamen, cæstuum videlicet. Ostentat se, validarumq; virium laudem aucupatur, & proinde etiam victoriæ omen captat Dares: cui cum se nemo auderet componere, tandem Entellus, priùs ingrauescentem ætatem excusans, manus cum eo conserit, itaq; infælicem contundit, & pugnis pectit, vt ille dentes cum sanguine reijciat. Datur Entello victori taurus: quem, vt robur viri cognoscas, vno ictu interficit. Milonis Crotoniatæ memoriam credo subijsse Virgilium hæc scribentem: qui ipse quoque quem vitulum, ac deinde bouem portauerat, vno ictu pugni peremisse, vno prandio deuorasse narratur. Quarto loco sagittis in columbam mittendis luditur, quæ de malo nauis pendebat. Sorte ducti quatuor, Hippocoon, Mnestheus, Eurytion, Acestes. Sed Eurytion auem rupto fune auolantem traijcit. Acestes quanquam frustra, tamen sagittam in auras emittit, quæ concepto igne conflagrans, terrore Troianos compleuit: Æneæ ostentum haud displicuit, complexusque senem prima eidem præmia, deinde alijs alia donauit. Quintum genus ludorum dederunt in equis, armati pueri, ludo Troia nomen est. Id quoddam pugnæ simulacrum, seu vmbratile prælium fuit. Atque hoc quidem modo in honorem Anchisæ spectaculis celebratis, Iuno pestem nouam Troianis machinans, Irim legat, quæ Beroës aniculæ tum absentis ferens imaginem, mulieribus Iliensibus, procul à virorum turba considentibus, Anchisenq; plangentibus, & mari indignantibus, totoque pectore à reliqua nauigatione abhorrentibus, ac domicilium stabile in regione,

quò

quò venerant peroptantibus, auctor est, vti naues exurant, atque ita Æneæ remanendi in Sicilia necessitatem imponant. Huius sententiæ principem Cassandram, sibi per quietem visam autumat. Consuadet, incenduntur naues. Repentè Troiani flammam grassantem restincturi aduolant. Perculsæ metu mulieres, se in diuersa penetrant. Precibus Æneæ imber cælo præcipitans, quatuor nauibus consumptis, quindecim reliquas restinctis ardoribus conseruat. Ibi tum Æneas mirè conturbatus, hærere quid ageret. Maneret in Sicilia, contrà quàm fata poscebant, an in Italiam porrò traijceret. Nautes vir pietate, prudentiaq; clarus, consilium dat, nauiget, iuuentutem secum ducat, mulieres, senes, imbecilles corporibus, ac timidos relinquat: qui Acestæ opibus adiuti, vrbem sibi ipsi condant. Pedibus iuerat in hanc sententiam Æneas: quanquam eum perplexa cura, varia secum reputantem nondum deseruerat: cum ecce in somnis Anchisæ imago eum pro Joue hortatur, quinimo præcipit, vt bene consulenti obsequendum statuat. Expergefactus, deos sacrificijs propitiat. Acesten, sociosq; accersit: quid mulieres designarint repetit: quantam in sollicitudinem se coniecerint, quid Nautæ visum sit, quomodo ad se Jupiter Anchisen monitorem per nocturnum soporem miserit, senisq; auctoritati parere iusserit, ordine expromit: suam quoque voluntatem demonstrat: regemq; vti de loco attribuendo à se impetrari patiatur, rogat. Conflagrationem classis sibi esse cruciatui Acestes præ se fert: Æneam bonum habere animum iubet: se, quæ Jupiter, & Anchises (cuius sanctitas omnia mereatur) postulent, ad amussim executurum. Ad hæc cognationi se istuc debere (natus enim fuit Troiana matre, quod poeta exorsu libri docuit) & Æneæ pietatem, virtutemque apud se posse omnia. Cupisse se vniuersos retinere in regno suo: at quoniam huic suæ voluntati repugnare, & obsistere fata videantur, gaudere interim, cum pars aliqua sibi obuenerit, quam charissimam, filiorumq; numero habiturus sit. Facultate igitur ædificandi indulta, vrbem Æneas designat. Post dies nouem in epulatione, lætitiaq; positos discessurus, remanentes complectitur mœstus, eosq; consolatur, & Acestæ regi amanter commendat, atque tradit. Troianis in Italiam nauigantibus, petit à Neptuno Venus, vt illis clementem, securamq; nauigationem concedere ne grauetur. Neptunus facturum recipit, res ipsa mox consequitur. Palinurum gubernatorem Somnus circumuentum in mare depellit. Animaduerso Æneas, nauim rectore destitutam, ipse ad gubernaculum sedet, &, qua erat humanitate in suos, indignum amici interitum gemitu prosequitur.

Hic liber totus ferè episodicus est, sicuti quartus. Nam ludi ad tumulum Anchisæ celebrati, & incendium nauium fabula poematis non continentur: adhibita verò sunt, vt opus exornetur, & magnitudine crescat. Pars illa de ludis partim ex Homero Iliad. ψ. vbi talia itidem ad Patrocli sepulcrum exhibentur, eo tamen discrimine, quòd Homerus curule, noster nauale certamen describit: partim ex Apollonij 2. qua parte de cæstibus agit (nam illum Homero ea in re ardentiorem, aut etiam diligentiorem vidit) promanauit. Neque illud tacendum duxerim, poetam pro rerum ac personarum qualitate, dicendi quoque formam variare, & in hoc tam magno, grauique poemate, ab alto illo, ac florido dicendi genere plerumque recedere: nam τὸ πρέπον seruandum, rerumque, ac personarum dignitatibus aptanda oratio est. Quamobrem in 1. Æneid. in describendo Didûs conuiuio ad infimam vsque dicendi figuram descendit. Itidem in 4. de Didonis amore. Et in 7. de ceruo à Syluia nutrito. Hic etiam ludos ad Anchisæ patris tumulum commissos describens, ab heroica illa grauitate, ac sublimi orationis genere deflectit, vt mediocritatem materiæ cum simili dicendi figura coniungat. Nascimb.

EXPLANATIONES.



Nterea medium Æneas iam classe tenebat
Certus iter, fluctusq; atros Aquilone secabat:
Mœnia respiciens, quæ iam infælicis Elisæ
Collucent flammis, quæ tantum accenderit ignem
Caussa latet: duri magno sed amore dolores
Polluto, notumq;, furens quid fæmina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.

INTEREA MEDIVM ÆNEAS) Libri Æneidos A perinde simul, atque in catena annuli iunguntur. Ergo *Interea*, dum in vrbe fletur, dum cadauer Didonis comburitur, eiusq; inferiæ celebrantur. Nascimb.

MEDIVM TENEBAT) Nihil aliud est, quàm, longius aliquanto à littore iam recesserat, seu simpliciter, nauigare iam cœperat. Medium enim poetis est, quod ab initio recedit, seu quod abest à principio, non

à quo ad extrema vndique paria sunt interualla: hoc A enim mathematicorũ medium est. Polyphemus lib. 3. *graditurq́; per æquor Iam medium*, vt ait poeta: & tamen illico subijcit, *necdum fluctus latera ardua tinxit*. Tinxisset vtiq; & caput, si verè per medium mare incessisset. Nihilominus etiam non longè à littore non tingi eius latera, horrendam longitudinem monstri illius indicat. Suffragatur nobis quod infra legimus, *Vt pelagus tenuere rates, nec iam amplius vlla Occurrit tellus.* ☙

FLVCTVSQVE ATROS AQVIL. SECABAT) *Vide lib. 7. ad illud*, Fluctus vti primo cœpit cum albescere vento.] Multi conati sunt declarare, cur Virgilius mare flantibus Aquilonibus atrum scripserit hoc loco. Quorum omnium sententias etsi improbare non intendam, nihilominus quid & ego sentiam, hoc loco exponam: B atque ante alia supponam, duo prima coloris genera esse, album nempe, & nigrum, ex quibus vario modo simul commistis, variæ, ac pæne innumeræ species colorum enascuntur: niger color nonnunquam obscurus, interdum tenebrosus, aliquando ater (sicut à Virgilio) nuncupatus inuenitur. Atque hic quandoq; verus, & naturalis existit. Quandoq; solummodo talis apparet: multos enim colores apparere, & non esse, pluribus exemplis demonstrari potest, nisi quod de columbæ collo Sceptici disputabant, atque is qui in iride conspicitur, totum hoc manifestum faceret. De atro colore, quoniam Virgilius, mea sententia, non loquitur, de apparente duntaxat sermonem habebo. Qui, C ceu in lib. de coloribus scriptum habetur, hisce tribus modis apparet. ὃ γὰρ ὅλως τὸ μὴ ὁρώμενον, &c. Id est, vel enim omnino quod non videtur, est naturà nigrum: vel à quibus nullum prorsus lumen fertur ad oculos: nam quod non videtur, quando ambiens locus videtur, nigri speciem reddit: apparent item omnia huiusmodi nigra, à quibus rarum, & paucum lumen reflectitur. His itaque tribus modis nigredine in rebus apparente, proculdubio mare aquilonibus ventis agitatum, vno ipsorum atrum, atque obscurum videri necessum est: sed quoniam neque primo, neque secundo id fieri cuiuis mediocriter in philosophia versato perspectum est, sequitur vt tertio modo appareat. Mare sanè, & omnis aqua suápte natura alba videatur, eò, quia solares radij à leuore, ac planitie superficiei reflexi, eam illustrando lucidam efficiunt: amisso leuore, radijsq́; languentibus, fractis, atq; imminutis, iure merito albedo deperditur, contrariáq; ipsi nigredo succedit. Quamobrem (vt ad Virgiliana verba descendam) aquilones suis vehementibus motibus mare perturbant, nec non illius planam, leuemq; superficiem asperam reddunt, ita vt altera pars depressa, altera eminens euadat, iuxta id, quod poeta 3. Æneid. expressit dicens, *Et glacialis hyems aquilonibus asperat vndas*. Propter similem aquæ inæqualitatem, paucis radijs, illisq; fractis, & imminutis incidentibus, haud superficies depressæ partis illuminatur: immò ab illa asperitate diuulsum, & dissipatum lumen aboletur: & propterea superficies aquæ vmbris quodammodo plena, luminéq; priuata, nigra apparet: quam apparitionem insinuasse Virgilium, apud me certum est. Sicut etiam Aristoteles 23. part. problem. 25. fieri, auctoritate Homeri abundè demonstrauit. Iam verò sententiam hanc ex veris philosophiæ fundamentis capi, quæ poetæ ignota minimè fuerunt, apertum erit, si libellum de coloribus, magna doctrina refertum, eo in loco perlegamus, vbi hæc scribuntur, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ὕδωρ, &c. Id est, similiter autem & aqua nigra apparet, quando asperata fuerit, vel in maris æstu. Nam ob superficiei asperitatem cum pauci radij incidant, ac lumen diuellatur, quod vmbrosum est, nigrum videtur. Quo in loco, atque in problem. φρίκης nomine vtitur Aristoteles ad signandam maris perturbationem, perinde ac medici idem vsurpant ad horrores, & concussiones febrientium significandos. Mercurial. lib. 3. variar. cap. 13. Quando albescere mare, quando purpureum dicatur, Turneb. lib. 26. cap. 28.

MOENIA RESPICIENS, QVÆ IAM) Non ita dispar est initium tertij Pharsaliæ apud Lucanum, vbi Pompeius à portu Brundusino soluens, ab Italia, quam deserebat, & visurus amplius non erat, nequit oculos auertere.

Propulit vt classem velis cedentibus Auster
Incumbens, mediumq́, rates tenuere profundum,
Omnis in Ionios spectabat nauita fluctus,
Solus ab Hesperia non flexit lumina terra
Magnus, dum patrios portus, dum littora nunquam
Ad visus reditura suos, tectumq́, cacumen
Nubibus, & dubios cernit vanescere montes.

COLLVCET FLAMMIS) Flammas Elisæ dicit C ex persona sua, nondum enim sciebat hoc Æneas, diuinabat tantum: nam sequitur, *quæ tantum accenderit ignem Caussa latet*, &c. ☙

QVÆ TANTVM ACCEND. IG. CAVSSA LAT.) De signo nascitur inuestigatio caussæ: quæ etsi Troianis non ita erat aperta, ad eam tamen coniectura propius accedebant. Propterea subdit, *duri magno sed amore dolores*, &c. Caussa ignis in coniectura quidem posita est: sed circumstantijs ita firmatur, vt certa esse videatur. Nam violatio amoris, visq; furoris ex amore, præsertim verò in fœmina, abundè satis fidem facere D poterant, reginam dolore victam, sibi necem conscijsse. Nascimb.

NOTVMQVE FVRENS QVID FORM. POSSIT) Monostichi εἰς γυναῖκας.

Θηρῶν ἁπάντων ἀγριωτέρα καλὴ γυνή.
Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ κακὰ τρία.
Muliere nulla bestia efferatior.
Ignis, mare, mulier, tria mala maxima.

Non est ira super iram mulieris, ait Ecclesiasticus.

TRISTE PER AVGVRIVM) Auspicium, & augurium his intellectibus differunt: quod sit auspicium auium inspectio, & quæ ex volatu auium significetur, & vocibus: augurium autem rerum omnium coniecturas E prudenter, ac diligenter amplectitur. Ita Nonius. Isidorus autem lib. 8. cap. 9. Dicta sunt auspicia quasi auium aspicia: & auguria quasi auium garria, hoc est, auium voces, & linguæ. Illa ad oculos, hæc ad aures pertinent. Hic Virgilius translatè vsus est hac voce.

Vt pelagus tenuere rates, nec iam amplius vlla
Occurrit tellus, CÆLVM VNDIQVE, ET VNDIQVE PONTVS:
Olli cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem, hyememq́; ferens: & inhorruit vnda tenebris.

Ipse

Ipſe gubernator puppi Palinurus ab alta,
Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidue pater Neptune paras? ſic deinde locutus.
Colligere arma iubet, validisq́; incumbere remis:
Obliquatq́; ſinus in ventum, ac talia fatur.
Magnanime Ænea, non, ſi mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cælo.
Mutati tranſuerſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti, atq; in nubem cogitur aër.
NEC NOS OBNITI CONTRA, NEQVE TENDERE TANTVM
SVFFICIMVS. ſuperat quoniam fortuna, ſequamur:
Quoq́; vocat, vertamus iter. nec littora longè
Fida reor fraterna Erycis, portusq́; Sicanos:
Si modò ritè memor ſeruata remetior aſtra.

VT PELAGVS TENVERE RATES) Sic explico. Vbi altum tenuere, procul à littore prouectæ: id enim pelagus eſt. argumento ſint piſces pelagij, qui opponuntur littoralibus. Turneb. lib. 14. cap. 4. Rates primum, & antiquiſſimum genus nauigij, è rudibus lignis, aſſeribusque conſertum. Nunc iam abuſiuè naues: nam propriè rates ſunt connexæ inuicem trabes. Iſid. lib. 19. cap. 1.

Sternit ſibi viam ad tempeſtatem deſcribendam, Troianis valde periculoſam, quam varijs circumſtantijs vehementer amplificat. Nam hoc etiam Troianis præter maris ſæuitiam accedebat incommodum, quod tenebræ, obſcuræque nubes, rectum illis nauigationis curſum impediebant, imber è cælo ruebat, & quod omnium maximum, maximeque horrendum, terra longo ab eis tractu diſtabat, nec niſi mare, & cælum, ſi per tenebras licuiſſet, videri poterant. Naſcimb.

CÆLVM VNDIQVE ET VND. PONT.) Lib. 3. *cælum vndiq; & vndiq; pontus.* Ouid. 1. Triſt. eleg. 2.

Quocunq; aſpicio, nihil eſt niſi pontus, & æther,
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

In nonnullis codicibus eſt legere, *vndiq; & vndiq; cælum.* qui teretes habent aures legendo Virgilio, ſentiunt [illegible].

CÆRVLEVS IMBER SVPRA CAP.) Crediderim hìc cæruleum Græcorum more pro atro poni. *ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.* Id eſt, cæruleis ſupercilijs, quod valet nigris, conſenſu Græcorum Grammaticorum. Sic, *cærulea ſubuectat corpora cymba*, interpretor, atra, & nigra. Turneb. lib. 14. cap. 4.

Cæruleus non quòd è cælo veniat, tametſi cæruleus color cæli propriè ſit color, quaſi cæluleus. Græcis *κυάνεος* dicitur: ſed niger, triſtis, & lethifer. Nam cærulei coloris quædam ſpecies ſubnigra, quo veſtitu olim Græcæ mulieres amictæ, producebant eorum funera, quorum animas migraſſe in cælum putabant. Ideóque pro triſti quandoque auctoribus probatiſſimis capi ſolet. Sic Virgil. in 6. Charontis puppim cæruleam, vt hoc in loco imbrem cæruleum; appellat. *Supra caput ἐμφατικῶς*: neq; enim id ſimpliciter dictum videri debet, cum omnis imber ſupra caput ſit: ſed lethifer, quaſi hoſtis de ſuperiore loco in alicuius caput irruens, vt ipſum opprimat. Naſcimb. * *Recordor legiſſe apud Spartianum de Adriano Auguſto, frigora, & tempeſtates adeo patienter tuliſſe, vt nunquam caput tegeret. Idem de Peſcennio Nigro Imp. nunquam ſibi vel contra ſolem, vel contra imbres quæſiuiſſe tecti ſuffragium. Legimus & Maſiniſſam aperto capite incedere ſolitum.*

NOCTEM HYEMEMQVE FERENS) Lib. 1. *ponto nox incubat atra.* Quæras licet, quid dictum ſit ſuper voce *hyems*, illo loco, *Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Achatæ Vicit hyems*, lib. 1.

IPSE GVBERNAT. PALINVRVS) Ἐμφατικῶς *ipſe*, optimus, omniumque peritiſſimus gubernator. Nec abs re pronomen, ipſe, additum eſt, quod ἔμφασιν habet cum ſcilicet ad magnitudinem tempeſtatis exaggerandam, tum ad nauigationis deſperationem apertius declarandam. Nam vbi de re quapiam aliquis ipſius peritiſſimus deſperat, ibi alius imperitior ſperare nõ debet. Naſcimb.

HEV QVIANAM TANTI) Ineſt & ſuum quoque numeris decorum, vt cum vel aſpera, vel ſuauis, vel miſerabilis, vel iucunda res, vel grauis, vel contrà leuis verſatur in manibus, vel quibuſuis alijs affectibus miſta, & temperata. Vide igitur quibus Virgilius vſus eſt numeris, in prognoſticatione iſta futuræ tempeſtatis. Ad metum, ad dolorem, ad ducis curam exprimendam coegit tres ſimul monoſyllabas dictiones (ſi pro *quianam* legas, qui,) ſummiſit deinde diſſyllabam, poſt alteram atque alteram triſyllabam, iunxitque quatuor ſimul ſpondeos. Quid hac aut verborum conquiſitione diligentius, aut animi conqueſtione grauius? Nec me quorundam auctoritas mouerit, affirmantium, à Virgilio ſcriptum, *Heu quia*, non *quid*, cum nos iudicemus, neq; quia, neq; quid, ſed *qui*, fuiſſe à Virgilio ſcriptum. Nam & littera, d, pleniuſculum quiddam ſonat, quod hic ipſe numerus nunc renuit, &, *quia* breuitate pluſculum feſtinat ſua, cum vox ipſa videatur in dolore ſiſtenda. Sed de hoc ſit ſuum cuiq; iudicium: noſtra quidem hæc eſt opinio. Iouian. Actio.

Iouianus, & alij quidam non infimæ eruditionis viri, *quinam*, legendum obſtinatè contendunt: at veteres Grammatici, quos tamen omnes ille eludit, citato hoc Maronis verſu, *quianam* legunt. Quid ſentiam ipſe in tanta doctiſſimorum virorum caterua, non auſim affirmare. Veruntamen cum Fabius Quintil. qui codicem manu Virgilij exaratum vidit, lib. 8. ſcriptum reliquerit, Virgilium antiquorum vocibus, tanquam rerum ornamentis delectatum, hiſque præſertim, *olli*, &, *quianam* ad aſpergendam auctoritatem vſum fuiſſe,

Seruiusque hanc vocem ex Ennio sumptam affirmet, facere non possum, quin eorum sententiæ subscribam, & *quianam* legendum asseram: præcipuè cum iterum hac eadem voce poetam vsum esse videam lib. 10. *Calicola magnus, quianam sententia vobis Versa retro?* Nascimb.

QVIDVE PATER NEPTVNE PARAS?) Præ stupore atque admiratione magnitudinis tempestatis per ἀποστροφὴν sermonem ad Neptunum conuertit: illumque blandè alloquitur, cum patrem appellat, ad illius animum mitigandum. Quasi dicat: Quid est, ô pater, quod sæuis tantopere in liberos tuos? habet enim hæc vox *pater* ad impetrandum aliquid efficaciæ plurimùm. Quamobrem & deus opt. max. se patrem à nobis vocari voluit. Nascimb.

Antiqui deos omnes patres vocarunt, id quod & alibi monui, productis ijsdem Lucillij, quas nunc producam denuo, versibus.

Vt nemo sit nostrum, quin pater optimu' diuûm,
Vt Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Iane, Quirine pater nomen dicantur ad vnum.

Multorum deorum cultum non esse secundum naturam probat Lactantius lib. 4. cap. 3. ex iure naturali, & ciuili, quoniam patrem, & dominum appellare non possumus, nisi vnum. Sed quæ de voce *dominus* disserit, omittamus. De voce *patris* ita loquitur. Omnẽ deum, qui ab homine colitur, necesse est inter sollemnes ritus, & precationes patrem nuncupari: non tantùm honoris gratia, verùm etiam rationis: quòd & antiquior est homine, & quod vitam, salutem, victum præstet vt pater. Itaque Iupiter à precantibus pater vocatur, & Saturnus, & Liber, & cæteri deinceps, quod tamen Lucillius in deorum concilio irridet, *Vt nemo sit nostrum*, &c. suprà recitaui versus. Quod si natura non patitur, vt sint vni⁹ hominis plures patres (ex vno enim procreatur) ergo deos etiam multos colere contra naturã est, contraque pietatem. Vnus igitur colendus est, &c. Rursum cap. 4. in extremo. Deos autem neque patres, neque dominos esse posse, non tantùm multitudo (vt suprà ostendi) sed etiam ratio declarat: quia neque fictum esse à dijs hominem traditur, neque deos ipsos antecedere originem hominis inuenitur. Siquidem fuisse in terra homines antequam Vulcanus, & Liber, & Apollo, & ipse Iuppiter nosceretur, apparet. Sed neque Saturno fictio hominis, neque Cælo patri eius assignari solet. Quod si nullus eorum, qui coluntur, formasse à principio, atque instituisse hominem traditur, nullus igitur ex his pater hominis appellari potest: ita ne deus quidem. Ergo fas non est venerari eos, à quibus homo non sit generatus: quia neq; à multis generari potest.

COLLIGERE ARMA IVBET) Imitatione Græcorum, qui armamenta, velaq;, ὅπλα etiam vocant. Theocrit. κυβέρνητ' δ' παῖδας ποιεῖθ' ὅπλα, πλευτικὰ ὅρη. Turneb. lib. 19. 29.

Hisce verbis mandat Palinurus non omnino vela dimittere, sed nimium pansa ligare, & angustiora facere. Nam cum venti per transuersum fremerent, non fuerunt omnino deponenda vela: sed tentandum potiùs, an remis, obliquatisque velis, nec nimium altis, ventorum rabiei obsecundare possent, quod periti nautæ plerunque facere solent. Sic Nascimb.

OBLIQVAQVE SINVS INVENT.) Obliquare sinus, est velum obliquum tendere: quod fecit necessario Palinurus, cum transuersim venti flarẽt: sequitur enim, *mutati transuersa fremunt.* Turneb. lib. 14. cap. 4.

NON SI MIHI IVPP. AVCT.) Nequaquã par gubernatoris est virtus, cũ placido, & quũ turbato mari vehitur: tunc admirante nullo illaudatus, inglorius subit portũ: at quum strident funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus, & dijs maris proximus. Hæc Plinius epist. 26. lib. 8. Et Ouidius, *Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus.* Seneca epist. quadam ad Lucilium. Alioqui gubernatoris artem adeò non impedit tempestas, vt ostendat. Tranquillo enim, vt aiunt, quilibet gubernator est. Q. Fabius apud Liuium lib. 24. Quilibet nautarum, vectorumque tranquillo mari gubernare potest. Vbi sæua orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento nauis: tum viro, & gubernatore opus est. Nauim Isidor. lib. 20. dictam scribit, quod gnanum rectorem quærat, id est, peritum, sapientem, strenuum, qui continere, & gubernare nouit, propter maritima pericula, & casus. Veruntamen sæpe magnitudo, & atrocitas tempestatis, (quod hîc etiam Palinurus cõqueritur) nullum industriæ, & arti locum relinquit. De eodem, poeta lib. 3.

Ipse diem noctemq; negat discernere cælo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in vnda.

TRANSVERSA FREMVNT) pro, transuersim. Enallage, nomen pro aduerbio.

IN NVBEM COGITVR AER) Ciceronis est, ex 2. de nat. deor.

LITTORA FRAT. ERYCIS) Littora Siciliæ, in qua mons Eryx, ab Eryce filio Veneris, & Butæ ibidem condito sic appellatus. Mari imminet ad Italiæ prospectũ, & inter Drepanum, ac Panormũ altè eminet, præruptis vndique rupibus circinatus: in summo planicies iacet duodecim millium passuum peruia, & culturæ aptissima. Maritimis auris præclarè expositus est, & mortiferarum ferarum omnino expers. A mari, & mediterranea regione rupes habet inaccessas. Hæc Polybius.

SI MODO RITE MEMOR) Quanquam experientissimus Palinurus, non tamen cristas tollit in tanto discrimine, nec suo vult iudicio confidere, nec quicquam affirmare: sed subdubitando prudenter, ac modestè, *Si modo rite memor seruata remetior astra.* Ne si aliter eueniret fortasse atque putaret, cum alios in falsam spem, gaudiumq; inane coniecisset, ipse temeritatis, & imperitiæ condemnaretur. Nascimb.

Tum pius Æneas: equidem sic poscere ventos
Iam dudum, & frustra cerno te tendere contrà.
Flecte viam velis. an sit mihi gratior vlla,
Quoq; magis fessas optem dimittere naues,
Quàm quæ Dardanium tellus mihi seruat Acesten,
Et patris Anchisæ gremio complectitur ossa?
Hæc vbi dicta, petunt portus, & vela secundi
Intendunt Zephyri: fertur cita gurgite classis.

Et tan-

Et tandem læti notæ aduertuntur arenæ.
At procul excelso miratus vertice montis
Aduentum, sociasq; rates, occurrit Acestes,
Horridus in iaculis, & pelle Libystidis vrsæ:
Troïa Criniso conceptum flumine mater
Quem genuit. veterum non immemor ille parentum,
Gratatur reduces: & gaza lætus agresti
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.

EQVIDEM SIC POS. VENT.) Ipse quoque vidi, quę loqueris, inquit. Quapropter in viam, quæ datur, vela conuerte, & flatibus plena voluntate consenti. Nec ipse improba, quod ipsa contraria fortuna prospexit, vt ad ipsam terram impendentem ferret, quæ Acesten mihi seruat incolumem, & suo gremio patris ossa complectitur. Nulla mihi est charior, quam vbi amorem viuentis Acestæ habeo, & reuerendi patris memoriam. Donatus.

FLECTE VIAM VELIS) Flectere viam, iter frequens poetis, more Græcorum, qui τρέπειν ὁδὸν, νῆσον, πόλιν.

GREMIO PAT. ANCHIS. COMPLECT. OSSA) Lucret. lib. 1. *Morte obita quorum tellus amplectitur ossa.* Et in Epigram. κόλποις ὀστέα ἀμφιβαλεῖν. German. * *Quærere, cur loca illa nobis grata sint, in quibus tumulati parentes, propinqui, & amici, est illorum, qui vnà cum illis etiam affectum suum amiserunt, & ad tempus amauerunt, cum Isocrates præclare scribat ad Demon. τὰς δὲ τῶν σπουδαίων φιλίας οὐδ᾽ ἂν ὁ πᾶς αἰὼν ἐξαλείψειεν.*

VELA SECVND. INTEND. ZEPHYRI) Secundi Zephyri, modò scilicet, post conuersionem nauis.

FERTVR CITA GVRG. CLASSIS) Gurgitem vocat mare per ταπείνωσιν, quæ Seruio est rei magnæ humilis expositio. Sic lib. 1. *Apparent rari nantes in gurgite vasto.* vbi, vt idem notat, humilitatem sermonis epitheto subleuauit, appellans quidem gurgitem, sed vastum.

ET TANDEM LÆTI) Vacat particula *tandem*, vt alibi quoque. Nam cur tandem, cum dicat, *fertur cita gurgite classis?* Seruius.

NOTÆ ADVERT. ARENÆ) iam enim antè fuerant in Sicilia, ex qua cum Italiam peterent læti, tempestate in Africam sunt delati.

PROCVL EXCEL. MIR. VER. MONTIS) Fortè in summo monte versabatur Acestes, vnde tanquam è specula prospiciens, vidit, & agnouit Troianorum naues, quas poeta socias appellans, alludit ad morem Romanorum, qui amicos suos, & fœderatos nominabant socios. Quin & consanguineum vocat Acesten sub finem huius libri: quanto magis socium? Eius aspectus, quod iaculis esset instructus, & coopertus vrsinis exuuijs, more heroum scilicet, quiddam terroris afferebat. Genus eius paucis perstringitur: fuit enim Crinisi fluminis, hoc est, regis à quo fluuio nomen, & Egestæ, seu Segestæ Troianæ filius.

HORRIDVS IN IACVL.) Horrendum est terrum, & vitabile: horridum, plerunque extans, & prominens, A & incultum. Virgil. 4. Æneid. *& glacie riget horrida barba.* Attius Medea. *Vt tristes turbinum toleraret hyemes, mare cum horret fluctibus.* Nonius.

ET PELLE LIBYSTIDIS VRSÆ) Quomodo Plinium negantem in Africa gigni vrsos, cùm multi scriptores contrarium affirment, defendat Lipsius Elect. lib. 2. cap. 4. si vacas, considera. Hic tamen Virgilium pellem non vrsinam, sed leoninam, intellexisse idem vult eod. cap. quoniam vrsus Numidicus, seu vrsa Libyca veteres Romani dixerint, pro leone, sicut pătheras mures Africanos, struthiones passeres marinos, elephantos boues lucas, &c.

TROÏA CRINISO CONCEP. FLVM. MATER) Lib. 1. B Æneid. *Troianoq; à sanguine clarus Acestes.* vbi lectorem misimus ad 1. lib. Dionysij, ibi enim pluribus de ei* genere disseritur. Qui autem factum sit, vt quidam fluminum dicerentur filij, alibi docebimus. ✠

VETER. NON IMMEM. PARENTVM) Non illi honores mutauerant mores, vt vulgò dicitur. Quemadmodum nec Heleno in 3. qui etiam suos ipse rex, suos, inquam, exules agnoscebat, & suam in eos regiam liberalitatem nauabat.

GRATATVR REDVCES) Verbum gratari, poetarũ est peculiare. Eodem vsus lib. 4. *Inueni germana viam, gratare sorori.* Cum autem oratores voce gratulor vtantur, sciendum est, idem etiam valere apud eosdem, C quod gratias agere. Afran. Ciner. *Quod saluus venis, melius est, gratulor diis.* Næuius bello Pun. Is qui sursum ad cælum sustulit res suas Ammulus, gratulabatur diuis. Hæc Nonius. Adde Liuium, Triumphantes in Capitolium ascendebant, Ioui opt. max. cæterisq; dijs gratulaturi. Terent. Heaut. *Ohe, iam iam desine vxor deos gratulando obtundere, Tuam esse inuentum gnatum.* Hæc testimonia cumulaui, vt fidem facerem facilius imperitis, & mixobarbaris. ✠

GAZA LÆTVS AGRESTI) Gazam agrestem intellige fructus, quos ager effert, poma, pyra, nuces, &c. quas mensas secundas, tragemata, bellaria vocare consueuimus, suntque iter facientibus, & de via fessis, ac sudantibus esu iucundissima, & ad refrigerandum corpus va-D lent. Vocabulum persicum est *gaza*, sonatq; opes, diuitias. Vide lib. 1. ad illud, *Arma virûm, tabulæq́, & Troïa gaza per vndas.* Hic pro iure suo abusus videtur. Tamen 2. Georg. vitam rusticam dicit esse diuitem variarum opum. In illis vtiq; & hæ opes, quas nominauimus. ✠

Postera cum primo stellas oriente fugarat
Clara dies, socios in cœtum littore ab omni
Aduocat Æneas: tumuliq; ex aggere fatur.
Dardanidæ magni, genus alto à sanguine diuûm,
Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo relliquias, diuiniq; ossa parentis

Condi-

Condidimus terra, mœstasq; sacrauimus aras.
Iamq; dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic dij voluistis) habebo.
Hunc ego Getulis agerem si syrtibus exul,
Argolicoúe mari deprensus, & vrbe Mycenæ:
Annua vota tamen, sollemnesq; ordine pompas
Exequerer, struheremq; suis altaria donis.

POSTERA CVM PRIMO STELLAS) Mira est profectò poetæ nostri varietas in describendo nascentis diei exordio: nam cum sæpe id ei facere contigerit, eandem rem verbis ita commutatis reddidit, vt ingenti cũ voluptate aures legentium feriat. Nascimb. * *Trahit ex hoc, quod sol exortu suo stellarum lucem obscurat (vnde poetæ eas fugari ab eo dicunt) egregiam quandam similitudinem eruditissimus Philo lib. de Temulentia.* Sicut sol exortu suo stellas abscondit, tanto nimirum splendore perfusis oculis nostris: ita quoties animę oculi sincero, puro, fulgidissimoque luciferi dei sensibili splendore irradiantur, nihil aliud possunt inspicere. Affulgens enim eius, qui est, cognitio, nihil non illustrat: vt etiam quæ sunt per se splendidissima, collatione hac obscurentur.

SOCIOS IN COETVM ADVOCAT) Cœtus idem valere quod concilium, exempla scriptorum docent. In som. Scip. Cicero coniunxit. Concilia, & cœtus hominum iure sociati. Et de Finibus, & apud populum, & in cœtu, concilioque proferri possunt. Venit à coitu, mutato i, in e. Cœtus materiaï Lucretio. Idem festiuissimè lib. 3. de copulatione animi, atque corporis:

Nec tamen hoc ad nos, qui cœtu, coniugioq;
Corporis, atq; animæ consistimus vniter apti. *

DARDANIDÆ MAGNI) Hortatoria est oratio, qua & consilium Æneæ explicatur, cuius κεφάλαιον est, vt Troiani parent se ad ludos cum spectandos, tum etiam celebrandos. Caussam subnectit à pietate erga patrem; & quales futuri sint ludi, apertè demonstrat. Ab initio beneuolentiam colligit, vocans genus diuûm propter Dardanum puta, Iouis ex Electra filium. Nascimb.

GENVS ALTO A SANGVINE DIVVM) Quæ alta sunt, sublimia, summa, cæteris notiora sunt, magisque conspicua. Contrà humilia, infima, siue ima, non sunt adeo perspicua, & oculis patentia. Nobile autem est quasi noscibile, ignobile ignotum, quod non noscitur: ideo viros nobiles vocamus altos, sublimes, summos: ignobiles, dicimus humiles, imos, infimos. Vtrumque etiam in locis valet. Virgil. 9. Æneid. *Thebana de matre nothum Sarpedonis alti.* Id est nobilis, vt exponitur à Seruio. Æneid. 10. *Et Clarus, & Hæmon Lycia comitantur ab alta.* Et 1. Æneid. *atque altæ mœnia Romæ.* Vide cætera apud Tiraquell. de Nobilitate cap. 2. num. 20.

EX QVO RELIQ. DIVINIQVE OSSA PARENT) Alludere videtur poeta ad ritus Græcorum, in Italiam quoque deriuatos, circa honorationem parentum, quos lib. de leg. 5. exequitur Plato, edicens non tantum viuentibus parentibus meritos reddi honores, & vt prima, & antiquissima nomina persolui: sed & mortuis iusta ritè rependi, & annuis libationibus eorum memoriam renouari: quas etiam in hunc diem piè imitari videmur anniuersarijs sacris, placamētis, & cenotaphijs. Verba Platonis sunt, γονέων δὲ μετὰ ταῦτα τιμὰς ζώντων, &c. Nempe vt Maro decentius in commendatione Æneæ à pietate perstaret, officiosum eum erga viuum patrem, quem ex medijs ignibus, & hostibus extulerat, & mortuum peræquè depingit, vt cuius inferias, exacto, & recurrenti anno, stato die redintegraret, vt Andromache lib. 3. German.

Tangit hunc morem vno versu Tibull. *Annua constructo serta dabit tumulo.* Atque vt Tibullus constructũ tumulum dixit, sic Virgil. versu abhinc 9. struere altaria, *struheremq; suis altaria donis.* Duas aras significat, vt ibi, *stant manibus aræ Cæruleis mœstæ vittis.* Et clarè in eodē. *geminas caussam lacrymis sacrauerat aras.* Vide quid in eum locum ex Turnebo attulerimus. Huiuscemodi aræ sepulchrales vocantur. Ouid. 8. Metamorph. *Ante sepulchrales infelix astitit aras.* Sic cum ait Sueton. Nerone, cap. 50. Reliquias Ecloge, & Alexandria nutrices, cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur è campo Martio, impositum colle hortorum. In eo monumento solium porphyretici marmoris, superstante Lunensi ara, circumseptum est lapide Thasio. Lunensem aram, è marmore Lunensi, quod candidum est intellige, ad quam veterum consuetudinem allusisse Virgil. censet Torrentius.

QVEM SEMPER ACERBVM) Tibullus amaram diem dixit, *Nunc & amara dies, & noctis amarior vmbra.*

SIC DII VOLVISTIS) Ita loqui decebat virum pium. Vide 3. Æneid. *Postquam res Asiæ, Priamiq; euertere gentem Immeritam visum superis.*

SEMPER HONORATVM) Illustres dies sunt sancti, atque honorati, quosq; quotannnis ob memoriam alicuius rei celebramus, & colimus. Eorum partim sunt iucundi, vt ij quibus nati, aut à magno periculo liberati sumus: vnde Cic. in 3. Catilin. coniunxit hæc duo. Etsi non minus iucundi, atque illustres esse debent ij dies, quibus conseruamur, quam quibus nascimur. Quidam etiam acerbi, vt quibus incommodum accipimus, &c. Muret. in 3. Catilin.

GETVLIS AGEREM SI SYRTIBVS) Horat. Ode 22. lib. 1. de viro iusto.

Pone me, pigris vbi nulla campis
Arbor æstiua recreatur aura:
Quod latus mundi nebulæ, malusq;
Iupiter vrget.
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata.

MARI DEPRENSVS) Deprendi apud classicos ad tempestatem refertur. Sic alibi, *deprensis statio gratissima nautis.*

VRBE MYCENÆ) *in medio hostium, quales Græci. Siss. Æneid. Mycenarum nomine accepit totam Græciam,* Millia quot magnis nunquam venere Mycenis]. Vrbe Mycenæ græcè dixit, & singularem numerum posuit, sicut Thebe. Iuuenalis, *Atq; vetus Thebe centum iacet obruta portis*, vt sit Mycene Mycenes, sicut Agaue Agaues. Potest & exinde latinam fecisse declinationem: vt sit hæc Mycena, huius Mycenæ. Et est periphrasis, vrbe Mycenæ, id est, Mycenis, vt vrbem Pataui. Hæc Seruius, quem vides legisse *Mycene*, altera lectione *Mycena* nihilominus approbata.

Nunc

Nunc vltro ad cineres ipsius, & ossa parentis,
(Haud equidem sine mente reor, sine numine diuûm)
Adsumus: & portus delati intramus amicos.
Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem:
Poscamus ventos, atq; hæc mea sacra quotannis
Vrbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in naues: adhibete penates
Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes.
Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radijsq; retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis.
Quiq; pedum cursu valet, & qui viribus audax,
Aut iaculo incedit melior, leuibusúe sagittis:
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu:
Cuncti adsint, meritæq; exspectent præmia palmæ.
ORE FAVETE OMNES, & cingite tempora ramis.

NVNC VLTRO AD CINER. ET OSSA PAR.) In Sicilia Virgilius Anchisen sepultum dicit, vbi etiam eundem in extremo tertio decessisse narrauerat. *Hinc Drepani me portus, & illætabilis ora Accipit*, &c. At longè aliter Pausanias in Arcadicis, seu lib. 8. In altera viarum, quæ Orchomenum contendunt, Anchisæ mons est, & ad imum montem Anchisæ sepulcrũ. Cum enim in Siciliam transmitteret Æneas, in Laconicam terram diuertit, atque ibi Aphrodisiade, & Oeetide vrbibus conditis, Anchisen patrem, qui, cum in ea loca, quacunque de caussa venisset, diem suum obierat, ad sepulturam dedit, Anchisæ itaque monti ab Anchise nomen. Huius rei fidem facit, quod Æolenses, qui ætate nostra Ilium incolunt, nusquam Anchisæ tumulum ostendunt.

NVNC VLTRO) Argumentum à minore ad maius. Vltro autem, aut vltra, id est, insuper numina præstiterunt. Aut vltro, id est, sponte sua, non volentibus nobis: vult enim ad hoc tempestatem esse ortam, non vt ab Italia depellerentur, sed quò sacra renouarentur Anchisæ. Seruius.

CELEBREMVS HONOREM) Non exequias: nam & ventos tanquam à numine vult petere.

VRBE VELIT POSITA TEMPEST.) constituta, vt, *& posuere in montibus vrbem Pallantis proaui de nomine Pallanteum.* Dicit autem *poscamus*, etiam hoc, vt velit nos in vrbe constituta singulis quibusque annis sibi sacra persoluere. Seruius.

ADHIBETE PENATES ET PATRIOS EPVLIS) Alludit ad lectisternia deorum: quæ deorum conuiuia dicebantur. Nam in Capitolio stratis tribus lectis cõuiuium apponebatur trib' dijs, Ioui Iunoni, & Mineruæ. Iupiter, id est, Iouis simulacrum statuebatur in lecto recubans, Iuno, & Minerua in sellis considebant. Sed appositis epulis quia deorum simulacra vesci non poterant, adhibiti epulones dapibus vescebantur. Hunc morem pacis deorum exposcendæ gratia institutum fuisse, Liuius lib 5. & 7. memoriæ prodidit. Nascimb.

SI NONA DIEM MORTALIBVS ALMVM) Erant sacra nouendialia, quibus sepulcro reliquiæ solebant condi, dabantque operam, vt moles tum sepulcri perfecta esset. Significauit ea Papinius Thebaid. lib. 6.

Roscida cum nonies cælo dimiserat astra
Lucifer, & totidem luna præuenerat ignes,
Mutato nocturnus equo.

Subijcit deinde:

Mirum opus accelerante manu, stat saxea moles,
Templum ingens cineri.

Illo quoque die claris viris, ac pueris dabantur ludi funebres, vt videre est apud Papinium, & hunc nostrum. Ea de caussa nouendiales dissipare pulueres dixit amatè Horatius Ode 17. Epod., quòd quo die religiosè solebant coli mortui sacris & ludis, venefica impiè, & scelerate eorum cineres solita esset dissipare, & eorum busta violare, qui iustis perfectis consecrati videbantur. Nouendialia eodem modo Græci ἔννατα vocare solent. Turneb. lib. 24. cap. 27. Facit autem Æneas patri suo more Romano etiam naumachiam, vt alia, quæ ad ἀποθέωσιν, pertinent, templa, ludos, sacra. Idem lib. 26. cap. 17.

De significatione particulæ, si, dictum aliquid lib. 6. ibi, *si lumina vitæ Attigerint.* Audiamus & Lipsium ad 6. Annal. Taciti. Mortuis ritu Romano, non ante diem nonum parentabatur. Tunc ijs iusta, ludi, epulæ, inscriptio, & funeri finis. Donatus Phormione. In nuptijs septimus dies instaurationem voti habet, vt in funere nonus, quo parentalia concluduntur. Alludit huc Virgilius, item Statius in Archemori funere, *Roscida iam nonies cælo dimiserat astra Lucifer.* Et ab ea mente Iustinianus in Nouella quadam scribit, in nonum diem fieri μνήμας defunctorum. Glossæ. Nouendialia, ἔννατα ἐπὶ νεκρῷ ἀγόμενα. Augustin. in Genesin. Nescio vtrum inueniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum nouem dies, quod apud Latinos nouendial appellant, &c.

PRIMA CITÆ TEVCRIS PON. CERT. CLASS.) Exprimuntur hîc quatuor ludorũ genera, naumachia, cursus, iaculatio, cæstus.

ET QVI VIRIB. AVDAX) ad vltimum, cæstuum nempe referendum est, quamuis idipsum paulò post exprimatur. Quintum genus fuit à pueris commissum, Troiæ nimirum equestris concertatio.

ORE FAVETE OMNES) In ſacris faciendis, concipiendis, inducendis ore fauere iubebant, ex qua conſuetudine hoc dictum eſt à Marone. ſic Turneb. lib. 26. cap. 17. Apto ſermone vſus eſt & ſacrificio, & ludis: nam in ſacris taciturnitas, in ludis neceſſarius fauor eſt. Fauet autem quis ore etiam per taciturnitatem. Horat. Ode 1. lib. 3.

Fauete linguis, carmina non prius
Audita Muſarum ſacerdos
Virginibus pueriſq́; canto.

Seruius.

De ſilentio in ſacris ſeruando ex Seneca, Donato, Cicerone, Ouidio eruditè diſſerentem Germanum conſule. *Linguis fauere* interdum eſt εὐφημεῖν, hoc eſt, bene ominata dicere, & fauſtis acclamationibus, ominationibuſq́; lætis excipere, vt populus acclamabat Imperatori recens inaugurato. Adde verba Nannij. lib. 1. cap. 8. Bona dicere, ſeu bona verba dicere eſt εὐφημεῖν, læta precari, & in futurum ſecunda diuinare. Et ille apud

A Terentium, dum dicit, *Bona verba quæſo*, non maledicta in ſe deprecatur: ſed dehortatur herum, ne tam triſtia omina aduerſum ſe cõcipiat, ipſum ſcilicet à ſeruis ludibrio haberi, aut falli poſſe, cũ ſit ſagaci pectore. * *Quod hic Virgilius dixit* Ore fauere, *aliàs linguis fauere dicitur, idq́; in ſacris publicis populo imperabatur. De poteſtate & vi horum verborum* fauere linguis, *non conuenit inter auctores. Alij enim ijs ſilentium volunt iuberi, & poteſt hæc ſententia locis poetarum confirmari: alij contra, populum admoneri, vt bona verba diceret, maleq́; ominatis abſtineret. Et hoc etiam pluribus poetarum teſtimonijs à Briſſonio probatur Formul. lib. 1. Tibull. lib. 2. eleg. 2.*

Dicamus bona verba, venit natalis ad aras,
Quiſquis adeſt, lingua vir, mulierq́, faue.

Ouid. 1. Faſt.

Proſpera lux oritur, linguis animiſq́; fauete,
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die, *&c.*

B

ET CINGITE TEMPORA RAMIS) Ex Romano more: nam feſtis ludis omnis ætas coronata ſpectabat. Seruius. * *Propter cacophaton legam potius, & tempora cingite ramis: quamuis prior lectio ſit vulgata.*

Sic fatus, velat materna tempora myrto:
Hoc Helymus facit, hoc æui maturus Aceſtes,
Hoc puer Aſcanius: ſequitur quos cætera pubes.
Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterua.
Hîc duo rite mero libans carcheſia Baccho,
Fundit humi: duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro.
Purpureoſq́; iacit flores, ac talia fatur.
Salue ſancte parens, iterum ſaluete recepti
Nequicquam cineres, animæq́; vmbræq́; paternæ.
Non licuit fines Italos, fataliaq́; arua,
Nec tecum Auſonium (quicunq; eſt) quęrere Tibrim.
Dixerat hæc, adytis cùm lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulum, lapſuſq́; per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerſo ſole colores.
Obſtupuit viſu Æneas: ille agmine longo
Tandem inter pateras, & leuia pocula ſerpens,
Libauitq́; dapes, rurſuſq́; innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.

VELAT MATERNA TEMP. MYRTO) Vel quaſi Circen, ἀλλ' ἐν αινιγμῷ: & alibi Maro, integer æui. filius, myrtus enim ſacra Veneri: vel quaſi Veneris ſacrificaturus marito, Seruius. Satis omnem ætatem Virgilius ex eo demonſtrat, quod aliquibus nominatis, quorum ætas diuerſa, ſubijcit clauſulam generalem, *ſequitur quos cætera pubes.*

MATVRVS ÆVI) Id eſt, ſenex. Auſonius. *Maturus aui, nec rudis dijudicem.* Ambroſ. de Virginit. Hæc iunioribus conuenire annis, donec mens æui matura caneſceret. Solet enim pius ille ſcriptor libenter ex Horatio, & Marone aliquid vſurpare, vnde quo ſenſu poeta dixerit, intelligamus, Turneb. lib. 19. cap. 21.

Sic apud Horat. *maturúſue ſenex.* Gręcorũ imitatione, vt & Turneb. obſeruauit, qui ex Heſychio ὠμογέρων æuum dici docet; & apud Ariſtoph. ὁ γὰρ ἐν τέλει τὸ σοφὸν

German.

ILLE E CONCIL. M. CVM MILL.) Exaggeratio numeri: plurima turba eum ſecuta eſt, & honoris cauſa in medium accepit.

HIC DVO RITE MERO LIBANS) Inferias fundi, & mitti ſignificat, quas Græci χοὰς appellant: fundere autem dijs manibus placamina ſolebant vinum meracum, mel, lac, aquam, ſanguinem, aliaq́; eiuſdem generis, vt è Perſis Æſchyli cognoſci poteſt. Turneb. lib. 14. cap. 4.

PVRPVR. IACIT FLORES) Fuit hic mos antiquus, floribus aſpergendi tumulos. Sueton. in Aug. cap. 18. Per idem tempus conditoriũ, & corpus Magni Alexan-

Alexandri cum prolatum è penetrali subiecisset oculis, corona aurea imposita, ac floribus aspersis veneratus est. Plin. lib. 21. cap. 3. Iam tunc coronæ deorum honos erant, ac larium publicorum, priuatorumq́; , ac sepulcrorum, & manium. Iuuenal. sat. 8.

Dij maiorum vmbris tenuem, & sine pondere terram
Spirantesq́; crocos, & in vrna perpetuum ver.

Capitolin. in vita M. Aurelij. Tantum honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas in larario haberet, & sepulcra eorum additis hostijs, & floribus semper ornaret. Omittam antiquas maiorum inscriptiones, quæ defunctorum vrnas rosis spargi, ornariq́; quotannis ex testamento iubent. Quò referendum illud Tibulli è lib. 2. eleg. 4.

Atq; aliquis senior veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo.

Possem & Græcos hac de re citare auctores, sed de re satis nota iam dicta sufficiant. Illud peculiare Græcis, quòd apij coronas sepulcris imponebant: vnde apio indigere dicebant eos, qui periculosè ægrotabant. Plutarch. Sympos. & vita Timoleontis, & ex Græcorum libris Plinius lib. 20. cap. 11. Hæc adducit commentar. in Sueton. Læuinus Torrent.

RECEPTI NEQVICQVAM CINERES) Cur nequicquam? Quoniam hoc eum consilio ex incendio Troiano eripuerat, vt Italiam secum contingeret, quod aperte verbis sequentibus testatur, quæ magni doloris, magnæque pietatis erga patrem significationem habent. Nascimbæn.

ANIMÆQVE, VMBRÆQ. PATERNÆ) Imitatione forsan Lucretij, qui eam inter simulacra, & animam, statuit differentiam, vt inferos simulacra quidem petant, anima autẽ sit descensus illius immunis. German.

A * Versum recitauimus lib. 4. Æneid. ibi, Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

QVICVNQVE EST) Vox *quicunq; est*, extenuationem habet, vt lib. 1. *Tu mihi quodcunq; hoc regni*, quia omnia ad comparationem Troiæ parui ducit. Vel, vt Seruius vult, longæ nauigationis tædio ita loquitur. Nascimbæn.

ADYTIS CVM LVBRICVS ANGVIS AB IMIS) Anguem dicit Maro exijsse è sepulcro Anchisæ nõ sine antiquitatis significatione. Veteres enim, vt scribit Plutarchus in Cleomene, attribuerunt, & dicarunt heroibus serpentes, cuius rei etiam caussam afferre conatur Turneb. lib. 14. cap. 4. Hoc sumptum est ex obseruatione naturæ, ait Nascimb. Nam quidam ex spina hominis mortui serpentem enasci asseruerunt: quo proculdubio respiciens poeta doctissimus, serpentẽ prodiisse fingit de sepulcro Anchisæ, quod idem adytum vocat, quia ibidem altare erectum erat. Nam cum paulò infrà poeta dicat, *rursusq́; innoxius imo Successit tumulo*, certum est, anguem de tumulo exijsse. vide Pierium lib. 15. in serpente.

B

CEV NVBIBVS ARCVS) De iride versiculos Lucretij hos adducit German. è lib. 6.

Hinc vbi sol radijs tempestatem inter opacam
Aduersa fulsit nimborum aspergine contra,
Tum color in nigris existit nubibus arqui.

ILLE AGMINE LONGO TANDEM) Lib. 2. de Laocoonte. *illi agmine certo Laocoonta petunt*. Agmen hic, & ibi, est tractus, actus, ab agendo enim agmen.

C

LIBAVITQVE DAPES) Expone *libauit*, leniter degustauit, vt lib. 1. *Oscula libauit natæ*: vt respondeat sequenti versui, *depasta altaria liquit*, & versibus his lib. 1. *laticum libauit honorem, Primaq́; libato summo tenus attigit ore*. German.

Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus geniúmne loci, famulúmne parentis
Esse putet: cædit quinas de more bidentes,
Totq́; sues, totidem nigrantes terga iuuencos.
Vinaq́; fundebat pateris: animamq́; vocabat
Anchisæ magni, manesq́; Acheronte remissos.
Nec non & socij, quæ cuiq; est copia, læti
Dona ferunt: onerantq́; aras, mactantq́; iuuencos.
Ordine ahena locant alij: fusiq́; per herbam
Subijciunt verubus prunas, & viscera torrent.

GENIVMNE LOCI, FAMVL. PAR.) Genij non solum erant hominis, sed etiam vrbium, coloniarum, locorum. Heroibus autem sacer erat draco, vnde serpentem famulum parentis vocat Æneas: & locorum genij, vt serpentes pingebantur. Sicut ex hoc loco Maronis coniectura est, & Persio sat. 1. *Pinge duos angues, pueri, sacer est locus, extra Meijte*. Quanquam, vt Artemidorus ait, sacer erat Draco Ioui venerando, Soli, Cereri, Proserpinæ Triuiæ, Æsculapio, heroibus, vt ex eo picto sacrum esse locum augurari possimus, qui tot numinibus sit consecratus. Turneb. lib. 13. cap. 12.

De genijs hominum Germano paululum demus operæ. Credo ego poetam hîc respicere antiquam religionem, qua persuasum erat, non solùm locis omnibus suos esse genios, sed & personis, vt genij quodammodo hominibus famulari videantur, & non tantum nascentibus protinùs adesse: sed & mortuorum oberD rare corporibus, & obire sepulcra. Vnde & Plutarch. lib. *περὶ εὐθυμ. οὐ γὰρ ὡς μένανδρός φησιν ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου ἀγαθὸς ἀλλὰ μᾶλλον, ὡς ἐμπεδοκλῆς, διτταί τινες ἕκαστον ἡμῶν γενόμενον παραλαμβάνουσι, καὶ κατάρχονται μοῖραι, καὶ δαίμονες*, &c.

Cuique loco suum præesse genium arbitrabantur. Itaq; Pythagorici ob id alios alijs locis fortunatiores esse rebantur: prout videlicet cum cuiusq; loci genio, cuiusque hominis genius conueniret. Sic noster etiam lib. 7.

Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, & geniumq́; loci, primamq́; deorum
Tellurem, nymphasq́; , & adhuc ignota precatur
Flumina.

Hinc etiam mos erat ob id ipsum, vt qui primùm ingrederentur regionem aliquam, ad eamúe ex interuallo

nallo reuerterentur, religiosè eam salutarent. Catull. A *Salue ô venusta Sirmio.* Ouid.

Cadmus agit grates, peregrinaq; oscula terræ
Figit, & ignotos montesq;, agrosq; salutat.

Et quidam apud Menandrum. χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν ἀσπάζομαι. Et seruus quidam Plautinus Bacchid.

Herilis patris salue, quam ego biennio
Postquam in Ephesum abij, conspicio libens.

Ex Muret. in Catull. * *Totum Menandri carmen integrum apud Stobæum recitat Victor. lib. 5. cap. 20. quo inducitur quidam è peregrinatione domum reuersus, agrum suum non solum salutare, sed etiam deum vocare, quoniam inde alatur, quod est n[illegible]um beneficium. Et quanquam ob id salutasse rusculum suum videri possit quicunq; est, tamen quin hoc testimonium quoque ad locum quem in manibus habemus confirmandum pertineat, & Menander communem secutus morem, cuius caussa est, quam supra posuimus, hoc scripserit, dubitari non debet. Sed iam versiculos accipite suauissimos.*

Χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδών,
Ἀσπάζομαι: τουτὶ γὰρ οὐ πᾶσαν ποιῶ
Τὴν γῆν: ὅταν δὲ τοὐμὸν ἐπίδω χωρίον:
Τὸ γὰρ τρέφον με, τοῦτ' ἐγὼ κρίνω θεόν.

Q. Curtius lib. 3. de Alexand. M. Ipse in iugum editi montis ascendit, multisq; collucentibus facibus, patrio more sacrificium dijs præsidibus loci fecit, sed maximè patria ex interuallo visa salutabatur. Exempla pete ex Brissonio Formular. lib. 1. num. 35.

CÆDIT QVIN. D. M. BID. TOTQVE SVES, TOTID.) Sacra quædam suouetaurilia veteres appellabant, ab immolatione suum, ouium, boum. Hoc genus sacrificij puto hic Maronem significasse. Turneb. lib. 14. cap. 4.

VINAQVE FVND. PAT.) Horat. per ἀναστροφὴν Ode 5. lib. 4. *Te multa prece, te prosequitur mero Defuso pateris*, id est fuso de pateris, quomodo & aliàs Horat. & cæteri poetæ sæpius loquuntur.

MANESQVE ACHER. REMISS.) Acheron Latinis est non tantùm inferorum flumen, sed interdum inferi etiam ipsi, quæ etiam Acheruntia templa vocat Lucret. Itaq; manes Acheronte remissos, animam Anchisæ ab inferis reuersam intellige. Turneb. lib. 14. c. 4.

German. Vt Virgilius *manes Acheronte remissos*, sic Lucret. lib. 3. *ne forte animas Acheronte reamur Effugere.* Persuasum autem erat veteribus, animas libationibus exciri. Vnde & Pluto Æschylo ἀναπομπὸς, & γόοι ψυχαγωγοὶ, ab educendis vmbris. * *Ad confirmationem addatur* B *& hi loci, è lib. 3. de Polydoro.*

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamq; sepulchro
Condimus, & magna supremùm voce ciemus.

De Andromache.

Ante vrbem in luco falsi Simoentis ad vndam
Libabat cineri Andromache, manesq; vocabat
Hectoreum ad tumulum.

NEC NON ET SOCII, QVÆ CVIQVE EST COPIA) Imitati ducem ac principem suum Troiani, ipsi quoq; pro facultate quisque Anchisen honorabant muneribus: & Siculi (nam id Troiani hospites qui poterant?) viscera flammis ingerebant, mactatis iuuencis videlicet. Ad lustrationem alij aquam calefaciebant, & C quemadmodum libr. 1. pars in frusta secabant, verubusque trementia figebant tergora. Nam in sacrificijs, vt & apud Homerum videre est, etiam epulari mos erat. ❧

Exspectata dies aderat, nonamq; serena
Auroram Phaëthontis equi iam luce vehebant:
Famaq; finitimos, & clari nomen Acestæ
Excierat: læto complerant littora cœtu,
Visuri Æneadas, pars & certare parati.
Munera principiò ante oculos circoq; locantur
In medio: sacri tripodes, viridesq; coronæ,
Et palmæ, pretium victoribus, armaq;, & ostro
Perfusæ vestes: argenti, auriq; talenta:
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

NONAMQVE SERENA AVROR. PHAETH. D EQVI) Saluberrimi sunt dies sereni, inquit Celsus lib. 2. cap. 1. meliores pluuij, quam tantùm nebulosi, aut nubili, optimiq; hyeme, qui omni vento vacant, æstate quibus Fauonij perflant. Phaëthon à patre Apolline, seu Phœbo, si se filium agnosceret, & sibi verus pater esset, pro pignore currum vno die gubernandum petiuit, eumq; ob imperitiam cùm malè rexisset, equis, per auia tendentib⁹, totum pæne mundum combussit. Quare Iupiter fulmine excussum in Eridanum proiecit. Ibi eum luxerunt sorores, quas Phaëtontiadas vocat Eclog. 6. & Cygnus cognatus, de quo 10. Æneid. Equi quatuor Solis, Pyrois, Eous, Æthon, Phlegon. Fabulam lege 2. Metamorph. De ista aurigatione. Lucret. lib. 5. admonens in extremo, Græcorum poetarum figmentum esse.

Ignis enim superauit, & ambens multa perussit,
Auia cum Phaëthonta rapax vis solis equorum
Æthere raptauit toto, terrasq; per omnes.
At pater omnipotens ira tum percitus acri,
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbauit equis in terram, solq; cadenti
Obuius, æternam suscepit lampada mundi:
Disiectosq; redegit equos, iunxitq; trementes,
Inde suum per iter recreauit cuncta gubernans
Scilicet vt veteres Graiûm cecinêre poetæ,
Quod procul à vera est animi ratione repulsum, &c.

Eandem fabulam Cic. 3. Off. breuiter, ac summatim disserit, vbi de promissis seruandis quærit. Ac ne illa quidem promissa seruanda sunt, quæ non sunt ijs ipsis vtilia, quibus illa promiseris. Sol Phaëthonti filio (vt redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quidquid optasset: optauit vt in currum patris tolleretur: subla- E tus est. Atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagrauit. ❧

VISVRI ÆNEADAS) Multi eos antea viderant, multi nondum viderant. Ergo pars videre cupiebat aduenas, non solum quia aduenæ, sed quia Troiani, quorũ bella vulgata per totum orbem, quomodo non etiam

per Si-

per Siciliam? Quod si Troiana iuuentus vndique visendi studio Sinonem circumfusa turbat, an non magis tam multos, tam honestos, tam bellicosos Siculi contemplari velle debuerunt? ✠

MVNERA ANTE OCVLOS LOCANTVR) Apposité, & ludorum more *ante oculos*. Sic enim magis excitantur animi eorum, qui certaturi sunt. In funebribus ludis Patrocli præmia victoribus proponit Achilles Iliad. ψ. *τρίποδ' ὠτώεντα δύω καὶ εἰκοσίμετρον*. Et rursus, *ἄπυρον κατέθηκε λέβητα*. Sciendum itaque tripodes hìc accipi pro lebetibus, vel cacabis tribus pedibus innixis. Sic enim interpretor illud Eustathij Iliad. 9. *διὰ τὸ τρίποδα τὴν ὑπόβασιν ἔχειν*. Lege cætera apud Iunium, lib. 2. cap. 3.

B *SACRI TRIPODES*) Tripodes erant mensæ militares, ex tribus pedibus: quibus apud Græcos viri fortes donari solebant. Horat. Ode 8. lib. 4. *Donarem tripodas præmia fortium Graiorum*. Apud Homerum Iliad. ω. Priam' Achilli geminos offert tripodas, & apud eundem lib. 9. Agamemnon septem Achilli donat. Item Ascanius apud Maronem Æneid. 9. tripodas, Niso pollicetur. Cur verò sacros hìc appellet poeta tripodas, non facilè dixerim, nisi fortè tales intelligat, quales sacrari solent, vt sit allusio ad tripodas æreos, siue etiam (vt ex Aristophane liquet) aureos, templi Apollinis Delphici: quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur. Quod verò interpretes aiunt, sacri, id est, ita pulchri, vt sacri esse videantur, ridiculum est, Nascimbæn.

C TVBA COMMISSOS MED. CANIT) Tubæ signum commissionis erant, & veræ pugnæ. Ideo Apuleius tubam terminalem appellat, quia primitias, & A certamina finiret, terminaretque, lib. 10. At vbi discursus reciproci multinodes ambages tubæ terminalis cantus explicuit. Quintil. in Gladiatore. *Sonabant clangore ferali tuba*. Statius in Syluis. *Iam placida dans signa tuba*. Nec alterius sententiæ illud Satyrici, *dignissima prorsus Florali matrona tuba*. Id est, digna quæ commissione Floralium producatur. Idque in omnibus ludis factitatum, etiam scenicis, &c. Lipsius Saturnal. lib. 2. cap. 19.

COMMISSOS LVDOS) Committere dicitur initiare, inquit Nonius, producens hunc locum. Item Varron. Endymionibus. Discumbimus multitudo, minus maturè cœnam committitis.

Diuersa spectaculorum, ac ludorum genera diuersis temporibus in rempub. Rom. inuecta. Quorum finis partim in religione, partim in voluptate populi positus erat. Opinabantur enim antiqui, se rem gratam illis ludis, tanquam promissam, dijs facere. Arnobius, Vos æris tinnitibus, & tibiarum sonis, vos equorum curriculis, & theatralibus ludis persuasum habetis deos delectari, & affici, irasque aliquando concessas eorum satisfactione molliri. hæc ille lib. 7. Ludos inter alia cælestis iræ placamina institutos, testatur Liuius lib. 7. Censorinus de die Natali cap. 12. Valer. lib. 2. cap. 4. & alij. Faciebant quoque ludi permultum ad populi fauorem obtinendum, cui reges & ipsa respub., nec non & Principes ipsi valde studebant, quò ciues hac voluptate demulsos in officio continerent: quoúe facilius, quod ab ipsis extorquendum erat, impetrarent, &c. lege Steuechium ad Veget. lib. 2. cap. 24.

Prima pares ineunt grauibus certamina remis
Quattuor ex omni delectæ classe carinæ.
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin,
Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi:
Ingentemq; Gyas ingenti mole Chimæram,
Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.
Sergestusq;, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna: Scyllaq; Cloanthus
Cærulea: genus vnde tibi Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum, spumantia contra
Littora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt vbi sidera Cori:
Tranquillo silet, immotaq; attollitur vnda
Campus, & apricis statio gratissima mergis.
Hìc viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit, signum nautis pater: vnde reuerti
Scirent, & longos vbi circumflectere cursus.

PRIMA PARES INEVNT) Quomodo pares, si alteræ sua leuitate celeres, duæ sua mole graues, vt ex contextu patet: neque etiam magnitudine pares dicendum est, cum Centauri, & Chimæræ tantùm magnitudinem proferat, de reliquarum verò magnitudine ne verbum quidem faciat. Igitur sic (mea quidem sententia) res intelligi debet, pares esse naues, id est, compositas, hoc est, æquè omnes instructas remis, remigibus, alijsque huic negotio aptis rebus: sicuti gladiatores D compositos dicimus, qui paribus armis induti, eademque ratione armati in arenam descendunt dimicaturi. Nascimb.

AGIT ACRI REMIGE PRISTIN.) Inter nauium ornaméta, quæ multa, & varia fuisse constat, effigies quasdam diuersorum animalium à scriptoribus commemorari comperio, quæ in vniuersum *παράσημα* nuncupantur, cuiusmodi hæc fuisse existimare licet, à quibus nauium nomina his versibus Maro sumpsit. vocat

enim aliam Pristin, aliam Chimæram, aliam Centaurũ. Et lib. 10. Tigrin. Sic nauis qua Phryxus, & Helle vecti fuit, arietem insculptum habuit, quemadmodum Europæ nauis taurum, vnde fabulæ ansam arripuerũt poetæ. Titius lib. 7. cap. 5.

Quæ super τ͂ παρασήμων νεὼς haud vulgaria, nec cuiuis, etiam mediocriter docto, nota Villomarus aduersus Titium affert, Animaduersione 7. lib. 7. ea visum mihi ad verbum huc apponere. Ἀπὸ τ͂ παρασήμων nauibus nomen imponi solitum diximus. Exigis testimonium veteris auctoris. Ouid.

Est mihi, sitq; precor, flauæ tutela Mineruæ
Nauis, & à picta casside nomen habet.

Lucianus: τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς θεὸν ἔχουσα τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν. παράσημον igitur fuit tutela nauis. Ita etiam interpretatur vetus Glossarium. Ita etiam intelligendum de naue Pauli Apostoli, quam Lucas in Actis ait παράσημον habuisse τοὺς Διοσκούρους, quos Attici vocabant dualiter τὼ Διοσκόρω. Eæ tutelæ in puppi statuebantur. Persius, *ingentes de puppe dei*. Herodotus. ἔστι τ͂ Ἡφαίστου τὤγαλμα τοῖσι Φοινικηΐοισι θεοῖσι. Παταϊκοῖσι ἐμφερέστατον, τοὺς οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρύμνῃσι τῶν τριήρεων περιάγουσι. Ex quibus cognoscimus non fuisse partem nauis, aut naui adhærere tutelas nauium, sed puppibus, tanquam signa aris superponi. Idem etiam post Herodotum Hesychius. Παταϊκοί. θεοὶ, οὓς Φοίνικες ἱστᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας. Atque inter veterum auctorum scripta, legendum occurrit aliquando neque παράσημον esse tutelam nauis, neque tutelam statui in puppi, neque nomen nauis à tutela esse. Nam Scyllla, & Centaurus sunt naues in 5. Æneid. Eæ fine dubio ἀπὸ τ͂ παρασήμων nomen habent. At Scylla, Chimæra, Centaurus in naue, quamuis sint παράσημα, non sunt tutelæ. Præterea ἡ ἐπώνυμος τῆς νεὼς θεὸς Ἶσις apud Lucianum non est in puppi, sed in prora. Deniq; non semper ἀπὸ τ͂ παρασήμων nomen habet. Nam etiam aliquando à forma. Claudius Quadrigarius: Quinque Pristes: nauigium ea forma à marina bellua dictum est. Pollux scribit nomen nauis ἐν ὀφθαλμῷ inscribi solitum: nimirum quod non omnes naues haberent παράσημον. Nam quæ habent, earum nomen frustra quæsieris, quũ παράσημον ipsum loquatur. τὸ δὲ, inquit ὑπὲρ τὸ πρύχον ἀκροστόλιον, Πτυχὶς ὀνομάζεται, καὶ ὀφθαλμὸς, ὅπου καὶ τοὔνομα τῆς νεὼς ἐπιγράφουσιν. Est autem ὀφθαλμὸς, foramen rotundum pone puppim, vnde ora, id est, anchoralis funis eminebat Ergo in puppi nomen inscribebatur fortasse, quia in prora insigne nõ haberet: nisi dicas in prora quidẽ insigne esse nominis indicẽ: ne autẽ ijs ignotũ esset nomen, qui tantũ puppim videbãt, etiam in puppi ipsum inscribi solitũ. Sed ex his, quæ disputauim⁹, apparet aliud esse παράσημον νεὼς, aliud tutelã, quòd παράσημον esset in prora, tutela in puppi: quòd παράσημον ex ipso ligno proræ insculptũ esset, neq; eximeretur. tutela circumferebatur, & eximi, & imponi poterat, pro arbitrio. Deniq; παράσημον non semper deus aliquis: quum esset aut πεζὸς ἢ πτηνὸς, aut alius animalis, vt in veteribus numismatis obseruauimus: tutela autem esset, vt res indicat, deus, aut dea. præterea apud Ouidium nauis non à Minerua, quæ imponeretur puppi, sed à picta Mineruæ casside nomen habet, vt non Minerua, sed Galea vocaretur: quó nomine hodie omnes vocantur Liburnicæ. In naui igitur Ouidiana tutelare numen fuit Minerua, eaque imposita puppi fuit ex consuetudine. Galea autem Mineruæ fuit insigne nauis, idque ex ipso proræ

A ligno scalptum. Quare hæc vera sunt: & aliud est παράσημον, aliud tutela. & Διόσκουροι scalpti fuerunt in prora nauis Pauli Apostoli, non autem impositi in puppe.

TRIPLICI PVBES DARD. VERSV) Triremem describit, quam tamen nullam belli Troiani tempore fuisse ex historia notum est, cum triremes primus ædificauerit, auctore Thucydide Amynocles Corinthius, multis postea sæculis: sed poetæ non perinde historiæ fidem exequi solent, & apud eos crebri sunt ἀναχρονισμοί. Turneb. lib. 14, cap. 4. *Versu*, inquit Seruius, id est, ordine, vt, *Ille etiam seras in versum distulit vlmos*. Aut *versu*, tractu, à verrendo, vt *Æquora verrebant caudis, æstumq; secabant*.* *Ipsemet poeta, quod sæpe solet, καὶ ἑκατέρωθεν mox explanat, quid sit, triplici versu, terno consurgunt ordine remi. Liuius lib. 35. naues ingentis magnitudinis, quam sedecim versus remorum agebant.*

B

DOMVS TENET A QVO SERGIA NOMEN) Romanorum familias quantum in se est, poeta conatur extollere: quarum genus altè repetit, nempe ex antiqua Troianorum origine.

CENTAVRO MAGNA) *magna*, ad nauem retulit, nõ ad Centaurum. Sic Terent. prolog. Eunuchi. *eas se non negat transtulisse in Eunuchum suam*, refert ad fabulam.

SCYLLA CÆRVLEA) id est nigra: cæruleus enim color ad nigrum vergit, & est Homeri epitheton, μέλαιναι νῆες. Nascimb.

EST PROCVL IN PELAGO SAXVM) Ad imaginem

C ludorum Circensium composuit nauale certamen. Naues habuit pro quadrigis, pro aurigis verò eos, quorum nomina superius comprehendit: spatium pelagi, pro circi spatio: saxum, quod secundum naturam suam descriptum est, ad vicem metæ. Illud igitur saxum eminet, inquit, quum tranquillum est mare, & marinis auibus stationem præbet. [*mergis est gratissima statio, quoniam cum se assiduò mergant, vnde nomen obtinent, loco aprico habent opus, in quo considentes, iterum, iterumq; siccescant. Loci aprici, qui à sole implentur, & collustrantur. Vnde apricari, talibus in locis soli expositis calorem solis captare, quod senes frigidi faciunt.*] Cum autẽ cõmouetur in tumorem], fluctibus tunditur, & vndis spumantibus operitur. Erat verò positum non longè, atque ita, vt de littore videri posset. Donatus.

D * *Quomodo non longè, ait Donatus, si procul? Diximus alibi, ex Seruio, ni fallor, hanc vocem significare & prope & remotè, quoniam procul est quasi pro oculis.*

TVNDITVR FLVCTIBVS) Eclog. 5. *Nec percussa iuuant fluctu tam littora*. Horat. Ode 17. Epod.

Non saxa nudis surdiora nauitis
Neptunus alto tundit hybernus salo.

VNDE REVERTI SCIRENT) In spectaculis quandoq; missus nominabantur. Confici missum vnum intellige, vbi ad à calce calcem procurrentes equi, rursus à meta circumflexa calcem repetebant. Sic verò dicitur, vnde emittuntur equi. Hinc Maro, *Hic viridem*, &c. Rhodigin. lib. 8. cap. 7.

Cicero quoque eleganti metaphora, ἀπὸ τῶν καμπτήρων, qui flexus in meta, vel circũ metam dicitur lib. 1. de

E Orat. decursũ honorum, & ætatis flexu constitisset. Idẽ pro Cælio. In hoc flexu quasi ætatis, famã adolescentis hæsit ad metas. Et Euripid. eadem metaphora in Hippol. Τέλος δ' ἐμὸν καμπτῆρα πρὸς ἡλικίας ἤρξαμεν βίου, quod est, vitæ cursum, & finem peragere. Certè & Græci ἄκρον κάμπτειν nauticè dicunt, quod Latini flectere promontorium, & Ennius campsare promontorium, quod est, nauigatione, & flexu promontorium circumducere. German.

Tum loca sorte legunt: ipsiq; in puppibus auro
Ductores longè effulgent, ostroq; decori.

Cætera populea velatur fronde iuuentus:
Nudatosq; humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, intentaq; brachia remis
Intenti exspectant signum: exultantiaq; haurit
Corda pauor pulsans, laudumq; arrecta cupido.
Inde vbi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes
(Haud mora) prosiluere suis, ferit æthera clamor
Nauticus, adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumq; dehiscit
Conuulsum remis, rostrisq; stridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntq; effusi carcere currus:
Nec sic immissis aurigæ vndantia lora
Concussere iugis, proniq; in verbera pendent.
Tum plausu, fremituq; virûm, studijsq; fauentum
Consonat omne nemus: vocemq; inclusa volutant
Littora, pulsati colles clamore resultant.

TVM LOCA SORTE LEGVNT) [*Quam multis ac varijs in rebus adhiberetur sortitio, toto cap. 5. lib. 2. narrat Iunius.*] loca sorte legunt, vt in circo fieri cōsueuit: non est enim idem labor in singulis locis, & inde sors adhibetur, ne sit in ordinatione contentio, aut humanum iudicium gratia cuiuspiam transducatur. *Ductores* erant nauium proceres, ac domini, & auro & purpura effulgebant, vt qualitate vestitus euidentius preter cęteros apparerent. [*Reliqui vectores, seu remiges populeis frondibus erant coronati, quæ sacra Herculi arbor est, vt se Herculeos, id est strenuè laboraturos, & virtutis sua documenta daturos ostenderent.*] Erant autē remiges artus oleo perfusi, quod vires corroborat, & cōseruat: qua de causa à veterib⁹ adhibebatur. Plin. lib. 22. c. 24. refert, Augustum Cæsarem, cum senem hominē vidisset, qui annum centesimum excedebat, quæsisse ex eo, qua curatura vitā suam tā diu produxisset: respondisse illum, intus mulso, foris oleo. Donatus. Nascimb.

EXVLTANTIAQVE HAVRIT CORDA) Lib. 3. Georg. cum circenses ludos describit, eadem habet verba. Hic pauoris caussam exprimit, *laudumq; arrecta cupido*. Nisi enim essent laudis & gloriæ cupidi, non timerent, ne posteriores ferrent.

Hominum victoriæ cupidorum mirè expressit affectus, qui cùm spe & metu assiduè agitentur, dum sperant se victoria potituros, lætantur. Ideo ait poeta, *exultantia corda*. Vbi verò incertæ victoriæ dubij sunt, timore afficiuntur. Quamobrem ait *haurit*, id est, ferit corda pauor pulsans. Locus est ex Homero Iliad. ψ. sed nullo modo cum hoc diuino Maronis loco conferendus. Ille enim siccè admodum, & ieiunè dixit. *πάταγος δὲ θυμὸς ἑκάστου νίκης ἱεμένων*. Id est, pulsabatur animus cuiusque victoriæ cupidorum. At noster vtrumque, lætitiæ & pauoris affectum, quibus pro gloria certantes affici solent, expressit. Nascimb.

INDE VBI CLARA DED. S. TVBA) Homerus Iliad. ψ. vnde hæc omnia ferè sumpta sunt, nullam sonitus tubæ, aut dati signi mentionem facit: tantùm dicit, *οἱ δ' ἅμα πάντες ἐφ' ἵπποιιν μάστιγας ἄειραν*. Quamobrem crediderim, id temporis apud Græcos in huiusmodi ludorum generibus tubæ sonitum in vsu non fuisse: licet in bello tubis, & præconibus vterentur. At

A Romani tubis in varijs ludorum generibus vtebantur: quorum mores sub peregrinis etiam personis libenter poeta amplectitur. Nascimb.

INFINDVNT PARITER SVLCOS) Cum mare arari dicatur à poetis, ergo etiam proscindi, ergo etiam sulci eidem infindi, & sulcari eodem modo. Infrà, *& longe sulcant vada salsa carina*. Quippe qui alicubi etiam campos salis vocet.

CONVVLSVM REM. ROSTRISQVE STRIDENT.) Vulgus litteratorū legit *ruentibus*, pro *stridentibus*. Sed omnes ferè manuscripti codices, stridentibus habent: quod mihi mirum in modum placet, vt sibilo litterarum, sibilum, strepitumque conuulsi maris designet. Licet stri, præter rationem corripiat: vel certè *tridentibus* legendum est, à specie rostri: nam rostra nauibus olim etiam fuere trisulca; vt acrius concurrentes se inuicem ferirent: nam rostris nauium antiqui concurrebant. Liuius lib. 26. Itaque ex vtraque parte signo dato, cùm rostris concurrissent, neque nauim inhiberent, &c. Nascimb. * *Sunt etiam nummi in huius victoria (Agrippa de Sex. Pompeio) memoriam cusi, in quibus triremes tridentibus rostris prædita conspiciuntur, vt tandem aliquando Virgilianum illud incolumitati sua restituatur*, rostrisque tridentibus, *de quo plerique dubitant. Pierius lib. 43. in Curru.*

NON TAM PRÆCIPITES BIIVGO) Nauium è carceribus exeuntium celeritatem apposita, atque eleganti comparatione illustrat. Qua quidem in re etsi Homerum imitatur Iliad. ψ. vbi Diomedem equos suos in curuli certamine impellentem facit, longo tamen interuallo eum videtur superare: cuius carmina apponenda duxi, vt res æquius, meliusque perpendi possit.

Μάστιγι δ' αἰὲν ἔλαυνε κατωμαδόν. οἱ δέ οἱ ἵπποι
ὕψοσ' ἀειρέσθην ῥίμφα πρήσσοντε κέλευθον·
Αἰεὶ δ' ἡνίοχον κόνιος ῥαθάμιγγες ἔβαλλον.

Principiò igitur rationem gubernandi à Marone melius, quam ab Homero cognitam fuisse, ingenuè fatendum est. Nam equi non sunt currendo assiduè verberandi, quod tamen Diomedes apud Homer. facit, qui *μάστιγι δ' αἰὲν ἔλαυνε κατωμαδόν*, id est, assiduè flagello humeros verberabat: sed frequentib⁹ interuallis sunt potius stimulandi: quod noster facit, cum ait, *vndantia lora*

Concus-

Concussere iugis. Nam si frequenter verberibus equi agitentur, erigunt se, & cursum, qui extentus, celerq; esse debet, interpellant. Quod vel Homerus ipse contra cõsilij sui rationem indicat, cum ait, ὑψόσ᾽ ἀείρεσκον, id est, in altum erigebantur. Multò igitur poeta noster se huius rei peritiorem ostendit, eamque expressius Homero delineat: qui non flagellis, sed lororum vndantium concussione, ac strepitu (vt per... aurigæ facere solent) equos ad cursum excitat. Verùm quia non satis interdum est lororum concussio, verberibus etiam moderatis, non frequentibus, aut continuis (vt Homericus Diomedes) vtendum est, illud supra omne poetarum ingenium addidit, *proniq; in verbera pendent*. Quæ verba eos qui aut legunt, aut audiunt, perinde delectant, vt res ipsa non dici, sed ob oculos ipsorum fieri videatur. Nam quis est, qui his verbis aurigas de curru pendentes, equosque verberantes se videre non putet? quid verò huiusmodi moderatio perficiat, ipse poeta declarat, cum & *præcipites*, & *corripuere campum*, in præterito tempore ad celeritatem designandam, & *ruunt*, dicat, quasi per deuexa loca currant: adeo sunt celeres & festini. Nascimb. * *Concludit simili planè comparatione, nempe à ludis circensibus ducta similitudine lib. 1. Georg.*

> Vt cum carceribus sese effudere quadrigæ,
> Addunt se in spatia: & frustra retinacula tendens
> Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Sed aliud hic, aliud ibi significare voluit. Hic celeritatē, ibi neglectas leges, & imperij contemptum ex audacia, & improbitate hominum. Vterq; porrò locus ex Lucretio videtur translatus. Sic namq; apud illum est lib. 2.

> Nonne vides etiam patefactis tempore puncto
> Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum
> Vim cupidam tam de subitò, quam mens auet ipsa?

CONSONAT OMNE NEMVS) Lib. 8. *Consonat omne nemus strepitu, collesq; resultant*. Plaut. Amphit. *contra consonat terra*. Propter echo, quæ est vocis nostræ imago, de qua dictum alibi. Tanguntur hic tria loca, in quibus fieri consueuit ista vocis repercussio, syluæ, littora, colles, siue montes.

VOCEMQVE INCLVSA VOL. LITTORA) pro, littora volutant inclusam vocem. Sed nihil apud nostrum hac figura frequentius.

> Effugit ante alios, primusq; elabitur vndis
> Turbam inter, fremitumq; Gyas: quem deinde Cloanthus
> Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
> Tarda tenet. post hos æquo discrimine Pristis,
> Centaurusq; locum tendunt superare priorem.
> Et nunc Pristis habet: nunc victam præterit ingens
> Centaurus: nunc vnà ambæ, iunctisq; feruntur
> Frontibus, & longè sulcant vada salsa carinæ.
> Iamq; propinquabant scopulo, metamq; tenebant,
> Cum princeps, medioq; Gyas in gurgite victor
> Rectorem nauis compellat voce Menœten.
> Quò tantùm mihi dexter abis? huc dirige cursum:
> LITTVS AMA, & læuas stringat sine palmula cautes:
> ALTVM ALII TENEANT.

EFFVGIT ANTE ALIOS, PRIMVSQVE) Omnibus quidem fuit eodem tempore exeundi potestas: sed cum alius alio celerior fuerit, qui primus, qui primo proximus, quiúe postremus fuerit, narrat.

LOCVM PRIOREM) Non primum, quem iam Gyas, neque secundum, quem Cloanthus occuparat, sed tertium: nam cum Mnestheus, & Sergestus pares exierint, alter alterum superare contendit, vt sit tertius.

ET NVNC PRISTIS HABET) Hic quoque nauium concursantium, & de loco contendentium motus, conatusque non describi tantum, verum etiam καθ᾽ ὑποτύπωσιν depingi videtur: cuius rei vt maior esset venustas, repetitionem adiunxit multiplicem, quæ ad hanc euidentiam mirum in modum facit. Hactenus Nascimb.

LONGÆ SVL. VAD. SALSA CARINÆ) Catull. *Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi.*

LITTVS AMA) id est, secundùm, seu iuxta littus semper nauiga, adhære littori. Sic Horat. 25. lib. 1. *amátque Ianua limen*, id est, perpetuò ei hæret. Metaleptica translatio est. A quibus enim discedimus, ea odisse putamur. Vnde cui hæremus, id amare quodammodo. Ode 30. eiusdem lib. *sperne* posuit, pro desere. *Sperne dilectam Cypron.*

LÆVAS STRINGAT SINE PAL. CAVTES) Palma est extrema pars remi, in modum palmæ protenta, inquit Seruius. Hoc est latior illa pars remi, qua mare seu fluuius quodammodo verritur, tanquam scopis. Catull. de nupt. *Cærula verrentes abiegnis æquora palmis*. Diminutiuum est, palmula, quo idem Catull. vtitur in Phaselo.

> *Tuo stetisse dicit in cacumine,*
> *Tuo imbuisse palmulas in æquore.*

> ------ Dixit: sed cæca Menœtes
> Saxa timens, proram pelagi detorquet ad vndas.
> Quò diuersus abis? iterum, pete saxa Menœte,
> Cum clamore Gyas reuocabat: & ecce Cloanthum
> Respicit instantem tergo, & propiora tenentem.
> Ille inter nauemq; Gyæ, scopulosq; sonantes,

Radit

Radit iter læuum interior: subitusq; priorem
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis.
TVM VERO EXARSIT IVVENI DOLOR OSSIBVS INGENS,
NEC LACRYMIS CARVERE GENÆ: segnemq; Menœten,
Oblitus decorisq; sui, sociûmq; salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister:
Hortaturq; viros, clauumq; ad littora torquet.
At grauis, vt fundo vix tandem redditus imo est
Iam senior, madidaq; fluens in veste Menœtes,
Summa petit scopuli, siccaq; in rupe resedit.
Illum & labentem Teucri, & risere natantem,
Et salsos rident reuomentem pectore fluctus.

SED CÆCA MENOETES SAXA TIM.) *Cæca saxa, sub vndis latentia, ad quæ nauis allisa diffringi possit.*] Non paret imperio Menœtes, quomodo nec apud Homerum Antilochus Menelao, in quem ita clamat. *Ἀντίλοχ᾽ οὔτις σεῖο βροτῶν ὀλοώτερος ἄλλος.* Non tamen eum de curru præcipitat, sicuti Menœten Gyas. Nascimb.

RADIT ITER LÆVVM INTERIOR) Seruius τὸ *interior* exponit, sinisterior, locumq; Ciceronis in Verrem affert. Quem omnia intus canere dicebant: quod est sinistra carmen peragere. Sed interiorem crediderim hic, qui cursu breuiore ad metam tendebat, vt apud Ciceronem. Nam cursu interiore breui vtitur orbe: cui tamen, vt sinister esset, eueniebat: etsi non ex eo interior dicitur, sed quia propinquiore spatio, & B breuiore ad scopulum, qui pro meta constitutus erat, pergebat. Intus autem canit, qui sinistra carpit chordas tacita quadam musica, nec foris audita, sed artifici tamen intellecta. Dextra enim, quæ modos facit, foris auditur, carmenq; non tantum artifici, sed etiam auditori canit, cum sinistra auditori carmē suffuretur. Turneb. lib. 14. cap. 4. Quum canunt citharistæ, manus vtriusq; officio perfunguntur: quippe plectro dextra vtitur: hoc est foris canere: chordas verò sinistra carpit digitis, quod vocant intus canere: quoniam quæ sinistra sunt, sæpius interiora dicuntur, vt hic. Rhodigin. lib. 9. cap. 10.

EXARSIT IVVENI DOLOR OSSIBVS INGENS) C Alienę gloriæ inuidus ardet iuuenis, nec lacrymas continere potest, vbi præreptam sibi gloriæ occasionem videt. Cuius quidem doloris magnitudo monstratur, cùm poeta non modò *exarsit dolor*, ait: sed epithetum addit *ingens*. Vtq; illius molestiam, & internum cruciatum magis declaret, *ossibus* adiungit. Nam qui in A medullis, atque ossibus dolor est, maiorem molestiam exhibere solet. Hinc illud est ex 1. Æneid. *atque ossibus implicat ignem*. Nec causam reticuit, quam vno verbo expressit, *iuueni*: nam iuuenes faciliùs irascuntur, & dolore etiam vehementiùs afficiuntur. Hinc item occulta iuuenis laus emergit à magnitudine animi: non enim eos videris gloriæ inseruire, qui sunt animo abiecto, atque demisso, cum in excellentissimis duntaxat animis (vt auctor est Aristoteles) gloriæ cupiditas vigeat. Hac etiam de caussa Euryalus infrà, præposito sibi ad præmium Salio, & apud Homerum Diomedes, erepto sibi ab Apolline flagello, quo equos impellebat, lacrymatur. Nascimb.

OBLITVS DECORISQVE SVI) Non decebat virum nobilem sua manu famulum peccantem punire. Terent. Eunucho. *Si ego digna hac contumelia sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen.* Seruilia non decent ingenuos. Deinde non oportebat deturbato gubernatore se, ac socios obijcere periculo: in quo humanitatis iura violauit. Sed ira cæca est, nihil videt. ✠

VT FVNDO VIX TAND. REDDITVS) Præcipitatus Menœtes, & vix, & tandem emersit ex vndis. Ideo tandem, quia vix. Dicit caussas difficultatis, & moræ. Cadenti enim in præceps, ne maturè posset emergere, impedimento fuerunt & vestes, & senectus. Donatus.

ILLVM ET LABENTEM) Non fuit vllo modo prætermittendum, quin vulgi aliquid spectantis mos obiter indicaretur: miram enim huic loco festiuitatem affert, cum venustate coniunctam. Nascimbæn.
* *Plebeia leuitati non fuit satis videre labentem, risere etiam natantem: insuper risere vomentem. Ita pluribus modis risum Menœtes de se præbuit.*

Hîc læta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto, Mnestheoq; Gyam superare morantem.
Sergestus capit antè locum, scopuloq; propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina:
Parte prior, partem rostro premit æmula Pristis.
At media socios incedens naue per ipsos
Hortatur Mnestheus. NVNC, NVNC INSVRGITE REMIS
HECTOREI SOCII, Troiæ quos sorte suprema
Delegi comites: NVNC ILLAS PROMITE VIRES,

NVNC ANIMOS, quibus in Getulis syrtibus vsi,
Ionioq; mari, Maleæq; sequacibus vndis.
Non iam prima peto Mnestheus, neq; vincere certo:
(Quanquam, ô) sed superent, quibus hoc Neptune dedisti.
EXTREMOS PVDEAT REDIISSE: hoc vincite ciues,
Et prohibete nefas.

SPES EST ACCENSA DVOB.) Duobus postre- A mis spes accessit ex casu Gyæ, quoniam eius mora poterat prodesse sequentibus, vt superiores efficerentur. Propinquabat scopulo Sergestus, sic tamen, vt non tota nauis esset libera: pars quippe eius videbatur prætenijsse, pars verò premi posterioris rostro. *Æmulam Pristin* dicit, quæ transire conabatur. Donatus.

MED. INCED. NAVE HORTATVR MNESTH.) Mnestheus, quòd videret modico labore compleri posse victoriam, aut modica tarditate interire, incedens per mediam nauim, id est, inter omnes remiges discurrens, hortabatur vniuersos ad gloriam perficiendam. Admonebat eos præteritæ virtutis, eorum fortia facta cōmemorans, ac repetens sæpe. Quod quater ait *nunc*, B & idipsum sæpe commendat, hoc significat, quod omnis gloria interitura esset, si illud tempus, si occasio præsens laberetur è manibus. Et rectè eos admonet præteritæ virtutis, vt exemplis suis erigantur potius, quam factis prouocentur alienis. Et licet, inquit, tenuerunt loca melioris cursus, quib⁹ Neptunus suffragari voluit, victoriæ genus est, non redijsse postremum. Si primum locum tenere nequitis, secundum saltem perdere non debetis. Spernenda sunt extrema ludibria, & vitandum pudoris detrimentum. Donatus.

HECTOREI SOCII) Ad captandam eorum beneuolentiam vocat Hectoreos, id est, fortes, animosos, Hectori similes.

MALEÆQVE SEQVACIBVS VNDIS) Promontorium est Laconiæ, quinq; passuum millibus in mare se porrigens cuius periculosa est præternauigatio. Propert. lib. 3. eleg. 28.

Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaq; ad fontis sunt reditura caput,
Et placidam Syrtis portum, & bona littora nautis
Præbeat hospitio sæua Malea suo.

De eodem inuenio hæc apud Strabonem lib. 8. Porrò sicut antiquitùs nauigatu difficile fuit fretum Siculum, ita & maria, præsertim quod super Maleas est, propter aduersos ventorū flatus, vnde & prouerbio dicebatur, Μαλέας δὲ κάμψας, ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε. Flectens Maleam, obliuiscere res domesticas. Itaque & Asianis, & Italis mercatoribus perfuit gratum, omissa circum Maleam nauigatione, merces Corinthum deportare.

NON IAM PRIMA PETO MNESTHEVS) Solebam prima petere, vt generosi animi consueuerunt, velle scilicet omnibus semper antecellere, nec mediocri laude contenti esse. Et in ipso nomine Mnestheus inest emphasis, indicaturq; non tantum primam semper palmam petere, sed eam etiam obtinere solitum. ✠

QVANQVAM, ô, SED VINCANT) Ita reijcit victoriam, vt tamen sibi eam fore gratam significet, si contingat, quam in deorum manu esse, nec ab humana voluntate pendere interim affirmat. Nascimb.

EXTREMOS PVDEAT REDIISSE) Turpitudinem solam fugiendam monet: quam in eo esse putat, si quis à certamine postremus redierit. Est autem allusio ad puerorū certamen, quod & in prouerbium abijt, *Occupet extremum scabies.* Nam pueri olim cursu cer- C tantes, ita clamare solebant, adhortantes hac voce singulos ad cursum, ac malè precantes ei, qui fuisset omnium postremus. Ad alias quoque hominum actiones transfertur: deq; ijs dici solet, qui quacunq; in re quocunq; modo volunt vincere, neq; committunt, vt inter extremos existant. Horat. ad Pison. *Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est.* Nascimb. & alij.

----- Olli certamine summo
Procumbunt: vastis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturq; solum. tum creber anhelitus artus,
Aridaq; ora quatit: sudor fluit vndiq; riuis.
ATTVLIT IPSE VIRIS OPTATVM CASVS HONOREM.
Namq; furens animi dum proram ad saxa suburget
Interior, spacioq; subit Sergestus iniquo,
Infælix saxis in procurrentibus hæsit.
Concussæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuere, illisaq; prora pependit.
Consurgunt nautæ, & magno clamore morantur,
Ferratasq; sudes, & acuta cuspide contos
Expediunt, fractosq; legunt in gurgite remos.

VASTIS TREM. ICTIB. ÆREA PVPP.) Ad exagge- D randas remigum vires hæc ponuntur. Et quæ sequuntur, *creber anhelitus artus*, &c. eorundem lassitudinem, & ex ea sitim ostendunt. Nascimb.

SVBTRAHITVRQVE SOLVM) Seruius vnicuiq; rei quod subiacet, solum esse cui subiacet, asserit non temere: namq; & Lucretius illo, lib. 1. *Auia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo*, solum pro solea, vel

vel pede accepit. Idem lib. 6. *Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur In barathrum.* Assentitur & Aristoteles lib. de incessu animal. Seruij interpretationi, vbi de motu per processum, & saltum agit, solum τὸ ὑποκείμενον notans ex interpretum sententia, siue terrenum, siue aqueum, siue aëreum sit fundamentum. ἐν ἀμφοτέραις δὲ μεταβολαῖς, &c. German.

SVDOR FLVIT VNDIQVE RIVIS) Sic in 4. *spumanti sanguine riuos.* Et in 11. *Sanguinis ille vomens riuos.* Similiter flumen, & vndam de copioso sanguine dixit in 9. *Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen.* Et in fine eiusdē lib. *tum toto corpore sudor Liquitur, & piceum (nec respirare potestas) Flumen agit.* Et in eodem alibi, *reddit specus atri vulneris vndam Spumantem.* Item de ingenti multitudine in 2. Georg. *Mane salutantum totis vomit ædibus vndam.* Erythræus Indice, in voce *Sudor.*

DVM PROR. AD SAXA SVBVRG. SERGEST.) Faciebant quidem, quod vincendi cupiditas exigebat: sed illis ad effectum plus contigit, nempe Sergesti imprudentia, qui, dum inter saxum, & nauim transire cōtendit, non animaduertit saxa procurrentia, & in his hæsit. Procurrentia saxa sunt, quæ latenter à radicibus A eminentis saxi in mare tenduntur. Hæc ille, vtpote furens videre nō potuit. Cum itaq; obnixi remis luctantibus tenderent, impulsa naui, meritoque non cedentibus saxis, crepuerunt remi, & prima pars nauis saxum conscendit, cætera parte suspensa. [*hoc de naue Tarchontis lib. 9. dixit,* dorso dum pendet iniquo. *Hic autem*, illisáq; prora pependit.] Nautæ clamoribus moram afferebant, erantque alij in alijs occupati. Quidam contos expediebant ad liberandam nauim: alij sudes ferratas, ad detrudendam à scopulo nauem, retroq; agendam: alij fragmenta remorum legebant. Donatus.

ACVTO IN MVRICE REMI OBNIXI CREP.) Saxi acumen, siue asperitatem appellari muricem, auctor est Nonius. Ego verò muricem, id est, saxi acumen à B murice concyhlio dictū arbitror: nam murex cochlea est, in dorso fastigiata instar acuti saxi, quæ viua succum effundit violaceum, ex quo olim lanæ inficiebantur: & hanc reor fuisse purpuram violaceam, cuius libram denarijs centum vænijsse Cornel. Nep. affirmat. Parua cochlea est, visu pulcherrima, ita in dorso eminens, & aculeata, vt torno facta videatur. Hinc igitur saxū, propter similitudinem, muricem appellauit. Nascimb.

At lætus Mnestheus, successuq; acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventisq; vocatis
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subitò commota columba,
Cui domus, & dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arua volans, plausumq; exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neq; commouet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat vltima Pristis
Æquora, sic illam fert impetus ipse volantem.
Et primùm in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum, breuibusq; vadis, frustraq; vocantem
Auxilia, ET FRACTIS DISCENTEM CVRRERE REMIS.
Inde Gyan, ipsamq; ingenti mole Chimæram
Consequitur: CEDIT, QVONIAM SPOLIATA MAGISTRO EST.

AT LÆTVS MNESTHEVS) Lætus fuit Mnestheus, quod optata tenuisset: & inde magis, quia senserat sibi fauisse fortunam. Successus autem ipse non veniebat, nisi ex malis alienis.

PRONA PETIT MARIA) vicina littoribus, ait Seruius. Sed melius, inferiora, ad differentiam Sergesti, qui superiora, id est, partem scopulo viciniorem petiuerat: vnde proximè poeta dixerat, *Namq; furens animi dum proram ad saxa suburget Interior.* Nam pronus supero opponitur. Cicero Tuscul. 1. Nihil enim habent hæc duo genera proni, & supera semper petunt.

PELAGO DECVRRIT APERTO) Liquidò declarat, non fuisse petita maria aut littori, aut scopulo vicina. Nam si littus petijsset, omnis illi spes victoriæ C ablata fuisset: si scopulum, verendum erat, ne, vt Sergestus, ipse quoque in occultas cautes impingeret. Itaque aperto pelago decurrebat: vt postea longos circumflectendo cursus, metam absque vllo discrimine commodius attingere posset. Hactenus Donatus, & Nascimbæn.

QVALIS SPELVNCA SVBITO COM. COL.) Apta comparatio: peculiaris enim quædam cognatio est inter pisces, & aues, inter aquas & aërem. Quod piscis in aqua, hoc auis in aëre. Piscis in aqua pinnulis tranat, auis in aëre pennis, cauda vterque iter dirigit. Aqua appellatur liquida subinde à poetis, *Cumq; gubernaclo liquidas proscecit in vndas.* Sic etiā aër hoc ipso loco, & alijs. Porrò vtriusque elementi cognationem, aëris scilicet, & aquæ, ostendit hisce versib⁹ alibi, nempe in fine huius libri.

Ipse volans tenues se sustulit ales in auras.
Currit iter tutum non secius æquore classis.

* *Seruius putat de domestica columba Virgilium loqui, quoniam agrestes dicentur palumbes: quasi verò non sæpe etiam de agrestibus vocem columba legamus. Et verba poeta de domesticis accipi vix possunt, si attendas.*

PLAVSVMQVE EXTERRITA PENNIS DAT) concussione pennarum, siue alarum terrorem, timoremq; suum declarat.

FRVSTRA VOCANT. AVXIL.) Quis enim ei relicta victoria subueniret?

FRACTIS DISCENT. CVRRERE REMIS) Iocosè, & argutè. Gyas, qui antea cursu præcesserat, nunc cedit Mnestheo. Et caussam assignat poeta, quoniam in mare magistrum deiecerat. Nascimb.

Solus iamq; ipso superest in fine Cloanthus,
Quem petit, & summis annixus viribus vrget.
Tum verò ingeminat clamor, cunctiq; sequentem
Instigant studijs: resonat clamoribus æther.
Hi proprium decus, & partum indignantur honorem
Ni teneant, VITAMQVE VOLVNT PRO LAVDE PACISCI.
Hos successus alit: POSSVNT, QVIA POSSE VIDENTVR.
Et fors æquatis cepissent præmia rostris,
Ni palmas ponto tendens vtrasq; Cloanthus,
Fudissetq; preces, diuosq; in vota vocasset.
Dij, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Constituam ante aras, voti reus: extaq; salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit: eumq; imis sub fluctibus audijt omnis
Nereidum, Phorciq; chorus, Panopeaq; virgo:
Et pater ipse manu magna Portunus euntem
Impulit: illa NOTO CITIVS, VOLVCRIQVE SAGITTA
Ad terram fugit, & portu se condidit alto.

SOLVS IAMQVE IPSO. S. IN FINE CLOANTH.) A Vltimum certamen Mnestheo cum Cloantho est. Conanti transire Mnestheo magis fauebat spectantium turba. Qui locum primum tenebant, hunc ne amitterent, laborabant, itaq; ducebantur gloria, vt hanc saluti suæ præsumerent præponendam. Alterius nauis viros, qui primum locum præripere nitebantur, erigebant res secundæ, & fortunæ suffragium, eo magis, quod videbantur ausus suos posse complere. Donatus.

HI PROP. DECVS, ET PART. INDIG. HON.) Distributio est, cuius prima pars ad Cloanthum pertinet, quasi palmam in manu habeat, cùm reliquos præcesserit. Ideo per ταυτολογίαν sequitur, *& partum indignantur honorem Ni teneant*. Nascimb.

VITAMQVE VOLVNT PRO LAVDE PACISCI) Lib. 12. Turnus ad Latinum, *lethumq; sinas pro laude pacisci.* Nota splendidi ingenij, animiq; altissimi, malle vitam, quam gloriam speratam, & iam velut manibus comprehensam amittere. Sed hoc quatenus liceat, docet etiam 1. Off. M. Tull. ❧

HOS SVCCESSVS ALIT) Altera pars distributionis, quæ ad Mnestheum, eiusq; socios pertinet. Videtur dictum, vt illud à Cicerone Tuscul. 1. Honos alit artes.

POSSVNT, QVIA POSSE VIDENTVR) Multum valet in vtramque partem opinio: & animaduersione dignum est hoc Virgilij verbum, occinendumq; timidioribus, & pusilli animi hominibus, quos certum est ideo multa non posse, quia posse sibimet non videntur. ❧

ET FORS ÆQVATIS CEPISS.) Victoriam, quæ poterat esse vtriq; communis, pręuenit Cloanthus precibus suis. Quod dum dicit poeta, futurum ipsum victorem ostendit. Hoc exemplo Cloanthi, duo, ni fallor, poeta nos admonet. In ambiguis, difficilibusq; rebus auxilium diuinum implorandum: &, sæpius votis, precibusq; homines, quod volunt, assequi, quam ingenio, ac virib⁹ solere. Locus sumptus ex Homeri Iliad. ψ. vbi Vlysses currens, vt Aiacem currentem præcedat, Mineruæ auxilium hac precatione implorat.

Κλῦθι θεά, ἀγαθή μοι ἐπίρροθος ἐλθὲ ποδοῖϊν.
Exaudi dea me, & pedibus allabere nostris.

Nascimb.

DII QVIBVS IMPERIVM PELAGI) Lib. 6. *Dij quibus imperium est animarum.* Omnes deos, deasq; marinas communi nomine, & generatim inuocat: nam eos nominatim, & tanquam ex catalogo ciere, non erat huius temporis. Votum concipit Cloanthus. Formulas votorum soluta, & ligata oratione multas colligit Brisson. pag. 95. & seqq.

VOBIS LÆTVS EGO CAND. TAVRVM) Quod dicit se hilari animo taurum ex voto oblaturum dijs, sciendum, respexisse ad id, quod vota lætissimis animis B soluebant. Tibull. *cum debita reddet Certatim sanctis lætus vterq; focis.* vnde solemne illud in vetustis monumentis, V. S. L. M. votum soluit libens, meritò. Donat. in Eunuchum Terent. exponit lætus, id est, libens, vt contrà tristis, inuitus. Qui vouerent, & quænam, & quibus cærimonijs, traditum est ab Alex. Neapolit. lib. 3. cap. 22. ❧

VOTI REVS) vtrumq; vocabulum, reus, & damnatus, in votis nuncupandis, atq; persoluẽdis frequens in veterum libris comperies. Nam illum propriè reum dixerunt, qui suscepto voto in sacris numini se obstrinxit: damnatum verò dicimus, qui se à promissis eximit, & vota persoluit: quod in Macrobianis quoque cœnis C eleganter disputatur. Vnde illud etiam in veterum legibus legitur.

Qui reus voti est, accedito ad sacra:
Qui damnatus est, sacra rite persoluito.

Crinit. lib. 3. cap. 5. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 2.
* *Adducens hunc Virgilij locum Nonius, reos, inquit, non solum criminis, & culpa obnoxios, sed etiam honesti, vel voti debitores promissi auctoritas voluit. Reus igitur erit, qui suscepto voto numinibus se obligat: vnde damnare votis à Virgil. dictum est in Bucol.*

EXTAQVE SALSOS PORRICIAM IN FLVCTVS) Verborum proprietas tam poetæ huic familiaris est, vt talis obseruatio in Virgilio esse iam desinat. Nullis ta-

men

men magis propriè vsus est, quàm sacris, vel sacrificalibus verbis. Et primùm non omiserim, in quo plerique falluntur, *extaq́; salsos Porriciam in fluctus*, non, vt quidam, *Proijciam*, existimantes Virgilium, dixisse, proijcienda exta, quia adiecit, *in fluctus*. Sed non ita est. Nam ex disciplina aruspicum, & ex præcepto Pontificum verbum hoc solemne sacrificantibus est: sicut Veranius ex 1. lib. Pictoris ita dissertationem huius verbi executus est: Exta porriciunto: dijs danto in altaria, aramúe, focumúe, eóue, quò exta dari debebunt. Porricere ergo, non proijcere, proprium sacrificij verbum est. Et quia dixit Veranius, in aram, focumúe, eóue, quò exta dari debebunt: non pro ara, & pro foco mare accipiendū est, cum sacrificium dijs maris dicatur. Ait enim. *Dij quibus imperium pelagi* &c. Ex his docetur, in mare rite potuisse porrici exta, non proijci. Macrob. Satur. lib. 3. cap. 2. * *Plaut. Pseud.*

——— nam si sacrificem summo Ioui,
Atq; in manibus exta teneam, vt porriciam: interea loci
Si lucri quid detur, potius rem diuinam deseram.

Vsus etiam hoc verbo Arnob. lib. 2. Cum Romulo, Pompilioq́; regnantibus percocta planè, ac madida contremarentur dijs exta, nonne rege sub Tullo semicruda cœpisse, & leuiter animata porricere, prisca obseruatione contempta? De hac voce porricere, *vide alijs, quæ coniungerentur cum verbo* exta, *vide Formular. Brissonij lib. 1. pag. 27. edit. Francofurt. qua nos vtimur.*

NEREIDVM PHORCIQVE CHORVS) *Nereides Doridis & Nerei filiæ quinquaginta, quarū nomina persequitur Hyginus.*] Phorcus, Ponti & Terræ filius, vt canit Hesiod. in Theogon. ex quo, & Cetone Grææ natæ dicuntur, quæ natæ statim canæ factæ sunt: quia vnda collisa breuibus, canentes spumas faciat. Grææ autem, quasi γερῶν id est, anus appellantur. Dicitur Phorcus, Phorcys, Phorcyn, & Phorcynus. Hunc Seruius dicit Thoësæ nymphæ, & Neptuni filium. Vt autem Varro, rex fuit Corsicæ, & Sardiniæ, qui cum ab Atlante rege nauali certamine cū magna exercitus parte fuisset victus, & obrutus, finxerunt socij eius, eum in deum marinū fuisse conuersum. Gyrald.

PANOPÆAQVE VIRGO) Panopæa vna de Nereidibus, quam ideo separatim ait nominatam Seruius, vt cæteras non virgines intelligamus.

MANV MAG. PORTVNVS EVNT. IMP.) Portunus deus marinus, qui portubus præest. Et bene impulit eū ipse, iam vicinum portui. Athamas post furorem à Iunone immissum, quum occiso Learcho Melicertam, alterum filium cum Ino vxore sua persequeretur, quum se illi in mare præcipitassent, voluntate numinum in deos conuersi sunt: Melicerta in Portunum, qui Græcè Palæmon dicitur (nam λιμὴν portus vocatur) Ino in matrem Matutam, quæ græcè Leucothea. Seruius. * *Scripsimus aliquid super hoc deo deaq́; 1. Georg. ibi,* Glauco, & *Panopea,* & Inoo Melicertæ.

Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridiq; aduelat tempora lauro:
Muneraq; in naues, ternos optare iuuencos,
Vinaq;, & argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit:
Intextusq; puer frondosa regius Ida
Veloces iaculo ceruos, cursuq; fatigat,
Acer, anhelanti similis: quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.
Longæui palmas nequicquam ad sidera tendunt
Custodes: sæuitq; canum latratus in auras.

VICTOREM MAGNA PRÆCONIS VOCE) Victores in ludis olympicis per præconem pronuntiari solebant: cuius rei multa extāt testimonia, & hoc Maro imitatus est. Turneb. lib. 26. cap. 17. testimonium Cic. mox recitabitur. Præconis etiam manu, non sua, *aduelat tempora lauro*, vt multi perperam crediderunt. Nam vti voce præconis victorem declarat, ita quoque manu præconis ipsum coronat victorem. Id facilè colligitur ex loco Cic. ad Lucceium epist. lib. 5. Accedit etiam, vt minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant: & dicant, verecundiores esse præcones ludorum gymnicorum, qui cum cæteris coronas imposuerunt victoribus, eorumq; nomina magna voce pronuntiauerunt, &c. * *Qui vincebant in sacris illis Græciæ certaminibus, eos voce præconis a patribus, maioribus, & patria pronuntiari mos erat, dicebaturq́; patriam ab ipsis coronari. Simonides in Theocritū Olympionicen lib. 1. Anthol.* ὃς νικήσας ἀγῶνας ἐστεφάνωσε πόλιν. *Plin. lib. 16. cap. 4. Feruntq́; primum omnium Liberum patrem imposuisse coronam capiti suo ex hedera. Postea deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis. Nimis sumè & in sacris certaminibus vsurpata, in quibus hodieq́; nō victori datur, sed patriam ab eo coronari pronuntiatur. Inde natum, vt etiam triumphaturis conferrentur in templis dicanda, mox vt & ludis darentur. Præconum munus apud Rom. erat, pronuntiare quæ pronuntianda essent, quod Germani* ausruffen, oder auschreyen, *populum conuocare ad comitia, & silentium indicere, siue audientiam facere.*

TERNOS OPTARE IVVENCOS) Cum in vulgatis legatur *aptare iuuencos*, nos freti iudicio quorundam eruditorum scripsimus *optare*, quod est eligere. Vt lib. 1. *Pars optare locum tecto.*

ARG. MAG. DAT FERRE TALENT.) auferre, accipere. Ode 8. lib. 4. *neq; tu pessima munerum Ferres.* Sat. 1. lib. 2. *multis laborum Præmia laturus.* Epist. 17. lib. 1. *Coram rege suo de paupertate tacentes, Plus poscente ferent.* Hesiod. ἔργ. καὶ ἡμερ. ἔνθα μέ φημι ὕμνῳ νικήσαντα φέρειν τρίποδ' ὠτώεντα. Id est, hic me dico, cum hymno victor discessissem, tulisse tripodem auritum, seu ansatum. Lamb. in Horat. * *Cum dicit,* magnum talentum, *credibile est, eum respicere ad talentum Atticum maius, quod valuisse dicitur coronatos octingentos: minus autem sexcentos.*

QVAM CIRCVM PVRPVRA MÆAN.) Vestem prætextam significat, eandemque phrygiam. Nam acu pingere inuenerunt Phryges, vt Plinius refert. Turneb. lib. 14. cap. 4. Meliboea purpura, inquit Festus à nomine insulæ, in qua tingitur, est dicta. Meliboea autem Thessaliæ est vrbs, de qua Strabo lib. 9. & item Steph. de vrbibus. Lucret. lib. 2.

Jam tibi barbarica vestes, Melibœaq́; fulgens
Purpura, Thessalico concharum tincta colore.

Mæander picturæ genus, inuicem labyrinthorum flexuosis ambagibus implexum, quod ad oras chlamydum addi solet, à Mæandro fluuio, qui sinuosus, & flexuosus labitur: vnde & nomen habere videtur: quasi oberret, & quærat hominum consortia. Vide Plin. lib. 5. cap. 29. Chiliad. * *De Mæandro Strabo lib. 12. Hinc iam accitus Mæander (aquis Marsyæ in eum influentis apud Apameam vrbem Asiæ) aliquandiu per Phrygiam fluit. Deinde Cariam à Lydia distermināt, apud campum, qui Mæandrius dicitur: nimis quam obliquus: ita vt ab eo etiam omnes obliquitates Mæandri appellentur. Bellè Propert. lib. 2. eleg. 34.*

Atq; etiam, vt Phrygio fallax Mæandria campo
Errat, & ipsa suas decipit vnda vias.

Limbos, & fimbrias illiusmodi Euripides περιδρόμους: tunicam floribus, & animantium figuris intertextam, belluatam, ζῳδιωτὸν vocant.

QVEM PRÆPES AB IDA SVB. PED. RAP.) Terent. And. *Sublimem hunc intro rape, quantum potes.* Præpes poetis est sæpenumero, qui à Græcis vocatur αἰετὸς, id est auis rapax, vt aquila, & accipiter, quòd volatu valeant.

IOVIS ARMIGER) id est, auis armigera. Sed in Marone tantùm accipi, & exponi potest, armiger volans. At multò clarius id à Valerio vsurpatur lib. 8.

Ecce autem pauida virgo de more columba,
Quæ super ingenti circumdata præpetis vmbra,
In quemcunq; fremens hominem cadit.

Nomen videtur habere præpetes à προπέτεσθαι, quod est præuolare: sed Græcum præuerbium in latinum mutatum est, præpetesque non propetes dicuntur. Hæ aues à Latinis magnæ vocantur. Plaut. Rudent. *teque ambustulatum obijciam magnis auibus pabulum.* Turneb. lib. 23. cap. 5.

Raptum ipsum Ganymedis breuiter exponit Ouid. Metamorph. lib. 10.

Rex superûm Phrygij quondam Ganymedis amore
Arsit: & inuentum est aliquid quod Jupiter esse,
Quam quod erat, mallet. Nulla tamen alite verti
Dignatur, nisi quæ portat sua fulmina terra.
Nec mora, percusso mendacibus aëre pennis
Arripit Iliaden, qui nunc quoq; pocula miscet,
Inuitaq́; Joui nectar Junone ministrat.

Tangit & Homerus Iliad. v.

—— καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης,
Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν,
Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.

Lactant. lib. 1. cap. 11. de eodem raptu ita scribit. Rapuisse (Iuppiter) in aquila dicitur catamitum. Poeticus color est. Sed aut per legionem rapuit, cuius insigne aquila est: aut nauis, in qua est impositus, tutelam habuit in aquila figuratam: sicut taurum, cum rapuit, & transuexit Europam.

Recitabo tibi etiam Xenophontis verba ex Conuiuio, qui de Ganymedis raptu ita sentit. Quia Iuppiter quibuscum congressus est, forma captus, eos mortales est passus permanere: at quorum animos præclaros admiratus est, eos immortales effecit. Quorum de numero sunt Hercules, & Dioscuri, qui sunt Castor, & Pollux. Commemorantur etiam alij, illudque affirmo, ipsum quoq; Ganymedem non propter corpus, sed propter animam in cælum à Ioue esse translatum: cui rei vel ipsum vocabulum testimonio sit: est enim alicubi apud Homerum, γάνυται δέ θ' ἀκούων, quo vult significare, lætari audiendo. Est etiam alibi, Varia in animo μήδεα voluit: quod significat, consilia in animo volutare plena prudentiæ. Ex his igitur duobus, non propter corporis voluptatem, sed propter sententiarum iucunditatem nuncupatus Ganymedes, in deorum numerum relatus est. Huc etiam confer, quæ dicta sunt lib. 1. super illo. *Et rapti Ganymedis honores. Jouis armiger* cur dicatur aquila, rationem indicat Plinius lib. 10. cap. 3. Negant vnquam solam hanc alitem fulmine exanimatam, ideo armigeram Iouis consuetudo iudicauit.

LONGÆVI PALM. NEQVICQVAM AD SID.) Locus iste tum ἦθος, tum πάθος habet. ἦθος in officio custodum Ganymedis, quorū intererat amissa requirere. πάθος verò in ipsorum dolore, quem ex signis apertè demonstrant, cum manus extollunt ad sidera. In eo etiam augeri videtur, quod poeta ait, *nequicquam:* quod est desperantis factum. Nascimb.

SÆVITQVE CANVM LATRATVS IN AVRAS) Physiologia est, à fide canum: quod cum dominum suum tueri non possent, latratus in auras emittebant, & in raptorem sæuiebant, vt poterant, quod erat amoris, & fidelitatis signum maximum. Et mirè extollitur picturæ artificium: nam quod oculis cerni non poterat, id ita hic expressum fuisse indicat, vt ante ipsos oculos geri videretur. Nascimb.

At, qui deinde locum tenuit virtute secundum
Leuibus huic hamis consertam, auroq; trilicem
Loricam, (quam Demoleo detraxerat ipse
Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto)
Donat habere viro, decus, & tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus, Sagarisq; ferebant
Multiplicem, connixi humeris: indutus at olim
Demoleus, cursu palantes Troas agebat.
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas,
Cymbiaq; argento perfecta, atq; aspera signis.

HAMIS CONSERTAM, AVROQVE TRILICEM LOR.) Trilices loricæ ex eo videntur appellatæ, quòd cum essent hamis, vel squamis ferreis consertæ; præterea tribus erant licijs ornatæ, per eas currentibus. Turneb. lib. 29. cap. 35. De lorica consule Lips. de Rom. militia lib. 3. dial. 6. Trilicem loricam fuisse vult, quam circum-

circumſcripſit Statius lib. 7. his verbis. *ter inſuto ſeruant ingentia ferro Pectora.* Suta enim appellat ſiue catenas iunctas, ſiue laminas nexas, vtrum voles, easq; ſic geminatas. Vide pag. 205.

DONAT HABERE VIRO) Eodem modo loquitur in 10. de Tyrrheni armis, qui à Mezentio in pugna obtruncatus fuit, *armaq; Lauſo Donat habere humeris, & vertice figere criſtas.* Videtur accepiſſe ab Homero, ad exemplarque ipſius protuliſſe. Homerus autem de armis, quæ Patroclo mortuo Hector eripuerat, ſocijsque ad vrbem geſtanda dederat, videns eam rem ſibi gloriæ futurã, inquit, *δῶκε δ' ὅγε τεύχεα καλὰ Τρωσὶ φέρειν ποτὶ ἄστυ, μέγα κλέος ἔμμεναι αὐτῷ.* Victor. lib. 38. cap. 17.

GEMINOS EX ÆRE LEBETAS) Duo erant lebetũ A genera, vt patet ex Athenæo lib. 2. *ἐμπαιστά, & ἀναθηματικά.* Hic de anathematicis dici crediderim, qui in ornamentis erant, non igni admouebantur. Turneb. lib. 26. cap. 17.

CYMBIA ARG. PERF. ATQVE ASP. SIGNIS) Olim qui theſaurum parare ſtudebant, in eo nummum aſperum libenter recondebant, quem interpretor, bene percuſſum, & recentem, non veterem, neq; tritum, atque ipſo vſu læuem, fugientibus notis, nec forma expreſſa. Eodem ſenſu accepit Maro verbum *aſpera*, cùm hic *cymbia aſpera ſignis*, tum Æneid. 9. illo verſu. *Bina dabo argento perfecta, atq; aſpera ſignis Vaſa.* quæ nimirum ſignis in aſperitatem erant cælata. Turneb. lib. 18. cap. 28.

Iamq; adeo donati omnes, opibusq; ſuperbi,
Puniceis ibant euincti tempora tæniis:
Cùm ſæuo è ſcopulo multa vix arte reuulſus,
Amiſſis remis, atq; ordine debilis vno,
Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.
Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens,
Ærea quem obliquum rota tranſijt, aut grauis ictu
Seminecem liquit ſaxo, lacerumq; viator:
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus:
Parte ferox, ardensq; oculis, & ſibila colla
Arduus attollens: pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodos, ſeq; in ſua membra plicantem.
Talis remigio nauis ſe tarda mouebat:
Vela facit tamen, & plenis ſubit oſtia velis.
Sergeſtum Æneas promiſſo munere donat
Seruatam ob nauem lætus, ſociosq; reductos.
Olli ſerua datur operum haud ignara Mineruæ,
Creſſa genus, Pholoë, geminiq; ſub vbere nati.

PVNICEIS EVINCTI TEMP. TÆNIIS) E conſuetu- B dine coronarum ſacrorum certaminum, quibus faſciæ addebantur: quæ & tæniæ, & lemniſci dici poſſunt. Id auctore Theocrito, cuius, vt opinor, teſtimonium nemo improbabit, affirmare poſſumus, ſic ſcribente in Pharmaceut.

Κρατὶ δ' ἔχων λεύκαν Ἡρακλέος ἱερὸν ἔρνος,
Πάντοσε πορφυρέοισι περιζώστρεσσιν ἑλικτάν.

Populeam enim coronam dicit, faſcijs vndiq; implicatam. Turneb. lib. 18. cap. 3. & lib. 26. cap. 30.

IRRISAM RATEM AGEBAT) Terent. And. *Quid tu? quò hinc te agis?* Vt tarditatem diſcedentis oſtendat, inquit Donatus. Agere enim ſe, & tardi, & triſtes dicuntur. Recitat ſtatim hunc Virgilij locum, & illum præte- C rea è lib. 6. *Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat.* Atq; vt ſupra ridebatur Menœtes, cum à Gya in mare deijceretur, poſtea emerſus, aquam reuomeret: ſic modo Sergeſtus ridetur cum naui ſua, & remis diffractis. Ridetur etiam Niſus in lapſu, fimo & ſanguine faciem turpatus. Hæc enim natura ſpectatorum eſt in ludicris certaminibus, vt rideant & irrideant, cui quippiam ſecus euenerit.

VIÆ IN AGG.) Viæ publicæ, vt quæ militari erant labore munitæ, exaggerabantur, vt imber deflueret, minusq; lutulentæ redderentur: proinde agger etiam pro via vſurpatur. Sidonius carm. 24.

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cuius per ſpatium ſatis vetuſtum
Nomen Cæſareum viget columnis.

Iterum. Vel certè perrij pontes, quos antiquitas à fundamentis ad vſque aggerem calcabili ſilice cruſtatum, crypticis arcubus fornicauit, id eſt, aduſque viam. Et ſæpe ſic in proſa etiam loquitur. Turneb. lib. 11. cap. 6. Agger, inquit Iſid. lib. 15. cap. 16. eſt mediæ ſtratæ eminentia, coaceruatis lapidibus ſtrata, ab aggere, id eſt, coaceruatione dicta, quam hiſtorici viam militarem dicunt. Subdit hunc locum Maronis.

DEPRENSVS SERPENS, ÆREA QVEM OBLIQVVM) Simile quiddam de ſerpente Lucret. lib. 3.

Quin etiam tibi ſi lingua vibrante minantis
Serpentis caudam procero corpore, vtrinq;
Sit libitum in multas parteis diſcindere ferro:
Omnia iam ſeorſum cerneis ancisa recenti
Volnere tortari, & terram conſpergere tabo:
Ipſam ſeq; retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti vt morſu premat icta dolore.

OLLI SERVA DATVR, OPER. HAVD IG. MINER.) Feſtiuè Æneas Sergeſto ob ſeruatam nauem dat ſeruam, cùm ſerua à ſeruando nomen habeat: mancipij æſtimatio fœcunditate augetur, quòd geminos haberet ſub vbere natos: fœcunditas enim ſeruarum erat in precio. Atq; hoc præmium extra ordinem eſt: nam tria pro-

tria proponebantur præmia, vt in naumachia, & in cursu. Turneb. lib. 26. cap. 17.

Præmium Sergesto victo datum describitur. Tale munus Achilles apud Homer. Iliad. 23. pollicetur ei, qui in palæstra victus fuerit. Sed noster nomen mulieris, genus, & liberos lactantes addidit. Sic Homerus,

Ἀνδρὶ δὲ νικηθέντι γυναῖκ' ἐς μέσσον ἔθηκε·
Πολλὰ δ' ἐπίστατο ἔργα, τίον δέ ἑ τεσσαράβοιον.

Opera Mineruæ vocat lanificium, quia eius inuentrix Minerua statuitur. Et hoc τὸ πρέπον est, seruam efficere lanificij peritam: non enim aliam fere artem colere potest serua, quàm lanificium. Nascimb.

GEMINIQVE SVB VBERE NATI) Bellè Octauius Minutius. Et vt vbera partu maturescente lactescant, & vt tener fœtus vbertate lactei roris adolescat. Firmian. de opificio dei cap. 12. Item mulier (vt Varro interpretatur) à mollicie est dicta, immutata, & detracta littera, velut mollier, cui suscepto fœtu, cum partus appropinquare iam cœpit, turgescentes mammæ dulcibus succis distenduntur, & ad nutrimenta nascentis, fontibus lactis fœcundum pectus exuberat. Nec enim decebat aliud, quàm vt sapiens animal à corde alimoniam duceret. Idq; ipsum solertissimè comparatum est, vt candens ac pinguis humor teneritudinem noui corporis irrigaret, donec ad capiendos fortiores cibos, & dentib⁹ instruatur, & viribus roboretur. Lucret. lib. 5.

Et succum venis cogebat fundere apertis
Consimilem lactis: sicut nunc fœmina quæq;
Cum peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
Impetus in mammas conuertitur ille alimenti.

Eiusdem est eod. lib. infrà de puero trimo. *quin sæpe etiam tunc Vbera mammarum in somnis lactantia quærit.*

Plutarchus de educand. liberis, idcirco, ait, fœminis nō vnam, sed duas esse mammas à diuina prouidentia datas, vt si quando geminos parerent, haberet vterque alimenti sui fontem. Idem argumentis contendit, matres ipsas, quos genuerunt infantes, suo lacte nutrire, non alijs mulieribus debere lactandos committere. Id ipsum monuimus lib. superiore, ad illa verba, *hyrcanæq; admorunt vbera tigres.* Idem philosophus lib. de amore parentum erga filios, dum naturam fœtus, & formandi in vtero, & vbi iam editus est, lacte alendi prouidentiam contemplatur, sanguis, inquit, blando spiritus calore, molliter, muliebriterque in fontibus coquitur, & in aliam qualitatem commutatur. Eiuscemodi enim vbera insitam facultatem, temperamentumque sortita sunt. Lactis autem scaturigines, & canales ita constituti sunt, vt confarctim illud profluat. Nam per carnem meatibus infinitis (poris) plenam, sensim natura istud in cella promptuaria placida, & grata admodū, quoties ori infantuli, vt istinc hauriat, admouetur, collocauit. Infrà. Hac de caussa (quod mater quamuis deformem, & cruentum fœtum, magisque iugulato, quā nato similem, ex amore suscipit, & tractat, & osculatur ex amore naturali scilicet) quoniā vbera, mammillasq; sub ventrem natura brutis demisit: solis mulieribus in superiori corporis parte, nimirum pectore, illæ collocatæ sunt: quò expeditius & osculari, & amplecti liberos possint: quasi hac ratione indicare, & ostendere voluerit, pariendi, educandique finem non vllam vtilitatem, sed solum amorem existere. * *Olim illustrissimæ etiam fœminæ alebant vberibus suis, quos genuerant, imo & reginæ. Texit illustrium mulierum catalogum Tiraquellus de Nobilitate cap. 30. numero 80. Quam vero sententiam ex D. Chrysost. producit Hom. 1. super psal. 50. iuuat adiungere. Considera pauperem incentiua pectus habere fulcimenta. In diuitibus autem multam superbiam. Apud pauperes vxor, & ancilla, & ministra est, & procreat filios, & ipsa mater, & nutrix est. Apud diuites autem non est ita: sed cum genuerit filium, statim eum tradit foras, & pietatis insignia abscondit superbia. Erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater. Caussam cur infantes alantur lacte, exequitur Rhodigin. lib. 9. cap. 12.*

Hoc pius Æneas misso certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus vndiq; curuis
Cingebant syluæ: mediaq; in valle theatri
Circus erat, quò se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, extructoq; resedit.
Hîc qui fortè velint rapido contendere cursu,
Inuitat pretijs animos, & præmia ponit.
Vndiq; conueniunt Teucri, mistiq; Sicani:
Nisus, & Euryalus primi.
Euryalus, forma insignis, viridiq; iuuenta:
Nisus amore pio pueri. quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores.
Hunc Salius simul, & Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadia Tegeææ sanguine gentis.
Tum duo Trinacrij iuuenes, Helymus, Panopesq;
Assueti syluis, comites senioris Acestæ.
Multi præterea, quos fama obscura recondit.
Æneas quibus in medijs sic deinde locutus:

HOC MISSO CERTAM. TEND. GRAMIN.) Transitum facit ad aliud certaminis genus, descripto superiore cum admiratione magna: & transit ad gramineum campum, in pratum, aptum locū cursuræ. Cingebatur ea planicies inflexis montibus, vt quæ in plano exhiberentur, in montibus illis, seu collibus videri possent. Ita species theatri propter montes, & circi, propter plana spatia præbebatur. Eò Æneas cum magna multitudine hominum processit, promissisq;, & propositis præmijs animos ad certandum accendit. Donatus.

CIRCVS

CIRCVS ERAT) A ſimilitudine circi Romani. Erat porrò circus, locus vbi ludicra fiebant certamina, & ob hoc quidem circus, quod in circuitu ſpectaculis ædificatis, ibi ludi fierent, & quod illic circum metas ferretur pompa, & equi currerent. Erat autem forma oblonga, inſtar arcus, in circuitu habens gradus, ſpectatoribus apta ſedilia, ne alter alterius proſpectum impediret. Deſcribit Marlian. Topograph. lib. 4. cap. 10.

CONSESSV MED. TVL. EXTRVCT. RESED.) Ordo eſt, quò ſe Æneas medium tulit cum multis millibus, & extructo conſeſſu reſedit. Seruius.

RAPIDO CONTENDERE CVRSV) Etiam ad curſum aſſuefaciendos tyrones milites docet Vegetius lib. 1. cap. 9. vt maiore impetu in hoſtem procurrant: vt loca opportuna celeriter, cum vſus aduenerit, occupent, vel aduerſarijs idem facere volentibus præoccupent: vt ad explorandum alacriter pergant, alacrius redeant: vt fugientium terga facilius comprehendant.

EVRYALVS FORMA INSIGNIS) De forma Euryali infra, *Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.* De amborum amicitia, & infælici exitu, lib. 9.

SIMVL ET PATRON, QVORVM ALTER ACARNAN) Multa quædam in Marone antiquitas ſepulta latet, & nomina etiam propria, quæ ab eo poſita ſunt, non poetico confiſta ſunt arbitrio, ſed ex re nata, & hiſtoria, vt, quem in Sicilia nominat Aceſten, is conditor fuit vrbis Ceſtæ. Eryx mons celebris in ea inſula, appellatur & Elymus, à quo & Elyma vrbs Siciliæ à Dionyſio nominata, quam Æneas poſuit cum Egeſta: quam & idem ab Egeſto nomen habuiſſe refert. Salius teſte Varrone lib. 6. de ling. lat. Arcas fuit, qui cum Ænea in Italiam venit, qui ſaltationis auctor fuit, & Saliorum Marti Gradiuo ſacrorum ſaltationem inſtituit. Patron autem Acarnan, & nauigationis Æneæ comes fuit in Siciliam, in Aluntinis conſedit, vt ab Halicarnaſſeo notatum eſt, lib. 1. Turneb. lib. 26. cap. 17.

ALTER AB ARCADIA TEG. DE SANG. GENT.) Aliquid ἐμφατικῶς poeta deſignare videtur, quod verbis non exprimit, & fortaſſe ad virtutem illam Tegeatium alludit, qua Lacedæmonios bello ſuperarunt: nam cum olim Lacedæmonij Tegeatibus bellum intuliſſent, compedes ſecum attulerunt, freti, ſe illos in captiuitatem redacturos: ſed congreſſi prælio, ac fugati, quicunque viui capti fuerunt, eiſdem quas ipſi attulerant, compedibus cõpediti, campum Tegeatem menſi per funem coluerunt. Tegeæ autem κατὰ συγκοπὴν pro Tegeææ: nam à Tegea Tegeæus. Lib. 8. *atque humeris Tegeaum ſubligat enſem.* Et 1. Georg. *Adſis ô Tegeae* fauens. Naſcimb.

ASSVETI SYLVIS) Venationi deditos ſignificat, cuius etiam Aceſtes videtur fuiſſe ſtudioſus, cuius illi comites. Horridus enim in iaculis, & pelle Libyſtidis vrſæ occurrit Troianis, quorum naues è monte cognouerat, in quo ſine dubio feras inueſtigabat.

QVOS FAMA OBSCVR. RECOND.) Ennius Alexandro. *Multi alij aduentant, paupertas quorum obſcurat Nomina.* Quanquam enim eſſent animis generoſi (cuius indicium, quod ſe certamini offerebant) tamen needum erant vlla re geſta inſignes, vt nominari potuerint.

ACCIPITE HÆC ANIMIS, LÆTASQVE ADVERTITE MENTES:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnoſia bina dabo læuato lucida ferro
Spicula, cælatamq; argento ferre bipennem:
Omnibus hic erit vnus honos: tres præmia primi
Accipient, flauaq; caput nectentur oliua.
Primus equum phaleris inſignem victor habeto:
Alter Amazoniam pharetram, plenamq; ſagittis
Threicijs: lato quam circùm amplectitur auro
Balteus, & tereti ſubnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.

ACCIPITE HÆC ANIMIS) Attentos facit, ac beneuolos promiſſione beneficentiæ: neminem enim ſe paſſum abire indonatum pollicetur. Mox præmia quæ daturus eſt ſingulis curſorib⁹, diſtinctè enumerat. Deinde quibus tres primos ſeorſum ornaturus ſit, enuntiat: quibus tamen etiam corona oleagina commune præmium eſt futurum.

NEMO EX HOC NVM. M. NON. D. ABIB.) Etiam victos ſe remuneraturum pollicetur. Nam, *Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.*

FLAVA OLIVA) Æſchyli epitheton ſecutus eſt. ξανθῆς ἐλαίας καρπὸς ἰσόδυνε πάρος. Vbi interpres Græcus flauam dicit oliuam vocari, quòd poſterior pars folij videatur porracei eſſe coloris. Turneb. lib. 14. cap. 4.

EQVVM PHALERIS INSIGNEM) De phaleris lege elegantem diſputationem Aldi Manut. de quæſit. per epiſtolam lib. 1. cap. 10.

AMAZONIAM PHARET.) quaſi Amazoniam, vt ſacri tripodes ſuprà. Sic Seruius.

PLENAMQVE SAGITTIS THREICIIS) nimirum quoniam ipſæ Amazones ſunt Threiſſæ, habitantes in Thracia.

QVAM CIRCVM AMPLECT. AVRO BALTEVS) Balteus auro, & gemma precioſus. Eſt autem balteus, inquit Seruius, non tantum quo cingimur, ſed etiam à quo arma dependent. Neutro genere etiam efferri, balteum, docet Nonius. Varro rerum diuinar. lib. 11. Tragica vincula baltea ſunt. Attius διδασκαλικῶν lib. 8. *Aſtoribus manuleos, baltea, macharas.* Liuius lib. 9. Auratæ vaginæ, aurata baltea illis erant.

CONTENT. ABITO) quia tenuius hoc præmium Amazonia pharetra, quá par eſt exiſtimare ab ipſo Ænea detractam hoſti apud Troiam. Vniuersè, victoribus, & victis non niſi militaria donabuntur munera.

Hæc vbi dicta, locum capiunt: ſignoq; repentè
Corripiunt ſpatia audito, limenq; relinquunt

Effusi nimbo similes: simul vltima signant.
Primus abit, longeq; ante omnia corpora Nisus
Emicat, & ventis, & fulminis ocyor alis.
Proximus huic, longo sed proximus interuallo
Insequitur Salius: spatio post deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumq; Helymus sequitur: quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemq; terit iam calce Diores
Incumbens humeris, spatia & si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguumq; relinquat.

LOCVM CAPIVNT) Carceres, vnde daretur initium cursui.

CORRIPIVNT SPATIA) Corripere spatia est, raptim inuadere spatia. Alibi de equis, *Addunt se in spatia.* Lib. 1. corripere viam, est celeriter ambulare. quo intellectu Catull., viam vorare.

LIMENQVE RELINQVVNT) Seruius regulam interpretatur, aut signum de creta factum. Ex cuius verbis percipere licet, quid sit, quòd in ludis persæpe ab eruditis linea nuncupatur alba, quam significasse videri potest Martialis illis versibus lib. 8.

Omnis habet sua dona dies, nec linea diues
Cessat, & in populum multa rapina cadit.

Sed & Ouid. 1. de Arte, Circensia attingens spectacula currentium equorum.

Et bene, quod cogit, si nolit, linea iungi:
Quæ tibi tangenda est lege puella loci.

Etiamsi modò longum sedendi ordinem nonnulli interpretantur. Rhodigin. lib. 5. cap. 14.

SIMVL VLTIMA SIGNANT) oculis, & animo ad metam intenti sunt auiditate vincendi. Cicero in 1. Catilin. notat, & designat oculis ad cædem vnumquemq; nostrum. Seruius.

ANTE OMNIA CORP. EMICAT) Verbum *emicare* celeritatem, & concitationem quandam motus innuit, vt suprà, *Terq; solo emicuit.* Et, *linguis micat ore trisulcis.* Cic. 2. de nat. deor. Iam verò venæ, & arteriæ micare non desinunt, quasi quodam igneo motu: animaduersumq; sæpe est, cum cor animantis alicuius euulsum ita mobiliter palpitaret, vt imitaretur igneam celeritatem. German.

FVLMINIS OCYOR ALIS) Est enim fulmen ante omnia velocissimæ omnino celeritatis indicium, quam poetæ cum volunt exprimere, dicunt, fulminis ocyor alis. Idem ex antiquorũ nummis manifestum est: vt in eo, cuius inscriptio est, Q. Philippus, equus habetur in pernicem cursum admissus, cauda exporrecta, fulmine subsequente, lancea protenta: quod innuere videtur prouinciam susceptam, summa celeritate peragratam, negotiumq; quàm ocyssimè cõfectum. Nam & Ptolemæus Ægypti rex promptitudinis, & audaciæ causa κεραυνὸς appellatus est, ait Pausan. Lege reliqua apud Pierium lib. 43. in Fulmine.

De ijs qui celeritate pedum plurimum claruere, lege, si placet, cap. 39. apud Leonicum. Perseum quidẽ, quoniam cursũ præstaret, poetæ fabulantur Pegaso insidentem volitasse. Eundem primum currendo feras assecutum, 2. de venatione auctor est Oppianus. Traditum est quiddã à Spartiano de nequitia Aelij Veri Imp. cuius me Euryalus sui cursus celeritate admonuit. Cursoribus suis, ait, exemplo Cupidinum, alas frequenter apposuit, eosq; ventorum nominibus sæpe vocitauit, A Boream alium, alium Notum, Aquilonẽ, Circium, cæterisq; nominib⁹, eos indefessè, atq; inhumanè faciens cursitare. Hæc ille. Hemerodromi sunt, qui vno die ingens spatium cursura emetiuntur. Æmilius Probus in Miltiade: Philippidemq; cursorẽ eius generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonẽ miserant, vt nunciaret, quam celeri opus esset auxilio. Sed nulla est, inquit alicubi M. Tullius, celeritas, quæ possit cum animorum celeritate contendere. Quare & Thales Milesius interrogatus, quid esset velocissimum, respondit, mens.

PROXIMVS HVIC, LONGO SED PROX. INTERVAL.) Secundum intelligitur, quod statim sequitur, & adhæret: proximum verò, non solum adhærens, & adiun- B ctum, verum etiam quod longè remotũ est, dummodo inter duo discreta nihil medium interiectum sit, vt docet Nonius. Sic Horat. Ode 12. lib. 1.

Nec viget quidquam simile, aut secundum:
Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores.

Cic. in Bruto. Duobus igitur summis Crasso, & Antonio L. Philippus proximus accedebat, sed longo interuallo tamen proximus. Itaq; eum, etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferret, neq; secundum tamen, neque tertiũ dixerim. Aliter Probus in Pelopida. Deniq; hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita vt C proxima esset Epaminondæ. Id est, vt breuissimo interuallo Epaminondam sequeretur.

ECCE VOLAT, CALCEMQVE TERIT) Si celeriter ambulantes, volare, & seu in itinere faciendo celeritas volatus quidam dicitur, metaphora quadam, à Græcis, Latinisq; scriptoribus, quod ostendit Victor. lib. 23. cap. 17: multo magis dicentur volare per eundem tropum, qui etiam currunt. Calces, inquit Nonius, à calcando. Nam & de omnibus pedibus, & de hominum, & vniuersorum animantium dici potest. Nam sunt calces extrema pars pedum, terræ proxima. Citat hunc locum, & addit illum è lib. 7. *Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras Verberat.*

D Exemplum est ἐναργείας. Sic Homerus (quod exemplum ponit Demetrius cum de hac virtute orationis disserit) dicit in cursu equorũ, cum Achilles funus celebraret amici sui Patrocli, flatu Diomedis equorum Eumeli sinciput, latosq; humeros calefactos fuisse, quem locum aliquo modo Virgilius expressit. Homeri verba sunt. πνοιῇ γ' Εὐμήλοιο μετάφρενον. Et. αἰὲν γὰρ δίφρου ἐπιβησομένοισιν ἐΐκτην. Victor. in Demetrium. * *Quomodo in huius loci explanatione, aliorumq; interpretum reprehensione caecutiuerit aliòquì oculatissimus ille Scaliger, vide Nascimbaenum.*

AMBIGVVMQVE RELINQVAT) Hic ego *ambiguum* interpretor, parem, & ambigentem de cursus palma cum eo, & victoria: & *relinquere* existimo esse prætet-

præterire. Qui enim quem præterit, eum post se relinquit. Plus, inquit, si spatij superesset, eum præteriret,

A qui cum iuris in cursu ambigui fuit, cum simul ad metam peruenerint. Turneb. lib. 14. cap. 4.

Iamq; ferè spatio extremo, fessiq; sub ipsum
Finem aduentabant: leui cum sanguine Nisus
Labitur infælix: cæsis vt fortè iuuencis
Fusus, humum, viridesq; super madefecerat herbas.
Hîc iuuenis iam victor ouans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo: sed pronus in ipso
Concidit immundoq; fimo, sacroq; cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum.
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens:
Ille autem spissa iacuit reuolutus arena.
Emicat Euryalus, & munere victor amici
Prima tenet, plausuq; volat, fremituq; secundo.
Pòst Helymus subit, & nunc tertia palma Diores.

LEVI CVM SANG. NISVS LABITVR) Iam ferè completum erat spatium currentibus definitum, & Niso ad gloriam plenam consequendam paruus restabat labor, cum infælix lapsus est. Caussa lapsus sanguis, qui cæsis ibidem, vbi concidit, iuuencis inter herbas concretus manebat, & quia lubricus, currentis fefellit vestigia. *Fimum immundum* vocat gramina, siue herbas cruore illo madidas, & putridas: quæ etiam corpori eius inhærebant: vnde infrà, *& vdo Turpia membra fimo.* ☙

NON TAMEN EVRYALI, NON ILLE OBLIT.) Lapsus Nisus, studuit obtingere palmam Euryalo, quã ipse perdiderat: id ita consecutus est, dum nititur se attollere humo, & ita sciens, volensq; Salio currenti se

B obijcit, eumq; ad casum impellit. ☙

AMORVM) Hanc vocem non semper in vitio poni, multis testimonijs probari potest contra quosdam semidoctos, & nos alibi in his symbolis id præstitimus. De voce *emicat* egimus supra ex Germano. *Plausum & fremitum* intellige spectatorum, qui Euryalo fauebant, & gratulationem suam istis plausibus palam declarabant. ☙

TERTIA PALMA DIORES) id est, tertius victor, seu qui tertiam palmam mereretur. Nunc tertia, nam à principio quinta fuit, cum prima esset Nisus, secunda Salius, tertia Euryalus, quarta Helymus, quinta ipse Diores. Tolle de hoc numero primos duos, manebit Diores tertius. ☙

Hîc totum caueæ consessum ingentis, & ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumq; dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur fauor Euryalum, lacrymæq; decoræ,
GRATIOR ET PVLCHRO VENIENS IN CORPORE VIRTVS
Adiuuat, & magna proclamat voce Diores:
Qui subijt palmæ, frustraq; ad præmia venit
Vltima, si primi Salio redduntur honores.
Tum pater Æneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent pueri: & palmam mouet ordine nemo.
Me liceat casum miserari insontis amici.
Sic fatus, tergum Getuli immane leonis
Dat Salio, villis onerosum, atq; vnguibus aureis.

HIC TOTVM CAVEÆ CONSESSVM) Lucret. lib. 4. *Namque ibi consessum caueai subter, & omnem Scenalem speciem Patrum.* Tacit. Annal. 13. Interea, quæ barbaris ostentantur, intrauere Pompeij theatrũ, quò magnitudinem populi viserent. Illic per omnia, (neque enim ludicris ignari oblectantur) dum consessum caueæ, discrimina ordinum, quis eques, vbi senatus, percunctantur. German.

LACRYMÆQVE DECORÆ) Etiam inter lacrymandum visum esse, vt erat, formosum Euryalum

C affirmat poeta. Naso magnam cuiusdam mulieris pulchritudinem describens, tantam fuisse dicit, vt etiam inter lacrymandum pulchra fuerit: perinde ac si diceret, naturalem illum lacrymationis effectum, quo deformis ex formosa redditur facies, in ea locum non habuisse. Itidem de alia, Ariadne nimirum.

Clamabat, flebatq; simul, sed vtrumq; decebat:
Nec facta est lacrymis turpior illa suis.

Verùm hoc tanquã aliquod rarum proponitur, quum, vt dixi, fletus soleat multum de forma detrahere, & in-

terdum ex formosa, aut formoso omnino pæne deformem facere. Quod si ita est, quantam eius deformitatem dicemus flentis, qui tum etiam, cùm minimè flet, deformis est? Ideo ille hypomnematistes anonymus in Homericum istum de Thersite versiculum Iliad. β. ἀλγήσας δ' ἀχρεῖον ἰδὼν, ἀπομόρξατο δάκρυ, duos istos iambicos affert.

Ὡς αἰσχρὸν ἔστ' μὴ καλῶν ἀπ' ὀμμάτων
Κλαῖον πρόσωπον, καὶ δακρυῤῥοοῦν ὁρᾶν;

Cæterùm, quantum lacrymas, tantum & iram, seu dolorem vultum cõmutare, & deformare ostendit idem Naso, quum Metamorph. lib. 6. de Niobe canit. *Et quantum ira sinit, formosa.* Huc pertinet & quod legimus, eiusdem poematis lib. 7. *Tristis erat, sed nulla tamen formosior illa Esse potest tristis.* Et paucis verbis interiectis, *tu collige qualis in illa, Phoce, decor fuerit, quam sic dolor ipse decebat.* Henr. Steph. Schediasmat. Vide insuper lib. 12. *Accepit vocem lacrymis Lauinia matris*, &c.

GRATIOR ET PVLCHRO. V. IN CORP. VIRT.) Terent. Heaut.

Ædepol te mea Antiphila laudo, & fortunatã iudico,
Id cum studuisti, formæ mores vt consimiles forent.

Donat. ibidem: mores enim pudici gratiores solent esse in pulchro corpore. Commendat pulchritudo virtutem, & vicissim à virtute, prudentia præsertim, commendatur. Hinc in Monostich.

Ὡς ἡδὺ κάλλος, ὅταν ἔχῃ νοῦν σώφρονα;
Prudens animus, & forma, res dulcissima.

Alioqui de muliere formosa illa quidem, tamen stolida, scriptum extat in sacris libris, Mulier pulchra, & fatua, circulus aureus in naribus suis. Quendam non deformem cum audiret stultè loquentem Diogenes, è vagina, inquit, aurea educis gladium plumbeum. Nota est etiam vulpes Æsopica, quæ in statuarij officina caput elegans contemplata, pulchrum, inquit, caput: sed cerebrum non habet. Græcè melius, καλὴ αὕτη ἡ κεφαλὴ, ἀλλ' ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει. Optat igitur rectè ille in Monostich.

Δύσμορφος εἴην μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός.
Malo esse turpis, quam venustus improbus.

Atque vt sæpe in pulchro corpore pulcher, sic interdum in deformi etiam deformis animus, & vitijs inquinatus habitare solet. De Vatinio Velleius lib. 2. Vatinius nulli homini non postferendus, in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenij, adeo, vt animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur. ✠

Sententia hæc de virtutis gratia maiore in pulchro corpore, non est probata Senecæ Stoicorum perspicacissimo, quam quomodo vituperet, audire pretium est. Epist. 66. Claranum condiscipulum meum vidi post multos annos, non puto expectas, vt adijciam, senem: sed me Hercules viridem animo, ac ingentem, & cum corpusculo suo colluctantem. Iniquè enim se natura gessit, & talem animum malè collocauit: aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere, posse ingenium fortissimum, ac beatissimum sub qualibet cute habitare. Vicit tamen omnia impedimenta, & ad cætera contemnenda, à contemptu suo venit. Errare mihi visus est, qui dixit, *Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.* Nullo enim honestamento eget: ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat. Certè Claranum nostrum cœpi intueri, formosus

A mihi videtur, & tam rectus corpore, quam est animo. Potest ex casa vir magnus exire: potest & ex deformi, humilique corpusculo formosus animus, ac magnus. Quosdam igitur videtur mihi natura in hoc tales generare, vt approbet, virtutem omni loco nasci. Si posset per se nudas edere animas, fecisset: nunc quod amplius est, facit: quosdam enim edit corporibus impeditos, sed nihilominus perrumpentes obstantia.

Huius Stoicum paradoxum, inquit Brodæus lib. 5. cap. 35. nemo nisi stultitia obcæcatus probauerit, quiq; Thersiten ab Achille non secreuerit. Attexamus his memorabilem Maximi Tyrij, Philosophi è familia Platonica sententiam, ex sermone 20. qui est De amore,
B Senecæ prorsus aduersariam. Ea suaui quadam similitudine declarat, quomodo plerunque formæ elegantia cum interna pulchritudine copulata sit. Vt enim exoriens sol, fulgorem ante præmittit, qui cacumina montium illustrans, intuentium oculos maximè oblectat, vberioris lucis afferens spem: ita splendescenti animo prefulget in superficie corporis decor: qui quod spem affert multo melioris, plurimum exhilarat aspectum. Quæ sit autem perfecta pulchritudo, & consummata planè, docet in Imaginibus Lucianus tomo 3. nec in eo diuersum à Maximo docet. Et quanquam de fœmina agit, quam sibi pro exemplo fingit, pleraq; tamen ad virum quoque accommodari possunt. ✠

C ET MAGNA PROCLAMAT VOCE DIORES) Euryali petitionem adiuuabat Diores, studebatque illi in ista controuersia, quam cum Salio de principatu habebat: sed id non tam Euryali, quam suimet caussa faciebat, qui mos est hominum communis: nec facilè inuenias, qui sit amicus gratuitò. Verebatur igitur, si primum præmium auferret Salius, quem Nisi astutia supplantauerat, secundum Euryalus, tertium Helymus, ipse ternario excluderetur, quem ternarium Æneas præcipuis, & singularibus cohonestare ornamentis decreuerat. ✠

ME LICEAT CAS. MISERARI) Extra ordinem statuit donare Salium Æneas, pro summa huma-
D nitate sua. Et imitatus est Maro locum Homeri Iliad. ψ. vbi Achilles Eumelum noluit dimittere indonatum, quod fracto à Minerua curru, præteritus à concertatoribus in agonali certamine fuisset. German.

TERG. GETVLI IMMAN. LEONIS) Lib. 9. *Dat Niso Mnestheus pellem, horrentisq; leonis Exuuias.* Præmium datum Salio describit, quod extollitur à genere, cum ait *Getuli*: à magnitudine, quia *immane*, id est, magnum erat, postremo etiam à pulchritudine, cùm naturali, tum artificiosa, quia villosum, aureisque vnguibus ornatum: nam pulchrum iudicatur leonis tergus, si villosum fuerit: multo pulchrius apparet, si quid ei artificij additum fuerit. Nascimb.
E Vide allata in illum versum lib. 7. *Ipse pedes tegmen torquens immane leonis Terribili impexum seta.* Et apud Statium limbo aureo pretexitur pellis tigridis Thebaid. 6.

Tunc genitus Thalao victori tigrin inanem
Ire iubet, fuluo qua circumfusa nitebat
Margine, & extremos auro mansuenerat vngues.

Spolium leoninũ, virtutis hieroglyphicum est: ac proinde Herculi dicatum, quem pro virtute veteres posuerunt: seu cuius nomen, virtutis nomen fuit, vt Ciceronis, eloquentiæ. Diogenes Cynicus virtutis indumentum vocauit leonis exuuias. ✠

Hîc

Hîc Nisus: si tanta, inquit, sunt præmia victis,
Et te lapsorum miseret: quæ munera Niso
Digna dabis, primam merui qui laude coronam;
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tulisset?
Et simul his dictis faciem ostentabat, & vdo
Turpia membra fimo. risit pater optimus olli,
Et clypeum efferri iussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.
HOC IVVENEM EGREGIVM PRÆSTANTI MVNERE DONAT.

SI TANTA SVNT PRÆM. VICT. ET TE LAPSOR.) Dissimulat versutus homo quod egit, & casu factum videri vult, quod Salius corruit in cursu. Hinc ita ratiocinatur, & quidem dupliciter, seu binis syllogismis, seséq; præmio, & maiore quidem afficiendum cõtendit. Si misereris lapsorum, vt etiam præmio illos prosequaris, debes idem mihi beneficium præstare. Atqui hoc facis in Salio, fac ergo in me quoque. Rursum. Si tam insigne munus das secundo, quanquam lapso, debes maius primo itidem lapso. Atqui ego primus eram, non Salius: maius ergo mihi dabis, si iustè agas. His cõplexionibus additur etiam motus animi: nam se tam turpiter contaminatum exhibendo, vult misericordiam elicere: & miserabantur quidem Troiani, veruntamen quia species ridicula erat, & monstrosa, à risu temperare nequibant. Quanquam enim de solius Æneæ risu dicatur, tamen corrisisse cæteros, dubitandum non est. ✱

QVÆ MVNERA NISO) Non, mihi, sed, Niso, ἐμφατικῶς dixit: quasi nobili, ac multis laudum, gloriæque præconijs ornato. Plerumque enim tertia persona, pro prima vtimur ad amplificationem dignitatis, & excellentiæ nostræ, vt apud Horat. Ode 7. lib. 1. Teucer. *Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro.* Nascimb.

CLYPEVM DIDYMAONIS ARTES) Laudatur ab artifice clypeus, vt poculum Eclog. 3. *diuini opus Alcimedontis:* & indicatur, bello Troiano cum esset à Græcis fortè dicatus Neptuno, ab Ænea, Troianisúe inde detractus fuisse. Habuisse enim secum huiusmodi spolia, patet ex illo versu lib. 3. *Æneas hæc de Danais victoribus arma.*

NEPT. DE POST. REFIX.) Per postem hìc templum significatur. Ita Horat. epist. 1. lib. 1. *Veianius armis Herculis ad postem fixis latet, abditus agro.*

HOC IVVENEM EGREGIVM) Abgregare, est ab grege ducere: adgregare, ad gregem ducere: segregare, ex pluribus gregibus partes seducere. Vnde & egregius dicitur, è grege lectus. Quorum verborum frequens vsus, non mirum si ex pecoribus pendet: cum apud antiquos opes, & patrimonia ex his præcipuè constiterint: vt adhuc etiam pecunias, & peculia dicimus. Hæc Festus. Seruatur autẽ decorum, cum egregius iuuenis præstanti, & egregio munere donatur. Nascimb.

Pòst, vbi confecti cursus, & dona peregit:
Nunc si cui virtus, animusq; in pectore præsens,
Adsit, & euinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem
Victori velatum auro, vittisq; iuuencum:
Ensem, atq; insignem galeam, solatia victo.
Nec mora, continuò vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoq; virûm se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contra:
Idemq; ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore (qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat)
Perculit, & fulua moribundum extendit arena.

POST VBI CONFECTI CVRSVS) A cursorũ certamine transitur ad pugillatum, seu, vt Græci vocant, πυγμαχίαν, quæ apud Homerum secundo loco describitur, vbi Epeus, & Euryalus, perinde vt hic Dares, & Entellus committuntur, nobile par pugilum. Quos imitatus Statius, Capaneum, & Alcidamantem inter se componit, nusquam à poeta nostro, tanquam archetypo discedens. Montfortius.

ANIMVSQVE IN PECTORE PRÆSENS) Quare præsens animus in pectore? quòd socios Æneas ad pugnam cæstus inuitabat: quàm exitus Daretis periculosissimam ostendit, & qua Lycurgus Lacedæmonijs interdixerat, vt constat ex Plutarcho in ipsius vita, quamque è Repub. sua videtur exegisse Plato lib. leg. ζ. Vide German.

EVINCT. ATTOL. BRACH. PALMIS) Et gestum cæstibus pugnantium, & quid sit cæstus, quanquam obscurius, significat. Fiunt de corio bubulo, & pæne tanquam chirothecæ manibus inducuntur. Sed de his infrà. ✱

VICTORI VELATVM AVRO, VITTISQVE) Vel aureis vittis, vel lamina aurea, vt Seruio placet: vt fiebat in sa-

cris. Sic enim lib. 9. *Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum.* Etiam victo proponit, non quidem præmium, sed solatium. Vide humanissimum virum, qui etiam pudori consulendum, & munere duplici partum ex deperdita victoria dolorem leuandum statuerit. Facit igitur quod promiserat, *Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.* Nam & Salium supra, & Nisum donauit: quanquam ibi quoque iustitiæ rationem habuit. ✠

NEC MORA, CONTIN. VAST. CVM VIRIBVS) Homer. Iliad. ψ.

Ὣς ἔφατ' ὤρνυτο δ' αὐτίκ' ἀνὴρ ἠΰς τε, μέγας τε,
Εἰδὼς πυγμαχίης, υἱὸς Πανοπῆος Ἐπειός.

Videndum spectandumque se cum ostentatione Dares exhibet, cum fauore & secunda admurmuratione spectantium. Eius robur, virtutem duobus exemplis commendat. Nascimb.

QVO MAXIMVS OCCVBAT HECTOR) Non ad quem tumulum ab Achille occisus est Hector: sed in quo conditum est eius corpus. Ad eum tumulum dum ludi funebres (quod heroibus honoris caussa fiebat) darentur, Buten, quanquam vastissimi corporis, maximatumq; virium hominem, eo robustior ita cæstibus contudit, vt interemerit.

BEBRYCIA VENI. AMYCI DE GENTE) Amycus Neptuni, & Melies seu Bithynidis filius, Bebryciæ rex. In huius regna qui venerat, cæstibus cū cogebat secum cōtendere, & deuictos perdebat. Hic cum Argonautas prouocasset ad cæstus, Pollux cum eo contendit, & eū interfecit. Hyginus cap. 17. Apollodor. lib. 1. ✠

MORIBVNDVM EXTENDIT) Seruius, Priscianus, alij Grammatici tradunt, nomina desinentia in bundus significare similitudinem. Gellius lib. 10. docet ea demonstrare vim, copiam, & quasi abundantiam rei: cuius verba sunt: vt lætabundus dicatur is, qui abunde lætus: populabund⁹, qui passim, ac strenuè populatur: furibundus, qui vehementer furit. Duo exempla proferam, quæ haud dubie subneruant dicta Grammaticorum. Q. Curtius de Alexandro. Quo vulnere afflictus, magna vi sanguinis emicante, remisit arma, moribundo similis. Si moribund⁹ significaret similis morienti, quid opus erat addere, similis moribūdo? nonne esset oratio inuenusta, inelegans, insulsa, quasi acciperetur similis simili morienti? Val. Max. de Antiocho. Iacebat in lectulo, moribundo similis, lamentabantur necessarij. His & alijs exemplis cernitur manifestè, nomina in bundus terminata non similitudinem, sed copiam potius & abundantiam significare. Hæc carptim ex Beroald. Annotat. in Seruium.

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit:
Ostenditq; humeros latos, alternaq; iactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius: nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusq; inducere cæstus.
Ergo alacris, cunctosq; putans excedere pugna,
Æneæ stetit ante pedes: nec plura moratus,
Tum læua taurum cornu tenet, atq; ita fatur.
Nate dea, si nemo audet se credere pugnæ:
Quæ finis standi? quò me decet vsq; teneri?
Ducere dona iube. cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddiq; viro promissa iubebant.

TALIS PRIMA DARES CAPVT) Ex ista prouocatione Daretis, & pugna cum Entello, factum prouerbium, Dares Entellum prouocat. Conueniet vti, si quādo quisquam iuuenili temeritate lacessit aliquem, non perinde promptum ad suscipiendum certamen: verum intolerandum, si semel inierit. Qui senum ferme mos, vt libenter suffugiant negotia, suscepta pertinaciter gerant. Atque vt summatim dicamus rem totam: Dares viribus fretus, & audax iuuenta, vltro prosiliens in medium, quemuis ad certamen prouocat: assurgente nemine, deterritisque reliquis, iam perinde quasi victor præmium flagitat ab Ænea: At Entellus senex, & iam pridem ab huiusmodi certaminum genere feriatus, instigante partim Aceste, partim veterum victoriarum memoria, tandem surgit, cæstibus dimicaturus. Is diu suo consistens loco, iuuenem insolentius circumsilientem tulit, donec frustrato ictu lapsus, pudore sic recanduit, vt Daretem iam longè imparem planè confecturus fuerit, nisi eum Æneas intercedens eripuisset. Chiliad.

OSTENDITQVE HVMEROS LATOS) In Darete robur extitisse designat, cum ait *humeros latos,* quod manifestum robusti corporis argumentum est. Sed tamen eiusdem arrogantiam carpit, cum ait, *ostendit:* quod pro *ostentat* videtur positum. Est autem ostentare gloriandi, aut iactandi caussa, teste Festo, aliquid monstrare. Nascimb.

VERBERAT ICTIBVS AVRAS) Res inanimæ dicuntur pulsari, animæ autē participes verberari. Veruntamen est cum & hæc pulsari, illa verberari dicuntur. Super quo lege cap. 10. lib. 3. Alex. Neapolit. Ad gladiatorum consuetudinem puto allusisse Virgilium his verbis, qui ventilabant: id est, ante veram pugnam gladios versabant, ictibusque lusorijs aërem verberabant, ita præludentes vero congressui: quemadmodum nostri pugiles faciunt hodie *auff der Fechtschul.* Seneca epist. Quam stultum est, cum signum pugnæ exceperis, ventilare: Credo eodem respexisse D. Paulum cum ait, non quasi aërem verberans. ✠

DVCERE DONA IVBE) Dares vbi vidit neminem sibi offerri, qui secum congredi auderet, eadem arrogantia, qua vires suas ostentarat, ab Ænea petit, vt sibi sine mora præmio proposito potiri liceat, se ex aliorum infractione animi (nemo enim audebat cum eo congredi) victorem interpretatus: quam petitionem vt iustā, & honestam Troiani murmure quodam, & fremitu approbabāt. Ad morem Romanū respicit poeta, apud quos res publico strepitu, plausu, clamore, admurmuratione, nutu approbari solebāt. Sic in 1. cū dixisset apud Didonem Ilioneus, *cuncti simul ore fremebāt Dardanidæ.* Nascimb.

Hic

Hîc grauis Entellum dictis castigat Acestes,
Proximus vt viridante toro consederat herbæ.
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantáne tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines: vbi nunc nobis deus ille magister
Nequicquam memoratus Eryx? vbi fama per omnem
Trinacriam, & spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub hæc. Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu: sed enim GELIDVS TARDANTE SENECTA
SANGVIS HEBET, FRIGENTQVE EFFOETÆ IN CORPORE VIRES.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaq; improbus iste
Exultat fidens, si nunc foret illa iuuenta,
Haud equidem pretio inductus, pulchroq; iuuenco
Venissem: nec dona moror. sic deinde locutus
In medium geminos immani pondere cæstus
Proiecit: quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duroq; intendere brachia tergo.

DICTIS CASTIGAT ACESTES) Beneuolentiæ, inquit Clemens Alexand. Pedagogi lib. 1. cap. 8. non odij signum est, reprehendere. Ambo enim probrum obijciunt, & amicus & inimicus: sed inimicus quidem irridens, amicus autem beneuolens. Castigare est increpare, vel reprehendere. Cic. 1. de Orat. Et quoniam de impudentia diximus, castigemus etiam segnitiem. Aliquando vindicare, punire. Virgil. lib. 6. *Castigatq; auditq; dolos, subigitq; fateri.* Nonius.

HEROVM FORTISSIME FRVSTRA) Addit *frustra*, vt superiores victorias ad eius gloriam nullas fuisse, aut nihil profuisse indicet, si tam insignem iniuriam in præsentia sufferre velit, & cum Darete congredi vereatur. Ad *fortissime* igitur hoc aduerbium refertur. B Nascimb.

TANTANE TAM PATIENS) Affine est illi, quod Furia ad Turnum lib. 7.

Turne tot incassum fusos patiere labores,
Et tua Dardanijs transcribi sceptra colonis?

Obiurgationem amplificat à turpi, siue ab indigno per congeriem, magistrum, famam, trophæa, quæ sibi ipse compararit, ad eius memoriam reuocando. Nascimb.

NOBIS MAGISTER ERYX) pro, noster magister dixit, vt vitaret ὁμοιοτέλευτον. Ita Seruius. Eryx auté Veneris filius, Æneæ ὁμομήτριος, à quo monti, in quo sepultus, nomen Eryx factum.

SPOLIA ILLA TVIS PEND. TECTIS) More Romano *spolia pendentia tectis* dixit, vt multa alia. Nam, vt scribit Plin. lib. 35. cap. 2. Romani ædium suarum limina affixis hostium spolijs exornabant, quæ mutato domino, nec emptori refigere licebat. Turneb. lib. 26. cap. 17. * *Huc confer quæ sunt lib. 7. ad versum illum,* Multaq; præterea sacris in postibus arma.

GELID. TARD. SEN. SANG.) Ab ætate senili se tuetur Entellus, in eamque omnem huius cessationis suæ caussam reijcit. Prius tamen φιλοτιμίαν suam ingenuè confitetur, quæ etiamnum duret, omninoque sibi magis deesse vires, quam spiritum significat. Sanguis hebet ideo, quia gelidus. Cur gelid⁹? quia quo magis senescit corpus, eo magis calore suo naturali destituitur, quo abundat iuuentus. Redditur tardum corp⁹, minuũtur membra. Apuleius de Nestore. Cui omnes sciebant corpus annis abire. Vbi Pithœus ex vet. ri lib. legit *hebere*, lib. 2. cap. 10.

EFFOETÆ IN CORP. VIRES) Effœtæ vires sunt, quasi multis fœtibus editis confectæ iam, & exhaustæ. Tralatio est à fœminis, quas crebritas partitudinis debilitat. ✤

SI MIHI QVÆ QVONDAM FVERAT) Tali modo se apud Homerum excusat Nestor Iliad. 11.

——— οὐ γὰρ ἐμὴ ἲς
Ἔσθ' οἵη πάρος ἔσκεν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσιν.
Εἴθ' ὡς ἡβώοιμι, βίη δέ μοι ἔμπεδος εἴη,
Ὡς ποτὶ Ἠλείοισι καὶ ἡμῖν νεῖκος ἐτύχθη.
Sed mea nunc validæ languentia corpora vires
Destituunt, nec robur inest iuuenile grauatis
Annorum serie membris, vtinamq; reuertens
Me mea restituat, virtusq; repubeat omnis
Pristina, qualis eram iuuenis, quo tempore bellum
Eleos contra gessi.

Carpit etiam confidentiam Daretis Entellus, & à magnitudine animi sui beneuolentiam colligit, qui non spe quæstus, aut præmiorum, sed tantum gloriæ desiderio (quod excellentium ingeniorum est) ad certandum moueri soleat. Nascimb.

GEM. IMMANI POND. CÆSTVS) Multa de cæstibus Hieron. Mercurialis de arte Gymnast. lib. 2. cap. 9. C & Aldus Manut. de quæsit. per epistolam lib. 1. cap. 8. Turneb. lib. 14. cap. 4. Cæstus, inquit, lora erant, quibus pugilum brachia, & manus innectebantur, vt si, qui hoc tẽpore pugilatu decertare vellent, chirothecis manus munirent, quò & firmiorem ictum inferrent, neq; manum læderent, & sine noxa sustinerent aduersarij petitionem. Cæstus ex eo vocatus, quòd, vt opinor, lora illa suta essent, quasi sit κεστὸς ἱμὰς, id est, sutile lorum, vt Græci loquuntur. Vnde & nomen etiam cingulo Veneris, quòd sutile sit.

QVIBVS ACER ERYX IN PRÆL. SVET.) Quam essent egregij cæstus, ex dignitate personæ monstratur, quæ illis vsa sit, cum in pugna ista manum consereret. D Non enim vulgaribus vtuntur, qui vulgares non sunt. De pugna Erycis cum Hecule Diodorus lib. 4. cap. 3.

Appro-

Appropinquantem suæ ditionis locis Herculem, ad palæstram prouocauit Eryx, Veneris ac Butæ, eius oræ regis, filius. Orta præmij contentione, cum Eryx patriam, Hercules præmium certaminis boues offerret, indignatus primùm Eryx dicitur, boues minoris æstimationis, suæ regioni comparari: Herculem verò viro respondisse, boues sibi pluris esse: quibus si priuaretur, im- A mortalitatem esset amissurus. His acquiescens Eryx, in eo certamine victus, patria spoliatus est.

DVRO TERGO) quia de boum pellibus secta lora. Statius, *nigrantia plumbo Tergora nuda boum.*

INTENDERE BRACHIA) Ligare, ait Seruius, vt, *Intenditq́, locum sertis.*

Obstupuere animi: tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto, ferroq́; rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares, longeq́; recusat:
Magnanimusq́; Anchisiades, & pondus, & ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum senior tales referebat pectore voces.
Quid si quis cæstus ipsius & Herculis arma
Vidisset, tristemq́; hoc ipso in littore pugnam?
Hæc Germanus Eryx quondam tuus arma gerebat:
Sanguine cernis adhuc, sparsoq́; infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit: his ego suetus,
Dum melior vires sanguis dabat, æmula nec dum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed si nostra Dares hęc Troïus arma recusat,
Idq́; pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes:
Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto:
Solue metus, & tu Troianos exue cæstus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris reiecit amictum:
Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosq́;
Exuit, atq; ingens media consistit arena.

OBSTVPVER ANIM. TANTOR.) Omnes stupore defixi intuebantur tam immanes cæstus. Ipse etiam Dares, qui sibi iam ante victoriam triumphum cecinerat, & stupebat, & mutata sententia, certamen valde (hoc enim est *longè* isto loco) refugiebat. Et quò plus admirarentur illos cæteri, faciebat, quod ipsemet Æneas diligenter eos considerabat, & manibus versando, eorum pondus, grauitatemque expendebat.

Vocem *tantorum* exponit Seruius, virorum fortium cum addat, *ante omnes stupet ipse Dares.* Nã sentire, tantorum boum, quum septem dixerit, stultum est. Ita post *tantorum*, ponenda erit distinctionis nota. Et approbat sententiam hanc Nascimb. Ego tamen ad boues puto pertinere posse *tantorum*, vt intelligamus cæstus non solum ex eo commendari, quia è septem boum corijs C compositi, sed etiã, ingentium, ac validorũ boum, quo ponderosiores eos euadere necesse fuit. Lector sequatur quod lubet.

QVID SI QVIS CÆSTVS IPSIVS) Hi cæstus vobis ponderosi, & magni videntur. Quid ergo diceretis, si cæst⁹ Herculis videretis, quib⁹ ille hoc ipso in loco Erycem fratrem tuũ, Ænea, interemit? Adhuc cerebrũ in istis cæstibus aspicere licet, eorum quos ad mortẽ dedit. Qui etiã (ꝗ illi gloriosum est, & ad laudem cæstuum valet multũ) his ijsdẽ fretus, cum Hercule Iouis filio cõgredi ausus est. Tandem ad suam ipsius personam delabitur, pristinasque vires suas iactat: sunt enim φίλαυλοι senes, suaque facinora libenter prædicant apud iunio- D res præsertim, seseque his non semel, sed frequenter vsum affirmat. *Æmulam senectutem* fortasse vocat, quæ quodammodo homini videtur inuidere, dum eum vi- B ribus suis adeo priuat. Æmula iuuentutis videlicet, cui penitus est contraria. Ætatem senectam ab adiunctis eleganter describit Naso quoque eleg. 8. lib. 4. Trist.

Iam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Insilit & nigras alba senecta comas:
Iam subeunt anni fragiles, & inertior ætas:
Iamq́, parum firmo me mihi ferre graue est.

DVM MELIOR VIRES SANG. D) Melior sanguis est melioris ætatis sanguis: melior autem ætas est iunior: sicuti senior ætas dicitur deterior ætas, cuius est etiã sanguis vt imminutior, ita deterior.

ÆQVEM. PVG. ERYCIS. T. TERG. REMITTO) Offert conditionem tolerabilem, arbitris Ænea, & Aceste, vt nimirum sumantur cæstus pares: ipse relinquat Erycis, & quos iam induerat Dares, Troianos exuat. Remitto tibi terga Erycis, id est, nolo te ad istos cæstus cogere, facio tibi eorum gratiam. Et dum ait, *Solue metus*, se ipsum omni prorsus metu vacare declarat.

PIO SEDET ÆNEÆ) Lib. 2. *Et sedet hoc animo,* Lib. 4. *Si mihi non animo fixum, immotumq́, sederet.* Eodem intellectu, *stat*, vt lib. 12. *Stat conferre manum, stat quidquid acerbum est Marte pati.*

DVPLICEM EX HVM. REIECIT AMICT.) Horat. epist. 17. lib. 1. *Contra, quem duplici panno patientia velat.* Duplex amiculum vocat Probus in Datame. Ipse agresti, duplicique amiculo circumdatus. Propriè indumentum humilium personarũ, aut certè senũ, & Philosophorum, vt Lamb. putat ibidem: abollam nominat Seruius.

MAGNA OSSA LACERTOSQ.) Ennius Annal. 17. *Magna ossa, lacertiq́, Apparent homini.*

Tum

Tum ſatus Anchiſa cæſtus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Conſtitit in digitos extemplò arrectus vterque,
Brachiaq́; ad ſuperas interritus extulit auras.
Abduxere retro longè capita ardua ab ictu:
Immiſcentq́; manus manibus, pugnamq́; laceſſunt.
Ille pedum melior motu, fretusq́; iuuenta:
Hic membris, & mole valens: ſed tarda trementi
Genua labant, vaſtos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter ſe vulnera iactant:
Multa cauo lateri ingeminant, & pectore vaſtos
Dant ſonitus: erratq́; aures, & tempora circum
Crebra manus, duro crepitant ſub vulnere malæ.

TVM SATVS ANCHISA CÆSTVS) Totum locum partim de Homero, partim de Apollonio translatum docet Seruius. Sed ita, vt ſi vtriusque ieiunam, Homeri præſertim, deſcriptionem, cum Maronis copioſa, & illuſtri conferas, illi luſiſſe potius, quam deſcripſiſſe videantur. Vide Naſcimb.

ET PARIBVS PAL. AMB. INNEXVIT AR.) Modicius cap.34. Cæſtuum formam Seruius nō deſcribit: fortaſſe quod ex poetæ verbis facile cognoſci poſſit. Nicolaus Perottus in Cornucopiæ ex Græcis auctoribus rectè definiuit: Cæſtus fuiſſe lora ex corio bubulo, manibus circumuoluta. Ambroſius Calepinus ex libris, opinor, plebeis peſſimè definit. Cæſtus, genus clauæ, pilas plumbeas loris bubulis appenſas habens: quo Daretem, & Entellum pugnaſſe legimus, à cædendo dictum. Viri doctiſſimi hoc ſæculo Calepini dictionarium plus decies emendarunt, caſtigarunt, locupletarunt: & rem fatuam, ineptam, ac monſtroſam pro lepida, & arguta retinuerunt. Pictores apud omnes Chriſtiani orbis nationes, quibus antiquarum imaginum exempla curæ eſt habere, Grammaticos poſſunt veram cæſtuum formam docere. Imagines Daretis, & Entelli cæſtibus pugnantium per omnem Italiam venduntur. Certare cæſtibus, eſt certare pugnis, non tamen nudis, ſed loro coriaceo circumuolutis ſine ferro, ſine plumbo, quæ neque Homerus, neque Theocritus addiderunt. Virgilius poſuit in cæſtibus Erycis, & Herculis ferrum, & plumbum: vt duos quaſi gigantes à communibus viris ſepararet. Obſtupuit Æneas: qui nunquam ante viderat: obſtupuit populus vniuerſus. Ille igitur cæſtus extulit æquos. Romæ communium cæſtuum vera forma in quibuſdam parietibus cernitur. Mediolani diuturna de cæſtibus cōtrouerſia cum duobus Grammaticis mihi fuit. Aaron Bataleus ſecundum Calepinum ſententiam tulit: ego adoleſcens contumacior ſum habitus.

CONSTITIT IN DIGITOS) Quintil. lib. 8. cap.3. Magna virtus eſt, ea, de quibus loquimur, clarè, atque vt cerni videantur, enuntiare. Eſt igitur vnum genus, quo tota rerum imago quodammodo verbis depingitur. *Conſtitit in digitos extemplo arrectus vterque,* & cætera: quæ nobis illam pugilum congredientium faciem ita oſtendunt, vt non clarior futura fuerit ſpectantibus.

ABDVXERE RETRO LONGE CAP.) Rem latius, & fuſius depingit, quam Homerus, qui, ſimulatq; pugnam inierunt pugiles, illico maxillarum percuſſiones ſubſecutas fuiſſe ſcribit. Sed longa congreſſio, vulnerumque dilatio rem tum copioſam, tum magis etiam probabilem reddit. Nam veriſimile eſt, à duobus maximi animi viris, artisq; pugillatoriæ peritiſſimis, plures vltro, citroq; ictus incaſſum iactatos prius fuiſſe, quam alter alterum feriret. Naſcimb.

ILLE PEDVM MELIOR MOTV) Diuiſio eſt, qua Daretem cum Entello comparat, quorum alterum à leuitate pedum, motusq; celeritate, alterum à mole membrorum cōmendat. *Genua labant*, reſpondet illi, *Ille pedum melior motu*. Naſcimb.

ÆGER ANHELITVS) Senibus anima breuior eſt, quemadmodum ijs, qui morbo affictantur, propter pulmonum languorem videlicet, quem corporis imbecillitas creat. Hinc etiam citius ſenes, quam iuniores laſſitudo occupat, dum ambulant, dum corpus ipſi ſuum occupant, aut agitant. Hortenſ.

INTER SE VVLNERA IACTANT) Vulnus obſeruabis non tantum dici, cum ictu aliquo, aut vi aliqua rupta carne ſanguis ſequitur; ſed de quocunque ictu. Per metaphoram quoque in rebus anima carentibus dicitur. Et lib.2. de quercu. *Vulneribus donec paulatim euicta ſupremum Congemuit.* ✠

PECTORE VASTOS DANT SONITVS) De pectore magnos effundunt ſonitus, non quòd doleant, ſed vt acrius feriant. Cic.2. Tuſcul. de pugilibus agens. Pugiles verò etiam cum feriunt aduerſarium, in iactandis cæſtibus ingemiſcunt: non quòd doleant, animóue ſuccumbant, ſed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitq; plaga vehementior. Quibus ex verbis hic locus facilè intelligitur. Naſcimb.

Stat grauis Entellus, niſuq́; immotus eodem,
Corpore tela modò, atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celſam oppugnat qui molibus vrbem,
Aut montana ſedet circum caſtella ſub armis:
NVNC HOS NVNC ILLOS ADITVS, OMNEMQVE PERERRAT
ARTE LOCVM, & varijs aſſultibus irritus vrget.

Oſtendit dextram inſurgens Entellus, & altè
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Præuidit, celeriq; elapſus corpore ceſſit.
ENTELLVS VIRES IN VENTVM EFFVDIT: & vltro
Ipſe grauis, grauiterq; ad terram pondere vaſto
Concidit: vt quondam caua concidit, aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicitus eruta pinus.

CORPORE TELA EXIT) Id eſt, quod Cic. 1. A Catilin. habet. & vt dicitur, corpore effugi: eſtq; verbum gladiatorium. Manil. lib. 5. *Ille cito motu rigidos eludere caſtus, Nunc exire leuis miſſos.* Turneb. lib. 14. cap. 4. & 28. cap. 15. In ludo gladiatorio docet Lipſius Saturnal. lib. 2. cap. 21. vitandi, cauendiq; verba fuiſſe, exire, excedere: ac proinde apud Cic. in Catilin. legit pro *effugi*, exceſſi. Parua quadá declinatione, & vt aiunt, corpore exceſſi. Ludere etiam vel eludere. Prudentius.

Nam ſi noſtra fides ſæclo iam tuta quieto,
Viribus infeſtis, hoſtiliq; arte petita eſt:
Cur mihi fas non ſit, lateris ſinuamine flexi
Ludere ventoſas iactu pereunte ſagittas?

Vbi ambigo, num *ſariſſas* melius: præceſſit enim, *iactu*: B haſtæ autem iaciuntur, pilaque, non ſagittæ. Tamen in Prudentio verborum non tam acer delectus. Vide inſuper Giſan. Collectan. in Lucret. verbo *Exire.*

Iunxit etiam alibi hoc verbum *exire* cum accuſandi caſu Virgilius, nempe lib. 11. *Suſtinet a iugulo dextram, & vim viribus exit.* Sic Lucret. lib. 5. *Nam tranſverſa feros exibant dentis adactus.* Et lib. 6. *Profluuium porrò qui tetri ſanguinis acre Exierat.* In his omnibus locis, exire, valet effugere, declinare, euadere, vitare. Ex Lamb. in Lucret.

NVNC HOS NVNC ILLOS ADITVS) Vt Entellum immobilem, in iiſdem veſtigiis permanentem deſcripſit, ita ex ἀντιθέσεως Daretem huc illuc concurſantem facit, veluti qui vrbem aliquam oppugnans, omnem illius perluſtrat aditum. Eſt igitur ab Imperatore vrbem oppugnante comparatio: quam poeta eleganter, & ſcitè per ὑποτύπωσιν effingit. Apollonius Amycum cum Polluce certantem, curuo fluctui nauem impetenti comparat. Dextram extollit Entellus, vt Daretem feriat: ille verò ictum venientem præuidens, illicò, qua pollet corporis agilitate, vitat. Amplificat caſum Entelli à comparatione hyperbolica. Maximarum arborum ruinis fere Homerus fortium virorum caſus comparare ſolet. vt Iliad. 14.

Ὡς δ' ὅθ' ὑπαὶ ῥιπῆς πατρὸς Διὸς ἐξερίπῃ δρῦς
Πρόῤῥιζος, δεινὴ δὲ θεείου γίγνεται ὀδμή.
Ceu Iouis alta patris ictu radicibus acta
Conciderat quercus, grauis vnde odor afflat, & acer
Sulphuris.

CAVA PINVS) carioſa, vitioſa. alludit ad ætatem. Vetuſtate excauata, annoſa, quæ nô ſecurib⁹, ſed carie exeſa, vel ſponte, vel venti procella acta cecidit. Montfort.

Conſurgunt ſtudijs Teucri, & Trinacria pubes:
IT CLAMOR CÆLO: primuſq; accurrit Aceſtes,
Æquæuumq; ab humo miſerans attollit amicum.
At non tardatus caſu, neq; territus heros
ACRIOR AD PVGNAM REDIT: & vim ſuſcitat ira.
Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus:
Præcipitemq; Daren ardens agit æquore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra.
Nec mora, nec requies. quàm multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, ſic denſis ictibus heros
Creber vtraq; manu pulſat, verſatq; Dareta.

CONSVRG. STVD. TEVCRI, ET TRINACRIA PVB.) Duo pugiles, duæ ſunt nationes: altera alteri fauet. Siculi fauere Entello videntur: currit Aceſtes, vt illum ſubleuet, quod lege pugillatus fieri ſolebat, ne iacens vulneraretur: nam ex lapſu Entelli Dares victor eſſe videbatur. Sic apud Homerum Iliad. 23. Euryalum humi proſtratum Epeus erigit. Erectus Entellus, redintegrata pugna mutuas ardens verberationes miſcet. Naſcim.

PRÆCIP. DAREN AGIT ÆQVOR. TOTO) Virtus, cuius ſibi conſcius erat, animum iraſcentis armabat. Ille qui ætate grauis, & corpore vno in loco conſiſtens, ictus venientes declinando vitabat, ira & conſcientia virtutis accenſus, repente mobilis, & acer effectus, agitabat Daren per omnem campum. Et ille, quem iuuenta ſuperbum fecerat, ille qui pedum melior fuerat motu, ſic cedebat Entello, vt inſequentis ſenis ictus vitare non poſſet: vſqueadeo, vt non iam ſingularibus, ſed geminatis, & multiplicatis ictibus cæde- C retur, nec vna tantum manu, ſed vtraq; verberante: nec vlla vapulanti dabatur requies. Donat.

NVNC ILLE SINISTRA) Interdum per pleonaſmum abundat pronomen *ille*, ſed non ſine gratia. Sic apud Terent. Adelph. *Quem neq; fides, neq; iuſiurandum, neq; illum miſericordia repreſſit, neq; reflexit.* Et apud Salluſt. in Iugurth. vt quidam corrigunt. neque illis caſtra eſſe, neq; illis munimentum vllum.

NEC MORA, NEC REQVIES) Lucret. lib. 4. *Nec mora, nec requies interdatur vlla fluendi.* Hoc ira, pudor, virtus faciebant, vt cui antea labarent genua, quiq; corpus annis infirmû gereret, acerrimè aduerſarium, nulla quiete interpoſita oppugnaret. ✠

CREBER VTRAQVE MAN. P. VER. DARETA) Vtraque manu, iam hoc plus eſt, quam quod præceſſit, denſis ictibus. Et quod paulo ante dixit, *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra*, hic vtraque manu, mutato orationis colore. Addit *creber*, hoc eſt, crebrò,

atque

atque identidem duplicans verbera, vt pugilis veterani impetum, & ardorem oculis subijciat. Et duo verba *pulsat*, *versat* ad frequentem actionē spectant, ne quid amplificationi desit. Montfortius.

Tum pater Æneas procedere longiùs iras,
Et sæuire animis Entellum haud passus acerbis:
Sed finem imposuit pugnæ, fessumq; Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur.
INFÆLIX, QVÆ TANTA ANIMVM DEMENTIA CEPIT?
Non vires alias, conuersaq; numina sentis?
CEDE DEO. dixitq;, & prælia voce diremit.
Ast illum fidi æquales genua ægra trahentem,
Iactantemq; vtroq; caput, crassumq; cruorem
Ore eiectantem, mistosq; in sanguine dentes,
Ducunt ad naues: galeamq;, ensemq; vocati
Accipiunt: palmam Entello, taurumq; relinquunt.

PROCEDERE LONGIVS IRAS) Προβαίνειν περαιτέρω τὰς ὀργάς. Sunt autem, qui *producere* legant: ego tamen à recepta lectione non possum recedere: tum quod mihi venustior, & magis poetica videtur: tum quod & Græci προχωρεῖν ὀργὰς dicunt, & πρὸς ὀργὰς, & μάχην. vt Lucian. πρᾶγμα μὲν πρὸς μάχην προχώρει. German.

Æneas & sui hominis caussa, & quia acerbum fuit post victoriam hominem cædi vsque ad mortem, non patitur vltra procedere sæuientem. *Eripuit*, inquit, vt periculum salutis eius ostenderet. Eodem vsus est Sinon lib. 2. *Eripui fateor letho me.* Æneas in 6. de patre seruato. *Illum ego per flammas, & mille sequentia tela Eripui.* Exceptum ergo consolans, *infælicem* vocat, non *imbellem*, vt fortunæ videatur, quod victus est. Demens autem est, qui exclusa sanitate consilij, mente perdita non cernit aduersum se, non tantum hominem, verum etiam deos ex aperto contendere. Hoc autem amanter Æneam dixisse intelligendum est, vt Dares non Entelli, sed dei cuiusdam violentia superatus esse videretur. Et dicendo *Cede deo*, minuere voluit victoris hominis laudem. Donatus.

CEDE DEO) Plutarch. libello de Auditione, inter septem Græciæ sapientum oracula celebratum ait, Ἕπου θεῷ sequere deum, putatq; hanc esse sententiam, obtempera rationi, quasi vnicuiq; debeat oraculi vice esse, quidquid in pectore dictet ratio. Vide reliqua apud Nascimb.

MISTOSQVE IN SANG. DENTES) Noluit hoc facere Eurydamas Cyrenæus, dentes, inquam, sibi excussos expuere: qui cum cæstu vicisset, & essent tamen ei dentes excussi ab aduersario, statim eos deglutiuit, ne, qui contrà luctabatur, id animaduerteret. Ælian. lib. 10. cap. 19.

GALEAMQVE, ENSEMQVE VOCATI ACCIP.) Victum Dareta luculentiore auget munere, quàm victorem Entellum. Nam galea, & ensis viro forti conueniunt magis, quàm bos, qui datur Entello. Id non absque iudicio factum fuisse existimare decet. Vt scilicet ostenderet Æneas, virtutem sibi ipsam, & pretium, & præmium esse. Hinc est, quod leges supplicia criminibus proponunt, virtutibus verò nihil impartiunt. Nascimbæn.

PALMAM ENTELLO, TAVRVMQVE RELIN.) Attamen in præmio palmæ mentionem Æneas non fecerat. Sed vt in Symposiacis Plutarchus refert, palma cōmune erat omnium certaminum præmium, quamuis aliud proprium esset: neque enim hic, vt reor, simpliciter victoriam declarat. Turneb. lib. 26. cap. 17.

Illud autem plerosque latere solet, aliorum scilicet omnium certaminum (præter quatuor illa sacra, in quibus coronæ dabantur) victores palma insigniri consuesse. Nam omnibus sine controuersia palmæ ramum manibus gestare semper in more fuit. Palmacei igitur huius gestaminis hæc prima fertur fuisse origo. Theseum è Creta, Minotauro deuicto redeuntem, Delum applicuisse, ibique ob monstri reportatam victoriam sacros Apollini ludos fecisse. In quibus victores primus Deliaca palma donasse dicitur. Inde inoleuit mos, cuiuscunque certaminis victorem palmæ ramis decorari. Deliacæ autem palmæ cum alij plerique meminerunt auctores, tum Homerus ipse in Vlyssis apud Nausicaam Alcinoi filiam oratione mentionem facit. Leonicus lib. 1. cap. 68.

Cur in certaminibus palma esset signum victoriæ, non exponit Leonicus: sed hoc duntaxat, vnde mos iste palmam dandi victoribus natus sit. Sciendum est igitur ex Aristotele, & Plutarcho, quod notauit Gellius lib. 3. cap. 6. tale ingenium esse huius arboris, vt quamuis ingentibus ponderibus superpositis non cedat, sed contrà nitatur. Non deorsum premitur, non intrà flectitur: sed aduersus onus molemque resurgit, ac sursum nititur, recuruaturque. Vt ergo insinuetur, victores opprimi non potuisse, nulliq; impetui cessisse, sed prementes potiùs oppressisse, ideo palma datur, & palmam ferre, est vicisse. Sed è Plutarcho de caussis naturalibus cap. 32. caussam adducemus, cur contra impositum pondus sola ex omnibus arboribus palma nitatur. Vel quod ignea, & spirabilis facultas, qua maximè pollet, quum tentatur, & irritatur, sese exerens magis & magis, erigit. Vel quoniam pondus ramos subitò vrgens, aërem omnem, qui in his est, oppressum cedere retro cogit: qui deinde resumptis paulùm viribus, aduersum onus acrius rursus instat. Vel quia molles, & teneræ virgæ impetum non sustinentes, quum onus quiescit, paulatim sē erigunt, & speciem quasi contra illud assurgant, præbent. Palmarium facinus Terentio in Eunucho est insigne, ac palma, hoc est, victoria, ac triumpho dignum. Cicer. pro Sex. Roscio. Alter plurimarum palmarum vetus, ac nobilis gladiator ha-

tor habetur. Plaut. Mostell. in reprehensione posuit hanc vocem, dum de adolescente corrupto ait. *Is nunc in aliam partem palmam possidet.* Vide adagium, Palmarium facinus. ✠

Hîc victor superans animis, tauroq; superbus,
Nate dea, vosq; hæc, inquit, cognoscite Teucri:
Et mihi quæ fuerint iuuenili in corpore vires,
Et qua seruetis reuocatum à morte Dareta.
Dixit, & aduersi contra stetit ora iuuenci,
Qui donum adstabat pugnæ: durosq; reducta
Librauit dextra media inter cornua cæstus,
Arduus, effractoq; illisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisq; tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effudit pectore voces.
Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Persoluo: HIC VICTOR CÆSTVS, ARTEMQVE REPONO.

SVPERANS ANIMIS) Elatus animo, sequitur enim, *tauroq; superbus.* Facit spiritus victoria, & naturâ insolens, ac superba est, vt ait Cicero.

NATE DEA, VOSQVE HÆC) Commendaturus seipsum Entellus, non Acesten, aut Siculos, quibus eius vires satis, superq; notæ erant, sed Æneam, & reliquos Troianos alloquitur: vnde colligitur, licere suas quandoque virtutes apud ignotos homines celebrare, quod in 1. Æneid. facit Æneas. Nascimb.

ET MIHI QVÆ FVER. IVVENILI IN CORP.) Et tu, inquit, Ænea, & vos Troiani ex præsenti facto, quod mox proferam, intelligite, qualis in iuuentute fueram, quando admiranda longæuus ostendo: simul hoc quoque cognituri, quanta mortis acerbitate liberaueritis Daren vestrum. Donat.

REDVCTA DEXTRA) tunc enim ictus redditur fortior, si è maiori spatio veniat. Librauit in iuuenci cerebrum manum, atque inter cornua cæstus illisit. Hæc pars capitis maximam duritiem habet, perindeq; maximam frangendi difficultatem, & tamẽ ictus istius, effractis ossibus vsque ad cerebrum penetrauit. Proinde, qua morte interijt bos, ipsa ostendit Darem interire potuisse. Donatus.

PROCVMBIT HVMI BOS) Ad rei grauitatem, tarditatem, celeritatem, impetum, & pondus exprimendum, & tanquam ante oculos ponendum, valent μονοσυλλαβοκατάληκτα, quamuis ea damnent Grammatici: qui cum paucæ lectionis, pauciorum artium, paucissimi sint iudicij, præscribere audent diuina ingenia febriculosis, trepidisq; angustijs suarum præceptionum. Ergo maximus poetarum, cum incomparabilem hunc versum fecisset, impudentissimè Seruius, pessimus, inquit, versus, in monosyllabum desinens. Vtrum enim malis, huncné, an, *Sternitur, exanimisq, tremens bos corruit ictu?* Quis igitur illum quoq; Grammaticorum interpolabit nobis, ne sit monosyllabum? *Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ mõs.* Quem versum quare non appellauit pessimum, sicut & congenerem illum alterum? aut quare distulit iudicium monosyllaborum à primo ad quintum librum? Atqui potuerat sic, *Insequitur tumidis mons incitus vndis.* Verùm vt corruit taurus, vt confluxit in vnum montem mare: ita corruit versus in monosyllabum, copia multarum syllabarum in vnam syllabam coacta est. Sicut & in illo, *ruit oceano nox.* Quid illo acrius? *en hæc promissa fides est?* Nihil enim aptius indignationi, quàm oratio desinens in monosyllabum. Lege quæ sequuntur apud Scalig. Poet. lib. 4. cap. 48. * *Postrema huius versus perquam appositè Sanazarius lib. 2. ad bouem velut lanij percussu cadentem, & Iesum infantem modò editum adorantem transtulit, ijsdem planè verbis.* O rerum occulta potestas: Protinus agnoscens dominum procumbit humi bos Cernuus.

HANC TIBI ERYX MELIOR. ANIMAM) Cum prima hostia non litabatur, aut effugerat, & succidaneæ hostiæ immolabantur ad deos placandos, *meliores*, vt opinor, dari dicebantur, ad quem ritum respexit. Sic & lib. 12. *Hoc habet, hæc melior magnis data victima diuis.* quò & prouerbium græcum pertinet, δευτέρων ἀμεινόνων. Respexit & Maro ad hostias eas, quæ animales dicebantur, ad consultatoriarum discrimen, vt Critici dicunt. Turneb. lib. 14. cap. 4. Aliter idem lib. 20. cap. 24. Ex comparatione Græcorum, inquit, melius aliquanto hic locus intelligitur. Cum enim Daretem tanquam hostiam sacris vouisset, & interficere decreuisset, proinde quasi ea hostia grata non esset heroi futura, nec litatura, succidaneam sese meliorem dare demonstrat. Nam in sacris succidaneis Græci per euphemismum δευτέρων ἀμεινόνων dicere solebant.

Naso quoque lib. Fast. 6. vbi de lustratione, de bimestri porca.

Cor pro corde precor, pro fibris sumite fibras,
Hanc animam vobis pro meliore damus.

Sic & Græci hostiarum animam nominabant, vt Plutarchus, cum agit de hostiæ probatione. τὴν δὲ ψυχὴν δοκιμάζουσι, τοῖς μὲν ταύροις ἄλφιτα, τοῖς δὲ κάπροις ἐρεβίνθους παρατιθέντες. τὴν δὲ αἶγα διελέγχει ψυχρὸν ὕδωρ. German.

HIC VICT. CÆST. AR. REP.) Recurre ad locum illum Eclog. 7. *Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.* Constat enim allusum ad emeritos milites, artificesq; vt ibidem docuimus. German.

PERSOLVO) Vota quemadmodum concipi, suscipi, nuncupari: sic solui, persolui, reddi dicuntur. Vide Brisson Formul. lib. 1. pag. 103.

Protinus Æneas celeri certare sagitta
Inuitat, qui fortè velint, & præmia ponit:

Ingen-

Ingentiq; manu malum de naue Serefti
Erigit: & volucrem traiecto in fune columbam,
Quò tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Conuenere viri: deiectamq; ærea sortem
Accepit galea, & primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis.
Quem modò nauali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus euinctus oliua.
Tertius Eurytion, tuus ô clarissime, frater,
Pandare, qui quondam iussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achiuos.
Extremus, galeaq; ima subsedit Acestes,
Ausus & ipse manu iuuenum tentare laborem.

CELERI CERTARE SAGITTA) Hic locus constat B ex Homeri Iliad. ψ. cuius plusculos versus non erit pœnitendi laboris huc reuocare, vt velut in rem præsentē bonos adolescentes manu deducam. Vide German.

Quartum igitur certaminis genus describet, quod apud Homerū est ordine sextum, nempe sagittariorum, quos ad figendam columbam, pedibus de malo suspensam inuitat. Malum fuisse magnæ molis, patet ex eo, quod ad eum erigendum plurimorum opera opus fuit. Quæ autem, vel qualia præmia certaturis proposuerit, tacet poeta. Secus Homerus, qui decem secures victori, totidem alteri securiculas donat: duo enim tantummodo apud illum sorte educuntur, Teucer, & Meriones: apud nostrum quatuor, Hippocoon, Mnestheus, C Eurytion, Acestes. Nascimb.

MALO SVSPENDIT AB ALTO) Pedibus scilicet, vt Homerus, *δῆσεν ποδός*.

DEIECTAMQVE ÆREA SORTEM) Similiter locutum Cæsarem Belli ciuil. lib. 1. obseruat German. Prouinciæ priuatis decernuntur, duæ consulares, reliquæ prætoriæ. Scipioni obuenit Syria, L. Domitio Gallia, Philippus, & Marcellus priuato consilio prætereuntur, neq; eorum sortes deijciuntur. Atque vt sors deijci, in vrnam videlicet, aut galeam dicitur, sic exire cum extrahitur, siue educitur, quod hic Virgil. *exit locus Hippocoontis*. Dicit etiam trahere, ducere, edere sortem Cicero. Item conijcere sortem, sortitionem facere. ✱

Mos fuit veteribus sortiri, coniectis in galeam sortibus. Homer. Iliad. ψ. *κλήρους δ' ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον ἑλόντες*, &c. quem hoc loco est imitatus Virgilius. Meminit huius moris Sophocles in Aiace his versibus.

Οὐ δραπέτην τὸν κλῆρον ἐς μέσον καθεὶς
Ὑγρᾶς ἀρούρας βῶλον, ἀλλ' ὃς εὐλόφου
Κυνῆς ἔμελλε πρῶτος ἅλμα κουφιεῖν.

Hoc est. Non fugacem sortem in medium immittens, humidi limi calculum: sed eum qui ex galea cristata sit illico emicaturus. Hartung. Decur. 4. cap. 8.

Homeri imitatione scriptum est, ait Turneb. lib. 28. cap. 16. sine controuersia. Nam Iliad. 7. certamine singulari sortientibus ducibus, quis cū Hectore pugnaturus sit, sortes in galeam deijciuntur. Sed & apud Æschylum, Fab. Septem ad Thebas.

----- *τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ τρίτος πάλος*
Ἐξ ὑπτίου πήδησεν εὐχάλκου κράνους.

Sic hominibus illis militaribus erat galea pro forensi, aut vrbana sitella, vel vrna.

QVEM MODO NAVAL. MNESTHEVS) Secundus è galea educitur Mnestheus, quem paulò antè in nauali certamine victorem hic facit poeta, sui fortasse oblitus, cum (vt suprà est relatum) Cloanthus numinis beneficio palmam obtinuerit. Sed qui poetam ab incogitantia asserere volunt, *modo* per propemodum exponunt. Alij iure victorem dicunt, humanis nempe viribus. Cloanthum enim diuina ope præoccupasse locū priorem. Montfortius.

QVI QVONDAM IVSSVS CONFVND. FOEDVS) Alludit ad historiam, quam describit Homerus Iliad. 3. & 4. Conuenerunt iureiurando Troiani, atq; Græci, vt Paris cum Menelao singulari certamine congrederetur, vtercunq; victor esset, Helenam abduceret, finisq; belli foret. At quia fatum erat, vt Ilium periret, Iupiter persuasione Iunonis Palladem excitat, ad rumpendum fœdus: quæ nacta Pandarum Lycaonis filium, for- D tissimum virum, ei persuadet, vt sagitta feriat Menelaum: quo vulnerato, quam primùm fœdus à Troianis, & Græcis sollemniter ictum disrumpitur, acerrimeque inter eos dimicatur. Nascimb. * *Similis Pandaro inducitur Tolumnius augur lib. 12. Primus enim, læto augurio, quod Iuturna obiecerat Turno soror, telum in hostes iacit, turbandiq; fœderis initium facit.*

GALEAQVE IMA SVBSEDIT ACESTES) Acestæ nomē remansit in galea, quod proferre nihil erat opus, cum ibi aliud nullum esset. Hic, quāquam senior, laudum voto inter iuuenes numerari voluit, quum sciret, sagittarum certamen non robore corporis, sed vsu, & exercitatione constare.

Tum validis flexos incuruant viribus arcus
Pro se quisq; viri, & depromunt tela pharetris:
Primaq; per cælum neruo stridente sagitta
Hyrtacidæ iuuenis volucres diuerberat auras:
Et venit, aduersiq; infigitur arbore mali.

Intremuit malus: timuitq; exterrita pennis
Ales, & ingenti sonuerunt omnia plausu.
Pòst acer Mnestheus adducto constitit arcu,
Alta petens, pariterq; oculos, telumq; tetendit.
Ast ipsam miserandus auem contingere ferro
Non valuit: nodos, & vincula linea rupit,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa Notos, atq; atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus iam dudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocauit.
Iam vacuo lætam cælo speculatus, & alis
Plaudentem, nigra figit sub nube columbàm.
Decidit exanimis, vitamq; reliquit in astris
Aërijs, fixamq; refert delapsa sagittam.

FLEXOSQVE INCVRVANT ARCVS) Mutatione vsus est verborum, nam curuos inflectunt debuit dicere.

ARBORE MALI) vt, *Lustrat Auentini montem.*

PENNIS EXTERRITA) id est, timorem suum pennarum concussione significans. Singula enim animalia habent signa, quibus indicant suum timorem. Vnde & ipse de lupo, *caudamq; remulcens Subiecit pauitantem vtero.* Idem de Caco. *Turbatumq; oculis.* Hominum enim timorem primi indicant oculi.

PLAVSV) spectantium scilicet. Hactenus Seruius.

ACER MNESTHEVS OCVLOS, TELVMQVE DETENDIT) Dicendo, acrem, & oculos illum simul cum telo in altitudinem librasse, aliquid mirabile facturum ostendit.

MISERANDVS) ita vocat, quia perfecta re difficiliori, caruit victoria. Totus hic locus de vinculis ruptis etiam est ex Homero. Elegantius autem noster, *Illa Notos atque atra volans,* &c. Homerus enim simpliciter dixit. ἡ μὲν ἔπειτ' ἤϊξε πρὸς οὐρανὸν illa quidem volauit in cęlum. Nascimb.

FRATR. EVRYT. IN VOTA VOCAVIT) Multum apud Eurytionem valebat fraterna religio, quem in A propria vota inuocat, tanquam deum: & à Lycijs pro heroë colebatur.

RAPIDVS) moratum impatiens. Quod ait, *speculatus*, artis fuit, debuit enim volatum ei⁹ explorare, quia turbato eo, atque incomposito, locus feriendi inueniri non poterat. Vbi igitur hanc vidit lætis, & securis volatibus ferri, iecit sagittam, & columbam in aëre confixit. Magnæ peritiæ, volantem, & in alto constitutam figere, præterea obumbratam nube atra. Non dixit autem, sagitta reuocat columbam, quæ ruptis vinculis libera auolarat, sed, quod erat pulchrius, ales ipsam sagittam reuocat. Donatus.

VITAMQVE RELIQVIT IN ASTRIS) Hoc B quoque de prudentia religionis à Virgilio dictum est. Higynus enim de proprietatibus deorum, cũ de astris, ac stellis loqueretur, ait, oportere his volucres immolari. Doctè ergo Virgilius dixit, apud ea numina animã volucris remansisse, quibus ad litandum data est. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 8.

FIXAMQVE REFERT. DELAPSA SAGIT.) Hoc ferè magis probabile est, columbam cum sagitta adhuc in corpore fixa decidisse, quam quod ait Homerus, confossa columba telum mansisse, & versa cuspide in terram antè pedes Merionis prolapsum fuisse. Nascimb.

Amissa solus palma superabat Acestes:
Qui tamen ætherias telum contorsit in auras,
Ostentans artem pariter, arcumq; sonantem.
Hîc oculis subitò objicitur, magnoq; futurum
Augurio monstrum, docuit pòst exitus ingens:
Seraq; terrifici cecinerunt omina vates.
Namq; volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signauitq; viam flammis, tenuesq; recessit
Consumpta in ventos: cælo ceu sæpe refixa
Transcurrunt, crinemq; volantia sidera ducunt.
Attonitis hæsere animis; superosq; precati
Trinacrij, Teucriq; viri: nec maximus omen
Abnuit Æneas: sed lætum amplexus Acesten,
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur.

OSTENTANS ARTEM PARITER) Quomodo artem ostentare poterat, si quod figeret, amplius non erat? Sic occurritur: artificis peritiam quandoque ex solo illius gestu perspici solere: sicuti veteranus miles, & in

& in re militari exercitatiſſimus in deferenda haſta perſæpe cognoſcitur. Naſcimb.

Docvit post exitvs) Quia paulo poſt mulieres Troianæ, ſuaſu Iridis, vt putabant, naues ſuas combuſſerunt. Huc pertinebat Aceſtæ iaculum in nubibus combuſtum. Naſcimb.

Ser. terrifici cecinere.) Verſus hic videtur refragari rerum euentui, & cum poetæ ſententia pugnare. nam mox ex incenſa claſſe illius diri portenti fides repræſentata eſt. Videtur *ſerum*, non tardum, hic ſignificare, ſed dirum. Ac videtur ex eo malè ominoſum eſſe, quòd ſera omnia, & tarda, proſperos non habeant ſucceſſus. Quæ erat cauſſa, vt poſtridianos dies auerſarentur, neque his quidquam inciperent. Poſtridie enim quod incipitur, maturè non inchoatur, nec tempeſtiuè. Itaque in nomine ipſo obſcœnum ineſt, & inauſpicatum omen. Sed etiam ſeri ominis explicationem explicauit Seruius in 4. Æneid. *Seraq; culminibus ferali carmine bubo.* Ita bubo erit vel noctu canens, vel inauſpicatus. Turneb. lib. 26. cap. 17.

Namqve volans liqvid. in nvb.) Celeritas volantis ſagittæ, celeritatem etiam euentus portendit. Vt enim volantium ſiderum eſt ocyſſima ſignificantia, vt eorum, quæ ἀκοντίαι vocantur: ſic & ſagittæ ardentis, & iaculum, aut cauatam ſtellam referentis. Turneb. lib. 26. cap. 17. Loco iſti germanus eſt ille lib. 2. de ſtella, quæ Æneam cum ſuis admonere viſa eſt, quà eundum eſſet:

——& de cœlo lapſa per vmbras
Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti
Cernimus Idæa claram ſe condere ſylua,
Signantemq; vias: tum longo limite ſulcus
Dat lucem.

Nec max. omen ab. æn.) Æneas omen acB cipit vt lætum, quod auerſari vt dirum debuit Turneb. lib. 26. cap. 17. Naſcimb. ſic. Diſſimulata ſollicitudine lætum ſe finxit, ne triſtior ob omen, publicum gaudiũ perturbaret.

Acesten mvner. cvmvl.) Imitatione Achillis Homerici cumulat Aceſtẽ donis Æneas. Ille enim Iliad. ψ. in funebribus ludis Neſtorem, quamuis in certamen per ætatem deſcendere non potuiſſet, honorario tamẽ munere eſt proſecutus. Naſcimb.

Sume pater (nam te voluit rex magnus olympi
Talibus auſpicijs exſortem ducere honorem)
Ipſius Anchiſæ longæui hoc munus habebis:
Cratera impreſſum ſignis, quem Thracius olim
Anchiſæ genitori in magno munere Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum, & pignus amoris.
Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omne victorem appellat Aceſten.
Nec bonvs Evrytion prælato invidit honori,
Quamuis ſolus auem cælo deiecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit:
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.

Exsortem dvcere honor.) Lib. 7. de equo, C bere. Torrent. in Sueton.

Exſortem Æneæ ducunt: quod ea forma vtrobiq; dictũ videtur, qua Græci ἄκληρον, & ἐξαίρετον dicunt, hoc eſt, ſorti exceptum, vt infrà lib. 9. *Excipiam ſorti iam nunc tua munera Niſe.* Euripid. in Troad. ὅσαι δ' ἄκληροι Τρῳάδων τοῖς πρώτοισιν ἐξῃρημέναι στρατοῦ. Hic autem honorem pro honorario poſuit, more iuriſconſultorum, quibus paſſim familiaris eſt hęc vſurpatio. Honor enim pro pretio Romanis accipiebatur, imitatione Græcorum, quibus τιμὴ in eodem eſt vſu. German.

Ipsivs Anchisæ longævi hoc mvnvs) τὸ πρέπον. Datur ſeni, quod ſenis fuerat, & commendatur munus ab artificio, atq; à dignitate perſonæ: nam Ciſſei fuerat patris Hecubæ, regis Thraciæ. Non potuit igitur D non pretioſum eſſe. Naſcimb.

In magno mvnere) Id eſt, loco magni muneris. Sueton. in Iulio cap. 23. Ad ſecuritatem ergo poſteri tẽporis in magno negotio habuit, obligare ſemp annuos magiſtratus. Hoc vel ita licet exponere, magnum negotiũ habuit in obligandis, vt Cic. dixit negotium habere in aliqua re, epiſt. 14. lib. 5. Vel, magni negotij loco habere.

Cing. vir. temp. lavro) Laurus à verbo laudis dicta. Hac enim cum laudibus victorum capita coronabantur. Apud antiquos laudea nominabatur: poſtea, d, littera ſublata, & ſubrogata, r, dicta eſt laurus. Iſidor. lib. 17. cap. 7. Cur ſacra poetis, & quid myſticè velit, Pierius lib. 50.

Nec prælato invid. honori) Obſeruanda hæc phraſis, *nec prælato inuidit honori,* quæ rebus dat, quod perſonarum eſt: vt Eurytiona accipiamus non inuidiſſe prælatum ſibi in honore, & munere decernendo Aceſten. Cum autem ex Ariſtotele conſtet, nemeſin inter φθόνον, & ἐπιχαιρεκακίαν ſitam, nihil eſſe aliud, quam iuſtam indignationẽ, qua proſequimur παρ' ἀξίαν, & præter meritum proſpere agentes, videtur hic *inuidere* poeta, & φθονεῖν ἀντὶ τοῦ νεμεσᾶν vſurpaſſe: prærogatiua enim, & priuilegio ætatis, Aceſtes Eurytioni meritam lege Agonali palmam interuerterat. German.* *In capiendis itaq; præmijs primũ locum tenuit Aceſtes: propter prodigium, quo Iouis voluntas declarata eſt, qui regem honorari voluit. Secundum Eurytion. Tertium Mneſtheus. Poſtremum Hippocoon.*

At pater Æneas, nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe, comitemq; impubis Iuli
Epytiden vocat, & fidam ſic fatur ad aurem:

Vade

Vade age, & Aſcanio, ſi iam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſusq; inſtruxit equorum:
Ducat auo turmas, & ſeſe oſtendat in armis.
Sic ait: ipſe omnem longo decedere circo
Infuſum populum, & campos iubet eſſe patentes.
Incedunt pueri, pariterq; ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit, Troiæq; iuuentus.
Omnibus in morem tonſa coma preſſa corona:
Cornea bina ferunt præfixo haſtilia ferro:
Pars leues humero pharetras: it pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

CVSTOD. AD SESE, COMITEMQVE) Seruius ait, Ciceronem ſcripſiſſe, anno ſtipendij primo ſolitos eſſe dari cuſtodes adoleſcentibus militaturis, qua ex conſuetudine iſtuc Maronem ſcripſiſſe. Illud inſtitutum declarauit Plaut. Moſtell.

Ad legionem cum itant, adminiculum
Eis donant tum aliquem cognatum ſuum.

Cic. pro Cælio. Eademq; erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus, caſtrenſis ratio, ac militaris, qua in ætate, niſi qui ſe ipſe ſua grauitate, & caſtimonia, & tum diſciplina domeſtica, tum etiam naturali quodam bono defenderet, quoquo modo à ſuis cuſtoditus eſſet, tamen infamiam veram effugere non poterat. Lege antè Epytiden, vt ſupra Ciſſeus, non Cyſſeus. Huius rei Homerum auctorem laudo, qui Iliad. 9. ſcripſit. *Δέμας Περίφαντι ἐοικὼς Κήρυκι Ἠπυτίδῃ, ὅς οἱ παρὰ πατρὶ γέροντι.* Turneb. lib. 7. cap. 3. & lib. 14. cap. 4. lib. 26. cap. 22.

FIDAM SIC FATVR AD AVREM) Facile enim conſiliorum ſuorum ſecreta fundebat, cui ſpem filij ſecurus, commiſerat inquit Donatus. In aurem dicere ſolemus, quæ ab alijs nolumus exaudiri. Homer. Odyſs. δ. *Ἄγχι σχὼν κεφαλὴν ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι*, id eſt, admoto propius capite, ne alij exaudirent. Euripid. Ione.

δεῦρ' ἔλθ'. ἐς οὖς γὰρ τοὺς λόγους εἰπεῖν θέλω.
Huc ades, in aurem enim tecum loqui volo.

Cic. in Verr. de ſupplic. atque eum vident ſedere ad latus prætoris, & ad aurem familiariter, vt ſolitus erat, inſuſurrare. Plaut. Trinum. *Id, quod in aurem rex regina dixerit.* Hor. Sat. 9. lib. 1. *in aurem Dicere neſcio quid puero.* In quem locum exempla à me recitata collegit Lambin.

SIC AIT) Pro, ſic ait, Seruius legit, *Dic ait*, vnde alterum vacare neceſſe ſit, ſupra enim dixit, *ſic fatur.* Aut fortaſſe nobiſcum legit, *Sic ait*, tum neque videtur iteratio, neque *παρέλκον.*

OMNEM DECED. CIRCO INFVS. POP.) Secretò Æneas mittens Epytiden, præceperat quid fieri vellet: gratiora enim ſunt, quæ ad ſpectantium oculos inopinata, & inſperata perueniunt. Ipſe tamen populum, qui ſe paſſim circi ſpatio infuderat, è medio iubet diſcedere, vt campi vacui facti ab hominum cœtibus, futuro certamini liberum ſpatium darent. Donatus.

De circo vniuersè Varro lib. 4. de ling. lat. Vitruuius lib. 3. cap. 2. Liuius lib. 1. in Tarquinio Priſco. Circo inquit, qui nunc Maximus dicitur, deſignatus locus eſt, loca diuiſa patribus, equitibusq;, vbi ſpectacula ſibi quiſq; facerent, fori appellati. Plin. lib. 36. cap. 15. Halicarnaſ. lib. 3. Circus Romanis à circuitu equorũ, quod ibi circum metas equi currant, ait Iſidor. lib. 18. cap. 28. Circum Græci vocant *ἱππόδρομον*, à Baſilio dicitur *θέατρον ἱππηλασίας*, theatrum ad equos agitandos, item *σφῖδον*, & *κάμπτος*, id eſt, flexus, flectunt enim metas equi. Ludi Circenſes, ſeu decurſio illa circenſis dicta ſunt Equiria. Auſon. in Eclog.

Nunc etiam veteres celebrantur equiria ludi:
Prima hac Romanus nomina Circus habet.

Fuerunt eadem cum Conſualibus, ſi ſpectes originem. Tamẽ Conſualia Conſo, qui Neptunus putatur, Equiria Marti ſacra erant. Idem in vtriſque inſtitutum. Circi celebritas ea fuit, vt nullum eo ſplendidius, oculisúe gratius ſpectaculum in Italia, Græcia, reliquóque imperio Romano dari potuerit. Exijt nuperrime liber de Circo, & Circenſibus ludis Iulij Cæſaris Bulengeri, quem lege.

INCED. PVERI, PARITERQVE) Proceſſerunt pueri ad campum, omnes equites, & frænatis equis ſplendidi, conſtituti ſub parentum oculis, qui ludis ſpectatores intererant. His incedentibus fremebant, admurmurabant vultu lætiſſimo Troiani, atq; Siculi. Dehinc eorum cultus deſcribitur. Omnes, inquit, attonſi, & coronati, bina ferentes ferrata haſtilia, corneo ligno: alij ſagittas humeris, pharetraſque portantes, & ad ſummam pectoris partem aureis circulis, ſeu torquibus ornati. Donatus.

TONSA COMA PRESSA CORONA) Tò *preſſa corona*, Seruius interpretatur, galea: nam & Homerus galeã *στεφάνην* dixit. Et reuera corona non poteſt eſſe, quum ſequatur, *galeam ante pedes proiecit inanem.* Alij dicunt, potuiſſe eos habere galeas coronatas. Bebius tamẽ Macer dicit, à Cæſare Auguſto pueris, qui luſerunt Troiam, donatas eſſe galeas, & bina haſtilia, ad quod conſtat Virgilium alludere. Seruius.

Tres equitum numero turmæ, terniq; vagantur
Ductores: pueri bis ſeni quemq; ſecuti,
Agmine partito fulgent, paribusq; magiſtris.
Vna acies iuuenum, ducit quam paruus ouantem
(Nomen aui referens Priamus) tua clara, Polite,

Proge-

Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis: vestigia primi
Alba pedis, frontemq; ostentans arduus albam.
Alter, Atys, genus vnde Atyï duxere Latini:
Paruus Atys, pueroq; puer dilectus Iulo.
Extremus, formaq; ante omnes pulcher Iulus
Sidonio est inuectus equo: quem candida Dido
Esse sui dederat monimentum, & pignus amoris.
Cætera Trinacrijs pubes senioris Acestæ
Fertur equis.

TRES EQVIT. TVRMÆ) Sueton. in Aug. cap. 43. Sed & Troiæ ludum edidit frequentissimè, magnorum, minorumúe puerorũ delectu, prisci, decoriq; moris existimans claræ stirpis indolem sic notescere, &c. Eò poeta noster procul dubio alludit. Nec mirum videri debet, si, cum Iulius Cæsar, vt in eius vita Sueton, testatum reliquit, cap. 39., Troiam lusum ex duabus turmis, magnorum, minorumq; puerorum exhibuerit, hic verò tres turmæ Troiam ludant: nam Æneæ magnificentiam, vt fieri potuit, extollere, deinde etiam vetus illud, & auitum Romanæ militiæ initium, Tatiensium, Rhamnetum, Lucerum, quod in tres partes diuisum fuisse scriptorum testimonio constat, hic triplicis pugnæ simulacro adumbrare voluit. Nascimb. * *Sciamachia quadam fuit Troia ludus, pugna vmbratilis, imaginaria. De eo verbo, σκιαμαχία vide quid dicat Politian. cap. 34. Ab hoc genere ludorum Torneamenta Germanorum, quasi dicas, Troiamenta, Germanicè* Turnier, *originem sumpserunt: in quibus ad eundem modum hastis, alijsq; armis certant: non tamen pueri solùm, sed viri quoque, neq; aperto capite, coronatoq;, vt in Troia ludicro, sed casside tecto. Instituit autem hos ludos equestres in Germania Henricus I. Imperator, vt ea ratione generosa iuuentus ad bella prepararetur: sicut in Saxonia legitur chronico, & multa de ijsdem in Pandectis triumphalibus Francis. Modius. Turma sunt ter deni, seu 30. equites. A ternario nomen esse scribit Varro. Turma, inquit, terma est, e, in, u, abijt, quod ter deni equites ex tribus tribubus, Tatiensium, Rhamnium, Lucerum fiebant. Isid. quoque: turma 30. equites sunt. Sed hic Virgil. vt in ludicro, duodenos in quaq; turmula ponit.*

TVA CLARA POLITE PROGEN.) Politen illum dicit, quem lib. 2. in conspectu Priami patris mactat Pyrrhus. Eius hunc filium, Cato in Originibus auctor est, in Italiam venisse, segregatumque ab Ænea oppidum Politorium condidisse. Seruius.

QVEM THRACIVS ALBIS .P. EQVVS BICOL.) De Turni equo in 9. *maculis quem Thracius albis Portat equus.* Quod dicit frontem albam, intellige candida velut stella spectabilem, non totam albam: deteriores enim sunt. Vide lib. 4. ibi, *ostroq; insignis, & auro Stat sonipes.*

GENVS VNDE ATYI) Hoc in gratiam materni generis Augusti cecinit, nec Romanos, sed Latinos dixit Atios, vt Aricia deductam gentem doceat. Legendum autem etiam apud alios scriptores, Atius, non, Actius, nec Attius, quanquã hoc tolerabilius est. Torrent. in Aug. Suetonij.

Quum tres dicat fuisse duces, Priamum, Atyn, Iulum, primi, & tertij equos commemorat. Medij prætermisit, quia necesse erat consequi; & per se intelligebatur, non enim vnus pedes esse poterat. * *Vel ideo eius equi non meminisse intelligatur, quia singulare quiddam non habuerit: studet enim varietati poeta, & electa interdum cum vulgaribus, seu non ita exquisitis coniungit. Pulcherrimus, & generosus caballus erat ille primus: nec mirum, quia nepotulum magni regis portare debuit. Et quem Iulo donauerat Dido, tanti viri filio, tantaq; spei puero, ipsa regina, non potuit non esse nobilissimus. Atys tanta ratio hic habenda non fuit.*

EXTREMVS FORMAQVE .A. OM. P. IVLVS) Ordine postremus erat, vt potior, forma primus. Ante omnes, qui scilicet in illo triplici agmine incedebant. Si parua licet componere magnis, forsitan ad historiam de Xerxe alludit, qui vnus omnium de toto exercitu suo, quem habuit numerosissimum, fertur fuisse pulcherrimus, atque etiam (quod ipsum commendatur, præsertim in ducibus) toto vertice supra fuisse.

SIDONIO EQVO) quem à Tyro Sidoni vicina secum Carthaginem aduexerat. Tyro enim, non Sidone fugit: ex quo intellige peregrinum, & ideo eximium.

CANDIDA DIDO ESSE .S. DED. MON. AM.) Aliud non est, quàm pulchra Dido: candor enim pars est pulchritudinis. Catullus Quintiam esse candidam, longam, non negat. Formosam tamen, quod alij iudicabant, non concedit, quia *Nulla in tam magno corpore mica salis.* Poppæam Neronis ad candorem cutis conciliandum lauisse in lacte asinino, & ideo quingentas fœtas secum circumduxisse, tradit Plinius lib. 11. cap. 41. Quid hac muliere candidius? nec ipse candor quidem. Cur verò non daret monimentum amoris sui huic puero Dido, quem propter Æneam in loco filij diligebat? Eidem monimenta amoris sui dat Andromache lib. 3. Monimentum à monendo. Cic. ad Cæsar. epist. 2. Sed ego, quæ monimenti ratio sit, nomine ipso admoneor, ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad præsentis temporis gratiam. Ita Nonius. ❧

Excipiunt plausu pauidos, gaudentq; tuentes
Dardanidæ, veterumq; agnoscunt ora parentum.
Postquam omnem læti consessum, oculosq; suorum
Lustrauere in equis: signum clamore paratis
Epytides longè dedit, insonuitq; flagello.

Olli diſcurrêre pares, atq; agmina terni
Diductis ſoluêre choris: rurſusq; vocati
Conuertêre vias, infeſtaq; tela tulere.
Inde alios ineunt curſus, aliosq; recurſus,
Aduerſis ſpatijs, alternosq; orbibus orbes
Impediunt: pugnæq; cient ſimulacra ſub armis.
Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt
Infenſi: facta pariter nunc pace feruntur.

EXCIPIVNT PLAVSV PAVID.) Quid eſt hîc *pauidos?* gloriæ cupiditate ſollicitos. Sic ſupra in nauali certamine, *Corda pauor pulſans.* Seruius. Pluribus iſta Naſcimb. Gloriæ cupiditate inquit, non timore. Nam ſi timore pauidi fuiſſent, quòd certamen inituri eſſent, à paterna, vel auita virtute illa degenerare viderentur. Hinc illud in 4. Æneid. *Degeneres animos timor arguit.* Illi vero cum ex prę̨clariſſimis viris nati eſſent, par erat, vt ſignum aliquod paternæ virtutis oſtenderent.

VETERVMQVE AGNOSCVNT ORA PAR.) Fœcunda ſententia. Heſiod. *Τίκτουσι δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι.* Vide Plutarch. lib. 5. de placit. philoſoph. *πόθεν γίνονται τῶν γονέων ὁμοιώσεις, καὶ τῶν προγόνων.* Sed & Ariſtoteles Polit. lib. 2. oppugnans Platonis politiam, negat liberos ita communes poſſe haberi, B vt non fere à ſingulis ex parentũ ſimilitudine agnoſci, & diſcerni poſſint. *ἡμῖν ἀλλ' οὐδὲ ἀρρενογονεῖν*, &c. German.

De ſimilitudine oris, & totius corporis, altiore doctrina præditi ſubtilius diſputant: eorumque alij in ea ſunt opinione, vt exiſtiment illam origini, & contextui ſanguinis reſpondere. Nec paruum argumentum ex cęteris animalibus trahunt, quæ fere gignentibus ſimilia naſcuntur. Alij negant certam hanc eſſe naturæ legem, ſed ſpecies mortalium, prout fortuita ſors conceptionis obtulit, attribui. Atque ideo plerumq; ex ſpecioſis deformes, & ex robuſtis inualidos partus edi. Verùm quoniam iſta quæſtio in ambiguo verſatur, &c. Valer. C lib. 9. cap. 14. quod eſt de ſimilitudine formæ. * *De iſta ſimilitudine liberorũ ad parentes diximus ſuperiore libro, ad illud,* ſi quis mihi paruulus aula Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret. *Eleganter Magnus Baſilius de epiſtola D. Gregorij Nazianzeni, hominis amiciſſimi, quam ab eo in ſolitudine conſtitutus acceperat, cum eòdem ipſum ad vitam ſecum tranquilliſſimè agendam inuitaſſet. Ἐπέγνων σου τὴν ἐπιστολήν, ὥσπερ οἱ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ἐκ τῆς ἐπιφερομένης αὐτοῖς ὁμοιότητος ἐπιγινώσκουσι. Sic tuam epiſtolam agnoui, vt qui amicorum liberos, ex ſimilitudine parentum in eorum vultibus extante, agnoſcunt.*

OMNEM LÆTI CONSESSVM, OCVLOSQVE) Alacres, ſibi placentes, ac voluptate quadam animi geſtientes. Solent namque pueri ex huiuſcemodi rebus ingentem voluptatem capere. Naſcimb.

SIGNVM CLAMORE PARATIS) Duplex ſignum datum eſt eodem tempore, clamore, & flagello, id eſt, virga in morem flagelli ſonantis. Naſcimbæn.

In re militari ſignum daretur tuba, buccina, cornu: hîc in re ludicra datum eſt clamore, & flagelli ſonitu. Dicit *longè* quod nonnihil diſtaret à turmis Epytides. Montfort.

AGMINA TERNI DIDVCT. SOLVERE CHORIS) Tres duces tribus aciebus erant præpoſiti, quæ in vno agmine patribus ſe oſtenderunt. Inde ſolutum illud agmen vnum, & rurſum in tres choros, treſque acies diuiſum: quæ quidem ſingulæ acies, æquè in diuerſas partes currendo, & recurrendo, nec non in gyrum ſe vertendo, ſua ſpatia confecerunt.

Tres ductores ſupra memorati ſeparatim duxerunt ſuas acies, quas nunc choros appellat, propter ludum puerilem: cuiuſmodi ſunt puerorum, iuuenum, ſenum, virginumque de laude honeſtatis, ac citra inuidiam certantium chori, in ciuilibus negotijs. In hoſtili certamine vox aciei quadraret aptiſſimè. Iam verò *diductis* proſeparatim in acie collocatis dixit, & *ſoluêre* pro ſeparauere. Montfort.

ORBIBVS ORBES IMPEDIVNT) Propriè, impediunt: nam in conficiendis orbibus milites ſeſe implicant, & aliorum ferè greſſum alij impediunt. Sic paulò inferius. *Haud aliter Teucrûm nati veſtigia curſu Impediunt, texuntque fugas.* Hos orbes elegantiſſimè Homerus Iliad. 18. ſuis verſibus fingit, vbi de Pyrrhica ſaltatione, in clypeo Achillis formata, meminit.

PVGNÆ SIMVLACRA CIENT) Prælium fingunt, ac ſpecimen belli præbent. Sic infrà.

Aſcanius galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli ſimulacra ciebat.

Vnde & trium rerum, quæ militiæ contingunt, mentionẽ facit, pugnæ, fugæ, pacis. Et eſt Lucretij hemiſtichium lib. 2. *Componunt, cõplent, belli ſimulacra cientur.* Naſcimb. Pugna imaginaria Suetonio, *μάχη ἐσκιαγραφημένη.* Lucret. 2. *Feruere cum videas belli ſimulacra cientes.* Nimirum & Plato in repub. ſua talem requirit ludicram armorũ exercitationem, vt pugnæ ſeriæ, prę̨lijq; præ ſe ſpeciem ferat. lege lib. 8. German.

Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;
Mille vijs habuiſſe dolum, quà ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus, & irremeabilis error.
Haud aliter Teucrûm nati veſtigia curſu
Impediunt, texuntq; fugas, & prælia ludo:
Delphinum ſimiles, qui per maria humida nando
Carpathium, Libycumq; ſecant, luduntq; per vndas.
Hunc morem, hos curſus, atq; hæc certamina primus

Aſcanius

Aſcanius, longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troïa pubes,
Albani docuere ſuos. hinc maxima porrò
Accepit Roma, & patrium ſeruauit honorem.
Troiaq́; nunc, pueri, Troianum dicitur agmen.

VT QVOND. CRETA .F. LABYRINTH.) Et propter Labyrinthi perplexas viarum formas, & propter ludicrum certamen delphinorum ſimilitudinem affert. Nam multiplices oſtenderant flexus, vt Labyrinthum viderentur imitari: & delphinum lætitiam demonſtrarent, quibus cum in tranquillo pelagi ludunt, nihil eſt gratius. Donatus.

De Labyrintho dictum lib. 6. non longè à principio. Labyrinthum Plinius lib. 36. cap. 13. vel portentoſiſſimum humani ingenij opus vocat. Exemplum ſui Labyrinthi, quem in Creta fecit, Dædalum ab Ægyptijs ſumpſiſſe, ibidem refert Plin. Sed centeſimam tantum eius portionem imitatum, quæ itinerum ambages, occurſusque, ac recurſus inexplicabiles continet: non (vt in pauimentis, puerùmúe ludicris campeſtribus videmus) breui lacinia millia paſſuum plura ambulationis continentem: ſed crebris foribus inditis ad fallendos occurſus, redeundumq́; in errores eoſdem. Secundus hic fuit ab Ægyptio Labyrinthus: tertius in Lemno, quartus in Italia.

PARIETIBVS TEXTVM CÆCIS) Æneis cum ſit tale, tantumq́; poema, bona omnium venia plus ſibi licentiæ vendicat. Ideo nemo mirari debet iſta, parietibus, abietibus, arietat, tenuia, genua. De quibus magna eſt inter Grammaticos cõtrouerſia: quum alij neceſſe putent, pedem alioqui inuſitatum, nimirum proceleuſmaticum conſtituere in illis verſibus: alij i, & u, pro conſonantibus poni exiſtiment. Ego certè his potius, quam illis aſſentior: & quemadmodum *ſyluæ* ab Horat. per diæreſin dicitur, pro *ſyluæ*, ſic quum in illis contrarium fiat, quoddam ſynæreſeos genus illic eſſe, dicere nos poſſe arbitror. Hoc ſaltem conſtat, Virgilium non ſine veterum exemplo id auſum, quum apud Lucretiũ non vno in loco *tenuia* eodem modo poſitum legatur. Hen. Steph. de delectu Virgil. lection.

HVNC MOREM, HOS CVRSVS) Finem huic certamini puerorum equeſtri facturus, qua origine, & per quos populos poſtremò ad Romanos peruenerit, oſtendit. ✱

TROIAQVE NVNC, PVERI, TROIANVM) Troia, & regio Priami, & luſus puerorum equeſtris dicitur, & locus in agro Laurente, quo primum in Italia Æneas cum ſuis conſtitit. Feſtus. Meminit Tacitus Annal. 11. Sedenti Claudio Circenſibus ludis, cum pueri nobiles, equis ludicrum Troiæ inirent, interq́; eos Britannicus imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in imperium, & cognomentum Neronis adſcitus, fauor plebis acrior in Domitium, loco præſagij acceptus eſt. * *Sic appellatur à Suetonio ſæpius. Nerone cap. 7. Tener adhuc, necdum matura pueritia, Circenſibus ludis Troiam conſtantiſſimè; fauorabiliterq́; luſit. Meminit item in Caligula, & Claudio. In Tiberio, cap. 6. Troianos Circenſes nominat. Præſedit & Actiacis ludis, & Troianis Circenſibus, ductor turmæ puerorum maiorum.*

Hac celebrata tenus ſancto certamina patri.
HIC PRIMVM FORTVNA FIDEM MVTATA NOVAVIT.
Dum varijs tumulo referunt ſollemnia ludis,
Irim de cælo miſit Saturnia Iuno
Iliacam ad claſſem: ventoſq́; aſpirat eunti,
Multa mouens, nec dum antiquum exſaturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli viſa, cito decurrit tramite virgo.
Conſpicit ingentem concurſum, & littora luſtrans,
Deſertoſq́; videt portus, claſſemq́; relictam.

HAC CELEB. TENVS .S. CERTAM. PATRI) Τμῆσις eſt in verbo *Hactenus*. In ſententia μετάβασις. ſanctum patrem vocat, vtpote in deorum numerum receptum, cui & ſacra facit, tanquam deo: in quem & illud, *Salue ſancte parens, iterum ſaluete recepti Nequicquam cineres*. Naſcimb.

HIC PRIM. FORT. FID. MVT. NOVAVIT) Quum hucuſque fuiſſent ludi, & ſecuro curſu res Troianæ ducerentur, repente mutata eſt fortuna, & vt prius fuerat, iterum facta eſt mala. Irim enim Iuno de cæli regionibus demiſit, ad eam littoris partem, in qua naues tantum, & Troianorum fœminæ manebant. Et ſua natura veloci, vt properantior fieret, ventos addidit, ne quam occaſionem temporis perderet. Debuit enim maturè cogitata perficere, quia Troiani perfectis iam rebus, ad naues redituri ſperabantur. Varia ſecum voluebat, nec adhuc odium ſuum in miſeros expleuerat. Cogitaſſe autem incendium nauium, ex ſequentibus clarum fit, quoniam earum adminiculo ex Africa diſceſſerant Troiani: vt in Sicilia ſaltem, perditis nauigandi ſubſidijs, remanerent. Hoc enim omnino ſatagebat, vt Æneas ſi perire nõ poſſet, Italiam ſaltem ne attingeret. Hoc ſuum conſilium teſtata eſt etiam lib. 1. manifeſte, *Nec poſſe Italiam Teucrorum auertere regem?* Donatus.

IRIM MISIT SATVRNIA IVNO) Etiam Iupiter illam mittit in 9. in extremo. Apud Homerum crebrò. Et vt Mercurius ad concordiam, ſic Iris fere ad diſcordiam curandam mittitur. Bene autem à Iunone Iris mitti fingitur, quoniam fit de nubibus, quibus præeſt Iuno. Seruius.

VENTOSQVE ASPIRAT EVNTI) Sic in 4. Iupiter ad Mercurium. *Vade age nate, voca Zephyros, & labere pennis.*

NEC DVM ANTIQ. EXSATVR. DOLOREM) Dolorem, id est, iram iampridem aduersus Troianos conceptam nondum saturauerat. Nondum sibi in Troianis persequendis, & vexandis satisfecerat. Venus ad Neptunum infrà hoc eod. lib. *Iunonis grauis ira, & inexsaturabile pectus.*

VIAM CEL. PER MILLE COLOR. ARCVM) Iris deorum nuntia per arcum versicolorem in terras A descendere censebatur. Ouid. etiam 11. Metamorph. *& rediit per quos modò venerat arcus.* Qui etiam arcus Iridis dicitur, auctore Aristotele, alijsq;. Hieronymus, Consuetudo autem græci latinisq; sermonis Irin vocat, quæ per multicolorem arcum ad terras descendere dicitur. Turneb. lib. 19. cap. 20. Adde. Arcus hic diuersicolor paræmiam fecit, *ὑπὲρ πᾶσαν ἶριν*, super omnem Irim, de luculenta veste, coloribus variantibus.

DESERTOSQVE VIDET PORT. CLASS. REL.) Ab occasione rem verisimilem facit: nam si in nauibus viri extitissent, inanis fuisset Iridis persuasio.

At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant: cunctæq; profundum
Pontum aspectabant flentes: (heu) tot vada fessis,
Et tantum superesse maris. vox omnibus vna.
Vrbem orant, tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Conijcit, & faciemq; deæ, vestemq; reponit.
Fit Beroë, Ismarij coniux longæua Dorycli,
Cui genus, & quondam nomen, natiq; fuissent:
Ac sic Dardanidûm mediam se matribus infert.

AT PROCVL IN SOLA SECRETÆ) Varius hîc, multiplexq; à circumstantijs deducitur commiserationis affectus: quòd procul, & secretæ, hoc est, sequestratæ ab hominibus: non enim ipsæ spectaculis interfuerant: quòd in deserto littore sunt, quòd flent: postremò etiam, quòd Anchisen, quem tantopere diligebant, amiserunt. Auget cõmiserationem ab adunctis. Quòd flentes mare profundum aspiciebant, cuius aspectu terrebantur: & eò magis, quia plurimum adhuc viæ supererat, & iam itineris longitudine defessæ erant. Mirus profectò in describendis siue ex sua, siue ex aliena persona rebus est Virgilius: cuius ne carmen quidem intueri licet, in quo rerum, personarumq; mores, qui vel ex arte, vel ex natura, vel ex casu, alijsque rebus C fiunt, non effingantur. Nascimb.

ACTA) Græca vox est, significat enim littus. Et vtuntur interdum Latini scriptores vocabulis græcis, eaque litteris tantùm latinis notant: quod qui non animaduertunt, facilè in errores incidunt: præcipuè, cùm eæ voces eiusmodi sunt, vt etiam Romanæ videri queant. Vsus est hac eadem Cic. in Verrem lib. 5. tametsi in acta cum mulierculis iacebat ebrius. Ibidem, tum istius acta commemorabatur, tum flagitiosa illa conuiuia: mendosè enim in vulgatis legis, commemorabantur. Ibid. Illo autem tempore iste (tametsi ea est hominis impudentia, quam nostis) ipse tamen cum vir esset Syracusis, vxorem eius parum poterat animo soluto, ac libero tot iam in acta dies secum habere. D Quod antea Romano more littus dixerat, id postea actam, voce græca, vt videlicet in Sicilia loquerentur, nominauit. Notum est autem, Siculos eo quondam sermone vsos, qui ex græcis, latinisque vocibus permistus esset. Vtitur & Æmilius Probus in Agesilao: cum annorum octoginta, subsidio Thaco in Ægyptum iuisset, & in acta cum suis accubuisset, sine vllo tecto. Sed & D. Ambrosius hac eadem voce vsus est lib. 5. Hexaëm. Quæ, inquit, non in acta, nec in littoribus, sed in Atlantici maris profundo feruntur videri. Sic Terent. & Cicer. vrbem Atheniensium *astu*, ab ἄστυ. Ille Eunucho. B *An in astu venit? aliud ex alio malum.* Hic de Leg. lib. 2. vt vestri Attici, priusquam Theseus eos agris, & in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit. Item Æmilius in Themistocle. At Xerxes Thermopylis expugnatis, protinus accessit astu, idq; nullis defendentibus, &c. Et in Alcibiade. Postquam asty venit, concione aduocata, &c. Vtrum autem scribatur, astu, an asty, nihil interest. Neq; dissimili modo Plinius lib. 7. *probata* pro pecudibus dixit. Eius verba sunt. In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isigonus, & Nymphorus tradunt: quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Non enim quæ familiæ illæ probassent, ea interire affirmauit: sed, vt dixi *τὰ πρόβατα*. Hæc ex Muret. lib. 1. cap. 5. Turneb. lib. 3. cap. 1. & Lamb. in Probum.

INTER MEDIAS SESE HAVD IGNARA) Inter medias sese coniecit, vt verba eius simul circumfusæ omnes audire possent: qui enim pluribus locuturus est, medius esse debet, vt esse proximus omnibus possit. Et est fraus quæsita ad fallendum: si enim sciretur quæ esset, nulla eam ex præsentibus fæminis audiret. Posita igitur veste, ac deæ persona, facta est Beroë, quam illæ nouerant, quam nobilis esset genere, quanti meriti, cuius vxor, quantorum filiorum mater, quantæ sapientiæ per ætatem, digna omni modo, quæ audiri deberet, si quid suadere voluisset. Donatus.

FIT BEROE ISMARII CONIVX) Iris, mulieris vultum induit, quia fœminas allocutura est: aptior enim interdum est apud fœminas fœminæ persuasio, quam sapientis viri: nec infimæ mulieris, sed matronæ nobilis, & longæuæ faciem, formamq; suscipit, vt nobilitas ætati coniuncta, maiorem orationi auctoritatem afferret. Nascimbæn.

** Non est necesse, quod sequitur Cui genus, ad Dorycleum maritum referre, quasi eius nobilitate nobilis fuerit illustrat tametsi vxores quoque maritorum claritas generis, non inquam necesse est, quamuis id velit Nascimban. cum à suis ipsa maioribus ducere nobilitatem potuerit: & id verbis poeta, eiusq; menti arbitror consentaneum esse.*

Probè

Probè obseruatum est à doctis viris, deos, deasq; A cum vel nollent agnosci, vel alicui fucum facere vellent, anus formam, atque personam inducere apud poetas consuesse. Quemadmodum isto loco Iris à Iunone ad Troianas fęminas deludendas missa facit. In 7. scriptum habes de Furia ad Turnum in Æneam exacerbandum ab eadem Iunone destinata, in hunc modum:

Alecto toruam faciem, & furialia membra
Exuit: in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscœnam rugis arat: induit albos
Cum vitta crines: tum ramum innectit oliuæ,
Fit Calybe Iunonis anus, templiq; sacerdos:
Et iuueni ante oculos his se cum vocibus offert,

Apud Ouid. Iuno ipsamet in anū transformata Semelen decipit lib. 3. Metam. Et lib. 6. ad Arachnen textricem Pallas anum induta venit, eique dat consilium. Lib. 4. Vertumnus *picta redimitus tempora mitra, Innitens baculo positis per tempora canis*, anum assimilat, nempe vt Pomonam in fraudem impellat. Fuisse tamē Iliensem quandam fæminam, nomine Romam, quæ hoc incendium suaserit, refert Dionysius ex Gergithio.

O miseræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad lethum patriæ sub mœnibus: ô gens
Infælix, cui te exitio fortuna reseruat?
Septima post Troiæ excidium iam vertitur æstas,
Cùm freta, cùm terras omnes, tot inhospita saxa,
Sideraq; emensæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, & voluimur vndis.
Hîc Erycis fines fraterni, atq; hospes Acestes:
Quid prohibet muros iacere, & dare ciuibus vrbem?
O patria, & rapti nequicquam ex hoste penates,
NVLLANE IAM TROIÆ DICENTVR MOENIA? nusquam
Hectoreos amnes, Xanthum, & Simoënta videbo?

O MISERÆ, QVAS NON) Ab exclamatione B pathetica exorditur, per insinuationem, quæ incommodorum, ærumnarum, calamitatumque, quas Troianæ mulieres passę sunt, enumerationem habet: quam altè repetit, nempe ab excidio illo Troiano, quò firmius persuasionis suæ fundamenta iaciat, itaque per multas circumstantias, verborumque ambages, eò tandem descendat, quò velit. Vobis fæliciores fuerunt, quamuis infælicissimæ, quibus olim in patria hostium manu perire contigit. Infælicissimis infæliciores estis. πάθος est à comparatione. Sic in 3. *O fælix vna ante alias Priameïa virgo*, &c. Reuocat mox exclamationem, ad commiserationem amplificandā, à magnitudine cum præteritæ, tum instantis calamitatis, quasi hoc fato natæ C sint, vt grauissimo exitio tandem perituræ sint. Nascimbæn.

SEPTIMA POST TROIÆ EX. IAM. V. ÆSTAS) Seruius de versu hoc disserens, sibi videri dicit, quod Dido in fine lib. 1. dixerit, *nam te iam septima portat Omnibus errantē terris, & fluctibus æstas.* Eos qui putant Æneam paucis in Africa diebus fuisse, refutat illo versu, *Nunc hyemem inter se luxu, quam longa, fouere*, est autem lib. 4. & ab Anchisæ morte octauam æstatem vult indicari, quæstionemq; videri insolubilem, & Virgilium hunc locum emendaturum fuisse. Nos paucis prius positis, & declaratis, nodum soluemus. Annus à quibusdam veteribus, vt à Thucydide, atq; alijs historicis, in duas tantū D partes diuidebatur, in æstatem scilicet, atque hyemem. Æstate nauigationem peragi, hyeme conquiescere, sciunt omnes. Itaq; æstates pro annis poeta numerat. Portare, & verti multum inter se differunt. Portare, est aduenientis: nam qui portat, aliquò portat, aliquò venit. Verti, est recedentis: nam qui vertitur, conuerso tergo à nobis recedit, & abit. Itaque cum dixit Dido, *te iam septima portat æstas*, æstatem septimam appropinquare, aduenire, vel iam incepisse significauit. Cum verò dixit Iris: *iam septima vertitur æstas*, septimam significauit æstatem iam recedere, & finiri. Annum vertentem, & mensem vertentem dicunt Latini pro circumacto, expleto, & finito. Sic Æneas initiò veris, quod est in prima parte æstatis, venit Carthaginem: & in eiusdem æstatis vltima parte in Siciliam redijt. Illa verba, *Nunc hyemem inter se luxu, quam longa, fouere*, non dicit poeta ex persona sua: sed famæ tribuit: quam pertinacem nuntiam tam ficti, & praui, quā veri esse dixit. Id est, sæpius mentiri. Erat igitur rumor falsus per Africā dissipatus. Annum ab Anchisæ morte expletum fuisse concedimus: & dicimus in narrationibus, quidquid fieri potuit, poetis esse concedendum. Nihil prohibet nos cogitare id, quod fieri potuit: Æneam sexta suæ nauigationis æstate iam vertente, in Siciliam, & Drepanū peruenisse, ibique plusquam vellet, propter morbum, mortem, & sepulturam patris commoratum fuisse. Autumno adulto conquiescit nauigatio, tota hyeme cessant nautæ, tempestas nauigandi Aprili mense exspectatur. Hanc post obitum patris quietem, & cessationem Æneas illo verbo significauit, *Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.* Vsus est ille mensibus octo hospitio, & liberalitate consanguinei Acestæ, à quo vinū, & triticū in vsum nauigationis accepit. Cum vellet vere nouo ex Sicilia in Italiam nauigare, aduersa tempestate Carthaginem delat⁹ est, vbi dixit Dido, *nam te iam septima portat æstas*, incipiens scilicet. Illinc post menses aliquot decedens, tempestate relatus est in Siciliam, & ad sepulcrum patris, vbi vere dixit Æneas, *Annuus exactis completur mensibus orbis*, ex quo patrem condidimus. Deceptus est Seruius, qui Æneam putauit statim sepulto patre in Africam delatum esse. Non fuit igitur locus ille à Virgilio corrigendus. Modicius cap. 5.

DVM PER MARE MAGNVM ITAL. SEQ.) Occanus

nus Græcis est mare magnum, Latinis mediterraneum. Quorum sententiam referens Isid. lib. 13. mare magnum est, inquit, quod ab occasu ex Oceano fluit, & in meridiem vergit, deinde ad Septentrionē tendit, quod inde magnum appellatur, quia cætera maria in comparatione eius minora sunt. Istud est & mediterraneum, quia per mediam terram vsque ad orientem perfunditur, Europam, & Africam, Asiamque disterminans. Dictum quoq; peculiari epitheto *mare magnum* animaduerti, quòd impetuosius flantibus ventis intumescit, qua notione accipere oportet Ennianum illud,

Concurrunt, veluti venti cùm spiritus Austri
Imbricitur, Aquiloq; suo cum flamine contrà
Indu mari magno fluctus extollere certant.

Et Lucret. lib. 2.

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius spectare laborem.

Et Maronis lib. 3. *magnaq; surgunt.*
Æquora, dispersi iactamur gurgite vasto.

Hic autem quamuis Seruius mare magnum, procellosum interpretetur, ego tamen accipio pro mari interno, ac mediterraneo. Aliquando, magnum, est proprium maris epitheton, eique semper adhærens. Titius lib. 6. cap. 3.

ITAL. SEQVIMVR FVGIENTEM) Alibi, *Iam tandē Italiæ fugientis prendimus oras.*

VOLVIMVR VNDIS) non nauigamus, quasi inutilis sit, & desperata nauigatio. Terentius. *Mones, at nil promoues.* Ita Seruius. Nascimb. hoc verbo *volui mur* difficultatem, & periculum ait demonstrari.

HIC ERYCIS FINES) Argumentum à facili.

QVID PROHIB. MVROS IACER. ET. D. CIVIB. VRB) Quasi dicat, in manu vestra est, sedem hic ponere. Opportunum prorsus hic remanendi tempus est, locus volentibus congruus. Negari non potest, quod fuerat fratris. Troiani sunt harum terrarum incolę, non denegabunt ciues necessariam ciuibus sedem. O patria, vtinam te non deseruissemus, quanquam vastatam. O penates frustrà ex hostibus seruati, quia nec vobis, nec nobis prodesse potuistis. Nunquamne nobis continget, vt nos quoque loco certo confidentes ad solatium amissæ patriæ, indamus vrbi, & fluuiolis patriorum locorum nomina? Donatus.

NVSQVAM AMNES XANTHVM) Coloni, & profugi solebant effingere simulacra patriæ maioris, eiusque nomine vrbem, quam condere, & incolere parabant, afficere: sed & amnes eius repręsentare ijsdem nominibus: vt in 3.

Procedo, & paruam Troiam, simulataq; magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum
Agnosco, Scææq; amplector limina portæ.

Turneb. lib. 14. cap. 4. * *Ergo ipsis in memoriam redigit, quod in Epiro didicerant de felicitate Heleni, & Andromaches: nam inde eos prædicauit Æneas lib. 3.*

Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum:
Arua neq; Ausoniæ semper cedentia retro
Quærenda. effigiem Xanthi, Troiamque videtis,
Quam vestræ fecere manus.

Quin agite, & mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: hîc quærite Troiam:
Hîc domus est, inquit, vobis. iam tempus agi res:
Nec tantis mora prodigijs. en quattuor aræ
Neptuno: DEVS IPSE FACES, ANIMVMQVE MINISTRAT.
Hæc memorans, prima infensum vi corripit ignem:
Sublataq; procul dextra connixa coruscat,
Et iacit. arrectæ mentes, stupefactaq; corda
Iliadum. hîc vna è multis, quæ maxima natu
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non hæc Rhœteïa, matres,
Est Dorycli coniux. diuini signa decoris,
Ardentesq; notate oculos: qui spiritus illi,
Qui vultus, vocisq; sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui
Ægram, indignantem tali quòd sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores
Hæc effata.

QVIN AGITE ET MECVM INFAVST. EXVR. PVPP.) Post longam verborum insinuationem suum denique consilium Iris aperit, comburendas esse naues: vt aliquando ex tanta nauigandi infælicitate, laborumque perpessione liberentur. Summa igitur totius persuasionis hęc est, cum detestatione nauium: quas infaustas, id est, infælices appellat, vel quasi mali ominis, vel quia per eas ipsæ nauigando infælices reddebantur, quæ fælices se futuras putabant, si aliquando vrbem condidissent. Et quia res ad persuadendum difficilis admodum videbatur (quanquam satis obiectione, & cōmemoratione perpessorum dolorum incitatæ erant) vt maiorē suæ orationi auctoritatem conciliet, rem confirmat ex vaticinio Cassandræ, quam in somnis ait se vidisse porrigentem sibi faces ad comburendas naues. Nā post Troiæ excidium Cassandræ vaticinium, quod ante ab omnibus spernebatur, plurimum valuit. Nascimb.

NAM MIHI CASSAND. PER SOMNVM) Narrat iam

iam consilium suum, cui à personæ dignitate, Cassandræ vatis videlicet, auctoritatem addit: cuius oraculum à se per quietem acceptum enarrat: se quoque sociam facti futuram spondet, ne excusando partes suas, aliarum consensus auerteret. Incendia nauium, inquit, Neptunus ipse suggerit, & se nos regno suo arcere, ac prohibere satis significat. Ne autem fœminæ diu, vtrum facerent, an nō facerent, deliberarent, Iris præueniens, ignem prima rapit de ara, & in naues conijcit, ipsis cũ stupore intuentibus. Donatus.

EN QVATVOR ARÆ NEPTVNO) Ardet ignis in aris Neptuni, inde licebit sumere ad incendium. Quatuor dicit, quia singuli duces, singulas posuerant. Alij dicunt, à Cloantho positas. Seruius. Poterant istæ quatuor aræ ab ipsis mulieribus fuisse constitutæ Neptuno, vbi eidem sacra facerent. Ita Nascimb.

ANIMVMQVE MINISTRAT) Audacia enim, ad tantum facinus aggrediendum, opus erat.

SVBLATAQVE PROCVL DEXTRA) de more ducum: nam qui principes erant alicuius facti, sublata dextra alios ad facinus euocare, & excitare solebant. Ita Scipio Nasica impetum facturus in Tib. Gracchũ, sublata dextra, qui rempub. inquit, vult saluam esse, me sequatur.

VNA E MVLTIS QVÆ MAX. NATV PYRGO) Dicturus ex multis vnam sensisse personæ istam simulationem, & Pseudoberoën, dedit ei ex ætatis maturitate prudentiam. Et vt digna videretur, quæ audiretur, ait nutricem fuisse multorum filiorum Priami. Dicit ergo quid de illa sentiat. Negat fuisse Beroen, quæ putabatur, nec esse hominem, sed deam. Animum percurrit,

A & corpus, vt nihil in ea videatur mortale. Quod videtur, inquit, quod loquitur, quod ambulat, diuinum est omne, nec sonat hominem, nec hominem monstrat. Aliud addit, non ex coniectura, sed ex veritate. Se paulo antè Beroen ægram reliquisse, ac propterea tristē, quia sollemnibus Anchisæ, quæ seorsum dabant fœminæ, non posset interesse. cupiebat ipsa quoque manes Anchisæ cum alijs honorare. Donatus.

ÆGRAM) Ægram, id est ægrotam, in lectulo iacentem: non enim quod quidam indocti somniant, de animo duntaxat, sed de corpore etiam à luculentis scriptoribus est vsurpatum: vt etiam ægritudo. Cic. epist. 11. ad Tironem. Caue festines, aut committas, vt aut æger, B aut hyeme nauiges. De nat. deor. lib. 2. Ne ægri quidē omnes conualescunt. Horat. ad Pisones. *cuius velut ægri somnia vana Fingentur species.* Lucret. lib. 3. *Non alio pacto, quam si pes cum dolet ægri.* Virgil. 3. Georg. *& quatit ægros Tussis anhela sues.* Plura nihil attinet.

INDIGNANTEM TALI QVOD SOLA) Indignari, quod ipsa vox monet, est non simpliciter irasci, sed ob indignitatem rei irasci, seu ex opinione cuiuspiā indignè facti, iram concipere. & videntur vehementius commoueri animo qui indignantur, & cum aliquo fastidio. Cic. 1. de Inuent. Duodecimus locus est, per quem indignamur, quod nobis hoc primis acciderit. Brutus Ciceroni. Quod si indignaris, ausos esse id facere, concede nobis, vt doleamus, &c. Noster 1. Æneid. C de uentis inclusis. *Illi indignãtes, magno cum murmure montis Circum claustra fremunt* Et lib. 8. *pontem indignatus Araxes.*

At matres primò ancipites, oculisq; malignis
Ambiguæ spectare rates, miserum inter amorem
Præsentis terræ; fatisq; vocantia regna:
Cum dea se paribus per cælum sustulit alis,
Ingentemq; fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum verò attonitæ monstris, actæq; furore
Conclamant, rapiuntq; focis penetralibus ignem.
Pars spoliant aras, frondem, ac virgulta, facesq;
Conijciunt: furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per, & remos, & pictas abiete puppes.

MATRES PRIMO ANCIP.) Primò ancipites, nonnihil hæsitantes quid facto opus, & an esset numen, quod viderant, & audierant, & Pyrgo affirmabat: oculis malignam cogitationem significantibus rates aspiciebant. Hærebant ideo, quod quamuis Siciliam videbantur habituræ, tanquam portum miseriarum, tamen ex eo se minus beatas fore cernebant, quia quò fata vocabant, Italiam relinquerent, vbi se beatissimas fore dubitare non poterant. Sed postquam se Iris paribus alis in cælum sustulit, id est, æqualiter motis, seu agitatis, tum concitatæ tanquam furore Bacchico, executæ sunt eius consilium, statuentes diuinam auctoritatem præponderare debere humanis rationibus.

INGENTEMQVE ARCVM) Arcum appellant Irin poetæ, cæruleum Propertius, imbriferum Tibullus, ingentē etiam 1. Georg. Virgil. *& bibit ingens Arcus.* Pro cælesti tamen impressione, siue meteoro, Nonius putat scribendum *arquus*, non arcus, cuius verba subdemus. Arcus omnis suspensus fornix appellatur: arquus non nisi qui in cælo apparet, quem Irin poetæ di-

D xerunt. Vnde & arquati dicuntur, quibus color, & oculi virent, quasi in arqui similitudinem. Lucret. lib. 6. *Tum color in nigris existit nubibus arqui.*

TVM VERO ATTONITÆ MONSTRIS) Hinc colligitur, non verbis tantum, sed rebus, multoque sæpius rebus quam verbis homines moueri, præsertim si præter naturam contingant. Nam dum loqueretur Iris, mulieres consilij ambiguæ fuerunt: vbi verò in cælum se sustulit, pulsa est ex eorum animis omnis dubitatio. Nascimbæn.

ACTÆQVE FVRORE CONCLAMANT) In re tenui venustè metaphoram à re militari ducit. in castris enim interueniente hoste, ad arma conclamatur: aut si castra E mouenda sunt, & signa, ad vasa conclamari solet. Matronæ hostile facinus incepturæ, conclamant ad inuadendas naues, perinde atq; ad vrbis oppugnationem.

PENETRALIBVS FOCIS) castis, puris, & à profano vsu semotis. Penetralia enim dicuntur loca vniuersè omnia, quæ in intimo recessu sunt. Montfortius.

IMMISSIS HABENIS) Ab equis translatio. Hesiod. in Cly-

in clypeo. ἐφεῖσαι ἵππους. Significat potestate facta. A Georg. 2. *Et dum se laetus ad auras Palmes agit, laxis per purum immissus habenis.* Lucret. lib. 5.

Arboribusq́; datum est varijs exinde per auras
Crescendi magnum immissis certamen habenis.

Ouid. dixit immissis equis. Et Propert. lib. 3. immissis rotis. Gifan. in Lucret. * *Silius lib. 4. sine controuersia huc respexit illis,*

Vritur omne nemus, lucosq́; effusus in altos
Immissis crepitat victor Vulcanus habenis.

PICTAS ABIETE PVPPES) Vel in abiete pictas, vt subaudias in, vt Seruius, id est, quæ erant abiegnæ, & pictæ: vel μιλτοπαρῄους intellige, vel alio quouis colore inductas, & oblitas. Infrà, *pictasq́; innare carinas*, vt German.

Nuntius Anchisæ ad tumulum, cuneosq́; theatri
Incensas perfert naues Eumelus: & ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare fauillam.
Primus & Ascanius, cursus vt lætus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petiuit
Castra: nec exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste nouus, quò nunc, quò tenditis? inquit,
Heu miseræ ciues: non hostem, inimicaq́; castra
Argiuûm, VESTRAS SPES VRITIS. en ego vester
Ascanius. galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.

ET IPSI RESPICIVNT IN NIMBO) Solet nuntijs B plerunq; non facile credi, in malis præsertim: sed quod Eumelus de incendio nauium Æneæ, Troianorumque auribus suggerebat, hoc ipsum eorum oculis mox fumus, & volitantes per aërem fauillæ repræsentabant, & ad credendum impellebant. Et quanquam adolescentulus adhuc Ascanius, sentit tamen, quantum accipiatur mali hoc incēdio. Quare, ita vt erat, in equo, animo vehementer commoto, repente aduolat, frustra custodibus cum retinere conantibus. Conabantur autem, quod ei metuerent, ne casu aliquo mali quippiam ei contingeret. Donatus.

TVRBATA PETIVIT CASTRA) turbata mulierum temeritate, vbi erant turbatæ ira, & furore mulie- C res. Castra propriè hostium sunt: hìc pro tentorijs furentium mulierum Troianarum.

INIMICAQVE CASTRA ARGIVVM) quod honestè, vtiliterque fieret: pium est enim, pro aris, & focis propugnare, hosti damnum dare. Nascimb.

QVIS FVROR ISTE NOVVS) Obiurgatio ista caret exordio: nam & qui loquitur pæne furit ira iustissima, & quas alloquitur, insaniunt. Nunquid enim insani nō sunt, qui sibimetipsis hostilia faciunt, suaq́; commoda miserè disperdunt? Per has siquidem naues in Italiam promissa, & sperata regna sese venturas poterant considere. Ergo dum eas vrunt, quid nisi spes suas vrere dicendæ sunt? Sic Tibull. ad Venerem. *quid messes vris acerba tuas?* μιλαφοιεινῶς.

GALEAM ANTE PEDES PROIECIT) Consule lib. 12. in illum locum de Ænea.

At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atq́; suos clamore vocabat.

Cassis de lamina est, inquit Isidor., galea de corio. Tacitus, vix vni, alteriue cassis, aut galea: de Germanis scribens, & manifesto abiungens. Ipsa vox quoq; præfert, quia galea propriè est ἀπὸ τῆς γαλῆς, à fele aut mustella: etsi Varro maluit petere à galero. Sane prisci tegmina ferè petebant à feris, vnde in Homero alijsq; ἰκτιδέη, κυνέη, ταυρείη, αἰγείη: mustellina, canina, taurina, caprilla. Lego & in Suida, ἀλωπεκῆ ἡ περικεφαλαία: vulpina ipsa galea. Sic igitur dictæ, quia à talibus animalibus captæ. Lipsius Milit. Rom. lib. 3. dial. 1.

BELLI SIMVL. CIEBAT) Eodem hoc lib. *pugnaeq́; cient simulacra sub armis.* Lucret. lib. 2.

Praeterea magna legionis cum loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cientes.

Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrûm.
Ast illæ diuersa metu per littora passim
Diffugiunt, syluasq́;, & sicubi concaua furtim
Saxa petunt. piget incepti, lucisq́;: suosq́;
Mutatæ agnoscunt, excussaq́; pectore Iuno est.
Sed non idcirco flammæ, atq; incendia vires
Indomitas posuere: vdo sub robore viuit
Stupa, vomens tardum fumum: lentusq́; carinas
Est vapor, & toto descendit corpore pestis.
Nec vires heroum, infusaq́; flumina prosunt.

ACCELERAT SIMVL ÆN. SIMVL AGMINA TEVCRVM) Grandiorem statim ætatem adiungit ad compescendas insanas fœminas, nondum obiurgatione, & præsentia Ascanij deterritas quippe, pueri. Quid autem ducis ipsius aduentus, & grandiorum natu effecerit, subiungitur. *

AST ILLÆ DIVERSA METV PER LITTORA) Equi pernicitate præcesserat Ascanius, mox tamen

Æneas,

Æneas, cæterique Troiani consequuti sunt, quoniam communis calamitas omnes valde commouerat. Mulierculæ verò, quæ solius Ascanij increpationem neglexerant, cœperunt metuere, ne ipsius Æneæ, multitudinisque præsentiam, ac reprehensionem sustinere non possent. Proinde fugientes diuersa petebant, in quibus laterent, syluas & speluncas videlicet. Ipsæmet erubescebant, sua consilia, & facinus ipsæ reprehendebant, seq; hac luce indignas iudicabant. Reddita mente, suos iam agnoscebant, quos tam grauiter offendisse dolebant: & hoc fuit quasi Iunonem excussisse. Non potuit significantius exprimi scelus à Troianis fœminis admissum, nisi vt diceret, in earum præcordijs Iunonem fuisse præsentem. Sic enim ad eius arbitrium factum est, quod fuit Troianis aduersum, quasi Iuno in interitum nauium procurando fuisset operata. Donatus.

PIGET INCEPTI) Pudet, & piget hoc distant. Pudet verecundiæ est, piget pœnitentiæ. Plaut. Pseud. *Nimirum id, quod pudet facilius fertur, quam id, quod piget.* Trinum. *Pol pudere, quam pigere præstat, totidem literis.* Sallust. Iugurtha. Nam postea quam fecerit, incertum habeo, pudeatne, an pigeat magis disserere. Nonius.

VDO SVB ROB. VIVIT STVPA) In humidis aqua marina ratibus linum etiam, & stupa concepta flamma, incepit fumare.

VOM. TARD. FVMVM) Quis est hîc obsecro tardus fumus? an amarus & acerbus? vt, *tardumq; saporem Fœlicis mali.* an potius qui non celeriter emicat, præsertim densior, & ex materia vda, quiq; diutius durat, cunctaturq;, & diuturnior est? & verius putem. Sed A & vapor, id est, ignis, lentus erat. Nam etsi naues erant vnctæ, tamē vda materia nonnihil officiebat igni. Turneb. lib. 14. cap. 4.

LENTVSQVE CARINAS EST VAPOR) Infrà, *restinctus donec vapor omnis.* Vapor pro igne, seu calore apud optimos quosque scriptores pręter Maronem invenias. Horat. Ode 3. Epod.

Nec tantus vnquam siderum insedit vapor
Siticulosæ Apuliæ.

Lucret. lib. 2. *At vapor is quem sol mittit, lumenq; serenum.* Idem lib. 5. *Sed perijsse hominum torrentia sæcla vapore.* Omitto alia eiusdem loca. Sic vaporare, calere, ardere. B Horat. lib. 1. epist. ad Quintium. *sed vt veniens dextrum latus aspiciat sol, Laeuum discedens curru fugiente vaporet.* Vbi ἐγχλιαίνειν pro calefacere positum videtur. Lucret. lib. 5. *Inuidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant Plerunque.*

TOTO DESCENDIT CORP. PESTIS) Pestis dicta παρὰ τὸ πεσεῖν, à quo fonte etiam est antiqua vox pessum. Itaq; pestem vocabant, quicquid rem aliquam, siue animatam, siue inanimatam pessundaret, quasique prosterneret. Sallust. Et si pestis certa abesset, manuum potius. Et Cicer. 13. Philipp. Nimirùm rectè veneficum appellas, à quo tibi præsentem pestem vides comparatam. Virgilius hic pestem vocat flammam, C quæ naues depopularetur. Idem lib. 9. *In partem quæ peste caret,* cum de ardente turri loquitur. Ex Muret. in Catull.

NEC VIRES HEROVM INFVS.) Amplificatio incendij, quod nullis aquis restingui poterat. Furebat enim immissis Vulcanus habenis.

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilioq; vocare deos, & tendere palmas.
Iupiter omnipotens, si nondum exosus ad vnum
Troianos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos: da flammam euadere classi
Nunc pater, & tenues Teucrûm res eripe letho.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaq; hîc obrue dextra.
Vix hæc ediderat, cum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit: tonitruq; tremiscunt
Ardua terrarum, & campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, densisq; nigerrimus Austris:
Implenturq; super puppes, semiusta madescunt
Robora: restinctus donec vapor omnis, & omnes,
Quattuor amissis, seruatæ à peste carinæ.

HVMERIS ABSCIND. VESTEM) Dilacerare D vestem signum doloris fuit, & Æneas causam doloris iustissimam habuit, viso classis incendio, sine qua, ad destinata sibi fatis loca peruenire non poterat. Lib. 12. etiam Amata audito, hostem ad occupandam vrbem accedere, *Purpureos moritura manu discindit amictus.* Sed tamen in rebus quantumcunque afflictis, & desperatis semper adhuc aliquid spei in diuino auxilio relictum est. Quare Æneas etiam ad deum confugit. ✠

IVPITER OMNIPOTENS, SI NONDVM EXOSVS) Primùm ostendit posse opem ferre, quia sit omnipotens, cui proinde nihil est arduum, aut difficile. Et quoniam non sufficit posse, nisi etiam velis, addit mox, si nondum tibi odio omnes sumus: multi siquidem apud Troiam eo conniuente perierant. Donatus.

Hoc igitur est rogare vt velit, quia non videtur odisse etiam reliquias istas Danaûm. Deinde quia cum sit pius, par est eum miserari tot malis fessos iam, ne quid mali, immo ne tam graue malum addat, addiúe permittat. Proponitur ei tertio loco paupertas, & angustiæ rerum in quibus sint. Quæ si hostem quoq; emolliunt

liunt, & ad misericordiam permouent, ne illis, quod tam modicum habent, eripiat: quanto magis ipsum natura clementem permouere debent? Ad extremum seruauit, quod Iouem flectere inprimis potuit, & videtur *διλημματικῶς* agere hoc modo. Aut bene de te merui, aut malè. Si bene, mea caussa naues serua, cum præsertim id abs te suppliciter petam. Si malè, tum me fulmine tuo ad inferos adige, ne tantæ tantæ calamitati superstes sim. ✠

DA FLAMMAM EVADERE CLASSI) Sollemne fuit in precibus verbum, da. Id quamplurimis exemplis, vt semper, testificatur diligentissimus Brissonius Formular. lib. 1. pag. 73.

VIX HÆC EDIDERAT CVM EFFVSIS IMB.) Illustre exemplum nobis hoc loco proponitur, vnde discamus, à Deo proborum hominum preces minimè A contemni. Repente exauditur hîc Æneas. Exauditur item lib. 2. Anchises. Diem consumam, si de diuinorum librorum paginis exempla petere voluero. Facit hoc deus noster, & ita facturum eædem paginæ pollicentur sæpius. Exempli caussa, Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Rursum, Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Præclarè autem poeta insolitam tempestatem describit. Imbrem primùm dicit effusum, id est, largum, & copiosum. Deinde latum, & vehementem, quia toto æthere ruit. Eodem, ad impetum, inquam, pertinet quod sequitur, *densis austris*. Necesse est enim, vt validus veniat, si vento valido in terras agitur. Quod puppes eo impletæ sunt, indicat largitatem imbris. De peste supra dictum ex Mureto. ✠

At pater Æneas casu concussus acerbo,
NVNC HVC INGENTES, NVNC ILLVC PECTORE CVRAS
MVTABAT: versans, Siculisné resideret aruis,
Oblitus fatorum, Italasné capesseret oras.
Tum senior Nautes, vnum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaq; insignem reddidit arte:
Hæc responsa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna deûm, vel quæ fatorum posceret ordo.
Isq; his Æneam solatus vocibus infit.

CASV CONCVSSVS ACERBO) Lib. 12. *Quæ* (fortuna) *totam luctu concussit funditus vrbem*. In hoc ipso quinto sub finem. *Multa gemens, casuq; animum concussus amici.*

NVNC HVC INGENTES, NVNC ILLVC .P. CVR.) Alibi, *Atque animum celerem nunc huc, nunc diuidit illuc.* Vbique in rerum difficultatibus Æneas cogitans, & deliberans introducitur: hoc enim ex officio Principis est maximè, prouidere ne quid respub. detrimenti accipiat. Ad regem quidem Persarum quotidie manè veniebat, qui eum de somno excitans diceret, *ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε τῶν πραγμάτων*. surge rex, & cura quæ curanda sunt. Dubius est igitur Æneas, accepta hac nauium clade quid agat: maneátne in Sicilia, tanquam oblitus oraculorum, quibus in Italiam tendere iubebatur: an det operam modis omnibus, vt eò pergat, quò iussus est. Sanè multum ei Sicilia arridebat, & ab Aceste sperare poterat omnia: idemq; quod Dido, promittebat, *Tros Siculusq; mihi nullo discrimine agetur.* ✠

TVM SENIOR NAVTES VNVM TRITONIA PALLAS) Ab hoc Naute Nautiorum erat Romæ familia clara. Sic enim in Marone nomina propria plerunque attendenda, neque pro poeticis fictionibus ducenda: quanquam aliquando tenet ius suum Maro, & personas, personarumque nomina comminiscitur, ne poeta non sit. Turneb. lib. 26. cap. 17. Alludit ad custodiam Palladij, inquit German. quam sibi Nautij, qui genus ad Nautem illum Troianum referebant, sacrorumque Mineruæ administrationem vindicabant, ad quem etiam Romæ Nautiorum familia originem retulit.

Optimum consiliarium Æneæ inducit poeta, quem hic ab ætate senili, prudentia, religione, beneuolentia quoque infrà commendat, dum amicum vocat. Prudentia sanè senectutis est propria, & vt inquit B Ouidius *seris venit vsus ab annis.* Sed cum præterea, vt pium, docuerat sapientiæ præses dea: & bene cupiebat rebus Troianis ex animo. Quare meritò Anchises filio præcipit, vt eius sententiam sequatur, cum nihil ei deesse videatur eorum, quæ alicuius consilium consulenti deliberantique probare queant. Atque hic percommodè Mureti theorema super eadem re in medium adduxero, è lib. 8. cap. 14. Tria omnino sunt, quæ efficiunt, vt ij qui consilium dant, digni iudicentur, quibus credamus, quosque duces in rebus suscipiendis, aut gerendis sequamur: prudentia, probitas, & beneuolentia erga nos. Horum trium si quid abfuerit, non satis tutum est, eorum consilio fidere. Nam qui C & tum bonus vir erit, tum amicus nobis, si idem parum prudens, & consideratus fuerit, falsus ipse, nos fallet. Et qui callidus atque acutus est, si aut improbus sit, aut malè animatus in nos, in fraudem inducet potiùs, quàm bono, & vtili consilio adiuuet. Etiam si qui & prudens est, & vir bonus, nisi beneuolentia nos aliqua complectatur, non valde laborabit, quid nobis futurum sit. Itaque dabit nobis quidem consilium bona fide, & sine fallacia: sed tamen non ita cogitatè, vt si aliqua nobis cum ipso esset coniunctio. quare poterit fallere. quòd si etiam inimicus sit, nunquam sanè nobis auctor erit, vt id faciamus, quod ipse nobis optimum fore cognoscet. tria illa in quo inerunt, is neque D volet fallere, & vix poterit falli. Hæc Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum his verbis docuit: *Τοῦ μὲν οὖν αὐτοὺς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας, τρία ἐστὶ τὰ αἴτια. τοσαῦτα γάρ ἐστι, δι' ἃ πιστεύομεν, ἔξω τῶν ἀποδείξεων. ἔστι δὲ ταῦτα, φρόνησις, καὶ ἀρετὴ, καὶ εὔνοια. διαψεύδονται γὰρ περὶ ὧν λέγουσιν, ἢ συμβουλεύουσιν, ἢ διὰ πάντα ταῦτα, ἢ διὰ τούτων τι. ἢ γὰρ δι' ἀφροσύνην οὐκ ὀρθῶς δοξάζουσιν, ἢ δοξάζοντες ὀρθῶς, διὰ μοχθηρίαν οὐ τὰ δοκοῦντα λέγουσιν, ἢ φρόνιμοι μὲν, καὶ ἐπιεικεῖς εἰσιν, ἀλλ' οὐκ εὖνοι. διόπερ ἐνδέχεται μὴ τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν γιγνώσκοντας. καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν.*

VEL QVÆ PORTENDERET IRA MAG. DEVM) A præcipuè Iunonis, ita fiat, an ita poscentibus fatis, vt A'ποιά est, dubitat enim poeta, vtrum hoc deorum, Troianorum pars in Italia relinquenda sit.

NATE DEA, QVO FATA TRAHVNT, RETRAHVNTQVE SEQVAMVR:
QVICQVID ERIT, SVPERANDA OMNIS FORTVNA FERENDO EST.
Est tibi Dardanius diuinæ stirpis Acestes:
Hunc cape consilijs socium, & coniunge volentem.
Huic trade, amissis superant qui nauibus, & quos
Pertæsum magni incepti, rerumq; tuarum est:
Longæuosq; senes, ac fessas æquore matres,
Et quicquid tecum inualidum, metuensq; pericli est,
Delige: & his habeant terris sine mœnia fessi.
Vrbem appellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici:
TVM VERO IN CVRAS ANIMVM DIDVCITVR OMNES.
Et nox atra polum bigis subuecta tenebat:
Visa dehinc cælo facies delapsa parentis
Anchisæ, subitò tales effundere voces.

QVO FATA TRAH. RETRAH. SEQ.) Nautæ suasoria est oratio, quæ rationes habet à necessario, ab honesto, ab vtili. Beneuolentiam primùm colligit, à diuina ipsius origine, *Nate Dea.* Fata necessitatem habent, ea quò trahunt, retrahuntúe, sequenda sunt: seu bona, seu mala obtulerint, boni consulenda sunt. *Est tibi Dardanius,* &c. Expositio consilij ab honesto. *Huic trade, amissis,* &c. Ab vtili admonitio, quæ eorum enumerationem continet, qui in Sicilia relinquendi sunt, pueri, fœminæ, senes, ac meticulosi, tanquam colonia, quæ honoris caussa ab Aceste nominetur Acesta. Nascimbæn.

SVPERANDA OMNIS FORTVNA FERENDO EST) *Gnome Theognidis haud dispar.*

Τολμᾶν χρὴ τὰ διδῶσι θεοὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν
Ῥηϊδίως δὲ φέρειν ἀμφοτέρων τὸ λάχος.

Qualia dij nobis dederint, toleremus oportet:
Vtraque sors animo est vsque ferenda bono.]

Iugum patientiæ signum est, quo plurimum dicitur gauisus Leo X. P. M. Cum enim ab ineunte ætate Virgilianum illud admirari cœpisset, quod solitus est ille dicere (vt in eius vita scriptũ legimus) nullam homini virtutem patientia commodiorem esse, quam sententiam & carmini mox inseruit, *superanda omnis,* &c. nullum vnquam opus, neq; publicum, neque priuatum, etiam cum ad pontificatum euectus esset, faciundum locauit, cui iugorum insignia nõ apponeret, cum inscriptione, SVAVE, vt scilicet ad virtutis eius fructum percipiendũ alacrem esse necessariam voluntatem innueret: iugumq; id suaue futurum, quod libenti animo toleraretur. Pierius lib. 48.

VRBEM APPELLAB. P. NOM. ACESTAM) Ab Aceste permisso intelligendum est. Quidam legunt *promisso,* nec inuenustè, vt hoc sit præmium, quod polliceri debeat Æneas, si eos recipere Acestes non recusarit. Vel promisso à fatis, siue ab oraculis, κατὰ τὸ σιωπώμενον, vt multa alia apud Virgilium. Nascimb.

Historia sacra testatur, inquit Lactant. lib. 1. cap. 22. ipsum Iouem, postquam rerum potitus est, in tantam insolentiam venisse, vt ipse sibi fana multis in locis constitueret. Nam cum terras circumiret, in quamcunq; regionẽ venerat, reges, principesúe populorum hospitio sibi, & amicitia copulabat: & cum à quoquam digrederetur, iubebat sibi fanum condi, hospitis sui nomine, quasi ita posset amicitiæ, & fœderis memoriæ consecrari. Sic constituta sunt templa Ioui Atabyrio, Ioui Labradęo. Atabyrius enim, & Labradæus hospites eius, atque adiutores in bellis fuerunt. Item Ioui Laporio, Ioui Molioni, Ioui Casio, & quæ sunt in eundem modum: quod ille astutissimè excogitauit, & vt sibi honorem diuinum, & hospitibus suis perpetuum nomen acquireret, cum religione coniunctum. Gaudebant ergo illi, & hinc imperio eius libenter obsequebantur, & nominis sui gratia ritus annuos, & festa celebrabant. Simile quiddam in Sicilia fecit Æneas, cum conditæ vrbi Acestæ nomen imposuit, vt eam postmodum lætus ac libens Acestes diligeret, augeret, ornaret.

Obseruatu dignum, quod ait vates noster, vrbem appellatum iri Acestam permisso nomine. Habituram, inquam, nomen demissum à nomine principis Acestæ, eo ipso non inuito. Multum hoc ad vrbium dignitatem valet. Quod etiam huic antiquissimæ Romanorum coloniæ, in qua degimus, contigit. ab Augusto enim vocabulum nacta est. De qua patriæ suæ tam honorifica, & maiestatis plena appellatione disserens in 5. Antiquitatum M. Velserus, vir liberalibus studijs eruditissimus, & à me meisque omnibus, iure ac meritò diligendus, Dionis è lib. 54. locum insignem producit, & Virgilium hunc imponendi, concedendique nominis morem tetigisse, veracissimus testis pronuntiat. Verba Dionis sequuntur. Paphijs terręmotu afflictis, largitus est Augustus, iussitq; vt vrbem (quam scilicet instaurabant) Augustam appellarent. Id non eo à me refertur, quasi non alijs quoque vrbibus, multis, prius ac postea, in simili infortunio Augustus, ac senatores auxilium tulerint, quas si quis omnes enumerare velit, res in infinitum se extenderit: sed quod cognomina etiam vrbium honoris caussa senatus eis imposuit, & non, quod nunc fit, ipsæ sibi nomina, quotquot vellent, delegerunt.

TVM VERO IN CVRAS ANIMVM DIDVCITVR)

Incendebatur quidem consilijs amici Æneas, & probabat: quiescere tamen animo non poterat. Fata illum, & oraculorum monita sollicitabant. Verebatur ne esset impium factum, & contra deos, si in Sicilia relinqueret, cum quibus tot laboribus perfunctus erat, ciues, & cognatos, quos decebat bonorum quoque fieri participes, qui socij tantorum malorum, & tandiu fuerant. Quare diuina admonitione opus fuit. Facit de cælo venire Anchisæ vmbram, & tanquam Iouis nuntiam: ne si aliunde veniret, verbis eius parua, A aut nulla haberetur fides. Et noctu, propter verisimilitudinem à tempore: non enim interdiu, sed noctu vmbræ apparent. Nascimbæn.

NOX POLVM BIG. SVBVECTA) Tibullus quoque in currum Noctem imponit eleg. 1. lib. 2.

Ludite, iam nox iungit equos, currumq; sequuntur
Matris lasciuo sidera fulua choro.

Vbi venustè noctem ipsam siderum matrem nominat. Vide scholia Mureti.

Nate, mihi vita quondam (dum vita manebat)
Chare magis, nate Iliacis exercite fatis:
Imperio Iouis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, & cælo tandem miseratus ab alto est.
Consilijs pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos iuuenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. gens dura, atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen antè
Infernas accede domos: & auerna per alta
Congressus pete nate meos. non me impia namque
Tartara habent, tristesq; vmbræ: sed amœna piorum
Concilia, Elysiumq; colo. huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, & quæ dentur mœnia disces.
Iamq; vale. torquet medios nox humida cursus,
Et me sæuus equis oriens afflauit anhelis.
Dixerat, & tenues fugit, ceu fumus, in auras.

NATE MIHI VITA CHARE MAGIS) Blandum principium, vereque paternum, quo & amorem erga filium testatur, quem viuus habuerit, quique nec mortuo planè decessisse intelligendus est: attamen cum perturbatione, & quemadmodū nos adhuc mortales, non diligunt mortui. In exprimenda amoris magnitudine, vitam nominamus, quo nihil nobis aut charius est, aut iucundius. Cicer. ad Terent. Ego verò te, mea vita, quam primum videre cupio. Idem de Cicerone, & Tulliola liberis suis: Mihi verò & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium vita sunt mea chariores. Catull. de nupt. *Gnate mihi longa iucundior vnice vita.* Idem ad Mallium.

Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vita dulcius atque anima
Coniugium.

Propert. eleg. 2. lib. 1. *Quid iuuat ornato procedere, vita, capillo?* Illud quoque ad beneuolentiam spectat, quod eum non suo, sed patriæ fatis ait exerceri tot aduersis. Ergo duo primi versus locum teneant exordij. Succedit mandati expositio, cuius summa est, obtemperandum Ioui, à quo missus veniat, à Ioue, qui paulo ante tam euidens suæ beneficentiæ, & miserationis indicium dederit. Nam cum dijs semper obediendum sit, tum verò potissimum, cum in nos beneficia contulerint. Velle autem Iouem, vt Nauten audiat. Qui quanquam docuerit Æneam, qui in Sicilia relinquendi essent, Anchises autem eius sententiam repetens, doceat, qui in Italiam ducendi sint, sciendum tamen vtriusq; eandem esse mentem. Suades imbelles, senes, fœminas dimittendos? hoc ipso suades iuuenes, & animo- B sos ducendos. Suades hos ducendos? simul illos, quos dixi, dimittendos suades. Quos hîc fortissima corda, lib. 2. fortissima pectora nominat. Cur autem ducendi electi, & fortissimi iuuenes, ratio subiungitur, quam & Iupiter lib. 1. his verbis complexus est. *Bellum ingens geret Italia, populosq; feroces Contundet.* De quo bello totis sex posterioribus libris agit.

DITIS TAMEN A. INF. ACCEDE DOMOS) Multum filio profuturum testatur, si, antequā ad bella gerenda aggrediatur in Italia, ad se ad inferos descendat, Sibylla duce. Et ne horreat, indicat vbi inueniendus sit: non apud tartara, qui locus impiorum, & sceleratorum est, sed in campis Elysijs, vbi degunt probi, & C beati. Res tota exponitur lib. 6. Vlysses item apud Homerum lib. 10. consilio Circes petit inferos.

NON ME IMPIA NAMQVE TART. HAB.) quod quidem ad filium consolandum valet plurimum, vt pater non sceleratorum tristia, sed piorum amœna loca incolat. Nascimbæn.

NIGRARVM PECVDVM) Sacrificia quæ dijs inferis fiebant, non solùm tempore (noctu enim plerunq; fiebant) sed etiam colore victimarū, & ritu plurimùm ab alijs differebant. Vide Natalem Comitem lib. 1. c. 12. Mythologiæ.

MVLTO SANGVINE) Appositè, quia res asperæ, & difficiles absq; deorum numine per plurimum sacrificium, multarumq; victimarum sanguinem concilia- D tum superari non possunt. Nascimb.

TVM GEN. OMNE TVVM ET Q. D. MOEN. DIS.) Hæ sunt caussæ, propter quas ad inferos descendit Æneas, vt patet in sexto, vbi ei pater vrbis Romæ nomen tanquam

tanquam ſacrũ, & nulli cognitum prædicit. Seruius.

ET ME SÆVVS EQVIS ORIENS) Aliæ gentes aliunde, Romani diem à media nocte ad mediam noctẽ ſequentem, diem, inquam, ciuilem numerabant: quod hìc inſinuat Virgilius, recondita, atque operta veteris ritus ſignificatione. Admonet diem, quem Romani ciuilem appellant, à ſexta noctis hora oriri. Vide Gell. lib. 3. cap. 2. Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 3. *Μεσονύκτιον* innuit, à quo Romanos diem inchoaſſe docet Plutarch. in Romanis quæſtionibus, his verbis, & cauſificationib⁹. *διὰ τί τῆς ἡμέρας ἀρχὴν ἐκ μέσης νυκτὸς λαμβάνουσι;* &c. Vide German. Aduentante die, ait Turneb. lib. 14. cap. 4.

A diſcedit ab Ænea Anchiſes? noctu enim ſolent dij, in quorum numero manes ponuntur, inuiſere terras, interdiu relinquere. Papinius lib. 1. Syluar.

—— huc & ſub nocte ſilenti,
Dum ſuperis terrena placent, tua turba relicto
Labetur cælo.

* *Hinc illud adiunctum ſæuum, quia, ſol, ſeu lux ſolis eſt vmbris iſtis inimica. Tamen torquebat me, diei nox humida curſum. Sed quæ ſunt naturalis diei ad ciuilem accommodat.*

TENVES FVGIT CEV FVM. IN AVRAS) De ſimulacro Creuſæ diſparente lib. 2. *Par leuibus ventis, volucriq́; ſimillima ſomno.* quem verſum de Anchiſe repetit lib. 6.

Æneas, quò deinde ruis? quò proripis? inquit.
Quem fugis? aut quis te noſtris complexibus arcet?
Hæc memorans, cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Pergameumq́; larem, & canæ penetralia Veſtæ
Farre pio, & plena ſupplex veneratur acerra.
Extemplò ſocios, primumq́; accerſit Aceſten:
Et Iouis imperium, & cari præcepta parentis
Edocet, & quæ nunc animo ſententia conſtet.
Haud mora conſilijs: nec iuſſa recuſat Aceſtes:
Tranſcribunt vrbi matres, populumq́; volentem
Deponunt, ANIMOS NIL MAGNÆ LAVDIS EGENTES.
Ipſi tranſtra nouant, flammisq́; ambeſa reponunt
Robora nauigijs: aptant remosq́;, rudentesq́;,
EXIGVI NVMERO, SED BELLO VIVIDA VIRTVS.

QVO DEINDE RVIS? QVO PRORIPIS?) Quomodo hic patrem, ſic infrà lib. 1. matrem fugientem incuſat.

Quid natum toties crudelis tu quoq́; falſis
Ludis imaginibus? cur dextræ iungere dextram
Non datur? ✻

QVEM FVGIS) *ἐμφαντικῶς, καὶ παθητικῶς.* Similis pæne verſus ille *Quem fugis, & quo nam noſtri tibi cura receſſit?*

CINER. ET SOPITOS SVSCIT. IGNES) vt Laribus ſeu Penatibus ſacra faciat. Nam & Penates domi colebantur in foco, quibus, paterfamiliâs, alijq́ue dignitate præditi, ſacra faciebant. Naſcimb.

PERGAMEVMQVE LAREM) Poſſumus, ſi videtur, ſummatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos eſſe, ex eo, quòd Græci vicos cognominant lauras. In diuerſis Nigidius ſcriptis, modò tectorum, domuumq́ue cuſtodes, modò Curetas illos, qui occultaſſe perhibentur Iouis æribus aliquando vagitum, indigetes Samothracios, quos quinque indicant Græci Idæos Dactylos nuncupari. Varro ſimiliter hæſitans, nunc eſſe illos Manes, & ideo Maniam matrem cognominatam eſſe Larum: nunc aërios rurſus deos, & heroas pronuntiat appellari: nunc antiquorum ſententias ſequens, laruas eſſe dicit Lares, quaſi quoſdam genios defunctorum animis mortuorum. Arnob. lib. 3.

CANÆ VESTÆ) Hoc epitheto *cana*, Maro Veſtam, & Fidem proſecutus eſt, tũ propter vellus album, quo brachia ad digitos pæne ſacrifici vtriusque ſexus rite inuoluebant: tum quod Veſtæ ſacræ virgines albo, à primo, puriſſimo, ſinceriſſimoq́ue colore, amictu vte-

B rentur. Propert. lib. 4.

Vel cui commiſſos cum Veſta repoſceret ignes,
Exhibuit viuos carbaſus alba focos.

German.

PLEN. VEN. ACERRA) Acerra, ara, quæ ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebantur. Alij dicunt arculam eſſe thurariam, ſcilicet vbi thus reponebant. Sic Feſtus. Huius acerræ ſiue in priori, ſiue in poſteriore ſignificatione mentio eſt apud Cic. in legib. funebrib. lib. 2. de leg. Ne longæ coronæ, ne acerræ prætereant. In poſteriore Horat. Ode 8. lib. 3.

Martijs cælebs quid agam kalendis,
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris.

C Vbi Acron interpres ſcribit, acerram thuribulum dici. Plura teſtimonia ex poetis proponit Tiraquell. in Alex. lib. 2. cap. 7. Dandi thuris alia atque alia, prout facultates largiebantur, ratio erat. Nam honeſtiores, & locupletes aceruos thuris focis ingerebant, thuraq́ue acerra, & lance & plena dabant: pauperiores verò grana duntaxat aliquot, vel glebulas, & micas ſummis digitis inijciebant. Hinc eſt quod ait, *plena acerra.* Ouid. 4. de Ponto eleg. 9. *Thuraq́; mente magis plena quam lance dediſſem.* Plaut. Pœnulo. *Qui vllum thuris granum ſacrificauerit.* Ouid. 3. Triſt. eleg. 12. *Micaq́; ſollemni thuris in igne ſonet.* Vide Plura apud Briſſon. Formular. D lib. 1. pag. 26.

EXTEMPLO SOCIOS PRIMVMQVE .A. ACEST.) Magna breuitas narrationis. Vocauit Aceſten & ſocios, quid Iuppiter Anchiſe nuntio, & interprete præcepiſſet, indicauit, quod Homerus totum ijſdem verbis repetiuiſſet. Quid ſibi placeret, adiecit. Inuenit Aceſten admodum promptum, ac volentem. Donatus.

TRANSCRIBVNT VRBI MATRES) Æneam condidiſſe vrbem Ægeſtam, & Elymam in Sicilia, in gratiam duorum Troianorum Ægeſti, & Elymi, quos ibi inuenit, & ibi exercitus ſui partem reliquiſſe, tradit lib. 1. Dionyſius. Quantum ego cõiectura poſſum colligere, inquit, ſua ſponte, vt labore, aut certè marinis iactationibus feſſi, loco tuto quieſcerent: tametſi quidam ſcribunt, detrimentum claſſis ibi acceptum, nauibus aliquot, fœminarum opera, ob diuturnum errorum tædium incenſis: atque ita coactum Æneam reliquiſſe turbam, quam poſt exuſtas ſuas, reliquæ naues capere non poterant.

De pecunia tractus eſt ſermo. nam ſcribi, eſt dari. Virgil. 7.

Turne tot incaſſum fuſos patiere labores,
Et tua Dardanijs tranſcribi ſceptra colonis?

Propriè tranſcribi Iureconſultis dicuntur, quorum ius in alium tranſit. In Pand. l. ſi vir vxori. De præſcriptis verbis: vt eos fundos, ſi ipſe vellet, eadem pretio mulier tranſcriberet viro. Id eſt, iure ceſſo traderet. Ouid. Metamorph. *ergo ego cuiquam Poſſe tua videor ſpatium tranſcribere vitæ?* Cum igitur hæc Troiana gens ita in Sicilia relinqueretur, vt in coloniam deduci videretur, pulchre dicuntur tranſcribi, quaſi omne ius ſuum Aceſtæ ceſſerint, eiuſq; imperio, ac iuri obnoxij degere velint. Naſcimb. Sollemne, & vſitatum hoc eſſe verbũ in deducendis colonijs, notat Seruius. A triumviris porrò coloni ſcribebantur. Quot autem coloni ſcriberentur, & de colonia, coloniſque multa ſcitu præclara docebit te accuratiſſimus ſcriptor Marcus Velſerus, Auguſtan. Antiquit. lib. 4.

DEPONVNT) Tanquam de nauibus onera, ad naues exonerandas, non enim tantam multitudinem cepiſſent, quæ ſupererant naues, quatuor exuſtis.

NIL MAGNÆ LAVDIS EGENTES) nil cupidas magnæ laudis. Qui egent, cupiunt: ergo à præcedẽte quod ſequitur, egere pro cupere.

EXIGVI NVMERO, SED. B. VIVID. VIRT.) Longè magis refert, vtrum animoſus, & imperterritus, quam vtrum numeroſus ſit exercitus. Hiſtoriarum periti norunt, ſæpe à paruis copijs magnas fuiſſe deletas. Quam B multa millia duxit Darius? quam pauca Alexander? nõ tamen ille hunc, ſed hic illum fudit, fugauit, & imperio exuit. Mirè cum Virgilio Vegetius conſentit lib. 1. cap. 1. In omni prælio non tam multitudo, & virtus indocta, quam ars, & exercitium ſolent præbere victoriam. Idẽ lib. 3. cap. 1. recenſet complura incommoda, quæ neceſſe eſt pati magnos exercitus. In certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior eſt: rudis, & indocta multitudo expoſita ſemper ad cædem. Lib. 10. *non viuida bello Dextra viris, animuſq́; ferox.* Lucret. lib. 1. *Ergo viuida vis animi peruicit.* Id eſt, acris, potens, animoſa. Idem infrà, *& viuida tellus Tutò res teneras effert in luminis oras.* Viuatus, & viuidus, inquit Feſtus, à magna vi dicuntur. ✥

Interea Æneas vrbem deſignat aratro,
Sortiturq́; domos: hoc Ilium, & hæc loca Troiæ
Eſſe iubet. gaudet regno Troianus Aceſtes:
Indicitq́; forum, & patribus dat iura vocatis.
Tunc vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ: tumuloq́; ſacerdos,
Et lucus latè ſacer additur Anchiſeo.

VRBEM DESIG. ARATRO) Primigenius ſulcus dicitur, qui in condenda noua vrbe, tauro & vacca deſignationis cauſſa imprimitur. Feſtus. Vrbs, inquit Caius tit. de verb. ſignif. ab vrbo appellata eſt: vrbare eſt aratro definire. Et Varus ait, vrbum appellari curuaturam aratri, quòd in vrbe condenda adhiberi ſolet. Vide ibidem Alciatum. * *Locutus de hoc more videtur Cic. 2. Philipp. vt vexillum videres, & aratrum circumduceres, cuius quidem vomere portam Capuæ pane perſtrinxiſti, (in colonia deducẽda videlicet). Iſidorus lib. 15. cap. 2. Vrbs vocata ab orbe, quod antiqua ciuitates in orbem fiebant: vel ab vrbo parte aratri, quo muri deſignabantur, vnde eſt illud,* Optauitque locum regno, & concludere ſulco. *Locus enim futuræ ciuitatis ſulco deſignabatur, id eſt aratro, &c. Aratrum cum in vrbes demolitas, ac dirutas induceretur, ius ciuitatis amiſſum, & ex vrbe agrum factum ſignificabatur. Horat. Ode 16. lib. hoc ipſum tetigit.*

Iræ Thyeſten exitio graui
Strauere, & altis vrbibus vltimæ
Stetere cauſſæ, cur perirent
Funditus, imprimeretq́; muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

SORTITVRQVE DOMOS) Sorte eligit loca ædificandarum ædium, ne ſit locus querelis: & vt potius quiſque in ſortem, quam Æneam conferat culpam, ſi ei locus minus ex ſententia contigerit. Fuit igitur prudentiæ hoc factum. ✥

HOC ILIVM, ET HÆC LOCA TROIÆ) Non eſt nomen vrbis Ilium, nam Aceſta dicta. Sed ideo Ilium nominat, quia vrbem ea forma deſignat, qua Ilium fuerat: vt Troiani ſimilitudine allecti, animo quieſcerent, C & quaſi in patriam reſtituti lætarentur. Per *loca Troiæ* intelligit publica ædificia, inſtar eorum, quæ fuerunt in antiqua vrbe Troiæ. Naſcimb.

INDICITQVE FORVM) Sic indicere ſenatum princeps ſenatus, cum habere vellet, ſolebat, apud Ciceronem, & claſſicos. German.

Forum ſex modis intelligitur. Primo negotiationis locus, vt forum Flaminium, forum Iulium, ab eorum nominibus, qui ea fora conſtituenda curarunt: quod etiam locis priuatis, & in vijs, & in agris fieri ſolet. Alio, in quo iudicia fieri, cum populo agi, conciones haberi ſolent. Tertio, cum is, qui prouinciæ præeſt, forum agere dicitur, cum ciuitates vocat, & de conD trouerſiis eorum cognoſcit. Quarto, cũ id forum antiqui appellabant, quod nunc veſtibulum ſepulcri dici ſolet. Quinto, locus in naui, ſed tum maſculini generis eſt, & plurale. Sexto, fori ſignificant Circenſia ſpectacula, ex quibus etiam minores forulos dicimus. Inde & forare, & foras dare, & fores, & forecula, id eſt, oſtiola dicuntur. Feſtus.

ET PATRIBVS DAT IVRA VOCATIS) Hinc perſpicuum fit, reges conſueuiſſe ius dicere, patribus & ſenatoribus vocatis, id eſt, aſſidentibus illis, & de eorum conſilio, quod imitandum eſt Principibus. Longum catalogum regum, qui iudiciale munus aliquando obierint, texit Tiraquell. de Nobilitate cap. 28.

ERYCINIO IN VERT. SED. FVND. VEN.) Prouidit

uidit hoc etiam cura religiosi viri, vt futuri incolæ in aliena regione haberent quoque templum sibi suum, Veneris nempe, Idaliæ cognominatæ ab Idalio Cypri oppido. Sacerdotem, & lucum instituit Anchisæ, vt tanquam diuo statis diebus sacra fierent. Forsan respicit Imperatorum Romanorum consuetudinem, patres suos in deos referentium, illisq; flamines, & sacra instituentium. ✠

Mons Eryx descriptus est cum suo templo à Polybio lib. 1. & Strabone in 6. De eodem Tacitus lib. 4. Annal. Et Segestani ædem Veneris montem apud Erycem,

A vetustate delapsam, restaurari postulauere: nota memorantes de origine eius, & læta Tiberio. Suscepit curam libens, vt consanguineus. Ad eius instar etiam Romæ erectum templum Veneris Erycinæ, ad portam Collinam, de quo Ouid. & Liuius. At illud mirum, quod Tacitus Tiberio tribuit, id Suetonium Claudio adscribere, cap. 25. Vide Lipsium in Tacitum. * *Suetonius Claudium auctorem fuisse dicit, vt ex aerario pop. Rom. reficeretur. Hoc templum mira quondam religione cultum, mulierumq; Veneri dicatarum frequentia notissimum fuit. In Cluentiana M. Tullius etiam viros, quos Venereos appellat, Veneris ministerio addictos ostendit.*

Iamq; dies epulata nouem gens omnis, & aris
Factus honos: placidi strauerunt æquora venti,
Creber & aspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurua ingens per littora fletus:
Complexi inter se noctemq;, diemq; morantur.
Ipsæ iam matres, ipsi quibus aspera quondam
Visa maris facies, & non tolerabile numen,
Ire volunt, omnemq; fugæ perferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis solatus amicis,
Et consanguineo lacrymans commendat Acestæ
Tres Eryci vitulos, & tempestatibus agnam
Cædere deinde iubet, soluiq; ex ordine funes.
Ipse caput tonsæ folijs euinctus oliuæ,
Stans procul in prora, pateram tenet, extaq; salsos
Porricit in fluctus: ac vina liquentia fundit.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntes:
Certatim socij feriunt mare, & æquora verrunt.

DIES EPVLATA NOVEM GENS OMNIS) Gens omnis, & Troianorum tam eorum qui mansuri, quam qui discessuri erant, & Siculorum quoque: hi omnes 9. dies epulas, & sacrificia obibant, orantes deos, vt vtrisque fauerent, stabilem, ac fælicem vtrisque sedem tribuerent. Verùm cum iam Auster in altum vocaret, & naues conscendendæ, ingentes exoriri fletus, extremorum colloquiorum, & complexuum nulla esse satietas: omnes velle cum abeuntibus abire, neminem nauigationis tædere amplius: quiduis, quantumcumq; durum, & periculosum vnà passuros promittere. Nam cum sint plures gradus societatis humanæ, & alijs alij magis inter se homines, arctiusque deuinciantur, manifestum est inter Troianos non solùm eiusdem nationis, & linguæ, verumetiam ciuitatis coniunctionem fuisse, & hanc quidem communem fuisse omnium. Inter multos, parentum, & filiorum, fratrum, consobrinorum, sobrinorum, propinquorum, & consanguineorum. Quibus omnibus quam dira, & acerba acciderit ista separatio, nulla spe amplius mutuùm videndi, túte cogitato. ✠

ARIS FACTVS HONOS) Centies honorem dicit pro sacrificio. Sed notabis *factus honos*, quasi etiam diceremus, facere honorem, vt facere sacra, rem diuinam. Quare autem poeta non sic loquatur? ✠

ET ASPIRANS RVRSVS VOCAT AVST.) Alibi, *lenis crepitans vocat Auster in altum.* Et rursum, *vocat iam carbasus auras*, per hypallagen.

FVGÆ PERFERRE LABOREM) Fuga significatur citus cursus. Virgil. 1. Æneid. *volucremq; fuga*

B *præuertitur Hebrum.* Fuga item volatum significat. Idem lib. 3. *celeriq; fuga sub sidera lapsa.* Fuga item dicitur nauigatio, Ibid. *Tendunt vela Noti, fugimus spumantibus vndis.* Nonius. Profectionem exponit Seruius.

CONSANG. LACRYM. COMMEND. ACESTÆ) Non inutilia, opinor, de lacrymationibus magnanimorum hominum, atque heroum scripsimus lib. 1. ibi. *Constitit, & lacrymans*, &c. Quid amplius fecisset pater discessurus à filijs? commendat, ac tradit eos in fidem Acestæ, & orat vtì pro suis habeat. ✠

ET TEMPESTAT. AGNAM) Hoc scribit, quòd, vt ait Cic. 3. de nat. deor, tempestates populi Rom. C ritibus consecratæ erant, tempestatique, vt deæ minori, minor hostia immolabatur, & vt fæminæ, fæmina. Horat. Ode 10. Epod.

Libidinosus immolabitur caper,
Atq; agna tempestatibus.

Turneb. lib. 14. cap. 4.

EXTAQVE SALSOS PORRICIT IN FLVCTVS) Hoc è ritu sacrorum Romanorum est. Nam & Scipio ex Sicilia in Africam nauigaturus, classem cũ solueret, idem fecit. Liuius lib. 29. Secundùm eas preces cruda exta, cæsa victima, vti mos est, porricit, tubaque signum dedit proficiscendi. Ita in eadem re explicanda D verbo Maronis *porricit*, elegans historicus vsus est. Turneb. lib. 26. cap. 17.

De verbo *porricere* supra ex Macrobio dictum. Næuius apud Nonium, *Simul atrocia porricerent exta*

mini-

ministraturus. Pœn. *Atq; in manibus exta teneam, vt porriciam.* Arnob. lib. 2. Cum Romulo, Pompilioque regnantib⁹ percocta plane, ac madida concremarentur dijs exta, nonne sub rege Tullo semicruda cœpistis, & leniter animata porricere? Vnde illud Varron. 5. de ling. lat. inter cæsa, & porrecta: eod. lib. inter hostiam cæsam, & exta porrecta. Ibid. cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi. Brisson. Formular. lib. 1.

Vellet Muretus lib. 14. cap. 2. vt multi veterem illam, porriciendi exta in mare consuetudinem notarunt, ita quoque aliquid de fundendi meri consuetudine notassent. Poterant autem è Thucydidis lib. 6. vbi Nicias, Lamachus, & Alcibiades soluentes è Piræeo, aureis, & argenteis pateris vinum in mare fudisse dicuntur. Verba scriptoris omnium grauissimi hæc sunt. κρατῆρας δὲ κεράσαντες παρ' ἅπαν τὸ στράτευμα, καὶ ἐκπώμασι, χρυσοῖς τε, καὶ ἀργυροῖς, οἵτε ἐπιβάται, καὶ οἱ ἄρχοντες σπένδοντες. Quod & à Diodoro lib. 13. in eiusdem historiæ explicatione memoriæ proditum est.

At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur: talesq; effundit pectore questus.
Iunonis grauis ira, & inexsaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat vlla:
Nec Iouis imperio, fatisúe infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Vrbem odijs satis est. pœnam traxisse per omnem
Relliquias Troiæ: cineres, atq; ossa peremptæ
Insequitur. caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in vndis
Quam molem subitò excierit. MARIA OMNIA CÆLO
MISCVIT, Æolijs nequicquam freta procellis:
In regnis hoc ausa tuis.
Prô scelus, ecce etiam Troianis matribus actis
Exussit fœdè puppes, & classe subegit
Amissa socios ignotæ linquere terræ.
Quod superest, oro, liceat dare tuta per vndas
Vela tibi, liceat Laurentem attingere Tibrim:
Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ.

EXERCITA CVRIS ALLOQVIT.) More suo poeta vno verbo, qualis futura sit oratio sequens indicat, cum Venerem curis exercitam, id est, de Troianorum salute sollicitam facit. Nec dicit eam voces effundere, sed questus, hoc est, verba doloris, lamentationisque plena. Est eius oratio petitoria quidem: sed maior pars continet expostulationem aduersus Iunonem, tot ferè circumstãtijs, quod Iunonis ad Æolum oratio lib. 1. Eiusdemq; formæ est, nisi quod in sensu contrariæ sunt: illic enim Iuno rogat, Troianos in mari submergi: hic, illis securam nauigationẽ Venus exorat. Exorditur ergo à caussa necessaria, quam varijs amplificationibus, longoque verborum circuitu protrahit, vt iustiorem denique, magisque honestam petitionis suæ rationem ostendat. Captat beneuolentiam ab aduersaria Iunonis persona: cuius iracundiam, impietatemque grauiter accusat, & detestatur. Nascimb.

INEXSATVRABILE PECTVS) suprà, *necdum antiquum exsaturata dolorem.* Exaggerat à quatuor caussis, ob quas mitigari debuerit, nec tamen mitigata est. Prima est dies, quæ lenit ægritudinem. Signum igitur nimis implacabilis iracundiæ, etiam post tot annos, & tam vehementer irasci. Altera, pietas. coluit enim illam Æneas iussu Heleni, lib. 3. *Iunoni fer rite preces, dominamq; potentem Supplicibus supera donis.* Irasci autem supplicibus quoque, & sacrificia piè facientibus, animi nimium furentis argumentum est. Tertia, Iouis imperium, seu fatum, de quo in 1. *Progeniem sed enim,* &c. Quarta, tot pœnæ quibus mactauit vsque ad illum diem Troianos. ✠

NON MED. DE GENTI VRB.) Vrbem media de gente Phrygum, Troiam, siue Ilium intellige, quam odijs suis non deleuit, quod atrox fuisset: sed quod est atrocius, exedit. Nec reliquias Troianorum tantùm aliqua pœna profugas affecit, sed per omnes pœnas traxit: quodque crudelissimum est, & impietatis plenum, nec cineres & ossa mortuæ Troiæ sinit quiescere. Videtur paucos qui supersunt Troianos, illius magnæ cineres & ossa vocare, siquidem & reliquias. Et norunt studiosi, à Sulpitio ad Ciceronem vocari oppidorum cadauera. Dum subiungit, *caussas tanti sciat illa furoris,* significat eam nec honestam, nec iustam hui⁹ indomiti furoris sui caussam habere, tametsi illa nõnullas initio l. 1. & lib. 10. recenseat. Citat præterea Venus testem odij Iunonis illam sæuissimam tempestatem, quæ descripta est lib. 1. & conatur eam apud Neptunum vocare in magnam inuidiam. Quasi dicat, tu putabas Æolum tam indignum facinus in alieno regno ausum, & missis ventis tantas fluctuũ moles te inconsulto, sustulisse: Iuno Iuno hoc fecit, illa clientem suum eò adegit: totus est in eius potestate. Vide ergo quid illi concedas. Non ignorauit Neptunus machinatam esse Iunonem illud malum Troianis, *Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ:* sed Venus totum Iunoni, non Æolo vult tribui. ✠

MARIA

MARIA OMNIA CÆLÓ MISCVIT) Prouerbialis hyperbole, mare cælo miscere, pro eo, quod est, omnia perturbare, nihilq; non facere. T. Liuius. Quid est quod cælo terram, terræ cælum misceant? Idem alibi. Quid tandem est, cur cælum, ac terras misceant? Iuuenal. *clames licet, & mare cælo Confundas, homo sum.* Noster paulùm mutauit in 12. *non si tellurem effundat in vndas Diluuio miscens, calumúe in tartara soluat.* Chiliad.

TROIANIS MAT. ACTIS EXVSSIT. F. PVPP.) Hæc satis patent ex superioribus. Quod autem Æneas oraculi monitu fecit, vt quosdam de suis in Sicilia relinqueret, hoc Venus scelere Iunonis coactum fecisse videri, postulat. Adiungit pro epilogo petitionem tutæ nauigationis vsque ad Tibrim, id est Italiam. Et inuidiosè satis, *liceat dare tibi vela*, non, liceat dare Æneæ: quasi Iuno non tantum Troianis, sed iam etiam ipsi A Neptuno infesta sit, & in eum vsurpare imperium nitatur. Ostendit etiam æquitatem huius petitionis, quia nihil iniquum, nihil vetitum peto: quò enim tendimus, id nobis à fatis donatum est: & tibi adiuuare fata pulchrum est. ✱

SOCIOS IGNOTÆ LINQVERE TERRÆ) Quo tandem pacto ignotæ terræ, si ad eam bis venerant? Notissima erat iam Troianis Sicilia. Sed ignotæ dixit pro ignobili, idque comparatione Italiæ. Vide quæ disputantur super hoc verbo *ignotus* à Tiraquello de Nobilitate cap. 2. num. 6. ✱

SI CONCESSA PETO: SI DANT) Terent. And. *Si te in germani fratris dilexi loco, Sine hac te solum* B *semper fecit maxime.* Et Hecyra. *si vnquam erga te animo esse amico sensisti eam.* Si pro siquidem, ait Seruius: nam modò confirmantis est. agit autem à possibili.

Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti.
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Vnde genus ducis. merui quoq;: sæpe furores
Compressi, & rabiem tantam cæliq;, marisq;.
Nec minor in terris (Xanthum, Simoëntaq; testor)
Æneæ mihi cura tui, cùm Troïa Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret letho, gemerentq; repleti
Amnes, nec reperire viam, atq; euoluere posset
In mare se Xanthus: Pelidæ tunc ego forti
Congressum Ænean, nec dijs, nec viribus æquis,
Nube caua eripui: cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus periuræ mœnia Troiæ.
Nunc quoq; mens eadem perstat mihi. pelle timores:
Tutus, quos optas, portus accedet Auerni.
Vnus erit tantùm, amissum quem gurgite quæret:
VNVM PRO MVLTIS DABITVR CAPVT.

FAS OMNE EST CYTHEREA MEIS) Proponit Neptunus, atque in ipso propositionis limine optimam erga illam animi sui voluntatem ostendit, & omnia quæ petit, tanquam iusta, & honesta se præstiturum spondet, quod ad eius dolorē sedandum, facit plurimū.

VNDE GENVS DVCIS) rationem propositionis affert, & videtur argumentari. Qui alicundè originem trahit, ibi & imperij, potestatisque aliquid eum habere decet: tu è mari originem ducis: igitur tibi aliqua in eo vt sit potestas, honestum est. Ferunt fabulæ, Venerem de spuma maris ortam, quæ ἀφρὸς Græcis, inde ipsa ἀφροδίτη. Catull. *Nunc ô ceruleo creata ponto.* Meruisse etiam se dicit Neptunus, vt de se speret. Qui enim beneficia multa in aliquem contulit, eum in po- D sterum quoque beneficium futurum sperari potest. Affirmat autem sibi Æneam & in mari, & in terra curæ fuisse. Quasi diceret, se ea sæpe fecisse, quibus ei occasionem dederit, cur sibi fideret. De mari, habes notissimum exemplum lib. 1. De terra, citat testes Xanthum, qui & Scamander, & Simoënta fluuios, ad quos cum pugnaretur, ipse, vt infrà sequitur, Achillis manibus Æneam subduxit. Fugauit autem Troianos sæpius Achilles, & multis in fuga cæsis, cadaueribus repleuit fluuios, quod diuersis locis narrat Homerus. Nas- C cimbæn. Montfort. * *Non tacuit item Virgil. lib. 1.* vbi tot Simois correpta sub vndis Scuta virûm, galeasque, & fortia corpora voluit. *Parca apud Catullum in nuptijs, fata Achillis, eiusq; virtutem, & facinora apud Troiam canentes:*

Testis erit magnis virtutibus vnda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto,
Cuius iter cæsis angustans corporum aceruis,
Alta tepefaciet permista flumina cæde.

EXANIMATA SEQVENS IMPING. AGMINA MVRIS) Vidit apud Carthaginem Æneas quemadmodum fugientibus Troianis curru instaret cristatus Achilles. Pentadius item epitaphio in Achillem.

Qui straui toties armis victricibus hostes,
Inq; fugam solus millia multa dedi.

PELID. TVNC. E. F. CONG. ÆN.) Summa & illa prudentia Virgilij. Cum docere quippiam vult auditorem, neque licet per contextum argumenti: introducit aliquem alteri narrantem, tametsi hoc idem ille alter non ignoret. Ita hìc Neptunus, Æneam sibi fuisse curę in bello Troiano: atque ab sese letho subtractum narrat Veneri. Id quod paulo morosiores, si vitiū putent, sanè temere audeant: fit enim tanquam per cōmemorationem. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 26.

De hoc congressu Æneæ cum Achille Homerus Iliad. lib. 20. Et est egregia laus, quæ ab hoste venit. Nam

cum in muros vrbis, propter Laomedontis perfidiam vnà cum Apolline coniurasset, Æneam tamen vel ob propinquitatis ius, vel virtutis existimationem seruatum voluit. Vnum caput pro multis erit Palinurus, quo, vt hostia animali, pro omnibus satisfiet. Montfortius.

PERIVRÆ MOENIA TROIÆ) Meritò periuram vocat, propter Laomedontem, qui bis fefellit fidem. Primùm dum pactam mercedem negat Neptuno, & Apollini, propter ædificatos videlicet vrbis muros. Homer. Iliad. 21. De qua re Apollodor. lib. 2. simul exponens quibus cladibus Troiæ illatis hanc iniuriam suam persecuti sint, & qua de caussa Hesione ceto obiecta fuerit. Deinde dum promissis equis propter liberatam filiam, suam ipsius inquam, Hesionen, A ceto expositam fraudat Herculem. Vtrumq; narrat Ouid. Metam. lib. 11. Horatius item domum periuram nominauit, Ode 3. lib. 3.

——— Ilion, Ilion
Fatalis, incestusq́; iudex,
Et mulier peregrina vertit
In puluerem: ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon, mihi,
Castæq́; damnatum Mineruæ
Cum populo, & duce fraudulento.
Iam nec Lacænæ splendet adulteræ
Famosus hospes: nec Priami domus
Periura pugnaces Achiuos
Hectoreis opibus refringit.

His vbi læta deæ permulsit pectora dictis,
Iungit equos curru genitor, spumantiaq; addit
Fræna feris, manibusq́; omnes effundit habenas.
Cæruleo per summa leuis volat æquora curru:
Subsidunt vndæ, tumidumq́; sub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vasto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies, immania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousq; Palæmon,
Tritonesq́; citi, Phorciq; exercitus omnis.
Læua tenens Thetis, & Melite, Panopeaq; virgo,
Nisæe, Spioq;, Thaliaq;, Cymodoceq;.

IVNGIT EQVOS CVRRV) Simillimus est locus in 1. vbi tumida æquora placantur. *Atq; rotis summas leuibus perlabitur vndas.* Infrà.

Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cæloq́; inuectus aperto
Flectit equos. Et suprà.
Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,
Collectasq́; fugat nubes, solemq́; reducit.

MANIB. OM. EFFVND. HAB.) Homer. Iliad. ε. πολλὰ δ' ἄνια χεῦεν ἔραζε. infrà metaphorice, *irarumq́; omnes effundit habenas.* Et Cic. effundere eloquentiæ habenas. German.

SVBSID. VNDÆ, TVMID.) Sententiã huius & sequẽtis versus inueni in quodã epigrammate lib. 3. his verbis, non illepidis. Negat autem se, quamuis tranquillissimo mari nauem conscensurum.

Οὐδ' εἴ μοι γελόωσα γαλασφόροις γαλήνη
Κύματα, καὶ μαλακὸν φρίξῃ ὕδωρ ζέφυρος.

IMMANIA CETE) Cete in mari maiora sunt piscium genera, vnde rectè Virgil. *immania cete.* Cetarij genus est piscatorum, quod maiores pisces capit, dictum à cete. Nonius.

INOVSQVE PALÆMON) Quomodo se Ino cum filio Melicerta, ob immissum sibi à Tisiphone furorem in mare præcipitauerit, precibusq; Veneris pro nepte ad Neptunum, cum eodem puero suo dijs marinis adnumerata sit, & illa dicta Leucothea, hic Palæmon, cantat Ouid. Metamorph. lib. 4. In honorem porrò Palæmonis instituti sunt ludi Isthmij. Vide Pausan. lib. 1. ad finem, & initio lib. 2.

LÆVA TENENS THETIS, ET MELITE) Non imprudenter imbecilliori sexui partem sinistram attribuit. De Nymphis autem istis, vt etiam de dijs qui antecedũt lege Seruium, & mythologos.

Hîc patris Æneæ suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem: iubet ocyus omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Vnà omnes fecere pedem: pariterq; sinistros,
Nunc dextros soluere sinus: vnà ardua torquent
Cornua, detorquentq;: ferunt sua flamina classem.
Princeps ante omnes densum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alij cursum contendere iussi.
Iamq; ferè mediam cæli nox humida metam
Contigerat, placida laxarant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ:
Cum leuis ætherijs delapsus Somnus ab astris
Aëra dimouit tenebrosum, & dispulit vmbras,

Te Palinure petens, tibi tristia somnia portans
Insonti: puppiq; deus consedit in alta,
Phorbanti similis, fuditq; has ore loquelas.

GAVDIA PERTENTANT MENTEM) Eandem locutionem habet 1. Æneid. *Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.*

IVBET OCYVS OMNES) Ocyus, & ocyssimè positiuum latinum non habent, sed ab eo veniunt, quod est in Græco ὠκέως. Festus.

VNA OMNES FECERE PEDEM) Pes in naui, ima pars est veli, id est, imus angulus: alij funem accipiunt, quo velum tenditur. Inde, facere pedem, pro, vela tendere dixit Maro, qua forma vela facere dicimus. Duo autem pedes sunt, dexter, & sinister. Catullus. *Siue vtrumq; Iuppiter Simul secundus incidisset in pedem.* Sed & proferre pedem, est funibus, & vt Seruius loquitur, podijs, imum veli minùs adducere: sed laxius esse sinere, & longius producere. Nam pede velum tenditur: aut potius vtramq; partem veli æquatam pati non posse, quod fit altero fune reducto, altero producto: atque ita obliquantur veli sinus. Turneb. lib. 20. cap. 4.

Nautarum studium in parandis, aptandisq; rebus nauigationi necessarijs scribendo complectitur. Nam panso velo, eius inferiorem partem ad nauis latus nautæ ligare solent: quò firmius velum consistat. Hæc à Latinis pes, à Græcis ποῦς dicitur. Nascimb.

NVNC DEXTROS SOLVERE SINVS) Ad obliquos ventos hinc atque illinc transtulerunt vela, pro ventorum mobilitate.

ARDVA TORQVENT CORNVA) Sic vocantur antennarū extremæ partes. 3. Æneid. *Cornua velatarum obuertimus antennarum.*

SVA FLAMINA) prospera vtiq;, & à puppi venientia.

PRINCEPS ANTE OMNES) Non vacat vnum horum *Princeps ante omnes,* sed alterum est dignitatis, alterum ordinis. Tale illud ex 2. Æneid. *Primus ibi ante omnes magna comitante caterua Laocoon ardens,* &c. Temporis descriptio ad Palinuri excusationem facit: nam eo tēpore & ipse somno oppressus est, quo cæteri omnes dormierunt: ægrè enim somnus repellitur. Ad maiorem porrò eius excusationem, cuius nutu nauigabatur, Somnum fingitur è cęlo delapsum, vim illi intulisse. Non mirum si è cælo delapsus dicatur, quamuis sit Noctis, & Erebi filius: nam somnia à Ioue immittuntur, vt est Iliad. β. καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι. Igitur & somnus, per quem somnia fiunt. Nascimb.

ÆTHEREIS DELAP. SOM. AB ASTRIS) Sunt quædam apud poetas quasi personæ, vt personæ fictæ, qualis hìc Somnus, simplicissimè descriptus: at apud Ouid. lib. 11. Metamorph. ambitiosissimè. Fama Æneid. 4. quam & Ouid. lib. 8. & idem Famem describit operosiùs. Tales sunt Furiæ, Syrenes, Harpyiæ, Diræ. Apud Plautum Inopia, Luxuria, Lar, Arcturus: apud Æschylum Vis, Necessitas. Apud Aristophanem Fas, Nefas. Et similia denique, in quibus enarrandis animaduertes plus, minusúe operæ positum. Scalig. Post lib. 3. cap. 3.

Iaside Palinure, ferunt ipsa æquora classem:
Æquatæ spirant auræ, datur hora quieti,
PONE CAPVT, FESSOSQVE OCVLOS FVRARE LABORI:
IPSE EGO PAVLISPER PRO TE TVA MVNERA INIBO.
Cui vix attollens Palinurus lumina, fatur.
Méne salis placidi vultum, fluctusq; quietos
Ignorare iubes? MENE HVIC CONFIDERE MONSTRO?
Æneam credam, quid enim fallacibus Austris,
Et cæli toties deceptus fraude sereni?

IASIDE PALINVRE, FERVNT) Suasoria simulati animi oratio: sic enim eum affatur, quasi eius semper laborantis, & nunquam quiescentis misereri videatur. Argumentum ad persuadendum facilius, sumitur ab occasione ventorum placidè spirantium. Nascimb.

PONE CAPVT) Lib. 11. de Camilla, *Et captum lecto posuit caput.*

CVI VIX ATTOLENS PALINVR. LVMINA) Mos semisomnium expressus, qui ægrè attollunt oculos. Respondet autem vt fidelis seruus, & peritus nauta, qui cum sciat, experientia doctus, maris mutabilitatem, & inconstantiam, non vult dominum suum objicere periculo.

MENE SALIS PLACIDI VVLTVM) Lucret. lib. 2.
Per terrarum omnes oras fluitantia aplustra
Ut videantur, & indicium mortalibus edant,
Infidi maris insidias, viresq;, dolumq;
Ut vitare velint, neúe vllo tempore credant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.

ÆNEAM CREDAM FALLACIBVS AVSTRIS) Horat. lib. 1. Ode 3. *Nauis quæ tibi creditum Debes Virgiliū.* Lucil. Sat. 28. *Vitam, ac fortunas cui crediderim meas.* Seneca, Medea, choro 2.
Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasq; suas post terga videns
Animam leuibus credidit auris.
Cicero, seu quis alius in Append. Virgil.
Crede ratem ventis, animum ne crede puellis:
Namq; est feminea tutior vnda fide.

Talia dicta dabat, clauumq; affixus, & hærens
Nusquam amittebat, oculosq; sub astra tenebat.
Ecce deus ramum Lethæo rore madentem,
Viq; soporatum stygia, super vtraq; quassat

Tempora: cunctantiq; natantia lumina soluit.
Vix primos inopina quies laxauerat artus:
Et super incumbens, cum puppis parte reuulsa,
Cumq; gubernaclo liquidas proiecit in vndas
Præcipitem, ac socios nequicquam sæpe vocantem.
Ipse volans tenues se sustulit ales in auras.
Currit iter tutum non secius æquore classis,
Promissisq; patris Neptuni interrita fertur.
Iamq; adeo scopulos Sirenum aduecta subibat,
Difficiles quondam, multorumq; ossibus albos:
Tum rauca assiduo longè sale saxa sonabant:
Cum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, & ipse ratem nocturnis rexit in vndis,
Multa gemens, casuq; animum concussus amici.
O NIMIVM CÆLO, ET PELAGO CONFISE SERENO,
Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

A OCVLOSQVE SVB ASTRA TENEB.) Oculos sub astra tenet Palinurus, quoniam astris dirigitur nauigatio. Sic lib. 3.

Sidera cuncta notat tacito labentia cælo:
Arcturum, pluuiasq; hyadas, geminosq; Triones,
Armatumq; auro circumspicit Oriona.

RAMVM LETHÆO RORE MADENT.) Ros à veteribus pro humore & aqua vsurpatur sæpissimè, quod obseruatu dignum. Interdum rorem aquæ, rorem liquorum periphrastice dixit Lucret. pro aqua. Ita rorem lacrymarum dixit Naso, & sanguinis rorem Lucanus. Horat. maris rorem pro aqua marina [*& Propert. lib. 2. cap. 26.*

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus.]

B Et alibi, *Qui rore puro Castaliæ lauit crines solutos.* Græcis quoq; *δρόσος* id valet interdum. Eurip. *ἐναλίαν δρόσον* dixit, & *κρηναίαν.* Gifan. in Lucret.

SVPER VTRAQVE QVASS. TEMP. C. NAT. LVM. SOL.) Tali quondam modo consopiuit Argum Iûs custodem centoculum illum Mercurius, eiq; deinde caput amputauit, & truncum è rupe deiecit, vt hîc miserum Palinurum in vndas Somnus deturbauit. Ouid. 1. Metam.

Talia dicturus vidit Cyllenius omnes
Succubuisse oculos, adopertaq; lumina somno.
Supprimit extemplo vocem, firmatq; soporem,
Languida permulcens medicata lumina virga.

C ET SVP. INCVMB. CVM PVPP. PARTE) Miram gubernatoris diligentiam demõstrat, & simul potentiá Somni, qui necesse habuit cum parte nauis auulsa eum in fluctus deijcere: quia quamuis sopitus, clauum non dimittebat. Ideo autem fecit omnes altùm dormire poeta, ne clamantem exaudirent, & vt euentus responderet verbis Neptuni, *Vnum pro multis dabitur caput.* Nauis ipsa quoq; æquabilem cursum, secundum eiusdem Neptuni promissa, quãuis magistro spoliata, tenebat. Fluitauit tamen paulò post, vt Æneas sentire posset abesse rectorem, quem somno, fretum serenitate cæli se dedisse, & ita in vndas per se lapsum existimabat.

SCOPVL. SIREN. ADVECTA) Sirenes secundùm fabulam tres, in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis, & Calliopes Musæ filiæ: harum vna voce, altera tibijs, alia lyra canebat: & primo iuxta Pelorum, post in Capreis insulis habitarunt. Quæ illectos suo cantu in naufragia deducebant. Secundùm veritaté meretrices fuerunt: quæ transeuntes quoniam deducebant ad egestaté, his fictæ sunt inferre naufragia. Serui°.

Monstrat quasi digito veram historiam, tradentiú Sirenas scopulos fuisse in angustias contractos, quib° cum fremitu blando illisi fluctus marini, cum canorú quiddã resonarent, nautæ periculi securi, æstui se totos permittebant. Naufragio illic facto, corpora ad nudos scopulos eiecta, postea ibi computrescebant. Quamobrem disertè addit, albos ossibus nautarum procul apparuisse. Montfortius.

De Sirenibus adducit multa in Chorum 2. Medeæ apud Senecam in Aduersarijs suis Delrius, sanè de poeta illo quam optimè meritus. Epigrãma de ijsdem ex Claudiano subiungamus.

Dulce malum pelago Siren, volucresq; puellæ,
Scyllæos inter fremitus, auidamq; Charybdin,
Musica saxa fretis habitabant dulcia monstra,
Blanda pericla maris: terror quoq; gratus in vndis.
Delatis licet huc incumberet aura carinis,
Implessentq; sinus venti de puppe ferentes.
Figebat vox vna ratem: nec tendere certum
Delectabat iter, reditus odiumq; iuuabat:
Nec dolor vllus erat: mortem dabat ipsa voluptas.

Vide insuper Gyrald. Syntag. 5. Natal. lib. 7. cap. 13. *Μούσας σειρήνων ἡγεῖσθαι*, Musæ Sirenibus præferendæ, symbolum Pythagoricú est. Id est, simplex veritas iucundis & dulcibus, sed perniciosis sermonibus anteponenda. Vtuntur eo Clemens Alexand. & Theodoretus.

ET IPSE RATEM REXIT) Non est turpe magno duci talia subire interdum ministeria, cum postulat necessitas. Hoc & alibi fecit. *Ipse sedens clauumq; regit, velisq; ministrat.* Vide lib. 6. *Nec non Æneas opera inter talia primus.*

NVDVS IN IGNOTA) Locus commiserationis ex adiunctis, quòd nudus, quòd in ignoto loco, quòd in arena insepultus, non tectus, atq; indefletus iaceat. Nascimb.



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER XI.

Ad sextum Aeneidos.

SYNOPSIS.



Vum primùm Cumas est delatus Æneas, nihil duxit antiquius, quam vt ad Sibyllam, pro eo ac pater Anchises mandauerat (mandauit autem lib. 5. vbi se illi secundùm quietem obiecit) accederet: quo eius ductu ad infera loca perueniret. Ingressus autem Dianæ lucum, in quo Dædalus fabrorum ingeniosissimus delubrum Phœbo construxerat, admirandoq; artificio, & argumentis electioribus eiusdem fores cælauerat, in contemplanda cælatura diutius immoratur: quem superueniens Sibylla, sacra iubet Apollini facere: post quæ, perductis ad antrum suum Troianis, enthusiasmum patitur, id est, diuino quodam furore percussa immutatur penitus. Eius hortatu Æneas dat se in preces, Phœbum, deosq; ab gente Troiana alieniores, adeoq; vatem ipsam orans, vti tandem miseriarum, calamitatumq; modus sit, liceatq; promissis in Latio gaudere sedibus, optatamq; à tot ærumnis requiem aliquando adipisci. Latonigenis, Apollini puta, & sorori Dianæ, templum, Sibyllæ cultum, ac sacerdotes instituturum vouet. Eam ventura prædicere aggredientem, Apollo coërcet. Patescunt speluncæ ostia, siue aditus: inde voces feruntur, ex quibus Troiani discunt, asperiora longè in terra se perlaturos, quàm adhuc in fluctibus pertulerint. Bellis conflictaturos grauissimis, subsidia conquisituros, victoria demum potituros. Postquam in placidæ mentis statum redijt vates, Æneas ab ea contendit, vti viam sibi ad inferos præmonstrare ne grauetur: patrem quippe conuentum velle, cuius iussu, auctoritateq; ad ipsam sese attulerit. Respondet, indagandam arborem: defractum ex ea ramum aureum pro munere offerendum Proserpinæ: sepulturæ commendandum Misenum, cuius morte classis funestata sit. His ad rem collatis, ire ipsum ad inferos, & redire posse: aliter non posse. Tristes eo nuntio Troiani, de Miseni morte, inquam, eius cadauer inuestigatũ, secus littus inueniunt. Ille siquidem fastidio, & superbia elatus, deos marinos cantu prouocauerat, à quibus in pœnam submersus interierat. Conclamant lugubriter Troiani: persoluendis accinguntur exequijs, Ænea præfecto operarum, summoq; curatore videlicet. Cum arborem illam, vnde ramum peteret aureum, nimiopere Troianus heros aspectare cuperet, ducibus columbis duabus præuolantibus, eidemque insidentibus eum reperit. Ritu Romano funeri datur opera, cremato corpore cineres colliguntur, sub monte tumulus excitatur, cui remus, & tuba, more illius sæculi vsitato (indicia nimirum artium à Miseno in vita cultarum, à quo etiam mons ille vocabulum obtinuit ad posteros) superimponuntur. Ad sacrificium Æneas se comparat. Sequitur Auerni lacus, quà ad inferos descensus patet. Ibi hostias mactante Sibylla, mugit tellus, arborum cacumina quatiuntur, furiæ

vlulant. Illa nonnihil trepidantem Æneæ animum confirmat, & ad loca illa horridula progredientem, eius latus tegens comitatur. Per tenebras incedunt. Subterraneos illos deos poëta inuocat, quæ de plagis inferis accepit, expositurus. Prima est descriptio vestibuli, in quo varia portenta, pestesq; habitantes ordinatim referuntur. Altera Acherontis fluminis, & Charontis portitoris, à quo innumerabiles animæ transuehuntur. Neque tamen omnes, quæ ad ripam confluunt: sed eæ tantummodo, quæ quò minus transportentur, nihil impedit. Quod quidem quale sit, Sibylla docet. In illa multitudine quosdam Æneas de suorum numero naufragio perditos conspicatur, & inter hos nauiculatorem Palinurum, à quo genus mortis cognoscit, & in quam de Apolline suspicionem venerat, ea se exoluit. Hunc Palinurum, quia necdum sepultus, Sibylla ad inferos peruenire non posse, ab interfectoribus eius tumulum erectum, & Palinuri nomine locum cognominatum iri asseuerat. Viso Ænea, Charon in iram prorumpit, virum repellere studet: quia scilicet non viuis, sed vmbris duntaxat eæ regiones permeabiles sint. Se quidem non neminem viuum, animo tamen inuito, ac repugnante transuexisse. Verùm quia dijs nati erant, facere aliter nequiuisse. Hic Sibylla Charontem propter gladium, quo accinctus erat Æneas, omni timore alicuius iniuriæ, violentiúe impetus liberat: quare eò veniat rationẽ affert, ramum aureum profert, cuius ille intuitu recreatus, ambos in cymbam accipit. Egressi in ripam, Cerberũ latrantem exaudiunt, obiecta offa Sibylla belluam consopit. Ordines deinceps nouem, totidem circulis discreti enarrantur. In primo infantium collocantur animulæ. In altero, qui falsis criminibus circumuenti, capitalem sententiam exceperunt. In tertio, qui lucis huius tædio capti, mortiferas sibi manus attulerunt. In quarto, quos amoris insania ad interitum perduxit. In quinto viri fortes. In sexto sontes, quales sunt parricidæ, proditores, &c. vbi etiam versantur ipsi iudices, qui pœnas infligunt. In septimo beatorum animæ. In octauo expiantur manes. In extremo habitant expiati. Contingit autem post annos mille huiuscemodi purgatarum animarum in corpora reuersio. Deinde seorsum nonnullas illustres fœminas nominatim edit, quas ad mortem crudelis ille amor dederit. In Didone haud sane vulgari cum suauitate hæret aliquandiu. Ad virorum fortium sedem Æneas progreditur, cum Troianis init colloquium: præsertim cum Deiphobo, qui modum suæ necis docet. Posthæc duplex iter Æneæ Sibylla ostendit: tartari ad sinistram, vbi pro meritis scelerati cruciamentis subijciuntur: Elysij ad dextram, quò illum tendere cupit. Depingitur locus, indicaturq; cogi ibidem improbos, tormentis subactos, confiteri perpetrata dum viuerent maleficia, & scelera, quò confessi postmodum in tartara deuoluantur. Reclusis tartari portis, Sibylla quinam ibidem torqueantur significat, & inprimis de quibusdam gigantibus refert. Monetur Æneas, vti Proserpinæ ramum aureum tradat, quem in limine affigit, ac versus Elysium viam carpit, cuius facies subijcitur. Ad Anchisen à Musæo deducuntur, qui filium summa lætitia, & lacrymis perfusus excipit. Ille caussas sui aduentus aperit, patrem complexu stringere frustra studet. De animis ad lethæum flumen frequentibus caussam inquirit, & rem audit. Ducto principio à Syluio Aeneæ ex Lauinia posthumo, posteritas Troianorum vsque ad Marcellum Octauiæ, sororis Augusti adolescentem filium recensetur. Hic magna pars Romanæ historiæ inclusa est, & interpretibus maxima datur euagandi occasio. Ad extremum Aeneas percepta propagatione generis sui, rebusq; futuris sibi intellectis, vnà cum virgine vate, eburnea porta remissus, in luminis oras reuertitur. Nunc, ab eruditis huic libro præ alijs impertita encomia, visum est faciundum, vt attexeremus.

SERVIVS.

Totus quidem Virgilius scientia plenus est, in qua hic liber possidet principatum, cuius ex Homeri Odyss. λ. pars maior sumpta est, & dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia, multa per scientiam theologorum, philosophorum Ægyptiorum: adeo vt pleriq; de his singulis huius libri, integras scripserint πραγματείας.

RHODIGINVS.

Sextus liber, tanquam Virgilianæ doctrinæ thesaurus longè clarissimus, mortalis naturæ continet rationem, & sub poetico figmento, animæ declaratur origo, & qualitas.

MODICIVS. CAP. VII.

Neque septem Homeri, neque omnis Græcia, si in vnum vires omnes suas conferat, sextum librum Æneidos vnquam adæquauerit. Si inferorum Homerica descriptio cum Virgiliana conferatur, plumbum cum auro purissimo æquus lector collatum esse indicabit: & montani pastoris tugurium, cum domo vrbani hominis, plena dignitatis.

NASCIMBÆNVS.

Anteponendus est hic liber cæteris sine controuersia, in quo splendor reuera omnigenæ doctrinæ, eruditionisq; mirum in modum elucet: & in ijs, quæ ad rhetoricam, dicendiq; facultatem pertinent, si in reliquis libris copiosus est, & grauis, in hoc certè est admirandus. Doctrina libri Platonica est: nam ex aliquot Platonis dialogis, ex Phædone inprimis, & Axiocho, adde etiam ex Apologia, alijsq; locis multa desumpta sunt.

FABIVS PAVLINVS HEBDOMAD. VIRGILIAN. LIB. I.

Quæ, licet omnia (philosophia, mathesis, theologia, omnes illustres scientiæ) in singulis huius poetæ libris eniteant, in vno tamen hoc multo vberius, & velut in propria sede, ac regno dominantur, qui omnium est optimus, atque pulcherrimus. De quo non indocti quidam homines ita iudicarunt: vt eum dicerent tantum cæteris libris Virgilij anteire, quantum ipse Virgilius cæteros omnes post se poetas Latinos reliquit. In hoc sanè sunt omnes ornati, graues, elaboratiq; versus, in quibus succus ille, & sanguis manet incorruptus, naturalisq; inest, & non fucatus nitor. Incitatius quidem, velut amnis abundans fertur, nullis tamen salebris, sed sedato quasi alueo per tacitum (vt de Gange dixit ipse) decurrit, clarissimisq; verborum luminibus omnia distinguit, & sententiarum, quas nescio vnde ex abdito eruit, pondere, ac grauitate sustentat. In hoc libro omnium laudandarum artium infinita penè vis, & materia continetur. In hoc omnis philosophia, & omnis inferiorum, ac cælestium rerum natura comprehenditur. In hoc doctrinarum omnium mira quædam latent arcana, atque mysteria, quæ doctis tantum viris patere consueuerunt. Quare exclamat in hoc potissimum libro, sub Sibyllæ persona, *procul ô procul este profani.* Hæc igitur paucis sunt nota: pauci sunt, qui Maroniani carminis quasi medullas peruideant, vt iure optimo de eo possimus illud vsurpare, quod de Atticis oratoribus dixit Cicero: huius poetæ vim esse ignotam, notam gloriam. Alterum enim omnes intelligunt, nihil esse hoc præstantius: alterum paucissimi, quæ sit eius vis, ac doctrina.

EXPLANATIONES.



SIC FATVR LACRYMANS, classiq; immittit habenas,
Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.
Obuertunt pelago proras: tum dente tenaci
Anchora fundabat naues: & littora curuæ
Prætexunt puppes. iuuenum manus emicat ardens
Littus in Hesperium: quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis: pars, densa ferarum
Tecta, rapit syluas, inuentaq; flumina monstrat.

SIC FAT. LACRYM.) De lacrymis heroum disseruimus lib. 1. ibi, *Constitit, & lacrymans,* &c. Hosce duos versus ex fine quinti in hunc librum à Tucca, & Varo translatos fuisse, & codices manuscripti, & veterum interpretum auctoritas fidem facit. Nam æquum fuerat, vt fine nauigationis Æneæ etiam libri finis clauderetur: præsertim cùm iam initium nauigationis factum esset. Verùm, quia principium istiusmodi, *Obuertunt pelago proras,* Virgilianæ maiestati parum conuenire videbatur, placuit viris illis doctissimis, vt tale esset initium. [*Probum, & alios reliquisse in fine superioris libri hosce duos versus, affirmat Seruius. Sed eosdem prudenter ad initium huius esse translatos, quia & coniunctio poematis videatur melior, & Homer. exprimat, qui sic in Odyss. cap. αἳ φῦτο ἀναγχίων.*] Exorditur ergo à simplici explicatione: nam quid simplicius, aut etiam quid nudius dici potest, *Sic fatur lacrymans?* Nascimb.

CLASSIQVE IMMITTIT HABENAS) Vt aliquid nudæ simplicitati dignitatis adderet, à propria ad translatam dicendi formam se transtulit, cum ait *classiq; immittit habenas,* instruit classem. Translatio ab equis sumpta, quæ superiorem sermonis humilitatem temperat: nam poetarum oratio, vt Aristot. in poeticis auctor est, neque humilis, neque obscura, aut nimium elata esse debet: cuius rei non ignarus poeta noster, passim proprias rerum voces metaphoris miscet, vt neque perspicuitas absit, neque dignitas, sublimitasq; orationis desideretur. Nascimb.

Quid sit classi habenas immittere, docet hunc in modum cap. 35. Modicius. Palinurus in fine lib. 5. à Somno præceps datus in vndas, reuulsum clauum secum trahit: Æneas sentit nauim fluitare amisso gubernatore, & gubernaculo. Ipse regit nauem: quod vt facere possit, nouum clauum pro amisso immittit naui: quia vt equus regitur habenis, sic nauis clauo dirigitur. Classem autem pro naui dixit: quia qui nauim prætoriam regit, quam cæteræ naues sequi iubentur, classem regit. * *Alij pinguiore Minerua per habenas accipiunt funes nau-*

A *ticos, siue oras, quibus in littore, seu ripis alligari solent naues, ne abripiantur. Vnde oram soluere apud Quintil. τὰ πρυμνήσια Græci. Immittit ergo habenas classi, est, solutis funibus porro nauigat. Seruius tamen per metaphoram hanc funes intelligit, quibus fortasse vela tendebantur.*

Pierius lib. 48. in Fræno. Quia funem ex corio primùm fuisse constat, & naues apud Homerum στρεπτοῖσι βοεῦσι ligantur, funes interdum habenas vocitari comperias. Hinc Virgilius vetustatis amator habenas dixit, cum funes intelligeret velo regendo aptos, vt Cælius Vrbanus antiquus Grammaticus interpretatur. Quanquam eruditissimi nostro tempore sunt, qui habenas metaphoricè pro clauo positas accipiunt. Immittere habenas, mittere, permittere, seu remittere idem sunt:
B valent enim laxare, & concedere habenas. Allegoricè vsus est eodem loquendi modo Lucretius.

Arboribusq; datum est varijs exinde per auras
Crescendi magnum immissis certamen habenis.

Hoc est, arboribus datum est à natura, vt certatim, & hilariter, & sine vlla mora, vllóue impedimento crescerent. Sed & Virgil. in 5. audaciore metaphora, Vulcanum per naues furere immissis habenis, *furit immissis Vulcanus habenis Transtra per, & remos, & pictas abiete puppes.*

ET TANDEM) Ad Æneæ desiderium *tandem* retulit, olim venire in Italiam cupientis. Infrà *Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.* Sic & Catullus in
C nuptiali carmine.

Vesper adest iuuenes, consurgite, vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.

Hoc ex opinione, non ex veritate dictum esse, omnibus perspicuum est: etenim omnis mora longa cupienti.

EVBOICIS CVMARVM ALLAB. ORIS) Sic in 3. *Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.* Ibid. *Ignariq; via Cyclopum allabimur oris.* Et lib. 9. *ergo alis allapsa sagitta.* Et in 10. *totumq; allabi classibus æquor.* Et, *Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu.* Appellere, & appelli

& appelli similiter ad littus pertinent. Turneb. lib. 29. cap. 24. * *Cumas appellat Euboicas oras, quia Cumani fuerunt Chalcidensium colonia: Chalcis autem ciuitas Euboea. Complures fuisse Chalcidensium colonias, & in his etiam Olynthum, docet in argumento 1. Olynthiaca Libanius.*

OBVERTVNT PELAGO PRORAS) Nautæ ad littus appulsam nauim in proram conuertebant, non solum vt ad reditum, & aliam nauigationem parati essent: verumetiam id sibi ominantes. Valer. Flaccus lib. 5. *atq; illi dextra sine versa magistri Protinus in proram rediit ratis omine certo.* Ita hic quoque, nam longius erant progressuri, ad agrum Laurentum. Turneb. lib. 11. cap. 8.

TVM DENTE TENACI) in primo dixit, *vnco non alligat anchora morsu.* Dentes enim non solum quibus atteritur cibus: sed omne quo aliquid exsecari, vel teneri potest, Virgilius dici voluit. Georg. lib. 2. de falce, *& curuo Saturni dente relictam Persequitur vitem attondens.* Nonius.

ANCHORA FVNDAB. NAVES) ita sentiendum est dici, quod stabiliat nauigia, eisq; pro quodam firmamento subiecta sit, vt fundamenta esse solent deorsum iacta. Hoc dicendi genus in epistola posuit Paulinus, Huius nauem in quodam insulæ loco, quem ad puluinos vocant, ne similiter illideretur, anchoris fundare conati sunt. Turneb. lib. 13. cap. 21. * *Licet etiam cum Scalig. in Poet. sic explanare. Fundabat, id est, sistebat, quod enim in fundo est, non mouetur. Anchora autem fundo committit naues. Per nauem, & anchoram, tutela, & præsidium innuitur. Sola anchora est perfugium: Etiam in sacratis litteris. Paulus ad Hebræos cap. 6. Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. Chrysost. concione 3. in Lazarum. Conscientiæ increpatio sacra est anchora, quæ nos nequaquam sinit in peccatorum profundum absorberi. Vide adagium, Sacra anchora.*

LITTORA CVRVÆ PRÆTEX. PVPPES) Sic Eclog. 7. *Hic viridis tenera prætexit arundine ripas.* Alibi dixit vulgatius, *stant littore puppes.*

IVVENVM MAN. EMICAT ARDENS) Relictos enim senes cum inualida, & imbelli turba in 5. dixit.

Longæuosq; senes, ac fessas æquore matres,
Et quidquid tecum inualidum est, metuensq; pericli
Delige, &c.

Manus sæpe in eo ponitur, in quo copiæ, seu exercitus: multitudinem, inquam, militarem significat. Cic. ad Att. lib. 16. Romam venit cum magna manu. In Catilin. Populi Romani exercitus eodem duce, non maxima manu, innumerabiles Armeniorum copias fudit. Cæs. de bell. Ciuil. lib. 5. ibi sarcinis exercitus relictis, ipse cum expedita manu proficiscitur circum villas frumentatum. Sallust. in Catilin. Memorare possem, quibus in locis maximas hostium copias pop. Rom. parua manu fuderit. Hinc manum cogere, manum facere, manum habere, manum confirmare. *Emicare* est subsultare, corpore exilire. *Ardens* malim hic exponere, alacris, animosa, cupida, quam festinans. Etsi nó nego illud 1. Æneid. *instant ardentes Tyrij* sic posse accipi. *

LITTVS IN HESPER.) in Italicum littus: Italia enim Hesperia, de quo nomine alibi dictum.

QVÆRIT PARS SEMINA FLAMMÆ) Semina flammæ, inquit Turneb. lib. 13. cap. 21. vocat Maro scintillas, quæ excutiuntur, quæ fomentis exceptæ, & cremijs flammam excitant, vt meritò eius semina dici debeant. *σπέρμα πυρὸς σώζειν* dicunt Græci.

ABSTRVSA IN VENIS SILICIS) Plerique reuera quædam in lapidibus esse ignis semina docent. Ego Alexand. Aphrodis. suscribo. *καὶ ἀὴρ συναχθεὶς βίᾳ πῦρ γεννᾷ, ὡς ὑπὸ τῆς παραθλίψεως τῶν λίθων μεταβαλλομένου ἀέρος. οἱ δὲ φασὶ καὶ αὐτὸ κατ᾽ ἐνέργειαν συμπαρεῖναι.* Galenus ignem in corporibus *δυνάμει εἶναι, καὶ οὐκ ἐνεργείᾳ* probè sentit. Brod. lib. 5. cap. 36. Adde, Georg. lib. 1. *Abstrusum in venis silicis excuderet ignem.* Et 1. Æneid. *Ac primùm silicis scintillam excudit Achates.*

PARS DENSA FER. T. RAP. SYLVAS) syluas ferarum tecta, inquit, rapit, & flumina monstrat. *συνεκδοχικῶς*, à toto pars. non syluas rapit: sed ligna ex sylua. Tale illud ex 1. Æneid. *Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus In puppim ferit.* Non enim totum fuit pelagus, quod nauim excussit: sed pars pelagi. Densa ferarum tecta syluæ, *ἐπιθετικῶς* est. Nam in syluis frequentia sunt ferarum lustra, & auium nidi. Nascimb.

INVENTAQVE FLVMINA MONSTRAT) Cui monstrat flumina? Æneæ, inquit interpres, ad se expiandum, qui morte Palinuri funestatus fuerat. Arguta sanè interpretatio. Ego verò *monstrat* subaudio alter alteri, non absque lætitiæ signo, cùm locum nacti fuerint valde opportunum, regionemq; beneficio naturæ sibi valde commodam, rebusq; necessarijs abundantem. Idq; ex more militari dictum arbitror: nam militibus præcipua cura est, & esse debet, vt aliquando liberius viuendi facultatem habeant. Liuius, Vegetius. Hæc Nascimb.

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæq; procul secreta Sibyllæ,
Antrum immane petit: magnam cui mentem, animumq;
Delius inspirat vates, aperitq; futura.
Iam subeunt Triuiæ lucos, atq; aurea tecta.
Dœdalus (vt fama est) fugiens Minoïa regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cælo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos,
Chalcidicaq; leuis tandem superastitit arce.
Redditus his primùm terris tibi, Phœbe, sacrauit
Remigium alarum: posuitq; immania templa.
In foribus lethum Androgeo: tum pendere pœnas
Cecropidæ iussi (miserum) septena quotannis
Corpora natorum: stat ductis sortibus vrna.

Contrà

Contrà elata mari respondet Gnosia tellus.
Hîc crudelis amor tauri, suppostaq; furto
Pasiphae, mistumq; genus, prolesq; biformis,
Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandæ,
Hîc labor ille domus, & inextricabilis error.

ARCES QVIBVS ALT. APOLLO PRÆSID.) Apud Cumas in arce Apollinis templum est. Altus autem vel magnus, inclytus: vel ad simulacri magnitudinem retulit, quod constat esse altissimum. Seruius.

HORRENDÆQVE PROCVL. SE. SIBYLLÆ) Iustinus Martyr Exhort. ad gentes, in extremo libro, nostræ religionis testem Sibyllam quoque Cumæam nominat, & ex eius carminibus, vt cognoscere veritatem velint, illis suadet. De qua quoniam minimè protrita, ac vulgaria quædam narrat, & quæ ad locum huius libri de vaticinijs eius in antro, & per folia descriptis, nec deinde ijsdem folijs in ordinem reuocatis, postquã ea ventus turbauerit, non parum faciunt, statui ea ad verbum pro Symbola hic inserere. Incepit autem vir sanctus ab eius origine, in hunc modum. Poteritis etiã facilè partem aliquam religionis nostræ discere, vel è priscis Sibyllæ oraculis, prope ad propheticam doctrinam accedentibus. Hanc aiunt à Babylone oriundam, Berosi rerum Chaldaicarum scriptoris filiam, nescio quomodo in Campaniam delatam, & Cumis oracula solitam reddere, ad sextum à Baijs lapidem, quod oppidum celebratur propter aquas calidas. In ea vrbe spectauimus locum quendam, instar amplissimæ basilicæ, cauatum ex vno saxo solido, rem admiratione dignissimam, vbi oraculum eius fuisse narrant indigenæ, sicut acceperunt à suis maioribus. In eius antri meditullio monstrantur putei tres, eodem in saxo aperti: quorum aqua lotam, aiebant in penitissimam eius antri cellam solere secedere, ac mox in antro medio sublimem sedentẽ effari oracula. Huius fatidicæ Sibyllæ inter multos alios scriptores, & Plato in Phædro meminit, &, vt mihi videtur, propter eius oracula, vt vatibus, diuinitatem tribuit: viderat enim euentus respondere huius antiquis prædictionibus: cuius rei miraculo in Menone dialogo vates sic ad verbum laudat. Meritò igitur diuinos vocabimus vates, de quibus loquimur, nõ mediocriter afflatos numine, quo rapiuntur, quando magno successu dicunt, faciuntq; res maximas, quas nequaquam intelligunt. Quibus verbis apertè significat Sibyllina oracula. Hæc enim scripta sua non corrigebat, nec expoliebat, sicut poetæ faciunt, quando metrorum à se rationem exigunt: sed tantisper, dum numine afflaretur, vatem agebat, quo mox cessante, nihil eorum carminum meminerat: & hæc est caussa, cur non seruata sint omnia. Id ipse Cumis audiui ab his, qui me deducebant visendi gratia locos, vbi vaticinabatur, ostendentibus, & quandam vrnam lenticularem ahenam, in qua reliquias eius aiebant conditas. Inter cætera referebant, se accepisse à maioribus, eos qui petebant oracula, homines rudi sæculo natos, sæpe deprauasse metra: ideo in nonnullis desiderari diligentiam, quod vates ad se reuersa immemor fieret eorum, quæ cecinerat: notarij verò in exscribendis laberentur per imperitiam.

HORRENDÆ) venerandæ, vt, *Horrendum syluis, & relligione parentum*. Sic 1. Æneid. *horrentique atrum nemus imminet vmbra*, vbi Seruius, horror plerumque ad odium pertinet, plerumque ad venerationem, vt hoc loco.

PROCVL) haud longè. Procul enim est, & quod præ oculis est, & quod porrò ab oculis. Vnde & duplicem habet significationem, & iuxta, & longè. Seruius.

MAGNAM MENTEM, ANIMVMQVE) Accipi hæc vulgò intelligo ex congeminatione vocum, idem declarantium, quod tamen secus est, nisi fallor: neque enim hìc idem mens, quod animus, valet: nec *πλεονολογία* est vlla: sed mens pars animi est: animus tota anima, vt apud Catullum. *Mens animi tantis fluctuat ipsa malis*. Viden' hic mentem, animi partem discretè censeri? quomodo hic à Marone dici, quid prohibet? Turneb. lib. 28. cap. 44.

Certum est, hæc duo, *mens, animus* coniunctim poni à probatis scriptoribus, siue idem ex geminatione, seu ἐκ παραλλήλων, siue diuersum significent. Horat. epistola 14. lib. 1. *tamen istuc mens, animusq; Fert*. Terent. Eunucho. *mala mens, malus animus*. Etiam ita copulantur, vt alterum patrio casu efferatur. Lucretius. *Perturbata animi mens in mœrore, metuq;*. Plaut. *Nullam mentem animi habeo: vbi sum, ibi non sum*. Catull. ad Ortalum. *Nec potis est dulces Musarum expromere fœtus Mens animi*.

TRIVIÆ LVCOS) Triuia dicta est Diana, quod in triuijs coleretur, vt ait Varro. Græci *τριόδιτιν*, & *τριοδίτην* eadem ratione vocant. Alij, quod in cælo, in terris, apud inferos eius sit potestas. Vide plura apud Gyrald. Syntag. 12.

ATQVE AVREA TECTA) Non quod esset totum aureum illud templum, sed magnificentia illius ostenditur. Aureum enim interdum, quod pretiosum est, sicut aurum.

DÆD. FVG. MINOÏA REGNA) Dædalus cùm è regia stirpe eius gentis, qui Melionidæ sunt appellati, ortum duceret, non magis artis præstantia, quam erroribus, & casuum varietate, multa fuit apud gentes nominis celebritate. Is enim, quum occiso sororis filio (propter artificij inuidiam, quòd is primùm serram inuenisset) quam patrijs legibus noxam meruisset, probe nosset, in Cretam ad Minoem confugit, vbi & regi ipsi, & eius filiabus miri operis signa fecit, sicuti Homerus in Iliade memoriæ prodidit. Verùm postea à Minoe capitalis fraudis damnatus, & è vinculis cum filio elapsus, Inycum (ea Siciliæ vrbs erat) euasit ad regem Cocalum. Et ea fuit Siculis cum Minoe bellandi caussa, quod poscente Minoe Dædalum sibi dedi, Cocalus recusasset, &c. Pausan. lib. 7.

De nomine Dædali hæc scribit idem auctor in Bœoticis, vbi de ligneo simulacro in fœminæ formã efficto, ac vestimentis velato, quam se pro Iunone Iupiter vxorem ducturum simulabat, rem ridiculam planè memoriæ tradidit. In eius rei memoriam festos celebrant dies, Dædala quæ nuncupantur, quod prisci lignea signa, Dædala vocitabant. Quod sanè nomen antè Athenis natum Dædalum Palamaonis filium, vsurpatũ crediderim: quin à Dædaleis, ligneis scilicet simulacris, non autem proprio, ac germano nomine, Dædalo ipsi cognomen fuisse impositum arbitror. * *Litteris proditum est, hunc Dædalum architectum fuisse eximium, primumq; ædifi-*

cauda nauis rationem excogitasse, & inde de pennis eius, volatuq́, natum commentum. De quo, id est, de eius fuga cum filio Icaro, Ouid. Metamorph. lib. 8. Hyginus cap. 40. Plura 4. Georg. ibi, & Dædala fingere tecta. *De eius laudibus, & caussa fugæ Diodor. lib. 4. cap. 13.*

PRÆPETIBVS PENNIS) Reprehendit Hyginus Virgilium, quasi impropriè, & inscitè dixerit *præpetibus pennis*. Nam præpetes, inquit, aues ab auguribus appellantur, quæ aut opportunè præuolant, aut idoneas sedes capiunt. Non aptè igitur vsum verbo augurali existimauit in Dædali volatu, nihil ad augurum disciplinam pertinente. sed Hyginus nimis hercle ineptus est, cum, quid præpetes essent, se scire ratus est, Virgilium autem, & Trimatium doctum virum ignorasse, qui secundo Iliadis, victoriam volucrem præpetem appellauit, in hoc versu: *Dum dat vincenti præpes victoria palmam.* Cur autem non Q. quoque Ennium reprehendit, qui in annalibus, non vt Virgilius, pennas Dædali præpetes, sed longè diuersius inquit, *Brundisium pulchro præcinctũ præpete portu?* Et si vim potius, naturamq; verbi considerasset, veniam prorsus poetis daret, similitudine, ac translatione verborum, non significatione vtentibus. Nam quoniam non ipsæ tantum aues, quæ prosperius præuolant, sed etiam loci, quos capiunt, qui idonei, felicesque sunt, præpetes appellantur: idcirco Dædali pennas præpetes dixit, quoniam ex locis, in quibus periculum metuebat, in loca tutiora peruenerat. Gell. lib. 6. cap. 6. * *Inter adagia legitur, Dædali alæ: quando quispiam, alioqui negotio conficiendo haud satis idoneum, artis alicuius, auxiliíque accessionem adiungit: aut cum impulsus necessitate, ad noua consilia confugit.*

AVSVS SE CREDERE CÆLO) Vsus est verbo *credere* pro committere. Aliàs non simpliciter committere, sed fidei committere significat. Lib. 4. Æneid. *solam nam perfidus ille Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus.* Terent. *illi credunt consilia omnia.* Idem, *cuius tu fidem in pecunia perspexeris, es verere pecuniam credere?* Horat. Ode 3. lib. 1.

Nauis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor.

INSVETVM PER ITER) non enim homini, sed volucribus aer pro habitatione, à deo datus est. Ouid. 1. Metamorph. *Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.* Horat. Ode 3. lib. 1.

Expertus vacuum Dædalus aera
Pennis non homini datis.

GELID. ENAVIT AD ARCTOS) ad septentrionem, vbi vtraque vrsa. Et de volatu dixit *enauit* à nate, quomodo de naue, *volat vncta carina.* Permutantur itaque hæc duo.

REMIGIVM ALARVM) Tralatè dictum à Virgilio, magnos auctores sequuto, neq; Latinos tantùm, verumetiam Græcos, poetas tamen illos omnes: neq; enim inueni scriptorem vllum, qui in soluta oratione hac metaphora vsus sit. Vnde Quintilianus in agendo se illam non fuisse vsurpaturum tradidit, quum apud poetam hanc ipsam suspiciat, ac valde speciosam dicat. Non primus tamen Virgilius similitudinem harum rerum vidit, & à nauibus ad aues, ac quod deniq; volaret, id nomen traduxit. Nam & Lucret. lib. 6. de volucrib⁹ agens, *Remigiũ oblita pennarũ vela remittunt.* Et Plaut. in Amphit. cum Sosiam hero se purgantem inducit, qui putabat se cædi, quod lentè iter fecisset, *non ocyus quiui, si me Dædaleis tulissem remigijs.* Sed præter hos poetas, quos imitari facile potuit Virgilius, cum eius-

A dem linguæ essent, Æschylus etiam in Agamemnone aptissimè vsus est hac tralatione, cum primum Chorum eius fabulæ, simili declarantem profectionem Atridarum cum exercitu è Græcia ad Helenam armis recuperandam, induxit ita loquentem.

Τρόπον αἰγυπιῶν, οἵ τ' ἐκπατίοις
Ἄλγεσι παίδων. ὕπατοι λεχέων (*στροφοδινοῦνται*)
Πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι *δεμνιοτήρη*
Πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες.

Illos enim inquit cum classe ad Troiam euntes, similiter fecisse, atque accipitres, qui amissis pullis, longè à nidis illis sublimè volantes, ac remis alarum remigantes, gyrum conficiant, atque aerem questu impleant.

B Vt patet igitur, ita egregiè Æschylus hanc rem tractauit, vt non minus ab eo, quam Latinis, cum Græcos, & inprimis tragicos libenter legeret, atque æmularetur, Virgilius id accepisse existimandus sit. Victor. lib. 25. cap. 23. * *Miluus, inquit Plin. lib. 10. cap. 10. videntur artem gubernandi docuisse caudæ flexibus, in cælo monstrante natura, quid opus esset in profundo.*

Remigium alarum, id est, alas ipsas. metaphora à velis remigantium. Vela enim appellat alas nauis, non remos. Sic in 3. Georg. *Tentamusq́, viam, & velorum pandimus alas.* Propert. lib. 4. eleg. 6.

Nec te quod classis centenis remiget alis
Terreat, inuito labitur illa mari.

C POSVITQVE IMMANIA TEMPLA) Conditorem templi Cumani, & ædificatorem Dædalum nominat, de quo & Ausonius in Mosella, Idyllio 9.

Non hoc spernet opus, Gortynius aliger ædis
Conditor Euboicæ, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios, patrij pepulere dolores.

Turneb. lib. 19. cap. 17. * *Silius eandem fabulam afferens,*
Hic pro nubiuago gratus pia templa meatu
Instituit Phœbo, atque audaces exuit alas.

Immania templa, id est, ingentia, immensa. Lucret. lib. 5. *& ignes Passim per cæli voluunt se immania templa.* Arnob. lib. 6. Templa enim hæc quid sunt? Si

D humanam infirmitatem roges, nescio quid immane, atque amplum: si deorum potentiam metiatis, &c. Varro lib. 6. de ling. lat. docet, templum tribus modis dici, à natura, vt templa cæli: in Hecuba, *O magna templa cæli commixta stellis splendidu:* ab auspicio, in terra: vt in Peribæa, *Scrupea saxa Bacchi templa prope aggreditur:* à similitudine, sub terra: vt in Andromacha, *Acherusia templa, alta Orci salucte infera.* Idem ibidem paulo ante profert hunc versum, nescio cuius, nisi forte sit Ennij. *Vnus erit quem tu tolles in cærula cæli Templa.* Ex Lamb. in Lucret. Super ista voce *templum* multa sane eruditè disserit Delrius noster Comment. in Senecam pag. 217.

E IN FORIBVS LETHVM ANDROGEO) Pasiphaen Minois Cretensium regis vxorem peperisse Minotaurum, opera Dædali, qui eam in vaccam ligneam inclusit, notum est ijs, quibus fabulæ non ignotæ sunt, nec esse debent. Figmenti occasio quæ fuerit, è Seruio discas licet. Taurum fuisse nomen adulteri, cui succubuerit Pasiphae, tradit etiam Festus. Qui item, cur inter signa militaria Minotauri effigies haberetur, caussam indicat his verbis: quod non minus occulta esse debent consilia ducum, quam fuit domicilium eius labyrinthus. Lucianus de Astrologia, huius commenti aliam occasionem tradit. Fieri potest, inquit, vt Pasiphae quoque, cum ex Dædalo

(quem

(quem ibidem insignem astrologum fuisse autumat) A de tauro audiuisset inter stellas apparente, deque ipsa astrologia, in artis amorem venerit. Ob id existimant factum, vt Dædalus illam tauro copularit. Huic monstro in Labyrinthum incluso, (quem etiam Dædalus fecit) Minos, adiuuante oraculo coegit Athenienses in annos singulos septena puerorum, totidem puellarum corpora ad deuorandum mittere, idq; per nouennium, propter Androgeum filium videlicet in pugna ab illis interemptum. Hygin. cap. 41. Quomodo interfectus sit, & de pœna ista Didorus quoq; lib. 4. cap. 6.

Isocrates Encomio Helenæ, præclara Thesei facinora commemorans, eumq; cum Hercule comparans, huius monstri, pœnæ, & libertatis per Thesei magnanimitatem adeptæ meminit in hæc verba: περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον, &c. Latinè. Circa eadem tempora, quum monstrum illud in Creta educatum, atque ex Pasiphae solis filia natum extitisset, cui tributi nomine nostra vrbs bis septenos pueros ex oraculo mittebat, quum videret eos duci, toto populo comitante, ad necem indignam, certumq; interitum, & viuentes adhuc lugeri pro mortuis: tanta indignatione exarsit, vt potius esse duxerit emori, quàm viuere turpiter: & imperare ciuitati, quæ tam miserabile tributum hostib⁹ pendere cogeretur. Conscenso igitur vnà cum illis nauigio, & ea natura superata, quæ quidem è viro, & tauro conflata esset, tantoq; robore polleret, quanto par est eam, quæ C talibus corporibus constat: non pueros solum parentibus incolumes restituit: sed vrbem etiam tam iniusto, tamq; acerbo, & ineuitabili edicto liberauit. Hactenus Isocrates.

Lege insuper Plutarchi Theseum. Extra sortem se obtulit, & ad illos pueros monstro obijciendos sese adiunxit. Factum eius idem Plutarchus expendit, & laudat in Romulo. Tradit idem auctor, nauigium quo cum impuberibus Cretam nauigauit, & saluus redijt, ad Demetrij Phalerei ætatem Athenienses conseruasse, veteri materiæ integram aliam sufficientes, itáque coagmentantes, vt philosophis in disputatione de ijs quæ augentur, ambiguitatis exemplum hæc nauis præbuerit, quod alij eandem manere, alij non eandem contenderint. De eadem Plato in Phædone, solitos Athenienses quotannis coronatam Delphos mittere, ibiq; Apollini sacrum facere, ex voto nimirum, quo se obstrinxerant, si Theseus cum illis adolescentibus rediisset incolumis.

Hoc tributum lamentabile appellat Ouidius, qui etiam de caussa, & ædificatione Labyrinthi 8. Metamorph. in hæc verba:

Creuerat opprobrium generis, fœdumq; patebat
Matris adulterium monstri nouitate biformis.
Destinat hunc Minos thalami remouere pudorem,
Multiplicíq; domo, cæcisq; includere tectis.
Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus, turbatq; notas, & limina flexu
Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non secus ac liquidis Phrygius Mæandrus in vndis
Ludit, & ambiguo lapsu refluitq;, fluitq;,
Occurrensq; sibi venturas aspicit vndas:
Et nunc ad montes, nunc ad mare versus apertum
Incertas exercet aquas: ita Dædalus implet
Innumeras errore vias, vixq; ipse reuerti
Ad limen potuit: tanta est fallacia tecti.

Ipse quoque Virgilius noster de eodem lib. 5.

Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in altis
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;
Mille vijs habuisse dolum: quà signa sequendi
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.

Ouid. narrat tertio quoque anno, illa, de quibus dicebamus, corpora Minotauro obijci solita, & tertia demum sortitione inter alios (Catullus ait, sponte sua) Theseum in Cretam profectum, cum eo congressum, illum confecisse, & ope Ariadnes Minois filiæ saluum euasisse.

Quo postquam geminam tauri, iuuenisq; figuram
Clausit: & Actæo bis pastum sanguine monstrum
Tertia sors annis domuit repetita nouenis:
Ianua difficilis filo est inuenta relecto,

Res varijs, aut magnis difficultatibus impedita, B vnde se quis extricare haud facile queat, solet prouerbio vocari Labyrinthus. Porrò quomodo Virgilius in foribus templi ista cęlasse Dædalum, sic Catull. in veste stragula Thetidis excellenti artificio intexta fuisse canit in nobilissimo illo poemate, quod falsò Argonautica ab imperitis Grammaticis inscriptum est, cùm de nuptijs Pelei, & Thetidis inscribendum sit, & inscribatur hodie. Versiculos de Theseo, & corporibus istis, de monstro, & Labyrintho apponam.

Illa tempestate ferox, & tempore Theseus
Egressus curuis è littoribus Piræi
Attigit iniusti regis Gortynsia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneæ pœnas exoluere cædis,
Electos iuuenes, simul & decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Queis angusta malis cum mœnia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro charis corpus Athenis
Proijcere optauit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiæ nec funera portarentur.

Infrà.

Sic domito sæuum prostrauit corpore Theseus
Nequidquam vanis iactantem cornua ventis.
Inde pedem victor multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo,
Ne labyrintheis è flexibus egredientem
D *Tecti frustaretur inobseruabilis error.*

Addam coronidis loco, sollemnem fuisse antiquis morem, operosè, & ambitiosè templorum portas facere, quales ab Herode in templo Hierosolymitano factas memoriæ prodidit Iosephus Antiquitat. lib. 15. cap. 14. & de bello Iudaico lib. 6. cap. 6. Eas cælatura nonnunquam, aut scalptura historiarum insignium spectabiliores solebant reddere. Virgilianas fores studiosè imitatus est Silius, lib. 3. dum Herculei apud Gaditanos fani fores eiusdem labores insertos habuisse canit.

In foribus labor Alcidæ Lernæa recisis
Anguibus Hydra iacet, nexuq; elisa leonis
Ora Cleonei, &c.

E PENDERE POENAS) soluere significat, ab eo quod ære graui cùm vterentur Romani, penso eo, non numerato, debita soluebant. Vnde etiam pensiones dictæ. Pœnas pendere propriè dicitur, qui ob delictum pecuniam soluit, quia penso ære vtebantur. reliqua apud Festum desiderantur.

STAT DVCTIS SORT. VRNA) Pueros illos, puellasq; Atheniensium Minotauro obijciendos nonnulli sorte duci, vt hic Virgilius: alij à Minoe deligi solitos aiunt. Similiter locutus est lib. 2. *Laocoon ductus Neptuno sorte sacerdos.* Super tauro, & Pasiphae plura eclog. 6. Vide & Hygini cap. 40.

Magnum reginæ ſed enim miſeratus amorem
Dædalus, ipſe dolos tecti, ambageſq; reſoluit,
Cæca regens filo vestigia. tu quoq; magnam
Partem opere in tanto, ſineret dolor, Icare haberes.
Bis conatus erat caſus effingere in auro:
Bis patriæ cecidere manus. quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni iam præmiſſus Achates
Afforet: atq; vnà Phœbi, Triuiæq; ſacerdos,
Deiphobe, Glauci, fatur quæ talia regi.

MAGNVM REG. SED ENIM) Reginam hìc intellige Ariadnen, regis Minois filiam, quæ Theſeum adamauit, eumq; ſeruauit ab interitu, dum eum, ipſa prius docta à Dædalo, docuit quemadmodum filo alligato, ex anfractibus Labyrinthæis regredi poſſet: qua de re Catull. cuius eſt, *Errabunda regens tenui veſtigia filo*, à quo ſuum Virgilius quaſi mutuatus eſt, *cæca regens filo veſtigia*. Hanc perfidus ille, cum ei matrimonij fidem dediſſet, in inſula Dia dormientem deſeruit, quam Liber vxorem duxit. Eius perfidiæ pœnas illi apud Catullum vide quas imprecetur. Multa & varia de Theſeo, & Ariadna Plutarchus in Theſeo. ✱

Sic Polyxena apud Euripidem in Hecuba ſe reginam vocat, hoc eſt, regis filiam. *ἐν νεκροῖσι γὰρ δούλη κεκλῆσθαι, βασιλὶς οὖσ' αἰσχύνομαι.* B Idem in Phœniſſis Antigonen Laij filiam *ἄνασσαν*. Item & Antigone Oedipodis filia apud Sophoclem ſe reginam appellat. *Λεύσσετε Θήβης οἱ κοιρανίδαι τὴν βασιλίδα μούνην λοιπήν.* Nempe priſci omnes regij generis perſonas pari honore, & nomine deſignabant. Sic & *ἄνακτες* reges, & regum filij, & Cæſares, vel regum fratres. Ariſtot. de Cypriorum politia. *καλοῦνται οἱ μὲν υἱοὶ καὶ ἀδελφοὶ τῶν βασιλέων, ἄνακτες. αἱ δὲ ἀδελφαὶ, καὶ γυναῖκες, ἄνασσαι.* German.

TV QVOQVE MAG. PARTEM ICARE) Quæ præcepta puero dederit pater, pennis ceratis volatum inituro: & quomodo velut præſagus futuræ calamitatis eundem lacrymans oſculatus ſit, videbis apud Naſonem 8. Metamorph. C caſus quidem infælicis Icari hiſce carminibus exprimitur.

Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos,
Remigioq; carens, non vllas concipit auras:
Oraq; cærulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua: quæ nomen traxit ab illo.

Meminit & Silius lib. 12.

Natum etiam docuit falſa ſub imagine plumæ
Attentare vias volucrum: lapſumq; ſolutis
Pennarum remis, & non felicibus alis
Turbida plaudentem vidit freta.

De eodem caſu Icari, in quo ipſo etiam facti temeritas notatur, ita Horat. Ode 2. lib. 4. qua Pindarum laudat. D

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Vt enim alicubi ait Ouid. *Icarus Icarijs nomina fecit aquis*. A Sane Icarium mare eſt pars Ægæi. Cæterùm Lucianus de Aſtrologia fabulam huius Dædalei volatus, caſumq; Icari ad ſcientiam aſtrorum mythologicè referendum putat: & cùm ipſe eſſet eius admodum peritus, eadem inſtituiſſe filium, qui cum iuuenili calore, & temeritate motus, non ea diſquireret, quæ conueniebat, ſed vltra animo ſeſe attolleret, delapſum à vero, tota aberraſſe via, & in mare, hoc eſt, in rerum immenſam profunditatem præcipitem decidiſſe. Hæc ille. ✱

QVIN PROTINVS OMNIA) Verſus eſt dactylycus, quoniã vltima ſede dactylum habet: ſicut ſpondaicus dicitur, qui in quinta ſpondeum. Talis ille in Georg. *Et ſpumas miſcent argenti, viuaq; ſulphura.* Secutus eſt Homerum, pariq; licentia & acephalos, & longiuſculos, delicijsq; profluentes imitatus eſt. Crinit. lib. 24. cap. 7. Errat cum vulgo Grammaticorum Crinitus. Doctiores aſſerunt, nunquam in fine hexametri collocari dactylum. Sed cum vna ſyllaba fit longior, tum illa aut cum initio ſequentis verſus à vocali, aut diphthõgo inchoati per ſynaloephen, aut ecthlipſin coaleſcit, vt, *Inſeritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida*: ſequitur enim, *Et ſteriles platani*. aut certè, ſi ſequens verſus initium habet conſonantem, dactylus ille præcedentis vltimus per ſynizeſin ad ſpondaicam dimenſioné redigetur, vt in hoc *omna* pro *omnia*. *Quin protinus omna Perlegerent oculis*. Hypermetri verſus rectius nominantur, Dactylici nõ rectè. Sed vide Erythręũ in Virgil. prolegom. Multa ille de nothis pedibus apud eum, & licentia eiuſdem in carmine iſto heroico. ✱

PERLEGERENT OCVLIS) Verbum græcum *γράφειν* ſcriptorum, pictorum, ſculptorum eſt. *γραφὴ* cùm ad ſcriptores refertur, exponitur, deſcriptio: cùm ad pictores, & ſculptores, deſignatio. Vides quemadmodum Maro noſter hoc loco lectionem quoque ad picturam tranſtulerit, dum eam perlegi dixit? vt minus mirere, vocem *γράφειν* eodem accommodari. Immo enimuero quia *γράφειν* & *γραφὴ* etiam ad picturam pertinent, non ſolum ad litteras, fecit illis lectionem quoque communem Virgilius.

NI IAM PRÆMISSVS ACHATES) *κατὰ τὸ σιωπώμενον*: nuſquam enim legitur Achatem ad Sibyllam præmiſſum fuiſſe. Venit igitur ad Æneam Sibylla, cuius proprium nomen, genus, & officium poeta deſcribit. Nam Deiphoben, Glauci filiam, Phœbi, & Dianæ ſacerdotem appellat. Naſcimb.

NON HOC ISTA SIBI TEMPVS SPECTACVLA POSCIT:
Nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Æneam (nec ſacra morantur
Iuſſa viri) Teucros vocat alta in templa ſacerdos.

Exciſum

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quò lati ducunt aditus centum, ostia centum:
Vnde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ.
Ventum erat ad limen, quum virgo: poscere fata
Tempus, ait, Deus, ecce Deus. Cui talia fanti
Ante fores, subitò non vultus, non color vnus,
Non comptæ mansère comæ: sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: maiorq; videri,
NEC MORTALE SONANS, afflata est numine quando
Iam propiore dei. Cessas in vota, precesq;,
Tros, ait, Ænea? cessas? neq; enim ante dehiscent
Attonitæ magna ora domus. & talia fata,
Conticuit: GELIDVS TEVCRIS PER DVRA CVCVRRIT
OSSA TREMOR: fuditq; preces rex pectore ab imo.

NON HOC ISTA SIBI TEMP. SPECTAC. POS.) Legimus, deos aliquoties tantum Idibus vaticinari: nonnunquam diei vel prima, vel postrema parte. Vnde est in iure *fissus dies*, id est, non totus religiosus: quem nunc ostendit, dicens: non oportere Æneam religiosam diei partem perdere, id est, oraculo congruam. Seruius. Vel sic, cum Nascimb. Honesta obiurgatio. In rebus inanib⁹ ostendit non esse terendum tempus: sed sacris vacandum potius, dum per occasionem temporis licet, ne forte ea omissa, frustra oraculum adeat.

GREGE DE INTACTO SEPT.) Gregem intactum appellat pecus, quod opus non fecit, neque iugo subiectum fuit. Nam tale pecus ad rem diuinam purum esse putabatur: aliter, non putabatur. Turneb. lib. 13. B cap. 21. Rursus idem lib. 18. cap. 2. De hostijs iniugibus accipit Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 5. & rectè. impium enim, & nefarium esse videbatur, iuuencum aratorem immolare, vt Theon Arati interpres scribit, qua impietate obstringi non videbatur, qui iuuencum nondum domitum, nec laboris socium, nec in dominum munificum mactabat. Sunt tamen, qui iam domitas pecudes sacris non puras censent, vt hominum manu, & labore rustico contaminatas, pollutasq;: & fieri potest, vt superstitiosa potius, quam religiosa antiquitas vtramque caussam secuta sit. Hæc Turneb. Vocari autem iniuges hostias dicit Macrob., quæ nunquam domitæ, ac iugo subditæ sunt.

LECT. DE MORE BIDENT.) Bidentes dictas ait Nigidius apud Gell. lib. 16. cap. 5. quasi biennes. Bidennes primò cum dicerentur, littera immissa, longo deinde vsu loquendi corruptam esse vocem, & ex bidennes, bidentes factum.

EXCISVM EVBOICÆ LATVS INGENS) Describitur antrum Sibyllinum à forma, situ, & credita diuinitate. Euboicam rupem per antonomasian, pro Cumæa dixit. Ex Eubœa Cumani.

IN ANTRVM) in similitudinem antri.

OSTIA CENTVM) Numerus certus pro incerto, amplificatio. Vndique ad antrum, ceu in centrum, aditus erant.

VOCES, RESPONSA) appositio. hæc Montfor.

VNDE RVVNT TOTIDEM) Omnia responsa Sibyllæ plus, minusúe, centum continentur sermonibus. Vnde Virgil. *Vnde ruunt totidem*, &c. Seruius.

DEVS ECCE DEVS) Verba Sibyllæ, quæ repetitionem, siue παλιλογίας habent, ad subitam numinis præ-A sentiam indicandam, & ad silentium etiam indicendum pertinent: id quod facile etiam liquet ex illo Ouid. Metamorph. lib. 15. *En deus est, deus est, animis, linguisq́; fauete, Quisquis adest, dixit.* Nascimb.

NON VVLTVS, NON COLOR VNVS, NON COMPTÆ) Enargia, siue euidentia in his inest verbis: repræsentant enim rem excellenti modo, quod notauit Scalig. in Poet. Lucanus. *stat nunquam facies*, pro eodem dixit. Statius de Thiodamante lib. 10. Thebaid.

——— & trepidas incerto sanguine reddit,
Exhauritq́; genas, acies huc errat, & illuc,
Sertaq́; mixta comis sparsa ceruice flagellat.

De comis simile quiddam Tibull. lib. 2. eleg. 6. de eadẽ loquens, *Iactauit fusas & caput ante comas.* Fanaticam describit Sibyllã his, & sequentibus verbis. Dicti fanatici à fano, homines numine afflati, græcè ἔνθεοι, θεοφορούμενοι, quòd nõ sponte sua, sed de diuino numine ferantur. Tales erant Galli matris deûm Cybeles, qui ideo Corybantes, quasi furibundi saltantes. In sacris enim suis caput quassabant, & vrinantium more in caput se iactabant. Liuius. decad. 4. lib. 8. Galli matris magnæ, à Pessinunte occurrere cum insignibus suis, vaticinantes fanatico carmine, deam Romanis victoriam dare. Idem lib. 9. de bello Macedonico, de Bacchanalibus loquens. Viros velut mente captos cum iactatione fanatica corporis vatem vaticinari. Quintil. lib. 11. Fre-C quens etiam capitis nutus, non caret vitio: adeo caput iactare, & comas excutientem rotare, fanaticum est. Budæus in Pand.

ET RABIE FERA CORD. DOM.) Horat. Ode 16. lib. 1.

Non Dyndimene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber aquè.

NEC MORTALE SONANS) est quod legimus 1. Æneid. *nec vox hominem sonat.* Seneca Oedipo, vbi oraculum acceptum narraturus est Creon Oedipo.

Incipit lethea vates spargere horrentes comas,
Et pati commota Phœbum: contigit nondum specus
Emicat vasto fragore maior humano sonus.

D

CESSAS IN VOTA. P) Terent. Heaut. *Cesso pulsare ostium vicinum?* Aliquis cessare dicitur, inquit ibidem Donatus, cum tardat ad aliquid celeriter peragendum. Virgil. *cessas in vota, precesq;?* Cessat desidiosus, requiescit defessus. Exstimulat Æneã ad concipiendas preces, à necessario, quod alioqui fores antri diuini, seu nume-

ne pleni, fatidici, non patebunt, nec ille responsa acceptururus sit. Troianis porrò horrorem, ac metum incutit tanta vultus, colorisq; mutatio, nec visæ ante motiones corporis tam portentosæ, & vox humana augustior.

NEQVE ENIM A. DEHIS. ATTON. M. ORA DOM.) Attonitum, inquit Turneb. lib. 28 cap. 44. non est du-
A bium dici, vt Græcè ἐμβρόντητον. Sed hîc de æde intelligo fumosa, & fatidica, & vaticinante, & oraculum habente: quod furore concitatos, præsagos futuri reddat.

GELID. TEVCRIS PER. D. CVCVR. OSSA TREM.) Horrescunt Troiani, non propter imperatas Æneæ preces, & vota: sed propter varios, monstrososq; Sibyllæ motus.

Phœbe graues Troiæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela, manusq;
Corpus in Æacidæ: magnas obeuntia terras
Tot maria intraui duce te: penitusq; repostas
Massylûm gentes, prætentaq; syrtibus arua:
Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.
Hac Troiana tenus fuerit fortuna sequuta.
Vos quoq; Pergameæ iam fas est parcere genti,
Dijq;, deæq; omnes, quibus obstitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ. tuq; ô sanctissima vates
Priscia venturi, da (non indebita posco
Regna meis fatis) Latio considere Teucros,
Errantesq; deos, agitataq; numina Troiæ.
Tum Phœbo, & Triuiæ solido de marmore templa
Instituam, festósq; dies de nomine Phœbi.
Te quoq; magna manent regnis penetralia nostris.
Hîc ego namq; tuas sortes, arcanaq; fata
Dicta meæ genti ponam: lectosq; sacrabo
Alma viros. folijs tantum ne carmina manda:
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis:
Ipsa canas, oro. Finem dedit ore loquendi.

PHOEBE GRAVES. T. SEMP. MISER. LAB.) B
A communi ad separatam transit beneficiorũ enumerationem: & ab insigni beneficij munere exorditur: nam quo maiori alio Troianos beneficio afficere poterat, quàm Ilij oppugnatorem, ac totius Troiæ regionis exterminatorem de medio tollere? Et quanquam Paris id fecisse videatur, tamen Phœbus ipse manum illius, ac telum direxit in corpus Achillis, aliter enim vir pæne inuulnerabilis occidi non poterat. Ouid. *At postquam cecidit Paridis, Phœbiq; sagittis.* Nascimb.

DARD. QVI PARID. DIR. TELA IN CORP. ÆACID.) Cùm ægerrimè pateretur Neptunus ab Achille sibi interfectum Cygnum filium (quem ne etiam armis spoliaret, eum in auem sui nominis transmutauit) C
& plurimum Hectoris nece (quem similiter Achilles interemerat) doleret, Apollinem fratrem rogauit, quoniam cominus nequiret cum eo concurrere, ipse hominem vlcisceretur. Paruit oranti Apollo, & immistus Troianis, Paridis arcum in eius corpus obuertit, cuius sagitta ictus cecidit. Hoc totum ab Ouid. lib. 12. Metamorph. in calce descriptum est sic:

At deus æquoreas qui cuspide temperat vndas,
In volucrem corpus nati Cycneida versum
Mente dolet patria, sæuumq; perosus Achillem,
Exercet memores, plusquam ciuiliter, iras.
Iamq; ferè tracto duo per quinquennia bello,
Talibus intonsum compellat Smynthea dictis.
O mihi de fratris longè charissime natis,
Irrita qui mecum posuisti mœnia Troiæ,
Ecquid, vbi Asiacas casuras aspicis arces,
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros
Millia cæsa doles? ecquid (ne persequar omnes)
Hectoris vmbra subit circum sua Pergama tracti?
Cum tamen ille ferox, belloq; cruentior ipso
Viuit adhuc operis nostri populator Achilles.
Det mihi se, faxo, triplici quid cuspide possim,
Sentiat: at quoniam concurrere cominus hosti
Non datur, occulta nec opinum perde sagitta.
Annuit, atq; animo pariter patruiq; suoq;
Delius indulgens, nebula velatus in agmen
Peruenit Iliacum, mediaq; in cæde virorum
Rara per ignotos spargentem cernit Achiuos
Tela Parin, fassusq; deum: quid spicula perdis
Sanguine plebis ait? si qua est tibi cura tuorum,
Vertere in Aeaciden, cæsosq; vlciscere fratres.
Dixit, & ostendens sternentem Troïa ferro
Corpora Peliden, arcumq; obuertit in illum,
Certaq; lethifera direxit spicula dextra.
Quo Priamus gaudere senex post Hectora posset,
Hoc fuit. ille igitur tantorum victor Achille
Victus es à timido Graiæ raptore maritæ.
At si fœmineo fuerat tibi Marte cadendum,
Thermodoontiaca malles cecidisse bipenni.

Horatius quoq; carmine sæculari, quæ est Ode 6. lib. 4.
D Apollinem de Achille ab eo, seu opera eius interfecto extollit magnificè: fuit enim hoc illi gloriosum, cum Achil-

Achilles esset terror Phrygum, & Troiæ prope victor, A
vt ibi dicitur. De vulnerato igitur, & in terram cadente, ac moriente sic ait:

Ille mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro
Procidit latè, posuitq́; collum
Puluere Teucro.

Homerus similiter sæpe Paridē sagittarium inducit. 2. Iliad. παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων, καὶ καμπύλα τόξα. Et Euripid. Oreste. ἃς ἔγημ' ὁ τοξότας Πάρις. Apollo autem semper à Troianis habitus inter ἀγωνίων θεῶν, vt qui vel Homeri constantissimo testimonio, pro Troia steterit. Calab. autem lib. 3. αὐτόχειρα Apollinem narrat calcaneum Achillis telo fixisse. German.

TOT MAR. INTRAVI. D. TE PEN. REPOST. MAS. G) *Hi versus lucem accipient ex illis, qui sunt lib. 7.*

Septima post Troiæ excidium iam vertitur æstas,
Cùm freta, cùm terras omnes, tot inhospita saxa,
Sideraq; emensæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, & voluimur vndis.]

Aliud Apollinis beneficium recenset, quod si principia nauigationis Troianorum consideres, κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligendum est: Æneam duce Apolline, id est, monitu Apollinis nauigasse: hac enim de re nihil extat, preter illud ex. 3. *Diuersa exilia, & desertas quærere terras Augurijs agimur diuûm.* Sed meliꝰ est, vt ad illud Apollinis vaticinium referatur, *antiquam exquirite matrem.* Quod verò ait, *maria obeuntia terras*, proprio epitheto maris vsus est, cuius est, terras includere, & cingere. Per Massylûm gentes, & syrtibus arua prætenta, Africam significauit, accessu difficilem. Nascimb.

VOS QVOQVE PERGAM. SI FAS EST. P. G. DIIQVE DEÆQVE OM.) Petit Æneas, vt iam tandem propitij velint esse Troianis dij omnes, qui se ab illis læsos æstimarũt, verbi caussa, Neptunus, & Apollo mercede fraudati sunt à Laomedonte, Iuno, & Pallas spretæ ab Alexandro præ Venere. Iuno insuper læsa raptu Ganymedis, qui contempta Hebe eius filia, Ioui fuit à poculis. Ex Homero maximè discas, qui dij, deæque, & quàm infensi Troianis fuerint. De ijsdem 2. Æneid. generatim, & summatim, *Apparent diræ facies, inimicaq́; Troiæ Numina magna deûm.* Inuocat etiam D Sibyllam ipsam, ab eaque cognoscere de Italia tenenda cupit, quæ quidem sibi fato debeatur: quamobrem se rem optare æquissimam. Errantes dij, & agitata numina Troiæ, sunt victi illi penates, quos classe vehebat secum, & quos Latio inferre desiderabat.

PHOEBO, ET TRIVIÆ TEMP. INSTIT. FESTOSQVE DIES) De ludis Apollinaribus intelligunt, quod ait, *festosq́; dies de nomine Phœbi*, quos quidem Augustus instituit. Festus autem, est sollemniter lætus, & feriatus.

TE QVOQVE MAG. MANENT) Cùm triplex fuerit inuocatio, Apollinis, deorum Troianis inimicorum, & Sibyllæ, huic tantum, & illi pollicetur munera, cui tamen sororem adiungit. Reliqua, *Hic ego namq; tuas sortes*, &c. sunt de libris Sibyllinis Romæ honorificè in templo, diligenterq; asseruatis. De Sibyllis, & libris eorum dictum Eclog. 4. Dicemus tamen hic quoque nonnulla ex P. Manutio in epist. 4. Cic. lib. 8. XVviri custodiebant libros Sibyllinos, à Cumæa Sibylla Prisco regnante Romam allatos. Fatales vocabantur, quod fata, id est, immutabilem Iouis voluntatem prædicerent. Ad eos, quasi ad oraculum, XVviri adibant, cùm dij immortales publicè consulendi essent. Historiam Gell. lib. B 1. cap. 9. ex antiquis annalibus exposuit. Dio lib. 39. sacerdotes nominat custodes horum versuum, Cicero interpretes lib. 1. De Diuinat. Quo in loco Decemuiri, non Quindecimuiri appellantur. Sed veritatem aperit distinctio. Nam superioribus temporibus decemuiri libros Sibyllinos custodiebant, Ciceronis ætate, atque etiam aliquot post sæcula, quindecimuiri, quod Ausonij poetæ in Grypho versibus constat.

Atq; trifatidicæ nomen commune Sibyllæ,
Quarum tergemini fatalia carmina libri,
Quos ter quinorum seruat cultura virorum.

Suetonius fatales libros vocat.

FOLIIS NE CARMINA MANDA) Repetamus locum è lib. 3. ex oratione, seu vaticinio Heleni ad Æneam, C qui hunc declarabit.

Huc vbi delatus Cumæam accesseris vrbem,
Diuinosq́; lacus, & auerna sonantia syluis,
Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima,
Fata canit, folijsq́; notas, & nomina mandat.
Quæcunq; in folijs descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atq; antro seclusa relinquit:
Illa manent immota locis, neq; ab ordine cedunt.
Verum eadem verso tenuis cum cardine ventus
Impulit, & teneras turbauit ianua frondes:
Nunquam deinde cauo volitantia prendere saxo,
Nec reuocare situs, aut iungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemq́; odere Sibyllæ.

D Quid mysticè voluerit sibi his verbis Æneas, *folijs ne carmina manda*, consule Pierium lib. 53. in Ficu.

RAPID. LVDIB. VENTIS) Proprietatem trahunt *ludibria* à leui, ac sine pondere, & contemnendo: aut, quod magis verum, à ludicro. Nonius. Horat. Ode 14. lib. 1. *tu, nisi ventis Debes ludibrium, caue.*

IPSA CANAS) Canunt poetæ. Sed qui oracula edebant, cum id versibus facerent, dicti sunt canere. 3. Æneid. *Sola mihi tales casus Cassandra canebat.* Ennius 1. Annali: *Versibu' quos olim Fauni, vatesq́; canebant.*

At Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates: magnum si pectore possit
Excussisse deum. tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitq; premendo.
Ostiaiamq; domus patuêre ingentia centum
Sponte sua, vatisq; ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis:
Sed terra grauiora manent. in regna Lauini
Dardanidæ venient (mitte hanc de pectore curam)
Sed non & venisse volent. bella, horrida bella,

Et Ti-

Et Tiberim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. ALIVS LATIO IAM PARTVS ACHILLES,
Natus & ipsa dea. nec Teucris addita Iuno
Vsquam aberit, quum tu supplex in rebus egenis,
Quas gentes Italûm, aut quas non oraueris vrbes?
Caussa mali tanti coniux iterum hospita Teucris,
Externiq; iterum thalami.
TV NE CEDE MALIS: SED CONTRA AVDENTIOR ITO,
Quàm tua te fortuna sinet. via prima salutis,
(Quod minimè reris) Graia pandetur ab vrbe.

PHOEBI NOND. PAT. IN ANTRO BACCHAT.) A Egregiè vaticinantium morem poeta ob oculos ponit. Nam oracula edituræ Phœbades, fatidico numine primùm repleri credebantur, quod illis graue in primis, & molestum erat, nitebanturque illico è pectore eijcere. Vbi verò resistere amplius non possent, tum demum deo plenæ, atque illius voluntati cedentes, in mentis stuporem abibant, oraculaque edebant. Nascimbæn.

Lucan. lib. 5. de Phamenoe, Delphis oracula reddente.

Spumea tunc primùm rabies vesana per ora
Effluit, & gemitus, & anhelo clara meatu
Murmura, tunc mœstus vastis vlulatus in antris,
Extremæq; sonant domita iam virgine voces.

OS RABID. FINGIT PREMENDO) Plaut. in B Amphit. *Illic homo me interpolabit, meumq; os finget denuò.* Græci *στομοῦν*, os formare, fingere, componere dicunt: & Plato in Cratylo, *στόμα πλάττειν*. Est igitur sensus, format & componit os ad id tantùm enuntiandum, quod opus esset. German.

O TAND. MAG. PELAG. DEF. PERICLIS) *Facit & Tibullus Sibyllam Æneæ vaticinantem futura lib. 2. eleg. 5.*

Impiger Ænea volitantis frater Amoris,
Troica qui profugis sacra vehis ratibus.
Iam tibi Laurentes assignat Iupiter agros:
Iam vocat errantes hospita terra lares.

Et quæ sequuntur.] A commiseratione orditur, quam cõmouet à præteritis, & amplificat à futuris Troianorum calamitatibus. Defungi, inquit Budæus in Pand. est ex- C plicari negotio aliquo, aut molestia, & finem ei imponere. Liuius lib. 3. defuncta morbis corpora salubriora esse cœpere. Idem decad. 4. lib. 9. Tempestas cum magnis procellis coorta, coegit plerosque tabernacula in foro statuere: eadem paulò post, cum vndique disserenasset, sublata, defunctosq; fato vulgò ferebant, quod inter fatalia vates cecinissent, necesse esse tabernacula in foro statui. Defunctos fato id est solutos, exemptos, nec vltra illi fato obnoxios. *ἀπαλλάττεσθαι*, & *ἀπαλλάττειν* id à Græcis dicitur. Propterea defuncti absolutè dicuntur, qui mortem obierunt, quasi ærumnis sæculi liberatos, & exemptos significemus. Defunctumque etiam more Græcorum pro cadauere intelligimus sub- D stantiuè, vt illi *νεκρόν*. Copiosius ista, & plura super hoc verbo Budæus, quem vti legas, te hortor.

BELLA HORRID. BELLA) *τὸ αἴτιον*, cur venisse nolent: & vtitur *παλιλογία* ad grauitatem, & horrorem futuri belli amplificandum: & vt qualis, quantusq; futurus esset huius belli horror ostenderet, Tibrim, inquit, multo sanguine spumantem cerno. Vbi non sanguine tantùm dicit, sed multo sanguine, nec rubentem, sed spumantem. Vtq; certa, & indubitata se referre ostendat, ait, cerno. Nam vatib⁹ rerum, quæ futuræ sunt, spectra ob oculos versari solent. Bellum autem designat, quod Troiani cùm Rutulis in Italia gesserunt Turno duce. Et bellum hoc cum bello Græcorũ apud Troiam, locum cum loco, ducem cum duce comparat. Italicum Achillem vocat Turnum, quem perinde nobilem esse vult, vt Achillem, quia æquè matre dea natus, vt dicitur lib. 10. *Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.* Accedit Iunonis odium, quæ etiam in Italia, eorum studebit exitio. Sequitur triplex conquestionis locus ex aduersa Troianorum fortuna. Quod supplex, Æneas, quod in summa rerum egestate, quod plures orare cogetur. Et quoniam tanti belli caussam exquirere posset Æneas, *προληπτικῶς* occupat, *Caussa mali tanti coniux iterum hospita Teucris.* Vti prius Helena hospita, sic tum Lauinia erit mali Troianorum caussa, de quo lib. 7. Nascimb.

ALIVS LATIO IAM PART. ACHILL.) Valde cum hoc loco congruit dictum quoddam Annibalis de Q. Fabio Cos. qui Tarentum recepit à Carthaginensibus. Verba Liuij annumerabo lectori de lib. 27. Dum hæc Tarenti aguntur, Annibal ijs, qui Cauloniam obsidebant, in deditionem acceptis, audita oppugnatione Tarenti, dies noctesq; cursim agmine acto, cum festinans ad opem ferendam, captam vrbem audisset, Et Romani, inquit, suum Annibalem habent. Eadem, qua ceperamus, arte, Tarentum amisimus. ✠

ADDITA IVNO) id est, inimica, & infesta. Quis non existimet, poetam arbitrio suo nouum verbum sibi voluisse fabricare? Sed nõ ita est. Nam quod ait, *nec Teucris addita Iuno Vsquam aberit*, id est, affixa, & per hoc infesta, hoc iam dixerat Lucilius lib. 14. his versibus.

Si mihi non prætor siet additus, atq; agitat me,
Non male sic ille, vt dico, me extenderat vnum.

Macrob. lib. 6. cap. 4.

TV NE CEDE MAL. SED CONTRA) Cohortatio ad constantiam in rebus afflictis, & ambiguis, in quibus vir fortis, & sapiens palmam debet imitari, quæ contra pondus impositum nititur, & quò amplius premitur, hoc magis exsurgit. Toto cap. 4. libri, Cur bonis viris mala accidant, demonstrat Seneca, virtutem nisi aduersis non cognosci. Ex quo mandentur memoriæ vna, & altera sententia. Miserum te iudico, quòd nunquam fuisti miser. Transisti sine aduersario vitam: nemo sciet quid potueris, ne tu ipse quidem. Gaudent magni viri aliquando rebus aduersis non aliter, quam fortes milites bellis.

QVOD MINIME RERIS) Quis enim facile profuturos sibi credat inimicos? Quis salutem speret ab ijs, qui sibi exitium ante importauerant?

GRA-

GRATA AB VRBE) Euander quippe Græcus vrbem à se conditam, & ab auo Pallanteum appellatam, non longè ab ijs locis, in quibus nunc Roma est habitans, Æneam in Tusciam mittit, vbi copiæ paratæ ducem extermem exspectantes, ipse ei filium Pallantem cum quadringentis equitibus adiungit. Vide lib. 8.

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages: antroq; remugit,
OBSCVRIS VERA INVOLVENS. ea fræna furenti
Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo,
Vt primùm cessit furor, & rabida ora quierunt.
Incipit Æneas heros. NON VLLA LABORVM,
O VIRGO, NOVA MÎ FACIES, INOPINAVE SVRGIT:
OMNIA PRÆCEPI, ATQVE ANIMO MECVM ANTE PEREGI.
Vnum oro (quando hîc inferni ianua regis
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso)
Ire ad conspectum chari genitoris, & ora
Contingat: doceas iter, & sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas, & mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioq; ex hoste recepi:
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagiq; minas, cæliq; ferebat
Inualidus, vires vltra, sortemq; senectæ.
Quin, vt te supplex peterem, & tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. natiq;, patrisq;,
Alma, precor, miserere. potes namq; omnia: nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit auernis.
Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus,
Threicia fretus cithara, fidibusq; canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit:
Itque reditq; viam toties. quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? ET MÎ GENVS AB IOVE SVMMO.

HORREND. CANIT AMBAG.) Horrendas Troianis, ijsdemq; obscuras. Quod autem Apollo per sacerdotes suas obscura caneret, ideo λοξίας, id est, obliquus, & perplexus dictus est. Nascimb. *Remugit, frena, stimulos*, metaphoræ ab animantibus.

VT PRIMVM CESSIT FVROR) frustra hic philosophatur Seruius. Expono, vbi primùm mentem recepit, vbi ἐνθουσιασμὸς ille quieuit, & corporis quoq; secuta est tranquillitas. ✠

NON VLLA LABO. NOVA MÎ FACIES) Hinc apparet faciem non solùm in hominum corporibus (quod Gellius quoque annotauit lib. 13. cap. 29.) sed etiam in alijs rebus dici: quapropter & hic facies laborum, & infra lib. 7. Æneid. scelerum facies, armorum facies, & consilij facies apud Tacitum. Nascimb. * *Adde ex Cicerone Philipp. 1. Legatus enim senatus faciem secum attulerat. Off. lib. 1. formam, & tanquam faciem honesti vides. pro Flacco. fateantur in Menandri persona expressam esse faciem ciuitatis.* ∘

OMNIA PRÆCEPI, ATQVE ANIMO) Præcipere, atque præsumere oportere sapientem omnia, quæ homini acerba, & grauia accidere possunt: taliq; præmeditatione leuiora illa, & perpessu faciliora effici, disputatum est copiosè à Cic. 4. Tuscul., allatiq; versus Euripidis è Theseo, & Terentij è Phormione, quibus id confirmaretur. Virgilius autem Æneæ suo, quem omnis virtutis exemplar esse voluit, vt cæteras laudes, ita hanc quoq; tribuit, vt cum his verbis de se vtentem fecit: qui quidem videri non immeritò possit hoc ex Æschylo sumpsisse, apud quem Prometheus ita loquitur.

Καί τοι τί φημί; πάντα προὐξεπίσταμαι
Σκεθρῶς τὰ μέλλοντ', οὐδέ μοι ποταίνιον
Πῆμ' οὐδὲν ἥξει. Id est.
Quamquam quid aio? cuncta prænoui optimè
Futura, nec ventura calamitas mihi
Inopina quisquam est.

Muret lib. 5. cap. 12.

More suo, id est, sapienter, ac prorsus Stoicè hunc etiam locum tractat Seneca epist. 76. in extrema. Cum voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice. Ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia: corpus ipsum exuat, animum intuere, qualis, quantusque sit, alieno, an suo magnus. Si erectis oculis gladios micantes videt, & si scit sua nihil interesse, vtrum anima per os, an per iugulum exeat, beatum voca. Si, cùm illi denuntiata sunt corporis tormenta, quæ casu veniunt, & quæ potentioris iniuria, si vincula, & exitia, & vanas humanarum formidines mentium securus audit, & dicit,

—— non vlla laborum
O virgo noua mî facies, inopinaue surgit,
Omnia præcepi, atq; animo mecum antè peregi.

Tu hodie ista denuntias: ego semper denuntiaui mihi. Hominem paraui ad humana. Præcogitati mali mollis ictus venit. At stultis, & fortunæ credentibus omnis videtur noua rerum, & inopinata facies. Magna autem pars est apud imperitos, mali nouitas. Hoc vt scias, ea quæ putauerunt aspera, cum assueuêre, patiuntur. Ideo sapiens assuescit futuris malis: & quæ alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando. Audimus aliquando voces imperitorũ dicentium. Nesciebam, hoc mihi restare. Sapiens scit sibi omnia restare. Quidquid factum est, dicit, sciebam. Idem epist. 108. Nemo non fortius ad id, cui se diu composuerat, accessit, & duris quoq;, si præmeditata erant, obstitit: at contra, imparatus, etiam leuissima expauit. Id agendum, ne quid nobis inopinatum sit: &, quia omnia nouitate grauiora sunt, hæc cogitatio assidua præstabit, vt nulli sis malo tyro. Theseus quoq; apud tragicum Senecam in Hippolyto ad Nuntium.

Ne metue clades fortiter fari asperas,
Non imparatum pectus ærumnis gero.

Hunc ipsum poetæ nostri locum affert Donatus super illo Terentij, Phormione.

Meditata sunt mihi omnia mea incommoda,
Herus si redierit, &c.
Horum nihil quidquam accidet animo nouum.

VNVM ORO, QVANDO HIC INFER. IANVA REG.) Ouidius, qui in vltimis Metamorphoseωn libris quasi quandam epitomen Æneidos contexuit, comprehendit hanc orationem Æneæ, Sibyllæ promissum, & ramum aureum, descensum, colloquium cum Anchise apud inferos hisce carminibus.

Littora Cumarum, viuacisq́ antra Sibyllæ
Intrat, & vt manes adeat per Auerna paternos
Orat. At illa diu vultum tellure moratum
Erexit: tandemq́ deo furibunda recepto,
Magna petis, dixit, vir factis maxime, cuius
Dextera per ferrum est, pietas spectata per ignes.
Pone tamen Troiane metum: potiere petitis,
Elysiasq́ domos, & regna nouissima mundi,
Me duce, cognosces, simulacraq́ chara parentis:
Inuia virtuti nulla est via. dixit, & auro
Fulgentem ramum sylua Iunonis auernæ
Monstrauit, iussitq́ suo diuellere trunco.
Paruit Æneas, & formidabilis Orci
Vidit opes, atauosq́ suos, vmbramq́ senilem
Magnanimi Anchisæ: didicit quoq; iura locorum,
Quæq́ nouis essent adeunda pericula bellis.

Silius quoque lib. 13. Scipionem Africanum maiorem, patrem, & patruum, quos in Hispania cecidisse intellexerat, apud inferos conuenientem, & se illorum alloquio consolantem introducit, & Virgilij vestigijs, vt semper, insistit.

VNVM ORO) non solum, sed præcipuum: vt, *vnam Posthabita coluisse Samo.* Paludem deinde pro lacu posuit: nam Auernum significat, quem vult nasci de Acherontis æstuarijs.

TENEBROSA PALVS) nigra, per quod altam intellige.

ACHERONTE REFVSO) Plaut. genere fœmineo extulit Acheron, Capt. *Verum enimuero, nulla adaquè est Æcheruns Atq; vbi ego fui.*

SACRA OSTIA) aut venerabilia, aut execranda: sicut de tartaro dicturus est, *Sacra panduntur portæ.*

ILLVM EGO PER FLAM. ET MILLE SEQ.) *Vide 2. Æneid. ab illis verbis. Ergo age chare pater, ceruici imponere nostræ, &c. & totum tertium.* Meritum approbat patris, vt iustum videatur esse desiderium.

EX HOSTE RECEPI) liberaui, vt lib. 1. *frugesq́ receptas.* Et plus est *ex hoste,* quam ex hostibus.

ILLE MEVM COMITATVS ITER) Non spe salutis, sed mei causa, vt lib. 2. *Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso.*

FEREBAT) vt ante morte præuentus sit, quam ferre desineret: & mirè imperfecto vsus est tempore, ac si diceret, adhuc, si viueret, ferret.

SORTEMQVE SENECTÆ) Quia senectæ sors est quies, & otium; sicut pueritiæ ludus, amor adolescentiæ, ambitio iuuentutis. Ergo aliud ferebat pater, quam sors exigebat senectæ. Hucusque Seruius.

QVIN VT TE SVPPLEX PET.) Sic enim Anchises lib. 5. per quietem visus Æneæ filio.

——— *Ditis tamen antè*
Infernas accede domos, & Auerna per alta
Congressus pete nate meos. non me impia namq;
Tartara habent, & quæ sequuntur.

ALMA PRECOR MISERERE) Petitioni obsecrationem adiungit, quò facilius impetret. Addit locum a facili. *Lucos auernos* accipe, per quos erat descensus ad inferos. Atq; ita Sibyllæ potestatem exaggerat, vt quæ pro arbitrio suo ad inferos accedere possit.

SI POTVIT MAN. ARCESS. CONIVG. ORPHEVS) Suam petitionem honestam esse exemplis comprobat à minore ad maius, ex vi rerum, & personarum deductis: nam vxorem ab inferis reuocare maius est, quàm videndi tantùm patris caussa inferos petere: & Æneas Thesei, atque Orphei comparatione dignior est: nam proximè dicturus est, *& mi genus ab Ioue summo* Nascim.

* *Fabulam Orphei inter alios enarrat Virgil. 4. Georg. sub finem, vbi nos quoque de eodem attulimus, quæ huic etiam loco faciunt. Et Ouid. Metamorph. lib. 10. De cithara autem eiusdem, cuius hic cum honore meminit vates noster, proferemus ex Manilij lib. 1. perelegantes versiculos, qui ad locum illum Georgicorum etiam poterunt accommodari. Vbi igitur phænomena, siue signa Septentrionalia recenset, sic ait:*

At Lyra diductis per cælum cornibus inter
Sidera conspicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cantu, manesq; per ipsos
Fecit iter, domuitq; infernas carmine leges.
Huic cælestis honos, similisq; potentia caussæ
Tunc siluas, & saxa trahens, nunc sidera ducit,
Et rapit immensum mundi reuolubilis orbem.

Has comparationes cum Orpheo, Polluce, Theseo, Alcide ita considerat Macrob. lib. 4. cap. 5. Sunt & in arte rhetorica ad pathos mouendum etiam hi loci, qui dicuntur circa rem, & mouendis affectibus peropportuni sunt. Ex quibus primus est à simili. Huius species sunt tres, exemplum, parabole, imago. Ab exemplo, *Si potuit manes,* &c. Hæc enim omnia misericordiaṁ mouent: quoniam indignum videtur negari sibi, quod alij indultũ est. Deinde vide, vnde auget inuidiá. *Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus.* Habes caussam disparem: manes illic coniugis, hic patris: illic arcessere, hic videre. *Threicia fretus cithara.* Hic misericordiam eius irrisit. *Si fratrem Pollux alterna morte redemit, Itq́, reditq́, viam toties.* Hoc iam à modo. Plus est enim sæpe ire, quàm semel. *Quid Thesea, magnum Quid memorem Alciden?* Hic propter egregias personas non habuit, quod inueniret, vel quod augeret: verùm quod in illis elucebat, hoc sibi iactat cum illis esse commune, *& mî genus ab Ioue summo.*

SI FRAT.

SI FRAT. POLLVX ALTERNA MORTE RED.) *Homerus de ijsdem fratribus Odyss. λ.*

> *Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε*
> *Τεθνᾶσιν, τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσιν.*

Virgilius Ciri. Illi etiam alternas sortiti viuere luces. *Aptum huc, quod ait in Asinaria Argyrippus Philenio,*

> Ego te? quam si intelligam deficere vita, iam ipse
> Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.]

Altero exemplo ostendit, accessus ad inferos sibi negari non debere: in quo, si personarum vim spectes, à minori argumentatur: si rerum, à maiori ad minus. Nam hominem à morte redimere maius est, quàm si alloquendi hominis caussa inferos petas, quod vult Æneas. Nascimbæn.

ITQVE, REDITQVE VIAM TOTIES) Stat lib. 1. Thebaid. de Furia. *neq; enim velocior vlla Itq́, reditq́, vias.* Castor, & Pollux dum alienas sponsas rapiunt (Phœben, & Ilairam Leucippi filias) esse gemini desierunt. Nam dolore iniuriæ concitatus Idas, alterum gladio transuerberauit, & eosdem poetæ alternis viuere, alternis mori narrant: vt iam non sint deorum tantum, sed omnium mortalium miserrimi, quibus semel mori non licet. Hos tamé Homerus ambos simpliciter (non vt poetæ solent) mortuos esse testatur. Nam cùm faceret in muris assidentem Helenam Priamo, cunctos Græciæ principes recognoscere, solos autem fratres suos requirere, subiecit orationi eius huiuscemodi versum. *ὣς φάτο, τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα.* Lactant. lib. 1. cap. 10. * *Homerus ἑτερημέρους nuncupauit, quod alternis* A *diebus morerentur. Seruius hoc ideo censet fictum, quia horum stellæ ita se habent, vt occidente vna, oriatur altera. Idas qui cum Lynceo ambiebat quas duas virgines, Castorem raptorem occidit, quem ob id iratus Iupiter fulminauit, Pollucíq; optionem dedit, vtrū immortalitate solus vti vellet, an eam cum fratre diuidere: maluit alternis viuere. Hæc breuiter ex Gyrald. Syntag. 5. Castor ἱππόδαμος, id est, bonus eques, Pollux, πὺξ ἀγαθὸς, bonus pugil dicuntur Homero Odyss. λ. Vno nomine Castores sæpe audiunt, & græcè Διόσκουροι Iouis proles, ex Leda videlicet: quanquam Pollux tantum, & Helena ex Ioue, Castor & Clytemnestra ex Tyndareo nati perhibentur: & illi immortales, hi mortales.*

QVID THESEA, MAG. QVID MEM. ALCIDEN) Hîc Theseum inter eos nominat, qui ad inferos adierunt, & redierunt: postea tamen infert, *sedet, æternumq́; sedebit Infelix Theseus.* Quî ergo fieri potuit, vt æter- B num apud inferos sedeat, si redijt? Notauit hoc Hyginus, referente Gellio lib. 10. cap. 16. putauitque correcturum fuisse, nisi mors eum occupasset. Respondet huic reprehensioni Montfortius, lege si otium est.

Alia per comparationem inculcat exempla. Petierunt, hi duo inferos, Theseus, & Hercules, sed non pietatis caussa, quomodo Æneas. quomodo igitur? Theseus, vt Proserpinam Plutonis coniugem, Alcides, vt Cerberum tricipitem abduceret ad superos. Si igitur impietati patuerunt inferi, quanto magis pietati patere debent? Tum per μείωσιν occurrit Sibyllę. Dicat enim illa, eos genus trahere à dijs. Et ego, inquit genus à Ioue duco: quippe nepos eius, ex filia Venere. Nascimbæn.

Talibus orabat dictis, arasq; tenebat.
Tum sic orsa loqui vates: sate sanguine diuûm
Tros Anchisiade, FACILIS DESCENSVS AVERNI:
NOCTES, ATQVE DIES PATET ATRI IANVA DITIS:
SED REVOCARE GRADVM, SVPERASQVE EVADERE AD AVRAS,
HOC OPVS, HIC LABOR EST. PAVCI, QVOS ÆQVVS AMAVIT
IVPITER, AVT ARDENS EVEXIT AD ÆTHERA VIRTVS:
DIIS GENITI POTVERE. tenent media omnia syluæ,
Cocytusq́; sinu labens circumfluit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est,
Bis stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & insano iuuat indulgere labori:
Accipe, quæ peragenda prius.

TALIBVS ORAB. DICTIS, ARASQVE TENEB.) Qui magno affectu, & studio deos colebant, aut in magno periculo erant, vt deorum fide tuti essent, aut à dijs magni periculi liberationé petebant: aut aras, aut diuorum simulacra complectębantur. Etiam aras tenebant in religiosissimo iureiurando. In 12. *Tango aras, mediosq́ue ignes, & numina testor.* Vide ibi annotata. Plaut. Rud. Gr. *Tange aram hanc Veneris.* Lab. *Tango.* Gr. *per Venerem iurandum est tibi.* Turneb. lib. 26. c. 2. Vide lib. 4. Æneid. ad illa, *Talibus orantem dictis, arasq́; tenentem.* Meminit & Horatius huius moris, in supplicatione tangendæ aræ videlicet, Ode 23. lib. 3.

> *Immunis aram si tetigit manus:*
> *Non sumptuosa blandior hostia*
> *Mollibit auersos penates*
> *Farre pio, & saliente mica.*

FACILIS DESCENSVS AVERNI) siue *auerno,* vt etiam legi docet Seruius, exponens, ad auernum. Bion dicebat, facilem esse ad inferos viam. Nam illuc homines abire clausis oculis. Lusit in ambiguo: mor- C tuis quippe oculi clauduntur. Festus, Manale putabant esse ostium Orci, per quod animæ inferorũ, ad superos manarent, qui dicuntur manes. * *Qui hoc ad deterrendos homines à sceleribus adhibere volet, poterit in eo declarando quamvis copiosus esse. Si enim vitia, & flagitia sine magistro discuntur, vt scripsit Seneca, & ea nos ad inferos mittunt: si peccare, & deum offendere facillimum est: descendere ad illos sempiterni ignis cruciatus, non erit admodum laboriosum, ac difficile.*

SED REVOCARE GRADVM, SVPERASQ.) Lactant. lib. 6. cap. 24. appositè vsus est hoc versu, *Sed reuocare gradum,* &c. cùm de pœnitentia loqueretur, qua se, qui peccarunt, in pristinum gradum apud deum restituunt: nemo enim potest esse tam prudens, tam circumspectus, vt non aliquando labatur. Et idcirco deus imbecillitatem nostram sciens, pro sua pietate aperuit portam salutis, vt huic necessitati, cui fragilitas nostra subiecta est, medicina pœnitentiæ subueniret. Ergo quicunq; aberrauerit, referat pedem, seq; quamprimùm recipiat, ac reformet. *Sed reuocare gradum, superasq́, euadere ad auras, Hoc opus, hic labor est.* Degustatis enim malè iucundis voluptatibus, vix diuelli ab his possunt.

Faciliùs recta sequerentur, si earum suauitates non attigissent.

Ad confirmandam Virgilij sententiam aliquot poetarum græcorum versiculos citat Vrsin. nos latinorum testimonia recitemus. Tibull. lib. 4.

Cùm semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.

Catullus.

Qui nunc it per iter tenebricosum,
Illuc, vnde negant redire quenquam.

Seneca Hippolyto.

——— *non vnquam amplius*
Conuexa tetigit supera, qui mersus semel
Adijt silentem nocte perpetua domum.

Idem Hercule Oetæo. *Vnde non vnquã remeauit vllus.* Hac de caussa, quod, inquam, difficile sit inde reuocare gradum, nonnulli clauem attribuere Plutoni, significantes, qui apud inferos semel concluderentur, eos redire amplius non posse. Etiam in ore vulgi est, in inferno nulla est redemptio. ✱

PAVCI QVOS ÆQVVS AM. IVP.) Quos Iupiter benignitate sua retinuit, ne vitijs corrumperentur, sed ad virtutes expergiscerentur: qui virtute heroica, & diuina præditi sunt. Nascimb.

ARDENS VIRTVS) non enim frigidi virtutem capessunt, sed feruidi, & ardentes animo. Hinc Georg. 3.

Sin, has ne possim naturæ accedere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

DIIS GENITI POTVERE) in quibus semen diuinum est, cuius stimulo ad virtutes assiduo excitantur. A Nascimb. * *Prouerbiali schemate, ad commendationem Demosthenis hoc vsurpauit Plinius ep. 2. lib. 1. Tentaui enim imitari Demosthenem, semper tuum: Caluum nuper meum, figuris duntaxat orationis. Nam vim tantorum verborum* pauci quos æquus amauit, *assequi possunt. Quod etiam ad rem quamcunque difficilem torquere licet.*

QVOD SI TANTVS AMOR) Ostensa difficultate negotij, paulatim delabitur ad propensionem sui erga illum animi declarandam: nam quod petit Æneas, se benignè, præstituram innuit, cùm quid ei agendum sit, præscribit. Non adeo differunt ab his illa lib. 2.

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breuiter Troiæ supremum audire laborem.

BIS STYG. INNARE LACVS) nunc, & post mortem. B Quod autem dicit Ouidius, ait Seruius, Æneam inter deos relatum, non mirum est: nam vt suprà diximus, necesse est etiam relatorum inter deos, apud inferos esse simulacra, vt Herculis, Liberi patris, Castoris, & Pollucis, vt est apud Homer.

Κάστορα θ᾽ ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν πολυδεύκεα,
Τοὺς ἄμφω ζωοὺς κατέχει φυσίζοος αἶα.

INSANO IVVAT INDVL. LABORI) *insano labori*, vel maligno, vel, non sano consilio suscepto. Etenim inferos adire, nulli ferè emolumento, magno autem detrimento esse potest, quod nec Homerus tacuit Odyss. 12. ex quo fortasse hic locus.

Σχέτλιοι, οἳ ζώοντες ὑπήλθετε δῶμ᾽ ἀΐδαο,
Δισθανέες ὅτε τ᾽ ἄλλοι ἅπαξ θνήσκουσ᾽ ἄνθρωποι.

Sed tamen Æneæ magno futurum erat vsui, inferos adire, vt sui generis propaginem cognosceret: propterea ait, *iuuat indulgere.* Nascimb.

——— LATET ARBORE OPACA
AVREVS ET FOLIIS, ET LENTO VIMINE RAMVS,
Iunoni infernæ dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt conuallibus vmbræ.
Sed non antè datur telluris operta subire,
Auricomos quàm quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. primo auulso, non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.
Ergo altè vestiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu. namque ipse, volens, facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.
Præterea, iacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu nescis) totamque incestat funere classem,
Dum consulta petis, nostroque in limine pendes:
Sedibus hunc refer antè suis, & conde sepulchro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygios, regna inuia viuis
Aspicies. dixit, pressoque obmutuit ore.

LATET ARB. OPACA AVR.) Vide Seruium, Crinit. lib. 10. cap. 6. & Hartungum Decur. 2. cap. 7. num. 6.

IVNONI INFERNÆ DICT. SACER) Vt autem Iouis nomen multis tribuebatur: nam Iupiter Latialis, erat Latinus, interprete Festo: Iupiter indiges, Æneas: Iupiter Stygius, Erebi: Pluto: sic Iuno Lucina, Diana est: Iuno mulierum, veluti Genius virorum: Iuno infera, C Proserpina: Iuno Matuta, Leucothea. At summus Iupiter, Iupiter imperator, Iupiter præpotens, & Iupiter absolutè dicebatur. Sic Iuno sine adiectione, & Iuno regina. Ergo hic perspicuè Iuno inferna, est Proserpina. Turneb. lib. 28. cap. 44.

TELLVRIS OPERTA SVBIRE) Nihil temerè, aut inconsideratè à Virgil. dicitur: omnia proprijs, & accommo-

commodatis ad id, quod agitur, vocibus exprimuntur: & vbi id minimè putes, aliquid plerunq; reconditę eruditionis latet, vt in istis versibus. Nemo, quod sciam veterum, ac ne Fuluius quidem, aut Gellius notarunt, cur operta telluris dixerit. Bonam deam, & Tellurem eandem esse, vel ex Macrobio constat. Vbi autem Bonæ deæ fiebat, opertum vocabant, quo viris ingredi nefas erat. Cic. 1. epist. ad Att. quasi in operto dicas fuisse. Et in Paradoxis. Vt, si in opertum Bonæ deæ accessisses, exulares. Iam igitur constat, cur telluris operta dixerit. Muret. lib. 14. cap. 2.

AVRICOMOS FOETVS) sic & Apollo, Mercurius, Bacchus à poetis χρυσοκόμαι appellãtur: χρυσαυγῆ κόμη. German.

B HOC. SIBI. P. SVVM. F. PROSERP. MVN.) Quorundã opinio est, ideo ramo aureo inferos peti, quòd diuitijs facilè mortales intereunt. Tiberian. *Aurum, quo pretio reserantur limina Ditis.* Seruius. Quidã putant hunc ramum aureum significare prudentiam, ac proinde eũ iure optimo deæ sapientissimæ (qualis à Platone in Cratylo Proserpina describitur) offerri, eique sacrum esse. Ex hac opinione, id quod mox sequitur, *primo auulso non deficit alter*, explicabimus, prudentiam hominis esse huiusmodi, vt nulla exercitatione minuatur, sed augescat potius. Nascimb.* *Claudian. 2. de raptu Proserp.*

Est etiam lucis arbor prædiues opacis,
Fulgentes viridi ramos curuata metallo,
Hæc tibi sacra datur.

RITE REPERTVM CARP. MANV) Ritè carpe, non, ritè repertum. Sequetur autem facilè eum, quem fata vocant, id est, cui in fatis est eum carpere. Quod sequitur, *aliter non poteris*, enallage personæ est, secundæ pro tertia, poterit quis: nam vt de Ænea dicatur solo, non procedit. Seruius.

PRÆTEREA IACET EXANIM. TIBI. C. AMICI, HEV NESCIS) παλίλογον facit ad alterum præceptum, de Miseno sepeliendo: de cuius casu commiserationem mouet. Et

A grauiter quidem feritur Æneas hoc nuntio, quòd, cum audiat signum doloris apponi, heu, cum exclamatione, summæ virtutis virum extinctum esse suspicari potest: nondum enim sciebat quis esset. Nascimb.

TOTAMQVE INCESTAT FVNERE CLASSEM) Quemadmodum domus, vbi aliquis extinctus iaceret, tota polluta esse credebatur, ideoq; ramus cyparissinus præ foribus affigebatur, ne fortè flamen Dialis per imprudentiam ingressus pollueretur: sic tota etiam classis, tanquã vnum corp⁹, & vna domus incestata putabatur. Nascimb. Vox enim incestare, incestus, nõ semper nefarias inter coniunctas personas nuptias aspicit, vt apud Lucret. lib. 1. de Iphigenia.

Sed casta inceste, nubendi tempore in ipso,
Hostia concideret mactatu mœsta parentis.

hoc est, piaculariter, & præter fas, & morem. German. * *Incestum, quod non est castum, & auctore Seruio, qualibet pollutio. Tibull.* Num feror incestus sedes adijsse deorum?

NOSTROQVE IN LIM. PENDES) Pendere hoc loco valet, sollicitum esse.

SEDIBVS NVNC REFER ANTE SVIS) Simpliciter, sepeli, terra enim sedes est cadauerum. Vide infrà,

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quàm sedibus ossa quierunt.

Nã quod Seruius ita exponit: apud maiores enim omnes in suis domibus sepeliebantur, nullius momenti est, & huc non pertinet. Vide nihilominus Alex. ab Alex. C lib. 6. cap. 14. & ibid. Tiraquell.

EA PRIMA PIACVLA SVNTO) Horat. Ode 28. lib. 1. *teq; piacula nulla resoluent.* Piacula autem dicebantur victimæ, quibus facinus expiabatur admissum. Item piacula sunt propriè hostiæ, & libamenta, quibus aliquid luitur, & expiatur, expurgaturq; fraus aliqua, & scelus. Turneb. lib. 26. cap. 26. Nonius, piare, expiare, purefacere.

REGNA INVIA VIVIS) præter paucos, quos suprà recensuit.

Æneas mœsto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum, cæcosq; volutat
Euentus animo secum: cui fidus Achates
It comes, & paribus curis vestigia figit.
MVLTA INTER SESE VARIO SERMONE SEREBANT:
Quem socium exanimum vates, quod corpus humandum
Diceret. atq; illi Misenum in littore sicco,
Vt venere, vident indigna morte peremptum:
Misenum Aeoliden, QVO NON PRÆSTANTIOR ALTER
ÆRE CIERE VIROS, MARTEMQVE ACCENDERE CANTV.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat, & hasta.
Postquam illum victor vita spoliauit Achilles,
Dardanio Æneæ sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora sequutus.
Sed tum fortè, caua dum personat æquora concha,
Demens, & cantu vocat in certamina diuos,
Æmulus exceptum Triton (SI CREDERE DIGNVM EST)
Inter saxa virum spumosa immerserat vnda.

MOESTO DEFIX. LVM. VVLTV) Defixa habens lumina, humi puta, quod mœrentis animi argumentum D est. Iuuenalis. Sat. 4.

Deprendas animi tormenta latentis in ægro

Corpore, deprendas & gaudia: sumis vtrumq, Inde habitum facies.

CÆCOS EVENTVS) cæcos, quia quem perdidisset, necdum sciebat.

PARIBVS CVRIS) pari sollicitudine, & mœrore, συμπάσχων.

VARIO SERMONE SEREBANT) Σπερμολογία, & σπείρειν λόγους græcè. Hinc propriè dictus est sermo, qui inter duos seritur, & inter vtrumque agitur. Seruius.

MISENVM ÆOLIDEN) Eroten librarium Virgilij, & libertum, exactæq; iam senectutis tradunt referre solitum, quondam in recitãdo, cum duos dimidiatos versus hosce complesse ex tempore, *Misenum Aeoliden*: Et, *Aere ciere viros*: statimque sibi imperasse, vt vtrumq; volumini adscriberet. Donatus.

ÆRE CIERE VIROS) Æneatores generatim vocat Suetonius in Iulio, qui classicum canunt, siue id tuba, siue cornu faciant: neque enim tubam à cornu materia, sed forma distinguebat. Ouid. 1. Metamorph. *Nõ tuba directi, nõ æris cornua flexi, Non galea, non ensis erat.* Æneatores tamen Festo dicuntur propriè cornicines, qui cornu canunt. Hæc Torrentius in cap. 32. Adde ex Lipsio de Militia Rom. lib. 4. dial. 10. tubam, lituum, cornua, buccinam omnia hæc exære fuisse, & vniuersè æneatores appellatos, qui ijs canerent. Verba Suetonij, si quis desiderat, hæc sunt. Ad quem (arundine canentem) audiendum, cùm, præter pastores, plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interq; eos & æneatores, rapta ab vno tuba, prosiliuit ad flumen, & ingenti spiritu classicum exorsus, pertendit ad alteram ripam. Vtitur & Ammianus hac voce. Aenatorum accentu signo dato progrediendi ad pugnam.

Ex eo quod æneatores isti alios ad pugnandum concitant, cùm ipsi non pugnent, apologũ excogitauit non inulsum Æsopus, quo docemur, multo esse nocentiores, ac sceleratores, qui potentes ad malefaciendũ incitant, quam priuatos homines, qui alijs dant malũ. Tubicen prælio peracto captus ab hostibus, cùm ad necem raperetur, orabat, vt se vita donarent: quippe qui neminem occidisset, ac præter æs illud nihil possideret. Ideo, inquiunt illi, magis te iugulabimus, quia cùm ipse non pugnes, omnes alios ad pugnam exsuscitas. Hæc fabula etiam in seditiosos quosdam concionatores torquebitur: qui cùm præter linguam nihil habeant, tamen totas prouincias ad arma concitant.

ET LITVO PVG. INSIG. OB. ET HASTA) Quum sint multi, qui alios in furorem concitent belli, ipsi tamen pugnare aut nolint, aut non possint: laudatur Misenus, quia faciebat, quod per tubam alios hortabatur. Fuerat autem Hectoris commilito, cuius magnitudo si consideretur, intelligetur qualis etiam Misenus iste fuerit. Nullus enim cuiquam comes, aut amicus efficitur, nisi qui fuerit studiorum affectu non dispar. Laudatur item ex eo Misenus, quod nunquam ei societas, nisi cum præcipuis fuerit. Post mortem enim Hectoris, quem Achilles occidit, coniũxit se Æneæ, non inferiori virtute, vel factis. Donatus.

Horat. Odar. lib. 1. *Multos castra iuuant, & lituo tubæ Permistus sonitus.* Iuuenalis Sat. 14.

—— aut longos castrorum ferre labores
Si piget, & trepido soluunt tibi cornua ventrem,
Cum lituis audita.

Tuba pedites, equites verò lituo ad pugnam aduocari, sæpe notatum est. Translatè dixit M. Tullius, lituum profectionis, pro impulsore, ad Attic. lib. 11. Q. F. lituum meæ profectionis fuisse, &c. Lituus, inquit Festus, appellatus est, quod litis sit testis. Est enim genus buccinæ incuruæ, quo qui cecinerit, liticen dicitur. Ennius, *Inde loci lituus sonitus effundit acutos.*

POSTQ. ILLVM. V. V. SPOL. ACHIL.) vt describitur Iliad. 22. Post mortem Hectoris secutus fuit arma Æneæ, qui ab Hectore secundus planè, immo alter Hector. Laudes Miseni huc spectant, vt obliquè indicet, in bello multa vana geri, & inanem gloriam, atque iactantiam plerosq; mortales plus quam veram virtutem sectari. Montfortius.

FORTE CAVA DVM. P. ÆQVORA CONCHA) Homeri interpres scribit, ante inuentam à Tyrrhenis tubam, priscos eius loco concha solitos vti: ex ea consuetudine, concham Maro pro tuba posuit hoc versu, Turneb. lib. 38. c. 44. Vocem *personat*, agendi significatu posuit etiam infrà, *latratu regna trifauci Personat.* Sic Horat. lib. 1. epist. 1. *Est mihi purgatam crebrò qui personat aurem.* Alioqui personare propriè, & vsitate, est sonitum acceptum reddere, vel sonitu compleri. Hor. Ode 17. lib. 1.

Vtcunq; dulci Tyndari fistula
Valles, & Vsticæ cubantis
Leuia personuere saxa.

Et l. 2. Sat. 6. *simul domus alta molossis Personuit canibus.*

ÆMVLVS TRITON) Æmulus, est inuidus. Virgil. lib. 5. *æmula nec dum Temporibus geminis canebat sparsa senectus.* Sic isto loco. Æmulus aliquãdo est sectator, vel imitator. Cic. pro Marcello. illo æmulo, atque imitatore studiorum meorum. Virgil. lib. 10. *Spemq; meam, patriæq; quæ nunc subit æmula laudi.* Sallust. Histor. lib. 3. Sed Pompeius à prima adolescentia, sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi, facta, consultaq; eius quidem æmulatus erat. Nonius.

EXCEPTVM) Excipere, est opprimere, vel circumuenire. Lib. 3. Æneid. *& scelerum furiis agitatus Orestes Excipit incautum, patriasq; obtruncat ad aras.* Eclog. 3. *Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum Excipere insidiis?* Vide quæ vtrobique annotauimus.

Exceptum dixit, vt feram venabulo (est enim verbum venatorium) quæ dum feritate sua plurimùm se posse arbitratur, sic incauta ruit in ferrum, & pœnam suæ temeritatis expendit. Ostendit autem poeta (his verbis, *si credere dignum est*) se dubitare, vtrum homo tantæ extiterit audaciæ, qui deos in certamen prouocaret. Donatus. * *Prouocauit Marsyas Satyrus cantu tibia Apollinem à quo victus, & excoriatus est. Metam. lib. 6. Addit Diodorus lib. 5. pœnituisse crudelitatis huius. Quamobrem ruptis cithara fidibus, aliquandiu cantu musico abstinuisse. Prouocarunt Pieri filiæ Musas a quibus superatæ, & in picas transformatæ sunt, Metamorph. lib. 5. His, similibusq; commentis monemur sapienter, ne cum dijs pugnemus, id est, vt nos ipsos noscamus. & maiora viribus ne tentemus, quod non sit sine magna mercede stultitia.*

Ergo omnes magno circum clamore fremebant,
Præcipuè pius Æneas. tum iussa Sibyllæ,
Haud mora, festinant flentes, aramq; sepulcri
Congerere arboribus, cæloq; educere certant.
Itur in antiquam syluam, stabula alta ferarum.

Procum-

Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex,
Fraxineæq; trabes, cuneis & fissile robur
Scinditur: aduoluunt ingentes montibus ornos.
NEC NON ÆNEAS OPERA INTER TALIA PRIMVS
HORTATVR SOCIOS, PARIBVSQVE ACCINGITVR ARMIS.
Atq; hæc ipse suo tristi cum corde volutat,
Aspectans syluam immensam, & sic ore precatur.
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto, quando omnia verè
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.

MAGNO CLAMORE FREMEB.) dolore, fletu, & lamentatione. A

PRÆCIP. PIVS ÆNEAS) Æneas vt prim⁹ est inter Troianos, sic ei præcipua erga alios tribuitur pietas. Vnde & in 1. Æneid. de illo. *Præcipuè pius Æneas nunc acris Oronti, Nunc Amyci casum gemit.* Nascimb.

IVSSA SIBYLL. FESTINANT) Festinare verbum agendi hoc loco, vt lib. 4.

——deus æthere missus ab alto
Festinare fugam, tortosq; incidere funes
Ecce iterum stimulat.

Sic vsurpatum *propere*, lib. 9. *an sese medios moriturus in hostes Inferat, & pulcram properet per vulnera mortem.* Festinant ergo, festinanter exequuntur. B

ARAMQVE SEPVLCRI CONGERERE ARBOR.) Non solùm secundùm ipsa sepulcra, sed in ipsis sepulcris aras antiqui statuebant, in quibus DD. manibus sacra opportune fierent. German. * *Aram sepulcri congerere arboribus, nihil vult aliud, quàm pyram congestis arboribus struere, ad corpus Miseni ibidem tanquam in ara comburendum. Et quia hæc quoddam genus sepulturæ erat (etsi postea conderentur cineres) vocat aram sepulchri ipsam pyram.*

PROCVMB. PICEÆ, SON. ICTA. S. ILEX) Locus ab Homero Iliad. ψ.

Οἱ δ' ἴσαν ὑλοτόμους πελέκεας ἐν χερσὶν ἔχοντες.
Ἀλλ' ὅτε δὴ κνημοὺς προσέβαν πολυπίδακος Ἴδης,
Αὐτίκ' ἄρα δρῦς ὑψικόμους ταναήκεϊ χαλκῷ
Τάμνον ἐπειγόμενοι. ταὶ δὲ μεγάλα κτυπέουσαι
Πῖπτον.

Quos versus imitatus est Ennius in 6. Annal.

Incedunt: arbusta præalta securibus cædunt:
Percellunt magnas quercus, excinditur ilex:
Fraxinus frangitur, atq; abies consternitur alta:
Pinus proceras peruertunt: omne sonabat
Arbustum fremitu syluai frondosai.

Piceæ procumbunt, quòd arbor illa pingui abundans resina, & pice, flammam facilè concipit, & reliquam pyræ materiam facilè succensura sit. Turneb. lib. 13. cap. 21.

Aduocemus locum vatis nostri geminum huic, ex lib. 11. vbi Troianorum, Latinorumq; corporibus cremandis similiter arbores cæduntur: D

Per syluas Teucri, mistiq; impune Latini.
Errauere iugis: ferro sonat icta bipenni
Fraxinus, euertunt actas ad sidera pinus,
Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.

Ibidem Silij imitationem lectori ante oculos statuimus. Obseruat & Statiũ 6. Thebaid. ad Archemori funus, sed longè copiosi⁹ hęc transtulisse Hieron. Columna. in 6. Annalem Ennij. Considera.

Hic labor abscissam Nemeen, vmbrosaq; Tempe
Præcipitare solo, lucesq; ostendere Phœbo.
Sternitur extemplò veteres incædua ferro
Sylua comas, largæ qua non opulentior vmbra
Argolicos inter, saltusq; educta Lycæos
Extulerat super astra caput.
Et deinde
——cadit ardua fagus,
Chaoniumq; nemus, brumaq; illæsa cupressus.
Procumbunt piceæ flammis alimenta supremis,
Ornique, iliceæq; trabes, metuendaq; succo
Taxus, & infandos belli potura cruores
Fraxinus, atq; situ non expugnabile robur.
Hinc audax abies, & odoro vulnere pinus
Scinditur, acclinant intonsa cacumina terræ
Alnus amica fretis, nec inhospita vitibus vlmus.
Dat gemitus tellus.

Tribus his vltimis verbis efficacius perstrinxit, quod Ennius pluribus, dum inquit, *omne sonabat Arbustum fremitu syluai frondosai.* Homerus verò ieiunius, *ταὶ δὲ μεγάλα κτυπέουσαι Πῖπτον.* Porrò Enniani versus aspero consonantium concursu, horridum arborum cadentiũ fragorem summo artificio imitantur.

ADVOLVVNT ORNOS) quod propter ingentium illarum arborum magnitudinem, & pondus, ad pyram voluentes trahere cogerentur, cùm ferre non possent. Et Georg. 3. *Aduoluere focis vlmos, igniq; dedere.*

ÆNEAS OP. INTER TAL. PRIMVS) Etiam magnis viris laudi dandum est, dum aut res, aut casus tulerit, si ad sordidam quoq; vilemq; operam conferendam descenderint. Alphonsum regem Neapolitanum ab equo descendere, in viam cœnosam inferre sese non puduit, vt rustici, atq; imbecilli senis prolapsum sub onere asellum cauda subleuaret. Carolus Princeps Nauarræ, etiã infimis, ac sordidis homuncionibus opem ferre non recusabat, cùm ipse morbi cuiusdam abditi medicamenta teneret. Iouian. de Beneficentia. C

Videas laudari duces, atque imperatores, qui sese militibus nonnunquam, suæ dignitatis velut immemores, ferendis laboribus, atque oneribus, alijsque rebus vilibus obeundis, ac patiendis exæquantes, eorum sibi studia vehementius conciliant. De Agesilao Xenophon libello, quo vno, vt affirmat ad Lucceium M. Tullius, in eo rege laudando facile omnes imagines omnium, statuasque superauit. Harum autem rerum portionem maiorem accipere eum haud pudebat: in æstate quidem solis, in hyeme verò frigoris. Quod si quando nimio labore exercitum defatigari contingeret, laborabat vltra & ipse præter cæteros, putans omnia talia leuamenta esse militibus. D

De Antonino Seueri filio hæc in historiam suã retulit Herod. lib. 4. Ipse nullum non militiæ munus promptè obire: & siue quid fodiendum foret, primus fodere: siue

siue pons flumini imponendus, aut extruendus agger, siue quod opus manuum faciendum, aut labor subeundus, primus omnia occupare, tenuiq; mensa, ac ligneolis poculis, vasisque esculentorum contentus esse, panemque etiam temerè factum comesse; quippe tritico, quantum satis vni foret, sua manu molito, massaq; inde facta, atque in carbonibus decocta, vesci solitus, omnia denique elegantiora aspernari, & vilissimis quibusq;, ac vel pauperrimo, gregarioque milite facillimis vti. Tum commilitonem quam Principem appellari se malle, ac plerunque iter facere perinde atque ipsi, pedibus ambulans, raroque vehiculum conscendere, aut equum: sibi ipsi portare arma: nonnunquam etiam signa militaria longissima, & aureis ornamentis prægrauia, ac ne robustissimis quidem militibus facilia, ipse humeris subire. Ob hęc igitur, aliaq; huiuscemodi, vt hominē militarem diligere eum suus exercitus, & vt virum fortem admirari: quippe instar miraculi videbatur, tantulæ hominem staturæ, tantis laboribus esse parem. B

Sueton. de Germanico in Caligula, cap. 3. Cæsorum clade Variana veteres, ac dispersas reliquias vno tumulo humaturus, colligere sua manu, & comportare aggressus est. Traianus Aug. semper pedibus cum exercitu iter faciebat, pedibus, vt illi, flumina transibat. Traditum à Xiphilino, eademq; ab eodem de Adriano. Marium Romanum ducem, præterquam quod de fragilitate, & tolerantia cum gregarijs militibus certaret, etiam in fossis, aggeribusque ducendis operam communem pręstitisse refert in eius vita Plutarchus. Herodian. in Anton. Car. Quippe gratissimum est Romanis spectaculum, si in victu eodem dux, ac miles pane vescatur, vel humili in toro quietem capiat, vel ducendæ fossæ, & vallo iaciendo vnà cum militibus manum admoueat. Siquidem non perinde Imperatores qui honores, & pecuniam largiuntur eis, vt laboris, & periculi socios venerantur. Immo maiore amore prosequuntur consortes laboris, quam ipsorum ignauiæ indulgentes. Locus elegantiss. extat apud Claudian. Paneg. in 4. consulat. Honorij, vbi inducitur Theodosius inter alia hæc A præcipere filio adhuc impuberi.

Non tibi regificis tentoria larga redundent
Deliciis, neue imbelles ad signa ministros
Luxuries armata trahat: non flantibus Austris
Non fluuiis cedas: non defensura calorem
Aurea summoueant rapidos vmbracula soles,
Inuentis vtare cibis: solabere partes
Æquali sudore tuas. si collis iniquus,
Primus ini: syluam si cadere prouocat vsus,
Ne pudeat sumpta quercum strauisse bipenni:
Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet sonipes. fluuios tu protere curru
Hærentes glacie: liquidos tu scinde natatu.
Nunc eques in medias equitum te confere turmas:
Nunc pedes assistas pediti: tum promptius ibunt
Te socio: tum conspicuus, grauiusq; feretur
Sub te teste labor.

HÆC IPSE SVO. T. CVM COR. VOLVT.) quæ sequuntur, cogitat apud animum suum. Locus præbet occasionem ita reputandi. Docuerat eum paulo ante Sibylla, latere in arbore ramum frondenti metallo. Itaq; aspectu syluæ, dum pio officio incumbit, memor monitorum, optat nūc illum sibi obuiam dari. Ex casu Miseni colligit, nihil vani habere oraculū de ramo. Montfortius.

C SI NVNC SE NOBIS) Si, particula est optantis, more Græcorum, qui εἴθε, & αἴθε dicunt, ἀντὶ τῦ ὄφελον, vtinam. Persius Sat. 1. *Ah si fas dicere, sed fas.* Et Sat. 2.

——— ô si
Ebullet patrui præclarum funus, & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule.

Quin & ô solum optantis est. Lib. 5. *nec vincere certo, (Quanquam ô) sed vincant quibus hoc Neptune dedisti.* O si, verò optantis, & precantis est. Lib. 8. *O mihi præteritos referat si Iupiter annos.* Et Horat. Sat. 6. lib. 2. *ô si angulus ille Proximus accedat, qui nunc deformat agellū, O si vrnam argenti fors quæ mihi monstret, &c.*

Vix ea fatus erat, geminæ quum forte columbæ
Ipsa sub ora viri cælo venere volantes,
Et viridi sedere solo, tum maximus heros
Maternas agnoscit aues, lætusq; precatur:
Este duces, ô si qua via est, cursumq; per auras
Dirigite in lucos, vbi pinguem diues opacat
Ramus humum: tuq; ô dubijs ne defice rebus
Diua parens. sic effatus, vestigia pressit,
Obseruans quæ signa ferant, quò tendere pergant:
Pascentes illæ tantùm prodire volando,
Quantum acie possent oculi seruare sequentum.
Inde vbi venêre ad fauces graueolentis Auerni
Tollunt se celeres, liquidumq; per aera lapsæ,
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,
Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet syluis brumali frigore viscum
Fronde virere noua, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circundare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca

Ilice: sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit extemplò Æneas, auidusq; refringit
Cunctantem, & vatis portat sub tecta Sibyllæ.

GEMIN. CVM FORTE COLVM.) Auguria aut A oblatiua sunt, quæ nō poscuntur, aut impetratiua, quæ optata veniunt. Hoc ergo quia oblatiuum est, ideo dixit *forte*. Bene autem à columbis Æneæ datur augurium, & Veneris filio, cui propter fœtum frequentem, & coitum sunt consecratæ, & regi: nam ad reges pertinet columbarum augurium: quia nunquam solæ sunt, sicut nec reges quidē. Ita Seruius. Confirmat Pierius Hieroglyph. lib. 22. Annumerantur, inquit, columbæ inter eos alites, qui regibus auspicia faciunt. Hinc Maroniano Æneę columbæ geminæ à matre in auspicium missæ. Et Cæsari inde originem trahenti prospero fuere ostento, cùm palmam eam nidis frequentare cœpissent, quam ipse castris locum capiens, inter syluas, B quas cædebat, repertam conseruari, vt omen victoriæ iusserat. Ea enim de caussa mirum, & inusitatum videbatur, quod id auium genus duram, & asperam frondem studiose solet euitare. Vide cætera ibid. de Diadumeno, & Seuero Impp.

IPSA SVB ORA VIRI) ne si longius volarent, non ad eum pertinere viderentur. Nam moris erat, vt captantes auguria, certa sibi spatia designarent, quibus volebant videnda ad se pertinere: quod spatium totum, templum appellatur, & extremæ partes antica, & postica vocabantur. Seruius. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

MATERNAS AG. AVES) maternas aues, à matre missas. Et alioqui columbas Veneri sacras esse non ignoras. caussam paulò ante indicauimus. Sequitur petitoria oratio breuis, vti se ad ramum aureum deducant: simul etiam matris auxilium implorat in re dubia, & difficili. ✤

Quod finxit Æneæ optanti auxilij aliquid, vt ad aureum illum ramum perueniret, idq; à dijs immortalib' votis petenti, apparuisse geminas columbas volantes, quæ locum ostenderent, Apollonius quoq; in 3. Argonaut. canit, aspectu eius auis iussos ab augure Mopso heroas illos bene sperare: demonstratumque illis esse, respondere id signum prædictioni Phinei, qui affirmarat, reditum illorum è periculosa illa expeditione positum esse in voluntate Veneris: ipsius namque deæ sacras esse illas aues, quod his etiam verbis poeta maximus testatus est. Interpres etiam Græci poetæ testimonium Apollodori citat, è libro περὶ θεῶν, tradentis, dicatam esse Veneri columbam, quod libidinosa inprimis sit auis, vnde quoque ipsi nomen impositum sit in græco sermone, à copioso coitu: & (vt loquitur) παρὰ τὸ πλειστοῦς ἐρᾶν. Victor. lib. 3. cap. 14.

Explicans quæ sint animæ alæ apud Platonē Rhodigin. lib. 17. cap. 15. inter cætera inquit. Aut planius, animæ alas contemplatiuam intelligamus virtutem, atque item moralem, quas veritatis, diuinarumque rerum cōtemplatione, ac intuitu reciperet, quemadmo- E dum terrenarum appetitione, atque caligine amiserat. Porrò apud optimum maximū poetam columbas geminas ad aureum ramum inueniendum duces, non aliud quam hasce alas esse contenderim, quibus connitentibus, erigitur mens ad sapientiam, quia amor diuinorum eximius alis præstat alimenta, quibus surrigimur, mox & in Deum transimus. Quam rem illa significant:

Tollunt se celeres, liquidumq; per aera lapsæ
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt.

DVBIIS NE DEF. REB. DIVA PAR.) Hoc deo vnusquisque nostrum dicere meminerit, cùm in rebus arduis, difficilibus, perplexis, periculosis versatur. Illo quippe præsente, adiuuanteque, nihil non expeditum atque facile: contra, eodem auxilium negante, omnia durissima, ac difficillima futura sunt. Quàm sint miseri, qui à deo destituuntur, per similitudines aliquot Philo demonstrat, lib. Quod deterius potiori insidietur. Si nauim mari iactatam gubernator deserat, an non necesse est eam aberrare? si quadrigas auriga in Circensibus, an non necessum est eas turbatas ferri cursu deuio? Si ciuitas destituatur magistratibus, aut legibus, nonne illa ciuitas malis opprimetur maximis? Natura comparatum est, corpus absente anima, animam absente ratione, rationem destitutam virtute interire funditus. Quod si hæc singula rebus suis destituta nocent tantopere, quantam miseriam in à deo destitutis agnoscimus? quos ille auersatus, tanquam desertores ordinis, exterminauit procul à sanctissimis suis legibus, indignos sua prouidentia habitos.

VESTIGIA PRESSIT OBSERVANS) His dictis, Æneas continuit gradum, quonam volarent, tanquam augurium captaret, obseruans. Et alioqui seruare de cælo dicuntur augures. Columbæ, qui mos est C auium ferè, pascendo porrò volabant, seu vicissim pascendo, volandoq; prodibant, quousque oculi intuentium sequerentur. *Oculi sequentûm*, qui oculis sequuntur. Similia lib. 1. annotauimus, ibi, *Prospectum latè, pelago petit*. Adde ex Varrone lib. 6. de ling. lat. ex Andromacha Ennij: *Acherusia templa alta Orci saluete infera Quaqua intuemur oculis.* ✤

AD FAVCES GRAVEOLENTIS AVERNI) exhalat enim aqua sulphurea tetrum odorem, vt aerem ea suffumigatione inficiat. De hoc lacu infrà dicetur.

DISCOLOR VNDE AVRI PER RAMOS) Discolor, quia ex viridi arbore alius color refulsit. Auram auri pro splendore dixit. Horat. pro oris nitore, venusta- D te, elegantia. Vterq; metaphoricè. Ode 8. lib. 2.

Te suis matres metuunt iuuencis:
Te senes parci, miseræq; nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

Quin & aurum dicitur à splendore, qui est in eo metallo. Hinc & aurarij dicti, quorum fauor splendidos reddit.

Manilius de ariete aureo. *testis sibi laniger ipse, Cùm vitreum fundens aurauit vellere pontum.* Illud *aurauit*, quæ audax verbi fictio videtur esse, cùm taurum inaurare, deaurare, aliaq; consimilia rectè dicantur, in vetere quodam libro extare testor. Paulo diuersius Virgilius, neq; tamen minus audaciter. *Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.* Lud. Carrio lib. 1. cap. 20.

BRVMALI FRIGORE VISCVM) id est, brumali tempore, tunc enim maturum est viscum, & auri imitatur colorem: nam noua fronde viret. Nascitur autem de fimo palumbium, & turdorum in certis arboribus. Plin. lib. 16. cap. 44. Satum viscum nullo modo nascitur, nullamque propriam sedem habet, sed in aliena viuit. Oritur maxime in quercu, robore, ilice, pruno syl-

siue pons flumini imponendus, aut extruendus agger, siue quod opus manuum faciendum, aut labor suscipiendus, primus omnia occupare, tenuiq; mensa, ac ligneolis poculis, vasisque esculentorum contentus esse, panemque etiam temere factum comesse; quippe tritico, quantum satis vni foret, sua manu molito, massaq; inde facta, atque in carbonibus decocta, vesci solitus, omnia denique elegantiora aspernari, & vilissimis quibusq;, ac vel pauperrimo, gregarioque milite facillimis vti. Tum commilitonem quam Principem appellari se malle, ac plerunque iter facere perinde atque ipsi, pedibus ambulans, raroque vehiculum conscendere, aut equum: sibi ipsi portare arma: nonnunquam etiam signa militaria longissima, & aureis ornamentis pregrauia, ac ne robustissimis quidem militibus facilia, ipse humeris subire. Ob hęc igitur, aliaq; huiuscemodi, vt hominé militarem diligere eum suus exercitus, & vt virum fortem admirari: quippe instar miraculi videbatur, tantulæ hominem staturæ, tantis laboribus esse parem.

Sueton. de Germanico in Caligula, cap. 3. Cæsorum clade Variana veteres, ac dispersas reliquias vno tumulo humaturus, colligere sua manu, & comportare aggressus est. Traianus Aug. semper pedibus cum exercitu iter faciebat, pedibus, vt illi, flumina transibat. Traditum à Xiphilino, eademq; ab eodem de Adriano. Marium Romanum ducem, præterquam quod de fragilitate, & tolerantia cum gregarijs militibus certaret, etiam in fossis, aggeribusque ducendis operam communem prȩstitisse refert in eius vita Plutarchus. Herodian. in Anton. Car. Quippe gratissimum est Romanis spectaculum, si in victu eodem dux, ac miles pane vescatur, vel humili in toro quietem capiat, vel ducendæ fossæ, & vallo iaciendo vnà cum militibus manum admoueat. Siquidem non perinde Imperatores qui honores, & pecuniam largiuntur eis, vt laboris, & periculi socios venerantur. Immo maiore amore prosequuntur consortes laboris, quam ipsorum ignauiæ indulgentes. Locus elegantiss. extat apud Claudian. Paneg. in 4. consulat. Honorij, vbi inducitur Theodosius inter alia hæc A præcipere filio adhuc impuberi.

Non tibi regificis tentoria larga redundent
Delicijs, nec imbelles ad signa ministros
Luxuries armata trahat: non flantibus Austris
Nec fluuijs cedas: non defensura calorem
Aurea summoueant rapidos vmbracula soles,
Inuentis vtare cibis: solabere partes
Æquali sudore tuas. si collis iniquus,
Primus ini: syluam si cadere prouocat vsus,
Ne pudeat sumpta quercum strauisse bipenni:
Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet sonipes. fluuios tu protere currus
Hærentes glacie: liquidos tu scinde natatu.
B *Nunc eques in medias equitum te consere turmas:*
Nunc pedes assistas pediti: tum promptius ibunt
Te socio: tum conspicuus, gratusq; feretur
Sub te teste labor.

HÆC IPSE SVO. T. CVM COR. VOLVT.) quæ sequuntur, cogitat apud animum suum. Locus præbet occasionem ita reputandi. Docuerat eum paulo ante Sibylla, latere in arbore ramum frondenti metallo. Itaq; aspectu syluæ, dum pio officio incumbit, memor monitorum, optat nũc illum sibi obuiam dari. Ex casu Miseni colligit, nihil vani habere oraculũ de ramo. Montfortius.

SI NVNC SE NOBIS) Si, particula est optantis, more C Græcorum, qui εἴθε, & αἴθε dicunt, ἀντὶ τοῦ ὄφελον, vtinam. Persius Sat. 1. *Ah si fas dicere, sed fas.* Et Sat. 2.

——— ô si
Ebulliat patrui præclarum funus, & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule.

Quin & ô solum optantis est. Lib. 5. *nec vincere certo, (Quanquam ô) sed vincant quibus hoc Neptune dedisti.* O si, verò optantis, & precantis est. Lib. 8. *O mihi præteritos referat si Iupiter annos.* Et Horat. Sat. 6. lib. 2. *ô si angulus ille Proximus accedat, qui nunc deformat agellũ, O si vrnam argenti fors quæ mihi monstret,* &c.

Vix ea fatus erat, geminæ quum forte columbæ
Ipsa sub ora viri cælo venere volantes,
Et viridi sedere solo, tum maximus heros
Maternas agnoscit aues, lætusq; precatur:
Este duces, ô si qua via est, cursumq; per auras
Dirigite in lucos, vbi pinguem diues opacat
Ramus humum: tuq; ô dubijs ne deficę rebus
Diua parens. sic effatus, vestigia pressit,
Obseruans quæ signa ferant, quò tendere pergant:
Pascentes illæ tantùm prodire volando,
Quantum acie possent oculi seruare sequentum.
Inde vbi venêre ad fauces graueolentis Auerni
Tollunt se celeres, liquidumq; per aera lapsæ,
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,
Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet syluis brumali frigore viscum
Fronde virere noua, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circundare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca

Ilice: sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit extemplò Æneas, auidusq; refringit
Cunctantem, & vatis portat sub tecta Sibyllæ.

GEMIN. CVM FORTE COLVM.) Auguria aut A oblatiua sunt, quæ nō poscuntur, aut impetratiua, quæ optata veniunt. Hoc ergo quia oblatiuum est, ideo dixit *forte*. Bene autem à columbis Æneæ datur augurium, & Veneris filio, cui propter fœtum frequentem, & coitum sunt consecratæ, & regi: nam ad reges pertinet columbarum augurium: quia nunquam solæ sunt, sicut nec reges quidē. Ita Seruius. Confirmat Pierius Hieroglyph. lib. 22. Annumerantur, inquit, columbæ inter eos alites, qui regibus auspicia faciunt. Hinc Maroniano Æneę columbæ geminæ à matre in auspicium missæ. Et Cæsari inde originem trahenti prospero fuere ostento, cùm palmam eam nidis frequentare cœpissent, quam ipse castris locum capiens, inter syluas, B quas cædebat, repertam conseruari, vt omen victoriæ iusserat. Ea enim de caussa mirum, & inusitatum videbatur, quod id auium genus duram, & asperam frondem studiose solet euitare. Vide cætera ibid. de Diadumeno, & Seuero Impp.

IPSA SVB ORA VIRI) ne si longius volarent, non ad eum pertinere viderentur. Nam moris erat, vt captantes auguria, certa sibi spatia designarent, quibus volebant videnda ad se pertinere: quod spatium totum, templum appellatur, & extremæ partes antica, & postica vocabantur. Seruius. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

MATERNAS AG. AVES) maternas aues, à matre missas. Et alioqui columbas Veneri sacras esse non C ignoras. caussam paulò ante indicauimus. Sequitur petitoria oratio breuis, vti se ad ramum aureum deducant: simul etiam matris auxilium implorat in re dubia, & difficili.

Quod finxit Æneæ optanti auxilij aliquid, vt ad aureum illum ramum perueniret, idq; a dijs immortalib⁹ vota petenti, apparuisse geminas columbas volantes, quæ locum ostenderent, Apollonius quoq; in 3. Argonaut. canit, aspectu eius auis iussos ab augure Mopso heroas illos bene sperare: demonstratumque illis esse, respondere id signum prædictioni Phinei, qui affirmarat, reditum illorum è periculosa illa expeditione po- D situm esse in voluntate Veneris: ipsius namque deæ sacras esse illas aues, quod his etiam verbis poeta maximus testatus est. Interpres etiam Græci poetæ testimonium Apollodori citat, è libro περὶ θεῶν, tradentis, dicatam esse Veneri columbam, quod libidinosa inprimis sit auis, vnde quoque ipsi nomen impositum sit in græco sermone, à copioso coitu: & (vt loquitur) παρὰ τὸ πολλάκις ἐρᾶν. Victor. lib. 3. cap. 14.

Explicans quæ sint animæ alæ apud Platonē Rhodigin. lib. 17. cap. 15. inter cætera inquit. Aut planius, animæ alas contemplatiuam intelligamus virtutem, atque item moralem, quas veritatis, diuinarumque rerum cōtemplatione, ac intuitu reciperet, quemadmo- E dum terrenarum appetitione, atque caligine amiserat. Porrò apud optimum maximū poetam columbas geminas ad aureum ramum inueniendum duces, non aliud quam hasce alas esse contenderim, quibus connitentibus, erigitur mens ad sapientiam, quia amor diuinorum eximius alis præstat alimenta, quibus surrigimur, mox & in Deum transimus. Quam rem illa significant:

Tollunt se celeres, liquidumq; per aera lapsæ
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt.

DVBIIS NE DEF. REB. DIVA PAR.) Hoc deo vnusquisque nostrum dicere meminerit, cùm in rebus arduis, difficilibus, perplexis, periculosis versatur. Illo quippe præsente, adiuuanteque, nihil non expeditum atque facile: contra, eodem auxilium negante, omnia durissima, ac difficillima futura sunt. Quàm sint miseri, qui à deo destituuntur, per similitudines aliquot Philo demonstrat, lib. Quod deterius potiori insidietur. Si nauim mari iactatam gubernator deserat, an non necesse est eam aberrare? si quadrigas auriga in Circensibus, an non necessum est eas turbatas ferri cursu deuio? Si ciuitas destituatur magistratibus, aut legibus, nonne illa ciuitas malis opprimetur maximis? Natura comparatum est, corpus absente anima, animam absente ratione, rationem destitutam virtute interire funditus. Quod si hæc singula rebus suis destituta nocent tantopere, quantam miseriam in à deo destitutis agnoscimus? quos ille auersatus, tanquam desertores ordinis, exterminauit procul à sanctissimis suis legibus, indignos sua prouidentia habitos.

VESTIGIA PRESSIT OBSERVANS) His dictis, Æneas continuit gradum, quonam volarent, tanquam augurium captaret, obseruans. Et alioqui seruare de cælo dicuntur augures. Columbæ, qui mos est auium ferè, pascendo porrò volabant, seu vicissim pascendo, volandoq; prodibant, quousque oculi intuentium sequerentur. *Oculi sequentūm*, qui oculis sequuntur. Similia lib. 1. annotauimus, ibi, *Prospectum latè, pelago petit*. Adde ex Varrone lib. 6. de ling. lat. ex Andromacha Ennij: *Acherusia templa alta Orci saluete infera Quaqua intuemur oculis*.

AD FAVCES GRAVEOLENTIS AVERNI) exhalat enim aqua sulphurea tetrum odorem, vt aerem ea suffumigatione inficiat. De hoc lacu infrà dicetur.

DISCOLOR VNDE AVRI PER RAMOS) Discolor, quia ex viridi arbore alius color refulsit. Auram auri pro splendore dixit. Horat. pro oris nitore, venustate, elegantia. Vterq; metaphoricè. Ode 8. lib. 2.

Te suis matres metuunt iuuencis:
Te senes parci, miseræq; nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

Quin & aurum dicitur à splendore, qui est in eo metallo. Hinc & aurarij dicti, quorum fauor splendidos reddit.

Manilius de ariete aureo. *testis sibi laniger ipse, Cùm vitreum findens aurauit vellere pontum.* Illud *aurauit*, quæ audax verbi fictio videtur esse, cùm taurum inaurare, deaurare, aliaq; consimilia rectè dicantur, in vetere quodam libro extare testor. Paulo diuersius Virgilius, neq; tamen minus audaciter. *Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.* Lud. Carrio lib. 1. cap. 20.

BRVMALI FRIGORE VISCVM) id est, brumali tempore, tunc enim maturum est viscum, & auri imitatur colorem: nam noua fronde viret. Nascitur autem de fimo palumbium, & turdorum in certis arboribus. Plin. lib. 16. cap. 44. Satum viscum nullo modo nascitur, nullamque propriam sedem habet, sed in aliena viuit. Oritur maxime in quercu, robore, ilice, pruno syl-

no syluestri, ac terebintho: cuius truncos instar hederæ circundans, vsu temporis arborem ipsam enecat. A Patet igitur ex his, quid sit, quod ait poeta, *quod non sua seminat arbos.*

TERRESTRES TRVNCOS) Teres est rotundum cum proceritate. Eclog. 8. *Incumbens tereti Damon, sic cœpit, oliuæ.*

FROND. OPACA ILICE) Ilicem vnam optauit poeta, cui decus aurei rami tribueret, non è frugiferis aliquam, quod sui gratia, non præmij, virtus sit expetenda. Magnum enim sibi abundè præmium est virtus: quæ caussa fecit, vt ex coronis, quas honoris caussa dedit antiquitas, nulla æstimatione censeretur; &c. Calcagnin. lib. 1. epistolicar. quæst. ep. 2.

LENI CREP. BRACTEA VENTO) Bractea tenuissima lamina, ἀπὸ τοῦ βρέχειν, quod ex ἠχεῖν, à crepitando. Isid. lib. 16. Crepitabat tanquam bractea. Nam eius folia ea subtilitate natura produxerat, vt aura spirante, quasi bractea crepitarent. Nascimb.

CORRIPIT EXTEMPLO, AVIDVSQVE REF.) Et verbum *extemplo*, & adiectiuum *auidus*, expressius Æneæ cupiditatem auellendi rami declarat, quæ tanta erat, vt quamuis facilè sequerêtur defringentis manum, tamen illi cunctari videretur. Ita locus exponendus est, ne coarguatur mendacij Sibylla: dixerat enim suprà, *namq; ipse volens, faciliśq; sequetur Si te fata vocant.* Inuentum itaque mox ad Sibyllam defert, quid enim in sylua diutius moraretur? ☙

Nec minus interea Misenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.
Principiò pinguem tædis, & robore secto
Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt: decorantq; super fulgentibus armis.
Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpusq; lauant frigentis, & vngunt.
Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt:
Purpureasq; super vestes, velamina nota,
Conijciunt. pars ingenti subiere pheretro
Triste ministerium, & subiectam, more parentum,
Auersi tenuêre facem. congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres oliuo.

CINERI INGRATO SVPREM. FEREB.) Cinis B ingratus est, gratiam non sentiens. Sic & in Copa. *Quid cineri ingrato seruas beneolentia serta?* Sic Propertius ingratum somnum dixit, officia nō sentientem. *Omniaq; ingrato largibar munera somno.* Catull. quoque. *Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est.* German. * *Et noster, Æneid. 12.* quæcunque Latinæ Magnanimi Iouis ingratum ascendere cubile. *Non enim habuit gratiam Iunoni, quæ ibidem fidem vxoriam semper Ioui præstitisse videri vult, cum ipse pellicum complurium complexus quæsierit.*

FROND. AT. INTEX. LAT. ET FERAL. ANTE CVP.) Frondes atræ, sunt aptæ ad funera. Cupressus autem ideo ad funera adhibebatur, vel quod cæsa non repullulat: vel quod per eam funestata ostenditur domus: sicut lætam indicant frondes festæ. Varro tamen dicit, C pyras ideo cupresso circundari, propter grauem vstrinę nidorem, ne eo offendatur populi circumstantis corona: quæ tamdiu stabat, respondens fletibus præficæ, id est, planctuum principi, quandiu consumpto cadauere, & collectis cineribus, diceba nouissimum verbum, Ilicet, quod ire licet significat. Infrà, *dixitq; nouissima verba,* id est, ilicet. Hæc Seruius.

Morem hunc tangit quoq; Statius lib. 6. Thebaid.

Tristibus interea ramis, teneraq; cupresso
Damnatus flamma torus, & puerile pheretrum
Texitur.

Existimat Lambinus, potius initiò cadaueri adhiberi cœptam idcirco, vt corpus humanum ab animo D quoque iam derelictum, diutius seruaretur, ac maneret incorruptum. Vt autem Maro feralem hanc arborem, sic Horatius inuisam dixit.

— neque harum, quas colis, arborum
Te præter inuisas cupressos
Vlla breuem dominum sequetur.

Et Ode. 5. Epod. funebres.

Iubet sepulchris caprificos erutas,
Iubet cupressos funebres.

Virgil. lib. 3. Æneid. atram. *Stant manibus aræ, Cæruleis mœstæ vittis, atraq; cupresso.* Plinius præterea eam arborem Diti sacram esse scribit: & Seruius Proserpinæ dicatam esse notat.

DECORANTQVE SVPER FVLG. ARMIS) Fortium virorum, inquit Donatus, cum ipsis funeribus arma apud veteres consumebantur.

CORPVSQVE LAVANT FRIG. ET VNGVNT) Sumptum ex Iliad. 6.

Αὐτὰρ ἐπειδὴ ζέσσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ,
Καὶ τότε δὴ λοῦσάν τε καὶ ἤλειψαν λίπ' ἐλαίῳ, &c.

Turneb. lib. 28. cap. 44.

De lotione corporis exanimi, & vnctione Ennius, *postumq; tyranni Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.* Horatiani versus sunt ex Ode, qua εἰρωνευόμενος veniam à Canidia venefica petit.

Vnxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atq; canibus homicidam Hectorem
Postquam relictis mœnibus rex procidit
Heu peruicacis ad pedes Achillei.

Vbi, tametsi primo verbo veteres quidam libri habeant *luxere*, & eam scripturam Homerus confirmet, apud quem Iliad. ω. Hectorem lugent Hecuba, Andromacha, aliæq; mulieres deflent, & lamentantur, tamen lectio hæc *vnxere*, non est repudianda: cùm constet, vngi solita apud antiquos cadauera, vt diutius integra conser-

conseruarentur: eiusq; muneris muliebrem curationem fuisse, vt ex Ennio, & Horatio patet. Itaque & vrbanus scurra Martialis non inurbanum dictum ex eo duxit.

Qui non cœnat, & vngitur, Fabulle,
Hic verò mihi mortuus videtur.

Et quidam græcus epigrammatum scriptor ait, malle se viuum madere vnguentis, & vino, quam vtrumque seruare ad exequias tuas. Muret. lib. 3. cap. 19.

Plin. in naturali historia dicit, hanc esse caussam, vt mortui & calida abluantur, & per interualla conclamentur, quòd solet plerunque vitalis spiritus exclusus putari, & homines fallere. Denique refert, quendam superpositum pyræ, in ipsis ignibus erectum esse, nec potuisse liberari. Vnde & seruabantur cadauera octo diebus, & calida abluebantur, & post vltimam conclamationem comburebantur. Hæc ex Seruio.

Beroald. annotat. in Seruium, nusquam hoc à Plinio scriptum asseuerat. Ego vero me legere apud eundem commemini. lib. 7. c. 52. Auiola consularis in rogo reuixit: & quoniam subueniri non potuerat, prævalente *flamma* viuus crematus est. similis caussa in L. Lamia prætorio viro traditur.

Idem Seruius in illud 4. Æneid.

——— date, vulnera lymphis
Abluam, & extremo si quis super halitus errat,
Ore legam.

notat, lauare cadauera proximis cõcedi solitum. Vnde queritur mater Euryali lib. 9. *nec vulnera laui, Veste tegens.* Quare autem vngerentur etiam cadauera, Donatus rationem statuit hanc, vt celerius arderent.

Frigentis) id est, mortui. Sic frigus pro morte Horatio sat. 1. lib. 2. *& maiorum nequis amicus Frigore te feriat.* Lucret. lib. 4. *namque iaceres Æterno corpus perfusum frigore lethi.* Et lib. 3. *ne quisquam expergitus extat, Frigida quem semel est vitai pausa sequuta.* Vide & 12. Æneid. versu penult. *ast illi soluuntur frigore membra.* ✠

Pvrpvreasqve svp. vestes velamina) De vsu purpuræ in funetib⁹ meminit Suetonius in Cæsare, cap. 84. Intrà lectus eburneus, auro, & purpura stratus. Liuius lib. 34. Purpura viri vtemur, &c. nec id vt viui solum habeant tantum insigne: sed etiam vt crementur cum eo mortui. *Velamen, & velamenta*, poetæ præsertim crebrius dicunt pro vestibus, & velare pro vestire. 1. Æneid. *Et circum textum croceo velamen acantho.* Ouid. 2. Metamorph.

Parrhasis erubuit, cuncta velamina ponunt:
Vna moras quærit, dubitanti vestis adempta est.

Iustinus lib. 1. de Semiramide. Igitur brachia, & crura velamentis, caput tiara tegit. Et lib. 2. Priusquam aduersus calorem, vel frigus velamenta corporis inuenirentur. Suadeo legas totum cap. Alex. ab Alex. nempe 7. lib. 3. quod est de apparatu, & cærimonijs, & pompa funerum: vbi multa ex hoc ipso libro, & Seruio interprete posita. ✠

Pars ingenti svbiere pheretro) Quod Virgilius pheretrum vocat, Sueton. lectum in Iulio, Tacitus lib. 2. Annal. torum, Propert. vtroque vsus est eleg. 13. lib. 2.

Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

Torrent. in Sueton. Alludere videtur, inquit Germ. ad Romanorum in clarorum virorum funeratione cõsuetudinem, quæ inoleuerat, vt etiam pheretrum imperatorij honoris, humeris subiretur primi nominis militum, atque adeo equestris, & patriciæ dignitatis.

A Græcum autem esse pheretrum, & latinos dicere capulum, monet Seruius. Et Nonius, capulus, seu capulum à capiendo dictum ait. Nam sarcophagum, id est, sepulchrum veteres capulum dici voluerunt, quod corpora capiat. Festus autem, capulum & manubrium gladij vocatur, & id quo mortui efferuntur, vtrumq; a capiendo dictum. Sanè à capulo fit capularis. Inde capularis senex, id est, Acherounticus, & τυμβογέρων.

Svbiectam aversi ten. facem.) Antiquorum sepultura fuit rogus, seu pyra, quod neminem fugit, qui vel primoribus labris gustauit litteras. Quem morem cur non seruarint Ægyptij, atque Persæ, indicat caussam Herodotus Thalia, siue libro 3. his verbis.

B Cambyses, simulatq; in ædes Amasis ingressus est, imperauit eius cadauer è conditorio afferri: deinde prolatum verberibus cædi, ac vellicari, & stimulis pungi, omni deniq; modo vexari. Quod facientes, postquam defatigati erant (nam cadauer, vtpote salitum, resistebat, nec quidquam omnino elidebatur) iussit cremari, haudquaquam saniora iubens: quia Persæ deum ignem esse arbitrantur, & apud neutros moris est cremare cadauer hominis. Apud Ægyptios autem, quia persuasum habent, ignem animatam esse belluam, & omnia quæ nascuntur deuorare, & postquam deuorando fuerit expleta, vnà cum ipsa re emori. Non est verò consuetudo apud eos, hominem mortuum belluis tradendi, tum ob id, tum ne humatus deuoretur à vermibus.

C Hactenus Herodoti verba.

Cur autem auersi, face quam tenebant, propinqui pyram incendebant? Prisci, inquit Donatus, cum ignem rogis inferebant, non sub oculis suis, propter pellendum doloris argumentum, sed à tergo suo, vt dicitur, faces apponebant. Philoctetes in Hercule Oetæo, exponens quo pacto Hercules in rogo mortalitatem exuerit, de semet. *Tremente pinum dextera ardentẽ impuli.* Vbi hæc in Comment. Delrius. Moris fuit, vt qui defuncto maiori necessitudine deuincti essent, auersi rogo flammam inferrent, vel facem impellerent. Lucret. lib. 6. de consanguineis agens, *Subdebantq́ faces multo cum sanguine.*

D Meminere moris, de Valeriorum, & Fabriciorum funeribus agens Plutarchus in Problem. Rom. quæst. 79., & Dio, qui in Seueri funere filios eius scribit pyram accendisse. Denique Herodianus est auctor, in magnifica illa Imperatorum consecratione, principiò facem ab imperij successore tabernaculo admoueri solitam, mox à cæteris ignem subdi. Seneca, vt vidisti, Philoctetæ, hæredi, & successori armorum Herculis hoc munus tribuit.

Thvrea dona dap. fvso crat. olivo) Quæ hìc de thure, dapib⁹, oliuo adiungit Virgil. ea munera propriè inferiæ dicebantur. Qua de re elegans est locus Scæuolæ. I. C. L. vlt. de auro, argento, mundo

E legatis. Mulier quædam decedens, testamento ita scripserat. Funerari me arbitrio viri mei volo: & inferri mihi, quæcunq; sepulturæ meæ caussa feram ex ornamentis. Verba sunt testatricis, volenti sibi inferri ornamenta, quibus culta efferretur mortua, quemadmodum etiam vrendam vestem poetarum princeps noster in Miseni, Homerus in Patrocli funere ostendit. Vide Tiraquell. in Alexand. lib. 3. cap. 7. * *Differens de felicitate Arabiæ Plin. lib. 12. cap. 18. Beatam, inquit, illam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ dijs intellexerat genitum, adhibens vrendis defunctis. Periti rerum asseuerant, non ferre tantum annuo fetu, quantum Nero princeps nouissimo Poppææ suæ die concremauerit. Æstimentur postea toto orbe singulis annis tot funera, aceruatimq; congesta honore cadauerum, quæ dijs per singulas micas dantur. Nec minus propitij erant mola salsa supplicantibus, immo vero (vt palam est) placatiores. Porrò dona cum ad odorem,*

rem, tum ad gustum pertinentia in rogum iniici solita, multis praeterea auctorum, poetarumq́; locis probari facile potest. Vide Ioan. Bernartium in 6. Thebaidos Statij. Quod si anniuersaria fierent A *exequiæ, super aras extructas ea dona deponebantur. Virgil. lib. 5.*

Nec non & socij, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt, onerantq́; aras, mactantq́; iuuencos.

Postquam collapsi cineres, & flamma quieuit,
Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam:
Ossaq́; lecta cado texit Chorinæus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ:
Lustrauitq́; viros, dixitq́; nouissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulcrum
Imponit, suaq́; arma viro, remumq́;, tubamq́;:
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, ÆTERNVMQVE TENET PER SÆCVLA NOMEN.

RELLIQVIAS VINO, ET BIBVLAM) E fine B Iliad. vbi scribitur, *πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσατ' αἴθοπι οἴνῳ*, &c. Turneb. lib. 28. cap. 44. Nomine reliquiarum intellige ossa, quæ nō consumpserat flamma, de quib⁹ mox sequitur, *Ossaq́; lecta cado*, &c. Non vino tantum, sed & lacte ablui, & linteo euentilata siccari solebant ossa. Tibull. lib. 3. eleg. 2.

Præfatæ ante meos manes, animamq́; precatæ,
Perfusæq́; pias ante liquore manus,
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.
Et primùm annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niueo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.

OSSAQVE LECTA CADO TEXIT) Legebantur ossa mortuis. Homer. *Ἠῶθεν δή τοι λέγομεν λευκ' ὀστέ' Ἀχιλλεῦ*. Propert. *Ossaq́; legisti non illa ætate legenda*. Seneca lib. 2. de Ira, cap. 33. Dignus fuit, cui permitteret à conuiuio ad ossa filij legenda discedere. Atque hoc quamlibet multis veterum testimonijs confirmari potest. Interdum etiam viuis leguntur, quibus scilicet exciduntur. Seneca de Prouidentia, sub initium. Sed si cogitaueris tecum, remedij caussa quibusdam & radi ossa, & legi, & extrahi venas &c. Hæc Muret. in Notis ad Senecam.

De more isto legendorum ossium egit distributè, & absolutè homo maximè industrius ille Delrius, Comment. in Hercul. Oetæum Senecæ. Transcribemus totum. Vtriusque parentis, præsertim matris officium fuit, cremata ossa, & reliquias legere, & collectas asportare. Tibull. *nō hic mihi mater, Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus*. Seneca de Alcmena matre Herculis.

——— sed quid hoc? mœstam intuor
Sinu gerentem reliquias magni Herculis,
Crinemq́; iactans squalidum Alcmene gemit.

Profert etiam locum Senecæ philosophi, quem paulo ante legisti. Et illum de Cōsolat. ad Elbiam, cap. 2. Modo in eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti. Legebant ergo, & in sinum E collecta referebant matres. Parentum ossa, si deerant parentes, filij legebant. Propert. lib. 4.

Ossaq́; legisti, non illa ætate legenda,
Patris, & in tenues cogeris tre lares.

Vel eorum penuria alij hæredes. Martial. lib. 8.

Ossaq́; defuncti licet olim non legat heres,
Hoc sibi iam Picens præstitit officium.

Vel alij propinquiores, amicioresque, vt Patrocli Achilles, Iliad. ψ. Hectoris, fratres, & socij, Iliad. ω. Propert. lib. 1. eleg. 17. Hostiæ ait:

An poteris siccis mea fata reponere ocellis?
Ossaq́; nostra tuo nulla tenere sinu?

Tibullus Neæræ lib. 3. *ossa Incinctæ nigra candida veste legant*. Principum, & Imperatorum reliquias legebant Consules, vel maiores ordines, vt ex Herodiano constat, & Sueton.

PVRA SOCIOS CIRCVMTVL. VNDA) Plaut. in Amphit. *Quæso, quin tu istanc iubes pro cerita circumferri?* dictum, est pro lustrari, & lustratione curari. Qui enim id faciebant, certum carmen insusurrabant, & tæda, scilla, ouis, sulphure, alijsque circumpurgabant, C quod *περιαγνίζειν* Lucian. dicit, ita scribens in *νεκυομαντείᾳ*. *Ἐκάθηρέ τε, καὶ ἀπέμαξε, καὶ περιήγνισε δᾳδί, σκίλλῃ, καὶ ἄλλοις πλείοσιν, ἅμα καὶ τὴν ἐπῳδὴν ἐκείνην ὕπαλον ὑπειπών*. Idem etiam *περικαθαίρειν* Græci dicunt, & *ἀπομάττειν* & *περικαθαρτὴς*, qui circum lustrat, & circumpurgat: quod quia res certæ, certaq́; februa circumferebantur, *circumferre* latini vocauerunt. Itaque apud Maronem, circumferre vnda, est vnda purgare. Turneb. lib. 9. cap. 10 Idem lib. 13. cap. 21. Græcis etiam dicitur *περιμάττειν*, quia circumferebantur lustramina ei, qui expiabatur. Sed & *περιστίαρχος* dicebatur, qui domum, aut concionem, vrbemq́; lustrabat, in quo nomine inest & circuitus quædam, & ambitus significatio. Circumferre, inquit Nonius, est lustrare. Lucil. sat. lib. 2. *Tum forte* D *omnia sint circumlata*. Plaut. Amphit. suprà recitauimus.

SPARG. RORE LEVI, ET RAMO FEL. OLIVÆ) à quibusdam explicatur, aspergens: ac tum legendum videtur quibusdam, *è ramo felicis oliuæ*: sed sine immutatione sparsionē aquę ramo factam intelligemus. Quo ramo aspergebantur, à quibusdam rosmarinus, vt Georg. 2. *Vix humiles apibus casias, roremq́; ministrat*. Et quanquam ad sensum accommodatius est, aquæ asperginem, & rorem intelligere: tamen aspergillum partim è rore marino, partim ex oliua felici fuisse factum, non inscitum omnino sit existimare. Aspergillum tamē potius è lauro fieri solebat, vt apud Iuuenal. sat. 2. *lustrari si qua darentur Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus*, id est, aqua perfusa, & madens ad aspergendum, & purgandum. Felicem porrò oliuam ad oleastri discrimen, qui infelix est, dicit, vt, *Infelix superat folijs oleaster amaris*. Etenim infelix oliua est. Aspersione autem aquæ fieri solitam illam purgationem, docet Pollux lib. 8. cap. 8. *καὶ εἰ δεῖ τὴν οἰκίαν*, &c. Apud Maronem tamen non tantum aqua mundantur, eluunturque, vt quidam censent, sed etiam lustramine februantur, expurgan-

purganturque, vt tæda, ouis, sulphure, aut exverris, lustrauitque viros addit, *lustrauitq́; viros*. Sed Donatus, *lustrauitq́; domos* legit, & aquæ purificationem hominum, & domorum fuisse dicit. Nam ante Maro de hominibus. *Idem ter socios* scripserat, &c, vt, *lustrauitq́; viros* retineas, nihil est necesse nouam purgationem excogitare. Turneb. lib. 13. cap. 21.

Constat dijs superis sacra facturum, corporis ablutione purgari, &c. lege, quæ ex Macrobio afferimus, in illud, *Dic corpus properet, fluuiali spargere lympha*, supra lib. 4. Sed & cum facit Æneam apud inferos ramum Proserpinæ consecratum offerentem, ita refert. *Occupat Æneas aditum, corpusq́; recenti Spargit aqua*. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 1.

DIXITQVE NOVISSIMA VERBA) Puta, *Ilicet*, vt supra monuimus. Hoc enim verbo post tumuli cærimonias dimittebant præsentes. Hac voce frequenter vtitur Terentius, cum finem rei significare vult, ac proinde licere abire, re omni perfecta. In Eunucho, *actum est, ilicet*. Phormione, *Hoc nihil est, ilicet*. Vbi Donatus, *ilicet* semper finem rei significat. Idem in Andriam, enarrans eum locum, *Quid ego audio? actum est*: in summa, ait, rerū desperatione ponitur *actum est, ilicet*.

Græci, cùm sacris operati essent, missum populū faciebant: nec abeundi potestas prius cuiquam erat, quam sacrificulus pronuntiasset, λαοῖς ἄφεσις, id est, populis missio, quod Latini vno verbo *ilicet* dicebant, C quod est, ire licet. Vnde & nunc sub sacri finem solet sacerdos dicere, Ite, missa est: missam, vt videtur, pro missione accipiens: quo exemplo & Cyprianus remissam peccatorum, pro remissione scripsit. Videtur ergo à parte totum sacrificium missa appellatum. Sed hæc sententia parum est probabilis, à recedendi facultate inditum nomen sacrificio, & Græci ipsi non ἄφεσιν, sed λειτουργίαν id appellant: quod nomen propriè id exprimit, quod Hebraicè missa sonat. Est enim Mus apud A Hebræos, vnde missa formatur, munus personale tributi, censusq; offerendi: & missa, ipsa oblatio, quæ domino suo fit, propter debitum personale, vt in Deuteronom. cap. 16. habetur. Credendum itaque est, priscos Christianos, qui origine Iudæi erant, sua voce id sacrum appellasse, quam deinde Latini receperunt: sicut & pascha: nec enim ἀπὸ τοῦ πάσχειν est deductum: sed ab Hebræorum sermone, quo transitus significatur, phase inquam. Quod ergo in fine sacri ponuntiatur *Ite missa est*: perinde est, ac si diceretur, Ilicet, oblatum est. Hæc, paucis, studio breuitatis nimirum, ex Alciati Parerg. iuris lib. 7. cap. 10.

INGENTI MOLE SEPVLCRVM) Sepulcrum B κατ' ἀντίφρασιν quòd sine re pulchra sit. An quòd ibi sine pulsu sint, id est, mortui? An quòd illic animæ à viuis sepeliantur, id est, separentur? Donatus in And. Terentij. Locus ex Homero, apud quem lib. 12. Odyss. Vlysses cum socijs Elpenori sepulcrum erigit, in eiusq; vertice remum figit.

Αὐτὰρ ἐπεὶ νεκρός τ' ἐκάη, καὶ τεύχεα νεκροῦ,
Τύμβον χεύαντες, καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες
Πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν.

SVAQVE ARMA VIRO REM. TVB.) *Mos antiquus, insculpere tumulis instrumenta eius artis, quam viuus ille exercuisset. Vide lib. 3. ἀνθολογίας.*] Notauit Sueton. in Augusto, eū classem Miseni, & alteram Rauennæ, ad tutelam superi, & inferi maris collocasse. Et Tacitus 4. Annal. de ijsdem. Italiam vtroque mari duæ classes, Misenum apud, & Rauennam præsidebant. Liquet igitur, apud Misenum, pulcherrimo sinu classem stetisse. Hoc Virgilius doctè indicauit, cum Misenū illic sepelit Æneas, *Imponit suaq́; arma viro, remumq́; tubamq́;*. Nam & remum, & tubam dat, præsignificans, locum hunc futurum, vbi & remiges, & milites in classe essent. Milites, quos tuba notat. Hæc Lipsius lib. 1. de Magnitud. Romana, cap. 5.

His actis, properè exequitur præcepta Sibyllæ.
Spelunca alta fuit, vastoq; immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumq; tenebris:
Quam super haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat:
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.
Quattuor hîc primùm nigrantes terga iuuencos
Constituit: frontiq; inuergit vina sacerdos,
Et summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imponit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cæloq;, Ereboq; potentem.
Supponunt alij cultros, tepidumq; cruorem
Suscipiunt pateris. ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæq; sorori
Ense ferit, sterilemq; tibi Proserpina vaccam,
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras:
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superq; oleum fundens ardentibus extis.

EXEQ. PRÆCEPTA SIBYLLÆ) Præceptum Sibyllæ, cui perficiendo dat operam, fuit illud: *Duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto*. Transit poeta ad ἱεροποιΐαν D descensus ad inferos.

SCRVPEA SPELVNCA) saxosis, atque asperis lateribus.

TVTA) quia hinc lacu, hinc syluis cingitur.

NIGRO LACV) aut profundo, aut inferorum vicinitate atro. Hactenus Seruius.

HAVD VLLÆ POTER. IMPVNE VOL. TEND. ITER) Affirmat idem de quibusdam specubus Seneca, quod hic Virgil. de suo, Natur. lib. 3. cap. 21. In quosdam specus, qui despexere, moriuntur: tam velox malum est, vt transuolantes aues deijciat: talis est aër, talis locus, ex quo lethalis aqua destillat. De huiuscemodi locis Lucretius quoq; lib. 6.

Nunc agè, auerna tibi quæ sint loca cunq., lacusq.,
Expediam, quali natura prædita constent.
Principio quod auerna vocantur, nomen id ab re
Impositum est, quia sunt auibus contraria cunctis,
E regione ea quod loca cum aduenere volantes,
Remigij oblitæ pennarum vela remittunt,
Præcipitesq. cadunt, molli ceruice profusæ
In terram, si forte ita fert natura locorum:
Aut in aquam, si forte lacus substratus auerno est.
Qualis apud Cumas locus est, montemq. Vesenum,
Pompeij calidis vbi fumant fontibus aucti.

Lucretius non de vno certo auerno, sed de omnibus, & de genere ipso auernorum disputat, quod perspicuum est. Genere autem explicato, singularis auerni, eiusque noti exemplum proponit. Ita Lambin. * *De tali quodam auerno Diodorus lib. 2. cap. 4. Hunc prope fontē (Asphaltis apud Babylonem) est hiatus haud magnus, sed virtute mirabilis. Eijcit enim odorem sulphureum, ac grauem, quo transeuntes animantes interficit. Ita enim anhelitum comprimit, vt spiritu intercluso, abrepta sperandi facultate, mors subitò consequatur. De hoc eodem Xiphilinus eadem in Traiano.*

QVAT. NIGRANT. TERGA IVVENCOS) Diti patri de nigra pecude rem sacram faciebant, eidemque pocula mista mero, & lacte libabant. Tibull.

Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et niueι lactis pocula mista mero.

Statius 4. Thebaid.

Velleris obscuri pecudes, armentaq. sisti
Atra monet, quacunq. gregum pulcherrima ceruix
Ducitur.

Taurus autē propria fuit Plutonis victima. Horat. Ode 14. lib. 2.

Non si tricenis, quotquot eunt dies,
Amice places illacrymabilem
Plutona tauris.

Obseruant etiam eruditi sacrorum, & cum his Grammatici, quod sterilibus pecudibus, & iuuencis, & vino, melle, lacte Diti sacra fieri sint solita. Lilius Syntag. 17.

FRONTIQVE INVERGIT VINA SACERD.) in 4. paulò aliter, sed eodem sensu, *media inter cornua fundit.* Id ad probationem hostiæ, ritu antiquæ religionis retulit, quæ auctore Plutarcho ita fiebat, ὅλῃ γε περιθυόμενοι, καὶ καταρρέοντες ἱερεῖα, καὶ κατὰ σπένδοντες ἐναντία τῷ λόγῳ τούτῳ πράττομεν: οἱ γὰρ ἱερεῖς, καὶ ὅσοι θύειν φασὶ τὸ ἱερεῖον, καὶ κατασπένδειν, & reliqua. Vide Turneb. lib. 13. cap. 21. * *Est tamen nonnunquam in profanus verbum* vergere. *Lucret. lib. 5.*

Illi imprudentes ipsi sibi sæpe venenum
Vergebant, nunc dant alijs sollertius ipsum.

Plaut. Curcul. Ipsum expeto tangere, inuergere in me liquorem.

CARP. MED. INT. CORNVA SET.) Priusquam iugularetur victima, pili in vertice ei euellebantur. Cuius ritus meminit Homerus, Iliad. ξ. ἐκ κεφαλῆς τάμνε τρίχας, ex capite pilos euellebat. Euripid. in Electra, μοσχίαν τρίχα λαμὼν, vitulinum pilum euellens. [*Et vates noster lib. 12. cum agit de hostijs in fœdere faciendo*, & tempora ferro Summa notant pecudum.] Fuit autem id indicium victimæ deuotæ iam, & à profanis vsibus separatæ. Hinc ego

A puto sollemne etiam esse sacerdotibus, & receptum hodie, in vertice tonsuram fieri. Polydorus tamen aliam caussam recitat lib. 4. cap. 8. Hartung. Decur. 2. cap. 7. [*Verba Polydori, quibus veterem huius rasuræ caussam puto contineri, hæc sunt. Commune initiatis omnibus insigne est vertex rasus, præcipuum sacri, profaniq; capitis discrimen, qui admonet sacerdotes, spretis omnibus humanis voluptatibus, oportere cælestia tantū meditari. Lege quæ deinceps sequuntur eodem cap.*] Græci hoc κατάρχεσθαι dicunt, immolationem, seu sacrificium incipere. Mox hoc à sacerdote facto, iugulabatur hostia à victimarijs, vel popis.

HECATEN CÆLOQVE, EREBOQVE POTENTEM) Apud inferos Hecate seu Proserpina, in cælo Luna: & quia numen magicum est, ad inuocationem magarum, B necromantiam exercentium videtur respicere. Montfortius.

SVPPONVNT ALII CVLTROS) id est, iugulant. Antè enim securi, aut claua prostratam fuisse victimam, postea iugulatam suppositis cultris, accipimus. Est enim cultros supponere, quod ὑποτιθέναι σφαγίδας Dionysius dixit, sub collo, & iugulo ponere, quod est iugulare. Sed iugulare in sacris ne dicerent, cauebant, cū ominis mali verbum sit, & sacra esset vitiaturum inauspicata voce. Sed & quod diximus, hostias ante solitas feriri clauis, aut securibus à ministris, indicat Iuuenal. Sat. 12.

Sed lata ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & à grandi ceruix ferienda ministro.

C Turneb. lib. 13. cap. 21. & lib. 15. cap. 12.

Aliquantò clarius exponit Delrius Aduersar. in Oedip. Senecæ, quid sit cultros hostiæ supponere. Veteres dijs superis sacrificaturi, victimarum resupinatarū iugulum sursum conuertebant: inferis autem, earundem collum deorsum, terram versus deprimebant. Cū ergo Virgilius loquatur de inferorum sacrificio, rectè dixit supponunt, quia sic culter iugulo victimæ quodammodo supponebatur. Rectè etiam Seneca, *Iuuenca ferro semet imposito induit* (sic enim legendum, pro, opposito) cum agat de superorum sacrificio, quo culter hostiæ collo quodammodo imponebatur. Porrò qui victimam cædebant, victimarij, cultrarij, popæ, a-
D gones dicebantur.

IPSE ATRI VELL. AGNAM ÆN. ENSE FERIT) Præterea heroico ritu, ipsi qui sacrificabant, etiam hostias cædebant, quod hic apertè, ac dilucidè describitur. Idem in fœdere fortasse ab Ænea, & Latino factum est lib. 12., etsi obscurius id scribitur, nec satis exprimitur. Apud Homer. 3. Iliad. fœdere percutiendo id facit Agamemno. ἦ καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ. Turneb. lib. 15. cap. 12.

EVMENID. MATRI) Eumenidas deas esse credebant, Nocte, & Acheronte genitas, quæ homines atrocibus turpificatos vitijs, & quæ sequuntur ex Mureto in Catull. lib. 4. Æneid. ibi, *vltricesq. sedent in limine Diræ.*

MAGNÆQVE SORORI) Nomine magnæ sororis
E quidam intelligunt Terram, cum nox nihil aliud, quam terræ vmbra sit, cuius interuentu, solis aspectus, radijq; adimuntur. Ita Montfort.

STERIL. TIBI PROSERP. VACCAM) Sterilem vaccam, quæ nunquam genuit. Ideo autem sterilem, quod ab inferis nihil nascitur. Macrob. Proserpinæ porcam dicit iugulari, at Maro vaccam, cui adstipulatur Prudentius contra Symmachum.

Rapta ad tartarei thalamum Proserpina regis,
Placatur vacca sterilis ceruice resecta.

Nascimbæn. * *Taurus, vaccas steriles dici existimabant, hac de caussa, quod non magis, quam tauri pariant. Festus.*

NOCTVRN. INCHOAT ARAS) Nocturnas aras intelligo, in quibus res diuina noctu fieret, non interdiu: quod

quod recepti moris, & ritus erat in Plutonis sacris. Valerius de Plutonis, Proserpinæ sacris lib. 2. cap. 1. Hostias nigras, quæ antiquis furuæ dicebantur, Tarenti immolauit, ludosq;, & lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo liberati erant, fecit. Turneb. lib. 28. cap. 44.

ET SOLID. IMPONIT TAVR. VIS.) maiora sacrificia innuit, quæ ὁλοκαυτώματα. & ὁλοκαύτωσις: integra enim victima offerebatur. *Imponere* etiam verbum sacrorum est, vt dare, reddere, porricere. Virg. 1. Æneid. *aut supplex aris imponat honorem?* Georg. 2. *Inde neque impositis ardent altaria fibris.* Et in 4. Æneid. *cū dona imponeret aris.* Nempe imponere est ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτίθεσθαι, vt Halicarnass. lib. 7. vel τοῖς βωμοῖς ἐπιτίθεσθαι, vt Herodian. lib. 5. loquitur. Brisson. Formular. lib. 9.

Alijs idcirco videtur dictum, *Et solida imponit,* &c. quòd in sacrificio inferorum, quale hìc conficitur, hostia integra comburebatur. Seneca Oedipo, de huiuscemodi sacris loquens, *Solidasq́, pecudes vrit, & multo specum Saturat cruore.*

PINGVE SVPERQVE OLEVM) vti vinum, sic oleum in sacris infundebatur ad flammam, credo, augendam. Superque oleum fundens tmesis est, pro, superfundens.

Ecce autem primi sub lumina solis, & ortus,
Sub pedibus mugire solum, & iuga cœpta moueri
Syluarum: visæq; canes vlulare per vmbram,
Aduentante dea. PROCVL Ô, PROCVL ESTE PROFANI,
Conclamat vates, totoq; absistite luco:
Tuq; inuade viam, vaginaq; eripe ferrum:
NVNC ANIMIS OPVS, ÆNEA, NVNC PECTORE FIRMO.
Tantum effata, furens antro se immisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.

ECCE AVTEM) Rem quandam magnam, & insperatam designat particula *Ecce.* Iam si, quæ ab Homero Odyss. λ. cum ijs, quæ à poeta nostro dicta sunt, conferantur, ingens similitudo, ratione tamen diuersa reperietur. Nam Vlysses ibi monitu Circes, hìc autem Æneas Anchisæ patris: Vlysses per necromantiam, & scyamantiam, quibus & mortui suscitantur, & vmbræ ab inferis euocantur, vt Elpenoris, Anticleæ, Tiresiæ: Æneas per mortui Miseni exequiarum celebrationem, & per multa varij generis sacrificia, quæ Homeri procul dubio νεκυίαν, vt Cicero vocat, adumbrant, ad inferos tendunt. Nascimb.

PRIMI SVB LVMINA SOLIS) more Romano accipiendum est, apud quos à media nocte dies incipiebat: nec aliter intelligi potest, nam huiusmodi sacra noctu fiebant. Nascimb.

Quod autem hæc duo nomina coniungit *lumina solis,* idque pro sole ipso, quadam periphrasi, vt item lib. 8. *Surgit, & ætherij spectans orientia solis Lumina,* sequitur Lucretium, qui id sæpius facit. Lib. 1. *per te quoniam genus omne animantum Exoritur, visitq́, exortum lumina solis.* Rursum infrà. *Nec foret omnino cœlum, neque lumina solis.* Lib. 2. *hac aëra rarum Sufficiunt nobis, & splendida lumina solis.* Ibid. *Nam cum cæcigeni, solis qui lumina nunquam Aspexere.* Homer. Odyss. λ. alibi. φάος ἠελίοιο, id lumen est, solis.

VISÆQVE CANES VLVLARE) Donat. in illud Terent. Eunucho, *Audire vocem visa sum modo militis.* Omnes sensus visa dicuntur, ab eo quod est certissimum oculorum. Ergo visa sum, sensi. Deinde hoc Virgilianum adiungit pro confirmatione scilicet. Credidit vetustas, aduentante dea ad sua sacra, aut precibus euocata Proserpina, vel Hecate (eadem enim est) in eius comitatu esse canes, Horat. Sat. 8. lib. 1. *serpentes atq, videres Nocturnas errare canes.* Seruius, canes, furias interpretatur. Sed Theocritus Pharmaceutria canes simpliciter accipere videtur, cum scribit, τᾷ χθονίᾳ θ' ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι. Apollonius quoque lib. 3. eius canes χθονίους κύνας vocat. Hecatæ quoque canum mentio est apud Orpheum. σαίνει δὲ σκύλακας φοιτώσας. Et apud Tibull. lib. 1. eleg. 2. *Sola feros Hecatæ perdomuisse canes,* terram tremere, audiri latratus canum, fulgorem tædarum cerni, ea aduenienté scilicet. Turneb. lib. 13. cap. 12. & lib. 15. cap. 8. lib. 28. cap. 44.

PROCVL, Ô PROCVL ESTE PROFANI) Ad Æneæ comites hoc dicitur. Apud Græcos ad sacrificiū accessurus sacerdos, hoc primùm præfari solitus fuit, τίς τῇδε, quis hìc? Qui verò intererant sacris, referebant, πολλοὶ κἀγαθοί, quod est dicere, multi & boni. Quin illud quoque in sacris dictum obseruant scriptores, quod legitur apud Callimachum in Hymnis, ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός. Polluti enim homicidio, aut humano infecti sanguine, cæterisq; eiusmodi scelerib⁹ inquinati, à sacris arcebantur: neue aras contingerent, aut sacrificio interessent, publicis legib⁹ prohibebantur. Euripid. Ione.

Τοὺς μὲν γὰρ ἀδίκους βωμὸν οὐχ ἵζειν ἐχρῆν,
Ἀλλ' ἐξελαύνειν, οὐδὲ γὰρ ψαύειν καλόν.

De Druidis Cæsar lib. 6. Belli Gall. Si quis aut priuatus, aut populus eorum decreto non stetit, sacrificijs interdicunt. Hæc pœna apud eos grauissima est. Quibus ita est interdictum, ij numero impiorum, ac sceleratorum habentur: ab ijs omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt: ne quid ex contagione incommodi accipiant. Neque ijs præsentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. Suetonius Nerone, cap. 34. Peregrinatione quidem Græciæ Eleusinijs sacris, quorum initiatione impij, & scelerati voce præconis submouerentur, interesse nō ausus est, vt matricida videlicet. Sanè apud Græcos legimus, sacra quędam ἄβεβηλα nuncupata, in quibus interesse profanis haud fas erat: vt βέβηλα, ad quæ etiam profani admittebantur. Ad sacra ergo ἀβέβηλα allusisse Maronem existimat. German. * *Hunc sollemni verborum formula, qua non initiati à sacris arcebantur, quanam græca respondeant, docet Barnab. Briss. Formular. lib. 1. Latinorum poetarum ibid. proferuntur, Virgil. consentanea, Ouidij, Silij Iuuenalis, Claudiani, Calpurnij, Horatij.*

Egregiè Plato, & prudenter alicubi docet, non esse illa populo aperienda, & inuulganda, quæ sacra, & arcana in mysterijs sunt: quoniam indignum prorsus, ac fœdum sit, ab eiusmodi hominibus ea illotis manibus tractari

tractari, quæ initiatis duntaxat animis, & expiatis patere debent. Ex quo meritò laudati sunt Pythagorici philosophi, qui propria dogmata, & præcepta inter suos tantum seruantes, nemini alteri indicabant: quod Hebræi etiam in legibus diligentissimè obseruant. Virgilius, qui mores varios, ritusque, ac religiones optimè tenuit, nō temerè hoc ad Sibyllam retulit. Idem ex Eleusinæ Cereris initijs assumptum à poeta est, in quibus (vt veterum probat auctoritas) eos duntaxat admittebant, qui forent initiati, quod ab ipso præcone agebatur, procul esse profanum vulgus acclamante. Vnde illud Flacci perelegans, Ode 1. lib. 3. *Odi profanum vulgus, & arceo.* Crinit. lib. 6. cap. 3.

Profanum, ait Macrob. lib. 3. Satur. cap. 3. omnes pene consentiunt id esse, quod extra fanaticam caussam sit: quasi porrò à fano, & religione secretum. Cuius significatus exemplum consectatus est, cum de luco, & aditu inferorum, sacro vtroque loqueretur. Eò accedit, quod Trebatius profanum id propriè dici ait, quod ex religioso, vel sacro in hominum vsum proprietatemque conuersum est, quod vel apertissimè poeta seruauit in 12.

Faune precor miserere, inquit, tuq; optima ferrum
Terra tene, colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.

Dixerat enim, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrũ Sustulerant.* Vnde ostendit, propriè profanum esse, quod ex sacro promiscuum humanis vsibus accommodatum est.

Subiungam nonnulla ex Budæo in Pand. super hoc vocabulo. Fana à fando, quòd ea Pontifex certa verba fando dedicat, auctore Festo. Inde profani dicti sunt, βέβηλοι, ἀμύητοι, qui sacris imiati non erant, quod Virgil hîc significat. Nunc laicos vocamus, quasi populares. Laicum enim vulgò attrectabile significat: sicut sacrum dicitur, & sanctum, cuius tactu populo interdi- A ctum est. Sic laici panes 1. Reg. cap. 21. ad sacrorum differentiam. Et Ezechielis vltimo, profana vrbis propriè accipiuntur pro ijs partibus, quæ vsibus populi, & vsui promiscuo dicatæ sunt. Propterea profanos appellaui vbique homines sacris non initiatos. Non enim libens facio, vt græcis verbis vtar, vbi latina suppetunt, idem significantia.

INVAD. VIAM VAGIN. ERIPE FERRVM) Spiritale dæmonum corpus magna parte vbique sensile est naturâ, & absque medio tangit, videt, audit: sed tactum patitur, & perinde ac solida, diuisum dolet: eo tamen interstitio, quod solida intercisa, ac reuulsa aut persanantur nunquam, aut vix contingere id potest. Resectum B verò dæmonicum corpus coit rursum, recreaturque aeris modo, aut aquæ, & id quidem celeritate incredibili. Interim tamen dolet insigniter, dum peragitur dissectio. Quò fit, vt ferri aciem reformident, declinentq; quantum possint maximè. Propterea qui exagitare dæmones moliuntùr, enses, ac tela studiosè prætendunt, ex qua veterum, & quidem Platonicorum doctrina Platonicus poeta noster ita scripsit. Rhodigin. lib. 2. cap. 8.

NVNC ANIM. OPVS ÆN. N. PECT. FIRMO) In rebus periculosis, & arduis licebit hortatoribus occinere hunc versiculum ijs, quos hortamur ad egregia facinora, *Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo.* Vox *animi* numero multitudinis in eo dicitur, in quo spiritus, C audacia, alacritas, &c. Inde facere alicui, & dare animos. Similis versus, in eandem videlicet sententiam, parœmiacus, *audendum est dextra, nunc ipse vocat res.* ✠

FVRENS) plena deo, & furenti similis.

DVCEM HAVD TIMID. PASS. ÆQVAT) Quod Æneas ducem æquat passibus haud timidis, laus est à constantia, & magnanimitate. Nam si timuisset, vt meritò poterat illis locis, ponè subijsset, vestigia obseruasset antecedentis. De Ascaniolo in 2. contrarium, *sequiturq; patrem non passibus æquis.*

Dij, quibus imperium est animarum, vmbræq; silentes:
Et chaos, & Phlegethon, loca nocte silentia latè,
SIT MIHI FAS AVDITA LOQVI, sit numine vestro
Pandere res alta terra, & caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per vmbras,
Perq; domos Ditis vacuas, & inania regna.
Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in syluis, vbi cælum condidit vmbra
Iuppiter, & rebus nox abstulit atra colorem.

DII QVIB. IMP. EST ANIMAR.) Dicturus poeta, qualés esse infernæ sedes asserantur, & quæ illic iuxta animas gerantur, & multa descripturus incognita viuentibus, ne temerarius iudicetur, veniam à dijs inferis postulat, asserens, non se auctore, sed alijs proferentibus scripta, vel dicta narraturum. Posset enim in vtroque reprehendi, quod viuus incognita viuis pro veris assereret: aut præceps, si effunderet vera, quæ occulta esse deberent, nec in vulgus exire.

SIT FAS AVDITA LOQVI) Theseus in Hercule Fur. narraturus Herculis descensum ad inferos, ibique gesta.

Fas omne mundi, teq; dominantem precor
Regno capaci: teq; quam tota irrita
Quæsiuit Aetna mater: vt iura abdita,
Et operta terris liceat impunè eloqui.

D Audita dicit, non cognita: quasi innuere velit, quæ de inferis narrantur, poetarum insomnia, atque anicularum (vt inquit Cicero) deliramenta esse. Sic enim credidit antiquitas, licet Plato de inferis multa scripserit. Seneca in Consolat. ad Martiam. Illa quæ inferos nobis faciunt terribiles, fabula est. Adeas Macrob. in som. Scipionis, lib. 1. cap. 10. Nascimb.

IBANT OBSCVRI SOLA SVB NOCTE) ὑπαλλαγμένως, pro ibant soli sub obscura nocte.

PERQVE DOM. DITIS VACVAS, ET INANIA REG.) Significare videtur poeta, vmbras, & imagines mortuorum esse inanes. Sic Horat. Ode 4. lib. 1. exilem dixit domum Plutoniam, quia manes sunt, & vmbræ, quæ illam domum incolunt, exiles, & tenues, & aspectum oculorum fugientes.

PER INCERTAM LVNAM) Non satis explanant hoc

hoc Seruius, & Donatus. Perspicuè, & verè Montfortius. Incertam lunam, dubiam lunam, per subiectas nubes interceptam, neque apparentem. Incertam lunam coitum fortassis lunæ rectius acceperimus, quo tempore noctes sunt tenebrosissimæ. Nam tum globus lunaris soli obiectus lucem concipit quidem illam, sed non conspicuam, vt rectè luna incerta appellari queat.

Nascimb. exponit, *incertam lunam*, sine lunæ lumine, quomodo lib. 3. dixit,

Tres adeo incertos cæca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.

[*Sed quomodo quasi est lux maligna, si nulla penitus est? Maligna certè à malo cadit: quod malum est, ipsum aliquid est. Ergo subobscuram, imperfectam lucem, malignam dixit. Quam autem hic malignam lucem, lib. 9. sublustrem noctis vmbram, id est, non penitus illustrem vocauit.* Et galea Euryalum sublustri noctis in vmbra Prodidit immemorem.] Talem porro lucem, malignam scilicet, etiam Statius expressit 4. Thebaid. *vacuumq; silentia seruat Horror, & exclusæ pallet mala lucis imago.*

REBVS NOX ABSTVL. ATRA COLOR.) Rebus nox colorem aufert: nam luce intercedente aspicimus. Hinc alibi, *Iam sole infuso, iam rebus luce retectis.* Et est noctis descriptio quædam periphrastica: nihil quippe secundùm physicos aliud est nox, quàm vmbra terræ.

Vestibulum ante ipsum, primisq; in faucibus Orci,
Luctus, & vltrices posuere cubilia curæ:
Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus,
Et Metus, & malesuada Fames, & turpis Egestas:
(Terribiles visu formæ) Lethumq;, Laborq;:
TVM CONSANGVINEVS LETHI SOPOR, & mala mentis
Gaudia: mortiferumq; aduerso in limine bellum:
Ferreiq; Eumenidum thalami, & Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

VESTIB. ANTE IPSVM, PRIMISQVE) Cùm Virgilius Æneam suum, tanquam hominem pium à contagione atrocis visus apud inferos vindicauerit, & magis cum fecerit audire reorum gemitus, quàm ipsa videre tormenta, in ipsos verò campos piorum libenter induxerit, cur hoc tamen versu ostendit illi partem locorum, quibus impij cohibebantur? *Vestibulum ante ipsum*, &c. Ad hunc nodum soluendum, necessarium erit legere, quæ à Gellio lib. 16. cap. 5. & à Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 8. de voce *vestibulum* disputata sunt, quæ quidē nos descripsimus in illum locum 2. Æneid. *Vestibulum ante ipsum, primoq; in limine Pyrrhus.* Gellij in extremo capite verba sic sonant. Non enim vestibulum priorem partem domus infernæ esse dicit, quod obrepere potest, tanquam si ita dicatur: sed loca duo demonstrat esse Orci fores, vestibulum, & fauces: ex quibus & vestibulum appellat ante ipsam domum, & ante ipsa Orci penetralia: fauces autem vocat iter angustum, per quod ad vestibulum adiretur.

Huius vestibuli meminit item Plato in Axiocho, vnde totus fere hic inferorum ordo, quo vtitur poeta, sumptus videtur. Quod ferreis claustris, atque clauibus obfirmatum ipse memorat. Nascimb.

Vestibula quidam putant sub ea proprietate distincta, quod in primis ingressibus, & in spatijs domorum Vestæ, hoc est, aræ, ac foci soleant haberi. Inueniuntur etiam apud veteres doctos, vestibula ob id dicta, quòd in his locis ad salutandos dominos domorum, quicunque venissent, stare solerent, dum introeundi daretur copia. Atque ob hanc constitionem, & quasi stabulationem, primos ingressus domorum vestibula nominatos. Cicero μεταφορικῶς dixit in Orat. Vestibula nimirum honesta, aditusque ad caussam faciet illustres.

Seruius hoc loco super voce vestibulum ita disserit. Vestibulum non habet proprietatem etymologiæ, vt ait Varro: sed fit pro captu ingenij. Dicitur enim vestibulum, quod vestiat ianuam. Alij vestibulum à Vesta dictum volunt: nam illi ianua consecrata est: alij, quod nemo illic stet. In limine solus est transitus. Vt enim vesanum non sanum, sic vestibulum non stabulum. Ouid. lib. 6. Fast. vestibulum à Vesta nomen accepisse ait.

Hinc quoq; vestibulum dici reor, vnde precamur
Quæ famur, Vesta est, quæ loca prima tenet.

IN FAVCIBVS ORCI) Orcum quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum Vragum, quod &, u, litteræ sonum pro, o, efferebant, & per, c, litteræ formam nihilominus, g, vsurpabant. Sed nihil affert exemplorum, vt ita esse credamus, nisi quod is deus nos maximè vrgeat. Hæc Festus. Orcum censet Seruius eundem esse cum Plutone, & posuisse videtur Virgilius deum pro loco, quomodo & Horatius dixit *sub Ioue frigido*, cùm aerem intelligeret. * *Monent eruditiores, orcum genere neutro dici ipsum locum inferorum: Orcum genere virili esse nomen ipsius dei, Plutonis videlicet. Sicut Cælus significat deum, cælum verò deorum superorum habitaculum, & sedem.*

LVCTVS, ET VLTRICES CVRÆ) Congerie prosopopœias monstrorum diuersorū enumerat, quæ vestibulum tenent inferorum. [*Quem locum haud neglexit Seneca. Nam in Hercule Furente sic narrat Theseus Amphitryoni, reuersus cum Hercule ab inferis,*

Palus inertis fœda Cocyti iacet,
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit,
Omenq; triste resonat infaustæ strigis.
Hærent opaca fronde nigrantes comæ,
Taxo imminente, quam tenet segnis sopor,
Famesq; mœsta tabido rictu iacens:
Pudorq; serus conscios vultus tegit:
Metus, Pauorque, Funus, & frendens Dolor,
Aterq; Luctus sequitur, & Morbus tremens,
Et cincta ferro Bella: in extremo abdita
Iners Senectus adiuuat baculo gradum,

Equidem poetarum de numero hunc, & Silium præcipuos, & cupidissimos Maronis imitatores existimauerim. Nec tamen id mihi studio est, vt oratione eorum imitationes, cum innumera sint, lectori exhibeam.] Singulis conuenientia iungit epitheta. Et sunt hæ potissimæ pestes humanæ vitæ, quibus & animi, & corpora conficiuntur. Magna est in luctu acerbitas: sed maior in illis infælicibus conscientijs, quæ

ex admissis sceleribus oriuntur: eæ sunt Furiæ, quæ homines semper facibus ardentibus insectari videntur. Pœnam semper ante oculos versari putant, qui peccarunt, inquit Cicero pro Milone. Plutarchus de sera numinis vindicta, Ego, si dicere fas est, flagitiosos, perditos, ac facinorosos neque aliquo siue deorum, siue hominum indigere vltore arbitror, sed perniciosam ipsorum vitam omni improbitate corruptam, ac refertam, satis, superq; ad seipsam torquendam sufficere. Rursum. Si quis nihil aliud improbis in hac vita accidere affirmaret, quàm quod scelerum conscientia, flagitiorumq; recordatione assiduè torquentur, cognosceret profectò, acerbissimè ratione propria illorum affligi animam.

PALLENTESQVE MORBI, TRISTISQVE SENECTVS) Metonymia, vt in his quæ sequuntur, efficiens nimirum pro effectu. Morbus pallidos efficit. Senectus meritò tristis, propter multa incommoda, quæ senes circumueniunt. Recurre ad illũ locum 3. Georg. *Subeunt morbi, tristisq; senectus.*

ET METVS, ET MALESVADA FAMES) Metus est opinio impendentis mali, quod intolerabile videatur. Hoc supplicium est Tantali, qui metu supra caput impendentis, iam iamq; ruentis saxi cruciatur. Fames dicitur malesuada, tralatione à rebus ratione præditis ad rem inanimam. Sic Lucret. lib. 1. *Vites autumno fundi suadente videmus.* Plaut. Capt. *Odi ego aurum, multa multis sæpe suasit perperam.* Idem Lucretius sic vsus est verbo *imperare*. lib. 5. *Nec minus in certo dentes cadere imperat ætas.* Per famem igitur ad furta, rapinas, periuria homines impelluntur.

TVRPIS EGESTAS) Lucret. lib. 3.

Turpis enim fama, & contemptus, & acris egestas
Semota ab dulci vita, stabilisq; videntur,
Et quasi iam lethi portas cunctarier ante.

Turpes facit egestas, quia caussa est hominibus, vt in se turpitudinem admittant. Quàm multi pecunia vendiderunt pudicitiam, famam, patriam, & quod omnium est dirissimum, deum quoque, ob egestatem scilicet? ✠

CONSANGVINEVS LETHI SOPOR) Somnus est mortis frater, ex Homero, Iliad. ξ.

Ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο.
Occurrit Somno, qui Mortis frater habetur.

π. πέμπε δὲ μὶν ὕπνῳ καὶ θανάτῳ διδυμάοσιν. Quasi gemellos, & vno partu, eademq; matre editos facit: immò, vt Turneb. obseruauit, lib. 28. cap. 43. scribit Hyginus, Nocte & Erebo natos fuisse Lethum, & Somnum.

Consanguinei dicuntur fratres, Papinius, *Et consanguineo gliscis regnare superbus Exule*, id est, eiecto fratre Polynice. Claudian. lib. 1. de rapt. Proserp. *Te consanguineo recipit post fulmina fessum Iuno sinu.* Certe Iupiter Iunonis frater est. Consanguineo igitur sinu, est sororio sinu. Sophocles in Aiace ξύναιμον, id est, consanguineum dixit Aiacis fratrem Teucrum. Iam Somni sororem esse Mortem, canit etiam Hesiodus. Et Seneca ad Somnum, *Frater duræ languide mortis.* Ianus Parrhasius in Claudian. dictum locum.

Gorgias Sophista iam annis grauis admodum, cùm ægrotus somno altiore vrgeretur, forte è familiaribus quidam accessit, qui interrogaret, quomodo se haberet. Tum ille, iam me Somnus fratri suo incipit commendare. ἤδη με ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ. Ælian. lib. 2. var. histor. cap. 35. Coluthus συνόμαιμον θανάτοιο vocat. Ouid. imaginem mortis, *Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?* Spartani quoque Somni, & Mortis simulacra, teste Pausania, simul posuerunt. Sopor & somnus non raro mortem denotant, vt etiam vox, *quies*. Consule lib. 12. in illud, *Olli dura quies oculos, & ferreus vrget Somnus.* ✠

ET MALA MENTIS GAVDIA) Libet audire Senecam, ita scribentem initio epistolæ 59. Scio, inquam, & voluptatem (si ad nostrum album verba dirigamus) infamem esse, & gaudium nisi sapienti, non contingere. Est enim animi elatio, suis bonis, viribusque fidentis. Vulgò tamen sic loquimur, vt dicamus magnum gaudium nos ex illius consulatu, aut ex nuptijs, aut ex partu vxoris percepisse: quæ adeo non sunt gaudia, vt sæpe initia futuræ tristitiæ sint. Gaudio autem iunctum est, non desinere, nec in contrarium verti. Itaq; cùm dicit Virgilius noster, *& mala mentis gaudia*, disertè quidem dicit: sed parum propriè: nullum enim malum gaudium est. Voluptatibus hoc nomen imposuit, & quod voluit, expressit: significauit enim homines malo suo lætos.

Quod obscurius dicit Seneca, dicendum est apertius. Mala gaudia sunt, de quibus sacræ loquuntur litteræ. Qui lætantur, inquit, cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.

Non ita Dardanio gauisus Atrida triumpho est,
Cùm caderent magni Laomedontis opes,
Nec si errore exacto lætus Vlysses,
Cùm tetigit charæ littora Dulichiæ.

Nolo reliqua gaudia immensa dicere, quibus ille scortator suum comparat, & præfert: sequitur enim,

Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.
Immortalis ero, si altera talis erit.

Itáne homo impurissime, ac perditissime, tu ista ratione immortalitatem queris? Quid ille auarus apud Horatium? quam gaudet argento suo? *populus me sibilat, at mihi plaudo Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.* Quid Ergasilus parasitus in Captiuis? quàm suo ventri gratulatur, dum vadit Hegioni nuntiare aduentum filij, quem in publica celoce in portu primus conspexerat?

Iuppiter supreme seruas me, measq; auges opes.
Maximas opimitates, opiparasq; offers mihi:
Laudem, lucrum, ludum, iocum, festiuitatem, ferias,
Pompam, penũ, potationes, saturitatem, gaudium, &c.

Postquam verò audito nuntio respondit senex, *Æternum tibi dapinabo cibum, si vera autumas*, eumque domum suam misit, iuuat audire, quemadmodum ille propter rem cibariam sibi creditam non secus, quam Alexander Magnus de Indijs triumphatis exultet:

Dij immortales, iam vt ego collos prætruncabo tergo-
(ribus?
Quanta pernis pestis veniet? quanta labes larido?
Quanta sumini absumedo? quanta callo calamitas?
Quanta lanijs lassitudo, quanta porcinarijs?

Possem ire per reliqua flagitia, & exemplis in medium prolatis, ista mala mentis gaudia demonstrare, sed ista sufficiant. Quin ipse quoq; Seneca, hac eadem epistola, gaudium verum, nisi ex virtutum conscientia, nullum cõtingere cuiq; disserit, quæ verba nos infrà ponemus, ad illa Deiphobi, *Namq; vt sup remam falsa inter gaudia noctem Egerimus nosti.* Videtur item sancta scriptura gaudium proprie in bonis, ponere. Nam apud Esaiam cap. 58. legimus, non est gaudere impijs, dicit dominus. Sic legit D. Augustin. Ciuitat. lib. 14. cap. 8. vulgò, non est pax impijs. Sed eodem redit. ✠

FERREIQVE EVMENID. THALAMI) Furiæ nunquam nupserunt, vnde igitur thalamos accipimus? Sed accipiendum, in quibus natæ sunt, &c. Seruius. Melius Nascimb. Thalami impropriè pro sedibus positi sunt.

Et ſcitè de domicilijs meminit Furiarum, non de Furijs, quia huc, illuc mittuntur Furiæ: & ſi forte apud inferos morantur, non niſi rarò in veſtibulo domus Plutonis, licet illic ſedes habeant, ſed in tartaro frequentius diuerſantur, vt ſceleratos ſuis flagellis crucient, vt de Tiſiphone infrà dicetur. Naſcimb.

DISCORDIA DEMENS) Diſcordiam in Furiæ morem formauit antiquitas. Eam in Satyrico, quo loco bellum ciuile inter Cæſarem, & Antonium deteſtatur, ita deſcribit Petronius Arbiter. *Intremuere tubæ, ac ſciſſo Diſcordia crine*, &c. reliqua adduximus Eclog. 1. ſuper illo, *en quo diſcordia ciues Perduxit miſeros.* Sciſſam ei pallam affingit poeta noſter lib. 8. Ariſtides quoque his ferme verbis. Diſcordia, & ſeditio ſupino eſt capite, labris liuentibus, oculis ſtrabis, putridis, tumefactis, lacrymis ſubinde fluentibus, manibus incontinentibus, mobilibusque, gladium intus ad pectus ferens, tenuibus, & obliquis innixa cruribus, & pedibus, eam, ceu rete, caligo, & tenebræ circumuolant: & reliqua quæ idem ſcripſit. Notiſſimum eſt, quomodo in nuptijs Pelei, & Thetidis in conuiuium iniecerit pomum, cuius inſcriptio, ἡ καλὴ λαβέτω, pulchra accipiat: quia videlicet eò vocata non f erat cum deabus cæteris, quod myſterio non vacat. *Dementem* nominat, quia vel in dementibus tantùm exiſtit, vel quia dementes facit. Secundùm Stoicos facilè eſt huius epitheti, & in hoc, & in alijs peccatis rationem reddere, qui dicunt, omnes ſtultos inſanire. Omnes autem non ſapientes, id eſt, non bonos (idem enim bonus, qui ſapiens) eſſe ſtultos.

In medio ramos, annoſaq; brachia pandit
Vlmus opaca, ingens. quam ſedem ſomnia vulgò
Vana tenere ferunt, folijsq; ſub omnibus hærent.
Multaq; præterea variarum monſtra ferarum,
Centauri in foribus ſtabulant, Scyllæq; biformes:
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ,
Horrendùm ſtridens, flammisq; armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæq;, & forma tricorporis vmbræ.
Corripit hîc ſubita trepidus formidine ferrum
Æneas, ſtrictamq; aciem venientibus offert.
Et ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare caua ſub imagine formæ:
Irruat, & fruſtra ferro diuerberet vmbras.

IN MED. RAM. ANNOSAQ.) A deſcriptione veſtibuli venit ad interiorẽ partem, quæ non eſſet ſub tecto. Fuit, inquit, illic vlmi arbor annoſa, & perinde ingens, ingentibus ramis effuſa, & opaca frondibus. Non enim omnes arbores ſunt eiuſmodi. Hic vult eſſe errores, qui occurrunt dormientibus per phantaſmata. Donatus.

QVAM SEDEM SOM. VVLGO .V. TEN.) Animum intemperatum, dum etiamnum agit in corpore, talem eſſe veteres ſentiunt, vt conſopitam in eo rationem eſſe intelligant, vel affectui prorſum mancipatam, vnde incluibils ad corpora vergens concipiatur habitus, qui in naturam euadat quodammodo. Proinde hinc graphicè appingens Orpheus ita canit. ἄρρηκτοι τ' ἀΐδου πύλαι, καὶ δῆμος ὀνείρων. Frangi nequeunt Plutonis portæ, intus agit populus ſomniorum. De animo ita affecto, grauiſſima eſt ex 7. de repub. Platonis ſententia: dormire illum in hac vita, & quidem profundius, ac prius, quam omnino expergefiat, demigrare. Poſt obitum verò etiamnum altiſſimo premi ſopore. Quin & inſomniorum abſurdiſſima exterreri ſpecie, quam rem ſub tartari nomine intelligi voluit. Philoſophi verò ſententiam aptiſſimè Platonicus poeta inuolucro, quamuis obſcuriore, expreſſit, cum inferorum veſtibulum, ac ingreſſum primum ita deſcripſit. Rhodigin. lib. 10. cap. 9.

Inter coniectores ſomniorum receptum eſt, vt quæ poſt vina & cibos, quæúe repetito ſomno eueniunt inſomnia, quæúe fiunt, cum folia ex arboribus decidunt, ea plerunq; vana exiſtimari. Alex. ab Alexand. lib. 3. cap. 26.

FERVNT) Rectè dixit *ferunt*, memor, ſe ſuprà dixiſſe, *Sit mihi fas audita loqui*, nec debuit auctor eſſe in incertis, vel fabuloſis potius, & falſis. Donatus.

CENTAVRI IN FOR. STAB.) Totum hunc locum de monſtris iſtis, conſidera mihi, quemadmodũ adumbrarit Sannazarius lib. 1. de partu Virginis.

Tum variæ peſtes, & monſtra horrentia Ditis
Ima petunt: trepident, Briareïa turba, Ceraſtæ,
Semiferumq; genus Centauri, & Gorgones atræ,
Scyllæq;, Sphingesq;, ardentiaq; ora Chimæræ,
Atq; Hydra, atq; canes, & terribiles Harpyiæ.

Centauri animantes habiti ſunt ex equo, & homine commiſti, de quibus hunc in modum Lucret. lib. 4.

Nam certè ex vno Centauri non fit imago,
Verùm vbi equi, atq; hominis caſu conuenit imago,
Hereſcit facilè extemplò, quod diximus ante.

Rurſum lib. 5. tale animal naturâ fuiſſe negat: & exiſtere neutiquam poſſe, argumentis docet.

Sed neq; Centauri fuerunt, neq; tempore in vllo
Eſſe queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas,
Hinc illinc paruis vt non ſic eſſe potis ſit, &c.

Nominatim recenſet poetas, medicos, philoſophos, theologos Delrius Comment. in Hercul. Fur. qui centauros nec fuiſſe, nec generari, aut viuere poſſe contendant. pag. 278.

SCYLLÆQ. BIFORMES) Hoc monſtrum deſcribitur lib. 3. Æneid. vide in Eclog. 6. ſymbolam ſuper illo, *Quid loquar aut Scyllam Niſi*, &c. Item ab Homero Odyſſ. μ'.

Ἔνθα δ' ἐνὶ σκύλλη ναίει, δεινὸν λελακυῖα:
Τῆς ἤτοι φωνὴ μὲν ὅση σκύλακος νεογιλῆς
Γίνεται, αὐτὴ δ' αὖτε πέλωρ κακόν, οὐδέ κε τίς μιν
Γηθήσειεν ἰδών, οὐδ' εἰ θεὸς ἀντιάσειεν, &c.

Id eſt. Hic autem Scylla habitat, horribiliter latrans. Cui vox eſt tanta, quanta catuli recens nati: ipſa autem mon-

monstrum est malum: neque quisquam ea visa, lætatus fuerit, ne si deus quidem ei occurrat. Lucretius etiam lib. 5. vbi probat nullum animal posse ex duorum generum animantibus creari, proindè nec Centauros, nec Scyllas.

Aut rapidis canibus succinctus semimarinis
Corporibus Scyllas, & cætera de genere horum,
Inter se quorum discordia membra videmus.

Bene plurali vsus est, *biformes*. Nam Scylla filia Nisi secundùm alios in auem conuersa est, secundum alios in auem, secundum alios in piscem. Ergo etiam ipsa biformis fuit, sicut hæc in Siciliæ freto. Dictum est autem per poetæ scientiam. Seruius.

ET CENTVMGEMINVS BRIAREVS) Propter centum brachia. Hunc gigantem Ioui aduersus Palladem, Iunonem, & Neptunum, reliquosq; deos, qui in eius tyrannidem cōiurauerant, fuisse auxilio, fabulatur Homerus 1. Iliad. vide Natal. Comitem lib. 2. cap. 1. De eodem est lib. 10. *Ægeon qualis, centum cui brachia dicunt, Centenasq; manus.* Hesiodus narrat hunc cum Gyge, & Catto socijs propterea orci vestibulo custodes adhibitos, ne vincula Titanes frustrarentur. ✠

BELLVA LERNÆ) Hydram alij centum fuisse capitum aiunt, alij octo, è quibus vnum erat immortale. Cum hoc monstro multum, diuq; conflictatus est Hercules, propterea quod vno reciso capite, plura renascerentur. Vide Chiliasten, adagio, Hydram secas.

FLAMMISQVE ARMATA CHIMÆRA) Homerus de chimæra sic Odyss. ζ. πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. Virgil. rursum lib. 7. de Turno armato,

Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.

Lucret. lib. 2. *Tum flammam tetro spirantes ore Chimæras.* Versiculum Homeri dimidiatum, vt solet, citat M. Tullius lib. 2. epist. ad Atticum. Quod de Q. F. epistola scribis ad me, quæq; fuit πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ quid dicam nescio. Lucret. lib. 5. eundem versiculum interpretatur, vbi nimirum probat, Chimæram nunquā extitisse, hoc argumento, quod cum poetæ fabulentur, eam flammas ore efflare solitam, constet antè Chimæra ex leone, dracone, capra: leones proinde, vt cæteræ animantes à flamma lędantur. Ex Lamb. in Lucret. Sed ipsos versus en accipe.

Flamma quidem verò quum corpora fulua leonum
Tam soleat terrere, atq; vrere, quam genus omne
Visceris in terris quodcunq;, & sanguinis extet:
Qui fieri potuit, triplici cum corpore vt vna
Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?

GORGONES, HARPYIÆQVE) Gorgones tres fuere sorores, Phorcynis filiæ, Euryale, Stheno, & Medusa, quarum capita draconum squamis obsita fuisse dicuntur, dentes maximi, suum instar. Item manus, & alæ, quibus per aera ferri dicebantur, & in se intuentes in saxa vertere. Ex tribus verò Medusa mortalis fuisse fertur, ideoq; à Perseo decollata, &c. Vide Gyrald. Syntag. 5. Natal. lib. 7. cap. 12. De Harpyijs dictum lib. 3. lege Gyraldum Syntag. 6. in Furijs.

FORMA TRICORPORIS VMBRÆ) Geryon fuit rex Hispaniæ triplici corpore, Chrysaoris, & Callirrhoes filius. Hic boues alebat, qui hospites vorabant. Canem item habebat duorū capitum in Erythræa, ac septicipitem draconem ex Typhone, & Echidna genitum, qui boues ipsos custodiret. Habuit verò suæ crudelitatis ministrū impigrum, atq; diligentem Eurytionem, &c. Natalis lib. 7. cap. 1. Cur fictum, tria habuisse corpora, vide Gyraldum in Hercule, pag. 553. p.

STRICTAMQVE ACIEM VEN. OFFERT) Homerus Odyss. λ. ita fingit Vlyssem ad inferos descendentem timuisse, ferrumq; nudasse, cùm mortuorum vmbras, seu animas apparere vidisset. Nascimb.

Offert strictam aciem venientibus Æneas, non ad feriendum, sed ad repellendas vmbras: vnde & offert dixit: sacerdos autem ferire prohibet. Ita Seruius. Hæc nescio quam cum sensu poetæ concordent: percussurus veiquè fuerat, nisi Sibylla ictum inanem futurum, & aerem verberaturum monuisset. Pugnare secum videtur Seruius. Si enim non ad feriendum offerebat strictum gladium, non erat cur eum sacerdos ferire prohiberet. ✠

DOCTA COMES) rerum gnara, sapiens, & diuinæ voluntatis conscia.

TENVES SINE CORPORE VITAS) Eleganter, & verè ipsas animas appellat vitas. Sic in 12. *Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub vmbras.* Hoc est argumentum, quo Augustinus potissimùm animi immortalitatem confirmat. Nam cùm animus, inquit, sit per seipsum vita, non capit vita interitum: sicut nec lux obscuritatem, fortitudo imbecillitatem, veritas falsitatē: corpus autem in eo differt, quod non à seipso, sed ab alio sumit vitam, id est, ab animo: nimirum igitur, si illo recedente extinguitur, tanquam à vita deseritur: animus autem, qui vitam per se habet, non potest extingui: quandoquidem nemo seipsum deserit. Et pulchrè D. Bernhard. Vita, inquit, anima est, viuens quidem, sed seipsa, & per hoc non tam viuens, quàm vita, vt propriè de ea loquamur. Inde est, quod infusa corpori viuificat illud, vt fit corpus de vitæ præsentia non vita, sed viuens. In hoc autem gerit anima similitudinem quandam cum deo, quod non solum est vita, sed etiam viuificans. Sequitur etiam, vt sit immortalis: quoniam cum sibi ipsi vita sit, sicut non est quo cadat à se, sic non est quò cadat à vita. * *Verumtamen quæ sequuntur in Virgil. ita sonant, quasi animæ imaginū earum, quæ è speculis redduntur, essent similes, quæ tametsi nostram speciem referant, ac motus, actionesq; imitentur, corporea tamen natura, quæ tactuì subiaceat, sunt expertes. Ita Hieron. Columna ad illud Ennij ex Hecuba*, falso sanguine imagines mortuorum. *Ex quo etiam claret, quid velint poetæ, cum eas vocant vmbras, & simulacra luce carentum.*

CAVA SVB IMAG. FORMÆ) Cauum proprietas est sinuosi, & concaui, ac per hoc sine dubitatione corporalis. Virgil. verò de incorporalibus, quæ sunt inania tantum, vel obscura, dici posse testatur hoc quidem loco, & lib. 10. *Tum dea nube caua tenuem, & sine viribus vmbram*, &c.

IRRVAT, ET FRVSTRA FER. DIVERB. VMBRAS) Enallage temporis, pro irruisset, diuerberasset: sed frustra, cum substantiæ sint plane corporis expertes, quæ nec sensu aliquo tangi, nec lædi possunt. Montfortius.

Hinc via tartarei quæ fert Acherontis ad vndas:
Turbidus hìc cœno, vastaq; voragine gurges
Æstuat, atq; omnem Cocyto eructat arenam.

Portitor has horrendus aquas, & flumina seruat
Terribili squalore Charon, cui plurima mento
Canicies inculta iacet, stant lumina, flamma:
Sordibus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisq; ministrat,
Et ferruginea subuectat corpora cymba,
IAM SENIOR, SED CRVDA DEO, VIRIDISQVE SENECTVS.

HINC VIA TART. Q. F. ACHERONT.) Eodem ordine vsus est Plato in describendis inferorum locis in Axiocho, cùm ait. Vestibula autem, quà aditus ad Plutonis regnum, ferreis sunt claustris, atque clauibus obfirmata, aperientem illa fluuius Acheron excipit: post quem Cocytus est: eos vbi quis traiecerit, ad Minoem, & Rhadamantum est accedere necesse, &c. Hic παρεργικῶς stygis paludis mentio fit, quam turbidum gurgitem vasta voragine appellat, id quod facilè intelligi potest, quod paulò infrà ait Sibylla, *Cocyti stagna alta vides, stygiamq; paludem.* Huiusmodi igitur est horum fluuiorum situs. Acheron est, quem poeta de tartaro sentit exire: huius æstus stygiam facit paludem: de styge nascitur Cocytus: quæ si allegoricè interpreteris, Acheron absque gaudio significat. Qui gaudio caret, is tristitia afficiatur necesse est, quod per stygem designatur, ἀπὸ τοῦ στυγεῖν dictam. Tristitia luctui proxima est, qui Cocyti nomine intelligitur, ἀπὸ τοῦ κωκύειν, id est, lugere. Nascimb.

PORTITOR HAS HORREND. AQ. ET FLVM. SER.) Seneca Hercule Furente hanc imaginem Charontis depinxit, sanè fœliciter, res ipsa docebit.

Hunc seruat amnem, cultu & aspectu horridus,
Pauidosq; manes squalidus gestat senex:
Impexa pendet barba, deformem sinum
Nodus coercet, concaua lucent genæ,
Regit ipse conto portitor longam ratem.

Idem Oedipo.

Quiq; capaci turbida cymba
Flumina seruat, durus senior
Nauita Charon.

Portitores sunt telonarij, qui portum obsidentes, omnia scrutantur, vt ex ijs vectigal accipiant. Nonius.

Etiam Propert. portitorem vocat Charontem lib. 4. eleg. 12.

Vota mouent superos, vbi portitor æra recepit
Obserat herbosos lurida porta rogos.

Iuuenalis porthmea græco nomine appellauit, *tetrumque nouitius horret Porthmea*, à πορθμεύειν, quod est traijcio, transfreto. Vnde Ouid. de ariete, qui Phryxum gestauit, & Hellen pauidam in mare deiecit, à quo casu Hellesponto nomen est, ita cecinit. *Mox vbi nubigenæ Phryxi, nec portitor Helles.* Nam vt Phryxi, quem transfretauit, portitor fuit, ita Helles πορθμεὺς, id est, transfretator non fuit, quia eius tergo lapsa in mare decidit. Vt portitor à portando habeat significationē, formam verò à portu, & de eo qui naui freta, vel flumina cymba, aut lintre traijcit, apud poetas dicatur. Hæc Erythræus Indice.

CVI PLVR. M. CAN. INCVLTA IACET) barbam habebat effusam, canam, sed neglectam, non illam comebat, vt hodie quidam solent: sed tamen etiam hodie senes hanc curam in posterioribus habent: quippe senectus deliciarum solet esse incuriosior.

STANT LVMINA FLAMMA) id est, pleni sunt oculi flammis, flammant oculi. Sic lib. 12. *iam puluere cœlum Stare vident*, id est, oppletum puluere. Lucilius, pectus sentibus stare, id est plenum esse. Turneb. lib. 28. cap. 32.

SVBVECTAT CORPORA CYMBA) Testatur Lucianus, dialogo de luctu, id moris fuisse apud antiquos, vt obolum numisma perexiguum in os singulis mortuis includerent, quod naulum esse Charontis arbitrabantur. Is autem numulus danace à Græcis dicebatur, vt testatur Callimachus. Aristophanes autem in Ranis, duos obolos postea naulum eiusdem fuisse scripsit. Neq; tamen ea parua mercede semper contentus fuit: sed aliquando ab Atheniensium imperatoribus, ne illi æquari multitudini cogerentur, auctum est Charonti stipendium, & vsque ad triobolum peruentum. Tanta fuit antiquorum nonnullorum dementia, vt inferos etiam auaritia, & nummorum desiderio vexari, arbitrati sint. Hæc carptim ex Natali Comite, lib. 3. cap. 4.

IAM SENIOR, SED CRVDA. D. VIRID. SEN.) *Huiuscemodi senectus est illi, qui apud Euripid. Iphigenia Aulidensi ab Agamemnone euocatus, sic glorians respondet.*

Μάλα τὸ γῆρας τὸ μὸν ἄυπνον,
Καὶ ἐπ' ὀφθαλμοῖς ὀξὺ πάρεστιν.
—— mea namq; est
Multum impigra, vigilq; senecta,
Sic, vt & ipsis constet, & adsit
Vigor, atq; acies sua luminibus.]

Hic seniorem quispiam intelligeret, qui iam 45. annum excessit: nam ab hac ætate seniores dicebantur apud Romanos. In iuniores enim, & seniores diuidebantur Romani. Quam in sententiam discedere videtur Seruius. Mihi tamen videtur senior esse, qui progressiori esset ætate, cum scribat, *cui plurima mento Canicies inculta iacet*, sed ætatem bene ferret, vt senectus cruda videretur, & viridis: cruda autem est, non matura, sed viridis adhuc. Nam matura dicitur in ijs, qui ea prope confecti sunt. Cruda senect. quæ ante diem venit Hesiodo, cum ait, καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν: vnde & ὠμογέροντες Turneb. lib. 22. cap. 18.

Tacitus in vita Agricolæ: quibus cruda, ac viridis senectus, clari bello, haud dubiè huc respiciens. Galen. lib. de conseruanda valetud. triplicem facit senectutem: primam dicit vocari crudam, & ab ea ὠμογέροντας: secundam circiter annum sexagesimum, à qua γέροντας: tertiam decrepitam, à qua πεμπέλους. German.

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres atq; viri, defunctaq; corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri innuptæq; puellæ,

quorum ille Martis, hic Iouis Ammonis videri filius volebat. Sic alibi. *Salue vera Iouis proles*. Vera, non simulata, legitima, germana. Nascimb. Seruius.

DII CVIVS IVRARE TIMENT) Statius lib. 8. Thebaid. *Et Styx periuria diuûm Arguit*. Homer. Odyss. ε.

Ἴστω νῦν τόδε γαῖα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος
Ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι.

Apollon. 2. Argon.

Ὣς φαμένη λοιβὴν Στυγὸς ὤμοσεν, ἥτε θεοῖσι
Ῥιγίστη πάντεσσιν, ὀπιδνοτάτη τε τέτυκται.

Ausonius in Monosyllabis. *Quaeq; piat diuûm periuria nocticolor Styx*. Apuleius lib. 6. Metam. Dijs etiam, ipsique Ioui formidabiles aquas stygias, vel fando comperisti? quodque vos deieratis per numina deorum, deos per stygis maiestatem solere? Apollo, siue Sol apud Ouid. 2. Metamorph. ad Phaetontem filium, cui quiduis daturum promiserat, quod ille petiuisset: petiuit autem adolescens inconsideratus, ac temerarius ad vnũ diem moderamen currus eius.

Quid mea colla tenes blandis ignare lacertis?
Ne dubites, dabitur (stygias iuranimas vndas)
Quodcunq; optaris: sed tu sapientius opta.

Quod si qui per aquam stygiam peierassent, ad certum tempus deorum reliquorum epulis, & consuetudine multabantur. Plura de his, & quamobrem hic honor Stygi habitus, Natalis Comes libro 3. cap. 2. quem lege.

Caeterùm, quia sanctiores etiam Christianorum litterae deum nõ commentitium, sed verum, & vnicum iurare affirmant, disputat de eo sapienter Philo Hebraeus, in libro de sacrificijs Abelis, & Caini, an verè id illi conueniat: quoniam plurimis videtur non esse id illi proprium. Iusiurandum enim intelligitur testimonium dei de re ambigua, deo autem nihil est incertum, aut dubium: quin etiam alios in cognitionem veritatis conatur inducere. Ipsi certè nullo teste opus est: nec enim est alius deus huic honore par. Ne quid dicam de teste, quod in quantum testimonium exhibet, maior est eo cui datur testimonium: alter enim opis indiget, alter fert. At quod opem fert, fide dignius est eo, quod hoc indiget. Sed nihil est praestantius summo illo rerum auctore, quia ne conferendum quidem quidquam, immo neque paulo deterius: sed toto genere demissum infra deum inuenitur, quidquid est. Et homines, vt fides ipsis habeatur, ad iusiurandum confugiunt: Deus vel simpliciter loquens fide dignus est. Itaque verba eius, quantum ad certitudinem, nil à iuramento differunt. Ita fit, vt sententiae nostrae fides ex iureiurando accedat, ipsi vero iuramento, ex deo. Nõ enim propter hoc deo creditur: sed hoc per deum confirmatur. Cur igitur vati nostro (Moysi) visum est iurantem eum introducere? vt infirmitatem creaturae coargueret, & conuictam consolaretur. Non poterat enim anima nostra semper in promptu habere, praecipuam illam de Deo sententiam, non esse eum homini similem, vt transcendamus, quidquid praedicatur de homine: sed quia maxima ex parte affines sumus rerum mortalium, & praeter eas nihil cogitare possumus, neque proprios morbos egredi: sed induti rebus mortalibus, tanquam cochleae, eisque harum in morem inuoluti, easdem de illo beato, immortalique, quas de nobis opiniones habemus, verbis quidem negantes deum humana forma praeditum, re autem, ab impietate quorundam, qui affectus ei tribuunt, non alieni, vtcunque tergiuersamur: ideo manus, pedes, introitum, exitum, odium, alienationem, auersationem, iram ei affingimus, affectus nihil ad auctorem illum suum pertinentes, in quibus & iusiurandum est, quo subleuatur nostra infirmitas. *Idem auctor lib. 2.* Allegoriarum legis, sapienter demonstrat quomodo absurdum nõ sit, deum per semetipsum iurare ac sibimet testimonium ferre, ab eo loco: Aiunt sanè iusiurandum testimonium esse dei de re, &c.

INOPS, INHVMATAQVE TVRBA) Inhumatam turbam vocat, quae legitima caruit sepultura: inopem, quae etiam imaginaria, seu cenotaphio, & vult hanc tantum valere, quantum illam.

PORTITOR ILLE CHARON) Portitores qui dicerentur, paulò antè ex Nonio tradidimus. Cic. 4. de B Repub. Nolo enim eundem populum imperatorem, & portitorem esse terrarum. De Offic. Primùm improbantur ij quaestus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitorum, vt foeneratorum. Portoria erant pecuniae, quae portitoribus pendebantur, id est ijs, qui mercedes ex mercibus in portum deuehendis exigebant, vnde circumuectionis quoque portorium celebratum est. Nonius, & Festus.

QVAM SEDIBVS OSSA QVIERVNT) quam sepultura affecti fuerint. Sepulchrum quippe est propria mortui cuiusque sedes. Sic suprà de Miseno, *Sedibus hunc refer ante suis*, cum illum sepeliri iuberet. Per soporem Achilli obiectus Patroclus apud Homerum C Iliad. ψ. orat, vt se ocyus sepulchro commendet, ne ab ostio inferorum diutius excludatur. Vmbras, & manes obstare sibi insepulto, quo minus fluuium infernum traijciat. Hinc se per vastas Orci solitudines errare, & vagari. Stat. lib. 1. Thebaid. de vmbra Laij:

---- & extinctum nati quem vulnere nondum
Vlterior Lethes accepit ripa, profundi
Lege Erebi.

CENTVM ERRANT ANNOS) Centum annos errare ideo dicit, quia illi sunt legitimi vitae humanae: quibus completis, potest anima transire ripas, id est, ad locum purgationis venire, vt redeat rursus in corpus: seu ita. Numeri quos vniuersos dicim' (denarius, centenarius, D millenarius) purgationi, & emaculandis dicantur animis, vt labes ex peccato inusta, concretaque prorsum, eluenda significetur, vt candidissima aeternitatis luce perfrui valeamus: quae depuratum modo, extersumque nitidius admittat *Aethereum sensum, atq; aurai simplicis ignem*. Propterea reconditioris scientiae poeta nobilis, Platonicorum mysterijs ampliter imbutus ita pronuntiat, *Centum errant annos, volitantq; haec littora circum*, &c. Et alibi ad eundem sensum, *mille rotam voluere per annos*. Rhodigin.

TVM DEM. AD. STAG. EXOPT. REVIS.) Centum annis exactis, ad Lethen, & Styga reuertuntur, quarum desiderio tot annos captae fuerunt, & per eas transuehi cupierunt.

Constitit Anchisa satus, & vestigia pressit,
Multa putans, sortemq; animo miseratus iniquam.
Cernit ibi moestos, & mortis honore carentes,
Leucaspim, & Lyciae ductorem classis Orontem:
Quos simul à Troia ventosa per aequora vectos
Obruit Auster, aqua inuoluens nauemq;, virosq;.
Ecce, gubernator sese Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera seruat,
Exciderat puppi, medijs effusus in vndis.

Hunc

Hunc vbi vix multa mœstum cognouit in vmbra,
Sic prior alloquitur. Quis te Palinure deorum
Eripuit nobis, medioq; sub æquore mersit?
Dic age. namq; mihi fallax haud antè repertus,
Hoc vno responso animum delusit Apollo:
Qui fore te ponto incolumem, finesq; canebat
Venturum Ausonios. en hæc promissa fides est?

CONSTITIT, ET VESTIG. PRESSIT) Non est ταυτολογία sed τὸ *constitit*, ad gressus compressionem, alterum ad animi cogitationem refertur: solent enim cogitabundi pedē figere, & consistere aliquando: ideo sequitur, *multa putans*. Nascimb.

MVLTA PVTANS) ἀφαίρεσις, pro reputans. Terent. *Dum hæc puto, præterij imprudens villam*, pro reputo. Putamus enim instantia: reputamus præterita. Donatus in Eunuchum.

SORTEMQVE ANIMO MISERAT. INIQVAM) Sors iniqua quæ sit, ex superioribus patet. Mortis honor sunt exequiæ, & pompa funebris, quali sepultus est Misenus. De naui Orontis habes libro 1. *Vnam quæ Lycios, fidumq; vehebat Orontem*, &c. Rectorem illius iam cognoscis dictum Leucaspim, de quo ibi dicitur, *pronusq; magister Voluitur in caput*. Æquora ventosa vocat, quia plurimum ibi venti dominantur. Catull. *Quæ simul ac rostris ventosum proscidit æquor*. Nascimb.

SESE PALINVR. AGEBAT) ægre se mouebat: agere enim se tardi, & tristes dicuntur. Et fortasse à physica ratione tractus est sermo: nam agitur corpus animi iudicio. Nascimb.

QVI LYBICO NVPER CVRSV) Adeas licet lib. 5. in extremo, ab illo loco, *Iamq; ferè media cæli nox humida metam Contigerat*.

VIX MVLTA MOESTVM COG. IN VMB.) Totus Platonicus est in hoc libro Maro noster, & hic maximè Platonis sententiam sequitur, de anima vitijs inquinata. Quæ, donec in sordibus inuoluta est, obscura existit, vixq; agnosci potest: vbi vero per purgationem è sordibus emerserit, clarior fit. Cum igitur Palinurus ad purgatoria loca nondum transierit, quid mirum, si eum agnouit Æneas? Est autem oratio Æneæ partim petitoria, partim expostulatoria. Primum enim ab eo quærit, vt perierit. Deinde se ab Apolline delusum fuisse conqueritur. Orditur à commiseratione, cum ingenti doloris affectu. Et videtur sentire, deos tum Palinuro, tum sibi iratos fuisse. Et occultè innuit, Apollinis oraculum nō semper esse verum. Nascimb.

QVIS PALIN. DEOR. ERIP. NOB. MED.) Poetis familiare fuit Dijs suis tam mala, quam bona omnia accepta ferre. Virgil. alibi. *Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit?* Ouid. *Quis deus hunc formosis*, inquit, *iniquus Perdere vult?* Liuius Andron. in Odyssea. *Inferus, an superus tibi fert hæc funera Vlyxes*. Anchilochus τοῖς θεοῖς τίθει πάντα. Adde Senecam Thyeste *Quis malè deorum Tantalo viuas domos Ostendit iterum?* Ibidem hæc Delrius.

HOC VNO RESPON. AN. DEL. APOLLO) In hoc tantum mentitus est mihi Apollo. quomodo deluserit, mox exponitur. Veruntamen euenit quòd prædixerat, tametsi non eo sensu, quo Æneas, & Palinurus capiebant verbum. Sed fuit mos oraculi illius, ambigua responsa dare. Diabolus enim quamuis ab initio mendax fuerit, & pater mendacij, noluit tamen videri mentitus. ※

Ille autem, Neq; te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiade, nec me deus æquore mersit.
Namq; gubernaclum multa vi forte reuulsum,
Cui datus hærebam custos, cursusq; regebam,
Præcipitans, traxi mecum. maria aspera iuro,
Non vllum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis nauis surgentibus vndis.
Tres Notus hybernas immensa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Prospexi Italiam, summa sublimis ab vnda.
Paulatim adnabam terræ, iam tuta tenebam:
Ni gens crudelis madida cum veste grauatum,
Prensantemq; vncis manibus capita aspera montis,
Ferro inuasisset, prædamq; ignara putasset.
Nunc me fluctus habet, versantq; in littore venti.

NEQVE TE PHOEBI CORTINA FEFEL.) De fide oraculi primùm respondet. Cortina est tripus, seu vas aureum, tribus pedibus sustentatum, in quo sedentes Phœbades vaticinabantur. Et quia huiusmodi tripodes, seu cortinæ Apollini Delphico dicari solebant, alio nomine Delphicæ nuncupatæ fuerunt. Plin lib. 34. Ex ære factitauere & cortinas, tripodum nomine, Delphicas, quoniā donis maximè Apollinis Delphici dicabantur. Expo-

Exponit deinde casum suum, suamq; de Ænea sollicitudinem, & animum plenum pietatis in ipsum ostendit, qui de eius, quam de sua salute magis anxius fuerit. Et tempestatis, periculique sui magnitudinem exaggerat à diuturnitate temporis. Sequitur πάθος præter spem, à Lucanis enim cùm ad littus adnatasset quia lucrum aliquod inde expectabant, fuit crudeliter interfectus, & rursum in vndas abiectus. Nascimb.

VIX LVMINE QVARTO P. ITAL.) Lux & lumen pro die sumuntur, quoniam sine luce, & lumine dies non est. Sic infrà, *Quin & supremo cum lumine vita reliquit.* Tuscul. 3. *Namq; nimis multos atq; omni luce cadentes Cernimus.* Idem pro Milone: Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodij. Ouid. 4. Fast.

Restat vt inueniam, quare toga libera detur
Luce geri pueris, candide Bacche, tua.

Pro Rabirio Cic. ex Ennij Medea. *Si te secundo lumine hic offendero.* pro secundo die. Paul. Manut. in Milonian. Sic Catull. de dijs. *Nec se contingi patiuntur lumi*-A *ne claro*, id est, claro die, vt Germani, *am hellen liechten tag.*

PRENSANTEMQVE MANV CAP. ASP. MONTIS) identidem apprehendere conantem. Summum conatum signat in luctando circa promontorium. Montem item saxum vocat ὑπερβολικῶς. Accipere possumus, inquit Donatus, aspera saxorum, quæ ex radicibus montis, quasi cum quibusdam capitibus in mare tenduntur, quæ apprehendere, & ibidem adhærescere nitebatur.

NVNC ME FLVCT. H. VERS. IN LIT. VENTI) Me, id est corpus meum, quod insepultũ iactatur fluctibus, & modò ad littus propellitur, modò à littore in altum repellitur. Eadem pæne est Palinuri oratio cum illa Polydori in Hecuba Euripid. sic enim ille de suo corpore.

Κεῖμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς, ἄλλοτ' ἐν πόντου σάλῳ
Πολλοῖς διαύλοις κυμάτων φορούμενος.
Nunc super arena littoris iaceo, hactenus
Æstu per æquor huc, & huc vectus ago.

Quod te per cæli iucundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per spem surgentis Iuli,
Eripe me his inuicte malis: aut tu mihi terram
Inijce (namq; potes) portusq; require Velinos.
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diua creatrix
Ostendit, (neq; enim, credo, sine numine diuûm
Flumina tanta paras, stygiamq; innare paludem)
DA DEXTRAM MISERO, & tecum me tolle per vndas,
Sedibus vt saltem placidis in morte quiescam.

QVOD TE PER CÆLI IVCVNDVM) Sophocleam B imitationem obseruat Nascimb. Lib. 2. Æneid.

Quod te per superos, & conscia numina veri
Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquã
Intemerata fides, oro.

Quem locum vide cum symbola. Sic lib. 3. Achæmenides.

—— per sidera testor,
Per superos, atq; hoc cæli spirabile lumen,
Tollite me Teucri.

Horat. similiter.

Quod te per genium, dextramq;, deosq; penates
Obsecro, & obtestor, vitæ me redde priori.

AVT TV MIHI TERRAM INIICE) Vide supra: *quam sedibus ossa quierunt.* De terra mortuis inijcienda Phocylides, γαῖαν ἐπιμοιρᾶσθαι ἀταρχύτοις νεκύεσσι. Et Sophocles. λεπτὴ φεύγοντος ὡς ἄγος κόνις ἐπῆν. Dionysius de Horatio lib. 3. ἀλλ' οἱ παριόντες αὐτὸν ἐρριμμένον ἐν ᾧ διηχέωθη χωρίῳ, λίθους ἐπιφοροῦντες, καὶ γῆν, ἔκρυψαν ὡς σῶμα ἔρημον κηδεμόνων. Quibus è verbis intelligimus, hoc genere sepulturę qui prętteribant, in eos vti solitos, quos propinquus nemo funerabat. Festus porrò præcidaneam porcam dicit, quæ immolabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecisset, id est, glebam non obiecisset: hoc intelligo de genere sepulturæ, quod per iniectionem glebæ fiebat: quod genus omnium infimum D erat, vsurpabaturque, cum quis in cadauer insepultũ incideret. Nam insepultum relinquere, nefas habebatur, quod porca expiandum esset, id est, piacularibus sacris soluendum. Horat. Ode 28. lib. 1. *licebit iniecto ter puluere curras.* Inexpiabilem pæne fraudem fuisse id non facere, ostendit.

Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere. fors &
Debita iura, vicesq; superbæ
Te maneant ipsum. precibus non linquar inultis,
Teq; piacula nulla resoluent.

Turneb. lib. 16. cap. 22. Et lib. 25. cap. 6. Idem Comment. in Varron. de ling. lat. Qui Romanus vstus est, aut in sepulturam abiecta gleba non est, humatus non dicitur. Festus in vocabulo præcidanea, scribit *obiecta*, Virgil. *iniecta*. Sed & Cic. 2. de leg. Et quod nunc communiter in omnibus sepulchris ponitur, vt humati dicantur, id erat proprium tum ijs, quos humus iniecta contegeret.

C Sepulcrum ante non est, quàm iusta facta, & corpus incensum. Humatos propriè dicebant, quos humus iniecta contegeret. Eum morem ius pontificale confirmat. Nam prius quàm iniecta gleba est, locus vbi crematum corpus est, nihil habet religionis: iniecta gleba tumulis & humatum est, & gleba vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Ex hoc verò ritu copiosius explicato, enarratur amplius hic locus Maronianus, in quo plus iusto inarescunt interpretes. Impium porrò censebant, viso cadauere insepulto non iniecisse puluerem, quod in Antigone indicat Sophocles, & Athenis Buzyges eos est execratus, qui inhumatum corpus neglectui habuissent. Iam & Græci hinc sepulcra dicunt ἠρία, hoc est eria, vt Theocriti interpres scribit in Pharmaceut. παρὰ τὴν ἐπιχεομένην τοῖς νεκροῖς ἔραν. Id est, ab ea quæ mortuis inijcitur terra, quam vocant eram. Sunt qui eria opinentur dici non surrecta, sed iacentia sepulcra. Rhodig. lib. 17. cap. 21.

PORTVSQVE REQVIRE VELINOS) Hyginus, vt refert Gell. lib. 10. cap. 16. reprehendit Virgiliũ, & cor-

& correctum fuisse existimat hunc locum. Quo, inquit, modo aut Palinurus nouisse, aut nominare potuit portus Velinos, & Æneas ex eo nomine locum inuenire, quum Velia oppidum, à quo portum, qui in eo loco est, Velinum dixit, Seruio Tullio regnante Romæ post annum amplius sexcentesimum, quàm Æneas in Italiam venit, conditum in agro Lucano, & eo nomine appellatum sit? Inscitissimè igitur petit, vt Æneas portum Velinum requirat, cum id nomen eo tempore fuerit nusquam gentium. Neque simile illud videri debet, quod est, in primo carmine, *Italiam fato profugus, Lauinaq; venit Littora.* Aut quod æque est in 6. libro, B *Chalcidicaq; leuis tandem superastitit arce*, quoniam poetæ concedi solet κατὰ πρόληψιν historiæ dicere ex sua persona, quæ facta ipse postea scire potuit: sicut Virgil. C sciuit de Lauinio oppido, & de colonia Chalcidensi. Sed Palinurus quì potuit scire ea quæ post annos sexcentos facta sunt? Nisi quis eum diuinasse apud inferos putat, perinde vt animæ defunctorum solent. Sed etsi ita accipias, quamquam non ita dicitur, Æneas tamen, qui non diuinabat, quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc, sicuti diximus, nullum vsquam fuit?

Defendit tamen poetam Iouianus in Antonio his verbis. Quasi verò poetis permissum non sit, quædam C etiam ad sua tempora in carmine referre, vt locorum, vt fluminum nomina, vt armorum genera. Dicat mihi velim Hyginus, cur non etiam accusat Virgilium, quòd Æneam, qui Troianus esset, latinè loquentem inducat? Facessat igitur diligentia tam arcessita, & huiusmodi multa permittantur poetis. In quæ etiam volentes incidunt, non rerum ignorantia decepti.

Iuuat his annectere, quæ disserit Scalig. Poet. lib. 3. cap. 49. Πρόληψις latinè anticipatio, præsumptio, alia oratorum est, alia poetarum. Illa fit, cùm præripimus id, quod ab aduersario adduci potest. Hæc, quoties poeta personæ suæ circumstantias attribuit ei personæ, & loco, cui per se non competunt. Circumstantia per- D sonæ multiplex est, atquæ inter cæteras tempus, & ea quæ ad sæculum cuiusq; pertinet. Idcirco si dicam, expugnatum oppidum bombardis Æneæ tempore, πρόληψις erit, siue præsumptio: propterea quòd quæ bellica tormenta sic vocant, tunc non erant, nunc sunt. Vtuntur autem ea figura duobus modis: vnus est mollior, quum poeta loquitur. *Italiam fato profugus, Lauinaque venit Littora.* Etenim illò cum appulit Æneas, nondum Lauina littora dicebantur. Hoc tamen tolerabile est: subintelligas enim, quæ postea Lauina dicta sunt. Alter modus duriusculus, vbi poeta personæ attribuit orationem, quæ mentionem faciat cuiuspiam rei tunc non existentis: aut si erat, nequaquam eo no- E mine vocabatur, quo illam appellari facit. Sic Palinurus, exempli gratia, Æneam rogat, vti suum corpus afficiat sepultura, designat locum: *portus*, inquit, *require Velinos.* Portus quidem erat, nomen autem aliud. Est igitur anticipatio, quia Virgilij tempore sic nominabatur. Durior autem est, vt dicebamus: quippe loquitur Palinurus, cui oratio è reipsa, quæ suo tempori conueniret, attribuenda erat.

Meminit etiam Turneb. reprehensionis huius Maronianæ lib. 22. cap. 1. & affirmat, excusari poetam posse ex vocabuli notatione & significatione, quod Velinus sit palustris. Igitur perinde est, ac si diceret, require portum palustrem, vbi meum reperies cadauer. Velinus enim ab ἕλος deducitur.

Adnotatum à Græcis, Triptolemi temporibus Pythia primùm cœpisse, annis post Orestem propemodum sexcentis. Fingit tamen in Electra Sophocles Clytæmnestræ nuntiari, Orestem in Pythicis perijsse certaminibus: quod ab interpretibus est animaduersum. Proinde excutiant ingeniosi, ecquid aduersus Gellij supercilium tueri hoc exemplo Virgilium queamus. Sic in Hercule Fur. apud Senecam Iuno. *Hinc clara gemini signa Tyndaridæ micant*, cum nondum essent nati dioscuri illi, id est Castor & Pollux. vocatur ἀναχρονισμὸς hæc figura. Quanquam excusari potest aliunde hoc exemplum, quia Iuno, vt dea, præscire futura potuerit.

Accedat responsum Alciati Iureconsulti clarissimi. Regula est (inquit Parergon lib. 5. cap. 21.) iuris nostri certissima. Ex præsenti in præteritum præsumi: vt scilicet quod hodie est, & olim fuisse credatur: cui locum esse in ijs tradiderunt, quæ verisimiliter mutationis alicuius periculum non subeunt. Qui ergo fluuij, aut montes nunc sunt, & à creato orbe verisimile est fuisse: quòd natura rerum perpetua sit, licet vrbes ab hominibus conditas ante eorum conditores certum sit non fuisse: nec puto hac in re quemquā hæsitaturum. Qua ratione defendi potest Virgil. tum hic, tum 3. Æneid. ibi, *Apparet Camarina procul, campiq; Geloi, Arduus inde Acragas.* Non de ipsis oppidis loquitur, sed C de campis, & fluminibus, quæ procul dubio semper fuerant. Veliam à fluuio eam præterlabente dictam esse auctor est Stephanus, dictione Ἐλέα: vt rectè possimus portum intelligere, quem fluuius ille facit. Sic & Camarina palus, seu fluuius est, sicut & Gela, & Acragas: etenim, vt Duris inquit, plurimæ Siculorum vrbes à fluminibus nomen sumpserunt, vt Syracusa, Gela, Imera, Selinus, Phœnicois, Eryce, Camarina, Acragas. Dictus autem est fluuius Acragas ab Acragante, Iouis & Asteropes Oceanitidis filio, vt scribit Stephanus. Polybius fluuium ipsum, itemque ciuitatem à campis eius regionis nomen sumpsisse mauult, quæ ἀκράγας dicebatur διὰ τὸ εὔγεον, propter terræ bonitatem.

Modicius cap. 2. poetam hac ratione defendit. De Carthagine, quam Dido annis trecentis post Æneam condidit, nemo Virgilium reprehendit, quin etiam laudant omnes, quod rem bello Punico, inter Romanorum, & Carthaginensium conuicia fictam ita exornarit, vt pro vero habeatur. De Velia ratio quędam mollior est: ad quam nos hoc pronuntiatum apportamus. Vbi caussa nominis antiquissima fuit, potuit & nomen ipsum antiquissimum esse: ex quo dicimus poetis licere vrbes, quæ nomen à montibus, fluuijs paludibus, & fontibus habent, antiquiores, quam historici dicunt, facere. Lege quæ sequuntur. Extrema verba capitis hæc sunt. Palinuri corpus à ventis versabatur in littore, iuxta portum, qui erat in Lucanis. Vt inueniretur, erat portus ille aliqua appellatione declarandus. Quid aliud potuit Virgil. quam vti eo nomine, quod propter originem potuit antiquissimum esse?

DIVA CREATRIX) omnium animalium, vt videre est in proœmio Lucretij: aut Æneæ creatrix, siue mater. Hoc melius, id quod ex lib. 8. patet, vbi ad Euandrum Æneas de signo cælitus à Venere dato propter arma, quæ filio afferebat, *Hoc signum cecinit missuram diua creatrix.*

NEQVE ENIM SINE NVMINE DIVVM) Renouat locum à facili per coniecturam ex diuinitate Æneæ: ex qua colligitur argumentum à maiore. Si diuinitate, deorumque nutu ductus, hæc inferorum loca subire potuisti, quanto magis opem mihi ferre poteris?

A DA DEXTRAM MISERO) Fidei, & auxilij signum dextra. Vide Pierium lib. 35. in Manu. Petit igitur opem sibi ferri.

SEDIBVS VT SALTEM PLACIDIS IN MORTE) Quo pacto hæc intelligenda sint, ex responso Sibyllæ patet, *Tu stygias inhumatus aquas*, &c.

Talia fatus erat, cœpit cùm talia vates.
Vnde hæc, ô Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu stygias inhumatus aquas, amnemq; seuerum
Eumenidum aspicies? ripamúe iniussus abibis?
Desine fata deûm flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longè lateq; per vrbes
Prodigijs acti cælestibus, ossa piabunt,
Et statuent tumulum, & tumulo sollemnia mittent:
Æternumq; locus Palinuri nomen habebit.

B VNDE HÆC, Ô PALINVRE, TIBI) Importunam Palinuri petitionem Sibylla reprehendit ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου, Nam fieri non posse, vt inhumatus transeat ad inferos. Consolatur eum tamen, vt in mœrore suo aliquid voluptatis capiat. Pronunciat enim populos, à quibus occisus est, illisq; etiam finitimos, prodigijs è cælo territos, eius necem sacrificijs tandem expiaturos, tumulumq; erecturos, & locum eius nomini perpetuum dicaturos. Nascimb.

DESINE FATA DEVM FLECTI SPER. PRECANDO) Seneca hoc dictum *Desine fata*, &c. ad mortem æqua mente subeundam (in quo genere argumenti frequentissimus est) aptissimè transfert epistola 77. verba recitabo. In hoc punctum coniectus es, quod vt extendas, quousque extendes? Quid fles? quid optas? Perdis operam, *Desine fata deûm flecti sperare precando.* Rata & fixa sunt, atque magna, & æterna necessitate ducuntur. Et ibis quò omnia eunt. Quid tibi nouum est? ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, omnibus post te. Series inuicta, & nulla mutabilis ope illigat, ac trahit cuncta, &c.

PRODIGIIS ACTI CÆLEST. OSSA PIAB.) Monstra, prodigia, portenta quid distarent, supra ex Nonio. De historia hoc traxit, inquit Seruius: Lucanis enim pestilentia laborantibus, respondit oraculum, manes Palinuri esse placandos. Ob quam rem non longè à Velia & lucum ei dederunt, & cenotaphium.

ÆTERNVMQ. LOCVS PALINVR. NOM.) Sicut mons Misenus à Miseno, Caieta à nutrice Æneæ, vt est principio septimi.

HIS DICTIS CVRÆ EMOTÆ, PVLSVSQVE PARVMPER
CORDE DOLOR TRISTI: gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluuioq; propinquant.
Nauita quos iam inde vt stygia prospexit ab vnda
Per tacitum nemus ire, pedemq; aduertere ripæ:
Sic prior aggreditur dictis, atq; increpat vltro.
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age quid venias: iam istinc & comprime gressum.
Vmbrarum hic locus est, somni noctisq; soporæ:
Corpora viua nefas stygia vectare carina.
Nec verò Alciden me sum lætatus euntem
Accepisse lacu: nec Thesea, Pirithoumq;:
Dijs quanquam geniti, atq; inuicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in uincla petiuit,
Ipsius à solio regis traxitq; trementem:
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

C HIS DICTIS CVRÆ EMOTÆ) Multum valuit Sibyllæ oratio ad sedandum Palinuri dolorem, etsi eum non depulit. Lætatur etiam, quod nomen suum apud superos immortale futurum intellexit.

ERGO ITER INCEPTVM PERAG.) Cùm *igitur*, quod pro *ergo* ponitur, nonnunquã etiam idem quod *inde*, vel *postea* valeat in antiquis, testibus Grammaticis, quid vetabit, ne & *ergo*, pro deinde positum hoc loco credamus? De *igitur* exemplum in Plauti Amphit. legitur.

Sin aliter sient animati, neq, dent quæ petunt:
Sese igitur summa vi, virisq, eorũ oppidũ expugnassere.

Iam in Casina dicit Murrina, *Mox magis cũ otium erit, igitur tecũ loquar.* Sic videtur locutus Prop. eleg. 2. lib. 3.

Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantq, cauis tympana pumicibus.

Ergo Musarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami Pan Tegeaee tui.

Quid quòd etiam græcum δῆτα plerunque Cicero pro ergo vertit? Canterus lib. 4. cap. 26.

QVISQVIS ES, ARMATVS QVI) Quum duo venirent, commotionem suam in eum direxit, quem vidit armatum: nouerat enim violentiam tacitè, qui sunt armati, sæpius inferre. Et quis non moueretur, videns tacitos venire per occulta nemorum, & propinquare iuuenem stricto mucrone? Donatus.

Talis est oratio, qualis personæ conuenit nauticæ, quam suprà descripserat: solent enim nautæ imperiosi esse. Adde quod est apud inferos nauta, vbi nulla humanitas est, sed superbia crudelitas, & arrogantia viget. Videt ergo Æneam à longè venientem, & imperiosa, atque tyrannica hac oratione alloquitur, *Fare quid venias.* Immo etiam addit, *& comprime gressum.* Attamen crudelis, & pæne inhumanus nauta tam superbæ, atque imperiosę interrogationis caussam assignat. Putat enim eò venisse Æneam, vt transferatur ad inferos, coniecturamq; trahit ex antecedentibus: nam & alij olim viui homines eò venerant, Hercules, Theseus, Pirithous: quos summa cum animi sui molestia inuitus vexerat. Quamobrem edicit hunc esse locum vmbrarum: quin etiam rem exaggerat ab indecenti, dum sequitur, *Corpora viua nefas.* &c. Rectè *corpora viua* dixit: nam sunt etiam corpora mortuorum: quæ sunt ipsæ vmbræ, & C simulacra quædam, quæ videri possunt, vt antea ex Platone ostendimus. Hanc rem non ignorauit Homerus, qui Iliad. Ψ. Patrocli vmbram ita loquentem fecit, τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων. Nascimb.

NEC VERO ALCID. ME SVM LÆTATVS) Cum Hercules ad inferos descendit, Charon territus, eum statim suscepit: ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Ideo ergò non lætatus, propter supplicium scilicet suum. Iam Thesei pater habitus est Neptunus. Pirithoum Iouis nepotē esse, inde constat, quod Ixion eius pater, Iouis est filius. Seruius.

NEC THESEA, PIRITHOVMQVE) Scribit Plutarchus in vita Thesei, duarum maximarū vrbium duos conditores spurios fuisse, Romulum Romę, Theseum Athenarum: qui cum spurij, & obscuri ambo forent, quia tamen armis, virtutibusq; egregij erant, à dijs immortalibus prognati sunt existimati. His accedit & Hercules, ad cuius templum spurij deferabantur, quod & ipse similes natales habuerit, quamuis Ioue genitus crederetur. Sed dixerit aliquis, quomodo Ioue genitus Pirithous, quem constat Ixionis filium, Phlegiæ nepotem fuisse, impijssimorum parentum? vnde & φλεγυᾶν Græci dicunt, pro impiè agere. Respondeo, non Ixionis, sed Iouis filium fuisse Pirithoum: etenim à mythographis Gręcis traditum est, cum Iupiter Dian Ixionis coniugem amaret, in equum se transmutasse, & circum eam saltantem, pudicitiam eius attentasse: vnde natus infans dictus est Pirithous ἀπὸ τοῦ περιθεῖν, quod est circum, & in orbem saltare. Alciat. Parerg. lib. 10. cap. 8. * *Vt ad Herculem, Romulum, Theseum reuertamur, quos furto conceptos esse narrauimus, in his profectò, & alijs nonnullis, etiam nostra, & superioris ætatis viris bellicosis nequaquam valuisse cernimus. quod est à Plutarcho libello de educandis liberis persapienter dictum. Vbi ijs, qui egregios generare liberos cogitant, præcipit, ne cum quibusuis mulieribus conueniant, quales sunt pellices, & meretrices. Ratio subiungitur. Ex concubinis enim, & pellicibus nati, sunt abiecti, & humiles animis, & illos probrum, ac indelebilis macula comitatur, facileq; in iurgijs obijcitur. Ingenuis autem, & illustribus nati, spiritus gerunt excelsos. De Romuli factis legatur Plutarchus, Liuius præ cæteris: de Theseo idem Plutarchus, qui etiam exponit, quo pacto ille cum Pe-*

A *ritheo in amicitiam venerit. Diodorus lib. 4. cap. 6. Eius labores recensens Hyginus cap. 28. huius descensus rapienda Proserpina non meminit.*

TARTAREVM ILLE MANV CVSTODEM) τὸ αἴτιον est, cur non libenter eos vexerit, quod ex eorum audacia, & temeritate deducit. Nam Hercules, inquit, Cerberum abduxit. Theseus, & Pirithous Proserpinam tentarunt abducere. Herculis factum ab adiunctis exaggerat. Non enim simpliciter canem ab eo abductum dicit, sed custodem tartareum: nec solutum, sed qui vinculis retinebatur: nec duxisse placidè, sed traxisse: & quod magis etiam refert, à solio ipsius regis, atq; dei. Nascimbæn.

Iuno apud Senecam Hercule Furente, de eodem B multa conquerens inter cætera hoc quoque facinus, & hanc audaciam non tacet.

——— nec satis terra patent,
Effugit ecce limen inferni Iouis,
Et opima victi regis ad superos refert.
Parum est reuerti. fœdus vmbrarum perit.
Vidi ipsa, vidi nocte discussa inferûm,
Et Dite domito, spolia iactantem patri
Fraterna. cur non vinctum, & oppressum trahit
Ipsum catenis paria sortitum Ioui?
Ereboq; capto potitur, & retegit Stygâ?
Patefacta ab imis manibus retrò via est,
Et sacra diræ mortis in aperto iacent.
At ille, rupto carcere vmbrarum, ferox
De me triumphat, & superbifica manu
Atrum per vrbes ducit Argolicas canem.
Viso labantem Cerbero vidi diem,
Pauidumq; solem,

Herculis opera abstractum ex obscuris Erebi penetralibus tricipitem Cerberum, patefactam ab Hercule philosophiam, quæ prius in arcanis delitescebat, Græci quidam significare hieroglyphicôs existimant. Ea, vna ceruice contenta, tribus distinguitur partibus, quarum vna Rationi, Naturæ altera, tertia Moribus inseruit. Lege quæ sequuntur apud Pierium lib. 5.

HI DOMIN. DITIS THAL. DED. ADORTI) D Apud poetas dicitur de vxoribus. Ouid. 3. Trist. *Nunciet huc aliquis dominam venisse, resurgam.* Et hoc loco Seruius, de Græco tractum est, qui vxorem δεσποίνας dicunt. Apud iureconsult. de Legat. Puto abs te domina vxor. Epict. αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. Exempla non pauca ex poetis recitat Tiraquell. in 5. leg. Connubial. à num. 12. Sed etiam à non poetis vocatas dominas certum est, & ibidem docetur. Plin. quoque lib. 33. cap. 3. fœminas indiscriminatim dominas appellat, cum inquit: & inserta margaritarum pondera è collo dominarum auro pendentia. Lege ipsum Tiraquellum.

Solebant item amantes appellare dominas ami-E cas suas. Tibull. eleg. 5. lib. 1.

Sæpe aliam tenui, sed iam cum gaudia adirem,
Admonuit domina, deseruitq; Venus.

Horat. Ode 12. lib. 1. *Me dulcis dominæ musa Licymniæ Cantus.* Eodem nomine Augustæ, & Reginæ vocabantur, id est regum, & imperatorum vxores. Martial.

Non aliena vides, sed amat Proserpina raptas.
Ille tibi dominam conciliauit amor.

id est, Proserpinam vxorē Plutonis. Idem. *Deq; Palatinis dominæ quod serica prælis.* id est, Augustæ. Rhodigin lib. 24. cap. 17. Turneb. lib. 21. cap. 6. Quod imperatrices dominæ appellarentur, clarum testimonium petere licet è Claudio Suetonij. Occisa, inquit, Messalina, paulò

paulò postquam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requisiuit. Quamquam Lipsius hic dominam pro vxore appellatam vult. Sed vt vxores vniuersè vocabantur dominæ, sic etiam interdum inuenias maritos, appellatos dominos. Lib. 4. Æneid. *cōnubia nostra* quoq; *Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.* Ipsi Imperatores posterioribus sæculis se dominos appellari sustinuerunt. Quò respexit forsitan Virgilius, & Æneam dominum, non maritum, sed rerum potentem, & velut quendam Africæ dominum ἐπιγυναῖς, & per contemptum ab Hiarba nominari fecit.

Verba Diodori sunt lib. 4. cap. 6. Pirithous cupi- A ens Proserpinam vxorem habere, consilium cum Theseo communicauit. Verùm cum propter rei impietatem à proposito eum auertere conaretur, vbi eum perseuerantem, inque iurisiurandi vim ad Proserpinæ raptum se adigi vidit, coadiutorem se præbuit. Cum ad inferos descendissent, vterque ibi captus est. Sed postmodum in gratiam Herculis Theseo liberato, Pirithous apud inferos detentus, suæ temeritatis pœnas sempiternas luit. Quidam scriptores tradiderunt, ambos inde redijsse. De raptu autem ipsius Plutonis, cum descriptione camporum, vnde eam rapuit, legendus Diodorus libro 5. cap. 2. Claudian. Ouid. libro 5. Metamorph.

Quæ contra breuiter fata est Amphrysia vates.
NVLLÆ HIC INSIDIÆ TALES: absiste moueri:
Nec vim tela ferunt: licet ingens ianitor antro
Æternùm latrans exangues terreat vmbras:
Casta licet patrui seruet Proserpina limen.
Troïus Æneas pietate insignis, & armis,
Ad genitorem, imas Erebi descendit ad vmbras.
Si te nulla mouet tantæ pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)
Agnoscas. tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo post tempore visum,
Cæruleam aduertit puppim, ripæq; propinquat.
Inde alias animas, quæ per iuga longa sedebant,
Deturbat, laxatq; foros, simul accipit alueô
Ingentem Æneam: gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluuium incolumes vatemq;, virumq;
Informi limo, glaucaq; exponit in vlua.

AMPHRYSIA VATES) Sibylla vates Amphrysia à Marone vocatur, quod instinctu Apollinis afflaretur, qui aliquando apud Amphrysum flumen armentū Admeti pauerat. Turneb. lib. 1. cap. 22.

NVLLÆ HIC INSIDIÆ TALES) Partes, quæ erant Æneæ, Sibyllæ dantur: nam interrogatur Æneas, Sibylla respondet. Ita opus fuit, sicque negotij τὸ πρέπον requirebat. Nam cum Sibyllæ verbis maior, quam Æneæ fides adhiberi deberet, fiebat etiam, vt Charon pacatiore animo, quæ ab ea dicerentur, auditurus esset. Hac igitur diuisione potissimùm vtitur, vt Charontis obiecta primùm refellat, deinde profectionis Æneæ ad inferos caussam exponat. Sane optima hæc disponendæ orationis ratio fuit, vt ab obiectorum confutatione auspicaretur: nam cum obiecisset Charon, quæ Hercules, & alij fecerant, eademque insidiarum suspicione agitaretur, obiecta prius refellenda, omnisque illi auertenda suspicio fuerat, quàm sui aduentus caussam exponeret. Quod si aliter fecisset, auditorem vtiq; perpetuo aduersarium habuisset. Eodem ordine dicendi Ilioneus vtitur. 1. Æneid.

Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas,

Nascimb.

INGENS IANIT. ANTRO ÆTHER. LATRANS) De latratu Cerberi, eiusque custodia infrà, non longè.

B
Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, aduerso recubans immanis in antro.

Seneca Hercule furente.

Hic sæuus vmbras territat Stygius canis,
Qui terna vasto capita concutiens sono,
Regnum tuetur.

Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Tum niger in turba serpentum Cerberus ore
Stridet & iratas excubat ante fores.

Propert. lib. 3. eleg. 4.

Nam tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus.

CASTA SERVET PAT. LIMEN) Per Æneam quidem non abripietur, vt violetur Proserpina, cuius C patruus Pluto, idem & maritus: est enim Cereris, & Iouis filia, cuius frater Pluto. Georg. 2. *Casta pudicitiam seruat domus.*

TROÏVS ÆN. VIRT. INSIG. ET ARM) Quia dixerat Charon, Herculi, & alijs propter diuinitatem inferos patuisse, Sibylla huic parti respondens, nullam quidem diuinitatis Æneæ mentionem facit, sed hunc summum pietatis erga patrem affectum obijcit, qui in hominem cadere non potest: vt inde quoque Æneam diuino semine oriundum cogitare posset. Inquit igitur, si te tanta pietas non mouet, quasi dicat, quæ te mouere, satisque diuinitatis illius tibi fidem facere deberet. Sequitur,

quitur, *At ramum hunc agnoscas*. Cum enim hoc immensæ pietatis indicio, Charonti diuinitatis Æneæ fidem facere non posset, ramum illi ostendit aureum, vt à signo probet, eum dijs amicum esse, & ob virtutes suas ad id dignitatis, & diuinitatis fastigium euectum fuisse, vt ipse quoq; inferos adire, & ad superos redire possit. Ramus enim aureus sapientiam, summamque illã prudentiam significat, quæ in homine perfecto, omnibusque virtutibus cumulatissimo tantùm existit, ad quam illi soli peruenire videntur posse, de quibus suprà poeta.

———— pauci, quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Dijs geniti potuere.

Nascimb.

EREBI DESCEND. AD VMB.) Erebum Virgilius interdum obscuritatem quandam esse describit apud inferos, cum ait, *Erebi descendit ad vmbras.* Interdum flumen eiusdem loci, dicens, *& magnos Erebi tranauimus amnes.* Varrò verò Erebo natam Noctem ait. Vnde est & illud: *Erebi creata fuscis crinibus nox, te inuoco.* Festus. Sed quisquis poeta dixit, *Erebi creata*, &c. interpretari voluit, quod toties Græci poetæ dicunt νὺξ ἐρεβεννή. Scalig. F. ibid.

VENERAB. DON. FAT. VIRGÆ) Fatalem virgam vocat, quoniam fato Æneæ debebatur: dixerat enim Sibylla suprà, *namq; ipse volens, faciliśq; sequetur Si te fata vocant.* Hanc virgam ait Charontẽ admiratum, quippe post tot annos iterum visam: paucis enim donatur. * *Quia pauci boni, pauci sapientes: cum contra malorum, stultorumq; plena sint omnia.*

CÆRVL. ADVERTIT PVPPIM) Habet magnam elegantiam hoc verbum *aduerto*, cum casu, & sine casu Lucret. lib. 5. *Acrius aduertunt animos ad relligionem.* Plaut. Capt. *Aduerte animum sis tu.* Tacitus Annal. Velut in vrbe victa facies, gemitusque, etiam militum aures, oraque aduertere. idem lib. 2. Octo aquilæ petere syluas visæ, aduertere imperatorem.

PER IVGA LONGA SED.) Iuga græcè dixit. Ζυγὰ enim dicunt, quæ transtra nominamus.

LAXATQVE FOROS) Fori nauium latera concaua, à ferendo onere dicta, siue ab eo ꝙ incessus ferãt, vel foris emineant. Isid. lib. 19. cap. 2. Lib. 4. *impleßemq; foros flammis.* Et Georg. 4. *Complebuntq; foros, & floribus horrea texent*, pro locis alueorum. Sosipater docet, foros in nauibus esse, vbi nautæ sedent. Ennius numero singulari extulit. *multa foro ponit, & agea longa repletur.*

ALVEO) cymba, nauicula Propert.

Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina,
Portabat sanctos alueus ille viros.

GEMVIT SVB POND. CYMBA) Cum studiose fecerint aliquot eruditi homines, vt indicarent locos Homeri, quos Virgilius imitatus esset, multos tamen (neq; aliter fieri in tanta copia potuit) prætermiserunt, qualis hìc est. Ita enim Iliad. ε. cum insiliret Minerua in currum Diomedis, gemuisse sub tanto pondere axis fagineus dicitur.

Ἠ δ' ἐς δίφρον ἔβαινε παραὶ Διομήδεα δῖον
Ἐμμεμαυῖα θεά. μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
Βριθοσύνῃ· δεινὴν γὰρ ἄγεν θεόν, ἄνδρα τ' ἄριστον.

Muret. lib. 8. cap. 5. Quo pacto hunc ipsum Homeri locum Syracusanus quidam, homo vrbanus, & Homericorum poëmatum gnarus in Platonem conuerterit, cum is crebris à Dionysio epistolis in Siciliam accersitus, veniens sederet in curru, aurigante ipso Dionysio vide Ælian. lib. 4. cap. 18. Imitationem Senecæ considera de Hercule cymbam Charontis ingrediente.

Scanditq; puppem, cymba populorum capax,
Succumbit vni, sedit: & grauior ratis,
Vtrinq; lethen latere titubanti bibit.

SVTILIS) Cymbam Charontis facit sutilem nouitatis aucupio, & miraculo, quod poetarum proprium est. Tales fuisse naues Britannorum quorundam Plinius scribit, lib. 7. cap. 56. his verbis. Etiam nunc in Britannico Oceano vitiles corio circumsuto fiunt. Iterum. Ad eam Britannos vitilibus nauigijs corio circumsutis nauigare. Turneb. lib. 28. cap. 45.

GLAVCAQVE EXPONIT IN VLVA) Vsitatum, & accommodatum valde huic rei est verbum *exponere*. Vtitur eodem poeta lib. 10. *socios de puppibus altis Pontibus exponit.* Cæs. lib. 3. de bell. Ciuili. Quibus regionibus exercitum exposuisset. Horat. lib. 1. Satyr. 5. *quarta vix demum exponimur hora.* Porrò fucus marinus algæ species est, quæ & vlua dicitur, hoc tantum inter se differentes, quod hæc, palustris, lacustris, fluuiatilisque sit: illa verò in mari, aut ad eius littora duntaxat proueniat. Quod discrimen illo vulgari versiculo indicatur. *Alga venit pelago, sed nascitur vlua palude.* Vnde Virgil. non hic modò, sed 2. etiam Æneid. vluæ facit mentionem. sic n. de se Sinon: *Limosoque lacu per noctem obscurus in vlua* Delitui. Plin. lib. 13. cap. 23. & 26. cap. 10.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, aduerso recubans immanis in antro.
Cui vates horrere videns iam colla colubris,
Melle soporatam, & medicatis frugibus offam
Obijcit. ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit obiectam, atq; immania terga resoluit
Fusus humi, totoq; ingens extenditur antro.

CERBER. HÆC ING. LATRAT. REG. TRIF.) *Sannazarius lib. 1. de partu Virgin. cum alios, tum hunc quoq; locum propositum habuit ad æmulandum.*

——— & non lætabile murmur
Tergemini canis, aduerso qui carceris antro
Excubat insomnis semper, rictuq; trifauci
Horrendum stimulante fame sub nocte profunda
Personat.]

Vbi flumina illa inferna mortuorum animæ traiecissent, tum Cerberus canis atrocissimus, Typhone, & Echidna genitus, inferorum custos, in spelunca quadam ante fores Plutonis recumbebat, qui omnibus ingressuris humanissimè blandiebatur, at neminem patiebatur exire: sed omnes egressuros altissimis, & maxime horrendis latratibus deterrebat. Ex eius capite angues densissimi pro villis pendebant. Totum denique dorsum pro villis serpẽtes habuisse, & anguinea ipsum catena vinctum fuisse videtur significare Tibullus.

Nec canis anguinea redimitus terga catena,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumq́; caput.

Et de tribus capitibus etiam Sophocles in Trachinijs. Tricipitem fingi Cic. quoq; 1. Tuscul. affirmat. Hesiodus in Theogonia quinquaginta ei capita attribuit. Isacius centum capita habuisse scribit. Certe Horatius quoque lib. 2. Carmin. belluam centicipitem appellat. Hæc diffusiùs Natal. Comes lib. 3. cap. 5. * *Vide quæ paulo ante ex diuersis poetis de Cerbero posuimus. Quod serpentes haberet pro villis, Medusæum monstrum appellatur ab Ouidio.* Terna Medusæi vincirem guttura monstri. *De visu vocis personat, diximus suprà.* caua dum personat æquora concha.

MELLE SAPORATAM, ET MED. FRVG. OFFAM) Melle animaduerti veteres in omni opere dulciario solitos esse vti, vt nos saccharo. Saccharum enim B prisci non nouerant. Itaque eius condimento saporis gratiam palato parabant, & quæ tristioris erant, & amarioris saporis, melle, quo minus homines offenderentur, condiebant, & imbuebant. Sic medicamentorum virus emendabant. Lucret. lib. 1.

Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauoq́; liquore.

Quod si beneficium soporis in melle inesset, quid alijs frugibus opus esset? Saporata igitur melle offa dicitur, & medicatis frugibus, non quod frugibus saporata sit, sed hoc dictum accipitur, vt illud. in 7. *Ipse Quirinali lituo, paruaq́; sedebat Succinctus trabea*, non enim succin- C gi poterat lituo. Sic in 3. *domus sanie, dapibusq́; cruentis:* quo genere loquendi Maro vtitur. In multis tamen codicibus non me præterit, *medicatam frugibus* reperiri. Quòd Pierius annotauit, & nostram sententiam magis confirmat. Nam si frugibus medicata sit, non erit A saporata melle. Apud Valer. Flaccum lib. 1. etiam Medea melle venena temperat, & condit ad draconis epulas. *Et dabit hesterno liuentia mella veneno.* Sed & quod nostram caussam adiuuat, mellita placenta mortuis dari solebat, quæ Cerbero offerretur, vt placaretur, quod Suidas tradit. Iam Septimius Florens, & Ammianus, qui poëticis vocabulis delectantur, saporare ex isto Maronis loco sumpsisse videntur: quorum ille sic in libro de spectaculis scribit. Nemo venenum temperat felle, & elleboro: sed conditis pulmentis, & bene saporatis, & plurimum dulcibus id mali inijcit. Et iste lib. 31. in vita visi sunt sua asperi, vt neque igni, neque saporatis indigeant cibis, sed radicibus herbarum agrestium, & semicruda cuiusuis pecoris carne vescantur. Turneb. lib. 28. cap. 45. * *Quod saporatam legit, non soporatam, auctorem habet peruetustum Prisciani librum. Ego tamen in Vergilij contextu vocem soporatam censui retinendam, quia communis est lectio.*

TOTOQVE INGENS EXTENDIT. ANTRO) Non poterat meliùs, nec breuiùs Cerberi magnitudinem corporis explicare, quam cùm ait, toto antro se illum extendisse: nam quæ immanitas corporis illius iudicari debet, qui extentus totum antrum occupat? ita quoque de Tityo inferiùs. *Per tota nouem cui iugera corpus Porrigitur.* Sic de Polyphemo in 3. *Monstrũ, horrendũ informe, ingens, cui lumen ademptum, Trunca manũ pinus regit.* Nascimb. * *Melius exprimit vastitatem corporis Polyphemi, & ad Vergilij verba de Cerberi magnitudine accommodatius est, quod de eodem Polyphemo paulo ante legitur, quodq́; Nascimb. præteriisse miror.*

Nam simul expletus dapibus, vinoq; sepultus
Ceruicem inflexam posuit, iacuitq; per antrum
Immensum.

Occupat Æneas aditum custode sepulto:
Euaditq; celer ripam irremeabilis vndæ.
Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantumq; animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exortes, & ab vbere raptos
ABSTVLIT ATRA DIES, ET FVNERE MERSIT ACERBO.
Hos iuxtà falso damnati crimine mortis.
Nec vero hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes.
Quæsitor Minos vrnam mouet, ille silentum
Conciliumq; vocat, vitasq;, & crimina discit,

CVSTODE SEPVLTO) sopito, & instar mortui iacente. Sic somno vinoque sepultum aliquem dicimus.

VAGITVS) Vagire ab hœdis, vt alias quosdam ab animalibus voces ad homines translatum autumat Varro de ling. lat. lib. 4. quod & Plautus prologo Pœnuli insinuat, vbi nutrices à caueæ consessu admonens discedere, vel potius eò non venire, ait,

Nutrices pueros infantes minutulos
Domi vt procurent, neu quæ spectatum afferant,
Ne & ipsæ sitiant, & pueri pereant fame,
Neue esurientes hic quasi hœdi obuagiant.

Hieron. Columna, in Frag. Ennij

INFANT. ANIMÆ. FLENT. IN. LIMIN. PRIMO) Decem portas inferorum statuit Silius, lib. 13. & quæ hominum genera singulis recipiantur. Infantibus octauam regionem tribuit. Hic inferorum locus primus quidem est ordine, sed infimus dignitate, ideo D iure datur infantibus, qui cum virtutis fuerint expertes, nullo dignitatis, honorisque præmio digni videbantur. Supplicia tamen non merebantur, quia vitiorum fuerunt exortes. Quamobrem Plato dial. 10. de repub. exponens quæ Erus de inferis retulerat: de his vero, inquit, qui statim ac nati sunt, decessere, aut breue tempus vixere, quædam parum digna memoria recensebat. Adde etiam, quod primus locus, primumque inferorum limen iure illis per similitudinem debetur, qui naturæ, atque vitæ quasi limen attigerunt.

AB VBERE RAPTOS) Sueton. Calig. cap. 7. Ex ea (Agrippina) nouem liberos tulit. Quorum duo infantes adhuc rapti, vnus iam puerascens. Non absq; multa E commiseratione scriptum hoc à Marone. Vagitus autẽ est infantum proprius: vagorem nominat Lucret. lib. 2. quem mox vt effusi sunt è materno vtero, incipiunt edere. *miscetur funere vagor, Quem pueri tollunt visentes luminis oras.* Est verò appositissimum ad quintum, & sextum

sextum versus Maronis, quod in 3. Tusculan. scriptum legimus à M. Tullio, in quo studet sanare ægritudinem, Loquens igitur de ea, quæ ex immatura morte concipitur, Iidem, inquit, si puer paruus occidit, æquo animo ferendum putant: si verò in cunis, ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbius exigit natura quod dederat. Nondum gustauerat, inquiunt, vitæ suauitatem: hìc autem sperabat magna, &c. Vide 3. Epigram. Tit. εἰς βρέφη.

ABSTVLIT ATRA DIES) Quid est quod doctissimo poetarum Maroni, qui infantes mortui sunt, eos dies ipsa abstulisse dicitur? Existimo eum ad consuetudinem, & ad opinionem veterum respexisse, apud quos qui iuuenes maturam (vt videbatur) mortem obierant, albescente cœlo, ante solis exortum à propinquis efferri solebant: quod nefas opinarentur, tanti mali, tantæque calamitatis spectatorem, ac testem esse solem. Atque eam ob caussam dies ipsa eos auferre, ac rapere dicebatur? quòd vt primùm dies apparere cœperat, auferebantur. Qua de re ita Eustathius. φασὶ γὰρ ὅτι τοὺς τοιούτους νέους ἅμα ἡμέρᾳ οἱ προσήκοντες, ὡς μὴ ἀνέχοιτο ὁ ἥλιος θεᾶσθαι τοιοῦτον κακόν. διὸ καὶ ἐλέγετο ἁρπάζειν αὐτοὺς ἡ ἡμέρα. Sic raptum ab Aurora, quæ eadem & dies est, Orionem fabulantur. Atque hoc colore vsus & Nero, cùm Britannicum fratrem suum, qua nocte veneno sustulerat, ea ipsa humandum curauit. Qua de re ita prudentissimus historiæ scriptor Tacitus. Nox eadem necem Britannici, & rogum coniunxit. Et paulò pòst. Festinationem exequiarum edicto Cæsar defendit, id à maioribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus, & pompa detinere. Muret. lib. 13. cap. 2.

Atra dies, infausta: sic enim Macrobius docet libro 1. Saturnal. cap. 15. atros dies dici infaustos. Docent idem alij, qui de atris diebus loquuntur. Forsitan etiam respexit ad morem Cretensium, dies lætos albis calculis, infœlices, & aduersos nigris signantium.

FALSO DAMNATI CRIM. MORT.) Cur falsò damnatis iuxta infantes detur locus, causam nullam reperio: nisi forte, quemadmodum infantes absque crimine sunt: sic hi falsi criminis expertes. Nascimb.

Cur maioris contumeliæ sit, falsis quempiam notare criminibus, quam vera delicta obijcere, caussam his verbis indicat Arnobius lib. 4. Quod enim sis, dici, & quod esse te sentias, morsum habet minorem, testimonio tantæ cognitionis infractum. Illud vero acerbissimè vulnerat, quod inurit innoxios, & quod decus nominis, atq; existimationis infamat.

QVÆSITOR MINOS VRNAM MOVET) Quæsitor is dicebatur Romanis, qui quæstionem habebat, hoc est, qui inquirendum curabat, de crimine, de eoque iudicium exercendum. Hinc quæsitor sedebat pro tribunali, iudices autem in subsellijs, omniaque ferè in potestate habebat. Soluebat concilium, cum volebat, & dabat veniam abeundi coactis iudicibus: quod interdum iudices tædio affecti postulabant, horam non expectantes. Pro Muræna. Cogendi iudices inuiti, retinendi contra voluntatem. In Vatinium. Quæro ex te, Vatini, num quis in hac ciuitate post vrbem conditam Tribunos plebis appellarit, ne caussam diceret? num quis reus tribunal sui Quæstoris ostenderit, eumque vi deturbarit, subsellia dissiparit, vrnas deleuerit? ad hanc similitudinem (inquit Asconius) Virgilius Minoëm iudicem apud inferos, tanquam prætor sit rerum capitalium, Quæsitorem appellat. Dat ei sortionem vbi vrnam nominat: dat ei electionem iudicum, cum dicit, *Conciliumq́; vocat:* dat cognitionem facinorum, cùm dicit, *vitasq́; & crimina discit.* Budæus annot. posterior. in Pandect.

Tres statuuntur communi poetarum sententia inferorum iudices, Minos, Æacus, & Rhadamantus. De Rhadamanto postea hoc eodem lib. *Gnosius hæc Rhadamantus habet durissima regna*, &c. De Æaco tacet, de quo nos aliquid ex Isocratis Euagora lib. 1. Æneid. super illis. *Sæuus vbi Æacidæ telo iacet Hector.* Meminit & duorum tantum Cic. 1. Tuscul. Fortasse etiam inexorabiles iudices, Minos, & Rhadamantus: apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius: nec, quoniam apud Græcos iudices res agetur, poteris adhibere Demosthenem: tibi ipsi pro te erit, maxima corona, causa dicenda. De Quæsitore Minoë, non dispar locus ex hoc Virgiliano, vt puto, expressus est apud Papinium lib. 4. Thebaid.

Arbiter hos dura versat Gortynius vrna,
Vera nimis poscens, adigitq́; expromere vitas
Vsq; retro, & tandem pœnarum lucra fateri.

Et apud Hor. est huius iudicis mentio. Ode 7. lib. 4. *Cum semel occideris, & de te splendida Minos Fecerit arbitria.* Idem Statius Plutoni hasce partes dat, tanquam inferorum regi, eidemq; furias assistentes, Minoa verò, & Æacum consiliarios facit lib. 8.

Dux Erebi populos poscebat crimina vitæ,
Nil hominum miserans, iratusq́; omnibus vmbris.
Stant furiæ circùm, variæq́; ex ordine mortes.

Paulò pòst.

——— iuxta Minos cum fratre verendo
Iura bonus meliora monet, regemq́; cruentum
Temperat.

Tres nominat Seneca Hercule Fur. vbi Theseus tam luculenta oratione inferos describit.

Non vnus alta sede Quæsitor sedens
Iudicia trepidis sera sortitur reis.
Auditur illo Gnosius Minos foro,
Rhadamantus illo, Thetidis hoc audit socer.

Socer Thetidis est Æacus, cuius filius Peleus eam sortitus est deam vxorem.

De rebus Minoïs, si quem delectabit, legat Diodor. lib. 5. cap. 15. Plato ait, Europæos ab Æaco iudicari, à Rhadamanto Asianos, à Minoë, si quid incidisset ambiguum, dissolui.

Omnis autem hæc de Minois vrna fictio, ex veterum more nata, qui, vt pleraque sortibus decernebant, ita à iudicijs etiam sortes non repellebant. Cic. 7. in Verrem. Quod ab eo pridiè, cum multis lacrymis eum oraret, impetrare non potuerat, id ei postero die venit in mentem, è lege Rupilia sortiri dicas oportere. Educit ex vrna tres, ijs, vt absentem Heraclium condemnent, imperat: itaque condemnant. Horatius. *Cernens iratus leges minitatur, & vrnam.* Ioan. Bernartius in 8. Thebaid.

Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemq; perosi
Proiecere animas. quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores:

Fata

Fata obſtant, triſtiq; palus innabilis vnda
Alligat, & nouies Styx interfuſa coërcet,

SIBI LETHVM INSONTES PEPERERE MANV) A *Virgil. Cirr.* Aut mihi præſenti peperiſſem vulnere lethum. *Catull. de nupt.* Ipſe ſuum Theſeus pro charis corpus Athenis Proijcere optauit.] Multi è veteribus laudauerunt mortem illam, quam quis in calamitate, ærumniſque conſtitutus, ſua ſibi manu afferret, vt quæ non niſi à magnanimis, & fortibus viris perferri poſſet. De qua Seneca epiſt. 12. 17. 24. 58. 59. 70. 71. 78. Vocabant autem tempus illud Græci, cum afferre ſibi manus ſine reprehenſione quis poſſet, εὔλογον ἐξαγωγὴν: quod valet, adeptum eſſe cauſam iuſtam, mortem ſibi conſciſcendi: ἐξάγειν enim ἑαυτὸν, ſignificat educere ſe ex hac vita, tanquam è cuſtodia, vt Plato quoque locutus eſt in Phædone. Conceſſiſſe quoque Epicurum, cuius ratio mollis, & eneruata videbatur, conſentaneam hanc ἐξαγωγὴν, B ſuaſiſſeque illis, qui doloribus grauibus, ijſdemque perpetuis premerentur, vt hoc pacto illos fugerent, verbis his Ciceronis intelligitur lib. 1. de finibus à Luc. Torquato prolatis: vbi de fortitudine diſſerit. Ad dolores ita paratus eſt, vt meminerit, maximos morte finiri: paruos, multa habere interualla requietis: mediocrium nos eſſe dominos, vt ſi tolerabiles ſint, feramus: ſin minus, æquo animo è vita, tanquam è theatro exeamus. Hæc, & alia eodem pertinentia Vict. lib. 6. cap. 11.

Plin. epiſt. 22. lib. 1. Nuper me (Titus Ariſto) paucoſque mecum, quos maxime diligit, aduocauit, rogauitque, vt medicos conſuleremus de ſumma valetudinis, vt ſi eſſet inſuperabilis, ſponte exiret è vita: C ſin tantum difficilis, & longa, reſiſteret, maneretque. Dandum enim precibus vxoris, dandum filiæ lacrymis, dandum etiam nobis amicis, ne ſpes noſtras, ſi modo non eſſent inanes, voluntaria morte deſereret. Id ego arduum inprimis, & præcipua laude dignum puto. Nam impetu quodam, & inſtinctu procurrere ad mortem, commune cum multis: deliberare verò, & cauſſas eius expendere, vtque ſuaſerit ratio, vitæ, necisque ſuſcipere conſilium, vel ponere, ingentis eſt animi. Eſt tamen huiuſcemodi mors voluntaria amicis luctuoſa. Quare idem rectè epiſt. 12. lib. 1. Deceſſit Corellius Rufus, & quidem ſponte, quod dolorem meum exulcerat. Eſt enim luctuoſiſſimum genus mortis, quæ D non ex natura, nec fatalis videtur. Nam vtrunque in illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipſa neceſſitate ſolatium eſt: in ijs vero, quos acceſſita mors aufert, hic inſanabilis dolor eſt, quod creduntur potuiſſe diu viuere.

De moribus Indorum diſſerens Q. Curtius lib. 8. Vnum agreſte, & horridum genus eſt, inquit, quos ſapientes vocant. Occupare fati diem pulchrum: & viuos ſe cremari iubent, quibus aut ſegnis ætas, aut incommoda valetudo eſt: expectatam mortem pro dedecore vitæ habent. Nec vllus corporibus, quæ ſenectus ſoluit, honos redditur. Inquinari putant ignem, E niſi qui ſpirantes recipit.

At nunquam licitum eſſe cuiquam, vlla de cauſſa ſemet occidere, docet ille totius Græciæ vir ſapientiſſimus Plato in Phædone, à ſtatione militari deducta ſimilitudine. Ex eodem locum eundem tractat 1. Tuſcul. M. Tullius. Docet præterea Auguſt. Ciuit. lib. 1. cap. 17. 20. 25. Et quoniam in hac culpa valde illuſtres ſunt Cato, & Lucretia, certum eſt attexere ſanctiſſimi ſcriptoris de vtroque grauiſſimum iudicium. De Catone igitur ſic ille cap. 23.

De cuius facto quid potiſſimum dicam, niſi quod amici eius, etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius diſſuadebant, imbecillioris, quam fortioris animi facinus eſſe cenſuerunt? quo demonſtraretur non honeſtas turpia præcauens, ſed infirmitas aduerſa non ſuſtinens. Non igitur ſatis ſapienter factum, cum eum 1. Off. laudat Cicero de hoc facinore, docetque propter incredibilem grauitatem, quam ei natura tribuiſſet, moriendum potius, quam tyranni (Cæſaris) vultum aſpiciendum fuiſſe. Poteſtne dici grauitas, quæ aduerſis rebus frangitur, ſuccumbit?

De Lucretia cap. 19. Quod ſeipſam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adultera occidit, non eſt pudicitiæ charitas, ſed pudoris infirmitas. Puduit enim eam turpitudinis alienæ in ſe commiſſæ, etiamſi non ſecum: & Romana mulier laudis auida, nimium verita eſt, ne putaretur, quod violenter eſt paſſa cum viueret, libenter paſſa, ſi viueret. Vnde ad oculos hominum mentis ſuæ teſtem illam pœnam adhibendam putauit, quibus conſcientiam demonſtrare non potuit. Sociam quippe facti credi erubuit, ſi, quod alius fecerat in ea turpiter, ferret ipſa patienter.

Lubet nihilominus Lactantium audire contra αὐτοφόνους, & crudeliſſimos ſuimet ipſorum carnifices ita diſſerentem lib. 3. cap. 18. in quo & Catonis ſtultitia reprehenditur, & nominatim multi accuſantur.

Multi ergo ex ijs, qui æternas eſſe animas ſuſpicabantur, tanquam in cælum migraturi eſſent, ſibiipſis manus attulerunt: vt Cleanthes, & Chryſippus, vt Zeno, & Empedocles, qui ſe in ardentis Aetnæ ſpecum intempeſta 48
nocte deiecit: vt cum repente non apparuiſſet, abiiſſe ad deos crederetur. Ex Romanis Cato, qui fuit in omni vita ſua Socraticæ vanitatis imitator. Nam Democritus in alia fuit perſuaſione. Sed tamen Sponte ſua letho caput obtulit obuius ipſe. *Quo nihil ſceleratius fieri poteſt. Nam ſi homicida nefarius eſt, qui hominis extinctor eſt, eidem ſceleri obſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat. Immo verò maius eſſe facinus exiſtimandum eſt, cuius vltio ſoli deo ſubiacet. Nam ſicut in hanc vitam non noſtra ſponte venimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum eſt, eiuſdem iuſſu nobis recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec iubeat emitti. Et ſi vis aliqua inferatur, æqua mente patiendum eſt, cum extincta innocentis anima inulta eſſe non poſſit, habeamuſq; vindicem magnum, cui ſoli vindicta integra ſemper eſt. Homicidæ igitur omnes illi philoſophi, & ipſe Romanæ ſapientiæ princeps Cato, qui antequam ſe occideret, perlegiſſe Platonis librum dicitur, qui eſt ſcriptus de æternitate animorum, & ad ſummum nefas philoſophi auctoritate compulſus eſt. Et hic tamen aliquam moriendi cauſſam videtur habuiſſe, odium ſeruitutis. Quid Ambraciotes ille, qui cum eundem librum perlegiſſet, præcipitem ſe dedit? veriſimile nullam aliam ob cauſſam, niſi quod Platoni crediderit. Execrabilis prorſus, ac fugienda doctrina, ſi abigit homines à vita. Quod ſi ſciſſet Plato, atque docuiſſet, à quo, & quomodo, & quibus, & quæ ob facta, & quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum impegiſſet in mortem voluntariam, nec Catonem: ſed eos ad vitam, & iuſtitiam erudiſſet. Nam Cato mihi videtur cauſſam quæſiſſe moriendi, non tam vt Cæſarem fugeret, quam vt Stoicorum decretis obtemperaret, quos ſectabatur, nomenq; ſuum grandi aliquo facinore clarificaret: cui quid mali accidere potuerit, ſi viueret, non inuenio. C. enim Cæſar, vt clemens erat, nihil aliud efficere volebat, etiam in ipſo belli ciuilis ardore, quam vt bene mereri de repub. videretur, duobus optimis ciuibus, Cicerone, & Catone ſeruatis.*

Extat item præclara oratio Ioſephi lib. 3. de bello

Iudaico, cap. 19. qua vtitur aduersus socios, cum quibus capta Iotapata in specu delitescebat, cum illi ipsum cogerent, ne se potestati Romanorum, quamuis ab eis iterum inuitatus dederet, gladiumq; quo semet interimeret ipse, porrigerent. Principiũ duntaxat describemus. Propria manu perire, à communi omnium animalium natura alienum est, & isto modo in deum conditorem nostrum scelus execrandum admittitur. Nullum est animal, quod dedita opera per se moriatur. Est enim validissima naturæ lex, & ea sita est in omnibus, vt velint viuere. Quare & qui nobis adimendum id putant, pro hostibus ducimus, & quos insidiari nobis arbitramur, pœna eos persequimur, si possumus. Deum vero indigne ferre non censetis, cum donum eius homo despiciat? Ab illo enim accepimus vt essemus: rursusq; vt esse desinamus, illi reddendum est, &c.

Facit item ad rem cap. 2. lib. 4. apud Muretum, quod totum adscribemus. Cum vulgò crederetur, viri fortis esse, mortem sibi consciscere potius, quam graue aliquod, & acerbum malum perpeti: sapienter animaduertit Aristoteles, falsam esse illam hominum opinionem, eosque, qui ita facerent, non modo fortes, sed ignauos, paruique animi habendos pronuntiauit. Docent enim, se id quod fugiunt, ferre non posse, neque pares esse ei casui sustinendo, propter quem vitam relinquunt. Id autem effœminatam potius animi molliciem, quam magnitudinem arguit. Disputauit eadem de re doctissimè, ac sapientissimè August. multisque rationibus ostendit, Lucretiam, Catonem, cæterosq; eiusmodi frustra in hstoijs à fortitudine laudari. Longius etiam progressus, demonstrauit nullam esse posse bono, ac sapienti viro ἐξαγωγὴν, vt Stoici loquuntur, εὔλογον. Sed & Euripides id antè docuerat: qui Herculē primo facit succumbentem magnitudini eius doloris, quem hauriebat è cæde vxoris, & liberûm, quam ipsemet furore diuinitus immisso correptus perpetrauerat: & ob id è vita discedere meditantem: deinde redeuntem ad se, & mutantem consilium, verentem ne id sibi ignauiæ adscriberetur, si lucem relinqueret, tanquam ægritudini impar ferendæ. Aristoteles ita de hac re scribit lib. 3. ethic. τὸ δ' ἀποθνήσκειν, φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, καὶ οὐχ ὅτι καλὸν, ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. Euripidis autem versus hi sunt.

Ἐσκεψάμην δὲ καίπερ ἐν κακοῖσιν ὤν,
Μὴ δειλίαν ὄφλω τιν' ἐκλιπὼν φάος.
Ταῖς συμφοραῖς γὰρ ὅστις οὐχ ὑφίσταται,
Οὐδ' ἀνδρὸς ἂν δύναιθ' ὑποστῆναι βέλος.

Sed & apud Martialem memini esse epigramma quoddam in hanc sententiam: cuius hæc clausula est.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Adde his omnibus pro auctario ex Festo. Carnificis loco habebatur, qui se vulnerasset, vt moreretur. Cuius moris originem explicat vetus scriptor Gellius Eumina, apud Seruium Danielis nostri. Tarquinius, inquit, Superbus, cum cloacas populum facere coëgisset, & ob hanc iniuriam multi se suspendio necarent, iussit corpora eorum cruci affigi. Tunc primùm habitum est turpe, mortem sibi consciscere: vt non tantùm de eo, qui se vulnerasset, vt moreretur, intelligendum sit, sed de eo, qui quouis modo mortem sibi consciscéret. Quare adeo huiusmodi abominabantur vetustissimi Romani, vt ne eis quidem iusta facerent. Seruius in Schedis: Varro ait suspendiosis, quibus iusta fieri ius non sit, suspensis oscillis, veluti per imitationem mortis parentandum esse. Artemidorus lib. 1. ἀτιμάσει καὶ φυγὰς γενόμενος, ἀπαγξάμενος ἑαυτὸν, τελευτήσει τὸν βίον, ὡς μηδὲ ἀποθανὼν ἔχειν ὄνομα. τούτους γὰρ μόνους ἐν τοῖς νεκρῶν δείπνοις οὐ καλοῦσιν οἱ προσήκοντες. In charistijs enim, & parentalibus, omnium carorum iam vita functorum nomina ciere solebant. Ausonius. *nomina tantum Voce ciere suis sufficiet tumulis.* Scalig. in Festum. * *Poteramus in hoc argumento aduersus αὐτόχειρας, & suimet carnifices orationem longius producere, & plurium sapientum proferre sententias, nisi res per se liquida, nos parciores esse coegisset: & doctiores norunt, vnde plura sibi petant.*

Qui se ipsi interfecerunt, thorum catalogum texit Hyginus. Ægeus Neptuni filius in mare se præcipitauit, vnde Ægeum pelagus est dictum. Euhenus Herculis filius, in flumen Lycormam se præcipitauit, quod nunc Chrysorrhoas appellatur. Aiax Telamonis filius, ipse se interfecit propter armorũ iudicium. Lycurgus Dryantis filius obiecta insania à Libero, ipse se interficit. Macareus Æoli filius, propter Canacen sororem, id est sponsam, ipse se interfecit. Agrius Parthaonis filius, expulsus à regnó à Diomede, ipse se interfecit. Cæneus Elati filius ipse se interfecit. Menœceus Iocastæ pater se de muro præcipitauit Thebis, propter pestilentiam. Nisus Martis filius, crine fatali amisso, ipse se interfecit. Clymenus Cænei filius rex Arcadiæ, ipse se interfecit, quod cum filia concubuerat. Cinyras Paphi filius rex Assyriorum, quod cum Smyrna filia concubuerat. Hercules Iouis filius, ipse se in ignem misit. Adrastus & Hipponous eius filius ipsi se in ignem iecerunt, ex responso Apollinis. Pyramus in Babylonia ob amorem Thysbes ipse se occidit. Oedipus Laij filius ꝑpter Iocasten matrem ipse se occidit, ablatis oculis.

Idem de his quæ se ipsas interemerunt, ita scribit. Hecuba Cissei filia, siue Dimantis, vxor Priami, in mare se præcipitauit, vnde Cynæum mare est dictum, quoniam in canem fuerat conuersa. Ino Cadmi filia, in mare se præcipitauit cum Melicerta filio. Anticla Autolyci filia, mater Vlyssis, nuntio falso audito de Vlysse, ipsa se interfecit. Sthenobœa Iobatis filia, vxor Prœti, propter amorem Bellerophontis, &c.

PAVPERIEM ET DVROS PERFERRE LAB.) Bene profectò iunxit labores cum pauperie, & insinuauit, qui essent propriè pauperes, qui scilicet manu victum tolerant, & laboribus suis sese alunt, ac vix habent, quo necessitatem expleant, aut certe nihil fere præter necessaria possident. Hi pauperes. Egentes, vel egeni, quibus nec necessaria suppeditant. Eadem differentia est inter πένης, & πτωχὸς, quorum prius pauperi, posterius egenti, seu mendico respondet. Hoc discrimen apertissime traditur ab Aristophane in Pluto. Paupertas est, ait Seneca, epist. 87. non quæ pauca possidet, sed quæ multa non possidet. Ita non ab eo dicitur, quod habet, sed ab eo, quod ei deest. Facilius quod volo exprimeret, si latinum verbum esset, quo πενία significatur. Hanc paupertati Antipater assignat.

NOVIES STYX INTERFVSA) Statius lib. 2. Thebaid. *Styx inde nouem circumflua campis Hic obiecta vias torrentũm incendia claudunt.* Philosophema Rhodigini super nouenario isto, descripsimus 1. Æneid. ad illud, de fonte Timauo, *Vnde per ora nouem vasto cum murmure,* &c. inde assumes, si placebit. lege etiam, quæ à Germano in hunc locum de nouendialibus sacris scripta sunt.

Nec pro-

Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
Hîc quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circùm
Sylua tegit. curæ non ipsa in morte relinquunt.
His Phædram, Procrinq; locis, mœstamq; Eriphylen
Crudelis nati monstrantem vulnera cernit,
Euadnenq;, & Pasiphaen: his Laodomia
It comes, & iuuenis quondam, nunc fœmina Cæneus,
Rursus & in veterem fato reuoluta figuram.

LVGENTES CAMPI) Lugentes campos vocat à luctu, quo quidam propter turpem, fœdamq; libidinem, ob quam nonnulli etiam sibi mortem consciuerunt, miserè cruciantur. In quibus luctu, præteritæ libidinis recordatione marcescentes, sunt conclusi. Latitudine campi multitudinē amantium, eorumq; in quibus libido dominata est (late enim patet hic morbus) ostendit. Ibi enim magnitudine loci opus est, vbi numerus hominum ingens existit. Montfort. Nascimb.

DVRVS AMOR) immitis, inexorabilis. concinit illud Propert. *Durius in terris nihil est quod viuat, amante*, propter duritiem amoris videlicet, cuius tyrannidem nemo melius Plauto descripsit, idque non vno loco. Atqui sæpius appellatur mollis, tener, blandus, dulcis. Non igitur durus, asper, immitis, intractabilis. Respondeat idem Plautus pro me.

Namq; ecastor amor melle, & felle est fœcundissimus.
Gustu dat dulce: amarum ad satietatem vsq; aggerit.

Et Lucret. lib. 4.

Nequicquam, quoniam medio de fonte leporum,
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Lege quæ sequuntur. ✠

TABE PEREDIT) corpore defluente paulatim. Hinc ille se in exiles artus tenuatū dicere poterat, cuius est etiam hoc, *Et cur sim toto corpore nullus ego.* Hanc crudelem tabem, & carnificinam satis, vt opinor, depingit in Mercatore Plautus sub Charini adolescentis persona:

Súmne ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere?
Si domi sum, foris est animus: sin foris sum, animus domi est.
Ita mihi in pectore, atq; in corde facit amor incendiū.
Ni oculos lacrymæ defendant, iam ardeat credo caput.

Potéstne quæso, qui sic ardet, non liquescere, non tabescere? ✠

SECRETI CELANT CALLES) amantibus secreta cōueniunt loca. Nam cum omnes qui malè agunt, oderint lucem, tum maximè qui amoribus fruuntur, nō id in propatulo faciunt, ne arguantur eorum opera. Potest etiam videri alludere ad lupanaria, quæ plerumque non in locis celebribus, sed in infrequentibus, & in ciuitatum angulis sunt. ✠

MYRTEA SYLVA) aptè, est enim myrtus sacra Veneri, Venus amorum præses.

CVRÆ NON IPSA IN MOR. RELIN.) Habent peractorum imaginem criminum. Sicut de pijs dictus est, *Quæ gratia currūm, Armorumq; fuit*, &c. Et cum mors finis ærumnarum sit, ipsi ne post mortem quidem vacant doloribus. est πάθος à dolorum, & ægritudinis perpetuitate. Nascimbæn. * *Non in hoc tantum flagitij genere, sed in quibuscunq; sceleribus verum est,* Curæ non ipsa in morte relinquunt: *nam vermis eorum non moritur, qui eos in omnem æternitatem rodit, nec erodit.*

HIS PHÆDRAM, PROCRINQVE LOCIS) Norunt vel barbari, qui græcæ linguæ expertes non sunt, quæ de Phædræ amore, & nutricis audaci obsequio vulgata sunt. Est verò etiam apud Troezenios Hippolyti tumulus, de quo hæc ipsi tradiderunt: Theseum, cum Phædram ducturus esset, veritum, ne qui gignerentur liberi, aut ipsi Hippolyto, aut illis Hippolytus imperaret: ob eam rem Hippolytum Troezenen ad Pittheum amandasse, tum vt apud illum educaretur, tum vero vt in eius regnum succederet. Posthæc cum Theseus Pallantem, & eius filios res nouas molientes occidisset, Troezenem, vt de cæde purgaretur venisse, vbi tunc primùm Phædræ visum Hippolytum, eiusque amore insanientem, de morte consciscenda sibi consilium cepisse. Myrtus adhuc apud Troezenios ostenditur, perterebratis vndique folijs: eam sane talem ab initio fuisse negant, sed ex amoris ægrimonia Phædram crinali acu folia traiecisse. Hæc Pausanias lib. 1. Vide item Diodorum lib. 4. cap. 6. * *Extat Hippolytus tragœdia Euripidis, in qua huius fœminæ ἐρωτομανία, ac mors ipsa, qua semet ipsa multauit, luculenter describitur. In eadem tragœdia legimus de tabellis ab illa impura relictis, quibus Hippolytum, cum ipsa eum expugnare non potuisset, vt oppugnatorem pudicitia suæ accusat. Huiusmodi exempla 8. annotauit Muret. in Varijs lect. lib. 1. cap. 12. quibus quinque adiecit Canterus. lib. 6. cap. 1. Fabulam Procridis, cuius aliena tectus specie Cephalus maritus pudicitiam attentauit, & parum constantem inuenit, habes apud Ouid. Metamorph. lib. 7. Eandem perspicue, & fuse exponit Hygin. cap. 189. Eandem breuiter Apollod. lib. 3.*

MOESTAMQVE ERIPHYLEN CRVD. NATI VVL.) Amphiaraus augur, cum sciret, si ad Thebas oppugnatum isset, se inde non rediturum, celauit se, conscia Eriphyle coniuge sua Talai filia. Adrastus Argiuorum rex, vt eum inuestigaret, monile aureum, & gemmatum muneri dedit sorori suæ Eriphylæ. Cuius doni illa permulsa illecebris, maritum prodidit. Amphiaraus Alcmęoni filio pręcepit, vt post mortem suam, à matre pœnas expeteret. Ille, patre apud Thebas hiatu terræ absorpto, matrem iugulauit, quem deinde Furiæ exagitarunt. Sic Hyginus cap. 73. Cum porro filij, vt parentum mortem vlciscerentur, rursum communi consilio contra Thebas arma pararent, Apollo consultus responderat, vrbe potituros, si Alcmæonem Amphiarai filium sibi ducem creassent. Ille dux factus, deum & de bello, & de matre Euriphyle ad patrem vindicandum interficienda consuluit. Respondit Apollo, vtrumque faceret, eam enim non solum monile ad patrem, sed peplum quoque ad filium occidendum accepisse. Venerem aiunt quondam Hermionæ Cadmi, & monile

donasse, & peplum. Ambo hæc habuit Eriphyle: alterum A à Polynice, alterum à Thersandro Polynicis, quò filium ad expeditionem Thebanam hortaretur.

Anaximenes Lampsacenus celeberrimum idcirco Eriphyles fuisse scribit monile, quia rarum admodum eo tempore aurum apud Græcos reperiebatur: erat enim res tunc maxime admiranda, si quis poculum vel argenteum conspexisset. Philippum quoque regem, magni Alexandri patrem, auream phialam, quam habebat exiguam, semper sub puluino tenere solitum Durius testatur Samius. Herodotus Heracleotes, argenteam fuisse phialam asserit, quæ in medio B auream agnam haberet. Athenæus lib. 6. cap. 4.

De Alcmæone autem matricida, simulque de monili Eriphyles describemus quædam, quæ leguntur apud Pausaniam in Arcadicis. Alcmæon etiam Amphiarai filius Psophide sepultus est. Eius tumulus neque magnitudine, neque vllo ornatus genere insignis. Creuerunt circa eum cupressi eo vsque, vt earum proceritate etiam mons is, qui Psophidi imminet, superetur. Eas non cædunt, quòd Alcmæoni sacras putant: easdemque Virgines indigenæ appellant. Enimuero Alcmæon occisa matre Argis fugiens, Psophidem, quæ tunc Phegia, à Phegio nominabatur, se recepit: ibi Phegei filiam Alphesibœam duxit vxorem, C cui inter cętera nuptialia dona, decantatum etiam illud monile dedit. Vbi verò in Arcadibus domicilium habenti insaniæ morbus nõ decessit, ad Apollinem Delphos veniens, responsum accepit, in eam terram ei migrandum, quæ omnium esset recentissima, quamque mare edidisset, postquam se ille Eriphyles matris sanguine polluisset: neque enim eò maternas diras ipsum consecuturas, &c.

De terra ista recentissima ei habitanda, quod dicit Pausanias, melius ex lib. 2. Thucydidis intelligas. Fama est, inquit, Apollinem Alcmæoni, filio Amphiarai, cum à cæde matris incertis locis erraret, hanc terram habitandam significasse, cum moneret eum, fieri D non posse, vt à terroribus Furiarum liberaretur, priusquam talem terram inueniret, in qua habitaret: quæ tunc cum matrem interficeret, nondum à sole conspecta, nec adhuc terra fuisset, cum omnis reliqua terra illi propter cædem matris Eriphyles polluta esset. Dubitanti igitur, & desperabundo, vix tandem in mentem incidit hæc terra, quæ alluuione Acheloi interea accreuerat, locique satis esse videbatur, in quo habitaret, postquam à cæde matris per longum tempus hinc inde erroribus iactatus esset. Quapropter sede constituta circa Oeniadum, præfuit ibi, & ab Acarnane filio suo regioni nomen imposuit.

De Eriphyla Cic. 4. Verrina in hunc modum. Eriphylam E accepimus in fabulis ea cupiditate, vt cum vidisset monile, vt opinor, ex auro, & gemmis, pulchritudine eius incensa, viri salutem proderet. Similis istius cupiditas: hoc etiam acrior, atque insanior, quod illa cupiebat id, quod viderat: huius libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitabantur.

Eriphyles ob maritum monilis caussa proditum à filio interemptæ, totiusq; domus perditæ, meminit Horatius Ode 16. lib. 3.

——— concidit Auguris
Argiui domus, ob lucrum
Demersa excidio.

Propert. eleg. 10. lib. 2. *Aspice quid donis Eriphyle inuenit amaris.* Et rursum lib. 3.

Tu quoq; vt auratos gereres Eriphyla lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.

Ouid. lib. 1. Amor.

Ex quibus exierat traiecit corpora ferro
Filius, & pœna caussa monile fuit.

Sulpitius Lupercus.

Sic latebras Eriphyla viri patefecit, vbi aurum
Accepit turpis materiam sceleris.

EVADNENQVE) Euadne Iphiclis filia, Capanei coniux, virum ardentissimo amore dilexit. Cuius apud Thebas interitum cum accepisset, dolore obriguit. Deinde in eundem se rogum, quo cadauer eius cremabatur, coniecit. Apollodorus lib. 3.

ET PASIPHAEN) De Pasiphaë multa satis hoc ipso libro, & in Eclog. 6.

HIS LAOD. IT COMES) Laodamiam nouam nuptam suam, ad bellum Troianum abiens Protesilaus deseruit. Qui postea cum primus omnium è naui in terram desiluisset, ab Hectore occisus est. Eius mortem Laodamia impatientissime tulit. Dialogus est Luciani tomo 4. vbi Protesilaus à Plutone, adiutus Proserpinæ comprecantis auctoritate, vnum diem ad illam reuisendam impetrat. Vide nihilominus, si placet, Hygin. cap. 103. & 104. De hac fœmina, eiusque parum fælici coniugio, & amore in virum memorabili Catull. eleg. ad Mallium.

Coniugis vt quondam flagrans aduenit amore
Protesilaëam Laodamia domum.
Inceptam frustra, nondum quum sanguine sacro
Hostia cælestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat Rhamnusia virgo,
Quod temere inuitis suscipiatur heris.
Quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro:
Coniugis ante coacta noui dimittere collum,
Quam veniens vna, atq; altera rursus hyems
Noctibus in longis auidum saturasset amorem,
Posset vt abrupto viuere coniugio:
Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos.
Quo tibi tum casu pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vita dulcius, atq; anima
Coniugium. tanto te absorbens vertice amoris
Æstus in abruptum detulerat barathrum.
Quale ferunt Graij Pheneum prope Cylleneum
Siccari emulsa pingue palude solum.

NVNC FOEM. CÆNEVS) Cænis virgo Thessala, à Neptuno subacta, ab eo impetrauit, vt in virum verteretur, ne vulnerari posset. Schol. Apollon. Tandem in nuptijs Pirithoi à Centauris, cum præ se omnes despiceret, congestu arborum oppressa interijt. Vide Metamorph. lib. 12. * *De fæminis mutatis in sexum virilem Plin. lib. 7. cap. 4. vbi plura exempla recensentur. Notum est item quid fabulæ nugentur de mutatione Tiresiæ. Puerum quendam Beneuenti transisse in virginem tradit Ausonius. Vide Tiraquellum l. leg. Connubial. numer. 100. & deinceps. Qui porrò factum sit, vt Cæneus diceretur inuulnerabilis, docet Palæphatus, quem consules, si voles.*

Inter quas Phœnissa recens à vulnere Dido
Errabat sylua in magna, quam Troïus heros

Vt pri-

Vt primum iuxta ſtetit, agnouitq́; per vmbram
Obſcuram, (qualem primo qui ſurgere menſe,
Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila Lunam,)
Demiſit lacrymas, dulciq́; affatus amore eſt.
Infœlix Dido, verus mihi nuncius ergò
Venerat extinctam, ferroq́; extrema ſecutam.
Funeris heu tibi cauſſa fui. per ſydera iuro,
Per ſuperos, & ſi qua fides tellure ſub ima eſt,
Inuitus regina tuo de littore ceſſi,
Sed me iuſſa Deûm, quæ nunc has ire per vmbras,
Per loca ſenta ſitu cogunt, noctemq́; profundam,
Imperijs egêre ſuis: nec credere quiui,
Hunc tantum tibi me diſceſſu ferre dolorem.
Siste gradvm, teqve aspectv ne svbtrahe nosro.
Quem fugis? extremum fato quod te alloquor, hoc eſt.

Inter qvas phoenissa) Phœniſſa, vt Threiſſa, Libyſſa, Ciliſſa.

Errab. sylva in magna) Pulchrè *errabat*, inquit, in ſylua magna, vt quaſi incertum eſſet, quem circulum poſſet tenere, quia & amauerat, & ſe interemerat. Notandum etiam, cum ſupra maſculino genere vſus ſit, *Hic quos durus amor*, &c. nunc tantum fœminarum exempla poni, non quod deſint viri? ſed elegit ſexum impatientem ad amandum. Seruius.

Qvalem primo. q. svrg. mense) Primo menſe, primos dies menſis intelligit, primo ortu, cum iam apparere plena incipit: idq́; Græcæ gentis more quæ à noua luna eum auſpicabatur. Apollon. 4. Argonaut. à quo id excerpſit Virgil.

Τὸν ἴδεν, ὥς τίς τε νέῳ ἐνὶ ἤματι μήνην,
Ἢ ἴδεν, ἢ ἐδόκησεν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι.

Brod. lib. 1. cap. 26. * *Dictum eſt primo menſe, ſicut prima placea, primoribus digitis, primo vere, & multa huiuſcemodi, in quibus vocabulum primo non ordinem, ſed partem denotat.*

Infælix Dido, vervs mihi nvntivs) Purgat ſe Didoni Æneas de cauſſa necis illius, per tranſlationem criminis ex iudiciali aſſumptiua. Factum quidem confitetur, deſeruiſſe videlicet, ſed per neceſſitatem excuſat, culpamque omnem in deorum voluntatem, & imperium confert. Multum etiam ad innocentiam ſuam ei perſuadendam valet, quod non ſine lacrymis eam poteſt affari. Orditur per commiſerationem ex infælicitate Didus. Sic enim cauſſa requirit, vt per indicium doloris, animum illius à ſe magnopere alienatum conciliet, & ad hoc ipſum erumpentes lacrymæ faciunt. Cognoſcit autem nunc demum verum fuiſſe nuntium eius de morte, non quod aliquis ei nuntiauerit, ſed ad ignem referendum eſt, de quo in 5. *Mænia reſpiciunt, quæ iam infælicis Eliſæ Collucent flammis.* Dubitauit enim hactenus de illo nuntio: nunc eum fuiſſe veriſſimum intelligit. Naſcimb.

Falluntur, qui nuntium neutro genere vſitatum eſſe putant, pro re, quæ nuntiatur. Nuntius enim in maſculino, & eum qui nuntiat, & rem nuntiatam ſig-
A nificat. Catull. *Veniſti? ô mihi nuntij beati.* Idem. *Cum ſubito affertur nuntius horribilis.* Quæ autem ex Tibullo, & Lucretio afferuntur exempla, nihil probant: ſiquidem in illis nuntium, & nuntia, tanquam adiectiuum nomen eſt, vt Grammatici appellant. Ex Muret. in Catull. & Lamb. in Horat.

Per svper. et si qva fides) *Per ſuperos*, &c. valet, per ſuperos, & inferos. Per ſuperos & ſi quod apud inferos iuſiurandum eſt, religioſaq́; affirmatio, & aſſeueratio. Turneb. lib. 23. cap. 3. Obſeruanda autẽ hoc loco Grammatica anomalia in particula, *per*, frequens apud Maronem. Repete quæ notauimus lib. 2. ibi, *Per ſi qua eſt, quæ reſtat adhuc mortalibus vſquam Intemerata*
B *fides.*

Invitvs reg. tvo de litt.) A Catullo ſumpſit: ille namque elegia de coma Berenices. *Inuitus regina tuo de vertice ceſſi.*

Aspectv ne svb. nostro) pro aſpectui. Cæſar in libris ijs, quos de Analogia ſcripſit, ornatu, dominatu, & huius generis alia, ſine, i, littera dicenda cenſet. Vide Gell. lib. 4. cap. 16. Antiqui in quinta inflexione libenter ablatiuum pro datiuo vſurpabant. Exempla collegi alio loco. Addé hæc. Varro lib. 4. de ling. latin. Prætor dictus, qui præiret exercitu. Veget. lib. 1. cap. 9. ſed & curſu præcipue aſſuefaciendi.

Qvem fvgis?) Eſt emphaſis in illo pronomi-
C ne *quem*: tui, quod in ſe eſt, amantiſſimum, tuamq́; vicem dolentem vnicè, quod ipſæ lacrymæ profuſæ, & tam dulcis ſermo, quo te ſum affatus, teſtari poſſunt. Da igitur paulum operæ mihi. ſequitur αἰτιολογία. *

Extrem. fato. q. te alloq. hoc est) Hoc ait eſſe extremum verbum, quod eam in vita ſua alloquatur, idque ſibi fato conceſſum, ac proinde æquum putat, ſe audiri. Poſt mortem verò ſuam tenebit alium circulum, viris fortibus, non amantibus aſſignatum. Seruius. Soph. in Aiace. προσεννέπω πανύστατον δὴ κοὔποτ' αὖθις ὕστερον. Et paulò poſt τοῦθ' ὑμῖν Αἴας τοὔπος ὕστατον θροεῖ. German.

Talibus Æneas ardentem, & toruà tuentem
Lenibat dictis animum, lacrymasq́; ciebat.
Illa ſolo fixos oculos auerſa tenebat:

NEC MAGIS INCEPTO VVLTVM SERMONE MOVETVR,
QVAM SI DVRA SILEX, AVT STET MARPESIA CAVTES,
Tandem proripuit ſeſe, atq; inimica refugit
In nemus vmbriferum: coniux vbi priſtinus illi
Reſpondet curis, æquatq; Sichæus amorem.

ARDENTEM) ita vtique, ex quo ſequebatur, vt toruiſſimo eũ vultu intueretur, & id ipſum perſpicuè, quæ ſequuntur verba, indicant.

LACRYMASQVE CIEBAT) Leniebat quidem, ſeu potiùs lenire conabatur animum Didonis: lacrymas autem non illi ciebat, ſed ſibi, id eſt, nouas lacrymas fundebat: & qui lacrymans cœperat ſermonem, eundem cumulans lacrymis finiebat.

TORVA TVENTEM) Id eſt, toruè, nomen pro aduerbio, figura poetis Græcis, & Latinis frequentiſſima. Nam & ipſe dixit, *tranſuerſa tuentibus hirquis*. Sic acerbà fremens, acerbà tonans, crebrà fremit, ſerà comantẽ Narciſſum, multà gemens, quod quinquies vſurpauit, multà reluctanti, vanà tumentum, flos apprimà tenax. Quæ omnia in accuſatiuo plurali, generis neutri aduerbialiter poſita ſunt. Sed non minùs frequenter eundem caſum ſingularem generis item neutri, pro ſuis quemque aduerbijs vſurpauit, vt, *toruumq; repentè clamat*, magnùm ſtridens, horrendùm ſtridens, quod bis dixit: Horrendùm ſonuere arma, horrendùm intonat armis, læuùm intremuit, inexpletùm lacrymans, immanè ſpirans, ſupremùm congemuit, longùm vale, longùm lætabere, æternùm vale, lugubrè rubent cometæ. Sed & hæc inter aduerbialiter prolata Seruius annotauit. *Nauibus infandùm amiſſis*, pro, infandè. Et, *tum pendere pœnas Cecropidæ iuſſi, miſerùm, ſeptena quotannis Corpora*. Et, *miſerabilè caſis Hoſtibus inſultans*, pro miſerabiliter. Quanquam poſſunt etiam eſſe interiectiones dolentes: quod magis mihi placet: nec Seruius non agnoſcit. Illud verò notabilius, quod Lucretius in 6. per initia dixit, *neq; te in promiſsis plurà morabor*, id eſt, plus. Erythræus.

QVAM SI DVRA SILEX) Nutrix in Hippolyto apud Senecam, poſteaquam iuuenem flectere non potuit, ad quod volebat.

Vt dura cautes vndiq; intractabilis
Reſiſtit vndis, & laceſſentes aquas
Longè remittit: verba ſic ſpernis mea.

Et in Agamemnone. *nihil ille motus, ardua vt cautes*. Ouid. 2. Metamorph. *Quæ pater haud aliter, quam cautes marmora ponti Excepit*. Euripid. Medea. ὡς δὲ πέτρος, ἢ θαλάσσιος κλύδων ἀκούει.

Comparatio à ſcopuli immobilitate deducta, & egregiè ſanè duram Didonem, atque animo immobilẽ, duritiæ, immobilitatiq; animi Æneæ, ex æquo reſpondere facit: nam vt Æneas nullis Eliſæ fletibus mouetur in quarto: ita viciſſim hoc in loco Eliſa Ænea lacrymante, atq; etiam orante nihilo magis mouetur. Quamobrem & Æneam quercui, cum ait,

Ac veluti annoſam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant:

Et Didonem hic ſilici comparauit. Naſcimb.

Tranſtulit ad Didonem, quæ Odyſ. λ. de Aiace aduerſus Vlyſſem ſcripta ſunt. Fugit enim eius colloquium, quia ille ſibi cauſſa interitus.

Ὣς ἐφάμην, ὁ δέ μ' οὐδὲν ἀμείβετο, βῆ δέ μετ' ἄλλας
Ψυχὰς εἰς ἔρεβος νεκύων κατατεθνειώτων.

Seruius.

TANDEM PRORIPVIT SESE) Augmentum iræ ſuæ Æneam refugiendo teſtata eſt: & vt fuerat inimica, ita diſceſſit. Dicitur ad quem locum, in nemus vmbriferum, ſeu frondoſum ad Sichæum ſuum, qui vnum cũ ea gerebat animum, & amore mutuo, conſimilique tenebatur. Donatus.

CONIVX VBI PRIST. ILLI RESP. CVRIS) Ex tot amantibus viris, vnius tantum mentionem facit, nempe Sichæi. Fortaſſe, quia fœminæ ardentius amant, quã viri: cumque Sichæus Didonem non minus diligeret, quàm à Didone diligeretur (vnde ſequitur, *illi Reſpondet curis*) hoc vno vſus eſt viri amantis exemplo: quod etſi alia perditè amantiũ reperiri poſſent exempla, hoc tamen fuit poetæ aptius, cui vtriusque, Sichæi videlicet, & Didus hiſtoriam iam antea ſcribere contigerat. Naſcimb.

Nec minùs Æneas caſu percuſſus iniquo,
Proſequitur lacrymans longè, & miſeratus euntem eſt.
Inde datum molitur iter: iamq; arua tenebant
Vltima, quæ bello clari ſecreta frequentant.
Hîc illi occurrit Tydeus: hîc inclytus armis
Parthenopæus, & Adraſti pallentis imago.
Hic multum fleti ad ſuperos, belloq; caduci
Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens,
Ingemuit, Glaucumq;, Medontaq;, Therſilochumq;
Tres Antenoridas, Cereriq; ſacrum Polybœten,
Idæumq; etiam currus etiam arma tenentem.
Circumſtant animæ dextrà, læuaq; frequentes.
NEC VIDISSE SEMEL SATIS EST: IVVAT VSQVE MORARI,
ET CONFERRE GRADVM, & veniendi diſcere cauſſas.

PROSEQ.

PROSEQ. LACRYM. LONGE) Admodum dolebat Æneas, desertum se ab ipsa, atque contemptum, tamen quam longissimè conspectum oculi ferebant, eam lacrymans, & ingemiscens prosequebatur, homo videlicet ad *συμπάθειαν* propensissimus. Inde iter cœptum prosequitur. Donatus.

VLTIMA ARVA) vlteriora, seu ad quæ vltima veniunt, quæ vltima possident post mortem viri fortes. *Tydeus* Altheæ, & Oenei filius, Diomedis pater, quem bello Thebano Menalippus extinxit. *Parthenopæus* Menalippi, & Martis, siue Melanionis filius, qui Thebana bella puer admodum petijt.

ADRASTI PALLENT. IMAGO) Rex Sicyonis primum fuit, post Argiuorum, socer Tydei, & Polynicis. quod autem ait *pallentis*, aut adiunctum est vmbræ: aut ad illud respexit, quia in bello Thebano consumptis sex ducibus, solus aufugit: fugæ autē comes pallor. Seruius.

HIC MVLTVM FLETI AD SVPEROS) Generatim, ibi erant, inquit, Troiani qui propter memoriam virtutis suæ, quoniam pro patria strenuè pugnando occubuerant, apud superos, apud viuos, (nos enim comparatione inferorum superi sumus) magnum sui desiderium reliquerant, & multis erant lacrymis defleti. Horum erat longus ordo, id est, ingens multitudo. Per A tres *Antenoridas* multi tres proximè nominatos accipiunt, Glaucum, Medontem, Thersilochum: sed ab Homero refelluntur, qui Archilochum, Acamantem, Helyconem vocat. *Cereri sacrum*, id est, sacratum Polybœten, cum quadam nota illius deæ dictum, quæ tueri sacerdotem suum non potuit, aut noluit. Idæus viuens fuerat auriga Priami. Videbat igitur eum eodem munere occupatum apud inferos, quo fuerat apud viuos: sed Æneam animæ innumeræ adibant, nec poterant eius aspectu satiari, & auebant caussas aduentus eius in loca illa cognoscere, quas videbant singulares, & maximas esse oportere. Donatus, Seruius.

CIRCVMSTANT ANIMÆ DEXTRA) Manifestum B est, poetam Æneæ his verbis, *Circumstant animæ dextra*, &c. laudem singularem quæsisse: nisi enim vir magnus, & admirabilis fuisset, totique ciuitati Troianæ propter virtutem, humanitatemque charissimus, & desideratissimus etiam mortuis, nunquam ad eum visendum tantus animarum concursus esset factus: nunquam extitisset illius iterum, iterumque videndi, & alloquendi tanta cupiditas. Sed hoc iam nosti, Virgilium studere hoc vnum, vt ex omni parte Æneam apertè, latenterque efferat, & deum apud lectorem faciat.

At Danaûm proceres, Agamemnoniæq; phalanges
Vt videre virum, fulgentiaq; arma per vmbras,
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates: pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantes.
Atq; hîc Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora, manusq; ambas, populataq; tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.
Vix adeò agnouit pauitantem, & dira tegentem
Supplicia, & notis compellat vocibus vltrò.

AGAMEM. PHALANG.) Ad Menelaum potissimùm pertinebat iniuria raptæ coniugis Helenes. Tamen frater eius Agamemno ad munus imperatorium visus est aptior. Ergo illi commissæ omnes copiæ: illi cæteri duces paruerunt. Optat autem propter oneris magnitudinem, & filiæ necem, quæ postulabatur, carere isto honore. Vide Euripidis Iphig. Aul. Menelaus tamen infra ibidem ei arrogantiam exprobrat, qui dignitatem hanc ambiuerit: eaq; adepta, superbus euaserit.

INGENTI TREPIDARE METV) Mira laus Æneæ, quem oportuit viuis Græcis maximo terrori fuisse, cum etiam mortui, & corporibus exuti eum præ timore fugiant, eiusque conspectum ferre nequaquam possint. Deturpat Græcos vt ignauos, & imbelles. De illorum fuga ad naues, compellente Hectore, Homerus Iliad. 6. & noster Æneid.

INCEPT. CLAM. FRVSTRATVR HIANTES) Stat. lib. 4. Thebaid. *& falso clamore leuatas Intendunt sine pace manus.* A natura spirituum, qui nihil aliud sunt, quam substantiæ incorporeæ: quare sonū edere haud valent. organa enim vocis desunt. Depingit ceu penicillo in tabula, animas ora in hiatum temere deducentes sine sono. Montfortius.

Cum ageret hilarè Saturnalia Athenis cum sodalib⁹ suis Gellius, fuerunt inter alias quæstiones hi versus Ennij, vno verbo multifariam concinniter implicati ad C enarrandum propositi, nec tamen in eodem capite 2. videlicet lib. 18. eorum allata enarratio, siue explanatio. Versus hi sunt.

Nam qui lepide postulat alterum frustrari,
Quem frustratur, frustra eum dicit, frustra esse:
Nam qui sese frustrari quem frustra sentit,
Qui frustratur, is frustra est: si non, ille est frustra.

Hos in hunc modum explicauit Muretus, vt memoriæ prodidit eius auditor Iosephus Castilio, in Varijs lectionib. Qui vult alium lepide fallere, dicere non debet, errare, ac falli eum, quem ipse fallere cogitat. Nam vbi quis sentit frustra alium operam dare, vt se fallat, cum, nisi is, cui dolus tenditur, fallitur, is ipse frustra est, qui D eum frustrari volebat. Frustrari, est fallere. Frustra esse, falli, ac decipi. Hoc ego θεώρημα tum quia liber Castilionis nondum apud nos vulgatus est, tum propter Mureti gratissimam omnibus politiorum doctrinarū amatoribus memoriam, Symbolis nostris inserendum putaui.

LANIATVM CORPORE TOTO) Πάθος ex habitu, & forma corporis: quod per effictionem totum deturpatum fuisse describit. Platonicè igitur designat corpus, id est, simulacrum corporis, à morte eundem apud inferos habitum retinere, quem homine viuente possederat. Nascimb.

Sic miserum in modum laniatus est, vt adulter Hele-

mortuis ducebant. Budæus in Pand. cenotaphia hodie vocari posse funerum expositorum imagines, quas repræsentationes in anniuersarijs exequijs dicimus.

MANES TER VOCE VOCAVI) De ritu manes vocandi ad tumulum, scripta quædã à nobis 3. Æneid. ad illa, *animamq́; sepulcro Condimus, & magna supremũ* A *voce ciemus.*

NOMEN ET ARMA LOCVM SERVANT) pro, locus seruat nomen, & arma: nõ quidem vera arma tua: vnde enim illa nancisceret? sed picta arma, quæ pro veris essent. Locutus est sic etiam principio septimi. *Et nunc seruat honos sedem tuus.*

Atq; hic Priamides: NIHIL Ô TIBI AMICE RELICTVM EST,
OMNIA DEIPHOBO SOLVISTI, & funeris vmbris:
Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ
His mersêre malis: illa, hæc monumenta reliquit.
Namq; vt supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus nosti: & nimium meminisse necesse est,
Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, & armatum peditem grauis attulit aluo:
Illa chorum simulans, euantes orgia circùm
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me confectum curis, somnoq; grauatum
Infælix habuit thalamus, pressitq; iacentem
Dulcis, & alta quies, placidæq; simillima morti.
Egregia interea coniunx, arma omnia tectis
Emouet, & fidum capiti subduxerat ensem:
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit:
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo: comes additur vnà
Hortator scelerum Æolides (DII TALIA GRAIIS
INSTAVRATE, PIO SI POENAS ORE REPOSCO.)
Sed te qui viuum casus, agè fare vicissim,
Attulerint: pelagíne venis erroribus actus,
An monitu Diuûm? an quæ te fortuna fatigat,
Vt tristes sine sole domos, loca turbida adires?

NIHIL Ô TIBI AMICE RELICTVM EST) Hoc est plenè gratias agere, vt quod Æneas asseruit factum propterea, quia corpus eius inuenire non potuerit, quod sollemni ritu condidisset, Deiphobus diceret cumulatè sibi satisfactum. Primò quæsiuit Æneas, quis auctor fuisset deformitatis eius: deinde retulit, se ei constituisse sepulchrum honoris caussa, licet imaginarium. Deiphob⁹ responsurus. (quoniam suprema honorificentia potior erat) ei prius respondet, & gratias agit. Deinde de auctore pœnarum suarum narrare aggreditur. Fata, & mulier pessima, ac sceleratissima, Helena, inquam, quam mortuo Paride duxi, me sic mulcarunt. Donatus.

DEIPHOBO SOLVISTI, ET FVN. VMBRIS) Signatè dicit, soluisti: quæ enim soluuntur, antea debebantur. Et quoniam debentur quędam mortuis à viuis, præsertim amicis, & cognatis, vt exequiæ, inferiæ, sepultura, & cærimoniæ denique ad manes placandos, idcirco dicuntur iusta, græce τὰ νομιζόμενα. Est enim quædam iustitia seruanda etiam erga defunctos. Et lex vetus, Deorum manium iura sancta sunto. ✠

SVPREM. FALSA INTER GAVD. NOCTEM) B Fecit noctis commemorationem, & adiecit signa eius, vt apertius Æneas agnosceret, de qua nocte ille loqueretur. Supremam dixit, quia ipsa conclusit exitium Troiæ, & Iliensis imperij. Cum gauderent, inquit, omnes, & inter gaudia nihil speraretur aduersi. Donatus.

Sapiens nunquam est sine gaudio. Gaudium hoc non nascitur nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudere nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans. Quid ergo? inquis. Stulti, ac mali non gaudent? non magis, quam prædam nacti leones. Cum fatigauerunt se vino, & libidinibus: cum illos nox inter vina defecit, cum voluptates angusto corpori, vltrà quàm capiebat, ingestæ, suppurare cœperunt, tunc exclamant miseri Vir- C gilianum illum versum, *Namq; vt supremam falsa inter gaudia noctem Egerimus, nosti.* Omnem luxuriosi noctem inter falsa gaudia, & quidam, tanquã supremam, agunt. Illud gaudium, quod deos, deorumq; æmulos sequitur, non interrumpitur, non desinit. Desineret, si sumptum esset aliunde. Sed quia non est alieni muneris, nec arbitrij quidem alieni est. Quod non dedit fortuna, non eripit. Hæc Seneca epist. 59.

Repete locùm superiorem, *& mala mentis gaudia,*

vbi alias Senecæ sententias protulimus. Fuerunt igitur gaudia ista falsa, quia stultorum gaudia, capta ex delectatione sensuum, communia cum brutis animantibus. Virgilius tamen ideo forsitan falsa nominat, quoniam dolum Græcorum respicit, quo decepti, cum nimirum eos abijsse putarent, qui latebant apud Tenedum, & eadem nocte reuersuri, vrbemq; deleturi erant, se omni generi lætitiæ, voluptatisq; dediderunt. Et quia causa gaudendi vera non fuit, ideo non verum, sed falsum gaudium.

CVM FATALIS EQVVS SALTV) Fatifer, exitiabilis equus. De fatali equo, eiusq; vtero, armatorum referto, lib. 2. *vterumq; armato milite complent. Scandit fatalis machina muros, Fœta armis, mediaq; minans illabitur vrbi.* Posteriores versus de illis Ennianis tractos vult Macrob. quos lib. 2. recitauimus: nam & ibi commodè ponuntur, *Aut hæc in nostros*, &c. Saltu dixit, quoniam equum vocarat, cum machina illa saltare, vtpote lignea non posset. Allusio est igitur.

EVANTES ORGIA CIRCVM DVCEB.) Rem verisimilem facit ab occasione religionis. Helena, vt Græcos in equo latentes, quos optimè sciebat, alloqueretur, sacra se facturam simulauit, & ascitis quibusdam Troianis mulieribus, ipsa chorum ducebat, equumque ligneum ter ambiens, vt ait Homerus Odyss. 4. proceres Græcorum in aluo equi latentes nominabat, cui respondere volentes quidam, ab Vlysse prohibiti sunt. Huc alludens, & tamen aliud dicens poeta, Helenam facit Orgia simulantem, & chorum matronarum ducentem: vt per speciem religionis, Troianis imponat: hoc est, vt Græcos signo luminis ex arce vocet in perniciem Troianorum. *Euantes*, Euoê canentes, vt Bacchicæ mulieres in sacris suis consueuerunt. Nascimbæn. *Euan vnum est de Bacchi nominibus. Ouid. 4. Metam.* Nyctelinsq; , Eleusq; parens, & Iacchus, & Euan. *Stat. in Syl.* Bassaridum iactator Euan. *Factum à bacchantum clamore. Hinc Bacchæ Euantes. Propert.* Egit vt euantes dux Ariadna choros, *Sil. lib. 1.* Non ille euantes Massylæ palluit iras.

TVM ME CONFECTVM CVRIS) Excusat factum, quod somno se tunc dederit, cum maxime vigilia opus esset, à multitudine curarum, ex pristino bellorum tumultu, quibus grauiter oppressus, facilè solutus est in somnum. Hoc etiam modo factum Helenæ magis verisimile fit: dormiente enim coniuge, facilius illa Græcos domum recipere poterat. Nascimb.

EGREG. INTEREA CONIVNX) *Nupsit Deiphobo post mortem Paridis Helena. Deiphobus autem germanus Paridis. Helenus quoque Hectoris frater, post interfectum ab Oreste Pyrrhum, Andromacham, quæ cum Hectore fuerat, vxorem duxit, vt vidimus lib. 3. Enumerat alios Tiraquell. in 7. leg. Connub. num. 50. qui fratrum coniuges viduas sibi despondenint. Nam vxorum nuptas sibi iungere, grauissimum scelus aut habitum est semper, aut haberi debuit. Hebræis licuit iti inire matrimonium cum defuncti fratris vxore, si ille decessisset absq; liberis. Christianis legibus neutro modo fas.*] Nec hoc loco dicit nomen eius, sed quod est grauius, matrimonij vocabulum posuit sanctum, & religiosum, & quod inuiolatum deberet existere, vt eo detestabilior teneatur, quæ coniugij fœdera sic prodidit, quod ipsum vox *egregia* insinuat, est enim ironica. Ergo hæc, inquit, mihi non sentienti, arma, ipsumq; ensem subduxit, in quo poteram fiduciam habere salutis meæ. Vocat Menelaum, satisfactura ei hoc modo pro scelere suo, quasi violata matrimonij sanctitas, vllam satisfactioné posset admittere. Irrumpunt ipsum Menelaus, & Vlysses inuentor ille fraudum, ac scelerum, in quo iacebam cubiculum, & me, vt cernis, tam fœdè mutilant. Hoc non dicit aperte, quia in promptu erat, quid fecissent sibi: & generatim à dijs scelerum vltoribus similia optat, vnde talis vxor, tam infida, tam crudelis, & tam sæui inimici prodierint. Donatus.

CAPITI SVBDVXERAT ENSEM) Terentius Eunucho. *Et cum eo clam subduxti mihi.* Vbi Donatus, furtim subtraxisti mihi, & hunc ipsum Maronis locum profert. Vide Alciati Parerg. lib. 5. cap. 4. Quatenus scenæ, aut argumento seruiendum sit. Hoc enim quod Deiphobus ab vxore Helena se proditum, & Troianis obiectum dicit, cum tamen in 2. Æneid. in regia Priami dicatur inuenta, capta vrbe, zelotypiæ maritali adscribendum putat.

INTRA TECTA VOCAT MENEL.) Cum hic locus pugnare videatur cum illo, qui est lib. 2., vbi non in Deiphobi, sed Priami ædibus reperta Helena dicatur, ostensum illic, quomodo conciliari possint, & sublata discrepantia.

SCILICET ID MAG. SPERANS FORE MVN.) Duas caussas proponit: maritum sibi hoc modo deuincire voluit: & adulterij apud eum offensionem tollere. Sed hoc nimis stultè.

PIO SI POEN. ORE REPOSCO) Non dubitat, an piè faciat, hosti pœnas imprecando, sed præmollit imprecationé, quasi dicat, atrociter quidem, sed tamen piè, ac legitimè se facere, cum tam sceleratè ipse immerens tractatus sit.

HORTATOR SCELER. ÆOLIDES) Æolides Æoli nepos, cuius mater Anticlea, antequam Laertæ nuberet, à Sisypho Æoli filio compressa fuit.

SED TE QVI VIVVM CASVS) Audisti, inquit, casus meos: etiam ipse vicissim refer, qui te casus viuum ad inferos miserint, an pelagi erroribus huc veneris, non rectà ad inferos, sed ad locum, vbi inferorum descensus est, ad Auernum: an dij, an aliqua fortuna te compulerit adire, hæc horrida, & tenebrosa loca. Quæsijt ista Deiphobus: sed Æneæ responsionem optimo consilio poeta præterijt, ne rebus, propter quas ventum fuerat, mora prolixior fieret: vel repeterentur ea, quæ superius dicta sunt. Sed tamen Æneam non fecit negasse responsum. Interuenit enim interdictio Sibyllæ, quæ cum videret diem labi, fabulas omnes, & moras abscidit. Donatus.

VT TRISTES SINE SOLE DOMOS) Ex Odyss. λ.

Τίπτ' αὖτ' ὦ δύστηνε λιπὼν φάος ἠελίοιο
Ἤλυθες ὄφρα ἴδῃς νέκυας, καὶ ἀτερπέα χῶρον;

Vt autem *sine sole domos*, sic Euripid. *οἶκον ἀνάλιον*, & in Alcest. *ἀνάλιος δόμος*. & in Hercule *ἀνηλίοις μυχοῖς*. Homer. Odyss. υ. *γαῖαν ὑπὸ ζοφερὴν ἀφικόμην*. German.

LOCA TVRBIDA) in quibus sontium clamoribus, & pœnis tumultuantur omnia.

Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Iam medium ætherio cursu traiecerat axem,
Et fors omne datum traherent per talia tempus,
Sed comes admonuit, breuiterq; affata Sibylla est.

Nox

Nox ruit Ænea, nos flendo ducimus horas:
Hîc locus est, partes vbi se via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit,
Hàc iter Elysium nobis: at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.
Deiphobus contrà: Ne sæui magna sacerdos,
Discedam, explebo numerum, reddarq; tenebris.
I DECVS, I, NOSTRVM, MELIORIBVS VTERE FATIS.
Tantum effatus, & in verbo vestigia torsit.

HAC VICE SERMONVM) verborum, & sermonum ista vicissitudine.

MED. ÆTHERIO CVRSV TRA. AXEM) Hinc colligunt interpretes, noctem ciuilem à meridie, sicuti diem à media nocte Romanos inchoasse. Vide Gellium lib. 3. cap. 2.

TRAIECERAT) Traijcere vocabulum propriè nauticú, cùm quippiam in littus, ripamúe vlteriorem transuehitur, habetq; sub agendi significatione frequenter duos accusandi casus, vt apud Cic. Rhodanum copias traiecit. Aliquando tamen ablatiuo contentum est. Liuius. amnem vado traiecit. Sed per metaphoram, vt hic quoque, ad cælestia refertur. Cic. de diuinat. Assyrij traiectiones, motusq; stellarum obseruauerunt. Sed & ad alia quoq; transfertur. Propert. lib. 1. eleg. 16.

O vtinam traiecta caua, mea vocula, rima
Percussas domina vertat in auriculas.

German.

SED COMES ADMONVIT) Sibylla, quæ ideo Æneæ fuerat iuncta, vt in omnibus instrueret ignorantem, commonuit fabularum tractationibus occupatum, intelligens totum diem minimis, & inutilibus narrationibus posse consumi. vsa est breuitate sermonis, ne moras, quas remouere cupiebat, ipsa plurimum loquendo nutriret. Donatus.

NOX RVIT ÆNEA) Admonet Sibylla Æneam, ne statutum sibi tempus otiosis colloquijs conterat, quia breue est, nec vltra noctis spatium, quod iam dimidium præterierit, extendatur. Nascimb.

LOCVS EST, PARTES VBI SE VIA .F. IN AMB.) Docet Crinitus lib. 5. cap. 11. hæc Virgilium à Xenocrate, & ipsum à Gobrya mago transtulisse in Axiochú. Lege totum caput. Loca beatorum à dextris statuuntur, damnatorum à sinistris: quemadmodum in sacrosancto Euangelio dicitur, hœdos fore à sinistris, oues autem à dextris. *Impia tartara*, quæ continent impios, nota figura.

NE SÆVI MAGNA SACERD.) Sæuire *χαλεπαίνειν*, sæuus χαλεπὸς, difficilis, immitis. Inde etiam sæuitia asperitas quædam, & iracundia, χαλεπότης. Terent. And. *Ah ne sæui tantopere.* Quo loco monet Donatus, ne, imperatiuo magis, quam coniunctiuo adiungi.

EXPLEBO NVMERVM, REDDARQ. TENEB.) Constat numerorum certam, constitutamq; rationem animas sociare corporibus. Hi numeri dum supersunt, perseuerat corpus animari: quum vero deficiunt, mox arcana illa vis soluitur, qua societas ipsa constabat. Et hoc est, quod fatum, & fatalia vitæ tempora vocamus. Anima ergo ipsa non deficit, quippe quæ immortalis, atq; perpetua est: sed impletis numeris corpus fatiscit: nec anima lassatur animando, sed officium suum deserit corpus, cum iam non possit animari. Hinc istud doctissimi vatis, *explebo numerum, reddarq; tenebris.* Hæc est igitur naturalis vere mors, cùm finem corporis solus numerorum suorum defectus apportat: non cum extorquetur vita corpori, adhuc idoneo ad continuationem ferendi. Macrob. in Som. Scip. lib. 1. cap. 13. Rhodigin. lib. 22. cap. 6.

Ne sæui, inquit Deiphobus, ô Sibylla. iam iam abibo, ne vobis in mora sim scilicet, hincq; discedam in tenebras, vt ibi annorum numerum ad eluendas culpas meas mihi destinatum compleam. Locus profectò est intellectu difficilis, ex penitioribus diuini Platonis mysterijs erutus, & à nullo hactenus (quod ego viderim) recte explicatus. Scire igitur oportet, animas cùm è corporibus excesserint, in varijs, iuxta Platonis doctrinam, purgatorijs supplicijs versari: nam peccatorum maculas idcirco doloribus Plato aboleri docet, quia videlicet voluptatibus inoleuerint. Ad purgandas itaque animas, culpasq; delendas, Plato ipse numero vtitur denario, nunc simplici, nunc multiplici, ea ratione, vt triplici gradu, qualemcunque animorum culpam elui, purgariq; posse existimet: decennario, centenario, millenario: nam pro quolibet voluptatis gradu, decem adhibet tormenti gradus. hinc fit, vt summa supplicij animarum longitudo, absolutaq; delictorum purgatio millium annorum spatio finiatur. Quæ cum purgatæ fuerint, tunc maximè aptæ videntur, vt rursus in humana transmigrent corpora. Primus doloris, siue supplicij gradus, numeri est decennarij: secundus centenarij: nam si denarius numerus in se ducatur multiplicando decies decem, ex eo nascitur centenarius: tertius millenarij: si enim computes decies decem decies, millenarium cóficies numerum. Propterea de quibusdam animis, ad quos purgandos centum opus erat annis, à poeta dictum est, *Centum errant annos.* De quibusdam verò alijs, qui absoluto annorum spatio indigebant, dicturus est.

Has omnes vbi mille rotam voluêre per annos,
Lethæum ad fluuium deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

Inquit ergo, *explebo numerum, reddarq; tenebris.* ὕστερον πρότερον hic esse videtur in sensu. Nam illud posterius dictum fuit, quod priùs dicendum fuerat: nam priùs tenebris reddatur, quam numerú annorum compleat necesse est. Sit igitur sensus; à vobis discedam, in tenebrasque, ibiq; annos purgationis meæ explebo. Si verò ὑστερολογίαν non probes, sic accipito. explebo annorum numerum, quo expleto reddar tenebris. id est, rursus humanum corpus occupabo. Nam anima humano inclusa corpori, tanquam in carcere teterrimo, densissimisq; in tenebris versari, oblitescereq; videtur. Lege Platonis dialogum de iusto, ibiq; Græcos interpretes, sed Marsilium inprimis Latinum interpretem. Nascim.

Seruius, *explebo numerum*, minuam numerú. Caussam tacet. Est autem hæc. Deiphobus cum Ænea, & Si-

[…]vila numerum constituebat ternarium, quo inferi tristantur, vt superi numero impare gaudent. Dixit igitur Ne sequi magna sacerdos, discedam, minuam numerum ternariũ, quem hic constitui nefas est. Modicius cap. 35.

I DECVS, I NOSTRVM, MEL. VT. FAT.) Cum duob^9 A locutus est diuerso genere. Placauit iratam vatem, & Æneæ fælicia optauit, & prospera: sed breuiter, ne loquendo pluribus, moras necteret, quod reprehenderat Sibylla. Donatus.

Respicit Æneas subitò, & sub rupe sinistra
Mœnia lata videt, triplici circundata muro,
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetq; sonantia saxa.
Porta aduersa ingens, solidoq; adamante columnæ:
Vis vt nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cælicolæ valeant: stat ferrea turris ad auras:
Tisiphoneq; sedens palla succincta cruenta,
Vestibulum insomnis seruat noctesq;, diesq;.
Hinc exaudiri gemitus, & sæua sonare
Verbera: tum stridor ferri, tractæq; catenæ.

MOENIA LATA, TRIPL. CIRCVND. MVRO) Descriptio loci, quæstionibus, & supplicijs rectè conueniens. B Nam triplici muro erat clausus, ne reis esset elabendi occasio. Porta eius adeo dura, & firma, vt neq; humana, neque diuina vi conuelli, frangiq; posset. Omnia fluuius ambibat, saxis, & vorticibus flammeis copiosus, qui transiri propter rapacitatem, & saxa, quæ voluebat, propterq; incendia non posset. Turris illic fuit educta in altitudinem nimiam, tam fortis, vt ferreis saxis videretur extructa. In foribus Furia fuit, egressus diligenti cautela custodiens, die, nocteq; continuè peruigil, flagellis terribilis, & armata serpentibus. Quid illic non crudele, ac triste potuisset esse, vbi nihil gerebatur, nisi quod tormenta monstraret, aut pœnam? Denique gemitus, & sonitus verberum, & tractarum catenarum stridor auditus, quid ageretur euidentissimè nuntiabat. C Donatus.

FLAMMIS TORRENTIBVS) quia rapidus & igneus, ideo in morem torrentis, qui rapidè fertur, ambit flammis suis mœnia illa Phlegethon.

SOLIDOQVE ADAMANTE COLVMNÆ) Adamas ex re dictus, quòd nulla vi domari, hoc est vinci, frangiq; possit: à verbo δαμάζω, seu δαμάω, quod domare significat, & particula priuante, α. Lucret. lib. 2.

In quo iam genere inprimis adamantina saxa
Prima acie constant, ictus contemnere sueta.

Sic Plin. de adamantibus lib. 37. cap. 4. Incudibus deprehenduntur, ita respuentes ictum, vt ferrum vtrinq; dissultet. Ex Lamb. in Lucret. * *Hircino tantum sanguini cedere adamantem proditum est. Vnde D. Cyprianus lib. de duplici martyrio, efferas nationes, quas Romani nunquam frangere, vel domare potuerint, Christi sanguine ait esse emollitas. Nullus adamas corde saxeo peccatorum durior. Hoc igitur cor ferreum, cor saxeum, cor plusquam adamantinum emollit sanguis Christi.*

NON IPSI EXSCIND. FERRO CÆLICOLÆ) Amplificatio plane incredibilis: quid enim diuina potentia non possit?

STAT FERR. TVRR. AD AVRAS) prodigiosa altitudo indicatur.

PALLA SVCCINCTA CRVENTA) Ouid. de eadem Tisiphone.

Nec mora, Tisiphone madefactam sanguine sumit
Importuna facem, fluidoq; cruore rubentem
Induitur pallam, tortoq; incingitur angue.

TVM STRID. FERRI, TRACTÆQVE CATENÆ) Intellectio: nam ex stridore ferri, & tractis catenis diros cruciatus damnatorum animorum accipimus, quibus ἀδιαλείπτως exercentur. Est autem nominandi casus *catenæ*, non gignendi: vna enim catena tantum sonum non posset edere. Montfort.

Constitit Æneas, strepitumq; exterritus hausit.
Quæ scelerum, facies? ô virgo effare: quibusúe
Vrgentur pœnis? quis tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui. Dux inclyte Teucrûm,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
Sed me cùm lucis Hecate præfecit Auernis,
Ipsa deûm pœnas docuit, perq; omnia duxit.
Gnosius hæc Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatq;, auditq; dolos, subigitq; fateri
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani
DISTVLIT IN SERAM COMMISSA PIACVLA MORTEM.
Continuò sontes vltrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, toruosq; sinistra

Inten-

Intentans angues, vocat agmina sæua sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ, cernis custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quæ limina seruet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra
Sæuior intus habet sedem. tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantùm, tenditq; sub vmbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

STREPITVMQVE EXTERRITVS HAVSIT) ὕστερον πρότερον in sensu: nam primo auribus strepitū haurit, deinde exterretur.

QVÆ SCEL. FACIES, QVIBVSVE QVIS) Narrandi materiam Sibylla præbet. Tria potissimum percontatur: species scelerum: quibus supplicijs multentur: postremò, quis sit plangor ille, qui ex interuallo audiatur.

DVX INCLYTE TEVCRVM, NVLLI FAS CASTO) Respondet Sibylla, primùm Æneç beneuolentiam sibi cōcilians, commendatione virtutis, & gloriæ illius, ex reb⁹ ab eo præclare gestis. *Castus*, Latinis qui Græcis ἁγνός. Vide plura in 3. Æneid. super illo, *Hac casti maneant in relligione nepotes.*

SCELERAT. INSIST. LIM.) Limen ideo sceleratum dixit, quia Furiarum sedes est in limine, vt lib. 4. *Vltricesq; sedent in limine Diræ.* At sedes ea Furiarum vocatur scelerata Ouid. lib. 4. Metamorph.

Carceris ante fores clausas adamante sedebant,
Deq; suis atros pectebant crinibus angues.
Quam simul agnorunt inter caliginis vmbras,
Surrexere deæ: sedes scelerata vocatur.

German.

SED ME CVM LVCIS HECATE) Occurrit obiecto κατὰ πρόληψιν. Quæri enim poterat, vnde hæc ipsa cognouisset. Refert ergo se hæc omnia edoctā à Proserpina, & illius ductu loca illa subterranea suis oculis perlustrasse. Sic maiorē sibi fidē, auctoritatemq; conciliat. Nascimb.

GNOS. HÆC RHAD. H. DVRISS. REGNA) *Stat. Thebaid.*
Arbiter hos dura versat Gortynius vrna,
Vera minis poscens, adigitq; expromere vitas
Vsq; retrò, & tandem pœnarum lucra fateri.]

Retaliatio, siue pœna talionis, vulgò Rhadamantheum iudicium dicitur, vt est apud Aristotelem Ethic. Nicom. lib. 5. cap. 5. de quo elegans extat Hesiodi carmen.

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο.
Lex recta est, cum quis patitur, quæ fecerit ipse.

Erasmus Rhadamantheum iudicium de incorruptis, & seueris prouerbialiter dici existimat. Sed magis specialis est interpretatio, quā ex Aristotele adduxi. Plato de leg. lib. 12. solitum finire controuersias Rhadamanthū ait, iuramēto per deos delato: quod nemo sit adeo impius, qui non putet deos esse: vnde Rhadamantheum iudiciū um videtur dici, nō solum quod incorruptum est, sed q̄ confestim, & absq; mora fertur. Alciat. Parerg. lib. 9. c. 8.

Quæ Maro de iudicibus inferorum, & criminibus hominū dicit, videtur sumpsisse ex Axiocho Platonis, vbi Socrates hæc sibi à Gobrya Mago narrata memorat. Vestibulū, quò aditus patet ad Plutonis regiā, claustris ferreis firmari, atq; sepiri: tum vero fluuiū Acherontē occurrere, deinde Cocytum: quib⁹ traiectis, ad Minoëm, & Rhadamanthum deduci oporteat, in eum locū, qui campus veritatis appellatur. Ibi iudices sedent, qui quam quisq; vitam egerit eorum, qui illuc veniunt, quibusúe in studijs versatus sit, dum in corpore esset, quæstionē habent. at nullus ibi mendacio relictus est locus.

CASTIG. AVDITQVE DOLOS) prius vtiq; audit, deinde castigat. ὕστερον πρότερον. Existimo autem ad verba referri τὸ *castigat*: vt intelligamus eum sontes etiam verbis atrocibus increpare.

SVBIGITQ. FATERI) Pro cogit, frequenter positū cernas probatis scriptoribus. Noster lib. 5. *& classe subegit Amissa socios ignota linquere terra.* Lib. 7. *nec fluctibus actos Atra subegit hyems vestris succedere terris.* Sallust. Catilin. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit. Sæpe Tacitus. Vi amoris subactus: Et, operas arenæ promittere subegit. Liuius. Qua subactus iniuria, inquit, contra P. Rom. bellum tam infesto animo suscepisset.

APVD SVPER. FVRTO LÆT. INANI) Prouerbium est, Tempus omnia reuelat. Gellius lib. 12. cap. 12. in hanc sententiam versus Sophoclis producens, admonet quendam veterem poëtarum Veritatem temporis filiam vocasse: quod licet aliquandiu lateat, progressū tamen temporis in lucem emergat. Hoc ipsum voluit Thales, cum dixit, tempus esse sapientissimum, vtpote quod cuncta reperiat, eruatque. Huc allusit Virgil. Vide plura in Chiliad.

Furto inani, latebra non valde profutura, quippe quæ fuerat publicanda post mortem. Seruius. Donatus in Eunuch. Terentij: Omne malum factum dicitur furtum, citat hunc Maronis versum. Furtū hic non accipit pro ablatione rei alienç, inuito domino: sed pro omni noxa mala, furtim, & in operto perpetrata. Montf.

COMMISSA PIACVLA) Piacula vocantur sacra, quæ fraudem, aut scelus, aut flagitium expiant. Commissum autem piaculum est, cum id factum est, cuius causā piaculum dandum, facienda sacra piacularia, vt cum fraus commissa est, aut facinus. Sic commissa stipulatio dicitur à Iureconsultis. Turneb. lib. 28. cap. 46.

DISTVLIT IN SERAM MORTEM) Non est sensus, distulit pœnitentiam delictorum suorum, vsq; ad tempus mortis, vt iā moriturus ea expiaret, quomodo quidam Christiani parum Christianè faciunt: sed distulit eo vsq;, donec differendo moreretur. *Biß in den todt hinein.* A morte autem non pœnitentiæ, sed iustitiæ diuinæ locus est. Et cum in inferno nulla sit redemptio, è carcere illo purgatorio non datur exire ante solutum quadrantem nouissimum.

VLTRIX ACCINCTA FLAGELLO TISIPH.) Adest Furia, reos flagello circumsecās, intentans angues, vocans sorores, vt tormentorū metu formido eorū augeatur.

AGMINA SÆVA) cum de duabus loquatur, vt lib. 1. de ventis quatuor, *illi agmine facto Qua data porta, ruunt*, Et lib. 2. de duobus serpentibus, *illi agmine certo Laocoonta petunt.* vbi impetus intelligend⁹ est tantus, quantus esset alicuius multitudinis. Sunt tres Furiæ, Alecto, Tisiphone, Megæra, quarū mythologiā vide apud Fulgentium lib. 1. Phurnutus Furias dicit esse peccatorū exami-

examinatrices. Dictas Megæram, Tisiphonen, Alecto, A quod odio, ac punitione persequantur homicidas, idq; sine vlla intermissione factitantes. Reuera esse venerandas, & Eumenides, quod naturæ benignitatem ad homines dirigant, vindicando scelera.

Tvm demvm horrisono) Mittuntur, inquit, post verbera ad æternum supplicium, & est secutus ordinem iuris antiquum. Nam post habitam quæstionem in Tulliano, ad vltimum supplicium mittebantur. Alij volunt, Sibylla loquente, portam esse patefactam, & hoc ex persona poetæ dictum: alij continuant narrationem. Seruius.

Cernis cvstodia qvalis) Sibylla aliud ex alio auget per ratiocinationem: sic enim Quintilian. appellat id confirmationis genus. Nam ex forma, & aspectu B Megæræ, quæ in vestibulo est tartari, facilè perspici potest, qualia sint impijs in tartaro parata supplicia. Quanquam autem Hydram antè in aditu inferorum posuit, cum ait, *Et centumgeminus Briareus & bellua Lerna*, tamen cum ibidem etiam thalamos Furiarũ esse dixerit, *Ferreiq; Eumenidum thalami*, quas tamẽ hic rursus constituit, intelligendum est, ex opportunitate temporis, & rerum necessitate huc, illuc acciri (vt apud hunc poetã passim videre est) hæc, & illa incolere loca. Ergo Hydra cuius sedes in aditu inferorum est, & in tartaro etiam quandoque deorum voluntate versatur: vt quia sæuior est, & perniciosior Furijs, grauiore etiam cruciatu C impios afficiat. Nascimb. Hydræ significatum, cuius vno præciso capite anguineo, alia, atque alia è vestigio repullularunt, multi alijs, atque alijs modis interpretati sunt: nos ea contenti sumus expositione, quam Plato Euthydemo posuit, vbi per eam, perinde ac per cancrũ, sophisticas ait nugas significari. Hydram Pausanias vno tantum capite præditam scribit: sed enim Pisander Camiræus multa illi capita tribuit. Alcæus ἐννεακέφαλον vocat, πεντηκοντακέφαλον Simonides, quem Maro sequitur. Sed enim hi vsi sunt numero multitudinem significante, more poëtico: numerus enim nouenarius, neque non quinquagenarius ex ijs sunt, qui multa significant: vt illud apud eundem Maronem, *Quinquaginta intus famulæ*, pro, plurimæ. Pierius lib. 16. in Hydra.

Tvm tartarvs ipse bis patet in præceps) Vertit locum ex Homero, Iliad. θ'.

Ἤ μιν ἑλὼν, ῥίψω ἐς τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ' ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδὸς
Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

Huiusmodi quiddam protulit Lucret. lib. 4.

At conlectus aquæ digitum non altior vnum,
Qui lapides inter sistit per strata viarum,
Despectum præbet sub terras impete tanto,
A terris quantum cæli patet altus hiatus.

Vrsin.

Qvant. ad æther. cæli svsp. olymp.) olympum dici pro cælo, ab altitudine montis olympi, vel pueri Grammaticis primum imbuti sciunt. Olympi autem sunt plures hoc nomine dicti montes, è quibus palmam celsitatis obtinet Thessalicus. De notatione vocis olympi hæc Etymologus. *Ὄλυμπος δύο σημαίνει, τὸν οὐρανόν, καὶ τὸ ὑψηλότατον ὄρος τοῦ ὀλύμπου. εἴρηται παρὰ τὸ ὁλολαμπὴς εἶναι τοῖς ἄστροις. ἢ παρὰ τὸ ὀλλύειν τὰς ἄτας διὰ τὸ κρύος. καὶ ἡ μὲν πρώτη ἐτυμολογία μόνον τῷ τοῦ οὐρανοῦ ἁρμόζει σημαινομένῳ. ἡ δὲ ἑτέρα καὶ τῷ ὄρει, ὡς ἀγχινοοῦ, καὶ οὐρανομήκει ὄντι.*

Hîc genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo.
Hic & Aloïdas geminos, immania vidi
Corpora: qui manibus magnum rescindere cælum
Aggressi, superisq; Iouem detrudere regnis.
Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassans
Per Graiûm populos, mediæq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, Diuûmq; sibi poscebat honorem,
Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere, & cornipedum cursu simularat equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit (non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitemq; immani turbine adegit.

Hic gen. antiq. terræ tit.) Descripto tartari carcere, speciatim enumerat, quos ob quas impietates, graues superis pœnas dantes illic viderit. In prima autem acie collocat Titanum gentem nefariam, quos ob singularẽ in deos impietatem in fundo imo luctari dicit. Montfort. & addit multa de Titanibus.

Hic et aloïdas gem.) Aloïdas Otum, & Ephialten accipimus, Aloei, & Iphimediæ Neptuni filiæ filios, mira corporum proceritate, quippe qui singulis mensibus nouem digitis crescerent. Hi montes montibus imponentes, in cælum ascendere, ac Iouem detrudere sunt conati. Apud inferos ad columnam auersi D alter ab altero serpentibus sunt deligati. Hyginus cap. 28.

Apollod. lib. 1. Neptuni filios facit, qui quotannis latitudine cubitum, longitudine vlnam increuerint. Nono anno adeptos latitudinem cubitorum nouem, vlnarum totidem, bellum Ioui intulisse, cælumq; per montes montibus impositos ascendere conatos. Præterea gloriatos, se de mari continentem, de continente mare facturos. Ephialten Iunonem, Otum Dianam coniugem sibi depoposcisse. Martem in vincula coniecisse, &c.

De ijsdem Lucianus in Charonte, tom. 2. Ὅμη-

ρος ὁ

ἐς ὃ πνευσιῆς φασὶ τὸς Ἀλωέος υἷας, &c. Homerus poeta dicit Aloei filios, cum & ipsi duo essent, adhæc pueri, statuisse olim vnà cũ radicib⁹ Ossam euulsum Olympo superimponere, deinde & huic Pelion: quod arbitrarentur hoc pacto sufficientem se gradum, & ascensum in cælum habituros. Verum hi adolescentuli impij cum essent, audaciæ suæ pœnas dederunt. Ijdem, vt Didone, Veneri filiæ narrat Iliad. ε. Martem vinculis constrictum, totos tredecim menses in custodia habuerunt. Claudian. de bello Getico, eorundem his versibus meminit:

Quid mirum si regna labor mortalia vexat?
Cum gemini fratres, genuit quos asper Aloëus
Martem subdiderint vinclis, & in astra negatas
Tentarint munire vias, steteritq; reuulsis
Penè tribus scopulis, cælesti machina bello.

VIDI ET CRVD. D. SALMONEA POENAS) Salmoneum Æoli filium quiddam bombardis simile, quo Iouis fulmen imitaretur, adinuenisse autumant. Lege cap. libro 1. apud Magium. Crinitus lib. 2. cap. 10. Sallustiani cuiusdam loci imitatioue hæc dixisse Virgilium scribit. Hyginus cap. 61. hæc habet de Salmoneo. Salmoneus Æoli filius, Sisyphi frater, cum tonitrua, & fulmina imitaretur Iouis, sedens in quadriga, & faces ardentes in populum immitteret, & ciues: ob id à Ioue fulmine ictus est. Vide Apollod. lib. 1. Vide insuper quæ diximus in 1. Georg. ad illum versum, *Ipse pater media nimborum in nocte corusca Fulmina molitur dextra.* * *Inter epitaphia 3. Anthol. est etiam huius Salmonei, si tamen dicendum est hoc nomine. Loquitur eius statua, quæ de cælo videtur fuisse tacta. Versuum hæc est sententia. Manus Polycleti Thasij me laborauit. Sum autem Salmoneus ille, qui contra Iouis tonitrua insaniui. Et is me iam apud inferos versantem rursus in statua persequitur, ac me fulminat, odio scilicet habens vel ipsum mutum simulacrum meum. Contine flammam Iupiter, dimitte iram: sum enim scopus inanimus, cum anima carentibus signis noli belligerare. Habe tibi versus græcos.*

Χερσί με πολυκλείτου Θάσιος κάμεν, εἰμὶ δ' ἐκεῖνος
Σαλμωνεύς, βρονταῖς ὃς Διὸς ἀντιφερίζων·
Ὅς με καὶ εἰς Ἀΐδην πορθεῖ πάλιν, καὶ με κεραυνοῖ
Βάλλει μισῶν μου καὶ λάλον εἴδωλον τύπον.
Ἴσχε ζεῦ πρηστῆρα, μίσει χόλον· εἰμὶ γὰρ ἄπνους
Ὁ σκοπός. ἀψύχοις εἰκόσι μὴ πολέμει.

Salmoneus, inquit Iunius Adag. Cent. 1. adag. 1. filius fuit Æoli Elidis reguli, ex Laodice Aloëi, qui curruum rotas æreis canthis obmunitas, super pontem æneum, quem construxerat, agitasse, ad imitanda vera tonitrua, & immissis in homines facibus, neci eos dedisse legitur. Valerius Flac. lib. 1. *Salmoneus nondum ille furens, quum fingeret alti Quadrifida trabe tela Iouis.*

A Iam, Salmoneus alter, parœmiæ specie vsurpatur à Symmacho, de supra modum superbo, & elato. Verba eius sunt ad Theodosiũ Imp., vbi deprecatur honorarij vehiculi vsum, ista. Absit, vt moderator vrbis liberæ, atque ideo deuotæ, tanquam Salmoneus alius inuehatur. Eunapius Sardianus in chronographia, de Eutropio Eunucho, aduersus quem inuectiuæ extant Claudiani poetæ. Τὸ ἐκείνου κράτος ἐς τοσοῦτον ἐκύλισεν ἅπαντα, καὶ κατεβρόντησεν, ὥστε οὐ μόνον Ῥουφῖνος ἦν οὐδέν, ἀλλ' ὁ τοῦ μύθου Σαλμωνεὺς μικρόν τι χρῆμα πρὸς αὐτὸν ἦν. Id est, illius potentia adeo concussit omnia, & tonitru quodam perculit, vt non modò Rufinus esse reipsa deprehensus fuerit, sed fabulosus ille Salmoneus nihil fuerit, præ isto, &c.

B DIVVM POSCEB. HON.) Propriè vsus est verbo, *posco*. Nam auctore Donato in And. Terentij, petimus precariò, poscimus imperiosè postulamus iure. Volebat ergo Salmoneus à suis pro altero Ioue haberi.

AT PATER OMNIP. D. INTER NVB. TELVM CONTOR.) Lib. 1. Æneid. de Pallade in sacrilegum suum animaduertente.

Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem,
Disiecitq; rates, euertitq; æquora ventis.

Lucret. lib. 5. de fulminato à Ioue, & in terram excusso Phaëthonte.

At pater omnipotens, ira tum percitus acri,
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbauit equis in terram.

C Ouid. 2. Metamorph. *At pater omnipotens*, &c. post aliquot versus sequuntur hæc:

Intonat, & dextra vibratum fulmen ab aure
Misit in aurigam, pariterq; animaq;, rotisq;
Exuit, & sæuis compescuit ignibus ignes.

NON ILLE FACES, NEC) Sententia loci est, Ioue non simulato, fictoque fulmine Salmonei commentum, imitationemque contriuisse, sed vero, genuinoq; fulmine, vt quod ἐργαστικώτερον sit, & vehementius, penetraliusque, hanc interpretationem suggerente Lucretio lib. 2.

Perfacile est animi ratione exsoluere nobis,
D *Quare fulmineus multo penetralius ignis,*
Quam noster fluat è tædis terrestribus ortus.
Dicere enim possis, cælestem fulminis ignem
Subtilem magis è paruis constare figuris,
Atq; ideo transire foramina, quæ nequit ignis
Noster hic è lignis ortus, tædaq; creatus.

Quæ respondere videntur huic Maroniano, *faces, nec fumea tædis Lumina, &c.*

Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur: rostroq; immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fœcundaq; pœnis
Viscera, rimaturq; epulis, habitatq; sub alto
Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumq;?
Quos super atra silex iam iam lapsura, cadenti
Imminet assimilis. lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæq; ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima iuxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas,
Exurgitq; facem attollens, atq; intonat ore.

TITYON TERRÆ OMNIPAR. ALVMNVM) Omniparentem terram vocat etiam Lucret. lib. 5. παμμήτορα. Ouid. 2. Metamorph. de eadem loquens, *Sustulit omniferos collo tenus arida vultus.* Poetæ Græci terram istis adiunctis ornare solent. παμφάγον, ζείδωρον, πουλυβότειραν, πανδώραν.

Pherecydes Syrus Terram voluit omnium rerum esse principiũ, & in eam cuncta resolui, quod sensit etiam Xenophanes, cuius hic versus à Sex. Empirico refertur. Ἐκ γαίης γὰρ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ. Idem Orpheus in hymnis, cum Terram deam vocat, beatorum, atque mortalium matrem, omnia nutrientem, omnia dantem, fruges proferentem, ac omnia labefactantem.

Γαῖα θεά, μῆτερ μακάρων, θνητῶν τ' ἀνθρώπων,
Πανθρέπτειρα, πανδώτειρα, τελεσφόρε, παντολέτειρα.

Homerus quoq; in hymnis dicit, Terræ esse, vitam dare, & auferre. σοῦ δ' ἔχεται δοῦναι βίον, ἠδ' ἀφελέσθαι. Non sunt his dissimiles Lucretiani versus, lib. 6.

Præterea pro parte sua quodcunq; alit, auget,
Redditur: & quoniam dubio procul esse videtur
Omniparens: eadem rerum commune sepulcrum.

Philo lib. περὶ κοσμοποιΐας, posteaquam multa præclara de mulieris, & terræ similitudine in fœtus productione disseruit: Mater, inquit, terra esse videtur: quamobrem & antiquis illis visum est, vt, Δημήτηρ appellaretur, cõposito è matre, & terra nomine (quasi γημήτηρ.) Non enim terra mulierem, vt dixit Plato, sed mulier terram imitatur, quam poetæ rectè omniparentem, frugiferã, Pandoramque nominare consueuerunt, vt generationis, perpetuationisq; caussam, tam stirpium, quam animalium. Lucretius. lib. 5. *omnibus omnia large Tellus ipsa parit.* Et ibidem, *vt merito maternum nomen adepta Terra sit, è terra quoniam sunt cuncta creata.* Cornelius Labeo ex Pontificum Indigitamentis, Terram, inquit *Bonam* esse dictam, quod omnium nobis ad victum bonorum caussa sit: & *Opem*, quod ipsius auxilio vita constet. Hieron. Columna in Fragmenta Ennij ex Epicharmo.

ROSTROQVE IMMAN. VVLT. IMMORT. IECVR.) De vulture Plutarch. in Romulo. Est animal præter cætera innocentissimum, nec satis, vel plantis, vel pecori incommodat. Cadaueribus tantum vescitur, nihil quod viuat, perimit, neque ei nocet. Volucribus ob cognationem abstinet etiam mortuis, quum aquilæ, & noctuæ, & accipitres sui generis aues inuadant, & interimant vel viuas. Iam volucres aliæ fere oculis nostris obuersantur, vulturis rarum est spectaculum, neque quenquam temere, qui pullos vulturinos conspexerit, inuenias. Immortale autem iecur, quoniam semper reficitur, vt nunquam desit, quod abrodatur. Ouidius ita explicauit.

Sic inconsumptum Tityi, semperq; renascens
Sic perit, vt possit sæpe perire iecur.

Ennius, *Vulturis in syluis miserum mandebat homonem.* Humana cadauera auidissimè appetit vultur. Vnde pulcherrima translatione in eos, qui hæreditatibus inhiant, Vultur es, cadauer exspecta. Ad quod respiciens Martialis ait, *Cuius vulturis hoc erit cadauer?* Hinc etiam qui seditiones excitant, vt ciuium cruore se repleant, vulturij dicuntur. M. Æmilius Scaurus ait. 2. contra Q. Cæpionem, Nefarius, inquit, vulturius, patriæ parricida. Cicero in Pisonem, prouinciæ vulturius. Plaut. Trinummo, pro turpis lucri auido, ac rapaci admodum accepit.

Tum autem sunt alij, qui te vulturium vocant:
Hostis ne an ciues comedis, parui pendere.

A Ennij versum Seruius sic legit, *Vulturus in campo miserum mandebat homonem.* Hæc Hieron. Colum. in prolatum Ennij carmen.

Non de nihilo est, quod eximij poetæ ex interaneis visceribus iecur tantopere conuelli, & lacerari scribunt. Qui de rebus physicis disserunt, aiunt voluptatẽ, cæterasque concupiscibiles affectiones in iecore consistere. Itaque in sacra scriptura sub affectuum mortificatione, iecur iubetur deo à sacerdotibus offerri, & igne incendi. Locus expressus ex 11. Odyss. vbi etiam caussa adiungitur huius supplicij, nimirum quia Latonæ stuprum inferre conatus sit, [*Iunonis hortatu scilicet. Vt Hyginus scribit cap 55. quæ vt se de Latona pellice sua vlcisci conaretur.*]

B & ob id incontinens vocatur ab Horatio Ode 4. lib. 3.

Incontinentis nec Tityi iecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Custos.

Homeri versus sunt hi.

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱόν,
Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.
Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον,
Δέρτρον ἔσω δύνοντες· ὁ δ' οὐκ ἀπαμύνετο χερσί.
Λητὼ γὰρ ἥλκησε Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν.

Id est. Tityon vidi terræ gloriosissimum filium in campo iacentem: ille autem vsque ad nouem terræ iugera porrigebatur: vultures autem duo vtrinque assidentes

C ei iecur tondebant, pellem penitus subeuntes, ac penetrantes: at ille manibus eos repellere non poterat. Nã Latonam Iouis amicam venerandam rapuerat. Tibull. lib. 1. eleg. 3.

Porrectusq; nouem Tityus per iugera terræ,
Assiduas atro viscere pascit aues.

Animaduerte Virgilium, & Tibullum de vno vulture loqui, qui eius iecur carpat, Homerum de duobus. Lucret. autem libro 3. hanc fabulam de Tityo exagitat, ac refellit, quandam allegoricam explanationem afferens.

Nec Tityum volucres ineunt Acherunte iacentem:
Nec quod sub magno scrutentur pectore quidquam
Perpetuam ætatem poterunt reperire profectò,
Quamlibet immani proiectu corporis extet,

D *Qui non sola nouem dispersis iugera membris*
Obtineat, sed qui terrai totius orbem:
Non tamen æternum poterit perferre dolorem,
Nec præbere cibum proprio de corpore semper.
Sed Tityus nobis hic est, in amore iacentem
Quem volucres lacerant, atq; exest anxius angor,
Aut alia quauis scindunt torpedine curæ.

In verbis Lucretij, dum ait, eum nouem iugera, dispersis membris obtinere, maior est auxesis, quam in Virgilij. Sic etiam apud Ouid. lib. 4. Metam. *Viscera præbebat Tityos lanianda, nouemq; Iugeribus distractus erat.*

Tityi genus, magnitudinem corporis, tormentaque describit. Porro animaduertendum est, per Tity-

E um, Sisyphum, Tantalum, atque alios designari (vt inquit Plato in Gorgia) reges, tyrannos, potentes, ciuitatumque gubernatores: qui ob ipsam peccandi licentiam grauissima scelera, alij Veneris, alij ambitus, alij superstitionis, alij auaritiæ, aliaque id genus multa committunt. Sed lege Macrob. in 1. de Som. Scip. cap. 10. qui hæc omnia fere, quæ de inferis dicuntur, mysticè interpretatur. Nascimb.

Hesiodus ait, tantum noctu iecinoris accrescere, quantũ die fuerat absumptum, propterea, quod mentis agitatio noctu præcipuè vigescit, cogitationesq; & consilia noctu vndique suggeruntur. Triclinius apud Pindarum ait, viscera Tityi à serpentibus discerpi, depascique. Vide Hieroglyph. Pierij lib. 18.

IECVR

IECVR TVND.) Multi, pro, tundens, legunt A tondens: tum quod Homerus ἧπαρ ἔκειρον, & Calab. lib. 10. κεῖρε δέ οἱ αὐτὸς ἧπαρ ἀεὶ ἀεξόμενον: tum quod sapit metaphorá, ab herbis, & plantis restibilibus, & repullulantibus, quam illud respicit, *fæcundaq; pœnis*, & sequens versus, *nec fibris requies datur vlla renatis*. Germ.

QVID MEM. LAPITH. IXIONA, PIRITH.) De Lapithis, & Pirithoo Ouid. 12. Metamorph. De pugna Lapitharum, & Centaurorum in nuptijs Pirithoi mentionem fecit & Horat. Ode 18. lib. 1. Vbi hæc Lamb. Pirithous Ixionis, & Diæ filius, epulum nuptiale Centauris, vt sibi necessitudine coniunctis præbuit. Cum fugisset autem eum Marti sacrificare, deum illum irritauit, sibiq; infensum, ac inimicum reddidit. Ita Centauri B plus nimis poti, sibi ipsi temperare nō potuerunt, quin ingenio suo indulgentes, Lapitharum vxoribus vim inferre conarentur. Lapithæ autem hanc tam atrocem iniuriam, & contumeliam iniquo animo ferentes, atq; vlcisci volentes, magnas Centaurorum strages ediderunt. Ipsam sponsam ausos attingere docet Propert. lib. 2. eleg. 7.

Qualis & Ischomache Lapithæ genus heroina,
Centauris medio grata rapina mero.

Et de pugna ista lib. eod. eleg. 6.

Aspera Centauros eadem dementia iussit
Frangere in aduersum pocula Pirithoum.

Centaurum Pindarus ex Ixione, & nube Iunonis similitudinem gerente natum facit. Pirithous Proserpinam C rapere voluit. Ixion autem non solum Iunonem appetijt, sed & primus cędem perpetrasse dicitur, occiso per summam perfidiam socero suo.

QVOS SVPER ATRA SILEX IAM IAM LAPSVRA) Quòd Virgilius cum mole saxi, capiti imminentis, iam iamq; lapsuri, ait cruciari, suo quodam iure, quod ab alijs de Tantalo dicitur, ad hunc, & ad Lapithas, & ad Pirithoum transtulit, vt notauit Muretus in Tibull. cuius de supplicio Ixionis ex communiore sententia, hoc est carmen.

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.

* *Vide Hygin. cap. 62. & dialog. 1. tom. 3. apud Lucianum. De eodem supplicio Ouid. Metamorph. lib. 4.* Voluitur Ixion, & se sequiturq;, fugitque. D

AVREA FVLCRA TORIS, EPVLÆQVE) De Tantalo minimè hæc intelligi posse, demōstrat eruditè Nascim. Ipse de Phineo, Arcadiæ rege intelligit, qui cum vxoris secundæ impulsu filijs ex priore susceptis eruisset oculos, ipse quoq; cæcus est factus, adhibitæ Harpyiæ, quæ cibos eius fœdarent, ac diriperent. Quod tametsi in vita ei contigerit, nihil tamen prohibet, quin poeta fingere possit, Phineum ijsdem apud inferos cruciatibus affici. Nam Plato in 10. de repub. scriptum reliquit, impios omnium, quæ in vita gesserunt, post tergum apud inferos signa deferre, vt pro qualitate delictorum sit etiam supplicij modus. Orion fingitur ab Homero apud inferos etiam venari, & Hercules arcum, & sagittas tenere, circumq; ipsum aues, leones, apros, cædes, vulneraq; hominum, quos suis telis in vita fixerat, qua de re etiam Virgilius infrà mentionem facit: cur non eadem viuendi conditio Phineo quoque apud inferos existere potest? Nascim. * *De Phineo dictum à nobis 3. Æneid. ibi.* Phineia postquam Clausa domus, mensasque metu liquere priores. *Sen. Hercul. Fur.* Terretq; mensas auida Phineas auis. *Vide ibidem allegoriam fabulæ explicatam à Delrio in Aduersar.*

Tricliniorum lecti, quomodo eos Cic. lib. 4. in Verrem nominat, magna ex parte è ligno pretioso erant, affabre facti, aut testudinum sectis laminis, ebore, argento, atque etiam auro vestiti, aut etiam solidi. Vide Plin. lib. 16. cap. 43. & lib. 9. cap. 11. lib. 33. cap. 11. Eos ex argento solido Heliogabalum habuisse refert Lampridius. Sed multo ante, eos aureos iam in vsu fuisse narrat Plin. lib. 37. cap. 2. cum scribit Cn. Pompeium in tertio triumpho, quem de piratis, Asia, & Ponto duxit, lectos tricliniares tres ex auro sustulisse. Pedes, quibus lecti fulcirentur, & fulcra ex ligno, ære, aut etiam argento erant.

GENIALIBVS TORIS) Geniales tori propriè sunt, qui sternuntur puellis nubentibus, dicti à generandis liberis. Seruius.

Aliud est facere Genio, seu placare Genium, aliud curare genium. Illud, ad sacrificia, & curationē diuinæ rei perspicuè pertinet: hoc, ad lætitiam, hilaritatemq; animi, corporis inuitationem, & largioris mensæ apparatum: vnde dicti homines geniales, & genio indulgere: cui, genium defraudare, opponitur. Genium namq; voluptatis quoque deum putabant. Delrius in Med. Senecæ & hæc, & alia scitu pulchra de Genio.

FVRIARVM MAXIMA) Tametsi lib. 3. sic de Celæno locutus est, eamq; Furiarum maximam vocauit, tamen hic non illam, sed Tisiphonen intelligit, quæ canina fame stimulatum, & appositas escas deuorare cupientem, elata face, & terribili voce absterret.

Hîc, quibus inuisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusúe parens, & fraus innexa clienti:
Aut qui diuitijs soli incubuêre repertis,
Nec partem posuere suis (quæ maxima turba est)
Quiq; ob adulterium cæsi, quiq; arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras:
Inclusi, pœnam expectant. ne quære doceri,
Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunáue mersit.
SAXVM INGENS VOLVVNT alij, radijsq; rotarum
Districti pendent. sedet, æternumq; sedebit
Infælix Theseus, Phlegyasq; miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per vmbras:
DISCITE IVSTITIAM MONITI, ET NON TEMNERE DIVOS.
Vendidit hic auro patriam, dominumq; potentem

Imposuit: fixit leges pretio, atq; refixit.
Hic thalamum inuasit natæ, vetitosq; hymenæos:
Ausi omnes immane nefas, ausoq; potiti.
NON, MIHI SI LINGVÆ CENTVM SINT, ORAQVE CENTVM,
FERREA VOX, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim.

HIC QVIBVS INVISI FRAT.) Tria scelera duobus primis versibus complexus est. Odium in fratrem, quod tanto est detestabilius, quoniam nihil debet esse fraterno amore coniunctius. Percussionem, vel etiam cædem parentis vtriusuis, & fraudem clienti factam. De qua sic est in XII. vt quidem Seruius recitat: PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FECERIT, SACER ESTO. Si enim clientes sunt quasi colentes, patroni quasi patres: tantundem est, clientem, quantum filium fallere.

Ita natura comparatum est, vt aut nullo modo, aut non nisi toruè in illos, quos odio prosequimur, oculorũ acies intendatur: vnde, quos odimus, *inuisi* dicuntur. Nutrix apud Euripidem de Medeæ in liberos odio, Στυγεῖ δὲ παῖδας, οὐδ' ὁρῶσ' εὐφραίνεται. Clytemnestra apud eundem, cum Achilli indignata, quod Iphigeniæ filiæ nuptias respueret, ait se eũ posthac rectis oculis intueri non posse. οὐ γὰρ ὀρθοῖς ὄμμασιν σ' ἔτ' εἰσορῶ. Plautinus Iupiter sub Amphitruonis persona, cum irata Alcmena colloquens, inquit,

———te volo vxor colloqui:
Quò te auertisti nunc? Al. ita ingenium meum est,
Inimicos semper osa sum obtuerier.

Sophocles Aiacem, iam mentis compotem inducit secum quærentem, quales oculos patri Telamoni apparens ostendat. Quomodo ille nunquam se nudum (id est, sine præmio re bene gesta) reuertentem intueri sustinebit.

Καὶ ποῖον ὄμμα πατρὶ δηλώσω φανεὶς
Τελαμῶνι; πῶς με τλήσεταί ποτ' εἰσιδεῖν
Γυμνὸν φανέντα ἀριστείων ἄτερ;

Est & apud Nonium locus Attij in Erigona, huic non dissimilis, in Porcet.

Quibus oculis quisq; nostrum poterit illorum obtui
Vultus, quòd iam ab armis anni porcent?

Tanquã auctarium superaddamus Ennij versus ad hanc rem peraccommodos.

Quis pater, aut cognatu' volet nos contrà tueri?
Aduersabuntur semper nos, nostraq; volta.

Ad quem locum, quæ legisti super verbo *inuisus*, annotauit Hieron. Columna, cui suum sibi reddimus.

PVLSATVSVE PARENS) Dicamus aliquid de parricidio, parricidis, eorumq; supplicio, quia nos Virgilius admonuit, qui illis quoque locum apud inferos cruciandis constituit. Nam hìc *pulsatus parens* κατὰ μείωσιν, est interfectus parens. Sic eruditissimus vir Hier. Columna, qui & apud Ennium in 1. Annali, illud à Laurentia altrice ad Romulũ, postquam ille Remum occiderat, *Ast hic, quem nunc tu tam toruiter increpuisti*, explicandum putat, obiurgando interfecisti, vt sit per eandem figuram dictum. Est enim ibi *increpare* minitando percutere, quomodo irati solent, qui vnà cum contumelijs, & conuitijs manus quoq; iniiciunt, ac lædunt. Sed ad propositum regrediamur.

Hoc tam horribile scelus visum esse Persis, narrat Herodotus lib. 1. vt neminem vnquam aut patrem, aut matrem suam occidisse crederent: neminem vnquam legitimum, ac germanum filium: sed omnes tales aut supposititios, aut spurios fuisse. Parentibus, vbi a Deo opt. max. dis- A *cesserimus, plurimum nos debere, nisi quis humanitatem omnem exuat, nemo ignorat. Itaq; non homines modo sensu quodam arcano, pietatis in parentes, sed etiam nonnulla animantes admonentur. Ciconia enim, vt infantia sua vices rependat, vetulos parentes alit. Vnde & pro iustitiæ symbolo auis hæc meritò vsurpata est. Nonnulli tamen spreta lege naturæ, per summam immanitatem parentes suos è medio sustulerunt. Solon nullam in parricidas pœnam decreuit, quòd id scelus neminem præ indignitate commissurum putaret. Idem Romulum respondisse Plutarchus auctor est. Plato dialog. 11. de legib. Qui cædis (inquit de parricidio loquens) huiusmodi condemnatus fuerit, tam a iudicum ministris, quam à magistratibus occidatur, trahaturq;* B *extra vrbem in statutum triuium nudus, vbi singuli magistratus pro vniuersa ciuitate in mortui caput lapidem mittant, atq; ita ciuitatem omnem expient. Apud Romanos in culleum insuebantur coriaceum cum simia, vipera, gallo gallinaceo, & cane, de quibus tamen nihil est apud Cic. in Rosciana: quia videlicet antiquitus solus parricida in culleum insuebatur. Scribit nihilominus Plutarchus C. Villium post Tib. Gracchi necem, tanquã seditiosum ciuem, culleo cum anguibus insutum fuisse. Primi etiam virgis sanguineis cædebantur, non, vt quidem male accipiunt, virgis ex percussu sanguine rorantibus, rubentibusq;: sed quæ essent è sanguineis fruticibus, quorum Plinius meminit lib. 16. cap. 37. Eo autem genere ligni cæsos fuisse parri-* C *cidas, tanquam omnium infalicissimo, nocentissimo, ac maxime infami, conijcere licet ex eodem Plinio lib. 24. cap. 10. in hæc verba loquente. Nec virga sanguinea felicior habetur. Cortex eius interior cicatrices, quæ præsanauere, aperit. Cuius quidem noxæ experimento, etiamnunc per Italiam virgas huiusmodi, etsi ad cædendũ aptissimas, nocuas tamen, muliones, agasonesq; auersantur, nec ijs iumenta, aut pecora agunt. Hæc carptim ex lib. 4. cap. 8. Magij. Narrat etiam Alexand. Neapolit. lib. 3. cap. 5. quarundam gentium in parricidis puniendis consuetudinem.*

M. Tullius orat. pro Sex. Roscio Amerino, vt eum insontem facilius probet, magnitudinem, & atrocitatẽ huius criminis, parricidij, inquam, ostendit, ex multis caussis, D *quas oportet concurrere, vt quispiam ad id suscipiendũ impellatur, quas in Roscio fuisse negat. Præterea quam magnum, & immane sit, etiã ex supplicij grauitate colligi vult. Verba Oratoris, quamuis non continuata, eodemq; ordine proferemus. In quo scelere, iudices, etiam cum multæ caussæ conuenisse vnum in locum, atq; inter se congruere videntur: tamen non temere creditur, neq; leui coniectura res penditur, neq; testis incertus auditur, neq; accusatoris ingenio res iudicatur. Cum multa antea commissa maleficia, tum vita hominis perditissima, tũ singularis audacia ostendatur necesse est. Neq; audacia solum, sed summus furor, atq; amentia. Hæc cũ sunt omnia, tamen extent oportet expressa sceleris vestigia, vbi, qua ratione, per quos, quo tem-* E *pore maleficium sit admissum: quæ nisi multa, & manifesta sunt, profectò res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. Magna est enim vis humanitatis: multũ valet communio sanguinis: reclamat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum, atq; monstrum certissimum est, esse*

esse aliquem humana specie, ac figura, qui tantùm immanitate bestias vicerit, vt, propter quos hanc suauissimam lucem aspexerit, eos indignissimè luce priuarit: cum etiam feras inter sese partus, atque educatio, & natura ipsa conciliet. Multis interiectis rursum ait. Magnam necessitatem, magnam possides religionem paternus, maternusq; sanguis: ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum vsq; eo permanat ad animum, vt summus furor, atq; amentia consequatur. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis, & quæ sequuntur, volo enim esse breuis. Itaq; delabor ad ea, quæ sunt de pœna huius sceleris, quæ ipse mos magnis clamoribus dicta memoras in oratore perfecto: sed vt ab adolescente tamen non tam re, & maturitate, quam spe, & expectatione laudato. Is (Solon) cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cum nihil de eo sanxerit, quod antea commissum non erat, ne tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto maiores nostri sapientius? qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitauerunt: vt, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ij magnitudine pœnæ maleficio summouerentur. Insui voluerunt in culleum viuos, atque ita in flumen deijci. O singularem sapientiam, iudices: nónne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse, & eripuisse, cui repente cælum, solem, aquam, terramq; ademerunt: vt, qui eum necasset, vnde ipse natus esset, careret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur? Noluerunt feris corpus obijcere, ne bestijs quoq;, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus vteremur: non sic nudos in flumen deijcere, ne, cum delati essent in mare, ipsum pollnerent, quo cætera, quæ violata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem vllam reliquerint. Etenim quid tam commune est, quam spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis? Ita viuunt, dum possunt, vt ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, vt eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, vt nunquam abluantur: ita postremo eijciuntur, vt ne ad saxa quidem mortui conquiescant.

Lycurgus etiam, qui Lacedæmonijs leges dedit, nullum statuit supplicium in adulteros: quoniam ita sibi rempub. suam instituisse videbatur, vt non esset probabile, quemquam alieni matrimonij insessorem fore. Vnde Genadas homo Spartanus, cum ex eo quæsitum esset, quanam pœna apud eos adulteri plecterentur: ne sunt quidem, respondit, apud nos vlli adulteri. Tum ille, qui interrogarat. Quid si quis esset? Cogeretur bouem exsoluere ita ingentem, vt Taygetum montem capite supergressus, biberet ex Eurota. At quomodo vllus bos adeo magnus reperiatur? Quomodo, subiecit ille, ô hospes, vllus Lacedæmone adulter reperietur?

ET FRAVS INNEXA CLIENTI) Quando, & à quo introducti sint Patroni, & clientes, quod vtrorumque munus fuerit, quoniam à multis ignoratur, & est res scitu dignissima, docebimus ex lib. 2. Dionysij. Si legisti, ne sit graue iterum legere. Δὶς, καὶ τρὶς τὸ καλόν. Romulus porro postquã discreuit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit quid vtrisq; faciendum esset: vt patricij sacra curarent, magistratus gererent, ius redderent, secum rempub. administrarent, res vrbanas obirent: plebeij verò, ab his negotijs immunes (quippe qui talium imperiti essent, nec vacare per inopiam eis possent) agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia: ne seditiones ori-

A rentur, sicut in alijs ciuitatibus, dum inferiores à potentioribus cubito protruduntur, aut egeni, ac viles eminentioribus inuident. Commendauit enim patricijs plebeios, optione cuiq; è vulgo data, vt quem vellet patronũ sibi legeret. mos sanè Græcus, & antiquus, quo diu Thessali vsi sunt, & Athenienses prisci: sed tum receptus in melius. illi enim superbè vtebantur clientibus, opera eis iniungentes, quæ non conueniunt liberis: & si quando iussa non fecissent, intentantes verbera: ad cætera quoq; abutentes tanquam empticijs. hos Athenienses θῆτας vocabant, ob ministeria: Thessali verò, πενέστας, ipso vocabulo fortunam eis exprobrantes. nam πένεσθαι Græcis significat pauperem esse. Ro-
B mulus cõtra, & appellatione decora hoc negotium cohonestauit, patronatum nominans tutelam pauperũ, & abiectorum: & commoda vtrisque addidit officia, excogitata ciuili & perhumana copula. Ius illud patronatus à Romulo tunc præscriptum, diuq; à Romanis obseruatum, huiusmodi constat officijs. Patronos oportebat clientibus respondere de iure, cuius illi rudes essent, & absentium æquè, ac præsentium curam gerere, facientes quicquid pro filijs parentes solent facere, quod ad pecuniarios contractus attinet: & lites pro clientibus suscipere, si eis contra ius in contractibus afferretur detrimentum: itidemq; si in ius vocarentur, sustinere accusatoris impetum: & vt cõpendio dicam,
C quietem eis, qua maximè opus haberent, parare à priuatis publicisq; negotijs. Vicissim clientum erat, patronos in elocandis filiabus iuuare, si eis parum esset pecuniæ: & si vel ipsi, vel eorum filij capti essent, pretium hosti dependere: priuatarum quoque litium perditarum æstimationes, & mulctas publicas pecuniarias pro eis soluere, idq; sumptu proprio, non fœnore, sed gratis: in magistratibus item, & muneribꝰ gerendis, cæterisq; publicis impendijs, sumptuum partem, non minus quam genere propinquos sustinere. Commune autem vtrisq; erat, ne fas, aut ius esset alteris, accusare alteros, aut aduersum dicere testimoniũ, ferréue suffragium, aut censeri inter inimicos. quod si quis deprehensus esset aliquid horum facere, tenebatur lege de
D proditoribus, quam sanxit Romulus: conuictumque eius criminis cuiuis fas erat, vt Diti sacrum, interficere. mos enim erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora deuouere deo cuipiam, præcipuè dijs inferis: quod tunc quoque fecit Romulus. quapropter per multas ætates permansit mutua patronorum, ac clientum copula, haud secus quam cognatæ necessitudines, posteris per manus tradita: & maxima laus erat nobilium, habere clientes quam plurimos, non hæreditarijs tantum clientelis conseruatis, verum etiam nouis propria virtute partis: ingensque certamen erat vtrisq;, ne vincerentur mutua gratia, & beneuolentia, dum clientes patronis omnia pro virili obsequia præ-
E stare nitebantur, & vicissim patroni nullis corrumpi muneribus poterant, vt clientes molestari sinerent. Tanta illis erat in omni vita continentia: & fælicitatem virtute, non fortuna metiebantur. Nec tantum in ipsa vrbe plebs sub patriciorum erat patrocinio: sed & coloniarum, & sociarum, atque amicarum ciuitatum, & bello subactarum, suos quæque habebat tutores, ac patronos quoscunque vellet è Romanis: & sæpenumero Senatus controuersias ciuitatum, ac gentium ad earum patronos remisit, eorumque iudicia rata habuit. adeoque ab his initijs ex auctoritate Romuli firma Romanis coaluit concordia, vt per DCXX. annos nunquam ventum sit ad sanguinem, & cædem mutuam, multis licet, ac magnis inter plebem, & honoratos exortis

 con-

controuersijs de repub. vt fieri solet in omnibus tam A paruis,quam magnis ciuitatibus: sed persuadentes atq; edocentes mutuum, & partim concedentes, partim impetrantes à volentibus, ciuiliter componebant expostulationum negotia. ex quo autem C. Grachus tribuniciam potestatem nactus,perturbauit ciuitatis concordiam, nondū desierunt se mutuum occidere, & ex vrbe in exilium eijcere: nullum nefas non audentes ob victoriam. Adi prӕterea Budæum pag. 270. in Pandect.

AVT QVI DIVITIIS SOLI INCVB.) Cruciantur etiam hic, qui suis vtilitatibus omnia metiuntur: alienas plane negligunt, præsertim suorum, id est parentum, cognatorum, & affinium, quorum etiam hodie non parua turba est. Certè Virgil. cum ad opes ma- B gnas peruenisset, partem parentibus suis posuit, vt narrauimus in vita eius.

Diuites sunt, non qui diuitias habent, sed qui vtuntur illis ad opera iustitiæ. Et qui pauperes videntur, eò tamen diuites sunt, quia & non egent, & nihil concupiscunt. Firmianus lib. 5. cap. 16. Cic. pro Cluent. Hic ille plenus, improbissim⁹, quęstu iudiciario pastus, qui illi pecuniæ, quam condiderat, spe iam, atque animo incubaret, cōtrahit frontem. Liuius lib. 8. ab V.C. Liberes fœnore plebem Romanam, & istos incubantes publicis thesauris ex præda clandestina euoluas: ἐπικαθήμενος, ἐγκαθήμενος. *Ponere*, ad opes applicauit & Val. Maxim. tit. de Abstinentia. Deinceps ex ijs vocemus, C quorū animus aliquo in momēto ponendi pecuniam, nunquam vacauit. German.

QVIQVE OB ADVLTERIVM CÆSI) Quas importet calamitates, quantaq; cum nequitia cōiunctum sit hoc scelus, neminem credo disertiùs, & grauius exposuisse Philone illo Hebræo, quem audias licet ita disserentem lib. de decalogo. Adulterium, est peccatum grauissimum, fontem enim habet amorem voluptatis, quæ & corpus atterit, & robur animi resoluit, & rem familiarem absumit, quidquid attigerit, more ignis adurens, & nihil saluum relinquens in vita hominum. Hæc adultero persuadet, vt non solum ipse peccet: sed & alios asciscat in culpæ societatem nefariam, & aduer- D sam societati legitimæ. Percitus enim hoc æstro non potest solus explere cupiditatem: sed opus est omnino, vt duo sint: alter quasi magister nequitiæ, alter discipulus rei turpissimæ. Nec enim solum corpus mulieris impudicæ vitiatur: sed si vera fatemur, multò prius animus assuescit malis moribus, discens modis omnibus auersari maritum, & odio prosequi: quod tamen malum leuius multo esset, si non dissimularetur. Nam quæ sunt in propatulo, cauentur facilius. Nunc vero vix vllus suspicioni locus relinquitur: adeo se malis artibus celat, & obumbrat, ne deprehendatur, plerunq; præ se ferens affectum contrarium, & mirificis præstigijs opinionem amoris sibi concilians. Eadem certe opera subuertuntur tres familiæ. Is, cuius coniugium E violatur, nuptialia vota perdidit, & spem prolis legitimæ. Nec minus incommodi accipiunt reliquæ duæ domus, adulteri, & adulteræ: quandoquidem replentur ambæ dedecore, contumelia, probrisq; turpissimis. Quod si numerosæ fuerint istæ familiæ, multis cognationibus, affinitatibusque implicitæ, totam ciuitatem accendat hoc flagitium, obambulans per ora ciuium. Permolestum est enim dubitare de liberis: & quoties parum integra seruatur vxoris pudicitia, verus pater certe cognosci non potest. Itaq; dum res in obscuro latet, adulterini subrepunt pro legitimis, alienarum familiarum sinceritatem deprauant, hæreditatem, vt tunc videtur, paternam, alioqui nihil ad se pertinentem vsurpant. Et adulter, postquam illusa muliere despumauit feruentem libidinem, & expleuit nefariam cupiditatem, abit, ridens læsi mariti ignorantiam: at ille tanquam cæcus, nihil sciens de fraude domestica, vt propriam sobolem, indulgenter habebit natos ex infensissimis sibi hominibus. Quod si detegatur iniuria, miserrimi erunt, licet insontes pueri, in neutro accensendi genere, nec mariti, nec adulteri.

Accusat item iniquitatem huius sceleris Isocrat. 3. orat. vbi Nicoclem de sua temperantia gloriantem facit. ὅτι δὲ καὶ τῷ τοιούτῳ, &c. Adhæc non potui non vehementer illos reprehendere, qui ductis vxoribus, & inita totius vitæ societate, pactis, & conuentis non starent: sed dum suis voluptatib⁹ indulgerent, eos offenderent, à quibus ipsi nulla re offendi se vellent: & quam in alijs contractibus æquitatem colerent, solas conuentiones cum vxoribus factas violarent. Quæ tanto sanctiùs custodiendæ erant, quāto sunt alijs interiores, & maiores.

Addam pro corollario Lipsium erudite, vt omnia, disputasse ad 4. Annalem Taciti, qua pœna adulteros puniri Romæ receptum fuerit. Opilius quidē Macrinus Imp. vt relatum video à Capitolino, adulterij reos semper viuos simul incendit, iunctis corporibus. Pittacus autem vnus de 7. sapientibus grauiorem pœnam constituit in eum, qui vxorem alienam ad adulterium blanditijs pellexisset, quàm si ei vim intulisset: quod vi adhibita, corpus tantum, blanditijs animus quoq; corrumperetur. Diodorus lib. 1. parte 2. cap. 2. in recensendis Ægyptiorum legibus hanc affert de adulteris, notatu non indignam. Nam ei qui mulierem liberam violasset, virilia exsecabantur, quoniam vno crimine haud parua scelera complexus esset, iniuriam, corruptelam, liberorum cōfusionem. Si quis sine vi adulterauerat, virgis cedebatur ad mille plagas, mulier naso mutilabatur. Existimabant enim, mulierē sese ad illicitam continentiam exornantem, oportere ea parte mutilari, qua maxime facies exornatur.

NEC VERITI DOM. FALL. DEXTRAS) Id propter Menam, in quem inuehitur & Horatius, dictum videri potest, qui cum esset libertus Sex. Pompeij, à patrono defecit, & ad Augustum prodita classe transijt. Quod igitur seruus fuisset Pompeiorum familiæ, dominū ab eo proditum poëta scripsit. Turneb. lib. 22. cap. 1.

Nescio tamē, inquit Germ. an tanto viro mihi in hac parte assentiendū sit, cum ista interpretatio omnino in institutū Maronis niti videatur, qui in gratiam Augusti, & Iuleæ familiæ hoc totum opus molitus sit. Itaque si Mena à Cæsare ad Pompeium, aut Antonium transfugisset, & decoro quadraret hæc coniectura, & poeta ea commemoratione, & perfidiæ increpatione Augusti blandissimè auribus seruijsset: nisi fortasse confisus Imperatoris moribus, qui proditionem quidem amare se profiteretur, proditorem execrari, huic audentius Maro crimini insultauerit. Hæc ille.

Ne hunc quidem locum assecuti sunt interpretes, atque inprimis Seruius, qui quid dicat, profectò nescit. Nam quid aliud est fallere dextras dominorum, quam fidem dominis promissam fallere? nam dextra olim fidei consecrata fuit. Cic. Philipp. 11. dextræ, quæ fidei testes esse solebant, perfidia sunt, & scelere violatæ. Vnde iungere dextram, & dextræ dextram committere, apud poetas sæpe reperies pro pacisci, & fœdus ferire. Ouid. in epist. *Heus vbi pacta fides, commissaq; dextera dextra?* Nascimb.

INCLVSI POENAM EXPECTANT) Hoc de omnib⁹ dictum est, quos supra cōplexus est, non de his tantum proximis. Grauius autem est, expectare pœnas, quam luere.

lucre. Nam in expectatione & præsens metus est, & dolor futurus, in ipsa autem pœna solus est dolor. Seruius.

NE QVÆRE DOCERI QVAM POENAM) Cur non vult quæri Sibylla de pœnarum generibus? quia adhuc iudices capitales de ijs consultant. Redit ad enumerationem suppliciorum interruptam, & videtur loqui de Sisypho, qui, vt scribitur ex Ennio, 1. Tusculan. *versat saxum sudans nitendo, neq; proficit hilum.* Rota ad Ixionem pertinet, cui suprà atram silicé imminere dixit. ✱

Iupiter proditus à Sisypho, hoc eum supplicio apud inferos damnauit, vt grande saxum assiduò in montem vrgeat: & cum ad iugum, seu verticé volutarit, relabatur, vt denuo voluendum sit. Lucret. lib. 3. allegoricè ambitiosos putat significari hoc figmento, qui quãuis repulsi sæpius, non desinunt magistratus, & honores consectari.

Sisyphus in vita quoq; nobis ante oculos est,
Qui petere à populo fasces, sæuasq; secures
Imbibit: & semper victus, tristisq; recedit.
Nam petere imperiũ, quod inane est, nec datur vn-
Atq; in eo semper durum sufferre laborem, (quam,
Hoc est aduerso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à summo iam vertice rursum
Voluitur, & plani raptim petit æquora campi.

QVÆ FORMA VIROS) singulis enim sceleribꝰ statuta sunt supplicia: nam morem Romanorum sequitur Ser.

RADIISQVE ROT. DISTRICTI PEND.) Et hoc de rota, & quod ait Tibullus,

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota,

& Claudianus, *Non rota suspensum præceps Ixiona torquet*, Plautus, *Versor in armis rota*: hæc, & similia nihil ad rotam, Germanicum supplicium, pertinere, nemo non videt: in qua sontes iam datis pœnis non plus doloris sustinent, quàm si humi strati iacerent. Et quì fieri per deos immortales potest, vt homo fractis, contusisque tibiarum, brachiorumque ossibus rotam conscendat? Ergo diuersum est ab hoc, quod Græci τροχὸν appellant. Monstrat & hoc Iosephus ἐν τῷ εἰς τοὺς Μακκαβ. λόγῳ, κεφ. θ. Brod. lib. 2. cap. 10.

Scribit Cic. 5. Tuscul. In eo etiam (libro) putatur dicere (Theophrastus) in rotam (id est genus quoddã tormenti apud Græcos) beatam vitam non ascendere. Hoc astici cruciatu, τροχίζεσθαι dicebãtur: eratque rota instrumentum, in quo distento corpore homines torquebantur. Dicitur à Græcis τροχὸς βασανιστικὸν ὄργανον, διατεῖνον τὰ σώματα τῶν βασανιζομένων. Apud Iosephum in Maccabæis eius supplicij crebra mentio est. Vt illigati igitur mole pedibus appensa, atque innecti rotæ iubetur Maccabæus: ita etiam in gyrum circuli porrigi, vt solutis hinc inde visceribus, venisq; distentis, dolores ipsius, & pœnæ crescerent. Iterum, & vt erat affixus rotæ, igni in catasta obijcitur. Rursum, rotæ postmodum affigitur, nec tendi magis iam poterat, quia & partes, & frusta corporis horrendissimo pependere aspectu. Meminit & Aristoph. Pluto. ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλούμενον εἰπεῖν ἃ πεπανούργηκας. Ac non dubito, quin hoc tormentũ intellexerit Latinus poeta. Turneb. lib. 7. cap. 16. De Ixione putant interpretes dictum, *radiisq; rotarum Districti pendent.* Georg. 3. de eodem, *tortosque Ixionis angues, Immanemque rotam.* Vide ibidem dicta, & Natal. Comitem lib. 6. cap. 16. Seneca Hercul. Fur. *Rapitur volucri tortus Ixion rota.* In quem versum lege scripta à Delrio.

SEDET, ÆTERNVMQVE SED. INF. THESEVS) *Interpretationem inconsideratam, vt lenissimè dicam, Roberti Titij super hoc loco, irridet vrbanissimè Villiomarus Animaduers. in*
A *eundem lib. 1. animaduers. 14.*) Cæterùm quid Iouianus in Actio dicat, referamus. Reprehendit Hyginus (apud Gell. lib. 10. cap. 16.) Virgilium, quod cum antè dixisset, Theseum superas euasisse ad auras, pòst dicat, *sedet, æternumq; sedebit.* Atque Theseus viuus Herculem ad inferos secutus, inde Herculis ipsius præsidio euasit, vt est in fabulis. Post mortem vero, cùm anima eius ad inferos delata esset, nunquam ad viuentes redijt: sed propter filium iniustè occisum sedet illic, atque æternùm sedebit, iniquissimam Hippolyti mortem infæliciter deplorans. Rectèque, & antè viuum ab inferis redijsse ait, vnde argumentandi locum Æneas cœpit: & pòst, inter eos, qui mortui essent, enumerat. Neque enim sibi
B hæc aduersantur. Vide insuper Alciat. Parerg. lib. 10. c. 8.

PHLEGYASQVE MISERRIMVS OMNES) Phlegyas Lapitharũ rex, Ixionis pater, ob iniuriam stupri, filiæ suæ ab Apolline illatam, eius templum incendit: à quo vicissim sagittis confixus, & ad inferos deiectus fuit. Montfort.

DISCITE IVSTITIAM MONITI) Nihil ad conciliandos subiectorum animos tam valet, quam iustitiæ, ac diuini cultus opinio. Prudenter igitur Maro Phlegyam suum inducit, iustitiam, religionemque his verbis collaudantem. Iustitia enim in quo fuerit, eius imperium æquo animo omnes patiuntur, illiusque moderationi sese etiã sponte subijciunt, quod de Cyro illo legimus,
C quem non iustitiæ solum, sed omnium etiam regiarũ virtutum exemplum fuisse, creditum est. Quantum autem ad popularem comparandam beneuolentiam religionis valeat opinio, docuit Macedo Alexander, qui etiam superstitionem laudare solitus est, tanquam per eam in plebis animos, rectores ipsi illaberêtur. Qua virtute & Cyrus hic, de quo dixi, & Camillus, & Africanus, & præstantissimi quique viri excelluerunt. Iouian. lib. de Principe. * *Porrò huic sententiæ affinia sunt, quæ afferuntur in prouerbijs, Factum stultus cognoscit. Euentus stultorum magister.*

Ἠ δὴ μετάνοια γίγνετ' ἀνθρώποις κρίσις.
Tum iudicant homines, vbi iam pœnitet.

VENDIDIT HIC AVRO PATRIAM) Colligent stu-
D diosi exempla proditorum istiusmodi. Lasthenem quidam insinuari credunt, qui Olynthum prodiderit, de quo Demosthenes περὶ στεφάνου. μέχρι τούτου Λασθένης φίλος ὠνομάζετο Φιλίππου, ἕως προὔδωκεν Ὄλυνθον. Notauit Vrsin. item hos duos versus pæne integros ex L. Vario translatos, in carmine de Morte.

Vendidit hic Latium populis, agrosq; Quiritum
Eripuit, fixit leges pretio, atq; refixit.

Talia, inquam, proditorum exempla ex historiarum monumentis ad vsum suum colligent sibi bonarum litterarum cupidi, & contraria eorum, qui, vt patriam venderent, nullis præmijs adduci potuerunt. In quorũ numero virtus Epaminondæ Thebani lucet eximiè, de
E quo ita Probus memorat. Tentata autem est eius abstinentia, à Diomedonte Cyziceno. Namq; is rogatu Artaxerxis Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri (triginta Daricorum millibus, vt affirmat in apophthegmatis Regum Plutarchus) Thebas venit, & Micythum adolescentulum quinq; talentis ad suam perduxit voluntatem: quẽ tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam conuenit, & caussam aduentus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram, Nihil, inquit, opus pecunia est. Nam si ea rex vult, quæ Thebanis sunt vtilia, gratis facere sum paratus. Si autem contraria, non habet auri, atq; argenti satis. Namq; orbis terrarum diuitias accipere nolo, pro patriæ charitate. ✱

FIXIT LEGES PRETIO, ATQVE REF.) Ex eo dictum A est, *fixit leges*, quòd in æs incisæ leges, in publico fixis tabulis proponebantur. Tacitus lib. 2. Aspiciuntur etiam núc in ære publicandis plebiscitis per fora, & tépla fixo. Sueton. Romani veteres suas leges ex iure decemuirali promulgatas, atq; in æs incisas in ærarium condebant. Cic. Philipp. 3. Falsas leges, & Cæsaris nomine, & falsa decreta in æs incidenda, & in Captolio figenda curauerit. Leges autem contrà quæ tollebantur, earum æs reuellebatur, refigebaturq;. In vna sententia exemplú vtriusq; verbi Cic. Philipp. Nunc figentur rursus hæ tabulæ, quas vos decretis vestris refixistis? Turneb. lib. 25. cap. 30.

Erythræus in Indice. Figi leges dicebantur, cum B populo in foro cognoscendæ proponebantur, quod tabulæ æneæ, in quibus incisæ erant, religabantur. Ouid. 2. Metamorph. *nec verba minantia fixo Aere ligabantur.* Vnde refigi dicebantur, cum auellerentur, vt hîc à Virgilio. Quare Venuleius I. C. tit. ad legem Iuliam peculatus: qui tabulam, inquit, æream legem, formamúe agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutauerit, lege Iulia peculatus tenetur. Similiter omnia quæcunq; figuntur, cum reuelluntur, refigi dicuntur. Idem Venuleius lib. 43. Quod vi, aut clam lege postrema. Si ad ianuam, inquit, meas tabulas fixeris, & ego eas priùs, quam tibi denuntiarem, refixero. Paulus tit. de verborum obligation. lege, Inter, sic ait. Sed & si reficiendæ nauis caussa omnes tabulæ refixæ sunt. C Horat. *quis templis Parthorum signa refixit?* Hinc clauos refixos eleganter appellabimus, quos veteres, populariter dicimus. * *Traxit autem à Varrone, siue mutuatus est Vergilius hunc locum, teste Macrob. lib. 6. Saturnal.*

HIC THAL. INVASIT NATÆ) Hoc sceleris genus commodè, & eleganter expressit Arnobius lib. 5. patré cum filia vxoria coniugatione misceri. Exempla quædá proferri possent: sed ita tetrú, ac nefarium scelus est, vt à recordatione animus, à cómemoratione lingua, ab auditione aures refugiant. Par, & æquè execrabilis turpitudo matrú, filios sollicitantiú. Quod cum fecisset Niny̨ filio Semiramis, ab eodem est interfecta. Iustinus lib. 1. De incestis consanguineorum nuptijs, & quid Romanæ grauitati, iustitiæque in hac re placuerit, vide Tiraquell. in 7. leg. Connubial. à numero 32. deinceps. Idé ex Plutarcho, Augustino, & alijs Theologis probas, & iustas rationes affert cóplures, ob quas vetita sint inter consanguinitate coniunctos matrimonia. Vide à numero 45. ✣

AVSI OM. IMMANE NEF.) Hypothesi ad thesin reuocata, concludit æquè esse nefarios, atque impios: & quia peccandi voluntas, nisi sequatur effectus, non vsquequaque hominem punit, sequitur, *ausoq; potiti*, vt ostendat eos meritò, ac iure puniri, cum non tantum voluntas peccandi, verum etiam actus ipse peccandi in eis extiterit. Nascimb.]

NON MIHI SI LINGVÆ CENTVM) Similiter Georg. 2. *Non ego cuncta meis amplecti versibus opto, Non mihi si linguæ centum,* &c. Homeri illos ex 2. Iliad. prope ad verbum reddit.

Πληθὺν δ' ὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, ὐδ' ὀνομήνω,
Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
Φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

Consimile his illud Ouidianum eleg. 4. lib. 1. Trist.

Si vox infragilis, pectus mihi firmius ære,
Pluraq; cum linguis pluribus ora forent,
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
Materia vires exuperante meas.

Idem 2. Fast.

Nunc mihi mille sonos, quoq; est memoratus Achil-
Vellem Mæonida pectus inesse mihi. (les

Silius lib. 4.

Non mihi Mæonia redeat si gloria lingua,
Centenasq; pater det Phœbus rumpere voces,
Tot cædes proferre queam, quas dextera magni
Consulis, aut contra Tyria furor edidit ira.

Hoc autem vatibus solemne esse, & eos tot linguas optare solitos, affirmat Persius initio Sat. 5.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum. ✣

Hæc vbi dicta dedit Phœbi longæua sacerdos,
Sed iam agè carpe viam, & susceptum perfice munus,
Acceleremus, ait, Cyclopum educta caminis
Mœnia conspicio, atq; aduerso fornice portas:
Hæc vbi nos præcepta iubent deponere dona.
Dixerat: & pariter gressi per opaca viarum,
Corripiunt spatium medium, foribusq; propinquant.
Occupat Æneas aditum, corpusq; recenti
Spargat aqua, ramumq; aduerso in limine figit.

PHŒBI LONGÆVA SACERDOS) Viuacitas Sibyllę D prouerbio locum fecit, Sibylla viuacior. Propert. lib. 2. eleg. 24. *At me non ætas mutabit tota Sibyllæ.* Vbi Sibyllæ ætatem, pro quantumuis longa posuit. Vide Seruiú præterea in hunc locum.

CYCLOP. EDVCTA CAMINIS) Hîc duas artes Cyclopum miscuit Maro, fabricam ferrariam, cuius inuentores fuerunt, auctore Plinio lib. 7. cap. 56. & munitionem oppidorum. Nam Aristotele auctore, quod Plinij fide referimus, ijdem Cyclopes turres inuenerunt. Tiryntha, Pausanias lib. 2. à Cyclopibus munitam fuisse narrat lapideo muro, cuius singulos lapides vix moueri potuisse, protelis mulorú. Sunt qui ab eis munitas dicant etiam Mycenas. Turneb. lib. 28. cap. 46.

In illud Callimachi, hymno in Dianam,

———————— ὐ σε φαρέτρην
Οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον, ἐμοὶ Κύκλωπες ὀϊστοὺς
Αὐτίκα τεχνήσονται, ἐμοὶ δ' εὐκαμπὲς ἄεμμα.
———————— *non posco pharetram,*
Nec telum prægrande, mihi Cyclopes acutas
Spicula iam facient, & neruo flexile cornu,

in hoc, inquá, vir egregie doctus, eius latinus interpres vtiliter scribit quæ sequuntur. Quidquid vehementer munitum, robustumque esse, nec vlla vi rumpi posse poetæ ostendere volunt, id Cyclopum manibus constructum dicere consueuerunt. Sic vrbs Tiryns Cyclopum opus fuisse dicta: cuius muri (teste Pausania in Corinth.) è rudibus extructi erant lapidibus, quorum singuli

guli ea fuerunt magnitudine, vt ne minimus quidem eorum, bigis iumentorũ moueri loco potuerit. Sic Arginorum mœnia, manibus fabricata Cyclopum Statius prodidit. Sic turris, in qua Danaé inclusa fuit, à Cyclopibus facta dicitur. Sic mœnia campi Elysij, Cyclopũ educta caminis Virgilius refert. Sic arma Achillis, & Æneæ inuictorum heroum, labores Cyclopum esse feruntur.

OPACA VIARVM) vt strata viarum, vide lib. 1. Mi-

A ratur portas, strepitumq́, & strata viarum.

CORRIPIVNT SPATIVM MEDIVM) Celeritatem gradiendi exprimit, vt alibi, corripuere viam.

CORPVSQVE RECENTI SPARGIT AQVA) Corpus aqua respergit Æneas, inquinatus enim fuit aspectu tartari. Et spargit, quia inferis sese purgat. Nam simul corpus, & animum istiusmodi ablutionibus, seu aspersionibus mundari credebant.

His demum exactis, perfecto munere diuæ,
DEVENERE LOCOS LÆTOS, ET AMOENA VIRETA
Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas.
Largior hîc campos æther, & lumine vestit
Purpureo, solemq; suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Contendunt ludo, & fulua luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
Iamq́; eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.

DEVEN. LOCOS LÆTOS, ET AMOEN. VIR.) De A Elysijs Plato in Axiocho. Illos verò, qui boni dæmonis ductum, auspiciumque secuti, vitam essent imitati deorum, beatorum, piorumq́ue sedes incolere. Ibi tempestates anni frugum omnis generis copia, & vbertate abundare, fontes aquis limpidissimis scatere, herbis varijs prata conuestiri. Illic philosophorum scholas esse, theatra poetarum, & circulares choros, musicas auditiones, opportunè composita conuiuia, & dapes, quæ vltro ex ipso loco suppeditentur, & immortalẽ lætitiã, omni denique iucunditate perfusam vitam. Non enim vel iniquum frigus, vel intemperatum calorem ibi dominari: sed bene temperatum aërem diffundi, subtilibus solis radijs illustratum. Ibi vero ipsis initiatis quen- B dam esse principatum, & sacra dijs rite fieri.

Disputationem de Elysio ἀλληγορικῶς intelligendo, leges apud Iouianum in Aegidio, ab eo loco, Ego vero, Hieronyme Carbo. pag. 163. 6. Aldinæ edit. De ijsdem campis multa præclara, & delectabilia Natalis Comes lib. 3. cap. 19. Et quoniam in insulis Fortunatis crediti sunt esse hi campi, legenda est earundem insularum longe pulcherrima descriptio apud Muretum lib. 5. cap. 1. Laudat beata illa arua, & diuites insulas Horatius quoque Ode 16. Epod. Meminerunt & Homer lib. 4. Odyss. Strabo lib. 1. Plautus autem non sine sale quodam in Trinummo his versibus.

Sed iste est ager profectò, vt te audiui loqui,
Malos in quem omnes publicè mitti decet:
Sicut fortunatorum memorant insulas,
Quò cuncti, qui ætatem egerunt castè suam,
Conueniunt: contra istoc detrudi maleficos
Æquum videtur, qui quidem istius sit modi.

Occasionem commento huic videtur præbuisse fama quædam, & auditio paradisi, de quo est in sacra Genesi. Vide adhuc de Elysijs Delriũ Comment. in Herculem Fur. Pag. 275. Vniuersas camporum illorum fælicitates summa quadam complexus est hisce versib⁹ Tibullus lib. 1.

Hic choreæ, cantusq́, vigent: passimq́, vagantes
Dulcè sonant tenui gutture carmen aues.
Fert casiam non culta seges, totosq́, per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.

At iuuenum series teneris immista puellis
Ludit: & assiduè prælia miscet Amor.

Amœna dicta sunt loca, quod solum amorem præstent, quodque ad se amanda alliciant, id est trahant, vt Grammatici docent. ✠

LVMINE VESTIT PVRPVREO) Cic. Phænomenis. *Quam cum perpetuo vestiuit lumine Titan.* Purpureum à poetis pro pulchro poni, ex illius coloris præstantia, & pulchritudine, non ignotum. Testimonia crebra sunt. Notauit Turneb. lib. 28. cap. 46. Adducit nonnulla. Infrà. *Purpureos spargam flores.* Et lib. 9. *Purpureus veluti cum flos succisus aratro.* Lib. 1. *lumenq́, iuuentæ Purpureum.* In quem locum vide Symbolas. ✠

Primùm videamus quomodo hunc locum ex doctrina Platonica illustret. Macrob. in som. Scip. lib. 1. Sic igitur ille, quod quidem ad institutum spectat. Ciuitatum vero rectores, cæterique sapientes, cælum respectu, vel cum adhuc corpore tenentur, habitantes, facilè per corpus, cælestem, quam pæne non reliquerant, sedem reposcunt. Nec enim de nihilo, aut de vana adulatione veniebat, quod quosdam vrbium conditores, aut claros in repub. viros in numerum deorum consecrarit antiquitas. Sed Hesiodus quoque diuinæ sobolis assertor, priscos reges cum dijs alijs enumerat, hisque exemplo veteris potestatis, etiam in cælo regendi res humanas, assignat officium.

C *Indigetes diui fato summi Iouis hi sunt:*
Quondam homines, modo cum superis humana tuentes,
Largi, ac munifici, ius regum nunc quoq; nacti.

Hoc & Virgilius non ignorat, qui licet argumento suo seruiens, heroas in inferos relegauerit, non tamen eos abducit à cælo: sed æthera deputat his largiorem, & nosse eos solem suum, ac sua sidera profitetur: vt geminæ doctrinæ obseruationes præstiterit, & poeticæ figmentum, & philosophia veritatem. Nunc ad aliorum huius loci explanationes veniemus.

SOLEMQVE SVVM, SVA SID. NORVNT) Vt nobis noster est sol, nostræque stellæ: sic illis, qui Elysium incolunt, ne quis eos in tenebris degere putet. Turneb. lib. 28. cap. 46. Plutarchus comment. de Exilio, D Stultitiam, inquit, eius irridemus, qui lunam Athenis meliorem, nitidoremq́ue esse dicat, quàm quæ Corinthi:

chi: & tamen in idem quodammodo vitium incidimus, cum peregrinantes, terram, mare, aërem, cælum, vt diuersa, à consuetis esse contendimus. Non est autem in hunc eundem sensum accipiendum, quod hic Maro dicit. Loquitur enim de inferis, tanquam de orbe alio, ab hoc nostro disiuncto, qui & suo sole, suaque luna, cæterisque astris ornatus sit, quæ orbis nostri signis vsquequaque respondeant. Titius lib. 8. cap. 19. * *Pluto raptor apud Claudianum lib. 2. Proserpinam flentem consolans, inter alia sic.*

Amissum ne crede diem: sunt altera nobis
Sidera: sunt orbes alij. lucemq; videbis
Purius, Elysiosq; magis mirabere campos,
Cultoresq; pios. illic pretiosior ætas
Aurea progenies habitat, &c.

IN GRAM. EXER. MEMB. PALÆST.) Hîc Grammatici palæstras, luctas accipiunt, à quibus dissentio: intelligo enim gramineas palæstras loca esse herbosa, vacua, in quibus se exercebant ludo, & lucta. Turneb. lib. 28. cap. 46. * *Etiam Mercurialis de arte gymnast. lib. 1. cap. 9. palæstram, ait, accipi pro quocunq; loco exercendis corporibus idoneo, & hunc ipsum locum testem adducit.*

Inualuerat apud multos opinio de animabus, & vmbris mortuorum: eæ siquidem creditæ sunt magna earum rerum copia apud inferos abundare, quarum amore, ac studio, dum in suis corporibus adhuc degerent, tenerentur, seque ijs exercitijs delectare, quæ sibi olim grata præ cæteris fuerant. Qua de re meminit etiam Macrobius. Sed festiuissimi sunt Æschyli versus a- C pud Stobæum, quibus ostendere conatur, Plutonis regnum omnibus diuitijs, & commoditatibus affluere: cuius rei præter cætera argumentum hoc affert, vt dicat,

Οὐ γὰρ ἂν πολλοῖς οὕτως ἐστεφανώμενοι
Προκείμεθα, οὐδ᾽ ἂν κατηλειμμένοι,
Εἰ μὴ καταβάντας εὐθέως πίνειν ἔδει.

Hoc est: Nunquam enim sic coronis redimiti proponeremur in funeribus, neque vnguentis delibuti, nisi statim, vt descendimus, bibere nos oporteret. Titius lib. 1. cap. 12.

THREICIVS LONGA CVM VESTE SACERD.) Syrma vestis, apud Solinum cap. 56. fluxa vestis, & pro- D lixa, humumque verrens, qualis erat tibicinum, & fidicinum, vt apud Flaccum ad Pison. *traxitq; vagus per*

A *pulpita vestem*. Eandem & Orpheo hîc tribuit Maro. Eam etiam Tibullus significare videtur lib. 3. eleg. 4. *Ima videbatur talis illudere palla.* Turneb. lib. 18. cap. 35. & lib. 28. cap. 46.

Longa cum veste, vtpote vates, & musicus: nam longa vestis citharœdorum habitus fuit, quod indicare videtur Cornificius ad Herennium lib. 4. cum ait. Vt citharœdus, cum prodierit optimè vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus varijs intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatissimam, auro, & ebore distinctam, &c. Vocat autem sacerdotem, vel quia theologus, vt etiam interpretes admonent, vel B quia musicus, vt Cic. & Quintilianus ait: antiquis enim temporib. vates, & sapientes ijdem iudicabantur: quod ideo veteres fecisse videntur, vt musicen cum diuinarum rerum cognitione iunctam esse ostenderent. Nascimb.

OBLOQ. NVM. SEPT. DISCRIM. VOC.) est, saltantibus canit, cùm hoc loco numeros in saltatione ponat, quippe cum paulo ante dixerit, *pars pedibus plaudunt choreas.* Sic ecloga 6. *Tum verò in numerum Faunosq;, ferasq; videres Ludere.* Ac sanè numerum in motu Plato, & Aristoteles ponunt lib. 4. phys. cap. 11. Hîc tamē satius sit, numeros versus intelligere, & carmina, quibus obloquebatur suos modos, & cantum Orpheus. Turneb. lib. 28. cap. 46. Lucret. lib. 4. *Et citharæ liquidum carmen, chordasq; loquentes Auribus accipere.*

Lyra heptachordos erat, vnde fortasse hîc scriptum à Marone *septem discrimina vocum*. Quod tamen Fulgent. lib. 1. Mythol. aliter explicat. Habet igitur, inquit, musica partes septem, id est genera, diastemata, systemata, phthongos, tonos, metabolas, & melopoeias. Vnde & Virgil. in 6. ait: *Obloquitur numeris septem discrimina vocum*, &c. Turneb. lib. 19. cap. 29.

IAMQVE EAD. DIG. PVLSAT) Id est, intus canit, & foris. Manus enim sinistra carpit chordas digitis, quod intus canere est: nam sibi soli tum canit artifex: manus dextra pectine chordas pulsat, canitque foris, id est, canit quod alij audiant: nec enim tacita est eius, vt sinistræ, musica, sed canora. Turneb. lib. 28. cap. 46.

Hîc genus antiquum Teucri pucherrima proles,
Magnanimi heroes nati melioribus annis,
Ilusq;, Assaracusq;, & Troiæ Dardanus auctor.
Arma procul, currusq; virûm miratur inanes.
Stant terræ defixæ hastæ, passimq; soluti
Per campos pascuntur equi. quæ gratia currûm,
Armorumq; fuit viuis, quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit ecce alios dextra, læuaq; per herbam
Vescentes, lætumq; choro pæana canentes
Inter odoratum lauri nemus: vnde supernè
Plurimus Eridani per syluam voluitur amnis.

MAGNAN. HEROES. N. MEL. ANNIS) A quibus incolantur Elysij campi planum facit, in primisque regum, & heroum, nec nō curruum, & armorum, quibus in vita delectati fuerant, mentionem facit. Et declarat *τὸ antiquum*, per id, quod continuò sequitur: *nati melioribus annis*, inquit: nam ætas antiqua melior sem- E per fuisse existimatur. [*Catull. de nupt.* O nimis optato seclorū tempore nati Heroes saluete.] Hoc igitur ait, eos eo tempore natos, quo maiori in honore virtus habebatur: ideoque diuino honore dignos iudicatos fuisse: quibus si hoc tempore nasci contigisset, ad tantum honoris fastigium euecti nunquam fuissent. Nascimb.

TROIÆ DARD. AVCTOR) Hic de se vniuersam regionem Dardaniam appellauit. Condidit primus vrbem Dardaniã, vbi fato functus, & sepultus fuit. Postea à Troe Troia, & ab Ilo postremũ Ilium fuit appellata.

ARMA VIRVM, CVRRVSQVE) A signis pacis, quæ potissimùm quatuor enumerat, arma, & currus inanes, hastas solo defixas, & pascentes libere, nulloq; hostium metu equos. Notum autem ex Homero, morem tenuisse ijs temporibus, vt duces è curribus pugnarent, quod genus pugnæ etiam apud nostrum videre est libris sequentibus. Montfortius.

STANT TER. DEF. HASTÆ) Ex antiquorum consuetudine intelligendum est, qui posteriorem partem hastæ etiam præpilabant ad defigendum humi, quam οὐρίαχον Greci, & σύρακα, & σαυρωτῆρα appellabant. Homerus ἔγχεα δέ σφιν ὄρθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος. Quòd Aristoteles sic explicat. οὕτω γὰρ τότε ἐνόμιζον, ὥσπερ καὶ νῦν Ἰλλυριοί. Ita Aristotelis ætate iam mos ille exoleuerat: sed poetæ studiosi vetustatis, & rerum non perinde vsitatarum, ad admirationem talia captant, & in vsum reuocant. Turneb. lib. 13. cap. 16.

QVÆ GRATIA CVRR. ARM. FVIT) In Gorgia inquit Plato. Idem mihi videtur circa animam: cuncta enim in ea apparent, quum corpus exuerit, tam quæ ex natura, quàm quæ ex affectibus inerant, quæ ob rei cuiusq; studium homo contraxit in animam. Hinc, ni fallor, aperitur egregiè hic Maronis locus. Rhodigin. lib. 10. cap. 9.

NITENTES PASC. EQVOS) Nitentes equos appellat bene curatos, & bene habitis corporib⁹. Horat. in eandem significationem de semetipso lib. 1. ep. 4. *Me pinguem, & nitidum bene curata cute vises.* Æneid. 3. *superoq; nitentem Cælicolûm regi mactabam in littore taurum.*

LÆTVMQ. CHORO PÆANA CAN. INTER ODOR.) Locum assignat poetis separatum inter lauri nemus, quia Phœbo sacra arbor, & ipsi quoque. Rectè etiam ijs mortuis datur inter lauros locus, cum viui ad eorum gloriam, nominisq; immortalitatẽ designandam, lauro coronentur. Adde quod nullus est aptior poetis lo-

A cus, quam nemus vmbrosum, viuis aquis irrigatum. Vnde Horat. fingit eos ambulare per lucos in persona sua, lib. 3. Ode 4.

Audire, & videor pios
Errare per lucos, amœna
Quos & aqua subeunt, & auræ.

Virgilius tam scientia profundus, quàm amœnus ingenio, nonnulla de veteribus verbis, quæ ad proprietatem sacrorũ nouerat pertinere, ita interpretatus est, vt mutato verbi sono, integer intellectus maneret. Nam primo Pontificij iuris libro apud Pictorem, verbũ hoc positum est, vitulari. De cuius verbi significatu Titius ita retulit. Vitulari est voce lætari. Varro etiam lib. 15.
B rerum diuinar. ita refert: quod Pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat: quod Græci παιανίζειν vocant. Has tot interpretationis ambages, quam paucis verbis, docta Maronis elegantia expressit? Nam si vitulari, est voce lætari, quod est παιανίζειν: nonne in cantu læti παιᾶνος enarratio verbi perfectè seruata? Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 2.

Rhodigin. lib. 7. cap. 5. ait, cantus diuinis laudibus accommodatos vniuersim quidem dici pæanas, & hymnos: Apollinis tamen aut hyporchema, aut pæana dici, atque ea caussa maximè concini solitum, vt vis pestis latius grassantis reprimeretur. Canebatur etiam Pæan ad prosperos rerum euentus. Vide Alex. ab Alex.
C lib. 4. cap. 17. Pæan auctore Seruio, propriè Apollinis laudes, quod nunc congruit, propter lauri nemus: abusiue omnium deorum: sicut orgia propriè Liberi, abusiue omnium deorum sacra.

PLVR. ERID. PER SYL. VOLVIT. AMNIS) Vt in cælo consecrarunt Eridanum astrologi, sic & in Elysijs ponit eum campis Maro, vel cælestis illius Eridani imitatione, vel patriæ commendatione inductus, cum sit in Italia fluuiorum rex. Sic Catonem vmbris dare iura scripsit, ne Græci tantum exercendis inferorũ iudicijs præfecti viderentur: interesse putans ad patriæ ornamentum, & Catonis laudem, hominem Romanum illic iudicare. Turneb. lib. 22. cap. 1.

Hîc manus ob patriam pugnando vulnera passi;
Quiq; sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quiq; pij vates, & Phœbo digna locuti:
Inuentas aut qui vitam excoluere per artes:
QVIQVE SVI MEMORES ALIOS FECERE MERENDO:
Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.

OB PAT. PVG. VVL. PASSI) Qui nam digniores immortalitate, beatorumq; sedibus, quam qui oppositu corporũ suorum ab amicis, à cognatis, à consanguineis, a liberis, ab vxoribus, ab vniuersa demum repub. omnia extrema auertunt? qui patriæ potissimùm vitam suam, & sanguinem largiuntur? Audi paulisper Ciceronem prædicantem de laudibus legionis Martiæ, quæ ad Mutinam aduersus Antonium perduellem dimicans occubuit. O fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria potissimum est reddita. Paulo pòst. Illi igitur impij, quos cæcidistis, etiam ad inferos pœnas parricidij luent: vos verò, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem, & locum consecuti. Breuis à natura vobis vita data est: at memoria bene redditæ vitæ sempiterna. Laudantur à poetis Græcis 300. Lacedæmonij, qui bello Xerxiano in Thermopylis fortissime pugnantes pro libertate Græciæ communis patriæ occubuerunt. Ex Simonide distichum conuertit 1. Tuscul. Cic. nempe istuc.

Ὦ ξεῖν' ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε
Κείμεθα, τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.
Dic hospes Sparta, nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Athenis locus fuit Ceramicus appellatus, in quo columnæ ijs eri-
D gebantur, qui pro patria occubuissent, cum inscriptione nominum; & prælio, quo cecidissent, ad eorum memoriam sempiternam. Adijciamus præclaram sententiam de patriæ propugnatoribus, lectam a nobis apud Herodianum lib. 8. Qui pro altero dimicant, cum suæ victoriæ fælicitatem ad alios migraturam videant, minus profectò acriter decertant: quippe qui intelligant, se quidem in periculi communionem admitti, cæterum externos victoriæ fructus ad alios peruenturos. Qui autem pro patria pugnant, præterquam quod spe meliore esse debent (neque enim aliena occupant, sed tueri sua contendunt) etiam animo sunt maiore, vt quos non alienum imperium, sed sua quemque necessitas adigat, quoniam scilicet victoriæ fructus ipsis potissimum debeantur. Pro patria aut ceciderunt, aut se deuouerunt, aut vulnera acceperunt, Brutus, Curtius, ambo Decij pater, & filius, duo Horatij, Philæni fratres, Codrus Atheniensium rex, Cocles, Scæuola, & alij.

E QVIQVE SACERD. CASTI) Castimoniam corporis, & animi, lex à sacerdotibus requirebat: sed in corpore potius obseruabatur. Ita ad sacrificium pura sacerdotum vestimenta esse oportebat, id est, non ob-

sita, non fulgurita, non funesta, nō habentia maculam. A Sic aqua corpus abluebant, & denarias interdum cærimonias, interdum tricenarias obseruabant, decemq; continuis diebus, vel triginta certis quibusdam rebus abstinebant: sic secubabant, & castimoniam in poculis, & vasis quadam superstitione obseruabant.

QVIQVE PII VATES) vaticinantes, quos distinguit ab impijs, & qui mendaci spiritu afflantur, dum addit, *Et Phœbo digna locuti*, id est, vera, haud quaquam vana. Apollinis oracula ob rerum indubitatam fidem, toto orbe celeberrima habebantur.

INVENTAS AVT QVI VITAM EXCOLVERE PER ARTES) Non Philosophos tantum, vt vult Seruius, sed alios quoque aliarum artium inuentores, quibus vita carere non potest, hominesq; industrios designat. Et multis ob res humanæ vitæ commodas, aut necessarias à se inuentas in cælum datus est ascensus fama, & beneuolentia hominum. Qui autem quæ inuenerint, extant libri Virgilij Polydori. Ad extremum addit beneficos, & liberales, atque officiosos. His omnibus hactenus enumeratis alba vitta cingi tempora, quod eorum immortalitatis signum est. Seu, quoniam horum omnium vita integra fuit, incorruptiq; mores, rectè illis candidam vittam tribuit.

Quos circumfusos sic est affata Sibylla,
(Musæum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet: atque humeris extantem suspicit altis)
Dicite fælices animæ, tuq; optime vates
Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergô
Venimus, & magnos Erebi tranauimus amnes.
ATQVE HVIC RESPONSVM PAVCIS ITA REDDIDIT HEROS.
Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,
Riparumq; toros, & prata recentia riuis
Incolimus. sed vos (SI FERT ITA CORDE VOLVNTAS)
Hoc superate iugum, & facili iam tramite sistam.
Dixit: & antè tulit gressum, camposq; nitentes
Desuper ostentat: dehinc summa cacumina linquunt.

HVMER. EXTANT. SVSPICIT ALTIS) Hanc B clausulam versus, de Platone dici, suspicari videntur interpretes, cùm de Musæo accipienda sit, quem eminentem, & extantem turba circumfusa, & corona suspiciebat. Mirantur multi, hìc Maronem tam honorificè Musæi meminisse, de Homero siluisse. Ac Græci nonnullam ei liuoris hac de caussa labem aspergunt. Certe Silius, cum eundem locum tractaret, Homerum tantis laudibus cumulauit, vt propemodum consecrârit. Turneb. lib. 28. cap. 46. * *Suspicio ista Seruij est, cuius hæc sunt verba*, humeris extantē suspicit altis, *quasi philosophū, ac si diceret Platonem. Nam Plato ab humerorū dictus est latitudine, quam Græci πλάτος vocant. Idem somnium somniat Nascimban.*

Quod si antiquorum extarent monumenta poetarum, fortasse aliquis inueniretur, qui vt argumenti C magnitudine cederet, ita cultu, atque prudentia orationis priorem sibi locum vindicare conaretur. Arbitror enim ego Musæi stylum longè esse Homerico politiorem, atque comptiorem. Quod vt clarius pateat, aliquot versus adducere coactus sum. Nam quemadmodum omnes sunt incomparabiles, soliq; è Græcanicis Virgilio digni, ita nonnulli adeo compositi, vt ab eius gentis nullo alio, quàm à Musæo dici potuisse videantur. Quare neque Homerum, neque Orpheum, sed Musæum fecit ille principem Elysiacarum cantionum. Illo igitur versu quid rotundius, elegantius, ornatius, numerosius? *αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτόματος νηῦς.* Neque putes hunc solum esse, multi enim alij D sunt, &c. Infrà. Quod si Musæus ea, quæ Homer. scripsit, scripsisset, longè meliùs eum scripturum fuisse iudicemus. Hæc Scalig. Poet. lib. 5. cap. 2. * *Musæi nihil extare præter hymnum in Cererem, docet Pausanias in Atticis.*

TVQVE OPTIME VATES) Musæum separatim interrogat, ipsius enim fuerat præferenda persona, quem, vtpote potiorem, circumdederant omnes. Et est sciendū, hoc loco Sibyllam iam à numine derelictam: vnde & interrogat, quod aliâs non faceret. Bene autem & generalitatem, & speciem requirit, vt possit facilius inueniri, nam locus in regione est. Donatus, Seruius.

ILLIVS ERGO VENIMVS) Ergo correptum significat idem, quod apud Græcos οὖν: productè idem quod χάριν, hoc est gratiâ: cum scilicet gratia intelligitur pro caussa. Sed illud superius etiam sine exemplis notum est: hoc inferius sic formatur: cum dicimus de aliquo, statua donatus est honoris, virtutisque ergó: id est honoris, virtutisq; caussa. Festus.

NVLLI CERTA DOM.) Nulli est certa habitatio, quam animæ tamdiu certam habent, quamdiu in corporibus sunt, post quorum absolutionem vagantur pro vitæ merito in circulis. Monet eos deinde, vt collem ascendant, post quem vbi descenderint, inuenturi sint facili via Anchisen: tum se ipsis viæ ducem præbet, quod maioris erat humanitatis, monstrans eis desuper camporum nitentium latitudinem. Donatus.

RIPARVMQVE TOROS) gramina, quæ in ripis nascuntur.

ET PRATA RECENTIA RIVIS) noua, hoc est, virentia prata riuis. Ita & Horat. nouam frondem pro virenti dixit, Ode 4. lib. 3. *Fronde noua puerum palumbes Texere.* Nascimb.

HOC SVPERATE IVGVM) superare aliquando in eo ponitur, in quo scandere, seu superascendere, seu ascendendo superare & vincere, locum nempe sublimem, aut arduum aliquem, & ascensu difficilem. Ennius 1. Annali *Cum neq; musarum scopulos quisquam superaret.* Noster Georg. 3. *superant montes, & flumina tranant.* ✠

At pater

At pater Anchiſes penitus conualle virenti
Incluſas animas, ſuperumq; ad limen ituras,
Luſtrabat ſtudio recolens: omnemq; ſuorum
Fortè recenſebat numerum, caroſq; nepotes,
Fataq;, fortunaſq; virûm, moreſq;, manuſq;.
Iſq;, vbi tendentem aduerſum per gramina vidit
Ænean, alacris palmas vtrasq; tetendit:
EFFVSÆQVE GENIS LACRYMÆ, ET VOX EXCIDIT ORE.
Veniſti tandem: tuaq; expectata parenti
Vicit iter durum pietas: datur ora tueri
Nate tua, ET NOTAS AVDIRE, ET REDDERE VOCES.
Sic equidem ducebam animo, rebarq; futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio? quantis iactatum nate periclis?
Quàm metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent?

AT PAT. ANCHIS. PEN. CONVAL. VIRENTI) Cum hiſce verſibus conferas licet illos, qui ſunt lib. 5. vbi quieſcenti Æneæ videtur imago Anchiſæ, illumq;, antequam ingrediatur Italiam, ad ſe ad inferos, Sibylla duce, iubet deſcendere, & vbi nam ſe inuenturus, & quid auditurus ſit, ſimul docet. Verſus ne diu quæras, ecce hi ſunt.

——————— Ditis tamen antè
Infernas accede domos: & Auerna per alta
Congreſſus pete nate meos. Non me impia namq;
Tartara habent, triſteſq; vmbræ: ſed amœna piorum
Concilia, Elyſiumq; colo. Huc caſta Sibylla
Nigrantum multo pecudum te ſanguine ducet.
Tum genus omne tuum, & quæ dentur mœnia diſces. B

INCLVSAS ANIMAS) Aut ſegregatas animas intelligas, aut ſecundum ritum antiquum. Multitudinem enim, ſi numerare non poterant, eam in certum locum per partes includebant, & ita quanta eſſet videbant. Quod & Xerxes de ſuo fecit exercitu. Seruius.

LVSTRABAT STVD. RECOLENS) De militia tractũ, vt etiam quod ſequitur, *omnemq; ſuorum recenſebat numerum.* Imperatores enim luſtrant exercitus ſuos, ac numerum militum recognoſcunt.

FATAQVE FORT. VIR. MOR. MAN.) Non numerũ ſuorum duntaxat, ſed vitæ etiam, ac mortis rationem, fortunam, mores, poteſtateſq;, ſeu virtutem poſterorũ ſuorũ recenſebat. Nam fato vitæ principium, ac finem, C Fortunæ extranea, vt honores, diuitias, nobilitates, & id genus alia veteres adſcribebant. Mores ac iura dantur populis: virtute vero propagantur regna. Naſcimb.

EFFVSÆ GEN. LACRYMÆ) Lacrymas tum gaudiũ, tum dolor, & luctus exprimit. gaudium, ὀδυσσ. π. ὣς ἄρα φωνήσας υἱὸν κύσε, κὰδ δὲ παρειῶν Δάκρυον ἧκε χάμαζε. id eſt, ſic igitur locutus, filium oſculatus eſt, ex genis autem lacrymam miſit in terram. & ὀδ. ψ. Penelopa Vlyſſem agnoſcens. Δακρύσασα δ', ἔπειτ' ἰθὺς δράμεν, ἀμφὶ δὲ χεῖρας Δειρῇ βάλλ' ὀδυσῆϊ. id eſt, illacrymata autem, poſtea rectà ad eum cucurrit, manus autem collo implicuit Vlyſs. Ibid. de Vlyſſe.

ὣς φάτο· τῷ δ' ἔτι μᾶλλον ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο.
Κλαῖε δ' ἔχων ἄλοχον θυμαρέα κεδνὰ ἰδυῖαν.

Id eſt, ſic locutus eſt. ei autem tanto magis deſiderium flendi iniecit. Ille autem plorabat, habens vxorem ea ſcientem, quæ viro eſſent grata, & iucunda. Terent. Heautont.

Vbi dicimus rediiſſe te, & rogare vti
Venires ad te, mulier telam deſerit
Continuò, & lacrumis opplet os totum ſibi, vt
Facile ſcires deſiderio id fieri tuo.

Idem in Adelph. Dem. *ob, lacrumo præ gaudio.* Liuius lib. 5. Certatim patribus, plebique manare gaudio lacrymæ. tales fortaſſe ſunt nouarũ nuptarum lacrymæ, aut certæ fictæ. Catull. in carmin. nupt. *At lubet innuptis ficto te carpere queſtu.* Idem de coma Berenices.

Eſtne nouis nuptis odio Venus? ánne parentum
Fruſtrantur falſis gaudia lacrymulis?

Exemplum lacrymarum ab ægritudine, aut dolore corporis expreſſarum extat apud Hom. ἰλ. β. vbi de Therſite loquitur ab Vlyſſe percuſſo. ὁ δ' ἰδνώθη, θαλερὸν δέ οἱ ἔκπεσε δάκρυ. id eſt, ille autem incuruatus eſt, tenera autem ei excidit lacryma. & ὀδυσσ. δ.

Οὐδ' ἄρα Νέστορος υἱὸς ἀδακρύτω ἔχεν ὄσσε·
Μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο,
Τόν ῥ' ἠοῦς ἔκτεινε φαεινῆς ἀγλαὸς υἱός.

Id eſt, neque vero Neſtoris filius lacrymarum expertes oculos habebat. Recordatus eſt enim Antilochi ſui ab omni ignominia, & dedecore vacui, ſeu vigilantis, & ſtrenui, quẽ Auroræ lucidæ clarus filius interfecit. Terent. Heautont. *lacrumas excuſſit mihi.* Cæſ. lib. 1. de bell. Gall. Diuitiacus, multis cum lacrymis Cæſarem complexus obſecrare cœpit, ne quid grauius in fratrem ſtatueret. Menelaus apud Euripid. in Helena, ait dici, eſſe viri generoſi, lacrymas in rebus aduerſis fundere.

Καίτοι λέγουσιν, ὡς πρὸς ἀνδρὸς εὐγενοῦς,
Ἐν ξυμφοραῖσι δάκρυ' ἀπ' ὀφθαλμῶν βαλεῖν.

Id eſt, Atqui aiunt eſſe viri generoſi, in calamitatibus lacrymas ex oculis emittere. Lamb. in Horat. * *Cum ſit beatus Anchiſes, cur ei lacrymas affingit poeta? Iam diximus eſſe lacrymas etiam lætitiæ. Deinde paternum affectum voluit exprimere. Nec iſta curioſius diſcutienda ſunt in hoc ſcriptorum genere.*

ET VOX EXCIDIT ORE) Lib. 2. Æneid. *tantumq; nefas patrio excidit ore.* vbi aliter exponenda eſt vox *excidit*, vt orationẽ illam ſenis parum meditatam, conſideratamq; ſignificet, non enim eam filius reprehenderet.

tenderet. Hic autem *vox excidit ore* pro, locutus est, accipitur. Omnino si quid nostrum iudicium valet, aliud verbum hic fuisset aptius. Quæ enim excidunt, præter mentem, voluntatem, & inconsulto videntur fieri. Nihil autem loquitur hic Anchises, quod dictum nollet.

VENISTI TANDEM) Anchisæ oratio est ex abrupto inchoata, cum ad præteritum paterni desiderij, tum præsentis lætitiæ affectum, propter aduentum filij declarandum. Nam vox *tandem*, longæ expectationis effectum, cum lætitiæ affectu designat. Valde affectuosa est hæc oratio, immo nil nisi lætitiam, & dolorem continet: lætitiam, propter præsentiam filij: dolorem, propter timoré præteritæ calamitatis. Nascimb. Vide colloquium Vlyss. cum Anticlea matre apud inferos, Odyss. λ.

TVAQVE EXPECTATA PARENTI) Passeratius hic acutè vidit, legendum *spectata*, secutus Seruij sententiam, qui τὸ *expectata*, probata interpretatur, quamuis ex interpretatione constet, *spectata* ipsum legisse, ex illo inferiore loco, *rebus spectata iuuentus*. Germ. Spectata item legendű censet Ioseph. Scalig. castigat. in Catull. Sic spectata, & perspecta amicitia. Quæ tralatio est à probationibus operum, quæ spectiones dicuntur à Gellio, & alijs: vel ab auro. Nam spectatores auri sunt χρυσοβασανισταί.

VICIT ITER DVRVM PIETAS) Laus Æneæ ingens ex officio pietatis erga patrem, quem nec horror inferorum, nec itineris difficultas retinuit, quo minus paternæ voluntati morem gereret. Nam lib. 5. vti ad se descenderet, ei per quietem mandauerat: meminit in sequentibus etiam crebri occursus paterni, & monitus super hac re.

NOTAS AVDIRE, ET RED. VOCES) Tale illud 1. Æneid. ad matrem, *& veras audire, & reddere voces.*

TEMPORA DINVMERANS) Dinumerasse se ait tempora, fato scilicet currentia, per quod colligitur Æneam fato ad inferos descendisse.

QVAM METVI NE QVID LIBYÆ) Anticlea Homeri non multum diuersa cum filio Vlysse: noster verò affectus inserit, à sollicitudine, & pietate patris, & modestè notat consuetudinem filij cum Didone, obliuionemq; regni Italici, in quod fatis vocatus fuerat. Hactenus Nascimb. & Montfortius.

Ille autem: Tua me genitor, tua tristis imago
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes. DA IVNGERE DEXTRAM,
Da genitor: TEQVE AMPLEXV NE SVBTRAHE NOSTRO.
SIC MEMORANS LARGO FLETV SIMVL ORA RIGABAT.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucriq; simillima somno.

TVA ME TRIST. IMAGO SÆP. OCCVRRENS) Anchisæ verbis quam breuissimè respondet Æneas, inprimisq; aduentus sui caussam assignat: deinde, vt patrem omni sollicitudine liberet, classem in tuto, immo in Italico mari, quò eum fata trahebant, stare nuntiat. Et cum vellet eius apprehendere dextram, simulq; cōplecti vt decebat tam pium filium, tanquam ventum, ac somnium visus est complecti, caret enim anima corpore. Idem ei lib. 2. cum Creusa contigit, quare eosdem versus hic repetit ad verbum. Palilogia, *tua, tua imago*, ad significandum eius in patrem affectum, amoremq; facit. *Tristis*, μελανοποιῶν, quæ me tristem soleret efficere. Nascimb.

HÆC LIMINA TENDERE ADEGIT) Omissa est præpositio, ad, vel dictum est quemadmodum adigere arbitrum, & similia, egit tendere ad hæc limina, vt præpositio adhereat ipsi verbo, separata à suo casu.

SALE TYRRHENO) Lib. 1. Æneid. *spumas salis ære ruebant*. Lib. 3. *Et salis Ausonij lustrandum nauibus æquor*. Alibi, *campos salis ære secabant*.

DA IVNG. DEX. DA) iteratio imperatiui, cupiditatis magnæ nota est.

LARGO FLETV SIMVL ORA RIGABAT.) Non dixisset satis, & peccasset etiam, si hoc de fletu omisisset.

Interea videt Æneas in valle reducta
Seclusum nemus, & virgulta sonantia syluis,
Lethæumq;, domos placidas qui prænatat, amnem.
Hunc circum innumeræ gentes, populiq; volabant.
Ac veluti in pratis, vbi apes æstate serena
Floribus insidunt varijs, & candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, caussasq; requirit
Inscius Æneas, quæ sint ea flumina porrò,
Quiúe viri tanto complerint agmine ripas.

IN VALLE REDVCTA) Horat. Ode 2. Epod.
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.
Item Ode 17. lib. 1. *Hic in reducta valle canicula Vitabis æstus.* Vbi Lamb. vallem reductam appellat, quæ sinus quosdam flexuosos, & recessus habet, in quibus quis à ventis, & iniuria cæli tutus esse queat. Sic Georg. 4. & Æneid. 1. *inq; sinus scindit sese vnda reductos.*

VIRGVL-

VIRGVLTA SON. SYLVIS) Virgultum est, quod de radice pullulat. Ramus qui de ipso robore arboris. Virga, quæ de ramis. Propriè autem virgultum appellatur, quod ad radicem arboris nascitur, & quasi inutile, ab agricolis amputatur. Isidorus libro 17. cap. 6.

DOMOS PLACIDAS) id est, campos Elysios, quos antè, amœna vireta dixit.

PRÆNATAT) præterfluit, & contrariè dictum est, nam non natant aquæ, sed nos in illis natamus. Ennium igitur secutus est, qui ait, *fluctuśq; natantes*. Sic Seruius. Haud dissimiliter Lucret. lib. 6. *Augebat mare manando, camposq; natantes*. Item, *Aëra permensus multum, camposq; natantes*.

CANDIDA LILIA) Sæpe inuenias hoc, vel simili epitheto affici lilia, propter natiuum colorem scilicet. Propert. lib. 1. eleg. 20.

Et circum irriguo surgebant lilia prato
Candida, purpureis mista papaueribus.

Et, *Lilia non domina, sint magis alba, mea*. Etiam sæpe argentea dicuntur.

QVÆ SINT EA FLVM. QVIVE VIRI) Εἱρμὸς id est sermo vnus, per multos versus protensus, in quo tractatur dogma Platonis, quod positum est in Phædone περὶ ψυχῆς. Hoc autem continet. Æneas dum per inferos pergeret, respexit fluuium quendam iuxta nemus labentem, circum quem innumeræ volitabant animæ, instar apum. Quærit ex patre, quis sit fluuius, & quorum virorum animæ tanta frequentia ad ripas conueniant, quidúe sibi velint. Respondet pater, Lethæus est: pergunt, autem vt potent, & obliuioné patiantur, vt incipiant in corpora velle remeare. Stupefactus Æneas iterum interrogat, anne animæ, quæ per præteritam vitam tot supplicia pertulerunt, possunt habere votum reuertendi in corpora? Non est verisimile, liberatas de corporis nexu, ad eius carcerem velle reuerti. Suscepta narratione, hoc Anchises exequitur: primo debere fieri, vt redeant, deinde posse, deinde velle. Lege reliqua apud Seruium.

Tum pater Anchises: Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis vndam
Securos latices, & longa obliuia potant.
Has equidem memorare tibi, atq; ostendere coràm,
Iam pridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quò magis Italia tandem lætere reperta.
O pater, ánne aliquas ad cælum hinc ire putandum est
Sublimes animas? iterumq; ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?

ANIMÆ QVIBVS ALT. FATO CORP. DEB.) Quæsita Æneæ Anchises explicat, & primo illi parti respondet, *Quiue viri?* Deinde nomen fluuij docet, *Lethæi ad fluminis vndam*. quod Æneas quæsierat his verbis, *quæ sint ea flumina porro*. Tandem caussas, cur eò confluerent, quod tertium Æneas rogarat, *vt longa nimirum obliuia potent*. [Horat. lib. 2. Sat. 6. Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ. Idem Ode 14. Epod.

Pocula Lethæos vt si ducentia somnos
Arente fauce traxerim.]

Postea Anchises ingentem suæ cupiditatis affectum ostendit: cuius rei caussam assignat, ex commodo, & iucunditate Æneæ, vnde est beneuolentiæ locus, ex significatione paterni amoris in filium. Magis lætabitur Æneas, se peruenisse ad Italiam, cum tot viros illustres ex suo genere propagandos, tantasque sanguini suo accessiones præparatas esse cognouerit. Nascimb.

AD CÆLVM HINC IRE) ad superos, in vitam istam. Nos quippe collati cum inferis, sumus superi.

SVBLIMES ANIMAS) Vel ad sublime cælum vt sit hypallage: vel sublimium, id est, illustrium animas.

AD TARDA CORPORA) quia terrena habitatio, secundum diuinam scripturam: & coagmentata ex elementis. Animus ab omni concretione materiæ liber, vno momento omnem mundum peragrare potest. Sed tarditas corporis eum quoque in actionibus eius tardioré sæpe facit: vnde sequitur infrà, *quantum non noxia corpora tardant*.

QVÆ LVCIS TAM DIRA CVPIDO?) Lux significat vitam quoque, vt etiam lumen. Hinc carentes lumine, & cassos lumine pro mortuis poetæ dicunt: & lumina, aut lucem relinquere, mori. Virgil. lib. 4. *Quò magis inceptum peragat, lucemq; relinquat*. Ennius. *Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit*. Catull.

Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

Nonius, *vbi bipedes volucres lino linquunt lumina*. Ex Muret. in Catull.

Cupido pro cupiditate apud Horat. ponitur semp masculino genere. *Feruet auaritia, miseroq; cupidine pectus*. Rursus. *At bona pars hominum decepta cupidine falso*. Eandem significationem habet ἀφροδίτη apud Euripid. Iphigen.

Μέμηνε δ' ἀφροδίτα ἑλλήνων στρατῷ,
Πλεῖν ὡς τάχιστα βαρβάρων ἐπὶ χθόνα.

Dicam equidem, nec te suspensum nate tenebo,
Suscipit Anchises, atq; ordine singula pandit.
Principiò cælum, ác terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit: totamq; infusa per artus

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudumq; genus, vitæq; volantûm,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor, & cælestis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra.
Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent, gaudentq;: nec auras
Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.

DICAM EQVID. NEC TE SVSPENS.) Lucret. lib. 6. *Expediam, neq; te in promissis plura morabor.* Est & oratorum: ne diutius vos suspensos teneam. multis enim locis Virgilius noster oratoria quędam loquendi genera sectatur.

PRINCIPIO CÆLVM, AC TERRAS) Affinia sunt illa Ciceronis de consulatu suo.

Principiò æthereo flammatus Iupiter igni
Vertitur, & totum collustrat lumine mundum,
Menteq; diuina cælum, terrasq; petessit,
Quæ penitus sensus hominum, vitasq; retentant.
Ætheris æterni septa, atq; inclusa cauernis.

Multo etiam similiora hæc Manilij lib. 1.

Hoc opus immensi constructum corpore Mundi,
Membraq; Naturæ diuersa condita forma
Aëris, atq; Ignis, terræ, pelagiq; iacentis
Vis animæ diuina regit, sacroq; meatu
Conspirat deus, & tacita ratione gubernat,
Et multa in cunctas dispensat fœdera partes,
Alter vt alterius vires faciatq;, feratq;,
Summaq; per varias maneat cognata figuras.

Ex adytis Academiæ, vt alia permulta, hæc transtulit. Siquidem à Platone philosopho assertum est, Deum ipsum, cum molem hanc totius orbis construere, atque disponere decreuisset, animam quandam, seu spiritum, vel rationem excogitasse, cuius sapientia vniuersus ferè orbis aptissimè componi, atq; adornari posset, & ad rerum ordinem, & ad singularem decorem. In qua sententia & Mercurius Ægyptius fuit, &c. Crinit. lib. 6. cap. 12.

Cæterùm ad hos versus copiosè illustrandos, legendum cap. 14. lib. 1. in Som. Scip. apud Macrobium. Platonizat enim hìc, vt sæpe alibi, & in hoc sexto potissimùm noster Virgilius, quod iam ante non semel dictum memini. Lactantius ille quasi quidam fluuius eloquentiæ Tullianæ, vt de eo prædicat D. Hieronymus epist. ad Paulin. lib. 1. cap. 5. vbi testimonia poetarum, ac phisophorum de vno deo quęrit: nostrorum primus Plato, inquit, non longe fuit à veritate, cuius de summo deo, quem spiritum, ac mentem nominauit, hæc verba sunt, *Principiò cælum, ac terras,* &c. Ac ne quis fortè ignoret, quisnam esset ille spiritus, qui tantum haberet potestatis, declarauit alio loco (Georg. 4.)

——— deum namq; ire per omnes
Terrasq;, tractusq; maris, cælumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemq; sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Versus porrò illos, *Principiò cælum, ac terras,* &c. adducit etiam Hieronymus, comment. in Ezechielem cap. 40. Spiritum autem, & mentem vocarunt deum etiam Stoici, vt Plutarchus testatur.

Sed idem Lactant. lib. 7. cap. 3. eosdem versus Maronis alio, & quidem impio sensu acceptos reprehendit, si nimirum ita deum per mundum intelligamus dif-

A fusum, vt mundus velut eius pars sit, velut hominis corpus. Deus, inquit, est diuina, & æterna mens, corpore soluta, & libera. Cuius vim, maiestatemque quoniam intelligere non poterant, miscuerunt eum mundo, id est, operi suo: Vnde est illud Virgilianum, *totamq; infusa per artus Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.* Si fecit mundum, fuit ergo sine mundo. Si regit, non vtique sicut mens corpus regit, sed tanquam dominus domum, nauimque gubernator, auriga currum, &c.

Loquitur & Aristoteles libello de mundo in hanc sententiam de deo. Quod in naui gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod deni-
B que lex in ciuitate, & dux in exercitu, hoc deus est in mundo. Nisi hactenus interest quod labor, & motus multiplex illos exercet, & curæ angunt variæ: cùm huic illaborata succedant omnia, omnis molestiæ expertia, citraque corporis infirmitatem: quippe cui in loco stabili, immotoque collocato, omnia mouere, & circumagere pro arbitratu liceat, quo libitum est cunque, & quomodo libitum est, idque diuersis in formis simul, atque naturis.

Aliam eiusdem Lactantij memorabilem, & ad Maroniana verba peraccommodatam sententiam ponemus ex lib. 1. cap. 5. Poetæ, quamuis deos carminibus ornauerint, & eorum res gestas amplificauerint sum-
C mis laudibus, sæpissime tamen confitentur, spiritu, vel mente vna contineri, regique omnia. Nec à poetæ sensu discrepat acutè, sapienterque dictum à Minutio Fœlice in Octauio. Nos gentes, nationesq; distinguimus: deo vna est domus mundus hic totus. Reges tantum regni sui per officia ministrorum vniuersa nouere: deo indicijs opus non est. non solùm in oculis eius, sed & in sinu eius viuimus. Quid tam geminum Paulinæ sententiæ? in ipso viuimus, & mouemur, & sumus.

His adijce quæ traduntur à Seneca Natural. lib. 2. cap. 45. Eundem, quem nos Iouem, intelligunt (poetæ) custodem, rectoremque vniuersi, animum, ac spiritum, mundani huius operis dominum, & artificem,
D cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, caussa caussarum. Vis illum prouidentiam dicere? rectè dices. Est enim cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis: Est enim, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua. Vide Pierium lib. 14.

CAMPOSQVE LIQVENTES) Vox æquor, cum in mari propriè dicatur, propter æqualitatē scilicet, transfertur tamen etiam ad terrestres campos (vt omittam,
E ad aërem quoque, cælumque transferri) vnde illa, æquora campi, & Ciceronis, patentium camporum æquo-

æquora. Sic contra vocem *campus*, quæ propriè de terra dicitur, poetæ ad mare transtulerunt. Lucretij est, natantes campi.

Tum magis expressus salso de corpore sudor
Augebat mare manando, camposq; natantes.

Quæ verba quoniam ei pulcherrima visa sunt, mutuatus est Virgilius, eandemq; elocutionem proprio Marte diuersis modis locupletauit, modo liquentes campos, modo salis campos, modò arua Neptunia dicens. Plaut. Trinum. Cæruleos campos. Hieron. Colum. in 2. Annal. Ennij.

LVCENT. GLOB. LVNÆ) Si elementa, multo magis corpora cælestia, solem, lunam, sidera, aliaque multa, ex anima mundi animari existimandum est.

TITANIAQVE ASTRA) Titanem existimat Pausanias virum solertem fuisse, temporum obseruatorem: vnde eum solis fratrem vulgò dictum. Atque hinc non obscura coniectura nascitur, cur astra Titania hic poeta nominarit. Montfort.

SPIRITVS INTVS ALIT) Anima in medio rerum posita res ipsas viuificat.

MENS AGITAT MOLEM) Vt animæ mundanæ, quæ per artus, id est, per elementa, quasi mundi ipsius membra, diffusa est, dignitatem excellentiamque ostenderet, mentem appellauit: nam mens, vt philosophi asseruerunt, potior animæ pars est, &c. Vide Nascimb.

MARMOREO FERT MONSTRA SVB ÆQ.) Mare vocatur marmoreū a coloris similitudine. Monstra intellige piscium species diuersissimas, nonnullas etiam reuera monstrosas, vt balænarum.

IGNEVS EST OLLIS VIGOR, ET CÆL. ORIGO) Verè cælestis origo hominū animis, quib' nihil excellentius, nihil admirabilius. Euripides certe animū ausus est deū vocare. Vigorem autem animę alio epitheto melius declarare non potuisset. Quid enim igne viuidum magis? quid ἐνεργητικώτερον? Quidam philosophi animam igneam fecerunt: siue ignem, non elementarium, sed puriorem, ac tenuiorem quendam, qui dicitur æther. Cic. 1. Tuscul. Zenoni Stoico animus ignis videtur. Ennius ex Epicharmo, *Terra corpus est, at mentis ignis est.* Vbi mentis dictum in recto casu pro mens, teste Prisciano lib. 7.

QVANTVM NON NOX. CORP. TARD.) Qui omnia (inquit D. Augustinus) animæ ex corpore putant accidisse, in errore sunt, etiamsi luculentis versibus Platonis sententiam secutus Maro id comprobauit. Nam corruptio corporis est quæ aggrauat animam peccatricem: sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem. Quod tamen corpore obsepta rationalis anima, modò mirandum veritatis lumen percipiat minus, hinc effici eruditorum coniectatio est, quia minimam ad id habeat proportionem: quippe est anima forma quædā corpori mancipata: lumen vero illud forma est, à corporum penitus dissita commercio. Propterea in Metaphys. Aristoteles: intellectus noster se habet ad ea, quæ sunt manifestissima in natura, tanquam naturę oculus ad solis lumen. Sed & in metaphor. Auicenna. Quemadmodum paralytici lingua humore præpedita quodam, certum in prægustando saporis sensum minus agnoscit: sic & humanus intellectus ob mortalis nexū corporis, quasi paralyticus occæcatur in ijs, quæ incorporea sunt omnino, ac æterna. Ad quæ forsitan reflecti etiam Pythagoricum illud valeat. συμφορὰν τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα εἶναι πρῶτον. calamitatem animæ primam esse corpus ipsum. Rhodigin. lib. 6. cap. 10.

A Quantum verò nobis ad animi submissionem, modestiamque in omni vita prodesse queat, terrenæ originis nostræ recordatio, diffuse nos docet Magnus ille Basilius Homil. 11. in Hexaëmer. Partem aliquam à principio his Symbolis adscribam, idq; eo libentius, q̄ eas non solum ad doctrinam, verum etiā ad probos, Christianoq; homine dignos mores prodesse studeo, q̄ iam sæpiuscule animaduertere potuisti. Sic ergò Basilius.

Accepit Deus puluerem è terra: Et, fecit Deus hominem. Quando poteris obliuisci tui ipsius? Tunc obliuiscere tui ipsius, quando recesseris ex hac terra. Si vero nunquam deseris hanc terram, sed illi veluti concorporatus es, & omnino adaptatus, in terra deambulas, in terra cōquiescis, in terra tuo iure viuis, quicquid siue magni, siue parui momenti facis, in terra facis, è vicino habes
B vnde humilitatis tuæ admonearis. Conuiciaris, & excandescis? Vnde tibi hæc animi excandescentia? Ex intentata ignominia? Ignobilitatis opprobrationem non tulisti. Confestim ebulliuit animi indignatio. Contendis maiora regerere conuicia, quàm acceperis. Oculos demitte, & cessabit animi commotio. Terram aspice, & cogita, ignobilitatem mihi obiecit, qui è terra sum factus. Minoris me fecisset, si eam, cuius ego sum, obiecisset. Non enim obiecit, quòd è terra sum, sed ex homine. Quanto vero pretiosior est animatus homo tellure, quæ pedibus calcatur? Ego vero antiquam respicio matrem, videlicet terram. Itaq; nihil habet ignominiæ, quod seruo patre natus, sed honoris est, quod animatus factus sum. Ille vero me putat magno à se probro affectum esse, non animaduertens, quòd in eo me magis honorauit, quod vituperij caussa obiecit. Ego namque non ignarus naturæ meæ, noui quis sim, & vnde sim. Ad hunc modum, si ex terra nos factos esse recordabimur, nunquam permittet ista recordatio, vt obtineat in
C nobis animi commotio. Opem ferat rationi tellus, perpetuò pręsens, & admonens. Si quando ad concupiscentiam aliquam inhiaueris, cogita quomodo hinc sis decessurus. Si cogitaueris, quòd dissoluendus es in terram, cessabit insana concupiscentia. Terra es, & in terram abibis. Recordare quod breui salientia illa, & inflammata membra, aut ipsa, quæ nunc est, carnis concupiscentia, non erit membris dissolutis, & in terram redactis. Memor esto, qua sis natura, & languescet omnis ad malum impetus. Ista recordatio nobis aduersus quoduis peccatum cautio sit, & custodia. Finxit Deus hominem puluerem è terra. Bona est humilitas, cognata, & ingenita est ista recordatio. Si dixisset, finxit deus hominem, sumpto è cælo materia, quando illum contemplati fuissemus, vt admoneremur nostræ naturæ? Adest nobis in promptu vilitatis nostræ admonitio, ex ijs videlicet, quæ pedibus calcamus. Ad terram despice, & cogita, quòd ex eo formatus es, qui terræ cognatus est, & vili conditione. Quid nobis contemptibilius? Quid dignius fieri poterit, quàm vt nos ipsos nihili fa-
D ciamus?

Est & hoc D. Basilij in eadem Homilia. Si ad naturam illius (hominis) tantum respexeris, nihil, nulliusq; momenti est homo: si vero ad honorē, quo diuinitus est cohonestatus, magnum quid est homo, &c. Gregorius Nyssenus irridet eos, qui ex eo declarant hominis præstantiam quòd sit μικρόκοσμος, minor, seu paruus quidam mundus. Ipse in eo omnem eius præstantiam sitam contendit, quod ad similitudinem dei procreatus. Lege cap. 17. de creatione hominis.

Existimat Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. poetas quoq; Gręcos, dum suos heroas nominant θεοειδεῖς, id est, deiformes, & δίους, id est, diuos, & ἀντιθέους, hoc est, deo æquales, & Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον, id est, consilio Ioui pares, & θεοῖς ἐναλίγκια μήδε' ἔχοντας, id est, quorū similis prudentia diuis, &
E θεοείκελος, id est, deo similes, circumrosisse (hoc enim verbo vtitur) id est, allusisse, quamuis nescientes ad illud, quod à Moyse dictum legimus, *ad imaginem, & similitudinem dei.*

IGNEVS EST OLLIS VIGOR, ET CÆL. ORIGO) Terent. Adelph. *Et seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud produxit scelus.* Quem ad locum Donatus, Bene, inquit, extinguerem, quia ignis est. Virgil. *Igneus est ollis vigor.* Et Heroës, quod Seruius monet in 1. Æneid. quia credebant igneam animam aquis extingui, id genus mortis impense horrebant. Democritus etiam, quo fortasse respicit, animam ignē statuit, seseq; maxima agilitate mouentē, & aliud. Arist. lib. 3. de anima. De origine animi nostri cōuenienter Virgilio Lucret. lib. 2.

Deniq;

Deniq; calesti sumus omnes semine oriundi: Omnibus ille idem pater est. Bellè conspirat cum Virgiliana sententia, quod scriptum lego apud Philonem comment. de Agricultura. Reuera omnis sapientis anima cælum habet patriam, in terra peregrinatur, & sapientiæ domum existimat suam, corporis verò alienam, cuius inquilina sibi videtur. Sed hæc *μεταφορικῶς* accipimus.

HINC METVVNT, CVP. DOL. GAVD.) Quas Græci appellant *εὐπαθείας*, latione autem Cicero constantias nominauit, Stoici tres esse voluerant, pro trib⁹ perturbationibus in animo sapientis, pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionē: pro ægritudine verò, vel dolore, quem nos vitandæ ambiguitatis gratia, tristitiā maluimus dicere, negauerunt esse posse aliquid in animo sapiētis. Voluntas quippe, inquiunt, appetit bonum, quod facit sapiens. Gaudium de bono adepto est, quod vtique adipiscitur sapiens. Cautio euitat malum, quod debet sapiens euitare. Tristitia porro, quia de malo est, quod iam accidit, nullum autem malum existimant accidere posse sapienti: nihil in eius animo pro illa esse posse dixerunt. Sic ergo illi loquuntur, vt velle, gaudere, cauere negent nisi sapientem. Stultum autem non nisi cupere, lætari, metuere, contristari. Et illas tres esse constantias, has autem quatuor, perturbationes secundùm Ciceronem, secundū plurimos autem passiones. Veruntamen apud optimos scriptores hæc verba indifferentia reperiūtur, & vtriusq; generis æquè in malo, & bono ponūtur. Volunt, cauent, gaudent & boni & mali: cupiunt, timent, lætantur & boni, & mali: sed illi bene, isti male, sicut hominibus seu recta, seu peruersa voluntas est. Ipsa quoq; tristitia, pro qua Stoici nihil in animo sapiētis inueniri posse putauerunt, reperitur in bono, & maximè apud nostros. Nam laudat Apostolus Corinthios, quod contristati fuerāt secundùm deum. Hæc ex Augustin. Ciuit. lib. 14. cap. 8. Vide etiam 3. Tuscul. M. Tullij.

CLAVSÆ TEN. ET CAR. CÆCO) Plato, *σῶμα ἡμῖν σῆμα*. Et Græci corpus *δέμας*, quasi *δεσμὸν* appellant. Vtrumque sentiunt melius, qui dissolui cupiunt, & esse cum Christo: quibus corpus hoc pro carcere, & catenis est, pro tenebris, pro sepulcro, pro morte. In quorum persona exclamat ille sanctus, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, &c. Multum incola fuit anima mea.

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes: penitusq; necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt. aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: alijs sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
QVISQVE SVOS PATIMVR MANES. exinde per amplum
Mittimur Elysium: & pauci læta arua tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretum exemit labem, purumq; reliquit
Ætherium sensum, atq; auraï simplicis ignem.
Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

SVPREMO LVM. VITA REL.) Cum supremum vitæ diem egerunt, cum eos dies cum vita defecit. Docemus alibi vocem *lumen* poni in significato diei: sicut sæpius tenebræ ponūtur pro nocte, cuius sunt propriæ, vt lux diei.

NEC FVND. OM. CORP. EXCED. PESTES) Huc referri possunt illa Ciceronis in somnio Scip. Namque eorum animi, qui se voluptatibus corporis dediderunt, earumque se quasi ministros præbuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum, & hominum iura violarunt, corporibus elapsæ circum ipsam terram volutantur, nec in hunc locum, nisi multis exagitatæ sæculis reuertuntur. De exagitatione ista, versibus infra sequentibus, *Ergo exercentur*, &c.

Occurrit tacitæ cogitationi. Ergo hac custodia liberatæ, rectà ad originis principia reuertuntur sordib⁹ purgatæ? Non, ait: nam anima patriæ suæ oblita, longo vsu exitum horret, corporisque sordibus immersa, propemodum in pecuinam naturā est transformata. Ag

C hora fatali cum emigrare velit nolit cogatur, per indignationem discedit. Immo ne post mortem quidem potest à corpore discedere: sed aut circa cadauer suum obuersatur, aut noui alicuius corporis captat domicilium &c. Vide Macrob. Corporeas pestes venustè vocat illas maculas animi, quas è corporis societate contraxit.

ERGO EXERCENTVR POEN. VET. MAL.) Hic fortasse quispiam dixerit, si est immortalis anima, quomodo patibilis inducitur, ac pœnæ sentiens? Si enim ob merita punietur, sentiet vtique dolorem, atque ita etiā mortē. Si morti non est obnoxia, ne dolori quidem. Patibilis igitur non est. Huic quæstioni, siue argumento à Stoicis occurritur. Animas quidem hominum permanere, nec interuentu mortis in nihilum resolui: sed eorum, qui iusti fuerunt, puras, & impatibiles, & beatas ad sedem cælestem, vnde illis origo sit, remeare, vel in campos quosdam fortunatos rapi, vbi fruantur miris voluptatibus: impios verò, quoniam se malis cupiditatibus inquinauerunt, mediam quandam gerere inter immor-

immortalem, mortalemque naturam, & habere aliquid imbecillitatis ex contagione carnis: cuius desiderijs, ac libidinibus addictæ, ineluibilem quendam fucum trahant, labemque terrenam: quæ cum temporis diuturnitate penitus inhæserit, eius naturæ reddi animas, ne si non extinguibiles in totum, quoniam ex deo sunt, tamen cruciabiles fiant per corporis maculam, quæ peccatis inusta, sensum doloris attribuit. Quam sententiam poeta his verbis explicauit. *Quin & supremo.* &c. Hæc propemodum vera sunt. Anima enim, cùm diuortium fecit à corpore, est, vt ait idem poeta, *Par leuibus ventis, volucriq; simillima somno.* Quia spiritus est, & ipsa tenuitate incomprehensibilis, sed nobis, qui sumus corporales, deo autẽ, cui subiacet, posse B omnia, comprehensibilis. Hæc ex Lactant. lib. 7. c. 20.

Audiendus est nobis etiam D. Augustinus Ciuitat. lib. 21. c. 13. Platonici quidem, quamuis impunita nulla velint esse peccata, tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel diuinis, siue in hac vita, siue post mortem, si aut parcatur hic cuique, aut ita plectatur, vt hic nõ corrigatur. Hinc est Platonis illa sententia, vbi, cum dixisset de terrenis corporibus, moribundisq; membris, quod animæ siuè metuant, cupiantq;, &c. secutus adiunxit: *Quin & supremo cum lumine vita reliquit*, id est, cum die nouissimo reliquit eas ista vita, *Non tamen omne malum*, &c. quæ deinceps septem versibus sequuntur. Qui hoc opinantur, nullas pœnas, nisi purgatorias volunt esse post C mortem, vt quoniam terris superiora sunt elementa, aqua, aer, ignis, ex aliquo istorum mundetur per expiatorias pœnas, quod terrena contagione cõtractum est. Aer quippe accipitur in eo, quod ait, *Suspensæ ad ventos.* Aqua in eo, quod ait, *sub gurgite vasto.* Ignis autem suo nomine expressus est, cum dixit, *Aut exuritur igni*, &c.

Credebant olim manes occisorum pauorem inijcere peremptoribus, si per vim, & insidias perempti essent: ideo piacula ad eos placandos adhibebant. Ideo autem istuc credebant, quia corporeis affectibus animas à corpore seiunctas, vt hoc loco poeta indicat, penitus destitui non putabant. Sed Theologi, & eorum D princeps D. Thomas quæst. 19. de anima, & mat. 2. de virtutibus, quæst. 4. & alibi, prodiderunt post mortem potestates sensitiuas aboleri, superesse vero in anima duntaxat, tanquam in principio, aut radice. Essentiam namq; animæ potentiarum esse radicem, ideoque eam irasci, & concupiscere posse, si iterum corpori indatur. Si ergo iam à corpore anima sit secreta, interfectori non succensebit, nec irascetur, quòd corpore careat, corde, & sanguine, in quibus iræ est officina, cum ira teste Aristot. sit accensio, vel feruor sanguinis circa cor. Magius lib. 3. cap. 5.

Pœnas dicit expiatorias, quibus expiatæ ad sua E principia remigrent puriores. Et tria potissimum enumerat pœnarũ genera, ignem, aquam, & ventum, quo nomine aerem intelligit. Vide Montfort.

QVISQVE SVOS PATIMVR MANES) Non eminentem in fronte sententiam suam, sed in recessu abditam, & in interius penetrale tectam continet hoc hemistichium. Ego sic intelligo. Cum infesti mortuorum manes viuis esse quibusdam censerentur, à quibus illi in vita læsi fuissent, & eos pœnis exagitare, vt est in 4.

Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus vmbra locis adero: dabis improbe pœnas.

Ouid. in Ibin.

A *Tunc quoq; factorum veniam memor vmbra tuorũ,*
Insequar & vultus ossea forma tuos.

Eodem quoque modo cum apud inferos supplicia, pœnasque luant animi, eos dici suos pati manes, vt quidam in vita à lemuribus, & laruis, vmbrisq; vexantur. Ausonius eodem modo locutus est Ephemeride. *tormentiq; sæua gehenna Anticipat, patiturq; suos mens conscia manes.* Turneb. lib. 22. cap. 1. Putat autem idem lib. 28. cap. 46. ista, *exinde per amplum Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus*, per interpositionem intercalata esse. Et illa, *Quisq; suos patimur manes*, cum his coniungi debere, *Donec longa dies*, &c. Seruius explicat manes, pœnas, & supplicia varia, quæ sunt apud manes.

ÆTHERIVM SENS. ATQVE AVRAÏ) Alludit ad Academicorum placita, qui singulares animorum naturas, quibus à mundi natura quartum assignabant locum, statis, ratisq; temporum curriculis, in superis locis consistere, & confectis orbis annorum periodis, corporum desiderio, vel fati necessitate ad generationem delabi censuerunt, & corporis contubernio, & colluuie inolescere, & oblimari. German.

LETHÆVM AD FLVVIVM) Poetæ cùm scirent hoc sæculum malis omnib⁹ redundare, obliuionis amnem induxerunt, ne malorum, ac laborum memores animæ reuerti ad superos recusarent. Quod eos velle, & supra Æneas mirabatur, *O pater, ánne aliquas*, &c. Ignorabant enim quomodo id fieri oporteret: itaque renasci eas putauerunt, & denuo ad vterum reuolui, atque ad infantiam regredi. Vnde etiam Plato de anima disserens, ex hoc ait posse cognosci animas esse immortales, atque diuinas, quod in pueris mobilia sunt ingenia, & ad percipiendum facilia, quod ea quæ discant, ita celeriter capiant, vt non tunc primum illa discere videantur, sed recognoscere, atque reminisci: in quo vir sapiens, poetis ineptissimè credidit. Lactant. lib. 7. cap. 22.

Idem philosophos de μετεμψυχώσει ita exagitat lib. 3. cap. 18. Alij autem contraria dixerunt, superesse animas post mortem, & hi sunt maxime Pythagorici, ac Stoici: quibus etsi ignoscendum est, quia verum sentiunt, non possum tamen non reprehendere eos, qui non scientia, sed casu inciderunt in veritatem. Nam cum timerent argumentum illud, quo colligitur necesse esse, vt occidant animæ cum corporibus, quia cum corporibus nascuntur: dixerunt non nasci animas, sed insinuari potius in corpora, & de alijs in alia migrare corpora, nisi videantur fuisse ante corpora. Par igitur, ac prope similis error est partis vtriusque. Sed hæc in præterito falsa est, illa in futuro. Nemo enim vidit, quod est verissimum, & nasci animas, & non occidere: quia cur id fieret, aut quæ ratio esset, homines nescierunt. Commentitia illa opinio de animarum traductione profecta à Pythagora, seu Orpheo, grauissimis testibus non caruit: & inprimis Platone, qui in Phædro, Phædone, Timæo, extremo de Repub. multa conspersit, quæ ex cœnosis huius μετεμψυχώσεως lacunis hausit: vnde limpidos suæ philosophiæ fontes conturbauit. Eademq; nota inustus fuit etiam Empedocles, qui se aliquando puerum, puellam, fruticem, auem, tum etiam piscem fuisse asseuerauit. De hac animarum immigratione in varia corpora Ennium cecinisse testatur Lucretius lib. 1. *An pecudes alias diuinitus insinuet se, Ennius vt noster cecinit.* Qua quidem opinione imbutus, Homeri animam in se aduolasse scripserat. Sic enim Horatius lib. 2. epist. *Ennius & sapiens, & fortis, & alter*

aliter Homerus, &c. Hæc strictim ex Hieronym. Colum. explicationibus in fragmenta Annalis 1. Enniani. Vide ibidem plura, si est animus.

Bibebatur duplici de caussa aqua Lethæi fluminis: tum vt obliuiscerentur animæ illarum deliciarum, quibus fruebantur in campis Elysijs: tum etiam, vt fierent immemores earum molestiarum, quas antè in vita pertulissent: quarum rerum si perdurasset memoria, nemo reperiretur, qui vellet reuiuiscere: aut qui, cùm primùm posset, non vel sibi ipse manus inferret: sed hoc quò minus fiat, natura repugnat: alterum deos iubere dicebant. Quis enim eorum, qui mortui sunt, vellet, si posset, in hanc vitam plenam molestiarum redire, in tot animi perturbationes, corporisq; incommoda, nisi grauissimis supplicijs apud inferos vrgeatur? Nam quanto diuturnior est hominum vita, tanto fit maior incommodorum cumulus. Sunt filiorum, amicorum, propinquorum mortes, facultatũ iacturę, honorum repulsæ, infamia, morbi, vulnera, discordiæ, lites, quæ tanto plura videre necesse est, quanto diutius viuas. Natal. Comes lib. 3. cap. 20.

Dixerat Anchises: natumq;, vnaq; Sibyllam
Conuentus trahit in medios, turbamq; sonantem:
Et tumulum capit, vnde omnes longo ordine possit
Aduersos legere, & venientum discere vultus.
Nunc agè, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustres animas, nostrumq; in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.

CONVENTVS TRAHIT IN MEDIOS) Conuentus quatuor modis intelligitur. Vno, cum quempiam hominem ab aliquo conuentum esse dicimus: altero, cum significatur multitudo ex compluribus generibus hominum contracta in vnum locum: tertio, cùm à magistratibus iudicij caussa populus congregatur: quarto, cum aliquem in locum frequentia hominum, supplicationis, aut gratulationis caussa colligitur. Festus.

TVRBAMQVE SONANTEM) Sic de animis, & manibus loquitur, quos stridere etiam dicit Homerus: ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο. Seruius autem turbæ perpetuum ait esse epitheton. Aut puta animas sonare dictas, propter festinationem. De Harpyiis in 3. *Turba sonans prædam pedibus circumuolat vncis.*

ADVERSOS LEGERE) ante oculos positos circumlustrare.

NVNC AGE DARDAN. PROLEM) Redintegrat docilitatem, qua, quid nunc eum sit edocturus, proponit. Sunt autem potissimùm tria: posteritas, posterorum laudes virtusq;, & fata Æneæ de bellis ingruentibus. Montfortius.

Quomodo Maro saluo decoro, & fide historica sub persona Anchisæ Romanorum animas recensere, designare, & indicare Æneæ potuit, qui necdum nati essent, cum absurdum videatur, Romulum, aut Numam apud inferos demonstrare, qui nec in humanis, nec genitura adhuc vlla fuerint? Fortasse poeta à parte nostri meliore, anima scilicet, indiuidua denominauit, non à corpore, & eum Platonis in Phædone locum imitatus est, vbi ζῆν, & τεθνάναι opponit, mutuoque se consequi docet, animosq; ex disciplina Pythagoræ vices alternare, & varia sortiri corpora, hinc ex superis ad inferos migrare, in alia corpora temporis interuallo aliquo remigraturos: vt mirum non sit, si Anchises fatorum peritus filio aperuerit, quæ, quibus personis, & nominibus deuotæ, destinatæq; iam tum essent apud inferos animæ. Locus autem Platonis sic habet. παλαιὸς μὲν οὖν ἐστί τις λόγος, &c. Recolendum autem id, quod prius paulo, Maro ex decretis Pythagoræ dixit, *animæ quibus altera fato Corpora debentur.* German.

Ille (vides?) pura iuuenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca: primus ad auras
Ætherias Italo commistus sanguine surget
Syluius, Albanum nomen, tua posthuma proles:
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux
Educet syluis regem, regumq; parentem:
Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.

PVRA IVVENIS QVI NIT. HASTA) Hastam puram Donatus, Seruius, & cum eis Rhodigin. lib. 21. cap. 16. atque etiam Turneb. lib. 29. cap. 1. & Lipsius de Milit. lib. 5. dial. 17. qui est de præmijs militaribus, interpretantur, sine ferro, quod fuerit præmium apud maiores, eius, qui tunc primùm vicisset in prælio, sicuti scriptum in libris de gente populi Rom.

Melius, opinor, Lipsius ex Polybio, non ob facinus in legitima, & communi pugna (cuius enim manus ibi torpeant?) sed si quis extra ordinem, aut in singulari pugna eiusmodi facinus ediderit, eum donari hasta. Festus, Romani viros fortes sæpe hasta donarunt. Cato apud eundem, hastas donaticas, aliosq; honores. Pergit Lipsius. Istæ sine ferro erant, eoque puræ Latinis dictæ: sicut argentum purum, cui nihil insculptum: vestis pura, cui nihil è purpura attextum. Sueton. Claudio. Quem Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donauit. Propert. lib. 4.

Sed tua sic domitis Partha telluris alumnis,
Pura triumphantes hasta sequatur equos.

German. in Comment. Hasta pura est ἄναιμος, καὶ ἀναίμακτος λόγχη: eplicandum proinde, incruenta. Pro-

per

pert. *Sed tua sic domitis*, &c. hoc est, innoxia, & incruenta. Dehortatur siquidem Lycotam puella à certaminis discrimine, & alea. Antiquis pura hasta, & parma alba, insignia, indiciaque tyronum. * *Sed si erat insigne tyronum, cur non sine ferro? Cecinit palinodiam in Paralipom. & cum Seruio, Turneboq; maluit exponere, pura, id est, sine ferro.*

Adde adhuc ex Turnebo, vnde profecit etiam Lipsius. Locus purus apud architectonicos scriptores, non ædificatus, vt area. Columellæ purum solum est, sine herba, opponiturq; graminoso, & nouali: sic enim ait lib. 6. ille quam maximè subacto, & puro solo gaudeat, hic nouali, graminosoque. Lana pura, purgata, quæ soloci opponitur. * *Memoratu dignū profectò, quod de Sicinio Dentato Plinius scriptum reliquit, hastis puris vigenti donatum.*

SYLVIVS ALBANVM NOMEN TVA POSTHVMA PROLES) Nomen Albanum hic pro viro, seu homine Albano ponitur: quæ quidem phrasis de Græcorum fontibus profluxit. Sic enim Aristides inter cæteras caussas, cur duas reipub. species enumerasset. *τρίτον ὄνομα δημοκρατία τοῦτο, καὶ χείριστ᾽ ἀγομένη.* Similiter in Diris dixit, *& felix nomen agelli*. Tibullus item, *nec fidum fœmina nomen*. Ausonius quoq; nomen Iberum dixit vrbem Emeritam, & se ipsum, in Mosella, nomē Latium. Nec aliter est intelligendū, quod apud Horat. 3. Carm. inquit Europa, *pater ô relictum Filiæ nomen*. Quod cum non animaduertissent quidam, nomen aliquando in numen commutarunt. Ouid. quoque epist. Ariadnes eadem figura dixit.

Nam pater, & tellus iusto regnata parenti
Prodita sunt facto, nomina chara, meo.

Quin etiam Hebræis hæc periphrasis est familiaris. Eorum quidem Grammatici, deum κατ᾽ ἐξοχὴν nomen vocant. Canter. lib. 1. cap. 10. * *Seruius tamen vulgari intellectu, quia, inquit omnes reges Albani deinceps ab eo Syluij dicti sunt. Testis accedat Liuius, cuius hæc sunt lib. 1. Syluius deinde regnat, Ascanij filius, casu quodam in syluis natus. Is Æneam Syluium creat: is deinde Latinum Syluium. Mansit Syluius postea omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt.*

Non videntur hæc conuenire. Nam si hic Syluius, vt est in veteribus annalibus, post mortem patris natus est, ob eamq; caussam prænomen ei impositum hoc fuit, qua ratione subiectum est: *Quē tibi longæuo serum Lauinia coniux Educet syluis?* Hæc enim verba significare videri possunt, Ænea viuo, ac iam sene, natum ei Syluium, & educatum. Cesellius Vindex ita locum explicabat. Posthuma proles non eum significat, qui patre mortuo, sed qui postremo loco natus est, (vt scribas postumus, sine aspirationis nota) sicut Syluius, qui Ænea iam sene, tardo, seroque partu est editus. Verùm huius historiæ nullum idoneum auctorem nominat. Syluium porrò post Æneæ mortem, vt diximus, natum multi tradiderunt. Apollinaris Sulpitius, quia ita scriptum esset, *Quem tibi longæuo*, non autem, *seni*, sic explicabat, conuenienter historiæ, tibi in longum iam æuum, & perpetuum recepto, immortaliq; facto. Anchises enim, qui hæc dicit filio, sciebat eum, cum ab hominum vita discessisset, immortalem indigetem futurum, & longo, perpetuoq; æuo pot[iturum]. Hoc sanè Apollinaris argutè. Sed aliud tamen est longæuum, aliud perpetuum. Neq; dij longæui appellantur, sed immortales. Gellius lib. 2. cap. 16.

Facit iniuriam Sulpitio Gellius, & Virgilium indefensum relinquit. In longæuo namque etiam perpetui notio inest aliquando: ipsiq; dij longæui dicuntur. Æschylus in septem ad Thebas, *Δαίμοσιν ἐχθρὸν ἄγαλμα βροτοῖσί τε δυσθνήτοις θνοῖσιν.* Id est, Inuisum manibus signum, mortalibusque, & longæuis dijs. At Æschylus poeta Græcus est. Quasi verò Virgilius à græco fonte multa rerum vocabula non detorserit, idq; permissum nō doceat Horatius in arte poet. Ianus Parrhasius epistol. quæst. epist. 34.

Si quis vtriusque sententiam, Cesellij, & Apollinaris diligentiùs perpendat, inquit Canterus lib. 7. cap. 10. maiora reperiet à Ceselliana, quam ab altera rationum momenta stare. Nam quæ huius vocis *posthumus*, etymologia traditur, locum in latina lingua nullum habere potest: idq; cum alijs de caussis, tum quod veteres non posthumus, sed postumus dixerint, quemadmodum ex antiquis monumentis constat. Et illud Horatianum, Posthume Posthume, emendatius habetur in manuscriptis Postume Postume. Deducitur autem postumus a præuerbio post, velut ab extra extumus, à citra citumus. Quocirca rectè Syluius postuma, seu postrema proles (quæ & proculus vocabatur, si Paulo, & Festo credimus) dicitur, quod vltimo loco natus sit. Quanquam porro minus vsitatum in ea notione verbum hoc videri possit, non tamen est adeò latinis auribus ignotum. Vsus Tertullianus, diligens antiquitatis inquisitor, lib. contra Gnosticos. Nam de scorpio loquens, ait, cauda erit, quodcunque de postumo corporis propagatur, & verberat. Præterea non hoc solum extat in Virgil. rarum vocabulum. Quod autem ex historia obijcitur, Syluium post Æneæ mortem natum, faciunt ineptè, qui à poeta, quasi à teste (vt aiunt) veritatem requirunt: nec id meminerunt, historicæ fidei poeticam libertatem fortiter opponi posse. Iam vero quòd addit Virgil. *longæuum*, & *serum*, ea duo verba sententiam nostram omnino confirmant. Cui enim longæuo nascitur filius, is auo vtique nascitur. Nam quod Apollinaris longæuum exponebat indigetem, atque immortalem, id est tam absurdum, quàm quod maximè: quemadmodum nec ipse Gellius dissimulat. Seri porrò vocabulum solet ijs tribui, quos Græci *τηλυγέτους* vocant, & qui senibus parentibus, vel auis nascuntur. Catull.

Nam neq; tam carum confecto ætate parenti
Vna caput, seri, nata, nepotis alit.

Ausonius Protreptico. *pappos, auiasq; trementes Anteferunt patribus seri noua cura nepotes.* Quare cū nec postumus, & serus filius, nec longæuo patri, nisi viuo nascatur, non videtur cur postuma proles dici Virgilio non debeat ea, quam Æneas extremo vitæ tempore postremam ex vxore susceperit. Negare tamen nolo, postumos vocari etiam eos, qui post mortem patris nascuntur: sed vt postremò (mortuus enim nihil procreat ampliùs) non vt post humatum patrem editos. Nam cum effœtus mortuo, quantum ad generationem, cōparetur: æquè potest vtriuis natæ proli postumi nomen conuenire.

Postumus censetur, scribit Turneb. lib. 18. cap. 1. etiam qui post factum testamentū natus est, etiam viuo patrefamilias. Sed & qui post alios liberos, vltimusq; gignitur, quod hic accipiendum censeo. Sequitur enim explicatio, *Quem tibi longæuo*, &c. Atque hanc sententiam meam confirmat eruditissimus poeta Ausonius epist. 17. ac postumum explicat supremum.

Vt quondam in alba montibus
Supremus Æneæ satus.

Sanè in iure ciuili, ait Alciatus Parerg. lib. 8. cap. 13. propriè accipitur posthumus pro eo, qui post humationem patris natus est, quod & Plautus in Aulularia sentit.

Qui post mediam ætatem ducit vxorem domum
Si eam senex intra annũ pregnantem fortuito fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratũ nomẽ puero posthumus?

Non tamen negauerim, eum postumum dici, qui postremo loco natus est, post conditum patris testamentum, &c.

LONGÆVO SERVM) Philo lib. de Abrahamo. Serò natos, inquit, parentes impotentiùs adamant, vel quia diu desideratos: vel quia nullam prolem sperant A postea, natura iam effœta: quippe quæ extremum attigerit terminum.

EDVCET SYLVIS) Liuius lib. 1. Syluium hunc facit Ascanij filium, Æneæ nepotem, casu quodam in syluis natum, & ideo sic appellatum. Virgilius vult ipsomet Ænea iam sene progenitum. Quo pacto autem in syluis eum mater ediderit, & quomodo Ascanio in regno Albano successerit, cum ille tamen filium sustulisset Iulum, discendum ex Dionysio lib. 1.

Proximus ille Procas Troianæ gloria gentis:
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddet
Syluius Æneas, pariter pietate, vel armis
Egregius, si vnquam regnandam acceperit Albam.
Qui iuuenes quantas ostentant, aspice, vires.
At qui vmbrata gerunt ciuili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum, & Gabios, vrbemq; Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces:
Pometios, Castrumq; Inüi, Bolamq;, Coramq;.
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.

PROXIMVS ILLE PROCAS) Regum Albanorum series videatur apud Liuium, & Dionysium. Procas hic Syluio proximus intelligendus est in campis Elysijs: ætate enim ab eo multum distitit, decimus tertius videlicet, aut decimus quartus ab eo. Procas fuit pater Numitoris, Numitor auus Romuli, & Remi. Ex Proca igitur non ita remotè orti sunt, cum eorum fuerit proauus, quem Troianæ gentis gloriam vocat, quoniam eius nepotum sanguine ea vehementer illustrata est. Virgilius in enumerandis Albanorum regibus ordinem temporum neglexit. Nam Syluius Æneas secundum genealogiam Liuianam, Ascanij nepos fuit.

QVI IVVENES QVANTAS OSTENT. ASP. VIR.) Clausula huius narrationis: nihil enim memorabile ab Albanis regibus gestum, quamobrem in eorum catalogo recensendo immoretur. Obiter ergo quædã monumenta à diuersis posita, vrbes, & arces nominat, quarum tempora ideo dicit querna corona fuisse vmbrata, quia cum vrbes illas condiderint, & muniuerint, ciues suos quodammodo ab hostiũ incursantium manibus liberarunt. Montfort. Nascimb.

VMBRATA CIVIL. TEMP. QVER) Statius Thebaid. 6.

———*prior omnibus Idas*
Nuper Olympiacis vmbratus tempora ramis
Protulit.

Ciuica, dicendum erat, pro, ciuili. Contrà Horatius ciuicum motum, pro ciuili bello dixit.

Motum ex Metello consule ciuicum,
Belliq; caussas, & vitia, & domos, &c.

B Ciuilis autem quercus, est ciuica corona, quam ciuis ciui, à quo seruatus est in prælio, hoste simul occiso, testem vitæ, salutisque perceptæ dat. Et fit è fronde querna, quoniam cibus, victusq; antiquissimus quercus capi solitus sit. Cur ob caussam dictam hoc coronę genus daretur, Plutarch. Quæstion. Rom. quæst. 92. has caussas adducit. Vel quod vbique copia in expeditionib' est quercus. Vel quia Ioui & Iunoni sacra est ista corona, quib' dijs vrbium tutelam adsignant. Vel quia prisca est hæc Arcadum consuetudo, quibus aliqua est cum quercu cognatio. Primi enim hominum è terra nati creduntur, sicut quercus inter stirpes prima. Fit etiam ex ilice, quod genus superiori proximũ est: sicuti scriptũ est in quadam comœdia Cæcilij. *Aduehuntur,* C inquit, *cum lignea corona, & chlamyde, dij vestram fidem.* Vide plura apud Gellium lib. 5. cap. 6. De coronarum militarium generibus, si lubet, vide Alex. ab Alexand. cum Tiraquello, lib. 4. cap. 18. Lipsium de Milit. Rom. lib. 5. dial. 17. qui etiam adducit versus Claudiani è 3. de laud. Stiliconis.

Mos erat in veterum castris, vt tempora quercu
Velaret, validis fuso qui viribus hoste,
Casurum potuit morti subducere ciuem.

Plin. lib. 16. cap. 4. in cuius extremo hæc leguntur de corona querna, eademq; ciuica. O mores æternos, qui tanta opera, honore solo donauerint, & cum reliquas coronas auro commendarent, salutem ciuis in pretio esse noluerunt: clara professione, seruari quidem hominem nefas esse lucri caussa.

Quin & auo comitem sese Mauortius addet
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. viden' vt geminæ stent verticẽ cristæ?
Et pater ipse suo superûm iam signet honore?
En huius, nate, auspicijs illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit olympo:
Septemq; vna sibi muro circundabit arces,
Fælix prole virûm: qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes,

Læta

Læta deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cælicolas, omnes supera alta tenentes.

VIDEN' VT GEM. STENT VERT. CRISTÆ?) Horat. Ode 2. Epod. *vt gaudet insitiua decerpens pyra?* Terent. Heautont. *Eia vt elegans est?* Horat. Ode 11. lib. 1. *Vt melius, quicquid erit pati?* subaudi, est. Catull. *Iupiter, vt tersti lumina sæpe manu?* Tullius ipse sæpius sic loquitur. Vt efferuntur lætitia, cum vicerint? Vt pudet victos? Vt se accusari nolunt? Vt cupiunt laudari? lib. 5. de finib. Cn. autem noster (ô rem miseram, & incredibilem) vt totus iacet: 7. ad Att. In his, & similibus, particula, vt, comparationem significat, posita pro, quam, vel, quantò, & desiderato substantiuo.

ET PATER IPSE SVO) Quasi diceret, Viden' vt Mars ipse Romuli pater filium iam superûm, & deorum numero adscriptum suo honore, & diuinitatis, & cognominis faciat insignem? Diuinitatis quidem, vt diuini honores illi tribuantur, vt templum illi condatur, flamen creetur, dies festus instituatur. Cognominis vero, vt non secus, ac pater, Quirinus posteris nominetur, & loca publica Mons, & Porta inde appellentur. Mars autem Quirinus dicitur Varroni lib. 4. de lingua latin. Seruio hoc ipso lib. & alijs. Paulus Merula in Frag. Ennij.

De apotheosi Romuli, hæc Liuius lib. 1. His immortalibus editis operibus, cum ad exercitum recensendum concionem in campo ad Capræ paludem haberet, subitò coorta tempestas, cum magno fragore, tonitribusque, tam denso regem operuit nimbo, vt conspectum eius concioni abstulerit: nec deinde in terris Romulus fuit. Romana pubes sedato tandem pauore, postquam ex tam turbido die, serena, & tranquilla lux redijt: vbi vacuam sedem regiam vidit: etsi satis credebat Patribus, qui proximi steterant, sublimem raptum procella: tamen velut orbitatis metu icta, mœstum aliquandiu silentium obtinuit. Deinde à paucis initio facto, deum deo natum, regem, parentemque vrbis Romanæ salutere vniuersi Romulum iubent: pacem precibus exposcunt, vti volens propitius suam semper sospitet progeniem.

ILLA INCLYTA ROMA) Adi lib. 1. vbi illustratur hic versus, *Romanos rerum dominos*, &c. lib. 7. *nunc maxima rerum Roma colit.* Item Ecloga prima illum, *Verum hæc tantùm alias inter caput extulit vrbes.* Sed pergratum me, cum omnibus elegantiorum studiorū cultoribus, tum præcipuè græcæ linguæ deditis facturum opinor, si Erinnæ Lesbiæ, poëtriæ nobilissimæ grauem sane Odam de laudibus Romæ hic attexuero, in qua cernas vtrumq; pulcherrimè cantari, & imperij magnitudinem, & prolem Martiam, quam & in primo significauit Iupiter illis, & *Mauortia condet Mœnia.* Est autē Erinnæ poetriæ illius, quæ sub Pompeij, aut circiter æuum floruit, vt credit Lipsius lib. 1. de Magnitud. Rom. cap. 2. cuius etiam interpretationem subnectemus.

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος.	*Filia ô Martis, mihi Roma salue,*
Χρυσεομίτρα, δαΐφρων ἄνασσα.	*Aurea Regina decora cultu,*
Σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς ὄλυμπον	*Quæ velut terra stabiles olympi*
Αἰὲν ἄθραυστον.	*Incolis arces.*
Σοὶ μόνᾳ πρέσβειρα δέδωκε μοῖρα	*Nam dedit soli tibi cana Parca*
Κῦδος ἀῤῥήκτω βασιλῆον ἀρχᾶς.	*Regiū sceptrū, minime atteren-*
Ὄφρα κοιρανῆον ἔχοισα κάρτος	*Vt potēs rerū dominerīs vna, (dū*
Ἀγεμονεύῃς.	*Imperitesq;.*
Σᾷ δ' ὑπὸ ζεύγλᾳ κρατερῶν λεπάδνων	*Ad tuū currū, retinente frenu,*
Στέρνα γαίας, καὶ πολιᾶς θαλάσσας	*Colla telluris, tumidiq; ponti*
Σφίγγετ'. σὺ δ' ἀσφαλέως κυβερνᾷς	*Illigas, & tu populos gubernas*
Ἄστεα λαῶν.	*Firma per æuum.*
Πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰὼν	*Ipsa, quæ gaudet variare cūcta,*
Καὶ μεταπλάσσων βίον ἄλλοτ' ἄλλως,	*Resq; transformans hominū, (vetustas.*
Σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς	*Spirat hac vni tibi semp auraā à*
Οὐ μεταβάλλει.	*Puppe secundam.*
Ἦ γὰρ ἐκ πάντων σὺ μόνα κρατίστους	*Denique in cūctis populis valentē*
Ἄνδρας αἰχμητὰς μεγάλους λοχεύεις,	*Procreas bellis sobolē, vtq; lam*
Εὔσταχυν Δάματρος ὅπως ἀνεῖσα	*Surgit è terra seges, ipsa abūdas*
Καρπὸν ἀπ' ἀνδρῶν.	*Fruge virorum.*

SEPTEM CIRCVND. ARCES) Montes dicuntur ab alijs, ab Horatio in carmine sæculari, colles: vocat nihilominus ibidem arces. Sunt autem Palatinus, Quirinalis, Auentinus, Cælius, Viminalis, Esquilinus, Ianiculus, propter quas septemgemina nonnunquam dicitur.

QVALIS BERECYNTH. MAT. INVEHITVR) Lib. 9. *Ipsa deum fertur genitrix Berecynthia magnū Vocibus hæc affata Iouem.* Ibid. *Tympana vos, buxusq; vocat Berecynthia matris Idææ.* Lib. 3. dicitur mater cultrix Cybele: ab alijs Dyndimene, vt à Catullo, & Horatio. Item Cybele, & magna mater, & deûm mater. Eandem dixerunt esse Tellurem, quare eam turritā vocat Virgilius. Huius mythologiam persequitur in 2. Lucret. ad istū modum.

Quare magna deûm mater, materq; ferarum,
Et nostri genetrix hæc dicta est corporu vna.
Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetæ
Sublimem in curru biiugos agitare leones:
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neq; posse in terra sistere terram.
Adiunxere feras: quia quamuis effera proles
Officijs debet molliri victa parentum.
Muraliq; caput summum cinxere corona:
Eximijs munita locis quòd sustinet orbes.
Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem, Phrygiasq; cateruas
Dant comites, quia primùm ex illis finibus edunt,
Per terrarum orbem fruges cœpisse creari.
Gallos attribuunt, quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inuenti sint,
Significare volunt indignos esse putandos.
Viuam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circùm
Concaua, raucisonoq; minantur cornua cantu:
Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentes:
Telaq; præportant violenti signa furoris:
Ingratos animos, atq; impia pectora vulgi
Conterrere metu quæ possint numine diuæ.

Et quæ sequuntur.

LÆTA DEVM PARTV, CENT. COM. NEP.) Fœcunditatē Romanorū prolem non cum fœcunditate prolis Berecynthiæ comparat: esset enim iniqua comparatio: sed ostendit vrbem Romam ita lætari multitudine ciuium suorum, vti Cybele filiorum suorum fœcunditate gaudet. Nascimb.

OMNES COELICOLAS) οὐρανίωνας, οὐρανίδας.

SVPERA ALTA TENENTES) ὀλύμπια δώματ' ἔχοντας.

Huc geminas nunc flecte acies: hanc aspice gentem,
Romanosq; tuos. hic Cæsar, & omnis Iuli
Progenies, magnum cæli ventura sub axem.
HIC VIR, HIC EST, tibi quem promitti sæpius audis,

Augustus Cæsar Diuûm genus: AVREA CONDET
SÆCVLA QVI RVRSVS Latio, regnata per arua
Saturno quondam: super & Garamantas, & Indos
Proferet imperium. iacet extra sidera tellus,
Extra anni, solisq; vias, vbi cælifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Huius in aduentum iam nunc & Caspia regna
Responsis horrent diuûm, & Mæotica tellus,
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec verò Alcides tantum telluris obiuit,
Fixerit æripidem ceruam licet, aut Erymanthi
Placarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu:
Nec qui pampineis victor iuga flectit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.
ET DVBITAMVS ADHVC VIRTVTEM EXTENDERE FACTIS?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

HIC CÆS. ET OMNIS IVLI PROGEN.) Descripta vrbe, eiusque fælicitate propter virtutem tot illustrium virorũ, comparatione amplificata, primo locò principes maximarum rerum auctores celebrat, hoc est, Cæsarem Dictatorem, & Augustum, idque duplicem ob caussam: tum vt Iulij progeniem spectandam obijciat, tum vt principi suo aduletur, sub quo imperiũ P.R. erat longè amplissimum. Neque obstat quidquam, quòd postremos serie in prima statim acie ponat. Nam laudato vrbis conditore, rectum fuit, & decorum, vt monarchæ amplissimi imperij cum eo coniungerentur. Quin & illud addendum est, si series regum, & clarorum imperatorum seruanda fuisset, ipsa narratio lectorem ad Cæsarum laudes suspensum teneret: & legendis præcedentium encomijs fessum, minus ad postremorum laudes affectum versaret. Montfortius.

AVGVST. CÆS. DIVVM GEN.) Antiqui honore numismatũ decorabãtur, qui vel doctrina, vel imperio excellerent. De Homero à Chijs, Sapphone à Mitylenęis Virgilio à Mantuanis sic honorato alibi dictũ est. Plurium vero Principũ imagines per huiuscemodi monumenta innotuere, neque nummis tantum, verum etiam gemmis expressæ. Octauianus Augustus nummum cudit, in quo singula ex vtraque parte capita, atque ea quidem pulcherrimè elaborata. Eorum alterius inscriptio est. DIVVS IVLIVS: alterius, AVGVSTVS DIVI F. Quam quidem inscriptionem multis alijs in monumentis vsurpauit, vt in lapidibus, qui ruinarum iniuriam effugerunt, passim Romæ legitur. Cui vt abblandiretur Maro, Diui eum genus appellauit. In antiquissimis enim Romanæ bibliothecæ codicibus habetur, AVGVTVS CÆSAR DIVI GENVS. Pierius lib. 32.

SVPER ET GARAMANTAS ET IND. PROF. IMP.) Prorsus arbitror Silium lib. 8. cum vnum post hominũ memoriam eloquentissimum Ciceronem plenis buccis prædicare vellet, hunc locum de Augusto, qui complexurus esset imperio suo ipsos orbis terminos, animo agitasse, & eum in re longe alia æmulatum esse. Versus ita sonant.

Ille super Gangem, super exauditus & Indos
Implebit terras voce, & furialia bella
Fulmine compescet lingua, nec deinde relinquet
Par decus eloquij cuiquam sperare nepotum.

Quod ait, *proferet imperium*, sic apud Ouid. Metamorph. lib. 5. Venus Cupidini, *cur non matrisq́, tuumq́, Imperium profers?* Sic Tacitus lib. 1. Bellum ea tempestate nullum, nisi aduersus Germanos supererat, abolendæ magis infamiæ, ob amissum cum Quintilio Varo exercitum, quàm cupiditate proferendi imperij. Liuius lib. 38. alio modo loquitur. L. Scipio regem opulentissimum orbis terrarum deuicerit, imperium populi Romani propagauerit in vltimos terrarum fines.

IACET EXTRA SID. TELLVS) Nulla tellus est, quæ non subiacet sideribus: vnde peritè addidit, *Extra anni, solisq́, vias*, vt ostenderet duodecim signa, in quibus est circulus solis. Significat autem Maurorum Æthiopiam, vbi est Atlas, de qua ait Lucan.

Æthiopumq́, solum, quod non premeretur ab illa
Signiferi regione poli, nisi poplite lapso
Vltima curuati procederet vngula Tauri.

Seruius, Donatus.

Quid tum portò, si quædam tellus iacet extra sidera, extra anni, solisque vias? &c. subaudiendum vtique, quod antecedit, nempe, eò quoque, sicut super & Garamantas, & Indos Augustum Cæsarem prolaturum esse imperium. Quin etiam (vt sequitur) Caspia, & Scythiæ, & Ægypti regna, disiunctissimas, & remotissimas terras in ditionem suam redacturum. Nec videtur Virgilius ordinem in his locis, vt viciniora, & notiora nobis prius appellaret, seruare debuisse (Mauritania siquidem propior nobis est, quam India.) Licuit enim, vt poetę, non vt geographo, confusius loqui: cum hoc vnum ei propositum esset, latitudinem, & magnitudinem imperij Augusti futuram ostendere, quod remotissimis, & minus remotis locis nominandis est assecutus. Verum enim vero super his versibus, *Iacet extra sidera tellus, Extra anni, solisq́, vias*, &c. vir litterarum, litteratorumque cupidissimus, & inclytæ familiæ suæ flos, ac lumen M. Velserus quippiam nouum ingeniosè commentatus est, & mihi id in quęstione posuit: quod ipsum ego dissoluendum eruditioribus proponam, aliud enim quam quod dixi, non occurrit: vtar autem eiusdem verbis.

Quæro igitur, inquit, quis horum versuum sensus. Veteres enim interpretes, cum recentes non viderim

rim, ieiunè in ijs versati. Seruius Maurorum Æthiopiā explicat, vbi est Atlas. Verùm Virgilius paullò antè Garamantas, & Indos remotissimos nominauerat: quid sit ergo, cur tanto deinde hiatu, & tam grandi præloquio Atlantem proximiorem, longeque notiorem subiungat? Præterea, quòd inepta est ratio, quam adducit Seruius, cur Atlas extra solis vias situs dicatur, neque ei comprobandæ Lucani carmen rectè acceptum facit. Aliquanto aptius, opinor, Donatus. Vult esse vlterius aliquid poeta, quod sol nesciat, & mundus excludat, vbi est, inquit, Atlas baiulus cæli. Quænam verò ista sit tellus, adhuc quærendum. Mihi vix dubium, Virgilium vndiquaque doctissimum, & Platonis valde studiosum, Atlanticas ex Timæo, & Critia fabulas habuisse in animo. Et quidni illic cæliferum Atlantem statuat, vbi Plato montes locat magnitudine, & pulchritudine supra omnes huius orbis? Quanquam, vt hoc etiam priuatim non respexerit, credibile est, eum & Insulæ, & Oceani Atlantici nomen hac circumlocutione significasse. Sed cur extra sidera? Poetica illa amplificatio, vt auditorum cogitationes attolleret. Sic nescio quis ad Claudium Cæs. victa Britannia,

Illa procul nostro semota, exclusaq́, cælo,
Alluitur nostra victa Britannus aqua.

Item, *Sol citra nostrum flectitur imperium.* At Plato Atlanticam insulam iam olim eluuione aquarum mersam scripsit. Poeta, vt mihi videtur, id argumentum nihilominus ad ornatum sui operis transferre potuit. Deinde, vt Atlantica perierit, non perierunt reliquæ insulæ, ad quas ex Atlantica, neque item continens, ad quam ex insulis nauigatio, vt apud hūc ipsum Platonem est. Omnino apparet, non ex Platone tantùm, sed plerisque etiam alijs, tenuem aliquam famam de nouo orbe, quem dicimus, auorum memoria reperto, ad veteres antiquissimis temporibus permanasse. Quò facit insula à Carthaginensibus reperta, cuius meminit Arist. siue Theophrast. de mirabil. auscult. Sileni fabula, quam Ælianus lib. 3. cap. 18. Variæ hist. ex Theopompo narrat. Et magna denìq; continens Plutarchi, in libello de facie orbis lunæ. Neque existimo ambigendum, Virgilium eò trahendum.

AXEM HVM. TORQ.) Ad cæli reuolutionem respexit, cum ait *torquet*, quod facile intelligitur ex Ennij versu, vnde hic factus. *Qui cælum versat stellis fulgentibus aptum.*

STELLIS ARDENTIBVS APT.) quòd ardere videantur, aut quod secundum quosdam igneæ naturæ sint. Ennius Annali 10. *Aut nox processit, stellis ardentibus apta.* Lucret. lib. 5. de veste. *Purpurea atq; auro, signisq́, ingentibus apta.* His omnibus locis libenter se lecturum ait Hieron. Colum. in Annal. Ennij *haptum* cum nota videlicet aspirationis, pro *aptum*, hoc est inflammatum, & incensum, ab ἅπτω accendo: tum quod Ennius non infrequenter græcis vocibus vsus est: tum etiam Pierij testimonio, qui eam vocem in peruetusto Virgilij exemplari hoc modo scriptam reperisse affirmat. Seruius eam ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι coniunctum & vicinum, interpretatur.

ET CASPIA REGNA) Caspij, & Scythæ horrent responsis diuûm, id est, consternati sunt, prænuntiato sibi iam ab oraculis aduentu Augusti, à quo in potestatem redigantur.

ET SEPTEMG. TVRB. TREPID. OSTIA NILI) De Nilo Catull. *Siue qua septemgeminus colorat Æquora Nilus.* Virgil. centumgeminum Briarea, à centum manibus, & tergeminum canem Cerberum, à tribus capitibus dixit. Multa huius generis poetæ.

A De ostijs huius fluminis Seneca Natural. lib. 4. cap. 2. his verbis. Sic quoque cum se ripis continet Nilus, per septem ostia in mare emittitur: quodcunque elegeris ex his, mare est. Multos nihilominus ignobiles ramos in aliud, atque aliud littus porrigit. Diodor. lib. 1. cap. 3. hæc septem ostia nominatim recenset. Primum ad orientem vergit, quod Pelusiacum vocant, secundum Taniticum, deinde Mendesicum, Phæneticum, Sebenniticum, Bolbiticum, Canopicum, à nonnullis Herculeum nominatum. Sunt & alia ostia manu facta, de quibus scribere nihil necesse est.

Verbum *turbant*, hoc loco absolutum est, pro, turbas excitant, tumultuantur. Sic Terent. Phorm. *Dum ne reducant, turbent porrò, quantum velint.* Turbent, inquit Donatus, id est, errent, & tumultuentur. Lucret. lib. 2. *Corpora quæ in solis radijs turbare videntur.* Eod. lib. infrà, *Aut ex offensu cum turbant corpore in ipso Semina.* Et lib. 6. *Dissimiles inter se res turbareq́, mistas.* Et lib. 5. *finit hæc violentis omnia verti Turbinibus, finit incertis turbare procellis.* Eâdem quoque forma extulit Tacitus lib. 3. Neque decorum principibus, si vna, alteraúe ciuitas turbet, omissa vrbe, &c. Ex quo illud impersonale apud Virgil. Tityro. *vndiq, totis Vsque adeo turbatur agris.* Vbi alij malè scribunt, turbantur. Ex Germano, & Lamb. in Lucret.

B

NEC VERO ALCID. TANTVM TELL. OBIVIT)
C Vagum appellat Horat. quia multa maria, multasque terras peragrauerit. πολύπλαγκτος Græcis.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas.

FIXERIT ÆRIPEDEM CERVAM LICET) Virgilium Priscianus æripidem, pro, aëripidem, tetrasyllabum pro pentasyllabo protulisse refert. Aëripedem nemo est qui non, moti aëris, ac venti instar celerem exponat. Græci ἀελλόποδα maiore cum enargia dicere possent. Ego tamen æripedem à voce æs, æris, deflecto: nam & Græcis χαλκόπους ἵππος appellatur, & equi χαλκόποδες Homero Iliad. θ. ὡς εἰπὼν ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππω. τοὔεις ἐρρώποδε. Brodæus lib. 2.
D cap. 29.

Æripedem pro aëripedem per synæresin, seu potius synecphonesin sunt qui dictum accipiunt, quasi cursu cum ventis certantem, seu ventos pedum celeritate æquantem: voce enim aëris sæpius ventus intelligitur, qui putatus est quibusdā philosophis aër motus, seu agitatus. Apronianus æripedem legit sine complexione, quasi dicat, habentem pedes solidos, & indefatigabiles. Hieron. Columna.

Dixit, vt volunt quidam, ex Græcorum fabulis, qui eam ceruam vocant χαλκόποδα, quia talem reuera eam ceruam fingunt fuisse poetæ. Perperam igitur nōnullos Grammaticos, etiam veteres interpretatos esse
E æripedem ἀερόποδα, aut ἀερίποδα. At vides Ausonium perpetuum epitheton id ceruis attribuere, vt nullus ad fabulas Græcorum perfugio sit locus, cum ait in Gripho, *Vincunt æripedes ceruí.* Sed Grammatici nostri temporis, qui hæc notarunt, non rarò nugantur. Omnes ceruos poetæ χαλκόποδας vocant: neque tantum ceruos, sed omnia, quibus celeritas attribuitur, vt χαλκόποδας ἵππους Homerus. Quare rectè Hesychius χαλκόποδας interpretatur ἰσχυρόποδας. Et poeta Tragicus χαλκόπουν ἵππον vocauit, quod interpres exponit στερεάν, καὶ ἀκοπίαστον ἐν τῷ ἐπιτείνειν κατὰ τῶν φορῶν. Scalig. F. Auson. lect. lib. 1. cap. 16. De laboribus Herculis qui fuerint, ex varijs poetis docebimus lib. 8.

NEC QVI PAMP. VICTOR) Bacchus de Indis trium-

triumphauit. Nysa est mons Indiæ. Eius currus trahitur à tigribus. Idem vini præses, ideo *pampineis habenis.* Est autem India latissima.

ET DVBIT. ADHVC VIRT. EXTEND. FACTIS) Exhortatur Æneam ad virtutem spe, & exspectatione tantæ posteritatis, ne bellorum tumultibus perculsus, animum abijciat, sed tanti imperij præsenti fortuna erectus, ferro Italiæ possessionem sibi vendicet. Hortatur autem eum ad virtutem, à fortuna, expectatione amplissimi imperij, & loci nobilitate. Et numero plurali dicit *dubitamus*, quasi ipse quoq; gloriæ filij particeps sit futurus. Montfort. Nascimb.

Est tamen generalis sententia, & ad omnes immortalitatis amore inflammandos pertinet, per egregia nimirum facinora, qualia potissimum sunt bellica. Id vt velimus, contendit à nobis Sallustius procemio Catilinarij. Omnes homines, qui sese student præstare cæteris animalibus, summa ope decet niti, ne vitam silentio transeant, veluti pecora, quæ natura prona, atq; ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo, & corpore sita est. animi imperio, corporis seruitio magis vtimur: alterum nobis cum dijs, alterum cum beluis commune est. Quò mihi rectius esse videtur, ingenij, quàm virium opibus, gloriam quærere: & quoniã vita ipsa, qua fruimur, breuis est, memoriam nostri quã maximè longam efficere. Nam diuitiarum, & formæ gloria, fluxa, atque fragilis est: virtus clara, æternaque habetur. Procemio autem Iugurth. Igitur præclara facies, magnæ diuitiæ, adhæc vis corporis, & alia omnia huiuscemodi breui dilabuntur: at ingenij egregia facinora, sicuti anima, immortalia sunt. Adijciamus verba Plinij ex Epist. 7. lib. 3. Sed tanto magis hoc quicquid est temporis futilis, & caduci, si non datur factis (nam horum materia in aliena manu est) nos certe studijs proferamus: & quatenus nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Isocrates ad Nicoclem. *Μὴ περιίδῃς τὴν σαυτοῦ φύσιν ἅμα πᾶσαν διαλυθεῖσαν, ἀλλ' ἐπειδὴ θνητοῦ σώματος ἔτυχες, ἀθανάτου δὲ ψυχῆς, πειρῶ τῆς ψυχῆς ἀθάνατον μνήμην καταλιπεῖν.* hoc est. Ne committas, vt natura tua vniuersa simul intereat: sed quum tibi corpus mortale contigerit, animus immortalis, fac immortalem animi memoriam relinquas. Aliquid præterea dictum lib. 10. in illud: *sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus.*

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines, incanaq; menta
Regis Romani, primus qui legibus vrbem
Fundabit, Curibus paruis, & paupere terra
Missus in imperium magnum. cui deinde subibit
Otia qui rumpet patriæ, residesq; mouebit
Tullus in arma viros, & iam desueta triumphis
Agmina: quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoq; iam NIMIVM GAVDENS POPVLARIBVS AVRIS.

RAMIS INSIG. OLIVÆ) Ramis oliuæ insignem fingit Numam ab Anchise præcognitum, cui ob iustitiam, & integritatem nemo vnquam bellum intulit, ipse vltro pacem semper fouit.

SACRA FERENS) Liuius lib. 1. Omnium primum rem ad multitudinem imperitam, & illis sęculis rudem, efficacissimam, deorum metum inijciendum ratus est. Qui cũ descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum dea Egeria nocturnos congressus esse: eius se monitu, quæ acceptissima dijs essent, sacra instituere: sacerdotes suos cuique deorum perficere. Liuius.

NOSCO CRIN. INCANAQVE MENTA) Numa canus ab ætate prima, quò respexit Virgilius. Strabo auctor grauissimus, & in priscis monumentis diligens, Tarquinium refert à pueritia fuisse canescentem. Vrbes, inquit, XII conditæ sunt à rege Tarquinio, in quo tam egregia floruit sapientia, vt ab ineunte pueritia canum fuisse referant. Crinit. lib. 4. cap. 15.

Cassiodorus tradit, Senecam inde dici, quoniam cui primo cognomentum id impositum fuit, canus sit natus. Pindar Olymp. Ode. 4.

φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
Θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον.

Nasci frequenter iuuenibus canos, & præter tempus congruum ætatis, M. Antonius Delrius in vita Senecæ narrat. Ibid. adolescentem vna nocte, quam mortis metu totam peruigilarat, à medicis enim conclamatus fuerat, incanuisse toto capite, cum vix quintum decimum ætatis annum esset ingressus.

Romanis imperatoribus mos fuit, in aucupanda per sortes fortuna, versibus ad eam rem compositis, vel ex aliquo poeta translatis vti. Illud vulgatum de Cæsare Adriano, cum Virgilianas sortes consuleret.

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? nosco crines, incanaq; menta, &c.

Spartianus in Adriano, Crinit. lib. 22. cap. 3. Rem clarius explicat Pierius, lib. 53. in Olea.

PRIMVS QVI LEG. VRBEM FVNDAB.) Liuius, postquam eius inaugurationem exposuit, lib. 1. Qui regno ita potitus, vrbem nouam conditam vi, & armis, iure eam, legibusque, ac moribus deintegro condere parat.

CVRIBVS PARVIS, ET PAVP. TERRA) Cures oppidum Sabinorum, à quo dicti Quirites. Hoc enim datum est Sabinis Romana vrbe iam cum ijsdem communicata. Vnde autem orti Cures, & qui nam fuerint, tradit Dionysius lib. 2. Curibus Sabinis habitasse Numam, testatur & Liuius. ✠

RESID. MOVEB. IN ARMA VIROS) Vt Virgil. resides populos, sic Varro dixit aquam residem, æstuario oppositam. Eodem significatu deses dicitur, ac desidia. Quin desidere dictum Suetonio in Cæsare (ne desidere in discrimine sociorum videretur) pro remisso animo esse, atque otiosè agere. Quin & sedere, simplex verbũ, vsitatum auctoribus sensu eodem, *& meliora deos sedet omina poscens.* Sedere etiam Cic. pro, securè agere, & nihil metuere dixit in Rosciana. Cum etiam, ij qui proscripti erant, sederent. Torrent. in Sueton. * *Pro expositione horum versuum erit, quod de Tullo Hostilio tertio Romanorum rege extat apud Liuium lib. 1. Hic non solum proximo Regi (Numæ)*

(Numa) dissimilis, sed ferocior etiã Romulo fuit: tum ætas, viresq́, tum auitæ quoq; gloria animum stimulabat. Senescere igitur ciuitatem otio ratus, vndiq; materiam excitandi belli quærebat.

SEQVITVR IACTANTIOR ANCVS) Numæ ex filia nepos fuit Ancus, qualem nobilitatem iactare Tullus non poterat. Medium inter Numam, & Tullum ingenium gessisse, ait Liuius. De eodem Lucretius lib. 8.

Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior quam tu multis fuit, improbe, rebus.

POPVLARIBVS AVRIS) *Gaudens popularibus auris, est δημοχαριστής, quo nomine vocatur ab Hecuba Vlysses apud*

A *Euripidem.*] Popularis auræ nomine, populi leuitas, ac mobilitas significatur, in mandandis magistratibus, in ferendis suffragijs, in conditionibus, & similibus. Hinc illa Ciceronis, ventus popularis, &, concionum venti. Epist. 6. ad Curionem. Eorum ventorũ, quos proposui moderator quidam, & quasi gubernator. De Aruspic. responsis. Sulpicium longius, quàm voluit, popularis aura prouexit. Liuius lib. 42. Perseus magis auræ popularis erat. Horat. Ode 2. lib. 3.

Nec sumit (virtus) aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Hæc, & plura Lamb. in Horat.

Vis & Tarquinios reges, animamq́; superbam
Vltoris Bruti, fascesq; videre receptos?
Consulis imperium hic primus, sæuasq́; secures
Accipiet: gnatosq́; pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infælix: vtcunq; ferent ea fata minores.
VINCET AMOR PATRIÆ, LAVDVMQVE IMMENSA CVPIDO.
Quin Decios, Drusosq́; procul, sæuumq́; securi
Aspice Torquatum, & referentem signa Camillum.

VIS ET TARQ. REGES) Tarquinios intellige Tarquinium Priscum successorem Anci, & Tarquiniũ Superbum eius filium, cui cognomentum facta indiderunt, quintum & septimum, atque adeò vltimum regem Romanorum. Sextum enim, Seruium Tullium nescio quare prætermittat.

ANIMAMQVE SVPERB.) Superbum valet poetis sæpenumero magnificum, præstans, inclytum, gloriosum, sumptuosum. Sic Horat. Ode 17. lib. 1. *an superbos Tarquini fasces.* Et Ode 11. *Atridas superbos.* Et Ode 25. *superbos triumphos.* Et Ode 4. lib. 2. *pauimentum superbum.*

VLTORIS BRVTI) L. Iunius Brutus Tarquinia sorore Tarquinij Superbi natus, quandoquidẽ parum in iure præsidij cernebat, quod rex tyrannus prudentissimum, & copiosissimum quemq; è medio tolleret, securitatem à contemptu petiuit, seseq́; pro stulto gerens, Bruti cognomentum non recusauit: quo tanquã velamento operiret animum illum parentem Romanę libertatis, quoad tempus venisset. Fuit autẽ istuc tempus indigna mors Lucretiæ. Ibi tum extractum è vulnere cultrum, & stillantem sanguine præ se tenens, iusiurandum pulcherrimum iurauit: se Tarquinium Superbum cum scelesta coniuge, omniq; liberorum stirpe, ferro, igni, quantacunque demum vi posset, exacturum: nec alium quemquam Romę posthac regnare passurum. Inde per præconem coactis Quiritibus, de sceleribus Tarquiniorum vehementissime conquestus, effecit, vt imperio regem exuerent, cum coniuge, & liberis exilio afficerent. Primus ipse Consul creatus, L. Tarquinio Collatino marito Lucretiæ collegæ suo persuasit, vt, quoniam esset de regio genere, regiumq́; nomen libertati periculosum ferret, exoneraret populum metu, consulatu se vltro abdicaret, ciuitate libens excederet. Parta iam, & constituta libertate, Romani aliquot adolescentes nobiles (in quibus Aquilij, item Vitellij, quorum soror cum Bruto erat, atque adeo Titus, & Tiberius eiusdem Bruti filij) æquales, & sodales antea Tarquiniorum iuuenum, cum eorundem legatis

B de rebus repetendis Romam missis, clandestina consilia de regibus in vrbem postlimino recipiendis agitarunt, rescripseruntq́; ad litteras, quas ab ijsdem acceperant. Re tota per indicium serui cognita, damnati capitis proditores, Consuli Bruto pœnæ capiendæ ministerium à senatu impositum. Is deligatos ad palum filios virgis cædi, & securi percuti magno, constantique animo, vultuque immutato conspexit. Non multum temporis interfluxit, cum Tarquinio corrogatis copijs à Tarquiniensibus Etruscis, & Veientibus ad vrbem veniente cum exercitu obuiam processit. Antecedens ipse equitatum suum, Aruntem Tarquinij filium, similiter agminis sui primum equitem offendit. Ibi vterq; C alterũ concitatis equis hasta transfixit. P. Valerius collega ei funus, quanto cum apparatu potuit, fecit. At nõ paulo maius mortuo decus publica mœstitia dedit, eò insignior, quod matronæ annum integrum, vt parentem, violatæq; pudicitiæ vltorem acerrimum luxerunt. Hæc summatim ex Liuio.

FASCES RECEPTOS) Cum Horat. dicit Ode 12. lib. 1.

—————— an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces,

putant quidam, per fasces istos Tarquinij Brutum vltorem, libertatisq́; vindicem significari. Erunt igitur D Tarquinij fasces, qui Tarquinio erepti sunt. Vt in And. Terent. patris pudor, pro, erga patrem. Huius misericordia, pro, propter eam. Fasces autem, docente Lipsio Elector. lib. 1. cap. 23. erant bacilli aliquot teretes, loro colligati in modum fascis: quorum exemplar frequens in lapidibus, & nummis. Eos bacillos ex vlmo fuisse antiquitus, docere videntur comœdiæ Plauti nõ vno loco. Plinius tamen betullam arborem terribilem ait magistratuum virgis: & nescio vniuersè id accipiendum, an ex verbis eius, de Gallia tantùm. Italiæ sanè communior vlmus. Fascium inuentum Vetuloniæ Etruriæ vrbi adscribit Silius.

Mæoniæq́, decus quondam Vetulonia gentis,

Bis senos primā illa dedit precedere fasces,
Et iunxit totidem, tacito terrore, secures.

Inde traducti Romam.

VINCET AMOR. P. LAVD. IMMENSA CVPIDO) Cupido, & amor idem significari videntur, & est diuersitas. Cupido enim inconsideratæ est necessitatis, amor iudicij. Plaut. Bacchid. *Cupido te conficit, anne amor?* Idem Curcul. discreuit, & vim eiusdem diuersitatis expressit dicens, *Quod Venus, Cupidoq; imperat, suadetq; amor.* Afran. Homine. *Amabit sapiens, cupient cæteri.* Nonius.

Factum hoc considerat Augustin. Ciuitatis lib. 3. cap. 16. Cum, inquit, illud Virgil. laudabiliter cōmemorauit, continuò clementer exhorruit, exclamans, *Infelix, vtcunq; ferent ea facta minores.* Quomodolibet, inquit, ea facta posteri ferant, id est, præferant, & extollant, qui filios occidit, infelix est. Et tanquam ad consolandum infelicem subiunxit, *Vicit amor patriæ, laudumq; immensa cupido.* * *Duplicem caussam adducit, amorem patriæ, & immortalis cuiusdam gloriæ sitim apud posteros. Propter hæc Brutus filijs suis proditoribus patriæ parcendum non putauit: nec omnes, qui audierunt, probabunt, nec ipse poeta omnino laudare potest. Nam, vt ille apud Terentium ait,* pro magno peccato paululum supplicij satis est patri. *Patribus olim citra iudicium licuisse capitaliter statuere de filijs, probat Budæus annot. poster. in Pand. pag. 318. Vide etiam quid de hoc Bruti facto iudicet Plutarchus in Poplicola.*

QVIN DECIOS) Decius Mus Cos. bello Latino, collega Manlio Torquato, positis apud Veserim fluuiū castris, cum vtrique consuli somnio obuenisset, eos victores futuros, quorum dux in prælio cecidisset, quum collato cum collega somnio conuenisset, vt cuius cornu in acie laboraret, dijs se manibus voueret, inclinante sua parte, se, & hostes per Valerium Pontificem dijs se manibus deuouit, impetu in hostes facto, victoriam suis reliquit. Plin. de vir. illust. cap. 26. Cic. 3. offic. & Flor. lib. 1. cap. 14. Liuius lib. 8.

De P. Decio huius Decij filio, qui consul cum Q. Fabio Max. bello aduersum Etruscos, Vmbros, Samnites, & Gallos patris exemplo se deuouit, ita scriptum à Liuio lib. 10. Vociferari Decius, quò fugerent? quamúe in fuga spem haberent? obsistere cedentibus, ac reuocare fusos. Deinde vt nulla vi perculsos sustinere poterat, patrem P. Decium nomine compellans, Quid vltra moror, inquit, familiare fatum? Datum hoc nostro generi est, vt luendis periculis publicis piacula simus. Iam ego mecum legiones hostium mactandas Telluri, ac dijs manibus dabo. Hæc locutus, M. Liuium Pontificem, quem descendens in aciem, digredi vetuerat à se, præire iussit verba, quibus se, legionesq; hostium pro exercitu populi Quiritium deuoueret. Deuotus inde eadem precatione, eodemq; habitu, quo pater P. Decius ad Veserim bello Latino se iussetat deuoueri: cum secundum sollemnes precationes adiecisset, præ se agere sese formidiné, ac fugam, cædemq;, ac cruorem, cælestium, infernorumque iras: contacturum funeribus diris digna, tela, arma hostium: locumq; eundem suæ pestis, & Gallorum, ac Samnitium fore. Hæc execratus in se, quà confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum: inferensq; se ipse infestis telis, interfectus est. Deuotio autem, qua vsus est Decius pater, his verbis concepta, extat apud Liuium lib. 8. IANE, IVPITER, MARS PATER, QVIRINE, BELLONA, LARES, DIVI NOVENSILES, DII INDIGETES, DIVI, QVORVM EST POTESTAS NOSTRORVM, HOSTIVMQVE, DIIQVE MANES, VOS PRECOR, VENEROR, VENIAM PETO, FEROQVE, VTI HOSTES POP. ROM. QVIRITIVM TERRORE, FORMIDINE, MORTEQVE AFFICIATIS. SICVT VERBIS NVNCVPAVI, ITA PRO REPVB. QVIRITIVM, EXERCITV, LEGIONIBVS, AVXILIIS POP. ROM. QVIRITIVM LEGIONES, AVXILIAQVE HOSTIVM MECVM DIIS MANIBVS, TELLVRIQVE DEVOVEO. En habes, lector, deuotionis quandam formulam.

DRVSOSQVE) Duo fuerunt Drusi, alter Hasdrubalem vicit. Alter Augusti priuignus, qui Germanos trans Rhenum domuit: quiq; ex equo lapsus, fracto crure interijt.

SAEVVMQVE SECVRI ASP. TORQVAT.) Hic Cos. bello Latino, filium suum quod contra imperium pugnasset, securi percussit. Liuius lib. 8. decad. 1. Plutarch. in vita Fabij Max. Val. lib. 2. cap. 2. Plin. de vir. illust. cap. 28.

REFER. SIGNA CAMILLVM) Manil. lib. 1. extremo. *Et Iouæ qui meruit cælum, Romamq; Camillus Seruando posuit.* Asseruit enim is Iouem, hoc est, Capitolium à Gallis. Et rectè cōditorem Romæ Camillum vocat, qui alter Romulus vulgò dictus fuit. Eius autem victoria fuit velut quædam vrbis παλιγγενεσία. Scalig. F. in Manil. Signa retulit, quæ Galli Senones, duce Brenno, deuictis Romanis abstulerant apud Alliam fluuiū. Lege Plin. de viris illust. cap. 23. & 24. Plutarchi Camillum.

Illæ autem paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc, & dum nocte premuntur,
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, stragemq; ciebunt?
Aggeribus socer Alpinis, atq; arce Monœci
Descendens: gener, aduersis instructus Eois.
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella:
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.
Tuq; prior, tu parce, genus qui ducis olympo:
Proijce tela manu sanguis meus.

PARIBVS Q. FVLG. CERNIS IN ARMIS) Transit ad Cæsarem, & Pompeium, quorum facta, id est, bella ciuilia circumstantijs exaggerat, personis, loco, magnitudine factorum, cum ingenti miserationis affectu. Paribus autem armis dixit, quia ambo Romani, & amborum paria armorum insignia erant, vt apud Lucanum lib. 1. *Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.* Iam illud, *dum nocte premuntur,* non simpliciter dictum est, sed alludit poeta ad vtriusque fortunæ obscuritatem. Nam dum Cæsar, & Pompeius humiles extiterunt, cōcordi

cordi inter se voluntate fuerunt: vbi vero rerum gestarum gloria clarere cœperunt, tunc maximè animos attollere, & tyrannidem affectare cœperunt. Nascimb.

* *De caussis huius belli ciuilis multa Lucanus ab initio Pharsaliæ. In his non postrema, quod Pompeius laudes suas, & triumphos, Cæsaris rebus felicissimè gestis obscurari metueret, & vt ipse parem, sic Cæsar superiorem nollet.*

Tu noua ne veteres obscurent facta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne times, te iam series, vsusq; laborum
Erigit, impatiensq; loci fortuna secundi.
Nec quenquam iam ferre potest Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem: quis iustius induit arma,
Scire nefas: magno se iudice quisq; tuetur.

QVAS FVLGERE) Vtebantur antiqui correpto, quo nos producta vna syllaba vtimur. Dicimus enim, vt splendere, sic fulgere. At illis ad significandum hanc è nubibus subitæ lucis eruptionem mos erat, media syllaba correpta, vt dicerent fulgere. Seneca Natural. lib. 2. cap. 56.

SI LVMINA VITÆ ATTIG.) Particula, si, hoc loco non conditionem, sed tempus indicat, vt etiam lib. 5.

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radijsq; retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis.

Catull. *Nam si luxerit ad librariorum Curram scrinia.* Ex Muret. in Catull. *Lumina vitæ*, vt Lucret. lib. 1. *Vnde animale genus generatim in lumina vitæ Redducit Venus.* Nihil autem aliud est lumina vitæ, quam vita.

AGGERIBVS SOCER ALPINIS) Alpinos aggeres vocat, nam alpibus, tanquam aggeribus quibusdam munitur, & circundatur Italia, quibus à Germania intersepta est. Ab his, iuxta Monæcum, qui est portus Liguriæ, instructus Germanorum, Gallorumque auxilijs descendit in Italiam aduersus Pompeium Cæsar. Pompeius orientalibus auxilijs ascitis occurrit, & ijs quidem maximis: sed quæ magis ad pompam, quam ad victoriam viderentur profutura. Montfortius.

Martial. lib. 9.

Dixerat ô mores, ô tempora Tullius olim,
Sacrilegum strueret cùm Catilina nefas:
Cum gener, atq; socer diris concurreret armis,
Mœstaq; ciuili cæde maderet humus.

Cæsar socer, Pompeius gener, ducta Iulia, quæ si vixisset, putat eam Lucanus arma vtriq; de manibus extorquere potuisse, lib. 1. Pharsaliæ.

————quod si tibi fata dedissent
Maiores in luce moras, tu sola furentem
Inde virum poteras, atq; hinc retinere parentem,
Armatasq; manus excusso iungere ferro,
Vt generis soceros mediæ iunxere Sabinæ.
Morte tua discussa fides.

Hos ita inter se comparat Velleius lib. 2. Alterius ducis caussa videbatur melior, alterius erat firmior. Hic omnia speciosa, illic valentia. Pompeium senatus auctoritas, Cæsarem militum armauit fiducia. Consules, senatusque, caussæ, non Pompeio, summam imperij detulerunt. Nihil relictum à Cæsare, quod seruandæ pacis caussa tentari posset; nihil receptum à Pompeianis. Vterque etiam ab eodem historico separatim, & magnifice prædicatur. ✱

Extollit Iulium Appianus 2. bell. ciuil. & longa oratione eundem cum Alexandro M. comparat. Principium apponam. Vir per omnia fortunatus, & magnificus, meritoque cum Alexandro conferendus. Ambo fuere ambitiosissimi, bellicosissimique, in consilijs exequendis celerrimi, in periculis aggrediendis audacissimi, minimè parcentes suo corpori, nec magis imperatorijs artibus freti, quam fortuna, & audacia, &c.

Eundem Plin. lib. 7. cap. 25. hoc afficit præconio. Animi vigore præstantissimum arbitror C. Cæsarem dictatorem. Nec virtutem, constantiamq; nunc commemoro, nec sublimitatum omnium capacem, quæ cælo continentur: sed proprium vigorem, celeritatemque quodam igne volucrem. Scribere, & legere simul, dictare, & audire solitum accepimus. Epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librarijs dictare: aut si nihil aliud ageret, septenas. Idem signis collatis quinquagies dimicauit: solus M. Marcellum transgressus, qui vndequadragies dimicauerat. Nam præter ciuiles victorias, vndecies C. & XCII. M. hominum occisa prælijs ab eo non equidem in gloria posuerim, tantam etiam coactam humani generis iniuriam: quod ita esse, confessus est ipse, bellorum ciuilium stragem non prodendo. Iustius Pompeio Magno tribuatur DCCCXLV naues piratis ademisse. Cæsari proprium, & peculiare sit, præter suprà dicta, clementiæ insigne: qua vsque ad pœnitentiam omnes superauit. Idem magnanimitatis perhibuit exemplum, cui comparari non possit aliud. Spectacula enim edita, effusasque opes, aut operum magnificentiam in hac parte enumerare, luxuriæ fauentis est. Illa fuit vera, & incomparabilis inuicti animi sublimitas, captis apud Pharsaliam Pompeij Magni scrinijs epistolarum, iterumque apud Thapsum Scipionis, concremasse ea, optima fide, atque non legisse.

Sequenti cap. laudes Pompeij ponuntur. Verum ad decus imperij, &c. Eundem prædicat copiosè Velleius lib. 2. Cuius viri magnitudo multorum voluminum instar exigit, &c. Infra. Conuerterat Cn. Pompeij persona in se totum terrarũ orbem, & pœne homine maior habebatur. Rursum. Huius viri fastigiũ tantis auctibus fortuna extulit, vt primum ex Asia, iterum ex Europa, tertio ex Africa triumpharet: & quot partes orbis terrarum sunt, totidem faceret monumenta victoriæ suæ. Cæsarem idem historicus eodem libro miris laudibus cumulat, & Cicero satis pro M. Marcello. Lucanus ipsummet res ab se gestas magnificè extollentem inducit lib. 2. Pharsal. ab hoc initio.

Heu demens, non te fugiunt, me cuncta sequuntur,
Qui cum signa tuli toto fulgentia Ponto, &c.

NE TANT. ANI. ASSVESCITE BELLA) Hypallage est *assuescite bella*, pro, assuescite animos bellis. Assuescite autem, pro, assuefacite dictum. Sic & Georg. 3. *dehinc vbi libera colla Seruitio assuerint.*

NEV PAT. VALID. IN VISCERA) Per prosopopœiam patriæ personam, viuumque corpus affingit, quod bellis ciuilibus dilaniatur. Facit huc initium Lucani.

Bella per Emathios plusquam ciuilia campos
Iusq; datum sceleri canimus, populumq; potentem
In sua victrici conuersum viscera dextra.

Plusquam ciuile bellum est, vt scribit Isidor. lib. 18. cap. 1. vbi non solum ciues concertant, sed & cognati: quale natum est inter Cæsarem, & Pompeium, quando gener, & socer inuicem dimicauerunt. Siquidem in hac pugna frater cum fratre dimicauit, & pater aduersus filium arma portauit. Lucan. *in fratrem ceciderunt præmia fratris*, Item, *cui ceruix cæsa parentis Cederet.* Petronius Arbiter, carmine de mutatione reipub. tres duces Romanos nominat, qui omnes bello & armis, seu ferro tandé misere perierint, seu propter bella, & arma trucidati sint, Crassum, Pompeium, Iulium.

Tres tulerat Fortuna duces: quos obruit omnes
Armorum strue diuersa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet: Libyco iacet aequore Magnus,
Iulius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et, quasi non posset tot Tellus ferre sepulcra,
Diuisit cineres. Hos gloria reddit honores.

TV PRIOR PROIICE TELA SANG. MEVS) Quod priorem arma ponere vult Cæsarem, innuit singularé eius clementiam, quá plenis buccis Orat. pro M. Marcello prædicat Cicero. Dignum memoratu, quod in A Pompeio narrat Xiphilin. vnde mansuetudiné viri cognoscas. Cæsar inuentas in scrinijs Pompeij literas, quibus multorum in illum beneuolentia, in Cæsarem odium significabatur, neque legit, neque descripsit: sed statim combussit, ne commotus grauius aliquid committeret. Hinc permultos sibi deuinxit. Poetæ sæpius *sanguinis* voce progeniem nominant. Horat. Ode 20. lib. 2. *non ego pauperum Sanguis parentum.* Et carminé sæculari, *Clarus Anchisæ, Venerisq; sanguis,* de Augusto.

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achiuis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniasq; Mycenas,
Ipsumq; Æaciden, genus armipotentis Achilli,
Vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ.
Quis te magne Cato tacitum, aut te Cosse relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyæ? paruoq; potentem
Fabricium, vel te sulco Serrane serentem?
Quò fessum rapitis Fabij? tu Maximus ille es
VNVS, QVI NOBIS CVNCTANDO RESTITVIS REM.

TRIVMPH CAPIT. AD ALTA CORINTHO) Corinthum describit Strabo lib. 8. De conditore huius vrbis, & nomine Velleius ita lib. 1. Paulo ante Aletes sextus ab Hercule, Hippotæ filius, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est quod miremur ab Homero nominari Corinthum. Nam ex persona poetæ & hanc vrbem, & quasdam Ionum colonias, ijs nominibus appellat, quibus vocabantur ætate eius: multò post Ilium captum conditæ.

Qua porro ratione vrbs eadé tam opulenta euaserit, indicat Thucydid. lib. 1. Nam Corinthij, inquit, cum vrbem in Isthmo sitam tenerent, semper habuerunt forum frequens rerum venalium. Græci enim olim magis terra, quam mari congrediebantur, & qui in Peloponneso, vel extra habitabant, per ipsorum terram præcipuè inter se commeare solebant. Vnde Corinthij opibus præpotentes facti sunt, id quod etiam veterum poetarum elogia indicant. Nam diuitem in poematis appellant hanc ciuitatem. Græci enim postquam crebrius nauigare cœperunt, & iam ipsi re nautica melius instructi, piraticam sustulerunt, atque hoc emporio ab vtraq; parte vti cœperunt, diuitiarum affluentia potentem tenuerunt hanc vrbem.

Horatius bimarem, id est, διθάλασσον, vel, vt quidam malunt ἀμφιθάλασσον vocat, Ode 7. lib. 1. Caussam euersionis Cic. in Maniliana dicit fuisse, quod legati Romanorum essent ibi appellati superbius. Et totius Græciæ lumen appellat. In Offic. aliam caussam ponit, opportunitatem loci maximè, ne posset aliquando ipse locus Corinthios ad bellum faciendum adhortari. Euertit L. Mummius eodem anno, quo Carthago concidit, vt habet Velleius, post annos DCCCLII quàm condita, & dictus est Achaicus. Fuit autem adeò rudis, vt cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam inde portandas locaret, iuberet prædici cōductoribus, si eas perdidissent, nouas redituros.

Præclara quædam Strabo lib. 8. de tabulis Corin- B thiacis. Idem. Pleraque & præstantissimorum donariorum quæ Romæ sunt, Corintho allata fuerunt: quædam etiam circum vicinæ vrbes adeptæ sunt. Mox de negligentia Mummij harum rerum subiungit. Triumphum Romanorum alibi descripsimus. De curru, & corona laurea Tibull. lib. 1. eleg. 7.

At te victrices lauros, Messalla, gerentem,
Portabat niueis currus eburnus equis.

Formula, qua triumphatores Imperatores in Capitolio dijs ob victoriã gratias agebant, hæc erat. GRATIAS TIBI IVPITER OPTIME MAXIME, TIBIQVE IVNONI REGINÆ, ET CÆTERIS HVIVS CVSTODIBVS, HABITATORIBVSQVE ARCIS DIIS LVBENS, LÆTVSQVE GRATIAS AGO, RE ROMANA IN HANC DIEM, ET HORAM PER C MANVS, QVOD VOLVISTIS, MEAS SERVATA, BENE GESTAQVE, EANDEM ET SERVATE, VT FACITIS, FOVETE, PROTEGITE PROPITIATI, SVPPLEX ORO. Principio autem pompæ, in Vaticano sic precabantur *Di: nutu, & imperio quorum nata, & aucta est res Romana, eandem placati, propitiatiq; seruate.* De origine, & notione vocabuli *Capitolium* satis multa diximus lib. 9. ad illud, *Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum.*

ERVET ARG. IPSVMQVE ÆACIDEN) Errasse in his versibus Virgilium dixit Hyginus, vt quidem narrat Gellius lib. 10. cap. 16. confudisse enim & personas diuersas, & tempora. Nam neque eodem tempore, neq; per eosdem homines cum Achæis, & Pyrrho bellatum D est. Pyrrhus enim, quem dixit Æaciden, de Epiro in Italiam transgressus, cum Romanis depugnauit aduersus Manium Curium in eo bello ducem: Argiuum autem bellum, id est, Achaicum, multis post annis à L. Mummio imperatore gestum est. Potest igitur, inquit, medius eximi versus, qui de Pyrrho importune immissus est, quem Virgilius proculdubio, inquit, exempturus, fuit. Atque accusatio quidem hæc est. Nunc defensionem Iouiani ex Antonio eius dialogo producamus.

Non possum non admirari, etiam ad risum vsque tum Hyginum, tum Gellium, qui studio quodam reprehendendi præcipites, in maximos errores inciderunt.

Primum quod de Pyrrho dictum, non de Persa rege A putent. Neque enim Pyrrhus à pop. Rom. victus est, neque regnum Epirotarum Pyrrho viuente captum, atque in prouinciæ formam redactum est: sed Perses, qui à Paulo ductus est in triumpho, quo capto, Macedoniáque spoliata, Æacidarum imperium finiuit. De quo etiam Propertius ait.

Et Persen proaui stimulantem pectus Achillis,

Quiq́, tuas proauus fregit, Achille, domos.

Hoc igitur superato, regnoque Æacidarum deleto, populus Romanus videri potuit Troiæ ruinas vltus fuisse. Deinde non animaduertère, induci à Virgil. Anchisen nequaquam singulos referentem, qui ab Ænea originem ducturi essent, sed quosdam tantùm, neque B tempus, ordinemúe seruari: quippe cum de Cæsare, atque Pompeio, antequam de Fabio, Marcello, Scipionib⁹, mentionem faciat. Satis enim habebat Anchises, quibusdam nominatis, quibusdam à rebus gerendis significatis, spe, atq; gaudio futuræ stirpis Æneam implere. Quare cum dicit,

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho

Victor aget currum, cæsis insignis Achiuis,

potest iure videri Mummium, qui Achaicus cognominatus est, quique Corinthum sustulit, significare. Post verò cum addat, *Eruet ille Argos, Agamemnoniasq; Mycenas,* alium profectò significat. Et hic quidem Paulus est, qui Persen vicit. Quanquã autem Paulus neq; Argos euertit, neq; Mycenas, hoc tamen vt Æneam solē- C tur, ab Anchise dicitur, cuius ipsius posteri euersuri essent Argos, siue Achaicum, quæ arx videbatur Achæorum, quorum principes aduersus Troianos coniurauerant, siue Thessalicum, quando ducum Thessaliæ virtus in eo bello plurimũ enituerit, & Mycenas Agamemnonis patriam, qui fuit Græcorum, ac belli dux. Quocirca dum Virgilium non minus imprudenter, quam impudenter accusant vterque, & Hyginus sententiæ huius aduersus Maronem auctor, & suffragator eius Aulus, in errorem maxima animaduersione dignum incidère.

Alciatus Parerg. iuris lib. 5. cap. 21. Iouiani sententiam non satis probat, cum non iisdem ducibus Perses, & Achæi sint superati. Satius ergò erit de Persis fi- D lio Andronico intelligere, qui & Pseudophilippus dictus est, & vltimus regum Macedonum fuit: quem Q. Cæcilius Metellus vicit, cepitque, & de eo triumphauit. Idemque Achæos cum Bœotijs, & Chalcidensibus superauit ad Thermopylas, Critolaumq́, eorum ducem adegit, vt veneno sibi mortem consisceret, vt Pausanias in Achaicis scribit, & historiæ lib. 50. & 52. T. Liuius est auctor. Videtur ad Maronianum carmen allusisse & Germanicus Cæsar quodam græco eleganti epigrammate, quod Thomas Morus sic conuertit.

Mauortis genus Hector aue, si quid sub humo audis,

Respira, & patria nomine cresce tua.

Ilios vrbs colitur, nunc inclyta gens colit illam,

Quam tu Marte minor Martis amica tamen.

Myrmidones periere, adeo, & dic Hector Achilli,

Esse sub Æneadis vndiq; Thessaliam.

Placitum est his etiam Modicij responsionem, eruditam, & probabilem attexere, quæ est eius libelli, quo Virgilium à calumnijs vindicat, cap. 3. Virgilius cum res multas de Romana historia singulis tantum verbis attingeret, non induit historici personam, cuius interest rerum, & temporum ordinem seruare: sed licentia poetica vsus, quædam disiuncta temporibus, quia euentu similia fuerunt, & ad eundem finem potuerunt referri, rectè coniunxit. Satis enim est Poetæ, in summa rerum veritatem retinere: in partibus aliud aliquid fingere concessum est. Romani Græcos debellarunt: Virgilius non dissentit. Verùm illi non debellarunt, vt Troianorum, à quibus oriundi erant, iniurias vlciscerentur: sed suas, quia Græci à Romanis Macedonum tyrannide liberati, & donati libertate, in benefactores ingrati, contumaces, & rebelles fuerant. Virgilius tamen illos auorum iniurias per quandam consecutionem, quam Logici concomitantiam vocant, vltos esse rectè dixit. Anchises igitur apud inferos, vt Poeta fingit, Æneam consolatur, afficit lætitia, addit ei ad labores perferendos alacritatem: quia Romani ex Troianis orituri erunt, & euertent Argos, Mycenas, & genus Æacidarum, & Troianorum iniurias vlciscentur. Sic etiam libro primo Æneid. Venerem Troianorum calamitatibus dolentẽ, Iupiter his versibus consolatur.

veniet lustris labentibus ætas

Cum domus Assaraci Phthiam, clarasq́, Mycenas

Seruitio premet: & victis dominabitur Argis.

Venus, & Æneas Achillem oderant, cuius patria fuit Phthia: Diomedem, qui imperauit Argis: & Agamemnonem, qui regnauit Mycenis, præcipuos Troianorum hostes, & euersores. Phthia in poetarum nugis fuit vrbs magna, & memorabilis nullam ob aliam caussam, nisi quia Achillis patria fuit. Apud Historicos, & Geographos fuit vicus ignobilis, cuius nullum prorsus vestigium Romani Thessaliam debellantes inuenerunt: Mycenas ducentis annis antè, quàm Romani Græciam occuparent, Argiui deleuerant. Virgilio tamen licitum fuit Phthiam seruitio pressam fingere, & Mycenas erutas, quas Romani nusquam inuenerunt: & erutos Argos, qui cum Achæis à L. Mumio pugna victi portis apertis sese victoribus Romanis dedentes, ab illis sunt seruati: hæc autem, vt vltio euidentior appareret: ingeniosè, prudenterque ficta sunt ad Romanorum pietatem in Troianos auos amplificandam. Curij Dentati victoria pulso Pyrrho ad vltionem Troianorum non pertinuit: sed Romanorum, quibus bellum intulit. Pyrrhus à Tarentinis in Italiam euocatus prima pugna Romanos vicit: alterius pugnæ dubia fuit victoria: Pyrrhus tamen superior est habitus: tertia pugna victus à Curio excessit Italia. Non est erutus, id est euersus, non domitus, non regno spoliatus: quod regnum filij post eum tenuere: & genus Æacidarum permansit. Rectè Seruius Grammaticus dixit, in illis verbis *Ipsumque Æaciden*, subintelligendum esse *& ille*, quasi dicat, & ille eruet ipsum Æaciden. Declaro. Pater, qui filio secum spectanti in promiscua turba aliquot homines porrecta manu, atque intento digito commonstrat: non necesse habet de singulis, dicere ille, & ille: quod hæ voces in gestu positæ sint: nam in scena quædam sine verbis gestu significantur & intelliguntur. multa enim verba gestu adiuuantur: etenim manus porrecta, & digitus intentus satis docilem reddit audi- E torem, vt ad illum, & illum oculos referat, quem narrator demonstrat. In sermone poetico non semper tam clara expetenda est rerum distinctio: vt in soluta oratione: sed quædam sunt (vt diximus) subintelligenda. Erui non propriè dicitur de homine, sed de loco, vt de patria: nisi quia aliquando homines pro rebus, & res pro hominibus ponuntur, vt in secundo libro, Vcalegon ardens pro domo ardente. Sic eruet ille ipsum Æaciden, qui Ambraciam Pyrrhi patriam extincto genere Æacidarum expugnabit: & is Fuluius Nobilior fuit. Paulus etiam Æmilius Perse Macedonum rege victo, Epirotarum, quibus olim Pyrrhus imperauerat oppida septuaginta diripuit, multaque hominum millia vendidit. Itaque à Fuluio, atque Æmilio verius, quàm

à Curio Dentato erutus, & euersus fuit Pyrrhus, id est Pyrrhi patria, regnum & genus vniuersum Æacidarum: nam Epirotæ pro Achille, & Neoptolemo Troiæ euersoribus, vt Poeta significat, pœnas luerunt. Quapropter ex illis verbis, *Et ille eruet ipsum Æaciden*, non sola ignominia Pyrrhi ex Italia pulsi, sed etiam extrema patriæ, regni, & generis ruina intelligenda est. Quemadmodum, Ænea, Græci Troiam patriam nostram funditus euerterunt: sic Romani à nobis oriundi eruent, & euertent Argos, Mycenas, & ipsum Pyrrhum magnum bellatorem de genere Achillis cum patria, regno, stirpe, atque vniuersa gente Æacidarum. Si quis Hygini consilium secutus hunc versum eximat, (quem ille importunum vocat) summam rei venustatem, gratiamque tollet: sensum pulcherrimum peruertet: & Romanorum gloriam, atque in maiores suos pietatem minuet, atque obscurabit. Non igitur diuersas personas Virgilius confudit: sed quas non potuisset nisi multis verbis contra institutam breuitatem nominare, prudenter tacuit, & duobus verbis aptissimè significauit.

QVIS TE MAGNE CATO TACITVM) Laudes Catonis Vticensis (hunc enim, non Censorium debemus accipere) exequitur Velleius lib. 2. his verbis. Hic genitus proauo M. Catone, principe illo familiæ Portiæ, homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio dijs, quã hominibus propior, qui nunquam rectè fecit, vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat cuiq; id solum visum habere rationem, quod haberet iustitiam, omnibus humanis vitijs immunis, semper fortunam in sua potestate habuit, &c. Hunc cum Iulio Cæsare comparat Sallustius in Catilin.

AVT TE COSSE RELINQVAT) De Cornelio Cosso adscribemus quæ affert Plin. de viris illustr. cap. 25. Fidenates fidei Romanorum hostes, vt sine spe veniæ fortius dimicarent, legatos ad se missos interfecerunt, ad quos Quintius Cincinnatus Dictator missus, magistrum equitum habuit Cornelium Cossum, qui Lartem Tolumnium ducem sua manu interfecit: de eo spolia opima Ioui Pheretrio secundus ab Romulo consecrauit. Liuius de hac cæde lib. 4. in hæc verba. Is cum ad impetum Tolumnij, quacunque se intendisset, trepidantes videret Romanas turmas, insignemq; cum regio habitu volitantem tota acie cognouisset: Hiccine est, inquit, ruptor fœderis humani, violatorque gentiũ iuris? Iam ego hanc mactatam victimam (si modo sancti quicquam in terris esse dij volunt) legatorum manibus dabo. Calcarib⁹ subditis, infesta cuspide in vnum fertur hostem, quem cum ictum equo deiecisset, confestim & ipse hasta innixus, se in pedes excipit. Assurgentem ibi regem vmbone resupinat, repetitumq; sæpius cuspide ad terram affigit. Tum exangui detracta spolia, caputq; abscissum victor spiculo gerens, terrore cæsi regis hostes fundit. De spolijs Ioui dicatis infrà idem Liuius.

QVIS GRACCHI GENVS) De inclytissima Gracchorum familia Plutarchus in vita Gracchorum. Hic autem pater potius Titus Sempronius Gracchus, quam filij Tiberius, & Caius intelligendi sunt, quorum vterque pro seditioso est interfectus. Vide Plin. de viris illust. cap. 64. & 65. De patre autem cap. 57. De quibus hisce Gracchis ita Cic. 1. de Orat. in persona Scæuolæ, Omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse, Tiberium, & Caium Sempronios, quorum pater homo prudens, & grauis, haud quaquam eloquens, & sæpe aliâs, & maximè censor reip. saluti fuit. Atque is non accurata quadam orationis copia, sed nutu, atque verbo libertinos in vrbanas tribus transtulit: quod nisi fecisset, rempub. quam nũc vix tenemus, iam diu nullam haberemus. At vero eius filij diserti, & omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præsidijs ad dicendum parati, cum ciuitatem vel paterno consilio, vel auitis armis florentissimam accepissent, ista præclara gubernatrice, vt ais, ciuitatum, eloquentia rempub. dissipauerunt. Hæc ille. Habuit vxorem Tib. Gracchus Corneliam Scipionis Asiatici filiam, ex qua 12. liberos sustulit, quam miro amore dilexit. Vide Alex ab Alex lib. 1. cap. 18.

DVO FVLM. BELLI SCIPIAD. CLAD. LIBYÆ) Georg. 2. *Scipiadas duros bello*. Et in Culice conuenienter versui Lucretiano, quem mox proferemus.

Illic Scipiadæq; duces, deuota triumphis
Mœnia, quos rapidos Libyca Carthaginis horrent.

De vtroque Africano loquitur. Manil. *Scipiadæq; duces, fatum Carthaginis vnum*. Horat. Sat. 1. lib. 2. *Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Læli*. Lucret. lib. 3. *Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror*. Ex eodem genere est illud 4. Georg. *Cæsar dum magnus ad altum Fulminat Euphraten*. Cic. pro Cornel. Balbo, imperij nostri fulmina Cn. & P. Scipiones. Sic Ptolemæus Lagi nepos, Philadelphi frater, dictus est Ceraunos, quòd in bello quasi fulminaret. Sic Clearchus ille Heracleæ tyrannus vnum ex filijs Ceraunum nominauit. De minore, qui & Numantinus, adscribam de lib. 1. verba Paterculi. P. Scipio Æmilianus, vir auitis P. Africani, paternisque L. Pauli virtutibus simillimus, omnibus belli, ac togæ dotibus, ingenijque, ac studiorum eminentissimus sæculi sui, qui nihil in vita, nisi laudandum aut fecit, aut dixit, aut sensit.

PARVOQVE POTENT. FABRICIVM) Cum à Pyrrho perfuga quidã in castra ad Fabricium venisset, eiq; pollicitus esset, si præmiũ sibi proposuisset, se, vt clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, & eũ veneno necaturum, à Fabricio cum custodia ad Pyrrhum remissus est. Cic. lib. 3. de Off.

Plutarchus eundem scribit aurum à Pyrrho oblatum accipere noluisse, & cum die postero Pyrrhus iussisset aulæo interiecto elephantũ collocari, deinde sublato elephantus ille supra Fabricij caput immanem, atque horribilem vocem emisisset, dixisse, neque heri se ab auro esse corruptũ, neq; hodie à fera exterritum. Horat. Ode 12. lib. 1. qua heroas, & claros viros laudat,

Regulum, & Scauros, animaq; magna
Prodigum Paulum superante Pœno,
Gratus insigni referam Camœna
Fabriciumq;.
Hunc & incomptis Curium capillis
Vtilem bello tulit, & Camillum
Sæua paupertas, & auitus apto
Cum lare fundus.

VEL TE SVLCO, SERRANE, SER.) Scribendum *sulcos*, sulci enim, vt opinor, rectè, & eleganter dicuntur seri. Ita Turneb. Serranus iste prius Attilius dictus, à serendo cognomen sortitus est. Plin. Serentem inuenerunt dati honores Serranum, vnde cognomen.

QVO FESSVM RAP. FABII.) De magnanimitate gentis Fabiæ, qui sex, & trecenti, omnes patricij, quorũ neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus Senatus, sibi solis bellum contra Veientes depoposcerunt, & ad vnum omnes occubuerunt, lege Liuium lib. 2. Vide insuper Plin. de vir. illustr. cap. 14. Quod vero Liuius ait, vnum duntaxat prope puberem ætatem ex Fabijs domi relictum, mendacio affine est. Scilicet, ex tam numerosa familia nulli nisi vni erat aut impubes, aut adhuc in cunis iacens filius, qui genti restituendæ seminarium esset.

TV MAX.

TV MAX. ILLE ES, VNVS QVI) De Q. Fab. Max. A ita scripsit Ennius lib. 8. Annal.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem:
Ergo magisq́, magisq́, viri nunc gloria claret.

Quos versus adducit Cic. 1. Offic. præferens Fabium hunc Callicratidæ Lacedæmoniorum duci, & Cleombroto, [*qui quod auram popularem nimis amarent, respub. calamitatem maximam importarunt, cum videlicet temere, & inconsulto cum hoste confligentes deleti sunt.*] Alludit ad illum, *Vnus homo nobis*, &c. Ouid. 2. Fast.

Scilicet vt posses olim tu, Maxime, nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Transfert eundem ad Bibulum hominem ignauum M. B Tullius ad Attic. lib. 2. epist. 19. Bibulus in cælo est: nec quare, scio: sed ita laudatur, quasi *Vnus homo nobis cunctando restituit rem.* Imitatur eundem versum apud Suetonium cap. 21. Octauianus Aug. epist. ad Tiberium. Hi qui tecum fuerunt, omnes confitentur versum illum in te posse dici: *Vnus homo nobis vigilando restituit rem.*

Liuius de obitu, & laudibus Fabij lib. 30. in hæc verba scriptum reliquit. Eodem anno Q. Fabius Max. moritur, exactæ ætatis, si quidem verum est, augurem duos, & quadraginta annos fuisse, quod quidam auctores sunt. Vir certe fuit dignus tanto cognomine, vel si nouum ab eo inciperet. Superauit paternos honores, C auitos æquauit. Pluribus victorijs, & maioribus prælijs auus insignis Rullus, sed omnia æquare vnus hostis Annibal potest. Cautior tamen, quam promptior hic habitus fuit. Et sicut dubites, vtrum ingenio cunctatior fuerit, an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat, sic nihil certius est, quam vnum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait.

Ex hac Fabij cunctatione natum prouerbium: Romanus sedendo vincit: quo vtitur Varro de re rust. lib. 1. cap. 20. De rebus eius gestis Silius lib. 7. Aptissima autem ad hunc locum, quæ sunt principio libri:

Ac ni sacra seni vis, impressumq́ fuisset
Sistere cunctando fortunam aduersa fouentem,
Vltima Dardanij transisset nominis ætas.
Ille modum Superis in Punica castra fauoris
Addidit, & Libyæ finem inter prospera bella
Vincendi statuit, tumefactum cladibus ille
Hesperijs, lento Pœnum moderamine lusit.

Manil. lib. 1. *Inuictusq́ mora Fabius.* & Claudian. de bello Getico, *Primus fulmineum lento luctamine Pœnum Compressit Fabius.* Plin. lib. 22. cap. 5. enumerans eos, qui graminea, seu obsidionali corona donati sint. Data est à senatu, populoq; Rom. (qua claritate nihil equidē in rebus humanis sublimius duco) Fabio illi, qui rem omnem Romanam restituit non pugnando, sed cunctando. Nec data cum magistrum equitum, & exercitum eius seruasset: tunc satius fuit nomine nouo coronari, appellatum patrem ab his, quos seruauerat: sed quo dictū est cōsensu honoratus est, Annibale ex Italia pulso. Quæ corona adhuc sola ipsius imperij manibus imposita est, & quod peculiare est ei, sola à tota Italia data.

Ad cunctationem Fabij commendandam, placet artexere sententiam quandam Vegetij, de lib. 3. cap. 9. Maxime autem tractandum est, vtrū expediat necessitatem protrahi, an celerius dimicari: interdum enim sperat aduersarius, expeditionem cito posse finiri: & si dilata fuerit in longum, aut penuria maceratur, aut desiderio suorū reuocatur ad propria: aut nihil magnum faciens per desperationē abire compellitur. Tunc fracti labore, & tædio plurimi deserunt, aliquanti produnt, aliquanti se tradunt. Vide in idem cap. Steuechium. Vide etiam Plutarch. quomodo non ponebat rumores ante salutem. Versus ille, qui est in 8. Annali apud Ennium videtur ab illo ipso Fabio pronuntiari, *Certare abnueo, metuo legionib' labem.* Adde adhuc Florum. Prima redeuntis, seu, vt sic dixerim, reuiuiscentis imperij spes Fabius fuit, qui nouam de Annibale victoriam commentatus est, non velle pugnare. Hinc illi cognomen & Reipub. salutare, *Cunctator.* Hæc Florus. Traditum quoque litteris, appellatum Clypeum, quod eius virtute Romani ab hostium impetu protegerentur.

Excudent alij spirantia molliùs æra,
Credo equidem, & viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt caussas meliùs: cœliq; meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) paciq; imponere morem:
PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS.

EXCVD. ALII SPIRANTIA) Breui digressione alia D alijs tribuit. Græcis scientiam, liberalesque disciplinas: Romanis peritiam tractandorum armorum, gerendæque reipublicæ. Sint sanè apud alias gentes, præsertim Græcos alij statuarij excellentes, siue deos de ære, siue de marmore fingant: sint oratores, sint astrologi, mathematici: tuum, Romane, sit gentibus imperare.

MOLLIVS) Dictum arbitror *mollius*, quod cum rigor sit in materia æris, tamen tanta arte simulachra, statuæque à Græcis ducentur, vt deposita metalli duritie, & rigore, in mollitudinem viui animantis æs concessurum sit. Horat ad Pison. *Et molles imitabitur ære capillos.* Callistratus. *ἴδοις ἂν ὅτι καὶ στερεὸς ὢν εἰς τὴν τοῦ δέρματος ἐργασίαν ἐμαλάττετο.* Horat. Sat. 3. lib. 2. *Quod sculp-* E *tum infabre, quod fusum durius esset.* Turneb. lib. 22. cap. 1.

ORABVNT CAVSSAS MELIVS) Propter Græcos qui sibi semper eloquentiæ principatum vendicarunt: Cic. in Bruto. Testis est Græcia, quæ cum eloquentiæ studio sit incensa, iam diuque excellat in ea, præstetq; cæteris, &c.

DESCRIBENT RADIO) Radius virga est, quâ ad indicandas lineas vtuntur Geometræ. Virg. Eclog. 3. *Et quis fuit ille Descripsit radio totum qui gentibus orbem?* Cic. 5. Tuscul. ex eadem vrbe humilem homunculum à puluere, & radio excitabo, qui multis post annis fuit, Archimedem.

TV REG. IMP. POP. ROM.) Tibull. *Roma tuum nomen terris fatale regendis.* Duas res præstantissimas populo Rom. tribuit poeta, gubernationem politicam, seu prudentiam imperandi, & belligerandi scientiam, ac disciplinam. Vtramque Cic. quoque Tuscul. 1. statim initio. Sed meum iudicium semper fuit, omnia nostros aut inuenisse per se sapientiùs, quàm Græcos: aut

aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. Nam mores, & instituta vitæ, resque domesticas, ac familiares nos profectò, & meliùs tuemur, & lautius: rem verò publicam nostri maiores certe melioribus temperauerunt institutis, & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cùm virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Aristides in encomio vrbis Romæ: Quin etiam, inquit, in militari disciplina reliquorum omnium inscientiam coarguistis. Nec enim eam contra hostes dũtaxat milites, ac duces, sed contra se primùm exercere iussistis. Ita fit, vt quotidie stent in acie, nec vnquam quisquam loco cedat, sed vt in æterno aliquo choro, stationem suam quisque cognoscat, atque seruet, & inferiori, vt superior non inuideat, ita quibus ipse præest, eos rectè gubernet. Atque hoc mihi dolet, id de Lacedæmonijs prius dixisse, eorum exercitum præter paucos, è ducum ducibus constare: cum id vobis reseruari, ac primùm tribui debuerit, quod ille ante tempus protulit. De disciplina bellica Romanorum scripsimus alibi copiosissimè in dialogo quodam, inde accersas licet, si quæ præterea desiderabis. Extant item de Militia Romana lib. 5. Iusti Lipsij, quibus nihil existimo scribi potuisse consummatius.

Romanorum imperium in statua illa, quam vidit Nabuchodonosor in somnis, significatum est per tibias. Cur id? Quia in tibijs multum est, carnis, & ossis: in carne teneritudo, & mollitudo est, in osse duritia, & firmitudo. Sic in Romanis magna fuit vis, & firmitas ad eos, qui repugnabant ipsis, frangendos, ac debellandos: magna item humanitas, clementia, fides erga sibi deditos, & subiectos: quibus de rebus valde laudat Romanos sacra scriptura cap. 8. lib. 1. Machab. Bened. Pererius lib. 2. in Danielem.

PARCERE SVBIECT. ET DEBELL. SVPERB.) Consentiunt mirificè illa Propert. lib. 3. eleg. 21.

Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ,
Famam Roma tuæ non pudet historiæ.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat ira manus.

Et Horatius Carmine sæculari rogat, vt Augustus *Imperet bellante prior iacentem Lenis in hostem.*

Laudatiunculam Romanæ militiæ contexuit Lipsius lib. 1. de eodem argumento, dial. 1. Eam visum ad verbum inserere. Quæ gens in militia fortior, aut felicior? Delectum vide, nihil accuratius. Ordinem, nihil aptius. Disciplinam, nihil seuerius, sanctiusque. Itaque per annos septingentos tot triumphos pœne, quot annos numerant, & imperio suo subiecerunt quidquid validum, aut bonũ in orbe terrarum. Nam alios quosdam latius imperasse fortasse dixeris, aut nunc imperare (certe magnum nostrum regem) sed in tam selectis gentibus, aut terris, non dices. Pœnos, Macedonas, Assyrios vicerunt, & imperium in eos vsurparunt, qui ante imperarant. Quid Hispanos, aut Gallos? quos vincere non gloriæ fortassis maioris, sed operæ fuit. Ita paulatim molem illam maximi secundùm deorum opes imperij (Liuij verba agnoscis) constituerunt, idque in optima Europæ, Asiæ, Africæ parte. Qua autẽ alia re, nisi militia hac, quam laudamus? Nam ingenia, numerum, robora hominum si vides: singulis, aut omnibus sæpe vincebãtur: superabat ordo, & disciplina. Ergo haud vanè olim vaticinatus apud Liuium Romulus: Nullas opes humanas armis Romanis posse resistere. Confecit etiam de re militari veterum Romanorũ summa diligentia, & ordine commodissimo libros septem Ioannes Antonius Valtrinus noster. Vide cap. 1. lib. 1. de præstantia militiæ Romanæ.

Sic pater Anchises: atq; hæc mirantibus addit.
Aspice vt insignis spolijs Marcellus opimis
Ingreditur, victorq; viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos, Gallumq; rebellem:
Tertiaq; arma patri suspendet capta Quirino.
Atq; hîc Æneas (vnà namq; ire videbat
Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis,
Sed frons læta parum, & deiecto lumina vultu)
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius? anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum? quantum instar in ipso est?
Sed nox atra caput tristi circumuolat vmbra.

INSIG. SPOL. MARCELLVS OPIMIS) M. Marcellus Viridomarum Gallorum ducem singulari prælio fudit, spolia legit apud Nolam: Annibalem primus, locorum angustia adiutus, vinci docuit. Syracusas per tres annos expugnauit: & cum per calumniam triumphus ei à senatu negaretur, de sua sententia in Albano monte triumphauit. Quinquies Consul, insidijs Annibalis deceptus occubuit, & magnificè sepultus est: ossa Romam remissa, à prædonibus intercepta perierunt. Plin. de viris illust. cap. 45. Manil. lib. 1.

——— *& tertia palma*
Marcellus, Cossusq; prior de rege necato
Certantes Decij votis, similisq; triumphis:
Inuictusq; mora Fabius.

Hoc ad laudes Romanorum, qui bello Punico, quod cum Annibale gesserunt, cœperunt etiã equis superiores esse, cum prius eorum robur omne in legionibus consisteret. Pier. lib. 4. Opima spolia dicuntur ea, quæ dux populi Rom., duci hostium detraxit. Quorum tanta raritas est, vt intra annos paulo (vt restituit Sigonius) minus DXXX tantum trina contigerint nomini Romano, vna quæ Romulus de Acrone Ceninensium duce, Ioui Feretrio tulit, de quo Liuius lib. 1. altera, quæ Cossus Cornelius de Tolumnio Etruscorũ rege: tertia, quæ M. Marcellus de Viridomaro Gallorum duce, fixerunt. M. Varro ait, opima spolia etiam esse, si manipularis

laris miles duci hostium detraxit. Vide Festum, & in eundem Scalig. F. Tiraquell. in cap. 14. lib. 1. Alexand. Neap.

REM ROMANAM) Imperium Romanum. Ennius. *Moribus antiquis res stat Romana, virisq́.*

SVSPEND. PAT. QVIRINO) vt prima fuerint suspensa Ioui, altera Marti, tertia Quirino, id est Marti, qui præest paci, & intra ciuitatem colitur. * *Verba, quibus Romulus in dedicatione spoliorum, ac templi, vsus est ad Iouem Feretrium, hæc leguntur apud Liuium: Iupiter Feretri, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero: templumq́, ĩs regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico, sedem opimis spolijs, quæ regibus, ducibusq́, hostium cæsis, me auctorem sequentes posteri ferent. Vnde dictus Feretrius. Vide Propert. lib. 4. eleg. 11. Gyrald. Syntag. 2. pag. 79.*

EGREG. FOR. IVVEN. ET FVLGENTIB. ARM.) Transit ad Marcellum iuuenem Octauiæ sororis Augusti filium: & artificiose duos Marcellos coniunxit, vt alterum ex vetustate generis alterius commendaret: sed insuper à forma corporis, & à spe futuri roboris illum laudat: deinde ex eius infausto euentu, hoc est, acerbo mortis casu commiserationem mouet. Tantæ enim virtuti fortunam inuisuram esse indicium facit, cum ait, *sed frons læta parum*. Strepitus, de quo hìc quærit Æneas pro plausu, & fauore populari accipiendus, item pro pompa frequenti Romanorum, qui funus comitati fuerant. Mirè enim charus erat pop. Romano, id quod in eius funere testati sunt. Seruius enim, & historici auctores sunt, funus Marcelli lectis sexcentis ornatum, curatumq́ue fuisse, hoc honoris genere à Græcorum consuetudine deducto, qui in funeratione, & funebri pompa sæpe tororum mentionem faciunt, &c. Nascimb. Montfort. German.

Tum pater Anchises lacrymis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum.
Ostendent terris hunc tantum fata, neq; vltrà
Esse sinent. nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mauortis ad vrbem
Campus aget gemitus? vel quæ Tiberine videbis
Funera, cùm tumulum præterlabere recentem?
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet auos, nec Romula quondam
Vllo se tantùm tellus iactabit alumno.
HEV PIETAS, HEV PRISCA FIDES, inuictaq; bello
Dextera. non illi quisquam se impune tulisset
Obuius armato, seu cum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
HEV MISERANDÆ PVER, SI QVA FATA ASPERA RVMPAS,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores: animamq; nepotis
His saltem accumulem donis, ET FVNGAR INANI
MVNERE.

OSTEND. TERRIS HVNC TANTVM. FATA) Adrianus Augustus cum esset matheseos scientissimus, Commodum Ælium Verum, quem successorem sibi delegerat, non diu victurum hoc carmine prædixit, *Ostendent terris*, &c. Et videtur vsurpari posse de his, qui virtutis iam tum studiosi, & magnum quiddam pollicentes, propter eximiam indolem, in ipso ætatis flore rapiuntur. Nec absurdè forsitan sentias, Maronem alludere ad illud Platonis, siue Xenocratis in Axiocho voluisse. Postquam enim senectutis incommoda recensuit, addit hoc. Itaque dij rerum humanarum verè intelligentes, eos, quos præ cæteris hominibus plurimi faciunt, ab hac vita citius liberant, vt quid de morte statuendum sit, suis iudicijs confirmare videantur, & quæ sequuntur. Et Menandri quoque, ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος. Quod in Bacchid. Plaut. ita expressit. *Quem dij diligunt, moritur iuuenis*. Cui germanum est hoc è sacris litteris: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius: Cui rursum bellè concinit hoc Senecæ ex epist. 101. Quam bene viuas, refert, non quamdiu: & sæpe in hoc est benè, ne diu. Adde huc illud eiusdem ex Consolat. ad Martiam, cap. 23. Ingenia quo illustriora, eò, vti ignis, quò clarior fulsit, eò citiùs extinguitur. Plin. lib. 7. cap. 51. Censorium Catonem ad filium de validis quoque obseruationem, vt ex oraculo aliquo, prodidisse, senilem iuuentam præmaturæ mortis esse signum. Nec male huc etiam quadrabit illud Albinovani ad Liuiam, de Druso eius filio.

Quam paruo numeros implenit principis æuo,
In patriam meritis, occubuitq́, senex? *

NIMIVM POT. VIS. VOBIS ROM. PROPAGO) Acerbæ mortis Marcelli caussam assignat, quam ex deorum inuidia deducit, cum epiphonemate commiserationis, dolorisque plenissimo. Si Marcellus in ætate matura tantum reipub. præstare potuisset, quantam puer spem prudentiæ, ac fortitudinis omnibus afferebat, Romana soboles huius viri virtute humanæ conditionis lineas, vt ita dicam, transisse videretur. Cum ingenti igitur dolore, nec absque indignatione in deos, quasi Romanæ gloriæ inuidentes, dictum videri debet.

PROPRIA HÆC SI DONA FVISS.) Propria dona, expone diuturna, aut perpetua. Terent. And.

Ego deorum vitam propterea sempiternam arbitror,
Quod voluptates eorum propriæ sunt.

Attius Medea. *Fors dominatur, neque vita vlli propria in vita est.* Lucul. Cùm sciam nihil in vita proprium mortali datum esse. Virgil. lib. 1. Æneid. *Connubio iungam stabili, propriamque dicabo.* * *A. Hirtius de bello Africo. Quod proprium gaudium bellantibus fortuna tribuere non decreuit.*

QVANTOS ILLE VIRVM CAMPVS AGET GEM.) Pathos per admirationem à miserabili pompæ funebris facie in campo Martio. Etenim ibi crematus, & sepultus fuit. Campus quidem ipse non edet gemitus, sed frequens pop. Rom. multitudo. metonymia. Deinde auersio ad Tiberinum, qui in Tiberi habitare putatur: aut figuratè, deum Tiberinum pro ipso amne, cui præsidet. *Funera* appellat omnis generis mortalium frequentiam, funus in campum Martium deducentium, & efferentium, tot stratis lectis, de quibus supra: item accumbentium in funebri apparatu, quem Augustus in extremo officio, mortuo sit præstaturus. Montfortius.

TELLVS IACTABIT ALVMNO) Alumnus, & alumna ab optimis scriptoribus patiendi tantum, non etiam agendi notione vsurpatas esse voces, hoc est, pro ijs, qui, quæue aluntur, non etiam pro ijs, qui, quæue alunt, docet initio variarum lect. suarum Iosephus Castilio. Iis respondent nutritor, altor: & in genere muliebri, nutrix, educatrix, altrix. Idem ad testimonia, quæ ex Plinio, & alijs non bene intellecta proferuntur in aduersariam partem, ingeniosè respondet, partemque veriorem plurimis auctorum locis, & elegantibus illustrat, quem lege sis.

HEV PIET. HEV PRISCA FIDES) Exclamationis caussa dolor est, quod tria virtutum genera, quæ in heroibus præcipue commendantur erga patriam, cum ipso Marcello sint sepelienda, cum ea per mortem præstare patriæ nequeat, pietas, fides, fortitudo, à qua cum magis commendat per distributionem. Montfort.

SEV SPVMANT. EQVI FOD.) *Vel cum equo spumante Sages*, lib. 12. Vocabulum *fodere*, variè iungitur apud Horat. *laeuum qui fodiat latus*, est, extrema manu pulso latere qui admoneat, vt illum, & illum salutet, & prenset. At Plaut. latus fodere dixit in Aulul. pro, cultro latus aperire. *Congrio, istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.* Virgilius autem armos fodere dixit de equite calcaria equo admouēte. Ex Lamb. in Horat.

SI QVA FATA ASP. RVMPAS) Vtinam aliqua ratione fatalem necessitatē posses effugere, tu esses Marcellus alter, & re, & nomine. Cæsari Augusto recitauit ipse Virgilius secundum, quartum, sextum. Sed hunc præcipuè Octauiæ gratia, sororis Augusti, matris Marcelli, summæ expectationis adolescentis, qui perijt anno ætatis 18. successor Augusti designatus. Cum igitur interesset recitationi Octauia, ad hos de filio suo versus defecisse dicitur: atque ægrè recreata, dena sestertia in singulos poetæ numerari iussisse, hoc est, 256. coronatos, siue daleros 312. vt hac ratione pro versibus vno, & viginti (tot enim sunt ab illo, *Egregium forma iuuenem* &c. ad illum, *Heu miserande puer*, &c. in quo defecta corruit Octauia) quinq; millia, ducentos, & quinquaginta coronatos tulerit.

Admiremur hanc tam ingenuam fœminæ nobilissimæ, ac iudicio non muliebri præditæ liberalitatem, quæ tam ingenti munere ingenia præclara non posse satis digno pretio honorari, voluit ostendere. Nunc si viueret nostro hoc sæculo Virgilius, & quot olim pro paucis carminibus aureos, pro tota Æneide tesseros, aut plum-

A beos nummos acciperet, nonne putas illum magnas actūrum gratias? Cur ita? quia cum litteræ generatim hodie frigeant, & prope in exilium pellendæ videantur, tum poetica cum poetis suis fame propemodum emoritur, quando illorum præmia rapiunt alij, qui aut nihil, aut parum de litteris gustauerunt. Sylla, vt testatur pro Archia Cicero, cum ei malus de populo poeta libellum subiecisset, & in eum epigramma fecisset tantummodo versibus alternis longiusculis, subitò ex his rebus, quas vendebat, præmium ei persolui iussit, cum ea tamen lege, ne quid postea scriberet. Existimauit vir prudens, etiam mali poetæ laborem aliquo præmio prosequendum. Nostri, ne bonos quidem. Audi Plin. epist. 21. lib. 3. Fuit moris antiqui, eos qui vel singulorum laudes, vel vrbium scripserant, aut honoribus, aut pecunia ornare: nostris vero temporibus, vt alia speciosa, & egregia, ita hoc inprimis exoleuit. Nam postquam desijmus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Consentanea his est Mureti querimonia lib. 4. cap. 1. Non mirum, si B illis temporibus multi, & præstantes poetæ fuerunt, cum, qui ea facultate excellebant, & maximis muneribus honestarentur, & honoribus amplissimis mactarentur. Ætate nostra vocalis ille olim Musarum chorus conticuit: quæque auaritia marsupia potentiorum clausit, eadem venas Heliconij liquoris obstruxit.

Sed eò referat sese, vnde aliquantulum deflexit oratio. Hoc de Virgilio, & Octauia cum à multis proditum sit memoriæ, & communi opinione firmatum, Seneca in Consolat. ad Martiam cap. 2. negat, (quanquam dubitare possis, de Virgilijné, an de aliorum versibus loquatur) quos ab Octauia reiectos dicit. Mihi visum est totum locum ad verbum transcribere, vt & qualis hic iuuenis, Marcellus, inquam, fuerit, & quàm insanibili eum dolore mater defunctum prosecuta sit, C perspicuè lector intelligat. Octauia amisit filium iuuenem, spe certa futuri Principis, Marcellum, inquam, cui & auunculus, & socer incumbere cœperat, in quem onus imperij reclinarat, adolescentem animo alacrem, ingenio potentem, frugilitatis, continentiæque in illis aut annis, aut opibus non mediocriter admirandæ, patientem laboris, voluptatibus alienum, quantumque illi imponere auunculus, & (vt ita dicam) inædificare voluisset, laturum. Bene iecerat nulli cessura ponderi fundamenta. Nullum finem per omne vitæ suæ tempus flendi, gemendique fecit. Nec vllas admisit voces, salutare aliquid afferentes. Ne auocari quidem se passa est. Intenta in vnam rem, & toto animo affixa, talis per D omnem vitam fuit, qualis in funere. Non dico, non ausa consurgere, sed alleuari recusans: secundam orbitatam iudicans, lacrymas omittere. Nullam habere imaginē filij charissimi voluit, nullam sibi fieri de illo mentionem. Oderat omnes matres, & in Liuiam maximè furebat: quia videbatur ad illius filium transisse, sibi promissa fælicitas. Tenebris, & solitudini familiarissima, ne ad fratrem quidem respiciens, carmina celebrādæ Marcelli memoriæ composita, aliosque studiorum honores reiecit, & aures suas aduersus omne solatium clausit, à solemnibus officijs seducta, & ipsum magnitudinis fraternæ nimis circumlucentem exosa fortunā, defodit se, & abdidit. Assistentibus liberis, nepotibus lugubrem vestem non deposuit, non sine contumelia E omnium suorum, quibus saluis orba sibi videbatur. Hactenus Seneca. * *Notabis, lector, singulare luctus immoderati exemplar in fœmina, cui tamen solatia multa, vtpote in excelso statu agenti, deesse non poterant.*

De eodē Marcello sic scriptum est à Velleio lib. 2. M. Marcellus sororis Augusti Octauiæ filius, quem homines ita (si quid accidisset Cæsari) successorem potentiæ eius arbitrabantur futurum, vt tamen id per M. Agippam securè ei posse contingere non existimarent: magnificentissimo munere ædilitatis edito decessit, admodum iuuenis, sane ingenuarum (vt aiunt) virtutum, lætusq; animi, & ingenij, fortunæque, in quam alebatur, capax. De eodem Tacitus lib. 1. Cæterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum, sororis filium

lium, admodum adoleſcentem, pontificatu, & curuli ædilitate: M. Agrippam ignobilem loco, &c. extulit. Baijs obijſſe contendit in Commentar. Lipſius, quem lege. In eius honorem, & memoriam mater Octauia bibliothecam dedicauit, Cæſar theatrum, quod nomine Marcelli inſcripſit. Auctor Plutarchus in Marcello.

TV MARCELLVS ERIS) Ibidem Plutarchus. Clara eius (M. Marcelli) progenies vſque ad Marcellum ſororis Auguſti Octauiæ filium, quem edidit ex C. Marcello, pertinuit.

MANIBVS DATE LILIA PLENIS) Lilia poſcit Anchiſes, quibus donis nepotis animam cumulet, vt inde præreptum iri ſpem publicam pop. Rom. indicaret. Hinc Flaccus, cum ſpes noſtras ſæpe fallere animaduertiſſet, indolisq; bona de manibus ſepe rapi conſpexiſſet, poſtquam viuax apium dixit, breue mox lilium ſubiecit. Nam cum omnis flos, tum lilium ſpei hieroglyphicum eſt. Pier. lib. 55. extremo.

PVRPVREOS SPARG. FLORES) De conſuetudine ſepulcra flororibus aſpergendi, multa teſtimonia veterum ſcriptorum afferri poſſunt. Diximus aliquid in locum illum, *Purpureosq; iacit flores*, &c. lib. 5. Sueton. Auguſto, cap. 18. Per idem tempus conditorium, & corpus Magni Alexandri cum prolatum è penetrali ſubieciſſet oculis, corona aurea impoſita, ac floribus aſperſis veneratus eſt. In quem locum vide Torrentium.

Fuit autem ſparſio illa florum recepta etiam in vi-

A uis, nempe ijs, quos honore honeſtos volebant, quosque beneuolentia proſequebantur. Liuius lib. 33. Omnes tendere ad imperatorem Romanum, vt ruente turba in vnum, adire, contingere dextram cupientium, coronas, lemniſcosq; iacientium, haud procul periculo fuerit. Tacitus lib. 14. Annal. Octauiæ imagines geſtant humeris, ſpargunt floribus. Capitolin. in M. Antonino. In ſaliatu omen accepit imperij, coronas omnibus in puluinar ex more iacientibus, aliæ alijs locis hæſerunt, huius velut manu capiti Martis aptata eſt. Ouid. de Germanico triumphante

Quaq; ibis manibus circumplaudère tuorum:
Vndiq; iactato flore tegente vias.

B Herodian. lib. 1. de Commodi aduentu in vrbem, *τοῦτον δὲ θεασάμενοι τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι εὐφημίαις πανδήμοις, καὶ στεφάνοις, καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο.* Lipſius in Tacitum.

Alludit, credo Maro Marcellum lugens, ad Græcorum morem, qui conſpergere floribus ſepulcra ante diem morte immatura interceptorum ſolebant, referentes ad momentanei vigoris, & æui breuitatem, quæ flores carpit, &c.

ET FVNG. INANI MVNERE) officium enim illud honorarium Anchiſæ *ἀποτρόπαιον* non erat, neque ad auertendum Marcelli fatum quidquam proficiebat. Sic etiam lib. 11. in principio. *vano mæſti comitamur honore.* Vano dixit, quod eo in vitam reuocari deſiderati mortui non poſſint. German.

----- Sic tota paſſim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia luſtrant.
Quæ poſtquam Anchiſes natum per ſingula duxit,
INCENDITQVE ANIMVM FAMÆ VENIENTIS AMORE:
Exin bella viro memorat, quæ deinde gerenda,
Laurentesq; docet populos, vrbemq; Latini:
Et quo quemq; modo fugiatq;, feratq; laborem.
Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes.
His vbi tum natum Anchiſes, vnaq; Sibyllam
Proſequitur dictis: portaq; emittit eburna:
Ille viam ſecat ad naues, ſociosq; reuiſit.
Tum ſe ad Caietæ recto fert littore portum:
Anchora de prora iacitur: ſtant littore puppes.

AERIS IN CAMPIS) An quod inanis tota illa plaga ſit, corporibus carens, animasq;, & vmbras aërias eorum vice habeat, & aëre vacuo diffuſa ſit, & obſeſſa? aërem enim inane appellari, non eſt inuſitatum. Quin inanitas de mari etiam dicitur. Plin. lib. 6. cap. 1. Non fuerat ſatis Oceano ambiſſe terras, & partem earum, aucta inanitate abſtuliſſe. Nam malè, immanitate ſcribitur. An vero quòd in ditione ſint Ditis, regiones atræ, & caliginoſæ, id eſt, aëriæ? poëtæ autem græci *ἠερόεντα* quoque *κέλευθα*, id eſt, vias aërias appellant, quæ ad Orcum ferunt. Turneb. lib. 11. cap. 19.

INCEND. ANIM. FAMÆ VEN. AM.) fama enim, & glorioſum nomen animos ingenuos ad præclara facinora ſollicitant. Spes quædam immortalitatis viris

C magnis acerrimus eſt ad virtutis opera ſtimulus.

EXIN BELLA VIRO MEM.) Longitudinem narrationis in compendium confert: nimis enim longum fuiſſet, ſi ſeparatim recenſere omnia voluiſſet. Sic Terent. And. cum multa de nuptijs dicta fuiſſent, ne nimium actus producerentur, *intus*, inquit, *deſpondebitur*, *Intus tranſigetur, ſi quid eſt, quod reſtat.* Vt igitur poeta Anchiſen longa ſuorum nomenclatura quaſi defeſſatum leuare, lectoriq; etiam conſulere videretur, ex ſua perſona cætera ipſe breuiter colligit, quæ Anchiſes Æneam longiori oratione admonuiſſe putandus eſt, bella, quæ geſturus, & cum quibus populis, denique modum, quo aut fugere, aut ferre laborem poſſet. Naſcimb.

SVNT GEMINÆ SOMNI PORTÆ) Vt inferos A esse, vbi à sceleratis post mortem pœnæ exigantur, nemini vnquam sano dubium fuit, ita excubantem pro inferorum foribus Cerberum, & Acherontis transuectionem, & caussæ dictionem ad Minois tribunal, & pertusis dolijs aquam haurientes puellas, & Ixionis sibi assiduò imminentem fugam, & metuentem ne aut siti, aut impêdentis saxi casu denuo moriatur: Tantalum, & totam deniq; illam in Plutonis domo tragœdiam, quicunq; ex veteribus paulo cordatiores erant, in somniorum, aut anilium fabularum loco semper habuerunt. Itaque & Cic. 1. Tuscul. ea irridere, ac pictorum, & poetarum portenta vocare non dubitat, quæ conuincere nihil negotij sit: & aliorum quamlibet multa testimo- B nia colligi possunt, ex quib⁹ constet, candê illorû quoq; de his reb⁹ fuisse sententiâ. Sed & antiquissimus poetarum Homerus, tecta quadâ vrbanitate significauit, quæcunque ipse de inferis cecinisset, talia esse, qualia interdum muliereculis, & puerulis ad focum sedentibus, aut fallendi, aut conciliandi somni gratia narrari solerent. Facit enim Vlyssem moneri à matre, vt quam primum superos repetat, quæque apud inferos vidit, mente cô-dita teneat, vt habeat quod vxori narrare possit.

Ἀλλὰ φόως δὲ τάχιστα λιλαίεο. ταῦτα δὲ πάντα
Ἴσθ᾽ ἵνα καὶ μετόπισθε τεῇ εἴπησθα γυναικί.

Vt tantum non apertè dicere videatur, πὰρ πυρὶ χρὴ τοιαῦτα λέγειν χειμῶνος ἐν ὥρῃ. Summus autem Homerica- C rum virtutum imitator Virgilius, aliam rationem commentus est, qua idem obscurè, ac symbolicè indicaret. Nam cum duas ex Homero hic quoque portas fecisset, corneam vnam, qua vera, eburneam aliam, qua falsa insomnia mitterentur, Æneam spectatis illis inferorum portentis, porta eburnea egredientem facit, vt sagacib⁹ lectoribus suspicandum relinqueret, talem esse totam illam τερατολογίαν, qualia somnia ex inferis, eadem illa porta exire dixisset. Muret. lib. 11. cap. 7.

Sed quia istud de geminis somni portis ab Homero sumpsit Virgilius, valebit in hunc eundê locum Porphyrij explanatio, quam ex eiusdem in Homerum cômentarijs affert Macrob. lib. 1. in Som. Scip. cap. 3. his verbis. Latet omne verum: hoc tamen anima, cum ab officijs corporis somno eius paulùm libera est, interdum aspicit: nonnunquam tendit aciem, nec tamen peruenit. Et cum aspicit, tamen non libero, & perfecto lumine videt, sed interiecto velamine, quod nexus naturę caligantis obducit. Et hoc in natura esse idem Virgilius asserit dicens:

Aspice, namq; omnem quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Hoc velamen, cum in quiete ad verum vsque aciem introspicientis admittit, de cornu creditur: cuius ista natura est, vt tenuatum visui peruium sit. Cum autem à vero hebetat, ac repellit obtutum, ebur putatur, cuius corpus ita naturà densatum est, vt ad quamuis extremitatem tenuitatis erasum, nullo visu ad vlteriora tendente penetretur. Consule insuper Chiliad. adag. Oculis magis habenda fides, quam auribus.

Addamus his Turnebi sententiam ex lib. 4. cap. 14. Ferè putem Somni dictum, pro, somnij, vt dicantur somniorum duæ portæ. Moueor auctoritate Homeri, qui ὀνειρείῃσι πύλῃσι scripsit, id est, somniorum portis. Cuius qui negauerit imitatorê Maronem, is eadem licet opera affirmet, nihil intra oleam, nihil extra in nuce duri esse. Quanquam Hesychius, & somnij portas, & somni etiam accipi posse confitetur: cum præsertim inter dormiendum visa somniorum nos lacessant, vt somni portis emissa videantur.

Ausonius in Ephemeride quoque meminit harû portarum, atq; etiam alterius cuiusdam loci in hoc eodem sexto, vbi poeta vlmum sedem constituit vanis somnijs. Enumerat igitur somnia sua partim læta, partim tristia, & hæc auersatur, tandemque somnia quæcunque, quoniam ita luna eis placeat, vt non nisi cum ea veniant, nocturno tempore scilicet ad lunarem polum abire iubet. Habitari enim lunam, ibique montes, ac ciuitates esse garriuerunt quidam ex antiquis. In extremo non vnam vlmum, vt Virgilius, sed vel nemus vlmorum illis incolendum offert, dummodo ijs carere B queat.

Diuinum perhibent vatem sub frondibus vlmi
Vana ignauorum simulacra locasse soporum,
Et geminas numero portas. Quæ fornice eburno,
Semper fallaces glomerat super aëra formas.
Altera quæ veros emittit cornea visus.
Quod si de dubijs conceditur optio nobis
Deesse fidem lætis melius, quàm vana timeri.
Ecce ego iam malim falli. Nam dummodo semper
Tristia vanescant, potius caruisse fruendis,
Quam trepidare malis. Satis est benè, si metus absit.
Sunt & qui fletus, & gaudia controuersa
Coniectent, varioq; trahant euenta relatu.
Ite per obliquos cæli mala somnia mundos, C
Irrequieta vagi quà difflant nubila nimbi.
Lunares habitate polos. Quid nostra subitis
Limina, & angusti tenebrosa cubilia tecti?
Me sinite ignauas placidum traducere noctes:
Dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu.
Quod si me nullis vexatum nocte figuris
Mollis tranquillo permulserit aëre somnus,
Hunc lucum nostro viridis qui frondet in agro
Vlmeus, excubijs habitandum dedico vestris.

Quinq; potissimùm genera somniandi constituit Macrob. in Som. Scip. lib. 1. cap. 3. ὄνειρον somnium, ὅραμα visionem, χρηματισμὸν oraculum, ἐνύπνιον insomnium, D φάντασμα, quod Cicero visum appellauit. Est autem insomnium, cum curæ, quales vigilantem fatigauerant, tales se ingerunt dormienti, siue eæ ad animum, siue ad corpus, siue ad fortunam pertinuerint. Quæ quoniam ex habitu mentis quietem, sicut præuenerant, ita & turbauerant dormientis, vnà cum somno auolant, & pariter euanescunt. Hinc & insomnio nomen: non quod per somnum videtur (hoc enim est commune huic generi cum cæteris) sed quia in ipso somnio tantummodo esse creditur, dum videtur, post somnium nullam sui vtilitatem, vel significationem relinquit. At falsa quidem hæc esse, insomnia inquam, nec Maro, vt vides, tacuit. Amorem quoque describens, cuius curam semper sequuntur insomnia, ait in quarto, *hærent infixi pe-* E *ctore vultus, Verbaque nec placidam membris dat cura quietem.* Et post hæc. *Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?* Cælum autem isto loco viuorum regionem vocauit: quia sicut dij nobis, ita nos defunctis superi habemur. * *De falsis somnijs, & porta ista eburnea, Horat. Ode 27. lib. 3.*

——————— vigilans ne ploro
Turpe commissum? an vitijs carentem
Ludit imago
Vana? quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit.

Propert. de Cornea lib. 4. eleg. 7.

Nec tu sperne pijs venientia somnia portis,
Cum pia venerunt somnia, pondus habent.

Libet

Libet tandem coronidis loco, hanc eburneam, & corneam portam, Io. Aurati elegia aurea inaurare. Germanus enim peropportunè sua succurrit symbola. Nullo alio libro laxius visus est mihi, ait, effundi in laudes Iuleæ familiæ Maro, quàm hoc sexto, per quem passim vtitur superûm, inferûmq; responsis, Anchisæ effatis, & præsentia, ad constituendam Romani imperij magnitudinem. quia tamen videri poterat commentum poeta agnoscere, & tacitè, de gente Troiana laudes susceptas detergere, & deflorare hoc claudente ferè librũ versu, quo Æneam porta dimittens eburna, ex loci, & Seruij sententia, indecenter superiorum oraculorum fidem, deformi palinodia conuellit, Ioannes Auratus consultus, ex hoc ancipiti viæ flexu, eduxit me, filo ita præeunte.

DE ÆNEÆ PER PORTAM EBVRNEAM EGRESSV ab inferis. Ad Germanum Valentem Pimpontium Regis à consiliis.

Io. AVRATVS Poeta Regius.

QVi magni tenebras nunc illustrare Maronis
Ausus es, & tanta rupis inire sinus.
Vnde per ora nouem magno cum murmure fontis
Vnda sonat, totidem quæ facit vna lacus:
In quos haud vlli caua mersa profundius vrna,
Quam tibi Pimponti, linguæ vtriusq; decus:
Túne vltrò me sacra vocas ducturus in antra?
An tibi sum visus dignus in illa comes?
An magis in proprium non ambitiosus honorem,
Me quoque partem aliquam laudis habere cupis.
Quamlibet ad montis socius sim debilis alti
Culmina, non dubitem te, comes ire, duce.
Ergò te sequor, & iuga, te præeunte, remota
Scandere prensandis vepribus aggredior.
Magna paro, quæ tam multi quærenda putarunt
Illustres, nec adhuc fas reperêre, viri,
Prodere: quæ fuerit fingendi causa Maroni,
Quod constare sibi non benè, quisq; putet.
Æneam (Elysiis cum iam rediturus ab aruis
Carperet ad superos cum duce vate viam)
Emissum porta cur vates dicat eburna,
Somnia quæ manes mittere falsa solent.
Quò fit vt & possint hinc cætera falsa videri,
Quæ de Romanis præcinit antè pater.
Nam si mendacem non dedecet esse poëtam,
Mendacem immemorem dedecet esse tamen.
Omnis vt historia ficta consentiat ordo:
Constet & ex omni fabula parte sibi:
At mihi si fas est secreta recludere vatis:
Altaq; tam docti pandere sensa viri:
Mæonidæ pariter Graij, Latiiq; Maronis
Orgia, (sit procul hinc turba profana) canam.
Mæonides antro Nympharum fingit Vlyssem
Ingressum porta, quæ Borealis erat.
Altera nam Australis, quæ non mortalibus vllis
Peruia, sed solis est ineunda deis.
Hæ geminæ portæ respondent scilicet illis,
Somnia vera quibus, falsaq; missa volant.
Cornea, quâ veris facilis datur exitus vmbris,
Australi portæ conuenit vna Deûm.
Quæ Borealis habet nomen, respondet eburna:
Quaq; meant homines, somnia falsa meant.
Et quia corpus erant hominum mortale Sibylla,
Æneasq; simul vera, nec vmbra leuis:
Porta mortales exire decebat eburna:
Cornea nam veris manibus vna patet.
Nec tamen hinc possunt Anchisæ falsa videri
Dicta, quod Æneas falsa vel vmbra foret.
Anchises namq; vmbra fuit sine corpore vera:
Et verum dixit vera quòd vmbra fuit.
Vera namque dei sunt vmbræ: fallere nec dijs
Fas est: sed veros dicere vera decet.
Somnia & ipsa deûm sunt vera signa figuræ:
Falsa quibus vita est, somnia falsa hominum.

Nec veris, falsisq́, idem patet exitus vmbris,
Id quod & his verbis innuit ipse Maro.
Nulli fas casto sceleratum insistere limen,
Nam sceleratis hominum, castaq́, turba Deûm.
Nec dissentit ab his diuini charta Platonis,
Antri quæ geminas differit esse fores.
Penè sui vertens ad verbum carmen Homeri,
Diuersasq́, deum dans, hominumq́, vias.
Sunt animis geminæ veniunt dum in corpora portæ,
Exceduntq́, illis: hac Borea, illa Noti.
Per Boream veniunt cum corporis antra capessunt:
Octipedis cancri quà iubar acre micat.
At redeunt cœlo, quà stas Capricorne, per Austrum:
Mortifer est Auster, viuificus Boreas.
Testis erit quod deficiens animus quoq, flatu
Australi, Borea flante recolligitur.
Mors & ad astra viam, sedes aperitq́, deorum:
Sedem ad mortalem vita fit ipsa via.
Viuentes morimur, morientes viuimus: vmbra
Falsa sumus viui, veraq́, post obitum.
Dii quoque sunt vmbræ, qui sunt sine corpore, veræ:
Falsa sunt vmbræ, quas graue corpus habet.
Æneas qualis, qualis fuit vmbra Sibylla:
Cornea cui clausa est, portaq́, eburna patet.
Sed me nunc satis est digito monstrasse latebras
Antri: plura sibi, qui volet, inde petat.
Porphyriumq́, simul comitem sibi vatis in antrum
Iungat, vt & nobis possis habere fidem.
Virgilium finxisse sibi constantia, cum dijs
Cornu, sed non dijs sculptile donat ebur.
Hac tibi Pimponti si non, & qualia vellem,
Qualia nunc possum consule missa boni.
Donec & in nostro tibi pars ponatur Homero:
Cuius in antra sacra est impetus ire mihi. &c.

Hactenus Germanus ex Aurato. Consule etiam lib. 59. A apud Pierium, super veris, falsisq; somnijs. p. 431.

ILLE VIAM SECAT AD NAVES) Dixit, secare viam, vt Euripides Phœnissis. *ὁ τὴν ἐν ἄστροις ὑγρὰν τέμνων ὁδόν.* Sic Posidippus in epigramm. *ποίην τις βιότοιο τάμοι τρίβον.* Rursum lib. 12. *Sic Turno, quacunq, viam secat, agmina cedunt.* Et Georg. 1.

Has inter mediamq́, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ diuûm, & via secta per ambas.

Lucret. lib. 6. de aqua marina per terræ meatus colata. *inde super terras redit agmine dulci: Qua via secta semel liquido pede detulit vndas.* Alibi noster, *scindere viam* dixit.

AD CAIETÆ PORTVM) Vide initium libri sequentis. Sed *προληπτικῶς* accipiendum, id est, tum enim hoc nomen nondum habebat.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Laus Deo.





SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER XII.

Ad ſeptimum Aeneidos.

SYNOPSIS.



Omerus noſter Mantuanus Æneidem ſuam, id quod in Prodidagmatis docere meminimus, ſimulacrum quoddam, paruum illud quidem, atq; modicum, ex bipartito Homeri opere, eoq; longo admodum, & è libris eius plurimis, puta, ex Iliade, & Odyſſea, cum ingenio, & iudicio (quorum vtrumq; maximum illi contigit) cum labore præterea, diligentiaq; vix imitabili effingere omni ope, induſtriaq; contendit. Sed cum hæc ſedata, ciuilis, & tanquam comica: illa contrà, fremitus, ac tumultus plena, prorſus bellica, tragœdiæq; ſimilis videatur: hæc Vlyßis prudentißimi viri, in patriam redire enixiſſimè laborantis varios errores, variosq; caſus: illa præliorum dimicationes apud Troiam, & funera vtrinque facta pertractet, Latinus vates ordine permutato, prius Odyſſeæ, quam Iliadis imaginem quaſi expingere inſtituit: ac prioribus quidem libris ſex virum, Troiæ qui primus ab oris, multum terra, mariq; rebus aduerſis exercitus in Italiam aliquando profugus veniſſet: totidem ſequentibus arma, & eundem heroem multa bello paſſum, donec vrbem, potitus videlicet Lauiniæ connubio, conſtitueret, admirabiliter deſcripſit. Quocirca, qui liber ordine ſeptimus numeratur, idem huius auguſtißimi, æternumq; memorandi poematis alterum dimidium exorditur: quandoquidem initia, cauſſasq; bellorum omnium comprehendit, & in extremo, (vti Homerum Iliad. lib. 2. feciſſe manifeſtum eſt) catalogum haud ita breuem, earum vrbium, atque ducum contexit, qui belli ſocietatem cum Turno aduerſum Troianos coiuerunt. Iſtuc verbis planißimis Maro ipſe, non longè à principio monet:

—— & primæ reuocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu diua, mone. Dicam horrida bella,
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamq; manum, totamq; ſub arma coactam
Heſperiam.

Sed vtilißimum fore autumo, τὸ ὑποκείμενον totius libri huius particulatim lectori, & ἀναλυτικῶς ad cognoſcendum proponere. Ab inferis regreſſus Æneas, dataq; ad ſepulturam Caietæ nutrice ſua, à qua vſque hodie eius loci oppidum Caietæ vocabulum tenet (id quod ad venerandæ anus illius immortalitatem proficit) inſulam Circes triueneficæ, vt Plautinè dicamus, Neptuni fauore feliciter præteruehitur. Etiam tum voces ſociorum Vlyßis, cantionibus, & pharmacis magæ illius in beſtias conuerſorum ibidem exaudiebantur, erantque metu ſuſpenſæ Troianorum mentes, ne quo infortunio eodem appulſi, pari calamitate mactarentur, &

Tres tulerat Fortuna duces: quos obruit omnes
Armorum strue diuersa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet: Libyco iacet æquore Magnus,
Iulius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et, quasi non posset tot Tellus ferre sepulcra,
Diuisit cineres. Hos gloria reddit honores.

TV PRIOR PROIICE TELA SANG. MEVS) Quod priorem arma ponere vult Cæsarem, innuit singularẽ eius clementiam, quã plenis buccis Orat. pro M. Marcello prædicat Cicero. Dignum memoratu, quod in A Pompeio narrat Xiphilin. vnde mansuetudinẽ viri cognoscas. Cæsar inuentas in scrinijs Pompeij literas, quibus multorum in illum beneuolentia, in Cæsarem odium significabatur, neque legit, neque descripsit: sed statim combussit, ne commotus grauius aliquid committeret. Hinc permultos sibi deuinxit. Poetæ sæpius *sanguinis* voce progeniem nominant. Horat. Ode 20. lib. 2. *non ego pauperum Sanguis parentum*. Et carminẽ sæculari, *Clarus Anchisæ, Venerisq́; sanguis*, de Augusto.

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achiuis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniasq́; Mycenas,
Ipsumq́; Æaciden, genus armipotentis Achilli,
Vltus auos Troiæ, templa & temerata Mineruæ.
Quis te magne Cato tacitum, aut te Cosse relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyæ? paruoq́; potentem
Fabricium, vel te sulco Serrane serentem?
Quò fessum rapitis Fabij? tu Maximus ille es
VNVS, QVI NOBIS CVNCTANDO RESTITVIS REM.

TRIVMPH CAPIT. AD ALTA CORINTHO) Corinthum describit Strabo lib. 8. De conditore huius vrbis, & nomine Velleius ita lib. 1. Paulo ante Aletes sextus ab Hercule, Hippotæ filius, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est quod miremur ab Homero nominari Corinthum. Nam ex persona poetæ & hanc vrbem, & quasdam Ionum colonias, ijs nominibus appellat, quibus vocabantur ætate eius: multò post Ilium captum conditæ.

Qua porro ratione vrbs eadẽ tam opulenta euaserit, indicat Thucydid. lib. 1. Nam Corinthij, inquit, cum vrbem in Isthmo sitam tenerent, semper habuerunt forum frequens rerum venalium. Græci enim olim magis terra, quam mari congrediebantur, & qui in Peloponneso, vel extra habitabant, per ipsorum terram præcipuè inter se commeare solebant. Vnde Corinthij opibus præpotentes facti sunt, id quod etiam veterum poetarum elogia indicant. Nam diuitem in poematis appellant hanc ciuitatem. Græci enim postquam crebrius nauigare cœperunt, & iam ipsi re nautica melius instructi, piraticam sustulerunt, atque hoc emporio ab vtraq; parte vti cœperunt, diuitiarum affluentia potentem tenuerunt hanc vrbem.

Horatius bimarem, id est, διθάλασσον, vel, vt quidam malunt ἀμφιθάλασσον vocat, Ode 7. lib. 1. Caussam euersionis Cic. in Maniliana dicit fuisse, quod legati Romanorum essent ibi appellati superbius. Et totius Græciæ lumen appellat. In Offic. aliam caussam ponit, opportunitatem loci maximè, ne posset aliquando ipse locus Corinthios ad bellum faciendum adhortari. Euertit L. Mummius eodem anno, quo Carthago concidit, vt habet Velleius, post annos DCCCLII quàm condita, & dictus est Achaicus. Fuit autem adeò rudis, vt cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam inde portandas locaret, iuberet prædici cõductoribus, si eas perdidissent, nouas reddituros.

Præclara quædam Strabo lib. 8. de tabulis Corin- B thiacis. Idem. Pleraque & præstantissimorum donariorum quæ Romæ sunt, Corintho allata fuerunt: quædam etiam circum vicinæ vrbes adeptæ sunt. Mox de negligentia Mummij harum rerum subiungit. Triumphum Romanorum alibi descripsimus. De curru, & corona laurea Tibull. lib. 1. eleg. 7.

At te victrices lauros, Messalla, gerentem,
Portabat niueis currus eburnus equis.

Formula, qua triumphatores Imperatores in Capitolio dijs ob victoriã gratias agebant, hæc erat. GRATIAS TIBI IVPITER OPTIME MAXIME, TIBIQVE IVNONI REGINÆ, ET CÆTERIS HVIVS CVSTODIBVS, HABITATORIBVSQVE ARCIS DIIS LVBENS, LÆTVSQVE GRATIAS AGO, RE ROMANA IN HANC DIEM, ET HORAM PER C MANVS, QVOD VOLVISTIS, MEAS SERVATA, BENE GESTAQVE, EANDEM ET SERVATE, VT FACITIS, FOVETE, PROTEGITE PROPITIATI, SVPPLEX ORO. Principio autem pompæ, in Vaticano sic precabantur *Di: nutu, & imperio quorum nata, & aucta est res Romana, eandem placati, propitiatiq́; seruate*. De origine, & notione vocabuli *Capitolium* satis multa diximus lib. 9. ad illud, *Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum.*

ERVET ARG. IPSVMQVE ÆACIDEN) Errasse in his versibus Virgilium dixit Hyginus, vt quidem narrat Gellius lib. 10. cap. 16. confudisse enim & personas diuersas, & tempora. Nam neque eodem tempore, neq; per eosdem homines cum Achæis, & Pyrrho bellatum D est. Pyrrhus enim, quem dixit Æaciden, de Epiro in Italiam transgressus, cum Romanis depugnauit aduersus Manium Curium in eo bello ducem: Argiuum autem bellum, id est, Achaicum, multis post annis à L. Mummio imperatore gestum est. Potest igitur, inquit, medius eximi versus, qui de Pyrrho importune immissus est, quem Virgilius proculdubio, inquit, exempturus, fuit. Atque accusatio quidem hæc est. Nunc defensionem Iouiani ex Antonio eius dialogo producamus.

Non possum non admirari, etiam ad risum vsque tum Hyginum, tum Gellium, qui studio quodam reprehendendi præcipites, in maximos errores inciderunt.

Primum quod de Pyrrho dictum, non de Persa rege putent. Neque enim Pyrrhus à pop. Rom. victus est, neque regnum Epirotarum Pyrrho viuente captum, atque in prouinciæ formam redactum est: sed Perses, qui à Paulo ductus est in triumpho, quo capto, Macedoniaque spoliata, Æacidarum imperium finiuit. De quo etiam Propertius ait.

Et Persen proaui stimulantem pectus Achillis,
Quiq; tuas proauus fregit, Achille, domos.

Hoc igitur superato, regnoque Æacidarum deleto, populus Romanus videri potuit Troiæ ruinas vltus fuisse. Deinde non animaduertère, induci à Virgil. Anchisen nequaquam singulos referentem, qui ab Ænea originem ducturi essent, sed quosdam tantùm, neque tempus, ordinemúe seruari: quippe cum de Cæsare, atque Pompeio, antequam de Fabio, Marcello, Scipionib', mentionem faciat. Satis enim habebat Anchises, quibusdam nominatis, quibusdam à rebus gerendis significatis, spe, atq; gaudio futuræ stirpis Æneam implere. Quare cum dicit,

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achiuis,

potest iure videri Mummium, qui Achaicus cognominatus est, quique Corinthum sustulit, significare. Post verò cum addat, *Eruet ille Argos, Agamemnoniasq; Mycenas*, alium profectò significat. Et hic quidem Paulus est, qui Persen vicit. Quanquã autem Paulus neq; Argos euertit, neq; Mycenas, hoc tamen vt Æneam soletur, ab Anchise dicitur, cuius ipsius posteri euersuri essent Argos, siue Achaicum, quæ arx videbatur Achæorum, quorum principes aduersus Troianos coniurauerant, siue Thessalicum, quando ducum Thessaliæ virtus in eo bello plurimũ enituerit, & Mycenas Agamemnonis patriam, qui fuit Græcorum, ac belli dux. Quocirca dum Virgilium non minus imprudenter, quam impudenter accusant vterque, & Hyginus sententiæ huius aduersus Maronem auctor, & suffragator eius Aulus, in errorem maxima animaduersione dignum incidère.

Alciatus Parerg. iuris lib. 5. cap. 21. Iouiani sententiam non satis probat, cum non iisdem ducibus Perses, & Achæi sint superati. Satius ergò erit de Persis filio Andronico intelligere, qui & Pseudophilippus dictus est, & vltimus regum Macedonum fuit: quem Q. Cæcilius Metellus vicit, cepitque, & de eo triumphauit. Idemque Achæos cum Bœotijs, & Chalcidensibus superauit ad Thermopylas, Critolaumq;, eorum ducem adegit, vt veneno sibi mortem consisceret, vt Pausanias in Achaicis scribit, & historiæ lib. 50. & 52. T. Liuius est auctor. Videtur ad Maronianum carmen allusisse & Germanicus Cæsar quodam græco eleganti epigrammate, quod Thomas Morus sic conuertit.

Mauortis genus Hector aue, si quid sub humo audis,
Respira, & patria nomine cresce tua.
Ilios vrbs colitur, nunc inclyta gens colit illam,
Quam tu Marte minor Martis amica tamen.
Myrmidones periere, ades, & dic Hector Achilli,
Esse sub Æneadis vndiq; Thessaliam.

Placitum est his etiam Modicij responsionem, eruditam, & probabilem attexere, quæ est eius libelli, quo Virgilium à calumnijs vindicat, cap. 3. Virgilius cum res multas de Romana historia singulis tantum verbis attingeret, non induit historici personam, cuius interest rerum, & temporum ordinem seruare: sed licentia poetica vsus, quædam disiuncta temporibus, quia euentu similia fuerunt, & ad eundem finem potuerunt referri, rectè coniunxit. Satis enim est Poetæ, in summa rerum veritatem retinere: in partibus aliud
A aliquid fingere concessum est. Romani Græcos debellarunt: Virgilius non dissentit. Verùm illi non debellarunt, vt Troianorum, à quibus oriundi erant, iniurias vlciscerentur: sed suas, quia Græci à Romanis Macedonum tyrannide liberati, & donati libertate, in benefactores ingrati, contumaces, & rebelles fuerant. Virgilius tamen illos auorum iniurias per quandam consecutionem, quam Logici concomitantiam vocant, vltos esse rectè dixit. Anchises igitur apud inferos, vt Poeta fingit, Æneam consolatur, afficit lætitia, addit ei ad labores perferendos alacritatem: quia Romani ex Troianis orituri erunt, & euertent Argos, Mycenas, & genus Æacidarum, & Troianorum iniurias vlciscentur.
B Sic etiam libro primo Æneid. Venerem Troianorum calamitatibus dolentẽ, Iupiter his versibus consolatur.

veniet lustris labentibus ætas
Cum domus Assaraci Phthiam, clarasq; Mycenas
Seruitio premet: & victis dominabitur Argis.

Venus, & Æneas Achillem oderant, cuius patria fuit Phthia: Diomedem, qui imperauit Argis: & Agamemnonem, qui regnauit Mycenis, præcipuos Troianorum hostes, & euersores. Phthia in poetarum nugis fuit vrbs magna, & memorabilis nullam ob aliam caussam, nisi quia Achillis patria fuit. Apud Historicos, & Geographos fuit vicus ignobilis, cuius nullum prorsus vestigium Romani Thessaliam debellantes inuenerunt:
C Mycenas ducentis annis antè, quàm Romani Græciam occuparent, Argiui deleuerant. Virgilio tamen licitum fuit Phthiam seruitio pressam fingere, & Mycenas erutas, quas Romani nusquam inuenerunt: & erutos Argos, qui cum Achæis à L. Mumio pugna victi portis apertis sese victoribus Romanis dedentes, ab illis sunt seruati: hæc autem, vt vltio euidentior appareret: ingeniosè, prudenterque ficta sunt ad Romanorum pietatem in Troianos auos amplificandam. Curij Dentati victoria pulso Pyrrho ad vltionem Troianorum non pertinuit: sed Romanorum, quibus bellum intulit. Pyrrhus à Tarentinis in Italiam euocatus prima pugna Romanos vicit: alterius pugnæ dubia fuit victoria: Pyrrhus tamen superior est habitus: tertia pugna victus à
D Curio excessit Italia. Non est erutus, id est euersus, non domitus, non regno spoliatus: quod regnum filij post eum tenuere: & genus Æacidarum permansit. Rectè Seruius Grammaticus dixit, in illis verbis *Ipsumque Æaciden*, subintelligendum esse *& ille*, quasi dicat, & ille eruet ipsum Æaciden. Declaro. Pater, qui filio secum spectanti in promiscua turba aliquot homines porrecta manu, atque intento digito commonstrat: non necesse habet de singulis, dicere ille, & ille: quod hæ voces in gestu positæ sint: nam in scena quędam sine verbis gestu significantur & intelliguntur. multa enim verba gestu adiuuantur: etenim manus porrecta, & digitus intentus satis docilem reddit audi-
E torem, vt ad illum, & illum oculos referat, quem narrator demonstrat. In sermone poetico non semper tam clara expetenda est rerum distinctio: vt in soluta oratione: sed quædam sunt (vt diximus) subintelligenda. Erui non propriè dicitur de homine, sed de loco, vt de patria: nisi quia aliquando homines pro rebus, & res pro hominibus ponuntur, vt in secundo libro, Vcalegon ardens pro domo ardente. Sic eruet ille ipsum Æaciden, qui Ambraciam Pyrrhi patriam extincto genere Æacidarum expugnabit: & is Fuluius Nobilior fuit. Paulus etiam Æmilius Perse Macedonum rege victo, Epirotarum, quibus olim Pyrrhus imperauerat oppida septuaginta diripuit, multaque hominum millia vendidit. Itaque à Fuluio, atque Æmilio verius, quàm

à Curio Dentato erutus, & euersus fuit Pyrrhus, id est Pyrrhi patria, regnum & genus vniuersum Æacidarum: nam Epirotæ pro Achille, & Neoptolemo Troiæ euersoribus, vt Poeta significat, pœnas luerunt. Quapropter ex illis verbis, *Et ille eruet ipsum Æaciden*, non solùm ignominia Pyrrhi ex Italia pulsi, sed etiam extrema patriæ, regni, & generis ruina intelligenda est. Quemadmodum, Æneas, Græci Troiam patriam nostram funditus euerterunt: sic Romani à nobis oriundi eruent, & euertent Argos, Mycenas, & ipsum Pyrrhum magnum bellatorem de genere Achillis cum patria, regno, stirpe, atque vniuersa gente Æacidarum. Si quis Hygini consilium secutus hunc versum eximat, (quem ille importunum vocat) summam rei venustatem, gratiamque tollet: sensum pulcherrimum peruertet: & B Romanorum gloriam, atque in maiores suos pietatem minuet, atque obscurabit. Non igitur diuersas personas Virgilius confudit: sed quas non potuisset nisi multis verbis contra institutam breuitatem nominare, prudenter tacuit, & duobus verbis aptissimè significauit.

QVIS TE MAGNE CATO TACITVM) Laudes Catonis Vticensis (hunc enim, non Censorium debemus accipere) exequitur Velleius lib. 2. his verbis. Hic genitus proauo M. Catone, principe illo familiæ Portiæ, homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio dijs, quàm hominibus propior, qui nunquam rectè fecit, vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat cuiq; id solum visum habere rationem, quod haberet iustitiam, omnibus humanis vitijs immunis, semper fortunam in sua potestate habuit, &c. Hunc cum Iulio Cæsare comparat Sallustius in Catilin.

AVT TE COSSE RELINQVAT) De Cornelio Cosso adscribemus quæ affert Plin. de viris illustr. cap. 25. Fidenates fidei Romanorum hostes, vt sine spe veniæ fortius dimicarent, legatos ad se missos interfecerunt, ad quos Quintius Cincinnatus Dictator missus, magistrum equitum habuit Cornelium Cossum, qui Lartem Tolumnium ducem sua manu interfecit: de eo spolia opima Ioui Pheretrio secundus ab Romulo consecrauit. Liuius de hac cæde lib. 4. in hæc verba. Is cum ad impetum Tolumnij, quacunque se intendisset, trepidantes videret Romanas turmas, insignemq; cum regio habitu volitantem tota acie cognouisset: Hiccine est, inquit, ruptor fœderis humani, violatorque gentiũ iuris? Iam ego hanc mactatam victimam (si modo sancti quicquam in terris esse dij volunt) legatorum manibus dabo. Calcarib⁹ subditis, infesta cuspide in vnum fertur hostem, quem cum ictum equo deiecisset, confestim & ipse hasta innixus, se in pedes excipit. Assurgentem ibi regem vmbone resupinat, repetitumq; sæpius cuspide ad terram affigit. Tum exangui detracta spolia, caputq; abscissum victor spiculo gerens, terrore cæsi regis hostes fundit. De spolijs Ioui dicatis infrà idem Liuius.

QVIS GRACCHI GENVS) De inclytissima Gracchorum familia Plutarchus in vita Gracchorum. Hic autem pater potius Titus Sempronius Gracchus, quam filij Tiberius, & Caius intelligendi sunt, quorum vterque pro seditioso est interfectus. Vide Plin. de viris illust. cap. 64. & 65. De patre autem cap. 57. De quibus hisce Gracchis ita Cic. 1. de Orat. in persona Scæuolæ, Omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse, Tiberium, & Caium Sempronios, quorum pater homo prudens, & grauis, haud quaquam eloquens, & sæpe aliàs, & maximè censor reip. saluti fuit. Atque is non accurata quadam orationis copia, sed nutu, atque verbo libertinos in vrbanas tribus transtulit: quod nisi fecisset, rempub. quam nũc A vix tenemus, iam diu nullam haberemus. At vero eius filij diserti, & omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præsidijs ad dicendum parati, cum ciuitatem vel paterno consilio, vel auitis armis florentissimam accepissent, ista præclara gubernatrice, vt ais, ciuitatum, eloquentia rempub. dissipauerunt. Hæc ille. Habuit vxorem Tib. Gracchus Corneliam Scipionis Asiatici filiam, ex qua 12. liberos sustulit, quam miro amore dilexit. Vide Alex ab Alex lib. 1. cap. 18.

DVO FVLM. BELLI SCIPIAD. CLAD. LIBYÆ) Georg. 2. *Scipiadas duros bello*. Et in Culice conuenienter versui Lucretiano, quem mox proferemus.

Illic Scipiadaq; duces, deuota triumphis
Mœnia, quos rapidos Libyca Carthaginis horrent.

De vtroque Africano loquitur. Manil. *Scipiadaq; duces, fatum Carthaginis vnum*. Horat. Sat. 1. lib. 2. *Virtus Scipiada, & mitis sapientia Læli*. Lucret. lib. 3. *Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror*. Ex eodem genere est illud 4. Georg. *Cæsar dum magnus ad altum Fulminat Euphraten*. Cic. pro Cornel. Balbo, imperij nostri fulmina Cn. & P. Scipiones. Sic Ptolemæus Lagi nepos, Philadelphi frater, dictus est Ceraunos, quòd in bello quasi fulminaret. Sic Clearchus ille Heracleæ tyrannus vnum ex filijs Ceraunum nominauit. De minore, qui & Numantinus, adscribam de lib. 1. verba Paterculi. P. Scipio Æmilianus, vir auitis P. Africani, paternisque L. Pauli virtutibus simillimus, omnibus belli, C ac togæ dotibus, ingenijque, ac studiorum eminentissimus sæculi sui, qui nihil in vita, nisi laudandum aut fecit, aut dixit, aut sensit.

PARVOQVE POTENT. FABRICIVM) Cum à Pyrrho perfuga quidã in castra ad Fabricium venisset, eiq; pollicitus esset, si præmiũ sibi proposuisset, se, vt clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, & eũ veneno necaturum, à Fabricio cum custodia ad Pyrrhum remissus est. Cic. lib. 3. de Off.

Plutarchus eundem scribit aurum à Pyrrho oblatum accipere noluisse, & cum die postero Pyrrhus iussisset aulæo interiecto elephantũ collocari, deinde sublato elephantus ille supra Fabricij caput immanem, atque D horribilem vocem emisisset, dixisse, neque heri se ab auro esse corruptũ, neq; hodie à fera exterritum. Horat. Ode 12. lib. 1. qua heroas, & claros viros laudat,

Regulum, & Scauros, animaq; magna
Prodigum Paulum superante Pœno,
Gratus insigni referam Camœna
Fabriciumq;
Hunc & incomptis Curium capillis
Vtilem bello tulit, & Camillum
Sæua paupertas, & auitus apto
Cum lare fundus.

VEL TE SVLCO, SERRANE, SER.) Scribendum *sulcos*, sulci enim, vt opinor, rectè, & eleganter dicun- E tur seri. Ita Turneb. Serranus iste prius Attilius dictus, à serendo cognomen sortitus est. Plin. Serentem inuenerunt dati honores Serranum, vnde cognomen. ✱

QVO FESSVM RAP. FABII.) De magnanimitate gentis Fabiæ, qui sex, & trecenti, omnes patricij, quorũ neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus Senatus, sibi solis bellum contra Veientes depoposcerunt, & ad vnum omnes occubuerunt, lege Liuium lib. 2. Vide insuper Plin. de vir. illustr. cap. 14. Quod vero Liuius ait, vnum duntaxat prope puberem ætatem ex Fabijs domi relictum, mendacio affine est. Scilicet, ex tam numerosa familia nulli nisi vni erat aut impubes, aut adhuc in cunis iacens filius, qui genti restituendæ seminarium esset. ✱

TV MAX.

TV MAX. ILLE ES, VNVS QVI) De Q. Fab. Max. ita scripsit Ennius lib. 8. Annal.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem:
Ergo magisq́, magisq́ viri nunc gloria claret.

Quos versus adducit Cic. 1. Offic. præferens Fabium hunc Callicratidæ Lacedæmoniorum duci, & Cleombroto, [*qui quòd auram popularem nimis amarent, respub. calamitatem maximam importarunt, cum videlicet temere, & inconsulto cum hoste confligentes deleti sunt.*] Alludit ad illum, *Vnus homo nobis,* &c. Ouid. 2. Fast.

Scilicet vt posses olim tu, Maxime, nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Transfert eundem ad Bibulum hominem ignauum M. Tullius ad Attic. lib. 2. epist. 19. Bibulus in cælo est: nec quare, scio: sed ita laudatur, quasi *Vnus homo nobis cunctando restituit rem.* Imitatur eundem versum apud Suetonium cap. 21. Octauianus Aug. epist. ad Tiberium. Hi qui tecum fuerunt, omnes confitentur versum illum in te posse dici: *Vnus homo nobis vigilando restituit rem.*

Liuius de obitu, & laudibus Fabij lib. 30. in hæc verba scriptum reliquit. Eodem anno Q. Fabius Max. moritur, exactæ ætatis, si quidem verum est, augurem duos, & quadraginta annos fuisse, quod quidam auctores sunt. Vir certe fuit dignus tanto cognomine, vel si nouum ab eo inciperet. Superauit paternos honores, auitos æquauit. Pluribus victorijs, & maioribus prælijs auus insignis Rullus, sed omnia æquare vnus hostis Annibal potest. Cautior tamen, quam promptior hic habitus fuit. Et sicut dubites, vtrum ingenio cunctatior fuerit, an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat, sic nihil certius est, quam vnum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait.

Ex hac Fabij cunctatione natum prouerbium: Romanus sedendo vincit: quo vtitur Varro de re rust. lib. 1. cap. 20. De rebus eius gestis Silius lib. 7. Aptissima autem ad hunc locum, quæ sunt principio libri:

Ac ni sacra seni vis, impressumq́ fuisset
Sistere cunctando fortunam aduersa fouentem,
Vltima Dardanij transisset nominis ætas.
Ille modum Superis in Punica castra fauoris
Addidit, & Libyæ finem inter prospera bella
Vincendi statuit, tumefactum cladibus ille
Hesperijs, lento Pœnum moderamine lusit.

Manil. lib. 1. *Inuictusq́ mora Fabius.* & Claudian. de bello Getico, *Primus fulmineum lento luctamine Pœnum Compressit Fabius.* Plin. lib. 22. cap. 5. enumerans eos, qui graminea, seu obsidionali corona donati sint. Data est à senatu, populoq; Rom. (qua claritate nihil equidẽ in rebus humanis sublimius duco) Fabio illi, qui rem omnem Romanam restituit non pugnando, sed cunctando. Nec data cum magistrum equitum, & exercitum eius seruasset: tunc satius fuit nomine nouo coronari, appellatum patrem ab his, quos seruauerat: sed quo dictũ est cõsensu honoratus est, Annibale ex Italia pulso. Quæ corona adhuc sola ipsius imperij manibus imposita est, & ꝙ peculiare est ei, sola à tota Italia data.

Ad cunctationem Fabij commendandam, placet attexere sententiam quandam Vegetij, de lib. 3. cap. 9. Maximè autem tractandum est, vtrũ expediat necessitatem protrahi, an celerius dimicari: interdum enim sperat aduersarius, expeditionem cito posse finiri: & si dilata fuerit in longum, aut penuria maceratur, aut desiderio suorũ reuocatur ad propria: aut nihil magnum faciens per desperationẽ abire compellitur. Tunc fracti labore, & tædio plurimi deserunt, aliquanti produnt, aliquanti se tradunt. Vide in idem cap. Steucchium. Vide etiam Plutarch. quomodo non ponebat rumores ante salutem. Versus ille, qui est in 8. Annali apud Ennium videtur ab illo ipso Fabio pronuntiari, *Certare abnueo, metuo legionib' labem.* Adde adhuc Florum. Prima redeuntis, seu, vt sic dixerim, reuiuiscentis imperij spes Fabius fuit, qui nouam de Annibale victoriam commentatus est, non velle pugnare. Hinc illi cognomen & Reipub. salutare, *Cunctator.* Hæc Florus. Traditum quoque litteris, appellatum Clypeum, quod eius virtute Romani ab hostium impetu protegerentur.

Excudent alij spirantia molliùs æra,
Credo equidem, & viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt caussas meliùs: cœliq; meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) paciq; imponere morem:
PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS.

EXCVD. ALII SPIRANTIA) Breui digressione alia alijs tribuit. Græcis scientiam, liberalesque disciplinas: Romanis peritiam tractandorum armorum, gerendæque reipublicæ. Sint sanè apud alias gentes, præsertim Græcos alij statuarij excellentes, siue deos de ære, siue de marmore fingant: sint oratores, sint astrologi, mathematici: tuum, Romane, sit gentibus imperare.

MOLLIVS) Dictum arbitror *mollius*, quod cum rigor sit in materia æris, tamen tanta arte simulachra, statuæque à Græcis ducentur, vt deposita metalli duritie, & rigore, in mollitudinem viui animantis æs concessurum sit. Horat ad Pison. *Et molles imitabitur ære capillos.* Callistratus. [illegible] ἐμαλάττετο. Horat. Sat. 3. lib. 2. *Quod sculptum infabrè, quod fusum durius esset.* Turneb. lib. 22. cap. 1.

ORABVNT CAVSSAS MELIVS) Propter Græcos qui sibi semper eloquentiæ principatum vendicarunt: Cic. in Bruto. Testis est Græcia, quæ cum eloquentiæ studio sit incensa, iam diuque excellat in ea, præstetq; cæteris, &c.

DESCRIBENT RADIO) Radius virga est, quia ad indicandas lineas vtuntur Geometræ. Virg. Eclog. 3. *Et quis fuit ille Descripsit radio totum qui gentibus orbem?* Cic. 5. Tuscul. ex eadem vrbe humilem homunculum à puluere, & radio excitabo, qui multis post annis fuit, Archimedem.

TV REG. IMP. POP. ROM.) Tibull. *Roma tuum nomen terris fatale regendis.* Duas res præstantissimas populo Rom. tribuit poëta, gubernationem politicam, seu prudentiam imperandi, & belligerandi scientiam, ac disciplinam. Vtramque Cic. quoque Tuscul. 1. statim initio. Sed meum iudicium semper fuit, omnia nostros aut inuenisse per se sapientiùs, quàm Græcos:

aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. Nam mores, & instituta vitæ, resque domesticas, ac familiares nos profectò, & meliùs tuemur, & lautius: rem verò publicam nostri maiores certe melioribus temperauerunt institutis, & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cùm virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Aristides in encomio vrbis Romæ: Quin etiam, inquit, in militari disciplina reliquorum omnium inscientiam coarguistis. Nec enim eam contra hostes dūtaxat milites, ac duces, sed contra se primùm exercere iussistis. Ita fit, vt quotidie stent in acie, nec vnquam quisquam loco cedat, sed vt in æterno aliquo choro, stationem suam quisque cognoscat, atque seruet, & inferiori, vt superior non inuidet, ita quibus ipse præest, eos rectè gubernet. Atque hoc mihi dolet, id de Lacedæmonijs prius dixisse, eorum exercitum præter paucos, è ducum ducibus constare: cum id vobis reseruari, ac primùm tribui debuerit, quod ille ante tempus protulit. De disciplina bellica Romanorum scripsimus alibi copiosissimè in dialogo quodam, inde accersas licet, si quæ præterea desiderabis. Extant item de Militia Romana lib. 5. Iusti Lipsij, quibus nihil existimo scribi potuisse consummatius.

Romanorum imperium in statua illa, quam vidit Nabuchodonosor in somnis, significatum est per tibias. Cur id? Quia in tibijs multum est, carnis, & ossis: in carne teneritudo, & mollitudo est, in osse duritia, & firmitudo. Sic in Romanis magna fuit vis, & firmitas ad eos, qui repugnabant ipsis, frangendos, ac debellandos: magna item humanitas, clementia, fides erga sibi deditos, & subiectos: quibus de rebus valde laudat Romanos sacra scriptura cap. 8. lib. 1. Machab. Bened. Pererius lib. 2. in Danielem.

PARCERE SVBIECT. ET DEBELL. SVPERB.) Consentiunt mirificè illa Propert. lib. 3. eleg. 21.

Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ,
Famam Roma tua non pudet historia.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat ira manus.

Et Horatius Carmine sæculari rogat, vt Augustus *Imperet bellante prior iacentem Lenis in hostem.*

Laudatiunculam Romanæ militiæ contexuit, Lipsius lib. 1. de eodem argumento, dial. 1. Eam visum ad verbum inserere. Quæ gens in militia fortior, aut felicior? Delectum vide, nihil accuratius. Ordinem, nihil aptius. Disciplinam, nihil seuerius, sanctiusque. Itaque per annos septingentos tot triumphos pœne, quot annos numerant, & imperio suo subiecerunt quidquid validum, aut bonū in orbe terrarum. Nam alios quosdam latius imperasse fortasse dixeris, aut nunc imperare (certe magnum nostrum regem) sed in tam selectis gentibus, aut terris, non dices. Pœnos, Macedonas, Assyrios vicerunt, & imperium in eos vsurparunt, qui ante imperarant. Quid Hispanos, aut Gallos? quos vincere non gloriæ fortassis maioris, sed operæ fuit. Ita paulatim molem illam maximi secundùm deorum opes imperij (Liuij verba agnoscis) constituerunt, idque in optima Europæ, Asiæ, Africæ parte. Qua autē alia re, nisi militia hac, quam laudamus? Nam ingenia, numerum, robora hominum si vides: singulis, aut omnib' sæpe vincebātur: superabat ordo, & disciplina. Ergo haud vanè olim vaticinatus apud Liuium Romulus: Nullas opes humanas armis Romanis posse resistere. Confecit etiam de re militari veterum Romanorū summa diligentia, & ordine commodissimo libros septem Ioannes Antonius Valtrinus noster. Vide cap. 1. lib. 1. de præstantia militiæ Romanæ.

Sic pater Anchises: atq; hæc mirantibus addit.
Aspice vt insignis spolijs Marcellus opimis
Ingreditur, victorq; viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos, Gallumq; rebellem:
Tertiaq; arma patri suspendet capta Quirino.
Atq; hîc Æneas (vnà namq; ire videbat
Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis,
Sed frons læta parum, & deiecto lumina vultu)
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius? anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum? quantum instar in ipso est?
Sed nox atra caput tristi circumuolat vmbra.

INSIG. SPOL. MARCELLVS OPIMIS) M. Marcellus Viridomarum Gallorum ducem singulari prælio fudit, spolia legit apud Nolam: Annibalem primus, locorum angustia adiutus, vinci docuit. Syracusas per tres annos expugnauit: & cum per calumniam triumphus ei à senatu negaretur, de sua sententia in Albano monte triumphauit. Quinqūies Consul, insidijs Annibalis deceptus occubuit, & magnificè sepultus est: ossa Romam remissa, à prædonibus intercepta perierunt. Plin. de viris illust. cap. 45. Manil. lib. 1.

——— *& tertia palma*
Marcellus, Cossusq; prior de rege necato
Certantes Decij votis, similesq; triumphis:
Inuictusq; mora Fabius.

Hoc ad laudes Romanorum, qui bello Punico, quod cum Annibale gesserunt, cœperunt etiā equis superiores esse, cum prius eorum robur omne in legionibus consisteret. Pier. lib. 4. Opima spolia dicuntur ea, quæ dux populi Rom., duci hostium detraxit. Quorum tanta raritas est, vt intra annos paulo (vt restituit Sigonius) minus DXXX tantum trina contigerint nomini Romano, vna quæ Romulus de Acrone Ceninensium duce, Ioui Feretrio tulit, de quo Liuius lib. 1. altera, quæ Cossus Cornelius de Tolumnio Etruscorū rege: tertia, quæ M. Marcellus de Viridomaro Gallorum duce, fixerunt. M. Varro ait, opima spolia etiam esse, si manipularis

laris miles duci hostium detraxit. Vide Festum, & in eundem Scalig. F. Tiraquell. in cap. 14. lib. 1. Alexand. Neap.

REM ROMANAM) Imperium Romanum. Ennius. *Moribus antiquis res stat Romana, virisq́.*

SVSPEND. PAT. QVIRINO) vt prima fuerint suspensa Ioui, altera Marti, tertia Quirino, id est Marti, qui præest paci, & intra ciuitatem colitur. * *Verba, quibus Romulus in dedicatione spoliorum, ac templi, vsus est ad Iouem Feretrium, hæc leguntur apud Liuium: Iupiter Feretri, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero: templumq́; ijs regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico, sedem opimis spolijs, quæ regibus, ducibusq́; hostium cæsis, me auctorem sequentes posteri ferent. Vnde dictus Feretrius vide Propert. lib. 4. eleg. 11. Gyrald. Syntag. 2. pag. 79.*

EGREG. FOR. IVVEN. ET FVLGENTIB. ARM.) Transit ad Marcellum iuuenem Octauiæ sororis A Augusti filium: & artificiose duos Marcellos coniunxit, vt alterum ex vetustate generis alterius commendaret: sed insuper à forma corporis, & à spe futuri roboris illum laudat: deinde ex eius infausto euentu, hoc est, acerbo mortis casu commiserationem mouet. Tantæ enim virtuti fortunam inuisuram esse indicium facit, cum ait, *sed frons læta parum*. Strepitus, de quo hîc quærit Æneas pro plausu, & fauore populari accipiendus, item pro pompa frequenti Romanorum, qui funus comitati fuerant. Mirè enim charus erat pop. Romano, id quod in eius funere testati sunt. Seruius enim, & historici auctores sunt, funus Marcelli lectis sexcentis ornatum, curatumque fuisse, hoc honoris genere à Græcorum con- B suetudine deducto, qui in funeratione, & funebri pompa sæpe tororum mentionem faciunt, &c. Nascimb. Montfort. German.

Tum pater Anchises lacrymis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum.
Ostendent terris hunc tantum fata, neq; vltrà
Esse sinent. nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mauortis ad vrbem
Campus aget gemitus? vel quæ Tiberine videbis
Funera, cùm tumulum præterlabere recentem?
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet auos, nec Romula quondam
Vllo se tantùm tellus iactabit alumno.
HEV PIETAS, HEV PRISCA FIDES, inuictaq; bello
Dextera. non illi quisquam se impune tulisset
Obuius armato, seu cum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
HEV MISERANDÆ PVER, SI QVA FATA ASPERA RVMPAS,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores: animamq́; nepotis
His saltem accumulem donis, ET FVNGAR INANI
MVNERE.

OSTEND. TERRIS HVNC TANTVM. FATA) Adrianus Augustus cum esset matheseos scientissimus, Commodum Ælium Verum, quem successorem sibi delegerat, non diu victurum hoc carmine prædixit, *Ostendent terris*, &c. Et videtur vsurpari posse de his, qui virtutis iam tum studiosi, & magnum quiddam pollicentes, propter eximiam indolem, in ipso ætatis flore rapiuntur. Nec absurdè forsitan sentias, Maronem alludere ad illud Platonis, siue Xenocratis in Axiocho voluisse. Postquam enim senectutis incommoda recensuit, addit hoc. Itaque dij rerum humanarum verè intelligentes, eos, quos præ cæteris hominibus plurimi faciunt, ab hac vita citius liberant, vt quid de morte statuendum sit, suis iudicijs confirmare videantur, & D quæ sequuntur. Et Menandri quoque, ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος. Quod in Bacchid. Plaut. ita expressit. *Quem dij diligunt, moritur iuuenis*. Cui germanum est hoc è sacris litteris: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Cui rursum bellè concinit hoc Senecæ ex epist. 101. Quam bene viuas, refert, non quam- C diu: & sæpe in hoc est benè, ne diu. Adde huc illud eiusdem ex Consolat. ad Martiam, cap. 23. Ingenia quo illustriora, eò, vti ignis, quò clarior fulsit, eò citiùs extinguitur. Plin. lib. 7. cap. 51. Censorium Catonem ad filium de validis quoque obseruationem, vt ex oraculo aliquo, prodidisse, senilem iuuentam præmaturæ mortis esse signum. Nec male huc etiam quadrabit illud Albinovani ad Liuiam, de Druso eius filio.

Quam paruo numeros implenit principis ano,
In patriam meritis, occubuitq́, senex? *

NIMIVM POT. VIS. VOBIS ROM. PROPAGO) Acerbæ mortis Marcelli caussam assignat, quam ex deorum inuidia deducit, cum epiphonemate commiserationis, dolorisque plenissimo. Si Marcellus in ætate matura tantum reipub. præstare potuisset, quantam puer spem prudentiæ, ac fortitudinis omnibus afferebat, Romana soboles huius viri virtute humanæ conditionis lineas, vt ita dicam, transisse videretur. Cum ingenti igitur dolore, nec absque indignatione in deos, quasi Romanæ gloriæ inuidentes, dictum videri debet.

Ff * Pro-

lium, admodum adoleſcentem, pontificatu, & curuli Aedilitate: M. Agrippam ignobilem loco, &c. extulit. Baijs obijſſe contendit in Commentar. Lipſius, quem lege. In eius honorem, & memoriam mater Octauia bibliothecam dedicauit, Cæſar theatrum, quod nomine Marcelli inſcripſit. Auctor Plutarchus in Marcello.

TV MARCELLVS ERIS) Ibidem Plutarchus. Clara eius (M. Marcelli) progenies vſque ad Marcellum ſororis Auguſti Octauiæ filium, quem edidit ex C. Marcello, pertinuit.

MANIBVS DATE LILIA PLENIS) Lilia poſcit Anchiſes, quibus donis nepotis animam cumulet, vt inde præreptum iri ſpem publicam pop. Rom. indicaret. Hinc Flaccus, cum ſpes noſtras ſæpe fallere animaduertiſſet, indoliſq; bona de manibus ſepe rapi conſpexiſſet, poſtquam viuax apium dixit, breue mox lilium ſubiecit. Nam cum omnis flos, tum lilium ſpei hieroglyphicum eſt. Pier. lib. 55. extremo.

PVRPVREOS SPARG. FLORES) De conſuetudine ſepulcra flororibus aſpergendi, multa teſtimonia veterum ſcriptorum afferri poſſunt. Diximus aliquid in locum illum, *Purpureosq; iacit flores*, &c. lib. 5. Sueton. Auguſto, cap. 18. Per idem tempus conditorium, & corpus Magni Alexandri cum prolatum è penetrali ſubiecisſet oculis, corona aurea impoſita, ac floribus aſperſis veneratus eſt. In quem locum vide Torrentium.

Fuit autem ſparſio illa florum recepta etiam in viis, nempe ijs, quos honore honeſtos volebant, quosque beneuolentia proſequebantur. Liuius lib. 33. Omnes tendere ad imperatorem Romanum, vt ruente turba in vnum, adire, contingere dextram cupientium, coronas, lemniſcosq; iacientium, haud procul periculo fuerit. Tacitus lib. 14. Annal. Octauiæ imagines geſtant humeris, ſpargunt floribus. Capitolin. in M. Antonino. In ſalutatu omen accepit imperij, coronas omnibus in puluinar ex more iacientibus, aliæ alijs locis hæſerunt, huius velut manu capiti Martis aptata eſt. Ouid. de Germanico triumphante

Quaq; ibis manibus circumplaudère tuorum:
Vndiq; iactato flore tegente vias.

Herodian. lib. 1. de Commodi aduentu in vrbem. τοῦτον δὲ θεασάμενοι τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι εὐφημίαις παντοδαπαῖς, καὶ στεφάνοις, καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο. Lipſius in Tacitum.

Alludit, credo Maro Marcellum lugens, ad Græcorum morem, qui conſpergere floribus ſepulcra ante diem morte immatura interceptorum ſolebant, referentes ad momentanei vigoris, & æui breuitatem, quæ flores carpit, &c.

ET FVNG. INANI MVNERE) officium enim illud honorarium Anchiſæ ἀποτρόπαιον non erat, neque ad auertendum Marcelli fatum quidquam proficiebat. Sic etiam lib. 11. in principio. *vano mæſti comitamur honore.* Vano dixit, quod eo in vitam reuocari deſiderati mortui non poſſint. German.

----- Sic tota paſſim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia luſtrant.
Quæ poſtquam Anchiſes natum per ſingula duxit,
INCENDITQVE ANIMVM FAMÆ VENIENTIS AMORE:
Exin bella viro memorat, quæ deinde gerenda,
Laurenteſq; docet populos, vrbemq; Latini:
Et quo quemq; modo fugiatq;, feratq; laborem.
Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes.
His vbi tum natum Anchiſes, vnaq; Sibyllam
Proſequitur dictis: portaq; emittit eburna:
Ille viam ſecat ad naues, ſocioſq; reuiſit.
Tum ſe ad Caietæ recto fert littore portum:
Anchora de prora iacitur: ſtant littore puppes.

AERIS IN CAMPIS) An quod inanis tota illa plaga ſit, corporibus carens, animaſq;, & vmbras aërias eorum vice habeat, & aëre vacuo diffuſa ſit, & obſeſſa? aërem enim inane appellari, non eſt inuſitatum. Quin inanitas de mari etiam dicitur. Plin. lib. 6. cap. 1. Non fuerat ſatis Oceano ambiſſe terras, & partem earum, aucta inanitate abſtuliſſe. Nam malè, immanitate ſcribitur. An vero quòd in ditione ſint Ditis, regiones atræ, & caliginoſæ, id eſt, aëriæ? poëtæ autem græci ἠερόεντα quoque κέλευθα, id eſt, vias aërias appellant, quæ ad Orcum ferunt. Turneb. lib. 11. cap. 19.

INCEND. ANIM. FAMÆ VEN. AM.) fama enim, & glorioſum nomen animos ingenuos ad præclara facinora ſollicitant. Spes quædam immortalitatis viris magnis acerrimus eſt ad virtutis opera ſtimulus.

EXIN BELLA VIRO MEM.) Longitudinem narrationis in compendium confert: nimis enim longum fuiſſet, ſi ſeparatim recenſere omnia voluiſſet. Sic Terent. And. cum multa de nuptijs dicta fuiſſent, ne nimium actus producerentur, *intus*, inquit, *deſpondebitur*, *Intus tranſigetur, ſi quid eſt, quod reſtat.* Vt igitur poeta Anchiſen longa ſuorum nomenclatura quaſi defatigatum leuare, lectoriq; etiam conſulere videretur, ex ſua perſona cætera ipſe breuiter colligit, quæ Anchiſes Æneam longiori oratione admonuiſſe putandus eſt, bella, quæ geſturus, & cum quibus populis, denique modum, quo aut fugere, aut ferre laborem poſſet. Naſcimb.

SVNT GEMINÆ SOMNI PORTÆ) Vt inferos A esse, vbi à sceleratis post mortem pœnæ exigantur, nemini vnquam sano dubium fuit, ita excubantem pro inferorum foribus Cerberum, & Acherontis transuectionem, & caussæ dictionem ad Minois tribunal, & pertusis dolijs aquam haurientes puellas, & Ixionis sibi assiduò imminentem fugam, & metuentem ne aut siti, aut impēdentis saxi casu denuo moriatur: Tantalum, & totam deniq; illam in Plutonis domo tragœdiam, quicunq; ex veteribus paulo cordatiores erant, in somniorum, aut anilium fabularum loco semper habuerunt. Itaque & Cic. 1. Tuscul. ea irridere, ac pictorum, & poetarum portenta vocare non dubitat, quæ conuincere nihil negotij sit: & aliorum quamlibet multa testimo- B nia colligi possunt, ex quib⁹ constet, eandē illorū quoq; de his reb⁹ fuisse sententiā. Sed & antiquissimus poetarum Homerus, tecta quadā vrbanitate significauit, quęcunque ipse de inferis cecinisset, talia esse, qualia interdum muliercculis, & puerulis ad focum sedentibus, aut fallendi, aut conciliandi somni gratia narrari solerent. Facit enim Vlyssem moneri à matre, vt quam primum superos repetat, quæque apud inferos vidit, mente cōdita teneat, vt habeat quod vxori narrare possit.

Ἀλλὰ φόωσδε τάχιστα λιλαίεο. ταῦτα δὲ πάντα
Ἴσθ' ἵνα καὶ μετόπισθε τεῇ εἴπῃσθα γυναικί.

Vt tantum non apertè dicere videatur, πὰς σφεὶ χρὴ τοιαῦτα λέγειν χειμῶνος ἐν ὥρῃ. Summus autem Homerica- C rum virtutum imitator Virgilius, aliam rationem commentus est, qua idem obscurè, ac symbolicè indicaret. Nam cum duas ex Homero hic quoque portas fecisset, corneam vnam, qua vera, eburneam aliam, qua falsa insomnia mitterentur, Æneam spectatis illis inferorum portentis, porta eburnea egredientem facit, vt sagacib⁹ lectoribus suspicandum relinqueret, talem esse totam illam τερατολογίαν, qualia somnia ex inferis, eadem illa porta exire dixisset. Muret. lib. 11. cap. 7.

Sed quia istud de geminis somni portis ab Homero sumpsit Virgilius, valebit in hunc eundē locum Porphyrij explanatio, quam ex eiusdem in Homerum cōmentarijs affert Macrob. lib. 1. in Som. Scip. cap. 3. his verbis. Latet omne verum: hoc tamen anima, cum ab officijs corporis somno eius paulùm libera est, interdum aspicit: nonnunquam tendit aciem, nec tamen peruenit. Et cum aspicit, tamen non libero, & perfecto lumine videt, sed interiecto velamine, quod nexus naturę caligantis obducit. Et hoc in natura esse idem Virgilius asserit dicens:

Aspice, namq; omnem quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Hoc velamen, cum in quiete ad verum vsque, aciem introspicientis admittit, de cornu creditur: cuius ista natura est, vt tenuatum visui peruium sit. Cum autem à E vero hebetat, ac repellit obtutum, ebur putatur, cuius corpus ita naturà densatum est, vt ad quamuis extremitatem tenuitatis erasum, nullo visu ad vlteriora tendente penetretur. Consule insuper Chiliad. adag. Oculis magis habenda fides, quam auribus.

Addamus his Turnebi sententiam ex lib. 4. cap. 14. Ferè putem Somni dictum, pro, somnij, vt dicantur somniorum duæ portæ. Moueor auctoritate Homeri, qui ὀνειρείῃσι πύλῃσι scripsit, id est, somniorum portis. Cuius qui negauerit imitatorē Maronem, is eadem licet opera affirmet, nihil intra oleam, nihil extra in nuce duri esse. Quanquam Hesychius, & somnij portas, & somni etiam accipi posse confitetur: cum præsertim inter dormiendum visa somniorum nos lacessant, vt somni portis emissa videantur.

Ausonius in Ephemeride quoque meminit harū portarum, atq; etiam alterius cuiusdam loci in hoc eodem sexto, vbi poeta vlmum sedem constituit vanis somnijs. Enumerat igitur somnia sua partim læta, partim tristia, & hæc auersatur, tandemque somnia quæcunque, quoniam ita luna eis placeat, vt non nisi cum ea veniant, nocturno tempore scilicet ad lunarem polum abire iubet. Habitari enim lunam, ibique montes, ac ciuitates esse garriuernnt quidam ex antiquis. In extremo non vnam vlmum, vt Virgilius, sed vel nemus vlmorum illis incolendum offert, dummodo ijs carere queat.

Diuinum perhibent vatem sub frondibus vlmi
Vana ignauorum simulacra locasse soporum,
Et geminas numero portas. Quæ fornice eburno,
Semper fallaces glomerat super aëra formas.
Altera quæ veros emittit cornea visus.
Quod si de dubijs conceditur optio nobis
Dêesse fidem lætis melius, quàm vana timeri.
Ecce ego iam malim falli. Nam dummodo semper
Tristia vanescant, potius caruisse fruendis,
Quam trepidare malis. Satis est benè, si metus absit.
Sunt & qui fletus, & gaudia controuersa
Coniectent, varioq; trahant euentarelata.
Ite per obliquos cœli mala somnia mundos,
Irrequieta vagi quà difflant nubila nimbi.
Lunares habitate polos. Quid nostra subitis
Limina, & angusti tenebrosa cubilia tecti?
Me sinite ignauas placidum traducere noctes:
Dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu.
Quod si me nullis vexatum nocte figuris
Mollis tranquillo permulseris aëre somnus,
Hunc lucum nostro viridis qui frondet in agro
Vlmeus, excubijs habitandum dedico vestris.

Quinq; potissimùm genera somniandi constituit Macrob. in Som. Scip. lib. 1. cap. 3. ὄνειρον somnium, ὅραμα visionem, χρηματισμὸν oraculum, ἐνύπνιον insomnium, D φάντασμα, quod Cicero visum appellauit. Est autem insomnium, cum curæ, quales vigilantem fatigauerant, tales se ingerunt dormienti, siue eæ ad animum, siue ad corpus, siue ad fortunam pertinuerint. Quæ quoniam ex habitu mentis quietem, sicut præuenerant, ita & turbauerant dormientis, vnà cum somno auolant, & pariter euanescunt. Hinc & insomnio nomen: non quod per somnum videtur (hoc enim est commune huic generi cum cæteris) sed quia in ipso somnio tantummodo esse creditur, dum videtur, post somnium nullam sui vtilitatem, vel significationem relinquit. At falsa quidem hæc esse, insomnia inquam, nec Maro, vt vides, tacuit. Amorem quoque describens, cuius curam semper sequuntur insomnia, ait in quarto, *hærent infixi pectore vultus, Verbaquè nec placidam membris dat cura quietem.* Et post hæc. *Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?* Cælum autem isto loco viuorum regionem vocauit: quia sicut dij nobis, ita nos defunctis superi habemur. * *De falsis somnijs, & porta ista eburnea, Horat. Ode 27. lib. 3.*

——————— vigilans ne ploro
Turpe commissum? an vitijs carentem
Ludit imago
Vana? quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit.

Propert. de Cornea lib. 4. eleg. 7.

Nec tu sperne pijs venientia somnia portis,
Cum pia venerunt somnia, pondus habent.

Libet

Libet tandem coronidis loco, hanc eburneam, & corneam portam, Io. Aurati elegia aurea inaurare. Germanus enim peropportunè sua succurrit symbola. Nullo alio libro laxius visus est mihi, ait, effundi in laudes Iuleæ familiæ Maro, quàm hoc sexto, per quem passim vtitur superûm, inferûmq; responsis, Anchisæ effatis, & præsentia, ad constituendam Romani imperij magnitudinem. quia tamen videri poterat commentum A poeta agnoscere, & tacitè, de gente Troiana laudes susceptas deterere, & deflorare hoc claudente ferè librũ versu, quo Æneam porta dimittens eburna, ex loci, & Seruij sententia, indecenter superiorum oraculorum fidem, deformi palinodia conuellit, Ioannes Auratus consultus, ex hoc ancipiti viæ flexu, educit me, filo ita præeunte.

DE ÆNEÆ PER PORTAM EBVRNEAM EGRESSV ab inferis. Ad Germanum Valentem Pimpontium Regis à consiliis.

IO. AVRATVS Poeta Regius.

Qvi magni tenebras nunc illustrare Maronis
Ausus es, & tanta rupis inire sinus.
Vnde per ora nouem magno cum murmure fontis
Vnda sonat, totidem quæ facit vna lacus:
In quos haud vlli cana mersa profundius vrna,
Quam tibi Pimponti, lingua vtriusq, decus:
Túne vltrò me sacra vocas ducturus in antra?
An tibi sum visus dignus in illa comes?
An magis in proprium non ambitiosus honorem,
Me quoque partem aliquam laudis habere cupis.
Quamlibet ad montis socius sim debilis alti
Culmina, non dubitem te, comes ire, duce.
Ergò te sequor, & iuga, te praeunte, remota
Scandere prensandis vepribus aggredior.
Magna paro, quæ tam multi quærenda putarunt
Illustres, nec adhuc sat reperère, viri,
Prodere: quæ fuerit fingendi causa Maroni,
Quod constare sibi non bene, quisq, putet.
Æneam (Elysiis cum iam rediturus ab aruis
Carperet ad superos cum duce vate viam.)
Emissum porta cur vates dicat eburna,
Somnia quæ manes mittere falsa solent.
Quò fit vt & possint hinc cætera falsa videri,
Quæ de Romanis præcinit antè pater.
Nam si mendacem non dedecet esse poëtam.
Mendacem immemorem dedecet esse tamen.
Omnis vt historia ficta consentiat ordo:
Constet & ex omni fabula parte sibi:
At mihi si fas est secreta recludere vatis:
Altaq, tam docti pandere sensa viri:
Mæonidæ pariter Graij, Latiiq, Maronis
Orgia, (sit procul hinc turba profana) canam.
Mæonides antro Nympharum fingit Vlyssem
Ingressum porta, quæ Borealis erat.
Altera nam Australis, quæ non mortalibus vllis
Peruia, sed solis est ineunda deis.
Hæ geminæ portæ respondent scilicet illis,
Somnia vera quibus, falsaq, missa volant.
Cornea, quâ veris facilis datur exitus vmbris,
Australi portæ conuenit vna Deûm.
Quæ Borealis habet nomen, respondet eburna:
Quaq, meant homines, somnia falsa meant.
Et quia corpus erant hominum mortale Sibylla,
Æneasq, simul vera, nec vmbra leuis:
Porta mortales exire decebat eburna:
Cornea nam veris manibus vna patet.
Nec tamen hinc possunt Anchisæ falsa videri
Dicta, quod Æneas falsa vel vmbra foret.
Anchises namq, vmbra fuit sine corpore vera:
Et verum dixit vera quod vmbra fuit.
Vera namque dei sunt vmbra: fallere nec dijs
Fas est: sed veros dicere vera decet.
Somnia & ipsa deûm sunt vera signa figuræ:
Falsa quibus vita est, somnia falsa homines.

Nec veris, falsisq; idem patet exitus vmbris,
Id quod & his verbis innuit ipse Maro.
Nulli fas casto sceleratum insistere limen,
Nam scelerata hominum, castaq; turba Deûm.
Nec dissentit ab his diuini charta Platonis,
Antri qua geminas differit esse fores.
Penè sui vertens ad verbum carmen Homeri,
Diuersasq; deum dans, hominumq; vias.
Sunt animis gemina veniunt dum in corpora porta,
Exceduntq; illis: hac Borea, illa Noti.
Per Boream veniunt cum corporis antra capessunt:
Octipedis cancri quà iuber acre micat.
At redeunt cœlo, quà stas Capricorne, per Austrum:
Mortifer est Auster, viuificus Boreas.
Testis erit quod deficiens animus quoq; flatu
Australi, Borea flante recolligitur.
Mors & ad astra viam, sedes aperitq; deorum:
Sedem ad mortalem vita fit ipsa via.
Viuentes morimur, morientes viuimus: vmbra
Falsa sumus viui, veraq; post obitum.
Dii quoque sunt vmbra, qui sunt sine corpore, vera:
Falsa sunt vmbra, quas graue corpus habet.
Æneas qualis, qualis fuit vmbra Sibylla:
Cornea cui clausa est, portaq; eburna patet.
Sed me nunc satis est digito monstrasse latebras
Antri: plura sibi, qui volet, inde petat.
Porphyriumq; simul comitem sibi vatis in antrum
Iungat, vt & nobis possit habere fidem.
Virgilium finxisse sibi constantia, cum diis
Cornu, sed non diis sculptile donat ebur.
Hac tibi Pimponti si non, & qualia vellem,
Qualia nunc possum consule missa boni.
Donec & in nostro tibi pars ponatur Homero:
Cuius in antra sacra est impetus ire mihi. &c.

Hactenus Germanus ex Aurato. Consule etiam lib. 59. A apud Pierium, super veris, falsisq; somnijs. p. 431.

ILLE VIAM SECAT AD NAVES) Dixit, secare viam, vt Euripides Phœnissis. ὁ τὴν ἐς ἄστεως ὑγρὰν τέμνων ὁδόν. Sic Posidippus in epigramm. ποίην τις βιότοιο τάμοι τρίβον. Rursum lib. 12. *Sic Turno, quacunq; viam secat, agmina cedunt.* Et Georg. 1.

Has inter mediamq; dua mortalibus agris
Munere concessa diuûm, & via secta per ambas.

Lucret. lib. 6. de aqua marina per terræ meatus colata. *inde super terras redit agmine dulci: Qua via secta semel liquido pede detulit vndas.* Alibi noster, *scindere viam*, dixit.

AD CAIETÆ PORTVM) Vide initium libri sequentis. Sed προληπτικῶς accipiendum, id est, tum enim hoc nomen nondum habebat.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Laus Deo.





SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER XII.

Ad septimum Aeneidos.

SYNOPSIS.



Omerus noster Mantuanus Æneidem suam, id quod in Prodidagmatis docere meminimus, simulacrum quoddam, paruum illud quidem, atq; modicum, ex bipartito Homeri opere, eoq; longo admodum, & è libris eius plurimis, puta, ex Iliade, & Odyssea, cum ingenio, & iudicio (quorum vtrumq; maximum illi contigit) cum labore praeterea, diligentiaq; vix imitabili effingere omni ope, industriaq; contendit. Sed cum haec sedata, ciuilis, & tanquam comica: illa contrà, fremitus, ac tumultus plena, prorsus bellica, tragœdiœq; similis videatur: haec Vlyßis prudentißimi viri, in patriam redire enixissimè laborantis varios errores, variosq; casus: illa praeliorum dimicationes apud Troiam, & funera vtrinque facta pertractet, Latinus vates ordine permutato, prius Odysseae, quam Iliadis imaginem quasi expingere instituit: ac prioribus quidem libris sex virum, Troiae qui primus ab oris, multum terra, mariq; rebus aduersis exercitus in Italiam aliquando profugus venisset: totidem sequentibus arma, & eundem heroem multa bello passum, donec vrbem, potitus videlicet Lauiniae connubio, constitueret, admirabiliter descripsit. Quocirca, qui liber ordine septimus numeratur, idem huius augustißimi, aeternumq; memorandi poematis alterum dimidium exorditur: quandoquidem initia, caussasq; bellorum omnium comprehendit, & in extremo, (vti Homerum Iliad. lib. 2. fecisse manifestum est) catalogum haud ita breuem, earum vrbium, atque ducum contexit, qui belli societatem cum Turno aduersum Troianos coiuerunt. Istuc verbis planißimis Maro ipse, non longè à principio monet:

——— & primae reuocabo exordia pugnae.
Tu vatem, tu diua, mone. Dicam horrida bella,
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamq; manum, totamq; sub arma coactam
Hesperiam.

Sed vtilißimum fore autumo, τὸ ὑποκείμενον totius libri huius particulatim lectori, & ἀναλυτικῶς ad cognoscendum proponere. Ab inferis regressus Æneas, dataq; ad sepulturam Caieta nutrice sua, à qua vsque hodie eius loci oppidum Caietae vocabulum tenet (id quod ad venerandae anus illius immortalitatem proficit) insulam Circes triuenefice, vt Plautinè dicamus, Neptuni fauore feliciter praeteruehitur. Etiam tum voces sociorum Vlyßis, cantionibus, & pharmacis magae illius in bestias conuersorum ibidem exaudiebantur, erantque metu suspensae Troianorum mentes, ne quo infortunio eodem appulsi, pari calamitate mactarentur, & ipsi

quoq; leones, canes, lupos, vrsos, porcos, asinos induerent. Verùm, vt dicebamus, à Neptuno adiuti, locum periculosissimum celeri cursu legerunt. Postera luce venti, quasi iam suis partibus perfuncti siluêre, viditq; prospectu capto Æneas lucum vastum, & per illum vndas suas in mare deuoluentem Tiberim. Eò remis contendens, aduerso flumine in Latium, atque adeò in agrum Laurentem exscensionem facit. Deinceps à poeta huius libri argumentum proponitur, de quo nos suprà. Nam status rerum & tempora Latij, quæ fuerunt Troianis aduenientibus, non æquè multam eius partem obtinent. Latinus Fauni filius, Pici nepos, Saturni pronepos tum regnabat, cui stirps virilis nulla: sed vnica tantum filia, eaq; viro tempestiua, nomine Lauinia: quam inter alios ex vniuersa Italia nobilitatis amplissimæ iuuenes, etiam Turnus Rutulorum Rex in matrimonium petebat, & ei (vtpote Veniliæ sororis suæ filio) Amata regina, puellæ mater studebat impensius, generumq; exoptabat omnimodis. Atqui fata extero, & nominatim Æneæ illam despondebant. Huc quippe duplex prodigium in regia conspectum, vnum de apum examine, lauri cacumen occupante: alterum de comis Lauiniæ innoxia flamma exardescentibus, tum corpus eius totum inuoluentibus, ignemq; totis ædibus, cum omnium stupore dispergentibus pro certo pertinere, consultus à Latino Faunus respondit: addens, connubium illud, familiæ suæ sempiternæ futurum gloriæ: quando Æneæ, Troianorumq; posteri, terrarum domini olim salutandi essent. Oraculum hoc fama mox per vrbes distulit. Sub arboribus corpora curantes, cum rei cibariæ penuria compulsi, ipsas quoque mensas paniceas absumerent, ab Ascanio vaticinij Celænus Harpyiæ admonentur, illius nempe in 3.

Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusq; intrare licebit.
Sed non antè datam cingetis mœnibus vrbem,
Quam vos dira fames, nostræq; iniuria cædis
Ambesas subigat malis absumere mensas.

Inde lætitia viris oboritur, quia se nunc demum tot exantlatis laboribus excitandæ vrbis potestatem nacturos animaduertunt. Hinc etiam regionem sibi iam pridem promissam, ac destinatam præsentes præsentem consalutant, & Anchisæ nihilominus, cum Celænus prædictione ad vnguem consentiens præsensio, ab Ænea, ad gaudium nimirũ exaggerandum in medium profertur. Dij item terræ tutelares, ac præsides religiosè salutantur. Iupiter è cælo signum faustum mittit, ac bonæ spei complet animos. Diuersi loca exploratum concedunt, gentis, vrbis, fluuij, stagni nomina renuntiant. Postea legati centum, cum muneribus ad Latinum, de pace, & societate concilianda mittuntur. Æneas interea vrbem pro tempore designat, & aliquod ædificationis dat initium. In suburbano Laurenti iuuentus vario ludicrorum genere, laudabili maiorum instituto exercetur. Regia magnificentissima, regis cultus qui fuerit, declaratur. Vocat intrò Legatos Latinus, ac se famam Troianorum accepisse testatus, caussam legationis exquirit. Ilioneus orator altius ducto principio, respondet, locum oppidi extruendi rogat, se beneficij in perpetuum memores, gentem suam Latinis honori, præsidioq; futuram pollicetur. Rex lætabundus petita concedit: quinetiam ipsi Æneæ filiam vxorem, oraculi auctoritati obsecutus offert: videndique hominis, & alloquendi desiderio se ictum ostendit. Legatos pro numero totidem equis eleganter instructis muneratur: bigas seorsum, magno pretio comparatas, ad Æneam aduectandum transmittit. Porrò fatalis Troianorum aduersaria, & inimica Iuno tam secundis illorum euentis indolescens, & se vsque ad id temporis in persequendis, diuexandisq; insontibus actum egisse (quia eos perdere funditus non potuisset) ingemiscens, Alecto furiam ab inferis, ad pacem disturbandam, bellumq; accendendum euocat. Illa Amatam iam antea Teucris infensam aggreditur, coniectoq; in mulierem serpente, eam furentem, & insanam efficit. Primùm vafrè dissimulans animum, pacatius apud maritũ agit: fortunisq; Lauiniæ suæ illacrymat, ut quæ aduenæ, & exuli vxor committenda sit: argumenta dissuadentia colligit, contraria dissoluit. Vbi se frustra esse intelligit, persona deposita, per oppida & syluas, instar Mænadis, cum globo fœminarum simili peste concitatarum

tatarum discursat. Deinde Alecto vetulæ, Junoniæ sacerdotis formam in se capessens, Turnum ad Troianos, vnaq; Latinum bello acerrimo lacessendos, ac naues incendio disperdendas instigare molitur illa quidem: sed ab heroe cordato, vt curiosa, & fatua exploditur. Qua contemptione irritata, facem in eum contorquet. Is repente furore tanto inflammatur, vt aliud quam bellum, cædes, & sanguinem cogitare nihil possit. Ergo suis arma statim indicit. Nondum quiescit Furia. Ad Troianos abit, venantem Ascanium obseruat, canes eius in ceruum cicuratum, & à Tyrrhi armentarij liberis nutritum, præsertimq; à Syluia filia in delicijs habitum, irritat. Hunc Ascanius sagitta figit: fixus ceruus domum venit: gementi, ac propemodum ploranti simillimus ob dolorem vulneris. Re agnita, puella rustica pagum omnem clamoribus suis ad facinoris vltionem conciet. Tyrrhus quoque non deest sibi, & Alecto de fastigio stabuli classicum canit. Agrestes vndique cum telis, quæ ira monstrauerat, sese effundunt: Troiani æquè haud segniter Ascanio suo auxilium apportant. Dirigitur acies, nec iam perticis, rastris, sudibus, sed strictis mucronibus decertatur. Occumbit Almon filiorum Thyrrhi maximus, & cum eo Galesus, Ausoniorum agricolarum copiosissimus. Alecto Junoni excitatam tragœdiam, conflictumq; primum gratulans, ad maiora spondet operam. Feruntur in vrbem cadauera. Latinum rustici obtestantur, vtì se vltorem iniuriarum profiteatur: ad idem Turnus eum etiam atque etiam sollicitat: regiam cingunt, consensu bellum flagitant. Rex fatorum, pactæq; memor amicitiæ, constanti voluntate repugnat, ac tandem se cogi testatus, ipsum Turnum (quod euentus postea docuit) magno hanc temeritatem, piaturum prænuntiat. Juno huic negotio velut proma conda, per se belli portas reserat: quem morem prius exponit Virgilius. Fremit, & in arma ruit tota pæne Italia, vrbiumq; alia istuc, alia aliud telorum genus studiosè parat, ac prouidet. Postmodum duces cum locis, è quibus quisque venerit, percensentur: duces, inquam, qui cum Turno in exitium Troianorum conspirauerant. Cæterùm, ne nuda enumeratio parum iucunda veniat lectoribus, quasdam historiolas ὁμηρικῶς inspergit. Camillam quoq; sub finem honorificè tractat, eam à laborum tolerantia, à voluptatum contemptu, à summa pedum celeritate, ab admiratione hominum, ab eximio denique corporis, & armorum ornatu, ac specie dilaudat. Hypothesin sex librorum sequentium habemus summatim apud Ouidium lib. 14. Metamorph. ad hunc modum videlicet.

Soluitur herboso religatus ab aggere funis:
Et procul insidias, infamatæque relinquunt
Tecta deæ: lucosque petunt, vbi nubilus vmbra
In mare cum fulua prorumpit Tibris arena:
Faunigenæque domo potitur, nataque Latini,
Non sine Marte tamen. bellum cum gente feroci
Suscipitur: pactaque furit pro coniuge Turnus.
Concurrit Latio Tyrrhenia tota, diuque
Ardua sollicitis victoria quæritur armis.
Auget vterque suas externo robore vires:
Et multi Rutulos, multi Troiana tuentur
Castra: neque Æneas Euandri ad mœnia frustra,
At Venulus frustra profugi Diomedis ad vrbem
Venerat. Ille quidem sub Iapyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliaque arua tenebat.
Sed Venulus Turni postquam mandata peregit,
Auxilium petijt. vires Ætolius heros
Excusat, nec se aut soceri committere pugnæ
Velle sui populos: aut quos è gente suorum
Armet, habere vllos.

Et infra.

Hinc vbi legati rediere, negata ferentes
Arma Ætola sibi, Rutuli sine viribus illis
Bella infausta gerunt: multumque ab vtraque cruoris
Parte datur. Fert ecce auidas in pinea Turnus
Tecta faces: ignesque timent, quibus vnda pepercit.

Postquam deinde nauium mutationem in nymphas descripsit, ita pergit.

Spes erat in nymphas animata classe marinas
Posse metu monstri Rutulum desistere bello.
Perstat, habetq; deos pars vtraque: quodque deorum est
Instar, habent animos. Nec iam dotalia regna,
Nec sceptrum soceri, nec te, Lauinia virgo,
Sed vicisse petunt, deponendiq; pudore
Bella gerunt. Tandemq; Venus victricia nati
Arma videt, Turnusque cadit.

EXPLANATIONES.



TV quoque littoribus nostris Æneïa nutrix
Æternam moriens famam Caieta dedisti:
Et nunc seruat honos sedem tuus: ossaq; nomen
Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signat.
At pius exequijs Æneas ritè solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Æquora tendit iter velis, portumq; relinquit.
Aspirant auræ in noctem, nec candida cursum
Luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus.

TV QVOQVE LITTORIBVS NOSTRIS) Fortassis aliquis putet, impropriè caput libri constituisse Virgilium, quia dixit *Tu quoq;* cum antea versum nullum posuisse videatur, vnde hic pendeat. Hoc existimant, quia interiecta nesciunt retrahere, vt quod ad tempus separatum est, iungant. Iste enim versus, sublato medio de inferis tractatu, Miseni exequijs iungitur: ab his enim discedens carminis cursus, ad eosdem redit, & facit integram narrationem, vt rectè posuerit, *Tu quoq;*. Melius autem apparebit hæc assertio, si, vnde discesserit, repetamus.

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaq; arma viro, remumq;, tubamq;
Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumq; tenet per secula nomen.

Sequi debuit.

Tu quoque littoribus nostris Æneïa nutrix
Æternam moriens famam Caieta dedisti.

Interposita igitur de inferis carmina, quod vnum esse oportuit, diuiserunt: sed nunc vnũ est, quia vnde se recessisse meminerat poeta, remeauit. Ergo superioribus hæc nectens, ait *Tu quoq; littoribus nostris,* &c. Donat.

Tu quoque, vti Misenus, & Palinurus Troiani, quorum ille tubicen, hic nauclerus, siue gubernator Æneæ fuit. Et à priore quidẽ cognominatus est Misenus mons in Campania, vbi cineres eius conditi sunt: à posteriore nomen tulit Palinurus, Lucaniæ quoddam promontorium, vbi ei lucus dicatus, factumq; cenotaphium à Velinis, ad manes eius placandos videlicet, quem per summum scelus occiderant, vt est lib. 6. De nomine loci ibidem his verbis.

Et statuent tumulum, & tumulo sollemnia mittent,
Æternumq; locus Palinuri nomen habebit.

Huc refer à Germano citata, Statij: *sedes Phrygio quas debet alumno Mitis amnis.* Et Martialis lib. 10.

Non blanda Circe, Dardanisue Caieta
Desiderantur, nec Marica, nec Lyris.

ÆTERNAM FAMAM) Æternum aliquando est, quod finem nullum habet: aliquando, quod finem quidem respicit, sed quando, & vbi, nescitur. Notauit ex D. Augustino Delrius in Herculem Oetæum Senecæ, act. 3.

CAIETA) Refert Aurelius Victor ex veteribus libris, Commentario de origine gentis Rom. *Caietæ* co-
A gnomen fuisse, nõ nomen: ex eo scilicet inditum, quod eius consilio, impulsuq; matres Troianæ tædio longæ nauigationis classem incenderint, græca scilicet appellatione, ἀπὸ τοῦ καίειν, quod est, incendere. Rei fides penes auctores esto: ego nec affirmo, nec refello. Vide quid ex Strabone dicat Vrsin. de huius oppidi nomine. A curuitate dictum vult, quod Lacones curua, caieta appellent.

SERVAT HONOS SEDEM TVVS) Figura notissima, qua mirè delectatur Maro noster, ὑπαλλαγὴ, seu inuersio, Vt, *Ibant obscuri sola sub nocte*, pro, ibant soli sub obscura nocte: *dare classibus Austros*, pro, classes dare Austris. Eodem modo hic: *seruat honos sedem tuus*, id
B est, sedes seruat honorem tuum. Manet loco, in quo condita iaces, honor tuus, quo tu illum honoras, quia te habet, & tu illi nomen das de tuo nomine: seu potius nomen tuum ipsum, tu, fæmina non vulgaris, sed nutrix viri pietate, prudentia, nobilitate generis præstantissimi, & qui fundauit Romanum imperium: inde tua, & nostra gloria. Tale διήγημα est in quodam epitaphio in Euripid. 3. Anthol.

Οὐ σὸν μνῆμα τόδ' ἔστ' Εὐριπίδη, ἀλλὰ σὺ τοῦδε.
Τῇ σῇ γὰρ δόξῃ μνῆμα τόδ' ἀμπέχεται.
Non est hócce tuum monumentum: tu magis illi ô
Euripide, per te nobilis est tumulus. ✤

OSSAQVE NOMEN SIGNAT) Dictum à Marone,
C quod sepulchra quædam sunt sine nomine, ignobilium capitum, & ingloriorum. At verò Caietæ sepulchrum memorabile fuit posteritati, nomenq; habuit. Sic & Ouid. cecinit. 12. Metamorph. *tumulo quoq; nomen habenti Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.* Verius tamen vtrobique crediderim de nominis inscriptione, quod in tumulis incidebatur, quod non item in vilium, & ignobilium hominum bustis fieri solebat. Turneb. lib. 21. cap. 22. * *Sensus ergo est, tumulo tuo, ô Caieta, nomen tuum incisum est ad perennem tui memoriam. Nomẽ indicat, cuius ossa ibi sint deposita. Colligantur hinc exempla aliquot eorum, quò nutrices suas honorarunt. Insigne quoddam memorat ex Iunio Rustico Tiraquell. de Nobilit. cap. 20. num. 92. Duobus illis Gracch. Tib. & Caio frater nothus fuit, bellicosissimus. Cui aliquando è bello redeunti, multis hostium spolijs onusto obuiam venerunt mater, & nutrix ipsius, quibus munus obtulit, matri quidem annulum argenteum, nutrici torquẽ aureum. Querente matre, desine queri, inquit ille: tu enim me nouem tantùm mensibus vtero tuo tulisti,*
hæc

hac me duobus annis vteribus suis sustinuit. Si quid decoris hoc in ore habeo, id ei debeo, qua me eò prouexit. Si contrà aliquid dedecoris, id per te factum est, qua me alieno concubitu concepisti. Hac me annidem lactauit ob voluptatem, quam ex me educando capiebat: tu me concepisti ex voluptate, quam ex alio capiebas. Quod ex te habeo, corpus est ex minimè honesta ratione mihi datum. Quod autem hac mihi sponte detulit, ex animo puro, & sincero processit. Cū infans essem, vix ex vtero prolatum, continuò me à tuo consortio, & oculis relegasti. Hac verò tum me relegatum mox obuijs vlnis blandè excepit.

HESPERIA IN MAGNA) Magnam vocauit etiam lib. 1. *Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaq́; arua*, &c. ad discrimen Hispaniæ, aiunt, quæ Hesperia minor, & ab Horatio vltima dicitur. Seruius tamen in locum à me prolatum ita scriptum reliquit, quod verisimilius arbitror. μεγάλη enim Ἑλλὰς appellata est, quia à Tarento vsque Cumas omnes ciuitates Græci condiderant.

SI QVA EST EA GLORIA) cur sic loquitur? quia Ἐπικουρίζει, vt aliàs non semel. Docent autem illi insipientissimi sapientes, eorum quæ hic aguntur, sensum nullum pertinere ad vita functos, ergò nec officiorum funebrium. Huiuscemodi quiddam & Seruius Sulpitius in illa nobili epistola ad M. Tullium, super obitu eius filiæ Tulliæ. Quod si quis etiam inferis sensus est: qui illius amor in te fuit, pietasq; in omnes suos, hoc certè illa te facere non vult. Epitaphium Caietæ legitur apud Nasonem Metamorph. lib. 14.

——— vrnaq́; Æneia nutrix
Condita, marmoreo tumulo breue carmen habebit.
Hic me Caietam nota pietatis alumnus
Ereptam Argolico quo debuit igne cremauit. ✠

EXEQVIIS SOLVTIS) Apud Cic. 1. Tuscul. exequi, pro funerare legimus, vnde exequiarum nomen, quod inde natum est, quod multi cadauer eius, qui efferebatur, sequebantur.

At qui labores morte finisset graues,
Eum omnes amicos laude, & lætitia exequi.

Turneb. lib. 9. cap. 18. *Funus*, est cadauer iam ardens, quod dum portatur, exequias dicimus: crematū, reliquias, & bustum: conditum iam, sepulcrum. Seruius.

AGGERE COMPOSITO TVMVLI) Dictum est ex Græcorum consuetudine, qui τάφον χώσασθαι dicunt. Lucian. καὶ τάφον ἐχώσαμεν ἐν ἀμύκλαις. Exaggerare autē terram solebant: quóque altius educebatur, eo honorificum magis erat: atque è tumore illo, moléque terræ latinum nomen *tumuli* partum est. Homerus quoq; eodem modo. ἧμος δὲ σῆμ' ἔχεαν. Et, χεύαντες δὲ τὸ σῆμα. Turneb. lib. 4. cap. 14. Idem lib. 19. cap. 29. & lib. 30. cap. 38. Non ab re dixit Maro. Nam prisci tumulos honoratorum multum exaggerabant, id mortuorum honori accedere existimantes, vt apud Æschylum, πολύχωστον ἂν εἶχες τάφον διαποντίας γᾶς. Apud Græcos quoque χυμὸς τάφου, χῶμα exponitur, id est sepulchri agger, & χύτη ἡ ἐπὶ τοῦ τύμβου χωννυμένη γῆ. Sed ex Hesychio etiam eandem explanationem confirmare me delectat. χυμὸς τάφου χῶμα. Iterum, χύτη ἡ ἐπὶ τοῦ τύμβου χωννυμένη γῆ. Ita Græcus Grammaticus tumulum aggerem terræ interpretatur.

POSTQVAM ALTA QVIERVNT ÆQVORA) Postquam æquor stratum siluit, & ventosi ceciderunt murmuris auræ, vt alibi loquitur.

TENDIT ITER) Passis velis proficiscitur per humidas illas vias, per campos aquarum immensos. Tendere iter poetis relinquamus, oratorū sermo est, itinere quopiam contendere.

ASPIRANT AVRÆ IN NOCTEM) Aura ab aëre dicta, quasi aërea, quod lenis sit motus aëris. Agitatus enim aër auram facit, vnde & Lucret. aëreas auras. Isid. lib. 13. cap. 10. Aura est tenuis, seu lenis ventus, seu ventulus. Auræ poetis sæpe vsurpantur pro aëre. Virgil. 1. Æneid. *Quem si fata virum seruant, si vescitur aura Ætheria.* Ibid. *Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.*

NEC CAND. CVRS. LVNA NEG.) Propter candorum solet etiam dici argentea: & propter colorem auri, sol vocatur aureus. Sensus est horum verborum, Ibāt *tacita per amica silentia luna*, vt est in 2. Erat nox sublustris. Contrarium, nox illunis. Plin. epist. lib. 6. Vix viam deserueramus, & nox non quasi illunis, & nubila, sed quasi in locis clausis lumine extincto. ✠

TREMVLO SVB LVMINE) Sæpe Lucretius splendorem tremorem, vocat.

Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum. &c.
Sub terris ideo tremulum iubar hæsitat ignis:

Ignis siquidem, cui ἱερῷ astra putarunt Platonici, tremulas esse flammas leuitate & calore constat: vnde in Pharmaceut. suprà, *corripuit tremulis altaria flammis*. Et Propert. *Armorum radijs picta tremebat aqua*. German. * *Quod sæpe facere Lucretium asseuerauit German. Verum est. Nam & lib. 4.* Iamq; rubrum tremulis iubar ignibus erigere altè Cum cœptat natura. *Et lib. 6.*

Prætereà solis radijs iactatur aquaï
Humor, & in lucem tremulo rarescit ab æstu.

Cic. quoq; lib. 2. de Consulatu suo, claro tremulos ardore cometas. *A Virgilio redditus est quidam versus Ennianus ex Menalippa*, Lumine sic tremulo terra, & caua cærula candent. *Etiam lib. 8.* Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis Sole repercusso.

Proxima Circææ raduntur littora terræ,
Diues inaccessos vbi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu: tectisq; superbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus, iræq; leonum
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum:
Setigeriq; sues, atq; in præsepibus vrsi
Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum.
Quos hominum ex facie Dea sæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.

Quæ ne monstra pij paterentur talia Troës
Delati in portus, neu littora dira subirent,
Neptunus ventis impleuit vela secundis:
Atq; fugam dedit, & præter vada feruida vexit.

PROXIMA CIRCÆÆ) Imprudens Æneas, vtpote qui loca nesciret, ferebatur Neptuni suffragio, & circa loca, quæ nescius incurrere potuisset, nauigabat cursu prosperrimo. Quid autem illic cum socijs perpeti potuisset, poeta commemorat. Describit quæ illic consuetudo Circæa teneretur, & quæ inde audirentur. Donatus. Sumptum locum ex Odyss. κ. Vrsin. & German. ostendunt.

CIRCÆÆ TERRÆ) De origine Circes discrepant auctorum sententiæ. Hæc cum Sarmatarum regi nupsisset, eumque paulò post venenis extinxisset, & sola regno potita subiectos crudeliter habuisset, pulsa regno, cum parua mulierum manu, in Italiam fugit, & in promontorio, quod ab ipsa postea Circeium dictum fuit, consedit. De eius veneficijs, & mutatis ab ea Vlyssis socijs lege Natal. Comitem lib. 6. cap. 6.

RADVNTVR LITTORA) Sic locutus est lib. 3. Æneid. *Hinc altas cautes, proiectaq; saxa Pachyni Radimus.* De columba volante lib. 5. *Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas.* Ibidem. *Radit iter laeuum interior.*

INACCESSOS LVCOS) Inaccessibiles, inaccedendos. Nam Vlysses illuc venit. Ergo inaccessos, non ad quos nullus accessit, sed ad quos nullus debeat accedere. Vt, *Aut illaudati nescit Busiridis aras*, Georg. 3. hoc est, illaudabilis, nam ab Isocrate laudatus est. Seruius.

RESONAT CANTV) resonare facit. Eclog. 1. plenũ posuit. *Formosam resonare doces Amaryllida syluas.* Quod continenter sequitur, *tectisq; superbis*, exponendum, magnificis, sumptuosè ædificatis, quæ superbum queant facere. Nam vox *superbus*, vt alibi monemus, nõ ad mores duntaxat, & homines, sed ad inanima quoque persæpe, à poetis præsertim, accommodatur.

VRIT ODORATAM) Hoc ex antiquorum consuetudine dictum videtur, quod ex Homero sumptum est. Ignitabulum enim, vel focum in medijs ædibus habebant, in quo tędas vrebãt luminis caussa, vt narrat Hesychius in vocabulo λαμπτὴρ, his verbis. λαμπτὴρ, φέγγος, φῶς, λαμπὰς, ἐσχάρα, ἐφ' ἧς ἔκαιον εἰς τὸ φωτίζειν αὐτοῖς ξηρὰ ξύλα, καὶ δᾳδία. Turneb. lib. 4. cap. 14.

NOCTVRNA IN LVMINA) Lucret. lib. 6. *Nonne vides etiam nocturna ad lumina linum Nuper vbi extinctum admoneas.*

ARGVTO PECTINE) stridulo, sonanti, vt Seruius. Argutum pectinem videtur poeta vocare, vt radium textorium Græci κερκίδα vocant, παρὰ τὸ κρέκειν, à strepitu, quem inter texendum edit. Aut fortasse respexit ad Euripideum illud in Iphigenia Taurica, δι' ἱστῶν ἐν καλλιφθόγγοις.

PERCVRR. TELAS) ἱστὸν ἐποιχομένη dixit Homer. Iliad. α.

HINC EXAVDIRI GEMITVS, &c.) *Ouid. lib. 14. Metamorph.*

Herbiferos adijt colles, atq; atria Glaucus
Sole satæ Circes, variarum plena ferarum.]

Homer. Odyss. κ.

Εὗρον δ' ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα Κίρκης,
Ξεστοῖσι λάεσσι περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ,
Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι, ἠδὲ λέοντες,
Τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν, ἐπεὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν.

Circe Solis, & Persæ filia, Æętæ Colchorum regis, Medeæ patris soror. Alij Ææetæ, & Hecates filiam, Medeæ sororem esse volunt, vt refert interpres Apollonij in Argonaut. M. Tull. lib. 3. de nat. deor. scribit, Circen, & Pasiphaen è Perseide Oceani filia natas esse, patre sole. De ea sic Homerus Odyss. κ'.

Κίρκη ἐϋπλόκαμος, δεινὴ θεὸς αὐδήεσσα
Αὐτοκασιγνήτη ὀλοόφρονος Αἰήταο.
Ἄμφω δ' ἐκγεγάτην φαεσιμβρότου ἠελίοιο.

Id est, Circe compta coma, horribilis dea, soror germana Æetæ perdita cogitantis. Ambo autem à Sole lumẽ hominibus suppeditante nati sunt. Hæc socios Vlyssis aliquot, qui ea loca, in quibus commorabatur, statim in sues vertit, præter Eurylochum, qui cæteris eius domum ingressis, suspicatus dolum subesse, extra fores remanserat. Auctor Homer. lib. supra citato.

Αὐτὰρ ἐπεὶ δῶκέν τε, καὶ ἔκπιον, αὐτίκ' ἔπειτα
Ῥάβδῳ πεπληγυῖα κατὰ συφεοῖσιν ἐέργνυ,
Οἱ δὲ σύων μὲν ἔχον κεφαλὰς, φωνὴν δὲ, δέμας τε,
Καὶ τρίχας. αὐτὰρ νοῦς ἦν ἔμπεδος, ὡς τὸ πάρος περ.

Id est, porro autem posteaquam Circe pharmacum dedit, & illi ebiberunt, tum illa eos virga percussos in haris conclusit. Illi autem suum quidem habebant capita, sed mens eis erat stabilis, vt antea. Dio Chrysost. oratione, Διογένης, ἢ περὶ ἀρετῆς, per Circen putat significari voluptatem, quæ non gladijs, neque hastis, neque bipennibus, neque sagittis homines oppugnat, sed luxu, delicijs, epulis, illecebris, mollitie, rebus Venereis, & similibus illicit in fraudem, inescat, decipit, effœminat, liquefacit, eneruat. Multa alia de Circe, & voluptate ab illo politissimo, & dulcissimo scriptore disseruntur. Cic. in Diuinat. contra Cæcilium, ad hanc Circes fabulam alludens. Est adhuc, inquit, id quod vos omnes admirari video, non Verres, sed Q. Mutius. Quid enim facerę potuit elegantius ad hominum existimationem? æquius ad leuandam mulieris calamitatem? vehementius ad quæstoris libidinem coërcendam? summè hæc omnia mihi videntur laudanda: sed repentè, è vestigio ex homine tanquam aliquo Circæo poculo factus est Verres, redit ad se, atque ad mores suos. Omnino credibile est, Circen illam, si vnquam fuit, mulierem fuisse impudicam, & libidinosam, quæ arte meretricia, blanditijs, & illecebris homines à se illectos, & irretitos, à rebus agendis, & ab officio abduceret, atque ad vitam voluptuariam traduceret, quod & Seruius existimat, sic scribens in hunc locum. Circe ideo Solis filia fingitur, quia clarissima fuit meretrix, & nihil sole clarius. Hæc autem libidine sua, & blanditijs homines in ferinam vitam ab humana deducebat, vt libidini, & voluptatibus operam darent: vnde fabulæ datus est locus. Idem voluit Horat. epist. 2. lib. 1.

Sirenum voces, & Circes pocula nosti:
Quæ si cum socijs stultus, cupidusq; bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis, & excors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto, sus.

Bibit tamen Vlysses, vt affirmat Homerus, sed pharmacon illud propter antidotum ipsi à Mercurio præbitum, nihil nocuit. Hactenùs ex Lamb. in Horat. Fabulam hanc attingit Tibull. lib. 4.

Solum nec docta verterunt pocula Circes,
Quamuis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaq; vel cantu veteres mutare figuras.

Quid

Quid innuit Circes fabula, inquit Parœmiographus, veneficijs homines vertentis in feras, nisi eos, qui nequaquam ratione ducuntur, quod est hominis proprium, sed totos se dediderunt turpibus affectibus, iam præter hominis vocabulum nihil hominis habere, sed ad pecudum degenerasse naturam, puta libidine in vrsos, somnolentia ignauiaque in sues, ferocia in leones, atque ita de consimilibus? Quid Vlysses, qui solus poculo epoto, virgaque monstrifica percussus, nõ est mutatus, nisi firmum illum, & constantem sapientis habitum, qui nec frangi terroribus, nec vllis affectuum illicijs ab honesto potest abduci? Sunt verò qui dicunt, rei veritatem ex eo esse inspiciendam, quod Circe meretrix, quos sibi turpi amore deuinxerat, effecit tandem prædatores, viarum obsessores, & homicidas, nempe quibus nihil superesset ad vitam miseram sustentandam. Quæ vitia, cum potius ferarum sint, quam hominum, rem totam lepido, & commodo schemate Homerus, & alij nonnulli è veteribus adumbrarunt. Apud Ouid. 14. Metamorph. Macareus, vnus de comitibus Vlyssis, Achæmenidem agnoscens, qui cum Ænea ab eo in fidem receptus nauigabat, & Caietam vnà venerat, ei exponit, quomodo ad Circen peruenerint, quales ibi bestias ex hominibus offenderint, quibus illa occupationibus cum nymphis suis dedita fuerit, vnde veneficium composuerit, qua demum ratione ab ea transmutati, & postmodum per Vlyssem in pristinam formam restituti sint. Carmina ipsa, quamquam complusculа, quoniam Virgilio illustrando mirè faciunt, mea quidem sententia, & lecta periucunda sunt, non me pigebit subijcere, & hìc quoque, vt aliàs sæpissimè, à Nasone Symbolam petere.

——— terris allabimur illis
Quas procul hinc cernis, procul hinc (mihi crede) videnda est
Insula visa mihi: tuq́; ô iustissime Troum
Nate dea (neq; enim finito Marte vocandus
Hostis es Ænea) moneo, fuge littora Circes.
Nos quoq; Circæo religata in littore pinu,
Antiphatæ memores, immansuetiq́; cyclopis
Ire negabamus, sed tecta ignota subire
Sorte sumus lecti: sors me, fidumq́; Politen,
Eurylochumq́; simul, nimiumq́; Elpenora vini,
Bisq́; nouem socios Circæa ad mœnia misit,
Quæ simul attigimus, stetimusq́; in limine tecti,
Mille lupi, mistiq́; lupis vrsiq́; leæq́;
Occursu fecere metum: sed nulla timenda,
Nullaq; erat nostro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas mouere per aëra caudas,
Nostraq́; adulantes comitant vestigia, donec
Excipiunt famulæ: perq́; atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. Pulchro sedet illa recessu
Sublimi solio: pallamq́; induta nitentem,
Insuper aurato circumuelatur amictu.
Nereides, nymphæq́; simul, quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt,
Gramina disponunt: sparsosq́; sine ordine flores
Secernunt calathis, variasq́; coloribus herbas.
Ipsa quod hæ faciunt, opus exigit: ipsa quis vsus,
Quoq́; sit in folio, quæ sit concordia mistis
Nouit, & aduertens pensas examinat herbas.
Hæc vbi nos vidit, dicta acceptaq́; salute,
Diffudit vultus, & reddidit omnia votis.
Nec mora, misceri tosti iubet hordea grani,
Mellaq́; vimq́; meri cum lacte coagula passo,
Quiq́; sub hac lateant furtim dulcedine succos
Adijcit. accipimus sacra data pocula dextra.
Quæ simul arenti sitientes hausimus ore,
Et tetigit virga summos dea dira capillos,
Et pudet, & referam, setis horrescere cœpi:
Nec iam posse queri. Pro verbis edere raucum
Murmur, & in terram toto procumbere vultu,
Osq́; meum sensi pando occallescere rostro,
Colla tumere toris: & qua modo pocula parte
Sumpta mihi fuerant, illa vestigia feci.
Cumq́; eadem passis (tantum medicamina possunt)
Claudor in antra. suis solum caruisse figura
Vidimus Eurylochum: solus data pocula fugit.
Quæ nisi vitasset, pecoris pars vna fuisset
Nunc quoq; setigeri: nec tantæ cladis ab illo
Certior ad Circen vltor venisset Vlysses.
Pacifer huic dederat florem Cyllenius album,
Moly vocant superi, nigra radice tenetur.
Tutus eo, monitisq́; simul cælestibus, intrat
Ille domum Circes, & ad insidiosa vocatus
Pocula, conantem virga mulcere capillos
Reppulit, & stricto pauidam deterruit ense.
Inde fides, dextraq́; data, thalamoq́; receptus
Coniugij dotem sociorum corpora poscit.
Spargimur ignotæ succis melioribus herbæ,
Percutimurq́; caput conuersa verbere virgæ:
Verbaq́; dicuntur dictis contraria verbis.
Quo magis illa canit, magis hoc tellure leuati
Erigimur, setæq́; cadunt, bifidosq́; relinquit
Rima pedes, redeunt humeri, & subiuncta lacertis
Brachia sunt, flentes flentem complectimur illum,
Hæremusq́; ducis collo: nec verba locuti
Vlla priora sumus, quam nos testantia gratos.
Annua nos illic tenuit mora, multaq́; præsens
Tempore tam longo vidi, multa auribus hausi.

Lege insuper Commentarium Plutarchi, Quod bruta ratione vtuntur.

SERA SVB NOCTE RVDENTVM) Ruditus propriè est clamor asinorum, vt grunnitus porcorum, vlulatus luporum, coax ranarum, quæ omnia sono vocis constat esse composita. Seruius.

SETIGERIQVE SVES) Lib. 11. *Multa boum circa mactantur corpora morti, Setigerosq́; sues*, &c. Lib. 12. *Setigeræ fœtum suis, intonsamq́; bidentem.* Dat idem huic bestiæ epithetum Lucretius.

IN PRÆSEPIBVS) caueis vbi aluntur, non enim reuera præsepia habebant. Seruius.

POTENTIBVS HERBIS) propter vim & potentiam magicam potentibus, de qua potentia diximus multa in Eclogam 8. & 4. Æneid.

IN VVLTVS AC TERGA FERARVM) Formam quidem humanam, sensumq; amiserant, mentem retinebant, vt vult Homerus, vt supra vidisti.

PII TROES) Qualis rex, talis populus. Et, *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

NEPTVN. VENT. IMPLEVIT VELA) Nunquid in eius potestati venti? Nonne dixit sibi sæuum tridentem sorte datum, Æolumq́ue ventorum regem appellauit in primo? An intelligimus id eum impetrasse prius ab Æolo?

PRÆTER VADA FER. VEXIT) periculosa nauigantibus. *τμῆσις* est.

Iamq; rubescebat radijs mare, & æthere ab alto
AVRORA IN ROSEIS FVLGEBAT LVTEA BIGIS:

Quum

Quum venti posuêre, omnisq; repente resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.
Atq; hîc Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit: hunc inter fluuio Tiberinus amœno
Vorticibus rapidis, & multa flauus arena
In mare prorumpit: variæ circumq;, supraq;
Assuetæ ripis volucres, & fluminis aluêo,
Æthera mulcebant cantu, lucoq; volabant.
Flectere iter socijs, terræq; aduertere proras
Imperat: & lætus fluuio succedit opaco.

AVRORA IN ROSEIS) Respexit ad Homericum A versum Odyss. β. appellat enim Auroram roseos digitos habentem, id est, formosam. *ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς*. Et hunc eundem versum ad verbum alibi ponit. Ex eodem videtur natus ille incerti auctoris, *Et roseis manibus sidera dispulerat*. Pacuuius in Thyeste, *Non illic luteis aurora bigis*. Lucret. lib. 5.

Tempore item certo roseam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, & lumina pandit.

Vrsin.

CVM VENTI POSVERE) Quieuerant venti, quasi iam minimè necessarij, Stat. lib. 1. Thebaid. *Et compressa metu seruantes murmura venti*. Et lib. 5. *cum fera ponit hyems*. Notum dicit tollere, & ponere freta Horat. B Ode 3. lib. 1.

IN LENTO MARMORE) Catull. in Galliambo, marmora pelagi. Noster rursum hoc ipso libro, *Quam multi Libyco voluuntur marmore fluctus*. Marmor mare, propter nitorem marmoreo nitori similem.

LVCTANTVR TONSÆ) Ennius. *Ponè petunt, exin referunt ad pectora tonsas*. Idem. *Poste recumbite, vestraque pectora pellite tonsis*. Lucret. lib. 2. *Antennas, proram, malos, tonsasq; natantes*. Virgil. lib. 10. *socij consurgere tonsis*. Tonsa, inquit Festus, remus, quod quasi tondeatur ferro. Tonsæ, vt interpretatur auctor vocabularij latinograeci, *κῶπαι*. Ex Lamb. in Horat.

Ennius, *Alius q; in mari magno vult tenere tonsam*. C In quem versum Hieron. Columna: Dicta autem est tonsa, non vt vult Festus, quasi tondeatur ferro, cum omnia quæ ferro tonderentur, tonsæ appellari possent: neq;, vt ait Seruius, à decutiendis fluctibus, sicut tonsores à tondendis, & decutiendis capillis: sed à tundendis fluctibus: vel quia de arboribus fiunt, cum rami detonsi sunt.

ING. EX ÆQ. LVCVM PROSPICIT) Facilis esse potuit luci apparentis inspectus, ex tranquillo pelagi, & sereno sole surgente. Inter frondosas, inquit, arbores ferebatur vorticibus rapidis Tiberinus amœno fluuio, id est vmbroso, quia inter arbores, seu quia per lucum. Illud etiam ad gratiam eius accedebat, quod non erat cœnosus, sed habebat arenas flauas. Sic autem lętus fuit Æneæ aduentantis in Italiam ingressus, vt elementa ipsa obsequi, & aues gratulaturi viderentur. Donatus.

VORTICIBVS RAPIDIS) 1. Æneid. *rapidus vorat æquore vortex*.

MVLTA FLAVVS ARENA) ob id eum flauum vocat Horat. Ode 2. lib. 1.

ÆTHERA MVLCEBANT CANTV) Non mulcetur, quod audiendi sensu non est prӕditum: sed poetis libet ita loqui, vt rei suauitatem, magnitudinem, &c. significent.

LÆTVS) Cur enim illo tempore non lætaretur, qui factionem Iunonis inimicæ, constantia, & virtute superasset? Cur non lætaretur visis tot augurijs, ac signis futuræ prosperitatis? Cur non lætaretur periculorum maris omni cura deposita? Donatus.

FLVVIO SVCCEDIT OPACO) Infra, *muroq; subibant*. lib. 1. Æneid. *Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?* Eclog. 5. *successimus antro*. Hoc eodẽ lib. 7. *successitq; gemẽs stabulis*, de ceruo vulnerato. Opacus Tiberis, quippe quem per ingentem lucum profluentem, à dextra leuaque arborum comæ inumbrabant. Hoc perspicuè intelligitur ex illis versibus lib. 8. quando Æneæ ad Euandrum profectio narratur per Tiberim.

Olli remigio noctemq;, diemq; fatigant,
Et varios superant flexus, variisq; teguntur
Arboribus, viridesq; secant placido æquore syluas.

Nunc agè, qui reges Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, aduena classem
Quum primùm Ausonijs exercitus appulit oris,
Expediam: & primæ reuocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu diua mone. dicam horrida bella:
Dicam acies, actosq; animis in funera reges,
Tyrrhenamq; manum, totamq; sub arma coactam
Hesperiam. MAIOR RERVM MIHI NASCITVR ORDO,
MAIVS OPVS MOVEO.

NVNC AGE QVI REGES ERATO) Magno con- D silio, & exquisitis inuentionibus Æneæ laudes accumulat. Facit enim noui aduentus eius initium, nouum exordium carminis, vt & errorum, & laborum eius alia pars videatur esse, alia gestorum in Italia. Inuocatio, viri fortitudinem & felicitatem continet. Debuis

buit enim posteritas nosse, qualem reipub. statum in Italia inueñerit, vt inde emergat prædicatio eius, cuius virtute multò melior, & felicior facta est. Donatus.

Apollon. 3. Argonaut. *εἰ δ' ἄγε νῦν Ἐρατὼ παρ' ἵστασο, καί μοι ἔνισπε.* Cur potissimum Eratô Musam nominet poeta, vide German. Ab ἔρωτος, id est, amore nominatam declarat illud Nasonis 2. de Arte. *Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes.* Ex Placiade, & Cornuto alia veriloquia profert Gyrald. quem legere fuerit operæ, Syntagmate videlicet de Musis, vbi & cur nouem, & vnde nomen Musa natum, præclare tradit. Musarum inuenta, munera, numerum, nomina distinctè admodum complexus est his versibus Ausonius.

CLIO gesta canens, transactis tempora reddit.
MELPOMENE tragico proclamat mœsta boatu.
Comica lasciuo gaudet sermone THALIA.
Dulciloquos calamos EVTERPE flatibus vrget.
TERPSICHORE affectus cithara mouet, imperat, auget.
Plectra gerens ERATO, saltat pede, carmine, vultu.
Carmina CALLIOPE libris heroïca mandat.
VRANIE cæli motus scrutatur, & astra.
Signat cuncta manu, loquitur POLYHYMNIA gestu.
Mentis Apollineæ vis has mouet vndiq; Musas.
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

Huiuscemodi inuocatio extat infra hoc eodem libro, eadem de caussa, ob rem nempe arduam ac difficilem.

Pandite nunc Helicona deæ, cantusq; monete,
Qui bello exciti reges: quæ quemq; secutæ
Complerint campos acies. ✠

ADVENA CLASSEM EXERCITVS) Ad laudem Troianorum pertinet, vt virtute, & prosperitate sua peregrini in locis alienis ingenti fultos familiari substantia superauerint: simulq; etiam illud excusat, quod apud Ilium gestum est. Qui enim Italiam opimam substantia, & viris, armisq; instantem, paruo exercitu, & reliquijs Danaûm obtinere potuerunt, possent etiam patriam suam congruè defendere, nisi essent factione

A Iunonis ab effectu opitulationis exclusi. Donatus.

DICAM HORRIDA BELLA) Leuia esse non potuerunt, quæ cum opulentis regibus gesta sunt: nec vnum bellum, sed plura: nec leuia, sed horrida. Donat. * *Non sit absurdum, putare, poetam ad naturam belli respexisse hoc epitheto* horrida, *& esse generale. Graue enim bellum est, horridum, asperum, sæuum, dirum.*

DICAM ACIES) Cum acie instructa confligitur magna virtute opus est: quia cominus bellum geritur. Quanta igitur paucorum Troianorum virtus, qui magnas, multas, & instructissimas hostium acies sustinere, & euincere potuerunt? Donatus. * *Acies Isidoro, quod ferro armata sit, & acumine gladiorum, quem adiuuat illud 2. Æneid.* stat ferri acies mucrone corusco, Stricta, parata neci. *De*
B *aciebus instruendis fertur Æliani liber.*

ACTOS IN FVNERA REGES) In sua, inquit Donatus, non in Troianorum funera. Quum enim animis ferocitate exagitatis in alienũ exitium ruerent, ipsi Troianis è diuerso certantibus ceciderunt.

TYRRHENAMQVE MANVM) Vt poeta Tyrrhenam manum dixit pro copijs, itidem & Græcis vsitatum *χεῖρα* in eâdem significatione ponere.

TOTAM HESPERIAM COACTAM) Generalis ista conclusio, quantum Italorum metum significat extitisse? Qui cum scirent paucos esse Troianos, non numerum, sed virorum fortitudinem timuerunt. Donatus.

C MAIOR RERVM MIHI NASCITVR ORDO) Hoc illi Terentiano in prologo And. comparat Donatus. *Verùm aliter multò euenire intelligit.* Non enim hoc se elegisse dicit Virgilius, sed quasi ex ipso ordine sibi natum esse.

MAIVS OPVS MOVEO) Donatus ita. Comparationis ratio ex superiori carmine descendit. In hoc enim librorum ordine, actus superioris temporis facilior inuenitur. Plus est quippe quæsitum virtute, quam fuit illud, quod casibus, & vi maiore constabat amissum.

——— Rex arua Latinus & vrbes
Iam senior longa placidus in pace regebat.
Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater, isq; parentem
Te Saturne refert: tu sanguinis vltimus auctor.
Filius huic, fato Diuûm, prolesq; virilis
Nulla fuit, primaq; oriens erepta iuuenta est.
Sola domum, & tantas seruabat filia sedes,
IAM MATVRA VIRO, IAM PLENIS NVBILIS ANNIS.
Multi illam magno è Latio, totaq; petebant
Ausonia: petit antè alios pulcherrimus omnes
Turnus, auis, atauisq; potens: quem regia coniux
Adiungi generum miro properabat amore:
Sed varijs portenta Deûm terroribus obstant.

LONGA PLACIDVS IN PACE REGEBAT) Et in pace regere populos, & in longa pace, eximia laus, & magna fælicitas boni Principis: quem & sui ament, vt parentem, & alieni armis sollicitare non audeant. Nequaquam regit in pace suos, qui multos, & sæpe diuersis supplicijs vlcisci, & capitali etiam pœna multare cogitur. Vbi notanda Senecæ illa gnome, Non

D minus turpia sunt Principi multa supplicia, quam medico multa funera. Laudatur ab Herodiano lib. 6. Alexander Seuerus, qui annis quatuordecim *ἀναίμακτον* gesserit imperium, ne vno quidem occiso: in quo mendacij conuincitur à Lampridio: vt omittam, quod Christianos quoque sub eo quosdam martyrio affectos legimus. ✠

HVNC FAVNO, ET NYMPHA) Tractat hunc A locum Arnobius lib. 2. vbi de origine deorum contra gentes disputat. Eius verba sequũtur: Quis Iouem cum fratribus genuit? genitalibus Opis admotus Saturnus (vt vos fertis) cælo, atque Hecata procreatus. Quis Picum Fauni patrem, atque suum Latini? Saturnus, vt ijdem vos vestris scriptis, atque auctoribus traditis. Ergò si hæc ita sunt, sequitur vt Picus, & Iupiter germanitatis sibi sociari sint iure, vtpote vno ex sanguine, vnoque ex semine procreati. Consentaneum est ita esse quod dicitur. Ab Ioue, & Pico quot sunt generis, atque ad Latinum gradus? trini, vt indicat series, &c.

NYMPHA MARICA) Nominatur etiam ab Horatio. Ode 17. lib. 3. & à Martiale. Ab eadem dictus B mons in Campania Maricus. Et cum aliàs vxor Fauni tradatur Fauna fuisse, oportet nos dicere Faunam, & Maricam eandem esse. Immo, vt Lactantius autumat. lib. 1. cap. 21. eadem Marica post mortem, quæ Circe. Nam & Romulus, inquit, post mortem Quirinus dictus est, Leda Nemesis, & Circe Marica. Iustinus seorsim sentit à Virgilio, qui Latinum Fauni nepotem facit his verbis. Ex filia Fauni, & Hercule, qui eodem tempore, extincto Geryone, armenta victoriæ præmia per Italiam ducebat, stupro cõceptus Latinus procreatur. Dionys. lib. 1. Herculis filium facit Latinum. Quod autem Fauni filius sit creditus, inde autumat cõtigisse, quia puellam illam hyperboream, quam pro C obside à patre eius acceptam circumducebat, in Italia grauidam reddiderit, & ita antequam pareret Fauno Aboriginum regi nuptum dederit. sed vt reuertamur ad Lactantium, si eadem Marica quæ Circe, licebit Latinum Circes filium autumare. ✱

SANGVINIS VLTIMVS AVCTOR) Vltimus, id est primus. Sic Catull. in dedicat. phaseli. *vltima ex origine Tuo stetisse dicit in cacumine.* id est, à prima origine. Sic Terent. Extremam amoris lineam vocauit, quæ prima etiam dicitur, & vltimam plateam: idque quoniam, vt philosophi docent, idem quodammodo est primum, & vltimum. Cic. pueritiæ memoriam recordari vltimam. Muret. in Catull. * *Adde ex Cic. 1. de* D *Off. Efficiturq́, id quod Pythagoras vltimum in amicitia putauit, vt vnus fiat ex pluribus. Et 3. de Finibus, Eorum dico, qui summum bonum, quod vltimum appellant, in animo ponerent. Citat Nonius.*

PRIMAQVE ORIENS EREPTA IVVENT.) In ipsa pueritia: illa enim ætate quodammodo orimur, seu ortum nostrum proferimus. Qua ætate cum parentibus liberi sint charissimi, meritò dicuntur illis eripi, cum moriuntur. Non enim eripitur, nisi quod antè comprehensum retinetur. ✱

SOLA DOMVM, ET TANTAS SERVAB. FILIA SEDES.) ἐπικληρεῖτιν virginem significat: non quod orba aut parentibus, aut gentilibus esset, sed quam vniuersum ius succedendi, aut tota hæreditas respiceret: E in qua etiam signif. ἐπίκληρος ab Aristot. in Polit. accipitur: item & 8. Ethicorum. ἐπίκληροι γυναῖκες ἄρχουσι. Et Plutarchus. Οἱ χρημάτων ἕνεκα λαμβάνοντες ἐπικλήρους, quibus παγκληρία, παμπησία, hoc est, ἡ πᾶσα κτῆσις, & κληρονομία obuenit, aut obuentura est. Vide autem apud Aristot. lib. Polit. 2. orta bella, & seditiones ex nuptiali caussa, propter orbas, & bene dotatas puellas. German. Nec abludit illud Statij Thebaid. lib. 1.

—— hunc primis, & pubescentibus annis
Mira decore pio, seruabat nata penates
Intemerata toris.

Vtrobiq; autem τὸ seruabat, significat, possidebat.

IAM MAT. VIRO IAM PLEN. NVB. ANNIS) Non est iteratio, ait Seruius, sed secundum ius locutus est, in quo, & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas probatur. Primum ergò ad habitum, secundum ad annos pertinet. Magius iterationem esse contendit lib. 1. cap. 2. Puellas hasce nubiles, ac viripotentes Græci βαθυζώνους appellant. Pindar. Olymp. Ode 3. σὺν βαθυζώνοις διδύμοις παισὶ Λήδας. cuius vocis illa ratio est, quod ante primum concubitum zonæ virginalis solutio fieret. Virgilium affabrè imitari, atque exprimere videtur Ouid. lib. 14. Metamorph. de Canente Pici vxore.

Hæc vbi nubilibus primùm maturuit annis,
Præposito cunctis Laurenti tradita Pico est.

Nec longè abest ab eo Claudianus lib. 1. de raptu Proserp. *Iam vicina toro plenis adoleuerat annis Virginitas.* Stat. lib. 1. Achilleid. de filiabus Lycomedis

Omnibus eximium formæ decus, omnibus idem
Cultus, & expleto teneri iam fine pudoris
Virginitas matura toris, annisq́, tumentes.

Varro acerbam virginem maturæ opponit, quod notat German. Testis Nonius in voce acerbum. Virgo de conuiuio abducatur, ideo quod maiores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. Tertullianus lib. de velandis virginibus, pro virgine habet, & immatura quidem, quæ circumactis mensibus nondum naturæ leges persoluisset, & tum ait ille rem acerbam esse adhuc, ipsamque virginem (haud dubiè Varronis exemplo) acerbam vocat. Quod autem maturas virgines, quamuis virum non cognouerint, hoc nomine tam nobili, & amabili spoliat, aduersatur consuetudini, & iudicio communi, & cum suis sophismatis valere iubendus est. Acerbam virginem Horat. Ode 5. lib. 2. immiti vuæ, & vitulæ, quæ subacta ceruice ferre iugum, & munia comparis nondum valet, eleganter comparauit. Quanquam ex Iureconsultorum sent. mares ducere vxores possint anno 14., fœminæ nubere anno 12., tamen adhuc quæritur, qua potissimùm ætate vterus inire matrimonium debeat. Sententias grauium auctorum producit Tiraquell. in 7. leg. Connub. à num. 39. Memorabile dictum Cleobuli, filias nuptum tradendas ætate virgines, sed prudentia, & sensu mulieres. Quo satis monuit, non esse festinandum ad ista sacra hymenæia.

MVLTI ILLAM PETEBANT) propterea scilicet, quod esset vnica, & senis filia, spesque esset regni mox futuri. Erat regis filia, & maiores numerabat reges. Adde, quod etiam eximia erat pulchritudine prædita, sicut in lib. 12. describitur. Hæc omnia ad petendum incitabant. Ob hæc sibi vxorem dari multi nobiles ex omni Italia postulauerant. Donatus.

Propriè admodum dixit, *petebant*: nam & proci à procando, id est, à petendo dicuntur. Catull.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi, non si se Iupiter ipse petat.

Ouid. 1. Metamorph. *Multi illam petiere, illa auersata petentes.* Simili autem sententia vsus est Catullus in carmine nuptiali, quem forsitan imitatus est Virgilius. *Multi illum pueri, multæ optauere puellæ*, loquitur de flore pulcherrimo, qui septis secretus nascitur hortis, &c.

ANTE ALIOS PVLCHERRIMVS OMNES) Non petijsse ante omnes intelligendus est Turnus, sed ante omnes pulcherrimus. Heroas suos à pulchritudine com-

commendat Homerus, vt formam videlicet cum virtute, cuius plerunq; signum quoddam est, coniungat. Eius exemplo suos ab eadem re Virgil. Turnum, Æneam, Euryalum, Ascanium, Lausum, Pallantem, Herculem, Auentinum, Virbium, Asturem.

TVRNVS AVIS, ATAVISQVE POTENS) Nobilitas hoc etiam maior censetur, quò vetustior, eò magis augetur, quò longius procedit. Quare ab antiquitate generis poeta nó modo hic Turnum vt nobilissimum, sed etiam in 1. Didonem, ibidem Teucrum, lib. 12. Camertem, Murrhanumq; cõmendauit. Vide Tiraquell. de Nobilit. cap. 19. à principio.

Auus, inquit Isidorus lib. 8. cap. 5. patris pater est, quasi prope auum. Abauus proaui pater, iam longè ab B suo. Atauus abaui pater. Tritauus ataui pater, quasi tetrauus, id est, quartus supra auum. Sed tritauus vltimum cognationis nomen est. Porrò Nonius atauum ait esse A dictum, quasi tatam aui, id est, patrem. Pueri enim, inquit, paruuli patres tatas, matres mammas appellant. Varro Bimargo. Aui, & ataui nostri, cum allium, ac cæpe eorum verba olerent, tamen optimè animati erant. * *Veruntamen atauos sæpius pro ipsis maioribus indiscriminatim nominari inuenies, & aliquando etiam auos, nota figura. Exemplo sit Horatianum illud ex Ode 1. lib. 1.* Mæcenas atauis edite regibus.

QVEM REGIA CONIVX AD. GEN.) Quia pulcherrimus, & nobilissimus, meritò illum præ alijs generum regina optabat. Accedebat tertia caussa, quæ hic tacetur, propinquitas: erat enim ex sorore nepos, quia Venilia Turni mater Amatæ germana soror. Cupiebat igitur benefacere suo potius, quàm alieno, quod natura præscribit.

SED VARIIS PORTENTA DEVM) Duo portenta, quæ varios terrores efficiebant, diuersè territabant animos, cùm alij hoc, alij aliud timerent.

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosq; metu seruata per annos:
Quam pater inuentam primas cùm conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus,
Laurentisq; ab ea nomen posuisse colonis.
Huius apes summum densæ (mirabile dictu)
Stridore ingenti, liquidum trans æthera vectæ,
Obsedêre apicem: & pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuò vates, Externum cernimus, inquit,
Aduentare virum: & partes petere agmen easdem
Partibus ex ijsdem, & summa dominarier arce.
Præterea castis adolet dum altaria tædis,
Et iuxta genitorem astat Lauinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari:
Regalesq; accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis: tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id verò horrendum, ac visu mirabile ferri.
Namque fore illustrem fama, fatisq; canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.

LAVRVS ERAT TECTI) Quomodo Turni, & Lauiniæ coniunctionem portenta deûm impedierint, & Amatæ consilium disturbarint, iam exponit.

IN PENETRALIBVS ALTIS) Penetrale est omnis interior pars domus, licet sit intecta. Vnde laurum fuisse in penetralibus non est mirum. Seruius. Paulus ex Festo, penetralia sunt penatium deorum sacraria. Isid. lib. 15. cap. 4. Penetralia secreta sunt oraculorum, & penetralia dicta ab eo, quod est penitus, hoc est, pene intus.

SACRA COMAM) ita frondes arborum nominantur poetis, comæ inquam. Horat. *Diffugêre niues, redeunt iam gramina campis, Arboribusq; comæ.* Catull. de buxo, *Loquente sæpe sibilum edidit coma.* Noster lib. 12. *posuitq; comas, & brachia ferro.* Lucret. lib. 6. *Lau-* C *ricomos vt si per montes flamma vagetur.*

METV SERVATA) religione seruata, nam metum hic pro religione posuit, vt apud Lucret. Cic. & ipsum Virgil. interdum religionis vocabulum pro metu quodam, & superstitione poni videmus. Caussa quare tam religiosè laurus ista seruaretur, & sacra haberetur, subiungitur.

PRIMAS CVM CONDERET ARCES) primas, circa laurum scilicet, cum primum conderet arcem, cum fundamenta foderentur: nam iam ciuitas fuerat: sed Latinus ampliorem fecit. Seruius.

LAVRENTIS AB EA NOMEN POSVISSE COLON.) Libenter legerem *Laurentes*, vt sit quasi illud Liuij lib. 1. cui parentes Ascanium dixêre nomen. Et nostri, lib. 3. Æneid. *Æneadasq; meo nomen de nomine fingo.* Alioqui

ſenſus eſt, ab ea lauro poſuit nomen colonis, id eſt, incolis, vt Laurentes dicerentur, & vrbs Laurentũ, quod conſequitur. Herodianus in Commodo à multitudine laurorum ſic appellatum auctor eſt. Sic enim ait: Tum Commodus (ita ſcilicet quidam medicinæ periti perſuaſerant) Laurentum ſeceſſit, quod frigidior ea regio ſit, ſyluiſq;, & lauro permultis opaca: à quo etiam regioni inditum nomen.

STRIDORE INGENTI) Apum ille ſtridor propriè bombus dicitur, κατ᾽ ὀνοματοποιΐαν.

PEDIBVS PER MVTVA NEXIS) Virgil. in extremo 4. Georg. *iamq́ arbore ſumma Confluere, & lentis vuam demittere ramis.* Plin. lib. 11. cap. 17. Tunc oſtenta faciunt priuata, & publica, vua dependente in domibus, templiſue, ſæpe expiata magnis euentibus.

RAMO FRONDENTE PEPENDIT) Quod in lauro conſedêre apes, oſtenditur aduenarum victoria.

PARTIBVS EX IISDEM) Intelligimus ab infero mari apes veniſſe, vnde Troiani.

LONGIS COMPRENDERE CRINIBVS IGNEM) Simile prodigium deſcriptum habes 2. Æneid. de Aſcanio, ſed hoc amplius in iſto, quod à capillis in corpus, à corpore virginis per totam ſe ſe regiam flamma diffundit, aduſtione nulla. Ac talis quidẽ ignis à meteorologicis nominari ſolet fatuus. Et quomodo ibi Aſcanio regnum, ita hìc Lauiniæ vatum teſtimonio ingens decus portenditur, vt etiam infra ex Fauni reſponſo patet. Loci igitur inter ſe conferantur. * *Decus quidem Lauiniæ, bellum populo. Ignea portenta ad bellum referunt aruſpices. Et incendia belli vocat Maro, & ardere prouinciam aliquam bello, rectè dicimus. Cic. in Orat. perſ. Vna Gallia communi non ardet incendio. Epiſt. 1. lib. 4. Orbem terrarum imperijs diſtributis ardere bello. Pro Ligario: bellum ſubitò exarſit. Nempe vt flamma, ita bellum conſumit omnia.*

NEFAS) aduerbium indignantis, ſic lib. 10. *Quosque (nefas) omnes infanda in morte reliqui.* Et lib. 8. *Et vltima ſecum Bactra vehit: ſequiturq́ (nefas) Ægyptia coniux.* Catull. *Troia (nefas) commune ſepulchrũ Europæ, Aſiæq́.* Idem valet Ciceroni *malùm.* Philipp. 1. Quæ nam (malùm) eſt iſta voluntaria ſeruitus? Pro Q. Roſcio, Quæ (malùm) ſtultitia fuit. In Off. Quæ te (malùm) inquit, ratio in iſtam ſpem induxit? Eandem vim habet apud Horatium *turpe.*

Comprendere crinibus ignem, Hypallage: ignis enim crinem comprehendit. Cæſar, flamma ab vtroq; cornu comprenſa, naues ſunt combuſtæ quinque.

FLAMMA CREPITANTE CREMARI) Lucret. lib. 6.

Nec res vlla magis quam Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.

Georg. 1. *crepitantibus vrere flammis.*

ACCENSA CORONAM) Quia legimus Ilionen maximam natarum Priami geſtaſſe ſceptrum lib. 1. Æneid. quid ni etiam coronam geſtaſſe putemus, & hunc fuiſſe morem filiabus regum natu maximis? Lauinia eò iuſtius, quod ſola, & hæres regni erat, nulla prole maſcula.

FVMIDA LVMINE FVLVO) fumo inuoluebatur, quem ignis fuluus reddebat.

TOTIS VVLCANVM SPARGERE TECTIS) Incendium belli ſignificat: his enim duobus hoc ab Aſcanij augurio diſtat, fumo, & ſparſione flammarum. Seruius. * *Vulcanus eſt ignis, ſeu flamma, ea figura qua Ceres frumentum, Bacchus vinum, Neptunus mare. Ennius.* Cum magno crepitu Vulcanum ventu' vegetat. *Quem verſum ita legit Turneb.* Cum magno ſtrepitu Vulcani ventu' gerit rem. *Facetum illud Plauti Amphit.* Quò ambulas tu, qui Vulcanum in cornu concluſum gens?

POPVLO MAGNVM PORTEND. BELLVM) Propter Lauiniam bellum hoc, ſequentibus libris deſcriptum. Propter Helenam decennale Troianũ. Propter Theano, à quodam Phocenſe raptam, totidem annorum bellum cum Phocenſibus Thebanorum. Propter Nicetin Apriæ filiam Cambyſes Ægyptis bellum fecit. Vide Athenæum lib. 13. cap. 4. Ante Helenam propter mulieres bella extitiſſe dicit Horatius ſat. 3. lib. 1.

At rex ſollicitus monſtris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit: lucosq; ſub alta
Conſulit Albunea: nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſæuamq; exhalat opaca mephitim.
Hinc Italæ gentes, omniſq; Oenotria tellus
In dubijs reſponſa petunt: huc dona ſacerdos
Quum tulit, & cæſarum ouium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnosq; petiuit,
MVLTA MODIS SIMVLACRA VIDET VOLITANTIA MIRIS:
Et varias audit voces, fruiturq; Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Auernis.
Hîc & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentes:
Atque harum effultus tergo, ſtratiſq; iacebat
Velleribus: ſubita ex alto vox reddita luco eſt.
NE PETE CONNVBIIS NATAM SOCIARE LATINIS
O MEA PROGENIES: THALAMIS NEV CREDE PARATIS.
EXTERNI VENIVNT GENERI: QVI SANGVINE NOSTRVM
NOMEN IN ASTRA FERANT, QVORVMQVE A STIRPE NEPOTES

OMNIA

OMNIA SVB PEDIBVS, QVA SOL VTRVNQ. RECVRRENS
ASPICIT OCEANVM, VERTIQVE, REGIQVE VIDEBVNT.

AT REX SOLLICITVS MONSTRIS) At rex, inquit. Non dixit virginis pater, publici status, quam filiæ potior fuit caussa: licet ipsius quoque contineretur cura, cuius caput repente flammauerat. Non enim de suscipiendo tantum genero agebatur: sed metus fuerat ex eo, quod vates prænuntiasset, magnam portendi populorum stragem: ipsam tamen fore illustrem, & inclytam. Non igitur vatis responso contentus, Fauni auctoritate certior voluit reddi. Faunus quippe quod fatidicus esset, & pater, videbatur posse certius instruere filium duplici cura suspensum: qui cum iuxta cæteros in respondendo facilis fuit, benigniorem se in suorum caussa præbiturum dubitari non poterat. Adijt, inquit, rex patrios lucos: hoc est, in quibus ille colebatur, & dabat responsa postulantibus. Hi luci fuerunt sub alta sylua, quæ dicebatur Albunea: illic erat fons luci numinibus sacer: sed qui exhalaret mephitim sæuam, id est, odorem grauissimum. Donatus.

SVB ALTA ALBVNEA) Reperimus in Suidæ Collectan. Sibyllam quandam Tiburtinam, eamque Albuneam vocatam. Id aliquam fortasse lucem huic loco afferet: nam & fontem vocatum, & deam indigitatam fuisse de nomine illius Sibyllæ verisimile est. Turneb. lib. 30. cap. 5. Sub Albunea, id est, in Albunea, & altas quia est in Tiburtinis montibus altissimis. Et Albunea dicta est ab aquæ qualitate, quæ in illo fonte est. Sciendum sanè, vnum esse nomen fontis, & syluæ. Seruius. *Inter amœna loca regionis Tiburtinæ, quam se Horatius reliquis omnibus quantumcunq; laudatis affirmat anteponere, numeratur etiam hoc Albuneæ nemus, Ode 7. lib. 1.

Nac tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis.

SÆVAMQVE EXHALAT MEPHITIM) id est, odorem teterrimum. Mephitis dea odoris grauissimi, & graueolentis.

HVC DONA SACERD. CVM TVL.) Morem describit eo in luco sollemnem. Responsa poscuntur, venit sacerdos ad lucum, affert dona, pecudes cædit, & earum stratis pellibus incubat: ibique dormiens futura somniat, & ventura cognoscit: tantumq; alto premitur somno, vt instar hominis defuncti iacens, cum ipsis inferis, & cum ipso Acheronte sibi arbitretur esse colloquium. Auditurus enim Deos, & fabulas cum numinibus habiturus, humanum sensum debet dormiendo nescire. Donatus. * *Lib. 4. Æneid.* Vidit, thuricremis cum dona imponeret aris. *Et lib. 5.* Dona ferunt, onerantque aras. *Et lib. 9.* Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona. *Deniq; vox ista in sacrificijs satis frequens reperitur. Nomine dona, ait, consuetudine haberi, quæ aut propitiandis dijs dantur, aut hominibus pro beneficijs redduntur. Erant ergo dona, quæ poetis alias placamina. Cic. 2. de leg. impius ne audeto placare donis iram deorum. Plaut. Rud.* Iouem se placare posse donis, hostijs.

OENOTRIA TELLVS) Vide 1. Æneid. *Oenotrij coluere viri.*

PELLIBVS INCVBVIT STRATIS, SOM. PET.) E Pausanias inquit, existimare se, Amphiaraum interpretandorum somniorum laude excelluisse: quod, inquit, vel ex eo liquet, quoniam quo tempore in deos est relatus, futurorum cognitionem per somnia constituit. Ad huius item oraculum qui pergit, eum purgari primùm oportet: purgatio autem est, vt deo sacra res peragatur: cui, & omnibus quorum nomina in ara sculpta sunt, sacrificant. His peractis, mactati arietis pellem substerni, atque ita solitos dormire, captantes A somnij significationes. Ad quod alludit multiscius poeta. Legimus item Daunijs, vel Calabris in more fuisse, pellibus incubare, quas melotas dicunt, id est, ouillas, in Podalirij sepulchro: sicq; per quietem oraculis instrui. Rhodig. lib. 27. cap. 14.

Ad hunc eundem locũ declarandum, producit hos ex Lycophrone versiculos Brodæus lib. 3. cap. 31.

Δοραῖς δὲ μήλων τύμβον ἐγκοιμωμένοις
Χρήσει καθ' ὕπνον πᾶσι νημερτὴν φάτιν.

Zezes vtrumque poetam edisserit. *Εἰώθασιν οἱ Δαύνιοι, ἤτοι οἱ Καλαυροὶ ἐν μηλωταῖς καθεύδειν ἐν τάφῳ τοῦ Ποδαλειρίου, καὶ καθ' ὕπνους λαμβάνειν χρησμοὺς ἐξ αὐτοῦ.* Strabo lib. 6. hoc attigit. Virgilius autem ποιητικῶς historiam paulùm B immutat. Pausan. in Atticis *προεξειργασμένων δὲ τούτων, κριὸν θύσαντες αὐτῷ, καὶ τὸ δέρμα ὑποστρωσάμενοι καθεύδουσιν, ἀναμένοντες δήλωσιν ὀνείρατος.*

Lamb. in illud Plauti è Curcul. *Id eò fit, quia hic leno ægrotus incubat In Æsculapij fano.* Qui à dijs aliquid petere cogitabant, cubabant in eorum deorum, quorum ope egebant, fanis, aut templis, tanquam responsa ab ijs, vel vigilantes, vel in somnis accepturi. Notat hic Seruius. Cic. 1. de diuinat. Atq; etiam qui præerant Lacedæmonijs, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaæ fano, quod est in agro propter vrbem, somniandi caussa excubabant, quia vera quietis oracula ducebant. Eodẽ pertinent illa Strabonis lib. 16. de Mose. C Ἀλλ' ἐᾶν δεῖν πάντας, &c. Etiam ægri in templo Æsculapij incubabãt, vt saltem in somnis moniti, aliquod morbi laxamentum, ac leuamentum ab eo consequerentur.

MVLTA MODIS MIRIS) 1. Æneid. *ora modis attollens pallida miris.* Plaut. alicubi, *res nimium miris modis mirabiles.*

ET VARIAS AVDIT VOCES) scilicet propter multa simulacra petentibus oracula apparere solita.

FRVITVRQVE DEORVM COLLOQVIO) pascitur: quod de rebus tantum bonis dicimus.

IMIS ACHERONTA AVERNIS) potestates quæ sunt in Acheronte, ad quem per Auernum venitur. D Seruius.

HIC ET TVM) Hìc, & tum, inquit, hoc est, hoc loco, atque ipso tempore, quo tot monstra extiterant in caussa filiæ, ipse pater perrexit ad petenda, vel accipienda responsa: non misit alterum, nec adhibuit aliquẽ sacris. In tanta caussa, tantum diligentiæ adhibuit, vt curaret vniuersa per se, nulli habens fidem, plenum exhibens officium & patris, & regis, ac multitudine animalium plenæ venerationis, & negotio tali se exhibens largum: posthabitaque dignitate regia, propter expetitionis effectum, post plumam, post vestes ostro, auroq; fulgentes, plebeio more iacens in pellibus, grauũ quoque earum odore contentus. Donatus.

CENTVM MACTABAT BIDENTES) Aut pro qualitate fortunæ regiæ: aut est numerus finitus pro infinito, id est, multas. Seruius. Lepidam disputationem cum quodam Grammatico, super voce, bidentes, lege, si est voluntas, apud Gelliũ lib. 16. c. 6. P. Nigidius bidentes appellari ait, non oues solas, sed omnes bimas bestias: neq; tamen dixit apertius, cur bidentes. Sed quod vltro existimabamus, id scriptum inuenimus in commentarijs quibusdam ad ius Pontif. pertinentibus, bidennes primo dictas, littera immissa: quasi biennes: tum lon-

 go vsu

go vsu loquendi corruptam esse vocem, & ex biden A nibus bidentes factum, quoniam id videbatur dictu facilius. Hyginus appellari bidentes scripsit, hostias, quæ per ætatem duos dentes altiores haberent. Quę bidens est, inquit, hostia, oportet habeat dentes octo: sed ex his duo cæteris altiores, per quos appareat, ex minori ætate ad maiorem transcendisse. Quæ opinio, an vera sit, non argumentis, sed oculis iudicari poterit. Hoc caput more suo à Gellio surripuit Macrob. lib. 6. Saturnal. cap. 9.

HARVM EFFVLTVS TERGO) Tergum pro tergore, vt item lib. 5. terga boum, cum loqueretur de cæstibus. Et numerus singularis pro plurali positus est. Quid hoc sit, sequentia mox declarant, *stratisq́; iacebat Velleribus*. Et suprà, *Pellibus incubuit stratis. Effultus* autem, B vt multitudinem vellerum compositorum in modum tori, & inde victimarum numerum conijcias. ✂

THALAMIS NEV CREDE PARATIS) propter Turnum, cui iam desponsa erat Lauinia, vt & Liuius dicit.

OMNIA SVB PEDIBVS) Habere sub pedibus dicuntur, qui domuerunt, qui sunt superiores, qui habent in potestate. Lucret. lib. 1. *Quare religio pedibus subiecta vicissim Obteritur*. Liuius lib. 34. Argos, & Lacedæmonem clarissimas vrbes, lumina quondam Græciæ, sub pedibus tuis relinquemus? Quàm bellè autem istis respondent illa lib. 1. *His* (Romanis, de his enim loquitur Faunus quoque) *ego nec metas rerum, nec tempora pono*. Et paulò post, *Romanos rerum dominos*. Etiam lib. 3. eorum futuræ potentiæ, illiusque maximę infertur mentio, nempe in oraculo Apollinis.

Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis ✂

VTRVMQVE OCEANVM) Vterque oceanus est mare Eoum, & occiduum. Sic apud Horat. Ode 2. lib. 2. *& vterq; Pœnus seruiat vni*. Id est, Eous, & occiduus, qui Gaditanus est. Turneb. lib. 30. cap. 5. * *Sic Ouid. Metamorph. lib. 1.* sub vtroque iacentia Phœbo, *sub sole oriente, & occidente: seu, quà sol oritur, quà occumbit.*

Hæc responsa patris Fauni, monitusq́; silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus:
Sed circùm latè volitans iam fama per vrbes
Ausonias tulerat: cum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religauit ab aggere classem.
Æneas, primiq́; duces, & pulcher Iulus
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ:
Instituuntq́; dapes, & adorea liba per herbas
Subijciunt epulis (sic Iuppiter ipse monebat)
Et cereale solum pomis agrestibus augent.

SILENTI NOCTE) Nox silens dicitur, quoniam tunc omnia silent. Sic luna silens.

NON PREMIT ORE LATINVS) quò nimirum à se repelleret filiam ambientes. Speciosiorem autem, & grauiorem recusationis suæ caussam inuenire nullam potuisset.

LATE VOLITANS IAM FAMA) *Fama volat* est lib. 3. Æneid. Cur volat? quia est *malum, quo non aliud velocius vllū* Et per vrbes volat, quoniam vrbanorū aures maximè rumoribus patent: nec vspiam plures rumigeruli, & mendaciorum artifices: vnde etiam quęstum faciunt nonnulli: illiberalem plane, ac sordidum. ✂

RELIGAVIT AB AGGERE CLASSEM) Cæsar belli ciuil. lib. 3. Neque lignandi, neque aquandi, neque na- D naues ad terram religandi potestas fiebat. Græcis autem λογγῶνες dicuntur saxa in portu, de quibus naues religari solent: & funem nauticum, quo naues littore religantur, πεῖσμα, & πρυμνήσιον Græci vocant. πείσματα, παρὰ τὸ πείθεσθαι αὐτοῖς τὰς ναῦς. Propert. lib. 3. de Poeti naufragio.

Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.

German.

CORPORA SVB RAMIS DEPONVNT) Lucret. lib. 1. *hinc fessæ pecudes per pabula læta Corpora deponunt.* Et alibi. *Propter aquæ riuum sub ramis arboris altæ.* Horat. *Longaq́; fessum militia latus Depone sub lauru mea.* Cotys Rex Thraciæ circumibat regionem, & vbi videbat loca arboribus consita, & opaca, & aquis irrigua, illic construebat ἑστιάδεια, id est, cœnacula.

INSTITVVNTQVE DAPES) His versibus parsimo- C nia militaris describitur, sicut in 1. nauigantium cœna, aut prandium, *Tum Cererem corruptam vndis*. In fine conuiuium regium, *At domus interior*, &c. Gemina his sunt omnimodis, quæ habet lib. 1. Dionysius, Ἔπειτα ἄριστον αἱρουμένοις αὐτοῖς ἐπὶ τοῦ δαπέδου, &c.

ET ADOREA LIBA) Adorea liba erant paniceæ, vel ex panis portionibus præduris, vide infra mox. Adorea quoq; substantiuum genere fœminino laudem, & gloriam veteribus significabat: quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret. Plin. lib. 18. cap. 3. gloriam denique ipsam à farris honore adoream appellabant. Est autem ador vel adoreum farris genus, edor quondam appellatum, ab edendo. Vel quod aduratur, vt fiat tostum: vnde in sacrificio mola salsa efficitur. Festus. Vide Columell. lib. 2. cap. 6. Notat. Scalig. F. in eundem Festum, vocē adorea pro laude capi cœptam esse, postquā præmiū militib⁹ frumentū erat, parta victoria. Plaut. Amphit. *Qui multa præda, atq; adorea affecit populares suos.* Ador, inquit Nonius, frumēti genus, quod epulis, & immolationibus sacris pium putatur. Vnde & adorare, propitiare, religionis potest dictum videri. Varro de re rust. lib. 1. In loco humidiore far adoreum potius serunt, quam triticum. Subiungit & hunc Maronis versum.

SIC IVPPITER IPSE MONEBAT) Cum nomine Iouis prisci frequenter prouocabulum, ille, iungebant: idque vel demonstrando faciebant, manum in cælum tollentes, & tanquam illic Iouem ostentantes: vel ita potentiam eius summam, seu præpotens eius numē indicabant. Cum autem multa sint apud Comicos exempla, sunt qui hic legant, *ille*, pro *ipse*, vt id ipsum alijs, quæ

quæ dixi annumerent. Sane quin elegantius, & ἰμφαλ-ώτερον ita legatur, vix est, vt dubitandum sit.

CEREALE SOLVM) Adorea liba mensæ loco Æneã, eiusq; socios subiecisse epulis, scribit poeta. Nunc etiam cereale solum appellat, & patulas quadras. Erant autem mensæ paniceæ, quas Dionysius ἰτεΐα κερῶν ἀν-

A τομμένα ἀνεῖν dixit. Turneb. lib. 30. cap. 5. solum dicitur omne, quod aliquod sustinet, vnde & de mari supra dixit: *Subtrahiturq́; solum.* Et Ouid. Metamorph. *Neu regio foret vlla suis animalibus orba, Astra tenent caleste solũ.* Ita & hoc igitur loco paniceas mensas cereale solũ vocauit. Seruius.

Consumptis hîc forte alijs, vt vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi:
Et violare manu, malisq; audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus.
Nec plura alludens. ea vox audita laborum
Prima tulit finem: primamq; loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuò, salue fatis mihi debita tellus,
Vosq; ait, ô fidi Troiæ saluete Penates:
Hîc DOMVS, HÆC PATRIA EST. genitor mihi talia namq;
(Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Cùm te, nate, fames ignota ad littora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas,
Tum sperare domos defessus, ibiq; memento
Prima locare manu, moliriq; aggere tecta.
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebant
Exitijs positura modum.
Quare agite, & primo læti cum lumine solis
Quæ loca, quiúe habeant homines, vbi mœnia gentis,
Vestigemus, & à portu diuersa petamus.
Nunc pateras libate Ioui, precibusq; vocate
Anchisen genitorem, & vina reponite mensis.

ORBEM FATALIS CRVSTI) Ad negotium Æneæ respexit, cui hîc finis erat laborum. Crustum autem, & crusta neutro genere dicimus, de his quæ comedi possunt. Horat. *Vt pueris olim dant crustula blandi Doctores.* Iuuenal. *Nos colaphum incutimus lambenti crustula seruo.* Fæminino autem genere fragmenta dicimus, quę non sunt esui, vt, *Concrescunt subita currenti in flumine crusta.* Seruius.

PATVLIS QVADRIS) Panis frustis quadratis. Ante vocauit orbem: quę duo significatione pugnant quidem, sed vsum eundem habent, vt nimirum sint partes panis duriores, siue in orbem, siue in quadrum desectæ, quæ epulis substernantur.

HEVS ETIAM MENSAS) Solent poetæ fabulosa C multa historicis, verisque intexere, Maro præsertim, qui de appulso in Italiam Ænea non magis poëma, quam μυθιστορίαν condidit. Scilicet & hic locus de consumptis à Troianis mensis cum illo Strabonis lib. 13. consentit. τὴν δὲ αἰτίαν μάλα ἀγχίου, &c. Vide German. qui & affinem ex Dionysio locum ad verbum recitat. Lege etiam quæ ex Lycophrone, & Strabone producit in medium Vrsin.

NEC PLVRA ALLVDENS) nec dixit plura ludens, quomodo etiam alludere à Cicerone vsurpatum legimus 1. de Orat. Turneb. lib. 30. cap. 5.

PRIMAMQVE LOQ. AB ORE ER. PAT.) quod ei velut è faucibus eam rapuerit, nec exspectarit, vt totam eloqueretur: sed eam ipse velut extraxerit: ita protinus

B se eam vocem agnoscere dixit, & omen accipere. Turneb. lib. 30. cap. 5.

Omen est, inquit Scalig. Poet. lib. 3. cap. 6. quod ab hominis ore excipitur. Eiusmodi est hoc, *Heus etiam mensas*, &c. Verbum autem *eripuit*, auiditatem notat imponendi finem tot exspectationibus. Non est dissimile illud, sub. tit. de ominibus apud Val. lib. 1. de Paulo cos. cum ei forte euenisset, vt bellum cum rege Persa gereret, & domum è curia regressus, filiolam suam nomine Tertiam, quæ tum erat admodum paruula, osculatus tristem animaduerteret, interrogauit, quid ita eo vultu esset: quæ respondit, Persam perijsse. Mortuus erat catellus, quem puella in delicijs habuerat, nomine Persa. Arripuit igitur omen Paulus, exque fortuito dicto quasi spem certam clarissimi triumphi animo præsumpsit. Notauit German.

STVPEFACT. NVM. PRESSIT) Animo, & mente intima complexus est vocē illam Ascanij, & in memoriam oraculi paterni regrediens, attonito fuit similis.

SALVE FATIS MIHI DEBITA TELLVS) Quæ ad hunc versum, & illos infrà,

——— *& geniumq́; loci, primamq́; deorum*
Tellurem, nymphasq́; & adhuc ignota precatur
Flumina,

quæ, inquam, ad hosce versus illustrandos pertinere possunt, posita sunt ad 5. Æneid. nempe ibi, *Incertus, geniumne loci, famulumne parentis esse putet.* Adde locis ibidem prolatis. Seneca in Agam.

Delu-

Delubra, & aras calitum, & patrios lares
Post longa fessus spatia, vix credens mihi
Supplex adoro.

Nonne videtur Catullizare? Sic enim ferè in Sirmionem peninsulam ille. Ouid. 1. Fast.

Dijq́; petitorum dixit saluete locorum,
Tuq́; nouos calo terra datura deos:
Fluminaq́; & fontes, quibus vtitur hospita tellus,
Et nemorum Nympha, Naïadumq́; chori.

Sic & lib. 6. *Italiam socij lato clamore salutant.* Bona periphrasis, *fatis debita*: ne, ait Seruius, fatalis diceret, quod est medium, & in precibus nihil debet esse ambiguum.

O FIDI TROIÆ SALVETE PEN.) fidi Æneæ, non Troiæ, quá nequiuerant seruare. Salue terra, mihi fatorum voluntate decreta: saluete penates, qui mihi fidem vera pronuntiando seruastis. Seruius, Donatus.

De dijs salutatis, multa exempla cumulat, ex poetis potissimùm, Brisson. Formular. lib. 1. num. 33. & deinceps. Et quanquam salutare deos videatur esse, precibus eos adorare, vt vult Don. in Phorm. Terentij, tamen nihil prohibet, etiam salutem dijs simpliciter dictam intelligi Agorastocles in Pœnulo Plauti Veneri salutem dici suis verbis, & rem diuinam fieri suo nomine mandat. Liuius lib. 1. Regem, parentemque vrbis Romanæ saluere vniuersi Romulum iubent, pacem precibus exposcunt. lib. 8. Salij ad Herculem, *Salue vera Iouis proles, decus addite diuis.* Vide Brissonium.

GENITOR MIHI TALIA) Harpyiæ ista prædictio fuit, lib. 3. Quare videri potest Æneæ, siue potius ipsius poetæ μνημονικὸν ἁμάρτημα.

ACCISIS DAPIBVS) Videtur Seruius *ancisis*, quod est ambesis agnoscere, si quis eius interpretationem attentius, & acrius perspiciat. Turneb. lib. 30. cap. 5. Considera tu, lector, an hoc velit Seruius. Eius verba hæc sunt. *Accisis* vndique consumptis: & hoc est, apud nos ac, quod apud Græcos ἀμ: & hoc accisi, valde vndique cæsi, id est, ἀμφίκοποι.

HÆC ERAT ILLA FAMES) Magna confirmatio animorú, quos iste turbauerat casus. Fames ista, inquit, optanda potius fuerat, quam timenda: venit enim cú malorum omnium fine, & aduersis terminum dedit. Hoc sic positum est, vt signum potius videatur, quam pœna. Donatus.

PRIMO CVM LVMINE SOLIS) cum principio lucis, vt Liuius. Primo diluculo, seu, vt Homer. sæpe, ἅμ' ἠοῖ φαινομένῃφι, & ἅμα ἠοῖ Herodot.

QVIVE HABEANT HOMINES) qui habitent, quod frequentatiuum est. Plaut. Aulul. *Patri, auoq́; huius qui nunc hic habet.* Et Trinum. *Vbi adolescens nūc habet? Posticulum hoc recepit, postquam ades vendidit.* Salust. in Catilin. Credo, falsa existimans ea, quæ de inferis memorantur, diuerso itinere malos à bonis loca, tætra, inculta, fœda, formidolosa habere.

PAT. LIB. IOVI) Vinum in pateris. Defundite vinum è pateris, in honorem Iouis. Vide lib. 1. *Dixit, & in mensa laticum libauit honorem.* Morem etiam fuisse in conuiuijs olim, vt non è potu duntaxat, sed de cibis quoq; libarent, & in focum ea ipsa libamenta deferrent, sedē Larium scilicet, ex Halicarnass. & Silio notat Bernartius ad 1. Thebaid. Statij, pag. 41.

PRECIBVSQVE VOCATE ANCHISEN GENITOREM) Bene Iouem & Anchisen coniungit, vt caussam oraculi, seu tanquam duos auctores signi, per quod securi sunt effecti. Nam & qui iussit, & per quem iussa ipsa perlata sunt, in honore maximo primi esse debent. Donatus.

Lactant. lib. 1. cap. 15. postquam ostendit, quemadmodum homines qui fuerant, dij habiti, & nominati sint, tandem ita subijcit. Sic per populos atque regiones varia sacra suscepta sunt, dum homines grati esse in suos Principes cupiunt: & quos alios honores vita carentibus deferant, inuenire non possunt. Præterea pietas eorum qui successerant, plurimum contulit ad errorem, qui (vt diuina stirpe nati viderentur) diuinos honores parentibus detulerunt, deferrique iusserunt. Anne potest aliquis dubitare, quomodo religiones deorum sint institutæ? cum apud Maronem legat Æneæ verba, socijs imperantis, *Nunc pateras libate Ioui, precibusq́; vocate Anchisen genitorem.* Cui non tantum immortalitatem, verum etiam ventorum tribuit potestatem.

Poscamus ventos, atq; hac mea sacra quotannis
Vrbe velit posita templis sibi ferre dicatis.

Idem scilicet de Ioue Liber, & Pan, & Mercurius, & Apollo fecerunt, ac postea de his ipsis successores eorum. Húc ipsum Lactantij locú animaduertit Turneb. quoque lib. 21. cap. 22.

VINA REPONITE MENSIS) Reponere verbum esse conuiuiale constat. Vnde & lib. 8. *iubet sublata reponi Pocula.* Hinc fit, vt quidam existimarint repotia dicta, quasi repostia, hoc est, τὴν μεθύστερον ἡμέραν, qua apud maritum nouum instaurabatur potatio. German.

Reponite, aut timore verború Ascanij interrupta renouate: aut frequenter ponite. Seruius. Vt potarent in ipsa lætitia, & essent solo interim vino contenti, quoniam panis deerat. Donatus.

Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat: & Geniumq́; loci, primamq́; deorum
Tellurem, Nymphasq́;, & adhuc ignota precatur
Flumina: tum noctem, noctisq́; orientia signa,
Idæumq́; Iouem, Phrygiamq́; ex ordine matrem
Inuocat, & duplices cæloq́;, Ereboq́; parentes.
Hîc pater omnipotens ter cælo clarus ab alto
Intonuit: radijsq́; ardentem lucis, & auro
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hîc subitò Troiana per agmina rumor,
Aduenisse diem, quo debita mœnia condant.
CERTATIM INSTAVRANT EPVLAS: atq; omine magno
CRATERAS LÆTI STATVVNT, ET VINA CORONANT.

FROND-

FROND. TEMP. RAMO IMPLICAT) Æneid. 5. *velat materna tempora myrto. Tempora populea fertur vinxisse corona*, Horat. *Et inumbrant ora coronis*, Lucret. Rursum Horat. Ode 4. lib. 1.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terra quem ferunt soluta.

Fructuosa est exercitatio, similia à poetis secum repetendo colligere, non in locis modò, rebusq; alijs, sed in generibus etiam loquendi: vt aut tu ipse rem vnam variè, eleganterque possis exprimere, si vsus veniat: aut alios, quemadmodum id fieri queat, erudire.

ET GENIVMQVE LOCI) Cum multa iniungeret socijs, ipse ab obsequijs deorum vacuus esse nō potuit. De genio loci memorauimus lib. 5. ad illud. *incertus geniumne loci, famulumne parentis*. Demus paulum operæ Dionysio. Postquam Laurento appulsi, tentoria fixerunt per littora, cum prius homines ibi siti laborarent ob aquatum inopiā, suauissimi laticis fontes sua sponte è terra visi sunt prorumpere, qui aquationem præbuerunt toti exercitui, & locum illum fecerunt irriguum, fontanis aquis vsq; ad mare decurrentibus. Monstrantur ibidem duæ aræ, quarum altera orientem solem spectat, occidentem altera: vtrumque Troianorum opus. In his Æneam fabulantur deo mactasse primam victimam, in gratiam acceptorum fontium.

PRIMAMQVE DEORVM TELLVREM) Hesiodus Tellurem statim post Chaos natam tradit, neque tamen certos illi parentes tribuit. Omnium deorum parentem vocauit Homer. hymno in eandem.

Χαῖρε θεῶν μήτηρ, ἄλοχ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Salue magna parens diuûm, ac stellantis Olympi
Coniux.

Deorum, & hominum matrem Orpheus,

Γαῖα θεὰ μήτηρ μακάρων, θνητῶν τ' ἀνθρώπων.
Alma deûm mater Tellus, materq; virorum.

Lege Natal. lib. 5. cap. 20. Gyrald. Syntag. 4. & 17.

NOCTEM, NOCT. ORIENT. SIGNA) quę noctē sequūtur, vt nymphas, flumina: inuocat enim sibi coniuncta.

IDÆVMQVE IOVEM) Alludit ad Iouem, qui in Ida Phrygiæ præses, & tutelaris deus colebatur.

PHRYGIAM MATREM) Cybelen statim post Iouem inuocat, quæ aliàs Berecynthia.

DVPLICES CÆLOQVE EREBOQVE) duos. cælo autem Venerem, Erebo Anchisen. Seruius super illo 1. Æneid. *& duplices tendens ad sidera palmas*. Duplices, duas, secundùm morem antiquum. Nam duplices duas, dicebant, vt hoc loco: & binos duos, & vtrosque, pro vtrumque, vt Cicero, Binos habebam, iubeo promi vtrosque. Item Sallustius, quum de duobus loqueretur: hi vtrique ad vrbem imperatores erant.

CÆLO CLARVS AB ALTO TER INTONVIT) Quare ter? ne si semel factum fuisset, casus putaretur: sed apertis signis monstraretur prosperitas. Sic Donatus. Huiusmodi porro vel tonitrua, vel fulgura, & fulmina cælo sereno portentosa sunt, nec secundum naturam: quamobrem ea fieri negat Lucret. lib. 6.

Denique cur nunquam cælo iacit vndiq; puro
Iuppiter in terras fulmen, sonitusq; profundit?
An simul ac nubes successere, ipse in eas tum
Descendit, propè vt hinc teli determinet ictum?

RADIIS ARD. LVCIS, ET AVRO NVBEM) Fulmē ipsum, ardentem nubē dicit. Ser. Melius Donatus. Vsq; adeo hilari signo Iouis fauor apparuit, vt nubes non fusca, nec terrea, sed aureo colore apparuisset: quo signo mox compertum est, Æneæ preces auditas. Et hanc ipsam nubem sic Iupiter demonstrauit plaudens manu, vt appareret eum excepisse vota, & gratulatum, quod Troiani ad Italiam venissent.

DIDITVR RVMOR) Diditur, id est, distribuitur, dissipatur, non vt vulgus putat, diuiditur. Nam dido verbū integrum, compositum ex di, & do, das: non κατὰ συγκοπὴν à verbo diuido. Vtitur eo Lucret. locis pluribus. Lib. 2. *dum facile in venas cibus omnis Diditur*. Lib. 3. *Sensiferos motus quæ didit prima per artus*. Et Lib. 4. *Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati, Diditur*. lib. 5. principiò.

Ex quo nunc etiam per magnas didita gentes
Dulcia permulcent animos solatia vitæ.

Noster lib. 8. *tua terris didita fama*. Horat. Sat. 2. lib. 2. *Albuci senis exemplo, dum munia didit*. Ex. Lambert. in Lucret. & Horat.

CRATER. LÆTI STATVVNT ET VIN. COR.) Non capita, & colla duntaxat, sed ipsa quoq; pocula coronare soliti sunt antiqui ad hilaritatem conuiuialē videlicet maiorem. Super qua re dictum lib. 1. vbi hic idem versus ad verbum legitur in conuiuio Didonis: hoc tantum discrimine, quod pro, *læti*, ibi est *magnos*. Verū enimvero nō desunt, qui vocē *coronare* aliter accipiāt. Nam Athenæus lib. 1. coronari dicit crateras, cum ad summum vsq; labrum implentur vino, atq; ita velut corona imposita cingi videntur. Vnde & ἐπιστέψαι coronare, idē est quod πληρῶσαι: contra, ἐκστέψαι, quasi dicas excoronare, idem quod ἐκκενῶσαι, id est, euacuare.

POSTERA CVM PRIMA LVSTRABAT LAMPADE TERRAS
ORTA DIES, vrbem, & fines, & littora gentis
Diuersi explorant. hæc fontis stagna Numici,
Hunc Tybrim fluuium: hîc fortes habitare Latinos.
Tum satus Anchisa, delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donaq; ferre viro, pacemq; exposcere Teucris.
Haud mora: festinant iussi, rapidisq; feruntur
Passibus: ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturq; locum: primasq; in littore sedes
Castrorum in morem pinnis, atq; aggere cingit.

POSTERA CVM PRI. LAMP.) Cum posterior dies solis radijs claruisset, successit eorum complendorum cura, quæ superiore luce socijs Æneas inuestiganda mandauerat. Donatus. * *Prima lampade, primis radijs solis,*

quem Phœbaã lampadem nominat lib.4. Æneid. Etsi ipse dies nihil aliud est, quã vna conuersio solis, quã cum Antipodibus dimidimus.

HÆC FONT. STAG. NVM.) Ista iam ab incolis discunt.

DELECTOS ORDINE AB OMNI CENTVM OR.) Licet fatalem terram esse constaret, in officijs primùm rex aduena regem loci credidit esse aggrediendum, neq; cum in superbiam duxit successus ille, qui fatis suffragantibus debebatur. Misit legatos centum, placituros & nomine legationis, & numero legatorum, & magis obsequia sua commendans ambitione multorum. Tales autem elegit, ex omni multitudine per electionem separãs, qui legationis ipsius partes congruè complere possent. Coronabantur autẽ omnes olearum ramis, vt visu potius, quam verbis pacem procul videntibus nuntiarent. Donatus.

Vetus institutum fuit, vt publici pop. Rom. nuntij cũ mandatis ad exteras nationes, ex solo ordine senatorio mitterentur. Neq; aliquo exemplo, hoc obeundarum legationum munus communicatũ cum alijs ordinibus, probari potest. Vt proinde erret Seruius, qui hìc expressam à Virgilio veterem dimittendarum legationũ consuetudinẽ fingit, quæ ad suã ætatẽ vsq; permanàrit.

Hìc ego, quoniam opportunum videtur, ad verbum inserere institui, quæ memorantur à Liuio lib. 1. de aduentu Troianorum in agrũ Laurentem, de primis eorum in Italia rebus gestis, de fœdere cũ Latino rege inito, de nuptijs Æneæ, & Lauiniæ, de bello aduersus Turnum propter Lauiniam: vt cum ijs, quæ vates noster partim in hoc, partim in consequentibus libris canit, comparari possint, cognoscaturq; liquidius, cum fictionum suarum ex historia fundamentum habuisse. Huic enim, (vt nimirum principium aliquod verum res ipsa habeat) natura poetices, quæ est fingere, quod docuimus in poeticis nostris Institutionibus, nequaquã repugnat. Et Lactant. haud falsò aliquoties affirmat, officium poetæ in eo versari, vt quæ gesta sunt verè, in alias species obliquis figurationibus cum decoro aliquo cõuersa traducat. Nunc Liuium audiamus, quicum valde in plerisq; consentit Dionysius. lib. 1.

Aeneam ab simili clade domo profugum, sed ad maiora rerũ initia ducentibus fatis, primò in Macedoniã venisse: inde in Siciliam, quærentẽ sedes, delatum: ab Sicilia, classe Laurentem agrum tenuisse: Troia & huic loco nomen est. Ibi egressi, vt quibus ab immenso prope errore, nihil præter arma, & naues superesset, cũ prædam ex agris agerent, Latinus Rex, Aboriginesq; qui tum ea tenebãt loca, ad arcendam vim aduenarum, armati ex vrbe, atq; agris concurrunt. Duplex exinde fama est: alij prælio victum Latinũ, pacẽ cum Aenea, deinde affinitatem iunxisse tradunt: alij, cum instructæ acies constitissent, priusquã signa canerent, processisse Latinum inter primores, ducemq; aduenarum euocasse ad colloquium: percunctatũ deinde qui mortales essent? vnde? aut quo casu profecti domo? quidue quærentes in agrum Laurentẽ exissent? postquã audierit, multitudinem Troianos esse: ducem Æneam, filiũ Anchisæ, & Veneris: cremata patria, & domo profugos, sedem, condendæq; vrbi locũ quærere: & nobilitatem admiratũ gentis, viriq;, & animum vel bello, vel paci paratum, dextera data fidem futuræ amicitiæ sanxisse. Inde fœdus ictum inter duces, inter exercitus salutationẽ factam, Æneam apud Latinum fuisse in hospitio: ibi Latinum apud penates deos domestico publicum adiunxisse fœdus, filia Æneæ in matrimonium data: earei vtiq; Troianis spem affirmat, tandem stabili, certaq; sede finiendi erroris. Oppidũ condunt. Æneas ab nomine vxoris Lauiniũ appellat: breui stirps quoq; virilis ex nouo matrimonio fuit, cui Ascanium parentes dixere nomen. Bello deinde Aborigines, Troianiq; simul peti-

A *ti. Turnus Rex Rutulorum, cui pacta Lauinia ante aduẽtum Æneæ fuerat, prælatum sibi aduenam ægrè patiens, simul Æneæ, Latinoq; bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abijt: victi Rutuli, victores Aborigines Troianiq; ducem Latinũ amisere. Inde Turnus, Rutuliq; diffisi rebus, ad florentes Etruscorũ opes, Mezentiumq; eorum regem confugiunt, qui Cære opulento tum oppido imperitans, iam inde ab initio minimè lætus nouæ origine vrbis, & tum nimio plus, quam satis tutum esset accolis, rem Troianã crescere ratus, haud grauatim socia arma Rutulis iunxit. Æneas aduersus tanti belli terrorem, vt animos Aboriginũ sibi conciliaret, ne sub eodem iure solum, sed etiam nomine omnes essent, Latinos vtramq; gentem appella-*
B *uit: nec deinde Aborigines Troianis studio, ac fide erga regem Æneam cessère: fretusq; his animis coalescentium in dies magis duorum populorum Aeneas, quanquã tanta opibus Hetruria erat, vt iam non terras solum, sed maria etiã per totam Italiæ longitudinem ab alpibus ad fretum Siculũ fama nominis sui implesset: tamen cum mœnibus bellum propulsare posset, in aciem copias eduxit. Secundum inde prælium Latinis, Æneæ etiam vltimum operum mortalium fuit. Situs est, quemcunq; eum dici ius, fasq; est, super Numicum flumen. Iouem indigetem appellant.*

CENTVM ORATORES) sic lib. 11. *Centum oratores prima de gente Latinos Ire placet.* orare antiqui dixerũt pro agere. Vnde & oratores causarum actores, & oratores,
C qui nunc legati, quod reipublicæ mandata peragerent, Festus. * *Ita etiam Liuius lib. 9. ad senatum pacis oratores missi: quod alibi dicit, legati de pace missi. Idẽ lib. 10. Principio huius anni oratores Lucanorum ad nouos Coss. venerunt questum. In rebus priuatis quoq; adhibet hanc vocem Plaut. sed tum magis rogatorem, quã legatum oportet exponere. Vt Amphit.* Nam iustè ab iustis iustus sum orator datus. Et *Mostellar.* Non potuit venire orator magis ad me impetrabilis, Quam tu.

RAMIS VELATOS PALLADIS) Lib. 8. *Paciferæq; manu ramum prætendit oliuæ.* Lib. 11.

Iamq; oratores aderant ex vrbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamq; rogantes.

Lucan. de Massiliensib⁹. *hostemq; propinquũ Orant, Cecropiæ prælata fronde Mineruæ.* Sic &, *vitta comptos prætẽdere ramos.* Statius 12. Thebaid. oliuã supplicem vocat,
D quia scilicet per eã supplicando pax fiat. Hinc & Æschylo *ἱκλήτοι κλάδοι*, supplices rami dicti, Et græci *ἱκετηρίαν* ramum oliuæ à supplicando vocant. Locos è Liuio, Halicarnasseo de more isto cum ramo oleagino supplicandi cumulat Tiraquell. in Alex. cap. 19. lib. 2.

HAVD MORA, FEST. IVSSI) Sic in celeritate explicandorũ mandatorũ & iubentis auctoritas, & iubendi studiũ probabatur. Quod nõ solùm ostendebatur in facto, verum etiã in ipsa ꝓperatione cumulabatur. Donatus.

IPSE HVM. DES. MOEN. FOSSA) Hæc legatis agentib⁹, nõ putauit Æneas differẽda operũ cœpta, donec respõsum referret missa legatio. Gerebat enim fatorũ fiduciã, quæ ipsi illarum terrarum dominiũ dederant. Donatus.

E CASTROR. IN MOREM. PINNIS. A. AGG. CING.) In auspicijs constituendorum mœnium tale genus operis collocauit, quod defensionem spondeτet conditoribus suis. Donatus.

Referunt historiæ, Æneam primùm illius loci naturam cõtemplatum, cum nihil in eo animaduerteret, quod ad sui cultum inuitaret, diu secum cogitasse, ac deliberasse, longius ne iret (neque enim persuadere sibi poterat, tam incommodas sibi sedes à dijs monstrari) an verò ibi hæreret, ac ædificaret. Tandem è proximo luco vocem redditam, vt ibi maneret, ac vrbem moliretur: cætera dijs curæ fore. Alij tradunt, effigiem deorum penatium Æneæ per quietem obiectam, à quibus locum illum aggere, ac fossa validè cõmunire iussus fuerit,

fuerit. Oraculo fidem fecit ſcrofa, quæ poſtridie in eo A ipſo loco cum 30. ſuculis inuenta fuit. Quare ſepoſita omni mora, huc tranſlatis caſtris, vndiq; collecta materia ædificare cœperunt. Quod vaticinium Heleno poeta donauit. lib. 3.

Vallum appello aggeſtum è terra, & ſudibus, ad labrum interius foſſæ, velut murum. Duæ igitur eius partes, agger, & ſudes. Agger eſt ipſa terra. Deſcribit eum Vegetius lib. 1. c. 24. Si nimia neceſſitas non premit, ceſpites circumciduntur è terra, & ex illis veluti murus inſtruitur, altus tribus pedibus ſupra terram: ſed vbi vis acrior imminet hoſtium, tunc creſcit in altum quatuor pedes. Lege quę ſequuntur apud Lipſium Milit. lib. 5. dial. 5.

Iamq; iter emenſi turres, ac tecta Latinorum
Ardua cernebant iuuenes, muroq; ſubibant.
Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitantq; in puluere currus:
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, curſuq;, ictuq; laceſſunt.
Quum præuectus equo longæui regis ad aures
Nuntius ingentes ignota in veſte reportat
Adueniſſe viros. ille intra tecta vocari
Imperat, & ſolio medius conſedit auito.

ITER EMENS. TVRR. AC TECTA LATIN. CERNEB.) Cum hæc ageret Æneas, iam legati ſic confecerant iter, vt viderent Latinorum turres, ac domorum tecta. Turres viderunt primò, quòd altiores: quum vero propius accederent, viderunt & domorum tecta. Donatus.

ANTE VRBEM PVERI, &c.) Expoſuit diligenter Virgilius inſtituta priſcorum Latinorum, & qua diſciplina imbuere pueros illi ſuos ſolerent commemorauit. Finem autem illa omnis habebat, fortitudinem militarem, & ſcientiam rerum bellicarum: vnde poeta idem fecit alio loco, eius generis hominem magnificè illam prædicantem, vt hoſtib⁹ metum incuteret, nempe lib. 9. per Numanum. Eadem verò fuere ſtudia Troianorum, vt ex Euripidis loco colligitur in fabula, quæ C à captiuis fœminis Troianis inſcribitur. Ita enim illic loquitur Hecuba, cum audiſſet interfectum Aſtyanactem. Queritur enim, ipſum ſæuitia Grę̨corum, & fortunę iniquitate nō percepturū voluptates, quib⁹ carere nō potuiſſet, niſi tanta calamitas ciuitatem oppreſſiſſet.

Ω' τέκνον, οὐχ ὕπνοισι νυκτέγερτά σε,
Οὐδ' ἥλικας τέξουσιν, ὡς φρύγας νόμος
Τιμῶσιν, οὐκ εἰς πλανημένον θηρώμενοι.

Herodotus etiam lib. 1. cum mores Perſarum, puerilemq; diſciplinam exponeret, narrat ipſos in primis illis duobus idem facere ſolitos: tertium tum quoddam addit, proprium illorum, vel potius diuinum inſtitutum: & vnde maiores profectò fructus, quam ex cæteris naſci poterant: vt pueri veritatem colerent, & ab omni prorſus vanitate abhorrerent. Verba ipſius ſunt. B παιδεύουσι δὲ τοὺς παῖδας ἀπὸ πενταέτεος ἀρξάμενοι, μέχρι εἰκοσαέτεος, τρία μοῦνα, ἱππεύειν, καὶ ἀληθίζεσθαι. Victor. lib. 30. καὶ τοξεύειν, cap. 6.

Iſidorus lib. Etymolog. 9. ſic explicat locum hunc. Romanæ militiæ mos fuit, puberes primò exerceri armis: nam ſexto decimo anno tyrones militant, quo etiam ſolo ſub cuſtodibus agebant. Quæ etiam verba apud Seruium hoc libro exſtant, atque ſubſcriptorem Iſidoro non leuem Grammaticum præbent. Turneb. lib. 26. cap. 22.

QVVM PRÆVECTVS EQVO) Fuit occaſio, vt ex illis, qui equis exercebantur, præuectus equo, hoc eſt, ante legatos ad regem vectus, nuntiaret viros veniſſe ingentes, & ignota veſte. & quia turbatus repentino conſpectu pro qualitate animi ſui nuntiabat quæ viderat, nuntiabat eos eſſe vltra humanam fortunam. Eò accedebat & terror, ex ignota veſtium ſpecie deſcendens. Donatus.

INGENTES ADVENISSE VIROS) Laus quæſita Troianis à proceritate, & magnitudine corporum, vt particulatim & ipſi Æneæ alicubi, & Turno, & Pandaro, Bitiæ, & alijs. ✠

SOLIO MED. CONSED. AVITO) In medio ſolio conſedit, vbi maiores eius conſidere ſoliti erant. Ex quo patet, regnum per manus traditum à maiorib⁹ ad eum perueniſſe, quod & ſuprà poſuit. Frequenter videas vocem *ſolium* dici pro ſella regia. Confirmat Iſidor. lib. 20 Sedes, inquit, ſingulari numero propriè regni eſt, quod græcè θρόνον dicunt, nos ſolium. ✠

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis
Vrbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici,
Horrendum ſyluis, & relligione parentum.
Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum:
Hæ ſacris ſedes epulis: hîc ariete cæſo
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex cedro, Italuſq;, paterq; Sabinus,
Vitiſator, curuam ſeruans ſub imagine falcem:

Saturnusq; senex, Ianiq; bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, alijq; ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaq; præterea sacris in postibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq; secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaq;, clypeiq;, ereptaq; rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo, paruaq; sedebat
Succinctus trabea, læuaq; ancile gerebat
Picus equûm domitor: quem capta cupidine coniux
Aurêa percussum virga, versumq; venenis,
Fecit auem Circe, sparsitq; coloribus alas.
Tali intus templo diuûm, patriaq; Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocauit:
Atque hæc ingressis placido prior edidit ore.

TECTVM AVGVSTVM, INGENS) Augustum significat magnificum, plenum maiestatis, *ἀξιωματικὸν, σεμνὸν, σεβαστὸν, ἱερὸν, ἀξιοπρεπὴς, σεβάσμιον, θεοπρεπὴς*, vnde Augusti imperatores dicti. Sic Bud. in Pand.

Describitur domus Latini, vt in ea ostendatur genus eius cucurrisse per reges. Domus fuit admirabilis magnitudine, & pulchritudine satis egregia, regali dignitati, vrbiq; summè conueniens. Donatus.

CENTVM SVBLIME COLVMNIS) Ouid. 2. Metamorph. *Regia diuûs erat sublimibus alta columnis.*

VRBE SVMMA) Hic vrbem summam cum dixit, *ἀκρόπολιν* interpretatur, quæ est arx. Perspicuè enim voluit explicare vocabulũ græcum duob[us] latinis. Turneb. lib. 30. cap. 5. vt alibi, alta Ceraunia, pro Acroceraunia.

LAVRENTIS REGIA PICI) De celebratis regijs apud gentes cõplures, si lubet, lege Alex. ab Alex. cap. 6. lib. 3.

HORRENDVM SYLVIS, ET RELIG. PARENT.) Syluarum densitas, vmbra nemorum, & originalium parentum imagines, addebant tremorem loco, vt sine reuerentia videri non posset. Donatus.

Sic 1. Æneid. *horrentique atrum nemus imminet vmbra*, id est, venerabili. Et in 6. de Sibylla *horrendaq; procul secreta Sibylla.* Ipsemet poeta quo pacto sumi velit vocem *horrendum* satis indicat, cum addit, *& religione parentum.* quasi dicat, quod propter parentes, seu maiores religiosos viros quandam religionem habet, & cum religione adiri debet. Aliter tamen horrendum syluis. Nam densitas arborum verè horrorem incutit. ✠

ATTOLLERE FASCES) cui contrarium, fasces submittere. Alludit autem ad Capitolium, moremque Romanorum, apud quos magistratus omnes fascibus insigniri soliti, fasces ex Capitolio ritè, & more maiorum sumebant. German.

HOC ILLIS CVRIA TEMPLVM) Curia, inquit Festus, locus est, vbi publicas curas gerebant. Curiæ etiam nominantur, in quibus vniuscuiusque partis pop. Rom. quid geritur, quales sunt eæ, in quas Romulus pop. Rom. distribuit, num. 30. vt in sua quisq; curia sacra publica faceret, feriasq; obseruaret. Iam de curijs Romanorũ, Atheniensiumq; Calabra, Hostilia, Prytaneo &c. consule Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 16.

HÆ SACRIS SEDES EPVLIS) Significauit, quod in historijs Romanis non rarò legimus, in templo epulum deorum dari solitum. Turneb. lib. 30. ca. 5.

PERPETVIS CONSIDERE MENSIS) Accumbendi in lecto, aut sedendi in sella varius mos fuit apud Romanos. Priscis temporibus, cum frugalitas, & modestia vigerent, sedebant, non accumbebant, viri pariter, ac mulieres. Post, vt fit, cum opibus succedente luxuria, paulatimq; ad mollitiem moribus inclinantibus, accumbere viri cœperunt, mulieres in sedendi consuetudine, pudoris gratia diu permanserunt. Morem antiquum Virgil. videtur hic indicare. Et Seruius, maiores, inquit, nostri sedentes epulabantur. Quem morem habuerunt à Laconibus, & Cretensibus, vt Varro docet lib. de vita pop. Rom. Isidorus etiam lib. 20. cap. 11. apud veteres, inquit, non erat vsus accumbendi, vnde & considere dicebantur. Vide 1. Æneid. *aulæis iam se regina superbis Aurea composuit sponda. Perpetuis*, Seruius explanat, longis.

Exequar quam potero breuissimè, quæ de veterum discubitu sedulò, & ordine ex probatiss. auctoribus tradidit in Thyesten Senecæ Delrius Comment. pag. 416. Græci, & Latini olim sedentes comedebant. Postea inualuit, vt conuiuæ potius solerent apud Græcos *ἀνακλιθῆναι, κατακλιθῆναι, κατακεῖσθαι, ἀνακεῖσθαι, ἀνακλίνεσθαι, ἀναπίπτειν*: apud Romanos discumbere, accumbere, recumbere, accubare, cubare: reclinata videlicet superiori corporis parte in læuum latus, inferiore in longum porrecta, & extensa, & iacente, capite leuiter erecto, dorso à puluillis modicè suffulto. Notũ etiam, quosdam veterum stantes cibum sumpsisse, vt de Annibale, Catone Vticensi, Varrone refert Alex. Neapolit. lib. 5. cap. 21. statarium prandium vocat Mamertinus rhetor. Hebræi quoq; initio assederunt mensis Gen. 43. Exod. 16. & cap. 32. 1. Reg. 20. postea discumbendi consuetudinem, vt cæteræ nationes receperunt. In nouo etiam testamento non sessionis, sed discubitus fit mentio. Lucæ 7. & ingressus domum Pharisæi discubuit, græcè *ἀνεκλίθη*. Et mox, vt cognouit, quòd accubuisset. *ἐπιγνοῦσα ὅτι ἀνάκειται*. Et manifestum ex eo, quod steterit retro secus pedes eius. Nam si sedisset dominus, in solo illas osculari stans nequiuisset. Marci 14. Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet. *κατακειμένου αὐτοῦ*. Et cap. 13. Ioan. vt alia loca omittam, dicitur vnus ex discipulis fuisse recumbens in sinu Domini, *ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ*. Hactenus ille. Vide & Andream Baccium lib. 4. de nat. vinorum hist. & conuiuijs antiquorum.

VETE-

VETERVM EFFIG. AVORVM) Stat. lib. 2. Thebaid.

——— species est cernere auorum,
Cernimus & viuis certantia vultibus ora,
Tantum ausa proferre manus: pater ipse bicornis
In lauam prona nixus sedet Inachus vrna, &c.

ANTIQVA EX CEDRO) Aut ex cedro factæ, quia hoc genus ligni tineam nescit, corruptionemq; ex antiquitate non sentit: aut cedri oleo perunctæ, quoniam ligna custodit, ac seruat. Donat. Horat. *speramus carmina fingi Posse linenda cedro, & leui seruanda cupresso.* Hoc est, digna quæ seruentur diutissimè incorrupta, digna quæ nunquam consumat vetustas, & quæ perpetuò viuant. Vitruuius lib. 2. cap. 9. Nam reliquæ res, cum sunt vnctæ, vt etiam libri, oleo cedrino, à tineis, & à carie non læduntur. Et antea dixerat, opera, quæ ex cedro construuntur, permanere ad æternam diuturnitatem. Plin. lib. 13. cap. 13. scribit illos Numæ libros tam diu durasse, quod cedrati essent. Idem cap. 5. æternitatem esse materiæ cedrinæ. Itaque simulacra deorum ex ea veteres factitasse. Plura Tiraquell. in Alex. cap. 2. lib. 3.

* *Adde his Ausonij distichon ad libellum, de quodam Proclo poeta.*

Huius in arbitrio, seu te iuuenescere cedro,
Seu iubeat duris vermibus esse cibum.

Vide item adag. Digna cedro. Lignum hoc est iucundi odoris, diu durat, nec à tinea vnquam exterminantur. Persius. & cedro digna locutus, *scilicet propter durabilē perpetuitatem. Vnde & in templis propter diuturnitatē ex hoc ligno lacunaria fiunt. Isid. lib. 17. cap. 7.*

VITISATOR CVRVAM) Attius in Bacchis, *O Dionyse pater optime vitisator.* Lucret. *Tristis item vetula vitis sator aqua fatigat.* Ouidio, *genialis consitor vuæ.* Græci poetæ passim βάκχον ἀμπελοφύτορα vocant.

IANIQVE BIFRONTIS IMAGO) Quærit ab ipso Iano Ouid. 1. Fast. quare bifrons. Vide quid respondeat.

Quem tamen esse deum te dicam Iane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet, &c.

MARTIA. QVI OB. PAT. PVG. VVLN. PASSI) Tales in 6. constituuntur in campis Elysijs. *Hic manus, ob patriam pugnando vulnera passi.* Sed in regibus præsertim magnam meretur laudem, stare in acie, nec recusare vulnera, & ipsam mortem denique pro salute, & incolumitate patriæ: qui non solum bonorum ducum, sed & strenuorum militum officia libenter subeant, & sint χερσὶ ἀρχικοὶ, qualis Alex. Mag. memoratur, vt hunc è pluribus potissimùm nominemus. ✱

SACRIS IN POSTIBVS ARMA, CAP. P. CVRRVS) solebant Romani postes, hostium spolijs ornare. Polyb. Εὖτε ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκῦλα. Liuius lib. 38. Et cætera spolia eius vrbis ante currum laturus? & fixurus in postibus suis? sed ne ea quidem ædibus abalienatis licebat emptoribus refigere, id quod mox patebit. Turneb. lib. 14. cap. 11.

Non in postibus solùm (quanquam in postibus præcipuè) sed in atrijs quoq;, & circa ædium limina, enses, clypeos, galeas, currus, nauium rostra, quibus ipsa vetustas augebat veneratioñe, & maiestatem. Quare nec consumpta refici, nec fracta redintegrari mos erat. Eorum aspectus ad similia facinora concupiscenda intuentes hortabatur. Non licuisse autem ea mutato domino refigere, testis est Plin. lib. 35. cap. 2. Quare nec emptori, inquit, refigere licebat, triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus. Et erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum introire in alienum triumphum. Cic. Philip. 2. vbi Antonio ædes Pompei per sectionem occupatas obijcit. An tu illa vestibula, rostra, spolia cum aspexisti, domum tuam intrare te putas? fieri non potest. Vide Valer. lib. 1. cap. 8. in extremo. Godescalcum ad Vegetium lib. 2. cap. 7. Stukium lib. 2. Antiquit. conuiuial. cap.

A 30. sub finem. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 24. Noli præterire Lipsium de Militia Rom. lib. 5. dial. 17. Ex eodem discas, etiam priuatorum militum fuisse, spolia, & exuuias cæso hosti detractas domi figere. pag. 208.

Imitatus est hunc Virgilij locum Punicor. lib. 2. Silius, vbi Saguntinis Romæ in templo senatum esse datum narrat. In cuius templi limine spolia hostium pependisse dicit, ex quibus res Romanorum vsque ad secundum bellum Punicum licebat cognoscere.

In foribus sacris, primoq; in limine templi
Captiui currus, belli decus, armaq; rapta
Pugnantûm ducibus, sæuaq; in Marte secures,
Perfossi clypei, & seruantia tela cruorem,
B *Claustraq; portarum pendent. Hic Punica bella*
E galeis cernas, fusaq; per æquora classe
Exactam ponto Libyen testantia rostra, &c. ✱

EREPTAQVE ROSTRA CARINIS) Rostra Romæ suggestum in foro extructum, ex rostris nauium Antiatum, vbi clarorum virorum imagines, qui Reipub. nauârant operam, pro immortali gloria sæpe statui, & coli solebant. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 16.

QVIRINALI LITVO SEDEBAT) Dictum accipio, vt homines præstanti sapientia dicimus: quo significamus, eos præstantem habere sapientiam: quo sanè modo etiam *Quirinali lituo*, est, Quirinalem lituum habens. Quamquam istud aliquantò insolentius, minus-
C que consuetum: sed à consuetudine non rarò solent recedere poetæ, & hoc ipsum decus, & ornamentum suo carmini quærere. Turneb. lib. 30. cap. 5.

Reprehendit Maronem Hyginus in hisce duobus versibus, quasi non animaduerterit deesse aliquid. Nam si nihil deest, videtur dictum, lituo, & trabea succinctum Latinum, quod est absurdissimum. Lituus enim est virga breuis, in parte qua robustior est, incurua, qua augures vtuntur: quonam modo succinctus lituo videri potest? sed respondet Gellius, dictum esse, vt pleraque, per defectionem. Veluti cum dicitur, M. Cicero homo magna eloquentia, atque Roscius histrio summa venustate: non plenum hoc vtrumque, neque
D perfectum est: sed enim pro pleno, atque perfecto auditur, vt alio loco, *Victorem Buten immani corpore*, id est, corpus immane habentem. Et item alibi. *In medium geminos immani pondere cæstus Proijcit.* Ac similiter, *domus sanie, dapibusq; cruentis Intus opaca, ingens.* Sic igitur id quoque dictum videri debet. Picus Quirinali lituo erat, sicuti dicimus, statua grandi capite erat. Et est autem, & erat, & fuit plerumque absunt cum elegantia, sine detrimento sententiæ. Gell. lib. 5. cap. 8. Macrob. lib. 6. cap. 8.

Quæri potest, vtrum lituus auguralis à tuba, quæ lituus appellatur, an tuba à lituo augurum lituus dicta sit, vtrumque enim pari forma, & pariter in capite incuruum est. Sed si (vt quidam putant) tuba à sonitu li-
E tuus appellata est, ex illo Homeri versu, λίγξε βιὸς, necesse est ita accipi, vt virga auguralis à tubæ similitudine lituus vocetur. Vtitur autem vocabulo isto Virgilius & pro tuba, *Et lituo pugnas insignis obibat, & hasta.*

SVCCINCTVS TRABEA) Trabeam vestem liquet olim regum fuisse, post equitum in transuectione, postea consulum. Vnde Claudian.

Quo tandem flexus trabeas auctore rigentes
Indueris, factūq; suum concesserit annum.

Docuit Turneb. dictam, quod trabes pannorum haberet. Quod sic accipio, quod vt trabes ligna dicuntur, quæ compage, & commissura duorum tignorum coalescunt, sic & trabeam contextu fimbriato ex pannis, & limbis constare: sicut palmata dicebatur item, quæ

palmam intextam haberet, triumphantibus vſu ordina- A rio conciliata: ſicut & picta veſtis triumphalis etiam fuiſſe ex Plinio lib. 8. cap. 18. noſcitur. Iſidor. trabea, inquit, togæ ſpecies, ex purpura & cocco: qua operti Romanorum reges initiò incedebant. Hanc primùm Romulus inueniſſe fertur, ad diſcretionem regij habitus. Sigon. de Iudicijs lib. 3. cap. 19. Conſule & Bayſium de re veſtiaria cap. 10.

LÆVAQVE ANCILE GEREBAT) De ancilibus egimus lib. 8. ibi, *Lanigerosq́; apices, & lapſa ancilia cælo.*

PICVS EQVVM DOMITOR) Græcum ἱππόδαμος expreſſit. De Meſſapo alibi, *At Meßapus equûm domitor Neptunia proles.*

CVPIDINE CONIVX) Et cauſſa, & metamor- B phoſis exponitur ab Ouid. lib. 14. In extremo ſunt hi verſus.

Tum bis ad occaſum, bis ſe conuertit ad ortum,
Ter iuuenem baculo tetigit, tria carmina dixit.
Ille fugit, ſed ſe ſubitò velocius ipſe
Currere miratus, pennas in corpore vidit.
Seq́; nouam ſubitò Latijs accedere ſyluis
Indignatus auem, duro fera robora roſtro
Figit, & iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem.
Fibula quod fuerat, veſtemq́; momorderat aurum.
Pluma fit, & fuluo ceruix præcingitur auro,
Nec quidquam antiquum Pico, niſi nomina reſtant.

TALI TEMP. SED. TEVC. AD SESE VOCA.) Vt audirent in fanis legatos, antiqua fuit conſuetudo, non ſolum Latinorum, verùm etiam Græcorum: cui quod Æſchines minimè paruiſſet, hoc ei Demoſthenes vt culpam, crimenque obijcit. Brod. lib. 4. cap. 17.

PLACIDO PRIOR ORE) Bene placido ore: legatorum enim fuerat, vt ipſi priores loquerentur. Humanitatis ergo fuit, quod eos voluit anteuertere, & loquẽdi dare fiduciam.

Dicite Dardanidæ (neq; enim neſcimus & vrbem,
Et genus: auditiq; aduertitis æquore curſus)
Quid petitis? quæ cauſſa rates, aut cuius egentes
Littus ad Auſonium tot per vada cærula vexit?
Siue errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intraſtis ripas, portuq; ſedetis:
NE FVGITE HOSPITIVM: neúe ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo, nec legibus æquam,
Sponte ſua, veteriſq; Dei ſe more tenentem.
Atq; equidem memini (FAMA EST OBSCVRIOR ANNIS)
Auruncos ita ferre ſenes, his ortus vt agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrauit ad vrbes,
Threïciamq; Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Coriti Tyrrhena ab ſede profectum,
Aurea nunc ſolio ſtellantis regia cæli
Accipit, & numerum diuorum altaribus auget.
Dixerat: & dicta Ilioneus ſic voce ſecutus.

DICITE DARDAN. NEQVE ENIM) Idem dicit, C quod Dido lib. 1. *Quis genus Æneadûm, quis Troiæ neſciat vrbem?* Atqui ſupra dixerat, *Nuntius ingentes ignota in veſte reportat Aduenisse viros.* Quomodo igitur hìc nouiſſe dicit qui ſint? Soluit nodum Donatus. Si ætates conſiderentur eorum, qui ante vrbem per ludũ bellicis certaminibus exercebantur, potuerunt & famã mirari hominum, & neſcire qui eſſent. Sed vbi ad Latinum ventum eſt, hominem longæuum, atque prudentem, & vſu in omnibus inſtructum, vt eorum habitum vidit, continuò ſciuit eſſe Troianos. * *Initium orationis huius imitatum video Sannazarium lib. 3. de Partu Virginis, vbi Ioſeph paſtoribus ad antrum venientibus,*

Dicite paſtores (neq; enim ſine numine, credo,
Tam certum tenuiſtis iter) cui tanta paratis
Munera? cui virides ramis frondentibus vmbras
Texitis? &c.

QVID PETITIS, QVÆ CAVSSA RATES) Hunc, & ſequentes aliquot ſumptos, & interpretatos ex 3. Odyſſ. notat Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 8. Aut voluntate & ſponte veſtra huc veniſtis, aut neceſſitate. Si ſponte, *quid petitis? quæ cauſa rates,* &c. Si neceſſitate, nempe vel errore, vel tempeſtate (quorum vtrumq; nauigantibus ſæpe contingit) *ne fugite hoſpitium,* &c. Hoc fere modo Seruius hunc locum explanat. Ergo, quod ſequitur, *qualia,* & ad *errore viæ,* & ad *tempeſtatibus acti* pertinet, vt ſenſus ſit. Nautæ in mari ſæpe & errant, vt eò ferantur, quò nõ tendebãt, aut mutato videlicet vento: aut (quod infra dicit Ilioneus) ignoratione ſiderum, locorumúe, & tempeſtatibus agitantur, quibus ſimiliter nõnunquam ad ignota littora appelluntur, ſicut in 1. Troianis euenit.

PER VADA CÆRVLA) Cærulum eſt à natura, ait Cornel. Fronto, cæruleum effingit naturam: ita, vt illud ſit, hoc fiat. Sed poetæ variant: & mare, & cœlum dicuntur cærula quia videntur talia, cum non ſint: non D enim inhæret illis color huiuſcemodi.

NE FVGITE HOSPITIVM) Non reprehendit, quod Troiani fecerunt auctoritate ſua, & aliud offert, quod excedit hoſpitium littoris. Quod, inquit, vos ripa fluminis tenet, & portus, venite potius, & hoſpitio noſtro iungimini. Hoſpitij ſignificatio, & domus habitationẽ tenet, & gratiam iungendæ amicitiæ. Vtrumque igitur Latinum obtuliſſe manifeſtum eſt, in eo quod dixit, *ne fugite hoſpitium, neúe ignorate Latinos.* Addidit ſuam,

suam, & suorum laudem, vt optimorum amicitias se A intelligerent sortituros. Donatus.

SATVRNI GENT. HAVD VINCLO) Ad aureum sæculum alludit, quod sub Saturno fuisse fabulantur, de quo sic Ouid. lib. 1. Metamorph.

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte sua, sine lege fidem, rectumq́ colebat.
Pœna, metusq́ aberant: nec verba minantia fixo
Aëre ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui: sed erant sine iudice tuti, &c.

Commendat quoq; suam, suorumque humanitatem, Troianos excipiens Dido lib. 1.

Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni,
Nec tam auersus equos Tyria sol iungit ab vrbe.

Et Xenocrates philosophus, cum primus scholam aperuisset, interrogatus, quidnam præstiturum se discipulis suis polliceretur, vt inquit, sponte faciant, quod alij iure coguntur. ✠

Ad aureos Latij mores Maro aspicit, quos etiam magna veneratione reuoluit Tacitus lib. 3. Annal. vbi agitat licentiam, & multudinem legum Romanarum, libidine magis, quam iudicio rogatarum, aut in ambitionem, clarorumúe virorum exilium tendentium, his ferè verbis. Hæc res admonet, vt de principijs iuris, & quibus modis ad hanc multitudinem infinitam, & varietatem legum peruentum sit, altius disseram, &c. Adi German.

FAMA EST OBSCVRIOR ANNIS) Ouid. 6. Fast.
Vnde datas habeat vires obscurior æuo Fama.

PHRYGIÆ AD VRBES) Phrygia alia vocatur magna, cuius rex fuit Midas, & cuius partem Galatæ occupauerunt: alia parua, quæ Hellesponto imminens, circa Olympum est, & Epictetus dicitur. Strabo lib. 12.

THREÏCIAMQVE SAMON, QVÆ NVNC SAMTHRACIA FERTVR) Quidam aiunt, priscis temporibus insulam vocatam Samum, ab incolis deinde qui ex Samo, ac Thracia eò profecti sunt, dictam Samothraciam. Diod. lib. 5. cap. 11.

STELLANTIS REGIA CÆLI) Arnob. lib. 2. stellas vocat frustilla ignea, quæ per omne mundi corpus conuenerint, & aliæ obtusi luminis, acutioris aliæ, & fulgidæ claritatis. Cuius autem regia cælum, nisi illius, qui in sanctis litteris appellatur rex regum, & dominus dominantium, & rex sæculorum immortalis? De qua regia pulchrè Lactantius, magistri disertissimi disertissimus discipulus, lib. 2. cap. 10. disputans de mundi fabri- B ca. Fecit igitur deus primum omnium cælum, & in sublime suspendit: quod esset sedes ipsius dei conditoris. Deinde terram fundauit, ac cælo subdidit: quam homo cum cæteris animalium generibus incoleret. Eam voluit humore circumflui, ac cõtineri: suũ vero habitaculum distinxit claris luminibus, & impleuit, sole scilicet, lunæque orbe fulgenti, & astrorum micantium splendentibus signis adornauit: tenebras autem, quod est his contrarium, constituit in terra. Hactenus ille. Stoici quoque, vt testatur Clemens Alexand. lib. 4. Stromat. cælum quidem propriè ciuitatem esse: quæ autem sint in terris, dici quidem ciuitates, at non esse. ✠

NVM. DIVOR. ALTAR. AVGET) Non quia illi al- C taria eriguntur, in quibus sacrificetur, ideo numerum diuorum auget: sed quia auget, quia in deorum numerum relatus est, ideo altaria ei statuuntur. Sed hoc genere orationis nihil frequentius, etiam Maroni. Altare ait Isidor. lib. 15. ab altitudine constat nominatum, quasi alta ara. ✠

Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hyems vestris succedere terris:
Nec sidus regione viæ, littusúe fefellit:
Consilio hanc omnes, animisq; volentibus vrbem
Afferimur, pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat olympo.
Ab Ioue principium generis, Ioue Dardana pubes
Gaudet auo: rex ipse Iouis de gente suprema
Troïus Æneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idæos sæuis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus vterq;
Europæ, atq; Asiæ fatis concurrerit orbis,
AVDIIT, ET SI QVEM TELLVS EXTREMA REFVSO
SVBMOVET OCEANO, ET SI QVEM EXTENTA PLAGARVM
QVATTVOR IN MEDIO DIRIMIT PLAGA SOLIS INIQVI.
Diluuio ex illo tot vasta per æquora vecti,
Dijs sedem exiguam patrijs, littusq; rogamus
Innocuum, & cunctis vndamq;, auramq; patentem.
NON ERIMVS REGNO INDECORES: NEC VESTRA FERETVR
FAMA LEVIS, TANTIQVE ABOLESCET GRATIA FACTI:
NEC TROIAM AVSONIOS GREMIO EXCEPISSE PIGEBIT.
Fata per Æneæ iuro, dextramq; potentem,
Siue fide, seu quis bello est expertus, & armis:

Multi

Multi nos populi, multæ (ne temne quòd vltro
Præferimus manibus vittas, ac verba precantum)
Et petiere sibi, & voluêre adiungere gentes:
Sed nos fata Deûm vestras exquirere terras
Imperijs egere suis. hinc Dardanus ortus,
Huc repetit: iussisq; ingentibus vrget Apollo
Tyrrhenum ad Tibrim, & fontis vada sacra Numici.
Dat tibi præterea fortunæ parua prioris
Munera, relliquias Troia ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras:
Hoc Priami gestamen erat, cum iura vocatis
More daret populis, sceptrumq́;, sacerq́; tiaras,
Iliadumq́; labor, vestes.

REX GENVS EGREGIVM FAVNI) Principium breuissimum, si verba considerentur: si vero intellectum ipsum libeat considerare, inueniemus latè diffusum. Rex, inquit. A fortuna sumpta laudatio: quid enim felicius eo, qui teneat regnum, qui populos regat, qui condat leges, in cuius incolumitate constituatur omnium salus, qui redundet diuitijs, & qui omni honore, atque auctoritate præcellat? Forsitan quæratur, vnde Ilioneus, recens veniens ad Italiam, genus Latini tam citò nosse potuerit. Mirandum non est, id facile noscere potuisse, quod ingresso domum regis, in ipso vestibulo constat ingestum. Donatus. * *Genus dicitur de liberis, aut progenie. Vide lib. 11.* Latonæq; genus duplex.

ATRA SVBEGIT HYEMS) sæpius poetæ tempestatem vocant hyemem. Lib. 1. Æneid. *Emissamque hyemem sensit Neptunus.* Est enim facies quædam hyberni temporis, quando maximè regnant venti, cadunt, imbres, cælum, ac terra miscentur, & frigore, ac flabris illis inhorrescunt omnia.

NEC SIDVS REGIONE VIÆ) Virgil. lib. 2. Æneid. *nota excedo regione viarum.* Lucret. lib. 1.

Sed nihil omnino recta regione viai
Declinare quis est qui possit cernere sese?

Cic. lib. 5. Accusat. Nostræ accusationis regio, & via. Ibid. si quis tantulum de recta regione deflexerit. Nautarum est cursum dirigere ad intuitum astrorum, quæ obseruantur etiam apud Maronem nostrum.

QVÆ MAXIMA QVONDAM) Regnatorem Asiæ vocat Priamum lib. 2. Et initio 3. *Postquam res Asiæ,* &c. Et rursum lib. 2. *inclyta bello Mœnia Dardanidûm.*

AB IOVE PRINCIPIVM GENERIS) Plus Ilioneus dixit, quam Latinus. Latinus quippe dixit Dardanum ex Italia genitum, dedisse originem Teucris. Ilioneus verò ait, Iupiter est auctor nostri generis: quod adeò laudabile videtur, vt hoc iterum, ac tertiò repetat, dicens, *Ioue Dardana pubes Gaudet auo, Rex ipse Iouis de gente suprema.* Donatus. * *Hic subit animo, quam gaudeant homines, si claros, & nobiles auos, ac proauos, & tritauos numerare possint in familia sua: cum à sapientibus vera nobilitas, & claritas ea habeatur, quam sua cuiq; virtus sit parturit.*

QVANTA PER IDEOS) Quæ calamitas oppressisset Troiam, ex ordine fuerat referendum, vt posset ex duris, aduersisque moueri miseratio: sed remouendæ fuerant moræ, vt maturè effectus legationis posset impleri. Vtramque igitur temperat partem, vt tangat hæc, nec tamen in ipsis diutius commoretur, vsus compendio relationis, & eo quo maiorem miserationis moueret affectum: quidquid enim non tacet fama, & quod

A ad cæli partes, & vltra Oceanum profertur, constat esse maximum. Donatus.

SÆVIS EFFVSA MYCENIS TEMP.) Eadem figura dictum illud lib. 2. *Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.* Non enim ex vna vrbe, nec ex sola Peloponneso, sed ex vniuersa Græcia coactæ sunt copiæ, vt indicat Homeri Catal. quibus Troia obsessa, & totis annis decem oppugnata scribitur. Propter tempestates autem telorum, ac ferreos illos imbres, hominú, equorum, currumque turbines, aptè bellum, seu prælium tempestati comparatur.

EVROPÆ, ATQVE ASIÆ ORBIS) Orbis Asiæ, & orbis Europæ dicitur à Marone: ita Marcellino orbis
B Eous, & orbis occiduus, pro imperio orientali, & occidentali: & orbis Romanus pro imperio Romano. Turneb. lib. 30. cap. 5. * *Hinc illud Catulli.*

Troia (nefas) commune sepulchrum Europæ, Asiæq;,
Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis.

Europam censent nominatam ab Europa Agenoris Phœnicum regis filia, quam trans mare è Phœnicia in Cretam Iupiter sub tauri forma vexerit. Sed ea nauis cum tauri insignis fuit, vnde fabulæ datum occasio. Ouid. Metamorph. 2. in extremo hunc raptum describit, vel depingit potius. In raptorem hunc lusit eleganti Oda Anacreon, O' ταῦρος οὗτος ὦ παῖ. Herodot. lib. 4. nondum esse compertum arbitratur, vnde hoc illi nomen. Asiam sunt qui ab Asio, alij ab Asia regina appellatam autumant.

REFVSO OCEANO) interfuso. Transmare quoque auditum est de bello Troiano. Dido lib. 1. in candẽ
C sententiam.

Quis genus Æneadûm, quis Troiæ nesciat vrbem,
Virtutesq́;, virosq́;, & tanti incendia belli?

Ipsemet Æneas contemplans bellum Troianum depictum in templi parietibus apud Carthaginem, sic ad Achatem: *quis iam locus, inquit, Achate, Quæ regio in terris nostri non plena laboris?*

SI QVEM EXTENTA PLAGAR.) Qui habitant sub meridiano, quæ pars mundi propter æstus magnitudinem creditur inhabitabilis.

DIIS SEDEM EXIGVAM PATRIIS) Quanta laude talis petitor dignus? Quam pius, & religiosus inuenitur, qui omissa interim hominum caussa, dijs primitus,
D quos secum Æneas aduexerat, desiderat prouideri? Si tamen agendi artẽ consideremus, in vna petitione inueniemus & alteram. Quum enim dicitur, deos esse patrios, quis sedẽ numinibus tribuat, cultore despecto? Latenter igitur & hominib' sedes postulatur. Donatus.

LITTVS INNOCVVM, ET CVNCTIS) Quid tam humanum, & simplex, quam morari velle in littore, nulli exhibere molestiam, nullum onerare præsentia sua,

ſua, vtiq; rebus, quas natura communes fecit, quæque A ipſo vſu non minuuntur? Donatus.

VNDAMQVE, AVRAMQVE PATENTEM) Cic. 1. Off. in iuſtitiæ præceptis numerat, non prohibere aqua profluente. Idem Ilioneus queritur in orat. ad Didonem lib. 1. ſe cum ſuis prohiberi hoſpitio arenæ. German.

NON ERIMVS REGNO INDECORES) Superbum & arrogans fuiſſet dicere, ornabit te ſocietas noſtra. Temperauit dictum, & ait, non tales ſumus, vt te pudere noſtri debeat. Vtitur hoc adiectiuo etiam alibi. lib. 12. *Nec genus indecores.*

TANTIQVE ABOLESCET GRATIA FACTI) Apud homines gratiſſimos beneficium collocabis: quippe apud quos memoria beneficentiæ tuæ nunquam intermoritura eſt. B Mos amabilis, beneficij accepti æternam promittere memoriam. Iucundum eſt enim intelligere, ſe in hominem gratum contuliſſe meritum. ✠

DEXTRAMQVE POTENTEM SIVE FIDE) Laudat quoque Æneæ fidem, quæ vel maximè negotio nouæ amicitiæ, & firmitati fœderis fuerat neceſſaria. Donatus.

MVLTI NOS POPVLI) Addit aliud, quod oſtendat concedendi neceſſitatem, & meritum petentium cumulet. Et ne contemnas, inquit, perſonas ſupplicũ, quia vltro venimus preces tibi fundentes, rogauerunt nos multæ gentes, volueruntq; ſibi ſocios adiungere. C Quæris cur recuſauerimus, & ſupplices eſſe maluerimus? Deorum iuſſa, quibus ad has terras agebamur, præponenda credidimus. Hæc dicendo, nonnullum metum ingerit audienti, ne auderet negare, quod promiſerant numina. Donatus.

PRÆFERIMVS MANIBVS VITTAS) ἱκετηρίαν, vt Græci appellant, ſignificauit. Ad ſupplicum velamenta reſpexit, & Homeri verſum Iliad. 1. στέμματ' ἔχων ἐν χερσί. Ἱκετηρία eſt ramus oleæ, lana inuolutus, quam infulas, vittas, velamenta tum in poetis, tum in hiſtoricis vocari reperimus. Hinc etiam declaratur illud lib. 11. *Velati ramis oleæ.* Turneb. lib. 5. cap. 7. lib. 8. cap. 16. & lib. 30. cap. 5. Hinc eſt, quod Valerius Flaccus, & Papinius ſupplicem oliuam appellant, quippe per quam D pax fit. Vide Iun. lib. 2. cap. 11. Ex lana autem velamentum id accipiebatur, quod oues alieno ſemper auxilio egeant.

HINC DARDANVS ORTVS, HVC REPET.) Dictum eodem ſenſu, quo Cic. in Bruto. Repetunt Manilia lege, & Licinia. Et pro Archia. Chij ſuum vendicant, Salaminij repetunt. Dardanus, inquit, ex hac terra ortus eſt, hanc in terram nos reuocat, qui ab eo oriundi ſumus, & nos huic terræ repetit, & vendicat. Turneb. lib. 30. cap. 5.

IVSSIS INGENT. VRG. APOLLO) Lib. 3. bis. Primùm apud Delum, *Dardanidæ duri*, &c. deinde in Creta. *Quod tibi delato Ortygiam*, &c. Ingentia iuſſa, & quia ipſe Apollo ingens eſt, vnus ſcilicet de dijs maiorum gentium, & quia de re ingenti, ſeu magni momenti. ✠

FORTVNÆ PARVA PRIORIS MVN.) Bene medium tenuit. Nam ne laudare videretur, ait, *parua*: ne deformare (nam durum eſt aliquid ab infelicibus accipere) ait, *fortunæ prioris*. Seruius.

RELLIQ. TROIA EX ARD. RECEPT.) Lib. 1. de Aſcanio. *Dona ferens, pelago, & flammis reſtantia Troiæ.* Ibid. *Munera præterea Iliacis erepta ruinis.*

HOC PRIAMI GESTAMEN) Diadema exponit Seruius. Quemadmodum porrò lib. 1. reginam, ita hic regem ſuis, & conuenientibus ornamentis inſtruit. * *Potius de veſte accipiendum videtur, cum ſequatur de tiara capitis ornamento. Fuiſſe autem regibus priuatum quoddam, & peculiare genus veſtimenti, dum iura redderent, hinc diſcimus: quemadmodum quibuſdam locis adhuc eſt Præſidibus, cum cauſas diſceptant. Qui autem imperatores, quiue reges tam dixerint, longo ordine Tiraquellus enumerat, de Nobilitate cap. 28. à num. 17. deinceps.*

ILIADVMQVE LABOR VESTES) E purpura, auro intertexto, vt infra ſtatim: *nec purpura regem Picta mouet tantum.*

SACERQVE TIARAS) Hoc ornamentum capitis & τιάρος, & τιάρα dicitur. Erectum ſolis regibus Perſarum geſtare mos erat: duces verò, cæteræq; ab rege illuſtres perſonæ, inflexum, & demiſſum gerebant. German. Vide Bayfium de re veſtiaria. Fuit tiara Medorum, teſtis Plutarch. in Alexand. Perſarum, Xenophon Cyri pædiæ lib. 8. Parthorum, Anacreon.

Καὶ παρθίους τις ἄνδρας
Ἐγνώκειεν τιάραις.

Quæ diademata regibus diuerſarum gentium fuerint, antiquitatis bene peritus obſeruauit Alexan. Neapolit. lib. 1. cap. 28.

Talibus Ilionei dictis, defixa Latinus
Obtutu tenet ora: ſoloq; immobilis hæret,
Intentos voluens oculos: nec purpura Regem
Picta mouet, nec ſceptra mouent Priameïa tantum,
Quantum in connubio natæ, thalamoq; moratur:
Et veteris Fauni voluit ſub pectore ſortem.
Hunc illum fatis externa à ſede profectum
Portendi generum, paribusq; in regna vocari
Auſpicijs: hinc progeniem virtute futuram
Egregiam: & totum quæ viribus occupet orbem.
TANDEM LÆTVS AIT: DII NOSTRA INCEPTA SECVNDENT,
Auguriumq; ſuum: DABITVR TROIANE QVOD OPTAS.
MVNERA NEC SPERNO. non vobis rege Latino
Diuitis vber agri, Troiæúe opulentia deerit.

Ipſe modò Æneas (noſtri ſi tanta cupido eſt,
Si iungi hoſpitio properat, ſociusq́; vocari)
Adueniat, vultus néue exhorreſcat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.
Vos contrà Regi mea nunc mandata referte.
Eſt mihi nata, viro gentis quam iungere noſtræ,
Non patrio ex adyto ſortes, non plurima cælo
Monſtra ſinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio reſtare canunt, qui ſanguine noſtrum
Nomen in aſtra ferant. hunc illum poſcere fata
Et reor, & SI QVID VERI MENS AVGVRAT, OPTO.

DEFIXA LATINVS OBTVTV TENET ORA) Oculi defixi ſignificant attentiſſimam in aliqua re cogitationem, idque vel ſine vlla moleſtia, vel cum aliqua moleſtia. Interdum admirationem quandam, & ſtuporem arguunt. Virgil. 1. Æneid. *Dum ſtupet, obtutuq́, hæret defixus in vno.* Loquitur ibi de Ænea, animum ſuum picturis illis Troianis paſcente. Horat. *Defixis oculis, animoq́, & corpore torpet.* Interdum animum aliqua in re obſirmatum, & perſeuerantem. Horat. Ode 5. lib. 3. *& virilem Toruus humi poſuiſſe vultum*, de M. Attilio Regulo. Ex Lamb. in Horat.

INTENTOS VOLVENS OCVLOS) Si intentos, quare voluens? quaſi verò toto cogitationis ſpatio immobiles oculi teneri potuerint, quod eſt contra naturam.

NEC SCEPTRA MOVENT .P. T. QVANT. IN CONNVB.) Non conſiderabat Latinus, qui, aut quæ obtuliſſet: non enim regem rebus omnibus abundantem mouere debuerunt munera, quem potior cauſſa in aliam duxerat partem. Cogitabat quippe ſpem coniunctionis vnicæ filiæ, & eius, quæ ſola ſupererat patri ſeni. Conſiderabat portenta, quæ viderat in examine apum, & in capite ipſius filiæ, & quæ à Fauno audierat de genere ſuo, quod toti orbi imperaret aliquando. Donatus.

VOLVIT SORTEM) Sortem hic vſurpauit, vt Græci κλῆρον, & κλῆρος, pro fato, effato, reſponſis. Superius ſiquidem Faunum fatidicum genitorem: & alicubi *Lyciæ ſortes, arcanaq́, fata*: & lib. 3. *ſic fata deûm rex Sortitur*, & lib. 6. *Hic ego namque tuas ſortes, arcanaq́, fata.* Lucret. lib. 4. *Nequidquam diuum numen, ſorteisq́ue fatigant*, conſulentes oraculum ſcilicet. Germanus.

PARIBVS AVSPICIIS) pari poteſtate. Tractum à comitijs.

TOTVM QVÆ VIRIBVS OCCVPET ORBEM) ſuprà.

—— quorumq́, à ſtirpe nepotes
Omnia ſub pedibus, quà ſol vtrumq́, recurrens
Aſpicit Oceanum, vertiq́, regiq́, videbunt.

TANDEM LÆTVS AIT) ſuprà dixit, eum obducto vultu fuiſſe, cum cogitaret: dehinc cum optatos exitus repериſſet, oſtendit lætum protuliſſe, quæ voluendo diſcuſſerat. Quod ait *tandem*, oſtendit diu eum immoratum cogitando de cauſſa, cui feſtinatio erat inimica. Nihil hic agere præcipiti conſilio debuit. Donat.

DII NOSTRA INCEPTA SECVNDENT) Antiquo more, locuturus de publicis rebus: id eſt, de pace, & nuptijs filiæ, & de regijs nuptijs, facit antè deorum commemorationem. Seruius. * *Romanè, & oratoriè, Quod felix, fauſtum, fortunatumq́, ſit. Comicè, Quæ res bene vortat, Quod dij bene fortunent. Cicer. quoque, eumq́, honorem tibi deos fortunare volo. Omnibus rebus agendis præfari ſolebant veteres, quemodo & pij Chriſtiani,* Im namen Gottes, das walt Gott. *Græci dicebant* ἀγαθῇ τύχῃ. *Orabant, inquam, deos vt cœpta fortunarent, proſperarent, cœptis aſpirarent, cœptis adeſſent, fauerent. Vide Briſſon. Formular. lib. 1. num. 77.*

MVNERA NEC SPERNO) Non ſpernere καὶ ἀλάτλωσιν eſt amare, gratum habere. Sic Horat. Ode. 1. lib. 1. *Nec partem ſolido demere de die Spernit.* Id eſt, amat: eſt illi iucundum frangere diem. * *Dicit hoc Latinus, ne commotus pretio, & elegantia donorum videatur Troianos recipere in amicitiam: quod eſſet animi nec regij, & nimium cupidi. Tamen ea reijcere humanum factum non fuiſſet, etiamſi minora fuiſſent, quam erant. Spectandus enim animus donantis.*

REGE LATINO) pulchrè adiecit, me regnante, quoniam longæuus fuit, & memor eſſe debuit humanæ conditionis, cui omnes ætates ſubiectæ ſunt. Donat.

VBER AGRI) Lib. 1. *Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ.* Vber pro fœcunditate. Quid enim in animantibus fœcundius ipſis vberibus, quæ ſunt tanquam fontes iugi lacte ſcatentes? ✱

TROIÆ OPVLENTIA) Longè plus promittit, quàm petiuerant Troiani. Egregie dictum à Firmiano, lib. 2. cap. 9. *Vt opulentia bonum videatur, acerbitas egeſtatis facit: & gratiam lucis, commendat obſcuritas tenebrarum: valetudinis, & ſanitatis voluptas ex morbo, ac dolore cognoſcitur.* Troianas opes dixit initio lib. 2.

PARS MIHI PACIS ERIT DEX. TETIG. TYR.) Donec maior fœderis accedat auctoritas, quæ pacem pleniſſimam firmet, non perhorreſcat amici ſui conſpectum. Auſpicetur dexterarum concordiam, quia pars pacis eſt, dexteras inter fœdera conueniſſe. Tyrannorum nomen poſterioribus ſæculis infamatum eſt: nam reges etiam olim hoc nomine dicebantur. Donatus.

Dexteram in fide porrigi Plinius docet. Cuius rei cauſſam Varro Callimachum ſecutus, eſſe ait, quod omnis veterû auctoritas dexteræ manus virtute conſtaret. Propterea, inquit, maiorum hæc fuit ſalutatio, vt hac potiſſimum parte ſe venerarentur. Et quod ad firmandam dextra fidem attinet, docet interpres Ariſtophanis, morem fuiſſe ἐπὶ πίστει, καὶ συνθήκαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. Vide plura apud Rhodigin. lib. 4. cap. 3.

Sine cæde & ſanguine ipſi Fidei velati Flamines albo panno, ſacra faciebant. Quin illuc curru arcuato, manu ad digitos inuoluta deferebantur, ſollemni pompa. Quo argumento fidem dextris tutandam, & ſacratam eſſe ſignificabant, quod & dextra dextræ iuncta denarium numerum, qui ſacratiſſimus ſit, & perfectiſſimus

mus. Sanè Fides fingebatur duabus iunctis manibus, interdum imagunculis duabus dextram dextræ iungentibus. Stat. 1. Thebaid. *Iam pariter coeunt animorum pignora dextra.* T. Liuius lib. 1. dextra data fidem futuræ amicitiæ sanxerunt. Tacitus lib. 17. annal. Misena ciuitas Lingonum, veteri instituto dona dedit legionibus, & dextras hospitij insigne. Gyrald. Syntag. 1. * *Compluribus de caussis porrigebantur, seu iungebantur dextra. Ad fidem, & amicitiam sanciendam, vt dictum est. Ad promissionem firmandã. In supplicibus recipiendis. In salutationibus quoq; copulare dextras mos est antiquissimus.*

TYRANNI) Seruius admonet, Græcis τύραννος sub vtroque genere dici: quod quamuis verum sit, tamen ἡ τυραννὶς tam violentum imperium, & regnum, quam tyranni vxorem significat. Nomen autem tyranni recentius esse, vel hinc liquet, quod in poëmatis neq; ab Homero, neque ab Hesiodo, neque ab vllo veterum vsurpatur. Esse autem μέσον vocabulum tum ex hoc loco clarum est, tum ex Aristot. qui in Politicis Cumanorum Tyrannos eos ait appellatos, qui αἰσυμνῆται dicerentur, quod nomen magis honorificum esset: & ex eo Platonis ἐν ἐρασταῖς, τί δὲ ὅταν εἷς ἀνὴρ ὀρθῶς πόλιν διοικῇ, ὄνομα τούτῳ ὁ τύραννός τε, καὶ βασιλεὺς, &c. composito nomine, vt Grammaticis placet, vel παρὰ τὸ τυρεῖν, καὶ αἰτίας, τὸ τυρεύειν, vel à Tyro deducta origine, vel à Tyrrhenis, quod sæuitia infames essent. German.

Vtriusque notionis huius vocabuli, cum in laude, inquam, & in reprehensione ponitur, egregium exemplum reperio apud Æmilium Probum in Miltiade sub finem: Nam Chersonesi omnes illos, quos habitârat annos, perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusque fuerat appellatus, sed iustus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate. Eamque potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem & habentur, & dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea ciuitate, quæ libertate vsa est. Hunc in locum Lambin. interpres multa è Græcis scriptoribus testimonia congerit, quibus vocem tyrannus nunc iniustum, ac violentum dominatum, nunc idem quod regnum, seu βασιλείαν significare conuincit. Addit postea. Ex his exemplis licet intelligere, tyrannum idem interdum significare, quod regem, & in laude poni: interdum à rege plurimum differre, & probro duci. Aristot. lib. 3. & 4. Polit. multis verbis docet, quid intersit inter regem, & tyrannum: & item Plato lib. 9. de Rep. ostendit tyranni vitam esse insuauissimam: regis verò suauissimam, & iucundissimam. Et Xenophon in Hierone, toto dialogo probat vitam priuatam liquidioribus, & sincerioribus voluptatibus potiri, quàm tyrannicam: vbi

A perspicuè tyrannum accipit pro eo, qui inuitis suis ciuibus, & iniustè dominatur.

EST MIHI NATA, VIRO) Prius quid hic Seruius afferat, accipiamus: deinde quid longè copiosius, & eruditius, Donatus. Malè, inquit Seruius, multi arguunt Virgilium quod Latinum vltro induxit filiam pollicentem: nec oraculum considerantes, quia Italis dari non poterat: nec Æneæ meritum, quem decebat rogari. Terent. And.

Hac fama impulsus Chremes, vltro ad me venit, vnicam gnatam suam
Cum dote summa filio vxorem vt daret.

Hesiod. etiam περὶ τῶν γυναικῶν inducit multas heroi-B das optasse nuptias virorum fortium.

Donatus παραφραστικῶς: Habeo filiam, quam consensu omnium numinum incolis, vel ciuibus prohibeor dare: ijsdem responsis, & augurijs gener externis ab oris ostenditur, per quem progenies mea possit ornari. Sic in tempore venistis, vt arbitrer ipsum ducem vestrũ promissum filiæ. Quod si ita est, & mentis errore non ducor, & opto, & cupio illi coniungi. Verecunda oblatio, & aduersus exprobrationem omnem satis munita: nec in hunc conueniret Terentiana sententia, qua dictum est: *aliquid monstri alunt: ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me.* Et reuera, quum quis offert filiam suam, cauere debet, ne in suspicionem contrari-C am veniat. Quod, ne Latino contingeret, non apertè obtulit filiam: sed indicauit, quæ signa oblata sint, super eius coniunctione perficienda, quid'ue ipse, cum patrem consuluisset, audierit Nec criminis esse arbitratus est, si profiteretur sibi placere deorum iudicium, cui resisti nõ posset: quo etiam potius lætari debuit, nuptias filiæ suæ dijs fauentibus ordinatas esse.

NON PATRIO EX ADYTO SORTES) Suprà, *oracula Fauni Fatidici genitoris adit.*

PLVRIMA CÆLO MONSTRA) Aut per augmentum dixit, aut & alia visa intelligamus: nam duo supra relata, non sunt plurima. Seruius.

HOC LATIO RESTARE CANVNT) Vates aiunt hoc manere Italiam. Suprà, cum portentum de apibus nar-D rasset. *Continuò vates, externum cernimus, inquit, Aduentare virum, &c.*

MENS AVGVRAT) Auguro dicimus secundum Plinium, cum præsagio mentis futura colligimus: auguror verò tum, cum futura veris captamus augurijs. Seruius. Attius Oenomao. *Atque ea coniectura auguro.* Cic. ad Caluum. præsentit animus, & augurat quodammodo, quæ futura sit suauitas. Plura, & in ijs Virgilianum hoc producit Nonius.

Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus extemplò Teucris iubet ordine duci
INSTRATOS OSTRO ALIPEDES, PICTISQVE TAPETIS.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Æneæ currum, geminosq; iugales
Semine ab ætherio spirantes naribus ignem:
Illorum de gente, patri quos Dædala Circe
Supposita de matre nothos furata creauit.
Talibus Æneadæ donis, dictisq; Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemq; reportant.

Ecce autem, Inachijs sese referebat ab Argis
Sæua Iouis coniux, aurasq; inuecta tenebat:
Et lætum Æneam, classemq; ex æthere longè
Dardaniam Siculo prospexit ab vsq; Pachyno.
Moliri iam tecta videt, iam fidere terræ,
Deseruisse rates. stetit acri fixa dolore:
TVM QVASSANS CAPVT, HÆC EFFVDIT PECTORE DICTA.

STABANT TERCENTVM) Trecenti, sexcenti apud probatissimos scriptores habent significatum magni cuiusdam numeri. Verùm hìc præcise tot equi accipiendi sunt, in quo nihilominus elucet regalis quædam amplitudo. ✠

NITIDI) Quales decet regum, ac principum equos esse, bene curatos, non strigosos, & vix hærentes ossibus.

IN PRÆSEPIBVS ALTIS) Præsepe, & præsepium, locus dicitur non is solum, in quo iumenta, cæteraque huiusmodi pascuntur, sed omnia loca clausa, in quibus animalia continentur. Virgil. 1. Æneid. *Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.* Quidā tamen præsepium propriè locū esse volunt, in quo pabulum animalibus præbetur. Plautus metaphoricè de loco, in quo homines pascuntur. Curcul.

Tormento retineri non poterit ferreo,
Quin recipiat se huc esum ad præsepium suum.

Huc item accommodari potest prouerbium de Epicureis, ἐκ τῆς αὐλῆς οἱονεὶ φάτνης ἐδηδοκότες, qui ex eodem præsepi ederunt, & ijs, qui eandem doctrinam hauserunt, & in eodem ludo fuerunt instituti. Et, *altis præsepibus*, vnde equorum magnitudo monstratur.

IVBET ORDINE DVCI OM. TEVCRIS) Pro meritis singulorum. Et quidem ex trecentis optimis delegit meliores, eosque purpureis, & aureis ornamentis ornari iussit pro regia magnificentia.

ALIPEDES) quasi alas in pedibus habentes. Etenim equus animal ad celeritatem, cursumque idoneum inprimis.

AVREA PECTOR. TECTI AVRO, MAN. AVRVM) Repetita sæpius voce, quæ significat rem ornamenti plenam, & qua mortales vti consueuerunt, cum aliquid illustrare voluerint, & plurimum ipsis splendoris afferre, locum hunc ornauit.* *Vide 4. Æneid. de Didone, cui pharetra ex auro, &c. Huiuscemodi lepos est etiam apud Nasonem 2. Metamorph. de curru Solis.*

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

SPIRANTES NARIBVS IGNEM) Tiberij equum narrat historia ἐν σόματι πυριβρεμβολοῦσαι. Lib. 12. de equis solis, *lucemq; elatis naribus efflant.*

ILLORVM DE GENTE) Tales equos Anchisen habuisse Homerus indicat, Iliad. 5.

Τῆς γάρ τοι γενεῆς, ἧς Τρωΐ περ εὐρύοπα Ζεὺς
Δῶχ' υἷος ποινὴν Γανυμήδεος, οὕνεκ' ἄριστοι
Ἵππων ὅσσοι ἔασιν ὑπ' ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Τῆς γενεῆς ἔκλεψεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγχίσης
Λάθρη Λαομέδοντος ὑποσχὼν θήλεας ἵππους.

DÆDALA CIRCE) Dædalam à varietate rerum, artificiorumque dictam esse apud Lucretium terram, apud Ennium Mineruam, apud Virgilium Circen, facile est intelligere, cum græcè δαιδάλλειν significet variarè, ait Festus. Potest item hoc nomen à præstantissimo fabro ductum esse, de quo initio 6. Æneidos.

SVPPOSITA DE MAT. NOT. FVR. CREAVIT) Vates iste venerabilis varia modò verba modò sensus figurando, multū latinitati leporis adiecit: qualia sunt hæc, *Supposita de matre nothos furata creauit*, vt ipsa creauerit, quos creari fecerit. *tepidaq; recentem Cæde locum:* cum locus recens cæde nouè dictus sit. Et, *Hæc ait, & socij cesserunt æquore iusso*, pro eo, quod iussi cesserunt. Et, *cæso sparsurus sanguine flammas*, qui ex cæsis videlicet profunditur. *Vota deûm primo victor soluebat Eoo*, pro, quæ dijs vota sunt. *Et me consortem nati concede sepulchro.* Alius dixisset. *Et me consortem nato concede sepulchro.* Et, *Illa viam celerans per mille coloribus arcum.* Id est, per arcum mille colorum. Lege cætera Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 6.

INACHIIS AB ARGIS) Non temerè hoc epitheton adiectum. Argi enim plures sunt, quod docet Seruius.

SICVLO ABVSQVE PACHYNO) Tria sunt Siciliæ promontoria Pelorus, Lilybæum, Pachynus, quod Latium respicit, vt secundum illud Africam, primū Græciam. Item, Pelorus septentrionem spectat, Lilybæum ad Austrum pertinet, Pachynus brumali ortui obuersus est.

STETIT ACRI FIXA DOL.) Quod solet esse cogitantium.

TVM QVASSANS CAPVT) Quassare, seu mouere caput, gestus est irascentis, aut minantis, aut lamentantis. Lib. 12. *Ille caput quassans, non me tua feruida terrent Dicta ferox.* Lucret. lib. 2.

Iamq; caput quassans grandis suspirat arator,
Crebrius incassum magnum cecidisse laborem.

Plaut. Trinum. *quid quassas caput? Ch. Cruciatur cor mihi, & metuo.* Homer. Odyss. 5. κινήσας δὲ κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν. Et demonstratur, qualem sit orationem habitura, dum quassat caput, iracundam vtiq;, & furiosam.

EFFVDIT PECTORE DICTA) Verè effudit magis quā exprompsit. Sedatus animus loquendo quæ vult eloquitur: ira insaniens, præ impatientia motæ & effundit, & effutit multa, quæ taceri potuerant, aut breuius dici, & consideratius. ✠

HEV STIRPEM INVISAM, & fatis contraria nostris
Fata Phrygum. num Sigeïs occumbere campis?
NVM CAPTI POTVERE CAPI? num incensa cremauit
Troia viros? medias acies, mediosq; per ignes
Inuenere viam. at, credo, mea numina tandem

Fessa

Fessa iacent: odijs haud exsaturata quieui.
Quin etiam patria excussos infesta per vndas
Ausa sequi, & profugis toto me opponere ponto.
Absumptæ in Teucros vires cæliq;, marisq;.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Tibridis alueo,
Securi pelagi, atq; mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm valuit: concessit in iras
Ipse Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:
(Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?)
Ast ego magna Iouis coniux, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea. quòd si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod vsquam est.
FLECTERE SI NEQVEO SVPEROS, ACHERONTA MOVEBO.
Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis,
Atq; immota manet fatis Lauinia coniux:
Attrahere, atq; moras tantis licet addere rebus:
At licet amborum populos exscindere regum.
Hac gener, atq; socer coëant mercede suorum.
Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere virgo:
Et Bellona manet te pronnba. nec face tantùm
Cisseis prægnans ignes enixa iugales:
Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter,
Funestæq; iterum recidiua in Pergama tædæ.

HEV STIRPEM INVISAM) Oratio hæc veneni, & A pestilentiæ plena est, (quemadmodum de quadam oratione sibi lecta pronuntiat Catullus) cuius argumentũ proponi istis Senecæ verbis potest, quæ, ni fallor, etiam ipsi Iunoni ab eo tribuuntur.

——viuacem aget
Violentus iras animus, & sæuus dolor
Æterna bella pace sublata geret.

Furentis præ ira, vindictamq; spirantis fœminæ ideam hic intueri possumus. ✱

FATIS CONTRARIA NOSTRIS FATA) Qui contrarijs fatis dicuntur nasci, inter se inimicitias gerunt, vt nunquam quiescant, nec accipiant finem. Hoc asseritur ex Iunonis persona, atque hoc firmatur etiam, fa- B tis deos gubernantibus agi. Ait igitur Iuno: *Heu*, quod fuit altissimi doloris signum, vt vinceret gemitus vocem. Dehinc ait, doleo, quod fatis meis obuiam veniant Troianorum fata contraria. Quod quum ita sit, obtinere procul dubio debuerant fata mea, & æmulos nocendo peruincere. Ecce ipsi cum dolore meo superiores sunt, & quidquid inimica cogitare potuit, constantia, & fælicitate vicerunt. Donatus.

Oportet ut oratio pathetica aut ad indignationem, aut ad misericordiam dirigatur: quæ à Græcis ἦθος, καὶ πάθος appellantur. Horum alterum accusatori necessarium est, alterum reo. Et necesse est initium abruptum habeat, quoniam satis indignantibus lenti- C ter incipere non conuenit. Ideo apud Virgil. lib. 10. Iuno sic incipit. *Quid me alta silentia cogis Rumpere?* Et alibi. *Mené incepto desistere victam?* Et alibi, *Heu stirpem inuisam*, &c. Et Dido. *moriemur inultæ? Sed moriamur, ait.* Eadem, *prô Iupiter, ibit Hic, ait.* Et Priamus. *At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis.* Nec initium solùm tale esse debet, sed omnis, si fieri potest, oratio pathetica: & breuibus sententijs, & crebris figurarum mutationibus debet velut inter æstus iracundiæ fluctuare. Vna ergo nobis Virgiliana oratio pro exemplo sit, *Heu stirpem inuisam.* Initium ab ecphonesi. Deinde sequuntur breues interrogatiunculæ,

Num, Sigæis occumbere campis?
Num capti potuere capi? num incensa cremauit
Troia viros?

Deinde sequitur hyperbole.

Medias acies, mediosq; per ignes
Inuenere viam.

Deinde Ironia.

At, credo, mea numina tandem
Fessa iacent: odijs haud exsaturata quieui.

Deinde ausus suos inefficaces queritur,

——per vndas
Ausa sequi, & profugis toto me opponere ponto.

Secunda post hæc hyperbole.

Absumptæ in Teucros vires cæliq;, marisq;.

Inde dispersæ querelæ.

Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit?

Iungitur argumentum à minore, vt pathos augeatur;

——Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm valuit.

Minor scilicet persona: ideo illud sequitur.

Ast ego magna Iouis coniux.

Deinde, cum caussas quoque contulisset, quanto impetu dea dixit?

Infelix, quæ memet in omnia verti.

Nec dixit, non possum perdere Æneam, sed, vincor ab Ænea. Deinde confirmat se ad nocendum: &, quod proprium est irascentis, etsi desperat perfici posse, tamen impedire contenta est.

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis:
At trahere, atq; moras tantis licet addere rebus.
At licet amborum populos exscindere regum.

Post hæc in nouissimo, quod irati libenter faciunt, maledicit.

Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere virgo.

Et protinus argumentum à simili conueniens ex præcedentibus:

——— nec face tantum
Cisseis prægnans ignes enixa iugales.

Vides quam sæpe orationem mutauerit, ac frequentibus figuris variauerit? quia ira, quæ breuis furor est, nō potest vnum sensum continuare in loquendo. Macrob. lib. 4. Saturnal. cap. 2.

A persona rei incipit, per contemptum & exprobrationem. Ostendit autem facinoris indignitatem: cum Troiani etiam naturam ipsam superauerint. Incensi sunt, non tamen cremati. Capti: nō potuere capi. Neq; ignis, neque aqua retinuit. Vires omnes terræ, ac cæli minores ipsis. Exemplum ponit Dianæ, vt lib. 1. Palladis. Tandem animi iniquitatem in conclusione, Non rumpam fata? at differam. Et, *Sanguine Troiano, ac Rutulo dotabere virgo.* Scalig. Poet. lib. 3. cap. 24.

NVM CAPTI POTVERE CAPI?) Hoc ex Ennio sumptum est, Annal. 10. cum de Pergamis loqueretur. Versus hi sunt.

Quæ neq; Dardanijs campis potuere perire,
Nec cum capta, capi, nec cum combusta, cremari.

Ad quod etiam respexit Petronius illo versu. *Ibat iuuentus capta, dum Troiam capit.* [*Agit de equo durateo, in quo cum periculo capitis inclusi latebant Græci*] Lucret. *interea perpotet amarum Absinthi laticem, deceptaq; non capiatur.* Solent ita loqui veteres auctores, quod pluribus exemplis demonstrat Titius. lib. 8. cap. 21. * *Adde Horat. lib. 2. epist.* Græcia capta ferum victorem cepit. *Catull.* Nequidquam tacitum cubile clamat. *Cic. in Verrem, si tacent, satis dicunt. Et 1. Catilin. cum tacent, clamant. Euripid. Alcest.* κόμιζ' ὡς πρὸς θεῶν ἀπ' ὀμμάτων γυναῖκα τήνδε, μὴ μ' ἕλῃς ἡρημένον.

MEDIAS ACIES. MED. PER IG.) Quod magis dolendum est mihi, quia per medias acies, perq; medias flammas, tanquam nihil obstiterit, tuti, securique transierunt, quod fuit felicitatis illorum, vt abscessisse potius otiosi, quam fugisse territi videantur. Euaserunt igitur pericula duo, quibus grauius nihil est. Ruptę sunt acies, incendia vanuerunt, inuentus est exitus conseruationis ipsorum, vbi sperabatur interitus. Quod dixit, *medias acies*, & *medias flammas*, ibi maiorem cumulum doloris expressit: magnum enim non esset, flammarum terminos, aut fines exercitus euasisse, è medio autem euadere difficillimum. Donatus.

AT CRED. M. NVM. FESSA) Nec fatigata destiti, nec satiata requieui. Et est ironia, iratæ conueniens.

PATRIA EXCVSSOS) Mirabiliter positum: quicquid enim excutitur, vim testatur, quā ferre nō potuit: & ad hoc excutitur, vt cum sua pernicie cadat. Donatus.

QVID SYRTES, AVT SCYLLA MIHI) Ego illis ineuitabilia obieci, illa, eos ad optata duxerunt, in tantū, vt vlterius nec me timeant, nec minas ponti formidēt. Per istiusmodi comparationem ostendit cumulum doloris sui, dum cerneret inimicos suos, superatis tot dis-

A criminibus pelagi, ac terrenis; defendi placiditate fluminis, ac regis amicitia. Donatus. Ac si diceret, inquit Seruius, iam quæ sua natura solent nocere, mę rogante minimè obfuerunt, quod indignissimum est.

SECVRI PELAGI ATQVE MEI) Lib. 1. Æneid. *securus amorum Germanæ.* Tacitus Annal. 17. Non modò iacētia, & plana vrbis loca, sed secura huiusmodi casuū impleuit. Apud poetas leges, famæ, fortunæ, pœnæ, veniæ, futuri, &c. securus.

MARS PERDERE GENTEM) More suo ab exemplis quoque iras suas accendit, & inducit minores deos ad plenum se defendisse. Atque vt hoc grauius faceret, addidit commemorationem à persona sua, *Ast ego magna* &c. Donatus.

B Pirithous Lapitharum Rex, cum vxorem duceret, vicinos etiam populos Centauros sibi cognatos, & deos omnes, excepto Marte, ad conuiuium vocauit: inde iratum numen immisit furorem, quo Centauri, & Lapithæ in bella venerunt. Seruius.

CONCESSIT IN IRAS CALYD. DIANÆ) Oeneus Calydonis rex, de primitijs omnibus numinibus sacrificauit, excepta Diana: quæ irata aprum immisit, qui cuncta vastabat, donec à Meleagro occideretur. *Concessit* autem ideo dixit, vt ostenderet, minora numina, nisi impetrauerint, non posse nocere. Statius de Venere. *Infandum nata concessit honorem.* Seruius. * *De hoc* C *apro, de Meleagro, & alijs qui ad eum occidendum conuenerint, totam denique fabulam disertè explicatam habes Apollodori lib. 1. quem lege. & Ouidium Metamorph. 8.*

QVOD SCELVS MERENT.) Scelus pro pœna posuit, ab eo quod præcedit, id quod sequitur: vt, *scelus expendisse merentem.* Seruius.

NIL LINQVERE INAVSVM QVÆ POTVI) Venustum vsum particulæ huius *possum*, apud poetas, compluribus exemplis demonstrauit Canterus lib. 2. cap. 2. Et nos alicubi in hisce Symbolis eius labore vsi sumus.

VINCOR AB ÆNEA) Alibi Maro, *mortali vincor ab hoste:* vt poeta græco epigram. ὡς μὲν ὑπὸ θνητοῦ νικώμενος ἀθάνατος. German.

FLECTERE SI NEQ. SVP. ACHER. MO.) Hoc D versu vtentur, quibus certum est, facinus aliquod peragere per fas, & nefas, quo iure qua iniuria, aut deo adiuuante, aut diabolo. Quo genere hominum nihil potest inuenire detestabilius: qui animam suam venalem habent pro teruntio, aut vno asse, pro qua dei filius vitam, & sanguinem dedit. Antiqui dicebant Acheruns Acheruntis. Plaut. Trinum. *Acheruntis ostium in nostro est agro.* Capt. *Verum enimvero, nulla adaquè est Acheruns.* Et loco aduerbij ibid. *Facito ergo, vt Acherunti clueas gloria. Vidi ego multa sæpe picta quæ Acherunti fierent.* Lucret. lib. 3. *infernas animas Acherunte vagari.* De hoc fluuio Natal. lib. 3. cap. 1.

AT TRAHERE, ATQVE MORAS) Ostendit deos E retardare fata, non penitus tollere: vt, *Troiam nec fata vetabant Stare, decemq; alios Priamū superesse per annos.* Hæc Seruiana est interpretatio, ad quam confirmandam, ipsumque Virgilij locum illustrandum, quadrat aptissimè, quod respondet apud Herodotum lib. 1. Pythia legatis Crœsi, missis expostulatum cum Apolline, à quo rex bello suscipiendo in fraudem impulsus esset, ita vt vinceretur, & in Cyri potestatem veniret, cum tot eum, Apollinem inquam, muneribus antè, tamq; splendidè coluisset, seseque Persarum potentiam, fretus eius responsis, euersurū sperauisset. Hoc igitur Pythia Lydis illis responsum dedit. Sortem fato destinatam defugere, deo quoque est impossibile. Crœsus autem quintæ retro ętatis crimen luit (hoc est, tritaui Gygis à

gis, à quo quintus numerabatur Crœsus) qui quum essset satelles Heraclidarum, mulieris dolo inductus, dominum interemit: illiusque dignitate potitus est, nihil ad illum pertinente. Verùm Apollo cum studuerit, vt hæc Sardium clades liberis Crœsi, non ipsi Crœso contingeret, tamen transferre fata nõ potuit. Sed quatenus illa permiserunt, annixus est, atque ei gratiam retulit, vtpote dilata Sardium expugnatione tres annos. Vt hoc Crœsus dicat, tribus annis serius, quam fata destinarant, se fuisse captum.

AMBORVM REGVM) Latini soceri, Æneæ generi, vt statim sequitur.

SANGVINE TROIANO, ET RVTVLO) Nomen habent Rutulorum hostes Æneæ, cum, vt patebit, multi præterea populi se se cũ Rutulis, Turnoq; cõiunxerint.

BELLONA PRONVBA) Pronubas dici, ait Donatus, quæ in obsequio nubentis sunt, quæ scilicet nubentes domũ mariti deducunt, & comitantur. Festus, Pronubæ adhibebantur, inquit, nuptijs, quæ semel nupserunt, caussa auspicij, vt singulare perseueret matrimonium. Tertullian. in Exhortat. ad castitatem. Monogamia apud Ethnicos in summo honore est, vt & virginibus legitimè nubentibus vniuira pronuba adhibeatur: & sic auspicijs initiũ est. Seruius in Schedis, Varro pronubam dicit, quæ ante nupserit, & quæ vni tantum nupserit. Catull. in Epithal. vt notat Scalig. in Fest.

Vos vnis senibus bona
Cognita bonæ fœminæ,
Collocate puellulam.

NEC FACE TANTVM CISSEIS PRÆGNANS) Regina Hecuba filia fuit, secundum Euripidem, Cissei, quem Virgil. sequitur, secundum Homerum, Dymantis. Facit enim Asium fratrẽ Hecubæ Dymantis filium. Hæc se facem parere in somnis vidit, & Parin creauit, qui caussa fuit incendij. Ergo hoc dicit, Talis erit Veneris partus. Nam sicut per Parin Troia consumpta est: sic per Æneam reliquiæ Troianorum. Seruius.
* *Huius facis meminit Euripid. in Troadibus, Latinus Tragicus apud Cic. 1. de Diuinat. Ipsamet Hecuba apud Senecam in Troade,*

Non cautus ignes Ithacus, aut Ithaci comes
Nocturnus in vos sparsit, aut fallax Sinon:
Meus iste ignis est: facibus ardetis meis

Ouidius quoq; in epistola Paridis ad Oenonen.

Matris adhuc vtero partu remorante tenebar,
Iam grauidus iusto pondere venter erat.
Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
Flammiferam pleno reddere ventre facem.
Territa consurgit, metuendaq; noctis opacæ
Visa seni Priamo, vatibus ille refert.
Arsurum Paridis vates canit Ilion igni.

& Virgil. rursum lib. 10. & face prægnãs Cisseis regina Parin creat.

Cum igitur apud Euripidem Helena se caussam non fuisse belli Troiani, exitijq; illius præclaræ vrbis ostendere vellet, primamque Hecubam sustinere malorum illorum caussam dixisset, quæ Paridem pepererat, addidit, assignari debere caussam illam secundo loco Priamo, qui infantem eum non necauisset, vt facere ipsum debere à Cassandra filia obscurè admonitus fuerat. Nã fax illa cruoris plena, quam ipsa furore percita prędicauit, nihil aliud significabat, quam futurum puerum illum, qui natus erat, vel cuius partus appropinquabat, si creuisset, caussam maximorum incendiorum, interitusque demum patriæ, &c. Lege Victor. lib. 29. cap. 5.

IGNES ENIXA IVGALES) Enixæ dicuntur fæminæ nitendi, hoc est, conandi, & dolendi labore perfunctæ, seu quod vinculis quibusdam periculi, quibus implicarentur, fuerint ex solutæ. Nexum enim dicimus arctum, & colligatum. Plaut. Amphit. id probat, dicens: *Vno vt labore exsolueret ærumnas duas*, de duplici partu loquitur Alcmenæ, Iphiclis videlicet ex Amphit. & Herculis ex Ioue concepti. Nonius.

QVIN IDEM VENERI PARTVS SVVS) Iniuriosa comparatio: nam Veneri Hecubam, Paridem Æneæ, Helenam Lauiniæ comparat. Æneas qui partus est Veneris, erit Veneri matri, vt Paris Hecubæ, & Lauinia erit Troianis istis aduenis Helena, cuius scilicet caussa extrema patientur. Hoc supra clare expressit, cum dixit, *Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere virgo*. Et versu vltimo. *Funestæq; iterum recidiua in Pergama tædæ.*

ET PARIS ALTER) Manifestò significat, vita & factis futurum illi delicato, & libidinoso similem Æneam, vt ipsum ita exprimeret, vt non facile ab illo distingui posset. Eodem pacto Andromacha apud Euripidẽ Troadibus, cum Hecuba loquens ait, *δεύτερος αἴας*, cum & ipsa idem ostendere vellet, iuuentum, inquam esse, qui sceleratum illum hominem, & impurum imitatus esset, ac factum illius improbissimum in altera ipsius filia reddidisset. Verba Andromachæ sunt, magno dolore commotæ. φεῦ, φεῦ, ἄλλος τις αἴας ὡς ἔοικε δεύτερος παιδὸς πέφηνε σοῦ. Duxit igitur hoc quoque è græco sermone Latinus poeta: mirificeq; id expressit: neq; id tantum hoc loco, verùm etiam altero, hoc eodem opere, cum scilicet cecinit, *muris iterum imminet hostis Nascentis Troiæ, nec non exercitus alter*. Sed etiam in pastorali carmine, *Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo*. Victor. lib. 28. cap. 7.

RECIDIVA IN PERGAMA) Lib. 4. etiam recidiua vocauit. *Et recidiua manu posuissem Pergama victis*, vbi explicauimus hoc verbi. Vtitur & lib. 10. *Dum Latium Teucri, recidiuaq; Pergama quærunt.*

Hæc vbi dicta dedit, terras horrenda petiuit:
Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum,
Infernisq; ciet tenebris. cui tristia bella,
Iræq;, insidiæq;, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum, tot sese vertit in ora:
Tam sæuæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium virgo sata Nocte laborem,
Hanc operam, ne noster honos, infractaúe cedat
Fama loco: neu connubijs ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosúe obsidere fines.

Tu po-

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atq; odijs versare domos: tu verbera tectis,
Funereasq; inferre faces. TIBI NOMINA MILLE,
MILLE NOCENDI ARTES: fœcundum concute pectus.
Disijce compositam pacem, sere crimina belli.
Arma velit, poscatq; simul, rapiatq; iuuentus.

TERRAS PETIVIT) sub terras descendit. A

HORRENDA) Horrendam dixit, ex caussa ingentis iracundiæ vehementissimè commotam, in tantum, vt quisquis eam cerneret, sine horrore esse non posset. Donatus.

LVCTIFICAM ALECTO) Quæ nihil aliud præter luctus posset efficere, aut quæ faceret luctus. Multa deinde congerit, vt ostendat exquisitum malum, & quo peius non esset, sibi Iunonem adhibuisse. Et reuera, nisi talis, voluntatem dolentis implere non posset. Et licet sufficere deberet, quod luctificam dixit, & ex Dirarum cœtu, atq; ab ipsis tenebris euocatam, tamen addidit alia, quibus aptam negotio demonstret. Donatus.

CVI TRISTIA BELLA, IRÆQVE, INSID.) Homer. B Iliad. ε. αἰεὶ γὰρ τοὶ ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε, μάχαι τε.

PATER PLVTON) Ditem patrem Cicero quoque de nat. deor. nominat. Terrena autem res omnis, atque natura Diti patri dedicata est, qui Diues, vt apud Græcos πλούτων, quod recidunt omnia in terras, & oriuntur è terris. German. Pluto nominatus est, quod cũ omnia sint interitura, nihil sit quod non postremo ad ipsum deducatur, atque eius possessio fiat. Phurnutus.

Assentior Parrhasio in 1. de rapt. apud Claud. qui hic *pater* non venerationis, sed naturæ nomen vult esse, vt nimirum cum sequenti verbo conueniat, *odere sorores Tartareæ*. Nam suo more Virgilius duas, & quidem diuersas sententias percurrit: hic Orphei, qui furias Plutonis, & Proserpinę filias in hymnis canit: alteram paulo post Æschyli, quum ait, *Hunc mihi da proprium virgo sata Nocte laborem*. Quippe Æschylus easdem Nocte genitas existimauit. C

TAM SÆVÆ FACIES, TOT PVLLVL. A. COLVB.) Orpheus hymno in Eumenid. Ἀλλὰ θεαὶ μοῖραι, ὀφιοπλόκαμοι, πολύμορφοι. Sic apud Horat. *Et intorti capillis Eumenidum recreantur angues*. Idem de venefica Ode 5. Epod. *Canidia breuibus implicata viperis*. Et de Cerbero Ode. 11. lib. 3. *quamuis furiale centum Muniant angues caput eius*. * *Seneca, Medea.*

Adeste, adeste sceleris vltrices deæ,
Crinem solutis squalidæ serpentibus.

QVAM IVNO HIS ACVIT VERBIS) Vt mala natura, persuasione loquentis deterior fieret. Donat. D * *Haud absonũ his illud Daui ad Charinum in And. Terentij.* Age, si hæc non insanit satis sua sponte, instiga.

HVNC MIHI DA PROP. LAB.) Nihil à te quæritur alienum: nec laborabis prouidere quod habes. Proprium quippe est tibi, quod mihi in tempore est necessarium. Et sciendum, Furiæ nihil pro præmio dari: quia præstatur hoc ipsum Furiæ, vt bella commoueat, & vt dicatur defendisse Iunonem. Donat. Seruius.

VIRGO SATA NOCTE) Eadem est, quam hic Iuno alloquitur, cum ea, de qua & Varro lib. 6. de ling. lat. & Probus citantes hos versus.

Corpore tartarino pugnata Paluda virago:
Cui par imber, & ignis spiritus, & grauis terra. E

Notat Scalig. F. * *Apud Silium quoq; lib. 2. Iuno Tisiphonen ab inferis contra Saguntinos euocat, quæ ibidem luculenter describitur.*

Quam (Fidem) simul inuisæ gentis prospexit in arce,
Fortè ferens sese Libycis Saturnia castris,
Virgineum increpitat miscentem bella furorem,
Atq; ira turbata gradum ciet, ocyus atram
Tisiphonen, imos agitantem verbere manes:
Et palmas tendens, hos, inquit, noctis alumna,
Hos muros impelle manu, populumq; ferocem
Dextris sterne tuis, Iuno iubet ipsa propinqua, &c.

INFRACTAVE CEDAT FAMA) Aut valde fracta, aut quæ fuit ante hac semper infracta, vt lib. 12. *Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos.* Cedat loco, id est, vincatur.

ITALOS OBSIDERE FINES) Inuidiosè, quasi venissent inimici, & vastatores, qui venerant supplices, & amici. Sic lib. 1. *Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.*

VNAN. ARM. IN PRÆL. FRAT.) A maiori ad minus. Magna quippe vis est, naturalem dissipare concordiam, & eos, quos idem sanguis, idemque vterus genuit, in exitium prouocare. Quod ipsum idcirco positum est, vt ostendatur Alecto plus posse, quam Iunoni fuerat necessarium. Si poterat pulso germanitatis affectu non modò in dissensiones, verùm etiam in bella fratres armare, multò validius potuit extraneos, & incognitos in vnam coeuntes amicitiam dissociare, atq; dissoluere. Donatus. * *Exempla discordiæ, belliq; inter fratres ab Alecto excitati possunt esse Atreus & Thyestes, Amulius & Numitor, Eteocles & Polynices, Romulus & Remus.* Vnanimos *ex lib. Vet. legendum monet Gifan. vt sit vnanimus quemadmodum sublimus, & gracilus apud Lucret. & alios antiquiores scriptores.*

TIBI NOM. MILLE, MILLE NOCEND. ART.) Non sine caussa, & ratione à Marone dictum est. Nam in precationibus, cuius numinis potentia magna erat, eius vires commemorabant, & pro officijs nomina attribuebant, quorum enumeratione dignitas dei crescere videbatur. Sed & in quadam inscriptione legimus, ISIDI MYRIONYMÆ SACRVM. Et in Timæo Cic. Mundus igitur, & cælum siue quo alio nomine gaudet, hoc vocatus esto. Et in euocatione deorum apud Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 9. DIS PATER, SIVE IOVIS MANES, SIVE QVO ALIO NOMINE FAS EST VOCARE. Turneb. lib. 11. cap. 19. * *Aptissimè hæc Maroniana verba, vt alia sæpissimè ad res alias, in cacodæmonem, generis humani sempiternum hostem quispiam contorserit: cuius mille astus, mille nocendi artificia quis nostrum satis cognoscit? Paulus cognoscebat, cui cum paucis concessum fuit dicere, non ignoramus astutias eius.*

FOECVNDVM CONCVTE PECTVS) plenum malitiæ efficacis, plenum fraudis, malarumq; artium.

DISIICE COMPOSITAM PACEM) quam supra Latinus dederat. *Si iungi hospitio properat, sociusque vocari*, &c.

SERE CRIMINA BELLI) caussas, vt, *Crimen amor vestrum.*

ARMA VELIT, POSCATQ. RAP. IVVENT.) Iuuentus optat interdum arma, sed non audet à principibus petere. Et vt etiam maximè poscat, tamen non ita statim conceduntur. Itaque inquit *rapiat*. Id est, tanta bellandi cupido iuuentuti immittatur, vt sua sponte, contempto duce ad arma prosiliant. Montfort.

Exin

Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis
Principiò Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumq; obsedit limen Amatæ.
Quam super aduentu Teucrûm, Turniq; hymenæis
FOEMINEÆ ARDENTEM CVRÆQVE, IRÆQVE COQVEBANT.
Huic dea cæruleis vnum de crinibus anguem
Conijcit, inq; sinum præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum mõstro permisceat omnem.
Ille inter vestes, & leuia pectora lapsus
Voluitur attactu nullo: fallitq; furentem,
Vipeream inspirans animam. fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ:
Innectitq; comas, & membris lubricus errat.

A GORGONEIS VENENIS) sæuis, pessimis, à Gorgone. De Gorgonibus locuti sumus lib. 6. *Gorgones, Harpyiaque*, &c.

PRINCIPIO LATIVM, ET LAVRENTIS) Hoc mandatis non inseruerat Iuno, sed faciendum suggesserat Furiæ naturalis inuentio. Donatus.

TACITVM OBSEDIT LIM. AMATÆ) Tacitum pro tacitè. Et *obsedit*, quasi quæ insidiabatur. Ipsa Furia, inquit Donatus, tacita obsedit, vt facilius nescienti valeret obrepere. Facile enim fuit nulla vi adhibita obtinere eius animum, cui Æneæ coniunctio iam displicebat.

FOEMINEÆ IRÆ) Vehementissimæ, & impatientes, inquit Seruius. Æneid. 5. *notumq; furens quid fœmina possit*. Impotentem naturam, & indomitum animal fœminam vocat alicubi Liuius in oratione Catonis Censorij.

CVRÆQVE, IRÆQVE COQVEBANT) Peruerso ordine respondit: nam ira in Troianos est, & cura de nuptijs, & primò aduentum Teucrorum dixerat. Iuno apud Senecam in Hercule Fur. ad Furias, vt eundem insectentur.

Concutite pectus. acrior mentem excoquat,
Quam qui caminis ignis Ætnæus furit.

Ennius apud Cic. in Catone. *curamue leuasso Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa* Prudent. Peristeph.

At Christiani nominis
Hostem coquebant irrita
Cordis venena, & liuidum
Cor efferata exusserant.

* *Appositè dictum*, curæ coquebant: *nam & cura, vt Varroni placet, dicta est quod cor vrat. Cic. ad Atticum lib. 5. cruciantem sollicitudinem verbo coquendi expressit. Tua profectio spem meam debilitat: ac me illud quidem modò coquit: Prudentius autem ardentem, & æstuantem cordis iram.*

CÆRVLEIS DE CRINIBVS ANGVEM) Virgil. Georg. 4. *cæruleosq; implexa crinibus angues*. Catull.

Eumenidum, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantis præportat pectoris iras.

Horat. *& intorti capillis Eumenidum recreantur angues.* Ouid. *Deq; suis atras pectebat crinibus angues*. Ergo vel Furiarum crines angues erant: vel Furiarum crinibus angues erant implexi, atque implicati.

VNVM ANGVEM) quia vnum iudicabat, ad consequendum quod volebat, posse sufficere.

ATTACTV NVLLO) sine morsu.

B FALLITQVE FVRENTEM) Inijcit furorem sine accipientis sensu. Furorem autem, vt furore teneatur: nam nondum furebat. Seruius.

VIPEREAM INSPIRANS ANIMAM) Vt pulso humani sensus vigore, ad eam malignitatem redigeretur, qua sunt serpentes. Donatus. De verbo hoc, *inspirare*, quam sæpe, & eleganter eo vtatur Virgilius, dictũ lib. 1. Æneid. super illo, *Occultum inspires ignem*.

FIT TORTILE COLLO AVRVM) sic se collo Amatæ implicabat, tanquam si esset aurum tortile, tanquam si esset torques. Erat enim longissimus, quia & se comis eius, & omnibus corporis partibus implicabat.

C LONGÆ TÆNIA VITTÆ) Vittæ sunt, quæ crinibus innectuntur, quibus fluentes religantur capilli: & vittæ dictæ, quod vinciant. Tænia autem est vittarum extremitas dependens, diuersorum colorum. Isid. lib. 31.

ET MEMB. LVBRICVS ERRAT) A corporis partibus membra omnia generalitate conclusit, ne ille aliquam partem videretur intactam reliquisse. Donatus.

Ac dum prima lues vdo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atq; ossibus implicat ignem:
NECDVM ANIMVS TOTO PERCEPIT PECTORE FLAMMAM,
Mollius, & solito matrum de more locuta est.
Multa super nata lacrymans, Phrygijsq; hymenæis:
Exulibúsne datur ducenda Lauinia Teucris

O genitor? nec te miseret natæq;, tuiq;?
Nec matris miseret, quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine prædo?
An non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamq; Helenam Troianas vexit ad arces?
QVID TVA SANCTA FIDES, QVID CVRA ANTIQVA TVORVM,
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idq; sedet, Fauniq; premunt te iussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor, & sic dicere diuos.
Et Turno (si prima domus repetatur origo)
Inachus, Acrisiusq; patres, mediæq; Mycenæ.

AC DVM PRIMA LVES) Antequam eam furialis lues incendio robustiore inflammaret: antequam ossa eius, ac medullas venena plenissimè possiderent, verba cum marito habuit, nec lacrymæ deerant, vt matris officio super filia fungi videretur potius, quam furore præcipitata nescire quid diceret. Donatus.

VDO VENENO) Hypallagen vult esse in sensu Seruius. Veneno vdo, quod est de vdo corpore. Namque serpentum vda sunt corpora, adeo, vt qua eunt, viam humore designent. German. explicat ὑγρῷ, vt Plato in Sympos. sub persona Agathonis Amorē ὑγρὸν esse contendit.

PERTENTAT SENSVS) Vox poetæ familiaris. Suprà, *tremor pertentat equorum Corpora.* Item lib. 1. *Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.* Et lib. 5. *blanda vicissim Gaudia pertentant mentem.* German.

ATQVE OSSIB. IMPLICAT IGNEM) Æneid. 1. De alio quodam igne loquitur, quem Cupido ossibus Didonis implicaret.

ANIMVS TOTO PERCEPIT PECTORE FLAM.) Catull. de nupt. loquens de Ariadna, & Theseo.

Non prius ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quam toto concepit pectore flammam
Funditus, atq; imis exarsit tota medullis.

MOLLIVS, ET SOLITO MATRVM DE MORE) Id est iracundè, vt interpretatur Seruius, nam hoc est matrum de more. Mixta asperitate loquebatur. Nam paulò post vero furore quatietur.

MVLTA SVPER NATA LACRYMANS) Æneid. 1. *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.*

EXVLIBVS NE DATVR) Apud maritum locutura de filiæ connubio mater, non debuit vti principio: tunc enim sunt necessaria, cum apud extraneum verba sumus facturi, vt attentum, beneuolum, docilemque reddamus. In præsenti vero attentum, cur faceret, cum Latinus caussam nosset? Beneuolum cur, cum negotio filiæ, vtpote pater, non esset nociturus? Docilem quomodo, cum ab eo ipsa sciret? Hæc Donatus, à quo mox longa subijcitur huius totius orationis paraphrasis, quam lege, si videtur.

DVCENDA LAVINIA) Duci vxor dicebatur, quæ ex paterna domo in mariti domum deducebatur. Ei autem deductioni qui præerat deus, Domiducus vocabatur. Vide Comment. Hotomanni in verba Iuris. * *Non solùm ducere vxorem, sed etiam quampiam domum ducere, & deducere probum, & elegans sermo est. Terent. Hecyra.* Vt ad pauca redeam, vxorem deducit domum. *Tibull.* Vt iuueni primum virgo deducta marito.

NEC TE MISERET NATAQVE, TVIQVE, NEC MATRIS) Ex triplici misericordia qua caret Latinus, triplicem illius crudelitatem vult insinuare, atq; ita summè crudelem. Et quomodo hic alienis fidus, qui suis hostis?

PRIMO AQVILONE) quæ prima nauigandi facultas dabitur. Secundo vento nauigandi occasione oblata.

PERFIDVS ABDVCTA VIRGINE PRÆDO?) Prædo hic γαμοκλόπος in Epig. vt & de Medea Pindar. Pyth. Ode 4. κλέψαν τε μήδειαν, σὺν αὐτᾷ τὰν πελίαο φόνον. Et Lycoph. γυναικόκλωπας. German.

AN NON SIC PHRYGIVS PASTOR) Horat. Ode 15. lib. 1.

Pastor cum traheret per freta nauibus
Idais Helenam perfidus hospitam.

Quem in locum sic Lambin. Pastorem vocat, fuerat enim in monte Ida expositus propter Hecubæ somnium, & à pastore quodam educatus. Eum postea à patre cognitum, receptumque, duce Venere Lacedæmonem profectum esse, & à Menelao hospitio perhonorifico acceptum, eius vxori Helenæ incontinentius, quam hospitem decebat, oculos adiecisse, eamque raptam in vrbem Phœniciæ Sidonem primùm, deinde Troiam aduexisse; cum alij complures tradunt, tum Homeri interpres scribit Iliad. λ. Apud Homerum autem sic loquitur Paris, eo quem dixi libro.

Οὐ γὰρ πώποτέ μ' ὧδε ἔρως φρένας ἀμφεκάλυψεν,
Οὐδ' ὅτε σε πρότερον Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς
Ἔπλεον ἁρπάξας ἐν ποντοπόροισι νέεσσι.

Quorum versuum hæc fere sententia est. Nunquam enim antea mihi amor mentem ita occupauit, ne tum quidem, cum te primum è Lacedæmone raptam nauibus Troiam aduexi. A simili exemplo Troianæ gentis. Quasi verò, quia Paris Helenam alienam coniugem abduxit, Æneas istuc ipsum sit facturus. Exempla sunt dissimilia. Paris rapuit vi, & quidem alterius vxorem, cum magna iniuria. Æneæ vltro Latinus filiam suam innuptam obtulit. Neq; verò in Latium eo consilio venit: sed vt illic sedem figeret. Montfor. * *De raptu Helenæ extat Coluthus poeta Græcus. Vide 1. Æneid.* Pergama cum peteret, inconcessosq; hymenæos.

ET CON-

ET CONSANGVINEO TOTIES. D. DEX. TVR.) Antea incusauit vt crudelem, nunc etiam vt perfidum reprehendit.

SI GENER EXTERNA PETITVR DE GENTE) Cum edita Regi Latino sors fuisset, debere ipsum externo viro filiam in matrimonium dare, Turnus autem, quem generum Amata regina malebat, Italus esset, diuinaq; auctoritate, (cui repugnari non potest) à nuptijs illis excludi videretur, ipsa, vt pacem disturbaret, & viri sui animum à consilijs illis reuocaret, vnum hoc, quod maximè distabat, ac voluntati suæ aduersabatur, tentare, ac labefactare conata est. Ipsa igitur dixit, aliam esse notionem vocabuli, *externus:* intelligiq; illo cunctos, qui ipsius ditionis non forent: nec regno ipsius parerent: & non tantum alienigenas, & in longinquis terris natos. Præterea cum post obitum Agidis Lacedæmone regem creari oporteret, Diopithesq; augur gradu illo honoris Agesilaum exturbaret, quem graues, & sapientes viri propter eximiam adolescentis virtutem probabant, fretus oraculo, admonente, Spartiatas, & quæ sequuntur. Infra. Argumentata est igitur Amata à definitione, cum docuit, Turnum non esse repudiandum generum. Modum autem hunc argumentandi pluribus, & illustribus exemplis Aristot. lib. 2. de arte dicendi declarauit. Victor. lib. 26. cap. 5.

De qualitate transit ad definitionem. Nam vult Turnum extraneum esse definire per callidam argumentationem, quia imperio Latini nō subiaceat, quum

A oraculum de Latinis omnibus cauerit. Postea etiam huic occurrit, Turnum Græcum esse, ab Acrisio ortum commemorans. Seruius.

ET SIC DICERE DIVOS) Alludit ad dictionem, quæ sæpe, vt Græcis φήμη, pro oraculo, & deorum responso vsurpatur: fortè quod oracula Græcis etiam λόγια dicuntur. Liuius lib. 8. ab V. C. Auito ab Tarentinis in Italia data dictio erat, caueret Acherusiā aquam, Pandoliamq; vrbem: ibi fatis eius terminum dari. Attius in Armorum iudicio. *Apertè fatur dictio, si intelligas.* Et Pacuuius Periboea. *Flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet.* German.

PRIMA REPETATVR ORIGO) Virgil. lib. 1. Æneid. *O dea, si prima repetens ab origine pergam.* Ouid. 1. Metamorph. *primaq; ab origine mundi.* Propert. lib. 3. eleg. 5. *Nunc mihi, si qua tenus, ab origine dicere prima Incipe.*

INACHVS, ACRISIVSQVE PATRES) Danaë Acrisij regis Argiuorum filia, postquam est à Ioue vitiata, pater eam intra arcam inclusam præcipitauit in mare: quæ delata ad Italiam, inuenta est à piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat, & oblata regi Pilumno, qui eam sibi fecit vxorem, cum qua etiam Ardeam cōdidit, à quibus Turnum vult originem ducere. Seruius.

MEDIÆQVE MYCENÆ) media Græcia. Turnus à maioribus non est Italus, sed Græcus potius, ergò externus.

His vbi nequicquam dictis experta, Latinum
Contrà stare videt: penitusq; in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamq; pererrat:
Tum verò infælix ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per vrbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curuatis fertur spatijs: stupet inscia turba,
Impubesq; manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ. non cursu segnior illo
Per medias vrbes agitur, populosq; feroces.
Quin etiam in syluas, simulato numine Bacchi,
(Maius adorta nefas, majoremq; orsa furorem)
Euolat, & natam frondosis montibus abdit,
Quò thalamum eripiat Teucris, tædasq; moretur:
Euœ Bacche fremens, solùm te virgine dignum
Vociferans. etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.

HIS VBI NEQVICQVAM DICTIS EXPERTA) Vbi vidit se vndis, & littori locutam.

INGENT. EXCITA MONSTRIS) Monstra credo accipienda, quæ animo eius obijcerentur imagines, quæq; ipsa sibi insano dolore percita fingebat.

SINE MORE FVRIT) sine exemplo.

LYMPHATA) quasi nymphata, percussa furore lympharum, seu Nympharum, sicut ceritos à Cerere dicimus. In Græcia commota mente quos νυμφολήπτους

C appellant, ab eo lymphatos dixerunt nostri. Varro lib. 6. de ling. Lat. Vim huius verbi perspicue, nec indoctè sic declarat Delrius in Herculem Oetæum Senecæ. Lymphatus, qui mente abalienata furere cœpit. Romani, inquit Nonius, Ceritos, vel laruatos vocarunt, quod Cereris, aut laruarum incursione animo vexarentur Gręcis, νυμφόληπτοι, Latini L. ex. n. fecerunt. Lymphatos enim Varro ait, quasi Nympharum spiritu correptos. Scilicet credebant Nymphas iratas, si conspi-

 ceren-

cerentur, perpetuo hominem furore multare, vt do- A
cent Festus in Lymphæ, & Hesychius in νυμφόληπτοι. Quare, vt refert scholiastes, à Theocrito δειναὶ θεαὶ potentes diuæ dicuntur.

CEV QVONDAM TORTO) De hoc ipso ludi genere, & in re simili, agitatione mentis, non corporis, vt hic Amata agitatur, Tibull. eleg. 5. lib. 1.

Namq; agor, vt per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer adsueta versat ab arte puer.

Fiebat turbo plerumque è buxo. Habenarum mentio, inquit, Pierius lib. 48. turbinem in memoriam attraxit, quia turbinis concitatio ab habena est. De hoc autem Græci, Latiniq; potius, quàm Ægyptij, quantum inuestigare potui, meminerunt. Lege reliqua in Fræno, & B descriptionem ludi huius non illepidam. * *In carmine Tibulli scribendum censet Achilles Statius* turben *non* turbo, *secutus auctorem Carisium. Notat etiam imitationem Theocriti in Pharmaceutria. In Cistellaria idem vult meretrix, illis verbis,* Mihi istum hominem vellem dari, vt ego illum versarem. *Sappho verbo versare vsa est in eodem genere.* Ἔρως δ' αὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ.

VACVA ATRIA) ampla, spatiosa. Sic lib. 2. Æneid. *Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat.*

INTENTI LVDO EXERCENT) Fuisse aliquam artem huius ludi, & verba Tibulli ostendunt, & Ouid. 2. Trist. *Hic artem nandi præcipit, ille trochi.*

DANT. ANIMOS PLAGÆ) plagæ, quas habe- C nis illis, & scuticis coriaceis incutiunt pueri.

SIMVLATO NVMINE BACCHI) Talem patiebatur furorem, vt speraret se Liberi sacra celebrare: non enim ipsa simulabat, quod est sanorum. Nam & paulò post dicturus est, *Alecto stimulis agit vndique Bacchi.* Seruius.

TÆDASQVE MORETVR) Tædæ nuptiales è spina alba fieri solitæ, atque id ea caussa, quod in Sabinarum raptu, qui fœlicissimè cessit, talibus etiam tædis pastores vsi erant. Præibat autem fax, siue tæda, quod non nisi vesperis exortu antiquitus nubentes in viri deducebantur domum. Plutarch. quinq; fuisse faces scribit, quod is numerus maximè nuptijs conueniret. Ho- D tomannus.

EVOE BACCHE FREMENS) Erant sacris Bacchi, & Hymenæi propriæ voces εὐὰν & εὐοῖ, vt in Troad. Euripid. Vnde εὐάζειν. German. Vide Catulli Galliambum.

MOLLES TIBI SVMERE THYRSOS) Thyrsus hasta, cuius cuspis ferrea, obtecta folijs hederæ, seu pampinis, propria Baccho. Caussam in Baccho Phurnutus esse autumat, quod ebriorum pedes officium suum haud planè peragant. Alij putant, quod compotationes rarò sine rixa, & lite finiantur. Quod cuspis hedera inuolueretur, censet Macrob. significari, vinculo quodam patientiæ obligandos impetus furoris. Habet enim hedera viniendi, obligandique naturam: vini verò calor ad furorem sæpe homines propellit. Gyrald. Syntag. 8.

Thyrsus erat lancea, hederæ frondibus occultata, vt hedera amicis metum tolleret: hostibus dolosa cuspis lanceæ vulnus infligeret. Ab hoc thyrso Bacchus thyrsiger, Bacchæ thyrsigeræ Latinis. Næuius in Lycurgo. *Pergite thyrsigeræ Bacchæ cum Bacchica schema.* Athenæus auream thyrso lanceam in manu habuisse docet Liberum, cum de illo inquit, εἶχεν ἐν χερσὶ χρυσοῦν θυρσόλογχον. Delrius Comment. in Oedip. Senecæ. * *Catull. de nupt.* Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos. *Thyrsos circumloquitur Eclog. 5.* Et folijs lentas intexere mollibus hastas. *Thyrsos eiusmodi gestabant sacerdotes in sacris Bacchi.* Θυρσοπλῆγες, *id est, thyrso percussi appellantur, qui in sacris Bacchicis diuino furore concitantur. Inde Lucretius, dum se laudis, & gloriæ studio mirificè inflammatum significare vult, lib. 1.* sed acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.

SACRVM TIBI PASCERE CRINEM) Quod Maro ait, eam Baccho crinem sacrasse, & nutrisse, id ex antiquorum superstitione dictum est, qui hoc dijs facere instituerunt, pro sospite, secundaque valetudine. Censorinus de die natali. Quidam etiam pro cætera corporis bona valetudine, crinem deo sacrum pascebant. Quid ni enim Maronem interpretari videatur, cum eius verba vsurpet? Turneb. lib. 7. cap. 14.

Eurip. Pentheo. ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω. Horat. Sat. 3. lib. 2. *quo me Solatus iussit sapientem pascere barbam.* Id autem incertus auctor epigrammatis εἰς φιλοσόφους, dixit τρέφειν πώγωνα. Vrsin.

Stat. 2. Thebaid.

——— vbi casta adolesceret ætas,
Virgineas libare comas, primosq; solebant
Excusare toros.

Vide, si lubet, quid super hoc more crinem dijs pascendi, id est, alendi, mandauerit litteris ipse multò litteratissimus Germanus, quem iure optimo sæpius adducimus.

Fama volat: furijsq; accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, noua quærere tecta.
Deseruere domos: ventis dant colla, comasq;.
Ast aliæ tremulis vlulatibus æthera complent,
Pampineasq; gerunt incinctæ pellibus hastas.
Ipsa inter medias flagrantem feruida pinum
Sustinet, ac natæ, Turniq; canit hymenæos,
Sanguineam torquens aciem: toruumq; repentè
Clamat, Iô matres audite vbi quæq; Latinæ,
Si qua pijs animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si iuris materni cura remordet:
Soluite crinales vittas, capite orgia mecum.

Talem inter ſyluas, inter deſerta ferarum
Reginam Alecto ſtimulis agit vndiq; Bacchi.

VENTIS DANT COLLA, COMASQVE) iactant colla fuſis per ea comis, quas venti difflabant. Lib.1. Æneid. *dederatq́ comas diffundere ventis.*

TREMVL. VLVL. ÆTH. COMP.) 2. Æneid. *cana* (cauædium) *plangoribus ædes Femineis vlulant: ferit aurea ſidera clamor.* Talia ſunt, *reſonat magnis plangoribus, clamoribus æther.* Vlulare proprie canum, & luporum eſt.

PAMPINEASQVE GERVNT) Cum Cerere Liber, & Libera initijs colebantur, & thiaſi vitium pampinis implexi gerebantur ab initiatis. Quare Tibullus vitem myſticam dixit. Turneb. lib.29.cap.32.

INCINCTÆ PELLIBVS) Georg. 4. *Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ.* Pelles quibus bacchantes tegebantur, ceruorum erant, vel hinnulorum. Græci νεϐρίδας vocant. Inde originem habuiſſe putantur, quod Bacchus ab expeditione Indica rediens, id genus pelles geſtabat. Vnde etiam nebrida ferre dicuntur, qui natura ſunt timidiores, aut vini amantes. Deſcripſit & Bacchi ſollemnia, & orgia lib. Annal.2. Tacitus, magno cum toto hoc Maronis loco conſenſu, his verbis. At Meſſalina non aliàs ſolutior luxu, adulto autumno, ſimulacrum vindemiæ per domum celebrabat, vrgeri præla, fluere lacus, & fæminæ pellibus accinctæ aſſultabant, vt ſacrificantes, vel inſanientes Bacchæ, ipſo crine fluxo, thyrſum quatiens, iuxtaque Silius edera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, ſtrepere circum procaci choro. German.

IPSA INTER MEDIAS FLAGRANTEM FERVIDA PINVM) Statius lib.4. etiam de regina ſimillimè.

—— *ſparſis ſubitò correpta caniſtris*
Syluestris regina chori decurrit in æquum,
Vertice ab Ogygio, triſidamq́ huc triſtis, & illuc,
Lumine ſanguineo pinum deiectat, & ardens
Erectam attonitis implet clamoribus vrbem.

TVRNIQVE CANIT HYMENÆOS) Dum ducebatur noua nupta domum mariti, interea canebatur hymenæus alternis, à pueris, & puellis.

SANGVINEAM TORQVENS ACIEM) lib.4. *Sanguineam voluens aciem.* Oculos contorquebat ſanguine ſuffectos, quales ſunt ira magna percitorum.

TORVVM CLAMAT) Ipſa torua.

SI QVA AMATÆ MAN. GRAT.) Si quidem me amatis.

SOLVITE CRINALES VITTAS) Vittæ Matronarum, virginum, & Veſtalium erant, ſed aliæ, atq; aliæ. Ouid. de matronis. *Eſte procul vittæ tenues inſigne pudoris.* Idem de Veſtalibus.

Ignibus Iliacis aderam, cum lapſa capillis
Decidit ante ſacros lanea vitta focos.

Vide plura lib.2. Æneid. ibi, *Virgineas auſi diuæ contingere vittas.*

CAPITE ORGIA MECVM) Orgia vocabantur myſteria quædam, quæ niſi ab initiatis aut ſpectari, aut audiri fas non erat. Id quod vel Penthei, & Bacchi colloquium apud Euripidem declarat. Deductum autem nomen vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, à furore cum quo, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id eſt, à montibus, in quibus celebrabantur. Seruius ait, orgia apud Græcos omnia ſacra ſignificare, abuſiue autem Bacchi.

STIMVLIS BACCHI) qualibus agitantur Bacchæ.

Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores,
Conſiliumq́; omnemq; domum vertiſſe Latini,
Protinus hinc fuſcis triſtis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur vrbem
Acriſioneis Danaë fundaſſe colonis,
Præcipiti delata Noto. Locus Ardea quondam
Dictus auis, & nunc magnum manet Ardea nomen.
Sed fortuna fuit: tectis hîc Turnus in altis
Iam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Alecto toruam faciem, & furialia membra
Exuit: in vultus ſe ſe transformat aniles,
Et frontem obſcœnam rugis arat, induit albos
Cum vitta crines: tum ramum innectit oliuæ.
Fit Calybe Iunonis anus, templiq; ſacerdos:
Et iuueni ante oculos his ſe cum vocibus offert.

PRIMOS ACVISSE FVR.) Poſtquam viſa eſt ſibi bona ieciſſe fundamenta furorum, ac tumultuum in ædibus regijs.

OMNEMQVE DOM. VERT. LATINI) impleuiſſe regiam perturbatione, confuſione maxima. Sed poeta dixit ſignificantius.

FVSCIS ALIS) μελανόπτερος. Et Epig. lib. 3. μελανοπτέρυγας ὀνειρίδας.

ACRISONEIS COLONIS) *Acriſoneis* vult Seruius referri ad *Danae*, nō ad *colonis*. Sed pace Seruij ad *colonis* referendum eſt: nam patronymicum fæmininum, pro Acriſij filia, eſſet Acriſione, vel Acriſis Acriſidos, non Acriſionæus. Sed dicas fortè, Danaen cum Argolicis colonis non veniſſe, quib⁹ cum vrbes condere potuiſſet. Fateor: atqui aduena ipſa atq; Acriſione, id eſt, Acriſij filia, cur in Italia aſſumptos colonos de ſuo nomine Acriſioneos dicere non potuerit, haud video.

Fabulam Acriſij, & Danaes lege Apollodori lib.

2. haud longè ab initio. Higyn. cap. 61. Eandem explicat Lucian. dial. Doridis, & Thetidis Tom. 3. Ingeniosè hanc ipsam μυθολογικῶς Delrius Aduersar. in Octauiam Senecæ. Sed animi gratia demus illi aures, amabò. Acrisium esse puto hominem magnæ eruditionis, quæ eruditio (hæc est Danaë filia eius) animo, & mente abdita latet, & quia mentis sedes caput est, in turri ahenea conclusa dicitur. Corporis enim arx, seu turris est caput. hæc eruditio latet abdita, & quasi mancipata carceri, estque sterilis, & infœcunda, donec aureo imbre irrigetur, hoc est donec potentis alicuius munificentia foueatur, & excitetur: quod cum euenit, confestim hæc Danaë Perseum parit, qui saxificam Medusam interficit. Enimuero tunc eruditio ista præmijs excitata, discussa tenuis fortunæ caligine, & effractis paupertatis compedibus, pariet liberos præstantissimos, videlicet libros, æterna sapientiæ monumenta: à quibus ignorantia, & inscitia debellabuntur, ignorantia, inquam, quæ stupidos, hebetes, & planè saxeos homines reddebat. hi libri, quia per ora virûm volitant, ideo alata talaria Perseo tribuuntur. Idem Andromedam ceto eripuisse fingitur: quia his monumentis salutaria vitæ hominum præcepta ab antiquis composita, ab interitu vindicantur. Andromeda namque ἀπὸ τῦ ἀνδρὸς καὶ μέδω formatur, & virum curans significat. Demum poetæ fabulantur Perseum vnà cum Andromeda in cęlum fuisse translatum: propterea quod huiusmodi scripta cũ antiquorũ illis placitis à se conseruatis perpetuò viuũt, & quodammodo immortalitatem consequuntur. Docemur itaque per hanc fabulam sine emolumenti, & præmiorum ope, quantumuis clara ingenia iacere, ac delitescere. inquit ille. *Haud facile emergunt, quorũ virtutibus obstat Res angusta domi.* & alius. *Sint Mecænates, non deerunt, Flacce, Marones.* Nec frustra Musas Andronicus Diuæ Monetæ filias vocauit, vt & Higynus, & quæ Græcis μνημοσύνη, Latinis Moneta dicta. qui plura volet, legat elegantissimum Lucani Panegyricum ad Calpurnium Pisonem circa finem.

LOCVS ARDEA QVONDAM) Ardea vrbs Turno occiso ab Ænea, incendio ad cineres redacta est. Inde volucris nata, quam posteri eius nomine ardeam vocarunt. Ouid. 14. Metamorph. Ipsa tamen Ardea abauspicio huius auis nominata est potius, quàm ab illa, auis. Sed reijcit hoc Seruius, & Ardeam, ait, quasi Arduam dictam, id est, magnam, & nobilem: quò etiam poeta alluserit.

NIGRA NOCTE) quia *tum tenebris nigrescunt omnia circum.*

ALECTO TORVAM FACIEM) suscepit Alecto sacerdotis personâ, sua terribili, & auersanda, ad tempus deposita, vt maiore cum auctoritate loqueretur.

FRONTEM RVGIS ARAT) Ouidij sunt, in eandem sententiam, similibusque verbis, *Sulcauitq́, cutem rugis.* 1. Metamorph. Et alibi. *Iam veniens ruga, quæ tibi corpus arent.* Et, *Iamq́, meos vultus ruga senilis arat.* Horat. Ode 3. Epod.

Cum sit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem senectus exaret.

Plaut. Bacchid. *Consulcas frontem.* Apud Silium lib. 2. Tisiphone. conuertitur in formam Tyburnæ vxoris Murri Sagunthini, & Sagunthinis mortem suadet voluntariam.

Protinus assimulat faciem mutabile monstrum.
Tyburna, gressumq́, simul, sonitumq́, loquentis, &c.

RAMVM INNECT. OLIVÆ) Sumit sertum oleagiginum, pacis insigne.

IVNONIS ANVS) Anus dicta est, ab annorum multitudine, quoniam antiqui non geminabant consonantes. Vel quod tum sit sine mente, quæ græce dicitur νοῦς. Festus.

TVRNE TOT INCASSVM FVSOS PATIERE LABORES?
Et tua Dardanijs transcribi sceptra colonis?
Rex tibi coniugium, & quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externusq; in regnum quæritur hæres.
I NVNC, INGRATIS OFFER TE IRRISE PERICLIS:
Tyrrhenas i sterne acies, tege pace Latinos.
Hæc adeò tibi me, placida cum nocte iaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.
Quare agè, & armari pubem, portisq; moueri
Lætus in arma para: & Phrygios, qui flumine pulchro
Consedere, duces, pictasq; exure carinas.
Cælestûm vis magna iubet. rex ipse Latinus,
Ni dare coniugium, & dicto parere fatetur,
Sentiat, & tandem Turnum experiatur in armis.

TVRNE TOT INCASSVM) Rectè commoto vultu apparuit, obiurgans iuuenem, quod in sua caussa tam segnis existeret: qui & cogitare deberet pericula sua, & ætatis suffragio posset aduersum se cogitata depellere. Donatus.

ET TVA DARDANIIS. TRANSCR. SCEPT. COLON.) Et imperium iam tuis meritis debitum ad indignos, & aduenas sine labore transferri? Bis intelligendum est, *sceptra transcribi.* Quod autem ait *tot labores*, à qualitate adiecit pondus dictioni: quod ait *tua*, laudis loco accipiendum, *Dardanijs* vero conuitio: vt pote qui sua perdidissent, & inuadere cuperent aliena. Donatus.

Transcribere est ius suum in alterum transferre: deriuata locutione ex eo, vt scribit Donatus, quod veteres in foro, & de mensa, scriptura magis, quam ex arca, domoque pecunias numerabant. Et Seruius transcribi hoc loco tradi explicat, tractumq; ait sermonem de pecunia. Hotoman. * *Seruij quidem verba sic concepta sunt. Transcribo, trado. Sermo autem hic tractus est de pecunia:* nam

nam scribi, est dari. Horatius. Scribe decem Nerio, non est satis. adde Cicutæ Nodosi tabulas centum. *Rescribi verò, reddi: Horat.* Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis. *Iam ex Donato, & Seruij explanatione fit liquidum, & apertum, quod lib. 5. ad illum versum,* Transcribunt vrbi matres, *ex Nascomb. (qui ipse à Seruio hinc acceperat) allatum, videbatur obscurissimum: istud videlicet*: de pecunia tractus est sermo: nam scribi, est dari.

REX TIBI CONIVG. ABNEGAT) Inuidiosè. Non enim negat, qui promissa alteri dare cogitur, idque diuinitus. Ad maiorem Latino conciliandam inuidiam, addit, *quæsitas sanguine dotes.* Nihil enim ægrius amittitur, quam quod multo sudore, & sanguine acquisitum est. Turnus verò Tuscos in Latium, & regnum Latini inuadentes, vt gener futurus, & alioqui affinis, propter Amatam materteram, sæpius repulerat, & fugârat, vt infra mox sequitur.

EXTERNVSQVE HÆRES) Hæredis appellatio non solùm ad proximum hæredem, sed vlteriores refertur: nam hæredis hæres, & deinceps, hæredis appellatione continetur. Vlpian. de verb. signif. De iure traxit, vt non generum, sed hæredem diceret: nam per coemptionem facto matrimonio, sibi inuicem succedebant. Seruius.

I NVNC INGRATIS) Ironia, qua exprobrat ei sua merita in Latinũ, vt irritet magis, exacerbetq; odium in regem, ob ingratitudinem, & inconstantiam. Montfort.

TYRRHENAS I STERNE ACIES) Vt, *I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.* Sanè notum est, bello multum potuisse Tyrrhenos, & fuisse præcipuè infestos Latinis: vt, *His bellum assiduè ducunt cum gente Latina.* Seruius.

IPSA SATVRN. OMNIP.) Vt inesset pondus orationi, & fides Turno fieret, à Iunone se missam asserit, quam etiam epitheto auctoritatis pleno afficit, quo grauiore nec ipso Iupiter potest ornari. Non tamen simpliciter accipiendum est, vt in Ioue, sed cum respectu ad deas, vt sit ipsa inter illas omnipotens, quia regina deûm, &

A soror, & coniux Iouis: Iupiter autem absolute omnipotens.

ME FARI IVSSIT) sacerdotem scilicet suam, & templi venerandi custodem, cuius fidem nosset, & fidele ministerium: cuius efficaciam in his, quæ curanda mandasset, habuit ritè compertam. Donatus.

LÆTVS) alacer, festinus, nam lætari non poterat, qui perdebat vxorem.

FLVMINE PVLCHRO) Suprà, *fluuio Tiberinus amœno.*

DVCES, PICTASQ. EXVRE CARIN.) Melius dixisset, trucida duces, & exure naues. Nisi hoc velit. Phrygios duces, qui tuum impetum non sustinebunt, sed vt B apud Troiam Græci, ad naues confugient, cum ipsis incende nauibus.

CÆLESTVM VIS MAGNA IVBET) Debet audacius fieri, quod superna præcipit auctoritas. Quod verò reginam deorum dixit præcepisse, ad omnes deos voluit pertinere, qui voluntati potioris non poterant contradicere. Nec dubites, inquit, cœpta perficere, quum cœptis tuis affuturus sit potentissimorum numinum fauor, & id Iuno præcipit magnæ potentiæ: hoc est, quæ plus posset, quam dij cæteri. Donatus. Hoc autem modo Seruius. Per augmentum suasit primò per se, secundò per Iunonem, postremò per vim omnium C deorum.

REX IPSE) Ipse, qui te fefellit: ipse, cui obsequutus es semper: ipse, cuius imperium tua defensione seruasti: ipse, qui mobilis esse non debuit: ipse, penes quem summum super filiæ coniunctione iudicium est: ipse qui iniuriæ suæ auctor esse non debuit. Donatus.

SENTIAT, ET TVRN. EXPER. IN ARMIS) Experiatur Turnum contra se, quem pro se probare non potuit. Tandem sentiat contra, quem pro se laborantem non probauit.

Hîc iuuenis vatem irridens sic orsa vicissim
Ore refert. Classes inuectas Tibridis vndam
Non, vt rere, meas effugit nuntius aures:
(NE TANTOS MIHI FINGE METVS) nec regia Iuno
Immemor est nostri.
Sed te victa situ, veriq; effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet, & arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, diuûm effigies, & templa tueri:
BELLA VIRI, PACEMQVE GERANT, queis bella gerenda.
Talibus Alecto dictis exarsit in iras.
At iuueni oranti SVBITVS TREMOR OCCVPAT ARTVS:
Diriguere oculi. tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaq; se facies aperit: tum flammea torquens
Lumina, cunctantem, & quærentem dicere plura,
Reppulit, & geminos erexit crinibus angues:
Verberaq; insonuit, rabidoq; hæc addidit ore.

HIC IVVENIS VATEM IRRID.) Non modò contemnuntur, sed ridentur etiam senes à iuuenibus, vetulæ præsertim. Displicebat Turno in hoc negotio & ætas, & sexus. Nuntias, inquit, mihi, quæ dudum D cognoui. Cessa terrere nihil metuentem. Nam & Iunonem reginam non immemorem nostri scio, & quémadmodum facta mea, commodumque tueatur. Donatus.

Nox

NON MEAS EFFVG. NVNT. AVRES) Non est A præteruectum aures meas. Non sunt ita peregrinatæ aures meæ, vt famam hanc non acceperint.

NE TANT. MIHI FINGE MET.) Abi in malam rem cum isto metu. Mulieres natura fecit meticulosas. Noli me frustra in metum inanem conijcere. Nam, vt sit aliquid, tamen aduersus Iunonis nostræ protectricis potentiam nihil valebit. ✠

SED VICTA SITV) Irrisio est aperta. Igitur religiosum nomen *matris* adiunxit, vt illa minus grauiter ferret, vnde multò acrius potuit commoueri. Senectus tua, inquit, nescit congrua, & competentia sectari. Denique iuuenum te exagitat cura: & cum sis vates, templisque curandis te deditam esse oporteat, vis scire B quid pugnaturi agant, quidúe armati disponant. Donat.

VERIQVE EFFOETA SEN.) cassa veritatis, exponit Seruius. Sed hoc obscurum est. Puto poetam insinuare, senectutem esse deliram, & senes delirare plerumque, vt neque quid agant, neque quid, aut quamobrem dicant, satis sciant. Germani, *ein alter narr, ein alte närrin.* ✠

O MATER) mater hìc ad inuidiam, & contemptú: vt docet Eustathius, *γραῖαν, πρεσβυτέραν* Græcis nonunquam ad venerationem, nonnunquam ad miserationem, ad contumeliam nonnúquam vsurpari. Homero *γέροντες* dicuntur simpliciter honore digni viri, etiamsi ætatem senectam non attigerint, vt Romanis patres in- C terdum. German.

CVRA TIBI DIVVM EFFIG.) Ad Homeri versus respexit, Iliad. ε. vbi Venus à Diomede vulnerata lamētatur apud Iouem, qui eam his verbis monet, vt à bellicis rebus abstineat, opera nuptialia curet.

Ἀλλὰ σύγ᾽ ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο.
Ταῦτα δ᾽ Ἄρηϊ θοῷ, καὶ Ἀθήνῃ πάντα μελήσει.

Et Iliad. ζ. telam, & colum, ancillarumq; curam docet mulieris esse propria, Andromachen vxoré alloquens Hector.

Ἀλλ᾽ εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
Ἱστόν τ᾽, ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε,
Ἔργον ἐποίχεσθαι· πόλεμος δ᾽ ἄνδρεσσι μελήσει

Πᾶσιν, ἐμοὶ δὲ μάλιστα, τοὶ Ἰλίῳ ἐγγεγάασιν.

Quibus non absimilia sunt hæc Æschylea.

Μέλει γὰρ ἀνδρί, μὴ γυνὴ βουλευέτω
Τἄξωθεν, ἔνδον δ᾽ οὖσα, μὴ βλάβην τίθει.

Vrsin.

BELLA VIRI PACEMQVE GERANT) Prouerbium Græcorum *μὴ μάχαιραν αἶρε θῆλυ*, Gladium ne tolle mulier, in eos, qui sese immiscent rei, cui minimè sunt idonei. Et in eum, cui negotium mandatur, cui parum est idoneus, senarius extat, *γυνὴ στρατηγεῖ, καὶ γυνὴ στρατεύεται*, Fæmina exercitum ducit, & fæmina militat. Huc quoque pertinet, quod Varro Martem ita dictum dicit, quod maribus in bello præesset. Et quod ante illum Plato in Cratylo *ἄρην* dictum censet *ἀπὸ τοῦ ἄρρενος*, à mare, tanquam scilicet bella viris peculiariter conueniant, non fæminis. Tiraquell. in 1. leg. Connubial. num. 62.

AT IVVENI ORANTI) Quum hæc dixisset Turnus, eodem temporis puncto contremuit, & ab iniuriosis vocibus, ad deprecationem conuersus, rogare cœpit iratam. Donat.

TREMOR OCCVPAT ARTVS) Iliad. θ. *τρόμος ἔλλαβε φαίδιμα γυῖα.*

TANTAQVE SE FACIES APERIT) Semoto anili vultu quem finxerat, & quo se induerat, crescebant, quæ metuentis formidinem cumulabant.

FLAMMEA LVMINA) quibus videbatur emicare ignis.

CVNCT. ET QVÆR. D. PLVRA REPP.) Deinde cum oculis Furiæ emitteretur incendium, quum, quid iracundiæ gereret, tortis in peruersum oculis testaretur, orantem repulit, & vehementissimè deprecantem trudendo compescuit. Donatus.

GEMINOS EREXIT CRINIB. ANGVES) similes, nam omnes dicit erexisse, non duos.

VERBERAQVE INSONVIT) pro, verberibus insonuit, id est, per verbera.

RABIDO ORE) Habitus futuræ orationis ostenditur.

En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter Regum falsa formidine ludit:
(Respice ad hæc) adsum dirarum ab sede sororum:
Bella manu, lethumq; gero.
Sic effata, facem iuueni coniecit, & atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas.
OLLI SOMNVM INGENS RVPIT PAVOR: OSSAQVE, ET ARTVS
PERFVDIT TOTO PRORVPTVS CORPORE SVDOR.
Arma amens fremit, arma toro, tectisq; requirit.
SÆVIT AMOR FERRI, ET SCELERATA INSANIA BELLI:
Ira super. magno veluti cùm flamma sonore
Virgea suggeritur costis vndantis aheni,
Exultantq; æstu latices: furit intus aquaï
Fumidus, atq; altè spumis exuberat amnis:
Nec iam se capit vnda, volat vapor ater ad auras.

EN EGO VICTA SITV) Repetit verba Turni, quibus contempta fuerat, qui mos est hominum, cum ijs male faciunt, à quibus verbo læsi, aut contēpti fuerint. Peius, inquit Donatus, obiurgare non potuit me- D tuentem, quam vt ea illi ingereret, quæ ille meminerat se protulisse. Senti nunc, inquit, senem delirantem: senti desipientis præ senio hebetata consilia, & actus longè à sexu, & merito ætatis alienos. Quæ sim nunc, quoni-

quoniam superioris formæ contemptor esse maluisti, considera. Donat.

RESPICE AD HÆC) Intuere diligentius, quid inter præterita, præsentiaque distet.

SIC EFFATA, FACEM) Post indignationem talem, & obiurgationem verborum tumentium, quale factum fieret, oportuit sequi, ne sine effectu discederet. Debuit enim proficere aperta violentia, vbi non potuit habere dolus locum. Donatus.

ET ATRO LVMINE) Videri possit Virgilius res contrarias coniunxisse, cum lumen atrum vocarit. Nihil enim tam repugnat luci, ac splendori, quàm nigror, vnde aptè nubes atræ vocantur: estque id proprium naturæ ipsarum. Euripides quoque Troadibus, cum de incendio Troiæ loqueretur, flammamq; illam ingentem poneret ante oculos, eodem pacto loquutus est, appellauitque, quod idem valet, αὐγὰν μέλαιναν. Nec tamen nō eodem loco addidit, quod proprium luminis est, & quasi contrarium contrario opposuit, vt locum ornaret, & vim earum rerum, in quibus quasi immutatio quædam facta esset, magis aperiret. πανφαὲς enim σέλας nominauit. significare igitur vtrumque poetam, flammam fumi plenam, apparet, cuius fumi vi, & nigrore nitor flammæ obscuraretur. Totus autem Euripidis locus hic est. ἐν λάμποις δὲ παμφαὲς σέλας πυρὸς μέλαιναν αὐγὰν ἔδωκαν παρ᾽ ὕπνῳ. Victor. lib. 26. cap. 12.

* *Malè igitur Seruius*, atro lumine tædas, *id est*, funebri, *infernos: aliàs autem ratione caret. Nusquam enim ratione caret, si intelligas Victorium.*

FVMANTES FIXIT SVB .P. TÆD.) Videtur mihi poeta alludere ad belli symbolum, facem scilicet incensam, πυρὸν ἡμμένον. German.

OLLI SOMNVM INGENS) Non euigilauit satiatus somno: sed quies eius metu maximi terroris abrupta est: & consecutus sudor, non ex laxamento vtili corpori, sed quem excitatæ mentis commotiones extorserant, & repentinus membrorum tremor. Donat.

OSSAQVE ET ART. PER. TOTO PR. C. SVD.) Lib. 3. *Tum gelidus toto manabat corpore sudor.*

ARMA AMENS FREMIT, ARMA) cum clamore deposcit. Repetitione vocis ipsum arma deposcentem imitatus est.

SCELERATA INSANIA BELLI) Nihil enim tam insanum, quam desiderare id, per quod possis perire. Seruius.

MAGNO VELVTI CVM FLAMMA VIRG.) Ornatus carminum in parabolis, similitudinibusque consistunt: qua de caussa, vt ardentis hominis æstus ostenderet, dixit: Quemadmodum æneum vas aquis plenum subiecto igni feruescit, & feruore quodam æstuans vnda, quæ continetur, mensuram excedit, & longius erecta fumosis feruoribus fertur: sic Turnus incendio Furiæ sæuientis accensus, nesciebat quis esset, quidúe, vel vbi perquireret. Virgeas flammas posuit, quia ex tenui lignorum substantia, & flamma tortidior nasceretur, & sonus ingens emitteretur. Donat. At Seruius hoc modo. *Virgea*, de viminibus, aut virgis facta: vnde est flamma validior.

MAGNO SONORE) magno sonitu. Verbum Lucretio vsitatum.

EXVLTANTQVE ÆSTV LATICES) Ouid. Metamorph. lib. 7.

Interea calido positum medicamen aheno
Feruet, & exultat, spumisq; tumentibus albet.

Videtur poeta gradibus quibusdam tractim ad aquæ feruorem, & ebullitionem procedere, & aquæ incalescentis

A medias passiones, & qualitates graphicè exprimere: sicut Græci θερμαινόμενον ὕδωρ primum χλιαίνεσθαι dicunt, post, ζεῖν, παφλάζειν vel καχλάζειν. German.

FVRIT INTVS AQVAÏ) legunt plurimi, aquæ vis, pro aquaï: sed diæresin esse admonet Seruius, factam à Tucca, & Varo. Hoc ipsum in Persiano interprete, qui Cornutus dicitur, inuenias, cum Ennianum hoc exponit. *Lunaï portum pretium est cognoscere ciues.* Lunaï, inquit, dictum est secundum antiquam dictionem. Sicut Virgil. *furit intus aquaï.* Significat eundem locum Quintil. lib. 1. Vnde *pictai vestis*, inquit, & *aquaï*, Virgil. amantissimus vetustatis carmini inseruit. Quamquam modò legitur *aulaï* in peruulgaris Fabij codici-

B bus. Crinit. lib. 18. cap. 2. Rhodigin. lib. 27. cap. 6.

Multi, *aquaï* pro *aquæ vis* scribendum censent, vt cum *amnis* iungatur, licet maximus sit veterum exemplarium in altera lectione consensus. Quid igitur? nomini *amnis* addi genitiuum illum *aquaï* durum esse (in cōparatione præsertim, cuius omnia alioqui membra molliter incederent) non animaduertunt? Scilicet non satis erat dicere *amnis*, sed *aquæ amnis* dicendum erat, quoniam & alius rei, quam aquę potest esse amnis. Quasi vero amnis propriè de aqua intelligi non debeat: vel qui dixit, flammam virgeam suggeri costis vndantis aheni, non satis apertè se de amni aquæ loqui ostendat. Contra vero (alteram lectionem sequendo, *aquæ vis*)

C nec pleonasmus ille hic erit: & quemadmodū reliqua in hac cōparatione, eleganter alijs, atq; alijs verbis variata sunt, ita etiam hoc variatum erit: vt quod aquæ vim in hoc versu dixerit, in sequente amnem appellet. Et hæc quoq; verba, *aquæ vis* præsertim cum ita versum claudunt, aliquid antiquum, & Lucretianū habent. Sed nimirum *aquaï* erat archaismus lippis & tonsoribus notus, ille contra vix à quoquam agnoscebatur: eius certe mentionem nemo fecit. Apud Fabium in quibusdam exemplaribus *aulaï* legitur, pro *aquaï*. Quod si etiam omnia exemplaria in hac lectione consentirent, atque adeo ipsum Fabium id clamantem audiremus, non illi prius fidem haberem, quā omnia, quæ ad hanc lectio-

D nem afferri possunt, diluisset. Hæc breuiter ex Henr. Steph. de delectu lection. Virgilij, quæ vt prioribus illis longe veriora amplector.

NEC SE IAM CAPIT VNDA) sic & exuberantes cyathos Græci ὑπερβάλλοντας vocant, qui infusam humoris nimiam copiam reiectant, & respuunt, quam capere, & continere nequeunt. Vide plura apud German.

VOLAT VAPOR AD AVRAS) Mos videtur fuisse Græcorum poetarum, vt alas affingerent rebus celeribus, quamuis illæ animo, sensuq; carerent: ita enim putabant declarari cursum, velocitatemq; eorum. Euripid. igitur eo consilio, vt arbitror, in Ione dixit, cum ortum solis ostendere vellet. ἀμ᾽ ἡελίου πτέρυγι θοᾷ: alam

E enim solis vocauit, quia cum repente lux eius adueniat, imitatur auem aliquam, quæ vtitur in motu illo suo ala. Eadem de caussa idem poeta in alia fabula, quæ Troades appellatur, fumo alam tribuit, atque id duobus locis, non tamen valde remotis: primum enim inquit, πτέρυγι δὲ καπνὸς ὥς τις οὐρανία πεσοῦσα. Post autem κόνις δ᾽ ἴσα καπνῷ πτέρυγι πρὸς αἰθέρα. Eodem autem pertinet, quod in superiore fabula fumum dixit volare. σμύρνης δ᾽ ἀνύδρου καπνὸς εἰς ὀροφὰς φοῖβον πέταται. Sed eadem etiam mente, nisi quod fumi nomen non ponit, quamuis rem ipsam ostendit, Virgilius inquit, *volat vapor ater ad auras.* Victor. lib. 26. cap. 13.

censura Macrobij, cui copiosissimè, & eruditissimè respondet in Antonio dialogo Iovian. Pontanus, Virgiliumq; præclarè defendit à calumnia. Eam defensionem; quandoquidem non cuiuis auctoris copia est, ad verbum, & totam quid ni inseramus?

Quæso Macrobi, poetarum iudex tam sobrie, quæso, inquam, quæ inter Latinos, Troianosq; belli caussa excogitari accommodatior poterat? nam nec Latini per id tempus mercaturam nauibus exercebant, nec Æneas piraticam, vt per caussam prædocinij excitari bellum potuisset. Nullæ intercedebant inimicitiæ: & Æneas eo consilio in Latinum littus descensionem fecerat, vt in terra fato debita sedes profugis statueret. Itaque non belli, sed amicitiæ potius caussas quærebat, B vt qui conciliare sibi finitimorum animos studeret, missis etiam oratoribus cum muneribus. Vidit acutissimus auctor fortuitam caussam, quam lippus, cæcutiensq; Grammaticus quomodo videret? Mos est classiariorum militum, ne piratarum tantum putes, sæpius in continentem descendere, carnis, vt ipsi dicunt, faciendæ gratia: nec solum ex hostico, sed vbi maior cogit inopia, etiam ex pacato, pecora abigere. Quam ob caussam, vt quotidie videmus, inter socios, amicosque indignè multa committuntur. Hanc occasionem, & quidem fortuitam, cum Æneas nihil minus, quam bellum quæreret, nactus Virgilius, non armentalem, aut aratorium bouem, sed regij villici ceruum, atq; in deliciis habitum, & agrestibus notum vulnerat, quò facilius multitudo cogniti cicuris gratia ad tumultum concurreret, Troianosq; non tantum vt abactores, sed qui regias res violare ausi essent, armis vlciscerentur, atque è finibus pellerent, quos ægerrimè ferrent illic considere, perindeq; vt exteram, atque ignotam gentem odio persequerentur. Quæ opportunior occasio excogitari potuit, muliere præsertim agrestes excitaure? quæ vim passa videri posset, cum etiam Iunonem belli caussas quærentem introduxisset. Atque hæc quidem tanquam scintilla furtim elapsa, quæ paulatim serpens, mox vento exorto illapsa stipulis, agros, syluas, obuia simul cuncta deflagrat. Quid aliud? tanquam duos è D diuerso mundi cardine spiritus, qui auersum ignem excitent, exsuscitat: alteram, è cælo delapsam deam, Iunonem scilicet: alteram Furiarum maximam, Erebo excitam, cogentem buccina populos, & duces vocantem in bellum, proq; stipula subijcitur Amata, mulier, mater, regina, importuna quidem mulier, mater indulgentissima, regina fœminarum choros sollicitans, adhæc Latinus senio confectus, ac vix sui iuris. Incensa igitur stipula, agri, syluæq; exuruntur. Tela nouat Atina, vomemeres in enses excoquuntur. Scribuntur exercitus, leguntur duces, primusq; Mezentius bellum sic init, vt ne mulieres quidem arma detrectent. Videtis è parua, fortuitaq; fauilla quantum incendium accenderit? vt subrigantur quidem legentium animi, quoties crines E illi anguinei subriugntur. Quid hoc artificiosius? Quid magis sepositum, atque à vulgo abductum? cognouit admirabilissimam, excogitatissimamq; inuentionem Iuuenalis, cum dixit, *caderent omnes a crinibus hydri, Surda nihil gemeret graue buccina.* Quam, si dijs placet, cognoscet Macrobius sordidæ locutionis, ne dicam orationis Grammaticus. Quid tu peregrine homo de maximi poetæ admirabili artificio, nobilissimisq; inuentis te iudicem statuis, qui ne latinè quidem loqui scias? Maluissem, inquis, Maronem & in hac parte apud auctorem suum, vel apud quemlibet Græcorum alium, quod sequeretur, habuisse. Scilicet non vis fingere Virgilium, non vis optimum artificem arte sua

A vti artificiosè? at ego maluissem te, cum latinè loqui vis, Ciceronem, aut quẽ alium è doctissimis in loquendo sequi. An tu apud Ciceronem, Sallustium, Cæsarem inuenisti indigeriem concoquere, in memoriam, atque ingenium ire, in incrementum succrescere, tale præsens hoc opus volo, natiua Romani oris elegantia, nascendorum ingenium polliceri, & mille his etiam absurdiora, magisq; barbara, quibus tu ineptissimè, cum sis ipse ineptissimus, vteris? Atqui audacissime Grammatice, cum fateris te sub alio ortum cælo, à linguæ latinæ vena non adiuuari, cur de maximo, deque alieno poeta tanquam prætor iudicas? Vnum tamen dare tibi veniam potest, quod conuiua, quod satur, quod inter B rorantia pocula, quod in Saturnalibus hæc proferebas. O bellissimum hominem, qui conuiuam iudicem, qui mensam prætorium statuas. Sed ad imitationem quam in Marone desideras, redeamus. si Ciceronem legisses, non solum rectè loqui, sed rectè quoque de scriptorum ingenijs, deq; scriptis ipsis sententiam ferre didicisses. Ait & Orator, & philosophus eminentissimus, nostros aut melius inuenisse, aut inuenta à Græcis fecisse meliora. Quod si poetæ cuiusq̃ fuit, inuenta ab alijs meliora facere, hæc mihi laus Virgilij propria videtur. Sed neq; melius inuenerint nostri, neque fecerint aliorum inuenta meliora, non tamen cæcutientis Grammatici iudicio standum est. Quonam auctore vsus est Homerus C in fingendis tot monstris? quem imitatus est Orpheus in commentis adeo fabulosis? quem secutus est, qui primus finxit Castorem, Pollucemq; ortos ex ouo? qui primus commentus est, Pultonem in inferno regnare? hydram septicipitem esse? natos è serpentum dentibus armis instructos homines? Denique à quo accepit Homerus auctore, arma à Vulcano Achilli fabricata? vulneratam à Diomede Venerem? perlatum vtribus Vlyssem? & mille talia? Atqui poetarum hæc non modò licentia, sed pæne ars est. Quin etiam ab alijs enarratas fabulas in aliam, atque aliam formam conuertere permittitur, nedum fingere nouas liceat.

Est & alia defensio Gulielmi Modicij, cap. 7. quam D te cupio legere. Sic autem habet: Duo inprimis sunt consideranda, & quam apud Virgilium Turnus habuerit belli caussam meditandi, & occasionem deinde inchoandi. Illam poeta exposuit alibi illo versu, *Caussa mali tanti coniux iterum hospita Teucris*, &c. quia scilicet Latinus rex hospitio, & Lauiniæ filiæ desponsatione Æneam peregrinum hominem sibi generum adiunxit, affinitate Turni repudiata, cui Amata Latini regis vxor, & Turni matertera, filiam in matrimonium collocari expetebat. Hæc fuit Turno belli meditandi caussa, vt scilicet regem riualem, & Troianos ex Italia pelleret. Bellum hoc iniustum videbatur: propter quod Italiæ populi arma non cepissent: quòd inhumanum fuisset peregrinos innocentes nouis sedibus deorum E augurio datis exturbare. Quærenda igitur Virgilio fuit casio belli inchoandi in omnes partes circumspecta, & moderata: Itali reges iniqui ne viderentur, ne Latinus rex inconstans, sed vnus Turnus audax, violentus, & iniquus. Non libuit fingere à Troianis prædas ex agris Aboriginum actas esse, vt historici quidam prodidere, cum regem eorum insignem pietate virum dixisset, & Troianos illo versu pios, *Quæ ne monstra pij paterentur talia Troes.* Leui de caussa vexatos fuisse argumentum fuit maioris illorum innocentiæ, & Rutulorum iniquitatis. Æneas cum populo occupatus erat in nouo oppido muniendo, & republica constituenda. interim Ascanius regis filius ad res grauiores, & ciuilia ministeria nondum per ætatem aptus, honesta, & decora exer-

 citatione

citatione venabatur, paternam laudem imitatus: quem Xenophon inter alios heroas venatorem dijs gratum fuisse commemorat. quid mirum, si canes vestigijs cerui, odore, atque aspectu commotos, latrantes, & cum gemitu trepidantes, poeta dixit Alectus occursu ad rabiem concitatos esse? Græcis huiusmodi res in canibus, & equis concessas, Latinis ad negotium fictas exaggerandum Macrobius non concedit. Stultus in hac re fuit, aut certè periniquus, qui putauit Virgilium tam tenui consilio fuisse, vt existimauerit primò cerui naturam esse idoneam, per se belli caussam inchoandi: deinde cum animaduertisset leuem esse, dolorem auxerit agrestium. sed putauit Virgilius caussam idoneam esse agrestiũ cædem, qui cerui plagam vlcisci voluissent. Est enim hæc caussarum series cum incremento. ex cerui plaga puellæ comploratio, hinc agrestium concursus ad rixam, ex qua multi sunt occisi. Almonis, & Galesi cadaueribus conspectis, plebs vrbana tumultuata est, & Troianis à Turno bellum illatum. iam ante certum erat Turno, *arma parare, Tutari Italiam, detrudere finibus hostem*. Cum verò dixit poeta, *Ut ceruum ardentes agerent: quæ prima malorum Caussa fuit:* non præcipuam caussam significauit, sed occasione primam ad bellum iam ante meditatum, & constitutum, inchoandum, & gerendum. De ceruo saucio factum illud leue nimis, & puerile Macrobio videtur: in fabulis tamen Apollodori Licymnius puer Lacedæmone cum Hippocoontis regiam casu inspiceret, canem Molossum in se ruentem lapide percussit: regis filij puerum verberibus necarunt. Hercules vltor Lacedæmonem expugnauit, & occiso Hippocoonte, filios eius captos in vinculis habuit. sic vna Molossi canis plaga, caussam magni belli præbuit Herculi. Quis ignorat ex paruis iniurijs, bella sæpe grauissima conflata esse, & propter mercatores vexatos, & propter meretriculas à peregrinis adolescentibus paulò licentius, & proteruius contrectatas? Regno spoliatus est Ptolemęus Cypri rex, quòd P. Clodio se à piratis redimere volenti rogatus paruam pecuniam mutuo misisset. quid prudentius, & aptius excogitari potuit à Virgilio, quàm vt Italiæ populis bellum iustum videretur, propter quod cum Turno belli societatem coirent, & Troiani pij, atque innocentes, à quibus nemo in Italia violatus dici iure posset, iniustissimo bello appeterentur, cuius nulla culpa in Latino resideret: vt occiso Turno, pacis, & concordiæ turbatore affinitas iam ante instituta sinceris animis ad exitum perduceretur? nefas putat Iunonem de cælo deduci, & Alecto ab inferis excitari: quasi non idem factum sit in fabula Athamantis, & Inus: quæ de monte infantem vlnis retinens in mare se præcipitem dedit: quasi eandem deorum reginam Homerus, ad ministeria quædam profana non sæpe de cælo deducat. multò prudentius noster, qui per Iunonem reginam significat regnandi vim, & cupiditatem, propter quam tyranni furijs agitati, cælo terram miscent: & C. Cæsar regnandi caussa, ius violandum esse dixit. Irridet Amatæ reginæ furorem, quæ tamen paulò post Rutulis pugna victis, *Informis lethi nodum trabe nectit ab alta*, cum dixerit alibi poeta, *notumq́; furens quid fœmina possit*. In syluis filiam à matre occultatam esse, quid habuit absurdi? cum luserit poeta ad historiam, quæ dicitur Lauinia mortuo Ænea priuignum metuens in syluis latuisse, vbi Ascanium peperit eum, cui Syluio cognomen fuit. indignum facinus clamat Macrobius reginam cum alijs matribus de penetralibus (sic enim loquitur) reuerentiæ matronalis bacchari, syluasque petere. quasi Græcis hoc fuerit inauditum, & inusitatum, in quorum fabulis reginæ, Cadmi filiæ, in Cithærone monte bacchantes, Penthei sanguine, quem pro porco discerpserunt, maternas manus commacularunt. quis nescit Prognes reginæ simulatum Bacchanalibus furorem? quis ignorat in syluis saluo pudore versatas venatrices Atalantam, Procrin, Harpalicen, & in historijs virgines Spartanas?

BELLOQVE ANIMOS ACCENDIT AGRESTES) Hoc est, asperos, & imperitos animos, primùm excitatos in bellum. Nullus enim sapiens sic moueri potuisset, vt illi excitati sunt: vt propter vnius animalis iniuriam leuem, quæ imprudentia pueri venantis defendi poterat, proprium sanguinem daret. Donatus. Plus autem est, agrestes animos, quam agrestûm animos. Seruius.

Ceruus erat forma præstanti, & cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri quem matris ab vbere raptum
Nutribant, Tyrrhusq; pater, cui regia parent
Armenta, & latè custodia credita campi.
Assuetum imperijs soror omni Syluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis:
Pectebatq; ferum, puroq; in fonte lauabat.
Ille manum patiens, mensæq; assuetus herili,
Errabat syluis, rursusq; ad limina nota
Ipse domum sera quamuis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iuli
Commouere canes, fluuio cum fortè secundo
Deflueret, ripaq; æstus viridante leuaret.
IPSE ETIAM EXIMIÆ LAVDIS SVCCENSVS AMORE
Ascanius, curuo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti Deus abfuit: actaq; multo
Perq; vterum sonitu, perq; ilia venit arundo.

CERVVS

CERVVS ERAT FORMA) Quod huic ceruo fuerũt Tyrrhidæ pueri, & soror Syluia, hoc illi ceruo Nympharum, 10. Metamorph., Cyparissus puer. Et tamen eum aliquando in vmbra quiescentem, per imprudentiam iaculo fixit. Sed quoniam locus Virgiliano satis respondet, nisi quod vberior est, & rebus aliquanto illustrior, versus Ouidianos adducamus.

Namq; sacer Nymphis Carthæa tenentibus arua
Ingens ceruus erat: lateq; patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus vmbras:
Cornua fulgebant auro, demissaq; in armos
Pendebant tereti demissa monilia collo.
Bulla super frontem paruis argentea loris
Vincta mouebatur, paridiq; atate nitebant.
Auribus è geminis circum caua tempora baccæ.
Isq; metu vacuus, naturaliq; pauore
Deposito celebrare domos, mulcendaq; colla
Quamlibet ignotis manibus præbere solebat.
Sed tamen ante alios Cea, pulcherrime, gentis
Gratus erat Cyparisse tibi: tu pabula ceruum
Ad noua, tu liquidi ducebas fontis ad vndas:
Tu modo texebas varios per cornua flores:
Nunc eques in tergo residens, huc latus, & illuc
Mollia purpureis frænabas ora capistris, &c.

CVI REGIA PARENT ARMENTA) Liuius, magister regij pecoris. Translatè dictum: propriè enim ciues parent suis rectorib^9, & homines hominibus. Olim C autem reges quoque bonam diuitiarum suarum partẽ habebant in gregibus, faciebantque pecuariam. Inde ποιμένες illi λαῶν pastores populorum, & ποιμαίνειν pro regere. Verùm hoc etiam alibi me notasse recordor.

ASSVETVM IMPERIIS) Redit ad aliam partem laudis cerui: ab his, quæ communia sunt omnium cernorum, transit ad ea, quæ propria ipsius fuerunt. Quippe multi alij reperiri potuerunt & grandes, & cornib^9 satis, superq; sublimes.

SYLVIA) bene formauit nomen puellæ rusticæ, ait Seruius. * *Quæ ad syluas, & in sylua habitant rustici. Et cũ suprà dixerit, Tyrrhidas pueros nutrisse hunc ceruum ab vbere matrum raptum, id est, ab hinnulo (vtq; (vbi morem, naturamq; puerilem, bestiolis, catellis præsertim, & felibus gaudentium, & cum illis colludentium expressit) nunc tamen puellam nominat. Sed secundũ, vocem pueri vtrumq; sexum includere.*

MOLL. INTEX. ORNAB. COR. SERTIS) Ouid. 2. Metamorph. de tauro, quem Iupiter Europam rapturus induerat,

——— modo pectora præbet
Virginea palpanda manu, modo cornua sertis
Impedienda nouis.

PECTEBATQVE FERVM) Vide lib. 2. Æneid. *In latum, inq; feri curuam compagibus aluum.*

ILLE MANVM PATIENS) dixit enim, *pectebatq; ferum, &c.* Et mansuetum dictum est, quasi manu E assuetum, quod omnia quæ sunt natura fera, manuum permulsione mitescant. Georg. 3. de equino pullo. *Et plausa sonitum ceruicis amare.*

ERRABAT SYLVIS, RVRSVSQVE) Pascebatur, vt, *Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.* Seruius. Significat hunc ceruum fuisse ἀγέλαιον: ita enim Græci appellant belluas, quæ sine custode vllo libere vagantur, emissæ ab hominibus, in quorum manum, potestatemq; venerint, quæ tamen domum postea, cum pastæ fuerint, reuertantur. Victor. lib. 28. cap. 24.

A

RABIDÆ COMMOVERE CANES) Canes fœmellas traditum est acriores esse ad venandum. Horat. Ode 2. Epod.

Aut trudit acres hinc, & hinc, multa cane
Apros in obstantes plagas.

Obseruauit & Seruius: quia in fœminis est plus iracundiæ, ideo noluit masculo genere, *rabidi canes.*

Ob hanc caussam, quia scilicet fœminæ canes in venatu sunt acriores maribus, poetæ & Græci, & Latini venati-B cis canib^9 epitheta fœminina dare solent. Græcos in præsens omitto: Latinorũ aliquot testimonia producã. Ennius Annali. 10.

Veluti si quando vinclis venatica velox
Apta silet canis, forte feram si nare sagaci
Sensit, voce sua nictit, vlulatq; ibi acutè.

Lucret. lib. 1.

Namq; canes vt montiuagæ persæpe ferai
Naribus inueniunt intectas fronde quietes,
Cum semel institerint vestigia certa viai.

Horat. Ode 2. Epod.

Aut trudit acres hinc, & hinc, multa cane
Apros in obstantes plagas.

Varius lib. de Morte.

Ceu canis vmbrosam latrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit ceruæ comprendere lustra, &c.

Gratius de venat.

Sic canis illa suos taciturna superuenit hostes,
At clangore citus, quos nondum conspicis apros
Ætola quæcunq; canis de stirpe.

Collegit Hieron. Colum. ad 10. Annalem Ennij.

FLVVIO CVM SECVNDO DEFLVERET) *secundo*, id est, cum aqua: vnde & aduerso dicimus, contra aquam: nam ideo *defluere* dixit, & *secundo*, quia eius cursus post natantem videtur. Seruius.

RIPA VIRIDANTE ÆSTVS LEVAR.) Quia nimi-D rum ad ripam stabant arbores, quarum vmbra fluuij latus tegebat. Ita ceruus per vmbram illam defluens, æstu leuabatur.

CVRVO CORNV) arcu corneo curuato.

NEC DEXTRÆ ERRANTI DEVS ABFVIT) Alecto deum dicit: sicut de Venere in 2. *Descendo, ac ducente deo.* Nam, vt diximus, numina vtriusque sexus videntur ideo, quia incorporea sunt, & quod volunt, corpus assumunt. Vt autem deum dicamus pro dea, hoc non apertè ponit, sed in subauditione. Seruius.

PERQVE ILIA VENIT ARVNDO) magno stridore ventrem, & ilia cerui telum penetrauit. Arundinem appellant poetæ sagittam, qua vtimur ex arcu ad lædendum, sauciandumue, Auson. epigram. 6.

Quod leo tam tenui patitur sub arundine lethum,
Non vires ferri, sed ferientis agunt.

Æneid. 4. de cerua vulnerata, *hæret lateri lethalis arundo.* Appellant eodem nomine calamum, quo vtimur ad scribendum. Auson. epigram. 1. *Et commutata meditatur arundine carmen.* Martial. *Neue notet lusus tristis arundo tuos.*

Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitq; gemens stabulis: questuq;, cruentus,
Atq; imploranti similis, tectum omne repleuit.

Syluia prima, soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, & duros conclamat agrestes.
Olli (pestis enim tacitis latet aspera syluis)
Improuisi adsunt. hic torre armatus obusto,
Stipitis hic grauidi nodis, quod cuiq; repertum
RIMANTI, TELVM IRA FACIT. vocat agmina Tyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis vt forte coactis
Scindebat, rapta spirans immanè securi.
At sæua è speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit, stabuli & de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuq; recuruo
Tartaream intendit vocem: qua protinus omne
Contremuit nemus, & syluæ intonuere profundæ.
Audijt & Triuiæ longè lacus: audijt amnis
Sulphurea Nar albus aqua, fontesq; Velini:
ET TREPIDÆ MATRES PRESSERE AD PECTORA NATOS.

A NOTA INTRA TECTA REF.) Intra domum notam, vbi educatus. Nec solùm dolere, verùm etiam cõqueri videbatur. Et sic singulis se offerebat, vt defensorem putares requirere. Nec vllum domus angulum relinquebat, quem non querelis impleret. Donat.

SYLVIA PRIMA, SOROR) Benè puellæ dat doloris impatientiam.

PALMIS PERCVSSA LACERTOS) Vt fiebat in re calamitosa. Aliàs plangere etiam, id est ferire, poetæ in eadem re ponunt, dicuntque lacertos, pectus plangere. Ouid. 2. Metamorph. *Pectora nuda meis conabar plangere palmis.* ✠

DVROS CONCLAMAT AGRESTES) clamore facit, vt concurrant duri agrestes. Dura sunt omnia in rusticis. B Durum ingenium, duri mores, durum corpus, durus victus, duræ vestes, duræ habitationes, durum cubile, duri labores. Rectè igitur *duros agrestes*, die groben Bawren. ✠

PESTIS LATET SYLVIS) dum Furia adhuc (quasi euentum rei præstolans) in syluis latitat, sic tamen, vt è specula prospiciat, quicq; fiat, obseruet. Sequitur enim, *At sæua è speculis*, &c. hoc sensu. Sæua dea tempus nocendi nacta è speculis *Ardua tecta petit, stabuli & de culmine summo*, &c. Pestis nomine hìc Furiam appellat: 1. Æneid. amorem, *pesti deuota futuræ*, siue potius exitium, cui propter amorem debebatur Dido: nam quicquid exitiosum est, lingua latina pestem nominat. ✠ C

OLLI IMPROVISI ADSVNT, HIC TORRE) Natura sæui, & pro locorum asperitate truces, optatam puellæ sumpserunt vocem. Repente improuisi concurrerunt. Ruebant, in hominum perniciem properantes, non arte armati, vel gladijs: agrestes quippe non habebant vsum pugnandi, sed inferendæ violentiæ. Et cum alius fustem ferret ex foco sublatum, alius stipitem impolitum, & nodis grauatum, postremò succedebat furentibus in armorum vicem, quidquid præsens monstrarat occasio. Donat.

QVOD CVIQVE REPERTVM RIMANTI) Tale quiddam Attius in Chrysippo, Neque quisquam à telis vacuus: sed vti cuique obuiam fuerat ferrum, alius saxo, rudiue.

TELVM IRA FACIT) Telum vulgò id quidem appellatur, quod ab arcu mittitur: sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Itaque sequitur, vt & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineantur. Dictum ab eo, quod in longinquum mittitur: græca voce figuratum ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. Et hanc significationem inuenire possumus & in græco nomine. Nam quod nos telum appellamus, ipsi βέλος dicunt: eoque nomine vulgò id quidem significatur, quod ab arcu mittitur; sed non minus etiam, quod mittitur manu, ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι. Quod tamen arcu mittitur, proprio nomine apud Græcos τόξευμα, apud nos communi nomine solùm. German.

QVADRIFIDAM QVERCVM) quæ in partes quatuor finderetur.

CVNEIS VT FORTE COACTIS) Exprimit antiquum morem. Georg. 1. *Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.*

DE CVLM. SVMMO PASTOR. CANIT SIGNVM) Vt pastorum concursus fieret maior, de summo datum signum est, cunctis pastoribus notum. Et bene de culmine, quia de tectis agrestium loquitur. * *Quale hoc pastorale signum fuerit, ipsemet poeta statim subiungit*, cornuque recuruo. *Eiusmodi buccinam (sic enim Varro, ni fallor appellat, ut & poeta infra) audimus mane quotidie.*

TARTAREAM VOCEM) tristem, horrisonam, & vt Germani dicerent, *ein teuflisch geschrey*. Quàm porro luctuosus, & dirus fuerit sonitus, quàm vehemens etiam, quæ sequuntur, ostendunt.

QVA PROTINVS OMNE CONTREMVIT) Imitatus est Statius lib. 1. Thebaid.

——— fera sibila crine virenti
Congeminat, signum terris, vnde omnis Achæi
Ora maris late, Pelopeiaq; regna resultant.
Audijt & medius cælo Parnassus, & asper
Eurotas, dubiamq; iugo fragor impulit Oeten
In latus, & geminis vix fluctibus obstitit Isthmos.

SYLVÆ PROFVNDÆ) densæ arboribus.

TRIVIÆ LACVS) *Quibus de causis Triuia nominetur Diana, consulendus Gyrald. Syntag. 12. Natalis lib. 3. cap. 15. Vulgatum est, quod ei in triuijs sacrificaretur, quia eadem sit luna, Diana, Hecate.*} Non solùm nemora, & luci Dianæ consecrabantur, vnde Horat. ad Pison. *dum lucus, & ara Dianæ.* Et Martial. lib. 11. *In quo rura facit nemus Dianæ*, sed etiam lacus: vnde & Limnæam cognomento apud

to apud Strabonem lib.8. Dianam reperimus. Turneb. lib. 30. cap. 27.

SVLFVREA NAR. ALBVS AQVA) Ennius Annal. 6. *Sulfureas posuit spiramina Naris ad vndas.* Silius lib. 8. imitans Virgilium, *Narq; albescentibus vndis.*

TREPIDÆ MATRES PRESS. AD PECT. NAT.) Εἰκὼν perculsarum matrum, earumque charitatis in partus suos recentes. Qualem concipere licet in illis Iudæis matribus, quarum infantes immanissima, & omnib⁹ inaudita sæculis Herodis crudelitas è medio sustulit, vt est in sacra Euangelij historia. Stat. lib. 1. Thebaid.

Ipsa suum genitrix curuo delphine vagantem
Arripuit frenis, gremioq; Palæmona pressit.

Silius lib. 4. de Italis post aduentum Annibalis, eundem locum, sed vberius tractauit, & aliquanto παθητικώτερον

——— vastis trepidatur in armis.
Deseruêre larem, portant ceruicibus ægras
Attoniti matres, ducuntq; vltima fila
Grandæuos rapuere senes, tum crine soluto
Antè agitur coniux, dextra, læuaq; trahuntur
Parui, non æquo comitantes ordine, nati.

Fæminæ, cum bellicum accepissent auribus, mox nō sibi plus, quam liberis metuentes, continuerunt filios suos amplexibus pauidis, scientes quid mali etiam paruulis bella minarentur. Ad pectora, inquit, presserunt pignora sua, vt ostenderet nimiū affectū maternæ sollicitudinis, quasi demum inde diuelli non possent. Certè etiā illud intelligi potest, voluisse eas satiare corda sua, A antequam illis, vel earum liberis accideret interitus. Donat.

Duo magni poetæ, alter Græcus, alter Latinus, magnitudinem metus ostendere volentes, sonumque horribilem, qui non sine caussa cunctos, qui audirent, perterrefaceret, eodem se contulerunt, & ab eo quod consecutum est, id patefecerunt, quamuis non omnino illud idem sit, existatq; inter ipsos aliquid discriminis. Considerabunt igitur ingeniosi viri vtra res id magis aperiat, & quasi in conspectu ponat. Euripides igitur Troadibus vocem sæuam, clamoremque hostilem exprimere volens, qui vndiq; excitatus est, capto Ilio à Græcis, cum in eam vrbem milites noctu irrupissent, B inquit, audito illo, pueros matribus applicuisse manus, pauore oppressos, & quasi se totos in sinum earum cōiecisse. Verba poetæ sunt. βρέφη δὲ φίλα περὶ πέπλους ἔβαλλε ματρὶ χεῖρας ἐπτοημένα. Virgilius autem ingentem & ipse sonum tubæ illius, quam inflârat Alecto, aperire volens, & quantā vim haberet perterrefaciendi, contrà inquit, matres de filiorū salute sollicitas, magis ante ipsos complexas fuisse, quasi prope raptores haberent: & qui è manibus earū ipsos auellere conarentur. Quin certè vtrumq; contingat huiusmodi formidoloso tempore, & cum subitò quippiam nouum, & inexspectatum ad aures peruenit, dubitandum non est. Sed quæritur, vtrum eorum magis aptum sit illi rei atroci, atque horribili significandæ. Victor. lib. 26. cap. 10.

Tum verò ad vocem celeres, quà buccina signum
Dira dedit, RAPTIS CONCVRRVNT VNDIQVE TELIS
INDOMITI AGRICOLÆ. nec non & Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies. non iam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibusúe præustis:
Sed ferro ancipiti decernunt: atraq; latè
HORRESCIT STRICTIS SEGES ENSIBVS: æraq; fulgent
Sole lacessita, & lucem sub nubila iactant.
Fluctus vti primo cœpit cùm albescere vento,
Paulatim se se tollit mare, & altius vndas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.
Hîc iuuenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus Almon
Sternitur. hæsit enim sub gutture vulnus, & vdæ
Vocis iter, tenuemq; inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virûm circa, seniorq; Galesus:
Dum paci medium se offert, IVSTISSIMVS VNVS
QVI FVIT, Ausonijsq; olim ditissimus aruis.
Quinq; greges illi balantum, quina redibant
Armenta, ET TERRAM CENTVM VERTEBAT ARATRIS.

RAPTIS TELIS CONCVR. INDOMITI AGRICOLÆ) Cæsar. lib. 1. belli ciuil. pastoresque indomiti, spe libertatis excitati. *indomiti*, effrænati, furiosi, & insani.

ASCANIO AVXILIVM CAST. EFFVND. AP.) In periculo regij pueri non paulatim processerunt ad auxilium, nec in partibus, sed semel omnes Troiani effusi C sunt. Quantum tuetur Virgilius Troianos ab ea inuidia, ne in alieno positi, improbitatis crimen incurrerent? Procedebant, inquit Troiani, non vt inferrent: sed vt repellerent bellum, nec vt persequerentur quenquam, sed vt regis filium tuerentur, & ab agrestium improbitate defenderent. Donatus.

DIREXERE ACIES) Ordinauerunt in latitudinē.

SVDI.

SVDIBVSVE PRÆVSTIS.) Iacula duorum generum fuerunt, rudia, & ferrata. Rudia, quæ simplici ligno constabant, non alia materie ad lædendum. In quo genere sudes, & faces. Sudes lignum in capite acutum leuiter, & igni duratum. Vetus id telum, & plerisque gentibus vsitatum. Propertius de priscis, & agrestibus Romanis, *Miscebant vsta prælia nuda sude.* Et hic Virgilius inter agrestia nominat. Sed tamen meliore etiam æuo, & in legitimis bellis vsurpatum, vt videre est apud Curtium lib. 4. apud Arrianum, apud Silium 3. vbi inter Annibalis copias quidam recensentur *Contenti parca durasse hastilia flāma.* Quin & Sallustius de Catilinæ exercitu. Pauci militaribus armis instructi: cæteri, vt quemque casus armauerat, sparos, aut lanceas, alij præacutas sudes portare. Et quanquam ex testimonijs non certo liqueat, inter missilia has fuisse, immò quosdam contrà ad statariam pugnam: tamen etiam eminus vsurpasse, omnino ꝓbabile est. Lipsius Policret. lib. 4. dial. 4.

FERRO ANCIPITI DECERNVNT) Ennius. *Ferro, non auro vitam cernamus vtriq; Vos ne velit, an me regnare hera.* Idem Medea. *Nam ter sub armis malim vitam cernere,* quod Euripid. *παρ' ἀσπίδα στῆναι* dixit. Est autem vitam cernere, dimicare, & pugnare, Græcis *κρίνεσθαι* dicitur, & *διακρίνεσθαι.* Cernit vitam, qui eam constituit in dimicationem, & discrimen adducere, vt qui de ea paratus est disceptare, & de vita, vt Varro exponit, decernere. Turneb. lib. 26. cap. 32.

HORRESCIT STRICTIS SEGES ENS.) In tantum grauis horror apparebat armorum, vt nudatis gladijs, atque eductis, terra omnis sine magno tremore videri non posset. Et repercussa æra solis radijs tantum fundebant lumen, vt solis ipsius lucem pæne superarent. Donat. Georg. 2. *Nec glacies densisq; virûm seges horruit hastis.* Ennius. *Sparsis hastis longis campus splendet, & horret.*

SOLE LACESSITA ET LVCEM SVB) Expressit repercussum radiorum solis. Quo enim materia durior, & nitidior, eò maior inde lux, illatis in eam radijs solaribus resultat. ✱

FLVCTVS VTI PRIM. COEP. CVM ALBES. VENTO) Comparatio est, non inani strepitu verborum ad ambitionem efficta: sed è rerum natura sumpta: nam cum incessente, crebrescenteque vento incipit mare paulùm turbari, & misceri, partes eius, quæ non mouentur, albescere videntur, & vernare. Quod ab Aristotele relatum est, reddita causa, vltima quæst. 23. sectionis: alioqui quum inhorruit, nigrescit.

Proinde scribit lib. 5. *fluctusq; atros Aquilone secabat.* Sed & purpureum mare videtur, cum elati fluctus, inclinatione obumbrantur, vt Aristoteles refert. Sed & in tranquillitate sole collustratum albescit, varijs deniq; coloribus videtur imbutum, & tinctum, pro lucis & tenebrarum admistione, & appulsu. Quocirca scripsit in Lucullo Cicero. Mare illud, quod nunc Fauonio nascente purpureum videtur, idem huic nostro videbitur: nec tamen assentietur, quia nobis ipsis cæruleum videbatur, mane flauum: quodque nunc, quia à sole collucet, albescit, & vibrat, dissimileque est proximo ei côtinenti. Turneb. lib. 26. cap. 28. Vide & Hieron. Columnam in 14. Annal. Ennij, ad illud, *Verrunt ex templa placidè mare marmore flauo.*

Locus ex Iliad. δ. pæne ad verbum translatus. *ὡς δ' ἐν αἰγιαλῷ,* &c. Catull. epithal.

Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclinas incitat vndas
Aurora exoriente vagi sub lumina solis,

Post vento crescente magis, magis increbrescunt.

Notatum ab Vrsino.

Dispositio verborum, ait Scalig. Poet. lib. 4. cap. 48. est collocatio apta, ad efficiendam concinnitatem æqualē rei. Quare quum ijdem pedes eodem in versu constare possint, aliam sæpenumero inimus collocandi rationē, quam existimamus accommodatiorem ad sententiam explicandam. Neq; enim satis est hoc id rei verbo significari, neque sic eas coniūgi dictiones, vt ipsa rei conditio expleatur, sed vt is vocum ordo instituatur, vt ex earum sono res ipsa quasi elidatur, atque eliciatur. Idcirco & in principio sententiarum legimus paucisyllabas dictiones, à quibus ad productiores fiat gradus, quò simul cum re ipsa crescat oratio. *Fluctus vti primo cœpit quum albescere vento.* Ecce quomodo primores motus breuioribus dictionibus sensim deduxit ad habitum ipsum, quem longiore designauit, *albescere.* Sic cum etiamnum essent in principio nauigationis, monosyllabis egit. *Vix è conspectu.* Sic minutis vocabulis primùm.

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu,
Vtq; acres concussit equos, vtq; impulit arma.

Tum in ipso tumultu voces explicat productiores.

Extemplo turbati animi, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium, sæuitq; iuuentus,
Effera, ductores primi Messapus, & Vfens
Contemptorq; deûm Mezentius.

HIC IVVEN. PRIM. ANTE ACIEM) Confundit nomina. Quem enim modo dicit iuuenem, Almonem puta, paulo post vocat puerum. Mouet autem miserationem ab ætate, quum dicit, *puer:* à virtute, cum dicit, *primam ante aciem:* à vulneris etiam crudelitate, *hæsit enim sub gutture vulnus.* Seruius.

HÆSIT ENIM SVB GVTTVRE VVLNVS) Quum tota illa pars, quæ sextum sequitur librum, in cædibus posita sit: videamus quib⁹ cōdimentis eiusdē cibi leuarit fastidium. Omitto quæ in excidio Troiano dicuntur, consideremus cetera. Almon hîc interficitur sagitta. At Rhamnes dormiens. Ex duobus verò æquali in fortuna constitutis, alter fortior in hostes ruit, *moriturus Helenor:* alter melior pedibus fuga salutem quæsiuit, Lycus, *Lucetium saxo Ilioneus:* at alter, Latagum *saxo, atq; ingentis fragmine montis Occupat.* Aliter.

Præcipitem scopulo, atq; ingentis turbine saxi
Excutit, effunditq; solo. Hunc lora, & iuga subter
Prouoluêre rota, crebrò super vngula pulsu
Incita, nec domini memorum proculcat equorum.

Remulum Ascanius sagitta interficit: at Bitiam neque sagitta, neque iaculo ob corporis immanitatem, sed phalarica. Ense autem Pandarum, sed à Turno. Lege, quæso, totum cap. 9. Scalig. Poet. lib. 3. * *Vulnus positū pro sagitta, effectum pro efficiente. Sic 2. Æneid.* illum infesto vulnere Pyrrhus Insequitur. *Lib. 10.* Vulnera dirigere, & calamos armare veneno.

VDÆ VOCIS ITER) id est, vdum vocis iter, non enim vox vda est, sed per vdam arteriarum labitur viam: vnde in febricitantibus deficit. Seruius. Flexibilis vocis. Tibull. *docuit voces inflectere cantu.* Sic Lucret. liquidum citharæ carmen Græcorum more dixisse videtur, qui *ὑγρὸν* humidi imitatione, ductile, facile, flexile dicunt. *ὑγρότεραι πεύσεις* tractabiles quæstiones, non nodosæ. Et Tryphiodorus equi Durij *ῥάχιν ὑγρὴν*, hoc est, flexibilem, & circumactilem. German.

TEN. INCLVS. SANG. VIT.) suffocatus est, sanguinis copia spiritum impediente à pulmonibus, qui sunt tanquam folles, quib⁹ aura vitalis accipitur, & redditur.

DVM

DVM PACI MEDIVM) Græcis μεσίτης, μεσάζων. factor pacis, arbiter, & sequester Latinis. German.

QVINQVE GREGES BALAN. QVINA ARM.) Greges etiam dici de bobus, non dubium est, & maioribus animalibus, etiamsi hìc distinxisse videatur. Certè Homer. Odyss. μ. ἀγέλας bobus tribuit, πώεα ouibus: ἑπτὰ βοῶν ἀγέλαι, τόσα δ' οἰῶν πώεα καλά. German.

QVINA REDIBANT) sunt non indocti, qui reditum, non redditum dici velint, pro censu, & prouentu annuo: ab his formis loquendi, poetis familiaribus, redeunt armenta, grauis ære manus, & dona. German.

TERRAM CENTVM VERTEBAT ARATR.) Propert. lib. 3. *Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur.*

Atq; ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, vbi sanguine bellum
Imbuit, & primæ commisit funera pugnæ,
Deserit Hesperiam, & cæli conuexa per auras
Iunonem victrix affatur voce superba.
En perfecta tibi bello discordia tristi:
Dic in amicitiam coëant, & fœdera iungant:
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros.
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus vrbes:
Accendamq; animos insani Martis amore,
Vndiq; vt auxilio veniant: spargam arma per agros.

ÆQVO MARTE) Bello manifesto, & aperto, non multis insidijs, & dolo. Aliàs æquo Marte, dum neutrius partis est victoria.

PROMISSI DEA FACTA POTENS) Vbi confecit, quod promiserat. Cum operam, quam Iunoni pollicita erat, præstitisset, & studiũ nocendi ita probasset, vt desiderari nihil posset. Veruntamẽ verbis eam promisisse non legimus. Sed hoc, vt alia sępe, κατὰ τὸ σιωπώμενον.

SANGVINE BELL. IMBVIT) Ancipiti significatione vsurpauit *imbuere* pro inchoare, & perfundere. Paulò inferius, *sanguis nouus imbuit arma*. Etiã Propert. lib. 4. imbuis pro inchoas, aut simili verbo videtur posuisse.

Imbuis exemplum primæ tu Romule palmæ
Huius, & exuuijs plenus ab hoste redis.

Monet Seruius, consultò dixisse poetam, *sanguine imbuit*, id est, initiauit. Nam potest bellum & à discordia, vel dissensione inchoari.

CÆLI CONVEXA PER AVRAS) Sic 4. Æneid. *Mortem orat: tædet cæli conuexa tueri.* Ad cæli conuexitatem respiciens Ennius, dixit in Euemero, palatum cæli: allusit etiam ad græcam vocem οὐρανὸς, quæ non modo cælum, sed vt Rufinus Ephesius tradit, palatũ etiam significat: ita enim inquit, οὐρανὸς δὲ, καὶ ὑπερῷα, τὸ περιφερὲς τῆς ἄνω γνάθου. Hinc à Lucretio lib. 4. pro palato templum, vt ab Ennio pro cælo palatum.

Suauiter attingunt, & suauiter omnia tractant
Humida linguaï circumsudantia templa.

Dixit idem Ennius, quod his affine est, cæli ingentes fornices, quam translationem Cicero in 3. de Orat., vt dissimilem, vituperat. Varroni lib. 4. de ling. lat. non displicuit. Nam ita scribit. Et Agamemnon, *In altisono cæli clypeo:* cauum enim clypeũ. Et Ennius item ad cauationem, cæli ingẽtes fornices. Hieron. Colum. in Ennij Euemerum. Hoc quid sibi velit, paucos esse credo, qui rectè intelligant. Nam quod commentus est Seruius, quodq; subiecerunt alij, refutatione non indiget. Quocirca facile mihi propemodum persuaserim, pro, *per auras*, vnico vocabulo *peragrans:* cuius quidem ab illis duobus discrimẽ, vnica facit littera duntaxat. Cornelius Valerius *pererrans* legendum arbitrabatur, à qua eius diuinatione non abhorrent, quæ sequuntur paulò post, Iunonis verba:

Te super ætherias errare licentius auras
Haud pater ipse velit summi regnator olympi.

Canterus lib. 7. cap. 18. Turneb. lib. 26. cap. 25. conuexa, pro conuecta interpretatur, quamuis repugnante Seruio, vt in Georg. dixit Maro. *Vtq; coloratis amnis deuexus ab Indis.*

IVNON. VICTRIX AFF. VOCE SVP.) Bene ei principiò denegauit orationem, quasi ad scelera properanti, quam modò tribuit post bella incepta. Seruius.

DIC IN AMICITIAM COEANT) Quod fieri pro tua voluntate meo ministerio debuit, factum est. Polluti sunt Troiani sanguine Latinorum: tanta ex eo extitit caussa discordiæ, vt etiam ex voluntate tua, concordia populorũ reparari non possit. Ecce quantum Furia gloriatur, quantum sese extollit, asserens dissipatam pacem integrari nõ posse, etiamsi ipsa Iuno satiata partium cædibus, hanc velit in integrum reuocare. Ad perpetuitatem discordiæ pertinet quod positum est, à Troianis primùm illatam cædem Ausonijs, *Ausonio respersi sanguine Teucros*, qui nouitatem suam funeribus inferendis commendandam esse crediderant. Donatus.

HOC ETIAM HIS ADDAM) Glorians Alecto apud Iunonem de eo, quod fecerat, quò fiat gratiosior, adiecturam se, illa permittente, promittit malis conflatis augmentum. Donatus.

TVA SI MIHI CER. VOL.) Sic Iuno lib. 4. ad Venerem. *Et tua si mihi certa voluntas, Connubio iungã stabili.* Si tua consentit in hoc auctoritas, vt exponit Seruius.

Tum contrà Iuno: terrorum, & fraudis abunde est.
Stant belli caussæ: pugnatur cominus armis:
Quæ fors prima dedit, sanguis nouus imbuit arma.
Talia connubia, & tales celebrent hymenæos

Egregium Veneris genus, & rex ipſe Latinus.
Te ſuper ætherias errare licentius auras
HAVD PATER IPSE VELIT, SVMMI REGNATOR OLYMPI.
Cede locis: ego, ſi qua ſuper fortuna laborum eſt,
Ipſa regam. Tales dederat Saturnia voces:
Illa autem attollit ſtridentes anguibus alas,
Cocytiq; petit ſedem, ſupera ardua linquens.
Eſt locus Italiæ in medio, ſub montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris:
Amſancti valles. denſis hunc frondibus atrum
Vrget vtrinq; latus nemoris, medioq́; fragoſus
Dat ſonitum ſaxis, & torto vortice torrens.
Hîc ſpecus horrendum, & ſæui ſpiracula Ditis
Monſtrantur: ruptoq́; ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces: queis condita Erinnys,
Inuiſum numen, terras, cælumq́; leuabat.

TVM CONTRA IVNO) Ne videretur minus proſpexiſſe, cum mandatorum ſummam traderet Furiæ, non admittit oblata. Satisfactum eſt animo meo, extat competens terror, & ſuperat fraudis inuentum, quod turbandis rebus fuerat neceſſarium. Idonea belli fundamenta cōſtructa ſunt, ventum eſt ad manus, plenum eſt bellum, talibus digni ſunt nuptijs, qui mihi aduerſantur. Sed tamen ne faſtidioſè videatur reſpuere, quod obtulit Furia, adijcit cauſſam expreſſam. Non poteſt, inquit, æquo animo ferre Iupiter, vt vlterius ſupera tenearis in luce. Quod ſupereſt laboris, ſi quid ſupereſt, mea opera conficietur. Donatus.

TERRORVM ET FRAVDIS ABVNDE EST) Fraus eſt deceptio, qua quis circumuenitur: idem pæne quod dolus, malitia, fallacia, machina, inſidiæ, præſtigiæ, calumnia, circumſcriptio, damnum, &c. Sueton. in Iulio, cum genitiuo etiam coniunxit: ſe iam pridem gloriæ, potentiæq; abundè adeptum. More Græcorum, qui id ipſum faciunt in ἅλις. Monet German.

STANT BELLI CAVSSÆ) manifeſtæ ſunt, placent, vt, *Stat conferre manum*. Idonea belli fundamènta conſtructa ſunt, vt ſupra Donatus.

SANGVIS NOVVS IMB. ARMA) De armis ruſticorum Latinorum accipiendum eſt. illa enim fors prima dedit, & ſolos Troianos fuiſſe cæſos indicat. Gladij imbuti ſanguine, eſt apud Cic. Philipp. 14. Nouus autem ſanguis, cum primùm fuſus, ſeu fundi cœptus, & fundendus in poſterum amplius, vt hoc quaſi procœmium quoddam fuerit. ✻

EGRE. VEN. GEN) Vide lib. 12. *Latonaq́; genus duplex*.

ET REX IPSE LATINVS) Ac ſi diceret, quem Æneæ cauſſa cogor odiſſe.

SVPERA ARDVA) Comparatione inferorum, terreſtria ſupera: eadem infera ſunt, ſi cæleſtia ſpectes. Propriè autem, & phyſicè illa ſumma, hæc media, & ſubterranea, infima.

EST LOCVS ITALIÆ IN MEDIO) Hunc locum vmbilicum Italiæ chorographi dicunt. Eſt autem in latere Campaniæ, & Apuliæ, vbi Hirpini ſunt, & habet aquas ſulfureas, ideo grauiores, quia ambitur ſyluis. Ideo autem ibi aditus dicitur inferorũ, quod grauis odor iuxta accedentes necat: adeò, vt victimæ circa hunc locum non immolarentur, ſed odore perirent ad aquam applicatæ: & hoc erat genus litationis. Seruius. Amſancti quoq; mentionem fecit Cic. in Diuin. Quid enim non videamus, quam ſint varia terrarum genera, ex quib⁹ & mortifera quædam pars eſt, vt & Amſancti in Hirpinis, & in Aſia, Plutonia, quæ vidimus. German.

NOBILIS, ET FAM. M. MEM.) *Nobilis* ad dignitatem generis refertur. Nobilis dicitur & notus. M. Tull. 2. de Off. Teſtis Phalaris, cuius eſt præter cæteros nobilitata crudelitas. Teren. Heaut. *Mea eſt potens, magnifica, ſumptuoſa, nobilis*. Vnde nobilitarent, notificarent dictum eſt. Titinnius, Prælia. *Magisq́; fama obiectarent, ne eam malefactis nobilitarent*. Nonius.

Cum nobile à noſcendo dictum ſit, quaſi noſcibile, non mirum, ſi nobile ſæpius ponatur pro noto, vulgato, & hominum ſermonibus celebrato. Omitto locos alios: in hoc certe ita exponendum eſſe, liquet ex eo, quod ſtatim ſequitur, *& fama multis memoratus in oris*. Sic Ouid. 3. Amor. eleg. 6.

Quid ſi legitimum flueres, ſi nobile flumen,
Si tibi per terras maxima fama foret.

Plura videbis apud Tiraquell. de Nobilit. cap. 2. num. 5.

SÆVI SPIRACVLA DITIS) ſunt quæ à Græcis χαρώνια vocantur, quo nomine cenſentur fauces ſubterraneæ, tetrum exhalantes odorem, & peſtiferum, ex quo Ditis fauces exiſtimantur, quales fuerunt non procul Trallibus. Strabo lib. 14. ἐν ᾗ τὸ πλουτώνιον ἔχον, καὶ ἄλσος πολυτελὲς, καὶ νεὼν πλούτωνός τε, καὶ κόρης, καὶ τὸ χαρώνιον ἄντρον. lib. 13. πλουτώνιον appellat, cum de Hierapoli oppido Phrygiæ loqueretur, cum etiam eo verbo tēplum Plutonis ſignificetur. τὸ δὲ πλουτώνιον ὑπ' ὀφρύϊ μικρᾷ τῆς ὑπερκειμένης ὀρεινῆς, στόμιόν ἐστι σύμμετρον, ὅσον ἄνθρωπον δέξασθαι δυνάμενον, βεβάθυνται δὲ ἐπὶ πολύ. Turneb. lib. 26. c. 28. **Ditis nomine Plutonem vocatum ſcribit M. Tull. 2. de nat. deorum, quod terrena vis omnis, ac natura ipſi dicata putaretur. Nam & omnia in terras recidunt, & ex iis oriuntur. Alij, vt eſt apud Quintil. ideo ſic vocatum, quod minimè diues ſit: mortui enim omnibus exuti bonis ſunt crediti.*

INGENS ACHERONTE VORAGO) intellexit illam voraginem ab Acheronte erumpere, & eius quandam eruptionem, & exæſtuationem eſſe: expreſſitq; quod ab Homero dicitur ἀπορρώξ. Vt lib. 2. Iliad. ὅρκου γὰρ δεινοῦ στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ. Turneb. lib. 26. cap. 28.

ERINNYS) Furiæ, Eumenides, Erinnyes, Diræ ſæpe indiſcretè ponuntur.

INVI-

INVISVM NVMEN) Inuiſum non modò hominibus, ſed ipſis quoq; inferis. Supra. *Odit & ipſe pater Pluton, odere ſorores Tartarea monſtrum.* Claud. lib. 1. de rapt. Proſerp. *tornos inuiſa iugales Alecto temone ligat.*

A In hac voce *inuiſus*, magna ineſt magni cuiuſdã odij, & deteſtationis ſignificatio, & eſt crebrũ Latinis poetis.

TERRAS, CÆLVMQVE LEVABAT) recreabat, quippe quibus præſentia ſua erat oneri.

Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. ruit omnis in orbem
Paſtorum ex acie numerus: cæſosq́; reportant
Almonem puerum, fœdatiq; ora Galeſi:
Implorantq; deos, obteſtanturq́; Latinum.
Turnus adeſt, medioq; in crimine, cædis, & ignis
Terrorem ingeminat, Teucrosq́; in regna vocari,
Stirpem admiſceri Phrygiam, ſe limine pelli.
Tum, quorum attonitæ Baccho nemora auia matres
Inſultant thiaſis (neq; enim leue nomen Amatæ)
Vndiq; collecti coëunt, Martemq; fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deûm, peruerſo numine poſcunt.

EXTREMAM IMPONIT MANVM) Dixerat enim Furiæ ſupra, ſe reliqua curaturam. Quod ſupereſt, perficit. Et eſt tranſlatio à pictura, quam manus complet, & ornat extrema. Seruius.

Eſt igitur genus loquendi perelegans, extremam manum imponere, pro, rem aliquam finire, & omnibus numeris ſuis abſoluere. Cic. ſed manus extrema nõ acceſſit operibus eius. Dicimus item ſummam addere manum, metaphora ducta ab ædificatoribus, qui abſoluto ædificio, faſtigium aliquod ſolent imponere. Cui confine eſt, colophonẽ imponere, vel addere. Montf.

CÆSOSQVE REPORT. ALM. PVER.) Ad inuidiam facti portabant cadauer Almonis pueri, qui vtique pro ætate nihil tale meruerat, & Galeſum, cuius facies indignis erat modis deformata.

IMPLORANTQVE DEOS) vt tantæ indignitatis indices, & vltores.

OBTESTANTVRQVE LATINVM) propter cædem factam teſtem adhibent, & dicunt auctores rupti fœderis eſſe Troianos, quum ipſi pacis iura temerauerint. Seruius. Seu, vt Donat. Inuidioſis vocibus lacerant, quod malorũ omnium, per Troianorum fœdus, ipſe auctor videretur extitiſſe, rogabantq;, vt acta reſcinderet.

ET IGNIS) in ipſo feruore ſeditionis, vt Seruius exponit.

TEVCROSQVE IN REGNA VOCARI) Teucros iniurioſè dictum accipe, quaſi exules, ac perfidos.

B STIRPEM ADMISCERI PHRYGIAM) Ex Græcorum moribus deſumptum, quorum legibus cum peregrinis, & hoſpitibus contracta matrimonia inceſta, & illegitima habebantur. Vnde & μιξέλληνες è tali prognati cõtubernio, vt Romanis hybridæ. German.

SE LIMINE PELLI) interiore familiaritate.

ATTONITÆ BACCHO) quaſi Baccho, furia enim agebantur. Et ſic dictum, vt, *At medios inter cædes exultat Amazon*, de Camilla, quæ non erat reuera Amazon. Seruius.

INSVLTANT THIASIS) Thiaſus generatim pro quouis cœtu ſaltantium, reiq; diuinæ vacantium, tum, vt teſtis eſt Athenæus lib. 8. pro turba hominum, Bacchicas choreas agitante, vſurpatur. Virgil. Eclog. 5.

C *Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres*
Inſtituit: Daphnis thiaſos inducere Baccho.

Thiaſos autem alij ἀπὸ τοῦ τὰ θεῖα ᾄδειν, id eſt, à ſacris carminibus: alij verò ἀπὸ τοῦ θεῖν, id eſt, à currendo volunt eſſe nuncupatos. German.

NEQVE ENIM LEVE NOM. AM.) Iuuenal. *quæ non faciet, quod Principis vxor?*

MARTEMQVE FATIGANT) prælium cum clamore depoſcunt, vſque ad rauim.

CONTRA FATA DEVM) propter oraculum Fauni.

CONT. OMINA) intellige examen apum, & Lauiniæ crinem ardentem. Quorum vtrumq; Troianis fauebat.

PERVERSO NVMINE) irato.

Certatim Regis circumſtant tecta Latini.
ILLE, VELVT PELAGI RVPES IMMOTA RESISTIT:
Vt pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ ſeſe, multis circùm latrantibus vndis,
Mole tenet: ſcopuli nequicquam, & ſpumea circùm
Saxa fremunt, lateriq; illiſa refunditur alga.
Verùm vbi nulla datur cæcum exuperare poteſtas
Conſilium, & ſæuæ nutu Iunonis eunt res:
Multa Deos, aurasq́; pater teſtatus inanes,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurq́; procella.

IPSI HAS SACRILEGO PENDETIS SANGVINE POENAS,
O miseri. Te Turne nefas, te triste manebit
Supplicium: votisq; Deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisq; in limine portus:
Funere felici spolior. Nec plura locutus
Sepsit se tectis, RERVMQVE RELIQVIT HABENAS.

VT PELAGI RVPES) Cicero seditiosam populi multitudinem fluctibus comparauit in Miloniana. In illis duntaxat fluctibus concionum. Bene igitur Virgil. Latinum regem rupi, alto in mari fluctibus hinc inde agitatæ fluctibus, comparat. Seruius. Locum ab Homero sumptum proferunt German. & Vrsin. * *Lib. 4. constantiam Æneæ aduersus preces, & blandimenta Didonis comparatione quercus annosæ, & altissimis defixæ radicibus, frustraq; ventis agitatæ, velut hic scopulis vndarum impulsu immobilibus declarat.*

VBI NVLLA DAT. CÆCVM EXVP. P. CONSIL.) Vbi Latinus vidit, cæcum multitudinis furorē consilio superari non posse, & res pro voluntate Iunonis sęuientis non sano tractatu currentes, multis verbis testatus est deos, & ipsas aeris auras. Quem enim alium adhiberet voluntatis suæ testem, omnib⁹ qui aderant furore correptis? Inter tot insanos, solus Latinus integro consilio fuit: solum enim non cōmutauerat Iuno vel Furia. Donatus.

SACRIL. PENDETIS SANG.) quia bellum sumebant contra voluntatem deorum. Indo fiebant sacrilegi, hoc est impij, quales sunt, qui sacra legunt, id est, furantur.

TE TRISTE MAN. SVPPLICIVM) quod luit lib. 12. cæsus ab Ænea.

VOTISQVE DEOS VENERAB. SERIS) Nam qui citò ab errato discedit, & malè cœpta maturè cōdemnat, potest mereri veniam. Sera verò erroris agnitio, agnitori fauorem non potest prouocàre. Donatus. Simul etiam respexit ad prouerbia Virgil. Post factum stultus sapit. Ictus piscator sapit. Serò sapiunt Phryges. Montf.

MIHI PARTA QVIES) vicinæ mortis beneficio.

OMNISQVE IN LIMINE PORTVS) Allegoriæ prouerbiales sunt, in vado esse, pro eo, quod est, in tuto, citraq; discrimen, sumptum à natantibus, aut nauigantibus. In portu nauigare, etiam significat iam à periculo abesse: propterea quod qui medijs adhuc fluctibus nauigant, hi ventorum, & æstus arbitrio nauigant. Contrà, qui iam intra portum sunt, nihil habent negotij cum vndis, ac ventis. Vnde vulgatissima metaphora, hominem in cuius præsidio conquiescimus, portum appellamus. His non dissimilem planè sensum continet hic versiculus, *mihi parta quies, omnisq; in limine portus.* Chiliad. * *Vt & Plautus illum senis, sic alloquentis filium Lysitelem, in Trinum.* Mihi ætas acta ferme est, tua istuc refert maximè. *Huc etiam pertinentia sunt, ego in vtramuis aurem dormiam: extra lutum pedes habeo.*

FVNERE FELICI SPOLIOR) Exequijs tantum regalibus careo. Sed vt sepulcri, ita huius quoq; rei facilis iactura est.

Funus felix illustrium, ac principum virorum est, quando debita cum cęrimonia, sollemni pompa ducta, multis cum suorum ciuium gemitibus, frequenti populo comitante, excitatis magnificētissimis sepulchris, additis etiam funebribus laudationibus, & alijs demum rebus non vulgaribus, conduntur. Quibus omnibus belli tempus obstrepit, & hominibus in alia cura, vitæ scilicet retinendæ, bonorumq; defendendorum occupatis, locum nullum relinquit: vt etiam reges tum regiè sepeliri nequeant. ✱

RERVMQ. RELIQVIT HABENAS) Quia res magnas furore turbatas nec consilio potuit, nec sermone componere, condidit se parietibus proprijs, casibus relinquens habenas reipub., quas contra maiorem vim nec gubernare potuit, nec tenere. Donatus. * *Nomen habenæ sæpenumero apud latinos scriptores ad imperium, potestatem, & facultatem transferri videas. Cic. 2. de Orat. Cui populus ipse moderandi, & regendi sui potestatem, quasi quasdam habenas tradidit. Virgil. 1. Æn.* Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas. *Inueniuntur & adducere, & remittere habenas, in eodem significatu, potestatis, inquam, & imperij.*

Mos erat Hesperio in Latio (quem protinus vrbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cùm prima mouent in prælia Martem:
Siue Getis inferre manu lacrymabile bellum,
Hyrcanisúe, Arabisúe parant, seu tendere ad Indos,
Auroramq; sequi, Parthosq; reposcere signa)
Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ, & sæui formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaq; ferri
Robora: nec custos absistit limine Ianus:
Has, vbi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea, cinctuq; Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul:
Ipse vocat pugnas: sequitur tum cætera pubes,
Æreaq; assensu conspirant cornua rauco.
Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus

More

More iubebatur, tristesq; recludere portas.
Abstinuit tactu pater, auersusq; refugit
Fœda ministeria, & cæcis se condidit vmbris.

MOS ERAT) Varro de moribus, morem esse dicit in iudicio animi, quem sequi debeat consuetudo. Iulius Festus de verb. signif. lib. 13. Mos est, inquit, institutum patrium, pertinés ad religiones, cærimoniasque maiorum. Ergò Virgilius vtrumque auctorem sequutus: & primo quidem Varronem, quoniam ille dixerat morem præcedere, sequi consuetudinem, postquam dixit, *Mos erat*, subiunxit, *quem protinus vrbes Albanæ coluere*, &c. quo perseuerantiam consuetudinis monstrat. Et quoniam Festus pertinere ad cæremonias ait, hoc idem docuit Maro, adijciendo, *sacrum*. Mos ergo præcessit, & cultus moris secutus est, quod est consuetudo. Et hic definitionem Varronis impleuit. Adijciendo deinde *sacrum*, ostendit morem cæremonijs dicatum, quod Festus asseruit. Idem seruauit & lib. 12. cum ait, *morem, ritusq; sacrorum Adijciam*. In quo ostendit apertè, morem esse ritus sacrorum. Sed historiæ quoque fidem in his versibus sequutus est, *Mos erat Hesperio in Latio*, &c. Seruauit enim regnorum successionem. Quippe primùm regnauerunt Latini, inde Albani, & inde Romani. Ideo *mos erat* primùm dixit *Hesperio Latio*, & postea, *quem protinus vrbes Albanæ coluere sacrum*. Deinde subiecit, *nunc maxima rerum Roma colit*. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 8.

Apparet ex verbis Macrobij, morem obseruationē quandam esse, non lege, sed iudicio, & opinione confirmatā. Inde illa locutio, MORE MAIORVM. Cic. 2. de Orat. Me pro meo sodali, qui mihi liberùm loco, more maiorum, esse deberet. Quo loco morem pro obseruatione posuit, quodamq; hominū grauiorū placito, non lege, non necessitate confirmato. Budæus in Pand. Mos, ait Isidor. lib. 4. cap. 3. est vetustate probata consuetudo: siue, lex non scripta.

Instituta, mosq; maiorum tantam vim habuerunt, vt cum antequam in consuetudinem venirent, sine crimine præteriri possent, postquam tacita omniū assensione sunt probata, pro grauissimis legibus sanctissimè custodita sint. Ac si quæritis, quid institutum a more differat, non est difficilè dictu. Nam qui primus egregij quidquam in repub. gessit, adeò vt eius exemplum posteri vltro sint secuti, is auctor instituti prædicatur. Vbi verò consuetudo aliqua teneri, ignorato exēpli auctore cœpit, mos maiorum appellatus est, &c. Sigonius de antiq. iure Ciuium Rom. lib. 1. cap. 5. Quod dicit Virgil. hanc consuetudinem antiquā fuisse, falsum est: nam à Numa Pompilio primū instituta est: sed carmini suo, vt solet, miscet historiam. Seruius. Qui & aliā quæstionem dissoluit, ne poeta secum pugnare videatur: quomodo enim mos erat belli portas reserare in Latio, cum supra dicat, *longa placidas in pace regebat?* Item postea, *Ardet inexcita Ausonia, atq; immobilis antè*. Vide locum.* *Historia autē est apud Liuium lib. 1. Qui (Numa) regno ita potitus, Vrbem nouā conditam vi, & armis, iure eam, legibusq;, ac moribus de integro condere parat. Quibus cum inter bella videret assuescere non posse (quippe efferari militia animis) mitigandū ferocem populum armorum desuetudine ratus, Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis, belliq; fecit: apertus, vt in armis esse ciuitatem, clausus, pacatos circa omnes, significaret.*

HESPERIO IN LATIO) in antiquo, accipit Seruius: duo enim Latia fuerunt, vnde non frustra *Hesperio* addidit.

PROTINVS) iugiter, deinde, nam nunc temporis aduerbium est, aliàs loci. *cum protinus vtraque tellus Vna foret.*

VRBES ALBANÆ COLVERE) vrbes ad imperium Albanum pertinentes, seu regni Albani, quæ fuerunt complures, ad 30. vt me alicubi legere memini.

MAXIMA RERVM ROMA) Quomodo Roma sit totius orbis compendiū, sic docet Athenæus lib. 1. c. 15. Non longè aberrarit fortasse à scopo, quisquis totius terræ habitatę compendiū, Romanorum ciuitatem appellauerit, in qua omnes ciuitates commorantes intueri facile licet, & particulatim, & quam plurimas: vt Alexandrinorum auream, Antiochenorum pulchram, Nicomediorum ornatissimam, omniū prætera splendidissimam, quotquot Iupiter detegit, Athenas. Deficeret, non vnus dicam dies, ad enumerandas ciuitates, quæ in orbe Romano continentur: sed omnes vix per anni spatium, ob multitudinem connumerarétur. Omnes namq; ibi nationes habitant: Cappadoces, Scythæ, Pontici, & alij complures. Hi sunt enim totius habitatæ terræ compendium. Hæc Athen. Et quoniam totius habitatæ terræ epitome, compendiumque videtur, vtpote in qua omnes habitarent nationes, ob id, communis patria dicta est, secus quam sentit Alciatus Dispunct. lib. 2. cap. 21. nimirum quod omnes, qui imperio Romano subditi essent, ciuitatis Romanæ ius haberent, in quo redarguitur à Magio lib. 4. cap. 5.

Romæ magnitudinem celebrat Aristides quoq;, oratione quam de eius laudibus longè pulcherrimam composuit. In qua, & hæc legas. Quod autem vrbes singulæ terminis suis, ac regionibus præstant, hoc vrbs ista toti orbi exhibet, vt commune omnis, quæ incolitur terræ, tanquam regionis oppidum. Quocirca videntur finitimi omnes per vicos diuisi, ad hanc arcem vnam conuenire, quæ nunquam se cuiquam negat: sed vt terræ solum fert omnes, ita hęc homines omnes, velut fluuios mare, recipit, præterquam quod hoc etiam cum mari habet commune, quod vt illud fluuiorum accessione non crescit, quasi ipsius capacitas cum illorum fluxione, fato quodam connexa sit, ita nec in hac quidquam est præ magnitudine conspicuum. Superadde his præclara verba Lucani, ex lib. 1. Pharsal.

——— vrbem populis, victisq; frequentem,
Gentibus, & generis (coeat si turba) capacem
Humani.

Vide, mi lector, Eclog. 1. super illo, *Vrbem quam dicunt Romam*. Vide & Strabonem lib. 5. Immo vide, & admirare magnitudinem Romæ ex lib. 3. Admirandorum Lipsij. Cæterùm si qua alia vrbs est, certè Roma est hodie, de qua possit affirmari verissimè, quod lib. 1. scriptum reliquit Herodotus. τὰ γὰρ τὸ πάλαι μεγάλα ἦν, τὰ πολλὰ αὐτῶν σμικρὰ γέγονε. τὰ δὲ ἐπ' ἐμεῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρά. Nam quæ olim magnæ erāt, earum permultæ factæ sunt paruæ: rursus, quæ mea memoria magnæ fuerunt, prius fuerant paruæ. Exigua Roma sub Romulo, & regibus deinceps sequentibus: magna sub Augusto, & Imperatoribus. Nunc postquā à Gothis, Vandalis, Herulis toties vastata est, & direpta, nequaquam pristinam illam, & amplitudinem, & magnificentiam retinet. Quo pacto autem omnibus pæne ijs rebus parua Roma fuerit, quibus sua ætate maximā esse testatur Maro, pulchrè expressit Propert. lib. 4. eleg. 1. partem versuū non me pigebit adnectere.

Hoc quodcunq; vides, hospes, quam maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis, & herba fuit.

Atq; vbi nauali stant sacra palatia Phœbo,
Euandri profugæ procubuere boues.
Fictilibus creuere deis hæc aurea templa.
Non fuit opprobrio facta sine arte casa:
Tarpeiusq; pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris aduena bubus erat, &c.

QVVM PRIMA MOVENT IN PRÆL. MART.) Etsi Martio mense, ancilia deprompta è Martis sacrario prodibant, si quando tamen gentibus, nationibusque iustum, piumque bellum per feciales indicebatur, ancilia in eodem sacrario, aut in curia Saliorum commouere, moris erat: quasi eo motu Martem è sua sede excitum, eoque propitio, & volente, arma expedire, legiones conscribere, exercitum apparari, atq; omnia hostilia esse designarent. Seruius, Alex. ab Alex lib. 1. cap. 25.

GETIS INFERRE LACRYMAB. BELLVM) Sic & Græci, πόλεμον εἰσφέρειν. Euripid. Helena. πόλεμον γὰρ εἰσήνεγκαν Ἑλλήνων χθονί. Vt autem hic *lacrymabile bellum*, Sic Homer. Iliad. πόλεμον πολύδακρυν Ἀχαιῶν, & πολύδακρυν Ἄρηα, & alibi, μάχην δακρυόεσσαν. German.

AVRORAMQVE SEQVI) Ingenti ambitu ipsum ortum diei dicit pro populis: & *sequi auroram*, est orientalibus populis arma inferre: seu, eo vsque cum armis ad eos subigendos tendere.

PARTHOSQVE REPOSCERE SIGNA) Allusisse videri potest ad Augusti tempora. Constat enim, habuisse in animo Augustum Arabiæ, & Parthis bellum facere, eiusque belli caussa delectum habuisse. Similiter Virgilio scripsit etiam Horat. epist. 2. lib. 1. *Cantabrica bella tulisti Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit.* Propert. lib. 2. eleg. 10.

Iam negat Euphrates equitem post terga videri
Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,
Et domus intacta te tremit Arabia.

Parthi autem Phraate regnum obtinente, signa quæ Crasso ademerant, Romam ad Augustum vltrò remiserunt. Vide Sueton. Valerium, & alios. Horat. Ode 15. lib. 4.

Et signa nostro restituit Ioui
Derepta Parthorum superbis
Postibus, & vacuum duellis
Ianum Quirini clausit.

SVNT GEMINÆ BELLI PORTÆ) propter Ianum bifrontem.

CENTVM ÆREI CLAVDVNT VECTES) Dedit claustris maiorem vim à numero, & qualitate materię. Vide 1. Æneid. *Claudentur belli portæ*, &c.

CINCTVQVE GABINO) De cinctu Gabino quid à Grammaticis tradatur, omnibus qui litteras amœniores amant, est ferè notum: sed quod ab illis tacitum est, hic adscribemus. Obseruauimus enim, Romanos magistratus, & Pontifices eo cinctu vti solitos, cum belli caussa operabantur sacris, se deuouebant pro exercitu, portas Iani aperiebant, aut amburbia faciebant: deniq; cū rei sacrę operā dabant, belli caussa, & cęrimonia quadā sacra defungebantur. Liuius lib. 8. de Consule Decio, qui se deuouebat. Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit. Interpres Persij de penatibus ita scribit. Habitu Gabino dij penates formabantur, inuoluti toga supra humerum sinistrum, & sub dextro. Turneb. lib. 22. cap. 19.

Gabinus cinctus est, inquit Seruius, toga sic in tergum reiecta, vt vna eius lacinia, à tergo reuocata, hominem cingat. Hoc autem vestimenti genere vtebatur A Consul bella indicturus: ideo, quia cum Gabij Campaniæ ciuitas sacris operaretur, bellum subitò venit. Tunc ciues accincti togis suis, ab agris ad bella profecti sunt, & adepti victoriam. vnde hic ortus est mos.

RESER. STRID. LIMINA) Quamobrem belli tempore huius potissimùm dei, Iani, inquam, templum aperiretur, narrat caussam Macrob. Saturnal lib. 1. cap. 9. Bello Sabino, cum hostes per patentem portam in vrbem irruerēt, subitò ex æde Iani magnam vim calidarum aquarum erupisse, quæ hostium impetum represserint: inde institutum, vt belli tempore, velut ad vrbis auxilium profecto deo, fores reserarentur. Ouid. 1. Fast. aliam caussam ponit, vbi Ianus ita loquitur.

B *Ut populo pateant reditus ad bella profecto,*
Tota patet dempta, ianua nostra, sera.

Consentanea Nasonianis sunt verba Liuij lib. 1. in Numa. Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis, belliq; fecit: apertus, vt in armis esse ciuitatem: clausus, pacatos circa omnes populos significaret. Vide insuper 1. Æneid. ad illa, *Claudentur belli portæ.*

INSIGNIS CONSVL) Consul maior erat, qui priore loco renuntiatus esset. Liuius lib. 29. Scipionem priorem consulem à centurijs omnibus dictum scribit. Cic. in Pison. Me cuncta Italia, me omnes ordines, me vniuersa ciuitas non prius tabella, quam voce priorem consulem declarauit. Quem vero nunc maiorem, nunc C priorem consulem nuncupamus, Virgilius etiam insignem dixit, vt qui nullius sit doctrinæ inscius. Formulam porrò, qua Cos. declararet, siue crearet designatum consulem, hanc inuenio. QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVMQVE SIT, MIHI, MAGISTRATVIQVE MEO, POPVLO, PLEBIQVE ROMANÆ, N. N. CONSVLEM RENVNTIO. Cic. pro Muræna.

IPSE VOCAT PVGNAS) Tria sunt militiæ genera. Sacramentum, in quo vnusquisque miles iurat se non recedere, nisi præcepto Consulis, post completa stipendia, id est, militiæ tempora, scilicet viginti quinq; annos. Coniuratio, quæ fit in tumultu, id est, Italico bello, & Gallico: quando vicinum vrbi periculum sin- D gulos iurare non patitur, vt inter Fabios. Et qui fuerat ducturus exercitum, ibat in Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, vnum roseum, quo pedites euocabat, & vnum cæruleum, quod erat equitum (nam cæruleus color est maris, à cuius deo equum constat inuentum) dicebat: QVI REMPVB. VVLT SALVAM ESSE, ME SEQVATVR. Et qui conuenissent, simul iurabant. Euocatio, quod genus nunc tangit: nam ad subitum bellū euocabantur, & ad diuersa loca diuersi, propter cogendos mittebātur exercitus. Seruius. Vide principium lib. 8.

ABSTIN. TACTV PAT. AVER. REF. FORDA) Secundum veterem morem conueniebant Latinum, E & vehementer vrgebant, aperiret portas belli, & ijs bellum indiceret, quos in amicitiam, & affinitatem, secutus deorum, & patris responsa, susceperat. Sed licet illi furore possessi præcipites essent in perniciem suam, & aduersa cuperent, Latinus tamen, qui esset publicus pater, apud quem religio generi fuit, & commodum filiæ, nolebat funestas fores, luctuosasque contingere, ac ne se officijs tristibus commacularet, à conspectu se aliorum remouit. Donat.

CÆCIS SE COND. VMBRIS) A conspectu hominum in abdita domus se contulit. Non modò publica, sed domestica quoque luce caruit, & tanquam in vmbram, & tenebras secessit.

Tum

Tum Regina deûm cælo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia, atq; immobilis antè.
Pars pedes ire parat campis, pars, arduus altis
Puluerulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars leues clypeos, & spicula lucida tergent
Aruina pingui, subiguntq; in cote secures:
Signaq; ferre iuuat, sonitusq; audire tubarum.
Quinq; adeò magnæ positis incudibus vrbes
Tela nouant, Atina potens, Tyburq; superbum,
Ardea, Crustumeriq;, & turrigeræ Antemnæ.
Tegmina tuta cauant capitum, flectuntq; salignas
Vmbonum crates: alij thoracas ahenos,
Aut leues ocreas lento ducunt argento.
Vomeris huc, & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor: recoquunt patrios fornacibus enses.
Classica iamq; sonant: it bello tessera signum.
Hîc galeam tectis trepidus rapit: ille frementes
Ad iuga cogit equos, clypeumq;, auroq; trilicem
LORICAM INDVITVR, FIDOQVE ACCINGITVR ENSE.

TVM REGINA DEVM) Fecit Iuno, quod non conueniebat deæ, vt relictis cæli partibus, veniret ad terras, & panderet sceleribus viam, atq; in bella perituros vrgeret. Fecit tamen vt vetus, & pertinax inimica: verebatur enim, ne mora patefaciendarum portarum furorem paratæ iuuentutis aut consenescere faceret, aut penitus remoueri. Animus quippe vulgi, vt repentinis motibus excitatur, ita maturè languescit, & interueniente torpore consumitur. Ergò quod Latino displicuit, & refugit, ne faceret, fecit dea, & manu sua impulit portas, quibus fiebat mora. Vt autem huius sæuientis ardorem euidentius poeta monstraret, non solùm hác dixit portas aperuisse, sed euertisse postes ipsos à cardine: hoc est, ab eo loco, in quo nexibus idoneis tenebantur: B quasi demum patentibus portis aliquod impedimentum potuissent postes afferre, si locis suis fortè mansissent. In euersione postium animus inimicæ considerandus est, quæ sic cum belli reserauerat ipsis postibus portas, vt vulsis ipsis, qui firmamento præstabát, iterum claudi non possent, & nunquam finiretur bellum. Quanta autem vis Iunonis sit, in facto ipso euidenter ostensum est: nam quas centum ærei clauserant vectes, quas æterna ferri firmauerant robora, ipsa vnius manus impulsu innitens, non corporis virtute, sed numine, ipsum quoque bifrontem custodem auctoritate maioris potestatis exsuperans, & patefecit portas, & earum postes subuertit. Donatus. C * *Lege qua de Iano prodidit Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 9. Et qua annotauimus lib. 1. ad illud,* Claudentur belli portæ, *Hausit etiam hunc Versum Vergilius de Enniano fonte. Ille enim sic.* postquam discordia tetra Belli ferratos postes, portasque refregit, *intelligens idem Iani templum, quod belli tempore patere, pacis autè clausum haberi solebat: quare deus ille Patulcius, & Clusius audiuit.*

ARDET INEXCITA AVSONIA) Quam ad id vsque tempus nulla belli tempestas turbauerat: quæ hactenus nullis agitata motibus fuerat, immobilis, vt mox sequitur. Seruius tamen exponit *immobilis antè,* A non semper, sed ante hac, sub Latino videlicet.

PARS ARDVVS ALTIS PVLVERVL. EQVIS FVRIT) pro, ardua in altis equis. Id est, populus partim parat ire pedes, partim arduus altis equis. Sic alibi ad rem, non ad vocem respicit.

OMNES ARMA REQVIRVNT) Hemistichium Ennianum. *Balantum pecudes quatit, omnes arma requirunt.*

PARS LEVES, CLYPEOS ET SPICVLA LVC. TERG.) Locum hunc exprimere imitando studuit Papinius lib. 3. Thebaid.

——— arma paternis
Postibus, & fixos superûm ad penetralia currus
Vellere amor, nunc fœda putri rubigine tela,
Horrentesq; situ gladios in sæua recuruant
Vulnera, & attritu cogunt mitescere saxi, &c.

Samiarios dictos obseruat Turneb. lib. 27. c. 21. qui creta Samia arma, ferramenta, spicula prætorianorum, & satellitum imperatoris ad nitorem fricabant, tergebantque, atque exasperabant gladiorum, & iaculorum acies, & cuspides: nam & in historijs hoc sensu ferramenta Samiata reperimus.

ARVINA PINGVI) Aruinam esse durum pingue inter cutem, & viscus, seu carnem, ex Suetonio docet Seruius. Aruina, inquit Isidorus, est pinguedo cuti adhærens.

SVBIGVNTQVE IN COTE SECVRES) ad cotem exacuunt secures, ad cotem inquam, *acutum Reddere qua ferrum valet, exors ipsa secandi*, vt est apud Horat. ad Pisones. Scopulum illum ad quem Andromeda exposita fuit ceto, Propertius vocat cotes, eleg. 3. lib. 1.

Qualis & accubitu, primo Cepheia somno,
Libera iam duris cotibus Andromeda. ✱

QVINQVE ADEO MAGNÆ) Tantus bellandi amor incesserat, vt plurimæ vrbes, & magnæ, positis

positis incudibus, acuendis telis operam darent. Nu- A merum, & magnitud. ciuitatum, seu potentiam exprimit, ne quasi humiles non tantum parare viderentur, quantum esset necessarium. Nec tamen non etiam aliæ in armis faciendis laborabant. Donat. * *Armorum fabricas, siue officinas non modo in legionibus, sed etiam per oppida, & prouincias fuisse institutas, docet Steuechius ad Vegetium lib. 2. cap. 11. Silius de Vrbibus Italiæ, postquam auditum est transgressum Alpes Annibalem, lib. 4.*

------------- itur in acres
Bellorum raptim curas, subitusq; per omnem
Ausoniam Mauors strepit, & ciet arma, virosq;:
Pila nouant, ac detersa rubigine fæuus
Inducitur ferro splendor, &c.

FLECTVNT SALIGNAS VMB. CRATES) Scutis è vimine contextis vsi sunt Siculi, & Syracusij, item Per- B sæ, quod genus γέῤῥα & γέῤῥον Græcis appellatur. Ammianus lib. 24. de Persis etiam sui æui. Obtecti scutis vimine firmissimo textis, & crudorum tergorum densitate vestitis. Ibid. Manipuli peditum contecti scutis oblongis, & curuis, quæ texta vimine, & crudis corijs gestant. Vsi præterea talibus scutis, & galeis etiam Parthi. Talia demum scuta Germanis quoque, & Gallis interdum fuere, immò & Macedonibus, quæ in ærea, aut argentea Alexander mutauit. Vide hæc plenius apud Lipsium de Milit. Rom. lib. 3. dial. 2. Insuper consule Alex. Neap. lib. 6. cap. 22. & Tiraquell. ibid.

Vt autem Latini Grammatici salicem à saliendi, hoc est, crescendi celeritate deducunt, quod siue terræ C impacta, siue sata, statim surgit, sic Græci ἰτέαν pari forma, ἀπὸ τοῦ ἰέναι, τουτέστι ταχέως αὔξεσθαι deriuant. German.

LENTO DVCVNT ARGENTO) lentos vsitatè vocamus tardos, & segnes: opponique id nomen tum prompto, ac celeri videtur. Interdum autem *lentum* aliter accipimus: vt cum lentum vimen dicimus, & cũ Virgil. lentam salicem, & *lento ducunt argento*. Lentum enim tũc idem valet, quod molle, cedens, quodq; quocunque velis, facile trahi, duciúe possit. Id deniq; quod χαῦνον Græci vocant, Latini nonnunquam facile, vt Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Fictilia antiquus primùm sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitq; luto. D

Eandem enim qualitatem significauit in luto, quam in cera Plinius, his versibus,

Vt læuis est cera mollis, cedensq; sequatur
Si doctos digitos, iussaq; fiat opus,

flexibilem videlicet naturam quandam, & minimè contumacem. Ad priorem illam huius vocabuli vim respexit Cicero, cum C. Antonium lentum vocauit. Teucris, inquit, illa, lentum sanè negotium. Hoc significauit, eum libenter subterfugere, & tergiuersari, & diem ex die ducere, neque promptum esse ad dissoluendum, quod deberet. At contra olim Lucilius lentum soluere, acceperat pro eo, qui facilè solueret, E bonumque nomen esset. Credo, quod lenta quæ sunt, facile sequuntur quò velis: lentum quoque vocauit eũ, qui facilè ad soluendum adduceretur. Versus eius extant apud Nonium, qui mihi ita videntur legendi.

Lucius Cotta senex Crassi pater huius peracer,
Magnus fuit trico numerarius, soluere nulli
Lentus.

Id est, facilis. Muret. lib. 3. cap. 18.

VOMERIS HVC, ET FALCIS HONOS) Omne ferrum vertebatur in gladios. Sic omnia culturarum subsidia consumebantur, vt præsagio quodam, omniũ iam monstraretur interitus, & appareret, eos ad aruorum exercitium nunquamredituros. Donat. * *Georg. 1.* Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem. *Apud Isaiam prophetam, de futura quondam Ecclesiæ pace, tranquillissimisq; temporibus, cap. 2. contrarium quiddam legimus. Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.*

RECOQVVNT PAT. FORN. ENSES) patrios, non suos. Tanta pace vsi videbantur, vt armorum strepitus, & tubarum clangor omnibus esset incognitus.

CLASSICA IAMQVE SONANT) Classicum accipiebatur & pro ipsa tuba, & pro ipso sono, auctor Seruius. Item Isidor. Classica sunt cornua, quæ conuocandi caussa erant facta, & à calando classica, quasi calassica dicebantur. Inde etiam ipsi præcones classici vocati, qui tuba, vel cornu, iussu magistratus ex arce, vel circũ muros populum ad comitia vocabant. Classicum etiam canebatur ante ianuam scelerosi ciuis, vt Varro docet. Et Tacit. lib. 2. Annal. In Pub. Martium Cos. extra portam Exquilinam cum classicum canere iussissent, more prisco animaduertêre. Canebatur item classicum, cum in militem capitaliter animaduerteretur. Lucan. *Nec ciuis meus est, in quem tua classica Cæsar Audiero.* Classicum etiam ad epulas Imperatorias cecinisse indicat apud Tacitum Lipsius: & idem fere hodie mos. Steuechius ad lib. 2. Vegetij, cap. 22. Classicum est, cum signa omnia pariter canunt, & militem vocant, incitantque ad pugnam. Vide Lipsium de Milit. Rom. lib. 4. dial. 10.

IT BELLO TESSERA SIGNVM) Tessera symbolum fuit bellicum, & signum, quo socij milites dinoscebantur ab hostibus: vt pro quibus, & contra quos arma sumerent, facile internoscerent. Erat autem ea tessera aut vocalis, aut muta. Stante repub. taleola vtebantur, siue tabella lata, inscripta, πλατεῖον appellat Polyb. & ξυλήφιον. Vocalis, MILITEMVS, LABOREMVS, VENVS VICTRIX, INVICTVS HERCVLES, &c. Præfectus interdum legionis, nonnunquam & Tribunus tesserã dabant, quando scilicet non aderant in exercitu, qui maiorem potestatem habebant. Si enim Imperatores ipsi, & duces exercitus præsentes erant, tesseram ipsi dabant. Atque ab his Tribuni petere debebant, & inde ipsi militib⁹ distribuebant. Tesserarij dicti, qui tesseram per contubernia militum nuntiant. Tesseram porrò, vt ordinem item exercitus, signi dationem, vigilias, inuenit Palamedes ad Troiam. Plinius lib. 7. c. 56. Vide Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 2. Steuechium in Veget. Differit etiam exquisitè, & eruditè super tessera Lipsius de Milit. Rom. lib. 5. dial. 9.

GALEAM TECT. TREPID. RAPIT) In voce *trepidus*, & verbo *trepidare* quidam apud Virgilium putant inesse significatum festinationis, cum timore aliquo. Certè hîc nihil adiectiuo huic timoris videtur subesse. Nam & hoc, & duobus deinceps versibus, Italorũ summa ad bellum capessendum voluntas, & facilitas declaratur. *Trepidus* ergo expone, nihil cunctatus, cupidè, festinatò. *

AVROQVE TRILICEM LORICAM) De hoc genere loricæ dictum aliquid lib. 5. ibi, *Loricam consertam hamis, auroq; trilicem.*

Pandite nunc Helicona Deæ, cantusq; mouete,
Qui bello exciti Reges, quæ quemq; secutæ
Complerint campos acies, quibus Itala iam tum

Florue-

Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim Diuæ, & memorare potestis:
AD NOS VIX TENVIS FAMÆ PERLABITVR AVRA.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
CONTEMPTOR DIVVM MEZENTIVS, agminaq; armat.
Filius huic iuxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
Lausus equûm domitor, debellatorq; ferarum,
Ducit Agyllina nequicquam ex vrbe secutos
Mille viros: dignus patrijs qui lætior esset
Imperijs, & cui pater haud Mezentius esset.

PANDITE NVNC HELICONA DEÆ) Ex Homeri 2. Iliad.

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα:
Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν
Οἵτινες ἡγεμόνες Δαναῶν, καὶ κοίρανοι ἦσαν.

Vide etiam catalogũ populorum, qui Annibalem bellum Italiæ, Romanisq; inferentem secuti sunt, lib. 3. apud Silium.

Prodito Calliope fama, quos horrida cœpta
Exciverint populos, tulerintq; in regna Latini, &c.

Texit & Lucanus catalogum populorum, qui partes Pompeianas ciuili bello secuti sunt, 3. Pharsaliæ, ab eo loco, *Proxima vicina vires dat Gracia bello, &c.* ✠

Helicon mons Phocidis, Parnassi æmulus altitudine, sic dictus ab Helicone, qui ad eum cum Cithærone fratre singulari certamine decertauit, vnde vterque in montes sui nominis conuersus esse fingitur. Hunc postea montem Otus, & Ephialtus Musis consecrasse dicuntur. Hinc Musas Heliconiadas dici plerique arbitrantur. Hesiodus quidem sic appellat.

Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν,
Αἵ θ' Ἑλικῶνος ἔχουσιν ὄρος μέγα τε, ζάθεόν τε.
Incipiam a Musis Heliconis carmen alumnis,
Qua iuga sacra colunt montis, spatiosaq; terga.

De Helicone vide Strabonem lib. 8. Plin. lib. 4. cap. 7. De consecratione montis Rhodigin. lib. 22. cap. 8. Gyraldi Syntag. 7. Pausaniam in Boeoticis. Hæc Foquelin. proleg. in Persium. * *Super eodem versu,* Pandite nunc, *&c. vide quod dictum sit lib. 10. nam ibi ad verbum repetitur. De Musarum genere, conditione, numero dissensisse scriptores narrat in hæc verba Arnob. lib. 4. Musas Mnaseas est auctor, filias esse Telluris & Celi: Iouis ceteri prædicant, ex Memoria vxore, vel Mente. Has quidam virgines, alij matres fuisse conscribunt. Ephorus numero esse tres effert: Mnaseas quem diximus, quatuor: Myrtilus inducit septem: octo asseuerat Crates: ad extremum Hesiodus nouem cum nominibus prodit, dijs calum, & sidera locupletans.*

QVI BELLO EXCITI REG. QVÆ.Q. SECVTÆ) Hoc ad docilitatem, & attentionem pertinet.

QVIBVS ITALA IAM TVM FLOR.) Vult ostendere, bona longæ pacis nutrisse egregios viros, belli autem rabiem perdidisse, idcirco subiungit, *quibus arserit armis.* * *Dicit* iam tum, *id est, vetustissimis etiam illis temporibus: nam ante Virgilij valde floruisse, ex laudatione Italia, quam habes 2. Georg. perspicitur.*

ET MEMINISTIS ENIM DIVÆ, ET MEMOR. POT.) Caussæ petitionis. Et simul ad genus earum allusum: Mnemosynes enim, id est, memoriæ filiæ dicuntur. Ideo autem Iouis & Mnemosynæ traduntur filiæ, quod ijs qui ad disciplinas & scientias peruenire cupiunt, duo hæc inprimis necessaria sunt, intellectus, & memoriæ potestas: hoc Græci *μνημονικὸν*, illud *νοητικὸν* vocant.

A Gyrald. Syntag. de Musis.

TENVIS FAMÆ PERLAB. AVRA) Tenuis iungendum est cum *fama:* aura enim semper tenuis est. Non potuit elegantius leuem auditionem rerum ab eius ætatis memoria tam remotarum exprimere. Præter auditionem, eamq; tenuissimam, nihil habemus, diceret M. Tullius. ✠

PRIMVS INIT BELLVM) Ad exemplum Homerici catalogi Iliad. 2. conferat qui voluerit. Condemnatur apud Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 14. Virgilius, tum quod oppida vrbesq; non eo quo sitæ sunt ordine retulerit, tum quod nonnulli pugnantes inducantur, qui non sunt in apparatu belli numerati: cum B Homerus eosdem illos, quos nominauit in catalogo, solos pugnantes dicat, & Græciæ oppida, locaq; per ordinem referat. Responsum apologeticum perlegas, amabo te, apud Iouianum in Antonio, ab eo loco, Dicebat igitur similibus in rebus, &c. pag. 83. b. Aldinæ edit.

TYRRHENIS AB ORIS) Tyrrheni à Romanis Etrusci, & Tusci nominantur. Græci sic appellarunt à Tyrrheno, Atys F. qui eo coloniam ex Lydia duxerit. Fame enim & sterilitate coactus Atys, vnus ex Hercule, & Omphale prognatis, de duobus filijs alterum, Lydum nomine sortitò detinuit: alterum, Tyrrhenum cum maiori populi parte amandauit. Is cum in C Italiam venisset, regionem à suo nomine Tyrrheniam nuncupauit, & duodecim vrbes condidit, præfecto rei Tarconte, à quo Tarquinijs vrbi nomen est, &c. Strabo lib. 5.

CONTEMPTOR DIVVM MEZENTIVS) Adeo omnem pietaté in sacrificijs, quæ dijs exhibenda sunt, posuit, vt propter contrariam caussam vocauerit Mezentium contemptorem deorum. Neque enim (vt Aspro videtur) ideo contemptor diuûm dictus est, quod sine respectu deorum in homines impius fuerit. Alioqui multò magis de Busiride hoc dixisset, quem longè crudeliorem, illaudatum vocasse contentus est. Sed veram huius contumacissimi nominis caussam in 1. lib. Catonis D Originum diligens lector inueniet. Ait enim, Mezentium Rutulis imperasse, vt sibi offerrent, quas dijs primitias offerebant, & Latinos omnes similis imperij metu ita nouisse. IVPITER, SI TIBI MAGIS CORDI EST, NOS EA TIBI DARE POTIVS, QVAM MEZENTIO, VTI NOS VICTORES FACIAS. Ergo quod diuinos honores sibi exegerat, meritò à Virgilio dictus est contemptor deorum. Hinc pia illa insultatio Æneæ, Æneid. 11. *hæc sunt spolia, & de rege superbo Primitiæ.* Vt nomine contumaciæ, cuius pœnas luit, raptas de eo notaret exuuias. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 5.

AGMINAQVE ARMAT) Iouianus in Actio de Ahorum versuum numeris sic ait. Duce dactylo à crebritate eadem numerorum cœpit, in enarratione hac tam eximij apparatus. Atque vt rem ipsam velut magnam, horribilemq; futuram adæquaret numeris, taliq; principio finis quoque vt consonaret, intulit, *agminaq, armat.* Parum namq; consummatissimis eius aurium sensibus visum est, si conclusisset, *agmen & armat*, aut, *agmina cogens.* Itaque ab ipsis extulit pulmonibus, *agminaq, armat.* Vide igitur, quid collisio faciat suo in loco adhibita, quid artificiosus assultus contrudentium se vocalium.

QVO PVLCHRIOR ALTER NON FVIT, EXCEPT.) Homer. 2. Iliad.

Νιρεὺς ἀγλαΐας δ' ἦγε, χαρόποιθ' ἄνακτος
Νιρεὺς ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν, μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.

LAVRENTIS CORPORE TVRNI) Turni corpus pro ipso Turno dixit. Ita enim & Euripid. Hecuba *ἐγὼ τὸ μὲν σὸν σῶμ' ὑφ' ὅπερ εὐτυχὲν σώζειν ἑτοιμός εἰμι.* Et alibi, *ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τοῦδε δεσπότου δέμας Ἀγαμέμνονος.* Et in Phœnissis. *σὸν δέμας θηρώμενος.* Sic Horat. virtutem Catonis, pro Catone posuit, Ode 21. lib. 3.

Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Et alibi quoque eodem loquendi genere vsus est. *Virtus Scipiadæ & mitis sapientia Læli.* Sic & errorem Herculis posuit Propert. *Quæ miser ignaris error perpessus in oris Herculis.* Et scelus Polymnestoris, pro ipso Polymnestore.

Te scelus accepto Thracis Polymnestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.

German.

Dictum hoc quoq; ad Græcorum poetarum consuetudinem, qui *βίην ἡρακληείην*, & *βίην ἰφικληείην* pro Hercule, & Iphiclo dicunt, ad eundemq; modum alia multa. Quod & alij notarunt, & Plutarch. lib. aduersus Coloten. Vt ergo Virgil. & Horat. & alij græca dicendi genera expresserunt, ita facere oportet eos, qui se nostris temporibus poetas perhiberi volunt. Ex hac autem ratione videtur illud etiam Cic. pro Muræna. Illa pestis immanis, importuna Catilinæ prorumpat. Et lib. de Orat. 3. Illa humanitas, illa virtus L. Crassi morte extincta subitò est. Virtus, humanitas L. Crassi, ipsum Crassum significant. Muret. * *Notent & ista elegantiarum cupidiores. Ex Homero, βίη ἕκτορος, βίη πριάμοιο pro ipso Hectore, & Priamo. Ex Ennio, suauis sonus Egeriæ, pro Egeria nympha. Ex Virgilio, Violentia Turni, pro Turno. Ex Lucretio, equi vis, pro equo. Ex Ciceroneo in Aratea, vis torua leonis, pro leone. Et, vis magna nepai pro nepa.*

EQVVM DOMITOR, DEBELLATORQ. FERAR.) A virtute laudatur, cuius argumentum equitandi, venandiq; studium: nam & venatio quasi belli *συγγυμνασία* est.

AGYLLINA VRBE) De hac vrbe dicemus lib. sequenti, ad illud, *Vrbis Agyllinæ sedes, vbi Lydia quondam.*

NEQVIDQVAM SECVTOS) quia non erant reuersuri: & ipse quoque ab Ænea est interemptus.

DIGNVS PATRIIS QVI LÆTIOR) *Dignus* bis accipiendum est. Dignus, qui teneret patris imperium: & dignus, qui non diceretur Mezentio patre progenitus. Mezentius quippe à suis eiectus est propter crudelitatem inauditam, & impius fuit, vt Euander narrabit Æneæ libro sequenti: Lausus verò naturæ mitioris, religiosus, & fortis. Donatus.

Post hos insignem palma per gramina currum,
Victoresq; ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Auentinus: clypeoq; insigne paternum
Centum angues, cinctamq; gerit serpentibus hydram,
Collis Auentini sylua quem Rhea sacerdos
Furtiuum partu sub luminis edidit oras,
Mista deo mulier: postquam Laurentia victor
Geryone extincto, Tirynthius attigit arua,
Tyrrhenoq; boues in flumine lauit Iberas.
Pila manu, sæuosq; gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone, veruq; Sabello.
Ipse pedes tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta, cum dentibus albis,
Indutus capiti: sic regia tecta subibat,
Horridus, Herculeoq; humeros innexus amictu.

INSIGNEM PALMA CVRRVM) Venit etiam Auentinus ad bellum. Hic filius Herculis fuit: vehebatur curru cum signo palmæ, more scilicet triumphantis, gestans clypeum cum hydræ serpentibus, vt hoc genere demonstraret gloriam patris. qui eam contriuerat tot capitibus venenatis armatam. Donat.

SATVS HERCVLE PVLCHRO) De proceritate Herculis, & habitu corporis consule, si lubet, Gell. lib. 1. cap. 1. Titium lib. 2. cap. 22. *pulcher* deorum, dearum, hominumq; illustrium apud poetas epitheton est. Ouid. 15. Metamorph. Æsculapium pulcherrimum nominat. Martial. lib. 10. epig. 28. Ianum pulcherrimũ. Martianus Capella lib. 1. Iunonem pulchram. Horat. lib. 1. epist. 16. Lauernam pulchram. Ennio Romulus pulcher, & Ouid. 6. Fast. Notat Paul. Merula in Frag. Ennij.

INSIGNE PATERNVM CENTVM ANGVES) *Vt se Herculis filium ostenderet, gerebat in clypeo imaginem hydræ, cinctam anguibus multis, & serpentibus, quam interfecit in Lernaa palude Hercules.*] Hoc autem insigne mutuatus est Virgilius ab Euripid. qui in Phœnis. idem Adrasto assignat.

Τοῖς δ' ἑβδόμοις ἄδερτος ἐν πύλαισιν ἦν,
Ἐρῶδιν ἐχίδνης ἀσπίδ' ἐκπληρῶν χερῷ ὕβρει.

German.

COLLIS AVENTINI SYLVÆ) Vnde nomen huic colli, Liuius lib. 1. his verbis prodidit. Post Agrippam Romulus Syluius à patre accepto imperio regnat. Auentino, fulmine ipse ictus, regnum per manus tradidit. Is sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanæ vrbis, cognomen colli fecit. Varro sic de ling. lat. lib. 1. Auentinum aliquot de caussis dicunt. Næuius, ab auib⁹, quod eò se ab Tiberi ferrent aues: alij ab rege Auentino Albano, quod ibi sit sepultus: alij ab aduentu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum. Ego maximè puto ab aduectu: nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus. Itaque eò ex vrbe qui aduehebantur ratibus, quadrantem soluebant, &c.

FVRTIVVM PARTV EDIDIT) Consule 4. Georg. ibi, *Vulcani, Martisq́; dolos, & dulcia furta.* Tali genere laudationis plenū affirmat Sallustiū Donatus: nam & ipse multos collaudat, ac deprimit adiecta vituperatione.

SVB LVMINIS EDIDIT ORAS) Require quæ de hoc dicendi modo protulimus. 2. Georg. non longè ab initio, ad illud, *Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras*, vbi *oras* legatur rectius.

MISTA DEO MVLIER) Græcum verbum *μίσγεσθαι* misceri significat, id est, coire: etiam apud Paulum Æginetam lib. 1. Apud Homerum frequens est hac significatione. Rhodigin. lib. 4. cap. 7.

Huc adscribendum, quod probè notauit Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 16. Vterq; (Homerus & Virgil.) in Catalogo suo post difficillimam rerum, vel nominum narrationem, infert fabulam versibus amœnioribus, vt lectoris animus recreetur. Homerus inter enumeranda regionum, & vrbium nomina facit locum fabulis, quæ horrorem satietatis excludant. Virgilius in hoc secutus auctorem in priore catalogo, modò de Auentino, modò de Hippolyto fabulatur: in secundo, qui est lib. 10. Cygnus ei fabula est. Et sic amœnitas intertexta, fastidio narrationum medetur. * *Mulierem dixisse compendiosè vult Seruium, pro, mortalis: consequens namq; fuerat, vt diceret, mixta deo mortalis. Tamen melius dicemus, reddidisse Homericum hoc, γυνὴ θεῷ εὐνηθεῖσα. Super vocabulo isto* mulier, *accipe ex Tertulliani lib. de velandis virginibus. Mulier, genus est: nupta, virgo, vidua species. Et significat sexum, non virum passam. Ibid. Mulier non naturā nomen est vxoris: sed vxor conditione nomen est mulieris. Et mulier non vxor dici potest: non mulier autem vxor dici non potest, quia nec esse. Hæc ille. Sæpe tamen mulier pro virum experta. Vnde apud Comicos, aliquam facere mulierem. Et illud Cic. de Publilia, cras mulier erit.*

POSTQVAM LAVRENTIA VICTOR) Hoc dicit, vt appareat tempus, quo admissum est stuprum.

GERYONE EXTINCTO) Confer huc, quæ posita inuenies lib. 8. ad illum locum, *Tergemini neceq́; Geryonis*, quæq; antecedunt, recitata ex Liuio de bobus Herculis, & pastore Caco. Quare triceps fingatur Geryon, consule Seruium.

LAVRENTIA TIRYNTHIVS ATTIGIT ARVA) Laurentum ciuitas plurimum potuit, nam omnia vicina loca eius imperio subiacuerunt, vnde nunc ait, *arua Laurentia:* quum iuxta Tiberim Hercules armenta pauerit. Sed secundùm antiquum situm ante Albam, & Romam Tiberis Laurentini fuit territorij. Seruius. Dicitur Tirynthius Hercules, à Tirynthe oppido Argis vicino, vbi nutritus.

PILA MANV) De pilo agit disertissimè Lipsius Milit. Rom. lib. 3. dial. 4.

SÆVOS DOLONES) Dolon, inquit Seruius, est flagellum, intra cuius virgam latet pugio: aut secundum Varronem ingens contus, cum ferro breuissimo, à fallendo græce dictus, id est, à dolo, quod decipiat ferro, cum speciem ligni præ se ferat. Apertius Isid. lib. 18. cap. 9. Dolones sunt vaginæ ligneæ, intra quas latet pugio sub baculi specie. Tranquill. in Claudio: reperti equestris ordinis duo, in publico, cum dolone, ac venatorio cultro, præstolantes. Iurecons. l. si ex plagis, ad l. Aquil. Flagello, inquit, quod in manu habebat, in quo dolon inerat, vulnerare tabernariū cœperat. Hesychius. *Δόλωνες ξιφίδια ἐν ξύλοις ἐγκεκρυμμένα.* Liuio est velum nauticum. lib. 4. decad. 4. sublatis raptim dolonibus, Ephesum petunt fuga, & alibi.

VERVQVE SABELLO) Nomen huic telo, & formatio ab ipso veru. Festus, Veruta, pila dicuntur, quod veluti verua habeant præfixa. Itaq; alij veruinam dixerunt, quæ vox in Plauto: & Isidorus explicat, Veruina, iaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant. Spiculum tenue est, & longum, aptum forare. Virgilius velut propriū Samnitium facit. Immo Grammatici nomen eorum hinc petunt. Samnites ijdem cum cum Sabellis. Quamuis igitur primò, & propriè vsi Samnites, tamen & alij Itali: tribuitq; Volscis poeta Georg. 2. Liuius leui armaturæ tribuit, sed veteri, initio belli Punici secundi, Romani pedites verutis coniectis auertere elephantos. Meminerunt verutorum alij quoq;, inferiori etiam æuo, vt Plinius, Ammianus, Vegetius. Diffusius ista Lipsius Poliorcet. lib. 4. dial. 4.

TEGM. TORQVENS IMM. LEONIS) Præter signum hydræ, quod gerebat in scuto, opertus fuit etiam leonis pelle, exemplo patris incedens, vt terrorem videntibus immitteret: nec satis fuit aliqua arte, vel subtilitate cōpositus, sed cum ipsis dentibus, & rictu leonis horrebat, vt qui eum videret, Herculem putaret esse præsentem. Donatus.

Ipsas leoninas exuuias sumebant, & sic aptabant, vt caput capite velarent, cæteris humeros, & dorsum. Homerus de Agamemnone, *Ἀμφὶ δ' ἔπειτα δαφοινὸν ἑέσσατο δέρμα λέοντος Αἴθωνος, μεγάλοιο, ποδηνεκές. Atq; humeros circumiecit pellem inde leonis Ardentis, magni, crurum tenus.* Nec de nihilo hoc poeta Romanus: quoniā & Romani in sua militia vulgò vsurparunt, & adnoto in columna Traiani signiferos omnes semper in hoc habitu, cum pelle dico leonis, quæ caput, humeros, dorsum tegat, & cauda pedes flagellet. Etiam in Tacito, Germanicus contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias. Lipsius de Militia Rom. lib. 3. dial. 1. Ibidem plura de galea.

Herculem illum Ægyptium, qui cum Osiride Italiam ab amarissimo gigantum iugo liberauit, omnium primum leonis insignia gestasse tradunt. Et leoninum spolium, virtutis est Hieroglyphicum, quod fugit neminem vel modicè literatum. Nec tamē leonis solum, verum & aliarum generosarū animantium exuuias eodem consilio gestare heroicum fuit: id quod satis vel ex vno Virgilio discere possumus. De Aceste lib. 5. *occurrit Acestes Horridus in iaculis, & pelle Libystidis vrsæ.* De Euandro in 8. *Demissa ab læua panthera terga retorquens.*

Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem,

Catillusq́; acerq́; Coras, Argiua iuuentus.
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur:
Ceu duo nubigenæ, cùm vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Omolen, Othrynq́; niualem
Linquentes cursu rapido: dat euntibus ingens
Sylua locum, & magno cedunt virgulta fragore.
Nec Prænestinæ fundator defuit vrbis,
Vulcano genitum pecora inter agrestia Regem,
Inuentumq́; focis omnis quem credidit ætas,
Cæculus. hunc legio latè comitatur agrestis:
Quiq́; altum Præneste viri, quiq́; arua Gabinæ
Iunonis, gelidumq́; Anienem, & roscida riuis
Hernica saxa colunt: quos diues Anagnia pascit,
Quos Amasene pater. non illis omnibus arma,
Nec clypei, currusúe sonant: pars maxima glandes
Liuentis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu, fuluosq́; lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti: vestigia nuda sinistri
Instituêre pedis, crudus tegit altera pero.

TVM GEMINI FRATRES) Geminos aut simul natos dixit, aut duos: sicut plurimis locis vsus est hoc modo. *gemini à Tenedo tranquilla per alta*, &c. de duobus serpentibus. Item. *huc geminas nunc flecte acies*. Et, *gemina cum forte columba*. Donatus.

Catilli, qui Amphiarai filius erat, filij fuerunt Tyburtus, Catillus, Coras. Tiburtus, qui idem & Tiburnus dicebatur, & Tiburi prò numine colebatur (cui etiam lucus erat ibi sacratus, ab Horatio memoratus, in quo & Tiburti lucus, & Tiburni reperitur in exemplaribus, vtrumq; rectè, cum heros ille duobus nominibus vocaretur) oppidum Tibur condiderat, vt ait hic Maro, & refert Solinus cap. 8. Horat. tamen Ode 18. lib. 1. videtur existimare, Tibur à Catillo conditum fuisse, cum Tibur mœnia Catilli vocet: & Catonis sententia fuit, eam vrbem positam à Catillo Arcade, præfecto classis Euandri fuisse. Turneb. lib. 22. cap. 3.

CEV DVO NVBIGENÆ) Sic ibant Catillus, & Coras elati superbia, & fidentes virtute, itáque apparebant, vt centauri venire putarentur, quum descendunt è verticibus montium, & his cedunt omnia currentibus. *Nubigenas* vocat Centauros, quia ex Ixione, & nube in speciem Iunonis conformata, geniti.

ET MAGNO CED. VIRGVLTA FRAG.) Quum cedit sylua, cedunt vtiq; virgulta: à minore autem ad maius venire debuerat. Seruius.

VVLCANO GENIT) De origine huius Cæculi, & qua occasione Vulcani filius sit creditus, & quamobrē Cæculus appellatus, lege cōmentum, quod narrat Seruius.

LATE LEGIO COMITATVR AGRESTIS) truci natura, atque aspera. Et copiosissimum erat agmen: nam cum dicit, *late comitatur*, infinitum in modum diffusam multitudinem fuisse significat. Donat.

QVIQVE ARVA GABINÆ IVNONIS) Gabij diu in agris morati, tandem Gabios condiderunt: vnde peritè arua dixit, non, mœnia. Sanè illic Iuno religiosissimè colebatur. Seruius.

GELIDVMQVE ANIENEM) Dum regionem Tiburtinam alijs præfert, vt amœnissimam, meminit etiam huius fluminis Horat. Ode. 7. lib. 1. *Et præceps Anio, & Tiburni lucus*, &c. Halicarnass. lib. 5. Ex vrbe Tibure, inquit, deorsum de celso scopulo multam aquam effundit. Labitur autem per Sabinorum, & Romanorum campum, vtrorumque regionem definiens. Influit autem hic fluuius in Tiberim, aspectu quidem pulcher, potu autem iucundus.

DIVES ANAGNIA) Aut fertilis, aut allusit ad historiam. Antonius enim, postquam contempta sorore Octauij duxit Cleopatram, monetam eius in Anagnia ciuitate iussit fieri. Seruius.

NON ILLIS OMNIB. ARMA) Illis omnibus non fuerunt armorum cultus ex more bellantium: seu, nō fuerunt satis instructi armis. Alij enim ipsorū, & complures, plumbeis massulis pugnabant. Alia pars fidebat spiculis binis. Pro galea, habebant galeros ex lupinis pellibus, pedem vnum nudum, alterum tectum perone. ¶

GLANDES LIVENT. PLVMBI SPARGIT) Propert. lib. 4. *Plumbea cum torta sparguntur pondera funda.*

LVPI DE PELLE GALEROS) Olim galeæ ex diuersorum animalium pellibus conficiebantur, quod patet ex ipsis nominibus apud poetas. Sunt enim apud illos κυνέας, λυκέας: sic etiam, quod ex felina pelle fierent, γαλέας dictæ, γαλῆ enim felis, vel simile animal ei, quod Græci vocant ἴκτιν. Quare & Homerus quoque galeam ἰκτιδέην vocauit. Scalig. F. in Varron. Vide & Steuechiū ad Veget. lib. 2. cap. 16. Item Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20. De calcis illis Romanis Propertius lib. 4. eleg. 1. *Et galea hirsuta compta lupina iuba.* Stat. lib. 4. Thebaid. *Ille Lycaonia rictu caput asperat.* Quin & Claudian. lib. 1. de laud. Stilicon. Afris dat è serpentibus. *Serpentum gestant patulos pro casside rictus.* Hæc talia *galeros* appellat Virgil. & Frontinus veliti nostro galericulos adaptat. Silius cudones dixit, *caput bis cudone ferino Stat cantum.* Iterum, *cudone comatos Disiecit crines.* Græci quoque talibus galeris, seu galeis vsi. Lipsius Milit. Rom. lib. 3. dial. 1.

VESTIGIA NVDA SINISTRI PEDIS) Hunc morem in Italia fuisse, vt vno pede calceato, altero nudo iretur

iretur in bellum, nunquam adhuc, quod sciam, reperi: A sed eam nonnullis Græcorum consuetudinem fuisse, locuplete auctore iam palam faciam. In qua quidem re mirari est poetæ huius occultissimam diligentiam. Qui cum legisset Hernicos, quorum est Anagnia, à Pelasgis oriundos, appellatosque ita à Pelasgo quodam duce suo, qui Hernicus nominabatur: morem quem de Ætolia legerat, Hernicis assignauit, qui sunt vetus colonia Pelasgorum. Morem verò Ætolis fuisse, vno tantummodo pede calceato in bellum ire, ostendit Euripid. &c. lege Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 18.

CRVDVS PERO) Calceus rusticus è crudo corio. Altus autem erat ad mediam tibiam, quo minus luto, & limo aratorũ pedes inficerentur. Iuuenal. *quem non pudet alto Per glaciem perone tegi.* Bud. in Pand. ait esse tibialia laxa, quibus Gallicani rustici vterentur, sic dicta, quod peræ modo sint informia. Græci porrò πεζέταιρον militem altero pede nudum, altero armatum vocant. Inde & Philippi seruos πεζεταίρους dictos volunt. German. * *A perone fit peronatus id est peronibus calceatus. Persius Sat. 5.* Nauim si poscat sibi peronatus arator.

At Messapus equûm domitor Neptunia proles,
Quem neq; fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
Iam pridem resides populos, desuetaq; bello
Agmina in arma vocat subitò, ferrumq; retractat.
Hi Fescenninas acies, æquosq; Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flauiniaq; arua,
Et Cymini cum monte lacum, lucosq; Capenos.
Ibant æquati numero, regemq; canebant:
Ceu quondam niuei liquida inter nubila cygni,
Cum sese è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia longè
Pulsa palus.
Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto
Vrgeri volucrum raucarum ad littora nubem.

EQVVM DOMITOR) Inspice quæ lib. 12. super hoc eodem, *equûm domitor* scripsimus.

NEPTVNIA PROLES) Per mare ad Italiam venit, vnde Neptuni dictus est filius: quem inuulnerabilem ideo dicit, quia nusquam perijt bello. Seruius.

NEQVE FAS IGNI) Fas pro eo, quod Græcis est ὅσιον, sæpius reperias: vt apud Tibull. lib. 1. eleg. 9. *Nec tibi celanti fas sit peccare.* Et fortasse eleg. 5. *proprios ego tecum, Sit modo fas, annos contribuisse velim.* Propert. lib. 1. *Mi neq; amare aliam, neq; ab hac discedere fas est.* Cæsar. lib. 1. de bello Gall. Eos ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante nouam lunam prælio contédissent. Collegit Lamb. in illud Horatij Ode 4. lib. 4. *Nec scire fas est omnia.* Sic nefas pro impossibili. Horat. Ode 11. lib. 1. *Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi Finem dij dederint Leuconoë.* Et Ode. 24.

Durum, sed leuius fit patentia,
Quidquid corrigere est nefas.

DESVETAQVE BELLO AG. IN ARMA VOCAT) Ad euocatos respexit. Hi ex ciuibus, è socijs; ex equite, ex pedite sumebantur: sed rogatione, & precibus, ideo Euocati dicti. Veterani enim fuerunt, gnari, prudentesque militiæ, qui expletis stipendijs sponte in gratiam consulum, aut ducum militiã sumebant. Et quia sępe litteris, aut nuntijs nominatim euocabãtur, inde habuere nomen. Dio ait, id est, ἀνακλήτους græcè, reuocatos dici posse: quod defuncti militia, iterũ ad eam reuocentur. Quod autem Seruius, & Donatus hoc factum volunt non nisi in tumultu, non hoc dedero: immo ordinario, & vulgò in omni fere bello. Quod tamen origo prima à tumultu, libens concedam. Hæc & plura Lipsius de Euocatis, lib. 1. de Militia Rom. dial. 8.

HI FESCENNINAS ACIES) Fescennium oppidum est Campaniæ, vbi nuptialia inuenta sunt carmina.

IBANT ÆQVALI NVMERO) Digesti in ordinem congruenter, sicut decebat.

CEV QVONDAM NIVEI) Homericam esse comparationem monet Seruius, ex Iliad. β.

LIQVIDA INTER NVBILA) pura: sed nil tam contrarium nubibus: nam liquidæ non sunt. Ergo nubes pro aëre posuit, vt, *liquidis in nubibus arsit arundo.* Seruius. Sequuntur versus Homerici.

Τῶν δ' ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα
Ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται, ἀγαλλόμενα πτερύγεσσι
Κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών.

LONGA CANOROS DANT PER COLLA MOD.) Secundum Plin. qui ait in naturali historia, cygnos ideo suauius canere, quia colla longa, & inflexa habent. Et necesse est eluctantem vocem per longum, & flexuosum, varias reddere modulationes. Seruius.

SONAT AMNIS) Cayster, cui cohæret Asia palus.

ASIA PALVS) Asia nomen in palude primam producit, vt hic. Sic ἀσίῳ ἐν λειμῶνι apud Homerum, vt iam vidisti. Turneb. lib. 28. cap. 21.

Ecce, Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magniq; ipse agminis instar:

Claudia nunc à quo diffunditur & tribus, & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Vnà ingens Amiterna cohors, prisciq; Quirites,
Ereti manus omnis, oliuiferæq; Mutuscæ:
Qui Nomentum vrbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentes rupes, montemq; Seuerum,
Casperiamq; colunt, Forulosq;, & flumen Himellæ:
Qui Tibrim, Fabarimq; bibunt: quos frigida misit
Nursia, & Hortinæ classes, populiq; Latini:
Quosq; secans infaustum interluit Allia nomen.
Quam multi Libyco voluuntur marmore fluctus,
Sæuus vbi Orion hybernis conditur vndis:
Vel cum sole nouo densæ torrentur aristæ
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flauentibus aruis:
Scuta sonant, pulsuq; pedum tremit excita tellus.

ECCE SABINORVM) Vsurpauit hoc. Nam Clausus A dux Sabinorum post exactos reges cum quinque millibus clientum, & amicorum venit, & susceptus, habitandam vrbis partē accepit, ex quo & Claudia tribus, & familia est nominata. Seruius. Gentis Claudiæ à Clauso deductæ mentionem facit honorificam Tacitus Annal. 12.

MAGNIQVE IPSE AGMINIS INSTAR.) *πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων*, vt Homerus dixit de medico. Cum Dauid rex cū agmine suo aduersus filium Absolonem vellet egredi, non id permiserunt, qui ab eo stabant, luculentū sanè ei præstantiæ testimoniū impertientes, hoc dicto. Non exibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit B è nobis, non satis curabunt, quia tu vnus pro decem millibus computaris. ☙

IN PARTEM DATA ROM. SABINIS) Postquam in ciuitatem accepti sunt. Hoc de alia traxit historia. Nam post Sabinorum raptum, & factum inter Romulum, & T. Tatium fœdus, recepti in vrbem Sabini sunt, sed hac lege, vt in omnibus essent ciues Romani, excepta suffragij latione. nam magistratus nō creabant. Seruius. * *Nihil hac historia notius. Vide Liuium lib. 1. Acceperunt autem nomen Sabini ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, à deorum cultu, vel à Sabo duce, vt est apud Silium Italicum lib. 8. Vide & Alex. ab Alex. 5. cap. 26.*

VNA INGENS AMITERNA COHORS) Legio Romanis habebat decem cohortes. Cohors habuit hastatos, princeps, triarios, è singulis manipulum vnum. Itaque constabat manipulis, & veliribus, qui manipulos solent comitari. Iusta, plenaq; legionaria cohors hoc modo fuit homines quadringenti, & viginti. Quod si C pleniores manipuli, aut legiones, plenior scilicet etiam ipsa. Lege plura apud Lipsiū de Milit. Rom. lib. 2. dial. 4.

PRISCIQVE QVIRITES) *prisciquè Quirites*, id est, Sabini. Prisci autem ideo, quia post fœdus Titi, & Romuli placuit, vt quasi vnus de duobus fieret populis: vnde & Romani Quirites dicti sunt, quod nomen à Sabinorum ciuitate Curibus fuerat, & Sabini à Roma dicti sunt Romani.

QVI TIBRIM, FABARIMQVE BIBVNT) Poetæ sępius gentes indicant per fluuios, ad quos habitant. *Bibunt*, mallem de ipsa regione, & agris intelligere, quā de hominibus, vt esset contentum pro continente. Etsi scio priscos mortales fuisse *ὑδροπότας* magis, quam *οἰνοπότας*. ☙

INFAVSTVM INTERLVIT ALLIA NOMEN) Flumen est Allia, quod à montibus Crustuminis, vndecimo ab vrbe lapide in Tiberim defluit, auctor Plin. Liuius lib. 5. Apud hoc flumen exercitus pop. Rom. aduersus Gallos dimicans, occidione occisus est. Alliensis dies, ait Festus, dicebatur à Romanis obscœnissimi ominis, ab Allia fluuio scilicet, vbi Romanus fusus à Gallis exercitus est. Vide Plutarch. Quæst. Rom. quæst. 25. De die Alliensi Liuius lib. 6. diemque ad 15. Kalend. Sextil. duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabij cæsi: quo deinde ad Alliam cum exitio vrbis fœdè pugnatum est, à posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemq; nulli rei publicè, priuatimque agendæ fecerunt. De hoc Ouid. 1. de Arte.

Tu licet accipias, qua flebilis Allia luce
Vulneribus Latijs sanguinolenta fuit.

Lucan. lib. 7. *Et damnata diu Romanis Allia fastis.*

SÆVVS VBI ORION) Et ortus, & occasus sideris huius tempestuosus est. De ortu lib. 1. Ilioneus. *Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.*

SOLE NOVO) prima æstatis parte.

AVT HERMI CAMPO) Hermus Lydiæ fluuius, qui superfusus campis, gignit fertilitatem. vnde arenas aureas fingitur trahere. Seruius.

LYCIÆ FLAVENT. ARVIS) propter copiam flauentium segetum: fertiles enim Lycia.

PVLSVQVE PEDVM TREM. EXCITA TELLVS) Et multitudinem ingredientium, & grauitatem, seu pondus corporum armatorum hac hyperbole voluit exprimere. Homer. Iliad. 2. *ὑπὸ ποσσὶ μέγα στεναχίζετο γαῖα Ἐρχομένων.* ☙

Hinc Agamemnonius Troiani nominis hostis
Curru iungit Halesus equos, Turnoq; feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, & quos de collibus altis

Autun-

Aurunci misère patres, Sidicinaq; iuxta
Æquora: quiq; Cales linquunt: amnisq; vadosi
Accola Vulturni, pariterq; Saticulus asper,
Oscorumq; manus. teretes sunt aclides illis
Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello.
Læuas cetra tegit, falcati cominus enses.
NEC TV CARMINIBVS NOSTRIS INDICTVS ABIBIS
Oebale, quem generasse Telon Sebethide Nympha
Fertur, Teleboûm Capreas cùm regna teneret
Iam senior. patrijs sed non & filius aruis
Contentus, latè iam tum ditione premebat
Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus:
Quiq; Rufas, Batulumq; tenent, atq; arua Celennæ:
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ,
Teutonico ritu soliti torquere cateias:
Tegmina queis capitum raptus de subere cortex:
Æratæq; micant peltæ, micat æreus ensis.
Et te montosæ misêre in prælia Nursæ
Vfens, insignem fama, & felicibus armis.
Horrida præcipuè cui gens, assuetaq; multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis:
Armati terram exercent: semperq; recentes
CONVECTARE IVVAT PRÆDAS, ET VIVERE RAPTO.

HINC AGAMEMNONIVS HALESVS) Plerique comitem, pleriq; nothum filium Agamemnonis volunt: qui cum venisset in Italiam, audito Æneæ aduentu, in bellum ruit, non amore Turni, sed odio hostilitatis antiquæ, vnde ait, *Troiani nominis hostis*. Seruius.

Halesus Faliscorum conditor fuit. Ouid. 3. Amor. eleg. 12.

Argiua est pompa facies Agamemnone caso,
Et scelus, & patrias fugit Halesus opes.
Iamq; pererratis profugus terraq;, mariq;
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille suos docuit Iunonia sacra Faliscos,
Sint mihi, sint populo semper amica suo.

CVRRV IVNGIT EQVOS) Iungere equos, seu currui iungere, notissimum loquendi genus. Contrarium est, abiungere, seu dijungere. Paulò diuersius, interiungere, hoc est, deiungere equos, separare à curru, donec cibo recreati sint. Abiugassere quoque est idem quod abiungere, ἀποζεῦξαι, Glossarium. Martial. lib. 2.

Et cum currere debeas Bouillas,
Interiungere quaeris ad Camœnas

Idem lib. 3.

Exarsitq; dies, & hora lassos
Interiungit equos meridiana

Habet enim dictio, inter, significationem saparationis. Alciat. Parerg. lib. 8. cap. 14. Scalig. F. in Propert.

MILLE RAPIT POPVLOS) Raptim ducit. Exin Campaniæ loca commemorat.

OSCORVMQVE MANVS) Osci Campaniæ populi fuerunt, ab Osco rege ita appellati: quorum præcipuæ vrbes erant Puteoli, Baiæ, Cumæ, Neapolis. Hi & Opici, quasi Ophici dicti sunt, ἀπὸ τῶν ὄφεων, quod plurimis ea regio serpentibus scateat: vel quod eorum regi insigne erat serpens. Horum lingua, vt testatur Eudoxus lib. 6. περιόδου τῆς γῆς, diuersis linguis commista fuit: qua Romani, cum ea gens deficeret, in ludicris vsi cœperũt. Quod hoc Titinnij loco ex fabula, cui Quinctus nomen erat, comprobari potest. *Qui Oscè, & Volscè fabulantur, nã latinè nesciunt.* Vide Plura apud Hieron. Columnam in vita Ennij.

TERETES SVNT ACLIDES) Nominantur & à Trebellio in Claudio. Quidam sic ea tela dicta putant, quasi ἀκίδες, ab acumine, & cuspide: ego iacula crediderim ansata, vel amentata: amentum enim Maro significare videtur, cum flagellum lentum dicit (*sed hæc lento mos est aptare flagello*) quod est loreum amentum. Cum enim è loro flagella fiant, per transnominationem, lorum videtur flagellum dixisse. Iacula autem intellexisse Maro videtur, cum teretes appellauit, nam teres est iaculorum hastile, ἀγκύλαι autem Græcis iacula quædam sunt: & per diminutionem inde ἀγκυλίδες dici possunt. Vnde luxata, fractaque paulùm voce, aclides à Latinis appellatæ. Turneb. lib. 30. cap. 31.

Lipsius hæc Poliorcet. lib. 4. dial. 4. Exiguum & teres quoddam missile fuit. Plures ferebant, vt in Valer. Flacco lib. 6. *Nec procul albentes, gemina fert aclide, parmas.* Sed quid ita Virgil. flagello aptat? quo sensu? An vt summis virgis arborum, flagellisque insertæ fuerint non duris, robustisq; stipitibus? An flagellum hîc lorum, & amentum? an denique loris reuinctas fuisse, sic, vt missæ recipi possent, & redire?

FALCATI COMINVS ENSES) Affectauit varietatem. Nam consequens fuerat, vt diceret, dextras armarunt gladij falcati. Sunt enses incurui, quos Græci harpas vocant, qualem tribuunt Perseo poetæ, qui etiam falces vocantur. Higyn. lib. 2. astronom. poet. de Perseo: qui etiam falcem tenere dicitur, quo telo Gorgonem interfecit. Inde falcarij apud Cic. in 2. Catilin. vocati ab hoc genere ensis falcati. Turneb. libro 26. cap. 28.

TELEBOVM CAPREAS) Quum teneret Capreas regna Teleboarũ: nam Teleboæ Caprear. sunt populi, quos Telo suo regebat imperio. Filius verò Oebalus patrijs non contentus imperijs, transijt ad Campaniam, & multis populis subiugatis, suum dilatauit imperium. Seruius. Don.

TEVTONICO RITV CATEIAS) Teli Gallici genus est. A vicino sumpsit nomen, vt Gallos appellaret Teutonas. Isidorus ita. Cateia, quam Horatius caiam dicit, est genus teli Gallici, ex materia quam maxime lenta, quæ iacta quidem, non longe propter grauitatem euolat, sed quò peruenit, vi nimia perfringit. Quod si ab artifice mittatur, rursus ad eum redit qui misit. Huius Virgilius meminit, *Teutonico ritu soliti torquere cateias.* Vnde eos Hispani, & Galli Teutonos vocát. In his verbis emendat Lipsius libro, & dialogo supra nominatis tria. Nam pro Horatio legit *Dorcatio*, quem & alibi Diodorus citat, & pro caiam, ex libro scripto *cauam*, à forma nimirum. Vnde & Silius lib. 3. pandam dixit, *panda manus est armata cateia.* Nam panda, & caua eadem, diuerso situ, aut aspectu. Denique pro Teutonos, Teatanos.

RAPTVS DE SVBERE CORTEX) Recens suberis cortex, in quãuis formã tota flectitur facilitate Seruius.

MONTOSÆ NVRSÆ) ciuitas in montibus posita.

HORRIDA PRÆCIPVE CVI GENS) Æquicolam gentem laudat, vt morum, & vitæ qualitate prædurani. Sanè aliud pendet ex alio. Ideo erant horridi, quia venabantur. Ideo venabantur, quia habebant duras glebas, id est, infertiles, nam molles, feraces sunt. Seruius.

CONVECTARE PRÆDAS, ET VIVERE RAP.) Ouid. 1. Metamorph. *Viuitur ex rapto.* Idem versus à Numano profertur lib. 9.

Quin & Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam, & felici comptus oliua,
Archippi Regis missu, fortissimus Vmbro.
Vipereo generi, & grauiter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuq;, manuq; solebat,
Mulcebatq; iras, & morsus arte leuabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Eualuit: neq; eum iuuêre in vulnera cantus
Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi fleuere lacus
Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius: insignem quem mater Aricia misit
Eductum Egeriæ lucis, Hymettia circum
Littora: pinguis vbi, & placabilis ara Dianæ.
Nanq; ferunt fama Hippolytum, postquam arte nouercæ
Occiderit, patriasq; explerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætheria, & superas cæli venisse sub auras,
Pæonijs reuocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquẽ indignatus ab vmbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis, & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad vndas.
At Triuia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Egeriæ, nemoriq; relegat:
Solus vbi in syluis Italis ignobilis æuum
Exigeret, versoq; vbi nomine Virbius esset.
Vnde etiam Triuiæ templo, lucisq; sacratis
Cornipedes arcentur equi, quòd littore currum,
Et iuuenem monstris pauidi effudere marinis.

Filius

Filius ardentes haud secius æquore campi
Exercebat equos, curruq; in bella ruebat.

MARRVBIA DE GENTE) Marrubios esse Marsorum populos, non fere est qui nesciat. Plinius quoq; auctor est, Marsos à Circes filio ortos, ob idque affuisse illis ingenitam vim contra serpentes. Quin & Angitios putant nuncupatos, quod obluctantes angerent serpentes. Firmicus quoque Matheseos 4. in lunæ decretis. Si, inquit, in Saturni domo fuerit ista coniunctio, tortores, aut carnifices fient, aut Marsi tales, qui aspides venari consueuerunt. Rhodigin. lib. 6. cap. 16.

FRONDE SVPER GALEAM) Vates, & sacerdotes coronati, infulatique erant. Sic Papin. lib. 3. Thebaid.

Huc gemini vates sanctam canentis oliua
Fronde comam, & niueis ornati tempora vittis.

Turneb. lib. 19. cap. 3.

VIPEREO GENERI) Quærat ex me quispiam, quodnam esse genus serpentis putem, quæ passim dicitur Latinè vipera: in Græcorum verò litteris echidna, nam mas echis nuncupatur. Ego quantum coniectura ducor, viperam suspicor vulgò dici marassum: quæ nomenclatura nec barbara est, nec citra rationem excogitata, quippe à Marsorũ populis interpretatione etymologica duci nomen videtur, quia id genus maximè consectarentur Marsi, & circumferrent. Quod ne quis pro libidine confictum auctore nullo arbitretur, significat id maximus artis medicæ magister Galenus, volumine 11. simplicium medicament: nec non ad Glauconem. Innuit & poeta nobilis hisce versibus. *Quin & Marrubia*, &c. Rhodigin. lib. 6. cap. 16.

CANTVQVE MANVQVE SOLEBAT) In veneficijs non tantùm est carminibus locus, sed etiã manui, id est, ijs, quæ fiunt manus opera: vt cũ adhibentur herbæ, medicamenta, mala venena, etiam quædam interdum vincula. Sic apud Plaut. Amphit. *Nescio quid mali est mala obiectum manu.* Id est, nescio quis veneficus eius mentem manus suæ ministerio excantauit. Turneb. lib. 4. cap. 15.

MORSVS ARTE LEVABAT) Leuiores esse faciebat.

SED NON DARD. MED. CVS. ICT.) Simile illud, *Sed non augurio potuit depellere pestem.*

MARSIS IN MONTIBVS) Parua quædam pars Italiæ Marsorum regiuncula, in Apennini iugis vltra Picenum, à Marso Vlyssis, & Circes filio dicta.

VITREA TE FVCINVS VNDA) A claritate, splendoreque aquarum dicitur fons, aut flumen vitreum. Horat. Ode 13. lib. 3. *O fons Blandusiæ splendidior vitro.* Vbi vetus interpres, laudari fontem à perspicuitate per comparationem dicit, & hunc Virgilij locum adducit. Claud. 1. de raptu. *Ceperat & vitreus summo iam margine texti Oceanum sinuare vadis.* Apuleius, videt fontem vitreo latice placidum. Et lib. 1. Milesiar. Lenis fluuius in speciem placidæ paludis ignauus ibat, argento, vel vitro æmulus. Etiam nymphas in aquis habitantes vocant vitreas poetæ, & noster vitrea earum sedilia 4. Georg. ijsdem & vellera huius coloris ibidem tribuit.

QVEM MATER ARITIA MISIT) Ciuitas iuxta Albam. Mater autem propter Augustum dicit, qui fuerat ex Aricina matre Attia prognatus: ac si diceret, quæ tanti auctor est generis. Seruius.

EGERIÆ LVCIS) Nymphæ in Aricino nemore, quam amicam suam esse Numa fingebat, ad affirmandam legum suarum, cæremoniarumq;, quas instituebat

A auctoritatem. Liuius lib. 1. Qui cum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum dea Egeria congressus nocturnos esse: eius se monitu, quæ acceptissima dijs essent, sacra instituere: sacerdotes suos cuiq; deorum præficere.

PINGVIS VBI ARA) propter frequentia sacrificia.

PLACABILIS DIANÆ) Non qualis ante fuit vel illic, vel apud Tauros, humano gaudens cruore.

NAMQVE FERVNT FAMA HIPPOLYTVM) Hoc totum, vna cum caussa interitus sui, quæ fuit calumnia Phædræ ab eo spretæ (cum adolescentem castissimum ad stuprum secum faciendum sollicitaret)

B narrat ipsemet Hippolytus apud Ouid. Metamorph. lib. 15. Narrat etiam Seruius, quem vide. Calumniata verò est ipsum apud patrem Theseum, quasi vim inferre sibi voluisset, & se inuitam adulterio polluere: id quod Putipharis vxor Iosepho fecit. Narrationis Ouidianæ initium hoc est.

Fando aliquem Hippolytum vestras si contigit aures,
Credulitate patris, scelerata fraude nouercæ
Occubuisse neci, mirabere, vixq́, probabo:
Sed tamen ille ego sum: me Pasiphaëia quondam
Tentatum frustra patrium temerare cubile,
Quod voluit, finxit voluisse, & crimine verso,
C *Indiciŋ́ue metu magis, offensane repulsæ*
Arguit, &c.

Meminit huius necis Cicero quoque 1. Off. his verbis Potest etiam accidere promissum aliquod, & conuentum, vt id effici sit inutile vel ei cui promissum sit, vel ei, qui promiserit. Nam si, vt in fabulis est, Neptunus quod Theseo promiserat, non fecisset, Theseus filio Hippolyto non esset orbatus. Ex tribus enim optatis, vt scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optauit: quo impetrato, in maximos luctus incidit. Extat Euripidis tragœdia, titulo, Hippolytus Coronatus. Horat. Ode 7. lib. 4. pudicum vocat, propter reiectam nouercam impudicam videlicet. Ibidem

D aliud sentit à Virgilio, & ad vitam reuocatum negat à Diana, cuius erat studiosissimus ille adolescens.

Infernis neq; enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.

Cæterum huiuscemodi discrepantiæ in rebus fabulosis non sunt raræ apud poetas: nec de illis conciliandis magnopere laborandum est. Rem totam de Hippolyto, & Phædra narrat perspicuè & accuratè Lamb. in supradictam Oden Horatij.

PÆONIIS REVOCATVM HERBIS) ab Æsculapio, de quo sequetur. Pæonijs autem herbis, medicinalibus, à Pæone medico.

AMORE DIANÆ) cura. Hoc pugnat cum Horatij sententia manifestè, vt iam diximus.

E AB VMB. AD LVM. SVRG. VITÆ) Q. Serenus reuocationem mortuorum in vitam eleganter his verbis extulit, *reduces qui tradere vitas Nostis, & in calum manes reuocare sepultos.*

FVLMINE PHOEBIGENAM STYGIAS) Æsculapius traditur Apollinis, Coronidisque filius fuisse. Qui natura, ingenioque præclarus, medicinæ opera impensa, plurima valetudini hominum vtilia inuenit. Adeo autem peritia artis excelluit, vt quamplurimos desperantes sanitatem liberârit à morbo, proptereaque cre-

ditus sit nonnullis defunctis vitam restituisse. Ob eam rem tradunt ipsum apud Iouem à Dite accusatum, tanquam ipsius imperium diminuentem, quod in dies pauciores interirent, curante Æsculapio. Eaque caussa exacerbatum Iouem, fulmine Æsculapium occidisse. Hac morte Apollo iratus, Cyclopes, qui id fulmen fabricarant, interfecit. Quo facto indignatus Iupiter, iussit Apollinem homini in pœnam seruire. Diodor. lib. 4. cap. 9. Hyginus cap. 49. Plurima de Æsculapio Tiraquell. cap. 31. num. 16. Cur fulmine ictus, aliæ caussæ proferuntur num. 22. & 23.

Lactantius irridens & hunc fulminatum deum, & alios, sic habet lib. 1. cap. 10. Æsculapius & ipse non sine flagitio natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum, nisi quod sanauit Hippolytum? Mortem sanè habuit clariorem, quòd à deo meruit fulminari. Rursum cap. 19. Clamat summus poeta, ipsum illum medicinæ repertorem ad stygias vndas fulmine detrusum esse: vt intelligamus, quantum valeat pater omnipotens, qui & deos fulminibus extinguat. Sed homines ingeniosi hanc secum habebant fortasse rationem, quia deus fulminari non potest, apparet non esse factum. Immo verò quia factum est, apparet hominem fuisse, non deum. Mendacium enim poetarum non in facto est, sed in nomine. Metuebant enim malum, si contra publicam persuasionem faterentur, quod erat verum.

AT TRIVIA HIPPOLYTVM) Triuia dicta est Diana, quoniam in triuijs colebatur à Græcis. Aristophanis interpres eam in triuijs à priscis, ob tres eius nomenclaturas venerari solitam opinatur. Hæ autem sunt, Luna, Artemis, Hecate. Vel vt nonnulli è Latinis sentiunt: Iuno vel Lucina, Diana, & Proserpina, ex quibus Hecate commune nomen efficiatur. Plerique quod tribus capitibus, canis, equi, hominis syluestris pingatur. Vel ob tres eius phases, & permutationes. Est enim *μηνοειδὴς* corniculatis, *διχότομος* medio orbe cæsa, seu diuidua, & *πεπληρωμένη* plena. Nam *ἀμφίκυρτον*, ob eã quæ vtrinq; est, gibbositatem, recentiores addidisse testatur Cleomedes Theocriti Glossographus. *ἱδρύοντο δὲ τὴν ἑκάτην*, &c. Brodæus in 1. lib. Anthol. epig.

NYMPHÆ EGERIÆ) Huic sacrificabant prægnantes, quod eam facilè putabant conceptum aluo e-

A gerere. Festus. Fluoniam autem, quod fluorẽ sanguinis sisteret in partu.

NEMORIQVE RELEGAT) Relegare, & deportari in exilium differunt. Relegatis non interdicitur bonis ipsorum. Deportati etiam bonis suis spoliantur. Sed relegat dixit poeta, pro, mittit destinat.

IGNOBILIS ÆVVM EXIGERET) Sicuti nobilis, pro notus, celebratus, item vicissim frequenter *ignobilis* pro ignotus, obscurus antiqui sumebant. Et Seruius hic ita accipit, non pro vili. Neque enim pro vili, siue ignobili in vulgari significatione posses hic intelligere, cum Hippolytus fuerit admodum nobilis, Thesei Atheniensium regis filius. Plaut. Amphit. *Nunc quando ego sum, vapulabis, nisi hinc abis, ignobilis.* Et in Pseudolo. *Peregrina facies videtur hominis, atq; ignobilis.* Reliqua testimonia prætereo. Require apud Tiraquell. de Nobilit. cap. 2. num. 4. * *Poetæ annum, sæculum, tempus, ætas, diem confundunt. De æuo in Act. 2. Hippolyti apud Senecam vide, si est otium, quod ex Lucretio, Censorino, D. Hieronymo, Cicerone adducat Delrius Commentar.*

VIRBIVS ESSET) quod bis vir fuisset. Ne eum notissimi nominis appellatio proderet, commutauit ei nomen.

VNDE ETIAM TRIVIÆ TEMPLO) Addit argumentum, quo credi posset, quod fama narrauerat.

LVCISQVE SACRATIS) Lucus fere semper pro sylua, alicui numini sacrata ponitur. Sic Fauni lucus ab Ouidio describitur 3. Fast.

> *Lucus Auentino suberat niger ilicis vmbra,*
> *Quo posses viso dicere, numen inest.*

Sic ab eodem lucus Iunonis, lib. 2.

> *Monte sub Esquilio, multis incæduus annis*
> *Iunonis magnæ nomine lucus erat.*

Itaque luci sæpe sacri appellantur. Scribit Tacitus, Germanos veteres nulla alia templa habuisse, quàm lucos, nemoraq; deorum suorum nominibus appellata. Nonnulli lucos dictos aiunt, quia religionis ergò lumina, ignesque in lucis excitarentur. Quanquam Quintil. lib. 1. ait dictos, quoniam cum nullæ illic arbores propter religionem cæderentur, opaci essent, & sine luce. Hæc Foquelin. in 1. Sat. Persij.

HAVD SECIVS) Non segnius, quàm pater.

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, ET TOTO VERTICE SVPRA EST.
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.
Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At leuem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam setis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,
Cælataq; amnem fundens pater Inachus vrna.
Insequitur nimbus peditum: clypeataq; totis
Agmina densantur campis, Argiuaq; pubes,
Auruncæq; manus, Rutuli, veteresq; Sicani:
Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici:
Qui saltus Tiberine tuos, sacrumq; Numici
Littus arant, Rutulosq; exercent vomere colles,

Circæumq; iugum: queis Iuppiter Anxurus aruis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco.
Quà Saturæ iacet atra palus, gelidusq; per imas
Quærit iter valles, atq; in mare conditur Vfens.

IPSE INTER PRIMOS PRÆST.) Turnum hostium ducem ad bellum missurus, sanè illum, qui tot malis Troianos, sociosque affecturus esset, qui bellum tantis animis suscepisset, qui morte sua Æneam esset nobilitaturus, non vnà è parte artificiosissimus poeta commendat. Facit enim versari inter primos: qua è re ad singulare animi robur, corporis quoque vires adiungit. Et cum dixit, *Vertitur arma tenens*, corporis dexteritatem sub armis, atque animi vigorem significauit. Et cum adiungit, *toto vertice supra est*, corporis proceritatem suis admirabilem, hostibus formidabilem apparere facit. Ad has corporis, animique dotes addit armorum horrorem, ex triplici iuba, atque è monstro flammas efflante. Quippe cum, quæ chimæra aspectu ipso ante pugnam terrifica esset fictoris artificio, vbi ad manus ventum esset, tum ea maximè, & voce fremeret, & flammas euomeret, vt de gemitu, deque afflatu, campi sanguine cæsorum natarent. Atque vt nihil desit, post leuem, atque extersum clypeum (siquidem qui de re militari scribunt, ad præstinguendos aduersarij oculos, ac motum, inprimis fulgorem commendant) post altã galeam, & ignes efflantem chimæram, addit nimbum peditum, & totis castris agmina clypeata densat. An est quod aliud desiderari in extollendis aduersarij, siue ab insitis à natura corporis, atque animi viribus, siue ab externis possit rebus? Num igitur importunè galea ista (vt cauillatur Macrob.) chimæram sustinet, præsertim post tot enumeratos, armisq; decoratos duces? Iouian. in Antonio.

TOTO VERTICE SVPRA EST) Quæ à Plinio disputantur de statura hominum cum procerissima, tum paruissima, seu breuissima, exemplis appositis, quia cognitio liberalis est, & digna bonas litteras auidè consectantibus, pete ex lib. 7. cap. 16. In trimatu, inquit, suam cuique dimidiam esse mensuram staturæ certum est, &c. Sciamus porrò, cum Principibus, ac regibus, quorum de numero Turnus est, magnum decus addat pulchritudo corporis (qua de caussa etiam Maro noster illum præstanti corpore fuisse dicit) partem illius pulchritudinis æstimari magnitudinem, siue proceritatem, quam rursus de Turno affirmat lib. 9. iisdem verbis, quibus hic. Et de Orphito lib. 11. similiter. In Traiano Augusto eandem prædicat Plinius iunior, nimirum in suo illo elaboratissimo, & eloquentissimo Panegyrico, coniunctam cum præstantia illa corporis, de qua Maro loquitur. Eius verba subiungo. Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, adhæc ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere deûm festinatis senectutis insignibus, ad augendam maiestatem ornata cæsaries, nonne longè, latèque Principem ostentant? Iterum infra, satis longè. Iam hoc ipsum, quod ingressus es, quàm mirum, lætumque? Nam priores inuehi, & importari solebant, non dico quadriiugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat: tu sola corporis proceritate clarior alijs, & excelsior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia Principum egisti. ✠

CVI TRIPLICI CRINITA IVBA) Triplex crista hæc, est Græcis τριλοφία, siue τριφάλεια, cuius certatim poetæ meminerunt. Etiam alij, vt Suidas, qui Geryonem autumat dictum τρικέφαλον, siue tricipitem, ὅτι τρεῖς λόφους εἶχεν ἐν τῇ περικεφαλαίᾳ, quod tres cristas in galea haberet. Vide & lepidam narratiunculam apud Plutarchum in Arato de virgine, quam captam miles galea sua tricristi insignierat, & in Dianæ templo deposuerat: vnde egressa, subito aspectu terruit omnes, quasi ipsa ibi Diana, vrbemque seruauit. Quis autem nescit, creberrimè iubas galeis impositas. Nec Græcorum tantum (perpetuum pæne apud eos) sed & Latinorum. De Mezentio noster: *cristaq́, hirsutus equina*. Silius lib. 8. *Horridus & squamis, & equina Curio crista*. Et de Marcello. *Circumstant rapidi iuuenes, aptantq́, frementi Sanguineas de more iubas*. Lipsius Milit. Rom. lib. 3. dialogo. 5.

Insignis est galea Turni: tribus cristis veluti iubata: quod ornamentum non ab Homeri imitatione, cuius ad exemplar potissimùm se componit, sed aliorũ Homero recentiorum poetarum sumpsit. Nam obseruãt, quibus ista curæ sunt, hoc trium cristarum insigne nouitium esse. Æschylum igitur secutus est, qui scribit in septem ad Thebas. τρεῖς κατασκίους λόφους σείει. Cuius interpres ita scribit. τρεῖς κατασκίους, παλλομένους τοῦτο. Eodem modo & Aristophanes in diuerbijs τριλόφους sumpsit. Turneb. lib. 28. cap. 16.

GALEA ALTA CHIMÆR SVSTINET ÆT. EFFLANT. FAV. IGNES) Plutarch. in Mario, galeas equitum Cimbrorum & plumis, & horridis hiantium animalium formis insignes describit. E re militari haud dubiè mos, quo etiamnum hodie insignia familiarum exornata, atque distincta videmus, cum galeis insident leones, lupi, cerui, canes, aquilæ, vultures, dracones, & aliarum bestiarum siue capita, siue cornua, siue pedes. Origo moris tam antiqui ab Ægyptijs descẽdit. Ab Ægyptijs porrò mutuatos hoc Græcos, & ab his Romanos, vt multa alia, quæ ad disciplinam militarem pertinebant, magnam verisimilitudinem habere videtur. Lacedæmonijs certè galeæ inuentionem tribuit Plin. lib. 7. cap. 56. Cristas autem galeis illigasse Cares primos, itemq; in scutis simulacra finxisse, eidemq; lora adiunxisse scribit Herodot. lib. 1. Hæc Steuechius lib. 1. Vegetij, cap. 20.

Quæ naturâ sunt, inquit Scalig. Poet. lib. 3. cap. 4. ita describenda erunt, vt nihil non verisimile videatur: quæ verò arte sunt, etiam cultus plurimus ijs adhiberi potest, vt, *pictus acu tunicas*. Quæ autem supra fidem describuntur, ea cuipiam deo sunt attribuenda, qualis Turni galea. Vulcani igitur est opus. Sic equi Æneç de genere eorum, qui Solis vehunt currum, quippe Circes opera. Nam eadẽ ratione potuit Circe suffurari semen equorũ, qua Solis esse filia. sic cum loquitur Achillis equus, à Pallade datum sermonem. Quum mutantur in nymphas naues, à Cybele opus fuit.

De chimæra Appollodor. lib. 2. Vt & in hoc Maronẽ suum sequeretur Silius, lib. 5. galeã Flaminij Scylla insigniuit: *Cassis erat munita viro*, &c. Quibus rebus insignirent antiqui galeas vel ad ornatum, vel ad horrorem incutiendum, memoriæ diligenter mandauit Alex ab Alex. lib. 1. cap. 20. & paulo ante ex Steuechio docuimus, qui ab Alexandro mutuatus est. ✠

QVAM MAGIS, TAM MAGIS) Hunc locum Quintil. ait esse ex illo versum: quàm magis ærumna vrget, tam magis ad malefaciendum viget. Georg. 3. *Quam magis exhausto spumauerit vbere mulctra Læta magis.* Quo in exemplo subintelligitur, tam. Terent. Adelph. *nisi quia quam miserè hoc cupio esse verum, tam vereor magis.* Plaut. Bacchid. *Quam magis id repeto, tam magis vror.* Idem Pœnulo. *Quam magis aspecto, tam magis est nimbata, & nugæ meræ.* Lucret. lib. 1. vt quidem corrigit Lamb.

Et quò quæq; magis cohibet res intus inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labascit.

Et lib. 4.

Et quò quæq; magis sunt aspera seminiorum,
Tam magis in somnis eadem sauire necessum est.

Eiusdem sunt, quo pluria, tam magis. Quanto mage, tam magis. Quanto plus, tam magis. Terent. Adelph. eodem modo inter se respondent, quam maximè, tam maximè.

Quam vos facillimè agitis, quam estis maximè
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maximè vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos vultis perhiberi probos.

Simile loquendi genus iuuenias apud Sallustium. Quã quisque pessimè fecit, tam maximè tutus est. Et apud Caton. de re rust. cap. 64. Quam citissimè conficies, tam maximè expediet. Et rursum ibid. Nam oleum quàm diutissimè in amurca, & in fracibus erit. Et cap. 65. Quàm acerbissima olea oleum facies, tam oleum optimum erit. Atque etiam aliàs, longum foret omnia recensere. Addamus adhuc illud Terent. in Heaut. *Quam in minima spe situs erit, tam facillimè patris pacem in leges conficiet suas.* Varro lib. 1. de re rust. Quam paucissimos reliqueris, tam optimè in alendo fiunt.

SVBLATIS CORNIBVS IO) De Io Inacchiamnis filia à Ioue compressa, & in vaccam mutata, quam idem adulter maximus roganti Iunoni postea donauit: item de custode Argo centoculo eidem vaccæ à Iunone apposito, atque à Mercurio tandem cantus suauitate consopito, & interfecto, lege fabulam in extremo primo Metamorph. Lege etiam de ista vacca, & eius erroribus Appollodorum initio lib. 2. Bibliothecæ. Cum narratione Ouidiana compone, si videtur, Valerij Flacci versus, qui lib. 4. eandem fabulam, vestigiis Nasonianis insistens, disertissimè persequitur, ab eo loco, *Sensit Iuno dolos, curaq; accensa iugali Æthere desiluit, &c.* Accipe nihilominus hæc Propert. lib. 2. eleg. 33.

Cum te iussit habere puellam cornua Iuno,
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quoties quernis læsisti frondibus ora,
Mansisti stabulis abdita pasta tuis.

Sed facete Euclio Plautinus in Aulularia ad Megadorum, qui eo absente, in ædes eius coquos nuptiali conuiuio parando miserat, vtpote filiam senis ducturus, facete inquam de custode isto Iunonio, & ad negotium suum accommodatè.

Quid sic me rogitas? qui mihi omnes angulos
Furum implevisti in ædibus, misero mihi.
Qui mihi intromisisti in ædes quingentos coquos,
Cum senis manibus, genere Geryonaceo.
Quos si Argus seruet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,
Is nunquam seruet.

Quem ad locum, seu potius ad vocem, *oculeus*, alludens Apuleius lib. 2. Metamorph. Vide, inquit, hominem ferreum, & insomnem, certè perspicaciorem ipso Lynceo, vel Argo, & oculeum totum. Quid autem Argus Io custos appositus hieroglyphice sibi velit, videndus Pierius lib. 3. in Tauro.

CÆLATAQVE VRNA) Singulis fluminibus singulæ vrnæ appingebantur. Nilus autem cum tribus vrnis figurabatur. Stat. 2. Thebaid. *pater ipse bicornis In læuum prona nixus sedet Inachus vrna.* Et lib. 9. de Ismeno, *ceciditq; soluta Pinus adulta manu, demissaq; voluitur vrna.*

INSEQVITVR NIMBVS PEDITVM) Homer. νέφος εἵπετο πεζῶν. Nubem vocauit examen apum per cælum volitans Georg. 4. *Obscuramq; trahi vento mirabere nubem.*

AGMINA DENSANTVR CAMPIS) Ennius lib. 8. Annal. *Densantur campis horrentia tela virorum.*

ARGIVAQVE PVBES) & hoc ad generis pertinet probationem, quod eum sequebantur Argiui.

VETERESQVE SICANI) Lege quæ scripta sunt de Sicanis à Diodoro in extremo cap. 2. lib. 5.

IVPPITER ANXVRVS) Colebatur circa Circæum iugum, & Campaniæ tractum puer Iupiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, quia barbam nunquam rasisset, vt Iuno virgo, quæ Feronia dicebatur. Seruius.

Anxur, ait Festus, vocabatur, quæ nunc Tarracina dicitur, Volscæ gentis: sicut ait Ennius, *Vulsculus perdidit Anxur.* In veteri editione est Axur. Nam certissimum est ex Seruio, veteres ita dixisse ob Iouem imberbem, siue ἄξυρον, qui ibi colebatur. Et in nummo argenteo Pansæ, ab vno latere, IOVIS. AXVR. VIBIVS C.F. C.N. ab altero, PANSA. Scalig. in Festum. Scribendum igitur auctoribus nummis argenteis *Axur*, non, *Anxur*, quod & Vrsin. monuit.

VIRIDI LVCO) Non vacat mysterio, quod addit, *viridi.* Nam cum aliquando huius fontis lucus fortuito arsisset incendio, & vellent inde incolæ transferre simulacra, subitò reuiruit. Seruius. Vide Gyrald. Syntag. 3. in Iunone.

PER IMAS QVÆRIT ITER VALLES) Satis significatis verbis expressit flumen angustum: contra de Tiberino ait, *In mare prorumpit.*

Hos super aduenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas
Bellatrix: non illa colo, calathisúe Mineruæ
Fæmineas assueta manus, sed prælia virgo
Dura pati, cursuq; pedum præuertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret

Grami-

Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
Illam omnis tectis, agrisq; effusa iuuentus,
Turbaq; miratur matrum, & prospectat euntem
Attonitis inhians animis, vt regius ostro
Velet honos leues humeros, vt fibula crinem
Auro internectat, Lyciam vt gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

HOS SVP. VOLSCA DE GENTE CAMILLA) Tantus fuit amor belli in omni Italia, tanta aduersus Æneam cunctorum conspiratio, tantus metus vniuersis, vt etiam fœmina multitudinis dux non dubitaret existere, fiducia videlicet nō sexus sui, sed exercitationis: quum ipsa in eo sexu esset, qui alienus esse debuerat à bello. Ducebat tamen maximi numeri iuuentutem equitum, atque peditum, armis competentibus instructam, viris ipsa non inferior. Incipit mox asserere poeta, vsum posse superare naturam. Donatus quidem sic. At Seruius ita. Prudenter post completam commemorationem virorum, transit ad fœminas: ita enim de Troianis legitur, qui vltimū Amazonum postularunt auxilium, quæ res ab Homero prætermissa est. Sanè iam præsagium infœlicitatis futuræ, quod inter ipsa principia, armantur fœminæ. * *Silius lib. 2. Hasbyten Virginem, reginam Marmaridûm Annibali Saguntum in Hispania oppugnanti, cum magna Virginum, mulierumq; manu auxilio venisse fingit, Maronem suum imitatus scilicet.*

Cum Camilla comparetur, si lubet, Beronice, Ptolemæi Philadelphi regis Ægypti filia, quam tradit Hyginus 2. Astronom. Callimachum, & cum eo quosdam alios scripsisse, equos alere, & ad olympia mittere solitam. Quidam hoc amplius, Ptolemæum eius patrem multitudine hostium perterritum, fuga salutem petijsse: filiam autem sæpe consuetam, insilijsse in equum, & reliquam exercitus copiam constituisse, & complures hostium interfecisse, reliquos in fugam cōiecisse. Pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit, & Catull. in carmine de eius coma, quod ex Callimacho paribus numeris conuertit. Muret. in Catull.

VOLSCA DE GENTE) de Priuerno, Volscorum oppido, vt, *antiqua Metabus cum excederet vrbe.*

FLORENTES ÆRE CATER.) Ennius & Lucret. florens dicunt omne, quod nitidum est. Hoc est secutus Virgil. aliter ἀκυρολογία est.

NON ILLA COLO) Lanificium significari arbitror, vt illo lib. 8. *Cui tolerare colo vitam, tenuiq; Minerua.* Turneb. lib. 11. cap. 22.

Vide lib. 11. vbi versus iste ad verbum iteratur. Terent. de Glycerio in And.

Primum hæc pudicè vitam, parce, ac duriter
Agebat, lana, ac tela victum quæritans.

Ita Q. Opimius consulatis, vt est in 2. de Orat. Egilium, qui videbatur mollior, tanquam fœminam ex hisce adiunctis irrisit, cum illud ex poeta nescio quo, falsè accommodaret. *Quid tu Egilia mea? Quando ad me venies cum tua colu, & lana?* Lucretia illa haud quaquam, vt regiæ nurus, quas in conuiuio, luxuque cum æqualibus viderunt, qui exploratum è castris veniebant, sed nocte sera, dedita lanæ inter lucubrantes ancillas, in medio ædium sedens inuenta est. Liuius lib. 1. Nota insuper tela Penelopes. Et ipsa apud Ouid. epistola ad Vlyssem maritum.

Forsitan & narras, quàm sit tibi rustica coniux,
Quæ tantum lanas non sinit esse rudes.

Hypermnestra Lino.

Quid mihi cum ferro? quid bellica tela puellæ?
Aptior est digitis lana, coluq; meis.

Lanificium Romanis, inquit Lipsius Elect. lib. 1. cap. 17. impensæ curæ. Docent nuptiæ, in quibus sponsæ colus præferebatur cum lana: cingulum erat è lana, postes velati lana, omnia videlicet signa, & indicia matronis operæ futuræ. Lanam enim domi sedulò exercebant, telam texebant, conficiebant vestem, & cæt. Plura leges super hac re lib. 8. ad illud, *Cui tolerare colo vitam*, &c. ✻

ILLA VEL INTACTÆ SEGETIS) Ex Homero. Vide Vrsin. De cursura Achillis, quem toties Homerus *πόδας ὠκὺν, ποδάρκη* appellat, nec tamen eam pedum celeritatem vnquam vlla comparatione venti, sagittæ, volatus, tigridum cursu, aliarumúe rerum poetico more illustrat, de Achille, inquam, Catull. de nupt.

Qui persæpe vago victor certamine cursus
Flammea præuertet celeris vestigia ceruæ.

De Lada, Philonide, Lasthene, Philippide, Polymnestore, Milesio puero, & alijs cursoribus excellentibus Alex. Neapolit. lib. 2. cap. 21. & ibid. Tiraquell. Epigram. 3. lib. 1. Anthol. tit. 1. laudatur admodum hyperbolice stadiodromus Arias Tarsensis, diciturq; aut intra ipsos carceres, vnde currendi capitur initium, aut ad extremam metam: in medio spatio, seu in ipso stadio, hominem nunquā visum. Hæc licentia mentiendi parum cum philosophico dogmate consentit, in puncto, seu instanti, non cieri motum. De equis, quos Arcadio, & Honorio Cæsaribus pueris Theodosij M. filijs Neptunum pascere fingit, Claudian. in Panegyr. 3. consulat. Honorij.

Vobis Ionia virides Neptunus in alga
Nutrit equos: qui summa freti per cærula possint
Ferre viam, segetemq; leui percurrere motu,
Nesciat vt spumas, nec proterat vngula culmos. ✻

FLVCTV SVSPENSA TVMENTI) Quid sit hìc *suspensa fluctu*, declarant sequentia, *celeres nec tingeret æquore plantas.* lib. 1. Georg.

At si non fuerit tellus fœcunda, sub ipsum
Arcturum sat erit tenui suspendere sulco,

tellurem subaudi. Lucret. lib. 2.

Namq; papauerum aura potest suspensa, leuisq;
Cogere, vt ab summo tibi diffluat altus aceruus.

Lib. 5. de canibus, & catulis eorum.

Aut vbi eos iactant pedibus, morsuq; petentes
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus.

suspensis, id est, non grauiter impressis, sed subleuatis.

Idem lib. 6. *Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso.* A

ATTONITIS INHIANS ANIMIS) Absolutè accipitur hoc loco *inhians*, vt apud Lucret. lib. 1. *Pascit amore auidos inhians in te dea visus.* Aliàs prædæ, & prędam inhiare dicimus. Plaut. *Credo illum audisse, me habere thesaurum domi, id inhiat.* Seruius, stupore quodam patefacto ore.

VT REGIVS OSTRO) Antè ornatum eius, pòst, arma dicit.

LYCIAM PHARETRAM) quasi Lyciam, vt legimus Cretenses sagittas.

PASTORAL. PRÆFIXA CVSP. MYRTVM) quia hoc teli genere pugnare pastores, siue agrestes solerent.



SYMBOLARVM

IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER XIII.

Ad octauum Aeneidos.

SYNOPSIS.



Latinus, vt loquitur poeta, rerum habenas reliquerat, imperioq; regio semet vltro abdicârat. Inde dominationem Turnus arripere, vexilla festinatò sustollere, raptim, celeriterq; copias conflare, atq; adeo colonos etiam ab agris abducere. In Apuliam vsque Venulus ad Diomedem Arpos legatur, qui virum moneat, Troianos, Ænea duce, Latinorum fines occupasse, conariq; suas, id est, nouas quasdam religiones, ac cærimonias inuehere: sedem in Latio collocare. Per summam iniquitatem, externum ipsum ac peregrinum, iura velle, & leges Italis præscribere: non deesse, qui subsidijs eum suis adiuuandum suscipiant: nomen hominis vagari quotidie latius: esse amori, & admirationi multis. Quid moliatur denique, quidue incepturus sit, si victoriam ei fortuna transdiderit, melius ipsum Diomedem, qui Troianum probè nouerit, quàm alium quemuis intelligere. Proinde aduersus eum, quem non secius modò, quàm apud Ilium quondam pro hoste ducere, perditumq; funditus, ac deletum cupere debeat, auxilia suppeditare ne cunctetur: si abierit in alia omnia, suas quoque res turbatum, & afflictum iri, pro comperto habeat. Tantas molitiones, exercitusq; tantos in perniciem suam comparatos cernens Æneas, iactatus cogitationum fluctibus, consilium explicare vix potest: nec nisi nocte plurima somnum capere, idq; sub dio, & ad ripam Tiberis. Per quietem igitur Tiberinus (cuius habitus, & forma declaratur) eius mœrorem consolando lenit, stabile in Italia domicilium promittit, de prodigio albæ porcæ cum 30. catulis adiungit: ex quo Ascanium 30. annis vrbi ab ipso conditæ, regali cum potestate præfuturum pollicetur. Mox de auxilijs ab Euandro petendis docet, operam suam ad subuectionem, aduerso licet amne, spondet: & quis ipse sit, citra vllam verborum ambiguitatem disertim significat. Precatus Nymphas, adeoq; Tiberinum ipsum Æneas, vti clementes sibi sint, ac propitij, duabus biremibus secundissimo cursu Pallanteum aduehitur. Ante vrbem in luco Euandrum cum suis Herculi anniuersarium sacrificium facien-

facientem offendit, à Pallante filio salutatur, paucis caussam aduentus sui eloquitur. Ad ipsum deinde senem perductus, pulcherrima oratione vinculum cognationis inter illum, Troianosq; manifestat, & ad commune periculum depellendum (Latini enim Arcadibus quoque ceu peregrinis, & exulibus infensi erant, eosq; bello vexabant) societatem suam, opemq; pollicitus, vicißim illorum fidem implorat, Latinos in magnum odium rapiens, ac de Troianorum virtute modestè prædicans. Totum corpus oculis diligenter obiens Euander, ex conuenientia lineamentorum Anchisæ filium esse deprehendit, sibiq; eius præsentia gratulatur. Quomodo, quando in Anchisæ notitiam inciderit, quibus ab eo donis donatus sit, memorat: in diem sequentem auxilia promittit: ad præsentes epulas inuitat. Mensis remotis, rex, sacrorum illorum originem, caussamq; disserit: quæ fuit à Caco Vulcani filio, latrone funestißimo expedita salus. Quippe quem Hercules bobus octo sibi ab eodem de grege furtim abactis trucidauerit. Cuius beneficij memores accolæ, aram ei cum ritibus annuis sacrauerint. Euandro auctore Troiani populeis capita sertis redimiunt, vinum cum precibus libant. Sole iam prono ad occasum sacra instaurantur, siue complentur potius, & laudes Herculis à sacerdotibus concinuntur. Ad oppidum disceditur. Tum inter ambulandum Euander circumspicienti Æneæ, locaq; illa admiranti, qui quondam mortales ibi vixerint, quibus moribus fuerint, sigillatim exponit. A Saturno, qui in eam regionem exul venerit, parq; potestate cum Iano regnauerit, gentes illas humanitate, & legibus excultas fuisse: ita, vt per illa tempora aureum, quod dicitur, sæculum agitatum sit. Eius sæculi conditio discenda est ab Ouidio. 1. Metamorph. sicut etiam decoloris, ac vitiosi, quod aureo successisse poeta noster affirmat. Se fato, & diuinis compulsum responsis eò locorum ex Arcadia commigrasse. Pluribus adhuc locis demonstratis, ad Euandri ædes, nulla re conspicuas, atque nobiles: sed plebeias, & abiectas, multumque ornatissimo Latini palatio dissimiles, venitur. Ibi ab exemplo Herculis, αὐτάρκεια, Æneæ suadetur. Venus anxia pro filio, blandimentis vxorijs, & artificio quodam Vulcanum maritum ad arma ipsi fabricanda inducit: quæ, vbi, quanto cum studio cyclopum opera confecta sint, proditur. Albescente die stratis consurgit Euander, ad colloquium cum Ænea serendum è cubiculo procedit. Æneas quoque Euandrum manè salutaturus, ac de rebus suis porrò acturus progrediebatur. Occurrunt mutuò, dextras iungunt, factaq; consalutatione considunt. Euander ab Æneæ laudibus ducto principio, rationes, cur tantis eum copijs, quantis ipse quidem optaret, eius verò etiam dignitas postularet, adiutare minimè poßit, edisserit. Veruntamen, vnde maiora auxilia nullo negotio colligere queat, ostendit: ab Agyllinis Hetruscis videlicet, qui haud longo interuallo incolant. Hos Mezentio tyranno suo, ob intolerandam superbiam, & immanitatem exacto, magnis delectibus habitis, in armis esse, ad tyrannum ipsum, vnaq; Turnum Rutulorum regem (in cuius ille clientelam, ac patrocinium se contulerat) bello vindicandos videri paratißimos: sed Italum ducem sibi quo minus præficiant, ab aruspice vetari, externum imperari. Detulisse illos quidem ad se summam rempub. imperatoremq; depoposcisse: verùm se longinquitatem ætatis excusasse, honore vti noluisse: in filium Pallantem reijcere nequiuisse, quod Sabina matre procreatus, Italico sanguine non careret. Æneam, neutra re impediri: quippe qui & genus prorsus extraneum, & ad huiusmodi munus ætatem idoneam, validumq; membrorum robur afferret: quocirca ipsum fatis harum copiarum ductorem designari. Quadringentos equites, simulq; filium offert: quem quidem sub Ænea militiæ tyrocinium ponere, & ei factis ingentibus, virtuteq; animi quam simillimum euadere etiam atque etiam, maioremq; in modum optat. Æneam, & Achatem propter suppetias in tam graui, & ancipiti bello tam exiguas, ac pæne nullas, in mæstitudinem coniectos, arma à Venere matre iam pridem promissa, & tum in sublimi repente conspecta, ad exploratam victoriæ spem exsuscitant. Mox de suis deligit Æneas, qui secum in Etruriam proficiscantur: alios secundo flumine ad portandum Troianis, Ascanioq; felicem, & auidißimè exspectatum rerum ab se perfectarum nuntium remittit. Euander filium complexus, deosq;

preca-

precatus valedicit. Qui locus verbis amantissimis compositus, paternitatem nobis ante oculos proponit. Interea dum Troiani, ac Pallantei non procul ab Agyllinorum castris corpora ipsi cibo curant, & equos pabulo reficiunt, in valle flexuosa quiescenti Aenea, Venus, se matrem confessa, arma desiderata apportat, eundemq; hortatu suo corroborat. Eorum aspectu, & contrectatione inusitatum animo gaudium imbibit. Explanatur cælatura clypei, arte ipsa, mirabiliq; argumentorum varietate eximia, quæ tota rebus Romanis constat: gloriæ enim Romanorum fauet poeta quam maximè, vt norunt omnes. Postrema huius libri pars, quemadmodum & extrema sexti, omnino historica est, & interpretibus benignam illustrium, audituq; non insuauium narrationum materiam subministrat.

EXPLANATIONES.



VT belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu,
Vtque acres concussit equos, vtq; impulit arma:
EXTEMPLÒ TVRBATI ANIMI, simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium: sæuitq; iuuentus
Effera. ductores primi Messapus, & Vfens,
CONTEMPTORQVE DEVM MEZENTIVS vndiq; cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem,
Qui petat auxilium, & Latio consistere Teucros:
Aduectum Æneam classi, victosq; Penates
Inferre, & fatis Regem se dicere posci,
Edoceat, multasq; viro se adiungere gentes
Dardanio, & latè Latio increbrescere nomen.
Quid struat his cœptis, quem, si fortuna sequatur,
Euentum pugnæ cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno Regi, aut Regi apparere Latino.

VT BELLI SIGNVM) Vexillum Imperatores habebant penes se in tabernaculo, & qui delectum olim habebant, in arce ponebant: cum prælium etiam erat cómittendum, proponebatur, tollebaturq; vexillum, vt in lib. 4. de bello Alexand. Quod vbi conspexit, celeriter vela subduci, demitti antennas iubet, & milites armari, & vexillo sublato, quo pugnandi dabat signum, quò primæ naues sequebantur, idem vt facerent, significabat. Cæsar lib. 2. de bell. Cæsari omnia vno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oportere, signum tuba dandum. [*De bello ciuili lib. 3. ita scriptum. Ne iniussu suo concurrerent: se, cum id fieri vellet, vexillo signum daturum. Et de bello Hispan. Hoc nuntio allato, vexillum proposuit.*] Vexillo igitur pugnandi dabatur signum, & in repentino tumultu prælij inopinati, ad arma cócurrendi. Tollebát & signum, quod vexillum erat, qui rapidè, celeriterq; milites contrahebat, quò pertinet hic locus Virgilij. Tollitur signum ad præsidium comparandum, & spem ostendendam, confirmandosq; animos. Cic. pro Marcello. Et his omnib⁹ ad bene de repub. sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. Turneb. lib. 14. cap. 16. *Philipp. 5. M. Tullius de Antonio Mutinam obsidente. Qui si legatis paruerit, Romamq; redierit, num quando perditis ciuibus vexillum, quò concurrant, defuturum putatis?*

Tribus modis delectum indici solitum, ostendit Lipsius Milit. Rom. lib 1. dial. 3. voce præconis, scripto, siue edicto, & sublatione signi, seu vexilli ex arce, hoc est, ex Capitolio: sed hoc non nisi sub ipsum conuentus diem, aut dies. Vide ipsum auctorem.

RAVCO CORNVA CANTV) Cornua, quod ea quæ nunc sunt ex ære, tum fiebant ex bubulo cornu. Varro lib. 4. de ling. lat. Propert. *Nil tibi sit rauco prætoria classica cornu Flare.* Respexit forsitan Virgil. ad Lucretianum hoc lib. 2. *raucisonoq; minantur cornua cantu.* De vsu autem tubarum, cornuum, buccinarum, lituorum in re militari, vide Alex. Neapolit. cum Tiraq. lib. 4. cap. 2.

VTQVE ACRES CONCVSSIT EQVOS) hoc ad equites pertinet. Æneid. 4. *At puer Ascanius medijs in vallibus acri Gaudet equo.* Ouid.

Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Ex his, similibusq; locis, hoc adiunctum *acer*, maximè generosis equis tribui videas. Sonitu autem tubarum audito, equi militares concutiuntur, id est, ipso corporis motu, & fremitu quandam lætitiam, & desiderium cum sessoribus in hostem pugnandi præ se ferunt. In libro Iob, cap. 39. de equo vt animali bellico, ita scriptum legimus. *Terram vngula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis. Contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, & clypeus.*

clypeus. Vbi audieris buccinā, dicit, vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus. ✠

VTQVE IMPVLIT ARMA) hoc ad pedites. Est autem sacrorum. Nam is, qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus, ancilia commouebat, pòst, hastam simulacri ipsius, dicens, MARS VIGILA. Seruius.

TVRBATI ANIMI) Turbati sumus, cum bellum capessimus. Itaque in illo versu, *Ægidaq; horriferam, turbata Palladis arma*, *turbata*, non pro turbantis accipiendum, vt vult Seruius: sed ad bellum concitatæ. Turneb. lib. 26. cap. 29.

OMNE TVMVLTV CONIVRAT LATIVM) Tumultus est bellum in ipsa Italia, aut in Gallia vicina, dictus quasi timor multus, quo tempore vacationes non valebant, cogebantur ad arma etiam emeriti. Eius rei videtur admonere poeta, & hoc bellum Latinorū cum Troianis in ipso Latio, vocare tumultum. Omnis igitur tumultus bellum est: sed non quoduis bellum, tumultus. Coniurare autem, & coniuratio etiam in bonam partem dici possunt, quod Seruius hic monet: sed exempla non adhibet. Cæsar belli Gall. 3. Et celeriter missis legatis per suos principes coniurant, nihil nisi communi consilio acturos, eundemq; omnes fortunæ exitum laturos. Liuius lib. 2. Trecenti cōiurauimus principes iuuentutis Romanæ, vt in te hac via grassaremur. Cæsar lib. 1. belli Gall. Orgetorix regni cupiditate inductus, coniurationem nobilitatis fecit, & ciuitati persuasit, vt de finibus cum omnibus copijs exirent. Liuius lib. 6. belli Punici. Ætolorum impetum retardauerat primò cōiurationis fama Acarnaniæ, &c. Sic & voces conspirare, conspiratio in laude positas inuenies. ✠

Vnus ex tota legione eligebatur, qui singula iuramenti verba concipiebat, & præiurabat: alij deinde sequebantur, & hoc saltem dicebant, *Idem iuro*. Hoc est quod Festus notauerat. Præiurationes facere dicuntur, qui ante alios conceptis verbis iurant, post quos in eadem verba iurantes, tantummodo dicunt, *Idem in me*. Ita Polybius, sed in Liuio an non aliter? Nam ille post seditionem Hispaniensem ad Sucronem, citati, inquit, milites nominatim apud Tribunos militum in verba P. Scipionis iurant. De Tribunis, idem est quod in Polybio: sed de militibus nominatim citatos facit, & iurasse. Potest tamen flecti ad hanc sententiam, vt singuli citati, & progressi, iurauerint in ea, quæ vnus aliquis præisset. Si hic aliter, factum nouiter esto, & maiori vinculo, ob priorem fidem in seditione violatam. Lipsius Militiæ lib. 1. dial. 6.

DVCTORES PRIMI MESSAP. ET VFENS) Bona electio personarum ad delectum habendum: vnus, eques bonus, id est, Messapus mittitur: alter, pedes egregius, id est, Vfens. Seruius.

CONTEMPTORQ. DEVM MEZENTIVS) Quis enim iustius, quam sacrilegus contra pios & pararet bellum, & gereret? Seruius.

LATE VASTANT CVLT. AGROS) Latè vastos, & desertos efficiunt, abductis colonis, quorū quantus fuerit numerus, ostendit particula *latè*. Georg. 1. *Squalent abductis arua colonis*. Huc quadrant illa ex Maniliana. Nam cum hostium copiæ non longe absunt, etiamsi nulla irruptio facta sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur. ✠

MAGNI DIOMEDIS AD VRBEM) Diomedes postquam reperit, irâ Veneris à se apud Troiam vulneratæ, vxorem Ægialiam Argis turpiter viuere, noluit reuerti: sed tenuit partes Apuliæ, & edomita omni Gargani mōtis multitudine, in eodē tractu ciuitates plurimas condidit, in quibus & Arpos, quæ nunc Argyripa dicitur, ad quā modò Venulus mittitur. Hæc strictim ex Seruio. Vtriusq; rei meminit in eius, Diomedis puta, epitaphio Ausonius, quod repræsento.

Conditus hic genitore bono melior Diomedes.
Crimen ob vxoris pulsus dotalibus agris,
Argyripam, clarosq; viris qui condidit Arpos:
Clarior vrbe noua, patria quam sede vetusta.

Vtrumq; vnius vrbis nomen ponit, ne duas esse putes. Magnum autem cur vocet Maro, patet ex Iliade Homerica: fuit quippe rebus gestis admodum insignis. Vide 1. Æneid. *O Danaûm fortissime gentis Tydide*, &c. ✠

QVI PETAT AVXILIVM, ET LATIO) Nota, breuiter, & concisè mandatorum, instruendæ, fungendæq; legationis conceptam formulam, cui summaria, & pressa expositio postulatorū Æneæ, Tarchontem de iungendis copijs sollicitantis infra lib. 10. ita respondet, vt nihil vtriq; aut desit, aut redundet. German.

Discrimen est inter socios, & auxilia. Socij semper Italici: auxiliares, externi. Varro, Auxilium ab auctu, cum accesserunt qui adiumento essent alienigenæ. Disertim addit, *alienigena*, Festus. Auxiliares dicuntur, in bello socij Romanorum, exterarum nationum. Et socij quidem semper gratis militarunt, id est, sine impendio Romanorum (frumentum excipio) auxiliares aliter, & quanquam sæpe à regibus missi suopte sumptu, tamen & pecunia etiam scripti, &c. Lipsius Militiæ Rom. lib. 1. dial. 7.

ADVECTVM CLASSI) Pro classe, metri caussa. Horat. lib. 1. Ode 15. *Mala ducis aui domum*, pro aue. Multa huius generis legas apud Lucretium. Catull. de nupt. *Namq; ferunt olim, classi cum mœnia diua*. Et alibi, *Per medium classi barbara nauis Athon*. Sisenna apud Nonium, perpetua classi.

ET FATIS REGEM SE DICERE POSCI) Infrà Tiberinus: *Expectate solo Laurenti, aruisq; Latinis*.

MVLTASQVE VIRO SE ADIVNG. GENTES) Ad maiorem terrorē addit *multas gentes*. Nullas enim habuit, præter Arcadas, & Tuscos.

VIRO DARDANIO) Bene, non Æneæ dixit, sed viro Dardanio: vt non sit mirum, si sequebantur hominem sibi cognatione sociatum, vt, *Hinc Dardanus ortus, Huc repetit*. Seruius.

QVEM SI FOR. SEQ. EVENT. PVGNÆ CVP.) Si cum fortuna comitetur, quem suæ finem velit esse victoriæ, ipsum melius nosse, qui iam antiquus est hostis. Vult autem intelligi, Æneam etiam contra Diomedem bella gesturum, non tantum propter præsens imperium, sed caussa hostilitatis antiquæ. Seruius. * *In Olynthiacis Demosthenes hoc argumento ad ferendam Olynthijs opem aduersus Philippū regem. Athenienses conatur permouere, quod illis subactis, in Atticam omne bellum incubiturum sit: & quod Olynthiorum salus, sit futura Atheniensium securitas. Est item infra in oratione Ænea ad Latinum locus similis.* Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello Insequitur, &c.

Talia per Latium: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, MAGNO CVRARVM FLVCTVAT ÆSTV:
ATQVE ANIMVM NVNC HVC CELEREM, NVNC DIVIDIT ILLVC,
In partesq; rapit varias, perq; omnia versat:

Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia peruolitat latè loca: iamq; sub auras
Erigitur, summiq; ferit laquearia tecti.
Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum, pecudumq; genus sopor altus habebat:
Cum pater in ripa, gelidiq; sub ætheris axe
Æneas tristi turbatus pectora bello
Procubuit, seramq; dedit per membra quietem.
Huic Deus ipse loci fluuio Tiberinus amœno,
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus. eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, & crines vmbrosa tegebat arundo.

TALIA PER LATIVM) Deficit oratio: subauditur enim, agebantur, tractabantur, aut simile quid.

QVÆ LAOMED. HEROS CVNCTA VIDENS) Laomedontium dixit, astutum, callidum, vigilantem, & respondentem virtutib⁹ Laomedontis. Cuncta videbat, id est, planè considerabat omnia, & habebat comperta, ac manifesta, nihil illum latebat, omnia nôrat, quæ etiam diuersis in locis gererentur ab hostibus. Et reuera hæc prima sollicitudo est in ratione belli, vt vnusquisq; intelligat, quid hostes agant, quid innouetur. Donatus.

MAGNO CVRA. FLVCT. ÆSTV) Lib. 5. *magnoq; iratum fluctuat æstu*. Et infrà, *varioq; irarum*, &c. Et rursum lib. 8. non longè ab initio. Et lib. 12. *vario nequidquam fluctuat æstu*. Et ibid. *Irarum tantos voluis sub pectore fluctus*. Catull. *magnis curarũ fluctuat vndis*. Lucret. lib. 6. *Voluere curarum tristes in pectore fluctus*. Herodian. de Commodo. *κυμαίνεσθαι δὲ ἔχων τοσαύταις φροντίσι τὴν ψυχήν*. Et Musæus, *ἵστατο κυμαίνουσα πολυκλαύτοισι μερίμναις*.

ANIMVM CELEREM NVNC HVC) lib. 10. *animo nunc huc, nunc fluctuat illuc*. Leguntur autem ijdem duo versus ad verbum lib. 4. Æneid. Reddidisse videtur duob⁹ versibus, quod dictum est vno, ab Euripide Iphigen. Aulid.

Πλάγια γὰρ φρονεῖς, τὰ μὲν νῦν, τὰ δὲ πάλαι, τὰ δ' αὐτίκα.

Varia sentis, nunc quidẽ illud, alia dudũ, aliud statim.

Lib. 4. *partes animum versabat in omnes*. Terent. And. *Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur*. Adiungo Lactantiũ. Vbi animus in multa dispersus est, huc atq; illuc diuagatur. Ennius quoq; Iphigenia, *Incertè errat animus*. ✻

SICVT AQVÆ TREMVLVM LABRIS) Aqua patentibus vasis condita, & percussa solis, aut lunæ radijs, si habeat motum, emittit ex se se quoddam lumen vagum atq; discurrens. Et nunc tecta ipsa, nunc parietes omni celeritate percurrit. Quod ipsum idcirco positum est, vt intelligatur, quanta mobilitate Æneæ animus per diuersas cogitationes videatur cucurrisse. Donat. Locũ etiam Apollonij ex lib. 3. expressisse his carminib⁹ notat Vrsin. * *Annibalem varia secum animo voluentem, cogitantemq; quomodo fraude, & insidijs Fabium ad pugnam eliceret, cum eadem re confert Silius lib. 7.*

Nulla vacant incepta dolis, simul omnia versat,
Miscetq; exacuens varia ad conamina mentem.
Sicut aquæ splendor radiatus lampade solis
Dissultat per tecta, vaga sub imagine vibrans
Luminis, & tremula laquearia verberat vmbra.

'Labra crateres lapideos significant, quibus aqua saliens ex siphunculis excipitur. Crater est enim, quem vulgò peluim appellant in fontibus manu factis, id est, A salientis aquæ conceptaculũ. Plin. in 5. epistolar. In hoc fonte crater, circa siphunculi plures miscent iucundissimum murmur. Sunt etiam labra vasa vinitoribus accõmodata, quemadmodum lacus, & cupæ, quibus labris apud eos vindemiæ exportantur in vehiculis. Labra etiã lapidea balneis vsum prȩstant, fossȩq; lapideȩ in balneis labra vocabantur, cuius significationis exempla sunt apud Vitruuium lib. 5. cap. 10. πυελοὶ, & πλυνοὶ à Græcis dicuntur, hoc est, solia balnearia. Bud. in Pand.

LAQVEARIA TECTI) De voce *laquear* dictum lib. 1. Æneid. ibi, *pendent lychni laquearibus aureis*.

NOX ERAT, ET TERRAS) Captus elegantia commenti huius Silius Ital. & ipse lib. 4. Iunonem in formã
B Trasimeni laci cõuersam fingit, Annibalemq; è somno excitantem, & hortantem vti ad lacum suum pergat, victurus ibidem Flaminium Romanum.

——— *omnia somni*
Condiderant, agrisq; dabant oblinia curis,
Cum Juno in stagni iuuenem conuersa propinqui,
Et madida frontis crines circundata fronde
Populea, stimulat subitis præcordia curis,
Ac rumpit ducis haud spernenda voce quietem.
O felix fama, &c. ✻

ANIMALIA FESSA PER OM.) Horat. Ode 5. Epod. *Formidosa dum latent sylnis fera Dulci sopore languida*. Optimos versus Varronis expressit in melius, & imita-
C tio bene cessit. Sic autem Varro:

Desierant latrare canes, vrbesq; silebant:
Omnia noctis erant placida composta quiete.

ALITVVM GENVS) Delectatur hac voce Lucretius. Lib. 5. *Postremò genus alituum, variasq; volucres*. Ibidẽ. *Alituum porrò genus alis omne videmus Fidere*. Seneca nominauit eodem tropo, periphrasi nimirum, genus aligerum. Ennius, genus altiuolantûm. Dicas etiã licet pennigerum genus. Enniana sunt etiam hæc, corpora volantum, corpora pennipotentum, genu' pennis condecoratum, pro auibus.

SOPOR ALTVS) βαθὺς ὕπνος.

CVM PATER IN RIPA) Nihil cogitantibus, & nulla cura distentis aderat noctis tempus, quod somnũ suade-
D ret, & requiẽ: sed Æneæ aliud assignat, vt fecerit, quod bono, & sollicito Principi congrueret. Cum, inquit, cuncta animalia somnus habuisset, ac pleno otio requiescerent, solus Æneas per aliquantam partem noctis peruigil fuit. Sed vbi vicit natura, vigilantemq;, & resistentem superauit, non quæsita sunt tecta, nec procuratus est ad delicias torus, neq; omne corpus traditũ somno: sed sub nudo æthere, atq; in fluminis ripa: hoc est, vbi

vbi pro ratione temporis, & loci frigus supererat, & pruina, procubuit super, omne corpus quieti concessit, serum capiens somnum, hoc est, tardum. Quod procul dubio faciunt, quos sollicitat salutis cura: nec volunt à primo vespere vsque in lucem dormire. Donat.

DEVS IPSE LOCI) ἐντόπιος, ἐπιχώριος θεός. Platoni αὐθιγενὴς πόλαμός, vt & αὐθιγένεας πηγὰς ἔχων, in ipsa terra fontes habens. German.

GLAVCO AMICTV CARBASVS) Ecce fœlicitas cogitantis, ac perturbati, & afflicti. Deus ipse fluminis præsentis apparet dormienti, non occultus, aut dubius, & ex ipso habitu intelligebatur quis esset. Donat.

Glaucus, & cæruleus color, qui vitreo proximus est, tribuitur fluuialib⁹, & maritimis dijs. Turneb. lib. 8. cap. 15. Et rursum lib. 24. cap. 11. Dij fluctuum, & maris cæruleo vestitu ab antiquis pingebantur, capite arundine tecto, ex qua consuetudine hoc Maro scripsit. Idē lib. eod. cap. 40. Sed & de Planco, Glaucum marinum deum saltante, hæc scribit Paterculus lib. 2. Cum cæruleatus, & nudus, caputq; arundine vinctus, & caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in cōuiuio. Carbasus autem genus est lini, quod Gręci κάρπασον vocant, quod Pausan. lib. 1. negat igne cōsumi. καὶ ἤ, inquit, λίνῳ καρπασίῳ θρυαλλὶς ἔνεστιν, ὃ δὴ πυρὶ μόνον λίνων οὐκ ἔστιν ἁλώσιμον. Eius succus inter venena numeratur à Dioscoride, & Paulo. E carbaso texebantur tenuissima vela.

CRINES VMBROSA TEGEBAT ARVNDO) Hoc idcirco fictum, quod eius ripæ erant arundinibus, seu arundineto prætextæ: & debuit ex ipso habitu cognosci quis esset.

TVM SIC AFFARI, ET CVRAS HIS DEMERE DICTIS.
O sate gente Deûm, Troianam ex hostibus vrbem
Qui reuehis nobis, æternaq; Pergama seruas,
Exspectate solo Laurenti, aruisq; Latinis:
HIC TIBI CERTA DOMVS, certi (ne absiste) penates,
Neu belli terrêre minis. TVMOR OMNIS, ET IRÆ
CONCESSERE DEVM.
Iamq; tibi (ne vana putes hæc fingere somnum)
Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, iacebit
Alba solo recubans, albi circum vbera nati.
Hîc locus vrbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis vrbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
HAVD INCERTA CANO.

CVRAS HIS DEMERE DICTIS) Habitus futuræ orationis, vt aliàs persæpe, ostenditur.

O SATE GEN. DEVM) Alibi, *Anchisa generate, deûm certissima proles*. Et, *vigilas ne deûm gens Ænea?* Et 4. Æneid. *Credo equidem (nec vana fides) genus esse deorum.*

TROIANAM VRB. QVI REVEHIS NOB.) Vt, *Ilium in Italiam portans.* Vrbem ergo pro ciuibus posuit. Et *reuehis*, propter Dardanum, à quo Troiani descenderant. Ilioneus ad Latinum lib. superiore, *hinc Dardanus ortus, Huc repetit.*

EXSPECTATE SOLO LAVRENTI) Dat affectum etiam locis, vt, *Ipsa te Tityre pinus, Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.* Olim te sperabat Italia, tenet præsentem, optatis amplexibus fouet. Hæc dicendo, magnam spem futuri temporis pollicetur. Addit alia, vt animū æstuantis, maioris securitatis sponsione confirmet. Hactenus fermè, Seruius & Donatus.

TVMOR OMNIS, ET IRÆ) sic Græcis οἰδαίνειν turgere est, tumere, irasci, σφριγᾶν superbire, & οἴδημα pro ferocia, ira, & animi interdum elatione accipitur. Alibi, *tumida ex ira tum corda residunt.* German.* *Adde, lib. 9.* tumidusq; nouo præcordia regno. *Et lib. 10.* tumidusq; secundo Marte ruat. *His locis non ira, sed superbus tumidus, & inflatus intelliguntur.*

CONCESSERE DEÛM) Aliqua hemistichia in Virgilio tam sunt imminuta sensu, quàm verbis. Vt ecce hoc loco. Namq; non possumus intelligere, quieuisse omnem tumorem, & iram deorum, cum & adhuc inimica sit Iuno, & ad Troianorum perniciem addantur aliqua alia numina, vt Furiæ, & Iuturna. Vnde quidam mirè conclusit hunc versum dicens, *Concessere deûm profugis noua mœnia Teucris.* Quod si ita acceperimus, vt dicat, Teucros constituere nouam ciuitatem, nec ea numina, quæ sunt irata, vetare, nihil erit contrarium. Nam & ipsa Iuno hoc dicit,

Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lauinia coniux.

Hic autem sensus, etiamsi detrahas subauditionem, potest accipi à superioribus, vt sit: *tumor omnis, & ira Concessere deûm*, vt hic tibi sit certa domus, certiq; penates. Seruius.

NE VANA PVTES HÆC FINGERE SOMNVM) *Somnia fallaci ludunt temeraria nocte*, est apud Tibullum. Melancholici dicuntur à medicis esse πολυόνειροι, & πολυφάνταστοι, vt quidam, se non esse melancholicos, dolere minus debeant. Vide Rhodigin. lib. 27. cap. 16. de nonnullis, qui nunquam somniarunt. Nisi autem plurimum vanitatis inesset somnijs, nunquam volentes aliquid, vt inane, vanum, falsum ἀδύνατον, reijcere, diceremus esse somnium, & somniare, qui huiusmodi in sermonem inijciunt. ✠

LITTOREIS INGENS) Hic, & qui deinceps sequuntur versus tres, positi sunt 3. Æneid. in responso Heleni vatis: quod vt confirmetur, eius oraculum ijsdem verbis repetitur. Ὁμηρίζει Virgilius in hoc etiam, vt ad verbum versus suos alibi iteret: veruntamen non adeò multos, & interdum cum aliqua immutatione, & varietate, quod tu ipse deprehendes facile, si obserues. ✠

TRIGINTA CAP. FOETVS) Hoc miraculo tribuitur:

alioqui tot pariunt catulos, seu parere possunt, quot habent papillas: non autem habent 30. Quærit Plutarch. de caussis natural. cap. 21. quare cicures sues, seu domestici sæpius pariant in anno, syluaticæ semel tantum, & eodē fere tempore semper, appropinquante æstate videlicet. Vide ibid. rationes. Nomen *caput* pro toto animali sępe dicitur, siue homo, siue bestia fuerit. Æneid. 4. *Me puer Ascanius, capitisq́ iniuria chari.* Cic. Philipp. 11. Nam duo hæc capita (Antonius, & Dolabella) nata sunt post homines natos teterrima, & spurcissima. Æneid. 5. *Bina boum vobis Troia generatus Acestes Dat numero capita in naues.* Lepidū caput Terentio, est lepidus homo. Plaut. Mostell. *Triginta minas pro tuo capite dedi.* Inde sunt illa apud poetas, dulce, dilectum, audax, inuisum, ingratum, impium caput.

REDEVNTIBVS ANNIS) Horat. sat. 2. lib. 2. *Sine diem festum rediens aduexerit annus.* Lucret. lib. 1. *Quin etiā multus solis redeuntibus annis.* Exprimitur vis græci nominis ἐνιαυτὸς, quod annū significat. Dictus annus, quod in se ipsum redit, tanquam circulus quidam. Eandem sententiam habes 1. Æneid. *Triginta magnos voluendis mensibus orbes Imperio explebit,* &c.

CLARI COGNOM. ALBAM) clari nominis. nam cognomen sæpius pro nomine dicunt poetæ. Æneid. 1. *At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo, Additur.* Non est sensus, puerū hunc iam vocari Ascanium Iulum: sed qui nominabatur Ascanius, nunc nominari Iulum. Ibid. *Est locus, Hesperiā Graij cognomine dicunt.* Alba igitur nomen est, quæ cur longa diceretur, alibi expositū. Quid ni verò clara, quæ tot reges habuit, tot oppidis imperitauit, quæ etiā Romulum, & Remum, adeoq; Romam peperit?

--------- Nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, PAVCIS, ADVERTE, DOCEBO.
Arcades his oris (genus à Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti)
Delegêre locum, & posuere in montibus vrbem,
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.
Hi bellum assiduè ducunt cum gente Latina.
Hos castris adhibe socios, & fœdera iunge.
Ipse ego te ripis, & recto flumine ducam,
Aduersum remis superes subuectus vt amnem.
Surge agè nate Dea: primisq; cadentibus astris
Iunoni fer ritè preces, IRAMQVE, MINASQVE
SVPPLICIBVS SVPERA VOTIS, mihi victor honorem
Persolues: ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tibris, cælo gratissimus amnis.
Hìc mihi magna domus celsis caput vrbibus exit.
Dixit, deinde lacu fluuius se condidit alto,
Ima petens.

NVNC QVA RATIONE QVOD INSTAT) Iuno Veneri lib. 4. Æneid. *nunc qua ratione quod instat Confieri possit,* &c.

EXPEDIAS) Expedire non semper est conducere, prodesse, vtilitatem habere: sæpe etiam rem conficere, effectum dare aliquid, vt hoc ipso loco. Terent. verbo expedire. Cic. 2. Off. quos & futura prospicere credimus, & cum res agatur, in discrimenq; ventum sit, expedire rem, & consilium ex tempore capere posse.

ADVERTE) Apud Comicos, *aduerte animum.* Dicunt etiam Latini, aduertere mentem, aures, oculos.

ARCADES HIS ORIS) De eadem re Pausanias in Arcadicis. Euandrum narrant Nympha Ladonis filia, & Mercurio genitum, consilio, & bellica virtute Arcadas cæteros antecelluisse: hunc à Pallantio in coloniā missum, deducta in locum Tiberi proximū Arcadum manu, oppidum condidisse, quod vrbis Romæ postea pars fuit: appellatum vero de Arcadici oppidi nomine ab ipso Euandro, & inquilinorum comitatu Pallantium, quod nomen consecuta ætas, litteris duabus submotis, mutauit.

GENVS À PALLANTE PROFECTVM) profectum (ad has oras intellige) genus à Pallante, non, à Pallante profectum.

IN MONTIBVS) in colliculis illis minoribus.

PALLANTIS PROAVI DE NOM.) Confundit nomina, vt plerumq; solet: nam auus fuit: sicut & illud dixit, *luco tum fortè parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.* Et alibi, *Pilumnusq́ illi quartus pater.*

BELLVM ASSIDVE. D. CVM GENT. LAT.) Bene prę standorum auxiliorū exprimit caussam, ne magis Turno, quasi Græco fauere credantur.

ET RECTO FLVMINE DVCAM) Recto fluminis itinere. Et sic dicitur, vt, *Tunc se ad Caieta recto fert littore portum:* hoc est, à littore non recedens. Vel, recto flumine, id est, edomito, frænato, & in tranquillitatem redacto, quod etiam fecit, vt, *Mitis vt in morem stagni, placidaq́ paludis,* vt sit, recto, præteriti temporis participium. Hæc, & proximè superiora Seruius.

PRIMISQVE CADENT. ASTRIS) cum primum astra occidunt, sub matutinum tempus. 2. Æneid. *suadentq́ cadentia sidera somnos.*

IVNONI FER RITE PRECES) Helenus in oratione illa monitoria ad Æneam lib. 3.

Iunonis magnæ primùm prece numen adora,
Iunoni cane vota libens, dominamq́; potentem
Supplicibus supera donis.

MIHI VICTOR HON. PERSOL. EGO SVM PLEN.) Quum senseris beneficia mea, quum lætus de effectibus fueris, tunc mihi repræsentabis, quæ mereor ob hanc caussam. Sed opórtuit Æneam euidentius nosse, quis ille esset, vt sciret, cui per tanta beneficia factus esset obnoxius: sub qua occasione & deum aduerteret monitorem, & fideret, quod per eius amnem ad optata auxilia posset peruenire. *Ego sum*, inquit, *pleno, quem flumine cernis Stringentem ripas*, &c. Non arroganter tetigit laudes suas, sed necessariò: debuit enim Æneas multifario modo, quis ille esset consiliorum bonorum commodissimus demonstrator, euidenter attendere: vt considerato auctore dictorum, fideret vera esse quæ audierat, atque à vatibus senserat. Donatus.

STRINGENT. RIP. ET PINGVIA CVLT. SECANT.) Non parum, neque insuauiter mulcetur auditus, numeriq; ipsi condiuntur, vbi vltimæ versuum dictiones, itemq; primi, secundi, & tertij, & quarti loci inuicem consonant in vltimis syllabis, vt hoc loco, &,

Venerat, extinctam, ferroq́; extrema sequutam.
Vix adeo agnouit pænitantem, & dira tegentem.
Longarum hæc meta viarum.
Ad terram misêre, aut ignibus ægra dedêre.
Vincla recusantûm, & sera sub nocte rudentûm,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad vmbras.

Iouian. in Actio. * *Lepida metaphora* stringentem. *Horat. Ode* A 22. lib. 1. vel quæ loca fabulosus Lambit Hydaspes. *Et alia non minus suaui tralatione Ode 31. eiusdem lib.*

Non rura, quæ Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

Lucret lib. 5. & ripas radentia flumina radunt. *Tarentini autem, ait Politian. cap. 58. à loco ipso, qui Tarentum ob id vocatur, aut quod ara ibi Ditis patris in terra occultaretur, aut quod ripam Tiberis fluuius eo loco teneret, ex quo etiam Rumon dictus à veteribus, & in sacris Serra nominatus, quod ruminaret, hoc est, exederet, & secaret ripas. Vnde Maro*, Stringentem ripas, & pinguia culta secantem.

CELSIS CAPVT VRBIBVS) Qui putant caput, fluuij esse principium, & originem fluuij, errant, & malè hunc locum explicant. Per caput enim Roma significatur. B Hoc autem modo versus exponendus est. *Hic*, id est, non longè ab exitu meo, & ostio, quo in mare ingredior, magna domus mihi exit, id est, oriri incipit. *Celsis caput vrbibus*, id est, quæ futura est aliarum magnarum vrbium caput, & princeps. Quod autem illi ex ijs, quæ paulò post sequuntur, sententiam suam confirmari dicunt, *Quo te cunq; lacus miserantem incommoda nostra*, &c. nihil dicunt. Nā planè, & perspicuè his verbis fons fluuij significatur: quis neget? sed cum supra dicat, *Hic mihi magna domus*. &c. certum locum indicat Tiberis fluuius, vbi domus sua futura sit: & caput vrbium. Æneas autem, dum ita loquitur, *Quo te cunq; lacus*, &c. incertum sibi esse significat, vbi sit origo Tiberis. C Præterea, cum Æneas longissimè abesset ab origine, & fonte Tiberis, non possunt illa verba, *Hic mihi magna domus*, de fonte fluuij intelligi, vtpote quæ locum propinquum indicant. Lamb. in Oden. 1. lib. 1. Refutat autem suppresso nomine Turnebum, cuius vide cap. 40. lib. 24.

------ nox Æneam, somnusq́; reliquit.
Surgit, & ætherij spectans orientia solis
Lumina, ritè cauis vndam de flumine palmis
Sustulit, AC TALES EFFVDIT AD ÆTHERA VOCES.
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus vnde est:
Tuq; ô Tibri tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Ænean, & tandem arcete periclis.
Quo te cunq; lacus miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocunq; solo pulcherrimus exis,
SEMPER HONORE MEO, SEMPER CELEBRABERE DONIS,
Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum:
Adsis ô tandem, & propius tua numina firmes.
Sic memorat: geminasq́; legit de classe biremes,
Remigioq; aptat: socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum, atq; oculis mirabile monstrum:
Candida per syluam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridiq; in littore conspicitur sus.
Quam pius Æneas tibi enim, tibi maxima Iuno
Mactat sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.

NOX ÆN. SOM. RELIQ.) Opinor Virgil. respexisse ad Homeri versum quendam, Iliad. β. ὣς ὁ μὲν εἰπὼν ᾤχετ' ἀποπτάμενος, ἐμὲ δὲ γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν. Cui non dissimile Ennij illud, *Vix ægrotum corde meo me somnus reliquit.* Vrsin. * *Suprà*, tellos ventus cum sole reli- D quit. *Eundem dicit fuisse finem noctis, & somni, quem dormiebat Æneas. Ennius contra*, Pandite sulti genas, & corde relinquite somnum.

ÆTHERII SPECTANS OR. SOLIS LVM.) Conuersus ad orientem solem. Sic lib. 12. *Illi ad surgentem*

 conuersi

conuersi lumina solem. Etiam Christianis sollemne fuit, ad orientem conuersos, deo supplicare, cuius rei certa est, & pia ratio, quam alibi indicauimus.

CAVIS VNDAM DE FLVM. PALMIS) Qui dijs vota facturi sunt, casti esse debent: vnde est illud Cic. 2. de Leg. *ad diuos castè adeunto.* Cum igitur multis non modò cupiditatum illecebris, sed etiam solo somno nox polluat, ad deos accessuri noctem flumine purgabant, vt ait Persius Sat. 2. id est, nocturnos somnos, nocturnas ve libidines, & cupiditates. Sic Aristoph. in Batrachis. ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀπολύσω, vt diuinum somnum abluam. Propert. in natali Cynthiæ, lib. 3. *Ac primùm pura somnum tibi discute lympha.* Vide Rhodigin. lib. 27. cap. 6.

Non sacrificaturi modò, sed precaturi etiam, manus abluebant prius. Marius apud Plut. νιψάμενος τὰς χεῖρας, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχὼν. Horat. Sat. 3. lib. 2. *circum compita siccus Lautis mane senex manibus currebat.* Hæc verba eodem refert vetus interpres, & idcirco dixisse ait, lautis manibus, quia solebant deos precaturi manus, & pedes abluere. Et Ouid. 4. Fast. Claudiam precaturam, puram fluminis aquam manibus hausisse narrat. Brissonius Formular. Rom. lib. 1. * *Quod narrat poeta, Æneam cauis manibus vndam hausisse de flumine, reducit in memoriam factum Diogenis Cynici. Scribit Laertius, cùm vidisset aliquando puerum è caua manu aquam bibisse, cotylam è pera productam continuò abiecisse dicentem, puer me frugalitate superauit, seu tenuitate, & parsimonia vicit.*

NYMPHÆ, LAVRENTES NYMPHÆ) Distinguendum, vt generalitatem sequatur specialitas: vt Georg. 4. *Mater, Cyrene mater.*

GENVS AMNIBVS VNDE EST) Hypallage, pro, Nymphæ quæ ab amnibus genus habetis.

TVQ. O TIBRI TVO) Ennius lib. 1. *Teq. pater Tiberine tuo cum flumine sancto.*

ÆNEAM ARCETE PERICLIS) Hypall. pro, ab Ænea arcete pericula.

QVO TE CVNQVE LACVS) *Quo te cunq.* bis accipiendum est, vt sit: quo te cunque lacu tenes, & quocunque fonte contineris: sed horum alterum ad eius originem pertinet, alterum ad exitum. Siue, inquit, ad originem tuam venero, siue te in alijs locis constitutū exeuntem reperero, vel conditum lacu, celebrabo te donis semper, & semper honorabo muneribus. *Semper* duplicatum, plenam præstitorum memoriam significat. Fons, & lacus non sunt eadem. Fons est, vbi est aquæ initium: lacus, vbi fontis aqua colligitur. Hoc ergo numini spondet. Vbicunque te inuenero, siue ex fonte nascentem, siue in stagno collectum, siue fluentem per liberos exitus, venerabor te pro meritis tuis, & semper offeram vota. Donatus.

CORNIGER FLVVIVS) Ex eo dicitur corniger, vel quod se fluuij in brachia, vel partes, vel ostia, quæ cornua vocantur, diuidant, vt *Rhenusq. bicornis:* vel ob mugitum, quod è quæstionibus Aristotelis discimus, in quibus quæritur, διὰ τί ἐν τοῖς ἕλεσι τοῖς περὶ τοὺς ποταμοὺς γίνονται οἱ καλούμενοι βόμβυκαι, ὃς μυθολογοῦσι ταύρειος ἰσχὺς εἶναι θεῶ. Turneb. 24. cap. 40.

Fluuios ipsos cornigeros, vel ταυροκεφάλους, hoc est, tauricipites, & taurinos, vt luculentam apud Græcos locutionem interpretemur, passim effingunt. Sic & Ouid. Metam. *Et gemma auratus taurino cornua vultu.* Sic tauriformis Aufidus Horatio. Sic Eurotas apud Lacedæmonios, Cephisus apud Argiuos, Asopus apud Sicyonios, & Phliasios, quem tamen Athenienses humana facie figurabant, cornibus tantum à fronte prominentibus: siue propter mugitum, quem ciere flumina instar taurorum videntur, & taurorum instar atrocia sunt, vt Festus ait: siue quod cornua fluminibus, à flexuosis eorum lapsibus tribuntur. Pierius lib. 3.

PROPIVS TVA NVM. FIRMES) familiarius, vt, *& propius res aspice nostras*, aut citius. Cic. in Verr. Nec quidquam ꝓpiusest factū. Et hoc est melius, nā & statim est porca conspecta, & Æneas nō dubitat de fide oraculi, sed exposcit celeritatem. *Tua numina*, tua oracula, & promissa. Seruius. Adde propter locutionis affinitatem illud de 2. Æneid. *Da deinde auxiliū pater, atq. hæc omina firma.*

GEMINAS BIREMES) Ad postera retulit tempora: nā Æneæ ætate nondum biremes, vel triremes erant. Turneb. lib. 24. cap. 40.

SOCIOS SIMVL INSTRVIT ARMIS) Socios appellat classiarios istos, seu epibatas. Quamquam alicubi & remiges. *nunc nunc insurgite remis Hectorei socij.*

IN LITTORE CONSPICITVR SVS) Pudet referre, quā pueriliter vel antiquis Grammaticis, vitia pro virtutibus blandiantur, rursusque istis virtutes vitij instar, summumque artificium, summam habere negligentiam videatur. Nam & Seruius super hoc versu, censura quadam superciliosa vsum monosyllabi verbi nobis in fine carminis interdicit, aut præscribit potius, his verbis. Sciendum tamen est, hoc esse vitiosum, monosyllabo finiri versum, nisi fortè ipso monosyllabo animalia minora explicentur, vt, *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* Gratiores enim sunt isti versus secundū Lucilium. Sed enim lex ista Seruiana à Virgilio neglecta est: quippe qui trecentos, & eo plures versus stabilimento hoc soni monosyllabi firmarit. Nam non modò cum animal monosyllabum ponendum fuit, id in fine carminis semper collocauit, sed alias etiā plerumq. orationis partes. Lege reliqua apud Nicol. Erythræum in prolegom. Virgil. & insuper vide responsum, seu refutationem Seruij apud Scalig. Poet. lib. 4. cap. 48.

TIBI MAXIMA IVNO) Tibi enim tibi, vacat *enim*, & ex iteratione crescit augmentum. Terent. *O Mysis, Mysis.* Seruius.

Maxima Iuno quæ sit, quæritur. Ego reginam intelligi puto, ad discrimen aliarum, vt Iunonis infernæ, quæ Proserpina est, & Iunonum, quas mulieres sibi adoptabant, vt Genij in viris appellabantur. Turneb. lib. 24. cap. 40.

CVM GREGE SISTIT AD ARAM) Confœta sus dicebatur, quæ cum omni fœtu adhibebatur ad sacrificium. Talis igitur ista cum 30. porculis suis mactata ab Ænea. In hoc versu est ὕστερον πρότερον, primùm enim cū grege sistit ad aram, & sic mactat.

SACRA FERENS) sacrificans. Lib. 3. Æneid. *Iunoni fer sacra libens.* Aliam vim habet hic sermo 2. Georg. *quarum* (Musarum) *sacra fero.* Ibi enim se eorum esse sacerdotem dicit, quod planis verbis Horatius Ode 1. lib. 3.

——carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos
Virginibus, puerisq. canto.

Sic lib. 6. de Numa Pompilio. *Quis procul ille autem ramis insignis oliua, Sacra ferens:* quasi de sacerdote dictū. sacerdotum est sacra portare, & sacra dare, seu facere, q. ille quodammodo præstitit, qui tot cæremonias, & religiones instituit. Non longe infra, honorem ferre, pro sacra ferre, dixit.

Tibris ea fluuium, quàm longa est, nocte tumentem
Lenijt, & tacita refluens ita substitit vnda,
Mitis vt in morem stagni, placidæq; paludis
Sterneret æquor aquis, remo vt luctamen abesset.
ERGO ITER INCEPTVM CELERANT rumore secundo.
Labitur vncta vadis abies: mirantur & vndæ,
Miratur nemus insuetum fulgentia longè
Scuta virûm fluuio, pictasq; innare carinas.
Olli remigio noctemq;, diemq; fatigant,
Et longos superant flexus, varijsq; teguntur
Arboribus, viridesq; secant placido æquore syluas.
SOL MEDIVM CÆLI CONSCENDERAT IGNEVS ORBEM,
Cùm muros, arcemq; procul, & rara domorum
Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cælo
Æquauit: tum res inopes Euandrus habebat.
Ocyus aduertunt proras, vrbiq; propinquant.

TIBRIS EA FLVVIVM) Tibris ea nocte, quam longa ea fuit, in flumine leniendo fuit occupatus: hoc est, aquam vorticibus abundantem fluminis sui. Vt tanta eius esset placiditas, vt nec sonitum mitteret, & remotis tumoribus præberet faciem stagni, ac tranquillæ paludis. Donat.

REMO VT LVCTAMEN ABESSET) Lib. 7. *& in lento luctantur marmore tonsæ.*

REFLVENS VNDA) Velut in alueum suum recurrens, vt Æneas contra vndas pergens, descendentis celeritate propemodum vteretur. Seruius.

STERNERET ÆQVOR AQVIS) Sternendo aquas, faceret æquor, id est, æqualitatem, seu vndam æquabilem, æquor siquidem ab æqualitate, vt volunt Grammatici. Lib. 5. *placidi strauerunt æquora venti.* Horat. Ode 9. lib. 1.

Permitte diuis cætera: qui simul
Strauere ventos æquore feruido
Depræliantes, &c.

ITER CELERANT RVMORE SECVNDO) Existimo Maronem dicere, Troianos lenitate fluminis, & monstro albæ scrophæ exhilaratos, lætis, & secundis ominibus, & acclamationibus iter inceptum vrgere. Rumorem enim sic vocat hìc, & omina significat: vt apud veterem poetam, *Soluere imperat secundo rumore, aduersaq; naui.* Donatus interpretatur, prospero aquarum murmure. Gifanius *secundo rumore* apud antiquum illum poetam, ac proinde etiam hìc apud Virgilium valere putat, secundo flumine, quia Græcis ῥοῦς est ipse aquæ fluctus, aut fluor.

LABITVR VNCTA VADIS ABIES) Ennius Annal. 8. *Labitur vncta trabes remis rostrata per altum.* idem. *Labitur vncta carina per æquora cana celocis.* Noster lib. 4. *natat vncta carina.*

MIRANTVR ET VNDÆ, MIR. NEM.) Nil hac figura vsitatius apud poetas, tribuere videlicet sensum rei vacanti sensibus. προσωποποιΐα dicitur.

PICTASQVE INNARE CARINAS) Ab Homero μιλτοπάρῃοι Iliad. 2. & Odyss. λ. φοινικοπάρῃοι naues dicuntur.

NOCTEMQVE DIEMQVE FATIGANT) pro, ipsi nocte, & die fatigantur. Ostendit quanto spatio temporis peruenisse viderentur. Nocte vna, inquit, & die remis fuerunt intenti, & transierunt longos fluminis flexus.

SECANT PLACIDO ÆQ. SYL.) secant placidum aquis amnem Tiberim, per syluam, seu nemus labentē.

SOL MEDIVM CÆLI) Odyss. δ. ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει, periphrasis meridiei.

QVÆ NVNC ROMANA POTENT. CÆLO) Et hoc Æneæ virtutibus applicatur: fælicitati enim Romanæ ipse initium dedit, vt ex humili, & parua fieret maior, & perueniret culmen eius ad cælum. Donatus. * *Infrà non dispar est locus.*

Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim syluestribus horrida dumis.

Cæterùm de magnificentia ædificiorum Romanorū, vnde Maronis locus magnum lumen capiat, lege Plin. lib. 36. cap. 15. ab his verbis, Verùm & ad nostræ vrbis miracula transire conueniat, nongentorumq; annorum dociles scrutari vires, & sic quoq; terrarum orbem victum ostendere: quod accidisse toties pene, quot referentur miracula, apparebit. Vniuersitate verò aceruata, & in quendam vnum cumulum coniecta, nō alia magnitudo exurget, quam si mundus alius quidā in vno loco narretur, &c. Lege & Lipsii Admirāda.

TVM RES INOPES EVAND. HABEBAT) Infra etiam, *pauperq; senatus.* Licet hìc quærere, an ob paupertatem minuatur, seu perdatur nobilitas. De qua quæstione videto Tiraquell. de Nobilitate cap. 25. Veruntamen ita est prorsus, vt in Prouerbijs dixit Salomon. Prouerb. cap. 14. In multitudine populi, dignitas regis: & in paucitate plebis, ignominia Principis.

Fortè die sollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno, diuisq; ferebat
Ante vrbem in luco: Pallas huic filius vnà,
Vnà omnes iuuenum primi, pauperq; senatus
Thura dabant: tepidusq; cruor fumabat ad aras.
Vt celsas videre rates, atq; inter opacum
Adlabi nemus, & tacitis incumbere remis:

Ter-

Terrentur visu subito: cunctiq; relictis
Consurgunt mensis: audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoq; volat telo obuius ipse:
Et procul è tumulo, Iuuenes, quæ caussa subegit
Ignotas tentare vias? quò tenditis? inquit.
Qui genus? vnde domo? pacémne huc fertis, an arma?
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta,
(Paciferæq; manu ramum prætendit oliuæ)
Troiugenas, ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egere superbo.
Euandrum petimus: ferte hæc, & dicite, lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.
Obstupuit tanto perculsus nomine Pallas:
Egredere ô quicunq; es, ait, coramq; parentem
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
ACCEPITQVE MANV, DEXTRAMQVE AMPLEXVS INHÆSIT·
Progressi subeunt luco, fluuiumq; relinquunt.

FORTE DIE SOLLEM. ILLO) Occasio ad narrationis historicæ telam de Hercule, de eius rebus gestis, & origine sollemnium sacrorũ, quibus interuenit Æneas. Montfort.

Homeri imitatione, qui Odyss. γ. inducit Telemachum interuenientem Nestoris sacrificio, & epulo: vbi dat Homerus pæne similes partes Pisistrato Nestoris filio, quas hìc Pallas Euandri filius sustinet. German. Ἐνθ' ἄρα νέστωρ ἧστο, &c.

AMPHITRYONIADÆ MAGNO) Cur Amphitryoniadæ, & diuis, cum & Hercules è diuis? Consueuerunt poetę aliquando κατ' ἐξοχὴν seorsim nominare, qui tamen reliquorum, quos nominant, ordine, ac numero includuntur: idque tam in reprehensione, quàm in B laude. Hoc nunc Herculi facit Maro: quod Ioui Aristophanes in Pluto. Horat. de Mercurio Ode 10. lib. 1. *Te canam magni Iouis, & deorum Nuntium.* Virgil. 1. Æneid. *Troas relliquias Danaûm, atque immitis Achilli.* Homer. 5 Illiad. ζεὺς ἐποὶ ὄν τρῶας τε καὶ ἔκτορα ... φίλατος. In sacro Euangelio, Dicite discipulis eius, & Petro.

PAVPERQVE SENATVS) Cui nondum erat census senatorius, de quo Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 11.

THVRA DABANT) Vsus verbi *dare* multus est in sacris, nec solum exta dicuntur dari, verum etiam thus, & vinum. Cato de re rust. cap. 134. Postea Cereri exta, & vinum dato. Varro lib. 1. de re rust. cap. 29. Exta dijs C cum dabant. Plura testimonia Brisson. Formular. lib. 1. pag. 25.

TACITIS INCVMB. REMIS) pro, ipsos tacitos, ἄνευ κελεύσματος: nam celeusma, nauticus est clamor ad hortandum, vt, *nunc nunc insurgite remis Hectorei socij.* Seruius.

QVOS RVMP. PALLAS SACRA VETAT) Ne interruptione sacrificij piaculum committeretur. Plura hìc Seruius, à quo sumpsit German. cuius verba tibi recitabo. Alludit Maro ad religionem, ritusque Romanorum, quibus piaculare erat, sacra, sacrificia, ludosúe dijs institutos, aut cœptos vlla interuentus occasione interrumpere. Vnde & locum prouerbio factum constat, *salua res est, saltat senex*: qui quidem pontificalis iuris gnarus, cæteris ad arma, scena deserta, cõcurrentibus, & ingruenti vrbi Annibali occurrentibus, piaculum continuata saltatione procurauit, & anteuertit: quam superstitionem sapit & illud suprà de Heleno,

Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

ET PROCVL E TVMVLO) Prima cautela, quod obuius volans gladium corripuit. Altera, quod in tumulo constitit, vt aliquanto ab his remotus esset, & illis altior, quos habuit in re incerta suspectos. Donatus.

QVÆ CAVSSA SVBEGIT) Succincta, & plena interrogatio, cui per singula respondet Æneas. Homer. Odyss. α.

Ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ, καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον,
Τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες,
Ὁπποίης δ' ἐπὶ νηὸς ἀφίκεο;

QVI GENVS? VNDE DOMO?) Horat. epist. 7. lib. 1. *vnde domo quis, Cuius fortunæ?* Sueton. Vitellio, cap. 2. Cæterùm P. Vitellius domo Nuceria. Seneca in Consolat. ad Heluiam. Iube omnes istos ad nomen citari, & vnde domo quisque sit, quære. Adde Propert. lib. 1. *Qualis, & vnde domo, qui sint mihi, Tulle penates.*

PACIFERÆQVE MANV RAMVM) Ne moram faceret in respondendo. Pacificum oleæ hieroglyphicũ est, & ab ipso fere mundi noui primordio, inesse oleę pacificationis vim nobis demonstratum est, per columbam ex arca Noe emissam, quæ rediens vesperi, ad eum virentibus folijs oliuæ ramum retulit. Et cum ferrum, ferrique vsus bello inprimis inseruiat, & symbolicè pro bello ponatur, tanta tamen inest in oleo vis, vt id emolliat, & ad feriendi vsum ineptum, ac inutile reddat: siquidem fabri, qui ferrum lentescere ac emolliri volunt, candefactum id oleo intingere consueuerunt. Pierius. lib. 53.

TELA VID. INIMICA LAT.) Bona conciliatio: nam audierat de Arcadibus, *Hi bellum assiduè ducunt cum gente Latina.*

QVOS ILLI PROFVGOS) sicut & vos: & mouet conciliationem etiam ex similitudine fortunæ. Dum dicit *profugos*, ostendit illos duros, & immites. Idipsum clarius verbis sequentibus, *bello superbo*.

DICITE LECTOS DARD.) Et ad meritum eius pertinet, qui fuerat rogandus, & ad terrorem, si contrarijs

trarijs votis exciperentur. Et extolli debet *Dardania*, quia loco laudis est positum. Donat.

TANTO NOMINE) Nam vt Dido ait, *quis Troiæ nesciat vrbem*, &c. & Æneas Achati, *Quæ regio in terris nostri non plena laboris?*

CORAMQVE PARENTEM ALLOQ.) Quod mihi dicis, coram refer patri meo. Seruauit summum iudicium & patri, & regi, ne ipse temere aliquid promitteret, aut negaret. Interea se filium regis demonstrat, & A quod potuit, hospitium offert. Donat.

DEXTRAMQVE AMPLEXVS INHÆSIT) Hæc enim fœdera fuerunt, seu nota fœderis apud antiquos. Stat. lib. 1. Thebaid. *Iam pariter coeunt animorum in pignera dextra.*

SVBEVNT LVCO FLVVIVMQVE REL.) Hypallage in sensu. Nam primum est, fluuium relinquere, demum lucum subire.

Tum regem Æneas dictis affatur amicis.
Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos:
Non equidem extimui, Danaûm quod ductor, & Arcas,
Quodq; à stirpe fores geminis coniunctus Atridis:
Sed mea me virtus, & sancta oracula diuûm,
Cognatiq; patres, tua terris didita fama
Coniunxere tibi, & fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacæ primus pater vrbis, & auctor,
Electra (vt Graij perhibent) Atlantide cretus,
Aduehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.
At Maiam (AVDITIS SI QVICQVAM CREDIMVS) Atlas,
Idem Atlas generat, cæli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab vno.
His fretus, non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me, me ipse, meumq;
Obieci caput, & supplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Insequitur: nos si pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittant:
Et mare, quod suprà, teneant, quodq; alluit infrà.
ACCIPE, DAQVE FIDEM. sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, & rebus spectata iuuentus.

OPTIME GRAIVGENVM) Quantum ad Æneam pertinet, Græci neque boni, neq; meliores sunt. Ergo *optime Graiugenûm* superlatiuus est pro positiuo: nam optimus malorum non possumus dicere: superlatiuus enim suo tantum iungitur generi. Sic ergo dixit, vt Homer. δικαιότατος κενταύρων, iustissimus Centaurorum, pro, iustus: quum Centauri fuerint crudeles, & impij. Seruius. * *Sed Catull. tamen per leporem dixit.* O furum optime balneariorum. *id est, furum furacissime, & tanquam regula. Et alicubi Martialis,* optimus malorum, *quale Germanicum* ein Ertzdieb, ein Ertzbößwicht.

CVI ME FORTVNA PRECARI) Antiquum est, nam modò, quem precari dicimus. Terent. *Credo, qui mihi sic oret.* Item, *facite vt vobis decet.* Sallust. locum editiorem, quam victoribus decebat. Est græcum, εὔχεσθαι τινί. * *Quod attinet ad sententiam, non admodum dissentit principium orationis, quam ad Scipionem apud Carthaginem Annibal habet. Sic enim Liuius lib. 10. secundi belli Punici. Si hoc ita fato datum erat, vt qui primus bellum intuli populo Romano, quiq; toties prope in manibus victoriam habui, is vltro ad* B *pacem petendam venirem, lætor, te mihi potissimum datum, à quo peterem.*

ET VITTA COMPT. VOLVIT PRÆTEND.) κλάδους ἱκετίους, & ἱερὰ στέμματα innuit, sæpe Euripidi memorata. Sic & Tacit. lib. 17. Cum haud ignari discriminis sui Viennenses, velamenta, & infulas præferentes, vbi agmen incesserat, arma, genua, vestigia prehensando, flexere multùm animos: erant quippe pacis flagitatæ ea insignia. German.

Ramus oleæ, lauriúe lana circumuolutus, manibus legatorum supplicantium gestari solitus erat. Probus in Pausan. Id postquam Lacedæmonij resciuerunt, legatos ad eos cum lana miserunt. Quod hieroglyphi- C cum Seruius ad imbecillitatem significandam institutum putat, nam qui precantur, & supplicant, suam arguunt imbecillitatem, & oues alieno semper auxilio egent. Pierius lib. 53.

NON EQVIDEM TIMVI DAN. QVOD DVCT.) Duo videtur Æneas timere debuisse in adeundo Euandro,

dro, quorum tamen timorem, & virtus ipsius, & oracula excluserunt. Primùm quod Euander esset rex, ac proinde copijs, & opibus potens: rex autem Græcus inter Græcos, quippe Arcadas, & ita inter hostes Troianorum, omnes enim Græci eorum hostes. Alterum, quod cognatione iunctus Menelao, & Agamemnoni summis Principibus Grecorum, quos offendere debere in adiuuando Troiano nō videbatur. Cognationem hanc, sunt qui sic explicant. Tantalus ex filia Atlantis genitus, pater fuit Pelopis, Pelops Atrei, Atreus Agamemnonis, & Menelai. Maia alia Atlantis filia ex Ioue genuit Mercurium, ex Mercurio, & Nicostrata Euander. Hęc genealogia repugnat Virgilio, qui Mercurium facit patrem Arcadum, vt Dardanum Troianorum, quem peperit Electra Atlantis æque filia, Maiæ soror. Lege Seruium, qui plura super hac re, & diuersas opiniones notat.

SED MEA ME VIRTVS) Lucret. lib. 1. *Sed tua me virtus tamen, & sperata voluptas.* Videtur hîc heroica laude fretus Æneas virtutem ipse suam apud Euandrum sine inuidia protestari, quòd falsum sibi nihil assumit, parta tot exhaustis bellis, casibusq; gloria: tum quod confidentia huiusmodi valere dicitur à Plutarcho in lib. περὶ τ̃ ἀντιῳ. Recurre ad lib. 1. Æneid. ibi namque adversum, *Sum pius Æneas*, &c. de περιαυτολογία quædam annotauimus. Accipe & Donati Symbolam.

Quum multa congereret Æneas, primam posuit virtutem suam, secundùm illud Terentij, *mihi spes omnis in me sita est.* Multum enim valet, qui non in aliena, sed in sua virtute fiduciam ponit. Addidit hinc deorum fauorem, qui interueniens, euentus bonos auxilio fortunæ conduplicat.

SANCTA ORACVLA) Tiberini, vel Apoll. vel Sibyllæ, dicentis, *via prima salutis, Quod minimè reris, Graia pandetur ab vrbe.*

COGNATIQVE PATRES) Hoc nomen à græca voce συγγενεῖς natum asserit Paulus Iurecos. lib. singulari de gradibus. Vlpianus lib. 46. ad edictum, vult ita appellari, aut quasi ex vno nati, aut secundùm Labeonis sententiam, quasi commune nascendi initium habuerint.

TVA TERRIS DIDITA FAMA) Non dubium est, quin *terris* sit, per terras. Verbo *didere* vsus est & lib. 7. *Diditur hic subitò Troiana per agmina murmur.* Vide ibi dicta ex Lambino. Tacitus Annal. 1. Didita per prouincias fama, parate iter ad Germanicos exercitus. Notauit & Turneb. lib. 25. cap. 30.

FATIS EGERE VOLENT) Quod voluntatis fuerat, egit necessitas fati.

DARDANVS ILIACÆ) Inducit expositionem, & narrationem talem, qua Euandri se mōstret affinem: quomodo supra dixit, *Cognatiq; patres.*

VT GRAII PERHIBENT) vt vestris continetur litteris. Necessariò posuit, vt Euander homo Græcus suis potius, quam Troianis testibus crederet. Summa est, Troianos genus ducere à Dardano, Arcadas à Mercurio: illum Electræ, hunc Maiæ filiarum Atlantis fuisse filios, ita esse vnius, eiusdemq; aui materni duarumque sororum velut nepotes, & posteros hosce duos populos, ac propterea arcta cognatione deuinctos.

AETHERIOS HVMERO QVI) *Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit*, lib. 4. Et lib. 6. *vbi cælifer Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.* Et hic mox infrà, *cæli qui sidera tollit.*

VOBIS MERCVRIVS PATER) Arnob. lib. 3. Mercurius etiam quasi quidā medicurius dictus est: & quod inter loquentes duos media currat, & reciprocetur oratio, nominis huius concinnata est æqualitas. Ergo si hæc ita sunt, non est dei Mercurius nomen, sed sermonis reciprocantis, & vocis, atque ita hoc pacto aboletur & extinguitur caduceator ille Cyllenius in algido fusus monte: verborū excogitator: nundinarum, mercium, commerciorumq; commutator.

CYLLENES GELIDO VERT.) Inde Cyllenius. Æneid. 4. *tali Cyllenius ore locutus.* Et pro stella Mercurij, ignis Cyllenius 1. Georg. *Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes.* De nomine Mercurij Cyllenius, hoc modo Festus. Cyllenius Mercurius dictus, quod omnem rem sermo sine manibus conficiat, quibus partibus qui carent κυλλοὶ vocantur: ideoq; quadratum eum fingunt. Alij volunt sic appellatum, quod in Cyllenia via sit nutritus. Alij quod in monte Arcadiæ Cyllene. Alij quod à Cyllene sit nympha educatus. Hæc ille. Sed inde dictum, quod in monte Cyllene natus, verisimillimū est.

CONCEPTVM FVDIT) Fudit, cum de parientibus dicitur, facilitatem, celeritatemq; partus significat.

NEQVE PRIMA PER ART. TENT. TVI PEP) Credit German. allusisse Maronem ad bolidum demissiones, aut specilla chirurgica, quibus artifices vulnera explorant, aut etiam ad instrumenta, quibus puteanj, & aquileges terræ naturam periclitantur, ea figentes, & depactis præacutis ferreis, ferratisue obeliscis, qualitates eius experiuntur. Tueri videtur hanc opinionem verbum *pangere*, quod est πηγνύειν & figere: & sententia ad rem satis accommodata: vt dicat Æneas, nulla se πειραστικῶν vti voluisse, antequam in colloquium veniret cum Euandro, neq; vlla eius tentamenta βασάνοις pepigisse, id est, nullis eum specillis defigere, hoc est, explorare voluisse: sed sincerè, & rectè eum aggredi. Quamuis & sint, qui, pangere tentamenta, accipiant pro componere, & struere, vt pangere versus, & vites. Donatus ita: nec sententiam tuam aliqua artis calliditate elicui. Seruius, cum nullo pactus sum, vt te per artem aliquam probarem.

GENS DAVNIA) Daunia Apulia appellatur, à Dauno Illyricæ gentis claro viro, qui eam, propter domesticam seditionē excedens patria, occupauit. Festus. Verùm hic Rutuli accipiendi, quos Dauniam gentem à Dauno Turni patre nominat.

NOS SI PELL. NIHIL AB. CREDVNT) Videtur adumbrasse Thucydidium illud in concione Corcyræorum, lib. 1. καὶ τὴν κρατίστην δύναμιν παρ' αὐτοῖς, καὶ ὑμῖν ἐχθροὺς ὄντας, καὶ προκαταλαμβάνοντας ὑμᾶς νῦν, ἐς τὸ μέλλειν ἐπιχειρήσειν. Notauit Vrsin.

ACCIPE DAQVE FIDEM) Ennius lib. 1. *Accipe, daq; fidem, fœdusq; feri bene firmum.* Sic Græci πίστιν δοῦναι, καὶ λαβεῖν.

REBVS SPECTATA IVVENTVS) rebus aduersis, quæ explorant virtutem, & viros arguunt: quas, qui sufferre potest, ille demum bello censetur idoneus. Bellum enim & dirum, & durum. Iuuentus ætatū omnium firmissima est, à iuuando dicta quod tum ad portanda arma, iuuandamq; rempub. simus idonei. Dicuntur autem iuuenes ad annum quintum, aut sextum supra quadragesimum.

Dixerat Æneas: ille os, oculosq; loquentis
Iamdudum, & totum lustrabat lumine corpus.

TVNC

TVNC SIC PAVCA REFERT. Vt te fortissime Teucrûm
Accipio, agnoscoq; libens? vt verba parentis,
Et vocem Anchisæ magni, vultumq; recordor?
Nam memini Hesiones visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem
Protinus Arcadiæ gelidos inuisere fines.
TVM MIHI PRIMA GENAS VESTIBAT FLORE IVVENTA:
Mirabarq; duces Teucros, mirabar & ipsum
Laomedontiaden: sed cunctis altior ibat
Anchises. mihi mens iuuenili ardebat amore
COMPELLARE VIRVM, ET DEXTRÆ CONIVNGERE DEXTRAM.
Accessi, & cupidus Phenei sub mœnia duxi.
Ille mihi insignem pharetram, Lyciasq; sagittas
Discedens, chlamydemq; auro dedit intertextam,
Frænaq; bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.
Ergo & quam petitis, iuncta est mihi fœdere dextra:
ET LVX CVM PRIMVM TERRIS SE CRASTINA REDDET,
AVXILIO LÆTOS DIMITTAM, OPIBVSQVE IVVABO.
Interea sacra hæc (quando huc venistis amici)
Annua, quæ differre nefas, celebrate fauentes
Nobiscum, & iam nunc sociorum assuescite mensis.

OS OCVLOSQVE LOQ. ET TOTVM CORPVS) paterna in eo lineamenta recognoscebat.

TVNC SIC PAVCA REFERT) Pauca dici conueniebat, ne fabulæ longiores sollemnitati solitæ essent impedimento. Pauca ergo, id est, pauciora, quam dici potuerunt. Ita quidem Donat. At verò Seruius, *pauca refert*, non pauca, sed paucis, id est, breuiter. Hoc vult Seruius, multa cum dixisse, sed paucis.

VT VERBA PARENT. ET VOCEM, VVLTVMQVE RECORD.) Nihil iucundius amicis, quàm amicos in voce, vultu, moribus filiorum contemplari, & recognoscere. Raguel, cum acciperet hospitio Tobiam iuniorem, nèc sciret quis esset, intuens in eum, dicebat Annæ vxori suæ, Quam similis est iuuenis iste consobrino meo? Tobiæ cap. 7. Et Andromache lib. 3. Astyanactem suum videre sibi visa est, cum Ascanium Æneæ intueretur. *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.*

HESIONES VISENTEM REGNA SORORIS) Nam Hercules euersa Troia Hesionen Laomedontis filiam, Priami sororem Telamoni Salaminis regi, comiti suo præmium virtutis ergô dedit. Fecit itaq; iter per Arcadiam, & ab Euandro susceptus est hospitio. Habebat autem Priamus secum Anchisen, quē tum ibi Euander cognouit, & diligere cœpit, atq; ab eo donis donatus est.

PROTINVS) vno, eodemq; tempore, hoc est, dum pergit, vidit Arcadiam. Non possumus simul intelligere, cum Salamin insula sit, Arcadia in continenti. Seruius. Vno eodemq;, siue continuato itinere.

ARCADIÆ GELIDOS FINES) propter plagam cæli frigidam, cui subiecta est.

MIHI PRIMA IVVEN. GENAS VESTIB) Lucret. lib. 5.

Tum demum pueris æuo florente iuuentus
Incipit, & molli vestit lanugine malas.

Hinc vestis, pro pube. Lucret. in eod. supra, & *impubem molli pubescere veste, Et pariter mollem malis demittere barbam.* Vnde vesticeps, pubes, & inuesticeps, impubes.

A Inuestis quoq; puer, imberbis Palladio. lanuginem autem ipsam, quam florem Virgilius appellat, & Pacuuius, *Nunc primum opacat flore lanugo genas*, Lucretius mollem barbam, Lucilius barbulam primam nuncupauit. Vestibat dixit, pro vestiebat: veluti nutribat, polibat, lenibat, pro nutriebat, poliebat, leniebat. Propert. *Atq; hinnuli pellis totos operibat amantes.* Catull. *Vellera virgati custodibant calathisci.* Terent. Eunucho. *Neq; scibat, neq; per ætatem etiam potuerat.* Nam poetæ metri gratia plerumq; vocalem, e, abijciunt. Erythræus.

Quod ad genus loquendi, æquè venustum illud in 9. de Euryalo, *Ora puer prima signans intonsa iuuenta.* Seneca Hippol. *Cum primum puras barba signaret genas.*

B Et Claudian. in Consulat. Prob. & Olybrij.

Ante genas dulces quàm flos iuuenilis inumbret,
Oraq; ridenti lanugine vestiat ætas.

Lucan. in Panegyr. ad Pisonem.

Est, mihi crede, meus animus constantior annis,
Quamuis nunc iuuenile decus mihi pingere malas
Cœperis, & nondum vicesima veneris æstas.

Ouid. de Acide 13. Metam.

Pulcher, & octonis iterum natalibus actis
Signâras teneras dubia lanugine malas.

Et Martial. lib. 2. *Cum tibi vernarent dubia lanugine malæ.* Genas Ennius palpebras putat, cum dicit, hoc

C versu, *Pandite sulti' genas, & corde relinquite somnum.* Et alibi, *imprimitq; genam gena*, de dormiente, vt Seruius iudicat. Alij eas partes putant genas dici, quæ sunt sub oculis. Præter hæc consule lib. 10. ibi, *Tu quoque flauentem prima lanugine malas Dum sequeris Clytium.* Ripas gramine vestitas dixit Columella. Plin. quæ pilo, inquit, vestiuntur, animal pariunt. Mirè dixit Prudent. lib. 2. in Symmach.

Unde seges latè crinitis fluctuat agris,
Densius & grauidis se vestiat æquor aristis.

CVNCTIS ALTIOR IBAT ANCHISES) De Didone lib. 1. *gradiensq; deas supereminet omnes.* De Turno hoc ipso lib. *& toto vertice supra est.* Imitatur Maro receptam inter mortales opinionem de heroibus, quos nō solùm animi dotibus, sed & corporis magnitudine, & prçstantia homines superare cæteros, persuasit sibi iam olim boni, simplicorisq; sæculi sanctimonia, vt quæ ex illis insignibus, virtutibusq; imperia, magistratusq; decerneret, Indorum potissimùm atque Æthiopum exemplo, qui proceritati corporis, liberalitatique, & dignitati vultus, regna deferre solerent. Hæc German. adducens ad probandum Aristot. locum è Polit. lib. 7. *οἱ μὲν τοίνυν οἴονται*, &c.

IVVENILI ARD. AMORE COMPELL.) Et curiosi sunt adolescentes seu iuuenes, & amicitiarum cupidi. Lib. 2. *Obstupui: miroq; incensum pectus amore Compellare virum.*

PHENEI SVB MOENIA DVXI) Pheneum oppidum Arcadiæ. Nec nos mouere debet, quod Euander de Pallanteo sic dicit, quum sciamus poetas vicinas omnes, pro vna, habere ciuitates: sicut & de Didone facit, quam nonnunquam Tyriam, aliquoties Sidoniam vocat. Seruius. * *Quod hic docet Seruius, diligenter obseruandum est poetarum lectoribus, ne intelligentia aberrent. Monuimus idipsum & nos alicubi, in libris superioribus, & exemplis declarauimus.*

ILLE MIHI INSIGNEM PHARETRAM) Ius hospitij habet inter se remunerationem: sed verecundè tacet

A Euander de muneribus suis. Seruius. Locum Homeri geminum huic producit Vrsin. ex Iliad. ζ. de Oeneo, & Bellerophonte.

QVAM PETIT. IVNCTA EST MIHI) Antiqua amicitia iuncta est à me per Anchisæ hospitium. Aliter, quam petitis fidem, & amicitiam (cuius signum & pignus sunt copulatæ dexteræ) eam ipsam in Anchise vestro iam pridem adepti estis. Ex quo amicus sum factus Anchisæ, vester sum. ✠

AVXILIO LÆT. DI. OPI. IVVABO) Regibus dignum carmen. Sic etiam Dido lib. 1. *Auxilio tutos dimittam, opibusq; iuuabo.* Quid enim tam regium, quàm opes suas ad beneficentiam, liberalitatemq; con-
B ferre? Veteres deum faciebant quidquid cernerent prodesse humano generi: quo respexit Plinius, cum scripsit, deus est mortali, iuuare mortalem. Vide adagium, *Homo homini deus.* ✠

QVÆ DIFFERRE NEFAS) Alludit ad antiquos Numæ sacrorum ritus, qui tam arctâ religione continebantur, vt ne nuntiato quidem repentino hostium in vrbem incursu, rumpi, aut interpellari possent. Vnde & suprà, *audax quæ rumpere Pallas Sacra vetat.* Vide Plutarch. in Numa, & lib. de superstit. German.

CELEBRATE FAVENTES NOB.) nobiscum lætissimis animis obite. Iungamur etiam sacris, qui iuncti sumus animis. Lib. 1. *Et vos ô cœtum Tyrij celebrate fauentes.*

Hæc vbi dicta, dapes iubet, & sublata reponi
Pocula: gramineoq; viros locat ipse sedili:
Præcipuumq; toro, & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, solioq; inuitat acerno.
Tum lecti iuuenes certatim, aræq; sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantq; canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumq; ministrant.
Vescitur Æneas, simul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.
POSTQVAM EXEMPTA FAMES, ET AMOR COMPRESSVS EDENDI,
Rex Euandrus ait, Non hæc solemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio, veterumúe ignara Deorum
Imposuit. sæuis, hospes Troiane, periclis
Seruati facimus, meritosq; nouamus honores.

SVBLATA POCVLA REPONI) sublata metus caussa, quia improuiso venerant Troiani: aut satietate interueniente. Donatus.

GRAMINEO LOCAT IPSE SEDILI) Non vacat, quod dixit *sedili.* Nam propria obseruatio est, Herculis sacris operari solitos, operari sedentes. Et Cornel. Balbus ἐξηγητικῶν lib. 18. Apud aram maximam obseruatum, vt lectisternium fiat. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 6.

Non præcepit fieri, vt longæuus, & rex, sed ipse per se humanitatis iura plenissima compleuit. Ipsemet officio boni hospitis functus, collocauit omnes in sedibus pro loco, & tempore accommodatis. Donatus.

PRÆCIPVVMQVE TORO, ET VILLOSI) Vt sedendi merito discerneretur Æneas, qui cæteris fuerat

C potior, & sublimem ei locum dedit, & cultiorem ornatum. Æneam fecit discumbere super toro instrato leonis exuuijs. huiusmodi enim tapetes, & stragula vestes heroibus decoræ tum indicabantur. Donatus.

SOLIOQVE INVITAT ACERNO) ligneo tantum, nullo auro, argentóue ornato. Nota tenuitatem, & simplicitatem sæculi.

TVM LECTI IVVENES) Non vacat *lecti.* In sacris enim Herculis liberi, non serui intererant, nec liberti: adeo vt Appius, quia sacra hæc transtulit in libertos, & caruerit oculis, & intra annum omnem familiam perdiderit Potitiorum. Seruius. Catull. de nupt. *Tum lecti iuuenes Argiua robora pubis.*

ONERANTQVE CANIST. DONA LAB. CER.) Lib. 1. *Cereremque canistris Expediunt.* Hic venustius, quia

quia periphrasin addidit metonymiæ. Et est hypallage, A non enim laboratam Cererem canistris, sed canistra potius donis laboratæ Cereris, hoc est, panibus onerabant, seu bene implebant.

PERPETVI TERGO. B. ET LVSTRAL. EXTIS) Cum illum versum Homeri, qui est Iliad. η. & Odyss. ξ. νώτοισιν δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν, interpretum alius aliter transferat, Valla, sumptis bouis cum tergore carnibus, Aiacem donat honoris gratia: Iustopolitanus, donisq; Aiacem magnis honorauit: nisi depravatum est scriptum, indiligentia librarij, & suppositum donis, pro dorsis: Castalio, tergoribus verò Aiacem longis. Mea quidem sententia quàm proximè Virgilius ad veram sententiam interpretando accessit. Fuisse autem carnes de B tergo victimæ immolatæ in maximo honore, neque proponi consueuisse eas, nisi principibus, & excellentibus viris, testatur Eustathius. νωτιαῖα κρέα [illegible] τοῖς ἐν ὑπεροχῇ, καὶ [illegible] βεβαιοῦσιν γέρας εἶναι τοῖς βασιλεῦσι σπάρτη καὶ τοὺς δυναμένους τὰ δέρματα, καὶ τὰ νῶτα λαμβάνειν, καὶ πρώτους ἵζειν ἐν τῷ δείπνῳ, καὶ διπλάσια νέμειν αὐτοῖς τὰ πάντα. Eadem de re Suidas ἐν τῷ ὅμηρος, & Athen. lib. 5. cap. 3. Ex Hartung. Decur. 4. cap. 7.

Quemadmodum Homerus non tam studet elegantiæ epularum, quàm copiæ, ita Maro eius exemplo scripsit, *Perpetui tergo bouis*, quod est, totius bouis, quam longus erat. In quo tamen *perpetui* pro perpetuo dixisse videri potest cuipiam, cum præsertim Ho- C merus dixerit, νώτοισι διηνεκέεσσι id est, solidis, longis, porrectis, totis. Turneb. lib. 24. cap. 40. Idem lib. 7. cap. 13. more Græcorũ declarato, cuius & Iliad. Homer. est mentio. In sacrificijs primùm hostiæ partem adolebant, & exta coquebant, eisque vescebantur: deinde ex alijs visceribus postea epulabantur, id quod ex Homero facile perspici potest, ita scribente Iliad. 1. νέοι δὲ παρ' αὐτὸν ἔχον πεμπώβολα χερσί. Nam quintuplex illud veru craticulæ simile tenebant, exta torrentes, sequitur enim, αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη, καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο, quo quidem significat, exta tum cocta fuisse, & comesa esse, cum coxæ deorum aris vrebantur. Reliqua postea viscera assabant ad residuam dapem. Homerus. μί- D στυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν. In Herculis sacro Liuius lib. 1. idem declarat à Romanis fieri solitum, cui græca res diuina fiebat, his verbis. Fortè ita euenit, vt Potitij ad tempus præsto essent, ijsque exta apponerentur, Pinarij extis adesis ad cæteram venirent dapem. Hæc tamen Maro de eodem Herculis sacro loquens confudit, nõ tam, vt reor voluntate, quàm carminis lege, qua coacti interdum poetæ, res, & tempora non satis distinguunt. Cum autem extorum Maro mentionem fecit, hoc ipso participes sacrificij intellexit, & significauit. Nam qui à sacris arcebantur, ijs de extis gustare nefas erat, vt homicidis. Aristoph. οὐκ ἔστιν ὅπως οὐχὶ τεθνᾶσι, κἂν χρῇ σπλάγχνων με ἀπέχεσθαι. Sed E cur lustralia appellauit Maro? vtrum ne quod pinguia? cũ peracto lustro Censores opimas, & pingues, eximiasque victimas immolarent. An verò quod de quinquennali essent boue? Ego has interpretationes exquisitiores, quàm veriores crediderim: ac lustralia dicta putauerim, vel quod primus Hercules post Caci cædem ad aram maximam, facto sacro se purgauerit, & lustrauerit: vel potius, quod cũ omnia nos sacra lustrẽt, & purgent, extorum esu id maximè consequimur, & sacrificiorum participes sumus, à quibus impij arcentur. Itaque sollemnia omnia exta eam vim habere putabantur: quæ autem hic lustralia exta Maro dicit, Liuius sollemnia nominat, ob sollemne sacrificium.

Didicit hanc frugalitatem ab Homero suo Virgil. vt neque varios, & bene conditos cibos, neque alias quam bubulas, easque assas, & in sacrificio sollemni, & Æneæ hospiti apponeret. Id quippe Homerus sæpe facit. Qua de re quid scriptum sit ab Athenæo, lib. 1. cap. 4. quantum ad institutum sufficere videbitur, accipiamus, licet. Quia temperantiam conuenientissimam virtutem, primamque, & quæ maximè iuuenibus congruat, omniumque bonorum ministram Homerus viderat, quam statim à principio illis inhærere voluerat, vt otium postea, studiumque ipsum in honestis operibus absumant, atque bene factores inuicem, & communes esse consuescant, frugalem omnibus vitam, at quæ tamen illis sufficiat, comparauit: quippe cum cupiditatem omnem animaduerteret, & acerrimas voluptates, circa epulas, comessationesque perpetuò versari: qui autem infra frugilitatis terminos se ordine continuerint, eos & circa reliquam vitæ rationem esse temperantes putauit. Frugalem igitur victum constituit, eundemque regibus similiter, ac priuatis, iunioribus, ac senioribus, assatas omnibus carnes apponens, easque bouinas, sæpius in festis diebus, nuptijs, & alio quouis conuentu. Non thrya, vel condylum, vel ametas, aut placentas mellitas eximias regibus apponit Homerus: sed ea, per quæ bene, & animus, & corpus habeant in posterum. Aiacem igitur Agamemno bouinis tergoribus post duellum decorauit, & Nestori iam seni, atque Phœnici, assatam carnem præbuit, & Alcinoo præterea, qui vitam delicatam elegerat, reuocans eos ab inordinatis voluptatibus. Menelaus etiam, cum filiorum nuptias celebraret, Telemacho bouis dorsum apposuit. *Assatas posuere illi quæ munera carnes.* Procos etiam petulantes, & in omnes voluptates profusos, neque pisces, vel aues, aut mellitas placentas comedentes inducit, adimens pro suis viribus omnes coquinarias machinationes, & omnes, vt ait Nicander, superuacaneas, ad luxumque incitantes epulas. Hæc Athenæus. Idem cap. 22. Olerum, piscium, & auium vsum reliquit ob gulam, & omne in apparatibus indecorum, quod multo D inferiùs iudicauit rebus heroicis, diuinisque operibus. Quod elixatis vtebantur carnibus, in his sequentibus demonstratur, &c. * *Plato lib. 3. de repub. vbi disserit de temperantia victus, laudat Homerum, qui in ipso exercitu ad heroum conuiuia nunquam pisces adhibuerit, tametsi in ipso Hellespontici maris littore tenderent Græci: neq; carnes elixas, neq; vllum exquisitius cibi genus, neq; condimenta etiam: sed assas carnes tantummodo: quæ quidem militibus, inquit, essent paratu facillima. Vbiq; enim, vt breuiter dicam, expeditius est igne vti, quam vasa quædam circumuectare. Pro auctario sit istuc Plinianum lib. 11. cap. 53. Homini cibus vtilissimus simplex, aceruatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora.*

ET LVSTRAL. EXTIS) Lustralibus, aut pinguibus (moris enim fuerat, completo lustro pingues E victimas offerre) aut certè de quinquennali boue. Nam & Homerus βοῦν πενταέτηρον dixit. Seruius.

POSTQVAM EXEMPTA FAM.) Caro illa bubula, si edendi delicias non habuit, tamen famis excludendæ substantiam. Postquam igitur hoc factum est, & edendi fastidium de edendi satietate successit, exinde cœpit sic loqui Euander. Moraliter positum, *Postquam exempta fames.* Nullus enim in conuiuio libenter fabulas conserit, aut audit alienas, nisi venter fuerit plenus. Longam quippe narraturus Euander fabulam, & ipsum non superfluam, sed natam ex eo, quod ipso tempore gerebatur, debuit habere auditores animis liberis, & nulla ex caussa suspensis, quod procuratum est auxiliorum promissis, & inedia exclusa. Donatus.

COMPRESSVS AMOR EDENDI) Sic Homerus, idq; non ſemel. αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο. Lucret. lib. 4. loquens de cauſſis capiendi cibi.

Prǽterea capitur cibus, vt ſuffulciat artus,
Et recreet vires interdatus, atq; patentem
Per membra, ac venas vt amorem obturet edendi.

Eſt igitur hæc quædam velut definitio, ſeu periphraſis famis, *amor edendi.*

REX EVANDRVS AIT) Seruat decorum poeta, qui verboſum ſenem inducit, exemplo Homeri, qui varijs locis per Iliada Neſtorem non amuſis hominibus velut ſcenam videtur pæne ἀδολεσχοῦντα producere, & σπερμολόγον. * *Venit in mentem illius, quod Cato in libello, de ſenectute ait apud Tullium: Et eſt ſenectus natura loquacior, ne ab omnibus eam vitijs videar vindicaſſe. Quo pacto ſeniculi quidam in concione per incontinentem linguam Athenis maximo detrimento fuerint, videndus Plutarchi liber de Garrulitate, plane aureus.*

B

HANC TANTI NVMINIS ARAM) Liuius maximam vocat, ſeu potius vocatum iri apud poſteros Euander Herculi prædicit. Vide lib. 1. Infra item maxima nominatur.

VANA SVPERSTITIO) Manifeſtiſſimè, iuxta ac diſertiſſimè quid ſuperſtitio, quid religio ſit, quantumque inter ſe diſcrepent, oſtendit M. Tul. 2. de nat. deor. in hæc verba. Cultus autem deorum, eſt optimus, idemque caſtiſſimus, atque ſanctiſſimus, pleniſſimusq; pietatis, vt eos ſemper pura, integra incorrupta, & mente, & voce veneremur. Non enim philoſophi ſolùm, verùm etiã maiores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparauerunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, vt ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen poſtea patuit latius. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi, ex relegendo, vt elegantes ex eligendo, item ex deligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. His enim in verbis omnibus ineſt vis legendi eadem, quæ in religioſo. Ita factum eſt in ſuperſtitioſo, & religioſo, alterum vitij nomen, alterum laudis. Diſſerit multa de iiſdem Budæus in Pand.

Diſtinctionem Ciceronis confutat Lactant. lib. 4. cap. 28. & vult, religionem eſſe Chriſtianorum, ſuperſtitionem gentilium. lege locum, ſi otium ſuppeditat, pertinet enim huc quoque quadantenus. Fertur libellus Plutarchi præclarus de ſuperſtitione. In eo primis ſtatim verbis duorum contrariorum, atheiſmi, & ſuperſtitionis originem ſic explicat. Quum inſcitia, ignorantiaq; ſtatim ab initio in diuerſas partes fluat, partim quidem tanquam in duris quibuſdam locis, ingenijsq; refractarijs diuinitatis abnegationẽ: partim autẽ tanquam in humidis, teneriſque, ſuperſtitionem genuit.

Addamus expoſitionem Seruianam in hunc poetæ locum. Superſtitio eſt timor ſuperfluus, & delirus: aut ab aniculis dicta ſuperſtitio, quæ multis ſuperſtites per ætatem delirant, & ſtultæ ſunt: aut ſecundum Lucretium ſuperſtitio eſt ſuperſtantium rerum, id eſt, cæleſtium, & diuinarum, quæ ſuper nos ſtant, inanis, & ſuperfluus timor.

VETERVMVE IGNARA DEOR.) Duo dicit: non ideo Herculem colimus, aut quia omnem religionem veram putamus, aut quia deos ignoramus antiquos. Cautum enim fuerat & apud Athenienſes, & apud Romanos, ne quis nouas introduceret religiones: nam ideo & Socrates damnatus eſt, & Chaldæi, & Iudæi ſunt vrbe depulſi. Seruius.

C

SERVATI FACIMVS) Verbum *facimus* ad ſollemnia, & dapes referendum eſt, hoc ſenſu: Iſta ſollemnia, & has dapes obimus, dum ſalutis adeptæ à latrone ſæuiſſimo anniuerſariam memoriam celebramus. Quid ſi exponamus *facimus*, ſacrificamus, cum ſequatur velut per ἐπεξήγησιν, *meritosq; nouamus honores?* Nam duabus illis vocibus, ſollemnia, & dapes reſpondent, *Vana ſuperſtitio impoſuit.* Coniecturã meã perpẽdat lector. *

MERITOSQVE NOVAMVS HONORES) Detraxit re, nã renouamus debuit dicere: dictum quippe ſupra, *Fortè die ſollemnem illo rex Arcas honorem Amphitryoniadæ*, &c. Eam particulam alibi addidit otioſè, *Fata renarrabat diuûm.* Seruius.

Iam primùm ſaxis ſuſpenſam hanc aſpice rupem,
Diſiectæ procul vt moles, deſertaq; montis
Stat domus, & ſcopuli ingentem traxere ruinam.
Hîc ſpelunca fuit, vaſto ſubmota receſſu,
Semihominis Caci: facies quam dira tegebat,
Solis in acceſſam radijs: ſemperq; recenti
Cæde tepebat humus: foribusq; affixa ſuperbis
Ora virûm triſti pendebant pallida tabo.
Huic monſtro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna ſe mole ferebat.
ATTVLIT ET NOBIS ALIQVANDO OPTANTIBVS ÆTAS
AVXILIVM, ADVENTVMQVE DEI. nam maximus vltor,
Tergemini nece Geryonis, ſpolijsq; ſuperbus
Alcides aderat, taurosq; hâc victor agebat
Ingentes: vallemq; boues, amnemq; tenebant.
At furijs Caci mens effera, ne quid inauſum,
Aut intentatum ſceleriſue, doliúe fuiſſet:
Quattuor à ſtabulis præſtanti corpore tauros

Auertit

Auertit, totidem forma superante iuuencas.
Atq; hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos, versisq; viarum
Indicijs raptos, saxo occultabat opaco.

SAXIS SVSPENS. HANC ASPICE RVPEM) *suspensam*, quasi iam, iamque lapsuram. Potuit leue æstimari, quod dixit de cæde: idcirco specum adiungit, & expressè, quorum illic sanguis funderetur, ostendit. Tanta illius monstri feritas fuit, vt semper recenti cæde gauderet, semper humani sanguinis vaporibus aleretur: nec id faciebat occultè, sed ad ostentationem propriorum scelerum, cæsorum capita figebat in foribus. Affixa verò tabo corrupta pendebant. Fixum durabat, quod solidum in ossibus fuit. Hoc monstrum, inquit, Vulcanus genuerat: Vulcani incendia in pectus filij migrauerant, exibant de eius faucibus fumus, & flammæ: & quum ipse contra naturam rerum non arderet, vrebat tamen, quod flatibus attigisset: nec defuit substantia corporis animæ ferali conueniens. Magnus fuit, & ad incutiendum terrorem altissimis gressibus ferebatur. Quis posset tolerare magnū corpore, & ratione feritatis tutū, ac vomentē Vulcani patris incendia? Hęc idcirco sunt posita, ne inertię vitiū teneret incolas, qui qualecunq; mōstrum, vnum omnes non valuerunt superare: accessus enim ad eum quis esse posset, cuius anhelitus flamma fuerat, & incendium vomitus? Hoc genere Herculi crescebat prædicationis augmentum, quod solus perfecit eius insperatam necem, quam vniuersi illius regionis homines tentare non sunt ausi. Donatus.

SEMIHOMINIS CACI) Quis reuera fuerit Cacus secundum philologos, & historicos, videbis Seruium. Dionys. lib. 1. in hunc modum. Inter eos, qui bello domiti sunt (ab Hercule) fuisse aiunt & Cacum illum Romanis fabulis celebrem. Qui princeps immanium quorundam barbarorum heroi restitit, fretus locis natura munitis, vnde in finitimos excursabat. Et cum animaduertisset Herculem castrametatum in propinqua planitie, cum prædatorio globo derepente in eum irruit: & dormiente etiamnum exercitu, quidquid prædæ incustoditum nactus est, retro in sua secum abegit. Deinde obsessus, & vi expugnatus à Græcis, dum hostes cum suis propulsare nititur, cecidit.

RECENTI CÆDE TEP. HVM.) Recenti sanguine per cædem effuso.

FORIBVS AFFIXA ORA VIRVM) Ad terrorem, vel ad aucupandam gloriam, quasi spolia bellica, quæ foribus affigi mos erat. Diximus ea de re lib. 7. De Belgis Strabo lib. 4. E prælio decedentes, ceruicibus equorum hostium capita suspendunt, eaque domum delata, vt sint spectaculo, postibus affigunt.

Hanc historiam, seu fabulam de Caco disertissimè memorauit lib. 1. Liuius, cuius verba transcribentur, vt summi poetæ, ac principis historici descriptiones inter se comparare possimus. Herculem in ea loca Geryone interempto boues mira specie abegisse memorant, ac prope Tiberim fluuium, quà præ se armentum agens nando traiecerat, loco herbido, vt quiete, & pabulo læto reficeret boues, & ipsum fessum via procubuisse: ibi cum eum cibo, vinoque grauatum sopor oppressisset, pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine boum, cum auertere eam prædam vellet: quia si agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia quærentem dominum eò deductura erant, auersos boues, eximium quemq; pulchritudine caudis in speluncam traxit. Hercules ad primā aurorā somno excitus, cum gregem perlustrasset oculis, & partem abesse numero sensisset, pergijt ad maximam speluncam, si fortè eò vestigia ferrent: quæ vbi omnia foras versa vidit, nec in partem aliam ferre, confusus, atque incertus animi, ex loco infesto agere porrò armentum occœpit. Inde cum actæ boues quædam ad desiderium (vt fit) relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem conuertit: quem cum vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset, ictus claua fidem pastorum nequidquam inuocans, morte occubuit. Describit eandem accuratè Dionys. lib. 1. Ouid. 1. Fast. & Propert. lib. 4. eleg. 10. Vide etiam quemadmodum tractetur à Fulgentio, lib. 2.

ATTVLIT ET NOBIS) sicut multis, quibus profuit Hercules monstra purgando. Hoc versu & dimidiato sequenti vtentur παροιμιακῶς appositissimè, qui diuturnæ calamitatis tandem aliquādo depulsorē nacti sunt.

TERGEMINI NECE GERYONIS) Geryo, seu Geryones Chrysaoris Iberiæ regis filius, trigeminus, & ter amplus, & triceps, & tricorpor ideo à poetis dictus est, quia tres fratres erant, viribus corporis præstantes. Horat. Ode 14. lib. 1.

——— qui ter amplum
Geryonem, Tityonq; tristi
Compescit vnda.

Lucret. lib. 5. *Quidue tripectora tergimini vis Geryonaï?* * *De hoc lege Pausan. in Atticis, & Eliacis, & Diodori lib. 4. Item Ioannem Marianum lib. 1. Hispanicarum rerum. Silium lib. 1. de eodem.*

Tres animas namq; id monstrum, tres corpore dextras
Armârat, ternaq; caput ceruice gerebat.
Haud alium vidit tellus, cui ponere finem
Non posset mors vna viro, duræq; sorores
Tertia bis rupto torquerent stamina filo.

Legendum ne sit Geryonæ, an Geryonis, *lege disputationem Germani.*

SPOLIISQVE SVPERBVS) Atqui boues abduxerat. Spolium est, quidquid hostibus tollitur, vt, *Addis equos, & tela, quibus spoliauerat hostem.* Item, *Postquā illum vita victor spoliauit Achilles.* Seruius.

AVT INTENTATVM) A Demosthene ἀπείρατον cum in orat. pro Ctesiphonte de iniuria & importunitate aduersariorum querens, inquit. καὶ ὅτ᾽ ἄπειρα σοφιζόμενοι, ὅτι συκοφαντίᾳ φιλονεικοῦντες, ὅτι δικάζοντες, καὶ μανία: ὅτ᾽ ἄλλο οὐδὲν ἀπείρατον ἐν τούτοις κατ᾽ ἐμοῦ. Qui autem in aliquo facto ita se gerunt, vt quamuis priores doli, ac fallaciæ ipsis non successerint, tamen semper noui aliquid experiantur, manifestò impudentes sunt, & vecordes, vt improbissimus ille mortalis, vel monstrum potius Cacus. Eodem argumento, ac verbo quoque vsus, lib. 10. Venus, cum Iunonem insimularet: nec vlli rei parcere significaret, vt perderet Troianos: inquit enim, cum iusta ira commota, quasi obijceret id, quod defendi non posset, & omnes numeros in se sæuissimi facti contineret. *Nunc etiam manes (hæc intentata manebat Sors rerum)* & quæ sequuntur. Sed Horat. quoque hoc verbo vsus est, cum tamen laudare eos, qui hoc commiserant, & honore dignos esse, non ignominiæ vlli affines arbitraretur: inquit enim de Latinis hominibus, qui tenerentur studio poetices.

Nil

Nil intentatum nostri liquere poetæ,
Nec minimum meruere decus, vestigia græca
Ausi deserere, &c.

Quomodo etiam superius verbum cepit Herodot. in 7. lib. Historiar. in longè maiori re exponenda: cum, inquam, fecisset Mardonium Xerxi regi Persarum suadere, vt bellum Græciæ inferret: affirmauit enim ille in extremo orationis suæ, oportere viros omnia experiri in vita, quia nihil boni sponte ad eos peruenire solet, sed contrà quæ obtinemus à periculo illorum impetrandorum facto, exoriuntur. Inquit igitur, ἔστω δὲ ἂν μηδὲν ἀπείρητον. Victor lib. 31. cap. 24.

CAVDA IN SPELVNCAM TRACTOS) Propert. lib. 4. eleg. 10. de hoc Caci furto.

Hinc, ne certa forent manifestæ signa rapinæ
Auersos cauda traxit in antra boues.

Martial. lib. 5.

Syluarumq; tremor, tacitus qui fraude solebat
Ducere non rectas Cacus in antra boues.

VERSISQVE VIARVM INDICIIS) contra naturam inijcientibus errorem. Ipsa decipiebant indicia, quæ indicare consueuerunt: nã indicia ab indicando, ait Seruius. Sic & Cicero, exemplo, inquit, furũ, qui, ne deprehendantur, signa commutare solent.

SAXO OCCVLT. OPACO) suprà, speluncam vocauit, & mox cursus ita vocat. item antrum, & cauum saxum.

Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, cùm iam stabulis saturata moueret
Amphitryoniades armenta, abitumq; pararet,
Discessu mugire boues, atq; omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.
Reddidit vna boum vocem, vastoq; sub antro
Mugijt, & Caci spem custodita fefellit.
Hîc verò Alcidæ furijs exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu, nodisq; grauatum
Robur, & aërij cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum videre timentem,
Turbatumq; oculis. FVGIT ILICET OCYOR EVRO,
Speluncamq; petit. PEDIBVS TIMOR ADDIDIT ALAS.
Vt sese inclusit, ruptisq; immane catenis
Deiecit saxum, ferro quod, & arte paterna
Pendebat, fultosq; emunijt obijce postes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemq;
Accessum lustrans, huc ora ferebat, & illuc,
Dentibus infrendens. ter totum feruidus ira
Lustrat Auentini montem, ter saxea tentat
Limina nequicquam: ter fessus valle resedit.

NVLLA AD SPEL. SIGNA FEREBANT) Lucil. apud Non. in *Spectare.*

Quid sibi vult, quare fit, vt intus versus, & ad te
Spectent, atq; ferant vestigia se omnia prorsus?

DISCESSV MVGIRE BOVES) M. Varro in Sat. Aborigines. Mugit bos, ouis balat, equi hinniunt, gallina pipat.

IMPLERI NEMVS, ET COLL. CLAM. RELIN.) Infinitiuus modus pro definito tempore creberrimus est apud Sallustium, aliosq; historicos. Hic *impleri*, & *relinqui* eodem tempore censeri debent, quo, *moueret*, & *pararet*, [*Vt sit sensus, cum impleretur nemus, & colles cum clamore relinquerentur.*] Quanquã scio vulgus Grammaticorum hunc locum aliter accipere: vbi sanè planè Grammatici sunt, hoc est ἀκριβολόγοι. At Virgilius dixit cum impleri, tum relinqui eodem modo, quo Catullus properare, hoc versu. *Quum Medi properare nouum mare.* Sed correctores offensi antiqua lectione, eam mutauerunt. Properare mare, vt Horatius, properare apio coronas. Virgil. *Et quamuis igni assiduo properata maderent.* Scalig. F. in Catull.

ALCID. FVRIIS EXARSERAT ATRO FELLE DOL.) Cum hoc cognouisset Hercules, iniuriam magis, quàm detrimenta cõsiderans, exarsit præ iracundia. Deniq; non tulit, sed rapuit: nec passibus, sed veloci cursu aëreum tetendit ad montem. Virtus Herculis vtroque signatur. Nam grauatum nodis robur, quo vtebatur pro armis, & tanti montis ardua cursu transmittere, plena virtutis, & constantiæ demonstratio. Donatus.

NODISQVE GRAVATVM ROBVR) Grauatum pro, graue ponit: nam graue est per naturam ponderosum: grauatum, quod oneratur extrinsecus. Seruius.

NOSTRI CACVM VIDERE TIMENTEM) Subtiliter Virgilius, apteque in colloquio regis Euandri cum Ænea, expositioneque fabulæ Herculis, cum feritatem Caci, atque audaciam demonstrare vellet, deique illius impetum in maximum furem, cognita illius iniuria, id tum contigisse dixit, quod nunquam antea visum fuerat, vt immanis scilicet illa bellua timeret, ac timoris sui certa signa vultu etiam ostenderet. Eodem autẽ pacto Plato lib. 2. Politicor. declarauit, quam acer esset in di-

in diſputando Thraſymachus ille Chalcedonius, nec ſolitus vnquam concedere quidquam aduerſario, ſimulq; Socratis acumen, elegantiamque, qui illum refellerat, fateriq; coegerat, rem illo modo habere, quo antè negârat: ait enim, Tum primum ſe vidiſſe, quod nunquā anteà ipſi vſu venerat, Thraſymachum exalbeſcentem: victus enim ille in eo certamine, colore etiam corporis, quantum dedecus admiſiſſet, indicauit, &c. Victor. lib. 3. cap. 5.

TVRBATVMQVE OCVLIS) Oculi ſunt indices, & nuntij quidam mentis. Per eos ſeſe affectus produnt.

FVGIT OCYOR EVRO) Ad celeritatem ὑπερβολικῶς ſignificandam profertur adagium ſimile à Chiliaſte, *Ocyor accipitre.*

PEDIBVS TIMOR ADDIDIT ALAS) Haud ita diſpar quiddam eſt lib. 1. *furor arma miniſtrat.*

OMNEMQVE ACCESSVM LVSTRANS) Colitur & Caca, inquit Firmian. lib. 1. cap. 20. quæ Herculi fecit indicium de furto boum: diuinitatem conſecuta, quia prodidit fratrem.

DENTIBVS INFREND.) Sic lib. 3. de Polyphemo *dentibus infrendens gemitu.* Plaut. Capt. *Nimis hercle ego illum malè formidabam, ita frendebat dentibus.*

HVC ORA FEREBAT, ET ILLVC) Vno verbo, circumſpectabat.

LVSTRAT AVENTINI MONTEM) Ouid. lib. 14. Metamor. de ſucceſſione Regum Albanorum.

Fratre ſuo ſceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Auentino: qui, quo regnârat, eodem
Monte iacet poſitus, tribuitq; vocabula monti.

Auentini mōtem, vt fontem Timaui, Buthroti vrbem. *Luſtrare* eſt hîc perambulare, circumire. Eclog. 10. *Interea miſtis luſtrabo Mænala lymphis.* Sueton. Vitellio, cap. 9. Præmiſſo agmini lætum euenit auſpicium: ſiquidem à parte dextra repente aquila aduolauit, luſtratiſq; ſignis, ingreſſos viam ſenſim anteceſſit.

TER FESSVS VALLE RESEDIT) Differt fatigatus à feſſo: quod fatigatus eſt, cum quis per alium laborare compellitur: feſſus, cum quis labore deficit. Verrius. Cæterùm quod toties iterat vocem ter, nihil vult aliud, quam ſæpe, ſeu aliquoties, vt ſit numerus certus pro incerto. 2. Æneid.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago.
Ouid. epiſt. Phædræ.
Ter tecum conata loqui: ter inutilis hæſit
Lingua: ter in primo deſtitit ore ſonus.

Stabat acuta ſilex, præciſis vndiq; ſaxis,
Speluncæ dorſo inſurgens, altiſſima viſu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona iugo læuum incumbebat ad amnem,
Dexter in aduerſum nitens concuſſit, & imis
Auulſam ſoluit radicibus, inde repentè
Impulit. impulſu quo maximus inſonat æther,
Diſſultant ripæ, refluitq; exterritus amnis.
At ſpecus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & vmbroſæ penitus patuere cauernæ
Non ſecus, ac ſi qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, & regna recludat
Pallida, Dijs inuiſa, ſuperq; immane barathrum
Cernatur, trepidentq; immiſſo lumine manes.
Ergo inſperata deprenſum in luce repentè,
Incluſumq; cauo ſaxo, atq; inſueta rudentem
Deſuper Alcides telis premit: omniaq; arma
Aduocat, & ramis, vaſtiſq; molaribus inſtat.
Ille autem (neq; enim fuga iam ſuper vlla pericli eſt)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Euomit: inuoluitq; domum caligine cæca,
Proſpectum eripiens oculis: glomeratq; ſub antro
Fumiferam noctem, commiſtis igne tenebris.

STABAT ACVTA SILEX) Varronem, Lucretium, Iuuenalem genere maſculino dixiſſe hunc ſilicem, teſtis eſt Seruius. Silex autem pro grandi ſaxo, ſeu rupe, ſeu ſcopulo hîc ponitur: vt etiam Æneid. lib. 8. *Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.* Ibid. *Quos ſuper atra ſilex iam iam lapſura.* Eclog. 1. *Spem gregis, ah ſilice in nuda, connixa reliquit.* Alia notione capitur 1. Æneid. ibid. *Ac primum ſilicis ſcintillā excudit Achates.* Kiſelſtein.

DIRARVM VOLVCRVM) Non mali ominis, vt ſunt bubones: ſed quæ humanis cadaueribus veſcebantur: dixit enim, *foribusq; affixa ſuperbis Ora virûm, triſti pendebant pallida tabo:* * *Seruius quidē ad hunc modum. Quā ſententiam ſic intellige, aues illas conſueſſe humanis veſci carnibus, id intelligendum ex eo, quod ſupra dictum eſt,* foribusq; affixa ſuperbis, &c. *& ideirco diras vocari.*

QVO MAX. INSON. ÆTHER:) His, & ſequentibus verbis obſerua maximā hyperbolen, & proſopopœiam, dum amni ſenſus tribuitur.

AT SPECVS ET CACI) Ennius 16. Annal. *Tum caua*

caua sub montem latè specus intus patebat.

APPARVIT INGENS REGIA) Regia, sicut Cacus putabat: sic est & illud dictum, *illa se iactet in aula Æolus.* Et Eclog. 1. *Post aliquot meà regna videns mirabor aristas,* cum de paupere tugurio loquatur.

PENITVS PATVERE CAVERNÆ) admissum lumen est vsq; ad secreta speluncæ. Cauernas autem per ταπείνωσιν dicit. Quod specum, regiam, cauernas vocat, singula habent rationẽ suam, quam apud Donatum quare.

NON SECVS AC SI QVA) Vide Vrsin. & German. Homerica comparatio est, Iliad. υ.

INFERNAS RESERET SEDES) Reserare, aperire, à sera ductum, qua remota, valuæ patefiunt. Cic. 2. de Off. Nec ita claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, vt pateat omnibus. Nonius.

TREPIDENTQ. IMMISSO LVM. MAN.) Sic & Erichtho venefica apud Lucanum lib. 6. dijs inferis minabunda, & irata.

——— tibi pessime mundi
Arbiter, immittam ruptis Titana cauernis,
Et subito feriere die.

Sic fuit Cacus, qui remotis in spelunca tenebris, insolitam, & inimicam viderat lucem, vt sunt inferi, qui aliqua violentia patefiunt.

ERGO INSPERATA DEPRENSVM) Ergo quem lux prodiderat, & cauum concluserat saxum, premebat Alcides omni genere telorum, loco, & virtute superior. Donatus.

ATQVE INSVETA RVDENTEM) Insueta quidem, quia nunquam ad tantam necessitatem venerat. Rudere dicuntur feræ: conuenienter etiam hic rudere dictus est, quia semifer fuit. Donatus.

DESVPER ALCID. TELIS PREMIT) Locus superior magna in pugna opportunitas: cuius occupandi caussa, sæpius publico prælio decertatum legimus. Inde facile est saxa, & quoduis telorum genus deijcere: at nõ contra sursum. Diximus ad 2. Æneid. ibi, *Hic primum ex alto delubri culmine telis Nostrorum obruimur.*

VASTISQVE MOLARIBVS) saxorum molibus, ingentibus saxis. Homer. βαλλόμενοι μυλάκεσσι χέρμασι. Cum legamus in historijs, inter cætera, quæ in hostem oppugnantem, ac muros subeuntẽ iactarentur resistendi caussa, etiam molares iaci solitos, non oportet cuiquam nostros molares, ac molas occurrere. Quanto enim molimine, & vectibus quoq; opus fuisset? Minores multo fuerunt, quippe quæ à seruitijs manu versarentur, domesticatimq; haberentur. Ita minor erit hyperbole, *vastisq; molaribus instat:* si tamen erit hyperbole. Vide Lips. Poliorcet. lib. 5. dial. 4.

FAVCIBS INGENT. FVMVM EVOMIT) Lucret. lib. 1. *Faucibus eruptos iterum vt vis euomat ignes.*

COMMISTIS IGNE TENEB.) Ergo & ignes vomebat, vt mox dicitur, *incendia vana vomentem.*

Non tulit Alcides animis: seq; ipse per ignem
Præcipiti iecit saltu, quà plurimus vndam
Fumus agit, nebulaq; ingens specus æstuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
Panditur extemplò foribus domus atra reuulsis:
Abstractæq; boues, abiuratæq; rapinæ
Cælo ostenduntur: pedibusq; informe cadauer
Protrahitur. NEQVEVNT EXPLERI CORDA TVENDO
Terribiles oculos, vultum, villosaq; setis
Pectora semiferi, atq; extinctos faucibus ignes.

SEQVE IPSE PER IG. PRÆCIP. IECIT SALTV) Tanto ad vltionem feruore properans, Caci cõtempsit incendia, nam intrepidus se per ea iecit, nec ipsam loci altitudinem metuens. Ergo per ignes, per eam rem, vnde ille sperabat auxilium. Donat. Seruius.

QVA PLVR. VNDAM FVMVS AGIT) quà plurimum fumi, instar vndarum voluebatur.

CORRIPIT IN NODVM COMPLEXVS) Videri potest ad Herculanum nodum allusisse, qui & arctissimus erat, & ita nexus, vt ægre dissolui posset, vt & prouerbio locum dederit. Plura German.

ABIVRATÆQVE RAPINÆ) Abiurare est rem creditam negare periurio. Plaut. Curcul. *Qui abiurant, si quid creditum est.* Sed hoc isti loco non congruit: vnde modo abiuratas rapinas, contra ius detentas intelligamus. Seruius. More Græcorum, inquit German., qui ἀπομνῦναι, καὶ ἀπόμνυσθαι, τὸ ἀφελικῶς ὀμνῦναι, ὥσπερ ἀνθρώποις ἀπομάσσειν· ἀπομνῦναι δὲ τὸ καταφαλικῶς ὀμνῦναι. Vide Eustath.

NEQVEVNT EXPLERI CORDA TVENDO) Lib. 1. de Didone, sed in rei longè nobilioris, amabilioris q; aspectu, *expleri mentem nequit, ardescitq; tuendo.* Et hoc eodem lib. infra de Ænea primùm arma Vulcania conspiciente, *Expleri nequit, atque oculos per singula voluit.* [*Ægeus ad filium Theseum apud Catullum in Cretam ad Minotaurum proficiscentem*

Quandoquidem fortuna mea, ac tua feruida virtus
Eripit inuito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati chara saturata figura.

Apud Tacitum est, velata parte oris, ne satiaret aspectum. Illa vero Lucretij verba etiam huc referri possunt, Pascit amore auidos inhians in te, dea, visus.] Sententia est. Non poterant homines videndo cadauer sua corda satiare, propter odium ex acceptis iniurijs susceptũ. *Explere* est tantummodo plenum esse, vt tradit Nonius, *satiare*, supra modum, & abundantiam. Lucret. lib. 6.

Deinde animi ingratam naturam pascere semper,
Atq; explere bonis rebus, satiareq; nunquam.

Cic. 6. de repub. Graues enim dominæ cogitationum libidines, infinita quædam cogunt, atque imperant: quæ, quia expleri, atque satiari nullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incenduntur.

VILLO-

VILLOSAQVE SETIS PECTORA SEMIF.) Non mirum habuisse pectus villosum, si semifer, seu, vt suprà nominauit, semihomo, & bestiarum, vt immanitatis, sic etiam villositatis particeps. Aliàs roboris, & virilitatis cuiusdam indicium est, pectus hirsutum, seu villosi artus: quale pectus Achilli, λάσιον κῆρ Homerus tribuit 1. Iliad. Dicit autem setis villosa pectora, vt duritiem pilorum, & asperitatem magis exprimat: setæ A enim porcorum sunt propriè, & equorum pili.

EXTINCTOS FAVCIBVS IGNES) Non cõtemplabantur extinctos ignes: sed cum terribiles oculos, trucem vultum, pilosum pectus intuerentur, & mirarentur, etiam fauces illas mirabantur, è quibus non iam prodibat amplius, sed paulo ante prodierat ignis, vnde inquam, incendia vomuerat.

Ex illo celebratus honos, lætiq; minores
Seruauere diem: primusq; Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri
Hanc aram luco statuit: quæ maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.
Quare agitè ô iuuenes, tantarum in munere laudum
CINGITE FRONDE COMAS, ET POCVLA PORGITE DEXTRIS:
Communemq; vocate Deum, & date vina volentes.
Dixerat, Herculea bicolor cum populus vmbra
Velauitq; comas, folijsq; innexa pependit:
Et sacer impleuit dextram scyphus. ocyus omnes
In mensam læti libant, diuosq; precantur.
DEVEXO INTEREA PROPIOR FIT VESPER OLYMPO:
Iamq; sacerdotes, primusq; Potitius, ibant
Pellibus in morem cincti, flammasq; ferebant.
Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt: cumulantq; oneratis lancibus aras.
Tum Salij ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt euincti tempora ramis.
Hic, iuuenum chorus, ille, senum, qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt:

LÆTIQVE MINORES SERVAVERE DIEM) Cum ab ipso Euandro Herculem constet susceptum, satis nouè, & licenter dixit, *minores*. Minores non dicimus, nisi quoties graduum deficit nomen: vt puta, filius, nepos, pronepos, abnepos, trinepos. Vbi isti 5. gradus iam defecerunt, meritò iam dicimus minores. Sic maiores dicimus etiam post patris, aui, proaui, abaui, tritauiq; vocabulum. Seruius.

ET DOMVS HERCVL. CVSTOS PIN. SACRI) Quidam enim aram maximã, cum vicino flagraret incendio, liberatam à Pinarijs ferunt: & ideo sacri custodem domum Pinariam dixisse Virgiliũ. Asper κατὰ διήγησιν, inquit, Potitiorum, qui ab Appio Claudio prçmio corrupti, sacra seruis publicis prodiderunt. Sed Vera- C tius Pontificalis in eo libro, quem fecit de supplicationibus, ita ait. Pinarijs, qui nouissimi comeso prandio venissent, cum iam manus pransores lauarent, præcepisse Herculem, ne quid postea ipsi, aut progenies ipsorum ex decima gustarent, sacranda sibi: sed ministrandi tantummodo caussa, non ad epulas conuenirent. Quasi ministrantes ergo sacri custodes vocari: vt ipse Virgil. Æneid. 11. *At triuia custos iamdudum in montibus Opis*, id est, ministra. Nisi forte custodem dixit eam, quæ se prohibuerit, & continuerit à sacris, vt ipse Georg. 4.

Et custos furum, atq; auium cum falce maligna
Hellespontiaci seruet tutela Priapi.

Hìc vtique custodem prohibitorem auium, furumq; B significat. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 6.

De origine sacrorum istorum Herculis, de ara maxima, de Potitijs, ac Pinarijs, adducemus verba Liuij, quæ ad hæc Virgiliana illustranda inprimis sunt idonea. Ergo postquam Cacum latronem ab Hercule interemptum narrauit, ita pergit lib. 1. Euander tum ea, profugus ex Peloponneso, auctoritate magis, quam imperio tenebat loca: venerabilis vir miraculo litterarum, rei nouæ inter rudes artium homines: venerabilior diuinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum, miratæ hæ gentes fuerant. Is tum Euander concursu pastorum trepidantium circa aduenam manifestæ rerum cædis excitus, postquam facinus, facinorisq; caussam audiuit, habitum, formamq; viri aliquantùm ampliorem, augustioremq; humana intuens, rogitat, qui vir esset. Vbi nomen, patremque, ac patriam accepit: Ioue nate Hercules salue, inquit: te mihi mater veridica interpres deùm, aucturum cælestium numerum cecinit: tibiq; aram hìc dicatum iri, quam opulentissima olim in terris gens maximam vocet, tuoq; ritu semper colat. Dextra Hercules data, accipere se omen, impleturum fata, ara condita, atque dicata, ait. Ibi tum primùm boue eximia capta de grege, sacrum, adhibitis ad ministerium, dapemq; Potitijs, ac Pinarijs, quæ tum familiæ maximè inclytæ ea loca incolebant, factum. Fortè ita euenit, vt Potitij ad tempus præstò essent, ijsq; exta apponerentur.

tur. Pinarij extis adesis, ad cæteram venirent dapem: inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis sollemnibus vescerentur. Potitij ab Euandro edocti, antistites sacri eius per multas ætates fuerunt, donec tradito seruis publicis sollemni familiæ ministerio, genus omne Potitiorum interijt. Hactenus Liuius, à quo nihil ferè dissentit lib. 1. Dionysius. De cæremonijs horum sacrorum lege item Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 14.

HANC ARAM LVCO STAT. QVÆ MAX. SEMPER) Ex magnitudine fabricæ dictam maximam, auctor est Seruius. Vide Halicarnass. lib. 1.

TANTARVM IN MVNERE LAVDVM) Munus dicitur cura vniuscuiusque rei perficiendæ, imposita B cum necessitate faciendi. Ait ergo, quoniam huic interestis muneri, & amicitiam nostram sacra ipsa iunxerunt, nobiscum vocate communem deum.

PORGITE POCVLA DEXT.) Huiuscemodi sincopa etiam in verbo surripio committitur. Surpuerat, surpite apud Horatium, surpere apud Lucretium.

COMMVNEMQVE VOCATE DEVM) quia supra ostendit Æneas, Troiæ & Arcadiæ populos ijsdem parentibus genitos. Ita Donatus. Aut communem dixit, vtriusque naturæ medium, id est, inter mortalitatem, & diuinitatem. Sunt numina aliqua tantum cælestia, aliqua tantum terrestria, aliqua media, quos Apuleius medioxumos vocat. Seruius.

HERCVLEA BICOLOR POP. VMBRA) Quare bicolor, vide fabulam apud Seruium.

VELAVITQVE COMAS) Corona scilicet de populo.

SACER IMPLEVIT DEXTRAM SCYPHVS) *sacer* ideo posuit, quia quibus sacrorum cura est, habent dicata numinibus vasa, quibus obsequia diuina perficiunt. Donatus. Seruius accipit de ingenti poculo ligneo, quod Hercules ipse in Italiam attulit, quod ne carie consumeretur, pice oblitum seruabatur, cuius magnitudinem significauerit dicendo, *impleuit dextram*. Fuit enim bibax ille heros. De hoc poculo Herculano, siue Heracleo Iuuenal. sat. 10. vt plerique intelligunt, *vrna cratera capacem, Et dignum sitiente Pholo*. Nam & hunc Pholonem hospitem Herculis dicit Lucan. lib. 6. dum scribit, *Hospes & Alcidæ magni Pholo*. Plutarch. in Alexand. sub finem, & Curtius lib. 10. nondum Herculis Scypho epoto. Seneca ad Lucil. Alexand. intemperantia bibendi, & ille Herculaneus, ac fatalis scyphus condidit. De eod. scypho vide quæ referat Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 21. * *Heraclea pocula, seu crateres dicere fortasse liceat quædam immania Germanorum pocula, quale est, quod Willkum vocant: quia videlicet gratissimus est hospes illis vini gurgitibus, qui auariter se mero inuitantes, nec sinceram voluptatem percipiunt, & valetudinem vehementer offendunt. Vere Theognid.*

Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακός· ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγαθός.
Pocula quæ caruere modo, mihi crede, nocebunt:
Vina autem modicè sumpta iuuare solent:

IN MENSAM LÆTI LIBANT) Quid est in mensam libare? Nempe religionis caussa de patera, priusquam bibas, in mensam, quæ opinione veterum sacra erat, & tanquam quædam ara, aliquid de vino effundere, quod Græci, λείβειν, & σπένδειν dicunt. Turneb. lib. 24. cap. 40.

Videtur errasse Virgil. vt hic, ita etiam lib. 1. vbi Didonem in mensam libare facit, cum in aram tantum sit libandum. Sed vt scriptum est in Papyriano iure, aræ vicem præstare potest mensa dicata: vt in templo, inquit, Iunonis Populoniæ augusta mensa est. Namque in fanis aliæ vasorum sunt, & sacræ supellectilis, aliæ ornamentorum. Quæ vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus semper sacrificia conficiuntur. Quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulæ, libationesque, & stipes reponuntur. Ornamenta verò sunt clypei, coronæ, & huiusmodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur. At vero mensa, arulæq; eodem die, quo ædes ipsæ dedicari solent. Vnde mensa hoc ritu dedicata in templo, aræ vsum, & religionem obtinet puluinaris. Ergo apud Euandrum quidem fit iusta libatio, quippe apud eam mensam, quæ cum ara maxima, more vtique religionis fuerat dedicata, & in luco sacrato, & inter ipsa sacra, in quibus epulabantur. In conuiuio verò Didonis, quod tantum regium constat, non etiam sacrum fuisse, apud humanam mensam, in triclinio, non in templo, quia non erat religiosa, sed vsurpata libatio, solam fecit libasse reginam: in cuius persona nulla obseruationis necessitas, & multa ad vsurpandum in potestate permissio. At verò hic omnes, *In mensam libant, diuosq; precantur*, quia quod rectè fieri nouerat, ab omnibus simul in templo epulantibus, & vni sacratæ assidentibus mensæ factum esse memorauit. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 11.

Aduersus hanc criminationem Macrobianam, C huc inseremus, quæ de libatione in mensa antiquitatis perscrutator nimium quantum diligens Iustus Lipsius lib. antiq. lect. 3. cap. 1. vbi ritus conuiuiorum apud veteres tradit, vtilissimè, vt cætera omnia obseruauit. Prisci igitur illi in omni conuiuio libationem religiosè seruabant. Itaque apud Homerum etiam proci θεοῖσι σπείσαντες μακάρεσσι πίον μελιηδέα οἶνον. Et Achilles priusquam biberet λεῖβε δ' οἶνον οὐρανὸν εἰσανιδών, Δία δ' οὐ λάθε τερπικέραυνον. Ex quo more apud Virgilium Dido, *Dixit, & in mensa laticum libauit honorem*. Et alibi, *In mensam læti libant, diuosq; precantur*. Quibus locis mirari est Macrobij otium, qui anxiè in Virgiliū inquirit, rectène Didonem in mensa libantem fecerit, non in ara. Et vix D tandem illuc delabitur, vt excusari id posse in reginæ persona concedat, quæ soluta videlicet legibus esset. O hominem acutum, absque quo esset, dicta Virgilio iam dies apud Pontifices erat. Sed enim ille ineptè, cum in omni libatione sollemne antiquis fuerit, vt ex patera leuiter vini aliquid defunderent vel in mensam, vel in terram, vel quenquam alium in locum pro re nata. De terra Virgil. lib. 3. *duo ritè mero libans carchesia Baccho Fundit humi*. Alibi de mari, *extaq; salsos Porricit in fluctus, & vina liquentia fundit*. Seruatse hoc priuatim Romanos discimus ex Dione Cassio, qui tradit, in multa copia honorum Augusti etiam hoc decretum, vt per Genium eius vulgò iurarent, & in conuiuijs omnibus libarent. Exprimit hunc ritum libandi optimè E anus illa multibiba apud Plautum Curculione, quæ vini quiddam defundens, inquit,

Venus de paullo hoc paullulum tibi dabo,
Haud libenter: nam tibi amantes propinant.
Vinum potantes dant omnes, mihi haud sæpe
Eueniunt tales hereditates.

Neque verò inter pocula, & mensas maximè secundas dijs tantum libabatur, eorumq; honori bibebatur, sed etiam beneficis, patronis, & amicis. De dijs clarum. Ouid. de Theseo, vbi Athenienses conuiuia agitantes, ob eum reducem, post facta eius enumerata addunt, *pro te fortissime, vota Publica suscipimus, Bacchi tibi sumimus haustus*. Multa ad hanc rem affert idem Lipsius

ſius Polloctet. lib. 5. dial. 10. quæ cum vtile, tum iucundum ſit legere.

DEVEXO INTEREA) cælum in noctem inclinat. Sole ad occaſum vergente, appetit veſpera.

PELLIBVS IN MOREM CINCTI) Aut in morem Herculis, aut certè ſacerdotum.

MENSÆ GRATA SECVNDÆ DONA) Græci etiam δευτέρας, & ἐπιδορπίας τραπέζας ſecundas menſas vocant, quibus inferuntur bellaria, & ἐπιδορπίσματα. German. * *Cic. ad Att. lib. 14. Hac ad te ſcripſi appoſita ſecunda menſa apud Veſtorium. Virgil. 2. Georg.* Non ego te dijs, & menſis accepta ſecundis Tranſierim Rhodia. *Varro de re ruſt. lib. 3. cap. 16. quod ſacrum venit in altaria, & mel ad principia conuiuiq; & in ſecundam menſam adminiſtratur.*

CVMVLANT ONERAT. LAN. ARAS) reddunt exta, repetunt ſacrificium.

TVM SALII AD CANTVS) Inſimulatur gemini erroris hoc loco Virgilius, nam & Salios Herculi dedit, quos tantú Marti dicauit antiquitas: & populeas coronas nominat, cum ad aram maximam ſola lauro capita, & alia fronde non vinciant. Videmus & in capite Prætoris vrbani lauream coronam, cum Herculi rem diuinam facit. Teſtatur etiam Varro in Satyra, quæ inſcribitur περὶ χρεωφειλετῶν, maiores ſolitos decimam Herculi vouere: nec decem dies intermittere, quin pollucerent, ac populum ἀσύμβολον, cum corona laurea dimitterent cubitum. Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 12.

C

Hiccine eſt, ait Vettius, error geminus? At ego in neutro dico erraſſe Virgilium. Nam vt primum de frondis genere dicamus, conſtat quidem nunc lauro ſacrificantes apud aram maximam coronari. Sed multò poſt Romam conditam hæc conſuetudo ſumpſit exordium, poſtquam in Auentino lauretum cœpit virere: quam rem docet Varro rerum humanar. lib. 2. E monte ergo proximo, &c.

Omnes ludij, & ſaltatores, qui ad cantum & tibiam in ſacris ludunt, Salij, & Saliſubſuli dicuntur. Itaq; hic ſimpliciter Salij ſunt ludij, ad ſacra Herculis ſaltantes. Qui enim primi ἐνόπλιον ὄρχησιν doctore Ænea in Italia ſaltarunt, Salij dicti ſunt, auctore Polemone vetere ſcriptore rerũ Italicarum. D Quare fruſtra hic argutatur Macrobius, dum quærit quare Salios Herculi attribuat Virgilius, potius quàm Marti. Quare rectè ὑμνῳδὸς Salius vertitur à vetere Gloſſario. Vnde Virgil. dixit, Salios ad cantum, vt Propert. paſtor ad baculum. κατ' ἐξοχὴν autem ludij Martis dicuntur Salij. Ioſeph. Scalig. in Catull.

Turneb. lib. 13. cap. 8. Conſtat inquit, profectò è veteribus monumentis, Saliorum auctorem fuiſſe Salium Arcadem, qui in Italiam cum Euandro venerat. Igitur cum ante Romam conditam, ad aram maximam inſtituta fuiſſent ab Euandro Herculi ſacra, veriſimile eſt Salium tum ei choros inſtituiſſe. Vrbe autem condita, ad gradiuum Martem eos poſtea choros Numa,

A vt opinor, tranſtulit, Romanæ gentis auctorem. Aliam affert etiam cauſam Macrobius, longè repetitam, quàm qui volet ſequatur. De Salijs, eorumque ornatu Gyrald. Syntag. 17. Salios Dionyſius eoſdem eſſe vult, qui Græcis κούρητας, quos, inquit, noſtra gens ab ætate nominat, ἀπὸ τῶν κούρων, à iuuenibus: Romani vero Salios à tenore motus. Nam quod nos ἐξάλλεσθαι, & πηδᾶν, illi ſalire dicunt. Lege quæ ſequuntur. De Saliorum carminibus lege quæ notauit Briſſonius, Formular. lib. 1. pag. 127. De Salijs, & ancilibus multa Plutarchus in Numa Pompilio.

LAVDES HERCVLEAS ET FACTA) Pertinere mihi huc videtur locus ille Iſocratis, parænesi ad

B Demonicum, vbi virtutem verbis magnificis deprædicat. τὰ μὲν τοῖς ἄλλοις ἀδύνατα, δυνατὰ καθιστῶσα, τὰ δὲ τῷ πλήθει φοβερὰ, θαρσαλέως ὑπομένουσα. καὶ τὸν μὲν ὄκνον ψόγον, τὸν δὲ πόνον, ἔπαινον ἡγουμένη. ῥᾴδιον δὲ τοῦτο καταμαθεῖν ἐστιν ἔκ τε τῶν Ἡρακλέους ἄθλων, καὶ τῶν Θησέως ἔργων. Οἷς ἡ τῶν τρόπων ἀρετὴ τηλικοῦτον εὐδοξίας χαρακτῆρα τοῖς ἔργοις ἐπέβαλεν, ὥστε μηδὲ τὸν ἅπαντα χρόνον δύνασθαι λήθην ἐμποιῆσαι τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων. Id eſt. Nam quæ alij efficere non poſſunt, ea facit, vt obtineri poſſint: quæ multitudini horrenda videntur, magno animo ſubit, deſidiam in vitio ponit, laborem ſibi laudi ducit. Quæ quidem facile tũ ex Herculis certaminibus, tum è Theſei operibus perſpici poſſunt: quorum factis norma virtutis directi mores tantum gloriæ decus

C impreſſerunt, vt nulla ſæcula res eorum geſtas obliuione delere poſſint. Eundem magnificè, & planè oratoriè celebrat, ob Troiam expugnatam oratione ad Philippum, quem ab eo dicit originem trahere. Ariſtides auctor eſt, Athenienſes tanti Herculem feciſſe, vt delubra omnia, quæ prius Theſeo fuerant per curias conſecrata, ad Herculem mutata retulerint, cum exiſtimaſſent, Theſeum quidem virum optimum, Herculem verò plus quàm hominem fuiſſe. Lege, ſi abundas tempore, totam orationem in Herculem conſcriptam, Tomo 1. Et quoniam adeo multa, atque ardua, aggreſſuque difficillima, & periculoſa perfecit, eo vsq; à mortalib⁹ augeri ſolent res difficiles, ac laborum plenæ, vt ne ab Hercule quidem confici poſſe dicantur. Vide adagium, *Herculis labores.*

Duos fuiſſe Hercules tradit Diodorus lib. 5. cap. 15. Vtrumque ex Ioue natum, ſed prioris matrem incertam, qui præſtans viribus, orbem perambularit, iniquos deleuerit, beſtias feras, ac monſtra domuerit, homines in libertatem vindicârit, & ita immortalium honores adeptus ſit. Poſteriorem ex Alcmena natum, quia prioris virtutes ſit imitatus, propter ſimilitudinem nominis eundem fuiſſe creditum, & ſuperioris geſta huic fuiſſe adſcripta. Labores nonnullos de Herculeis etiam Tertull. recenſet lib. de Pallio. Vbi Diomedes, & cruenta præſepia? vbi Buſiris, & buſtuaria altaria? Vbi Geryon ter vnus, &c.

---------- vt prima nouercæ
Monſtra manu, geminosq; premens eliſerit angues:
Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes,
Troiamq;, Oechaliamq;: vt duros mille labores
Rege ſub Euryſtheo, fatis Iunonis iniquæ,
Pertulerit. Tu nubigenas inuicte bimembres,
Hylæumq;, Pholumq; manu, tu Creſſia mactas

Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.
Te Stygij tremuere lacus: te ianitor orci
Ossa super recubans antro semesa cruento.
Nec te vllæ facies, non terruit ipse Typhoeus,
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumstetit anguis.
Salue vera Iouis proles, decus addite Diuis:
Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adijciunt, spirantemq; ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesq; resultant.

VT PRIMA NOVERCÆ MONSTRA MANV, &c.) Locũ istum de laudibus Herculis per Salios decantatis, felici conatu reddidit Sannazarius, lib. 3. de partu Virginis, dum laudes dei patris ab angelis facit decantari.

Innumeras alij laudes, & magna parentis
Facta canunt: vt prima noui fundauerit orbis
Mœnia, telluremq; vagis discluserit vndis, &c.

Ennumerat igitur chorus Saliorum labores Herculis, de quibus Diodorus, Hyginus, Pausanias, Apollodorus, & alij mythologi. Ipsemet quoque in Oeta hominem despositurus eosdem percenset apud Sophoclem Trachinijs. Sunt & apud poetas alios commemorati, & infra commemorabuntur. Atque his laboribus tam B gloriosis diuinitatem meruisse creditus est. ✱

Non abs re fuerit, credo, quid de laudibus, & diuinitate eiusdem sentiat eloquentissimus scriptor Lactant. lib. 1. cap. 9. exponere: quod quidem totum aduersus eum disputando consumit. Priorem duntaxat partem huc transferemus. Hercules, qui ob virtutem clarissimus, & quasi Africanus inter deos habetur, nonne orbem terræ, quẽ peragrasse, ac expurgasse narratur, stupris, libidinib⁹, adulterijs inquinauit? nec mirũ, cum esset adulterio genitus Alcmenæ. Quid tandẽ potuit in eo esse diuini, qui suis ipse vitijs mancipatus, & mares & fæminas, contra omnes leges infamia, dedecore, flagitio affecit? Sed ne illa quidem, quæ magna, & mirabilia C gessit, talia iudicanda sunt, vt virtutibus diuinis tribuenda videantur. Quid enim tam magnificum, si leonẽ, aprumque superauit, si aues sagittis deiecit, si regium stabulum egessit, si virginem vicit, cingulumque detraxit, si equos feroces cum domina interemit: opera sunt illa fortis viri, hominis tamen. Illa enim quæ vicit, fragilia, ac mortalia fuerunt. Nulla enim est res (vt ait Orator) quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique possit. At animum vincere, iracundiam cohibere, fortissimi est: quæ ille nec fecit vnquam, nec potuit. Lege quæ sequuntur. * *Ex Hieronymo philosopho de habitu corporis eius hæc narrat. Clem. Alexand. Exhort. ad gentes. Paruus, crispo capillo, bona, firmaq; valetudine. Ex Dicæarcho autem gracilis, neruosus, niger, naso aquilino, subhilaribus oculis, fusis, promissisq; D capillis. Latius infra describetur.*

NOVERCÆ MONSTRA GEMINOS ANGVES) Theocrit. ἐν ἡρακλίσκῳ. τᾶμος ἄρ' αἰνὰ πέλωρα δύω πολυμήχανος ἥρα ὦρσεν. Mater Herculis Alcmena est, pater verus Iupiter. Creditus pater, seu vitricus potius (vt Iuno nouerca) Amphitruo. Quomodo Alcmenam in faciem Amphitruonis versus Iupiter deceperit, suoque compressu grauidam fecerit, disces ex Plautina comœdia, quæ Amphitruo inscripta est. In hoc eius factum, siue adulterium scripsit illa Arnob. lib. 4. Quin & ille in fabulis maximus ipse regnator poli, sine vlla nominis, maiestatisque formidine, adulterorum agere introducitur partes, atque vt fallere castitatem alienarum possit matrum familiàs, ora immutare fallacia, & in species coniugum subdititij corporis simulatione succedere.

Apollodori verba producemus de geminis hisce serpentibus, ex lib. 2. Alcmena duos peperit filios, Ioui quidem Herculem vna nocte grandiorem, atque Amphitryoni Iphiclum. At cum Hercules octo iam menses natus esset, dracones duos inusitatæ magnitudinis Iuno infantem perdituros in lectum demisit: Alcmena Amphitryonis opem implorante, Hercules in pedes erectus, vtraque manu constrictos ipsos enecauit. Cæterùm Pherecydes ait, Amphitryonem dum, vter esset eius de pueris filius, scire vellet, dracones hosce in cunas, lectumúe iniecisse: quo facto Iphiclus planè in fugam ire conatur: at Hercules immotus stetit, atq; ita Iphiclum ex se ipso genitum cognouisse refert.

De ijsdem anguibus duobus immissis, & ab Hercule infante, primumque nato elisis, ita in Amphitruone ipsimet Amphitruoni narrat ancilla Bromia.

——— postquam in cunas conditus est,
Deuolant angues iubati deorsum in impluuium duo,
Maximi, continuò extollunt ambo capita. A. heu mihi.
B. Ne paue sed angues oculis omnes circumuisere,
Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi:
Ego cunas recessim sursum versum trahere, & ducere
Metuens pueris, mihi formidans: tantoq; angues acrius
Persequi. Postquam conspexit angues ille alter puer,
Citus è cunis exilit, facit rectà in angues impetum.
Alterum altera apprehendit eos manu perniciter.
A. Mira memoras, nimis formidolosum facinus prædicas.
Nam mihi horror membra misero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porro loquere. B. puer ambo angues enecat.

TROIAMQVE, OECHALIAMQVE) Propter negatos sibi à Laomedonte equos diuino semine procreatos, & Hesiones nuptias euertit Troiam Hercules. Malè reprehenditur à Criticis Virgilius, quod præsentibus Troianis Troiæ introducat excidium: non respicientibus, quod hoc fecit ratio hymnorum, quibus aliquid subtrahere sacrilegium est. Eurytus Rex Oechaliæ filiam suam Iolen Herculi ante promissam denegauit, hortatu filij, qui diceret, ab Hercule ante Megaram vxorem, & filios interemptos. Iratus igitur Hercules, ciuitatem vastauit, Eurytum interfecit, Iolen abduxit. Seruius.

VT DVROS MILLE LAB. REGE SVB EVRIST.) Homer. Iliad. 8.

Οὐδ

Οὐδέ τι τῶν μέμνηται, ὃ οἱ μάλα πολλάκις υἱὸν
Τειρόμενον σώεσκον ὑπ' Εὐρυσθῆος ἀέθλων.

Videndus Homer. Iliad. ν. Diodorus lib. 4. cap. 3. de Eurystheo, quare Herculi illi labores imperarit. Idem auctor, post certamina qui dij quæ præmia in illum contulerint.

FATIS IVNONIS INIQVÆ) Quæ eum vt ex pellice sua Alcmena generatum semper est persecuta, magis quàm vllum alium, cum tamen ex alijs quoque fæminis Iupiter furto multos genuerit. Simile illud lib. 1. *sæuæ memorem Iunonis ob iram.*

TV NVBIGENAS INVICTE BIMEMBRES) De Ixione, & nube in speciem Iunonis effictа Centauri sunt procreati. Bimembres, quia ex homine, & equo compositi, biformes.

B

TV CRESSIA MACTAS PRODIGIA) De tauro Cretensi Seruius, quem tamen non mactauerit, sed viuum ad Eurystheum perduxerit.

VASTVM NEM. RVPE LEON.) Satis erat ad laudē, quòd leonem mactare potuit: sed auget addendo *vastum*, per quod eius magnitudinem declarat. Et leonem igitur, & vastissimi quidem corporis, atque ideo etiam validiorem, magisq; trucem confecit. Nemea sylua est vicina Thebis. Interemit & alterum leonē apud Cleonas vrbem, cuius pellem gestabat in tutamen. Vnde Lucan. *Ille Cleonæi proiecit terga leonis.* ✠

C

TE STYGII TREMVERE LACVS) Inferni lacus te timuerunt, quo tempore ad Cerberum abducendum descendisti.

TE IANITOR ORCI OSSA SVP. RECVB.) Aut ad terrorem dictum est: aut certè illud est, quod etiam supra diximus, Cerberum esse terram, quæ corpora sepulta consumit. Nam inde Cerberus dictus est, quasi κρεοβόρος. Seruius.

NON TERRVIT IPSE TYPHOEVS) Hoc poeticè, inquit Seruius. Nam si interemit centauros, quemadmodum etiam gigantum interfuit prælio, qui ante innumeros annos fuisse dicuntur? Ergo Typhœi idolum apud inferos vastissimæ magnitudinis, & horribile ad aspectum intelligo.

D

NON TE RATIONIS EGENTEM) *Lib. vt.* quem non virtutis egentem Abstulit atra dies. *Lucret. lib. 4.* tamen præstat rationis egentem.] In hanc sententiam interpretor. Vt in magno terrore ac periculo, cum de gratu mentis deijci soleam*, atq; perturbari, nihil tale euenisse Herculi dicat, nec tanti serpentis terrore amentem metu fuisse. Sic inopes consilij, perturbatique, & qui apud se non sunt, amentes dicuntur, vt apud Catullum, *nihil est super mi Quod loquar amens.* Turneb. 24. cap. 40.* *Adeo non versiculus,* Quod loquar amens, *non est Catulli: sed adiectus à Parthenio. Aptius ad sensum nihil adijci potuit. Vide Mureti Comment.*

E

LERNÆVS TVRBA CAPIT. ANGVIS) Hydra in palude Lerna ab eo interempta multiceps. Præter hæc, alia multa Herculis gloriosè facta enumerat Seruius. Disertissimè, & distinctissimè enumerantur ab Apollodoro lib. 2. Ibidem de Hydra. Nos id ex varijs poetis, vt lectori philologo gratificemur, præstabimus. Quomodo allegoricè hi labores Herculis intelligendi sint, optimè docuit Albericus in deorum imaginibus. ✠

SALVE VERA IOVIS PROLES) Nullus enim humano tantum sanguine procreatus tanta perficeret. Fuit quidem & Tantalus Iouis proles, sed nō vera seu germana, quia improba, & propter improbitatem ad inferos supplicijs ibi mactandus detrusus est, cum Hercules ob egregia facinora immortalitatem consecutus sit à Ioue. In hanc fere sententiam Isocrates ad Demon.

DECVS ADDITE DIVIS) De apotheosi Herculis hunc in modum Cic. 1. Tuscul. Et apud Græcos, indeque perlapsus ad nos, & vsque ad Oceanum Hercules tantus, & tam præsens habetur deus. Et rursum infrà. Abijt ad deos Hercules, nunquam abijsset, nisi cum inter homines esset, eam sibi viam muniuisset. Lib. 1. de leg. loquens de genere isto deorum, qui scilicet sibi viam in cælum factis strauerint, cum Libero, Æsculapio, Castore, Polluce, Quirino etiam Herculem nominat. Lib. 1. Anthol. tit. εἰς ἀρετὴν Iuno, quæ viuum vt è pellice sua natum oderat, post mortem in deos translatum laudare inducitur.

Σῆς ἀρετῆς ἱδρῶτι καλὴν ἀντίδωκεν ἀμοιβὴν
Σὸς γενέτης Ἡρακλες· ἐπεὶ πόνος ἀσπίδιον ...
Ἀνδράσιν οὐδὲν ἄγουσι μετ' ἀπείρητα κύκλον ἀέθλων.

Id est, virtutem tuam, facinora tua virtutis plena, ô Hercules, præclarè remuneratus est pater tuus Iupiter. Ita sanè. Nam labor immortalium, ac velut in orbem semper succedentium certaminum, gloriam hominiimmensam conciliare solet. ✠

TVA DEXTER. ADI PED. SACRA SEC.) Videtur poeta allusisse ad hymnorum formulam Græcorum, qua deos ad sacra inuitabant. Vide German. Dextra cum erant numina, fauere credebantur: cum læua, non fauere. Hinc illud Iuuenal. Sat. 10. *quid tam dextro pede concipis, vt non Conatus te pœniteat, factiq; peracti?* atque in eo quidem numine, quod præpotens est: idem & in alijs faciebant, vt dextro Hercule, & amico Hercule, vt Pers. Sat. 2. *Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule.* Horat. lib. 2. Sat. 6. *qui mercenarius agrum, Illum ipsum mercatus arauit diues amico Hercule.* Hic Hercules inuocatur, quod propter ærumnas, & labores quos fæliciter exantlauit & perfunctus est, in agro arando, & incipiendis omnibus conatibus, eius inuocatio fælicis auspicij videretur. Turneb. 29. cap. 35.

SVPER OMNIA CACI) Id est, hoc factum laudant vltra omnia. Et bene, quantum ad ipsos pertinet, rem maiorem seruauere post omnia. Seruius.

Labores Herculis ex diuersis poetis, de quibus librum fecit Claudianus.

EX LVCRETIO.

Herculis antistare autem si facta putabis:
Longius à vera multo ratione ferêre.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obesset, & horrens Arcadius sus?
Deniq; quid Cretæ taurus, Lernæaq; pestis
Hydra venenatis possit vallata colubris?
Quidue tripectora ter gemini vis Geryonaï?
Thracen, Bistoniasq; plagas, atq; Ismara propter
Tantopere officerent nobis? vncisq; timendæ
Vnguibus Arcadiæ volucres, Stymphala colentes?
Aureaq; Hesperidum seruans fulgentia mala
Asper, acerba tuens, immani corpore serpens,
Arboris amplexus stirpem, quid denique obessent
Propter Atlantæum littus, pelagiq; seuera,
Quo neq; noster adit quisquam, neque barbarus audet?

EX AVSONIO.

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.
Proxima Lernæam ferro, & face contudit hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua ceruì.
Stymphali pepulit volucres discrimina quinto.
Threiciam sexto spoliauit Amazona balthèô.
Septima in Augiæ stabulis impensa laboris.
Octaua expulso numeratur adorea tauro.

In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.
Vndecima mala Hesperidum districta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

EX OVIDIO.

Ergò ego fœdantem peregrino templa cruore
Busirim domui? sæuoq; alimenta parentis
Antæo eripui? nec me pastoris Iberi
Forma triplex, nec forma triplex tua Cerbere mouit?
Vósne manus validi pressistis cornua tauri?
Vestrum opus Elis habet, vestrum Stymphalides vndæ,
Partheniumq; nemus: vestra virtute relatus
Thermodontiaco cælatus baltheus auro,
Pomaq; ab insomni non custodita dracone.
Nec mihi Centauri potuere resistere, nec mi
Arcadiæ vastator aper: nec profuit hydræ
Crescere per damnum, geminasq; resumere vires.
Quid, quod Thracis equos humano sanguine pingues,
Plenaq; corporibus laceris præsepia vidi,
Visaq; deieci, dominumq; ipsosq; peremi?
His elisa iacet moles Nemeæa lacertis:
His Cacus horrendum Tiberino gurgite monstrum:
Hac cælum ceruice tuli. Defessa iubendo est
Sæua Iouis coniux, ego sum indefessus agendo.

EX MARTIALE.

Astra, polumq; dedit, quamuis obstante nouerca,
Alcidæ, Nemeæ terror, & Arcas aper.
Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ:
Et grauis in Siculo puluere fusus Eryx:
Syluarumq; tremor, tacita qui fraude solebat
Ducere nec rectas Cacus in antra boues.

EX VIRGILIANA APPENDICE.

Compressit Nemeæ primùm virtute leonem.
Extincta est anguis quæ pullulat hydra, secundo.
Tertius euictus sus est Erymanthius ingens.
Cornibus auratis ceruum necat ordine quarto.
Deijcit horrisono quinto Stymphalidas arcu.
Abstulit Hippolytæ sexto sua vincula victæ.
Septimus Augiæ stabulum labor egerit vndis.
Octauo domuit magno luctamine Taurum.
Tum Diomedis equos nono, cum rege peremit.
Geryonem decimo triplici cum corpore vicit.
Vndecimo abstractus vidit noua Cerberus astra.
Postremo Hesperidum victor tulit aurea poma.

Videntur autem hæc de græcis expressa, è lib. 4. epigrammatum. πρῶτα μὲν ἐν Νεμέῃ, &c.

EX SENECA, qui eosdem diuersis locis recenset.

Nullas per vrbes errat Arcadias leo,
Stymphalis icta est, Mænali nulla est fera,
Sparsit peremptus aureum serpens nemus,
Et Hydra vires posuit, & notos Hebro
Cruore pingues hospitum fudi greges,
Hostisq; traxi spolia Thermodontiæ.
Vidi regentem fata, nec tantum redij,
Sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
Et ille solem. Nullus Antæus Libys
Animam resumit. Cecidit ante aras suas
Busiris. Vna est Geryon sparsus manu,
Taurusq; populis horridus centum pauor.
Quodcunq; tellus genuit infestum, occidit,
Meaq; fusum est dextera.

EX SOPHOCLE per Ciceronem Tuscul. 2.

Hos non hostilis dextra, non terra edita
A Moles gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori inflixit meo,
Non Graia vis, non barbara vlla immanitas
Non sæua terris gens relegata vltimis:
Quos peragrans, vndiq; omnem hinc feritatem expuli.

Post versus aliquot.

O pectora, ô terga, ô lacertorum tori,
Vestróne pressu quondam Nemeæus leo
Frendens efflauit grauiter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam, tetra mactata excetra,
Placauit: hæc bicorporem afflixit manum:
Erymanthiam hæc vastificam abiecit belluam:
Hæc è tartarea tenebrica abstractum plaga
Tricipitem eduxit hydra generatum canem:
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem, auriferam obtutu obseruantem arborem.
B Multa alia victrix nostra lustrauit manus,
Nec quisquam è nostris spolia cepit laudibus.

Enumerat etiam aliquot labores Herculis Plaut. Persa, statim ab initio.

Qui amans egens ingressus est princeps in amoris vias,
Superauit ærumnis is suis ærumnas Herculis.
Nam cũ leone, & cum excetra, cũ ceruo, cũ Apro Ætolico,
Cum auibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mauelim,
Quam cum Amore.

Sed hæc omnia fabularum verisimillima cum sint, veriora videntur, quæ de eo narrant, qui res eius gestas historico stylo sunt prosecuti. Quod scilicet cum esset ætatis suæ ducum præstantissimus, magnasq; ductaret copias, quidquid terrarum oceano cingitur, peragra-C uerit, tollens tyrannos, quotquot essent graues, & subiectis intolerabiles: aut si qua ciuitas iniuriosè finitimas ditiones infestaret, immani assueta victui, aut hospitum nefarijs gaudens cædibus. Pro quibus legitima regna, moderatasq; respublicas constituit, & in vitam mores induxit humanos, ac sociabiles. Ad hæc cum Græcis iuxta versatus est, ac barbaris, cum maritimis, atq; mediterraneis: quibus antea malè conueniebat per infida commercia: & in desertis terris vrbes condidit, fluminaque auertit campos inundantia, vias aperuit in difficilibus ascensu montibus, nihil non molitus, vt mare, ac terra, quàm latissimè paterent vsibus cunctorum mortalium. Hæc Dionys. lib. 1.

D Describam tibi iam corpus Herculis, vt ex idoneis scriptoribus depinxit Aduersar. in Hercul. Fur. Delrius. Valde torosus fuit, quod signum roboris prædicant physiognomonici, niger, gracilis, pusillus potius, quàm procerus. Tamen Heraclides Ponticus, & Herodotus ei pedis vnius, & quatuor cubitorum longitudinem tribuerunt. Seneca etiam in Oetæo gigantem appellat. In eodem consentiunt omnes, fuisse corpore inprimis vegeto, neruis, & ossibus firmiter compacto, valetudine autem tam bona, vt ea semper optima ad annum ætatis vsque quinquagesimum sit vsus. Ion Chius, & Apollodorus, habuisse tres ordines dentium prodiderunt, & igneũ splendorem ex oculis emicuisse. Dicæarchus tribuit ei aduncum nasum, oculos rauistellos, capillos, & iuxta Hieronymum Philosophũ longos, hirsutos, atque setarum modo erectos.

Exin se cuncti diuinis rebus ad vrbem
Perfectis referunt. ibat rex obsitus æuo,
Et comitem Æneam iuxtà, natumq; tenebat
Ingrediens: VARIOQVE VIAM SERMONE LEVABAT.
Miratur, facilesq; oculos fert omnia circum
Æneas, capiturq; locis, & singula lætus
Exquiritq;, auditq; virûm monimenta priorum.

Tum Rex Euandrus, Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæq; tenebant,
Gensq; virûm truncis, & duro robore nata:
Queîs neq; mos, neq; cultus erat: nec iungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque asper victu venatus alebat.
Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesq; dedit: Latiumq; vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aureaq; (vt perhibent) illo sub rege fuere
Sæcula: SIC PLACIDA POPVLOS IN PACE REGEBAT.
Deterior donec paulatim, ac decolor ætas,
Et belli rabies, ET AMOR SVCCESSIT HABENDI.
Tum manus Ausoniæ, & gentes venere Sicanæ,
Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperq; immani corpore Tibris:
A quo pòst Itali fluuium cognomine Tibrim
Diximus: amisit verum vetus Albula nomen.

CVNCTI DIVIN. REBVS PERF.) Vbi vota perfecta sunt, recesserunt omnes ex luco, & ad vrbem cœperunt remeare: quin & hora propinquantis noctis ad sedem propriam reuocabat vniuersos. Donatus.

REX OBSITVS ÆVO) More veterum dixit, qui obsitum pro pleno vsurpabant, ex eo, quod locus frugibus obsitus, aut lentibus, ijs plenus est. Inde illud est Terentij Eunucho, *pannis, annisq; obsitum.* Sed & *conserere* in eadem re ponebant. Lucret. lib. 2. *Et lumine conseris arua*, id est, complet. Et Plautus, senectute cõsitum etiam dixit. Turneb. lib. 24. cap. 40.

VARIOQVE VIAM SERM. LEVAB.) Facundus comes in via pro vehiculo est, *ait Publius mimographus. Eclog. 9. duo pastores cantu viam leuant.* Cantantes licet vsque (minus via lædet) eamus.] Verè nulla alia res sic animum leuat, aut animi tædium reficit, vt sermonis alterna collatio, aut diuersitas visus. Sermonis varietas Euandro datur, facilitas visus Æneæ partibus applicatur. Donatus.

FACILES OCVLOS FERT OM. CIRCVM) Multa lectu digna de oculis Rhodigin. lib. 3. cap. 28. ex quo hæc pauca libauimus. Sol, & luna duo mundi lumina, oculi certissima in carne sidera fulgent è sublimi, splendore micantissimo inferna collustrant, perinde ac in statione speculatores interdiu, noctuq; excubantes. Quibus mira volubilitatis accidit celeritas, vndè nobilissimo poetæ nuncupantur *faciles*, etiamsi id vino contingere nimio haud ita multum videntes opinentur nonnulli. Certè Astronom. 1. Manilius ait. *Circumfert faciles oculos, vultumq; per orbem.* Etiam Xenophon lib. de venat. canum oculos faciles appellauit. Addunt scientissimi, oculorum splendorem ingenij præferre sollertissimum acumen.

SINGVLA LÆTVS EXQVIRIT) Si verò & senex præsens est (in conuiuio, aut consessu aliquo) habes occasionem, qua plurimum illi contulisse videaris, si eum interroges vel quæ omnino ad eum non pertinent. Hæc sciens Homerus, Odyss. lib. 3. quandam congeriem simul interrogationum Nestori fecit offerri. νῦν δ' ἐθέλω ἔπος ἄλλο μεταλλῆσαι καὶ ἐρέσθαι. Νέστορ' ἐπεὶ, &c. Tot loquendi semina interrogando congessit, vt pruritum senectutis expleret. Et Virgilianus Æneas gratum se ad omnia præbens Euandro, varias illi narrandi occasiones ministrat. Neque enim de vna re, aut altera requirit, *sed singula lætus Exquirit, auditq; virûm monimenta priorum.* Et Euander consultationibus captus, scitis quam multa narrauerit. Macrob. Saturnal. lib. 7. cap. 2.

ROMANÆ COND. ARCIS) Conditor Pallantei, vbi nunc Palatium est: quod non reuera arx est, sed tenet rerum omnium principatum. Seruius.

HÆC NEMORA INDIGENÆ FAVNI) Lucret. lib. 4. *Hæc loca capripedes Satyros, Nymphasq; tenere Finitimi memorant.* Etsi hoc de dijs illorum locorum dicitur, cum tamen eos indigenas dicat, ad eorum sententiam respexit, qui autochthonas, id est, Aborigenes, & terrigenas se censebant, vt Athenienses, Argiui, Arcades, Thessali. Censorinus hoc confirmat. Denique, inquit, hoc etiam vulgò creditum est, vt plerique genealogiæ auctores sunt, quarundam gentium, quæ ex aduentitia stirpe non sint, principes terrigenas esse, vt in Africa, & Arcadia, Thessaliaque, eosq; autochthonas vocitari. vt in Italia poeta cecinit, Nymphas, indigenasq; Faunos nemora quædam tenuisse, nõ difficile rudis antiquorum credulitas recepit. Turneb. lib. 7. cap. 14. Fauni oracula canebant. Varro lib. 6. de ling. lat. Fauni dij Latinorum: hos versibus, quos vocant Saturnios, in syluestribus locis traditum est fari.

Quid de Fauno, & Saturno tradiderit Iustinus ex Trogo, producemus in medium, vt quomodo historiam Virgilius tractarit, quantumque sibi permiserit, manifestò perspiciatur. Igitur lib. 43. hæc leguntur. Italiæ cultores primi Aborigenes fuere: quorum rex Saturnus

turnus tantæ iustitiæ fuisse traditur, vt neque seruierit sub illo quisquam, neque quidquam priuatæ rei habuerit: sed omnino communia, & indiuisa omnibus fuerunt, veluti vnum cunctis patrimonium esset. Ob cuius exempli memoriam cautum est, vt Saturnalibus exæquato omnium iure, serui cum dominis recumbant. Itaque Italia regis nomine Saturnia appellata est: & mons in quo habitabat, Saturnius: in quo nunc, veluti à Ioue pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est. Post hunc tertio loco regnasse Faunũ ferunt, sub quo Euander ab Arcadiæ vrbe Pallanteo in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus, & agrum, & montem, quem ille Palatium appellauit, benignè assignauit. In huius radicib⁹ templum Lycæo, quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit: ipsum dei simulacrum nudum, caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur. Fauno fuit vxor nomine Fatua, quæ assiduò diuino spiritu impleta, velut per furorem futura præmonebat. Vnde adhuc qui inspirari solent, fatuari dicuntur.

TRVNCIS, ET DVRO ROBORE NATA) Ad Homeri respicit versum, & fabulam, qua prisci homines ex arboribus finguntur nati. *ὐ γὰρ ἀπὸ δρυὸς ἐσσὶ παλαιφάτυ, ὐδ' ἀπὸ πέτρης.* Vt & Cicero 4. Academ. cum scripsit, è saxo sculptus, aut è robore dolatus. Stat. 3. Thebaid.

——— at non prior aureus ille
Sanguis auûm, scopulisq; satæ, vel robore gentes
Mentibus hoc ausæ.

Et lib. 4. de Arcadibus.

——— quercus, laurisq; ferebant
Cruda puerperia, ac populos vmbrosa creauit
Fraxinus, & fœta viridis puer excidit orno.

Quorundam item inuentum fuit, animi feritatem ex quercu significare, quod etiam non ignobiles poetæ agrestes homines, immites, atque sæuos, nullisque humanis moribus expolitos, duro ex robore natos dictabant: de quo interpres Hesiodi, veteres, ait, filios in quercubus, aut petris exponere solitos, vrbium, tectorumúe commoditate nondum adinuenta, datamque hinc ansam, vt ex petris, quercubus, aut roboribus geniti viderentur. * *Festiuè 1. Anthol. tit. εἰς δρυτόμον, quercus lignatorem rogat, ne se exscindat: nominat autem arbusta, arbores, & frutices vicinos, in quos securem impingi cupit. Ad extremum addit, cuius caussa meritò sibi parcere debeat. Nam vt maiores testati sunt nobis, inquit, primæ matres hominum fuerunt quercus, antiquitus ex quercubus nascebantur homines. Propter cognationem igitur me debes reuereri. Etiam hinc quercum vocabant matrem, & circum illam choros ducebant, quod ab ea alimentum, & vitam peterent. Epigrammatis hoc est initium Ὥραι τῶν βαλάνων.*

NEQVE CVLTVS ERAT) nullam sui curam habebant.

AVT PARCERE PARTO) de die viuebant, nec inuenta reseruabant.

RAMI, ATQVE ASPER VICTV VENA.) Alebantur aut venatu montium, aut arborum ramis, pomis, pyris, reliquisq; fructibus.

PRIMVS AB ÆTHERIO VEN. SAT. OLYMP.) Videmus ciuitatum, populorumque gubernacula initio penes reges fuisse. Nam & Romani, & Athenienses, & Thebani initiò reges habuere, ipsiq; prisci Latini, & Aborigines, Ægyptij quoque, ac Syri, & Persæ sub regibus fuisse memorantur, & vt Cicero tradit, omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Etenim cum homines principio generis humani, dispersi belluarum more in agris degerent, illisq; cauæ arbores, & excesi montis specus domus essent, simile est veri, vnum aliquem præstantem ingenio finitimos omnes, quasi pastorem aliquem cogere cœpisse, paulatimque pepulisse, vt in vnum simul locum conuenirent, casasque construerent, & in diem viuerent, vt & cõpararent necessaria ad victum, & quæsitis parcerent. Nam quod hic ait Virgilius de Saturno, non tam in eius laudem dixisse videri potest, quàm vt hoc ipsum nobis innueret. His autem principijs, quæ è natura ducta sunt, accessit postea consensus hominum. Crescentibus enim vrbibus, & grassante libidine, cum, qui tenuiores erant, premi à ditioribus timerent, confugere cœperunt ad Aristidas, & Catones antiquos, quos iustitiæ, legumque cultores esse scirent, intelligerentq; natura, & moribus excellentes esse, quibus communi bonorum consensu vrbis tutela permissa, iustitiæ, legumq; patrocinium est traditum, &c. Iouian. de Obed. lib. 4.

Certum est tamen, priorem Ianum in Italiam venisse, ab eoque postea venientem Saturnum exceptum. Vnde intelligendum est, Virgilium quoque non ignoratione veteris historiæ, sed suo more primum dixisse Saturnum, non ante quem nemo, sed principem, vt, *Troiæ qui primus ab oris*, cum procul dubio constet, ante Æneam Antenorem in Italiam esse peruectum. Vide 1. Æneid. ex Aurel. Victor. de orig. gentis Romanæ.

Saturnus inter veterrimos Italiæ deos, qui frugib⁹ repertor, quique eas gentes primus docuisse creditur sationes. Itaq; non dubiè Latinis nomen inuenit à satu. Vt enim à portu Portunus, à nuptu Neptunus, sic disertè à satu Saturnus: nam ita primitus pronunciabant. Festus. Hic deus in Saliaribus Saturnus nominatur, videlicet à sationibus. Malè ibi vulgò Satirus, vel Saturus: nam Salij scilicet aliter indigitabant. Lipsius Saturnal. serm. lib. 1. cap. 2.

Tanta antiquorum hominum traditur fuisse simplicitas, vt venientes ad se aduenas, qui modò consilio, ac sapientia præditi, ad instruendam vitam, formandosq; mores aliquid conferrent, quod eorum parentes, atque originem ignorabant, cælo, & terra editos, non solùm ipsi crederent, verùm etiam posteris affirmarent, velut hunc ipsum Saturnum, quem Cæli, & Terræ filium esse dixerunt. Aurel. Victor. de orig. gentis Rom.

ARMA IOVIS FVGIENS) Arma propriè dicuntur ab armis, id est, humeris: vt scutum, gladius, pugio, sica: & ea, quibus propè præliatur: vt tela, quibus procul. Festus. Sic vestras hallucinationes fero, ait Seneca de vita beata, cap. 26. quemadmodũ Iupiter opt. max. ineptias poetarum: quorum alius illi alas imposuit, alius cornua: alius adulterum illum induxit, & abnoctantem: alius sæuum in deos, alius iniquum in homines: alius raptorem ingenuorum, corruptoremq;, & cognatorum quidem: alius parricidam, & regni alieni, paterniq; expugnatorem. Quib⁹ nihil aliud actum est, quàm vt pudor peccandi hominibus demeretur, si tales deos credidissent. Deridet hoc ipsum figmentum, & impietatis arguit Iouem Arnobius lib. 4. in hunc modum. Nunquid à nobis dicitur, Iouem regno expulisse patrem, & alieni iuris imperium violentia, & fraude tenuisse? Et quod ad Saturnum pertinet, nunquid pulsum à Ioue senem, Italorum delituisse in finibus, & quod tutus fuisset à filio, nomen Latio imposuisse pro munere?

Cæte-

Cæterùm ad hunc ipsum poetæ versum, & sequentes deinceps aliquot, peraccommodata mihi videntur, quæ sunt apud Lactantium, lib. 1. cap. 14. ex sacra Euemeri historia, quam latinam fecit Ennius. Iupiter adultus, cum audisset patrem, atque matrem custodijs circumseptos, atq; in vincula coniectos, venit cum magna Cretensium multitudine, Titanumq́;, ac filios eius pugnando vicit, parentes vinculis exemit, patri regnum reddidit: atque ita in Cretam remeauit. Posthæc deinde Saturno data est sors, vt caueret, ne filius eum regno pelleret. Ille eleuandæ sortis, atque effugiendi periculi gratia, insidiatus est Ioui, vt eum necaret. Iupiter cognitis insidijs regnum denuo sibi vindicauit, ac fugauit Saturnũ. Qui cum iactatus esset per omnes terras, persequentibus armatis, quos ad eum comprehendendum, vel necandum Iupiter miserat, vix in Italia locum, in quo lateret, inuenit. Et lib. 1. cap. 13. in quo docet, quemadmodum poetæ, & historici Stoicorum interpretationes de Ioue, Saturno, & alijs dijs vanas, atque futiles ostenderint, post multos versus sic pergit de Saturno, & his rebus, quæ à Virgilio tanguntur, disputare. Postremò, cur extitit aliqua vis potentior, aut maior, quæ illius (Iouis) vinceret potestatem? Nimirum senex à iuuene facile victus est, ac spoliatus imperio, fugit expulsus, & in Italiam nauigio venit, cum errasset diu, sicut Ouid. in Fastor. libris refert.

Causa ratis superest, Tuscum rate venit ad amnem
Ante pererrato falcifer orbe deus.

Hunc errantem, atque inopem Ianus excepit: cuius rei argumento sunt nummi veteres, in quibus est cum duplici fronte Ianus, & in altera parte nauis, sicut idem poeta subiecit.

At bona posteritas puppim formauit in ære,
Hospitis aduentum testificata dei.

Omnes ergo, non tantum poeta, sed historiarum quoque, & rerum antiquarum scriptores hominem fuisse consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoriæ prodiderunt: Græci Theodorus, & Thallus: Latini Nepos, & Cassius, & Varro. Nam cum agresti quodam more in Italia viueretur,

Is genus indocile, & dispersum montibus altis
Composuit, legesq; dedit, Latiumq́; vocari
Maluit, his tutus quoniam latuisset in oris.

Censétne aliquis deum esse, qui pulsus est, qui fugit, qui latuit? Nemo tam stultus est: qui enim fugit, aut latet, & vim, & mortem timeat necesse est. Orpheus, qui temporib⁹ eius recentior fuit, apertè Saturnum in terra, & apud homines regnasse commemorat.

Πρώτιστος μὲν ἄνασσεν ἐπιχθονίων κρόνος ἀνδρῶν,
Ἐκ δὲ κρόνου γένετ' αὖθις ἄναξ μέγας εὐρύοπα Ζεύς.

Item Maro noster. *Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.* Et alio loco,

Aureaq́, vt perhibent, illo sub rege fuerunt
Secula, sic placida populos in pace regebat.

Neque superius dixit, in cælo egisse vitam, neque inferius superos in pace rexisse. Vnde apparet illum regem fuisse terrenum, quod alibi apertius declarat.

A *—— aurea condet*
Secula, qua rursus Latio regnata per arua
Saturno quondam.

Adi Natalem lib. 2. cap. 2.

IS GENVS INDOCILE) Pro indoctum. nam indocile est, quod penitus non potest discere. Indoctum, quod nondum didicit.

HIS TVTVS QVON. LAT. IN ORIS) Latium appellatum testatur Virgilius, quoniam ibi Saturnus latuerit. Idipsum canit Ouidius Fast. lib. 1.

Inde diu genti mansit Saturnia nomen:
Dicta quoque est Latium terra, latente deo.

B Cyprianus clarum religionis nostræ lumen, Ab Ioue, inquit, Saturnum esse fugatum, manifestum est: inde Latium de latebra eius nomen accepit. Minutius Felix, Itaque latebram suam, quod tutò latuisset, vocari maluit Latium. Idem confirmat Paullus Diaconus ex Eutropij historia lib. 1. Sunt qui asserant Saturni nomen Syriacum esse, & ea lingua latentem significare. Vnde agrum Latinum, quasi illius nomen interpretantes, Latium prisci illi vocauerunt, & eius vxorem Opem, Latiam. Quamobrem in Pontificalib⁹ indigitamentis dicebatur Latia Saturni. Hæc Hieron. Columna in Fragmenta ex Euemero, quæ cum Fragmentis Ennianis cõiunxit.

C AVREAQVE VT PERHIB. ILLO. S. REGE SÆCVLA) Dionysij verba sunt antiquit. lib. 1. Est etiam alia fabula inter indigenas vulgata, Saturnum ante Iouis regnũ in his terris imperium habuisse: decantatamque illam sub Saturno vitam omnibus copijs, quas annus fert, affluentem, nusquam alibi magis, quam apud ipsos floruisse, &c.

DECOLOR ÆTAS) Decoloratur id, cuius color vitiatur, non mutatur. Coloratur id, cuius alia fit, quam fuit, facies: tanquam cærulea, vel nigra, vel pallida. Ita Seneca, Natural. lib. 2. cap. 41. *Decolor ætas*, id id est, vitiosa. In omni enim vitioso corpore inest pessimus color: & alludit ad naturam metalli, quam cernimus discolorem: nec immeritò: suprà enim dixerat

D *aurea secula*, ideo nunc dicit, decolor ætas. Seruius.

ET BELLI RAB. ET AMOR HAB.) sic Ouid. lib. 1. Metamorph. *Insidiæq́, & vis, & amor sceleratus habendi.* Amorem nummi vocauit Iuuenal. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Vtrobique periphrasis quædam auaritiæ est.

TVM MAN. AVSON. ET GENT. VENERE SICANÆ) Omnes terræ habitatores aut indigenæ sunt, aut aduenæ, aut conuenæ. Indigenæ sunt inde geniti, quos vocant Aborigenes Latini, Græci αὐτόχθονας, vt de Faunis dixit. Aduenæ, de vno loco venientes, vt Saturnus. Conuenæ, de diuersis, vt Ausones, & Sicani. lege cætera apud Seruium.

E SÆPIVS NOMEN POSVIT) Recurre ad 1. Æneid. *Italiam fato profugus*, &c.

A QVO ITALI FLVVIVM COGNOM. TIBRIM) Liuius ait à Tiberino Albanorum rege ibidem submerso, dictum.

Me pulsum patria, pelagiq́; extrema sequentem,
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His posuere locis: matrisq́; egere tremenda
Carmentis Nymphæ monita, & deus auctor Apollo.

Vix ea dicta: dehinc progressus, monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem (quem Romulus acer asylum
Rettulit) & gelida monstrat sub rupe Lupercal.
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
Nec non & sacri monstrat nemus Argileti:
Testaturq; locum, & lethum docet hospitis Argi.

PELAGIQVE EXTREMA SEQVENTEM) Me nauigationem in longinquas, & vltimas terras procul domo parantem: vt *pelagi extrema* audiamus extremas, & longissimè remotas eius partes. Quem sensum, cum & aptissimus sit, & nullam vim verbis afferat, non possum non probare. Nam quæ primarij afferunt Grammatici, & coactam habent, & affectatam sententiam. Turneb. lib. 24. cap. 40.

De caussa aduentus Euandri in Italiam, de eius matre, de origine vrbis Pallantei, & eius nomine, de honoribus vtriq; habitis à pop. Rom. subscribemus quæ habentur apud Halicarnass. lib. 1. tu ea cum Virgil. coparato. Non multo post alia classis Græcorum in eam Italiæ partem appellit, LX. fere annis ante bellum Troianum, profecta à Palantio vrbe Arcadica. Eam coloniam deduxit Euander Mercurij filius, & nymphæ cuiusdam Arcadicæ, quam Græci Themin fuisse dicunt, & diuino afflatu instinctam: Romanarum antiquitatum scriptores Carmentam patria lingua nominant. Hanc mulierem affirmant dæmonis spiritu correptam, futura carmine multitudini prædicere solitam. Ea classis non consensu ciuitatis emissa est: sed orta in populo seditione, inferior factio sua sponte secessit. Fortè tum apud Aborigines regnum à maioribus acceptum tenebat Faunus, à Marte, vt ferunt, oriundus, vir gnauus ac prudens, à Romanis pòst tanquam vnus indigetum, sacris honoratus, & carminibus. Is paucos illos Arcadas comiter exceptos donauit agrorum, quanta ipsi vellent, portione. Elegerunt autem, sicut eos Themis post rem diuinam peractam præmonuerat, tumulum non longè distantem à Tiberi, qui nunc fermè in meditullio vrbis Romanæ situs est. Apud eum construxerunt paruum vicum, capacem hominum, quot duæ naues aduexerant è Græcia: cui erat in fatis, vt in tantam vrbem euaderet, quanta alia nulla vel græca, vel barbara, siue amplitudo sedium, &c. Huic oppidulo à veteri patria nomen imponunt Palantium: nunc vero Palatium à Romanis dicitur. Sunt qui tradunt, & in his Polybius, denominatum ab adolescente quodam Palante ibi mortuo, filio Herculis & Dynæ Euandri filiæ. Ego tamen Romæ neque sepulcrum vidi Palantis, neq; inferias audiui ei fieri, neque aliud quidquam eiusmodi cognoscere potui. Euandro autem, & Carmentæ Romanos publicè quotannis sacrificare comperi, aras etiam ijs erectas contemplatus sum: Carmentæ, apud Carmentalem portam sub Capitolio: Euandro apud Auentinum collem prope portam Trigeminam. Sequitur de templo Pani Lycæo (qui Arcadibus deorum antiquissimus, & honoratissimus) extructo, quod Romani Lupercal nominant, cuius & hìc poeta meminit. Lege Dionysium.

FORTVNA OMNIPOTENS) Fortunam Homerus nescire maluit, & soli deo, quem *μοῖραν* vocat, omnia regenda committere: adeò, vt hoc vocabulum *τύχη* in nulla parte Homerici voluminis nominetur. Contra Virgilius non solum nouit, & meminit, sed omnipotentiam quoque eidem tribuit: quam & philosophi, qui eam nominant, nihil vi sua posse, sed decreti, siue Prouidentiæ ministram esse voluerunt. Et in fabulis, seu historijs idem facit nonnunquam. Ægæon apud Homerum auxilio est Ioui. Hunc contra Iouem armant versus Maronis. Eumedes Dolonis proles bello præclara, animo, manibusque potentem refert: cum apud Homerum Dolon imbellis sit. Nullam commemorationem de iudicio Paridis Homerus admittit, &c. Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 16.

Quod fortunam *omnipotentem* vocat Maro, assentit opinioni vulgi, & imperitorum, qui fortunam putant esse, quæ hominib⁹ tribuat bona, & mala. Nam simulacrum eius cum cornucopiæ, & gubernaculo fingunt, tanquam hæc & opes tribuat, & rerum humanarum regimen obtineat. Item Sallust. proœmio Catilinar. sed profectò fortuna in omni re dominatur. Plura Lactant. lib. 3. cap. 29.

Plin. lib. 2. cap. 7. Inuenit tamen inter has vtrasque sententias medium sibiipsa mortalitas numen, quo minus etiam plana de deo coniectatio esset. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitijs colitur, volubilis à plerisque, & cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, sola vtramque paginam facit. Adeoq; obnoxiæ sumus sortis, vt sors ipsa pro deo sit, qua deus probatur incertus.

Adde Cic. 2. de Off. Magnam vim esse in fortuna in vtramque partem, vel secundas ad res, vel aduersas, quis ignorat? Nam & cum prospero eius flatu vtimur, ad exitus prouehimur optatos: & cum reflauit, affligimur. De Fortunæ deæ cognominibus apud Romanos, eiusq; templis, Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13. & ibidem. Tiraquellus.

CARMENTIS NYMPHÆ MONITA) Strabo lib. 5. *καὶ τὴν μητέρα τοῦ Εὐάνδρου τιμῶσι Ῥωμαῖοι, μίαν τῶν νυμφῶν εἶναι νομίζοντες, Καρμέντην μετονομασθεῖσαν.* Etiam Nicostrata dicta est, & à carminibus fatidicis Carmentis.

MONSTRA

MONSTRAT ET ARAM, ET CARMENTAL.) Quam aram Euander matri fecit extinctæ. Est autem iuxta portam, quæ primo à Carmente ipsa, seu Carmenta Carmentalis vocata est: post scelerata à Fabijs 306. qui per ipsam in bellum profecti, cum quinque millibus clientium, non sunt reuersi. Dicta est etiam Tarpeia, Veientana. Ibidem fanum à matronis Romanis ædificatum est, vbi eidem annuas hostias immolarent. De portis Romanis, quomodo principiò tres tantum fuerint, postea 34. docebit te Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 16.

VATIS FATIDICÆ) Bene addidit *fatidicæ*: nam vatem, & poetam possumus intelligere. Sallust. In tugurio mulieris ancillæ. Non quia mulieris, statim ancillæ: si autem ancilla, statim & mulier est. Seruius.

CECINIT QVÆ PRIMA) Quia postea & Sibylla. Sed quod de prædictione Carmentis ad hunc locum attinet, ex 1. Fast. Nasonis transcribemus.

Fallor? an hi fient ingentia mœnia colles?
Iuraq; ab hac terra cætera terra petet?
Montibus his olim totus promittitur orbis,
Quis tantum fati credat habere locum?
Et iam Dardaniæ tangent hæc littora pinus:
Hic quoq; caussa noui fœmina Martis erit.
Care nepos Palla, funesta quid induis arma?
Indue: non humili vindice cæsus eris.
Victa tamen vinces, euersaq; Troia resurges,
Obruet hostiles ista ruina domos.
Vrite victrices Neptunia Pergama flammæ:
Nunc minor hic, toto est altior orbe cinis.
Iam pius Æneas sacra, & sacra altera patrem
Afferet: Iliacos accipe Vesta deos.
Tempus erit cum vos, orbemq; tuebitur idem,
Et fient ipso sacra colente deo.

QVEM ROMVL. ASYLVM RETVLIT) Postquã Hercules migrauit è terris, nepotes eius timentes insidias eorum, quos auus afflixerat, Athenis sibi primum asylum, hoc est, templum misericordiæ collocarunt, vnde nullus posset adduci. Ideo ait Romulum retulisse, quia asylum aperuit ad imitationem asyli Atheniensium, vt haberet aduenas plures, cum quibus vrbem conderet. Seruius.

De hac re ad istum modum Liuius lib. 1. Deinde ne vana vrbis magnitudo esset: adijciendæ multitudinis caussa, vetere consilio condentium vrbes, qui obscuram, atq; humilem conciendo ad se multitudinem, natam è terra sibi prolem mentiebantur: locum, qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos est, asylum aperit, eò ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine liber an seruus esset, auida nouarum rerum perfugit. idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit.

Primùm Cadmus, dum Thebas conderet, asylum
A aperuisse fertur, ad quod fugientes sine discrimine serui, aut liberi, ab omni pœna tuti erant. Post asylum Atheniense, de quo Seruius, fuit in Rhœteo Aiacis asylum, & in Sigeo Achillis, quorum exemplo Romulus, & alij, asylum aperuerunt, quò accedentes impunitate donabantur. Apud Molossos, Samothracas, Crotoniatas, & Messenios, Corcyræos ad deorum aras confugisse, pro asylo habitum est. Atheniensibus Thesei sepulcrum id iuris habuit, vt serui ad illud confugientes, nexu soluerentur, &c. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20. Vide ibid. Tiraquell.

Ab asylo asylia dicitur, pro eo iure libertatis, & veniæ, quod quis apud aras consequitur, quam immuni-
B tatem Ecclesiæ vulgò vocant. Ædem igitur asylum, vel vt Græci dicunt, asylon vocare possumus, & simulacrũ asylum, id est, in qua, vel ad quod, ius est asyliæ confugientibus. Philostrat. καὶ ἄσυλος ἦν ἀνδριὰς τοῦ τιβερίου, ad statuam Tiberij confugientibus ius erat asyliæ. Asylos enim erat statua Tiberij. Græci namq; huiuscemodi nomina composita communi genere efferunt. Asyli etiam dicuntur à Græcis homines à violentia tuti, vt sunt sacrosancti, quos attingere sine piaculo non licet, nec reprehendere, quales erant Tribuniplebis apud Romanos. Asyli erant caduceatores, & licebat eis tutò, quòquò vellent, ire. Budæus in Pand.

MONSRAT SVB RVPE LVPERCAL) Locus,
C quem sub Palatino monte, Euander deo gentis suæ Pani Lycæo sacrauerat, & Lupercal. nominauerat, quod præsidio ipsius numinis lupi à pecudibus arcerentur. Lupercalia sacra Euander idem instituit. Iis sacris, seu festis iuuenes Romani nudi canem, & capram immolabant. Tum faciem sanguine illo obliti cum loris è pelle factis nudi currebant circa Palatium, obuios quosque corijs illis verberantes, & præsertim mulieres grauidas, quæ vltro se obuiam illis ferebant, facilem partum ex illa percussione sperantes. Vide Gyrald. Syntag. 17.

PARRHASIO DICT. DE MORE PAN. LYCÆI) Ordo est, monstrat Lupercal Panos Lycæi, dictum de more Parrhasio: id est, ostendit Lupercal Panos Ly-
D cæi, dicatum ex more Arcadico: nam Parrhasia, Arcadia est. *dictum*, dicatum, consecratum.

SACRI NEMVS ARGILETI) Sacri, id est, execrabilis. Euander Argum quendam susceperat hospitio, qui quum de eius cogitaret interitu, vt ipse regnaret, Euandro hæc non sentiente, socij intellexerunt, & Argum necauerunt. Cui Euander & sepulcrum fecit, & locum sacrauit, non quòd ille merebatur, sed hospitalitatis caussa. Bene autem Euander in hac re immoratur, & docet caussas, ne apud hospitem in suspicionem veniat. Seruius.

TESTATVRQVE LOCVM) Iurat, non sua culpa iura hospitij esse violata. Testari sæpe valet iurare, vt patet ex alijs locis.

Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim syluestribus horrida dumis.
Iam tum relligio pauidos terrebat agrestes
Dira loci, iam tum syluam, saxumq; tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
(Quis Deus incertum est) habitat Deus: Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iouem, cum sæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimbosq; cieret.

Hæc duo præterea disiectis oppida muris,
Relliquias, veterumq; vides monimenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condit vrbem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Euandri: passimq; armenta videbant.
Romanoq; foro, & lautis mugire Carinis.

HINC AD TARPEIAM) Romæ nondum conditæ, & locorum adhuc agrestium, atque pascuorum meminit. Tibull. quoque lib. 2. eleg. 5.

Romulus æterna nondum fundauerat vrbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo.
Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccæ,
Et stabant humiles in Iouis arce casæ.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis vmbræ,
Et facta agresti lignea falce Pales.

Propert. lib. 4. eleg. 1.

Hoc quodcunq; vides hospes, quam maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis, & herba fuit.
Atq; vbi nauali stant sacra palatia Phœbo,
Euandri profugæ procubuere boues.
Fictilibus creuere deis hæc aurea templa,
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.

Tarpeius mons, in quo Capitolium, dictus est à Tarpeia virgine, filia Sp. Tarpeij, cui Romulus arcem tuendam contra Sabinos commiserat. Puella arcem Sabinis prodidit, vide Liuium lib. 1. Capitolium vnde nominatum, docuimus lib. 9. ibi, *Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum Accolet.*

RELLIGIO DIRA) id est magna, vt, *An sua cuiq; deus fit dira cupido?*

PAVIDOS TERREBAT AGRESTES) Iam tum, hoc est, quum esset locus ille humilis, atque desertus, iam habuit numen, eratque illic, quod terreret accedentes, & his incuteret horrorem, maximè rusticanis, qui pauore naturali omnia metuunt, & vniuersa formidant. Donatus.

NIGRANTEM ÆGIDA CONCVT.) Scutum, cui pellis Amaltheæ capræ, nutricis quondam suæ inducta.

NIMBOSQVE CIERET) Nimbos pro fulminibus posuit, quæ dextra iacit. Ægidis autem concussu commouet pluuias. Seruius.

HANC IANVS PATER) Dictus Ianus, vt ait Cic. 2. de nat. deor. ab eundo, quod cælum, & tempus semper eat, vel à ianuis. Nam vt idem deus apud Ouid. 1. Fast.

Præsideo foribus cæli cum mitibus Horis,
Et redit officio Iupiter ipse meo.

De eius nomine Rhodigin. lib. 2. cap. 23. De forma, & imagine idem lib. 23. cap. 11. Gyrald. Syntag. 4.

Sed *Ianus pater*, quia cum post obitum Ianum, & Saturnum diuinis honoribus cumulandos censuissent, quod Ianus prior in Italiam venisset, in sacris omnibus primum locum Iano detulerunt: vt etiam, cum alijs dijs sacrificium fieret, dato thure in altaria, Ianus prior nominaretur, cognomento quoque addito *Pater*, secundum quod cognomentum noster sic intulit, *Hic Ianus pater*. Aurel. Victor. de origine. Rom.

Cur antiquum numisma ab vna parte Iani bifrontis imaginem, ab altera nauis aut puppim, aut proram insculptam habeat, consulendus Plutarch. Quæst. Rom. quæst. 41. Aliter Macrob. lib. Saturnal. 1. cap. 7.

A Ianus, inquit, cum Saturnum classe peruectum excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum, & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate munerauit. Cum primus quoq; æra signaret, seruauit & in hoc Saturni reuerentiam, vt quoniam ille naui fuerat aduectus, ex vna quidem parte sui capitis effigies, ex altera verò nauis exprimeretur: quo Saturni memoriam in posteros propagaret.

IANICVLVM HVIC, ILLI F. SAT. NOM.) Ennianum ἀκροτελεύτιον est ex 1. Annali, *de qua latè Saturnia terra.* Quidam Ennium sic scripsisse suspicantur. *olim Saturnia nomen Huic fuerat, de qua latè Saturnia terra.* Sentit igitur ab oppido Saturnia dictam regionem vicinam B Saturniam, de quo plenius in sequentibus. Arnob. lib. 3. Ianus Ianiculi conditor, & ciuitatis Saturniæ Saturnus auctor.

Hic Ianum, & Saturnum concordes regnasse, vicinaq; oppida opera communi condidisse, præter Maronem, etiam illud in promptu est, quod posteri quoq; duos eis continuos mensens dicarunt, vt December sacrum Saturni, Ianuarius alterius vocabulum possideret. Cum inter hæc subitò Saturnus non comparuisset, excogitauit Ianus honorum eius argumentum, ac primùm terram omni ditioni suæ parentem, Saturniam nominauit. Macrob. Saturnal. 1. cap. 7.

De hisce duobus oppidis à Iano, & Saturno conditis, & ab vtroque cognominatis, simul de fuga Saturni, & moribus, quibus excoluit Italos, vnde Latium appellatum, & quamobrem Cæli, ac Terræ filius dictus, C hæc scripta reperio apud Minutium Fœlicem in Octauio. Is itaque Saturnus, Creta profugus, Italiam metu filij sæuientis accesserat, etiam susceptus hospitio, rudes illos homines, & agrestes multa docuit: vt græculus, & politus, literas imprimere, nummos signare, instrumenta conficere. Itaque latebram suam, quod tutò latuisset vocari maluit Latium: & vrbem Saturniam de suo nomine, & Ianiculum Ianus, ad memoriam vterq; posteritatis reliquerunt. Homo igitur vtique qui fugit, homo vtique qui latuit, & pater hominis, & natus ex D homine. Terræ enim, & Cæli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus: vt in hodiernum inopinatò visos, cælo missos: ignobiles, & ignotos terræ filios nominamus.

Superaddamus Tertullianum, testem grauissimum, qui in Apologet. cap. 11. quo demonstrat, veterum deos planè mortales, & ab hominibus consecratos fuisse, hæc de Saturno refert, quæ non parum lucis dant Virgilio. In Italia Saturnus post multas expeditiones, postque Attica hospitia consedit, exceptus ab Iano, vel Iane, vt alij volunt. Mons quem coluerat, Saturnius dictus: ciuitas quam debellauerat, Saturnia cognominabatur. [*Dionys. lib. 1. Quin & vniuersa ora, quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic deo, & à cultoribus Saturnia vocabatur, vt licet videre in Sibyllinis carminibus, & alijs oraculis à dijs redditis: suntq; passim per eam regionem multa huic deo fana dicata, & quædam ciuitates, eodem, quo vniuersa tunc ora dicta nomine: loca*

loca etiam moles ab eodem numine denominata, præcipuè scopuli, & editi tumuli.] Ab ipso primum tabulæ, & imagine signatus nummus, & inde ærario præsidet. Tamen si homo Saturnus, vtique ex homine: & quia ab homine, non vtiq; de Cælo, & Terra. Sed cuius parentes ignoti erant, facile fuit eorum filium dici, quorum & omnes possumus videri. Quis enim non cælum, & terram, matrem, ac patrem venerationis, & honoris gratia appellet, vel ex consuetudine humana, qua ignoti, vel ex inopinato apparentes, è cælo superuenisse dicuntur? Proinde Saturno repentino aduentu vbique cælitem contigit dici. Nam & terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est. Taceo, quod ita rudes adhuc homines agebant, vt cuiuslibet noui viri aspectu, quasi diuino, commouerentur, cum hodie iam politi, quos ante paucos dies luctu publico mortuos sint confessi, in deos consecrent.

A ROMANOQVE FORO) Huius fori meminerunt Plin. lib. 4. cap. 5. & lib. 12. cap. 4. & 19. cap. 1. Propert. lib. 4. eleg. 7. *Romanum satis est posse videre forum.* Martial. lib. 1. *Romanum propius, diuitiusq́ forum.* Sueton. Augusto, cap. 72. De foris Romanis, & externis vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 12.

LAVTIS MVGIRE CARINIS) Carinæ sunt ædificia facta in carinatum modum. Lautas dixit, aut propter elegantiam ædificiorum, aut propter Augustum, qui natus est Curijs veteribus, nutritus in Carinis. Hæc Seruius. In ea vrbis regione Pompeij Magni domus fuit, quæ occupata ab Antonio, occasionem ioco, & cauillo Sex. Pompeij dedit in Antonium, exceptum B cœna cum Cæsare, à Pompeio ipso in naui professo, se in carinis suis tum demũ cœnam dare: de quo Plutarch. in Anton. & Velleius. German.

Vt ventum ad sedes: Hæc, inquit, limina victor
Alcides subijt, hæc illum regia cepit.
AVDE HOSPES CONTEMNERE OPES, ET TE QVOQVE DIGNVM
FINGE DEO: REBVSQVE VENI NON ASPER EGENIS.
Dixit, & angusti subter fastigia tecti
Ingentem Æneam duxit: stratisq; locauit,
Effultum folijs, & pelle Libystidis vrsæ.
Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,
Laurentumq; minis, & duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur: thalamoq; hæc coniugis aureo
Incipit, & dictis diuinum aspirat amorem.
Dum bello Argolici vastabant Pergama Reges
Debita, casurasq; inimicis ignibus arces:
Non vllum auxilium miseris, non arma rogaui
Artis, opisq; tuæ: nec te, charissime coniux,
Incassumúe tuos volui exercere labores:
Quamuis & Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ fleuissem sæpe laborem.
Nunc Iouis imperijs Rutulorum constitit oris.
Ergo eadem supplex venio, & sanctum mihi numen
Arma rogo genitrix nato. te filia Nerei,
Te potuit lacrymis Tithonia flectere coniux.
Aspice qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis, in me, excidiumq; meorum.

VICTOR ALCIDES) Varro rerum diuinar. lib. 4. Victorem Herculem putat dictum, quod omne animalium genus vicerit. Romæ autem Victoris Herculis ædes duæ sunt, vna ad portam trigeminam, altera in foro boario. Huius cõmenti caussam Massurius Sabinus, memorabil. lib. 2. aliter exponit. Marcus, inquit, Octauius Herennius prima adolescentia tibicen, postquam arti suæ diffisus est, instituit mercaturam, & re bene gesta decimam Herculi profanauit. Postea cum nauigans hoc idem ageret, à prædonibus circumuentus fortissimè pugnauit, & victor recessit. Hunc in somnijs Hercules docuit, sua opera seruatum. Cui Octauius, impetrato à magistratibus loco, ædem sacrauit, C & signum, VICTOREMQVE incisis litteris appellauit. Dedit ergo epitheton deo, quo & argumentũ victoriarum veterum Herculis, & commemoratio nouæ historiæ, quæ recenti Romano sacro caussam dedit, cõtineretur. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 6.

AVDE HOSPES CONTEMNERE OPES) Aude, quia res ardua, & difficilis. Omnino magni, & excellentis animi est contemnere pecuniam, negligere opes. Videsis, quàm bellè Seneca, more suo hunc versum ad contemptum rerum fluxarum rapit, epist. 18. Quanta est animi magnitudo, ad id sua sponte descendere, quod nec ad extrema quidem redactis timendum sit? Hoc est præoccupare tela fortunæ. Incipe ergo, mi Lu-

mi Lucili sequi horum consuetudinem, & aliquos dies A destina, quibus secedas à rebus tuis, minimóque te facias familiarem. Incipe cum paupertate habere commercium, *Aude hospes contemnere opes, & te quoq; dignum Finge deo.* Nemo alius est deo dignus, quàm qui opes contempsit: quarum possessione tibi non interdico, sed efficere volo, vt illas intrepidè possideas, quod vno consequeris modo, si te etiam sine illis beatè victurum persuaseris tibi: si illas tanquam exituras semper aspexeris. Rursus epist. 31. quomodo possimus similes euadere deo, his verbis nos docet. Parē autē deo pecunia nō faciet. Deus nudus est. Fama nō faciet, nec ostentatio tui, & in populos nominis dimissa notitia. Nemo nouit deū: multi de illo malè existimant, & impunè. Nō B turba seruorum lecticam tuam per itinera vrbana, ac peregrina portantium. Deus ille maximus, potentissimusque ipse vehit omnia. Ne forma quidem, & vires beatum te facere possunt. Nihil horum non patitur vetustatem. Quærendum est ergo, quod non fiat in dies deterius, cui non possit obstari, quo nil melius possit reperiri. Quod est hoc? anim⁹: sed hic rectus, bon⁹, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm deum in humano corpore hospitantem? Hic animus tam in equitem Romanum, quàm in libertinum, quàm in seruum potest cadere. Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut seruus? Nomina ex ambitione, aut ex iniuria nata. Subsilire in cælum ex angulo licet. Exurge modò, *& te quoq; dignum Finge deo:* finges autem non auro, non argento. Non potest ex hac materia imago deo exprimi similis. Cogita illos, cum propitij essent, fictiles fuisse. Hæc Seneca, vides quam sapienter, & Stoicè.

Quomodo paupertas ad virtutem conducat, Theodoret. de Prouidentia Serm. 6. Iouian. lib. 1. de sermone hanc orationem vult esse plenam comitatis. Comis viri consilium est, quæ à se dicuntur non, vt delectent modò, verùm etiam vt sint grata, nec solùm verba, sed etiam res ipsæ, quæ dicuntur. Itaque & ornatum rebus adiungit, præstatque, quod Terentianus ille desiderat, *ornato munus verbis, quod potes,* & in eo est maximè, vt verba etiam ipsa, resque, quæ à se dicuntur, gratiam præ se ferant. Itaque à comendo, id est, ornando dictus. Puellæ namque, ornatæ præsertim, placere amatoribus student, illisque ex eo gratiores fieri. Vide quæso, quibus verbis, quàm etiam comptis, quam gratis etiam sententijs Æneam alloquitur Euander.

Admodum similis Virgilianæ huic, apud Apuleium reperitur oratio Milonis cuiusdam ampliter nummati, sed extremæ auaritiæ hominis, angusta, & vacua domo habitantis, qua se compellatum, cum ad eum diuerteret, idem Apuleius fingit. Ego te, inquit, etiam de ista speciosa corporis habitudine, deque hac virginali prorsus verecundia, generosa stirpe proditum, & rectè conijcerem. Sed & meus Demeas eadem litteris E pronuntiat. Ergo breuitatem gurgustioli nostri ne spernas peto: erit tibi adiacens, & ecce illud cubiculū honestum receptaculum. Fac libenter diuerseris in nostro. Nam & maiorem domum dignitate tua feceris, & tibi specimen gloriosum arrogaris. Sis contentus hoc paruulo: Thesei illius cognominis patris tui virtutes æmulaueris, qui non est aspernatus Hecales anus hospitium tenue. Fuit autem Hecale rustica vetula, quæ ad se diuertente Theseo apposuit olera, herbasq; syluestres pro edulijs.

TE QVOQVE DIGNVM FINGE DEO) Omnino deum Herculem aspicit, qui & in illis ipsis quamuis horridis, incultisque locis acquieuit, & fortuito, oblatoque victu contentus, magna tolerantia orbem vagus peragrauit: vt pote, qui boni consulens hospitalitatem Molossi, iucundè, & frugaliter acceptus discessit. German. * *Sensus verborum est, secundum Seruium, compone te in similitudinem numinis. Ergo imitationem Herculis suadet Æneæ, non quidem in monstris debellandis, sed in frugalitate, & diuitiarum contemptu.*

REBVS VENI NON ASPER EGENIS) Res egenæ sunt res tenues, modicæ, non amplæ, non splendidæ, ac magnificæ, non lautæ, non opiparæ, vt etiam ad victum referamus, cuius frugalitatem ex angustia tecti facile colligimus. De antiquorum frugali, & parco victu multa Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 11. *

ANGVSTI TECTI INGENT ÆN.) Ex contrarietate quæsitus ornatus, angustum tectum, ingens Æneas.

LIBYSTIDIS VRSÆ) Species pro genere. Vel, vt ex pretio bestiæ aliquid stratis ipsis gratiæ accederet.

ET FVSCIS TELLVREM AMPLECT. ALIS) poetica phantasia Nocti alas affingit. Ennius Annali 16. *Nox quando medijs signis præcincta volabat.*

EXTERRITA MATER) Ideo territa, quia mater.

DICTIS DIVINVM ASPIRAT AMOR.) addit gratiam dictis diuinam, facit dicta sua amabilissima. Æneid. C 1. *& latos oculis afflarat honores.*

DVM BELLO ARGOLICI) Petitura Venus pro filio, de adulterio procreato, orationem suam ingenti arte composuit, quod etiam Vulcanus ipse testatur, dicens, *Quid caussas petis ex alto?* Non enim aperta est eius petitio, sed longo proœmio peruersam amore mariti mentem circumuenit. Ergo quæstionem hanc, quæ nascitur ex impudica Veneris petitione, soluimus his modis: primò, quod Vulcanum amore circumuenit: deinde quod est nacta occasionem eius temporis, quo Marti arma faciebat, quem sciebat fuisse adulterum, per quod datur intelligi, Vulcanum omnem suspicionem, & iram, quam habuit circa Venerem, deposuisse, D adeo vt arma ipsi etiam fabricaret adultero. Præterea Vulcanum vxorium fuisse, testatur & ipse Virgilius, dicens, *Tum pater æterno fatur deuinctus amore.* Nam quod dicit Donatus, potuisse fieri, vt cum Anchisa concumberet Venus, antequam Vulcano nuberet, non procedit: constat enim à principio Venerem vxorem fuisse Vulcani. Seruius.

Diutius immoratur Homerus, quàm hic Virgil. Iliad. ξ. cum Iunonem inducit κεκαλλωπισμένην, varioque ornatu, & mundo muliebri instructam, vxorijs illecebris mariti animum tentantem, & periclitantem. German.

PRIAMI DEBEREM PLVRIMA NATIS) Soli Paridi debebat: sed plurali numero dicit, ne ex turpi caussa Paridi debuisse videatur. Tegit igitur honesto nomine rem non honestam.

SANCTVM MIHI NVMEN AR. ROGO GENITRIX NATO) Iliad. Σ. vbi Thetis Achilli arma Vulcanum rogat, & vnde totus hic locus expressus est.

Τοὔνεκα νῦν τὰ σὰ γούναθ' ἱκάνομαι αἴκ' ἐθέλησθα
υἱεῖ ἐμῷ ὠκυμόρῳ δόμεν ἀσπίδα, καὶ τρυφάλειαν. &c.

TE FILIA NEREI) Thetis, quæ Achilli arma impetrauit. Et bonis vtitur comparationibus, dicendo *filia Nerei,* quum ipsa Iouis sit filia: item, *vxor Tithonia,* quum ipsa sit Vulcani. Aurora autem Tithoni vxor petiuit arma Memnoni filio.

QVÆ MOENIA CLAVS. BELL. ACVANT PORT.) Dixit

Dixit enim superius, *Quinq; adeo magna positis incudibus vrbes Tela nouant.*

IN ME, EXCID. MEORVM) Sic I. Æneid. vt patrem Iouem moueret, fecit calamitatem Troianorum suam quoque, & ita locuta est, quasi vnà cum ipsis vexaretur, casibusq; aduersis per maria, ac terras iactaretur. *Nos tua progenies, &c. Sic nos in sceptra reponis?* Eodem artificio nunc cum marito Vulcano agit, qui vtiq; quantũ in se est, pati non debet ferrum acui in vxorem suam, & cum filio oppugnari ipsam quoq; matrem.

Dixerat, & niueis hinc atq; hinc diua lacertis
Cunctantem amplexu molli fouet. ille repentè
Accepit solitam flammam, NOTVSQVE MEDVLLAS
INTRAVIT CALOR, ET LABEFACTA PER OSSA CVCVRRIT:
Non secus, atq; olim tonitru cùm rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit læta dolis, & formæ conscia coniux.
Tum pater æterno fatur deuinctus amore.
QVID CAVSSAS PETIS EX ALTO? fiducia cessit
Quò tibi diua mei? similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset.
Nec pater omnipotens Troiam, nec fata vetabant
Stare, decemq; alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est,
QVICQVID IN ARTE MEA POSSVM PROMITTERE CVRÆ,
Quod fieri ferro, liquidoue potest electro:
Quantum ignes, animæq; valent, ABSISTE PRECANDO
VIRIBVS INDVBITARE TVIS. EA VERBA LOCVTVS,
OPTATOS DEDIT AMPLEXVS, placidamq; petiuit
Coniugis infusus gremio per membra soporem.

NIVEIS LACERTIS) Homerus Iunonem λευκώλενον crebrius appellat, quasi dicas, albiulnam, id est, candidis præditam lacertis, seu niueis: voluit enim hoc ipsum adiunctum ad nomen sic exprimere Virgilius: quamuis eo solo Græcus poeta vniuersam deæ illius pulchritudinem significet, nota figura. Admoneor hoc, *niueis lacertis* illius Theanus, præclaræ fœminæ, quæ cum vestem induens, casu nudasset brachium, & quidam eo conspecto diceret, ô pulchrum brachium: respondit illa, at non publicum. Quo & castitatem suam indicauit, & laudatoris illius intemperantiam perstrinxit, qui alienum corpus curiosius esset intuitus.

CVNCTANTEM AMPLEXV MOLLI) dubitantem scilicet an promitteret, quam rem per amplexum suum immisso amore persoluit.

ACCEPIT SOLITAM FLAMMAM) Alludit ad rem naturalem: namq; ideo Vulcanus fingitur maritus Veneris, quod Venereum officium nõ nisi calore cõsistit: vnde, *Frigidus in Venerem senior.* Seruius. * *Atque hac ipsa de caussa tam crebra ignis, flammæ, caloris, æstus in rebus amatorijs mentio. Est vero quod sequitur de calore, qui Vulcani medullas intrauerit, & ossa eius liquefecerit, tanta energia dictum, quanta potuit maxima.*

ET FORMÆ CONSCIA CONIVX) Intellexit se dolis, & pulchritudine peruertisse mentem mariti. Lucan. lib. 10.

Quem forma confisa sua Cleopatra sine vllis
Tristis adit lacrymis, simulatum compta dolorem.

ÆTERNO DEVINCTVS AMORE) Æternum pro magno, atque adeo immenso posuit Maro. Et Curtius lib. 4. ferè eodem modo scripsit. Ablue corpus illuuie, æternisque sordibus squalidum. Turneb. lib. 13. cap. 8. Adde Lucret. lib. I. *æterno deuinctus vulnere amoris.*

QVID CAVSSAS PETIS EX ALTO) Attius Armorum iudicio. *Cur cætera tam ex alto appetissis dissidia Agamemnon?* Qua circuitione, ait, vti voluisti verborum? Dubitasse te de mariti voluntate ostendisti. Sic exorsus est, quasi non ipse esset, qui paulò ante cunctabatur: ita se facilem præbet, & tanquã Veneris non intellecto ingenio, bonum se satis, & beneuolum præstat. Quantum illam fecit libido subiectum? si considerares, inquit, esse te coniugem meam, & quid vxor de marito mereatur, aduerteres, non duceres ex alto principia, nec petitionem tuam circuitione munires. Diffidentis hoc signum est: nunquam enim inter coniunctas religione personas petitionem futuram sermo laboratus anteuenit, nisi cum honestatis ratio non suppetit: aut destituitur meritis persona poscentis. Donatus.

NEC FATA VETABANT STARE, DECEMQVE) Hic tractat poeta, fatorum vim non posse quidem subuerti, posse tamen imminens malum aliqua ratione differri. Etsi peritura, inquit, fuerat Troia, posset tamen aliquanto adhuc tempore perdurare. Hoc Iupiter, & fata poterant sinere. Si etiam tunc diligentiam habuisses, & curam, vt in eo constitueretur beneficij commodum, sic quod celerius perijt, tardius interiret. Donat.

QVIDQVID IN ARTE MEA, QVOD FIERI FERRO, ELECTRO) Alterum pertinet ad firmitatem, alterum ad pulchritudinem: plurimũ enim terrorem hostibus incutit etiam splendor armorum. Ecce plus promisit, quam petierat Venus: debebat quippe postulanti sola arma, ex ferro promittere. Donat.

POTEST ELECTRO) Turpissimum mendum in

hoc versu inhæserat, nã cum legeretur ante *potestur*, ex A vetustissimo volumine bibliothecę Vaticanæ, Politian. Miscellan. cap. 71. emendauit *potest*. Quæ etiam verior lectio vel indę probatur, quod electrum vbique in prima syllaba longum, tam apud Græcos ponitur, quàm apud nostros. Nec quidquam interpretes super verbo *potestur*, alioqui nouo, inusitatoq; loquuntur. Haud tamen præterit me, veteres hæc quoque protulisse, sicut Pacuuium in Chryse, sicut etiam Lucretium, quemadmodum & *poteratur* lectum à Nonio Marcello est in Cæcilianis annalibus. Apud Plautum Satyrione, *retrahi nequitur*. Apud Catonem lib. 1. Orig. Fana in eo loco compluria fuere, ea exaugurauit: præterquam quod Termino fanum fuit, id nequitum exaugurari. M. Tull. ad Papyrium lib. 9. Qui primus Papisius est vocari desitus. Quadrigar. Annal. 3. adeo memorari non potestur. Deniq; sic loquebantur veteres, cum iungebatur huic verbo potestur, poteratur, infinitiuus passiuus.

Mirum est in plerasque editiones receptam fuisse hanc lectionem, *Quod fieri ferro, liquidóue potestur electro*: atque hic tanti fecisse quosdam obsoletum hoc vocabulum, tanquam Vulcani maiestati, ex cuius ore proficiscebatur, conuenientissimũ (nimirum, vt quemadmodum Iupiter, & Iuno sermoni suo prisca quædam vocabula, ille *fuat*, hæc *confieri* admiscuissent, ita etiam Vulcanus, cui non minus iuris hac in parte esse deberet, *potestur* ex prisco sermone retineret (quasi verò vbi- C cunq; hic poeta aliquem archaismum sermoñi illorum numinum, aut aliorum inserere potuit, id fecerit) tanto, inquam, in honore à nonnullis illam cascam vocem *potestur* fuisse habitam, vt pro hac lectione tanquam pro aris, & focis Virgilianis dimicauerint. Neque vero exemplum illis defuit, quo nominis *electro* quantitatem defenderent: & quidem ex hoc ipso poeta, in poematio quod Ceiris inscriptum est.

Non me delicijs commouit regia diues,
Coralio fragili, & lacrymoso mouit electro.

Sed ille versus aliter etiam scriptus reperitur, in *electro* syllabæ primæ sua seruata quantitate. Henr. Steph. de delectu. Virgil. lection.

De electro Plin. lib. 33. cap. 4. Aurum, vbicunq; quinta argenti portio est, electrum vocatur. Scrobes eæ reperiuntur in Canaliensi. Fit & cura electrum, argento addito. Quod si quintam portionem excesserit, incudibus non resistit. Et electro auctoritas, Homero teste, qui Menelai regiam auro, electro, argento, ebore fulgere tradit: & quæ sequuntur. Etiam Pausanias 5. in Eliacis, illustrem electri facit mẽtionem. Electrum quidem, inquit, ex qua materia Augusti statuam fecerunt, in Padi fluminis arenis rarum omnino repertum est. Id, qui nacti fuerint, non temere magni æstimant. Est alioquin electrum aliud nihil, quam argento permistum in metallis aurum. De tertio autem electri genere, quod idem est cum succino, in x. fit mentio, ibi, *Populeas inter frondes*, &c.

Ne pigeat etiam legere, quæ annotauit in Indice suo Erythræus, super hac voce *potestur*. Liquidum electrum poeta nominat, eo quod miro modo pelluceat. Vnde de re magnopere dilucida, aut de forma supra modum nitida prouerbium, ἠλέκτρου διαφεγγέστερον.

QVANTVM IGNES ANIMÆQVE VALENT) Animas intellige auras follibus acceptas, quibus fornaces inspirantur, & ignes augescunt. Anima sæpe ventum significat, flatum, halitum. Lucret. lib. 5. *Aurarumq́, leues animæ, calidiq́, vapores.* Vide Nonium in *Anima.* Diximus Eclog. 6. ibi *Semina terrarumq́, animæq́, mariq́, fuissent.*

OPTAT. DED. AMPL. CONIVG. INFVS. GREMIO) Ammianus poeta, inquit Gell. lib. 9. cap. 10. & pleriq; cum eo eiusdem Musæ viri, summis, assiduisq; laudibus hos Virgilij versus ferebant: quibus Vulcanum, & Venerem vinctos, mistosque iure coniugij, rem lege naturæ operiendam, verecunda quadam translatione verborum, quum ostenderet, demonstraretq́;, protexit. Minus autem difficile esse arbitrantur, ad istiusmodi reticenda, verbis vti vno, atque altero, breui, tenuiq; signo ea demonstrantib⁹, sicut Homerus dixerit παρθενικὴν ζώνην, καὶ λέκτροιο θεσμὸν, καὶ ἔργα φιλοτήσια. τὸν μὲν ἄρ᾽ ἀθρήτοισι καλυπτάζετ᾽ ἐν λεχέεσσιν. Tot verò, & tam euidentibus, ac tam non prætextatis, sed puris, honestisq́; verbis venerandum illud concubij pudici secretum, neminem quenquam alium dixisse.

Inde, vbi prima quies medio iam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum: quum fæmina primùm,
Cui tolerare colo vitam, tenuiq; Minerua,
Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi: famulasq; ad lumina longo
Exercet penso, castum vt seruare cubile
Coniugis, & possit paruos educere natos:
Haud secus ignipotens, nec tempore segnior illo
Mollibus è stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium iuxta latus, Æoliamq;
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus, & Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant: validiq; incudibus ictus
Auditi referunt gemitum: striduntq; cauernis
Stricturæ Chalybum, & fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

Hoc

Hoc tunc ignipotens cælo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesq;, Steropesq;, & nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus, iam parte polita
Fulmen erat (toto genitor quæ plurima cælo
Deijcit in terras) pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ
Addiderant: rutili tres ignis, & alitis Austri.
Fulgores nunc terrificos, sonitumq;, metumq;
Miscebant operi, flammisq; sequacibus iras.
Parte alia Marti currumq;, rotasq; volucres
Instabant: quibus ille viros, quibus excitat vrbes:
Ægidaq; horrificam, turbatæ Palladis arma
Certatim squamis serpentum, auroq; polibant,
Connexosq; angues, ipsamq; in pectore diuæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

INDE VBI PRIMA) Ecce quantum profecit artificium Veneris. Excitatur Vulcanus noctis medio, relinquitur pulchra vxor, & blandi talis fæminæ deseruntur amplexus: præponitur quieti labor, cælo spelunca, & strato molli contempto, fabrilis artis difficultas eligitur. Hæc enim desiderabant ratio temporis, & graues æstus vxoris, vt submota omni segnitie, perfectis opportunè armis, gratior rediret ad coniugem. Donatus.

MEDIO IAM NOCT. ABACTÆ CVRRICVLO) Curriculũ genere neutro spatium in quo curritur, cursum ipsum, & currum paruum diminutionis forma significat. Hîc pro spatio sumitur, quod nox conficit, quæ ipsa etiam à poetis curru per cælum inuehi, & quidem nigris equis fingitur. Cic. pro Muræna. Respondebo igitur Posthumio primùm, qui nescio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere. ✱

CVI TOLERARE COLO VITAM) Apollonij imitatione. Vide Vrsin. Item Homeri Iliad. μ. Apud matronas quondam lanificium magnæ laudi fuit, lanamq; fecisse mulierem, probitatis, & pudicitiæ argumentum erat. Inter Romanos, & Sabinos facta pace, conuenit inter Romulum, & T. Latium, vt Sabinæ mulieres ab omni opere, excepto lanificio, immunes forent. Scribit Varro apud Plin. lib. 8. cap. 48. lanam cum colo, & fuso Tanaquilis, & sandalia in templo Anci Martij ad sua tempora durasse incolumem. Vtq; lanificium veterib⁹ cordi fuisse indicarent, sponsam nuptiarum die colum comptam, & fusum cum stamine ad virum deferre iussere. Apud Iberos etiam nunc, quidquid texunt mulieres, in commune conferunt, & virorum iudicio, quæ plurimum texuit, honorib⁹ cumulatur, & pretio. Phæacenses quoque, Homero teste, sicut rei naualis viri, ita mulieres pensa trahendi, & acu vestes intexendi peritæ sunt. Contra Ægyptijs mos. Nam viri pensa domi curabant, mulieres foris negotia tractabant. Dabatur item vitio fæminis apud Persas, lanæ & calatho admouere manus. Alex. Neapolit. lib. 4. cap. 8.

Bernartius in 4. Thebaid. Statij obseruat, more veterum receptum fuisse, vt etiam regum filiæ lanificio manus admouerent. Alex. enim apud Curtium ad Sysigambin matrem Darij: mater, hanc vestem qua indutus sum, sororum non solum donum, sed etiam opus

A vides: nostri decepere me mores. Seneca Hippolyto, in persona Phædræ. *Palladis telæ vacant, Et inter ipsas pensa labuntur manus.* * *Miror fugisse Bernartium exemplum Augusti apud Sueton. cap. 73. Veste non temere alia, quam domestica vsus est, ab vxore, & sorore, & filia, neptibusq; confecta.*

Cæterùm vt minerual pretium est, & merces, quæ persoluitur doctori (sic enim à Varrone appellatur) qui nos aliqua arte erudijt: sic & Minerua hoc loco. Atque hæc quidem interpretatio laudat Seruium. [*Obscurius refert sententiam Seruij Turneb. Sic enim ille:* tenuiq; Minerua, *non filo tenui, sed paruo pretio lanificij. Et subaudiuus aliquis, mos est. Vt sit sensus, cui tolerare colo vitam, tenuiq; Minerua mos est.*] Vide tamen, ne Minerua pro lanificij arte dici, & accipi hic possit. Nam tenuis ars lanificij meritò dici potest, B quia non multum quæstus affert: vt boni cõsulendum sit, si ea te toleres. Sic alius de lanificio locus intelligitur in extremo septimo, *non illa colo, calathisue Mineruæ Fœmineas assueta manus.* Interdum tamen etiam filum est. Arnobius, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro vino, Cererem pro pane, Mineruam pro stamine. Turneb. lib. 11. cap. 22. & lib. 26. cap. 29. Vide quæ dicta sunt lib. 7. ad locum paulo ante citatum.

Tolerare pro ἀνέχειν, & vitam quoquo modo agere; ac per inopiam traducere, & prorogare, Cæsar non semel dixit, vt lib. 3. de bello ciuili. Libenter etiam ex perfugis cognoscebant, equos eorum tolerari, reliqua verò iumenta interijsse. Et rursum. Erat summa inopia C pabuli, adeo, vt folijs ex arboribus strictis, & teneris arborum radicibus contusis equos alerent, & cogerentur ijs rationibus equitatum tolerare, id est, in summa pabuli inopia alere, ἐστενωμένως θρέψαι. Tacitus, Multos militia, quosdam exercendis agris tolerare vitam. Hoc est, διακαρτερεῖν ἑαυτὸν γεωργίαις ἀπαλλάττων. Terent. And. *Lana, ac tela victum quæritans,* συλλεγομένη τὸν βίον, τυχόντος τὸν βίον πειζομένη, ὅπως δύνατ' ἂν διαζῆσαι, vel τὸν βίον ἐργαζομένη. Columella lib. 7. cap. 2. Pinguis, & campestris situs, proceras oues tolerat: gracilis, & collinus, quadratas. διακαρτερεῖ. Bud. in Pand. * *Quomodo viri prius, quam mulieres lanificium exercuerint & quare ad fœminas tandem peruenerit, docet Lucret. lib. 5. in extremo.*

D
Et facere ante viros lanam natura coëgit,
Quàm muliebre genus: nam longè pręstat in arte,
Et sollertius est multo genus omne virile,
Agricolæ donec vitio vertere seueri,
Vt muliebribus id manibus concederent vellent,

Atque ipsi potius durum sufferre laborem,
Atque opere in duro durarent membra, manusq;.

TENVIQVE MINERVA) Mineruam primam lanificij vsum monstrasse, hanc etiam telam ordiri docuisse, & colorasse lanas prædicant. Oliuæ quoque hanc dicunt inuentricem, & fabricæ, multarumq; artium: sed hoc poeticè: quia sapientia in capite esse dicitur hominis, & Mineruа de capite Iouis nata fingitur, hoc est, ingenium, ideoq; sensus sapientis, qui inuenit omnia, in capite est. Isid. lib. 19. cap. 20.

IMPOSITVM CINEREM ET SOP. SVSCITAT IGNES) Optimè conseruatur ignis, si cinere tegatur. Nam ita fit, vt & cinis igni impositus, eius calorem contineat, & ignis tamen per cinerem rarum quasi expiret, ac viuat. Ignem enim dicimus viuere, & mori: viuere, dum calorem naturalem continet: mortuum esse, vbi extinctus est. Lucret. lib. 1. *& viuant labentes ætheris ignes.* Infra eod. lib. *Quod cupido adfixum cordi viuescit vt ignis.* lib. 4. similiter dixit, vt Virgilius, *cinere vt multa latet obrutus ignis.* Vbi animaduerte, cinis proferri genere muliebri, quomodo reperiri apud Cæsarem, Caluum, & Catullum Nonius testatur. Caluus, *Cum iam fulua cinis fueris.* Idem. *Forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis.* Catull. *Troia virûm, & virtutum omnium acerba cinis.* Simile est etiam (vt reuertar vnde paulisper deflexi) illud Horatij Ode 1. lib. 2. *& incedis per ignes Suppositos cineri doloso.* Ex Lamb. in Lucret.

CASTVM VT SERVARE CVBILE) Terent. And. *Primum, hæc pudicè vitam, parcè, ac duriter Agebat, lana ac tela victum quæritans.* Hinc ergo traxit Virgil. vt diceret, *castum vt seruare cubile,* &c.

OPERA AD FABRILIA SVRGIT) Opera est actio, & persona ipsa, quæ opus peragit. Opus finis est, & fructus operæ. Nonnunquam opus pro opera videtur accipi, vt hic. Donat. in Heautont.

INSVLA SICANIVM) His verbis vna Vulcaniarum insularum, nomine Hiera describitur, quæ sacra Vulcano est, colle in ea nocturnas euomente flammas. Hac in insula scribit Maro Vulcani officinam esse. Turneb. lib. 26. cap. 29. At Homerus eam in cælo constituit, quo nihil stultius dici potest. Virgiliana officina cælestis potius: diuinis enim verbis descripta est, Homerica autē plebeijs. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3. * *Et quoniam Vulcanus Cyclopum opera, & ministerio vtitur in fabricando, idcirco dixit Horat. Ode 4. lib. 1.* dum graues Cyclopum Vulcanus ardens vrit officinas.

ÆOLIAMQVE ERIG. LIPAREN) Physiologia est, cur in his locis Vulcanum officinam habere fingatur, inter Liparen, & Aetnam: scilicet propter ignem & ventos, quæ apta sunt fabris. Æoliam autem ideo Liparen, quia vna est de illis septem insulis, quibus Æolus imperauit. Ita Seruius. Liparam describit Strabo lib. 6. Septem sunt numero insulæ, quarum maxima est Lipara Cnidiorum colonia, Siciliæ proxima, secundū Thermissam, antiquitus Meligunis dicta. Hæc & classem duxit, & longo tempore Tyrrhenorum incursionibus restitit, sub se habens reliquas Liparæorum, vt nunc dicuntur (quas Æoli quidam appellant) insulas, &c.

ANTRA ÆTNÆA) Magnitudinem ictuum ostendit, quibus & vicini montes resultabant: aut certè Ætnæa, quasi Ætnæa dicit. Seruius.

STRICTVRÆ CHALYBVM) Stringere venas apud Persium Sat. 2. inde stricturæ vocatæ sunt massæ, & laminæ ferri. Turneb. lib. 25. cap. 15. Strictura, inquit Seruius, est terra ferri in massam coacta. Chalybes sunt propriè populi, apud quos nascitur ferrum. Nonius, stricturæ dicuntur propriè scintillæ, quæ de ferro feruenti exeunt, cum massa malleis cuditur: quod aut strictius emittantur, id est, celeriter, aut quod oculos sui fulgore præstringant. Profert hunc locum. Lucil. Satyr. lib. 4. *Crebra vt scintillæ in stricturis, quod genus olim Feruentis ferro.*

HOC TVNC IGNIPOTENS DESCEN.) id est, huc tum. Et *hoc* pro huc posuit, secundum antiquum morem: nam antea *hoc*, aduerbium loci fuit, quod nunc aboleuit. Vide Seruium.

Non placet tamen hic archaismus Stephano, quamuis eum & Seruius, & Priscianus retineant: citetur etiam quoddam epitaphium, Capuæ scriptum, in quo hanc scripturam antiquam videre est. *Inferri hoc non licet, nisi quorum nomina scripta sunt, & quibus caueto:* pro, inferri huc non licet. Sed Grammaticorum principum valet plus auctoritas.

FERRVM EXERCEBANT VASTO CYCLOP.) Omnino ad fictionem istam Maronianam de armis à Vulcano, & Cyclopibus in Sicilia Æneæ fabricatis puto respexisse Claud. in 3. Consulat. Honorij, cum illa scriberet.

Quod superest, patri, vobis iam Mulciber arma
Præparat, & Sicula Cyclops incude laborat.
Brontes innumeris exasperat ægida signis.
Album fulminea crispare in casside conum
Festinat Steropes, nectit thoraca Pyracmon,
Ignifluisq; gemit Lipare fumosa cauernis.

BRONTESQVE, STEROPESQVE) Quid facturi sint, ex nominibus docet. Nam Brontes à tonitru dictus est, ἀπὸ τῆς βροντῆς. Steropes à fulgetra, id est, ἀπὸ τῆς στεροπῆς. Pyracmon verò, qui nunquam à calente incude discedit. Seruius.

NVDVS MEMBRA PYRACMON) Per hunc etiam cæteros fuisse nudos intelligitur.

HIS INFORMATVM MANIBVS) Non oportet hìc (vt quidam faciunt) *informatum* accipere, rude, & omnino sine forma, argumento, & synonymia ab informi, in qua dictione prorsus particula, *in* priuandi vim habet: sed χειρωνὰξ ἀποτελεσμένον: cum *informare* sit aut pictoriæ, aut statuariæ vocabulum, primam, & rudem operi formam inductam significans. Scilicet & informatio σκιογραφία, & σκιαγραφισμὸς, & per tralationē imperfecta, & rudis notio, à natura primum animo impressa, quam Cicero anticipationem, & πρόληψιν lib. 1. de nat. deor. vocat. German.

INFORMATVM FVLMEN IAM PARTE POL.) Imago Vulcani talis proditur ab Alberico, libello de deorum imaginibus. Pingebatur similitudine fabri deformis, & claudi, malleum in manu tenentis, & deorum impulsu de cælo in terram decidentis. Iuxta eum plures dij eum irridentes pinguntur, qui eum de cælo expellere figurantur. Ipse quoque sic expulsus, fulmina in terris parare dicebatur, quæ ad cælum Iouis ipsius aquila deferebat. Ideoq; iuxta ipsum Vulcanum depicta erat officina, & aquila parata ad fulmina deferenda.

TOTO QVÆ PLVR. CÆLO DEIICIT IN TERRAS) Cum plurima deijciat in terras fulmina Iupiter, nec tamen illi vnquam desint fulmina, affirmare audet Ouid. desitura, si peccantes omnes, & quoties peccant, fulmine deiecto ferire velit. Nimirum mundus & scelerum, & sceleratorum plenus est.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Non semper poetæ reddunt sequētia præcedentib⁹ κατὰ λέξιν, neque antecedentibus relatiua, aut numeros nume-

numeris, aut casus casibus ad circinum, canonemque A grammaticum, sed non tam verbis, quam sententiæ insistunt; vt hic, vbi præmisit, informatum fulmen, subijcit, *quæ plurima cælo Deijcit in terras*; vt fere Lucret. lib. 4.

quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atq; in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis eadem plerumq; videmur obire.

Hæc vocum continentia *quæ plurima*, respondet illi Græcorum poetarum, οἷα πολλά. German.

TRES IMBRIS TORTI RADIOS, TRES NVB) Sciendum, in hoc eum velle ostendere, toto anno iaci fulmen. Nam per has periphrases tempora ostendit an- B ni totius, quæ & quatuor esse, & ternos menses habere manifestum est. Vnde dicit *tres imbris torti radios*, hoc est grandinis, constricti, & coacti in grandinem, quæ abundat per hyemem. *Nubis aquosæ*, hoc est, veris, quo tempore nimiæ sunt pluuiæ, Et, *ruit imbriferum ver*. Addit, *rutili tres ignis*, hoc est, æstatis. Et, *alitis austri*, hoc est, autumni, quo ventorum crebra sunt flamina. Seruius.

SONITVMQVE METVMQVE) Per sonitum, tonitrua ostendit, per metum, fulgetras, & hunc ordinem sic posuit, vt hominibus videtur. Nam reuera prior est collisio nubium, vnde ignis emittitur. Nos autem ideo prius fulgetras videmus, quàm tonitrua audiamus, quia velocior oculorum, quàm aurium est sensus. Seruius.

FLAMMIS SEQVACIBVS) persecutricibus. Ad naturam ignis respicit, qui depascendo progreditur, quandiu est, quod depascatur.

ÆGIDAQVE HORRIFICAM TVRB. PALLAD. AR.) Marmoreum quoddam Palladis simulacrum secundũ hos versus effictum, aut potius, cuius cælaturam his versibus mirificè expresserit Maro, se vidisse Romæ affirmat Politian. cap. 47. Illud *turbatæ* ne exponas, turbantis, vt malè Seruius, sed perturbatæ: turbati quippe sumus, cum bellum capessimus. Turneb. lib. 26. cap. 29.

GORGONA DESECTO VERT. LVM COLLO) Medusam, cuius caput à Perseo desectum, in suo clypeo Mineruа posuisse narratur.

TOLLITE CVNCTA, INQVIT, COEPTOSQVE AVFERTE LABORES,
Ætnæi Cyclopes, & huc aduertite mentem.
Arma acri facienda viro: NVNC VIRIBVS VSVS,
NVNC MANIBVS RAPIDIS, OMNI NVNC ARTE MAGISTRA:
PRÆCIPITATE MORAS. Nec plura effatus: AT ILLI
OCYVS INCVBVERE OMNES, pariterq; laborem
Sortiti. fluit æs riuis, auriq; metallum:
Vulnificusq; chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, vnum omnia contra
Tela Latinorum: septenosq; orbibus orbes
Impediunt. alij ventosis follibus auras
Accipiunt, redduntq;, alij stridentia tingunt
Aera lacu: gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese MVLTA VI BRACHIA TOLLVNT
IN NVMERVM, versantq; tenaci forcipe massam.
Hæc pater Æolijs properat dum Lemnius oris,
Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicaq; inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circundat vincula plantis.
Tum lateri, atq; humeris Tegeæum subligat ensem,
Demissa ab læua pantheræ terga retorquens.
Nec non & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumq; canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem, & secreta petebat,
Sermonum memor, & promissi muneris heros.
Nec minus Æneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates.
CONGRESSI IVNGVNT DEXTRAS, medijsq; residunt
Ædibus, & licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc.

TOLLITE CVNCTA INQVIT) Crescit Æneæ meritum, quum ipsi necessaria diuinis præponuntur operibus, & inde maior eius gloria est, quum ipsius primò perficienda mandantur, tantorum deorum speciebus sine aliqua perfectione reiectis. Quam citò autem & quid fieri oporteret dixit, & tetigit, licet sub generalitate personam asserens? Donatus.

Inchoat ab hoc carmine epist. 33. lib. 6. Plin. iunior, & vsum eius paræmiacum nobis demonstrat. Nec inanem ponunt operam, qui, quemadmodum Virgilianis versibus adagiorum loco vti possimus, diligenter, ac totis etiam libris ostendunt. Multis id in locis per Chiliadas suas Erasmus fecit. Sed ad Plinium redeo. Sic igitur exorditur. *Tollite cuncta*, inquit, *cœptosq́; auferte labores*. Seu scribis aliquid, seu legis, tolli, auferri iube, & accipe orationem meam, vt illi cyclopes arma diuina. ✠

A B

ACRI VIRO) Vt in eo exprimeret, qualia arma fieri conueniret. Interea cum loqueretur, & remouenda vniuersa mandaret, & remotionis ipsis caussas afferret, quod secretum inter se, & vxorem suam fuit, breuitatis ratione ductus, simul & pudoris sui causa contexit. Turpe enim fuit dicere, & satis prolixum, vxor mea petijt, vt filio eius arma faciam. Idcirco veni, ne animum ipsius lædam, si non fecero, aut si tardius fecero. Omnia igitur expressit, nec Venerem in eo, nec Æneam nominauit, ne in caussa priuigni, qui ei per naturalem malitiam charus esse non poterat, vxorium se magis ostenderet, & probaret. Ait igitur. Est vir acer, cui volo arma fieri. Virum dixit, qualem in themate posuit, dicens, *Arma, virumq́; cano*. Donatus.

C

OMNI NVNC ARTE MAGISTRA) Ambitiosius, quam si arte magistri diceret. Rem personæ in artem transtulit, vt si dicas, opus est peritia medicinæ, non medici. Lib. 12. *Non hæc humanis opibus, non arte magistra Proueniunt.*

NEC PLVRA EFFATVS) sicut festinationem decebat.

PARITERQVE LABOREM SORTITI) Diuiserunt inter se laboris officium, vt, *Sortiti remos.*

AVRIQVE METALLVM) De metallarijs scitissimè Cassiodorus. Sine furto diuitias rapiunt, optatis thesauris sine inuidia perfruuntur, & soli sunt hominum, qui absque vlla nundinatione, pretia videantur acquirere. Iterumque mox addit. Aurum per bella quærere, nefas est: per maria, periculum: per falsitates, opprobrium: in sua vero natura, iustitia. Producit hosce locos Lipsius de Magnitud. Romana Lib. 2. cap. 5. subijcitq́; nescio tamen de iustitia, ô bone Cassiodore, & an non sæuitia aliqua admixta. Certe vt illi (Romani) tunc quærebant. Nam multa millia hominum huc adigebant, quosdam mercede conductos, plerosque damnatos ad metalla: quos in subterraneo illo carcere fames, labor, vapor, & ruina sæpe etiam necabat. Ipse Cassiodorus non dissimulat. Intrant homines caligines profundas, viuunt sine superis, exsulant à sole: & dum sub terris compendia quærunt, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt. Lege reliqua, si videtur.

D E

SEPTENISQVE ORBIBVS ORBES IMPED.) id est, velut septem scuta facta in vnitate connectunt. Non clypeum duntaxat fabricatus est, ensem quoque, loricam, galeam, ocreas, de quibus hîc separatim nihil: sed intelliguntur, cum dixerit, arma esse facienda. Et infra recensebuntur.

STRIDENTIA LACV ÆRA TING) Lucret. lib. 6.

Vt calidis candens ferrum è fornacibus olim.
Stridit, vbi in gelidum properè demersimus imbrem.

σίζειν autem propriè Græci dicunt de ignito ferro in aqua extincto, vnde & σισμὸς, & σίζειν. German.

IN NVMERVM) in ordinem, vt, *Tum verò in numerum Faunosq́; ferasq́; videres Ludere.* A fabrorum in numerum incudem tundentium ictibus, Pythagoras proportionem musicam inuenisse dicitur.

VERSANTQVE TENACI FORCIPE MASSAM) Fornum, & fornaces dicuntur à forno, id est, calore. Inde forcipes, quod candens teneant ferrum. Varro de vita pop. Rom. lib. 2. Cocula quæ coquebat panem, primùm sub cinere, postea in forno. Nonius.

AEOLIIS PROPERAT ORIS) Actionem huic verbo dedit, quomodo & in 4. Georg. *Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis Cum properant.* Plauti est, *properant prandium*. Ennij, *festinant diem.*

PATER LEMNIVS) Ideo Lemnius, quod in insulam Lemnon propter deformitatē à Ioue deiectus sit. Ideo fictum ait Seruius, quia Vulcanus videtur esse fulminis ignis, qui crebrò in Lemno cadit. Colebatur à Lemnijs. Vnde illud. *Vulcanum tellus Hypsipylæa colit.* Regnauit enim ibi Hipsipyle. Vide plura apud Gyrald. Syntag. 13.

EVANDRVM LVX SVSCITAT ALMA) Si pudendum est, iudice Homero, virum principem, cui commissa populi gubernatio, ac proinde, cui mille quotidie peragenda negotia, totam dormire noctem, quanto magis insuper dimidiatum diem? Seneca epistola 122. Turpis, qui alto sole semisomnis iacet, cuius vigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanū est. ✠

MATVTINI VOLVCRVM SVB CVLMINE CANTVS) In Ceiri, *Vos Numantina si qui de gente venitis* cū Scylla alloquatur manifestè volucres, Ioseph. Scalig. correxit, *Vos matutina si qui de gente venitis*: vt eleganter matutinam gentē volucres vocet, quæ mane integrant cantus suos. Propert. *Et matutinis obstrepit alitibus.*

Præcipuè hirundinem designat, cuius garritu matutino sibi somnum cū suaui somnio ruptum esse queritur Anacreon, ἐις χελιδόνα. Sophocles Electra.

ὡς ἡμὶν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας
Ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ.

Apuleius Florid. lib. 3. Hirundinis cantus matutinus, cicadæ meridianus, noctuæ serus, vlulæ vespertinus, bubonis nocturnus, galli antelucanus. Hæc Vrsin.

TYRRHENA PEDVM VINCVLA) Vincula, pro calceis etiam alibi dixit. Æneid. 4. *Vnum exuta pedem vinclis.* De Diana lauatura Ouid. 3. Metamorph. *Altera depositæ subiecit brachia pallæ: Vincla duæ pedibus demunt. Tyrrhena*, quòd calceos Tuscos primùm senatores, deinde & milites gerere soliti sint: nam olim Etruria multis artificijs, & multa elegantia floruit, vt refert Diodorus. Et quemadmodum Tuscanicum quoddam ædificij genus imitati sunt Romani, sic verisimile fit, eos calceatum æmulatos. Turneb. lib. 26. cap. 29. Rursum lib. 30. c. 38. non sine caussa dixit, *Et Tyrrhena pedum*, &c. nā calceamentum quoddam altius, Tuscum vocabatur, eratque alioqui populus ille artium peritia egregius. Hesychius, τυῤῥηνικὰ σανδάλια, χάλυμά τι ὑψηλὸν οὕτω λεγόμενα.

Cæterùm Virgilius nullam femoralium, ac tibialium mentionem facit, quoniam ijs prisci non vtebantur. Et præterea imitatur Homerum, qui 2. Iliad. similiter Agamemnonem surgentem, seseq; vestientem, & Odyss. 2. Telemachum Vlyssis filium describit. Prior locus hic est.

Ἕζετο δ' ὀρθωθεὶς, μαλακὸν δ' ἔνδυνε χιτῶνα,
Καλὸν νηγάτεον, περὶ δ' αὖ μέγα βάλλετο φᾶρος,
Πόσσι δ' ὑπαὶ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
Ἀμφὶ δ' ἄρ ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον.
Sedit autem arrectus, mollem verò induit tunicam,
Pulchram, nouam, circum autem iecit magnum palliũ,
Pedibus autẽ sub teneris ligauit pulchra calceamenta,
Circum autem posuit ensem argenteis clauis.

Posterior.

Ὤρνυτ' ἄρ ἐξ εὐνῆφιν Ὀδυσσῆος φίλος υἱὸς,
Εἵματα ἑσσάμενος, περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ,
Ποσσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.
Surrexit è lecto Vlyßis dilectus filius,
Vestem indutus, ensem autẽ acutum circumposuit hu-(mero,
Sub pedibus verò teneris ligauit pulchra calceamenta.

Magius lib. 3. cap. 3.

LATERI ATQVE HVM. TEGEÆ. SVBLIC. ENSEM) Sic lib. 11. *atq; ensem collo suspendit eburnum.* Mos priscus, gladium ex humero suspendere, & dimittere ad latus. Hom. Iliad. β. ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον, & alius ex Odyss. paulò ante prolatus. Nec id heroum modò sæculo, sed obtinuit postea, atque adeò apud Romanos. Claudian. *Gestatosq; patri scapulis radiantibus enses.* Lipsius in 1. Taciti Annal. vbi simul doctissimè quęstionem illam explicat, ad vtrum latus, dextrum, an sinistrum veteres illi gladios suos gestare consueuerint. Adde ex eodem Lipsio Analect. ad dial. 3. lib. 3. de Militia Rom. Loris autem latioribus dependebant, & id baltei, vel baltea. Virg. 12. *humero cum apparuit ingens Balteus.* Sidon. lib. 4. epist. 20. penduli ex humero baltei.

AD LÆVA PANTHERÆ TERGA RETORQVENS) Vide lib. 7. *Ipse pedes tegmen torquens immane leonis.* A sinistro humero pellem demissam habuit, quam retorquens, & in dextram reuocans partem, se amiciebat. Seruius.

GEMINI CVSTODES CANES) Telemachum quoq; Homer. Odyss. 2. in concionem duobus canibus comi- A tatum prodire fingit.

Βῆ ῥα μὲν εἰς ἀγορὴν, παλάμῃ δ' ἔχε χάλκεον ἔγχος,
Οὐκ οἶος, ἅμα τῷγε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο.

De canum fidelitate Cic. 2. de nat. deor. Canum verò tam fida custodia, tamq; amans dominorum adulatio, tantumq; odium in externos, & tam incredibilis ad inuestigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significat aliud, nisi ad hominum commoditates esse generatos? Plin. lib. 8. cap. 40. canes soli dominum nouere, & ignotum quoq;, si repente veniat, intelligunt. Soli nomina sua, soli vocem domesticorum agnoscunt. Itinera quamuis longa meminere. Nec vlli pręter hominem memoria maior. Quod in Argo Vlyssis cane satis apparuit, si Homero credimus Odyss. ϱ. B Hic dominum suum Vlyssem, post decennale Troianũ bellum, & totidem annorum in mari errores, vicesimo anno redeuntem agnouit, & mox tanquam omni vitæ munere defunctus, quod dominum suum superstitem relinqueret, fato obijt. Plurima item de canib⁹ Franciscus Patricius lib. 3. de regno, tit. 6. qui est de Venatione.

SE MATVTINVS AGEBAT) id est, mane se agebat. Solent poetæ, & solet omnium maximè Horatius addere verbis adiectiua, non quæ eius, cui adduntur, naturam explicent, aut verè sint substantiuorum illorum epitheta: sed quæ modum quendam, & circunstans aliquid, seu quippiam rei adiunctum significent, atq; exprimant. Sic ergo Horat. de Vlysse epist. 2. lib. 1. *Circes* C *pocula nosti, Quæ si cum sociis stultus, cupidusq; bibisset.* Non enim Vlyssi cupiditatem, aut stultitiam tribuit: sed stultè, cupideq; facturum fuisse ait, si bibisset, quomodo socij biberunt. Ode 8. lib. 1. *Cur neq; militaris Inter æquales equitat?* non militarem vocat Sybarim, quem à Lydia iam corruptum, & planè emollitum conqueritur: sed equitare eum debere more militari ait. Veruntamen hæc non poetis solum, sed historicis quoque, & oratoribus græcis crebra sunt. Vt cum dicunt, venisse aliquem τριταῖον, ἑνδεκαταῖον, tertio, vndecimo die.

LICITO TANDEM SER. FRVVNT) Tandem, quia amborum desiderio nox moram fecerat.

Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam
Res equidem Troiæ victas, aut regna fatebor,
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires. hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, & murum circunsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos, opulentaq; regnis
Iungere castra paro: quam fors inopina salutem
Ostentat: fatis huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Vrbis Agyllinæ sedes: vbi Lydia quondam
Gens bello præclara iugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio, & sæuis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni
Effera? DII CAPITI IPSIVS, GENERIQVE RESERVENT.
Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusq; manus, atq; oribus ora,
(Tormenti genus) & sanie, taboq; fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.

NVNQVAM RES EQVID. TROIÆ VICTAS) Satis maturè *equidem* dixit: id est, ego quidem Troiam te viuo victam non arbitror, quantum est in opinione mea. Seruius. * *Lib. 9. Alethes senex complectens Nisum, & Euryalum iuuenes, pro repub. suum deuouentes caput, non putat desperandum rebus Troianis, cum adhuc talia pectora deorum beneficio, etiam in adolescentibus sese prodant.* Non tamen omnino Teucros delere paratis, Cum tales animos iuuenum, &c.

PRO NOMINE TANTO) pro tui nominis gloria, Seruius. Vel potius, pro tantis aduersariorum tuorum copijs.

ET MVRVM CIRCVMSONAT ARMIS) Et breuitatem sui ostendit imperij, & hostilem necessitatem, ob quam se penitus exarmare non poterat, Seruius. Ipsis propemodum portis obequitat hostis, de Latinis accipe.

SED TIBI EGO INGENTES POP.) Artificiosè agit, vt etiam quæ monstrantur auxilia, ipsius videantur esse. Ingentes autem populos non sine caussa dixit. Nam Tuscia duodecim Lucumones habuit, id est, reges, quibus vnus præerat, vnde est, *Gens illi triplex, populi sub gente quaterni*. Seruius.

FATIS HVC TE POSCENTIBVS AFFERS) Fati necessitate factum est, vt venires, fortunæ beneficio, vt illi ducem requirant.

SAXO VETVSTO) antiquo opere, vt, *Templa dei saxo venerabar structa vetusto*.

VRBIS AGYLLINÆ SEDES) Vrbs Etruriæ seu Tyrrheniæ est Agylla, condita à Pelasgis, qui è Thessalia venerunt, quæ dicta est Cære à tali quodam euentu. Cum Thessali eam tenerēt, quidam Tyrrhenus interrogauit quod esset nomen oppido. Homo interrogatus ad humanitatem ratus pertinere, salutationem responsioni præmittere, respondit græce χαῖρε, salue. Ex eo postea Tyrrheni cū eam occupassent, Cęre nominarunt, quod id eius legitimum nomen crederent. Hæc ferme Stephanus de vrbibus.

VBI LYD. QVONDAM GENS BELLO) quondam insedit: non, bello quondam præclara: nam & tunc florebat. A Lydo Tyrrheni fratre dicti Lydi. Quomodo in Italiam venerint, docet Seruius.

DII CAPITI IPSIVS) Eiusdem generis locutiones sunt hæ, Quod in caput tuum recidat, quod in caput tuum vertatur, *Pœna reuersura est in caput istud tuum*, quod illorum capiti sit, *capiti sint precor illa meo*, quibus vsi sunt Tacitus, Curtius Ouid. Cælius ad Cic. epist. lib. 8. & Tibullus. Seneca epist. 4. Quidquid mali dixi, mihi, & capiti meo. Loquuntur ita Græci quoq;, à quibus Latini acceperunt, εἰς κεφαλὴν σοι sine adiectione verbi. Nonnunquam subaudiendum est, τρέψαι. Demosth. ἃ νῦν εἰς κεφαλὴν ὑμᾶς αὐτῶν δεῖ τρέψαι.

MORTVA QVIN ETIAM. IVNG. CORP. VIVIS) Rex Euander sæuitiam Mezentij ostendens, iustamq; iram populorum aduersus eum exponens, atroci etiam supplicij genere vsum docet his verbis. Cuius immanis cruciatus mentionem facit Clemens Alexand. pius, atque eruditus scriptor in Protreptico, quo Græcis suadet, vt ad Christianam sese religionē conferant. Quod igitur multum ad hunc Virgilij locum illustrandum facit, sic inquit. τοὺς ἀνθρώπους (ὅμοιοι δοκεῖν) βαρβαρικῶς τιμωρούμενοι, οἱ νεκροῖς τοὺς αἰχμαλώτους συνδεῖν λεγόμενοι σώμασιν, ἵν' ἀμφοῖν καὶ συνσαπῶσιν. Neq; tamen barbaræ hæ, sæuaque nationes, quod faciebat dirus tyrannus, ciuiū corpora, sed hostium armis captorum infelici hoc genere lethi consumebant. Victor. lib. 4. cap. 18.

Multa historica suis commentis miscere solent poetæ. Namque & hoc tormenti genus ab Etruscis vsurpatum Valer. lib. 9. sub tit. de crudelit. cap. 2. memorat his verbis. At ne Etrusci quidem parum feroces in pœna excogitanda, qui virorum corpora cadaueribus aduersa aduersis alligata, atque constricta, ita vt singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebantur, amari vitę pariter, ac mortis tortores. Obseruauit German. * *Similem Macrini crudelitatem, & alias quasdam prodit Crinit. lib. 11. cap. 9. Et Capitolinus, Reddidit etiam Mezentij supplicium, quod ille viuos mortuis alligabat, & ad mortem cogebat longa tabe confectos. Vnde etiam* C *in circo, cum fauor publicus in Diadumenum semper fuisset, acclamatum: Egregius forma iuuenis*, cui pater haud Mezentius esset. *Narrat item Seneca singularis cuiusdam immanitatis exempla complura regum quorundam lib. 3. de ira, cap. 17. 18. 19.*

LONGA SIC MORTE NECABAT) Ad tale cruciatuum genus respexit quoq; Sophocles in Electra, quibus tyranni in longum vitam ciuium protrahunt, vt quibus mors beneficij loco indulgetur, vita autem, hoc est, moriendi mora, pro supplicio, & in pœnam conceditur. Sunt autem hæc Sophoclea.

> Οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
> Χρήζων τις, εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν

German. * *Philipp. 11. M. Tull. qua immanitatem Dolabellæ* D *exagitat, qui Trebonium Prætorem Asiæ apud Smyrnam innocentem prorsus interfecerat, & in mortuum quoq; sæuierat. Maiora tamen in vos, quam in hostem supplicia meditatur: mortem naturæ pœnam putat esse, iracundiæ tormentum atq; cruciatum. Qualis igitur hostis habendus est is, à quo victore, si cruciatus absit, mors in beneficij parte numeretur? Addam his germana, quæ sunt apud Sueton. de Tiberio, cap. 61. Mori volentibus, adhibitus vis viuendi. Nam mortem adeo leue supplicium putabat, vt cum audisset vnum ex reis, Carnulum nomine, anticipasse eam, exclamauerit, Carnulus me euasit. Et in recognoscendis custodijs precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit, Nondum tecum in gratiam redij.*

At fessi tandem ciues infandà furentem
Armati circumsistunt ipsumq; domumq;:
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
Ille inter cædes, Rutulorum elapsus in agros
Confugere, & Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furijs surrexit Etruria iustis:
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
His ego te Ænea ductorem millibus addam.
Toto namq; fremunt condensæ littore puppes,
Signaq; ferre iubent: retinet longæuus aruspex
Fata canens. O Mæoniæ delecta iuuentus,

Flos veterum, virtusq; virûm, quos iustus in hostem
Fert dolor, & merita accendit Mezentius ira:
Nulli fas Italo tantam subiungere gentem:
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita diuûm.
Ipse oratores ad me, regniq; coronam
Cum sceptro misit, mandatq; insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenaq; regna capessam.
SED MIHI TARDA GELV, SÆCLISQVE EFFOETA SENECTVS
Inuidet imperium, seræq; ad fortia vires.
Gnatum exhortarer, ni mistus matre Sabella
Hinc partem patriæ traheret. tu, cuius & annis,
Et generi fatum indulget, quem numina poscunt,
Ingredere, ô Teucrûm, atq; Italûm fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, SPES, ET SOLATIA NOSTRI
Pallanta adiungam. sub te tolerare magistro
Militiam, & graue Martis opus, TVA CERNERE FACTA
ASSVESCAT, PRIMIS ET TE MIRETVR AB ANNIS.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta dabo, totidemq; suo tibi nomine Pallas.

AT FESSI TAND. CIVES) Ciues Agyllini tyrannidem amplius tolerare non potuerunt.

OBTRVNCANT SOCIOS) domesticos eius iugulant. Cur non ipsum? sequitur, *Ille inter cædes elapsus.* Ita crudelis domini pœnas, propter ipsum, dominum exosi famuli, & ministri dederunt.

ILLE RVTVLL. IN AGROS CONFVGERE) historicum est, pro confugiebat. Audent poetæ aliquid etiam contra historiam. Etenim Turnus magis ad Mezentium confugit, eiusque tanquam hospitis hospes armis aduersus Ænean defensus est. Liuius lib. 1. Et à M. Varrone scriptum lego, Mezentium Etruriæ regem auxilium Rutulis contra Latinos tulisse vini mercede, quod tum in Latino agro fuisset. Plin. lib. 14. cap. 12. Vide quæ de hospitio, & hospitibus diximus 3. Æneid. ibi *Hospitium antiquum Troia, sociiq; penates.*

FVRIIS SVRREXIT ETRVRIA IVSTIS) Huic respondet, quod infra sequitur, *quos iustus in hostem Fert dolor.* Item, *merita accendit Mezentius ira.*

PRÆSENTI MARTE) sine aliqua dilatione.

HIS EGO DVCT. TE ADDAM) aut dabo, aut reuera addam, habentibus Tarchontem.

LONGÆVVS ARVSPEX) Argumento ætatis vult doctum videri.

FLOS VETERVM, VIRTVSQVE VIR) quòd patrum scilicet virtus liberorum generosorum propagatione reflorescere, & reuiuiscere videatur: quia (vt in persona Diotimæ Plato dicit in Symp.) mortalis natura immortalitatem affectat, quam generatione duntaxat assequitur, quoniam semper iuuenem veteris loco substituit.

ETRVSCA RESEDIT HOC ACIES CAMPO) quasi iam in bellum parati.

IPSE ORATORES AD ME) sic lib. 7. *Centum oratores,* pro legatis.

REGNIQVE CORONAM) Corona est insigne victoriæ, siue regij honoris signum. Quæ ideo in capite regum ponitur, ad significandum circumfusos in orbe populos, quibus accinctus, quasi caput suum coronatur. Isid. lib. 19. cap. 30.

SÆCLISQVE EFFOETA SENECTVS) Effœta ætas Lucretio libr. 2. Aristoph. quoque in Pluto tale quiddam protulit, sed dissimili vsus tralatione.

Τὸν ἐμὸν μὲν αὐτοῦ τοῦ ταλαιπώρου σχεδὸν
Ἤδη νομίζων ἐκτετοξεῦσθαι βίον.

Vrsin.

Quamuis effœta propriè sit, frequenti partu exhausta, & debilitata, tamen simpliciter valet debile, infirmum, languẽs, exhaustum, qualia sunt senum corpora, quæ longa ætate quasi effœta redduntur. Nã quod quidam exponit, *seclis effœta senectus,* ad gignendum minimè idonea, hallucinatur.

QVEM NVMINA POSCVNT) suprà, *fatis huc te poscentibus affers.*

SPES, ET SOLATIA NOSTRI) *spes*, quia multa de eius virtute sibi promittebat pater: *solatium*, quia amissa coniuge, vnici filij vtebatur solatio. Est autem solatium præsens diminutio tristitiæ. Seruius.

SVB TE TOLER. MAGISTRO MILIT.) Missis ad militiam adolescentibus Rom. primo anno custos, sub quo disciplinam ediscerent, & magister, sub cuius imperio tyrunculi acuerentur, publicè dabatur, ne expertes operum militarium, arma tractarent. Huc alludit poeta, vt etiam lib. 5. *Custodem ad sese, comitemq; impubis Iuli Epytiden vocat.*

Militiam definit ita Lipsius lib. 1. de Militia Romana dial. 2. Est multitudo apta, & composita in armis, ad vim faciendam, aut arcendam, sub certa lege. In hac definitione sunt quinque partes, delectus, ordo, arma, acies, disciplina, quas singulas ibidem declarat. Laudat Ennius Annali 10. Romanos milites, quod essent *bellum tolerare potentes.* Sallustius, quod à Diomede notatum est, vna vocem bellipatientem iuuentutem dixit.

ET GRAVE MARTIS OPVS) Vide adag. *Dulce bellum inexpertis.*

TVA CERNERE FACTA ASSVESCAT) *nihil assuetudine maius*, cecinit Naso. Hoc nos assidua experientia, & vulgò tritum prouerbium monet, *Consuetudo est altera natura*. Sed cum multa sint, quibus à teneris oportet assuescere, quis dubitet, quin militia ex iis sit, quæ hanc à teneris assuetudinem postulet? In ea certè sententia est Maro noster. Et expressius, hac de re quid sentiat, declarat Horat. quum etiam det de ea consiliũ, principio Odes 2. lib. 3.

Angustam amici pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta:
Vitamq́; sub dio, & trepidis agat
In rebus.

Romani quidem veteres cum in re militari, tum in politica suos etiamnum adolescentulos, & iuuenes, nec id tam verbis, & præceptis, quam factis, & exemplis, quę longè magis docent, instituebant. Quod mihi videtur respexisse Maro. Huius autem, quem dixi, moris testem idoneum proferam Plin. cuius hæc sunt verba epist. 19. ad Aristonem, lib. 8. *Erat autem antiquitus institutum, vt à maioribus natu non moribus modò, verùm etiam oculis disceremus, quæ facienda mox ipsi, ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, vt imperare parendo, duces agere, dum sequuntur, assuescerent: inde honores petituri assistebant Curiæ foribus, & consilij pu-* A *blici spectatores, antequam consortes, erant. Suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisq́; & vetustissimus pro parente. Quæ potestas referentibus? quod crescentibus ius? quæ vis magistratibus? quæ cæteris libertas? vbi cedendum? vbi resistendum? quod silentij tempus? quis dicendi modus? quæ distinctio pugnantium sententiarum? quæ executio prioribus aliquid addentium? omnem deniq́; senatorium morem, quod fidelissimum præcipiendi genus est, exemplis docebamur.* Hactenus Plinius. Cato apud Ciceronem lib. de Senectute, en quid de semet dicat. Anno enim postquam primum cos. fuerat (Q. Maximus) ego natus sum: cumque eo quartùm consule adolescentulus miles profectus B sum ad Capuam, &c.

PRIMIS ET TE MIRETVR AB ANNIS) Lucan. *miratoremq́; Catonis.* Optima enim ingenia quæ mirantur, libenter imitantur. Principium militiæ erat annus decimus septimus, finis quadragesimus sextus, intra quos appellabantur iuuenes, quod rempub. iuuare possent. Deinde seniores. Fusius de hac re Lipsius Milit. Rom. libr. 1. Dial. 2. Ibidem, quomodo intelligendi scriptores qui metam militiæ annum quinquagesimum faciunt. Vide præterea Ioan. Valtrinum de re militari Roman. lib. 2. cap. 4. Huc trahe quod 2. Æneid. de se Sinon. *Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.* Et illud Sallustij in Coniurat. Iam primum iuuentus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem vsu militiam discebat.

Vix ea fatus erat, defixiqúe ora tenebant
Æneas Anchisiades, & fidus Achates:
MVLTAQVE DVRA SVO TRISTI CVM CORDE PVTABANT,
Ni signum cælo Cytherea dedisset aperto.
Namque improuisò vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit: & ruere omnia visa repentè,
Tyrrhenusq́; tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt: iterum, atq; iterum fragor intonat ingens:
Arma inter nubem, cæli in regione serena
Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare.
Obstupuere animis alij: sed Troïus heros
Agnouit sonitum, & diuæ promissa parentis.
Tum memorat. Ne verò hospes, ne quære profectò
Quem casum portenta ferant: ego poscor olympo.
Hoc signum cecinit missuram diua creatrix,
Si bellum ingrueret, Vulcaniaq; arma per auras
Laturam auxilio.
HEV QVANTÆ MISERIS CÆDES LAVRENTIBVS INSTANT?
Quas pœnas mih Turne dabis? quàm multa sub vndas
Scuta virûm, galeasq́;, & fortia corpora volues
Tibri pater? poscant acies, & fœdera rumpant.

DVRA SVO TRIS. CVM COR. PVT.) Pari forma Sallust. C de Iugurtha. Tum Iugurtha patratis cõsiliis, postquam omnis Numidiæ potiebatur, initio facinus suum cum animo reputans, timere pop. Rom. Ita & sæpe apud Homer. ὃν ὥρμαινε ἀνὰ θυμὸν, & περὶ ὃν μυθήσατο θυμόν. German.

Putamus instantia, reputamus præterita. Putare propriè purgare est, & arbores, & vites dicimus putare: hinc putare est cogitare, quia cogitando superflua mente recidimus. Est etiam putare eius, qui simplicitate pectoris aberrauit. Cicero, non putauit, lapsus est. Donatus in Heautont.

CÆLO APERTO) ſereno. Infrà, *Arma inter nubem cæli regione ſerena.*

TYRRHENVSQVE TVBÆ MVG. CLAMOR) Tyrrhenis inuentum tubæ tribuitur, quamuis ſint, qui Palladi inuentionem eius acceptam referant. Silius lib. 5. de inuentore ipſo.

Isq́; inſueta tuba monſtrauit murmura primus
Gentibus, & bellis ignaua ſilentia rupit.

Qua verò occaſione tubã inuenerint, narrat Iſid. lib. 18. cap. 4. Mugitum aũt latini græca imitatione, non ſolùm brutis, ſed & tonitruis, aëreis, terreſtribusq; affectionib. tribuunt. Lucret. lib. 4. *cũ tuba depreſſo grauiter ſub murmure mugit* * *Animaduerte noſtrum Vatem tribuiſſe tubæ clamorem, Silium murmur, vt etiam Statius 6. Thebaid.* Inſonuit contra Tyrrhenum murmur. *Ennius ſonitum Annal. 2.* At tuba terribili ſonitu taratantara dixit. *Vergilius etiam ſonitum, lib. 9.* At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro: *& clangorem. 2. Æneid.* Exoritur clamorque virûm, clangorque tubarum. *Et hoc magis eſt proprium: clangere enim tuba, buccina diximus.*

ITERVM ATQVE ITER. FRAG. INT. ING.) Ominoſum eſt, tonitrua & fulgura cælo ſereno Georg. 1. *Non aliâs cælo ceciderunt plura ſereno Fulgura.* in malam partem, & ἀναισίως, & inauſpicatò committi ex ſerenitate tempeſtatem conſtat: hìc autem αἴσιον & εὐώνυμον, vt ſententia loci ſatis demonſtrat. Semper tamen placidè cæli conſtitutione temperata, tonitru prodigioſum eſſe, vt inſolens, & præter naturam docet Lucret. li. 5. *Principiò tonitru quatiuntur, &c.* Germ.

ARMA INTER NVBEM) per nubem, more ſuo. Et dicit in ſerena parte cæli fuiſſe nubem, per quam arma portata ſunt. Seruius.

PER SVDVM RVTILARE VID.) Sudum dicitur quaſi ſemiudum, vt eſt aer poſt pluuias ſerenus, & liquidus. Plaut. Milite.

Curate, vt ſplendor meo ſit clypeo clarior,
Quam ſolis radij eſſe, olim cum ſudum eſt, ſolent.

Cic. ad Att. Horologiũ mittam, & libros, ſi erit ſudum.

DIVÆ PROMISSA PARENTIS) κατὰ τὸ σιωπώμενον Venerem ei promiſiſſe intelligimus.

NE VERO HOSPES) Et qui ſuſcipitur, & qui ſuſcepit, hoſpes vocatur, vt hoc loco Euander. Item ſuprà, *Hoſpitis Æneæ ſedem.* Sicut & vector qui vehit, & qui vehitur. Ambæ autem particulæ, *verè, & profectò*, ad ornatum tantummodo pertinent. Seruius.

QVEM CASVM PORTENTA FERANT) Modò, bona omina, quæ victoriam portendant.

EGO POSCOR OLYMPO) de olympo poſcor, id eſt, hæc ſigna mea cauſſa fiunt.

DIVA CREATRIX) rerum omnium procreatrix generaliter, ait Seruius. Quod vt intelligas, lege proœmium Lucretij, & 3. Georg. *Omne adeo genus in terris, &c.*

HEV QVANTÆ MISERIS) Adeo de victoria fretus eſt, vt etiam hoſtium miſereatur: quod Æneæ κατὰ τὸ πρέπον rectè tribuitur, qui vbiq; pius inducitur. Seruius.

QVAS POENAS TVRNE DAB.) Pœnas dant, qui pœnis digna perpetrarunt. Pœna enim Varroni lib. 4. à puniendo: vel à pœnitendo, quod poſt peccatum ſequitur. Vel pœna potius eſt à græco ποινὴ, quæ peccati vltio definitur. Pauſan. Lacon. τὰς τιμωρίας οἱ παλαιοὶ τῶν ἀνθρώπων ὀνόμαζον ποινάς. Dicimus etiam pendere, dependere, expendere, ſoluere, exſoluere, perſoluere, luere pœnas. Et iſta quidem patientis ſunt: agentis autem, exigere, poſcere, repoſcere, repetere, capere, ſumere, infligere, imponere, irrogare pœnas. Delictum autem Turni, quod pœna vlciſcendum ſit, eſt ruptio fœderis: non quod ille fecerit cum Ænea, ſed quod à Latino cum Ænea factum, ipſe Turnus Latinũ violare, ac rumpere coegerit. Sic enim in 12. Latinus,

Victus amore tui, cognato ſanguine victus,
Coniugis & mœſtæ lacrymis vincla omnia rupi,
Promiſſam eripui genero, arma impia ſumpſi.

Hæc vbi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto:
Et primùm Herculeis ſopitas ignibus aras
Excitat: heſternumq́; Larem, paruosq́; penates
Lætus adit: mactat lectas de more bidentes.
Euandrus pariter, pariter Troiana iuuentus.
Pòſt hinc ad naues graditur, ſociosq́; reuiſit:
Quorum de numero, qui ſeſe in bella ſequantur,
Præſtantes virtute legit: pars cætera prona
Fertur aqua, ſegnisq́; ſecundo defluit amni,
Nuntia ventura Aſcanio rerumq́; patrisq́;.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arua.
Ducunt exſortem Æneæ, quem fulua leonis
Pellis obit totum præfulgens vnguibus aureis.
FAMA VOLAT PARVAM SVBITO VVLGATA PER VRBEM,
Ocyus ire equites Tyrrheni ad littora Regis.
VOTA METV DVPLICANT MATRES, propiusq́; periclo
It timor, & MAIOR MARTIS IAM APPARET IMAGO.
Tum pater Euandrus DEXTRAM COMPLEXVS EVNTIS,
HÆRET, INPLETVM LACRYMANS: ac talia fatur.

SOPITAS IGNIBVS ARAS, HESTER. LAREM) Hypallage. Excitat ignem ſopitum in aris. Ouid imitatus eſt hunc locum, Metamorph. 8. *Inde foco tepidum cinerem dimouit, & ignes Suſcitat heſternos.* Lares & Penates vi-

O MIHI PRÆTERITOS) Orationi huic Euandri, filium Pallanta sibi charissimum, vnicum, & in senectute sibi natum, τηλύγετον, in bellum dimittentis, affinis est illa apud Catullum, in carmine de nupt. Pelei, & Thetidis, qua Ægeus Theseum suum æquè sibi charum in Cretam, Minotauri interficiendi nauigaturum dimittit. Ac fortasse suam ex eo fonte Virgilius deriuauit. Catulliana hæc sunt.

Gnate, mihi longa iucundior vnice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extrema nuper mihi fine senecta,
Quandoquidē fortuna mea, ac tua feruida virtus
Eripit inuito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati chara saturata figura:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam, &c.

Vterque pater senex, vterque filius vnicus, iuuenis, animi plenus, in periculum abiturus, & quidem capitis, vnus pro ciuibus suis, alter pro suis, & supplicibus. Sed hoc discrimen, quod Theseus suum mittit inuitus, ac nolens, Euander libens. Theseus rediit victor, Pallas occubuit. Præterea maior est affectus Ægei, quàm Euandri, quia certius periculum ab illo monstro Attico, quam in acie ab armis.

O MIHI PRÆTERITOS REF. SI IVP. ANNOS) Locus ex Homero Iliad.

Αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη, καὶ Ἄπολλον,
ἡβῷμ', ὡς ὅτ' ἐπ' ὠκυρόῳ κελάδοντι μάχοντο.

Et paulò post. εἴθ' ὣς ἡβώοιμι, βίη δέ μοι ἔμπεδος εἴη. Cum dixisset Seneca lib. 1. de Ira. Concupiscunt autem homines & quæ non possunt, disputat super eo eleganter Muretus in Notis, quam disputatiunculam retulerit cognoscere. Aristoteles quidem, inquit lib. 2. Rhetor. videtur aliter sentire, &c.

SCVTORVMQVE INCENDI VICTOR ACER) Traxit hoc de historia. Tarquinius enim Priscus victis Sabinis in honorem Vulcani eorum arma succendit, quē postea secuti sunt cæteri. Seruius.

ET REGEM HAC HERILVM DEXTRA) Attendendum est, hoc sibi Euandrum vindicare, quod fuit in Hercule, Nam vt ille Geryonem tricorporem extinxit, ita hic Herilum tres habentem animas, totidemq; corpora, occidit. Euandrum quippe in Italiam venientem Herilus Prænestinorum rex auxilio suorum ciuium voluit expellere. Sed occidit eum Euander, & sequaces eius, eorumque clypeos incendit. Per transitum autem ostendit illam Platonis, & Aristotelis contentionem, qui dubitabant, vtrum quatuor, an tres animæ sint in homine, φυτικὴ, αἰσθητικὴ, λογικὴ, κινητικὴ. Hæc Seruius.

Tria animarum genera statui à philosophis, neminem litteratorum latet, vegetantem, sentientem, intelligentem. Quarum prima, propria est stirpium, altera animantium, tertia hominum. Verùm ita, vt quæ secundo loco est nominata, etiam primæ illius in se vim, naturamque cohibeat, vt in pecude duas inesse animas distinctas, asserere non oporteat. Quæ autem postremo loco, ea vtramque priorem complectatur, & ita sit anima ratiocinans, seu rationis compos, vt tamen eiusdem vi quoque alamur, ac sensibus præditi simus, quicunque hominis vocabulo censemur. Quapropter tres nobis animas inesse quisquis pronuntiauerit, is pro insano, atque adeo pro impio haberi debet.

Vnamquamque harum animarum ab officio, ac potestate ipsius scitissimè declarat Iouian. lib. 3. de Prudentia, cuius tibi verba annumerabimus. Insunt igitur, vt scitis, homini partes quædam, quæ stirpibus quoque sunt communes, vt animæ pars illa, quæ alendi vim habet, atque augendi, quin etiam procreandi: quæ quidem cunctis anima vtentibus, ab ipsa natura sunt insita, exque hoc naturales eæ siue vires, siue virtutes dictæ. Inest pars & illa, cuius ipsius feræ quoque, ac pecudes sunt participes, cuiusmodi sunt, quæ à sensu nomen habent. Namque animæ ipsius cum sit alia quædam vis, cui sensus ipse nomen dedit, pars hæc illi ipsi, de qua dictum est, coniuncta, atque commista, animal constituit: quod quia ratione caret, brutum quidem, cæterum neutiquam, vti primum illud genus, solo fixum, sed loco mouetur, & videt, & audit, & sentit, & instrumentis vtitur singulis corporis, ad inambulandum, & sentiendum. Inde sentiens animal, atque vt hodie libentius vsurpant, sensitiuum dictum est. Inest, & tertia quædam, eaq; maximè generosa, & nobilis pars, quæque diuinitate non caret sua, quam omnes vno ore appellauere rationalem, ab eaque, & per eam ipsum animal perficitur. Cuius, quia ex ijs, quæ anima vtuntur omnibus, solus homo est particeps, idcirco hic ipse homo maximè absolutus, ac perfectus animalium existit omnium. Nam & ratione solus vtitur, & per eam illa perficit, quæ in belluis minus vtique sunt perfecta.

FERONIA MATER) Feronia nomen est vrbis prope Terracinam. Item deæ, seu nymphæ, & fontis. Horat. Sat. 5. lib. 1. *Ora manusq́ tua lauimus Feronia lympha.*

VIDVASSET CIVIBVS VRBEM) Horat. Ode 9. lib. 1.

—— aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et folijs viduantur orni.

Viduare, est spoliare, priuare, disiungere, separare. Sic Ode 10. lib. 1. *viduus pharetra Risit Apollo.* Columella lib. 2. cap. 15. ager viduus pecudibus. M. Tullius in ijs, quæ de Æschylo vertit Tuscul. 2. *Sic me ipso viduus pestes excipio anxias.* Virgil. Ciri. *Cogor adire lacus viduos à lumine Phœbi.* Eadem sententia dictum à Lucretio, lib. 6. *exhausit ciuibus vrbem.*

AT VOS O SVPERI) Iam hîc quasi pater loquitur. Diuisa est enim hæc allocutio, & vltima pars ei⁹ habet parentis affectū: q & ipse ostēdit, dicens: *& patrias audite preces.* Prima verò viri fortis est. Seruius. * *Tamen & in priori satis clarè paternum affectum demonstrauit, cum dixit*, Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vsquam Nate tuo. *Sed eum affectum magis nunc ostendit.*

QVEMVIS DVRARE LABOREM) ipsius scilicet senectutis, quæ & ipsa morbus est. *Multa senem circumueniunt incommoda*, ait Horatius. *Durare* autem est sustinere. Horat. *ac sine funibus Vix durare carinæ Possint imperiosius Æquor.* Et Virgil. *Durate, & vosmet rebus seruate secundis.*

CRVDELEM VITAM) Quæ filio est superstes: vt, lib. 9. *quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.* Quia in priuatis, & publicis calamitatibus vita acerba esse solet, videmus multos optasse antè emori, quā illas viderent, & beatos quoq; à scriptoribus iudicatos, quibus contigisset antè diem obire, quam illas experirentur. In hoc numero est L. Crassus, de quo ita M. Tull. princip. 3. ad Q. F. de Orat. Sed ij tamen rempub. casus secuti sunt, vt mihi non erepta L. Crasso à dijs immortalibus vita, sed donata mors videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem inuidia senatum, non sceleris nefarij principes ciuitatis reos, &c. Est etiam Hortensius, de quo vide principium Bruti.

SERA, ET SOLA VOLVPTAS) quia & vnicus erat, & serò susceptus. μονογενὴς, τηλύγετος, & τηλύγετος.

GRAVIOR NVNTIVS AVRES VVLNERET) Vulnus aurium est, ingratus nuntius, cuius auditio est auribus tanquam vulnus. Sic & Arnobius, vulneratis accipiunt auribus. Neque solum res ipsa quæ nuntiatur, verùm & ipse, qui nuntiat res duras, & ingratas, odiosus est. Id A hac similitudine ostendit Plutarchus. Ægroti propter odium amari, aut graueolentis pharmaci, ipsum etiam cyathum oderunt: sic, qui tristia nuntiant, & ipsi habétur inuisi. *Vulneris*, & verbi *vulnerare* vsus, latè patet in damnis, & incommodis exprimendis. ✠

------ Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.
Iamq; adeò exierat portis equitatus apertis,
Æneas inter primos, & fidus Achates,
Inde alij Troiæ proceres: ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde, & pictis conspectus in armis.
Qualis vbi oceani perfusus Lucifer vnda,
(Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes)
Extulit os sacrum cælo, tenebrasq; resoluit.
Stant pauidæ in muris matres, oculisq; sequuntur
Pulueream nubem, & fulgentes ære cateruas.
Olli per dumos, quà proxima meta viarum,
Armati tendunt: it clamor, & agmine facto
QVADRVPEDANTE PVTREM SONITV QVATIT VNGVLA CAMPVM.
Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Relligione patrum latè sacer: vndiq; colles
Inclusere caui, & nigra nemus abiete cingunt.
Syluano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Aruorum, pecorisq; Deo, lucumq; diemq;,
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho, & Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis: celsoq; omnis de colle videri
Iam poterat legio, & latis tendebat in aruis.
Huc pater Æneas, & bello lecta iuuentus
Succedunt: fessiq; & equos, & corpora curant.

FAMVLI COLLAPSVM IN TECTA FER.) Quia defecit bonum senem animus, humi collapsus est. Vide Æneid. 4. de Didone. *suscipiunt famulæ, collapsaq; membra Marmoreo referunt thalamo.*

IPSE AGMINE PALLAS IN MEDIO) hic enim fuit mos, vt tyrones ponerentur in medio, & ambirent viri fortes exercitum: aut certè honoris est, medium locum in exercitu tenere, vt ipse alibi, *medio dux agmine Turnus.* Seruius.

CHLAMYDE ET PICT. CONSP. IN AR. QVALIS) En vt imitatus sit Valer. Flaccus lib. 6. loquens de Arone Absyrti comite:

Nec lenior comitatur Aron, horrentia cuius
Discolor arma super, squalentesq; ære lacertos
Barbarica chlamys arcet acu, tremefactaq; vento
Implet equum. Qualis roseis it lucifer alis,
Quem Venus illustri gaudet producere cælo.

Et lib. 7. dum Cleadam Sidonium talem prope describit, qualem noster Chloreum Cybeles sacerdotem lib. 11. quem Camilla ad cædem affectat.

Qualis vbi Oceani renouatus lucifer vnda
Laudatur Veneri, & certat maioribus astris.

Ac Silium quidem in istis Symbolis sæpius fortasse produco, quam ferre possint, qui eum bonorum poetarum postremum numerant, neruis, numeris, spiritu care- B re asseuerant: immò ne poetam quidem dici patiuntur: quorum iudicium quanquam oppidò seuerum, non contemno. Verùm ego nusquam me eximios tantummodo poetas testes laudaturum professus sum. Et cum studeam demonstrare, quo pacto alij poetæ Maronem principem, & regem imitati sunt, nemo autem id diligentius atque crebrius Silio fecerit, meritò sæpius eius versus profero: non optimos illos quidem, fateor: sed non semper etiam pessimos. Deniq; non dubito, quin æquo lectori imitandi Virgilij feruens studium, quod in eo elucet, voluptati sit futurum. Est illud quoque certissimum, ab eruditis Silium non rarò, vt rerū Romanarum, antiquorumque rituum bene gnarum C aduocari. ✠

Conspectus, id est, conspicuus. Antiqui enim, Græci præsertim, participijs nominum loco interdum vsi reperiuntur. Lucret. lib. 1. *Sed veluti pueris absinthia tetra medentes Cum dare conantur.* Medentes, pro, medici. Homerus Iliad. 22.

Οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι, νυκτὸς ἀμολγῷ
Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.

Vincuntur à nostris, quibus profectò ne ambrosia quidem dulcior est. Neque si superioribus addas, quæ in 5. sequuntur, possis æquare Virgilianam suauitatem.

Αὐτὰρ

Οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι, νυκτὸς ἀμολγῷ
Ἕσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.

Vincuntur à nostris, quibus profectò ne ambrosia quidem dulcior est. Neque si superioribus addas, quæ in 5. sequuntur, possis æquare Virgilianam suauitatem.

Ἀστέι ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο.

Tetigit autem antiquorum opinionem, qui dicebant humore ali siderum splendorem. Idcirco Luciferum perfudit vnda. quanquam equidem arbitror horum versuum fulgore clariorem illum futurum, quàm quauis vnda, etiam ipsius Hippocrenes. Vel quum ait, *os sacrum*,&c. *astrorum ignes*, &c. Venus amat Luciferum, quæ eadem cum illo existimatur. Verùm optimus philosophus Luciferum intellexit globum, & corpus ipsum: Venerem autem numen illud, quam intelligentiam vocant Metaphysici: cuius sola, ac simplici intellectione orbis ipsius rotatio perpetuatur. Resoluit autem tenebras idcirco, quia siderum omnium Lucifer solus tantum iacit luminis, vt obiecta corpora vmbrá reddant, quemadmodum,& ad solem,& ad lunam. Talis tantusque poeta noster est, supra omnem captum Grammaticorum. Scalig. Poet. lib. 5. c. 3.

QVALIS LVCIFER) Formosi, & quæ in illis speciosa, passim sideribus comparantur à poetis. Vultus, oculi præcipuè.

VBI OCEANI PERF. VNDA) Seneca ex Marone in Hippolyto.

Qualis est primas referens tenebras
Nuntius noctis, modo lotus vndis
Hesperus: pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.

QVEM VEN. ANTE AL. AST. IG.) Venus in cælo habet vnam propriam stellam, quæ oriens Luciferum, occidens Vesperum facit. Vnde Stat. *& alterno deprenditur vnus in ortu.* Habet etiam duas alias, vnam in signo Tauri, & vnam in Septentrione: vnde etiam Taurus domus dicitur esse Veneris. Ideo dixit, *Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes.* Seruius. * *Stellas vocat ignes, quoniam ignea natura putabātur. Ouid. quoq; Trist. lib. 4. eleg. 3.* Quodq; polo fixæ nequeunt tibi dicere flammæ. *Catull.* Hespere, qui cælo lucet iucundior ignis? *minores ignes, Horatius.*

STANT PAVIDÆ IN MVRIS MATRES) Non solùm pauidæ, quia matres, sed etiam quia mulieres: quas natura in suis, & in alienis rebus dedit esse timidas. Quare poeta noster eas alibi quoque dixit pauidas, & hoc eis epitheton nō raro ab alijs tribuitur. Cur autem fœminæ timidæ, viri audaces, docet ex Xenophontis Oeconomico Columella lib. 12. in præfat. his verbis, Mulieri deinceps, quod eam omnibus his rebus fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc sexum custodiæ, & diligentiæ assignauerat, idcirco timidiorem reddidit, quàm virilem: nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Quod autem necesse erat, foris, & in aperto victum quærentibus nonnunquam iniuriam propulsare, idcirco virum, quàm mulierem fecit audaciorem.

OCVLISQVE SEQ. PVLVER. NVBEM) Ex equorum, hominumque, præsertim multorum, cursu, & incessu necesse est puluerem in cælum tolli. Ennius Annal. 8.

Consequitur summo sonitu, quatit vngula terram.
Iamq; ferè puluis ad cælum vasta videtur

Lucret. lib. 5. *multa pulsata pedum vi Pulueris exhalat nebulam.*

QVADRVPEDANTE PVTREM SONITV) *Lib. 10.* Quadrupedumque putrem cursu quatit vngula campum. *Stat. 6. Thebaid.* ferit grauis vngula campum. *Viden' imitationem?*] Quadrupedare de quadrupedibus dicitur. Plaut. Capt. *qui aduehuntur quadrupedanti crucianti cantherio.* Notauit Turneb. lib. 26. cap. 29. Ouidius lib. 3. Trist. eleg. 10. *& vndas Frigore concretas vngula pulsat equi.* Ennius 6. Annal. *Explorant Numidæ, totam quatit vngula terram.* Et in 17. *It eques, & plausu caua concutit vngula terram.*

PROPE CÆRITIS AMNEM) Amnis dicitur Minio, vrbs quondam dicta fuit Agylla, à conditore Agyllo: postea per inscitiam Romanorum dicta est Cære. vide Seruium.

RELLIGIONE PATRVM SACER) Seruius Sulpitius religionem dictā esse tradidit, quæ propter sanctitatē aliquam remota, ac seposita à nobis sit, quasi à relinquendo dicta, vt à carendo, cærimonia. Hoc Virgil. seruans ait, *Est ingens gelidum*, &c. Et adiecit, quo proprietatē religionis exprimeret, *vndiq; colles Inclusere caui, & nigra nemus abiete cingunt.* Quę res vtiq; faciebat lucū à communione populi secretum. Et vt relictum locum ostenderet non sola adeundi difficultate, adiecit & sanctitatem, *Syluano fama est veteres sacrasse Pelasgos, Agrorum pecorisq; deo.* Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 3.

LATE SACER) Non solùm à ciuibus, verum etiam ab accolis celebratur.

VETERES PELASGOS) Pelasgi qui nam fuerint, quomodo in Italiam venerint, quæ loca tenuerint, quo pacto se Aboriginibus iunxerint, tandemque deleti fuerint, omnia hæc persequitur lib. 1. antiq. Dionys.

ARVORVM, PECORISQVE DEO) Seruius prudentiores ait hic Syluanum intelligere ὑλικὸν θεὸν, hoc est, deum τῆς ὕλης, &c. Quæ mihi videtur supervacanea subtilitas. Numen rusticum est Syluanus, & à syluis dicitur. Eum inuocat cum cæteris 1. Georg. Nominat etiam inter agrestes deos Eclog. 10. qui ad Gallum consolandum venerunt.

DIEMQVE) Instituerunt dedicationis diem anniuersarium, quod etiam hodie Christianis est sollemne.

TYRRHENI TVTA TENEBANT) Vnde nomen Tyrrhenis, & mari Tyrrheno, sic nos docet Velleius lib. 1. Per hæc tempora Lydus, & Tyrrhenus fratres, quum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, vter cum parte multitudinis patria decederet. Sors Tyrrhenum contigit: peruectus in Italiam, & loco, & incolis, & mari nobile, ac perpetuum à se nomen dedit.

IAM POTERAT LEGIO) De legione inuenies nonnulla lib. 9. ibi, *Cætera dum legio campis instructa moratur.*

FESSIQVE ET EQVOS, ET CORP. CVRANT) Ingenti arte, quod sequebatur, omisit, redditurque in 10. Namque si vellet dicere, venisse Æneam, vidisse Tarchontē, petijsse auxilia, satis longum fuerat: & probat illud, quod ait supra, *Toto namq; fremunt condensa littore puppes*: quū Etruscorum festinationi dicentis breuitas congruat. Verùm hæc ita reddit in 10. dicens.

Namq; vt ab Euandro castris ingressus Etruscis
Regem adit, & regi memorat nomenq;, genus,

Seruius.

Verbo *curandi* sæpius vtebantur in rebus ad vitam, victumque spectantibus. Cura te, mi Tiro, apud Cic. Apud Horat. curare cutem, genium, pelliculam, membra. Apud Terent. *Curasti te molliter.* Apud nostrum 1. Georg. *conuiuia curant.* Et 4. Georg. vt item hic, *corpora curant.* Lucret. lib. 2.

Pro-

Propter aquæ riuum, sub ramis arboris altæ
Non magnis opibus iucundè corpora curant.

Liuius, & historici frequentissimè. Occurrit exem- A plum è lib. 3. Tum quidem corpora cibo, somnoq; curant. Et aliud è lib. 4. præcipitiq; iam die curare corpora milites iubet.

At Venus ætherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumq; in valle reducta
Vt procul egelido secretum flumine vidit,
Talibus affata est dictis, seq; obtulit vltro:
En perfecta mei promissa coniugis arte
Munera. ne mox aut Laurentes, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prælia poscere Turnum.
Dixit, & amplexus nati Cytherea petiuit:
Arma sub aduersa posuit radiantia quercu.
Ille deæ donis, & tanto lætus honore
EXPLERI NEQVIT, ATQVE OCVLOS PER SINGVLA VOLVIT:
Miraturq;, interq; manus, & brachia versat
Terribilem cristis galeam, flammasq; vomentem,
Fatiferumq; ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis, cùm cærula nubes
Solis inardescit radijs, longeq; refulget.
Tum leues ocreas electro, auroq; recocto,
Hastamq;, & clypei non enarrabile textum.

IN VALLE REDVCTA) Vallem reductam appel- B lat, opinor, quæ sinus quosdam flexuosos, & recessus habeat, in quibus quis à ventis, & iniurijs cæli tutus esse queat. L. 6. *Interea videt Æneas in valle reducta Seclusum nemus.* Sic Horat. Ode 12. lib. 1. *Hic in reducta valle caniculæ Vitabis æstus.* Et Ode 2. Epod.

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.

EGELIDO SECRETVM FLVMINE) *Egelido* est nimium gelido, & est vna pars orationis: vt, *eduramq; pyrum*, id est, valde duram. Secretum flumine egelido, hoc est, præsidio fluminis, vt dicimus, secretus est mõte, vel sylua. Seruius.

In hoc verbo *egelidum*, vocalis, e, significatum C nunc intendit, nunc remittit, sic, vt egelidum aliquando sit valde gelidum, seu prægelidum, quomodo nunc apud Maronem: aliquando parum gelidum, siue potius tepidum. Cum legimus apud Ausonium, *Impiger egelido mouet arma Seuerus ab Istro.* Et rursum, *Egelidæ vt teneant hyemes*, priore modo accipimus vocem. Illud autem apud Sueton. in Octauio, Vngebatur etiam sæpius, sudabat ad flammã. Deinde perfundebatur egelida aqua, vel sole multo calefacta, posteriore, minuit enim, non auget hic significatum Versus ille Ouidij, *Egelidum Borean, egelidumq; Notum* ab eruditis propter ambiguitatem verbi reprehensus est. ✱

SEQVE OBTVLIT VLTRO) id est deam confessa D est. Et est ordo, obtulit se, & loquuta est.

EN PERFECTA MEI) Homer. Iliad. τ.

Τύνη δ' ἡφαίστοιο πάρα κλυτὰ τεύχεα δέξο,
Καλὰ μάλ' οἷ' ὔπω τις ἀνὴρ ὤμοισι φόρησε.

PROMISSA ARTE) καλὰ ὑποσχόμενος.

ACREM TVRNVM) fortem. Et propriè apud nos acer est, qui δεινὸς apud Græcos: nam fortem, & vehementem, & asperum, & amarum potest significare. Seruius. ✱ *Ipsum quoq; Æneam Vulcanus supra acrem appellauit.* Arma acri facienda viro. *De eodem, lib. 12. Stetit acer in armis.*

POSCERE) prouocare. Cic. in Verr, poscunt maioribus poculis, id est, inter se prouocant. Seruius.

AMPLEXVS PETIVIT) Suprà, *Optatos dedit amplexus*, de Vulcano.

TANTO LÆTVS HONORE) quòd manifestò videat matrem, & plenam amoris sui. Seruius.

MIRATVRQVE) Non placet Macrobio Saturnal. lib. 5. cap. 4. quod Æneas recens allatis armis à Vulcano factis miratur, censetque id parum opportunè factum. Sed Iouianus in Antonio, an non diuinum illud opus, inquit, mirabitur? Et cum illa manu tractaret, versaretque inter brachia, non conciperet magnam spem, præsertim in rebus tam asperis? non animos inde sumeret, videns, quantum terrorem illa galea terribilis incussura erat hosti? quæ tum ipsi quoque flammas vomitura videretur. Quomodo igitur lætitia expleri non potuisset, nisi iam animaduertisset, quantus illorum vsus aduersus hostem futurus esset, in prælijs, quæ etiam tum sub quercu posita (neque enim temere sub quercu posita dicit, cum corona è quercu ciuium liberatores donarentur) terribilia apparerent? Quocirca (vt dictum est lib. 10.) cum primùm in hostium conspectum venit, illa statim extulit. Videtis quàm sibi Virgilius constet, quàm nihil inaniter dicat, & singula exactissimè pensitet?

INTERQVE MANVS, ET BRACHIA VERSAT) τέρπετο δ' ἐν χείρεσσιν ἔχων θεοῦ ἀγλαὰ δῶρα. Distinguendum est, vt intelligas, Æneam manibus minora, brachijs maiora considerasse, vtpote loricam, vel scutum: hæc enim arma maiora sunt: minora verò, galeam, gladium, ocreas. Seruius.

QVALIS CVM CÆRVLA NVBES) Irim physica ratione describit, quæ fit, cum aquosam nubem solis ardor irradiat. Nec est incongrua hæc comparatio, cum

cum lorica ex diuersis metallis fieri plerumque consueuerit. Seruius.

AVROQVE RECOCTO) sæpe purgato.

CLYPEI NON ENARRAB. TEXTVM) Bene, *non enarrabile.* Cum enim clypeo omnem Romanam historiam velit esse descriptam, dicendo, *illic genus omne futuræ Stirpis ab Ascanio, pugnataq́; in ordine bella*, carptim tamen pauca commemorat. Sicut in 1. ait, *videt Iliacas ex ordine pugnas*, nec tamen vniuersa descripsit. Seruius.

Illic res Italas, Romanorumq́; triumphos,
Haud vatum ignarus, venturiq́; inscius æui,
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataq́; in ordine bella.
Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impauidos: illam tereti ceruice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Consessu caueæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat: subitoq́; nouum consurgere bellum
Romulidis, Tatioq́; seni, Curibusq́; seueris.
Pòst ijdem inter se posito certamine Reges
Armati, Iouis ante aras, paterasq́; tenentes
Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.

ILLIC RES ITALAS) Tota clypei descriptio multò est apud nos aptior vniuerso argumento. Homeri autem clypeus friuola, & puerilia continet. Quin etiam sigillorum, quæ in eo sculpta sunt, motum, quomodo repræsentare queat nescio. Nisi quod ille ait, *Stultitiam patiuntur opes*, ad Homeri poëmata accommodari possit. In illa enim verborum opulentia licuit ei ineptire. Lege cætera apud Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3.

Homerum multa è scriptis prophetarum in suum carmen, & in primis initium sacræ Geneseos in clypeum Achillis transtulisse, docet Iustinus Martyr Exhortat. ad gentes. Clypeum quoque à Callaicis populis ad Oceanum Hispanicum habitantibus, præter cætera arma, Annibali Saguntum oppugnanti dono missum, & in eo res Carthaginensium cælatas, describit 2. Punicorum Silius. *Lustrat auēs oculis, gaudetq́; in origine regni*, &c. Huiuscemodi descriptiones sunt, Catulli, illius purpuræ, qua constratus fuit Ariadnæ lectus genialis: Ouidij autem pepli Philomelæ lib. 6. Metam. mirabile fuit vtrumque textum, & argumentosum. ❧

PVGNATAQVE BELLA) Talia ferè sunt apud Homer. Iliad. μ. ἄλλοι δ' ἀμφ' ἄλλῃσι μάχην ἐμάχοντο πύλῃσι. Et Iliad. ο. παρ' νηυσὶ μάχην ἐμάχοντο θοῇσι. Plato in Epitaph. ὁ ἐκεῖνος ἡμῖν πόλεμος οὕτως ἐπολεμήθη. Germ.

* *Cumulabemus exemplis hunc locum. Demosthenes.* περὶ στεφάνου. Οἱ πόλεμοι συνεχῶς καὶ μακροὺς πολεμηθέντας ἡμῖν. *Xiphilin* πόλεμος πολεμεῖται. *Nunc ad latina. Cic. pro Murena. Cuius ex omnibus pugnis, quæ sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur, quæ cum rege commissa est, & summa contentione pugnata. Lucilius*, Vicimus ô socij, & magnam pugnauimu' pugnam. *Catull.* Pro qua mihi sunt magna bella pugnata. *Probus in Annibale. Hac pugna pugnata Romam profectus, nemine resistente.*

FOETAM MAVORT. IN ANT. PROCVB. LVP.) si *procubuisse* accipias, iacuisse, contrarium est quod dicit, *Ludere pendentes pueros.* Liuius ait, summissas præbuisse mammas, quem locum ad verbum produximus 1. Æneid. super illo carmine, *Inde lupæ fuluo nutricis tegmine lætus Romulus.* Seruius ait, poetam gestum propriè exprimere voluisse, quem in ipsius lupæ cernimus statuis. Plutarch. Quæst. Rom. quæst. 20. refert, Romulo, & Remo expositis non tantum vbera lupam præbuisse, sed & picum frequenter aduolasse, & bucceas in ora inseruisse. Idem narrat Ouidius Fast. lib. 3. *Et picum expositis sæpe tulisse cibos?* Frequenter enim etiam nunc, in locis quæ sub montibus sita sunt, ac syluestria, vbi picus ibi etiam lupus visitur, vt narrat Nigidius.

GEMINOS HVIC VB. CIRCVM) Gemini dicuntur ex vno vtero vno die editi. Geminum, simile. Pacuuius Hermiona, *Par fortitudo, gemina confidentia.* Geminæ, duæ. Lib. 6. *Sunt geminæ somni portæ.* Nonius.

ET LAMBERE MATREM) quasi matrem, cuius affectum pueris exhibebat. Matrem veteres etiam nutricem dici volunt. Plaut. Menæch.

Ita forma simili pueri, vt mater sua
Non posset internoscere, quæ mammam dabat,
Neq; adeò mater ipsa, quæ illos pepererat.

Sic Nonius, & adducit hunc locum, addens, *matrem,* id est nutricem. Qui nam infantes à quibus bestijs nutriti fuerint, vide 1. Æneid. ibi *Inde lupæ fuluo, &c.*

ET CORPORA FING. LINGVA) Non quod in pictura erat, dicit: sed ita hic intelligimus factum fuisse: vt, *Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.* Seruius.

Sed iam de inuentis sub lupa his duobus infantibus verba Dionysij de lib. 1. recitemus, abit enim nonnihil à Liuio. Interea pastoribus armenta pastum agentibus (iam enim aquæ decesserant) quidam ex ijs visa lupa infantulos complectente, aliquandiu hæsit miraculo, vix satis credens suis oculis: deinde conuocatis, quotquot poterat, è proximo socijs, cum fidem verbis non impetraret, adducit eos ad spectaculum. Quæ & ipsi cò profecti, comperiunt illam, velut ex se natos complexam: hos pendentes, velut à matre: moxque rati, hæc non sine aliquo numine fieri, confertim accedunt propius, feramque terrent clamoribus. At lupa

incursu hominum perparum exasperata, ceu mansueta, sensim abstitit, & ob insanos pastorum strepitus abiit. Post eius discessum pastores tollunt infantulos, dignos alimentis rati, quippe qui seruati diuinitus fuissent, &c.

Fingere, id est, tergere. De vrsa porrò catulos lingua fingente Plutarch. lib. De amore parentum erga liberos: Vrsus bestia certè ferocissima, & immanissima, fœtum informem planè, & articulamentis membrorum nullis conspicuum edit: attamen lingua sua tanquam dolabra, membranis quibus inuoluitur, conformatis, non genuisse tantum catulos, sed & opificis more finxisse videtur.

Iam de expositione geminorum istorum, ac de materno in eos lupę huius officio, Nasonis locum è lib. 2. Fastor. adiungamus.

Syluia Vestalis cælestia semina partu
Ediderat, patruo regna tenente suo.
Is iubet auferri paruos, & in amne necari.
Quid facis? ex illis Romulus alter erat.
Iussa recusantes peragunt lacrymosa ministri,
Flent tamen, & geminos ad loca iussa ferunt.
Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in vndis
Reddidit, hybernis forte tumebat aquis.
Hic vbi nunc fora sunt, lintres errare videres:
Quaq; iacent valles maxime Circe tua.
Huc vbi venerunt (neque enim procedere possunt
Longius) ex illis vnus, & alter ait.
Ah quam sunt similes? ah quam formosus vterq;?
Plus tamen ex illis iste vigoris habet.
Si genus arguitur vultu, nisi fallit imago:
Nescio quem è vobis suspicer esse deum.
At si quis vestra deus esset originis auctor,
In tam præcipiti tempore ferret opem.
Ferret opem certè, si non ope mater egeret,
Quæ facta est vna mater, & orba die.
Nata simul, moritura simul, simul ite sub vndas
Corpora desierat, depositúq; sinu.
Vagierant ambo pariter: sensisse putares.
Hi redeunt vdis in sua tecta genis.
Sustinet impositos summa cauus alueus vnda,
Heu quantum fati parua tabella tulit.
Alueus in limo syluis appulsus opacis
Paulatim fluuio deficiente sedet.
Arbor erat: remanent vestigia: quæq; vocatur
Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.
Venit ad expositos (mirum) lupa fœta gemellos,
Quis credat pueris non nocuisse feram?
Non nocuisse parum est, prodest quoq;: quos lupa nutrit,
Perdere cognatæ sustinuere manus.
Constitit, & cauda teneris blanditur alumnis,
Et lingit lingua corpora bina sua.
Marte satos scires, timor abfuit: vbera ducunt,
Nec sibi promissa lactis aluntur ope.
Illa loco nomen fecit, locus ipse Lupercis,
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Occasione legis cuiusdam Mosis, qua præcepit abstinere ab omnibus recens natis, tam in iumẽtis, quàm in gregibus, vetans ea vel mensæ inferri, vel altari, nimirum crudele existimans, atque ab omni humanitate alienum, insidiari parturientibus, & fœtus à matribus rapere, idque ventris, gulæque gratia, huius, inquam, occasione legis Philo. lib. de Charitate, ecce quàm bellam prosopopœiam pro teneris, seu lactentib. animalibus contexit: & rursum inde ansam arripiens, in expo-
A sitores infantiũ acerbè inuehitur. Sic igitur quemcunq; instituta sua sequentem Moses alloquitur.

Magnam habes, ô bone, rerum copiam, quibus vti potes absque crimine. Alioqui fortasse ignosci poterat presso inopia. Tu verò etiam temperantia, cæterisque virtutibus debes excellere, ascitus in ordinem lectissimum, nec admittere in mentem tantam sæuitiam, vt fœtæ lassę partus laboribus, nouam mox vexationem afferas, rapiendo recens editum animal. Necesse est enim turbari matrem propter affectum à natura inditum, sed à partu maximè. Tunc enim lac in mammis subsidens, si desit fœtus, reprimitur: & distentis hac mole vberibus, dolor quoque intenditur. Sine vt mater suum fœtum lacte alat, si non diutius, saltem per septem dies: ne natiuos lactis fontes extinguas in vberibus, cum ipsius naturæ iniuria, quæ non vult intercipi sua beneficia, multò antè præparata ad conseruationem generum. Primum enim eius munus est generatio, per quam animalia suam essentiam accipi-
B unt. Secũdum, lactis affluxus, tenerrimi alimenti, & aptissimi tempori, quippe quod cibi, potusque vicem præbeat. Nam quidquid inest aqueum, pro potu habetur: pro cibo verò id, quod coagulatur, natura prospiciente modò genitis fœtibus, ne patiantur inopiam mox à vitæ initio, sed eadem opera, eodemque remedio duas molestias sitis, famisque arceant. Perfricate frontem, & legite hanc legem præclari parentes, qui grauari vos putatis infantibus, quos vt exponatis, insidiamini parturientibus, publici, & infestissimi hostes humani generis. Cui enim parcetis, qui filios necatis propriis manibus? qui quantum in vobis est, ciuitates desertas redditis, vastitatem incipientes à coniunctissimis: qui ius naturæ subuertitis, tollentes eius opera: crudelitate immani vitam oppugnatis, mortem inuehitis, & hanc contra illam armatis.

Huiusmodi expositionem, abiectionemq́ue fœ-
C tus detestatur etiam valdè Lactantibus lib. 6. cap. 20. & caussas, quæ afferri possint, refutat.

Ergo ne illud quidem aliquis concedi existimet, vt recentes natos liceat oblidere, quæ vel maxima est impietas. Ad vitã enim deus inspirat animas, non ad mortem. Verùm homines, ne quod sit facinus, quo se non polluant, rudibus adhuc, & simplicibus animis abnegant lucem non à se datam. Expectet verò aliquis, vt alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo: sed hi sine vlla controuersia scelerati, & iniusti. Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus obiiciunt: & quantum in ipsis est, crudelius necant, quàm si strangulassent. Quis dubitet quin impius sit, qui alienæ misericordiæ locum non tribuit? Quin etiam si contingat ei, quod voluit, vt alatur, addixit certè sanguinem suum vel ad seruitutem, vel ad lupanar. Quæ autem possint, vel soleant accidere in vtroque sexu, quis non intelligit? quis ignorat? Quod vel
D vnius OEdipodis declarat exemplum, duplici scelere confusum. Tam igitur nefarium est exponere, quàm necare. At enim parricidæ facultatum angustias conqueruntur: nec se pluribus liberis educandis sufficere posse prætendunt: quasi verò aut facultates in potestate sint possidentium, aut non quotidie deus ex diuitibus pauperes, & ex pauperibus diuites faciat. Quare si quis liberos ob paupertatem non poterit educare, satius est, vt se ab vxoris congressione contineat, quàm sceleratis manibus dei opera corrumpat.

Adiungam pro corollario. In expositione infantum, aliquid matres sibi detractum addebant, vnde postea cognoscebantur. Id apud Plautum, & Terentium non semel videas. Adi Victor. lib. 2. cap. 3. Item, Expositiitij infantes, incerto patre, & matre nati, cum in-
E uenirentur qui eos tollerent, & educarent, dicebantur altelli, ὑποκοριστικῶς, ab altus, altulus, græcè θρεπτοί, τρόφιμοι, alumni. Plinius ad Traianum. Magna, Domine, & ad totam prouinciam pertinens quæstio est, de conditione, & alimentis eorum, quos vocant θρεπτοὺς, &c. Scalig. in Festum.

RAPTAS SINE MORE SABINAS) Ex Liuio istuc declarabimus, vnde etiam huiusmodi raptus caussam cognosces. Illud prius te monitum volo, communi nomine Sabinas dici raptas, quamquam Ceninensium, Antemnatium, & Crustuminorum multæ essent, & auctores in numero raptarum discrepare. Quidam non vltra triginta fuisse tradunt, quæ curiis nomina dedere: non-

nulli quingentas, plerique septem, & viginti, alij sexcentas, & tres supra octoginta. Nunc audi Liuium. Tum ex consilio patrum Romulus legatos circa vicinas gentes misit, qui societatem, connubiumque nouo populo peterent. Vrbes quoque, vt cætera, ex infimo nasci: deinde quas sua virtus, ac dij iuuent, magnas opes, magnumque nomen sibi facere. satis scire, origini Romanæ & deos affuisse, & non defuturam virtutem. Proinde ne grauarentur homines cum hominibus sanguinẽ, & genus miscere. Nusquam benignè legatio audita est: adeo simul omnes spernebant, simul tantam in medio crescentem molem sibi, ac posteris suis metuebant. à plerisque rogitantibus dimissi, ecquod fœminis quoq; asylum aperuissent: id enim demum compar connubium fore. Ægrè id Romana pubes passa: & haud dubiè ad vim spectare res cœpit, cui tempus, locumq; aptum vt daret Romulus, ægritudinem animi dissimulans, ludos ex industria parat, Neptuno equestri sollemnes: Consualia vocat. Indici deinde finitimis spectaculum iubet, quantoque apparatu tum sciebant, aut poterant, concelebrant: vt rem claram, expectatamque facerent. Multi mortales conuenere studio etiam videndæ nouę vrbis: maximè proximi quiq; Ceninenses, Crustumini, Antemnates. Iam Sabinorum omnis multitudo cum liberis, ac coniugibus venit. Inuitati hospitaliter per domos, cum situm, mœniaq;, & frequentem tectis vrbem vidissent, mirantur tam breui rem Romanam creuisse. Vbi spectaculi tempus venit, deditæq; eo mentes cum oculis erant, tum ex composito orta vis: signoque dato iuuentus Romana ad rapiendas virgines discurrit. Magna pars, fortè vt in quem quęque inciderat, raptæ: quasdam forma excellentes, primoribus patrum destinatas, ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebãt. Vnam longè ante alias specie, ac pulchritudine insignẽ à globo Talassij cuiusdam raptã ferunt, multisq; sciscitantibus cuinam eam ferrent, identidem nequis violaret, Talassio ferri clamitatum: inde nuptialem hanc vocem factam. Turbato per metum ludicro, moesti parentes virginum profugiunt, incusantesque violati hospitij fœdus, deumque inuocantes, cuius ad solemne, ludosque per fas, ac fidem decepti venissent. Nec raptis aut spes de se melior, aut indignatio est minor. Sed ipse Romulus circumibat, docebatque patrum id superbia factum, qui connubium finitimis negassent. illas tamen in matrimonio, in societate fortunarum omnium, ciuitatisque, &, quo nihil charius humano generi sit, liberûm fore: mollirent modò iras, & quibus sors corpora dedisset, darent animos: sæpe ex iniuria postmodum gratiam ortam: eoq; melioribus vsuras viris, quòd annixurus pro se quisque sit, vt cum sua vice functus officio sit, parentum etiam, patriæque expleat desiderium. Accedebant blanditiæ virorum factum purgantium cupiditate, atque amore: quæ maximè ad muliebre ingenium efficaces preces sunt. Iam admodum mitigati animi raptis erant. At raptarum parentes tum maximè sordida veste, lacrymisque, & querelis ciuitates concitabant: nec domi tantùm indignationes continebant, sed congregabantur vndique ad Titum Tatium regem Sabinorum: & legationes eò, quòd maximum Tatij nomen in his regionibus erat, conueniebant. Ceninenses, Crustumnique, & Antemnates erant, ad quos eius iniuriæ pars pertinebat. Lentè agere iis Tatius, Sabiniq; visi sunt. Ipsi inter se tres populi communiter bellum parant.

Lege insuper Plut. in Romulo Dionys. libr. 2. Ouid. 3. Fast. ab eo loco, *Mœnia iam stabant*, &c. De hoc raptu Minutius in Octauio. Mox alienas virgines iam desponsatas, iam destinatas, & nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit (Romulus) violauit, illusit, & cum eorum parentibus, id est, cum soceris suis bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit.

Quod autem ait *sine more*, exponendũ videtur, sine exemplo, & ideo non rectè factum: tametsi nec id semper rectè fit, quod exemplo fit: excusatur tamen facilius. Malo more fieri dici potest, quod improbè fit, tametsi mos est ita fieri. At more maiorum quod factũ dicitur, id semper laudem habet, & est ea formula vsitata probatissimis scriptoribus. ✠

CONSESSV CAVEÆ) Cauea est, vbi populus spectat, seu vbi spectandi gratia sedet. Plaut. Amphit.

Vt conquisitores singuli in subsellia
Eant, per totam caueam, spectatoribus.

Cic. in Catone. Vt Turpione Ambiuio magis delectatur, qui in prima cauea spectat, delectatur etiam, qui in vltima, &c.

CVRIBVSQVE SEVERIS) Mirè dixit *seueris*. Quum enim filias perdidissent Ceninenses, Antemnates, Crustumini, & Sabini, cæteris quiescentibus, Sabini soli bella sumpserunt. Vide Liuium.

CÆSA IVNGEB. FOEDERA PORCA) De fœdere inter Romulum & T. Tatium Sabinorum regem Liuius lib. 1. Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt: nec pacẽ modo, sed & ciuitatem vnam ex duabus faciunt, &c. De hac & Ennius 1. Annali. *Accipe daq; fidem, fœdusq; feri bene firmum.*

Annotant Grammatici, porcam dixisse Maronẽ pro porco, quibus nõ assentitur Suetonius, qui in Claudio scribit, cap. 25. cum regibus fœdus in foro icit, porca cæsa, ac veteri fecialium præfatione adhibita. Liuius fauet Grammaticis, qui lib. 1. in fœdera porcum saxo silice feriri dicit. [*Et lib. 9. quemadmodum a fecialibus porcum ferretur. Lib. 12. de fœdere loquens poeta* Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem Attulit. *Quod tam de mare, quàm de fœmina licet accipere.*] In hoc igitur inter auctores variatur, vt reor, quod porcus in libris fecialium scriberetur: quod vocabulum etiam de fœmina dicitur, alioqui non scripsisset Cib. 2. de leg. porco fœmina piaculum dare. Turneb. lib. 26. cap. 29. * *Sic etiam Cato, cap. 134. priusquam fœminam porcum immolabis. Quædam, inquit Quintilianus, lib. 8. non tam ratione, quam sensu iudicantur, Vt illud:* cæsa iungebant fœdera porca, *fecit elegans fictio nominis: quod si fecisset porco, Vile erat. Porci effigies inter signa militaria quintum locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæsa porca fœdus firmari solebat. Festus. Quam varijs ritibus extera gentes fœdera percutere consueuerint, docet Alex. Neapolit. libr. 5. cap. 3. si te id scire delectabit. Conditiones autem huius fœderis exequitur Dionysius lib. 2.*

Haud procul inde, citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatq; viri mendacis viscera Tullus
Per syluam, & sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere: ingentiq; vrbem obsidione premebat.

Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant,
Illum indignanti similem, similemq; minanti
Aspiceres, pontem auderet quòd vellere Cocles,
Et fluuium vinclis innaret Clœlia ruptis.
In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat:
Romuleoq; recens horrebat regia culmo.
Atque hîc auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat.
Galli per dumos aderant, arcemq; tenebant,
DEFENSI TENEBRIS, ET DONO NOCTIS OPACÆ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis:
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. duo quisq; Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.

METIVM IN DIVERSA QVAD.) Metij crimen perfidia fuit. De eo, & supplicio eius ita est apud Liuium lib. 1. in Tullo Hostilio, qui sic eum affatur. Meti Suffeti, si ipse discere posses fidem, ac fœdera seruare, viuo tibi ea à me disciplina adhibita esset. Nunc quoniam tuum insanabile ingenium est, at tu tuo supplicio doce humanum genus, ea sancta credere, quæ à te violata sunt. Vt igitur paulò ante animum inter Fidenatem, Romanamque rem ancipitem gessisti, ita iam corpus passim distrahendum dabis. Exinde duabus quadrigis admotis, in currus earum distentum illigat Metium: deinde in diuersum iter equi cōcitati, lacerum in vtroq; curru corpus, quà inhæserant vinculis membra, portantes. Auertere omnes à tanta fœditate spectaculi oculos. Primum, vltimumque illud supplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarũ fuit: in aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse pœnas. * *De scriptura vtriusq; nominis* Metius Suffetius, *scribendum ne sit Metius Fufetius, aduersus Robortellum suo defendendo vide quod Emendat. lib. 1. disputet Sigonius si modo res tanti est. Meminit huius exempli, & loci Virgiliani Gellius lib. 20. cap. 1. prætexens hoc dictum, Acerbitas plerumq; vlciscendi maleficij, bene atque cautè viuendi disciplina est. Creditur inuentum Herculis, qui regem Eubœæ Pyrechmen bellum Bœotiis inferentem deuicit, & deuictum isto modo puniuit, pullis equinis alligatum videlicet, in partes discerpendum.*

NEC NON TARQVINIVM PORSENNA) Lucretia per summã libidinem à Sex. Tarquinio, Tarquinij Superbi filio stuprata, caussa fuit, cur cum liberis Roma pelleretur. Idem Superbus confugit ad Porsenam Etruscorum regem, qui cum restituere conatus est. Vide Liuium lib. 1. & 2.

ÆNEADÆ IN FERRVM PRO LIBERTATE) Isocrates in Archidamo. *ὡς ἐξ οὗ τὴν πόλιν οἰκοῦμεν*, &c. Id est, nec enim ab vrbe condita vel bellum factum, vel periculum de tantis rebus oblatum est, de quantis nunc deliberamus. Nam antehac quidem de imperio in alios exercendo dimicabamus: nunc autem hoc agitur, ne ipsi imperata faciamus: quod signum libertatis est: pro cuius defensione nullæ acerbitates, nulla pericula sunt recusanda, non nobis tantum, sed etiam aliis, qui se viros esse meminerunt, neque virtutis laudem prorsus aspernantur.

Ius Romanæ libertatis quinquepartitum fuit. Ita enim ciues Romani fuerunt liberi, vt nec dominorum potestati, nec tyrannorum imperio, nec magistratuum potentiæ, nec creditorum libidini, nec ciuium suorum A gratiæ essent obnoxij. Sigon. de antiq. iure ciuium Rom. libr. 1. cap. 6. in quo hæc singula accuratè, qualia fuerint, explanat. Sed quod ad secundum genus libertatis attinet, quoniam ad institutum pertinet, placet eundem scriptorem audire. Hoc se R. ciues à regum, & tyrannorum impotenti dominatione liberauerunt, & legibus se, ac magistratibus annuis obstrinxerunt. Quæ libertas L. Tarquinio Superbo rege cum filiis vrbe pulso, inita est, L. Bruto, & P. Valerio inprimis auctoribus, tum, cum pop. à Bruto Cos. iureiurando adactus est, se neminem regnare Romæ passurum, atque rogationem iussit, vt sacrum cum bonis caput eius esset, qui regni occupandi consilia inisset. Itaque pro hac B libertate tuenda, incredibile est quantas pop. Rom. dimicationes, quanta bella susceperit, quantum sudoris, quantum sanguinis effuderit. Siquidem & cum Porsena rege, & cum Latinis populis, Tarquinios exules reducentibus, & cum Pœnis, cum Cimbris, & Teutonibus, & aliis infestissimis exterarum gentium populis, armis sæpe acerrimè decertauit. Lege cætera. * *Quantopere etiam M. Tull. pro libertate aduersus Antonium defendenda contendat in Philipp. & quomodo mortem seruituti anteponendam non semel affirmet, notum est omnibus, qui eos libros in manibus habuerunt. Vnam duntaxat, tamẽ magnificam super studio libertatis sententiam ex 10. Philipp. libet appendere.* Magna nos quidem spe, & prope explorata libertatis caussam suscepimus. Sed, vt concedam incertos exitus esse belli, Martemque communem: tamen pro libertate vitæ periculo decertandum est. Non enim in C spiritu vita est, sed ea nulla est omnino seruienti. Omnes nationes seruitutem ferre possunt: nostra ciuitas non potest: nec vllam aliam ob caussam, nisi quod illæ laborem doloremq; fugiunt, quibus vt careant, omnia perpeti possunt. Nos ita a maioribus instituti, atque imbuti sumus, vt omnia consilia, atque facta ad virtutem, & dignitatem referamus. Ita præclara est recuperatio libertatis, vt ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. *Lege orationem Catonis apud Lucan. lib. 3. optantis, Vt possit capite, & sanguine suo patriam tueri, libertatemq; defendere.* O vtinam cælique deis, Erebique liceret, &c.

PONTEM AVDERET QVOD VELLERE COCLES) de Coclite Liuius lib. 2. Plutarch. in Poplicola, qui vnà pro ponte cum eo stetisse autumat duos primæ nobilitatis viros, Herminium, & Lucretium. Dionysius libr. 5. Florus lib. 1. cap. 10. Plin. lib. 15. cap. 36. Valer. lib. 3. cap. 2. D Breuiter Plinius iunior de viris illust. cap. 11. Porsena rex Etruscorum, cum Tarquinios in vrbem restituere tentaret, & primo impetu Ianiculum cepisset, Horatius Cocles (illo cognomine, quod in alio prælio oculum amiserat) pro ponte sublicio stetit, & aciem hostium sustinuit, donec pons à tergo interrumperetur, cum quo in Tibe-

in Tiberim decidit, & armatus ad suos tranauit. Ob hoc ei tantum agri publici datum est, quantum vno die circumarari potuisset. Statua quoq; ei in Vulcanali posita.

Huius viri facinus Iouianus lib. 1. de fortitud. bellica his verbis ornat, & amplificat. Veræ fortitudinis exempla Græci, Barbariq; edidere permulti: sed Romanorum longè maximus est numerus, cuius mihi princeps videtur Horatius Cocles. Siquidem in summa reipub. calamitate, in maximo, euidentissimoque pop. Rom. periculo, vrgente grauissimo hoste, pro salute publica, cæteris etiam fugam capessentibus, solus se ipse hosti obiecit. At quo animo? vt dum pars pontis rescinderetur, hostis impetum detineret, interim pugnando, non, quod desperantium est, vitam contemneret: sed simul & hostem feriret, & corpus suum, in quo salutem patriæ positam sentiebat, tueretur, non tamen vt mori pro communi salute recusaret. Atque vbi pontem rescissum intellexit, non arma proiecit, quibus hostes potirentur, non se ipsum in tanta ruina deseruit: sed natabundus ad suos, saluis armis rediit. Cuius pulcherrimum facinus non ciuium modò, atque hostium animos admiratione impleuit: sed si quid est, quod deos immortales mortalium viribus factum moueat, cum primis credendum est, rarissimum hoc, maximeq; admirandum facinus deos mouisse. Sed ô vocem maximè memorabilem. Rediens re infecta hostis, se quidē Romano potitum, solo ab Horatio victum esse prædicabat.

Modò Cocles in hoc homine, de quo dicit, proprium est nomen: in aliis appellatiuum. Nam luscos coclites dixerunt antiqui. Vnde & cyclopas coclites legimus dictos, quod vnum oculum habuisse perhibentur. Ita Seruius. Varro libr. 6. de ling. lat. Ab oculo cocles, quasi ocles dictus, qui vnum habet oculum. Quocirca in Curculione est, *De Coclitum prosapia te esse arbitror: nam hi sunt vnoculi.* Carisius *μονόφθαλμον* coclitem interpretatur.

FLVVIVM VINCLIS INNAR. CLOEL. RVPT.) Porsena Clœliam virginem nobilem inter obsides accepit: quæ deceptis custodibus noctu castris eius egressa, equum, quē sors dederat, arripuit, & Tiberim traiecit. A Porsena per legatos repetita, reddita est. Cuius ille virtutem admiratus, cum quibus optasset, in patriam redire permisit. Illa virgines, puerosque elegit, quorum ætatem iniuriæ obnoxiam sciebat. Hinc ei statua equestris in foro posita. Hæc Plinius iunior cap. 13. De eadem virgine, si placuerit, leges Liuium lib. 2. Dionysium lib. 5. Valer. Max. lib. 3. cap. 2. Florum lib. 1. cap. 10. Plutarch. in Poplicola, & de claris mulier. cap. 14.

De eadem magnificè noster Seneca Consolat. ad Martiam cap. 16. Quis enim dixerit, naturam malignè cum muliebribus ingeniis egisse, & virtutes illarum in arctum retraxisse? Par illis, mihi crede, vigor, par ad honesta, & libera facultas: laborem, doloremque ex æquo, si consueuere, patiuntur. In qua istud vrbe, dii boni, loquimur? in qua regem Romanis capitibus Lucretia, & Brutus deiecerunt. Bruto libertatem debemus, Lucretiæ Brutum. In qua Clœliam contempto hoste & flumine, ob insignem audaciam tantum non in viros transcripsimus. Equestri insidens statuæ in sacra via celeberrimo loco Clœlia exprobrat iuuenibus nostris puluinum ascendentibus, in ea illos vrbe sic ingredi, in qua etiam fœminas equo donauimus. Videtur insinuare Seneca, huic statuæ virginis illum Ennianum versum de 4. Annal. quo virtutem ipsius à Porsena commendatam fingit, subscriptum fuisse postea. *Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres, Illa virago viri.* * *Adiiciantur versus Silii è lib. 10. quibus facinus huius viraginis celebrantur amplissimè.*

—— Bis Clœlia senos
Nondum compleras primæ ui corporis annos,
Vna puellarum Laurentum, & pignora pacis
Inter virgineas regi transmissa cateruas.
Facta virum sileo, rege hæc, & fœdere, & annis,
Et fluuio spretis, mirantem interrita Tibrim
Tranauit, frangens vndam puerilibus vlnis:
Cui si mutasset sexum natura, reuerti
Forsan Tyrrhenas tibi non licuisset in oras
Porsena.

CVSTOS TARPEIÆ MANLIVS ARCIS) Plutarch. in Romulo. Poeta Simulus planè delirat, qui non Sabinis, sed Gallis putat Tarpeiam virginem Sp. Tarpeii filiam prodidisse Capitolium. Cæterùm à Tarpeia illic sepulta, collis ille vocatus Tarpeius fuit, donec locum eum Tarquinius rex Ioui consecrauit: quo tempore ossa eius aliò fuerunt delata, nomenque exoleuit Tarpeiæ, excepto saxo, quod vocāt etiam nunc Tarpeium, ex quo præcipitare sceleratos solebant. Quomodo autem, & qua conditione Tarpeia Sabinis arcem prodiderit, post Liuium multa Dionys. lib. 2.

Manlius ob defensum Capitolium Capitolinus dictus, sexdecim annorum voluntarium se militem obtulit, & quæ sequuntur, apud Plinium iuniorem cap. 24. Vide præterea Liuium lib. 5. Plin. lib. 17. cap. 28. Plutarch. in Camillo. Valer. Max. lib. 6. cap. 3. Quo autem tempore Galli Capitolium obsidere destiterunt, eo Ioui Pistori constituta est ara: quod videlicet per quietem Romanos monuisset, vt quidquid superesset frumenti, molerent, panes coquerent, & in castra hostium proiicerent, atque ita se quamuis etiam diu obsidionem posse tolerare, indicium darent. Eo viso desperantes Galli, obsidione cesserunt. Ouid. Fast. lib. 6.

Nomine quam pretio celebratior arce Tonantis
Discant Pistoris quid velit ara Iouis.
Posse fame vinci spes excidit, hoste repulso
Condita Pistori ponitur ara Ioui.

* *Dignum hoc quoq; animaduersione. Cum scelerum damnati solerent de rupe Tarpeia præcipites dari, consueuisse probatos scriptores sine adiectione interdum dicere, de saxo, subaudientes Tarpeio. Plaut.* Qui in amore præcipitauit, peius perit, quam si saxo saliat. *Lucret.* scelerisque luela Carcer, & horribilis de saxo iactu' deorsum. *Tacitus lib. 2. Annal. Facta & de Mathematicis, Magisq; Italia pellendis senatusconsulta: quorum è numero L. Pituanius saxo deiectus est.*

ROMVLEOQVE RECENS HORREB. REGIA CVL.) Curiam Calabram dicit, quam Romulus texerat culmis, ad quam calabatur, id est, vocabatur senatus, & populus à rege sacrificulo: vt quoniam adhuc fasti non essent, ludorum, & sacrificiorum prænoscerent dies. Seruius.

ATQVE HIC AVRATIS VOLIT. ARG. ANSER PORTICIBVS) *Atque hic*, in Capitolio. *auratis porticibus* ad tempora florentis Romæ retulit. De Capitolio per anserum strepitum à Gallis seruato, Liuius lib. 5. Galli nocte sublustri tanto silentio in summum euasere, vt non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal, ad nocturnos strepitus excitarent. Anseres non fefellere. Columella lib. 8. cap. 13. Anser præcipuè rusticis gratus est, quod nec maximam curam poscit, & solertiorem custodiam præbet, quàm canis: nam clangore prodit insidiantem, sicut etiam memoria tradidit in obsidione Capitolii, cum aduentu Gallorum vociferatus est, canibus silentibus. Est igitur hieroglyphicum custodiæ, & vigiliæ anser. Lucret. lib. 4. *humanum longè præsentit odorem Romulidarum arcis seruator candidus anser.*

Vegetius lib. 4. cap. 26. in quo agit de cautela adhibenda, ne hostes furtim occupent murum: Illud quoque vsus inuenit, vt acerrimos, ac sagacissimos canes in turribus nutriant, qui aduentum hostium odore præsentiant, latratuque testentur. Anseres quoque non minore sollertia nocturnos superuentus clamoribus indicant. Nam ingressi Capitolinam arcem Galli, Romanum nomen eruerant, nisi clamore anseris excitatus Manlius restitisset. Mira diligentia, siue fortuna, viros, qui orbem vniuersum erant missuri sub iugum, auis vna seruauit.

Anseribus, inquit Cic. pro Sex. Roscio, cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio: vt significent, si fures venerint. Alia de caussa hunc honorem anseribus haberi indicat Plinius, quod cum Virgiliana insinuatione mirè congruit: sic enim loquitur, lib. 10. cap. 22. Est & anseri vigil cura Capitolio defenso, per id tempus canum silentio proditis reb⁹. Quamobrem cibaria anserum Censores in primis locant. *At Heliogabalus portentũ portentorum, & omnis honestatis, bonorumq; institutorum capitalis inimicus, cum hunc morem eiusq; caussam non ignoraret, vt Romanis illis priscis illuderet, constituit, vt canes anserinis iecinoribus alerentur.*

Plutarch, Rom. quæst. 98. quærens, cur Censores, vbi magistratum acceperunt, nihil prius habeant locatione alimentorum pro sacris anseribus, præteralias rationes hanc quoque adducit, sub istis verbis. Aut pro veteri beneficio animalibus hæc refertur gratia, quod Gallos Roma capta, iam muros Capitolij superantes, canibus dormientibus, senserunt anseres, vigilesque suo clangore excitarunt. Cum Cicerone facit Arnob. lib. 9. canes, inquam, & anseres ali in Capitolio, ad furum videlicet aduentum significandum, ne deos subripiant. Cur canes in Capitolio pascitis? cur anseribus victum, alimoniamq; præberis? Quin immò, si fiditis deos istic esse, nec ab lignis vspiam, simulacrisque discedere, permittite illis curam sui, reserata sint semper, atque aperta delubra: ac si quid à quopiam temeraria fuerit fraude surreptum, vim numinis monstrent, & sub ipso furti, atque operis nomine sacrilegos pœnis conuenientibus figant. Indigna enim res est, & potentiam destruens, auctoritatemqne summorum, custodiam numinum canum sollicitudinibus credere: & cum aliquam quæras prohibendis formidinem furibus, non ab ipsis petere, sed in anserum ponere, & collocare gingritibus. Hæc ille. Quid Virgilius crediderit, apertum est.

AVREA CÆSARIES OLLIS) Leuiculi, & molliculi duo Imperatores Commodus, & Ælius Verus, qui scobe aurea capillis inspersa, flauam comam, quatenus potuerunt, mentiti sunt. De priore Lampridius, fuisse capillo semper fucato, & auri radiamentis illuminato. De posteriore Capitolinus, caput auri ramentis respersisse, quo magis coma illuminata flauesceret.

AVREA VESTIS) Vestis significat aliquando lanuginem, quam alibi florem vocat. *Tum mihi prima genas vestibat flore iuuenta.* Lucret. lib. 5.

Nec minus incerto dentes cadere imperat ætas
Tempore, et impubem molli pubescere veste.

Hinc inuestes, pro impuberes.

VIRGATIS LVCENT SAGVLIS) Sagum erat etiam Gallorum, non modò Romanorum. Strabo de Gallis, σαγοφοροῦσι δὲ καὶ κομοτροφοῦσι, Trebellius in vita Galieni, Perdita Gallia arrisisse, & dixisse perhibetur, non sine trabeatis sagis tuta respub. est? Tacitus de moribus Germanor. Nudi, aut sagulo leues, nulla cultus iactantia. Sagum igitur ad Romanos à Gallis venit.

Rhodigin. lib. 16. cap. 7. sed & in tunicis virgæ A purpureæ vocantur paryphi: vnde & in latinis litteris virgatæ vestes, & apud Virgil. virgata sagula, quæ haberent in virgarum modum deductas vias: cui sententiæ subscribit lib. 6. Diodorus, tametsi in eo allusum Seruius putat ad Gallicam linguam, qua virga diceretur purpura.

Turnebus lib. 2. cap. 14. Solet interdum in litteris nimia diligentia Grammaticos in errorem auferre. In hoc enim versu non acquiescunt, vt ea tantum intelligamus, quæ discoloribus tanquam currentibus regulis colorum, & ductibus varia cernuntur: etiam aiunt ad Gallorum respectum esse linguam, quibus virga purpuram significet, vt virgata sint purpurea. Ego intelle- B ctu simplici, & latino virgatum ῥαβδωτὸν significare puto, quod virgas quasdam in longum, aut latum varia serie, & colore porrectas habet, vt in concharum genere sunt virgulatæ, id est, ῥαβδωτοί. Valer. certè Flaccus lib. 1. Thracum mulieribus virgatas vestes tribuens, purpureas intellexit: sed barbarorum ritu discolores, & veluti virgatis segmentis contextas. Eius sunt versus.

Iam veniet durata gelu, sed me quoq; pulsam
Fama viro: nostrosq; toros virgata tenebit.

LACTEA AVRO INNECTVNTVR) erant torquati. Li. 5. de pueris Troianis, *it pectore summo Flexilis obtorti per collum circulus auri.*

C ALPINA GÆSA) Gesum, & gæsum scribitur: isto modo frequentius Græci, & vox, & telum peregrina. Athenæus lib. 6. Romanos petijsse ab Hispanis vult. Alij à Gallis. Nonius, Gesa, tela Galliarum. Idem sentit Virgilius, fuisse scilicet Gallorum propria. Propertius etiam de Viridumaro eorum rege, *Nobilis è tectis fundere gesa rotis.* Claudianus etiam, quasi proprijs insignibus Galliam ornans lib. 2. de laudibus Stilicon. *Gallia crine ferox, euinctaque torque decora, Binaque gesa tenens.* Comatam facit, Torquatam, Gesatam. Statius Macedonibus tribuit 2. Achilleid. *didici quo Pæonas arma rotatu, Quo Maceta sua gesa citent.* Quidam tamen libri scripti habent tela pro gesa. Suidas ita describit. Γέσοι ἔγχος ἢ κόντος μακρόθεν κεντῶν. Gesi, telum vel con- D tus longè feriens. Interpres Bibliorum quoque in libro Iudith ita vertit. Et grandius fuisse iaculum etiam Festus indicat, & Diodorus de armatura Gallorum. Pastoricium telum id Liuius facit lib. 9. Silius ita ornat pastorem Afrum lib. 2. Hæc summatim ex Poliorcet. Lipsij lib. 4. dial. 4.

Quoniam Homerus ex omni Græcorum dialecto characteres delibauit, suisque poematis interseruit, Ennius, ne transuersum ab eo vnguem discederet, multas exteras dictiones Romanis immiscuit. Idq; ab vtroque factum puto, vt peregrinis huiusmodi verbis, eandem scriptis suis dignitatem, ac vetustatem tribuerent, quam nouæ res è remotis regionibus aduectæ, E aptè, concinneque collocatæ præ se ferre consueuerunt. Ennius igitur Gallica lingua *ambactus* dixit: Sabina *catus*, & *cascus*: Etrusca *fala*, & *subulo*: Prænestina *tonga*: quæ regio quamuis Romanis proxima esset, verbis tamen plurimùm differebat. Plaut. Trucul. *Vt Prænestinis conia est ciconia.* Maro denique tantorum poetarum exemplo non abhorruit sua carmina alienigenis aliquot vocibus conspergere. Sabina enim lingua *cupentus* dixit: Persica *gaza*: Macedonica *phalanx*: Gallica *vri*, *gæsa*: Punica *magalia*. Hieron. Columna in vita Ennij.

Alpina autem gæsa, non absq; ratione è doctrina interiore deprompta dictum est. Constat enim materiem campestrem esse molliorem, & teneriorem, mon-

montanam duriorem, atque rigidiorem, & hastilibus aptiorem. Nam & montium siccior, & aridior habitus, lignum magis durat, & astringit, & ventis ibi ad soliditatem, & firmitatem tunduntur arbores. Itaq; Homerus, cuius æmulatione hoc Virgilius protulit, cæsam fuisse ait hastam Achillis è vertice Pelij montis, bonitatem materiæ demonstrans, & ἔγχος ἀκαμπερὲς appellat, Criticis durum, & rigidum hastile interpretantibus. Turneb. lib. 23. cap. 3.

SCVTIS PROTECTI CORP. LONGIS) Scuta fuerunt oblonga magis quam lata. Iosephus ideo appellat Romanorum istos θυρεοὺς ἐπιμήκεις, scuta longa: & Plu- A tarchus ποδήρεις, ad pedes demissos. Nã reuera totum hominem tegebant, leuiter se inclinantem. Argumentum, quòd Liuius scribit milites in vigilijs stantes, capite super marginem scuti posito, dormijsse. Si stantes, debuit fuisse productum, locus est lib. 44. Reperio & inferiore, ac corrupta iam militia hunc modum. Nam in Nicera Choniate, vbi Eustratius quidã è legione Macedonica ad singulare certamẽ in hostem producitur; ἀσπὶς, inquit, αὐτῷ ἐς ἀνδρομήκους ταλαιὰ δίδοται, scutum illi ad hominis longitudinem datur. Lipsius de Militia Rom. libr. 3. dial. 2. Petiuit ab Ennio, nonnulla immutatione. Ille Annali 16. *Protecti gladijs sub scutis.*

Hîc exultantes Salios, nudosq; Lupercos,
Lanigerosq; apices, & lapsa ancilia cælo
Extuderat: castæ ducebant sacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus. hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,
Et scelerum pœnas, & te Catilina minaci
Pendentem scopulo, Furiarumq; ora trementem,
Secretosq; pios, his dantem iura Catonem.
Hæc inter tumidi latè maris ibat imago
Aurea: sed fluctu spumabant cærula cano:
Et circum argento clari Delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstumq; secabant.
In medio classes æratas, Actia bella,
Cernere erat: totumq; instructo Marte videres
Féruere Leucaten, auroq; effulgere fluctus.

EXVLTANTES SALIOS) Fuere Salij Martis sacerdotes, Alex Nepolit. lib. 1. cap. 26. Ibidem de cœnis Saliaribus. De Salijs suprà, *Tum Salij ad cantus*, &c.

NVDOSQVE LVPERCOS) De Lupercis, & Lupercalibus vide Liuium lib. 1. Ouid. 2. Fast. Plutarch. in Romulo. Dionys. lib. 2. Iustin. lib. 43. Varron. lib. 4. de ling. lat. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Diximus quædam supra ibi, *Et gelida monstrat sub rupe Lupercal.* ex Alexand. Neapolitan. lib. 4. cap. 12.

LANIGEROSQVE APICES) In apice lanam gerebant, quam στέμμα, id est velamentum, & filamentum vocabant. Turneb. lib. 29. cap. 31.

LAPSA ANCILIA CÆLO) Ancile, vt placet Varroni, ab ancisu dicebatur, quod ea arma ab vtraque parte, vt peltæ Thracum, incisa sunt: *am* enim apud veteres circum significabat: vnde ancidere pro circumcidere vsurpabant. Ouid. 3. Fast.

Idq; ancile vocant, quod ab omni parte recisum est,
Quemq; notes oculis angulus omnis abest.

Seruius vult ancile dici, quasi vndique circumcisum: aut quasi ἀμφίχειλον, id est vndiq; labrum habens. Festus tradit appellari, quia ex vtroque latere erat recisum, vt summũ, infimumq; eius latus medio pateret. vel vt alij malunt, quasi ἀμφίκοιλον, hoc est, vndiq; cauũ. Ea forma vnum è cælo in Numæ manus, siue vt Dionys. lib. 2. scribit, in ipsius regiam delapsum est: ad cuius exemplar, & magnitudinem 11. alia quam simillima Mamurius faber summa diligentia confecit: ne diuinum illud ab alijs dignosci posset, ac proinde surripi.

Magna religione olim, & singulari cærimonia arma ancilia fuerunt, quæ cælo delapsa, tanquam pignus imperij Romani seruabantur. Ea quotannis stato tempore B per sacerdotes, aliosq; primores vrbis, quos Magister Saliorum delegisset, per vrbem circumferebantur, ac demum certo die condebantur. Id fiebat mense Martio: explicantq; hũc ritũ Dionysius lib. 2. & Plutarchus in Numa. Cæterùm ijs diebus omnibus, quibus ancilia mouebantur, tanta religio homines, vel potius superstitio habebat, nihil vt publicè geri, non arma capi, nõ castra moueri, non iter suscipi fas esset: & qui eam consuetudinem migrasset, sacer, improbusque haberetur: tum etiã quod egisset, infelix, infaustumq; eius capiti crederetur. Ad hũc morẽ pertinet Taciti locus Histor. 1. Fuere qui proficiscenti Othoni moras, religionemque nondum conditorum ancilium afferrent: aspernatus C omnem cunctationem, vt Neroni quoq; exitiosam, & Cæcina iam alpes transgressus extimulabat. Et Suetonij lib. 8. Expeditionem autem impigrè, & præpropere suscepit, sed & motis, necdum conditis ancilibus. Et Liuij lib. 37. statiua deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt, quia dies fortè, quibus ancilia mouentur, religiosi ad iter inciderant. Iidem dies P. Scipionem propiore etiam religione, quia Salius erat, seiunxerant ab exercitu. Lipsius Antiq. lect. lib. 5. cap. 16. Ancilia depingit Pierius lib. 42. in Scuto, quem lege.

DVCEBANT SACRA PER VRBEM PILENT. MAT.) Pilentis, & carpentis per vrbem vehi matronis concessum esse, quod cum aurum deesset, ex voto, D quod Camillus vouerat Apollini Delphico, contulerant, scriptum à Festo. Id Liuius quoque lib. 5. sic exponit. Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, vt pilentis ad sacra, ludosque, carpentis festo, profestoq; vterentur. In hunc autem locũ Seruius: Pilenta sunt vehicula, sicut nũc bastercas videmus.

Erant

Erant autem tunc veneti coloris, non vt nunc, russati, quibus nisi castæ matronæ vti non poterant. Quod & ab Isidoro refertur lib. 12. vbi & carpentum ab Horatio petorritum appellatum scribit. Diuersum porrò fuit à carpento & petorrito pilentum, vt pote mollius, quo & interdum per vrbem cum sacris solitas vehi Vestales Prudentius lib. 2. in Symmachum testatur. Ideoq; Capitolinus Zenobiam virilis spiritus fœminam vehiculo carpentario vsam, rarò pilento, equo sæpius. Pithœus lib. 1. cap. 5. Vide Alexand. Neapolit. de variis vehiculorum generibus lib. 2. cap. 30.

Matresfamiliâs intelligit, ait Turneb. lib. 11. cap. 6. quæ sacerdotiis præerant. Nam sacerdotes, & virgines etiam Vestales pilentis ferebantur. Prudent. lib. 2. contra Symmachum, *Fertur per medias vt publica pompa plateas Pilento residens molli.* Artemidorus. περὶ ἁρμάτων τετρώρων ita scribit. φησὶ δὲ ἀγαθὸν ἐλευθέραις γυναιξὶν ἅμαξαν καὶ παρθένοις πλουσίαις τὸ διὰ πόλεως ἅρμα ἐλαύνειν· ἀγαθὰς γὰρ ἱερωσύνας αὐταῖς προαγορεύει. De his matribus idem rursus lib. 13. cap. 8.

Ducere sacra, & ferre sacra dicuntur, qui res sacras, & quæ ad sacrum vtilia sunt, remque diuinam ferunt. Sic & apud Ciceron. Verrin. 6. Quæ manibus sublatis sacra quædam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant, canephoræ ipsæ vocantur. Nam canephoræ canistra ferebant, in quibus ea erant posita, quæ ad Quinquatria, aut Cerealia pertinebant. Horat. sat. 8. lib. 2. vt *Attica virgo Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes.* Idem, sat. 3. lib. 1. *sæpe velut qui Iunonis sacra ferret.* Varro libr. 4. de ling. lat. de sacra via. Qua sacra quot mensibus feruntur in arcem. Ferunt & sacra sacerdotes, id est, res sacras, aut sacris vtiles, & diis consecratas, dedicatasque, diisque sacrificant. Maro 2. Georg.

Me verò primùm dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore.

Matronæ autem honestæ apud Romanos in publicis sacris vehiculis vehebantur, in quibus sacra ferebant, quæ respexit Maro. Liuius lib. 34. de lege Oppia. Neu iuncto vehiculo in vrbe oppidóue, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussa veheretur. Adducit & illud testimonium è lib. 5. quod suprà posuimus. Turneb. lib. 2. cap. 14. * *Varia sunt genera vehiculorum, vt carrum, qui & carrus, plaustrum, carpentum, sarracum. Sed hæc oneribus vehendis. Gestatoria, carruca, cisium essedum, rheda, petorritum, flaticulum. Thensæ erant sacra vehicula. Pilenta erant muliebria vectabula matronarum.* Pilentis mollibus, *id est, pensilibus. Sunt autem pensilia gestatoria, quos tremulos currus vocamus. Hæc summatim ex Budæo annotat. in Pand.*

TE CATILINA MINACI PEND. SCOP.) Ex opinione viuorum & sensu, ad mortuum hominem, & ad orcum demissum pœnam transfert acerbissimam, vt illic quoque honore sepulturæ careat, & in sublimi scopulo insepultus pendeat, quæ & apud tragicos imprecatio immanissima habebatur. vt apud Cic. 1. Tuscul. è veteri poeta.

——ipse summis saxis fixus asperis,
Euisceratus, latere pendens, saxa spargens tabo,
Sanie, & sanguine atro.

Turneb. lib. 23. cap. 3.

De exitu Catilinę & immani ferocia prodidit Salustius hæc in extrema historia Catilinaria. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari: laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere: omnia prouidere, multum ipse pugnare: sæpe hostem ferire: strenui militis, & boni imperatoris simul officia exequebatur. Paulò post. Postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catilina: memor generis, atque pristinæ dignitatis suæ, in confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur. Et infra, non longe. Catilina verò longè à suis inter hostium cadauera repertus est, paululum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat viuus, in vultu retinens. Adde his verba Velleij è lib. 2. Catilina fortissimè dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, patriæ reddidit.

HIS DANTEM IVRA CATONEM) Censorium significat, non Vticensem, qui contra Cæsarem bella suscepit. Et supergressus est hoc loco Homeri dispositionem: siquidem ille Minoem, & Rhadamanthum, & Æacum de inferis iudicare dicit: hic Romanum ducem innocentibus dare iura commemorat. Seruius.

Huius censorij Catonis laudatio extat apud Plin. lib. 7. cap. 27. Cæteris, inquit, virtutum generibus variè, & multi fuere præstantes, Cato primus Portiæ gentis, tres summas in homine res præstitisse existimatus est, optimus orator, optimus imperator, optimus senator: quæ mihi omnia, etiamsi non prius, attamen clarius fulsisse in Scipione Æmiliano videntur: dempto præterea plurimorum odio, quo Cato laborauit. Itaq; sit proprium Catonis, quater, & quadragies caussam dixisse: nec quemquam sæpius postulatum, & semper absolutum. Rursum lib. 14. cap. 4. Catonum ille primus, triumpho, & censura super cætera insignis, magis tamen etiamnum claritate litterarum, præceptisq; omnium rerum expetendarum datis generi Romano, inter prima verò agrum colendi, illius æui confessione optimus, ac sine æmulatione agricola. De eodem Seneca epist. 17. M. Catonem Censorium tam Romano populo profuit nasci, quàm Scipionem: alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit.

FLVCTV SPVMAB. CÆRVLA CANO) Dicebat fuisse auream maris imaginem, quomodo igitur statim subiungit *cærula?* sed ad genus ipsum respexit, mare enim cæruleum, & cærula pro mari. Erat igitur cælatura illa habens maris faciem, quamuis non colorem. De spuma autem marina venustè Catull. de nupt. *Tortáq; remigio spumis incanuit vnda.* Et, *Emersere feri canenti è gurgite vultus.* ἅλα πολιὰ mare canum à Græcis poetis dicitur. Ab Anacreonte apud Hephæst. πολιὸν χῦμα.

ARGENTO CLARI DELPHINES) Cur delphines in maris superficie se vibrantes imminentem significent tempestatē, caussam Physicam leges apud Rhodigin. lib. 8. cap. 6. in extremo.

ÆSTVMQVE SECABANT) Naturalem rem ostendit. Nam semper mare turbatur, cum delphini apparuerint.

IN MEDIO CLASSES ÆRAT. ACTIA BELLA) Descriptionem huius belli ex Velleij li. 2. proponemus, ex qua hæc Maroniana descriptio non parum lucis accipiet, & qui nam vtriusq; finis, Antonij, inquam, & Cleopatræ fuerit, perspicietur. Cæsare deinde, & Messalla Coruino Coss. debellatum apud Actium, vbi longè antequam dimicaretur, exploratissima Iulianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles, atque imperator: illa, marcebant omnia: hinc reges firmissimi, illinc inopia adfectissimi: nauium hinc magnitudo modica, sed celerior: ex aduerso, illa specie terribilior. hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem quotidie aliqui transfugiebant. Denique in ore, atque oculis Antonianæ classis per Marcum Agrippam Leucas expugnata, Patræ captæ, Corinthus occupata, bis ante vltimum discrimen classis hostium superata. Rex Amyntas meliora, & vtiliora sequutus, inde illius exemplo vir

audax

audax Dolabella, virque clarissimus Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium nunquam reginam nisi nomine salurauit, maximo, & præcipiti periculo transmisit ad Cæsarem. Aduenit deinde maximi discriminis dies, quo Cæsar, Antoniusque productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicauere. Dextrum nauium Iulianarum cornu M. Lario commissum, læuum Aruntio, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium. Cæsar ei parti destinatus, in quam à fortuna vocaretur, vbique aderat. Classis Antonij regimen Publicolæ, Sosioque commissum. At in terra locatum exercitum Taurus Cæsaris, Antonij regebat Canidius. Vbi initum certamen est, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites: in altera nihil præter milites. Prima occupat fugam Cleopatra, Antonius fugientis reginæ, quàm pugnantis militis sui comes esse maluit: & imperator, qui in desertores sæuire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Illis etiam detracto capite, in longum fortissimè pugnandi durauit constantia: & desperata victoria, in mortem dimicabatur. Cæsar quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitánsque, & ostendens fugisse Antonium, quærebat pro quo, & cum quo pugnarent. At illi quum diu pro absente dimicassent duce, ægrè summissis armis, cessere victoriam: citiusque vitam, veniamque Cæsar promisit, quàm illis vt ea precarentur persuasum est. Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem fugacissimi militis functum officio. Viderit, è suo, an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerat, qui ad eius arbitrium direxit fugam. Idem locatus in terra fecit exercitus, quum se Canidius præcipiti fuga rapuisset ad Antonium. Quid ille dies terrarum orbi præstiterit, ex quo, in quem statum peruenerit fortuna publica, quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat? Victoria verò fuit clementissima, nec quisquam interemptus nisi paucissimi, & hi qui deprecari quidem pro se non sustinerent. Non prætereatur Asinij Pollionis factum, & dictum memorabile. namq; quum se post Brundusinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset vnquam reginam, aut post eneruatum amore eius Antonij animum, partibus eius se miscuisset, rogante Cæsare vt secum ad bellum proficisceretur Actiacum, Mea (inquit) in Antonium maiora merita sunt, illius in me beneficia notiora: itaque discrimini vestro me subtraham, & ero præda victoris. Proximo deinde anno persequutus reginam, Antoniumque Alexandriam, vltimam bellis ciuilibus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter interemit, adeò vt multa desidiæ crimina morte redimeret. At Cleopatra frustratis custodibus illata aspide, morsu sanè eius, expers muliebris metus, spiritum reddidit.

FERVERE LEVCATEN) In promontorio Epiri, est mons Leucates.

Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar,
Cum patribus, populoq;, penatibus, & magnis diis,
Stans Celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumq; aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis, & diis Agrippa secundis
Arduus, agmen agens: cui belli insigne superbum
Tempora nauali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica, variisq; Antonius armis
Victor ab Auroræ populis, & littore rubro
Ægyptum, viresq; Orientis, & vltima secum
Bactra vehit: sequiturq; (nefas) Ægyptia coniux.
Vnà omnes ruere, ac totum spumare reductis
Conuulsum remis, rostrisq; stridentibus æquor.
Alta petunt: pelago credas innare reuulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Tanta mole viri turritis puppibus instant:
Stupea flamma manu, telisq; volatile ferrum
Spargitur: arua noua Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro,
Necdum etiam geminos à tergo respicit angues.

HINC AVGVSTVS AGENS ITALOS) Cum de statu Reipub. esset longa contentio inter Augustum, Antonium, & Lepidum, placuit, vt totum Orientem teneret Antonius: Augustus Galliam, Hispanias, cum Italia: Lepidus Africam, Sardiniam, Siciliam. Ad caussam maioris fidei Antonius sororem Augusti duxit vxorem. Profecti itaque sunt in prouincias suas. Sed Antonius in Ægypto captus est amore Cleopatræ, non vsquequaque, adeo vt ea dimissa, contra Parthos proficisceretur: quibus victis, dum Cleopatræ cupiditate festinat, exercitum omnem frigore in Armenia perdidit: ipse cum paucis ad Ægyptum est reuersus, vbi ei suadere cœpit Cleopatra, vt se sortiretur vxorem, derelicta sorore Augusti. Quo facto Augustus vehementer incensus, contra eam cœpit bella moliri. Antonius re comperta, collectis orientis viribus, prior cum vxore venit ad bellum: conflictum est nauali certamine circa Actium Epiri promontorium,

vbi victi sunt Antonius, & Cleopatra, & in fugam coacti. Postea occiso Antonio, illa sibi serpentes adhibuit. Sed quia ciuilis triumphus turpis videbatur, laborat poeta, vt probet iustum bellum fuisse, dicens, Augustum esse *cum patribus, populoque, Penatibus, & magnis diis.* Contra cum Antonio auxilia peregrina, & monstrosa Ægypti numina. Et reuera in Antonij exercitu omnes barbari fuerunt, quod & Virgil. dicit. Vnde etiam de hoc bello egit triumphum: nec enim ciuile putatum est, quod tantummodò Romano duce gestum est, qui & ipse barbaræ seruiebat vxori, adeo, vt prætoria ei castra concederet, quorumque potiebatur imperio, ipsa vocabat exercitum. Vnde est illud de Cleopatra, *patrio vocat agmina sistro.* Nam Antonius consulare tantum sibi detinuit imperium. Ille enim ducit exercitum, qui habet in potestate castra prætoria. Seruius. * *Quanam caussa fuerint belli Actiaci, quæque gentes auxilia vtrisque partibus venerint, docebit Xiphilinus in Augusto. Omen infaustum Antonio fuit, quod pueri Antoniani, & Cæsariani Romæ biduo pugnarunt, & victi sunt Antoniani. Idem Xiphilinus. De eodem breuiter Manilius lib. 1.*

Necdum finis erat, restabant Actia bella
De tali commissa acie, repetitaque rerum
Prælia, & in ponto quæsitus rector olympi,
Fœmineum sortita iugum cum pompa tetendit,
Atque ipsa Isiaco certarunt fulmina sistro.

AVGVSTVS CÆSAR) In eodem foro (Lacedæmone) delubra sunt duo, Cæsari alterum, ei nempe qui primus apud Romanos solus imperare concupiuit, & nouam constituit reipub. formam: alterum eius filio Augusto dicatum, qui & imperium confirmauit, & in eo cum dignitate, tum verò opibus augendo, paternam gloriam facile superauit. Cognomen verò Augusti idem planè voce ipsa pollet, quod Græcorum lingua σεβαστὸς, id est sanctus, ac ipsa quasi numinis cuiusdam maiestate colendus. Pausan. in Laconicis. Vnde, & quare appellatus sit Augustus, docebit te Sueton. cap. 7. * *Quare posteri Cæsares dicti, & Augusti, fuisseque Augustorum nomine affectas etiam vxores, sorores, & filias Augustorum, tradit Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 2. Eo tamen vti noluerunt Traiani vxor, & soror, gloriosius sibi ducentes vocari, illa coniugem, hæc sororem Traiani Imp. Plin. in Panegyrico. Tiberius autem, vt proditum est litteris à Suetonio, cap. 26. cum prænomen Imperatoris, cognomenque patris patriæ, & ciuicam in vestibulo coronam recusasset, ne Augusti quidem nomen, quamquam hereditarium, vllis, nisi ad reges, & dynastas epistolis addidit.*

CVM PATRIBVS) Vide quæ hic à Germano ex Tacito afferuntur.

CVI TEMPORA FLAMMAS LÆTA VOM.) Ad oculos eius referendum putant, de quibus Sueton. cap. 7.

PATRIVMQVE APERITVR VERT. SID.) Iulij Cæsaris nummi post mortem eius signati cum stella nunc super vertice, nunc ante frontem, nunc post ceruicem, de quo dictum in Eclog. 5. *Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.* Ex quo autem tempore per diem stella visa est, dum sacrificaretur Veneri genitrici, & ludi funebres Cæsari exhiberentur (cuius sidus putatum est, Augusto persuadente) in honorem patris Augustus stellam in galea cœpit habere depictam.

VENTIS, ET DIIS AGRIPPA SECVNDIS) Velleius lib. 2. Ædificandis nauibus, contrahendoque milite, ac remige, naualibusque assuescendo certaminibus, atque exercitationibus præfectus est M. Agrippa, virtutis nobilissimæ, labore, vigilia, periculo inuictus, parendique, sed vni, scientissimus: aliis sanè imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes positus, consultisque facta coniungens.

Tacitus libr. 1. M. Agrippam ignobilem loco, A bonum militiæ, & victoriæ socium, geminatis consulatibus extulit: mox defuncto Marcello generum sumpsit. De hoc eodem Solinus, cap. 4. prius declarata ratione nominis: Contra naturam est, in pedes procedere nascentes. Quapropter velut ægrè parti appellantur Agrippæ. Editi minus prospere viuunt, & de vita æuo breuiore decedunt. Denique in vno M. Agrippa felicitatis exemplum est: nec tamen vsque eò inoffensæ, vt non plura aduersa pertulerit, quàm secunda. Nam & misera pedum valetudine, & aperto coniugis adulterio, & aliquot notis retrouersi ortus omen luit. De hoc Agrippa, quantum Cæsari profuerit, quantosque ab eodem honores consecutus sit, Xiphilinus in Augusto.

B TEMP. NAVALI FVLGENT ROSTRAT. CORONA) De bello Siculo, quod cum Pompeio gestum est, Velleius libr. 2. Insigne coronæ classicæ, quo nemo vnquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Turneb. lib. 26. cap. 29. Seneca de benef. lib. 3. Agrippa nauali corona insignis, vnicum adeptus inter dona militaria decus. Naualì corona solet donari, qui primus armatus in hostium nauim transilierit ait Festus. Habebat autem speciem rostrorum naualium.

VARIISQVE ANTONIVS ARMIS) Plin. lib. 32. cap. 1. vbi disserit de admirabili potestate echeneidis pisciculi, qui naues retinet etiam in procella, & vento (quod quidam pro fabuloso ducunt) fertur, inquit, Actiaco Marte tenuisse prætoriam nauim Antonij properantis circumire, & exhortari suos, donec transiret in aliam. Ideoque Cæsariana classis impetu maiore protinus venit.

C ET LITTORE RVBRO) Id est, à littore maris rubri, seu Erythræi. Hoc autem falsò sic nominari, docet Brod. lib. 3. cap. 9. Quod Græci, inquit, mare Erythræum à rege Erythra, qui ibi (vt mea fert opinio) regnauit, appellant, hoc Latini rubrum dixerunt: alij, solis repercussu talem reddi colorem existimantes: alij ab arena, terraque: alij, tali aquæ ipsius natura, vt scribit D Plinius. Plura affert Strabo. Sæpenumero de multis sciscitatus sum, qui tempestatibus in hoc eiecti, quique etiam hoc, peregrè in has regiones profecti, multos dies contemplati essent, an veritati consentirent, quæ de eius rubra aqua, & arena partim vulgò iactarentur, partim etiam à claris hominibus, litteris mandarentur: quorum nonnulli infantiam meam mirari, alij stultitiam meam ridere, qui mihi fucum fieri non sentirem. Neminem porrò adhuc tam stolidum nautam reperi, qui mare illud rubrum nuncupatum, ab Oceano nostro quidquam differre prædicaret. Quare explosa, reiectaque quorundam scriptorum mentiendi licentia, Curtium rectè lib. 8. iudicantem aliquando amplectamur. E Mare certè quo alluitur, ne colore quidem abhorret à cæteris. Ab Erythra rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt. Hebræi quoque græcas nugas perosi tamsup, id est mare caricosum, Plinio non repugnante, appellant, hoc syluis refertum esse lib. 13. memoriæ prodente. Quæ in eo arbores nascantur, docet lib. περὶ φυτῶν δ. Theophrastus.

VIRESQVE ORIENTIS) Testatur hoc alicubi & Pausanias. Idem in Bœoticis. In partibus Antonij prope omnes fuere, præter Mantinenses.

VLTIMA BACTRA) Vltima, non quantum ad fines spectat orbis terrarum, sed vltima imperij Antoniani: constat enim Bactrianos post se habere gentes innumeras. Seruius.

SEQVI-

SEQVITVRQVE (NEFAS) ÆGYPTIA CON.) Exclamatio est, non in eo tantum, quod Ægyptiam Romanus duxerat, sed etiam quod mulier castra sequebatur, quod ingenti turpitudine apud maiores fuit: vnde bellaturus Pompeius, in Lesbo vxorem reliquit. Seruius.

Quod Seruius hic ait, infame fuisse apud veteres, ducere secum in castra vxores, indicat verum esse Propert. lib. 4. epist. Arethusæ, ad Lycotam maritum.

Romanis vtinam patuissent castra puellis,
Essem militiæ sarcina fida tuæ.

Et locus ille M. Tullij Philipp. 5. vbi ea de caussa irridet Antonium his verbis. Centuriones, quos bene de repub. sentire cognouerat, eosque ante pedes suos, vxorisque suæ, quam secum, grauis Imperator, ad exercitum duxerat, iugulari coegit. Apud Senecam Controuers. lib. 9. de Flaminio. Hic est Flaminius, qui exiturus in prouinciam, vxorem à porta dimisit. Augusti temporibus non ita fuisse vsitatum, indicant verba Suetonij cap. 24. Disciplinam seuerissimè rexit. Ne legatorum quidem cuiquam nisi grauatè, hybernisque demum mensibus permisit vxorem interuisere. Apud Tacitum lib. 3. Annal. Cæcina censet, ne quem magistratum, cui prouincia obuenisset, vxor comitetur, allatis rationibus haud spernendis. Verùm paucorum assensu auditur, & ei Messalinus in partem alteram qualibus qualibus argumentis respondet. Addit pauca Drusus de matrimonio suo. Nam Principibus sæpe adeunda longinqua imperij. Quoties D. Augustum in Occidentem, atque Orientem meauisse comite Liuia? se quoque in Illyricum profectum, & si ita conducat, alias ad gentes iterum, haud semper æquo animo, si ab vxore carissima, & tot communium liberorum parente diuelleretur. Hactenus Tacitus. Duxit item coniugem secum in expeditionem, quod ego legerim, ipse Germanicus Cæsar, vt videbis apud Tacitum, Mithridates Ponti rex, Belisarius Iustiniani dux strenuissimus. Silius quoque lib. 3. Punicor. Imilcen vxorem Annibali adiungit in castris, & in ipsa obsidione Sagunthi, quam tamen Alpes transiturus dimittit. Alexander quoque M. militibus vxores habere in castris permisit. Auctor Iustin. lib. 12. De mulieribus, quomodo castris plane prohiberentur, Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 12. ✱

Pro corollario admisceamus aliqua ex Lipsio de Milit. Rom. lib. 5. dial. 18. Enimuerò non Romani solùm hic ita casti, sed Macedones, & Græci: ac de Philippo rege proditum, quod is bello in Thebanos, cum duo iuuenes psaltriam mercede conductam in castra induxissent, re cognita, ambos extra fines regni sui relegârit. Non ante multa sæcula ipsa Germanorum natio, quæ maximè nunc istic peccat, morem, aut legem hanc habuit in castris. Extat in Ligurino Guntheri poetæ, qui tum vixit, inter res Friderici primi Imperatoris in Italia gestas ista lex.

Non erit in nostris nobiscum fœmina castris.
Qui reus extiterit, spoliis nudatus abibit
Turpiter, & naso mutilabitur illa resecto.

De Cleopatræ fortuna in illo nauali prælio Ouid. lib. 15. Metamorph.

Romanique ducis coniux Ægyptia tædæ
Non bene fisa cadet: frustraque erit illa minata
Seruitura suo Capitolia nostra Canopo.

De eadem, & Antonio pugna Actiaca victis, & fugatis exultat Horat. libr. 1. Ode 37. vbi præterea infaustum mulieris huius, generosum tamen interitum tangit: A quippe quæ toto corpore venenum à morsu aspidum, quas ipsa sibi admouerat, combibens decessit. Ab impudicitia, ambitione, πλεονεξίᾳ notissima est. Sed quod propter libidinem dominandi vel ipsum fratrem veneno perdidit, & sororem per Antonium Ephesi sustulit, & alios insuper consanguineos luce spoliauit, hæc paucis comperta arbitror. Hæc fœmina, vbi intra vngues suos Antonium conclusit, eius auctoritate, potentiaque ad explendam cupiditatem suam inexplebilem abusa est: nec aduersus eos, quorum opes, & pecunias adamauerat, hominem irritare, & extimulare vnquam destitit. Vndecunque lucri alicuius odor afflabatur, eò ipsa toto animo, apertisque faucibus fere- B batur: nec templorum, nec sepulcrorum sanctitatibus parcebat, & furto etiam, ac sacrilegio quæsita ad se deriuare nihil verebatur: omnia eodem ordine habebat, sacra profana, priuata publica: quin regna integra, & prouincias per scelus adiungere sibi contendebat: nec quidquam immensæ eius cupidini satis esse poterat. Iosephus Antiquit. lib. 15. cap. 4. Belli lib. 1. cap. 13. Pactum ei Romanum imperium ab Antonio affirmat & Propert. lib. 3. eleg. 10.

Coniugis obscæni pretium Romana poposcit
Mœnia, & addictos in sua regna patres.

ROSTRISQVE STRIDENTIBVS) tridentibus legendum.

C MONTES CONCVRR. MONT. ALT.) Nempe & Florus docet tantas structuras, molesque Antonio fuisse exitio, cui assentitur ille Prudentij locus.

Institerant tenues cymbæ, fragilesque phaseli
Inter turritas, Memphitica rostra, liburnas.

TVRRITIS PVPPIBVS) Ab Agrippa genus id turrium inuentum scribunt, quæ de tabulatis subitò erigerentur, simulac in prælium foret ventum, ad quod allusit poeta. Rhodigin. lib. 29. cap. 27.

TELIS VOLAT. FERRVM SPARGITVR) Ambitiosè, vt loquitur, Seruius. Tela sparguntur, quæ non sunt sine ferro. Sed quanto hoc venustius, volatile ferrum telis spargitur?

D ARVA NOVA NEPT. CÆDE RVB.) Noua cæde, id est, magna, nimia. Nam non dicit reuera noua, quum alia fecerint bella ciuilia, & cædes aliæ in ipsis. Seruius.

✱ Hic mihi illud Horatianum occurrit, ex Ode 7. Epod.

Parúmne campis, atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?

Considera porro libertatem poetæ, etiam arua Neptunia *vocare audet, quæ alibi campos liquentes, campos salis. Plaut. ni fallor, Neptunia prata.*

REGINA IN MEDIIS) Verisimile est, Propertium recordatum huius loci, cum illa scriberet indignabundus in Cleopatram, lib. 3. eleg. 10.

Scilicet incesti meretrix regina Canopi
Vna Philippeo sanguine adusta nota,
E *Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubim,*
Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis nostra liburna sequi,
Fœdaque Tarpeio conopea tendere saxo,
Iura dare statuas inter, & arma mari.
Quid nunc Tarquinij fractas iuuat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si mulier patienda fuit? cape Roma triumphum
Et longam Augusto salua precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili,
Accepere tuæ Romula vincla manus.
Brachia spectaui sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.

PATRIO SISTRO) Ex Plutarcho docet Turneb. A sistrum, instrumentum Ægyptium, ab agitatione nomen cepisse (*σείω* est agito) quod concussum tinnitus argutos redderet, parte sui superiore rotundum, cælatumque. Vide plura apud German. in Paralip. Propria, & peculiaria fuisse Ægyptiis sistra, patet ex Ouid. Amor. lib. 3. eleg. 8. *Quid nos sacra iuuant, quid nunc Ægyptia prosunt Sistra?* Martial. lib. 12. de sacerdotibus Ægyptiis *Linigeri fugiunt calui, sistrataq; turba.* Ouid. de Ponto lib. 1. eleg. 1.

Ecquis ita est audax, vt limine cogat abire
Iactantem Pharia tinnula sistra manu?

Apuleius lib. 2. Metamorph. Miserere per cælestia sidera, & arcana Memphitica, & sistra Phariaca. Hæc & plura collegit Tiraquell. in Alexan. Neapolit. libr. 3. cap. 2.

NEC DVM A TERGO GEM. ANGVES) Aspides, quas brachiis admouit, vt earum veneno sibi mortem conciliaret. Pulcherrimam vestem induit, ait Xiphilinus, ornataq; elegantissimè, ac in lectulo recumbens mortua est, aspide ad se in vrnula portata, vel (vt quidam putant) brachio compuncto acu, qua solebat capillos suos crispos facere: quæ quod venenata esset, perceleré ei interitum attulit.

Omnigenûmq; Deûm monstra, & latrator Anubis,
Contra Neptunum, & Venerem, contraq; Mineruam
Tela tenent. sæuit medio in certamine Mauors,
Cælatus ferro, tristesq; ex æthere Diræ.
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos iam iamq; immittere funes.
Illam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens vndis, & Iapyge ferri.
Contrà autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemq; sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium, latebrosaq; flumina victos.

OMNIGENVMQVE DEVM MONSTRA) Nulla gens B Ægyptiis superstitiosior fuit, qui deos etiam sub forma bestiarum, & rerum aliarum coluerunt. Consule Diodor. libr. 1. cap. 4. vbi etiam caussæ 3. afferuntur, quare Ægyptij animantia pro diis venerarentur, & in fine cap. aliæ duæ. Strabon. libr. 18. Apuleium lib. 11. Herodot. lib. 2. Lactant. lib. 1. cap. 20. lib. 2. cap. 14. & 5. cap. 21. Rhodigin. lib. 16. cap. 5. & lib. 2. cap. 17. Versus Iuuenalis adscribentur è sat. 15.

Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hac, illa pauet saturam serpentibus ibin.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci.

LATRATOR ANVBIS) Cynopolitarum deus in Æ- C gypto fuit Anubis, quem cum capite canino figurabât. Proditum memoriæ, eum vnà cum Osiride gigantes ex Italia pepulisse. Fuisse autem canino capite, inde fictú, quod Isidis, & Osiridis corpora custodierit, quod quidem canibus peculiare est. Eáque de caussa in veteribus nummis canem galeæ insculptum videre licet. Pierius lib. 5.

CONTRA NEPTVNVM, ET VEN.) Homerum sequitur, qui deos dicit contra se pro diuersis partibus habere certamen, dum alij scilicet Græcorum, alij Troianorum partes tuentur. Seruius.

TRISTESQVE EX ÆTHERE DIRÆ) Diræ propriè sunt vltrices deæ: & bene has interesse dicit prælio ad puniendum Antonium, qui matrimoniale læserat fœdus. Seruius.

SCISSA DISCORDIA PALLA) De Discordia repete, quæ annotauimus ad Eclog. 1. ibi, *En quo discordia ciues Perduxit miseros.* Aristides Orat. de concordia ad Rhodios, vtriusque imaginem ita concipit. Debetis itaque non secus, ac si pictor aliquis vtriusque vobis imaginem proposuisset, aut etiam poeta quis descripsisset, alteram decoram, concinnam, boni coloris, gratiosam, secum per omnia consentientem, è cælo reuera ad homines delatam: alteram visu maximè formidabilem, capite supino, labris liuidis, oculis distortis, inflatam, recentibus perfusam lacrymis, manibusq; rapacibus, gladio in pectus inclinato, exilibus, & obliquis pedibus, vndique circumposita, veluti reti, caligine tenebrosa, per quam pleraque in sepulchris, non in templis visantur. debetis igitur harum alterutram vicissim aspicientes, &c.

CVM SANGVINEO FLAGELLO) Virgis autè sanguineis fruticibus, vt terror inesset in cruento earum colore: aut quæ ad horrorem, vt existimo, cruentabantur, quibus parricidæ cædebantur. Et Fecialis hasta sanguinea, & cruenta bellum indicebat. Liuius lib. 1. vt Fecialis hastam ferratam, aut sanguineam præustam, ad fines eorum ferret. Credibile fit, huc respicere Virgilium. Turneb. lib. 8. cap. 23. Vide lib. 12. in illum versum, *circumq; atra formidinis ora Iraq;, insidiaq; Dei comitatus aguntur.*

BELLONA) A veteribus Duellona, vt duellum bellum, soror, & vxor Martis, vt ait Augustin. in Ciuit. Marti equos, & currum instruit, vt Statius canit in Thebaide. Vide Gyrald. Syntag. 10.

ACTIVS ARCVM INTEND. APOLLO) Significatur Apollo ille qui in Leucadio littore colebatur, atque ita littoralis vocabatur, & ludis triennalibus, & gymnicis, & Circensibus, naualibusq; celebrabatur: ná Apollini grata esse littora, ostẽdit Homerus in eius hymno, scribens ἀκταί τ' εἰς ἅλα κεκλιμέναι, λιμένες τε θαλάσσης. Actij Apollinis mentio est apud Apollonium. Sed & templũ quoq; Actij Apollinis in Magnesię finibus fuisse, Hyginus tradit his verbis. Callimachus autem in ijsdem finibus, ad Actij Apollinis templũ, quod Argonautæ proficiscentes statuisse existimantur, in eo loco, qui Pagasæ vocatur. Turneb. lib. 21. cap. 9. * *Propriè sagittarij arcum dicuntur intendere. Translatè in Sextiana M. Cicero. Fuerat ille annus tanquam in Repub. magno metu, & multorum timore intentum arcum in me vnum. Dicimus quoq; alicui animum intendere. Idem 2. Verrin. Quibus rebus, quid ipse speret, & quo animũ intendat, facile perspicit. Apollinem semper ex Homero Virgilius Troianis, Troianorumq; nepotibus fauentem inducit, blandiens in arte & Augusto, qui, vt Alexander tacitus etiam natales suos ad Draconem, tanquam ad primordia quadam immortalitatis referebat. Lege catera apud German. in Paralip.*

Ennius Alcmæone.

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum luna innixus.

Ad hosce versus eruditè Hieron. Columna. Effingebant, inquit, veteres Apollinis simulacra cũ telo, arcu, & pharetra. Qui si telum in manib⁹ habeat, dicitur esse noxius. Statius. 1. Thebaid. *arcu crudelis iniquo Pestifera arma iacis.* Cum verò recondit, placidus, & beneuolus. Hinc Homerus principio Iliad. sagittas ante omnia ei tribuit, eundemque facit, & pestilentiæ, & salutis auctorem. *Neq; enim semper*, vt ait Horatius Ode 10. lib. 2. *arcum Tendit Apollo*, qui frequentius ἀκέσιος, & ἀλεξίκακος esse solet, malaque propellere, quam immittere. Cum verò noxius est, Apollinem ferunt dictũ ἀπὸ τοῦ ἀποβάλλειν, hoc est, ab iaciendo. Is porrò non hominibus tantum formidabilis erat, sed vt Proclus Lycius testatur in hymnis, ipsis dæmonibus, qui hominibus perniciosi sunt. Lege cætera, si videtur.

ÆGYPTVS, ET INDI) Indos ait, vt arbitror, quia Antonius vires Orientis, & vltima secum trahebat Bactra: nunc latius accipit hoc nomen. Animaduerti enim, nomine Indię antiquos latissimè esse abusos, vt Æthiopes etiam eo significarent, vt 4. Georg. *Vsq; coloratis amnis deuexus ab Indis.* Et ibid. *Imbellem auertis Romanis arcibus Indum.* Parthum enim significat, credo ꝙ Parthis India etiã pareret, & in eorũ præsidijs Indi etiã militarẽt. Hyginus, Iouis in India Thebas Thebaidos nomine nutricis suæ, quę hecatompylæ appellãtur, ideo ꝙ centũ portas habent. Hic Hyginus Indiam etiã appellauit superiorẽ Ægyptum, Æthiopiæ finitimam, in qua erant Thebæ. Rursus. Liber in India Ammonem. Ita mediterranea Africæ Indiæ nomine afficit: quod quidẽ & nostrates faciunt, qui, quidquid propemodum transmarinum huc affertur, ex India aduectũ dicunt. Sic fabas Indicas nominant, triticum Indicum, gallinas Indicas. Ne multa, quidquid domi nostræ non nascitur, pęne Indiæ ferim⁹ acceptũ. Turneb. lib. 21. c. 9.

VNDIS, ET IAPYGE FERRI) Nostri namque Galli (inquit Phauorinus è Gallia oriundus, apud Gellium lib. 2. cap. 22.) ventum ex sua terra flantem, quem sæuissimum patiuntur, Circium appellant, à turbine opinor, eius, ac vertigine: ἰάπυγα ex ipsius Apuliæ ora proficiscentem, quasi finibus Apuliæ eodem, quo ipsi nomine, Iapygem dicunt. Eum esse propemodum Caurum existimo. Nam & est occidentalis, & videtur aduersus Eurum flare. Itaque Virgilius Cleopatram è nauali prælio in Ægyptum fugientem, vento Iapyge ferri ait: equum quoque Apulum eodem, quo ventum vocabulo appellauit lib. 11. hoc verò, *procul Orphitus armis Ignotis, & equo venator Iapyge fertur.* * *De fuga Cleopatra in Ægyptum, quomodo Cæsaris captiua tam blanda sit, quo pacto Antonius ibidem mortem sibi consciuerit, & in fine Cleopatra obierit, hac omnia ex Dione Xiphilin. in Augusto.*

MAGNO CORPORE NILVM) septemfluo. In Georg. *magnumq; fluentem.*

VOCANTEM CÆRVL. IN GREMIVM) Hoc de historia est. Nam legitur, Cleopatram præsagio mortis futuræ oblitam esse recessus Ægypti petere, in quibus poterat facile bella reparare, de qua re se moriens dicitur increpasse. Seruius.

At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho
Mœnia, dijs Italis votum immortale sacrabat,
Maxima tercentum totam delubra per vrbem.
Lætitia, ludisq; viæ, plausuq; fremebant.
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi strauere iuuenci.
Ipse sedens niueo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatq; superbis
Postibus. incedunt victæ longo ordine gentes.
Quàm variæ linguis, habitu tam vestis, & armis.
Hîc Nomadum genus, & discinctos Mulciber Afros,
Hîc Lelegas, Carasq;, sagittiferosq; Gelonos
Pinxerat: Euphrates ibat iam mollior vndis:
Extremiq; hominum Morini, Rhenusq; bicornis,
Indomitiq; Daæ, & pontem indignatus Araxes.
Talia per clypeum Vulcani dona parentis
Miratur: RERVMQVE IGNARVS IMAGINE GAVDET,
Attollens humero famamq;, & fata nepotum.

Triplici triumpho) Tres enim Augustus habuit triumphos: nam primo die triumphauit exercitus, qui Antonium vicerat: secũdo, qui Dalmatas: tertio ipse cum Alexandrino est ingressus triumpho. Seruius.

Votum immortale sacrabat) Hoc est, nuncupatis votis debitum consecrabat. In quam sententiam, & verba Valerius lib. 1. In quo cum Marcellus quintum consulatum gerens, templum Honori, & Virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, nũcupatis votis debitum consecrare vellet, à collegio augurum impeditus est. German.

Omnib. in temp. matrum chorus) Matrum meminit signatè, quoniam in precibus, & supplicationibus, & omnino in colendis sanctè cælestibus, præcipua solet esse laus mulierum: rectèque D. Augustin. deuotum fæmineum sexum vocauit. Ibat igitur populus in supplicationibus gratulatum dijs per templa omnia, idque aliquando etiam 50. diebus, qualis nomine trium Imperatorum Hirtij, Pansæ, & Octauij decreta est. Vide Philipp. 14.

Ante aras terram cæsi str. iuuen.) In pompa Romani triumphi, secundum tibicines, qui modos triumphales faciebant, ibant boues albi, cornibus inauratis, vittis, ac sertis reuincti, ad sacrificium Ioui, dextra, læuaque popæ succincti, aureas, argenteasque pateras præferentes. Oratio bouis immolandi ad Iouem perquam lepida est apud Arnobium, lib. 7. cuius partem attexam. Ergóne ô Iupiter, aut quis alius deus es, humanum est istud & rectum, aut æquitatis alicuius in æstimatione ponendum, vt cum alius peccauerit, ego occidar, & de meo sanguine fieri tibi patiaris satis, qui nunquam te læserim, nunquam sciens, aut nesciens tuum nomen, maiestatemq; violarim. Animal, vt scis, mutum, naturæ meæ simplicitatem sequens, nec multiformium morum varietatibus lubricum. Nunquid aliquando tuas laudes minus sanctè, diligenterque perfeci, &c.

Eidem Ioui libenter, & multos boues albos victor mactabat Marcus Imp. In quem proinde illud iactatum, sanè iocosum. Οἱ λευκοὶ βόες μάρκῳ τῷ καίσαρι, ἂν σὺ νικήσῃς, ἡμεῖς ἀπωλόμεθα. Id est, candidi boues Marco Cæsari. Si tu viceris, nos perijmus. Addam his duas γνώμας aureas Philonis lib. De plantatione Noe. *Deus omnes male sibi conscios, etiam si quotidie centum boues immolenti auersatur: insontes vero, etiam si quotidie centum boues immolent, auersatur: insontes vero, etiamsi nihil omnino sacrificent, amplectitur, Gaudet enim Deus aris nullo igne calentibus, quas cingit virtutum chorus.* Idẽ eod. li. *Nemo malus sacrificat reuera, etiamsi perenni sacrificio decem millia boum immolaret quotidie. Nam præcipua victima mens ipsa, non est integra: lesis vero nõ est fas aras attingere.*

Niueo candentis lim. phoebi) In templo de solido marmore effecto, allato à portu Lunæ.

Dona recognoscit pop.) Aurum coronarium dicit. Id specie triumphorum vel oblatum, vel exactum. Origo fuit, vt socij, & amici victori Imperatori coronas aureas offerrent, quasi gratulantes, & meritũ ei caput cingentes, quæ ante ipsum in triumpho prælatæ, populo ostendebantur. Postea inualuit, vt pro ijs pecunia, & aurum in coronas offerretur, & hoc propriè aurum coronarium. Errat itaque Seruius, qui ad hunc poetę locum ita scribit. Aurum coronarium dicit, quod hodie à victis gentibus datur, Imponebant autem hoc Imperatores propter concessam vitam. Non enim ab ipsis iam victis ob vitam datam, sed à socijs amicisque vt dixi, datum tamen in pecunia, titulo coronario. Vt

A apud Polybium in Fragmentis. οἱ γραικοὶ ἐστεφάνωσαν τὸν ἀντίοχον τὸν βασιλέα πεντακοσίοις ἀργυρίου ταλάντοις: Græci coronarunt Antiochum regem quingentis argenti talentis. Hæc carptim ex Lipsio de magnitud. Romana lib. 2. cap. 9.

Quam variæ linguis) Lucret. lib. 5. *Quóue modo genus humanum variante loquela Cœperit.* Vnde & μέροπες ἄνθρωποι.

Discinctos mulciber afros) *discinctos* dixit, inhabiles militiæ: omnes enim qui militant, cincti sunt, aut certè inefficaces. Vnde & græcè εὔζωνος appellatur, non qui bonam habet Zonam, sed qui est strenuus. Seruius.

B Macedonum lex erat militaris, vt qui miles hostem non occidisset, non militari cingulo, sed capistro cingeretur: quod apud Carthaginenses seruatum legimus, vt discinctos, postremos homines ducerent, tametsi Afrorum peculiaris feratur mos, fluxa tunica, & discinctos incedere. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20. Iuuenal. Sat. 8. *Cum tenues nuper Marius discinxerit Afros.*

Inter pœnas militares fuit etiam, discingi, & turpi habitu prostitui, nempe vt parum viros. Liuius lib. 26. de Marcello. Centuriones manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladijs, discinctos destituit. Sueton. de Aug. cap. 24. Pro cætero delictorum genere varijs ignominijs affecit, vt stare per totum di-
C em iuberet ante Prætorium, interdum tunicatos, discinctosque. Plutarchus de Catullo. Quosdam notauit, vt discincti fossam foderent, exercitu spectante. Zosinus de Iuliano lib. 3. Amictos veste muliebri per castra duxit, ratus militibus qui viri essent, eam pœnam grauiorem morte futuram. Hæc Lipsius lib. 5. de Milit. dial. 18.

Multa epitheta sunt apud Virgil. quæ ab ipso facta creduntur: sed ea traxit à veteribus, partim simplicia, vt Mulciber de Vulcano, quod ignis sit, & omnia mulceat, ac domet, petulcus hœdus, liquidus ignis, tristesque lupini, id est amari, auritus lepus. Partim composita, vt arcitenens, syluicolæ, veliuolum, vitisator, noctiuagus, bimembres, caprigenum. Vide Macrob.
D Saturnal. lib. 6. cap. 5. Mulciber, inquit Festus, à mulcendo ferro dictus est: mulcere enim mollire, siue lenire est. Pacuuius, *Quid me obtutu terres, & mulces laudibus.*

Euphrates ibat iam mollior vnd.) tanquam scilicet sese submittens, & Augusti dominatum agnoscens.

Extremique hominum morini, rhenusque) Mentio est Morinorum, & Rheni, quod imperante Augusto Carinas Morinos, & Sueuos deuicerit, de ijsq; Augustus triumphârit, vt à Dione scriptum est lib. 51. Turneb. 23. cap. 5. Hi sunt, vt docet Seruius, in finibus Galliæ, qui Britanniam spectant. Sic & Homer. Æthio-
E pas ἐσχάτους ἀνδρῶν.

Rhenusque bicornis) Etsi corinigeri amnium dij finguntur, vnde & tauriformis Aufidus ab Horatio dicitur Ode. 14. lib. 4. tamen etiam cornua amnium ipsorum ostia, & ora dicuntur, vt hic Rheni, exit enim duobus ostijs in Oceanum. Sic & Valerius lib. 8.

Haud procul hinc ingens Scythici ruit impetus Istri,
Fundere non vno tantum quem flumina cornu
Accipimus.

Indomitique dahæ) Intimæ Scythiæ Asiaticæ populi sunt Dahæ, seu Daæ, seu Dasæ, ad extremum ferè veteribus cognitum orientem Stephano περὶ πόλεων, lib. 7. Pomponio lib. 1. cap. 8. & lib. 3. cap. 21. & Plinio lib. 16. cap. 17. Notauit Delrius in Senecam.

Pon-

PONTEM INDIGNATVS ARAXES) Non abs re dictum est à Marone. Nam vt refert Isidorus lib. 13. cap. 21. cum Alexander eum transgredi vellet, ponte fabricato, tanta vi inundauit, vt pontem dirueret. Seruius notat id Xerxem conatum fuisse facere. Turneb. lib. 19. cap. 20. Hunc fluuium Eustathius vult nomen sortitum ἐκ τοῦ ἀγανακτεῖν τῇ ζεύξει τοῦ ῥεύματος. Sed tamen pontem Augustus imposuit, Vnde, indignatus pontẽ. Magnus scriptor Plutarchus, ipse quoque suo verbo quod huic Latino respondet, vsus est, de nouo vino, oleoque loquens: dixit enim ipsa indignari, cum feruet scilicet vinum, & quasi pati non potest, se claudi, & vase aliquo contineri: eodemq; pacto recens oleum non ita quietum, sedatumque est ardens in lucernis, vt postea, cum tanquam maturitatem sensit: quo tempore non scintillat, atque vt Virgiliano verbo vtar, indignatur. Verba Plutarchi in Sympos. quæst. sunt hæc. τὸ γὰρ τὸν οἶνον νέον ἐστὶ μόνον ζεῖν, καὶ ἀγανακτεῖν. τὸ δὲ ἔλαιον, ἂν ᾗ νεουργὸν, ἐν τοῖς λύχνοις. Victor. lib. 36. cap. 10.

RERVMQVE IGNARVS IMAGINE GAVD.) Nondum rem ipsam gestam cognouerat, immo nec cogniturus erat: veruntamen illis futurorum imaginibus, & præuijs significationibus admodum recreabatur. Ita puto intelligendum, quod ait Seruius, ignarus erat veritatis.



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER XIV.

Ad nonum Aeneidos.

SYNOPSIS.



APud Euandrum gerebantur, quæ libro præcedente commemorata sunt, veneratq; eius suasu in Tusciam Æneas, auxilia quæsiturus. Non se deserit Juno interea, Irim ad Turnum, in luco forte auum Pilumnum quibusdam cærimonijs colentem, eiq; feriantem amandat, ad Troianorum castra, summi ducis præsentia destituta fidenter inuadenda cohortatur. Occasione ista optari meliorem nullam posse. Exhilaratus eo viso Turnus, sustollit in cælum manus venerabundus, ibiq; signa fausta conspiciens, ingentes concipit animos, hausta aqua de flumine lustratur, deos orat, vt cogitata procedant feliciter. Confusæ hactenus copiæ ordinatim disponuntur: ita quadrato, perpetuoq; agmine, Turno in medio supra omnes eminente atq; conspicuoq;, per patentem campum ad obsidenda Troianorum castra Rutuli gradiuntur. Illi è sublatis longè lateq; puluerum nubibus, hostis aduentum præcipiunt: Caicus primus reliquos commilitones ad arma corripienda, parandamq; propugnationem impellit. Minimè cunctandum rati Troiani, ad portas custodes constituunt, muros defensoribus complent. Cupiebant illi quidem vehementer exire, & æquo campo cum hoste confligere, ni eos Æneæ interdictum continuisset. Nam is ad Euandrum abiens, vt rerum militarium scientissimus, seriò iusserat, si ab hostibus peterentur, quoniam exiguo essent numero, ne foras se darent: sed oppugnationem exciperent, ac bellum mœnibus propulsarẽt. Turno mora nimis longa, & incessus copiarum suarũ videri lentior. Quare cũ aliquot selectis equitibus antecedit, equo Thracio insidens, Latinos ad vrbem adoriendam incendit: contortoq; iaculo eius rei initium ipse facit. Sequitur alacriter, & acclamat imperatori suo exercitus. Troianos pro effœminatis, & ignauis habent, qui prodire, & se in campum dare non audeant.

Verùm

Verùm quid eos intus teneret, iam diximus: animos quidem non minus quàm illi Martios, cominusq; congrediendi, vt vir virum, pes pedem premeret, cupidissimos gerebant. Turnus instar lupi famelici, ouile circumeuntis, & vestigantis lanienæ suæ aditum, castra circumibat, lustrabatq; diligenter, nuncubi posset irrumpere, & obsessos elicere mirificè auebat: quibus, multitudine suorum confisus, facilè superiorem se futurum in spe summa habebat. Naues videt, quibus in Latium appulsi Troiani fuerāt. His, quò fugere mari amplius non possent, & in terra pauci plurimis resistendo breui consumerentur, incendium primus infert. Sed diuinitus ab exustione seruatæ sunt. Quo autem istuc modo, antequam narret, Musarum opem, vt in re veteri, & obscura inuocat. Fuerunt illæ ædificatæ, cæsa in Ida monte materia. Qui mons cùm sit in tutela Berecynthiæ deûm matris, rogauit illa Iouem filium, hoc sibi daret, hasce naues omnis periculi expertes, ac tutas esse concederet. Visa est petere nimium, & plus quam honestè vel à deo tribui posset. Nauigatione finita, in deas marinas cōuersum iri ꝑmittit Iupiter, iureiurādo sancit ꝑmissa. Ponitur oratio Berecynthiæ, Troianos vetantis flammā restinguere (quia exuri nequeant) & naues iubentis deas fieri: metamorphosis continuò sequitur. Rutulis portento stupefactis, Turnus id Troianis malo fore auguratur, quibus auxilium fugæ, perditis nauibus, ereptum sit: & cum pauci numero sint, tot gentibus terra obiecti, ad vnum omnes perituri videantur. Oracula deorum in Italiam aduentu, & sede contemnit: sibi contra in fatis esse, eos delere: Menelaum imitaturum, qui pro rapta coniuge bellum gesserit, vrbemq; Ilium exsciderit. Cætera eiusdem oratio plena est fastus, plena despicientiæ Troianorum: immò & Græcorum, quos, vt imbelles, carpit, qui tam diu obsidionem duxerint. Tandem corpora vti curent, & ad pugnam se comparent, edicit. Ad portas castrorum Messapus iussu Turni excubias disponit, delectis quatuordecim centurionibus, & vnicuiq; centum adiunctis militibus, qui vices variant, colludunt, & noctem poculis siccandis agunt. Troiani vigiliis seruandis, periculoq; prouidendo, & tenendis stationibus officij sui munus præstabant. Portam vnam custodiendam Nisus, & Euryalus, duo amici memorabiles acceperant. Nisus senior cum Euryalo iuniori consilium suum de nuntio Æneæ in Tusciam perferendo, eoque fortunis iam propemodum in extremo sitis accersendo, idq; per media statiua hostium, somno ac vino grauatorum aperuisset, ille in omnia pericula socium se indiuiduum, quamuis inuito, & obnitente Niso, obtulit, & adiunxit. Excubitores expergefacit, qui sibi in statione succedant: ambo ad Ascanium, consiliū à se captū proposituri concedunt. Noctis multū præterierat, & Ascanius cū proceribus deliberationem habebat, deq; salute communi consultans, quemnam ad patrē posset expedire nuntiū, sententias rogitabat. Improuisi adsunt, quos dixi, iubenteq; Ascanio, Nisus quid veniant edictat, rei perfici vnde occasionem ostendit, gloriosi reditus spem bonam dat. Alethes senex vtriusq; spiritum admiratus, eos complectitur, à deo in primis, tum etiam ab ipso Ænea, eiusq; filio mercedem tantæ virtuti pollicetur: quam se venerari, & exosculari ipse etiam Ascanius significat, grandia & varia persoluturum se præmia spondens, præsertim si Italiam obtinere contingat. In Euryalum verò tanquam coæuum, non vulgarem amantis affectum exhibet: cuius matrem commendante eam sibi adolescente, Troianisq; collacrymantibus in fidem suam recipit, & quidquid filio debeat, hoc se matri redditurum (subintellige, si quid secus Euryalo acciderit) iuratus promittit. Mox suo illum gladio donat. A Mnestheo Nisus pellem leoninam fert, cum eodem galeam Alethes permutat. Quid amplius? cum bonis ominibus, & votis ad portas à concilio deducuntur. Ascanius multa patri perferenda mandat: sed dijs aliter visum: viui enim ad Æneam non peruenerunt. Suis egressi, Rutulorum castra ineunt: sopore victos, & inermes passim per herbam iacere conspiciunt. Nisus Euryalum stare velut in excubijs iubet, ipse ferro trucidatis corporibus, viam aperire insistit. Strages edita describitur. Postea Euryali facinora sequuntur, quem incautius pergentem reuocat Nisus. Aliquid spoliorum secum portantes egrediuntur, in equitum turmas incidunt, qui Laurento ad Turnum, Volscente magistro mittebantur. Euadente Niso, hæsit in eorum manibus Euryalus, & frustra deprecante socio, confossus occu-

sus occubuit. Quem tamen vindicans Nisus, ipsum Volscentem interfecit: atque ita demum vulneribus ipse quoque confectus, supra amici corpus se proiiciens, animam exspirauit. Equites in castris luctum, propter tot à duobus illis Troianis trucidatos offendunt. Diluculo, hortante Turno, Rutuli muros inuadere constituunt, capita Nisi, & Euryali præfixa contis ad terrorem Troianis incutiendum ostentant. Spectaculum mæstum cum omnibus, tum præcipuè parenti Euryali infelicissimæ, quæ omnia eiulatu, & lamentis complere. Oppugnatio castris admouetur acerrima, eademq; ad vnguem declaratur, rursumque Musæ inuocantur. Turrim ligneam, vnde se cuneus Troianorum tuebatur, Turnus coniectis facibus inflammat. Cedunt, qui erant intus, flammæ: & dum vnum in locum densantur, cadens versus hostem turris eos, telis suis, fractarumque tabularum cuspidibus indutos, & transfixos, ac morientes effundit: res spectatu misera videlicet. Helenor, & Lycus tantùm salui euadebant: quorum prior cùm se in mediis hostibus constitutum cerneret, non secus quam aper truculentus in medio venatorum contra venabula nisus oppetiit. Posterior, dum in muro hæret adhuc, porrectisque sociorum dexteris attrahitur, à Turno reuellitur, & interficitur. Enumerantur vtrinque occisi. Ascanius tum primum sagittis in hostem vti cœpit, primumque Numanum Turni affinem, hominem ventosissimum, suos immodicè prædicantem, ac Troianos indignissimè lacerantem sternit, suis gratulantibus. Laudat iuuenem è nubibus Apollo, deq; eius posteritate ominatur optimè. Formam deinde cuiusdam Butæ hominis longæui capessens, suadet, ne quid vltra: satis modò magnum suæ virtutis documētum dedisse, periculum vitet. Idipsum ei, auctoritate freti Apollinis (quem illius veteli formam, & habitum simulasse nō erant nescij) Troiani inculcant. Ad pugnam animosi redeunt, hostes cōstanter, ac fortiter repellunt. Pandarus, & Bitias fratres procerissimis præditi corporibus, maximisque viribus, creditam suæ fidei portam reserant, hostem prouocant. Rutuli irrumpentes sæua cum strage reprimuntur. Confertim eo prouolant Troiani, & audent etiam extra portam proferre pedem, dum hostem exigunt. Præter alios Turnus re intellecta confestim accurrit, & Bitiam obtruncat. Fugiunt Troiani, Latinis instantibus. Pandarus magna vi portam occludit, atque ita nonnullos de suis excludit, & hostes aliquot, in iisque ipsum Turnum includit: cuius aspectu, & armis perturbationem Troiani in se concipiunt. Cum ei Pandarus, vt capto insultaret, telumque frustra coniiceret, est ab eo miserè dissecto per medium capite neci datus. Latebras quærunt obsessi. Et potuisset tum Turnus portis patefactis accipere suos, belloq; finem imponere, nisi ei cædis cupido nimia mentem abstulisset. Quo sæuiente, & occidēte quamplurimos, coeunt in consilium Troiani. Mnesthei obiurgatione instaurant animos, factoq; globo Turnū vehementissimè premunt: qui tamen semel, & iterum in eos dat impetū audacissimè. Verùm vbi crescentem semper inuadentium copiam diutius sustinere se posse desperauit, sudans, fessus, & anhelus cum cedendo ad portam venisset, quà Tiberis præterlabebatur, armatus insiluit, & ad suos exspectatissimus tranauit.

In hoc libro mutatio est rerum omnium. nam & personæ, & loca alia sunt, & aliud negotium incipitur. Ab Ænea enim transit ad Turnum, à Tuscia ad Ardeam, à petitione auxiliorum, ad bellum. Quem transitum ad Turnum quidam culpant, nescientes Virgilium prudenter iunxisse superioribus negotiis sequentia, per illam particulam, *Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur*, scilicet dum offeruntur arma, dum dantur auxilia. Sanè formatus est iste liber ad illud Homeri, vbi dicit, per noctem egressos esse Diomedem, & Vlyssem, cùm capto Dolone castra penetrarunt: nam partem maximam, & oeconomiæ negotium inde habet. Seruius.

EXPLANATIONES.



TQVE ea diuersa penitus dum parte geruntur,
Irim de cælo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum. luco tum fortè parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est.
Turne, quod optanti diuûm promittere nemo

Auderet, voluenda dies en attulit vltro.
Æneas vrbe, & sociis, & classe relicta,
Sceptra Palatini, sedemq; petit Euandri:
Nec satis: extremas Coriti penetrauit ad vrbes:
Lydorumq; manum, collectos armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus:
RVMPE MORAS OMNES, & turbata arripe castra.
Dixit, & in cælum paribus se sustulit alis,
Ingentemq; fuga secuit sub nubibus arcum.
Agnouit iuuenis, duplicesq; ad sidera palmas
Sustulit: ac tali fugientem est voce secutus.
Iri, decus cæli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? vnde hæc tam clara repentè
Tempestas? video medium discedere cælum,
Palantesq; polo stellas. sequar omina tanta,
Quisquis in arma vocas. & sic effatus, ad vndam
Processit, summoq; hausit de gurgite lymphas,
Multà deos orans: ONERAVITQVE ÆTHERA VOTIS.

DIVERSA PENITVS PARTE) Admodum remotè ab A eo loco in quo Turnus. Infrà mox

Æneas vrbe, & sociis, & classe relicta,
Sceptra Palatini, sedemq; petit Euandri:
Nec satis, extremas Coriti penetrauit ad vrbes.

IRIM DE CÆLO MISIT) Iris quasi ἔρις dicta est, nunquam enim ad conciliationem mittitur, sicut Mercurius, qui ob ■ εἰρηνοποιὸς, & pacificator dictus: sed ad disturbationem, lites, dissensiones, etsi non semper: & est ministra non tantùm dearum, sed & deorum. Et Virgilius hoc probat dicens, *Aëream cælo nam Iupiter Irim Demisit, germanæ haud mollia iussa ferentē.* Plato in Cratylo dictam vult à verbo εἴρειν, quod loqui significat, quia ipsa sit etiam ἄγγελος, id est nuntia, vt Mercurius, B & quia soleamus inprimis sermone nuntiare. De ea Gyrald. Syntag. 9. Natal. lib. 8. cap. 20.

LVCO PILVMNI PARENTIS SEDEB.) Hìc *sedebat* accipiendū reor de eo, qui mortuis feriatur. Nam tametsi ritu Romano deus postea est habitus Pilumnus, tamen à Turno, pro mortuo colitur. Sic denicalibus feriis resideri mortuos scripsit Tullius lib. 2. de leg. & Hesychius καθέδραι, inquit, πένθους ἡμέραι ἐπὶ τετελευτηκόσι. Turneb. lib. 23. cap. 3. Abusiuè autem dixit, parētis, pro auo. Nam pater Turni Daunus fuit.

Verbum *sedere* etiam in luctu vsitatum, de iis, qui feriabantur. Tibull. lib. 1. eleg. 6. *Illius ad tumulum fugiam, supplexq; sedebo.* Propert. lib. 3. eleg. 14.

Afferet huc vnguenta mihi, sertisq; sepulcrum
Ornabit, custos ad mea busta sedens.

Neque aliter intelligendum illud è libr. 6. *sedet, æternumq; sedebit Infælix Theseus.* Plin. lib. 14. cap. 14. Aristonidas artifex, cum exprimere vellet Athamantis furorem, Learchum filium præcipitare volentis, & præcipitato illo residentis pœnitentiam, &c. Residere pœnitentiam dixit, vt Plaut. Capt. *Venter gutturq; resident esuriales ferias*, pro, sedendo agunt. Cic. quoq; 2. de Leg. denicales ferias appellat, quib. residentur mortui, quod sedendo scilicet mortuis feriarentur. Torrent. in Iulium Suetonij, cap. 4. Turneb. in 2. de leg.

Germanus ad Pilumni ἀποθέωσιν potius respexisse putat: Cùm enim diis ex hominibus factis heroibus lucum sacrare antiquitati sollemne esset, vt lib. 8. innuit Virgil illis versibus,

Syluano fama est veteres sacrasse Pelasgos
Agrorum, pecorisq; deo lucumq; diemq;.

verisimile est Turnum, tum in valle Pilumno sacra, tanquam in sacro, & religioso loco consedisse, solitum quotannis ei diuinos honores instituere. *Parentis*, abusiuè, vt suprà dictum.

SACRA VALLE) Ideo sacrata, quia nunquam est locus sine religione.

THAVMANTIAS) Thaumantis filia dicitur idcirco Iris, quod admirationem eius aspectus facit hominib. θαυμάζω enim est admiror. Et quemadmodum apud Homerum Iris ad Agamemnonem, ita hic ad Turnum, ad miscenda omnia, mittitur: ibi à Ioue, hic à Iunone.

QVOD OPTANTI DIVVM PROMITT. NEMO AVD.) Tale quid apud Comicum in Phorm.

—— Dij vostram fidem,
Quam sæpe temere eueniunt, quæ non audeas
Optare?

Huc trahendum quoque Ciceronis de Pompeio dictum, orat. pro lege Manilia. Hoc breuissimè dicam, neminem vnquam tam impudentem fuisse, qui à diis im- C mortalibus tot, & tantas res, tacitus auderet optare, quot, & quantas dij immortales ad Cn. Pompeium detulerunt.

VOLVENDA DIES) Voluendus, quod futuri videtur temporis, si Grammaticis credimus, tamen in præterito vsurpatum reperimus, pro, volutus, vt hic, & Æneid. 1. *Triginta magnos voluendis mensibus orbes.* Et apud Lucret. lib. 5. *Sic voluenda ætas commutat tempora rerum.* Et rursum lib. 6. *Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.* Et iterum. *Quà voluenda micant æterni sidera mundi.* Sed & voluens perpessionis significatione positum, non inelegāter apud illos duos poetas perpolitos animaduertimus. Æneid. 1. *olim voluentibus annis,*

annis, quod græcè est περιπλομένων ἐνιαυτῶν. Lucret. li. 5. *Multaq́ per cælum solis voluentia lustra.* Rursus apud Maronem 1. Georg. *Tardaq́ Eleusinæ matris voluentia plaustra.* Valet enim, quæ voluuntur, vel quæ voluunt se. Turneb. lib. 30. cap. 19.

SEDEMQVE PETIT EVANDRI) In Vaticano quodam volumine, pro *petiuit*, legi *petit*, disyllabum, docet Politian. cap. 71. quod & metri ius cogit: alioqui prima syllaba vocis Euandri contra omnem rationem, vel cõsuetudinem breuis fieret. Est autem spondeus quinta sede, & syllaba posterior in verbo, *petit*, vel quia sit infine, vel quia coaluerit vna ex duabus, iure producta est. Martianus Capella syllabam docet vbiq; esse communem, quæ desinit in, t, litteram, sicut in illo cernimus Virgilij, *Nam tibi Thymbre caput Euandrius abstulit ensis.* Petit, pro petiuit, syncopa est. Quales illæ apud Lucret. lib. 1. & 6. in verbis irritat, & disturbat. *sed eò magis acrem Virtutem irritat animi. Quos exitus hic animas Disturbat vrbes.* Notat Priscianus, fumât, capit, audit, & similia habere vltimam syllabam circumflexam, si patiantur Syncopen. Ex Lamb. in Lucret.

EXTREMAS CORITI PENET. AD VRBES) Quia occurrebat, ab Euandro eum facilè posse reuerti. Coritus est mons Tusciæ, dictus à Corito rege, ex cuius vxore Iupiter Dardanum genuit. Seruius

COLLECTOS AGRESTES) quò minus timendi, tanquam militiæ imperiti.

RVMPE MORAS OMNES) Ouid. *Rumpe moram, semper nocuit differre paratis.* Virgil. alibi. *Eia age rumpe moras.*

TVRBATA ARRIPE CASTRA) Aut arripe, & turba, aut turbata inuade propter absentiam Æneæ.

PARIBVS ALIS) Bene addidit, *paribus alis*: nisi enim pari nixu præstare volatum non possunt: nam si vna est debilis, incolumis verò altera, perinde sunt, ac si ambæ vexatæ sint. Donatus.

INGENTEM ARCVM) Cur iris, cum imago sit solis, longè ipso sole maior appareat, expedit rationem Seneca Natural. lib. 1. ca. 6. Etiam Georg. 1. nominatur ingens arcus, & *bibit ingens arcus.* Vide ibidem Symbolam. Vbi notandũ, quod habet Nonius. Arcus omnis suspensus fornix appellatur: arquus non nisi qui in cælo apparet, quem Irim poetæ dixerunt. Vnde & arquati dicuntur, quibus color, & oculi virent, quasi in arqui similitudinem. Lucret. lib. 6. *Tum color in nigris existit nubibus arqui.* Priscian lib. 6. ex 3. Cic. de nat. deor. probat arcum arci, in secunda quoque declinatione dici, pro arcu cælesti. Sic verò Cicero. Cur auté arci species non in numero deorum reponatur? Propert. cæruleum, Tibull. imbriferum arcum nominat. De eius pulchritudine sic est in Ecclesiastico. Vide arcum, & benedic qui fecit illum. Valde speciosus est in splendore suo. Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ: manus excelsi aperuerunt illum. Multa de eo Pererius Comment. tom. 1. in Genesin. ✱

SVB NVBIBVS) Rectè, quoniam sine nubis beneficio non videtur.

IRI DECVS CÆLI, QVIS TE MIHI) Homer. Iliad. 9. Ἶρι θεὰ τίς τ' ἄρ σε θεῶν ἐμοὶ ἄγγελον ἧκε.

VIDEO MEDIVM DISCED. CÆLVM) Non hiatus modò, quod chasma dicitur, sed peruolitantes etiam fulgetræ cælum videntur diuidere, itemque fulmina, de quibus Lucret. lib. 6. *Ne trepidus cæli diuisis partibus amens.* Et lib. 3. *Diffugiunt animi terrores, mœnia mundi Discedunt.* diuiduntur & hiant, dissipantur, disparantur. Cic. de hiatu terræ, Quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus. * *Quemadmodum cælum sic etiam terra dicitur discedere. Vt vidisti, cum nimirum ad aliquam altitudinem desidet cum terramotu, aliàue de caussa hiatum facit, & voraginem. Hos Latini hiatum vocant, & græcè etiam chasma dicitur.*

PALANTESQVE POLO STELLAS) quasi vagantes, & discursantes.

SEQVAR OMINA TANTA. Q. IN ARMA VOCAS) sic lib. 4. *Sequimur te sancte deorum Quisquis es.*

HAVSIT DE GVRGITE LYMPHAS) Solebant Romani ante bella vota nuncupare, & in nũcupatione lustrare se aqua. Plutarch. in Mario. ἐνταῦθα νιψάμενος ὁ Μάριος τὰς χεῖρας, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀνασχὼν, ηὔξατο τοῖς θεοῖς κατὰ ἑκατόμβας. Atque inde Marius, cùm manus lauisset, in cælum eas sustulit, deosq; veneratus est. Persius sat. 2.

Hæc sanctè vt poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terq́, & noctem flumine purgas.

Turneb. lib. 25. cap. 30.

Seruius existimat ad augurum morem respexisse Virgilium, apud quos fuerat consuetudo, vt si post acceptum augurium ad aquam venissent, inclinati haurirent inde manibus, & fusis precibus vota promitterent: vt visum perseueraret augurium, quod aquæ intercessu disrumpitur. Vnde etiam in 12. lib. visum auguriũ, quod aquæ intercessu disrumpitur, firmum est. Cygnus enim ab aquila dimissus in fluuium decidit, *prædamq́ ex vnguibus ales Proiecit fluuio.* Hinc videtur etiam Turnus minimè potuisse liberari.

ONERAVITQVE ÆTHERA VOTIS) Haud dispar est hoc Tibulli li. 3. eleg. 3. *Quid prodest cælum votis implesse, Neæra?* Multa, inquit, orans, & onerauit votis. Quibus verbis poeta satis docet, instititisse orare Turnum, multiplicasse, ac repetisse preces. Hîc tu mihi, pie lector, Chrysostomum ausculta, Homil. 3. ad pop. Antioch. *Homines, quando ipsis continuè negotium facessimus pro rebus nostris, languescunt, & tergiuersantur, & ægrè ferunt: deus autem prorsus in contrarium: non quando ipsum continuè oramus pro rebus nostris, sed quando hoc non facimus, tunc maximè indignatur.* Quidam exponunt, onerauit æthera votis, id est, diis diuersis pro sua, exercitusque sui salute diuersa vouit. Melius est referre ad conduplicatas preces. ✱

Iamq; omnis campis exercitus ibat apertis,
DIVES EQVVM, DIVES PICTAI VESTIS, ET AVRI.
Messapus primas acies, postrema coercent
Tyrrhidæ iuuenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur, arma tenens, ET TOTO VERTICE SVPRA EST:
Ceu septem surgens, sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Cùm refluit campis, & iam se condidit alueo.
Hîc subitam nigro glomerari puluere nubem

Proſpiciunt Teucri, ac tenebras inſurgere campis.
Primus ab aduerſa conclamat mole Caicus,
Quis globus ô ciues caligine voluitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros:
Hoſtis adeſt: eia. ingenti clamore per omnes
Condunt ſe Teucri portas, & mœnia complent.
Namq; ita diſcedens præceperat optimus armis
Æneas, ſiqua interea fortuna fuiſſet,
Ne ſtruere auderent acies, neu credere campo:
Caſtra modò, & tutos ſeruarent aggere muros.
Ergo, etſi conferre manum pudor, iraq; monſtrat:
Obiiciunt portas tamen, & præcepta faceſſunt:
Armatiq; cauis exſpectant turribus hoſtem.

CAMPIS EXERCITVS IBAT APERTIS) Intelligimus A hunc exercitum primum in campos cõfusè ruiſſe, poſt, digeſtum in ordines, vt ſit ſequentium fluminum congrua comparatio, quæ flumina dicit poſt camporum inundationem in alueos ſuos reuerti: nam hoc vult dicere. Vt de campis flumina in alueos redeunt: ſic digeſta in acies militum multitudo, quæ fuerat ante diffuſa. Seruius. Exercitus, ait Veget. lib. 2. cap. 1. ex re ipſa, atque opere exercitij nomen accepit: vt ei nunquam liceret obliuiſci, quod vocabatur. Varro, exercitus, quod exercitando fit melior. lib. 4. de ling. lat.

DIVES EQVVM PICTAI VESTIS ET AVRI) Veteres poetæ, præſertimque Lucretius, ſæpiſſimè ſoluebant diphthongum hanc, aï, poſitam pro, æ, quod ſolebat antiquitas. Cognoſce quę diſſerit Eyithræus ſuper ea, in Indice, voce, pictaï veſtis. Martialis quidem B hanc licẽtiam in poetis ſæculi ſui, ſicut & obſoletorum verborum vſum, contemnit.

Attonitusq́, legis terraï, frugiferaï,
Attius & quidquid, Pacuuiusq́, vomunt.

POSTREMA COERCENT) Coercere eſt ambire, continere, circumplecti. Exercitũ Turni equis pulcherrimè ornatis, ipſeque militibus picturatis, & auro intertextis veſtibus conſpicuis fuiſſe illuſtrẽ, ac diuitem autumat: pretiũ enim, & multitudo cultus, inquit Donatus, in bello auget hoſti terrorem. Veruntamen ſumptuoſiſſimus cultus Daricorum militum Alexandrum, & Macedonas minimè terruit. Proximi ibant (verba Curtij C refero de libro 3.) quas Perſæ immortales vocant, ad decem millia: cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honeſtabat. Illi aureos torques, illi veſtem auro diſtinctam habebant, manicataſque tunicas, gemmis etiam adornatas. Exiguo interuallo, quos cognatos regis appellant, decem, & quinque millia hominum. Hæc verò turba muliebriter propemodum culta, luxu magis, quàm decoris armis conſpicua erat. Infrà. Currum decem millia haſtatorum ſequebantur: haſtas argento adornatas, ſpicula auro præfixa geſtabant. Nunc audiamus de Macedonibus, quam illi fuerint pretioſè inſtructi. Contrà, ait Curtius, ſiquis aciem Macedonum intueretur, diſpar acies erat, equis, viriſque, nõ auro, non D diſcolori veſte, ſed ferro, atq; ære fulgentibus, agmen, & ſtare paratum, & ſequi: nec turba, nec ſarcinis prægraue. Similiter Perſico exerciuī ſuum inſtruxerat Antiochus Syriæ rex aduerſus Romanos, quibus Annibal ſuffecturũ dixit, ſi vel auariſſimi forent: ad luxum videlicet, non ad copias reſpiciens, & regem interogantem in ambiguo ludens. Habuit tamen militum fortiſſimorum manum Alexander, qui ab argenteis clypeis quos geſtabant, dicti ſunt ἀργυράσπιδες. De his Iuſtinus lib. 12. poſt hæc Indiam petit, vt Oceano, vltimoq́; oriente finiret imperium. Cui gloriæ, vt etiam exercitus ornamenta conuenirent, phaleras equorum, & arma militum argento inducit, exercitumq́ue ſuum ab argenteis clypeis Argyraſpidas appellauit. De iiſdem lib. 14.

Hic coercent, id eſt, οὐραγοῦσι, claudunt agmen, vt loquuntur Liuius, & alij ſæpiſſimè. Seruius explicat cogunt, colligunt.

MEDIO DVX AGMINE TVRNVS) Aquila circa medium totius legionis locabatur, eadem parte Imperator, vt exemplũ hoc oſtendit, & ratio poſtulat. Ibi enim imperator vt ſit oportet, vnde proſpiciat, & mandet facillimè in omnes partes. Is autem locus medius eſt, ſed paulùm tamen ad finem magis admotus. Nam inter Principes, & Triarios, ante aquilas, ſtetiſſe cenſeo Imperatorem. Argumento, quod is eius ſitus in caſtris, ante Principia dico, & aquilas. Itaque & Salluſtius de Catilina, ipſe cum libertis propter aquilam adſiſtit. Cum libertis, quos fidos habebat, & ad ſui cuſtodiam: ſicut Imperator Ablectos apud ſe, & quoſdam Euocatos. Lipſius de Milit. Rom. lib. 4. dial. 4.

VERTITVR, ARMA TENENS) Libri quidam hunc verſum non habent. Sunt qui de ſeptimo hunc tranſlatum opinentur.

SEDATIS AMNIBVS) Horatius quietam aquã dixit.

Non rura quæ Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

Et Tibull. de Cydno *tacitis qui leniter vndis Cæruleus placidis per vada ſerpit aquis.*

ALTVS PER TACITVM GANGES) Per profundã altitudinẽ tacitus. Germani, *Stille VVaſſer ſein gern tief.* De Gange ſic Plin. lib. 6. cap. 18. Hunc alij incertis fontibus, vt Nilum, rigantemq́; vicina eodem modò, alij in Scythicis montibus naſci dixerunt. Influere in eum 19. amnes. Ex iis nauigabiles præter iam dictos Conucham, Vamam, Erranoboam, Coſongam, Sonum, &c.

AVT PINGVI FLVMINE NILVS) Nilus arenoſo, & ſilenti ſolo, & aquam inducit, & terram. Nam cum turbulentus fluat, omnem in ſiccis, atque humidis locis fæcem relinquit: & quidquid pingue ſecum tulit, arentibus locis allinit, iuuatq́ue agros duabus ex cauſſis, & quod inundat, & quod oblimat. Ita quidquid non adit, ſterile, ac ſqalidum iacet. Si creuit ſuper debitum, nocuit. Mira æquè natura fluminis, quod cùm cæteri amnes abluant terras, & euiſcerent, Nilus tanto cæteris

teris maior, adeo nihil exedit, nec abradit, vt contrà adijciat vires, minimumque in eo sit, quod solum temperet. Illato enim limo, arenas saturat, ac vngit. Deberq; illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas. Seneca Natural. lib. 4. cap. 4. Huc etiam conferas quæ ex eodem philosopho protulimus Georg. 4. ibi scilicet, *effuso stagnantem flumine Nilum*. Item, *Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena.*

Cognitu digna, quæ de eodem nobilissimo fluuio prodidit Strabo lib. 1. *τῶν κατ' αἴγυπτον τὸ γνωριμώτατον, καὶ παραδοξότατον, καὶ μάλιστα πάντων μνήμης ἄξιον, καὶ ἱστορίας ὁ ποταμός ἐς δ' αὐτὸς αἱ ἀναβάσεις αὐτῦ, καὶ τὰ στόματα.* Omnium quæ in Ægypto sunt rerum celeberrima, maximeque admiratione, & memoratu digna est, B ac historia fluuius ille, eiusq; exundatio, & ostia. Infrà rursum, *Οἱ προσπλέοντες πρὸς τὴν αἴγυπτον, οὐδὲν πρότερον ἱστοροῦσι περὶ τῆς χώρας, ἢ τὴν τοῦ νείλου φύσιν, διὰ τὸ τοὺς ἐπιχωρίους μήτε καινότερον τούτου λέγειν ἔχειν πρὸς ἄνδρας ξένους, μήτ' ἐπιφανέστερον περὶ τῶν παρ' αὐτοῖς.* Qui ad Ægyptum appellunt, nihil prius in ea regione considerant, quam Nili naturam, quod Ægyptij neque quidquam magis inauditum peregrinis, neque illustrius suarum aliquid rerum habeant, quod narrent aduenis.

HIC SVBITAM NIGRO GLOM. P. NVB.) Ibat quidem tacitis gressibus exercitus Turni: sed nihil procuratum silentium profuit: prodidit quippe quamuis tatos puluis, & Troianis semper absente rege diligenti C cura sollicitis, quasi quidam nuntius aduentum insidiosi hostis indicauit. Donatus.

QVIS GLOBVS CALIG. VOLVITVR ATRA?) Furius Antias. *Omnia noctescunt tenebris caliginis atra.* Quis, admirantis est, hoc est, quantus globus, non interrogantis. Mutum, & cõmune signum ait esse Vegetius lib. 3. cap. 5. hostis aduentantis, quoties proficiscẽte turba exercitus, puluis ad similitudinem nubis surgit, hostiumque prodit aduentum. Et Liuius lib. 10. cum ex transuerso puluis velut ingentis agminis incessu motus apparuit. Paulo post. post altior, densiorque puluis equitum speciem, cogentium agmen dabat., Libr. 30. Densior deinde incessu tot hominum, equorumque oriens puluis signum propinquantium hostium fuit. Cæsar de bello Gall. lib. 4. Ii qui pro portis castrorum in statione erãt, Cæsari rem renuntiant, puluerem maiorẽ, quàm consuetudo ferret, in ea parte videri, quàm in partem legio iter fecisset, &c.

FERTE CITI FER. DATE TEL. SCAND. MVR.) Fatendum est, aliquid contra numerorum legem hunc poetam non raro sibi permisisse, non temere, sed vbi A præsertim duriore aliqua licentia, & minus vsitata vtendum erat, vt in hoc versu, in quo videmus non leui de caussa copulam, Et prætermissam, cum qua alioqui mẽsuræ lgitimæ rationem magis habuisset. Siquidem tam bello conuenire huic versui illa trium membrorum dissolutio videtur, atque ita nobis velut ob oculos festinantiam loquentis ponere, festinantiam inquam cum trepidatione coniunctam (& vero sæpe hęc duo ijsdem simul inesse cernimus: vnde etiam vno pro altero, nimirum trepidare pro festinare, sæpe dicitur) vt cum maiore etiam versus incommodo (id est, etiamsi nullum ex appositione subsidium versui fuisset) particulam illam omissurus fuisse videatur. Denique si ab hac lectione discedendum esset, non *& scandite*, sed, *ascendite* legere oporteret. Hen. Steph. de delect. lect. Virg.

HOSTIS ADEST: EIA INGENT.) Distinguendum, vt *Eia* militum properantium sit clamor.

MOENIA COMPLENT) Sic & Cæsar de bello Gall. Portas claudere, murum complere cœperunt.

NAMQVE ITA DISCED. PRÆCEP. OPT. ARMIS ÆN.) Excusatio Troianorum, ne portas timore clausisse viderentur. Seruius.

Mandatum notat militibus à discedente optimo imperatore datum, vt inferius paulò. *Quos bonus Æneas, si quando aduersa vocarent, Rectores iuueni*, &c. Imitatione, credo, illius Odyss. β. de Mentore, cui Troiam proficiscens Vlysses, rem Ithacensem, & domesticam omnem commendauerat:

Καί οἱ ἰὼν ἐν νηυσὶν ἐπέτρεπεν οἶκον ἅπαντα,
Πείθεσθαι δὲ γέροντι, καὶ ἔμπεδα πάντα φυλάσσειν.

Vt autem *optimus armis* ita Homer. Odyss. λ. *καὶ ἔγχεσιν εἶναι ἄριστος* German.

SI QVA INTEREA FORT. FVISSET) Si quis casus bellicus interuenisset. Fortuna est *τῶν μέσων*, hic aduersam denotat.

Æneas abfuturus, qui tractare nosset incerta bellorum, tale suis mandatum dederat, vt si aliqua emersisset certandi necessitas, nõ auderent struere aciem, nõ auderent se campo committere: sed solum aggerem, & castra tuerentur, quæ securitatem illis plenam præstare potuissent, magnam interea existimans esse victoriam, si suos remanens incolumes inueniret. Donatus.

PVDOR, IRAQVE MONSTRAT) Et pudor, & ira hortabantur, ac sollicitabant ad egressum, & eruptionem: sed reuerentia ducis intus retinebat.

PRÆCEPTA FACESSVNT) Lib. 4. *Imperio læti parent, ac iussa facessunt.* Ennius. 1. Annali, *latrones dicta facessunt.* Afranius, *Multa, atq; molesta es, potin', vt dicta facessas?*

Turnus, vt antevolans tardum præcesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, & vrbi
Improuisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaq; tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit mecum, ô iuuenes, qui primus in hostem?
En ait, & iaculum intorquens emittit in auras
Principium pugnæ, & campo sese arduus infert.
Clamorem excipiunt socij, fremituq; sequuntur
Horrisono: Teucrûm mirantur inertia corda,
Non æquo dare se campo, non obuia ferre
Arma viros, sed castra fouere. huc turbidus, atq; huc
Lustrat equo muros, aditumq; per auia quærit.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili,
Cùm fremit ad caulas, ventos perpessus, & imbres
Nocte super media: tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper, & improbus ira
Sæuit in absentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & siccæ sanguine fauces:
Haud aliter Rutulo muros, & castra tuenti
IGNESCVNT IRÆ, ET DVRIS DOLOR OSSIBVS ARDET:
Qua tentet ratione aditus, & qua via clausos
Excutiat Teucros vallo, atq; effundat in æquor.

TARDVM AGMEN) peditum, qui sunt equitibus tardiores.

VRBI) Troiæ, quam fecerat Æneas castrorum in morem. Vide lib. 7.

VIGINTI LECTIS EQVITVM COMITATVS) Seu pace, seu bello, semper stipatum, & comitatum decet esse Principem: & quidem lectissimis comitibus, ac stipatoribus, qui & corporum habitu ornamento eidem, & virtute animi præsidio sint, si res postulauerit.

MACVLIS ALBIS EQVVS THRACIVS) Magni facit equos Thracios Maro, & albo sparsos. Talem dedit etiam puero Priamo, Politæ filio, Priami regis nepoti, lib. 5.

———— quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis: vestigia primi
Alba pedis, frontemq́; ostentans arduus albam.

CRISTAQVE TEG. GAL. AVREA RVBRA) Ex armorum elegantia, & splendore noscitur dux in exercitu. Lib. 12. *& rubra cornua crista:* vbi eundem Turnum sese armantem inducit. De cristis alibi ex Lipsio scriptum à nobis.

IACVLVM INTORQ. PRINCIPIVM PVG.) Fecialis vbi bellum verbis conceptis indixisset, hastam in fines hostium emittebat, vt traditum etiam à Liuio lib. 1. in Anco Martio. Ad quem morem probabile est respexisse Virgilium: id quod etiam Seruius putat: neque apud Græcos aliter positum in more fuisse memini me vnquam legere, nisi quod pro hasta, facem igniferã iaculabantur. Vnde Euripid. in Phœnissis.

Ἐπεὶ δ᾽ ἀφείθη πυρσὸς, σῆμα φονίου
Μάχης.
Pugna cruenta symbolum postquam fuit
Emissa fax.

Titius lib. 4. cap. 13.

Romani quum vellent bellum indicere, Paterpatratus, id est, princeps Fecialiũ proficiscebatur ad hostium fines, & præfatus quædam sollemnia verba, clara voce dicebat, se bellum indicere, propter certas caussas, aut quia socios læserant, aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios reddiderant. Et hæc clarigatio dicebatur, à claritate vocis: post quam clarigationem hasta in eorum fines missa, indicabatur iam pugnæ principium. Seruius.

Refert Diodor. Siculus, & post eum Iustinus lib. 11. Alexand. Mag. cùm in Asiam traijceret, primum Macedonicam è naui hastam iaculatum, littori Asiæ eam infixisse, ac statim exiluisse de naui, visum quodammodo ope deorum captiuam terram occupare. Græcis verò in vsu fuit, vt Fecialis post res repetitas, si ad constitutum diem non darentur, arietem in hostium agros emitteret, eo modo bellum indictum, & armis vti licere arbitrati. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 3.

CLAMORE EXCIP. SOCII) Hastæ iactum clamore, & vociferatione comitantur. Lætis clamoribus suũ erga ducem studium, & spem in eo repositam declarant.

INERTIA CORDA) Non reuera inertia, sed sicut ipsis videbatur.

NON ÆQVO DARE SE CAMPO) sequentibus explicatur: non facere eos potestatem sui, campo aperto: sed vt mulieres latitare intra septa.

ADITVM PER AVIA QVÆRIT) etiam per auia. Sanè exprimitur Turni violentia, nam viam per auia nullus requirit. Hactenus Seruius.

AC VELVTI PLENO LVP. INSIDIAT. OVILI) Comparatio insignis, & plena energiæ, ad declarandã Turni impotentiam. Est autem natura lupi his versibus depicta scitissimè.

FREMIT AD CAVLAS) Caulæ à cauo dictæ sunt, inquit Festus. Antiquitus enim ante vsum tectorum oues in antris claudebantur. Lucret. lib. 2. quod & ante monui per *caulas corporis*, significat partes cauas, & inanes corporis vulgò meatus, seu poros. *Dispergunt animas per caulas corporis omnes.*

NOCTE SVPER MEDIA) vltra mediam noctem.

SÆVIT IN ABSENTES) Sumptum ex Vario de cane.

Si veteris potuit ceruæ comprendere lustra,
Sæuit in absentem, & circum vestigia lustrans
Æthera per nitidum tenues sectatur odores.

COLLECTA EX LONGO EDEN. RABIES) Longa cibi abstinentia, creat edendi rabiem, id est, rabiosam quandam cibi appetentiam. Pro maxima fame dixit eleganter *edendi rabies*: de hominibus alibi, *edendi amor.* Lib. 2. de lupis esurientibus *quos improba ventris Exegit cæcos rabies.*

SICCÆ SANG. FAVCES) Superiore lib. de Caco. *Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.* De catulis luporum lib. 2. *catuliq́; relicti Faucibus exspectant siccis*

HAVD ALITER RVTVLO) Ἀπόδοσις. Turnus est lupus, Troiani inclusi mœnibus, sunt oues in caula.

IGNESCVNT IRÆ) ira enim quidam ignis. Vnde ardere ira, inflammari, incendi, &c. Pythagoras in Symbolis, dum vetat ignem fodi gladio, prohibet iratum lacessere. Animus enim ira succensus, ac tumidus, bonis potius, ac mollibus, quàm duris, & malis verbis, tractãdus, & sanandus est. Mollis enim responsio, frangit iram.

EFFVNDAT IN ÆQVOR) Cogat æquo campo se committere, in campum descendere.

Classem

Classem, quæ lateri castrorum adiuncta latebat
Aggeribus septam circùm, & fluuialibus vndis
Inuadit: sociosq; incendia poscit ouantes:
Atq; manum pinu flagranti feruidus implet.
Tum verò incumbunt: VRGET PRÆSENTIA TVRNI,
Atq; omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos: piceum fert fumida lumen
Tæda, & commistam Vulcanus ad astra fauillam.
Quis Deus, ô Musæ, tam sæua incendia Teucris
Auertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. PRISCA FIDES FACTO, SED FAMA PERENNIS.
Tempore quo primùm Phrygia formabat in Ida
Æneas classem, & pelagi petere alta parabat:
Ipsa Deûm fertur genitrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Iouem: Da nate petenti,
Quod tua chara parens domito te poscit olympo.
Pinea sylua mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa, quò sacra ferebant,
Nigranti picea, trabibusq; obscurus acernis:
Has ego Dardanio iuueni, cúm classis egeret,
Læta dedi: nunc sollicitam timor anxius vrget.
Solue metus, atq; hoc precibus sine posse parentem,
Ne cursu quassatæ vllo, neu turbine venti
Vincantur: prosit nostris in montibus ortas.

CLASSEM QVÆ LATERI) Non potuit fecisse, quod fuerat primum. Conuertit se ad aliud, ne in totum nihil profecisse videretur. Occasionem quippe lædendi, atque nocendi vtcunque nauium vicinitas fecit, namq; adhærebant castris. Ex alia verò parte tutas reddebant circumfusi aggeres, & vnda fluuialis: sic tamen eas aggressus est, poscens incendia, quo facilius interirent. Donatus.

SOCIOSQVE INCENDIA POSCIT OVANT.) Hortatur suos ad ignes manib⁹ iniectandos, & exemplo mox præit, vt eos audaciores reddat. Rapit igitur facem prior, quàm in naues torqueat, cùm neque muros, neque aggerem labefactare possit.

VRGET PRÆSENTIA TVRNI) Nihil verius, nihil secundum moralitatem dici expressius potuit. Hoc solum ad implendos effectus sufficit, vt præsens sit, qui iubere potuerat: quin potius plus valet presentia, quàm iussio. Si enim iubeas, & recedas, potest iussio negligi: præsens verò etiam cùm nihil iubet, tacita præsentia videtur vrgere. Vnusquisque enim præsentiæ necessitate magis, magisq; compellitur facere, quod aduerterit esse faciendum. Donatus. * *Potest in prouerbialibus numerari hoc,* Vrget præsentia Turni, *cum volemus scilicet indicare, quod alio quodam, & noto adagione dicitur, oculus domini pinguefacit equũ. Occurrit etiam memoria illud Plauti Amphit.*

Nam vbi summus Imperator non adest ad exercitum,
Citius quod non facto est vsus, fit, quàm quod facto est opus

ATQVE OMNIS FACIBVS PVBES ACCING.) Ouid. 14. Metamorph. eandem tractans fabulam de seruatis, & mutatis in nymphas Æneæ nauibus.

——fert ecce auidas in pinea Turnus
Tecta faces: ignesq; timent, quibus vnda pepercit.
Iamq; picem, & ceras, alimentaq; cætera flammæ
Mulciber vrebat, perq; altum ad carbasa malum
Ibat, & incuruæ fumabant transtra carinæ.
Cùm memor has pinus Idæo vertice cæsas
Sancta deûm genitrix, tinnitibus æthera pulsi
Æris, & inflati compleuit murmure buxi.
Perq; leues domitis inuecta leonibus auras,
Irrita sacrilega iactas incendia dextra
Turne, ait. eripiam: nec me patiente cremabit
Ignis edax nemorum partes, & membra meorum.
Intonuit dicente dea: tonitrumq; secuti
Cum saliente graues ceciderunt grandine nimbi.
Aëraq; & tumidum subitis concursibus æquor
Astræi turbant, & eunt in prælia fratres. &c.

QVIS DEVS, O MVSÆ) Dicite ô Musæ, quis deus à Teucrorum nauibus tam sæua auertit incendia? tantos ignes quis depulit? Manifestum est, naues fuisse arsuras, vt fugæ subsidium Troiani non haberent. Huius facti antiqua est fides, & posset vitio vetustatis intercipi, nisi illud fama propter admirationem posteris tradidisset. Huius igitur auctorem vult poeta libris suis inserere, & vt maiori fide consisteret, vult videri Musis suggerentibus posuisse veritatem. Donatus.

Renouatur inuocatio, quod colloquia, & facta deorum nisi Musis edicentibus, aut suggerentibus sciri haud poterant. Ergo valet hìc Horatianum illud, *Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.*

PRISCA FIDES FACTO, SED FAM. PEREN.) Hoc factum quamuis priscum sit, tamen fama eius non est oblitterata. Vim vocis huius, *perenne*, tradidit perbene Achilles Statius Comment. Catulliano in illũ versum, *Plus vno maneat perenne sæclo:* Metaphora nota, inquit, non vt torrens aliquis, qui cum imbre creuerit, fertur, idem mox deficit: sed vt maiora flumina sempi-

terno

terno cursu ferantur, sic etiam hoc opus duret in omnis æui memoriam. Græci *perenne* sic *ἀέναον* dicunt, vt in Antipatri carmine lib. 1. Anthol. *Πάσας ἀενάων ἐργαλίδας σελίδων*. Sic Horat. *Exegi monumentũ are perennius*. Virgilius famã perpetuã, & constantem intelligit. A

TEMPORE QVO PRIMVM) Tempus, & locum, & personas, & rem posuit, quibus maximam relationis fidem fecit. Tunc enim verum ostenditur factum, quũ dicitur, quando extiterit, & vbi, & quibus annitentibꝰ. Donat. * *Nihilominus figmentum est, tametsi tempus, locus, persona, res ponatur. Sed hoc ex arte: fabulæ enim etiam verisimiliter narrari debent, vt res vera magis, quàm conficta videantur. Quanquam nonnulla, quæ verisimilitudinis paruam speciem habent, solent nonnunquam ad delectandum lectorem interseri, vt hoc ipsum de mutatione nauium in nymphas per deam Berecynthiam, facultate à Ioue concessa. Tametsi inde sit verisimile, quia Iupiter omnipotens. Sed satis de nugis.* B

PHRYGIA FORMAB. IN IDA) *Formabat*, id est, formare cogitabat, ait Seruius: sed nihil opus hac explicatione. Naues autem apud Antandrum fabricatæ, sunt, cui vicinus mons Ida, vnde cæsæ arbores.

PELAGI ALTA) Hellenismus, vt auersa, ardua montis, truculenta pelagi, apud Catull. & Virgil.

BERECYNTHIA) Mater deûm, à monte Phrygio Berecynto, cuius vltima syllaba caret aspiratione, quam addimus, quoties montem Deli *Cynthum* dicimus.

DOMITO TE POSCIT OLYMPO) Videtur dicere, præsta ei, cuius beneficio seruatus, ad olympi regna venisti. Saturnus enim, quum omnes consumeret filios, Iouem solum esse non potuit, celatum matris auxilio. Domito ergo olympo, in tuas scilicet leges, per beneficium meum, mundo redacto. Seruius. C

PINEA SYLVA MIHI) In Ida monte, vbi sanctissimè colebatur mater deûm, pinus abundabat, & ei penitus ibi lucus sacer erat. Claud. lib. 1. de Raptu *densis quam pinus obumbrat Frondibus, & nullo lucos agitante procella*. Ac pinus erat Cybelæ sacra, quod, vt ait Ouid. lib. 10. Metamorph. *Cybeleius Attis Exuit hac hominem, truncoq; indurnit illo*. Sed & Arnob. scribit lib. 5. pinus illa sollemniter, quæ in matris infertur sanctum deæ, nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Attis virũ demessis genitalibus abstulit? Iterum. Quid enim sibi vult illa pinus, quàm semper statis diebus in deûm matris intermittitis sanctuario? Turneb. lib. 11. cap. 22.

LVCVS IN ARCE SVMMA) in cacumine montis Idæ, cui Gargara nomen.

HAS EGO DARDANIO) Liberat suspicione impietatis Æneam, ne Matre deûm inuita, eius lucum succidisse putetur.

LÆTA DEDI) Ad accipientis meritum pertinet, vt beneficium digno videretur præstitisse. Multis enim inuitis extorquetur, quod præstatur indignis. Donatus.

SOLVE METVS) Deme eripe mihi metum, libera me isto metu. Alio sensu Æneas dixit Achati 1. Æneid *Solue metus, feret hæc aliquam tibi fama salutem*. Ibi enim est, *pone metum*. Plenius Dido, *Soluite corde metum Teucri*.

PROSIT NOST. IN MONT. ORTAS) Debent esse maioris meriti, quàm quæ sacris in lucis non sunt ortæ. Prosit illis, fuisse mihi sacras, ortas in luco meo. Donatus.

Filius huic contrà, torquet qui sidera mundi,
O genitrix, quò fata vocas? aut quid petis istis?
Mortalïne manu factæ, immortale carinæ
Fas habeant? certusq; incerta pericula lustret
Æneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immò vbi defunctæ finem portusq; tenebunt
Ausonios, olim quæcunq; euaserit vndis,
Dardaniumq; ducem Laurentia vexerit arua,
Mortalem eripiam formam, magniq; iubebo
Æquoris esse deas: qualis Nereïa Doto,
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idq; ratum stygij per flumina fratris,
Per pice torrentes, atraq; voragine ripas
ANNVIT, ET TOTVM NVTV TREMEFECIT OLYMPVM.

FILIVS HVIC CONTRA) Filius non est assensus ei, quæ studio magis, quàm ratione ducebatur. Reddenda tamen ei ratio fuit, cur non posset impetrare, ne læsa discederet: & mereri tamen aliquid debuit, quod legibus datis non irrogaret iniuriam. Donatus. D

TORQVET QVI SIDERA MVNDI) cuius nutu cælum cum sideribus voluitur, & circumagitur. Seruius tamen exponit, regit, sustinet: vt etiam 4. Æneid. *cælum, ac terras qui numine torquet*. Sic ibid. de Atlante, *Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum. torquet*, id est, sustinet.

MORTALINE MANV FACTÆ) Non possunt æterna esse, quæ ab hominibus facta sunt. Horat. *Debemur morti nos, nostraq;*. Nam sicut animi facta sunt immortalia, ita corporis pereunt. Seruius. E

CERTVSQVE IN CERTA PERIC. LVSTRET) Hoc dicit, casibus licentiam hæc petitio vult adimere: nam Æneas forte qua homo est, nauigationis debet timere periculum, quod perit, si eius nauibus æternitas datur. Seruius.

CVI TANTA DEO PERMISSA POTESTAS?) Quasi dicat, ne regi quidem deorum, concedendi potestas inquam.

IMMO VBI DEFVNCTÆ) Liberatæ, vt, *O tandem magnis pelagi defuncte periclis*. Nauigationis periclis, & laboribus perfunctæ. * *De verbo* defunctus, *ex Budæo videas licet quæ transtulimus in illum versum lib. 6.* O tandem magnis pelagi, &c.

PORTVSQVE TENEBVNT) Nautico vsus est verbo, quum de nauibus diceret.

QVÆ

QVÆCVNQVE EVASERIT) ostendit aliquas esse perituras. *Vnam quæ Lycios, &c.* lib. 1.

MORTALEM ERIP. FORMAM) Plus promittit, quã mater ausa fuisset postulare, vt deæ pelagi fierent, & cæteris æquarentur.

SECANT SPVMANT. PECT. PONTVM) Tibull eleg. 4. lib. 1. *Hic placidam niueo pectore pellit aquam.*

IDQVE RATVM STYGII PER FLVM.) Quoniam rem arduam promiserat, futurum effectum iurando firmauit. Iurauit ergo firmum fore quod dixit, & iurauit per Stygem, cuius tanta potestas est, vt etiam ipsis diis credatur esse venerationi. Vt lib. 6.

Cocyti stagna alta vides, Stygiamq; paludem,
Dij cuius iurare timent, & fallere numen. Donat. B

Nec ignoro, ait Minutius in Octauio, plerosque cõscientia meritorum nihil se esse post mortem magis optare, quàm credere: malunt enim extingui penitus, quàm ad supplicia reparari. Quorum error augetur, & in sæculo libertate remissa, & dei patientia maxima, cuius quanto iudicium tardum, tanto magis iustum est. Et tamen admonentur hominũ doctissimorum libris, illius ignei fluminis, & de Stygia palude sæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus terrenis præparata, & dæmonum indiciis, & de oraculis prophetarũ cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse vel Iupiter per torrentes ripas, & atram voraginem iurat religiosè: destinatam enim sibi cum suis cultoribus pœnam præscius horrescit: nec tormentis aut modus vllus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra vrit, & reficit, carpit, & C

A nutrit, sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt.

ANNVIT, ET TOTVM NVTV) Ineptum faciunt Phidiam garruli Græci. Etenim dixisse, se Iouem olympiũ quum fingeret, ex tribus Homeri versibus maiestatem collegisse: quippe de superciliis, & crinibus. 1. Iliad.

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο. μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Sanè aut ludunt Phidiam, aut eos ludit Phidias. Etiam sine Homero puto illum scisse Iouem non carere superciliis, & cæsarie. Fortasse verò etiam ridicula nobis illa facies esset, si extaret. Itaque Virgilius quum parum B turam in hisce minutulis rebus sui carminis crederet esse maiestatem, dixit simplicissimè, *Annuit, & totum nutu, &c.* Poterat enim non sine periculo grandiloquentiæ, ponere crinium defluxionem. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3.

Arnob. lib. 4. Ergóne ille poli rector, pater deorum, & hominum, supercilio, & nutu totum, & morás, & tremefaciens cælum, ex viro cõcretus, & fœmina est? Repetitur autem hic versus lib. 10. Statius Thebaid. lib. 7. de Ioue irato,

Concussitq; caput motu, quo celsa laborant
Sidera, proclamatq; adici ceruicibus Atlas.

Ouid. 1. Metam.

C *Terrificam capitis concussit terq;, quaterq;*
Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera mouit.

Horatius de eodem, *cuncta supercilio mouentis.*

Ergo aderat promissa dies, & tempora Parcæ
Debita complerant: cùm Turni iniuria matrem
Admonuit, sacris ratibus depellere tædas.
Hîc primùm noua lux oculis effulsit, & ingens
Visus ab Aurora cælum transcurrere nimbus,
Idæiq; chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troûm, Rutulorumq; agmina complet:
Ne trepidate meas Teucri defendere naues,
Néue armate manus: maria antè exurere Turno,
Quàm sacras dabitur pinus. vos ite solutæ,
Ite Deæ pelagi. Genitrix iubet, & sua quæq;
Continuò puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumq; modo demersis æquora rostris,
Ima petunt. hinc virgineæ (mirabile monstrum)
Reddunt se totidem facies, pontoq; feruntur,
Quot prius æratæ steterant ad littora proræ.

ERGO ADERAT PROMISSA DIES) Retulit, quod olim gestum videretur, redit ad caussam, & præsentis tẽporis necessitatem. Venerat, inquit, dies promissi, & dispositionem suam fata compleuerãt: hoc est, & nauigiorum munus expletum fuerat, & Æneas in Italia erat: restabat, vt naues deposita forma mortali verterentur in deas. Donat. D

CVM TVRNI INIVR. MAT. ADMON. SACRIS RATIB. DEPELL. TÆDAS) In obliuionem venerat deûm matri: sed interuenit iniuria, quæ illam commonefaceret, vt à sacris ratibus, hoc est, quæ ex sacris arboribus ædificatæ fuerant, incendia, & faces arceret, Donatus.

NOVA LVX) Id est, nimbus deorum, quod statim dicit.

IDÆIQVE CHORI) Idæi Dactyli cum cymbalis suis.

NE TREPIDATE) Trepidare, est aliquid cum metu accelerare potius, quam festinare. Additur enim mox *néue armate manus.* Ac si dicat, non est, quod trepidi concurratis ad seruandam classem. * *Seruius tamen simpliciter, ne festinetis exponit. Et Nonius,* trepidare, *festinare: profert hunc poeta locum. Item illum è 4. Georg.* Tum trepidæ inter se coeunt, pennisque coruscant. *Dixit etiam Sallustius alicubi, trepidare negotium, trepidare ad arcem. Et Lucanus, trepidam carinam, id est, celerem, Seruio interprete. Apud Vegetium lib. 2. cap. 23. pro, insurgere tripudiantes in clypeum, Vrbesq; obsidere, manu scripti codices habent, insurgere trepidantes, &c. obseruatum à Stewechio. Adde Æneid. 4.* Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt.

singunt. *Vbi trepidant non aliter licet expenere, nisi festinans. Trepidus nuntius erit festinus nuntius.*

MARIA ANTE EXVRERE) Non est huic diuersum quod habet Propert. lib. 2. eleg. 32.

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altaq; mortali deligere astra manu.

GENITRIX IVBET) Absolutè *genitrix*, propter præstantiam genitorum, quia deos genuit. Cur non etiam Christiani, & quidem longè verius virginem, ac patronam suam, Dei matrem, sine vllo adiuncto GENITRICEM vocent? Potest etiam verissimè dici, MAGNA MATER, & si quid eiusmodi est, quod dignitatem partus, seu felicitatem notet.

PVPP. ABRVMP. VINCVLA RIP.) Ennius 2. Annali,

A de equo generoso, *Vincla suis animis abrumpit.* Horat. Ode 7. lib. 4. *Nec Lethaa valet Theseus abrumpere charo Vincula Pirithoo.*

ÆRATÆ PRORÆ) Rostratæ naues, quas Græci χαλκεμβόλους, & χαλκήρεις vocitāt, vnde dictę sint, nemo est vel mediocriter litteris imbutus, qui ignoret: earum autem nauium rostra quia ex ære fiebant, æratæ etiam nominabantur. Cæsar 2. de bello ciuili. Interim L. Nasidius ab Cn. Pompeio cum classe nauium sedecim, in quibus paucæ erant æratæ. Brod. lib. 4. cap. 13. Adde. Et in 1. Æneid. æs simpliciter pro æratis rostris posuit Virgil. *Et spumas salis ære ruebant*, id est, mare rostris nauiū quæ ærata erant, secabant.

Obstupuere animis Rutuli. conterritus ipse
Turbatis Messapus equis: cunctatur & amnis
Raucà sonans, reuocatq; pedem Tiberinus ab alto.
AT NON AVDACI CESSIT FIDVCIA TVRNO:
Vltro animos tollit dictis, atq; increpat vltro.
Troianos hæc monstra petunt: his Iupiter ipse
Auxilium solitum eripuit, non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos. ergo maria inuia Teucris,
Nec spes vlla fugæ: rerum pars altera adempta est:
Terra autem in manibus nostris: tot millia gentes
Arma ferunt Italæ. nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se iactant responsa deorum.
Sat fatis, Veneriq; datum est, tetigere quòd arua
Fertilis Ausoniæ Troës: sunt & mea contrà
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Coniuge præreptа: NEC SOLOS TANGIT ATRIDAS
ISTE DOLOR, solisq; licet capere arma Mycenis.

OBSTVPERE ANIMIS RVTVLI) *obstupere* non ad permutationem nauium pertinet tantummodò, sed ad omnia quæ visa fuerant, vel audita. Donatus.

CONTERRIT. IPSE TVRB. MESS. EQ.) Ipse Messapus, qui esset constans inter suos, & fiducia virtutis intrepidus, terrefactus est, ipsi etiam equi turbati. Qualem terrorem putamus fuisse, quando maiestatis potentiam muta quoque animalia sensere? Donatus

CVNCTATVR ET AMNIS, RAVCA SONANS) Tiberis, pro quo mox ipsum deum nominat, Tiberinum inquam. Sic lib. 8. sensum dedit Euphrati. *Euphrates ibat iam mollior vndis.* Vndis, & nemori principio eiusdem libri: *Miratur nemus insuetum, &c.*

REVOCATQVE PEDEM TIBERINVS) Pedem flumini tribuit, vt Lucret. lib. 5. *inde super terras fluit agmine dulci Qua via secta semel liquido pede detulit vndas.* quos versus ad verbum iterat lib. 6. Sic Horat. Ode 16. Epod. *montibus altis Lenis crepante lympha desilit pede.* Virgil. Culice. *Castaliaeque sonans liquido pede labitur vnda.* Lamb. in Horat.

AT NON AVD. CESS. FIDVCIA TVR.) Omnes facti nouitate occupauerat stupor, homines, equos, & flumē cum ipso deo suo: audacia tantum Turni immobilis mansit. Temerarij enim nō mouentur ex accidentibus, nec succedentibus malis aliquando franguntur. Sic pereunt, manifesta, & grauia pericula pro dubiis, & leuib. æstimantes. Donat.

B ANIMOS TOLLIT DICTIS) magnanimitatem suam comprobat dictis. Tale illud è contrario, *Turbatumq; oculis.*

ATQVE INCREPAT VLTRO) Increpitat, & increpat paria sūt, & est aut incusare, aut insultare. Georg. 4. *Æstatē increpitans seram.* Et lib. 10. *Hostis amare, quid increpitas, mortemq; minaris?* Et lib. 9. *quem Turnus pariter cursu, teloq; secutus Increpat his victor.* Cic. in Hortēsio, & totam dialecticam aut illudis, aut increpas. Item, *Increpare* sonare. Virgil. lib. 8. *iterum, atque iterum fragor increpat ingens.* Et lib. 9. *At tuba terribilem sonitum procul are canoro Increpuit.* Hæc Nonius

TROIANOS HÆC MONSTRA PETVNT) Non mihi, C sed Troianis malum prænuntiat hoc portentum mutatarum nauium. Monstrū dictum volunt, quod monstret futurum, & moneat voluntatem deorum. Virgil. 3. Æneid. *Delectos populi ad proceres, primumq; parentem Monstra deûm refero.* * *Occurrit Philippus Macedo, qui similiter quod aduersum se videbatur, contra hostes valere in re portentosa dixit. Cùm enim crinita stella apparuisset, & is eo tempore bellum haberet, solerentq; cometa pro nuntiis haberi regum interitus: non, inquit, ad me hoc prodigium, sed ad regem Persarum, qui capillatus est, pertinet.*

AVXILIVM SOLITVM ERIP.) Non quod solitus esset ipsis præstare, sed quo Troiani hactenus vti in fuga cōsuessent. Vltro Iupiter præstitit, inquit, quod efficere cupiebamus, vt ignauis istis deesset fugiendi opportunitas. Quare arreptas faces deponite. Diis iuuantibus factum est, quod per nos impleri non potuisset. Donat.

NON

NON TELA, NEC IGNES EXSPECT. RVTVL.) Non exſpectant Troiani, vt telis Rutulorum, aut ignibus pereant, qui iam nauium amiſſione perierunt. Seruius

ERGO MARIA INVIA TEVCRIS) Oſtendit Troianis pereundum: quia mari fugere non poſſunt amplius: terra cinguntur hoſtibus. Et vt veniant auxilia cum Ænea è Tuſcis, nihil valebunt contra gentes tam multas, quæ ductum, & arma mea ſequuntur. ☙

NEC SPES VLLA FVGÆ) ſubſidium fugæ.

RERVM PARS ALT. ADEMTA) facultas nauigandi, ſiue mare. Mundum hunc infimum diuidit in duas partes, terram, & mare. Sic cum dicitur. 1. Æneid. *Romanos rerum dominos*, nomine *rerum* non niſi terræ, & maria intelligenda ſunt: aëris enim, & cæli domini Romani vtiq; non fuerunt, cum tamen mundum dicantur obtinuiſſe, ſiue vniuerſum orbem, in quo nomine etiam mare includitur. ☙

TERRA AVT. IN MAN. NOSTRIS) In noſtra eſt poteſtate, nobis patet, & paret.

SI QVA PHRYG. PRÆ SE) Quaſi confingerent iſta reſponſa Troiani.

SAT FATIS VENERIQVE DAT. TETIG. QVOD) Vt vera ſint reſponſa, hactenus vera ſunt, quod Italiam tetigerunt. Satisfactum eſt fatis Troianorum.

SVNT ET MEA CONTRA FATA MIHI) Falſum eſt, ſed quis eum redarguat? Et quia ſcit falſum eſſe quod dixit, argumentis probare dicta contendit, dicens, eſſe A ſceleratam gentem, ob raptam ſibi coniugem: in quo facto vtitur Græcorum exemplo, qui rapta Helena gentem deleuere Troianam. Hactenus Seruius.

CONIVGE PRÆREPTA) ſponſam duntaxat inuidioſè coniugem vocat, vt Æneam faciat adulterum. Iuno lib. 10. de eadem re, *gremiis abducere pactas*.

NEC SOLOS TANG. ATRID. ISTE DOL.) Ad prouerbium alluſit, *Non ſoli Atridæ amant vxores*, quod quidem manauit ex Homeri Iliad. 1.

> *ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων*
> *Ἀτρεΐδαι;*
> *Num ſolis hominum Atridis affectus, amorq́;*
> *Vxorum eſt?*

B Vſus eius erit, cum ſignificare volemus, ſuam cuiq; dolere iniuriam, contumeliam, aut damnum, nec oportere quemquam impunè lædi. Chiliad.

Tangere etiam ſignificat lædere, eodemque modò græcum, *ἅπτεσθαι*, pro quo etiam *θιγεῖν* aliquando dicunt. Sic accipiendum illud Terentij Eunucho. *Quo pacto tetigerim Rhodium in conuiuio.* Alium quoque elegantem huius vocis vſum oſtendit Victor lib. 9. cap. 19. Licet etiam exponas afficit, commouet. lib. 12. *Miſerite ſi qua parentis Tangere cura poteſt.* Lucret. lib. 1. *Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

SOLISQVE LICET CAPERE ARMA MYCENIS) licet & nobis, pro vxoribus noſtris contra raptores bellum gerere, vt Græci in gratiam Menelaï contra Troianos propter Helenam raptam geſſerunt.

Sed periiſſe ſemel ſatis eſt. peccare fuiſſet
Ante ſatis, penitus modò non genus omne peroſos
Fæmineum: quibus hæc medij fiducia valli,
Foſſarumq; moræ, lethi diſcrimina parua,
Dant animos. an non viderunt mœnia Troiæ,
Neptuni fabricata manu conſidere in ignes?
Sed vos ô lecti, ferro quis ſcindere vallum
Apparat, & mecum inuadit trepidantia caſtra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Eſt opus in Teucros: addant ſe protinus omnes
Etruſci ſocios: tenebras, & inertia furta
Palladij, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis
Ne timeant: NEC EQVI CÆCA CONDEMVR IN ALVO:
Luce palàm certum eſt igni circundare muros.
HAVD SIBI CVM DANAIS REM, FAXO, ET PVBE PELASGA
ESSE PVTENT, decimum quos diſtulit Hector in annum.
Nunc adeò, melior quoniam pars acta diei,
Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam ſperate parati.

SED PERIISSE SEMEL) Propter Helenam raptam Menelao, ſemel perierunt bello Iliaco. Pereant iterum, qui iterum peccauerunt peccatum ſimile, & mihi Lauiniam rapuerunt: vſque adeo nondum exoſum habẽt fæminarum genus. Occurrit igitur obiectioni, & contrà, peccandi cõſuetudinem obiicit, atque ita cuneum cuneo pellit. ☙

PENITVS MODO NON) *Modo* non in affirmatione hoc loco, vt item apud alios ſcriptores ponitur, & valet propemodum, prorſus. Terent. Phorm. *Is ſenem per epi-* C *ſtolas pellexit, modò non montes auri pollicens.* Tibull. lib. 1. eleg. 1. *Iam modo non poſſum contentus viuere paruo.* Quintil. procœmio, Quis enim non de iuſto, & æquo, ac bono, modò non & vir peſſimus loquitur?

FOSSARVMQVE MORÆ LETHI DISCRIM. PARVA) Nihil aliud ſunt illis vallum, & foſſæ, niſi mortis parua quædam dilatio.

AN NON VID. MOEN. TROIÆ) Fiduciam gerunt, quia defenduntur foſſis, & vallo, poſt paulum morituri, quaſi non viderint Ilienſes muros, mira firmitate, at-

que admirabili magnitudine structos, & Neptuni diuinis manibus fabricatos in ignes consedisse. Donat.

CONSIDERE IN IGNES) Æneid. 2. *Tum verò omne mihi visum considere in ignes Ilium.*

SED VOS O LECTI) Homer. Iliad.

Ὄρνυσθ' ἱππόδαμοι Τρῶες, ῥήγνυσθε δὲ τεῖχος
Ἀργείων, καὶ νηυσὶν ἐνίετε θεσπιδαὲς πῦρ.

Hosce duos versus, *Sed vos ô lecti*, & sequentia, nonne vides germanum illi posito in principio libri? *Ecquis erit mecum ô iuuenes, qui primus in hostem.*

QVIS SCINDERE VALLVM) Vallum dicitur ipsa munitio, nam valli fustes sunt, quibus vallum munitur. Ipse de sustentaculis vitium, *primus vallos sub tecta referto.* Seruius.

TREPIDANTIA CASTRA) Vnde scit Troianos intra vallum, seu in ipsis castris trepidare, hoc est, timere, & rebus suis diffidere? Certè si liceret, erumperent. More militari dictum: Imperatores enim vt suis militibus animos faciant, de hostibus tanquam ignauis, & imbellibus, ac desperabundis loqui gaudent. ✠

NON ARMIS MIHI VVLCANI) sicut Achilli. Bene arma generaliter dixit, nam ipse quoque habuit à Vulcano, sed solùm gladium: vt,

Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda.

Per hoc autem quasi latenter dicit, se Achille meliorē, qui se Troianos etiam sine diuinis armis superare posse confidit. Seruius.

NON MILLE CARINIS) Æneid. 2. *Non anni domuere decem, non mille carinæ.* Obliquè carpit Græcos, vt clarius patebit ex sequentibus.

ADDANT SE PROT. OM. ETRVSCI SOCIOS) Habeāt licet, quanta optare possint auxilia..

TENEBRAS, ET INERTIA FVRTA) Respicit ad illa, quę narrat Sinon. 2. Iliad. de Diomede, & Vlysse, quo pacto Palladium noctu Troiani ingressi surripuerint. Et ita Græcos vt imbelles vituperat, qui à dolo petere auxilium voluerunt, cùm à dextris, & virtute magis debuissent. Eodem pertinet, quod de equo ligneo statim sequitur, *nec equi cæca condemur in aluo.* Sensus hic est, Nihil est cur metuant, ne per noctem, & insidias occupentur. Non imitabimur Vlyssem, & Diomedem.

NEC EQVI CÆCA CONDEM. IN ALVO) Habes lib. 2. rem totam. Ibidem de turpissima Græcorum fuga, *pars ingentem formidine turpi Scandunt rursus equum, & nota conduntur in aluo.*

LVCE PALAM CERTVM EST) Respondent hæc è contrario illis, *tenebras, & inertia furta* Ne timeant

DECIMVM QVOS DIST. HECT. IN ANNVM) Seneca Troadibus.

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisq; tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit, summusq; dies
Hectoris idem, patriæq; fuit.

Ad quem locum M. Anton. Delrius, Viuo Hectore capi non potuit: tantum in eo ad victoriam Græcorum differendam momenti positum erat. Horat.

& ademptus Hector
Tradidit fessis leuiore tolli
Pergama Graiis.

Et Abramus Silo.

Ite agite ô Danai magnum Pæana canentes,
Ite triumphales, belli mora concidit Hector

Et Pentad. in epigram. *Defensor patriæ iuuenum fortissimus Hector, &c.* A Auctor Hyginus, Achillem, cùm Hectorem raptaret, exclamasse, *expugnaui Troiam.*

Fatetur & Diomedes lib. 11. per Hectorem, & Æneam stetisse, per istos duos potissimùm, vt Græci tot annos Troiam obsidere cogerentur.

Quidquid apud duræ cessatum est mœnia Troiæ,
Hectoris, Æneæq; manu victoria Graium
Hæsit, & in decimum vestigia rettulit annum.

Palam est hoc, & superiore versu Græcis lentitudinem, ignauiam, & torporem, adeoque imbelliam obiici, qui tanto cum exercitu tot annis vnam vrbem circumsederint. Quod videtur etiam fecisse Epaminondas, dum cuidam irrisori, vt videtur, falsè respondit. obiiciente B illo, quod Agamemnonis gloriam æmularetur, ita occurrit, Fallens, nam Agamemno totius Græcię auxilisi instructus, decem annis vix vnam cepit vrbem: ego vnius huius (Thebarum) præsidiis vno die victis, ac profligatis Lacedæmoniis, vniuersam Græciam seruitute liberaui. ✠

MELIOR PARS ACTA DIEI) Meliorem hìc partem diei esse censeo, maiorem, quæ cùm transacta est, inclinat dies in occasum. Maior autem pars è duodecim horis septem primarum est, non supremarum, quæ cum exactæ sunt, maior, & melior pars acta est: sed multò magis cùm exactæ sunt octo, vel nouem, vel decem horæ, vt cùm aduesperascit: quod tempus Turnus signifi- C cauit. Tamen exacta septima hora maior pars acta est, vel teste locupletissimo Iurecos. Paulo, qui ita scribit: cuiusq; diei maior pars est horarum septem primarum diei, non supremarum. Turneb. lib. 3. cap. 14.

Alciat. tit. de verb. significat. in locum hunc Pauli sic scribit. Pleriq; crediderunt de die naturali Iureconsultum loqui, qui est ab ortu ad occasum solis, vt Censorinus auctor est, qui vulgò semper 12. horarum erat: quæ pro ipsa luce vel augebantur, vel minuebantur. Potest tamen de eo quoque intelligi, qui imparibus sit horis, quas Græci ἰσημερινὰς vocant. Nam & in Italia, & in prouinciis, maximus est 15. horarū, quod ex Ptolemæo, Procliq; commentariis in sphæram intelligi facilè potest: vt meritò sequens pars, licet longior, tamen mi- D norà iureconsulto existimata sit, quod vesperi non ita vegeti, promptique, sicut manè simus. Et hanc poeta noster meliorem vocat. Hesiodus quoque, qui maturius manè operetur, tertiam partem operis conficere ait. ἠὼς γάρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν. Qui ergo à meridie ad occasum opus faciet, dimidiam operam præstitisse non dicitur, nec diurnæ mercedis dimidium meritò consequetur.

QVOD SVPEREST, LÆTI B. GEST. REB. CORP. PR.) Hom. Iliad. 19. Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα. Vnum, inquit, faciendum restat, quia omnia pro voluntate prouenerunt, vt reficiatis corpora vestra cum gaudio spei melioris, & animos vestros immi- E nenti iam certamini præparetis. Donatus.

Alludit ad morem militum, ait German. qui pransi, & cibo roborati, & curati, expediti pugnatum ducebātur. Vnde & Cato Orig. libr. 5. Exercitum suum pransum, paratum, cohortim eduxit foras, atque instruxit. Sic & apud Homerum docet Vlysses non educendas copias ad pugnam ieiunio vexatas, & deiectas, hoc argumento. Εἴπερ γὰρ θυμῷ γε μενοινάᾳ πολεμίζειν, ἀλλά τε λάθρῃ γυῖα βαρύνεται.

BENE GESTIS REBVS) In eo tantum, quod hostes egredi non sunt ausi: nam quid aliud gesserunt.

PVGNAM SPERATE PARATI) Cupidos eos ostendit pugnæ, & victoriæ, vt viros fortes.

Interea

Interea vigilum excubijs obsidere portas
Cura datur Messapo, & mœnia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite seruent,
Delecti: ast illos centeni quenq; sequuti
Purpurei cristis iuuenes, auroq; corusci
Discurrunt, variantq; vices: fusiq; per herbam
INDVLGENT VINO, ET VERTVNT CRATERAS AHENOS.
Collucent ignes: NOCTEM CVSTODIA DVCIT
INSOMNEM LVDO.
Hæc super è vallo prospectant Troës, & armis
Alta tenent: nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontesq;, & propugnacula iungunt:
Tela gerunt. instant Mnestheus, acerq; Serestus:
Quos pater Æneas, si quando aduersa vocarent,
Rectores iuueni, & rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat, exercetq; vices, quod cuiq; tuendum est.

VIGILVM EXCVBIIS) Excubiæ sunt diurnæ, vigiliæ nocturnæ. Tametsi pro vigilijs sæpe inuenias excubias, non contrà, vigilias pro excubijs. Doctè, vt semper, de vigilijs Lipsius libr. 5. Mil. Rom. dial. 9.

BIS SEPTEM RVTVLI) Incipit dicere, quali dispositione iussà curabantur.

INDVLGENT VINO, ET VERTVNT CRAT.) Velut de prosperitate securi, non reficiendis corporibus, vt Turnus mandauerat, sed onerandis vino, atq; obruendis operam dabant, vsque adeò, vt vasa exhausta verterent: quæ res ostendebat tantum bibitum, quantum fuit, non quantum refectioni naturali sufficeret. Donatus.

HÆC SVPER E VALLO) Facilis fuit prospectus de summo, quia ignis plurimis locis accensus nihil occultabat.

TREPIDI FORMIDINE) Trepidos dixit cum timore diligentes, nec immunes à sollicitudine, vt etiam pro maiori cautela. Festini, propter formidinem, ait Seruius.

RECTORES IVVENI) Ascanio. si legas *iuuenum*, accipe magistros militum.

RERVM DEDIT ESSE MAGISTROS) Magistros vocari eos aiunt iureconsulti, quibus præcipua rerum cura incumbit. Hinc dicti magistratus. Magistrare etiam apud Festum, pro moderari: vnde non solum artiũ, sed etiam pagorũ, societatum, vicorum, collegiorum, conuiuiorum quoque magistri, & magisteria obeuntur. Suet. Domit. cap. 14. ex quo sorte ducti magisterio fungerentur. Et Augusto cap. 2. municipalibus magisterijs.

OMNIS PER MVR. LEG. SORTITA PERIC.) Certum est, vigiles quaternos diuisisse se in quatuor partes, ita vt singuli vigiliam vnam noctis obirent, sorte diuidente. Ad quam sortem hic Virgilius aspexit: Ad vices autem, de quibus sequitur, *Exercetq; vices*, & mutationem, Vegetius lib. 3. cap. 8. Quia impossibile videbatur, inquit, in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt diuisę vigiliæ, vt non amplius, quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. Bona, & commoda ratio. Erant quatuor vigiles, atque ij vnà: sed vnus ex ijs sua vigilia quisque perstabat intentus, & verè vigil, alij adiacebant, aut accubabant. Itaque his quies aliqua, & ille stans, si auxilium posceret, ad manum habebat. Lipsius.

Consultò videtur his verbis Virgilius ad murorum, seu, vt antiqui scribebant, mœrorum etymologiam allusisse, qui ἀπὸ τῆς μοίρας appellati sunt, quod quisque pro parte sua eos tueretur. Ita 3. Æneid. ad græcæ vocis explicationem respiciens, dixit, *sparsasque per æquor Cycladas.* Σποράδες enim, hoc est, sparsæ, eæ insulæ sunt in mari Ægæo appellantur, quas vt apparet, Virgilius à cycladibus non distinxit. Hieron. Columna 3. Annal. Ennij, cuius est hic versus *muros, vrbemq; forumq; Excubijs curant.*

Nisus erat portæ custos, acerrimus armis
Hyrtacides (comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, iaculo celerem, leuibusq; sagittis)
Et iuxtà comes Euryalus: QVO PVLCHRIOR ALTER
NON FVIT ÆNEADVM, Troiana nec induit arma,
ORA PVER PRIMA SIGNANS INTONSA IVVENTA.
HIS AMOR VNVS ERAT, pariterq; in bella ruebant:
Tunc quoq; communi portam statione tenebant.

Nisus ait: DII NE HVNC ARDOREM MENTIBVS ADDVNT
EVRYALE? AN SVA CVIQVE DEVS FIT DIRA CVPIDO?
Aut pugnam, aut aliquid iamdudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant: somno, vinoq; soluti
Procubuere: silent latè loca. percipe porrò
Quid dubitem, & quæ nunc animo sententia surgat.
Ænean acciri omnes, populusq;, patresq;
Exposcunt, mittiq; viros, qui certa reportent.
Si tibi quæ posco promittunt (nam mihi facti
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros, & mœnia Pallantea.

NISVS HYRT.) Non illepidè quæri posset, an A- A sius Troianus homo, quem Homerus Hyrtaciden vocat, Nisi fuerit frater, nam hic quoque Hyrtaci filius à poeta dicitur.

Ἀλλ' οὐχ Ὑρτακίδης ἔθελ' Ἄσιος ὄρχαμος ἀνδρῶν
Αὖθι λιπεῖν ἵππους, καὶ ἡνίοχον θεράποντα.

Possunt etiam non sine caussa fratres existimari fuisse, quod par ingenium, animusq; in illis erat: ambo enim aggressi sunt rem periculi plenam, & inducuntur ab his maximis poetis inprimis audaces: quamuis fortasse veriori culpæ affinis fuerit Asius, qui contempsit optimum consilium Polydamantis, sapientissimi viri, & cui cæteri omnes paruerunt: nec tam iustam caussam, quã Nisus habuerit, vt vitam, salutemq; suam tanto periculo obijceret. Huiusmodi autem quæstiones non ineptę B putabantur olim ab ingeniosis, & disertis viris in Homero, quem semper in manibus habebant, & cuius singulas voces, ac sententias diligenter ponderabant. Victor. lib. 28. cap. 16.

QVEM MISERAT IDA VENATRIX) Abusiuè Idam montem venatricem dixit, pro venationibus abundantem. *μήτερα θηρῶν* Homerus, ferarum parentem vocat.

IACVLO CELER, LEVIB. SAGITT.) Bene inducit Nisum optimum esse iaculatorem, & hanc præmittit armorum peritiam, qua post plurimum poterit in in Euryali defensione. Seruius.

QVO PVLCHRIOR ALTER NON FVIT) Lib. 6. de Miseno, *quo non præstantior alter.*

ORA PRIMA SIGNANS INTONSA IVVENTA) Iuuenta hic lanuginem, erumpentemq; barbam significat, vt & ἴουλα græcè. Quære lib. 8. quod huic carmini illustrando faciat, ibi, *Tum mihi prima genas vestibat flore iuuenta.* Martial. lib. 9. de Camono adolescente.

Creuerat hic vultus bis denis fortior annis,
Gaudebatq; suas pingere barba genas.

Hoc totum vna voce antiqui dixerunt imbarbescere. Calpurnius eclog. 2. describit rem festiuè.

———— quoties mollissima tango
Ora manu, primiq; sequor vestigia floris.

Et paulo post.

———— etenim sic flore iuuenta
Induimus vultus: vt in arbore sæpe notaui
Cerula sub tenui lucere cydonia lana.

HIS AMOR VNVS ERAT) Ambob. vnus amor, id est, alterius in alterum simillimus, & qui vnus videretur, sicut vnum è duobus faciebat. Quomodo autem vna sunt anima duo amici: sic duorum amicorum amores sunt vnus amor. Enumeremus litteris maximè celebrata amicorum paria, in quibus immortalitatem suam Virgilio debent Nisus, & Euryalus. Damon & Pythias, de quibus in 3. Off. Cic. Theseus, & Pirithous, Pylades & Orestes, Alexand. & Hephæstion, Achilles & Patroclus, Epaminondas & Pelopidas, Scipio & Lælius, Dauid & Ionathas. Enumerat etiam multos, qui amicitia inter se iunctissimi fuerunt Hyginus cap. 257.

Est autem adeò rara ista inter duos eximia, & perfecta videlicet amicitia, vt verè affirmet apud Cic. Lælius, ex omnibus sæculis vix tria, aut quatuor numerari paria amicorum. Et 1. de finib. Omnium rerum, quas ad beatè viuendum sapientia comparauit, nihil est maius amicitia, nihil vberius, nihil iucundius. Quod quam magnum sit, fictæ veterum fabulæ declarant: in quibus tam multis, tamque varijs ab vltima antiquitate reperiuntur, vt ad Orestem peruenias, profectus à Theseo.

Plutarch. lib. *περὶ πολυφιλίας.* Inueniemus autem binos semper amicos memoriæ proditos, Theseum, & Pirithoum, &c. Est enim amicus animal vnà quidẽ degens: sed non vt in armento, aut graculorum caterua. Et quod amicus dicitur alter ipse, id nihil aliud significat, quàm binarium, esse amicitiæ mensuram. Paucis interiectis. *Itaq; valde amare, & amari, inter multos locum non habet. Sed sicut amnes in multos diuisi* C *alueos imbecilli fluunt, ac tenues: sic vehemens amor in animo, si dissipetur in multos, eneruatur. Vnde fit vt ea etiam animalia prolem suam magis ament, quæ vnicum tantum gignunt.*

TVNC QVOQVE COM PORT. STAT. TENEB.) Suprà dixit, sorte singulis curanda loca prouenisse: quod ipsum fuerat ad istorum felicitatem, vt nec ipsa sors diuisisse videatur, quos tanta familiaritas copulauerat. Donatus.

Passim lego de excubitu in porta, atq; etiam ante portam. Sallust. Iugurth. Neq; secus, atq; si hostes adessent, iter facere, castra munire, excubitum in portas cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mit- D tere. Atq; adeo Romanis mos fuit totas cohortes, & turmas habere, & ponere quietas ante ipsas portas: non vnum, aut alterum militem, vt hodie solet. Illi plures, atque etiam cum periculum esset, alios super alios, & longius abiunctos. Id vocabant ab ista re stationes, stabant enim. Cæsar 2. Ciuil. Quæ in statione pro castris erant

erant Afranij cohortes. Palàm hic pedites habes: at equites in Sallustio suprà, & apud Liuium lib. 8. Manlius super castra hostium cum turmalibus suis euasit, vt vix teli iactu ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant equites. Communiter, & indistinctè Cęsar 4. Gall. Ii, qui pro portis in stationib⁹ erant, Cęsari renuntiarũt. Iterum 5. Gall. Qui erant in statione pro castris collocati. Et hic Virgilius. Stationes erant diurnæ, vigiliæ nocturnæ. Stationes sunt quas Græci προφυλακὰς, quasi dicas procustodias. Atq; hæ olim totum diem habitæ: mutauit Æmilius. Vtiles erant stationes, quod nunquã hostis imparatos, aut paucos deprehẽdebat, immò, qui essent resistendo, donec succurreretur. Anxiè autẽ seruatæ, & omnino capitale (nisi magna vi abriperentur potius, quàm pellerentur) deseruisse. Hæc carptim ex Lipsio de Milit. libr. 5. dial. 8. Virgilius tamen cum de nocturno tempore loquatur, videtur *stationis* vocem pro vigilijs licentia poetica posuisse. Interim de stationibus hæc breuiter accepisse profuerit rerum antiquarum studiosis.

DII NE HVNC ARDOREM) *Num deus aliquis hoc in animo meo incendium, hoc ardens desiderium excitat: an quisque cupiditatis suæ vehementiam sibi deum putat?*] His verbis allocutus est fortis amator charissimum suum, cum cõsilium suum, ac quid ipsi repente in mentem, gloriæ cupido venisset, illi aperire cœpit. Videtur Homerum imitatus, qui 10. Iliad. Dolonem Troianum, qui se Hectori exploratorem obtulerat, non bene vires animi sui ponderans, ita loquentem fecit.

> Ἕκτορ, ἐμ' ὀτρύνει κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ,
> Νηῶν ὠκυπόρων σχεδὸν ἐλθέμεν, ἔκ τε πυθέσθαι.

Euripid. quoque in Cyclope ita induxit callidum illum Vlyssem, cum ostendit, venisse sibi in mentem facinus quo posset miserabiliter necatos socios suos à Polyphemo vlcisci, seq; à periculo liberare. Id autẽ erat eũ inebriare. Incipit enim, εἰσῆλθέ μοι θεῖον, diuinũ enim consiliũ illud, quasi à deo immissum appellauit. Virg. vtrãq; Gręcorũ poetarum sententiam complexus est. Homerus enim videtur innuere, huiuscemodi cogitationes omnes excitari ab animo, cupiditateque aliqua: Euripides autem cælitus demitti. Ambo tamen singulis sententijs contenti fuere: nec de veritate rei tam subtiliter quæsiuerunt: neque enim tempus illud accuratã de his rebus disputationem requirebat. Quare non sine causa quæreret aliquis, an conueniat illi tempori, ac personæ grauis illa, acutaq; quæstio, quam proposuit Virgil. Victor. lib. 7. cap. 24.

AN SVA CVIQVE DEVS FIT DIRA CVPIDO?) In Græcorum cõmentarijs reperitur dei nomen quinque ferè modis vsurpari solere. Vt modò sapientes homines modò reges, ac potentes deos vocarent: modò elementa, modò fatum, modò etiam facultates animi, & ipsas illius cogitationes, cupiditates, atque affectus, secundum quam extremam notionem hoc dictum est à poeta, *An sua cuiq; deus fit dira cupido?* Cum enim animũ ipsum aut deum, aut quandã partẽ dei putarent esse, quidquid in deo esset, deum credebant esse. Neque verò, quod quasdam cupiditates malas, & vitiosas videbant, idcirco de sententia dimouebantur: nam deos quoque alios bonos faciebant, alios malos. Ex hac opinione amor in deos relatus est. Ex hac, spei, timori, impudentiæ consecrata sunt templa. Ex hac Euripides εὐλάβειαν vtilissimam deam: φιλοτιμίαν verò, id est, ambitionem, deam perniciosam, φθόνον, id est inuidentiam, deum iniustissimum vocauit. [*Hic conuenienter Apuleius de deo Socratis. Nam quodam significatu, & animus humanus etiam nunc in corpore situs, dæmon nuncupatur*, dij ne hũc ardorem mentibus addunt, An sua cuique deus fit dira cupido? *Igitur & bona cupido animi, deus bonus est. Vnde nonnulli arbitrantur, εὐδαίμονας dici beatos, quorum dæmon bonus: id est animus virtute perfectus est, &c.*] At earum quidem opinionum vtramque falsam esse constat. Vera autem, & religioni nostræ consentanea est Plotini, grauissimi philosophi sententia, omnes honestas, & laudabiles cupiditates, omnia recta, & honesta consilia diuinitus immitti in animos nostros, vitiosa autem ex naturæ nostræ corruptione, ac deprauatione proficisci. Muret. in
B Catilinar. & in Catull. Lege insuper Rhodigin. lib. 2. cap. 9. Theod. Canterum lib. Variar. 2. cap. 6.

AVT PVGNAM, AVT ALIQVID) Iamdudum desiderio ducor maximo, aut pugnam magnis nixibus aggredi, aut aliquid gloriosè perficere. In qua cogitatione sic agitatur animus meus, vt consistere non possit. Et ecce occurrit occasio, quæ est omni virtute rapienda. Vides quemadmodum nos hostes contemnant. Negligentia enim illorum vnde nascitur, nisi quod nos imbelles arbitrantur? Rara micant lumina, ipsi somno, & vino sepulti iacent, latè omnia silent. Audi, quid in animo voluerim, & quid faciendum decreuerim. Donat.

C SOMNO VINOQVE SOLVTI) Cur non sepulti? sic enim infrà, & alibi loquitur, & veteres libri ita habent. Somno solutus sum apud Cic. 6. de repub. est, ego euigilaui.

QVÆ NVNC ANIMO SENT. SVRGAT) Æneid. 1. *Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?*

ÆNEAN ACCIRI OM. POP. PAT.) Cogitationibus meis consentit opportunitas, & necessitas temporis: nam vno omnes, eodemque consensu, tam patres, quàm populus ad Æneam decreuerunt esse mittendum. Cui rei virtus est necessaria, quæ tam egregium factum & aggredi possit, & implere. Donatus. Transfert Troianos, inquit Seruius, in Romanam con-
D suetudinem, vt solet plerumque: prius enim iubebat populus, confirmabat, senatus, siue vt loquitur Liuius, patres auctores fiebant.

QVI CERTA REPORTENT) portent, nam re, vacat.

SI TIBI QVÆ POSCO) Si tibi me petente aliquid decernitur commodi (nam mihi sufficit gloria, quæ nascitur ex facto) videor mihi posse inuenire viam sub illo tumulo, hoc est, per hostis transitum, qui pergendi ad Euandrum præbeat facultatem. Donatus. *Poscere* est secundum Varronem, quoties aliquid pro merito nostro deposcimus. *Petere* verò est, cum aliquid humiliter, & precibus postulamus. Seruius.

NAM MIHI FACTI FAMA SAT) M. Tullius pro
E Archia. Nullam enim virtus aliã mercedem laborum, periculorumque desiderat, præter hanc laudis, & gloriæ. Et infrà. Nunc insidet quædam in optimo quoq; virtus, quæ noctes, & dies animum gloriæ stimulis cõcitat, atq; admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.

AD MOENIA PALLANTEA) vrbem Euandri appellat lib. 12. A Pallante auo Euandri, dictum est illud oppidũ Pallanteum.

OBSTVPVIT MAGNO LAVDVM PERCVLSVS AMORE
Euryalus, simul his ardentem affatur amicum.

ME NE IGITVR SOCIVM SVMMIS ADIVNGERE REBVS
NISE FVGIS? ſolum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis aſſuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter, Troiæq; labores
Sublatum erudijt: nec tecum talia geſſi
Magnanimum Ænean, & fata extrema ſecutus.
EST HIC, EST ANIMVS LVCIS CONTEMPTOR, & iſtum
Qui vita bene credat emi, quò tendis honorem.
Niſus ad hæc. Equidem de te nil tale verebar,
Nec fas: non: ita me referat tibi magnus ouantem
Iuppiter, aut quicunq; oculis hæc aſpicit æquis.
Sed ſi quis (quæ multa vides diſcrimine tali)
Si quis in aduerſum rapiat caſusúe, deusúe,
Te ſupereſſe velim: tua vita dignior ætas.
Sit qui me raptum pugna, pretioúe redemptum
Mandet humo ſolita: aut, ſi qua id fortuna vetabit,
Abſenti ferat inferias, decoretq́; ſepulcro,
Neu matri miſeræ tanti ſim cauſa doloris,
Quæ te ſola, puer, multis è matribus auſa
Proſequitur, magni nec mœnia curat Aceſtæ.
Ille autem, CAVSSAS NEQVICQVAM NECTIS INANES,
NEC MEA IAM MVTATA LOCO SENTENTIA CEDIT.
Acceleremus, ait. vigiles ſimul excitat: illi
Succedunt, ſeruantq́; vices. ſtatione relicta
Ipſe comes Niſo graditur, Regemq́; requirunt.

OBSTVP. MAGNO LAVD. PERC. AMORE) Nō laudauit Euryalum Niſus, vt ſuarum amore laudum perculſum dicat poeta. Sed hoc vult, amore, ac deſiderio earum laudum, ſeu illius gloriæ, quam Niſo videbat propoſitam, & ad quam illum impetu quodam eximio ferri cernebat, Euryalum quoq; fuiſſe correptum, ita vehementer, vt pæne apud ſe non eſſet. ✠

ME NE IGITVR SOCIVM SVMM. AD. REBVS) Quàm promptus, & alacer Euryalus ad ſubeunda cum amico quæuis grauia? Tales perpaucos eſſe, qui in rebus aſperis, periculoſis, difficilibus ſocios, & comites ſe præbere ſuſtineant, conqueritur hiſce carminibus Theognis.

Παύρους εὑρήσεις, Πολυπαΐδη, ἄνδρας ἑταίρους
Πιστοὺς ἐν χαλεποῖς πρήγμασι γιγνομένους.
Οἵτινες ἂν τολμῷεν, ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες,
Ἴσον τῶν ἀγαθῶν, τῶν τε κακῶν μετέχειν.
Τοὺς δ' οὐκ εὑρήσεις διζήμενος οὐδ' ἐπὶ πάντας
Ἀνθρώπους, οὓς ναῦς μὴ μία πάντας ἄγοι.

Coniux Annibalis Imilce, poſtquam à viro audijt ſe relinquendam eſſe loco tuto, nec ducendam ſimul in Italiam,

Me ne oblite tua noſtram pendere ſalutem,
Abnuis inceptis comitem? ſic fœdera nota,
Primitiaq́; tori? gelidos ne ſcandere tecum
Deficiam montes coniux tua? crede vigori
Fœmineo. caſtũ haud ſuperat labor vllus amorẽ. ✠

Socius eſt par, comes verò minor, quippe qui ſequitur, & ducem habet. Ideo duces in bello, quoties milites alloquuntur, conciliandæ beneuolentiæ gratia, non fere

A appellant comites, ſed ſocios, communicantes quodammodo ſuam dignitatem cum illis: vt è diuerſo, cum commilitones vocant, communicantes ſuam conditionem, ac ſortem cum ipſis. Præterea comes eſt, qui vtrunq; ſequitur alterius ductum: ſocius plerunque in negotijs, ſerijsq́; rebus, & fortunæ arbitrio ſubiectis. Cæſar in Comment. Itaq; Antiſthenes Prætor Theſſaliæ, cum ſe victoriæ Pompeij comitem eſſe mallet, quàm ſocium Cæſaris in rebus aduerſis, &c. Verùm huiuſmodi differentia aptior eſt inter ſocium, & ſodalem: eſt enim propriè ſodalis in rebus leuioribus, ac ſæpe voluptuoſis. Hæc Laurent. Valla. Socium tamen, & comitem ſæpe ita coniungit Cicero, vt differentiam vix agnoſcas. Et Virgil. infrà, *comitem caſus complector in omnes.*

B *Summis rebus.* Summum, & extremum dicimus, & laudabile. Bene ergo in re dubia vſus eſt ſermone dubio. Nam hoc dicit: non debes me nec à tua gloria, nec à periculis ſegregare, Seruius.* *Sunt qui ita dictum velint, vt Cic. ſumma reſpub. aut ſumma reipub. Melior Seruiana expoſitio.*

NON ITA ME GENITOR) Quoniã proprias laudes iactare nondum poteſt, paternam gloriam oſtentat, & de patre ſuperbit, quem à virtute militari commendat. * *Immo etiam de ſe gloriatur, ſequitur namq; mox,* nec tecum talia geſſi *Sed maluit nunc à patre comendari, eiusq́; inſtitutione.*

TERROREM INTER) quem Græci Troianis inferebant.

C SVBLATVM ERVDIIT) Terent. And. *Quidquid peperiſſet, decreuerunt tollere.* Nati enim infantes, & ab obſtetrice ſublati protinus nudi in terra ſtatuebantur, deorumq́;

deorumque auxilium nascenti inuocabatur. Inde à patribus tollebantur. Hoc officium poetę diis adscribunt, quando eximiè aliquem volunt commendatum. Qui autem non tollebatur, pro abdicato, & proiectitio habebatur. hæc omnia idoneis autorum sententiis confirmat ad 1. Thebaid. Statij. Ioan. Bernartius pag. 22. Vide item Turneb. lib. 22. cap. 11.

Est hic est animvs lvcis contemptor) potest esse aduerbium demonstrantis, *hic*, vt sit, *est hic*, id est, in meo pectore, quod demonstret. Potest & sic accipi, vt dicat, hic est animus lucis contemptor, hoc est, iste animus. Seruius.

Qvi vita bene cred. emi qvo tend. hon.) Noui ipse quoque pro laude vitam, salutemque contemnere. Noui facinus magnum sine magno periculo compleri non posse: quippe gloriæ pretium est, necis discrimen. Donat.

De vita gloriæ caussa dimicare est vtique naturæ illius, quam 2. Tuscul. Cicero describit. Natura, inquit, nihil præstantius habet, quàm honestatem, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus. Quàm plena magnimitatis, & despicientiæ vitæ, hæc clausula Euryali? *Est hic est animus lucis contemptor, &c.* Honorem vita bene emi affirmat, id est, honorem, & gloriam esse mercem hoc pretio, sanguinis scilicet, dignissimam. Quis hunc animum satis laudarit? Cato senior dicebat, plurimum interesse, vtrum quis virtutem magni æstimet, an vitam non magni faciat. Significabat non esse statim numerandos in fortibus, qui essent audacissimi, & quauis in caussa lucem hanc, vitamq; contemnerent, ac mori non dubitarent: sed eos demum, qui tanti facerent virtutem, vt eius gratia, vitam alioqui charissimam negligerent. Et talem mortem gloria sequitur. ✠

Eqvidem de te nil tale) sanctè negat, quidquam tale cogitasse de Euryalo, quale ille suspicatur. Tres autem caussas adducit, cur de eo socio sibi adiungendo minus cogitarit. Prima, vt si ipse (quod fieri potest) casu aliquo pereat, superfit amicus, cuius ætas quia minor, idcirco vita longiore dignior, & ne vterque pereat. Altera, vt habeat, si, vt dictum est, fortè vitam amittat, à quo funeretur, redempto corpore: aut si id non liceat, à quo sibi absenti tumulus, & iusta fiant. Tertia, ne matri eius dolor insanabilis afferatur, si filiũ fortè amiserit. His caussis feruidus adolescens, & magnanimus nihil permouetur.

Nec fas. non) Non est fas, non, inquam, fas est.

Ita me referat) Ita sim saluus, ita viuam, ita me amabit Iupiter, vt est in comœdia.

Qvæ mvlta vid. dis. tali) Non semper præclaris cœptis fortuna est comes: & illud, *Virtute duce, comite fortuna*, magis optantis, quam asseuerantis, aut promittentis est.

Si qvis in adversvm rapiat) Hæc, & quę sequuntur, Silius lib. 3. ad Annibalem, & vxorem eius Imilcen quam ex Hispania in Italia secum ducere nolebat, accõmodauit.

Quod si promissum vertat fortuna fauorem,
Lanaq; sit cœptis, te longa stare senecta,
Ænnumq́ extendisse velim: tua iustior ætas,
Vltra me impropera ducant cui fila sorores.

Raptvm pvgna) in acie interfectum. lib. 12. *Et regem vobis pugna defendite raptum.* Rapi dicuntur, qui moriuntur, & rapti mortui, etiam in prælio, & in armis, atque inter arma. Pentadius in Epitaphio Hectoris, *Sed raptum patre infelix, auroq; repensum Condidit.* lib. 6. de infantibus, *Quos dulcis vita exortes, & ab vbere raptos Abstulit atra dies.* ✠

Hvmo solita) consueto sepulturæ loco, vbi reliqui humantur.

Absenti ferat inferias) faciat iusta mihi absenti, cum scilicet cadaueris copia non erit.

Donetqve sepvlcro) honorario, quod Græcis est κενοτάφιον.

Mvltis e mat. avsa. proseq.) Æneid. 5. *Transcribunt vrbi matres.* Sola hæc filium suum præ amoris impatientia est ausa prosequi in Italiam, rem magnam scilicet aggrediens. * *Etiam multis è matribus S. Monica filium Augustinum ex Africa in Italiam, & Mediolanum secuta est, nihil non agens, vt eum Christianum, & Catholicum videret. De ea re scribit lib. 6. Confess. in hæc verba: Iam venerat ad me mater, pietate fortis, terra, mariq́, me sequens, & in periculis omnibus de te secura.*

Nec mea mvtata loco sent. cedit) Maneo in sententia, à sententia ista non desisto, non discedo, in hac mente, & sentẽtia perseuero, nemo me ab ista sententia deducet.

Vigiles simvl excitat) Si vigiles fuerunt, quomodo excitabantur? Manifestum est, hîc nullam esse quæstionem. Vicibus enim seruatis, ea hora dormientibus aliis, qui fuerant vigilaturi, Nisus tunc, & Euryalus vigilabant: proinde recessuri excitabant alios, qui essent ex vigilum numero. Donatus.

Regemqve reqvirvnt) Ascanium, regis Æneæ filium: nam hunc aliquoties regem appellat.

Cætera per terras omnes animalia somno
Laxabant cvras, et corda oblita laborvm:
Ductores Teucrûm primi, & delecta iuuentus,
Consilivm svmmis regni de rebvs habebant;
Quid facerent, quisúe Æneæ iam nuntius esset.
Stant longis adnixi hastis, & scuta tenentes
Castrorum, & campi medio. tum Nisus, & vnà
Euryalus confestim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiumq; moræ fore. primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere iussit.
Tunc sic Hyrtacides. Audite ô mentibus æquis

Æneadæ: NEVE HÆC NOSTRIS SPECTENTVR AB ANNIS,
QVÆ FERIMVS. Rutuli SOMNO, VINOQVE SEPVLTI
CONTICVERE: locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in biuio portæ, quæ proxima ponto.
Interrupti ignes, aterq; ad sidera fumus
Erigitur. si fortuna permittitis vti,
Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea.
Mox hîc cum spoliis, ingenti cæde peracta,
Affore cernetis: nec nos via fallit euntes.
Vidimus obscuris primam sub vallibus vrbem
Venatu assiduo, & totum cognouimus amnem.

CÆTERA PER TERRAS ANIMAL.) Exaggeratur vigilantium labor, Ascanij, aliorumque ducum scilicet.

LAXAB. CVRAS, ET CORD. OBLIT. LABOR.) Hoc verissimum est in hominibus, quorum propriè sunt curæ, & laborum memoria. Reliquæ enim animantes pauxillùm admodum sentiũt præteritum, aut futurum. Somnus igitur curarum queis, & laborum, dolorumque obliuio est. ✠

DELECTA IVVENTVS) Iuuenes consilio tam arduo miscet, consideratione Romani moris, quo equites admissi, qui ferè è iuuentute. Accipiebantur autem ad consilium militare Legati, & Tribuni, tum Primipili quoque, & interdum alij Centuriones. Vide Lipsium de Milit. Rom. libr. 2. dial. 8. in quo agitur de consilio militari.

CONSILIVM SVMMIS REGNI) Lucilius. *Consilium summis hominum de rebus habebant*. Vide adagium, *In nocte consilium*. Quodnam autem caput consultationis fuerit, statim subiungitur, *Quid facerent, quisue, &c.*

STANT LONGIS ADNIXI HASTIS, ET SCVTA TEN.) Quamuis non essent morbo, aut vulnere grauati, vt de quibus narrat Homerus, & Cic. pro Rabirio. Corpus ita firmabant Troiani proceres rebus illis, quas tempus illud, ac periculum magnum ipsos tenere hortabatur. Lege Victor. lib. 38. cap. 18.

Præter vigiliarum laborem, inquit Donatus, non saltem sedentes, sed stantes, & tenentes scuta, & longis hastis adnixi. Ecce & armorum gestatio quantum laboris imponebat vigilantibus, quos solum leuabat hastarum auxilium, quibus innixi iuuabantur.

CASTRORVM, ET CAMPI MEDIO) *Medio*, bis accipiendum est, vt sit, medio castrorum, & medio campi. Campum hîc dixit, non talem, quales sunt, in quibus bellicæ congressiones agitantur, sed spatium intra castra constitutum. Donatus. Et Seruius breuissimè. In medio campi spatio, qui campus castrorum medius fuit.

REM MAGNAM PRET. MORÆ FORE) *Magna cum gratia, & venustate abest verbum*, dicebant. *Ita Cic. Habendas esse quam laxissimas habenas. Ouid.* habent commoda magna moræ. *Et alibi.* Grande moræ pretium, tuta futura via est.] Dicebant se afferre rem magnam, cuius mora pretium posset afferre, id est, pœnam. Terent. *Ego pretium ob stultitiam fero.* Si tardè mittamus ad Æneam, luemus hostium pœnas. Alij sic. Scimus quidem aduentum nostrum moram afferre vestris consiliis: verùm huic moræ erit pretium, id est, remuneratio, namque hoc afferebant, quod illi cogitabant. Seruius.

ACCEPIT TREPIDOS) festinos, more suo.

NEVE HÆC NOSTRIS SPECT. AB ANNIS) Bene excusat, quia scit de ætate puerorum posse dubitari, dicens, non ex suggestione personæ, sed sua vi consilia ponderanda. Seruius aliter, Cum sciamus adolescentes solere inconsideratos esse, ac temerarios, ei suspicioni occurrit.

Locus est apud Isocratem in Archidamo, his verbis Maronianis illustrandis, & ornandis magnopere idoneus. Εἰ μὲν γὰρ ἀποδεδειγμένον, &c. Nam si exploratum esset, seniores de omnibus rebus rectissime iudicare, adolescentes autem vbique falli, & hallucinari, nõ immeritò nobis dicendæ sententiæ ius adimeretur. Sed quum non annorum spatium, sed ingenium, & diligentia in causa sit, vt alios alij prudentia superemus: nonne vtriusque ætatis periculum faciendum est, vt ex omnibus iis, quæ dicta fuerint, vobis deligere liceat vtilissima? Summa Isocrateæ huius orationis est hæc. Senes non vbique rectè iudicant: Et adolescentes nõ semper falluntur. Inuenio senariolos duos Menandri, ad institutum, & verba horum iuuenum accommodatissimos.

Μὴ τοῦτο βλέψῃς, εἰ νεώτερος λέγω,
Ἀλλ' εἰ φρονοῦντος τοὺς λόγους ἀνδρὸς ἐρῶ.
Spectare noli, sim ne iuuenis qui loquor,
Viri sed vtrum verba prudentis loquar. ✠

SOMNO VINOQVE SEPVLTI) A mortuis ad dormientes metaphora, profundùm enim dormientes, haud multùm videntur distare à mortuis. 2. Æneid. *In vadunt vrbem somno, vinoque sepultam* lib. 3. de Polyphemo. *Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus.* Lucret. lib. 5. *sed taciti respectabant, somnoq; sepulti.* Tibull. lib. 1. somno domitos dixit.

INTERRVPTI IGNES) suprà, *lumina rara micant*.

AD SIDERA FVMVS ERIG.) signum sopitorum ignium, quoties maior fumus erigitur.

SI FORTVNA PERMITT. VTI) si fortunam sequi, & oblatam arripere occasionem sinitis.

PRIMAM VRBEM) primam partem vrbis Pallantei, vbi nunc est apud Euandrum Æneas. sic prima platea, primis digitis, & multa huiuscemodi.

AMNEM) Tiberim.

Hîc

HIc ANNIS GRAVIS, ATQVE ANIMI MATVRVS ALETHES.
Dij patrij, quorum semper sub numine Troia est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cùm tales animos iuuenum, & tam certa tulistis
Pectora. sic memorans humeros, dextrasq; tenebat
Amborum, & vultum lacrymis, atque ora rigabat.
QVÆ VOBIS, QVÆ DIGNA, VIRI, PRO TALIBVS AVSIS
PRÆMIA POSSE REAR SOLVI? pulcherrima primùm
Dij, moresq; dabunt vestri: tum cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer æui
Ascanius, MERITI TANTI NON IMMEMOR VNQVAM.

ANNIS GRAVIS) Horat. Sat. 1. lib. 1. *O fortunati mercatores, grauis annis Miles ait.* Fessus, confectus ætate, alibi Virgilius.

ANIMI MATVRVS) sic dictum, vt illud 5. Æneid. *Hoc Helymus facit, hoc æui maturus Acestes.* Et paulò infrà, hoc ipso lib. *atque integer æui Ascanius.* Simile Horatianum Sat. 3. lib. 2. *Quid si quis natam pro muta deuouet agna, Integer est animi?* Ouid. Metam. 8. *Ante omnesq; Lelex animo maturus, & æuo.*

DII PATRII) Græcis θεοὶ πατρῷοι, patrios deos significant, tam patrios à patria, quam paternos, cognatos, gentiles, &c. German.

NON TAMEN OMNINO TEVCROS) Ac si diceret, licet irascamini ad tempus, hinc apparet non velle vos B penitus delere Troianos, quod tales animos iuuenibus datis. Seruius.

ET TAM CERTA PECTORA) quæ tam constanter res arduas, periculique plenas pro suorum salute adeundas sibi proponerent. Quæ maximum facinus aggredi, nihil dubitarent. Sic mihi videtur explicari posse hoc verbum *certa* isto loco. ✠

ET VVLTVM LACRYMIS, ATQVE ORA) Gratulationis fuerunt lacrymæ, & doloris. Gratulationis, quod extitissent tales voluntarij. Doloris verò, quia dixit, *Non tamen omnino Teucros delere paratis.* Recordatus est enim, quam perdidissent magnanimos heroas Troiani. Donat.

PRO TALIBVS AVSIS) Seruio legendum videtur, *pro laudibus istis*, id est, pro virtutibus, vt ex consequente anteced. intelligatur. Nos lectionem vulgatam retinemus.

PVLCHERR. PRIM. DII, MORESQVE DAB. VESTRI) Quam vellem, tantum mihi suppeditaret eloquentiæ, vt horum verborum vberem, diuinamq; mentem possem verbis exequi. Docet nos poeta sapiens, in præclaris actionibus nostris ante omnia spectare deum, & ab eodem rectè factorum nostrorum primum, præcipuumque præmium exspectare. Quæ enim à deo donan- A tur, sine dubio pulcherrima, & humanis donis longè præstantiora sunt. Quid ita? rogas? nonne cum dono semper coniunctus est donantis fauor, & animi propensio, ac beneuolentia erga eum, qui donatur? Fateris. Dei autem fauor, & gratia nonne omnibus omnium hominum, cælestiumq; fauoribus anteponi debet? Addit poeta, *moresque dabunt vestri*, in quo videri possit Stoicum παράδοξον tangere, Virtutem sibimet ad fælicitatē sufficere. In quam sentētiam scriptum illud à Silio, seu Iuuenale, *Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.* Quodsi verum est istuc M. Tullij, Vacare culpa, magnum esse solatium, quāto maius esse oportet solatium in conscientia multorum meritorum, factorumque bonorum, si nihil fecisse mali tantam habet iucunditatem? ✠

INTEGER ÆVI ASCANIVS) Seruius explicat, adolescens Ascanius, cui adhuc ætas integra superest. Vnde Ennius deos æui integros dicit, quibus multum æui superest. Don. Adde Horatianum illud Od. 22. lib. 1. *Integer vitæ, scelerisq; purus.* Donatus in And. Terent. ad illa verba, *mulier quædam forma, atque ætate integra*, Integra est ætas, quæ in flore consistit, cui neq; addendum iam sit, neque quidquam adhuc sit imminutum. Pro teste producit Virgil. Et ita quidam exponunt, vbi ad maturam, seu virilem ætatem peruenerit. Nunc phrasin, seu genus dicēdi aliquot auctoritatibus probemus. C Apud Afranium in Diuortio muliercula parum honesta, *non desunt, mihi Qui vltro dent: ætas integra est, forma satis.* Plaut Pseudolo, *Vbi sunt? vbi latent, quibus ætas integra est?* Pacuuius Niptris, *Ætate integra, feroci ingenio, facie procera virum.* Statius mutata voce, *integer annorum.* Plaut. Mercatore, *Adolescens quom sis, te, cum est sanguinis integer.*

MERITI TANTI NON IMMEM. VNQVAM) Rectè *non vnquam.* Nam vt Cicero ait ad Quirit. post red. non est æquum tempore, & die memoriam beneficij definiri. Huc etiam spectat, quod lib. 3. de Benef. scriptum lego à Seneca. Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel.

Immò ego vos, cui sola salus genitore reducto,
(Excipit Ascanius) per magnos, Nise, penates,
Assaraciq; larem, & canæ penetralia Vestæ,
Obtestor (quæcunq; mihi fortuna, fidesq; est,
IN VESTRIS PONO GREMIIS) reuocate parentem,
Reddite conspectum: NIHIL ILLO TRISTE RECEPTO.
Bina dabo argento perfecta, atq; aspera signis

Pocula, deuicta genitor quæ cepit Arisba:
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta:
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si verò capere Italiam, sceptrisq; potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortem:
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? ipsum illum clypeum, cristasq; rubentes,
Excipiam sorti, iam nunc tua præmia Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captiuosq; dabit, suaq; omnibus arma:
Insuper id campi, quod Rex habet ipse Latinus.
Te verò, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, iam pectore toto
Accipio, & COMITEM CASVS COMPLECTOR IN OMNES.
NVLLA MEIS SINE TE QVÆRETVR GLORIA REBVS,
Seu pacem, seu bella geram: TIBI MAXIMA RERVM
VERBORVMQVE FIDES.

IMMO EGO VOS, CVI SOLA SALVS GENIT.) Alethes A deorum liberalitatem pollicitus fuerat. Sequitur Ascanius cum pollicitatione liberalissima. Immo ait ego vos munerabo præmiis certissimis, & quæ sensibus vestris vsurpetis. Adiicit caussam, propter quam fiebat illis obnoxius. *Cui sola salus genitore reducto.* Tunc scio tutam fore vitam meam, cum remeauerit pater meus. Proinde pro paterno reditu, & pro cōseruatione salutis meæ, ego vobis egregia soluam præmia. Addit iusiurandum, quo securiores faciat. Donat.

EXCIPIT ASCANIVS) ÆNEID. 4. *tum sic excepit regia Iuno*, pro quo Homerus toties, *τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη.* Græcis etiam *ὑπολαμβάνειν* dicuntur, qui respondent, quasi qui vices sermonis reddant. ✠

PER MAGNOS NISE PENATES, ASSAR.) Hæc enim præcipua Troiani quæ colerent, habuerunt.

QVÆCVNQVE MIHI FORT. FIDESQVE IN VEST. PONO GREMIIS) Fortuna in euentu est factorum, fides autem in potestate. Quæcunque, inquit, in me fuerit fortuna, hoc est, si melior me fortuna respexerit, & si qua in me fides est, hanc seruabo meritis vestris, in tantum, vt in vestro arbitrio sit, quid repēdi vobis pro meritis debeat. Donatus.

NIHIL ILLO TRISTE RECEPTO) Hoc non solùm ad Ascanium pertinet, sed ad omnia. Hoc sensu nihil triste futurum in castris Troianorum, vbi ille remeauerit. Donat. * *Vt si diceret, Illud Horatianum*, Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro. *Egregia, & plena Æneæ commendatio, vbi esse fortunam, salutem, bona omnia, vbi ille sit.* Omnia ei adsunt bona, quem penes est virtus, *ait Plaut. Capt. Penes Æneam virtus: ergo penes eum omnia bona, illi primùm, deinde per illum aliis.*

PERFECTA, ATQVE ASPERA SIGNIS) signis in asperitate cælata. Sic & nummus asper dicitur, bene percussus & recens, non vetus, neque tritus, atque ipso vsu leuis, fugientibus notis, nec nota expressa. Persius, *quod asper Vtile nummus habet.* Qui enim pecuniæ amantes erant, in nummis fastidiosi erant, delectumque habebant, & nummos perfectissimæ, atque expressissimæ formæ seruabant. Turneb. lib. 18. cap. 28.

DEVICTA ARISBA) Troadis oppidum Arisba. Plin. lib. 5. cap. 3. inter vrbes ab Homero celebratas enumerat.

ET TRIPODAS GEMINOS) Tripun, seu tripoda inter funebris certaminis præmia apud Homerum Achilles proposuit, alioqui non iis modò qui fortiter quippiam fecissent, sed & poetis in victoria, tripoda tribui honestissimum putabatur, quando Hesiodum, Homero deuicto, eum retulisse proditum memoriæ scimus. Dabatur & iis tripus, qui Dithyrambicum carmen cecinissent, ad imitationem Apollinei tripodis. Rhodigin. lib. 8. cap. 15. * *Ab Homero sumsit Virgil. donationem tripodum li. 3. 5. & hoc ipso. Græcorum hunc fuisse morem, vt iis viros fortes* B *donarent, liquet ex Horatio, Ode 8. lib. 4.* Donarem tripodas, præmia fortium Graiorum.

SI VERO CAPERE ITALIAM) Tangit Virgil. morem, qui vt vetus est, & heroum quoque temporibus vsurpatus, ita etiam omni ætate seruetur necesse est: vt cum respub. aliqua, rexque victoriam consecutus est: oppidumque aliquod diues expugnauit, ex omni aceruo prædæ, quæ coacta est, partem sumat, & illam quidem elegantiorem, præstantioremque, atque ipsa ornet eos, qui magnopere vtiles in eo bello fuerint, fortemque in eo facto operam suam præbuerint, cum reliqua præda sorte ducta, vniuersis copiis illis, exercituique diuidatur. Idem etiam docet Euripides factum C esse in exercitu Græcorum, Troia capta, apud quem Neptunus Troadibus (fungitur enim hic deus illic officio prologi) ita loquitur: de captiuis autem mulierib. Troianis agit.

Καὶ τὰς μὲν Ἀρκάς, τὰς δὲ Θεσσαλὸς λεὼς
Εἴληχ', Ἀθηναίων δὲ Θησεῖδαι πρόμοι.
Ὅσαι δ' ἄκληροι, Τρῳάδων, ὑπὸ στέγαις
Ταῖσδ' εἰσὶ τοῖς πρώτοισιν ἐξῃρημέναι
Στρατοῦ.

Narrat igitur ipse, è numero omni captiuorum illorū, nobiliores extra sortē assignatas esse principib' illius exercitus: significat autē Cassandram, Andromachā, Polyxenā. Sed in eadē fabula infra etiā huius moris meminit.

nit, idē verbum vsurpant: ita enim inducit Talthybium Hecubæ respondentē, quę ex ipso quæsiuerat, quid de Andromacha factum esset. καὶ τινὶ ἀχιλλέως ἔλαβε παῖς ἐξαίρετον. Sed apud Homerum etiam huius consuetudinis vestigia multa reperiuntur: vt cum cecinit, Hecameden regis Arsinoi filiam, Achiuos in expugnatione Tenedi extra sortem Nestori dedisse: quia senex ille omnibus consilio, sapientiaque præstaret. Expressit verò Virgilius verbum etiam græcum. Nam cum tragicus poeta dixisset, ipsas ἐξῃρημένας, id est, è manubijs, aceruoque prædę exemptas, ipse inquit, *excipere*. Animaduertendum verò, tertium versum, quem supra citaui Virgilij, malè interpunctum esse in cunctis excusis libris. Nam nisi nota collocetur post pronomen *illum*, ansa errandi dabitur lectori, qui putaret pollicitum esse solùm Niso Ascanium clypeum, & cristas: minimè autem equum, quod si fecisset, qui animum eius incendere volebat, potius retardasset, & à forti illo proposito reuocasset, si retento equo, rebus vilioribus eius periculosum facinus compensare voluisset: nam clypeus, & cristæ illæ, res leues erant, si conferrentur cum equo, qualis verisimile est fuerit ille tam opulenti, & generosi iuuenis: præterquam quod nullum est munus, quod magis capiat animum illius ætatis. Aut igitur equum quoque polliceri debuit: aut ne ipsius quidem meminisse. Perspicitur autem magis, equum inprimis polliceri Ascanium debuisse, quia cum apud Homerum Dolon huiusmodi facinus aggressurus esset: obijceretque vitam suam maximo periculo, poposcit præmium illius facti equos Achillis, currumque, quo ille fortissimus heros vehebatur in prælijs. Versus poetæ hi sunt, quibus Dolon fidem sibi adstrinxit Hectoris: mercedemque, quam vellet, patefecit. Lege reliqua, Victor. lib. 26. cap. 1.

SCEPTRISQVE POTIRI) Æmilius Probus interdum hoc verbum *potiri*, cum auferendi casu coniungit: vt in Cimone, magna præda potitus: vt itē alibi: interdum cum generandi casu, vt in Lysandro, classis hostium potitus est: & in Agesilao, Hic simulatque imperij potitus est. In Eumene verò cū accusandi casu. Etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperij potirentur. Sic M. Tull. vtrumq; casum huic verbo iungit, gignendi, & auferendi scilicet: semper autem dicit, rerum, non rebus potiri. Etiam accusandi casu dixit, lib. 1. Tuscul. vrbem nostrā aliquam gentē potituram: quomodo & Lucret. loquitur lib. 3. *quorum vnus Homerus Sceptra potitus*. Et lib. 2. *Sed quia multarum potitur primordia rerum*. Et lib. 4.

Vsq; adeo certè, vt videamur cernere eum, quem
Reddita vitā iam mors, & terra potita est.

Lamb. in Æmil. * *Thales Milesius cuidam interroganti, quid poterat esse dulcissimum, respondit* potiri. *Ea enim demum magnā habent voluptatem, quæ nobis expedita, ac magnopere desiderata contingunt. Quæ autem vltro obueniunt, nō perinde delectant. Verum non insipienter Menedemus Eretriensis. Cum quidam doceret, maximū sibi videri bonū, si quis omnium potiri queat, quæ optat, respondit ille, sed longe maius bonum est, amice, non optare, nisi quod oportet. Ponitur etiam sine casu verbum* potiri. *Cic. ad Att. lib. 7. An cunctor, & tergiuersor, & ijs me dem, qui tenent, qui potiuntur? In Tuscul. Secundum genus cupiditatum nec ad potiundum difficile censet, nec verò ad carendum.*

VIDISTI QVO TVRNVS EQVO) Iliad. 10. Hector Doloni speculaturo Græcorum castra ituro, equos, & currus Achillis promittit.

CRISTASQVE RVBENTES) Nec eruditius, nec diligentius quisquam egit, agetúe de cristis, quam egit Lipsius de Milit. Rom. lib. 3. dial. 5. ad eum te mittimus.

EXCIPIAM SORTI) Id est, extra sortem tibi dabo, nec in sortitionem prædæ mittentur, nec sortitò cuipiā attribuentur, sed tibi extra ordinem cedent. Turneb. lib. 22. cap. 15. Adde Martial. in signum Victoriæ, lib. 14.

Hoc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit, decies adde falerna puer.

BIS SEX LECTISS. MATRVM CORP.) Sumit ab Homero etiam hoc genus doni, cuius caussam quærat qui volet. Sanè libidinis tantum gratia tot fœminas donari, non fit verisimile. Sed donētur, nobis alijs moribus viuendum est. Lib. 5. cuidam victori serua datur, *operum haud ignara Mineruæ*, cui gemini erāt sub vbere nati. *

INSVPER HIS) Præter hæc. Vel lege, *insuper id campi*.

CAMPI QVOD HABET REX IPSE LAT.) Mos fuerat, vt viris fortibus, siue regib⁹, pro honore daretur aliqua agri particula, vt habuit Tarquinius in campo Martio, quod spatium ab Homero τὸ τέμενος dicitur. Hoc ergo quod Latinus pro honore de repub. habuit, ab Ascanio intelligamus esse promissum. Seruius. A Seruio dissentit German, putatq; intelligendum antiquum illum agrum, inter Laurentum, & castra Troianorum interiectum, quem Latinus lib. 11. Troianis ad pacem redimendam se oblaturum in concilio procerum dicit, &c.

MEA QVEM SPAT. PROP. ÆTAS INSEQ.) Cui sum ætate vicinior: quem annis prope consequor, cui sum ferme coæuus. Similis simili gaudet, etiam in ætatibus verum est. Gaudēt senes senibus, iuuenes iuuenib⁹, pueri pueris. Proinde sequitur *te tā pectore toto Accipio*, id est, toto affectu, & vt Germani dicerent, *du bist mir von hertzen lieb*. Quanquam non ætatis tantum similitudo, sed virtutis quoque præstantia, quæ iam nunc in adolescente elucet, eum Ascanio tam charum reddit. *

NVLLA MEIS SINE TE QVÆR. GLOR. REB.) Tibull. eleg. 7. lib. 1. *Non sine me est tibi partus honos.*

RERVM VERBORVMQVE FIDES) Et rempub. tibi committam, pacis, & belli negotia, & tecum communicabo omne consilium.

------- Contra quem talia fatur
Euryalus: ME NVLLA DIES TAM FORTIBVS AVSIS
DISSIMILEM ARGVERIT. tantum fortuna secunda,
Aut aduersa cadat. sed te super omnia dona
Vnum oro: genitrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia Regis Acestæ.
Hanc ego nunc ignaram huius, quodcunq; pericli est,
Inq; salutatam linquo (nox, & tua testis

Dextera) quòd nequeam lacrymas perferre parentis.
AT TV, ORO, SOLARE INOPEM, ET SVCCVRRE RELICTÆ:
HANC SINE ME SPEM FERRE TVIS: audentior ibo
In casus omnes. Perculsa mente dederunt
Dardanidæ lacrymas: ante omnes pulcher Iulus,
ATQVE ANIMVM PATRIÆ STRINXIT PIETATIS IMAGO.

ME NVLLA DIES FORTIBVS) Ab hoc officio, & ab hac audacia accessu temporis inferior non probabor, qualiscunq; fortuna comitetur. Seruius. Vel sic. Nunquam meam de hoc audaci cœpto mutabo sentétiam. Quo ad vixero dabo operam vt hanc tuam exspectationem non frustrer.

TANTVM) Tantummodo hoc possum de me promittere, vt semper audeam, semper velim fortiter facere. Ergo meum est hoc promittere, siue prospera, siue aduersa fortuna comitetur. Nam *aut* disiunctiua particula est, non negantis aduerbium, quasi *haud* scriptum esset. Seruius. * *Ex Seruiana interpretatione versus im interpungendus sit fortasse.*

——— me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit. tantum. Fortuna secunda,
Aut aduersa cadat,

SED TE SVPER OMNIA DONA VNVM ORO) Quia matre, (nec immeritò) nihil charius habet, quæ ipsum sola, è Sicilia etiam, præ amore nimio secuta est in Italiam, sola, inquam, præ matribus cæteris, quoniam auelli ab eo non potuit, piè eius curam gerit, abiturus in tantum discrimen: & sibi eius salutem, & commoda omnibus donis fore potiora testatur. Notetur exemplum pietatis in matrem. ✠

GENITRIX PRIAMI DE GENTE VETVSTA) de familia. Et bene eam etiam ex cognatione commendat. Nam Ascanius nepos est Priami per Creusam matrem.

QVAM MISERAM) quæ sic impatienter diligebat filium.

NON MOENIA REGIS ACESTÆ) Vide extremum lib. 5. Nam in Sicilia non inuito Aceste, cupiente etiam conditur vrbs: ibi imbellis turba Troianorum, senes, timidi, fœminæ, pueri relinquuntur. Vocat Acestæ mœnia, in illius enim potestatem hanc omnem turbam tradi iusserat Anchises, per quietem Æneam affatus. Et de eodem dicitur ibid. *gaudet regno Troianus Acestes, Indicitq́; forum, & patribus dat iura vocatis.* ✠

HANC EGO NVNC IGNARAM) [illegible] ab insigni pietate in matrem, imitatione Homeri, qui Telemachum matre insalutata ab Ithaca soluentem inducit, & hac cautione matrem satagentem.

Α'λλ' ὄμοσον μὴ μητρὶ φίλῃ τάδε μυθήσασθαι
Πρίν γ' ὅτ' ἂν ἑνδεκάτη τε δυωδεκάτη τε γένηται
Η' αὐτὴν ποθέσαι, καὶ ἀφορμηθέντος ἀκοῦσαι,
Ως ἂν μὴ κλαίουσα κατὰ χρόα καλὸν ἰάπτῃ.

Sic apud Calab. lib. 7. celat magna pietate matrem Deidamiam Neoptolemus caussam aduentus ad se Vlyssis, Diomedisq́;, eò quidem structum, vt ipsum Troiæ fatalem, in Græcorum castra, militiamq́ue perducerent. German.

IN QVE SALVTATAM LINQVO) tmesis. Notabis, salutare dicimur etiam eos, quibus valedicimus, quia salutare nó est aliud, quàm saluté precari, quod facimus quoque cú valedicimus. Quid enim est bene valere, nisi saluum esse? Ergo illud vulgatum, *insalutato hospite discedere*, non est alienum latinitati. Summa, tam abeuntium, quam accedentium est salutare. Plaut. Milite.

Etiam nunc saluto te familiaris, priusquam eo.
Conserui, conseruæq́; omnes bene valete, & viuite. ✠

QVOD NEQVEAM LACRYMAS PERFER. PAR.) Excusat, ne videatur crudelis. Vnde sequitur matris eius tragicus, & miserabilis ille conquestus. *potuisti linquere: solam? Crudelis.*

INOPEM) auxilij egentem, me discedente.

HANC SINE SPEM FERRE TVI) fac me posse sperare, te non defuturum precibus meis.

ANIMVM PATRIÆ STRINX. PIET. IMAGO) Exemplo Euryali auidius cœpit amare patrem, etiam ante dilectum. Euryalus repræsentauit charitatem erga parentes. Seruius. * *Sic de Ænea libro sequenti cum Lausum à se interfectum videt pallescere, Lausum, qui tanta pietate patrem Mezentium protexerat,* Et mentem patriæ subijt pietatis imago.

Tum sic affatur.
SPONDEO DIGNA TVIS INGENTIBVS OMNIA COEPTIS
Nanq; erit ista mihi genitrix, nomenq; Creusæ,
Solùm defuerit: NEC PARTVM GRATIA TALEM
PARVA MANET, CASVS FACTVM QVICVNQVE SEQVETVR.
Per caput hoc iuro (per quod pater antè solebat.)
Quæ tibi polliceor reduci, rebusq; secundis,
Hæc eadem matriq; tuæ, generiq; manebunt.
Sic ait illacrymans: humero simul exuit ensem
Auratum mira, quem fecerat arte Lycaon
Gnosius, atq; habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem, horrentisq; leonis
Exuuias: galeam fidus permultat Alethes,
Protinus armati incedunt. quos omnis euntes

Primorum manus ad portas, iuuenumq́;, senumq́;
Prosequitur votis. nec non & pulcher Iulus
ANTE ANNOS ANIMVMQVE GERENS, CVRAMQVE VIRILEM,
Multa patri portanda dabat mandata: SED AVRÆ
OMNIA DISCERPVNT, ET NVBIBVS IRRITA DONANT.

SPONDEO DIG. TVIS ING. OMNIA CORPT.) Quodvis à me donum optato, & feres. Plaut. Cic. ad Q. F. epist. 2. lib. 1. nostræ caussæ non videntur homines defuturi, mirandum in modum profitentur, offerunt se. Est & lib. 10. epist apud eundem, omnia cupiam polliceri.

NAMQVE ERIT ISTA MIHI GENIT.) Talia dicta, cum nimirum alterius patrem, matrem, fratrem, amicum, commoda, incommoda, nostra fore dicimus, vel pro nostris habituros, magnam humanitatem, amorem, atque studium declarant, & sunt plena elegantiæ ac leporis. Supra, *vnum & commune periclum, Vna salus ambobus erit.* Plaut. Capt.

Pol ego, si audeam, te meum patrem nominem.
Nam secundum patrem tu es pater proximus.

Vide plura lib. 12. ibi, *Qui te cunq, manent isto certamine casus, Et me Turne manent.*

NEC PART. GRATIA TALEM PARVA MAN.) Debet ab omnibus coli, quæ talem generauit. Quæ eiusmodi adolescentem peperit, honoranda est ab omnibus.

CASVS FACTVM QVICVNQVE SEQ.) siue redeas incolumis, siue non. Satis congruè. Præmia enim non debētur euentui, sed voluntati, & virtuti. Vide infrà, *Quæ tibi polliceor reduci, Hac eadem matri.*

PER CAPVT HOC IVRO) Mos veteribus fuit, si quid affirmatius dicere vellent, vt per suum, ac per illorum etiam caput, quos charos habebant, iusiurandum conciperent. Ouid. de Ponto eleg. 3. lib. 3.

Per mea tela, faces, & per mea tela sagittas,
Per matrem iuro, Cæsareumq́, caput

Briseis ad Achillem.

Perq́, tuum nostrumq́, caput. quod iunximus vnà
Perq́, tuos enses, cognita tela meis.

Apul. lib. 2. Metamorph. Adiuro enim tuum mihi charis. caput, nulli me prorsus, ac ne tibi quidem ipsi asseueranti posse credere, quod tu quidquam in meam cogitaris perniciem. Iuuenal. item Sat. 6.

Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,
Aut aliqua extiterant, & sub Ioue, sed Ioue nondũ
Barbato: nondum Græcis iurare paratis
Per caput alterius.

Iliad. 15. Iuno per caput Iouis iurat. Plura exempla qui cupit, adeat Brisson. Formular. lib. 8. num. 709. Nonnunquam & per oculos suos iurabant. Brisson. ibidem.

PER QVOD PATER ANTE SOLEBAT) quia absens est Æneas. Plures explicationes vide apud Seruium.

QVÆ TIBI POLLICEOR, HÆC EAD. MATRI GENERIQVE MANEB.) Fortassis Virgilio in mentem venit illius loci è 14. Philip. Atq; etiam censeo P. C. quæ præmia militibus promisimus nos, repub. recuperata, tributuros, ea viuis victoribusq; cumulatè, cum tempus venerit, persoluenda: qui autem ex ijs, quibus illa pro- E missa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus eadem tribuenda censeo. Quin & Solon legem tulit de eorum liberis publicè colendis, atque instituendis, qui pro repub. oppetijssent.

A HVMERO SIMVL EXVIT ENSEM) Antiquitus ab humero, non à medio cingulo pendebant enses militibus. Homer. Iliad. 2. ἀμφὶ δ' ὤμοισιν, &c. Circum humeros iecit clauis gladium argenteis. Virgil. lib. 8. *Tum lateri, atq, humeris Tegeæum subligat ensem.* Loris autē latioribus dependebant, & id balteus, seu baltea. Virg. lib. 12. *humero cum apparuit ingens Balteus, & notis fulserunt cingula bullis.* Sidon. lib. 4. epist. 20. penduli ex humero baltei. Sic lib. 10. *tergo, qua balteus imo Sinuatur, coxaq, sedet munimen vtrinq,.* Qui versus tamen indicat, cingulum etiam commune, & quo in orbem ambimur, balteum item appellari, quod verum est, & de vtroq; Isidorus. Balteus dicitur non tantum quo cin-
B gimur, sed etiam à quo arma dependent. Plura Lipsius in Analect. lib. 3. de milit. Rom. ad Dial. 3.

LYCAON GNOSIVS) Cretensis. Laus ab artifice vt poculi Eclog. 3. *diuini opus Alcimedontis.*

PELLEM HORRENTIS LEON EXVVIAS) Ἐπεξήγησιν, pellem, quæ erant leonis exuuiæ. Ex heroicorum temporum consuetudine scriptum est. Vt enim exuuijs leonis Herculem, sic & alios heroas vestitos, aut aliarum bestiarum pellibus legimus, vt apud Homer. Iliad. κ. ὣς φάθ' ὃ δ' ἀμφ' ὤμοισιν ἐέσσατο δέρμα λέοντος αἴθωνος. Virgilius autem, vt si quisquam alius, antiquitatis æmulatione, & reuocandis eius institutis, & moribus, poema suum perpolire cupit. Turneb. lib. 29.
C cap. 25.

Adi lib. 7. ad illud, *Ipse pedes tegmen torquens immane leonis.* Quibus licet hæc addas Apollon. lib. 1. Δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμφ' ἔχεν ὤμοις. Vbi scholiast. σύνηθες τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν. Tydeus apud Statium apri pelle amicitur.

Terribiles contra setis, ac dente recuruo
Tydea per latos humeros ambire laborant
Exuuiæ.

Porrò leoninum spolium virtutis est hieroglyphicum, vt obseruat in Leone Pierius, eaque de caussa dicatum Herculi, quem pro virtute veteres posuere. Quare Diogenes quendam molliorem, eo ornatu sibi complacen-
D tem conspicatus, exclamauit: cur tu virtutis indumentũ vituperas? Quin & equum instratum leonina pelle ab Euandro accipit Æneas lib. 8. ad finem.

Ducunt exortem Æneæ, quem fulua leonis
Pellis obit totum, præfulgens vnguibus aureis

Et Parthenopæi equus apud Statium. *Cornipedem trepidos suetum prævertere ceruos Velatum gemina deiectæ lyncis.* Totum verò locum ab Homero expressum ostendit Vrsin. quem consule.

ANTE ANNOS ANIM. GERENS, CVRAMQVE VIR.) Videtur hîc poeta, vt passim, ἀρισκεία, & studijs Iuliæ familiæ, in persona Iuli ad Augustũ alludere, eiq; assentari, qui, vt refert Cic. Philipp. 5. Dio lib. 46. Sueton. cap. 26. solutus Romanis legibus, referente Cic. ætatis priuilegio, prima adolescentia consulatum gessit. Itaque & in Eclog. *Hic illum vidi iuuenem Melibæe, quotannis*, &c. & infrà libr. sequente. *Num puero summam belli, num credere muros?* Nam quamuis summa imperij potestas ab Ænea puero Ascanio deman-

cingunt. *Vbi trepidant non aliter licet exponere, nisi festinant. Trepidus nuntius erit festinus nuntius.*

MARIA ANTE EXVRERE) Non est huic diuersum quod habet Propert. lib. 2. eleg. 32.

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altaq; mortali deligere astra manu.

GENITRIX IVBET) Absolutè *genitrix*, propter præstantiam genitorum, quia deos genuit. Cur non etiam Christiani, & quidem longè verius virginem, ac patronam suam, Dei matrem, sine vllo adiuncto GENITRICEM vocent? Potest etiam verissimè dici, MAGNA MATER, & si quid eiusmodi est, quod dignitatem partus, seu felicitatem notet. ✠

PVPP. ABRVMP. VINCVLA RIP.) Ennius 2. Annali, de equo generoso, *Vincla suis animis abrumpit.* Horat. Ode 7. lib. 4. *Nec Lethæa valet Theseus abrumpere charo Vincula Pirithoo.*

ÆRATÆ PRORÆ) Rostratæ naues, quas Græci χαλκεμβόλους, & χαλκήρεις vocitãt, vnde dictę sint, nemo est vel mediocriter litteris imbutus, qui ignoret: earum autem nauium rostra quia ex ære fiebant, æratæ etiam nominabantur. Cæsar 2. de bello ciuili. Interim L. Nasidius ab Cn. Pompeio cum classe nauium sedecim, in quibus paucæ erant æratæ. Brod. lib. 4. cap. 13. Adde. Et in 1. Æneid. æs simpliciter pro æratis rostris posuit Virgil. *& spumas salis ære ruebant*, id est, mare rostris nauiũ quæ ærata erant, secabant.

Obstupuere animis Rutuli. conterritus ipse
Turbatis Messapus equis: cunctatur & amnis
Raucà sonans, reuocatq; pedem Tiberinus ab alto.
AT NON AVDACI CESSIT FIDVCIA TVRNO:
Vltro animos tollit dictis, atq; increpat vltro.
Troianos hæc monstra petunt: his Iupiter ipse
Auxilium solitum eripuit, non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos. ergo maria inuia Teucris,
Nec spes vlla fugæ: rerum pars altera adempta est:
Terra autem in manibus nostris: tot millia gentes
Arma ferunt Italæ. nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se iactant responsa deorum.
Sat fatis, Veneriq; datum est, tetigere quòd arua
Fertilis Ausoniæ Troës: sunt & mea contrà
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Coniuge prærepta: NEC SOLOS TANGIT ATRIDAS
ISTE DOLOR, solisq; licet capere arma Mycenis.

OBSTVPERE ANIMIS RVTVLI) *obstupere* non ad permutationem nauium pertinet tantummodò, sed ad omnia quæ visa fuerant, vel audita. Donatus.

CONTERRIT. IPSE TVRB. MESS. EQ.) Ipse Messapus, qui esset constans inter suos, & fiducia virtutis intrepidus, terrefactus est, ipsi etiam equi turbati. Qualem terrorem putamus fuisse, quando maiestatis potentiam muta quoque animalia sensere? Donatus

CVNCTATVR ET AMNIS, RAVCA SONANS) Tiberis, pro quo mox ipsum deum nominat, Tiberinum inquam. Sic lib. 8. sensum dedit Euphrati. *Euphrates ibat iam mollior vndis.* Vndis, & nemori principio eiusdem libri: *Miratur nemus insuetum, &c.*

REVOCATQVE PEDEM TIBERINVS) Pedem flumini tribuit, vt Lucret. lib. 5. *inde super terras fluit agmine dulci Quà via secta semel liquido pede detulit vndas.* quos versus ad verbum iterat lib. 6. Sic Horat. Ode 16. Epod. *montibus altis Leuis crepante lympha desilit pede.* Virgil. Culice. *Castaliaeque sonans liquido pede labitur vnda.* Lamb. in Horat.

AT NON AVD. CESS. FIDVCIA TVR.) Omnes facti nouitate occupauerat stupor, homines, equos, & flumẽ cum ipso deo suo: audacia tantum Turni immobilis mansit. Temerarij enim nõ mouentur ex accidentibus, nec succedentibus malis aliquando franguntur. Sic pereunt, manifesta, & grauia pericula pro dubiis, & leuib. æstimantes. Donat.

ANIMOS TOLLIT DICTIS) magnanimitatem suam comprobat dictis. Tale illud è contrario, *Turbatumq; oculis.*

ATQVE INCREPAT VLTRO) Increpitat, & increpat paria sũt, & est aut incusare, aut insultare. Georg. 4. *Æstatẽ increpitans seram.* Et lib. 10. *Hostis amare, quid increpitas, mortemq; minaris?* Et lib. 9. *quem Turnus pariter cursu, teloq; secutus Increpat his victor.* Cic. in Hortẽsio, & totam dialecticam aut illudis, aut increpas. Item, *Increpare* sonare. Virgil. lib. 8. *iterum, atque iterum fragor increpat ingens.* Et lib. 9. *At tuba terribilem sonitum procul ære canoro Increpuit.* Hæc Nonius

TROIANOS HÆC MONSTRA PETVNT) Non mihi, sed Troianis malum prænuntiat hoc portentum mutatarum nauium. Monstrũ dictum volunt, quod monstret futurum, & moneat voluntatem deorum. Virgil. 3. Æneid. *Delectos populi ad proceres, primumq; parentem Monstra deûm refero.* * *Occurrit Philippus Macedo, qui similiter quod aduersum se videbatur, contra hostes valere in re portentosa dixit. Cùm enim crinita stella apparuisset, & in eo tempore bellum haberet, soleantq; cometa pro nuntiis haberi regum interitus: non, inquit, ad me hoc prodigium, sed ad regem Persarum, qui capillatus est, pertinet.*

AVXILIVM SOLITVM ERIP.) Non quod solitus esset ipsis præstare, sed quo Troiani hactenus vti in fuga cõsuessent. Vltro Iupiter præstitit, inquit, quod efficere cupiebamus, vt ignauis istis deesset fugiendi opportunitas. Quare arreptas faces deponite. Diis iuuantibus factum est, quod per nos impleri non potuisset. Donat.

Non

NON TELA, NEC IGNES EXSPECT. RVTVL.) Non exſpectant Troiani, vt telis Rutulorum, aut ignibus pereant, qui iam nauium amiſſione perierunt. Seruius

ERGO MARIA INVIA TEVCRIS) Oſtendit Troianis pereundum: quia mari fugere non poſſunt amplius: terra cinguntur hoſtibus. Et vt veniant auxilia cum Ænea è Tuſcis, nihil valebunt contra gentes tam multas, quæ ductum, & arma mea ſequuntur. ☙

NEC SPES VLLA FVGÆ) ſubſidium fugæ.

RERVM PARS ALT. ADEMTA) facultas nauigandi, ſiue mare. Mundum hunc infimum diuidit in duas partes, terram, & mare. Sic cum dicitur. 1. Æneid. *Romanos rerum dominos*, nomine *rerum* non niſi terræ, & maria intelligenda ſunt: aëris enim, & cæli domini Romani vtriq; non fuerunt, cum tamen mundum dicantur obtinuiſſe, ſiue vniuerſum orbem, in quo nomine etiam mare includitur. ☙

TERRA AVT. IN MAN. NOSTRIS) In noſtra eſt poteſtate, nobis patet, & paret.

SI QVA PHRYG. PRÆ SE) Quaſi confingerent iſta reſponſa Troiani.

SAT FATIS VENERIQVE DAT. TETIG. QVOD) Vt vera ſint reſponſa, hactenus vera ſunt, quod Italiam tetigerunt. Satisfactum eſt fatis Troianorum.

SVNT ET MEA CONTRA FATA MIHI) Falſum eſt, ſed quis eum redarguat? Et quia ſcit falſum eſſe quod dixit, argumentis probare dicta contendit, dicens, eſſe A ſceleratam gentem, ob raptam ſibi coniugem: in quo facto vtitur Græcorum exemplo, qui rapta Helena gentem deleuere Troianam. Hactenus Seruius.

CONIVGE PRÆREPTA) ſponſam duntaxat inuidiosè coniugem vocat, vt Æneam faciat adulterum. Iuno lib. 10. de eadem re, *gremiis abducere pactas.*

NEC SOLOS TANG. ATRID. ISTE DOL.) Ad prouerbium alluſit, *Non ſoli Atridæ amant vxores*, quod quidem manauit ex Homeri Iliad. 1.

ἢ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεῖδαι;
Num ſolis hominum Atridis affectus, amorq;
Vxorum eſt?

B Vſus eius erit, cum ſignificare volemus, ſuam cuiq; dolere iniuriam, contumeliam, aut damnum, nec oportere quemquam impunè lædi. Chiliad.

Tangere etiam ſignificat lædere, eodemque modò græcum, *ἅπτεσθαι*, pro quo etiam *θιγεῖν* aliquando dicunt. Sic accipiendum illud Terentij Eunucho. *Quo pacto tetigerim Rhodium in conuiuio.* Alium quoque elegantem huius vocis vſum oſtendit Victor lib. 9. cap. 19. Licet etiam exponas afficit, commouet. lib. 12. *Miſerite ſi qua parentis Tangere cura poteſt.* Lucret. lib. 1. *Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

SOLISQVE LICET CAPERE ARMA MYCENIS) licet & nobis, pro vxoribus noſtris contra raptores bellum gerere, vt Græci in gratiam Menelaï contra Troianos propter Helenam raptam geſſerunt.

Sed periiſſe ſemel ſatis eſt. peccare fuiſſet
Antè ſatis, penitus modò non genus omne peroſos
Fæmineum: quibus hæc medij fiducia valli,
Foſſarumq; moræ, lethi diſcrimina parua,
Dant animos. an non viderunt mœnia Troiæ,
Neptuni fabricata manu conſidere in ignes?
Sed vos ô lecti, ferro quis ſcindere vallum
Apparat, & mecum inuadit trepidantia caſtra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Eſt opus in Teucros: addant ſe protinus omnes
Etruſci ſocios: tenebras, & inertia furta
Palladij, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis
Ne timeant: NEC EQVI CÆCA CONDEMVR IN ALVO:
Luce palàm certum eſt igni circundare muros.
HAVD SIBI CVM DANAIS REM, FAXO, ET PVBE PELASGA
ESSE PVTENT, decimum quos diſtulit Hector in annum.
Nunc adeò, melior quoniam pars acta diei,
Quod ſupereſt, læti bene geſtis corpora rebus
Procurate viri, & pugnam ſperate parati.

SED PERIISSE SEMEL) Propter Helenam raptam Menelao, ſemel perierunt bello Iliaco. Pereant iterum, qui iterum peccauerunt peccatum ſimile, & mihi Lauiniam rapuerunt: vſque adeo nondum exoſum habēt fæminarum genus. Occurrit igitur obiectioni, & contrà, peccandi cōſuetudinem obiicit, atque ita cuneum cuneo pellit. ☙

PENITVS MODO NON) *Modò* non in affirmatione hoc loco, vt item apud alios ſcriptores ponitur, & valet propemodum, prorſus. Terent. Phorm. *Is ſenem per epi-* C *ſtolas pellexit, modò non montes auri pollicens.* Tibull. lib. 1. eleg. 1. *Iam modo non poſſum contentus viuere paruo.* Quintil. procemio, Quis enim non de iuſto, & æquo, ac bono, modò non & vir peſſimus loquitur?

FOSSARVMQVE MORÆ LETHI DISCRIM. PARVA) Nihil aliud ſunt illis vallum, & foſſæ, niſi mortis parua quædam dilatio.

AN NON VID. MOEN. TROIÆ) Fiduciam gerunt, quia defenduntur foſſis, & vallo, poſt paulum morituri, quaſi non viderint Ilienſes muros, mira firmitate, at-

que admirabili magnitudine structos, & Neptuni diuinis manibus fabricatos in ignes consedisse. Donat.

CONSIDERE IN IGNES) Æneid. 2. *Tum verò omne mihi visum considere in ignes Ilium.*

SED VOS O LECTI) Homer. Iliad.

Οὗτοι δ' ἱππόδαμοι Τρῶες, μέγα νῦν δὴ ἄελπτον
Ἀργείων, καὶ πυρὸς ἀνῆτε δεσπιδὰ ἐς πῦρ.

Hosce duos versus, *Sed vos ò lecti*, & sequentia, nonne vides germanum illi posito in principio libri? *Ecquis erit mecum ò iuuenes, qui primus in hostem.*

QVIS SCINDERE VALLVM) Vallum dicitur ipsa munitio, nam valli fustes sunt, quibus vallum munitur. Ipse de sustentaculis vitium, *primus vallos sub tecta referto.* Seruius.

TREPIDANTIA CASTRA) Vnde scit Troianos intra vallum, seu in ipsis castris trepidare, hoc est, timere, & rebus suis diffidere? Certè si liceret, erumperent. More militari dictum: Imperatores enim vt suis militibus animos faciant, de hostibus tanquam ignauis, & imbellibus, ac despetabundis loqui gaudent. ✠

NON ARMIS MIHI VVLCANI) sicut Achilli. Bene arma generaliter dixit, nam ipse quoque habuit à Vulcano, sed solùm gladium: vt,

Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda.

Per hoc autem quasi latenter dicit, se Achille meliorẽ, qui se Troianos etiam sine diuinis armis superare posse confidit. Seruius.

NON MILLE CARINIS) Æneid. 2. *Non anni domuere decem, non mille carinæ.* Obliquè carpit Græcos, vt clarius patebit ex sequentibus.

ADDANT SE PROT. OM. ETRVSCI SOCIOS) Habeãt licet, quanta optare possint auxilia..

TENEBRAS, ET INERTIA FVRTA) Respicit ad illa, quę narrat Sinon. 2. Iliad. de Diomede, & Vlysse, quo pacto Palladium noctu Troiani ingressi surripuerint. Et ita Græcos vt imbelles vituperat, qui à dolo petere auxilium voluerunt, cùm à dextris, & virtute magis debuissent. Eodem pertinet, quod de equo ligneo statim sequitur, *nec equi cæca condemur in aluo.* Sensus hic est, Nihil est cur metuant, ne per noctem, & insidias occupentur. Non imitabimur Vlyssem, & Diomedem.

NEC EQVI CÆCA CONDEM. IN ALVO) Habes lib. 2. rem totam. Ibidem de turpissima Græcorum fuga, *pars ingentem formidine turpi Scandunt rursus equum, & nota conduntur in aluo.*

LVCE PALAM CERTVM EST) Respondent hæc è contrario illis, *tenebras, & inertia furta* Ne timeant

DECIMVM QVOS DIST. HECT. IN ANNVM) Seneca Troadibus.

Columen patriæ, mora fatorum,
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras, humerisq́; tuis
Stetit illa decem fulta per annos:
Tecum cecidit, summusq́; dies
Hectoris idem, patriæq́; fuit.

Ad quem locum M. Anton. Delrius, Viuo Hectore capi non potuit: tantum in eo ad victoriam Græcorum differendam momenti positum erat. Horat.

& ademptus Hector
Tradidit fessis leuiore tolli
Pergama Graiis.

Et Abramus Silo.

Ite agite ò Danai magnum Pæana canentes,
Ite triumphales, belli mora concidit Hector

Et Pentad. in epigram. *Defensor patriæ iuuenum fortissi-*

A *mus Hector, &c.* Auctor Hyginus, Achillem, cùm Hectorem raptaret, exclamasse, *expugnaui Troiam.*

Fatetur & Diomedes lib. 11. per Hectorem, & Æneam stetisse, per istos duos potissimùm, vt Græci tot annos Troiam obsidere cogerentur.

Quidquid apud dura cessatum est mœnia Troiæ,
Hectoris, Æneæq́; manu victoria Graium
Hæsit, & in decimum vestigia rettulit annum.

Palam est hoc, & superiore versu Græcis lentitudinem, ignauiam, & torporem, adeoque imbelliam obiici, qui tanto cum exercitu tot annis vnam vrbem circumsederint. Quod videtur etiam fecisse Epaminondas, dum cuidam irrisori, vt videtur, salsè respondit. obiiciente

B illo, q. Agamemnonis gloriam æmularetur, ita occurrit, Falleris, nam Agamemno totius Græcię auxilisi instructus, decem annis vix vnam cepit vrbem: ego vnius huius (Thebarum) præsidiis vno die victis, ac profligatis Lacedæmoniis, vniuersam Græciam seruitute liberaui. ✠

MELIOR PARS ACTA DIEI) Meliorem hìc partem diei esse censeo, maiorem, quæ cùm transacta est, inclinat dies in occasum. Maior autem pars è duodecim horis septem primarum est, non supremarum, quæ cum exactæ sunt, maior, & melior pars acta est: sed multò magis cùm exactæ sunt octo, vel nouem, vel decem horæ, vt cùm aduesperascit: quod tempus Turnus significauit. Tamen exacta septima hora maior pars acta est,

C vel teste locupletissimo Iurecos. Paulo, qui ita scribit: cuiusq; diei maior pars est horarum septem primarum diei, non supremarum. Turneb. lib. 3. cap. 14.

Alciat. tit. de verb. significat. in locum hunc Pauli sic scribit. Pleriq; crediderunt de die naturali Iureconsultum loqui, qui est ab ortu ad occasum solis, vt Censorinus auctor est, qui vulgò semper 12. horarum erat: quæ pro ipsa luce vel augebantur, vel minuebantur. Potest tamen de eo quoque intelligi, qui imparibus sit horis, quas Græci ἰσημερινὰς vocant. Nam & in Italia, & in prouinciis, maximus est 15. horarũ, quod ex Ptolemæo, Procliq; commentariis in sphæram intelligi facilè potest: vt meritò sequens pars, licet longior, tamen mi-

D nor à iureconsulto existimata sit, quod vesperi non ita vegeti, promptique, sicut manè simus. Et hanc poeta noster meliorem vocat. Hesiodus quoque, qui maturius manè operetur, tertiam partem operis conficere ait. ἠὼς γάρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν. Qui ergo à meridie ad occasum opus faciet, dimidiam operam præstitisse non dicitur, nec diurnæ mercedis dimidium meritò consequetur.

QVOD SVPEREST, LÆTI B. GEST. REB. CORP. PR.) Hom. Iliad. 19. Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα. Vnum, inquit, faciendum restat, quia omnia pro voluntate prouenerunt, vt reficiatis corpora vestra cum gaudio spei melioris, & animos vestros immineni

E ti iam certamini præparetis. Donatus.

Alludit ad morem militum, ait German. qui pransi, & cibo roborati, & curati, expediti pugnatum ducebãtur. Vnde & Cato Orig. libr. 5. Exercitum suum pransum, paratum, cohortim eduxit foras, atque instruxit. Sic & apud Homerum docet Vlysses non educendas copias ad pugnam ieiunio vexatas, & deiectas, hoc argumento. Εἴπερ γὰρ θυμῷ γε μενοινάᾳ πολεμίζειν, ἀλλά τε λάθρῃ γυῖα βαρύνεται.

BENE GESTIS REBVS) In eo tantum, quod hostes egredi non sunt ausi: nam quid aliud gesserunt.

PVGNAM SPERATE PARATI) Cupidos eos ostendit pugnæ, & victoriæ, vt viros fortes.

Interea

Intereà vigilum excubijs obsidere portas
Cura datur Messapo, & mœnia cingere flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite seruent,
Delecti: ast illos centeni quenq; sequuti
Purpurei cristis iuuenes, auroq; corusci
Discurrunt, variantq; vices: fusiq; per herbam
INDVLGENT VINO, ET VERTVNT CRATERAS AHENOS.
Collucent ignes: NOCTEM CVSTODIA DVCIT
INSOMNEM LVDO.
Hæc super è vallo prospectant Troës, & armis
Alta tenent: nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontesq;, & propugnacula iungunt:
Tela gerunt. instant Mnestheus, acerq; Serestus:
Quos pater Æneas, si quando aduersa vocarent,
Rectores iuueni, & rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat, exercetq; vices, quod cuiq; tuendum est.

VIGILVM EXCVBIIS) Excubiæ sunt diurnæ, vigiliæ nocturnæ. Tametsi pro vigilijs sæpe inuenias excubias, non contrà, vigilias pro excubijs. Doctè, vt semper, de vigilijs Lipsius libr. 5. Mil. Rom. dial. 9.

BIS SEPTEM RVTVLI) Incipit dicere, quali dispositione iussâ curabantur.

INDVLGENT VINO, ET VERTVNT CRAT.) Velut de prosperitate securi, non reficiendis corporibus, vt Turnus mandauerat, sed onerandis vino, atq; obruendis operam dabant, vsque adeò, vt vasa exhausta verterent: quæ res ostendebat tantum bibitum, quantum fuit, non quantum refectioni naturali sufficeret. Donatus.

HÆC SVPER E VALLO) Facilis fuit prospectus de summo, quia ignis plurimis locis accensus nihil occultabat.

TREPIDI FORMIDINE) Trepidos dixit cum timore diligentes, nec immunes à sollicitudine, vt etiam pro maiori cautela. Festini, propter formidinem, ait Seruius.

RECTORES IVVENI) Ascanio. si legas *iuuenum*, accipe magistros militum.

RERVM DEDIT ESSE MAGISTROS) Magistros vocari eos aiunt iureconsulti, quibus præcipua rerum cura incumbit. Hinc dicti magistratus. Magistrare etiam apud Festum, pro moderari: vnde non solum artiū, sed etiam pagorū, societatum, vicorum, collegiorum, conuiuiorum quoque magistri, & magisteria obeuntur. Suet. Domit. cap. 14. ex quo forte ducti magisterio fungerentur. Et Augusto cap. 2. municipalibus magisterijs.

OMNIS PER MVR. LEG. SORTITA PERIC.) Certum est, vigiles quaternos diuisisse se in quatuor partes, ita vt singuli vigiliam vnam noctis obirent, sorte diuidente. Ad quam sortem hic Virgilius aspexit: Ad vices autem, de quibus sequitur, *Exercetq; vices*, & mutationem, Vegetius lib. 3. cap. 8. Quia impossibile videbatur, inquit, in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt diuisæ vigiliæ, vt non amplius, quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. Bona, & commoda ratio. Erant quatuor vigiles, atque ij vnà: sed vnus ex ijs in vigilia quisque perstabat intentus, & verè vigil, alij adiacebant, aut accubabant. Itaque his quies aliqua, & ille stans, si auxilium posceret, ad manum habebat. Lipsius.

Consultò videtur his verbis Virgilius ad murorum, seu, vt antiqui scribebant, mœrorum etymologiam allusisse, qui ἀπὸ τῆς μοίρας appellati sunt, quod quisque pro parte sua eos tueretur. Ita 3. Æneid. ad græcæ vocis explicationem respiciens, dixit, *sparsasque per æquor Cycladas*. Σποράδες enim, hoc est, sparsæ, eæ insulæ sunt in mari Ægæo appellantur, quas vt apparet, Virgilius à cycladibus non distinxit. Hieron. Columna 3. Annal. Ennij, cuius est hic versus *muros, vrbemq; forumq; Excubijs curant*.

Nisus erat portæ custos, acerrimus armis
Hyrtacides (comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, iaculo celerem, leuibusq; sagittis)
Et iuxtà comes Euryalus: QVO PVLCHRIOR ALTER
NON FVIT ÆNEADVM, Troiana nec induit arma,
ORA PVER PRIMA SIGNANS INTONSA IVVENTA.
HIS AMOR VNVS ERAT, pariterq; in bella ruebant:
Tunc quoq; communi portam statione tenebant.

Nisus ait: DII NE HVNC ARDOREM MENTIBVS ADDVNT
EVRYALE? AN SVA CVIQVE DEVS FIT DIRA CVPIDO?
Aut pugnam, aut aliquid iamdudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant: somno, vinoq; soluti
Procubuere: silent latè loca. percipe porrò
Quid dubitem, & quæ nunc animo sententia surgat.
Ænean acciri omnes, populusq;, patresq;
Exposcunt, mittiq; viros, qui certa reportent.
Si tibi quæ posco promittunt (nam mihi facti
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros, & mœnia Pallantea.

NISVS HYRT.) Non illepidè quæri posset, an Asius Troianus homo, quem Homerus Hyrtaciden vocat, Nisi fuerit frater, nam hic quoque Hyrtaci filius à poeta dicitur.

Ἀλλ' οὐχ Ὑρτακίδης ἤθελ' Ἄσιος ὄρχαμος ἀνδρῶν
Αὖθι λιπεῖν ἵππους, καὶ ἡνίοχον θεράποντα.

Possunt etiam non sine caussa fratres existimari fuisse, quod par ingenium, animusq; in illis erat: ambo enim aggressi sunt rem periculi plenam, & inducuntur ab his maximis poetis inprimis audaces: quamuis fortasse veriori culpæ affinis fuerit Asius, qui contempsit optimum consilium Polydamantis, sapientissimi viri, & cui cæteri omnes paruerunt: nec tam iustam caussam, quā Nisus habuerit, vt vitam, salutemq; suam tanto periculo obijceret. Huiusmodi autem quæstiones non ineptè putabantur olim ab ingeniosis, & disertis viris in Homero, quem semper in manibus habebant, & cuius singulas voces, ac sententias diligenter ponderabant. Victor. lib. 28. cap. 16.

QVEM MISERAT IDA VENATRIX) Abusiuè Idam montem venatricem dixit, pro venationibus abundantem. *μητέρα θηρῶν* Homerus, ferarum parentem vocat.

IACVLO CELER, LEVIB. SAGITT.) Bene inducit Nisum optimum esse iaculatorem, & hanc præmittit armorum peritiam, qua post plurimum poterit in in Euryali defensione. Seruius.

QVO PVLCHRIOR ALTER NON FVIT) Lib. 6. de Miseno, *quo non præstantior alter.*

ORA PRIMA SIGNANS INTONSA IVVENTA) Iuuenta hic lanuginem, erumpentemq; barbam significat, vt & ἥβα græcè. Quære lib. 8. quod huic carmini illustrando faciat, ibi, *Tum mihi prima genas vestibat flore iuuenta.* Martial. lib. 9. de Camono adolescente.

Creuerat hic vultus bis denis fortior annis,
Gaudebatq; suas pingere barba genas.

Hoc totum vna voce antiqui dixerunt imbarbescere. Calpurnius eclog. 2. describit rem festiuè.

——— quoties mollissima tango
Ora manu, primiq; sequor vestigia floris.
Et paulo post.
——— etenim sic flore iuuenta
Induimus vultus: vt in arbore sæpe notaui
Cerula sub tenui lucere cydonia lana.

HIS AMOR VNVS ERAT) Ambob. vnus amor, Id est, alterius in alterum simillimus, & qui vnus videretur, sicut vnum è duobus faciebat. Quomodo autem vna sunt anima duo amici: sic duorum amicorum amores sunt vnus amor. Enumeremus litteris maximè celebrata amicorum paria, in quibus immortalitatem suam Virgilio debent Nisus, & Euryalus. Damon & Pythias, de quibus in 3. Off. Cic. Theseus, & Pirithous, Pylades & Orestes, Alexand. & Hephæstion, Achilles & Patroclus, Epaminondas & Pelopidas, Scipio & Lælius, Dauid & Ionathas.] Enumerat etiam multos, qui amicitia inter se iunctissimi fuerunt Hyginus cap. 257.

B Est autem adcò rara ista inter duos eximia, & perfecta videlicet amicitia, vt verè affirmet apud Cic. Lælius, ex omnibus sæculis vix tria, aut quatuor numerari paria amicorum. Et 1. de finib. Omnium rerum, quas ad beatè viuendum sapientia comparauit, nihil est maius amicitia, nihil vberius, nihil iucundius. Quod quam magnum sit, fictæ veterum fabulæ declarant: in quibus tam multis, tamque varijs ab vltima antiquitate reperiuntur, vt ad Orestem peruenias, profectus à Theseo.

Plutarch. lib. περὶ πολυφιλίας. Inueniemus autem binos semper amicos memoriæ proditos, Theseum, & Pirithoum, &c. Est enim amicus animal vnà quidē degens: sed non vt in armento, aut graculorum caterua. Et quod amicus dicitur alter ipse, id nihil aliud significat, quàm binarium, esse amicitiæ mensuram. Paucis interiectis. *Itaq; valde amare, & amari, inter multos locum non habet. Sed sicut amnes in multos diuisi* C *alueos imbecilli fluunt, ac tenues: sic vehemens amor in animo, si dissipetur in multos, eneruatur. Vnde fit vt ea etiam animalia prolem suam magis ament, quæ vnicum tantum gignunt.*

TVNC QVOQVE COM PORT. STAT. TENEB.) Suprà dixit, sorte singulis curanda loca prouenisse: quod ipsum fuerat ad istorum felicitatem, vt nec ipsa sors diuisisse videatur, quos tanta familiaritas copulauerat. Donatus.

Passim lego de excubitu in porta, atq; etiam ante portam. Sallust. Iugurth. Neq; secus, atq; si hostes adessent, iter facere, castra munire, excubitum in portas cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mit- D tere. Atq; adeo Romanis mos fuit totas cohortes, & turmas habere, & ponere quietas ante ipsas portas: non vnum, aut alterum militem, vt hodie solet. Illi plures, atque etiam cum periculum esset, alios super alios, & longius abiunctos. Id vocabant ab ista re stationes, stabant enim. Cæsar 2. Ciuil. Quæ in statione pro castris erant

erant Afranij cohortes. Palàm hîc pedites habes: at equites in Sallustio suprà, & apud Liuium lib. 8. Manlius super castra hostium cum turmalibus suis euasit, vt vix teli iactu ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant equites. Communiter, & indistinctè Cęsar 4. Gall. Ii, qui pro portis in stationib⁹ erant, Cęsari renuntiarũt. Iterum 5. Gall. Qui erant in statione pro castris collocati. Et hîc Virgilius. Stationes erant diurnæ, vigiliæ nocturnæ. Stationes sunt quas Græci προφυλακὰς, quasi dicas procustodias. Atq; hæ olim totum diem habitæ: mutauit Æmilius. Vtiles erant stationes, quod nunquã hostis imparatos, aut paucos deprehẽdebat, immò, qui essent resistendo, donec succurreretur. Anxiè autẽ seruatæ, & omnino capitale (nisi magna vi abriperentur potius, quàm pellerentur) deseruisse. Hæc carptim ex Lipsio de Milit. libr. 5. dial. 8. Virgilius tamen cum de nocturno tempore loquatur, videtur *stationis* vocem pro vigilijs licentia poetica posuisse. Interim de stationibus hæc breuiter accepisse profuerit rerum antiquarum studiosis.

DII NE HVNC ARDOREM) *Num deus aliquis hoc in animo meo incendium, hoc ardens desiderium excitat: an quisque cupiditatis suæ vehementiam sibi deum putat?*] His verbis allocutus est fortis amator charissimum suum, cum cõsilium suum, ac quid ipsi repente in mentem, gloriæ cupido venisset, illi aperire cœpit. Videtur Homerum imitatus, qui 10. Iliad. Dolonem Troianum, qui se Hectori exploratorem obtulerat, non bene vires animi sui ponderans, ita loquentem fecit.

Ἕκτορ, ἐμ' ὀτρύνει κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ,
Νηῶν ὠκυπόρων σχεδὸν ἐλθέμεν, ἔκ τε πυθέσθαι.

Euripid. quoque in Cyclope ita induxit callidum illum Vlyssem, cum ostendit, venisse sibi in mentem facinus quo posset miserabiliter necatos socios suos à Polyphemo vlcisci, seq; à periculo liberare. Id autẽ erat eũ inebriare. Incipit enim, εἰσῆλθέ μοι θεῖον, diuinũ enim consiliũ illud, quasi à deo immissum appellauit. Virg. vtrãq; Grecorũ poetarum sententiam complexus est. Homerus enim videtur innuere, huiuscemodi cogitationes omnes excitari ab animo, cupiditateque aliqua: Euripides autem cælitus demitti. Ambo tamen singulis sententijs contenti fuere: nec de veritate rei tam subtiliter quæsiuerunt: neque enim tempus illud accuratã de his rebus disputationem requirebat. Quare non sine causa quæreret aliquis, an conueniat illi tempori, ac personæ grauis illa, acutaq; quæstio, quam proposuit Virgil. Victor. lib. 7. cap. 24.

AN SVA CVIQVE DEVS FIT DIRA CVPIDO?) In Græcorum cõmentarijs reperitur dei nomen quinque ferè modis vsurpari solere. Vt modò sapientes homines modò reges, ac potentes deos vocarent: modò elementa, modò fatum, modò etiam facultates animi, & ipsas illius cogitationes, cupiditates, atque affectus, secundum quam extremam notionem hoc dictum est à poeta, *An sua cuiq; deus sit dira cupido?* Cum enim animũ ipsum aut deum, aut quandã partẽ dei putarent esse, quidquid in deo esset, deum credebant esse. Neque verò, quod quasdam cupiditates malas, & vitiosas videbant, idcirco de sententia dimouebantur: nam deos quoque alios bonos faciebant, alios malos. Ex hac opinione amor in deos relatus est. Ex hac, spei, timori, impudentiæ consecrata sunt templa. Ex hac Euripides φιλάργυρον vtilissimam deam: φιλοτιμίαν verò, id est, ambitionem, deam perniciosam, φθόνον, id est inuidentiam, deum iniustissimum vocauit. [*Hic conuenienter Apuleius de deo Socratis. Nam quodam significatu, & animus humanus etiam nunc in corpore situs, dæmon nuncupatur,* dij ne hũc ardorem mentibus addunt, An sua cuique deus sit dira cupido? *Igitur & bona cupido animi, deus bonus est. Vnde nonnulli arbitrantur, εὐδαίμονας dici beatos, quorum dæmon bonus: id est animus virtute perfectus est, &c.*] At earum quidem opinionum vtramque falsam esse constat. Vera autem, & religioni nostræ consentanea est Plotini, grauissimi philosophi sententia, omnes honestas, & laudabiles cupiditates, omnia recta, & honesta consilia diuinitus immitti in animos nostros, vitiosa autem ex naturæ nostræ corruptione, ac deprauatione proficisci. Muret. in
B Catilinar. & in Catull. Lege insuper Rhodigin. lib. 2. cap. 9. Theod. Canterum lib. Variar. 2. cap. 6.

AVT PVGNAM, AVT ALIQVID) Iamdudum desiderio ducor maximo, aut pugnam magnis nixibus aggredi, aut aliquid gloriosè perficere. In qua cogitatione sic agitatur animus meus, vt consistere non possit. Et ecce occurrit occasio, quæ est omni virtute rapienda. Vides quemadmodum nos hostes contemnant. Negligentia enim illorum vnde nascitur, nisi quod nos imbelles arbitrantur? Rara micant lumina, ipsi somno, & vino sepulti iacent, latè omnia silent. Audi, quid in animo voluerim, & quid faciendum decreuerim. Donat.

C SOMNO VINOQVE SOLVTI) Cur non sepulti? sic enim infrà, & alibi loquitur, & veteres libri ita habent. Somno solutus sum apud Cic. 6. de repub. est, ego euigilaui.

QVÆ NVNC ANIMO SENT. SVRGAT) Æneid. 1. *Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?*

ÆNEAN ACCIRI OM. POP. PAT.) Cogitationibus meis consentit opportunitas, & necessitas temporis: nam vno omnes, eodemque consensu, tam patres, quàm populus ad Æneam decreuerunt esse mittendum. Cui rei virtus est necessaria, quæ tam egregium factum & aggredi possit, & implere. Donatus. Transfert Troianos, inquit Seruius, in Romanam con-
D suetudinem, vt solet plerumque: prius enim iubebat populus, confirmabat, senatus, siue vt loquitur Liuius, patres auctores fiebant.

QVI CERTA REPORTENT) portent, nam re, vacat.

SI TIBI QVÆ POSCO) Si tibi me petente aliquid decernitur commodi (nam mihi sufficit gloria, quæ nascitur ex facto) videor mihi posse inuenire viam sub illo tumulo, hoc est, per hostis transitum, qui pergendi ad Euandrum præbeat facultatem. Donatus. *Poscere* est secundum Varronem, quoties aliquid pro merito nostro deposcimus. *Petere* verò est, cum aliquid humiliter, & precibus postulamus. Seruius.

NAM MIHI FACTI FAMA SAT) M. Tullius pro
E Archia. Nullam enim virtus aliã mercedem laborum, periculorumque desiderat, præter hanc laudis, & gloriæ. Et infrà. Nunc insidet quædam in optimo quoq; virtus, quæ noctes, & dies animum gloriæ stimulis cõcitat, atq; admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.

AD MOENIA PALLANTEA) vrbem Euandri appellat lib. 12. A Pallante auo Euandri, dictum est illud oppidũ Pallanteum.

OBSTVPVIT MAGNO LAVDVM PERCVLSVS AMORE
Euryalus, simul his ardentem affatur amicum.

deorumque auxilium nascenti innocabatur. Inde à pa- A tribus tollebantur. Hoc officium poetę diis adscribunt, quando eximiè aliquem volunt commendatum. Qui autem non tollebatur, pro abdicato, & proiectitio habebatur. hæc omnia idoneis autorum sententiis confirmat ad 1. Thebaid. Statij. Ioan. Bernartius pag. 22. Vide item Turneb. lib. 22. cap. 11.

EST HIC EST ANIMVS LVCIS CONTEMPTOR) potest esse aduerbium demonstrantis, *hic*, vt sit, *est hic*, id est, in meo pectore, quod demonstret. Potest & sic accipi, vt dicat, hic est animus lucis contemptor, hoc est, iste animus. Seruius.

QVI VITA BENE CRED. EMI QVO TEND. HON.) Noui ipse quoque pro laude vitam, salutemque con- B temnere. Noui facinus magnum sine magno periculo compleri non posse: quippe gloriæ pretium est, necis discrimen. Donat.

De vita gloriæ caussa dimicare est vtique naturæ illius, quam 2. Tuscul. Cicero describit. Natura, inquit, nihil præstantius habet, quàm honestatem, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus. Quàm plena magnimitatis, & despicientiæ vitæ, hæc clausula Euryali? *Est hic est animus lucis contemptor, &c.* Honorem vita bene emi affirmat, id est, honorem, & gloriam esse mercem hoc pretio, sanguinis scilicet, dignissimam. Quis hunc animum satis laudarit? Cato senior dicebat, plurimum interesse, vtrum quis virtutem ma- C gni æstimet, an vitam non magni faciat. Significabat non esse statim numerandos in fortibus, qui essent audacissimi, & quamuis in caussa lucem hanc, vitamq; contemnerent, ac mori non dubitarent: sed eos demum, qui tanti facerent virtutem, vt eius gratia, vitam alioqui charissimam negligerent. Et talem mortem gloria sequitur. ☙

EQVIDEM DE TE NIL TALE) sanctè negat, quidquam tale cogitasse de Euryalo, quale ille suspicatur. Tres autem caussas adducit, cur de eo socio sibi adiungendo minus cogitarit. Prima, vt si ipse (quod fieri potest) casu aliquo pereat, superstit amicus, cuius ætas quia minor, idcirco vita longiore dignior, & ne vter- D que pereat. Altera, vt habeat, si, vt dictum est, fortè vitam amittat, à quo funeretur, redempto corpore: aut si id non liceat, à quo sibi absenti tumulus, & iusta fiant. Tertia, ne matri eius dolor insanabilis afferatur, si filiũ fortè amiserit. His caussis feruidus adolescens, & magnanimus nihil permouetur.

NEC FAS. NON) Non est fas, non, inquam, fas est.

ITA ME REFERAT) Ita sim saluus, ita viuam, ita me amabit Iupiter, vt est in comœdia.

QVÆ MVLTA VID. DIS. TALI) Non semper præclaris cœptis fortuna est comes: & illud, *Virtute duce, comite fortuna*, magis optantis, quam asseuerantis, aut promittentis est.

SI QVIS IN ADVERSVM RAPIAT) Hæc, & quę sequuntur, Silius lib. 3. ad Annibalem, & vxorem eius Imilcen quam ex Hispania in Italia secum ducere nolebat, accõmodauit.

Quod si promissum vertat fortuna fauorem,
Lanaq; sit cœptis, te longa stare senecta,
Æuumq; extendisse velim: tua iustior ætas,
Vltra me impropera ducant cui fila sorores.

RAPTVM PVGNA) in acie interfectum. lib. 12. *Et regem vobis pugna defendite raptum.* Rapi dicuntur, qui moriuntur, & rapti mortui, etiam in prælio, & in armis, atque inter arma. Pentadius in Epitaphio Hectoris, *Sed raptum patre infelix, auroq; repensum Condidit.* lib. 6. de infantibus, *Quos dulcis vitæ exortes, & ab vbere raptos Abstulit atra dies.* ☙

HVMO SOLITA) consueto sepulturæ loco, vbi reliqui humantur.

ABSENTI FERAT INFERIAS) faciat iusta mihi absenti, cum scilicet cadaueris copia non erit.

DONETQVE SEPVLCRO) honorario, quod Græcis est κενοτάφιον.

MVLTIS E MAT. AVSA. PROSEQ.) Æneid. 5. *Transcribunt vrbi matres.* Sola hæc filium suum præ amoris impatientia est ausa prosequi in Italiam, rem magnam scilicet aggrediens. * *Etiam multis è matribus S. Monica filium Augustinum ex Africa in Italiam, & Mediolanum secuta est, nihil non agens, vt eum Christianum, & Catholicum videret. De ea re scribit lib. 6. Confess. in hæc verba: Iam venerat ad me mater, pietate fortis, terra, mariq; me sequens, & in periculis omnibus de te secura.*

NEC MEA MVTATA LOCO SENT. CEDIT) Maneo in sententia, à sententia ista non desisto, non discedo, in hac mente, & sentẽtia perseuero, nemo me ab ista sententia deducet.

VIGILES SIMVL EXCITAT) Si vigiles fuerunt, quomodo excitabantur? Manifestum est, hic nullam esse quæstionem. Vicibus enim seruatis, ea hora dormientibus aliis, qui fuerant vigilaturi, Nisus tunc, & Euryalus vigilabant: proinde recessuri excitabant alios, qui essent ex vigilum numero. Donatus.]

REGEMQVE REQVIRVNT) Ascanium, regis Æneæ filium: nam hunc aliquoties regem appellat.

CÆTERA PER TERRAS OMNES ANIMALIA SOMNO
LAXABANT CVRAS, ET CORDA OBLITA LABORVM:
Ductores Teucrûm primi, & delecta iuuentus,
CONSILIVM SVMMIS REGNI DE REBVS HABEBANT;
Quid facerent, quisúe Æneæ iam nuntius esset.
Stant longis adnixi hastis, & scuta tenentes
Castrorum, & campi medio. tum Nisus, & vnà
Euryalus confestim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiumq; moræ fore. primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere iussit.
Tunc sic Hyrtacides. Audite ô mentibus æquis

Æneadæ: NEVE HÆC NOSTRIS SPECTENTVR AB ANNIS,
QVÆ FERIMVS. Rutuli SOMNO, VINOQVE SEPVLTI
CONTICVERE: locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in biuio portæ, quæ proxima ponto.
Interrupti ignes, aterq; ad sidera fumus
Erigitur. si fortuna permittitis vti,
Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea.
Mox hîc cum spoliis, ingenti cæde peracta,
Affore cernetis: nec nos via fallit euntes.
Vidimus obscuris primam sub vallibus vrbem
Venatu assiduo, & totum cognouimus amnem.

CÆTERA PER TERRAS ANIMAL.) Exaggeratur vigilantium labor, Ascanij, aliorumque ducum scilicet.

LAXAB. CVRAS, ET CORD. OBLIT. LABOR.) Hoc verissimum est in hominibus, quorum propriè sunt curæ, & laborum memoria. Reliquæ enim animantes paululùm admodum sentiūt præteritum, aut futurum. Somnus igitur curarum queis, & laborum, dolorumque obliuio est. ✠

DELECTA IVVENTVS) Iuuenes consilio tam arduo miscet, consideratione Romani moris, quo equites admissi, qui ferè è iuuentute. Accipiebantur autem ad consilium militare Legati, & Tribuni, tum Primipili quoque, & interdum alij Centuriones. Vide Lipsium de Milit. Rom. libr. 2. dial. 8. in quo agitur de consilio militari.

CONSILIVM SVMMIS REGNI) Lucilius. *Consilium summis hominum de rebus habebant.* Vide adagium, *In nocte consilium.* Quodnam autem caput consultationis fuerit, statim subiungitur, *Quid facerent, quisue, &c.*

STANT LONGIS ADNIXI HASTIS, ET SCVTA TEN.) Quamuis non essent morbo, aut vulnere grauati, vt de quibus narrat Homerus, & Cic. pro Rabirio. Corpus ita firmabant Troiani proceres rebus illis, quas tempus illud, ac periculum magnum ipsos tenere hortabatur. Lege Victor. lib. 38. cap. 18.

Præter vigiliarum laborem, inquit Donatus, non saltem sedentes, sed stantes, & tenentes scuta, & longis hastis adnixi. Ecce & armorum gestatio quantum laboris imponebat vigilantibus, quos solum leuabat hastarum auxilium, quibus innixi iuuabantur.

CASTRORVM, ET CAMPI MEDIO) *Medio*, bis accipiendum est, vt sit, medio castrorum, & medio campi. Campum hîc dixit, non talem, quales sunt, in quibus bellicæ congressiones agitantur, sed spatium intra castra constitutum. Donatus. Et Seruius breuissimè. In medio campi spatio, qui campus castrorum medius fuit.

REM MAGNAM PRET. MORÆ FORE) *Magna cum gratia, & venustate abest Verbum*, dicebant. *Ita Cic. Habendas esse quam laxissimas habenas. Ouid.* habent commoda magna moræ. *Et alibi.* Grande moræ pretium, tuta futura via est.] Dicebant se afferre rem magnam, cuius mora pretium posset afferre, id est, pœnam. Terent. *Ego pretium ob stultitiam fero.* Si tardè mittamus ad Ænean, luemus hostium pœnas. Alij sic. Scimus quidem aduentum nostrum moram afferre vestris consiliis: verùm huic moræ erit pretium, id est, remuneratio, namque hoc afferebant, quod illi cogitabant. Seruius.

ACCEPIT TREPIDOS) festinos, more suo.

NEVE HÆC NOSTRIS SPECT. AB ANNIS) Benè excusat, quia scit de ætate puerorum posse dubitari, dicens, non ex suggestione personæ, sed sua vi consilia ponderanda. Seruius aliter, Cum sciamus adolescentes solere inconsideratos esse, ac temerarios, ei suspicioni occurrit.

Locus est apud Isocratem in Archidamo, his verbis Maronianis illustrandis, & ornandis magnopere idoneus. Εἰ μὲν γὰρ ἀποδεδειγμένον, &c. Nam si exploratum esset, seniores de omnibus rebus rectissimè iudicare, adolescentes autem vbique falli, & hallucinari, nō immeritò nobis dicendæ sententiæ ius adimeretur. Sed quum non annorum spatium, sed ingenium, & diligentia in causa sit, vt alios alij prudentia superemus: nonne vtriusque ætatis periculum faciendum est, vt ex omnibus iis, quæ dicta fuerint, vobis deligere liceat vtilissima? Summa Isocrateæ huius orationis est hæc. Senes non vbique rectè iudicant: Et adolescentes nō semper falluntur. Inuenio senariolos duos Menandri, ad institutum, & verba horum iuuenum accommodatissimos.

Μὴ τοῦτο βλέψῃς, εἰ νεώτερος λέγω,
Ἀλλ' εἰ φρονοῦντος τοὺς λόγους ἀνδρὸς ἐρῶ.
Spectare noli, sim ne iuuenis qui loquor,
Viri sed vtrum verba prudentis loquar. ✠

SOMNO VINOQVE SEPVLTI) A mortuis ad dormientes metaphora, profundùm enim dormientes, haud multùm videntur distare à mortuis. 2. Æneid. *In vadunt vrbem somno, vinoque sepultam.* lib. 3. de Polyphemo. *Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus.* Lucret. lib. 5. *sed taciti respectabant somnoq; sepulti.* Tibull. lib. 1. somno domitos dixit.

INTERRVPTI IGNES) suprà, *lumina rara micant.*

AD SIDERA FVMVS ERIG.) signum sopitorum ignium, quoties maior fumus erigitur.

SI FORTVNA PERMITT. VTI) si fortunam sequi, & oblatam arripere occasionem finitis.

PRIMAM VRBEM) primam partem vrbis Pallantei, vbi nunc est apud Euandrum Æneas. sic prima platea, primis digitis, & multa huiuscemodi.

AMNEM) Tiberim.

HIc ANNIS GRAVIS, ATQVE ANIMI MATVRVS ALETHES.
Dij patrij, quorum ſemper ſub numine Troia eſt,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cùm tales animos iuuenum, & tam certa tuliſtis
Pectora. ſic memorans humeros, dextraſq; tenebat
Amborum, & vultum lacrymis, atque ora rigabat.
QVÆ VOBIS, QVÆ DIGNA, VIRI, PRO TALIBVS AVSIS
PRÆMIA POSSE REAR SOLVI? pulcherrima primùm
Dij, moreſq; dabunt veſtri: tum cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer æui
Aſcanius, MERITI TANTI NON IMMEMOR VNQVAM.

ANNIS GRAVIS) Horat. ſat. 1. lib. 1. *O fortunati mercatores, grauis annis Miles ait.* Feſſus, confectus ætate, alibi Virgilius.

ANIMI MATVRVS) ſic dictum, vt illud 5. Æneid. *Hoc Helymus facit, hoc æui maturus Aceſtes.* Et paulò infrà, hoc ipſo lib. *atque integer æui Aſcanius.* Simile Horatianum Sat. 3. lib. 2. *Quid ſi quis natam pro muta deuouet agna, Integer eſt animi?* Ouid. Metam. 8. *Ante omneſq; Lelex animo maturus, & æuo.*

DII PATRII) Græcis θεοὶ πατρῷοι, patrios deos ſignificant, tam patrios à patria, quam paternos, cognatos, gentiles, &c. German.

NON TAMEN OMNINO TEVCROS) Ac ſi diceret, licet iraſcamini ad tempus, hinc apparet non velle vos penitus delere Troianos, quod tales animos iuuenibus datis. Seruius.

ET TAM CERTA PECTORA) quæ tam conſtanter res arduas, periculique plenas pro ſuorum ſalute adeundas ſibi proponerent. Quæ maximum facinus aggredi, nihil dubitarent. Sic mihi videtur explicari poſſe hoc verbum *certa* iſto loco.

ET VVLTVM LACRYMIS, ATQVE ORA) Gratulationis fuerunt lacrymæ, & doloris. Gratulationis, quod extitiſſent tales voluntarij. Doloris verò, quia dixit, *Non tamen omnino Teucros delere paratis.* Recordatus eſt enim, quam perdidiſſent magnanimos heroas Troiani. Donat.

PRO TALIBVS AVSIS) Seruio legendum videtur, *pro laudibus iſtis*, id eſt, pro virtutibus, vt ex conſequente anteced. intelligatur. Nos lectionem vulgatam retinemus.

PVLCHERR. PRIM. DII, MORESQVE DAB. VESTRI) Quam vellem, tantum mihi ſuppeditaret eloquentiæ, vt horum verborum vberem, diuinamq; mentem poſſem verbis exequi. Docet nos poeta ſapiens, in præclaris actionibus noſtris ante omnia ſpectare deum, & ab eodem rectè factorum noſtrorum primum, præcipuumque præmium exſpectare. Quæ enim à deo donantur, ſine dubio pulcherrima, & humanis donis longè præſtantiora ſunt. Quid ita? rogas? nonne cum dono ſemper coniunctus eſt donantis fauor, & animi propenſio, ac beneuolentia erga eum, qui donatur? Fateris. Dei autem fauor, & gratia nonne omnibus omnium hominum, cæleſtiumq; fauoribus anteponi debet? Addit poeta, *moreque dabunt veſtri*, in quo videri poſſit Stoicum παράδοξον tangere, Virtutem ſibimet ad fælicitatẽ ſufficere. In quam ſentẽtiam ſcriptum illud à Silio, ſeu Iuuenale, *Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.* Quodſi verum eſt iſtuc M. Tullij, Vacare culpa, magnum eſſe ſolatium, quãto maius eſſe oportet ſolatium in conſcientia multorum meritorum, factorumque bonorum, ſi nihil feciſſe mali tantam habet iucunditatem?

INTEGER ÆVI ASCANIVS) Seruius explicat, adoleſcens Aſcanius, cui adhuc ætas integra ſupereſt. Vnde Ennius deos æui integros dicit, quibus multum æui ſupereſt. Don. Adde Horatianum illud Od. 22. lib. 1. *Integer vitæ, ſceleriſq; purus.* Donatus in And. Terent. ad illa verba, *mulier quadam forma, atque ætate integra*, Integra eſt ætas, quæ in flore conſiſtit, cui neq; addendum iam ſit, neque quidquam adhuc ſit imminutum. Pro teſte producit Virgil. Et ita quidam exponunt, vbi ad maturam, ſeu virilem ætatem peruenerit. Nunc phraſin, ſeu genus dicẽdi aliquot auctoritatibus probemus. Apud Afranium in Diuortio muliercula parum honeſta, *non deſunt, mihi Qui vltro dent: ætas integra eſt, forma ſatis.* Plaut Pſeudolo, *Vbi ſunt? vbi latent, quibus ætas integra eſt?* Pacuuius Niptris, *Ætate integra, feroci ingenio, facie procera virum.* Statius mutata voce, *integer annorum.* Plaut. Mercatore, *Adoleſcens quom ſit, ſe, cum eſt ſanguinis integer.*

MERITI TANTI NON IMMEM. VNQVAM) Rectè *non vnquam.* Nam vt Cicero ait ad Quirit. poſt red. non eſt æquum tempore, & die memoriam beneficij definiri. Huc etiam ſpectat, quod lib. 3. de Benef. ſcriptum lego à Seneca. Gratum hominem ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel.

Immò ego vos, cui ſola ſalus genitore reducto,
(Excipit Aſcanius) per magnos, Niſe, penates,
Aſſaraciq; larem, & canæ pentralia Veſtæ,
Obteſtor (quæcunq; mihi fortuna, fideſq; eſt,
IN VESTRIS PONO GREMIIS) reuocate parentem,
Reddite conſpectum: NIHIL ILLO TRISTE RECEPTO.
Bina dabo argento perfecta, atq; aſpera ſignis

Pocula, deuicta genitor quæ cepit Arisba:
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta:
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si verò capere Italiam, sceptrisq; potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortem:
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? ipsum illum clypeum, cristasq; rubentes,
Excipiam sorti, iam nunc tua præmia Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captiuosq; dabit, suaq; omnibus arma:
Insuper id campi, quod Rex habet ipse Latinus.
Te verò, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, iam pectore toto
Accipio, & COMITEM CASVS COMPLECTOR IN OMNES.
NVLLA MEIS SINE TE QVÆRETVR GLORIA REBVS,
Seu pacem, seu bella geram: TIBI MAXIMA RERVM
VERBORVMQVE FIDES.

IMMO EGO VOS, CVI SOLA SALVS GENIT.) Alethes A deorum liberalitatem pollicitus fuerat. Sequitur Ascanius cum pollicitatione liberalissima. Immo ait ego vos munerabo præmiis certissimis, & quæ sensibus vestris vsurpetis. Adiicit caussam, propter quam fiebat illis obnoxius. *Cui sola salus genitore reducto.* Tunc scio tutam fore vitam meam, cum remeauerit pater meus. Proinde pro paterno reditu, & pro cōseruatione salutis meæ, ego vobis egregia soluam præmia. Addit iusiurandum, quo securiores faciat. Donat.

EXCIPIT ASCANIVS) Æneid. 4. *tum sic excepit regia Iuno*, pro quo Homerus toties, *τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη*. Græcis etiam *ὑπολαμβάνειν* dicuntur, qui respondent, quasi qui vices sermonis reddant. ✠

PER MAGNOS NISE PENATES, ASSAR.) Hæc enim præcipua Troiani quæ colerent, habuerunt.

QVÆCVNQVE MIHI FORT. FIDESQVE IN VEST. PONO GREMIIS) Fortuna in euentu est factorum, fides autem in potestate. Quæcunque, inquit, in me fuerit fortuna, hoc est, si melior me fortuna respexerit, & si qua in me fides est, hanc seruabo meritis vestris, in tantum, vt in vestro arbitrio sit, quid repēdi vobis pro meritis debeat. Donatus.

NIHIL ILLO TRISTE RECEPTO) Hoc non solùm ad Ascanium pertinet, sed ad omnia. Hoc sensu nihil triste futurum in castris Troianorum, vbi ille remeauerit. Donat. * *Vt si diceret, illud Horatianum*, Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro. *Egregia, & plena Æneæ commendatio, vbi esse fortunam, salutem, bona omnia, vbi ille sit.* Omnia ei adsunt bona, quem penes est virtus, *ait Plaut. Capt. Penes Æneam virtus: ergo penes eum omnia bona, illi primùm, deinde per illum aliis.*

PERFECTA, ATQVE ASPERA SIGNIS) signis in asperitate cælata. Sic & nummus asper dicitur, bene percussus & recens, non vetus, neque tritus, atque ipso vsu leuis, fugientibus notis, nec nota expressa. Persius, *quod asper Vtile nummus habet.* Qui enim pecuniæ amantes erant, in nummis fastidiosi erant, delectumque habebant, & nummos perfectissimæ, atque expressissimæ formæ seruabant. Turneb. lib. 18. cap. 28.

DEVICTA ARISBA) Troadis oppidum Arisba. Plin. lib. 5. cap. 3. inter vrbes ab Homero celebratas enumerat.

ET TRIPODAS GEMINOS) Tripun, seu tripoda inter funebris certaminis præmia apud Homerum Achilles proposuit, alioqui non iis modò qui fortiter quippiam fecissent, sed & poetis in victoria, tripoda tribui honestissimum putabatur, quando Hesiodum, Homero deuicto, eum retulisse proditum memoriæ scimus. Dabatur & iis tripus, qui Dithyrambicum carmen cecinissent, ad imitationem Apollinei tripodis. Rhodigin. lib. 8. cap. 15. * *Ab Homero sumsit Virgil. donationem tripodum li. 3. 5. & hoc ipso. Græcorum hunc fuisse morem, vt iis viris fortes* B *donarent, liquet ex Horatio, Ode 8. lib. 4.* Donarem tripodas, præmia fortium Graiorum.

SI VERO CAPERE ITALIAM) Tangit Virgil. morem, qui vt vetus est, & heroum quoque temporibus vsurpatus, ita etiam omni ætate seruetur necesse est: vt cum respub. aliqua, rexque victoriam consecutus est: oppidumque aliquod diues expugnauit, ex omni aceruo prædæ, quæ coacta est, partem sumat, & illam quidem elegantiorem, præstantioremque, atque ipsa ornet eos, qui magnopere vtiles in eo bello fuerint, fortemque in eo facto operam suam præbuerint, cum reliqua præda sorte ducta, vniuersis copiis illis, exercituique diuidatur. Idem etiam docet Euripides factum C esse in exercitu Græcorum, Troia capta, apud quem Neptunus Troadibus (fungitur enim hic deus illic officio prologi) ita loquitur: de captiuis autem mulierib. Troianis agit.

Καὶ τὰς μὲν ἀρκὰς, τὰς δὲ θεσσαλὸς λεὼς
Εἴληχ', ἀθηναίων δὲ θησεῖδαι πρόμοι.
Ὅσαι δ' ἄκληροι, τρῳάδων, ὑπὸ στέγαις
Ταῖς δ' εἰσὶ τοῖς πρώτοισιν ἐξῃρημέναι
Στρατοῦ.

Narrat igitur ipse, è numero omni captiuorum illorū, nobiliores extra sortē assignatas esse principib⁹ illius exercitus: significat autē Cassandram, Andromachā, Polyxenā. Sed in eadē fabula infra etiā huius moris meminit.

nir, idé verbum vsurpant: ita enim inducit Talthybium Hecubæ respondenté, quę ex ipso quæsiuerat, quid de Andromacha factum esset. καὶ τήνδ᾽ Ἀχιλλέως ἔλαβε παῖς ἐξαίρετον. Sed apud Homerum etiam huius consuetudinis vestigia multa reperiuntur: vt cum cecinit, Hecameden regis Arsinoi filiam, Achiuos in expugnatione Tenedi extra sortem Nestori dedisse: quia senex ille omnibus consilio, sapientiaque præstaret. Expressit verò Virgilius verbum etiam græcum. Nam cum tragicus poeta dixisset, ipsas ἐξῃρημένας, id est, è manubijs, aceruoque prædę exemptas, ipse inquit, *excipere*. Animaduertendum verò, tertium versum, quem supra citaui Virgilij, malè interpunctum esse in cunctis excusis libris. Nam nisi nota collocetur post pronomen *illum*, ansa errandi dabitur lectori, qui putaret pollicitum esse solùm Niso Ascanium clypeum, & cristas: minimè autem equum, quod si fecisset, qui animum eius incendere volebat, potius retardasset, & à forti illo proposito reuocasset, si retento equo, rebus vilioribus eius periculosum facinus compensare voluisset: nam clypeus, & cristæ illæ, res leues erant, si conferrentur cum equo, qualis verisimile est fuerit ille tam opulenti, & generosi iuuenis: præterquam quod nullum est munus, quod magis capiat animum illius ætatis. Aut igitur equum quoque polliceri debuit: aut ne ipsius quidem meminisse. Perspicitur autem magis, equum inprimis polliceri Ascanium debuisse, quia cum apud Homerum Dolon huiusmodi facinus aggressurus esset: obijceretque vitam suam maximo periculo, poposcit præmium illius facti equos Achillis, currumque, quo ille fortissimus heros vehebatur in prælijs. Versus poetæ hi sunt, quibus Dolon fidem sibi adstrinxit Hectoris: mercedemque, quam vellet, patefecit. Lege reliqua, Victor. lib. 26. cap. 1.

SCEPTRISQVE POTIRI) Æmilius Probus interdum hoc verbum *potiri*, cum auferendi casu coniungit: vt in Cimone, magna præda potitus: vt ité alibi: interdum cum generandi casu, vt in Lysandro, classis hostium potitus est: & in Agesilao, Hic simulatque imperij potitus est. In Eumene verò cũ accusandi casu. Etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperij potirentur. Sic M. Tull. vtrumq; casum huic verbo iungit, gignendi, & auferendi scilicet: semper autem dicit, rerum, non rebus potiri. Etiam accusandi casu dixit, lib. 1. Tuscul. vrbem nostrã aliquam genté potituram: quomodo & Lucret. loquitur lib. 3. *quorum vnus Homerus Sceptra potitus*. Et lib. 2. *Sed quia multarum potitur primordia rerum*. Et lib. 4.

Vsq; adeo certè, vt videamur cernere eum, quem
Reddita vitaï iam mors, & terra potita est.

Lamb. in Æmil. * *Thales Milesius cuidam interroganti, quid putaret esse dulcissimum, respondit* potiri. *Ea enim demum magnã habent voluptatem, quæ nobis expedita, ac magnopere desiderata contingunt. Quæ autem vltro obueniunt, nõ perinde delectant. Verum non insipienter Menedemus Eretriensis. Cum quidam diceret, maximũ sibi videri bonũ, si quis omnium potiri queat, quæ optat, respondit ille, sed longe maius bonum est, amice, non optare, nisi quod oportet. Ponitur etiam sine casu verbum* potiri. *Cic. ad Att. lib. 7. An cunctor, & tergiuersor, & ijs me dem, qui tenent, qui potiuntur? In Tuscul. Secundum genus cupiditatum nec ad potiundum difficilè censet, nec verò ad carendum.*

VIDISTI QVO TVRNVS EQVO) Iliad. 10. Hector Doloni speculatum Græcorum castra ituro, equos, & currus Achillis promittit.

CRISTASQVE RVBENTES) Nec eruditius, nec disertius quisquam egit, agetúe de cristis, quam egit Lipsius de Milit. Rom. lib. 3. dial. 5. ad eum te mittimus.

EXCIPIAM SORTI) id est, extra sortem tibi dabo, nec in sortitionem prædæ mittentur, nec sortitò cuipiã attribuentur, sed tibi extra ordinem cedent. Turneb. lib. 22. cap. 15. Adde Martial. in signum Victoriæ, lib. 14.

Hoc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit, decies adde falerna puer.

BIS SEX LECTISS. MATRVM CORP.) Sumit ab Homero etiam hoc genus doni, cuius caussam quærat qui volet. Sanè libidinis tantum gratia tot fœminas donari, non fit verisimile. Sed donétur, nobis alijs moribus viuendum est. Lib. 5. cuidam victori serua datur, *operum haud ignara Mineruæ*, cui gemini erãt sub vbere nati. ✠

INSVPER HIS) Præter hæc. Vel lege, *insuper id campi*.

CAMPI QVOD HABET REX IPSE LAT.) Mos fuerat, vt viris fortibus, siue regib⁹, pro honore daretur aliqua agri particula, vt habuit Tarquinius in campo Martio, quod spatium ab Homero τὸ τέμενος dicitur. Hoc ergo quod Latinus pro honore de repub. habuit, ab Ascanio intelligamus esse promissum. Seruius. A Seruio dissentit German, putatq; intelligendum antiquum illum agrum, inter Laurentum, & castra Troianorum interiectum, quem Latinus lib. 11. Troianis ad pacem redimendam se oblaturum in concilio procerum dicit, &c.

MEA QVEM SPAT. PROP. ÆTAS INSEQ.) Cui sum ætate vicinior: quem annis prope consequor, cui sum ferme coæuus. Similis simili gaudet, etiam in ætatibus verum est. Gaudét senes senibus, iuuenes iuuenib⁹, pueri pueris. Proinde sequitur *te tã pectore toto Accipio*, id est, toto affectu, & vt Germani dicerent, *du bist mir von hertzen lieb*. Quanquam non ætatis tantum similitudo, sed virtutis quoque præstantia, quæ iam nunc in adolescente elucet, eum Ascanio tam charum reddit. ✠

NVLLA MEIS SINE TE QVÆR. GLOR. RER.) Tibull. eleg. 7. lib. 1. *Non sine me est tibi partus honos.*

RERVM VERBORVMQVE FIDES) Et rempub. tibi committam, pacis, & belli negotia, & tecum communicabo omne consilium.

------- Contra quem talia fatur
Euryalus: ME NVLLA DIES TAM FORTIBVS AVSIS
DISSIMILEM ARGVERIT. tantum fortuna secunda,
Aut aduersa cadat. sed te super omnia dona
Vnum oro: genitrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia Regis Acestæ.
Hanc ego nunc ignaram huius, quodcunq; pericli est,
Inq; salutatam linquo (nox, & tua testis

Dextera) quòd nequeam lacrymas perferre parentis.
AT TV, ORO, SOLARE INOPEM, ET SVCCVRRE RELICTÆ:
HANC SINE ME SPEM FERRE TVIS: audentior ibo
In casus omnes. Perculsa mente dederunt
Dardanidæ lacrymas: ante omnes pulcher Iulus,
ATQVE ANIMVM PATRIÆ STRINXIT PIETATIS IMAGO.

ME NVLLA DIES FORTIBVS) Ab hoc officio, & A ab hac audacia accessu temporis inferior non probabor, qualiscunq; fortuna comitetur. Seruius. Vel sic. Nunquam meam de hoc audaci cœpto mutabo sententiam. Quo ad vixero dabo operam vt hanc tuam exspectationem non frustrer.

TANTVM) Tantummodo hoc possum de me promittere, vt semper audeam, semper velim fortiter facere. Ergo meum est hoc promittere, siue prospera, siue aduersa fortuna comitetur. Nam *aut* disiunctiua particula est, non negantis aduerbium, quasi *haud* scriptum esset. Seruius. * *Ex Seruiana interpretatione versus ita interpungendus sit fortasse.*

——— me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit. tantum. Fortuna secunda, B
Aut aduersa cadat,

SED TE SVPER OMNIA DONA VNVM ORO) Quia matre, (nec immeritò) nihil charius habet, quæ ipsum sola, è Sicilia etiam, præ amore nimio secuta est in Italiam, sola, inquam, præ matribus cæteris, quoniam auelli ab eo non potuit, piè eius curam gerit, abiturus in tantum discrimen: & sibi eius salutem, & commoda omnibus donis fore potiora testatur. Notetur exemplum pietatis in matrem. ☙

GENITRIX PRIAMI DE GENTE VETVSTA) de familia. Et bene eam etiam ex cognatione commendat. Nam Ascanius nepos est Priami per Creusam matrem.

QVAM MISERAM) quæ sic impatienter diligebat C filium.

NON MOENIA REGIS ACESTÆ) Vide extremum lib. 5. Nam in Sicilia non inuito Aceste, cupiente etiam conditur vrbs: ibi imbellis turba Troianorum, senes, timidi, fœminæ, pueri relinquuntur. Vocat Acestæ mœnia, in illius enim potestatem hanc omnem turbam tradi iusserat Anchises, per quietem Æneam affatus. Et de eodem dicitur ibid. *gaudet regno Troianus Acestes, Indicitq́ forum, & patribus dat iura vocatis.* ☙

HANC EGO NVNC IGNARAM) [illegible] ab insigni pietate in matrem, imitatione Homeri, qui Telemachum matre insalutata ab Ithaca soluentem inducit, & hac cautione matrem satagentem.

Ἀλλ' ὅμοσον μοὶ μηδὲ φίλῃ τάδε μυθήσασθαι
Πρίν γ' ὅτ' ἂν ἑνδεκάτη τε δυωδεκάτη τε γένηται
Ἤ αὐτὴν ποθέσαι, καὶ ἀφορμηθέντος ἀκοῦσαι,
Ὡς ἂν μὴ κλαίουσα κατὰ χρόα καλὸν ἰάπτῃ.

Sic apud Calab. lib. 7. celat magna pietate matrem Deidamiam Neoptolemus caussam aduentus ad se Vlyssis, Diomedisq́;, eò quidem structum, vt ipsum Troiæ fatalem, in Græcorum castra, militiamq́ue perducerent. German.

IN QVE SALVTATAM LINQVO) tmesis. Notabis, salutare dicimur etiam eos, quibus valedicimus, quia salutare nõ est aliud, quàm saluté precari, quod facimus quoque cũ valedicimus. Quid enim est bene valere, nisi saluum esse? Ergo illud vulgatum, *insalutato hospite discedere*, non est alienum latinitati. Summa, tam abeuntium, quam accedentium est salutare. Plaut. Milite.

Etiam nunc saluto te familiaris, priusquam eo.
Conserui, conseruaq́, omnes bene valete, & viuite. ☙

QVOD NEQVEAM LACRYMAS PERFER. PAR.) Excusat, ne videatur crudelis. Vnde sequitur matris eius tragicus, & miserabilis ille conquestus *potuisti linquere solam? Crudelis.*

INOPEM) auxilij egentem, me discedente.

HANC SINE SPEM FERRE TVI) fac me posse sperare, te non defuturum precibus meis.

ANIMVM PATRIÆ STRINX. PIET. IMAGO) Exemplo Euryali auidius cœpit amare patrem, etiam ante dilectum. Euryalus repræsentauit charitatem erga parentes. Seruius. * *Sic de Ænea libro sequenti cum Lausum à se interfectum videt pallescere, Lausum, qui tanta pietate patrem Mezentium protexerat,* Et mentem patriæ subijt pietatis imago.

Tum sic affatur.
SPONDEO DIGNA TVIS INGENTIBVS OMNIA COEPTIS
Nanq; erit ista mihi genitrix, nomenq; Creusæ,
Solùm defuerit: NEC PARTVM GRATIA TALEM
PARVA MANET, CASVS FACTVM QVICVNQVE SEQVETVR.
Per caput hoc iuro (per quod pater antè solebat,)
Quæ tibi polliceor reduci, rebusq; secundis,
Hæc eadem matriq; tuæ, generiq; manebunt.
Sic ait illacrymans: humero simul exuit ensem
Auratum mira, quem fecerat arte Lycaon
Gnosius, atq; habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem, horrentisq; leonis
Exuuias: galeam fidus permultat Alethes,
Protinus armati incedunt. quos omnis euntes

Primo-

Primorum manus ad portas, iuuenumq; senumq;
Prosequitur votis. nec non & pulcher Iulus
ANTE ANNOS ANIMVMQVE GERENS, CVRAMQVE VIRILEM,
Multa patri portanda dabat mandata: SED AVRÆ
OMNIA DISCERPVNT, ET NVBIBVS IRRITA DONANT.

SPONDEO DIG. TVIS ING. OMNIA COEPT.) Quodvis à me donum optato, & feres. Plaut. Cic. ad Q. F. epist. 2. lib. 1. nostræ caussæ non videntur homines defuturi, mirandum in modum profitentur, offerunt se. Est & lib. 10. epist apud eundem, omnia cuipiam polliceri.

NAMQVE ERIT ISTA MIHI GENIT.) Talia dicta, cum nimirum alterius patrem, matrem, fratrem, amicum, commoda, incommoda, nostra fore dicimus, vel pro nostris habituros, magnam humanitatem, amorem, atque studium declarant, & sunt plena elegantiæ ac leporis. Supra, *vnum & commune periclum, Vna salus ambobus erit.* Plaut. Capt.

Pol ego, si audeam, te meum patrem nominem.
Nam secundum patrem tu es pater proximus.

Vide plura lib. 12. ibi, *Qui te cunq; manent isto certamine casus, Et me Turne manent.*

NEC PART. GRATIA TALEM PARVA MAN.) Debet ab omnibus coli, quæ talem generauit. Quæ eiusmodi adolescentem peperit, honoranda est ab omnibus.

CASVS FACTVM QVICVNQVE SEQ.) siue redeas incolumis, siue non. Satis congruè. Præmia enim non debētur euentui, sed voluntati, & virtuti. Vide infrà, *Quæ tibi polliceor reduci, Hæc eadem matri.*

PER CAPVT HOC IVRO) Mos veteribus fuit, si quid affirmatius dicere vellent, vt per suum, ac per illorum etiam caput, quos charos habebant, iusiurandum conciperent. Ouid. de Ponto eleg. 3. lib. 3.

Per mea tela, faces, & per mea tela sagittas,
Per matrem iuro, Cæsareumq; caput

Briseis ad Achillem.

Perq; tuum nostrumq; caput. quod iunximus vnà
Perq; tuos enses, cognita tela meis.

Apul. lib. 2. Metamorph. Adiuro enim tuum mihi charifs. caput, nulli me prorsus, ac ne tibi quidem ipsi asseueranti posse credere, quod tu quidquam in meam cogitaris perniciem. Iuuenal. item Sat. 6.

Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,
Aut aliqua extiterant, & sub Ioue, sed Ioue nondū
Barbato: nondum Græcis iurare paratis
Per caput alterius.

Iliad. 15. Iuno per caput Iouis iurat. Plura exempla qui cupit, adeat Brisson. Formular. lib. 8. num. 709. Nonnunquam & per oculos suos iurabant. Brisson. ibidem.

PER QVOD PATER ANTE SOLEBAT) quia absens est Æneas. Plures explicationes vide apud Seruium.

QVÆ TIBI POLLICEOR, HÆC EAD. MATRI GENERIQVE MANEB.) Fortassis Virgilio in mentem venit illius loci è 14. Philip. Atq; etiam censeo P.C. quæ præmia militibus promisimus nos, repub. recuperata, tributuros, ea viuis victoribusq; cumulatè, cum tempus venerit, persoluenda: qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus eadem tribuenda censeo. Quin & Solon legem tulit de eorum liberis publicè colendis, atque instituendis, qui pro repub. oppetijssent.

A HVMERO SIMVL EXVIT ENSEM) Antiquitus ab humero, non à medio cingulo pendebant enses militibus. Homer. Iliad. 2. ἀμφὶ δ' ὤμοισιν, &c. Circum humeros iecit clauis gladium argenteis. Virgil. lib. 8. *Tum lateri, atq; humeris Tegeæum subligat ensem.* Loris autē latioribus dependebant, & id balteus, seu baltea. Virg. lib. 12. *humero cum apparuit ingens Balteus, & notis fulserunt cingula bullis.* Sidon. lib. 4. epist. 20. penduli ex humero baltei. Sic lib. 10. *tergo, qua balteus imo Sinuatur, coxaq; sedet munimen vtrinq;.* Qui versus tamen indicat, cingulum etiam commune, & quo in orbem ambimur, balteum item appellari, quod verum est, & de vtroq; Isidorus. Balteus dicitur non tantum quo cin-
B gimur, sed etiam à quo arma dependent. Plura Lipsius in Analect. lib. 3. de milit. Rom. ad Dial. 3.

LYCAON GNOSIVS) Cretensis. Laus ab artifice vt poculi Eclog. 3. *diuini opus Alcimedontis.*

PELLEM HORRENTIS LEON EXVVIAS) Ἐπεξήγησις, pellem, quæ erant leonis exuuiæ. Ex heroicorum temporum consuetudine scriptum est. Vt enim exuuijs leonis Herculem, sic & alios heroas vestitos, aut aliarum bestiarum pellibus legimus, vt apud Homer. Iliad. κ. ὣς φάθ' ὃ δ' ἀμφ' ὤμοισιν ἑέσσατο δέρμα λέοντος αἴθωνος. Virgilius autem, vt si quisquam alius, antiquitatis æmulatione, & reuocandis eius institutis, & moribus, poema suum perpolire cupit. Turneb. lib. 29.
C cap. 25.

Adi lib. 7. ad illud, *Ipse pedes tegmen torquens immane leonis.* Quibus licet hæc addas Apollon. lib. 1. Δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμφ' ἔχετ' ὤμους. Vbi scholiast. σύνηθες τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν. Tydeus apud Statium apri pelle amicitur.

Terribiles contra setis, ac dente recuruo
Tydea per latos humeros ambire laborant
Exuuiæ.

Porrò leoninum spolium virtutis est hieroglyphicum, vt obseruat in Leone Pierius, eaque de caussa dicatum Herculi, quem pro virtute veteres posuere. Quare Diogenes quendam molliorem, eo ornatu sibi complacen-
D tem conspicatus, exclamauit: cur tu virtutis indumentū vituperas? Quin & equum instratum leonina pelle ab Euandro accipit Æneas lib. 8. ad finem.

Ducunt exortem Æneæ, quem fulua leonis
Pellis obit totum, præfulgens vnguibus aureis

Et Parthenopæi equus apud Statium. *Cornipedem trepidos suetum præuertere ceruos Velatum gemina deiectis lyncis.* Totum verò locum ab Homero expressum ostendit Vrsin. quem consule.

ANTE ANNOS ANIM. GERENS, CVRAMQVE VIR.) Videtur hìc poeta, vt passim, ἀρχαϊκῶς, & studijs Iuliæ familiæ, in persona Iuli ad Augustū alludere, eiq; assentari, qui, vt refert Cic. Philipp. 5. Dio lib. 46. Sue-
E ton. cap. 26. solutus Romanis legibus, referente Cic. ætatis priuilegio, prima adolescentia consulatum gessit. Itaque & in Eclog. *Hic illum vidi iuuenem Melibœe, quotannis,* &c. & infrà libr. sequente. *Num puero summam belli, num credere muros?* Nam quamuis summa imperij potestas ab Ænea puero Ascanio demandata

demandata coarguatur, & à maleuola dea obijciatur A Veneri, quæ res tamen feliciter vertit, gloriam Ascanij, fortunamq; firmare videtur. German.

Sententia à Pindaro prius prolata in Pythicis, οἶδ. ἐλ. κρέσσονα μὲν ἁλικίας νόον φέρβεται. Sophocles Troilũ ἀνδρόπαιδα his versibus, qui apud Pindari Scholiasten in Pythicis leguntur.

> Τὸν ἀνδρόπαιδα δεσπότην ἀπώλεσα,
> Παῖδα μὲν τῇ ἡλικίᾳ, ἄνδρα δὲ τῷ φρονήματι.

Vrsin.* *Est autem ἀνδρόπαις puer quidem ætate, sed vir iudicio, & prudentia.* Non ætate, verùm ingenio adipiscitur, sapientia, *inquit Plaut. Trinum. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Item, puer centum annorum morietur. Hæc ex diuinis monumentis. Virtutis, & sapientiæ celerior cursus est, quam ætatis. Anthol. lib. 1. Tit. εἰς γῆρας, ἢ γέροντας, epigramma est, Philonis, hac sententia. Cani, si adsit mens, siue prudentia & intelligentia, sunt venerabiliores. Nam si ea desit, tum magis longam ætatem dedecorant: nulli prorsus sunt honori: sed potius infamia.*

> Αἱ πολιαὶ σὺν τῷ γηραλέῳ, αἱ γὰρ ἄτερ νοῦ
> Μᾶλλον τῶν πολλῶν εἰσὶν ὄνειδος ἐτῶν.

Adde his dictum Senecæ de Tranquillit. animi, cap. 3. Nihil turpius, quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo probet se diu vixisse, præter ætatem.

SED AVRÆ OMNIA DISCERP.) Promissa, & mandata, quæ exitum non habent, poetæ dicere cõsueuerunt à ventis discerpi, vel tota ipsis tradi ab illis, qui fidem violant, nec vllam in partem ipsa seruant, & vt Græci, ita etiam Latini, sic certè Catull. locutus est, cum inquit. *Quæ cuncta aërij discerpunt irrita venti.* Et C in eodem carmine.

> *Immemor at iuuenis fugiens pellit vada remis,*
> *Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.*

Eodem pacto Euripid. in Troadibus.

> Ἀργεῖ ἐπεῖδον, καὶ φρυγῶν ἐπαυσάμην
> Ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι.

Id est, nõ curo, & citò extingui, dissipariq; volo. Nõ tantum promissa, & mandata, verùm etiam vota, & gaudia, vt declarant hæc Virgilij loca, *reducem vt patria alta videret Non dedit, inq. Notos vocẽ vertere procella.* Et de Turno, *nec ferre videt sua gaudia ventos.* Victor. lib. 30. cap. 8.

Modus hic loquendi, tradere auris, ventis, & similes, aut obliuionem, & negligentiam rei, aut spes B frustratas significant. Virg. *voti succedere partem Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.* Horat. Ode 26. lib. 1. *tristitiam, & metus Tradam proteruis in mare Creticum Portare ventis.* Ouid.

> *Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos?*
> *Cunctane lethæis mersa feruntur aquis?*

Idem.

> *Quæ tibi sunt facienda tamen cognosce, nec Euris*
> *Da mea, nec trepidis verba ferenda Notis.*

Catull. ad Ortalum.

> *Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis*
> *Effluxisse meo fortè putes animo.*

Nazianzenus στηλιτευτ. 1. καὶ εἰ μὲν ψευδῆ, αὔραις φέροιτο. C Id quod si falsum est, auræ differant.

Egressi superant fossas, noctisq; per vmbram
Castra inimica petunt: multis tamen ante futuri
Exitio. passim vino, somnoq; per herbam
Corpora fusa vident, arrectos littore currus:
Inter lora, rotasq; viros, simul arma iacere,
Vina simul. prior Hyrtacides sic ore locutus.
Euryale AVDENDVM DEXTRA: NVNC IPSA VOCAT RES.
Hâc iter est: tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, & consule longè.
Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemq; premit: simul ense superbum
Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore somnum:
Rex idem, Regi Turno gratissimus augur:
SED NON AVGVRIO POTVIT DEPELLERE PESTEM.
Tres iuxta famulos temere inter tela iacentes,
Armigerumq; Remi premit, aurigamq; sub ipsis
Nactus equis, ferroq; secat pendentia colla.
Tum caput ipsi aufert domino, truncumq; relinquit,
Sanguine singultantem: atro tepefacta cruore
Terra, toriq; madent. nec non Lamyrumq;, Lamumq;,
Et iuuenem Serranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, MVLTOQVE IACEBAT
MEMBRA DEO VICTVS. felix, si protinus illum
Æquasset nocti ludum, in lucemq; tulisset.
Impastus ceu plena leo per ouilia turbans

(Suadet

(Suadet enim vesana fames) manditq́;, trahitq́;
Molle pecus, mutumq́; metu: fremit ore cruento.

EGRESSI SVPERANT FOSSAS) De fossa ac vallo castrorum differit Lipsius de Militia libro 5. dial. 5.

CASTRA INIMICA PETVNT) Non tantùm hostilia, sed etiam perniciosa: nam cum dolore dictum *inimica*, vnde scilicet redituri non erant, quod ex sequentibus comprobatur. Dicendo enim, *multis tamen ante futuri Exitio*, ostendit perniciosa esse castra, quæ ipsis mortem fuerant allatura. Seruius.

PASSIM VIN. SOM. PER HERBAM CORP. FVSA) Confer locum Homeri de Vlysse, & Diomede speculatoribus in castris Troianorum. Est autem Iliad. κ. τὼ δὲ βάτην προτέρω, &c. *Passim* dixit, non more dormientium, cum ordinatione aliqua, sed vbi quisque ebrietate superatus conciderat: non stratos iacere, sed per herbã, vt non iam dormientium, sed mortuorum funera putarentur. Donatus.

Ἐῤῥιμμένοι καὶ μεθύοντες à Polybio in 6. lib. histor. vocati sunt milites, qui securo animo, & sine vllo metu hostium dormientes oppressi sunt ab aduersarijs, & occasionem illis dederunt rei bene gerendæ: quales etiam inuenisse Latinos, castra Troianorũ obsidentes, Nisum & Euryalum hoc loco Virgil. commemorat. Sed suprà etiam Nisus ipse ad Euryalum.

Cernis qua Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant: somno, vinoq́; sepulti
Procubuere.

Quod verò priore exemplo poeta vocauit *corpora fusa*, cum strata illa esse significare vellet, & vt historicus sua lingua dixit, ἐῤῥιμμένους, quod latinum verbum propriè de aqua, & omni humore, cum contigit id, vsurpari solet, imitatus est in hoc Homerum, ipse enim quoque cum Cærano Merionis auriga, interfecto ab Hectore, commemorat habenas, quas ille antea tenebat, humi sparsas fuisse, inquit, τὰδ, ἡνία χεῦεν ἔραζε. Victor. lib. 35. cap. 17.

Locus hic de Rutulis omni metu, curaque solutis, redigit mihi in memoriam, quod est apud Velleium libr. 2. Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet, & frequentissimum initium calamitatis, securitas. Quomodo Cyrus fuga simulata, reuersus Scythas vino oneratos, securosque in castris oppresserit, narrat Iustin. lib. 1. Manauit autem Virgilianum carmen è vena Enniana ille Annali 12. *somnus repente In campo passim mollissimus perculit acres.*

ARRECTOS LITTORE CVRRVS) Non, vt solet belli tempore, currus paratos habentes ad signum, ait Seruius. Neglectæ excubiæ, & corrupta rei militaris disciplina, rem verisimilem reddunt. Alioqui incredibile videri poterat, duos adolescentes tantam stragem edere potuisse.

INTER LORA, ROTASQVE VIROS SIMVL) Nulla specierum discretio apparebat. Confuderat ebrietas, quæ solet sobriorum solertia separare.

VINA SIMVL) vasa vinaria, pocula, contentum pro continente.

AVDENDVM DEXTRA) Audere debet manus, quod opportuna monstrat occasio.

NVNC IPSA VOCAT RES) hortatur nos occasio.

HAC ITER EST) aperienda est per neces hostium via, atque ista parte pergendum.

TVNE QVA MANVS SE) Constituti inter eos erant, quos ad mortuorum vicem strauerat somnus, & vinum. Tamen prouidus fuit Nisus, ne quis à tergo adueniens, imprudentes inuaderet. Ego, inquit, aperiam perfectis cædibus viam, tu prouide, & longius respice, ne à tergo opprimamur incauti. Hactenus ferè Donatus.

RHAMNETEM AGGREDITVR) Gaudet poemati suo Latina intexere nomina Virgilius. Propter enim equites Rhamnenses, hic Rhamnetis nomen finxit. Sed & Homeri imitatione Rhãnes in tapetibus dormit. Mox Rhemum in poemate ponit, quod nomẽ finxit de nomine Remi, qui frater conditoris Romæ fuit: sed & Lamum, à quo Lamiarum familia, vt apud Horat. Ode 17. lib. 3. *Æli vetusto nobilis ab Lamo.* Lamus etiam, vt Hesychius scribit, regio erat Læstrygonum, & indigena heros, à quo regio nominata. Etiam Fadium ob Fadiorum familiam posuisse videtur, & Cædicum ob Cædicios, Serranum ob Serranos, Numam, & Numanum ob Numam regem, & Numanos. Salmoneum verò ob vrbis Italicæ nomen, Sulmonem puta: vt & Priuernum ob vrbem cognominem. Capyn ob Capuam, Equicolum ab Æquicolis populis. Turneb. lib. 22. cap. 15.

TOTO PROFLABAT PECTORE SOMNVM) Quod ait de Rhamnete, cum toto pectore somnum proflare, cum suprà vniuersè de Rutulis dixerit, passim somno, vinoq́; per herbam fusa corpora iacuisse, haud dubiè de quiete minimè tacita, sed ronchos egregiè trahente, stertenteque accipiendum est. Quem soporem Cælius Aurelianus medicus (vt docet Mercurial. Variar. lib. 1. cap. 10.) elegantissimè sorbilem nuncupauit, in quo videlicet maximus stertor efficitur. Qui, quod sorbitionis clarissimam imaginem præbeat, præter sensus fidem etiam Plautinus ille Lucrio in Militis fabula manifestum fecit, qui interrogatus à Palæstrione, quid Sceledrus ageret, sic cum eo sermonem habet L. *sorbet dormiens.* P. *quid sorbet?* L. *illud stertit volui dicere: sed quia consimile est quid stertas, quasi sorbeas.*

SED NON AVG. POT. DEPELL. PEST.) Augurium ab auspicio differt, quamuis vtrumq́; ab auibus deductum sit. Illud enim ab auium gestu, siue garritu: hoc ab earum inspectione tantum captabatur. Nonius ait, his intellectibus discerni, quod auspicium sit auium inspectio, & quod ex volatu auium significatur, & vocibus: augurium autem rerum omnium coniecturas, prudenter, ac diligenter amplectatur.

Pestis, vt aliàs crebrò, est mors, & exitium. Homeri versus est, vnde suum fecit Maro. ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν. Et Xenoph. ἔστι καὶ οἱ μάντεις λέγονται δεινοὶ ἄλλοις μὲν προαγορεύειν τὸ μέλλον, ἑαυτοῖς δὲ μὴ προορᾶν τὸ ἐπιόν. German. qui & eiusdem sententiæ versus è duobus Apollonij locis profert.

SVB IPSIS EQVIS) inter ipsos equos.

PENDENTIA COLLA) quasi ebriorum.

TRVNCVMQVE RELINQVIT) libr. 2. *iacet ingens littore truncus.*

SANGVINE SINGVLTANTEM) palpitantem in sanguine suo.

TEPEF. CRVORE TERRA, TORIQVE MAD.) Sic alibi hastam ait tepefactam traiecto cerebro. Naso, & Horatius hunc colorem imitati sunt. Hic ita. *In patris iugulo ferrum tepefecit acutum.* Ille sic. *Sanguine*

Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam. Ecce ergo, vt A poetæ ex notissima cruoris natura, qui quidem, cum ex venis animantum fluit, calidus fluit, poeticos hos dicendi colores traxerunt, vt vulnerato aliquo, terram eo profluẽte tepefieri, & ferrum seu hastam, aut tale quod in vulnere tepefactum dicant. At verò historicus satis habuisset, in ingenti cæde facta, abundè profusi sanguinis copiam enarrare, nullo cruoris epitheto apposito. Erythræus.

ILLA QVI PLVR. NOCTE LVSERAT.) Qui in multam noctem luserat.

IACEBAT MVL. MEMB. DEO VICTVS) Simili pæne modo de Sileno temulento Eclog. 6.

Silenum pueri somno videre iacentem, B
Inflatum hesterno venas, vt semper, Iaccho.

Dat nobis hic occasionem poeta dicẽdi aliquid aduersus ebrietatem, & vinolentiam. Dicemus autem ex. D. Chrysostomo de malis, quæ cõciliat ebrietas. Ille igitur Homil. super illud Apost. Vino modico vtere. *Quid enim ebrietate miserabilius? Mortuus est animatus ebrius: dæmon est voluntarius: morbus veniam non habens: ruina excusatione carens: commune generis nostri opprobrium. Non enim in conuentibus tantum inutilis ebrius, aut in priuatis, & publicis negotiis, sed etiam solo est aspectu omnium grauissimus, fœtores exhalans teterrimos, eructationes, & oscitationes, & voces ebriorum insuaues, atque molesta, eos qui spectant, & simul sunt, extrema abominationis implent.* C Hactenus ille. De bibonibus, comedonibus, ventrisque mancipiis scitè dictum à Philone, lib. de sacerdotum honoribus. *Venter nihil est aliud, quam præsepe bruta concupiscentiæ: quæ potationibus rigatur, & ingluuie, inundatur aliis post alios cibi, potusq́; delicijs, suis more gaudẽs in cœni volutabro degere. Proinde locus excrementis dicatus conuenientissimus est illi turpi, & intemperanti pecudi.*

SI PROTINVS ILLVM ÆQ. NOCTI LVD.) si ludendo perrexisset, si continuasset ludum vsque ad diluculum, sicut poeta subdit, *in lucemq́; tulisset.*

IMPASTVS CEV PLENA LEO) Apparet Virgilium, cum fecit Nisum, & Euryalum per media castra hostiũ transeuntes magnam cædem fecisse, imitatum fuisse, Homerum: vsus est enim etiam eadem collatione, rei collustrandæ caussa, qua vsus antea fuerat eo loco princeps poetarum. Cum enim ostendere vellet Homerus, & quasi ante oculos eorum, qui legerent, constituere impetum Diomedis in Thraces, inquit.

Ὡς δὲ λέων μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν
Αἴγεσιν, ἢ ὀΐεσσι κακὰ φρονέων ἐνορούσῃ,
Ὣς μὲν Θρήικας ἄνδρας ἐπῴχετο Τυδέος υἱός.

Victor. lib. 27. cap. 16. * *Sanum pecoris hostem vocat leonem Catullus, congruenter vtique Virgilianis verbis. Transtulit hanc similitud. à Virgilio Silius lib. 2, cum Saguntum captam describit.*

Ceu stimulante fame, cum victor ouilia tandem
Faucibus inuadit siccis leo, mandit hianti
Ore fremens imbelle pecus, patuloque redundat
Gutture ructatus large cruor, incubat altis
Semesæ stragis cumulis, aut murmure anhelo
Infrendens, laceros inter spatiatur aceruos.
Latè fusa iacent, pecudes, custosque molossus,
Pastorumque cohors, stabulique, gregisque maggister,
Totaque vastatis disiecta mapalia lectis.

SVADET ENIM VESANA FAMES) *quos improba ventris Exegit cæcos rabies, dixit.* 2. Æneid de lupis esurientibus.

MOLLE PECVS) Et pelle, & lana, & carnibus, & viribus molle pecus ouis. Horatius Ode 2. Epod. *Aut tondet infirmas oues.*

MVLTVMQVE METV) Sic lib. 12. *stat pecus omne metu mutum.* Lucret. lib. 1. de Iphigenia immolanda. *Muta metu terram genibus, summissa petebat.* * *Ἄλογα dicuntur Græcis bruta animalia, quod ratione carent non quod sermone: quemadmodum necesse erit eos dicere, qui partem rationis eisdem videntur tribuere, quamquam malè, & impiè.*

Nec minor Euryali cædes: incensus & ipse
Perfurit, ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumq́;, Hebesumq́; subit, Rhoetumq́;, Abarimq́;
Ignaros: Rhoetum vigilantem, & cuncta videntem:
Sed magnum metuens se post cratera tegebat.
Pectore in aduerso totum cui cominus ensem
Condidit assurgenti, & multa morte recepit.
PVRPVREAM VOMIT ILLE ANIMAM: & cum sanguine mista
Vina refert moriens. Hic furto feruidus instat.
Iamq́; ad Messapi socios tendebat, vbi ignem
Deficere extremum, & religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breuiter cum talia Nisus
(Sensit enim nimia cæde, atq; cupidine ferri)
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
POENARVM EXHAVSTVM SATIS EST: via facta per hostes.

INCENSVS ET IPSE PERFVRIT) exemplo Nisi in- D flammatus.

MVLTAM IN MED. SINE NOM. PLEB.) Bene expressit, & bellatoris peritiam, & tyronis incõsideratam auiditatem. Nam Nisus reges interimit, Euryalus sæuit in plebem. Sallust. Et insolentia auidus malefaciendi. Sine nomine autem, id est, sine gloria, quorum per humilitatem non sunt omnibus nota nomina. Seruius. * *Plebs sine nomine, est vulgus ignobile, milites gregarij, quorum ideo nullum insigne nomen, quia nullum insigne factum, vnde nomen sibi notitia veniat. ἀνωνύμους appellat Homerus.*

IGNAROS) ad omnes pertinet, excepto Rhoeto, qui solus occisus est sciens, & conspiciens vniuersa. Donatus.

MAGNVM MET. SE POST CRATERA TEG.) De magno, & vasto quodam cratere, quem sublatum Theseus in Eurytum centaurum iecit, in nuptiis Pirithoi. vide Metamorph. lib. 12

MVLTA

MVLTA MORTE RECEPIT) cum multo morientis A cruore gladium recepit, eduxit è vulnere.

PVRPVREAM VOMIT ANIM.) Iuxta illos, qui animam dicunt esse sanguinem. Vide Cæl. Rhodigin. lib. 8. cap. 11.

CVM SANG. MISTO VINA REFERT MORIENS) Stat. 5. Thebaid. *ingulisq; modo torrentis apertis Sanguine commixto redeuntem in pocula Bacchum.* Vide lib. 2. Æneid. de cæde Politæ. *Concidit, ac multò vitam cum sanguine fudit. Vina*, quæ paulò antè ingurgitauerat. * *Versum*, Purpuream vomit ille animam, *& prius dimidium sequentis sic lib. iam iam nominato imitatus est Naso.* Sanguinis ille globos pariter, cerebrumq; merumq; Vulnere, & ore vomens.

HIC FVRTO FERVID. INSTAT) Hic tanto magis perficiendis cædibus operam dabat, quanto videbat occasioné multiplicem suffragari. *Furto*, quia sæuiebat latenter nocturno prælio: furtiuas cœdes persequitur. Donatus.

RELIGATOS RITE) Non solutos, sed diligenter ligatos: vnde addit, ritè, id est, ex militari consuetudine optimè ligatos Seruius.

ABSISTAMVS, LVX INIMICA PROPINQVAT) Recedendum est, inquit, cum lux proxima sit, quæ nos hostibus posset prodere. Nec immeritò dixit inimicam lucem. Si enim tenebræ profuerunt, vt gloriosa cœpta perficerentur, procul dubio obfutura fuerat lux, quæ nihil relinquit occultum. Recedendum igitur suadebat Nisus. Donatus. Homer. Iliad. κ. ἀλλ' ἴομεν, μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠώς.

POENARVM EXHAVSTVM SATIS EST) Bene *exhaustum*, vt eos ostendat auidos cædis fuisse, & cruoris humani.

VIA FACTA PER HOSTES) Dicere Euryalus potuit, occasionem talem non esse perdendam, qua hostes in B maiori numero possent trucidari. Hoc ne diceretur, prior Nisus occurrit. Ad statum rei satis abundare, quod factum videbatur. Transitus, inquit, nobis per hostes fuerat necessarius, factus est, quid amplius quærimus? Et considerandum est hoc tempore, non quid amplius infligi debeat, sed quemadmodũ vsque ad ipsum Æneam susceptum instruatur officium, ne lux ingruens prodat, quos tenebræ tegunt. Donatus.

Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaq;, craterasq; simul, pulchrosq; tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula, Tyburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio cùm iungeret absens,
Cædicus. ille suo moriens dat habere nepoti,
Post mortem bello Rutuli, prædaq; potiti.
Hæc rapit, atq; humeris nequicquam fortibus aptat:
Tum galeam Messapi habilem, cristisq; decoram
Induit. excedunt castris, & tuta capessunt.
Interea præmissi equites ex vrbe Latina,
Cætera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, & Turno regi responsa ferebant,
Ter centum, scutati omnes, Volscente magistro.
Iamq; propinquabant castris, muroq; subibant:
Cùm procul hos læuo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in vmbra
Prodidit immemorem, radiisq; aduersa refulsit.
Haud temere est visum (conclamat ab agmine Volscens)
State viri: quæ causa viæ? quiúe estis in armis?
Quoúe tenetis iter? nihil illi tendere contrà,
Sed celerare fugam in syluas, & fidere nocti.
Obiiciunt equites sese ad diuortia nota
Hinc, atq; hinc, omnemq; aditum custode coronant.

PHALERAS RHAMNETIS) In donis militaribus fuerunt etiam phaleræ. Silius inter dona Scipionis libr. 15.

——phaleris hic pectora fulget,
Hic torque aurato circundat bellica colla.

Iuuenal. sat. vlt. *Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.* Et distinguit vterque à torquibus, sicut & Dionysius lib. 10. in Siccij donis discretè posuit, στρεπτὺς, καὶ τὰ φάλαρα: torques, & phaleras. Phaleræ demissæ ad pectus pendebant, torques stringebant magis, & ambi- C bant ipsum collum. Diuersitas etiam in forma, quod illæ planiores, & magis iacentes: isti contorti (vox latina, & græca indicat) & ex annulis, aut catellis plexi. An non ipsi quæ catellæ? In Liuio est. lib. 39. C. Calpurnium donasse equites suos phaleris, Quintium alterum Prætorem, suos catellis, ac fibulis. Postponit catellas phaleris, & minoris habet: quia, quod ex narratione videas, minus laudabilis opera Quintianorum. Idem iudicium de torque, si tamen est idem. Hæc Lipsius Milit. lib. 5. dial. 17.

AVREA BVLLIS CINGVLA) Bullæ hic sunt, A quas Germani vocant *spangen*. Bulla aurea, insigne erat puerorum prætextatorum, quæ dependebant eis a pectore, vt significaretur eam ætatem alterius regendam consilio. Dicta enim est à græco sermone *βουλή*, quod consilium dicitur latinè: vel quia eam partem corporis bulla contingat, id est, pectus, in quo naturale manet consilium. Festus.

Balteum, seu cingulum illud, ex quo gladium suspendebant, veteres singulariter ornabant, eoque velut militiæ præcipuo insigni superbiebant. Bullis honestari cingula plerumque solent ex argento, auro, interdum & gemmis. Inde Varro balteum format, quod cingulum habeat e corio bullatum. Virgil. de Pallantis B cingulo, *notis fulserunt cingula bullis*, Bullæ autem istæ quid fuerint, Isidor. docet. Bullæ, inquit, quod similes sint rotunditate bullis. Liuius de Samnitibus, auratæ vaginæ, aurata baltea illis erant. Auson. *aurata fulgentia cingula bulla*. Trebell. Pollio. Cum cingula sua plerique militantium ponerent hora conuiuij, Soloninus puer his auratos, constellatosque balteos rapuisse perhibetur. Vbi constellatos accipere possimus, stellulis, aut stellarum in modum lineis decussatis sparsos. De gemmatis balteis apud eundem in Galieno. Gemmato balteo est vsus: Claudian. de Parthis. *Parthica qua tantis variantur cingula gemmis Regales sunctura sinus.* Adi Lipsij Analect. ad lib. 3. de Militia Rom. dial. 3. & C Steucchium ad cap. 3. lib. 2. Vegetij.

QVÆ MITTIT DONA, HOSPITIO) Consuetudo erat apud maiores, vt inter se homines hospitij iura mutuis muneribus copularent, vel coram, vel per internuntios. Sensus ergo nunc talis est. Cædicus quidam Remulo, quum eum sibi absens vellet hospitio iungere, misit phaleras, & cingula bullis aureis, hoc est, clauis insignita. Remulus moriens nepoti suo cognomini hæc reliquit: qui postea victus à Rutulis est, & occisus: post eius mortem apud Rhamnetem Rutulum reperta sunt hæc munera. Seruius.

TVM GALEAM MESSAPI HAB.) Non occisi Messapi abstulit galeam: nam pugnaturus est paulò D pòst: sed muenit iacentem, & sustulit. *Habilem* autem, id est, aptam & conuenientem. sic supra lib. 1. *humeris de more habilem suspenderat arcum*.

PRÆMISSI EQVITES EX VRBE LATINA) Non est contrarium illi loco, vbi ait *Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas*, quod modò à Latina vrbe venire auxilia commemorat. Intelligimus enim Latinum in principio discordiæ, & tumultus paululùm se abstinuisse: postea tamen nec suorum copias, nec propria denegasse consilia. Nam eum & coetui, & fœderibus interfuisse dicturus est. Seruius.

Et quoniam primo loco dicit. *præmissi*, hoc primùm exponamus. Veniebant enim equites, veniebant pedites. Ex vtroque cum constat exercitus, non E potest vno duci itinere, quia humani gressus generi equino comparari non possunt. Ne igitur per armatos pedites, perindeque oneratos tardarentur, equites primi erant præmissi simul: illi verò (pedites) instructis ordinibus sequebantur ex vrbe Latina. Donatus.

CÆTERA DVM LEGIO CAMP. INSTRVCTA MOR.) Propriè. nam legiones peditum sunt, turmæ verò equitum. Seruius.

Vniuersus enim exercitus Roman. in duas partes fuit diuisus, legiones, & auxilia. Legio certa peditum, equitumque manus fuit, Varrone, & Plutarcho auctoribus, à delectu fortissimorum militum appellata. Plutarchi verba sunt. Ἐκλήθη λεγεὼν τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων. Vocata est legio, quod lecti ex omnibus essent militares. Ea verò iam inde à Romulo rege instituta est trium millium peditum, & trecentorum equitum. Ex singulis enim tribubus mille conscripti sunt pedites, & centeni equites. [*Hic fuit equitatus, qui in singulas legiones dabatur: sollemnis, inquam, hic equitum numerus, teste Polybio: iustum appellat Liuius: Decreta, inquit, duæ legiones, cum suo iusto equitatu. Hæc Lipsius de Milit. Rom. lib. 2. dial. 6.*] Vt autem pedites in cohortes, equites in turmas distributi, sic cohortes in manipulos, turmæ in decurias, manipuli in centurias. Quoniam autem legionem à Romulo acceptis in ciuitatem Sabinis auctam scribit cum Dionysio Plutarchus, propterea eandem etiam à Romulo ad quatuor peditum millia redactam existimauerim. Quæ inde quadrata legio dicta est, auctore Festo. Subsequentibus verò temporibus pro vsu reipub. & senatus arbitrio variatum, vt legio modò quatuor, modò sex millium peditum, itemque modò ducentorum, modò trecentorum equitum scriberetur, &c. Lege Vegetium lib. 2. cap. 1. Quid inter legiones, & auxilia intersit, idem cap. 2. ibid. Steucchius. Lege Sigon. de antiq. iure Ciuium Rom. lib. 1. cap. 15. Lipsium Milit. lib. 2. dial. 5. In Analectis autem eiusdem dialogi varia nomina legionis græca, & latina producit in medium, στρατόπεδον, στράτευμα, δῆμος, τάξις, τέλος, τεῖχος, numeri, ordines, virtutes.

SCVTATI OMNES.) Non clypeati, nam clypei peditum sunt, scuta vero equitum. Seruius.

GALEA EVRYAL. SVBLVST. NOCTIS) Sublustris nox est, habens aliquid lucis. Horat. *Nocte sublustri nihil astra præter Vidit.* lib. 9. *Luna sub luce maligna.* ἀμφιλύκην Græci. Attulit hæc Niso, & Euryalo ex aduerso euentus exoriens, vt ea hora illi egrederentur è castris Rutulorum, qua venientes hostes prope ingressum fuerunt. Attulit & incuria Euryali malum, qui fulgorem galeæ non abscondit. Seruius. Donatus.

QVÆ CAVSSA VIÆ, QVIVE ESTIS) Triplex interrogatio. Quod secundo loco quæritur, ordine, & natura rerum primum est, primumque interrogari debuit, qui sint. Deinde quò tenderent: postremo qua de caussa. Sed huiusmodi ordo negligitur à poetis.

NIHIL ILLI TEND. CONTRA) Obmutuerunt, nihil contra responderunt. Tendo contrà sermonem tuum, id est, tibi respondeo. Seruius.

CELERARE FVGAM IN SYL. ET FIDERE NOCTI) Nutriebat fugientium spem qualitas loci, & noctis opportunum tempus, quæ ipsa in contrarium versa sunt. Donat.

OBIICIVNT EQVIT. SESE AD DIVORT. NOTA) Potuerunt inter initia existimari fuisse de numero Rutulorum. Sed cum Volsceni nihil responderetur, intellectum est, hostes esse potius, quàm socios. Proinde notitia locorum instructi clauserunt custodibus syluam, & omnia loca, per quæ euadi potuisset, tenuerunt. Donatus.

Diuortia, ἐκτροπαὶ, vnde in diuersa viæ deflectuntur. Non enim in coniugio tantum valet hæc vox, cum generatim rerum omnium separationem significet, vt habet Nonius, hunc locum laudans. Isid. lib. 15. cap. 16. Diuortia sunt flexus viarum, hoc est, viæ in diuersa tendentes: eadem diuerticula sunt, hoc est, diuersæ, ac diuisæ viæ: siue semitæ transuersæ, quæ sunt alteræ viæ. Plin. quoque hanc vocem ad aquas transtulit: & prope A ipsis iugis ad diuortia aquarum castra posuisse. Et Cic. lib. 2. ad famil. Qui mons mihi cum Bibulo communis est, diuisus aquarum diuortijs. Idem 2. de Orat. Sic ex communi sapientum iugo sunt doctrinarum facta diuortia.

ADITVM CVSTOD. CORON.) Sincerior lectio, *abitum*, quam *aditum*: cingunt enim syluam, ne habeant, vnde abire possint. Seruius.

Sylua fuit latè dumis, atq; ilice nigra
Horrida, quam densi complerant vndiq; sentes:
Rara per occultos ducebat semita calles.
Euryalum tenebræ ramorum, onerosaq; præda
Impediunt: fallitq; timor regione viarum.
Nisus abit: iamq; imprudens euaserat hostes,
Atq; locos, qui pòst Albæ de nomine dicti
Albani, tum rex stabula alta Latinus habebat.
Vt stetit, & frustra absentem respexit amicum,
Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quaue sequar? rursus perplexum iter omne reuoluens
Fallacis syluæ, simul & vestigia retro
Obseruata legit, dumisq; silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus, & signa sequentûm.
Nec longum in medio tempus, cùm clamor ad aures
Peruenit, ac videt Euryalum, quem iam manus omnis
Fraude loci, & noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit, & conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi iuuenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in hostes
Inferat, & pulchram properet per vulnera mortem?

SYLVA FVIT LATE DVMIS) Sylua occupata fuit sentibus per immensam latitudinem fusis, ilicibus nigris, ramosis, & spissis tenebrosa, vt præter obscuritatem noctis, alias, atris frondibus suis, tenebras adduceret. Donatus.

RARA PER OCCVLTOS DVCEB. SEM. CALLES) Difficilis transitus, & plena inuestigatione, quæsitus inter angustos calles poterat aperiri. *Callis* quid sit, ipse poeta exposuit: viæ quippe sunt perangustæ inter dumos, quę vix admittunt transitũ. Duo igitur subsidia, videndi, atq; gradiendi fugientibus negabantur. Donat.

EVRYALVM TENEBRÆ RAM.) Euryalum etiam quominus expeditè fugeret, præter tenebras impediebat præda, quam portabat. Et timor faciebat, vt viam amitteret. Multis excusationibus excusatur Euryalus.

IMPRVDENS) Euryali remanentis.

ATQVE LOCOS) Legitur etiam, *lacus*: sed lacus ideo, quod Alba inter montem excelsum, & lacum magnum est condita. De lacu Cic. 1. de nat. deor.

FRVSTRA ABSENTEM RESP. AMICVM) Retrorsum aspexit, & cum eum, cuius caussa hoc fecisset, animaduertisset absentem, frustra, inquit, respexit.

EVRYALE INFELIX) Donatus docet vocem *infelix* etiam ad Nisum posse referri, hoc sensu, O Euryale, ego infelix qua te regione reliqui? Lege locum. Sequitur Donatum Seruius.

PERPLEXVM ITER) Festus, *plexa*, colligata significat ex Græco; cui nos etiam præpositionem adijcimus, cum dicimus, perplexa. Terent. Eunucho *Pergin' scelesta perplexè loqui?* Verbum *perplexabile* est apud Plautum.

AVDIT EQVOS, AVDIT STREPITVS) Tantum inter ipsum, & hostes supererat spatij, vt ad eius aures equorum strepitus, & sequentium hostium signa peruenirent. Donatus.

NEC LONGVM IN MEDIO TEMPVS) inter auditum sonitum, & visum Euryalum.

CVM CLAMOR AD AVRES) clamor de capto Euryalo.

FRAVDE LOCI, ET NOCTIS) Suprà dixit, fallacem syluam. Est Euryali capti defensio, ne per inertiam videatur factus esse captiuus. Donatus.

CONANTEM PLVR. FRVSTRA) In ipsis tamen angustijs non sibi defuit: conatus est quippe multa pro se: sed contra tot difficultates obtinere non valuit. Donatus.

QVID FACIAT? QVA VI) Deliberatio Nisi, seruet amicum pugnando, an, quia contra tantam multitudinem nihil profecturus videbatur, occumbat cum amico, & quidem pulchro genere mortis: pulchrum enim est mori pro amicis.

PROPERET MORTEM) Mori properet, multis Rutulorum confossus vulnerib. Est autẽ frequens vsus verbi *propero*, in voce agẽte. Hor. Ode. 22. Ep. *Muricibus Tyriis*

 iterata

iterata vellere lana Cui properabantur, id est, properè, & summo studio texebantur. Virgil. Georg. 4. *Ac veluti lentis cyclopes fulmina massis Cum properant*, id est,

A properè cudunt. Propert. *Quod si fortè tibi properarint fata quietem*. Plura Lamb. ad Odam 6. lib. 2.

Ocyus adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur.
Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, & nemorum Latonia custos.
Si qua tuis vnquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendiúe tholo, aut sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum, & rege tela per auras.
Dixerat: & toto connixus corpore ferrum
Conijcit: hasta volans noctis diuerberat vmbras,
Et venit aduersi in tergum Sulmonis, ibiq;
Frangitur, ac fixo transit præcordia ligno.
Voluitur ille, vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, ET LONGIS SINGVLTIBVS ILIA PVLSAT.
Diuersi circumspiciunt: hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure.
Dum trepidant, it hasta Tago per tempus vtrunq;
Stridens, traiectoq; hæsit tepefacta cerebro.
Sæuit atrox Volscens, nec teli conspicit vsquam
Auctorem, nec quò se ardens immittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolues amborum, inquit. simul ense recluso
Ibat in Euryalum.

OCYVS ADDVCTO TORQ.) Citò reduxit cum B hastili dexteram: citò ideo, ne locum mutarent, qui Euryalum tenebant. Reductio autem manus ideo fit, vt fortius exeat telum. Donatus.

TV PRÆSENS NOSTRO) Eclog. 1. *Nec tam præsentes alibi cognoscere diuos*. Ponitur & in alijs rebus *præsens*, declaratque efficientiam, vim, potestatem, & id quidem tam in bonam, quam in malam partem. Caussa hæc est, quod quæ vtilia, ac salutaria sunt, si adhibeantur, fiantq; præsentia, celerius, ac vehementius prosunt, quam si remota sint. Et noxia quæ sunt, quis grauius nocitura dubitet, si vicina sint, & proxima, quàm si remotiora fuerint? Quomodo igitur præsens auxilium, remedium pro potente, valido, efficaci: sic præsens, præsentissimum venenum, periculum, & similia pro maximè noxijs, certis, magnis dicimus.

ASTRORVM DECVS, ET NEM.) Amant numina laudari, quum rogantur, ait Donatus: profectò etiam homines. Horat. Ode 12. lib. 1.

——micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

vbi stellis omnibus præfert lunam: nam quod ad nostrũ aspectum attinet, multò quauis stella & maior, & lucidior est. Vnde & regina siderum eidem carmine sæculari. Quod verò eandem custodem nemorum vocat, inde est, quia eadem in cælis luna, in syluis Diana, & apud inferos Hecate.

PRO ME PATER) Ex paternorum meritorum fiducia, velut debitam gratiam reposcit.

SI QVA IPSE MEIS) Ecce addit etiam obsequia sua, vt ostendat, se quoq; eius esse cultorem. Sic Chryses ad Apoll. lib. 1. Iliad.

SVSPENDIVE THOLO) Solebant veteres de præda dijs immolare, & partes quasdam etiam ijs interdum suspendere de tholo, & consecrare, vt Dianæ aprorum capita, & ceruorum cornua, vt est Eclog. 7. Statius lib. 2. Thebaid.

——figamq; superbis
Arma tholis, quæq; ipse meo quæsita reuexi
Sanguine, quæq; dabis captis Tritonia Thebis.

Vbi Placidius Luctatius, seu Placidus Lactant. interpres, tholus est in media templi camera locus, in quo C vouentium primitiæ, aut exuuiæ figebantur. Et lib. 9. *Seu iam sub culmine fixus Excubat, antiquo seu pendat gloria luco.* Ad quem locum iterum idem. Alia sunt quæ figuntur, alia quæ à pastoribus templorum tholis suspenduntur. Dentes, & cornua figuntur: pelles, & alia suspenduntur.

Tholus, vt describitur à Philandro in Vitruuium cap. 7. est ædificij camera, quæ altius crescens, rotunda forma in fastigiatum cacumen desinit, à quo *πάνθειον θολοειδὲς εἶναι* scripsit Dio lib. 53. Re enim vera Pantheum est hemisphærio tectum, hoc est, circulata camera, inque medio hemisphærio lumen ad circinum factum. Aliàs est testudinis vmbilicus, id est, veluti scutum in medio tecto, quo trabes omnes conueniunt, vbi dona D suspendebantur, auctore Seruio.

ALTA AD FASTIGIA FIXI) In huiuscemodi donorum consecrationibus, & oblationibus probati scripto-

scriptores libenter vsi sunt verbis *ponere*, & *figere*. Propert. lib. 2. *Suscipere, & Veneri ponere vota iuuat.* Tibull. eleg. 1. lib. 1. *Libatum* (pomum) *agricola ponitur ante deo.* Iulius Obsequens. sacrificatum tum à Romanis, donaque in templo posita. Propert. lib. 2. *Magna ego dona tua figam Cytherea columna.* Liuius li. 34. Et ante fixa fictilia deorum irridentes. Hæc in Tibullum Achilles Statius.

TVRBARE GLOBVM) Sana petitio. Nam quia impossibile fuerat vincere, petit, vt saltem perturbet telorum beneficio, quod & factum est. Seruius.

TOTO CONNIXVS CORPORE) aut quia paulo longius stabat: aut quia mittebat iratus.

HASTA VOLANS NOCTIS) Expressum hic beneficium deæ, & humanæ fortitudinis robur. Hastam enim Rutuli Sulmonis scutum excipit, & per scutum penetrans, in præcordia transit. Donatus.

ADVERSI IN TERGVM) Perplexos hic locus habet Grammaticos, quod & tergum, & aduersi dicat: cum tergum sit in auerso. Itaque tergum pro clypeo accipiunt. Ego, *aduersi* interpretor, qui erat è regione, etsi non aduerso pectore: vt in eodem libro. *Sed furor ardentem, cædisq; insana cupido Egit in aduersos*: Id est, in eos, qui ante eum exaduersum ei erant, etsi tergum auerterant, & fugerant. Itaque mox sequitur, *& raptas fugientibus ingerit hastas In tergum.* Hasta porrò hic fracta est ipso impetu, vt finderetur ita lignum, & hastile fissum, & ipsa fissione acuminatũ præcordia transijt: nã filorum fragmenta asperantur in aciem plerumque, & penetrabilia redduntur, vt in Henrici regis facto diximus. Turneb. lib. 29. cap. 25. * *Henricum II. Francisci I. Regis Francorum filium intellige, qui ludis equestribus, in nuptijs filiæ ab aduersario, assula de eius hastili per galeæ foramẽ in oculum, & ita in cerebrum regis dissiliente, & impacta, est letho datus. Qui historiam melius norunt, certius referant. Genus mortis patefeci.*

VOLVITVR ILLE VOMENS CALID.) Lucret. lib. 2. *Sanguinis expirans calidum de pectore flumen.*

FRIGIDVS) *Frigidus*: id est mortuus, moribundus, seu moriens: nam in mortis mentione sæpe videas vsurpatum frigus, frigidus. Horat. Satyr. 2. libr. 1. *& maiorum ne quis amicus Frigore te feriat.* Luc. lib. 3. *Et gelidos artus in lethi frigore linquit.* Supersedebo pluribus exemplis, cum aliàs alibi non pauca attulerim. Aliquando est venenatus, vt, *Frigidus in prato cantando rumpitur anguis.* Aliquando segnis, imbellis, vt lib. 11. *Largus opum, & lingua melior, sed frigida bello Dextera.* Nonius.

DIVERSI CIRCVMSP.) Non omnes vnam partem intuebantur, sed alij aliam, volentes nosse teli auctorem. Pacuuius Medea. *Diuersi circumspicimus, horror percipit.*

TELVM LIBRABAT AB AVRE) Gestus iaculantis. A libratione huiuscemodi, libratores antiquis, quod no-

A tauit German. prolato loco ex Taciti 13. Annal. Libratoribus, funditoribusq; attributus locus, vnde eminus glandes torquerent, ne qua pars subsidium laborantibus ferret, pati vndiq; motu.

IT HASTA TAGO) Longiuscula, sed erudita disputatio est apud Iouianum de Aspirat. lib. 1. vtrum, H, sit littera. Ad probandam partem aientem, hoc præter cetera argumentum adducitur, quod nonnunquam ita locatur in versu, vt eius in syllaba, quæ breuis præcedebat, producatur. Exempli loco hic versus statuitur, in quo, vt vides, syllaba, it, producitur, vi tantum consequentis aspirationis: non quod natura metri breuẽ illic toleret syllabam posse collocari: nullum siquidem

B est genus cæsuræ, per quam breuis longa fieri queat. Respondet postea in partem negantem his verbis. Particulam, it, in hoc versu non præsentis esse temporis, sed præteriti, quæ sit concisa de præterito *iuit*, cuius prima producta sit naturaliter. Quoties enim concisio fit in hunc modum, quantitas syllabæ non mutatur. Cum enim dicitur *existimauit*, ipsa pronuntiatio docet, a, produci in penultima syllaba, cui si adimas, *vi*, dicasq;, *existimat*, pro *existimauit*, syllaba, *mat*, seruabit productionem suam, retinebitq; accentum, quem habebat stante integra dictione. Hoc exemplum ideo posui, quoniam Donatus dicit, Terentium in illo suo prologo posuisse existimat, pro existimauit. Similiter,

C immugit, pro immugiuit, & it, pro iuit. Quamquam cum dicitur immugijt a ijt, dempta tantum, *v*, littera, corripitur. Nam vocalis ante vocalẽ more nostro corripitur, nisi fuerit dipthongus, paucis quibusdam exceptis. Quin etiam affirmare audent, Virgilium reliquisse scriptum, non, it, sed ijt; cum duplici, ij, cum sequatur versus, habens præteritum tempus, qui est, *stridens, traiectoq; hæsit tepefacta cerebro.* Non enim hæret dixit, sed hæsit. Siue igitur, it, pro iuit, siue, ijt, legatur, volunt ob eas, quas attuli rationes, H, in hoc versu vim litteræ nullam habere.

IT HASTA PER TEMP. VTRVMQVE STRID.) Lib. 12. de hasta, quàm in Turnum Æneas contorsit. *Per me-*

D *dium stridens transit femur.* Ennius Annali 11. *Missaq; per pectus, dum transit, striderat hasta.* Attius stridentibus litteris eandem fere extulit sententiam. *Fraxinus fixa ferox infensa infunditur ossis.* Homerus. Αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο μαιμώωσα. Hieron. Columna.

SÆVIT ATROX VOLSCENS, NEC TELI) Plus crescebat iracundia Volscentis, quod auctor facti non apparebat, nec constabat, vnde vltio debuisset exposci. Donat.

TV TAMEN INTEREA CALID. M. SANG POEN.) Quoniam latet, inquit, socius tuus, tu interim donec ille inuenitur, duorum pœnas expendes. Ennius Annal. lib. 1.

Nec pol homo quisquam faciet impunè animatus
Hoc, nisi tu: mihi nam calido das sanguine pœnas.

------Tunc verò exterritus, amens
Conclamat Nisus: nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem.
ME, ME: ADSVM, QVI FECI: IN ME CONVERTITE FERRVM,
O RVTVLI. MEA FRAVS OMNIS: nihil iste, nec ausus,
Nec potuit (cælum hoc, & sidera conscia testor.)
TANTVM INFÆLICEM NIMIVM DILEXIT AMICVM.
Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus

Transa-

Transadigit costas, & candida pectora rupit.
Voluitur Euryalus letho: pulchrosq; per artus
It cruor, inq; humeros ceruix collapsa recumbit:
Purpureus veluti cùm flos succisus aratro
Languescit moriens, lassóue papauera collo
Demisere caput, pluuia cùm fortè grauantur.
At Nisus ruit in medios, solumq; per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.
Quem circū glomerati hostes, hinc cominus atq; hinc
Proturbant. instat non segnius, ac rotat ensem
Fulmineum: donec Rutuli clamantis in ore
Condidit aduerso, & moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese proiecit amicum
Confossus, placidaq; ibi demum morte quieuit.
Fortunati ambo: SI QVID MEA CARMINA POSSVNT,
NVLLA DIES VNQVAM MEMORI VOS EXIMET ÆVO:
Dum domus Æneæ capitolî immobile saxum
Accolet, imperiumq; pater Romanus habebit.

A

AVT TANTVM POTVIT PERFERRE DOLOR.) Tibull. *O ego ne tantos possim perferre dolores.* Deserere amicum in tanto discrimine, fuit illi omni tormento, & morte acerbius: potuisset omnes dolores facilius ferre.

ME, ME, ADSVM QVI FECI) *Me, me,* subaudi, interficite: abrupta oratio, ex dolore. Verissimè ad Demonicum Isocrates. *Δοκίμαζε τοὺς φίλους ἔκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας, καὶ τοῖς ἐν τῆς κινδύνοις κοινωνίας. Τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν.* Id est. Amicos in vitæ calamitate, tum in periculorum societate cognosces. Nam vt aurum igne exploratur: sic amicorum fides rebus aduersis declaratur. Et est profectò insigne summi cuiusdam amoris indicium, velle pro altero mortem perpeti: aut certè præsens mortis discrimen adire. Quin hoc amantibus proprium, & peculiare, ait in Symposio Plato, vt alij pro alijs mortem obeant, non viri tantum, sed etiam mulieres. Quare & Tibull. Messallæ suam fidem, charitatemq; ex illo loco commendat.

B

Pro te vel rapidas ausim maris ire per vndas,
Aduersis hyberna licet tumeant freta ventis:
Pro te vel solus densis obsistere turmis,
Vel paruum Ætnæ corpus committere flammæ.
Sum quodcunq;, tuum est.

CÆLVM HOC, ET CONSCIA SIDERA TESTOR) Æneid. 4. *Testatur moritura deos, & conscia fati Sidera.* Vbi Seruius, id est, planetas, quibus fatorum ratio continetur. Putemus inde dictum hoc, quod astris diuinitatem tribuerent. Æneid. 2. Sinon, *Vos æterni ignes, & non violabile vestrum Testor numen ait.* Immò θεοὺς à θεῖν currere, quoniam stellas, quas credebant deos, animaduertebant continuata motione volui.

MEA FRAVS OM. NIHIL ISTE NEC AVSVS, NEC POT.) Excusat amicū à voluntate & facultate, & proprium crimen, si ita dicendum est, confitetur, & hanc cōfessionem suam iuramento confirmat.

TANTVM INFELICEM) Potuit dici, si reus non est, quid hic facit, vel cur tecum est? Occurrit vltro, & ait, *Tantum infelicem,* &c. Amor eius erga me non siuit à me seiungi, quamuis nihil posset. Donatus.

NIMIVM DILEXIT AMICVM) Auxit significatum verbi *dilexit*, cum addidit *nimium*, fecitque vt esset idē, quod amauit. Amare enim plus est, diligere minus. Cic. ad Brutum. Clodius trib. pl. designatus valde me diligit, vel (vt ἐμφατικώτερον dicam) valde me amat. Idem ad Dolabellam. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quē erga te habebā, posse aliquid accedere? Tantum accessit, vt mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse.

TALIA DICTA DABAT, SED VIRIB.) Nisus quidem loquebatur, quæ Euryalo prodesse potuissent: sed hostis tenuit intentionem suam, & quantum iræ gereret animo, in ictu, quo Euryalum percussit, ostendit: nam viribus omnibus adegit ensem per costas eius, & pectus. Donat.

TRANSADIGIT COSTAS) Lib. 12. *Transadigit costas, fuluaq; extendit arena.* Ibid. *crudo Transadigit costas, & crates pectoris ense.* Transuerberare dat hastis. Vt lib. 10. *Vibranti cuspis medium transuerberat ictu.* Et lib. 11. *Aduersi longa transuerberat abiete pectus.* Rursum lib. 10. *illa* (hasta) *volans clypei transuerberat ora Maeonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.*

VOLVITVR EVRYAL. LETHO) Aut septimus est, aut datiuus. Si datiuus, figuratum est, in lethum, vt, *It clamor cælo.* * *Ex hoc versu, & sequentibus comparauit sibi suos Silius lib. 12. vbi Pedianus Cinypem puerum, seu adolescentem arma Pauli consulis ab Annibale sibi donata gerentem interficit.*

C

Soluitur omne decus letho, niueosque per artus
It stygius color, & formæ populatur honores.
Ambrosiæ cecidere comæ, violataq; ceruix
Marmoreum in iugulum collo lambente recumbit.

PVRPVREVS VELVTI CVM FLOS) Aptè adolescentem morientem cum flore marcente confert. Monostich. εἰς νεότητα.

Ἄντικρυς ἔοικεν ἡ νεότης ἄνθει βραχεῖ.
Prorsum iuuenta floribus simillima.

Ouid. Metamorph. lib. 10. de Hyacintho puero moriente, sine controuersia hunc Maronis locum adumbrauit.

Vt si quis violas, riguoq; papauera in horto,
Liliaq; infringat fuluis hærentia virgis:

Mar-

Marcida demittant subitò caput illa granatum,
Nec se sustineant, spectentq́; cacumine terram.
Sic vultus moriens iacet, & defecta vigore
Ipsa sibi est oneri ceruix, humeroq́; recumbit.

Virgilium ipsum ad Catullianos hosce respexisse opinor.

——— velut prati,
Vltimus flos prætereunte postquam
Tactus aratro est.

Et ad hos, qui sunt in carmine nuptiali, in comparatione virginitatis, & floris illibati, seu indecerpti.

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro, &c.

LASSOVE PAPAVERA COLLO. DEMIS. CAP. PLVVIA) Admodum elegans similitudo, qua Homerus est vsus Iliad. θ.

Μήκων δ' ὡς ἑτέρωσε κάρη βάλεν, ἥ τ' ἐνὶ κήπῳ
Καρπῷ βριθομένη, νοτίῃσί τε εἰαρινῇσιν.

VOLSCENTEM PETIT) Cum gladiatores iam essent in statu, seu in gradu starent, petebat alter, vitabat alter. *Petebat* dico: ita enim propriè: & ictus ipsi petitiones. Seruius in hunc locum, Petitiones, inquit, propriè dicuntur impetus gladiatorum. Cic. in Catilin. Quot ego petitiones tuas ita coniectas, vt vitari nullo modò possent, parua quadam declinatione, & vt aiunt, corpore excessi? hoc est, lateris sinuatione, vt Prudentius interpretatur. Idem in Oratore. Vt enim athletas, nec multò secus gladiatores, videmus nihil nec vitando facere cautè, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quandam: sic oratio neque plagam grauem facit, nisi petitio fuerit apta. Videntur etiam appellasse conatus, inuasionesque singulas, *manus*. Quintilian. lib. 5. cap. 14. Vt gladiatorum manus, quæ secundæ vocantur, &c. Lipsius Saturnal. libro 2. cap. 20.

QVEM CIRCVM GLOMERATI) De Neoptolemo insidiis Orestis circumuento Euripid. in Androm. *ὡς δὴ μιν περισταδὸν κύκλῳ κατεῖχον, οὐ διδόντες ἀμπνοάς.*

HINC COMINVS ATQVE HINC PROTVRBANT) Huc illuc dextra, læuaque protrudebant miserum. Lib. 10. *Telaq́; coniiciunt, proturbantq́; eminus hostem Missilibus.*

INSTAT NON SEGNIVS) Pedem figit, cum illo congressurus.

ROTAT ENSEM FVLMINEVM) quasi rotam describeret, ita expeditè, celeriterque versat. Fulmineum autem, id est, instar fulminis micantem.

CLAMANTIS IN ORE CONDIDIT ADVERSO) Cæsar li. 3. Bell. ciuil. Interfectus est etiam fortissimè pugnans Crastinus, gladio in os aduersum coniecto.

PLACIDAQVE IBI DEMVM MORTE QVIEVIT) Ex affectu patientis dictum est, qui cum amico moriebatur. Vel ita: tum demum quieuit ibi morte placida, quũ illum vidit à se peremptum, Volscentem puta. Adhuc, vbi vidit à se interemptum Volscentem, hoste cæso, & amici vindicata nece contentus, placida morte quieuit, morte, quam placida mente, & libenti animo subibat.

SI QVID MEA CAR. POSSVNT, NVLLA DIES VNQ.) Plin. de versiculis in se à Martiale compositis, epist. 21. lib. 3. Dedit enim mihi, quantum maximum potuit, daturus amplius, si potuisset. Tametsi quid homini potest dari maius, quam gloria, & laus, & æternitas? At non erunt æterna, quæ scripsit. Non erunt fortasse, ille tamen scripsit, tanquam essent futura. Idem de auunculo suo, & scriptis Cornelij Taciti, ad eundem Tacitum epist. 16. lib. 6. Quamuis ipse plurima opera, & mansura condiA derit, multum tamen perpetuitati eius, scriptorum tuorum æternitas addet. Non enim poetę tantum hoc efficere se posse suis versibus gloriati sunt: sed alij item scriptores id non obscurè præ se tulerunt. Epicurus ad Idomeneum, si gloria, inquit, tangeris, notiorem te epistolæ meæ faciet, quàm omnia ista quæ colis, & propter quæ coleris. Tradit idem Plinius senior de Appione Grammatico, in præfat. operis sui, seu lib. 1. eum scripsisse, immortalitate à se donari, ad quos aliqua componeret.

Seneca quoque ad Lucil. epist. 21. Quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto Lucili. Habeo apud posteros gratiam, posse mecum duratura B nomina educere. Idem epist. eadem. Numen Attici perire epistolæ Cic. non sinunt. Nihil illi profuisset gener Agrippa, & Tiberius progener, & Drusus Cæsar pronepos, inter tam magna nomina taceretur, nisi Cic. illum aperuisset.

Venio ad poetas. Hoc nimirum loquitur & Horat. quod hic Virgil. Ode 8. lib. 4.

Dignum laude virum Musa vetat mori.
Cælo Musa beat. sic Iouis interest
Optatis epulis impiger Hercules.

Et Ode 9. lib. eodem.

——— non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
C *Totúe tuos patiar labores*
Impunè tolli, & carpere liuidas
Obliuiones.

Totam lege. Statius lib. 10. Thebaid. de Hoplaco, & Dymante.

Vos quoq́; sacrati, quamuis mea carmina surgent
Inferiore lyra, memores superabitis annos,
Forsitan & comites non aspernabitur vmbras
Euryalus, Phrygiiq́; admittet gloria Nisi.

Tibull.

Quem referent Musæ, viuet dum robora tellus,
Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas.

Eandem sententiam splendidè sanè, & ornatè persequitur Pindarus, Nem. carm. 7. dicam latinè. Magnæ D corporis vires, magnæque animi virtutes, ab hymnis, & laudationibus derelictæ, densis tenebris circumfundũtur. Vnicum est autem rerum fortiter gestarum speculum, quo videlicet illæ posteritati prodantur, atque immortalitati commendentur, & consecrentur, carmen à docto aliquo poeta cõscriptum, quod illarum rerum laudes, tanquam laborum præmia complectatur. Sed nemo vnquam arrogantius cuiquam per scripta sua æternam famam, & nomen indelebile pollicitus est, quã Cyrno pollicetur Theognis, cuius tamen factum nullum memorat.

Σοὶ μὲν ἐγὼ πτέρ' ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ' ἀπείρονα πόντον
Πωτήσῃ, κατὰ γῆν πᾶσαν ἀειρόμενος,

E & quæ sequuntur.

DVM DOMVS ÆNEÆ CAP. IMMOB. SAX.) Hic ego domum Æneæ, familiam Iuliam significari puto, è qua Augustus erat. Domus autem Augusti in palatio, vt scribit Victor de vrbis Romæ regionibus, vnde non incolebat, sed accolebat Capitolij immobile saxum. Ad domum autem Augusti locus erat, qui sedes imperij Romani eodem auctore dicebatur. Etsi autem de toto Capitolio intelligi non ineptè potest, quod de saxo immobili cecinit, tamen Grammaticis ad Terminum, qui exaugurari non potuit, referri magis placet. Turneb. lib. 22. cap. 15.

Quin & Martial. huius imitatione dixisse videatur lib. 8. *Tarpeia summi saxa dum patris stabunt.* Sunt quoque,

que, qui poetam ad gloriam, priuilegiumq; velut fatale Iuliæ familiæ hos versus dixisse velint, cui prærogatiua insignis ad Capitolium habitatio concessa videretur, quam patriciis omnibus denegatam fuisse docet Plutarch. Roman. Quæstion. * *Domus Latinis est sæpe familia. Lib.5.* domus tenet a quo Sergia nomen. *Lib.1.* Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas Seruitio premet. |*Cic. ep. 46. lib.13. Eum tibi igitur (Apuleio Nostrum) sic commendo, vt vnum ex nostra domo. Lib. 10. Ego necessitudinem constitutam habui cum domo vestra, antè aliquanto, quàm tu natus es. Seneca Hippol.* regiæ proles domus. *Historici, vt Plutarchus, Halicarnassæus, Liuius, atq; adeò alij, qui de antiquitatibus Roman. scripserunt, vnde Capitolium sit dictum, videntur dubitasse. T. Liuius certè non dubitat, cuius verba in hac extrema symbola producemus.*

Quia autem huius vocabuli originem solus Arnobius videtur non ignorasse, eius verba, vt rei tam obscuræ, & ignotæ lucem quandam afferre possim, in medium adducere non grauabor. li.6. ait. Sed quid ego hęc parua? Regnatoris in populi Capitolio quis est hominum qui ignoret, Toli esse sepulcrum Vulcetani? Quis est, inquam, qui non sciat, ex fundaminum sedibus caput hominis euolutum non antè plurimum temporis, aut solum sine partibus cæteris (hoc enim quidam ferunt) aut cum membris omnibus humationis officia sortitum? Quod si planum fieri postulatis testimoniis auctorum, Sammonicus, Gramius, Valerianus vobis, & Falcius indicabant, cuius Tolus fuerit filius, gentis & nationis cuius, vt à germani seruulo vita fuerit spoliatus & lumine, quid de suis commeruerit ciuibus, vt ei abnegata sit patriæ telluris sepultura. Condiscetis enim (quamuis nolle istuc publicare se fingant) quid sit capite resecto factum, vel in parte, qua vitiosa fuerit obscuritate conclusum: vt immobilis videlicet, atque fixa obsignati animi perpetuitas staret. Quod cum opprimi par esset, & vetustatis obliteratione celari, compositio nominis iecit in medium, & cum suis caussis per data sibi tempora inextinguibili fecit testificatione procedere: nec erubuit ciuitas maxima, & numinum cunctorum cultrix, cum vocabulum templo daret, ex Toli capite Capitolium, quam ex nomine Iouio nuncupare. Theod. Canter. variar. lect. lib. 1. cap. 11. Vide & Gyrald. Syntag. 2.

Inter multa cognomenta Iouis, est etiam *Capitolinus*, propterea quod in Capitolio summa veneratione, & exquisitis cærimoniis, donariisque pretiosissimis ex toto propemodū terrarum orbe, eodem missis honorari solitus est. De ipso Capitolio qui nosse vult quādo conditum, quando dicatum, quoties incensum, & instauratum, ac reliqua demum scitu digna, Tacitum legat lib.19. Hic mons antè caput humanum ibidem inuentum, cum scilicet templi fundamenta foderentur, dictus est Tarpeius à Tarpeia virgine, quæ ibi à Sabinis necata est, & clypeis eorum obruta, vt tradit Liuius lib.1. Hinc etiam ipse Iupiter vt Capitolinus, sic Tarpeius, & Tarpeius pater appellatus. Propert. lib. 4. *Tarpeiusq́ pater nuda de rupe tonabat.* Ouid. in Fastis. *Inde tuaque Tarpeio sunt mea templa Ioui.* Gyrald. Syntag. 2.

Hoc immobile saxum Terminus fuit, de quo sic A Lactant. lib. 1. cap. 20. Quid qui lapidem colunt informem, atque rudem, cui nomen est Terminus? Hic est quem pro Ioue Saturnus dicitur deuorasse. {*immò propter magnitudinem deuorare nequiuit. Sed quia fabula est, deuorauerit sanè: digerere quidē, seu concoquere illum non potuit, vbi enim Terminus esset?*] Nec immeritò illi honos tribuitur. Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet, eoque in loco multorum deorum sacella essent, consuluit eos per auguria, vtrum Ioui cederent: & cedentibus cæteris, solus Terminus mansit. Vnde illum poeta Capitoli immobile saxum vocat. Iam ex hoc ipso vides, quam magnus Iupiter inuenitur, cui non cesserit lapis: ea fortasse fiducia, quod eum de paternis faucibus liberauerat. Facto itaque Capitolio, supra ipsum Terminum foramen B est in tecto relictum: vt quia non cesserat, libero cælo frueretur: quo ne ipsi quidem fruebantur, qui lapidem frui putauerunt. Et huic ergo publicè supplicatur, quasi custodi finium deo: qui non tantùm lapis, sed etiam stipes interdum est. Quid de illis dicam, qui colunt talia? nisi ipsos potissimum lapides, ac stipites esse? De Termino consule Gyrald. quoque Syntag. 1.

Cassiodorus tradit, aruspicem interrogatum, quādo imperium Romanum casurum esset, respondisse, quando saxum Capitolij cadet: addidisseque insuper, si eueniret, vt vnquam caderet, futurum, vt post 30. millia annorum iterum resurgeret. tanta artis eius fuit impudentia. Nisi per tātum numerum perpetuitatem intel- C lexerit, quam apertius explicuit Maro, *His ego nec metas rerum, nec tempora pono.* Et hìc, *Capitoli immobile saxum.* Nam & serpens apud Homer. Iliad. 2. post nouem passeres deuoratos in lapidem mutatus, significasse dicitur, captæ, euersæq; Troiæ gloriam nullo vnquā tempore perituram, quamquam super hoc aliter alibi Pierius. 45.

Verba Liuij subnectam, vnde: & quare immobile saxum poeta Terminum vocarit, & vnde Capitolij nomen manarit cognoscemus. Lib. 1. in Tarquinio Superbo. Inter principia condendi huius operis (templi Iouis in monte Tarpeio) mouisse numen ad indicandam tantam imperij molem traditur deos. Nam cum omnium sacellorū exaugurationes admitterent aues, in Ter- D mini fano non addixere. Idq; omen. auguriumq; ita acceptum est, non motam Termini sedem, vnumq; eorū deorum nō euocatum sacratis sibi finibus, firma, stabiliaq; cuncta portendere. Hoc perpetuitatis auspicio accepto, secutum aliud, magnitudinē imperij portendens, ꝓdigium est. Caput humanū integra facie aperientibus fundamenta tēpli dicitur apparuisse. Quę visa spēs haud per ambages arcem eam imperij, caputque rerum fore portendebat, idq; ita cecinere vates, quiq; in vrbe erāt, quosq; ad eam rem consultandam ex Etruria acciuerāt.

IMPERIVM PATER ROM. HABEBIT) Pater Romanus est Imperator, cum præsertim Imperatores patres patriæ dicerentur, & hunc titulum Augustus consecutus sit, & pater nomen dignitatis sit. Ausonius in eam sententiam videtur accepisse, qui ad Theodosium scribens, Maronem imitatus ita dicit. *Tu modò te iussisse pater Romane memento.* Turneb. lib. 22. cap. 15.

Victores præda Rutuli, spoliisq; potiti,
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exangui: & primis vna tot cæde peremptis,
Serranoq;, Numaq;, ingens concursus ad ipsa
Corpora, semineceśq; viros, tepidumq; recenti
Cæde locum, & plenos spumanti sanguine riuos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamq; nitentem
Messapi, & multo phaleras sudore receptas.

Et

ET IAM PRIMA NOVO SPARGEBAT LVMINE TERRAS
TITHONI CROCEVM LINQVENS AVRORA CVBILE:
Iam ſole infuſo, iam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circundatus ipſe
Suſcitat: æratasq; acies in prælia cogit
Quisq; ſuos, VARIISQVE ACVVNT RVMORIBVS IRAS.
Quin ipſa arrectis (viſu miſerabile) in haſtis
Præfigunt capita, & multo clamore ſequuntur,
Euryali, & Niſi.
Æneadæ duri murorum in parte ſiniſtra
Oppoſuere aciem (nam dextera cingitur amni)
Ingentesq; tenent foſſas, & turribus altis
Stant mœſti, ſimul ora virûm præfixa videbant
Nota nimis miſeris, atroq; fluentia tabo.

PRÆDA POTITI) Præda victos ſpoliat: rapina ſubitò venit. Itaque illa victoria gaudet, hæc petulantia. Cornel. Fronto. Intellige non ſolùm ſuis armis exutos Niſum, & Euryalum: ſed etiam illa præda, quæ Rutulis fuerat ante detracta. Seruius.

NEC MINOR IN CASTRIS LVCTVS) Non fuit minor luctus in caſtris ex aliorum cædibus, quos primos, & plurimos vna ſimul calamitas ſtrauerat.

TEPIDVMQVE REC. CÆDE LOCVM) Sic lib. 8. *ſemperquè recenti Cæde tepebat humus.* Quidam legunt *tepidaq; recentem cæde locum*, etiam Seruio teſte, vt ſit hypallage. Iam vt apud Græcos φόνος, quod vocabulum cædem ſignificat, etiam ſanguis dicitur, ita & hoc loco tepida cæde, id eſt, tepido ſanguine. Turneb. libr. 18. cap. 3.

IAM REBVS LVCE RETECTIS) Suprà, *rebus nox abſtulit atra colorem.* Apparebant omnia, quæ nocturnis tenebris fuerant occultata.

ARMIS CIRCVNDATVS IPSE) Non ſemel narratur Turnus facere, quod aliis imperat: nec debent boni duces exiſtimare, armante ſe, & pugnante milite, ipſis licere aleam ludere aut pocula ducere. Valet etiam hìc quod ait Ouid. Faſt. 6.

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cum index alios quod monet, ipſe facit. ✱

ÆRATASQVE ACIES IN PRÆL. COGIT QVISQVE SVAS) Quidam ſic legunt, & diſtinguunt, *ærataq; acies in prælia cogit Quiſque ſuas*, vt ſit ſyntheſis. Turnus adhortabatur milites, ad oppugnationem oppidi ſeſe pa-C
A raért: duces eum ſecuti, cohortes expediebant, & quiſque colligebat ſuos.

ACVVNT RVMORIBVS IRAS) Ex Niſi, & Euryali audacia, qui duo ſtragem tantam nocte illa in caſtris edidiſſent.

QVIN IPSA ARRECTIS IN HASTIS PRÆFIG. CAPITA) Tali crudelitate Dolabellam impurum hominem vſum fuiſſe in C. Trebonium: quem Smyrnæ inſidiis interfecit, narrat Philipp. libr. 11. Cic. his verbis. Poſt ceruicibus fractis caput abſcidit: idque infixum geſtare iuſſit in pilo, reliquum corpus tractum, atque laceratum abiecit in mare. Virgilius igitur moris huius, vt priſci, mentionem facit. Nam & apud Home-B rum ſimile ſupplicium, de hoſte iam mortuo ſumit Agamemno de Hippolocho, Antimachi Troiani filio. Victor. lib. 28. cap. 8. * *Huiuſcemodi ſpectaculum quoque factum de capite Galbæ Imperat. Vt auctor eſt Sueton. cap. 20. Eius verba tibi repræſento. Ille (Otho) caput abſciſſum Galbæ, & ad ſe delatum lixis, calonibusq; donauit. Qui haſtæ ſuffixum, non ſine ludibrio circum caſtra portarunt, &c.*

ÆNEADÆ DVRI) durantes in labore. Diximus de notione vocis huius 1. Georg. ad illa, *Vnde homines nati durum genus.*

TENENT FOSSAS) tuentur, defendunt.

ATROQVE FLVENTIA TABO) Quæ tabo corrupta, & fœdata agnoſci non poſſent, niſi ab his, qui ea penitus noſſent. In eo autem Troianos dolor angebat, quod & tales viros perdidiſſent, & nihil fuiſſet Æneæ nuntiatum. Ob id dixit, *Stant mœſti.* Donatus.

INTEREA PAVIDAM VOLITANS PENNATA PER VRBEM
NVNTIA FAMA RVIT, matrisq; adlabitur aures
Euryali: ac ſubitus miſeræ calor oſſa reliquit:
Excuſſi manibus radij, reuolutaq; penſa:
Euolat infelix, & fœmineo vlulatu
Sciſſa comam, muros amens, atq; agmina curſu
Prima petit: non illa virûm, non illa pericli,
Telorumq; memor. CÆLVM DEHINC QVESTIBVS IMPLET.
Hunc ego te Euryale aſpicio? tunc ille ſenectæ

Sera meæ requies? potuisti linquere solam?
Crudelis: nec te sub tanta pericula missum
Affari extremùm miseræ data copia matri?
Heu, terra ignota, canibus data præda Latinis,
Alitibusq; iaces. nec te tua funera mater
Produxi, pressiúe oculos, aut vulnera laui,
Veste tegens: tibi quam noctes festina, diesq;
Vrgebam, & tela curas solabar aniles.
Quò sequar? aut quæ nunc artus, auulsaq; membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te
Nate refers? hoc sum terraq;, mariq; secuta?
Figite me, siqua est pietas: in me omnia tela
Coniicite, ô Rutuli: me primam absumite ferro,
Aut tu magne pater diuûm miserere, tuoq;
Inuisum hoc detrude caput sub tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

VOLITANS PENNATA PER VRBEM FAMA) Libr. 11.

Et iam fama volans tanti prænuntia luctus,
Euandrum, Euandriq; domos, & mœnia complet.

Lib. 12.

Hinc totam infelix vulgatur fama per vrbem.

Propter celerem in cuncta discursum, angelis, ac ventis alas tribui docet D. Hieron. Comment. in Esaiæ, cap. 6. Eadem de caussa plerisque deorum simulacris, Victoriæ, Fidei, Famæ veteres Romani affingebãt alas, vt eos statim præstò esse indicarent. Ennius. *Fides alma, apta pinnis.* Sed & alæ, quas poetæ Mercurio tribuunt, aliud nihil, quam celeritatem, ac diligentiam in obeundo munere significant.

MATRISQVE ADLABITVR AVRES) Tale hoc, quale illud 1. Æneid. *Atque rotis summas leuibus perlabitur vndas*, præpositio enim ad accusandi casum pertinens, ipsi verbo est apposita, quod Græcis sollemne est. Adlabitur aures, pro, labitur ad aures. Monuimus hac de re & alibi.

MISERÆ CALOR OSSA REL. EXCVSSI MAN. R.) Hom. Iliad. X.

Κωκυτοῦ δ' ἤκουσε, καὶ οἰμωγῆς ἀπὸ πύργου,
Τῆς δ' ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δέ οἱ ἔκπεσε κερκίς.

Totum hunc locum de luctu matris Euryali super filio, expressum ex Iliad. 22. docet Macrob. libr. 5. cap. 9. vbi Andromache mortem mariti Hectoris lamẽtatur. Lib. 3. Æneid. *postquam pauor ossa reliquit.*

EXCVSSI MANIB. RADII REVOLVTAQVE) ἐνάργεια, Ciceroni illustratio, & euidentia: quæ non tam dicere videtur, quàm ostendere: & affectus non aliter, quam si rebus ipsis intersimus, sequentur. Quintil. lib. 6. cap. 2.

FÆMINEO VLVLATV) impatienti, vt, *Fæmineo prædæ, & spoliorum ardebat amore.* Et infrà de Amata regina, *Fœmineæ ardentem curæq; iræque coquebant.* Et lib. 2. Æneid. *lata plangoribus ædes Fæmineis vlulant.*

SCISSA COMAM) Apud Græcos viri in luctu funebri barbam, capillumque summittebant, mulieres comam detondebant, quem morem & Romanæ fæminæ seruarunt, vt etiam cadaueri, aut sepulcro subsectos crines imponerent. Lugenti, enim aptissima putaban-

A tur, quæ indecora, nec vsitata essent. Propert. lib. 1. eleg. 19. *Ille meo charos donasset funere crines.* Ouid. 3. Metam. de Narcissi sororibus. *Planxere sorores Naiades & sectos fratri imposuere capillos.* Epist. Canaces ad Macareum.

Non mihi te licuit lacrymis perfundere iustis,
In tua non tonsas ferre sepulcra comas.

Catull. de nupt

Illius egregias virtutes, claraq; facta
Sæpe fatebuntur natorum in funere matres,
Cum in cinerem canos soluent a vertice crines.

Solebant & viri capillum in luctu ponere. Fecit hoc Archelaus Macedonum Rex in funere Euripidis, & Alex. Mag. in funere Hephæstionis. In sacris etiam libris legi-
B mus Iobum audita filiorum morte caput totondisse. Alex. ab Alex lib. 3. cap. 7. & ibid Tiraquell.

MVROS AMENS ATQVE AG.) Homer. Iliad. ζ. *ἡ μὲν δὴ πρὸς τεῖχος ἐπειγομένη ἀφικάνει. Μαινομένῃ ἐϊκυῖα*, de Andromacha.

NON ILLA VIR. NON ILLA PERICLI) Vnum pudoris est, alterum salutis. De Euandro simile lib. 11. *At non Euandrum potis est vis vlla tenere, Sed venit in medios.*

HVNC EGO TE ASPICIO) Ad hoc deducta est infelicitas mea, vt post illum ætatis tuæ florem hunc te videam mater, hoc est occisum, & triumphum præbentem hostibus. Donat.

C SENECTÆ SERA MEÆ REQ.) quem sperabam fore requiem. Euander lib. 8. de Pallante suo, *mea sera, & sola voluptas.* Amata ad Turnum lib. 12 *spes tu nunc vna senectæ, Tu requies miseræ.*

POTVISTI LINQ. SOLAM CRVD.) Mirum quantũ afferat vel affectus, vel ornamenti vox, quæ in principio carminis ponitur post expletam sententiam, quæ vox tamen illi apposita, apponit & sensum, *crudelis.* Neque enim post *crudelis* punctum, siue notam interrogationis libet apponere: sed post sententiam, quæ finitur illo nomine, *solam.* Enimuero plus placuit additamentum illud illius vocis *crudelis* gestu sustineri. Idem in 4. Æneid. *Et mediis properas Aquilonibus ire per altum.*
D *Crudelis.* sic in 2. infelix. *Et gener auxilium Priamo, Phrygibusq;, ferebat. Infelix.* Est enim tanquam elogium: quemadmodum bellatrix, venatrix, & alia. *dederatq; comam diffundere ventis. Venatrix.* Et in 11. æque. *captiuo*

Sine fine vt se ferret in auro. Venatrix. Et in 1. *Aurea subnectens exerta cingula mammæ. Bellatrix.* Ne à Græcis quidē ignoratus dicendi modus, σχέτλιος, νήπιος. Quã equidem figuram si velis dicere, appellare ausim Expressionem. Scalig. Poet. lib. cap. 48.

Hanc lamentationem mortis Euryali comparat idem Scalig. Poet. lib 5. cap. 3. cum fletu Andromaches, ob interitum mariti apud Homerum, additq; tandem. Anus nostræ Virgilianæ conquestio adeò sublimis est, adeò rara, vt sapientibus sustulerit audaciam imitandi. Affectus tot, tanti, tam frequentes, vt excutiant animum potius, quàm lacrymas mihi. *Potuisti linquere solam? Crudelis. quæ sum terraq; mariq; secuta.* Nec id dedisti mihi, vt te extremum alloquerer. Hæc, postquam dixit senectæ requies, & sera: iaces præda canibus, in terra ignota. Quod vulgò datur parentibus, saltem funera curassem. Pro patria extinctus es: gaudeo. At, vulnera non laui. Cui posui ergo operam in veste? cui festina fui? Hac tela solabar curas meas, quæ illas auctura fuerat? Vbi nam es? vbi te quæram? Quò te sequar? Integerne saltem es, an discurrendum mihi, vt discerpta membra colligam? At verò nullum esse hostium telum, quod me tibi possit adiungere? Et, si cessant illi, tu, quo me beatam potes efficere? Ita nihil omissum cælesti viro illi: nihil addendum nisi ab ineptis: nihil immutandum, nisi ab impudentibus. Omnia signatè, ex natura, ex arte, ex eruditione: sententiæ, numeri, figuræ, simplicitas, candor, ornatus incomparabilia: atque vno verbo vt absoluam, Virgilij.

NEC TE AFFARI EXTREMVM) Vltimi affatus inter amicos, consanguineos, dum à se inuicem aut itinere longiore, aut periculoso, aut morte etiam diuelluntur, solent esse dulcissimi. Quare cui ea facultas negata est, affari videlicet ad extremum, à quo esset distrahendus, & quem se amplius visurum certò sperare non possit, non iniuriâ dolet. Cur autem hoc Euryalus matri negarit, suprà exposita est caussa: quia nequiret perferre eius lacrymas.

Non, inquit, accuso abscessum tuum. Missus es, nec tui iudicij fuit, quod maiorum tuorum imponebatur arbitrio (sic enim putabat, cum vltro se obtulerint.) Faceres tamen, quod fuerat potestatis tuæ, quod publicæ non officeret caussæ: faceres, quod reprehendere nullus auderet subiectus casibus. Videres primitus matrem, non leuem subiturus interitum: videres matrem tanta in pericula coniectus, dares loquendi liberum locum, misceremus extrema colloquia. Omnia hæc dolentis sunt. Donatus.

DATA COPIA MATRI) Æneid. 1. *postquam data copia fandi.* Sallust. Catilin. at pop. Rom. nunquam ea copia fuit, quia prudentissimus quisq; negotiosus maximè erat.

TERRA IGNOTA CANIB. DATA PRÆDA LATINIS) Catull. de nupt.

Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusq;
Præda: nec iniecta tumulabor mortua terra.

Ex Homero vterque, Iliad. α. αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. & pluribus locis. Vide Vrsin.

NEC TE) Verba hæc separanda à sequentibus docet Donatus. Aliud enim fuerat dictura, & aliud subiecit: dolentis more, sed à quibusdam nugari putatur, docentibus, Funeras apud Romanos dictas esse, quæ defuncto sanguine proximæ, funeris ergò lessum faciebant, & veris lacrymis suas genas perfundebant. Atq; adeo hunc ipsum Maronis locum producunt; quem ita interpungũt. *nec te tua funera mater Produxi.* Et est, inquiunt, conquestio matris Euryali plena artis Rhetoricæ. Nam pæne omnes partes habet de misericordia commouenda à Cicerone in Rhetoricis positas, vt scribit, Seruius, apud quem legendum funera, pro funerea, & ab eo solo petenda huius loci interpretatio. Iidem suspectum habent verbum, *produxi*, mallentque *proluxi*, vt eo respiciat. Festus, prolugere dicuntur, qui solito diutius lugent. Non tamen planè displicet *Produxi*, modò vox illa intelligatur de collocatione. Producebant enim defunctum proximi, aut certè hæredes ex penitiore ædium loco, vbi extremus eius spiritus à carissimis erat exceptus.

PRESSIVE OCVLOS) Oculos mortuorum claudere solebant proximi, filij, mater, aut pater. Homerus. οὐκ ἄρα σοί γε πατήρ, καὶ πότνια μήτηρ, Ὄσσε καθαιρήσουσι. Producere autem quod dicit, id est, προτιθέναι, quod est, ante ædes mortuos ad exequias proponere. Turneb. lib. 19. cap. 16.

Frequens locus apud poetas, ad pathos maximè commouendum, de operiendis, comprimendisque morientium oculis: quo nomine infelices eos, inquit Plutarchus, vulgò solemus vocitare, quorum oculos propter absentiam non potuerint parentes obtegere. Plin. lib. 11. cap. 37. Morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu sacratum est, ita more condito, vt neque ab homine supremùm eos spectari fas sit, & cælo non ostendi nefas. Vide Crinit. lib. 18. cap. 12.

Adducamus aliquot Latinorum poetarum de hoc more testimonia. Penelope apud Ouid. in heroid. epist.

Dij precor hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis
Ille (Telemachus) meos oculos claudat, & ille tuos.

Infra.

Respice Laerten vt iam sua lumina condas
Extremum fati sustinet ille diem.

Ariadne ad Theseum.

Ergo ego nec lacrymas matris moritura videbo,
Nec mea qui digitis lumina condat, erit.

Albinouan. ad Liuiam.

Sospite te saltem moriar Nero: tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio,
Atq; vtinam Drusi manus altera, & altera fratris
Formarent oculos, comprimerentq; meos.

AVT VVLNERA LAVI) Ennius in Cresphonte.

Neq; terram inijcere, neq; cruenta
Conuestire mihi corpora licuit,
Neq; miseræ lauere lacrymæ salsum sanguinem.

Æneid. 4. Anna sororem Didonem lamentans, *date, vulnera lymphis Abluam.*

HOC MIHI DE TE NATE REFERS?) Æneid. 2. *Hoc erat alma parens, quod me per tela per ignes.*

FIGITE ME SI QVA EST PIETAS) Magnitudo, & impatientia doloris eò sæpe adigit homines vt aut ipsi sua sibi manu lethum patiant: aut ab alijs interfici, pro beneficio, habeant, & id etiam precibus cōtendant: quàm cupiditatem licet improbam, Virgilius in hac muliere expressit euidenter admodum. Hecuba apud Ennium. *Miserete anus, date ferrum qui me anima priuem.*

ME PRIMAM ABSVMITE FERRO) Vnusquisque enim in propriæ salutis desperatione, credit vniuersa etiam posse consumi.

MISERERE, TVOQVE TELO) Miserere, inquit, Iupiter, & me perime fulmine tuo: sentio enim, quia aduersis superis viuo. In nece mea probabitur pietas, si dolentis crucia-

cruciatus abruperis, & deleueris letho: aliud quippe doloribus meis remedium non est, nisi vt mors adimat, quod odiosæ vitæ diuturnitas dedit. Donatus.

Quod Græci dicunt, ἀπεγνωκότως ἔχειν, θανατᾶν, ἀπεστυγημένως πρὸς τὸ ζῆν διακεῖσθαι, hoc est, deplorata spe vitæ esse, tædio lucis affectum esse, dicunt Latini (quamquã nno Cicero) despondere animum. Plaut. Menæch. in prologo, *Pater eius, postquam perdidit puerum, animum despondit.* Τὸ βιῶναι ἀπέγνω, ἀλύων ᾤχετο. Item alibi. *Quæso hercle, animum ne desponde.* Vtuntur Varro, Liuius. Columella. Obseruatum à Bu- A dæo in Pand.

INVISVM HOC CAPVT) Inuisum est quidem hoc, id est, odiosum caput, verùm misericordiæ genus est, si me etiam iratus interimas.

CRVDEL. ABRVMP. VITAM.) Abrumpunt sibi vitam, qui mortem sibimet accersunt, qui semet de vita eijciunt, qui iniussu Imperatoris dei de statione decedunt. Hìc autem ad Parcarum stamen alluditur, quod nondum rumpi tam ægrè fert hæc misera mulier. Et crudelem ex affectu dicentis intellige, quoniam in vita superstes est filio defuncto. ✤

HOC FLETV CONCVSSI ANIMI, MOESTVSQVE PER OMNES
IT GEMITVS: torpent infractæ ad prælia vires.
Illam incendentem luctus Idæus, & Actor
Ilionei monitu, & multùm lacrymantis Iuli
Corripiunt, interq; manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit: sequitur clamor, cælumq; remugit.
Accelerant acta pariter testudine Volsci,
Et fossas implere parant, ac vellere vallum:
Quærunt pars aditum, & scalis ascendere muros,
Quà rara est acies, interlucetq; corona
Non tam spissa viris. telorum effundere contrà
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello.
Saxa quoq; infesto voluebant pondere, si quà
Possent tectam aciem perrumpere: cum tamen omnes
Ferre libet subter densa testudine casus.
Nec iam sufficiunt: nam quà globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem voluuntq;, ruuntq;:
Quæ strauit Rutulos latè, armorumq; resoluit
Tegmina, nec curant cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli: sed pellere vallo
Missilibus certant.

HOC FLECTV CONCVSSI ANIMI, MOESTVSQVE) Memorabile exemplum συμπαθείας. Et nescio quomodo quæ fœminis merentibus immerentibus mala eueniunt, magis ad misericordiam prouocant animos. An quia sexus fragilis, imbecillus, mollis, consilij expers, & alieni auxilij maximè indigus? ✤

TORPENT INFRACTÆ AD PRÆLIA VIRES) Quum talia dicerentur, concussa omnium Troianorum mens est, & plena mœstitia vniuersorum sensus afflixit tantum, vt pugnandi officium cuncti omitterét, virtutis torpente substantia. Donat.

ILLAM INCENDENT. LVCTVS) Luctus per se mali sunt, & graues, acerbiores verò fiunt, si hos quispiam aliquibus nutrimentis accumulet. Quum igitur mater Euryali lugendum casum verbis accenderet, & affligeret audientes, Idæus, & Actor Ilionei monitu, & multum lacrymantis Iuli, eam in tecta reportant. Quoniam apud Iulum multarum rerum consideratio fuit: primò, quod ad patrem mandata perferri nequiuerant: deinde amissio tantorum virorum: commendatio Euryali in caussa matris, & fides promissa peragentis. Rapta igitur B & missa sub tecta est, ne vlterius virorum animos suis clamoribus frangeret. Donatus.

ET MVLTVM LACRYMANTIS IVLI) Senioribus affingit tantummodo vehementem animi motum, & gemitum, iuueni etiam lacrymas. Flebat autem Ascanius & matris tam miserè, & acerbè lugentis, & filij eius Euryali caussa, quem tantopere dilexerat, & iam amiserat: cum sibi multa de eius virtute iam esset pollicitus. ✤

CORRIPIVNT) celeriter abripiunt, & asportant.

AT TVBA TERRIB. SONITVM) Hemistichium Ennij: nam sequentia Maro mutauit. Ille enim ad ex- C primendum tubæ sonitum ait, *At tuba terribili sonitu taratantara dixit.* Et multa huiusmodi Virgil. cum aspera inuenerit, mutat. Bene tamen electis verbis hìc imitatur sonitum tubarum. Seruius.

Imitatus est igitur Virgil. non solum horridis, obstrepentibusque litteris, ac syllabis sonum illum terribilem, verumetiam pari numerorum velocitate ingentem spiritum excitauit. In vtriusque enim poetæ versu,

A versu, præter sextum, cæteri pedes dactyli sunt, quamuis Beda hunc Virgilian. versum omnino dactylicum esse existimet, quem legit ita, codicibus omnibus refragantibus, *At tuba terribilem sonitum procul excitat horrida.* Eum quidem Iouian. Pont. adeo extulit in Actio, vt de eo dixerit, An non audientibus nobis illa, capillus ipse surrigitur, animusq; concutitur, & pęne horrescit? De tuba iterum loquens Virgilius eâdem dactylorum frequentia vsus est. *Inde vbi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes.* Hieron. Columna in 2. Annal. Ennij.

Signa educendi exercitus, & certaminis conserendi in Romanis legionibus, concentus tubarum, & cornuum, & si quando silentio educendæ forent, tesseram fuisse accipimus. De vtrisque Liuius lib. 20. Tubæ, cornuaque ab Romanis cecinerunt: tantusque clamor ortus, vt elephanti in suos sinistro maximè cornu verterent, Mauros, ac Numidas. Cæsar. lib. 3. belli ciuil. Tuba signum dari, atque in hostem impetum fieri iussit. Et iterum. Hac habita oratione, exposcentibus militibus, & studio pugnæ ardentibus, tuba signum pugnæ dedit. De cornibus Virgil. lib. 8.

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu.

Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 2. & Tiraquell.

CÆLVMQVE REMVGIT) Plaut. Amphit. *boat cælum fremitu virûm*. Noster, *cælum tonat omne tumultu*, lib. 12.

ACTA TESTVD. VOLSCI) Sublatis in caput clypeis, & connixis. Testudinem ita describit Isidorus. Testudo series armorum, vmbonibus inter se connexorum. Ibid. Est & testudo scutorum connexio, curuata in testudinis morem. Lucan. in 3.

Vt tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus, armisq; innexa priores
Arma ferunt, galeamq; extensus protegit vmbo.

Vide Steuechium ad cap. 16. lib. 2. Vegetij. Præterea reuertere ad locum 2. Æneid. vbi regia Priami oppugnatur summa vi, *obsessumq; acta testudine limen.*

INTERLVCETQVE CORONA) More Græcorum, quibus στέφανος eodem modo accipitur. Vide Paralip. Germani.

B TELORVM EFFVND. OMNE GENVS) Pulchrè Arnob. lib. 1. respiciens ad varietatem suppliciorum, persecutionumq;, quibus olim tyranni Christum in suis vexabant, bello, inquit, graui Christum, & omnibus persequi telorum effusionibus, & minis. Æneid. 2. *nec saxa, nec vllum Telorum interea cessat genus.*

DVRIS DETRVD. CONTIS) Hoc tum fit, quum propè ad summum peruenitur.

ASSVETI LON. MVR. DEF. BELLO) Docet, in omnibus vsum plurimum posse. Vsum appellauit Cicero magistrum optimum.

SI QVA POSSENT TECT. ACIEM PER.) Tectam aciem vocat nunc, quam insequenti versu testudinem. Præter illa, quæ superius comprehendit missa, vel potius effusa, dicit nunc ea, quæ testudinem quamuis firmam, & fortem opprimere pondere, & dissoluere potuissent. Donat.

C NEC CVRANT CÆCO CONTEND. MARTE) Post factam de suis stragem, vltra non sunt ausi Rutuli testudinem struere: sed cœperunt aperta dimicatione certare. Æneid. 2. *& cæco Marte resistunt.*

Parte alia horrendus visu, quassabat Etruscam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.
At Messapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, & scalas in mœnia poscit.
Vos ô Calliope precor aspirate canenti,
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisq; virum demiserit orco:
Et mecum ingentes oras euoluite belli.
Et meministis enim diuæ, & memorare potestis.
Turris erat vasto suspectu, & pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summaq; euertere opum
Certabant: Troës contrà defendere saxis,
Perq; cauas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri: quæ plurima vento
Corripuit tabulas, & postibus hæsit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraq; malorum
Velle fugam. dum se glomerant, retroq; residunt
In partem, quæ peste caret, tum pondere turris
Procubuit subito, ET CÆLVM TONAT OMNE FRAGORE.
Semineces ad terram, immani mole secuta,
Confixiq; suis telis, & pectora duro
Transfossi ligno, veniunt. vix vnus Helenor,
Et Lycus elapsi.

Heu

HORRENDVS VISV PIN. QVASSABAT) Ibat Mezenti- A us, quem videre tantummodo ingens fuerat terror, cōcutiebat non paruam facem. Pinum dixit, quia hoc genus arboris quum ardet, plurimum fumum emittit. Donatus. Et quoniam pinum solidam manu quatiebat, vult poeta nos hinc corporis eius magnitudinem, roburq; intelligere: sicut in 3. de Polyphemo, *Trūca manum pinus regit*.

AT MESSAPVS NEP. PROL) Ecce alia pars, in qua fuit Messapus filius Neptuni, Troiæ euersoris, antiqui inimici, qui obtinuit vallum. Quanto istorum laudatur instantia, tanto præferuntur, Troiani, quos ingens manus superare non poterat. Donat. * *Neptunia proles ideo quibusdam videtur appellari Messapus, quod equi à Neptuno, & ipse equûm domitor ἱππόδαμος Homero, id est, equitandi peritus*, ein dapffer reitterschman.

VOS Ô CALLIOPE) Sensus est, te *Calliope* cum reliquis Musis precor. Vel est syllepsis numerorum. Calliopen autem vel solam, vel præcipuè inuocat, quia heroico carmini præsit, de qua multa separatim Gyrald. Syntag. de Musis. Require lib. 7. dicta de Musarum numero, nominibus, inuentis ex Ausonio, ibi, *Nunc agè qui reges Erato*. Est autem sollemne poetis, quemadmodum & Fabius monet, non modò in exorsu poëmatum suorum Musas inuocare, sed longius etiam progressos: quando scilicet ad quippiam explicatu paulò difficiliùs, velut ad scopulum, seu vadum aliquod delati peruenerunt. Tunc vota iterant, & noua preca- C tione vtuntur: quomodo & oratores non solum in exordio, sed in medio quoq; orationis cursu beneuolentiam auditorum renouant. ✠

ORAS EVOLVITE BELLI) Oras pro spatio vsurpauit Ennius 6. Annali, & Maro perdiligenter imitatus est. Ille, *Quis potis ingentes oras euoluere belli?* id est, tam ingentia belli spatia, quod maximum, & diuturnissimum fuit. Igitur, euoluite oras belli, id est, belli spatia explicate. Turneb. lib. 18. cap. 3. * *Oras belli euoluite, nihil videtur aliud, quam illius & principia, & extrema explicate: seu bellum totum explicate: non enim vult medijs prætermissis, extrema differi.*

OPPORTVNA LOCO) Opportunum dicitur ab eo, quòd nauigantibus maximè vtiles, optatique sunt portus.

SVMMAQVE EVERTERE OPVM VI) Lib. 12. *Pro se quisq; viri summa nituntur opum vi.* Ennius Annal. 4. B *Romani scalis summa nituntur opum vi.*

DENSI TELA) pro, *densa tela.*

PRINCEPS CONIECIT) primus coniecit. Nam Ciceroni, Lucretio, Horatio, Cæsari quoq; non tantum dignitatis, sed ordinis item nomen est.

QVÆ PLVRIMA VENTO) gliscens, aut, & magna facta per ventum.

POSTIBVS HÆSIT ADESIS) cariosis, carie consumptis.

IN PARTEM QVÆ PESTE CARET) Pestem sæpe dicunt Latini pro noxa, & damno, vt Græci ὄλεθρον, tā pro iactura, damno, & strage, quàm pro peste: hic pro incendio, verè damno maximo. Virgil. lib. 5. *lentusq; carinas Est vapor, & toto descendit corpore pestis.* Lucret. lib. 3. *Discidium vt nequeat fieri sine peste, maloq;*

CÆLVM TONAT OMNE FRAGORE) suprà, *cælumq; remugit.*

------ quorum primæuus Helenor,
Mæonio Regi quem serua Lycimnia furtim
Sustulerat, vetitisq; ad Troiam miserat armis:
Ense leuis nudo, parmaq; inglorius alba.
Isq; vbi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies, atq; hinc acies astare Latinas:
Vt fera, quæ densa venantum septa corona
Contra tela furit, seseq; haud nescia morti
Inijcit, & saltu supra venabula fertur:
Haud aliter iuuenis medios moriturus in hostes
Irruit: & quà tela videt densissima, tendit.
At pedibus longè melior Lycus inter & hostes,
Inter & arma fuga muros tenet: altaq; certat
Prendere tecta manu, sociûmq; attingere dextras.
Quem Turnus pariter cursu, teloq; secutus
Increpat his victor. NOSTRASNE EVADERE DEMENS
SPERASTI TE POSSE MANVS? simul arripit ipsum
Pendentem, & magna muri cum parte reuellit.
Qualis vbi aut leporem, aut candenti corpore cygnū
Sustulit alta petens pedibus Iouis armiger vncis:
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à stabulis rapuit lupus. Vndiq; clamor
Tollitur: inuadunt, & fossas aggere complent.

QVEM FVRTIM SVSTVLERAT) inconcesso thalamo. De notione ista *furti* dictum alibi. Sustulerat, à D tollo. Tollere enim liberos dicebant, quos humi post partionem depositos tollebant, educandosq; suscipiebant.

bant. Vide suprà, *Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes Sublatum erudiit.* * *Ipsa sustulerat, quia pater legitimus qui tolleret, non erat. Matres peperisse, patres sustulisse liberos dicuntur propriè. In Truculento sumptuosa illa meretrix eadem de caussa,* Si quod peperissem, id educaré, & tollerem. *Non igitur temerè locutus est Maro.*

VETITISQVE AD TROIAM MISERAT ARMIS) Ex seruis ad militiam sacramento rogare, aut vllo modo admittere, nefas sancitum veteribus est, quod Cic. in Deiotariana significat, [*cuius verba ita sonant. Vbi agit de equitatu, quem Deiotarus Cæsari suppetias misit. Ait (Phidippus accusator) nescio quem ex eo numero seruum iudicatum. Nō arbitror, non audiui: sed in eo, etiamsi accidisset, culpam regis nullam fuisse arbitrarer.*] & Martinianus in Digestis, de re militari. Ab omni, inquit, militia serui prohibentur, alioqui capite B puniuntur. Pausanias auctor est, Persico bello, quod in campis Marathoniis gestum est, primùm seruos in militię iura admissos, quo nomine etiam tumulus interfectorum inibi visebatur. Post Cannensem cladem armata Romanis seruitia Volonum nomine Liuius tradit, quum prius singulos forent sciscitati, vellent ne militare. Vnde est nominis ratio. Sociali quoque bello in militiam libertos admissos primùm, Appiani historia tradit. Rhodigin. lib. 25. cap. 23. * *De hac re consulito etiam Stewechium in Vegetium lib. 1. cap. 7. Plin. quadam epistola quærit à Traiano Aug. de supplicio seruorum, qui in tyrociniis reperti fuerant, Extat lib. 10. Nec serui modò, verùm & alia hominum genera prohibebātur militia: quæ tamen corrupta militari disciplina, adscripta sunt posterioribus temporibus. Ideo autem prohibebantur, ne honor militiæ, eorum vilitate fœdaretur, atque vilesceret. Excludebantur itaq; serui, libertini, histriones, opifices sellularij, item proletarij, capite censi. Vide cap. 6. de militia Roman. apud Ioannem Antonium Valtrinum.*

Lipsij verba sunt in Analectis ad dial. 2. libr. 1. de Milit. Tenuiores ad militiam non vocari, de bona illa, & composita repub. verum est: etsi postea remissum. Adeo vt non libertini solùm, sed serui etiam adscripti: sed fere per ciuilia bella cum Virtus, & Honos ius suum ægre seruant. Exemplum tamen ab æuo Annibalis, cum necessitas id expressit. Tunc enim non solùm octo millia seruorum in militiam empta, quod Liuius, aliique produnt: sed etiam pastores aliquot ferociores in equites adsumpti. Docet Valerius lib. 7. ex D Apulia quoq;, & Fidiculis septuaginta, atq; ducentos ad equitatus supplementum emptos. Atque hos ipsos statim appellat à pastoralib. casis collecta mancipia. Pompeius etiam bello in Cęsarem, eodem illo tractu seruos pastores armat, atq; his equos attribuit, quod ita in Cæsare scriptum Ciuilium. 1.

PARMAQVE INGLORIVS ALBA) Parma est rotunda. Nam parma, inquit Varro, quod à medio in omnes partes par. Idem in fragmento quodam apud Nonium, quem sequuntur iam rotundis cælites leues parmis. Notat Lipsius de Militia Rom. dial. 1. lib. 3. ibid. de eius materia, & magnitudine.

Tyrones primis stipendiis, seu primo anno clypeum gerebant sine omni argumento, & insigni candidum, quem clypeum appellat candidum vmbonem Persius sat. 5. nubigerum Statius libro quinto, Syluar.

Quid tibi tum tenero permisit plaudere collo
Nubigeros clypeos, intactaq; cadibus arma?

Turneb. libr. 20. cap. 1. De Camilla libro vndecimo *puraque interrita parma.* Alioqui, vt est apud Vegetium, libro secundo, cap. 18. ne milites in tumultu prælij à suis contubernalibus aberrarent, diuersis cohortibus, diuersa in scutis signa pingebant. Vt ipsi nomi-A naut δείγματα. Præterea in aduerso scuto vniuscuiusque militis erat nomen adscriptum, addito, ex qua esset cohorte, quaúe centuria. Vide in idem cap. Stewechium, & Alex. ab Alex. libro sexto, capite vigesimo secundo.

ISQVE VBI SE TVRNI MEDIA INTER) Nihil profuit Helenori, quod ruinam turris euasit, non enim euadere potuit millia hostium, in quos incidit. Is igitur vbi se hostibus vndique circundatum, nullamque fugiendi spem superesse vidit, ruit in confertos hostes ferrarum more, quæ viuendi desperatione se ingerunt ferro, & petunt mortem, quam vitare non possunt. Don.

VT FERA QVÆ DENSA) Adamauit hanc comparationem Silius, eamque reddere tentauit initio lib. 10.

Paulus vt aduersam videt increbescere pugnam,
Ceu fera, quæ telis circumcingentibus, vltro
Assilit in ferrum, & per vulnera colligit hostem,
In medios fert arma globos.

SVPRA VENABVLA FERTVR) Venabulum est telum venantium latissimum, & aciei longissimæ. Varro ὄν◊ λύκος. Nempe sues syluaticos in montibus sectaris venabulo, aut ceruos. Nonius.

AT PEDIBVS, LONGE MELIOR LYCVS) πόδας ὠκὺς, C vt de Achille centies Homerus. Lib. 5. de Darete, *Ille pedum melior motu.*

PRENDERE TECTA MANV) quia tum alti nōn erant muri, sed ad impetum tantum repellendum, vt Sallust. etiam ostendit, vbi Sertorium humeris sublatum per muros conscendisse commemorat. Seruius. * *Æneid.* 2. prensant fastigia dextris. *Sed muri isti castrorum Troianorum ad tempus tantum erant excitati: alioqui veterum muri, seu mœnia, firmi, magni, alti fuerunt, quod demonstrat Lipsius Poliorcet, libr. 3. dial. 5.*

QVALIS VBI AVT LEPOREM) Aquilæ, & lupo Turnum, lepori, & agno Lycum comparat, ὁμοιικῶς. Vide Seruium. & Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 12.

IOVIS ARMIGER) Aquila sacra Ioui, vt aliæ aues aliis diis, deabusúe. Arma Iouis sunt fulmen. Fulmina Ioui bello gigantæo aquila subministrasse dicitur. Habes caussam huius epitheti. Sic appellat etiam lib. 5. Dicitur & Iouis ales lib. 1.

MARTIVS A STAB. RAPVIT LVPVS) Marti dedicatus est lupus, siue propter Romulum, Remumq; educatos, quod deridet Festus, qui vult non à ruma, sed à virtutum magnitudine vtriq; fratrum inditum nomē, quòd ῥώμη notum apud græcos vocabulum fortitudinem significet, vt inde scilicet ij nomen adepti sint, velut ἀπὸ τῆς ἀλκῆς Alcides: siue propter ipsam voracitatem, quæ in bello crudiuora est. Vnde & in sacris, gladi-E us meus deuorabit carnes. Hinc & Mauorti nomē, quasi mares voranti: bellatores enim mares esse debent. Martios porrò lupos Virgilius, Martiales Horatius vocat. Apud Plaut. eos in tutela Martis cognoscit Strabax adolescens, ita profatus: *Fuit adepol Mars meo iratus patri: nam oues illius haud procul absunt à lupis, &c.* Pierius lib. 11.

FOSSAS AGGERE COMPLENT) Agger est cuiuslibet rei coaceruatio, vnde fossæ, aut valles possunt repleri. Agger Isidor lib. 15. propriè dicitur terra aggesta, quæ vallo facto propius ponitur: sed abusiuè, & muros, & munimenta omnia aggerem dicimus.

Ardentes tædas alij ad fastigia iactant.
Ilioneus saxo, atq; ingenti fragmine montis
Lucetium portæ subeuntem, ignesq; ferentem:
Emathiona Liger, Chorinæum sternit Asylas:
(Hic iaculo bonus, hic longè fallente sagitta)
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus:
Turnus Ityn, Cloniumq;, Dioxippum, Promulumq;,
Et Sagarim, & summis stantem pro turribus Idam:
Priuernum Capys. hunc primò leuis hasta Themillæ
Stinxerat: ille manum proiecto tegmine demens
Ad vulnus tulit: ergo alis allapsa sagitta,
Et læuo infixa est lateri manus: abditaq; intus
Spiramenta animæ lethali vulnere rupit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera,
Insignis facie: genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Simethia circum
Flumina, pinguis vbi, & placabilis ara Palici.
Stridentem fundam positis Mezentius armis
Ipse ter adducta circum caput egit habena:
Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.

ARDENT. TÆD. AD FASTIG. IACTANT) Æneid. 2. *flammas ad culmina iactant.*

INGENTI FRAG. MONT. LVCETIVM) Saxi exaggeratio est. Lucetij nomen apud alium auctorem inueniri negat Seruius. Lingua Osca Lucetius dictus est Iupiter, à luce, quam præstare hominibus dicitur. Ipse est enim nostra lingua diespiter, id est, diei pater.

STANTEM PRO TVRRIBVS) pro defensione turrium.

LEVIS HASTA) leuiter veniens, vnde & *strinxerat* dixit, id est, paulùm vulnerauerat. Seruius. Alibi istud *strinxerat*, sic periphasi quadam extulit, *summum degustat vulnere corpus,*

SPIRAMENTA ANIMÆ) Definitio pulmonum à spirando, vt græcè πνεύμων ἀπὸ τοῦ πνεῖν. Euripid. πνεύματος διαῤῥοαί. Suprà, latebras animæ.

ARCENTIS FILIVS) qui & ipse Arcens dicebatur. Vide Seruium.

FERRVGINE CLARVS IBERA) Ferrugo coloris genus est, qui vicinus est purpuræ subnigræ. *Ibera*, non Hispana, sed Pontica, nam Iberia pars Ponti est.

GENITOR QVEM MISERAT ARCENS) Ordo est, stabat Arcentis filius Arcens in armis egregius. Nam non congruit, vt huius filij prætermisso nomine bis fiat patris commemoratio. Sic Seruius. Difficilè excusabis Maronem: videtur certe bis posuisse nomen patris

SIMETHIA CIRCVM FLVM.) Simethus Siciliæ fluuius.

PINGVIS ARA) *Pinguis* valet diues, exẽplo Græcorũ, quorum vestigia pedum solo premit libenter Maro. Est enim frequentiss. apud poetas Græcos dici πίονα νηόν. Quamquam non me latet, aliter explicari à Macrobio,

A cuius auctoritas veritati præiudicare nõ debet. Turneb. lib. 18. cap. 3.

PLACABILIS PALICI) Qui fuerit iste deus, & cur dictum *placabilis*, consule Seruium. Item Macrobiũ Saturnal. li. 5. cap. 19. Interpres Statij Luctatius in 12. Thebaid. ibi, *Siculosq́; licebit Exorare deos*, sic narrat. Iupiter Æthnam nymphã compressit, quam cum Iuno persequeretur, illa terræ implorauit auxilium, & in sinu eius recepta, enixa est geminos, necdum partu maturo. Hos terra tam diu intra gremium fouit, quamdiu lex vteri postulabat. Vnde Palici, id est, bis geniti, sunt appellati. Hos autem immites fuisse, & humano sanguine placari consuetos, fabula confirmatum est.

B STRIDENTEM FVNDAM) Fundæ vel ex lino, vel ex setis fieri solebant. Est autem funiculus, qui duobus capitibus manu capitur, altero cum ansula, ne exeat: altero sine, vt dimitti possit, atque in medio latior est, vt ibi lapis contineatur. Hunc circumacto semel, aut tertium propter vim maiorem, valido funiculo, & ab vno capite dimisso, vehementer proiiciebant. Fundæ inuentores facit Plin. Phœnices, libr. 7. cap. 56. Veget. lib. 1. cap. 16. ex Floro, & aliis, Baleares.

LIQVEFACTO TEMP. PLVMB. DIFF.) De funda veterum multa peritissimè Lipsius de Mil. Rom. libr. 5. dial. 20. Vi, & effectu à nostris bombardis non multum abierunt, immò eas superarunt. E plumbo vtrumque telum, nec magnitudine, aut modo glandes valde dispares. Qui viderunt, & interfuerunt militiæ priscæ, iis credendum, & illi scribunt fuisse tantum impetũ in emissa perite funda, vt glans sæpe liquesceret in medio cursu, concepto igne. Lucret. libro 6. *plumbea vero Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.* Ouid.

C

Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
Funda iacit. volat illud, & incandescit eundo,
Et quos non habuit, sub nubibus inuenit ignes.

Lucanus.

Inde faces, & saxa volant, spatioq; solutæ
Aëris, & calido liquefactæ pondere glandes.

Statius, *arsuras cæli per inania glandes*. Immò idem cum fulmine comparat, *volucres imitantur fulmina glandes*. Seneca Natural. lib. 2. cap. 56. *Æra* motus extenuat, & extenuatio accendit. Sic liquescit excussa glans funda, A & attritu aëris velut igne distillat. Nec id tamen perdit vim teli: sed sic igneum veniebat in corpus, *liquefacto tempora plumbo Diffidit, ac multa porrectum extẽdit arena*. Vno ictu ecce interficit. Nec miror de Dauide, qui iuuenis, & inter funditores hoc telo immanem Goliathũ deiecit. Lege quæ subtexuntur de vi, qua lapides ex ea veniebant, de longinquo eius cursu, & quam certò tangerent, quod petebant.

MVLTA ARENA) Inde proceritas corporis insinuatur.

Tum primùm bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, antè feras solitus terrere fugaces
Ascanius: fortemq; manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat, Turniq; minorem
Germanam, nuper thalamo sociatus, habebat.
Is primam ante aciem DIGNA, ATQVE INDIGNA RELATV
VOCIFERANS, TVMIDVSQVE NOVO PRÆCORDIA REGNO
Ibat, & ingenti sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum, valloq; teneri,
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
En qui nostra sibi bello connubia poscunt.
Quis Deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hîc Atridæ, nec fandi fictor Vlysses.
DVRVM A STIRPE GENVS: natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuoq; gelu duramus, & vndis.
Venatu inuigilant pueri, syluasq; fatigant:
FLECTERE LVDVS EQVOS, ET SPICVLA TENDERE CORNV.
AT PATIENS OPERVM, PARVOQVE ASSVETA IVVENTVS,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur: versaq; iuuencûm
Terga fatigamus hasta: NEC TARDA SENECTVS
DEBILITAT VIRES ANIMI, MVTATQVE VIGOREM.
Canitiem galea premimus: semperq; recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.
VOBIS PICTA CROCO, ET FVLGENTI MVRICE VESTIS:
DESIDIÆ CORDI: IVVAT INDVLGERE CHOREIS:
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O VERÆ PHRYGIÆ (NEQVE ENIM PHRYGES) ite per alta
Dindyma: vbi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos, buxusq; vocat Berecynthia matris
Idææ: SINITE ARMA VIRIS, ET CEDITE FERRO.

TVM PRIMVM BELLO) Necessitas ostenditur, cum B & ipsum Ascanium, quamuis puerum, venire ad arma oportuerit.

ANTE FERAS SOLIT. TERRERE FVGACES) Ouid. 2. Metamorph. de Apolline, & Pythone serpente.

Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Antè, nisi in damis, capreisq; fugacibus vsus.

MINOREM GERMAN.) Maior enim Iuturna, fuit nympha, de qua est lib. 12.

DIGNA ATQVE INDIGNA RELATV) Horat. Ode 5. Epod. *Quid dixit, aut quid tacuit?* Significat multa effutiuisse sine consilio, temere. Donatus ait, huiusmodi fere omnes quæ constant ex contrariis, prouerbiales existimari: quod genus sunt, fanda, atque infanda: facta, atque infecta. Plaut. Capt. *Indigna digna habenda sunt, herus quæ facit.* Terent. And. *Quo iure, quaue iniuria.* Vtuntur hoc loquendi genere boni scriptores, cum per contrariorum complexionem omnes, & omnia intelligunt. Cic. lib. 1. Accusat. Omnes noti, igno-

tique. Plaut. Curcul. *Date viam mihi noti, atque ignoti.* Iterum Cic. ad Q. F. lib.3. Omnia minima, maxima. Plaut. Asin. *Dignos indignos audire certum est.* Ista, & plura colligit Lamb. in Asinar. Plauti. Quin & hæc ex Demosthene, de Philippo, 1. Olynth. κύριον ῥητῶν καὶ ἀπορρήτων. Et contra Midiam. ἐπηρεάζων ἐμοὶ συνεχῶς μικρὰ καὶ μείζω.

TVMIDVSQVE NOVO PRÆCORDIA REGNO) Aut noua regij generis affinitate: aut quia ipsi per regis filiam portio debebatur imperij, vt Seruio placet: aut forsan quod veteres, personas omnes regij generis, aut affinitatis, reges, reginasq; appellabant, vt lib.1. *sceptrum Ilione quod gesserat olim Maxima natarum Priami.* Vide German.

ET INGENTI SESE CLAMORE FEREB.) Apparet liquidò, Seruium legisse, *ingentem*, cum ita exponat, non erat ingens: sed esse se clamitabat ingentem.

BIS CAPTI PHRYGES) Dirigenda non esse ad normam secundæ classis poetarum carmina, ne ipsius quidem Virgilij Latinorum omnium facile principis, hæc indicabunt exempla. Primùm istuc ipsum. Non enim bis tantum, sed ter captum, excisumque Ilium tum fuisse censemus: primùm ab Hercule, deinde ab Amazonibus, postremò à Græcis, duce Agamemnone, vt probat Zezes. Sic suprà.

Stridentem fundam positis Mezentius armis
Ipse ter adducta circum caput egit habena.

Veget. lib. 2. semel circa caput agitandam fundam docet. Rursus Georg. 2. *insolitæ fugiunt in flumina phocæ.* Eas alij poetæ Romani vitulos marinos appellant, tantum enim nomine discrepant. Georg. 2.

Septima post decimam felix & ponere vites,
Et prensos domitare boues, & licia terræ.

Nos hìc poetam septimum, & decimum ad ea quę enumerat, felices & commodos dies scribere opinamur: ita tamen, vt decimum septimo bonitate antestare dicat. Brod. lib.4. cap.27.

MORTI PRÆTENDERE MVROS) obiicere contra mortem: vt nihil intersit inter vitam, & mortem, nisi murus.

NOSTRA CONNVBIA) Aut quasi Turni cognatus loquitur: aut inuidiosè retorquet, & vult caussam omnium esse communem.

QVIS DEVS ITALIAM) subaudi vobis promisit, aut sum tale quippiam,

QVÆ VOS DEMENT. ADEGIT?) Subaudi, huc curvertere.

NON HIC ATRIDÆ, NEC FANDI) Exaggeratio vituperationis. nam non tantùm se Troianis, sed etiam victoribus præfert. *Fandi fictor Vlysses*, id est, aut fallax, aut λογοδαίδαλος, qui dolum celat, sermonis ornatu.

DVRVM A STIRPE GENVS, NAT. AD FLVM. DEFER.) Videtur de Spartanis tractum moribus. Nam vt Seneca auctor est, lib. Suasor. 1. Omnib. sua decora sunt. Athenæ eloquętia inclytæ habebantur. Thebæ sacris: Sparta armis. Idem, Eurotas amnis hanc circumfluit, qui pueritiam indurat ad futuræ militiæ patientiam. Reprehēdit tamen hunc morem Galenus de regim. san. lib. 1. vt inhumanum, ac plane Scythicum, quum teneri cuti frigus sit inimicissimum, iuxta senariolum húc Euripidis. ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον. Vide Rhodigin. lib. 6. cap. 2

Sed illud sciendum, esse auctores, qui produnt, non aqua infantes, sed vino ablui à mulieribus solitos, experimētum quoddam ipsorum habitudinis ita facientibus. Etenim dicunt huiusmodi rerum periti, ægritudinibus obnoxios admoto mero debilitari, ac resolui: qui autem sit valetudinis obfirmatæ, amplius acuere ac obstipare habitum. Idem Rhodigin. lib.18. cap.1. Galenus, & Auicenna infantes etiam sale aspergi, & aqua salsa lauari procipiūt. Caussam lege apud eundem Rhodigin. lib. 6. cap. 2.

Non lōgè diuersa tradit Victor. lib.34. cap.2. Animaduertendum, inquit, priscum illum morem, quem Virgilius fecit prædicare Numanum, cum disciplinam Italorum in cęlum ferret, quod statim natos infantes ad flumen ferrent, & Posidonium, & Aristotelem idem facere solitos commemorare Ligures, propriumque ipsorum fuisse. Sed non solùm hos barbaros, verum etiam Lacones in litteris proditum est, in Eurota solitos lauare statim natos filios. Hæc etiam seruare, institutumque eorum vetus fertur, dura, atque assueta malis natio, quæ nullam certam sedem habens vagatur liberè per omnes omnium tellures.

Non prætermittam quæ ad hunc locum illustrandum conducunt ex Ioviano. Sic ille lib.1. de Fortitud. In eo verò quem ad pręclaras, atque arduas res ipse impellere animus debet, quid esse potest indignius, quàm istę hęc corporis, animiq; teneritas? cum ne apis quidem aculeum, vt Cicero ait, sit laturus absque summis clamoribus. At quo animo dicuntur, & audiuntur illa, *Durum à stirpe genus*, & quæ sequuntur deinceps pæne totis decem versibus? Vides vt in eo gloriatur, quod à primis statim annis duratus laboribus, per omnem vitæ cursum desidiam ignoret? Neque norit vnquam, quid fusus esset, ac mollities? Et sanè iure gloriatur, vt vir, ac planè vir. Videre licet alios nimis puerili animo cuncta pauentes. Alios, quamquam grauioribus in rebus, atque periculis, adeo tamen consternari, vt etiam cogitata excutiantur. Atque illi quidem in eo peccant, quod metuenda, ac non metuenda iuxta pauitant: hi, quod à modo, mensuraq; ita decedunt, vt pæne videantur exanimes. Sunt etiam quos ipsa præmeditatio terrtitat.

Ad extremum, è Germanorum consuetudine tractum, inquit, Turneb. lib.22. cap.15. qui aquæ Rheni arbitrio explorabāt partus, esset ne legitimus, an nothus, qua de re epigramma extat. Hunc insignitum, peculiaremque ritum Germanis de exploratione liberorum, Tacitum omisisse in libro, quo eiusdem gentis mores descripsit, non iniuria miratur Lipsius. Prolem, inquit, natam ad Rhenum ferebant, clypeoque imponebant. Si vndis abriperetur, nothum censebant: si innataret verò, suam. Claudian. in Ruffinum. *Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.* Nonnus Dionysiacis ab hac caussa Rhenum ἐλεγχεγάμον agnominat, velut iudicem, vindicemque coniugij. Lege etiam Iuliani epistol. ad Maximum. πάντως οὐδὲ ὁ ῥόος, &c. * *Sic explorabant Celtæ suos partus, essent ne legitimi, an adulterini. Deferebant eos mox ab ortu ad Rhenum flumen, scutoq; impositos, alueo, qua vnda rapidior, committebant. Quibus vnda pepercisset, agnoscebāt progeniem suam, ac suis: pereuntes ducebant pro alienis, & ex adulterio conceptis. Epigramma autem, de quo Turnebus, est incerti auctoris Græci. & refertur in latinū conuersum à Partbasio Comment. in Claud. nempe hoc.*

Audaces rapido dubios in gurgite partus
Explorant Celtæ, donec iudicet vnda.
Hæ nunquam capiunt gentes noua pignora matrum,
Quam prius imponant clypeo: tum flumina monstrant
An genus obliquum fuerit. post mater ad vndas
Egetiam tendit natos vitura recentes,
Et suspensa timet censoris flumina Rheni.

Aristoteles quoque 7. Polit. admonet, vt statim, cum parui pueri etiam nunc sunt, patiendis frigoribus

ribus assuescunt, idque prodesse multùm affirmat ad reliquam ætatem ab immoderatis illis defendendam. Quæ frigora corpus offenderent magis, morbosq; graues importarent, si noua, neque vnquam antea gustata venirent. Ad bellica etiam studia id accommodatum affirmat, in quibus necesse est multis modis ipsa fortiter tolerare. Addit præterea, multis eum morem barbaris fuisse populis, vt suos in flumen frigidum infantes mergerent. Vide quid ex Aristot. & alijs Vrsin affert. Vide insuper German.

Spartani infantes primum editos, vt labore firmarentur, rigidissima aqua fouebant, nudosq; in patientia laboris enutriebant, nihilq; somni caussa sternebant, &c. Alex. ab Alex. ex Plutarchi Lycurgo, lib. 2. cap. 25. vbi mira de gentium diuersarum consuetudine in infantibus educandis, instituendisque referuntur. Strabo lib. 3. de Cantabricis fæminis. Mulieres cum pepererunt, suo loco viros decumbere iubent, ijsq; ministrant, interque operandum ipsæ sæpenumero infantes lauant, & inuoluunt ad alueum alicubi omnis acclinantes.

Cum educatione ista, qua Numanus Latinam sobolem educari gloriatur, rigida scilicet, & aliena ab omni mollitie, congruunt illa, quæ de Honorio filio, à patre Theodosio disciplinę adhibito narrat Claudian. Panegyr in 3. consul. eiud.

Mox vbi firmasti recto vestigia gressu,
Non tibi desidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inertes:
Sed noua per duros instruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole vires.
Frigora sæua pati, grauibus non cedere nimbis,
Aestiuum tolerare iubar, transnare sonoras
Torrentum furias, ascensu vincere montes,
Planiciem cursu, valles, & concaua saltu,
Nec non in clypeo vigiles perducere noctes,
In galea portare niues, nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes Baleari spargere funda.

GELV DVRAMVS ET VNDIS) Lucret. lib. 5. *Atq; opere in duro durarent membra, manusq;.*

SYLVASQVE FATIGANT) Ipsi fatigantur in syluis. Aut pro feris syluas posuit, in quibus sunt feræ.

FLECTERE LVDVS EQVOS) Aliorum labor, nostræ pueritiæ ludus est. Æneid. lib. 1. de Neptuno, *caeloq; inuectus aperto Flectit equos.* Horat. Ode. 7. lib. 3.

Quamuis non alius flectere equum sciens
Aequè conspicitur gramine Martio.

In eo equitandi scientia maximè vertitur, vt equus sessori frænum moderanti pareat, & quamcunque in partem velit ille, sequatur. Quod declarat locus Cæsaris lib. 4. de bello Gall. vbi & eodem verbo vsus est, loquens de essedarijs Britannicis. Ac tantum vsu quotidiano, & exercitatione efficiunt, vt decliui, ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & breui moderari, & flectere, & per temonem percurrere, & in iugo insistere, & inde se in currus recipere citissimè possint. Ex Lamb. in Horat.

PARVOQVE ASSVETA IVVENTVS) Laudata est veterum Romanorum, & celebrata versib. poetarum insignis in perferenda paupertate patientia. Horat. de Fabricio, Curio, Camillo lib. 1. Ode.

Hunc (Fabricium) & incomptis Curium capillis
Vtilem bello tulit, & Camillum.
Sæua paupertas, & auitus apto
Cum lare fundus.

Virgil. lib. 6. *paruoq; potentem Fabricium.* Et de Serra-

A no. *& te sulcos Serrane serentem.* Claudian. libr. 1. in Eutropium, *animosaq; pauperis vmbra Fabricij.* Idem ibid. *tuq; ô si fortè inferna piorum Iugera, & Elysias scindis Serrane nouales.* Horatius item pueros ab ineunte ætate assuefaciendos esse paupertati, & vitæ militari admonet, si quidem idoneos bello, & pace bonos ciues videre eos parentes velint, Ode 21. lib. 3.

Angustam amici pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta.
Vitamq; sub dio, & trepidis agat
In rebus

B Atque his quidem omnibus in locis coniungi paupertatem cum militari fortitudine videmus. Neque etiam Roma tulit vnquam fortiores vllos, quàm eos, qui suos ipsi agros coluere: neque præmium aliud ferè dedit viris fortibus, quàm agri aliquot, quæ bello soluti exercerent suis bobus, iugera.

AVT RASTRIS TERRAM DOMAT) bene bellico vsus est verbo: & ne à militari lege discederet, non dixit, terras colimus, sed domamus, ac si diceret, quum hostes desunt, terras ferro domamus. Seruius. Lib. 3. Iustinus, docens quo pacto Lycurgus Spartanos instituerit: pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci præcepit, vt primos annos non in luxuria, sed in

C opere, & laboribus agerent.

OMNE ÆVVM FERRO TER. VER. IVVEN. TER. FAT. HASTA) Id sic accipiendum videtur. Semper in manibus tela militaria gerimus, etiam cum terram subigimus. Nam & hasta pro boum stimulo vtimur, & hasta tardos boues increpamus. Turneb. lib. 29. cap. 25.

NEC TARDA SEN. DEBIL. VIRES ANIMI) Bene *animi*, quia non est ausus corporis dicere: nec enim potest fieri, vt quamuis robustus senex, vires habeat prioris ætatis. Seruius.

CANICIEM GALEA PREMIMVS) Tantum potest laborandi vsus, vt nec ipsi senectuti parcamus. Tegitur canicies galea, nec tunc immune periculis caput est, quo debuit excusari propter senectutem. Do-

D natus.

RECENT. CONVECT. IVVAT ET PRÆDAS VIVERE RAPTO) Tauros, Scythas, Herodotus scribit in Melpomene, furandi licentia sibi victum comparare, atque item ex bello. Refert Gellius, apud veteres Ægyptios (quod genus hominum constat, & in artibus reperiendis solertes cum primis extitisse, & in cognitione rerum indagnada sagaces) furta omnia indiscriminatim fuisse licita, & proinde citra vllam noxam, pœnamúe. Fortasse, (vt solet ad gentium consuetudinem alludere, & mores veteres exprimere) idem hoc loco fecit de Latinis loquens Virgil. Rhodigin. lib. 18. cap. 1.

E PICTA CROCO, ET FVLGENTI MVRICE VESTIS) Qui tales sunt, quales hic aliquot versibus Numanus Troianos describit, ita delicate, ac molliter viuentes, hi profectò armis tractandis idonei non censentur: sed fusis deuoluendis potius, nec virorum, sed fæminarum digni sunt nomine. Hoc intelligens Cyrus, cum sibi cauere vellet in posterum, facereque, ne Lydi rebellare denuo auderent, arma illis, & equos ademit, iussitque (Iustino teste, lib. 1.) cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere. Sic gens industria quondam potens, & manu strenua, effœminata mollitie, luxuriaque, virtutem pristinam perdidit: quosque ante Cyrum inuictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium, & desidia superauit.

Crocotium intelligit, quæ vestis crocotula à Plauto apud Festum dicitur, mulierumque erat, non virorum, vt ex Aristophane notum est, scribente in Ranis, ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην. Quod enim Bacchus, & quæ essent muliebris sexus propria, & fortissimorum virorum miscuisset, illuditur. Sed & splendens purpura probro dabatur à seuerioribus, vt apparet ex oratione pro Cælio: si quē etiā minimorum horum aliquod offendit, si purpuræ genus. Plutarch. in Catone. ὅτι πορφύραν ἑώρα τὴν κατακόρως ἐρυθρὰν, καὶ ὀξεῖαν ἀγαπωμένην αὐτὸς ἐφόρει τὴν μέλαιναν. Itaque vt effæminatos, & semiviros incessit Troianos. Turneb. lib. 22. cap. 15. & lib. 29. cap. 25. *Et tunica manicas*, &c. chiridotas exprobat.

Cura quædam cultus, & ornatus non omnino vetatur fæminis, præsertim maritatis: in viris reprehenditur, eius negligentia laudatur: super quo multa Tiraquell. in 3. leg. Connubial. à num. 45. deinceps. Tamen vt in his quoque vestitus sordidus vituperatur, sic mediocriter splendidus ad dignitatem, auctoritatemque vel comparandam, vel tuendam est vtilis.

Fulgenti murice, id est purpura, inquit Seruius. Hanc autem vitio, & dedecori apud maiores fuisse cōstat. Iuuenal. *peregrina, ignotaq; vobis Ad scelus, atq; nefas, quæcunq; est, purpura ducit.*

ET TVNICÆ MANICAS) Chiridotæ significantur tunicæ (id est, manicatæ, manuleatæ, seu ad manum vsque porrectæ) quæ viris erant probro, vt molles. Turneb. lib. 29. cap. 25.

Veteres Romani togam habuere sine tunica, qua de re sic Gellius. lib. 7. cap. 12. Tunicis vti virum prolixis, vltra brachia, & vsque in primores manus, ac prope digitos, Romæ, atque in omni Latio indecorum fuit. Viri autem Romani primò quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt: postea substrictas, & breues tunicas citra humerum desinentes habuerunt. Hac antiquitate inductus P. Africanus Pauli F. P. Sulpitio Gallo, homini delicato, inter pleraque alia id quoque probro dedit, quod tunicis vteretur manus totas operientibus. Et D. Augustin. 3. de doctrina Christiana. Talares, ac manicatas tunicas habere apud Romanos flagitium erat: quod etiam videtur (nempe hoc loco) confirmare Virgilius. Aldus Manut. de quæsit. per epistolam libr. 1. cap. 2. * *Statius lib. 7. Thebaid. dum Eunæum Bacchi sacerdotem cū eius cultu describit*, Brachiaq; in manicis. *Plaut. Pseudolo*, manuleatam tunicam habere hominem decet? *Hominem dixit pro viro: nam quin fœminas deceat, non dubitat Seneca epist. 33. eodem alludens, Apud me verò Epicurus est & fortis, licet manuleatus sit. Quin & Cicero de genere quodam sociorum Catilinæ Orat. 2. Quos pexo capillo, nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis, & talaribus tunicis, & velis amictos.*

HABENT REDIMICVLA MITRÆ) Sic & Iarbas 4. Æneid. vt semivirum, & mollem incessens Æneam, mitræ vsum, vt probrum obijcit. *Mæonia mentum mitra, crinemq; madentem Subnixus.* Mitram Lydorum, vt Troianorum mulieres gestabant, viris probrosam, multò magis, si redimicula haberet. Redimicula sunt, quibus mitræ religantur. sed & de mitris redimicula habentibus Euripid. Hecuba. ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις μίτραισιν ἐρρυθμιζόμαν. Turneb. libr. 29. cap. 25. * *Lucret. lib. 4. vocat anademata.* Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ. *Luc.* spiram, pallas, redimicula promit. * *Habitum muliebrem induerunt mulierosi homines, indigni prorsus virorum nomine, & natura, Hercules, Sardanapalus, Clodius, Heliogabalus, & alij. Vide Tiraquell. in 4. leg. Connubial. à num. 58. Immò Tertull. de Pallio, qui contra istam mollitiam disputat acerrimè.*

O VERE PHRYGIÆ, NEQVE ENIM PHRYG.) Citra dubitationem respexit ad hoc carmen Homeri 2.

A Iliad. ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. Vbi videre licet, homines molles, effæminatos, parumq; viros dici etiam pepones. Nam hic fructus simul atque maturuit, dulcis quidem est, verùm flaccidus, atq; inutilis. Est tamen Homero etiam interdum blandientis vox, vt Iliad. ζ. ὦ πέπον, ὦ μενέλαε. Chiliad.

Xerxem Artemisia regina Cariæ bello nauali aduersum Græcos strenuè pugnando adiuuerat, in quo eius duces fuerāt ignauiores. Vnde Rex hoc testimonio reginam cohonestauit, vt Herodotus commemorat, οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασι μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες. Viri fuerunt mihi fœminæ, ac vice versa, fœminæ viri. Quàm verò acerbum viro sit vulnus, & contumeliæ

B plenum, fœminam vocari, testatur Herodotus, vbi ait. συμβαλόντες κατὰ μεγάλα ἐργάζοντο, καὶ γυναῖκας ἀπεκάλεον. Id est, quos adorti ingenti clade affecerunt, fœminasque nuncupauerunt. Idem alibi, ἀλλὰ πέρσαις γυναικὸς κακίω ἀνδρας, ὄλεθρος μέγιστός ἐστι. Apud Persas grauissima contumelia est, vt quis fœmina mollior vocetur. Nec ab[...]hinc Sesostris Ægyptij regis factum, qui quas gentes imbelles, & effæminatas subegerat, in earum finibus columnam cum incisa natura muliebri, quos contrà fortes, ac masculas, columnam cum virili natura erigebat: illis muliebrem animum exprobrans, in his virilem audaciam, virtutemque ad posteros testificans. Diodorus, Pierius lib. 34. * *Molles & effæminati aut*

C *fœminæ, aut fœmineis nominibus solent appellari. Item semiuiri, & Æneas per conuitium à Turno lib. 12. Contrà fœminas quibus est virilis animus, meritò & mascula, & viragines vocitantur. In eos qui mollitia vestium, & ornatu supervacaneo, & cura capilli, & moribus imitantur mulieres, torquebitur aptè illud Diogenis in adolescentem huiusce modi. Non te pudet, qui peius tibi velis, quam ipsa natura voluit? Illa enim virum te fecit, tu te in fœminam cogis.*

BIFOREM DAT TIBIA CANTVM) Id est, bisonum, imparem, dissonum, dissimilem, non enim sunt pari modulatione compositæ. Vide Seruium.

TYMPANA VOS, BVXVSQVE) Lucret. lib. 2. agens de sacris Cybeles, siue Berecynthiæ.

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concaua, raucisonoq; minantur cornua cantu,
D *Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentes.*

Ouid. de orgijs Bacchi lib. 4. Metamorph.

Fœminea voces, impulsaq; tympana palmis,
Concauaq; æra sonant, longoq; foramine buxus.

Catull. de Atti in Galliambo.

Niueis citata cepit manibus leue tympanum,
Tympanum, tubam, tua Cybele, tua mater initia:
Quatiensq; terga tauri teneris caua digitis,
Canere hac suis adorta est tremebunda comitibus.

Auson. epist. 25. *tentis reboant caua tympana tergis.* * *Tympanotriba in Plauti Truc. est mollis, eneruatus, cinædus, velut vnus è Cybeles sacerdotibus, qui Galli dicebantur, à Gallo Phrygiæ fluuio, & tympana in sacris suis pulsabant.*

E Non abs re, cum vellet significare tibiam Phrygiam, buxum posuit, sed materiam tibiæ Phrygiæ propriam nominauit. Nam vt Afrorum tibiæ è loto erant, sic Phrygiæ è buxo. Pollux de tibiarum genere loquens, λυμὸς, inquit, τὴν μὲν ὕλην πύξινος, τὸ δὲ εὕρημα φρυγῶν. Sed & Elymus fortasse ille Virgilianus ab illa tibia nomē adeptus est: quamquā hoc pro indubitato affirmare, aut pro testimonio dicere nolumus. Turneb. lib. 30. cap. 39. Rhodigin. lib. 9. cap. 7.

MATRIS IDÆÆ) Idæa mater dicta est ab Ida seu Cretæ, seu Phrygiæ monte, vtrobique enim culta est. Lucret. lib. 2. *Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum Idæam vocitant matrem.* Ouid. in Fast.

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.

Ædem

Aedem Cybeles in Ida monte Claudian. describit in 1. A de raptu Proserp. *Sic ait (Ceres) & fuluis serpentibus attigit Idam, Hic ades angusta dea*, &c.

SINITE ARMA VIRIS) Vos qui mulieres estis, relinquite nobis arma, qui viri sumus.

TALIA IACTANTEM DICTIS, AC DIRA CANENTEM
NON TVLIT ASCANIVS: neruoq; obuersus equino
Contendit telum: diuersaq; brachia ducens,
Constitit ante Iouem, supplex per vota precatus.
Iuppiter omnipotens audacibus annue cœptis.
Ipse tibi ad tua templa feram sollennia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum,
Candentem, pariterq; caput cum matre ferentem:
Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.
Audijt, & cæli genitor de parte serena
Intonuit læuum. sonat vnà lethifer arcus:
Et fugit horrendum stridens elapsa sagitta,
Perq; caput Remuli venit, & caua tempora ferro
Traijcit. I, VERBIS VIRTVTEM ILLVDE SVPERBIS.
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hæc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
LÆTITIAQVE FREMVNT, ANIMOSQE AD SIDERA TOLLVNT.

TALIA IACTANTEM) ad suorum gloriam.

AC DIRA CANENTEM) ad iniuriam Troianorum.

NON TVLIT ASCANIVS) Æneid. 2. *Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus* Lib. 8. *Non tulit Alcides animis*. Lib. 12. *Non tulit instantem Phegeus, animumq; frementem*.

CONSTITIT ANTE IOVEM, SVPPLEX) Atqui Apollinem inuocare debuit, iaculaturus: sed dicimus ideo Iouem inuocatum, quia initium debetur Ioui: vt, *Ab Ioue principium Musæ*. Vnde Ascanius non quid faciat, cogitat, sed quid primum. Seruius.

IVPITER OMNIPOTENS) Hoc epitheton interdum ad numinis gloriam ponitur, interdum ad caussam dicentis. Namque hoc loco dicendo *omnipotens*, ostendit eum etiam ijs, qui per se minus valent, præstare posse virtutem. Seruius.

AVDACIBVS ANNVE COEPTIS) Quomodo voce *annuere* vterentur antiqui in precibus ad deos, ex poetis, itemq; Liuio, Plinio productis locis demonstrat Brisson. Formular. lib. 1. num. 74.

FERAM SOLLEM. DONA) Promittit se alia quædam dona laturum, nam feram de iuuenco non dicimus.

AVRATA FRONTE IVVENCVM) Est hoc quidem ritu Romano à Virgilio scriptum: sed non sine antiquitatis effigie, nam & ita Homerus scribit, Iliad. κ.

Τὴν τοι ἐγὼ ῥέξω χρυσὸν κέρασι περιχεύας.
Mactabo hunc superis auratum cornua taurum.

Turneb. libr. 29. cap. 25. Solebant cornua victimarum inaurari, testis Homerus Odyss. γ. Iliad. κ. Virgil. 1. Georg. & hoc ipso loco, Ouid. libr. 7. 10. & 15. Met. Macrob. libr. 3. cap. 5. Saturnal. Alexand, Neapolit. lib. 3. cap. 12. Annotauit Hartung. Decur. 3. lib. 8.

Seneca Oedipo, *Aureo taurus rutilante cornu Labitur segnis*. Tibull. *Semper inaurato taurus cadit hostia cornu*. Ouid. 11. Metamorph. *blandis induta cornibus aurum. Conciderant ictæ niuea ceruice iuuencæ*, Iu- B uenal. *& auratam Iunoni cæde iuuencam*. Tertullian. Hunc tibi Iuppiter bouem cornibus inauratis vouemus esse futurum. Plin. lib. 33. cap. 3. Deorum honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quàm vt auratis cornibus hostiæ maiores duntaxat immolarentur. Plutarch. dum Pauli Æmilij triumphum describit, *μετὰ δὲ τούτους ἤγοντο χρυσόκερῳ τροφίαι βόες ἑκατὸν εἴκοσι μίτραις ἠσκημένοι, καὶ στέμμασιν.* Post eos ducebantur auratis cornibus boues centum viginti, vittis ornati, & sertis. Hæc Delrius in Oedip. Senecæ collegit. Seruius consultò dictum putat *iuuencum*: quia Ioui de tauro non immolaretur, nisi triumphi nomine. Quod ideo tamen admissum, quia non tantùm Ioui, sed alijs dijs, quæ bello C prosunt, sacrificabatur.

CAPVT CVM MATRE FERENTEM) æqualem matri, nondum patri.

CÆLI DE PARTE SER. INTON.) Ennius. *Cum tonuit læuum bene tempestate serena*. Varro sat. Eumenides. Dum sermone cænulam variamus, *Interea tonuit bene tempestate serena*. Fulmina, & tonitrua cælo puro, ac sereno fieri meritò negat, Lucret. lib. 6.

Fulmina gignier e crassis, alteq; putandum est
Nubibus extructis. Nam cælo nulla sereno,
Nec leuiter densis mittuntur nubibus vnquam.

Tamen id Virgil. sæpius factum dicit, hoc videlicet loco, & 2. Æneid. Item Horat. Ode 34. libr. 1. Sallustius D quoque in Catilinario bello narrat M. Herennium die sereno fulmine ictum esse. Sed in his intelligendum est tonitrua, & fulmina naturalia cælo nubilo, & altè extructis nubibus fieri: prodigiosa autem, & diuina, puro, & sereno. Quod ad Horatij locum spectat, videtur ille significare, talia fulmina malum sibi minari, nisi resipiscat: eademq; valere ad se, & cæteros homines ab impietate deterrendos. Nam tonitrua, & fulmina diuina, qualia sunt ea, quæ cælo puro fiunt, tristia, & mala portendũt hominibus, Adde his Homeri locũ Odyss. υ.

Ἦ μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος.
Οὐδέ ποθι νέφος ἐστί, τέρας νύ τεῳ τόδε φαίνεις.

Id est,

Id est. O Iupiter, profectò grauiter è cælo tonuisti: neque tamen vsquam nubes est: ostentum igitur aliquod tuum nobis præbes. Ex Lamb. in Horat. Vide insuper quæ posuimus Georg. 1. ibi, *Non aliàs cælo ceciderunt plura sereno Fulmina.*

INTONVIT LÆVVM) læua tonitrua, auguria, & auspicia ideo putãtur feliciora, quòd quæ nobis sinistra sunt, ea superis dextra dimitti creduntur. Videndi super hoc Dionysius libr. 2. Plutarch. problemat. Plinius. Sic 2. Æneid. *subitoq; fragore Intonuit læuum.* Ouid. 4. Fast.

Ille precabatur, tonitru dedit omina læuo
Iupiter, & læuo fulmina missa polo.

Ad eandem quoque sinistræ patris superstitionem pertinet locus ille Ciceronis in Mario.

Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris.
Sic aquila clarum firmauit Iupiter omen.

HORRENDVM STRIDENS ELAPSA SAGITTA) *Sagitta* à sagaci iactu dicitur, id est, veloci ictu. Pennis enim fertur quasi auis, vt celeriter mors perueniat ad hominem. His primum Cretenses vsi sunt. Vnde Dictææ sagittæ poetis. Isid. lib. 18. cap. 8.

PERQVE CAPVT REMVLI VENIT) Figmenta A hæc vulnerum non sine ratione ponunt poetæ: nam modò hunc ideo in capite dicit esse perculsum, quia eũ supra vaniloquum, & superbum introduxerat, quòd vitio capitis euenit. Seruius.

I NVNC ET VERBIS VIRTVT. ILLVDE SVP.) *σαρκασμὸς.* Leoninus vtique versus sine controuersia, quales & alij obseruati sunt in hoc poetarum signifero. Dicamus illud, *Emendaturus, si licuisset, erat.* Quare istiusmodi versus appellentur leonini, caussam quærit Scalig. Poet. lib. 2. cap. 29. Vir quidam non vulgari doctrina ab initio echinos credit forsitan, vel appellatos, vel appellandos fuisse ab ἠχὼ, quàm vocis imaginem Cicero, Horat. Lucretius dixere, resonat enim pars posterior, B seu hemistichium posterius priori, ac repercutit syllabam quodammodo.

HOC TANTVM ASCAN.) Vel, dixit, vt alibi, *Nec plura.* Vel, & dixit, & fecit.

TEVCRI CLAM. SEQVVNTVR LÆTITIAQ. FREMVNT) Commoti Troiani ex felicitate facti, extulerunt clamorem cum læto fremitu, & sperantes tanto auspicio meliora, plurimum gratulabantur. Donat.

Ætheria tum fortè plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies, vrbemq; videbat,
Nube sedens: atq; his victorem affatur Iulum.
MACTE NOVA VIRTVTE PVER (SIC ITVR AD ASTRA)
Dijs genite, & geniture Deos. iure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident:
Nec te Troia capit. simul hæc effatus, ab alto
Æthere se mittit: spirantes dimouet auras:
Ascaniumq; petit: forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten. hîc Dardanio Anchisæ
Armiger antè fuit, fidusq; ad limina custos.
Tum comitem Ascanio pater addidit. ibat Apollo
OMNIA LONGÆVO SIMILIS, vocemq;, coloremq;,
Et crines albos, & sæua sonoribus arma:
Atq; his ardentem dictis affatur Iulum.
Sit satis Æneide telis impunè Numanum
Oppetijsse tuis: primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, & paribus non inuidet armis:
Cætera parce puer bello.

CRINITVS APOLLO) Hoc adiuncto eum afficit C Ennius. Philostratus iunior in Heroicis, Pindarus in Isthm. Ode 1. ἀκερσεκόμην vocant, παρὰ τὸ α, καὶ κείρω κόμην. Vnde per periphasin Propertius lib. 3. & Ouid. lib. 3. Trist. intonsum deum dixerunt, & Horatius carmine sæculari intonsum Cynthium. In lusibus in deum hortorum dicitur comosus Phœbus. Rursum Pindarus χαίτνον nominauit in Pyth. Mos fuit antiquissimis illis sæculis, vt ephebi comam Apollini nutrirent, qui deinde *cum prima genas vestiret flore iuuenta*, Delphos se conferentes, comæ primitias deo offerebant, cuius consuetudinis meminit in Theseo Plutarchus. Hæc Hieron. Columna ad Ennij Alcmæon.

MACTE NOVA VIRTVTE) Sic apud Silium lib. 4. Mars Scipionem adolescentem, postquam ille multis interfectis patrem consulem seruauit, lætus compellat, & prædicat.

Tum celso è curru Mauors, Carthaginis arces
Exscindes, inquit, Tyrios ad fœdera coges:
Nulla tamen longo tanta exorietur in æuo
Lux tibi chare puer, macte, ô macte indole sacra,
Vera Iouis proles.

Mactare est magis augere. Cic. 1. Tuscul. Macte virtute, ego enim ipse cum eodem ipso non inuitus errauerim. Liuius lib. 10. Tu quidem macte virtute, diligentiaque esto. Attius Philocteta. *Vt dixi, macte his, armisq; macte virtutem patris.* Lucil. Satyr. lib. 5. *Macte, inquam, virtute, simulq; his versibus esto.* Turpil. Boethontibus. *Macte virtute esto.* Pacuuius Duloreste. *Macte esto virtute, operaq;.* Cernis veteres libenter D vocatiuum hunc *macte*, cum vocabulo, *virtute* cõiunxisse, auferendi casu scilicet. Est autem sermo tractus à sacris, vt monet Seruius, & est verbum pontificale. Quoties enim aut thus, aut vinum super victimã funde-

fundebatur, dicebant, *mactus est taurus*, hoc est, cumulata est hostia, & magis aucta. Inde etiam mactare, pro magis augere. Cic. de Repub. Ferunt laudibus, mactant honoribus. Et apud Plaut. *ego te macto infortunio*. Solitos item vinum diis fundere in altaria, declarat Arnob. lib. 6. cum his verbis. *Mactus hoc vino inferio esto*. Quæ verba ibidem considerat, & argutè irridet. Interpretatur autem sic. Quid est aliud, quam dicere tantum esto mactus, quantum volo: tantum amplificatus, quantum iubeo, &c. A

Noua virtute, vel magna, eximia, vt, *Pollio*, & *ipse facit noua carmina*: aut reuera noua, quantum ad bellum.

DIIS GENITE, ET GENITVRE DEOS) Imitatus est hæc Seneca in consolat. ad Martiam, cap. 15. Quid aliorum tibi funera Cæsarum referam? quos in hoc mihi interim videtur violare fortuna, vt sic quoque generi humano prosit: ostendens ne eos quidem, qui diis geniti, deósque genituri dicuntur, sic suam fortunam in potestate habere, quemadmodum alienam. Obseruauit Muretus in Notis. *Diis genite*, inquit Seruius, propter Venerem: *geniture deos*, propter Iulium Cæsarem, & Augustum. B

GENTE SVB ASSARACI) Romanam intelligit, inde vsque ab Assaraco propagatam. Assaracus fuit pater Capyos, auus Anchisæ. Sic in 1.

Cum domus Assaraci Phthiam, clarasq; Mycenas
Seruitio premet, & victis dominabitur Argis. C

NEC TE TROIA CAPIT) Philippi ad Alexand. filium apophthegma expressit. ζήτει σεαυτῷ βασιλείαν ἴσην, μακεδονία σε οὐ χωρεῖ. Quibus verbis eius generosam indolem, quod Bucephalum conscendisset, laudauit. Brod. lib. 1. cap. 26. & Turneb. * *De Bucephalo memoria proditum à Q. Curtio, lib. 6. in hæc verba. Namque ille nec in dorso insidere suo patiebatur alium, & regem, cum vellet ascendere, sponte genua submittens excipiebat, credebaturq; sentire, quem veheret. Iucunda est de hoc equo apud Plutarchum narratio, lib. Vtra animalia plus rationis habeant, terrestria, an aquatica. Bucephalus quantisper nudus erat, conscendendum se etiam equisoni dabat: ornatus verò regiis iam aulæis, collaribusq;, neminem admittebat, Alexandro tantum accepto: cæteris periculum facturis, aut alioqui propius accedentibus, ingenti hinnitu occurrere, insultareq; ac nisi cederent, fugaq; sibi consulerent, proterere solitus.* D

SPIRANTES AVRAS) spirabiles, vitales, quibus spiramus, & viuimus.

FORMA TVM VERTITVR ORIS ANT. IN BVT.) Deligit eius hominis formam, qui antiquitatis, & exercitationis longinquitate collectæ merito, sanum consilium dare posset, & debuisset audiri. Donat.

FIDVSQVE AD LIMINA CVSTOS) Seruum atriensem, vel atriarium significari putat German. Elegans quidam vsus vocabuli, *ad*, explicatur à Cantero libr. 3. cap. 20. Propert. *Iam libet, & fortes memorare ad prælia turmas*, cum bellicas vellet, seu bellicosas dicere. Nec aliter paulò pòst ait. *Nunquam venales essent ad munus amica*, id est, mercenariæ, & vt ita dicá, municipes. Iam in fine lib. 3. dicit. *Hinc tibi ad eloquium ciues, hinc ampla nepotum Spes*. Vbi eodem pacto facundos, & eloquétes ciues innuit: videtur enim hoc prouerbij huius vsu præ cæteris hic poeta delectatus, quin etiam paulo breuius idem lib. 4.

Sobrius ad lites: at cum est impressa corona,
Clamabis capiti vina subesse meo.

Et aliquáto post, *Lygdamus ad cyathos*, cum hîc pincernam, illic aduocatum, & caussarum patronum indicare vellet. Et lib. 4. eleg. 2. *Pastorem ad baculum possum curare*. quod est, pastorem me dixeris, si pedum habeam. Ergo fidus ad limina custos, est fidus liminũ custos. Requite præterea li. 10. super illo, *biiugq; ad frana leones*.

ET CRINES ALBOS) id est, canos Tibull. eleg. 8. lib. 1. *Tollere tunc cura est albos à stirpe capillos*. Plaut. Trinum. *ad istam capitis albitudinem*.

SÆVA SONORIBVS ARMA) strepitu terribilia, exponit Seruius. Vocabulo *sonor* pro sonitu non semel vsus inuenitur Lucretius, id quod aliàs quoque testatus sum.

HIS ARDENT. DICTIS AFFATVR IVL.) Solent secundæ res erigere homines etiam ætate prouectos: sed quando ad pueri animum ventum est, sic ardere cœpit, & prosperis ferri, vt alia quoque non dubitaret audere: sed hunc Apollo ita reuocat, vt sciat Ascanius, animum suum robustiori ætati reseruandum. Donat.

PRIMAM HANC CONCEDIT LAVDEM) Dicendo hanc, pollicetur & aliam. Concedere autem ei se dixit ideo, quia sagittarum deus est: & licet eum Iupiter iuuerit, Apollo tamen sibi suum officium vindicat: quod dicit se concessisse, quia non prohibuit. Ea enim, quæ ab aliis numinibus poscimus, tunc implentur, si nõ aduersentur numina, quorum propria sunt, quæ poscimus: vnde & in 4. ait, *adero, & tua si mihi certa voluntas*, hoc est, quod in me est, iungo eos: restat, vt & tuum impleri velis officium. Seruius.

PARIBVS NON INVIDET ARMIS) Expone, pari gloriæ. Nam vt Apollo puer occiso Pythone vltus est matris iniurias: sic Ascanius occiso Numano, Troianorum castra, iniuriasq; defendit. Paribus ergo armis, id est, similibus: non peritia, sed genere victoriæ. Seruius.

--------Sic orsus Apollo
MORTALES MEDIO ASPECTVS SERMONE RELIQVIT,
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.
Agnouere deum proceres, diuinaq; tela
Dardanidæ, pharetramq; fuga sensere sonantem.
Ergo auidum pugnæ dictis, ac numine Phœbi
Ascanium prohibent: ipsi in certamina rursus
Succedunt: animasq; in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris:
Intendunt acres arcus, amentaq; torquent.
Sternitur omne solum telis: tum scuta, cauæq;
Dant sonitum flictu galeæ, pugna aspera surgit:
Quantus ab occasu veniens pluuialibus hœdis

Verberat imber humum, quàm multa grandine nimbi
In vada præcipitant, cùm Iuppiter horridus Austris
Torquet aquosam hyemem, & cælo caua nubila rumpit.

SIC ORSVS APOLLO) Modò locutus, aliâs, cœpit quod magis est proprium, lib. 1. *sic Venus, at Veneris contra sic filius orsus.* Æneid. 2. *Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.* Lib. 12. *sic Iuppiter orsus.* Lib. 6. *Tunc sic orsa loqui vates.* Orsa pro initiis, lib. 10. *& in melius tua, qui potes, orsa reflectas.*

MEDIO SERMONE) quia non respondit Ascanius. Totus autem sermo ex dicente, respondenteque conficitur.

FVGA) discessu.

PHAR. SONANTEM) quia dixit suprà, *& sana sonoribus arma.*

DICTIS, AC NVMINE PHOEBI) Dictis, propter auditam orationem. Numine, propter agnitum deum. Prohibebant eum pugna propter ea, quæ dicta erant, & ipsam auctoritatem cogniti in discessu Phoebi interponebant.

IPSI IN CERTAM. RVRSVS SVCCED.) vtpote, quos aperta exempla certos, securosque præstiterant.

AMENTAQVE TORQVENT.) Tela amentis torquent. Quem possumus non rerum modò, sed verborum etiam explicatorem Iusto Lipsio inuenire magis peritum, magis sedulum? Iacula, inquit, aliâs sola manu mittebantur: aliâs loro reuincta, & eo excusso adiuuabantur. Id dicebant amentum. Glossæ, amentum, ἄμμα ἀκοντίων, vinculum iaculorum. Festus, Amenta, quibus vt emitti possint, vinciuntur iacula. Ex Græco, quod est ἅμματα, vel quia aptantes ea, ad mentum trahunt. Latini, & nodum vocant, vt Silius lib. 1. *Huic impulsa leni torquetur lancea nodo.* Statius in 3. *Frena tenent, duplexq́; inserto missile nodo.* Item ansam. Inde ansatæ Ennij, *Ansatas mittunt è turribus.* Iterum. *Postquam defessi sunt stantes spargere sese Hastis ansatis.* Habenam etiam alij. Fuit autem non aliud, quam lorum reuinctum in hasta media circiter, quod manui deinde, & primoribus digitis illigabant leuiter, in emissu cum impetu soluendum. Hæc ipsa ille copiosius, & explicatius, & multa præterea huc pertinentia, quæ tute leges cum voles, Poliorcet. lib. 4. dial. 4.

STERNITVR OMNE SOLVM TELIS) Concinnius vtiq; hoc: Enniano istuc, *Sparsis hastis longis campus splendet, & horret.*

DANT SONITVM FLICTV GALEÆ) infrà. *strepit assiduo caua tempora circum Tinnitu galea.* Vsi sunt simplici *fligere* Liuius Ægistho. *Ipse se in terram saucius fligit cadens.* Attius. ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ. *Nec perdolescit fligi socios morte, campos contegi.* Et Ægistho. *Heu cuiatis stirpem funditus Fligi studet.* Lucret etiam lib. 2 *nam cita supernè Obuia cum flixere, fit, vt diuersa repente Dissiliant.* Est autem fligere, per concursum se mutuò tangere, & concutere, cum sono: & flictus hic erit ψόφος ἐκ τῆς κρούσεως. Vsus etiam Ausonius. *Cymbala dant flictu sonitum.* Silius. *galea horrida flictu.* Ennius Annali 15. aliis verbis, eodem tamen sensu, *Ærata resonant galea.*

QVANTVS AB OCCASV VEN.) Vide Vrsin.

QVAM MVLT. GRAND. NIMB. IN VAD. PRÆCIP.) Valerius Aedituus in epig. *Aut imber cælo candidus præcipitans.*

AQVOSAM HYEMEM) non ipsum anni tempus, quod dicitur hyems, & æstati opponitur, sed pluuiam densam cum vento significat, vt alibi.

Pandarus, & Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Iouis eduxit luco syluestris Hiera,
Abietibus iuuenes patriis, & montibus æquos,
Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt,
Freti armis, vltroq́; inuitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextrà, ac læuà pro turribus adstant,
Armati ferro, & cristis capita alta corusci:
Quales aëriæ liquentia flumina circum,
Siue Padi ripis, Athesin seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaq́; cœlo
Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli vt videre patentes:
Continuò Quercens, & pulcher Equicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, & Mauortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedêre,
Aut ipso portæ posuere in limine vitam.
TVM MAGIS INCRESCVNT ANIMIS DISCORDIBVS IRÆ:
Et iam collecti Troës glomerantur eodem,
Et conferre manum, & procurrere longius audent.

IDÆO ALCANORE CRETI) sanctissimè, & religiosissimè colebatur à Troianis Iupiter cognomento Idæus, & apud Homerum Iupiter Ἴδηθεν μεδέων sæpenumero dicitur, & inuocatur. Ei locus erat in Ida monte vbi

educati

educati fuerunt Pandarus, & Bitias, & templum habebat ibi in alto Gargaro. Turneb. lib. 22. cap. 7.

SYLVESTRIS HIERA) Non satis perspicio, quæ sit ratio syllabæ in hoc verbo, in quo contra naturã videtur media tendi: & cum nescio quod miraculum hic latere subodorer, parum abest, quin quemadmodum legimus à cerua, cane, lupa quosdam nutritos, sic hos à sylvestri hyæna educatos esse suspicer. Certè in hanc coniecturam prono labor animo: quãquam eam vix spero commendari, approbarique posse hominibus doctis. Turneb. 22. cap. 7.

ABIET. PATRIIS, ET MONT. ÆQVOS) patriæ abietes sunt Idææ. Homer. κάρηνοι ταῖς ἐλάτῃσιν ἐοικότες ὑψηλῇσι. Qui autem sunt ea corporum magnitudine quæ hîc describitur montium similitudine, Græcis sunt πελώριοι, παρὰ τὸ πέλας ὄρους εἶναι κατὰ τὸ μέγεθος.

PORTAM QVÆ DVCIS IMPERIO) Hunc locum manasse ex Iliad. lib. 22. docet Macrob. libr. 5. cap. 11. Scimus, quod Mnestheo, & aliis ducibus imperauit Æneas ad petenda proficiscens auxilia, ne portas aperirent, vt castra modò, & tutos seruarent aggere muros. Item legimus Mnesthea, & Sergestum ductores fuisse, & rerum magistros, non Pandarum, & Bitiam. Vnde apparet, quod hunc locum malè intellexerit Donatus, dicens commissam portam, id est, creditam, Pandaro, & Bitiæ, qui duces non erant. Cornutus verò melius sensit, dicens, portam quæ ducis imperio commissa fuerat, hoc est clausa, eam aperuerunt. Commissura enim dicitur tabularum coniunctio: sicut Cic. in Fundania meminit. Ergo melius est, vt commissam, clausam dicamus, quàm creditam Pandaro, & Bitiæ. Seruius.

PRO TVRRIBVS) Ad vicem turrium propter proceritatem corporum ingentem. Statura quædam dicitur commoda, media, militaris. Hanc qui superarent, dicebantur statura proceri. Adi Vegetium lib. 1. cap. 5. Ibid. Steuechium. Aut fortasse dictum sit, eo sensu, quo suprà illud, *Et Sagarim, & summis stantem pro turribus Idam.*

QVALES AERIÆ LIQVENTIA) Comparatio Homerica, vide Seruium. Idem ait commemorari fluuium Liquetium, nec esse epitheton, & legendum liquetia, non liquentia. De eadem re consule German.

ATHESIM PROPTER AMOENVM) prope, aut iuxta Athesim. Athesis fluuius ex alpibus Tridentinis labitur Veronam. Terent. Adelph. *Hic propter hunc assiste.* Cic. 2. de Inuent. Fluuius Eurotas, qui ꝓpter Lacedæmonem fluit. Aliquando sine nomine ponitur, & aduerbij vicem gerit. Terent. Adelph. *Est ad hanc manum sacellũ, ibi angiportum propter est.*

INTONSAQVE CÆLO ATTOL. CAP. ET SVBLIMI VERT. NVTANT) Ennius, *Capitibu' nutantes pinos, rectasq́ cupressos.* Quem ad locum hæc disserit Fragmentorum Ennianorum à se conquisitorum, dispositorumq́ue explanator solertissimus, & ingeniosissimus Hieron. Columna, quæ ad versum Maronianum quasi face luculẽta collustrandum, sunt perquam apposita. Pulcherrimè *nutare*, quod hominis proprium est, ad arbores transtulit. Nec quidem remota translatione arborum summitates *capita* dixit, eisque nutandi actum tribuit, cum hæ animalium structuram, atque opificium mirificè referant. Habent enim & radices quasi pedes, è quibus caudex, qui & truncus, & stipes dicitur, sursum assurgit: vnde tanquam brachia rami diffunduntur, & inde surculi, quasi digiti. Eas etiam oculos habere quis neget? quibus frondes pro coma sunt: fibræ pro pilis: humor pro sanguine: cortex pro cute: cui subest caro, adeps, ossa, venæ, cor, medulla, nodi: quos Aristoteles neruis persimiles putauit lib. de plant. Catull. Ennij æmulatione, *conigeram nutanti vertice pinum*: ita enim duo calamo exarati habent, vulgati autem, *sudanti cortice.* Idẽ rursus, *Non sine nutanti platano.* Virgil. de quercubus *intonsaq́ cælo Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.* Idem 2. Æneid. *Et tremefacta comam concusso vertice nutat.* Eclog. 6. *tum rigidas nutare cacumina quercus.* Ouid. lib. 2. Amor. *Dum bene diues ager, dum ramis pondere nutant.* Septimius Serenus pulcherrimè pino brachia, & trepidationem tribuit. *Pinea brachia cum trepidant stridentia flabris.*

IRRVMPVNT, ADITVS) Non aditus rumpunt, qui iam patebant: sed irruunt Rutuli, vt viderunt aditus, porta patefacta. Donatus.

CONTINVO QVERCENS, ET PVLCHER) Hi primò venerunt, vt reseratam portam violenter introirent: sed aut versi sunt trudentium agminibus, aut limine in ipso mactati. Aut, aliqui fugati sunt, aliqui interempti. Donatus.

COLLECTI TROES GLOMERANTVR Tanti facti exemplo animati Troiani densabantur ad portam, remotaque trepidatione omni, & egredi longius audebant, & alios cominus prouocare. Donatus.

Ductori Turno diuersa in parte furenti,
Turbantiq; viros, defertur nuntius, hostem
Feruere cæde noua, & portas præbere patentes.
Deserit inceptum, atq; immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam: fratresq; superbos,
Et primum Antiphaten (is enim se primus agebat)
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti
Coniecto sternit iaculo: volat Itala cornus
Aëra per tenerum, stomachoq; infixa sub altum
Pectus abit. reddit specus atri vulneris vndam
Spumantem, & fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem, atq; Erymantha manu, tum sternit Aphidnum,
Tum Bitian ardentem oculis, animisq; frementem,

Non iaculo (neque enim iaculo vitam ille dediſſet)
Sed magnum ſtridens contorta phalarica venit
Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici ſquama lorica fidelis, & auro
Suſtinuit. collapſa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, & clypeum ſuper intonat ingens.
Qualis in Euboico Baiarum littore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus antè
Constructam iaciunt ponto: ſic illa ruinam
Prona trahit, penitusq; vadis illiſa recumbit.
Miſcent ſe maria, & nigræ attolluntur arenæ:
Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumq; cubile
Inarime, Iouis imperiis impoſta Typhoeo.

FERVERE CÆDE NOVA, ET PORT. PRÆB. PATENTES) Plus nuntiatur Turno, quàm res habeat. Nondum erant tam multi Rutulorum occiſi à Troianis, & ait, eos feruere cæde noua. Nec patebant plures portæ, ſed vna tantùm. Verùm ita mos hominum eſt, vt non lætis modò, ſed triſtibus quoque aliquid affingant.

DARDANIAM RVIT AD PORTAM *Ruit*, inquit, non, venit, vt oſtenderet eius feruorem, qui ſuorum necem veniebat vlturus, & qui nolebat patentis portę occaſionem perdere, ne iterum clauderetur. Donatus.

IS ENIM SE PRIMVS AGEBAT) Hoc eſt, incedebat: vt, *ſeſe Palinurus agebat*. Tractus eſt autem ſermo à ratione phyſica: nam agitur corpus animi iudicio, vt Terentius, *Quò te agis?* Seruius.

THEBANA DE MATRE NOTHVM SARPED.) Matrem hìc Thebanam accipio è Thebis Hypoplaciis, quæ in Cilicia erant. Eſt enim veriſimile, Sarpedonem Lycium ex ea prouincia concubinam habuiſſe potius, quàm ex aliis Thebis. Turneb. lib. 22. cap. 7. & lib. 29. cap. 25.

Nothum Græci natum ex vxore non legitima vocant, qui apud nos ſpurio patre natus dicitur. Sic Feſtus. Iſidorus autem lib. 9. nothus dicitur, qui de patre nobili, & matre ignobili gignitur, ſicut ex concubina. Huic cõtrarius eſt ſpurius, qui de matre nobili, & patre ignobili illegitimè naſcitur. Item ſpurius patre incerto, matre vidua genitus.

Plutarchus in Problemat. ait Spurius apud Rom. primum nomen eſſe, vt Sextus, Decimus, Caius. Prima autem nomina cum vna, duabus, aut tribus litteris, vt T. Titius. Gn. Gneus, Sex. Sextus, vbi Sp. Spurius, eos aũt qui ſine certo patre erant, ἀπάτορας, S, &, P, deſignarẽt, quaſi ſine patre, factum eſt hoc errore, vt qui eſſent ſine patre, dicerentur ſpurij. Quos autem vulgo baſtardos vocamus, interdum ſpurij dici poſſunt, interdú non poſſunt, vt hi, quos Principes agnoſcere ſollemniter ſolent, quaſique adoptare: nothi enim verbo græco appellantur, non ſpurij. Quintil. lib. 3. cap. 8. nothus ante legitimum natus, legitimus filius fit: poſt legitimum natus, tantum ciuis. Et paulò pòſt, nothum qui non ſit legitimus, Græci vocant, latinum rei nomen non habemus. Nothia Græci appellant eam partem, quæ ex bonis paternis, lege Athenienſium, nothis dari poterat. Hinc factum, vt Græci nothum appellent, quidquid nõ legitimum eſſe volunt, nec verum, vt νόθον ἀττικισμὸν dicant non verùm ſchema Atticum, ſed adulterinum, ſpuriumque: contra γνήσιον ἀττικισμὸν dicunt, veram, germanam, legitimamq; Atticorum elegantiam ſignificantes? Budæus in Pand.

ITALA CORNVS) telum ex Itala cornu.

AERA PERTENVEM) In manu ſcriptis eſt, *tenerum*. Conuenit cum illo Lucretij, *Aëris in teneras poſſint proferrier auras*.

REDDIT SPECVS ATRI VVL. VNDAM) Exaggeratio poetica, pro ingenti vulnere.

ATQVE ERYMANTHA MANV) id eſt, gladio cominus ferit. Nam illi, de quibus ſuperius dixit, non manu occiſi ſunt, ſed miſſo iaculo. Ergo ad differentiam teli iacti accipit, *manu*, id eſt, gladio. Seruius.

ARDENTEM OCVLIS, ANIMISQVE FREM.) Quod animo fremeret, oculi oſtendebant. Ipſe vultus hominis, eius animi ferociam loquebatur. Donatus.

CONTORTA PHALARICA) Hoc genus teli deſcribit Seruius. Conſule item Vegetium libr. 4. cap. 18. & Iſidor. lib. 18. cap. 7. Præiuit Ennius, *Quæ valide venit contorta phalarica miſſu*. Forte ſcribendum *valido* ἐνδεστικῶς valido miſſu. Sunt qui hanc vocem ſcribant *falarica*.

FVLMINIS ACTA MODO) Amat Virgil. tela cum impetu magno venientia comparare fulminibus.

DVO TAVREA TERGA) Vſurpauit, pro taurina.

DVPLICI SQAMA, ET AVRO) Duplicibus ſquamis aureis. Sanè ſquama, & ſplendorem ſignificat, ſi à piſcibus venit, & ſordes, ſi à ſqualore. Sed in Virgilio vbique ſplendorem ſignificat. Seruius.

Lorica ferrea apud Romanos duplex, hamata, & ſquamata. Hamata ſic dicta videtur, quod circuli, & catenæ nexæ, hamuli ſpeciem dimidiatæ referebant, aut quod hami catenulas iungebant. Dicere hoc Sidonius videatur. *nec ſutilis illi Circulus impactis loricam texuit hamis, &c.* Lipſius lib. 3. de militia Rom. Dial. 6.

CLYPEVM SVPER INTOÑAT. INGENS) Aut ipſe ingens ſuper clypeum intonat, aut ingens clypeum ſuper eum tonat: nam lectum etiam eſt, hoc clypeum, vt probat Caper, quod magis debemus accipere. Nam Homerum imitatus eſt, qui ait, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. Et, ἀμφὶ δὲ βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ. Seruius. Sicut alibi, *ſonitum ſuper arma dedere*. Clypeus maſculini generis, vt *ardentes clypeos, atque æra micantia cerno*. Neutrius, vt Virg. *clypeum ſuper intonat ingens*. Licinius in Marte. *Pars magna leuius clypea portant*. Laberius Sororibus. *Hoc voluit clypeum contra puluerem proiici*. Nonius.

IN EVBOICO BAIARVM LITTORE) De Eubœa venerunt Chalcidenſes, qui condiderunt Cumas quæ ſunt Baijs vicinæ. Seruius.

SAXEA PILA CADIT) Strabo lib. 1. ἡ δὲ σῆλαι ἐμπορίων γεγένηται, διὰ τὴν ἐνοχίαν τῆς ἄμμου. διότι τῇ χάλικι τελαμίξαντες ἀμμονοτίαν, περιβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλατταν. Notauit Brod. libr. 5. cap. 25. Columnæ ſtructiles ſunt, quę de lapide quadrato, aut laterculis extructæ ſunt, quæ pilæ etiam dicuntur. Eſt enim hæc differentia inter columnas, quæ à Græcis κίονες, & pilas, quæ, σῆλαι ab illis dicuntur. Columnæ vno ſcapo conſtant, id eſt, lapide oblongo, perpetuo. Pilæ ſtructura conſtant aut lapidea, aut cæmentitia, aut lateritia. Plinius ſtelas vocat lib. 6. c. 28. ſtelæ autem ſunt propriè lapideæ pilæ ſurrectæ, in quibus fœdera inſcribi ſolebant, vt omnibus innoteſcerent, & in quibus etiam homines proſcribi ſolebant. Iſocrat. in Panegyr. circa finem vtitur, & Demoſthenes identidem. Hodie ſtelæ vocari propriè poſſunt lapideæ cruces, vel huiuſmodi monumenta, quæ in militaribus vijs extructa videmus, literis interdum inſculptis ad memoriam alicuius rei prodendam, latinè cippi dicuntur, quales ſuper ſepulcra extruuntur. Et σηλίτης apud Demoſthenem ἄτιμος, καὶ ἐν σήλῃ ἀναγεγραμμένος. Vnde σηλιτευτικοὶ λόγοι. orationes infamantes, & programmata ignominioſa. Columnæ partes ſunt ſcapus, quaſi columnæ corpus: ſupra ſcapum capitulum, infra ſcapum ſpira, quæ baſis ſæpe appellari ſolet, infraque ſpiram ſtylobates. Auctor Vitruuius libr. 3. cap. 9. Hæc Bud. in Pand. Quis non videt, Virgilium vſurpaſſe pilam pro columna? Huiuſmodi libertas poetis eſt familiaris.

INARIME IOVIS. IMP. IMPOSTA TYPH.) Latini ferè, niſi fallor, omnes vna dictione efferunt, quam Homerus in Catalogo duabus εἰν Ἀρίμοις. Ouid. libr. 14. *Inarimen, Prochytamq́ legit, ſterilíq́ locatam.* Item Lucanus. *Conditus Inarimes æterna mole Typhoëus.* Vnde Plinius hauſit fortaſſe, quod ſcribit lib. 1. cap. 6. *Ænaria Homero Inarime dicta.* Nuſquam certè hoc apud Homerum reperitur, neque apud Græcos, ſed ſemper binis vocibus, vt apud Strabonem, Stephanum, Iſacium in Lycophronem. Malim Græcos ſequi in hac controuerſia, quàm Latinos. Hartung. Decuria 4. cap. 1.

Super hoc verſu lege totum cap. 18. apud Turneb. lib. 20. Lege præterea defenſionem eiuſdem aduerſus Aldum Manutium, & Franciſcum Robortellum apud Gulielmum Modicium cap. 1. Quæ verò Erythræus affert in Indice, magis ipſa defenſionis egent, quàm Virgilium defendant, vt ſentit Delrius in Senecæ Hercul. Oetheum. Quid ſimile habet Inalpinus cũ Inarimis, &c. Inarimen aiunt eſſe montem Prochytæ inſulæ, quæ ſita eſt in Puteolano ſinu. Prochyta autem non ab Æneæ nutrice, ſed quia profuſa ab Ænaria erat. Ænaria ipſa à ſtatione nauium Æneæ, Homero Inarime dicta. Hæc ſunt Plinij, qui non montem inſulæ, ſed ipſam inſulam vna voce ſic vocatam dicit, de quo ſuprà Hartungus, eum refutans. ✱

Hîc Mars armipotens animum, vireſq́; Latinis
Addidit, & ſtimulos acres ſub pectore vertit:
Immiſitq́; fugam Teucris, atrumq́; timorem.
Vndiq́; conueniunt: quoniam data copia pugnæ,
BELLATORQVE ANIMO DEVS INCIDIT.
Pandarus vt fuſo germanum corpore cernit,
Et quo ſit fortuna loco, qui caſus agat res,
Portam vi multa conuerſo cardine torquet,
Obnixus latis humeris: multoſq́; ſuorum
Mœnibus excluſos duro in certamine linquit:
Aſt alios ſecum includit, recipitq́; ruentes,
Demens, qui Rutulum in medio non agmine Regem
Viderit irrumpentem, vltroq́; incluſerit vrbi,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuò noua lux oculis effulſit, & arma
Horrendùm ſonuere: tremunt in vertice criſtæ
Sanguineæ, clypeoq́; micantia fulgura mittit.
Agnoſcunt faciem inuiſam, atq́; immania membra
Turbati ſubitò Æneadæ: tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ feruidus ira
Effatur. Non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patrijs media Ardea Turnum.
Caſtra inimica vides: nulla hinc exire poteſtas.
OLLI SVBRIDENS SEDATO PECTORE TVRNVS,
INCIPE, SI QVA ANIMO VIRTVS, ET CONSERE DEXTRAM,
Hîc etiam inuentum Priamo narrabis Achillem.

MARS ARMIPOTENS) Lib. 12. *Cuncta pater, qui bella tuo sub numine torques.* Hac velut προοικονομίᾳ conciliat sequuturæ narrationi verisimilitudinem, & tanquam θεὸν ἀπὸ μηχανῆς fingit, sine quo credi non poterat, Turnum castris hostium inclusum, incolumem euasisse. Mars dictus est, siue quod maribus præsit in bello: siue à Græco ἄρης. Ἄρης autem ἀπὸ τοῦ αἴρειν, ἢ ἀναιρεῖν, hoc est, à tollendo, vel interficiendo. Mauors verò, quod magna vertat: vel à Mars per epenthesin, vt Induperator. Vide Gyrald. Syntag.10. Et Palladem ornauit hoc epitheto, lib.2. & lib. 11.

STIMVLOS ACRES SVB PECT.) sæuiendi scilicet: nam sunt & timoris, & libidinis stimuli. Notanda quoque oeconomia, quia id egit, vt verisimile sit, Turnum victorem euasisse de castris. Seruius.

ATRVMQVE TIMOREM) Atrum timorem dicit per metalepsin, fœdum, turpem, molestum, odiosum: ex eo, vt opinor, quod atra quæ sunt, inauspicata, & funesta, & iniucunda erant. Sic Flaccus Ode 11. lib. 4. *minuentur atræ Carmine curæ*, inuisæ, odiosæ, molestæ. Item Ode 1. lib. 3. *Post equitem sedet atra cura*, id est, molesta. Et Sat. 6. lib. 2. *at simul atras Ventum est Exquilias*, id est, odiosas mihi, & molestas ob negotia. Sic ad Pisones. *atrum Desinat in piscem mulier formosa supernè*, dixit, pro turpi, & fœdo. Turneb. lib. 22. cap. 7.

* *Potest* [illegible] *pallidum interpretari ab effectu. Qui timent, pallent, & pallor est propemodum ater. sic*, cæruleis mœstæ vittis *lib. 3. pro nigris Vittis.*

VNDIQVE CONVENIVNT) Illi sine dubio, quibus Mars iniecit audaciam, qui inuenta opportunitate irruperunt in castra Troianorum. Seruius.

DVRO IN CERTAMINE) sine spe euadendi.

DEMENS) Hoc ex affectione sua dixit poeta. Alibi.

Sed tum fortè caua dum personat æquora concha,
Demens, & cantu vocat in certamina diuos.

Homerus solet dicere νήπιος, germanicè, *der narr.*

CONTINVO NOVA LVX) Tanta fuit inter cæteros dissimilitudo Turni, vt illum forma corporis, & armorum qualitate quiuis posset agnoscere. Deniq; agnouerunt Æneadæ facile, qualem nunquam viderant, & licet turbati, quis esset agnouerunt. Donatus.

NON HÆC DOTALIS REGIA AMATÆ) Tibi data per dotem cum Lauinia. Et bene *Amata*, quæ sola illum generum esse cupiebat. Notandum sanè, quia id agit, vt ostendat, se non per imprudentiam Turnum inclusisse, sed illum per temeritatem sibi minimè profutura castra penetrasse. Seruius.

NEC MVRIS COHIB. PAT. MEDIA ARDEA) non es in media patria tua, vbi otioso, & securo tibi esse liceat. In castris hostium es, teneris circumclusus, non potes euadere, filius mortis es, vt loquuntur sacræ literæ.

OLLI SVBRIDENS SEDATO PECT. TVRN.) Magnam confidentiam virtutis ostendit, & similis est versus illi in 12. *Olli sedato respondit corde Latinus.*

INVENTVM PRIAMO NARRABIS ACHILL.) Vide dicta libr. 2. *Degeneremq́, Neoptolemum narrare memento.* Respicere videtur ad illud Sibyllæ in 6. *alius Latio iam partus Achilles.* Mittam te, inquit, ad Priamum, cui alterum Achillem in Italia inuentum esse nunties.

Dixerat. ille rudem nodis, & cortice crudo
Intorquet, summis adnixus viribus, hastam.
EXCEPERE AVRÆ VVLNVS. Saturnia Iuno
Detorsit veniens: portæq; infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies: neq; enim is teli, nec vulneris auctor.
Sic ait: & sublatum altè consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Diuidit, impubesq;, immani vulnere, malas.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus, atq; arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atq; illi partibus æquis
Huc caput, atq; illuc humero ex vtroq; pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troës.
Et, si continuò victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu, sociosq; immittere portis,
Vltimus ille dies bello, gentiq; fuisset.
Sed furor ardentem, cædisq; insana cupido
Egit in aduersos.

RVDEM NODIS) Non læuem, nec pulchram, sed fortem, impolitam, quam solam fortitudo maxima posset emittere. Donatus.

CORTICE CRVDO) viridi, nam hastæ plerumq; torrentur.

AT NON HOC TELVM) de gladio accipiendum. Sequitur paulo post, *consurgit in ensem.* Effugi ictum tuum, at tu non poteris meum. Quando enim telum missile est, potest declinari vigilantibus oculis, & corporis mobilitate. Quum verò ventum fuerit ad manũ, atque ense pugnatur, ictus nulla potest ratione frustrari, & tum vera virtus ostenditur. Seruius Donatus.

PARTIBVS ÆQVIS HVC CAP. ATQVE ILLVC HVM. EX VT. PEP.) Simile vulnus, ac necis genus traditur à Plutarcho in Pyrrho. Vnus enim hostium longè ante alios præcurrens, vir & statura eminenti, & fulgenti-

gentibus armis, lacessiuit eum voce procaciore, prodicet si vinceret (erat enim Pyrrhus gladio secundum caput vulneratus, & paulisper pugna excesserat.) Irritatus Pyrrhus, inuitis suis, vertit se cum stipatoribus in eum, frendensque, & cruore madens, ac truci vultu per medios irrúpit, occupatque caput barbari ense ferire, fuitque ictus, & lacerti vi, atque acie ferri adeo violentus, vt ad infima penetraret, & eodem momento corporis partes dissectæ, hinc atq; hinc dilaberentur.

BELLO, GENTIQVE FVISSET) quia plerumque A bellum finitur gente superstite, vt in bello Troiano cōtigit. Finem bello imposuisset, deletis ad vnum Troianis omnibus.

SED FVROR ARDENTEM) Impedijt hoc consilium furor, qui humanas mentes à tractatibus commodis proturbare cōsueuit. Raptus est enim, vt insequeretur fugientes, & non vidit, quod prodesse plus posset. Donatus.

EGIT IN ADVERSOS) In eos, qui ante eum ex aduerso ei erant, etsi tergum auerterant, & fugerant.

Principiò Phalarim, & succiso poplite Gygen
Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum (Iuno vires, animumq; ministrat)
Addit Halyn comitem, & confixum Phegea parma:
Ignaros deinde in muris, Martemq; cientes,
Alcandrumq;, Haliumq;, Noëmonaq;, Prytanimq;,
Lyncea tendentem contra, sociosq; vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat. huic vno deiectum cominus ictu
Cum galea longè iacuit caput. inde ferarum
Vastatorem Amycum: quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrumq; armare veneno.
Et clytium Æoliden, & amicum Cretea Musis:
CRETEA MVSARVM COMITEM, CVI CARMINA SEMPER,
ET CITHARÆ CORDI, NVMEROSQVE INTENDERE NERVIS:
Semper equos, atq; arma virûm, pugnasq; canebat.

SVCCISO POP. GYGEN EXCIP.) Ordo est, excipit, & succidit poplitem. Nam antè fuit, vt eum circumueniret insidijs. Seruius. Est ergo ὕστερον πρότερον.

FVGIENTIBVS RAPT. INGERIT HASTAS) Raptas, inquit Seruius, de hostilibus cadaueribus. Ego sic arbitror posse explanari, vt dicamus esse numerum multitudinis positum pro singulari, hastas pro hastam, hoc sensu videlicet. Hastam, quam de fugientium corporibus à se vulneratis, dum eos insequitur, raptim recipiebat, eam rursus in aliorum fugientium corpora intorquebat. Nam extrahere prius hastas è cadaueribus passim iacentibus, & currentes insectanti obuijs, moram vtique persecutioni attulisset, & petitiones Turni fugitores illi acerrimi euasissent.

IVNO VIRES ANIMVMQ. MIN.) Æneid. 2. *Ipse pater Danais animos, viresq; secundas Sufficit.* Ne sit incógruum, vnum tot occidisse, Iunonis dat auxilium. Horat. ad Pison. *Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.*

ALCANDRVMQVE, HALIVMQVE) Versus Homeri ex Iliad. 5. ad ornatum magis operis translatus, quam ad historiæ veritatem accommodatus, quem & Naso habet Metam. 13.

CVM GALEA LONGE IACVIT CAP.) Ad exprimendā celeritatem, præterito vsus est tempore. Potuisse autē caput cum galea longè iaci, præmissa loci altitudo significat. Seruius.

FERRVMQ. ARM. VEN.) speciosè dictum. Armabat ferrum, quo nos armare consueuimus. De Ismaro quoque libro sequēti similiter. *Vulnera dirigere, & calamos armare veneno.*

AMICVM CRETEA. MVSIS CRETEA MVSAR. COMI- B TEM) Poetam lyricum intellige. παλιλλογία est. Sic Cicero in Arato.

Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat, & assiduas iacit ore querelas.

Lucret. lib. 2.

Fit quoq; vti soleant minus oblatu acriter ictu
Relliquia motus vitalis vincere sæpe,
Vincere, & ingentis plagæ sedare tumultum.

Et lib. 3. principio.

Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima vita.

Et lib. 5. *Suppeditare nouum lumē, tremere ignibus instent: Instant*, &c. Horat. Ode 11. Epod. *amore perculsum graui, Amore qui me præter omnes* &c. Et Ode 16. *Et inquinauit ære tempus aureum, Aere, dehinc*, &c. * *Hæc animaduersa sunt à Lamb. comment in Lucret. Nos plura ad lemm. Virgil. 10. Æneid.* sequitur pulcherrimus Astur. Astur equo fidens. *Eclog. 10.* Pierides vos hæc facietis maxima Gallo, Gallo cuius amor, &c. *Vide ibidem allata.*

NVMEROSQVE INTEND. NERVIS) Rhythmos facere intentione neruorum: id est, qui secundum chordas verba componebat. Seruius. Vel ita, qui chordis numeros aptabat. Tibull. *similes chordis reddere voce sonos.* * *Neruus pro fidibus, quoniam è neruis conficiuntur, & similes neruorum sunt. Appellat sic etiam M. Tull. 1. Tuscul. Summam eruditionē Græci sitam censebant in neruorum, vocumq; cantibus. Et 3. de Orat. Nerui in fidibus ita sonant, vt à digitis pulsi sunt. Nomine genere muliebri neruia ex Varrone adducit, pro chorda scilicet.* ὄργανα λύρας, *scientia doceat, quemadmodum in psalterio est tendenda neruia. Musicos porrò Diogenes accusabat, quod in aptandis ad harmoniam fidibus in cithara tam essent diligentes, ac solliciti, moribus tamen manerent inconcinnis. Crede mihi, præstat longè bene viuere, quàm vel optimè aut voce, aut fidibus canere. Virtutis concentus est melior.*

SEMPER EQVOS ATQVE ARMA VIRVM PVG. CANEB.) Nihil amatorium, aut molle canebat: sed res graues, & bellicas. Etiam in conuiuijs olim non nisi vel res astrologicæ ad citharam, vt 1. Æneid. vel alioqui nouitate, & casibus insignes, vt reditus Græcorum capta Troia, à Demodoco in Odyssea, vel clarorum virorum A laudes ad tibiam canebantur, vt meminit 1. Tuscul. M. Tullius. Neque vero Horatij lyra, quam imbellem vocat, & tantummodo amoribus, & conuiuijs canendis aptam profitetur, non etiam sæpe grandia, & Mæonio carmine digna cantat. ✱

Tandem ductores, audita cæde suorum,
Conueniunt Teucri, Mnestheus, acerq; Serestus:
Palantesq; vident socios, hostemq; receptum.
Et Mnestheus: quò deinde fugam? quo tenditis? inquit:
Quos alios muros, quæ iam vltrà mœnia habetis?
Vnus homo, & vestris, ô ciues, vndiq; septus
Aggeribus, tantas strages impunè per vrbem
Ediderit? iuuenum primos tot miserit orco?
Non infelicis patriæ, veterumq; Deorum,
Et magni Æneæ, segnes, miseretq; pudetq;?

AVDITA CÆDE SVORVM) Seruat τὸ πρέπον, ne, B præsentibus ducibus, tot strages Turnus fecisse videatur.

QVO DEINDE FVGAM) Aut vacat, *deinde*, vt, tandem gentium, locorum: aut intelligimus eum mente tractasse, quod de campis milites solent ad castra confugere, & sic dixisse, quò deinde? scilicet de castris: quò fugietis vlterius? & hoc est melius. Vnde & sequitur, *quos alios muros*? Et sic dictum est post cogitationem, quò deinde: sicut Terentius, *Quid igitur faciam*? Seruius. * *Huic loco, quo vt imbelles, & fugaces à ducibus suis increpantur Troiani, similem quodammodo faciem gerit ille lib. 11. vbi Tarchon in suos Camillam fugientes inuehitur.*

Quis metus ô nunquam dolituri, ô semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignauia venit?
Fœmina palantes agit, atq; hæc agmina vertit.
Quò ferrum, quidue hoc geritis tela irrita dextris?

QVOS ALIOS) Ex Homero. Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 9.

VNVS HOMO TANT. STRAG. EDID.) Stat. 2. Thebaid. de Tydeo, *vnusne, viri, tot cædibus, vnus ibit ouans?*

INFELICIS PATRIÆ) Troiæ, in qua nunc sunt, Seruius. Melius Donatus. Non vobis venit in mentem infelix patria, quam reparare debemus?

VETERVMQVE DEORVM) Penates significat, quos semper coluêre Troiani. Non dij Troiæ considerantur, quos vultis addicere?

MISERETQVE, PVDETQVE) Prius ad deos, & patriam, posterius ad Æneam pertinet.

Talibus accensi firmantur, & agmine denso
Consistunt: Turnus paulatim excedere pugna,
Et fluuium petere, ac partem, quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum. ceu sæuum turba leonem
Cùm telis premit infensis: ac territus ille
Asper, acerbà tuens retro redit: & neq; terga
Ira dare, aut virtus patitur, nec tendere contrà
Ille quidem, hoc cupiens, potis est per tela, virosq;:
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Improperata refert, & mens exæstuat ira.
Quin etiam bis tum medios inuaserat hostes,
Bis conuersa fuga per muros agmina vertit:
Sed manus è castris propere coit omnis in vnum:
Nec contrà vires audet Saturnia Iuno
Sufficere. aëriam cælo nam Iuppiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia iussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.

TALIBVS ACCENSI) Ecce quantum commoda hortamina valuerunt: metuentes dudum, in plenam constantiam repente mutati sunt, & agmine denso con- C sistunt, congregatique manent, & qui sibi fuga consuluerant, recuperata mentis fiducia consistunt. Donatus.

TVRNVS PAVL. EXCED. PVG. ET FLVVIVM) Vbi aduer-

aduertit Turnus, fugientium esse mutata cōsilia, & eos plena fiduciæ obstinationę constitisse, ipse quoque fugiendi tractatum consultò suscipiens, tendebat ad eam partem, quæ vndis circumfluentibus cingebatur. Donatus.

ET GLOMERARE MANVM) Æneid. 2. *Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem*. Facere globum, historica elocutio.

CEV SÆVVM TVRBA LEON.) Sensus hic est, haud aliter Turnus retrocedens petebat fluuium, ac solet leo pressus multitudine nec terga præbere propter iram, vel pudorem: nec posse, licet cupiat, in venantes impetum facere. Seruius. Comparatio Homeri, Iliad. λ. *ὡς δ' αἴθωνα λέοντα βοῶν.* &c.

ASPER, ACERBA TVENS) Lucret. lib. 5. *Asper, acerbà tuens, immani corpore serpens*. Eodem modo Aristophanes. *βλέπει γέ τοι μανικὸν, καὶ τερθρώδη* [sic].

QVIN ETIAM BIS TVM) Et tamen, cum sensim cederet, bis etiam tum hostes Troianos inuasit, bis in eos impetum dedit, tantumque solus potuit, vt bis innumeros fugaret.

NEC CONTRA AVDET SAT. IVNO) quia Iupiter vetuit, nam sequitur. *germana haud mollia iussa ferentem*. Ergo quia numinis est desertus auxilio, telis obruitur.

* *Non audet contra mariti mandatum venire Iuno quamuis regina deûm, & soror Iouis, quia etiam coniux. Coniuges autem viris parere debent. Quãta verò fuerit in vxorem suã Iouis auctoritas, & quantum illa virum timuerit, non sine multo sale indicat Homerus in extremo 1. Iliad. Cum enim se valde iratam ostendisset, & cum Ioue expostulasset de promisso, quod Thetidi pro Achille supplicanti dederat, ita ei respondet. Δαιμονίη, αἰεὶ μὲν ὀΐεαι, &c. Ponam versus latinos ex interprete.*

Sic ne scelesta iterum reputando nostra requires
Consilia, vt solita es, nec suspicione carebis
Coniectans alia ex altis! nec forsitan vnquam
Te potero latuisse? sed hæc te vana profectò
Cura agitat, siquidem nil proficis artibus istis,
Sed potius tibi me irritas, acuisque furore.
Quod si res ita habet, quid tum tibi? sic mihi cordi est:
Proinde sede, stultamq; intra labra comprime vocem,
Neue meis vnquam verbis parere recuses:
Ne si forte manus duro te verbere pulsem
Inuictæ, non vlla tibi succurrere possit
Vis, aut cura deûm, cælestia templa colentûm.
Dixit. at icta graui pauidum formidine pectus
Pertimuit Iuno, duris conterrita dictis,
Conticuitque sedens tandem, & tranquilla quieuit.

VIRES SVFFICERE) Subministrare. Sic Georg. 2. *Ipsa satis tellus cum dente recluditur vnco Sufficit humorem*. Et 2. Æneid. *Ipse pater Danais animos, viresq; secundas Sufficit*. Suprà, *Iuno vires, animumq; ministrat*.

CÆLO NAM IVP. IRIM DEMIS.) De Iride nonnihil dictum exordio libri huius. Vt alia quam plurima, sic etiam istuc commentum voluit imitari studiosior, quàm felicior Maronis æmulus, summus certè admirator Silius libr. 9. vbi Iupiter Irim mittit ad Palladem Pœnis fauentem, ac pro eis in Iunonis gratiam pugnantem, iubetque, vt ipsa Iunonem à cœptis deducat, fatorum etenim leges mutari non posse.

At non hæc superûm fallebant prælia regem,
Demittit propere succinctam nubibus Irim,
Quæ nimios frenet motus, ac talia fatur:
I dea, & Oenotriis velox allabere terris,
Germanaq; truces dic Pallas mitiget iras,
Nec speret fixas Parcarum vertere leges, &c.

Ergo nec clypeo iuuenis subsistere tantùm,
Nec dextra valet: iniectis sic vndiq; telis
Obruitur. strepit assiduo caua tempora circum
Tinnitu galea, & saxis solida æra fatiscunt:
Discussæq; iubæ capiti: nec sufficit vmbo
Ictibus: ingeminant hastis, & Troës, & ipse
Fulmineus Mnestheus: tum toto corpore sudor
Liquitur, & piceum (nec respirare potestas)
Flumen agit: FESSOS QVATIT ÆGER ANHELITVS ARTVS.
Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluuium dedit: ille suo cum gurgite flauo
Accepit venientem, ac mollibus extulit vndis:
Et lætum socijs, abluta cæde remisit.

ERGO NEC CLYPEO) Insistentibus Teucris, & Iunone cessante, nec clypeo tantis telis valebat occurrere, nec dextra pugnare. Hunc locum ex Homeri Iliad. 16. vbi Aiacis pugnam describit, Ennius in 15. Annal. trãstulerat, docens quá generosè, ac strenue Cælius Tribunus Istris sese oppugnantibus restiterit. Sed eum de incluso Turno gratia elegantiore composuit Virgilius. Macrob lib. 6. cap. 3. Vt conferre locum cum loco possis, ecce tibi Enniana carmina.

Vndiq; conueniunt, velut imber tela Tribuno
Configunt parmam: tinnit hastilibus vmbo,
Æratæ sonitant galeæ: sed nec pote quisquam
Vndiq; nitendo corpus discerpere ferro.
Semper abundantes hastas frangitq;, quatitq;.
Totum sudor habet corpus, multumq; laborat:
Nec respirandi fit copia præpete ferro.
Istri tela manu iacientes sollicitabant.

Statius 2. Thebaid. aliquanto remissius Tydeum pugna defatigatum ita describit.

——— attamen illi
Membra negant, lassusq; ferit præcordia sanguis.
Iam sublata manus cassos defertur in ictus:
Tardatiq; gradus, clypeum non sustinet vmbo
Mutatum spoliis, gelidus cadit inter anhelo
Pectore, tum crines, ardentiaq; ora cruentis
Roribus, & tetra morientum aspergine manant.

INIECT. VNDIQVE TEL. OBRVIT.) Tanta vis telorum iaciebatur in Turnum, vt eum potius obruerent, quam ferirent.

STREPIT ASSID. CAVA TEMP. CIRCVM TINN. GAL.) simile est, quod habemus lib. 5. de pugna Entelli, & Daretis. *erratq; aures, & tempora circum Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ.*

SAXIS SOLID. ÆRA FATIS.) Æs quamuis solidum,

quo formata fuerat galea, duris ictibus, multo amplius saxis euictum, in rimas plures vi maiore versum est. Donatus.

NEC SVFFICIT VMBO) Quomodo enim vnum scutum tot millibus telorum omni ex parte venientium valebat occurrere, aut tantum ponderis sustinere? De vmbone annotata inuenies 2. Æneid. *& summo nequidquam vmbone pependit.*

ET IPSE FVLMINEVS MNESTHEVS) Necesse enim erat, vt cum omnibus faceret, quod hortatu suo vniuersos videbat efficere. Ipse quippe alios segnes, & debiles reddit, qui quod iusserit, communicare non curat, & laborantibus cunctis, solus cessat otiosus. Donatus.

TVM TOTO CORP. SVDOR LIQVITVR) 2. Æneid. de simulacro Palladis, *salsusq́; per artus Sudor iit.* Et lib. 3. *Tum gelidus toto manabat corpore sudor.* Lib. 7. *ossaq́; & artus Perfudit toto proruptus corpore sudor.*

FESSOS QVATIT ÆGER ANHEL. ARTVS) Lib. 5. *cum creber anhelitus artus Aridaq́; ora quatit.* Ibid. *vastos quatit æger anhelitus artus.*

PICEVM FLVMEN) Quærendum videtur, cur piceum sudorem dixerit: flumen enim illud sudor est. Ergo hic per transumptionem piceum interpretor nigrum, & ex eo multũ: multus enim humor nigricat: qui paucus, pellucet, & limpidus est. Turneb. lib. 22. cap. 7.

TVM DEMVM) postquam se aliter euadere non posse vidit.

PRÆCEPS SALTV SESE OMNIB. ARM. IN FLVVIVM DEDIT) Homeri sunt verba, vbi commemorat virtute Patrocli factum esse, vt Troiani, qui cum equis iruperant in castra Græcorum, impellente ipsos Hectore, contra consilium Polydamantis, inde subitò eiicerentur, adiungitque, illum fortissimum iuuenem potissimùm tunc vim illam suam in ducem hostium effundere voluisse, atque in eum tela coniicere, quem tamen equi iam ex eo periculo asportârant. Ἕκτορα δ᾽ ἐξεφόρευν ὠκέες ἵπποι. Declaratio autem vetus eius loci narrat, Æschylum in fabula quadam sua fecisse Achillem simili tempore, cum, inquam, ipsum quoque oportuisset cedere, retro se cum armis, quibus corpus texerat, coniecisse, atque ita saltu fossam pertransisse, ne tergum hostibus ostenderet. Similitudinem autem aliquam ipsius habere videtur, quod fecit Virgil. Turnum discedentem è castris Troianorum, in quæ solus inuaserat, & in quibus non paruam hostiũ stragem ediderat, se armatum coniecisse in fluuium, atque ita è manibus ipsorum, qui conferti vndiq; in eum impetum fecerant, elapsum. Quod enim inquit, *omnibus armis*, expressit πανοπλίαν, quo etiam vsa est vetus illa, quam dixi, declaratio. Victor. lib. 38. cap. 24.

Suggerit mihi natatus Turni ad suos, præceptum illud militare, quod est apud Vegetium lib. 1. cap. 10. ad vsum natandi tyrones exercendos esse. Caussæ ponuntur hæc. Non enim pontibus semper flumina transeuntur, sed & cedens, & insequens natare cogitur frequenter exercitus. Sæpe repentinis imbribus, vel niuibus so-

A lent exundare torrentes, & quæ sequuntur. Putatur etiam Maro insinuare voluisse facinus Iulij Cæsaris sub persona Turni. Nam & ipse bello Alexandrino circumuentus ab hostibus, de ponte in mare subiectum desiluit, ducentisque passibus ad nauim proximam adnauit, sublata manu læua cum libellis, & mordicus paludamentum trahens, ne hostis eo potiretur.

Idem Vegetius lib. 3. cap. 4. seu mare, seu fluuius vicinus est sedibus, æstiuo tempore ad natandum cogẽdi sunt omnes. Ad cap. 23. lib. 2. vbi etiam inter exercitationes militares numeratur natatus, hæc præter alia Steucchius. Obseruaui non in mari solum, & fluminibus belli tempore natare coactos Romanos: verùm, &

B domi aliquando in ipsis gymnasiis, interdum in priuatis balneis natãdi arte imbutos: adducit Festum, & Plin. epistolas. Præterea ex Aristotele notat, facilius in mari, quam in flumine natari, quod mare corpulentia aquæ suæ, & crassitie, corpora humana, vt & alia onera, facilius eleuata teneat.

SVO CVM GVRGITE FLAVO) Cum Tiberim constet albicantes habere aquas, easque, Albulam olim vocatam fuisse, non indignum esse quæsitu videatur, cur eum flauum Maro appellarit. In quo non tam attendẽdam vim vocabuli quidam censent, quam transumptionem existimandam. Cum enim homines flaui pulchri videantur, ex eo dicunt factum esse, vt flauus pulchrum

C significet, qua notione hic accipiendum esse, vt & apud Catullum. *Flauus quam molli præcurrit flumine Mella.* Sed & Hesychius doctissimus Nomenclator ξανθὸν flauum, & pulchrum etiam interpretatur. Verius sit tamen, ob arenam ita vocari, vt apud eundem hunc, Virgilium dico, & *multa flauus arena*, hoc eod. lib. & Horat. Ode 2. lib. 1. *Vidimus flauum Tiberim retortis.* Idem Ode 3. li. 2. *villaq́; flauus quam Tiberis lauat.* Turneb. li. 22. c. 7. *Suo cũ gurgite flauo.* Redundat particula, cum, παρέλκον vocant, quo tamen modo locuti sunt boni auctores. Catull. Epithal. *bona cum bono Nubit alite virgo.* Iterum. *Frustra immò magno cum pretio, atque malo,* Hesiod. σὺν ἐσθλοῖς ἀγαθοῖσιν.

D MOLLIBVS VNDIS) Lucret. lib. 1. *Quam cum mollis aquæ fertur natura repente.* Et lib. 2. *qua mollibus vndis Littoris incurui bibulam pauit æquor arenam.* Mollis dicitur aqua, quod aliis corporibus facile cedit.

ABLVTA CÆDE LÆTVM) Quòd homines cæde contaminati, aqua se abluere, & purificare solerent, & Romanis post victorias de hoste partas, exercitum ad expiandam cædem lustrare sollemne erat. Sanè quærunt multi, ait Seruius, quum Tibris Æneæ faueat, cur liberauerit Turnum. Soluitur ista ratione. Ob hoc Turnum esse liberatum, vt maior Æneæ gloria reseruetur: quippe quem sua manu est interfecturus.



SYMBO-



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER XV.

Ad decimum Aeneidos.

SYNOPSIS.

INterea dum Æneas versaretur in Etruria, Euandrique prudens, & ab amicissima voluntate profectum consilium secutus, Etruscos copias auxiliares rogaret, Turnus Troiam oppidum, seu castra Troianorum obsidione cincta premere instituerat: ipsemet etiam, cum patefacta porta irrupisset, Troianos huc illuc insequendo agitans, ferro, & maledictis appetebat. A quibus tandem densato cuneo cum vrgeretur instantius, ita se defensauit, itaque instantes repulit, vt ad portam, quæ flumini proxima, perueniret. Ibi, sicut erat, armatus fluuio se credidit, & ad suos viuus tranauit. Hæc summatim ex libro proximo superiore. Atq; hic rerum status erat, cum Iupiter tanquam communis parens, & superûm, atque hominum moderator, ratus ad officium suum etiam atque etiam pertinere, discordes redigere in concordiam, & tranquilla pace iuuare mortales, cum deorum alij à Iunone starent, nauarentque studium Rutulis, alij facerent cum Venere, & vnà patrocinium, ac defensionem Troianorum susciperent, concilium cogit, eorum inconstantiam, & mutabilitatem in reprehensionem vocat, quid cupiat exponit: nempe vt bello in præsens desistant, & odia cum certaminibus ad tempora aliquando futura, ad bellum scilicet secundum Punicum reseruent. In hoc amplissimo consessu Venus Iunonem, ceu vnicam suorum, infestissimamque oppugnatricem, & hostem capitalem, quæ nisi Troianis funditus deletis, odium suum exsaturare nulla posse ratione videatur, acerrimè, & multis accusat. Quæ illi sigillatim obiectat, ferè libris antecedentibus memorantur, & argumenta sunt ad probandum firmissima. Nepotem saltem Ascanium sibi incolumem donari obsecrat, si de Ænea conclamatum sit: & parietinas Troiæ veteris, si in Italia per Iunonis sæuitiam, importunitatemque pedem ponere minimè liceat. Respondet ita Iuno, vt se ab omni culpa conetur eximere, non facta pro factis obiiciens, multa apertè mentiens, & denique illud propemodum Terentianum dicens, Tutemet intriuisti, tibi est exedendum, quando caussam malorum omnium à Venere ipsa, & Troianis ipsis principiò profluxisse contendit. Auditis partibus, Iupiter, quoniam videt implacabiles, nec suæ pietatis esse ducit, alterutram offendere, pro neutra pronuntiat, & se rem in medio relicturum, fatisque permissurum, iureiurando diis sollemni interposito profitetur. Rutuli ad oppugnationem castrorum summis opibus incumbunt: Troiani, quibus nulla spes fugæ (quippe vndique ab hoste circundatis) salutem inter tela, & enses viriliter expedire connituntur. Conspicitur in turba Ascanius, quamqam pugna supersedens, quia propter interpositam Apollinis auctoritatem pugnare non dabatur. Huius adolescentis præcipuam, diuinamque speciem illustri quadam comparatione Maro declarat. Aliquot

ducum virtus: deinde aduentus Æneæ ab Etruscis, cum impetratis cohortibus subsidiariis narratur: sed ante strictim, & dilucidè indicat poeta, quid apud Tarchontem egerit Æneas, seu quæ capita fuerint orationis, qua apud eum vsus sit: quæ si consideres, nec aptiora potuisse, nec plura esse debuisse confitebere. In classe igitur illa auxiliaria, prima naui, id est, prætoria, Æneas vehebatur, de belli euentu metu suspensus, ac multum sollicitus: Mars enim incertus, & ἀλλοπρόσαλλος. Sinistrà Pallas ei assidebat, Euandri filius, quem pater velut tyronem magistro sanè optimo, ducique clarissimo in manus tradiderat. Is, vt est curiosior iuuentus, quoniam per lunam nauigabatur, & cælum stellis consertum patebat, cum de sideribus, tum etiam de præterita eius fortuna Æneam percunctabatur. Hic texendo catalogo, demonstrandisque copiis, vnde, & quibus ductoribus venerint, ad prodendam posteris memoriam videlicet (quemadmodum in septimo factum meministi, vbi Turni auxilia describebantur) Musarum fauor imploratur. Ipsum catalogum, ne sim longior, omittam apponere. Certè si rationem subducas, & simul quadringentos illos equites ab Euandro acceptos adnumeres, qui alio itinere præmittebantur, manum haud aspernandam deprehendas. Quid postea? occurrunt nymphæ lætabundæ (ille nimirum, quæ libr. 9. dum Turnus incendium nauibus inferre, atque ita spem omnem discessus præcidere miseris parat, ad preces Idææ matris, ex illis ipsis nauibus mirabili μεταμορφώσει extiterant) occurrunt, inquam, suum studium, & amorem in Æneam produnt, de sua item mutatione certiorem faciunt, faciem rerum memorant, vt cum prima luce pugnam edicat hortantur, victoriam promittunt, naues in cursu promouent. Precatur Æneas Cybelen, vti ratum sit augurium. Surgente iam die nympharũ monitis obtemperans, dato signo ad præliãdum suos inflãmat, & cum iam in cõspectu Troiana castra haberet, in puppi consistens, clypeumque illum Vulcanium ostentans, suis è muro aduentantem intuentibus hilaritatem summam, animorumq; alacritatem eximiam iniicit: qui mox & tela audacius in hostem iaciunt, & concepta in præcordiis gaudia altissimis clamoribus testantur. Obstupescunt rei nouitate Rutuli, donec classem littoribus allabi conspiciunt. Ibi tum suos Turnus incitat, ad littus cursim tendant, venientesque egressu prohibeant. Quid multa? exponitur copia, Tarchontis nauis vado impacta diffringitur. Turnus, ne si partem in Tuscos, & Æneam conuertisset, partem ad castra obsidenda reliquisset, vtrobique paruo negotio propter imminutum numerum vinceretur, totum agmen in aduenientes confestim ducit. Confligitur, AEneas dat letho complures, nomina insigniorum recensentur, & qui mos est Homericus, ad leũandum, seu auertendum potius ex nuda enumeratione nominum, ac cædium proueniens fastidium, nonnullæ vel natalium, vel fortunæ historiolæ asperguntur: id quod non modò de hac, sed etiam de sequentibus siue huius, siue aliorum librorum stragibus intellectum volo. Omnino felici successu AEneas dimicat, infestisque animis vterque concurrit exercitus. Pallas equitatum suum, propter iniquitatem loci fugæ intentum, egregia cohortatione emendat, & audacia implet: cum & exemplo ipsis præiret, & manu sua non paucos obtruncaret. Permulti tum Arcadum, tum Etruscorum, & Troianorum, qui erant cum AEnea, occumbunt: adeoque cominus pugnant, vt in se mutuò tela contorquere nequeant. Iuturna fratrem Turnum monet, Lauso Mezentij filio suppetias veniat: quem Pallas vrgebat. Sequitur duellum Pallantis cum Turno, à quo interficitur, ac spoliatur, Hercule, cui se dimicaturus comisserat, ingemiscente, & lacrymante insuper, quod fatis aduersantibus præstantissimo iuueni ferre opem nequiret. Herculem Iuppiter consolans, vnumquemque mortem manere suam, quam effugere nec deorum filij potuerint, breui quoque Turnum ipsum fato suo periturum docet. Ex acie scuto impositus Pallas à sociis cum comploratione effertur. Certissimo nuntio AEneas cædem adolescentis, & quantum in discrimen, periculumque res Troianorum vocatæ sint, cognoscit. Ferro sibi viam per Rutulos aperit, ac Turnum solum vestigans, multos ad orcum mittit: in quorum mortibus depingendis, est admirari poetæ ingenium. Erumpit castris Ascanius, copiolas suas cum paternis coniungit. Facetè appellata à Ioue

Ioue Iuno, ab eodem impetrat, vti pugnæ, seu morti instanti Turnum sibi dilectum liceat subducere. Quod quidem sic consequitur, dum nubem in formam Æneæ componit, similibusque armis adornat: ac deinde idolum cum voce, & tumultu quodam Turno obiectat. Id dum prouocatus longius semper, longiusque recedens insequitur, & vsque in nauim denique, Iuno repente oram abrumpit, Turnum indignantem, & se ob tantum dedecus (quia fugam, quod turpe est viro forti, iniuisse poterat existimari) nunc gladio interimere, nunc in pelagus abijcere, & natatu ad suos redire cupientem cohibet, atque Ardeam ad Daunum parentem senem perducit. Capessit eius locum Mezentius, homo impius, & sacrilegus: cuius constantia, corporis proceritas, & robur varijs comparationibus declaratur. A Tuscis, quibus erat execrabilissimus, confertim lacessitur, ipse bene multos luce spoliat. Iterum atrox conflictus, & mutua Troianorum, Rutulorumque cædes, dijs miseros mortales de cælo spectantibus, & misericordia prosequentibus. Cum Ænea congreditur Mezentius, dextram suam pro deo inuocans: in inguine ab eodem vulneratur. Hic Lausus adolescens filius patri, dum se abducat, vulnerique medicinam faciat, parmam commemorabili pietate prætendit, Aeneam proritat, nec vel monitus desistit. Ita ab eo demum iugulatur. Necem hanc laudibus tollit Virgilius. Etiam hic super clypeo exportatur ex acie, sedensque ad Tiberim Mezentius, pro nuntio ipsum gemitum cadauer portantium accipit: ex quo id quod res erat, quodque præsagierat animus, intelligit. Impensè dolet interitu filij, equum conscendit, cum Troiano congreditur: sed ab equo præceps datus, cogitur etiam ipse eius mactatu vitam ponere, cuius gladio iuuenis Lausus paullò ante occubuerat.

EXPLANATIONES.



Anditur interea domus omnipotentis olympi:
Conciliumq; vocat DIVVM PATER, ATQVE HOMINVM REX
Sideream in sedem: terras vnde arduus omnes,
Castraq; Dardanidûm aspectat, populosq; Latinos.
Considunt tectis bipatentibus: incipit ipse.
Cælicolæ magni, quia nam sententia vobis
Versa retrò? tantumq; animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:
Quæ contrà vetitum discordia? quis metus aut hos,
Aut hos arma sequi, ferrumq; lacessere suasit?
ADVENIET IVSTVM PVGNÆ (NE ARCESSITE) TEMPVS,
Cùm fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atq; Alpes immittet apertas,
Tum certare odijs, tum res rapuisse licebit:
NVNC SINITE, ET PLACIDVM LÆTI COMPONITE FOEDVS.
Iuppiter hæc paucis: at non Venus aurea contrà
Pauca refert:

PANDITVR INTEREA DOMVS OMNIP. OLYMP.) A Totus hic versus est à Næuio, vnica tantum voce, nempe epitheto, commutata: ille enim, *Panditur interea domus altitonantis olympi.* Et est in principio, seu inprimis hisce versib⁹ manifesta Homeri imitatio. Librum quippe θ. Iliad. à concilio deorum, & Iouis ad eos habita oratione orditur.

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν,
Ζεὺς δὲ θεῶν ἀγορὴν ποιήσατο τερπικέραυνος
Ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο:
Αὐτὸς δέ σφ' ἀγόρευε, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἄκουον.
Κέκλυτέ μευ πάντες τε θεοί, πᾶσαί τε θέαιναι,
Ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει.
Et iam prima nouo terras Aurora reuisens
Lumine lustrabat, croceos nitidissima vultus.
Concilium cogit diuûm pater, atq; hominum rex,
Qua suprema sita est stellantis regia cæli.
Omnibus hic tacitis tunc est sic Iuppiter orsus.

Cælicolæ magni, quicunq; huc dijq; deæq;
Venistis, capite hæc animis, & discite toto
Pectore, quæ dicam, quæ me depromere certò
Mens ratione iubet.

Lib. quoque Odyss. 5. à concilio deorum incipit, in quo Minerua caussam Vlyssis agit. Rhodigin. lib. 20. cap. 13. German. Vrsin.

Multos suboffendit hic versus. Cur enim attributionem *omnipotentis* olympo attribuat, non satis assequi se fatentur. Denique non desunt, qui iusto sacramento contendere parati sint, ita nullo modò Virgilium scripsisse, propinquamque scripturam rimati, partim *omnipatentis*, [*In his Baptista Egnat. Racemat. cap. 10. hoc enim græcum olympi nomen imprimis exposcere, cum dictus sit quasi ὅλος λάμπων totus lucens. Ergo rectissimè omnipatens, quod vel omnibus, vel ab omni parte pateat.*] partim *omniparentis* corrigant. Ego nihil muto, verũ epitheton alio sensu, quàm vulgò accipi videam, interpretor: ac olympum omnipotentem explico, omnia complectentem, omnibusque potientem. Potens enim non solùm à possum, verum etiam à potior deducitur, vel auctore Cicerone, cuius verba sunt 2. de leg. Quod si fingenda nomina vice poetæ, potius vincendi atq; potiundi casta sunt dijs cognomina. Nam, vt reor, inde dicitur omnipotens, non tantum quod omnia possit, sed etiam quod omnibus potitur. Et cum Horatius dixit, *suspendisse potenti Vestimenta maris deo*, Neptunum intellexit, qui mari potitur, & cuius mare sors est. Turneb. lib. 29. cap. 24. Vide præterea Erythræum in voce *olympi*.

Iupiter dictus est inter cætera nomina etiã Olympius, & sic vocatur ab Ennio. Næuius quoq;, *altitonatis olympi* Diod. lib. 3. cap. 5. Præfectus ait, Iouis Olympus: à quo eruditus, & ad virtutẽ institutus, Olympius cognominatus est. Cum igitur sic cognominetur Iupiter, rectè additur, *omnipotentis*. Quod autem simplici tertia, non geminata vocali scriptum est, olympi, non olympij, eius contractionis exempla sunt plurima cum apud alios, tum etiam apud Virgilium. Id porrò non solùm metri necessitate fieri, probari potest etiam ex vetustis inscriptionibus lapidum. Hæc ita à me dicuntur, vt magis in sententiam Stephani propendeam, ex cuius longiuscula, & erudita dissertatione super hoc, *omnipotentis olympi* hæc subtexam. Sicut in alijs plerisque vocibus ita etiam in hac voce *cælum*, continens pro contento poni sæpenumero videmus: cælum videlicet pro cælestibus, seu cælicolis, aut cælestibus, id est, dijs. Cum autem olympus pro cælo ponatur, quid ni eadem ratione omnipotentem Virgilius vocauerit? Ac mirum, cur epithetum, quod hîc mutatum fuit, contrà intactum manserit lib. 12. *Iunonem interea rex omnipotentis olympi Alloquitur.* Omnipotens igitur olympus est cælum, quod Iuppiter omnipotens incolit.

Sensus carminis est, postquam factus est dies: poetæ enim matutino tempore, cum lux oritur, cælum aiunt aperiri, noctu verò claudi: vnde est illud lib. 1. Æneid. *Ante diem clauso componet vesper olympo.* [*Sidonius,* Inde patefecit radijs tota candida cælum. *Solem orientem vocat rotam candidam: nam candidum pro lucido poni solet.*] Hoc ipsum firmatur ex eo, quod cælo etiam portas assignant: quod enim habet portas, aperitur, & clauditur: nec aliud officium potest esse portarum, nisi vt clausæ ingressum denegent: aut quum patent, venientes admittant. Vnam referunt portam, qua sol exoritur: alteram, quæ illum excipit occidentem. Quum igitur dies exactis noctis temporib9 aduenisset, & cælũ esset patefactum, concilium deorum fieri Iuppiter iussit, & in vnum cõgregari vniuersos. Donatus, Seruius.

A CONCILIVMQVE VOCAT) Σύγκλητον hic innuit, licet sint, qui malint consilium, per, s, scribere, vt apud Horatium, consiliantibus diuis, & è superiore libro *Consilium summis regni de rebus habebant.* Cic. ad Att. epist. 10. lib. 45. Tu quid egeris tua cum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer exspecto. More Græcorum, quibus βουλὴ tria significat, locum scilicet, consultores ipsos, illudque, de quo consultatio agitur. Docet & Eustathius, esse βουλὴν τὸ τῶν ἐντίμων συνέδριον, ὃ καὶ σύγκλητος λέγεται παρὰ τοῖς μεθ' ὅμηρον, ἀγορὰν δὲ τὴν τοῦ πλήθους σύλλογον.

Veteres, & præsertim poetæ, deos arbitrabantur concilia celebrare, concionesque, & senatum habere,
B & Ioui more Principum, regumque nostrorum, suos esse consiliarios. Quæ res 1. Metamorph. luculentissimè indicatur istis versibus.

Ingentes animo, dignas Ioue concipit iras,
Conciliumq; vocat: tenuit mora nulla vocatos.

Paulo post.

Ergo vbi marmoreo superi sedere recessu,
Celsior ipse loco, sceptroq; innixus eburno,
Terrificam capitis concussit terq; quaterq;
Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera mouit.
Talibus inde modis ora indignantia soluit.

Vrsin. German. & alij.

C DIVVM PATER ATQVE HOMINVM REX) Ab Ennio petiuit, ex Annal. 6. *Tum cum corde suo diuûm pater, atq; hominum rex Effatur.* Homerus autem, à quo vterq; accepit potius, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

SIDER. IN SEDEM TERRAS VNDE ARD. OM.) ex Homero puta manasse, Iliad. 8.

Αὐτὸς δ' ἐν κορυφῇσι καθέζετο, κύδεϊ γαίων,
Εἰσορόων Τρώων τε πόλιν, καὶ νῆας Ἀχαιῶν.

Simile quiddam habet illud lib. 1.

Et iam finis erat, cum Iupiter æthere summo
Despiciens mare velivolum, terrasq; iacentes,
Littoraq; & latos populos.

Et lib. 9. de Apoll.

D *Aetherea tum fortè plaga crinitus Apollo*
Desuper Ausonias acies, vrbemq; videbat,
Nube sedens.

CONSIDVNT TECTIS BIPATENTIBVS) Seruius Enniano sermone Virgilium scripsisse refert, *Considunt tectis bipatentibus*, ducta ab ostijs translatione, quæ vtraque parte aperiuntur: vt cælum ab ortu, & occasu patet. nam & Isidorus duas cæli ianuas dicit, ortum, & occasum. Portam tamen Virgilium posuisse pro hemisphærio, id est, semiglobo cæli, arbitror, illo versu 3. Georg. *quem super ingens Porta tonat cæli.* Sed & bipatens cælum propter duo hemisphæria dici potest, superius, & inferius: quamquam Maro planè, vt existimo, tecta bipatentia ab ædium similitudine, quæ fores habent,
E quæ hinc, & inde, dextra, læuaq; aperiuntur, quod videre est in magnatum domibus, (vt & bipatens pugillar, ab Ausonio dicitur, quod pugillares cum aperiuntur, duas pandunt paginas) scripsit, cum superos in domum conuenisse dixit. Turneb. libr. 18. cap. 27. & 26. cap. 24.

CÆLICOLÆ MAGNI) Potentes vocat Ouid. 1. Metamorph. Cum autem per admirationem dicitur, Dij magni, aut Dij immortales, conuenit neque marinos, neque inferos, sed cælestes intelligere, quorum comparatione dij cæteri parui potius, & minuti, quam magni sunt habendi. Tamen inter duodecim maiorum gentium deos etiam Neptunus numeratur. Oratio autem ista Iouis est dissuasoria. Dissuadet hoc tempore dissi-

dissidium dijs, & inimicitias propter Troianos, & Latinos. Venturam ætatem, quo bello scilicet Punico) explere odia mutua possint. A principio inconstantiam eorum castigat. Dicas etiam licet, ipsum suadere pacem & concordiam, sic enim orationem claudit, *Nunc finite, & placidum læti componite fœdus.* Cum Gorgias in ludis olympicis orationem ad Græcorum commune, de concordia habuisset, tetigit eum lepide Melanthus quidam: Hic, inquit, de concordia Græciæ totius disserit, qui sibi, vxori, & ancillæ, tribus duntaxat, vt concorditer viuant, nondum persuasit. Possit hoc in Ioue torqueri, qui dijs cælitibus pacem, & concordiam suadet, cum ipse tamen toties cum vxore litiget, & eam aduersariam patiatur, vt apud Homerum est legere. *

Antiqui deos suos in certos ordines, & quasi classes transcripserunt: vt quemadmodum Romani patricij maiorum, & minorum gentium: sic illorum dij alij Maiores essent, alij Minuti. Maiores, qui præcipua munia in administratione rerum fungebantur, puta Iupiter, Saturnus, Iuno, Venus. Minores, qui leuibus curis occupabantur, & quos vix cælo dignos deputarent, ob meriti paupertatem, vt ait Fulgentius, quales sunt Priapus, Vertumnus, Pomona, Flora, alij tales. Hos Semones appellabent, fortè (si placet ineptias Stoicorum ἐτυμολογίας imitati) quasi hemihemones. Nam hominem antiqui hemonem. Lipsius Antiq. lect. lib. 2. cap. 18.

QVIA NAM) pro cur? Proprijs verbis, ait Quintil. libr. 8. cap. 3. dignitatem dat antiquitas. Namque & sanctiorem, & magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat vsurus: eoque ornamento acerrimi iudicij P. Virgilius vnicè est vsus (olli, & quia nam, & mis, & ponè, pellucent) & aspergunt illam quæ etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem auctoritatem.

SENTENT. VERSA RETRO.) lib. 1. Venus ad Iouem, *quæ te genitor sententia vertit?* Appius Cæcus apud Ennium Annali 1. & adducit M. Tull. in Catone.

Quò vobis mentes, rectæ quæ stare solebant
Ante hac, dementis sese flexere ruina?

ABNVERAM BELLO ITALIAM) *Quomodo hic locus cum illo in 1. Æneid.* Bellum ingens geret Italia, *conciliandus sit, consule Seruium.*] De se Iupiter loquitur. Nec illud temerarium, aut fortuitum existimant ex lege versus positum, *Abnueram.* Respexit enim ad illud, quod Homerus de nutu, & supercilio Iouis 1. Iliad. scripsit: & Iupiter omnia nutu, & renutu faciebat: vnde & numinis appellatio. Et aliàs Maro lib. 9. *Annuit, & totum nutu tremefecit olympum.* Turneb. lib. 26. cap. 30.

QVÆ CONTRA VETITVM DISCORD.) Dixit *vetitum*, vt æquum, & *seruantissimus æqui.* Sub commonitione omnium deorum, maximè solam tangit Iunonem, cuius odia insequebantur etiá hoc bello Troianos, quod & sequentes Iunonis allocutiones manifestius significant. Seruius.

ADVENIET IVST. PVGNÆ, NE ARCESSITE, TEMP.) Tibull. lib. 1. eleg. 10.

Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

Eadem significatione videtur Euripides in Phœniss. καλεῖν τύχην dixisse, qua hic poeta arcessere tempus pugnæ: nempe Creonti importunè oraculum, & responsum efflagitanti, Tiresias respondet, φράζω μαντεῖα τοῦδ' ἐμοὶ σ' ὑπὲρ πάτρας σοῦ παιδί, ἐπειδὴ τὴν τύχην καλεῖς. & Lucanus. *Nil opus est votis iam fatum arcessite ferro.* German. * *Quanquam vulgati codices habent accersite, & ea lectio damnanda non sit, tamen elegantius legitur in quibusdam castigatioribus, arcessite. Est autem arcessere aduocare, accersere, attrahere, adducere. Cic. pro Sex. Roscio. Tunc ab aratro arcessebantur, qui Consules fierent. Post reditum. Quo die nos P. Lentulus comitijs centuriatis arcessiuit in patriam. Pro domo sua Cum P. Lentulus, Q. Metellus me accesserent in Senatum, non venirem? Est etiam arcessere, accusare. Inde dicimus aliquem capitis arcessere, iudicio arcessere.*

QVVM FERA CARTHAGO ROMANIS) Bellum Punicum secundũ insinuat, quando Annibal per Alpes ingressus est Italiam Fuit hic ingressus laboriosissimus, quem describit Liuius lib. 21. descriptionis extremum hoc est. Hoc maximè modo peruentum in Italiam, quinto mense à Carthagine noua, vt quidam auctores sunt, quinto decimo die Alpibus superatis. Quantæ copiæ transgresso in Italiam Annibali fuerint, nequaquã inter auctores constat. Qui plurimùm, centum millia peditum, viginti equitum fuisse scribunt: qui minimùm, viginti millia peditum, sex equitum, &c. De eodem transitu est apud Probum in Annibale ad hũc modum. Ad Alpes posteaquam venit, quæ Italiam ab Gallia seiungunt, quas nemo vnquam cum exercitu ante eum, præter Herculem Graium transierat: quo facto is hodie saltus Graius appellatur, Alpicos conantes prohibere transitum concidit, loca patefecit, itinera muniit, effecitque, vt eà elephantus oneratus ire posset, quà antea vnus homo inermis poterat repere. Enumerat deinde prælia cum Romanis inita. De odio autem Annibalis in Romanos, exponit idem Probus ab initio. Arnobij verba sunt è lib. 7. Annibalem illum Pœnum, hostem potententem, ac validum, sub quo anceps, & dubia res Romana contremuit, & magnitudo trepidauit.

Feram vocat Carthaginem, quia studijs asperrima belli. Quin etiam Romanos propter militaris rei studium, armorumque tractationem diutinam, à veteri poeta gentem feram appellatam fuisse opinor. Versus extant apud Gellium, nempe hi.

Punico bello secundo Musa pennato gradu
Intulit se bellicosam Romuli in gentem feram.

Ita vox *bellicosam* erit quasi interpretatio illius, *feram.* Ad morum enim feritatem nullo modo referendum est. Aut certè posterior prioris erit explicatio, tanquã per synonymiam.

TVM CERTARE ODIIS, TVM RES RAPVISSE) Liuius præfat. 2. belli Punici. Odijs etiam prope maioribus certarunt, quam viribus: Romanis indignantibus, quod victoribus victi vltro inferrent arma: Pœnis, quod superbe, auareque crederent imperitatum victis esse. Prædationes autem, seu res per iniuriam ablatæ, & repetitæ, nec restitutæ, olim ferè vnica, & iusta caussa habebatur belli faciendi. Cic. 1. Off. Ac belli quidem æquitas sanctissimè feciali pop. Rom. iure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur: aut denuntiatum ante sit, & indictum. De rebus prius repetitis exemplum illustre extat apud Plaut. Amphit. vbi Sosia seruus in hunc modum.

Principio vt illò aduenimus, vbi primum terram tetigimus,
Continuò Amphitruo delegit viros primorum principes.

Eos

Eos legat Teleboïs, iubet sententiam vt dicant suam.
Si sine vi, & bello velint rapta, & raptores tradere,
Si qua asportassent, redderent: se exercitum extemplo domum
Reducturum: abituros Argos Arginos, pacem, atq; otium
Dare illis: sin aliter sient animati, neque dent qua petat,
Sese igitur summa vi, viriúq; eorum oppidum expugnassere, &c.

De hoc eodem iure feciali, & cærimonia belli indicendi, huc transferemus verba Liuij, de lib. 1. ex Anco Martio, qui quartus Romæ regnauit. Vt tamen quoniam Numa in pace religiones instituisset, à se bellicæ cærimoniæ proderētur: nec gererentur solùm, sed etiā indicerentur bella aliquo ritu, ius ab antiqua gente Æquicolis, quod nunc feciales habent, descripsit, quo res repetuntur. Legatus, vbi ad fines eorum venit, vnde res repetūtur: capite velato (filum lanæ velamē est) audi Iupiter, inquit: audite fines (cuiuscunque gentis sunt nominat) audiat fas. Ego sum publicus nuntius pop. Rom. iustè, pièque legatus venio, verbisq; meis fides sit. Peragit deinde postulata. Inde Iouem testem facit. Si ego iniustè, impieque illos homines, illasq; res dedier pop. Rom. mihique exposco: tum patriæ compotem me nunquam sinas esse. Hæc, cum fines supra scandit, quicunque ei primus vir obuius fuerit, hæc portam ingrediens, hæc forum ingressus, paucis verbis carminis, cōcipiendique iurisiurandi mutatis peragit. si non deduntur, quos exposcit, diebus, tribus & triginta (tot enim solennes sunt) peractis, bellum ita indicit: Audi Iupiter, & tu Iuno: Quirine, dijque omnes cælestes, vosque inferni audite. Ego vos testor, populum illum (quicunque est, nominat) iniustum esse, neque ius persoluere, sed de istis rebus in patria maiores natu consulemus, quo pacto ius nostrum adipiscamur. Cum is nuntius Romam ad consulendum redit, confestim rex his ferme verbis patres consulebat: Quarum rerum, litiū, caussarum condixit pater patratus populi Rom. Quiritium patri patrato priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis, quas res nec dederunt, nec soluerunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, solui oportuit, dic inquit ei, quem primum sententiam rogabat, quid censes? Tum ille? puro, pioque duello quærendas censeo, itaque consentio, consciscoque. Inde ordine alij rogabantur, quandoq; pars maior eorum qui aderant, in eādem sententiam ibat, bellum erat consensu fieri solitū, vt fecialis hastam ferratam, aut sanguineam præustam A ad fines eorum ferret, & non minus tribus puberibus præsentibus diceret: Quòd populi priscorum Latinorum, hominesúe Latini aduersus prisci populū Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt, quòd populus Romanus Quiritium bellum cum priscis Latinis iussit esse, senatusque populi Romani Quiritium censuit, consensit, consciuit, vt bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rem ego, populusq; Romanus populis priscorum Latinorum, hominibusque priscis Latinis bellum indico, facioque. Id vbi dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Hoc tum modo ab Latinis repetitæ res, ac bellum indictum: moremque eum posteri acceperunt.

B IVPPITER HÆC PAVCIS) Non malè notauit Seruius, habere poetam rationem personarum, & superiorib. dare breuiloquiū (breuis est enim hæc Iouis oratio) contrà inferiori potestati prolixam orationem. Sic in 1. de Didone regina, *Tum breuiter Dido demissa profatur.*

VENVS AVREA) Aureum poetis sæpissime valet pulchrum. Appellarunt quoq; Græci poetæ Venerem auream χρυσῆν ἀφροδίτην, & in primis omnium pater Homerus. Lucanus in Charidemo, vbi formam commendat, Iunonem, Mineruam, Venerem ait nullo epitheto gaudere magis, quàm quod habet notionem pulchritudinis, & vt inde ipsas nominaret, Homerū impulisse. C Eius verba adducam in medium. Porrò tanto semper studio, tantaq; cura formosæ audire expetiuere, vt & heroum pariter, & deorum exornatori poetæ persuaserint, non aliunde magis, quàm à pulchritudine sese appellare. Proinde libentius audierit λευκώλενος (hoc est, niueis lacertis) Iuno, quam πρέσβα θεὰ, & θυγάτηρ μεγάλου κρόνου, (hoc est, antiqua dea, & Saturni magni filia) Minerua autem neq; Tritogenia, quam glaucopis vocari maluerit. Et Venus vniuerso etiam redemerit nominari χρυσῆ, hoc est, aurea. Quæ cuncta ad pulchritudinē pertinent. Certum est, Homerum deos, deasq; passim commendare à forma. Varia epitheta ad declarandam eorum pulchritudinem, aceruauit Tiraquell. 2. lege Connub. pag. 32. col. 2. & sequenti. D Quod verò Donatus mauult vocem *aurea* referri ad animum Veneris, quàm ad corpus, χρυσέη. Producit plures poetarum vtriusque linguæ locos Tiraquell. in 2. leg. Connubial. num. 36. & varias ex grauissimis scriptorib. rationes colligit, ob quas aurea diceretur Venus: tamē non aliud magis, quam pulchritudinem eius eo epitheto indicari ipse sentit, quod nobis quoque videtur verum. ✠

O PATER, O HOMINVM, DIVVMQVE ÆTERNA POTESTAS,
(Namq; aliud quid sit, quod iam implorare queamus?)
Cernis vt insultent Rutuli, Turnusq; feratur
Per medios insignis equis, tumidusq; secundo
Marte ruat? non clausa tegunt iam mœnia Teucros:
Quin intra portas, atq; ipsis prælia miscent
Aggeribus murorum, & inundant sanguine fossæ.
Æneas ignarus abest. nunquamné leuari
Obsidione sines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Troiæ, nec non exercitus alter:
Atq; iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis
Tydides. equidem, credo, mea vulnera restant,

Et tua

Et tua progenies mortalia demoror arma.
Si sine pace tua, atque inuito numine Troës
Italiam petiere, luant peccata, neque illos
Iuueris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quæ superi: manesq; dabant, CVR NVNC TVA QVISQVAM
FLECTERE IVSSA POTEST? aut cur noua condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
Quid tempestatum regem, ventosq; furentes
Æolia excitos, aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) mouet: & superis immissa repentè
Alecto, medias Italûm bacchata per vrbes.
Nil super imperio moueor: SPERAVIMVS ISTA,
DVM FORTVNA FVIT: VINCANT, QVOS VINCERE MAVIS.

O PATER, O HOM. DIVVMQVE) statu absolutiuo A vtitur Venus hac oratione, omniumque calamitatum, quibus iactentur Troiani, caussam in Iunonem confert: Troiani, inquam, quibus Italiam fata concesserint. Iuno autem relatiuo, dum nititur ostendere, Troianos non sua, sed Veneris caussa laborare. Seruius. Apud quem Probus quærit, cur Iupiter hominum, ac deorum æterna potestas dicatur. Sed eam quæstionem meo iudicio malè explicat. Ego enim puto significari imperatorem deorum, & hominum esse Iouem, vt dicitur hominum esse rex, atque deorum. Turneb. lib. 29. cap. 24. * *Vide lib. 1.* O qui res hominumque, deûmque Æternis regis imperiis. *Et nota illud Homeri, geminum Maroniano huic, Iliad. β.* ἐκ Διὸς, ὃς θεοῖσι, καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει.

NAMQVE ALIVD QVID SIT) Ac si diceret: quum pæne omnes dij in fauorem Iunonis concesserint, non habemus vltra, ad quem confugiamus, præter te omnium iustissimum. Seruius. Sic etiam Christiano homini licet dicere, cum omni humana ope, auxilioque mortali desperato, ad deum se conuertit, eius vnius auxilium flagitans, in cuius manu vniuersa sunt posita, & cuius voluntati nemo resistit, *Namq; aliud quid sit, quod iam implorare queamus?*

CERNIS VT INSVLTENT) Ad augendam inuidiam, quasi diceret, nulla opus est narratione, cum Troianorū miserias ipsemet conspicias. Seruius. De insultu Rutulorum infrà, *Interea Rutuli portis circum omnibus instant.*

INSIGNIS EQVIS) respicit ad illud lib. 7. *Viginti lectis equitum comitatus:* non enim castra Troianorum cum equis irruperat.

NON CLAVSA TEGVNT) odium excitat, seu misericordiam valde commouet: quasi dicat, quod vltimum erat vitæ seruandæ præsidium, vt in castra confugerent, hoc quoque spoliati sunt, qui hostem in mediis castris habent.

AGGERIBVS MVRORVM) Mœrorum pro murorū, antiqua scriptura: illi siquidem pleraque eorum, quæ nos per, v, dicimus, & scribimus, per diphthongum oe scribebant, & pronuntiabant. Itaque mœri, non muri: D pœnio, non punio. Hæc & superiora ex Seruio. * *Leget igitur* Aggeribus mœrorum; *pro,* murorum *Seruius. Necessario etiam* mœris *pro* muris *legendum erit in versu, qui est ab hoc tertius* Obsidione sines? muris iterum imminet hostis. *Tamen cum alibi hæc vox vbique per vocalem, v, scripta cernatur, ne hic quidem mutanda erit. Pluribus hæc Steph. in Schediasmatis.*

INVNDANT SANG. FOSSÆ) Seruius explicat, implent, & inundare faciunt. Legit ergo, vt apparet *fossas*, accusandi casu.

ÆNEAS IGNARVS ABEST) Magnum incommodum exercitui, magnumque periculum absentia ducis, & quidem tam egregij ducis, de quo verè Ascanius lib. superiore, *nihil illo triste recepto.* Hoc enim non magis de se vno, quam de omnibus Troianis dixit, non esse timendum scilicet Ænea præsente, sed speranda omnia. Est etiam victoria magis posita in prudētia ducis, quam in virtute militum, vt eius absentia meritò dolenda videatur.

NEC NON EXERCIT. ALTER) Quæ ad hunc locum B illustrandum pertinent, dicta habes lib. 7. ad illa verba, *& Paris alter.* Alter exercitus, Latinorum scilicet, prior enim Græcorum fuit.

ATQVE ITERVM IN TEVCROS) Atqui non est venturus. Vnde accipiamus Venerem non quasi deam loqui, sed quasi vnam de Troianis, vt lib. 1. *vnius ob iram Prodimur.* Item eodem loco, *cæli quibus annuis arcem:* ne futura ignorare videatur. Seruius.

ÆTOLIS AB ARPIS) Ætolis Arpis sic dixit, vt Cumas Euboicas: nam de AEtolia Diomedes venit, qui Arpos in Apulia collocauit. Seruius. * *Diomedis separatim meminit Venus, propter virtutem viri, quam & ipsa sensit. Sic lib. 1. Danaûm fortissimum vocauit Æneas, vbi eius manu potius ad Troiam occidisse optat, quam naufragio ingloriùs pereat. De* C *eodem Venulus obitam legationem renuntians, lib. sequenti,* Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.

EQVID. CREDO, MEA VVLNERA RESTANT) Vocem *credo*, vt Græcorum οἶμαι vsurpari, quomodo & *puto* apud Ouidium, εἰρωνικῶς videlicet, si ritè recordor, alibi docui. Cic. 1. Philipp. Annibal, credo, erat ad portas; aut de Pyrrhi pace agebatur, &c. Sensus verborum est. Hoc mihi forsitan restat, vt iterum à Tydide vulnerer. De Venere à Diomede vulnerata Homerus Iliad. ε.

Ἔνθ' ἐπορεξάμενος μεγαθύμου Τυδέος υἱὸς
Ἄκρην οὔτασε χεῖρα μετάλμενος ὀξέϊ χαλκῷ
Ἀβληχρήν. & aliquot interiectis versibus.
Κύπριδα μὲν πρῶτον σχεδὸν οὔτασε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ.

Ex hoc figmento Homerico, de vulnerata Venere à Diomede, captauit occasionem perlepidi epigrammatis Sanazarius, quo Pallas eidem deæ mollitiem, & adulterium, acceptamque à Diomede cum damno ignominiam falsè obiicit.

Dum Venus armatum complectitur obuia Martem, A
Distrinxit teneram fibula adunca manum.
Sensit, & ante Iouem ridens ait æmula Pallas,
Bella iterum gessit cum Diomede soror.

Iam de diis ab hominib. vulneratis, hæc tradit Clemens Alexand. Exhortat. ad gentes. Rectè autem admodum coniicit Homerus, introducens Venerem propter vulnus, acuta, & magna voce clamantem, & narrans bellicosissimum Martem fuisse à Diomede in ventre sauciatum. Polemo autem dicit etiam Mineruam fuisse vulneratam ab Ornyto. Quin etiam dicit Homerus, Plutonem fuisse vulneratum ab Hercule, & Eleum Augeam refert Panyasis. Item Iunonem coniugalem ab eodem Hercule fuisse vulneratam in Pylo arenosa, narrat ipse Panyasis. Sosibius autem dicit, etiam Herculem fuisse in manu sauciatum ab Hippocoontidis. ✠

DEMOROR ARMA) sicut alibi *demoror annos*, *demoror Austros.* Ab indignitate rei, ego Iouis filia, & dea lædor ab hominibus. Manet me, seu impendet mihi casus idem ab armis mortalium.

LVANT PECCATA, NEQVE ILLOS IVVER. AVXIL.) Concessiuus est modus, quoties tædio contentionis quasi videmur concedere, quod tamen nolumus fieri: nam id agit Venus hoc loco, vt Iupiter magis præstet auxilium. Seruius.

SIN TOT RESPONSA, QVÆ SVP. MAN.) Æneas Heleno lib. 3. *& cuncti suaserunt numine diui Italiam petere, & terras tentare repostas.* Responsa ista superûm, maniumq; ponamus ob oculos. Per superos accipe Apollinem, & penates: per manes Creusam, & Anchisen. Ad finem lib. 2. vmbra Creusæ.

Ad terram Hesperiam venies, vbi Lydius arua
Inter opima virûm leni fluit agmine Tibris.
Illic res lætæ, regnumq́, & regia coniux
Parta tibi.

Apollo consultus apud Delum. lib. 3.

Dardanidæ duri, quæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos vbere læto
Accipiet reduces, antiquam exquirite matrem.

Penates ibidem per quietem Æneæ.

Mutandæ sedes: non hæc tibi littora suasit
Delius, aut Cretæ iussit considere Apollo.
Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atq; vbere glebæ,
Oenotrij coluere viri, nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.
Hæ nobis propriæ sedes, hinc Dardanus ortus,
Iasiusq; pater, genus à quo principe nostrum.

Anchises lib. 5.

Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior, lectos iuuenes fortissima corda
Defer in Italiam: gens dura atq; aspera cultu
Debellanda tibi Latio est.

CVR TVA QVISQVAM) *Quisquam*, verecundè, quia contra vxorem agit apud maritum. Seruius.

CVR NOVA CONDERE FATA) Notat Iouis inconstantiam, quomodo & in primo, *quæ te genitor sententia vertit?*

A QVID REPETAM EXVSTAS) De incensis nauibus lib. 5. De ventis, & tempestate lib. 1. *Talia flammato secum dea corde volutans Æoliam venit*, vbi regiam Æoli Strongylen, non omnes Æolias significat.

TEMPEST. REG.) περιφραστικῶς Æolum nominat, qui, vt dicitur in 1. *Luctantes ventos, tempestatesq́, sonoras Imperio premit.*

VENTOSQVE FVRENTES) Eorum furor ibidem descriptus est.

AVT ACTAM NVBIBVS IRIM?) Irim ad Turnum missam intellige lib. 9. statim principio. Atque ita præteritione quadam demonstrat Æneam grauissimis afflictatum incõmodis, quasi diis aduersantibus petisset I- B taliam, quod secus est, vt docuimus. ✠

NVNC ETIAM MANES) suprà Iuno, *Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.*

HÆC INTEN.) De verbo *intentatum*, disputauimus ex Victor. lib. 8. ad illud,

At furiis Caci mens effera, ne quid inausum,
Aut intentatum scelerisúe, dolisúe fuisset.

SORS RERVM) id est, regnum: siquidem 3. fratres, Iupiter, Neptunus, Pluto sorte mundi regna inter se diuiserant. Et præter inferos Iuno cælum, & omnia elementa in Troianos concitârat. Itaque in 1. verè, *Quæ mare nunc, terrasq́, metu, cælumq́, fatigat.* Et ipsa in 7. *Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.* Ibidem de C Alecto, & eius effectu. Vide lib. 1. ibi. *Non illi imperium pelagi, sæuumq́, tridentem, Sed mihi sorte datum.* Auctor hymni in Neptunum ἐς τετάτης ἔλαχες μοίρης βαθὺ χεῦμα θαλάσσης, Seruius, Vrsin. * *Pluto item apud Claudianum lib. 1. de raptu Proserp.*

Nonne satis visum est, grati quod luminis expers
Tertia supremæ patior dispendia sortis,
Informesque plagas?

Callimachus tamen hymno in Iouem, cælum non sortitò, sed propter egregia facta illi obuenisse dicit: quis enim, inquit, de cælo, & inferis, (propter summam videlicet inæqualitatem) sortiri velit? Latinos versus appingo,

Vera nec antiqui prorsum dixêre poetæ,
Quod sit sorte tribus diuisus fratribus orbis.
Ecquis enim cælum, atque erebum, nisi cæcus, & amens
D Ducere sorte velit? sortiri conuenit æqua:
At cælum, atque erebus toto procul orbe remota.
Mentiar hæc dicens, aures quæ fallere possint.
Non regem sors cæca deûm, sed dextera fecit,
Et virtus, & iuncta tuæ victoria sellæ.

MED. ITAL. BACCH. PER VRBES) Omittit per occupationem superiora, & proximam, seu recẽtissimam Iunonis iniuriam refert, furiam scilicet ab inferis excitatam. *Vrbes Italûm* intellige Laurentum, & Ardeam.

NIL SVPER IMP. MOVEOR.) De imperio promisso recurre ad 1. Æneid.

DVM FORTVNA FVIT) Lib. 3. *Hospitium antiquum Troiæ, sociisq́, penates, Dum fortuna fuit.*

VINCANT QVOS VINCERE MAVIS) Lib. 5. *vincant,* E *quibus hoc Neptune dedisti.* Amara concessio vocatur, cũ id permittimus, & pati nos velle significamus, quod minimè omnium volumus. Talis lecta est superius *luant peccata, neque illos Iuueris auxilio.* Et lib. 4. *I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.* ✠

Si nulla est regio, Teucris quam det tua coniux
Dura, per euersæ genitor fumantia Troiæ
Excidia obtestor, liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem:
Æneas sanè ignotis iactetur in vndis,
Et quamcunq; viam dederit fortuna, sequatur:

Hunc

Hunc tegere, & diræ valeam subducere pugnæ.
Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliæq; domus: positis inglorius armis
Exigat hîc æuum. magna ditione iubeto
Carthago premat Ausoniam: nihil vrbibus inde
Obstabit Tyriis. quid pestem euadere belli
Iuuit, & Argolicos medium fugisse per ignes?
Totq; maris, vastæq; exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri, recidiuaq; Pergama quærunt?
Non satius cineres patriæ insedisse supremos,
Atq; solum, quo Troia fuit? Xanthum, & Simoënta
Redde oro miseris: iterumq; reuoluere casus
Da pater Iliacos Teucris.

SI NVLLA EST REGIO, TEVCRIS QVAM DET TVA CON.) A Venus libr. 1. super Iunone apud Iouem querelam habens, inter cætera, *quibus tot funera passis Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.*

FVMAN. TROIÆ EXCIDIA) Euripid. Troad. *φρυγῶν πόλιν, ἣ νῦν καπνοῦται.* Vocat item Troiam *κατηθαλωμένην.* Et 3. Æneid. *& omnis humo fumat Neptunia Troia.*

LICEAT DIM. AB AR. INCOL. ASCAN.) Parentes plerumque se indulgentius gerunt erga nepotes, quam erga filios. [*Hoc igitur πάθος in Venere exprimit. Laertes quoque Odyss. ω. magis de Telemacho nepote, quam Vlysse filio est sollicitus.*] Ideo Venus pro Ænea non petit. Aut quia soli Ascanio debetur imperium: vt lib. 4. *cui regnum Italiæ, Romanaq; tellus Debetur.* Seruius. * *Hoc ergo petit. Liceat mihi nepotem meum ab armis seducere, eiq; vitam seruare, quemadmodum apud Troiam filium Æneam pugnæ, periculoque subduxi.*

SVPERESSE NEP.) Pro *superesse*, sunt qui legunt, idque non ineleganter, *superare*, est enim superare superuiuere, superstitem esse. lib. 3. *Quid puer Ascanius, superat ne, & vescitur aura Ætheria?* Lib. 11. *Murranum, quo non superat mihi charior alter.*

ÆN. SANE IGNOTIS) De Æneæ partibus taceo, ferat ille fortunam suam, iactetur etiam nunc per ignota pelagi, faciam sine crimine, tuo concessu, quod possum pro nepote meo: subtraham illum bello, qui si nusquam commorari sinitur, deget in meo, in aliqua mearum vrbium, quæ mihi sunt in Creta dedicatæ, aut insula Cy- C theris. Et quoniam eius virtuti, & gloriæ inuidetur, aliquo locorum istorum viuet inglorius. Hoc tantum sine nos perfrui solatio. Donatus * *Par fecit Venus Thetidi, quæ filium suum Achillem, quem oraculo acceperat parum diu victurum: sed immortalem sui relicturum memoriam, si ad bellum Iliacum esset profectus: sin minus, victurum quidem diu, sed sine gloria, maluit habere diu superstitem, quamuis inglorium: quare eum inter filias Lycomedis occultauit. Sed iustius ab armis Ascanium suum abducere postulat Venus, cui promissum erat magnum imperium.*

ET QVAMCVNQVE VIAM DED. FORT. SEQVAT.) seu aduersa asperam, seu secunda planam, sequatur: id est, vtatur ea fortuna, quæ illi obtigerit. Desperate loquitur Venus, & quasi nescia, quo in statu sit filius. Sed hoc callidè.

HVNC TEGERE) tegere, est etiam defendere. Lib. 12. *nec dij texêre Cupentum Ænea veniente sui.* Probauimus alibi, adductis auctoritatibus.

EST AMATHVS) Aliqua tuta Cypri loca sibi sacra recenset, in quæ ex hostium manibus Ascanium remoueat. De Amathunte Catull. in annales Volusij.

Nunc ô cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum, Idalium, Vriosq; apertos,
Quæq; Ancona, Gnidumq; arundinosam
Colis, quæq; Amathunta, quæq; Golgos, &c.

Inde eidem Catullo Amathuntia. *Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam.* Virgil. Citi. *Nam te iactari non est Amathusia nostri Tam rudis.*

POSITIS INGLOR. AR. EXIGAT HIC ÆVVM) Ad Achillis fata allusum, de quibus paulo ante in appendice.

MAGNA DITIONE IVBETO) Venus per amaram concessionem dicit, quæ fieri nollet. Quia Carthaginenses, si victis Romanis Italiam obtinuissent, magnas B opes adepti fuissent, magnum essent imperium, magnâ gloriam consecuti. Modicius cap. 36.

CARTHAGO PREMAT AVSONIAM) quod fieri non posse, & obstare sibi fata, nec ipsa quidem nescit Iuno. Scriptum enim in 1.

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum latè regem, belloq; superbum
Venturum excidio Libyæ. sic voluere Parcas.

Futurum igitur potius sciebat, vt Ausonia, id est, Roma Carthaginem premeret, fatis ita volentibus.

NIHIL VRBIBVS INDE OBSTAB. TYRIIS) id est, Carthaginensibus nihil obstabit, quo minus orbis terrarum imperium consequantur. Oppressis Italis, Romanis victis, nihil erit præterea, quod illis resistere possit, aut repugnare. Modicius.

TOTQVE MARIS VAST. EXHAVST. PERICVL. TERRÆ) Lib. 1. *terris iactatus, & alto.* Dido, *Omnibus errantem terris, & fluctibus.*

RECIDIVA PERGAMA) interpretatur Seruius, renascentia. Tractum, inquit, ab arboribus, quæ aliis sectis repullulant. Ergo illud solùm recidiuum dicimus, quod postea renascitur: vnde modò recidiua dixit, quæ renouantur ab his, qui sunt superstites Troianis periculis. Nimirum Seruius *ἀναφυόμενα, παλιμφυῆ*, & *παλιμβλαστῆ* accipit. Sunt qui *rediuiua* legi posse suspicen- D tur, quibus fauet Propert. illo versu, *Arma resurgentis portans victricia Troiæ.* Ita German. qui miratur, antepenultimam corripi, si ab arboribus sectis, & incisis ducatur vox quadam similitudine. * *Quid si* recidiua *idcirco dicta sint Pergama, quia rursum ceciderant, nempe bis euersa, ab Hercule, & Græcis πίπτω.*

CINERES PATRIÆ INSEDISSE) Lib. 4. *Vrbem Troianam primùm, dulcesq; meorum Reliquias colerem.* Pa-

thos est à loco, & collatione periculorum, à minoribus lata, in memoriam redigent eis belli Iliaci conditionem, atque fortunam. Turneb. libr. secundo, cap. 21. exaggeratis.

SOLVM QVO TROIA FVIT) Principiò tertij, *Et campos vbi Troia fuit.*

XANTH. ET SIMOENTA REDDE) Hoc ambiguum visum esse intelligo antiquis Criticis. [*Seruius quidem, quem fortasse potissimum perstringit Turneb. in hunc modum. Ambiguum est, vtrum dicat, redde nobis reuera Troiam antiquam: an, redde nobis terras in Italia, ad similitudinem Troiæ. Nouimus enim hanc consuetudinem fuisse, vt aduenæ patriæ suæ imaginem sibi redderent: vt in 3.* Effigiem Xanthi, Troiamque videtis.] Puto sedes certas, coloniamque peti, quæ antiquæ patriæ effigiem, imaginemque habeant, vt ex locorum, portuum, fluuiorum admonitione idem nomen habentium, veniat in mentem colonis antiquæ patriæ, excidiique Troiani, & belli. Xanthus enim, & Simois, ad quos bellatum est, & Troia vetustæ Troiæ simulata, in memoriam redigent eis belli Iliaci conditionem, atque fortunam. Turneb. libr. secundo, cap. 21.

* *Confirmant hanc explanationem illa lib. 3. vbi Æneas discessurus, Helenum, & Andromachen affatur.*

Arua neque Ausoniæ semper cedentia retro
Quærenda: effigiem Xanthi, Troiamque videtis,
Quam vestræ fecere manus.

Si ad Italiam refers, ait Seruius, tum illud quod sequitur, *iterumq; reuoluere casus*, sic intellige: redde nobis Italiam, & libenter repetemus ea, quæ in Troia pertulimus.

ITERVMQVE REVOL. CASVS ILIACOS) lib. 1. *tot voluere casus.* Magnum, inquit, meis præstabis beneficium, si patriam antiquam illis reddideris, seu loca patriæ antiquæ, cum hac conditione, vt iterum patiantur, quæ passi sunt.

----------- Tum regia Iuno
Acta furore graui, QVID ME ALTA SILENTIA COGIS
RVMPERE, ET OBDVCTVM VERBIS VVLGARE DOLOREM?
Ænean hominum quisquam, diuûmq; subegit
Bella sequi, aut hostem Regi se inferre Latino?
Italiam petiit fatis autoribus: esto,
Cassandræ impulsus furiis. num linquere castra
Hortati sumus, aut VITAM COMMITTERE VENTIS?
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamúe fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit? vbi hîc Iuno, demissaúe nubibus Iris?
Indignum est Italos Troiam circundare flammis
Nascentem, & patria Turnum consistere terra,
Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.
Quid, face Troianos atra vim ferre Latinis?
Arua aliena iugo premere, atq; auertere prædas?
Quid soceros legere, & gremiis abducere pactas?
PACEM ORARE MANV, PRÆFIGERE PVPPIBVS ARMA?
Tu potes Æneam manibus subducere Graiûm,
Proq; viro nebulam, & ventos obtendere inanes:
Et potes in totidem classem conuertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contrà iuuisse nefandum est?
Æneas ignarus abest: ignarus & absit.
Est Paphos, Idaliumq; tibi, sunt alta Cythera:
Quid grauidam bellis vrbem, & corda aspera tentas?
Nósne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achiuis
Obiecit? quæ causa fuit consurgere in arma
Europamq;, Asiamq;, & fœdera soluere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter?
Aut ego tela dedi, fouiqúe cupidine bella?
TVNC DECVIT METVISSE TVIS: NVNC SERA QVERELIS
HAVD IVSTIS ASSVRGIS, & irrita iurgia iactas.

ACTA FVRORE GRAVI) *His agitur furiis*, de Turno lib. 12. Non agunt, sed aguntur, qui se affectibus submittunt: & serui seruorum suorum efficiuntur. Aguntur autem? immò rapiuntur, præsertim ira, & furore, pessimis

pessimis consiliarijs. Seneca lib. 3. de Ira, cap. 1. Cæteri A affectus dilationem recipiunt, & curari tardius possunt. Huius incitata, & se ipsa rapiens violentia, non paulatim procedit, sed dum incipit, tota est.

QVID ME ALTA) Principium abruptum, quoniam fatis indignantib⁹ leniter incipere non conuenit. Vide Macrob. lib. 4. cap. 2. *Me* id est, me verecundam, me iniurias dissimulantem, me nulli inimicam. Donat.

SILENTIA RVMPERE) Lucret. lib. 4. *Affirmant vulgò taciturna silentia rumpi.* Horat. Ode 5. Epod. *Sed dubius vnde rumperet silentium.* Oppianus, ῥῆξε νόημα σιωπῆς. Suprà lib. 2. *Composito rumpit vocem.* Vox, & silentium quamuis contraria sint, rumpere tamen vocem, & silentium, idem diuersa oratione significant. Nam rumpere vocem loqui dicimus, sicut rumpere questus, queri, quia vox, & questus pectore rumpuntur id est, effunduntur. Alibi ipse, *rumpuntur fontibus amnes*, id est, funduntur. Rumpere autem silentium ex eo loqui dicimus quia cum id facimus, veluti vocem rumpimus. Sic, rumpere moras, id est, non morari amplius: & ferè eadem ratione rumpere somnum dicimus. Hoc est quod voluit indicare Seruius in commentar. super hoc versu, *Composito rumpit vocem.* Sed ille meo iudicio id tantum annixus est. Erythræus.

Sigillatim dicta Veneris hac oratione soluuntur, cuius principium ita προσέρχεται Donat. Quid me prouocas loqui? quid vrges in publicum proferre, quod verecundo silentio diutissimè pressi? Quæ profectò adhuc continerem animo, nisi esset crimen, impudenter obiecta non refutasse responsa.

OBDVCTVM DOLOREM) Obductus dolor est, quem tegit patientia dissimulantis.

VERBIS VVLGARE) Vulgauit honestè positum, vile habuit, & quasi in vulgus dedit. Plaut. Amphit. *cuique me absente corpus vulgauit suum.* Vulgare, in vulgus dare, & quasi multis audientibus, ac non tacituris dicere. Virgil. *Quid me alta silentia,* &c. Ennius, *In vulgum vulgas, artemq́; expromes inertem.* Nonius.

ÆNEAN HOMINVM QVISQVAM) Celat quę facta sunt, quæ non sunt facta commemorat, malignè satis. Non enim Æneas, sed Turnus instinctu Iunonis bella commouit.

Sic est, vt dicit Seruius. Multa item mentitur in sequentibus. Quam inuidiosè, *hostem regi se inferre Latino?* Non infert bellum Æneas, sed propulsat. Verùm hic mos opulentorũ, ac tyrannorũ, vt conquerātur se accipere iniuriam, dum faciunt. Testem dabo magnum, Ecclesiast. 13. Diues iniustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit. Quapropter quod Seneca suadet lib. 2. de Ira, cap. 33. hoc suadeo tibi, tu suade alijs. Potentiorum iniuriæ hilari vultu, non tantum patienter ferendæ sunt: facient iterum, si se fecisse crediderint.

CASSANDRÆ IMPVLSVS FVRIIS) Falsum hoc, monitu Cassandræ vatis Æneam perijsse Italiam. Nam vt constat ex verbis Anchisæ, lib. 3. nemo tum ei fidem habebat: *aut quem tum vates Cassandra moueret?* Et *furijs* ait, vt vaticinium eleuet. Quamquã & Sibyllam furentem facit lib. 6. quam & Helenus in 3. insanam nominat. Sed hîc nequissimè dictum, pro ea quæ nihil nisi fureret. Inest præterea irrisio in hac oratione, dum cõcedit, fatis auctoribus venisse in Italiam, & mox addit *Cassandra impulsus furijs*: qualia enim facta, si meræ furiæ?

NVM LINQ. CASTRA) Culpam omnem retorquet in Æneam.

VITAM COMMITTERE VENTIS) quando scilicet duabus biremibus ad Euandrum profectus est, lib. 8. Qui pelago ratem commisit, est apud Horat. Ode 3. lib. 1.

NVM PVERO SVMMAM BELLI) Cum constet, hoc totum opus in eo esse, vt poetæ à Iuliæ familiæ cultura gratia quæratur, ibo facile in eorum sententiam, qui credunt, Maronem hunc locum in persona etiam non æquæ Troiano nomini deæ, ad Augusti laudem assentatoriè accommodasse, reuocantem tacito Ascanij exemplo veluti gentilem imperatoris felicitatem, qui prior, primùm senatus decreto, referente Cicerone, in Antonium exercitum, summamq́; rerum accepit. German. B

Æneas reuera belli summam, murorumque defensionem Ascanio puero discedens non commiserat, proinde mera est calumnia. Sic enim scriptum est lib. 9. idque cum eximia laude Æneæ, qui, quod ducem prudentissimum decebat, fecit.

Namq; ita discedens præceperat optimus armis
Æneas, si qua interea fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo,
Castra modò, & tutos seruarent aggere muros.

Alio loco.

------ instat Mnestheus, acerq́; Serestus,
Quos pater Æneas, si quando aduersa vocarent, C
Rectores iuueni, & rerum dedit esse magistros.

Ecce, nihil iuueni, ipsum potius credidit alijs. Tyrrhenos verò non excussit quietos in bellum, sed iusta ex caussa commotos, eos nauigaturos inuenit, eisdemque se tum adiunxit. Donatus.

TYRRHENAMVE FIDEM) opem, vel auxilium, vt quum dicitur, *Dij vestram fidem, Tuam fidem,* &c.

QVIS DEVS IN FRAVDEM) Quia quod stultum erat, puero summum relinquere in milites imperium, eumque ducem creare, non suaserit, neque coegerit, vt neque societatem cum Tyrrhenis, quos quietos turbauit Æneas, concludit se haud rectè vt auctorem huius belli reprehendi. Et tamen immisit Alecto furiam D in 7. quæ Latinos, & Turnum exacerbaret in Troianos, & Irim ad eundem Turnum lib. 9. sedentē in luco, quę ipsum aduersus Troianos ad arma impelleret. Malè igitur se purgat. Fraus est damnum sæpe, periculum, pœna, & incommodũ. Ne sit mihi, tibi ea res fraudi, id est, ne noceat. Sæpius ita locutum inuenias Ciceronē, & alios. Legimus etiam, id sine fraude facere ius potestasque esto, quod hodie dicunt, impunè facere liceat. Terent. Heaut. *In eandem fraudem ex largitate nimia Atq; ex parsimonia incides,* id est, vtrumque æquè damnosum est. Capitalem fraudem admittere dicitur, qui se capitali crimine obligat.

E INDIGNVM EST ITALOS) Per comparationem nititur leuare partes suas, & grauare partem aduersam. Comparat enim personam suam, & Veneris, Æneæ, & Turni: factum suum, & factum Veneris, gesta Æneæ, & gesta Turni. Ait ergo: indignum esse arbitraris Italos assistere commodis suis, & nascentem Troiam flammis circundare? Nunquid indignum etiam illud est, vt Turnus terras sibi patrias vindicet, regibus maioribus natus, ac diuina matre progenitus? Hoc verum asserebat Iuno sed tacuit de Æneæ genere, quoniam Pilumno Iupiter non fuerat conferendus, auus Æneæ, nec Veneri Venilia. Sed obiecit incendium Italis parasse Troianos. Sed hoc falsò composuit. Et arua aliena iugo premere illos, non fuit

verum: nam hoc voluisse Troianos, probari non pote- A rat. Quomodo autem verum illud, *atq; auertere predas*, qui rogantes venerunt ad Latinum? Eligere autem soceros, aut gremijs pactas abducere, quando Æneas probatur voluisse, cum illi vltro Latinus filiam obtulerit? Quando autem post acceptam pacem Troianos poterat monstrare, arma sponte sumpsisse, quod non essent prouocati ad bellum? Post hæc falsa, affert quædam vera, vt etiam prioribus ex his fides concilietur. Donat.

CVI PILVM. AVVS, CVI DIVA VENIL. MATER) Nimirum ne in foro cælesti Æneæ Turnus cedere videatur, qui etiam maternum genus ad diuos, vt Æneas referat: qua fere ratione, & adhortatione Iliad.υ. Apollo Æneam in Achillem instigat.

Ἥρως ἀλλά γε καὶ σὺ θεοῖς αἰειγενέτῃσι
Εὔχεο, καὶ δέ σε φασὶ Διὸς κούρης ἀφροδίτης
Ἐκγεγάμεν, κεῖνος δὲ χερείονος ἐκ θεοῦ ἐστι:
Ἡ μὲν γὰρ Διός ἐσθ', ἡ δ' ἐξ ἁλίοιο γέροντος.
Ἀλλ' ἰθὺς φέρε χαλκὸν ἀτειρέα, μηδέ σε πάμπαν
Λευγαλέοις ἐπέεσσιν ἀποτρεπέτω, καὶ ἀρειῇ.
Et tu posce deos veniam, quem mater amorum
Diua Venus peperit, Iouis inclyta filia magni:
Illum diua minor genuit, Thetis orta marino
De sene: te superûm rectoris filia. Sed tu
Vade, fer audaces in Achillem, & dirige gressus,
Nec moneare minis, nec dictis cede superbis.

Cuius loci imitatione constat omnino ille Calabri lib. 2. vbi Memnon insultans, & minabundus Achilli, se tanto illi præstare iactat, quanto Aurora mater Thetidi Nereidi. German.

QVID PACE TROIANOS ATRA) Atra, est infesta, dira, noxia, peruersa, iniusta, quod niger color infaustus sit. Sic apud Flaccum Ode 11. lib. 4. *minuentur atræ Carmine curæ*. Sic Homerus *μελαίνας ὀδύνας*. Turneb. lib. 4. cap. 14.

Rhetoricum est, ait Seruius, quoties aliqua non possumus soluere, paria opponere, quod nunc Iuno facit. Nam negare non potest, nec soluere, quia obsidentur Troiani. Vnde dicit: hoc indignum est, Troianos obsideri, bellum sæuum Latinis facere, (hæc enim est D atra fax) aliena matrimonia præripere dignum est? sic in Bucol. *Dic, quibus in terris inscripti nomina regum Nascantur flores*, contra illud nempe, quod Damœtas quæsierat de cæli spatio non amplius tres vlnas patente.

GREMIIS ABD. PACTAS) id est, sponsas: vt respiciat legis Iuliæ prouidentiam, & Antonini Seueri rescripta, quibus in sponsam admissa stupra vindicantur: quod nec matrimonium qualecunque, nec spem matrimonij violare permitteret. German. Virgo priusquã petitur, sperata dicitur. Dehinc promissa, pacta, sponsa dici potest. Nonius. * *Locutus est significantissimè*, gremijs abducere, *quasi dixisset, è complexu auulsam rapere: in quo maxime cernitur iniuria, & violentia magnitudo. Auferre* E *cuipiam quod legitimè habet, ac possidet, graue, & iniquum est: grauius, & iniquius è manibus, grauissimum è sinu, è gremio, è cõplexu per vim auferre.*

PACEM ORARE MANV) Vide adag. 45. Cent. 1. apud Iunium, *Altera caduceum, hastam altera*. Pacem orauit Æneas à Latino per centum oratores libr. 7. Arma præfixit puppibus, cum ad Euandrum cum duabus biremibus venit. Quæ duo maleuolè coniungit, & nequiter interpretatur Iuno. ✠

TV POTES ÆNEAM MANIB. SVBD. GRAIVM) Ex Homeri Iliad. ε.

Ἀμφὶ δ' ἑὸν φίλον υἱὸν ἐχεύατο πήχεε λευκώ,
Πρόσθε δέ οἱ πέπλοιο φαεινοῦ πτύγμ' ἐκάλυψεν,
Ἕρκος ἔμεν βελέων, μή τις Δαναῶν ταχυπώλων
Χαλκὸν ἐνὶ στήθεσσι βαλὼν, ἀπὸ θυμὸν ἕλοιτο,
Ἡ μὲν ἑὸν φίλον υἱὸν ὑπεξέφερεν πολέμοιο.
Certaq; pernicies aderat, nisi diua tulisset
Mater opem nato (quem pascua lata tenenti
Anchisæ peperit Venus) & complexa lacertis
Texisset niueis carissima corpora nati,
Splendida prætendens nitidi velamina pepli,
Ne qua ferire queant Danaum venientia tela
Pectora nuda viri: medio ex ardore cruenti
Abducens belli, imparibus defendit ab armis.

IN TOTID. CLASS. CONVERT. NYMPH.) Quamuis mater deûm classem Troianam in Nymphas conB uerterit (de quo lib. superiore) tamen Veneri imputatur, quoniam in eius gratiam factum est, vt in Eclog. 6. *Quas illi Philomena dapes*, cum Progne fecerit, sed propter Philomenam. Seruius.

NOS ALIQVID CONTRA RVT.) à minus verisimili ad magis verisimile. Si tibi magna licuerunt, cur nobis parua non licebunt?

ÆNEAS IGNARVS ABEST) Repetit verba Veneris, quibus suprà vsa est: sed ea & pronuntiatione deprauari à Iunone, & amara ironia eludi intelligendum est. Quæ enim soluere nequimus, mos est irridere. Sic in Bucolicis præmisit, *diuini opus Alcimedontis*. postea per irrisionem ait, *Et nobis idem Alcimedon duo* C *pocula fecit*. Seruius.

GRAVIDAM BEL. VRB.) Vt hîc grauidã bellis, sic supra grauidam imperijs Italiam. Sic & Græci trausferũt. Nõnus, *ἀμπλακίης ἐγκύμονα κόσμον*. Et epigram. *πόλεον εὐδιαν ἔγκυον ἡσυχίης*. Et *ἐπλόθχον ἵππον*, & *ἰθνείας σιδηρόθχον*. German. * *Vrbem, vt opinatur Seruius, prouinciam dixit. Latium scilicet: qua cum legerem, cogitabam fieri posse, vt poeta nomen vrbis eo significatu acceperit, quo voce ciuitas frequenter Cæsar, cum dicit, Heluetiorum, Biturigum, Suessionum, Aeduorum, Aruernorum ciuitas. Nam his locis Cæsari ciuitas (quod rectè notat Hoto manus) est gens, qua cum eadem lingua, tum etiã eodem iure, vnum imperium, vnumq; magistratum habet.*

NOS NE TIBI) Omnem culpam Troiæ dirutæ in Venerem p[...]tissimum, & adulterum Paridem confert. Sic apud Horat. Ode 3. lib. 3.

—— Ilion Ilion
Fatalis, incestusq; index,
Et mulier peregrina vertit
In puluerem.

FLVXAS RES) caducas, quæque etiam sine hoste potuissent perire. Cic in epist. res nostræ, vt in secundis fluxæ: vt in aduersis, bone.

VERTERE FVNDO) Lucret. lib. 3. *Hunc vincula amicitiaï Rumpere, & in summa pietatem vertere fundo*, hoc est, funditus perdere.

AN MISEROS QVI TROAS ACHIVIS) Pythias Parmenoni in Eunucho de Chærea, *Ni miserum insuper etiam patri indicares*. Ibidem Donatus, ad inuidiam Parmenonis miserum dicit adolescentem: eo modo, quo Iuno accusans Venerem, ait, *an miseros, qui Troas Achiuis Obiecit?*

CONSVRG. IN ARMA EVROP. ASIAMQVE) Europam dicit propter Græcos, Asiam propter Troianos. Et ob istuc bellum inter Europęos, & Asiaticos gestum cum cæde tot centenorum millium, Catull. Troiam festiuè commune Europæ, Asiæque sepulcrum vocat. ✠

SOLVERE FVRTO) id est, & amicitiam, & hospitium adulterio furtiuo dissipare, quod Paris fecit. Nã Priamo cum Menelao fuit hospitium, cuius vxorem Paris abduxit, quod iam decantatissimum est.

ME DVCE DARDAN. SPARTAM) Metropolis Laconiæ

coniæ Sparta, condita à Sparte filia Phoronei, vt docet A Eusebius in Chronicis. Fuit olim ἀτείχιστος, sine mœnibus: cuius rei caussam interrogatus Agesilaus, ostendit ciues armatos, cum his verbis, ταῦτ' ἐστὶ λακεδαιμονίων τέιχη, hi sunt Lacedæmonum muri. De historia porrò tractum, dicit Seruius, quod de Sparta à Paride expugnata Virgilius. Nam cum Helena sollicitata sequi Paridem noluisset, egressum ciuitatem obsedisse, illam rapuisse.

EXPVGNAVIT ADVLTER) Propert. eleg. 34. lib. 2. *Hospes in hospitium Menelao venit adulter.* Adulter, & adultera Festo dicuntur, quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum se conferunt. In scriptis tamen poetarum nonnunquam adulter amatorem, & stupris deditum B significat, nullo ad suam, alienamúe nuptam respectu. Horat. Ode 16. lib. 3.

Inclusam Danaen turris ahenea,
Robustaq́, fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierat satis
Nocturnis ab adulteris.

TVNC DECVIT METVISSE) Lib. 4. *Tunc decuit, cum sceptra dabas.* In Trinummo, cum Charmides redux nuntium de filio Lesbonico accepisset tristissimû, quippe qui per luxuriam fregerat rem patriam, vsque ad vnicum agellum.

Adimit animam mihi ægritudo: Stasime, tene me. ST. Vis ne aquam Tibi petam? CH. res quum animam agebat, tum esse offusam oportuit. In eadem comœdia idem seruus de eod. herili filio Lesbonico.

Serò, atq; stultè, prius quod cautum oportuit,
Postquam comedit rem, pòst rationem putat.

Stultus post factû, seu malo accepto, sapit. Euentus stultorum magister, ex Hesiodo. De L. Scipione Asiatico proditum est litteris, cum in Asiam aduersus Antiochum copias traiecisset, & rex tum primum legatos de pace mitteret, Hoc prius, inquit, Scipio factum decuit: nunc serum est, posteaquam frænum, & sessorem recepisti.

IRRITA IVRGIA IACTAS) in ventum loqueris, frustra in me inuadis, & perdita restituere incassum côtendis.

Talibus orabat Iuno: cunctiq; fremebant
Cælicolæ assensu vario: ceu flamina prima
Cùm deprensa fremunt syluis, & cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
TVM PATER OMNIPOTENS, RERVM CVI SVMMA POTESTAS
Infit: eo dicente, deûm domus alta silescit.
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther.
Tum Zephyri posuere, premit placida æquora pontus.
ACCIPITE ERGO ANIMIS, ATQVE HÆC MEA FIGITE DICTA.
Quandoquidem Ausonios coniungi fœdere Teucris
Haud licitum est, nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuiq; est fortuna hodie: quam quisq; secat spem,
Tros, Rutulusúe fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur:
Siue errore malo, Troiæ monitisq; sinistris.
Nec Rutulos soluo. sua cuiq; exorsa laborem,
Fortunamq́; ferent: REX IVPPITER OMNIBVS IDEM.
Fata viam inuenient. Stygij per flumina fratris
Per pice torrentes, atraq; voragine ripas,
ANNVIT, ET TOTVM NVTV TREMEFECIT OLYMPVM.
HIC FINIS FANDI. Solio tum Iuppiter aureo
Surgit: cælicolæ medium quem ad limina ducunt.

TALIBVS ORABAT) Bene, *orabat*, vt intelligamus cum artificio quodam locutam, & ῥητορικῶς. Vt enim oratio propriè oratorum sermo dicitur: sic orare illi soli dicuntur. Li. 6. *Orabunt caussas alij.* Vel orabat, id est, agebat. Vnde oratores, qui nunc legati, quod reipub. mandatas sibi partes agerent.

CVNCTIQVE FREMEB. CÆLICOLÆ) 1. Æneid. *Talibus Ilioneus, cuncti simul ore fremebant Dardanidæ.*

ASSENSV VARIO, CEV FLAM. PRIMA CVM) Vario assensu pars Iunoni fauebant, pars Veneri. A comparatione amplificat, quam ducit à prognostico, siue signis D denuntiantibus futuram tempestatem: hoc est, susurro in syluis audito, antequam venti exoriantur. Huic susurro comparat fremitum deorum, qui hominum more alij huic, alij, illi assentiebantur.

RERVM CVI SVMMA POTESTAS) Expressit Homericum, ὃς κράτος ἐστὶ μέγιστον. Suprà, *ô hominum, diuûmq́, æterna potestas.*

INFIT) incipit. Sed diuersæ significationis est ab eo, quod est, fit: nam *infit* agentis, *fit* autem patientis est. Virgil. lib. 9. *Et Venulus dicto parens, ita farier infit.* Plaut. Aulul.

Infit ibi postulare, plorans, vlulans,
Vt sibi liceret miluium vadarier.

Lucret.

Lucret. lib. 3. *Commutare animum quicunq; adoritur, & instit.* Festus.

EO DICENTE, DEVM DOM. ALTA SILES.) Non dissimili sententia videtur vsus in Scipione Ennius, vnde noster sua effinxit.

Mundus cæli vastus constitit silentio:
Et Neptunus sæuus vndis asperis pausam dedit.
Sol equis iter repressit vngulis volantibus.
Consistere amnes perennes, arbores vento vacant.

Macrob. lib. 6. cap. 2. Versibus his, qui sunt tanquam prooemium libri, quem de laudib. Scipionis contexuit Ennius, dicitur, dum ipse laudes eius viri celebraret, cœlum admiratione tantarum rerum stupefactum constitisse tacitum, &c. Ex eodem hoc Enniano loco forsitan profluxit etiam ille de pastorum alterno cantu, Eclog. 8.

Immemor herbarum quos est mirata iuuenca
Certantes: quorum stupefactæ carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus.

Vbi etiam licet animaduertere hyperbolas pastoritiæ humilitati conuenientes. Notat Hieron Columna, qui & illum locum ex 4. Georg. de inferis ad cantum citharæ obstupefactis huc reuocat. *Quin ipsæ stupuere domus, atq; intima lethi Tartara*, &c. Addit & Tibulli hyperbolas ad Messallam, nempe has.

Et fera discordes tenuerunt flumina venti:
Curua nec assuetos egerunt flumina cursus:
Quin rapidum placidis etiam mare constitit vndis

* *Blanditus est locus ille Maronis Claudiano, quamobrem ex eo similitudinem est aucupatus, cum de Plutone verba facturo sic cecinit lib. 1. de raptu Proserpinæ.*

------- tunc talia celso
Ore tonat, tremefacta silent dicente tyranno
Atria, latratum triplicem compescuit ingens
Ianitor, & presso Lacrymarum fonte recedit
Cocytus, tacitisq; Acheron obmutuit vndis,
Et Phlegethontæ requierunt murmura ripæ

Serò voluit, inquit idem Macrob. lib. 5. cap. 14. loquenti Ioui parem assignare reuerentiam. Nam cum & in 1. volumine, & in 4. & in 9. & hoc ipso loquatur quædam Iupiter sine tumultu, denique post Iunonis, & Veneris iurgium *deûm domus alta silescit*, &c. tanquã non idem sit, qui locutus sit paulò ante, sine vllo mundi totius obsequio.

Respondet Iouian. in Antonio dial. Immo idem erat: sed nec antè Venus, Iunoque ad contentionem, & iurgia, Ioue corã, proruperãt. Quæ re vario assensu ob factionis studium cælicolæ fremebant. Itaque vt ostenderetur concionantis Iouis ea maiestas fuisse, vt mussitare contra nullus auderet, opportunissimè dicitur, summaque cum prudentia, quod non solùm eo dicente deûm domus silentium tenuit: sed orbis totus summi dei supercilium veritus est. Etiam poeta ex verbis ipsis vult innuere, Iouem supercilium obduxisse, ob deorũ iurgia, & cælicolarum fremitum, ac partium studia, vt qui speciem irati præ se ferret. Vnde cum quodam supercilio ait, *Rex Jupiter omnibus idem*, iuratque per piceæ torrentes ripas. Atque vt dictis pondus adderet, caput mouet, totumque nutu tremefacit olympum.

ET TREMEFACTA SOLO TELLVS) ponit & terræ motum Virgilius ad loquentis maiestatem indicandã. De qua præclara sunt illa Lucretij lib. 5.

Deniq; sub pedibus tellus quum tota vacillat:
Concussaq; cadunt vrbes, dubiaq; minantur,
Quid mirum si se temnunt mortalia sæcla,
Atq; potestates magnas, mirasq; relinquunt.
In rebus vires diuum, quæ cuncta gubernent?

SILET ARDVVS ÆTHER) Cur cælum dicatur æ-

A ther, (& sæpe dicitur poetis, quod nemo nescit, nisi qui poetam nullum attigit) docet nos Aristoteles lib. de mundo his ipsis verbis. Οὐρανοῦ δὲ καὶ ἄστρων οὐσίαν μὲν αἰθέρα καλοῦμεν, οὐχ ὥς τινες, διὰ τὸ πυρώδη οὖσαν αἴθεσθαι, πλημμελοῦντες περὶ τὴν πλεῖστον πυρὸς ἀπηλλαγμένην δύναμιν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἀεὶ θεῖν κυκλοφορουμένην, στοιχεῖον οὖσαν ἕτερον τῶν τεσσάρων, ἀκήρατόν τε, καὶ θεῖον. Id est. Cæli porrò, siderumque substantiam appellamus ætherem: nõ quidem ideo quod ignita flagret ipsa, vt aliqui censuerunt, plurimum vtique aberrantes circa potentiam illam, maximè ab ignea natura abhortentem: origine verò huius vocabuli inde ducta, quod semper æther currat motu circumductili: cum sit illud elementum à B quatuor illis diuersum, tum diuinum, tum interitus expers.

TVM POSVERE) Lib. 7. *Cum venti posuere, omnisq; repente resedit Flatus.*

ACCIPITE ERGO ANIMIS) Eadem his ipsis verbis Harpyia lib. 3.

QVANDOQVIDEM AVSONIOS) Hac oratione Iupiter vtrisque se æquum fore promittit, ita vt rem fatis permittat.

SECAT SPEM) Secare interdum transigere, desinere, absoluere est, vt apud Horat. libr. 1. Sat. 10. *ridiculum acri Fortius, & melius magnas plerumq; secat res.* Hic videtur esse, desecare: & proinde sumere. Qui-C enim quid desecat, sibi id sumit, quod & Græci ἀφαιρεῖσθαι dicunt. Turneb. lib. 29. cap. 24.

Seruius exponit, sequitur, tenet, habet: vt *Ille viam secat ad naues.* Vnde & sectas dicimus habitus animorum, & instituta philosophiæ circa disciplinam.

* *Seruij sententia clarius explicanda est.* Quam quisque secat spẽ. Ille viam secat ad naues, *id est, sequitur: vnde etiam sectio, sectores. Sectores, qui empta sua persequuntur: sectio, ea ipsa persecutio. Hinc & seculum, & secundum, & secta, à seco, persequendo scilicet.*

FVAT) antiqui posuerunt pro sit, aut fuerit. Lucret. lib. 4. *Quodq; alijs cibus est, alijs fuat acre venenũ.* Et lib. 5. *Quanta hæc cunq; fuat, tanta hinc videatur in alto.* Terent. Hecyra *Fors fuat, pol.* Vbi Donatus, fuat, D sit significat. Plaut. Amphit. *Nec quisquam tam audax nunc fuat homo, qui obuiam obsistat mihi.* Idem Aulul. *Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid diuortij fuat.*

SIVE ERRORE MALO TROIÆ) Error & erratum differunt multum: hoc enim peccatum est, Græcis ἁμάρτημα. Error imprudentis est, ignorantis fere, aut certe falsa opinione ducti, sine culpa: erratum & scientis est, & culpa non caret. Cic. pro Muræna. non patiar te in tanto errore versari. Idem pro Cæcina. Nonnunquã honesto, ac probabili nomine bono viro iudici error obijci solet. Ita Lamb. in artem poet. Horatij, pluribus exemplis vtens ex eodem M. Tullio.

E MONITISQVE SINISTRIS) Quia Iuno dixerat, *Cassandra impulsus furiis.* Post, *discrimine habebo*, velim collocare punctũ, & post versum sequentem, subaudire, *nec Troas*: post, *monitis sinistris*, collocare virgulam, vt sensus sit. Siue suo malo fato Itali Troianos obsident, non eos soluo, ac libero, Troianos inquam: siue Troiani sinistra sequuti responsa venerunt in Italiam, & meritò obsidentur à Rutulis, non absoluo Rutulos, id est, non illis faueo, neutris faueo, rem fatis cõmitto.

SVA CVIQVE EXORSA LABOR. FORTVN. FERENT) Sua cuique facta, operaue, malo, aut bono erunt. Vt quisque sementem fecerit, ita metet. Quod quisque intriuerit, hoc erit illi exedundum. Quæ homo seminauerit

nauerit, hæc & metet, verbum est Apostoli. ✠

REX IVPITER OMNIBVS IDEM) Deus non respicit personam. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Boni consule, mi lector, cum tibi nonnunquam de cælestibus litteris pauxillum propino, quando est, vt id fieri & piè, & in tempore queat. Deus est omnibus idem, quia omnium procreator, omnium altor, omnium defensor, omnium liberator per filium, omnium rector, & custos, & iudex. Lucret. libr. 2. *Omnibus ille idem pater.* ✠

FATA VIAM INVEN.) Euripid. in Bacchis. *Τῶν δὲ ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεὸς*, quid hoc aliud, quàm, *Fata viam inuenient*? Ideo hoc Iouem dicere putat Seruius, quia sciat, fatale esse, vt Æneas regnet in Italia. Lib. 3. B *Fata viam inuenient, aderitq́; vocatus Apollo.*

STYGII PER FLVMINA FRATRIS) De hoc iureiurando deorum per Styga, locuti sumus lib. 6. super illo, *Dij cuius iurare timẽt, & fallere numen.* Hoc honore honoratam Stygem voluerunt, quod cum dij aduersus Iouem coniurassent, & iam vinculis pararent constringere, ipsa insidias eorum patefecerit. De ea Natalis libr. 3. cap. 2. ✠

ANNVIT, ET TOTVM NVT. TREMEF. OLYMP.) Idem versus extat, vt & superiores duo, lib. 9. Vide annotata. Catull. de nupt.

Annuit inuito cælestûm numine rector,
Quo tunc & tellus, atq; horrida contremuerunt
Æquora, concussitq́; micantia sidera mundus.

Annuere dij dicuntur, cum ratum quid esse volunt, vt apud Homerum Iliad. α. Thetidi pro Achille filio oranti Græcorum perniciem, Iupiter annuit. Nec id tamen Ioui proprium est, sed etiam Neptuno, & fortasse omnibus diis. de Neptuno Ouid. 8. Metamorph. *mouit caput æquoreus Rex, Concussitque suis omnes assensibus vndas.*

SOLIO TVM IVP. AVREO SVRG.) χρυσόθρονον tamen non Iouem, quod meminerim, sed Iunonem Homerus nominat, ab aureo solio videlicet. Metamorph. 2. Phoebus sedet in solio, *claris lucente smaragdis.* Quis, autem, oro, vel semel Homer. legit, vt ei non continuò ista legẽti occurrat locus 1. Iliad. vbi Iupiter audita Thetide in conclaue suum, diis assurgentibus, obuiamque procedentibus, redire fingitur?

Εἰς ἅλα ἆλτο βαθεῖαν ἀπ' αἰγλήεντος ὀλύμπου,
Ζεὺς δὲ ἑὸν πρὸς δῶμα. θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἀνέσταν
Ἐξ ἑδέων, σφοῦ πατρὸς ἐναντίον. οὐδέ τις ἔτλη
Μεῖναι ἐπερχόμενον, ἀλλ' ἀντίοι ἔσταν ἅπαντες.
In mare cæruleum Thetis insilit, ille nitentis
Aurea tecta subit cæli: subeunte deorum
Tecta deo, surgunt omnes de sedibus altis
Cælicolæ, ceduntq́; patri, neq; sustinet vllus
In solio mansisse suo, sed protinus omnes
Stabant è regione Iouis.

Putatur quoque ad Romanum morem allusisse, quo Consul è curia domum suam deducebatur.

MEDIVM QVEM AD LIMINA DVCVNT) Ad quæ D tandem limina? ad suam ipsius domum, *ad magni tecta tonantis*, vt vocat 1. Metamorph. Ouid. Et aliàs quoque deos quemque suam habere domum in cælo à Vulcano fabrefactam, fabulatur Homerus 1. Iliad. ✠

Interea Rutuli portis circùm omnibus instant
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flammis.
Ast legio Æneadûm vallis obsessa tenetur:
NEC SPES VLLA FVGÆ. miseri stant turribus altis
Nequicquam, & rara muros cinxere corona.
Asius Imbrasides, Hicetaoniusq; Thymoetes,
Assaraciq; duo, & senior cum Castore Tibris,
Prima acies. hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus, & Hæmon Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis Lyrnesius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi iaculis, illi certant defendere saxis,
Moliriq; ignem, neruoq; aptare sagittas.
Ipse inter medios Veneris iustissimu cura
Dardanius caput ecce puer detectus honestum:
(QVALIS GEMMA MICAT, FVLVVM QVÆ DIVIDIT AVRVM,
Aut collo decus, aut capiti: vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oricia terebintho
Lucet ebur) fusos ceruix cui lactea crines
Accipit, & molli subnectit circulus auro.

PORTIS CIRCVM OMNIBVS INST.) Ad E intermissam castrorum oppugnationem redit, è quibus feliciter euaserat Turnus. Instabant circum omnibus portis, id est, circumfusi erant ad portas omnes. Seruius.

VALLIS OBSESSA) intra vallos, id est, fustes fossarũ, qui valli vocantur. Nam munitio ipsa vallum dicitur, neutraliter. Et hoc dicit, tenebantur Troiani intra vallos, quos ipsi posuerant, ne eorum castra facilè irrumperent Rutuli. Seruius.

NEC SPES VLLA FVGÆ) Fuga miserimum, & vltimum præsidiũ est: tamen hoc etiam carebant. Seruius.
* *Cornificium poeta cum cerneret bello inter Octauium, & Antoniũ milites frequentes fuga se mandare, lepores illos galeatos appellabat. Quidam Spartanus claudicans cum abiret in militiam, admirantis, quod ita in bellum proficisceretur, cum esset claudus, quia, inquit, pugnare volo, non fugere.*

ASIVS IMBRASIDES) Per quos, quanta vi, & viribus castra defensa sint, narrat disertissimè. Dum autem singulos dicit, & nomina specialiter enumerat, raritatem ipsam, de qua superius (*& rara muros cinxere corona*) euidẽter expressit. Nam qualis acies, prima in fronte constituta, quam cõficiebant non plus sex homines? Donatus.

HI IACVLIS, ILLI) Non euidenter dixit, qui sint hi, B qui illi: sed ex genere telorũ intelligi possunt. Illi enim pugnabant saxis, qui fuerunt in edito Troiani: illi verò, Græci, iaculis, qui constituti videbantur in plano. Don.

VENERIS IVSTISSIMA CVRA) dilectissimus Veneri, & meritissimò. Non solùm esse alicui curæ, sed esse alicuius curam dicimus, vt amorem exprimamus. Æneid. 1. Venus de eodem Ascanio, *ad vrbem Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura.* Cyrenæ ait Arethusa de eius filio Aristæo Georg. 4. *tua maxima cura Tristis Aristæus.* Alibi alia testimonia producta sunt. ✱

DARDANIVS PVER) In illa necessitate rerum, Ascanius quoque certantibus fuit admixtus, pueriles annos animi virtute præueniens. Nudum habens caput, hoc est, sine galea, quoniam ab Apolline prohibitus fuit pu- A gnare, responso quo dictum est, *Cætera parce puer bello.* Donatus.

QVALIS GEMMA MICAT) Auctores fere sic vtuntur, vt gemma omnis lapillus pretiosus sit, margarita concharum partus. Iureccos. verò gemmas esse volunt, quæ pellucidæ sint materiæ, velut smaragdi, chrysolythi, amethysti: lapillos verò contrariæ superioribus naturæ, vt Obsidiani, Veientani. Margaritas autem nec gemmis, nec lapillis annumerant. Sic Horat. Ode. 24. lib. 3. *Gemmas, & lapides, aurum & inutile.* Plin. initio libr. 37. gemmas violari signis nefas ducebant. Id enim de pellucidis intelligo. Torrent. in Suetonij Aug. cap. 30.

FVLVVM QVÆ DIVIDIT AVR.) quæ est in medio annuli aurei.

ORICIA TEREBINTHO) De terebintho cum eodem epitheto Propert. est autem Oricum in ora Macedonia oppidum.

Sed Thya thalamo, aut Oricia terebintho
Effultum pluma versicolore caput.

FVSOS CERVIX CVI LACTEA CRINES) Fusòs habuit in ceruicem crines, circulo tamen aureo tenebantur.

MOLLI SVBNECT. CIRCVLVS AVRO) Molle aurum ad speciem futuram retulit, non ad ipsam materiam, vt productum magis, quàm solidum fuisse videatur, ne oneri magis esset puero, quam decori. Donatus. Libr. 5. de pueris Troiam ludum lusuris. *it pectore summo Flexilis obtorti per collum circulus auri.*

Te quoque magnanimæ viderunt Ismare gentes
Vulnera dirigere, & calamos armare veneno,
Mæonia generose domo: vbi pinguia culta
Exercentq; viri, Pactolusq; irrigat auro.
Affuit & Mnesteus, quem pulsi pristina Turni
Aggere murorum sublimem gloria tollit:
Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant, media Æneas freta nocte secabat.
Namq; vt ab Euandro castris ingressus Etruscis,
Regem adit, & regi memorat nomenq;, genusq;:
Quidúe petat, quidúe ipse ferat: Mezentius arma
Quæ sibi conciliet: violentaq; pectora Turni
Edocet: humanis quæ sit fiducia rebus,
Admonet: immiscetq; preces. Haud fit mora, Tarchon
Iungit opes, fœdusq; ferit. tum libera fatis.
Classem conscendit, iussis gens Lydia diuûm
Externo commissa duci. Æneïa puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subiuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hîc magnus sedet Æneas, secumq; volutat
Euentus belli varios: Pallasq; sinistro
Affixus lateri, iam quærit sidera, opacæ
Noctis iter, iam quæ passus terraq;, mariq;.

VVLNERA DIRIGERE) Vulnera dicit Ismarum dirigere, id est sagittas, sicut in 2. AEneid. *illum ardens infesto vulnere Pyrrhus Insequitur.* Aut acerrimè expressit C ineuitabiles sagittas, dicens eum vulnera, non tela dirigere. Ita Seruius.

CALAM. ARMARE VENENO) Lib. superiore de A-
myco

myco. *quo non felicior alter Vngere tela manu, ferrumq́; armare veneno* De Mibis AEthiopiæ populis, Silius. lib. 3. *sceleratáq́; succis Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno.* De sagittis veneno illitis audi Plin. lib. 18. cap. 1. Genuit venena tellus, sed quis inuenit illa præter hominem? cauere, ac refugere alitibus, ferisque satis est. Atque cum arbore exacuant, limentque cornu elephanti, & saxo rhinocerotes, & vtroque apri dentium sicas, sciantque ad nocendum se præparare animalia, quod tamen eorum tela sua, excepto homine, venenis tingit? Nos & sagittas vngimus, & ferro ipso nocentius aliquid damus.

PACTOLVSQVE IRRIGAT AVRO) De Pactolo M. Varro Satyra, quæ inscribitur Lex Mœnia. *Non hos Pactolus aureas vndas agens Eripiet vnquam è miserijs.* Qua ratione Pactolus euaserit aurifluus, narrat in hæc verba Fulgentius lib. 2. Mida rex Apollinem petiit, vt quidquid tetigisset, aurum fieret. Cumq́; promeruisset, munus in vltionem conuersum est, cœpitque sui voti effectu torqueri. Nam quidquid tetigerat, aurum statim efficiebatur. Erat ergo necessitas aurea, locuplesque penuria. Nam & cibus, & potus, rigens auri materia, marmorabat. Itaque Apollinem petiit, vt malè desiderata conuerteret. Responsum accepit, vt tertiò caput sub Pactoli fluminis vndas subderet. Quo facto, deinceps aureas arenas Pactolus trahere dicitur.

VBI PINGVIA CVLTV) πίονα ἔργα Homero. Culta vocat agros, siue arua, culta ad efferendam segetem. Georg. 1. *interq́; nitentia culta Infelix lolium.* Vbi ipsas segetes intelligit. Sic Georg. 4. *Qua niger humectat flauentia culta Galesus.*

ET CAPYS, HINC NOMEN CAMPANÆ) Capyn dedisse nomen Capuæ, auctores etiam Stephanus, & Strabo lib. 5. Vnde & Lucanus lib. 2. Capuam innuens, *trepido discedens agmine Magnus Mœnia Dardanij tenuit Campana coloni.* Quamuis alij, vt Plinius, Capuam à camporum capacitate, & latitudine, vt Campaniæ caput, & metropolin deducant: alij, à Capi, hoc est, falconis augurio.

DVRI CERT. BELLI CONTVL.) Ad historiam reuertitur de Ænea, quem in extremo octauo ad Tarchontē in Etruriam abiisse scripserat. Venustè dictum, certamina belli inter se conferre. Sic Epig. lib. 3. ὤλετο δ' ἐν προμάχοις ἑκὼν ἄρη συνάγων. Et sæpe apud Homerum. συνάγειν ἄρη, συνάγειν μάχην, & χεῖρας. Dicunt item συμβάλλειν πρός τινα, vel τινὶ, & συμβάλλειν ἀγῶνα & ἔχθραν. Ger.

NAMQVE VT AB EVANDRO) Notanda est admirabilis, & concisa ἀνακεφαλαίωσις, rerū repræsentatio breuiter propositarum ab Imperatore, auxilium suis maturante, & in celeritate bonam partē belli administrandi, & expediendi ponente. German.

MEMOR. NOMENQVE, GENVSQVE) Intimauit Tarchonti Æneas primo personam suam: hoc est, indicauit quis esset, & quantus: oportuit enim Tarchontem nosse, cum quo, vel cum quali potius iuncturus esset amicitiam. Indicauit & genus, ne ignobilem putans spernendum potius, quam suscipiendum duceret. In editione autem generis non dubitamus eum asseruisse, quod Ioue auo esset, & Venere matre progenitus. Dehinc subiecit quid peteret, quidúe ipse ferret: facilius enim postulata impetrat, qui se ostendit oblata vicissitudine profuturum. Petiuit auxilium, & vicissim promisit. Ostendit quantum sibi armatorum populorum Mezentius iungeret, vt ita aduerteret, etiam se opprimi posse violentia plurimorum. Iubebat considerare Turni personam violentam, hoc est, quę nihil cogitaret, nihil respiceret, nisi quod esset quietis rebus, & placidis

A inimicum. Nam qui Tyrrhenorum hostem Mezētium susceperat, etiam se hostem illorum fuerat cōfessus. Ad extremum monebat cogitare, nullam esse felicitatem certam, ac stabilem, magnam esse rerum varietatem: & hoc solatium esse vitæ humanæ tutissimū, si vel mutua dentur auxilia: vel si in prosperis positi, etiam subiecta consideremus. Tandem quoque preces rationibus adiunxit. Donatus, & Seruius. * *Nonne poeta seipsum exponit?* Quidúe petat, quidúe ipse ferat. *Hoc enim non aliud est, quam quod Æneas Euandro in 8. a quo similiter, & primo quidem, petit auxilia.*

Accipe, daque fidem, sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, & rebus spectata iuuentus.

TVM LIBERA FATIS GENS LYD.) Auguror significari, liberè licuisse militatum ire Etruscis, nihil repugnantibus fatis, cum Æneæ externo duci commissi essent.. Nam duce Etrusco ne militarent in Mezentium, vatum effatis moniti antè fuerant. Turneb. lib. 2. cap. 21. * *Hæc de re Euander Æneæ, lib. 8.*

Toto namque fremunt condensæ littore puppes:
Signaque ferre iubent: retinet longæuus aruspex,
Fata canens. O Mæoniæ delecta iuuentus,
Flos veterum, virtusque virûm, quos iustus in hostem
Fert dolor: & merita accendit Mezentius ira:
Nulli fas Italo tantam subiungere gentem:
Externos optate duces. tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita diuûm.

PHRYGIOS SVBIVNCTA LEON.) Ob venerationem C Idææ matris, nauis Æneæ habebat leones in puppi: illi enim sacri sunt leones. Magnum dicit Ænean, magni consilij, magnarumq́; cogitationum: ad animum siquidem refert. Quomodo autem non curis omnibus soluerent impetrata auxilia? & tamen cum ipsis sine cura non fuerat, iudicans, in euentu magis, quam in hominum multitudine constitutam victoriam: vtpote quæ penderet ex casibus: sperare debere prosperum, sed timere contrarium. Donatus, German.

GRATISSIMA TEVCRIS) propter facta nauigia, cæsa ibidem materia. Lib. 3. *classemq́; sub ipsa Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Ida.* Quia, inquam, parantib. fugam euerso Ilio, Ida materiam nauibus suppeditauit.

EVENTVS BELLI VARIOS) Cic. pro Milone. Adde D casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemq́; communem: qui sæpe spoliantem iam, & exultantem euertit, & perculit ab abiecto. Et Philipp. 11. sed vt concedā incertos exitus esse belli, Martem communem. Liuius lib. 10. belli Punici. Cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo. Vide prouerbia, *Omnium rerum vicissitudo*, &, *Mars communis.* Dauid Rex ad Ioabum ducem suum, qui in obsidione cladem acceperat, per internuntium. Non te frangat ista res: varius enim est euentus belli, & nunc hunc, nūc illum consumit gladius. Reg. lib. 2. cap. 11. Consentanea prorsus Cicero pro M. Marcello. Et certè in armis militum virtus: locorum opportunitas, auxilia sociorum, E classes, cōmeatus multum iuuant. Maximam verò partem quasi suo iure fortuna sibi vindicat: & quidquid est prospere gestum, id pæne omne ducit suum. ✠

SINISTRO AFFIXVS LATERI) Longiusculam, & eruditam disputationem, vter locus antiquis honestior fuerit, dexter, an sinister, videbis, si voles, apud Lipsium, Elect. lib. 2. cap. 2. In sedendo certè dexter locus videtur priores habuisse. Id, quam plurimis scriptorū locis demonstrari potest. Sueton. Nerone, cap. 13. Perductum inde in theatrum (Regem Armeniæ) ac rursus supplicantem, iuxta se latere dextero collocauit. Cyrus conuiuas sibi valde charos ad læuam suam in accumbendo collocabat, tanquam cordi propiores, & vt ait Xenophō lib. 8. Pædiæ, quod læua magis obnoxia sit insidijs. ✠

QVÆRIT SID. OP. NOCTIS ITER) *Ennius Iphig.* Co-
gens sublime etiam atque etiam noctis iter *Valer. Flaccus libr. 7.*
Noxque suum peragebat iter.] Astra etiam cætera (præter solem, & lunam) vel ortu, vel occasu suo certis stationibus opportunitates temporum subministrant. Sed& nauigiis, quò minus errabundo cursu per immensum vagentur, regimen præbent, cum ea ritè gubernator obseruans, ad portum destinati littoris peruehatur. Lactant. de ira dei, cap. 13.

IAM QVÆ PASSVS TERRAQVE, MARIQVE) Quæ- A rentem induxit Pallantem superflua, quæ ipsa illo tempore ab ipsa persona, si maturi hominis affuisset intentio, non debuerant queri. Denique noluit comprehendere AEneæ responsum * *id est, noluit dicere Æneam respondisse ad quæsita iuuenis: quod tamen Homerus fecisset, & responsa ipsa sine controuersia posuisset: qui etiam in medio feruore certaminum longa fingere colloquia, & descriptiones texere consueuit: Vsque adeo decori rationem sæpe nullam ducit.*] vt ostenderet eum magis necessariis cogitationibus, non puerilibus quæsitis fuisse districtum. Donatus.

PANDITE NVNC HELICONA DEÆ, CANTVSQVE MOVETE,
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris
Ænean, armetq; rates, pelagoq; vehatur.
Massicus ærata princeps secat æquora Tigri:
Sub quo mille manus iuuenum, qui mœnia Clusi,
Quiq; vrbem liquêre Cosas: queis tela sagittæ.
Corytiq; leues humeris, & letifer arcus.
Vnà toruus Abas. huic totum insignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuuenes: ast Ilua trecentos,
Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum, diuûmq; interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes:
Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.
Hos parere iubent Alpheæ ab origine Pisæ,
Vrbs Etrusca solo. sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens, & versicoloribus armis.
Tercentum adiiciunt (mens omnibus vna sequendi)
Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in aruis,
Et Pyrgi veteres, intempestæq; Grauiscæ.

PANDITE HELICONA) Phocidis mons est Parnassus, B isq; biuertex, seu biceps, quod testatur Ouid. 1. Metam.

Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnassus, superatq; cacumine nubes.

Quod autem litteratores Seruium, cæcum ducẽ secuti, duos istos vertices Citheronem, & Heliconem faciunt, qui sunt montes Bœotiæ, in eo erroris conuincuntur à Beroaldo, Annotat. in Seruium, quem consule. Helicon frequẽtatur à Musis, quas nunc aptè, vt in re ardua, rursum inuocat. Nam quemadmodum oratori nõ modò in exordio, verum etiam alibi per totam orationem, confirmationemúe renouare beneuolentiam concessum est: sic poetis, quoties dignus vindice nodus (vt dicam cum Horatio) inciderit, non ipso tantùm poema- C tis initio, sed cum res aliqua vel difficilis, vel grauitate, & magnitudine rara, & inusitata, vel nouitate admirabilis se obtulerit. Sic in 7. *Tu vatem tu diua mone: dicam horrida bella, &c.* Hac ipsa de re monuimus lib. superiore, ibi, *Vos ò Calliope precor aspirate canenti.* Subiungit verò hic inuocationi propositionem Virgilius, & se narraturum promittit, quanta, quibus è locis Etruriæ auxilia cum AEnea in Latium venerint. In septimo quoque, antequam catalogum copiarum Turni texeret, inuocationem, propositionemque præmisit.

Pandite nunc Helicona deæ, cantusq; mouete,
Qui bello exciti reges, quæ quemq; secutæ
Complerint campos acies, &c.

Imitatur his catalogis Homerum 2. Iliad. Adi Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 16.

MASSICVS ÆRATA PRINCEPS) Hic est alter catalogus copiarũ Æneæ naualium: positus est enim vnus in lib. 7. Turni copiarum terrestrium: quanquam & suis Æneas non nisi in terra vsurus est: sed ita vocaui, quoniam non terra, sed mari aduentant, & iam paratæ cum nauibus, ducem externum oraculo moniti exspectabant. Quatuor versibus, & nomen ductoris, & nauis, & numerus militum, & loca vnde mitterentur, & genus armorum exprimitur. Dicitur autem nauis hæc Tigris, vt infrà alia Tritõ, alibi quædam Centaurus, quædam Pristis, videlicet à signis pictis, sculptisue quibus earũ proræ, aut puppes insignirentur. Qua de re scriptum à nobis alios loco in his Symbolis. Vide etiã infra symbolã Turnebi, ad illa, *& aurato fulgebat Apolline puppis.* Nauis qua Iupiter Europam rapuit, insigne habuit taurum, vnde fabula, taurum rapuisse Eropam. Consule Alexand. Neap. lib. 4. cap. 2.

CORYTIQVE LEVES) Coryti, vt explanat Seruius, sunt thecæ arcuum, quanquam & sagittarũ, aliâs pharetræ.

retræ. Sed Lipsius Antiquarum lib. 1. cap. 2. hoc loco legit, *Coriciá, leues*, emendás hunc locum Nonij in *Catapulta*, Sisenna Historiar. lib. 3. Præterea catapultas 16. 4. balistas, 20. plaustra corijs, ac minoribus sagittis onusta. quid corij nomen, inquit, inter genera telorum? lego, plaustra coricis. Ita appellarunt leuia missilia, in morem sagittarum. Virgil. *Coriciq́, leues humeris, ac letifer arcus.* Quid tibi videtur Lector?

VNA TORVVS ABAS) Toruum, inquit Donatus, accipere possumus aut oculis distortis, aut contracto vultu. Fortasse σκυθρωπὸν intelligit. Laudat huius Abantis cohortes ab armorum nitore, qui ad hostem terrendum valet, & in disciplina sua militari ne hoc quidem Romani negligebant. Laudat deinde eosdem à scientia bellandi: est enim ars militaris: nec quiuis qui gladium potest educere, statim bello censendus idoneus. Nam tales sæpe, cum ad conflictum erit veniendum, proiecto scuto pedibus salutem sibi quærent.

AVRATO FVLG. APOLL. PVPPIS) Aurato simulacro Apollinis, siue aurata eiusdem imagine.

Veteres in puppi sacrarium quoddam habebant, veluti lararium. Persius Sat. 6. *iacet ipse in littore, & vna Ingentes de puppe dij.* Hesychius. πάταικοι θεοὶ φοίνικες, ὓς ἱστῶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. Hæc tutela nauis erat, & insigne. D. Lucas in Actis cap. 28 ἀνήλθημεν ἐν πλοίῳ, παρακεχειμακότι ἐν τῇ νήσῳ ἀλεξανδρείνῳ παρασήμῳ διοσκούροις. Sanè in veteri lexico tutela ipsa appellatur παράσημον πλοίου. Ea etiam caussa, cur puppi coronas imponerent, quod ibi sacratium nauigij erat. Maro 1. Georg. *Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.* Turneb. lib. 19. cap. 2.

EXPERTOS BELLI IVVENES) belli peritos, δαήμονας πολέμοιο. Participium in nomen degenerat. De Ilua insula, quam poeta inexhaustis generosam metallis appellat, hunc in modum Seruius. Quantum exhausta fuerit, tanto generosior. Ergo *inexhaustis* non est vna pars orationis: [*non est vox decomposita, vult dicere, ex duplici præpositione videlicet, & participio: sed composita modo, & in, est separatim legendum.*] namque Plinius Secundus dicit, Quum in alijs regionibus effossis metallis terræ sint vacuæ, apud Iluam hoc est mirum, quod sublata renascuntur, & rursum de ijsdem locis effodiuntur. Varro & aliud dicit, nasci quidem illic ferrum, sed in stricturam. Vide Plin. lib. 3. cap. 6. & lib. 34. cap. 14.

HOMIN. DIVVMQVE INTERP.) Interpretes diuûm sunt, qui deorum mentes nobis indicant.

CÆLI CVI SIDERA PARENT) Verbum *parent*, est, penitissimè cognoscuntur, idq́ue ad omnia referendum est, ad fibras, sidera, linguas volucrum, fulminis ignes. Nihil erat ei occultum.* *Cum hoc Asylā vate componendus Helenus, de quo Æneas lib. 3. eius variam vaticinandi scientiam referens.*

> Troiugena interpres diuûm, qui numina Phœbi,
> Qui tripodas, Clarij lauros, qui sidera sentis,
> Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

PRÆSAGI FVLM. IGNES) Dicuntur κεραυνοσκόποι interpretes fulminis.

RAPIT) raptim ducit.

DENSOS ACIE) in acie constrictos, & coniunctos.

ALPHEÆ PISÆ) Alpheus fluuius est apud Pisam, & Elidem ciuitates Arcadiæ, ex quibus locis venerunt, qui Pisas in Italia condiderunt, dictas à ciuitate pristina: vnde addidit, *Vrbs Etrusca solo*, quum præmisisset, *Alpheæ ab origine Pisæ.* Seruius.

SEQ. PVLH. ASTVR, ASTVR EQVO) Astur commendatur vt ἱππόδαμος, optimus eques. Talis figura est Eclog. 10. *Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo: Gallo cuius amor.* Et Georg. 4. *Oceanitides ambæ: Ambæ auro pictis incinctæ pellibus.*

ADIICIVNT) id est, accedunt, & consentiunt eius voluntati: quod explicatur, *mens omnibus vna sequendi.* Ita Seruius. Donatus autem. Qui sunt isti, qui adijciunt, & quibus vna est mens sequendi? *Qui Cærete domo*, &c. * *Ego ordinem verborum istum esse iudico.* Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in aruis, *&c. isti inquam, adijciunt numero iam dicto, seu pro parte sua trecentos.*

QVI CÆRETE DOMO) ac si diceret, qui sunt domo Carthagine. Cæretanorum laudes exequitur Strabo lib. 5. Hi enim Gallos, qui Romam ceperant, debellauerunt, adorti eos in Sabinis: inuitisq; eam extorserunt prædam, quam illi volentibus Romanis abstulerant, &c.

MINIONIS IN ARVIS) Minio fluuius est.

INTEMPESTÆQVE GRAVISCÆ) Intempestas Grauiscas accipiamus pestilentes, secundum Plinium in naturali historia, & Catonem in Originib⁹, vt intempestas intelligamus sine temperie, id est, tranquillitate. Nam vt ait Cato, ideo Grauiscæ dictæ sunt, quod grauem aërem sustinent. Seruius.

> Non ego te, Ligurum ductor, fortissime bello
> Transierim Cygne: & paucis comitate Cupauo:
> Cuius olorinæ surgunt de vertice pennæ:
> CRIMEN AMOR VESTRVM, formæq; insigne paternæ.
> Nanq; ferunt luctu Cygnum Phaëthontis amati,
> Populeas inter frondes, vmbramq; sororum,
> Dum canit, & mœstum musa solatur amorem,
> Canentem molli pluma duxisse senectam,
> Linquentem terras, & sidera voce sequentem.
> Filius æquales comitatus classe cateruas,
> Ingentem remis Centaurum promouet: ille
> Instat aquæ, saxumq; vndis immane minatur,
> Arduus, & longa sulcat maria alta carina.
> Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris,
> Fatidicæ Mantûs, & Tusci filius amnis,

Qui muros, matrisq; dedit tibi Mantua nomen,
Mantua diues auis: sed non genus omnibus vnum:
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni:
Ipsa caput populis, Tusco de sanguine vires.
Hinc quoq; quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco, velatus arundine glauca,
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.
It grauis Auletes, centenaq; arbore fluctum
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in pristin desinit aluus:
Spumea semifero sub pectore murmurat vnda.
Tot lecti proceres ter denis nauibus ibant
Subsidio Troiæ, & campos salis ære secabant.
IAMQVE DIES CÆLO CONCESSERAT, ALMAQVE CVRRV
NOCTIVAGO PHOEBE MEDIVM PVLSABAT OLYMPVM.

NON EGO TE LIGVRVM) Genus est transitus, propter odiosam nominum continuationem, quod in Catalogis semper est. Hic igitur fortissimus fuit, Cupauo inquam, omnium Ligurum: quod cum dicitur, ostenduntur etiam illi fortes, quibus prælatus esse videbatur. Et laudauit in istis, quod alio loco in alijs. *Exigui numero, sed bello viuida virtus.* Venit deinde ad ipsius ducis cultum, & ait olorinas pennas fuisse in eius galea. Et more suo vult inducere fabulam de Cygno, vt in catalogo septimi libri de Hippolyto fecit. Inter tædia quippe tot nominum, quibus ipsi homines, montes, loca, & flumina significantur, immissa narratio legentem subleuare debet, & erigere audientem. Donatus.

B CVIVS OLOR. SVRG. DE VERT. PENNÆ) Cristarum colores duos ponit Polybius, puniceum, & nigrũ: ille honestior, & aptus sanguineo Marti: hic tristis, & Diti sacer, ad quem multi in ferali hoc certamine ibant. Puto viliorum fuisse, nec legi exemplum. De candido, qui etiam color festus, & dignior, etiam Statius, *capiti intremit area cassis Ter niuea scandente iuba.* Dat Annibali & Silius lib. 2. *vibrant cui vertice coni Albentis niuea tremulo nutamine pennæ.* Lasciuia postea in hac re, assumpsere etiam pauonum. Sed fallor, aut regia, & Iunonia hæc auis non nisi in Regum, & Principũ vsu fuit. Indicat Claudian. qui de 6. eius consulatu, Honorio suo talem dat. *Quod picturatas galea Iunonia cristas Ornet auis.* Sed etsi de nigris, & fuscis negaui legere, non tamẽ ambigo quin tulerint: vt aquilæ, & talium auium, quæ pugnaces, aut rapaces, vel ominis scilicet caussa. Lips. de Milit. 3. dial. 5.

CRIM. AMOR VESTRVM FORMÆQVE INSIG. PATER.) hunc continet sensum. O Cygne Cupauo, fili Cygni, cuius pater dictus est Cygnus: vestrum crimen, id est, ista pœna transmutationis, ob amorem contigit vobis. Nam pater tuus ob amorem Phaetontis in cygnum transmutatus est: & inde cygneæ pennæ, quas tu geris in galea, paternam formam indicant: non quã ab initio habuit: sed quam luctu amicissimi sui Phaëtõtis est adeptus. Sic Donatus. Sequitur fabula.

D NAMQVE FERVNT LVCTV CYGNVM) Quomodo Rex Ligurum Cygnus, dum in fluuio Eridano Iouis ira submersum cognatum, amicumque Phaetontem de-

A flet, in auem sui nominis conuersus sit, ita canit Ouid. lib. 2. Metamorph. præcedentibus autem versib' sororum Phaetontis transformatio in alnos, siue populos narratur, qui versus à nobis recitati sunt Eclog. 6. ibi, *Tum Phaetontiadas musco circũdat amaræ Corticis,* &c.

Affuit huic monstro proles Stheneleïa Cygnus:
Qui tibi materno quamuis a sanguine iunctus,
Mente tamen Phaeton propior fuit. ille relicto
(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat vrbes)
Imperio, ripas virides, amnemq; querelis
Eridanum implerat, syluamq; sororibus auctam:
Cum vox est tenuata viro, caneq; capillos
Dissimulant pluma: collumq; a pectore longè
Porrigitur, digitosq; ligat iunctura rubentes.
Penna latus velat: tenet os sine acumine rostrum:
Fit noua Cygnus auis: nec se caloq; Iouiq;
Credit, vt iniustè missi memor ignis ab illo.
Stagna petit, patulosq; lacus: ignemq; perosus,
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis.

Extremi quatuor versus repugnant extremo Maronis, *Linquentem terras, & sidera voce sequentem.* Cui consonant illa Eclog. 9. quamquam ἀλληγορικῶς dicta.

Vare tuum nomen (superet modò Mantua nobis)
Cantantes sublimè ferent ad sidera Cygni.

Et 1. Æneid. *Aspice bis senos lætãtes agmine cygnos,* &c. Sed Ouidius accommodatè ad fabulam, Virgilius ad eius C auis naturam appositè locutus est. Nam etsi plurimum in aquis habitet, non tamen volatus ei denegatus est: & inter ἀμφίβια numeratur. Legas licet, quæ ex Pausania in Atticis producit Vrsin. Fingit & Horat. libr. 2. Ode vlt. se in cygnum conuerti, qui locus cum hoc conferendus est.

—— & album mutor in alitem
Supernè, nascunturq; leues
Per digitos, humerosq; plumæ.

Supernè mutari in alitem, est canitiem ducere, In temporibus nimirum. Virgil. *Temporibus geminis canebat sparsa senectus.* ❧

Fabulæ Phaetontis, eiusque μυθολογίας, siue interpretationis meminit Plato in Timæo. τὸ γὰρ οὖν καὶ παρ᾽ ὑμῖν λεγόμενον, &c. Lucret. quoq; lib. 5.

Auia

Anis cum Phaetonta rapax vis solis equorum
Aethere raptauit toto, terrasq́, per omnes:
At pater omnipotens ira tum percitus acri,
Magnanimum Phaetonta repenti fulminis ictu
Deturbauit equis in terram, solq́, cadenti
Obuius aeternam suscepit lampada mundi,
Disiectosq́, redegit equos, iunxitq́, trementes.
Inde suum per iter recreauit cuncta gubernans,
Scilicet vt veteres Graium cecinere poetæ,
Quod procul a vera est animi ratione repulsum.
Ignis enim superare potest, vbi materiai
Ex infinito sunt corpora plura coorta,
Inde cadunt vires aliqua ratione reuicta,
Aut pereunt res exustæ torrentibus auris.

Quę Lucretij sententia non ita ab illa Platonis discedit. German.

Vtramq; fabellam, de casu Phaetontis, & mutatione sororum planissimè narrat Seruius. Germanus verò doctè admodum ostendit, quo pacto hic in populos conuersas dicat, cum in Eclog. 6. in alnos commutatas dixerit.

VMBRAMQVE SORORVM) Catull.
Non sine nutanti platano, lentaq́, sorore
Flammati Phaetontis, & aëria cupressu.

SIDERA VOCE SEQVENTEM) Expone, cælum cum cantu petentem.

FILIVS ÆQVALES) Filius eius (Cygni) quem supra cum pennis cygnæis descripsit, ducebat cateruas æquales, aut ætate scilicet, aut armorum cultu. Sic Donatus. At vero Seruius, per naues æqualiter habens distributas cateruas.

INGENT. CENTAVR.) Centaurum vocat nauem, à centauri simulacro, quod vndis imminere, & saxū iam iam in mare proiecturum videbatur. Id simulacrum vel in prora cōspiciebatur, vel in puppi, quomodo, Tigris, Triton, Apollo, de quibus supra.

OCNVS PATID. MANT. QVI MVROS, MAT.) Ocnum conditorem Mantuæ, filium Mantûs fuisse Maro scribit, quæ filia Tiresiæ fuit. Eam tradit Suidas (quod adijciendum putaui) Sibyllam fuisse Thessalam. Turneb. lib. 29. cap. 24. [*Inuenit occasionem poeta, inquit Donatus, qua aliquid diceret de patria sua, & plurimum sibi arrogauit, quod Romano ductori etiam Mantua auxilium prorogauit. Quem porrò hic Ocnum, Eclog. 9. Bianorem vocat.*] Sed cum olim potens fuerit vrbs, Virgilij ætate plurimùm de antiqua dignitate amiserat, vt etiā de magnitudine, eratque inferior multis Etruriæ vrbibus: quę iuuene etiam Marone, agri parte multata ob vicinitatē Cremonæ, pæne pessum ierat. Idem lib. 2. cap. 21.

SED NON GENVS OMNIBVS VNVM) Populares apud Athenienses sunt, qui apud Romanos tribules, *δημόται* ab illis dicti. In decem enim populos Attica diuisa fuit. Ita quoque Etruria in duodecim olim populos discreta fuit, qui certis etiam sedibus distincti fuere. Nannius lib. 2. cap. 15.

Operæpretium fore censui, ad perspicuam horum versuum intelligentiam Seruij verba subiungere. Origo Mantuanorum & à Tuscis venit, qui Mantuę regnabant, & à Venetis: nam in Venetia posita est, quæ Gallia Cisalpina dicitur.

GENS ILLI TRIPLEX, &c.) quia, inquit idem Seruius, Mantua tres habuit tribus, quæ in quaternas curias diuidebantur, & singulis singuli Lucumones imperabant, quos tota in Tuscia duodecim fuisse manifestum est, ex quibus omnibus vnus præerat. Hi autem totius Tusciæ diuisas habebant quasi præfecturas, sed omniū populorum principatum Mantua possidebat: vnde est,

A *Ipsa caput populis*, quia totum robur à Lucumonib⁹ habuit, ideo, *Tusco de sanguine vires.*

Etruscos in 12. partes distributos latè à supero ad inferū mare imperio Italiam tenuisse, Liuius auctor lib. 5. Tuscorum, inquit, ante Romanum imperium latè terra, mariq; opes patuere. Mari supero inferoq;, quib. Italia insulæ modò cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento, q alterum Tuscum, communi vocabulo gentis, alterum Hadriacum mare, ab Hadria, Tuscorum colonia, vocauere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum, atq; Hadriaticū vocant. Ii in vtrumq; mare vergentes, incoluere vrbibus duodenis terras, prius cis Apenninum totidē, quot capita originis erant, co-
B lonijs missis. Quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetiorū angulo, qui sinū circū colunt maris, vsq; ad Alpes tenuere.

QVING. IN SE MEZENT. ARMAT) id est, odio sui ad arma aduersum se excitat quingentos.

QVOS PAT. BEN.) Benacus est lacus Venetiæ, de quo fluuius nascitur Mincius. Iure ergo dux Venetus fluuiū prouinciæ suæ depinxit in naui, quē Benaci filiū, quia ex ipso habet originē, dicit. Vide omnino Alex ab Alex. c. 28. lib. 3. Tusci vnde duxerint originē, & quæ duodecim vrbes fuerint, quarum consilio bello gerebantur.

VELATVS ARVND. GLAVCA) Hoc dictum propter arundineta lacus, & amnis istius.

C CENTENAQVE ARBORE) Cur nō ait centeno remo, sed arbore? ad exprimendā nauis magnitudinem, quæ plures habuit remorum ordines. Seruius.

SPVM. VADA) lib. 3 *fugimus spumantibus vndis*. Et lib. 1. *spumas salis are ruebāt.* Catull. de nupt. *Tortaq́, remigio spumis incanuit vnda.*

IMMAN. TRIT. ET CÆR. CONHA) Sæpenumero credidi, inquit Turneb. lib. 2. c. 21. esse hāc poeticā phantasiam, vt Grāmatici loquuntur. Sensum enim mari rei surdæ, & inanime poetarū iure tribui credebā: quasi tā ingens esset Tritonis buccinantis sonus, vt maria terrefacere videretur. [*Nunc in alia sum sententia, existimoq́, id ex opinione veterum, & religione interpretandū, credentiū buccinatorem Neptuni canoro, immaniq́, tubæ clangore solitū aquas increpa-*
D *re, & tanquā auritas, (vt audacter, & poeticè loquar) vocari, qua & imperio solita sint parere.*] Itaq; in carmine Ætnæo ex ea persuasione scriptum est,

Nam veluti resonante diu Tritone canoro
Pellit opes collectus aqua, victusq́, mouetur
Spiritus, ac longas emugit buccina voces.

Et Metamorph. lib. 1. Ouid.

Caruleum Tritona vocat, conchaq́, sonanti
Inspirare iubet, fluctusq́, & flumina signo
Iam reuocare dato.

FRONS HOMINEM PRÆF.) Nomine frontis in Tritone, prima pars hominis intelligēda. Nā hoc dicit, à capite, vsq; ad ima latera, hominis monstrabatur effigies.

E TOT LECTI IVVEN. TER. DEN.) Nō est sensus, vt quidā voluerunt, singulos duces tricenas naues habuisse, nimis, hoc imperitè: nā enumeratorū militum nō conuenit numerus: præsertim cū sequatur, *subsidio Troiæ*, id est, paruo auxilio: sed numerū vniuersum nauiū, quib. nominati proceres præessent, fuisse triginta. Seruius.

SVBSIDIO TROIÆ) Subsidium dictum à triarijs, qui subsidebant. Plautus, *Agite nunc, subsidite omnes quasi solent triarij.* Præsidium est dictum, quia extra castra præsidebant in loco aliquo, quo tutior regio esset. Obsidium dictum ab obsidendo, quo minus hostis egredi possit inde. Ita Varro lib. 4. de ling. lat. Festus ita. Præsidium est, quod pro salute, & vtilitate alicuius auxilij gratia præponitur: subsidium quod postpositum est ad subueniendum laborantibus. Cornelius Fronto

&c. Sub-

ſic. Subſidium, quod ſubeſt deficientibus: præſidium A imponitur: auxilium repentinum eſt. Ita ſubſidium ad cuſtodiam collocatur: auxilium, vt proſit, ex inſperato venit.

CVRRV NOCT. PHOEBE PVL. OLYMP.) Quemadmodum ſol Phœbus, & Titan, ſic luna Phœbe, & Titanis dicitur. Deſcribit noctem mediam, & ait finitum diem, more Romano ſcilicet, apud quos ciuilis dies eſt à nocte media, ad mediam inſequentem. Nec ſine cauſſa ſit lunæ commemoratio: nam alioqui nymphæ videri non potuiſſent. *Noctiuago curru*, quia curſus lunæ nõ eſt rectus per Zodiaci medium, ſicut ſolis, qui currit per eclipticam lineam, quæ Zodiacum bifariam diuidit: cum luna ad extremas Zodiaci decurrat oras, nunc in B auſtrum, nunc in ſeptentrionem declinans, & vagans. Id autem vagum appellatur, quod non rectam ſecat viam, ſed errare dicitur. Vnde & ἀπὸ τῆς πλάνης, id eſt, ab errore πλανῆται vocati ſunt. Seruius. De iſto curru Noctis, & equis eius, diximus alio loco, quæ dicenda fuerunt.

Noctiuago curru luna pulſabat olympum, id eſt, per olympum equis ad currum adiunctis (quorum vngulæ cum rotis cæleſte ſolum pulſabant) inuehebatur. Sic Ouid. Metamorph. de equis ſolis.

Iam labor exiguus Phœbi reſtabat, equiq;
Pulſabant pedibus ſpatium decliuis olympi.

Eidem vehendæ interdum cerui à poetis attribuuntur. An quod motus eius in planetas velociſſimus? An quod eadem, quæ Diana, venatrix? *Pulſare pedibus* alioqui eſt choros ducere Ennius Annali. 1. apud Varron. libr. 6. de ling. lat. & Seruium in 11, Æneid. *Muſæ quæ magnũ pedibus pulſatis olympum.* Horat. Ode 37. libr. 1. *Nunc eſt bibendum, nunc pede libero Pulſanda tellus.* Ouid. 6. Faſtor. *Pars viridem celeri ter pede pulſat humum.*

Olympus aliquando cælum intelligitur, quaſi ὁλόλαμπος, vel ὅλος λαμπρὸς, quod Horatius ſignificans Ode 3. libr. 3. lucidas ſedes appellauit. Quandoque Macedoniæ mons eſt, vt placet Varroni lib. 6. de ling. lat. ſiue Theſſaliæ, vt vult Herodotus lib. 7. ſiue inter vtramque ſitus, vt alij aſſerunt, aſſurgens, vt Geometrica ratione menſus eſt Zenagoras, ſupra 10. ſtadia. Vnde Lucan. libr. 2. *nubes excedit olympus.* Eandem rem ſic vberius extulit Claudian.

——— ſed & altus olympi
Vertex, qui ſpatio ventos, hyemesq́; relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum
Celſior exſurgit pluuijs, auditq́; ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

Meritò igitur olympus mons, cum nullis ſit perturbationibus obnoxius, hoc ſibi cum cælo commune nomẽ comparauit. Sunt & alij alibi montes olympi, &c. Hieron. Columna in 1. Annal. Ennij.

Æneas (NEQVE ENIM MEMBRIS DAT CVRA QVIETEM)
Ipſe ſedens, clauumq; regit, veliſq; miniſtrat.
Atq; illi medio in ſpatio chorus ecce ſuarum
Occurrit comitum: nymphæ, quas alma Cybele
Numen habere maris, nymphaſq; nauibusq; eſſe
Iuſſerat. innabant pariter, fluctuſq; ſecabant,
Quot prius æratæ ſteterant ad littora proræ.
Agnoſcunt longè regem, luſtrantq; choreis.
Quarum quæ fandi doctiſſima Cymodocea,
Ponè ſequens, dextra puppim tenet: ipſaq; dorſo
Eminet, ac læua tacitis ſubremigat vndis.
TVM SIC IGNARVM ALLOQVITVR: vigilasné deûm gens
Ænea? vigila, & velis immitte rudentes.
Nos ſumus Idææ ſacro de vertice pinus,
Nunc pelagi nymphæ, claſſis tua. perfidus vt nos
Præcipites ferro Rutulus, flammaq; premebat,
Rupimus inuitæ tua vincula, teq; per æquor
Quærimus. hanc genitrix faciem miſerata refecit,
Et dedit eſſe deas, æuumq; agitare ſub vndis.
At puer Aſcanius muro, foſſiſq; tenetur
Tela inter media, atq; horrentes Marte Latinos.
Iam loca iuſſa tenet forti permiſtus Etruſco
Arcas eques. medias illis opponere turmas,
Ne caſtris iungant, certa eſt ſententia Turno.
Surge age, & aurora ſocios veniente vocari
Primus in arma iube: & clypeum cape, quem dedit ipſe
Inuictum ignipotens, atq; oras ambijt auro.
Craſtina lux (mea ſi non irrita dicta putaris)
Ingentes Rutulæ ſpectabit cædis aceruos.

NEQVE ENIM MEMBRIS DAT CVRA QVIET.) A *De Didone in quarto*, nec placidam membris dat cura quietem. *Verùm alia cura ibi intelligenda, alia hic. Vitanda autem cura omnis placidum dormire, & omnino dormire cupientibus.*] Vehementem animi in re aliqua intentionem, curamque mentis acriorem solere plerumque somnum aliquandiu impedire, & experimento cõpertum est, & ratione, caussaque sua non caret. Tum enim, vt physici tradunt, spiritus vitales in cerebro agitati, calorem à vẽtriculo prohibent: in quem ille receptus, somnum creditur efficere, vaporibus in cerebrum sublatis, quibus motus, ac sensus omnis sopiatur. Vide 3. Georg. *nec somnos abrumpit cura salubres.*

Tibullus quoque in elegia, qua somnium suum B exponit, ita de se loquitur.

Iam nox æthereum nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo lauerat amne rotas.
Nec me sopierat menti deus vtilis ægræ
Somnus, sollicitas deficit ante domos.

Id enim vult innuere, se, cum sollicitus esset, atque anxius, multisque curis torqueretur, maiore noctis parte somnum capere non potuisse. Canterus lib. 1. cap. 18.

Ex insomnia igitur ista sequitur cruditas, sequitur molestia animi, & volutatio crebra per lectulum. Tale quiddam de se peruigili Catull. ad Licinium.

Hesterno Licini die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Vt conuenerat esse delicatos.
Scribens versiculos vterque nostrûm,
Ludebat numero modò hoc, modò illoc,
Reddens mutua per iocum, atque vinum.
At que illinc abijsti tuo lepore
Incensus Licini, facetiisq́,
Vt nec me miserum cibus iuuaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Vt tecum loquerer, simulq́, vt essem.

Libr. 4. de Didone amatoriis incensa furiis, postquam genus omne animantum cõsopitum iam horis nocturnis dixit, D

At non infelix animi Phœnissa: nec vnquam
Soluitur in somnos, oculisue, aut pectore noctem
Accipit. ingeminant curæ, rursumq́, resurgunt, &c.

CLAVVM REGIT, VELISQVE MINIST.) Idem officium gubernatoris, pro submerso Palinuro præstitit in extremo lib. 5.

Quum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, & ipse ratem nocturnis rexit in vndis.

Clauum tenere seu regere, pro Rempub. administrare, eleganter per tralationem dicitur. Cic. in Catone. Ille autem clauum tenens, quietus sedebat in puppi. Et pro Sextio. Qui enim clauum tãti imperij tenere, & gubernacula Reipub. tractare, in maximo cursu, ac fluctibus posse arbitretur. Et ad Pœtum lib. 9. epist. Sedebamus in puppi, clauumque tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus. Tacitus de moribus Germanorum, vt animaduersum est à Turnebo, lib. 29. cap. 24. Nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus adiungunt. Est autem ministrare velis, se ministrum velis præbere: vt dicitur, homini ministrare. Lib. 6. de Charonte. *Ipse ratem conto subigit, velisq́, ministrat.* Statius, ministrare habenis, lib. 7. Thebaid.

nunc illo sanguine ferme,
Ipse sedens velis, pariterq́, ministrat habenis
Delius,

MEDIO IN SPATIO) *Medio in spatio*, id est, inter nauigandum.

CHORVS ECCE SVAR. COMIT.) Chorus est numerus collectus ex plurimis. Comites vocat, quod cum essent naues, cum ipso semper fuerant. Donatus.

ALMA CYBELE) Alibi mediam corripuit. Sunt qui autument eam esse ambiguam, siue ancipitem. Nonnulli cum producitur, geminant l, scribuntque *Cybelle*. Hen Stephanus arbitratur Virgilium in voce ista græca elemento, l, eandem potestatem dedisse, quam habet in quibusdã aliis vocabulis græcis, nominatim in μέλος, vnde quidam deducunt philomela. Liberum esto lectori iudicium.

B ÆRATÆ PRORÆ) Rostrorum æratorum inuentor fuisse scribitur Piseus, vt est apud Plin. lib. 7. cap. 56. Adhibita autem rostra, non constratis tantum, seu tectis nauibus, sed etiam apertis: nec modò maioribus, sed & minoribus, tradunt Liuius libr. 48. & Hirtius de bello Alexand. Plura Steuechius ad cap. 43. lib. 4. Vegetij.

LVSTRANTQVE CHOREIS) hoc est, orbe, qui Ciceroni saltatorius: κυκλοτερὴς ὑπόρχημα ἀμφιχορεύοντες, cantantes, saltantesque obeunt, choro & tripudiis circumeunt.

FANDI DOCTISSIMA) Verbum *fari*, *fandi* poetæ sępius adhibent, cum de quodam oratorio sermone loquuntur. Sic. lib. 1. de principe legationis Ilioneo, *post-* C *quam data copia fandi*. Lib. 11. *Det libertatem fandi, flatumq́, remittat*. Lib. 6. vsus est verbo orare, quod oratoriũ est. *Orabunt caussas alij.*

CYMODOCEA) Idoneum nomen nymphæ, à receptu fluctuum.

PONE SEQVENS) Æneid. 2. Ponè subit coniux, id est, à tergo. Plaut. Curcul. *Ponè ædem Castoris, vbi sunt, subitò quibus credas malè.* Ibid. *I tu pra virgo: non queo quod ponè me est, seruare.* Et Pœnulo, *Pone nos recede. CO. fiat. AD. nos priores ibimus.*

DORSO EMINET) peritiam natandi ostendit.

TVM SIC IGNARVM ALLOQVITVR) Lib. 1. Æneid. *Tum sic Reginam alloquitur.*

VIGILASNE? VIGILA) Verba sunt sacrorum: nam virgines Vestæ certa die ibant ad regem sacrorum, & dicebant, *Vigilasné rex: vigila:* quod Virgilius iure dat Æneæ, quasi & regi, & quem vbique Pontificem, & sacrorum peritum inducit. Seruius. Credo alludere poetam ad symbolum, & vocem illam, quam exituri in bellum duces vsurpabant, Mars vigila, eius custodiam implorantes. German. * *Potest nihilominus referri commodè ad vigilantiam, quæ Principibus magnæ laudi est. Iactatum est illud Homeri, non decere Principem dormire solidam noctem. Sic Æneas lib. 1.* per noctem plurima voluit. *Et hoc ipso libro suprà*, Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat Euentus belli varios. *Sic & Iasonem aliis dormientibus vigilantem facit Flaccus Argonaut. lib. 1.* solus quibus ordine fusis Impatiens somni ductor manet. *Vide symbolam lib. 1. in locum paulo ante adductum.*

E VELIS IMMITTE RVDENTES) id est, perseuera, & consenti flatibus, quia prosperis successibus nauigas, & habenas nauigij currentis ne retine: ne fælicitatis tuæ successus obiecta tarditate impedias. Donatus.

NOS SVMVS IDÆÆ SACRO DE VERT. PINVS) Catull. in faselum. *Tuo (Cytore) stetisse dicit in cacumine.*

PERFIDVS, VT NOS RVTVLVS) Perfidũ vocat Turnum: quippe qui post fœdus bella commouit. Vnde Latinus, *Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas.* Inuitas rupisse vincula dicit, quasi diceret, malueramus tibi seruire potius, quam in nympharum numina commutari. Et nunc te per æquor ideo quærimus, vt tibi & hoc ipsum, & statum rerum tuarum indicare possimus. Seruius.

FACIEM MISERATA REFECIT) Aut, re, vacat, aut quia in ipsis antè forma fuerat nauium. Seruius.

AT PVER ASCANIVS MVRO) De filio vtique separatim audire pater cupiebat. Neque enim minus nunc, quam olim *Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.* Huius ergo illi periculum summum nuntiat.

TELA INTER MED. ATQVE HORRENT. MARTE LATIN.) qui Marte suo, id est, bellandi ardore horrorem contrà pugnantibus incutiunt. Horrens sæpe Virgilio valet horriferum, seu horrificum. Similia his sunt Eclog. 10.

Nunc insanus amor duri me Martis in armis,
Tela inter media, atque aduersos detinet hostes.

IAM LOCA IVSSA TENET ARCAS) Æneas terrestri itinere præmiserat Arcadas equites, ab Euandro scilicet acceptos quadringentos, vnà cũ Etrusco equitatu, quos Turnus obiectis suis equitibus, ne se castris Troianorũ iungant, impedire omni ratione conabitur.

MED. OPPONERE TVRMAS) Turma est ordo militaris equitũ, dicta quasi ter dena, vt ait Varro, quod terdeni equites ex tribus tribubus, Tatiensium, Rhãnensium, Lucerum fiebant. Constabat enim è triginta duobus equitibus, & qui illi præerat, decurio vocabatur. Cic. epist. libr. 5. Interea cognoui multorum litteris, atque nuntiis, magnum eorum equitum numerum, qui in Ciliciam transisset, ab equitum meorum turmis, & à cohorte prætoria occidione occisum. Liuius lib. 1. V. C. Equitum decem turmas ex Albanis legit.

SVRGE AGE, ET AVRORA) Hortatur vt surgat, sed sedentem excitat, non dormientem. *Surge agè* non est iubentis, sed vrgentis ad gloriam. Et aurora, inquit, veniente, hoc est, antequam plena redeat lux, in arma conuocari socios primus præcipe. Primùm admonet facere, quæ res vincendi fiduciam promittebat. Consternabuntur hostes, si te primum viderint incipere, aggredique certamen, atque armis diuinis instructum. Prædicit & futura, vt verè appareat dea. Si non contẽpseris dicta mea, probabis, quantas de Rutulis strages videbit crastina dies. Donatus.

INGENTES RVTVLÆ SPECT. CÆD. ACERVOS) Hoc eodem li. *Cum tamen ingentes Rutulorum linquis aceruos.* Lib. 11. *ingentem cædis aceruum*, &, *tot stragis aceruos.* Silius lib. 8. iisdem verbis, ὑπερβολικωτέρως, *tam stragis aceruis Deficiunt campi.* Catull. de nupt. *Cuius iter cæsis angustans corporum aceruis.* Sic apud Ennium in 14. Annali pro, *Contudit: indigno bello confecit acerbo.* Hieronymus Columna censet scripturam probabilem esse, *Contudit indignè: & bello confecit aceruos*, cum, v, littera cum, b, mutua cognatione, ac librariorum oscitãtia facile harum vocum altera in alteram migrare potuerit. Huc pertinet, quem ex 2. Catilinaria locum producit cum reliquis supra à me positis. Cn. Octauius cos. armis ex vrbe collegam expulit: omnis hic locus aceruis corporũ, & ciuium sanguine redundauit. Et ex Varrone Mysteriis. Nascimur enim spissius, quam emorimur. Vix duo homines decem mensibus edolatum vnum reddunt puerum: contra, vna pestilentia, hostica acies puncto temporis immanes aceruos facit.

Dixerat, & dextra discedens impulit altam:
(Haud ignara modi) puppim: fugit illa per vndas
Ocyor & iaculo, & ventos æquante sagitta.
Inde aliæ celerant cursus. stupet inscius ipse
Tros Anchisiades: animos tamen omine tollit.
TVM BREVITER SVPERA ASPECTANS CONVEXA PRECATVR.
Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræq; vrbes, biiugiq; ad fræna leones:
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu ritè propinques
Augurium, Phrygibusq; adsis pede Diua secundo.
Tantum effatus: & INTEREA REVOLVTA RVEBAT
MATVRA IAM LVCE DIES, NOCTEMQVE FVGARAT.
Principiò sociis edicit, signa sequantur:
Atque animos aptent armis, pugnæq; parent se.
Iamq; in conspectu Teucros habet, & sua castra,
Stans celsa in puppi. Clypeum tum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidæ è muris: SPES ADDITA SVSCITAT IRAS.
Tela manu iaciunt: quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntq; Notos clamore secundo:
At Rutulo Regi, ducibusq; ea mira videri
Ausoniis: donec versas ad littora puppes
Respiciunt, totumq; allabi classibus æquor.
Ardet apex capiti, cristisq; à vertice flamma
Funditur, & vastos vmbo vomit aureus ignes.

Non

Non secus ac liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubrè rubent, aut Sirius ardor:
Ille sitim, morbosq; ferens mortalibus ægris
Nascitur, & læuo contristat lumine cælum.

ET DEXTRA IMPVLIT PVPP.) Huc totum istuc figmentum spectat, vt Æneas secundis ventis ac mari, in primisque fauentibus diis, rediisse in castra videatur.

HAVD IGNARA MODI) Non erat Cymodocea ignara modi, id est, moderationis: sciebat, quippe quæ nauis nuper fuerat, quis conueniret naui modus in cursu, quantum impellenda esset. Eodem modo aliæ nymphæ aliarum nauium cursus celeriores efficiunt, quomodo Cymdoocea fecerat. Seruius.

OCYOR ET IACVLO, ET VENT.) Nota duas hyperbolas ad celeritatem exprimendam idoneas.

STVPET INSCIVS) Inscius rerum, quas modò audierat, ipsa auditione obstupuit Æneas. Sed animum tamē bene ominans sibi, erigit: supera autem aspectans precatur, quoniam non nymphis agendæ sunt gratiæ: sed illi, à quo bona illa profecta esse videbantur. Seruius, B Donatus.

SVPERA ASPECTANS CONVEXA) Conuexa cæli, extrema eius sunt, à curuitate dicta, vt est illud: *Conuexum quoties claudit nox humida cælum.* Conuexum enim curuum est, quasi conuersum, seu inclinatum, & ad modum circuli flexum. Isid. lib. 3.

CVI DINDYMA CORDI) Dindyma, orum, mons in Phrygia, sacer Cybelæ, vnde eam Catull. in Galliambo Dindymenam dominam vocauit. Et quia in eius tutela ciuitates, quę plerumque turribus cinguntur, ideo cum corona turrita pingitur.

C BIIVGI AD FRÆNA LEONES) sicut Terentius Andria, canes ad venandum, pro canibus venaticis. Leones ad fræna, id est, leones domiti, frænorum patientes: quæ enim animalia frænos recipiunt, domita sunt. [*Lucret. lib. 2. de curru, & leonibus Cybeles.*

Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetæ
Sedibus in curru biiugos agitare leones.

Interpretatur idem hoc, & vult significari, liberos quantumlibet feroces, debere parentibus obedire. ait enim.

Adiunxere feras: quod quamuis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum.

Aliam caussam coniectat Ouid. 4. Fast.

Desierat, cœpi. Cur huic genus acre leones
Præbent insolitas ad iuga curua iubas?
Desieram, cœpit: feritas mollita per illam
Creditur: id curru testificata suo est.]

D Sic postliminio dicit Cic. in Top. redire equum, equam, quæ fræna recipere solet, id est, quæ domita est. Tale illud Æneid. 9. *fidusq; ad limina custos.* Vide ibi dicta. Nam velut atriensem eum dicit fuisse. Et illud quoque Catulli, *Ad lecticā homines*, pro, lecticariis. Et Martialis, *ducit ad pedes vernam.* Turneb. lib. 3. cap. 23. lib. 23. cap. 6. & lib. 29. cap. 24.

PEDE DIVA SECVNDO) Lib. 8. ad Herculem. *Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.*

REVOLVTA RVEBAT DIES) aperta dies, vt inuolutum dicitur, quod clausum est. Similiter de aduentu noctis lib. 2. *Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox.* Et in 6. *Nox ruit Ænea.*

E MATVRA IAM LVCE) Tralatio à fructibus. Et est ὕστερον πρότερον. * *Sanè ortum diei, siue solis, omnia luce sua depulsis iam tenebris perfundentis, ac connectentis, ad rem spiritualem considerandam suo more, & suauiter trahit Philo. lib. de Charitate, hoc pacto. Quemadmodum sole exorto euanescunt tenebræ, & luce implentur omnia: eodem modo, quando sol diuinus illucescit animæ, vitiorum, affectionumq; caligo depellitur, & splendidissima virtutis pura, amabilisq; se profert species.*

PRINCIP. SOCIIS EDICIT) Exequitur Æneas præcepta Cymodoceæ. Signa accipe vel tesseræ, vel tubarum, vel militaria. Quod multorum præceptorum fuit, subacto sermone collegit: vt sequerentur signa, componerent animos, & hos pugnæ, ingruentiq; certamini præpararent. Donatus.

ANIMOS APTENT. ARMIS) ad arma animos applicent, desiderium armorum in pugna tractandorum cōcipiant.

STANS CELSA IN PVPPI) Ad altitudinem puppis accessit Æneæ quoque satis eminens forma: nam cum staret, multò altior est factus, ratione loci, & corporis proceritate. Accessit adhuc altitudini augmentum. Texit quippe sinistram manum cum clypeo. Donat.

ARDENTEM) Addit hoc, vt ex altitudine, & clypei ardentis flamma, facilius occurreret oculis Troianorum properantis aduentus. Idem Donatus.

SPES ADDITA SVSCITAT IRAS) Ex aduentu ducis magna spe victoriæ concepta, irascebantur hostibus quos antea propter eiusdem sui ducis absentiā (quippe cum eo tanquam fundamento niterentur) metuere videbantur.

TELA MANV IACIVNT) Ennius Annali 15. *Istri tela manu iacientes.*

QVALES SVB NVB. ATRIS.) Non ad telorum iactū, sed ad clamorem Troianorum pertinet ista comparatio. Sumpta est autem ex γ, Iliad.

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὥς.
Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ
Αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον, καὶ κῆρα φέρουσαι.
Obuia torquentes Danais vestigia Troës
Ibant, sublato campum clamore replentes:
Non secus ac cuneata gruum sublimè volantum
Agmina, dum fugiunt imbres, ac frigora brumæ,
Per cælum matutino clangore feruntur,
Oceanumq; petunt, mortem exitiumq; cruentum
Irrita Pygmæis morituris arma ferentes.

STRYMONIÆ GRVES) Gruere dicuntur grues, vt sues grunnire, vnde tractum est congruere, hoc est, conuenire, quia id genus volucrū minimè est soliuagum. Festus.

FVGERE NOTOS) Notos, quosuis ventos frigidos: nam etiam grues significant tempestatem futuram, vt in Georg. legimus. *aut illum surgentem vallibus imis Aëriæ fugere grues.* Seruius.

AT RVTVLO REGI, DVCIBVSQVE) Quia Rutuli in plano fuerunt, nesciebant caussam clamoris, & gaudij Troianorum, & admodum mirabantur, vnde esset illis repentina lætitia. Dum autē caussas cupiunt cognoscere, repente vident per totum æquor naues ad littus accedere. Et turbatis quidem repentino terrore plus apparebat, quam testabatur fides rerum: non enim fieri potuit, vt per totū æquor nauigia haberentur. Donat.

ARDET APEX CAPITI) Iliad. 5. Minerua Dimedi suo pugnanti, duntaxat flammarum addidit ardorem.

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε, καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,
Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο.
Τοῖόν οἱ δαῖεν ἀπὸ κρατός τε, καὶ ὤμων.
Flamma repercussa clypei tam clara rotundi
Ære refulgebat, galea tam splendor ab alta
Igneus emicuit, quam pulchrum tempore sidus

 Diuinū

Diuitis autumni, quod latum fluctibus alto
Surgit ab Oceano, cælumq́; illustrat, & omnes
Ante alios micat astrorum conspectius ignes.
Is fuit armorum Tydidæ splendor.

Hoc miratus supra modum Virgilius, immodicè vsus est. Modò enim ita de Turno ait, *tremunt sub vertice cristæ Sanguineæ, clypeoq́; micantia fulmina mittunt.* Modò idem ponit de Ænea, *Ardet apex capiti, &c.* Quod quàm importunè positum sit, hinc apparet quod necdum pugnabat Æneas, sed tantum in naui veniens apparebat. Hæc est Macrobij reprehensio libr. 5. cap. 14. cui sic occurrit in Antonio Iouian.

Immò magis opportunè non potuisset: siquidem apex ille ardere visus, & Troianis obsidione laborantibus, ac tantum non expugnatis castris, magnos addidit animos: vnde viso clypeo, clamorem tollunt ad sidera, spesque addita suscitat iras, iaciuntq; manu tela, & Ausonius ducibus, nedum militibus is metus iniectus, vt soli Turno fiducia non cesserit. Quin etiam Æneas ipse, vt qui sciret, quantum armis illis opus, quantum opinionis, atque exspectationis inesset, stans celsa in puppi, sinistra clypeum extulisse inducitur, cum primum in suorum, atque hostium conspectum venit. Itaque non potuit magis opportunū tempus seruari, cum suorum res tam in angusto, hostium tantus esset successus. Et profectò armis illis cælo missis, nec tempore magis necessariò sese instruere Æneas potuit, cum de summa rerum contendendum esset, & primus illorum aspectus necesse erat, vt vim diuinitus insitam & Troianis, & Rutulis cum spe, metu, horrore, fiducia, atque admiratione præ se ferret.

Homeri est & locus, & comparatio, nempe ex Iliad. X.

Παμφαίνονθ' ὥς τ' ἀστέρ' ἐπεσσύμενον πεδίοιο,
Ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
Φαίνονται, πολλοῖσι, μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ,
Ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν,
Λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστὶ, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται,
Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν.

Quem (Achillem) senior Priamus primus conspe-
(xit in armis
D *Fulgentem: velut exortum quod tempore sidus*
Diuitis autumni fulget. mortalibus ægris
Triste quidem, sed præcipuo splendore coruscans
Nocturnas vincit tenebras, quem nomine dicunt
Esse canem ferro, atque auro grauis Orionis.
Non secus Æacides cursu celer actus anhelo
Sidereis toto fulgebat pectore in armis.

Hoc autem Maro violentius posuit, quod ille, stellæ tantum facit comparationem: hic etiam stellæ pestiferæ, respiciens quam cladem Rutulis esset illaturus AEneas. Seruius.

CRISTISQVE A VERT.) Pro *cristisq́;* emendasse Faërnum *tristisq́;* monet Vrsinus, nec eam scripturam ipse damnat, & ego non repudio.

VMBO VOMIT AVR. IGNES) Vmbo Latinis, Varrone teste, quod Græcis ἄμβων. Græci autem ἄμβωνας vo-

A cant, quidquid extumidum est, & prominet. Hinc scriptores à parte, quę in clypeo Romano instar dimidiati oui eminebat, συνεκδοχικῶς vmbonem pro clypeo ponunt, vti hoc loco Virgil. & Stat. lib. 1. Thebaid. *vasto metuenda vmbone ferarum Excutiens stabula.* Sueton. Iulio, vmbone obuios agens. Hinc & pro toga quoque sumitur, ab vmbone, qui in ipsa. Pers. Sat. 5. *totaq́; impunè Saburra Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo.* Martialis. *In turbam incideris, cunctos vmbone repellit.* Statius item pro omni eo, quod prominet, vocem vmbo vsurpat, lib. 6. Thebaid. *geminis vmbonibus agger Campum exire vetat.* Idem Hercule Surrentino, *contra riget vmbo maligni Montis.* Immò pro humero, manu,
B aut brachio. lib. 3. *clypeum nec sustinet vmbo.* Plura Ioan. Bernartius in 1. Thebaid. Statij.

NON SECVS AC LIQVID.) Quia scutum, & alia, quæ AEneas liberalitate Vulcani meruerat, in multorū exitium fuerant facta, comparantur his sidera, cometes, & Sirius: quæ quando oriuntur, morbos ferunt hominibus, & interitum plurimorum. Hæc dicuntur & imperiorum commutationem portendere. Donatus. * *De cometa nonnihil habebas à me Georg. 1. in extremo, ubi,* nec diri toties arsere cometæ. *Et cælum, & hominum animos contristant, & eò magis, quò maiores.*

SIRIVS ARDOR) Statius 1. Thebaid. *& in totum regnaret Sirius annum.* Canicula est, quam vterq; intelligit, sidus noxium, morbos cōplures generans. Vt por-
C rò hic Virgil. læuum lumen pro pernicioso posuit, sic idem Statius læuum ignem dixit eodem lib. *Quærenti quæ caussa dati, quis ab æthere læuus Ignis.* Idem lib. 1. *cui læua voluntas Semper,* id est, praua. Bernartius in 1. Thebaid. Statij.

Verùm, cur, & quando Sirius pestilens habeatur, quando minus, docet Pierius lib. 44. Aiunt Actæos, inquit, ortum caniculæ diligēter quotannis obseruare solitos, coniecturamque inde capere, salubrisné, an pestilens annus futurus esset. Ea enim stella si obscurior, & caliginosa propemodum extitisset, pingue, ac concretum esse cælum, ac proinde eius afflatum grauem, ac pestilentem futurum ominabantur: sin illustris, atque
D pellucida apparuisset, cælum itidem tenue, purumque coniiciebant, futuramq; inde salubritatē præsagiebant. * *Considera mihi, amabò, qualem ex sideris huius pestilēti, Sirij inquam, qualitate similitudinem, ad vitæ morumq́; emendationem nobis persuadendam eliciat S. Nyssenus, Homil. in Hexaëmeron. Ita nihil pæne est in rerum natura, vnde non pia mens aliquid salutariter discat. Qui rationem ducunt valetudinis corporū, se ipsos expurgant ante ortum caniculæ: nec quod humidum in illis est, vehementi ipsius ardore corrumpatur, & morbos pariat. At qui animi curam gerūt, incertum mortis diem nolunt antevertere, ac dirum q́; excruciantis illius ignis, qui in æternum comburit, & nullam vnquam refrigerationem admittit.*

LÆVO CONTRIST. LVMINE CÆL.) tale est, quale illud, quod ait in 2. Æneid. *nam lux inimica propinquat:* vt ostenderet lumen non semper esse optimum, sed ali-
E quando exoriri contrarium. Nam cometes, & Sirius tāto sunt perniciosiores, quanto fuerint luce maiore conspicui. Donatus. *Læuum lumen*, est infaustum, & portentosum, quo cæli aspectus fit tristis.

HAVD TAMEN AVDACI TVRNO FIDVCIA CESSIT
Littora præripere, & venientes pellere terra.
VLTRO ANIMOS TOLLIT DICTIS, ATQVE INCREPAT VLTRO.
QVOD VOTIS OPTASTIS, ADEST, perfringere dextra:
In manibus Mars ipse, viri. nunc coniugis esto
Quisq; suæ, tectiq; memor: nunc magna referto

Facta,

Facta, patrum laudes. vltro occurramus ad vndam,
Dum trepidi, egressisq; labant vestigia prima.
AVDENTES FORTVNA IVVAT.
Hæc ait: & secum versat, quos ducere contrà,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Æneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. multi seruare recursus
Languentis pelagi, & breuibus se credere saltu:
Per remos alij. speculatus littora Tarchon,
Quà vada non sperat, nec fracta remurmurat vnda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu,
Aduertit subitò proras, sociosq; precatur.
Nunc ô lecta manus validis incumbite remis:
Tollite, ferte rates: inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumq; sibi premat ipsa carina,
Frangere nec tali puppim statione recuso,
Arrepta tellure semel.

HAVD TAM. AVD. FID. CESS.) Quum contraria A partibus suis Turnus aspiceret, non perdidit eo viso constantiam: sed audacia, qua semper est vsus, consilium tenuit: vt antecaperet terram, ne Æneas, & qui cum eo erant, nauibus exponerentur. Donatus,

QVOD VOTIS OPTASTIS) Mos fuit, qui hodiè nullus est, Imperatoribus, alloqui milites, eosque aut retinere, aut impellere. Retinere nimis, aut properè gestientes: impellere, tardantes, aut timentes. Vtile hoc institutum, cum Imperator consilio, & sæpe eloquio validus, & semper auctoritate, suos cóposita oratione excitaret: & vel timidis robur, ac vires daret. Ab illo autem ardore ad pugnam rectà ibant, cum præsentia Imperatoris adhuc in oculis, & verba in auribus versa- B rentur. Sæpe interequitans ordines, ita affatus eos est, sub ipsam pugnam: sæpe in castris, & ante egressum. Aliquando etiam extra suspic onem omnem pugnæ, si qua seditio, aut querela, aut alius animorum morbus, cui sermone mederetur. Lege reliqua apud Lipsium de Milit. Rom. lib. 4. dial. 9. vtilissimæ cognitionis plenissima.

Imperator porrò, aut dux exercitum allocuturus, militibus classico ad concionem coactis, tribunal, suggestum, aut locum eminentiorem conscendere solebat, vbi aquilæ, & reliqua signa circumstabant, quod ex historicis, & alijs antiquis monumentis nemo nescire potest. Tribunal istuc sæpe ex cespitibus erectum in ca- C stris memini, nominatim apud Tacitum 1. Annal. Cæterum Imperatore exinde concionante, modò ad seditiones componendas, interim ad laudandam militum fortitudinem, & dona distribuenda, modò ad citandos ad prælium animos, varia signa vsitata fuerunt, quibus milites assentiri, gaudere, dissentire, indignari sese ostenderent. Assensus signa erant, manus extollere, clamare, scuta genibus illidere, &c. Latius hæc Steuechius ad Veget. lib. 3. cap. 9. De signis item approbationis, improbationis Lipsius. Idem Veget. 12. vide quæ præcepta det, pro concione militari.

Inducitur dictio hominis audacis, & eius qui nollet suos trepidatione confundi, asserentis prodesse potius, D quod potuit videri contrarium. Donatus.

Magna ars persuadentis est, quod cupit fieri, in præiudicium vt trahat. Sic hoc loco vult Turnus, vt ineant pugnam eius socij, qui eos hanc semper optasse dicit. *Perfringere* autem, id est, fortiter facere. Bene verbo militari vsus est. Nec iam in votis, vt antehac, sed in manibus res est. Seruius. A Xenophonte, sumptum arbitratur German. *παιδ'. ε. ἃ μὲν δὴ πρῶτα ηὐξάμεθα, σὺν θεοῖς πάρεστιν ὑμῖν.*

IN MANIBVS MARS IPSE) Præsentes iam sunt hostes, ita vt manu iam cum ipsis confligere possitis. Iam vobis facta est manum conserendi potestas. Silius lib. 2. *stat campus, & arma, Et Mars in manibus.* Contraria, Mars in pedibus, Mars in lingua.

Obseruasse videor, inquit Lipsius Variar. libro quarto cap. 13. C. Cæsarem peritum hominem, & in sermone proprietatis valde amantem, *In manibus esse*, noua quadam ratione, & præter vulgatam consuetudinem vsurpasse, Commentario secundo rerum à se gestarum. Subitò omnibus copijs prouolarunt: impetumque in nostros equites fecerunt. His facilè pulsis, ac perturbatis, incredibili celeritate ad flumen decurrerunt, vt pæne vno tempore, & ad syluas, & in flumine, & in manibus nostris hostes viderentur. In manibus esse, ni fallor, dixit, præsentes esse, & ita propinquos, vt pæne manibus tangi possent. Quomodo etiam istuc Virgilij mihi accipiendum videtur, hanc enim habet sententiam. Quod votis semper optastis, vt pugna decernere cum hoste possetis, nunc aliquando contigit, est in manibus Mars, & præsens iam nunc pugna est. Cicero etiam nó longè dissimili ratione in Bruto scripsit illud: sed est in manibus vir, & præstantissimo ingenio, & flagrantissimo studio C. Gracchus. Cato item Censorius. Neque mihi ædificatio, neque vasum, neq; vestimentum vllum est in manu preciosum. Quod autem Cic. lib. 4. in Verrem de supplicijs scribit, Dij approbent, habemus hominem fecialium manibus educatum, id interpretor, in præsentia fecialium, & perpetua consuetudine educatum. Quod qui immutare conati sunt, & ex eo, *in fecialium moribus*, fecerunt, dum acuti videri volunt, non aliud quàm ignorantiam suam prodiderunt. Extat hoc idem dicendi ge-

nus in venusto, & elegantissimo epigrammate, *Docta, erudita, pæne Musarum in manu*. Quod ait in manibus esse Martem, perinde est, ac si diceret, diem ipsum, & horam conflictus adesse: quo die, quæ procuranda sint, docet Veget. lib. 3. cap. 11. vocat autem fatalem, diem nationibus ac populis. Et mox. Nam in euentu aperti Martis victoriæ plenitudo consistit. Hoc ergo tempus est, quo tanto magis duces debent esse solliciti, quanto maior speratur diligentibus gloria, & maius periculum comitatur ignauos: in quo momento peritiæ vsus, pugnandi doctrina, consilium dominatur.

NVNC CONIVGIS ESTO) Ab Homero Iliad. ω.

Ὦ φίλοι ἀνέρες ἔστε, καὶ αἰδῶ θέσθ' ἐνὶ θυμῷ
Ἄλλων ἀνθρώπων, ἐπὶ δὲ μνήσασθε ἕκαστος
Παίδων ἠδ' ἀλόχων, καὶ κτήσιος, ἠδὲ τοκήων,
Ἠ μὲν ὅτεῳ ζώουσι, καὶ ᾧ κατατεθνήκασι.

Et rursum Iliad. θ. μέμασαν δὲ καὶ ὣς ὑσμῖνι μάχεσθαι χρειοῖ ἀναγκαίῃ πρό τε παίδων, καὶ πρὸ γυναικῶν. His magno concentu respondent hi apud Aeschylum in Persis. ὦ παῖδες ἑλλήνων ἴτε, ἐλευθεροῦτε πατρίδ', ἐλευθεροῦτε δὲ παῖδας, γυναῖκας, θεῶν τε πατρῴων ἕδη, θήκας δὲ προγόνων· νῦν ὑπὲρ πάντων ἀγών. Vrsin. & German. * *Non abhorrent etiam hac Tyrtæi, qui mares animos in bella versibus exacuit, de quibus non pauci feruntur etiam hodie.*

Τιμῆέν τε γάρ ἐστι καὶ ἀγλαὸν ἀνδρὶ μάχεσθαι
Γῆς πέρι, καὶ παίδων, κουριδίης τ' ἀλόχου
Δυσμενέσι.

Liuius lib. 7. Pugnatum haud procul porta Collina est, totius viribus Vrbis, in conspectu parentum, coniugumque, ac liberorum, quæ magna etiam absentibus hortamenta animi, tum subiecta oculis simul verecundia, misericordiaque, militem accendebant. Idem lib. 8. Consurgite nunc, inquit (Manlius cos.) integri aduersus fessos, memores patriæ parentumque.

Cum militum animos ad fortiter strenueque pugnandum acuere volunt imperatores, præter cætera, quæ ad hanc rem efficiendam argumenta colligere solent, frequenter ipsis ingerere consueuerunt vxorum, filiorumque amorem, atque erga ipsos charitatem: valet enim hoc multum ad excitandos animos eorum, qui vel vxorem habent, vel filios aliquando susceperunt. Possunt autem hac de re infinita propemodum exempla in medium produci: sed vno Xenophontis, altero Liuij contentus ero. Cyaxares in oratione qua Cyro persuadere conatur, minimè persequendos esse Assyrios, qui post ingens illud prælium infeliciter ab ipsis cõfectum, nocturnam fugam meditabantur, præter cætera inquit. ἴσθι ὅτι οὐ σοὶ μᾶλλον τὰς ἐκείνων γυναῖκας, &c. Scire debes, non tam illorum vxores, ac liberos capiundi te cupidum esse, quam ipsi seruandi sint cupidi: etiam sues cogitato, posteaquam visæ sunt cum natis fugere, tametsi multæ sint numero: sin quis natos venetur, non iam amplius, ne si vna quidem sit, fugit, sed eum qui capere conatur, inuadit. Scipio quoque Cos. cum Annibale congressurus, ita milites hortatur apud Liuium li. 21. vt erga vxores, ac liberos amorem ante oculos ponat. Vnusquisque, inquit, se non corpus suum, sed coniugem ac liberos armis protegere putet, nec domesticas solùm agitet curas, &c. Vnde colligi volo, milites qui vxorem habent, alacrius pro patria vitam profundere, eique minus omnino parcere, quàm qui cælibes viuunt. Titius lib. 10. cap. 19.

Scriptum reperi, Themistoclem, cum in duos gallos gallinaceos acerrimè pugnantes incidisset, eorum exemplo vsum ad animandum exercitum, cum diceret, eos neque pro patria, neque pro penatibus, neque pro maiorum sepulcris, neque pro vxoribus, aut liberis confligere: sed ea tantùm de causa nolle alterum alteri cedere, quia vinci nolit. At Catilina socios coniurationis apud Sallustium ad patriam perden-

A dam proposita libertate, opibus, gloria excitat. Quin igitur expergiscimini? en illa, illa, quam sæpe optastis libertas: præterea diuitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt. Fortuna ea omnia victoribus præmia posuit, &c. Nec vllo modo dubium est, quin etiam Respub. cum omnibus quæ eius nomine continentur, hoste aut armis perimendo, aut consilijs sapientissimis auertendo sæpe seruetur, vt proinde ea ab duce militibus ante oculos ponenda sit. En vt togatus ille Imperator M. T. de incruenta victoria sua gloriatur Catil. 3. Rempub. Quirites, vitamque omnium vestrûm, bona, fortunas, coniuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperij, fortunatissimam, pulcherrimamque

B vrbem hodierno die, deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consilijs, periculisque meis, è flamma, atque ferro, ac pæne ex faucibus fati ereptam, & vobis conseruatam, ac restitutam videtis. *

NVNC MAGNA REF. FACTA PATRVM) Secutus Sallustium hoc dicit, qui ait Hispanorum fuisse, vt in bella euntibus iuuenibus, parentum facta memorarentur à matribus. Vltro autem occurri descensuris debuit, ne firmatis post parua momenta vestigiorum gressibus, resumerent firmitatem. Præstat, inquit, labantes aggredi, quàm excluso pedum languore firmatos. * Seruius, Donatus.

AVDENTES FORTVNA IVVAT.) Non iuuat Fortu-

C na torpentes, sed audentibus adest: nec deserit audentes ad gloriam: sed ausus egregios optatam perducit ad palmam. Donatus.

Quum cecinisset Ennius Annali 7. *Fortibus est fortuna viris data*, Maro eius vestigia sequens ita cecinit, *Audentes Fortuna iuuat*. Vicissim Naso Maronis vestigijs insistens, hanc sententiam ἐπαρῴδησε Metam. lib. 10. *Audentes deus ipse iuuat*. Qui tamen alibi non itidem pro fortuna dixit deum, sed synonymo vsus est nomine: verùm in eo aliquid innouauit, vt fit in parodijs, quod Venerem adiecit, atque ita latè patentem sententiam, ad id de quo sermo erat, quodammodo restrinxit, cum scripsit Fastor. lib. 2. *Audentes forsque, Ve-*

D *nusque iuuant*. Nec dubium est, quin ad eandem respexerit hoc dicto Metamorph. lib. 8. *Ignauis precibus fortuna repugnat*. Sed & ipse Ennius parodia videtur vsus, quum prouerbialia hæc verba, *fortes fortuna adiuuat* (quæ apud Ciceronem, & Terentium legimus) in ista mutauit: *Fortibus est fortuna viris data*. At verò Tibullus mediam quandam inter Maronem, & Nasonem viam insistere dici potest, dum prouerbium illud ita effert, *fortes adiuuat ipse deus*. Nam fortes ex prouerbio retinet, quod Maro in *audentes* mutauit, & cum Marone Naso: vicissimque *fortuna*, quod Maro seruat, mutat in hæc, *ipse deus*. Potest etiam videri Virgilianam sententiam ex hac Menandri manasse.

E Τόλμῃ δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμβάνει.

Ausa deus etiam iusta quæ sunt prouehit.

Licet in ea non generaliter dicatur, audaciam iuuat deus: sed auxilium ei demum audaciæ, quæ iusta est, adscribitur. Quidam putant Maronem respexisse illud Homericum Iliad. κ. θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων ἔργοισι τελέθει. Sed ego eum potius ad illud vetus prouerbium respexisse, quo & Ennius alluserat, & parodica immutandi libertate vsum esse crediderim. Quidam verò arroganter ita versum hunc expleuerunt, *Audentes fortuna iuuat, timidosque repellit*. Hen. Steph. in Schedias. * *Sallustius, fortuna meliores sequitur. Memorabilis sententia Senecæ, epist. 104. Multa non quia difficilia sunt, non audemus: sed quia non audemus, ideo difficilia sunt. Audacia, & audentia hoc differunt, inquit Nonius, quod audentia fortitudinis est, au-*

sit, audacia temeritatis. Vt Salust. Audacia pro muro habetur: & apud Veteres sæpe sit. Vergil. Audentes fortuna iuuat. *Et,* audentior ibo In casus omnes. *Quamquam & audaciam pro fortitudine legimus, Æneid. 9.* Irim de cælo misit Saturnia Iuno Audacē ad Turnum.

SECVM VERSAT, QVOS DVCERE) Cogitat quidem, sed non facit, ne diuiso exercitu vtrobiquè vincatur: quod sequentia indicant: nam paulò post dictutus est, *sed rapit acer Totam aciem* in Teucros. Seruius.

SOCIOS PONT. EXPONIT) Descensus eorum, qui cum Ænea venerunt, variè, breuiterq; describitur. *Pontes* intellige scalas nauticas.

LANGVENTIS PELAGI) Languens pelagus, est tranquillum pelagus.

BREVIB. SE CREDERE SALTV) insilire in loca vadosa, *waten.* Breuia, sunt vada.

PER REMOS ALII) Exponit Seruius, per scaphas.

QVA VAD. NON SPER.) Vada esse non sperabat, in quæ tamen incidit.

MARE INOFFENSVM) non offendens ad scopulos, & littora: actiuè.

CRESCENTI ALLABITVR ÆSTV) Vegetius lib. 4. cap. 42. Nam certis horis, diebus pariter, ac noctibus, æstu quodam (quod rheuma vocat) vltro citroque procurrit, & more torrentium fluminum, nunc exundat in terras, nūc refluit in altitudinem suam. Hæc reciprocantis meatus ambiguitas, cursum nauium secunda adiuuat, retardat aduersa: quæ dimicaturo magna sunt cautione vitanda. In idem cap. multa de æstu maris, & caussis eius non vulgaria Steuechius.

SOCIOSQVE PRECATVR) Deprecatur socios ad officia virtutis implendæ, quia plurimum ad effectum proficit, quum prece vtitur, qui iubere potuerat. Donatus.

NVNC O LECTA MANVS) Magnum ardorem viri fortis inducit, qui ob intentionem pugnæ ipsa naufragia non dubitat admittere.

TOLLITE, FERTE RATES) ad celeritatem dictum est: & illud, *terram inimicam findite rostris*, militari felle, vt etiam terra ipsa quodammodo sentiat hostis aduentum. *Statio* autem est portus temporalis: nam portus est, vbi hyematur. Sed modò statio siccum littus significat. Hoc enim dicit, potiar terra, & nauem frangere non recuso. Donatus. * *Prædicandum Tarchontis odium in Mezentium. Nimium longa mora est, dum ille sibi detur, dū armis eum inuadat. Hoc vt quam primum, celerrimeq; fiat, vel naues amittere paratus est. Sibi malo, & damno libenter sunt homines, dummodo hostibus dare damnum, & malum liceat.*

TALI STAT.) Statio hic pro loco, in quo tutò naues stare possunt. Verùm sunt aliæ huius verbi notiones, non perinde, vt hæc, in vulgus notæ. Est enim vbi pro cohorte militum accipitur, qui ante fores palatij excubabant. Stat. lib. 1. Thebaid. *nec alterna ferri statione gementes Excubiæ.* Sueton. tum alibi, tum signatè in Nerone, vt comperit stationē militum recessisse, prosiluit è lecto. Tantique hæc statio momenti, vt inter præcipua signa principatus haberetur. Secundò significat cohortem, quæ per prouincias contra latrones collocabatur. Tertullian. Apologet. Latronibus inuestigandis per omnes prouincias sortitur statio militaris. Sueton. Tiberio. Stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. Tertiò milites significat in castris, vel vrbe excubantes. Stat. libr. 12. Thebaid. *Ut*
B *paullum immisso cessit statio horrida somno.* Hinc stationem agere, pro excubare. Tacitus. Historiar. lib. 1. Igitur consultantibus placuit, tentare animum cohortis, quæ in palatio stationem agebat. Quartò notat officinam. Sueton. Nerone. Quod tabernas tres de domo sua circa forum ciuitatibus ad stationem locasset. Seneca de beata vita. Altum quiddam est virtus, excelsum, & regale, inuictum, infatigabile: voluptas humile, seruile, imbecillum, caducum, statio eius fornices sunt, & popinæ. Plin. iunior epist. ad Senecionem. Deniq; in stationibus sedent, tempusq; audiendis fabulis conterunt. Quintò statio pro ieiunio sumitur. Isidor. lib. 6. Ieiunium autem, & statio dicitur. Tertull. de corona
C militis. Iam & stationes alij magis faciet, quam Christo. Denique apud mediæ ætatis scriptores statio pro munere seu officio. Lamprid. Commodo. Iam in his artifex, quæ stationis imperatoriæ non erunt, vt calices fingeret, saltaret, cantaret. Sic Sueton. Claudio. Quod aliter euasuros, peruenturusque ad susceptam stationē non fuerit, id est, ad imperium. Ioan. Bernartius ad 1. Statij.

Cæterum apud Eclesiasticos scriptores, auctore Panuinio, in libello de stationibus vrbis, alia stationis est notio. Stationis enim voce significabant antiqui Christiani, actum quendam corporis, quo in sacris cōuentibus orantes stabant, nunc in hac basilica, nunc in
D alia conuenientes, nonnunquam apud martyria, id est, martyrum sepulcra, deū stantes, & attenti precabātur, quod præcipuè fiebat dominico die. Et post non paucas Romani, ait, Pontifices statis quibusdam diebus, præcipuèq; in quadragesima, & festis, ad diuersas vrbis Romæ ecclesias accedebant, vbi sermone, vel concione ad populum adstantem habita, & oratione ad deum facta, diuina mysteria postea cum clero, & populo Romano celebrantes, participabant. Qui actus, statio appellata est, à significatione, quam Cic. libr. 6. ad Attic. vsurpauit, pro temporaria videlicet habitatione, vel etiam à stando, quod in his accedentes populi starent.

- ------- quæ talia postquam
Effatus Tarchon, socij consurgere tonsis:
Spumantesq; rates aruis inferre Latinis:
Donec rostra tenent siccum, & sedere carinæ
Omnes innocuæ: sed non puppis tua Tarchon.
Namq; inflicta vadis dorso dum pendet iniquo,
Anceps, sustentata diu, fluctusq; fatigat,
Soluitur, atq; viros medijs exponit in vndis.
Fragmina remorum quos, & fluitantia transtra

Impe-

Impediunt; retrahitq; pedes simul vnda relabens.
Nec Turnum segnis retinet mora: sed rapit acer
Totam aciem in Teucros, & contrà in littore sistit.
Signa canunt.

SOCII CONSVRGERE TONSIS) Remiges, quos Liuius socios nauales vocat. Quid *tonsa*, dictum lib. 7. ibi, *& in lento luctantur marmore tonsa*. Lib. 5. *remis insurgere* dixit.

SPVMANTESQVE RATES) rates per vndas spumantes.

SEDERE CARINAE) De carinis eodem modo, & forma Tacitus lib. 2. Annal. vbi agit de classe in Germanos à Germanico structa. Aliæ breues angusta puppi, proraque, & lato vtero, quò facilius fluctus tolerarunt: quædam planæ carinis, vt sine noxa siderent.

INNOCVAE) Nonius, innocuum illæsum interpretatur, ductus huius loci, quem citat, auctoritate: sæpe tamen pro non nocente, & innocente accipitur. Lucan.

Tum fuit armorum series, vt grandine tecta
Innocua percussa sonant, sic omnia tela
Respuit.

De testudine in Massiliam acta loquitur. Innocuæ ergò pro illæsæ dixit Virgil. 9. de Psyllis. *gens vnica terras Incolit, à sæuo serpentum innoxia morsu*. Nam innoxius qui non nocet, propriè, vt innocuus. German.

DORSO INIQVO) Dorsum est durior arenæ cumulus, qui remeantibus fluctibus, & euntibus densatur, & in modum saxi durescit, quod à nautis puluinus vocatur. Seruius. Tale quid in tempestatis descriptione Lucan. lib. 9. *Pars sedet vna ratis, pars altera pendet in vndis*. German.

FLVCTVSQVE FATIGAT) dum ad eam alliduntur, & franguntur.

NEC TVRNVM SEGNIS) Transitio ad Turnum, & Rutulorum studia, ad excipiendos Troianos, vt Hector quondam festinabat cum suorum manu ad littus, vt inde copias Græcorum prohiberet. Montfortius.

SIGNA CANVNT) Signa canere etiam Liuius dixit, lib. 1. Alij, cum instructæ acies constitissent, prius, quàm signa canerent, processisse Latinum inter primores. Lib. 2. Æneid. exoritur clangor tubarum. Signum tuba dare etiam probè dicitur.

------ Primus turmas inuasit agrestes
Æneas, omen pugnæ: strauitq; Latinos,
Occiso Therone: virûm qui maximus vltro
Ænean petit. huic gladio, perq; ærea scuta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lycam ferit, exectum iam matre perempta,
En tibi Phœbe sacrum: casus euadere ferri
Cui licuit paruo. nec longè Cissea durum,
Immanemq; Gyam, sternentes agmina claua,
Deiecit letho: nihil illos Herculis arma,
Nil validæ iuuere manus, genitorq; Melampus,
Alcidæ comes, vsq; graues dum terra labores
Præbuit. ecce Pharo voces dum iactat inertes,
Intorquens iaculum, clamanti sistit in ore.
Tu quoq;, flauentem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix, noua gaudia, Cydon,
Dardania stratus dextra, securus amorum,
Qui iuuenum tibi semper erant, miserande iaceres:
Ni fratrum stipata cohors foret obuia, Phorci
Progenies. septem numero, septenaq; tela
Conijciunt: partim galea, clypeoq; resultant
Irrita. deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus.

PRIMVS TVRMAS INVASIT) Primum accipere possumus non tantum primò incipientem, verùm etiam sine aliorum societate: magnæ enim laudis instar est, ipse vnus in exitium plurimorum. Donatus.

OMEN PVGNAE) Ideo omen pugnæ, quia sicut nunc, ita vbique vincet Æneas. Pugnæ futuræ intelligas. Occidisse autem plurimos, ex eo colligimus, quod nomina non edit, præterquam vnius, qui vel illorum qui strati sunt, vel Rutulorum maximus fuit, virtute scilicet, & audacia quoque, quippe qui vltro Æneam petere non formidaret [*ita quidem Seruius. Sed putamus* [illegible] *statim enim Lycam, & alios poeta nominat.*]

Sed

Sed hunc facilè occisum dicit nobilitate potioris, miram enim sensit Æneæ virtutem. Fuit quædam difficultas in perforandis munimentis eius: sed omnia potioti virtuti cesserunt. Denique probata est fortitudo congredientis: non eum eminus sagitta percussit, aut iaculo, quod faciunt, qui formidant hostis accessum. Res gladio gesta est, tanta fiducia, & securitate ferientis, vt rupto munimento ærati vestitus, plenus ictus pertemerarij hominis latus exierit. Donatus, Seruius.

PERQVE AEREA SCVTA) *Aerea suta*, non *scuta* legi vult Vrsin: loricam enim hamatam intelligit, aitque Statij testimonio hanc lectionem confirmari. Versus Statij sunt hi, lib. 4. Thebaid. *latus omne sub armis Ferrea suta tegunt*. Lib. 3. *magnorumque aerea suta Thracum*. Lib. 7. *ter insuto seruant ingentia ferro Pectora, nam tergo nunquam metus*. Quibus verbis etiam ostendit, eam trilicem fuisse.

PER TVNICAM SQVAL. AVRO) Inter verba quæ nonnulli Grammatici in Virgilio quasi ignauiter, abiectè, & incuriosè posita reprehenderunt, hoc etiam est, tanquam non conuenerit dicere, *auro squalentem*: quoniam nitoribus, splendoribusque auri, squaloris illuuies sit contraria. Respondet Gell. lib. 7. cap. 6. & cum eo Macrob. lib. 6. cap. 7. verbum *squalentem*, significare copiam, densitatemque auri, in squammarum speciem intexti. Squalere enim dictum est à squammarum crebritate, asperitateque, quæ in serpentum, piscium que coriis visuntur. Quam rem alij, & hic quidem poeta locis aliquot demonstrat. *quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat*. Et alio loco. *Iamque adeo rutilum thoracem indutus ahenis Horrebat squammis*. Attius in Pelopidis ita scribit: *eius serpentis squammæ squalido auro, & purpura prætexta*. Quidquid igitur nimis inculcatum, obsitumque aliqua re erat, & incuteret facie noua visentibus horrorem, id squalere dicebatur. Sic in corporibus incultis, squammosisque alta congerie sordium, squalor appellabatur. Cuius significationis multo assiduoque vsu totum id verbum ita contaminatum est, vt iam squalor de re alia nulla, quàm de solis inquinamentis dici cœperit.

LATVS HAVRIT APERTVM) eadem vi, & significatione vtitur sæpe Homerus τῷ ἀφύσσειν, qua hic Virgil. *haurit latus*. Liuius libr. 7. vno, alteroque subinde ictu ventrem, atque inguina hausit. Æneid. 2. *inimicus & hauserit ensis*.

EXECTVM IAM MATRE) Propter descriptionum varietatem, & fastidium legentis immittuntur fabulæ non necessariæ: dicit enim quomodo iste natus sit. Omnes qui secto matris ventre procreantur, ideo sunt Apollini cõsecrati, quia deus medicinæ, per quam lucem sortiuntur. Cæsarum etiam familia ideo sacra retinebat Apollinis, quia qui primus de eorum familia fuit, exsecto matris ventre procreatus est, vnde & Cæsar dictus est: licet varia huius nominis etymologia dicatur. Itaque ille cui paruo licuit ferri casus euadere, scilicet cum matris exanimis vtero exsectus esset, fortissimi herois ferrum iam iuuenis vitare non potuit. Hoc loco ius fatorũ ex aperto monstratur. Medicorum ferrum quid istum profuit euasisse? quid Apollinem habuisse propitium? iuuenis interiit, qui nondum natus, non potuit perire cum matre. Donatus, Seruius.

NIHIL ILLOS HERCVLIS ARMA) suprà dixit, Lycæ non profuisse Apollinis numen: istis quoque arma Herculis, virtutem propriam, & meritum paternum auxiliari nequiuisse. Idcirco autem Herculis insigne gestabant, clauam scilicet, quia eorum pater Melampus in tantum laboribus Herculis fuerat innexus, vt quidquid ille esset agressus, nunquam iste nesciret. Quo facto arbitrabantur per meritum patris inuictos se esse mansuros, & ad exemplum virtutis Herculeæ se periculo non futuros obnoxios. Donatus. * *Crebra esse apud Homerũ ὁ χερμάδιον σκῦτερον, ὅπλα, σίδηρον & similia, monet German. Nos de laboribus Herculis, ex poetis non paucis, lib. 8. vbi eorum recensendorum videbamur occasionem nacti commodissimam.*

PHARO VOCES DVM IACTAT INERT.) Hominis ignauiam notat, lingua magis, quam animo pollentis. *Pharo, & Pharon* legitur. Vtramque lectionem agnoscit Seruius, & vtrobique *clamanti*, non *clamantis* legit.

Quemadmodum hic Æneas voces inertes, id est, nihil nisi magnas voces, ore patulo iactanti, iaculum in ipsum os intorquet, & ita hominem interficit: sic lib. superiore Nisus ensem in ore Volscentis, similiter diducto ore vociferantis, & ita plagæ viam aperientis cõdit, eumque perimit. Singulare genus necis quæsitum est vtrobique, leporis caussa. Sed quomodo Pharon legi potest, vt vult Seruius, cum sensus postulet dãdi casum? à Pharus fit vtrique Pharo: à Pharon Pharoni fieret. Nec Pharus ipse alium iaculo occidit, sed ab alio, Ænea nẽpe, occiditur. Quanquam Seruius Pharon non datiuum, sed nominatiuum esse affirmat, vt sit figuratum: nam de nominatiuo, inquit, transit ad datiuum *clamanti*. ⁂

FLAVENT. PRIMA LANVGINE MALAS) De lanugine malarum vide ampliùs lib. 8. in illum versum, *Tum mihi prima genas vestibat flore iuuẽta*. Pilare dictum, inquit Nonius, vt plumare, pilis vestiri. Afranius Compital. *Præterea corpus meum nunc pilare primum cœpit*. Theodoretus Serm. 4. de diuina prouidentia, vbi de vsu pilorum disputat. Sic eos, inquit, qui virilem ætatem ingrediuntur, & pueriles annos transierunt, barba exornat, quæ genas aliqua ex parte cum mento inferiore vestit. Et primò quidem lanugine florent malæ: deinde modicum pilorum velamen easdem tegit: vt augmento hoc, ætatis discrimen doceat, & ipsa vultus figura homini persuadeat, vt relictis puerilibus nugis, ad res serias accingatur.

SEQVERIS NOVA GAVDIA CYDON) Bene profectò hunc amorem Cydonis παιδεραστεῖν execrabilẽ, & scelestissimum, maximeque naturæ repugnantem Donatus vocat. Nec poeta, inquit, aliud hic innuit, quã eos, qui fœdissimum hoc sequuntur vitium, tandem infelix pati exitium. Notat etiam illum Cydonem, qui quo tempore de salute potius fuerat cogitandum, ille de libidinibus nefandissimis cogitauerit. Vide insuper quid in hunc locum Seruius.

In castris crimen hoc capitale fuit, maximè in liberis. Adolescentem Trebonium qui tuendæ pudicitię caussa C. Marij ex sorore nepotem interfecerat, idem Marius accusatum apud se à multis, defensum à nemine, cum ipse imperterrito vultu exposuisset rem, magna affectus admiratione collaudauit, coronamque quæ conferri virtutis caussa solebat, afferri iussit, eaque, Trebonium donauit, quod pulcherrimũ actum, articulo, quo maximè bonis exemplis foret opus, edidisset. Plutarch. in Mario. Cic. in Miloniana eiusdem facti meminit in hæc verba. Pudicitiam cũ eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius Imperatoris: interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculosè, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberauit.

NI FRAT. STIP. COHORS) Ostendit casu potius Cydonem ab Æneæ manibus, quam propria virtute libera-

liberatum. Nam eo momento temporis, quo poterat interire, emersere filij Phorci, & densati sunt, simulque collecti. Periculum in his etiam manifestum. Quis enim vnanimes, congregatos, & tanti numeri non timeret? Consilium igitur fuit, contemnere interim Cydonis necem, vt hosti collecto in caterua resisteretur primitus, in quo maior vis periculi fuit, & si fuisset euētus, magna posset de pluribus victoria prouenire. Veniebāt A autem ictus omnium in Æneæ scutum, & galeam: sed ideo erant irriti, quod mater Venus aderat filio, & potentia numinis sui venientium telorum ictus, violentiamque frangebat, ne corpus eius aliquatenus lęderent. Hęc Donatus. Notat Vrsinus, hoc tractum de Homero, ex Iliad. Δ. πρόσθε δὲ Διὸς θυγάτηρ ἀγελείη Ἥ τοι πρόσθε στᾶσα βέλος ἐχεπευκὲς ἄμυνεν. Et in Iliad. ε. δε τοῦτο βέλος ὠκὺ κιχήμενον ἔτραπεν ἄλλῃ.

------Fidum Æneas affatur Achatem.
Suggere tela mihi (non vllum dextera frustra
Torserit in Rutulos) steterant quæ in corpore Graiûm
Iliacis campis. tum magnam corripit hastam,
Et iacit. illa volans clypei transuerberat æra
Mæonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremq; ruentem
Sustentat dextra. traiecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, seruatq; cruenta tenorem:
Dexteraq; ex humero neruis moribunda pependit.
Tum Numitor, iaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petiit: sed non & figere contrà
Est licitum: magniq; femur perstrinxit Achatæ.
Hîc Curibus, fidens primæuo corpore, Lausus,
Aduenit, & rigida Dryopen ferit eminus hasta,
Sub mentum grauiter pressa: pariterq; loquentis
Vocem, animamq; rapit traiecto gutture. at ille
Fronte ferit terram, & crassum vomit ore cruorem.
Tres quoq; Threicios Boreæ de gente suprema,
Et tres, quos Idas pater, & patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. occurrit Halesus,
Auruncæq; manus: subit & Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniæ. magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis, & viribus æquis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit:
Anceps pugna diu, stant obnixa omnia contrà.
Haud aliter Troianæ acies, aciesq; Latinæ
Concurrunt, HÆRET PEDE PES, DENSVSQVE VIRO VIR.

FIDVM ÆN. AFFATVR ACHAT.) Æneas cum vidisset constipati cunei turbam magno aduersum se telorū numero certare, atque contendere, allocutus est Achatem fidum sibi, & comprobatum in omnibus, vt tela in eos iacienda suggerat: erat enim maiore vi maior vis excludenda. Ordo est. Suggere tela mihi, quæ in campis Iliacis in Græcorum stetere corporibus. Nullum enim mea dextra in Rutulos sine effectu, aut irritum iaculabitur telum eorum, quæ iam sunt cæde hostium comprobata. Quasi consuetudinem haberent illa feriendi: & quasi sic possent stare in Rutulorum corporibus, quomodo in Græcorum steterunt, cum pugnaretur apud Troiam. Donatus, & Seruius. * *Non temere tela petit ab Achate, quippe non solum fidissimo comite, & consiliario suo, sed etiam armigero. Patet ex illis 1. Æneid.*

B Constitit hic, arcumque manu, celeresque sagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.

Et quamquam difficile est vnum pugnare aduersum duos, ne dicam septem, tamen armis Vulcaniis confisus Æneas, etiam cum septem ausus est confligere.

CLYPEI TRANSVERB. ÆRA MÆON.) Quid fecerit tribus de illis septem fratribus Æneas, ostenditur, Mæoni, Alcanori, Numitori.

SERVATQVE CRVENTA TENOREM) Hasta seruat tenorem, id est, currendi modum, vt exponit Seruius. Imitatus est eleganter Lucanus lib. 3. quod vidit Germ.

Haud vnum contenta latus transire quiescit,
Sed pandens perq; arma viam perq; ossa, relicta
Morte fugit, superest telo post vulnera cursus.

IACVLO FRAT. DE CORPORE RAPTO) Alcanoris tantum brachium vulnerauerat, Mæonis vero corpus, in

pus, in quo & hærebat iaculum, ideo de fratris, non fratrum corpore rapuit Numitor. Magna autem fides, & laus Achatæ comitis, qui ita iunctus erat pugnanti Æneæ, vt telum in eius corpus destinatum, ipse propter vicinitatem sentiret. Non esset factum, nisi protegendi officio proximus fuisset. Seruius, Donatus.

GRAVITER PRESSA) Seruius ait, tenuisse hastam, non vibrasse, aut iecisse. Id ostendit quod additur, *grauiter pressa.*

VOCEM ANIMAMQVE RAP.) necesse enim fuerat vtrumque simul auferri, quum ea pars corporis, guttur scilicet, traiecta esset, qua vox habuit exitum, & qua subsidium vitæ reperiebat ingressum. Deinde asserit in faciem cecidisse, quãdo fronte terram percussit. Crassum autem cruorem vomebat, vtpote partim viuus adhuc, partim mortuus. In viuis quippe corporibus non congelascit sanguis: in morientibus verò cõstringitur. Rectè igitur crassum dixit. Donatus.

FRONTE FERIT TERRAM) Homerus Odyss. φ. πεσὼν δὲ τρηχεῖαν χθόνα δ' ἤλασε παντὶ μετώπῳ.

TRES QVOQVE THREICIOS) Docet Gellius lib. 13. cap. 19. Virgilium priore versu scripsisse, tres, posteriore tris, ea iudicij subtilitate, vt si aliter dixeris, mutaueris que, & aliquid tamen auris habeas, sentias suauitatem sonitus diuidere. Sonat igitur suo quidque in loco aptissimè. Compendio vsus est, inquit Donatus, vt omnes simul poneret, & eorum exitus sub generali significatione transiret.

BOREÆ DE GENTE) De Boreæ gente, originem ducentes à Zetho, & Calai, qui Boreæ venti, & Orithyiæ regis Atheniensium filiæ filij fuerunt.

PATRIA ISMARA) Ismara Thraciæ ciuitas, à monte Ismaro.

AVRVNCÆQVE MANVS) Auruncæ vrbis ciues, conditæ ab Ausone Vlyssis, & Calypsus filio, à quo Ausoniæ nomen factum est illi parti Italiæ, in qua sunt vrbes Beneuentum, & Cales: quod deinceps nomen toti Italiæ tributum est, teste Festo.

LIMINE IN IPSO) id est, in ipso littore, vbi finis maris, & terræ initium.

MAGNO DISCORD. ÆTH. VENT. PRÆLIA) Delectatur inprimis poetæ, ardorem, & impetum in prælio concurrentium acierum, ventorum ex aduerso inter se pugnantium, & colluctantium similitudine ante oculos legentium ponere. Hinc illa comparatio 2. Æneid.

Aduersi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt Zephyrusque, Notusque, & lætus Eois
Eurus equis: strident syluæ, sæuitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.

Statius 11. Thebaid.

Vt Notus, & Boreas gemino de cardine mundi,
Hic niue Rhiphæa, Libycis hic pastus arenis,
Bella ciens, clamant amnes, freta, nubila, syluæ.

Et lib. 8. elaboratius.

Vt ventis, nimbisque, minax, cum soluit habenas
Iuppiter, alternoque affligit turbine mundum,
Stat cæli diuersa acies: nunc fortior Austri,
Nunc Aquilonis hyems, donec pugnante procella
Aut nemoris hic vicit aquis, aut ille sereno.

Est & apud Ennium 17. Annali huius notæ comparatio, quam alibi protulimus. *Concurrunt veluti venti quum spiritus Austri Imbricitor, &c.* & huic quidẽ Virgiliana, quam in manibus habemus, magis respondet, quamuis vterque de Hom. promptuaria cella videatur prõpsisse.

MAGNO ÆTHERE) id est, in aëre magno, spatioso. A nam in æthere venti nulli sunt. Sic suprà, *atque æthera tranant Cum sonitu*, de gruibus.

OBNIXA OM. CONT.) Pro *obnixè* legit Donatus obnixè, aut obnixa, quomodo, & Seruius legi docet. Sensus est. Non sibi cedentibus ventis, ea quoque non cedunt, quæ ipsi flatibus suis sæuiendo commouerint. Mare resistit mari, nubes nubibus, venti ventis.

ACIESQVE LAT. CONCVRRVNT) Militare verbum *concurrere*. Iterum Virgil. *Agmina cõcurrunt ducibusque, & viribus æquis.* Et mox. *ipsos concurrere passus.* Horat. Sat. 1. lib. 1. *quid enim? concurritur, horæ Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.*

HÆRET. PEDE PES) Similis vocum collisio in 5. B *Immiscentque manus manibus.* Homerus Iliad. 13.

Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ,
Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Achelous cõmemorans suum cum Hercule certamen, Metamorph. lib. 9.

Inque gradu stetimus, certi non cedere, eratque
Cum pede pes iunctus, totoque ego pectore pronus,
Et digitos digitis, & frontem fronte premebam.

A. Furius Antias, Annalium libr. 4. *Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.* Ennius. *pede pes premitur: armis teruntur & arma.* At verò Statius li. 8. Thebaid. & hunc ipsum Maronis locũ, & ardorem præliantium vide mihi quam disertè, & copiosè, & tanquam παρεντεθεικὼς C expresserit.

Iam clypeus clypeis, vmbone repellitur vmbo,
Ense minax ensis, pede pes, & cuspide cuspis.
Sic obnixa acies, pariter suspiria firmant,
Admotaque nitent aliena in casside crista.

Credo item huc respexisse Valer. Flaccum lib. 6.

Illi vbi consertis innexere frementia telis
Agmina, virque virum galeis afflauit adactis.

Conatus est etiam id ipsum Silius lib. 4.

——*teritur iunctis vmbonibus vmbo,*
Pesque pedem premit, & nutantis casside crista
Hostilem tremulo pulsant conamine frontem.

Et lib. 9. vberius.

——*galea horrida flictu*
D *Aduersa ardescit galea, clypeusque fatiscit*
Impulsu clypei, atque ensis contunditur ensi,
Pes pede, virque viro teritur.

Curtius lib. 3. de prælio Alexandri M. cum Persis. Duæ quippe acies ita cohærebant, vt armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent: collato pede quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent. Ibidem. vir viro, armis arma conserta sunt. Bella sanè, & complura huius generis inuenio apud Tyrtæum.

Ἀλλά τις ἐγγὺς ἰὼν, αὐτοσχεδὸν ἔγχει μακρῷ
Ἢ ξίφει οὐτάζων δήϊον ἄνδρ' ἑλέτω:
Καὶ πόδα πὰρ ποδὶ θεὶς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας,
E Ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ, καὶ κυνέην κυνέῃ,
Καὶ στέρνον στέρνῳ πεπλημένος ἀνδρὶ μαχέσθω
Ἢ ξίφεος κώπην, ἢ δόρυ μακρὸν ἑλών.

Congrediens aliquis gladio vibrando, vel hastam,
In pugnam, socium comminus accipiat.
Cum pedibusque pedes, cum scutis scuta coaptans,
Cum crista cristam, cum galea galeam,
Et pectus ingens cum pectore pugnet in hostem,
Siue tenens hastam, siue tenens gladium.

Hęc Seruius, Macrobius, Donatus, German. Vrsin. Hieron Columna.

At parte ex alia, quà saxa rotantia latè
Intulerat torrens, arbustaque diruta ripis,

Arcadas insuetos acies inferre pedestres
Vt vidit Pallas Latio terga sequaci,
Aspera queis natura loci dimittere quando
Suasit equos: vnum quod rebus restat egenis,
NVNC PRECE, NVNC DICTIS VIRTVTEM ACCENDIT AMARIS.
Quò fugitis socij? per vos, & fortia facta,
Per ducis Euandri nomen, deuictaq; bella,
Spemq; meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudis,
FIDITE NE PEDIBVS. FERRO RVMPENDA PER HOSTES
EST VIA, quà globus ille virûm densissimus vrget:
Hac vos, & Pallanta ducem patria alta reposcit.
NVMINA NVLLA PREMVNT: MORTALI VRGEMVR AB HOSTE
MORTALES: TOTIDEM NOBIS ANIMÆQVE, MANVSQVE.
Ecce maris magno claudit nos obice pontus:
Deest iam terra fugæ: pelago Troiam ne petemus?
Hæc ait, & medius densos prorumpit in hostes.

AT PARTE EX ALIA) Omisso Ænea narrat ea, quæ ab Arcadibus in diuersa campi parte gesta sint fortiter, & à Pallante, qui hic Patrocli Homerici personam refert, non diu superstite futuro, vt nec ille.

QVA SAXA ROTANTIA) In alio littoris loco describit exitum habuisse torrétem, aduexisse dirutas arbores, & saxa eò infinita traxisse. Arcadas verò equites nec equos inter hæc agere, nec pedestri contra morem suum pugna certare voluisse, Proinde in fugam cœpisse conuerti, & terga hostibus dare. Hoc enim in aduersis esse subsidium solet, vt salus fugiendo seruetur, quæ dimicando non potest defensari. Pallantem, qui hæc vidisset, nunc rogare eos, nunc obiurgare cœpisse, ne deserta gloria sua, victoriam hostibus relinquerent. Donatus.

Sed videntur Arcades ab equis descendisse, & ita fugam pedibus arripuisse. Seruius enim vocem illam *quando*, exponit *siquidem*. Commoditas igitur ista ad fugiendum maior, propter loca saxis, & arbustis, & truncis iam impedita. Sed tamen natura lóci non eos ad fugam, sed dimissis equis ad pedestre certamen hortabatur. Monet prudenter Veget. lib. 3. cap. 9. Nam si equitatu gaudemus, campos debemus optare: si pedite, loca eligere angusta, fossis, paludibus, vel arboribus impedita, aliquoties montuosa, &c. In quem locum hæc Steuechius. Factum etiam quandoque, vt qui equitatu satis vtrinque instructi essent, in prælio tamen vti nequirent: quod loca aspera essent, impedita, nimis angusta. Qua de re exemplum in Pausaniæ Phocicis in prælio circa Thermopylas commisso. Veruntamen frenos sæpe equites detrahere coacti, quo fidem facerent peditibus, nō deserturos. Itidem in pedes eosdem sæpe desiluisse, historiæ testes sunt, & pugnam pedestrem pariter cum cæteris capessiuisse. Vide eundem de idoneo loco ad pugnam eligendo, cap. 13. Verbo *rotantia* inuenimus eodem modo vsum Lucretium, libr. 1. *vertice torto Surripiunt, rapidoque rotantia turbine portant*.

ARCAD. INSVET. ACIES INFERRE PED.) Arcades à studio equorum, & nutricatione commendati fuerunt olim, & equestri inprimis valuerunt certamine. Nempe & Neptunus equestris in magna veneratione apud eos fuit, vt testatur Pausan. in Arcadicis, & equestribus ludis feriari solebant. German. qui etiam quæstionem ponit, cum Arcadiam montosam esse constet, quomodo ibi vsus equorum esse potuerit. Ad eam quęstionem vide, si placet, quid ipse respondeat.

QVO FVGITIS SOCII?) *Oratio Pallantis planè militaris, & exhortatoria est, ad perrumpendum per hostes, & fuga deductos fugiendum. Facit & Silius lib. 4. Cos. Scipionem suos in pugnam reuocantem, cum æmulatione huius loci.*

Quo fugitis? quæ spes victis? Alpesnè petemus?
Ipsam turrigero portantem vertice muros
Credite submissas Romam nunc tendere palmas,
Natorum passim raptus, &c.]

Tenuit omnia, quæ fugientes reuocarent, deditque ordinationem pulcherrimam dictis suis. Ait primo loco, *Quo fugitis?* hoc est dicere, ad quam tenditis partem, quum omnia teneant hostes? *Per vos*, nihil siquidem vnicuiq; nostrum tam charum, quam ipsemet sibi. Addit, *& fortia facta*. Multum valet in cohortando exempla alicui propria demonstrare, & præteritarum victoriarum redintegrare memoriam. Potest enim rursum vincere, qui laboribus suis tenuit aliquando victoriam, & ne facta gloriosa posterioribus ludibriis obruat, operam dare. *Per ducis Euandri nomen*, vt ne ducis sui nomen, ac triumphos, & glorias militaribus vellent flagitiis maculare. Cuiq; nostrum natura erga principem suum nescio quid amoris, ac reuerentiæ ingenuit. Vltimo loco tyrocinium suum illis commendat, vbi se paternæ virtutis imitatorem profitetur. *Spemq; meam*, Per exspectationem, inquit, quam sustineo, futuræ æmulationis virtutis paternæ. Deinde quid opus sit exponit. In certaminibus, inquit, bellicis spes omnis in dextera magis esse, quam in pedibus debet. Et nunc si viam in patriam quæritis, rumpatur ista via per hostium globos, accedentium strages perferát, iter virtus, vt decet, inueniat, &c. Hactenus Donatus. Quid autem faciendum duci, si vel pars, vel totus exercitus fugerit, docet Vegetius lib. 3. cap. 25.

DEVICTAQVE BELLA) id est, finita, exhausta, nam hostis vincitur, non bellum.

FIDITE NE PEDIBVS) Iustinus lib. 11. de Alexandri M. exercitu fortissimo ac selectissimo. Itaque nemo in prælio fugam, sed victoriam cogitauit: nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit.

NVMI-

NVMINA NVLLA PREMVNT) A facili argumentum. Alioqui cum dijs non pugnandum. *Dij me terrent, & Iuppiter hostis*, ait in 12. Turnus. Prouerbia sunt, dijs iratis, dijs propitijs. Vide Chil. in adagio *Genius malus*.

ECCE MARIS MAG. CLAVD. NOS OBICE) Annibal transgressus Alpes, in oratione, qua suos cohortatur ad fortiter præliandũ in Italia. Dextrà, læuaq; duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem nauim habemus: circa Padus amnis, maior ac violentior Rhodano, à tergo Alpes vrgent. Et rursus in extrema oratione. Nihil vsquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicauerimus. Illis timidis, & ignauis licet esse, qui receptum habent, quos suus ager, sua terra per tuta, ac pacata itinera fugientes accipient: vobis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inter victoriam mortemúe certa desperatione abruptis, aut vincere: aut, si fortuna dubitabit, in prælio potius, quam in fuga mortem oppetere. Arbitror his duabus sententijs Liuianus nõ mediocriter illustratum esse, quod hoc versu, & sequente dimidiato, à Pallante dicitur.

Sed adhuc aliunde plus lucis & ornamenti huic loco afferemus; & istam necessitatem à qua Pallas suos ad fortiter dimicandum incitat, ex collatione similium magis declarabimus, idq; ex Hieron. Colum. Explicationibus in fragmenta Medeæ Ennianæ videlicet. Medea igitur, malis sibi vndiq; imminentibus, cum hinc premeret odium conceptũ in Iasonem, ac pellicẽ, amborumq; vlciscendorum: illinc liberorum amor, minæ Creontis, & exilium, Ennius à feris sumpta translatione, quibus hinc canibus, illinc laqueis, & retibus circumclusis nullum patet effugium, dixit in eius persona, *Teneor consepta, vndiq; vexor*, alludens fortitan ad prouerbium, quod sic protulit Flaccus Sat. 2. lib. 1. *hac vrget lupus, hac canis angit*. Alio modo eandem expressit sententiam Sat. 3. lib. 2. *hic fossa est ingens, hic rupes maxima*. Græci eodem sensu, *ἔμπροσθεν κρημνὸς, ὄπισθεν λύκοι*. A fronte præcipitium à tergo lupi.

MEDIVS DENSOS PRORVP. IN HOSTES) Quod efficacissimum est, in fine posuit, & vt hortaretur etiam exemplo, primus in hostium globum irrupit. Seruius.

Obuius huic primum fatis aductus iniquis
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium quà spina dedit: hastamq; receptat
Ossibus hærentem. quem non super occupat Hisbon,
Ille quidem hoc sperans. nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum, crudeli morte sodalis,
Excipit, atq; ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare nouercæ.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in armis,
Daucia, Laridæ Tymberq; simillima proles,
Indiscreta suis, gratusq; parentibus error.
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis:
Te decisa suum Laride dextera quærit,
Semianimesq; micant digiti, ferrumq; retractant.

FAT. ADDVCTVS INIQVIS) Dicendo, *fatis iniquis* obuium fieri Lagum, ostendit periturum: interitum statim subiungit. Vellebat autem saxum, quod in Pallantem mitteret, quia terra retinebatur. Hasta ossibus penitus inhęrebat, quam reducere vix potuit. Cupiebat autem Hisbon Pallantem ad euellendam hastam inclinatum superoccupare, sed non processit. Nam dum incautus rueret, furens propter crudelem mortem sodalis, anteuertit illum Pallas, ensemq; defixit in eius pulmonibus. Donatus, & Seruius.

MORTE SODALIS) Sodales quidam dictos esse putant, quòd vnà sederent, essentq;. Alij, quod ex suo vesci soliti sunt. Alij quod inter se inuicem suaderent, quod vtile esset. Iidem quod coeant crebrò, congeræ vocantur, à Græco vocabulo. quod est *γέῤῥα*. Congeræ per vnum, r, scribebant, consonantes enim non geminabant antiqui. Festus, & Scalig. F.

TVMIDO IN PVL.) Pulmonem tumidum vocat *φυσικῶς* planè. Inflari siquidem medici pulmones ponunt, vt folles, & eo more accipere auras. Vnde Arist. de partibus animal. lib. 3. *τοῦ δ' ἀναπνεῖν ὁ πνεύμων ὄργανόν ἐστι, τὴν μὲν ἀρχὴν τῆς κινήσεως ἔχων ἀπὸ τῆς καρδίας, ποιῶν δ' εὐρυχωρίαν τῇ εἰσόδῳ τοῦ πνεύματος, διὰ τὴν αὐτοῦ σομφότητα, καὶ τὸ μέγεθος. αἰρομένου γὰρ εἰσρεῖ τὸ πνεῦμα, συνιόντος δ' ἐξέρχεται πάλιν.* German. Pulmo erat, & naturaliter tumidus, & quia furebat. Seruius.

RHOETI DE GENTE VETVSTA) Origines singulorum, & crimina, vel certè alia, idcirco addidit poeta, non quod sint locis, & tempori necessaria: sed ne solis nominibus longus narrationis textus horrescat. Rhœtus Marrubiorum Rex fuit in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit nouercam. Hanc priuignus stuprauit. Quo cognito, cũ eum pater persequeretur, & ad pœnam vocaret, ille se ad Turnum cõtulit. Donat. Seruius.

THALAMOS INCESTARE NOVERCÆ) Thalami vox poetis pro re coniugali accipitur. Deducta est autẽ à *θάλλω* floreo, vireo, quoniam, vt Etymologistes, *δεῖ ἐν αὐτῷ θάλλοντα εἰσιέναι σώματα, τουτέστιν ἀκμάζοντα, καὶ μὴ ἀπεσβηκότα*, corpora eò intrantium debent esse vigentia, & virentia (propter sobolem procreandam scilicet) non flaccida, infirma, & quasi emortua. Incestus, siue

Incestum, latinis idem quod stuprum, quamuis vsus ad flagitium transferat: quod in affines committitur. Stuprū autem vel cum nupta committitur, & adulterium propriè appellatur: vel cum alia persona, siue ea sanguine coniuncta sit, siue non, siue virgo sit, siue vidua. Incestare verò, est incestum perpetrare, siue polluere, & incestè, est pollutè, fœdè. Plaut. Pœn. *Earum hic alteram efflictim, neq; eam incestauit vnquam.* Virgil. de cadauere Miseni insepulto, lib. 6.

Præterea iacet exanimum tibi corpus amici,
Heu nescis, totamq́; incestat funere classem.

Nouerca autem, auctore Festo, quam quis sublatis liberis nouam vxorem ducit, augendæ familiæ gratia. M-

Vos ETIAM GEMINI) De geminis Lari filijs, quos nec sui discernere poterant, & in quibus parentes ipsimet sæpe, sed iucundo illis errore errabant. Hos quemadmodum discreuerit Pallas, ostendit poeta. Vnus capite abscisso, alter amputata dextera obijt. Vide plura apud German. cuius item sunt ista Paralip. Lucan. lib. 3. idem de geminis argumentum, numeris ferè ijsdem repræsentauit.

Stant gemini fratres, fœcunda gloria matris,
Quos eadem varijs genuerunt viscera fatis,
Discreuit mors sæua viros, vnumq́; relictum
Agnorunt miseri sublato errore parentes:
Aeternis caussam lacrymis tenet ille dolorem
Semper, & amissum fratrem lugentibus offert.

Aristot. lib. 7. histor. animal. de geminis in hanc sententiam. τὰ δὲ δίδυμα ἤδη μὲν ἐγένετο καὶ οὐκ ἐοικότα, τὰ δὲ πλεῖστα, καὶ ὡς ἐπιπολὺ ἐοικότα. * *Fratres germanos geminos, appellatos Menæchmos, eosdemq́; quam simillimos, vt eos nec mater, quæ mammā dabat, neq; mater ipsa quæ illos pepererat internosse posset, habes apud Plautum tota comœdia, in qua ob istam similitudinem ludificationes multæ, & ridiculariæ. Silius quoq; tale par fratrum inducit lib. 2.*

Vos etiam primo gemini cecidistis in æuo
Eurymedon fratrem, & fratrem mentite Lycorma:
Cuncta pares, dulcisq; labor sua nomina natis
Reddere, & in vultu genitricis stare suorum.

NAM TIBI TYMBRE CAPVT) Pro Tymber, metathesis. Vide Politian. cap. 17.

CAPVT EVANDRIVS AB. ENSIS) Idem quod hîc, alibi quoq; sibi in hac littera, t, permisit, vt eam produceret. Vsi sunt & alij hac licentia. Horatius. *Quem grauius dorso subijt onus. incipit ille.* Et in isto, *Qui non descendit alio culpante.* Naso. *Nubibus esse solet, aut purpurea aurora.* Hen. Steph.

TE DECISA SVVM) ἐναλλαγμένως dictum est, pro, à te, ô Lauride ô Dancia, decisa tibi dextera requiritur, & desideratur.

SEMIANIMESQVE MICANT) Versus ab Ennio, teste Seruio.

Oscitat in campis caput à ceruice reuulsum,
Semianimesq́; micant digiti, ferrumq́; requirunt.

Ouid. Metamorph. lib. 6. de lingua Philomelæ à Tereo præsecta.

——forcipe linguam,
Abstulit ense ferox: radix micat vltima linguæ.
Vtq́; salire solet mutilatæ cauda colubræ,
Palpitat, & moriens dominæ vestigia quærit.

Stat. lib. 7. Thebaid. *diuiduū trans corpus hiantis Truncum oculi quærunt, animus caput.*

Arcadas accensos monitu, & præclara tuentes
Facta viri, mistus dolor, & pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter
Traijcit: hoc spatium, tantumq; moræ fuit Ilo.
Ilo namq; procul validam direxerat hastam:
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremq; Tyren: curruq; volutus
Cædit semianimis Rutulorum calcibus arua.
Ac velut, optatò ventis æstate coortis,
Dispersa immittit syluis incendia pastor:
Correptis subitò medijs extenditur vna
Horrida per latos acies Vulcania campos:
Ille sedens victor flammas despectat ouantes:
Non aliter sociûm virtus coit omnis in vnum,
Teq; iuuat Palla. sed bellis acer Halesus
Tendit in aduersos, seq; in sua colligit arma,
Hic mactat Ladona, Pheretaq;, Demodocumq;:
Strymonio dextram fulgenti diripit ense,
Elatam in iugulum. saxo ferit ora Thoantis,
Ossaq; dispergit cerebro permista cruento.
Fata canens syluis genitor celarat Halesum.
Vt senior letho canentia lumina soluit,
Iniecere manum Parcæ, telisq; sacrarunt
Euandri. quem sic Pallas petit antè precatus:
Da nunc Tibri pater ferro, quod missile libro,

Fortunam, atq; viam duri per pectus Halesi,
Hæc arma, exuuiasq; viri tua quercus habebit.
Audijt illa Deus. dum texit Imaona Halesus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.

ET PRÆCLARA TVENTES FACTA. V. MIST. DOL. ET PVD.) Habet magnam vim in prælio, non modo ipsa cohortatio ducis, sed exemplum quoq;. Et Homerus cum Agamemnonem appellaret βασιλῆα ἀγαθὸν, eodẽ carmine etiam κρατερὸν αἰχμητὴν appellauit. Sic Annibalis, sic Alexandri milites præclara facta imperatorũ suorum intuentes, in ferrum ipsi quoq; animosius ruebant: primos in acie ambos fuisse legimus. Constantinum sæpe hostium cruore oblitum, precibus, & lacrymis suorum excedere prælio coactum fuisse traditum est, vt se reipub. seruaret. Ergo & ipsa ducis oratio, & multo magis exemplum, & præterea dolor, atq; etiam pudor, quatuor istæ causę Arcadas in hostes incitarunt. Magis tamen eos pudor, quam dolor vrsit. *Mistus dolor, & pudor*, sic de Mezentio, *æstuat ingens Imo in corde pudor, mistoq; insania luctu.*

FVGIENT. RHOETEA PRÆTER) Pallas direxerat hastam in Ilum: præterfugiens Pallantem Rhœteus, qui duos fratres Teuthram, & Tyren se insequentes fugiebat, illam volantem excepit in corpus suum. Non plus spatij seu moræ habuit mors Ili: nam eum quoq; cõfestim interfecit Pallas. Decidit ergo de curru Rhœteus, arua calcibus pulsans, quod doloris est indicium. Infra, de Acrone, *& atram Tundit humum exspirans.*

CADIT RVTVLOR. CALCIBVS ARVA) Etiam in hoc ἔμφασις.

AC VELVT OPTATO) Comparationi subijcit vim Arcadum irruentium, lateque cædibus grassantium in hostes *Ventis coortis*. Simile illud Lucretij lib. 1. *Aut ita diffugient, vt tempestate coorta.* Et infra, *Vsq; adeo donec tempestas sæua coorta est.* Et lib. 6. *quas venti quum tempestate coorta Complerunt*, Cæsar lib. 7. de bello Gall. quod magna subitò erat coorta tempestas.

ACIES VVLCANIA) Aciem Vulcaniam vocauit, inquit Seruius, quæ comparatio ad bellum pertinet: nã de igne dicere aciem, satis incongruum est. Ergo acies Vulcania, vis ignis, quæ latè per campos effunditur. Victor autem, cui vota processerunt, voti compos* *Sed cur non ita dicta accipiamus*, acies Vulcania, *quasi flamma latè diffusa, sint Vulcani copia quadam, & quidam exercitus, quo vastantur sylua, segetes, & quidquid ardere potest? An non vel extrinsecus loqui poetis sollemne, & nimis vsitatum est? an exemplis ad cõfirmandum denuo, & in meridie accendendum lumen?*

BELLIS ACER HALESVS) Halesus virtute propria confisus, non dubitauit ire in plurimos, & contrà venientes. Quos cum trucidauerit, satis apparet, quam bellis acer fuerit. Quod se in sua arma collegisse dicitur, nihil est aliud, quam scuto se totum communijt, post scutum se clausit aduersus impressionem multorum, quomodo Donatus, & Seruius exponunt. Strymonius autem, cum elata manu vellet gladium in Halesi iugulum defigere, præuentus ab eo, ipsam dexteram perdidit. Mirum porrò, saxum veniens non præuidisse: quo ictu totum eius comminutum est caput, vt cum ossibus cerebrum, sanguisq; commista sint.

Cerebrum omnia habent animalia, quæ sanguinem: sed homo portione maximum, & humidissimum, omniumque viscerum frigidissimum, duabus supra, subterque membranis velatum, quarum A alterutram rumpi mortiferũ est. Cæterùm viri quàm fœminæ maius. Hoc est viscerum excellentissimum, proximumque cælo capitis, sine carne, sine cruore, sine sordibus: hanc habent sensus arcem, huc venarum omnis à corde vis tendit, hic desinit: hic culmen altissimum, hic mentis est regimen. Plin. lib. 11. cap. 37.

SEQVE IN SVA COLLIGIT ARMA) post scutum se claudit. Lib. 12. de Ænea, *Substitit Æneas, & se collegit in arma.*

SYLVIS GENITOR CELAR.) Cognito pater, quid Haleso filio inimica fata portarent, syluis absconderat, ne inuentum perimerent. Itaque non malè etiam, *fata canens* quidam legunt, pro, *canens*: nam & ab alijs B audita cauere poterat. Sed quum sollicitum senem longa ætas traxisset in mortem, deficiente pia custodia, destituto intulerunt fata violentiam quam parauerant, & Euandri telis tradiderunt iugulandum. Non tamen videtur occidi potuisse, nisi percussor eius, dei iuuaretur auxilio. Rogat Pallas regionis suæ deum, vt duo sibi præstet, quæ mortem faciant inimici: fortunam, vt perueniat ictus: & viam, hoc est aditum plagæ. Quod sequitur, *Hæc arma, exuuiasq;*, &c. hunc habet sensum. Arma quibus ille securus dimicat, quibusque munitus est, erecto trophæo in luco tibi dicabo. [*De trophæo dicemus lib. sequenti, ad illud,* Ingentem quercum decisis vndique ramis Constituit tumulo.] Dum igitur Halesus alium studet à morte defendere, se ipsum nudato pectore C opportunum tradidit morti. Sic Donatus.

CANENTIA LVMINA SOLVIT) ipse canus, ὑπαλλαγή. Et nota loquendi formam, *lumina soluere*, pro mori. Seruius, physicam rem dixit, inquit, dicuntur enim pupillæ mortis tempore albescere. Sed hoc non est explicare vim sermonis. Ego arbitror eò poetam respicere, quod morituris oculi iam fracti natant quodammodo, quod obseruarunt, qui morientibus astiterunt.

INIECERE MANVM PARCÆ) Sermo iuris est. Nã manus iniectio dicitur, quoties nulla iudicis auctoritate exspectata, vindicamus.

TELISQVE SACRARVNT EVANDRI) Quidquid destinatum est dijs, sacrum vocatur. Peruenire autem D ad eos non potest, nisi libera à corpore fuerit anima: quod nisi morte fieri non potest. Ita ergo opportunè sacrum Halesum facit, quia erat oppetiturus. Et hic proprietatem, & humani, & diuini iuris exsecutus est. Nam ex manus iniectione pæne mancipium designauit, & sacrationis vocabulo obseruantiam diuini iuris impleuit. Hoc loco non videtur alienum de conditione eorum hominum referre, quos leges sacros esse certis dijs iubent: quia non ignoro quibusdam mirũ videri, quod cum cætera sacra violari nefas sit, hominẽ sacrum ius fuerit occidi, cuius rei caussa hæc est. Veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur: sed abigebant ad fines deorum, quibus sacrum esE set. Animas verò sacrorum hominum, quas Græci ζωάνας vocant, dijs debitas existimabant. Quemadmodum igitur quod sacrum, ad deos ipsos mitti non poterat, à se tamen dimittere non dubitabant: sic animas, quas sacras in cælum mitti posse arbitrati sunt, viduatas corpore quam primum eò ire voluerunt. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 7.

DA NVNC

DA NVNC TIBRI PATER) Inuocat numen vicinū, quia circa eius ripas pugnabatur.

TVA QVERCVS) In tuis ripis nata.

DVM TEXIT IMAON. HALÆSVS) Texere pro exuere, ac spoliare positum, sicut detexere apud Plautum in Amphit. vbi ita Sosia seruus. *Illic hoc homo denuo vult pallium detexere*: Id est, proinde, quasi hoc pallium non iam perfectum, detextumque sit, eo me exuere vult, vt pertexat. Hoc igitur iacit in spoliatorem, & grassatorem. Quod si hîc, *denuo*, adscriptum non esset, legerem libenter, *pallio detexere*: mouet quippe me auctoritas Seruij, qui illud Plauti affert, verùm ex alia vt reor, fabula. *Ego hunc hominem detexam pallio*, quod est, exuam, & spoliabo. Turneb. lib. 30. cap. 34. * *In Seruio nostro, hoc quidem loco nihil aliud legitur, præter hæc verba: dū texit, dum spoliat: nam tempus præsens, non præteritum, ab eo quod est texo.*

At non cæde viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina. Primus Abantem
Oppositum interimit, pugnæ nodumq;, moramq;.
Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Etrusci:
Et vos ô Graijs imperdita corpora Teucri.
Agmina concurrunt, ducibusq;, & viribus æquis.
Extremi addensent acies: nec turba moueri
Tela, manusq; sinit. hinc Pallas instat, & vrget,
Hinc contrà Lausus. nec multùm discrepat ætas:
Egregij forma: sed queis fortuna negarat
In patriam reditus. ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator olympi:
Mox illos sua fata manent maiore sub hoste.
Interea soror alma monet succurrere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Vt vidit socios, Tempus desistere pugna:
Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
Debetur. cuperem, ipse parens spectator adesset.
Hæc ait: & socij cesserunt æquore iusso.

AT NON CÆDE VIRI) Nihil est tanti viri cæde, Halesi inquam, perterritus Lausus. nec siuit terreri agmina Rutulorum. Occidit autem Abantem, atque ita velut nodum dissoluit, & eo sublato, qui plurimum resistebat, & remorabatur Rutulos, tanquam nodus, viam ad aliorum cædem, & funera patefecit. Cum Arcadibus autem, & Etruscis sternebantur quoque Troiani, qui Iliensis belli calamites euaserāt. Qui verò erāt in extremo agmine, quò essent tutiores, densabant se: fuitq; tanta multitudinis constipatio, vt nec manus, nec tela quisquam mouere posset. Donatus.

PARS INGENS BELLI) cuius erant præcipuæ partes in eo bello, seu, qui virtute, & armis non parum excellebat, & præstabat in bello. Sic infrà *Pars belli haud temnenda viris*. Et libr. 2. Æneid. *& quorum pars magna fui.* ✠

PVGNÆ NOD. MORAMQVE) Metaphora à nodosis arboribus, quę cuneis etiam difficilè perrumpuntur. Nihil est aliud quam robur, firmamentum exercitus, ἕρκος πολέμοιο, vt loquitur Homerus, veluti murus, vallum, propugnaculum suorum. ✠

O GRAIIS IMPERDITA CORP. TEVCRI) quos Græci perdere nequiuerunt. Teucros autem intellige, quos secum ducit Æneas. Seruius.

ADDENSENT ACIES) Sic legendum, vt sit secundæ coniugationis, non primæ.

IN PATRIAM REDITVS) Reditus est eius, qui, quò statuerat, peruenit: reuersio autem eius, quem ex itinere caussa aliqua reuocat, ac reducit ad eundem locū, vnde à principio discesserat. Interdum tamen confunduntur, & reuersio capitur pro reditu, vt lib. 2. de finibus. Vt omnium siderum eodem, vnde profecta sunt, fiat ad vnum tempus reuersio. Reditus autem pro reuersione, vt Philipp. 2. Qui verò Narbone reditus? cū tamen reuersio illa potius Antonij fuerit. Profectus enim ab vrbe, vt in Hispaniam iret, Narbone dies aliquot mansit: deinde, mutato consilio, Romam reuertit. Hæc Manut. in 1. Philipp.

MAIORE SVB HOSTE) Vult duobus adolescentibus apud lectorem conciliare gratiam, dum eos describit impigros, ætate propemodum pares, forma insignes: quibus tamen in fatis erat non redire in patriā. Pulchrum fuisset ipsos inter se cōcurrere, sed vtriq; Iupiter suam seruabat gloriam, maiorem scilicet hostem, cuius manu caderent: Æneam, à quo Lausus, & Turnum, à quo Pallas interemptus est. Ne sic accipias, quasi vterque ab vno, eodemque occidendus esset, quia dicitur numero singulari, *sub hoste*: sed intellige duos, & illustriores. ✠

INTEREA SOROR ALMA) Iuturna soror Turni, cui Iupiter, vt in 12. legitur, erepta pro virginitate hunc honorem sacrauit, vt nympha esset, sollicita vicem Lausi, de eo adiuuando fratrem admonet, cui per medium agmen curru volanti, cedebant omnia. Vt ergo ad socios venit, & vidit quid ageretur, iussit milites quiescere, qui ibi erant, sibique soli pugnam aduersus Pallanta depoposcit, optans etiam adesse Euandrum, vt corā ex filij interitu maiorem caperet dolorem, quam ex auditione capturus videbatur. Recurre ad 2. Æneid. vbi de supplicijs filiorum in conspectu parentum egimus ad illa,

ad illa, *qui nati coram me cernere lethum Feciſti, &c.* Nam ſine immanitate ſumma ne optari quidẽ hoc cuiquam parenti poteſt, vt oculis ſuis interfici liberos ſuos videat. Itaque cum magno felle dictum, *cuperem ipſe pater ſpectator adeſſet.* ✠

ÆQVORE IVSSO) ipſi iuſſi, hypallage. *Æquore* A *cedere* dictum, vt cedere foro, patria, vita. Etiam cum dandi caſu inuenitur, cedere legibus, fortunæ, oneri, honori, ſed alio ſignificatu. Cedere græcè ὑποχωρεῖν dicitur ὑπεκλύειν, ἐξίστασθαι, ὑπείκειν, ἐνδιδόναι, μεθίστασθαι, ſecundum varios ſignificatus. Vide Bud. in Pand.

At Rutulûm abſceſſu iuuenis tum iuſſa ſuperba
Miratus, ſtupet in Turno: corpusq; per ingens
Lumina voluit, obitq; truci procul omnia viſu:
Talibus & dictis it contra dicta tyranni.
AVT SPOLIIS EGO IAM RAPTIS LAVDABOR OPIMIS:
AVT LETHO INSIGNI: ſorti pater æquus vtrique eſt.
Tolle minas. Fatus medium procedit in æquor:
FRIGIDVS ARCADIBVS COIT IN PRÆCORDIA SANGVIS.
Deſiluit Turnus biiugis: pedes apparat ire
Cominus. Vtq; leo, ſpecula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum,
Aduolat: haud alia eſt Turni venientis imago.
Hunc vbi contiguum miſſæ fore credidit haſtæ,
Ire prior Pallas, ſi quà fors adiuuet auſum,
Viribus imparibus: magnumq; ita ad æthera fatur.
Per patris hoſpitium, & menſas quas aduena adiſti,
Te precor Alcide, cœptis ingentibus adſis:
Cernat ſemineci ſibi me rapere arma cruenta,
Victoremq; ferant morientia lumina Turni.

IVSSA SVPERBA MIRATVS) ſuperbiam iubentis, auctoritatemque miratus eſt Pallas, quam expertus eſt in abſceſſu Rutulorum. Spectabat autem corpus, quia verè ſpectatu dignum. Nam & magni membrorum artus erãt, magna vultus dignitas, & ſtatura procerior. Vocauit enim in ſeptimo *præſtanti corpore*, & dixit, toto vertice ſuprà alios eminere. Quamquam poeta oculis inimicis à Pallante luſtratum vult, qualibus tum maximè aſpici, & obiri debuit. Quamuis porrò adoleſcens, tamen ſe minis eius nihil perterrefactum oſtẽdit, vſqueadeo, vt etiam liberrimè hominem, & cum ſupercilio affari audeat. ✠

AVT SPOLIIS EGO IAM RAPTIS) Aut occidã te, quod mihi ſummæ futurũ eſt gloriæ: aut occidar abs te, & erit mihi rurſum laudi generosè oppetita mors: patri meo, cui tu dolorem inurere maximum, & quem adeſſe ſpectatorem concupiſcis, vtrumuis gratum erit: qui, ſi lætari non poterit, ſe filium victorem, at certè lętabitur, ſe generoſum bellatorem, & qui in acie occumbere non dubitaret, genuiſſe. Arcades meritò timebant, cum imparem viderent congreſſum, velut Troilum Achilli, & vt mox ſequitur, taurum leoni. De ſpoliis opimis alibi, ni fallor, diximus. Quoties Ioui in Capitolium delata ſint, Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 14. Quadrant huc duo verſiculi, ex Attij fragmentis.

Nam trophæum ferre me à forti viro pulchrum eſt:
Si autem & vincar, vinci à tali nullum eſt probrum. ✠

FRIGIDVS COIT SANGVIS) Alibi *gelidusq; coit formidine ſanguis.*

IN PRÆCORDIA) Plin. lib. 11. cap. 37. Exta homini ab inferiore viſcerum parte ſeparãtur membranis, quæ præcordia appellantur, quia cordi prætenduntur, quas Græci appellarunt phrenas.

DESILVIT TVRNVS BIIVGIS) Quia certiſſimam ſperabat victoriam Turnus, ideo de curru deſiluit, vt pedes congrederetur.

VTQVE LEO SPECVLA CVM VIDIT) Turnum comparat leoni, Pallantem tauro, vt ex hoc iam præuideri poſſit, cuius dicturus ſic proueniſſe victoriam. Adiecit, *meditantem prælia*, quia & Pallas tum primùm belli certamina cœperat meditari. Donatus.

HVNC VBI CONTIGVVM) Vbi vidit Pallas Turnum eò proceſſiſſe, vt haſta poſſet cõtingi, veniſſe intra iactũ haſtæ, vt ea poſſet feriri, intra iactum teli eſſe, vt poſſet eum tangere, ire voluit prior, ſi forte, imparem ſe viribus fortuna adiuuaret. Fundendam nihilominus credidit precem, vt fauore rogati numinis efficeret, quod humana virtute, & adhuc parua complere non poterat. Cum autem ſuprà contra inferiorem hoſtem fluminis implorarit auxilium: nunc contra maiorem viribus, deum vocat virtute præſtantem. Contra illud demum, quod Turnus dixerat, *cuperem ipſe pater* (Euander) *ſpectator adeſſet*, dicit Pallas, quaſi par pari referens, *Cernat ſemineci, &c.* id eſt, ipſe ſuum cernat interitum, & ſuis oculis me ſuum victorem cogatur intueri. Seruius, Donatus.

PER PATRIS HOSPIT. ET MENSAS) lib. 8. *hæc limina victor Alcides ſubiit.* Quaſi diceret Pallas. Etſi deus factus es meritis tuis, fuiſti tamen aliquando homo, fuiſtiq; hoſpes patris mei, fuiſti conuiua, habes vbi vicem reddas. Donatus.

Audiit Alcides iuuenem: MAGNVMQVE SVB IMO
CORDE PREMIT GEMITVM, lacrymasq; effudit inanes.
Tum genitor natum dictis affatur amicis.
STAT SVA CVIQVE DIES: BREVE, ET IRREPARABILE TEMPVS
OMNIBVS EST VITÆ: SED FAMAM EXTENDERE FACTIS,
HOC VIRTVTIS OPVS. Troiæ sub mœnibus altis
Tot nati cecidere deûm. quin occidit vnà
Sarpeden mea progenies: ETIAM SVA TVRNVM
FATA VOCANT, METASQVE DATI PERVENIT AD ÆVI.
Sic ait, atque oculos Rutulorum reiicit aruis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam:
Vaginaq; caua fulgentem diripit ensem.
Illa volans, humeris surgunt quà tegmina summa,
Incidit: atque viam clypei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.

AVDIIT ALCIDES) Audiuit, id est, exaudiuit quidẽ supplicantem sibi Hercules, & cupiebat gratificari Pallanti, si modò per fata posset. Quę quoniam sibi obstare sentiebat, ingemuit, & effudit lacrymas, quę ipsæ quoq; nihil proficiebant Pallanti.

Alcides cognominatus est Hercules ab auo Alceo, siue ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, à fortitudine. Pindarus initio Alciden nominatum, postea Herculem dicit, ab ἥρα, quam Iunonem dicimus: quod eius imperiis opinionem, famamque sit consecutus. Proclus in Platon. Cratylum Herculem ait Alciden prius appellatum, à mortalibus parentibus, Pythia verò Heraclea vocauit, propter gloriam, quam adeptus esset, & diuinitatem ex Iunonis affinitate, & cognatione. Phornutus verò, seu Cornutus, Herculem innuit vocatum, quod τοὺς ἥρωας κλείζεται, id est, quod heroas gloria afficiat, siquidem Herculem rationem esse ait, quæ in vniuersis existat, per quam natura fortis, ac robusta fit, &c. Gyrald. Syntag. 10. in Hercule.

IMO CORDE PREMIT GEM.) Lib. 1. de Ænea, *premit altum corde dolorem*, vt hic, premit sub imo corde gemitum. Est enim eadem sententia. Qui premit gemitum, premit & dolorem, & contrà: sed tamen lacrymas cohibere, ne oculi madescant in dolore, difficile est. Ideo lacrymatur Hercules, quamuis gemitum premat, & dolorem dissimulet: si tamen dissimulare dicendus est, qui plorat. Et intelligimus nihil locutum Herculem, cum lacrymę pro sermone essent: etsi velint quidam *κατὰ τὸ σιωπώμενον* Herculem preces fudisse pro Pallante. Nunc quibus verbis, & quam grauiter miserum, & imbecillem deum, ipse suam imbecillitatem prodens consoletur Iupiter, audiamus.

STAT SVA CVIQVE DIES) Consolatio complectitur generalem sententiam, qua communis conditio ostenditur, & inde sequitur: non esse dolenda communia. Subiiciuntur exempla cum argumentatione à maiori ad minus. Denique ad solatium maius, ipsius quoque interfectoris Turni mors breui secutura prædicitur.

Homerus, cum ait, *τοῦ μὲν φθίνοντος μηνὸς, τοῦ δ' ἱσταμένου*, quid aliud, nisi illum φθίνοντα dicit, cuius paulatim deficientis supputatio in nomen desinit secuturi: & ἱστάμενον illum, qui præcedit numerum, successurus priori in defectum meanti? Quod & Homerus vester Mantuanus intelligens, illud stare dici, ad quod acceditur, ait: *stat sua cuique dies*: extremum diem stare dicens, quasi ad quem per omnes statur. Macrob. lib. 1. cap. 16.

Virgiliana sententia, siue γνώμη bipartita est: prior pars de breuitate huius vitę, & necessitate moriendi loquitur: posterior nos ad eandem breuitatem spe sempiternæ gloriæ ex virtute, & rectè factis nasciturę consolandam excitat, & ad præclara facinora suscipienda inuitat. Qui igitur nondum credit statutum esse omnibus semel mori, vt diuinæ scripturæ dicunt, (quis autem potest non credere, cum quotidie, si velit, oculis aspicere possit morientium cadauera) ei fidem faciét quæ sequuntur testimonia, quorum similia accumulari queát vel sexcenta. Seneca lib. de Ira. Stat super caput fatum, & pereuntis dies imputat, propiusque, ac propius accedit. Idem lib. de breuitate vitæ. Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. Alium alio tempore fata cõprehendunt, neminem præteribunt. Et Natural. lib. 2. cap. 59. Ita est, Lucili, omnes reseruamur ad mortem. Totum hunc quem vides populum, quousque cogitas esse? citò natura reuocabit, & condet: nec de re, sed de die quæritur. Eodem citius, tardiusúe veniendum est. Quid ergo? non tibi timidissimus omnium videtur, & insipiétissimus, qui magno ambitu rogat moram mortis? Nonne contemneres eum, qui inter perituros constitutus, beneficij loco peteret, vt vltimus ceruicẽ præberet? Idem facimus. Magno æstimamus mori tardius. In omnes constitutum est capitale supplicium.

Cic. in Catone. commorandi nobis natura diuersorium, non habitandi dedit. Seruius Sulpic. ad Ciceronem super obitu Tulliæ. Quæ si hoc tempore diem suum non obiisset, paucis tamen post diebus ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Ad poetas venio. Lucret. lib. 3. *Vitaq; mancupio nulli datur, omnibus vsu.*

Ibidem.

Certe equidem finis vitæ mortalibus adstat,
Nec deuitari lethum pote, quin obeamus.

Eiusdem est elegantissima προσωποποιΐα naturæ, ad vitę nimium cupidos, & mortis fugitantes, in eodem lib. sub extremum.

Denique si vocem rerum natura repente
Mittat, & hoc alicui nostrûm sic increpet ipsa, &c.

Horat.

Horat. Ode. 4. lib. 1.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres, ô beate Sexti.
Vitæ summa breuis spem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet nox, fabulæq; manes.

Et Ode. 3. lib. 2.

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur vrna, serius, ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

Apud Ouid libr. 10. Metamorph. alloquitur Orpheus Plutonem, pro Eurydice vxore sua recipienda.

Serius aut citius metam properamus ad vnam.
Tendimus huc omnes: hæc est domus vltima, vosq;
Humani generis longissima regna tenetis.

Propert. li. 2. eleg. 18. *Longius aut propius mors sua quemque manet.* Idem lib. 3. eleg. 4.

Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro,
Optima mors parca quæ venit apta die.

De spatiis vitæ humanæ longissimis, vide Plinium lib. 7. cap. 48.

Ad alteram sententiæ partem illustrandam quod attinet, requite quæ dicta lib. 6. sub finem, ad illud, Et *dubitamus adhuc virtutem extendere factis*? Libet nihilominus eximiam cohortationem Plinij apponere, ad comparandam nominis gloriam videlicet. Est autem epistola 3. lib. 9. eaque pæne tota. Alij alium, ego beatissimum iudico, qui bonæ, mansuræque famæ præsumptione perfruitur, certusq; posteritatis, cum futura gloria viuit, ac nihil nisi præmium æternitatis ante oculos, pingue illud, altumque otium placeat. Etenim omnes homines arbitror oportere, aut immortalitatem suam, aut mortalitatem cogitare: & illos quidem contendere & non remitti: tum hos quiescere, nec breuem vitam caducis laboribus fatigare: vt video multos misera simul, & ingrata imagine industriæ ad mortalitatem sui peruenire.

Adde Isocratem ad Philippum. ἐνθυμοῦ δ' ὅτι τὸ μὲν σῶμα, &c. cogites velim, mortale corpus omnes nos habere: sed gloria, laudibus, famæ perpetuitate fieri compotes immortalitatis: cuius cupiditate omnes vires exercendæ, nulli labores, nulla pericula recusanda, &c. Pluribus in locis similia M. Tullius. Hæc si cui nimium multa videbuntur, pauca legat suadeo: præstat siquidem pauciora legere cum attentione, & animi fructu, quam plura cum fastidio inutiliter.

TROIÆ SVB MOENIBVS ALT. T. NATI CECID. DEVM) Pulchrè dictum à Seneca in Consolat. ad Martiam. Ne deos quidem fabulę immunes reliquerunt: puto vt nostrorum funerum leuamentum esset, etiam diuina concidere. Antipater in epitaphio Orphei.

Τί φθιμένοις στοναχεῦμεν ἐφ' υἱάσιν, ἁνίκ' ἀλαλκεῖν
Τῶν παίδων ἀΐδαν οὐδὲ θεοῖς δύναμις;

Hæc est sententia. Quid propter mortuos filios gemimus, quando liberorum mortem arcere, à liberis suis mortem auertere nec dij possunt? Non ita diuersum est ab his, quod lego in Euagora Isocratis. *Τῶν μὲν γὰρ ἡμιθέων τοὺς πλείστους, καὶ ὀνομαστοτάτους εὑρήσομεν ταῖς μεγίσταις συμφοραῖς περιπεσόντας.* Nam semideorum plerosque, & eos quidem celeberrimos, in maximas scimus incidisse calamitates. Ad rem propositam verò accómodatissimus est locus ille in Encomio Helenæ. Tantam quippe cupiditatem incessisse laborum, & expeditionis Troianæ propter Helenam dicit, non Græcis tantum, & barbaris, sed diis etiam, vt ne filios quidem suos à Troiani belli discriminibus abesse vellent. Nam quamuis Iupiter fatum Sarpedonis, Aurora Memnonis, Neptunus Cygni, Thetis Achillis præuiderent: tamen eos cohortati cæteris adiunxerunt: existimantes, gloriosius eis fore, si de filia Iouis dimicantes occumberent, quam si periculorum illorum expertes domi consenescerent. Vide adagium, *Ne dij quidem à morte liberant.*

OCVL. RVTVL. REIICIT ARVIS) Respiciendo fecit partem feliciorem: vt in secundo, *Aspice nos, hoc tantum*: quod enim Iupiter videt, admodum iuuat. Ne autem telo iacto inermis esset, stringit gladiū: siue vt, si hasta optatum tenuisset euentum, mox parato mucrone, plenum de hoste supplicium sumeret. Hasta sic cecidit, vt per summas oras clypei, quod tegebat corpus Turni, post aliquantulas moras viam in corpus hostile reperiret: non solùm traiectis munimentis, verum etiam vulnerato ipso, qui se plurimum præferebat. Seruius, Donatus.

CLYPEI MOLITA PER ORAS) In verbo *molita*, inest difficultatis significatio. Sic Lucret. moliri terrua, pro, magno labore inuertere, atque arare.

Hîc Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta, diu librans, iacit: atq; ita fatur.
Aspice num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat: ac clypeum, tot ferri terga, tot æris,
Cùm pellis toties obeat circundata tauri,
Vibranti cuspis medium transuerberat ictu,
Loricæq; moras, & pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum frustra de vulnere telum:
VNA, EADEMQVE VIA SANGVIS, ANIMVSQVE SEQVVNTVR.
Corruit in vulnus: sonitum super arma dedere:
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super assistens,
Arcades hæc, inquit, memores mea dicta referte
Euandro: qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est,
Largior. Haud illi stabunt Æneïa paruo

Hospitia. & læuo pressit pede, talia fatus,
Exanimum: rapiens immania pondera baltei,
Impressumq; nefas. vna sub nocte iugali
Cæsa manus iuuenum fœdè, thalamiq; cruenti:
Quæ bonus Eurytion multo cælauerat auro.
Quo nunc Turnus ouat spolio, gaudetq; potitus.
NESCIA MENS HOMINVM FATI, SORTISQVE FVTVRÆ,
ET SERVARE MODVM REBVS SVBLATA SECVNDIS.
Turno tempus erit, magno cùm optauerit emptum
Intactum Pallanta, & cùm spolia ista, diemq;
Oderit.

TVRNVS FERRO PRÆFIXVM ROBVR) Turnus vbi ex vulneris caussa violentior factus est, hastã diu librans in Pallanta iecit, contemplatus diu, vbi Pallantem opportunè feriret.

NOSTRVM PENETRAB. TELVM) *Penetrabile* pro penetrali: nam quod penetrat, penetrale dicitur: quod autem penetratur, penetrabile. Quam vehemẽter porrò hastam iecerit Turnus, ex descripta firmitate scuti Pallantei, quod penetrauit, cognoscitur.

ET PECTVS PERFORAT INGENS) Epitheton *ingens* cum voce cuspis coniungendum est, ne incõgruum sit, si de puero dixeris, ingens pectus. Hactenus Seruius, Donatus.

RAPIT CALID. FRVSTRA DE VVL. TELVM) Existimans Pallas, se sibi auxilio fore, rapuit infixum telum è corpore suo, ratus id ipsum saluti retinendæ profuturũ, sed id factum est frustra, nam educto telo mox anima cum sanguine effusa est. Donatus.

VNA EADEMQVE VIA SANG. ANIM. SEQ.) In voce *eadem*, moduli eadem est ratio, quæ inferius lib. 12. *Vno, eodemq; tulit partu*, figura, quæ συνίζησις dicitur. Apud antiquos verbi *sanguis* posterior, spatio fuit anceps, quare Gifan. statuit legendum sine copulatiua. Idem apud Lucretium lib. 1. legit *Ignis, an humor? an auræ? quid horum? sanguis, an ossum?* Valer. Flaccus lib. 3. *modo tela sacerdos Porrigat, & iusta sanguis exuberet vnda.* Veruntamen, vt antiquitas syllabam hanc extenderit, non est verisimile, vt Stephanus opinatur, tanti fecisse poetam hunc archaismum, vt propter illum carmen suum multo minus sonorum relinqueret, atque ita nullo suas aures valere iudicio ostenderet. Animus autem dixit, pro anima. Etenim, vt bene Donatus, animus consilij est, anima vitæ. Sententiæ autem versus respondet illud Homeri Iliad. ξ. ψυχὴ δὲ κατ' οὐταμένην ὠτειλὴν ἔσσυτ' ἐπειγομένη, τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν.

CORRVIT IN VVLNVS, SON. SVP. ARMA DED.) Lucret. lib. 4. *Namq; omnes plerumq; cadunt in vulnus.* Quod sequitur, ex Homero est. Iliad. δ. Δούπησεν δὲ πεσών, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. Quod carmen ita interpretatus est Ennius Annal. lib. 16. *Concidit, & sonitum simul insuper arma dederunt.* Georg. 3. *si qua sonum procul arma dedere.* Et 2. Æneid. *sonitum quater arma dedere.* Furius Antias Annal. 1.

Ille graui subitò deuinctus vulnere habenas
Misit equi, lapsusq; in humum defluxit, & armis
Reddidit æratis sonitum.

Vrsin.

TERRAM HOSTIL. MOR. PET. ORE CRVENTO) Æmulatus videtur Homerum Iliad. λ.

——— δύο δ' ἀμφὶς ἕκαστον
φῶτες ὀδὰξ ἕλον οὖδας ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ δαμέντες.

A Et Iliad. π.

Ὣς ὁ πρόσθ' ἵππων καὶ δίφρου κεῖτο τανυσθεὶς
Βεβρυχώς, κόνιος δεδραγμένος αἱματοέσσης.

Et Iliad. φ. κεῖτο δὲ πρηνής, χθόνα δ' ἤλασε παντὶ μετώπῳ. Vrsin.

SIC ORE PROF. ARCAD. HÆC) Quædam veteres editiones tantum habent prius hemistichium, *Quem Turnus super assistens*, vt pro assumento ducendum sit, quod sequitur ἀκροτελεύτιον, *sic ore profatur.* Ego vt Virgilianum recipiendum autumo. Cur poeta relinqueret imperfectum carmẽ, cum hoc tam aptum, & conueniens sit, vt aliud nihil, caussam non video.

QVALEM MERVIT PALL. REMITTO) Insultans Turnus, & successu superbior factus describitur. B Fieri autẽ nõ potuit, vt hostis & Euandro, & Pallanti infensus, pro malefactis beneuolentiam redderet: vnde sub imagine humanitatis, dum spõte patri reddit occisum, etiam patrias pœnas conatur exigere. supra enim professus est, quid animi gereret: nam dixit.

Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
Debetur, cuperem ipse parens spectator adesset.

Quod factum non est, alio genere cupiebat impleri: vt qui cadentem filium spectare in campo non potuisset, in sedibus suis positus videret occisum. Leuius enim, vt suprà dictum est, dolemus, si audiantur mala: grauius verò, si videantur.

C HAVD ILLI STAB. ÆN. PARVO HOSPITIA) Potest intelligi, quod spem gereret, etiam Euandrum persequẽdi, scilicet superatis Troianis, & auxiliis, quæ Æneæ fuerãt iuncta. Et talia locutus, læuo pede corpus defuncti Pallantis pressit, rapiens ei põderosum, & pretiosum balteum, in quo, opera Eurytionis cælatoris præstantissimi, Danaidum cælata fabula.

Danaides cum filiis Ægypti patruelibus suis quinquaginta, ipsæ totidem numero nupsissent, instinctu, & iussu patris Danai, singulæ maritos suos, præter vnam Hypermnestram, quæ Lynceo pepercit, prima nuptiarum nocte iugularũt. Quæ autem quos nominatim interemerint, recenset Hyginus ca. 170. Idea Antimachũ, D Philomela Panthium, &c. Fabulam persequitur Horat. qui & illam, quam dixi Hypermnestram, suum suauiter alloquentem, & ad fugam cohortantem inducit. Fuerunt autem hac pœna apud inferos damnatæ, vt aquam continenter in vas pertusum infunderent.

Tibul. eleg. 3. lib. 1.

Et Danai proles, Veneris quod numina læsit
In caua lethæas dolia portat aquas.

Sic ergo Venusinus lib. 3. Ode. 11.

——— *stetit vrna paullùm*
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Audiat

Audiat Lyde scelus, atq; notas
Virginum pœnas, & inane lympha
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraq; fata,
Quæ manent culpas etiam sub orco,
Impiæ. nam quid potuere maius?
Impiæ sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Vna de multis face nuptiali
Digna, periurum fuit in parentem
Splendide mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum.
Surge quæ dixit iuueni marito,
Surge, ne longus tibi somnus vnde
Non times, detur: socerum, & scelestas
Falle sorores.
Quæ velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos, eheu, lacerant. ego illis
Mollior, nec te feriam, nec intra
Claustra tenebo.
Me pater sæuis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.
I, pedes quò te rapiunt, & auræ,
Dum fauet nox, & Venus: i secundo
Omine, & nostri memorem sepulchro
Sculpe querelam.

Epistola item Hypermenestræ ad eundem Lynceum siue Linum, vt alij, est apud Ouid. ✠

NESCIA MENS HOM. FATI, SORTISQVE FVTVRÆ) Lætabatur spolio Turnus, & se beatum ducebat tali præda: sed, vt sunt mentes hominum futuri ignaræ, nec facilè in secundis alteram sortem metuentes, nesciebat se propter hunc eundem balteum ab Ænea interemptum iri, vt scriptum est in extremo duodecimo. *Quid victor gaudes? hæc te victoria perdet*, ait Ouid. de Sex. Tarquinio stupratore Lucretiæ. ✠

Duo sunt effata in duobus illis versibus: vnum, à mentibus humanis futura prouideri non posse, quod
D duobus verbis ad Demonicum dixit Isocrates, τὸ μέλλον ἄδηλον: alterum, ob id ipsum homines sibi non imperare in secundis, sed immodicè efferri. Certè idem Isocrates, oratione contra sophistas, futura nos latere, sapienter in hunc modum docet. Οἶμαι γὰρ ἅπασιν εἶναι φανερὸν, &c. Omnibus enim perspicuum esse arbitror, futurarum rerum prænotionem non esse nostri ingenij: sed humanæ prudentiæ captum vsque adeo excedere, vt Homerus opinionem sapientiæ maximam consecutus, etiam deos interdum de futuris deliberantes introduxerit. Qui etsi animum eorum perspectum non habuerit, nobis tamen ostendere voluit, id ex eorum esse numero, quæ vires humanas superarent, &c.
E Quod ad alterum effatum attinet, tritissima, eademq; vtilissima doctrina est, in aduersa, humilique fortuna præstare fortem animum, in secunda, & fælici moderatum. Hoc ita extulit Horatius Ode 10. lib. 2.

Rebus angustis animosus atq;
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Isocrates autem ad Demonicum hoc modo. νόμιζε μηδὲν εἶναι τῶν ἀνθρωπίνων βέβαιον. οὕτω γὰρ οὔτ' εὐτυχῶν ἔσῃ περιχαρὴς, οὔτε δυστυχῶν περίλυπος. Existima nullam rerũ humanarum esse stabilem, ac firmam. Sic enim neque rebus secundis immodica lætitia efferere: neq; aduersis mœrore contabesces. Phocyl. κοινὰ πάθη πάντων, ὁ βίος τροχὸς, ἄστατος ὄλβος. Theognis sic.

Μηδὲν ἄγαν χαλεποῖσιν ἀσῶ φρένα, μηδ' ἀγαθοῖσιν
Χαῖρ', ἐπεὶ ἐς' ἀνδρὸς πάντα φέρειν ἀγαθοῦ.

Neque rebus difficilibus, & asperis animum tuum nimis excrucia, neque bonis nimium lætare. Est enim viri boni, omnia ferre. Retulit hæc Lamb. in Oden supra nominatam. Mire isti loco affinis est, historia pulcherrima de Crœso, & Cyro, quorum hic ex illius malo didicit cauere suum. Ea litteris mandata inuenitur apud Herodotum lib. 1.

Præclara omnino, & sapiens oratio Legatorum Spartanorum apud Athenienses extat lib. 4. Thucydi-
B dis, qua illos, pacem, fœdus, & societatem offerentes, grauiter monent, ne secundis confisi, aduersorum securi velint esse. Pauca transcribemus. Ac intueamini nostram calamitatem, qui cum summam dignitatem habeamus inter Græcos, nunc venimus ad vos ea petentes, quæ antea existimabamus à nobis petenda esse. Nec verò nobis hæc acciderunt penuria militum, neque quod superbè aliquid fecerimus: sed errore lapsi sumus, vt omnibus hominibus accidit, cum quidem nec potentia nostra infirmior esset, nec mores mutati essent. Ideo nec vobis existimate fortunam perpetuò benignam fore, propterea quod ciuitatis vestræ potentia sit, & nunc aliquid accesserit.

C Addatur Seneca lib. 3. Natural. præfatione. Quid est præcipuum? altos supra fortuita spiritus tollere, hominis meminisse: vt siue felix eris, scias hoc non futurum diu: siue infelix, scias te hoc non esse, si non putes. Muretus lib. 5. cap. 15. aliquot grauium scriptorum auctoritatibus confirmat, secundam fortunam difficilius ferri, quam contrariam. E re tua feceris, si totum caput, quantum est, perlegas.

Quid Sallustius in Catilinario? quid? secundæ res sapientum animos fatigant: ne illi corruptis moribus victoriæ temperarent. Sic Demosthenes oratione contra Leptinem: ἀλλ' οἶμαι τὸ μέλλον ἄδηλον πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ μικροὶ καιροὶ μεγάλων πραγμάτων αἴτιοι γίγνονται, διὸ δεῖ μετριάζειν ἐν ταῖς εὐπραξίαις, καὶ προορωμένοις τὸ μέλλον φαίνεσθαι. Trebell. Pollio in Claudij vita. Plerique milites Claudij secundis rebus elati, quæ sapientum quoque animos fatigant, ita in prædam versi sunt, &c. D. Augustin. Ciuitatis lib. 17. cap. 20. de Salomone scribens: hic bonis initijs malos exitus habuit: quippe secundæ res, quæ sapientum animos fatigant, magis huic obfuerunt, quam profuit ipsa sapientia, etiam nunc, & deinceps memorabilis, & tum longè, lateque laudata. Collegit hosce locos in scholijs Sallustianis Aldus Manut. Duos adhuc locos nobilium scriptorum si adiecero, finem faciam.

Tacitus Historiar. lib. 1. Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant, quia miseræ tolerantur, fælicitate corrumpimur. Cato, vt citat Gellius lib. 7. cap. 3. Scio solere plerisque hominibus rebus secundis, atque prolixis, atque prosperis animum excellentem, atque superbiam, atque ferocitatem augescere, atque crescere. quod nunc mihi magnæ curæ est, quòd hæc res tam secundè processerit, ne quid in consulendo aduersi eueniat, quod nostras secundas res confricet: neúe hæc lætitia nimis luxuriose eueniat. Aduersæ res se domant, & docent quid opus sit facto: secundæ res lætitia transuorsum tendere solent à rectè consulendo, atque intelligendo. Quo maiore opere dico, suadeoque, vti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus.

MAGNO CVM OPTAVERIT EMPT. INTACT. PALLANTA) magno pretio intellige. Sic 2. Æneid. *& magno mercentur Atridæ.* Sensus est. Tempus erit, quo Turnus optabit quouis pretio redimere, ne ipse Pallantem occidisse videatur. Seruius.

DIEMQVE ODERIT) Sicut dierum, quibus aliA quid boni nobis obtigit, iucundum: ita illorum, quibus mali quippiam pertulimus, graue est meminisse: & illos quidam albo, hos atro calculo notabant. Quos autem dies statos per annos variæ gentes fælices ac faustos, quos infelices & infortunatos habuerint, docebit Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 20.

——At socij multo gemitu, lacrymisq;
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor, atq; decus magnum rediture parenti:
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert,
Cùm tamen ingentes Rutulorum linquis aceruos.
Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor
Aduolat Æneæ: tenui discrimine lethi
Esse suos, tempus versis succurrere Teucris.
Proxima quæq; metit gladio, latumq; per agmen
Ardens limitem agit ferro, te Turne superbum
Cæde noua quærens. Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis: mensæ, quas aduena primus
Tunc adijt, dextræq; datæ. Sulmone creatos
Quattuor hîc iuuenes, totidem quos educat Vfens,
Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris,
Captiuoq; rogi perfundat sanguine flammas.

IMPOS. SCVTO REFER.) In pugna cæsi Lacedæ-B mones, scutis suis impositi efferebantur ex acie: quod sæpe legas in græcis epigrammatis. Reliquos tres versus plerique à poeta dictos volunt: alij à socijs, qui portant cadauer. Dolor autem propter, *Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.* [*Et est alioqui in magnis cladibus præcipua fortuna inuenta, quod duces ipsos de medio tollit, vt inquit Lacon in Pausanias.*] Decus propter id, *Cum tamen ingentes Rutulorum linquis aceruos.* Ingentes aceruos, hoc inquam, transtulit, ex Heluio Cinna. *Nec tam diuorum ingentes mirabere aceruos.*

Statius Thebaid. 8. de Menalippo à Tydeo ad mortem vulnerato, & agente animam.

Et poscentem hastas, mediaq; in morte negantem
Expirare, trahunt, summiq; in margine campi
Effultum gemina latera inclinantia parma
Ponunt.

Et in eodem libro de alio quodam.

Fertur Atys seruans animam iam sanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida ceruix
Exterior clypeo.

Huc spectat animosum Spartanæ mulieris dictum, filio clypeū tradentis, Aut cum illo, aut super illo. Id est, fac redeas non amisso clypeo, aut honestè occumbens super eo referaris. Ioan. Bernartius in Scholijs.

Quod hic Pallanti, infra etiam Lauso præstatur, At Lausum socij exanimem super arma ferebant. *Cæterum ad ea quæ hic de Pallante dicuntur illustranda, valde conducent, quæ de Thrasybulo Pitanensi Lacone in acie interfecto, & à commilitonibus super scuto in morem Laconicum elato in 3. Anthol. scribit Dioscorides. Erant autem ingentia illa scuta. Homerus vocat ἀμφιβρότας ἀσπίδας, quod virumq; tegerent militem.*

Τὰν Πιτάναν Θρασύβουλος ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους,
Ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος,
Δεικνὺς ἀντία πάντα. τὸν αἱματόεντα δ' ὁ πρέσβυς
Παῖδ' ἐπὶ πυρκαϊῆς Τύννιχος εἶπε τιθείς,
Δειλοὶ κλαιέσθωσαν, ἐγὼ δὲ σε τέκνον ἄδακρυς
Θάψω, τὸν καὶ ἐμὸν, καὶ Λακεδαιμόνιον.
Ausonius Latinum dedit.

Excipis aduerso quod pectore vulnera septem,
Arma superueheris, quod Thrasybule tua,
Non dolor hic patris, Pitanæ sed gloria maior,
Rarum tam pulchro funere posse frui.
Quem postquam mœsto socij posuere pheretro,
Talia magnanimus edidit orsa pater,
Flere alios, gnatus lacrymis non indiget vllis,
Est meus, & talis, & Lacedæmonius.

NEC IAM FAMA MALI) Hoc malum non fama, quæ solet nuntiare nonnunquam pro veris falsa, sed nuntius verus ad Æneam fideliter pertulit, tanta celeritate, vt famam anteuerteret. Addebat, tenui discrimine lethi esse suos, hoc est, inter ipsos, & mortem modicam remansisse mortis moram, & quasi interstitium: propter q & magna Pallantis virtus ostẽditur, quo vno C interempto, pæne actum videbatur de toto exercitu. Tempus esse subueniendi versis iam, & ad fugam spectantibus, imò fugari iam cœptis Troianis: quibus verbis & metum, & spem commouet. Nam si adhuc tempus erat, non igitur ad plenum fuerant superati, poterantque adiuuari maturo auxilio, quanquam essent versi. Seruius, Donatus.

Vide Homer. Iliad. λ. Κεβριόνης δὲ Τρῶας, &c. vbi à Cebrione Hector certior fit damni ab Aiace Troianis dati, vt hìc Æneas imminentis à Turno suis periculi. Similis est huic Virgilij apud Aeschyl. locus in ἑπτά. ἅλις δὲ αἰκατὰ πῆματ', ἢ λόγῳ, τὰ δ' αὐτόδηλα τρῶσιν ἀγγέλλω λόγῳ.

D PROXIMA QVÆQVE METIT GLADIO) Sunt qui & πόλεμον ἀπὸ τοῦ πολλοὺς ἀμᾶν deducunt, à metendo scilicet multos. Ergo nō malè, proximos, seu obuios quosque Æneam, velut herbam, aut segetem gladio messuisse. Sic Horat. Ode 14. lib. 4.

Vt barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu:
Primosq; & extremos metendo
Strauit humi sine clade victor.

A messoribus etiam similitudinem ducit Catull. de nupt.

nupt. vbi videlicet Parcæ in carmine fatidico, seu genethliaco Achillis nasci turi, inter alia de eius eximia fortitudine sic.

Namq; velut densas prosternens messor aristas,
Sole sub ardenti flauentia demetit arua,
Troiugenûm infesto prosternet corpora ferro. ❧

Quid faceret qui properabat ad suos: & cui dictum fuerat, subueniendi tempus vrgere: & hostibus in medio positis transire non poterat? Metit gladio, quæ proxima fuerunt. Metere dicimus, secare falcibus segeres, quæ cum abscinduntur, ferro non resistunt. Magna autem virtus Æneæ, qui sibi per infinitam multitudinem cædendo posset viam, & latam quidem aperire. nam vox *latum*, cum limitem coniungenda est, nō cum agmen. Fuit autem occidendus ante omnes, qui illo tempore caussas tanti doloris inuexerat, propter quem cætera negligebat, vt eum solum inueniret. Voluebat in animo secum, & ante oculos habebat multa. Ipsum Pallantem, quē infælix pater sibi commendauerat. Aetatem, & spem adolescentis, & quod suo parenti vnicus. Euandrum orbatum filio, & successore, relictúmque in extrema ætate omni carentem solatio. Eius humanitatem, hospitalitatem, qua fuerat ab eo aduena susceptus: beneficium summum, quo ab eodem datis auxilijs fuerat adiutus, & fidem denique data dextera sibi obligatam. Donatus.

LATVMQVE PER AGMEN AVD. LIMIT. AGIT FERRO) Nysus ad Euryalum libr. 9. *Pœnarum exhaustum satis est: via facta per hostes.* A Potest huc etiam pertinere illud è 2. Æneid. *Fit via vi, rumpunt aditus.* Suprà, hoc eodem libro. *Fidite ne pedibus, ferro rumpenda per hostes Est via.* ❧

QVATTVOR HIC IVVEN.) Homerus Iliad. φ.

Ζωὸς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους,
Ποινὴν Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος.

[*Vide illud libro sequenti.* Vinxerat & post terga manus, *& hoc confer, quæ ibidem à nobis ex Lactantio prolata inuenies.*] Certū est autem, poetas cum de inferijs, aut sacris, manibus soluendis, faciendisúe agitur, numerum parem vsurpare, vt supra.

Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho
B *Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro,* &c.

German.

VIVENTES RAPIT, INFERIAS) Magnum apparet obsequium Æneæ, & magnum studium ad honorandam defuncti memoriam, qui octo homines non adduceret, sed raperet ad immolandum. Donatus. Inferiæ sunt sacra mortuorum, quæ inferis soluuntur. Sanè mos erat in sepulcris virorū fortium captiuos necari. Quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui à bustis bustuarij dicti sunt. Seruius.

CAPTIVO SANGVINE) captiuorum. Sic alibi, *Captiui pendent currus.* Et, *captiuaq; vestis.* Hunc speciosum ornatum appellat Seruius.

Inde Mago procul infensam cum tenderet hastam,
Ille astu subit, ac tremebunda superuolat hasta:
Et genua amplectens effatur talia supplex.
Per patrios manes, & spes surgentis Iuli,
Te precor, hanc animam serues natoq;, patriq;.
Est domus alta: iacent penitus defossa talenta
Cælati argenti: sunt auri pondera facti,
Infectiq; mihi. non hîc victoria Teucrûm
Vertitur: haud anima vna dabit discrimina tanta.
Dixerat. Æneas contrà cui talia reddit.
Argenti, atq; auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis: belli commercia Turnus
Sustulit ista prior, iam tum Pallante perempto.
Hoc patris Anchisæ manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus, galeam læua tenet: atq; reflexa
Ceruice orantis capulo tenus abdidit ensem.
Nec procul Æmonides Phœbi, Triuiæq; sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veste, atq; insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsumq; superstans
Immolat, ingentiq; vmbra tegit. arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi rex Gradiue trophæum.

ILLE ASTV SVBIT, AC TREMEB.) Subsedisse Magum dicit astutè. C

TREMEBVN. SVPERVOL. HASTA) De hasta superuolante, & Homerus Iliad. ν. τῷ δ' ὑπερέπτατο χάλκεον ἔγχος.

ET GENVA AMPLECTENS) Petitū à fontib⁹ Homeri. ζ

Ἄδρηστος δ' ἄρ' ἔπειτα λαβὼν ἐλίσσετο γούνων,
Ζώγρει Ἀτρέος υἱὲ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα,
Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος.
Τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα,
Εἴ κεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

Iliad.

Iliad. ω. etiam Mercurius admonet Priamum ad Achillem aditurum,

——— λάβε γούνατα πηλείωνος,
Καί μιν ὑπὲρ πατρὸς, καὶ μητέρος ἠϋκόμοιο
Λίσσεο, καὶ τέκεος, ἵνα οἱ σὺν θυμὸν ὀρίνῃς.

Vrsin.

Genua quia misericordiæ sacrata, ideo à supplicibus contingebantur. Diximus alibi. Plurima sunt apud auctores testimonia ad hunc morem probandum. Pauca etiam hic adscribam. Virgil. 3. Æneid. *Et genua amplexus, genibusq; volutans.* Plautus. *Per ego hac genua te obtestor senex Quisquis es.* Liuius lib. 45. Summittentemque se ad pedes sustulit, nec attingere genua passus. Cic. orat. post reditũ, vbi L. Pisonem acerbissimè cõpellat. Tu meum generum, propinquum tuum, tu affinem tuam, filiam meam superbissimis, & crudelissimis verbis à genibus tuis repulisti. Idem valent illa, ad pedes iacere, & accidere ad pedes, genibus aduolui. Cur autem in supplicationibus genua contingerentur, duplex affertur ratio. Vna est Plinij, quod nimirum in illis sit vitalitas, vt loquitur. Hinc Theocritus οἷς γόνυ χλωρόν. Et Horatius. *Dum virent genua* &c. Altera est, quæ à Seruio affertur, & nos supra posuimus. Vide Pierium lib. 35. in Genibus, & Stukium lib. 2. cap. 32.

PER PAT. MANES, ET SPES SVRG. IVLI) cum per res charissimas rogare mos sit, non video quid Æneæ charius fuerit memoria defuncti patris, & filio superstite. Respondet Æneas & infra vtrique, Anchisæ scilicet, & Iulo fore gratius, si Pallas vindicetur, & Euandri orbitas, quàm si ignoscatur.

IACENT PENIT. DEFOSSA TAL.) Multi tum diuitias suas obruebant: vnde Horat. Sat. 1. lib. 1.

Quid iuuat immensum te argenti pondus, & auri
Furtim defossa timidum deponere terra?

Seruius. Adde. Et obrutum dixit, vt magnam materiæ ostenderet copiam, & ab arte duxit laudem (cælati) vt pulcherrimum demonstraret.

AVRI POND. FACTI INFECTIQVE) Tria sunt genera auri, argenti, & æris, signatum, factum, infectum. Signatum in nummis, factum in vasis, & signis, infectũ in massis. Isid. lib. 16. cap. 17. Aurum factum, infectumq; Græcis χρυσὸς εἰργασμένος, καὶ ἀνέργαστος.

TAL. GNATIS PARCE TVIS) Parcere talenta, pro seruare, vt Terent. *quod comparsit.* Ita & sub accusandi casu Lucret. lib. 6. *cur telum perpetiuntur Obtundi, cur ipse sinit, nec parcit in hoste?* Et Propert. *Iupiter ignosco pristina furta tua.* German.

Admiranda responsio, pro persona eius, qui eo tempore decreuerat, nulli esse parcendum, propter Pallantis vltionem, & commodum victoriæ suæ: illud enim quod promittebat, ad victores cum ipsa victoria erat transiturum. Proinde sic incipit: diuitias tuas parce liberis tuis, hoc est, serua. Inde enim parci dicuntur, qui non multum erogant, quia quod habuerint, seruant. Et salem parcum Virgilius dixit alio loco, quia tradita sibi custodit: ait enim. *Et parco sale contingunt, hyemiq; reponunt.*

Hoc plerique parentum diligenter dant operam, & in diuitijs multis, magnisque propter filios corradendis, sunt noctes, atque dies occupati: quasi id demum maximè necessarium, & vnicum, & perpetuum parentum in filios officium, ac munus esset: de iisdem virtute, bonisque artibus excolendis, ne per somnium quidem cogitantes. Tales audiant Xenophontem in epistola ad Critonem. Qui filijs de multis opibus prospiciunt, vt autem boni, & egregij euadant, negligunt, simile quiddam agunt equos alentibus, quos belli disci-
A plinam non docent, multum verò pabuli exhibent. Sic enim equos habituri sunt pinguiores: sed rerum, quas præstare oportebat, imperitos. Nam equi laus non in corpulentia, sed audacia, peritiaque in bello sita est. Eodem modo peccant, qui filijs multos agros comparant, ipsosmet verò negligunt. Possessiones enim magni pretij habebunt, ipsi autem viles erunt: cum contrà oporteret, custodientem te possessa pretiosiorem esse. Itaque si quis filium suum magni pretij hominem effecerit, quamuis paucas opes ei relinquat, multa tamen largitus est. Animus enim facit, vt res multæ, aut paucæ appareant: quippe bono quidquid possidet, moderatum est: rudi autem, & inepto,
B modicum.

Audiant præterea Isocratem ita disserentem ad Nicoclem. Præstare puta, liberis tuis honestam famam, quam magnas opes relinquere: nam hæ mortales sunt, illa immortalis. Fama pecuniæ quæri possunt: emi pecunijs fama non potest. Opes etiam improbis contingunt: gloriam verò parare non possunt, nisi virtute præstantes. Est etiam præclarum, quod Phocionem respõdisse auctor est Probus. Cũ à rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facilè careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate paternam tueri gloriam: hic ille, si
C mei similes erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: sin dissimiles sunt futuri nolo meis impensis illorum ali, augerique luxuriam.

Dicamus de vsu vocabuli huius, nati. *Gnatis,* inquit, *parce tuis.* Antiqui oratores, historicique, aut carminum scriptores, etiam vnum filium, filiamúe multitudinis numero appellarunt. Recitat verba Asellionis historici Gellius lib. 2. cap. 13. de Tiber. Graccho Trib. pl. Orare cœpit, vt se defenderet, liberosque suos: eũ quem virilis sexus tum in eo tempore habebat, produci iussit, populoque commendauit prope flens. Hactenus Gellius. Sic M. Tullius, cum de filia M. Antonij à prædonibus capta, abductaque loqueretur in Manilia-
D na: eius, inquit, ipsius liberos. T. Liuius libr. 3. iniquum esse, absentem de liberis dimicare. sermo est de Virginia, L. Virginij filia. Terent. And. *domus, vxor, liberi inuenti sine patre.* Vbi Donatus interpres, liberi inuenti dicit, cum vnus esset, sed inuidiosius. Item Hecyra. *Qui illum dignum decreuerunt, suos cui liberos committerent.* Hoc planè respexit Maro, cum dixit *Gnatis*: supra enim de vnico tantum locutus est: vt quanquam numerus sit multitudinis, plures tamen vno intelligi nequeant. Caius iureconsultus, tit. de verborum significat. Nõ est sine liberis, cui vel vnus filius, filiaúe est: hęc enim enuntiatio, *habet liberos, non habet liberos,* semper plurali numero profertur, sicut & pugillares, & codi-
E cilli. Nam quem sine liberis esse dicere non possumus, hunc necesse est vt dicamus liberos habere. Dicitur tamen, quod ibidem adnotauit Alciatus, aliquando liberum, numero singulari. Modestinus, non potest quis nolle suum liberum esse. Vlpianus, Locupletior non est factus, qui liberum acquisiuit.

BELLI COMMERCIA TVR. SVSTVLIT) Humanitatem poscis, quæ inter partes solet aliquando præstari: sed istam mihi tuus ille sustulit Turnus, & inhumanitatem plenam morte Pallantis docuit. Sæuire non erat meum: sed fuit misereri promptissimum mihi. Sed magisterio partis vestræ didici, quod mihi non dedit natura nascenti: factus sum, quod non eram. Magis hoc factũ placebit manib⁹ patris mei, placebit & filio. Donat.

Belli commercia exponit Seruius, vicissitudinem, & ignoscendi facultatem, seu vicissim redimendi captiuos, ἀπαλύτρωσιν. Locum hunc ex illo Homeri pæne ad verbum translatum notarunt eruditi, Iliad. φ.

Νήπιε, μή μοι ἄποινα πιφαύσκεο, μηδ' ἀγόρευε,
Πρὶν μὲν γὰρ Πάτροκλον ἐπισπεῖν μόρσιμον ἦμαρ,
Τόφρα τί μοι πεφιδέσθαι ἐνὶ φρεσὶ φίλτερον ἦεν
Τρώων, καὶ πολλοὺς ζωοὺς ἕλον ἠδ' ἐπέρασσα.

*Belli cōmercia *dixit, quia Magus auro, argentoq; vitam conabatur mercari. Nec solum studio vlciscendi Pallātis, sed ob magnitudinem quoque animi, oblatam pecuniam despicit Æneas. Sic enim verè Cicer. in 1. Philipp. Credo enim vos homines nobiles magna quadam spectantes, non pecuniam, quæ semper ab amplissimo quoque, clarissimoq; contempta est. Et infra. non possum adduci, vt suspicer te pecunia captū: nihil. n. vnquam in te sordidum, nihil humile cognoui.*

REFLEXA CER. ORANTIS CAP.) De Pyrrho Priamum occidente lib. 2. non adeo diuersum scribitur.

Implicuitq; comam læua, dextraq; coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.

Vituperat Lactantius lib. 5. cap. 10. quod bonus & pius ille Æneas haud aspernenda precantem trucidauerit, cū per patrem, quem tantopere dilexit, & charissimum filium adiuratus esset: trucidauerit, inquam, furiis accensus, & ira. Quisquamne igitur putet, hunc in se pietatis aliquid habuisse, qui & furore tanquam stipula exarserit, & manium patris, per quē rogabatur, oblitus, iram frænare nequiuerit? Nullo igitur modo pius, qui non tantū non repugnantes: sed etiam precantes, & obtestantes interemit. Dicet hic aliquis. Quæ ergo, aut vbi, aut qualis est pietas? Nimirum apud eos, qui bella nesciunt, qui concordiam cum omnibus seruant, qui amici sunt etiam inimicis, qui omnes pro fratribus diligunt, qui cohibere iram sciunt, omnemque animi furorem tranquilla animi moderatione lenire.

Prudentissima omnino, & humanitatis, clementiæque plenissima est oratio apud Diodorum Siculum lib 13. Nicolai cuiusdam Syracusij, qua Syracusanis conatur persuadere, vti Athienses à se victos, atque captiuos vita, & libertate donent. Inde nonnullos quasi flores lectori odorandos decerpam. Quænam, obsecro pietas, quod seueritatis exemplū, quod specimen esse maiestatis, prudentiæ, aut modestiæ valet, prostratum, atq; ad pedes procumbentem hostem iugulare? Quæ deinde gloria, ipsum eundem nudum. vinculis constrictum vlcisci vlterius, ac sæuire odiis pergere? Nam qui deiectos à fortuna ferocius, neglecta cōmiseratione, insectatur, quiue aduersus calamitatibus, & miseriis obrutos iram, & crudelitatem retinet, hic vtiq; suæ conditionis oblitus, imbecillitati humanę vim afferre videtur. *Paulò Infrà.* In captiuos quid atrocius animaduertere cōtenditis? Ipsi profectò sese digna vltione periere. Nam sese ipsos, armaque, quibus tueri salutem cōsueuerant, vltro dedere in manus nostras, fidei nostrę suas animas, sua quisque corpora commendauere: ea re credentes (vti humanum est) sibi victorum iras per clemētiam conciliatum iri. Indignum nempe, per Deos immortales, atq; atrox nimium, miseros illos, qui ad fidem nostram, & humanitatem, velut ad aras quasdam deūm confugerunt, spe nostrę benignitatis & clementiæ, per crudelitatem, & sæuitiam fraudari. Nam qui contra nos ira, odioque implacabili flagrando perrexere, in pugna cæsi viribus vestris, omnes interiere: isti verò sese dedentes in vestram potestatem, gladiis simul cum ira depositis, supplices pro hostibus vestræ clementiæ facti sunt. Qui enim in ipsa pugna hosti arma, corpusque dedunt, eos viribus diffisos, eam vltimam salutis spem tentare constat: quod si sua spe delusi, contra rapiantur ad supplicia, calamitatem quidem cogentur illi imperatam subire: verùm qui ad id coëgerint, auerso sanè, immanique ingenio existimabuntur, &c.

NEC PROCVL ÆMONID.) Hoc nomen *Æmonides*, licet possit esse & patronymicū, quia in des exit, vt dicamus, Æmonis filius: tamen melius est vt, id ꝓprium esse dicamus, quia nusquam nomē eius aut præmissum est, aut secutum. Ergo simile est patronymico, vt sit Æmonides, sicut Thucydides.

INSVLA CVI SACRA) Infula est fascia in modum diadematis, a qua vittæ ex vtraque parte dependebant, quę

A plerunq; lata, & tortilis de albo, & cocco. Prodebat igitur illum habitus capitis quis esset, cum vittas gestaret, quas non nisi sacerdotes habere consueuerant. Donat.

Falsum est quod Donatus ait, non nisi sacerdotib9 vittas gestare licuisse. Licuit & aliis, quod ostendemus. Prius dicamus quid fuerit vitta. Vitta fuit fascia, qua circū caput crines religabantur. Capella. Vittæ sunt, quæ crinibus innectuntur, quibus fluentes religantur capilli: & vittę dictę, quod vinciunt. Vittati igitur erant sacerdotes, vittati vates, vittati etiam poetæ. Tacitus Añal. 1. Sacerdos apud aram Vbiorum creatus, ruperat vittas. Virgil. de Heleno lib. 3. *Exorat pacem diuûm, vittasq; resoluit Sacrati capitis.* Stat. de poetis, Epicedio in Glau-
B ciam. *Et nunc heu vittis, & frontis honore soluto Infaustus vates.* Erant autē vittæ cum vatum, tum sacerdotum vel oliuę, vel lauri ramo intextæ, vt à matronarum vittis distinguerentur scilicet. Virg. 3. Æneid.

Rex Anius rex idem hominum, Phœbiq; sacerdos,
Vittis, & sacra redimitus tempora lauro.

Erant præterea etiam deorum statuæ vittis insignitæ. Virg. 2. Æneid. de Palladio.

Corripuere sacram effigiem, manibusq; cruentis
Virgineas ausi diuæ contingere vittas.

Iuuenal. Sat. 5. *Pauca adeo Cereris vittas contingere digna.* Hinc, vt religione mouerēt supplices, etiam vittas præferebant. Virgil. lib. 8.

C *Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari,*
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Stat. lib. 12. Thebaid. *Ipsa manu ramosq; deæ, vittasq; precantis Tradit.* Tacitus Historiar. lib. 1. Cum haud ignari discriminis sui Viennenses, velamenta, & infulas præferentes: vbi infulas pro vittis posuit, quod alij quoque fecere. Vittis præterea ornabantur templorū fores. Stat. Li. 4. syl. *Pande fores superûm, vittataq; templa.* Et ipsæ aræ. Virgil. lib. 3. Æneid. *stant manibus aræ Cæruleis mœstæ vittis.* Etiam sacris operaturi. Dido ad nutricem lib. 4.

——tuq; ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Ioui Stygio, quæ ritè incepta paraui,
Perficere est animus.

D Immo ipsæ victimæ vittatæ. Sinon apud Virgil. libr. 2. *vittaq; deûm quas hostia gessi.* Ouid. 3. de Ponto, eleg. 3. de Oreste, & Pylade, Dianæ immolandis.

Sparsit aqua captos lustrali Graia sacerdos,
Ambiat vt fuluas infula longa comas.

Stat. Achilleid. lib. 2. *vittata genitrix placata iuuenca est.* Sueton. de eo, qui ꝓ salute Caligulæ se deuouerat. Cunctantem pueris tradidit verberatum, infulatumque. Postremò quidquid venerabile efficere volebant, vittis ornabant. Hinc vittatæ naues. Plin. Vittatam nauem Dionysius tyrannus Platoni misit obiam. Vittatæ faces nuptiales. Auctor Thebaid. *nec sua lætas faces vittarenixit.* Vittati postes ædiū, in quas noua nupta deducebatur. Lucanus nuptiarum festiuitatem describens, *Infu-*
E *laq; in geminos discurrit candida postes.* Moris etiam fuit, vt nubentes puellæ, simul ac peruenissent ad limen mariti, puta antequam ingrederentur, ornarent postes laneis vittis, & oleo vngerent: & inde vxores dictæ, quasi vnxores. Præmia vittata in ludis. Virgil. lib. 5. *Victori velatum auro, vittisq; iuuencum.* Vittatæ arbores Stat. lib. 2. Thebaid. *ab arbore casta Nectent purpureas niueo discrimine vittas.* Prudent. contra Symmachum. *Et quæ fumificas arbor vittata lucernas Sustineat.* Hunc tā multiplicem vsum vittarum collegit ad 5. lib. Statij diligentissimus Ioan. Bernartius.

LAPSVMQVE SVPERST. IMMOLAT) Pulchrè, *immolat*, tanquam victimam, vt ille consueuerat, non occidit, alludens ad officium sacerdotis. Et quia dixerat suprà,

 Totus

Totus collucens veste, atque insignibus armis, videbatur A inde trophæum bellorum deo sacrari commodè posse. Seresti duo intelligẽdi, vnus in castris, alius cum Ænea. Donatus, Seruius.

INGENTIQVE VMBRA TEGIT) magnitudine corporis sui obumbrat cadauer eius.

LECTA REFERT) delecta, ad trophæum Marti statuendum, vel detracta, exuta.

TIBI REX GRAD. TROPH.) De cognomine hoc Martis, Gradiuus, dictum lib. 3. Æneid. ad versum, *Gradiuumq; patrem Geticis qui præsidet aruis*. Vide etiam Gyrald. Syntag. 10. De trophæo dicetur lib. 11. principio.

Instaurant acies Vulcani stirpe creatus
Cæculus, & veniens Marsorum montibus Vmbro.
Dardanides contrà furit. Anxuris ense sinistram,
Et totum clypei ferro deiecerat orbem.
DIXERAT ILLE ALIQVID MAGNVM, VIMQVE AFFORE VERBO
CREDIDERAT, CÆLOQVE ANIMVM FORTASSE FEREBAT:
CANICIEMQVE SIBI, ET LONGOS PROMISERAT ANNOS.
Tarquitus exultans contrà fulgentibus armis,
Syluicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obuius ardenti sese obtulit, ille reducta
Loricam, clypeiq; ingens onus impedit hasta.
Tum caput orantis nequicquam, & multa parantis
Dicere, deturbat terræ, truncumq; repente
Prouoluens, super hæc inimico pectore fatur.
Istic nunc metuende iace. non te optima mater
Condet humi, patrioue onerabit membra sepulchro:
Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
Vnda feret, piscesq; impasti vulnera lambent.
Protinus Antheum, & Lycam, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemq; Numam, fuluumq; Camertem,
Magnanimo Volscente satum: ditissimus agri
Qui fuit Ausonidûm, & tacitis regnauit Amyclis.
Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenasq; manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusq; arsisse: Iouis cùm fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses:

INSTAVRANT ACIES) Κατὰ τὸ σιωπώμενον acies fusas A ante intelligimus, ex eo, quod dicit, instaurant, vel confusas potius, turbante AEnea, qui in multorum necem sæuiebat.

DIXERAT ILLE ALIQVID MAGNVM) Soluit Maro, Græcorum τὸ μεγαλληγορεῖν, vnde & magniloquentia μεγαλληγορία, & μεγαλήγορος. Fortasse legendum, *Dixerat ille aliquid magicum*, vt innuat poeta, amuletis quibusdam susurrisq; magicis, & superstitiosis consecrationibus sese aduersus vulnera, fatumq; veteres loricasse, & muniuisse, quo audentius pericula subirent. Non repugnat item diuinationi nostræ elementorum inter magnum, & magicum affinitas, & concordia, hæcque verborum in hoc contextu consequentia, *vimq; affore verbo*, B hoc est, carmini magico, *Crediderat*. Lege German.
* *Vetat magna loqui Theognis, quia quæ sors quemque maneat, incertum est in diem, immò in horam.*

Μή ποτε πῦρ ἀγορεῦσθαι ἔπος μέγα. οἶδε γὰρ οὐδεὶς
Ἀνθρώπων ὅτι νὺξ χ' ἡμέρη ἀνδρὶ τελεῖ.

Porrò istum Vmbronem expressit in Bogo quodam Silius, dum pugnã ad Thrasimenum describit lib. 5.

Occubuit Bogus, infaustum qui primus ad amnem
Ticini rapidam in Rutulos contorserat hastam.
Ille sibi longam Clotho, turbamque nepotum
Crediderat, vanis deceptus in alite signis.

CÆLOQVE ANIMVM FORTASSE FERES.) Allusum ad prouerbium, *Cælo digitum attingere*, de iis qui se venditant. Significat infestam fortasse fuisse Nemesin, aduersari solitam superbis, eiusdemq; insolentiam prouocasse deorum inuidiam, quæ ei exitij caussa fuerit, & pestis. Turneb. lib. 2. cap. 21.

CANICIEMQVE SIBI, ET LONG. PROMIS. ANNOS) Seneca.

Nemo tam diuos habuit fauentes.
Crastinum vt posset sibi polliceri.

nedum caniciem. *Et certam præsens vix habet hora fidẽ*, dixit Ouid. Cicero alicubi. Quis est enim, quamuis adolescẽs, cui exploratum sit, se ad vesperam esse victurum?

SYLVICOLÆ FAVNO DRYOPE) Faunum hoc loco rusticum quendam putat intelligi debere Seruius, non deum. Nonnulli etiam nympham, nõ deam volunt, sed græcè spõsam dictam: ne incredibile sit, ex duobus numinibus creatum esse mortalem. Quanquam hæc numina, secundum Aristotelem, aliquando moriantur. Etiam ex verbis infrà sequentibus apparet, Faunum hominem fuisse, *patrioue onerabit membra sepulchro*. * *Credibilius est, Faunum syluicolam hic nõ agrestem quempiam hominem sed deum accipiendum, & quod ait Seruius, incredibile videri,*

dem, ex duobus numinibus nasci mortalem, de maioribus, non de minoribus, istis diis forte intelligendum sit, quorum nonnulli moriuntur. & Seruius confitetur. Ita Faunus ex Fauno quamuis deo natus, patrium sepulchrum habere potest. At patrio sepulchro, *id est, sepultura in solo patrio, vt adiectiuum illud non à patre, sed à patria ducatur. Melius quod dicam, non habeo.*] Epitheton *syluicola* à Næuio, & Attio sumptum docet Macrob. Satur. lib. 6. cap. 5.

ILLE REDVCTA LORICAM) Turneb. sic explicat lib. 2. cap. 21. hasta Æneæ transuerberatum fuisse clypeum, & ita penetratam loricam, vt in ea hæreret. Ita lorica, & clypeus impediebatur. Quod autem *reducta* ait, id nimirum facit, quia lacertos retro ducūt hastam mittere parantes.

ISTIC NVNC METVENDE IACE) Σαρκασμὸς, id est, hostilis irrisio, qualis apud Homerum Iliad. φ. vnde hic totus Virgilij locus manauit. Insultat autem Achilles Lycaoni iam perempto.

Ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ' ἰχθύσιν, οἵ σ' ὠτειλῆς
Αἷμ' ἀπολιχμήσονται ἀκηδέες, οὐδέ σε μήτηρ
Ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται, ἀλλὰ Σκάμανδρος
Οἴσει δινήεις, εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον.
Θρώσκων τις κατὰ κῦμα μέλαιναν φρῖχ' ὑπαΐξει
Ἰχθὺς, ὅς κε φάγῃσι, Λυκάονος ἀργέτα δημόν.

Et Iliad. λ.

Ἆ δεῖλ', οὐ μέν σοί γε πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ
Ὄσσε καθαιρήσουσι θανόντι περ, ἀλλ' οἰωνοὶ
Ὠμησταὶ ἐρύουσι περὶ πτερὰ πυκνὰ βαλόντες.

German. Vrsin.

ALITIBVS LINQVERE FERIS) Quod de alitibus dicit, est crebra comminatio apud Homerum, & reuocat mihi in mentem respōsum Diogenis, interrogati, vbinam vellet sepeliri. Retuli 2. Æneid. ad illum, *facilis iactura sepulchri*. Præsertim ad vultures pertinet, qui multis antè diebus, vbi strages futurę sint, dicūtur præsentire. Vide Pierium lib. 18. Lectum est etiam à me, aliquando exercitum gradiētem comitatos, spe epularum videlicet, quas se adepturos è militū cadentium cadaueribus prę sagirent.

IMPASTI VVLN. LAMB.) Impasti, inquit Seruius, ita auidi, vt semper credantur impasti: sicut de Harpyiis dixit in tertio, *Et pallida semper Ora fame*.

ANTH. ET LYCAM PRIM. AG.) Non erant Antheus, & Lycas prima agmina Turni: sed hos, & qui deinceps

A nominantur, adeoq; primum Turni agmen persequebatur Æneas, vt neminem prope viuum relinqueret. Hanc esse poetæ mentem arbitror.

DITISS. AGRI QVI FVIT AVSONID.) 1. Æneid. de Sichæo, *ditissimus agri Phœnicum*. Lib. 7. de Galeso, *Ausoniisq; olim ditissimus aruis*.

TACITIS REGN. AMYCL.) Inter Caietam, & Tarracinam oppidum est, constitutum à Laconibus, qui comites Castoras, & Pollucis fuerunt, & ab Amyclis prouinciæ Laconiæ ciuitate est ei nomen inditum. Quum frequenter falsò nunciarētur hostes, & inani terrore ciuitas quassaretur, lata lege cautum est, ne quis vnquam hostis nuntiaret aduentum. Postea quum verè hostis

B veniret, nullo nuntiante, ex improuisò capta est. Vnde tacitæ Amyclæ dictæ sunt, quòd periere silētio. Hinc est quod ait Lucilius, Mihi necesse est loqui: nam scio Amyclas tacendo periisse. Seruius. Vide adagium, *Amyclas perdidit silentium*.

ÆGÆON QVAL. CENT. CVI BRACHIA DICVNT) *De istis centum brachiis siue manibus Briarei, siue Ægæonis Claudian. quoque meminit de raptu Proserp. lib. 3.* nostros an fortè penates Appetiit centum Briareia turba lacertis. *pluribus gigantibus tot manus tribuit, vt vides.*] Morem suum etiam hoc loco poeta seruauit, vt eius, quod incredibile fuerat, & fabulosum, non se proferret auctorem. Ægæon poetis ἑκατόγχειρος, & ἑκατοντάχειρ, de quo Homerus Iliad. α. vbi & Briareum appellari à diis affirmat, vt sit binominis,

C & Ioui tulisse ait auxilium.

Ἀλλὰ σὺ τόν γ' ἐλθοῦσα θεὰ, ὑπελύσαο δεσμῶν,
Ὦχ' ἑκατόγχειρον καλέσασ' ἐς μακρὸν Ὄλυμπον,
Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίων'. ὁ γὰρ αὖτε βίην οὗ πατρὸς ἀμείνων.

Hic Hesiodo οὐρανοῦ καὶ γῆς, aliis γῆς καὶ πόντου filius: pro eodem Typhoëa, & Typhouem videntur poetæ vsurpare, &c. German.

Ægæoni seu Briareo, cui poetæ, vt & Gygi, & Homer. soli centum manus quare tribuerunt? Interpretes Hesiodi per Briareum vernum tempus dici tradunt, ob herbarum, frondium, & florum copiam, quam affluenter adeo sumministrat. Per Gygen verò hyemi, ob ea mul-

D ta, quæ iam dudum collecta, congestaque in varios vsus distribuit, & negotiis quæque suis accommodat. Quòd sol centimanus, multa & innumerabilia eius officia, quæ apertissima sunt, significet. Pierius lib. 35. in Manu.

Sic toto Æneas desæuit in æquore victor,
Vt semel intepuit mucro. quin ecce Niphei
Quadriiuges in equos, aduersaq; pectora tendit:
Atque illi longè gradientem, & dira frementem
Vt videre, metu versi, retroq; ruentes,
Effunduntq; ducem, rapiuntq; ad littora currus.
Interea biiugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterq; Liger: sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto feruore furentes:
Irruit, aduersaq; ingens apparuit hasta.
Cui Liger.
Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis, & æui
His dabitur terris. Vesano talia latè
Dicta volant Ligeri: SED NON ET TROIVS HEROS

DICTA PARAT CONTRA: IACVLVM NAM TORQVET IN HOSTEM.
Lucagus, vt pronus pendens in verbera telo
Admonuit biiugos, proiecto dum pede læuo
Aptat se pugnæ, subit oras hasta per imas
Fulgentis clypei: tum leuum perforat inguen.
Excussus curru moribundus voluitur aruis.
Quem pius Æneas dictis affatur amaris.
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertêre ex hostibus vmbræ.
Ipse rotis saliens iuga deseris. Hæc ita fatus,
Arrripuit biiugos. frater tendebat inermes
Infælix palmas, curru delapsus eodem.
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Troiane, sine hanc animam, & miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas, Haud talia dudum
Dicta dabas, morere, & FRATREM NE DESERE FRATER.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ, vel turbinis atri
More furens. tandem erumpunt, & castra relinquunt
Ascanius puer, & nequicquam obsessa iuuentus.

ÆNEAS DESÆVIT) Valde sæuit, præpositio enim auget. Huius ordinis sunt decertare, deperire, desperatus, deuitare, & alia quam plurima. Habet & notionem minuendi τὸ *de*, in his, deplere, detumere, desaltare, deuirginare, deludere, pro à ludo desinere, depannis, pro, sine pannis. Vide Ioan. Bernart. in Achill. Statij pag. 135.

VT SEMEL INTEPVIT MVCRO) Gladius sanguine cõcalefactus, non exiguũ occisorum numerũ arguit. Non abhorret ab elocutione ista, ꝙ in quadam Philippica Ciceronis legitur. Imbuti sãguine gladij exercituũ nostrorum, vel madefacti potius. Mucronem, aiunt Grammatici propriè dici ensis, aut teli acumen, seu cuspidem. Apud Plinium est legere, herbarum mucrones. Translatè mucro est vis, & id in quo præcipua spes est. Cic. ꝓ Cæcina. Peractum hoc tibi videtur, hic est mucro defensionis tuæ. ✻

QVADRIIVGES IN EQVOS) propter ὁμοιοτέλευτον noluit dicere *quadriiugos*, contulitq; se ad aliam declinationem: nam & quadriiugos, & quadriiuges dicimus: sicut inermes, & inermos, exanimes, & exanimos. Seru.

LONGE GRAD. ET DIRA FREMEN. VT VID. METV VERSI) *Longè gradientem* exponitur à Seruio, longis gradibus incedẽtem: & est militaris incessus. Valde virtus Æneæ commendatur ex eo, quod etiam ratione carentes animantes eum ferre non potuerunt: sed eius aspectu, & incessu conterriti retro fugerunt, excusseruntq; dominum, in quem ille ibat. quem etiam occisum par est intelligere, licet separatim de eo nihil dicat poeta.

INTEREA BIIVGIS) *Interea* significat ad alia transitum, vt continuatio interrupta narrantis, legentis tædiũ releuet, remoueatq; ex varietate fastidium: & alia similiter propter hanc caussam inuenta sunt, vt velut quandã nouitatem narrationis inducant. Biiugis albis, inquit, Lucagus, & eius frater Liger vno curru vecti sese intulerunt, hoc est, ingesserunt se Æneæ. Exposuit autem ipse, quid officij singuli gererẽt in curru cõstituti. Liger, inquit, regebat equos, Lucagus autem pugnabat. Quos

A AEneas tanta fiducia, & furore venientes pati non potuit. Donatus.

NON DIOMED. EQ. NON CVR. CERN. ACHIL.) Elegit eorum nomina, qui inter Græcos præcipui fuerant: & hæc non pro merito suo, sed iniuriosè, vt illos, & AEneam obtrectatione perfunderet, quasi ipse cum equis suis esset omnibus potior. Non isti, inquit, Diomedis equi sunt, aut Achillis, quos euadere potuisti, nec in Phrygiis campis constitutus es: & hoc pro conuitio positum, quasi in quibus nascerentur imbelles. Ecce & terrarum fecit comparationem, quasi ipsæ proferant fortes, ipsæ debiles faciãt. Et melius, inquit, factum est, vt nobis occurreres, vt salus tua simul cum ipso bello terminum sumat. Donatus. * *Apud Statium libr. 12. Creon* Iam lethale furens, atque audax morte futura, *sic Theseum compellat.*

Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus. hic cruda virorum
Prælia, nos magnum qui Tydea, &c.

VESAN. TAL. LATE DICT. VOL. LIG.) Huiusmodi verba Liger fundebat vesana mente, vtpote qui iam fatis vltimis trahebatur in mortem. Æneas non dicta, sed iaculum contrà parauit: nec voluit referre conuitia, quę animum lacerare, nõ vitæ discrimen inferre potuissent: sed hastam iecit, qua ipsum hominem cum suis verbis extingueret. Compleuit sapientis bellatoris laudẽ, qui illo tempore, atq; illo loco non ventosis verbis, sed ferro debuit, & neci hostium operam dare. Lucagus, qui pugnandi tenebat officium, dum equos admonere nititur telo, & concitare in AEneam, dumque se ad certamen habitu specioso componit, & vnum pedem reducit, alterum porrigit, leuo inguine sub imas clypei partes ictum hastæ euntis excepit. Iacuit igitur moribũdus in campo, qui superbus ferebatur in curru. Donat. Adde. Quomodo hic dictum, Ligeri volare dicta, sic lib. sequenti Turnus Dranci, *sed non replenda est curia verbis, Quæ tutò tibi magna volant.*

SED NON ET TROI. HEROS DICTA PARAT CON.) Liger pugnabat lingua, AEneas iaculo: & ille verbis, hic armis

rem

rem gerebat. Non igitur dictis aduersum dicta, sed mortifero telo certabat, & docebat miserum, facta verbis esse potiora.

TELO ADMONVIT BIIVGOS) Quemadmodum Virgilius telo admonere dixit, sic Sueton. in Caligul. cap. 20. ferulis obiurgari, & in Othone, cap. 1. flagris obiurgari, Columella, admonere flagello. Fustium admonitio Callistrat. libr. 7. de pœnis. Torrent. in Sueton.

PROIECTO DVM PED. LAEVO APTAT. SE PVG.) *Proiecto*, id est, protento, extento. Pes læuus ante porrectus, aggressionis indicium est, quo ita firmato, gestum aiunt ad inuadendum aptum, quod dexteri pedis agilitas ictum, quoquo versum quis incubuerit, iuuet. Sinister enim sua quadam peculiari tarditate totius est veluti corporis firmamẽtum, & quasi cẽtrũ, circa q͂ alterius pedis alacritas, & prõptitudo versetur, exerceaturque, & quasi rotæ curuatura axi per radios innixa circũagatur, parti vnicuique laboranti opem allatura. Militaris præterea disciplinæ magistri commonent, si missilibus agatur, sinistros pedes ante haberi à peditibus, ita enim vibrandis spiculis vehementiorem esse ictum. At si res, inquiunt, agatur gladio, dexter pes proferendus, vt propinquior dextra sit ad vulnus inferendum. Pierius. lib. 35.

LAEVVM PERFORAT. INGVEN.) Vide quę diximus ex Plin. 3. Æn. ad illa *Et nunc æquali tecũ pubesceret æuo.*

DICTIS AFFATVR AMAR.) Vtitur amaris verbis, egressus pietatis suæ modestiam, quum iniuriosis verbis esset ꝓuocatus. Petiuit illum prius, quẽ videbat armatũ. Cuius mortẽ facilè sequebatur interitus alterius, qui nõ arma, quib⁹ fideret, sed habenas tenebat equorũ. Insultanti animo loquitur cum moribundo. Nihil est quod equos peccasse causeris: illi nõ erant segnes, nec eos aliqua fefellit imaginatio (hoc est dicere, nihil te prodidit, nisi inertia tua) cũ tua voluntate (apertus est sarcasmus) à curru desilieris. Donatus. At Seruius in hunc modũ, plenius aliquãtò. Obiecisti mihi, quod sim & à Diomede, & ab Achille cõuersus in fugam: te verò nec equorum tarditas prodidit (quod mihi contigit) nec aliqua vmbra equi tui sunt territi.

ARRIPVIT BIIVGOS) aliter inermem, aliter petijt armatum. Vbi enim Lucagus fuit, eminus hasta pugnatũ est: quum antè Liger nudatus esset fratris auxilio, ipsos equos Æneas tenuit, quibus fugiẽdo ille posset euadere. Cum videret ergo Liger, nihil iam superesse, nisi vt ipse quoq; pro conuitijs pœnas daret, sese ad preces miser conuertit, & laudare cœpit, quem paulò ante contempserat. Donatus.

PER TE, PER QVI TE TAL. GEN. PARENT) Conuitia necessitas in obsequiũ vertit: & laudare cœpit eũ, cuius paulò ante vituperatio dicebatur. Donatus. Adde, Æn. 1. *qui tanti talem genuere parentes?*

HAVD TALIA DVD. DICTA DAB.) Cum grauissimè iratus Æneas, non videretur paucis posse flecti ad misericordiam, orabat pluribus Liger. Sed Æneas non se patiens multiloquio detineri hominis, cui non erat parsurus, respondet paucis. Non ita te paulò ante gessisti, vt vitam à me impetrare dignus sis. Moriendum tibi est, vt cuius fuisti aduersum me socius, eum quoque mortuum ne relinquas. His dictis commotionem suã omnem in ictu, quo Ligerem perdidit, expressit, aperiendo ingenti plaga pectus eius, in quo anima latere solet, & quo patefacto erumpit. Donatus.

PECTVS MVCRONE RECLVDIT) Pectus gladio transfigit. Sic locutus est etiam Horatius, Ode 17. Epod.

Volo modò altis desilire turribus:
Modo ense pectus Norico recludere.

DVCTOR DARD.) Signatè ait *ductor Dardaniæ.* Magnũ enim Dardanij pugnacitatis decus sibi antiquitus vsurpauere. Hinc honoratum semper apud Platonem Dardaniæ nomen, cum secus Phryges ferè semper velut imbelles notarentur. Factum itaque est, ait Pollux, vti monetam gallinaceorum conflictu signarent. Pierius. lib. 24.

TAND. ERVMP. ET CAST. RELINQ.) Ecce, quantum valuit Æneæ præsentia, quantam obsessis fiduciam dedit illius aduentus? Tutiores se iam arbitrantur in aperto campo futuros, quàm si parietibus, & vallo teneantur. Donatus. Facta igitur è castris eruptione suas cum Ænea copias coniungunt.

Ponam hic legem quandam militarem, de eruptione præscriptam ducibus à Vegetio, libr. 3. cap. 11. Præterea obseruandum est, præsentibus hostibus, siue ex castris, siue ex ciuitate producas ad prælium, ne, dum per angusta portarum particulatim procedit exercitus, à collectis, & præparatis debilitetur inimicis. Ideoque prouidendum est, vt ante, omnes milites egrediantur portas, & aciem construant, antequã hostes aduenia\[nt\]

Iunonem interea compellat Iuppiter vltro.
O germana mihi, atq; eadem gratissima coniux,
Vt rebare, Venus (NEC TE SENTENTIA FALLIT)
Troianas sustentat opes: non viuida bello
Dextra viris, animusq; ferox, patiensq; pericli.
Cui Iuno summissa. Quid, ô pulcherrime coniux,
Sollicitas ægram, & tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamq; esse decebat,
Vis in amore foret, non hæc mihi namq; negares
Omnipotens: quin & pugnæ subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem seruare parenti.
Nunc pereat, Teucrisq; pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen:
Pilumnusq; illi quartus pater, & tua, larga
Sæpe manu, multisq; onerauit limina donis.
Cui rex ætherij breuiter sic fatur olympi.

Si mora præsentis lethi, tempusq́; caduco
Oratur iuueni, meq́; hoc ita ponere sentis,
Tolle fuga Turnum, atq; instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat: sin altior istis
Sub precibus venia vlla latet, totumq́; moueri,
Mutariúe putas bellum, spes pascis inanes.
Cui Iuno illacrymans. Quid si, quod voce grauaris,
Mente dares? atq; hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem grauis exitus: aut ego veri
Vana feror: quod vt ô potius formidine falsa
Ludar: & in melius tua, qui potes, orsa reflectas.

O GERM. MIHI ATQVE EAD. GRATISS. CON.) Duobus vocabulis ex mero affectu venientibus compellandam Iunonem credidit Iupiter, scilicet quod soror, & vxor esset. Quid enim his charius, quam iungi connubio, & ratione sanguinis sociari? Quæ sequuntur, *κατ' εἰρωνείαν* dicta sunt, non simpliciter: quasi dicat Iuppiter, per se nihil posse Troianos, sed totum esse in auxilio Veneris. Contrarium potius dicit. Itaque Iunonis oratio mox ad ironiam, non ad simplicia verba respondet. Donatus, Seruius. * *Quodq; homines cum sororibus matrimonia coniunxerint, omnis notitia liberalis curiosissimus Tiraquellus docuit, in 7. legum Connub. num. 35.*

TROIANAS OSTENTAT OPES) Hoc nomine *opes* multo plus, quam diuitiarum vocabulo significari norunt omnes, qui latinè sciunt. Cic. Epistol. lib. 1. contra tantas opes pugnandum non arbitrarer; neque delendum, etiamsi id fieri posset, summorũ ciuium principatum. Idem contra Rullum. totam Italiam suis opibus obsident. Eiusdem sunt, alicuius opes frangere, euertere. Virgil. Æneid. 2. *Troianas vt opes, & lamentabile regnum Eruerint Danai.* Et Pentadius in epitaphio Hectoris, *Qui sæpe Argolicas debilitauit opes.*

CVI IVNO SVMMISSA) Idcirco summissa, quia humilem decet esse vnumquemque, vbi petendi beneficij necessitas adest. summissa non corpore, sed mente, ac voce, immo etiam verbis. Fingit autem, idque artificiosè, se Iouem magis timere maritum, quam fratrem. *Tristia dicta*, seuera, imperiosa. Meminerat enim, vt in libro nono positum est, Irim ab ipso ad se missam, cum mandatis haud mollibus, vt fauorem Rutulorum desereret. Eò autem se impetraturam magis credebat, si ostenderet auxilia sua, prohibentibus mariti iussionibus quieuisse. Etiamsi porrò Solon vim vehementissimam à voluptate afferri, & coacta iudicarit, quæ per amoris illecebras extorquentur: hìc tamen vim *φιλότητα* accipio, & *δύναμιν ἐρωτικὴν, οὐ βίαν*, poetam ratus prima omina, temporaque conflati inter Iouem, & Iunonem amoris respicere, cum deformatus in auem, sorori obrepsisse dictus est. Et verbum, *Omnipotens* hìc ad nominandi casum refero, non vocandi, hoc est, *παντοδύναμος ὤν*, vt loco intelligamus poetam insistere rhetorico *ἀπὸ κοινοῦ*, vt suprà, *Aeole, namq; tibi diuûm pater, atq; hominũ Rex Et mulcere dedit*, &c. Et alibi, *Nate mea vires, mea magna potentia solus.* Et 7. *Tu potes vnanimes armare in prælia fratres.* Inuidiose quod subditur. *Nunc pereat*, &c. Ironica concessio eius, quod minus vult fieri. Non enim hoc agit, vt pereat. Si putas iustum, inquit, pereat innocens, & consequantur scelerati victoriam. Et ne indignio postulare videatur beneficium, nonnulla ad eius commendationem præterea congerit. Diuina est origine. *Cui Pilumnus auus, cui diua Venilia mater.* Quod

A autem hìc Pilumnus quartus pater, id est, abauus dicitur (abauus enim proaui pater) potuit fieri, vt idem vterque nomen haberet. Sed quia genus, & proaui nõ sunt vocanda nostra, addit & propria eius merita, dicẽs illum religiosè sacrificijs, & muneribus Iouem coluisse, vt eum gratiæ referendæ admoneat. Donatus, Seruius, German.

CVI REX ÆTH. BREV. SIC FATVR OLYMPI) Propter moram, quæ gerendis rebus fieri non debuit, breuem orationem inducit, seu propter maiestatem loquentis potius. Ex Iouis autem concessione, quali arte egerit Iuno, cognoscitur: scilicet vt Turnus posset euadere. Ne igitur totum videatur negasse poscen-
B ti, concedit, quod fatorum cursum remorari non posset. Patiar, inquit, vt illum interim ingruenti iam subtrahas morti, quem caducum esse, breuique moriturũ, manifestum est: hoc enim illæsa fatorum lege præstari potest. [*Et sic 7. Æneid. docet Iuno differri quidem ad tempus fata posse, mutari non posse.*

Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atq; immota manet fatis Lauinia coniux,
At trahere, atq; moras tantis licet addere rebus.]

Si plus aliquid speras, ac sub precibus tuis latet aliud, quod concedi non possit: & putas aut poni bellum posse, aut mutari pactionibus, vana duceris spe, quia fieri necesse est, quod fatis definientibus cautum est. Ecce bonus largitor beneficij & moras ꝓmisit, & quemad-
C modũ procurari possent, possibili consiliorum remedio demonstrauit, vt fuga subtraheret aliquantum, quẽ ingruentis lethi premebat acerbitas. *Si mora præsentis*, &c. Sic Homerus Iliad. π. inducit Iouem cum Iunone consultantem de proferendis Sarpedoni fatis, ei impendente iam Parca. *Ponere* pro statuere, facere. Sic Lucilius Homerũ secutus, qui ait, *ἄλγε' ἔθηκεν*, id est, dolores fecit. *Veniam* hic Seruius beneficiũ interpretatur, speratum à Iunone, vt suprà haud dubiè venia pro beneficio, & gratia accipitur 4. Æneid. *Extremam hanc oro veniam, miserere sororis*, &c. *Spes pascis inanes*, Simili translatione vsus est Eubulus hoc versu apud Athenæum lib. 2. *κλέπτοντας ἄφρας, ἐλπίδας στρέφοντα*. Sophocles
D in Aiace, *ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται*. Donatus, Seruius. German. Vrsin.

HACT. INDVL. VACAT) vndiq; iam in mortem truditur, hoc tantum vacat spatium.

SIN ALT. ISTIS SVB PRECIB. VENIA) Venia, veniæ impetratio, & est sensus. Sin preces istæ tendunt ad impetrandam aliam veniam, id est, vt aliud indulgeam.

SPES PASCIS INANES) Cum id boni, quod aliqui sibi promiserint, repente euanuit, elapsumq́; ipsis est è manibus, M. Cicero. spes illas fallaces vocare solet, atq;

atque inanes, vt in peroratione pro Milone. O spes fallaces, ô cogitationes inanes nostras. Aeschylus verò in Agamemnone, vbi inducit præconem, qui missus erat, vt Clytemnęstræ nuntiaret, captum esse Ilium, aduentareque Agamemnonem, salutare Argos, sedesq; illas omnes, facit illum dicere, se tandem, cum prius spes ipsius fractæ forét, vnam nactum. Loquitur igitur de spe, quæ sine corpore est, tanquam de re solida: hæ namq; propriè franguntur, & dissipantur. Propter similitudinem tamen res quoque aliæ vacuæ à corpore frangi dicuntur. Cicer. procœmio libr. 3. de Orat. O inanes nostrás contentiones, quæ in medio cursu sæpe franguntur. Verba Tragici sunt, *πολλῶν ῥαγεισῶν ἐλπίδων μιᾶς τυχών*. Victor. lib. 31. cap. 9. * *Non tam spes pascunt ipsi homines, quam à spebus pascuntur. Nisi explicemus* spem pascere, *spem facere, vt in 4. Æneid.* famamq; fouemus inanem, *Sophocles in Aiace flagellifero dixit κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται fallacibus seu inanibus spebus incenditur. Æschines, ἐλπίδων κενῶν ἐμπλήσας, id est, postquam illum inani spe impleßet.*

QVOD VOCE GRAVARIS) Pari forma Sueton. in Aug. Ampla, & operosa prætoria grauabatur. Idem in Tiberio cap. 50. Matrem Liuiam grauatus, velut partes sibi æquas potentiæ vindicantem. Horat. Ode 11. lib. 4. *Pegasus terrenum equitem grauatus Bellerophontem.* Vox Iouis fatum est, siquidem fatum à fando. Statius, *& vocem fata sequuntur*, &c.

Hoc dicit. Vtinam quæ negas voce, mente præstares: nam si Iouis voluntas fatum est, potest aliud volendo, fati ordinem commutare. *Grauaris* autem, negas, grauiter fers: & hac locutione non nisi per accusatiuum vtimur: vt si dicas, aggrauor aduentum tuum, id est, grauiter fero: grauor præsentiam. Seruius.

VERI VANA FEROR) Id est, sum veritatis ignara.

QVOD VT O POTIVS) Quod vtinam ita sit, vt ego potius inani formidine angar, & tu sententiam tuam mutes, & in melius referas.

IN MELIVS ORSA REFLECT.) Orsa in melius reflectere est, quod ipse Iupiter lib. 1. promisit de Iunone, *Consilia in melius referet.*

Hæc vbi dicta dedit, cælo se protinus alto
Misit, agens hyemem, nimbo succincta, per auras:
Iliacamq; aciem, & Laurentia castra petiuit.
Tum dea nube caua tenuem sine viribus vmbram,
In faciem Æneæ (VISV MIRABILE MONSTRVM)
Dardanijs ornat telis, clypeumq;, iubasq;
Diuini assimulat capitis: dat inania verba,
Dat sine mente sonum, gressusq; effingit euntis.
Morte obita quales fama est volitare figuras:
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas læta ante acies exultat imago,
Irritatq; virum telis, & voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemq; eminus hastam
Conijcit: illa dato vertit vestigia tergo.
Tum vero Ænean auersum vt cedere Turnus
Credidit, atq; animo spem turbidus hausit inanem,
Quò fugis Ænea? thalamos ne desere pactos:
Hac dabitur dextra tellus quæsita per vndas.
Talia vociferans sequitur, strictumq; coruscat
Mucronem: NEC FERRE VIDET SVA GAVDIA VENTOS.

NIMBO SVCCINCTA) Nimbo succinctam intellige nubibus ambitam, quia præmisit, *agens hyemem*: quod nisi esset, splendorem acciperemus, qui est circa corpus deorum.

TVM DEA NVBE CAVA) *εἰδωλοποιΐα* hæc ad decorum pertinet, vt Turnus terrore potius ex pugna auferri, quam sponte sua fugere videatur.

IVBASQVE) iubas, propter equinam caudam, quæ esse solebat in galeis: vt, *cristaq; hirsutus equina.* Deinde ex persona poetæ dictum est quod sequitur, *diuini capitis*, intuentis, inquam, futura: nam post mortem in numerum referetur deorum.

INANIA VERBA) nec à mente venientia. Hactenus ex Seruio.

Locum hunc accepit Maro ex 5. Iliad. vbi idẽ facit Apollo.

Αὐτὰρ ὁ εἴδωλον τεῦξ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
Αὐτῷ τ' Αἰνείᾳ ἴκελον, καὶ τεύχεσι τοῖον.
Ἀμφὶ δ' ἄρ εἰδώλῳ Τρῶες, καὶ δῖοι ἀχαιοὶ
Δῄουν ἀλλήλων ἀμφὶ στήθεσσι βοείας.

Illud à Lucretio, *Morte obita*, &c. Ille enim lib. 4.

——— ne fortè animas Acheronte reamur
Effugere, aut vmbras inter viuos volitare.

Et lib. 1. *Morte obita quorum tellus amplectitur ossa.* Ibi, *Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus*, physicè locutus videtur poeta, cum vigiliæ sit sensuum vsus. Vide Arist. de somno & vigilia, & Plutarch. in placit. philosoph. an somnus, & insomnia sint animi, & sensuum. Germ. Vrsin.

Expendit hunc locum Scaliger in Critico *Morte obita* &c. ac Virgilium laudat, quod rem controuersam penes auctorum fidem statuat. Quippe de idolis anima, atq; vita functorum, *Fama*, inquit, *est*, & signatè *figuras*, quippe sine corpore, Et *volitare*, non enim mole

mole consistunt. Par eruditio è somnijs: sunt enim species sine materia, à materiatis fluentes speciebus. Nec sine maxima scientia dixit, sopitos sensus eludi: nó enim eluduntur non sopiti. In sequentibus autem versibus, *At primas læta ante acies*, &c. non pictam rem, aut mortuam poësin videas, sed rem ipsam, vt ita dicam, vegetá, atq; viuam.

PRIM. LÆTA ANTE ACIES EXVLT. IMAGO) Ideo hac arte agit Iuno, & imagine decipit Turnum, quia si ex aperto fugá suaderet, more viri fortis ille fugæ præponeret morté cú præsertim ipse in sequétib. dicat, *Vsq; adeóne mori miserum est*: Ideo auté læta, ideo exultans imago, vt prouocaret in iracundiá Turnum, q magis facit telis, & voce. Tot modis prouocatus Turnus sumit audaciá, hastá iacit. Sed vmbra mox in fugam versa est, nempe vt se insectanté paulatim ab exercitu ad nauim perduceret. Seruius, Donatus.

IRRITATQVE VIRVM TELIS) Irritare dictum est propriè prouocare, tractum à canibus, qui cum prouocantur, irriunt. Lucil. Satyr. lib. 1. *Irritata canes quod homo quam, planiu' dicit*. Sallust. Historiar. lib 1. Tunc verò & pasci, cum cæteri eiusdem caussa, & ducem senatus rati, maximo gaudio bellum irritare. Plaut. Amphit. *Irritabis crabrones*. Varro Sesquiulysse. Omnes irritares ventos, omnesq; procellas. Hæc Nonius.

AVERSVM VT CED. TVRNVS CRED.) Vanus error fuit in sensibus Turni, vt ipsum Æneam terga dedisse crederet. Quare vana spe ductus, in vocem superbam erupit. Expecta, inquit, vt seruata pactorum fide, optatam ducas vxorem. Ego tibi mea dextera (vides sarcasmum?) dabo terram, quam diu quæsiuisti per maria. Sic alibi ipse, simili figura sermonis. *En agros, & quam* A *bello Troiane petisti, Hesperiam metire iacens*. Donatus, Seruius.

NEC FERRE VID. S. GAVD. VENTOS) Nec animaduertit, vanum esse suum gaudium. Prouerbiali schemate vsurpari solet, ventis tradere, pro eo, quod est, obliuisci, atque ex animo eijcere. Nam quæ ventus rapit, nostram custodiam euadunt, & nobis quodammodo amplius cordi non sunt. Hoc eodem prouerbio vtitur poeta lib. 9. *sed auræ Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant*. lib. 11.

Audijt, & voti Phœbus succedere partem
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.

Catullus ad Alphenum, quem perfidiæ accusat,

B *Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaq;*
Ventos irrita ferre ad nebulas aërias sinis.

Anacreon.

Ὅτ' ἐγὼ πίω τὸν οἶνον	*Vbi dulce poto vinum,*
Ἀπορρίπτονται μέριμναι	*Subitò molesta cura, &*
Πολυφροντίδες δὲ βουλαὶ	*Operosa consilij vis*
Ἐς ἁλικτύπους ἀήτας	*Rapidas eunt in auras.*

Theognis.

Τῶν ἀγαθῶν ἴδ' ἡ μὲν ἀπόκρισις, ἐσθλὰ δὲ ἔργα·
Τῶν δὲ κακῶν ἄνεμοι δειλὰ φέρουσιν ἔπη.

Bonorum bona est responsio, & bona opera: malorũ autem venti misera ferunt verba. Titius libr. 9. cap. 1. Adiunge ex Indice Erythræi hæc testimonia Virgil. lib. 11. *inque Notos vocem vertere procellæ*. Catull. de nupt. C *Quæ cuncta aërei discerpunt irrita venti* Ibid. *Irrita ventosæ linquens promissa procellæ*. Penelope Ouidiana. *Fallor: & hoc crimen tenues vanescat in auras*. Et Dido apud eundem. *Atq; ijdem venti vela, fidemq; ferent*. * *Huius ce ordinis sunt etiam*, ventis loqui, *Lucret. lib. 4.* tu fac ne ventis verba profundam. *Item*, verberare aërem, *&c.*

Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, & ponte parato,
Qua rex Clusinis aduectus Osinius oris.
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conijcit in latebras. nec Turnus segnior instat,
Exuperatq; moras, & pontes transilit altos.
Vix proram attigerat, rumpit Saturnia funem,
Auulsamq; rapit reuoluta per æquora nauem.
Illum autem Æneas absentem in prælia poscit:
Obuia multa virûm demittit corpora morti.
Tunc leuis haud vltra latebras iam quærit imago,
Sed sublimè volans nubi se immiscuit atræ:
Cum Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusq; salutis:
ET DVPLICES CVM VOCE MANVS AD SIDERA TENDIT:
OMNIPOTENS GENITOR, TANTON' ME CRIMINE DIGNVM
DVXISTI? ET TALES VOLVISTI EXPENDERE POENAS?
Quò feror? vnde abij? quæ me fuga? quemúe reducet?
Laurentisné iterum muros, aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me, meaq; arma secuti?
Quosq; (nefas) omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumq; cadentum
Accipio. quid agam? aut quæ iam satis ima dehiscat
Terra mihi? vos ô potius miserescite venti:

In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, sæuisq; vadis immittite syrtes:
Quò neque me Rutuli, neque conscia fama sequatur.
HÆC MEMORANS, ANIMO NVNC HVC, NVNC FLVCTVAT ILLVC,
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, & crudum per costas exigat ensem:
Fluctibus an iaciat mediis, & littora nando
Curua petat, Teucrûmq; iterum se reddat in arma.
Ter conatus vtramque viam: ter maxima Iuno
Continuit, iuuenemq; animo miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuq;, æstuq; secundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad vrbem.

FORTE RATIS CELSI) Ostenditur occasio percommoda ad Turnum auehendum. A

CREPIDINE SAXI) Crepidine pro crepidini, vt suprà, *haret pede pes*, pro pedi. Crepidinem ex Lexico vetusto interpretatur Turneb. riparum summitatem, & gradum saxeum.

RVMPIT SAT. FVNEM) Quod dixit rumpit, nõ soluit, & auulsam, id est, non simpliciter separatam à saxo, ostendit magnam interuenisse necessitatẽ. Adhibenda quippe facto fuerat vis, quo citius fieret, quod fuerat necessarium, antequam Turnus aduerteret, & deprehenso dolo ad bellum rediret. Vbicunque autem poeta posuit *rumpere*, maiorem ostendit necessitatem. Locos congerit Donatus.

B

ÆNEAS ABSENT. IN PRÆLIA POS.) Verus Æneas absentem Turnum quærebat, & petebat in prælia: quicunque verò illi fieret obuius, eum morti tradebat. Leuis autem vmbra, quippe quæ ex nube constabat, completo eo, q̃ fuerat necessarium, vlterius latebras non quæsiuit: sed se nubibus miscuit, & eò, vnde venerat, remeauit. Interea vis venti Turnum per pelagus trahebat: qui artis, qua euaserat, ignarus, & pro aduerso existimans, quod pro ipsius salute fuerat gestum, tetendit manus ad sidera, & hæc gemebundus effudit: quo in facto potuisset ingrati crimẽ incurrere, nisi gesta nesciret. Don.

DIMITTIT CORPORA MORTI) De Palamede lib. 2. *quẽ falsa sub proditione Pelasgi Demisere neci*. Ibid. *multos Danaûm demittimus orco*.

C

INGRAT. SALVTIS) ἀχάριστος τῆς σωτηρίας.

OMNIPOT. GENIT.) Duplex antonomasia pro vno proprio, vt, Tritonia Pallas. Incipit deinde enumerare omnia, quæ illum cruciabant. Quod affirmat se palantes videre, & gemitus cadentum audire, moralitatem texuit. Nam cũ in incertis relinquimus quempiã, vel ad incerta dirigimus, potius mala speramus euenire posse, quam bona. Certe longius aberat Turnus, quam vt vel videret palantes, vel audiret gementes. Dolet deinde, sibi etiam infælicium vota ablata: siquidem in mari constitutus, optare hiatum non potest terræ. Dido in 4. *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat*. Mox à ventis supplicium pro beneficio petit. Nam pro petentis qualitate nonnunquam mors videtur esse necessaria. Sic suprà lib. 9. *Figite me, si qua est pietas*. Cupit autem nauim in saxa impingi, vt ea fracta ipse submergatur: aut in syrtes, quæ sunt arenosa mundi extremi loca, quo eum fama, seu ignominia ista non sequatur. Donatus, Seruius.

D

VOLENS VOS TVRNVS ADORO) Adoro positum est pro, oro, compositum pro simplici. Sic Propert. lib. 1. eleg. 4. *maneat sic semper, adoro*. Ouid. *Hunc ego me non vt defendere tentet, adoro*. Iuuenal.

——— libertas pauperis hac est:
Pulsatus iacet, & pugnis concisus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

Sic apud Lucret. in descriptione veris. *Prima caloris enim pars & postrema rigoris Tempus adest vernum*. Adesse dixit pro esse, sicut non longè à principio eiusdem libri. *Delibata deûm per te tibi numina sancta Sæpe aderunt*. Sic adstare pro stare, in libero Carmine. *Auctumnus sterilis duobus astans*. Probus in Datame, accredere pro credere.

NVNC HVC, NVNC FLVCT.) Quum hæc diceret, & animo fluctuaret, apto verbo vsus est poeta *fluctuat*, allusit enim, vt quomodo in fluctibus fuit, sic mente quoque fluctuare videretur, huc atque illuc vertens tractatus suos omnes instabiles, & vagos. Aliquando enim parabat sese percutere gladio, & ferro abolendum decernebat dedecus suum. Aliquando vt iret in fluctus, & nando perueniret ad littora: sed hoc armis efficere non valebat: non enim natare posset armatus. Inermis autem quomodo veniret ad terras, armis hostium pleno ardore feruentibus? Quoties autem voluit aggredi alterum de duobus, toties Iuno ardores animi iuuenilis oppressit. Quid enim prodesset morti esse subtractum, si se in mari perimeret, aut se necaret gladio suo? Donat.

MVCRONE INDVAT, ET CRVD. PER COST. EXIG. ENSEM) Aut καταχρηστικῶς dixit, pro feriat: aut ὑπαλλαγμένως, pro mucronem suo induat corpore. Si enim induere, est vestire, non mucrone corpus induitur, sed induitur mucro corpore, id est, tegitur, & vestitur. *Crudum ensem*, id est, crudelem, & cruentum. Seruius.

Per abusionem à Virgilio dictum Seruius existimat, *mucrone induat*, à quo dissentio. Nam & elegantissimus inprimis, & doctissimis scriptor Cæsar eodem modo loquitur lib. 7. se ipsi acutissimis vallis induebãt. Inde natum dicendi genus, quod quæ inhærerent corpori, tanquam vestimenta viderentur. Turneb. lib. 29. cap. 24. * *Idem Cæs. lib. 2. acutissimis stipitibus induebantur. Sic loquitur & Tullius 4. Verrin. Hic videte, in quos laqueos se induerit. Et in Academ. Antiochum in id ipsum se induit, quod timebat. Lucret. festiuè admodum ad falsam opinionem conuertit hoc verbi, libr. 4.*

Deinde adopinamur de signis maxima paruis,
Ac nos in fraudem induimus, frustamur & ipsi.

Quidam libentius legerent ex Prisciano, & propter quædam exempla Ciceronis, in accusandi casu, an sese in mucronem. *Sed nos vulgatam lectionem non mouemus.*

TER CONATVS, &c. TER. MAXIMA IVNO) Est tale, quale illud lib. 6. *Bis conatus erat casus effingere in auro, Bis patriæ cecidere manus*. Et quod addere potuisset Germanus ex 2. Æneid.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago.

ANIMO MISERATA) Seruius legit, *animi miserata* vt sit figurata locutio, quomodo lib.12. *O præstans animi iuuenis*, pro animo.

LABITVR ALTA SECANS) Ecce quantum potuit Iuno. Turnus sententiam ordinare non permittitur: nauis sine rectore, sine arte, sine suffragio prosperante ventorum, ad antiquam vrbem secundis lapsibus venit. Completum est, quod apud Iouem egit Iuno, ait enim, *quin & pugnæ subducere Turnum, & Dauno possem incolumem seruare parenti.* Donatus.

ANTIQVAM DAVNI DEFERTVR AD VRBEM) intellige Ardeam, & ideo sic longè, ne ex propinquo statim rediret, & vt eum affectus retineret parentis. Seruius.

At Iouis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosq; inuadit ouantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus vni,
Vni, odiisq; viro, telisq; frequentibus instant.
Ille, velut rupes vastum quæ prodit in æquor,
Obuia ventorum furiis, expostaq; ponto,
Vim cunctam, atque minas perfert cæliq;, marisq;:
Ipsa immota manet. Prolem Dolicaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumq; fugacem.
Sed Latagum saxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat os, faciemq; aduersam: poplite Palmum
Succiso volui segnem sinit, armaq; Lauso
Donat habere humeris, & vertice figere cristas.
Nec non Euantem Phrygium, Parydisq; Mimanta
Æqualem, comitemq;, vna quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face prægnans
Cisseis regina Parin creat: vrbe paterna
Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper (multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosq; palus Laurentia) sylua
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitq; ferox, & inhorruit armos:
Nec cuiquam irasci, propiusúe accedere virtus,
Sed iaculis tutisq; procul clamoribus instant:
Haud aliter, iustæ quibus est Mezentius iræ,
Non vlli est animus stricto concurrere ferro,
Missilibus longè, & vasto clamore lacessunt.
Ille autem impauidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

AT IOVIS INTER. MONIT) Nouimus sacrilegum B esse Mezentium, quomodo ergo procedit, *At Iouis interea monitis, &c.* dicimus primò, Iouem iustitię fauere, non partibus: quod si est, iure Mezentium in Turni locum fecit venire; vt iustum prælium inueniatur, nec vna pars penitus à ducibus sit destituta. Quod autem dicitur, sacrilegum Iupiter admonere nō debuit: non admonet vt vincat, sed vt possit perire. [*Vide quæ scripta sunt 2. Æneid. super illis.* Hic mihi nescio quod trepido malè numen amicum Confusam eripuit mentem.] Illud etiam frustra quæritur, quemadmodum numini sacrilegus obtemperare potuit, cum Mezentium nō apertè Iupiter moneat: sed ei iniiciat tale desiderium: vnde est, *dii ne hunc ardorem mentibus addunt, Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?* Meritò autem, concurrunt Tyrrhenæ acies, quæ specialiter odio Mezentij in bellum ruebant. Similitudo est ex Iliad. o.

———— ἠΰτε πέτρη
Ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,
Ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα,
Κύματά τε τροφόεντα, τά τε προσερεύγεται αὐτῇ,
Ὣς Δαναοὶ Τρῶας μένον ἔμπεδον, οὐδ' ἐφέβοντο.

Seruius, Vrsin.

OMNIBVS VNI, VNI ODIISQVE VIRO TEL. FREQ. INSTANT) Imitatus est Statius lib. 12. in extremo, de Tydeo.

Et iam corporibus sese spoliisq; cadentum
Clauserat: vnum acies circum consumitur, vnum
Omnia tela vouent.

C Adeo exulceratos in Mezētium, cuius tyrannidem ferre ultra non poterant, gerebant animos Tyrrheni, vt simul ac eum in acie cōspicerent, præ omnibus eius capus

put quasi coniurati peterent: quò ita dolorem, & odium suum eius interitu, si possent, consolarentur. Sic cum Epaminondas Thebanorũ Imperator apud Mantineam, acie instructa audacius instaret hostibus (verba sunt AEmilij Probi) cognitus à Lacedæmoniis, quod in eius vnius pernicie, patriæ sitam putabant salutem, vniuersi in vnum impetum fecerunt, neq; prius absceßerunt, quàm magna cæde facta, multisq; occisis, ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum concidere viderunt. ✽

VASTVM QVÆ PRODIT IN ÆQVOR) Notatum est à me alibi, vocabulum *æquor* non solum dici in mari, sed in terra quoque, & cælo: immò verò de aliis quoque rebus videas vsurpari, quæ planæ sunt. Itaque Lucret. lib. 2. dixit æquor saxi, pro æqualitate, & planitie quadã saxi. *atque rigere Frigore, cum in summo gelidi cubat æquore saxi.* Id est, in saxo æquabili, non aspero, polito. ✽

OBVIA VENTOR. FVRIIS) Tibull. lib. 2. *Stare vel insanis cautes obnoxia ventis.*

PROL. DOLICAONIS HEB.) Describuntur quos occidit Mezentius. In vnica interdum epitheti voce dictũ aliquod memorabile inclusum videri potest, velut hic. Nam ad illud Simonidis alludi puto. ὁ δ' ἂν θάνατος ἔκιχε κὴ τὸν φυγόμαχον. Quod Horatius totidem verbis interpretatus est, Ode 2. lib. 3. *Mors & fugacem persequitur virum.*

POPLITE SVCCISO VOLVISEG.) non ambulantem, ob succisum poplitem.

DONAT HABERE) Græca figura, vt, *argenti magnum dat ferre talentum.* In 5. etiam de lorica Demolei dixit, *donat habere.* Vide quæ ibidem ex Victorio attulimus. Nõ malè dedit hæc arma hosti detracta, filio: quia enim deos contemnere perpetua obstinatione didicerat, nõ ea cuipiam numini seruare potuit. Hactenus ex Donat. Seruio, & aliis.

PARIDIS MIMANTA ÆQ. COMITEMQVE) Ludit inter duorum nomina, natiuitates, parẽtes, mortuos. Occidit enim Mezentius Euantem, occidit Mimantem, qui Paridis aliquando fuisset æqualis, & comes, natus Amyco, & Theano. Paris ex Cisseide, id est, Hecuba Cissei filia secundum Euripidem, secundũ alios Dymantis, quæ antequam pareret Parim, per somnium se facem eniti vidit: qua re portendebatur, facem patriæ suæ futurum, quem mox paritura esset. Quod etiam euentus comprobauit. Et Paris quidem apud vrbem paternam, Troiam videlicet, occubat, Mimanta Laurentes cadentem exceperunt.

ÆQVALEM) Æquales sunt similes, & ex æquo. Æquales rursum æquæui, vt hic. Lucil. Sat. 5. Veruntamen vnum cecidisse tamẽ senem Tiresiam æqualem constat. Virgil. lib. 5. *Ast illum fidi æquales.* Terent. Eunucho. *patris cognatum, atq; æqualem Archidemidem Nostin?* Cic. 3. Off. P. Scipionem dicere solitum scripsit Cato, qui fuit ferè eius æqualis. Et de Senect. Ego vero propter sermonis delectationem tempestiuis quoq; conuiuiis delector, nec cum æqualibus solum, qui pauci restant, sed cum vestra etiam ætate. Hæc Nonius.

FACE PRÆGNANS) Quatuor faces sceleratas animaduertit, & vocauit, Hyginus, cap. 249. Facem, quam sibi visa est parere Hecuba Cissei filia, siue Dymantis. Nauplij, ad saxa Capharea, cũ naufragium Achiui fecerunt. Helenæ, quam de muris ostendit, & Troiam prodidit. Althææ, qua Meleagrũ occidit, filium suum. Meminit. Virgil. primæ facis etiam li. 7. vbi furens Iuno. *nec face tãtum Cisseis prægnans ignes enixa iugales.* Vide ibid. Symbolas.

IGNARVM) id est, ignoratum, ignotum. Lege cap. 9. lib. 12. apud Gellium, de verbis, quæ in vtramq; partem significatione reciproca efferuntur, id, est, agendi, & patiendi. In extremo sic ait. Ignarus æquè vtroque verbum dicitur, non tantum qui ignorat, sed & qui ignoratur. Sallust. More humanæ cupidinis ignaro visendi. Deinde hunc ipsum Maronis locum laudat, quem Nonius in verbo *Ignarus*, vt obseruatum est ab Aldo Manut. in Scholiis Iugurthin. qui insuper hæc producit testimonia. Tacit. lib. 2. per occulta, & vigilibus ignara. Et lib. 3. non sibi quidem ignara, quæ vulgabantur. Et lib. 12. nihil tam ignarum barbaris, quam machinamẽta, & astus oppugnantium. Sic *gnarus* pro cognitus, apud eundem Tacitum. Idque nulli magis gnarum, quam Neroni. Et, campos madentes, & ipsos gnaros.

AC VEL. ILLE CANVM) Ille, ornatus tantum gratia inseritur. Homerica comparatio est ex Iliad. λ.

> Ὡς δ' ὅτε κάπριον ἀμφὶ κύνες, θαλεροί τ' αἰζηοὶ
> Σεύονται, ὁ δέ τ' εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο,
> Θήγων λευκὸν ὀδόντα μετὰ γναμπτῇσι γένυσι,
> Ἀμφὶ δέ τ' ἀΐσσονται, ὑπαὶ δέ τε κόμπος ὀδόντων
> Γίνεται. οἱ δὲ μένουσιν ἄφαρ δεινόν περ ἐόντα.

Quam generosè venatoribus resistat aper, quantaque cum difficultate capiatur, his carminibus ostenditur. Videndus libellus Xenophõtis de venatione. Lib. eiusdem 1. de vita, & disciplina Cyri, interrogãti puero Cyro comites, dum in venationem exit, quę nam feræ propius adeundę non sint, & quæ fidenter insequendæ, ipsi respondent. Permultos cum apris, & vrsis, & leonib. & pardalibus congressos, esse interemptos: ceruos aũt, & capras, & syluestres oues, & asinos etiã syluestres esse innocuos. Infrà idem Cyrus puer, dum apud coæuos feras viuariis inclusas contemnit, & montanas, siue syluestres longè anteponit, & harum venatum illarum venatui multum præfert: ô pueri, vt nugabamur, quãdo hortorum feras venabamur? Nam id mihi simile videtur, quemadmodum si quis ligata animalia venaretur. Primùm enim erant paruo in loco, deinde tenues, & scabiosæ: & alia earum clauda erat, altera manca. Sed quæ in montib. bestiæ sunt, & pratis, vt sunt pulchræ? vt sunt magnæ? vt pingues apparebant? Atque ceruæ quidem tanquam volucres saltu tollebantur ad cælum: apri verò, vt viri fortes traduntur, ferebantur aduersi: quorum tanta est latitudo, vt ab hiis ictus aberrare nequeat. Pulchriores profectò hæ mihi feræ videntur vel mortuæ, quam viuæ illæ munimine hortorum, muroque inclusæ. Hactenus Xenophon.

IVSTÆ QVIB. EST MEZEN. IRÆ) Sic dictum est *quibus est ira*, vt dicimus, quib. est odio, amori, Ergo intellige, qui iustè irascuntur Mezentio, meritòq; illi infensi sunt. * *Versum hunc cum duobus sequentibus, fortasse rectius legeremus post illum, qui vno tantum interposito sequitur, nempe post hunc,* Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas, *vt esset comparatio non interrupta, & duo isti versus,* Ille autem impauidus: Dentibus infrendens, *non de Mezentio, sed potius de apro acciperentur. Monet hoc de re Stephanus.*

ILLE AVTEM IMPAVIDVS) Hoc, & quod sequitur, ad aprum pertinet, ad ipsum enim remeat, vt parabolam claudat. Essent autem hi duo versus cum superiore illo coniungendi. *Sed iaculis, tutisq; procul clamoribus instant.* Ad illustrãdum, similem è 6. Lucani locum profert Germ. de elephanto.

> *Getulus densis elephas oppressus ab armis,*
> *Omne repercussum squalenti missile tergo*
> *Frangit, & hærentes mota cute discutit hastas.*

TERGO DECVTIT HASTAS) scuto, quia scuta tegoribus bubulis integebantur.

Venerat antiquis Coriti de finibus Acron,
Graius homo, infectos linquens profugus hymenæos.
Hunc vbi miſcentem longè media agmina vidit
Purpureum pennis, & pactæ coniugis oſtro,
Impaſtus ſtabula alta leo ceu ſæpe peragrans
(SVADET ENIM VESANA FAMES) ſi fortè fugacem
Conſpexit capream, aut ſurgentem in cornua ceruum,
Gaudet hians immanè, comasq; arrexit, & hæret
Viſceribus ſuper accumbens: lauit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in denſos alacer Mezentius hoſtes.
Sternitur infælix Acron, & calcibus atram
Tundit humum expirans, infractaq; tela cruentat.
Aque idem fugientem haud eſt dignatus Oroden
Sternere, nec iacta cæcum dare cuſpide vulnus.
Obuius aduerſoq; occurrit, ſeq; viro vir
Contulit, haud furto melior, ſed fortibus armis.
Tum ſuper abiectum poſito pede nixus, & haſta,
PARS BELLI HAVD TEMNENDA VIRIS, iacet altus Orodes:
Conclamant ſocij lætum Pæana ſecuti.
Ille autem expirans: Non me quicunque es inulto,
Victor, nec longum lætabere: te quoque fata
Proſpectant paria, atque eadem mox arua tenebis.
Ad quem ſubridens miſta Mezentius ira.
Nunc morere: aſt de me diuûm pater, atque hominum rex
Viderit. hoc dicens, eduxit corpore telum.
OLLI DVRA QVIES OCVLOS, ET FERREVS VRGET
SOMNVS, IN ÆTERNAM CLAVDVNTVR LVMINA NOCTEM.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hidaſpem,
Partheniumq; Rapo, & prædurum viribus Orſen,
Meſſapus Cloniumq;, Lycaoniumq; Ericaten:
Illum, infrænis equi lapſu tellure iacentem:
Hunc, peditem pedes. & Lycius proceſſerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis auitæ
Deiicit. Atronium Salius, Saliumq; Nealces,
Inſignis iaculo, & longè fallente ſagitta.

VENERAT ANTIQ. COR. DE FINIB. ACRON GRAIVS) Nihil horum ad bellorum pertinet cauſſam, ſed, ſicut iam ſæpe dictum eſt, reficiendo lectori proficiũt: vel ne deturpetur dictio ſi puris, ac ſolis nominib. compararetur. Quanquam igitur origine Græcus Acron, tamen de Tuſcia veniebat, & cum reliquis Tuſcis ſeſe Troianis iungebat. Etiam parabolæ propter ornatum dictionis interponuntur, ne horreſcat totum, ſi nomina ſola cumulentur. Addidit autem cauſſam, quæ faceret, vt eum Mezentius longè conſpiceret agmina perturbantem, criſtas purpureas, & ſponſæ veſtem purpuream: qua re ſatis ſuam mollitiem, & inertiam oſtendebat. Mox in eum Mezentius tanta auiditate irruit, quanta eſuriens leo in capream, aut ceruum fertur: in duo ſcilicet animalium genera, quæ nec pugnare ſciũt, nec habent aliquam in reſiſtendo virtutem. Cætera ad pompam deſcriptionis pertinent, vt leonis auiditas oſtendatur. Donatus.

INFECTOS LINQVENS PROFVGVS HYMENÆOS) Deſponderat ſibi puellam, ſed eam nondum factis nuptiis domum duxerat. Talia exempla non ſunt ita rara. Ire autem in militiam nuper ducta vxore, præſertim adoleſcente, hoc rarum. Itaque etiam Moyſes Deuteron. cap. 29. militiæ immunitatem huiuſcemodi nouis maritis per annum concedit, his verbis. Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam neceſſitatis iniungetur publicę: ſed vacabit abſq; culpa domi ſuæ, vt vno anno lætetur cum vxore ſua.

HVNC

HVNC VBI VIDIT.) Huic versui non dissimilis est ille Homericus Iliad. γ. τὸν δ' ὡς οὖν ἐνόησεν ἀλεξάνδροιο θεοειδέα … ἀνδρῶν. γ.

Ὥστε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας,
Εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα.

[A Virgilio autem suum Claudian. lib. 2. de rapiu Proserp.
Ille, velut stabuli decus, armentiq; iuuencam,
Cum leo possedit: nudataque viscera fodit
Vnguibus, & rabiem totos erexit in armos
Stat crassa turpis sanie, nodosq; iubarum
Excutit.
Et Statius lib. 6. Thebaid.
Qualis vbi primam leo mané cubilibus atris
Erexit rabiem, & sæuo speculatus ab antro
Aut ceruum, aut nondum bellantem fronte iuuencum
It fremitu gaudens.]

Illud item *lauis improba teter, ora cruor*, ex Odyss. χ.

—— ὥστε λέοντα,
Ὅς ῥά τε βεβρωκὼς βοὸς ἔρχεται ἀγραύλοιο,
Πᾶν δ' ἄρα οἱ στῆθός τε παρήϊά τ' ἀμφοτέρωθεν
Αἱματόεντα πέλει, δεινὸς δ' εἰς ὦπα ἰδέσθαι.

Vrsin. German.

SVRGENT. IN CORN. CERVVM) capite arduo, cornibus eminentem. Ouid. celsus in cornua.

STERNIT. INFÆLIX ACRON) Bene infælix, qui delicijs relictis ad certamen perrexit, quod complere non poterat, & nec coniuge, nec salute potitus est. Qui expirans tundebat calcibus terram, quod sæpe etiam apud Homerum fit, ad dolorem monstrandum, cum alia ratione non posset. Donatus. C

CALCIB. ATRAM TVND. HVM.) Supra de Phæreo, *Cadit semianimis Rutulorum calcibus arua.*

TELA INFRACTA) Vel non fracta, id est, integra: vel reuera fracta, vtrumque enim significat. Donat.

FVGIENT HAVD. EST DIG. OROD. STER.) *Respexit sine dubitatione hoc Statius de Theseo illa scribens lib. 12.*
——— tædet fugientibus vti
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cætera plebeio desæuit sanguine virtus.]

Mezentius haud se dignum est arbitratus Orodem sternere fugientem, nec ei à tergo non videnti vulnus dare, hoc enim appellat cæcum vulnus. Quæ enim esset ista gloria, fugientem, & auersum ferire? vicit ergo eius fugam, & ei aduersus apparuit, qui paulo ante posterior fuit, melior vtique virtute quam furto, id est, insidijs: proinde aperto congressu superauit eum, qui se fuga elapsurum sperârat. Testatur autem Mezentius, eius morte magnum accipi detrimentum, vtpote, in quo maxima pars ipsorum victoriæ niteretur. Donatus. D

SED VIRO VIR CONTVLIT) vt illud, *haret pede pes, densusq; viro vir.*

HAVD FVRTO MELIOR) Quidquid occultè fieret, furtum appellabant. Virgil. lib. 4. *neq; ego hanc abscondere furto Speraui, ne finge, fugam.* Et lib. 9. cum de cæde & strage nocturna Euryali loquitur, *hic furto feruidus instat.* Stat. lib. 9. *Ausus erat furto dextram iactare Leontem.* Valerius lib. 2. Pont. Max. in C. Cæsaris locũ furto creatur. Et disertè pro dolo, & insidijs, tum hoc loco Virgilij, tum apud Curtium lib. 4. Parmenio peritissimus inter duces artium belli furto, non prælio opus esse censebat: intempesta nocte opprimi posse hostes. E

SVPER ABIECT. POS. PEDE) Videtur hoc facere Mezentius ex superbia, & contemptu magno iacentis.

LÆTVM PÆANA SECVTI) Propriè Apollinis, laus Pæan: sed abusiue etiam aliorum dicitur: vnde Pindarus opus suum quod & deorum, & hominum continet laudes, Pæanas vocat. Seruius. De Pæane videas quæ à Germano traduntur in Paralip.

EXPIR. NON. ME QVICVN.) Mos est poetarũ, nonnullos iã morituros vaticinãtes introducere. De quibus illud Platonis in apologia Socratis καὶ γάρ εἰμι ἤδη ἐνταῦθα, ἐν ᾧ μάλιστα ἄνθρωποι χρησμῳδοῦσιν, ὅταν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι. φημὶ γὰρ ὦ ἄνδρες, οἳ ἐμὲ ἀπεκτόνατε, τιμωρίαν ὑμῖν ἥξειν εὐθὺς μετὰ τὸν ἐμὸν θάνατον πολὺ χαλεπωτέραν νὴ Δία, ἢ οἵαν ἐμὲ ἀπεκτόνατε. Latinè sic. In illum .n. temporis statũ iam perueni, in quo homines diuinandi facultate maximè pollent, quando nimirum morituri sunt. Aio autem, ô quicunq; me interfeceritis, pœnas continuò post mortem meã vobis euenturas, multò certe grauiores, quam eas, quibus modò me morte multatis. Vnde & illud Iliad. π. sub persona Patrocli.

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν,
Οὔ θην οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ, ἀλλά τοι ἤδη
Ἄγχι παρέστηκε θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιὴ,
Χερσὶ δαμέντ' Ἀχιλῆος ἀμύμονος Αἰακίδαο.

Consulendus Eustathius hac de re. Item Iliad. χ. Hector Achilli mortem prædicit. Et habent eiusmodi vaticinia plerumq; exitum. Sic apud Senecam Agamemnone, cum occiditur Cassandra, quæ nuntiat Clytęmnestræ, & Ægistho: veniet, inquit, & vobis furor: occidit namque ambos Orestes, qui exinde cœpit furere. Apud Sophoclem Aiax moriens, precatur Agamemnoni & Vlyssi, vt à charissimo occidantur. Factum. Illum Ægistus patruelis, & vxor Clytęmnestra: hunc Telegonus filius trucidauit. Apud alios item auctores talia reperiuntur exempla. Calanus Indus, sciscitanti Alexandro nunquid vellet, respondit, Nihil, breui te videbo. Non multis à Calani morte diebus, Alexander Babylone veneno interijt. Anyti quoque filio omnia euenerunt, quæ verissimè euentura Socrates moriens diuinârat, vt est apud Xenophontem in Apologia Socratis. Hartungus. Decuria 4. cap. 8. & alij. * *Adijcias licet superioribus exemplis etiam hoc Ouidij 7. Metamorph. vbi Dryas.*

Nympha sub hoc ego sum Cereri gratissima ligno:
Quæ tibi factorum pœnas instare tuorum
Vaticinor moriens, nostri solatia lethi.

Et hoc Lucani, vbi Domit. lib. 7. hu verbis.

Non te furtepta scelerum mercede potitum,
Sed dubium fati, Cæsar, generoq; minorem
Aspiciens, stygias Magno duce liber ad vndas,
Et securus eo: te sæuo Marte subactum,
Pompeioq; graues pœnas, nobisq; daturum
Cum morior, sperare licet.

De diuinatione, seu prædictione, & vaticinio morientium Cicer. libr. 1. de Diuinatione sic scribit. Cum ergo est somno seuocatus animus à societate, & contagione corporis, tum meminit pręteritorum, pręsentia cernit, futura prouidet. Iacet enim corpus dormientis, vt mortui: viget autem, & viuit animus. Quod multo magis faciet post mortem, cum animus ex corpore excesserit. Itaque appropinquante morte, multò est diuinior. Nam & idipsum vident, qui sunt morbo graui, & mortifero affecti, instare mortem. Itaque his occurrunt plerunque imagines mortuorum: tumque vel maximè pœnitet. Diuinare morientes, etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert, Rhodium quendam morientem sex æquales nominasse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset.

DIVVM PATER ATQVE HOM. REX VIDERIT) Per irrisionem accipiendum, quod dicit: Viderit, vtrum Mezentio nocere possit ille, quem vos deorum, & hominum creditis esse rectorem. Eduxit autem è corpore telum, quo facilius interiret, largius videlicet sanguine prorumpente. Seruius.

OLLI DVRA QVIES OCVL. ET FERREVS) Ex Homero est, qui mortem, somnum ferreum, id est, ὕπνον χάλκεον nominauit. Iliad. χ. ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν, κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον. quod ad duritiem retulisse videtur Maro, cum duram quietem scripsit, velut interpretans somnum ferreum, cum Plutarch. in Consolat. ad Apollonium, ad sensus orbationem, & amissionem referendum crediderit, ita scribens, πάλιν τέ που φησὶ τὸν θάνατον ὥστε χάλκεον ὕπνον, τὴν ἀναισθησίαν ἡμᾶς διδάξαι πειρώμενος. Turneb. lib. 19. cap. 16. Vt autem hic Maro æternam noctē, sic Catull. *Nox est perpetuò vna dormienda.* Horat. *Ergo Quintilium perpetuus sopor Vrget.* German.

CÆDICVS ALCATHOVM) Reprehendunt Maronem plerique in his versibus, quod nomina confundat, vt intelligi non possit, quis Troianus sit, quis Rutulus. Ego Virgilium culpa carere puto, & calumnia libero. Nominibus enim satis nationem distinxit, cum Latina nomina voluerit esse Rutulorum, Græca Troianorum. Quod non attendisse, nec vidisse Grammaticos plurimum admiror. Turneb. lib. 29. cap. 24.

INFRÆNIS EQVI) Casu equi asperrimi, qui frænorum sperneret regimen. Infrænos autem etiam homines dicimus: vt, *Hic Numidæ infræni cingunt.* Dicimus & infrænus, & infrænis: sicut inermis & inermus. Infrænis est Isidoro qui frænis non regitur.

INSIGNIS IACVLO) τόξων εὖ εἰδὼς dixit Homerus de Teucro, Iliad. μ. *iaculo, & longè fallente sagitta,* est ἐν δὲ ὀιστῶν, iactu longè fallentis sagittæ.

Iam grauis æquabat luctus, & mutua Mauors
Funera: cedebant pariter, pariterq; ruebant
Victores, victiq;: neq; his fuga nota, nec illis,
Dij Iouis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, & tantos mortalibus esse labores.
Hinc Venus, hinc contrà spectat Saturnia Iuno.
Pallida Tisiphone media inter millia sæuit.
At verò ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quàm magnus Orion,
Cum pedes incedit medij per maxima Nerei
Stagna, viam scindens, humero supereminet vndas:
Aut summis referens annosam montibus ornum,
INGREDITVRQVE SOLO, ET CAPVT INTER NVBILA CONDIT:
Talis se vastis in fert Mezentius armis.
Huic contra Æneas, speculatus in agmine longo,
Obuius ire parat, manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum operiens, & mole sua stat:
Atq; oculis spatium emensus, quantum satis hastæ:
DEXTRA MIHI DEVS, & telum, quod missile libro,
Nunc adsint, voueo prædonis corpore raptis
Indutum spolijs, ipsum te Lause trophæum
Æneæ. Dixit, stridentemq; eminus hastam
Iecit: at illa volans clypeo est excussa: proculq;
Egregium Anthorem latus inter, & ilia figit:
Herculis Anthorem comitem, qui missus ab Argis,
Hæserat Euandro, atq; Itala consederat vrbe.
Sternitur infælix alieno vulnere, cælumq;
Aspicit, & dulces moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Æneas hastam iacit, illa per orbem
Aere cauum triplici, per linea, terga, tribusq;
Transijt intextum tauris opus, imaq; sedit
Inguine: sed vires haud pertulit. ocyus ensem
Æneas, viso Tyrrheni sanguine, lætus,
Eripit à femore & trepidanti feruidus instat.

IAM GRAVIS ÆQVABAT) Luctus, & funera iam B grauis Mars, & grauis exitus dimicationis æquabat: paria quippe detrimenta vtriusq; partis extabant: quumque ex vtraq; parte caderent viri, & alternis vincerent, atque

atque alternis vincerentur, nullus vertebatur in fugam, & auerti non nouerat: tanta cupiditas obtinendi in partibus fuit. Donatus.

CEDEBANT PARITER) Seruius legit cum diphthongo, *cædebant*, id est, occidebant. Si *cedebant* legimus, exponemus, terga dabant. *Ruebant* cum priore lectione exponendum est, cadebant: cum posteriore, terga vertebant.* *Atqui lectio hac, cedebant, id est fugiebant, apertè cum verbis poeta sequentibus pugnat, quod Seruium fefellit, ait enim,* neque his fuga nota, nec illis. *Quisq; locum suum tuebatur. Plaut. Amphit.*

Sed fugam in se tamen nemo conuertitur,
Nec recedit loco, quin statim rem gerat.
Animam amittunt, priusquam loco demigrent:
Quisq; vt steterat iacet, obtinetq; ordinem.

B IRAM MISERANT. INANEM) Generaliter dicit omnem iram bellicam. Vbi enim tam inanis iracundia est, quam in bello, vbi, vt pereamus, irascimur? Ita quidem Seruius, sed amplius videndum de hoc epitheto: non enim profectò ne in bello quidem irascimur vt pereamus, sed vt perdamus potius: sicut nemo castra sequitur, vt occidatur, sed vt occidat. Hoc quidem habet propositum. Cernebant autem strages tantas Venus, & Iuno, quarum illa funeribus Rutulorum, hæc Troianorum gaudebat. Bene illud Seruius *Pallida Tisiphone*, &c. accipiendum non de ipsa dea, quæ in agmine nulla apparebat, sed de affectu eius, hoc est, insania: furebant in se mutuò vehementer exercitus. Sed cur *pallida*? cur frigus pigrum? vidisti furentes aliquando? nonne pallent? ✱

Cum dij à poeta nostro dicantur capti miseratione, videntes tantos mortalium labores, ipsi contrà à poetis inducuntur vacantes omni molestia. Homerus Iliad. λ. θεοὶ ῥεῖα ζώοντες. Et Lucret. lib. 2.

Nam prò sancta deûm tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt æuum, vitamq; serenam.

* *Ponit hac duo testimonia Vrsin. Poterat etiam multò luculentius illud ex 1. Lucretij: vbi simul, quod ἐπικούρειον est diuina prouidentia tollitur, cui Homerus sunt & Virgil. amicissimi.*

Omnis enim per se diuûm natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, seiunctaq; longè.
D Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

QVAM MAGNVS ORION) Ante voculam *quàm*, deest particula *tam*, quomodo & alij auctores locuti sunt. Terent. Eunucho. *Parmenionis esse hanc scio techNAM quàm me viuere.* Virgil. 3. Georg.

Quam magis exhausto spumauerit vbere mulctra,
Læta magis pressis manabunt vbera mammis.

Plaut. Trinum. *Confit citò, quam si tu obijcias formicis papauerem.*

Non potuit vlla cum ratione magis proceritatem corporis significare, quam incessum præaltum humeris extantibus referendo: nec dubito quin bonos auctores in eo de Orione commento secutus sit, & eã fabulam respexerit, quam Seruius narrat. Orini tamen alij datũ à patre Neptuno fuisse tradunt, vt super mare ambularet, vt Iphiclo super aristas segetis. At super mare cum prædicant ad Vulcanũ Lemnum, ab Oenopione cæcatũ venisse: auctor Theon in Aratum, & Higynus lib. 2. Id si ita est cur in vadũ pedibus descendere necesse ei fuit potius, quã suspẽsa per æquor plãta ire? Sed fabulis, & poetis idem iuris est, vt licenter nisi loquãtur, & mendaciter modò hoc, modò illud nugẽtur, suo numeri desint. Turneb. lib. 27. cap. 38. Notauit idem lib. 3. c. 19. Græcos poetas nõ rarò mare, & Oceanum appellare λίμνην, id est, stagnũ: quod & ab Hesychio obseruatũ est. Horum exemplum secutum esse his verbis Maronem.

A * *Nempe cũ atq;* maxima Nerei stagna. *Vbi Seruius, per epitheton exquisit, eleuanti tapinosin more suo. Dixit alibi,* in gurgite vasto. *In primo quoq; Æneidos hac eadem figura legi volunt nonnulli,* paludũ sidera pascet, *pro, polus. Vt mare vocetur palus.*

HVMERO SVPEREMINET VNDAS) Huiuscemodi vastitas corporis lib. 3. in Polyphemo describitur. *graditurq; per æquor Iam mediũ, nec dũ fluctus latera ardua tinxit.*

MANET IMPERT. ILLE) Mezentius cũ Æneam videret contra se venientẽ magno animo, ipse nihil territus stabat, virtute confisus sua: & cũ missæ cõtiguũ hastæ, id est intra teli iactũ iã esse credidisset, perstãs in sua impietate, deorumq; cõtemptu, asserit sibi præter dextrã suã, & telũ quo multas occiderat, nullũ numẽ esse necessarium. Et cũ soleant viri fortes, vbi aliquẽ virum memorabilẽ fuderũt, dijs aliquib⁹, maximè Marti, trophæa muneris, & gloria causa conferre: & cũ id faciunt, deligere arboris truncũ, eiq; occisi arma suspẽdere, vt armati hominis speciẽ mentiãtur, Mezentius, qui dixit deos suos esse hastã, & dextram suã, atq; oẽs semper, & vbiq; contempsit, Lauso filio se collaturũ spõdet, quæ se sperabat Æneæ superato posse detrahere. Trophæum, ait, faciã te Lause, induã te spolijs, quæ Æneæ rapuero, & ad vicẽ inanis numinis consecrabo tibi melius quidquid dederit hostis occisus. Donatus.

ET MOLE SVA STAT) Apte monosyllabo hoc firmitatem status tam vasti corporis expressit.

DEXT. MIHI DEVS, ET TEL.) Perstat in instituto suo C poeta, qui deorũ induxit contemptorẽ Mezentium, alluditq; ad gigantũ immanitatẽ, quorum nonnulli, vt liquet ex Homero, & poetis, per hastã, tanquã numen iurabãt. eamq; obnoxijs, hospitibusq; adorandã obtrudebãt: vnde in prouerbium abijsse docet interpres Apollonij, [illegible], quod hastam venerandam proponeret, illiq; ipse sacrificaret. German.

Prorsus haud dispar quiddam huic Mezentianæ impietati de Capaneo refert Stat. 2. Thebaid. *virtus mihi numen, & ensis Quem teneo.* Et lib. 10.

— — — ades ò mihi dextera tantùm,
Tu præses belli, & ineuitabile numen,
Te voco, te solum superûm contemptor adoro.
Sic ait, & voti sese facit ipse potentem.

D Capaneus contra Iouis voluntatẽ Thebas se capturum dixit: & cũ murũ ascẽderet, fulmine ab Ioue est percussus. Hygin c. 71. Huius generis diuûm cõtemptor Aiax Telamonius, qui patri bene ac prudenter moriẽti, stultè nimis, arroganterq; respondit, profecturus ad oppugnandam Troiam scilicet. Rem istis versibus exequitur Sophocles in Aiace Lorario, dicam latinè ex interprete Ratallero.

Aiax lares sed cum relinqueret suos,
Dementis in morem bene monenti patri
Responderat. Sic ille, Fili bellica
Virtute fac vincas, deo sed auspice,
E *At arrogantor hac parenti rettulit,*
Atq; stolidè: adiuuante, mi pater, deo
Victoria potitur ignauissimus:
At destitutus etiam ope deorum, scio,
Belliq; me confido adepturum decus.

Eodẽ referamus Flaminium Rom. Cos. quẽ Silius lib. 5. inducit temerariũ, & contemnentem auspicia, amicorumq; monita, & nimiũ fidentẽ dexteræ, atq; gladio.

Quippe monent superi. Similes ne fingite vobis
Classica qui tremitis, diuus sat magnus in hostem
Augur adest ensis, pulchrumq; & milite dignum
Auspicium Latio, quod in armis dextera præstat.

In historia Regum lib. 1. cap. 17. talis Thraso, planè impius, depingitur Goliath.

VOVEO IPSVM TE LAVSE TROPHÆVM) Sciendum sanè,

sanè, Lauso propriam ideo nihil profuisse pietatem, quod A in eum pater mente sacrilega munera transferebat deorum, & ei occisorum spolia deuouebat. Donatus.

ERGIVM ANTHOREM) Nominatiuus est Anthores, non Anthor. De lectione huius nominis consule Alciat. Parerg. lib. 7. cap. 16.

ALIENO VVLNERE) Alieno vulnere dicit, quia Æneæ fuerat destinatum, ac propterea infælix, quia nō, vt viro forti pulchrum fuisset, in congressu ceciderat. Memorat mox quis fuerit, & vnde in Italiam venerit ad Euandrum. Cælum autem moriens aspiciebat, vel quia quasi inimicum morte sua deorum iudicium reprehēdebat: vel quia naturaliter morientes cupiunt satiari extremo lucis aspectu. Vnde in 4. de Didone agente animam, *Quæsiuit cælo lucem.* Et quod additur de patria Argis, inter physica signa mortuorum etiam hoc legitur, patriæ aspectum desiderare perituros. Vel ideo reminiscebatur Argos, quasi hoc vel alio genere apud suos non esset moriturus, si remeasset, aut à suis in totum non recessisset. Donatus, Seruius.

DVLCES MORIENS REMINISCITVR ARGOS) Quod patriæ recordatio moribundum subierit Anthorem, humanum quiddam est. Nam illa dulcedo, quam ex affectu erga ipsam à natura nobis ingenito percipimus, ne in extremo quidem spiritu, in longinquis etiā locis nos eius sinit esse immemores. Et quis est tandē, qui non malit in patrio, quam in peregrino solo emori, vbi se circumfundant amici, vbi claudantur ei oculi à consanguineis, fleatur & tumuletur à charissimis? Tibull. eleg. 3. lib. 1.

Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.
Abstineas auidas mors precor atra manus.
Abstineas mors atra precor, non hic mihi mater
Quæ legat in tepidos ossa perusta sinus.
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis.

De Lacone, simile quiddam Virgiliano Statius lib. 8.

———— hastam,
Extrahit, atq; hosti dextra labente remittit
Sanguineam: delecta genis morientis oberrant
Taygeta, & pugnæ, laudataq; verbera matri.

PIVS ÆN. HAST. IACIT) Bene pius, qui deorum contemptorem interficit. Est enim pietatis tollere im- B pios, cui, & quādo licet. Iā *fedit sanguine*, hypallage est, pro, in imo inguine. Seruius.

Totus locus conuersus ex Homero Iliad. γ.

Ἤ ῥα καὶ ἀμπεπαλὼν προΐει δολιχόσκιον ἔγχος,
Καὶ βάλε Πριαμίδαο κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην,
Διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄβριμον ἔγχος,
Καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο,
Ἀντικρὺ δὲ παραὶ λαπάρην διάμησε χιτῶνα
Ἔγχος.

PER LINEA TERGA) lino enim integebantur scuta, vt posset inhærere pictura.

INTEXTVM TAVRIS OPVS) cooperto pluribus boum tergoribus.

ERIPIT A FEMORE) Donatus, & Seruius legunt, *à femine*, cuius nominatiuus femen secundum Capruū nusquam lectus est.

INGEMVIT CHARI GRAVITER GENITORIS AMORE,
Vt vidit, Lausus: lacrymæq; per ora volutæ.
Hîc mortis duræ casum, tuaq; optima facta,
SI QVA FIDEM TANTO EST OPERI LATVRA VETVSTAS,
Non equidem nec te iuuenis memorande silebo.
Ille pedem referens, & inutilis, inq; ligatus
Cedebat, clypeoq; inimicum hastile trahebat.
Proripuit iuuenis, seseq; immiscuit armis.
Iamq; assurgentis dextræ, plagamq; ferentis
Æneæ subijt mucronem: ipsumq; morando
Sustinuit. socij magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret:
Telaq; conijciunt, proturbantq; eminus hostem
Missilibus. furit Æneas, tectusq; tenet se.
Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tuta latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris: vt possint sole reducto
Exercere diem: sic obrutus vndiq; telis
Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet: & Lausum increpitat, Lausoq; minatur.
Quò moriture ruis? MAIORAQVE VIRIBVS AVDES?
FALLIT TE INCAVTVM PIETAS TVA. nec minus ille
Exultat demens: sæuæ iamq; altius iræ

Dardanio surgunt ductori: extremaq; Lauso
Parcæ fila legunt. validum namque exigit ensem
Per medium Æneas iuuenem, totumq; recondit.
Transiit & parmam mucro, leuia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neuerat auro:
Impleuitq; sinum sanguis. TVM VITA PER AVRAS
CONCESSIT MOESTA AD MANES, CORPVSQVE RELIQVIT.

INGEM. CHARI GRAVIT. GENIT. AMORE) Memorabile exemplum pietatis in patrem, quod poetæ summopere placet, vt sequentia verba testantur.

LACRYMÆQVE PER ORA VOL.) Mœstitiam, doloremque suum Lausus filius lacrymis indicauit.

MORT. DVRÆ CAS. TVAQVE OPT. FACTA) Duram mortem ad ætatem retulit adolescentis. *Facta*, quod in defensione patris occubuit. Sensus est. Ego quidem facta tua, ô Lause, & mortem ex pietate venientem (hoc enim est opus tuum) non silebo: si tamen credet vetustas, ex scelerato homine pium filium procreatum fuisse. Seruius. * *Vetustas etiam de futuro tempore, non solùm de præterito. Cic. pro M. Marcello. Nihil est enim opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas.*

ILLE PED. REFER. ET INVTIL. INQVE LIGAT.) Nexibus vulneris illigatus, & impeditus, paulatim retrocedebat, ne auersus terga nudaret.

PRORIPVIT IVVENIS, SESEQVE) sese bis accipiendum: vt sit proripuit sese iuuenis, & se immiscuit armis, Quod quia duplicare otiosum fuit, addidit, que, vt superiori simul, inferioriq; seruiret. Quidam legunt *Prorupit*, ex Rom. codice.

IAMQVE ASSVRG. DEXTRÆ) In Lauso, clypeum protegendi patris vulnerati, aduersus Æneam irruentē obiectante, eximiam virtutem P. Scipionis adolescentis, qui postea dictus est Africanus maior, latenter commendat. de quo Sic Liuius lib. 21. Is pauor perculit Romanos, auxitque pauorem Cos. vulnus, periculumque intercursu tum primum pubescentis filij propulsatum. Florus libr. 2. cap. 6. Valer. lib. 5. cap. 4. Silius Italicus libr. 4.

Hic puer vt patrio defixum corpore telum
Conspexit, maduere genæ, subitoq; trementem
Corripuit pallor, gemitumq; ad sidera rupit.

Lege quæ sequuntur, ait enim educto telo sustulisse patrem in humeros, & attonitis ad tantæ pietatis spectaculum Poenis, ex acie extulisse. Pro *dextra* melius legitur *dextram*.

TECTVSQVE TENET SE) Quid enim facere posset tot obsidentibus, nisi aduersus vim multitudinis sese contegeret? furebat tamen, quod plenam de tanto hoste victoriam reportare non poterat. Donatus.

AVT AMNIS RIP. AVT ALTI FORNICE) In lateribus amnium inueniuntur loca, quæ hominem tegant. *Fornices* autem dicūtur curuaturæ, quę aut arcus, aut cameA ras faciunt, siue sint naturales, siue hominum manu perfectæ. German.

DVM PLVIT IN TERRIS) Erit ἀρχαϊσμὸς, debuit enim dicere, in terras. Hemistichium Lucretij, quod ita, vt inuenit, Virgilius transtulit. Ille lib. 6. *Cum pluit in terris, & venti nubila portant.* Seruius.

VT POSSINT SOLE REDVCTO) Æneid. 1. *Collectasq; fugat nubes, solemq; reducit.*

EXERCERE DIEM) ὑπαλλαγὴ, pro, ipsi per diem exerceri. Seruius. Bellum (*nubem belli*) pro prælio accipi manifestum est, vt apud Sallust. in eo bello trecenti milites desiderati sunt, vt & Græci πόλεμον, & μάχην confundunt. Vt autem belli nubem, sic & Homerus. B Iliad. ρ. ἐπὶ πτολέμοιο νέφος περὶ πάντα κεχύνθαι ἴκτορ. German.

DVM DETONET) Dum violentus hostium impetus remittatur. Alij aliter distinguunt.

QVO MORITVRE RVIS?) Bene pro patris salute succederes, si mecum æquo Marte certare posses. non victurus, sed moriturus ruis in prælium: audes, quod implere nequis. Piè dum facere vis, incautè facis. Iratus deinde percussor, & modus cædis exprimitur. Tunicæ meminit, vt ostendat, pulchrè potius vestitum, quam armis fortioribus tutum. Sinum ideo impleuit sanguis, quia medium iuuenem dixit esse percussum, hoc est, suprà cingulum. Donatus.

C EXTREMAQVE LAVSO PARCÆ FIL. LEG.) Nomina Parcarum ex Chrysippo interpretatur Theodoretus de Prouidentia serm. 6.

MOLLI MATER QVAM NEVER. AVRO) Nota morem priscum, quo inualuerat, vt matres texerent chlamydes militares filiorum. Stat. lib. 8.

——— triplici velauerat ostro
Surgentes etiamnum humeros, & leuia mater
Pectora.

Et lib. 9.

Ipse bis Oebalio saturatam murice pallam,
Lucentesq; auro tunicas (hoc neuerat vnum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclo,
Cornipedis læuo clypeum demiserat armo.

D Ioan. Bernartius.

* *Forsitan de tali veste accipiendum est, quod in eiulatu illo suo narrat mater Euryali, lib. 9.* tibi quam noctes festina diesq; Vrgebam, & tela curas solabar aniles.

VITA PER AVRAS CONCESSIT MOESTA AD MANES) Libr. 12. *Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub vmbras.*

At verò vt vultum vidit morientis, & ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris:
Ingemuit miserans grauiter, dextramq; tetendit:
Et mentem patriæ subiit pietatis imago.
Quid tibi nunc miserande puer pro laudibus istis,
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?

Arma, quibus lætatus, habe tua: teq; parentum
Manibus, & cineri (si qua est ea cura) remitto.
Hoc tamen infælix miseram solabere mortem:
ÆNEÆ MAGNI DEXTRA CADIS. Increpat vltro
Cunctantes socios, & terra subleuat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.
Interea genitor Tyberini ad fluminis vndam
Vulnera siccabat lymphis, corpusq; leuabat
Arboris accliuis trunco: procul ærea ramis
Dependet galea, & prato grauia arma quiescunt.
Stant lecti circùm iuuenes: ipse æger, anhelans
Colla fouet, fusus propexam in pectore barbam.
Multa super Lauso rogitat, multosq; remittit
Qui reuocent, mœstiq;, ferant mandata parentis.

VT VVLT. VIDIT MORIENT.) Æneas vt vidit vultum A morientis miro modo pallore confusum, ingemuit grauiter, plena miseratione commotus, & tetendit dextrã, vt ipsum, quod sequitur, terra subleuaret. Ideo miserabatur, quia erat ipse quoque pater, & viderat, quam religiosè patri suo hic adolescens seruierat: neq; cum fugiebat, quid filij parentibus, & hi viciſsim debeant liberis. Donatus.

QVID TIBI NVNC MISERAND. PVER) Cum vbique inducatur pius Æneas, tum etiam hìc à decoro eius personæ non receditur. Non solùm pietatem adolescens in patrem laudat, verum etiam præmio donat. Reddit illi sua arma, quibus eum exuere poterat. Remittit eum sepeliendum, ipsosque eius socios increpat cunctantes, B segnioresque in auferendo corpore.

PRO LAVDIBVS ISTIS) Laudes vocat, quia contra se fortiorem, & pro patris salute dimicare conatus est.

TANTA DABIT INDOLE DIGNVM) Indoles propriè est imago virtutis futuræ. & de semet, ad vitandam arrogantiam tertia persona vsus est. Seruius.

ARMA QVIBVS LÆT. HABE) quia cum his rebus solebant sepeliri, quas viuentes dilexerant, cum quibus, vt inferatur Lausus sepulchris maiorum suorum, (si quid sentiant manes) permittit Æneas.

SI QVA EST EA CVRA) Ad fabulã alludit, qua perhibentur defuncti semel gustatis aquis lethęis, rerum humanarum curam omnem deponere.

ÆNEÆ MAGNI DEXTRA CADIS) Affert nescio quid laudis, seu minus est triste, atque acerbum vinci, aut etiam iugulari à viro bellicoso, & magno, quam ab imbelli, & ignauo. Itaque in quam sententiam hæc scribit Virgilius, in eandem apud alios item poetas loci inueniuntur. Metamorph. lib. 5. Nileus Nili fluminis filius, qui de origine sibi magnopere plaudebat, interfectus Perseum, vt quidem rebatur.

Aspice, ait, Perseu nostra primordia gentis:
Magna feres tacitus solatia mortis ad vmbras,
A tanto cecidisse viro.

Et lib. 12.

Quisquis es, ô iuuenis, dixit, solamen habeto
Mortis, ab Aemonio quod sis iugulatus Achille.

Achelous verò ab Hercule lucta superatus, lib. 9.

— — ——— nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum est,
Magnaq; dat nobis tantus solatia victor.

Stat. lib. 8.

——— tandem inualidos Aetolus ad illum
Forte refert oculos, & formidabile ridens:
Iam dudum video, magnum cupis improbe lethi
Nomen, ait.

Et lib. 10. Capaneus.

Cui super assistens, non inficiamur honorem
Mortis, ait: refer huc oculos, ego vulneris auctor.

Videtur hoc eodem libro Pallas *lethum insigne* appellare, si à Turno occidatur, quem se potius occisurum confidit.

Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni: sorti pater æquus vtriq; est.

Nec verò frustra Æneas lib. 1. Æneid. in media tempestate exclamat,

—————ô Danaûm fortiſsime gentis
Tydide, mêne Iliacis occumbere campis
Non potuisse? tuaq; animam hanc effundere dextra?

Neutiquam prætereundus nobis Curtius. Is libr. 7. de triginta è Sogdianorum captiuis, eximio corporum robore nobiliſsimis, cum essent ad Alexandrum regem perducti, ac per interpretem mandato regis ad supplicium se trahi didicissent, carmen lætantium modo canere, tripudiisque, & lasciuiori corporis motu gaudium quoddam animi ostentare cœperunt. Admiratus rex, eos tanta animi magnitudine ad mortẽ proficisci, caussamque huius lætiæ requirens, audiuit. Si ab alio occi- C deremur, ô rex, in mœstitia fuissemus, & tristes mortẽ excepissemus. Nunc quoniã à tanto rege, omnium gentium victore maioribus nostris reddimur, honestam mortem, quam fortes viri voto quoque expetunt, carminibus nostri moris, lætitiaque celebramus. Hactenus Curtius. Verba Æneæ, *Ænea magni dextra cadis*, ad se quoque transtulit eadem de causa Diocletianus. Aprum siquidem Numeriani socerum, eiusdemq; interfectorem occidẽs, gloriare, inquit, Aper, *Aenea magni dextra cadis.* Vopiscus in Numeriano.

INCREP. VLTRO CVNCT. SOCIOS) Quum accederent, & venirent Rutuli, vt prostratum tollerent, vltro eos obiurgabat, tanquam tardos, & negligentes. Suble- D uabat ipse iacentem, comas suas ad pulchritudinem cõpositas, terræ puluere, & sanguinis sui vbertate turpantem. Antiquo more viri, sicut mulieres, componebant capillos: quod verum esse, & statuæ antiquorum docẽt, & personæ, quas in tragœdiis videmus similes in vtroq; sexu, quantum ad ornatum pertinet corporis. Donatus, Seruius.

VVLNERA SICCAB. LYMPH. Nouè, & physicè locu- A tus est. nam cum aqua omnia infundãtur, ait siccari vulnus: fluxus enim sanguinis aquarum frigore cõtinetur. Seruius.

CORPVSQVE LEVAB. ARB. ACCLIVIS TRVNCO) Leuabat corpus accliuis trunco arboris, id est, ipsa inclinatione nonnihil fouebat, & recreabat. Suprà, *arboris obnixus trunco*, nempe in 3. Georg. Docti legunt *acclinis* per, n, non *acclinis*, vt & apud Horat. Sat. 2. lib. 2. *Acclinis falsis animus*, à clino, clinas: vnde & apud Lucret. *clinamen principiorum*. * *Erit ergo acclinis pro accubans, & acclinatus trunco arboris se sustinebat. Simile quid huic Virgilij loco illud Cæsaris lib. 6. belli Gall. de alcibus. His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant, atque ita paululũ modò acclinatæ quietem capiunt. Iterum, hoc cum se consuetudine acclinarunt. Malè & trebique reclinarunt excudi curat, contra auctoritatem librorum veterum Turneb. lib. 3, cap. 19.* B

PROCVL DEPENDET) *Procul* modò iuxta significat, vt Eclog. 6. *Serta procul, tantum capiti delapsa iacebant*. Bene autem *grauia arma*, vt & galeam arma, sed leuia intelligamus: & talis est figura, sicut illa Sallustij, leonem atq; alias feras. Ergo & leo fera est Seruius.

STANT LECTI CIR.) Stabant circũ egregij & animosi iuuenes, qui solarentur ægrum, & debilem tuerentur.

FVSVS PROPEXAM IN PECT. BARBAM) est ἀρχαϊσμός, pro, *in pectora*. Sic alibi, mediis effusus in vndis, pro, in vndas medias. Seruius.

MVLTA SVPER LAVSO ROGITAT) sollicitus pro filio Lauso, diligenter, & multum de eo sciscitabatur, & mandata mittebat. Cõsiderabat quid ipse ab Ænea pertulisset, considerabat filij personam & ætatem, timebat ne per imprudentiam ipse salutem suam proderet. Donatus.

At Lausum socij exanimum super arma ferebant,
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnouit longè gemitum præsaga mali mens:
Caniciem immundo deformat puluere, & ambas
Ad cælum tendit palmas, & corpore inhæret.
Tantáne me tenuit viuendi nate voluptas,
Vt pro me hostili paterer succedere dextræ,
Quem genui? tuané hæc genitor per vulnera seruor,
Morte tua viuens? heu nunc misero mihi demum
Exilium infælix, nunc altè vulnus adactum.
Idem ego nate tuum maculaui crimine nomen,
Pulsus ob inuidiam solio, sceptrisq; paternis.
Debueram patriæ pœnas, odiisq; meorum
Omnes per mortes animam sontem ipse dedisse.
Nunc viuo, neque adhuc homines, lucemq; relinquo.
Sed linquam. Simul hæc dicens, attollit in ægrum
Se femur: & quanquam vis alto vulnere tardat,
Haud deiectus equum duci iubet. hoc decus illi,
Hoc solamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus. alloquitur mœrentem, & talibus infit.
Rhœbe diu (RES SI QVA DIV MORTALIBVS VLLA EST)
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta,
Et caput Æneæ referes, Lausiq; dolorum
Vltor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter. NEQVE ENIM FORTISSIME, CREDO,
IVSSA ALIENA PATI, ET DOMINOS DIGNABERE TEVCROS.

AT LAVSVM SOCII EXAN.) Eruditè animaduersum C à Scaligero. Poet. libr. 3. cap. 12. λύτρα & ἄποινα neglecta fuisse ab Ænea, magna significatione temperantiæ, cum iure belli redẽptitiam pecuniam liceat accipere. Fuit igitur nõ dissimilis Pyrrho, cuius illa vox apud Ennium, *Non cauponantes bellum, sed belligerantes*. Ideo & corpus Lausi dedit, vt apparet, sine pretio: & hac, & cæteris omnibus virtutibus fero Achille maior; qui filium patri auro vendidit: & auri atque argenti talenta pollicenti ait, Æneas inquam. *Auri atque argenti memoras quæ multa talenta, Gnatis parce tuis.*

SVPER ARMA FEREBANT) Mos Græcorum, milites in acie cæsos scutis imponere, & efferre. Huc accõmoda quæ superius annotata, in illum versum, *Impositũ scuto referunt Pallanta frequentes.*

INGENT. INGENTI VVLN. VICTVM) Persimile est illud Lucretij lib. 1. *Et grauiter magni magno cecidere ibi casu.*

CANICIEM IMMVNDO DEF. PVL.) Deformare puluere capillos, etiam sollemne in luctu. Exemplum est in 12. de Latino. Catull. *Caniciem terra, atque infuso puluere fœdans.* Homer. Iliad. σ.

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χάριεν δ' ᾔσχυνε μέτωπον.

Euripid. Hecuba. ἐν χθονὶ κεῖται, κόνει φύρουσα δύστηνον κάρα. In Supplicib. ἀμφὶ δὲ σποδὸν κάρᾳ κεχύμεθα. * *Licet hunc morem &*

rem & in sacris scripturis obseruare, idq́; sæpius. Nos adhuc quædam testimonia proponemus è poetis. Iuuenal. sat. 13.

——————nunc propexis in pectore barbis
Verrere humum, nunc fœdantes in puluere crinem
Canentem.

Stat. lib. 4. haustaque informis arena Questibus implet agros. *Senecaïn Troade.*

Soluite crines, per colla fluant
Mœsta capilli, tepido Troiæ
Puluere turpes paret exertos.
Turba lacertos
Ch. ———— coma demissa est
Libera nodo: sparsitque cinis
Feruidus ora,

Vide Alex. Neap. lib. 3. cap. 7.

AD CÆL. TEND. PALM.) Cur tendit ad cælum manus? Hoc gestu diis quasi cædem hanc exprobrat, & eos increpat. *Corpore inhæret*, dictum est per figuram enallagen, ablatiuus pro datiuo nimirum. Inhæret etiã corpori Pallãtis sui, & procumbit super eum gemitu, & fletu Euander libro sequenti, nec sine tristi querimonia. Vide item quæ dicta sunt Eclog. 5. ibi,

Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atq; deos, atq; astra vocat crudelia mater.

TANTANE ME TEN. VIVENDI VOLVPT.) Tangit vitium quod Græci φιλοψυχίαν, & φιλοζωΐαν vocant, vitæ retinendę mollem, & turpem cupiditatem. Suprà, *quæ lucis miseris tam dira cupido*, nempe lib. 6. *Per vulnera*, inquit, inuidiosè, cum vno tantum vulnere, gladio videlicet per pectus adacto concidisset. Dicit deinde, solatio viuentis filij sibi vtrumquê, & exilium, & acceptum ab Ænea vulnus fuisse tolerabile. Dolet enim de infamia, qua illum asperserat, cum exulis filius dicatur, & vult videri immeritò pulsus. Quod si iustè ad pœnam petebar, tradere me potius omnibus suppliciis debui, quam cũ odio ciuium meorum superesse. Omnino viuere vltra velle nũ debui, si meis exosus fui, quia male de iis meruerim. Atque ita letho tuo non superessem. Ex Seruio, & Donato.

OMNES PER MORT. ANIM. SONT. IPSE DED.) Debueram me cuilibet periculo, sine vllo mortis metu obiicere.

ATTOLLIT IN ÆG. SE FEM.) Cum ipso vltimo verbo sententiæ, qua indicauit sibi esse moriendum, in ægrum se extulit femur. Et licet tardaretur alti vulneris violentia, haud deiectus tamen, neque in totum debilitatus animo, equum duci iubet, vt eo veheretur debilis, quo vti solitus fuerat sanus. Hic ornamentum erat domino suo, hic solatium, ipsius auspicio ex bellis omnibus victor remeabat. Talis etiam fuit, qui ad vltionẽ duci debuisset. Non enim tam viuere Mezentius cupiebat, quam filij interitum vindicare. Tali ergo vti equo voluit, qui antè cum palma redire consuesset. Hunc quasi mala domini sui sentientem alloquitur. Donatus.

RHOEBE DIV, RES SI QVA DIV MORTAL.) Sic Achilles Xanthum equum suum alloquitur Iliad. 7. Lege quæ affert in Indice Erythræus, in voce *Rhoebe*. Cic. pro M. Marcello. Quid enim est omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cum venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? Seneca de breuitate vitæ, capite 2. Vita, si scias vti, longa est. Idem epistola 93. vitam boni, & sapientis viri comparat libro paucorum versuum, sed laudando, atque vtili: improbi, & stulti, annalibus Tamusij cuiusdam longis, & insulsis, atque ineptis. Sed diuina sunt, quæ habet epist. 93. Non vt diu viuamus, curandum est, sed vt satis. Nam vt diu viuas, fato opus est: vt satis, animo. Longa est vita, si plena est. Impletur autem, cũ animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transtulit.

Quam sunt hæc verba (Mezentij) forti viro digna? quam etiam propria, si dolor aliquanto fuisset sedatior? Vides qua fiducia magnum, ac se dignum facinus aggrediparet? quo etiam animo decernat mori, si fortuna parum fauisset incepto? Honestam mortem turpi vitæ anteponit. Iouian. de fortitud. lib. 1.

SPOLIA ILLA CRVENTA) Cum Seruio accipimus arma Æneæ, cruore Lausi perfusa: ipsi enim Lauso arma Æneas non detraxerat.

VLTOR ERIS MECVM) Pariter apud Statium Hippomedon ad equum Tydei.

Quod superest, caros i saltem vlciscere manes,
Aut sequere, extorrem nec tu quoq; laseris vmbram
Captiuus, timidumq́; equitem post Tydea portes.

APERIT SI NVLLA VIAM VIS) si virtuti est aduersus euentus.

NEQVE ENIM FORTISS. CREDO) Est & hoc notatu non indignum: quod ait *fortissime*, intelligi Teucros ignauos. Plerumque enim ex alterius personæ vituperatione, vel laude, cognoscimus quid de alia dicatur. Ex Rhoebi ergo laude, hic Troianos vituperatos cognoscimus. Seruius.

Dixit: & exceptus tergo consueta locauit
Membra: manusq; ambas iaculis onerauit acutis,
Ære caput fulgens, cristaq; hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit, æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistoq; insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.
Atque hîc Æneam magna ter voce vocauit.
Æneas agnouit eum, lætusq; precatur.
Sic pater ille deûm faciat, sic altus Apollo:
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, & infesta subit obuius hasta.
Ille autem: Quid me erepto sæuissime nato
Terres? hæc via sola fuit, qua perdere posses.

NEC

NEC MORTEM HORREMVS, NEC DIVVM PARCIMVS VLLI.
Desine. iam venio moriturus, & hæc tibi porto
Dona prius. Dixit: telumq; intorsit in hostem.
Inde aliud super, atq; aliud figitq;, volatq;,
Ingenti gyro: sed sustinet aureus vmbo.
Ter circum astantem læuos equitauit in orbes,
Tela manu iaciens: ter secum Troïus heros
Immanem ærato circumfert tegmine syluam.

EXCEPTVS TERGO CONSVETA LOCA.) Equo se A præbente, & admouente susceptus est, quod fieri plerunq; conspicimus in consuefactis equis. Et quod manus ambas onerauerit iaculis, auiditas sæuientis exprimitur. Æstuabat duobus animi motibus: pudore, quia victus erat, quia inuenerat fortiorem, & cuius virtutẽ in vulneris atrocitate persenserat: & luctu, quia talem perdiderat filium. Seruius, Donatus. * *Aestuabant præterea, vt sequitur, amor erga mortuum, & virtus: id est, hisce duabus quoq; rebus vehementer incendebatur. Verba ista* æstuat ingens, *cum duobus versibus deinceps sequentibus, repetuntur lib. 10.*

ÆN. MAG. TER VOCE VO.) Debuit non prouocare eum, cuius virtutem senserat, & timere potius, quem exemplo suo probauerat fortiorem: sed cur metueret, cui æquis votis optabile fuit, aut vincere, aut perire? B Sæpius igitur Æneam clara voce vocat, ostendens, post acceptũ vulnus nihil imminutum de animi, sui cõstantia. Remittit responsum Æneas, ne timorem aliquem silentio testetur. Magna deinde animi, ac virtutis fiducia monstratur in Ænea, dum in hostem primus tela contendit. Donatus.

INCIP. CONFERRE MAN.) Lib. 11. Turnus ad Pandarum, *Incipe si qua animo virtus, & consere dextram.*

INFESTA SVB. OBVIVS HASTA) Infesta hasta, est in vulnus parata, vel protenta.

QVID ME EREPT. SÆVISS. NATO) Orbatum filio frustra territas patrem, magis enim post illius excessum cupio mori. Odi hanc lucem, in qua incolumem natum meum videre non possum. Inuenisti viam, qua Mezentium perderes, alia cum superare non posses. Mors mihi beneficium est, quam minaris. Non parco dijs, quos ipsę veneraris, & colis (& respicit ad illud, quod proximè dixerat Æneas, *Sic pater ille deûm faciat.*) nec superstitiosis precibus rogabo, quas contemno. Sed accipe prius munuscula, & excipe hastas meas, vt irascaris, & pereas. Multò copiosius Donatus hæc eadem.

B VOLATQVE INGENTI GYRO) Circumibat Æneam ingentibus gyris, vt aduersum potius, quam auersum feriret. Æneas omnibus telis occurrebat, scuto ea excipiens. *Laeuos in orbes* ideo, vt Æneæ dexteram partem circumueniret, quæ vtique nuda erat. Fuerat autẽ scutum Æneæ tot iaculis fixum, vt syluæ faciem præferret. Donatus.

AERATO CIRCVMF. TEG. SYLVAM) Versum hũc ecce vt imitetur Statius lib. 8. loquens de Tydeo, *densis iam consitus hastis Ferratum quatit vmbra nemus.*

Inde vbi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere, & vrgetur pugna congressus iniqua:
Multa mouens animo, iam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi caua tempora conijcit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumq; equitem super ipse secutus
Implicat, eiectoq; incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cælum Troesq;, Latiniq;.
Aduolat Æneas, vaginaq; eripit ensem:
Et super hæc: vbi nunc Mezentius acer? & illa
Effera vis animi? contrà Tyrrhenus, vt auras
Suspiciens hausit cælum, mentemq; recepit.
Hostis amare, quid increpitas, mortemq; minaris?
NVLLVM IN CÆDE NEFAS, NEC SIC AD PRÆLIA VENI,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Vnum hoc per (si qua est victis venia hostibus) oro,
Corpus humo patiare tegi. scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc (oro) defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulcro.
Hæc loquitur, iuguloq; haud inscius accipit ensem:
Vndantiq; animam diffundit in arma cruore.

mole consistunt. Par eruditio è somnijs: sunt enim species sine materia, à materiaris fluentes speciebus. Nec sine maxima scientia dixit, sopitos sensus eludi: nō enim eluduntur non sopiti. In sequentibus autem versibus, *At primas læta ante acies*, &c. non pictam rem, aut mortuam poësin videas, sed rem ipsam, vt ita dicam, vegetā, atq; viuam.

PRIM. LÆTA ANTE ACIES EXVLT. IMAGO) Ideo hac arte agit Iuno, & imagine decipit Turnum, quia si ex aperto fugā suaderet, more viri fortis ille fugæ præponeret mortē cū præsertim ipse in sequētib. dicat, *Vsq; adeóne mori miserum est*: Ideo autē læta, ideo exultans imago, vt prouocaret in iracundiā Turnum, q̄ magis facit telis, & voce. Tot modis prouocatus Turnus sumit B audaciā, hastā iacit. Sed vmbra mox in fugam versa est, nempe vt le insectantē paulatim ab exercitu ad nauim perduceret. Seruius, Donatus.

IRRITATQVE VIRVM TELIS) Irritare dictum est propriè prouocare, tractum à canibus, qui cum prouocantur, irriunt. Lucil. Satyr. lib. 1. *Irritata canes quod homo quam, planiu' dicit*. Sallust. Historiar. lib 1. Tunc verò & pasci, cum cæteri eiusdem caussa, & ducem senatus rati, maximo gaudio bellum irritare. Plaut. Amphit. *Irritabis crabrones*. Varro Sesquiulysse. Omnes irritares ventos, omnesq; procellas. Hæc Nonius.

AVERSVM VT CED. TVRNVS CRED.) Vanus error fuit in sensibus Turni, vt ipsum Æneam terga dedisse C crederet. Quare vana spe ductus, in vocem superbam erupit. Expecta, inquit, vt seruata pactorum fide, optatam ducas vxorem. Ego tibi mea dextera (vides sarcasmum ?) dabo terram, quam diu quæsiuisti per maria. Sic alibi ipse, simili figura sermonis. *En agros, & quam* A *bello Troiane petisti, Hesperiam metire iacens*. Donatus, Seruius.

NEC FERRE VID. S. GAVD. VENTOS) Nec animaduertit, vanum esse suum gaudium. Prouerbiali schemate vsurpari solet, ventis tradere, pro eo, quod est, obliuisci, atque ex animo eijcere. Nam quæ ventus rapit, nostram custodiam euadunt, & nobis quodammodo amplius cordi non sunt. Hoc eodem prouerbio vtitur poeta lib. 9. *sed aura Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant*. lib. 11.

Audijt, & voti Phœbus succedere partem
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.

Catullus ad Alphenum, quem perfidiæ accusat,

Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaq;
Ventos irrita ferre ad nebulas aërias sinis.

Anacreon.

Ὅτ' ἐγὼ πίνω τὸν οἶνον	*Vbi dulce poto vinum,*
Ἀπορρίπτονται μέριμναι	*Subitò molesta cura, &*
Πολυφροντίδες δὲ βουλαὶ	*Operosa consilij vis*
Ἐς ἁλικτύπους ἀήτας	*Rapidas eunt in auras.*

Theognis.

Τῶν ἀγαθῶν ἔσθ' ἡ μὲν ὑπόκρισις, ἐσθλὰ δὲ ἔργα.
Τῶν δὲ κακῶν ἄνεμοι δειλὰ φέρουσιν ἔπη.

Bonorum bona est responsio, & bona opera : malorū autem venti misera ferunt verba. Titius libr. 9. cap. 1. Adiunge ex Indice Erythræi hæc testimonia Virgil. lib. 11. *inque Notos vocem vertere procella*. Catull. de nupt. C *Quæ cuncta aërei discerpunt irrita venti* Ibid. *Irrita ventosæ linquens promissa procellæ*. Penelope Ouidiana. *Fallor: & hoc crimen tenues vanescat in auras*. Et Dido apud eundem. *Atq; ijdem venti vela, fidemq; ferent*. * *Huius ce ordinis sunt etiam*, ventis loqui, *Lucret. lib. 4.* tu fac ne ventis verba profundam. *Item*, verberare aërem, *&c.*

Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, & ponte parato,
Qua rex Clusinis aduectus Osinius oris.
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conijcit in latebras. nec Turnus segnior instat,
Exuperatq; moras, & pontes transilit altos.
Vix proram attigerat, rumpit Saturnia funem,
Auulsamq; rapit reuoluta per æquora nauem.
Illum autem Æneas absentem in prælia poscit:
Obuia multa virûm demittit corpora morti.
Tunc leuis haud vltra latebras iam quærit imago,
Sed sublimè volans nubi se immiscuit atræ:
Cum Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusq; salutis:
ET DVPLICES CVM VOCE MANVS AD SIDERA TENDIT:
OMNIPOTENS GENITOR, TANTON' ME CRIMINE DIGNVM
DVXISTI? ET TALES VOLVISTI EXPENDERE POENAS?
Quò feror? vnde abij? quæ me fuga? quemúe reducet?
Laurentisné iterum muros, aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me, meaq; arma secuti?
Quosq; (nefas) omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumq; cadentum
Accipio. quid agam? aut quæ iam satis ima dehiscat
Terra mihi? vos ô potius miserescite venti:

In ru-

In rupes, in ſaxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, ſæuisq́; vadis immittite ſyrtes:
Quò neque me Rutuli, neque conſcia fama ſequatur.
HÆC MEMORANS, ANIMO NVNC HVC, NVNC FLVCTVAT ILLVC,
An ſeſe mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, & crudum per coſtas exigat enſem:
Fluctibus an iaciat mediis, & littora nando
Curua petat, Teucrûmq́; iterum ſe reddat in arma.
Ter conatus vtramque viam: ter maxima Iuno
Continuit, iuuenemq́; animo miſerata repreſſit.
Labitur alta ſecans fluctuq́;, æſtuq́; ſecundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad vrbem.

FORTE RATIS CELSI) Oſtenditur occaſio percommoda ad Turnum auehendum.

CREPIDINE SAXI) Crepidine pro crepidini, vt ſuprà, *haret pede pes*, pro pedi. Crepidinem ex Lexico vetuſto interpretatur Turneb. riparum ſummitatem, & gradum ſaxeum.

RVMPIT SAT. FVNEM) Quod dixit rumpit, nō ſoluit, & auulſam, id eſt, non ſimpliciter ſeparatam à ſaxo, oſtendit magnam interueniſſe neceſſitatē. Adhibenda quippe facto fuerat vis, quo citius fieret, quod fuerat neceſſarium, antequam Turnus aduerteret, & deprehenſo dolo ad bellum rediret. Vbicunque autem poeta poſuit *rumpere*, maiorem oſtendit neceſſitatem. Locos congerit Donatus.

ÆNEAS ABSENT. IN PRÆLIA POS.) Verus Æneas abſentem Turnum quærebat, & petebat in prælia: quicunque verò illi fieret obuius, eum morti tradebat. Leuis autem vmbra, quippe quæ ex nube conſtabat, completo eo, ꝙ fuerat neceſſarium, vlterius latebras non quæſiuit: ſed ſe nubibus miſcuit, & eò, vnde venerat, remeauit. Interea vis venti Turnum per pelagus trahebat: qui artis, qua euaſerat, ignarus, & pro aduerſo exiſtimans, quod pro ipſius ſalute fuerat geſtum, tetendit manus ad ſidera, & hæc gemebundus effudit: quo in facto potuiſſet ingrati crimē incurrere, niſi geſta neſciret. Don.

DIMITTIT CORPORA MORTI) De Palamede lib. 2. *quē falſa ſub proditione Pelaſgi Demiſere neci.* Ibid. *multos Danaûm demittimus orco.*

INGRAT. SALVTIS) ἀχάρισ͂ος τῆς σωτηρίας.

OMNIPOT. GENIT.) Duplex antonomaſia pro vno proprio, vt, Tritonia Pallas. Incipit deinde enumerare omnia, quæ illum cruciabant. Quod affirmat ſe palantes videre, & gemitus cadentum audire, moralitatem texuit. Nam cū in incertis relinquimus quempiā, vel ad incerta dirigimus, potius mala ſperamus euenire poſſe, quam bona. Certè longius aberat Turnus, quam vt vel videret palantes, vel audiret gementes. Dolet deinde, ſibi etiam infælicium vota ablata: ſiquidem in mari conſtitutus, optare hiatum non poteſt terræ. Dido in 4. *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat.* Mox à ventis ſupplicium pro beneficio petit. Nam pro petentis qualitate nonnunquam mors videtur eſſe neceſſaria. Sic ſuprà lib. 9. *Figite me, ſi qua eſt pietas.* Cupit autem nauim in ſaxa impingi, vt ea fracta ipſe ſubmergatur: aut in ſyrtes, quæ ſunt arenoſa mundi extremi loca, quo eum fama, ſeu ignominia iſta non ſequatur. Donatus, Seruius.

VOLENS VOS TVRNVS ADORO) Adoro poſitum eſt pro, oro, compoſitum pro ſimplici. Sic Propert. lib. 1. eleg. 4. *maneas ſic ſemper, adoro.* Ouid. *Hunc ego me non, ut defendere tentes, adoro.* Iuuenal.

——— libertas pauperis hac eſt:
Pulſatus iacet, & pugnis conciſus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

Sic apud Lucret. in deſcriptione veris. *Prima caloris enim pars & poſtrema rigoris Tempus adeſt vernum.* Adeſſe dixit pro eſſe, ſicut non longè à principio eiuſdem libri. *Delibata deûm per te tibi numina ſancta Sæpe aderunt.* Sic adſtare pro ſtare, in libero Carmine. *Auctumnus ſterilis duobus aſtans.* Probus in Datame, accredere pro credere.

NVNC HVC, NVNC FLVCT.) Quum hæc diceret, & animo fluctuaret, apto verbo vſus eſt poeta *fluctuat*, alluſit enim, vt quomodo in fluctibus fuit, ſic mente quoque fluctuare videretur, huc atque illuc vertens tractatus ſuos omnes inſtabiles, & vagos. Aliquando enim parabat ſeſe percutere gladio, & ferro abolendum decernebat dedecus ſuum. Aliquando vt iret in fluctus, & nando perueniret ad littora: ſed hoc armis efficere non valebat: non enim natare poſſet armatus. Inermis autem quomodo veniret ad terras, armis hoſtium pleno ardore feruentibus? Quoties autem voluit aggredi alterum de duobus, toties Iuno ardores animi iuuenilis oppreſſit. Quid enim prodeſſet morti eſſe ſubtractum, ſi ſe in mari perimeret, aut ſe necaret gladio ſuo? Donat.

MVCRONE INDVAT, ET CRVD. PER COST. EXIG. ENSEM) Aut κατα χρηστικῶς dixit, pro feriat: aut ὑπαλλαγμένως, pro mucronem ſuo induat corpore. Si enim induere, eſt veſtire, non mucrone corpus induitur, ſed induitur mucro corpore, id eſt, tegitur, & veſtitur. *Crudum enſem*, id eſt, crudelem, & cruentum. Seruius.

Per abuſionem à Virgilio dictum Seruius exiſtimat, *mucrone induat*, à quo diſſentio. Nam & elegantiſſimus inprimis, & doctiſſimis ſcriptor Cæſar eodem modo loquitur lib. 7. ſe ipſi acutiſſimis vallis induebāt. Inde natum dicendi genus, quod quæ inhærerent corpori, tanquam veſtimenta viderentur. Turneb. lib. 29. cap. 24. * *Idem Cæſ. lib. 2. acutiſſimis ſtipitibus induebantur. Sic loquitur & Tullius 4. Verrin. Hic videte, in quos laqueos ſe induerit. Et in Academ. Antiochus in id ipſum ſe induit, quod timebat. Lucret. feſtiuè admodum ad falſam opinionem conuertit hoc verbi, libr. 4.*

Deinde adopinamur de ſignis maxima paruis,
Ac nos in fraudem induimus, fruſtamur & ipſi.

Quidam libentius legerent ex Priſciano, & propter quadam exempla Ciceronis, in accuſandi caſu, an ſeſe in mucronem. *Sed nos vulgatam lectionem non mouemus.*

TER CONATVS, &c. TER. MAXIMA IVNO) Eſt tale, quale illud lib. 6. *Bis conatus erat caſus effingere in auro, Bis patriæ cecidere manus.* Et quod addere potuiſſet Germanus ex 2. Æneid.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago.

ANIMO MISERATA) Seruius legit, *animi miserata* vt sit figurata locutio, quomodo lib.12. *O præstans animi iuuenis*, pro animo.

LABITVR ALTA SECANS) Ecce quantum potuit Iuno. Turnus sententiam ordinare non permittitur: nauis sine rectore, sine arte, sine suffragio prosperante

A ventorum, ad antiquam vrbem secundis lapsibus venit. Completum est, quod apud Iouem egit Iuno, ait enim, *quin & pugna subducere Turnum, & Dauno possem incolumem seruare parenti.* Donatus.

ANTIQVAM DAVNI DEFERTVR AD VRBEM) intellige Ardeam, & ideo sic longè, ne ex propinquo statim rediret, & vt eum affectus retineret parentis. Seruius.

At Iouis interea monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosq; inuadit ouantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus vni,
Vni, odiisq; viro, telisq; frequentibus instant.
Ille, velut rupes vastum quæ prodit in æquor,
Obuia ventorum furiis, expostaq; ponto,
Vim cunctam, atque minas perfert cæliq;, marisq;:
Ipsa immota manet. Prolem Dolicaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumq; fugacem.
Sed Latagum saxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat os, faciemq; aduersam: poplite Palmum
Succiso volui segnem sinit, armaq; Lauso
Donat habere humeris, & vertice figere cristas.
Nec non Euantem Phrygium, Paridisq; Mimanta
Æqualem, comitemq;, vna quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face prægnans
Cisseis regina Parin creat: vrbe paterna
Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper (multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosq; palus Laurentia) sylua
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitq; ferox, & inhorruit armos:
Nec cuiquam irasci, propiusúe accedere virtus,
Sed iaculis tutisq; procul clamoribus instant:
Haud aliter, iustæ quibus est Mezentius iræ,
Non vlli est animus stricto concurrere ferro,
Missilibus longè, & vasto clamore lacessunt.
Ille autem impauidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

AT IOVIS INTER. MONIT) Nouimus sacrilegum B esse Mezentium, quomodo ergo procedit, *At Iouis interea monitis, &c.* dicimus primò, Iouem iustitię fauere, non partibus: quod si est, iure Mezentium in Turni locum fecit venire; vt iustum prælium inueniatur, nec vna pars penitus à ducibus sit destituta. Quod autem dicitur, sacrilegum Iupiter admonere nō debuit: non admonet vt vincat, sed vt possit perire. [*Vide quæ scripta sunt 2. Æneid. super illis.* Hîc mihi nescio quod trepido malè numen amicum Confusam eripuit mentem.] Illud etiam frustra quæritur, quemadmodum numini sacrilegus obtemperare potuit, cum Mezentium nō apertè Iupiter moneat: sed ei iniiciat tale desiderium: vnde est, *diiné hunc ardorem mentibus addunt, Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?* Meritò autem, concurrunt Tyrrhenæ acies, quæ specialiter odio Mezentij in bellum ruebant. Similitudo est ex Iliad. o.

———— ἠΰτε πέτρη
Ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,
Ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα,
Κύματά τε τροφόεντα, τά τε προσερεύγεται αὐτῇ,
Ὣς Δαναοὶ Τρῶας μένον ἔμπεδον, οὐδ' ἐφέβοντο.

Seruius, Vrsin.

OMNIBVS VNI, VNI ODIISQVE VIRO TEL. FREQ. INSTANT) Imitatus est Statius lib. 12. in extremo, de Tydeo.

Et iam corporibus sese spoliisq; cadentum
Clauserat: vnum acies circum consumitur, vnum
Omnia tela vouent.

C Adeo exulceratos in Mezētium, cuius tyrannidem ferre ultra non potuerant, gerebant animos Tyrrheni, vt simul ac eum in acie cōspicerent, præ omnibus eius caput

put quasi coniurati peterent: quò ita dolorem, & odium suum eius interitu, si possent, consolarentur. Sic cum Epaminondas Thebanorũ Imperator apud Mantineam, acie instructa audacius instaret hostibus (verba sunt AEmilij Probi) cognitus à Lacedæmoniis, quod in eius vnius pernicie, patriæ sitam putabant salutem, vniuersi in vnum impetum fecerunt, neq; prius abscesserunt, quàm magna cæde facta, multisq; occisis, ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum concidere viderunt.

VASTVM QVÆ PRODIT IN ÆQVOR) Notatum est à me alibi, vocabulum *æquor* non solum dici in mari, sed in terra quoque, & cælo: immò verò de aliis quoque rebus videas vsurpari, quæ planæ sunt. Itaque Lucret. lib. 2. dixit æquor saxi, pro æqualitate, & planitie quadã saxi. *atque rigere Frigore, cum in summo gelidi cubat æquore saxi*. Id est, in saxo æquabili, non aspero, polito.

OBVIA VENTOR. FVRIIS) Tibull. lib. 2. *Stare vel insanis cautes obnoxia ventis.*

PROL. DOLICAONIS HEB.) Describuntur quos occidit Mezentius. In vnica interdum epitheti voce dictũ aliquod memorabile inclusum videri potest, velut hic. Nam ad illud Simonidis alludi puto. ὁ δ' αὖ θάνατος ἔκιχε καὶ τὸν φυγόμαχον. Quod Horatius totidem verbis interpretatus est, Ode 2. lib. 3. *Mors & fugacem persequitur virum.*

POPLITE SVCCISO VOLVISEG.) non ambulantem, ob succisum poplitem

DONAT HABERE) Græca figura, vt, *argenti magnum dat ferre talentum.* In 5. etiam de lorica Demolei dixit, *donat habere.* Vide quæ ibidem ex Victorio attulimus. Nõ male dedit hæc arma hosti detracta, filio: quia enim deos contemnere perpetua obstinatione didicerat, nõ ea cuipiam numini seruare potuit. Hactenus ex Donat. Seruio, & aliis.

PARIDIS MIMANTA ÆQ. COMITEMQVE) Ludit inter duorum nomina, natiuitates, parẽtes, mortuos. Occidit enim Mezentius Euantem, occidit Mimantem, qui Paridis aliquando fuisset æqualis, & comes, natus Amyco, & Theano. Paris ex Cisseide, id est, Hecuba Cissei filia secundum Euripidem, secundũ alios Dymantis, quæ antequam pareret Parim, per somnium se facem eniti vidit: qua re portendebatur, facem patriæ suæ futurum, quem mox paritura esset. Quod etiam euentus comprobauit. Et Paris quidem apud vrbem paternam, Troiam videlicet, occubat, Mimanta Laurentes cadentem exceperunt.

ÆQVALEM) Æquales sunt similes, & ex æquo. Æquales rursum æquæui, vt hic. Lucil. Sat. 5. Veruntamen vnum cecidisse tamẽ senem Tiresiam æqualem constat. Virgil. lib. 5. *Ast illum fidi æquales.* Terent. Eunucho. *patris cognatum, atq; æqualem Archidemidem Nostin?* Cic. 3. Off. P. Scipionem dicere solitum scripsit Cato, qui fuit ferè eius æqualis. Et de Senect. Ego vero propter sermonis delectationem tempestiuis quoq; conuiuiis delector, nec cum æqualibus solum, qui pauci restant, sed cum vestra etiam ætate. Hæc Nonius.

FACE PRÆGNANS) Quatuor faces sceleratas animaduertit, & vocauit, Hyginus, cap. 249. Facem, quam sibi visa est parere Hecuba Cissei filia, siue Dymantis. Nauplij, ad saxa Capharea, cũ naufragium Achiui fecerunt. Helenæ, quam de muris ostendit, & Troiam prodidit. Althææ, qua Meleagrũ occidit, filium suum. Meminit. Virgil. primæ facis etiam li. 7. vbi furens Iuno. *nec face tãtum Cisseis prægnans ignes enixa iugales.* Vide ibid. Symbolas.

IGNARVM) id est, ignoratum, ignotum. Lege cap. 9. lib. 12. apud Gellium, de verbis, quæ in vtramq; partem significatione reciproca efferuntur, id, est, agendi, & patiendi. In extremo sic ait. Ignarus æquè vtroque versum dicitur, non tantùm qui ignorat, sed & qui ignoratur. Sallust. More humanæ cupidinis ignaro visendi. Deinde hunc ipsum Maronis locum laudat, quem & Nonius in verbo *Ignarus*, vt obseruatum est ab Aldo Manut. in Scholiis Iugurthin. qui insuper hæc producit testimonia. Tacit. lib. 2. per occulta, & vigilibus ignara. Et lib. 3. non sibi quidem ignara, quæ vulgabantur. Et lib. 12. nihil tam ignarum barbaris, quam machinamẽta, & astus oppugnantium. Sic *gnarus* pro cognitus, apud eundem Tacitum. Idque nulli magis gnarum, quam Neroni. Et, campos madentes, & ipsos gnaros.

AC VEL. ILLE CANVM) Ille, ornatus tantum gratia inseritur. Homerica comparatio est ex Iliad. λ.

> ὥς δ' ὅτε κάπρειον ἀμφὶ κύνες, θαλεροί τ' αἰζηοὶ
> Σεύονται, ὁ δέ τ' εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο,
> Θήγων λευκὸν ὀδόντα μετὰ γναμπτῇσι γένυσι,
> Ἀμφὶ δέ τ' ἀΐσσονται, ὑπαὶ δέ τε κόμπος ὀδόντων
> Γίνεται. οἱ δὲ μένουσιν ἄφαρ δεινόν περ ἐόντα.

Quam generosè venatoribus resistat aper, quantaque cum difficultate capiatur, his carminibus ostenditur. Videndus libellus Xenophõtis de venatione. Lib. eiusdem 1. de vita, & disciplina Cyri, interrogãti puero Cyro comites, dum in venationem exit, quę nam feræ propius adeundę non sint, & quæ fidenter insequendæ, ipsi respondent. Permultos cum apris, & vrsis, & leonib. & pardalibus congressos, esse interemptos: ceruos aũt, & capras, & syluestres oues, & asinos etiã syluestres esse innocuos. Infrà idem Cyrus puer, dum apud coæuos feras viuariis inclusas contemnit, & montanas, siue syluestres longè anteponit, & harum venatum illarum venatui multum præfert: ô pueri, vt nugabamur, quãdo hortorum feras venabamur? Nam id mihi simile videtur, quemadmodum si quis ligata animalia venaretur. Primùm enim erant paruo in loco, deinde tenues, & scabiosæ: & alia earum clauda erat, altera manca. Sed quæ in montib. bestiæ sunt, & pratis, vt sunt pulchræ? vt sunt magnæ? vt pingues apparebant? Atque ceruæ quidem tanquam volucres saltu tollebantur ad cælum: apri verò, vt viri fortes traduntur, ferebantur aduersi: quorum tanta est latitudo, vt ab hiis ictus aberrare nequeat. Pulchriores profectò hæ mihi feræ videntur vel mortuæ, quam viuæ illæ munimine hortorum, muroque inclusæ. Hactenus Xenophon.

IVSTÆ QVIB. EST MEZEN. IRÆ) Sic dictum est *quibus est ira*, vt dicimus, quib. est odio, amori, Ergo intellige, qui iuste irascuntur Mezentio, meritòq; illi infensi sunt. * *Versum hunc cum duobus sequentibus, fortasse rectius legeremus post illum, qui vno tantum interposito sequitur, nempe post hunc*, Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas, *vt esset comparatio non interrupta. & duo isti versus*, Ille autem impauidus: Dentibus infrendens, *non de Mezentio, sed potius de apro acciperentur. Monet hoc de re Stephanus.*

ILLE AVTEM IMPAVIDVS) Hoc, & quod sequitur, ad aprum pertinet, ad ipsum enim remeat, vt parabolam claudat. Essent autem hi duo versus cum superiore illo coniungendi. *Sed iaculis, tutisq; procul clamoribus instant.* Ad illustrãdum, similem è 6. Lucani locum profert German. de elephanto.

> *Getulus densis elephas oppressus ab armis,*
> *Omne repercussum squalenti missile tergo*
> *Frangit, & hærentes mota cute discutit hastas.*

TERGO DECVTIT HASTAS) scuto, quia scuta tergoribus bubulis integebantur.

Venerat antiquis Coriti de finibus Acron,
Graius homò, infectos linquens profugus hymenæos.
Hunc vbi miſcentem longè media agmina vidit
Purpureum pennis, & pactæ coniugis oſtro,
Impaſtus ſtabula alta leo ceu ſæpe peragrans
(SVADET ENIM VESANA FAMES) ſi fortè fugacem
Conſpexit capream, aut ſurgentem in cornua ceruum,
Gaudet hians immanè, comasq́; arrexit, & hæret
Viſceribus ſuper accumbens: lauit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in denſos alacer Mezentius hoſtes.
Sternitur infælix Acron, & calcibus atram
Tundit humum expirans, infractaq́; tela cruentat.
Atque idem fugientem haud eſt dignatus Oroden
Sternere, nec iacta cæcum dare cuſpide vulnus.
Obuius aduerſoq́; occurrit, ſeq́; viro vir
Contulit, haud furto melior, ſed fortibus armis.
Tum ſuper abiectum poſito pede nixus, & haſta,
PARS BELLI HAVD TEMNENDA VIRIS, iacet altus Orodes:
Conclamant ſocij lætum Pæana ſecuti.
Ille autem expirans: Non me quicunque es inulto,
Victor, nec longum lætabere: te quoque fata
Proſpectant paria, atque eadem mox arua tenebis.
Ad quem ſubridens miſta Mezentius ira.
Nunc morere: aſt de me diuûm pater, atque hominum rex
Viderit. hoc dicens, eduxit corpore telum.
OLLI DVRA QVIES OCVLOS, ET FERREVS VRGET
SOMNVS, IN ÆTERNAM CLAVDVNTVR LVMINA NOCTEM.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hidaſpem,
Partheniumq́; Rapo, & prædurum viribus Orſen,
Meſſapus Cloniumq́;, Lycaoniumq́; Ericaten:
Illum, infrænis equi lapſu tellure iacentem:
Hunc, peditem pedes. & Lycius proceſſerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis auitæ
Deiicit. Atronium Salius, Saliumq́; Nealces,
Inſignis iaculo, & longè fallente ſagitta.

VENERAT ANTIQ. COR. DE FINIB. ACRON GRAIVS) Nihil horum ad bellorum pertinet cauſſam, ſed, ſicut iam ſæpe dictum eſt, reficiendo lectori proficiũt: vel ne deturpetur dictio ſi puris, ac ſolis nominib. comparetur. Quanquam igitur origine Græcus Acron, tamen de Tuſcia veniebat, & cum reliquis Tuſcis ſeſe Troianis iungebat. Etiam parabolæ propter ornatum dictionis interponuntur, ne horreſcat totum, ſi nomina ſola cumulentur. Addidit autem cauſſam, quæ faceret, vt eum Mezentius longè conſpiceret agmina perturbantem, criſtas purpureas, & ſponſæ veſtem purpuream: qua re ſatis ſuam molliriem, & inertiam oſtendebat. Mox in eum Mezentius tanta auiditate irruit, quanta eſuriens leo in capream, aut ceruum fertur: in duo ſcilicet animalium genera, quæ nec pugnare ſciũt,

A nec habent aliquam in reſiſtendo virtutem. Cætera ad pompam deſcriptionis pertinent, vt leonis auiditas oſtendatur. Donatus.

INFECTOS LINQVENS PROFVGVS HYMENÆOS) Deſponderat ſibi puellam, ſed eam nondum factis nuptiis domum duxerat. Talia exempla non ſunt ita rara. Ire autem in militiam nuper ducta vxore, præſertim adoleſcente, hoc rarum. Itaque etiam Moyſes Deuteron. cap. 29. militiæ immunitatem huiuſcemodi nouis maritis per annum concedit, his verbis. Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam neceſſitatis iniungetur publicę: ſed vacabit abſq; culpa domi ſuæ, vt vno anno lætetur cum vxore ſua.

HVNC VBI MISE.) Huic versui non dissimilis est ille Homericus Iliad. ι. τὸν δ' ἰδὼν αἰνείας ἀλυκάζοντα τείχος ἀνδρῶν. γ.

Ὥς τε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας,
Εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα.

[*A Virgilio autem sumsit Claudian. lib. 2. de rapto Proserp.*

Ille, velut stabuli decus, armentiq; iuuencam,
Cum leo possedit: nudataque viscera fodit
Vnguibus, & rabiem totos erexit in armos:
Stat crassa turpis sanie, nodosq; iubarum
Excutit.

Et Statius lib. 6. Thebaid.

Qualis vbi primam leo manè cubilibus atris
Erexit rabiem, & sæuo speculatus ab antro
Aut ceruum, aut nondum bellantem fronte iuuencum
It fremitu gaudens.]

Illud item *lauit improba teter, ora cruor*, ex Odyss. χ.

———— ὥστε λέοντα,
Ὅς ῥά τε βεβρωκὼς βοὸς ἔρχεται ἀγραύλοιο,
Πᾶν δ' ἄρα οἱ στῆθός τε παρήϊά τ' ἀμφοτέρωθεν
Αἱματόεντα πέλει, δεινὸς δ' εἰς ὦπα ἰδέσθαι.

Vrsin. German.

SVRGENT. IN CORN. CERVVM) capite arduo, cornibus eminentem. Ouid. celsus in cornua.

STERNIT. INFÆLIX ACRON) Bene infælix, qui delicijs relictis ad certamen perrexit, quod complere non poterat, & nec coniuge, nec salute potitus est. Qui expirans tundebat calcibus terram, quod sæpe etiam apud Homerum fit, ad dolorem monstrandum, cum alia ratione non posset. Donatus.

C

CALCIB. ATRAM TVND. HVM.) Supra de Phæreo, *Cadit semianimis Rutulorum calcibus arua.*

TELA INFRACTA) Vel non fracta, id est, integra: vel reuera fracta, vtrumque enim significat. Donat.

FVGIENT HAVD. EST DIG. OROD. STER.) *Respexit sine dubitatione hoc Statius de Theseo illa scribens lib. 12.*

---- ------ tædet fugientibus vti
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cætera plebeio desæuit sanguine virtus.]

Mezentius haud se dignum est arbitratus Orodem sternere fugientem, nec ei à tergo non videnti vulnus dare, hoc enim appellat cæcum vulnus. Quæ enim esset ista gloria, fugientem, & auersum ferire? vicit ergo eius fugam, & ei aduersus apparuit, qui paulo ante posterior fuit, melior vtique virtute quam furto, id est, insidijs: proinde aperto congressu superauit eum, qui se fuga elapsurum sperârat. Testatur autem Mezentius, eius morte magnum accipi detrimentum, vtpote, in quo maxima pars ipsorum victoriæ niteretur. Donatus.

D

SED VIRO VIR CONTVLIT) vt illud, *hæret pede pes, densusq; viro vir.*

HAVD FVRTO MELIOR) Quidquid occultè fieret, furtum appellabant. Virgil. lib. 4. *neq; ego hanc abscondere furto Speraui, ne finge, fugam.* Et lib. 9. cum de cæde & strage nocturna Euryali loquitur, *hic furto feruidus instat.* Stat. lib. 9. *Ausus erat furto dextram iactare Leonteus.* Valerius lib. 2. Pont. Max. in C. Cæsaris locū furto creatur. Et disertè pro dolo, & insidijs, tum hoc loco Virgilij, tum apud Curtium lib. 4. Parmenio peritissimus inter duces artium belli furto, non prælio opus esse censebat: intempesta nocte opprimi posse hostes.

E

SVPER ABIECT. POS. PEDE) Videtur hoc facere Mezentius ex superbia, & contemptu magno iacentis.

LÆTVM PÆANA SECVTI) Propriè Apollinis, laus Pæan: sed abusiue etiam aliorum dicitur: vnde Pindarus opus suum quod & deorum, & hominum continet laudes, Pæanas vocat. Seruius. De Pæane videas quæ à Germano traduntur in Paralip.

EXPIR. NON. ME QVICVN.) Mos est poetarū, ōnullos iā morituros vaticinātes introducere. De quibus illud Platonis in apologia Socratis καὶ γάρ εἰμι ἤδη ἐνταῦθα, ἐν ᾧ μάλιστα ἄνθρωποι χρησμῳδοῦσι, ὅταν μέλλωσιν ἀποθανεῖσθαι. φημὶ γὰρ ὦ ἄνδρες, οἳ ἐμὲ ἀπεκτόνατε, τιμωρίαν ὑμῖν ἥξειν εὐθὺς μετὰ τὸν ἐμὸν θάνατον πολὺ χαλεπωτέραν νὴ Δία, ἢ οἵαν ἐμὲ ἀπεκτόνατε. Latinè sic. In illum .n. temporis statū iam perueni, in quo homines diuinandi facultate maximè pollent, quando nimirum morituri sunt. Aio autem, ô quicunq; me interfeceritis, pœnas continuò post mortem meā vobis euenturas, multò certe grauiores, quam eas, quibus modò me morte multatis. Vnde & illud Iliad. π. sub persona Patrocli.

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν,
Οὔ θην οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ, ἀλλά τοι ἤδη
Ἄγχι παρέστηκε θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή,
Χερσὶ δαμέντ' Ἀχιλῆος ἀμύμονος Αἰακίδαο.

Consulendus Eustathius hac de re. Item Iliad. χ. Hector Achilli mortem prædicit. Et habent eiusmodi vaticinia plerumq; exitum. Sic apud Senecam Agamemnone, cum occiditur Cassandra, quæ nuntiat Clytæmnestræ, & Ægistho: veniet, inquit, & vobis furor: occidit namque ambos Orestes, qui exinde cœpit furere. Apud Sophoclem Aiax moriens, precatur Agamemnoni & Vlyssi, vt à charissimo occidantur. Factum. Illum Ægistus patruelis, & vxor Clytæmnestra: hunc Telegonus filius trucidauit. Apud alios item auctores talia reperiuntur exempla. Calanus Indus, sciscitanti Alexandro nunquid vellet, respondit, Nihil, breui te videbo. Non multis à Calani morte diebus, Alexander Babylone veneno interijt. Anyti quoque filio omnia euenerunt, quæ verissimè euentura Socrates moriens diuinârat, vt est apud Xenophontem in Apologia Socratis. Hartungus. Decuria 4. cap. 8. & alij. * *Adijciat licet superioribus exemplis etiam hoc Ouidij 7. Metamorph. Vbi Dryas.*

Nympha sub hoc ego sum Cereri gratissima ligno:
Quæ tibi fatorum pœnas instare tuorum
Vaticinor moriens, nostri solatia lethi.

Et hoc Lucani, Vbi Domit. lib. 7. his verbis.

Non te surrepta scelerum mercede potitum,
Sed dubium fati, Cæsar, generoq; minorem
Aspiciens, stygias Magno duce liber ad vndas,
Et securus eo: te sæuo Marte subactum,
Pompeioq; graues pœnas, nobisq; daturum
Cum morior, sperare licet.

De diuinatione, seu prædictione, & vaticinio morientium Cicer. lib. 1. de Diuinatione sic scribit. Cum ergo est somno seuocatus animus à societate, & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prouidet. Iacet enim corpus dormientis, vt mortui: viget autem, & viuit animus. Quod multo magis faciet post mortem, cum animus ex corpore excesserit. Itaque appropinquante morte, multò est diuinior. Nam & idipsum vident, qui sunt morbo graui, & mortifero affecti, instare mortem. Itaque his occurrunt plerunque imagines mortuorum: tumque vel maximè pœnitet. Diuinare morientes, etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert, Rhodium quendam morientem sex æquales nominasse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset.

DIVVM PATER ATQVE HOM. REX VIDERIT) Per irrisionem accipiendum, quod dicit: Viderit, vtrum Mezentio nocere possit ille, quem vos deorum, & hominum creditis esse rectorem. Eduxit autem è corpore telum, quo facilius interiret, largius videlicet sanguine prorumpente. Seruius.

atque alternis vincerentur, nullus vertebatur in fugam, & auerti non nouerat: tanta cupiditas obtinendi in partibus fuit. Donatus.

CEDEBANT PARITER) Seruius legit cum diphthongo, *caedebant*, id est, occidebant. Si *cedebant* legimus, exponemus, terga dabant. *Ruebant* cum priore lectione exponendum est, cadebant: cum posteriore, terga vertebant.* *Atqui lectio hac, cedebant, id est fugiebant, apertè cum verbis poeta sequentibus pugnat, quod Seruium fefellit, ait enim*, neque his fuga nota, nec illis. *Quisq; locum suum tuebatur. Plaut. Amphit.*

Sed fugam in se tamen nemo conuertitur,
Nec recedit loco, quin statim rem gerat.
Animam amittunt, priusquam loco demigrent:
Quisq; vt steterat iacet, obtinetq; ordinem.

B IRAM MISERANT. INANEM) Generaliter dicit omnem iram bellicam. Vbi enim tam inanis iracundia est, quam in bello, vbi, vt pereamus, irascimur? Ita quidem Seruius, sed amplius videndum de hoc epitheto: non enim profectò ne in bello quidem irascimur vt pereamus, sed vt perdamus potius: sicut nemo castra sequitur, vt occidatur, sed vt occidat. Hoc quidem habet propositum. Cernebant autem strages tantas Venus, & Iuno, quarum illa funeribus Rutulorum, hæc Troianorum gaudebat. Bene illud Seruius *Pallida Tisiphone*, &c. accipiendum non de ipsa dea, quæ in agmine nulla apparebat, sed de affectu eius, hoc est, insania: furebant in se mutuò vehementer exercitus. Sed cur *pallida*? cur frigus pigrum? vidisti furentes aliquando? nonne pallent?

Cum dij à poeta nostro dicantur capti miseratione, videntes tantos mortalium labores, ipsi contrà à poetis inducuntur vacantes omni molestia. Homerus Iliad. λ. θεοὶ ῥεῖα ζώοντες. Et Lucret. lib. 2.

Nam prò sancta deûm tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt æuum, vitamq; serenam.

* *Ponit hac duo testimonia Vrsin. Poterat etiam multò luculentius illud ex 1. Lucretij: vbi simul, quod ἐπιπρόνοια est diuina prouidentia tollitur, cui Homerus sunt & Virgil. amicissimi.*

Omnis enim per se diuûm natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, seiunctaq; longè.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

QVAM MAGNVS ORION) Ante voculam *quàm*, deest particula *tam*, quomodo & alij auctores locuti sunt. Terent. Eunucho. *Parmenionis esse hanc scio techmam quàm me viuere.* Virgil. 3. Georg.

Quam magis exhausto spumauerit vbere mulctra,
Læta magis pressis manabunt vbera mammis.

Plaut. Trinum. *Confit citò, quam si tu obijcias formicis papauerem.*

Non potuit vlla cum ratione magis proceritatem corporis significare, quam incessum prætaltum humeris extantibus referendo: nec dubito quin bonos auctores in eo de Orione commento secutus sit, & eã fabulam respexerit, quam Seruius narrat. Orini tamen alij datũ à patre Neptuno fuisse tradunt, vt super mare ambularet, vt Iphiclo super aristas segetis. At super mare eum prædicant ad Vulcanũ Lemnum, ab Oenopione cæcatũ venisse: auctor Theon in Aratum, & Higynus lib. 2. Id si ita est cur in vadũ pedibus descendere necesse ei fuit potius, quã suspẽsa per æquor plãta ire? Sed fabulis, & poetis idem iuris est, vt licenter nisi loquãtur, & mendaciter modò hoc, modò illud nugẽtur, suo numeri desint. Turneb. lib. 27. cap. 38. Notauit idem lib. 3. c. 19. Græcos poetas nõ rarò mare, & Oceanum appellare λίμνην, id est, stagnũ: quod & ab Hesychio obseruatũ est. Horum exemplum secutum esse his verbis Maronem.

A * *Nempe cũ ait*, maxima Nerei stagna. *Vbi Seruius, per epitheton inquit, elementis ταπείνωσιν more suo. Dixit alibi*, in gurgite vasto. *In primo quoq; Æneidos hac eadem figura legi volunt nonnulli*, palus dũ sidera spectet, *pro, polus. Vt mare vocetur palus.*

HVMERO SVPEREMINET VNDAS) Huiuscemodi vastitas corporis lib. 3. in Polyphemo describitur. *graditurq; per æquor Iam mediũ, nec dũ fluctus latera ardua tinxit.*

MANET IMPERT. ILLE) Mezentius cũ Æneam videret contra se venientẽ magno animo, ipse nihil territus stabat, virtute confisus sua: & cũ missæ cõtiguũ hastæ, id est intra teli iactũ iã esse credidisset, perstãs in sua impietate, deorumq; cõtemptu, asserit sibi præter dextrã suã, & telũ quo multas occiderat, nullũ numẽ esse necessarium. Et cũ soleant viri fortes, vbi aliquẽ virum memora-bilẽ fuderũt, dijs aliquib*, maximè Marti, trophæa muneris, & gloria causa conferre: & cũ id faciunt, deligere arboris truncũ, eiq; occisi arma suspẽdere, vt armati hominis speciẽ mentiãtur, Mezentius, qui dixit deos suos esse hastã, & dextram suã, atq; oẽs semper, & vbiq; contempsit, Lauso filio se collaturũ spõdet, quæ se sperabat Æneæ superato posse detrahere. Trophæum, ait, faciã te Lause, induã te spolijs, quæ Æneæ rapuero, & ad vicẽ inanis numinis consecrabo tibi melius quidquid dederit hostis occisus. Donatus.

ET MOLE SVA STAT) Aptè monosyllabo hoc firmitatem status tam vasti corporis expressit.

DEXT. MIHI DEVS, ET TEL.) Perstat in instituto suo
C poeta, qui deorũ induxit contemptorẽ Mezentium, alluditq; ad gigantũ immanitatẽ, quorum nonnulli, vt liquet ex Homero, & poetis, per hastã, tanquã numen iurabãt. eamq; obnoxijs, hospitibusq; adorandã obtrudebãt: vnde in prouerbium abijsse docet interpres Apollonij, τὸ καινέως δόρυ, quod hastam venerandam proponeret, illiq; ipse sacrificaret. German.

Prorsus haud dispar quiddam huic Mezentianæ impietati de Capaneo refert Stat. 2. Thebaid. *virtus mihi numen, & ensis Quem teneo.* Et lib. 10.

—— ades ò mihi dextera tantùm,
Tu præses belli, & ineuitabile numen,
Te voco, te solum superûm contemptor adoro.
Sic ait, & voti sese facit ipse potentem.

D Capaneus contra Iouis voluntatẽ Thebas se capturum dixit: & cũ murũ ascẽderet, fulmine ab Ioue est percussus. Hygin c. 71. Huius generis diuûm cõtemptor Aiax Telamonius, qui patri bene ac prudenter morienti, stultè nimis, arroganterq; respondit, profecturus ad oppugnandam Troiam scilicet. Rem istis versibus exequitur Sophocles in Aiace Lorario, dicam latinè ex interprete Ratallero.

Aiax lares sed cum relinqueret suos,
Dementis in morem bene monenti patri
Responderat. Sic ille, Fili bellica
Virtute fac vincas, deo sed auspice,
E *At arrogantor hæc parenti retulit,*
Atq; stolidè: adnuente, mi pater, deo
Victoria potitur ignauissimus:
At destitutus etiam ope deorum, scio,
Belliq; me confido adepturum decus.

Eodẽ referamus Flaminium Rom. Cos. quẽ Silius lib. 5. inducit temerariũ, & contemnentem auspicia, amicorumq; monita; & nimiũ fidentẽ dexteræ, atq; gladio.

Quippe monent superi. Similes ne fingite vobis
Classica qui tremitis, diuus sat magnus in hostem
Augur adest ensis, pulchrũq; & milite dignum
Auspicium Latio, quod in armis dextera præstat.

In historia Regum lib. 1. cap. 17. talis Thraso, planè impius, depingitur Goliath.

VOVEO IPSVM TE LAVSE TROPHÆVM) Sciendum sanè,

sanè, Lauso propriam ideo nihil profuisse pietatem, quia A in eum pater mente sacrilega munera transferebat deorum, & ei occisorum spolia deuouebat. Donatus.

ERSGIVM ANTHOREM) Nominariuus est Anthores, non Anthor. De lectione huius nominis consule Alciat. Parerg. lib. 7. cap. 16.

ALIENO VVLNERE) Alieno vulnere dicit, quia Æneæ fuerat destinatum, ac propterea infælix, quia nō, vt viro forti pulchrum fuisset, in congressu ceciderat. Memorat mox quis fuerit, & vnde in Italiam venerit ad Euandrum. Cælum autem moriens aspiciebat, vel quia quasi inimicum morte sua deorum iudicium reprehēdebat: vel quia naturaliter morientes cupiunt satiari extremo lucis aspectu. Vnde in 4. de Didone agente animam, *Quæsiuit cælo lucem.* Et quod additur de patria Argis, inter physica signa mortuorum etiam hoc legitur, patriæ aspectum desiderare perituros. Vel ideo reminiscebatur Argos, quasi hoc vel alio genere apud suos non esset moriturus, si remeasset, aut à suis in totum non recessisset. Donatus, Seruius.

DVLCES MORIENS REMINISCITVR ARGOS) Quod patriæ recordatio moribundum subierit Anthorem, humanum quiddam est. Nam illa dulcedo, quam ex affectu erga ipsam à natura nobis ingenito percipimus, ne in extremo quidem spiritu, in longinquis etiā locis nos eius sinit esse immemores. Et quis est tandē, qui non malit in patrio, quam in peregrino solo emori, vbi se circumfundant amici, vbi claudantur ei oculi à consanguineis, fleatur & tumuletur à charissimis? Tibull. eleg. 3. lib. 1.

Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.
Abstineas auidas mors precor atra manus.
Abstineas mors atra precor, non hic mihi mater
Quæ legat in tepidos ossa perusta sinus.
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis.

De Lacone, simile quiddam Virgiliano Statius lib. 8.

---------hastam
Extrahit, atq; hosti dextra labente remittit
Sanguineam: dilecta genu morientis oberrant
Taygeta, & pugna, laudataq; verbera matri.

PIVS ÆN. HAST. IACIT) Bene pius, qui deorum contemptorem interficit. Est enim pietatis tollere im- B pios, cui, & quādo licet. Iā *sedit sanguine*, hypallage est, pro, in imo inguine. Seruius.

Tocus locus conuersus ex Homero Iliad. γ.

Ἦ ῥα καὶ ἀμπεπαλὼν προΐει δολιχόσκιον ἔγχος,
Καὶ βάλε Πριαμίδαο κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην,
Διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄμβριμον ἔγχος,
Καὶ διὰ θώρηκος πολυδαιδάλου ἠρήρειστο,
Ἀντικρὺ δὲ παραὶ λαπάρην διάμησε χιτῶνα
Ἔγχος.

PER LINEA TERGA) lino enim integebantur scuta, vt posset inhærere pictura.

INTEXTVM TAVRIS OPVS) cooperto pluribus boum tergoribus.

ERIPIT A FEMORE) Donatus, & Seruius legūt, *à femine*, cuius nominatiuus femen secundum Caprū nusquam lectus est.

INGEMVIT CHARI GRAVITER GENITORIS AMORE,
Vt vidit, Lausus: lacrymæq; per ora volutæ.
Hîc mortis duræ casum, tuaq; optima facta,
SI QVA FIDEM TANTO EST OPERI LATVRA VETVSTAS,
Non equidem nec te iuuenis memorande silebo.
Ille pedem referens, & inutilis, inq; ligatus
Cedebat, clypeoq; inimicum hastile trahebat.
Proripuit iuuenis, seseq; immiscuit armis.
Iamq; assurgentis dextræ, plagamq; ferentis
Æneæ subijt mucronem: ipsumq; morando
Sustinuit. socij magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret:
Telaq; conijciunt, proturbantq; eminus hostem
Missilibus. furit Æneas, tectusq; tenet se.
Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tuta latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris: vt possint sole reducto
Exercere diem: sic obrutus vndiq; telis
Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet: & Lausum increpitat, Lausoq; minatur.
Quò moriture ruis? MAIORAQVE VIRIBVS AVDES?
FALLIT TE INCAVTVM PIETAS TVA. nec minus ille
Exultat demens: sæuæ iamq; altius iræ

Dar-

Dardanio surgunt ductori: extremaq; Lauso
Parcæ fila legunt. validum namque exigit ensem
Per medium Æneas iuuenem, totumq; recondit.
Transiit & parmam mucro, leuia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neuerat auro:
Impleuitq; sinum sanguis. TVM VITA PER AVRAS
CONCESSIT MOESTA AD MANES, CORPVSQVE RELIQVIT.

INGEM. CHARI GRAVIT. GENIT. AMORE) Memorabile exemplum pietatis in patrem, quod poetæ summopere placet, vt sequentia verba testantur.

LACRYMÆQVE PER ORA VOL.) Mœstitiam, doloremque suum Lausus filius lacrymis indicauit.

MORT. DVRÆ CAS. TVAQVE OPT. FACTA) Duram mortem ad ætatem retulit adolescentis. *Facta*, quod in defensione patris occubuit. Sensus est. Ego quidem facta tua, ô Lause, & mortem ex pietate venientem (hoc enim est opus tuum) non silebo: si tamen credet vetustas, ex scelerato homine pium filium procreatum fuisse. Seruius. * *Vetustas etiam de futuro tempore, non solùm de præterito. Cic. pro M. Marcello. Nihil est enim opere, aut manu factum, quod aliquandò non conficiat, & consumat vetustas.*

ILLE PED. REFER. ET INVTIL. INQVE LIGAT.) Nexibus vulneris illigatus, & impeditus, paulatim retrocedebat, ne auersus terga nudaret.

PRORIPVIT IVVENIS, SESEQVE) sese bis accipiendum: vt sit proripuit sese iuuenis, & se immiscuit armis. Quod quia duplicare otiosum fuit, addidit, que, vt superiori simul, inferiorique seruiret. Quidam legunt *Prorupit*, ex Rom. codice.

IAMQVE ASSVRG. DEXTRÆ) In Lauso, clypeum protegendi patris vulnerati, aduersus Æneam irruenté obiectante, eximiam virtutem P. Scipionis adolescentis, qui postea dictus est Africanus maior, latenter commendat. de quo Sic Liuius lib. 21. Is pauor perculit Romanos, auxitque pauorem Cos. vulnus, periculumque intercursu tum primum pubescentis filij propulsatum. Florus libr. 2. cap. 6. Valer. lib. 5. cap. 4. Silius Italicus libr. 4.

Hic puer vt patrio defixum corpore telum
Conspexit, maduere genæ, subitoq; trementem
Corripuit pallor, gemitumq; ad sidera rupit.

Lege quæ sequuntur, ait enim educto telo sustulisse patrem in humeros, & attonitis ad tantæ pietatis spectaculum Poenis, ex acie extulisse. Pro *dextra* melius legitur *dextram*.

TECTVSQVE TENET SE) Quid enim facere posset tot obsidentibus, nisi aduersus vim multitudinis sese contegeret? furebat tamen, quod plenam de tanto hoste victoriam reportare non poterat. Donatus.

AVT AMNIS RIP. AVT ALTI FORNICE) In lateribus amnium inueniuntur loca, quæ hominem tegant. *Fornices* autem dicũtur curuaturæ, quę aut arcus, aut cameras faciunt, siue sint naturales, siue hominum manu perfectæ. German.

DVM PLVIT IN TERRIS) Erit ἀρχαϊσμός, debuit enim dicere, in terras. Hemistichium Lucretij, quod ita, vt inuenit, Virgilius transtulit. Ille lib. 6. *Cum pluit in terris, & venti nubila portant.* Seruius.

VT POSSINT SOLE REDVCTO) Æneid. 1. *Collectasq; fugat nubes, solemq; reducit.*

EXERCERE DIEM) ὑπαλλαγὴ, pro, ipsi per diem exerceri. Seruius. Bellum (*nubem belli*) pro prælio accipi manifestum est, vt apud Sallust. in eo bello trecenti milites desiderati sunt, vt & Græci πόλεμον, & μάχην confundunt. Vt autem belli nubem, sic & Homerus. Iliad. ρ. ἐπεὶ πολέμοιο νέφος περὶ πάντα καλύπτει Ἕκτωρ. German.

DVM DETONET) Dum violentus hostium impetus remittatur. Alij aliter distinguunt.

QVO MORITVRE RVIS?) Bene pro patris salute succederes, si mecum æquo Marte certare posses. non victurus, sed moriturus ruis in prælium: audes, quod implere nequis. Piè dum facere vis, incautè facis. Iratus deinde percussor, & modus cædis exprimitur. Tunicæ meminit, vt ostendat, pulchrè potius vestitum, quam armis fortioribus tutum. Sinum ideo impleuit sanguis, quia medium iuuenem dixit esse percussum, hoc est, suprà cingulum. Donatus.

EXTREMAQVE LAVSO PARCÆ FIL. LEG.) Nomina Parcarum ex Chrysippo interpretatur Theodoretus de Prouidentia serm. 6.

MOLLI MATER QVAM NEVER. AVRO) Nota morem priscum, quo inualuerat, vt matres texerent chlamydes militares filiorum. Stat. lib. 8.

———triplici velauerat ostro
Surgentes etiamnum humeros, & leuia mater
Pectora.

Et lib. 9.

Ipse bis Oebalio saturatam murice pallam,
Lucentesq; auro tunicas (hoc neuerat vnum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclo,
Cornipedis læuo clypeum demiserat armo.

Ioan. Bernartius.

* *Forsitan de tali veste accipiendum est, quod in eiulatu illo suo narrat mater Euryali, lib. 9.* tibi quam noctes festina diesq; Vrgebam, & tela curas solabar aniles.

VITA PER AVRAS CONCESSIT MOESTA AD MANES) Libr. 12. *Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras.*

At verò vt vultum vidit morientis, & ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris:
Ingemuit miserans grauiter, dextramq; tetendit:
Et mentem patriæ subiit pietatis imago.
Quid tibi nunc miserande puer pro laudibus istis,
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?

Arma, quibus lætatus, habe tua: teq; parentum
Manibus, & cineri (si qua est ea cura) remitto.
Hoc tamen infælix miseram solabere mortem:
ÆNEÆ MAGNI DEXTRA CADIS. Increpat vltro
Cunctantes socios, & terra subleuat ipsum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.
Interea genitor Tyberini ad fluminis vndam
Vulnera siccabat lymphis, corpusq; leuabat
Arboris accliuis trunco: procul ærea ramis
Dependet galea, & prato grauia arma quiescunt.
Stant lecti circùm iuuenes: ipse æger, anhelans
Colla fouet, fusus propexam in pectore barbam.
Multa super Lauso rogitat, multosq; remittit
Qui reuocent, mœstiq;, ferant mandata parentis.

VT VVLT. VIDIT MORIENT.) Æneas vt vidit vultum A morientis miro modo pallore confusum, ingemuit grauiter, plena miseratione commotus, & tetendit dextrã, vt ipsum, quod sequitur, terra subleuaret. Ideo miserabatur, quia erat ipse quoque pater, & viderat, quam religiosè patri suo hic adolescens seruierat: neq; cum fugiebat, quid filij parentibus, & hi vicissim debeant liberis. Donatus.

QVID TIBI NVNC MISERAND. PVER) Cum vbique inducatur pius Æneas, tum etiam hìc à decoro eius personæ non receditur. Non solùm pietatem adolescens in patrem laudat, verum etiam præmio donat. Reddit illi sua arma, quibus eum exuere poterat. Remittit eum sepeliendum, ipsosque eius socios increpat cunctantes, B segnioresque in auferendo corpore.

PRO LAVDIBVS ISTIS) Laudes vocat, quia contra se fortiorem, & pro patris salute dimicare conatus est.

TANTA DABIT INDOLE DIGNVM) Indoles propriè est imago virtutis futuræ. & de semet, ad vitandam arrogantiam tertia persona vsus est. Seruius.

ARMA QVIBVS LÆT. HABE) quia cum his rebus solebant sepeliri, quas viuentes dilexerant, cum quibus, vt inferatur Lausus sepulchris maiorum suorum, (si quid sentiant manes) permittit Æneas.

SI QVA EST EA CVRA) Ad fabulã alludit, qua perhibentur defuncti semel gustatis aquis lethęis, rerum humanarum curam omnem deponere.

ÆNEÆ MAGNI DEXTRA CADIS) Affert nescio quid laudis, seu minus est triste, atque acerbum vinci, aut etiam iugulari à viro bellicoso, & magno, quam ab imbelli, & ignauo. Itaque in quam sententiam hæc scribit Virgilius, in eandem apud alios item poetas loci inueniuntur. Metamorph. lib. 5. Nileus Nili fluminis filius, qui de origine sibi magnopere plaudebat, interfecturus Perseum, vt quidem rebatur.

Aspice, ait, Perseu nostra primordia gentis:
Magna feres tacitus solatia mortis ad vmbras,
A tanto cecidisse viro.

Et lib. 12.

Quisquis es, ô iuuenis, dixit, solamen habeto
Mortis, ab Aemonio quod sis iugulatus Achille.

Achelous verò ab Hercule lucta superatus, lib. 9.

——— nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum est,
Magnaq; dat nobis tantus solatia victor.

Stat. lib. 8.

——— tandem inualidos Aetolus ad ictus
Forte refert oculos, & formidabile ridens:
Iam dudum video, magnum cupis improbe lethi
Nomen, ait.

Et lib. 10. Capaneus.

Cui super assistens, non inficiamur honorem,
Mortis, ait: refer huc oculos, ego vulneris auctor.

Videtur hoc eodem libro Pallas *lethum insigne* appellare, si à Turno occidatur, quem se potius occisurum confidit.

Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni: sorti pater æquus vtriq; est.

Nec verò frustra Æneas lib. 1. Æneid. in media tempestate exclamat,

——— ô Danaûm fortissime gentis
Tydide, méne Iliacis occumbere campis
Non potuisse? tuaq; animam hanc effundere dextra?

Neutiquam prætereundus nobis Curtius. Is libr. 7. de triginta è Sogdianorum captiuis, eximio corporum robore nobilissimis, cum essent ad Alexandrum regem perducti, ac per interpretem mandato regis ad supplicium se trahi didicissent, carmen lætantium modo canere, tripudiisque, & lasciuiori corporis motu gaudium quoddam animi ostentare cœperunt. Admiratus rex, eos tanta animi magnitudine ad mortẽ proficisci, caussamque huius lætiæ requirens, audiuit. Si ab alio occi- C deremur, ô rex, in mœstitia fuissemus, & tristes mortẽ excepissemus. Nunc quoniã à tanto rege, omnium gentium victore maioribus nostris reddimur, honestam mortem, quam fortes viri voto quoque expetunt, carminibus nostri moris, lætitiaque celebramus. Hactenus Curtius. Verba Æneæ, *Ænea magni dextra cadis*, ad se quoque transtulit eadem de caussa Diocletianus. Aprum siquidem Numeriani socerum, eiusdemq; interfectorem occidẽs, gloriare, inquit, Aper, *Aeneæ magni dextra cadis*. Vopiscus in Numeriano.

INCREP. VLTRO CVNCT. SOCIOS) Quum accederent, & venirent Rutuli, vt prostratum tollerent, vltro eos obiurgabat, tanquam tardos, & negligentes. Suble- D uabat ipse iacentem, comas suas ad pulchritudinem cõpositas, terræ puluere, & sanguinis sui vbertate turpantem. Antiquo more viri, sicut mulieres, componebant capillos: quod verum esse, & statuæ antiquorum docẽt, & personæ, quas in tragœdiis videmus similes in vtroq; sexu, quantum ad ornatum pertinet corporis. Donatus, Seruius.

VVLNE-

VVLNERA SICCAB. LYMPH. Nouè, & physicè locutus est. nam cum aqua omnia infundatur, ait siccari vulnus: fluxus enim sanguinis aquarum frigore cõtinetur. Seruius. A

CORPVSQVE LEVAB. ARB. ACCLIVIS TRVNCO) Leuabat corpus accliuis trunco arboris, id est, ipsa inclinatione nonnihil fouebat, & recreabat. Suprà, *arboris obnixus trunco*, nempe in 3. Georg. Docti legunt *acclinis* per, n, non *acclinis*, vt & apud Horat. Sat. 2. lib. 2. *Acclinis falsis animus*, à clino, clinas: vnde & apud Lucret. *clinamen principiorum*. * *Erit ergo acclinis pro accubans, & acclinatus trunco arboris se sustinebat. Simile quid huic Virgilij loco illud Cæsaris lib. 6. belli Gall. de alcibus. His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant, atque ita paululũ modò acclinatæ quietem capiunt. Iterum, huc cum se consuetudine acclinarunt. Malè vtrobique reclinarunt excudi reor, contra auctoritatem librorum veterum Turneb. lib. 3. cap. 19.* B

PROCVL DEPENDET) *Procul* modò iuxta significat, vt Eclog. 6. *Serta procul, tantum capiti delapsa iacebant*. Bene autem *grauia arma*, vt & galeam arma, sed leuia intelligamus: & talis est figura, sicut illa Sallustij, leonem atq; alias feras. Ergo & leo fera est Seruius.

STANT LECTI CIR.) Stabant circũ egregij & animosi iuuenes, qui solarentur ægrum, & debilem tuerentur.

FVSVS PROPEXAM IN PECT. BARBAM) est *ἀρχαϊσμὸς*, pro, *in pectora*. Sic alibi, mediis effusus in vndis, pro, in vndas medias. Seruius.

MVLTA SVPER LAVSO ROGITAT) sollicitus pro filio Lauso, diligenter, & multum de eo sciscitabatur, & mandata mittebat. Cõsiderabat quid ipse ab Ænea pertulisset, considerabat filij personam & ætatem, timebat ne per imprudentiam ipse salutem suam proderet, Donatus.

At Lausum socij exanimum super arma ferebant,
Flentes, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnouit longè gemitum præsaga mali mens:
Caniciem immundo deformat puluere, & ambas
Ad cælum tendit palmas, & corpore inhæret.
Tantáne me tenuit viuendi nate voluptas,
Vt pro me hostili paterer succedere dextræ,
Quem genui? tuané hæc genitor per vulnera seruor,
Morte tua viuens? heu nunc misero mihi demum
Exilium infælix, nunc altè vulnus adactum.
Idem ego nate tuum maculaui crimine nomen,
Pulsus ob inuidiam solio, sceptrisq; paternis.
Debueram patriæ pœnas, odiisq; meorum
Omnes per mortes animam sontem ipse dedisse.
Nunc viuo, neque adhuc homines, lucemq; relinquo.
Sed linquam. Simul hæc dicens, attollit in ægrum
Se femur: & quanquam vis alto vulnere tardat,
Haud deiectus equum duci iubet. hoc decus illi,
Hoc solamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus. alloquitur mœrentem, & talibus infit.
Rhoebe diu (RES SI QVA DIV MORTALIBVS VLLA EST)
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta,
Et caput Æneæ referes, Lausiq; dolorum
Vltor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter. NEQVE ENIM FORTISSIME, CREDO,
IVSSA ALIENA PATI, ET DOMINOS DIGNABERE TEVCROS.

AT LAVSVM SOCII EXAN.) Eruditè animaduersum à Scaligero. Poet. libr. 3. cap. 12. *λύτρα* & *ἄποινα* neglecta fuisse ab Ænea, magna significatione temperantię, cum iure belli redẽptitiam pecuniam liceat accipere. Fuit igitur nõ dissimilis Pyrrho, cuius illa vox apud Ennium, *Non cauponantes bellum, sed belligerantes*. Ideo & corpus Lausi dedit, vt apparet, sine pretio: & hac, & cæteris omnibus virtutibus fero Achille maior; qui filium patri auro vendidit: & auri atque argenti talenta pollicenti ait, Æneas inquam. *Auri atque argenti memoras quæ multa talenta, Gnatis parce tuis.* C

SVPER ARMA FEREBANT) Mos Græcorum, milites in acie cæsos scutis imponere, & efferre. Huc accõmoda quæ superius annotata, in illum versum, *Impositũ scuto referunt Pallanta frequentes.*

INGENT. INGENTI VVLN. VICTVM) Persimile est illud Lucretij lib. 1. *Et grauiter magni magno cecidere ibi casu.*

CANICIEM IMMVNDO DEF. PVL.) Deformare puluere capillos, etiam sollemne in luctu. Exemplum est in 12. de Latino. Catull. *Caniciem terra, atque infuso puluere fœdans.* Homer. Iliad. σ.

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον.

Euripid. Hecuba. *ἐπὶ χθονὶ κεῖται, κόνει φύρουσα δύστηνον κάρα.* In Supplicib. *ἀμφὶ δὲ σποδὸν κάρᾳ κεχύμεθα.* * *Licet hunc morem &*

rem & in sacris scripturis obseruare, idq; sapius. Nos adhuc quadam testimonia proponemus e poetis. Iuuenal. sat. 13.

——————nunc propexis in pectore barbis
Vertere humum, nunc fœdantes in puluere crinem
Canentem.

Stat. lib. 4. haustaque informis arena Questibus implet agros. *Seneca in Troade.*

Soluite crines, per colla fluant
Mœsta capilli, tepido Troiæ
Puluere turpes paret exertos.
Turba lacertos
Ch. ———— coma demissa est
Libera nodo: sparsitque cinis
Feruidus ora,

Vide Alex. Neap. lib. 3. cap. 7.

AD CÆL. TEND. PALM.) Cur tendit ad cælum manus? Hoc gestu diis quasi cædem hanc exprobrat, & eos increpat. *Corpore inhaeret*, dictum est per figuram enallagen, ablatiuus pro datiuo nimirum. Inhæret etiã corpori Pallãtis sui, & procumbit super eum gemitu, & fletu Euander libro sequenti, nec sine tristi querimonia. Vide item quæ dicta sunt Eclog. 5. ibi,

Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atq; deos, atq; astra vocat crudelia mater.

TANTANE ME TEN. VIVENDI VOLVPT.) Tangit vitium quod Græci φιλοψυχίαν, & φιλοζωίαν vocant, vitæ retinendę mollem, & turpem cupiditatem. Suprà, *qua lucis miseris tam dira cupido*, nempe lib. 6. *Per vulnera*, inquit, inuidiosè, cum vno tantum vulnere, gladio videlicet per pectus adacto concidisset. Dicit deinde, solatio viuentis filij sibi vtrumquè, & exilium, & acceptum ab Ænea vulnus fuisse tolerabile. Dolet enim de infamia, qua illum asperserat, cum exulis filius dicatur, & vult videri immeritò pulsus. Quod si iustè ad pœnam petebar, tradere me potius omnibus suppliciis debui, quam cũ odio ciuium meorum superesse. Omnino viuere vltra velle nũ debui, si meis exosus fui, quia malè de iis meruerim. Atque ita letho tuo non superessem. Ex Seruio, & Donato.

OMNES PER MORT. ANIM. SONT. IPSE DED.) Debueram me cuilibet periculo, sine vllo mortis metu obiicere.

ATTOLLIT IN ÆG. SE FEM.) Cum ipso vltimo verbo sententiæ, qua indicauit sibi esse moriendum, in ægrum se extulit femur. Et licet tardaretur alti vulneris violentia, haud deiectus tamen, neque in totum debilitatus animo, equum duci iubet, vt eo veheretur debilis, quo vti solitus fuerat sanus. Hic ornamentum erat domino suo, hic solatium, ipsius auspicio ex bellis omnibus victor remeabat. Talis etiam fuit, qui ad vltionẽ duci debuisset. Non enim tam viuere Mezentius cupiebat, quam filij interitum vindicare. Tali ergo vti equo voluit, qui antè cum palma redire consuesset. Hunc quasi mala domini sui sentientem alloquitur. Donatus.

RHOEBE DIV, RES SI QVA DIV MORTAL.) Sic Achilles Xanthum equum suum alloquitur Iliad. τ. Lege quæ affert in Indice Erythræus, in voce *Rhoebe*. Cic. pro M. Marcello. Quid enim est omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cum venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? Seneca de breuitate vitæ, capite 2. Vita, si scias vti, longa est. Idem epistola 93. vitam boni, & sapientis viri comparat libro paucorum versuum, sed laudando, atque vtili: improbi, & stulti, annalibus Tamusij cuiusdam longis, & insulsis, atque ineptis. Sed diuina sunt, quæ habet epist. 93. Non vt diu viuamus, curandum est, sed vt satis. Nam vt diu viuas, fato opus est: vt satis, animo. Longa est vita, si plena est. Impletur autem, cũ animus sibi bonum suum reddidit, & ad se potestatem sui transtulit.

Quam sunt hæc verba (Mezentij) forti viro digna? quam etiam propria, si dolor aliquanto fuisset sedatior? Vides qua fiducia magnum, ac se dignum facinus aggredi paret? quo etiam animo decernat mori, si fortuna parum fauisset incepto? Honestam mortem turpi vitæ anteponit. Iouian. de fortitud. lib. 1.

SPOLIA ILLA CRVENTA) Cum Seruio accipimus arma Æneæ, cruore Lausi perfusa: ipsi enim Lauso arma Æneas non detraxerat.

VLTOR ERIS MECVM) Pariter apud Statium Hippomedon ad equum Tydei.

Quod superest, caros i saltem vlciscere manes,
Aut sequere, extorrem neu tu quoq; laseris vmbram
Captiuus, timidumq; equitem post Tydea portes.

APERIT SI NVLLA VIAM VIS) si virtuti est aduersus euentus.

NEQVE ENIM FORTISS. CREDO) Est & hoc notatu non indignum: quod ait *fortissime*, intelligi Teucros ignauos. Plerumque enim ex alterius personæ vituperatione, vel laude, cognoscimus quid de alia dicatur. Ex Rhoebi ergo laude, hìc Troianos vituperatos cognoscimus. Seruius.

Dixit: & exceptus tergo consueta locauit
Membra: manusq; ambas iaculis onerauit acutis,
Ære caput fulgens, cristaq; hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit, æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistoq; insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.
Atque hìc Æneam magna ter voce vocauit.
Æneas agnouit eum, lætusq; precatur.
Sic pater ille deûm faciat, sic altus Apollo:
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, & infesta subit obuius hasta.
Ille autem: Quid me erepto sæuissime nato
Terres? hæc via sola fuit, qua perdere posses.

NEC MORTEM HORREMVS, NEC DIVVM PARCIMVS VLLI.
Desine. iam venio moriturus, & hæc tibi porto
Dona prius. Dixit: telumq; intorsit in hostem.
Inde aliud super, atq; aliud figitq;, volatq;,
Ingenti gyro: sed sustinet aureus vmbo.
Ter circum astantem læuos equitauit in orbes,
Tela manu iaciens: ter secum Troïus heros
Immanem ærato circumfert tegmine syluam.

EXCEPTVS TERGO CONSVETA LOCA.) Equo se A præbente, & admouente susceptus est, quod fieri plerunq; conspicimus in consuefactis equis. Et quod manus ambas onerauerit iaculis, auiditas sæuientis exprimitur. Æstuabat duobus animi motibus: pudore, quia victus erat, quia inuenerat fortiorem, & cuius virtuté in vulneris atrocitate persenserat: & luctu, quia talem perdiderat filium. Seruius, Donatus. * *Aestuabant praterea, vt sequitur, amor erga mortuum, & virtus: id est, hisce duabus quoq; rebus vehementer incendebatur. Verba ista* æstuat ingens, *cum duobus versibus deinceps sequentibus, repetuntur lib. 10.*

ÆN. MAG. TER VOCE VO.) Debuit non prouocare eum, cuius virtutem senserat, & timere potius, quem exemplo suo probauerat fortiorem: sed cur metueret, cui æquis votis optabile fuit, aut vincere, aut perire? Sæpius igitur Æneam clara voce vocat, ostendens, post acceptũ vulnus nihil imminutum de animi sui cõstantia. Remittit responsum Æneas, ne timorem aliquem silentio testetur. Magna deinde animi, ac virtutis fiducia monstratur in Ænea, dum in hostem primus tela contendit. Donatus.

INCIP. CONFERRE MAN.) Lib. 12. Turnus ad Pandarum, *Incipe si qua animo virtus, & consere dextram.*

INFESTA SVB. OBVIVS HASTA) Infesta hasta, est in vulnus parata, vel protenta.

QVID ME EREPT. SÆVISS. NATO) Orbatum filio frustra territas patrem, magis enim post illius excessum cupio mori. Odi hanc lucem, in qua incolumem natum meum videre non possum. Inuenisti viam, qua Mezentium perderes, alia eum superare non posses. Mors mihi beneficium est, quam minaris. Non parco dijs, quos ipse veneraris, & colis (& respicit ad illud, quod proximè dixerat Æneas, *Sic pater ille deûm faciat*) nec superstitiosis precibus rogabo, quas contemno. Sed accipe prius munuscula, & excipe hastas meas, vt irascaris, & pereas. Multò copiosius Donatus hæc eadem.

B VOLATQVE INGENTI GYRO) Circumibat Æneam ingentibus gyris, vt aduersum potius, quam auersum feriret. Æneas omnibus telis occurrebat, scuto ea excipiens. *Laeuos in orbes* ideo, vt Æneæ dexteram partem circumueniret, quæ vtique nuda erat. Fuerat autẽ scutum Æneæ tot iaculis fixum, vt syluæ faciem præferret. Donatus.

AERATO CIRCVMF. TEG. SYLVAM) Versum hũc ecce vt imitetur Statius lib. 8. loquens de Tydeo, *densis iam consitus hastis Ferratum quatit vmbra nemus.*

Inde vbi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere, & vrgetur pugna congressus iniqua:
Multa mouens animo, iam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi caua tempora conijcit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumq; equitem super ipse secutus
Implicat, eiectoq; incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cælum Troesq;, Latiniq;.
Aduolat Æneas, vaginaq; eripit ensem:
Et super hæc: vbi nunc Mezentius acer? & illa
Effera vis animi? contrà Tyrrhenus, vt auras
Suspiciens hausit cælum, mentemq; recepit.
Hostis amare, quid increpitas, mortemq; minaris?
NVLLVM IN CÆDE NEFAS, NEC SIC AD PRÆLIA VENI,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Vnum hoc per (si qua est victis venia hostibus) oro,
Corpus humo patiare tegi. scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc (oro) defende furorem,
Et me consortem nati concede sepulcro.
Hæc loquitur, iuguloq; haud inscius accipit ensem:
Vndantiq; animam diffundit in arma cruore.

PVGNA CONG. INIQVA) Pugnam iniquam dicit, quia pedes contra equitem. Multa quæ facere deberet, reputabat secum: seu, quid facto opus esset, multùm cogitabat. Tandem reperto consilio erumpit in factū: arte enim opus fuit, vt ipsa peteretur caussa, quæ iniquitatem certaminis faceret. Et equo occiso, à quo auxilium petiuerat Mezentius, quia ipse debilis erat, non magni laboris videbatur ad ipsius equitis interitū peruenire. Donatus.

INTER BELLAT. EQVI CAVA TEMP.) Persimilem victoriam de Geminio Metio Titi Manlij narrat Liuius lib. 8. Circumactis deinde equis, cum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. Ad cuius vulneris sensum, cum equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem. Quem cuspide, parmaque innixum, attollentem se graui casu, Manlius ab iugulo, ita vt per costas ferrum emineret, terræ affixit.

TOLLIT SE ARRECT. QVAD.) Erectis primò per aëra primis pedibus, posterioribus stetit. Postea mutato schemate auras verberauit calcibus, & cum dolore pernicioso turbaretur, obsequium solitum, & portandi consuetudinem prodidit. Donat.

EFFVSVMQVE EQVIT. SVP. IPSE) Tale quiddam Statius lib. 8.

——— ruit ille ruentem
In Prothoum, lapsasq; manu quærentis habenas
In vultus galeam, clypeumq; in pectora calcat.

EIECTOQVE INCVMBIT CERNVVS ARMO) Mezentio eiecto, seu deiecto ab equo, pronus incumbit, cadens in armum. Cernuus dicitur propriè inclinatus, quasi quod terram cernat. [*Item cernuus, pronus, aut qui in faciem demisso capite cadit.*] Lucil. Satyr. lib. 3. *Cernuus extemplo plantas conuestit honestas.* Et libr. 27. Modò sursum, modò deorsum, tanquam collus cernui. Varro de vita pop. Rom. Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibi cernuabant. A quo ille versus vetus est in carmine, *Sibi pastores ludos faciunt cernui Consualia.* Nonius. Vide quid de hac voce tradat German.

Turneb. lib. 28. cap. 9. cernuos videtur appellare Nonius, qui se in caput iaciant, quod & cernuare Varro: cernui autem cum erecti sunt, collum sursum habent elatum: cum se in caput mittunt, tum caput habent deorsum missum: hinc Lucilij quod supra legisti. Adde Senecam, qui in epistol. quadam hoc verbum cernuo in actione ponit. Qui hoc faciunt, inquit, nō euertit fortuna, sed cernuat & allidit.

CLAM. INCEND. CÆL.) Implent, καλάζουσι. Troes quidem gaudio, Latini dolore. *Postquam hausit cælum*, aërem, postquam respirauit, & se collegit. *Nullum in cæde nefas.* mori vltro viro forti nefas non est: nec sic pugnauit tecum Lausus filius meus, vt mihi vitæ vllum reliquerit desiderium. Lausus me perire voluit. Vnum tamen oro, quod victi semper impetrare consueuerunt, & quod ipse præstitisti filio. Vereor enim ne ciues mei, veteris odij memores, funus execrabile per membra discerpant: & quod viuo nequiuerant, reddant mortuo. Proinde cum consortem me feceris filio, vno vtrumque gladio perimens, vni nos sepulcro, pulso meorum furore concede. His dictis, sciens mucronem excepit, & in arma vndanti cruore animam diffudit. *Haud inscius*, λεγόμενος, non enim dicit, non ignarus, sed exspectans omnibus votis. Donatus, Seruius.

PER, SI QVA EST VICTIS) De anomalia particulæ huius, per, in obtestatione, arbitror me monuisse Alectorem lib. 2. ibi, *Per si qua est, quæ restat adhuc mortalibus vsquam Intemerata fides.* Vide item quemadmodum hunc locum, *Nullum in cæde nefas, nec sic ad prælia veni*, explanet Titius lib. 3. cap. 10. Omnino discedit à mente interpretum.

CORPVS HVMO PATIARE TEGI) Quod suum corpus petit ad sepulturam permitti, nec concedi Tuscis inimicis, qui id pro libidine tractare parati erant, est Homericum, Iliad. χ.

Λίσσομ' ὑπὲρ ψυχῆς καὶ γόνων, σῶν τε τοκήων,
Μή μ' ἔα παρ νηυσὶ κύνας καλαδάψαι ἀχαιῶν.
Ἀλλὰ σὺ μὲν χαλκόν τε ἅλις, χρυσόν τε δέδεξο,
Δῶρα τά τοι δώσουσι πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ.
B Σῶμα δ' οἴκαδ' ἐμοὶ δόμεναι πάλιν, ὄφρα πυρός με
Τρῶες, καὶ Τρώων ἄλοχοι λελάχωσι θανόντα.

Amor & cura corporis nostri, etiam omni sensu destituti, atque extincti, à natura nobis insita est. Qua impulsus Nero, vt relatum inuenio à Tranquillo, cum mortem sibi instare animaduerteret, nihil prius, aut maius à comitibus exegit, quam ne potestas cuiquam sui capitis fieret. Othonem etiam Tacitus libr. 17. ambitiosis precibus petiuisse dicit, ne caput sibi mortuo amputaretur, ludibrio futurū. Vnde sapienter, vt multa, Homerus Hectorem ab Achille prostratum, iam iamq; confodiendum, inducit precibus maximis contendentem, ne ille se mortuum canibus Achiuorum
C deuorandum relinquat: sed vt corpus auro, atque ære redemptum parentibus reddat. Aiax quoque Sophoclis, gladio incubiturus, Iouem rogat, ne corpus suum canibus, auibusque laniandum exponatur. Plin. lib. 36. cap. 15. litteris consignauit, Romanam plebem sub Tarquinio Prisco, tædium laboris cloacarum vt deuitaret, sibi passim necem consciscentem, fuisse nouo, & antea, posteaq; in excogitato remedio seruatam, cum omnia ita defunctorum corpora, crucibus, spectanda ciuibus, simul & feris, volucribusque laceranda figerent. Quamobrem, inquit, pudor Romani nominis proprius, qui sæpe res perditas seruauit in prælijs, tunc quoque subuenit. Sed illo tempore imposuit, tum erubescens,
D cum puderet viuos, tanquā puditurum esset extinctos. Hæc ille. Sed non solum pudore, verum etiam proprij corporis amore coerciti videntur. Plutarch. lib. περὶ ψυχῆς primo (vt refert Gell. lib. 15. cap. 10.) & libro de claris mulieribus cap. 2. Milesias virgines, quæ vesania quadam corruptæ, seu magis à dæmone malo impulsæ, repentinæ mortis libidine mira per strangulationem interficiebantur, nec vlla ratione ab ea sæuitia poterant abstrahi, pudore identidem seruatas ait incolumes. Spectatæ namq; prudentiæ viri cuiusdam rogatione ad populum perlata decretum fuisse, vt virginum, quæ sibi mortem vltro conciuissent, per medium forum cadauera nuda efferrentur. Quo turpitudinis, atq; igno-
E miniæ metu illas deterritas, à vesania abstinuisse dicit. Florentiæ post Montemurlensem victoriam, cum capitali pœna in captiuos patricios viros animaduerteretur, ferunt quendam promissa ac pulcherrima barba præditum, cum ceruicem intrepidus ferro supponeret, carnificem orasse, vt barbam a gula abduceret, ne ea abscissa, vultus à ciuibus spectandus deformaretur. Hæc Magius lib. 2. cap. 21.

Miror equidem valde, quomodo Magium præterierint exempla duo tam insignita: vnum, istuc Mezentij, quod in manibus habemus: alterum Turni, lib. 12. qui Æneam mox ab eo interficiendus suppliciter orat, vti corpus suum vitali lumine spoliatum, Rutulis ne deneget. Quæ verò idem Magius ex Euripide, & Ouidio de

dio de Polyxena,& rurſum,ex Ouidio de Lucretia, ex Plutarch. de Nicia Ariſtodemi filia, ex Floro de Cleopatra, ex Iuſtino de Olympiade Alexandri matre, ex Suetonio de Iulio Cæſare narrat: hæc, inquam, omnia, hoc idem, quod initio ſuperioris ſymbolæ tradebatur, inſitam videlicet eſſe nobis curam exanimati corporis noſtri, & eius magna nos ſollicitudine teneri, præclarè demonſtrant. Iſtam porro curam, ſollicitudinemq; quid aliud, quæſo, niſi tacitum quandam probationem, ſeu argumentum æternitatis noſtrorum animorũ dici fas eſt? Quod & Ciceroni in Tuſculanis viſum.

HVNC, ORO, DEFENDE FVROREM) Verbum defendo eandem habet vim, quam arceo, repello. Diximus ad Eclog. 7. *Solſtitium pecori defendite.*

IVGVLOQVE. H. INSCIVS ACCIPIT ENSEM) Iugulum eum præbuiſſe intelligendum. Loquens de gladiatoribus Cic. 2. Tuſcul. Quis, cum decubuiſſet, ferrum recipere iuſſus, collum contraxit? *ferrum recipere,* eſt iugulum, aut latus ferro præbere: non ſe contrahere, non manus, non lacertos, non pedes opponere, non ictum declinare. Iubebantur autem interdum, qui decubuerant, à populo iugulari. Eodem genere loquendi pro Roſcio Amerino eſt vſus. Quod non, inquit, totum telum corpore recepiſſet. Qui autem telum recipiebant, fortiores habebantur: quam qui collum contrahebant. De fortiſſimi igitur Mezentij morte verba faciens, ad hunc morem animoſorum gladiatorum reſpexit Maro. Turneb. libr. 8. cap. 18. * *De gladiatoribus item Cic. quod etiam huc valet, Philipp. 3. quod gladiatores nobiles faciunt, vt honeſtè decumbant, faciamus nos principes orbis terrarum, gentiumq; omnium, vt cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia ſeruiamus.*

Mutuatus eſt à Turnebo nonnulla, & adiecit plura Lipſius Saturnal. lib. 2. cap. 22. dum ad moré fortiter decumbentium gladiatorum alluſiſſe docet, ipſumque morem explicat, his pæne verbis. Læſi gladiatores, & mortem metuentes, ſubmittebant arma. Id ſignum victi, fractiq;. Nec ideo tamen liberi. A nutu populi pendebat mors eorum, vel ſalus. Intercedebat pro victis, læſisq;: interfici iubebat idem. Si alba quidem, fauenſque ſententia, miſer ille mittebatur. Sed in eum diem, aut id munus duntaxat, vt cenſeo. Sin funeſta, boni gladiatoris erat decumbere, & libenter, fortiterque recipere ferrum. Cic. pro Sextio. Ipſum verò quid accuſas? num, vt gladiatoribus imperari ſolet, ferrum non recepit? Iis verbis ſubiecta hæc vis, vt iugulum vltro præberent: nec membra contraherent: nec manum opponerent. Seneca epiſtola 30. Mors enim admota, etiã imperitis animum dedit non vitandi ineuitabilia. Sic gladiator tota pugna timidiſſimus, iugulum aduerſario præſtat, & errantem gladium ſibi attemperat. Cic. prorſus graphice totam rem depinxit lib. 2. Tuſculan. Verba ſuprà recitata ſunt. Seneca de Tranquillitate. Fortuna illa, quæ ludos ſibi facit, quò, inquit, te ſeruem malum & trepidum animal? eò magis confodieris, & conuulneraberis, quia neſcis præbere iugulum. Viues tutius, & morieris expeditius, qui ferrum non ſubducta ceruice, nec manibus oppoſitis, ſed animosè recipis. Pertinet huc apud eundem Tullium, Fimbriæ impotens reſponſum, Scæuolam accuſantis, quod non totum ferrum corpore recepiſſet. Alluſit & Prudentius. *Ferrum in papillas omne recepero.*

VNDANTIQVE ANIM. DIFFVNDIT IN ARMA CRVORE) quaſi anima aut ſanguis ſit, aut in ſanguine: ſedem enim eius quidam hanc eſſe docuerunt. Hinc animam effundere, profundere. Dicit autem *vndanti cruore,* ad ſignificandum copiam erumpentis ex lethali vulnere ſanguinis, quo ipſo etiam arma lauabat, &c.





IN P.



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER XVI.

Ad vndecimum Aeneidos.

SYNOPSIS.



Eneas, quod Marti de Mezentio trophæum vouerat, id bene mane, vnum hoc rebus omnibus anteuertendum ratus, constituit. Inde suos compellans, sublato hoste importunissimo, ad consummatæ victoriæ spem, & exspectationem eos erigit. Monet, vti se ad arma diligenter cōparent: vt cum primùm fixa in castris signa vellentur, ad obsidium oppidi, promptè, alacriterq; procedant. Tum de sociorum corporibus terræ mandandis, adiungit, & de Pallante imprimis ad patrem Euandrū remittendo, ibiq; neci bellicosissimi iuuenis illacrymat. In tabernaculum concedit, vbi corpus exanime custodiebatur. Illic fœminæ Troianæ funus circumstantes, passoque crine mortuum lamentantes, vt Æneam conspexerunt, plorare vberius, & ingemiscere altius cœperunt. Ipse cadauer aspectans, & patens in aduerso pectore vulnus considerans, querimoniam orditur admodum παθητικὴν, in qua & se promissa seni de filio data (quod nimirum incolumen restiturus esset) implere non potuisse, & eius ipsius vicem, omnia fausta & fœlicia sperantis, dijsq; seruatoribus ob salutem Pallantis sui tuendam, incassum sacrificia facientis vehementer, & medullitus dolet. Vnum Euandro futurum solatio, quod non, vt fugitiuum, auerso, sed vt strenuum bellatorem aduerso vulnere interemptum recepturus sit. Pompam funeris honestissimam instruit, mille de toto exercitu selectis, qui comitentur. Feretrum componitur, vestes duæ purpureæ, auroq; intextæ, labor, & munus Didonis proferuntur: quarum altera meliore corpus, instar floris recens decerpti, adhuc aspectu iucundum, & viuidum inuoluitur, velo caput obnubitur. Adduntur quæ Pallas ipse hostibus spolia rapuerat. Item adolescentuli 8. soluturi inferias. Ad hæc arma ducum, quos manu sua ipsemet occiderat, in speciem trophæorum, cum eorundem præfixis nominibus præportantur. Acetes longæuus Pallanti à patre custos additus, mœroris magnitudine, quam decrepita senectute imbecillior, atq; fractior, necesse habet manu duci, pectus manu percutit, genas vnguibus laniat, sæpiusque inter eundum humi collabitur. Insuper Rutulis adempti currus ducuntur. Sequitur sponte equus eius Aethon, amoremque erga dominum suum grandibus lacrymis prodit. Portabantur etiam arma, quæ, cæteris sibi sumptis, Turnus ei reliquerat, galea & hasta scilicet. Prodeunt in funus Troiani, Etrusci & Arcades inuersis armis, qui mos est militum duce mortuo. Æneas ipsemet, aliquo vsq; secutus, represso gradu extremùm Pallanti valedicit. Castra, seu Troiam illam ad tempus excitatam, iā soluta obsidione liberam ingreditur. Latini oratores inducias suorum cadaueribus curandis supplices rogant, humanitatis ius obtendentes. Æneas iustam rem petentibus, facillimum sese præbet. Leuiter Latinos obiurgat, qui

cum

cum ipsum habere amicum, & socium possint, inimicum tamen malint: pacem etiam cum viuis libentissimè facturum: nec sua sponte, sed diuino consilio in Italiam venisse: Regem vltro temerata fide Turno adhæsisse: quem ipsum æquius sit vnum discrimini caput opponere, secumque certamen inire, quā tot innocentes pati sua caussa occumbere. Stupefacti clemētia, & moderatione tanta Latini, mutuùm, ac muti etiam intuentur: donec Drāces, æuo maturior, legationis princeps, Turniq; æmulus verba tādem facere orsus cœpit. Laudat Æneam eximiè, eius iustitiam, fortitudinemq; tollit, gratias communi nomine agit, sua, suorumq; studia in Latino reconciliando, & vrbis ædificatione adiuuāda pollicetur. Secunda admurmuratione omnes reliqui dicta approbant. Conceduntur duodecim dierum induciæ. Vidisses ibi indiscriminatim Troianos, Latinosq; per sylvas discurrere, arbores cædere, casas conuectare. Ad Pallantem reuertamur. Fama pompam anteuolans, Euandrum ægrimonia ingēti impleuit, ac totam vrbem luctu permiscuit. Miserum sanè, audire occisum, quem paulò ante diis secundis pugnantem audierant, & se victorem, ac triumphatorem breui cōplexuros cōfidebant. Effundunt se obuiam cum facib. plangunt illi, plangunt, qui vnà veniunt Troiani. Euander nulla vel personæ regiæ, vel ætatis ducens rationem, per medios irrūpit, superq; charissimi sui corp⁹ exanime procumbens, ea cū lacrymis conqueritur, quæ illum conqueri tali statu videbatur æquissimum. Teucros extra suspicionē ponit, totum fatis suis acceptum refert: genere mortis aliquātillum gaudet: caussam diutius viuendi hanc vnā sibi relictam testificatur, vt filium Æneæ manu vindicatū, ac Turnum ab eo trucidatum intelligat, tū deniq; se libēter abiturum. Sole reuerso, corpora cæsorum cū spoliis incēduntur, circum rogos ludicri cursus, more militari exhibentur, pecudes mactātur. Exponitur deinceps quib⁹ officiis Latini suos ꝓsequuti sint. Sequitur luctus vrbanorū, cum lamentarentur matres filios, cōiuges maritos, sorores germanos, filij patres, bellumq;, & Turnum simul, vt caput malorū, diris execrationib⁹ figerent. Drances flāmæ oleum suggerebat: & magis magis animos ciuiū aduersus Turnum exacerbabat: cui tamē virtus sua, & Amatæ matertera gratia apud multos patrocinabatur. Ex Apulia, quò li. 7. mittebantur, legati reuertunt: nec donis, nec precib⁹ Diomedem ad mittenda auxilia inflecti potuisse renuntiant: quippe qui pacem quoq; cū Troiano faciendā suaderet: tantum abesse, vt armis eum vel suis, vel illorū lædendum putaret. Latinus Rex quid ageret, incertus animi, cū ab Ænea deos videret stare, frequentissimū cogit consiliū. In eo sigillatim legatos acta narrare iubet. Narrat Venulus, venisse in conspectū Diomedis, munera obtulisse, qui essent, vnde, & quāobrē venirent, quid peterent edixisse. Verū ita respōdisse ipsum, vt eos à tā quietis, atq; pacificis maiorib⁹ proseminatos, paci bellum anteferre miraretur. Malè euenisse Græcis euersum Ilium: certorū casus exempli caussa commemorasse, & in his suum ipsius quoq;. Nullas sibi iam inimicitias cum Troianis intercedere: darent Æneæ illa munera, cuius ipse virtutem egregiā apud Troiam experiundo sensisset. Alia insuper ad eius laudem magnifica dixisse. Latinus seram videri deliberationem ait, Troianos esse inuictos, in sua cuiq; dextra salutē fore. Placere, si Troiani in Italia manere velint, vt salutētur socij, iisq; ager ad Tiberim pertinēs habitandus assignetur. Sin discedere ad insulam aliquā malint, naues iis, & necessaria suppeditētur. Nihilomin⁹ honorifica legatio cū munerib⁹ exquisitis mittatur. Mutuæ criminationes Drancis, et Turni subtexuntur, qui demū ad Latinum conuersus, non esse desperandum docet locis de fortuna communib⁹: se paratum cū Ænea congredi. Interim ad vrbem appropinquat Æneas, perfertur nunti⁹, trepidatur, & ad arma conuolatur. Turnus insultat Laurentibus, cunctationem eis pristinam exprobrat, dat mandata ducibus. Latinū incōstantiæ suæ pœnitet. Muniuntur portæ, signū belli editur. Mulieres Palladi aduersus Æneā supplicant. Arma induit Turnus, cui cū equitib⁹ suis Camilla occurrens, soli sibi certamen equestre deposcit. Magnanimā et generosā virginē collaudans Turnus, sibi peditatū ad insidias Æneæ ꝑ solitudinē, ac montes venienti locandas retinet, Latinos, & Tyburtes equites Camillæ permittit. Locus insidiarū describitur. Diana Camillā se prælio credere indigne fert: quippe q̄ occasuram sciret. Quomodo sibi cōsecrata, quo pacto educata sit, disertim exponit. Opi sagittam tradit, qua Aruntē eius interfectorem cōfigat. Vterq; exercitus, & fuga, & conflictus depingitur. Camillæ facinora memorantur. Monitu Iouis quasi somno expergiscitur Tarchon, suis

addit animos & verbis, & exemplo. Aruns Camillæ insidiatur: ipsa Chloreum, pulcherrimis eiusdẽ armis capta, incautius persequitur. Tum Aruns Apollinẽ precatus, hasta ei mortiferũ vulnus facit. Labitur ex equo moribunda, priusq; mandat Accæ, Turnũ moneat, vti ad oppidum tuendũ se conferat. Teucri clamorem gratulabũdi tollunt. Pugna ingrauescit. Opis Aruntem speculata, & quasi audiẽti conuitiata, corpus eius telo lethali consauciat: quem sui insepultũ reliquerunt, vt ita etiam lumine cassus poenas daret interfectæ virginis fortissimæ. Camillæ occasu consternati omnes, ad vrbẽ fugiunt. Ibi ad portas magna cædes, cum etiam à ciuibus ciues excluderẽtur, & alij in fossas præcipitarentur, hærentibus in terga Troianis. De muro sudes iactantur. Turnus perculsus nuntio, ad oppidum festinat. Æneas eodem contendit: paruo ibi spatio distantes, mox conflixissent, nisi exiguum quod supererat lucis, prohibuisset. Ergo castris ante vrbem communitis ambo considunt.

EXPLANATIONES.



CEANVM INTEREA SVRGENS AVRORA RELIQVIT.
Æneas (quanquam & sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataq; funere mens est)
Vota deûm primo victor soluebat eoo.
Ingentem quercum decisis vndique ramis
Constituit tumulo: fulgentiaq; induit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens, aptat rorantes sanguine cristas,
Telaq; trunca viri, & bis sex thoraca petitum,
Perfossumq; locis: clypeumq; ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

OCEAN. INTEREA SVRGENS AVRORA) De Oceano sic Mela lib. 1. ca. 1. Hæc ergo (altera zona habitabilis) ab ortu porrecta ad occasum est: & quia sic iacet, aliquanto quam vbi latissima est, lõgior, ambitur omnis Oceano, quatuorque ex eo maria recipit, vnum à septentione, à meridie duo, quartum ab occasu. Vide & Isidorum lib. 13. cap. 15. More suo prætermisit noctis descriptionem, quam transisse indicat præsens ortus: quæ enim naturalia sunt, patent omnibus. Huius versus sententia ex Homero expressa est, Iliad. τ.

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἀπ' ὠκεανοῖο ῥοάων
Ὤρνυθ', ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι, ἠδὲ βροτοῖσι.

Iliad. η.

Ἠέλιος μὲν ἔπειτα νέον προσέβαλλεν ἀρούρας
Ἐξ ἀκαλαρρείταο βαθυρρόου ὠκεανοῖο
Οὐρανὸν εἰσανιών.

Seruius, Vrsin. German.

QVANQVAM ET SOCIIS DAR. TEMPVS HVM.) Tametsi cura humandi suos, quæ res dilationem non patitur, vrgebat, & esset Pallantis interitu mœstissimus, tamen diuina obsequia, cultumq; numinis, ac voti persolutionem omnibus anteponendam, & quamprimum trophæum Marti, cuius potissimum beneficio tam prospere pugnasset, statuendum censuit. In hanc pæne sententiam Donatus.

TVRBATAQVE FVNERE MENS EST) Pallantis funere, quem honoris gratia separat à cæteris, vt sæpe faciũt poetæ. In hanc quidem sententiam Seruius: sed id alia de caussa fieri, infrà ex Donato ostendemus.

VOTA DEVM PRIMO SOL. EOO) primo eoo, scilicet tempore, prima parte, principio diei, simul atque sol esset exortus, vota soluebat, antequam nimirum luctũ subiret, & funestaretur. Cõsuetudo enim Romana fuit, vt polluti funere, minimè sacrificarent: si tamen cõtingeret, vt vno eodemq; tempore & funestaretur quis, & A cogeretur operam dare sacrificiis, laborabat, vt antè sacra compleret, quam funus agnosceret, &c. Seruius.

INGENTEM QVERCVM) Ingentem quercum elegit Æneas, vt ingentibus armis sustinendis idoneam, quã vt commodè sustineret, ramos eius circum circa amputauit. Eam tumulo cõstituit, id est, in colle, quia trophæa non nisi in eminentioribus locis figebantur. Sallust. de Pompeio. Deuictis Hispanis, trophæa in Pyrenæis iugis constituit: ex quo more trophæa in vrbibus, figebantur in arcibus exædificatis. Marti autem, cuius, vt suprà dictum, opibus fæliciter pugnârat, & quem Mezentius vnà cum ceteris diis contempserat. *Trophæum* exponunt Grammatici monumentum victoriæ, constitutum, & B erectum in loco, quo hostes fundi, & in fugam verti cœperunt. Nam à *τρέπω τροπὴ*, inde *τροπαῖον*, pro quo Latini mutata tenui in aspiratam, trophæum. Multa scitu vtilia super notione huius vocis *trophæum* Alex. Neapol. lib. 1. cap. 22. & in eum Tiraquellus.

MAGNE BELLIPOTENS) aliâs armipotens. Ennius de Romanis. *Bellipotentes sunt magè, quam sapientipotentes.*

APTAT RORANTES SANG. CRISTAS) Statius 2. Thebaid.

Huic leues galeas, perfossaq; vulnere crebro
Inserit arma ferens, huic truncos ictibus enses
Subligat, & tinctas membris spirantibus hastas.

C Lib. 12. *currumq; abscissa duorum Suspendit capita, & rorantia sanguine portat.*

TELA TRVNCA) intellige præfracta: ita enim in trophæis poni consueuerant.

BIS SEX THORACA PERFOSSVM LOCIS) ideo dicit, quia Tusciæ populus fuit in duodecim partes diuisus: & solebat interemptos duces omnis vulnerare exercitus, vt de Hectore Homerus commemorat Iliad. χ. *οὐδ' ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη.* Seruius.

ENSEM

ENSEM EBVRNVM) propter vaginam eburneam: Homerus vocat ἐλεφαντόδετον. Ita Seruius, cui negat se assentiri posse German. in eo, quod in cadauer Mezentij sæuitum dicit, & eo illa de clypeo duodecim locis perfosso accommodat, cum ad laudem Mezentij, Æneæque pertinuerit, potius viuum, pugnantemque Mezentium tot in armis, & corpore vulnera excepisse: quæ interpretatio Cæsaris loco videtur conuenire. Is enim lib. 3. belli ciuilis. Scuto ad eum relato Scæuæ centurionis, inuenta sunt in eo foramina ducenta triginta. Sic in Epig. ἀσπὶς πολύτρητος. Quæ autem hic de armis suspensis, seu trophæo Marti dicato scribuntur, in iis elucet Græcorum imitatio, qui statuendis trophæis πανοπλίας appendebant. Eurip. in Heraclid. καὶ τρόπαι ἱδρύεται παντευχίαν ἔχοντα πολεμίων σέθεν. Vnde & Martem, & Iouem τροπαῖον habebant, qui & τροπαιοῦχος, & σκυλοφόρος, feretrius, Iunonem quoque τροπαίαν. Hic mos ab Italia, & Græcia, velut iure gentium, etiam ad Christianos peruasit, vt hostium spolia, & exuuias sacris postibus, locisque, tanquam victoriam ad numen referentes, appendant.

Plutarchus in Romulo, vbi ipsius de Acrone trophæum describit. Romulus vt votum Ioui redderet quam gratissimum, & oculis ciuium speciosissimum, quercum, quam in castris vidit, miræ proceritatis, recidit, & instar adornauit trophæi, Acronis armis aptè suspensis ex ea, adaptatisq;. Claudian. lib. 1. in Ruffinum, prope extremo.

Festinas vrgete manus, meus ecce paratur
Ad bellum Stilico, qui me de more trophæis
Ditat, & hostiles suspendit in arbore cristas.

Sidon Paneg. Maioriani.

Ista micant, clypeo, cuius trabe surgit eburna,
Ebria cæde virûm, propter Bellona trophæum
Extruit, vt quercum captiuo pondere curuet.

Maro, inquit Turneb. lib. 14. cap. 13. libenter poemati suo mores Romanos interserit, & eis opus suum distinguit, atque exornat: &, vt mihi videtur, decus opimorum spoliorum Æneæ tribuit hoc loco, quæ & Marti Gradiuo dicari facit in trophæo. Harum rerum obseruatione, & ingeniosum se ostendit poetã, & poema eruditione commendat.

Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum) sic incipiens hortatur ouantes.
MAXIMA RES EFFECTA VIRI: timor omnis abesto,
Quod superest. hæc sunt spolia, & de rege superbo
Primitiæ: manibusq; meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis, murosq; Latinos.
Arma parate animis, & spe præsumite bellum.
Ne qua mora ignaros (vbi primum vellere signa
Annuerint superi, pubemq; educere castris)
Impediat, segnesq; metu sententia tardet.
Interea socios, inhumataq; corpora terræ
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait, EGREGIAS ANIMAS, QVÆ SANGVINE NOBIS
HANC PATRIAM PEPERERE SVO, decorate supremis
Muneribus, mœstamq; Euandri primus ad vrbem
Mittatur Pallas: quem non virtutis egentem
ABSTVLIT ATRA DIES, ET FVNERE MERSIT ACERBO.

TVM SOCIOS HORTATVR) Perfectis rebus diuinis, socios, id est, Troianos, & auxiliares, qui cum ducibus suis confluxerant, incipit alloqui. Occiso, inquit, Mezentio bellum magna ex parte confectum est: reliqua facilè perfecta dabuntur. Nullus congressionem metuat desiderato Mezentio: quem egò talem reddidi, qualem in hac quercu videtis. Sic merentur occidi, qui in regni potestate opprimunt potius, quam subleuant suos. Donatus.

MAXIMA RES EFFECT. VIR.) Homerus Iliad. ε. θάρσει σεῦ Διόμηδες πελάμω φρεσὶ, μὴ δέ τι ταρβεῖ. Et Iliad. χ. ἠράμεθα μέγα κῦδος, ἐπέφνομεν Ἕκτορα δῖον.

QVOD SVPEREST) τὸ λοιπὸν, siue in posterum, deinceps.

PRIMITIÆ) victoriarum mearum. Primitiarum nomine (quas propriè dicimus, quę de fructibus nouis, aut fœtibus gregum diis offeruntur) & spoliorum, quodam circuitu verborũ ἀκροθίνια significare voluit Maro, quæ & spolia, & frugum primitias sonant: λάφυρα autem viuis abstracta: σῦλα verò, & σκυλεύματα mortuis. German.

MEZENTIVS HIC EST) talis est, qualem videtis. vel, hic est, vt sit aduerbium.

NVNC ITER AD REGEM, MVROSQVE) Iam campestri superauimus prælio, restat, vt etiam obsidione vincamus, & capiamus eam vrbem, quæ perfugium est, & arx inimicis. Proinde ad arma componite animos, & sperate iam nũc vos denuo bellum gesturos cum optata victoria. Hoc ante tempus dico, ne vos dispositionis meæ ignaros turbet repentina commotio, & opportunam faciendi celeritatem mora aliqua ex timore corrumpat. Ne impedimento sitis, cum captatis auguriis signa vellere, & exire castris cœperimus. Donatus.

SPE PRÆSVMITE BELLVM) Præsumere Quintilianus, & æquales eius dixerunt, quod Cicero, & eius ætas dixerãt, præcipere, vt præsumere cogitatione, quod nondum vsu habeas. Plin. ep. 10. lib. 2. vt tandem præcipias gaudium, quod ego olim pro te non temere præsumo. Et præsumere spe, προελπίζειν. Et præsumptiones Quintil. lib. 9. id est, ἀντιλήψεις. Cic. 1. Off. Illud etiam ingenij magni est, præcipere cogitatione futura, & aliquantò ante constituere, quid accidere possit.

Liuius libr. 4. quanquam fama prius præcepta res erat. Budæus in Pand.

VBI PRIMVM VELLERE SIGNA) Vellere propriè dicit, quia Romana signa figebantur ante prætorium in castris: & cum ad bellum eundum fuisset, captatis auguriis euellebantur è terra: nam alibi ea figi non licebat. Sed inter auguria etiam hoc habebatur, si auellentem facilè sequerêtur, hoc enim erat indubitatæ victoriæ signum. Contrà verò, si in eximendo magno impulsu opus foret, tunc cladem, & excidium futurum haud dubiè præmonstrabant. Appian. in bello Parthico tradit, Crassum iturum in bellum aduersus Parthos, euellere signa nequiuisse, ibiq; ipsum occisum fuisse. Aliud non dissimile prodit Paulus Orosius de Furio Camillo Scriboniano lib. 7. cap. 6. Hæc ex Seruio, & aliis.

Aquilam auream Xiphilinus fuisse narrat in Pompeio, quę cũ Crasso Euphraten aduersum Parthos transire noluit: sed terræ perinde adhærebat, atque si in ea nata fuisset, donec eam multitudo, quæ circumstabat, conuulsit, ipsaque vi consecuta est. Portendit & hoc exitium Flaminio Cos. apud lacũ Thrasimenum pugnaturo cum Annibale, quod signa difficilè vulsa sunt, & secutus cruor, vt his versibus cecinit Silius lib. 5.

Signa etiam effusa certant dum vellere mole,
Teter humo lacera nitentum erupit in ora
Exultans cruor, & cædis documenta futuræ
Ipsa parens miseris gremio dedit atra cruento.

Prius id memoriæ proditum à Liuio, lib. 21. in hæc verba. Territis omnibus, qui circa erant, velut fœdo omine incipiendæ rei, insuper nuntiatur, signum omni vi moliente signifero, conuelli nequire. Conuersus ad nuntium, Num literas quoque, inquit, ab senatu affers, quæ me rem gerere vetent? abi, nuntia, signum effodiant, si ad conuellendum manus præ metu obtorpuerint. ❧

SOCIOS INHVMATAQVE CORP. TERRÆ MAND.) Suprà lib. 9. *Mandes humo solita.* Notum illud Euripid. in τῶν ἱκετίδων.

Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.

Apud Homerum leguntur hæc tum alibi, tum Iliad. π.

Ἔνθα ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε, ἔται τε
Τύμβῳ τε, στήλῃ τε, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Vrsin.

INTEREA) dum obsidionis tempus aduenia, dum vacamus ab armis.

QVI SOLVS HONOS ACHER. SVB IMO EST) Honorem ait esse apud Acherontem, sepultum esse, alioqui animæ centum annos circum ripas Acherontis errare coguntur: vnde 6. Æneid. Grammatici Acherontem παρὰ τὸ ἄχη ῥεῖν deducunt: & Eustathius docet, tres hoc nomine fuisse fluuios, vnum apud Cimmerios, circa Thesprotiam alium, alium & in Alpheum influere: sed & Acherusiam quandam paludem restagnantem prope Siculas Cumas, inde & acheroïda sterilem arborem populum.

Acherontem, inquit, Turneb. lib. 5. cap. 7. legimus inferorum flumen esse: sed apud veteres Latinos, inferos plerumque significat, non flumen: vt apud Plautum Trinummo. *In nostro agro ostium est Acherontis*; id est, inferorum. Et hoc loco, & aliis multis, quos adscribere supersedi, ne copia oneraret lectorem.

EG. ANIMAS QVÆ SANG. NOB. HANC PAT. PEPER.) Ingenti arte laudat potius, quam miseratur extinctos, vt præsentium animos in bella succendat. Respicit Homericum ἰφθίμους ψυχάς. Tale quid & Epig. 4.

Ἀμμὲς ἐσεῦσαι θῆξιν ὑπὲρ Ἑλλάδα πᾶσαν,
Ταῖς ἡμῶν ψυχαῖς κείμεθα ῥυσάμενοι.

Planè enim huic, *quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere*, respondet.

Anima etiam pro animato corpore sumitur. Lucret. lib. 4.

Nam certè ex viuo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniam talis natura animai.

Atque ita etiam pro homine apud Latinos scriptores crebrò. Apud Hebræos non semel, vt Numeror. cap. 19. Actor. 27. & alibi. Si Nonio credimus, anima etiam pro corpore, seu cadauere aliquando accipitur, vt hoc loco. Lege totum caput Magij 12. lib. 1.

DECORATE SVPREM. MVNER.) Catull. ad fratris tumulum. *Vt te postremo donarem munere mortis*, quomodo quidam legunt, pro, *amoris*. Ouid. 3. Elegiar.

His certè manibus fugientis pressit ocellos
Mater, & in cineres vltima dona dedit.

Græci quoque γέρας, id est, munus vocant. Virgil. rursum lib. 6. *& fungar inani munere*, loquens de floribus tumulo Marcelli aspergendis.

EVAN. PRIM. AD VRBEM MITTATVR PALL.) Quum generatim loqueretur de mortuis, ne Pallantem quoque aut flammis ibi cremandum, aut humo operiẽdum putarent, separat eum à cæteris. Regales enim nunquã confusæ sepulturæ iunguntur. Eò accedebat, quòd orbatus filio pater vel mortuum suscipere debuit, si non quiuit videre victorem. Donatus. * *Lege tit. εἰς ἀρετὴν. 3. lib. Antholog. Vbi multi commendantur, qui sanguine suo non patriam quidem, sed patriæ libertatem peperere. Et obserua in hoc verbo parere translationem pulchram. Sic Scipio apud Ennium, Romam alloquens.* Namque tibi monumenta mei peperere labores. *Cic. Tuscul. 5. Tu vrbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti. Sermo est de Philosophia. Idem Epist. lib. 9. nec ea solum memineris, quæ ab aliis magnis viris accepisti, sed illa etiam quæ ipso ingenio, studioq; peperisti. Ad Brutum. Magna pestis erat depulsa per vos, magna pop. Rom. macula deleta: vobis vero parta diuina gloria.*

QVEM NON VIRTVTIS EGENT.) Ἀλτέας, pro, abundè magna virtute cumulatum. Ab Ennio sumptum monet Seruius. Sic. lib. 8. *quem non rationis egentem.*

FVN. MERSIT ACERBO) Acerbum funus, est immaturum, translatio à pomis. Lib. 6. eleganter de infantibus apud inferos,

Infantumq; animæ flentes in limine primo,
Quos dulcis vitæ exortes, & ab vbere raptos
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Hic profectò satis indicauit, cur funus acerbum vocaret. Et quanquam valde acerba infantium, tamen etiam adolescentum (qualis erat Pallas) acerba funera, quia nondum matura. Tibullo immitis mors. *Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus.* etsi aliter hoc liceat interpretari. ❧

Sic ait illacrymans, recipitq; ad limina gressum:
Corpus vbi exanimi positum Pallantis Acetes
Seruabat senior, qui Parrhasio Euandro
Armiger ante fuit: sed non fælicibus æquè

Tum

Tum comes auſpicijs charo datus ibat alumno.
Circum omnes famulúmq; manus, Troianaq; turba,
Et mœſtæ Iliades crinem de more ſolutæ.
Vt verò Æneas foribus ſeſe intulit altis,
INGENTEM GEMITVM TVNSIS AD SIDERA TOLLVNT
PECTORIBVS: mœſtoq; immugit regia luctu.

A RECIPITQVE AD LIMINA GRESSVM) Mox vt Æneas ſepeliendorum curam, & transferendi Pallantis ſollicitudinẽ poſuit, recipit ſe ad limina, id eſt, ad locũ, in quo iacebat funus, quod ſeruabat Acetes ſenior. Hic Virgilio fatorum iniquitas diſplicet: ſeruabat enim longæuus infeliciſſimum iuuenis funus: & obierat, qui per ætatem prodeſſe publicis rebus potuit: incolumis verò fuerat, qui Euandri comes tot euaſerat bella, & Euandri filius iacebat occiſus. Sed nec ipſa patris, & filij paria eſſe auſpicia potuerant: nam quoties Acete comite Euander iuit ad bellum, vtriſque toties laurea, triumphique ceſſerãt: perrexit cũ miſerrimo Pallante, nõ reducturus incolumem, ſed reuerſurus cũ extincto. O diſpar pugnandi conditio: ô fortuna diuerſis fauoribus currens. Alter inter arma, & gladios potest in ſenium durare cum ſocio, alterius dies vna, & pugna ſpectauit ad mortem. Donatus.

CORPVS VBI EXANIMI POSITVM PALLANT.) Eadem forma, *Corpus vbi exanimi poſitum Pallantis*, qua ſupra lib. 2. *Sic ô ſic poſitum affati, diſcedite, corpus*: & 4. *ſic vt te poſita crudelis abeſſem?* Lucret. lib. 3. *Poſt mortem fore, vt aut putreſcat corpore poſto*. κεῖσθαι Græci dicunt. Apud quos & τιθέναι funebre verbum eſt: vnde & θῆκαι τελευτησάντων apud Plat. Polit. 8. German.

Mos familiaris fuit, vt poſt efflatam animam cadauer cubiculo efferrent, in veſtibulo ædium collocarent ad ianuam. Id proprio verbo dicitur collocatio. Hunc morem tangit occultè, vt ſolet, vates magnus. Adeas Lipſium Elect. lib. 1. cap. 6. in quo diligenter præterea obſeruati ritus antiquorum funebres.

PARRHASIO EVANDRO) Arcadico ab vrbe Arcadiæ Parrha.

IBAT COMES) pro, ierat.

ET MOESTÆ ILIADES CRIN. DE MORE SOL.) Serui domini ſui caſum, & Troianæ matres infælicem iuuenem plena miſeratione plangebant, ſparſis crinibus. Seruius has mulieres fuiſſe putat ancillas Æneæ: omnes quippe matres hoc eſt, mulieres nobiles, in Sicilia remanſiſſe dixit, excepta Euryali matre: de qua legimus lib. 9. *Quæ te ſola puer tantis è matribus auſa Proſequitur.*

Facit mentionem ſeorſim fæminarum, quia, vt ait Sophocles, φιλοίκτιστον, καὶ συμπαθέστατον γυνή. *De more* autem non indocti homines reddunt per illud poetis familiare, κατὰ κόσμον, licèt κατ' εἰωθὸς aliud videatur.
B German.

VT ÆN. FORIBVS SE INTVLIT ALTE) Naturale enim eſt, vt intermiſſa lamenta repetantur, cum aliquis notus aduenerit. Sic apud Statium, ingreſſis ducibus denuo defletur Archemorus.

——— mox vt morientia dignis
Vultibus Inachij penetrarunt limina reges,
Ceu noua tunc clades, & primo ſaucius infans
Vulnere, lethaliſue irrumperet atria ſerpens,
Sic alium ex alio, quanquam laſſata, fragorem
Pectora congeminant, integratóq; reſultant
Accenſo clamore fores.

Seruius.

C TVNSIS PECTORIBVS) 2. Æneid. de Troianis fæminis, quæ Palladi ſupplicatum ibant. *Suppliciter triſtes, & tunſæ pectora palmis.* De Iuturna lib. 12. *Terq; quaterque manu pectus percuſſit honeſtum.*

Ipſe caput niuei fultum Pallantis, & ora,
Vt vidit, leuiq; patens in pectore vulnus
Cuſpidis Auſoniæ, LACRYMIS ITA FATVR OBORTIS.
Téne, inquit, miſerande puer, cum læta veniret,
Inuidit fortuna mihi? ne regna videres
Noſtra, neq; ad ſedes victor veherere paternas?
Non hæc Euandro de te promiſſa parenti
Diſcedens dederam, cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium: metuenſq; moneret
Acres eſſe viros, cum dura prælia gente.
Et nunc ille quidem ſpe multùm captus inani,
Fors & vota facit, cumulatq; altaria donis:
Nos iuuenem exanimum, & nil iam cæleſtibus vllis
Debentem, vano mœſti comitamur honore.
Infælix, nati funus crudele videbis.
HI NOSTRI REDITVS, EXSPECTATIQVE TRIVMPHI:
Hæc mea magna fides. at non Euandre pudendis
Vulneribus pulſum aſpicies: nec ſoſpite dirum

Optabis nato funus pater: hei mihi quantum
Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis Iule.

IPSE CAPVT NIVEI) Mortui corpus noua arte laudauit: augent enim dolorem, quæ possunt in defuncto laudari. Tantæ, inquit, Pallas pulchritudinis erat, vt cum nec mors deformare valuisset. Non pallebat ille, sed niueus apparebat: quæ res augebat dolorem religiosi viri, quum in vno cæso multa fleret extincta: spem iuuenis, vota patris, & pulchritudinem corporis. Vbi autē penitus, & intimus est dolor, etiam ante verba fluunt lacrymæ. Inde Æneas lacrymis prius obortis fatur. Donatus.

Epitheton *niuei*, latè patet, inquit Seruius: referri enim potest & ad candorem pristinæ pulchritudinis: & ad pallorem ex morte venientem: & ad frigus, quod propriè mortuorum est: vt, *corpusq; lauant frigentis, & vngunt.* * *Si ad pallorem referatur, nescio quo pacto quadret comparatio, quæ infra ponitur de viola, & hyacintho: quæ sine dubio poeta pulchritudinem vultus, quamuis exanimis exprimere voluit. Immo necesse ad candorem referatur, quadrabit, nisi in genere: quia scilicet candor pulchritudinis est, vt illi flores, quamuis non candidi.*

LEVI IN PECTORE) pulchro, puerili, nondum setoso.

TENE INQVIT MIHI) Est iteratio in verbo, *inquit*: suprà ait, *lacrymis ita fatur obortis*: sicut in quinto posuit, *& fidam sic fatur ad aurem*, & paulò post sic intulit, *Dic ait*. Sanè sciendum & allocutionem esse talem, qualis illa, vbi defletur Euryalus: nam locis omnibus commouet miserationem, ab ætate, à tempore, à vulnere, à spe parentis. Seruius.

INVIDIT FORTVNA) Ac si diceret, quantum noceret aduersa, quum læta talem intulit casum? Videtur autem dolere, quod queri non potest de fortunæ crudelitate, quæ ei vno, eodemque tempore & tanta contulit beneficia, & tale intulit damnum. Pleno affectu dixit *nostra*, quasi communia esset habiturus cum eo, si illum incolumem fata seruassent. Seruius.

NE REGNA VIDERES NOSTRA) Quid sit, *cum læta veniret fortuna*, his verbis declaratur, regnum in Italia scilicet, quod se adepturum Æneas spe præsumebat, confisus tot oraculis. Coniunxit vtrumq; & Creusa lib. 2. fortunam lætam videlicet, & regnum. *Ad terram Hesperiam venies*, &c. *subiungit, Illic res lætæ, regnumque, & regia coniux Parta tibi.*

NON HÆC EVAND. DED. PROMISSA) De promissis suis, quæ Euander dederit, κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus: nam abscedens nusquam Euandrum est allocutus. Seruius.

SPE CAPT. INANI) Cum sperat vnusquisq; quod non est, vel optat incolumem, quem morte constat oppressum, hæc spes inanis est. Donatus.

FORS ET VOTA FACIT) Aliter legitur *forset*, & *forsit* coniunctim, ac melius quidem, quod nec Seruius dissimulat. Lucret. etiam lib. 6. de Nilo sic ait. *Forsit & Æthiopum penitus de montibus altis Crescat.* Dicitur autem *forsit*, quasi fors sit, quemadmodum dixit in Hecyra Terentius, *fors fuat pol.* Canterus lib. 4. cap. 8. Adde, forset est fortasse, sicut & fors, Prisciano teste.

CVMVLATQVE ALTARIA DONIS) Lib. 5. *strueremque suis altaria donis.* Sæpius vocantur dona, quæ dijs offeruntur. Aliquando etiam munera. lib. 9. *Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona.* Penelope Vlyssi. *Grata ferunt nymphæ pro saluo dona marito.*

NIL IAM CÆL. DEBENT.) Qui viuunt, obnoxij sunt superis dijs, mortui extra eorum ditionem sunt, & in aliorum ius, conditionemque concedunt: qui autē alicui obnoxius est, qui alicuius imperio paret, is ei aliquid debet. Ex eo Maro nihil debentem cælestibus cū scripsit, mortuum intellexit. Turneb. lib. 5. cap. 7. Sophocles Aiace.

Ἄγαν γε λυπεῖς, οὐ κάτοιδ᾽ ἐγὼ θεοῖς
Ὡς οὐδὲν ἀρκεῖν εἴμ᾽ ὀφειλέτης ἔτι.

Virgilij locus tantam habet cum Sophocleis versibus similitudinem, vt non sine caussa existimari possit, illos æmulatus esse Vrsin.

VANO COMITAMVR HONORE) Vano honore, inani, quantum ad mortuos pertinet: nā talia de mortuis fiunt ad solatium superstitum, vt est apud Ciceronem in Catone maiore: Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum, & lamentis vacare: vult, credo, se esse charum suis. Ita Seruius.

Vano, inquit German. quod eo in vitam desiderati mortui reuocari non possunt. Neque enim conueniret personæ, & pietati Æneæ, extremum illum honorem, cuius se studiosissimum vbique ostendit, eludere, & eleuare, cum præsertim nuper admodum à Palinuro, & inferis didicerit, quanta cura, & ratio sepulturæ habenda sit. Non potuit itaque κατ᾽ ἐναντίωσιν poeta à se ipso dissidentem inducere Æneam: quamuis & supra lib. 6. iusta, inferiasque aspiciens Maro, *fungar inani munere*, cum eadem, qua hic sententia dixerit, &c.

INFÆLIX, NATI FVNVS CRVD. VIDEB.) Apostrophe ad Euandrum, cuius vicem dolet, qui pro victore, & triumphante crudeli vulnere extinctum recepturus est.

HI NOSTRI REDITVS) tale est, vt, *manibusq; meis Mezentius hic est.* Ἐρωτικῶς in semetipsum, qui ipse sua tantopere frustratus sit. Talis est illa Turni oratio in alium, siue magis est sarcasmus, lib. 12.

En agros, & quam bello, Troiane, petisti
Hesperiam metire iacens. hæc præmia qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.

HÆC MEA MAGNA FIDES) κατὰ τὸ σιωπώμενον, quam de Pallantis reditu promiserat patri.

PVDENDIS VVLNERIBVS) Pudenda vulnera sunt, in tergo accepta, vt fit fugientibus. De his vulneribus doctè German. Sic & Epig. libr. 3. οὐ γὰρ δὴ μάλα ταῦτα τεθνεῶτ᾽ ... Et semper auersa, posticaque vulnera poetæ turpitudini, ignauiæque tribuerunt: vt Homerus Iliad. ν. Idomeneus Merionæ fortitudinem laudat,

Εἴ περ γάρ κε βλεῖο πονεύμενος, ἠὲ τυπείης,
Οὐκ ἂν ἐν αὐχέν᾽ ὄπισθε πέσοι βέλος, οὐδ᾽ ἐνὶ νώτῳ,
Ἀλλά κεν ἢ στέρνων, ἢ νηδύος ἀντιάσειε,
Πρόσσω ἱεμένοιο μετὰ προμάχων ὀαριστύν.

Eoq; solatio Hecuba Iliad. ω. mitigabat suum, Priamique de morte Hectoris dolorem.

...— ἐπεί ν᾽ ἑ κατέκτα γε ταλάκτα,
Ἀλλὰ περὶ Τρώων, καὶ Τρωϊάδων βαθυκόλπων
Ἑστάοτ᾽ ... μεμνεμένον, ... ἀλεωρῆς.

Celebrantur item passim ... a poetis.

Atque vt hæc, auersa, inquam, vulnera pudenda, & ignominiosa: sic illa gloriosa, quæ a diuersa accipiuntur, & in quæ proni cadunt, qui vulnerantur: illa, quoniam timoris, & fugæ: hæc, quoniam fortitudinis argumentum sunt. Iocus Augusti apud Macrob. lib. Saturnal. 1. cap. 4. in eum, qui saxo in expeditione percussus, ac notabili cicatrice in fronte deformatus, nimium sua

oper

opera iactabat: at tu, inquit, cum fugies, nunquam post te respexeris. Contra laus L. Sicinij Dentati, præter alias plurimas, quadraginta quinque cicatricibus aduerso corpore, nulla in tergo insignem fuisse. Plin. lib. 7. cap. 28. Valer. lib. 3. cap. 2. Lege item epitaphium Tit. εἰς ἀνδρείους in Thrasybulum Lacedæmonium, qui septem ab Argiuis vulnera, omnia aduersa, nullum auersum accepit. Iustinus de Atheniensibus victis à Macedonibus, lib. 9. non tamen immemores pristinæ gloriæ cecidere: quippe aduersis vulneribus omnes, loca quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus A texerunt. De talibus ita est apud Curtium lib. 3. Circa currum Darij iacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti: omnes in ora proni, sicut dimicantes procubuerant, aduerso corpore vulneribus acceptis.

NEC SOSPITE DIRVM OPT. NATO FVNVS) non optabis sospite dirum funus, id est, ipsi sospiti, est enim enallage casus. Si fuisset vulneratus à tergo, & ita euasisset, tu optares ei quamuis crudelem interitum. Aut ita, nec filio turpiter superstite, tibi mortem optabis.

Hæc vbi defleuit, tolli miserabile corpus
Imperat: & toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintq; patris lacrymis: solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alij crates, & molle pheretrum
Arbuteis texunt virgis, & vimine querno:
Extructosq; toros obtentu frondis inumbrant.
Hîc iuuenem agresti sublimem in stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
Cui neq; fulgor adhuc, necdum sua forma recessit:
Non iam mater alit tellus, viresq; ministrat.
Tum geminas vestes ostroq;, auroq; rigentes
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discreuerat auro.
Harum vnam iuueni, supremum mœstus honorem
Induit: arsurasq; comas obnubit amictu.

HÆC VBI DEFLEVIT) vbi fletum absoluit. Sicut B debellauit, defunctus est: seu, vbi hæc cum lacrymis dixit.

TOTO LECTOS EX AGMINE MILLE VIROS) Troianos, Tuscos, Arcadas, vt dicit Seruius. Cur tantum adderet comitatum, duæ causæ. Quia id regale funus decebat: quod obsequij genus ideo supremum dicitur, quia postea nullum est. Altera propter solatium, & lacrymas patris, vt aut ipsi dolorem mœrentis lenirent persuasionibus suis: aut ex congregatione tantorum leuaretur animo, intelligens in tanta necessitate bellorum filij sui caussam fuisse potiorem, propter quam tot lecti fuerant viri: & Æneam saluti propriæ Pallantis obsequia prætulisse: quanquam vniuersum dolorem C seni exhauriri non posse vllo solatio crederet. Donatus.

SVPREMVM COMITENT. HONOREM) qui funus deducant, qui quidem defunctorum est honor vltimus.

HAVD SEGNES ALII CRATES) Humanitate simul, & principis Æneæ iussu cogentibus, non erant segnes, & properantes aggrediebantur necessaria. Dicit deinde quomodo pheretrũ contexuerint, quod latinè capulus dicitur. Vnde ait Plautus, capularis senex, id est, vicinus capulo, qui dictus capulus ab eo, quod corpus capiat. Donat. Seruius.

EXTRVCTOSQVE TOROS) Extructus, est exaggeratus, aggestus, accumulatus. Georg. 1. *Ter pater extructos deiecit fulmine montes.* Lucret. lib. 6.

Scilicet hoc densis fit nubibus, & simul altè
Extructis alijs alias super impete miro.

Rursum. *Fulmina gignier è crassis, alteq; putandum est Nubibus extructis.* Gifan. in Lucret.

OBTENTV FRONDIS) obtentis frondibus.

AGRESTI SVBLIMEM IN STRAMINE PONVNT) id est, super frondes ponunt: nam hìc reddit, quod omiserat suprà, dicens, *Extructosq; toros*, nec addés, vnde. Seruius.

VIRG. DEMESSVM POLLICE FLOREM) Simile illud Propertij lib. 1. *lilia, Quæ modò decerpens tenero pueriliter vngui.* Et Catulli. *Idem cum tenui carptus defloruit vngui.* Eunt sæpe in comparationes has, reciprocasq; metaphoras poetæ, ab hominibus scilicet ad herbas, floresq;, & contra: vnde & pubescere plantas dicunt, florere, & deflorescere homines: quemadmodum & Adonidis horti ab ipsis effœtæ, fugientesque illecebræ dicuntur, ab Adonidis Assyrij adolescentis morte præmatura, &c. German.

De digitis, quoniam rara est occasio, disputemus. Pollex dicitur, quod pręcęteris digitis polleat. Nomina autem digitorum sunt, primus pollex, secundus index, qui & salutaris, tertius medius, infamis, seu famosus, impudicus, quartus medicus, & annularis, quintus minimus, & auricularis. Politian. cap. 62. Quid porrò sit pollicem premere, pollicem vertere, idem cap. 42. Multa item cognitu pręclara de pollice, reliquisq; digitis Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 26. Plin. lib. 11. cap. 43.

Homi-

Hominis digiti articulos habent ternos, pollex binos, & digitis aduersus inuersis flectitur: per se verò in illis, quum porrigitur, crassior cæteris. Huic minimus mensura par est, duo reliqui sibi, inter quos medius longissimè protéditur. Hęc ille. Cur salutaris dicatur is, qui est à pollice proximus, hæc forsitan sit ratio, quod eum solemus admouere ad os, cum silentium ab alio, alijsúe postulamus: quód ferè facimus in ijs rebus, quas tacitas haberi perutile nobis, aut illis, ac salutare iudicamus. Hoc eum nomine Sueton. afficit in Augusto, dũ ait, eum habuisse digitum salutarem sinistræ manus imbecillum. Indicis autem nomen ab indicando accepit. vsus eius est in exprobrando. Vtebatur eo scitè Crassus orator: testis Cicero. ✠

LANGVENTIS HYACINTHI) Propert. lib. 4. eleg. 2.

Nec flos vllus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante mea.

NON IAM MATER ALIT TELLVS) Bene tellurẽ matrem vocat. Lucret. lib. 5.

Linquitur, vt merito maternum nomen adepta
Terra sit, è terra quoniam sunt cuncta creata.

Inducitur funus Pallantis retinens adhuc viui hominis speciẽ. Itaq; iacens in agresti stramine, super herbas agrestes, talem habuit colorem, qualem flos violæ, vel hyacinthi, quum languet abscissus, & quum illi adhuc naturalis permanet fulgor: & tamen vires solitas mater iam denegat terra. Donatus.

Nonne tibi hìc in mentem venit, lector optime, illius, Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos fœni? Flos erat Euryalus, flos Pallas: sed morientes deciderunt, elanguerunt, perierunt. Quam facile autem est fœnum, seu gramen arescere, florem languescere, tam facilè est ex viuo homine mortuum fieri, & omnem eius decorem fœdari, atque corrumpi. *Breuitas vitæ*, inquit D. Basil. Homil. 5. in Hexaëm. *oblectamentumq́ prosperitatis humanæ, atq; hilaritas exiguo tẽpore persistens, accommodatissimam est apud prophetam similitudinem sortita. Hodie virent corpore, propter diuitias obesui, & florente colore præditus, ob ætatis viriditatem lasciuiens, vehemens, impetu intolerabilis: eras idẽ ipsemet miserabilis fueris, aut morbo forsan dissolutus, aut tempore, senioq; confectus.* ✠

Huius Pallantis corpus Clemente 7. Pontifice Rom. inuentum dicitur à quibusdam, tantæ proceritatis, vt murorum vrbis Romæ pinnas erectum vertice pertingere posset. Nec verò si huius magnitudinis cadauer effossum credamus, Pallantis id fuisse minus fuerit existimandum, quod Virgil. libro hoc eius corpus exustum fuisse narret, cum satis constare possit illud de Pallantis concrematione κατὰ πρόληψιν fuisse à poeta prolatum. Lege Magium lib. 1. cap. 4.

VEST. OSTROQVE AVROQVE RIG.) Dicturus Æneam vestem funeri contulisse, dicit eius pretium, & meritum. Has, inquit, fecerat Dido: ecce vnum meritum. Manu sua, & labore proprio, augmentum laudis, ipsa, quę fuisset regina, & haberet, per quas hoc faceret, fecit tamen Æneæ, quem dilexerat plurimum, vt verũ, ac plenum amantis demonstraret affectum. Magnum hìc Pallanti amoré ab Ænea exhibitum ostendit. Donauit ei tanti rem pretij, reginæ manu confectam, donatam sibi ab ea, quæ coniunctionem per merita, & munera roborare cupiebat, cuius laborem operis illa non senserat: fecerat.n. libens, fecerat læta, nó quemadmodum faceret, sed cui faceret cogitans. Tantæ igitur fœminæ tantum munus duarum vestium, cum defuncto diuisit. Donatus.

LÆTA LABORVM) quam laboris non pigeret.

IPSA SVIS QVONDAM MANIBVS) Laus telæ à donatrice, & artifice. Suprà lib. 4. *diues quæ munera Dido Fecerat.* Et Homerus. Odyss. κ. Οὓς ἥφαιστος ἔτευξεν ἰδυίῃσι πραπίδεσσι. Et Epig. 6. χερσὶ δὲ ταῖς ἰδίαις ἐξεπόνησε χέειν. *Ipsa*, αὐτὴ, vt Iliad. ε. χάριτες κάμον αὐταὶ, hoc est, αὐτουργῆσαι. In hac quoq; significatione à Sophocle Antig. αὐτόχειρ, αὐτουργός. Propert. lib. 2. *Sed quas ipse suis fecit Amor manibus.* German. Ornat & ipsa Andromacha ex hoc loco munera sua, quibus donat Ascanium lib. 3. *Accipe & hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum Sint, puer.*

HARVM VNAM IVVENI) Veteres veste vna corpus induebant, altera, qua amiciebantur, etiam interdũ caput inuoluebant: quo factum est, vt duas vestes mortuo Pallanti injiciat Æneas, vt vna corpus, altera caput tegatur. Sic & lib. 3. *Purpureo velare comas adopertus amictu.* Et Varro lib. 4. de ling. lat. vestes in indutum, & amictum diuidit. Prius, inquit, de indutu, aut amictu quæ sunt, tangam. Turneb. lib. 5. cap. 7.

OBNVBIT AMICTV) *Obnubit*, velat, translatio à nubibus, quibus tegitur cælum: vnde & nuptiæ dicuntur, quod nubentium corpora velantur. Seruius. Adde. Arnob. lib. 3. Quod aqua nubit terram, appellatus est, & cognominatusq; Neptunus.

Multaq; præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam iubet ordine duci.
Addit equos, & tela, quibus spoliauerat hostem.
Vinxerat & post terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias, cæso sparsurus sanguine flammas:
Indutosq; iubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaq; nomina figi.
Ducitur infælix æuo confectus Acetes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora:
Sternitur & toto proiectus corpore terræ.
Ducunt & Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis insignibus, Æthon
It lacrymans, guttisq; humectat grandibus ora.
Hastam alij, galeamq; ferunt, nam cætera Turnus

Victor

Victor habet. tum mœsta phalanx, Teucriq; sequuntur,
Tyrrheniq; duces, & versis Arcades armis.
Postquam omnis longè comitum processerat ordo,
Substitit Æneas, GEMITVQVE HÆC ADDIDIT ALTO.
Nos alias hinc ad lacrymas, eadem horrida belli
Fata vocant. salue æternùm mihi maxime Palla,
Æternumq; vale. Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumq; in castra ferebat.

LAVRENTIS PRÆMIA PVG.) Plautus quoque præmium, & poenam sæpe coniungit: & sanè vtrumque idem est prope, id videlicet, quod hosti, aut victori miles, aut grassator manu eripit. Tibull. eleg. 2. lib. 1.

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veste petat.

Petronius Arbiter. Quid a quis dici formosius potest? in publico tamen manant. Solus ergo amor furtum potius, quam præmium erit? Vrbanè furto commisit præmium, quod alterum dolo, clam, alterum vi, palam capiatur. Ian. Guilelm.

LONGO PRÆDAM IVBET ORDINE DVCI) Cur longo ordine prædam duci iubet? Ne in globum collecta, ambitionem, ac pompam funeris minueret. *Caeso sanguine*, pro, cæsorum sanguine, vt supra, *Captiuoque rogi perfundat sanguine flammas*. Duces (puta illius χιλιάδος, quæ Pallantis funus comitabatur) iubet trophæa portare, præfixis occisorum nominibus. Donat. German.

ADDIT EQVOS, ET TELA *Cuius equos & tela?* Dicit statim ipsemet poeta, *quibus spol. hostem*: captiua enim maximè conueniebant pompæ funebri. Donat.

VINXERAT ET POST TERGA MAN.) Æneid. 2. *Ecce manus iuuenem interea post terga reuinctum*. Et de Furore lib. 1. *& centum vinctus ahenis Post tergum nodis*. Versum hunc, & sequentem arripit Lactant. lib. 5. cap. 10. ad accusandum Virgilium, qui non consentanea finxerit: etsi etiam hoc exemplo Æneæ proposito, veterum illorum pietatem aliquando fuisse impiam, & iniustam iustitiam videri vult. Quæ nobis, inquit, documenta iustitiæ protulit? (exemplum enim pietatis, & iustitiæ facit Æneam, *quo iustior alter Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis*, illo versu, *Vinxerat & post terga manus, &c.* Quid potest esse hac pietate demêtius, quam mortuis humanas victimas immolare, & ignem cruore hominum tanquam oleo pascere? Sed fortasse hoc non ipsius vitium fuerit, sed poetæ, qui illum insignem pietate virum insigni scelere fœdauit. Vbi est igitur, ô poeta, pietas illa, quam sæpissime laudas? Ecce pius Æneas

——— Sulmone creatos
Quattuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens,
Viuentes rapit inferias, quas immolet vmbris,
Captiuoq; rogi perfundat sanguine flammas.

Cur ergo dicebat eodê isto tempore, quo vinctos ipsos homines ad immolationem mittebat, *equidem & viuis concedere vellem*, cum quos viuos haberet in potestate, iuberet occidi? Sed hæc, vt dixi, culpa, nô illius fuit, qui litteras fortasse non didicerat, sed tua: qui cum esses eruditus, ignorasti tamê, quid esset pietas: & illud ipsum, quod nefariè, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium credidisti: videlicet ob hoc vnum pius vocatur, quia patrem dilexit. Hæc Lactant. * *Reliqua recitauimus libr. 10. ibi.* Per patrios manes, per spes surgentis Iuli Te precor, &c. *Quid porrò docet Lactant. ad illam pietatem Augusti erga maiorem auunculum suum Iulium? Quæris quam? Scribunt quidam, trecentos ex dedititiis electos (capta Perusia) vtriusque ordinis, ad aram D. Iulio extructam Idibus Martiis hostiarum more mactatos. ita Sueton. cap. 15.*

INDVTOSQVE IVBET TRVNCOS HOSTIL. ARMIS) De trophæis accipiendum est, de quibus initio explicationum dictum.

INIMICAQVE NOMINA FIGI) Alludit ad Romanum morem, quo constat in funere imperatorum, nomina sub titulis hostium victorum, & gentium prælata, & exhibita fuisse: & Tacitus de pompa funebri Augusti: Tunc consultatum de honoribus, ex quis maximè insignes visi, vt porta triumphali duceretur funus. Gallus. Asinius, vt legum latarum tituli, victarum ab eo gêtium vocabula anteferrentur. German.

DVCIT. INF. ÆVO CONF. ACETES) Nimio dolore debilitatus, & aliàs ætate fessus Acetes incedere nô poterat. Atque vt verum dolorem suum indicaret, pectus, & os suum, seu faciem pugnis contuderat. Quin & in terram corruebat omnino præ defectione virium. Hoc ad miserationem fingit poeta, vt alia. Nonius *confectum* exponit defessum, laudat hunc locum. Item Lucil. libr. 26. Tum doloribus confectum corpus animo obsistere. Cic. 2. Off. Nec me angoribus dedi, quibus essem confectus, nisi iis restitissem.

BELLATOR EQVVS) Bellator equus Græcis πολεμιστής. Et Propert. lib. 4. *Bellicus ex illo fonte bibebat equus.*

POSITIS INSIGNIBVS) sine ornamentis suis, nudus planè, non instratus

ÆTHON IT LACRYMANS) Superlationis esse putatur poeticæ, & extra veritatem longo spatio, tractuque excurrentis, iumentis lacrymas tribuere, quod Homerus facit, Iliad. ρ. de Achillis equis mortem Patrocli deflentibus. Vide Seruium, & German. Est hoc loco æmulus eius Virgilius. Id tamen in historia scribit Tranquillus, nempe in Iulio, cap. 81. mendacis opinionem æquè reformidans, ac impostoris & plani. Nam ita scribit. Equorum greges, quos in flumine Rubicone traiiciendo consecrârat, ac vagos sine custode dimiserat, comperit pertinacissimè pabulo abstinere, vbertimq; flere. Turn. lib. 2. cap. 23. * *De abstinentia pabuli Virgil. quoque Eclog. 5. in qua sub persona Daphnidis, mortem Iulij Cæsaris deplorat*, nulla neque amnem Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam. *De fletu equorum Plin. libro 8. capite 42. Præsagiunt pugnam, & amissos lugent dominos, lacrymasque interdum desiderio fundunt.*

Sunt autem qui dubitent, an ea sententia dictum sit à poeta, vt equum intelligeret cum ipso cadauere exustum iri: nimirum quod solerent prisci cum mortuis ipsis charissima quæque cremare, arma, vestes, canes, equos, instrumenta. Vnde Sophocles in Antig. sub persona Creontis iubet, Ἐτεοκλέα μὲν, ὃς πόλεως ὑπερμαχῶν ὄλωλε τῆσδε πάντ' ἀριστεύσας δορὶ, τάφῳ τε κρύψαι, καὶ

τὰ πάντ'

τὰ παντ᾽ ἀεὶ ἀριστεύει ἐξ ἔχειν κάτω νικηφ. Alij malunt equum ad comitatum,& pompę ornatum ductum tantummodo,&c. Germ. qui priorem amplectitur sententiam, & ex Lucretio adducit, *Et lacrymis salsis humectant ora, genasque.*

HASTAM ALII, GALEAMQVE) Cur hic Maro præter hastam, galeamque cætera de Pallante spolia Turnum habere dicit, quem paulò antè, in cæde Pallantis, contentum balteo victorem abiisse cecinit? Accedit huic dubitationi altera: cur galeam, hastamque victo hosti Turnus præ thorace, gladio, lorica, & huiusmodi remiserit. Ad priorem dixerim, poetam videri posse concisè, & compendiosè expressisse Turnum balteum detraxisse fuso hosti, vt decus, ornamentumque præcipuum, & victoriæ suæ monumentum, cæterasque exuuias, minus nobiles, cum balteo tamen à Rutulo ablatas, omisisse: nec in longo ordine manubiarum recensendo commorari voluisse. Ad posteriorem, hastam, galeamq; inter armaturam aliam restitutas Pallanti satis congruè: quod prius Turnus heroica virtute à Marone instructus, in victo hoste clementiam ostendit, cum sepulturæ ei honorem concessit, atque ipsum patri funerandum remisit: quem mortuum pro hoste habere hac beneficij gratia desiisse visus non fuisset, & meriti sui laudem diminuisset, si eum militaribus insignibus, familiaribusque spoliasset: ex quibus hasta inter τὰ πληκτικὰ ὅπλα, & inter φυλακτικὰ galea, locum præcipuum tenere cognoscuntur. German.

VERSIS ARCADES ARMIS) More lugentium, mucronem hastæ, non cuspidem contra terram tenentes. In funere magistratuum quia omnia fieri præter morem amant, etiam lictores fasces preferebant inuersos. Tacit. lib. 3. Annal. de funere Germanici. Igitur tribunorum centurionumq; humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces. Pedo in elegia ad Liuiam.

Quos primùm vidi fasces, in funere vidi:
Et vidi versos, indiciumq; mali,

Statius 6. Thebaid. *versis ducunt insignibus ipsi Graiugenæ regis.* Ouid. Amor. lib. 3. eleg. 8.

Ecce puer Veneris fert euersamq; pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce facem.

Nec fasces suos solum lictores, sed milites etiam inuertebant scuta, & arma, manentque in militia nostra hodie vestigia eius ritus. Adde, quod non indignum monitu, versionem hanc armorum non luctus solum notam fuisse, sed etiam transfugij, & defectionis. Ammianus lib. 26. eumque secuti complures iam gladios quatientes, & pila, ad imperatorem transeunt, cum vexillis scuta peruersa gestantes: quod defectionis signum est apertissimum. Lipsius ad 3. Annal. Taciti. Turneb. lib. 22. cap. 11.

GEMITVQVE HÆC ADDIDIT ALTO) Sentiet vir fortis incommoda, ærumnas, vulnera, & dolebit, & grauiter secum agi intelliget, feret tamen non æquo tàtum animo, verum etiam magno, atque inuicto, quod honestum, quod pulchrum, quod se dignum id iudicet: ac si secus fecerit, turpe, molle, fæmineum esse. Etenim Marius, cum sine vllo gemitu secabatur, vincebat quidem dolorem magis, quàm nó sentiebat. Theseus post grauissimos illos labores exhaustos, apud Senecam cóqueritur, seque perpetiendis defessum malis testatur.

Sed fessa virtus robore antiquo caret,
Trepidantq; gressus. Heu labor quantus fuit,
Phlegethonte ab imo petere longinquum æthera.
Pariterq; mortem fugere, & Alciden sequi?

A Idem quoque mori fert grauiter: neque enim vitam odit, vt qui sciat se maxime dignum, qui vitæ ipsius bonis perfruatur, intelligatq; honestam sibi materiam, causamque præberi, sæpius vtendæ virtutis, viuendo diutius. Qui hoc mihi videtur admirabilior, laudibusque maioribus prosequendus, quod vitæ suę portum per labores, ac pericula in dubiis, atque asperis rebus, in bello denique decus anteponat. Iouian. libro primo de fortitudine.

NOS ALIAS HINC AD LACRYM.) Silius lib. 10. quo loco Paulum Cos. ad Cannas occisum quasi Pallantem, Annibalem quasi Æneam facit.

B *I decus Ausoniæ, quo fas est ire superbas*
Virtute, & factis animas. Tibi gloria letho
Iam parta insigni, nostros fortuna labores
Versat adhuc, casusq; iubet nescire futuros.

SALVE ÆTER. MIHI, ÆTER. VALE) Æternùm habet hìc vim aduerbij, & significat, semper. Tibull. eleg. 6. lib. 2. *Et æternum sit mihi virginitas.* Longùm saluere, longùm valere μακρὰν χαίρειν dicebant in rebus tristibus. Interpretatur Lucianus. τὸ γοῦν μακρὰν χαίρειν, τὸ μηκέτι φροντιεῖν δηλοῖ. Hoc dictum, longùm valere, declarat, nobis non amplius curæ futurum. Cic. ad Att. li. 8. At ille, πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens, cótulit se Brundusium. Hippolytus apud Euripidem.

C *Τὴν σὴν δὲ Κύπριν πόλλ᾽ ἐγὼ χαίρειν λέγω.*
Veneri tuæ multum valere nuntio.

Eodem intellectu dicebant, æternùm valere. Catull. *Atq; in perpetuum frater aue, atq; vale.* Titius lib. 6. cap. 16.

Audire Seruium libet. Varro in libris logistoricis dicit, ideo mortuis *salue, & vale* dici: non quod valere, aut salui esse possint: sed quod ab his recedimus, eos núquam de cætero visuri. [*Sic & Charinus, in Mercatore apud Plautum, salutat limina extremùm, discedens peregre, vt non reuersurus.*

Limen superum & inferum salue, simul autem vale:
Hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.]

D Hinc ortum est, vt etiam maledicti significationem interdum *vale* obtineat: vt Terent. *Valeant, qui inter nos dissidium volunt.* Hoc est, ita à nobis discedant, vt nunquam ad nostrum reuertantur aspectum. Ergo cú mortuo dicitur *vale*, non etymologia consideranda est, sed consuetudo: quod nullis valedicimus, nisi à quibus recedimus. Vide insuper Brisson. Formul. libr. 8. num. 747. & 748.

Sic & à Græcis mortui geminatis vocibus, οὖλε καὶ χαῖρε extremùm salutabantur. Iliad. ψ. Patrocli funeratione absoluta, Achilles postrema salutatione amicum prosequutus, χαῖρέ μοι ὦ Πάτροκλε καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι. Et iugulanda mox Polyxena ad matrem, χαῖρ᾽ ὦ τεκοῦσα, χαῖρε Κασσάνδρα τ᾽ ἐμοί. Laertes quoque Odyss. ω. hac fausta

E precatione, & duplicata, οὖλέ τε καὶ μέγα χαῖρε, θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν, Vlyssem accepit. Sed & alia est apud poetas huius verbi acceptio, nimirum ad imprecationem vsurpari: vt apud Tibull. lib. 2. *Quisquis adest faueat: fruges lustramus, & agros.* Ibi enim poeta se ambarualis sacri μυσταγωγὸν profitetur: quod tanta cæremonia peragere aggreditur, vt nemo sodalium sine culpa abesse possit, & tantis sollemnibus deesse: quo fit, vt non antiquam retineam lectionem, sed loco adest, *abeat* reposuerim: neque enim *valeat* bene precando poetæ classici efferre mihi visi sunt. Valeat itaque, hoc est, ἐῤῥέτω. German.

Iamq;

Iamq́; oratores aderant ex vrbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamq́; rogantes:
Corpora, per campos ferro quæ fusa iacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ:
NVLLVM CVM VICTIS CERTAMEN, ET ÆTHERE CASSIS:
Parceret hospitibus quondam, socerisq́; vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur venia: & verbis hæc insuper addit.
Quæ nam vos tanto fortuna indigna Latini
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacemné exanimis, & Martis sorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum, sedemq́; dedissent:
Nec bellum cùm gente gero: rex nostra reliquit
Hospitia, & Turni potius se credidit armis.
Æquius huic Turno fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat, his decuit mecum concurrere telis.
Vixet, cui vitam deus, aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, & miseris supponite ciuibus ignem.
Dixerat Æneas. olli obstupuere silentes:
CONVERSIQVE, OCVLOS INTER SE, ATQVE ORA TENEBANT.

IAMQVE ORATORES AD. EX VRBE LAT.) Poeta A bellici iuris peritus, vt integram, solidamque victoriam Troianis asserat, & eos campo potitos doceat, inducit legationem Latinam ad Æneam, quæ ad sepulturam corpora deposceret à victore, secundùm scilicet historicam fidem, & receptum belli morem, & legem imperatori illi superiores commissæ pugnæ partes adiudicantem, penes quem campi, & sepulturæ potestas remansit. Eurip. *πέμψαι λόγους κήρυκα, νεκρῶν σώματ' ἐξαιτούμενος.* German.

More Græcorum, factis aliquot dierum induciis, cadauera ad sepulturam petebantur: itaque sequitur infrà, *bis senos pepigere dies*, atque id etiam victi impetrabant, quod ex Thucydide percipi potest, qui sæpe *νεκροὺς* B *ὑποσπόνδους* esse datos refert. Id etiam ex Homero notum. Quod quidem imitatus est Maro. Turneb. lib. 5. cap. 7.

Ex cap. 20. libr. 2. apud Vegetium cognoscimus, Romanum militem pro humatione suorum fuisse sollicitum. Legimus etiam sæpe Græcos, sæpe Romanos pactum cum hostibus iniisse, de corporibus suorum sepeliendis. Etiam inducias sepeliendis, vltima cæsis in acie datas memorat Liuius lib. 32. Appianus de bellis Punicis scriptum reliquit, Asdrubalem victos à se Romanorum Tribunos, rogatu Scipionis sepeliisse. Insigne pietatis huius exemplum est apud Cornelium Tacitum. Romanus exercitus, inquit, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente, alienas reliquias, an suorum humo tegeret, omnes, vt coniunctos, vt consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul, ac offensi condebant. Apud Græcos, vt refert Iustinus lib. 6. deditionis, seu traditę victorię signum fuit, si per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscerétur. Hæc Steuechius ad Vegetium.

Oratores hoc in loco iidem, qui aliàs legati. Sic Liuius decad. 4. lib. 7. Theij oratores cum infulis, & velamentis ad Romanos miserunt. Quo vocabulo eos legatos propriè significari censeo, qui deprecabundi veniunt, tametsi πρέσβεις apud Græcos (vnde hoc latinum per imitationem mihi ductum videtur) legati dicantur omnis generis, etiam legati in exercitu. Bud. annotat. poster. in Pand.

VELATI RAM. OLEÆ) Ἱκετηρίαν significat. Liuius lib. 29. Quos (sexcentos Cretenses apud Thasymenum captos, ac dimissos) vbi ex signis, armorumque habitu cognouere Hippocrates, atque Epicides, ramos oleæ, ac velamenta alia supplicum porrigentes, orare, vt reciperent sese, &c. Putat autem Budæus, eos legatos hoc vocabulo propriè significari, qui deprecabundi veniant Adi locum illum in 7. *Præferimus manibus vittas, & verba precantum.* Consule etiam cap. 11. libr. 2. apud Iunium, de variis supplicandi ritibus apud diuersas gentes.

TVMVLO SVCCEDERE) tumulum subire.

NVLL. CVM. V. CERT. ET ÆTHERE CASSIS) Versiculus iste *παροιμιακῶς* in illos torquebitur, qui de mortuis loquuntur malè, aut in eos scriptitant. Quod quidem vetat Plin. ep. 1. lib. 9. quæ est ad Maximum. *Sæpe, inquit, te monui, vt libros, quos vel pro te, vel in Blateram, immò & pro te, et in illum (ita enim materia cogebat) com-* C *posuisti, quam maturissimè emitteres: quod nunc præcipuè, morte eius audita, & hortor, & moneo. Quamuis enim legeris multis, legendosq́; dederis, nolo tamen quenquam opinari, defuncto demum inchoatos, quos incolumi eo peregisti. Salua sit tibi constantia famæ. Erit autem, si notum æquis, iniquisq́; fuerit, non post inimici mortem scribendi tibi natam esse fiduciam: sed iam paratam editionem, morte præuentam. Simul vitabis illud οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ'*

ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. *Nam quod de viuente scriptum, de viuente recitatum est, in defunctum quoque tanquam viuentem adhuc editur, si editur.* Carmen istoc, quod affertur à Plinio, & extat Odyss. X. significat Homerus, improbum esse facinus, insultare interfectis, in eosúe probra iacere: quod nimirum cum Virgiliano carmine egregiè conspirat, & à Plinio ἀπαγγελικῶς, aliò perbellè conuertitur. Chilon malè dicitate mortuis prohibuit, quod censeret ignauiæ cuiusdam, eos lingua lacessere, qui iam respondere, seséq; defendere non possent. Vide prouerbium, *Luctari cum laruis.*

QVOS BONVS ÆNEAS) Etiam Philippus Macedo deuictis Græcis singularem animi moderationem in victoria, quæ sua natura insolens, & superba est, & miram clemētiam adhibuit, tametsi callidè potius, quam ex animo: tamen pij victoris officium quod esset, docuit. Iustini verba recitabimus de lib. 9. in quibus etiam Æneas noster suis coloribus depingi videtur. Denique non solita sacra Philippus illa die fecit: non in conuiuio risit: non ludos inter epulas adhibuit: non coronas, aut vnguenta sumpsit: & quantum in illo fuit, ita vicit, vt victorem nemo sentiret. Sed nec regem se Græciæ, sed Ducē appellari iussit. Atque ita inter tacitam lætitiam, & dolorem hostium temperauit, vt neque apud suos exultasse, neque apud victos insultasse videretur. Atheniensibus, quos passus infestissimos fuerat, & captiuos gratis remisit: & bello consumptorū corpora sepulturæ reddidit: reliquiasque funerum, vt ad sepulcra maiorum deferrent, vltro hortatus est. Hæc Iustin. Imitabilis sanè, & ab omnibus laudanda humanitas.

Quum dicit Æneam *bonum*, iam debemus intelligere non negaturum petita: suadebat quippe etiam ipsius petitionis qualitas, quæ sperni non debuit: sepulturæ enim beneficium generaliter debetur vniuersis. Quum dicit, *et verbis hæc insuper addit*, confirmat illum esse admodum bonum: illius enim reuera bonitas est, qui & petita præstat, & verbis adhuc cumulat beneficium, paratus plura, quam postulantur, largiri. Et videtur excusare Latinos, dum ait admirans, quæ, id est, quanta, & qualis fortuna vos inuitos huic bello inuoluit. Beneuola planè obiurgatio, ita, vt quod delicti ipsorum fuit, diceret esse fortunę. Item. *Pacemne exanimis, & Martis sorte peremptis Oratis?* hic se excusat, vt nō Troianorum vitio, sed cōditione belli, quod ipsis auctoribus motum est, videātur extincti. Dum ait deinde se etiam viuis velle pacem cōcedere, latenter arguit eos pertinaciæ, qui amplius pugnare cogitent, in quo plus sibimet, quam illi nocituri sint. Quod autem se affirmat volentibus fatis venisse, iterum & se purgat, & illos carpit tacitè, qui prohibere, & impedire diuina decreta tentauerint. Postea se commēdat illis, dum in vnum Turnum omnem belli caussam congerit. Qui, si voluit bellum cæde finiri (potest enim & pace) debuit in negotio suo ipse discrimen subire, & mecum congredi, non alios supponere. Ita vixisset, quem aut virtus sua, aut fortunæ voluntas data victoria viuere siuisset. Cremate igitur ciues vestros miseros, quia aliena culpa perierunt. Donatus, Seruius.

EQVID. ET VIVIS CONCEDERE VELLEM) Donatus legit *mallem*, quam lectionem si recipimus, omittenda erit copulatiua, &. Propemodum talis Æneæ mansuetudo, lenitas, & clementia, qualis Theodosij iunioris, qui ab amicis rogatus, cur neminem eorum à quibus læderetur, capite multaret, respondit, Vtinam mihi liceret & mortuos ad vitā reuocare. Talis planè animus, qualis etiam Agesilai Lacedæmoniorum regis, qui cum apud Corinthum pugnasset fæliciter, ac de Spartanis pauci, de Corinthiis, Atheniensibus, aliisque sociis permulti occubuissent, vsque eo non est elatus victoria, vt Græciæ vicem ingemisceret, quæ intestino bello tantū virorum amisisset, quantum toti barbariæ debellandæ sufficere potuisset.

HVIC TVRN. SE OPPONERE MORTI) δεικτικῶς, *huic*, quasi manu bello cæsos, ibique per campum iacentes demonstraret. * *Hoc idem sentiret iussa in consilio Drances. & quum videri ipsum Turnum cum Ænea congredi, quam, quo ille potiatur desiderata puella nuptiis, tot millia occidi.* Aut si fama mouet, &c. *& mox.*

Scilicet vt Turno contingat regia coniux,
Nos animæ viles, inhumata, infletaque turba
Sternemur campis, &c.

Nec recusat conditionem Turnus: quin, si alter Achilles sit, vel ipso maior etiam, se cum illo conflicturum.

Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idq; placet, tantumq. bonis communibus obsto, &c.

MECVM CONCVRRERE) Docuimus alibi, *concurrere* verbum esse militiæ. Multa exempla Maro suppeditat.

VIXET) Metri necessitas sæpe cogit poetas ad libertatem quādam in verbis, vt addant, demant, immutent. Talia sunt apud nostrum præterea extinxem, pro extinxissem, direxti, pro direxisti, accestis, pro accessistis, porgite, pro porrigite, composta, exposta, imposta, fumat pro fumauit, petit pro petiuit, gubernaclūm, circlus, manipli, oraclūm, &c. Lucret. conflixet, pro conflixisset, protraxet, pro protraxisset, consumpse, cesse, pro consumpsisse, cessisse.

CVI VITAM DEVS, AVT SVA DEXTRA DEDISSET) quia duplici ratione constat victoria, inquit Seruius, aut virtute, aut voluntate fortunæ, eam quippe nomine dei intelligit.

ITE, ET MISERIS SVPPONITE CIVIBVS IGNEM) Exemplum humanitatis in hostem. Sic Constantinus Magnus illacrymauit etiam hostium cadaueribus, eosq; sepeliri, & spirantes curari iussit. Sigon. de imp. occident. Marcellus captis à se Syracusis, Liuius. 25. August. Ciuit. lib. 1. cap. 6. Plutarch. in Marcello. Valer. lib. 5. cap. 1. Hinc pro summa inhumanitate obiecit Ciceroni Antonius, quod eius vitrici corpus ad sepulturam dare noluisset, Philipp. 2. Concludam hanc Symbolam, si grauiter dictum ab Herodiano adiecero. Humanum est humanis casibus ingemiscere: multoque magis misericordiam prouocant, quæ oculis vsurpamus.

OBSTP. CONVER. OCVLOS ATQVE ORA) Homerus Iliad. η. ὣς ἔφαθ', οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ. Admiratione tantæ lenitatis, cum plus quam optauerant, sese aduerterent cōnsecutos, stupefacti sunt, nec reperire valuerunt, quid deberent in respōsione complecti, diu inter se intuentes, quomodo deliberantes solent. Donatus.

Tum senior, semperq; odiis, & crimine Drances
Infensus iuueni Turno, sic ore vicissim
Orsa refert. ô fama ingens, ingentior armis
Vir Troiane, QVIBVS CÆLO TE LAVDIBVS ÆQVEM?
IVSTITIÆ NE PRIVS MIRER, BELLINE LABORVM?

Nos verò hæc patriam grati referemus ad vrbem:
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Iungemus regi. quærat sibi fœdera Turnus.
Quin & fatales murorum attollere moles,
Saxaq; subuectare humeris Troiana iuuabit.
Dixerat hæc: vnoq; omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies: & pace sequestra
Per syluas Teucri, mistiq; impunè Latini
Errauere iugis: ferro sonat alta bipenni
Fraxinus: euertunt actas ad sidera pinus:
Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.

TVM SENIOR DRANCES) Ex omnibus legatis, admirationis stupore defixis, solus Drances, vel quod esset ætate prior cæteris, & exercitatior cunctis: vel quod odisset iugiter Turnum: vel propter vtrumque (quod vult poeta) respondet, & arrepta temporis occasione, ea dicit, quæ grauarent eum, quem exosum habebat. *Odijs, & crimine infensus*, crimen vel ad ipsummet Drancem refer, & intellige inertiam eius, vel ad Turnum, qui tot viris caussa mortis extitisset, Donatus, Seruius.

ODIIS ET CRIMINE) Sic odijs, vt quandocunq; posset, eum criminaretur. *Hinc semper Vlysses Criminibus terrere nouis.* lib. 2.

INFENSVS IVVENI TVRNO) Infensus inducitur Drances homo ignauus Turno, vt ab Homero Thersites Agamemnoni 2. Iliad.

ORSA) verba cœpta.

O FAMA INGENS) *Sum pius Æneas fama super æthera notus*, libr. 1. Quomodo autem *ingentior armis?* quoniam certiora cum sint quæ videntur, quã quæ tantum audiuntur, pro maioribus etiam habentur. Aut vult significare Drances, famam re ipsa superari ab Ænea, virtute bellica, cui tamen eiusdem iustitia non videtur cedere, vt statim sequitur. ✠

QVIBVS CÆLO TE LAVDIBVS ÆQ.) *cælo*, cælitibus, qui degunt æuum in cælo. Tali dubitatione vti cõsueuimus, cum nos aut propter multitudinem, aut propter magnitudinem alicuius rectè factorum verbis idoneis defici ad laudandum ostendere volumus. Scitè Isocrates in Panegytico. *ὁμοίως γὰρ δεῖ χαλεπὸν, ἐπαινεῖν τοὺς ὑπερβεβληκότας τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς, ὥσπερ τοὺς μηδὲν ἀγαθὸν πεποιηκότας.* Aequè enim difficile est eos laudare, qui aliorum virtutes superarunt, vt illos, qui nihil præclari gesserunt. Quærat aliquis ab Isocrate, quo id tandem modo? *τοῖς μὲν γὰρ οὐχ ὕπεισι, πράξεις· περὶ δὲ τοὺς οὐκ εἰσὶν ἁρμόττοντες λόγοι.* Nam alteris res desunt, alteris apta verba reperiri non possunt. ✠

IVSTITIÆNE PRIVS MIRER) Disertus fuit orator Drances: cognoscitur id ex multis, in quibus etiam hoc, quod cum laudare vellet Æneam, cuius rebus contra studium Turni vehementer fauebat, missus ad eum legatus à rege Latino, commendauit ipsum præsertim à duabus, quæ requiruntur in vero rege, maximis virtutibus, id est, iustitia, & fortitudine, siue scientia rei militaris. Homerus quoque, quo loco ornauit Sarpedonem mortuum, laudi ipsi dedit, quod iustitia, & viribus liberaret omni malo Lyciam, quam terram ille regebat: ita enim de homine locutus est, veteribusque ipsius honestè factis.

Ὃς Λυκίην εἴρυτο δίκῃσί τε, καὶ σθένεϊ ᾧ,
Iustitia Lyciam qui tutabatur, & armis.

Vetus autem scholion in eo loco citat duos senarios Æschyli, qui grauis, & eruditus tragicus fuerat eiusdem sententiæ: dixeratque copulam harum duarum rerum esse præter cæteras omnes solidam, ac firmam. Inquit igitur.

Ὅπου γὰρ ἰσχὺς συζυγοῦσι καὶ δίκη
Ποία ξυνωρὶς τῆσδε καρτερωτέρα?

Rectè itaque fecit Drances, qui hæc potissimùm celebrauit in eo, quem ferre in cælum volebat. Victor. lib. 38. cap. 3.

Quod ad figuram loquendi attinet, hellenismus est, miror te iustitiæ, laborum, subauditur enim, caussa: vt illi dicunt *εὐδαιμονίζω σε τῶν κτημάτων*, &c. subaudientes *ἕνεκα*. Commendat poeta in persona Drancis Æneam à pacis, belliquè artibus, memor, vt credo, politicorum, quæ exequens Aristoteles impugnat Spartanã remp. in eo, quod ciues omnino ad belli, victoriæque cupidinem formaret, & accenderet, non ita ad pacis studia contemperaret: quamuis potiorem, magisque necessarium finem: hinc effici contendẽs, vt bello quidem impigri, & fælices Spartani euaderent: nec pacis tamen tempora, nec otium ferre, disciplinarum honestarum cognitione destituti possent, tumultuari in quiete plerumque soliti. Turneb. lib. 5. cap. 3.

SI QVA VIAM DED. FORT.) Si nostræ voluntati fortuna responderit.

QVIN ET FATAL. MVROR.) Ad id respicit, quod dixerat Æneas, *nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent.*

VNOQVE OM. EAD. ORE FREMEB.) Expressum est Homericum istuc Iliad. α. *ἐπευφήμησαν ἀχαιοί.* Sic Plato. 1. leg. *μιᾷ δὲ φωνῇ, καὶ ἐξ ἑνὸς στόματος πάντας συμφωνεῖν.* Donatus sic. Eadem quæ verbis suis complexus fuerat Drances, quasi vno ore, omnes profitebantur se facturos.

ET PACE SEQVESTRA) Sequestrem, vel sequestrum Modestin. sub. tit. de verbor. significat. eum accepit, apud quem plures rem aliquam, de qua controuersia est, deposuerunt: ita dictum, quod eius, qui electus sit, vtraque pars fidem sequatur: est enim medius inter duos altercantes, apud quem aliquid deponitur. Hac auctoritate inducti interpretes, pacẽ sequestram inducias interpretantur, quod mediæ sint inter bellum præteritum, & futurum. Ego, quanquam mihi nõ omnino hæc sententia displicet, quod pax paucorum, vt duodecim

cim dierum, & induciæ in eadem pæne caussa, & significatione sint, frigidiusculum tamen existimo, hic pacem ad sequestri instar inter bellum diuersi temporis mediam collocare: nam potius inter altercantes, hoc est, Teucros & Rutulos constituenda fortè fuit: eo exemplo, & ratione, accipere pacem sequestram simpliciter præstiterit intermediam, intercedentem, προξενοῦσαν, μεσεγγυωμένην, cuius interuentu impune aduersæ partes, & innocuè rebus suis vacare, & superesse potuerint: vt oratores sequestres accipiunt pro interpretib⁹, qui iudicijs corrumpendis, aut eiusmodi maleficijs suscipiendis operam suá locant. Lege cætera apud Germ.

FERRO SONAT ALTA BIPENNI FRAX.) Lib. 10. Silius, postquam Annibal suos in pugna Cannensi occisos cremari iussit.

——tum munera iussa
Defessi quanquam accelerant, sparsimq́, propinquos
Agmine prosternunt lucos, sonat alta bipenni
Frondosis sylua alta iugis: hinc ornus, & alta
Populus alba coma validis accisa lacertis
Scinditur: hinc ilex proauorum condita saeclo.
Deuoluunt quercus, & amantem littora pinum, &c.

Græci solent interdũ duo substantiua coniungere, quorum alterum pro adiectiuo accipitur, vt νηυσὶ πρυμνῇσι, in nauibus puppibus, pro postremis nauibus: hoc est, partibus nauium. Id imitantur Latini vates, quod etiam monuimus lib. 1. ibi, laticemq́ue Lyæum. Hic ergo *ferro bipenni*, pro ferro vtrinq; acuto. Definitio caussalis securis ipsius. Nã pinna inter cætera dicitur, quidquid acutum est. Videndus Eustathius in 2. Iliad. Leuiter interpretes hæc, atque alia id genus attingunt, quæ tamen, vt aiunt, Delio natatore opus habere videntur. Hartung. Decuria 3. cap. 6. *Ferrum bipenne* Græcis est σίδηρος ἀμφήκης, καὶ ἀμφίτομος. Cæsar autem castrensi verbo lignari, & materiari dicit. ξυλοτομεῖν, & ὑλοτομεῖν. German.

ACTAS AD SIDERA PINVS) Inter arbores, quæ celsius caput efferunt, vt loquitur 2. Eclog. est etiam pinus.

ET OLENTEM SCINDERE CEDRVM) Cedrum, non solum propter gratum odorem, verum etiam, vt indicium sit, perpetuam eos famam meruisse, qui pugnantes pro patria vitam profuderint.

De cedro subscribemus verba Victorij ex lib. 38. c. 1. Narrat Virgilius, Troianos inducijs factis cum Latino rege libere lignatum profectos: in materia verò, quam exponit eos tunc cecidisse, numerat cedros, quæ tamen arbos in hac terra nostra non nascitur. Quærendum igitur quomodo hoc probari possit: vitio enim datur poetis, fingere aliquid, quod à vero alienum sit, nec respondeat naturæ illarum rerum, quas tangunt: decet enim poëma integrum esse, & ab omni macula vacuum. Quis autem nescit, insimulatum eundem esse, quod fecit ceruos in Africa, ab Ænea sagittis fixos: cũ tamen in ea parte, in quam venerat, bellua illa non reperiatur. Existimo igitur, simile hoc superioris huius, quod nunc ostendit, esse. Et sanè nonnulla huiuscemodi peccata inueniuntur apud laudatos etiam poetas: ita namque cupidi sunt illi ornamentorum, vt non caueant, neque reformident magnopere huiuscemodi culpas. Aut igitur huc confugiendũ: aut, cum cedrũ appellauit, intellexisse ipsum, ꝓpter similitudinẽ, iuniperũ putandum, quod verius puto. Plinius certè assimilem cedro esse inquit. Nam quod addidit poeta, ornare hanc stirpem volens, & naturam ipsius aperire, *olentem*, congruit etiam hoc mirificè huic frequenti in hac tellure stirpi: suauitate enim odoris, folijs, baccis, vt alijs rebus valde similis ipsa cedro est, etsi vincitur ab ipsa bonitate huius naturalis dotis. Huic simile est illud eiusdem è Georg. *Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros.* Neque enim onagri vlli in Italia, quibus populis videtur ille artem agri colendi, & pascendi tradere voluisse, neque in vicinis etiam regionibus, &c.

ET IAM FAMA VOLANS TANTI PRÆNVNTIA LVCTVS,
Euandrum, Euandriq; domos, & mœnia complet,
Quæ modò victorem Latio Pallanta ferebat.
Arcades ad portas ruere: & de more vetusto
Funereas rapuere faces. lucet via longo
Ordine flammarum, & latè discriminat agros.
Contrà turba Phrygum veniens plangentia iungit
Agmina. quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mœstam incendunt clamoribus vrbem.
At non Euandrum potis est vis vlla tenere:
Sed venit in medio pheretro Pallante reposto
Procumbit super, atq; hæret lacrymansq;, gemensq;:
ET VIA VIX TANDEM VOCI LAXATA DOLORE EST.

ET IAM FAMA VOLANS) Lib. 9.

Interea pauidam volitans pennata per vrbem
Nuntia fama ruit, matrumq́, allabitur aures.

Narratione aliquantũ interrupta, ad funus Pallantis regreditur, ostenditque quanto cum luctu, & priuato, & publico, præsertim ab Euandro parente acceptũ sit. Hectori respondet Pallas, Priamo Euander. Nam & ille apud Homerum acerbè filij mortem luget.

Quum Troiani, Latiniq; hæc agerent, iam mortem Pallantis ad Euandrum, atque eius domos, & totã vrbem fama, nuntiusque peruexerat, occisum esse afferens Pallantem, quæ fama paulò ante ferebat apud Latium esse victorem. Quam grauis luctus fuerat accipiendus de eo, cuius ante momentum victoriæ nuntiabantur, & gloriæ? Egregia moralitas seruata hoc loco. Namque, vt fit, feralis nuntius ad aures Euandri primò peruenit: dehinc ad domos eius: postremò ad omnem ciuitatem. Insperato igitur malo commoti, sic festinabant cadaueri obuiam ire, vt non ambularent iam, sed ruerent ad portas vrbis, ac funereas faces de more (per noctem enim cadauera efferebantur cum facculis) raptim

prim ferrent, & ordine longo vnam terræ faciem interiectis facibus quasi in partes diuiderent. Donatus.

ORDINE FLAMMARVM) funium accensorum, siue ardentium, quibus pheretro processerãt obuiam, à quibus funalibus etiam funus deduci volunt Grãmatici.

TVRBA PHRYGVM PLANG. IVNGIT AGMINA) plangebant oppidani, plangebant qui funus comitabantur, non tantum Phryges, sed etiam Tusci, & Arcades, qui cum Pallante abierant. Auxit autem plangores istos fœminarum quoque planctus. Magna vtrisque spes, magnum præsidium perierat. Vnicus hæres, & tãtæ indolis. Quò nunc & Pallantæ, & Troianæ res niti poterunt? ✠

INCENDVNT CLAMOR. VRBEM) Quomodo hic clamoribus incendunt vrbem, sic suprà, *clamore incendunt cœlum Troesq́, Latiniq́*, id est, implent, vt exponit Seruius. Translatio est à re militari, ibi enim ignibus coniectis, vrbes, & oppida inflammantur.

AT, NON EVAND. POTIS EST) Cùm grauiter lugerent cæteri mortem Pallantis, an non grauissimè debuit pater, cui ille erat vnicus? Apud Plautum in Captiuis Hegio senex ad Ergasilum parasitũ de filio suo Philopolemo captiuo.

Alienus cum eius incommodum tam egre feras,
Quid me patrem par facere est, cui ille fuit vnicus?

Proinde non illum ætatis imbecillitas, non personæ regiæ dignitas retinebat, quin per medios accurreret: repositoque pheretro, Pallante super procumbit, hic e-A nim ordo est verborum, id est, super corpus eius se proijcit, & in questum ac lamentationem miserabilem dolore vix etiam voci concedente erumpit. Pro Pallante quidam legunt Pallanta, vt nulla sit opus enallage casus, quam faciunt alij, dicentes positum esse Pallante pro Pallantis. Perquam similis affectus est matris Euryali lib. 9. vbi filium ab hostibus interemptum didicit.

Nuntia fama ruit, matrisq́ allabitur aures
Euryali: ac subitus miseræ calor ossa reliquit:
Excussi manibus radij, reuolutaq́ pensa.
Euolat infælix, & femineo vlulatu,
Scissa comam, muros amens, atq; agmina cursu
Prima petit, &c. ✠

B ET VIA VIX TAND. VOCI) Bene vix tandem via laxata voci: solemus siquidem in grauissimis doloribus obmutescere: vt apud Sophoclem in Antig. Eurydice nuntio accepto de nece Æmonis filij, silentio obruta, & præfocata inducitur. Talis cum voce præ dolore intercluſa Andromaches apud Maronem lib. 3. elegans expressio.

------ magnis exterrita monstris
Diriguit visu in medio, calor ossa reliquit.
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur.

Plura apud German. Ouid. *Et pariter vocem, lacrymasq́, introrsus obortas Deuorat ipse dolor.* Propter æternum in luctu silentium, Cicero credit poetas finxisse Nioben C conuersam in saxum. Lib. 12. de Turno, *Vt primùm fari potuit, sic incipit ore.* Nempe vix illi præ ira laxata est vox, sicut Euandro vix præ dolore.

Non hæc ô Palla dederas promissa parenti,
Cautius vt sæuo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum noua gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
Primitiæ iuuenis miseræ, belliq; propinqui
Dura rudimenta, & nulli exaudita deorum
Vota precesq; meæ: tuq; ô sanctissima coniux
Fælix morte tua, neq; in hunc seruata dolorem.
Contrà ego viuendo vici mea fata, superstes
Restarem vt genitor, Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis, animam ipse dedissem:
Atq; hæc pompa domum me, non Pallanta referret.

NON HÆC DED. PROMISSA) Si non, pro nonné accipi potest, tum per interrogationem legendi primi duo versus. Potest autem, vt Seruius quoque indicat. Sensus est planus, Pallantem discedentem promisisse patri, & iussisse illum esse bono animo, nihil se temere, & incautè facturum: quod eum non seruasse, & incitatum dulcedine gloriæ maiora viribus ausum, modò conqueritur senex. Sciebam quid posset rerum nouitas, & inexperta pericula quemadmodum decipiant rudes, exemplis præcedentibus noueram. Solam gloriæ viam tractant, & solo laudis amore raptantur. Cumque sic aguntur improuidi, discrimina incognita vitare non possunt. O duræ primitiæ iuuenis, ô incassum fusæ preces meæ, & frustra facta pro eius incolumitate sacrificia. Ex Donato ferè. * *Considera lamentationes, quas è Padia Cyri, & Plutarchi consolatione ad Apollonium profert Germanus. Vide item Ægei super filio Theseo apud Catull. car. de nupt.*

QVANTVM NOVÆ GLOR. IN ARMIS) De filio adolescente M. Catonis Censorij, qui à Popilio cum D legione dimissus, tamen amore pugnandi in exercitu remansit, Cic. 1. Offic.

PRIMITIÆ IVVENIS MISERÆ) rudimenta mox vocat. Sententia est, male cessisse iuueni principia, habuisse infælix tyrocinium: caussa subiungitur, quia dij preces pro eo factas audire noluerunt.

NVLLI EXAVD. DEOR. VOTA) Pathos ab eo quod sperauerit. Macrob. lib. 4. Saturnal. cap. vlt.

O SANCTISS. CONIVX) Propter incorruptam castitatem, vt Macrob. libr. 3. cap. 3. Per apostrophen prædicat beatam vxorem, quæ ante è vita excesserit, quam videret tantum malum, ruinam vniuersi generis, & familiæ suæ.

E VIVENDO VICI MEA FATA) quia naturalem ordiné vita longiore superaui: est enim naturalis ordo, vt parentib⁹ sint filij superstites. [*Sic chorus in Andromacha apud Euripid. de Peleo liberis superstite* [illegible] *notat German.*] Ipse statim explicat. *superstes Restarem vt genitor gnato.* Seruius.

Vicisse se sua fata dicit, Lucretij imitatione, cuius hic est

hic est versus lib. 1. *Multaq́; viuendo vitalia vincere secla.* Se autem hic Euander ὑπέρχερων significat. In eandem pæne sententiam Propert. de Nestore, & Antilocho lib. 2. eleg. 13.

Nam quò tam dubia seruetur spiritus hora?
Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Si tam longæua minuisset fata senecta
Gallicus Iliacis miles in aggeribus:
Non ille Antilochi vidisset corpus humati,
Diceret aut, ô mors, cur mihi sera venis?

Lucan. lib. 2.

—— vt miseros tangit sua cura parentes,
Oderuntq́; graues viuacia fata senecta,
Seruatosq́; iterum bellis ciuilibus annos.

* *Solent omnes boni, germaniq́; parentes optare, atq; adeo precari hoc liberis suis, vt sibi sint superstites. Plaut. Asinar.*

Sicut tuum vis vnicum gnatum tuæ
Superesse vitæ, sospitem, & superstitem,
Ita te obtestor.

Cic. 2. de nat. deor. Nam qui totos dies precabantur, & immolabãt, A *vt sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.*

TROVM SOCIA ARMA SECVTVM OBRVERENT RVTVLI) Videtur Euander caussam suæ calamitatis proferre, hanc nimirum, quod Troianis belli socium sese addiderit. Ex quo cum in Rutulos, ac Latinos peccarit, optat sibi potius, tanquam reo hanc necem, non filio contigisse. Sed non ita est, pugnarent enim hæc cum sequentibus, vbi dicit non fœdera cum Troianis facta, sed sortem senectæ suæ huius mali caussam esse. Ergo ex hypothesi loquitur. Quasi dicat, si peccaui hoc faciendo, tunc vtinam mihi potius quam filio mori contigisset. Omissa autem particula optandi *vtinam*, nempe vt diceret, vtinam obruerent, vel, ô si B obruerent. Sic apud Catull. *Tecum ludere sicut ipsa possem*, pro, vtinam possem. Et apud Ouid. *Me quoq; qua patrem mactasses improbe dextra*, vtinam mactasses. Et Tibullum. *Tum mihi vita foret*, vtinam foret.

HÆC POMPA DOMVM ME REFERRET) Accuratam pompæ funereæ descriptionem lege apud Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7.

Nec vos arguerim Teucri, nec fœdera, nec quas
Iunximus hospitio dextras: sors ista senectæ
Debita erat nostræ. quod si immatura manebat
Mors natum, cæsis Volscorum millibus ante
Ducentem in Latium Teucros, cecidisse iuuabit.
Quin ego non alio digner te funere Palla,
Quam pius Æneas, & quam magni Phryges, & quam
Tyrrheniq; duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
Magna trophæa ferunt, quos dat tua dextera letho.
Tu quoq; nunc stares immanis truncus in armis,
Esset par ætas, & idem si robur ab annis,
Turne. sed infælix Teucros quid demoror armis?
Vadite, & hæc memores regi mandata referte.
Quod vitam moror inuisam, Pallante perempto,
Dextera causa tua est, Turnum gnatoq́;, patriq́;
Quam debere vides. meritis vacat hic tibi solus,
Fortunæq́; locus. non vitæ gaudia quæro,
Nec fas: sed gnato manes perferre sub imos.

NEC VOS ARG. TEVCRI) Exonerat eorum pudo- C rem, ne videantur caussa orbitatis fuisse Troiani, dicens, hoc sibi fataliter debitum: & lucrum quodammodo putat impendisse pro amicorum fælicitate filiũ, qui morti fuerat acerbo funere fataliter debitus: & est à qualitate beneficij solatium. Seruius.

IVNXIMVS HOSP. DEXTRAS) Etiam libro tertio dicit, *Iungimus hospitio dextras, & tecta subimus.*

CÆSIS VOLSCOR. MILL. ANTE) Consolatio, seu mitigatio doloris, ab honesta, & gloriosa morte filij. Sequitur mox alia, ab honorificis exequijs, quibus eum Æneas ornauerit.

QVIN EGO NON ALIO DIG. TE FVN.) Nihil addam ad pompam funeris tui: nihil enim factum est minus, quam conuenerat fieri. Latenter Æneæ pietas o- D stenditur, qui in amici funus tanta contulit, vt pater amplius præstare nõ posset. Rectè mox in doloribꝰ suis deformationem inserit Turni, vt quod ille præferebat in sese, hoc iste facta comparatione eleuaret, vel negaret potius. Donatus.

TV QVOQVE NVNC STARES) Quemadmodum isti duces, de quibus ista trophæa præferuntur Pallanti meo. Et est apostrophe ad Turnum, qua non virtute, sed robore validioris ætatis vicisse Turnum affirmat. Ad senilem iactantiam potest referri, quomodo facit Nestor apud Homerum Iliad. λ.

ESSET PAR ÆTAS) vel mea, vel filij, ad vtrumq; enim potest referri, vt vult Seruius. Donatus ad filium refert, hoc sensu. In hoc trophæorum numero etiam tu esses, ô Turne, si ætas filij mei ætati tuæ congruisset, aut robur eius tuo robori membrisq́ue conuenisset.

TEVCROS QVID DEMOROR ARMIS) Dimittendi sunt Troiani, vt morte Turni satisfiat doloribus meis.

QVOD VITAM MOROR INVISAM) Spes Ænea de tua virtute concepta, quæ Turno perempto, natum, & patrem vlcisci potes, sola me in vita iam inuisa mihi propter obitum filij, retinet, ne illam abrumpam.

MERITIS VACAT HIC TIBI SOL. FORTVNÆQVE LOCVS) Ordo verborum est. Hic solus locus vacat tibi, id est,

id eſt, relictus eſt tibi. *meritis, fortunaq́*, ad merita tua, hoc eſt, ad egregia facinora tua augenda, ſiue ad gratiam mihi, filioq́; referendam, & oſtendendum, quantum tibi fortuna faueat. Nihil mihi acceptius, nihil tibi for- A tunatius potes facere, quam ſi Turnum occidas.

GNATO MANES PERFERRE SVB IMOS) gaudia ſcilicet, læto de interfecto Turno nuntio.

AVRORA INTEREA MISERIS MORTALIBVS ALMAM
EXTVLERAT LVCEM, REFERENS OPERA ATQVE LABORES.
Iam pater Æneas, iam curuo in littore Tarchon
Conſtituere pyras: huc corpora quiſq; ſuorum
More tulere patrum, ſubiectisq́; ignibus atris
CONDITVR IN TENEBRAS ALTVM CALIGINE CÆLVM.
Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mœſtum funeris ignem
Luſtrauere in equis, vlulatusq́; ore dedere.
Spargitur & tellus lacrymis, ſparguntur & arma:
IT CÆLO CLAMORQVE VIRVM, CLANGORQVE TVBARVM.
Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis
Conijciunt igni, galeas, enſesq́; decoros,
Frænaq́;, feruentesq; rotas: pars munera nota,
Ipſorum clypeos, & non fælicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora morti:
Setigerosq́; ſues, raptasq́; ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes. tum littore toto
Ardentes ſpectant ſocios, ſemuſtaq́; ſeruant
Buſta. neq; auelli poſſunt, nox humida donec
Inuertit cælum ſtellis fulgentibus aptum.

AVRORA INTEREA MISERIS) Multis locis poeta lu- B ceſcentes dies deſcribit, de noctibus tacet, conſulens breuitati dictionis, quæ legentibus familiaris eſt. Orta igitur fuerat lux, alma quidem, hoc eſt, illuſtris, & clara, ſed importuna hominibus: quoties enim exiſtit, refert opera, & labores, nec ſinit in otio eſſe morituros. Don.

MISERIS MORTALIBVS) Miſeros mortales quã aptè, & verè vocet, nemo neſcit. Lucret. eodẽ epitheto vſus eſt lib. 5. *Pabula dia tulit, miſeris mortalibus ampla.* Homerus, δειλοῖσι βροτοῖσι, quod vel ægris, vel miſeris mortalibus latinè redditur. Mortales eſſe miſeros, atque ægros, & eorum vitam lamentandam, docent verba Senecæ de conſolat. ad Polybium, cap. 23. Omnes agedum mortales circumſpice. Larga vbiq; flendi, & aſſidua ma- C teria. Alium ad quotidianũ opus laborioſa egeſtas vocat. Alium ambitio nunquam quieta ſollicitat. Alius diuitias, quas optauerat, metuit, & voto laborat ſuo, &c. Lacrymæ nobis deerunt, antequam cauſſa dolendi.

REFERENS OPERA ATQ. LABORES) Hominem natũ eſſe ad loborem, vt aues ad volandũ, aiunt ſanctæ litteræ: & in ſudore vultus veſcendum ei pane ſuo. Cauſſam huius mali omnes Chriſtiani nouerunt. Veruntamẽ reficiendis virib⁹, nocturna reſpiratio eſt neceſſaria. Nox itaq; opera, & labores hominum interrumpit, & quietem corporibus affert: aurora eadem refert, hoc eſt, ad eadem repetenda compellit.

IAM PAT. ÆNEAS, IAM) Confecta narratione inter- D poſita, quæ ad funus Pallantis pertinebat, redit ad ordinatam diſpoſitionem, & cæterorũ quoq; deſcribit exequias. Pyra eſt lignorum congeries. Rogus cum ardere cœperit dicitur. Buſtum verò iam exuſtum vocatur, quẽ ordinem ſeruat poeta, dicens: *Conſtituere pyras.* Itẽ, *ſubiectis ignibus atris Ter circũ accenſos Decurrere rogos.* Item, *ſemuſtaq́, ſeruant Buſta.* *More patrum* ideo dicit, quia apud varias gẽtes diuerſa fuerunt genera ſepulturæ. Τὸ *atris* epithetum traxit de negotio, hoc eſt, funeribus, vt paulo poſt, *mœſtum funeris ignem*, id eſt, funebrẽ: nam nec ater, nec mœſtus eſſe poteſt ignis. Etſi forſaſſe etiam ad fumum atrum, qui è viridibus lignis cum igne prodiens, cælum quoq; infuſcabat, referri poteſt. Donatus, Seruius. *Quando cœptum, quando deſitum ſit apud Romanos cremare defunctorum corpora, & qui nam ritus gentium fuerint in ſepeliendis mortuis, ſeu de ſepultura varijs generibus, diſſerit Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2.*

CONDIT. IN TENEB. ALT. CALIG. CAELVM) caligo, ex fumo orta facit, vt cælum ſit in tenebris, id eſt, vt videri non poſſit, ſicut ea quæ tenebris teguntur.

TER CIRCVM ACCENS. DECVR. ROG.) In funerib⁹ clarorum virorũ decurſiones militares fieri ſolebãt: milites enim ſuis instructi armis, & tanquam in procinctu, gradu militari, & exercitatione quadã ludicra decurrebant. Tacitus, Princeps ipſe, cũ legionibus decucurrit. Sueton. in Claud. cap. 1. Cęterùm ei exercitus honorarium tumulũ excitauit, circa quẽ deinceps ſtato die quotannis miles decurreret. Id Virgilius hoc loco eſt imitatus. Sed læues orbes agere, circumq́; in ſiniſtrã decurrere primùm ſolebant: deinde, vt expiarent contagionem funeris, in dextram decurrebant. Papin. libr. 6. *Luſtrantq́, ex more ſiniſtro Orbe rogum.* Dein ſubijcit.

--- hic luctus abolere, nouiq́,
Funeris auſpicium vates, quanquam omnia ſentit
Vera, iubet dextro gyro, & vibrantibus armis
Hac redeant.

Milites autem cum in armis ordinem ſeruantes pleno paſſu incedebant, aut currebant, decurrere dicebantur. Seneca epiſt. 18. miles in media pace decurrit ſine vllo hoſte, vallum iacit, & ſuperuacuo labore laſſatur, vt ſuf-

Iam verò in tectis prædiuitis vrbe Latini
Præcipuus fragor, & longè pars maxima luctus.
Hîc matres, miseræq; nurus, hîc chara sororum
Pectora mœrentum, puériq; parentibus orbi,
Dirum execrantur bellum, Turniq; hymenæos:
Ipsum armis, ipsumq; iubent decernere ferro,
Qui regnum Italiæ, & primos sibi poscat honores.
Ingrauat hæc sæuus Drances, solumq; vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contrà varijs sententia dictis
Pro Turno: & magnum reginæ nomen obumbrat:
Multa virum meritis sustentat fama trophæis.

NEC MINVS ET MISERI) A Troianorum sepultura luctúque funebri ad Latinorum iusta se transfert: quorum clades vt fuit maior, ita operosiores exequiæ, quod nimirum tantus interfectorum numerus commodè concremari non potuit. Vbique miseros dicit Latinos, & hîc vel maximè: quum eorum curabant exequias, qui in aliena caussa innocentes perierant, ipsi quoque in eadem similiter perituri. Dicendo autem, innumeras pyras struxisse, ostendit multo maiore clade affectos, quam fuerant alterius partis afflicti. Corporum partim eorum terræ mandabant: partim ad finitimos transferebant: qui enim è longinquò venerant, referri non poterant: partim in ipsam vrbem, exemplum Æneæ in Pallante imitati auehebant. Quos autem exurebant, nec numero, nec honore qui essent, sciri poterat. Ita necesse erat collucere agros. Donatus.

VRBIQVE REMITTVNT) Deest *vnicuiq;*: & meminit antiquæ consuetudinis: nam ante etiam homines in ciuitate sepeliebantur, quod postea Duellio consule senatus prohibuit. Vnde Imperatores, & Vestales, quia legibus non tenentur, in ciuitate habent sepulchra. Seruius.

CONFVSÆ CÆDIS) aut quia dixit simul multos crematos: aut, si ad honoratorum cadauera referas, confusæ, propter animalia simul concremata.

RVEBANT) de cineribus eruebant, & tepido aggere terræ, id est, ossa tepida, ὑπαλλαγή. Seruius.

IAM VERO IN TECTIS) ἀνάμνησιν ad consilium Latini de pace, & contentionem Turni & Drancis.

Exponit per partes, qualis esset luctus, vel per quales personas cucurrisset. Matres lugebant filios, nurus maritos, sorores germanos, pueri patres. Omnes autem bellum hoc detestabantur cum Turni nuptijs [*quas ducenda Lauinia quærebat, & quarum caussa ad arma Latinos concitauerat.*] quæ nullæ essent, si ille quiescere modò potuisset. Ipsum oportere caput suum discrimini huic opponere, & non sua caussa tot millia pati interfici. Donatus.

DIRVM EXECRANTVR BELLVM) Horat. Ode 1. lib. 1. *bellaq; matribus Detestata.*

IPSVMQVE IVB. DECER. FERRO) Veteres dicebant cernere, pro decernere, seu certare. Plaut. Amphit. *Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus.* Attius, *Primores procerum reuocarent nomina, ni esset quis, qui armis secũ vellet cernere.* Hinc illa nata sunt, cernere vitam, pro, decernere vita. Lucret. libr. 4. *Nauta cum ventis contractum cernere bellum.* Lambinus in Plautum.

INGRAVAT HÆC DRANCES) Drances maiorem inuidiam in Turnum concitabat. Sed erant plurimi qui fauerent Turno, idque partim propter egregia facinora, quæ ediderat, multos enim strauerat. Hæc illum obumbrabant, tuebantur, defendebant. Translatio est ab arboribus. Seruius.

SOLVMQVE VOCARI) ab Ænea ad singulare certamen.

SVSTENTAT FAMA) tuetur Turnum, ne inuidiæ, & odio succumbat.

Hos inter motus medio flagrante tumultu,
Ecce super mœsti magni Diomedis ab vrbe
Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum: nil dona, nec aurum,
Nec magnas valuisse preces: alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Troiano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu Rex ipse Latinus.
Fatalem Æneam manifesto numine ferri
Admonet ira deûm, tumuliq; ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosq; suorum
Imperio accitos alta intra limina cogit.
Olli conuenere, fluuntq; ad regia plenis

Tecta vijs. sedet in medijs & maximus æuo,
Et primus sceptris haud læta fronte Latinus.
Atq; hîc legatos Aetola ex vrbe remissos
Quæ referant, fari iubet, & responsa reposcit
Ordine cuncta suo. TVNC FACTA SILENTIA LINGVIS,
Et Venulus dicto parens, ita farier infit.

ECCE SVPER MOESTI) Ad cumulationem malorum etiam Venulus missus lib. 7. orator ad Diomedem Arpos in Apuliam, re infecta redijt, cui nec donis, nec auro (cuius tanta vis est, & cui parent omnia) nec precibus persuaderi potuerit, vt auxilia mitteret: cum tamen esset Troianorum vetus, & iuratus inimicus. Summa responsionis eius ponitur, nihil sibi fore cum Troianis, quærerent aliunde opem, aut etiam pacem peterent. Ex Donato.

NIHIL OM. ACT. TANTOR. IMP. OPER.) Pyrrhus Epirotarum rex ad Romanos Oratorem misit Cyneam, cuius eloquentia testatus est plures se victorias, quam armis suis reportasse. Hunc igitur misit, vt eos oratione, muneribus, blanditijs, pollicitationibusque ad pacis conditiones adduceret, ad quam cum iam inclinarent Romanorum animi, Appius Cæcus ad pristinam eos constantiam reuocauit. Ita legatus re infecta dimissus est: quò pertinet Ennianum carmen ex 5. Annali. *Orator sine pace redit, regiq; refert rem.* Huc allusisse Virgil. credit Hieron. Columna.

PACEM TROIANO AB REGE PETENDVM) More Græcorum dictum, petendum, *γεγράφθαι ἐπιστολήν.* Lucretius sæpissime sic loquitur, pœnas timendum, *φοβητέον τὰς ποινάς*, multa agendum, corpora priuandū, addendū partes alias. Varro quoq; persæpe in libris de re rustica. Lib. 1. Præfectos alacriores faciendū præmijs. Ibid. Cōmunicandū quoq; cū ijs, quę facienda sunt opera. quid multis? nō sit finis, si omnia loca recenseam.

DEFICIT INGENTI LVCTV IPSE) Præclarè ipsi Latino dedit maximam partem: in omnibus enim bellis regum est periculum maximum, quoniam ipsorum caussa pugnatur. Considerabat statum imperij sui, spem filiæ, patris responsa, contra quæ fuerat factum. Inueniebat Æneam reuera diuinis nutibus regi, manifestoque deorum iudicio venisse in Italiam, quod ex tanta cæsorum multitudine satis, superque patebat. Visum est igitur deliberare de summa Rep. atque idcirco magnum cogere, vt in re magna, concilium, virosq; prudentia, & auctoritate inter optimates suos eminentes. Donatus.

FATALEM ÆNEAM MANIF. NVM. FERRI) In Italiam venisse Æneam diuino nutu, indicio manifesto esse iram deorum, cuius signum tanta, & recens sociorum cædes.

ERGO CONCIL. MAGNVM. COGIT) Quærit Seruius, malène fecerit poeta, qui senatum cogi facit in priuatā domū, cum nō nisi ad publica, & auguratò condita loca conueniri consueuerit. Lege responsum, si placet.

FLVVNTQ. AD REG. PLEN. TECTA VIIS) Græci quoq; *ῥέουσι* eadē mataphora: & Calaber lib. 6. *αὐτὰρ ἀχαιοὶ ἐς ἀγορὴν ἐχέοντο καλεσσαμένου μενελάου.*

SEDET IN MEDIIS) Suprà lib. 1. & Didoni inter suos medium locum dedit, & Ioui in consessu deorum lib. 10. De loci autem inter principes viros dignitate vide Plutarch. Sympos. *α. δὲ. τί τοῦ τόπου ὁ καλούμενος ὑπατικὸς ἔχει τιμήν*, & eundem in Platonicis Quæstion. *πρεσβύτης, ὑπάτης, καὶ μέσης.* German.

ET MAX. ÆVO, ET PRIMVS SCEPT.) Aetatis prouentu, & dignitate regia venerabilem Latinum facit, eumque tristem sedisse ait, dupliciter ex eius persona affectum concitans. *Primus sceptris* explicat Seruius, primus inter sceptriferos: nā apud maiores, omnes duces cum sceptris ingrediebantur curiam. Aut primus sceptris, vt sit caussale, propter sceptra. Homerus sæpe vocat *σκηπτοῦχοι βασιλῆες.*

ÆTOLA EX VRBE) Ætolam vrbem vocat Arpos, quam condiderunt hi, qui ex Ætolia venerunt Græciæ prouincia: vnde Diomedes habuit socios de tribus eius ciuitatibus, quas habet Ætolia, Pleuronem, Olenon, Calydonem. Sic ergo Ætola dixit ex vrbe, vt, *Et tandē Euboicis Cumarum allabimur oris.* Seruius.

ET RESPONSA REPOSCIT) Mirè *responsa reposcit*: ante. n. rex solet à legatis vniuersa cognoscere, & sic eos præsente populo iterū omnia iubet narrare. Vnde est, *Ordine cuncta suo* nā nihil licet prætermittere. Seruius.

TVNC F. SILENT. LINGVIS) Curiositatis fuit, & regalis reuerentiæ, vt fierent silentia linguis. Etenim quū rex iubet aliquem loqui, eadem iussione cæteris silentium indicit. Accedebat, quod vnusquisq; erat de propria salute sollicitus, quam in communi inclusam videbat, & idcirco silentium præbebat, vt quid sibi spei superesset, posset audire. Donatus.

FARIER INFIT) *Infit* vox Lucretio familiaris, defectiuum est Festo verbum, quod idē esse vult cū incipit. Sunt tamen, qui non temere, pro, inquit, accipiant: vt apud Liuium lib. 1. ab vrbe condit. Ibi infit, annum se se tertium, & nonagesimum agere. Necest, quod quēquam turbet vox duplicata, & repetita eiusdem significati, cum hellenica imitatio sustineri possit, Atticis sæpe, *ἔφη φάναι* per pleonasmum iterantibus, &c. Germ.

Vidimus ô ciues Diomedem, Argiuaq; castra:
Atq; iter emensi casus superauimus omnes,
Contigimusq; manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille vrbem Argyripam patriæ cognomine gentis
Victor Gargani condebat Iapygis agris.
POSTQVAM INTROGRESSI, ET CORAM DATA COPIA FANDI,
Munera præferimus, nomen, patriamq; docemus:
Qui bellum intulerint, quæ caussa attraxerit Arpos.

VIDIMVS O CIVES DIOMEDEM) Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 17. Diomede, non Diomedem scripsisse Virgilium ait, quia græca declinatione in hoc, vt in alijs præterea multis delectatus sit. Erit ergo accusandi casus con-

ſus contractus *Διομήδεα Διομήδη*. Nos vulgatam ſcripturam retinemus. Narrat Venulus quibus argumentis Diomedes non ſolùm auxilia negarit, ſed bellum quoque diſſuaſerit.

CASVS SVPER. OMNES) Caſus omnes, itineris ſcilicet, vt flumina, latrones: & bene vilitatem ſingularum rerum generalitate vitauit, ne diceret, flumina, latrones, &c.

QVA CONCIDIT ILIA TELLVS) Pro vrbe Ilia *ἐμφατικῶς Ilia tellus*: nam terra non concidit, ſed ciuitas. Fuit autem Diomedes de ciuitate, quæ Argoſippion dicitur: de qua Homerus, *ἄργος ἱππόβοτον*. Horat. *Aptum dicet equis Argos*. Hic in Apulia condidit ciuitatem, quam patriæ ſuæ nomine Argoſippion dixit: quod nomen poſtea vetuſtate corruptum eſt, & factum vt ciuitas Argyripa diceretur: quod rurſum corruptum Arpos fecit. Huc quadrant verba Strabonis lib. 6. *ἐκαλεῖτο δὲ ἐξ ἀρχῆς Ἄργος ἵππιον εἶτ' Ἀργυρίππα· εἶτα νῦν Ἄρποι. λέγεται δὲ ἀμφότερα Διομήδους κτίσματα, καὶ τὸ πεδίον, καὶ ἄλλα πολλὰ δείκνυται τοῦ Διομήδους ἐν τούτοις τοῖς τόποις δυναστείας σημεῖα*. Id eſt. Quæ nunc Arpi, principiò Argoshippium, deinde Argyripa nominata fuit. Vtramque Diomedes fertur condidiſſe: campuſque, & multa alia extant veſtigia, quæ Diomedis in ea regione teſtētur fuiſſe dominationem.

A De eiuſdem Diomedis obitu paulum infrà quatuor opiniones recenſentur. * *Manu Diomedis concidiſſe Troiam, quanta laus! Multum enituit virtus eius eo bello, & non immeritò etiam ab ipſo Ænea vocatur lib. 1. fortiſſimus Danaûm gentis. Intelligamus dictum per quandam αὔξησιν. Verum in epitaphio Achilles de ſe*, Pergama tunc ferro procubuere meo, *poſtquam numerum Hectorem occidit.*

CONDEBAT IAPYG.) Iapygia eſt pars Apuliæ, in qua eſt mons Garganus, qui per Calabriam vſque in Adriaticum tenditur pelagus. Lucanus, *Appulus Adriacas exit Garganus in vndas*. Gargani autē Iapygis figura eſt, pro Gargani Iapygij. Et hæc Iapygia Apulia, à qua & Iapyx vētus eſt nominatus. Ita Seruius. Ouid. 14. Metamorp. *ille quidem ſub Iapyge maxima Dauno Mœnia condiderat,* B *dotaliaq; arua tenebat.*

MVNERA PRÆF. NOMEN) Præcedere obſequium, & commoditas munerum debuit, vt ſecuturus ſermo aures Diomedis gratanter intraret. Dixerūt ergo, qui & vnde eſſent, &, (quod minimè fuerat factum) Troianos ſibi bellum intuliſſe. poſtremò quid ab eo peterent. Atque hęc ſingula narrare audientibus, quippe qui iā ſciebant, vitioſum fuiſſet. Donatus.

VENVLVS DICTO PARENS) Lib. 1. *Iamq; ibat dicto parens*. Plaut. *dicto audientem produxiſti filiam.*

AVDITIS ILLE HÆC PLACIDO SIC REDDIDIT ORE.
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Auſonij, QVÆ VOS FORTVNA QVIETOS
SOLLICITAT, ſuadetq; ignota laceſſere bella?
Quicunque Iliacos ferro violauimus agros
(Mitto ea, quæ muris bellando exhauſta ſub altis,
Quos Simois premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia, & ſcelerum pœnas expendimus omnes,
VEL PRIAMO MISERANDA MANVS. ſcit triſte Mineruæ
Sidus, & Euboicæ cautes, vltorq; Caphareus.
Militia ex illa diuerſum littus adacti,
Atrides Protei Menelaus ad vſque columnas
Exulat: Ætnæos vidit Cyclopas Vlyſſes.

O FORTVNATÆ GENTES SATVRNIA REG.) De lega- C tione iſta Venuli ad Diomedem pro auxiliis, iiſdemque recuſatis, & caſibus quib. Troia capta obiecti ſint Græci, de quibus infrà generatim, & ſigillatim poeta noſter, ita legere eſt apud Ouid. 14. Metamorp. Duxerat autem Diomedes contempta Ægiala vxorem aliam, Dauni Iapygiæ regis filiam.

At Venulus fruſtra profugi Diomedis ad vrbem
Venerat. Ille quidem ſub Iapyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliaq; arua tenebat.
Sed Venulus Turni poſtquam mandata peregit,
Auxilium petiit: vires Ætolius heros
Excuſat, nec ſe, aut ſoceri committere pugnæ
Velle ſui populos: aut quos è gente ſuorum
Armet, habere vllos. néue hæc commenta putetis
(Admonitu quanquam luctus renouentur amari)
Perpetiar memorare tamen. poſtquam alta cremata eſt
Ilios, & Danaas pauerunt Pergama flammas,
Narytiusq; heros à virgine virgine rapta
Quam meruit pœnam ſolus digeſſit in omnes,
Spargimur, & ventis inimica per æquora rapti,
Fulmina, noctem, imbres, iram cœliq; mariq;
Perpetimur Danai, cumulumq; Caphareа cladis.
Néue morer referens triſtes ex ordine caſus,
Græcia tum potuit Priamo quoque flenda videri,

Quia ſatis durum & in humanum fuerat, manum non porrigere pugnaturis ſupplicibus, cauſſam ipſam voluit tollere, propter quam petebatur auxilium. Cur enim daret, qui ſuaſurus fuerat, non eſſe pugnandum? In quo ſe beneuolum docet, cum tutiore conſilio errātes reuocat ad ſalutem, plus collaturus, quam rogabatur præſtare. O fortunatæ gentes, inquit, quæ habitatis Saturnia regna: id eſt, ô viri pace ſemper gaudentes: nam legimus, *Aureaq; vt perhibēt, illo ſub rege fuere Sæcula.* & bene hoc laudat, quod eis perſuadere deſiderat. O antiqui Auſonij (ab antiquis Auſonibus oriundi, qui enim D primi Italiam tenuerunt, Auſones dicti ſunt) quibus eſt amor pacis à maioribus traditus, propter regnum Saturni, quid eſt, quod contempta quiete cum ignotis bellum maultis gerere? Donatus, Seruius.

QVICVNQVE ILIACOS, &c. INFAND. P. ORB. SVPPLICIA EXPEN.) Homerus Odyſſ. γ.

Ἄλλους μὲν γὰρ πάντας ὅσοι Τρωσὶν πολέμιζον,
Πευθόμεθ' ἧχι ἕκαστος ἀπώλετο λυγρῷ ὀλέθρῳ.

Hæc quoque ex eodem libro conuerſa ſunt.

Ἦ δ' ὅτε καὶ περὶ ἄστυ μέγα Πριάμοιο ἄνακτος
Μαρνάμεθ', ἔνθα δ' ἔπειτα κατέκταθεν ὅσσοι ἄριστοι.

Bellum Troianis illatum à Græcis, vult videri impietatem fuisse, ac proinde pœnas dedisse tanquam sacrilegos, quibus moueri debeant Latini, & ex aliorum malis discere, sibi quod ex vsu sit. Et quia posset euétui adscribi, non deorum iudicio, ait *Quicunque*, vt ostenderet in omnes vindicatum, qui ad Troiam pugnassent. Quã dira autem sint illa supplicia quibus exagitentur, ex eo licet coniicere, quod miseresceret vel ipse hostis Priamus.

VEL PRIAMO MISERANDA MANVS) Prouerbiale. Quam sententiam à Pacuuio acceptam affirmat Seruius. Ille siquidem, *si Priamus adesset, & ipse eius commisesceret.* Ouid. similiter, *Græcia tum potuit Priamo quoq; flenda videri.* Suidas huiusmodi verba ex auctore quopiam citat. ὥστε κατὰ τὴν παροιμίαν, κἂν ἐχθρὸν ἐλεῆσαι διαλάμπουσαν τὴν τότε περιστᾶσαν τοῦ ἀνθρώπου. Id est, vt iuxta prouerbium etiam miseraturus fuerit hostis, si præsentem vidisset hominis casum. Sic 2. Æneid.

——quis talia fando
Myrmydonum, Dolopumúe, aut duri miles Vlyssi
Temperet à lacrymis?

Est igitur prouerbium hyperbolicum, *Vel hosti miserãdus*: hostis enim non facilè misericordia commouetur. Contrarium, *Quod vel ipse Momus probet.* Chiliad. *. *Ad magnitudinem, grauitatemq; calamitatis exprimẽdam valet, Vel hosti miserandus. Ennius Annal. 5.* Cogebant hostes lacrymantes, vt misererent. *Seneca*, cladibus nostris daret vel Troia lacrymas. *Apud Claudianum Roma.* Lugenda Getis, & flenda Sueuis Hausimus, ipsa meos horreret Parthia casus. *Sic apud Sophoclem Vlysses, contemplans Aiacem, quem Minerua castris euocarat, vt eius miseriam ipsi ostenderet, quomodo scilicet emota mentis esset, & insaniret, ἐποικτείρω δέ νιν Δύστηνον ἔμπας, καίπερ ὄντα δυσμενῆ. Profecta vtique ex quodam sensu humanitatis oratio. Locrensium legati, questi sunt apud Coss. sæua à Q. Plemminio Legato, Romanisq; militibus perpessos, quæ perpeti ne Carthaginenses quidem velit populus Romanus. Liuius lib. 39.*

MITTO EA QVÆ MVRIS) Præteritio, qua Græcorum cladem apud Troiam redigit breuiter in memoriam.

QVOS SIMOIS PREM. ILLE VIROS) Lib. 1. *vbi tot Simois correpta sub vndis Scuta virûm, galeasq; & fortia corpora voluit.*

SCIT TRISTE MINER. SIDVS) Incipit iam enumerare per distributionem, quæ summatim proposuit, vt ostendat, qui, quæ passi sint, & in quibus locis, vel per quos illis supplicia inflicta sint. Nam cum omnes grauia, & dira pertulerint, hic naufragium, alius exilium, alius adulterium vxoris pertulit. Donatus. * *Apud Dictym. lib. 5. Per idem tempus Cassandra deo repleta, multa in Agamemnonem aduersa prænũtiat. Insidias quippe ex occulto, cædemq; domi per suos compositam. Præterea & vniuerso exercitui profectionem ad suos incommodam, exitialemq;. De reditu Græcorum totus est apud eundem Dictym. liber 6.*

Quod hic sidus intelligatur, multi quærunt: & Seruio quidem videtur aries, qui in Mineruæ est potestate, vt verno tempore vexatas naufragio Græcorum naues, illisasque saxis intelligamus. Sed prope est, vt Solino cap. 17. videatur Arcturus, sic de Caphareo scribenti. Vbi post Ilij excidium Argiuam classem, vel Mineruæ iram, vel, quod certior prodit memoria, sidus Arcturi grauibus affecit casibus. Putem tamen sidus Mineruæ, esse tempestatem à Minerua concitatam, cum sidus ira sæpenumero accipi notum sit. Turneb. libr. 21. cap. 10.

ET EVBOICÆ CAVTES, VLTORQVE CAPHAR.) Quod obscurè tetigit Diomedes, suadens legatis Regis Latini, ne bellum susciperent cum Troianis, de naufragio Græcorum apud saxa Capharea (insulæ Euboeæ mons est Caphareus) plenius exposuit Chorus apud Euripidem in Helena, cum mala, quæ perpessi fuerant Græci in ea expeditione, defleret: nec tamen omnino planè, & apertè: neq; enim nomen ponit eius, qui in fraudem traxit Græcos, Græcus & ipse homo, vt vlcisceretur iniustum dolorem, & ipsos graui malo oppressos, tempestateq; iactatos in maius adhuc malum rapuit, falsa spe salutis, cum eleuata facula, signum vicini portus ex eo monte daret. Nauplius autem ille fuit, Palamedis pater, qui sic filium vltus est, falso proditionis crimine à Græcis interfectum, vt relatum est in 2. Æneid. Locus Euripid. est.

Πολλοὺς δὲ, φυγοῦνας
Φλογερὸν σέλας ἀμφὶ ῥυτὰν
Εὔβοιαν εἷλ' Ἀχαιῶν,
Μονόκωπος ἀνὴρ, πέτραις
Καφηρίαις ἐμβαλὼν,
Αἰγαίαις τ' ἐναλίοις ἀκταῖς
Δόλιον ἀστέρα λάμψας.

Apparet igitur quid valeat apud nostrum poetam *vltor*: nam dedit hoc Virgilius monti, quo quasi instrumento quodam vsus est Nauplius explendi sui doloris, quod calamitosi illius senis proprium erat. Victor. lib. 31. cap. 12.

Vt nihil prorsus remaneat obscuritatis, & plenissimè perspiciatur, quare Capharea montem appellarit vltorem, transcribentur verba Hygini. Sic ille cap. 116. Ilio capto, & diuisa præda, Danai cum domum redirent, quod fana spoliauerant, & quod Cassandram Aiax Locrus à signo Palladio abripuerat, tempestate, & flatibus aduersis, ad saxa Capharea naufragium fecerunt, in qua tempestate Aiax Locrus fulmine est à Minerua ictus, quem fluctus ad saxa illiserunt, vnde Aiacis petræ dictæ sunt. Cæteri noctu, cum fidem deorum implorarent, Nauplius audiuit, sensitq; tempus venisse ad persequẽdas filij sui Palamedis iniurias. Itaq; tanquam auxilium eis afferret, fascem ardentem eo loco extulit, quo saxa acuta, & locus periculosissimus erat. Illi credentes humanitatis caussa id factũ, naues eo duxerunt: quo facto, plurimæ earum confractæ sunt, milites q; plurimi cum ducibus tempestate occisi sunt, membraq; eorum cum visceribus ad saxa illisa sunt. Si qui autem potuerunt ad terram enatare, à Nauplio interficiebantur.

DIVERSVM LITTVS ADACTI ATRID. PROTEI COLVM.) *Ad huius loci plenam intelligentiam consulendum Seruium. & Herodotum lib. 1.*] Ad fines Ægypti eum (Menelaum) peruenisse intelligit, ex eo quod in confiniis columnæ, quæ dirimerent terras, ponerentur. Pollux στήλας ὁρίους vocat. Iterum, καὶ ἡ ἐπεσχημένη στήλη, ἔφη. Cum inter Peloponnenses & Iones esset de finibus controuersia, in Isthmo columnam posuere, quæ litem discerneret, regionesque definiret, & terminaret. Strabo, καὶ στήλην ἔστησαν ἐπὶ τοῦ συνομολογηθέντος τόπου περὶ αὐτὸν τὸν ἰσθμόν. Turneb. lib. 5. cap. 8.

Non templa modò, verùm & columnæ non sine mystico aliquo intellectu fieri consueuere, aliæ vt firmitudinis, aliæ rei præclarè gestæ, famæque suprà mortalium conditionem adusq; cælum attollendæ, aliæ captiuitatis, aliæ profligationis, aliæ opprobrij sint indicia. Antiquiss. fuit per columnam terminum significare, quod columellas in terminis ponere mos fuit. Hinc regionum multarum fines, terminosque columnas appellamus, vt in Hispania Herculis: eo enim vsque & imperium, & labores ille suos extẽdisse fertur, &c. Pierius lib. 49. in Columna.

EXVLAT) Propriè *exulat*, nam exulare dicuntur, qui extra solum eunt. Sane sciendum, quia quo tempore Mene-

Menelaus iit ad Ægyptum, perdidit Canobum gubernatorem: à quo vicina ciuitas nomen accepit, quæ hodie vocatur mutata littera Canopus. Seruius. A

ÆTNÆOS VIDIT CYCLOP. VLYSS.) De hoc libr. 3. apud nostrum, lib. Odyss. 1. apud Homerum. Ætnæos fratres vocat in 3. Virgil.

Regna Neoptolemi referam, versosq; penates
Idomenei? Libycoúe habitantes littore Locros?
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achiuûm
Coniugis infandæ prima inter limina dextra
Oppetiit, deuicta Asia subsedit adulter.
Inuidisse deos, patriis vt redditus oris
Coniugium optatum, & pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socij amissi petierunt æthera pennis.
Fluminibusq; vagantur aues (heu dira meorum
Supplicia) & scopulos lacrymosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt
Tempore, cum ferro cælestia corpora demens
Appetij, & Veneris violaui vulnere dextram.

REGNA NEOPTOL.) regnum Pyrrhi ad alium translatum, ipso iugulato. de Neoptolemo, siue Pyrrho dictũ est lib. 3. in illa,

Ast illum erepta magno inflammatus amore
Coniugis, & scelerum furiis agitatus Orestes
Excipit incautum, patriasq́; obtruncat ad aras.

VERSOSQVE PENATES IDOMENEI) euersos, seu in aliena iura conuersos. Seruius etiam cum voce *regna* subaudit euersa. Idomeneus rex Cretensium in tempestate vouit se sacrificaturũ de re, quæ ei primùm occurrisset, si reuersus fuisset. Casu ei primò filius vnicus, regni hæres occurrit, quem cum vel immolasset, vel immolare voluisset, ob crudelitatem regno à ciuibus pulsus est. Vnde in 3. *Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem.* Alij dicunt, quod abscedens cuidã suum commendauerat regnum, qui per eius absentiam occupauit imperium, & reuersum pepulit. Ergo *versos penates*, aut euersos, & funditus direptos accipiendũ est, aut certe in aliena iura conuersos. Seruius. C

LIBYCOVE HABITANT. LITTORE LOCROS) Locri socij Aiacis Oilei fuerunt, Epizephyrij, & Ozoli: sed hi tempestate diuisi sunt, adeo vt Epizephyrij tenerent Brutios, de quibus ait in 3. *Hic & Narytij posuerunt mœnia Locri*: Ozoli verò deferrentur Pentapolim, de quibus nunc queritur dicens, *Libycoúe habitantes littore Locros*. Seruius.

CONIVGIS INFANDÆ PRIM. INT. LIM.) Respicit Maro locum illum Homeri, Odyss. λ. quo explicatur ratio, modusq; submissi à Clytæmnestra in Agamemnonem adulteri, & percussoris, his verbis. D

Ἀλλά μοι ἄιγισθος τεύξας θάνατόν τε μόρον τε
Ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ οἶκόνδε καλέσσας,
Δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

German.

Prima inter limina, prima die, qua domus suæ limen ingressus, consilio Ægysthi ab vxore vestem accepit, clauso capite, qua implicatus, adulteri manibus interiit. Seruius.

Porrò hoc ipsum ei Cassandra prædixerat, vt suprà meminimus. Lege Dictym lib. 6. Vide tragœdias Æschyli, Senecæ Agamemnonem, & Electrã Sophoclis. De eius reditu, & exitu Velleius lib. 1. in hæc verba. At B rex regum Agamemnõ tempestate in Cretam insulam reiectus, tres ibi vrbes statuit, duas à patriæ nomine, vnam à victoriæ memoria, Mycenas, Tegeam, Pergamũ. Idem mox scelere patruelis fratris Ægysthi, hæreditarium exercentis odium in eum, & facinore vxoris oppressus occidnur. *

DEVICTA ASIA SVBSEDIT ADVLT.) Subsessor dicitur, qui clam domi subsidet, insidiaturq́; ad adulterium obeundum. Valer. lib. 2. cap. 1. nulli enim tunc subsessores alienorum matrimoniorum occulti metuebantur. Idem lib. 7. cap. 2. garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij. Significat ergo Maro, subsessorem non defuisse Agamemnoni adulteriorum vindici. Subsedit igitur, est, clam substitit, & in insidiis ad stuprum delituit. Quod si, *deuictam Asiam subsedit adulter*, legas (quod in quibusdam exemplaribus extare Seruius refert) sententia erit, victorem Asiæ excepit insidiis, & interfecit adulter. Nam & subsessę dicuntur hostium doli, in insidiis subsidentium. Sic locutus est Marcellinus lib. 28. vt & ita legisse videatur. Subsident alij curiosos homines, senes, aut iuuenes, orbos, vel cęlibes. Turneb. lib. 5. cap. 8. Adde hæc ex German. Subsidere scilicet delitescere est: vnde subsessores, qui delitescentes insidiantur, & insidiis circumuentos & oppressos interimunt, qui subsessi dicuntur: & subsessæ Vegerio insidiæ, ἔνεδραι, & ἐνεδρεύω. * *Seneca Hippolyto.* Tu præcipites clamore feras subsessor ages. *Hic subsessor est is, qui subsidit, qui latet feris insidians, vt eas agat in retia. Inde translata vox ad bellum, vt ibi quoque, qui insidiantur, vocentur subsessores, & ipsæ insidiæ, ac doli militares dicãtur subsessa. Tandem ad alienarum vxorum clandestinos subsessores migrauit, qui matronali pudicitiæ insidiarentur.*

CONIVG. OPTATVM, ET PVLCH. CALYD.) Agamẽno ab adultera vxore malè acceptus est, Diomedes per inuidiam deorum videre amplius suã non potuit. Quia scilicet adulterio contaminatam cognouit, ideo reuerti domum noluit: sed in Apulia sibi nouam vrbem condidit. De sociis autem eius mutatis in aues, Virgilius aliud sibi permisit. Nam post ducis sui interitum, quem impatienter dolebant, commutati sunt, & dicuntur Diomedeæ, Græcè ἐρῳδιοί.

De sua calamitate post euersum Ilium, sociorumq; in aues mutatione (ira Veneris vtrumque, quod & Virgilius dicit) Diomedes apud Ouid. 14. Metamorph. ita differit.

Meta-

Me tamen armifera seruatum cura Mineruæ
Fluctibus eripuit: patriis sed rursus ab agris
Pellor: & antiquo memores de vulnere pœnas
Exigit alma Venus: tantosq; per alta labores
Æquora sustinui: tantos terrestribus armis,
Vt mihi felices sint illi sæpe vocati,
Quos communis hyems, importunusq; Caphareus
Mersit aquis: vellemq; horum pars vna fuisse.
Vltima iam passi comites, belloq; fretoq;,
Deficiunt: finemq; rogant erroris. at Agmon
Feruidus ingenio, tum verò & cladibus asper,
Quid superest, quod iam patientia nostra recuset
Ferre viri? dixit. quid habet Cytherea, quod vltra
(Velle puta) faciat? nam dum peiora timentur,
Est locus in voto: sors autem vbi pessima rerum est,
Sub pedibus timor est, securaq; summa malorum.
Audiat ipsa, licet: &, quod facit, oderit omnes
Sub Diomede viros: odium tamen illius omnes
Spernimus: & magno stat magna potentia nobis.
Talibus iratam Venerem Pleuronius Agmon
Instimulat verbis, veteremq; resuscitat iram.
Dicta placent paucis, numeri maioris amici
Agmona corripiunt. cui respondere volenti,
Vox pariter, vocisq; via est tenuata: comæq;
In plumas abeunt: plumis quoque colla teguntur,
Pectoraq;, & tergum: maiores brachia pennas
Accipiunt, cubitiq; leues tenuantur in alas.
Magna pedis digitos pars occupat: oraq; cornu
Indurata rigent: finemq; in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hunc Idas, & cum Rhetenore Nycteus,
A *Hunc miratur Abas: &, dum mirantur, eandem*
Accipiunt faciem: numerusq; ex agmine maior
Subuolat, & remos plausis circumuolat alis.
Si volucrum quæ sit dubiarum forma requiris:
Vt non cygnorum, sic albis proxima cygnis.

Diomedes Tydei filius, excisa Troia Argo profugus, nouas sedes in Apulia captauit, amisitque socios in sui nominis aues conuersos. Nec historiæ fidem mutauit, vt Seruius autumat. Nam & hoc à nonnullis traditur. Lycophron de Diomede.

Πικρὰν ἑταίρων ἐπτερωμένων ἰδὼν
Οἰωνόμικτον μοῖραν.

B Id est, triste suorum comitũ, qui vidit fatum, quos sumptis tulit aura pennis. Ecce Diomedes suorum cladem spectasse dicitur. Ianus Parrhasius in præfat. lib. 2. de raptu Proserp. Claud.

MIHI IAM SPERANDA FVER.) Speranda pro timenda. lib. 4. Æneid. *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* Et lib. 1. *At sperate deos memores fandi, atq; nefandi.*

CÆLESTIA CORP.) Cælestia corpora Martis, & Veneris intellige, vtrumque enim vulnerauit. Sed peritè Veneris tantum nomen exprimit, Martis supprimens, quod ei poterat esse gloriosius: vt videatur omnia quæ pertulit, odio Veneris pertulisse, contra cuius filium C nunc vocatur ad pugnam: vt negans, etiam nunc paria formidare videatur. *Dextram* autem Veneris secũdum Homerum, qui ait 5. Iliad. κύπριδα μὲν πρῶτον σχεδὸν οὔτασε χεῖρ᾽ ἐπὶ καρπῷ. Seruius.

NE VERO, NE ME AD TALES IMPELLITE PVGNAS.
Nec mihi cum Teucris vllum post eruta bellum
Pergama, nec veterum memini, lætorúe malorum.
Munera quæ patriis ad me portastis ab oris,
Vertite ad Æneam. stetimus tela aspera contra,
Contulimusq; manus: EXPERTO CREDITE, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros, vltro Inachias venisset ad vrbes
Dardanus, & versis lugeret Græcia fatis.
Quidquid apud duræ cessatum est mœnia Troiæ,
Hectoris, Æneæq; manu victoria Graiûm
Hæsit, & in decimum vestigia rettulit annum.
AMBO ANIMIS, AMBO INSIGNES PRÆSTANTIBVS ARMIS:
Hic pietate prior. coeant in fœdera dextræ
Quà datur: ast armis concurrant arma, cauete.
Et responsa simul quæ sint rex optime regum
Audisti, & quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati, variusq; per ora cucurrit
Ausonidûm turbata fremor: ceu saxa morantur
Quum rapidos amnes, clauso fit gurgite murmur,
Vicinæq; fremunt ripæ crepitantibus vndis.

NEC MIHI CVM TEVC. VLLVM POST ERVTA) Quod arbitrati sunt Latini, mansisse odiũ vetus in animo Diomedis aduersum Troianos, hoc ipse asserit erasum ex sensibus suis, post excidium Troiæ. Atque vt verè pro-D baret, non se lætari amplius illorum malis, dicit nè memoriam quidem eorundem apud se remansisse. Don.

LÆTORVE MALORVM) Quomodo hic *læter malorum*, sic suprà, *Iustitiane prius mirer, belline laborum.*

rum. Sic *læta laborum*, hellenismus est, subauditur A Troia, fatorum conditione conuersa. Seruius, Donatus.

MVN. VERTITE AD ÆN.) Ne spreuisse pro vilibus munera videretur, asserit talia esse, quibus placari possit hostis, & nomen hostile deponi: facilius enim sic superari posse, si cum eo sic ageretur, quam si prouocaretur in campum. Qualis autem sit in armis, inquit, non audiui, sed probaui oculis meis: & cominus enim, & eminus congressi sumus: vidi hominis, & expendi virtutem. Donatus.

Atque hinc iam suasio, & consilium incipit: nam finita est auxiliorum negatio. Vnde & paulò post Venulus ita diuidit, dicens,

Et responsa simul quæ sint, rex optime regum,
Audisti, & magno quæ sit sententia bello.

Scilicet audisti, & quemadmodum negauerit auxilia, & quod dederit nobis de pace consilium. Seruius.

STETIMVS TELA ASPER. CONTRA) Et cominus, & è longinquo inter nos bella tractauimus. Seruius.

CONTVLIMVSQVE MANVS) Alibi, *Stat conferre manum*. Lib. 10. *Illi inter sese duri certamina belli Contulerant*. Dicimus eodem sensu, manus conserere.

SI DVO PRÆTEREA TALES) Si duo Æneæ adhuc fuissent, in Græciam venissent Troiani, & quæ victoria gaudet, lugeret quod victa esset. Duo viros, pro duos viros, vide Erythræum in Appendice Indicis. Horat. sat. 7. lib. 1. *duo si discordia vexet inertes*. Sic *ambo* apud eundem sat. 5. lib. 2. antiquè, pro ambos. Et Plaut. Amphit. *puer ambo angues enecat*. Cic. ad M. Fabium Gallum li. 7. præter duo nos loquitur isto modo nemo. Virgilius Homeri imitatione, qui de Nestore: τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν ἀχαιῶν. Ergo duo præterea, id est, alios duos, vt essent tres. *Dardanus* autem pro Dardanius populus, & posuit principale pro deriuatiuo. Sic Homerus, Τὸνδ' ἔκταν Δάρδανος ἀνήρ. Si igitur tres huiuscemodi habuisset Troia, plangeret Græcia, quod nunc ingemit A Troia, fatorum conditione conuersa. Seruius, Donatus.

HECTORIS, ÆNEÆQVE MANV) Recurre ad lib. 9. vbi Turnus, *decimum quos distulit Hector in annum*. Traditum à Philostrato, Hectorem vocatum manum Troianorum, Æneam verò mentem. Solidam, & inexpugnabilem Troiæ columnam vocat Hectorem Pindarus.

VICTORIA GRAIVM HÆSIT) Victoria dicta, quod vi, id est, virtute adipiscitur. Hoc est enim ius gentium, vim vi expellere. Nam turpis est dolo quæsita victoria. Certa autem victoria est, vel occisio hostis, vel expolia-tio, vel vtrumque. Non est autem iucunda victoria, quæ per immensa detrimenta cõtingit. Et hoc est quod laudat Sallustius, duces victoriam incruento exercitu deportasse. Isid. lib. 18. cap. 2.

IN DECIM. VESTIG. RETT. ANNVM) Vt in annum decimum differretur nostra victoria, Hectoris, & Æneæ virtus fecit. Comparat deinde illos, & cum fortitudine pares faciat, pietatem Æneæ maiorem tribuit.

COEANT IN FOED. DEXTRÆ) Concluditur suasio. Quærite, inquit, quibuscunque pactis, & remediis pacem, vitate periculum belli. Sequitur breuissima ἀνακεφαλαίωσις.

CEV SAXA MORANT. CVM.) Solent poetæ sæpenumero, cum translationes sunt audaciores, & duriusculæ, statim subiicere comparationem ad leniendum horrorem translationis: vt annotat Eustath. Iliad. Δ. & apud Homerum.

——ἅμα δὲ νέφος εἵπετο πεζῶν,
ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδε νέφος αἰπόλος ἀνὴρ
ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ ζεφύροιο ἰωῆς.

Eusdem rationis videtur hoc Virgilianum. Nam pro eo quod *fremor* posuit, statim subdit comparationem, & reliqua. Hartung. Decur. 3. cap. 8.

CLAVSO GVRGITE) saxorum obiectatione præcluso.

Vt primùm placati animi, & trepida ora quierunt:
PRÆFATVS DIVOS SOLIO REX INFIT AB ALTO.
ANTE EQVIDEM SVMMA DE RE STATVISSE LATINI
ET VELLEM, ET FVERAT MELIVS: NON TEMPORE TALI
COGERE CONCILIVM, CVM MVROS OBSIDET HOSTIS.
Bellum importunum ciues cum gente deorum,
Inuictisq; viris gerimus: quos nulla fatigant
Prælia, nec victi possunt absistere ferro.
Spem si quam accitis Ætolûm habuistis in armis,
Ponite. spes sibi quisque: sed, hæc quam angusta, videtis.
Cætera qua rerum iaceant perculsa ruina,
ANTE OCVLOS, INTERQVE MANVS SVNT OMNIA VESTRAS.
Nec quenquam incuso, potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit: toto certatum est corpore regni.
NVNC ADEO QVÆ SIT DVBIÆ SENTENTIA MENTI,
EXPEDIAM, ET PAVCIS (ANIMOS ADHIBETE) DOCEBO.

TREPIDA ORA QVIERVNT) vt primum trepidi fremere desierunt, aiebat enim paulò antè, *variusq; per ora cucurrit Ausonidûm turbata fremor*.

PRÆFATVS DIVOS INFIT) Morem antiquorum expressit, qui, antequam verba in senatu, vel concione facerent, deos precari solebant: vt & qui apud Christianos religiosissimi sunt, facere hodieq; solent. Nec hoc de antiquis illis exordiis interpretandum censeo, quib. orationes auspicari solebant veteres oratores, DEOS IMMORTALES, IVDICES, PRECOR, DE ASQVE OMNES. Sed de precatione, quam facere, antequam concionarentur, aut in senatu loquerentur, solebant. Id ex ea concione intelligi potest, in qua Gracchus occisus est, de qua sic Cornificius. Cum Gracchus

deos inciperet precari, cursim isti impetum faciunt. id est, cum, antequam populum alloqueretur, & concionaretur, deos precaretur. Turneb. lib. 14. cap. 13.

Aptum huc, & confirmat Turnebi sententiam illud è Panegyrico Plinij. Bene, ac sapienter maiores instituerunt, vt rerum agendarũ, ita dicendi initium à precationibus capere: quod nihil rite, nihil prouidenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. Hæc ille. [*Quid conuenientius, & consonantius Nazanzeni sententia in Apolog.? Is est, inquit vir sanctissimus, optimus ordo in omni tum sermone, tum opere instituendo, vt a deo incipias, & in deum pariter desinas.*] Maius quiddam à senatoribus Augustus postulauit. Sic enim Sueton. cap. 35. Quo autem lecti, probatique, & religiosius, & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit, vt priusquam consideret quisquam, thure, ac mero supplicaret apud arã eius dei, in cuius templo coiretur.

Antiqui oratores, quod Turnebus tangebat, in hæc verba orationes suas ordiebantur. IOVEM EGO OPTIMVM MAXIMVM PRECOR. quod quidem Cicero in Diuinat. irridet, quia videlicet iam putidum. Demosthenes nobilissimæ orationi suæ περὶ στεφάνου hoc fecit initium. Πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι θεοῖς εὔχομαι πᾶσι, καὶ πάσαις. Maiores, inquit, Seruius, nullã orationem, nisi inuocatis numinibus inchoabant, sicut sunt omnes orationes Catonis, & Gracchi: nam generale caput in omnibus legimus. Hoc tamen in iis duntaxat faciebant, in quibus agebant de rep. Confirmat Liuius lib. 39. concione aduocata, cum sollemne carmẽ precationis, quod præfari, priusquam populum alloquantur, solerent magistratus, peregisset Cos. ita incepit. Vide insuper Brisson. Formular. lib. 1. num. 42.

SOLIO AB ALTO) Homerici reges stantes agunt cum populo, sed ætas senilis Latinum excusat.

ANTE EQVIDEM SVMMA) Suasoria oratio. Scopus est, vt Troianis agri assignentur potius, quàm vt bello cũ iis decertetur. Vtilius fuisset, inquit, ante cladem acceptam consulere: modò serum est, cum obsideamur ab hostibus. Latenter arguit Turnum, quod sibi non obtẽperauit, vt fœdus fieret in 7. vbi dixit, *te Turne nefas, te triste manebit Supplicium*. nam modo hoc tempus reuoluit. *Vellem statuisse* sic dixit, vt, vellem fecisse: & est compendiosa locutio, quum querimur nõ esse factum, quod fieri debuit.

BELLVM IMPORT. CIVES CVM GENTE DEOR.) Importunũ, ꝙ caret portu, id est, quiete, vbi nullus portus est: sicut contra opportunum, cui commoditas, & occasio obuenit vt portus. Nam hoc quodãmodo dicit, in naufragium fertur ista contentio: quia supra audierat, periculũ esse superare Troianos. Gentem deorum vocat, vt qui à diis originem ducant per Dardanum. Seruius.

INVICTISQVE VIRIS GERIMVS) Horat. Ode 1. lib. 4. laudans Romanos, Troianorum posteros, qui incõmodis, duris, aduersisque præliis, & cædibus magis, ac magis inualescerent, & vigerent.

Duris vt ilex tonsa bipennibus,
Nigra feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animumq́ ferro.

SPEM SI QVAM ACCITIS ÆTOL.) Adhuc facit commemorationem auxiliorum à Diomede negatorum, vt ostendat etiam ipsum timuisse, & eius exemplũ esse retinendum. Deficientibus autẽ subsidiis, debere vnumquemq; gerenda curare per sese. Quia dici potuit. Si auxilia denegata sunt, aderimus nobis nostra virtute: ideo dixit, *Spes sibi quisq;*. Sed hoc ademit eis, subdendo: *sed hæc quam angusta, videtis. Cætera quæ rerum, &c.* Etsi, inquit, posset prouenire, vt sua quemq; virtus defenderet à periculis belli, iam non potest, videtis enim afflicta omnia, & oculis cernitis, manibus tangitis, vt narratione opus non sit, qua ruina res nostræ noscantur oppressæ. Donatus.

ANTE OCVLOS, INTER QVE MAN. SVNT OMNIA VEST.) sunt vobis notissima, & cõpertissima, sicuti ea quæ antè oculos versantur, & manibus tanguntur. Eiusdem generis est, ante pedes, quo vtimur, cum quid in promptu, ac paratum esse significare volumus, quam vim habent etiam superiora duo.

NEC QVEN. INC.) suprà, *Nec vos arguerim Teucri.*

TOTO CERT. EST. CORP. REGNI) Occurrit tacitæ suspicioni, ne infælicem belli euentum aut Turno, aut cuipiã alteri videatur tribuere. Hoc ipsum clarius verbis antegressis alibi dixit, *simul omne tumultu Coniurat trepido Latium*. Fecit vnusquisq; quod debuit. Impleuit vestra virtus officia sua, & omne regnum in arma conuersum est, omnib. imperij viribus certatum est. Quasi diceret. Quid faciemus pauci, & fessi, qui cum totius regni viribus recenti virtute certantes nec obtinere potuimus, & afflicti discessimus? Consilium deinde se vtile daturum spondet, & attentos faciens, breuitatem promittit. *Dubiam mentem* intellige deliberantis mentem: qui enim deliberat, dubitat. Donatus.

ANIMOS ADHIBETE) Animos adhibere Græci dicunt προσέχειν τὸν νοῦν. Lucret. lib. 2. *Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.* Vrsin. Dicitur etiam latinè, attendere, aduertere animos.

Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, fines super vsque Sicanos.
Aurunci, Rutuliq; serunt, & vomere duros
Exercent colles: atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio, & celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum, & fœderis æquas
Dicamus leges, sociosq́; in regna vocemus.
Considant, si tantus amor, & mœnia condant.
Sin alios fines, aliamq; capessere gentem
Est animus, possuntq; solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore naues,
Seu plures complere valent: iacet omnis ad vndam
Materies. ipsi numerumq;, modumq; carinis
Præcipiant, nos æra, manus, naualia demus.

Præ-

Præterea, qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisq; manu prætendere ramos:
Munera portantes eborisq;, auriq; talenta,
Et sellam regni, trabeamq; insignia nostri.
CONSVLITE IN MEDIVM, ET REBVS SVCCVRRITE FESSIS.

EST ANTIQVVS AGER) Consilij huius duplex reperitur esse tractatus. Fuit quippe vna pars eius, si cómorari Troes in Italia malunt: altera, si abscedere. In vtraque asserit, se velle esse liberalem: quòd sciret, hostes sine cómodo suo non esse recessuros ab affectu pugnandi, vtpote, qui essent superiores: species autem, quas se velle dare dicturus est, sic extenuat, vt sine detrimento dari possint, & sumi pro magnis. Cur ergo non fieret, quod non læderet dantem, & libenter accipiens sumeret? Cato in originibus dicit, Troianos à Latino accepisse agrũ, qui est inter Laurentum, & castra Troiana: etiã modum agri commemorat, & dicit eum habuisse iugera D C C. *Tuscum amnem* Tiberim accipe, &c, *longus in occasum*, expone, ea parte longior, qua in occasum tenditur. *Vsq; ad fines Sicanos*, puta quos Siculi aliquando tenuerant, id est, vsque ad ea loca, in quibus nunc Roma est, hæc enim Siculi habitauerunt prius: vnde est, *& gentes venere Sicanæ*. Ergo suum pollicetur agrum, aut quem tanquã stipẽdiarium habebant Rutuli, & Aurunci: aut ad quem colendum quasi regi operas dabant. Extenuat deinde agri meritum, quod vile videatur esse, quod donat, nec audientibus caussam præstet inuidiæ. Fœderis leges dicendas ipse exponit, vt nimirum socij sint, non stipendiarij, ciuibus non inferiores. Dixit vnam tractatus sui, & sententiæ partem, vt accipiant agros, considant, ciuitatem sibi, si voluerint, condant. Subnectit alteram hoc modo. *Sin alios fines, &c.* Donatus.

CEDAT AMICITIÆ TEVCROR. ET FOED.) Concedat in pretium amicitiæ, & pari inter nos societate versemur, id est, vt neuter sit inferior.

SIN ALIOS FINES, ALIAMQVE) Quid illis beneficij præstandum sit, si aliò habitatum velint, idq; per mare, concedere: naues videlicet ad eorum vsum, quotquot indigent, de materia, cuius magna copia præparata iam in littore iaceat, & quidem ad ipsorum arbitrium, sumptu, & operis publicis fabricandas.

POSSVNTQVE SOLO. D. NOSTRO) Legitur etiam *poscunt*, bona sententia.

IACET OM. AD VND. MATER.) Materiam nauibus idoneam Græci vocant ναυπηγήσιμον ὕλην, vt & ναυπηγήσιμον πόλιν, quæ commoda habet ad nauium compacturam, & ædificia, qualis Antãdrus in 3. vbi materia in bellicos vsus cæditur. ὑλοτομὴ, Materiatio, ὑλοκοπὴ, δενδροκοπή. German.

NOS ÆRA, MANVS, NAVALIA DEMVS) Per *manus* credo hìc ἐργάτας, operas, & remiges intelligi. Sunt tamen qui manus sine præcedenti interpunctione in gignendi casu accipiant: vt, *æra manus*, pro stipendio nautici ministerij, & bellici: vt æs manuarium, quod manuum labore acquiritur. Alij malunt *manus* accipere pro instrumentis, & telis naualibus, quibus naues harpagonibus raptæ tenentur, à manus humanæ similitudine. *Naualia* ναυστάθμους Græci, & νεώρια vocant: verùm hìc ex Seruij sententia videntur pro trabibus accepta, ex quibus naues compingantur, poetæ passim νήϊα δοῦρα, ἀντὶ τῶν ναυπηγησίμων ξύλων, & Hesiod. νήϊα ξύλα.

Sunt qui hìc naualia ναυπήγια intelligant, pro loco, vel officina, vbi naues extruuntur. German.

CENT. ORAT. PRIMA DE GENTE) Centum oratores constituit mittere, eosque nobiliores. Ex numero igitur, & nobilitate legatorum negotij magnitudo perspicitur. Potest autem hoc videri ab Ænea didicisse, qui totidem, & cum muneribus ad Latinum misit libr. 7. Seruius, Donatus.

Duo putat legatis agenda. Antecessit enim, *Præterea qui dicta ferant, & fœdera firment*. Primùm, exponenda quæ superius de agro, aut nauibus dandis proposita sunt. Deinde fœdus, & pacem cum Troianis Latinorum nomine faciendam: quod vt se velle significent, etiam antequam loquantur, vult eos manibus ramos oleaginos, insigne pacis præferre. Existimat etiam addenda munera, & quidem regalia, ex quibus Æneas, quanta sibi tribuatur dignitas, & se in partem regni admissum, intelligat.

Cum multa alia scitu suauia, & vtilia, tum hoc etiam docet Tiraquell. de Nobilitate cap. 20. numer. 43. nobiles præferendos cæteris in legationibus obeundis. Illi siquidem, & fidelius, & prudentius eo munere functuri videntur. Præterea, vt habeat dignitatem legatio, ne se contemni putet is ad quem mittitur: neue eius qui mittit personæ, conditionique parum respondeat. Cæsar lib. 1. Gallicor. vbi de eius aduentu Heluetij certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos ciuitatis. Liuius lib. 2. Quibus cum responsum esset, missurum ad regem senatum legatos, missi confestim honoratissimus quisque ex patribus. Hinc Annibal ad Scipionem libr. 10. belli Punici. Vestri quoque (vt audio) patres nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerunt pacem. Apud Homerum 9. Iliad. Phœnix monet Achillem, ne conditionem Agamemnonis ab Vlysse, & Diomede in eam rem legatis, oblatam renuat: præsertim ob huiusmodi legatos, ex omni coetu Græcorum nobilissimos. Adde Plaut. Amph. *Delegit viros primorum principes, eos legat Telebois.*

ET SELLAM REG. TRABEAMQVE) Regibus sociis & amicis Romani huiuscemodi munera mittebant, vt eorum maiestati conuenientia. Liuius libr. 10. belli Pun. loquens de Scipione. Postero die, vt à præsenti motu auerteret animum eius, in tribunal ascendit, & concionem aduocari iussit. Ibi Masanissam primum regem appellatum, eximiis ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli eburna, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. Vide Brisson. Formular. libro 2. pag. 234. quæ dona pop. Rom. regibus sociis, & amicis mittere soleret, & quibus præterea à senatu honoribus afficerentur, pagina 235.

CONSVLITE IN MEDIVM) Concludit tandem. Si, inquit, quæ dixi, nõ videntur facienda, vosmet in communi periculo prouidete, quid facto opus. Hoc enim

valet *in medium*. Sic 1. Georg. *in medium quærebant*. Sic A & Græci, [illegible].

B

RERVS FESSIS) etiam Tacitus dixit lib. 15. Annal. deligendumque, qui rebus fessis subueniret. Fessi rerū dicit lib. 1. & lib. 5. *Quem fessis finem rebus ferat.*

Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua inuidia, stimulisq; agitabat amaris:
LARGVS OPVM, ET LINGVA MELIOR: SED FRIGIDA BELLO
DEXTERA, CONSILIIS HABITVS NON FVTILIS AVCTOR,
SEDITIONE POTENS (GENVS HVIC MATERNA SVPERBVM
NOBILITAS DABAT, incertum de patre ferebat)
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras.
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem
Consulis, ô bone rex. CVNCTI SE SCIRE FATENTVR,
QVID FORTVNA FERAT POPVLI: SED DICERE MVSSANT.
DET LIBERTATEM FANDI, FLATVSQVE REMITTAT,
Cuius ob auspicium infaustum, moresq; sinistros
(DICAM EQVIDEM, LICET ARMA MIHI, MORTEMQVE MINETVR)
Lumina tot cecidisse ducum, totamq; videmus
Consedisse vrbem luctu, dum Troïa tentat
Castra, fugæ fidens, & CÆLVM TERRITAT ARMIS.
Vnum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis, duciq; iubes, vnum optime regum,
Adiicias: nec te vllius violentia vincat,
Quin gnatam egregio genero, dignisq; hymenæis
Des pater, & pacem hanc æterno fœdere iungas.

TVM DRANCES IDEM INFENSVS) Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 2. affirmat, Virgil. in Drance, & Turno referre nobis Homericum Agamemnonem, & Achillem æquè altercantes. Quonam modo? vtrobique enim alter suum, alter publicum commodum cogitat. Illic Agamemno conatur retinere amores suos, suæque libidini studet: Achilles communem vicem est sollicitus. Ita hic Turnus semet spectat, pugnat enim pro vxore: Drances rempub. intuetur. Verùm illic propemodum neci datus est Agamemno: hìc verbis tenus pugnatur, & linguis, non gladiis.

QVEM GLOR. TVRNI OBLIQ. INVID.) Prosopographia. Describitur Drances ab affectu erga Turnum, opulentia, eloquentia, prudentia in cōsultando, factione C populari, & materna nobilitate. Fuit enim soror Latini, pater rusticus. Suprà quoque Drancem Turno fuisse vehementē aduersarium dixit, *Ingrauat hæc Drances, &c.* nunc etiam caussam aperit, cur ei tantopere aduersaretur, inuidiam scilicet, quā obliquam vocat, vt placet Seruio, quia se simulata Reip. defensione tegebat. Est igitur oculus inuidiæ obliquus, quoniam apertè non audet, q cupit, & semper aliquod mantellum quærit, sub quo lateat. De inuidia disputauimus ad illud Eclog. 1. *Non equidem inuideo, &c.* Nunc pauca sapientum dicta, accommodatè ad id, quod hìc à Virgilio scribitur, adducemus.

Vulgatum est, virtutis comes inuidia: sicut vmbra D scilicet corporis, cum in sole ambulamus. Anacharsis Scytha interrogatus, cur homines sēper dolerent: quia, respondit, non solùm sua mala doleret, verum etiam aliena bona. Hinc Themistocles adolescens nihil se adhuc præclarè facere dixit, cum nōdum inuideretur sibi. Nobilem sententiam Taciti ex lib. 2. Histor. accipe. Vxorem quoque eius (Cæcinę) Saloninam, quanquam in nullius iniuriam, insigni equo, ostroque inueheretur, tanquam læsi grauabantur. Insita mortalibus natura, recentem aliorum fælicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre. Interim qui egregias, & laude dignas actiones susceperunt, ne eas ob inuidorum calumnias deserant, & se illo Plutarchi cōsolentur. Flammam primò emicantem multus comitatur fumus, qui quidem euanescit, inualescente, & explicante se flamma. Sic res eximias aggredientem initiò multa premit inuidia, donec aucta gloria, inuidiæ fumum discutiat. Nam fumus gloriæ inuidia.

Est autem ambiguum verbum *inuidia*, & tam in eo dicitur, cui inuidetur, quam in eo qui inuidet. De inuidente Cicero mauult inuidentiam dicere: quod tamen vsus minus recepit. Verba ipsius è 3. Tuscul. adscribemus. Etenim si sapiens in ægritudinem incidere posset, posset etiam in misericordiam, posset in inuidentiā: non dixi, in inuidiam, quæ tum est, cum inuidetur. Ab inuidendo autem inuidētia rectè dici potest, vt effugiamus ambiguum nomē inuidiæ: quod verbum ductum est à nimis intuendo fortunam alterius, vt est in Menalippa. *Florem quisnam liberûm inuidit meûm?* Idem li. 4. Sed singulis perturbationibus partes eiusdem generis plures subiiciuntur, vt ægritudini inuidentia: vtendum est enim docendi caussa verbo minus vsitato: quoniam inuidia nō in eo, qui inuidet solùm dicitur, sed etiam in eo, cui inuidetur.

LARGVS OPVM, ET LINGVA MEL.) Postquam poeta de morbo Drancis dixit, qualis præterea fuerit describit. Ap-

bit. Appellat diuitem, hoc enim est *largus opum*, non qui largè tribueret opes, sed qui afflueret opibus. Deinde loquendam ei magis, quam eloquentiam concedit, & linguā quam manu promptiorem, consilio tamē bonum, eundem factiosum, & incerto patre, quanquā nobili matre progenitum affirmat.

GEN. HVIC MAT. SVPERB. NOBIL. DAB.) Quanquam filij non nobilitentur ex parte matris, tamen accepta à patre nobilitas splendidior, illustrior, clarior, inde fit. Ignobilitas autem propter matris nobilitatem minus obscura, & abiecta, vt sentit Baldus in d. l. vlt. in fi. C. de ser. frugi. Hinc etiam apud. poetas, quosdam à genere materno videmus commendari, & eius rationem magnam haberi. Vlysses apud Ouid. 13. Metamorph.

Est quoq; per matrē Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas, deus est in vtroq; parente.

Et 1. Fast.

Hinc fuit Euander, qui quanquam clarus vtroq;,
Nobilior sacra sanguine matris erat.

Statius lib. 4. Syluar. *Stemmate materno felix, virtute paterna.* Silius lib. 2. de Sychæo Annibalis nepote ex sorore. *Asdrubalis proles, cui vano corda tumore Maternum implebat genus.* Ex Virgilianis verbis, vt apparet, factum carmen. Longus est hac in re Tiraquell. plurimaque ex omni antiquitate vir laboriosissimus collegit, de Nobilitate cap. 19. à numero 26. deinceps. Auctor Herodotus lib. 1. Lycios à matribus sibi nomina imponere solitos. Obuios interrogatos qui essent, & qua familia, à matribus, & auijs suum genus repetiuisse.

INCERTVM DE PATRE FEREBAT) Dubio genitore creatus erat, vt Ouidius dixit. Quendam è scorto genitum salsè tetigit Diogenes: cum enim lapillos iaceret in populum, caue, inquit, ne patrem ferias.

AGGERAT IRAS) forma, & imitatione græca dictum, vt χόλοω, χώννυμαι, χώννυσθαι Græci irasci nonnunquam, quod congeri, & aggerari videatur iracundia: cum eæ voces propriè aggerem struere, & ducere sonent. German. Quæ autem de Polydamante finxit Homer. Iliad. μ. Virgilius ad Drancem transtulit. Vrsin.

REM NVLLI OBSCVRAM) Conquestio super iniuria Turni, qua Latinos affecit, dum priuatam libidinem communi saluti anteponit. Regis Latini consilium approbat, statuitq; necesse non esse, amplius quidquam consulere.

SED DICERE MVSSANT) Mussant modò verentur significat, aliâs, dubitant: vnde, *mussat rex ipse Latinus Quos generos vocet.* Interdum susurrant, vt de apibus dicitur: & propriè mussare, obmurmurare, & muto esse vicinum. Seruius.

Mussare, & murmurare Nonio, ita discernuntur, quod mussare hominum fit occultè, & depressa voce loquentium, quod celatum velint: laudat hunc locum Maronis. Murmurare autem maioris soni est, proximi ad tumultum Georg. 1. *resonantia longè Littora misceri, & nemorum increbrescere murmur.* Quidā sic exponūt. Cum silentio dissimulant, dissimulandi caussa tacent.

DET LIBERTATEM FANDI) Libertas fandi, est παῤῥησία, ἐλευθεροστομία. Fingit se metuere Turnum, & eum metui ab omnibus, vt ita rapiat in odium. Incipit etiam complere, quæ se professum apud Æneam meminerat. *Et te si qua viam dederit fortuna, Latino Iunge mus regi,* &c. Donatus.

A FLATVSQVE REMITTAT) Flatus hîc accipitur, vt apud Græcos nonnunquam φύσημα, pro eo quod est, φρόνημα, λῆμα, ferocia, superbia. Xenophon. πεφυσημένοι ἐπὶ δυνάμει. Notat. German. Etiam μέγα πνεῖν, & πνέειν μεγάλα, pro spiritus magnos gerere, inflari cogitationibus, Græcis vsitata sunt.

CVIVS OB AVSPICIVM INFAVST.) Inuidiosè Turni auspicijs imputat, quod tantus perijt exercitus: ac si dicat. Si malis Turni auspicijs non egrederentur, possent forsitan sua virtute superare. Exprimit quidquid verecundè celauit Latinus. Seruius.

MORES SINISTROS) Quoniam principio homo temerarius Latino obtemperare noluit.

B LVMINA TOT CECID. DVCVM) Ipsos proceres sic appellat, quomodo Hectorem lib. 2. lucem Dardaniæ. Hac metaphora plurimi scriptores eleganter vsi reperiuntur, cum adiunctis. Cic. Philipp. 2. In te M. Antoni id decreuit senatus, & quidem incolumis, nondum tot luminibus extinctis, quod in hostem togatū decerni est solitum. Mendosè scriptum est in vulgatis, *luminaribus*, quam vocem nescisse videtur Cic. Nam & ep. 25. lib. 15. ad Atticum legendū est *luminum* pro *luminarium*. Sed locus ille admodum deprauatus est. Vide Annotat. Lamb. Et 3. Off. M. Cato sententiā dixit, huius nostri Catonis pater. Vt enim cæteri ex patribus, sic hic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus.

C Philipp. 5. Pompeio enim patre, quod imperij pop. Rō. lumen fuit, extincto. In Miloniana de selectis à Pompeio iudicibus. Itaq; delegit è florentissimis ordinibus ipsa lumina. Et omnino viros aut sanctitate morum, aut doctrinæ magnitudine, aut sapientia, aut rebus gestis eximios appellare lumina (tracta, vt videtur, à sole metaphora) mos tenet. Nec mirandum, si vocentur lumina, cum etiam sidera, soles, interdum nominentur.

VRBEM CONSEDISSE LVCTV) dictum est, inquit Turneb. lib. 23. cap. 14. quod qui tristes sunt, plerumq; sedent, & Græci καθίζειν κλαίοντα, id est, flentem reddere, dicere eodem fere modo solent. Dicere vult, vrbem in luctu iacere, luctu summersam videri.

D CÆLVM TERRITAT ARMIS) desiderandi sensu, & significatione audio, vt sit, cælum, deosq; terrere velle videtur. Prouerbialis hyperbole, inquit Paræmigraphus. Conuenit in minaces, & feroces, Thrasonesque magniloquos. Sumpta videtur à bello gigantæo, quæ fabula notissima est. Confine huic illud in epistola. Synesij ad Andronicum. Τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανὸν ἐξαράσσειν ἐπιχειρεῖ. Id est, capite cælum perrumpere conatur. Turneb. lib. 14. cap. 13.

VNVM ETIAM DONIS ISTIS) Dixit placuisse omnibus sententiam regis: sed addit Drances, quod ille verecundè, & consultò transmiserat: finis enim belli posset accedere, si tolleretur caussa certaminum. Ergo quæ

E iubes mitti, auro, ebori, sellæ, trabeæ: quæ iubes dici, de nauibus, & agro, adijce vnum tantum, quod propterea difficile non est: da illi filiam tuam Lauiniam: dabis egregio genero, & affinitate tua digno, (vnde Turnus indignus apparet) & ista generis coniunctione in æternum pacis fœdera firmabūtur. Hoc dicto præterea Latini pudorem exonerat, qui Turno etiam suam promiserat filiam, dicens, caussam Reip. præponderare debere, & propter pacem ciuium Turno Æneam esse præferendum. Donatus, Seruius.

Quod si tantus habet mentes, & pectora terror,
Ipsum obtestemur, veniamq; oremus ab ipso:

Cedat ius proprium regi, patriæq; remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula ciues
Proiicis? ô LATIO CAPVT HORVM, ET CAVSSA MALORVM.
NVLLA SALVS BELLO, PACEM TE POSCIMVS OMNES.
Turne, simul pacis solum inuiolabile pignus.
Primus ego, inuisum quem tu tibi fingis (& esse
Nil moror) en supplex venio: miserere tuorum:
Pone animos, & pulsus abi. sat funera fusi
Vidimus, ingentes & desolauimus agros.
Aut (si fama mouet, SI TANTVM PECTORE ROBVR
CONCIPIS, & si adeo dotalis regia cordi est,)
AVDE, ATQVE ADVERSVM FIDENS PER PECTVS IN HOSTEM.
Scilicet, vt Turno contingat regia coniux,
Nos, animæ viles, infleta, inhumataq; turba
Sternamur campis: etiam, tu, si qua tibi vis,
Si patrij quid Martis habes, illum aspice contrà,
Qui vocat.

QVOD SI TANTVS HAB. MENTES ET PECT. TERROR) Quod si tantopere timemus Turnum, quod tu præstare potes, ab ipso rogemus, vt patiatur regem te vti suoipsius iure, in gratiam patriç remittat de iure suo, illud in arbitrio regis ponat. Reliqua deinceps verba magnum pondus habent singula. *Miseros ciues*, qui cũ sint innocentes, coguntur infælicis hominis extremam communicare fortunam. Et quidem istuc non semel, ꝙ ipsum erat intolerabile, verùm sæpius. Et est quidem viri fortis, incertum pugnæ non timere: sicuti enim in eo timentur aduersa, ita possunt etiam secunda melioribus prouenire successibus. In pericula autem manifesta vnumquemque improuidum ruere, summa dementia est, eodemq; nõ alienos, sed ciues detrudere, ac proijcere, tanquam viles, atque abiectos, verè indignissimum est. Ad extremum in apertum conuicium erumpit. O, inquit, non vni ciuitati, sed toti Latio, siue Italiæ principium, & caussa malorum omnium, quibus adhuc oppressa est: per te enim ad arma compulsa est, & tot de suis perdidit. Donatus.

O LATIO CAPVT HORVM, ET CAVSSA MAL.) Lib. 12. *Se caussam clamat, crimenq́, caputq́, malorum.* Terent. And. *Nam si hic est mali quidpiam, hem illic est huic rei caput.* Vbi Donatus. Caput est origo, & summa vniuscuiusque rei. Mox Virgilianum hunc locum subijcit. Rursum Adelph. *Non potuit melius, idem sensit quod ego, te esse huic rei caput.* Rem quoque principio carentem ἀκέφαλον vocamus. Ergo capitis hieroglyphicum sæpe, & præcipuè, est initium, principium, prima caussa, fundamentum, quod passim videre est apud scriptores, & declarat ipsum eius etymon. Sic enim Varro dictum putat caput, ꝙ ab eo initiũ capiant sensus & nerui. Confirmat item consuetudo loquendi, cum dicimus aliquid à capite arcessere vel exordiri, aliquid ab hoc, vel illo capite manare. Frequẽter etiã caput pro re in aliquo genere potissima ponitur. Capita reipʾalicuius rei caput, caput cœnæ. Cic ad Appiũ. An tibi obuiam non prodirem? primùm Appio Claudio, deinde Imperatori, deinde more maiorum, deinde, quod caput est, amico? Caput & caussam malorum Cic. Philipp. 2. Antonium vocauit, malorum, inquam, belli ciuilis. D Sed vsus est alijs verbis, nempe istis. Ab huius enim scelere omnium malorũ principium natum reperietis. A

NVLLA SALVS BELLO, PACEM TE POSCIM. OM.) Si pugnandum vlterius fuerit, nulla iam speranda est reliquis vita, quia ad id deducti sumus, vt spes nulla remãserit. Te ergo Turne pacem poscimus, qui solus es caussa bellorum: nam Æneas iam pacem promisit. *Inuiolabile pignus* intellige Lauiniam, & petimus vt cedas Lauiniam Æneæ. Donatus, Seruius.

Quanquam hic versus nulla cum adiectione ita soleat citari à multis, *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes*, & verum sit, pacem esse bello præferendam, illoque longè meliorem: tamen, quod ipse vides, poeta B addit, *Turne:* & Drances petit à Turno, vti per eum fecere pacem cum Troianis liceat: quamuis id ex ignauia potius, quam quod ita verè sentiret, quod ei in responsione Turnus obijcit. Sed nec generatim, ac simpliciter, nec in parte semper pax bello anteponenda. Sed res ita distinguenda est, quemadmodum in Archidamo docet Isocrates: qua eadem oratione pro se vti Turnus possit. Sic ergo ille pater eloquentiæ, κατηγοροῦσι δέ τινες τοῦ πολέμου, &c. At quidam in bellum inuehuntur, eiusque perfidiam accusant, argumentis vtentes, cum alijs, tum ijs ipsis, quæ nobis acciderunt: seque mirari dictitant, quenquam esse, qui rei tam sæuæ, ac temerariæ fidem habendam censeat. Ego verò noui multos, qui sibi magnam bello fælicitatem pepererunt: multos item, qui C eandem pace amiserunt. Nihil enim rerum omnium per se omnino vel malum est, vel bonum: sed vt quisq; rebus atque occasionibus vtitur, ita necesse est euentus consimiles inde consequi. Est autem fælicibus expetenda pax (nam eo statu bona parta diutissimè conseruantur) calamitosis ad gerendum bellum animus adiiciendus. Nam tumultu bellico, & omnia conando, afflictæ res celerius eriguntur. In ea autem oratione, quæ est de pace, pronuntiauit verissimè idem orator ꝙ subiungimus. ἥκομεν γὰρ ἐκκλησιάζοντες περὶ τε πολέμου, καὶ εἰρήνης, ἃ μεγίστην ἔχει δύναμιν ἐν τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων, καὶ περὶ ὧν ἀνάγκη τοὺς ὀρθῶς βουλευομένους ἄμεινον τῶν ἄλλων πράττειν. Hoc est: Nam in hoc conuentu de pace, & bello deliberatur: quæ duæ res maximas in vita mortalium D vires habent, alijsq; fæliciores necessario reddunt eos, à quibus prudenter administrantur.

Memo-

Memoratu haud indigna Diodori sententia, inter- orsu libr. 12. Nullum penitus ex his, quæ nobis bona putantur, purum, atque sine omni molestia sincerum mortalibus vnquam obtigit: contraque nullum malũ, quod omni prorsus vtilitate careat. Deinde quantum bonorum Græcia è bello Xerxiano consecuta sit, demonstrat.

Huc item mirificè quadrat locus Thucydidis luculentissimus de pace, & bello, ex oratione Corinthiorum, lib. 1. Vt enim modestia est quiescere, si non afficiaris iniuria: ita iustitia est, cum afficimur iniuria, paci bellum anteferre, & repressa iniuria, post bellum rursum pacem facere: nec aut successu in bellis elatos plura appetere: nec pati iniurias mollitie, & amore otij. B Nam & qui propter voluptatem quiescit, citò ea priuabitur: & qui propter successus in bellis fit insolentior, non cogitat se efferri cæca ferocia, quæ non erit diuturna: sæpe enim etiam stulta consilia, cum alij agunt stultius, habent bonos euentus: ac multò sæpius ea, quæ bene deliberata videbantur, secus cadunt, cum alij sunt intenti, &c.

Sed fingamus à Marone absolutè pronuntiatam hanc de bello & pace sententiam, & eam ipsam, quoniam sic quoq; vera est, illustremus nonnihil. Herodotus lib. 1. οὐδεὶς γὰρ οὕτω ἀνόητός ἐστι, ὅστις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται. ἐν μὲν γὰρ τῇ οἱ παῖδες τοὺς πατέρας θάπτουσι· ἐν δὲ τῷ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας. Id est, neque enim quisquam ita C amens est, vt bellum, quam pacem præoptet. Nam in pace filij patres, in bello patres filios sepeliunt.

D. Gregor. Nyssenus, lib. de 8. Beatitud. pacẽ cum bello cõparans, quã illa optabilis, & iucunda, quã cõtrà hoc inuisum, ærumnosumq; sit, clarissimè ostendit. Nõnulla subiicio. *Quid n. hominibus, ex iis rebus, quibus frui, atq; potiri studẽt, vita pacifica dulcius? Quodcũq; nominaueris ex ijs, quæ in vita suauia, & iucunda sunt, pace indiget ad hoc, vt iucundum sit. Etenim si suppetant diuitiæ, bona valetudo, vxor, liberi, domus, parentes, ministri, amici, horti amœni, lauacra, palæstra, gymnasia, quæcunque demum voluptatis inuenta sunt, quæcunq; delicias sectantes recreare possunt, si pacis bonum defuerit, quid inde lucri est? aut quid prosunt, bello, quo minus fruamur,* D *impediente? Ergo cum ipsa pax iucunda est, tum omnia quæcunq; in vita coluntur, expetuntur, & in pretio sunt, dulcia, atq; iucunda efficit. Quin etiam, si qua more humano in pace nobis calamitas accidat, bonis malum contemperatum lenius, ac toleratu facilius, quibus accidit, existit: bello verò vitam premente, sensu quodammodo aduersus eiusmodi acerbarum rerum casus caremus. Communis etiam calamitas dolore superat incommoda singulorum. Ac quemadmodum medici de corporis incommodis dicunt, quum duo simul morbi in vno corpore concurrerint, solius exuperantis sensum existere, ac latere quodammodo mali inferioris dolorem, immensa, atq; insuperabili magnitudine prævalentis celatum: itidem incom-* E *moda belli exuperantia acerbitatem efficiunt, vt proprias calamitates homines non sentiant. Quod si ad propriorum incommodorum sensum animus quodammodo torpet, communis belli malis consternatus, quomodo voluptatis sensu fruetur? Vbi arma & equi, vbi ferrum acutum, & tuba sonans, vbi phalanges hastis inhorrescentes, scuta cohærentia scutis, vbi cristatæ, & terribiles galeæ, vbi conflictus, impressiones, manuum consertiones, prælia,* A *cædes, fuga, persecutiones, gemitus, vlulatus, vbi terra sanguine madet, mortui conculcantur, & obteruntur, saucij derelinquuntur: nunquid in his rebus occupato otium vnquam erit cogitationem ad rem aliquam iucundam conuertendi?*

De pacis commoditatibus, & fructibus attexam versiculos Tibulli ornatissimos, ex lib. eius 1. eleg. 10.

Interea pax arua colat, pax candida primùm
Duxit aratores sub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & succos condidit vuæ,
Funderet vt nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerq; vigent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus è lucoq; vehit malè sobrius ipse
Vxorem plaustro, progeniemq; domum.

Græcè doctissimus homo hunc versum ita est interpretatus. χαίρομεν εἰρήνην, πόλεμον στυγέοντες ἰδέσθαι. In eundem lusit hasce parodias idem ille.

Nulla salus pelago, portum te poscimus omnes.
Nulla sine ære salus, illud te poscimus omnes.
Nulla salus lymphis, vinum te poscimus omnes.
Nulla salus magnis opibus, mediocria posco.
Nulla salus vitiis, virtutem poscimus omnes.

QVEM TV TIBI FINGIS) Bene, quem tu fingis, ne ei tanquam inimico non credatur. Hoc dicit, Non sum quidem: sed si velis esse, non recuso, & esse nihil C moror. Et magna est nocendi calliditas: supplicem se efficit inimicus, & vt modò desiderata perficiat, atque vt maiorem inuidiam compleat, rogat omnium nomine. Quin & beneuolum se fingit, dum ipsius quoq; saluti vult esse consultum, quem odio persequebatur, & quem oppressum cupiebat. Omnia demũ, inquit, sunt plena funerum, & vastitatis, nec fere iam superest, qui agros colat. Donatus, Seruius.

INGENT. ET DESOL. AGROS) Vt alibi, *Et latos vastant cultoribus agros.* Desolantur agri, cum inde coloni ad bellum abstrahuntur. Cic. pro lege Manil. Nam cũ hostium copiæ non longè absunt, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura dese- D ritur, mercatorum nauigatio conquiescit.

AVT SI FAMA MOVET, SI TANT. PECTORE ROB.) Si aliquam curam nominis & famæ tuæ geris, si tantum virtutute tua confidis, si adeo regiam coniugem, cum qua regnum in dotem accipias, ambis, solus cum solo Ænea congredere. Quum enim non publica, sed priuata sit caussa, cur dimicemus, quibus pericula aduersa non sunt, & secunda non prosunt? Itáne tanquam viles, & nullius pretij homines æquum est nos totis campis prostratos iacere escam alitibus & feris, sine sepultura, sine nostrorum lacrymis? *Etiam tu,* pro, eia tu, interdum enim *etiam* hortantis verbum est. Donatus.

NOS ANIMÆ VILES) tanquam viles, & abiectæ, E & nullius pretij animæ.

INFLETA, INHVMATAQVE TVRBA) Talis græcè ἄκλαυτος, ἄταφος.

ILLVM ASPICE CONT. QVI VOCAT) Homeri imitatione, apud quem est ἄντην εἰσιδέειν, & εἰς ὦπα ἰδέσθαι, & κατ' ἐνῶπα ἰδεῖν, simili vsurpatione de congressu cum hoste. Valent huc eiusdem versus isti.

Ἀλλὰ σύγ' Αἴαντος μεγαλήτορος οὐκ ἐτάλασσας
Στήμεναι ἄντα κατ' ὄσσε ἰδὼν δηΐων ἐν αὐτῇ.

TALIBVS EXARSIT DICTIS VIOLENTIA TVRNI:
DAT GEMITVM, RVMPITQVE HAS IMO PECTORE VOCES.
LARGA QVIDEM SEMPER, DRANCE, TIBI COPIA FANDI,

TVNC, CVM BELLA MANVS POSCVNT, patribusq; vocatis
Primus ades: SED NON REPLENDA EST CVRIA VERBIS,
Quæ tutò tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ.
PROINDE TONA ELOQVIO, SOLITVM TIBI: meq; timoris
Argue tu Drance, quando tot stragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit, passimq; trophæis
Insignis agros. POSSIT QVID VIVIDA VIRTVS,
EXPERIARE LICET. nec longè scilicet hostes
Quærendi nobis: circumstant vndiq; muros.
Imus in aduersos? quid cessas? AN TIBI MAVORS
VENTOSA IN LINGVA, PEDIBVSQVE FVGACIBVS ISTIS
SEMPER ERIT?
Pulsus ego? aut quisquam meritò, fœdissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Tibrim
Sanguine, & Euandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atq; exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias, & Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub tartara misi
Inclusus muris, hostiliq; aggere septus.

TALIBVS EXARSIT DICTIS) Cum arderet ante, talibus dictis magis in Drancem exarsit, maledicis nimirum, & iniuriosis: & more suo habitum futuræ orationis ostendit. Sunt multa sua vi optima, quæ, quoniã per se non possunt vituperari, ab accidentibus vituperantur: vt hoc loco, quoniam eloquentia optima est per se, eam culpat ex tempore, dicens, Tunc incumbis eloquentiæ, cum bella manus deposcunt, & vocatis ad consilium patribus, tanquam bella formidans, ades primus ad dandum consilium. Sed nunc, dum hostis adhuc mœnibus prohibetur, potes liberè fabulari quæ vis. Seruius.

LARGA QVIDEM SEMP. TIBI COPIA FANDI) Iure accusantur, qui res quamuis vtiles, non idoneis temporibus, neque id postulantibus tractant. Quapropter Turnus acris animi iuuenis Drancem aduersarium increpat, quod propinquis hostibus, aggredique vrbem parantibus, ostentet importunam illam eloquentiam suam. neque enim tunc linguę munus valdè requiritur, sed manuum opus. Quod si consilij quoque vsus est, id subita expositione contentum est. Demosthenes quoque oratione περὶ συμμοριῶν id exagitauit: quemadmodum etiam contrariam huius, culpam eius, qui, cum cõsilia requiruntur, deliberatioque aliqua de re habetur, studet opinionem fortitudinis reportare, vnde opposita hæc inter se vitia accusare incipit. ὅτι οὐκ ἔστι χαλεπὸν, οὐδ᾽ ὅταν βουλεύεσθαι δέῃ, δόξαν ἀνδρείας λαβεῖν, οὐδ᾽ ὅταν κινδύνος τις ἐγγὺς ᾖ, δεινὸν εἰπεῖν φανῆναι. Victor. lib. 2. cap. 16. * Æneid. 1. Postquam data copia fandi. *ibi copia est potestas: hic autem verborum profluentia inanis, quod indicat adiunctũ* larga, *& infrà*, ventosa in lingua. *Alioqui copia fandi quid est, nisi quã à Cicerone dicitur copia dicendi, id est, ipsa eloquentia?*

SED NON REP. EST CVRIA VERBIS) Citat vt prouerbiale Suidas, οὐ λόγων ἀγορὰ δεῖται Ἑλλάδος, ἀλλ᾽ ἔργων. Id est, non verbis indiget Græciæ forum, sed factis: dicique admonet ἐπὶ τῶν κομπαζόντων, hoc est, in Thrasonicè arrogantes, & verbis tumidis cælum ipsum territantes. Talem insimulat Græcorum gentem T. Liuius lib. 8. lingua magis strenuam, quam factis. Et huc allusisse Virgil. indicat Iunius Cent. 2. num. 60.

QVÆ TVTO TIBI MAG. VOLANT) non vult Turnus Drancem hic significare ἀσφαλῶς ἀγορεύειν, more Græcorum, qui ἀσφαλῶς (vt docet Eustathius) τὸ ἀσφαλῶς ἐκ μεταφορᾶς τῶν τοῖς ποσὶ σφαλλομένων accipiunt: sed obijcere illi potius ignauiam, & domi, longeque à periculis debacchandi in strenuos, & deblaterãdi vsurpatam licentiam.

Verba volare dixit, quemadmodum Homerus, ad cuius imitationem se totum fingit, non in magnis modò, sed in paruis quoque, cui toties in ore est ἔπεα πτερόεντα, verba pennata seu pennigera. Cur autem pẽnata appellarit, caussam profert Plutarch. libr. de Garrulitate, in hæc verba. Neque enim volucrem è manibus dimissam facilè est rursum apprehendere: neque sermonem ex ore proditum continere, vel capere possibile, sed fertur leues rotans alas, per alios ad alios dispersus. Horatius nonne etiam pennas addidit, cum dixit. epist. 18. lib. 1. *Et volat emissum semel irreuocabile verbum*? Ad volatum istum verborum nonne alludit, cum scripsit ad Pisones, *nescit vox missa reuerti?* Existimat autem Turneb. lib. 23. cap. 14. quod de Drance his verbis poeta, *Quæ tutò tibi magna volãt*, & quę antecesserunt, *sed non replenda est curia verbis*, quæque infrà sequuntur, *Proinde tona eloquio, solitum tibi*, hoc inquam totum mirificè in personam Ciceronis conuenire, nec dubitat in eius imaginem Drancis personam à Marone institutam, & inductam fuisse. Ego persuasissimum habeo, nihil minus voluisse Virgilium, quàm irridere M. Tullium, quem admiraretur, vt oratorum quendam deum: & ipsum Turnebum contumeliosè locutum aio.

NEC INVNDANT SANG. FOSSÆ) Canterus lib. 6. cap. 8. corrigendum censet, Donato suffragante, *&*, pro *nec*: vt legamus cum hiatu *Agger murorum, & inundant*, &c. quod cum Virgilius & alibi fecerit, vt ostendit in eodem capite, non debet quisquã offendi. Apud Dona-

A Apud Donatum sic est. Fallit te conuentus iste maiorum, fallunt te murorum septa, quæ nobis paululum separant hostes. Nonne vides per fossas sanguinem fundi? Veruntamen sanæ parti frustrà scalpellum puto adhiberi, & cum Donato falli Canterum, pugnareq; cum sententia versuum manifesta. Hoc enim dicit Turnus, Drancem posse loquacitati suæ indulgere, dum adhuc hostis ad muros non est: (nam libro duodecimo primũ Veneris monitu ad oppugnationem Laurenti venitur) iam illi tutò volare verba, quæ haud tutò volarẽt, si aggere ab hoste rescisso, fossæ inundarent cæsorum sanguine. Tametsi tempus etiam hoc magis manus, quam verba poscat. Indicat ergo posse, & solere multis vtrinque cædibus factis, & strage magna edita in oppugnatione vrbium sanguinem multum, & instar fluminum, seu torrentium fieri. Sic Cic. orat. post red. in senatu locutus est. Ego meam salutem deserui, ne propter me ciuium vulneribus respub. cruentaretur: illi meum reditum non pop. Romani suffragiis, sed flumine sanguinis intercludendum putauerunt. ☙

TONA ELOQVIO, SOLITVM TIBI) Insultat Dranci, & vt imbellem, atque effæminatum irridet, & dicit, exauctorari eius debere sententiam, qui de bellis iudicet ignarus. *Tona eloquio.* Sic & Pericles fulminare dictus est: & *ἐκεραύνου ἴσα* apud Aristoph. *ὥσπερ ὑπὸ βροντῆς ἐλαυνόμενα.* Donatus, German.

QVANDO TOT STRAG. ACERVOS) De hoc genere C ironiæ Quintil. libr. 9. cap. 2. Ironia est & cum similes imperantibus, vel permittentibus sumus, *I sequere Italiam ventis.* Et cum ea quæ nolumus videri aduersarijs esse, concedimus eis. Id acrius fit, cum eadem in nobis sunt. Citat hoc German.

NEC LONGE SCILICET HOSTES) Suspicor alludere voluisse ad illud adagium, *αὐτοῦ Ῥόδος, αὐτοῦ πήδημα,* Hic Rhodus, hic saltus. Ortum ex fabula Æsopica.

IMVS IN ADVERSOS?) Vtitur verbo Drancis, qui dixerat, *atq; aduersum fidens fer pectus in hostẽ.* Ego, inquit, ibo in hostẽ aduersus, secundùm voluntatẽ tuam: sed tu quoq; veni mecũ, vt videas, ac probes, qualis sim. Quid est quod in campum exire non audes, cũ loquendo, fugiendoq; bellator sis fortissimus? Et quoniam dixerat, *Pulsus abi,* opponit huic facinora sua, ex quibus prorsus fiat incredibile, fugere aliquando voluisse: sed veris falsa permiscet, & nimis insolenter gloriatur. Quod sua opera *procubuisse* ait omnem Euandri progeniem, ita intelligas, quia vno Pallante filio occiso, tota eius posteritas interijt. Euander namq; senex, nouæ sobolis pater esse non poterat. Pandarum, & Bitiam *ingentes* nominat, ne humiles, & abiectos superasse videatur. De *mille* vno die superatis quod sequitur, habet falsitatis aliquid: multos enim occidisse dictũ est, non mille. Addit tamẽ, quod laudem possit augere. Hæc, inquit, per- B feci *septus hostili aggere, & muris inimicis inclusus.* Potest videri ideo ista dixisse, vt ex his ostenderet, quæ fecisset liber in campo, quum multifariam clausus, expedire se potuit, & victor exire. Donat.

AN TIBI MAVORS VENTOSA IN LINGVA) An semper te Martium esse virum iactabis, quum nihil aliud, quam loqui de bello, aut è bello fugere soleas? An semper lingua te, & pedibus magis, quam manu bellatorem esse probabis? Plut. Lacon. *ὁ μὲν λόγος θαυμαστός, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος. ὁ γὰρ γλωσσοστράτευτος* Prouer. *ling. bellare.* Similibus modis interdum loquuntur boni scriptores, vt cum dicunt historici, victoriam in ferro, in manib⁹ ferre, & in celeritate, atq; audacia alicuius rei summã C statuere. Sallust. in Catilinæ orat. ad milites. Quapropter vos moneo, vti forti, atque parato animo sitis, & cum prælium inibitis, memineritis vos diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare. Et Darius iterum cum Alexandro dimicaturus apud Curtium. In dextris vestris iam libertatẽ, opem, spem futuri temporis geritis. Tale est Plautinũ ex Pœnulo. *Iste est thesaurus stultis in lingua situs.* Non est diuersum, quod scribit Heraclius ad Hermodorum de Ephesiis: inquit enim, ipsos *τὰ ὅπλα ἐν ταῖς γλώτταις ἔχειν,* id est vniuersam armaturam suam in lingua habere. Titius. lib. 5. cap. 15.

VICTOR SVB TARTARA MISI) Libro 12. *Aut hac Dardanium dextera sub tartara mittam.*

Nulla salus bello? (CAPITI CANE TALIA DEMENS
DARDANIO, REBVSQVE TVIS) proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atq; extollere vires
Gentis bis victæ, contrà, premere arma Latini.
Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt,
Nunc & Tydides, & Larissæus Achilles:
AMNIS ET ADRIACAS RETRO FVGIT AVFIDVS VNDAS.
Vel cum se pauidum contra mea iurgia fingit,
Artificis scelus, & formidine crimen acerbat.
Nunquam animam talem dextra hac (absiste moueri)
Amittes: habitet tecum, & sit pectore in isto.

CAPITI CANE TALIA DEMENS DARDANIO) Homerus Odyss. β.

ὦ γέρον, εἰ δ' ἄγε νῦν μαντεύεο σοῖσι τέκεσσιν
Οἴκαδ' ἰών, μή πού τι κακὸν πάσχωσιν ὀπίσσω.

Quoties argumentum non possumus soluere, aut contraria obiectione, aut risu, aut maledicto, vt in hoc loco, aduersario respondemus. Quoniam igitur dicis *nulla salus bello* (quod capiti tuo sit, *ἐς κεφαλήν σοι*, Aristoph.) ne cesses omnia turbare magno metu, laudare D bis victos (ab Hercule, & Græcis: bis enim expugnatum est Ilium) eorum vires, & animos extolle, Latini (inuidiosè, cum mea dicere deberet) deprimere. Dic tu, qui contraria didicisti affirmare, & impossibilia mentiri, Phrygas esse terrori Myrmidonibus, & Diomedi, & Achilli. Dic Aufidum Apuliæ fluuium à mari Adriano, in quod influit, retro relabi. Suprà, *refluitq; vndis exterritus amnis.* Donatus.

AMNIS ET ADRIACAS) Allusum ad Euripideum

hoc, ἄνα ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί. Multis locis Horatius significat, tempestuosum esse, & æstibus maximis agitari mare Adriaticum, vento Austro inprimis flante. Ode 3. lib. 1.

—— nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriæ
Maior, tollere, seu ponere vult freta.

Et Ode 3. libr. 3. *neq; Auster, Dux inquieti turbidus Adriæ.* Et Ode 9. *& improbo Iracundior Adria.* Mitto reliquos. Caussa est, quod arctè, & angustè conclusus est is sinus, id quod fretis propter angustias accidere ignorat nemo. Hæc breuiter ex Iosepho Castilione.

VEL CVM SE PAVIDVM) *Vel* in principio sententiæ positum, pro, nam, indignationi interdum seruit, & à Græcis tractum videtur, qui particula ἢ eodem fere modo vtuntur. Frustra autem est Quintil. qui libro 9. cap. 3. hic à vetustatis consectatione Virgilium commendat. Videtur tamen Cic. sequutus potius noster Maro, qui vocula ista, vel, hoc sensu non semel vsus est. Pro Flacco. Vel quod est in eodem decreto scriptũ, homines clarissimos ciuitatis hoc Prætore circumuentos: cur ij non in iudicio adsunt? Quasi diceret, quid impudentius, quã hoc dicere? Lucanus. *Vel cum tanta vocent discrimina Martis Iberi, Cur rapidũ deflectis iter?* Terent. And. *Vel hoc quis non credat, qui te norit, abs te esse ortum?* In Hecyra. *Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi, quàm sanctè?* Gell. libr. 9. cap. 12. Vel illud quale est, quod idem Plin. libro 10. Democritum scripsisse asseuerat. Plato. ἢ πῶς λέγεις ὦ Γοργία ταῦτα; Hæc Bud. Comment. ling. Græcæ.* *Melius dixisset Budæus, vel, significare quadam de pluribus, & interdum cum indignatione quadam, interdum cum affectu quopiam alio, quod ex testimonijs clarum est. De notione huius particula dictum etiam Eclog. 8.* Carmina vel cælo, &c,

NVNQVAM ANIM. TAL. DEXTRA HAC) Quale scelerati commentum est, timorem fingere, & ita me durius accusare? Esto securus Drance, parcam tibi, A licet merearis interfici: nunquam enim dextera mea imbelles occidit. Sit magis tecum anima tua, habitetque in pectore tuo: melius enim de te supplicium dabitur votis meis, si diutius viuas, & pœnas liuoris iugiter expendas. Donatus quidem hoc modo.

Seruius isto. Contra illud, quod ait superius, *Det libertatem fandi, flatusq; remittat.* Nam hoc dicit: timorem suum naturalem inuidiosè in eam caussam retorquet, vt meæ præsentiæ, non illius naturæ videatur, quod timet: hoc enim est, quod planius iterat, dicens: *& formidine crimen acerbat.* Sed pessima, & vilis anima habitet tecum in membris congruis. Nam talem vilem, & pessimam accipimus, quam nefas est perire ea dextera, quæ tantum viros fortes consueuit occidere.

B Loci huius hæc est sententia, vt neget Turnus, velle se heroicas manus contemerare tam impuro sanguine, nec item bene mereri de inimico nefario, nec eum occidẽndo, cruciatus finire, quem verisimile sit (vt flagitiosis accidit) furias pati, & vitam turbidam, atque inquietam agere, vt ex decretis philosophiæ discere est, & eo libro Plutarchi, qui inscribitur, εἰ αὐτάρκης ἡ κακία πρὸς κακοδαιμονίαν. Cæsar quoque disputauit apud Sallustium, miseris, & ærumnosis mortem esse solatium, & remedium. Nempe & Aristoteles, probis vitã iucundissimã esse debere affirmauit, quę malis supplicio, & carnificinæ esse dicitur. Vnde & Plato de sceleratis, δίκη δὲ τούτῳ θάνατος ἐλάχιστος τῶν κακῶν. German.

C * *Contumeliosissimum genus vltionis est, ait Seneca, non esse dignum visum, ex quo vltio peteretur. Est igitur summus contemptus huius verbis significatus,* Nunquam animam talem, *&c. Licet huc referre adagium, Aquila non capit muscas. Aptissimum quoq; huc epigramma Martial. è lib. 1. de leone, & lepore.*

Quid nunc sæua fugis placidi lepus ora leonis?
 Frangere tam paruas non didicere feras.
Seruantur magnis isti ceruicibus vngues,
 Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Præda canum lepus est, vastos non implet hiatus.
 Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

Nunc ad te, & tua, magne pater, consulta reuertor.
Si nullam nostris vltra spem ponis in armis:
Si tam deserti sumus, & semel agmine verso
FVNDITVS OCCIDIMVS, NEC HABET FORTVNA REGRESSVM:
OREMVS PACEM, ET DEXTRAS TENDAMVS INERMES.
(Quanquam ô si solitæ quidquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios fortunatusq; laborum,
Egregiusq; animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.)
Sin & opes nobis, & adhuc intacta iuuentus,
Auxilioq; vrbes Italæ, populiq; supersunt:
Sin & Troianis cum multo gloria venit,
Sanguine, sunt illis sua funera, parq; per omnes
Tempestas: CVR INDECORES IN LIMINE PRIMO
DEFICIMVS? CVR ANTE TVBAM TREMOR OCCVPAT ARTVS?
MVLTA DIES, VARIVSQVE LABOR MVTABILIS ÆVI
RETTVLIT IN MELIVS: MVLTOS ALTERNA REVISENS
LVSIT, ET IN SOLIDO RVRSVS FORTVNA LOCAVIT.

Nunc

NVNC AD TE ET TVA MAGNE PAT.) Ex oratione turbulenta, quam ratione personæ protulit, ad mitem, atque humilem repente conuertitur: & est in ipsa tranquillitate sermonis, quædã consiliorum Latini, atq; dispositionũ occulta vituperatio. Insinuatione vtitur, id est, callido, & subtili aditu ad persuadendũ. Vult.n.dicere, melius esse interire, quam pacem rogare: quod quia apertè non audet, latenter, & paulatim ad hoc serpit. Omnia, quæ sibi possunt obiici, ponit, sed cum solutionibus suis. Nam & fortuna non immutabilis: & qui semel pellitur, iterum potest reuerti: & auxilijs nõ sunt penitus destituti: & in exercitu est adhuc plurimũ spei. Est autem syllogismus. Donatus, Seruius.

SI TAM DESERTI SVMVS) quasi dicat. Etiamsi Diomedes auxilium nobis denegarit, non tamen omnino deserti sumus.

QVANQVAM Ô SI SOLITÆ QVIDQVAM VIRTVT.) Pathos per reticentiam. Macrob. lib. 4. cap. vlt. Non se inertiæ arguit, sed queritur de virtute amissa per negligentiam. O autem doloris est exclamatio, & intelligimus illic immoratam esse eius orationem: nam exarsit dolore, quia apertè non potuit dicere, moriendum potius esse, quam hostes rogandos. Quod tamen dixit, conferẽs se ad alias personas, & laudans eos, quibus cõtigit perire, ne ista conspicerẽt. Ita Seruius. suprà, *Quãquam ô, sed superent, quibus hoc Neptune dedisti:* Videtur autem hæ particulæ ἀποσιώπησιν, & affectum continere. German.

NE QVID TALE VIDERET) tale te nempe laudare, vel rogare hostes: vel, quod latenter insinuat, tradi alteri, sibi desponsam. Seruius.

PROCVBVIT MORIENS, ET HVMVM SEM. ORE MO.) Quod Turnus de Mezentij impuri hominis honesta morte profert [*Procubuit moriens, &c. nã hoc ad Mezentium Donatus referendum credit, quem vide,*] quem tum ille valdè diligebat, & in iniustum illud regnũ, vnde exactus erat, reducere cupiebat, & ipsum acceptũ est ab Homero. Ille namq; non semel eo vsus est, & cum fecit Agamemnonem ita dicere, vota Ioui nuncupantem, & præclara quædam optantem. πολέες δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν. Et cum Nestorẽ sua vetera facta commemorantem hæc loqui.

> Πεντήκοντα δ' ἕλον δίφρους, δύο δ' ἀμφὶς ἕκαστον
> φῶτες ὀδὰξ ἕλον οὖδας ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ δαμέντες.

Inde sumptum etiam Euripides vsurpauit Phœnissis de duobus fratribus, qui mutuis ictibus ceciderant. γαῖαν δ' ὀδὰξ ἑλόντες ἀλλήλων πέλας πίπτουσιν ἄμφω. Ductus est hic modus loquendi, vt arbitror, ab eo, quod necessariò vsu venit, cum aliquis confossus vulneribus concidit: vix enim fieri potest, quin ille ore telluris aliquid sumat. Cadunt autem (quod Lucretius etiam tetigit) in vulnera, qui occũbunt. Hoc autẽ ipsum planius adhuc intelligitur prolatum fuisse ante ab Homero: videriq; non sine caussa potest, totidẽ verbis inde trãslatum fuisse. De procis enim, cũ interficerẽtur ab Vlysse, inquit, οἱ δὲ χθόνα τύπτον μετώπῳ. Et, χθόνα δ' ἤλασε παντὶ μετώπῳ. Nec tamẽ me fallit, aliter accipere Seruium hũc Virgilij locũ, existimareq; ipsum, id facere eos, qui cadunt consultò, ne extremo illo tempore dolore victi, edãt vocem aliquã indignãm sua præterita existimatione, ac vita. Videndũ tamẽ, quomodo tũc omnes verisimile sit de ea re tantopere laborare, non summæ etiã dignitatis homines. Scholion autẽ vetus, explicans illud pronũtiatũ ab Achille, τῷ κ' οὐ τόσσοι Ἀχαιοὶ ὀδὰξ ἕλον ἄσπετον οὖδας, putat facere hoc illos, qui vulnerati ab hoste in pugna procũbunt, propter indignationẽ, stomachũq;, nec dolorem vulnerum eorum, quę acceperunt. Victor. 29. cap. 17.

SIN ET OPES NOBIS) Inducta comparatione releuat ea, quibus grauabatur. Nos, inquit, si priores opes perdidimus, habemus alias: primum intactã iuuentutem, quæ scilicet nondũ interfuit bellis, robore adhuc integro. Sunt nobis adhuc auxilia vrbiũ, ac populorũ. supersunt, inquit, superabundãt, vltrà quam bella deposcant. Hoc falsum asserebat, ostendisset enim expressè vrbiũ nomina, & vocabula gentiũ. *Vrbes Itala* dicit, ac si ita dicat, habemus robur Italum, non Græcorum militem inertẽ, & dissolutũ, qualem submittere potuisset Diomedes. Post confirmatas deinde partes suas, Troianorũ vires imminuit: nihil quippe proderat docuisse, ꝙ superent Latinis auxilia, si etiã Troianorũ integræ vires esse probarentur. Non est, inquit, iudicãda victoria, quæ per immensa detrimẽta contigit. Et hoc est, vnde laudat Salust. duces, qui victoriã incruento exercitu reportarẽt. *Sunt illis sua funera,* id est, Troianis, quia *& nostro sequitur de vulnere sanguis,* vt est ab eodẽ dictũ lib. 12. Legitur *& illi:* & aut Æneæ intelligimus, aut aduerbiũ loci est, pro illic: vt in 2. *patet isti ianua letho,* pro istic. *In limine primo,* quasi in ipso initio, & aditu infœlicitatis. Et ad illud respexit, ꝙ suprà dixerat, *semel agmine verso Funditus occidimus.* Seruius, Donatus.

CVR ANTE TVBAM TREMOR) Ignaui milites pauitant, priusquam bellicum canatur, & audita tuba miro quodam, maioreq; etiam horrore perfunduntur. Inde prouerbium, *Ante tubam trepidas,* in eos, qui animo consternantur, antequam periculum appareat. Chiliad.

* *Eudamidas dux, cum audiret disserentẽ Xenocratem, solum sapientem esse bonum Imperatorem: Verba quidem, ait, admiratione digna sunt: sed qui dicit, eum tuba nunquam circumsonuerunt. Indicauit maximo animo, & imperterrito opus esse imperatoribus: qui ex illis sapientum sæpe inanibus, & aranearum telis similibus disputationibus non semper acquiritur: & natura sæpe homini donat, quod nullis præceptis ingenerari queat.*

MVLTA DIES RETTVLIT IN MELIVS) Non tantum multa in melius dies retulit, sed multa etiam in peius: quæque honorata erant, ea fecit despicabilia: & quæ in contemptione iacebant, ijs decus addidit. De qua rerum commutatione, ac vicissitudine ornatissimos Lucretij versus adijcio, è lib. 2.

> *Nam fuit in precio magis æs, aurumq́ iacebat,*
> *Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum:*
> *Nunc iacet æs, aurum in summum successit honorem.*
> *Sic voluenda ætas commutat tempora rerum.*
> *Quod fuit in pretio, fit nullo deniq; honore:*
> *Porrò aliud succedit, & è contemptibus exit,*
> *Inq́; dies magis appetitur, floretq́; repertum*
> *Laudibus, & miro est mortales inter honore.*

Dies autem cum absolutè dicitur, tempus significat, quemadmodum hic, & tum fœminino genere pronuntiatur. Iuuenalis de Priamo loquens, *Longa dies igitur quid contulit?* Id est, quid ei longæuitas profuit? Huius exemplum insigne est apud Ciceronem in Verrem, Æct. 1. Itaq; cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulassem, inuenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breuiorẽ diẽ postularet. Diem inquirẽdi vocat dilationẽ inquisitionis faciendæ, quã nos informationẽ vocamus. Quo in loco Asconius. Dies fœminino genere tẽpus dicitur, & ideo diecula breue tẽpus, & mora. Dies horarũ 12. masculini generis est. Vnde hodie aduerbium, quasi hoc die. Hactenus Asconius. Ter. And. *Eho tu impudẽs, non satis habes, ꝙ tibi dieculã addo, Quantũ huic promoneo nuptias?* Dieculã, id est, horã, inqt Don. & ὑποκοριστικῶς, inquit, id est, diminutiuè tẽpusculũ signi-

significat. Ab eo enim quod est hæc dies, sumitur, diecula, pro mora parui temporis. Plin. epist. 5. lib. 8. Ero ergo suspensus pro homine amicissimo, dum admittere auocamenta, & cicatricem pati possit, quam nihil æquè, ac necessitas ipsa, & dies longa, & satietas doloris inducit. Dies, id est, tempus longum, quo dolendo satiamur. Dies pro tempore positum apud Esaiam identidem legimus. Et erit in die illa. Neq; verò mirum est, diem pro tempore poni, cum & horæ, pro diebus ponantur. Cic. in Verrem Act. 2. Menses mihi tres cum eripuissetis, ad agendum maximè appositos, reliquum omne tempus huius anni me vobis remissurum putastis: vt cum horis nostris nos essemus vsi, tu binis ludis interpositis, quadragesimo post die responderes. Horas suas vocat, inquit Asconius, viginti dies, qui accusatori dabantur ad accusandum legitimi, totidemque defensori. Idem, hìc tu fortasse eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam. Horis, inquit idem Asconius, mirè dixit, cum sint dies plurimi, vt ostenderet nimiam diligentiam. Annua igitur, bima, trima die stipulari, est anno, biennio, triennio soluendum stipulari. Budæus in Pand. * *Illustre exemplum Maronis ponere potuisset Budæus ad probandum, vocem dies cum genere muliebri significare tempus. Lib. 5.* Quam nec longa dies, pietas nec mitigat vlla. *Lege quæ in eundem versum annotauimus.*

MVLTOS ALTERNA REVIS. LVSIT FORT.) Fortuna alterna est, quæ alternis his & illis fauet, quæ varia, & incerta est, vt ἀλλοπρόσαλλος Mars ab Homero appellatur, quod vocabulũ prope est vt putetur Maro exprimere voluisse. Turneb. lib. 14. cap. 13. * *Non solum alternis his, & illis, sed etiam alternis vni, & eidem. Scriptum sapienter à M. Tullio. Magnam vim esse in fortuna in vtramq; partem, vel secundas ad res, vel aduersas, quis ignorat? nam & cum prospero flatu eius vtimur, ad exitus prouehimur optatos: & cum reflauit, affligimur. Exemplum est L. Lentulus, de quo Valer. lib. 6. De mutatione fortunæ. Quem quidem fortuna inter ornamenta, & dedecora alterna vice versauit, consulatui illius damnationem, damnationi censuram subijciendo, & neque bonis eum perpetuis frui, neque malis æternos ingemiscere patiendo. Idcirco scitè admodum Q. Curtius libr. 7. Sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus, & pinnas tantum habet: cui manum porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit.*

Hanc, vt ita dicam, alternitatem fortunæ, poetarum latinorum sententijs illustremus, Græcos mittamus. Ennius 8. Annal.

——multa dies in bello conficit vnus.
Et rursum multa fortuna forte recumbunt.
Haudquaquam quenquam semper fortuna secuta est.

Plautus Capt.

Fortuna humana fingit, artatq; vt lubet.

Terent. Hecyra.

O fortuna, vt nunquam perpetuò es bona.

C. Laberius.

Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Consistes ægrè, & citius quam ascendis, decides.
Cecidi ego: cadet qui sequitur: laus est publica.

Ouid. 3. de Tristib.

Nempe dat, & quodcunq; libet fortuna, rapitq;
Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.

Idem lib. 4. de Ponto.

Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præsens vix habet hora fidem.

Auson. in epigram.

Fortuna nunquam sistit in eodem statu:
Semper mouetur, variat, & mutat vices,
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

Addamus tamen pro coronide distichon Theognidis.

Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιῤῥέπει ἄλλοτε ἄλλῳ,
Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δ' οὐδὲν ἔχειν.

IN SOLIDO RVRSVS LOCAVIT) Sensus est, fortunam habere regressum. Si hactenus aduerso euentu pugnauimus, detrimenta præterita futuris successibus licebit reparare. Fortuna tam labores, quam fælicitatem pro temporum qualitate mutat. Ludit, seu decipit beatos, & oppressos in solidum reuocat. Seruius

NON ERIT AVXILIO NOBIS ÆTOLVS, ET ARPI?
AT MESSAPVS ERIT, FÆLIXQVE TOLVMNIVS, & quos
Tot populi misere duces. nec parua sequetur
Gloria delectos Latio, & Laurentibus agris.
Est & Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idq; placet, tantumq; bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus victoria fugit,
Vt tanta quidquam pro spe tentare recusem.
IBO ANIMIS CONTRA: VEL MAGNVM PRÆSTET ACHILLEM,
Factaq; Vulcani manibus paria induat arma
Ille licet. vobis animam hanc, soceroq; Latino
Turnus ego, HAVD VLLI VETERVM VIRTVTE SECVNDVS,
Deuoueo. solum Æneas vocat? & vocet, oro.
Nec Drances potius, siue est hæc ira deorum,
Morte luat: siue est virtus, & gloria, tollat.

NON ER. AVXILIO NOBIS ÆTOLVS, AT MESSAP.) Redit ad rem, quia occurrebat, sed negantur auxilia: & bene duo iunxit, quæ quæruntur in bello, fortitudinẽ, & fælicitatem. Nam de Messapo legimus, *Quem neq; fas igni cuiquam, nec sternere ferro.* Quod subdit, *nec parua sequetur Gloria, &c.* λιτότης est, minus enim dicit, quam voluit: nam hoc significat. Latina pubes celerrimè victoriam adipiscetur, quam vix Græci post decennium sunt adepti. Seruius. * *Eadem figura sermonis est apud Tullium, Philipp. 2. Non placet M. Antonio consulatus meus. At placuit*

placuit P. Seruilio, vt eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proximè est mortuus: placuit Q. Lutatio Catulo, cuius semper in hac repub. viuet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, &c.

QVOS TOT POP. MISERE DVCES) Catalogus videndus lib. 7.

FLORENTES ÆRE CATERVAS) Pereleganter. Sic Lucret. lib. 1. *Bina lucernarum florentia lumina flammis,* Item lib. 5. *Tum mare velivolum florebat nauibus pandis.* Manil. lib. 5.

Tunc conferta licet cæli fulgentia templa
Cernere seminibus densis, latisq; micare
Floribus, vt sicca currunt per littus arena.

Attius. *Ære atque argento feruere, igni, insignibus Florere.* Sic ἀνθεῖν Græci poetæ. Sic Æschylus, ἄνθος πυρός, quomodo scilicet Lucret. & Manil. Stat. Thebaid. 2. *ibi arcano florentes igne smaragdos Cingit.* Scalig. F. in Manilium.

QVOD SI ME SOLVM) Quoniam igitur audiuit à Drance, *illum (Æneam) aspice contra Qui vocat*, promittit se singulari certamine velle congredi, cum nolit. Similiter in 12. ait irrisoriè: *sedeant, spectentque Latini.* Addit tamen, si in tantum obsum commodis publicis, vt nisi solus dimicauero, cócidat vniuersa respub. assuetæ sunt manus meę victoriis, libéter dicar solus seruasse rempub. Seruius.

VT TANTA QVIDQVAM PRO SPE) spe tantæ laudis, quam assequar, si solus cæteris omnibus salutem peperisse dicar.

VEL MAGNVM PRÆSTET ACHILL. FACT. VVLC.) Licet ille Achillem virtute præueniat, licet ille Vulcani donis armetur, qualibus etiam Achilles, ibo contrà animosè, prouocaturus potius segnẽ, quam exspectaturus hostis arbitrium. Et præsto illum, id est, melior illo sum, & præsto illi dicimus. Cicero in Cæsarianis. Tanto ille superiores gloria vicerat, quãto omnibus tu præstitisti. [*De dandi casu quum cum illo iungatur, nulli est dubium, vellem de accusandi casu exemplum aliquod attulisset. Nos inuenimus hoc apud Liuium lib. 5. ab V. C. Vt nunciare domum possint, quantũ Galli virtute cæteros mortales præstarent. Aliud apud Probum in Epaminonda. Callistratus Atheniensium legatus, qui eloquentia omnes eo præstabat tempore. Et in Annibale, non est inficiandum, Annibalem tanto præstitisse cæteros prudentia, &c.*] Pergit Turnus, & sibi fauorem populi conciliat, nó sine iactantia, dum se veteribus comparat, non simpliciter, sed eorum vnicuique. Postremò optat abesse Drancem inimicum, & nec calamitati suę, nec fælicitati interesse. Donatus, Seruius.

VOBIS ANIMAM HANC DEVOVEO) Ad ritum Rom. aspicit se deuouendi pro Repub. quod fecerunt duo Decij.

HAVD VLLI VETERVM VIRTVTE SECVNDVS) sic apud Homer. Iliad. Δ. negat Sthenelus, se maioribus virtute cedere. ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι, τῷ μή μοι πατέρας ποθ' ὁμοίῃ ἔνθεο τιμῇ. Obseruauit Germanus.

SIVE EST HAEC IRA DEOR.) Si ira deorum me premit, nolo Drancem mecum pœnas morte luere: sin virtutis gloria me manet, nolo eũ laudis meæ esse participem.

TOLLAT) Græcorum more, qui νίκην ἄρεσθαι, & κῦδος ἄρεσθαι, & ἄρνυσθαι ἆθλα in capiendi significatione.

ILLI HÆC INTER SE DVBIIS DE REBVS AGEBANT,
CERTANTES: castra Æneas, aciemq; mouebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisq; vrbem terroribus implet:
Instructos acie Tiberino à flumine Teucros,
Tyrrhenamq; manum totis descendere campis.
EXTEMPLO TVRBATI ANIMI, CONCVSSAQVE VVLGI
PECTORA, ET ARRECTÆ STIMVLIS HAVD MOLLIBVS IRÆ.
Arma manu trepidi poscunt, fremit arma iuuentus.
Flent mœsti, mussantq; patres: hîc vndique clamor
Dissensu magnus vario se tollit in auras:
Haud secus atque alto in luco, cum fortè cateruæ
Consedere auium, piscosóue amne Padusæ
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.
Immò, ait, ô ciues arrepto tempore Turnus,
COGITE CONCILIVM, ET PACEM LAVDATE SEDENTES:
ILLI ARMIS IN REGNA RVVNT. Nec plura locutus
Corripuit sese, & tectis citus extulit altis.
Tu Voluse armari Volscorum edice maniplis:
Duc, ait: & Rutulos equites Messapus in armis,
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus vrbis firment, turresq; capessant:
Cætera, quà iusso, mecum manus inferat arma.

ILLI HÆC INTER SE, &c. CASTRA ÆNEAS) Altercationes, & iurgia Turni, & Drancis mouente Ænea dirimuntur. Simile Homeri Iliad. α. ὣς τώ γ' ἀντιβίοισι μαχεσσαμένω. Reprehẽsio est Latinorum, & Æneæ prædicatio,

catio, qui, dum illi tempus longis orationibus, & deliberationibus traherent, ipse instructa acie procedebat. Regredior hic in memoriam Agesilai, regis Lacedæmonum, qui cum haberet exercitum, cumque eo iter faceret, ad Macedonem misit rogatum, ecquid per hostiũ, an amicorum solum transiret. Respondit ille, se consultaturum..tum Agesilaus. Fiat, inquit, consultatio, nos interim transibimus. Tum Rex viri constantiam admiratus, ac sibi metuens, præstare duxit, illi vt amico transitum concedere. Plutarch. in Apophtheg. Reg. ✠

TOTIS DESCENDERE CAMPIS) Dicebat eos operire campos: vnde liquet, voluisse dicere, maximas aduẽtare copias.

CONCVSSAQVE VVLGI PECTORA) Concussa, inquit, pectora, non tantùm turbata. Flebant, & quiritabantur patres, quum pro loco suo ipsi periculis, atq; detrimentis essent proximi. In duas autem partes concilium diuulsum erat, quoniam hi à Turno, illi à Drance stabant. Et hi paci, illi bello studebant. *Padusa* pars est Padi, plena cygnis. *Rauci* modò canori, & est τῶν μέσων, sicut venenum, & alia multa. *Stagna loquacia*, in quibus habitant cygni loquaces. Seruius.

ARRECTÆ STIMVL. HAVD MOLLIB. IRÆ) non leuibus stimulis in iram incitati sunt.

FREMIT ARMA IVVENTVS) Cum fremitu ad arma conclamat. Sic lib. 7. de Turno à Furia extimulato. *Arma amens fremit, arma toro, tectisq; requirit.*

FLENT. MOESTI, MVSSANT. PAT.) Meritò flebant, & quò seuerterent, in extrema rerum desperatione videlicet, nesciebant.

IMMO AIT, O CIVES) Inuenta opportunitate, Turnus grauiter cunctationem suorum vituperat, sed paucis, maturè enim, & properanter hostibus erat occurrẽdum. Mox mandata incipit dare, vt boni ducis, ac solliciti officium postulabat.

COGITE CONCILIVM) Ironica exhortatio in eos, qui pacem suaserant.

SEDENTES) desides, dormitantes, pigri, cunctantes, negligentes, in negotio tanto inertes. Virg. 3. Georg. *Et meliora deos sedet omina poscens.* Æneid. 12. *sedeant, spectentq; Latini.* Ad quem locum de peculiari significatu huius verbi *sedere* ex Victorio, & aliis disseruimus. ✠

TV VOLVSE ARMARI EDICE) *Verba Turni, quibus tumultuarie ducibus officia, præsertim circa Vrbis mœnia iungenda mandat.*] *Edice armari*, figuratè, dic vt armentur. Edice autem est imperatiuus: nam ab omnium coniugationũ infinito detracta, re, syllaba vltima, fit imperatiuus, vt amare ama, docere doce. Cum autem fac, vel dic dicitur, ἀποκοπὴν verba patiuntur. Inueniuntur huiusmodi antiqui imperatiui plures. Apud Nason. face, Tibull. deduce.

VOLSCOR. MANIPLIS) Manipulus leuis ex viginti militibus, & turba scutatorum fit, Persis ex 24. militesque manipulares appellati. Huic etiam centurio præerat, quẽ manipularem vocarunt. Manipulos verò quindecim suis interuallis distinctos in prima acie, velut fortissimum robur plerunque imperatores locarunt: leuisque manipulus dictus, quod hastis miles, gæsisque, non armis grauioribus muniretur. Donatus in hunc versum, aiunt, inquit, manipulum dici diuersorum militũ, sub vno rectore constitutorum. Hæc fere Alex. ab Alex. lib. 1. ca. 5. in quo etiam de centuria, decuria, ordine, turma, primipilo, vexillo, &c. De manipulis militum egit more suo diligenter Lipsius Militiæ Roman. libr. 2. dial. 2.

EQVITES MESSAPVS IN ARMIS) Id est, armatos: nam figura est. Circumlocutio Græca, adiectiui per præpositionem, & nomen substantiuum. *Messapus* aut antiquus est vocatiuus: vt, *Hesperidum fluuius regnator aquarum*: item, *socer arma Latinus habeto*: aut certè nominatiuus est pro vocatiuo: quãquam etiam possit esse nominatiuus, vt sit: Messapus, & Coras equites diffundite, pro diffundant: melior tamen est sensus superior. Frater Coræ Catillus dicitur, *Catillusq; acerque Coras.* Seruius.

PARS ADITVS VRBIS) Aditus vrbis intellige portas, qui aduersus hostem omni ope muniendi erant, & propter diligentiorem custodiam, securitatemq; etiam in turribus collocandi milites. Donatus.

IVSSO) antiquum est verbum, pro iussero, vt faxo, pro fecero. Sic Catullus dixit, recepso, pro recepero. Et poeta quidam vetus apud Cic. de Off.

Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepset malitiosam audaciam.

Pacuuius. *Haud sinam quidquam profari priusquam accepso, quod peto.* Muret. in Catull. * *Meminit Seneca quoque istius archaismi, atque adeò hunc ipsum Virgilij locum producit in medium.*

Ilicet in muros tota discurritur vrbe.
Concilium ipse pater, & magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt,
Multaq; se incusat, qui non acceperit vltro
Dardanium Æneam, generumq; asciuerit vrbi.
Præfodiunt alij portas, aut, saxa sudesq;
Subuectant, bello dat signum rauca cruentum
Buccina. tunc muros varia cinxere corona
Matronæ, pueriq;: VOCAT LABOR VLTIMVS OMNES.
Nec non ad templum, summasq; ad Palladis arces
Subuehitur magna matrum regina caterua,
Dona ferens: iuxtaq; comes Lauinia virgo,
Caussa mali tanti, ATQVE OCVLOS DEIECTA DECOROS.
Succedunt matres, & templum thure vaporant:
Et mœstas alto fundunt de limine voces.

ILICET IN MVROS TOTA) Confestim, illico fit per A oppidum concursatio hominum, & ad muros defendendos contenditur. Et quia tã tristes nuntij venerant, concilium dimittere cogitur Latinus, magnaque incepta (de pace enim agebat) intermittere: vrgebat metus instantis exitij, pœnitebat non asciuisse generum Æneam, qui poterat esse præsidium ciuitatis, & firmamentum. Donatus.

CONCILIVM IPSE PATER, ET MAG. INCEPTA LAT.) Venustum ordinem seruat circa primos motus. Orditur à rege se incusante, quod in deligendo genero fuisset parum prudens [*vel potius in delecto repudiando stultus.*] Inde studium vulgi proponit in muniẽdis portis, aduersus hostium irruptiones. Ad postremum vota matronarum, Palladi nuncupata pro salute reipub. vt hostis muro arceatur. Montfortius. B

MVLTAQVE SE INCVSAT) Hic, & sequens versus iterantur libro 12. mutata tantum in vtroque extrema voce.

PRÆFODIVNT ALII PORTAS) Alij fossas faciebant ante portas, quæ res nimiam indicat desperationẽ. Ad earundem munitionem saxa, & sudes subuectabantur. Ac ne qua posset esse dubitatio periculi, datur tuba signum belli. Signum ideo *cruentum*, quoniam sanguis bello funditur, cuius illa signum est. Imbellis ætas, & sexus *cingit muros corona varia.* Ideo varia, quia pueri permisti mulieribus. Omnes ad laborem qualemcunque vltima necessitas compellit. Donatus, Seruius. C

NEC NON AD TEMPLVM) Ex Homero Iliad. ζ. vbi Hectorem ita monet Helenus.

> Ἕκτορ, ἀτὰρ σὺ πόλινδε μετέρχεο, εἰπὲ δ' ἔπειτα
> Μητέρι σῇ, καὶ ἐμῇ, ἡ δὲ ξυνάγουσα γεραιὰς,
> Νηὸν ἀθηναίης γλαυκώπιδος ἐν πόλει ἄκρῃ
> Οἴξασα κληῗδι θύρας ἱεροῖο δόμοιο,
> Πέπλον, ὅς οἱ δοκέει χαριέστατος, ἠδὲ μέγιστος
> Εἶναι ἐνὶ μεγάρῳ, καί οἱ πολὺ φίλτατος αὐτῇ
> Θεῖναι ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο,
> Καί οἱ ὑποσχέσθαι δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῷ.

Vide præterea 1. Æneid. *Interea ad templum non æquæ Palladis ibant, &c.*

AD PALLADIS ARCES) dicta Pallas vel à Pallante gigante occiso, vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν à vibranda hasta, vel à saliendo, & saltando in bello, vel à Pallante Lycaonis filio, ad quem vt educaretur, paruula à Ioue missa est. Vide Gyrald. Syntag. 11.

SVBVEHITVR MAGNA MAT. CAT.) Subuehitur dixit propriè, quia matronæ pilentis vehebantur ad templa pergentes: vt alibi, *Pilentis matres in mollibus.*

DONA FERENS) *Dona*, peplũ scilicet, quod expressit in primo. Seruius.

OCVLOS DEIECTA DECOROS) Deiiciebat oculos Lauinia, vel propter inuidiam temporis, cum sciret sui caussa tantum malorum inuectum: vel propter virginalem verecundiam, vt solent, & debent virgines in publicum prodeuntes. Donatus.

DE LIMINE) ad preces festinantium mulierum ostenditur desiderium. * *Facit & Silius lib. 7. profecto contra Annibalem Dictatore Q. Fabio Maximo, Romanas matronas ad Iunonem cum palla, & precibus adeuntes.*

> At patres, Latiasque nurus raptabat ad aras
> Cura deûm, mœsto suffusæ lumina vultu,
> Fœmineus matres graditur chorus, ordine longo,
> Iunoni pallam, concéptaque vota dicabant.
> Huc ades ô regina deûm, gens casta precamur,
> Et ferimus digno, quæcunque est nomine, turba
> Ausonidum, pulchramque & acu, &c.

Armipotens belli præses Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygij prædonis, & ipsum
Pronum sterne solo, portisq; effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus:
Iamq; adeo Rutulum thoraca indutus, ahenis
Horrebat squamis, surasq; incluserat auro,
Tempora nudus adhuc, lateriq; accinxerat ensem.
Fulgebatq; alta decurrens aureus arce:
Exultatq; animis, & spe iam præcipit hostem.
Qualis vbi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoq; potitus aperto,
Aut ille in pastus, armentaq; tendit equarum:
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisq; fremit ceruicibus altè,
Luxurians: luduntq; iubæ per colla, per armos.

ARMIPOT. BELLI PRÆSES) Diuam armipotentem D vocauit lib. 2. Æneid. Lucret. lib. 1. Martem. *belli quoniã fera munera Mauors Armipotens regit.* Etiam noster lib. 9. *Hic Mars armipotens animum, viresq; Latinis Addidit.* Catull de nupt. Pelei in extremo, vbi docet, quondam deos rebus humanis præsentes interfuisse, Tritonis heram nominat Palladem, eamque belli dominam facit, cum Marte, & Rhamnusia.

> *Sæpe in lethifero belli certamine Mauors,*
> *Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo*
> *Armatas hominum est præsens hortata cateruas.*

TRITONIA VIRGO) In descriptione Libyæ Mela lib. 1. cap. 7. Super hunc sinum, inquit, ingens palus amnẽ Tritona recipit, ipsa Tritonis: vnde & Mineruæ cognomen inditum est, (vt incolæ arbitrantur) ibi genitæ, faciuntque ei fabulæ aliquam fidem, quod quem natalem eius putant, ludicris virginum inter se decertãtium celebrant. Pausan. Atticis, Herodotus Melpomene, Mineruam Neptuni, & Tritonidis paludis filiam autumant.

Diodorus lib. 3. cap. 5. & hoc ipsum, & totum versum dilucidum tibi faciet. Custodiam filiæ Mineruæ

permi-

permisit, paulò antè hæc tempora circa Tritonem fluuium, vnde & Tritonia dicta est, genitæ. Scribunt hanc deam per omnem vitam virginitate seruata, prudentia claruisse: multasque, cum ingenio præstaret, ab ea artes repertas. Belli quoque exercitio deditam, cum robore corporis vigeret, multa fecisse memoratu digna, &c. Fulgentius ex Manilio Chresto refert, Mineruæ solitas iniuges boues sacrificari, id est, iugum nunquam ferentes, illa videlicet de caussa, quod & virginitas iugum nesciat maritale, & virtus nũquam sit iugo prementi subiecta.

Sciendum porrò, tãtummodo tres deas virgines, Veneris seruitio liberas prædicari, Mineruam, Dianam, Vestam. Musarum enim quarundam filios legimus: & illud Platonis epigramma, quo Venerem sibi Cupidinis tela minantem irrident, in omnes haud conuenit. Quomodo, & quanta cum dote Athenienses Antonio, qui se Liberum patrem salutari voluit, Mineruam suam despondèrint, facete narrat lib. 1. Suasoriar. Seneca. Fuit & Rex quidã Thracum, qui sibi cum Minerua coniugium intercedere per extremam stoliditatem simulauit. Eodem morbo laborauit portentum illud in vltimas terras exportandum C. Caligula, qui, auctore Tranquillo, ca. 22. noctibus quidem plenam, fulgentemque lunam inuitabat assiduè in amplexus, atque concubitum: interdiu verò cum Capitolino Ioue secretò fabulabatur, modo insusurrans, ac præbẽs inuicem aures, modo clarius, nec sine iurgiis (nam vox comminantis audita est) *εἰς γαῖαν Δαναῶν περάω σε*, &c. Par fatuitas Domitiani, teste Sueton. cap. 22. qui Mineruæ filius dici, crediq́ue voluit, & inde eius consilio omnia agere. Pæne autem verbum è verbo hęc matronarum ad Palladem precatio ex Homero conuersa est. Iliad. ς

Πότνι' Ἀθηναίη ἐρυσίπτολι, δῖα θεάων,
Ἆξον δὴ ἔγχος Διομήδεος, ἠδὲ καὶ αὐτὸν
Πρηνέα δὸς πεσέειν Σκαιῶν προπάροιθε πυλάων.

FRANGE MANV TELVM) aut tua manu, aut in eius manu telum confringe. Phrygius, & prædo deformationis caussa sunt posita. Debuerant dicere Æneam, sed volunt ex facto Paridis omnes Troianos esse raptores, & castitatis inimicos. Hunc eundem petunt in caput ab equo deturbari, & hoc sub ipsis portis, vnde à fœminis de muro, ac turribus conspici queat. Seruius, Donatus.

CING. IPSE FVR. IN PRÆL. TVR.) Generatim Turnum armari cum dixisset, statim speciatim, quæ illa fuerint arma, enumerat. Furentem intelligit Seruius amore Lauiniæ, quam videbat: quod etiam sequens indicat comparatio: nam dicturus est, *Aut ille in pastus armentaq; tendit equarum*. Et ideo cum mora armatur, intectoque capite circa arcem incedens admonet singulos, vt à Lauinia possit videri, & sit maior dimicandi caussa, dum sponsę placere contendit. Hic etiam locus ab Homero est, Iliad. τ.

Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
Καλάς, ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.
Δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε,
Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον
Χάλκεον, αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε
Εἵλετο, τοῦ δ' ἀπάνευθε σέλας γένετ' ἠύτε μήνης.

Seruius.

RVTVL. THOR. AHÆNIS HORREB. SQVAM.) Genus loricæ fuit, quod non annulis solis, sed & squamis constaret, Græci *φολιδωτὸν* vocant, vel *λεπιδωτόν*, à squamis piscium, vel serpentum. Plutarch. de Lycurgo, ipso die quo pugnauit in Tigranem indutum habuisse *θώρακα σιδηροῦν φολιδωτόν*, loricam ferream, squameam. Dio Cassius Macrinum Imperat. abstulisse prætorianis *τοὺς θώρακας τοὺς λεπιδωτούς*, loricas squameas: notesque ab his exemplis, honestiorum plane has fuisse. Has dico hamis, & laminis solidis simul constitisse, ex Silio, qui lib. 5. Flaminium Cos. armans.

Loricam induitur: tortos huic nexilis hamos
Ferro squama rudi, permistoq; asperat auro.

Et Isidoro squama est lorica ex laminis æreis, vel ferreis concatenata, in modum squamarum piscis. Ipsas ergo squamas catenæ iungebant. Tertull. lib. de Pallio, cap. 4. hanc intelligit, & Alexandro Magno tribuit. Pectus squamarum signaculis discalptum textu pellucido tegẽdo nudauit. Silius li. 8. *Horridus & squamis, & equina Curio crista*. Has ipsas squamas etiam plumas video dici, à specie pari, &c. Lipsius de Milit. lib. 3. dial. 6.

QVALIS VBI ABRVPTIS) Etiam hanc comparationem, & ad verbum ex Homero translatam monet Seruius, prolatis græcis versibus, ex quibus etiam Ennius connectit suos 5. Annal. dum Decij in hostes impetum, equi alicuius citatissimo cursui comparat. Versus recitat Macrobius lib. Saturnal. 6. cap. 3.

Et tunc sicut equus, qui de præsepibus actus
Vincla suis magnis animis abrumpit, & inde
Fert sese campi per cærula, lætaq; prata,
Celso pectore, sæpe iubam quassans simul altam:
Spiritus ex anima calida spumas agit albas.

Claudian. in nupt. Honorij, perpende quemadmodum Virgilium referre conatus sit.

Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
Sollicitauit odor, tumidus, quatiensq; decoras
Curuata ceruice iubas, Pharsalia rura
Peruolat, & notos hinnitu flagitat amnes
Naribus accensis.

Et quoniam quatuor magni poetæ hac cõparatione vsi sunt, Homerus, vnde traxit Ennius, & ab Ennio Virgilius, atque ab hoc Claudianus, committit eos inter se Hieron. Colum. in 2. Annal. Ennij, & quid quisque ab aliis discrepet, quid melius fecerit, declarat.

FVGIT PRÆSEPIA) Præsepia quidem propter alimoniam grata sunt animalibus: sed diuturna retinentia vinculorum illis admodum grauis est. Quare desiderio libertatis interdum vincula abrumpunt, & vel ad pascua tendunt, vbi equarum greges norunt esse, vt ibi Veneri, ac libidini suæ morem gerant: vel ad flumen, vbi se abluere consueuerunt, properant. Quid autem sit *emicat*, ipse exponit, *arrectisq; fremit ceruicibus altè*, altè erectis, non, *altè Luxurians*. Donatus.

Obuia cui Volscorum acie comitante Camilla
Occurrit, portisq; ab equo regina sub ipsis
Desiluit. quam tota cohors imitata, relictis
Ad terram defluxit equis. tum talia fatur.
Turne, sui meritò si qua est fiducia forti,
Audeo, & Æneadûm promitto occurrere turmæ,

Solaq;

Solaq; Tyrrhenos equites ire obuia contra.
Me sine prima manú tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, & mœnia serua.

AB EQVO DESILVIT) Desilire celeritatis habet, & A fortitudinis significationem: descendere verò tarditatis. Vbi Turnum vidit stantem ante portas, vt honorificam se monstraret, mox equo desiluit: quod reginæ factum, vt Turno deferrent, omnes statim imitati sunt. Donatus.

AD TERRAM DEFLVXIT) Dicendo *defluxit*, artem, & quandam moderationem descendendi significauit, quæ est etiam in ascendendo apud huius rei peritos. Seruius. Expone, descendit, saltu quodam corpus ad terram mittēdo. Germanus ex græco τῶν ἱππων ἀποῤῥεῖν expressum annotauit.

SVI MERITO SI QVA EST FID. FORTI) Si vnusquisque fortis habet aliquam confidentiam, ex conscientia fortitudinis suæ, & ego audere non dubito, & promitto, me equitatui Æneæ occursuram. Non exspectabo dum veniant, sed occurram vltro: magnum virtutis indicium. Sine me primas belli partes excipere: & quia cautius, ac diligentius est custodienda ciuitas, vbi Lauinia sponsa tua, & soceri tui, tu hic propugna. Seruius, Donatus.

PRIMA PERICVLA BELLI) ἀκροβολισμόν, hoc est, pugnam velitarem, seu, principium pugnæ.

Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus.
O decus Italiæ virgo, QVAS DICERE GRATES,
QVASVE REFERRE PAREM? sed nunc (est omnia quando
Iste animus suprà) MECVM PARTIRE LABOREM.
Æneas (vt fama fidem, missiq; reportant
Exploratores) equitum leuia improbus arma
Præmisit, quaterent campos, ipse ardua montis
Per déserta iugo properans aduentat ad vrbem.
Furta paro belli conuexo in tramite syluæ,
Vt biuias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis.
Tecum acer Messapus erit, turmæq; Latinæ,
Tyburtiq; manus: ducis & tu concipe curam.

HORRENDA IN VIRG.) Horrenda, id est, veneranda, reuerenda. Sic de Sibylla in 6. *horrendaq; procul secreta Sibylla.* Et in 1. de nemore, *horrentiq; atrum nemus imminet umbra.* Vbi Seruius, horror plerumque ad odium pertinet, plerunque ad venerationem, vt hic. Sic Lucanus, *Arboribus suus horror inest.* Quidam exponunt, horrenda, cuius terribilis erat aspectus.

O DECVS ITALIÆ VIRGO) Ecce dictio præclara in necessitate belli: vno enim versu, & dimidio laudem prosecutus est virginis, asserens eam ornamentum esse totius Italiæ: & gratias in præsenti agit, atque relaturum gratiam sese spondet. Secundum disciplinam rhetoricam dicit, se verba inuenire non posse, quibus eius exprimat laudes: quum dixerit, *O decus Italiæ, etc.* Sic alibi, C *quibus cælo te laudibus æquem?* cum præmiserit, *ô fama ingens, ingentior armis Vir Troiane.* Sed nunc quando super omnia est iste animus, nolo omnem laborem (dixerat enim illa, *solaq; Tyrrhenos equites ire obuia contra*) sed eius partem duntaxat volo suscipias. Dona. Seruius.

* *Sententia Maroniana in admiranda, & laudanda magnanimitate Camillæ, quodammodo respondent verba M. Tullij in Miloniana. Te quidem quod isto animo es, satis laudare non possum. Et in Marcelliana. Te verò, quem præsentem intuemur, cuius mentem, sensusq;, & os cernimus, vt quidquid belli fortuna reliquum reipub. fecerit, id esse saluum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua beneuolentia complectemur? Est & illa elegans ἀπορία Eclog. 5.* Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona? *Et lib. 9. Ascanij ad Nisum, & Euryalum.* Quæ vobis, quæ digna viri pro talibus ausis, Præmia posse rear solui?

ÆNEAS, VT FAMA) Ipsa iam consilia sua dicere incipit, & audētem instruere. Ait se insidias locaturum B Æneæ, & occupaturum angustias, quà Æneę necessariò trāseundum sit. Illi (Camillæ inquam) equitatum committit. Messāpum cum equitibus Latinis, & Tyburtib⁹ ei adiungit.

EQVITVM LEVIA ARMA) equites leuis armaturæ.

QVATERENT CAMPOS) Lucret. *Transmittunt valido quatientes impete campos.* Noster lib. 8. *Quadrupedāte putrem sonitu quatit vngula campum.*

FVRTA BELLI) pro insidiis etiam Sallustius dixit, vt citant Seruius, & Nonius. Sic Græcis κλοπὴ tam furtum, quam dolum, & fraudem significat: vnde τὰ κλοπαῖα, clam acta, & Homero κλόπιοι μῦθοι, callidi sermones: & Euripidi, κλοπιμαῖ ἕδραι. German.

BIVIAS OBSID. MIL. FAVCES) Itinera angusta inter duos montes.

COLLATIS EXCIPE SIGNIS) Signa Romanis fuerunt alia peditum, alia equitum. Peditum duplicia: manipulorum, & totius legionis. Manipulorum fuere, perticæ cum ligno transuersario suprà, fere in crucem. Quibusdam dextræ, corollæ, aut alia ornamenta in vertice suprapolita, plerisque clypei rotundi, siue imagines ad perticam affixæ. Legionis totius, aquila fuit: id est, alitis eius effigies, siue corpus ex argento, vel auro, summæ perticæ insistens, & pede altero fulmen sæpe tenens. Hæc peditum signa. Equitum vexilla fuere, siue quadri ad hastam volitantes pannuli, ritu fere hodie D in Bandis equitum nostrorum. Lipsius Militir Rom. lib. 4. dial. 3. * *Signa conferre militaris sermo est, & historicis præsertim vsitatus. Liuius lib. 2. Ariciam infesto agmine itur: nec procul inde*

cul inde cum Aruncis signa collata, prælioq; vno debellatum est. Cic. in Pison. In Ægyptum venit, signa contulit cum Alexandrinis. A

DVCIS ET TV CONCIPE CVRAM) est, simul cum illis cura, cape curam, vt, con, sit particula [illegible].

Sic ait, & paribus Messapum in prælia dictis
Hortatur, sociosq; duces, & pergit in hostem.
Est curuo amfractu vallis, accommoda fraudi,
Armorumq; dolis, quam densis frondibus atrum
Vrget vtrinque latus: tenuis quà semita ducit,
Angustæq; ferunt fauces, aditusq; maligni.
Hanc super in speculis, summoq; in vertice montis
Planicies ignota iacet, tutiq; receptus
Seu dextrà, læuaq; velis occurrre pugnæ,
Siue instare iugis, & grandia voluere saxa.
Huc iuuenis nota fertur regione viarum:
Arripuitq; locum, & syluis insedit iniquis

EST CVRVO AMFRACTV VALLIS) Hæc est loci lata B descriptio, melius posita ex poetæ, quam ex Æneæ persona, in qua nihil aliud est, nisi quod pro vtilitate faciat insidiantis, vt probare posset, quod dixit, *accommoda fraudi, Armorumq; dolis.* Donatus.

DENSIS FROND. ATRVM) Propter arborum densitatem opacum.

ADITVSQVE MALIGNI) Exitus angusti, [illegible] [illegible].

TVTIQVE RECEPTVS) quò se exercitus tutò posset recipere.

SYLVIS INSEDIT INIQVIS) Expressit græcum [illegible]. Et latinè quoque insidiæ ab insidendo, & insessores latrones, qui circa vias insidiantur sedentes.

Velocem interea superis in sedibus Opim,
Vnam ex virginibus sociis, sacraq; caterua
Compellabat, & has tristis Latonia voces
Ore dabat. Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, & nostris nequicquam cingitur armis,
Chara mihi ante alias: neque enim nouus iste Dianæ
Venit amor, subitaq; animum dulcedine mouit.
Pulsus ob inuidiam regno, viresq; superbas,
Priuerno antiqua Metabus cum excederet vrbe,
Infantem fugiens media inter prælia belli,
Sustulit exilio comitem, matrisq; vocauit
Nomine Casmillæ mutata parte Camillam.
Ipse sinu præ se portans iuga longa petebat
Solorum nemorum: tela vndique sæua premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans
Spumabat ripis (tantus se nubibus imber
Ruperat) ille innare parans infantis amore
Tardatur, charoq; oneri timet, OMNIA SECVM
VERSANTI, SVBITO VIX HÆC SENTENTIA SEDIT.

VELOCEM INTEREA SVPERIS IN SED. OPIM) Digressio in consilium, & colloquium Dianæ, cum Nympharum suarum vna de educatione, & conseruanda ab interitu Camilla: atq;, si id fieri nequeat, vt qui eam violarit, vicissim pœnas det. Montfort. C

Nomina quoque Virgilius nonnunquam & ex antiquissimis Græcorũ historiis mutuatur. Scitis apud illum vnam ex comitibus Dianæ Opim vocari. Quod nomen vulgò fortasse temere impositum, vel etiam fictum putatur ab ignorantibus, ingeniosum poetam cognomen, quod à veterib. Græcis scriptoribus ipsi Dianę fuerat impositum, comiti eius assignare voluisse. Sed audite vnde Virgilius hoc nomẽ acceperit. Alexander Ætolus refert, quanto studio populus Ephesinus dedicato templo Dianæ curauerit pręmiis propositis, vt qui tunc erant poetę ingeniosissimi, in deã carmina diuersa componerent. In his versibus Opis non comes Dianæ, sed Diana ipsa vocata est, &c. Macrob. Saturnal. li. 5. c. 22.

VNAM EX VIRGINIBVS) Vnam dicit doctissimus poeta Opim è sacra Dianæ caterua, opinor illam intelligens cateruam nympharum, quas Diana ab Ioue patre petiuerit, cuius mentio est apud Callimachum.

Δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορητίδας ὠκεανίνας,
Πάσας εἰνέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.

Sed & Opis nomē ex historia, vel fabula depromptum est. Opis enim, & Hecaerge, & Laxo, ex Hyperboreis, vel, vt Callimachus scribit hymno in Delum, ex Arimaspis, qui & Hyperboreis annumerantur, Delum primitias ferentes peruenerunt. Callimachi carmina sunt.

Πρῶται τοι τάδ' ἔνεικαν ἀπὸ ξανθῶν Ἀριμασπῶν
Οὖπίς τε, Λοξώ τε, καὶ εὐαίων Ἑκαέργη.

Turneb. lib. 22. cap. 3.

Nempe & Apollodorus libr. 1. Biblioth., est auctor, Orionem quorundam opinione vim Opi inferētem, vni è virginibus, quæ ab Hyperboreis venerant, à Diana sagittis confixum fuisse: vt non temerè à poeta Opim in comitatu Dianæ numeratam putemus. Germanus.

GRADITVR BELLVM AD CRVDELE) Quod Camillam dicit ad crudele bellum gradi, vno verbo rei exitum docet, quasi dicat, non reuersuram.

NOSTRIS ARMIS) quibus vtraque gaudemus: sagittis, quibus cum Diana sociæ virgines vtebantur: vt etiam hinc ipsa Opis habeat caussam doloris & iracundiæ maioris.

CHARA MIHI ANT. ALIAS, NEQ. ENIM NOVVS ISTE) Cur ante alias, id est, præ aliis chara? quia iam pridem dilecta: firmiores enim sunt antiquiores amicitiæ. Terent. *Per amicitiam, quæ capta à paruulis, cum ætate accreuit simul.* Parit maiorem vetustas affectum, & beneuolentiæ meritum temporis diuturna continuatio cōduplicat. Si hæc sola fuisset amoris caussa, satis abundaret ad incutiendum dolorem: congerit alias, vt probari posset, vnde illa charior ante alias haberetur. Hactenus ex Seruio, & Donato.

PRIVERNO ANTIQVA METABVS) Multa antiqua Italiæ nomina vetera poemati suo Virgilius inseruit, vt morientem eorum memoriam renouaret. Camillę patrem Metabum dicit fuisse, eumque Priuerno pulsum profugisse. Metabus Metaponti conditor fuit, quā vrbem etiam barbari Metabum appellabant. Stephanus, *μεταπόντιον*, inquit, *πόλις ἰταλίας, ἡ πρότερον ἐλέος, ἀπὸ μετάβου τοῦ σισύφου τοῦ αἰόλου. τὸν γὰρ μετάποντον οἱ βάρβαροι μέταβον λέγουσι.* Cæterum, quod paulò infrà dicit profugum, extorremque Metabum fuisse ad Amasenum fluuium, videtur ex historia Pyrrhi Epirotarum regis sumpsisse: tantum poetico more id prodigium fabulosius aliquāto reddidisse. Puerum enim Pyrrhum seruare conantibus, idem fluuius obex oppositus fuit, ac puer ægrè est traiectus, vixque hostes sequentes, contentissimo impetu præuenit. Turneb. lib. 22. cap. 3.

MVTATA PARTE CAMILLAM) Statius Tullianus de vocabulis rerum lib. 1. ait, dixisse Callimachum, Tuscos Camillum appellare Mercurium: quo vocabulo significant præministrum deorum. vnde Virgilius ait, Metabum Camillam appellasse filiam, Dianæ scilicet præministram. Nam & Pacuuius cum de Medea loqueretur, *cælitum Camilla exspectata adueni. Salue hospita.* Romani quoque pueros, puellasúe inuestes camillos, & camillas appellant, Flaminicarum, & Flaminum præministros. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 8.

Scio quàm eruditè de Camillæ nomine argutetur Macrobius, & è quam recondito eius originem repetat. Sed mihi versum Maronis consideranti, longè alia sententia animo surgit, ac incessit. Mihi enim Maro innuere videtur, Camillam, à Casmilla deduci, detracta littera: quod cum ita sit, Camillam, vt Comœnam esse existimabo, & Casmillam Casmœnam. Nam quæ à Latinis postea Camœnæ vocatæ sunt, ante à cascis, prisciśque Latinis Casmœnæ, vt Varro auctor est, lib. 6. dicebantur. Musarum autem, & Camœnarum, virgini quáuis bellatrici, non erat indecorum nomen gerere. Turneb. lib. 14. cap. 13. Matris huic (Casmillæ) addidit nomen, inquit Donatus, aliqua inde subtracta particula, vt Camilla potius, quam Casmilla diceretur, habiturus in exilio comitē filiam, & in appellatione dulcissimæ nomen vxoris.

IPSE SINV PRÆ SE PORTANS) Ouid. de Latona Metamorph. lib. 6.

Hinc quoque Iunonem fugisse puerpera fertur,
Inq. suo portasse sinu duo numina natos.

Horat. Ode 18. lib. 2.

— — — pellitur paternos
In sinu ferens deos
Et vxor, & vir, sordidosq. natos.

IVGA LONGA PETEBAT) Seruius explicat, longè posita, remotiora. Sallust. Et Metello procul agente, longa spes auxiliorum, id est, longè posita.

SOLORVM NEMORVM,) id est, desertorum. Terent. *Venit meditatus alicūde ex solo loco.* Petebat solitudines nemorum, ne in manus persequentium veniret cum filiola. Fugientem autem presserat desperatio, multis vndiq; armatis eum conquirentibus, & insectantibus tanquam prædam aliquam canes venatici. Fortè autē fortuna largioribus imbribus exūdarat Amasenus. Quum igitur solū natandi subsidium superesset, obstabat charissimi oneris cura. Quomodo enim filiam præ se ferret, quum in eam corporis partem incumbendum esset, qua potuit ferri? à dorso verò quomodo? quæ etiam modico haustu necari potuisset? aut impulsu præcipitis vndæ paternis visceribus rapi? Donatus.

AMASENVS ABVNDANS) Amasenus Volscorum flumen, non procul à Tarracina. Est & alius eiusdem nominis fluuius in Sicilia, de quo Ouid. 15. Matamorph. Suprà 1. Georg. *incertis se mensibus amnis abundans.* Propria vocabuli significatione vsus est Maro: nam *abundare*, ab vndarum copia, & æstu est affluere: vnde Plin. lib. 3. cap. 15. Omnia ex Philistinæ fossę abundatione nascentia: & ipse Maro lib. 4. Georg. *Rursus abundabat fluidus liquor.* Vlpianus, Si tamen vel flumen sic abundasset, vt impleset omnem locum, in quo sisti oportuit &c. Terentius per translationem in Phormione. *Amore abundas Antipho.* hoc est, *πλημμύρεις.* German.

OMNIA SECVM VERS. SVBITO) Distinguendum post vocē *subitò*. Subitis enim cogitationibus animus difficulter consilium potest expedire..

VIX HÆC SENTENTIA SEDIT) Quia naturale est, vt quoties simul multa cogitamus, vix aliquid comprobemus. Aut, cum dixit *vix*, ostendit etiam ipsam hanc sententiam, quum displiceret, temporis vrgente desperatione placuisse: non quod esset tuta, aut certi euentus, sed quia alia superesse nequiuerat. Melius quippe fuerat incertis filiam credere, quam retinendo infestis hostibus reseruare: in incerto enim prouenire etiam prosperum potest: in aperto verò discrimine ac desperatione plenissima, nihil præter aduersum. Seruius. Donat.

* *Similiter locutus est alibi*, idque pio sedet Æneæ. *Lib. 7.* Has vbi certa sedet patribus sententia pugnæ. *Lib. 1. Æneid.* quæ nunc animo sententia surgit? *Lib. 5.* quæ nunc animo sententia constet.

At Triuia Hippolytum secretis alma recondit Sedibus, tamen hæc addi possunt, Triuiam dictam quod in cælo, in terra, & apud inferos eadem potestate polleat. De qua Prudentius lib. 1. contra Symmachum:

Deniq; cum Luna est, sublustri splendet amictu:
Cum succincta iacit calamos, Latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia coniux,
Imperitat Furiis, & dictat iura Megera.

Quidam poeta anonymus.

Terret, lustrat, agit Proserpina, Luna, Diana,
Ima, superna, feras, sceptro, fulgore, sagitta.

NEQVE IPSE MAN. FERITATE DEDISSET) Præ feritate, vt ferus erat, non consensisset. Si qui eum voluissent suscipere, eorum consortia fugisset. Vt herbã

A dare, sic manus dare, victũ fateri. Plaut. est, Persa. *Fateor, vobis do manus.* Cic. ad Att. lib. Sapienter igitur, quod manus dedisti, quodque etiam vltro gratias egisti. Cæs. lib. 5. de bello Gall. Tandem dat Cotta manus, permotus sententia Sabini. Horat. Ode 17. Epod. *Iam iam efficaci do manus scientiæ.* Plura Tiraquell. in Alex. Neapol. lib. 4. cap. 7. cap. 7. Vide item Chiliad. *Dare manus.*

PASTORVM, ET SOLIS EXEGIT MONTIBVS ÆVVM) Egit vitam pastoralem in desertis montibus. Soli montes, solæ terræ, seu loca, sunt solitudines, & deserta; nõ frequentia, non culta ab hominibus loca. Recurre ad Eclogam 10. vbi super illo *Pinifer illũ etiã sola sub rupe iacentem*, multa exempla ex probatissimis scriptorib⁹ B adduximus. Libr. 10. *positis inglorius armis Exigat hic æuum.*

Hîc natam in dumis, interq; horrentia lustra
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens vbera labris,
Vtq; pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculaq; ex humero paruæ suspendit, & arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuuiæ per dorsum à vertice pendent.
Tela manu iam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena,
Strymoniamq; gruem, aut album deiecit olorem.
Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optauere nurum: sola contenta Diana
Aeternum telorum, & virginitatis amorem
Intemerata colit. vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Chara mihi, comitumq; foret nunc vna mearum.

ARMENTALIS EQVÆ MAMMIS) Armentale animal ideo posuit, ne in totum videretur agreste, ac se mulgere non sineret, inquit Donatus. Harpalice quoque, de qua diximus lib. 1. Æneid. ibi, *vel qualis equos Threissa fatigat Harpalice*, amissa matre, vaccarũ, equarumq; vberibus nutrita est. Hygin. cap. 193.

LACTE FERINO) equino, sicut lib. 2. ferum, pro equo posuit.

VTQVE PEDVM PRIM. INFANS VESTIGIA) Mox vt stare potuit pedibus suis, instruxit eam pater portare, q̃ iaceret: neque enim fuit in illis locis fæmina, quæ incipienti lanam monstraret, aut telam. Docuit eam pater, quod præbebat locus, non quod sexus exigebat, & persona discentis. *Palla* proprie est muliebris vestis, deducta vsque ad vestigia: vnde ait, longè, *Strymoniam gruem*, id est, Thraciam, à flumine Strymone. Olor latinè, græcè κύκνος. Donatus, Seruius.

PRO CRINALI AVRO) Neglectum omnem ornatus curiosioris cõmendat in virgine ista Maro. Quãuis autem Tygridis exuuiis horridior incederet, tamen non illi defuerunt sponsi: adeo quiddam aliud est, quod in virginibus placet. Sicut autem ob hoc ipsum bene olere mulieres dicebantur, teste Cic. ad Atticum, quod nihil olerent: ita formosiores apparent, quæ pigmenta, vestiumque delicias contemnunt. D. Cyprianus lib. de habitu Virginum disertè aduersus earundem orna-

C tum disputat. Vnam duntaxat sententiam libet hîc inserere. *Ornamentorum, ac vestium insignia, & lenocinia fucorum, non nisi prostitutis, & impudicis fæminis congruunt: & nullarum fere pretiosior est cultus, quam quarũ pudor vilis est.* Consentaneum his, dictum probè à Clemente Alexand. lib. 2. Pædag. *Mulieres si pulchræ sunt, sufficit eis natura. sin autem sunt naturâ turpes, ex iis quæ sibi applicant, quod non habent arguunt.*

MVLTÆ ILLAM FRVSTRA NVRVM OPTAVERE) Ouid. Metamorph. de Narcisso puero

Multi illum iuuenes, multæ optauere puellæ.
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
Nulli illum iuuenes, nullæ optauere puellæ.

D Eodem pæne modo Catull. in carmine nuptiali, de flore pulcherrimo.

Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.

Simile quiddam Seneca in Consolat. ad Martiam, cap. 21. de adolescente, eiusdem filio. *Adolescens rarissimæ formæ, in tam magna mulierum turba viros corrumpentium, nullius spei se præbuit: & cum quarundam vsq; ad tentandum peruenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset, quod placuerat.*

SOLA CONTENT. DIANA ÆTER. TELOR. ET VIRGIN. AMOR. INTEM. COL.) Daphnen Penei fluminis filiam à

Patre contendisse narrat Ouid. lib. 2. Metamorph. vt sibi concederet perpetuam virginitatem colere, id quod Iupiter antea Dianæ filiæ annuisset. Totus locus huic Virgiliano admodum respondet, quocirca adscribetur.

Syluarum latebris, captiuarumq́; ferarum
Exuuiis gaudens, innuptaq́; æmula Phœbes.
Vitta coercebat positos sine lege capillos.
Multi illam petiere. illa auersata petentes,
Impatiens, expersq́; viri nemora auia lustrat,
Nec quid hymen, quid amor, quid sint connubia curat.
Sæpe pater dixit, generum mihi filia debes:
Sæpe pater dixit, debes mihi nata nepotes.
Illa velut crimen tædas exosa iugales,
Pulchra verecundo suffundens ora rubore,
Inq́; patris blandis hærens ceruice lacertis,
Da mihi perpetua genitor charissime dixit
Virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianæ.

Versiculus Callimachi ex hymno in Dianam profertur, hác eius precē complectens, nempe hic *δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.* Sanè coniugium cum virginitate comparant & Chrysost. libello *περὶ παρθενίας*, & D. Cyprianus lib. de habitu Virginum: illiusque molestias, & incōmoda, huius cōtrà cōmoda, fœlicitatesq; plurimas demonstrant. Et habuit illa corporis integritas, & flos illibatus prædicatores quà sacros, quà profanos & eximios, & plurimos. Vnius Cypriani è libro nominato verba producemus, quibus præclarè virgines Christianas, & deo iam dicatas extollit. *Nunc nobis ad Virgines sermo est, quarum quò sublimior gloria, maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atq; incorruptum. Est imago respondens ad sanctimoniam domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, & in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas. Quantumq́; plus copiosa virginitas numero suo addidit, tanto gaudium matris augescit.* Hæc Cyprianus. Talē laudat materterā suam Ausonius in Parentalibus, quæ tres & sexaginta annos pudicitiam virginalem custodierit, vsque ad mortem scilicet.

Fœminei sexus odium tibi semper, & inde
Creuit deuotæ virginitatis amor.
Quæ tibi septenos nouies est culta per annos,
Quiq́; aui finis, ipse pudicitia.

Quod in lemmate huius epigrammatis *virginem deuotam nominat*, scire licet, eo verbo deo dicatam *ἀνακειμένην*, quam Hieronymus ad Eustochium *Nonnam* vocat, intelligi, & deuotarum duo fuisse genera: vnum, quod vouebat se, vt hæc Ausoniana: alterum, quod deuouebatur à parentibus ipsis, vt apud D. Ambrosium, cuius extat libellus ad virginem deuotam. In notis Probi hodie legitur, D. V. Deuotus vir. Posset legi, *Deuota virgo.* Quanquam scio, & viros deuotæ virginitatis fuisse. Tertullianus in Valentinianos. Proculus noster virginis senectæ: ita enim legendum: iiq; dicebantur *[illegible]*. Scalig. F. Ausonian. lect. lib. 1. cap. 8.

MILITIA TALI) Tam iniusta, quam ob caussam etiam mox pœnas dabit.

Verum age, quandoquidem fatis vrgetur acerbis,
Labere nympha polo, finesq; inuise Latinos,
Tristis vbi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, & vltricem pharetra deprome sagittam:
Hac, quicunq; sacrum violarit vulnere corpus,
Tros, Italusúe, mihi pariter det sanguine pœnas.
Post ego nube caua miserandæ corpus, & arma
Inspoliata feram tumulo, patriæq; reponam.
Dixit: at illa leues cæli demissa per auras
Insonuit, nigro circundata turbine corpus.
At manus interea muris Troiana propinquat,
Etruscíq; duces, equitumq́; exercitus omnis,
Compositi numero in turmas. fremit æquore toto
Insultans sonipes, & pressis pugnat habenis,
Huc aduersus, & huc. tum latè ferreus hastis
Horret ager, campiq; armis sublimibus ardent.

QVANDOQ. FATIS VRGETVR ACERBIS) Dici potuit, cur non subuenis periclitanti? aut eam cur non subtrahis? Respondet, extremis vrgetur fatis: nullo potest auxilio subleuari, quia necesse est fieri, quod fatorum ratione debetur. Caussam igitur mittendi exposuit, per parenthesin interrupta iussione, ad quam redit, dicens: *Labere nympha polo*, &c. Iam cum ait, *Hæc cape*, arcum & pharetram debemus intelligere: vt sequentia indicant: siquidem dictura est, *& vltricem pharetra deprome sagittam.* Bene autem *violarit*, quia dixerat *sacrum*. Vult autem Diana *pariter*, id est, similiter, eodem modo, nullo discrimine interfici interfectorem Camillæ, siue is Troianus, siue aliquis de Æneæ auxiliariis Italus fuerit. Quidam volunt Aruntem de Turni fuisse partibus, & indignatum, fœmineum sexū plus in bello potuisse, quam viros: id hoc loco perstrinxisse dicunt Virgilium: & reuera sic vbique loquitur, vt incertum sit, Aruns de cuius partibus fuerit. Promittit ad extremum officia sua mortuæ. Hæc in œconomia præiudicia nominantur, quoties negotij futuri exitus tollitur: vult enim nos poeta de Camillæ cadauere nil vlterius exspectare: sicut in primo fecit. *Tu faciē illius noctem non amplius vnam Falle dolo.* quod præmissum, sustulit commemorationem, quando vel Cupido discesserit, vel Ascanius sit reuersus. Donatus, Seruius.

NIGRO CIRCVND. TVRB. CORPVS) Ideo nigro corpus

corpus turbine circumdata, quia ad mœrorem luctum- A que descendit: contra in octauo, vbi ad lætitiam descẽdit Venus, claro eam nimbo circumdatam dicit. *At Venus æthereos inter dea candida nimbos.* Vel ideo, vt nullus eam cerneret. Quæ sequuntur. *At manus interea*,&c. cohærent cum superioribus, & à digressione ad historiam belli reditur. *Nuntius ingenti per regia tecta tumultu*, &c. Sublata enim fabula de Camilla, narratio integrabitur. Et est hìc modò generalis descriptio equestris certaminis: paulò post descendet ad specialẽ, ibi, *Continuò aduersi Tyrrhenus, & acer Aconteus*, sicut fecit in quinto, & de cursoribus, & de nauali certamine Seruius.

FERREVS HAST. HORRET AGER) id est, ferreis hastis est terribilis. Vsus est translatione Homerica, ex Iliad. ν. quam imitatus est Ennius, Annal. 14. Homeri versus sunt.

Ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσι,
Μακρῇς ἃς εἶχον ταμεσίχροας.

Ennius.

Horrescit telis exercitus asper vtrinq;.

Et in Scipione.

Sparsis hastis longè campus splendet, & horret.

Vrsin.

CAMPIQ. ARM. SVBLIM. ARDENT) resplendent. Euripid. Phœniss. χαλκῷ δ᾽ ἅπαν πεδίον ἀστράπτει.

Nec non Messapus contrà, celeresq; Latini,
Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ,
Aduersi campo apparent: hastasq; reductis
Protendunt longè dextris, & spicula vibrant:
ADVENTVSQVE VIRVM, FREMITVSQVE ARDESCIT EQVORVM.
Iamq; intra iactum teli progressus vterq;
Substiterat, subitò erumpunt clamore, frementesq;
Exhortantur equos: fundunt simul vndiq; tela
Crebra, niuis ritu: CÆLVMQVE OBTEXITVR VMBRA.
Continuò aduersis Tyrrhenus, & acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primiq; ruinam
Dant sonitu ingenti: præfractaq; quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. excussus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longè, & vitam dispergit in auras.

NEC NON MESSAP. CONTRA) Quam pulchra, B quam diuersis ornatibus singulorum exercituum est facta descriptio? Ibat Troianorum manus, & cæterorum equitum digesta per turmas. Fremebant equi, & pressis habenis impatientes resistebãt, mutantes terga huc & illuc: omnis autem ager ardebat, hastis in sublime porrectis. At in altera parte videbantur illi, quos cum Camilla dimiserat Turnus, Messapus scilicet, & Latini, cæteriq;, quorum superius meminit. Omnes ibant cũ impigra celeritate, vt hostem ad patriam venire non sinerent, hastas gestantes dextris retrorsum adductis, spiculaq; vibrantes, itaq; crebro motu concutientes, vt ea iã iam missuri viderentur. [*Habitum hominis in procinctu hastã tenentis, & vi manu retrorsum ducta eam vibrantis, parantisque mittere, subiecit sub oculos, ait Turneb. libr. 14. cap. 13.*] Magna C subtilitas dicentis, vt in descriptionibus partium nihil diceret simile. *Aduentus autem virûm*, inter se intellige. Donatus.

ALA CAMILLÆ) Alæ dicuntur equites, quod alarum vice pedestrem exercitum tegunt. Vt autem alæ equitum sunt, ita cornua peditum, quæ κέρατα, & πτέρυγες, vt frons itẽ exercitus πρόσωπον, & ζυγὸν, & exercitus tergum οὐρά. Seruius, German.

INTRA IACTVM TELI) Homericum est, ἴσω βέλους. Tantum iam inter vtrumq; exercitum remanserat spatij, vt tela vtrinq; missa peruenire ad alteros possent. Et cum hortamenta vocis idcirco adhibeantur, vt excitentur etiam inuiti: isti hortabantur, qui iam furebant, & in belllum ruere cupiebant. Nec verò clamor ante pugnam incassum emissus est: inde enim nata incrementa virtutis, & fortibus creuit audacia. Non ergo missa tela, sed fusa vt niues: nec ab vno, aut ex vna parte, sed simul ab omnibus. Veniebant autẽ niuium more, quã speciem candor ferri, & telorum diffusa congeries præbebat. Vide adag. *Extra teli iactum.*

EXHORTANTVR EQVOS) Voces illæ, quibus brutæ animantes impelluntur ad aliquid, quasi quædam hortamenta sunt. Ouid. de equo Circensi, *Si tamen horteris, fortius ibit equus.*

TELA CREBRA NIVIS RITV) De niue loquens Arnobius, seu de imbre niuali, flocculos illos, plumeas niuis crustulas appellat lib. 2. quid inquit, niuẽ in plumeas subaperiat crustulas. Et postea, quod imbres ac niues plumeas, & Æoli ora dilatarit. Martialis lib. 4. de niuib.

Aspice quam densum taciturnum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæsaris, atq; sinus.
Indulget tamen ille Ioui, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas.

Quod dicit, vellus aquarum, conuenit cum ἐριῶδες ὕδωρ quomodo veteres Græci, teste Eustathio ad Dionysij περιήγησιν niuem περιφερικῶς appellabant. Notauit & Ioan. Meursius in Critico Arnobiano, quẽ nuper edidit.

CÆLVMQ. OBTEXITVR VMBRA) Cælum iactatis vndiq; telis, & spiculis vmbra fuisse obtexum narrat Maro in quo ad Laconis cuiusdam dictum respexit, qui cum Perses hostis in colloquio diceret: solem hodie præ multitudine sagittarum nõ videbitis: animosè respondit, In vmbra igitur pugnabimus. Mandauit litteris Ci- D cero Tusc. 1. Verùm in hac ipsa historia la tradenda quomodo offenderit, docet Victor. lib. 26. c. 9. Similiter ait, lib. 12. noster vates, *& obumbrant æthera telis.* Et comparationẽ porrò Virgilianam, & hoc ipsum de cælo multitudine telorũ obumbrato, iucũdũ erit videre, quẽadmodũ

modũ in octauo Thebaidos suę dilatauerit eximi⁹ poeta Statius, & inter Maronis imitatores haud postremus.

---- non tanta cadentibus hœdis
Aëriam Rhodopen solita nive verberat Arctos:
Nec fragor Ausoniæ tantus: cum Iuppiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Cum Libyæ Boreas Italis niger attulit imbres.
Exclusere diem telis, stant ferrea cælo
Nubila, nec iaculis arctatus sufficit aër.

Dixit & Silius lib. 2. Punicor. *Conditur extemplo telorũ nubibus æther.* Idem libr. 4. *Hinc pila, hinc Libycæ certant subtexere cornus Densa nube polum.* Et lib. 9. *fundere volucrem Telorum nubem.*

CONTINVO ADVERSIS TYRRHENVS) Duo hi aduersis vulneribus se confodiunt, & interimunt, vt Aruns & Brutus in historia Romana apud Liuium libr. 2. nam eosdem gaudet operi suo casus intexere. Herminius etiam apud eum nudus pugnat, vt Gallos olim solitos esse pugnare à Polybio scriptum recordor. Turneb. lib. 14. cap. 13.

Istuc dictum est more bellantium: nam primi aliqui audaciores erumpunt, quos cæteram pubẽ sequi conueniat. Hoc fecerunt Tyrrhenus, & Aconteus, cuius casum luculentissimè exprimit. Donatus.

FVLMINIS IN MOREM) Pugnæ atrocitas hyperbolicis collationibus exaggeratur.

PECTORA PECTORIBVS) In graui, tragicaque re venustè cadit collusio vocum, sicut in illo, *Littora litoribus contraria, fluctibus vndas Imprecor.*

VITAM DISPERGIT IN AVRAS) Quasi anima tenuis aër esset, seu flatus, de quo alibi.

Extemplò turbatæ acies: versiq; Latini
Reijciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt:
Troes agunt, princeps turmas inducit Asylas.
Iamq; propinquabant portis: rursusq; Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitusq; datis referuntur habenis.
Qualis vbi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosq; superiacit vndam
Spumeus, extremamq; sinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro, atq; æstu reuoluta resorbens
Saxa, fugit, littusq; vado labente relinquit.

VERSIQVE LATINI REIICIVNT PARMAS) Explicationem Titij huius loci quemadmodum refutet Villiomarus lib. 8. Animaduersione 3. ipse legito.

IAMQVE PROPINQVABANT PORTIS) Postquam proximi portis fuerunt Latini, resumpserunt audaciã, intellectoque dedecore, ad pugnam cum clamore reuersi sunt, fugaueruntque Teucros. Ita visa est quædam similitudo maris reciprocantis. *Scopulos superiacit vndam*, id est super scopulos: nam more suo dedit verbo detractam nomini præpositionem. *Sinu*, curuatione, & flexu vndarum. Seruius.

ÆSTV REVOLVTA RESORB.) Æstus propriè est maris impetus, vel incerta commotio crescentis, & decrescentis, vnde æstuaria dicta. Plaut. Asinar. *Quò magis te in altum capessis, æstus te in portum refert.* Luc. lib. 4. *Frigus vt à pluuiis, calor à sole, æstus ab vndis Aequoris.* Virgil. *fundoq; exæstuat imo.* Seruius, Nonius.

Lucretius lib. 6.

Præterea magna ex parti mare montis ad eius
Radices frangit fluctus, æstumq; resorbet.

Hinc ἄμπωτις θαλάσσης, οἱονεὶ ἀνάπωσις, quod mare aquam combibere videatur, contrarium τῇ πλημμυρίδι. Et Horat. Ode 7. lib. 2.

Te rursus in bellum resorbens
Vnda fretis tulit æstuosis.

German.

LITTVSQVE VADO LAB. REL.) Hypallage, per vadum labens, littus relinquit.

Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos:
Bis reiecti armis respectant terga tegentes.
Tertia sed postquam congressi in prælia, totas
Implicuere inter se acies, legitq; virum vir,
Tum verò & gemitus morientum, & sanguine in alto,
Armaq;, corporaq;, & permisti cæde virorum
Semianimes voluuntur equi: pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli (quando ipsum horrebat adire)
Hastam intorsit equo, ferrumq; sub aure reliquit.
Quo sonipes ictu furit arduus, altaq; iactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura.
Voluitur ille excussus humi. Catillus Iolam,
Ingentemq; animis, ingentem corpore, & armis
Deiicit Herminium: nudo cui vertice fulua

Cæsa-

Cæsaries, nudiq; humeri, nec vulnera terrent:
Tantus in arma patet. latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatq;, virum transfixa, dolorem.
Funditur ater vbiq; cruor: DANT FVNERA FERRO
CERTANTES: PVLCHRAMQVE PETVNT PER VVLNERA MORTEM.

TERGA TEGENTES) Quare fugientes terga texerint, id est, parmas in terga reiecerint fugientes Tusci, vt supra Rutuli, non indiget Oedipo.

LEGITQ. VIRVM VIR) Diligenter animaduertendus est mos Romanæ militiæ. Videntur enim aliquando soliti in delectu habendo potestatem facere militibus, vt singuli notos sibi, quorumq; virtuti confiderent, legerent: atq; id potissimum cum periculum aliquod maius instaret, aut aliquis grauior casus vrgeret. Et vt, cum domi exercitum cogerent, ita fortasse etiam, cum à parte copiarum pugna periculosior cum hostibus erat cõmittenda, vt qui ad expeditionẽ illam proficiscerentur, à semetipsis lecti forent, conscij inter se mutuę virtutis. Victor. lib. 18. cap. 19.

Turneb. quoq; lib. 25. cap. 7. Veteres & cum animosissimè in prælium ire parabant, & animorum, atq; corporum contentione discrimen pugnæ capessere instituebant, in ordinanda acie hoc consilium interdum sequebantur, vt vir virum legeret: vt in cuius virtute plurimum esse fiduciæ quisque statueret, cum in acie proximum haberet, cuius latus tegeret, & à quo suum vicissim tegeretur. Idem in senatu legẽdo seruauit Augustus, vt indignissimis, & otiosis senatoribus curiam liberaret. Cum enim virum vir legit, ita fiebat, vt turpes præterirentur, quos nemo metu conscientię alienæ, & existimationis legere ausus esset. Suet. Aug. c. 35.

Militaris locutio *vir virum legit*, vt ex illo Taciti lib. annal. 17. constat, vbi agit de Gallia. Apud frequentẽ militũ concionẽ, imperatoria breuitate, adoptari à se Pisone, more diui Augusti, & exẽplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiauit. Hoc etiam in exercitus delectu Etrusci fecerũt. Liuius, & ad Vadimonis lacũ Etrusci lege sacrata, coacto exercitu, cũ virũ vir legisset, quamuis nunquã aliàs ante, simul copiis, simul animis dimicarũt. Et Samnites. Idẽ Liuius, primorib⁹ Samnitum ea detestatione obstrictis, decem nominatis ab imperatore, eis edictũ, vt vir virũ legeret, donec sexdecim millium numerũ confecissent. Ad huiusmodi delectũ respexit Cicero, cũ pro Milone scripsit: Ille qui semper secũ scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat, tũ neminẽ, nisi vt virũ à viro lectũ esse diceres. Germ. * *Ridiculus est hoc loco Donatus, cuius ista est explicatio. Tertio certamine ad verum ac potiorem conflictũ ventum est: nã & confusa sunt partes, & vnusquisq; vir virum sibi, cũ quo certaret, facta prius exploratione deligebat. Quales putamus electos, nisi eos, qui possent facilè superari? nullus enim deligit, à quo possit occidi. Quid hoc ineptius, & imperitius dici potest? Sed ego hæc verba, & tam bellã, si superis placet, explanationem non ipsius Donati, verùm eius paraphrastæ opinor esse. Suspicantur enim eruditi, nugatorem quendam loquacem, germanum Donatum corrupisse.*

SANGVINE IN ALTO ARMAQ. CORPORAQVE) Quod narrat Virgilius, in alto sanguine arma, viros, equos volutatos, inde cæsorũ multitudo, & prælij atrocitas cognoscitur. Multũ sanguinis factũ est, ait Liuius.

ORSILOCHVS REMVLI HASTAM) Orsilochus Remulum cũ vellet occidere, ne temere fortiorẽ peteret, dolo efficere contendit, quod implere nõ potuit. Hasta igitur caput equi eius sub aure percussit tanto impetu, vt ferrum maneret in vulnere. Quum equus dolorem ferre non posset, erigebat in sublime suũ pectus, & crura, posterioribus tantum pedibus innitens. Donatus. * *Lib. 10 simile quiddam de equo Mezentij, quẽ vulnerauit Æneas.*

Multa mouens animo, iam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi caua tempora conicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumq; equitem super ipse secutus
Implicat.

FERRVMQVE SVB AVRE REL.) Declarat ipsum genus vulneris, fugientem esse percussum.

INGENTEM DEIICIT HERMIN.) De Herminio suprà dictum, ex Turnebi obseruatione.

HVIC HASTA PER ARMOS TREMIT ACTA) Armi propriè sunt quadrupedum, vt ait Seruius. Virg. lib. 6. *Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.*

DVPLICATQ. VIRVM TRANSFIXA DOLOREM) Magnus dolor nos duplicat, & curuat. Sic Homerus Iliad. β ἰδνώθη δὲ πεσών. Et de Thersite. πλῆξεν, ὃ δ' ἰδνώθη. Turneb. lib. 23. cap. 14. Legit Turnebus, vt apparet, *duplicatq; virum transfixa dolore.* Sic & Propertius lib. 4. vmbram Cynthiæ inducit, querentem de Propertio, qui de se luctum nõ suscepisset. *Deniq; quis curuum nostro te funere vidit?* Contrahimur siquidem dolore, aut, vt Homer. vulnere German. * *Verior lectio est,* duplicatq; virum transfixa dolore, *hac sententia, duplici dolore virum cumulat. Sic Ouid.* duplicatq; vulnere cæco est. *Legitur etiam,* viri dolorem.

PVLCHRAMQVE PETVNT PER VVLNERA MORT.) Æneid. 2. *pulchrumq; mori succurrit in armis.*

At medias inter cædes exultat Amazon,
Vnum exerta latus pugnæ, pharetrata Camilla.
Et nunc lenta manu spargens hastilia densat,
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, & arma Dianæ.
Illa etiam si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula conuerso fugientia dirigit arcu.
At circum lectæ comites, Larinaq; virgo,
Tullaq;, & æratam quatiens Tarpeia securim,
Italides, quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisq; bonæ, belliq; ministras.

Quales Threiciæ, cum flumina Thermodoontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hyppoliten, seu cum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoq; vlulante tumultu,
Fœminea exultant lunatis agmina peltis.

MEDIAS INTER. CÆDES EXVLTAT AMAZ.) A Amazon dicta est, non nata, sed facta. In hoc magis laudabilis, quia quod aliæ nascendo valuerunt, hæc potuit implere meditando. Ergo laudis affectu Amazon dicta est, vt imitando talis esset, quales sunt Amazones, quas adiuuat studium gentis, & origo præclara nascendi. Exultabat inter virorum cædes, & funera inæstimabilis numeri, quasi ludicris, & non veris dimicationibus interesset. Quod autem exerto brachio, & nudo latere describitur, & signum audaciæ fuit, & prædicta est caussa, qua posset occidi. Denique infrà dictum est, illic eam percussam, vbi nudum corpus præbebat ad excipiendum lethale vulnus. *Pharetratam* dixit, vt genus armorum ostenderet, quibus illa pugnare consueuisset, etsi aliis quoque telis, cum vellet, vteretur, bipenni videlicet, qua & Amazones vtebantur. In tantum verò fidebat arcu, seu ita excellebat peritia sagittandi, vt etiam fugiens, retrorsum non frustra iactaret spicula. Donatus.

EXVLTAT AMAZ. VNVM EXERTA LAT.) De Amazonibus attulimus nonnulla lib. 1. Æneid. ibi, *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*. Intelligendum est hic *Amazon*, monente Seruio, quasi Amazon: vt proinde suspendendum sit pronuntiando *exultat*, Volsca enim erat. Sicut in 1. *dederatque comam diffundere ventis Venatrix*, quasi venatrix. Habebat exertum latus dextrum, (de quo iterum infra. *Hasta sub exertam donec perlata papillam*) id est, ad pugnam expeditum ac promptum, cum læuum pelta, & arcus impediret. Et quod spicula fugientia, id est, ipsa fugiens dirigebat arcu, sciendum hunc Parthorum fuisse morem, quem voluit poeta in persona Camillæ exprimere.

RAPIT BIPENNEM) Dicitur bipennis, quod ex vtraque parte habeat acutam aciem, quasi duas pennas. Pennum autem antiqui acutum dicebant, vnde & auium pennæ, quia acutæ. Isid. lib. 19. cap. 19.

LARINAQVE VIRGO, TVLLAQVE) Quod de vna dixit *virgo*, ad omnes pertinet, omnes enim virgines fuerant. Et *Italides* dicendo, laudare voluit Italiam, quasi nulla terra meliores proferre posset, aut tales. Tantum autem Camilla ad Dianam accedebat, vt apud socias suas pro dea haberetur, quas ornamentum, & pace belloque sibi obsequentes habebat. Et intelligimus ita circum Camillam fuisse, vt dimicarent, quod & sequens Amazonum indicat comparatio, quæ inducuntur circa reginam bella tractantes. Donatus.

PACISQVE BONÆ MINISTRAS) Propter multa commoda, pacem appellauit *bonam*, quæ hic enumerare nihil est opus: propter quæ etiam aurea dici meritò potest, vt dicitur.

DIA CAMILLA) Dium, inquit Festus ex græco appellabant, vt à deo ortum. Et dius, Heroum aliquis, ab Ioue genus ducens. Sic apud Homerum *δῖα Μαῖα*. Seruius exponit *εὐγενής*. Ergo dia Camilla, generosa, diuina Camilla. Ennius, *Ilia dia nepos, quas ærumnas tetulisti*? Petronius, *Quid porrò tu dia tuis cunctaris in armis*?

QVALES THREICIÆ CVM FLVM.) Tales apparebant Italæ virgines, sociæ Camillæ, quales sunt Amazones veræ, quum aliquos bello lacessunt: aut cum post victoriam se refert Penthesilea curru vecta, & vlulatib. lætis superiorem se, plena gratulatione testatur. Donatus.

Tanais fluuius est, qui separat Asiam ab Europa, circa quem antea Amazones habitauerunt, vnde postea ad Thermodoonta fluuium Thraciæ transtulerunt, quod etiam Sallustius testatur dicens: Dein campi Themysceirei, quos habuere Amazones, à Tanai fluuio, incertum quamobrem, digressæ. Seruius.

PVLSANT) Ennius ad Musas, *quæ pedibus magnum* B *pulsatis olympum*.

BELLANTVR) pro bellant: nam solent verba pro verbis poni. Vnde passiuam nunc declinationem sub actiua posuit significatione: sicut in Georg. *Et placidam paci nutritor oliuam*. Cic. in Off. neq; ad eius qui punitur aliquem, aut verbis castigat, sed ad reipub. vtilitatem referri. Contrà, *nox humida cælo Præcipitat*, pro præcipitatur. Seruius.

SEV CIRCVM HIPPOLYTEN) Hippolyte Amazonum fuit regina, cui victæ Hercules balteum sustulit. Seneca Medea.

Armata peltis quidquid exterret cohors
Inclusa ripis vidua Thermodontiis.

Quanquam porrò de bellatricibus istis dictum est C ad 1. Æneidos, super illud, *Ducit Amazonidum*, &c. tamen visum est quædam hic ex Diodoro inserere, qui de his multa cap. 11. lib. 2. quemadmodum & cap. 4. lib. 3. Apud Thermodoonta fluuium primùm gens Amazonum fuit: quæ viris similes, bellicis artibus, viribusque corporis præstabant. Earú regina exercitu mulierú coacto, exercuisse traditur eas militari disciplina, ac nónullas ex vicinis gentibus expugnasse. Eius deinde gloria, & viribus ampliatis, propinquisque subactis gentibus, filiam genuit, quam Martis filiam nominauit. Viros ad texturam, muliebriaque deputauit exercitia. Lege autem statuit, vt solæ fœminæ in re militari erudirentur, viris interdicta essent arma, seruiliaque offi- D cia permissa. Maribus, qui ex eis nascebantur, crura, ac brachia debilitabant, quò bello inutiles fierent. Fœminis dexteram inurebant mammam, ne pugnæ esset impedimento: ex quo & Amazonum ipsis inditum est nomen, &c.

CVM SE MARTIA CVRRV PENTHESILEA REFERT) Æneid. 1. qui locus hæc scribenti Virgilio fuit in mente.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisq; in millibus ardet
Bellatrix, audetq; viris concurrere virgo.

Ob hoc puto hic vocari Martiam, quasi dicas, bellicosam. Vide plura de hac Amazonum ductrice, & regina ad versus iam prolatos.

MAGNOQVE VLVLANTE TVMVLTV) vlulatum fœminis tribuit etiam lib. 2. quanquá in re luctuosa. *plangoribus ædes Fœmineis vlulant*.

Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Deiicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eumenium Clytio primum patre: cuius apertum

Aduer-

Aduersi longa transuerberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens riuos cadit, atq; cruentam
Mandit humum, moriensq́; suo se in vulnere versat.
Tum Lyrin, Pagasumq́; super: quorum alter habenas
Suffosso reuolutus equo dum colligit, alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inertem,
Præcipites, pariterq́; ruunt. his addit Amastrum
Hippotaden: sequiturq́; incumbens eminus hasta,
Tereaq;, Harpalycumq́;, & Demophoonta, Chromimq́;.
Quotq́; emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygij cecidere viri.

QVEM TELO PRIM. QVEM POSTREM.) Camillā admiratur ob feriendi celeritatem, & occisorum ingentem numerum: nam discerni non poterat quē primo, quem postremo loco mactasset. Tanta quippe pugnandi ars, & celeritas fuit, vt neq; ordo, neq; numerus occisorum dici posset, aut colligi. Donatus.

ASPERA VIRGO) Adiunctum *aspera* ad officium belli respicit: aliàs incongruè virginem asperam dicimus. Seruius.

MORIENTIA CORPORA FVNDIS?) non mortua, vt ostenderet tantam fuisse celeritatem cædis, vt innumeri essent fusi, nec tamen adhuc aliquis animam reddidisset. Et est Homericum, interrogationem ad ipsum referre qui describitur. Iliad. π.

Ἔνθα τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξας
Πατρόκλεις, ὅτε δή σε θεοὶ θάνατονδε κάλεσσαν.

cum Musæ interrogari consueuerint. Donatus, Seruius.

EVMEN. CLYT. PRIMVM) Qui Eumenius in omnibus appellatur editionibus, cum Donatus Eunæum

A appellat. Quum laudandi studio dixisset, discerni non posse, quem telo primum, quem postremum Camilla dimicans deiecisset, ne ipse sibi hoc genere videretur indixisse silentium, aut in generalitate Camillæ gloriam minuisse, tangit specialiter de fortioribus aliquos: vt ex ipsis appareat, quomodo cæteri fuerint fusi. Donatus.

SANGVINIS ILLE VOMENS RIVOS) Lib. 9. *Purpuream vomit ille animam.* & lib. 9. de Euryalo moriente. *Voluitur ille, vomens calidum de pectore flumen.*

CRVENTAM MANDIT HVMVM) Recurre ad illa suprà, *Procubuit moriens & humum semel ore momordit.*

SVO SE IN VVLNERE VERSAT) Mirè dictum *in vulnere*, pro, in sanguine, qui fluebat de vulnere.

B HAB. SVFF. REVOL. EQ. DVM COLLIG.) Suffosso, & ideo casuro equo. Vult vtrumq; horum tanta celeritate percussum, vt vnum ictum putares, inde enim, *Præcipites pariterq́; ruunt.* Nominatis aliquot, tandem more suo plurimos generalitate colligit, cum laude pugnantis: quot enim tela coniecit, tot aut verè Phrygij, aut pro Phrygibus pugnantes occiderunt. Donatus.

——Procul Ornitus armis
Ignotis, & equo venator Iapyge fertur.
Cui pellis latos humeros erepta iuuenco
Pugnatori operit: caput, ingens oris hiatus,
Et malæ texere lupi, cum dentibus albis:
Agrestisq; manus armat sparus. ipse cateruis
Vertitur in mediis, & toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum (neq; enim labor agmine verso)
Traiicit, & super hæc inimico pectore fatur.
Syluis te Tyrrhene feras agitare putasti?
Aduenit qui vestra dies muliebribus armis
Verba redargueret. nomen tamen haud leue patrum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
Protinus Orsilochum, & Buten, duo maxima Teucrûm
Corpora, sed Buten aduersum cuspide figit
Loricam, galeamq; inter, quà colla sedentis
Lucent, & læuo dependet parma lacerto:
Orsilochum fugiens, magnumq; agitata per orbem
Eludit gyro interior, sequiturq; sequentem.
Tum validam perq; arma viro, perq; ossa securim
Altior insurgens, oranti & multa precanti
Congeminat vulnus, calido rigat ora cerebro.

ARMIS IGNOTIS, ET EQVO IAPYGE FERT.) Quomodo ignotis armis? dicitur mox: nam Iapyx equus, est Appulus equus.

CVI PELLIS LAT. HVM. EREPTA IVVENCO) Pro lorica corium bubulum habuit, quo dorsum eius, humeriq; tegebantur: caput autem eius ad galeæ vicem operuerat caput lupi cum dentibus suis: manum sparus armabat, nullo artificio compositus: est enim telum rusticum in modum pedi recuruum. Donat.

VERTITVR IN MEDIIS) id est, agitur: nam græcè *ἀναστρέφεται* dixit.

TOTO VERTICE SVPRA EST) Ni fallor, etiam de Turno dixit in 7. Statius de Capaneo, *& totum transcendit corpore bellum*. Seruius.

HVNC ILLA EXCEPTVM) *Exceptum*, est, insidiis circumuentum. Venantium, & bellantium vox est *excipere*. Horat. Ode 12. lib. 3.

Catus idem per apertum fugientes
Agitato grege ceruos iaculari, &
Celer arcto latitantem fruticeto excipere aprum.

Vide plura eclog. 3. ibi, *Non ego te vidi Damonis pessime caprum Excipere insidiis?* Curtius lib. 3. Nam etiam saucij quidam, & inualidi, qui agmen non potuerant persequi, excepti erant.

MVLIEBRIBVS ARMIS) Virgo etiam mulier dicitur, sæpe enim non eam, quæ cum viro est aut fuit, sed sexum tantummodo significat mulier, & opponitur viro. Erat igitur Camilla virgo, quia innupta, & intemerata: & erat mulier, quia non vir. Aduenit etiam superbissimo Holoferni, & Assyrijs dies, qui eorum insolentissimã ventositatem muliebribus armis redargueret. Scis lector, quid dicam. ✠

NOMEN HAVD LEVE. P. M. REF. TELO CECIDISSE CAM.) Putat Seruius irrisionem esse, amaritudinis plenam. Nam si voluerimus simpliciter accipere, vt ita sit dictum, quemadmodũ supra, *Æneæ magni dextra cadis*, incipiet contrarium esse superioribus, *Aduenit qui vestra dies muliebribus armis Verba redargueret*. Vnde melius est, vt perseueremus in sensu, & ita sit dictum: Magnam reuera gloriam laturus es ad manes parentũ, quem fæminea tela superarunt. * *Non erit contrariũ superioribus. Nam ibi dictum est generatim,* muliebribus armis: *& sine dubio, ignominiosum est viro, præsertim militi, à fœmina trucidari. est tamen quoddã solatiũ à tali virагine, à tã inclyta, & bellicosa fœmina, quæ viros etiã multos fortes post se relinquat, occidi.*

ORSILOCH. ET BVTEN DVO MAX. TEVCRVM CORP.) Laudantur duo, vt Camillæ meritum crescat, quę tales occidit. Exponit deinceps, qua ratione vtrũq; occiderit. Cum ergo à læuo humero parma Butæ dependeret, inter loricæ fines, & galeæ, caro quæ feriri posset apparuit, atq; ita fixus est cuspide. Quid sit consecutum, nihil opus fuit dicere, cum ex designatione ictus, & loci intelligi valeat. Orsilochum fraude potius fugiebat, quam timore: neq; vt periculum declinaret, sed vt deciperet imprudentẽ. Nam qui verè fugit, recto, & longo contendit itinere: ista verò in orbem fugiebat interiore gyro. Cum secundo ictu, frustra orantem, & scutum opponentem, per arma, per ossa (tanta vis fuit percutientis) interfecit. Donat.

Hanc artem, & solertiam pugnandi, equitandiq;, lib. 5. in Ascanij Troia visus est Maro graphicè describere, & ab eadem disciplina, equos Æneę ab Homero laudatos, refert Plato in Lachete. German.

GYRO INTERIOR) Sinisterior, breuiori circulo.

SEQVITVRQVE SEQVENTEM) ὀξύμωρα dicũtur huiusmodi sententiæ. Terent. Eunucho. *Tu pol si sapis, quod scis nescias.* Nõ possumus nescire, quod scimus: sed ita, vt concordia discors. Talia sunt, facio, non facio, amicus sum, & nõ sum, audio & nõ audio, & cætera huiusmodi.

PERQ. ARMA VIRO, PERQ. OSSA SECVRIM, &c.) Geminus quodammodo huic locus ille, lib. 12.

―――― ille securi
Aduersi frontem mediam, mentumq́; reducta
Disijcit, & sparso latè rigat arma cruore.

Incidit huic, subitoq; aspectu territus hæsit
Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isq; vbi se nullo iam cursu euadere pugna
Posse, neq; instantem reginam auertere cernit:
CONSILIO VERSARE DOLOS AGGRESSVS, ET ASTV,
Incipit hæc. quid tam egregium, si fæmina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te cominus æquo
Mecum crede solo, pugnæq; accinge pedestri.
Iam nosces ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit: at illa furens, acriq; accensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusq; assistit in armis,
Ense pedes nudo, puraq; interrita parma.
At iuuenis vicisse dolo ratus, auolat ipse,
(Haud mora) conuersisq; fugax aufertur habenis,
QVADRVPEDEMQVE CITVM FERRATA CALCE FATIGAT.

APENNIN. FILIVS AVNI) Solebant apud auctores tum Græcos, tũ Latinos dissimulari eorũ nomina, neq; exprimi semper, qui idẽ nomẽ cũ patribus erant sortiti. Arist. in Auibus. *εἰ δ' ὁ πισθέταιρος δώσει τοῖς ἀτίμοις τὰς πύλας* [Greek partly illegible]. Id est, Si Pisiæ filius (scilicet Pisias) prodere portas voluerit ignominiosis. Idem hic fecit Virgilius. Hartung. Decur. 3. cap. 8. * *Sumpsit hæc a Seruio, cuius hæc sunt verba. Cum enim dictis parentibus filiorum nomina supprimunt, eos patris cognomines intelligimus. Vocabatur ergo, Aunus ipse Auni filius, &, vt Ligur, erat ad dolos & mendacia instructissimus: ad has se artes conuertit, cum se Camillam posse effugere desperasset.*

HAVD LIGVR. EXTREM. DVM FALLERE) Ligures grauiter ferit hoc testimonio Virgilius, & vanitatem ijs, fraudulentiamque obiectat. Nam & infrà, *Ne quicquã patrias*

patrias tentasti lubricus artes, Nec fraus te incolumem, &c. Ipsi autem Auno separatim rursus infrà, non longè, exprobrat calliditatem, atque versutiam. *Consilio versare dolos aggressus, & astu.* & rursum. *Vane Ligur.* Forma hac loquendi, non extremus, non postremus in re aliqua, seu inter aliquos, vtimur in vtramq; partem. Tā enim dicimus, aliquem non esse postremum libidinosorum, seu in libidine, q̃ pudicorum, seu in pudicitia. ✠

SI FÆMINA FORTI FIDIS EQVO?) Aunus Camillam equi celeritate strenuam esse, non sua ipsius virtute egregiam affirmat. Epithetum *fortis* equo tribuitur etiam ab Ennio, & Lucretio. Ille, *Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit olympia.* Citat Cic. in Catone. Lucret. lib. 3. *aut quidnam facere artubus hœdi Consimile in cursu possunt, ac fortis equi vis?* Sed Nonius hic apud Virgilium accipit forti, pro celeri. Fortis pro acri, & vehementi vti solent antiqui scriptores omnes. Vide Gifan. Collectan. in Lucret. *Fortis equi vis.*

DIMITTE FVGAM) equi celeritatem, cui fidis relinque. Fuga, id est, celeritas. Iuuenal. *cuius Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis.*

TE ÆQVO MECVM CREDE SOLO) Lib. 9. *non æquo dare se campo.* Quid sit æquo solo se credere, verbis mox sequentibus fit planum, *pugnæq; accinge pedestri.* Æneid. 2. *Accingunt omnes operi.*

VENTOSA FER. CVI GLORIA LAVDEM) Seruius, Vera, & antiqua lectio est *ventosa ferat cui gloria fraudem:* vt sit sensus, pedes congredere, iam cognosces cui inanis iactantia afferat pœnas: nam fraudem, pœnam veteres vocabāt, vt etiā in antiquo cognoscitur iure. Sallust. A in Catilinaria. Diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere. Est autē ὑπαλλαγὴ, pro, cui fraus ferat gloriam. Si autem *laudem* legeris, erit sensus, cognosces, cui inanis gloria afferat laudem. Vētosa gloria est, quam Græci κενοδοξίαν vocant.

Ventosa gloria est, ait Donatus, quæ in verbis est, non in re, & est vt ventus, qui transit per aëra, nec apud aliquem, aut aliquo in loco consistit. Idem horum versuum sentētiam ita concipit. Præfers te, & superbia vani timoris attoleris, quia equus te fortissimus portat, & non tua, sed ipsius virtute præsumis: quando enim potest vlla virtus esse in fæmina? Quapropter, si aliquam tui fiduciam geris, dimitte fugam (fugam appellat celeB ritatem equitationis) descende ab equo, petamus campum, & æqua cōditione certemus. Experiendo cognosces, quis debeat iure, meritoq; laudari, & quis per inanem iactantiam velit esse, quod non est.

PARIBVSQVE ASSISTIT IN ARMIS) Assistit pedes: sicut & illum congressurum putabat: hoc est, paribus armis. Seruius.

PVRAQVE INTERRITA PARMA) quia tunc primum in bellum descenderat, quum tyrones minimè pictas gestarent. *Fugax*, quod sequitur, est fugiens hoc loco, nomen pro participio. Non enim fugacem possumus accipere, quem suprà legimus bellatorem. Seruius.

QVADRVPEDEMQVE CITVM FERRATA FATIG.) Sic C alibi vocat equos, quadrupedes, inquam, & quadrupedantes. *Ferrata calce*, id est, calcaribus quæ calcaneis alligantur. Mutuatus est hoc Silius *Iam compos voti ferrata calce fatigat Cornipedem.*

Vane Ligur, FRVSTRAQVE ANIMIS ELATE SVPERBIS,
Nequicquam patrias tentastati lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frænisq; aduersa prehensis
CONGREDITVR, POENASQVE INIMICO A SANGVINE SVMIT.
Quam facilè accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamq; tenet, pedibusq; euiscerat vncis:
Tum cruor, & vulsæ labuntur ab æthere pennæ.

VANE LIGVR) Quid significet hoc loco *vanus*, consequentia demonstrant, *frustraq; animis elate superbis.* Seruius. * *Immò* vanus *hic subdolum, fallacem, mobilem fraudulentum sonat, quod apertum fit ex sequentibus, hæ enim fuerunt artes Ligurum, & quidem tanquam hæreditas à maioribus accepta. Agnatum fuit hoc malum Liguribus, sicut & aliis quibusdā populis sua vitia. Siculi enim audiunt vafri. Arabes, Tarentini, Galata molles, Alexandrini dicaces. Videndus Alex. ab Alex. libr. 4. cap. 13. Ergo* vane Ligur, *dolose, versipellis Ligur. Suprà item,* Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.

ARTES) dolos, technas, more Græcorum.

PERNICIB. IGNEA PLANT.) Summam eius in cursu virtutem declarat: ignis enim elementum est leuissimum, & ad velocitatem leuitate opus est: vnde igneus pro veloci. Catull. de Achille, *Flammea præuertens celeris vestigia ceruæ.* Et videretur incredibile, ipsam præuertisse equitem pedibus, nisi in septimo præmisisset.

Illa vel intacta segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.

Seruius, & alij.

POENAS INIMICO A SANGVINE SVMIT) Lib. 12. *Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.* Sanguis D inuenitur pro ipso homine apud primarios scriptores, sicut caput, anima. Proinde inimicus sanguis hic, nil est aliud, quam inimicus. Horat. ad Pisones. *Vos ô Pompilius sanguis carmen reprehendite.* Vos Pisones, qui à Numa Pompilio descenditis. Sic Germani, *ein Edles Bluett, ein verzagtes Bluett.* ✠

SAXO SACER ALES AB ALTO) Sacrum alitem dixit execrabilem auibus, ac satis metuendum: sicuti &, *auri sacra fames* dicta est, quia ipsius causa, omnibus opportuna perpetrandis sceleribus via est. Donatus. Et est noua laus Camillæ: siquidem accipiter columbam sequitur, ipsa præcedit hostē. Ipsa etiam comparatio sumpta est ex contrario: nam æquius vir accipitri, Camilla E cōpararetur columbæ. Seruius.* *Ouid. alicubi in Tristibus.*

Terretur minimo pennæ stridore columba,
Vnguibus accipiter saucia facta tuis.

De accipitre Isidor. lib. 12. cap. 7. sic habet. Accipiter auis animo plus armata, quam vngulis. virtutem maiorē in minore corpore gestans. Hinc ab accipiendo, id est, à capiendo nomen sumpsit. Fertur autem accipitres circa pullos suos impios esse. Nam dum viderint eos tentare posse volatus, nullas eis præbent escas, sed verberant pennis, & à nido præcipitant: atque à tenero compellunt ad prædam, ne fortè adulti pigrescant.

AT NON HÆC NVLLIS HOMINVM SATOR ATQVE DEORVM
OBSERVANS OCVLIS, SVMMO SEDET ALTVS OLYMPO.
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia sæua
Suscitat, & stimulis haud mollibus incitat iras.
Ergo inter cædes, cedentiaq; agmina Tarchon
Fertur equo, variisq; instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans: reficitq; in prælia pulsos.
Quis metus, ô nunquam dolituri, ô semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignauia venit?
Fæmina palantes agit, atque hæc agmina vertit?
QVO FERRVM, QVIDVE HÆC GERITIS TELA IRRITA DEXTRIS?
AT NON IN VENEREM SEGNES, NOCTVRNAQVE BELLA:
Aut vbi curua choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes, & plenæ pocula mensæ.
Hic amor, hoc studium, dum sacra secundus aruspex
Nunciet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.

AT NON HÆC NVLLIS HOMINVM SATOR) Vult dicere, non leuiter, non conniuentibus oculis Iouem intuitum ista certamina, & est λιτότης. Suscitat quasi otiosè dormientem Tarchontem aliis acriter pugnantibus. Quum ergo cecidissent alij, cæteri verò instantibus cederent, Tarchon discurrebat per vniuersos, equo celeri vectus, pulsos reuocabat ad bellum, non blandis verbis, sed ad obiurgationem necessariis. In hortationibus autem, & obiurgationibus plurimum valet nominum commemoratio. Incitatur enim ad capessendam gloriam, cuius nomen apud aliquos satis est notum. Quin etiam per hoc extrema necessitas indicatur. Donatus.

** Illustrem, & Christianam omnino sententiam continent duo primi versus, de cælesti nimirum prouidentia, quæ optimè oculi nomine exprimitur, & de diuinis oculis crebrò sancta scriptura loquitur. Vt cum dicit, Oculi domini contemplantur vniuersa. Oculi eius super gentes respiciunt. Omnia nuda & aperta sunt oculis dei. Dicit etiam sæpius deum videre, & vidisse. Vt Exodi 2. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto. Esaias in persona dei ad Ezechiam. Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. In Euangelio, qui videt in abscondito pater cælestis. & mille locis. Magnum vtique bono viro solatium, deum omnia obseruare, & cuique reddere pro factis, & cogitatis suis.*

NOMINE QVEMQVE VOCANS) Furius lib. 10. Annal. *Nomine quemque ciet, dictorum tempus adesse Commemorat.* Deinde infrà,

Confirmat dictis, simul atque exsuscitat acres
Ad bellandum animos, reficitq́; ad prælia mentes.

De Turno etiam legis lib. 12. *Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes, Nomine quemque vocans.* Veget. lib. 3. cap. 10. præcipit duci, sciat etiam nominatim (si potest fieri) quis comes, quis tribunus, quis domesticus, quis contubernalis quantum possit in bello, &c. Ibid. ex Alexand. Neapolit. libr. 1. cap. 18. notat Steuechius, inter officia Tribunorum etiam illud poni, nomina militum tenere. Othonem non aliud ad imperium euexit, quam quod quemq; militum in agmine, in stationibus, in itinere nomine suo compellabat. Ex hoc gratiam, & studia hominum assecutus. Lege cætera. Inter exempla memoriæ refertur de Cyro, qui tenuerit omnium suorum militum nomina. Quanquam Xenophon dicat, eum tantum tenuisse nomina τῶν ὑφ' αὐτὸν ἡγεμόνων, quod vt in Imperatore laudabile est, ita non excedit fidem.

NVNQVAM DOLITVRI) id est, stulti: stultus est enim, quisquis iniuria non mouetur. Et bene *nunquam*: siquidem antè sæuitiam Mezentij pertulerunt, nec se vlti sunt: nunc præbent terga mulieri, & ne hinc quidem mouentur dolore.

FÆMINA PALANTES) Probabile fit, Virgilium his, & superioribus verbis ad Ennianum istuc respexisse, vbi Romanę iuuentuti mollitiem, & socordiam exprobrat, Clœliam virginem collaudans, illisq; eam anteponens. *Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres, Illaq́; virgo viri.* Quidam sic legunt, *Illa virago viri.*

NON IN VEN. SEG. NOCTVRNAQVE BELLA) Certè inermes mulieres non fugitis, vel potius nocturna cum mulieribus bella non horretis, egregij viri. Seruius.

Amori quoq; sua, vt Marti sua militia est, sui bellatores, sua prælia. Vnde illud, *Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido.* De istoc bello Plaut. Persa.

—— SA. satin' tu vsque valuisti? TO. haud probè.
SA. Ergo edepol palles. TO. saucius factus sum in Veneris prælio,
Cupido cor meum transfixit. SA. iam serui hic amant.

Seneca præfat. Controuers. Illi vulsi, atque expediti, & nunquam nisi in libidine viri. Sic Iuuenal. sat. 4. de Crispino, *solaq́; libidine fortis.* Hæc valdè cum Tarchontis verbo congruunt, *At non in Venerem segnes.* Alio sensu dictum, *bella Veneris*, Tibullo lib. 1. eleg. 10. de rixis inquam, & pugnis inter amantes turpiter, non verborum tantum, aliquando & verberum.

Sed Veneris tunc bella calent, scissosq́; capillos
Femina, perfractas conqueriturq́; fores.

Audiant hîc iuuenes è mascula Senecę philosophia decerptam gnomen. De breuitate vitæ cap. 6. Qui nulli rei, nisi vino & libidini vacāt, turpissimè occupati sunt. Cæteri, etiamsi vana gloriæ imagine teneantur, speciosè tamen errant. Licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel bellatores, omnes isti virilius peccant. In Venerem ac libidinem proiectorum, inhonesta labes est.

AVT VBI CVRVA CHOROS) Ne tum quidem segnes estis, cum vobis chorus sono tibiæ indicitur: nec pigri ad exquisitas dapes, & pocula estis. Hoc vobis magno studio est, in lucis post sacra ventri dare operam. Seruius.

Hæc

Hæc effatus, equum in medios, moriturus & ipse
Concitat, & Venulo aduersum se turbidus infert:
Dereptumq; ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
TOLLITVR IN CÆLVM CLAMOR, cunctiq; Latini
Conuertere oculos, volat igneus æquore Tarchon
Arma, virumq; ferens: tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum, & partes rimatur apertas,
Quà vulnus lethale ferat. contrà ille repugnans
Sustinet à iugulo dextram, & vim viribus exit.
Vtq; volans altè, raptum cum fulua draconem
Fert aquila, implicuitq; pedes, atq; vnguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisq; horret squamis, & sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus vrget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis:
Haud aliter prædam Tyburtum ex agmine Tarchon
Portat ouans.

EQVVM IN MEDIOS MORITVRVS CONCITAT) Equum concitare aliàs à bonis scriptoribus dicitur, equũ admittere. Cic. 2. de finib. Nam etiam cum P. Decius se deuoueret, & equo admisso in mediam Latinorum aciẽ irrueret, &c. Vbi Budæus fœdo errore lapsus, interpretatur, equo conscenso, in Pand. Debere autem pro concitato, & celeri equo accipi, satis demonstrat Valerius, sic vocem interpretatus lib. 5. ca. 5. de eodem Decio scribens. Caput, inquit, suum pro reipub. salute deuouit, ac protinus concitato equo, in hostium agmen, patriæ salutem, sibi mortem quærens, irrupit. Videsné dixisse, concitato equo, pro eo, quod Cicero habet, admisso? Ipse Cicero suimet quodammodo interpres est, cuius ista sunt lib. 3. de nat. deor. Rebantur enim fore, vt exercitus Imperatorem equo concitato se in hostem immittentem prosequeretur, id quod euenit, &c. Et lib. 1. de diuinat. de P. Decio. Post triennium autẽ, cum Cos. esset, deuouit se, & in aciem Latinorum irrupit armatus. Quo eius facto superati sunt, & deleti Latini. En q supra verbis *admittere, & concitare*, hoc ipsum isto loco voce, irrupit, declarandum putauit. Sed Cæsar quoque lib. 1. de bello Gall. Considius equo admisso, ad eum accurrit. Penelope apud Ouid. *Hic lacer admissos terruit Hector equos.* Et lib. 1. Metam. *vtq; monebat Ipse amor, admisso sequitur vestigia passu.* Admissum passum intelligit celerem, quasi seipsum Apollo ad cursum acrius incitarit. Magius lib. 1. cap. 7.

Debuit prior aliquid audere, qui omnium horrorem excitarat, quare se Venulo obtulit moriturus & ipse, vt Camilla videlicet se obtulit, & alij sese aliis. Moriturus autem non vt illi, sed animo (id est, non recusans mortem) paratus ad mortem se in hostem intulit. Rapuit autem Venulum ab equo sedentem, & ante se in equo suo collocatum portauit. Hoc factum, quia nõ admittebat fidem, posse dorso equi diripi armatum, addidit difficultatem, dicens: *multa vi concitus aufert*: vt maiore virtute, atque impetu venientis id factum legentes, fieri potuisse facilius credant. Donatus.

TOLLITVR IN CÆLVM CLAMOR) Mirabantur factum ducis sui Tyrrheni, lætisque illud clamoribus ap- A probabant. Conuerterant se Latini, vt rem nouam cernerent, nunquam visam antea. Totum erat admiratione dignum: quod virum rapuerat: quod per campos volitans, quadrupedis cursum regebat: quod tenebat arma sua, & secum vehebat armatum. Vt maiorem porro laudem Tarchoni concilient, certamen quoque eius describit, & luctam cum rapto, quem, quo loco plaga afficeret lethali, illo vehementer renitente, diligenter quærebat. Tarchon quærebat instantius, qua hosti lethale vulnus inferret, Venulus contrà, eam tuebatur corporis partem, qua posset occidi. Donatus. * *Quod ad genus loquendi attinet, sic supra.* rursusque Latini Clamorem tollunt. *Et lib. 12.* Tollitur in cælum clamor, versique vicissim, &c. *Liuius lib. 6. Tollitur ex arce clamor ab Tusculanis. Cic. Verrin. 6.* B *Clamor à vigilibus fanique custodibus tollitur. Eiusdem sunt, edere, profundere clamorem.*

EXIT) euitat. Alibi, *atq; oculis vigilantibus exit.*

VTQVE VOL. RAPT. CVM FVL. DRACON.) Comparatio est Homerica, ex Iliad. μ.

Ὄρνις γάρ σφιν ἐπῆλθε περησέμεναι μεμαῶσιν,
Αἰετὸς ὑψιπέτης ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων
Φοινήεντα δράκοντα, φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον,
Ζωὸν ἔτ' ἀσπαίροντα, καὶ οὔπω λήθετο χάρμης,
Κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στῆθος περὶ δειρὴν,
Ἰδνωθεὶς ὀπίσω, ὃ δ' ἀπὸ ἕθεν ἧκε χαμᾶζε
Ἀλγήσας ὀδύνῃσι, μέσῳ δ' ἐνὶ κάββαλ' ὁμίλῳ.

Cicero in Mario.

C *Hic Iouis altisoni subitò pennata satelles*
Arboris è trunco serpentis saucia morsu,
Subiicit ipsa feris transfigens vnguibus anguem
Semianimum, & varia grauiter ceruice micantem:
Quem se intorquentem lanians, rostroq; cruentans
Iam satiata animos, iam duros vlta dolores
Abiicit efflantem, laceratum affligit in vnda,
Seq; obitu a solis nitidos conuertit ad ortus.

SINVOSA VOLVMINA VERSAT) Æneid. 2. de duobus serpentibus magnis per mare ad littus adnantibus. *pars cætera pontum Ponè legit, sinuatq; immensa volumine terga.*

ET SIBILAT ORE) Ibid. *Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.*

----- Ducis exemplum, euentumq; secuti
Mæonidæ incurrunt. tum fatis debitus Aruns
Velocem iaculo, & multa prior arte Camillam
Circuit, & quæ sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Aruns subit, & tacitus vestigia lustrat:
Quà victrix redit illa, pedemq; ex hoste reportat,
Hâc iuuenis furtim celeres detorquet habenas.
HOS ADITVS, IAMQVE HOS ADITVS, OMNEMQVE PERERRAT
VNDIQVE CIRCVITVM, & certam quatit improbus hastam.
Fortè sacer Cybele Chloreus, olimq; sacerdos
Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis:
Spumantemq; agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse peregrina ferrugine clarus, & ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu:
Aureus ex humero sonat arcus, & aurea vati
Cassida: tum croceam chlamydemq;, sinusq; crepantes
Carbaseos fuluo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

DVCIS EXEMP. EVENTVMQVE SECVTI) Sic lib. præcedente Pallantem exemplo præeuntem imitantur sui strenuè.

Arcadas accensos monitu, & præclara tuentes
Facti viri, mistus dolor, & pudor vrget in hostem.

MÆONIDÆ INCVRRVNT) Mæonidas intellige Tyrrhenos, qui è Lydia olim duce Tyrrheno venerant in Italiam. Sic alibi, *ô Mæoniæ delecta iuuentus*. Lydia Mæonia dici potest, à fluuio Mæone. Describit deinde quo astu, & dolo Aruns explorarit Camillam, & obseruarit opportunitatem eius tanquam feræ alicuius feriendæ.

CAMILLAM CIRCVIT) propriè, nam circumire insidiantium est, vnde est, *nec gregibus nocturnus obambulat*. Certam hastam intellige ineuitabilem: vnde contrà, *incertam excussit ceruice securim*, id est, infirmam, vitabilem. Seruius.

FORTE SACER CYBELÆ) Codices quidam habent *Cybelo*, vt sit nomé montis, pro numine, quod in eo colitur. Bona occasio ad mortem Camillæ, quòd sacerdotem maioris numinis conetur occidere, per quod quasi exauctoratur Dianæ fauor, interueniente maioris numinis iracundia. Totus autem fuit ad decorem, & elegantiam compositus Chloreus, in cuius ornatu describendo, satis diligentem se præbuit poeta, & pertinet eò tam longa descriptio, vt eius iugulandi cupiditate meritò videatur Camilla succensa. Seruius.

SPVMANT. AGITAB. EQVVM) Lib. 12. *Vectus equo spumante Sages.*

QVEM PELL. AHEN. IN PLVM. SQ.) Fuit quoddam genus loricæ, à squamarum similitudine dictum squamea, de quo suprà ex Lipsio, ad illum versum. *Rutulum thoraca indutus ahenis Horrebat squamis*. Hæ ipsæ squamæ dicebantur etiam plumæ, à specie simili. Statius lib. 11 *ensem germani in corpore pressit. Quà malè iam plumis imus tegit inguina venter.* Explicat ibi Luctatius, laminis. Parthorum assiduum hoc tegmen, etiam in equis. Iustinus lib. 41. Munimentum ipsis, equisq; loricæ plumatæ sunt, quæ vtrumque toto corpore tegunt. Ammianus lib. 24. de iisdem. Hostem vndique laminis ferreis, in modum tenuis plumæ contectum. Sallust. in Frag. Equites cataphracti, ferrea omni specie, equis paria ornamanta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant. Et ipse quidem linteo laminas supernectit. Virgilius pelli, quam etiam pellem auro consertam facit: an quia aurum in squamis mixtum, an quia ipsæ squamæ auro innexæ? id esset catenulis, aut filis ex auro, &c. Lipsius de Milit. lib. 3. dial. 6.

A plumariis similitudinem ducit, quamuis de eorum arte non loquatur. Ita Sallust. apud Seruium. Equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumę adnexuerant. Et Papin. Thebaid. 11. *Quà malè iam plumis imus tegit inguina cortex*. Est autem species quædam propria acu pingendi, cum claui, aut patagia, aut segmenta, aut scutulæ, aut tessellæ sic aliæ aliis in veste superassuuntur, vt plumam auium referant, vnde & plumariorum, & plumandi nomen ortum est, per similitudinem traductum: aut cum sine assumento, acu pingendo plumæ auium referuntur. Id indicat Prudentius in Hamartigenia.

----- tunc videas lasciuas prepete cursu
Venantem tunicas, auium quoque versicolorum
Indumenta nouis texentem plumea telis.

Turneb. lib. 11. cap. 25.

PEREGRINA FERRVGINE CLARVS) Ferrugo est color purpuræ subnigræ, quæ fit in Hispania, vt, *ferrugine clarus Ibera*. Isidor. lib. 19.

SPICVLA GORTYNIA) Gortyn, vrbs Cretæ: Cretenses optimi sagittarij. Arcu etiã Lycij valuerunt. Duo igitur epitheta hæc ad laudem augendam coniunxit.

AVREVS EX HVMERO SON. ARCVS, ET AVREA) Quæ ad versus istos, *Aureus ex humero sonat arcus, &c.* illustrandos facere possint, iam ex Victorio repræsentauimus, lib. 4. in illos de Didone.

Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

CASSIDA) pro cassis, accusatiuus pro nominatiuo. Nisi dicamus ex quibusdam accusatiuis fieri nominatiuos, vt notatum est à quibusdam, lampada.

SINVSQVE CREPANTES CARBASEOS) Carbasus, inquit Nonius, pallium, quo fluuij amiciuntur, vel opulē- A tiæ caussa, vt sericum, aut lino tenui. Virgil. lib. 8. *cum tenuis glauco velabat amictu Carbasus.* Deinde affert hunc locum. Addit, M. Tull. in Verrem de suppliciis. Tabernacula carbaseis intenta velis collocabat. Varro de vita pop. Rom. lib. 4. Eadem postea carbasinea magis, vt pellibus tegerentur togæ.

BARB. TEG. CRVRVM) Phrygia, antiquorum more, qui Phrygas vocabant barbaros.

Hunc virgo, siue vt templis præfigeret arma
Troïa, captiuo siue vt se ferret in auro,
Venatrix: vnum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur, totumq; incensa per agmen
Fæmineo prædæ, & spoliorum ardebat amore.
Telum ex insidiis cum tandem tempore capto
Coniicit, & superos Aruns sic voce precatur.
Summe deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna:
DA PATER HOC NOSTRIS ABOLERI DEDECVS ARMIS
OMNIPOTENS. non exuuias, pulsæúe trophæum
Virginis, aut spolia vlla peto. mihi cætera laudem
Facta ferant: hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patriam remeabo inglorius vrbem.
AVDIIT, ET VOTI PHOEBVS SVCCEDERE PARTEM
MENTE DEDIT, PARTEM VOLVCRES DISPERSIT IN AVRAS.
Sterneret vt subita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti: reducem vt patria alta videret,
Non dedit, INQVE NOTOS VOCEM VERTERE PROCELLÆ.

SIVE VT TEMPLIO PRÆFIG. ARMA) Duplicem caussam per disiunctionem ponit, quare Chloreum auidius insequeretur. Cupiditas quidem, & fæminea (id est, indomita, & nimis impatiens, nam fæminæ imperare sibi ægrè possunt. Vnde est illud, *Fæminea ardentem curæq; iræq; coquebant*) stimulabat eam: sed huius cupiditatis alteram harum caussarum habebat, quas recenset Maro. Amor istorum spoliorum cæcam reddebat, vt in toto exercitu de nemine iam, nisi de Chloreo cogitaret, & quasi vnus ipse esset, eum solùm studiosissimè persequeretur. Quæ res cogitationes, & insidias Aruntis adiuuabat egregiè.

EX OMNI CERTAMINE PVGNÆ) Sic Lucret. lib. 4. *At contrà conferre manu certamina pugnæ.* Noster vates rursum lib. 10. *duri certamina belli.* Sic Lucret. lib. 1. *Clara accendisset sani certamina belli.*

CVM TANDEM TEMPORE CAPTO) *Tandem*, quia aut diu obseruabat per diuersa percurrētem, & non temere adire debuit, quam timebat: aut quia animo cupienti omnia tarda videntur. Tam difficile autem fuit, Camillam sterni hostili manu, vt ad eius procurandum exitium, & occasio quærenda temporis duceretur, & loci, & deorum fauor suppliciter inuocandus. Donatus.

SVMME DEVM SANCTI CVST.) ex affectu precantis dictum est, siue colentis: nam Iupiter summus est. *Sanctum Soracte* appellauit, quia sanctum efficitur, quidquid aliquod amauerit numen. Donatus.

B QVEM PRIMI COLIMVS, CVI PINEVS ARDOR) Incipit commemorare merita sua, quamuis hoc quoque ad dei ipsius pertineat laudem, qui cum tanta reuerentia meruit coli. Quem, inquit, præ aliis colimus, seu quē nos præcipuè colimus: cui ingens aceruus ex tæda pinea accenditur, atque ita, vt nunquam deficiat, sed semper alatur. Tantaque apud nos fiducia est numinis tui, vt premamus ignem nudis vestigiis, nec lædamur. Post laudem, quam desideriis præferri conuenerat, suæ petitionis adiicit summam. Grande, inquit, præstabis beneficium, si nostrorum armorum dedecus aboleatur, & pereat. Quales enim viri dici poterant, quorum se miscebat fæmina certamini, & à qua tanto numero trucidabantur? (C) Et quia potuit obiici, occidere fæminam inglorium esse: respondet: non quæro aliquam gloriam ex illius nece, nec exuuias eius, nec trophæum, aut spolia referre contendo. Si laudari velim, habeo alia, quæ mihi laudem concilient. Sine gloria redire volo in patriam, dummodo ista pestis intereat. Accedat hoc solum titulis meis, non aliquid fecisse fortiter, sed tale decus tantùm abstulisse. Donatus.

Colere hic est venerari. *Colere*, interdum exercere, vt rustici. Georg. 1. *fructusq; feros mollire colendo.* *Colere*, inhabitare. Æneid. 3. *Hinc mater cultrix Cybele.* Et iterum, *quas Dira Celæno Harpyiæq; colunt alia.* Plaut. Aulul. *Hanc domum multos annos est cum possideo & colo.* *Colere.* diligere. Æneid. 4. *solùm nam perfidus ille Te colere.*

Colere, ornare. Varro. At in segetibus post messem colligebant stramenta, qui domicilia colerent. Nonius.

FRETI PIETATE PER IGNEM) De Hirpinorum familiis super ambustam lignorum struem ambulantibus, sacrificio annuo, quod fit ad montem Soracte Apollini, vide Plin. lib. 7. cap. 2.

VOTI PHOEBVS SVCCEDERE PARTEM DEDIT) Homeri exemplo hæc dicta sunt, apud quem orante pro Patroclo Achille, Iliad. π.

Ὣς ἔφατ᾽ εὐχόμενος, τοῦ δ᾽ ἔκλυε μητίετα Ζεύς,
Τῷ δ᾽ ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ᾽ ἀνένευσε.
Νηῶν μὲν οἱ ἀπώσασθαι πόλεμόν τε μάχην τε
Δῶκε, σόον δ᾽ ἀνένευσε μάχης ἐξαπονέεσθαι.

Stratonicus citharoedus, vt proditum est memoria ab Athenæo lib. 8. cap. 7. vocatus aliquando ad citharoedum audiendum, illum Homeri versum protulit τῷ δ᾽ ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ᾽ ἀνένευσε. Huic alterum concessit pater Iupiter, alterum denegauit. Interrogatus quorsum id dixisset, respondit facetè: malum esse citharistam, concessit: bonum esse, non concessit.

INQVE NOTOS VOCEM VERT. PROCELLÆ) sunt similia illis Tibulli de votis inanibus, *quæ nunc Eurusque, Notusque iactat, adoratos vota per Armenios.* Diximus alibi de hoc genere sermonis.

Ergo vt missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Conuertere animos acres, oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. nihil ipsa nec auræ,
Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli:
Hasta sub exertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque altè bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt. fugit ante omnes exterritus Aruns
Lætitia, mistoque metu: nec iam amplius hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuò in montes sese auius abdidit altos
Occiso pastore lupus, magnoque iuuenco,
Conscius audacis facti: caudamque remulcens
Subiecit pauitantem vtero, syluasque petiuit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Aruns,
Contentusque fuga, mediis se immiscuit armis.

CONVERT. ANIM. ACR. OCVL.) Oculis, & animis conuersi in reginam Volsci, expectabant, quid ille sonus afferret: ipsa toto animo alibi occupata nec sonum auribus, nec telum oculis percepit, nec prius quidquam sensit, quam lethale vulnus secundum papillam accepisset.

NEC AVRÆ MEMOR) Pro auræ Seruius antiquè legit aurâs, quem vide.

SVB EXERTAM PAPILLAM) Homer. Iliad. θ. *βάλε στῆθος παρὰ μαζόν.* Sic & apud Calabrum lib. 1. Achilles in eandem partem Penthesileam cecidit *τιταίνων λαοφόρον δόρυ αἶψα δ᾽ ὑπὲρ μαζοῖο δαΐφρονα πενθεσίλειαν οὔτασε δεξιτεροῖο.* Expapillare, ad papillam vsque denudare dicunt: vnde brachium expapillatum Festo, exertum. Plaut. in Milite. *Idem & cum nexu in humero, læuo expapillato brachio.* German.

VIRGINEVM BIBIT CRVOR.) Bibere rectè dicuntur ea omnia, quæ haustus habent, vt animalia, & terræ, vt Virgil. Buco. *sat prata biberunt.* Verùm auctoritate litterata etiam arida, & sicca, & quibus haustus non sit, bibere positum inuenimus, vt hoc loco. Nonius.

FVGIT ANTE OMNES EXTERRITVS ARVNS) Ante omnes fugit Aruns, hoc est, omnibus aliis dimissis. Et lætus erat, quia compleuerat desiderium: metuebat autem, ne quis vltor emergeret, vel ne illa sic esset icta, vt viueret: vsqueadeo hæc fuit potior caussa fugiendi, vt secutum sit, *nec iam amplius hastæ Credere, nec telis occurrere virginis audet.* Non enim credebat ipso vulnere morituram. Sumit deinde parabolam eius animalis, quod sit audax ad faciendum, & satis temerarium, timidum sanè post factum. Hoc Aruns imitatus, aufugit, & sese, vt facilius latitaret, cateruis immiscuit. Et bene pastori reginam comparat: nam reges ipsi pastores vocantur, Homerus *ποιμένα λαῶν.* Donatus, Seruius.

CAVDAMQVE REMVLCENS) Vt prætermittam, quid aliis videatur, *caudam remulcens*, ego esse puto, caudam reflectens: sic enim lupi, & canes timentes reflectunt caudam, vt eam sub verenda reducant. [*De canibus quidem confitetur Plin. lib. 11. cap. 50. Canum degeneres caudam sub aluum reflectunt. & canis, subiecta sub vtero cauda, est fuga hieroglyphicon. Sic lupus currens, cauda sub ventre reflexa, simulacrum est eius, qui in aciem progressus, succumbente in se vi maiore, nulla accepta clade in tutum se recipit. Declinat enim callide pericula lupus, & se sospitem syluis reddit. Hinc prouerbium, λύκος περὶ τῆς βοὸς σκιάδει.*] Sic & demulcere aures pro demittere dixit Lactant. lib. 2. cap. 11. Et tamen videmus in aliis animantibus quædam signa lætitiæ, cum ad lusum gestiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem serenant, oculos in lasciuiam resoluunt. Nam aures demulcere id est, quod Flaccus dixit Ode 3. lib. 2. illis carminibus *stupens Demittit aures bellua centiceps.* Turneb. lib. 21. cap. 22. Sumpsit & hanc comparationem ab Homero, Iliad. ο.

Ἀλλ᾽ ὅγ᾽ ἄρ᾽ ἔτρεσε θηρὶ κακὸν ῥέξαντι ἐοικὼς,
Ὅς τε κύνα κτείνας, ἢ βουκόλον ἀμφὶ βόεσσι,
Φεύγει, πρίν περ ὅμιλον ἀολλισθήμεναι ἀνδρῶν.

SVBIECIT PAVITANT. VTERO) quæ timorem indicat, pro, ipse pauitans.

MEDIIS SE IMMISCVIT ARMIS) Exemplò Homeri, Iliad. 17. qui inducit Euphorbum percusso Patroclo refugientem. Vide German.

Illa

Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
LABITVR EXANGVIS, LABVNTVR FRIGIDA LETHO
LVMINA: PVRPVREVS QVONDAM COLOR ORA RELIQVIT.
Tum sic expirans, Accam ex æqualibus vnam
Alloquitur (fida ante alias quæ sola Camillæ,
Qui cum partiri curas) atque hæc ita fatur.
Hactenus Acca soror potui: nunc vulnus acerbum
Conficit: & tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, & hæc Turno mandata nouissima perfer.
Succedat pugnæ, Troianosq; arceat vrbe.
Iamq; vale. simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. tum frigida toto
Paulatim exoluit se corpore: lentaq; colla,
Et captum letho posuit caput, arma relinquens:
VITAQVE CVM GEMITV FVGIT INDIGNATA SVB VMBRAS.

TELVM TRAHIT, OSSA SED INTER) Telum extrahere cupiebat, sed infixum ossibus altius tenebatur. Iam oculi moriebantur, & colore purpureo in vultu deficiente, pallor infælix emergebat. Donatus.

A

ACCAM EX ÆQVALIBVS VNAM) Non temerarium est, quod Maro sodalem attribuit Camillę Accam. Nam & Acca Larentia Romanorum superstitione consecrata erat: & Accæ nomen à poetis aliis positum legimus, vt à Sueuio (de quo Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 14.) hoc versu. *Admisce tu Acca basilicis hæc nunc partim, Partim Persica.* Turneb. lib. 11. cap. 1.

FIDA ANTE ALIAS) Cur Accam ad extremum alloqueretur, eiq; suprema mandata committeret, caussam ponit, quod fidissima: quod cũ ea consilia sua communicare consueuerat.

B

QVI CVM PARTIRI) Veteres, vt Rhemnius Palæmon tradit, cõmuni genere inflexerunt, hic & hæc quis: indeq; in sexto casu ab hoc, & ab hac qui. Fuit huiusmodi præpositionum anastrophe Græcis in frequenti vsu, vt χαρᾶς ὕπο apud Æschylum in Agamẽnone, & ἐμοῦ μέτα apud Euripidem in Oreste, & φίλων ἄπο apud Homerũ. Nec is quidem vsus Latinis infrequens fuit. Plaut. Asin. *Nec magis versutus, nec quo ab caueas ægrius.* Hieron. Colum. in 6. Annal. Ennij.

HACTENVS POTVI) Subaudi, viuere, pugnare. Talia sunt, Habui Chreme, Fuimus Troes, Viximus, Floruimus, & similia, quib⁹ desperatio ex magna rerum commutatione indicatur. ✱

SVCCEDAT PVGNÆ) Animus bellatricis ostenditur, quæ non se dolet lucem, sed bella relinquere, & pro repub. magis quam de vita est sollicita. Idem porrò cõsilium Turno nunc etiam moriens dat de vrbe tuenda, quod initio dedit, *Tu pedes ad muros subsiste, & mœnia serua.* Seruius, Donatus.

AD TERRAM NON SPONTE FLVENS) Non fluebat sponte ad terram, sicut suprà de eius equitibus dicitur;

——portis ab equo regina sub ipsis
Desiluit, quam tota cohors imitata, relictis
Ad terram defluxit equis.

Vrgebatur enim mole corporis, quod recedente vnà cum sanguine calore, & spiritu, se sustentare amplius nõ poterat. Sic. Georg. 3. *Ad terramq; fluit deuexo pondere ceruix.*

TOTO EXOLVIT SE CORP.) Exoluere sese omnib. è neruis dixit Lucret. lib. 3. & noster lib. 4. *teq; isto corpore soluo.*

ET CAPTVM LETHO POSVIT CAP.) Lib. 9. de Euryalo, *inq; humeros ceruix collapsa recumbit.*

VITAQVE CVM GEMITV FVGIT) Seruat hoc vbique, vt iuuenum animas à corporibus cum dolore dicat discedere, qui adhuc esse superstites poterant, quod etiam de Turno dicturus est, & est Homeri. Idem Cicero in Catone. Iam omnis conglutinatio recens ægrè, inueterata facillimè dissoluitur. Seruius. * *Quod dicit Seruius, Homeri esse, patet ex hoc versu Iliad. π. ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη, Ἄϊδος δὲ βεβήκει.*

TVM VERO IMMENSVS SVRGENS FERIT AVREA CLAMOR
SIDERA: deiecta crudescit pugna Camilla.
Incurrunt densi, simul omnis copia Teucrûm,
Tyrrheniq; duces, Euandriq; Arcadis alæ.
At Triuiæ custos iam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatq; interrita pugnas.
Vtq; procul medio iuuenum in clamore furentum
Prospexit tristi mulctatam morte Camillam,
INGEMVITQVE, DEDITQVE HAS IMO PECTORE VOCES.
Heu nimium virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello.

Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina relinquet
Extrema iam in morte: NEQVE HOC SINE NOMINE LETHVM
PER GENTES ERIT, aut famam patieris inultæ.
Nam quicunque tuum violauit vulnere corpus,
Morte luet merita.

TVM VERO IMMENS. CLAMOR) Alia de caussa clamant fœminæ in regia Priami lib. 2. de quibus ita, *penitusq; caua plangoribus ædes Fœmineis vlulant, ferit aurea sidera clamor.* Hic lætus clamor, & Troianorum intelligendus est, quibus spes vincendi maior, Camilla occumbente. Proinde pugna surgebat atrocior, ipsis Teucris cum auxiliaribus sese in hostem incitantibus.

CRVDESCIT PVGNA) ingrauescit, crudelior fit cæde multorum.

SPECTATQVE INTERRITA PVGNAS) Interrita spectabat pugnas: quid enim metueret, quæ procul aberat, & sedebat in summo monte, vbi & commodius videre omnia poterat? Donatus.

HEV NIMIVM VIRGO CRVD. SVPPLICIVM) Vox Opis dolentis, laudem Troianorum cõtinet. Poeta enim in Camillæ morte non incertum belli vult esse, sed pœnam: nec illud quod accidit euentui deputat: sed confirmat esse supplicium. Posses viuere, nec mortem perpeti, si Troianos non vltro prouocasses in bellum. Respicit ergo illud, quod suprà dixit. *Bellum importunum ciues cum gente deorum, Inuictisq; viris gerimus.* Quod ait, Dianam coluisse, nihil ei profuisse, non deam accusat, sed fatorum necessitatem, contrà quæ nec numinis opitulatur auxilium. Sequuntur verba consolationis, de fama nominis eius, & vltione. Donatus, Seruius.

QVICVNQVE TVVM VIOLAVIT VVLNERE CORPVS) Violare est sacrum aliquid violẽter appetere. Sed hic nõ solùm corpus violatum est, verum etiam salus extincta. Quod crimen cumulauit potius poeta, quam minuit: nam quum violare non liceat vulnere, vbi erit Aruntis caussa, qui violauit, & perdidit? Donatus.

—— fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum,
Antiqui Laurentis, opacaq; ilice tectum.
Hîc dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit, & Aruntem tumulo speculatur ab alto.
Vt vidit fulgentem armis, ac vanà tumentem,
Cur, inquit, diuersus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni, capias vt digna Camillæ
Præmia. túnc etiam telis moriere Dianæ?
Dixit, & aurata volucrem Threissa sagittam
Deprompsit pharetra, cornuq; infensa tetendit,
Et duxit longè, donec curuata coirent
Inter se capita, & manibus iam tangeret æquis
Læua aciem ferri, dextra, neruoq; papillam.
Extemplò teli stridorem, aurasq; sonantes
Audiit vnà Aruns, hæsitq; in corpore ferrum.
Illum exspirantem socij, atque extremà gementem
Obliti, ignoto camporum in puluere linquunt.

FVIT INGENS MONTE SVB ALTO) Talis locus fuerat Opi necessarius, vt videret ex occulto Aruntem, & ipsa à nemine videretur. Timidus enim, & cautus propter consciéntiam facti, nisi per insidias circumueniri non poterat. Donatus.

REGIS DERCENNI TERR. EX AGGERE BVSTVM) Catull. de nupt. *Cum teres excelsum coacervato aggere bustum.* qua figura fuisse busta, multa adhuc vestigia Romæ declarant. Monet Seruius, apud maiores, viros nobiles aut in mõtibus, aut sub montibus sepeliri consueuisse.

Bustum propriè dicitur locus, in quo mortuus est combustus, & sepultus. Diciturque bustum, quasi bene vstum. Vbi verò combustus quis tantummodo, alibi verò est sepultus, is locus ab vrendo vstrina vocatur. Sed modò bustum, eò quod sepelitur, sepulcra vocamus. Festus.

CVR DIVERSVS ABIS) Lib. 5. *Quo diuersus abis? iterum pete saxa.* Hæc secum Opis loquebatur, non vt Aruns audiret: sed vt cõminatione verborum satisfaceret æstibus suis. Locuta est ergo quasi ad præsentem, & tanquam præsentem insultanter appellat. Donatus.

DIGNA CAMILLÆ PRÆMIA) Sic in 2. *Persoluant grates dignas, & præmia reddant.*

TVNE

A Tvnc etiam tel. mori ere Dianæ?) Cum ingenti amaritudine dictum est. Nam etiam ei genus inuidet mortis: & *Tunc etiam* ad Niobes numerosam pertinet sobolem, quam Apollo cum Diana sorore sagittis confecerunt. Seruius.

Sagitt. deprómp. pharetra) Locus hic pæne ad verbum ex Homero conuersus est, vbi Pandarus iussu Palladis fœdera confundit Iliad. δ. αὐτὰρ ὁ σύλα πῶμα φαρέτρης, ἐκ δ' ἕλετ' ἰόν, &c. Modus sagittæ mittendæ perfectus, vt arundo aptata neruo, atque in dexteram partem vsq; ad papillam reducta perueniat, & sinistræ manus digitos tenentis arcum, ferri species tangat. Fuit autem mors Aruntis infælicissima, qui volucribus, & canibus relictus est, faciente numinis iracundia, ne sepulturam posset mereri. Donatus.

Donec cvrvata coir. inter se cap.) Ennius Alcmæon.

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum luna innixus.

Quo quidem verbo significare vult, adeo intendisse arcum, vt ad formam lunæ curuaretur. Noster id ipsum multo pluribus verbis explicauit. Ouidius Amor. eleg. 1. Enniana vsus tralatione, *Lunauitq; genu sinuosum fortiter arcum*. Statius de eodem Apolline libr. 1. Achilleidis *Ingentemq; manu curuaret Delius arcum*. Contrarium est, remittere, & laxare arcum. Hieron. Columna in Frag. Ennij.

Avdiit vna Arvns) celeritas iaculantis exprimitur. B Cui rei seruit vocabulū simul geminatū. Georg. 3. de Aquilone *Ille volat simul arua fuga, simul æquora verrens.*

Opis ad ætherium pennis aufertur olympum.
Prima fugit domina amissa, leuis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas:
Disiectiq; duces, desolatiq; manipli
Tuta petunt, & equis auersi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros, lethumq; ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contrà:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
QVADRVPEDVMQVE PVTREM CVRSV QVATIT VNGVLA CAMPVM.
Voluitur ad muros caligine turbidus atra
Puluis, & è speculis percussæ pectore matres,
FÆMINEVM CLAMOREM AD CÆLI SIDERA TOLLVNT.
Qui cursu portas primi irrupere patentes,
Hos inimica super misto premit agmine turba.
Nec miseram effugiunt mortem: sed limine in ipso
Mœnibus in patriis, atq; inter tuta domorum
Confixi exspirant animas. pars claudere portas,
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes: oriturq; miserrima cædes
Defendentum armis aditus: inq; arma ruentum.
Exclusi ante oculos, lacrymantumq; ora parentum:
Pars in præcipites fossas vrgente ruina
Voluitur: immissis pars cæca, & concita frænis,
Arietat in portas, & duros obiice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(MONSTRAT AMOR VERVS PATRIÆ) vt videre Camillam,
Tela manu trepidæ iaciunt, ac robore duro
Stipitibus ferrum, sudibusq; imitantur obustis,
Præcipites, primæq; mori pro mœnibus audent.

Pennis avfertvr olymp.) *Pennas* celeritatem debemus accipere. Quid enim moraretur in terris vlterius, quæ mandata perfecerat? Deinde fuga describitur. In qua magna laus Camillæ, cum magno Latinorum dedecore. Quid enim turpius, quam perdito auxilio vnius fæminæ versos omnes esse in fugam? eosque, qui magni ferebantur, & fortes? nihilque illis tutum, præter muros ciuitatis fuisse? Donatus.

Manipvli deserti) id est, signiferi, quod C est nimij discriminis. Manipli autem dicti sunt signiferi, quia sub Romulo, pauper adhuc Romanus exercitus, hastis fœni manipulos alligabat, & hoc pro signis gerebat, vnde hoc nomen remansit ducibus. Ouid. in Fastis.

Illa quidem è fœno (sed erat reuerentia fœno,
Quantum nunc aquilas cernis habere tuas)
Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Vnde maniplaris nomina miles habet.

Sternit, & aduersos Marte fauente duces. Contrarium, aduerso Marte. lib. 12. *Turnus vt infractos aduerso Marte Latinos.* Ouid. 1. Fast. *Marte sub aduerso tristia damna tulit.*

SAEVA IOVIS SIC NVM. POSCVNT) Homer. Iliad. 1. Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή: duplici ratione Turnum insidias reliquisse commemorat, dolore nimio, & numinis voluntate. Seruius.

SALTVS APERTOS) vacantes insidiis.

SIC AMBO AD MVROS RAPIDI) Turnus defendendi, Æneas propugnandi gratia ad vrbem ferebatur. Non longis spatijs cum inter se distarent, cupiebant summo statim prælio decertare, ni aduentus noctis, consilium impedisset.

FVMANTES PVLVERE CAMPOS) Excitatum puluerem, & altè surgentem in bello, esse exercitus appropinquantis certum nuntium, docuimus lib. 9. *Hic subitam nigro glomerari puluere nubem.* Sic & lib. 12.

—— & sanus, campis magis, ac magis horror
Crebrescit: propiusq́, malum est: iam puluere cælum
Stare vident: subeunt equites, & spicula castris
Densa cadunt.

ET SAEVVM AENEAM) Sæuus est fortis, vt Æneid. 1. *Sæuus vbi Æacidæ telo iacet Hector.* Et libr. 12. *Nec minus Æneas maternis sæuus in armis.*

ADVENTVMQVE PED. FLAT. AVDIVIT EQVOR.) Ennius Thyeste, *Sed sonitus aures meas pedũ pulsu increpat.* Lucret. lib. 2. *subterque virûm vi Excitur pedibus sonitus.*

CONTINVOQVE INEANT PVGNAS) Pugna vocata, eò quod initiò vsus fuisset in bello pugnis contendere, sine ferro. Isid. lib. 18. cap. 1.

NI ROSEVS FESS. IAM GVRGITE PHOEBVS IBERO) Silius libr. 13. ad hanc amussim direxit suos.

Acrius hoc instant Itali, clausosq́, fatigant.
Et ni cæca sinu terras nox conderet atro,
Prefracta rabido pulsassent milite porta.

Lucan. lib. 4.

Pugna fuit non longa quidem, nam condidit atra
Nox lucem dubiam, pacemq́, habuere tenebræ.

Genus loquendi Sallustij, & T. Liuij, aliorumque historicorum est, nox prælium diremit: quo antè vsus fuerat Ennius, *bellum Aequis de manibus nox intempesta diremit.*

MOENIA VALLANT) Tam de Rutulis, siue Latinis, quam de Troianis accipiendum. Id est, tum ij, qui tuentur, tum qui obsident illa. Oppugnatio est quædã subita, quædam diuturna, quando circumuallantur vrbes. De circumvallatione Lipsius Poliorcet. lib. 2. dial. 1. ab initio.



SYM-



SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER XVII.

Ad duodecimum Aeneidos.

SYNOPSIS.



Bligarat fidem suam lib. 11. Turnus, se, si è repub. futurum censeretur, singulari certamine cum Ænea depugnaturum. Istuc ipsum promissum, quoniam ab vniuerso exercitu oculis omnium in se vnum coniectis, animisq; propter vires altero iam, & eo infælici admodum prælio magnopere debilitatas, atq; fractas, ad extremam desperationem propendentibus efflagitari videt, indomita quadam ira perbacchatur, leonem impatientia, ac dolore vulneris à venatore illati sæuientẽ imitatus. Latinum compellat, nihil se moræ facturum testificatur. Latinis (quos vt imbelles, & ignauos contemnit) spectantibus, pacto fœdere duellum initurum vtiq; modò Troianis eadem, quæ prius, stet sententia: & impositurum finem bello, siue hostem ipse perimat, siue ab hoste perimatur. Latinus graui, & prudenti oratione parum prouidum, & exultãtem audacia iuuenem detorquere ab incepto molitur. Habere ipsum paternum regnum, habere diuitias: posse beatum viuere: se quoque pecuniariis adiumentis ei non defuturum. Reperiri per Italiam virgines plurimas, generis nobilitate præstabiles: in tanto harum numero facilè consortem thalami, si libeat, inuenturum. Quò minus ei Lauiniam suam committat, oracula impedire: quibus tamen posthabitis, amore ipsius, coniugisq; Amatæ lacrymis, & obtestationibus expugnatus, suscepta cuiusdam impietatis macula, armis Æneam violarit. Quod quidem peccatum, quantis cogatur pœnis expiare, latere neminem. Occurrit ita Turnus, vt sibi gloriam vita potiorem, magnamque in dextera spem repositam confiteatur. Nec verò Regina, quanquam largiter flens, & precibus hominem onerans, eum abducere ab insania potest. Collachrymatur & Lauinia: cuius ab intuitu tanquam telo percussus, maiore pro ea pugnandi, illiusq; adipiscendæ desiderio exardescit. Expeditur in castra Troianorum nuntius, qui Æneæ in matutinum tempus μονομαχίαν indicat. Equi producuntur, ita Turno volente, quorum insigni specie ac fremitu delectatur. Arma induit, correptam hastam alloquitur, eam, cum Æneæ despicatu victoriam poscit. Tauro irato, & cornibus ventilanti similis perhibetur. Æneas occasione tandem belli componendi oblata factus lætior, paratum se fore spondet, concipi leges postulat, in quas fœdus sanciatur. Iam diluxerat, cum ab vtrisque, Rutulis, & Troianis spatium certamini, aræ fœderi constituuntur. Vterque exercitus ad pugnam instructissimus procedit. Ad spectaculum ab oppidanis mœnia, portarum pinnæ, tecta ipsa occupantur. Tum Iuno Turnum miserata, Iuturnam sororem eius, suum ei beneficium in memoriam redigens, ad fratrem quacunque ratione præsenti periculo eripiendum impellit. Dolor nymphæ lacrymas excutit: ancipiti cogitatione distra-

distractæ videlicet, & quid ageret, nescienti. Egrediuntur, ex vrbe cum Latino Turnus, è castris cum Ænea Ascanius: sollemni cærimonia fœdus feritur: precatur deos Æneas, ac fœderis conditiones proponit. Latinus rem iureiurando ratam facit. Rutuli duces hosce duos conferentes, longeque imparem congressum fore iudicantes, in aliam sententiam abeunt, pro pace, & otio bellum optant denuo, & quem nuperrimè execrabantur, vt malorum caput, huius nunc misericordia capiuntur. Juturna tempori seruiens, sub imagine Camertis ad disturbandum fœdus Rutulorum mentes inflammat: indignum videri dictitans, vnum pro vniuersis vocari in periculum, cum & numero, & viribus Troianos relinquant. Ancipites prodigio aquilæ, cygnum sublimè rapientis, factoque globo auium se insequentium, ac prædam repetentium rapinam dimittentis confirmat. Tolumnius augur monstrum interpretatus, hastam primus vibrat, vni de nouem fratribus, Gylippi filiis animã aufert. Illi fratrem parant vlcisci, crudescit pugna: hic illum, iste alium obtruncat. Reuocat suos Æneas, sibi soli decertandum asserens: incerto auctore sagitta in crure vulneratur, obligandique vulneris in castra regreditur. Turno lætitia oboritur, sumit maiores spiritus, violentiusq; tanquã si sit alter Mars, in cædibus grassatur. Nominatim ab eo trucidati recensentur. Iterum cum vento turbido confertur. Perduxerant iam sui in castra Æneam: cui vt viro forti, suorumque seruandorum percupido, nimis longum videri, dum rediret in aciem: telum exscindi cupere, quod Japyx vulnerarius frustra tentabat extrahere. Mater Venus vicem filij dolens, occultè herba dictamno aquam inficit: qua dum fouetur vulnus, sponte sagitta excidit: vires redintegrantur: arma illi à medico deposcuntur: omnes gaudio complentur, diuinitus factam medicinam opinantes. Æneas totus est in pugna. Indutus armis complectitur, osculaturq; adolescentem filium, ad sui, maiorumque imitationem hortatur: castris vnà cum ducibus, & quotquot eò imperatorem saucium visuri confluxerant, excedit. Turnus, Latini, Juturna hoc viso percelluntur. Ducit raptim in hostem, ac neminem nisi Turnum appetit. hunc sibi vnum, cũ quo congrediatur, optat contingere. Quod Juturna sentiens, excusso auriga Metisco, ipsa eius formam simulans aurigatur, fratremq; huc illuc raptans, discrimini subducere laborat. Messapus cristas Aeneæ cùm iaculo decussisset, iracundia, pro eo ac debuit, elatus ille, testatusque prius Jouem, se cogi in fœdifragos irruere, stragem maximam indiscriminatim edit. Conuertuntur in se tota agmina, & suo quisq; corpori tutelam gerit quantum potest, seseque acerrimè defensat. Venus filio vrbis inuadendæ consilium immittit: quæ adhuc in pace manebat, & capta victoriam conficere poterat. Vocatis ad concionem militibus, mentem suam explicat. Magnis statim, erectisque animis ad oppidum contendunt, scalas apponunt, tela, & faces iniiciunt. Protensa dextra deos testes facit Aneas, se iterum ad bellum esse compulsum. Dissensio tenet ciues, dum alij portis apertis hostem accipiendum, alij ad extremum vsque halitum resistendum decernunt. Regina ad muros adesse Troianum audiens, tecta ardere conspiciens, nullum subuenire auxilium cognoscens, Turnum quoque ipsum iam interijsse suspicans, icta grauiter culpæ conscientia, laqueo se præfocat. Luctus incessit omnes, filiam in primis. Rex discissa veste, caput conspersus cinere, publicis, priuatisque casibus stupefactus incedit, & semet inconstantiæ suæ accusat. Vrbanorum clamorem ingentem accipit auribus Turnus: sed eum ab oppido Juturna auertit. Ipse cum Aenea confligere statuit, seque, vt in re desperata, inferis deuouet. Sages de periculo vrbis, reginæque informi, & infami letho nuntium Turno perfert: quo vehementer commotus, ad oppidum per medios hostes, manus cum Aenea consertum penetrat. Omnes hosce duos mirari, congredientesque aspectare insatiabiliter. Jupiter amborum fata examinat. Gladius Turni, inflictus nimirum in arma Aeneæ Vulcania, diffringitur. Fugit. Aeneas, quanquam ex vulnere claudicans, fugientem insequitur. Flagitanti Turno soror paternum ensem, opus ipsum quoque Vulcanium tradit. Indignata Venus, vicissim hastam filij, in trunco oleastri precibus Turni hærentem euellit. Junonem hortatur Jupiter, vt aliquando Troianos persequi, & cladibus mactare desinat. Illa se de fœdere turbato purgat: vnum vicissim orat, vt vbi in potestatem Troianorum

norum venerit Italia, ne Latini in illorum, sed illi potius in horum nomen, linguam, mores & instituta concedant. Annuit Iupiter, sacra tantùm excipit, de Romanorum potentia adiungit. Sequitur de Diris, quarum vna in figura alitis mittitur, quæ Turnum circumuolans, exitium illi portendit. Id ipsum haud ignorans Iuturna, fratrem gemit, & se immortalem immortaliter dolituram significat. Insultat hosti Æneas: is autem se à diis magis, quam ab eo victum iri pronuntians, molare saxum, ictu irrito in illum, amens, & impos animi contorquet. In femore ab Ænea vulnus accipit, quo ad terram corruens, victori supplicat. Et impetrasset vitam, nisi balteus Pallantis, quem gerebat, totam rem corrupisset. Eo enim conspecto, renouatus est animi dolor, quem ex fidelissimi, charissimique, addo etiam, ex strenuissimi iuuenis, ab eodem Turno nuper interfecti morte conceperat. Ergo vt Pallantem vindicet, Turnum vita expellit, id quod Euandro in optatissimis fuit, vt proximo superiore libro scriptum legebamus.

EXPLANATIONES.



Vrnus vt infractos aduerso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
SE SIGNARI OCVLIS, vltro implacabilis ardet,
Attollitq; animos. Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus,
Tum demum mouet arma leo, gaudetq; comantes
Excutiens ceruice toros, fixumq; latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic affatur Regem, atq; ita turbidus infit.
NVLLA MORA IN TVRNO, nihil est quod dicta retractent
Ignaui Æneadæ, nec quæ pepigere, recusent.
Congredior: fer sacra pater, & concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub tartara mittam,
Desertorem Asiæ (sedeant, spectentq; Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos, cedat Lauinia coniux.

TVRNVS VT INFRACTOS) Latini (quo nomine accipiendi sunt omnes, qui sub Turno militabant) qui huc vsq; semper infracti fuissent, inuicti, indomiti (sed græcum ἀῤῥάκτους expressit) cû fuissent bello alacres, & strenui, iam altero aduerso prælio fatigati, consternatiq;, dabant quodammodo in manus hosti victoriam, (nam vt scite Thucydides lib. 1. homines non eodem ardore mouent bella, & gerunt: sed aduersis casibus languescunt) animisque, & oculis in Turnû conuersis, tacitè fidem eius testabantur, & promissa requirebant: quippe qui dixerat, vt est lib. 11.

Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idq; placet, tantumq; bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus victoria fugit,
Vt tanta quidquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra, vel magnum præstet Achillem,
Factaq; Vulcani manibus paria induat arma, &c.

Infractos exponitur à Donato in Eunuch. Terentij valde fractos. Nam, *in* præpositio nunc auget, nunc minuit verborum significatum: tametsi maior in priore sensus sit, vt vult Seruius. Ciceroni 3. Tuscul. in-

A fractio torporem significat, in quem cadit ægritudo.

** Apud Liuium lib. 2. minuit. quibus nihil infractum fuit ex Appij animus. Auget lib. 7. de Capuanis Commoti patres vice fortunarum humanarum, si ille præpotens opibus populus luxuria, superbiaq; clarus, à quo paulo ante auxilium finitimi petiissent, adeo infractos gereret animos, vt se ipse, suaq; omnia potestati alienæ faceret. Minuit in illo Ciceronis ad Quirit. post red. cum tamen vidi (C. Marium) cum esset summa senectute, non modo non infracto animo, propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato, atque renouato.*

SE SIGNARI OCVLIS) Notat, & designat oculis ad cædem vnumquemq; nostrum, ait de Catilin. M. T. Orat. 1. Vultus omnium in Turnum, tanquã in aliquod signum conuersi erant, propter caussam antè dictam. Et aspectus illi, vim flagitationis habebant. Infra Sages-

B tius ad Turnum, *in te ora Latini, In te oculos referunt.*

VLTRO IMPLACABILIS ARD.) Vltro ardere, & attollere ipsum animos dicit, priusquam vocibus id ab eo postularetur, & tanquam sponte sua, minimeque coactum. Debuit enim vltro velle, inquit Donatus, quod recusare non poterat: debuit inuitus, quod abnuentibus cunctis, ad ipsius periculum fuerat rediturum.

ATTOL-

ATTOLLITQVE ANIMOS) Vox *animi*, numero plurium capitur pro spiritibus, pro elato quodam animo, pro audacia, confidentia, superbia in malã partẽ plerũq;. Vnde dicitur res aliqua nobis animos addere, facere, quæ ad audendũ impellit. Plaut. Truc. *Postquam filium peperit, animos sustulit.* Et Epid. *Nunc ego meos animos violentos, meamq; iram ex pectore Iam promam.* Cic. pro Flacco. remittant spiritus, comprimant animos, sedent arrogantiam.

POENORVM QVALIS IN ARVIS, &c.) Comparatio expressa est ex Homero Iliad. v. πηλείδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίον ὦρτο λέων ὥς. Virgilium intuebatur Seneca in Oedipo, ita scribens.

Qualis per arua Libycus insanit leo,
Fuluam minaci fronte concutiens iubam,
Vultus furore toruus, atq; oculi truces,
Gemitus, & altum murmur, & gelidus fluit
Sudor per artus, spumat, & voluit minas, &c.

Lucanus quoq;, cùm Cæsarem Rubiconem transgressum, his verbis cum leone conferret.

— — sicut squalentibus aruis
Aestiferæ Libyes viso leo cominus hoste,
Subsedit dubius, totam dum colligit iram:
(Mox vbi se sæua stimulauit verbere caudæ,
Erexitq; iubas, vasto & graue murmur hiatu
Infremuit, tum torta leuis si lancea Mauri
Hæreat, aut latum subeunt venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit.

Pœnorum, hoc est Afrorum, quorum regionibus leones magni nascuntur. Et rectè leoni comparatur rex: habet enim ille inter omnes feras maximum principatum, vt habebat inter suos Turnus: sed comparatur vulneratæ bestiæ, & infixo venabulo, frustra sæuienti. Sic enim defectu omnium, quasi lethali plaga perculsus fuerat Turnus, eò magis ardescens, quia nec effugere præsens periculum poterat: nec inuidiam concitatæ seditionis aliqua vltione defendere. Donat.

* *De ira leonum, eiusq; caussa physica, politissimos Lucretij versus attexemus, è lib. 3.*

Sed calidi plus est ollis, quibus acria corda,
Iracundaq; mens facilè efferuescit in ira:
Quo genere inprimis vis est violenta leonum:
Pectora qui fremitu rumpunt plerunq; gementes:
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

Quàm teter, ac rabidus affectus sit ira, ex eius elegantissima descriptione, seu ex iratorum, ac furentium tum hominum, tum animalium hypotyposi perspicere datur. Ea est apud Senecam lib. 1. de Ira, cap. 1. Vt autem scias, non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam vt furentium certa indicia sunt, audax, & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus, ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & concitatum corpus, magnasque minas agens, fœda visu, & horrenda facies deprauantium se, atque intumescentium. Nescias vtrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Cætera licet abscondere, & in abdito alere. Ira se profert, & in faciem exit: quãtoque maior est, hoc efferuescit manifestius. Nam vides vt omnium animalium, simul ad nocendum surrexerunt, procurrant notæ, ac tota corpora solitum, quietumque egrediantur habitũ, & feritatem suam exasperent. Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu, taurorum cornua iactantur in vacuum, & arena pulsu pedum spargitur, leones fremunt, inflantur iratis colla serpentibus, rabidorum canum tristis aspectus est. Nullum est animal tam horrendum, tamque perniciosum naturâ, vt non appareat

A in illo, vbi ira inuasit, noua feritatis accessio. Nec ignoro, cæteros affectus vix occultari, libidinem, metumque, & audaciam dare signa sui, & posse prænosci. Neque enim vlla vehementior intra cogitatio est, quæ nihil moueat in vultu. Quid ergo interest? quod alij affectus apparent, hic eminet. Rursus iram depingit graphice lib. 2. cap. 35. Denique libr. 3. cap. 3. sic ait. Vt de cæteris dubium sit, nulli certè affectui peior est vultus, quem in prioribus libris descripsimus acrem, & asperum, & nunc subitò retrorsum sanguine fugato pallentem, nunc in os omni colore, ac spiritu verso subrubicundum, & similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis, & exilientibus, nunc in vno obtutu defixis, & hærentibus.

B Parum facit Virgilius, qui immodestissimè irascentem, & impatientissimè furentem Turnum cum irato leone contendit: melius vtique D. Georg. Nyssenus, qui talem hominem cum energumeno, seu dæmoniaco audet comparare, habitumque furenter irati, ex eius caussis, illa sua, qua plurimum valuit eloquentia, ante oculos statuit. Lib. igitur de 8. Beatitudinibus, ita est. *Quis affectus, & vitia iræ dignè exposuerit? quæ oratio turpitudinem huiusmodi morbi describet? Vides eorum, qui a dæmone vexantur, affectus in iis, qui ab ira victi sunt apparere. Reputa ad inuicem comparata, tum quæ iratis, tum quæ a dæmone correptis accidunt, atq; contingunt, ecqua sit in iis differentia. Sanguine diffusi, ac distorti eorum, qui a dæmone torquentur, oculi*
C *sunt, lingua præceps, aspera loquela, acuta, ac latratus similis vox. Communia hæc tum iræ, tum dæmoni, quassatio capitis, manuum stolidi motus, concussio. & quasi æstuatio corporis totius, pedes instabiles: vna vtriusque morbi per eiusmodi accidentia descriptio est: tantum duntaxat alterum ab altero variat, quod vnum quidem voluntarium malum est, alterum non est. Ac dæmon quidem torquens obnoxij corpus, vlterius malum nõ extendit quam vt in aerem frustra furentis manus disiiciat: iracundiæ verò dæmon non irritos corporis efficit motus. Quum enim perturbatio prævaluerit, & sanguis circa, non supra modum efferbuerit, nigra bili, vt aiunt, ex iracunda affectione per totum corpus diffusa:*
D *tunc præ coarctatione vaporum internorum omnia sensuum vasa circa caput in angustum rediguntur. Oculi quidem vltra palpebrarum limites protruduntur, sanguineo quodam, ac draconico obtutu in id, quod offendit, intenti: viscera autem anhelitu arctantur, atque premuntur: intumescunt in collo venæ: lingua efficitur crassa: vox in angustum redacta arteria, sponte redditur acuta: labia suffusione frigida illius bilis quasi concrescunt, & congelantur, obnigrescunt, atque torpescunt ad naturalem distinctionem, atque conclusionem, vt ne salinam quidem in ore redundantem continere possint: sed vna cum verbis emittant, coacto sano simul spumam expuente. Tum igitur & manus, & pedes itidem*
E *præ morbo moueri, videre licet. Mouentur autem hæc membra non iam amplius frustra, vt fit in energumenis: sed in perniciem aliorum. Protinus enim aduersus sensoria ictibus opportuna, se inuicem pulsantium impetus feruntur. Quod si forte os in conflictu corpori appropinquarit, ne dentes quidem otiosi manent, sed feræ in modum iis, quæ inuaserint inhærescunt.*

SAVCIVS ILLE GRAVI) Tantum ad ornatum inseritur prouocabulum *ille*. Quidam ἐξοχὴν putant significare, cum præsertim meminerit Africæ, vbi leones generosiores quam alibi. Quasi dictum sit, ille Africanus, ille generosissimus, ille generosissimus leo, & iniuriæ vulnerumq; impatientissimus.

VENANTVM VVLNERE) *Venans*, & *venator* interdum promiscuè vsurpantur, vt piscās, & piscator, & similia. Alioqui potest quispiam esse venator, qui non venetur, piscator qui non piscetur. Illis enim vocibus indicatur habitus, istis actus. Gratius de venatione. *Dona cano diuûm, latas venantibus artes.* Rursum. *Aptaq́, venanti Gratius arma daret.* Prudent. apotheosi. *Manus latronum, qui viantes obsident.* Et Hamartigenia. *Non aliter quam cùm incautum spoliare viantem Fortè latro aggressus.* Sic Horatius spectantes dixit, pro spectatoribus, ad Pisones: *Si curat cor spectantis tetigisse querela.* Rob. Titius contra Villiomarum.

TVM DEMVM MOVET ARMA) Habet & clementiæ hieroglyphicum leo, dum ipse incolumis, seu illæsus cum homine substrato pingitur. Quoniam infestissimè sollicitatus ab homine, dummodo sit intactus, nō vnguibus eum lacerat, nec vlla iniuria afficit: sed quatit solum: atque vbi sic perterruerit, dimittit: quod ita Ouid. scribit. *Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.* Pierius lib. 1.

GAVDETQVE) Cum dicat mox, saucium excutere ceruice toros, & in telum venatoris iratum sæuire, quomodo gaudere potius, quam dolere dicendus erat? irasci quidem eum apertè fatetur, *fremit ore cruento.* An habitum audentis intuebatur, cui similis irascentium, ac furentium? An ea ipsa leonis ira non est sine voluptate, & gaudio? Irasci enim non contingit sine dulcedine aliqua, præsertim cum est hostem vlciscendi occasio. Protuli coniecturam meam: aliud alij videatur sanè. ✠

COMANTES EXCVTIENS CERVICE TOROS) Cybele apud Catullum Galliambo, leonem alloquens.

Age, cade terga cauda, tua verbera patere,
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent,
Rutilam ferox torosa ceruice quate iubam.

Rectè *toros comantes*, vt generosum leonem significaret. Nam vt in hominibus qui sunt crispo capillo, pusilli animi, aut leues: sic in leonibus crispi parum animosi censentur. Tori autem sunt partes corporis musculosæ, seu pulpæ carnis, in quibus inest robur, & vis. Cic. 2. Tuscul. in lamentatione Herculis ardentis in tunica, Centauri sanguine tincta. *O pectora, ô terga, ô lacertorum tori.* Inde torosus. Ouid. *colla torosa boum.* ✠

LATRON. FRANG. TELVM) Latro hìc venatorem denotat. Quod vt liquidius perspiciatur, adscribemus magnam partem cap. 17. lib. 16. ex P. Victorio, in quo de hac voce differitur. Latrones nō solùm appellatos à veteribus, qui in prætereuntes impetum facerent, verum etiā custodes corporis, ac milites mercede conductos, & antiqui Grammatici testantur, & exemplis pluribus Plauti percipitur. Cum enim in Milite glorioso illum ipsum cum parasito sic induxit loquentem:

Videtur tempus esse, vt eamus ad forum,
Vt in tabellis, quas consignaui hic heri,
Latronibus ego denumerem stipendium.
Nam rex Seleucus me opere orauit maximo,
Vt sibi latrones cogerem, & conscriberem,

manifestò hoc intellexit. Varro autem libr. 6. de ling. lat. versu Plauti citato, vim huius verbi interpretatur, ac plures eius rationes affert: inquit enim Plautus in Cornicularia (quæ fabula periit.) *Qui regi latrocinatus decē annis Demetrio.* Latrones dicti ab latere, qui circū latera erant regi, atq; ad latera habebant ferrum, quos postea à stipatione stipatores appellarunt. Et qui conducebantur: ea enim merces græcè dicitur λάτρον. Ab eo veteres poetæ nonnunquam milites appellabant latrones. Aut quod latent ad insidias faciendas. Sex quoque Pompeius, latrones, inquit, eos dicebant antiqui, qui conducti militabant, ἀπὸ τῆς λατρείας. Nunc viarum obsessores dicūtur, quod à latere adoriuntur: vel quod insidiantur latenter.

Apud Nonium ita legitur. Latrocinari, militare mercede. Plautus Cornicularia, *Latrocinatus annos decem mercedem.* In Tiberio. *Qui apud regem in latrocinio fuisti, stipendium accepisti.* Ennius, *Fortunas, quas cæpere latrones interserare.*

Locum Maronis de leone imitatus est Lucanus, lib. 1. vt German. obseruauit.

Mox vbi se sæua stimulauit verbere cauda,
Erexitq́, iubas, vasto & graue murmur hiatu
Infremuit, tum torta leuis si lancea Mauri
Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit.

Et lib. 6. de vrsa.

Pannonis haud aliter post ictum sæuior vrsa,
Cum iaculum parua Libys amentauit habena,
Se rotat in vulnus, telumq́, irata receptum
Impetit, & secum fugientem circuit hostem.

GLISCIT VIOLENTIA) Gliscere est crescere, & ita Festus, Nonius. Turpil. *Cum te saturum video, vt volui, gliscit gaudio.* Pacuuius, Periboea. *Sed nescio quidnam est, animus horrescit, gliscit gaudium.* Salust. gliscente vento. Plautus. *gliscit prælium.* Cic. in Hortensio. gliscunt voluptates, & ignis oleo. Lucret. lib. 1. *Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens.* Libr. 3. *Nam oculi, clamor, singultus, surgia gliscunt.* Lib. 4. *Inq; dies gliscit furor, atque ærumna grauescit.* Lib. 5. *Cum metus aut dolor est, & cum iam gaudia gliscunt.* Columella lib. 2. cap. 1. Quod etiam in faba, cæterisque leguminibus, quibus terra gliscere videtur, verisimile est accidere. Et alibi de gallinis farciendis. Prima luna saginari cœpta, vicesima pergliscit.

A gliscendo Seruius vult dictos glires, quos pingues efficit somnus, qui crescant, & saginantur somno. Martial. lib. 13.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Glisceras mensas dicebāt antiqui opimas, & lautas, quasi gliscentes per instructionem epularum.

TVRBIDVS INFIT) turbidus regem alloquitur: turbauerat autem illum ira paulò ante descripta. Nullam amplius in se moram futuram spondet: nihil esse, quod Troiani (quos per contemptum ignauos nominat) in consultationem reuocent dicta sua, quando Æneas significauit respondens Legatis libro superiori, Turno potius soli dimicandum secum fuisse, nec tam multos morti obiiciendos. Congressu rum se vtiq; singulari certamine, si prius per Latinum sacrum fœdus fiat, quomodo in 3. Iliad. Paride cum Menelao depugnaturo. Sub tartara missurum Asiæ desertorem, atque ita dedecus fugæ communis sese aboliturum, illis integrim sedentibus, & spectantibus. Quibus verbis indicat coactum se potius, quàm voluntate propria discrimen subiturum, dum latenter eos arguit ignauiæ, qui se solum dimicare patiantur. Quod si vincatur, saltem finem bello fore, & Latinum, qui generum habere dignum noluerit, indignum habiturum. ✠

NVL-

NVLLA MORA IN TVRNO) Terent. Andr. *Sin euenit quod cupio, vt in Pamphilo nihil sit mora.* Plaut. Sticho. *mora non erit apud me.*

NIHIL EST QVOD DICTA RETRACT. NEC QVÆ PEPIG.) Quænam dicta? aut vbi dixerunt Troiani, vbi, quando pepigerunt? monachiam istam scilicet: nam ad quid aliud pertineat verbum hoc, non video. Fortasse respondendum, eum cognouisse, quid Æneas legatis inducias petentibus ad suorum corpora sepelienda responderit. Immo Drances se relaturum dicit. Sic autē Æneas inter alia.

Æquius huic Turno fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat, his decuit mecum concurrere telis:
Vixet cui vitam deus, aut sua dextra dedisset.

Hoc igitur pro pacto accipit Turnus, voluntatem nimirum Æneæ secum singulari certamine congrediendi, in quam vtique Troiani consentiebant. ✠

SVB TART. MITTAM) tartareas ad vmbras, ad tartara, ad Acherontem mittere, demittere neci, morti, orco, ad orcum, sub styga sternere morti, hæc & similia poetarum sunt, cum de cæde loquuntur, & dictionis poeticæ studiosis notanda, atque imitanda diligenter.

DESERTOREM ASIÆ) Tria vitia congessit in Æneam, à genere, à loco, à facto. A genere, quod esset Dardanius, quasi origine ignobilis, ac imbellis, quoniam Dardanus de Ioue, & Electra Iunonis pellice natus. A loco, quod Asianus, quasi è gente molli, & effæminata: tales enim Asiatici. A facto, quod desertor regionis suæ, & proditor patriæ. Exulem vocauit Amata lib. 7. *Exulibúsne datur ducenda Lauinia Teucris?* Itaque his præmissa est excusatio. Et præterea tota œconomia secundi, & in 4. illa,

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, & sponte mea componere curas,
Vrbem Troianam primùm, dulcesq; meorum
Reliquias colerem.

Donat. Seruius.

SEDEANT, SPECTENTQVE LATINI) *Sedere* non solùm habitu illo corporis manere, ac quiescere valet: sed etiam negligenter, pigrè se gerere in aliquo negotio. Vt cum Cic. in Pisonem inquit. An potest vlla esse excusatio, non dicam malè sentienti, sed sedenti, sed cunctanti, dormienti in maximo reip. motu Consuli? Id tamen ille, vt apparet, non vno hoc tantùm verbo significauit, sed præterea duobus, vt eadem pæne vis sit trium verborum, quibus vsus est in accusanda Pisonis inertia. Demosth. in 1. Philipp. (vt nunc illæ appellantur, nam veteres etiam Olynthiacas in illis numerabant) cum Atheniensium ignauiam, torporemq; reprehéderet, qui astutam Philippi rationem non attenderét, nec se cingi vndiq; ab eo præsidiis, & quasi circumuallari viderent, remediaque tanto malo non adhiberent, inquit. καὶ κύκλῳ πανταχοῦ μέλλοντας ὑμᾶς, καὶ καθημένους περιστοιχίζεται. Sophocles quoq; suo verbo eodem pacto vsus est, cum inquit, χωρῶμεν, ἐγκονῶμεν, οὐχ ἕδρας ἔργον. Vide Victor. lib. 16. cap. 20.

Sedere, est remisso esse animo, atque otiosè agere, quo non semel est vsus Cicero. Vt pro Sexto Roscio. Cum iam proscriptionis mētio nulla fieret, cùm etiam ij, qui antea proscripti erant, sederent, nomen refertur in tabulas Sexti Roscij. Hic sedere, est secure agere, ac nihil metuere. Virg. quoque 3. Georg. & meliora deos sedet omina poscens. Horat. epist. ad Scæuam, *Sedit, qui timuit, ne non succederet.* Pro eodem dixit in Iulio, desidere, Suetonius: Vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quo pertenderat, transiit in Asiam. Vnde deses, & desidia appellata est. Hinc etiam resides animos, resides vires, resides populos Virg. vt aquam residem Varro 3. de re rustica, æstuario oppositam. Torrent. in Iulium Suetonij

SOLVS FERRO CRIM. COMMVNE REFELL.) Commune fugæ, ac timoris dedecus solus pro meis viribus comprimam. Seruius.

AVT HABEAT VICTOS, CED. LAVIN. CON.) Alterum horum futurum est, vt aut ego vincam illum, & tū abolebitur dedecus nostrum, quia infracti iam defecimus: aut ipse vincat me, tum in eius potestatem concedemus, & Lauinia, pro qua hoc bellum susceptum est, victori cedet. *Victos* inquit non, *victum*, quoniam in salute, & incolumitate ducum inclusa est quodammodo salus, & incolumitas exercitus. Et vetus est, *caeso duce fugantur milites.* Germanico Cæsari acclamabatur, *salua Roma est, quia saluus est Germanicus.* Præterea ad fœdus faciendum respicit, cuius conditio erit, vt victum populus, & exercitus suus sequatur. ✠

OLLI SEDATO RESPONDIT CORDE LATINVS.
O PRÆSTANS ANIMI IVVENIS, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tantò me impensius æquum est
Consulere, atq; omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu: nec non aurumq;, animusq; Latino est.
Sunt aliæ innuptæ Latio, & Laurentibus agris,
Nec genus indecores. SINE ME HÆC HAVD MOLLIA FATV
SVBLATIS APERIRE DOLIS: SIMVL HÆC ANIMO HAVRI.
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idq; OMNES DIVIQVE, HOMINESQVE CANEBANT:
Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Coniugis & mœstæ lacrymis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero, atque arma impia sumpsi.
Ex illo, qui me casus, quæ, Turne sequantur

Bella vides: quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna, vix vrbe tuemur
Spes Italas: recalent nostro Tyberina fluenta
Sanguine adhuc, campiq; ingentes ossibus albent.
Quò referor toties? QVÆ MENTEM INSANIA MVTAT?
SI, TVRNO EXTINCTO, SOCIOS SVM ACCIRE PARATVS,
CVR NON INCOLVMI POTIVS CERTAMINA TOLLO?
Quid consanguinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia, ad mortem si te (Fors dicta refutet)
Prodiderim, natam, & connubia nostra petentem?
RESPICE RES BELLO VARIAS: MISERERE PARENTIS
LONGÆVI. quem nunc mœstum patria Ardea longè
Diuidit. Haud quaquam dictis violentia Turni
Flectitur, EXSVPERAT MAGIS, ÆGRESCITQVE MEDENDO.
VT PRIMVM FARI POTVIT, SIC INCIPIT ORE.

OLLI SEDATO RESPOND.) Ennius. *Olli respondit rex Albai longai.* Modum futuræ orationis ostendit, *sedato corde*: quippe sapientis, & lenis: vt supra inconsiderati, atque temerarij iuuenis, *atque ita turbidus infit.* Pro decoro igitur ætatis inducitur sermo, secundum præceptum Horatij.

Intererit multum, Dauúsne loquatur, an heros,
Maturúsne senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus.

Ne auté ex abrupto de eius virtute desperare videatur, casuum varietatem se timere commemorat. Donatus, Seruius.

SEDATO CORDE) Cor latinis, & κῆρ Græcis pro animo sæpissimè sumuntur. Ennius Annali 13. *quem credidit esse meum cor.* Lucret. lib. 1. *Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.* Plaut. Aulul. *meum cor cœpit artem facere ludicram.* Hoc autem ex opinione illa, animum esse ipsum cor, sic enim M. Tull. Tuscul. 1. Quid sit porrò ipse animus, aut vbi, aut vnde, magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur: & Nasica ille prudens bis Consul, corculum: &, *Egregiè cordatus homo catus Ælius Sextus.* De his qui consilio, ac mente pollebant Lucretius lib. 5. *Ingenio qui præstabant, ac corde vigebant.* Hinc videtur fluxisse illud, quod passim dici solet, Homines corde sapere, splene ridere, felle irasci, & iecore amare. Hieron. Columna in Fragm. Ennij.

O PRÆSTANS ANIMI IVVENIS) Prudenti oratione Latinus, singulari certamine Turnum, iuuenem inconsultum, & audacem cum Ænea cupientem congredi deterret. Inconsideratè facturum ostendit. Habere eum regnum proprium, & oppida, quibus contentus esse possit, & cum fœlicitate viuere: nec sibi vel impensam, vel animum ad eum iuuandum deesse. Inueniri præterea summa generis claritudine per Latium, & Laurentem agrum virgines, è quibus illi vxorem liceat deligere, quæ eius animo collibuerit. Debuisse se Lauiniam suam pro cælestibus responsis Æneæ tanquam externo coniungere: sed amore Turni, & affinitate (nam mater eius Venilia, Amatæ soror erat) victum, præterea vxoris lacrymis emollitum rupisse fidem, & armis generũ lacessisse. Ad hæc, rem fore insigni probro, si, quem pro genero hactenus amauerit, Turnum ipsum inquam, cum ad pestem ruere voluntariam per negligentiam sinat.

A Considerarct paululum incertos belli exitus: misereretur Dauni longæui patris sui: qui vtique interempto filio superesse non possit. En quam fęcunda rerum, tametsi verbis non ita longa oratio. Qua de modo loquendi, *præstans animi.* Trinummo Plaut. *Satin' tu sanus mentis, aut animi tui?* Hellenismus est, cuius alibi, ni fallor, exempla complura produximus. ❧

QVANTVM IPSE FEROCI, &c. TANTO ME IMPENSIVS ÆQ. EST CONSVL.) Attius Antigona.

Quanto magis te istiusmodi esse intelligo,
Tanto, Antigona, magis me par est tibi
Consulere, & parere.

B Quò minus tu futurum prospicis, ac metuis, iuuenili temeritate præceps actus, eò magis me conuenit istuc facere: semper quidem conuenit: sed nunc magis. Non enim est sapientis dicere, *non putaram*: omnia præuisa, & præcauta habere debet. Est & Plauti in Bacchid. similis sermo. *Nam illi æquum est me consulere, qui mea caussa Mendacium dixit.* ❧

SVNT TIBI REGNA PAT.) Si propter regnum dimicare dispónis, habes paternum: si propter gloriã, multos virtute superasti: sequitur enim, *sunt oppida capta Multa manu.* Seruius.

AVRVMQVE, ANIM. LATINO EST) Nobiles Grammatici hæsitant in his versibus. Illis enim videtur abs re hic animus, & aurum à Latino ostentari. Itaque comminiscuntur sententiam nullo modò probabilem. Ego puto Latinum dicere, nec sibi Turni affinitate opus esse, nec vicissim Turno Latini: cùm vterq; alterius subsidio carere facilè possit. Nam siue Turnus opes sibi his nuptiis quærit, satis per se potens est regno Dauni, & oppidis multis bello partis: siue præsidium Latino quærit, & opes, Latinus satis opulentus est, & nobilis etiam absque his nuptiis, vt vterque altero carere commodè, & facilè possit. Turneb. lib. 23. cap. 14. * *Sed nobis non displicet expositio, quam quorundem ait esse Seruius. Habes regnum paternum, habes oppida, etiam à me habes aurum, & promptum animum ad danda omnia, præter filiam.*

SVNT ALIÆ INNVPTÆ) Simile quiddam Homericum illud, Iliad. ι.

D Πολλαὶ δ' ἀχαιΐδες εἰσὶν ἀν' ἑλλάδα τε φθίην τε
Κοῦραι ἀριστήων, οἵ τε πτολίεθρα ῥύονται.
Τάων, ἥν κ' ἐθέλωμι φίλην ποιήσομ' ἄκοιτιν.

Quia regis filiam petis, per Latium multæ sunt nobilissimæ

simæ virgines, quarum quæ tibi nubere volet, facilè inuenies.

SINE ME HÆC HAVD MOLLIA FATV) quasi vultu Turni responsuri interpelletur. Vnde etiam paulò post de Turno, *Vt primùm fari potuit, sic incipit ore.* Sic in Hecyra Laches senex propter filium expostulans cum Bacchide meretrice.

—— meum receptas filium ad te Pamphilum. B. ab.
L. Sine, dicam. Vxorem hanc prius quam duxit, vestrum amorem pertuli:
Mane, nondum etiam dixi id, quod volui.

Vbi Donatus, apparet senem tardè, & longè loquëtem interpellari vultu responsuræ meretricis: cùm ille sibi silentium præberi velit. Sic. Virgil. Latinum inducit dicere, *sine me hæc, &c.* Haud mollia fatu, sunt vera, inquit Seruius. Nam aspera sunt, quæ cum veritate dicuntur: falsa enim plena solent esse blanditiis: & hæc libenter audiuntur, illa verò grauiter.

SVBLATIS APERIRE DOLIS) Plautus Trinum: *edepol haud dicam dolo*: Sublatis dolis quippiam dicere, est liberè, candidè, sine vlla simulatione, quod in pectore est, proloqui, apertum pectus ostendere, vt ait Cic. in Lælio, idque amicorum est munus. Plin. epistol. lib. 6. epistolarum quas mihi, vt ais, aperto pectore scripsisti, obliuisci me iubes. Hoc non faciunt, qui fronte occultant, & tegunt sententiam. Isti clausum, non apertum pectus ostendunt.

SIMVL HÆC ANIMO HAVRI) *His auribus hausi* dictum alibi. Sed signatè, *animo hauri*, non solis auribus. Lucil. lib. 30 *Quantum haurire animus Musarum fortia gestit.*

ME NATAM NVLLI VET. SOCIARE) Generaliter dicit, prohibitum se dare Lauiniam cuilibet Latino, vt Turnus solatium aliquod habere possit, quando Latinum neminem sibi preferre videt. Et agit caussam suam apud eum, que $\bar{m}$ à coniunctione propria, ratione potius reddita, quam auctoritate patris volebat excludere. Nuptias, inquit, filiæ meæ nunquam habui in potestate, vt cæteri patres: horum enim sibi iudicium numina vindicarunt, nō occultè, nec dubiè. Nam ipsa ostenderunt quid vellent (lib. 7.) & vatum omnium consensus edocuit. Interea dum excusationem suam astruit, etiam ipsi Turno ingerit metum, ne vlterius illicitum quærat, addens, iam datas esse pœnas contra vetitum admissi, &, si in errato duraretur, futuras esse peiores. Promisit autē Æneæ filiam per Legatos. Ser. Donat.

VETERVM PROCORVM) Procacitas, inquit Nonius, à procando, id est, poscendo: vnde & proci dicti sunt matrimoniorum petitores. Liuius Ægistho.

Quin quod parere nos maiestas mea procat,
Toleratis, extemploq; illam deducitis?

Hinc & meretrices procaces. Terent. Hecyra. *Maligna mulier, & procax facta illico est.*

DIVIQVE, HOMINESQVE CANEBANT) Cum hominibus dij coniungi solent apud Latinos sæpissimè, cū aliquid vehemēter approbatum, manifestum, indignum ostenditur, in iureiurando etiam. Cic. ad Q. F. libr. 2. epist. Vatinium arbitratu nostro concidimus, diis, hominibusque plaudentibus. Idem Philipp. 8. Antonij igitur promissa cruenta, tetra, scelerata, diis, hominibusque inuisa. Sallust. in Catilin, Deos, hominesque testamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, &c. Terent. And. *Prô deûm, atque hominum fidem, quid est, si hæc non contumelia est?*

COGNATO SANG.) propter Veniliam Turni matrem, Amatæ sororem.

A

VINCLA OMNIA RVPI) & religionis, & fœderis, quæ sunt iuris diuini, & humani. Æneid. 2. Sinon de fuga sua. *Eripui, fateor, letho me, & vincula rupi*, religionis videlicet, qua eram obstrictus.

EX ILLO) ἐξ ἐκείνου, ἐκ τοῦ, subauditur, χρόνου.

QVI ME CASVS, QVÆ BELLA SEQVANTVR, VIDES) De istis casibus statim subiungit, & quinam fuerint, edicit: cupitque præterita detrimenta esse προδιδάσκαλον incommodorum futurorum. Huc accommodes illud Isocrat. ad Demonicum. οὕτω δ' ἂν μάλιστα καλῶς ἀποφαίνοιο τοὺς συμφοράς... Ita maximè ad prudenter cōsulendum rebus tuis incitaberis, si, quæ damna pariat temeritas, tecum reputaueris. Etiam valetudinē tuemur diligentius, quo magis morborum molestias meminimus.

B

BIS MAGNA VICTI PVGNA) semel cum occisus Mezentius lib. 10. iterum cum Camilla lib. 11. Si semel malè pugnatum, daretur hoc euentui: bis pugnatum est, & fortiter quidem, atque vt obtineri debuisset victoria, nisi offensa numina prosperitatē omnem in aliam partem, facta nostrorum cæde auertissent. Atque vtinam malis ipsis venisset finis: nimis autem vigent, ac vt noua, & pertinaciter continuata perdurant. Quid iam speretur prosperi, quum extra vrbem perierint omnia, & vix tueamur, quæ tenemus inclusa? Donatus.

C

SPES ITALAS) Res nostras, commoda, facultates, præsidia, oblectamenta vocamus latinè spem, & spes nostras, quoniam iis nitimur, in iis speramus, iis nos pascimus, &c. Plaut. Capt. *Tibi commendo spes, opesq; meas.* Cic. ad Terent. Mea Terentia, fidissima, atque optima vxor, & mea carissima filiola, & spes reliqua nostra Cicero, valete. Virgil. 2. Æneid. *O lux Dardaniæ, spes ô fidissima Teucrûm.* Cic. 3. Catilin. Existimare debetis, omnes Catilinæ copias, omnes spes atque opes, his depulsis vrbis periculis concidisse. Nos quoque Catholici inuito, & ringente diabolo, *Mariam* deiparam spem nostram salutamus.

D

RECALENT FLVENTA) Enallage figura, prò calent: vt *fata renarrabat diuûm*, pro, narrabat. Vel, iterum calent, quia bis victi.

CAMPIQVE INGENTES OSSIBVS ALBENT) Stragis magnitudo ex camporum latitudine, quæ ossibus tegeretur, expressa est. Oedipus apud Senecam. *cruentos pestis infanda tuli Rictus, & albens ossibus sparsis solum.*

QVO REF. TOTIES QVÆ MENTEM INSANIA) Quæ est ista insania mea, quæ me a recto consilio toties auocat? Non est bonum consilium, sinere Turnum cum Ænea congredi, ac tum denique in regnum socios accipere Troianos, si ille in certamine ceciderit. Melius est facere hoc, ipso viuo, vt maneat illi salus sua. Quam vt ei seruem, mouent me Rutuli, mouet reliqua Italia, cui videbor te prodidisse, & quod indignissimum est, petitorem filiæ morti obtulisse. Non enim sciunt te tua voluntate ruere ad interitum, & qui præsentes sunt, malè mihi dictitabunt, & in crimen crudelitatis vocabunt.

E

RESPICE RES BELLO VAR.) Ne videatur ignauiæ arguere, admonet casuum, vt suprà, *atq; omnes metuentem expendere casus.* * *Fecundissima sententia.* Respice res bello varias. *Pluribus locis M. Tullius ait, incertos esse belli exitus, ancipitem fortunam, & Martem communem. Liuius lib. 2. nusquam minus quam in bello euentus respondet. Ac propterea rectè dictum, & sapienter ab eodem historicolib. 25. in bello nihil tam leue est, quod non magna interdum rei momentum faciat. Dixit etiam sine Iphicrates, siue alius quidam egregius dux, in bello nihil esse negligendum.*

Missa

MISERERE PARENT. LONGÆVI) Pathos ab ætate senecta. Macrob. lib. 4. cap. 5.

MOESTVM PATRIA ARD. LONGE DIVID.) Longè mœstum, id est, valde mœstum: nam longè diuidit, non procedit: non enim Ardea à Laurento valde longo spatio diuiditur. Seruius.

ÆGRESCITQVE MEDENDO) Vnde Latinus se remedium ei allaturum sperabat, inde morbus eius magis crescebat, inquit Seruius. Ouid. *Acrior admonitu est, moderaminaq; ipsa nocebant.* *Medendo*, dum ei medetur, & medicina affertur: nam gerundij modus est, à passiua significatione.

VT PRIM. FARI POTVIT) Vix exspectare potuit, dũ Latinus finem loquendi faceret. Volebat interpellare Latinum: sed propter personæ reuerentiam non est ausus. Vel sic, nimius dolor iracundiæ, intercluserat vocẽ. Sic de Euandro lib. 8. *Et via vix tandem voci laxata dolore est.* Donatus, Seruius.

SIC INCIPIT ORE) pleonasmus, vt, *sic ore locuta est. Talis dabat ore loquelas.*

Quam pro me curam geris, hanc, precor, optime, pro me
Deponas, lethumq; sinas pro laude pacisci.
Et nos tela pater, ferrumq; haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longè illi dea mater erit, quæ nube fugacem
Fæminea tegat, & vanis sese occulat vmbris.
At regina noua pugnæ conterrita sorte
Flebat, & ardentem generum moritura tenebat.
Turne, per has ego te lacrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum (spes tu nunc vna senectæ,
Tu requies miseræ: decus imperiumq; Latini
Te penes: IN TE OMNIS DOMVS INCLINATA RECVMBIT)
Vnum oro, desiste manum committere Teucris.
QVI TE CVNQVE MANENT ISTO CERTAMINE CASVS,
ET ME, TVRNE, MANENT: simul hæc inuisa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiua videbo.

QVAM PRO ME CVRAM) Quam pro salute mea sollicitudinem geris, hanc pro mea fama, & gratia quæso derelinquas. Nec verò non etiam nostra tela vulnerant: aut solus ille ferire didicit, qui tum est tutissimus, cum à matre, obiecta nube, pugnę subducitur. Locus ęst Iliad. 5. vbi Venus ipsum Diomedi eripit.

LETHVMQVE SINAS PRO LAVDE PACISCI) Quis putaret homini quidquam vita esse charius? certè viris magnanimis gloria charior est, quam vel ipso sanguine, & morte licentur. His verbis, & superioribus illis, *Quam pro me curam geris, &c.* videtur mihi consonare, quæ leguntur apud M. Tullium in 4. Catilin. Sic enim ille oratorum dux, & lucifer de semetipso ad senatum. Quare P. C. consulite vobis, prospicite patriæ, conseruate vos, coniuges, liberos, fortunasque vestras: populi Rom. nomen, salutemque defendite: mihi parcere, ac de me cogitare desinite. Nam primùm debeo sperare, omnes deos, qui huic vrbi præsidẽt, pro eo mihi, ac mereor, relaturos gratiam esse. Deinde, siquid obtigerit, æquo animo, paratoque moriar. Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti.

ET NOS TELA PATER) Homerus Iliad. γ. ἐπεὶ καὶ ἐμὸν βέλος ὀξὺ παλάμηφιν, quò spectat Ouidianum quoque carmen: *Et mihi sunt vires, & mea tela nocent.* Vrsin.

Patrem etsi videri potest habita ætatis senilis ratione vocasse Latinum, tamen melius est secundum iurisconsuetudinem dictum accipere. Parentum autem, & liberorum loco in iure habentur vitricus, & nouerca. priuigni, eorumque filij. socer, socrus, prosocer, prosocrus, absocer, & deorsum versum nurus, gener, pronurus, progener, abnurus, abgener. Vide Cuiacium Obseruat. lib. 9. cap. 18.

LONGE ILLI DEA MAT. ERIT) Eodem modo locutus est Ouidius 8. Metamorph. optimus & ipse Latinitatis auctor.

Pone agè nec titulos intercipe fœmina nostros,
Thestiada clamant: nec te fiducia formæ
Decipiat, ne sit longè tibi captus amore
Auctor.

Testimonio Virgilij nitens Faërnus, similiter locum quendam, *longè futurum*, inquam, pro longè absfuturum legi volebat. Sed refellitur à Mureto, libro primo, cap. 4.

VANIS SESE OCCVLAT VMB.) Videtur quadam reciprocationis abusione dictum esse, cum de Ænea dici videatur, & ipsum latinitas postulet: sed aliquanto hac in re liberiores fuerunt Latini veteres, etiam Cicero. Turneb. lib. 10. cap. 7.

NOVA PVGNÆ CONTER. SORTE FLEB. ET ARDEN. GEN.) A rege incipit dehortatio à monomachia, quam excipit regina maiori affectu: accedunt etiam tanquam faces, lacrymæ Lauiniæ sponsæ. Turnus Hectoris, Amata Hecubæ, & matronarum Troianarum personas gerunt, quę illum precibus, ac lacrymis intra vrbem conantur retinere, ne in prælium exeat, aut cum Achille congrediatur.

Nouam sortem intellige magnam sortem, singulare certamen scilicet: nouum enim esse non poterat, quod fuerat ante promissum. Præcedentibus autem, & comitantibus vocem lacrymis, nitebatur suo fletu quasi incendium Turni restinguere. Veri doloris nuntij, veri testes lacrymæ. Tenebat ergo generum, quem ipsa cupiebat

cupiebat esse generum, flens, & moritura, hoc est, cum animo semet hac luce orbandi, si quid tale Turno in ista monomachia contigisset, quale formidabat. Seruius, Donatus.

SI QVIS AMATÆ TANG. HON. ANIMVM) si quem honorem habes Amatæ. Sic in 7. *Si qua piis animis manet infelicis Amatæ Gratia.* Deinde vbi totum per species digessit, ad generalitatem se confert, *in te omnis domus inclinata recumbit*, ducta metaphora à ruina. Postremò, quia scit virum fortem suã mortem facilè posse contemnere, deterret eum, dicens, se simul esse morituram (quemadmodum fecit) vt quia periculum non timet, formidet inuidiam. Seruius.

More latino loquitur, & dicit: si quid Amatæ caussa facere vis. Nam cùm dicunt, se alicuius caussa aliquid facere, sæpenumero honoris eius caussa facere prædicant: hocque genus loquendi & apud Ciceronem, & apud Plautum reperire licet. Turneb. 23. cap. 14.

SPES TV NVNC VNA SENECTÆ) Hæc, & quæ sequuntur duobus deinceps versibus, germana sunt illis è Quintiana Ciceronis, vbi sic Orator ad C. Aquilium iudicem: Tibi suas omnes opes, fortunasque commendat, tibi committit existimationem, ac spem reliquæ vitæ suæ. Mea spes, mea requies, meum decus in blanditiis dicuntur, vt vita, lux, desiderium, præsidium, pars animę, voluptas, gaudium, mel, salus, animus, ocellus, festiuitas, amœnitas, lepos, commoditas, opportunitas, & alia demum ἐρωτικώτερα apud Plautum: quibus contraria sunt in conuitiando, seu maledicendo, ex eodem Comico, audaciæ columen, thesaurus stupri, adolescentum perlecebræ, pernicies, exitium, flagitium hominis, carnifex, trifurcifer, scelerum caput, Acherontis pabulum, vetuli verueces, stabulum æquitiæ, fungus, barathrum, dierectus, triueneficus, frutex, plagipatida, legirupa, & alia quamplurima. ❧

DECVS, IMPERIVMQVE LATINI TE PENES) Penes te, inquit Vlpian. libr. de verbor. signif. amplius est, quam apud te: nam apud te, est quod qualitercunque à te tenetur: penes te est, quod quodammodo à te possidetur. In quem locum hæc Alciatus. Qui penes se rem habet, plus iuris in ea habere videtur, quàm qui apud se. Idem enim est, penes se habere, quam penitus apud se, id est, in potestate, iure, dominioque suo, cùm dictio, Apud, ad personam, vel locum simpliciter referatur. Vide etiam Festum.

IN TE VNVM DOM. INCLIN. RECVMB.) Recumbere domum in aliquem, est ipsum esse familiæ columen, firmamentum, præsidium, solatium.

VNVM ORO, DES. MANVM COM. TEVCRIS) Sic Homer. Iliad. γ.

——— ἀλλά σ' ἔγωγε
Παύσασθαι κέλομαι, μὴ δὲ ξανθῷ μενελάῳ
Ἀντίβιον πόλεμον πολεμίζειν, μὴδὲ μάχεσθαι.

Et *Teucris*, non *Teucro*. Terent. de L. Lanuuio obtrectatore suo, in prolog. And. *Nunc quam rem vitio dent, animaduertite.* Vbi Donatus, oratoriè, quasi multos facit,
B quum vnum suprà dixerit. Tum ex Marone hunc ipsum locum confirmationis ergô subiicit. De solo enim Ænea cum loquatur Amata, tamen *Teucris* dicit, ad terrendum Turnum. ❧

QVI TE CVNQVE MANENT CASVS, ET ME MANENT) Huiusmodi quædam loquendi genera non parum habent festiuitatis, & ad commouendos animos vim non mediocrem. Sunt igitur similia, Ciceronis pro Deiotaro: tuumque hostem esse duxit suum. Et pro Milone, Cæsaris potentiam, suam potentiam esse dicebat. Rursum: quid habeo, quid dicam, quid faciam, pro tuis in me meritis, nisi vt eam fortunam, quæcunque erit tua, ducam meam? Plaut. Capt. *quod tibi suadeo, meo suadeam,*
C *filio.* Qui vos tetigerit, tanget pupillam oculi mei, dictũ à deo, de sacerdotibus suis per prophetam. ❧

SIMVL HÆC INVISA RELINQ. LVM.) Hoc cæli lumẽ, quod mihi te extincto inuisum erit. Cic. 2. de Diui. *Hic situs est vita iam pridem lumina linquens.* Lucretius. *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.* Æneid. 4. *Quãprimum inuisam quærens abrumpere lucem.* Contrarium est, quod Iuturna fratri, infra. *quæ tibi lucem Arte morer?*

NEC GENERVM ÆNEAM CAPTIVA VIDEBO) Eia autem captiua. Non habebit te captiuam vir mitissimus: sed velut matrem colet, iniuriarum, & maleuolentiæ tuæ prorsus immemor. Verùm tu, quod te
D meritam sentis, hoc futurum prędicas: more hominum facis. Duabus ergo de caussis se Turno superstitem viuere posse negat: tum quia iuuenem nimis amet, & in eo omnia posita iudicet: tum quia Troianum oderit, eumque generum ferre non possit. ❧

Accepit vocem lacrymis Lauinia matris,
Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violauerit ostro
Si quis ebur, vel mista rubent vbi lilia multa
Alba, rosa, tales virgo dabat ore colores.
ILLVM TVRBAT AMOR, FIGITQVE IN VIRGINE VVLTVS.
Ardet in arma magis, paucisq; affatur Amatam.
Ne, quæso, ne me lacrymis, neue omine tanto
Prosequere, in duri certamina Martis euntem,
O mater. neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer. CVM PRIMVM CRASTINA COELO
PVNICEIS INVECTA ROTIS AVRORA RVBEBIT,
Non Teucros agat in Rutulos, Teucrûm arma quiescant.

Et Rutulûm, nostro dirimatur sanguine bellum:
Illo quæratur coniux Lauinia campo.

ACCEPIT VOCEM LACRYMIS LAVINIA MATRIS) A Ordo verborum est: Lauinia vocem matris accepit, ipsa flagrantes genas perfusa lacrymis. Id est, cùm hæc matrem cum clamore, & fletu orantem audiret, ipsa quoque ex sympathia, & quæ sciret sua caussa hanc excitatam tragœdiam, multo cum rubore, quem ei ignis, id est calor subiiciebat, (est enim hypallage in versu) prorupit in lacrymas.

INDVM SANG. VEL. VIOLAVER. OSTRO SI. Q. EBVR, VEL. MISTA RVB. VBI LIL. MVLTA) Ipso vultu candido, & rubicundo ebur, & purpuram, siue lilia cum rosis (Milesiis puta) coniuncta imitabatur. Et sumpsit ab Homero, Iliad. δ.

Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ B
Μῃονὶς, ἠὲ κάειρα, παρήϊον ἔμμεναι ἵππων.

Quamuis Homerus de muliere pudore suffusa non agat, sed ait, sanguinem de Menelai vulnere fluentem, hoc modo eius corporis candorem infecisse, vt mulier colore purpureo inficere solet ebur. Fuit hoc Mœoniarum fœminarum inuentum: quam ad rem valent Ouidiani versiculi de 2. Amor.

Quale rosæ fulgent inter sua lilia mista,
Aut vbi cantatis luna laborat equis.
Aut quod (ne longis flauescere possit ab annis)
Mæonis Assyrium fæmina tinxit ebur.

Virgilius Homeri *μιαίνειν*, quod monet German. per *violare* reddit: quorum vtrumque tametsi sæpius in malam partem accipi notum est, pro inficere, & conspurcare, tamen nunc apud vtrumque in bonam accipi necesse est. Lilium, inquit Plin. lib. 21. cap. 8. rosæ nobilitati proximum est, & quadam cognatione vnguenti, oleique quod lirinon appellatur. Et impositum etiam maximè rosas decet, medio prouentu nondum incipiens. [*Nunc quibus verbis gratissimum hunc florem, lilium, inquam, depingat, consideremus.*] Nec vlli florũ excelsitas maior, interdum cubitorum trium, languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri. Candor eius eximius, foliis foris strictis, & ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantibus, effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuiq; filo, & semine stantibus in medio crocis. Ita odor, colorque duplex, & alius calycis, alius staminis, differentia angusta.

Non multum abludit à Maroniana compatione illa Tibulli. lib. 3. eleg. 4.

Vt cum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent.

Et Senecæ in Medea, vbi Chorus Creusæ, nubentis Iasoni formam commendat.

Ostro sic niueum Phœniceo color
Perfusus rubuit.

Ad eandem rem his vtitur comparationibus Ouid.

Quale coloratum Tithoni coniuge cælum
Subrubet, aut sponso visa puella nouo, &c.

Reliqua superius iã posita, hic iterare non attinet, *Quale rosa, &c.* Sunt autem comparationes quinq; conglobatæ, quarum prima de Tithoni coniuge, id est, Aurora, ante ortum solis subrubente, & tertia de rosa purpurea in medio cãdidissimorum liliorum, præcipuam venustatem habent. Et Claudian. de Proserpina, 1. Raptus, cum illius pudorem ad dearum aduentum declarat.

Sensit adesse deas, imperfectumq́; laborem
Deserit, & niueos infecit purpura vultus,
Per liquidas succensa genas, castiq́; pudoris
Illuxere faces. Non sic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod fæmina tinxerit ostro.

Assurgere ad sublimitatem Maronis nititur Statius quoque, sed frustra est, lib. 1. Achilleid.

Lactea Massagetæ veluti cum pocula fuscant
Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro.

Cum Virgilianis versibus compone adhuc illos Propertij lib. 2. eleg. 3.

Nec me tam facies, quamuis sit candida, cepit,
(Lilia non domina sunt magis alba mea:
Et Mæotica nix minio si certet Ibero,
Vtq; rosæ puro lacte natant folia.)

Anacreon.

Γράφε ῥῖνα καὶ παρειάς,	*Nasum, genasq́; pinge,*
Ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας.	*Lacti rosas remiscens.*

Idem hanc rosarum, liliorumq; commistionem in coronis gratum, & amoenum habere aspectum canit.

Ὅρα κ' ἐν στεφάνοισιν,	*En aspice in corollis,*
Ὅπως πρέπει τὰ λευκὰ	*Rosis decenter alba*
Ῥόδοις κρίνα πλακέντα.	*Vt lilia implicentur.*

Cõcludam hasce comparationes, si vnam Ennij ex Annali 11. adiecero tanquam auctarium. *Sic mulier erubuit, ceu lacte, & purpura mista.* Propter metrum legunt quidam, *Sic mulier rubuit*: aut *Erubuit mulier*. Videtur, quod putat Hieron. Columna, de captiua quapiam lo- C qui, quæ in hostium adducta conspectum, ingenuo rubore, quasi lacte admisto, genas perfuderit. Est autem antiquus nominandi casus lacte pro lac.

Ad mirificæ cuiusdam pulchritudinis gratiam, commendationemque pertinet, si quis etiam in fletu, per quem fœdatur, ac deformatur aspectus hominis, & quamuis formosi vultus informis, ingratus, & iniucũdus redditur, pulcherrimus nihilominus appareat, vt eum ipsæ lacrymæ condecorare quodammodo, & ornare magis videantur. Super hac re dictum alquid libro quinto, ibi, *Tutatur fauor Euryalum, lacrymæq; decora.*

INDVM EBVR) Georg. 1. caussa explicatur huius D adiuncti, *India mittit ebur.* magna enim elephantorum copia in India. Indum dentem vocat ebur Catull. car. de nupt. Esse autem cornu elephãti potius quam dentem, putat Pausanias, & nos alibi retulimus.

ARDET IN ARMA MAGIS) Cui suadebatur ne se committeret pugnæ, vidẽdo Lauiniam adeo venustam, vt nihil supra, magis inflammatus est ad pugnam ex amore illius, & desiderio potiundæ talis elegantiæ. Nec tempus sinebat, neque affectus magnitudo longam orationem texere: ergo respondet paucis: vetat lacrymationem, quia malum omen habet: mallet enim se læto omine, nempe faustis acclamationibus prosequeretur.

NEQVE ENIM TVRNO MORA LIB. MORTIS) Hoc E inenodabile Critici censuerunt. [*Vt est videre apud Seruium, qui tamen duas expositiones non malas affert in medium.*] Sed enodatu non est difficile, in hanc sententiam. Mihi non, vtrum velim, liberum est: pugnam enim detrectare non possum, vt si cadendum, & oppetendum sit, differre non possim. Ac sic loqui solent, qui obstinato animo ad pericula rapiuntur: negant enim sibi licere periculum fugere. Turneb. libr. 23. cap. 14. Locum ex Apollonio Virgiliano geminum producit German. vbi Iason ita ad matrem.

Μή μοι

Μὴ μοι κιγχάλλας ἐπιβάλλεο μῆτερ ἀόλας
Σὴ δὲ λίαν, ἐπεὶ ὁ μὲν ἐρυτήους χρηύτητο
Δάκρυσιν, ἀλλ' ἔτι καὶ χρὴ ἄλγεσιν ἄλγος ἄγειν.

* *Et de se loquitur in tertia persona: non enim dicit,* mihi, *Sed* Turno, *vt supra* Nulla mora in Turno est. *Et infrà,* Te Turni nunc dextra gerit. *Huiuscemodi modus orationis ad emphasin solet referri. Notauimus eundem alibi. Latinus de se ad legatos Æneæ lib. 7.* non vobis rege Latino Diuitis vber agri, Troiæue opulétia deerit. *Lib. hoc idem Turnus:* & Turnum fugientem hæc terra videbit? *Apud Horat. Ode 7. lib. 1. de se Teuc.* Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro.

NVNTIVS HÆC IDMON) Tantum sibi arrogauit, vt prior mandaret, & prior certamen indiceret, atque hoc ipsum cum superbia sua, & cum iniuria melioris, A dicens *Phrygium*, vt superius, *Desertorem Asiæ*: dicens etiam, quod nō esset Æneæ placiturum, vt soli concurrerent, per quod eum vt timidum perstringit. In tempore autem designando, matutino nempe, quo procedi vult ad certamen singulare, auiditas pugnaturi declaratur. Quòd ait, *nostro dirimatur sanguine bellum*, hoc se dicto omnibus commendat. Donatus, Seruius.

ILLO QVÆRATVR CON. LAVIN. CAMPO) qui illo in campo alterum ferro vicerit, Lauiniam coniugem habeat. Non iam precibus à parentibus, sed ense in aperto campo, & cum periculo vitæ quærenda, & impetranda est nostrûm alterutri. *Eß vvird die Haut kosten.* ※

Hæc vbi dicta dedit, rapidusq; in tecta recessit,
POSCIT EQVOS, GAVDETQVE TVENS ANTE ORA FREMENTES:
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia:
QVI CANDORE NIVES ANTEIRENT, CVRSIBVS AVRAS.
Circumstant properi aurigæ, manibusq; lacessunt
Pectora plausa cauis, & colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem, alboq; orichalco
Circundat loricam humeris: simul aptat habendo,
Ensemq;, clypeumq;, & rubræ cornua cristæ:
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, & stygia candentem tinxerat vnda.
Exin quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus astabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Arunci spolium: quassatq; trementem
Vociferans. Nunc ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit: da sternere corpus,
Loricamq; manu valida lacerare reuulsam
Semiuiri Phrygis, & fœdare in puluere crines,
Vibratos calido ferro, myrrhaq; madentes.

POSCIT EQVOS, GAVD. TVENS) Cum produci equos B iussisset Turnus, eosque frementes videret, lætabatur. Nam ex equorum vel mœstitia, vel alacritate euentum futurum dimicaturi solent colligere. Hos ad ornamentum Pilumno auo Turni donauerat Orithyia Erichthei Atheniensium regis filia, Boreæ vxor. Hi & niue candidiores, & vento celeriores erant, id est, candidissimi erant, & in cursu celerrimi. Est autem Homeri versus ad verbum Iliad. ϰ. *λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.* Seruius.

PILVMNO QVOS IPSA DECVS DED. ORIT.) Reprehendunt Critici Maronem in hoc verbo. Neque enim veri simile aiunt, aut probabile, Pilumno Italo notam fuisse Orithyiam puellam Atticam, quam Aquilo in C Thraciam rapuerit. [*postea quam eam ab Erichteo parente in vxorem petitam impetrare non potuit. De eo raptu Ouid. 6. Metam. fabulam exponit Plato in Phædro. Dum luderet cum Pharmacia, Aquilonis flatu deturbatam esse, & ad proximas rupes, iuxta Ilissum, impulsam: & cum eo casu mortua fuerit, natam inde fabulam, ab Aquilone abreptam fuisse inde (ab Ilisso) vel Areopago: sic enim etiam circumfertur fama.*] Sed eorum pace dixerim, hic potius laudandus, quàm reprehēdus Maro est. Sciebat enim nobilitatam equis Thracen olim fuisse, cum scribat Hesiod. *ἐκ δὲ Θρῄκης πωλοτρόφου*, & equos Rhesi tantopere celebret Homer. Iliad. ϰ. qui etiam scribit, Aquilonem cum armento equorum Dardani congressum, sobolem genuisse generosissimam. Nihil hic igitur aliud significat Maro, quam ex illo generoso semine, Turni equos fuisse, & Thracios satu esse, cum Thracij equi præ cæteris censerentur. Proinde 9. Æneid. scribit etiam de Turni equo, *maculis quem Thracius albis Portat equus.* Cum autem Pilumnus deus fingatur, dea Orithyia, quidni alter alteri notus esse potuerit? Non enim vt de mortalibus, sed vt de diis poëtam loqui censendum est: etsi in iis reuera nihil diuinitatis fuerit. Quidni enim poeta ius suum retineat, & in numerum deorum referat eos, qui ea tempestate hominum opinione cælitúm numerum replebant? Turneb. libr. 23. cap. 18. Vide & German. in hunc locum *

* *Pilumnus Romanum nomen est. Dicti Pilumni, quòd pila in pistrinis inuenissent. Pisones à pinsendo. Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum nomina, vt quisque leguminis genus aliquod optime sereret. Ita à rebus rusticis appellati Romani. Plinius libro 18. capite 3.*

QVI CANDORE NIVES) Hyperbole est, de qua disserens Seneca libr. 6. de benef. cap. 23. hunc eundem

undem Maronis versum producit. Caput totum, quia A non ita longum, huc transferemus. Quoties parum fiduciæ est in his, quibus imperas, amplius exigendum est, quàm satis est, vt præstetur quantum satis est. Itaque ille cum dixit, *Qui candore niues anteirent, cursibus auras*, quod non poterat fieri dixit: vt crederetur quantum plurimum posset. Et qui dixit, *His immobilior scopulis, violentior amne*, ne hoc quidem se persuasurum putauit, aliquem tam immobilem esse, quàm scopulum. Nunquam tantum sperat hyperbola, quantum audet: sed incredibilia affirmat, vt ad credibilia perueniat. Cùm dicimus, qui beneficium dedit, obliuiscatur, hoc dicimus: similis sit oblito. Memoria eius non appareat, nec incurrat. Cum dicimus, beneficium repeti non oportere, non ex toto repetitionem tollimus: B sæpe enim opus est malis exactore, etiam bonis admonitore. Quid ergo? occasionem ignoranti non ostendam? necessitates illi meas non detegam, quare nescisse, se aut mentiatur, aut doleat? Interueniat aliquando admonitio, sed verecunda, quæ non poscat, aut in ius vocet.

Ad currum Iouis censebant equos niuali candore iunctos esse. Sueton. Augusto cap. 94. atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine, & sceptro, exuuiisque Iouis opt. max. ac radiata corona super laureatum currum, bissenis equis eximio candore trahentibus. In- C uidiosus itaque Camillus fuit, quod in triumpho curru equis albis iuncto, vrbem inuectus esset, quod humano fastigio ampliorem vindicare honorem, paremque supremo Ioui videretur. Plaut. in Asinaria quadrigas albas dixit, quòd equos candentes celeriores crederent, quod hic videtur Maro tetigisse. Turneb. lib. 24. cap. 31.

CIRCVMSTANT PROPERI AVRIGÆ) Festini, veloces, ait Seruius, intellige, in equis illis ornandis.

IPSE DEHINC AVRO SQVALENTEM, AL. ORICHAL.) Illa superiora equis fiebant, ipse quoque sumebat munimenta corporis sui. Et primùm quidem humeros lo- D rica circundat, quæ auro, & orichalco fuit splendida. *Album* vocat orichalcum, auri comparatione. Peruerse nonnulli scribunt aurichalcum, quasi sit aurum ære mixtum. Cum quarta vocali scribendum est: nam à montibus deducitur vocabulum, quia in mõtanis locis inuenitur, nec habet quidquam auri admistum. Vtrum autem orichalcum genus aliquod sit metalli fossilis, & natiui, præter id quod est omnibus notum, & factitium: an nullum fuerit vnquam, nec hodie sit orichalcum fossile, quæritur. Vide Lamb. in Curcul. Plauti, scena vlt. Act. 1.

APTAT HABENDO) Aptat habendo, ad habendum, vt congruè possint inhærere, vt bene haberi E possint, ac ferri. Quod enim bene portatur, & aptè fertur, gestantem releuat, quia leuius redditur. Donatus.

RVBRÆ CORNVA CRISTÆ) Cornua non desunt qui hic pro intortis cincinnis accipiant: neque alia habuisse cornua Mosen, quam eiusmodi cincinnos asseuerent, quomodo Armenij, & Lydi sacerdotes incedunt hac ætate, cincinnis spectabiles, seu potius crobylis, quos Iuuenalis quoque cornua appellat. Est autem crobylus crinium vtrinque in conum intortorum plexus. Lege Iunium de coma pag. 308. De cornibus super galea affert quædam Lipsius, Analect. ad dial. 5. li. 3. de Milit. Rom. Ibidem hanc esse mentem Virgilij censet in istis verbis, cristas ipsas plumeas sectas, & diuisas fuisse, velut in cornua. De generibus, & coloribus cristarum agit idem lib. 3. dial. 5.

ENSEM QVEM DAVNO) Equos laudauit à donante, laudat & gladium ab artifice: Vulcanus enim non per ministros, sed suis ipse manib. Dauno fecerat hunc ensem, & vt inuictus, & immortalis haberetur, celeriusque interiret, quemcunque vulnerasset, Stygia vnda eum tinxerat. Et notandum, quòd affectate variauerit, vt Æneæ vno loco arma describeret, Turni vero hic hastam, gladium, & loricam, in octauo autem scutum, & galeam. * *Quam varia fuerit armatura ducum quorundam, obseruauit Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 20.*

INGENTI ADNIXA COLVM.) Cum Homerum aliquando animi gratia euoluerem, obseruaui, antiquos hastas non vt nunc fit, iacentes, aut pendulas, sed infrà ligneam columnam reconditas asseruare consueuisse. Sic enim ille Odyss. 1.

> Ὣς εἰπὼν ἡγεῖθ', ἡ δ' ἕσπετο Παλλὰς Ἀθήνη.
> Οἱ δ' ὅτε δή ῥ' ἔντοσθεν ἔσαν δόμου ὑψηλοῖο,
> Ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρὴν,
> Δουροδόκης ἔντοσθεν ἐϋξόου, ἔνθα περ ἄλλα
> Ἔγχε' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἵστατο πολλά.
> *Sic locutus præibat, & sequebatur Pallas Minerua.*
> *Hi autem cum iam intra erant domum altam,*
> *Hastam quidem ferens posuit ad columnam longam*
> *Intra thecam hastarum bene politam, vbi alia vtiq;*
> *Hastæ Vlyssis ærumnosi stabant multæ.*

Idem Homerus infrà lib. 17.

> Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἵκανε δόμους εὖ ναιετάοντας,
> Ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρήν.
> *Sed postquam peruenit domos bene habitatas,*
> *Lanceam quidem posuit portans ad columnam longam.*

Ad hanc fortasse consuetudinẽ allusit Virgilius: quem locum enarratores ex Homericorum versuum ignoratione non rectè exponunt. Hæc Magius lib. 3. cap. 2. Eustathius in eum Odysseæ locum, qui citatus est ex lib. 1. Δουροδόκη δὲ θήκη δοράτων ξυστοδόκος, ἢ μάλιστα εἰς κίονας ἐγκεκλιμένη, ἐν ᾗ πρὸς ὀρθότητα τὰ δόρατα ἵσταντο.

ACTORIS ARVNCI SPOLIVM: QVASSATQVE TREMENT.) Ambiguum est, vel quod Actori detraxerat Turnus, vel quod Actor cuipiam alteri. Quassat autem trementem, id est, quassando tremere facit. Deinde hastam quasi aliquam personam alloquitur, eique auditum, & intellectum dat, quia furens, vt mox sequitur. Seruius. * *Par stoliditas fuit Mezentij, qui libro superiore dexteram suam, & telum inuocauit. Verum ille contemptor quoque deûm erat, qui proinde conuitiantius fecit: Turni factum est tantum superbea cu[...]osdam, & stultitia.*

NVNC O NVNQVAM FRVSTRATA VOCATVS) Imitationem græcam præcipuè præ se fert, ait Turneb. lib. 8. cap. 16. Nam apud Æschylum in Septem ad Thebas, Parthenopœus, quod amentis, est & impiæ superbiæ, per hastam iurat, & eam colit pro deo.

> Ὄμνυσι δ' αἰχμὴν, ἣν ἔχει, μᾶλλον θεοῦ
> Σέβειν πεποιθὼς, ὀμμάτων θ' ὑπέρτερον.

Hasta Cænei etiam prouerbio celebrata est, quam ille à ciuibus, & viatoribus coli, & cuius nomine iusiurandum concipi cogebat. Sed & per hastam antiquis iurare vsitatum, & solitum fuit. Nam Iustinus lib. 43. id ostendit, eamque sceptrum fuisse dicit. Ita apud Maronem

...tionem per sceptrum iuratur, vt apud Homerum, & Valer. Flaccum per hastam eodem modo. A

Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam.
Quæ neq; iam frondes virides, neq; proferet vmbras, &c.

LACERARE REVVLSAM) Seruius, vt laceratam reuellam.

SEMIVIRI PHRYGIS) Libr. 4. de eodem cum eadem contumelia, *Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu.* Paris enim mollis, & effæminatus fuit, vt patet ex Homero. Val. Flaccus lib. 1. *simul armiger ibat Semiuir.* Liuius de bello Macedon. libr. 3. Errare homines, qui atrocem cædem pertinere ad illos semiuiros crederent.

VIBRATOS CALIDO FERRO) Crispatos calamistro: nam calamistrum est acus maior, quæ calefacta, & adhibita torquet capillos. Vnde & Cicero calamistratam comam appellat frequenter, quæ etiam vituperationi est: vnde econtra ad laudem est positum ab Horatio. *Hunc, & incomptis Curium capillis.* Et Ouidio. *intonsi regia magna Numæ.* Seruius. B

Vibratos calido ferro, Seruius accipit crispatos calamistro. Certè & cinifiones antiquis dicti à calefactis calamistris, ad intorquendos, fingendosq; capillorum cincinnos, cirros, corymbos, crobylos tum mulieribus, tum effæminatis viris, mollibusq;. Calamistratos autem crines vt muliebres notat, alludens ad sæcula, quibus Romæ mariti indulsere vxoribus, quò formam suam concinniorem efficerent, capillos suos cinere rutulare. German.

MYRRHAQVE MADENTES) Exprobrat Propertius hoc etiam amicæ suæ, *Aut quid Orontea crines perfundere myrrha.* Vnguenta Persas inuenisse, testatur Plin. lib. 13. cap. 1. Et cap. 3. hæc est materia luxus è cunctis maximè superuacui. Margaritæ enim, gemmæque ad hæredem tamen transeunt, vestes prorogant tempus: vnguenta illico expirant, ac suis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, vt transeunte fœmina odor inuitet etiam aliud agentes. Ibidem de luxu in vnguentis plura.

HIS AGITVR FVRIIS, TOTOQVE ARDENTIS AB ORE
SCINTILLÆ ABSISTVNT, OCVLIS MICAT ACRIBVS IGNIS.
Mugitus veluti cum prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atq; irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco, ventosq; lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis sæuus in armis
Æneas acuit Martem, & se suscitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios, mœstiq; metum solatur Iuli,
Fata docens, regiq; iubet responsa Latino
Certa referre viros, & pacis dicere leges.

HIS AGITVR FVRIIS) Quæ te intemperiæ exagitant? Atra bilis agitat hominem. Quæ te mala crux agitat, laruæ agitant senem, laruæ stimulant virum, laruarum plena est. Hæc sunt Plauti. Virgil. 4. Æneid. *Heu furiis incensa feror.* Verbo *furiarum* non pro furore, & impotentia mentis, sed pro cruciatu animi male sibi conscij, & pro illis terriculamentis, angoribusq;, quibus sceleratorum mentes afficiuntur Cicero vsus est. Dixit tamen ipse quoque, furiæ agitant, & insectantur impios, & agitari furiis.

SCINTILLÆ ABSISTVNT) In Menæch. Plautina fab. mulier de Menæchmo Sosicle, quem insanum, & furentem videri vult.

Viden' tu illi oculos virere? vt viridis exoritur color
Ex temporibus, atq; fronte, vt oculi scintillant, vide.

In quem locum adducit hunc versum Apollonij. Lambin. de Telamone irato videlicet.

Ἦ, καὶ ἐς Ἀγνιάδην Τῖφυν θέε. τὼ δέ οἱ ὄσσε
Ὄστλιγγες μαλεροῖο πυρὸς ὣς ἰνδάλλοντο.

Id est, dixit, & in Tiphin Aguiadam irruit. Oculi autem eius scintillis ignis erant similes.

OCVLIS MICAT ACRIBVS IGNIS) Imitatus est locum è 3. Lucretij.

Est etiam calor ille animum, quem sumit in ira,
Quum feruescit, & ex oculis micat acribus ignis.

Homerum quoque, cuius est, ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην. Sic & M. Tull. loquitur 1. Tuscul. Nec verò quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod iis sæpe vsu venit, qui acribus oculis solem deficientem intuentur, vt aspectum amittat. De irato autem, cui ignescunt oculi, 7. in Verrem. Ardebant oculi, ex toto corpore crudelitas emicabat. Et 1. Off. Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur. Ouid. 3. Artis. E C

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.

D Apposite ad hunc locum Persius, iram ex adiunctis describens, Sat. 3.

Nunc face supposita feruescit sanguis, & ira
Scintillant oculi: dicisq;, facisq;, quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

Multa etiam suprà ex Seneca, & Greg. Nysseno recitata sunt de ira, quæ huc similiter apta fuerint. Cur autem ferueant, ardeant, ignescant, vehementer niteant iratorum oculi, caussas aliquot physicas enumerat Camerar. problemat. decuria 2. problemat. 8.

MVGITVS VELVTI CVM) Comparatio de tauro posita est etiam 3. Georg.

PROTVLIT) præmeditatur. Cic. Si mecum in hac prolusione nihil fueris: id est, in hac meditatione certaminis. Seruius. Proludere, est ludendo imaginem quandam veritatis ostendere. Donatus.

Proludere est futurum certamen meditari, & exercendarum virium caussa, confirmandique animi simulacrum certaminis inire. Iuuenal. *Iurgia proludunt.* Proludere est aliquid agere, quod ad iustum certamen pertineat: quasique exordium legitimi, plenique certaminis auspicari. Apud Græcos *προαγῶνες* præludia pugnæ vocantur. Budæus annotat. poster. in Pand.

NEC MINVS INTEREA) interea dum Turnus ista gerit, ac loquitur, mandata eius, nuntio perferente, ad Æneam peruenerant, quo facto sese irritare ipse ad futurum certamen cœpit. Ingentem moderationem dat Æneæ, quippe quem inducit laborantem, vt possit in iram moueri: cum Turnum dicat ita furere, vt nec Latini consiliis, nec Amatæ precibus possit obedire. Gaudet tamen, quia offerebatur, quod omnibus votis optabat, vt esset tandè omnium certaminum finis. Suspensos socios, & filij sui metum releuat, ostendens fatorũ suffragio se esse tutissimum, perindeque suam fore victoriam, de quo tam securus, vt etiam per legatos (quos *κατὰ τὸ σιωπώμενον* à Latino quoque ad Æneam missos intelligimus) renuntiari iuberet eidem, leges pacis cõciperet, quas paulo post ipse Æneas in fœdere faciendo dicturus est. Donatus, Seruius.

MATERNIS SÆVVS IN ARMIS) quæ ipsi mater à Vulcano fieri curauerat, vt est lib. 8. in his erat sæuus, id est, acer, animosus, qua notione dictum lib. 1. *Sæuus* A *vbi Æacidæ telo iacet Hector.* Sanè, vt nec ibi Hectorem crudelem, sic neque hìc Æneam immitem, & atrocem vult intelligi, cum sæuum vtrumque appellet. Alio significatu dicitur Achilles sæuus lib. 2. *Hic Dolopum manus, hic sæuus tendebat Achilles.*

OBLATO GAVD. COMPONI FOEDERE BELLVM) Fœdus accipe conditionem, quam ei per Idmonem Turnus nuntiauerat, vt videlicet duo soli nomine amborum exercituum congrederentur: *nostro dirimatur sanguine bellum*, inquit. Tali ergo fœdere bellum finiri, seu finitum iri gaudebat Æneas, ne tam multus vtrinque sanguis funderetur. Vir pius mauult suum caput discrimini obiectare, quàm sua caussa alios in discri- B men vocari. Inde postea eiusdem vox.

O cohibete iras: ictum iam fœdus, & omnes
Composita leges, mihi ius concurrere soli.

TVM SOCIOS MOEST. MET. SOLATVR IVLI) Et socij, id est, Troiani, & filius Ascanius propter dubium monomachiæ futuræ euentum, erant de suo duce admodum solliciti, & magis timebant, quam sperabant. Præcipuè autem tristabatur, & metuebat patri filius. Itaq; cum omnes communiter, tum sæparatim filium est consolatus, & bona eos spe impleuit. Quomodo? Sequitur enim, *fata docens*, id est, redigens illis in memoriam, quæ responsa dedissent dij, de felici statu suo in Italia: & deos vtique non posse mentiri: sed omni- C no potius Turnum à se interfectum iri confiderent.

PACIS DICERE LEGES) Græci quoque *νόμους λέγειν*. De his legibus paulo post.

POSTERA VIX SVMMOS SPARGEBAT LVMINE MONTES
ORTA DIES, CVM PRIMVM ALTO SE GVRGITE TOLLVNT
SOLIS EQVI, LVCEMQVE ELATIS NARIBVS EFFLANT.
Campum ad certamen magnæ sub mœnibus vrbis
Dimensi Rutuliq; viri, Teucriq; parabant:
In medioq; focos, & diis communibus aras
Gramineas: alij fontemq; ignemq; ferebant,
Velati lino, & verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidûm, pilataq; plenis
Agmina se fundunt portis. Hinc Troïus omnis,
Tyrrhenusq; ruit variis exercitus armis.
Haud secus instructi ferro, quàm si aspera Martis
Pugna vocet: nec non mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant, ostroq; decori,
Et genus Assaraci Mnestheus, & fortis Asylas,
Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
Vtq; dato signo spacia in sua quisq; recessit,
Defigunt tellure hastas, & scuta reclinant.
TVM STVDIO EFFVSÆ MATRES, ET VVLGVS INERMVM,
INVALIDIQVE SENES, TVRRES, ET TECTA DOMORVM
OBSEDERE: ALII PORTIS SVBLIMIBVS ASTANT.

POSTERA VIX SVMMOS) Descriptiones aliquot diei orientis collegimus in 4. Æneid. ibi,

Et iam prima nouo spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

D Quod poetæ solem cum occidit, in Oceanum descendere, & cum oritur, inde redire dicunt, secundùm sensum dicitur, nauigantium nempe, quibus vndiq; cælũ, & vndique pontus. Hinc Lucret. lib. 4.

In pelago nantis ex vndis ortus,in vndis
Sol fit vti videatur obire, & condere lumen:
Quippe vbi nil aliud nisi aquam, cælumq́, tuentur.

Currum porrò solis mirè depingit 2. Metamorph. Ouid. hisce carminibus, quibus nihilominus ortum diei sanè eleganter περιεργάζει, poeticè prorsus, & copiosè satis:

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summa
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.
Per iuga chrysolithi, positaq́, ex ordine gemmæ,
Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.
Dumq́, ea magnanimus Phaëton miratur, opusq́,
Perspicit: ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena rosarum
Atria: diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cæli statione nouissimus exit.
Tum pater vt terras, mundumq́, rubescere vidit,
Cornuaq́, extremæ velut euanescere lunæ, &c.

SPARGEBAT LVM. MONT. ORTA DIES) In locis enim excelsis, atque adeo in montium iugis,& cacuminibus primùm se radij solis orientis ostendunt. Seneca Troad.

Summa iam Titan iuga
Stringebat ortus, vicerat noctem dies.

Non antè propriè dies oritur,sed sol,auctor,& effector diei. *

LVCEMQVE ELATIS NARIBVS EFFLANT) Apparet ab Ennio manasse, vt notarunt eruditi. Ille enim hoc modo, *funduntq́, elatis naribu' lucem.* vnde & Lucilius deriuauit suum illud, *efflantq́, elatis naribu' lucem.* Ad elegantiam horum versuum contendit Claudian. Paneg. in Probin.& Olybrium.

Blandius elato surgant temone iugales:
Efflantes roseum frænis spumantibus ignem.

Allusit ad hanc ortus diei descriptionem Silius quoq;, imitator Maronis longè studiosissimus, 5. Punicor. *Donec flammiferum tollentes æquore currum Solis equi sparsere diem.*

CAMPVM AD CERT. MAGNÆ) Etiam nemine monente, qui Homerum legit vel semel, videt totum hunc locũ de icto fœdere propter monomachiam Paridis, & Menelai,de 3.Iliad. translatum esse. Ergo Teucri,& Rutuli inter se per certa spatia diuidebant, quæ quisq; loca purgaret, *puro vt possent concurrere campo*, sicut infrà dicitur. Vnde & Fauni lucum euertêre Troiani.Seruius.

IN MEDIOQ. FOCOS, ET DIIS COM. ARAS) Quidquid ignem fouet, focus vocatur, siue ara sit, siue quid aliud, in quo ignis fouetur. Romani etiam moris fuit, & cespitem aræ superimponere, & ita sacrificare. Seruius.

Quod legimus plerumq;, pugnandum esse pro aris, & focis,etsi de aris templorum, & priuatis tectis accipiendum plerisq; videtur, tamen auctoritatem Maronis secutus, interdum de fanis, & delubris exponendum puto. Nã pars quædam aræ, in qua accenditur ignis, focus dicebatur, seu ignitabulum, & aræ focus imponebatur. Et eodem lib. hic, *crateraq́, focosq́, ferunt.* Itaq; idem prope interdum esse videntur foci, & aræ. Sæpe tamen foci pro tectis priuatis intelliguntur: seu foci etiam, & aræ priuatæ sunt, vt apud Cic. pro domo. Omnium ciuium salus, vita, libertas, aræ, foci, dij penates, bona, fortunæ. Idem, deiicere aliquem nudum domo,atq; focis patriis, diisque penatibus præcipitem exturbare. Iterum, focos, deos penates esse subiectos A libidini tribunitiæ. Communes autem deos putem dici deos illos, quorum simulacra in gramineis aris erant posituri, vt eorum interuentu, ex religione sanciretur fœdus: at communes vocantur, quòd eorum sacramẽto, ac religione, cõmuniter vtraq; pars esset fœdus percussura, & eorum nominibus statura, vt dij sint communes Troianis, & Latinis in fœdere iungendo. Turn. lib.23.cap.14. Dij communes sunt Seruio Mars, Bellona, Victoria, quod hi in bello vtrique possunt fauere.

ARAS GRAMINEAS) Gramen herbæ species est, licet omnis herba gramen vocetur, sicut robur omne lignũ, cum sit & species. Seruius.

B Aras gramineas intelligit cespititias, quales in castris excitabantur, vt & tribunalia, & cespitem pro ara habebant. Horat. Ode 19. lib. 1. *positumq́, carbo in cespite viuo.* Iterum.

Hic viuum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite.

Sed & cespitem interdum Romano ritu aræ imponebant, vt Seruius notat. Prudent. hym. 5. περὶ στεφάνων.

Aut ara thure, & cespite
Precanda iam nunc est tibi.

Turneb. lib. 11. cap. 1.

FONTEMQVE IGNEMQVE, FEREBANT) Fontem pro aqua posuit, à toto partem. Sanè ad faciẽda fœdera, ignis, C & aqua adhibebatur. Vnde econtra, quos arcere volumus à nostro consortio, eis igni, & aqua interdicimus, id est, rebus quibus consortia copulantur. Seruius.

VELATI LINO) Sciendũ, Fecialem, & Patrempatratum, per quos bella, vel fœdera confirmabantur, nunq̃ vti solitos vestibus lineis: vnde dicimus errorem factũ, vt linea vestis contra morẽ adhiberetur ad fœdera, quæ firma futura non erant, &c. Seruius.

Velati dicebantur, qui caput cinctum licio laneo habebant. Liuius lib. 1. Legatus vbi ad eorum fines venit, vnde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamẽ erat) audi Iupiter, inquit. Hoc idem voluit hic Virgil. D Sic supplica, & velamenta dicebãt τὰν ἱκετηρίαν: quod nimirum filo laneo velatum erat caduceũ. Græci dicunt στέμματα, &c. Scalig. F. Coniectan. in Varron. * *Sunt qui legendum opinentur,* Velati limo. *Limus enim vestis est, qua ab vmbelico vsq́, ad pedes teguntur pudibunda poparum. Hæc autem vestis in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam habet: Vnde & nomen accepit: nam limum obliquum dicimus. Vnde & Terent. limis oculis, id est, obliquis. Ita Seruius. Vide Isid. lib. 15. cap. 14. Cur sacerdotes Aegyptiorum vterentur vestibus limis tantùm, docet Pierius lib. 40.*

VERBENA TEMPORA VINCTI) Verbena propriè est herba sacra, sumpta de loco sacro Capitolij, qua coronabantur Fecialis, & Paterpatratus fœdera facturi, vel bella indicturi. Abusiuè tamen etiam verbenas vocamus omnes frondes sacratas, vt est laurus, oliua, vel E myrtus: vt Terent. And. *Ex ara hinc verbenas sume.* Nam myrtum fuisse, Menander testatur, de quo Terentius transtulit. Seruius.

PILATA PLENIS AG. SE FVNDVNT PORTIS) Homerus ostendere volens, manum militum per portam fractam se coniecisse in castra, cecinit ita, vsus verbo quodam μεταφορικῶς à fundendo. οἱ δὲ κατ᾽ αὐλὰς πυλάων ἐσέχυντο πύλας. Cicero eodem pacto inquit. C. Marius influentes in Italiam Gallorum copias repressit. Victor. lib. 28. cap. 18.

Pilatis dixit, pilis armata: pilum autem genus est teli. Plenis vero portis agmina se fundebant, eorum scilicet, qui securi fuerant facti de alieno certamine, qui

re, qui dudum fugientes, murorum petiuerant tuta, & A euidentem euaserant mortem. Nunc quia omnis aberat metus, nullo cogente, certatim se fundebāt in aperta camporum. Ruebat etiam Troïus, & Tyrrhenus exercitus, id est, cum impetu veniebat, ὥρμων. *Variis armis*: quia diuersarum terrarum viri non similia arma portabant. Sic autem erant instructi, quasi continuò pugnaturi. Bona προοικονομία, & rei futuræ præparatio: ruptis enim fœderibus in bella descendent. Duces auro, & purpura conspicui erant, quorum Mnestheum, & Asylam Troianos, Messapum Latinorū accipimus. Donatus, Seruius.

MEDIIS IN MILLIBVS) 1. Æneid. de Penthesilea, *mediisq́; in millibus ardet.*

B ET MESSAP. EQ. DOMIT.) Messapus Græcus fuit, Anthedonius: ex cuius nomine, & in Bœotia prope Anthedonem mons Messapius nomen inuenit. Is in Iapygiam Italiæ regionem è Græcia cum demigrasset, regioni Messapię vocabulum indidit. Strabo auctor est lib. 9. & à Solino aliena etiam fide proditur, sic enim scribit cap. 8. Licinio placet, à Messapo Græco, Messapiæ datam originem, versam postmodum in nomē Calabriæ. Messapum tamē imperasse Phaliscis dixit Maro.

SPAT. IN SVA QVISQ. RECESSIT) Hoc vtique facere debuerant, qui non pugnaturi venerant, sed pugnantes spectaturi. Donatus.

C DEFIG. TELLVRE HAST.) Hanc defigendarum hastarum consuetudinem, & in poeticis docuit Aristoteles, suo quoque tempore ab Illyriis, & quibus Diomedes imperauit, obseruatam fuisse. German.

SCVTA RECLINANT) Credo ea forma dictum, qua ab Homero Iliad. Δ. ἀνακλῖναι τόξον τῇ γῇ, ἀντὶ τοῦ κλιθῆναι. German.

STVD. EFFVSÆ MATRES, ET VVLG. INERM. INVALID. SENES) Apud Homerum senes Troiani sedēt in turri, Paridis, & Menelai congressum spectaturi. Noster vtriusque sexus mortales, & omnem ætatem ad suā monomachiam contemplandam inuitat. Imbellis ætas, & sexus, (mulieres nimirum, & senes) vulgus item inermum, (in quo pueros quoque intelligimus) muros, sublimia portarum, tecta, turres conscendebant. Mirum est, quàm in istiusmodi rebus curiosa sit hominū natura. Audiamus, amabò, quam ornatè, ac disertè Plin. iunior in Panegyrico, quem Traiano dixit, eiusdem imperatoris triumphalem in vrbem ingressum, tali quadam descriptione, populi videlicet eius spectādi gratia vndique se effundentis cohonestet. Loci sunt similes: sed ille oratoris, quemadmodum debuit, non paulo vberior, atq; magnificentior. *Ergo non ætas quēquam, non valetudo, non sexus retardauit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te paruuli noscere, ostētare iuuenes, mirari senes, ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conspectum tui quasi ad salutem, sanitatemq́; perrepere. Inde alij satis vixisse te viso, te recepto: alij nunc magis esse viuendum prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis suæ maxima voluptas subiit, quum cernerent, cui principi ciues, cui imperatori milites peperissent. Videres referta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum, & instabile vestigium caperet. Oppletas vndiq; vias, angustumq́ue tramitem relictum tibi: alacrem hinc, atque inde populum, vbique par gaudium, paremq́ue clamorem. Tam æqualiter ab omnibus ex aduentu tuo lætitia percepta est, quam omnibus venisti: quæ tamen ipsa cum ingressu tuo creuit, ac prope in singulos gradus adaucta est.*

At Iuno ex summo, qui nunc Albanus habetur,
(Tum neq; nomen erat, neq; honos, aut gloria monti)
Prospiciens tumulo, campum spectabat, & ambas
Laurentum, Troumq; acies, vrbemq; Latini.
Extemplò Turni sic est affata sororem,
Diua deam, stagnis quæ, fluminibusq; sonoris
Præsidet (hunc illi rex ætheris altus honorem
Iupiter erepta pro virginitate sacrauit)
Nympha decus fluuiorum animo gratissima nostro,
Scis vt te cunctis vnam, quæcunq; Latinæ
Magnanimi Iouis ingratum ascendêre cubile,
Prætulerim, cæliq; libens in parte locarim:
Disce tuum (ne me incuses) Iuturna dolorem.
Quà visa est fortuna pati, Parcæq; sinebant
Cedere res Latio, Turnum, & tua mœnia texi:
Nunc iuuenem imparibus video concurrere fatis:
Parcarumq; dies, & vis inimica propinquat.
Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum,
Tu pro germano si quid præsentibus audes,
Perge: decet. FORSAN MISEROS MELIORA SEQVENTVR.

AT IVNO EX SVMMO) *Transit poeta ad consilium Iunonis enarrandum, quod totum ad fœdus disturbandum, & Turnum morti eripiendum dirigitur.*] Quum dispositiones partium, & cuncta quæ gerebantur, de summo perspice- D ret Iuno, de monte, qui ab Alba vicina hodie Albanus, quia sciebat imparē Turnum, metuens ne ipsius morte ipsa quoque cum suis conatibus caderet, adhibendam putauit Iuturnam Turni sororē, quod ipsa quoq;

esset

esset dea, & vt dictum est, Turni germana, proindeque quæ mandata implere posset, & deberet. Et quia verisimile esse non poterat, alterum ex germanis fratribus esse mortalem, alteram verò deam esse potuisse, dicta est caussa, quæ Iuturnam ex mortali fecerat deam, & ipsa turpis. In qua & dantem, & accipientem poeta pariter notat.

QVI NVNC ALBANVS HABETVR) qui hodie mons Albanus vocatur, tum enim Alba nondum condita, neque nomen habebat, neque sciebatur. Post mortem patris Ascanius demum Albam condidit, à qua sic vocatur, vtpote vicino oppido.

DIVA DEAM, QVÆ) *Diua deam* aut hypallage est, pro dea diuam: nam deos æternos dicimus, diuos verò, qui ex hominibus fiunt. Aut bene dixit de Iunone *diuam*, respiciens etymologiam. Nam in Horatio legimus, *sub diuo moreris Victima nil miserantis Orci*, id est sub aëre, quem constat esse Iunonem. Deus autem, vel dea generale est omnibus. Namque quod Græcè δέος, latinè timor vocatur: vnde deus dictus est, quod omnis religio sit timori. Seruius.

STAGNIS QVÆ FLVM. SONOR. PRÆSIDET) Honor pro mercede stupri repensus est, vt stagnis, & fluminibus sonoris præsideat. stagna non sonant, quia stant: & flumina ideo sonant, quia semper currunt, & præcipitata sonitum mittunt. *Sonoris* ergo non stagnis, & fluminibus accipiendum est, sed fluminibus solis. Donatus. Fluuios, & amnes sonantes vocant libenter poetæ, propter caussam à Donato positam. Catull.

Saltuumq; reconditorum,
Amniumq; sonantium.

Virg. 3. Georg. *transiq; sonantem Ascanium*. Horat. Ode 9. lib. 4. *Longè sonantem natus ad Aufidum*. Theocritus in Ptolemæo, καὶ ποταμοὶ κελάδοντες. ✠

Fons quidam Italiæ ita dictus est, *Iuturna*, inquam, quod iuuaret, teste Varrone, & Seruio, saluberrimis aquis: eo nomine Iuturnam nympham, Turni sororem afficit Virgil. & stagnorum, ac fluminum præsidem facit. Colebatur à Romanis. Ouid. in Fast. *Te quoque lux eadem Turni soror ade recepit.*

EREPTA PRO VIRGINITATE) Quam multis iste rex ætheris alti virginitatem eripuerit, & quomodo in amoribus deses, relicta cæli statione iacuerit, petulantisque amoris flammam seruilibus obumbrauerit fallaciis, ad libidinosa furta perficienda, vt est apud Arnob, lib. 5. docebunt mythographi. Eius dei spurios, & mœchias commemorant, Arnob. lib. quem nominaui, Iustinus Martyr Apologia 2. Euseb. libr. 2. Præparat. cap. 4. Iustissima igitur querela Iunonis apud Senecam Hercule Furente.

Soror Tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) semper alienum Iouem,
Ac templa summi vidua deserui ætheris,
Locumq; cælo pulsa pellicibus dedi.
Tellus colenda est, pellices cælum tenent.

Sequitur mox enumeratio istarum pellicum, quibus Iupiter hunc honorem erepta pro virginitate sacrauit, tametsi Iuturna in his non recensetur. ✠

NYMPHA DECVS FLVVIOR. ANIMO GRATISS. NOST.) Simulata dictio, & non ex animo, sed extemporis necessitate composita. Quando enim fieri potest, vt vxor pellicem libenter compellet, aut amet? & vt se melius commendet Iuturnæ, suum esse A mentitur, quod volente Ioue cælli consortium Iuturna commeruit. Addit etiam, se id libenter fecisse: multa enim bona ab inuitis præstantur, aliqua necessitate cogente. Nec Iuturnam verè diligebat, nec fratrem Turnum: sed agebat caussam suam, ne in aduerso euentu certaminis Turni, ipsa cum suis conatibus caderet. Donatus.

ANIMO GRATISS. NOSTRO) Tale est, quale illud Homeri, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. Persecuta est autem omnes pellices suas: tantum abest, vt eas dilexerit, aut in honore habuerit. Tale est illud Sallustianum. Mare ponticum dulcius quàm cætera: quum nullum dulce sit. Seruius.

B INGRATVM CVBILE) per quod gratiam castæ vxori non repræsentat Iupiter.

CÆLI IN PARTE LOCARIM) in parte diuinitatis: nam locum numinū pro honore posuit. Seruius. * *Cum hac oratione, seu potius cum principio huius orationis Iunonis ad Iuturnam nympham, comparat Donatus in And. Terentij illam senis Simonis ad seruum Sosiam, quem manu miserat, quia seruierat liberaliter.*

Ego postquam te emi à paruulo, vt semper tibi
Apud me iusta, & clemens fuerit seruitus,
Scis: feci è seruo vt esses libertus mihi.

DISCE TVVM IVT. DOLOR.) Quæ agebat negotium suum, dissimulata vtilitate propria, fingit totum C fieri caussa Turni, & Iuturnæ. Prædico, inquit, fratrem tuum ad summum supplicium esse venturum, ne cum id factum fuerit, dicas te à me neglectam esse. Addit deinde etiam hic veluti beneficia sua: quæ fortuna siuerit, & Parcæ concesserint, fæliciter cuncta Italiæ procedere, defendisse Turnum, & oppidum. Nunc eum fatis suis vrgeri, aduersus quæ ipsa nihil possit. Hoc enim ad minuendam Æneæ gloriam pertinet, vt fatorum Turni, non illius dexteræ videatur, si vicerit. Ac ne Iuturna dicat, quin tu auxiliare fratri meo: respondet, non se posse tale certamen aspicere, nec placere sibi huiuscemodi fœdus. Vel ita (ne contrarium sit superioribus) quoniam numina, quoties morituros viderint eos, quibus fauent, ab eis recedunt. D Sic Statius Apollinem inducit Amphiaraum deserentem, vbi eum vicinum morti esse cognouit. *Desilijt mærens, lachrymansque auertit Apollo.* Et Homer. cum lanx Hectoris expendente læua inclinaret, ait, λίπεν δέ ἑ φοῖβος Ἀπόλλων. Tu si quid efficacius, aut vehementius audes (nam decet germanam illicita etiam pro fratris salute tentare) forsitan mutabitur in melius fortuna, fietque beatus, qui nunc est miser. Suprà dictum, *multos alterna reuisens Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.* Donatus, Seruius.

QVA VISA EST FORTVNA PATI) suprà, *coëant in fœdera dextra Qua datur.* Sanè latenter oE stendit, fauorem numinum sine occasione fatorum non posse procedere. Seruius. * *Immo verò non latenter, sed manifestè ostendit, dum subiicit.* Parcæque sinebant Cedere res Latio.

TVRNVM, ET TVA MOENIA TEXI) Etiam Ciceroni *tegere*, est defendere, ac tueri. Pro Plancio. Is meam salutem, atque vitam sua beneuolentia, præsidioque texit. Pro Sextio. Patriam, quam (vt leuissimè dicam) certè texeram. 1. de Orat. maiores nostri clarissimorum hominum auctoritate leges, ac iura tecta esse voluerunt. Sic, armis tegere, est defendere. 1. de Orat. Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel ipse tectus esse possis, vel prouocare improbos, vel te vlcisci lacessitus?

IMPARIBVS FATIS) Fata fauent Æneæ, vt apparet.

TV PRO GERMANO SI QVID PRÆSENTIAVS AVDES) Pro fratre, & consanguineo audendum plus, & aliquid præsentius, id est, vehementius, & efficacius. Arctissima est fratrum, sororumque cognatio.

Vix ea, cum lacrymas oculis Iuturna profudit,
TERQVE QVATERQVE MANV PECTVS PERCVSSIT HONESTVM.
NON LACRYMIS HOC TEMPVS (ait Saturnia Iuno)
Accelera, & fratrem, si quis modus, eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumq; excute fœdus.
AVCTOR EGO AVDENDI. Sic exhortata reliquit
Incertam, & tristi turbatam vulnere mentis.
Interea reges (ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circùm
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt,
Solis aui specimen. bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo, & cælestibus armis,
Et iuxta Ascanius, MAGNÆ SPES ALTERA ROMÆ)
Procedunt castris: puraq; in veste sacerdos
Setigeræ fœtum suis, intonsamq; bidentem
Attulit, admouitq; pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conuersi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisq; altaria libant.

VIX EA, CVM LACRIMAS) Vix ea, dixerat Iuno subaudimus. Tum secutæ sunt lacrymæ Iuturnæ, & verbera pectoris: solum enim doloris caussam audierat, nihil quemadmodum fratri posset succurrere: audit autem infrà, *Aut tu bella cie*, &c. Seruius.

NON LACRYMIS HOC TEMPVS) Sic Geta Sostratæ in Adelph. *Hera, lacrymas mitte, ac potius quod ad hanc rem opus est, porrò consule.* Videns hæc Iuno, non flendum, sed subueniendum esse ait, & maturè tentanda, quæ saluti adhuc iuuenis expediant, ne mala, & pernicies anteuertat. Exponitur consilium bipartitũ, suum fauorem illi spondet. Incertam, porrò reliquit, quia quamuis consilium dederit, tamen *forsan* dixit suprà. Ita erat quod speraret, & erat nihilominus quod metueret. hoc mentem eius vulnerabat.

Quum aliud, inquit, præsens exigat tempus, & id agatur, ne veniatur ad lacrymas, præposterum est, Iuturna, quod plangis: debentur hæc non periclitanti, sed mortuo. Subueniatur itaque tuo fratri dum viuit, & fiat maturè, quòd pro illius salute faciendum est, nè nos mala præcipitata præueniant. Totum potest consiliorum ratio, si in suis temporibus agenda iungantur. Proinde ne te fraterno dolore confusam, prouidendi consilium deserat, quid tibi curandum, paucis aduerte. Subtrahendus est quã primum morti, & hic omnis opera consumenda, vt imminens certamẽ effugiat: aut si istud nulla vi explicari potuerit, trudatur inimicũ fœdus è medio, & confusæ acies bello misceantur, &c. Donatus.

AVCTOR EGO AVDENDI) Auctor generis communis apud antiquos. Festus. In quem locum adducit hoc testimonium Virgilij Scalig. F. additque: neque solum auctor, sed & alia pleraque verbalia. Ouid. *Sponsor coniugij stat dea picta sui.* Sed quid longinqua conquirimus? Ecce obuia semper vox *vxor* est fœminini generis. Vxor dicendum erat, pro vnctor. Eiusmodi enim erant verbalia apud veteres, vxor, pro vnctor, pacio pro pactio. Ita dicta est, quia adipe lupino pestes noui mariti vngeret. Sed & Æschylus τύχην σωτῆρα dixit in Agamemnone: τύχη δὲ σωτὴρ ναυστολοῦσ' ἐφέζετο, quod sanè silentio prætereundum non erat. * *Aliud Ouid. carmen è 4. Fast. promit German. de voce auctor genere muliebri.* Optima tu proprij numinis auctor eris. *Est & apud Lactantium libro primo, capite decimoseptimo. Quæ prima (Venus) artem meretriciam instituit, auctorque mulieribus in Cypro fuit, vti vulgò corpore quæstum facerent. Sic Græci ὁ καὶ ἡ αἴτιος. Etiam genere neutro Virgil. extulit libro decimo* Italiam petiit fatis auctoribus, esto. *Seruius hanc vocem scribi vult sine, c, cum ab autoritate descendit, sic, autor: cum autẽ venit à verbo augeo, tunc scribendam auctor, & facere fœmininum auctrix. Quidam etiam aspirationem addunt, author, ad Græcum vocabulum referentes, αὐθέντης. Hactenus de genere, & scriptura huius vocis.*

Suetonius Tiberio cap. 27. cum quidam diceret, auctore eo senatum se adiisse, pro auctore suasorem, verbo mutato coëgit dicere. Vbi videtur sensisse modestissimus, & adulatoribus infestissimus imperator, plus quiddam, & maius esse auctorem, quam suasorẽ. Cic. tamen, (quod in eundem locum annotauit Læuinus Torrentius) Cic. inquam, & alij, libera adhuc repub. sic vsi sunt hoc vocabulo, vt etiam senatui auctores se fuisse dictitarent, ac vt sæpe eadem de re vtrumque verbum, auctoris, & suasoris coniungerent. Auctor enim dicitur, cuius consilium secuti sumus, & hoc solum

solum à suasore differt, quòd huius consilio non semper patemus. Præterea in auctoris nomine dignitas, ac potestas consideratur, cum aut Patres auctores fiunt, vt sæpe Liuius de senatu, aut tutor pro pupillo, aut pro vxore maritus, quorum nempe sine auctoritate nihil gerere illi possent. Ita cum auctore Prætore quid factum dicimus. Et quoniam responsa prudentum iuris vim obtinebant, factum, vt hi auctores appellarentur, lib. 2. de origine iuris. Vnde elegans ille loquendi modus, cùm non defugere auctoritatem dicimus, pro, non recusare auctorem sequi aliquem.

Sed auctorem fieri quid sit, docet Paulus in L. Etiamsi. ff. de auctorit. tut. Etiamsi, inquit, non interrogatus tutor auctor fuerit, valet auctoritas eius, cum se id probare dicit, quod agitur, hoc est enim auctorem fieri. Liuius libro primo. Decreuerunt enim, vt cùm populus regem iussisset, id sic ratum esset, si Patres auctores fierent. Et paulo post. Quod bonum, faustum, felixque sit, inquit, Quirites regem create, ita Patribus visum est. Patres deinde, si dignum qui secundus ab Romulo numeretur, crearitis, auctores fient. Sic vocabantur auctores mulierum, sine quorum approbatione, consensuque rata non erant, quæ egissent mulieres. Liuius libro 37. Cic. pro Flacco, & A. Cæcina.

TRISTI TVRB. VVLN. MENT.) Triste vulnus, est mœror animi: dulce autem vulnus, & blandum amor. Illud dolet, hoc delectat: illud fugimus, hoc appetimus. Vide dicta 4. Æneid. ibi, *Vulnus alit venis.*

INTEREA REGES INGENTI) Post *interea reges*, ponenda nota parenthesis, altera verò post, *spes altera Roma*: describuntur enim qui procedebant castris, Latinus, Turnus, Æneas, Ascanius, quos reges appellat, vt sæpe Homerus ἄνακτας. Longum est ὑπέρβατον. Isidorus lib. 1. Originum cap. 25. de schematibus. Prolepsis est Præsumptio, vbi ea, quæ sequi debent, anteponuntur: vt, *Interea reges ingenti mole, Latinus.* Debuit enim sic dicere. Interea reges ingenti mole, & statim adiicere, quod sequitur, *Procedunt castris.* Deinde dicere, Latinus, &c. Sed facta est pro ornamento præsumptio rei, & qui sequi debuere, reges, interpositi sunt in septem versibus, & postea additum, *Procedunt castris.*

INGENTI MOLE) ingenti pompa, & ambitu.

SOLIS AVI SPECIMEN) quia Latinus secundum Hyginum, Telemachi, & Circes filius, vide cap. 127. quam multi etiam Maricam dicunt: Circe autem solis filia. Idcirco gerebat diadema cum duodecim radiis, propter duodecim signa principalia, per quæ decurrit sol in anno.

Pierius libro 7. in Ceruo ait, ex instituto veteri coronas regias radiorum retulisse similitudinem, vt nó temere olim institutum sit, eas in Apollinis capite 12. pretiosis lapillis confici, qui splendore suo promicantes, vniuersum caput radiis illustrant. Totidem autem radiis coronas regias constare, cum ex nummis, ac monumentis antiquis, tum ex hoc Virgiliano carmine posse colligi.

PATER ÆN. ROM. STIRP. ORIGO) per Iliam Numitoris Albanorum regis filiam. Albani autem reges Ascanij posteri, & successores. Ilia Romulum, & Remum à Marte, si credimus, compressa genuit: à Romulo Romani. Et quoniam ab Ænea, vt antiquissimo parente, idcirco etiam Æneadæ & à Lucret. appellantur, & à Virgilio 8. Æn. *Æneada in ferrum pro libertate ruebant.* Dicit autem hoc, *Romana stirpis origo*, cum magno gloriæ sensu. ✠

B

ET CÆLESTIBVS ARMIS) Quare cælestia arma Æneæ, docet lib. 8.

MAGNÆ SPES ALTERA ROMÆ) Quam recitant fabulam Seruius, Donatus, & Crinitus libr. 7. cap. 11. de M. Tullio, qui Virgilij versibus multùm tribuerit, audienteq; pop. Roman. cum recitationi eius carminum interesset, nempe Eclog. 6. statim vt erat acri iudicio, intellexisse, non communi vena prouenisse, ac proinde petiuisse, ab initio totam eclogam iterari, quam, cùm studiosè auscultaret, se continere nequiuisse, quin exclamaret, magnæ spes altera Romæ, quod hemistichium deinde poeta in suam Æneidem, atque adeo in hunc ipsum librum transtulerit: hoc, inquam, commentum ad aures tuas ne admiseris. Moriente Cicerone, id quod ex chronologia patet, Virgilius admodum puer, & inuestis planè fuit, & bucolica in vulgus nondum ediderat. ✠

PVRAQVE IN VESTE SACERD.) Pura, inquit Donatus, colore albo, nec purpuræ variata picturis. Festus accipit puram vestem, non oblitam, non fulguritam, non funestam, non maculam habentem. Cic. 2. de leg. Color albus præcipuè decorus est deo, tum in cæteris, tum maximè in textili. In sacris non modò puras manus, sed etiam vestes requirebant, vt vasa, hostiam, vinum.

C

SETIGERÆ FOETVM SVIS) Romano more, vt, *cæsa iungebant fœdera, porca*, Lucret. lib. 6. *nam setigeris subus acre venenum est.*

INTONSAMQVE BIDENTEM) agnum, cui nondum fuerat lana detonsa. De voce *bidens* alibi dictum.

ADMONITQVE PECVS FLAG. ACRIS) Etiam hoc verbum sollemne fuit in sacris, vt hostia diceretur admoueri altaribus, sicut probari, duci stare, feriri, immolari, cædi, mactari, de quibus omnibus, prolatis auctorum locis, agit sedulò Barnabas Brissonius lib. Formularum 1. Lucanus lib. 1. *sacris tunc admouet aris Electa ceruice marem.* Ammian. Marcellin. lib. 23. admotis aris tauros dixit. Ouid. 7. Metamorph. admotos templis tauros.

D

ILLI AD SVRGENTEM SOLEM) Vide locum Iliad. γ. ἀτρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν, &c. Mos fuit antiquis, solem orientem adorare, tum ad opus quod instaret aggredi, & alioqui ad solis ortum precationem ineuntes conuerti. Tacitus Historiarum lib. 3. Et orientem solem (ita in Syria mos est) Tertiani salutauere. Fuit enim hæc legio è Syria deducta, in qua sub Corbulone militauerat. Herodian. lib. 4. de Parthis, qui pugnam inituri orto iam sole, ἀσπασάμενοι δὲ τὸν ἥλιον, inquit, ὡς ἔθος αὐτοῖς, οἱ βάρβαροι, μεγίστῃ κλαγγῇ βοήσαντες ἐπέδραμον τοῖς ῥωμαίοις. Sed obseruo amplius: non solum Syros, aut orientales soli cultum hunc detulisse, sed gentium plerasque. Plato lib. 10. de leg. ἀνατέλλοντος δὲ ἡλίου, καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων, προσκυλίσεις ἅμα, καὶ προσκυνήσεις ἀκούοντες, καὶ βαρβάρων πάντων. Oriente sole, & luna, iisdemque occidentibus, in terram inclinationes, & adorationes fiunt, Græcorum, omniumque barbarorum. Ipsis Romanis receptum, in precando verti ad orientem. Hyginus de limitibus. Antiqui architecti in occidentem templa rectè spectare scripserunt. Postea placuit

E

cuit omnem religionem eò conuertere, ex qua parte cæli terra illuminabatur. Isid. lib. 15. templa ita structa ait, vt qui consuleret, & deprecaretur, rectum aspiceret orientem. Latinus Pacatus in Panegyrica ad Theodosium. Nam vt diuinis rebus operantes, in eam cæli plagam ora conuertimus, à qua lucis exordium est. Nec Christiani abhorruerunt. Hæc Lipsius ad 3. Historiar. Taciti. * *Similiter 8. Æneid.* Surgit, & ætherei spectans orientia solis Lumina. *Ouid. 4. Fast.* Hæc dea placanda est, hæc tu conuersus ad ortus Dic quater. *Vide Formular. Brissonij lib. 1. num. 38. Quamobrem statum fecerint Apostoli, & qui ab ijs profecti sunt ...ctores Ecclesiæ, vt Christiani dimisso more Iudæorum, ad occidentem verso corpore deum adorandi, ipsi ad orientem filium adorarent, docuimus progymnas. 7. secunda parte Tertij.*

A

DANT MAN. FRVGES SALSAS) *Fruges salsas*, intellige far, & sal, quibus rebus & cultri aspergebantur, & victimæ. Erant autem probationes, verum animal aptum esset sacrificio. Obliquum enim cultrum à fronte, atque ad caudam ante immolationem ducere consueuerant: nam hoc est quod dicit, *tempora ferro Summa notant pecudum*. Seruius. Hoc de ferro, quidam exponunt, præsecant capillos de fronte victimarum. Lib. 6. *Et summas carpens media inter cornua setas.*

Tum pius Æneas stricto sic ense precatur.
Esto nunc sol testis, & hæc mihi terra precanti,
Quàm propter tantos potui perferre labores:
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno,
Iam melior, iam diua precor: tuq; inclyte Mauors,
Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques:
Fontesq;, fluuiosq; voco, quæq; ætheris alti
Religio, & quæ cæruleo sunt numina ponto.
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno:
Conuenit Euandri victos discedere ad vrbem:
Cedet Iulus agris, nec pòst arma vlla rebelles
Æneadæ referent, ferróue hæc regna lacessent.
SIN NOSTRVM ANNVERIT NOBIS VICTORIA MARTEM,
(Vt potius reor, & potius dij numine firment)
Non ego, nec Teucris Italos parere iubebo,
Nec mihi regna peto: paribus se legibus ambæ
Inuictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra, deosq; dabo: socer arma Latinus habeto.
Imperium sollemne socer. mihi mœnia Teucri
Constituent, vrbiq; dabit Lauinia nomen.

ESTO NVNC SOL TESTIS) Similis precatio apud Homerum, quam citat Seruius.

Ζεῦ πάτερ ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις, &c.

Ex eo autem quod soli sensum audiendi, videndiq;, & omnino quandam diuinitatem tribuerent, eumque ἐπόπτην facerent, arbitror manasse huiusmodi sententias. Cic. 2. Off. Multa præterea commemorarem, si hoc vno quidquam sol vidisset indignius. Plaut. Sticho, *meliorem (vxorem) neq; tu reperias, neq; sol videt.* Sic Græci ἥλιος ἐφορᾷ vt Theognis. Τὸ δ' ἀτρεκὲς ὀλίγος οἶδεν ἀνθρώπων, ὁπόσους ἥλιος ἐφορᾷ. Tu plures collige, Nos alibi hoc idem docuimus.

B

ET PATER OMNIPOTENS. ET TV SAT. IVNO) Etsi Maro in fœdere faciendo Homerum imitatur, tamen, vt mihi videtur, etiam ad ritum, sollemniorumq; verborum formulam, qua veteres Romani in sanciendis fœderibus, & bellis indicendis vti solebant, respexit. Quod è Liuio libr. 1. perspicere facile est, cuius verba sunt. AVDI IVPITER, ET TV IVNO, QVIRINE, DIIQVE OMNES CÆLESTES, VOSQVE INFERI AVDITE. Rursus. AVDI IVPITER, AVDITE FINES, AVDIAT FAS. Sic & Plaut. Cistell. iurat deos superos, inferos, mediox umos. Sunt autem qui à Græcis ὑψίστοι, χθόνιοι, & ὑποχθόνιοι appellantur. Turneb. lib. 30. cap. 29.

De ratione fœderis peragendi Liuius ita scribit, nam Turnebus de belli indicendi formula tetigit aliquid. *Fecialis regem Tullum ita rogauit. Iubesné me rex cum patre patrato populi Romani fœdus ferire? Iubente rege, Sagmina, inquit, te rex posco. Rex ait, puram tollito. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit. postea regem ita rogauit: Rex, facisne me regium nuntium pop. Romani Quiritium? vasa, comitesq; meos? Rex respondet, Quod sine fraude mea, populiq; Romani Quiritium fiat, facio. Dein Fecialis patrem patratum facit, qui legibus fœderis recitatis, Audi, inquit Iupiter, audi paterpatrate pop. Albani, audi tu pop. Albanus: vt illa palam prima postrema ex illis tabulis, cerâue recitata sunt sine dolo malo, vtiquè ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus pop. Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit, publico consilio, dolo malo, tum Diespiter pop. Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque. Quod vbi dixit: porcum saxo silice percussit.*

C

IAM MELIOR, IAM DIVA) Aliter exponendum, quàm volunt interpretes. Nam cum infesta esset Troianis

nis Iuno, proprium autem deorum sit, bonos esse, precatur, vt animum mutet in Troianos, & eis bona esse velit: quod ea arte dicit, quasi quæ mala sit, & à diua degeneret: perinde, ac si diceret, ad te redeas, & te deam esse memineris, cuius proprium est non nocere. Turneb. lib. 23. cap. 14.

CVNCTA TVO QVI BELLA) Martem dicit cuncta bella sub numine suo torquere. Hoc nihil est aliud, quá quod dicit Lucret. lib. 1. *quoniam belli fera munera Mauors Armipotens regit.*

FONTESQVE FLVVIOSQVE VOCO) fontium, fluuiorumque præsides deos.

QVÆQVE ÆTHERIS ALTI RELLIGO) & quæcunque numina in cælo coluntur.

QVÆ CÆRVLEO SVNT NVM. PONTO) Mare vocatur cæruleum à colore, quem videtur habere. Cæruleas vndas nominat Tibull. eleg. 4. lib. 1. *Nec si cæruleas puppi volet ire per vndas.* Idem lib. 3. mare dicit cæruleum amnem.

Iam nox ætherium nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo lauerat amne rotas.

SI FORS VICT. TVRNO) Bene dubitat de victoria Turni, *si fors*, inquit: contrà cum ad suum venerit nomen, dicet, *Vt potius reor, & potius dij numine firment.* Sanè ratione non caret, quod primò de victoria Turni loquitur, post descendit ad suam: scit enim in auguriis prima posterioribus cedere. Seruius.

CONVEN. EVAND. VICT. DISCED. AD VRBEM) Quid facturi sint Troiani Ænea victo. Recipient se ad Euandrum, vt amicum, arma deponent in perpetuum.

NOSTRVM ANNVER. NOB. VICTOR. MART.) Hypallage est, *annuerit victoria Martem*: pro, si noster Mars annuerit victoriam: nam Martem victoria comitatur. Seruius.

Dij nostri dicuntur esse, qui nobis fauent, vt hoc loco, & hoc eodem libro, *nec dij texere Cupencum, Ænea veniente, sui.* Qui scilicet ei propitij erant, fauebantque. Mars igitur illius videbitur, qui victoriam obtinebit: tunc enim fauebit maximè, si victoriam dederit. Contrà, illorum esse nó videbitur, quibus aduersabitur, quiq; vincentur. Hæc ideo dixi, quod non satis accommodatè à Seruio explicata viderem. Turneb. lib. 9. cap. 30. & lib. 23. cap. 14.

Dedit obseruandam legem parti aduersæ, & se alia, suosque constringit. Si verò, ait, me victorem exitus certaminis fecerit (quod spero futurum diis bene iuuantibus) nolim seruiant Troianis Itali: sed sint pares, sint vna, ac perpetua societate cócordes. Nec mihi regnum vindicabo, socero omnia relinquá. Dabo deos, dabo sacra. Quid tam honestum, quid tam commodum, quam deos noscere, & discere religionem? Solam palmam, & gloriam quæro, & manentibus cunctis in suo statu, mei mihi ciuitatem condent, citra ciuium laborem, & cuiusquam impensas: non trudam quenquam è sedibus suis: ipsi ciuitati nomen dabit Lauinia. Nullus me victorem sentiet, quum omnis mihi caussa sit cum Turno. Donatus.

NON EGO NEC TEVCRIS ITAL. PARERE IVB.) Hæc, & sequentia, nonne similitudinem habent illius loci, lib. 1. cum Dido ait?

Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Tros, Tyriusq́, mihi nullo discrimine agetur.

SACRA, DEOSQVE DABO) Nempe Iuliam gentem ab Iulo sacra, in tempore vsque Virgilij, habuisse constat ex auctoribus. Et poeta, sacra semper pietati Æneæ vindicat, qué magna æquanimitate inducit in partem regni tantum, cum Latino venire paratum, quod reuocata (vt ex ciuili doctrina constat) regna ad mediocritaté, & temperata stabiliora, & diuturniora euadant, vt demonstrat Aristot. lib. 3. πολιτ. lege cætera apud Ger.

* Per sacra, deosq́, Troianorum penatium sacra accipienda sunt, de quibus initio Æneid. Inferretque deos Latio.

SOCER ARMA LAT. HABETO) Crebra soceri commemoratione sibi fauorem Latini conciliat. Et apposité, habeto, sic enim leges loquuntur.

MIHI MOENIA TEVCRI CONSTIT.) Popularem gratiam captat: quia suprà dixerat Drances, *Saxaq́, subuectare humeris Troiana iuuabit.*

VRBIQVE DABIT LAVINIA NOMEN) Oppidum cõdunt: Æneas ab nomine vxoris Lauinium appellat. Liuius lib. 1. Hanc orationem Donatus iure optimo laudat, & ego eius verba adscribenda sum ratus. Quam libenter auditus est, quum non tantùm in eos non se asperum futurum polliceretur, quibus auctoribus conflatum est bellum: verumetiam quos hostes habuit, pro amicis retenturum, vt essent æquales Troianis. In eo autem beneuolum se monstrauit, sacra illis promittendo, munus scilicet optandum cunctis, & venerabiliter excipiendum. Deferendo autem socero, & Latinis, quantum sibi fauorem omnium iunxit? In eo verò plenam monstrauit reuerentiam, quum illum & patris nomine appellauit, & soceri. Habeto, inquit, pater arma, habeto socer imperium. hoc est enim imperare, habere mouendorum armorum potestatem, cum necessitas fuerit, & pacem tueri, quam procurauerit labor, & fortunæ suffragium.

Sic prior Æneas: sequitur sic deinde Latinus,
SVSPICIENS CÆLVM, TENDITQVE AD SIDERA DEXTRAM.
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera iuro,
Latonæq; genus duplex, Ianumq; bifrontem,
Vimq; deûm infernam, & duri sacraria Ditis.
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit:
Tango aras, mediosq; ignes, & numina testor.
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadent: nec me vis vlla volentem
Auertet: NON SI TELLVREM EFFVNDAT IN VNDAS
DILVVIO MISCENS, CÆLVMVE IN TARTARA SOLVAT.
Vt sceptrum hoc (dextra sceptrum nam fortè gerebat)

Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,
Cùm semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitq; comas, & brachia ferro:
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusq; dedit gestare Latinis.

SVSPICIENS CÆLVM, TENDITQVE. AD SID. DEXT.) Gestus precantium fuit, oculos, manusque in cælum tollere. Brisson. Formular. lib. 1. num. 39.

TERRAM, MARE, SIDERA IVRO EADEM) Ornatior elocutio, & crebra apud maiores, quàm si velis addere præpositionem, vt si dicas, iuro per maria, per terras. *Eadem* autem bene dixit: nam pro mari, ille fontes, & fluuios posuit, pro sideribus solem. Seruius* *Per quã varias res iurare solitæ sint gentes, demonstrabit Alex. Neapolit. lib. 5. cap. 10. Ibidem de pœnis, quibus periuri diuinitus afficerentur. Et res, per quas consueuissent iurare, & formulas ipsas collegit Brissonius lib. 8. principio.*

LATONÆQVE GENVS DVPLEX) vno, eodemque partu effudit Apollinem, & Dianam Latona. Idcirco Orpheo διδυματόκος, Ouidio gemellipara diua 6. Metam. & 5. Fastor. Genus autem significat filium, filiamúe, seu progeniem. Infrà, *matrisq; genus peridia*, id est, filius, est enim periphrasis. 10. Æneid. vocatur deûm genus Æneas. Et lib. 4. *Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.* Hesiod. ἐγχίζεο πετρεῦ δῖον γένος. Horat. Ode 3. lib. 1. *Audax Iapeti genus*, de Prometheo Iapeti filio. Et sat. 6. lib. 1. *Contra Læuinum Valeri genus.* Tibull. lib. 4. de Circe. *Quamuis illa foret solis genus* Propert. lib. 2. *Qualis & Ischomache Lapithæ genus heroine.* Et Catull. Epithal. *Collis ô Heliconij Cultor, Vraniæ genus*, Nomine Latonigenarum hic solem, & lunam intelligit. Idem enim sol, qui Apollo, & eadẽ luna, quæ Diana. Aut (quoniam sidera dixit) simpliciter interpretandum de fratre & sorore, Latonæ filiis.

IANVMQVE BIFRONTEM) Cur Ianus crederetur bifrons, Plutarch. Quæst. Rom. quæst. 22. Ouid Fast. 1. Hic autem inuocatur, vt pacis, bellique arbiter. Numa ei tẽplum cõstituit, quod clausum pacem, apertum, bellum significaret. Liuius lib. 1.

VIMQVE DEVM INFERNAM) Circumlocutio est, pro diis inferis, vt, *odora canum vis*, pro canibus: fluxitque à poetis Græcis, à quib. dicitur, ἱερὸν πριάμοιο, pro Priamo. Turneb. lib. 23. cap. 1.

SACR. DITIS) Sacrarium propriè est locus in templo, in quo sacra reponuntur: sicut donarium est, vbi reponuntur oblata: sicut lectisternia dicuntur, vbi in tẽplo deorum statuæ cubare consueuerunt. Seruius.

Qui Latinis Dis, Græcis est πλούτων, & ἅδης. Ditis nomine nuncupatur, auctore M. Tullio, quod terrena vis omnis, ac natura ipsi dicata putaretur. Nam & omnia in terras recidunt, & ex his oriuntur. Alij, vt est apud Quintil. ideo Ditem vocatum volunt, quod minime diues sit: mortui enim omnibus exuti bonis sunt crediti. Gyrald. Syntag. 6.

AVD. HÆC GENITOR) Quanquam quæ sequuntur, *qui fœdera fulmine sancit*, indicant de quo genitore sermo sit, nempe de Ioue, cuius est fulmen: tamen absolutè cum dicitur *genitor*, siue *pater*, ἀντονομαστικῶς de Ioue potest accipi: sicut *genitrix* de Cybele omnium deorum matre. Sic infrà. *His actis, aliud genitor secum ipse volutat.* Nolo tamen dissimulare, lib. 1. Æneid. etiam Neptunum sine adiuncto sic vocatum, in sedanda tempestate.

QVI FOEDERA FVLMINE SANCIT) Seruius exponit A *sancit*, confirmat, sancta esse facit: quia cùm fiunt fœdera, si coruscatio fuerit, confirmantur: sed ignem diuinũ precibus eliciebant, qui incendebant altaria. Etsi scio plurimum semper Seruio esse tribuendum, tamen nullo modo his assentiri possum, potiusque credam, id ex opinione veterum dictum fuisse, qui fœdifragos, & periuros fulmine de cælo à Ioue tangi putabant. Sancit igitur fœdera fulmine, qui fulmine vindicat id, quod contra formulam, ac religionem iurisiurandi commissum est: nam animaduersio in sontes, iuris functio, & conseruatio est. Id ita esse, ex Luciano discere possumus, cuius verba sunt in Timone. *θᾶττον γοῦν ἐπιορκεῖν τις ἐπιχειρήσαντας ἕωλον θρυαλλίδα φοβηθείη ἄν, ἢ τὴν τοῦ πανδαμάτορος* B *κεραυνοῦ φλόγα.* Itaque eorum qui peierare aggrediuntur, citius quispiam extinctum ellychnium formidauerit, quam fulminis illius omnium domitoris flammam. Aristoph. de fulmine. *τοῦτον γὰρ δὴ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησ' ἐπὶ τοὺς ἐπιόρκους.* Hoc enim planè Iupiter in periuros mittit. Sed & Homer. Iliad. 3. in iureiurando, fœderis deos, periuriorum vindices inuocat: quod imitari Virgilius voluit, sed de fulmine Iouis dicere maluit. Versus Homeri est. *ἀνθρώπους τίνυσθον ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.* Turneb. lib. 25. cap. 9.

Hanc Turnebi explicationem infirmare, ac Seruianam stabilire nititur Titius lib. 10. cap. 20. his verbis. Non est sancire fœdera fulmine, periuros, ac fœdifra- C gos impetere: sed confirmare, ac sancta reddere. Sumptum hoc ex fulminum natura, abditaque Etruscorum disciplina, cuius peritissimus Virgilius, &c.

Villiomarus exagitator perpetuus, & quasi flagellum Titij, Animaduersor. in eiusdem locos controuersos lib. 10. Animaduers. 20. censet vtriusque sententiam esse verisimilem, immo veriorem, & doctiorem Turnebi. Senecæ autem, & Horatij verba ab eodem Titio allata nihil ad institutum faciunt.

Alludere, inquit, German. mihi videtur ad ritum Romanum, quo Fecialis feriens in fœdere porcam, ad Iouem preces vertebat hoc verborum conceptu, vt tãto perfidiam vehementius vlcisceretur, quanto plus D posset, polleretque.

TANGO ARAS) In iureiurando religiosissimo, aras tangebat. Quod quidem à doctissimo poeta ex antiquitate repetitum est. Nam cum ad aram in Titanas bellum suscepturi dij iurassent, obtinuit, vt postea religio iurisiurandi eius tactu, & ignis testatione sanciretur. Verba sunt Theonis in Aratum, de illo loquentis. *καὶ τοὺς ὀμνύειν διδόντας βουλομένους, ὡς δικαιοτάτην πίστιν παρέχειν, καὶ τῇ χειρὶ ἐφάπτοντας, δεικνύντες ἐγγυωμοσύνης μαρτύριον τὸ πῦρ.* Sic etiam in sanctissima, & religiosissima obsecratione, vt Iarbas in 4. *Talibus orantem dictis, arasq; tenentem.* Turneb. lib. 19. cap. 19. & lib. 26. cap. 2 & 5. *Adde Plautinum hoc ex Rud.* Tange aram hanc Veneris. *LAB.* Tango. *GR.* Per Venerem hanc iurandum est tibi. *Plura exempla suppeditabit Brisson. Formular. lib. 8. numer. 712. Vide insuper quæ annotauimus libr. 4.* E *Æneid. ad illud*, Talibus orantem dictis, arasque tenentem.

MEDIOSQVE IGNES) qui sunt in medio, quos aram tangendo, simul quodammodo tangebat. Pierius libr. 49. in Ara sic. Aræ præcipua significatio est, vt nostræ erga deum pietatis indicium sit, precesq; nostras igne,

vt ve-

vt veteres opinabantur, internuntio ad deum deferat. Vnde apud Maron. *Tango aras, mediosq; ignes*, dictum, quod inter humanam naturam, & cælestem ignis medium ita obtineat, vt meritò dici possit internuntius. Hæc expositio quantum valeat, tu æstimato.

NON SI TELLVR. EFFVNDAT IN VND.) Similiter Lucret. lib. 3. *Non si terra mari miscebitur, & mare cælo.* Iuuenal. sat. 2.

Quis cælum terris non misceat, & mare cælo,
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni?

Et sat. 6. *clames licet, & mare cœlo Confundas*, Lege nihilominus, quæ diximus in illud Æneid. 3. sub finem, *maria omnia cælo Miscuit.* Et Eclog. 8. *Omnia vel medium fiant mare.* Nota etiam hypallagen, si tellurem effundat in vndas, pro, si vndas in tellurem effundat: nam quod liquidum est, rectius dicitur fundi, quam quod compactum, & solidum. ❧

CÆLVMVE IN TART. SOLVAT) Eandem vim habet, quam, quod præcessit, & est ab impossibili: simile Lucani lib. 1. *Sidera sideribus cócurrent, ignea pontum Astra petent.* Horat. Ode 5. Epod.

Primiq; cælum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super.

Ad summam rerum perturbationem declarandam illud etiam valet, *Summa imis miscere.* Velleius li. 2. promulgatis agrariis legibus, omnibus statim cócupiscentibus, summa imis miscuit, & in præruptum, ancepsq; periculum adduxit rempub. ❧

VT SCEPTRVM HOC) Locus ex Iliad. α. & accommodatur ad Latinum, quod ibi dicit Achilles.

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
Οὐδ' ἀναθηλήσει, περὶ γὰρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
Φύλλα τε καὶ φλοιὸν, νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
Ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται, ὁ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος.

Imitatus est Virgilium Valer. Flaccus, per hastam, nescio quem iurantem introducens.

Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,
Quæ neque iam frondes virides, neque proferet vmbras,
Vt semel est auulsa iugis, ac matre perempta,
Fida ministeria, & duras obit horrida pugnas,
Testor.

Locum ex Homero esse decerptum, & tanquam noua veste, oratione Latina ornatum, neminem fallit. Sed A cum hîc sceptrum omnes intelligant scipionem, quem manu gerebant reges, quod Homerus dixerit, ἐν παλάμῃς φορέουσιν, & Maro eodem hoc loco, & in libr. 1. *sceptrum, Ilione quod gesserat olim*, etsi illud Homericum de hasta etiam intelligi potest, non hoc Maronis, cùm, vt opinor, hastam mulieres gerere solitæ non sint, tamé quis ab hac recepta, & probata opinione discrepet, exponam. Belli Troiani tempore putat Trogus, vt in compendio Iustini legimus, lib. 43. sceptra regum, hastas fuisse. Eius verba subiiciam. Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas græci sceptra dixere. Itaque apud Euripidem in Hecuba λαὸν εὐθύνων δορὶ, non in aliam sententiam accipio, quàm vt hastæ nomine B sceptrum intelligatur. Addit & Iustinus. Nam ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluêre: ob cuius religionis memoriam, adhuc deorum simulacris hastæ adduntur. Turneb. libro 22. capite. 12.

IMO DE STIRPE) Ideo genere masculino vsus est, quia de arboribus loquitur: nam de hominibus fœminino genere dicimus: vt, *hen stirpem inuisam.* Dixit tamen vsurpatiue Horatius de arboribus, *stirpesq; raptas, & pecus, & domos* Matris nominé ipsam arborem intellige: vt, *Parua sub ingenti matris se subiicit vmbra.* Seruius.

MATRE CARET) ipsam arborem vocat matrem, C quod etiam facit loquens de vite, ni fallor & rustici scriptores similiter solent vti ista catachresi.

POSVITQVE COMAS, ET BRACHIA) ramos cum frondibus suis amisit per ferrum. Frondes arborum vocat comas & Horat. Ode 7. lib. 4.

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis,
Arboribusq; comæ.

Ode 4. eiusdem lib. 1. *Et spissa nemorum comæ.* Catull. in phaselum. *Vbi iste, post phaselus, antea fuit Comata sylua.* Per syluam accipe arborem, vt apud nostrum quoque 3. Æneid. *viridemq; ab humo conuellere syluam.* ❧

ARTIF. MAN. ÆRE DECORO IN.) Manui Maro tribuit, quod artifici, aut arti debebatur, ea forma, qua Anaxagoras prudentissimum animalium hominem con- D stituebat, quod manus haberet: cùm malit Aristoteles, quia prudentissimum sit, ideo manus habere, his fere verbis de part. animal. lib. δ. Ἀναξαγόρας μὲν οὖν φησὶ, &c. Vide German. Paralip. Aes decorum, est orichalcum. Æneid. 1. *Argentum, Pariusue lapis circundatur auro.*

Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum. tum ritè sacratas
In flammam iugulant pecudes, & viscera viuis
Eripiunt, cumulantq; onerantes lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri
Iamdudum, & vario misceri pectora motu.
Tum magis, vt propius cernunt non viribus æquis.
Adiuuat incessu tacito progressus, & aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesq; genæ, & iuuenili in corpore pallor.
Quem simul ac Iuturna soror crebrescere vidit
Sermonem, & vulgi variare labantia corda:
In medias acies, formam assimulata Camerti:
(Cui genus à proauis ingens, clarumq; paternæ

Nomen

Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis)
In medias dat sese acies, haud nescia rerum:
Rumoresq; serit varios, ac talia fatur.

INTER SE FIRMAB. FOED.) De Latino, & Ænea accipiendum, quod ait de firmatis fœderibus cum huiusce modi dictis. Turnum non induxit orantem, qui dux est, quia præsente rege non habet potestatem: & imitatus est Homerum, qui post iusiurandum Menelai, Alexandrum quasi feruidum, & adolescentem à fœdere inducit exclusum, & Priamum adhibitum ad fœderis con firmationem. Seruius.

CONSPECTV IN MEDIO PROCERVM) Proceres sunt principes ciuium, vel ciuitatum, quasi procedes, quod ante omnes honore præcedāt. Vnde & capita trabium, quæ eminēt extra parietes, proceres dicuntur, eò quod primò procedant. Hinc autem ad primores facta translatio, quod à cætera multitudine prominent. Isidor. lib. 8. cap. 4.

RITE SACR.) rite expurgatas, solennitate, qua dictum est suprà. Seruius.

IN FLAMM. IVGVL. PECVD.) Fundebatur sanguis animalium, & antequam morerentur, extrahebantur eorum viscera, & aris imponebantur. Donatus.

VISCERA VIVIS ERIPIVNT) Ideo rapiebant exta, vt spirantia adhuc, & palpitantia cōsuli possent. Ea de caussa Arnob. lib. 7. illis gaudium fuisse scribit, vidisse ex residuo cæsarum victimarum spiritu exultātia adhuc corda, tremebundasque, & palpitantes in visceribus venas. 4. Æneid *pecudumq; reclusis Pectoribus inhians spirantia consulit exta.* Brissonium adi, lib. Formular. 1. numero 20.

IMPAR EA PVG. VIDERI) Videri, misceri, infinitiui pro indicatiuis, videbatur, miscebatur: & eò magis, quò propius, & apertius cernebant, haud viribus æquis congressuros. Confirmabat timorem eorum multis ar-

A gumentis Turnus, quibus ob imparitatem diffidentia probaretur. Tacitus, & segnis incedebat, vt vix pedem posse mouere videretur, cū macie repentina, & pallore, qui in iuuenili corpore est insolitus. Seruius, Donatus.

ADIVVAT INCESSV) motum illum populi auget.

DEMISSO LVMINE) quod timentis est. Aliquando verecundantis, vt in Didone, & Andromacha.

TABENTESQVE GENÆ) Quid hic facit in tot exemplaribus *Pubentes*? Scilicet pubentes, id est, iam tenera languine vestitæ, ac florētes genæ Turni adiuuabāt Rutulorum diffidentiam: minus credebant fœlicem fore successum certaminis, quia Turno barba prima erum-

B pebat. Scriptura alia proponitur, *Pallentes*. Sed cum sequatur, *& iuuenili in corpore pallor*, totus versus sic legeretur, *Pallentesq; genæ, & iuuenili in corpore pallor*, quod satis ineptum videtur, ac nugatorium. Lege igitur, auctore Donato, *Tabentesq; genæ*, quod cum voce *pallor* bene consentit. Nescio enim qua macie subitò deformari Turnus cœpit.

FORMAM ASSIMVL. CAMERTI) Vtitur consilio Iuturna satis tempori necessario. Vertit se in Camertis formam, in cuius persona fœdus disturbet. Meritò Camertis, cuius auctoritatem commendabat & origo maiorū, & paterna virtus, & propria fortitudo, ne ab ignobili, & imbelli profecta sententia, ad persuadendum nihil haberet

C virium. sic ferme Donatus.

IN MEDIAS DAT SESE ACIES) quomodo apud Homerum etiam deæ, formam aliam indutæ, versantur in exercitu.

RVMORESQVE SERIT VARIOS) Furius Antias. *Rumoresq; serunt varios, ac multa requirunt.*

Non pudet, ô Rutuli, cunctis pro talibus vnam
Obiectare animam? numeróne, an viribus æqui
Non sumus? en omnes & Troës, & Arcades hîc sunt,
Fatalisq; manus, infensa Etruria Turno:
VIX HOSTEM ALTERNI, SI CONGREDIAMVR, HABEMVS.
Ille quidem ad superos, quorum se deuouet aris,
Succedet fama, viuusq; per ora feretur.
Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus aruis.
TALIBVS INCENSA EST IVVENVM SENTENTIA DICTIS
Iam magis atq; magis, serpitq; per agmina murmur.
Ipsi Laurentes mutati, ipsiq; Latini.
Qui sibi iam requiem pugnæ, rebusq; salutem
Sperabant, nunc arma volunt, fœdusq; precantur
Infectum, & Turni sortem miserantur iniquam.

CVNCTIS PRO TALIBVS VNAM) Exhortatio est cū D quadam obiurgatione. Turpe, ait, vnum pugnare pro tam multis, & pluribus quàm sunt hostes, nec inferioribus, quod ad vires, & animos attinet: vt quod ex vno sperant, id facillimè sibiipsis dare possint. Omnes, inquit, adsunt hostes nostri, non est alter exercitus in castris.

FATALISQVE MANVS) Etruscos vocat fatalem manum, qui propter Mezentium Turno erant infesti.

VIX HOSTEM ALTERNI HABEMVS) si secundus quisque nostrûm congrediatur. De alterno hoste parē sententiam longius protraxit Homerus Iliad. β. εἴπερ γάρ κ' ἐθέλοιμεν ἀχαιοί τε, τρῶές τε, &c. turpe videri affirmat Agamemno, redire Græcos in patriam bello imperfecto,

cùm

cùm ipsi tam multi sint, Troiani adeo pauci. Sed eam A multitudinem, paucitatemque ita explicat, vt dicat, si Græci distribuantur in decurias, vt singulis decuriis misceat vnus Troianus, decurias plurimas non habituras, qui sibi pocula ministret. Manlius Capitolinus apud Liuium lib. 6. plebem in patricios à multitudine extimulat his verbis. Numerate saltem, quot ipsi sitis: quot aduersarios habeatis. Si singuli singulos aggressuri essetis, tamẽ acrius crederem vos pro libertate, quam illos pro dominatione certaturos: quot enim clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc aduersus vnum hostes eritis.

AD SVPEROS SVCCEDET FAMA) Turnus hominum fama, ac voluntate in cœlum tolletur, eum hominum B fama (verba Cic. de Hercule 3. Off.) beneficiorum memor in concilio cælestium collocabit: nos spoliati libertate, seruitutem Phrygibus tyrannis seruiemus: nos, inquam, qui nunc in campo lenti, & otiosi considemus.

QVORVM SE DEVOVET ARIS) Deuotionum formulas require à Brissonio, Formular. lib. 1. pag. 108. & sequentibus.

VIVVSQVE PER ORA FERETVR) Quis tam cæcus, qui non videat, occurisse Virgilio Ennianum illud, *volito viuu' per ora virûm?* Idem voluebat animo, cum scriberet illud Georg. 3. *victorq́; virûm volitare per ora.*

NOS PAT. AMISSA DOMINIS PARERE SVP.) Duplex calamitas, & vtraque grauissima. Quid enim patria dulcius? & quid superbo domino intolerabilius? Senserat hoc Andromache, & ideo flebiliter illa dicebat in 3.

Nos patria incensa, diuersa per æquora vecta
Stirpis Achilleæ fastus, iuuenemq́; superbum
Seruitio enixè tulimus.

Donatus exponit, *patria amissa*, id est amissa libertate. Liber enim habet patriam, quam non habet seruus: adeo, vt qui plenam adeptus erat libertatem, ciuitatem Romanam diceretur consecutus. Hanc ego expositionem amplector.

QVI NVNC LENTI CONSED.) Lenti, otiosi, frigidi, segnes. Eclog. 1. *tu Tityre lentus* in vmbra. Penelope Vlyssi. *Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlysse.* quanquã & in verbo *consedimus* hæc notio inest.

IPSI LAVRENTES MVTATI) Placet totum de exercitu accipi, qui erat extra vrbem, non de iis, qui erant in oppido, quemadmodum Donatus falsò putauit.

QVI SIBI IAM REQVIEM) Qui otium, & requiem plenam sperabant, cupiunt fœdus factum pro nõ facto haberi: & qui in Turnum exacerbati erant, iam eum miserantur. Depingit leuitatem, atque inconstantiam vulgi, quod huc, illuc facillimè rapitur. Qua de caussa mobiles Quirites vocat Horat. Ode 1. lib. 1.

His aliud maius Iuturna adiungit, & alto
Dat signum cœlo, quo non præsentius vllum
Turbauit mentes Italas, monstroq; fefellit.
Namq; volans rubra fuluus Iouis ales ab æthra,
Littoreas agitabat aues, turbamq́; sonantem
Agminis aligeri, subitò cùm lapsus ad vndas
Cygnum excellentem pedibus rapit improbus vncis.
Arrexere animos Itali: cunctæq; volucres
Conuertunt clamore fugam (mirabile visu)
Ætheraq; obscurant pennis, hostemq; per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, & ipso
Pondere defecit, prædamq; ex vnguibus ales
Proiecit fluuio, penitusq; in nubila fugit.
Tum verò augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntq; manus. primusq; Tolumnius augur,
HOC ERAT, HOC VOTIS, INQVIT, QVOD SÆPE PETIVI.
Accipio, agnoscoq; deos. me me duce ferrum
Corripite ô Rutuli, quos improbus aduena bello
Territat, inualidas vt aues, & littora vestra
Vi populat. petet ille fugam, penitusq; profundo
Vela dabit, vos vnanimi densate cateruas,
Et regem vobis pugna defendite raptum.

HIS ALIVD MAIVS) His, hoc est, illis, quæ superius C locuta est, adiungit quiddam præsentius, efficacius, vt nimirum religio alia religione soluatur. Seruius. Sic apud Homerum Iliad. β Iupiter in gratiam Thetidis, gloriamq; Achillis, fallax immisit somnium Agamẽnoni.

Ad ea autem, quæ hic notantur à Seruio, de oblatiuo, impetratiuo, & immisso augurio, vide Turneb. in Aduersar. Ita solent sæpe dij apud poetas falsis, vbi nocere volunt, insomniis, auguriis, monstrisúe humanis sensibus illudere, vt apud Calabrum de Pẽthesilea, quæ per summissum à Mineruа somnium victoriam de Achille sibi promiserat, eiusque iam spolia animo confidẽtius hauserat. Cæterùm ab aquila augurium habetur certissimum alioqui, sanctissimumque, vide reliqua apud German.

QVO NON PRÆSENTIVS VLLVM TVRB. MENT.) De voce *præsens* memini me dicere ad Eclog. 1. ibi, *Nec tam præsentes alibi cognoscere diuos.*

AB ÆTHRA RVBRA) propter auroram rubentem: est enim tempus matutinum.

IOVIS ALES) Sic lib. 1. vbi eadem auis cygnos insectans describitur. *Aspice bis senos lætantes agmine cygnos, Ætheria quos lapsa plaga Iouis ales, &c.*

LITTOREAS AGIT. AVES) Littoreas aues, intellige palustres: nam littus dicitur omnis terra aquis vicina. Seruius.

CVNCTÆQVE VOL. CON. CLAMORE FVGAM) Hæc pars potuit aliquid significare pro Turno. nã volucres cunctæ densatæ in cateruam, atque constantius persecutæ, raptorem adegerũt remittere vnguibus prædam, quod ille fecit pondere superatus, & impressione persequentium. Perdito autem pondere, fugit in nubila: hoc est eò, vnde venerat, remeauit. *Conuertunt clamore fugam*, id est, redeunt cum clamore, sicut in exercitu fieri solet. Donatus, Seruius.

FACTA NVBE PREMVNT) Nubes hic multitudinem confertam significat, vt alibi apud bonos auctores.

AVGVRIVM CLAMORE SAL.) Silius lib. 2. *atque omen clamore salutant.* Et li. 15. *gentibusq́; salutant Submissi augurium.* Augurium salutare, est venerari: & propriè. nam salutare dicimus deos. Terent. *At ego hinc deos salutatum domum ire pergam.* Et Plautus Curcul. *Quis est, qui operto capite salutat Æsculapium?* Tantum illud augurium dubitantes hortatum est, animauitq; in prælium, vt omnes vna voce quasi fœlix signum futuri exitus salutarent, armarent manus, & bellum quod dudum abiecerant, quærerent. Non solùm autem falsi sunt alij, iuit in errorem ipse quoq;, qui auguriorum scientiam profitebatur. Quod petiui, inquit, accipio fauentibus diis, quos per votorum obsequia, & ritus sacrorum in meas partes adduxi. *Me me* duplicando, hortandi cumulauit affectum. Exponere deinde incipit errores potius augurij, quam veritatem, vt hoc genere confirmaret animos vulgi. Quemadmodum vidistis, inquit, improbitate vnius alitis cæteras innoxias agitari: atque vt illæ affuerunt potiori omnes, & eum eripuerunt vnanimes: ita & vos congregati fugate hostem, & regem vestrum eripite manibus inimici. Fugiat ille, & altum nauigio petat: nobis sufficiat nostrum liberasse captiuum. Donat.

Auguria duorum erant generum, quædam oblatiua, quædam impetratiua petebantur à diis, nec in impetrantis erat potestate ea vel accipere, vel nõ accipere, vel agnoscere, vel non agnoscere. Quæ vltro nobis non petentibus facta, & oblata erant, in potestate nostra erant. Nam agnoscere, vel non agnoscere licebat, quod & in omnibus obseruabatur: vnde in historiis, *accipio omen*, legimus. Maro autem veluti in oblatiuo augurio de impetratiuo dixit, *Accipio, agnoscoq́; deos*: Id & in funeribus valebat. Nam non inquinabatur funere, non inquam, funestabatur, nec polluebatur, qui funus non agnoscebat. Liuius lib. 2. de Horatio Puluillo. Nihil aliud ad eum nuntium à proposito auersus, quàm vt cadauer efferri iuberet, tenens postem, precationem peragit, & dedicat templum. Ita funus non agnouit, nec ad se pertinere significauit, sed ad alios, cum dixit, *efferte*: quasi ipsorum cadauer esset. Alij autem respondisse dicunt, vt refert Seruius, cadauer sit. Turneb. lib. 5. cap. 7.

PRIMVSQVE TOLVMNIVS AVGVR) Pro Pandaro Homerico est Tolumnius. Ille, Mineruæ iussu, vulnerato Ænea turbat fœdus. Idem hic Iuturnæ verbis, & portento commotus facit Tolumnius. Vide Iliad. δ.

HOC ERAT HOC VOT. ACCIP. AGNOS. D.) Non soli falsi sunt alij, ecce iuit in errorem & ipse, qui auguriorum scientiam profitebatur. Quod petiui, inquit, accipio fauentibus diis, quos per votorum obsequia, & ritus sacrorum in meas partes adduxi.

ME ME DVCE FER. CORRIP. O MISER.) hoc est, meum exemplum sequimini, me ferrum corripiente, etiam vos manus armate.

VI POPVL.) antiquum, nunc enim tantum populo dicimus.

PENITVSQVE PROF. VELA DAB.) vt suprà de aquila, *penitusq́; in nubila fugit.*

VNANIMI DENSATE CATERVAS) Quidam volunt, Virgilium scripsisse, *vnanimus densete*, teste Eutycho Grammatico in lib. de discernendis coniugationibus, qui ait, in so, similiter primæ coniugationis, quia deriuata sunt: nam vel à nominibus pleraque deriuantur, vel certè frequentatiua sunt: vt, lapso as, penso as, spisso, denso, quod & denseo secundæ coniugationis, vt in eo terminatum, licet rarò lectum inueniatur: vt extulit lib. 1. Georg. Virgil. *Iupiter humidus Austris Denset, erant quæ rara modò.* Item 12. Æneid. *vos vnanimes densete cateruas.* Cuius infinitum Sallustius Historiar. lib. 2. refert. Illi subsidiis principes augere, & densere frontem. Atque idem Virgil. eodem modo 11. Æneid. dixit, *Extremi addensent acies.* German.

ET REGEM VOB. PVG. DEFEND. RAPTVM) regem Turnum intellige, qui quodammodo raptus, & in vnguibus Æneæ erat, iam iam cum eo congressurus, & ab eo occidendus.

Dixit, & aduersos telum contorsit in hostes
Procurrens: sonitum dat stridula cornus: & auras
Certa secat. simul hoc, simul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei, calefactaq; corda tumultu.
Hasta volans, vt fortè nouem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contrà, quos fida crearat
Vna tot Arcadio coniux Tyrrhena Gylippo:
Horum vnum ad medium, teritur quà sutilis aluo
Balteus, & laterum iuncturas fibula mordet:
EGREGIVM FORMA IVVENEM, ET FVLGENTIBVS ARMIS
Transadigit costas, fuluaq; extendit arena.
At fratres animosa phalanx, accensaq; luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum

Corri-

Corripiunt, cæciq; ruunt. quos agmina contra
Procurrunt Laurentum: hinc densi rursus inundant
Troes, Agylliniq;, & pictis Arcades armis.
SIC OMNES AMOR VNVS HABET DECERNERE FERRO.

DIXIT, ET ADVERS. TEL. CONTORS. IN HOSTES) Repræsentat hic Maro eam rationem turbandi fœderis, quam Pandarus apud Homerum iniuit, cuius superius facta est his versibus mentio.

Pandare, qui quondam iussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achiuos.

Et lib. 9.

Ecquis erit mecum, iuuenes, qui primus in hostem,
En ait, & iaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ.

German.

TVRBATI CVNEI) Cuneus Isidoro lib. 9. est collecta in vnum militum multitudo. Vnde propterea, quod in vnum coit, ipsa coitio in vnum, cuneus nominatus est, quasi conneus, eo quod in vnum omnes coguntur. Alij sic, à similitudine cunei instrumenti ferrei, cuius vsus est in lignis findendis, dicitur peditum multitudo, quæ prima fronte angustior, paulatim diffunditur.

CALEFACTAQVE CORDA) *Exarsere ignes animo*, dixit 2. Æneid.

HASTA VOLANS VT FORTE) Ratio turbandi fœderis, de qua supra dictum. Vnde inoleuisse ritum credibile est hastæ illius, quam in bello indicendo fecialis in fines hostium mitteret: cuius & meminit Dion, de Marco agens. Sed &, vt scribit Victor, ædes Bellonæ versus portam Carmentalem erat, ante quam erat columna, index belli inferendi. Vnde ituri ad bellum duces, hastã reiiciebant, fecialibus scilicet, vt credo, proludentes. German.

NOVEM PVLCHERRIMA FRATRVM CORP.) Hoc ad œconomiam pertinet, necesse enim erat, vt fratres ex v- A nius morte commoti, bellum mouerent. Si enim vilis aliquis interiret, poterat eius mors ob fœderis religionem fortè contemni. Seruius.

QVOS FIDA CREARAT) Silius li. 4. simile quiddam.

Tergemini primam ante aciem fera prælia fratres
Miscebant, quos Ladæo Sidonia Barce
Xantippo fœlix veteri inter bella crearat.

Horat. epist. 1. lib. 1. *Quæritur argentum, puerisq; beata creandis Vxor.*

HORVM VNVM AD MED. TERITVR QVA) Non dirigebat hastam in vnum hunc, sed in plures, quæ proinde frustrari non potuit. Rem physicam dixit *teritur*, omnia enim, quibus vtimur, non nos terunt, sed nos illa
B terimus. Seruius.

FVLVAQVE EXTEND. AR.) Liuius lib. 7. & in spatium ingens ruentem porrexit hostem, T. Manlius scilicet Gallum prouocatorem.

AT FRAT. ANIM. PHAL.) Et animum habebant ad vltionem pronum, & germanitas cogebat, & luctus, vt congruè mouerentur. Dicitur deinde, quæ diuersi fecerint, quantisque animis simul irruerint in hostem. Et ita factum per Iuturnam, quod Iuno mandauerat: nam & fœdus excussum, & bellum est conflatum, adeò, vt omnes vna pugnandi sententia teneat) Donat.

GLAD. STRING.) Gladius, c. in g. mutato, à clade: quod fit ad hostium cladem gladius.

TROES AGYLLINIQVE) Iidem Agyllini, qui Cærites,
C siue Cæretini. Quæ enim Agylla, eadem & Cære. Vide Plin. lib. 3. cap. 5.

SIC OMNES AMOR VNVS HAB.) sic, dum scilicet paulatim suis inuicem subueniunt.

Diripuere aras. it toto turbida cælo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber:
Craterasq;, focosq; ferunt, fugit ipse Latinus,
Pulsatos referens infecto fœdere diuos.
Infrænant alij currus, aut corpora saltu
Subiiciunt in equos, & strictis ensibus adsunt.
Messapus regem, regisq; insigne gerentem
Tyrrhenum Aulesten, auidus confundere fœdus,
Aduerso proterret equo. ruit ille recedens,
Et miser oppositis à tergo inuoluitur aris
In caput, inq; humeros: at feruidus aduolat hasta
Messapus, teloq; orantem multa trabali
Desuper altus equo grauiter ferit: atque ita fatur.
Hoc HABET, hæc melior magnis data victima diuis.

DIRIPVERE ARAS) Cæcati furore certandi, deiiciebant, dissipabant, diripiebant aras, & auferebant quæ dudum necessaria sacris attulerant. Latinus in tuta se recipiens, deos nulla fœderis pactione perfecta, fractis fœderibus violatos querebatur. Et quia spes fœderis multos ab armorum cura dissoluerat, alio rerum exitu excitati, alij infrænabant currus, id est, equos (sic alibi, *neque audit currus habenas*, alij se super equos iacie-
D bant. Sed propriè non est locutus, magisque contrariè: nam subiicere est subter aliquid iacere. Dona. Seruius.

* *Ostenditur militaris licentia, & tempestas, quæ in bello nec sacris parcit, nec profanis. Pius miles, est cornu rarior albo.*

TEMPESTAS TELORVM) Sic Simonides quodam epitaphio li. 3. Anthol. νεφέλην πολέμου vocat conflictum, belli nubem, seu nimbum.

FERREVS INGRVIT IMBER) Ennius Annal. 8. vt cre-

brius ingruentium telorum ictus repræsentaret, aptissima tralatione vsus est. Quam tamen Maro amplificauit. Ille, *Hastati spargunt hastas fit ferreus imber.* Noster, *it toto turbida cælo Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber.* Eadem significatione telorum nimbum dixit Lucanus li. 9. *Telorum nimbo peritura, & pondere ferri.* Statius lib. 5. Thebaid. *Instamus iactu telorum, & ferrea nimbis Certat hyems.* Eandem rem expressit Maro lib. 11. ducta à cadēte niue similitudine. *fundunt simul undiq; tela Crebra, niuis ritu: cælumq; obtexitur umbra.* Etiam a grādine, li. 10. *Ac velut effusa si quando grandine nimbi Præcipitant.* Stat. lib. 1. Thebaid. *telorum, aut grandinis instar Riphaa.* Idem lib. 8. has omnes similitudines, niuis, grandinis, imbris his versibus simul complexus est.

—— non tanta cadentibus Hœdis
Aëriam Rhodopen solida niue verberat Arctos,
Nec fragor Ausoniæ tantus, quum Iupiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Cum Libya Boreas Italis niger attulit imbres.
Exclusere diem telis. Stant ferrea cælo
Nubila: nec iaculis atratus sufficit aer.

Extremis his verbis cōsentanea sunt, quę protulit Silius lib. 9 *cælumq; & sidera pendens Abstulit ingestis nox densa sub arbore telis.* quæ ex illis expressa sunt huius libri, *& obumbrāt æthera telis.* Hos flosculos, vt sedula apis, in verba Ennij suprà posita comportauit Hieronymus Columna, eademque opera vtrumq; poetam illuminauit.

PVLSATOS DIVOS) violatos, interpretatur Seruius. Vt enim qui pulsantur, violantur vtique: sic, qui violantur, siue læduntur, quasi pulsari, & indignè manibus verberari videntur.

INFRÆNANT ALII CVRRVS) equos. sic 9. Georg. *neque audit currus habenas.*

SVBIICIVNT IN EQVOS) sursum iaciunt.

MESSAP. REG. REGISQVE INSIGNE GER.) Messapus Aulesten regem Tyrrhenum, & diadema in capite gerentem, equo obuius proterrebat, terrendo protrudebat, ipse auidus confundere fœdus, quia Turno fauebat, qui erat impar ad singulare certamē. Dum ergo retrorsum Aulestes cederet Messapo proterrente, non se auertens, ne terga hosti nudaret, deceptus est ararum obiectu non viso: illic quippe in caput, inq; humeros inuolutus cōcidit. Aduolandū, & festinandū fuit Messapo, ne se ille colligeret, & tāti casus periret occasio. Don.

TELO TRAB.) id est, magno, ingenti. Quidquid ingens, & validum esset, veteres trabale vocabant. Statius lib. 4. Thebaid. *dextraq; trabalem Hastam intorsit agens.* Claudian. de raptu Proserp. *indignatusq; trabali Saxa ferit sceptro.* Nazarius Panegyristes. quos cum trabalis hasta deiecit: insultās ferus proterit. Ammianus li. 16. quorum capita discissa trabalibus telis. Apud Horat. Ode 35. lib. 1. Necessitas gestat clauos trabales, & cuneos manu ahenea: nimirum ferreos clauos suffigendis in crucem noxus paratos, magnæ quidem molis illos, & instar trabium grandes. Cic. 7. in Verr. trabali clauo figere, prouerbialiter dixit, pro valde munire, & nexu indissolubili, atq; adamantino. Et vt hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clauo figeret. Arnob. lib. 2. metus ille vos habet, ne velut trabalibus clauis affixi corporibus hæreatis. Iunius Cent. 1. adag. 56. * *Trabs pro hasta est apud Silium, pro face magna apud Senecā in Hercule Fur. An verò non trabalis hasta Goliathi? de qua lib. 1. Reg. cap. 17. Hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentiū: ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habebat ferri.*

HOC HABET) E consuetudine vulgaris sermonis desumptum, quo etiam summa interdum poemata cōdiuntur, & commendantur. Affine est illud Terentij, Andria. *certè captus est, habet.* Sic enim aliquem haud leuiter percussum dicere solemus. Hæc imitatus est Prudent. in Psychom. *Hoc habet, exclamat victrix regina.* Turneb. lib. 17. cap. 10.

Verba Terentij sunt, in persona senis. *Egomet cōtinuò mecum, certè captus est, habet:* filius scilicet Pamphilus, qui amabat Glycerim. Vbi Donatus, captus est, tenetur, & irretitur, ex translatione ferarum, atq; venatus. Habet, id est, vulneratus est. Habet enim qui percussus est: & propriè de gladiatoribus dicitur, quia prius alij vident, quam ipsi sentiant, se percussos. Rursus, paulùm infrà Habet, sic dicitur de eo, qui lethaliter vulneratus est, statimq; hunc Maronis locum subnectit.

Sed ne prætereamus eruditissimum, & antiquitatis indagatorem solertissimum Lipsium, Saturnal. lib. 2. cap. 22 *Hoc habet*, propria vox insultantis aduersarij, aut acclamantis vulgi, gladiatore læso. Deinde producto hoc Virgilij loco, illum Prudentij supra citatum subiungit, quem ipse totum sic recitat.

Tunc exarmata iugulum meretricis adacto
Transfigit gladio: calidos vomit illa vapores.
Hoc habet, exclamat victrix regina.

Simpliciter etiam, habet. Seneca in tragœd. *Habet, peractum est: quas petit pœnas dabit.* Idem, *Habet, peractum est: fata se nostra explicant.* alius sanè clamor est. quem Augustinus indicat, lib. 6. Confess. 8. * *Festiuè etiam hoc sermone vsus est Plaut. apud quem in Mostellaria Tranio seruus, lætus se technam excogitasse, qua senē herum circumscriberet, sic ait.*

Sed tempus nunc est senem hunc alloqui mihi,
Hoc habet, repperi qui senem ducerem.

Id est, vt Lamb. interpretatur, hoc telo a me sauciatus est, hac tragula a me percussus est.

HÆC MEL. MAG. DATA VICT. DIVIS) Cùm prima hostia non litabatur, aut effugerat, & succidaneæ hostię immolabantur ad deos placandos, meliores, vt opinor, dari dicebantur: ad quem ritum Maro respexit, vt etiam in 5. *Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis Persoluo.* Hinc prouerb. *δεύτερον ἄμεινον*. Turneb. lib. 14. cap. 4. Sarcasmus est, inquit Donatus, de loci qualitate inuentus. Nam quia super aras cecidit, sic ait, quasi dicat: si sacrificandum fuit numinibus melior victima, en meliorem.

Concurrunt Itali, spoliantq; calentia membra.
Obuius ambustum torrem Chorinæus ab ara
Corripit: & venienti Ebuso, plagamq; ferenti
Occupat os flammis. illi ingens barba reluxit,
Nidoremq; ambusta dedit, super ipse secutus,
Cæsariem læua turbati corripit hostis,
Impressoq; genu nitens, terræ applicat ipsum.
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem, primaq; acie per tela ruentem

Ense

Ense sequens nudo superimminet: ille securi
Aduersi frontem mediam, mentumq; reducta
Disiicit, & sparso latè rigat arma cruore.
OLLI DVRA QVIES OCVLOS, ET FERREVS VRGET
SOMNVS in æternam clauduntur lumina noctem

AMBVSTVM TORREM) Torris lignum adustum, quem vulgus titionem appellat, extractum ex foco, semiustum, & extinctum.

PLAGAMQVE FERENTI) ferebat plagam Chorinæo Ebusus, id est, erat illum vulneraturus.

OCCVPAT OS FLAMMIS) Hoc verbum *occupat* celeritatem quandam præ se ferre videtur: vt suprà, *manicisq; iacentem Occupat*. Et Lucret. 4. *Etsi cominus est, hostem ruber occupat humor*. German. Occupare, inquit Nonius, est propriè præuenire. Cic. Tusc. 5. Quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus occupauit. Titinnius Veliterna. *Ergo occupa foras exire*. Citat alios præterea, tum hunc ipsum locum Virgilij. Adde Liuij: occupant bellum facere.

ILLI INGENS BARBA RELVXIT,) Ingens flamma, tam promissa, & latè diffusa barba conflagrante, vt existeret, necessum fuit. Et quoniam teterrimus est odor capillorũ, criniumq; combustorũ, rectè subiungit poeta, *Nidoremq; ambusta dedit*. Barbam opacam vocat Catullus. *Egnati, opaca quem bonum* (id est, pulchrum, elegantem, ironia est) *facit barba*. Qui sic est barbatus, dicitur Græcis δασυπώγων, βαθυπώγων, βαθυγένειος. Cõmendatur & Mezentius vt εὐπώγων lib. 10. *fusus propexam in pectore barbam*. Vide quæ ibidem diximus.

Magna ignominia vel vulsione, vel tali quodam modo barbam amittere, *So schandlich vmb den bart kommen*. Nec vlla iniuria ἐκπωγωνισμοῦ hac vna intolerabilior. Barbam viri formam vocauit Epiphanius *lib. 3.* contra hæreses, vbi in Mesopotamiæ monachos quosdam inuehitur, qui muliebri more comas promitterent, & barbam resecarent. Rectissimè quidem ille, vtpote natura haud alio discrimine, quod oculorum iudicio sit obuium, marem à fœmina separante, quam barbæ prouentu. Diogenes conspicatus quendam eraso mento leuem, habésne, inquit, cuius naturam accuses, quod virum te fecerit, non fœminam? Idem interrogatus, qua de caussa barbam aleret, respondit, vt se virum esse subinde recordaretur. Interdicto XII. tabularum prudenter cautum fuit, in hæc verba. *Mulieres genas ne raduntо.* Nempe vt ne diutino radendi vsu supercrescentibus pilis à natura non datis, sub ementito virilis oris honore, fallerent: nam vt præter naturam est, barbatam esse fœminam: ita eius occursus non immeritò Italis habetur ominatus: vnde ioculare apud eos dictum, barbatam eminus esse salutandam. Plura Iunius de Coma, vnde & ista deprompsimus, in hominum barba D insignitorum scilicet gratiam, qualis videlicet iste Ebusus fuit.

Lucian. Tom. 3. dial. qui inscribitur Cynicus, vbi Cynicorum vita aspera aduersus mollem, & delicatam defenditur. Attamẽ ille quoq; (Theseus) voluit sine calceis esse, & nudus ingredi, barbamq; nutrire placuit ei: nec ei tamẽ solum, sed omnib⁹ etiam veteribus placuit: nempe meliores erãt quàm vos. Atq; adeo ne sustinuisset quidem eorum quisquam aliquid huiusmodi, nihilo profectò magis, quam leo quispiã sese tonderi. Siquidẽ carnis mollitiem, ac læuorẽ decere mulieres existimabant: ipsi verò, sicuti erant, ita videri quoq; viri volebãt: ac barbam quidem cultum viri ducebant, quemadmodum in equis iubam, in leonibus barbam, quibus deus splendorem quendam, atq; ornamenti venustatem dedit: sic & viris barbam adiunxit.

Addamus pauca ex lib. 3. Pædagogi ca. 3. Clementis Alex. in quo virorum nimis sese ornare, & muliebriter quidem studentium ratio, reprehẽditur. *Deus enim voluit fœminam quidẽ esse glabram, ac leuem, sola coma, sicut* A *equum iuba, sponte natura exultantem: virum autẽ, eum sicut leones barba ornasset, virilem etiam fecit hirsuto pectore, quod quidem est roboris, & imperij indicium.* Interiectis nonnullis. *Hoc viri signum, barba scilicet, per quod vir apparet, est Eua antiquius, & signum melioris naturæ.*

* *Habet tamen vnum quoddam malum, ingens, & prolixa barba, quod Alexand. Magnus hoc verbo subindicatum voluit. Paratis rebus omnibus ad prælium, interrogatus, quid insuper vellet, nihil, inquit, nisi vt Macedonum barbæ radantur. Parmenione admirante, ac dubitante quorsum pertineret hoc responsum, rex subiecit. An tu nescis in pugna nullam ansam esse meliorem ipsa barba? Monuit, cominus esse decernendum, quo quidem in certamine hoc incommodi afferunt longæ barbæ, quod milites ab hoste, hac veluti ansa facillimè apprehendi, & trahi, quò lubet, ac retineri possunt.*

SECVRI ADVERSI FRONT. MED.) Mediam frontem B Alsi Podalirius percussit tanto pondere, vt vsq; ad mentum eius distenderet: quod ipsum factũ est arte ferientis, qui post inflictum primũ vulnus reduxit dexteram. Veniens enim securis intulit plagam, & reducta geminauit quod fecerat. Donatus.

SPARSO LATE RIG. ARMA CRVORE) Quia caput diffissum per medum, ideo largo cruore arma rigabantur: nam de paruo vulnere non multus exit sanguis. Tali, tam immani vulnere Pandarum Turnus mactat, lib. 9.

Sic ait, & sublatum altè consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Diuidit, impubesq; immani vulnere malas.

Videor & apud Homerum similia obseruasse. Nam in C varietate quoq; mortium sedulus est sui parentis sectator Virgilius.

OLLI DVRA QVIES. ET FERREVS SOM.) Est enim alia quies non dura, & non ferreus somnus, & nox non æterna, quibus qui vtuntur ad tempus, incolumem retinent vitam. Donatus.

Mortem poetæ, noctem, soporem, somnum, χάλκεον ὕπνον, ferreum somnum, ac perpetuum vocant. Est enim consanguineus Lethi sopor. Sed & Orpheus ad Somnum, αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς λήθης θανάτου. Lucret. *quorum vnus Homerus Sceptra potitus, eâdem aliis sopitu' quiete est*. Et Hor. *Ergo Quintiliũ perpetuus sopor vrget*. Propert. *Nox tibi longa venit, nec reditura dies*. Catull.

Nobis cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

Quæ omnia dicendi genera fluxere à falsa illa opinione, qua imbuti multorum animi, eâdem nos in caussa mortuos fore, qua dormientes sumus. Lucret.

Tu quidem vt es lecto sopitus, sic eris, æui
Quod superest, cunctis priuatu' doloribus ægris.

Anaxagoras dicebat, duarum rerum cogitatione posse nos intelligere, quales post mortem futuri simus: somni, & eius temporis, quod nostrum cuiusq; ortum antecessit. In diuinis quoq; litteris (sed longè alia de caussa) mors sæpe somni, & quietis nomine afficitur: vnde & à nostræ religionis hominibus sepulchreta græ E co vocabulo, quod à somno inflexum est, κοιμητήρια nominantur, dormitoria. Ex Mureto in Catullum.

* *Quod dictum est, somnum esse consanguineum, fratremq; mortis, vide, si lubet, quæ disputauimus in illum locum lib. 6.* Tum consanguineus lethi sopor. *Ibi dictum Gorgiæ Sophistæ protulimus, cui geminum est quodammodo aliud Diogenis. A lethali somno experrectus, & à medico interrogatus, quid ageretur. Rectè, inquit, nam frater fratrem amplectitur.*

At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atq; suos clamore vocabat.
Quò ruitis? quæúe ista repens discordia surgit?
O COHIBETE IRAS: ictum iam fœdus, & omnes
Compositæ leges, mihi ius concurrere soli.
ME SINITE, ATQVE AVFERTE METVS, ego fœdera faxo
Firma, manu: Turnum iam debent hæc mihi sacra.
HAS INTER VOCES, MEDIA INTER TALIA VERBA,
Ecce viro stridens alis allapsa sagitta est:
Incertum qua pulsa manu, quò turbine adacta:
Quis tantam Rutulis laudem, casúsne, deúsne
Attulerit. PRESSA EST INSIGNIS GLORIA FACTI:
Nec sese Æneæ iactauit vulnere quisquam.

DEXTRAM TENDEB. INERMEM) Non clamore tantum, de quo sequitur, sed etiam dextra protensa suos reuocabat. Aut gestum quendam proiecta dextera indignantis intelligamus. Dextram etiam tendit, cum infra ad vrbē cum exercitu accedit. *Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit.* Turnus item obsessis subueniens, *significatq; manu, & magno simul incipit ore.*

NVDATO CAPITE) Caput nudare solebant duces militares. Caussam indicat Tacitus lib. 2. Annal. his verbis. Et Germanicus, quo magis agnosceretur, detraxerat tegimen capiti, orabatque insisterent cædibus, nil opus captiuis, solam internecionem gentis finem belli fore. Idem fecit Cyrus minor in pugna illa sibi extrema. Cuius caussam tamen Xenophon ambiguè refert ad morem Persarum, qui pugnam nudis capitibus inibant. Hæc notauit quidem Lipsius: sed quomodo huius loci Maroniani oblitus sit homo tam memoriosus, equidem demiror. Adde & illa de Iulio Cæsare ex Appiani 2. bell. ciuil. Vt verò signa collata sunt, Cæsarianis prę pauore segnius rem aggressis, imperator ipse deos omnes in vota vocabat, sublatis ad cælum manibus, ne vno ignominioso conflictu abolerentur tot egregiæ victoriæ: discurrensque inter milites hortabatur eos, sublata à facie galea, quò magis agnitus, pudoré eis incuteret, &c. * *Potest etiam huc referri id, quod in 5. Æneid. de Ascanio, dum accepto nuntio manibus illati à mulieribus Troianis incendij, ad eas turbatas accurrit.* En ego vester Ascanius: galeam ante pedes proiecit.

QVO RVITIS?) Aliud est ire, aut tendere, aliud ruere. Ruere, est inconsultè aliquid aggredi: cadentis enim more decipitur: non enim quomodo vult, cadit, qui ruit: dicitur enim casus violentia, non propria voluntate. Donatus.

QVÆVE ISTA REPENS DISCORDIA) *Repens* idem est quod subitus, & repentinus: sed poetis ferme vsitata vox. Lucret. lib. 5.

At pater omnipotens ira tum percitus acri
Magnanimum Phaetonta repenti fulminis ictu
Deturbauit.

Stat. 7. Thebaid. *vocisq; repens singultus apertum Interclusit iter.* Valer. Flaccus lib. 2. *vox inde repens vt percu lit vrbem.* Tusculan. 1. *Ne me imparatum cura lacerarет repens* Liuius lib. 1. Repens ex agris in vrbem tumultus allatus pro nuntio fuit. Idem libr. 6. Fama repens belli Gallici allata, perpulit ciuitatem. & lib. 9. repens aduentus Consulis ita exterruit Vmbros, &c. Varro lib. 6. de ling. lat. repens ruina aperuit.

O CONHIBETE IRAS, ICTVM IAM FOEDVS) Dicere potuit, ô ciues, ô socij, aut, ô miseri, vel inconsiderati: & alia aut bona, aut iniuriosa. Dixit ergo, *ô*, tantummodo: & ne vagaretur longius, ad ipsam rem, quæ necessariò fuerat dicenda, peruenit. Perfectum, inquit, iusiurandum est, & impletum, leges dictæ pacis, & belli, quibus solus ipse obnoxius teneor, me solum fœdera nexuerunt, me pugnare permittite, nec vllus vos exagitet metus, virtute mea firmabuntur gesta, quæ sacrilegorum temeritate violata sunt. Læsa sacra necesse est Turni supplicio expiari. Donatus.

TVRNVM IAM DEB. HÆC MIHI SACRA) Aræ, & ignes, propter Turnum violati.

INCERTVM QVA PVLSA MANV) Hoc loco adhuc quidem quasi dubitat: tamen à Iuturna intelligimus immissum, quendam qui vulneraret Æneam. Quod autem paulo post dictura est Iuno de Iuturna: *Non vt tela tamen, non vt contenderet arcum,* minimè mirandum. Nam scimus vnicuiq; imputari, quod alter in eius gratiam fecerit, sicut est, *Et potes in totidem classem conuertere nymphas.* Æneam autem ab homine vulneratum indicat Iupiter paulo post dicens, *Mortali decuit violari vulnere diuum?* * *Videtur Seruius, dum dicit, à Iuturna immissum intelligi, qui Æneam vulneraret, in mente habuisse locum Homeri, Iliad. δ. vbi Minerua Pandarum cohortatur ad petendum sagittis Menelaum, & ita ad disturbandum fœdus. Et credibile sit, eodem vatem nostrum allusisse: cuius tamen res infra expressam mentionem est facturus, & hac de re supra diximus.*

PRESSA EST INSIGNIS GLOR. FACTI) Fuit quidem gloriosum factum: sed ea gloria pressa est, & suppressa, non diuulgata, quoniam qui se iactaret de illato Æneæ vulnere reperiri nō potuit. Insignia facta, incertis, occultisúe auctoribus, citò admirationem amittunt.

NEC SESE ÆNEÆ IACT. VVLN.) Mirum sanè, latere voluisse auctorem huius vulneris sibi tam gloriosi. Quis enim negat honorificentius esse, ducem & imperatorem, quam gregarium quempiam militem vulnerare? Nec poeta hoc ipsum dissimulat: ait enim, insigne fuisse factum, & gloriosum. Citius inuenias, qui se talia fecisse mentiantur, laudis videlicet, honorisque, & præmij etiam adipiscendi gratia, quam qui facta silentio aut ipsi premant, aut ab aliis premi æquo animo ferant.

Turnus vt Æneam cedentem ex agmine vidit,
Turbatosq; duces, subita spe feruidus ardet:

Poscit

Poſcit equos, atq; arma ſimul, ſaltuq; ſuperbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas
Multa virûm volitans dat fortia corpora letho,
Semineces voluit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit haſtas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mauors clypeo increpat, atq; furentes
Bella mouens immittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos, Zephyrumq; volant: gemit vltima pulſu
Thraca pedum, circumq; atræ formidinis ora,
Iræq;, inſidiæq; Dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes ſudore quatit (miſerabile) cæſis
Hoſtibus inſultans: ſpargit rapida vngula rores
Sanguineos, miſtaq; cruor calcatur arena.

TVRNVS VT ÆN. CEDENTEM) Compendioſa narratio, in qua etiam non dicta poſſunt intelligi: nô enim deſcripſit Æneam cedentem ex agmine, & duces turbatos: ſed quaſi iam dixiſſet, ſic aſſeruit Turnum hæc vidiſſe: & huius mali occaſione audere cœpiſſe, poſcere equos, & arma exultantum more, quaſi iam ſuperior effectus, conſcendere currum, manibus ſuis habenas moderari. Exiſtimans lethali percuſſum vulnere Æneam, & iam ſecurus de victoria, multos obuios ſternebat, alios ſemineces relinquebat, alios rotis proterebat, equorumq; pedibus, nonnullis fugientibus in tergum haſtas ingerebat.

SVBITA SPE FERVIDVS ARDET, POSCIT EQ.) Cernis quem potiſſimùm formidauerit Turnus præſentem. Et laudatur Æneas latenter, qui plus timeretur, quàm vniuerſus exercitus. Donatus.

DAT FORTIA CORP. LETHO) Sic lib. 5. *Millia multa darent letho, gemerentq; repleti Amnes*. Lib. 11. *Magna trophæa ferunt quos dat tua dextera letho.* Ennius in Teleph. *quorum liberi letho dati ſunt in bello.* Pacuuius in Duloreſte. *Is quis eſt? qui tunc ſi tu illum occupas, letho dabit?*

RAPTAS HASTAS) Raptas de corporibus à ſe confixorum, & ſuas.

QVALIS APVD GELIDI) Quemadmodum Mars, qui gaudet ſanguine, αἱμοχαρὴς, apud Hebrum Thraciæ flumen, clypeo ſonat, dimittitque laxis habenis per campum equos furentes, terra autem tota, quà feruntur, pulſata vngulis gemit, & comitantur eum formido, iræ, inſidiæ: ſic Turnus agebat equos ſuos, fumantes ex ſudore, vt ardere intus putarentur, tantumq; ſanguinis faciebat, vt equi currentes quoſdã veluti rores ſanguineos vngulis ſuis ſpargerẽt, & arenæ cruore permiſcerentur vbiq;. Donatus.

SANGVINEVS MAVORS) Græcis φιλαίματος, αἱμοχαρὴς. Quoniam igitur gaudet ſanguine (ea enim natura belli) venuſtè eum Leonides epigrammate quodã Anthol. lib. 1. tit. εἰς ἀναθήματα iraſcentem, & grauiter conquerentem fingit, ſuſpenſa templo ſuo arma pro donariis penitus integra, & clypeos incruentos: ac proinde ſe his donis ad multum ſudorem erubeſcere. Aptiora videri ornandis porticibus, cœnationibus, & aulis: templũ Martis decorari ſpoliis imbutis ſanguine, quibus demũ ipſe delectari ſoleat. Οὐκ ἐμὰ ταῦτα λάφυρα,

A &c. Sequitur Antipatri, argumento haud diſſimili: habet tamen plùs iratum, & vehementiæ. Non hæc ſuo templo, ſed gurguſtiis, & cauponis apta, ac proinde refigenda, & abiicienda omnino. Τίς θῆτο μαρμαίροντα, &c.

ANTE NOTOS ZEPHYR. VOL.) Principio libri etiã de equis Turni. *Qui candore niues anteirent, curſibus auras.* Hoc libro infra. *Vel conferre manum, vel equo præuertere ventos.* Et de Camilla lib. 7. ad finem *curſuq; pedum præuertere ventos.* Incredibilis celeritas ὑπερβολικῶς indicatur. Talis figura in illis quoque, *fugit ocyor Euro. Ventos æquante ſagitta*, &c.

GEMIT VLTIMA THRACA) Græcè Θρᾴκη, καὶ Θρῄκη, hoc ſecutus eſt, aliàs Thracia. *Vltima* autem, hoc eſt B tota: ſi.n. gemit vltima, omnis ſine dubio. ita Seruius.

DEI COMITATVS AGVNTVR) *Dei comitatus* quod ait formidinem, iras, inſidias, Homerum ſanè æmulatus eſt, qui comites attribuit Marti terrorem, pauorem, cõtentionem: ſed perſonas ſummutauit Maro, poſuitq; inſidias, & iras. Verſus Homeri eſt Iliad. lib. 4.

Δεῖμός τ' ἠδὲ φόβος, καὶ ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα
Ἄρεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη, ἑτάρη τε.

Eundem hunc locum etiam lib. 8, imitatus eſt, ſic.

------ ſæuit medio in certamine Mauors
Cælatus ferro, triſteſq; ex æthere Diræ,
Et ſciſſa gaudens vadit Diſcordia palla,
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

C Turneb. lib. 23. cap. 14.* *At vero Statius vtrumq; poetam ſecutus videri poteſt, lib. 3. Thebaid.*

------ comunt furor, iraq; criſtas,
Fræna miniſtrat equis pauor armiger, ac vigil omni
Fama ſono varios rerum ſuccincta tumultus
Anteuolat currum.

Pauori, ac Pallori Tullus Hoſtilius, bello contra Fidenates, vt in re trepida, templa vouit. Liuius lib. 1. ab V. C. Qua de re D. Auguſt. in Ciuit. ſic ait. Hoſtilius certè Rex deos & ipſe nouos, Pauorem, atque Pallorem propitiandos non introduceret, ſi Fælicitatem deam noſceret, & coleret.

MISERABILE) Sunt adiectiua, quæ interdum quaſi κατὰ παρένθεσιν ponuntur in verſu, & vim aduerbiorum, interiectionumúe obtinent: vt præter iſtuc, infandùm, malùm, turpè.

D CÆSIS HOSTIBVS INSVLTANS Sarcaſmis ſcilicet, Sarcaſmus autem definitur hoſtilis irriſio, & fit verbis amarulentis, valdeq; mordacibus, & contẽptu plenis.

SPARGIT RAPIDA VNGVLA RORES SANG.) Omnem humorem videbis nomine roris affici à poetis, & hic

& hic cædis magnitudo exprimitur. Multum enim sanguinem fundi oportuit, vt ab vngulis equorum quauis volantium destillaret. Si multus sanguis, multa corpora prostrata.

Iamq; neci Schenelumq; dedit, Thamyrimq; Polumq;:
Hunc congressus, & hunc, illum eminus: eminus ambos
Imbrasidas, Glaucum atq; Ladem: quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusq; ornauerat armis,
Vel conferre manum, vel equo præuertere ventos.
Parte alia, media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello præclara Dolonis,
Nomine auum referens, animo, manibusq; parentem:
Qui quondam castra vt Danaum speculator adiret,
Ausus Pelidæ precium sibi poscere currus.
Illum Tydides alio, pro talibus ausis,
Affecit precio, nec equis aspirat Achillis.
Hunc procul vt campo Turnus prospexit aperto,
Ante leui iaculo longum per inane secutus,
Sistit equos biiuges, & curru desilit: atq;
Semianimi, lapsoq; superuenit, & pede collo
Impresso, dextra mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinxit iugulo, atq; hæc insuper addit.
En agros, & quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens. HÆC PRÆMIA, QVI ME
FERRO AVSI TENTARE, FERVNT: sic mœnia condunt.
Huic comitem Buten, coniecta cuspide mittit,
Chloreaq;, Sybarimq;, Daretaq;, Thersilochumq;,
Et sternacis equi lapsum ceruice Thymœten.

IAMQVE NECI STHENELVMQVE) A generalitate cæsorum ad specialem cædem transitum facit, assignás vno in loco tres datos neci: Thamyrim quidem, & Polum congressu, id est, cominus, & gladio: illum, subaudi Schenelum, eminus, id est, hasta. Transit mox ad alios duos, quos pater Imbrasus æqualiter docuerat vel pedestri certamine congredi, vel ex equo pugnare. Donatus.

QVI QVONDAM VT DANAVM) Historia de Dolone, qui pactus ab Hectore Achillis equos, castra Græcorú noctu speculatum adiit, & à Diomede, qui cum Vlysse vicissim Troianorum exploratum adibant, est miserè interfectus, legitur Iliad. κ. De iisdem speculatoribus festiuè Apuleius lib. de deo Socratis. Itidem cùm rebus creperis, & afflictis spectatores deligendi sunt, qui nocte intempesta castra hostium penetrent, nonne Vlysses cum Diomede deligantur? veluti consilium, & auxilium, mens, & manus, animus, & gladius.

AVSVS PELIDÆ PRET. SIBI POS. CVR.) Multis præmiis, promissisque ab Hectore illectum fuisse scribit Dictys lib. 2.

ALIO AFFECIT PRETIO) Pretium est vnum de illorum vocabulorum ordine quæ vtroque versum dicuntur, nempe quæ in laude, reprehensioneq; ponuntur. Donatus in illud Terentij. *Ego pretium ob stultitiã fero*: pretium, inquit, pro stultitia, est pœna: pretium, pro virtute, honor, & lucrum, siue præmium. Ergo pretium generaliter pro bene, aut male facto redditur: sed ita vt diximus, discernentur. Gellius lib. 12. cap. 9. aliquot verba ancipitia, media, communia, quæ capere, & significare possunt duas res inter se contrarias, recenset. Notiora, ait esse, tempestas, valetudo, facinus, dolus, gratia, industria. Deinde minus nota, & vsitata producit. Vsitatis annumerare licet pretium: quomodo & Germanis vox *lohn*, in vtramque partem adhibetur, ad præmium, & pœnam significandam videlicet.

NEC EQVIS ASPIRAT ACHILLIS) Equos hosce Homerus Xanthum, & Balium, ex Podarge matre diuino semine genitos fabulatur: atque adeo Achillem auctor est, tria ita sibi propria habuisse, vt ea nullius cõmercio, & vsu indulgeret, equos nimirum, cymbium, vel cyathum, & hastam, quæ à Pelio monte Pelias. German. Adde, verbum *aspirat*, exponendum est, accedit, peruenit: qua notione à Cicerone vsurpatum est.

HVNC PROCVL VT CAMPO) Hunc Turnus quum procul vidisset (fuit enim longius videndi procliuis occasio, quum hanc daret æqualitas diffusa camporum) auiditate feriendi prouocatus, iaculo potius celeri, quã manibus tenuit. Potuit enim maturius fieri, vt per inane volitans hasta, ipsius aduentum Turni præueniret, & vinceret. Et certe quantum valuerit missi celeritas iaculi, patet ex eo, quod Turnus cùm superuenit, iam lapsum, & semianimem inuenit. Pressit igitur pede collum eius ad terram, & suo illum ipsius gladio iugulauit. Sequuta sunt etiam facto congruentia, est enim *σαρκασμός*. Habes, inquit, Troiane agros, quos victore Ænea te accipere posse credebas. Nam consuetudo erat, vt victo-

victores imperatores agros suis militibus darent. Iaces A in agris Hesperiæ concupitis, & spatio corporis tui quàm lati sint, potes metiri, si velis. Hunc habent exitum, qui me bello prouocant, & tale sibi domicilium condunt. Donatus.

EN AGROS, ET QVAM BELLO) *σαρκασμὸς*, quæ figura per hosce vltimos libros, qui sunt *πολεμικοὶ*, sæpius iam occurrit.

HÆC PRÆMIA QVI ME FERRO AVSI) Præmia veteres quascunque vtilitates, & vitæ commoda dicebant. Lucret. lib. 3. *Omnia perfunctus vitaï premia.* Et initio lib. 5. *qui talia nobis Pectore partæ suo, quæsitaque premia liquit.* Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Nec finit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta premia veste petat.

Hinc premiosus pro pecuniosus, apud Festũ. Torrent. in Titum Suetonij.

HVIC COMITEM BVTEN) comitem huic mittit, ad singulos pertinet, quorum deinceps complexus est nomina.

ET STERNACIS EQVI) Sternaces equi sunt feroces, qui facile sternant sedentem. *τραχηλισταὶ*, vt notat German. *τοὺς ἀναβάτας τραχηλίζειν, καὶ ἀνατρέπειν εἰωθότες.* Licet etiam exponere, calcitronis.

Ac uelut Edoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Aegæo, sequiturq; ad littora fluctus,
Quà uenti incubuere, fugam dant nubila cœlo:
Sic Turno, quacunq; viam secat, agmina cedunt,
Conuersæq; ruunt acies, fert impetus ipsum,
Et cristam aduerso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus, animisq; frementem:
Obiecit se se ad currum, & spumantia frænis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur, pendetq; iugis, hunc lata retectum
Lancea consequitur, rumpitq; infixa bilicem
Loricam, & summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo obiecto conuersus in hostem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat:
Quem rota præcipitem, & procursu concitus axis
Impulit, effuditq; solo: Turnusq; secutus
Imam inter galeam, summi thoracis & oras,
Abstulit ense caput, truncumq; reliquit arena.

AC VELVT EDONI) Edoni Boreæ, id est, Thracij: nam Edon mons est Thraciæ. Hìc erit crasis, pro Edonij, id est Thracij. Sed potest legi etiam sine crasi, ab *ἠδωνῶν*.

ALTO INSONAT ÆGEO) Ægæum mare ab insulis appellatum est, quæ in eo mari caprarum similitudinem præ se ferunt: seu quod in ea Ægæa, Amazonum regina perierit: siue quod eò Ægeus Thesei pater se præcipitauerit. Festus. Sed Varro libr. 6. Ægæum mare dictum vel *ἀπὸ τῶν αἰγῶν*, quæ est insula iuxta Eubœam: vel quod in eo mari scopuli sic vocantur, à similitudine caprarum.

Quod Festus de Ægeo præcipitato dicit, ea de re Pausan. in Atticis hoc modo. Nam Theseum, aiunt, cùm ad Minotaurum proficisceretur, virtuti suæ nonnihil fidentem, patri affirmasse, candidis velis se vsurum esse, interempto si Minotauro rediisset. Quod cum ob raptum Ariadnæ esset oblitus Aegeum nigris velis conspectis, cum filium periisse existimasset, in mare præcipitem se dedisse. Aliquid hac de re Catull. quoque in splendidissimo poematio de nupt. Pelei, & Thetidis.

Maris huius encomium legat, cui otium est, apud Aristidem Tomo 1. nos inde pauca degustabimus. *Quemadmodum autem cœlum stellis, ita Ægæ-* B *um mare insulis exornatum est, adeò, vt si quis etiam nauigare necesse non habeat, hac ipsa tamen de caussa, vt per Ægæum vehatur, meritò nauigare possit, quandoquidem huius pulchritudo cum omne mare, tum quicquid est in terra venustum, excellit. Quocirca etiam proprium est Ægei signum pulchritudo. Solum præterea Aegæum incultum appellare non licet, cùm nec nudum, nec sterile sit: verùm partim vini, frumenti, aliarumque rerum sit egregiè ferax, partim etiam piscibus, & feris abundet, quale quidem dixit Homerus* Odyss. 7. *beatum esse mare: omni rerum vsu, voluptatibus, ac spectaculis refertum.* Infrà. *Quid quod & maximè omnes metuunt Aegæum mare, & maximè cupiunt iterum* C *traiicere, quandoquidem id etiam ob iucundissimas caussas faciunt?* Hactenus Aristides. Veruntamen istuc mare propter crebros scopulos ad nauigandum incommodum, atque difficile esse, indicat prouerbium, *Aegæum nauiga*, in hominem ob lucri studium nullum periculum recusantem.

SEQVITVRQVE AD LITT. FLVCTVS) Vt in 1. Æneid. *Et vastos voluunt ad littora fluctus.*

QVACVNQVE VIAM SECAT) Viam secare dixit etiam in fine sexti, *Ille viam secat ad naues, sociosq; reuisit.* Vide ibidem notationem.

NON TVLIT INSTÁNT. PHEGEVS) Non

est passus Phegeus hominem sic impunè seuire in omnes, mira virtute, & singulari audacia ad currum accessit, hostemqúe superiorem nihil metuens, impetum equorum inhibuit, & ad aliam partem detorsit. Nec pendebat iugis, sed frænis iunctorum equorum, vt hoc ei ad virtutem accedat, quod biiuges pleno ictu currentes nitebatur vincere. Rectè etiam dicitur *trahitur*, vt partem potiorem daret virtuti equorum citatorum: partem verò fortitudini retinentis. Magna equorum laus, qui impediti frænis, & hominis pondere, durabant tamen, & trahebant perseuerantem.

SPVMANTIA FRÆNIS ORA) id est, ora cum frænis spumantia. Lib. 4. seiunxit. *Stat sonipes, & fræna ferox spumantia mandit.*

ORA CITATORVM) versus leoninus, neque hic tantum, sed & alibi. Et tamen quid Virgilio diligentius?

DVM PENDET IVGIS) Ex eo, quod vnus curtus vnum habeat iugum, sic exponunt plerique, quasi pluralem pro singulari posuerit poeta. Sed nos contra sentimus. Qui enim ora citatorum dextra detorsit equorũ, proculdubio frænos tenuit, non iugum, & ita non iugo, sed iugis pendebat, hoc est, vt ante diximus, frænis iunctorum equorum.

RETECTVM) nudatum, apertum. Qua parte corporis, mox ostenditur.

LANCEA CONSEQVITVR) De generibus telorum, gladiorumque, & ipsorum nominibus, lege Crinit. libro decimotertio. capite sexto, vbi nonnulla separatim de lancea. De qua sic Isidor. libro decimosep- A timo. Lancea est hasta amentum habens in medio: dicta autem lancea, quia æqua lance, id est, æquali amento ponderata vibratur. Lipsius Poliorcet. libro quarto, dialogo quarto qui est de iaculis. Lancea, Græcorum λόγχη: atq; adeo ab hac deriuat Festus. Argutè, haud verè. Et est Hispanica ipsa vox, & Varro, vt Agellius testificantur: Gallica, vt Diodorus. Scribit enim libro sexto, de Gallis, *προβάλλοντας λόγχας ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι.* Iaciunt hastas, quas ipsi lanceas appellant. Sed possunt esse Hispanica stirpe, in Galliam tamen post traductæ, vti in Latium ipsum. Lege quod sequitur.

SVMMVM DEGVSTAT VVLN. CORPVS) Stringit, leuiter attingit. Vnde contra de alto vulnere ait, *virgineumqúe altè bibit acta cruorem.* Locum quendam Homeri retulit, ex Iliad. *ἀκρότατον δ' ἄρ' ὀϊστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός.* Sagitta inscripsit summum viri corpus, perstrinxit. Lib. 9. de hasta Pallantis. *Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.*

PROCVRSV CONCITVS AXIS) Procursu vna pars orationis est, quasi porrò tenens cursum. Hunc procursum vt melius exprimeret, addidit *concitus axis.* Sed mox vt prouolutus iacuit, illico secutus Turnus, caput ei amputauit. Hactenus ex Donato, Seruio, & aliis.

C ABSTVLIT ENSE CAPVT) Alibi, *At tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis.*

TRVNCVMQVE RELIQVIT ARENA) Æneid. 2. de Priamo, *iacet ingens littore truncus, Auulsumq́; humeris caput.*

Atq; ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Æneam Mnestheus, & fidus Achates,
Ascaniusq́; comes, castris statuêre cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Sæuit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere: auxilioq; viam, quæ proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, teliq; latebram
Rescindant penitus, seseq; in bella remittant.
Iamq; aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo
Augurium, citharamq; dabat, celeresq; sagittas.
Ille vt depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum, vsumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.
Stabat, acerbà fremens, ingentem nixus in hastam
Æneas, magno iuuenum, & mœrentis Iuli
Concursu, lacrymisq; immobilis. Ille retorto
Pœonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica, Phœbiq; potentibus herbis
Nequicquam trepidat: nequicquam spicula dextra
Sollicitat, prensatq; tenaci forcipe ferrum.
NVLLA VIAM FORTVNA REGIT, NIHIL AVCTOR APOLLO
SVBVENIT: & sæuus campis magis, ac magis horror

Crebrescit, propiusq; malum est. iam puluere cælum
Stare vident. subeunt equites, & spicula castris
Densa cadunt mediis: IT TRISTIS AD ÆTHERA CLAMOR
Bellantum iuuenum, & duro sub Marte cadentum.

INTEREA ÆNEAM MNESTHEVS) Quid interea Æneæ fieret, narrat. Mnestheus, Achates, Ascanius, licet adhuc puer, quid tamen patri, & vulnerato deberet, non ignarus, statuerunt, perduxerunt eum in castra, cruentum ex vulnere, & auxilio hastæ mouentem gressus. Donatus.

ALTERNOS NITENTEM CVSPIDE GRESSVS) Poeta, qua parte corporis vulnus accepisset Æneas, non prodit: sed cum dicit, *Alternos longa nitentem cuspide gressus*, sagittam pedi eius inhæsisse, licet intelligere. Sic Donatus.

Alternos nitentem cuspide gressus, id est, passus alterius vulnerati pedis hastili sustentantē, & fulcientem. Alter enim pes, qui saucius nō erat, sine adminiculo firmos, & liberos metiebatur gressus. Dixit eleganter, & Maronis imitatione Valer. Flaccus lib. 2. *Alternos ægro cunctantem poplite gressus.* Nam quo pede ægrotabat, eo cunctantius, deteriusque incedebat. Alternum pedem facere dixit Papinius, pro claudicare, cùm de elegia loqueretur, cuius alter versus longior, alter breuior est.

Quos inter vultu petulans elegia propinquat.
Celsior assueto, diuosq; hortatur, & ambit
Alternum factura pedem.

Verisimilius tamen fit, alternum pedem hîc ob versus elegiacos dici: qui alterni breuiores, & longiores sunt, & claudicant. Vt à Cicerone epigramma dicitur alternis versibus longiusculis. Nam pes interdum versus est, vt apud Horat. ad Pisones. *Hunc socci cepere pedem, grandesq; cothurni*, id est versum iambicum. Turneb. lib. 3. cap. 13. & lib. 5. cap. 3.

Iliad. χ. στῆ δ' ἄρ' ἐπὶ μελίης χαλκογλώχινος ἐρεισθείς. Et Odyss. κ. ἔγχει ἐρεισάμενος. Et Iliad. θ. ἀνδρὸς αἰχμὴν χαλκείην, τῷ ὅγ' ἐρεισάμενος, &c. Pari forma Propert. *incertis nixa caput manibus.* Calab. 3. ἔγχει ἐρεισάμενος μελίῃ ἔτι, de Achille lethaliter vulnerato. Sic & Homerus nixos hasta ex vulnerum incommodo Vlyssem, & Diomedem inducit. Sic & Cic. pro Rabirio. Cùm denique Q. Scæuola confectus senectute, præpeditus morbo, mancus, & membris omnibus captus, ac debilis, hastili nixus, & animi vim, & infirmitatem corporis ostenderet, &c. German.

SÆVIT) vehementer indignatur, non propter vulnus, sed quia in aciem nequit prodire.

INFRACTA LVCTAT. ARVND. TELVM ERIP.) Præ impatientia moræ, manu sua conabatur semel vno tractu telum educere, quamuis frangeret. Quod cum non posset, quod proximum remedium, etiam cum augmento doloris, exscindi ferrum iubebat, quò ita in aciem redire, belloque interesse posset. Prorsus animū viri fortissimi, dolorumque contemptoris expressit. Donatus.

Mirè cum ista fortitudine animi Æneæ consentit illa Alexandri M. de qua scribit Plutarchus lib. posteriore de eiusdem regis fortuna, planè in extremo. Ipse enim quoque, sed in pectore vulneratus, telum ex vulnere conatus est euellere: quod cùm non posset, medicos iussit exscindere, animumque integris ipse saucius addidit. Eiusdem verba refert Curtius lib. 3. nempe hæc. A Lenta remedia, & segnes medicos non exspectant tempora mea. Vel mori strenuè, quàm tardè conualescere mihi melius est. Quid hoc dicto virilius, animosius, constantius?

TELIQVE LATEBRAM RESCIND.) Ense lato secēt vulnus, id est, ensis sectione latius faciant, vt ita rescindatur penitus, siue aperiatur teli latebra, vt pateat telum, seu cuspis teli latens. De telis è corpore extrahēdis agit lib. 7. cap. 5. politissimus scriptor Celsus medicus. Ibidem hæc verba, loco huic opportuna. Sed si retro telum recipiendum est, amplianda scalpello plaga est, quò facilius id sequatur, quoque minor oriatur inflammatio.

B PHOEBO DILECT. IAPIX) Iapix aptum nomen medico: nam ἰᾶσθαι dicunt curare, inquit Seruius. Et sic excudi solet in Marone. Iapidem tamen scribit Ausonius, vt in Virgilio videatur legisse Iapis. Eius versus est, *Idmona quod vatem, medicum quod Iapida dicunt.* Turneb. lib. 23. cap. 14.

Ergo hunc Iapigem, seu Iapidem Apollo quoniam præter alios multos eximiè diligebat, cupiebat diuersis, & suis artibus erudire. *dabat* enim legendum est, non *dedit*. Eas autem recenset: augurium, seu futurorum scientiam, musicam, iaculatoriam. Callimachus hymno in Apollinem has quoq; omnes nominat.

C
Τέχνῃ δ' ἀμφιλαφὴς οὔτις τόσον ὅσσον Ἀπόλλων.
Κεῖνος ὀϊστευτὴν ἔλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν;
Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται, καὶ ἀοιδή.
Κείνου δὲ θριαὶ, καὶ μάντιες, ἐκ δέ νυ Φοίβου
Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.
Nec tot quisquam artes, quot Phœbus callet Apollo;
Ille sagittantes sibi deligit: ille poetas:
Phœbo cum iaculis sunt & pia carmina curæ,
Sortilegúmq; nota, & vatis: quin & duce Phœbo
Addiscunt medici properantem auertere mortem.

Scholiastes ibid. ἔστι γὰρ τοξότης, ἀοιδὸς, μάντις, ἰατρὸς, καὶ ποιμήν.

Volebat igitur vatem, musicum, sagittarium optimum creare, idq; lætus: magna enim est gratia dantis, si lætus aliquid præstet. Aliquando enim damus D inuiti, cum ad dandum aliqua necessitate compellimur. Iapyx verò, vt patri suo posset vitam producere, patri, inquam, leni, & morti iam vicino, satis habuit herbarum naturam, & medicinam ἰατρικὴν cognoscere, atque ita mutam artem minore cum gloria, quàm illas alias, quæ dictæ sunt, vocales exercere. Intelligimus autē hâc quoq; artē cum cæteris Phœbum Iapigi obtulisse, q̄ solam arripuerit: est enim medicus quoq; Apollo. Vnde ipse de se apud Ouid. 1. Metamorph. *opiferque per orbem Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.* Hinc ars medica Ouidio ars Apollinea, ars Phœbæa. Sed de E Apolline inuentore medicinæ, & cur ad eum eius inuentio referatur, plenissimè Tiraquell. de Nobilit. cap. 31. num. 6. & 7. Quomodo autem hoc nomen *Apollo* nihil terroris habeat, neque perniciem, sed peculiares huic deo potestates quatuor complectatur musicam, diuinatricem, medicandi, sagittandique peritiam, demonstrat luculenter Plato in Cratylo.

Sciendum, ἰατρικῆς, seu medicinæ principes partes esse duas, λογικὴν, καὶ ἐμπειρικὴν, quarum illa scilicet in contemplatione, ista in vsu versatur. Rursum alia θεραπευτικὴ, seu curatiua, alia ὑγιεινὴ, conseruatiua dicitur. Illius partes sunt tres, χειρουργική, quæ ad curandum manus tanquam instrumenta adhibet: φαρμακευτικὴ, quæ in conficiendis medicamentis occupatur: διαιτητικὴ, quæ victus rationem præscribit. Huius, ὑγιεινῆς inquam, partes sunt item tres, προφυλακτικὴ, quæ imminentes morbos auertit: συντηρητικὴ, quæ sanitatem præsentem tuetur: ἀναληπτικὴ, à qua valetudinarij reficiuntur. Hæ partes quanquam medicorum ingeniis, & diligentia multum creuerint, posterius tamen, tardiusque inuentæ, & excogitatæ sunt. Illæ antem quas θεραπευτικῇ subiecimus, quondam coniunctæ fuerant, & ab iisdem exercebantur. Nunc alij sunt, qui se medicos physicos dicunt, alij chirurgos, alij pharmacopolas. Postremam, quæ victum moderatur, melius iam tenent coci, & ministri ægrotantium. An tu existimas, inquit Cic. 2. de Orat. cùm esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur? Immo Podalirium, Machaonem medicorum principes celebrari ab Homero, notum est: qui tamen non in pestilentia, nec in variis morborum generibus aliquid attulere auxilij: sed vulneribus tantum ferro, & medicamentis mederi soliti sunt, quod notauit etiam Celsus libro primo præfat. Idem de chirurgica lib. 7. Tertia medicinæ pars, quæ manu curat, medicamenta, & victus rationem non omittens sed manu tamen plurimum præstans, cuius effectus inter omnes medicinæ partes euidentissimus. Rursum, chirurgicam licet vetustissimam, magis parens omnes medicinæ Hippocrates, quàm priores excoluit. Ibidem, Qualis esse chirurgus debeat. ✠

DEPOSITI PROP. FATA PARENTIS) Talis antiquitus fuisse traditur consuetudo, vt qui laborarent periculoso aliquo morbo, deque quibus desperatum erat, ante ædium suarum ianuas collocarentur, vel vt ibidem extremum spiritum ederent, vel vt à traseuntibus possent fortè curari, si quis aliquando simili morbo laborasset. Et hi *depositi* dicebantur. Ouid. libro secundo de Ponto. *Jam propè depositus, certè iam frigidus æger*. Cic. per translationem, ægram & prope depositam reipub. partem. Seruius, Hartung. Decur. 3 cap. 8. * *Multa perquàm eruditè disputantur de verbis* depositus, & deponere *à Germano, quem pretium erit legere. Nonius*, depositus. *id est, desperatus (ex more iam dicto videlicet) Lucil. Satyr. lib. 4.*

Symmachu' præterea iam tum depostu' bubulcus
Exhalans animam pulmonibus æger agebat.

Possumus huc etiam trahere, quod ex incerto satyrarum eius libro inter alia fragmenta notatum est.

Ante fores autem, & triclinî limina quidam
Perditu' Tiresias tussi grandæuu' gemebat.

Attius Alphesib. Etsi in malis depositus animus meus. *Cæcil. Obolostate.* Depositus modo sum anima, vita sepultus sum. *Seneca epist. 12. Quis est, inquam, iste decrepitus, & merito ad ostium admotus?*

PROFERRET FATA) produceret, protraheret. Ἐκτείνειν βίον Euripid. Horat. *Iracunda diem proferet Ilio.*

MVTAS AGITARE INGLORIVS ARTES) Cur Virgilius medicinam mutam vocarit, non defuerunt, qui explicare conati sunt, ita scilicet à poeta vocatam dicentes, quoniam comparata musicæ ignobilis, ac parum celebris sit. Sed eorum mendacia facilè redarguuntur, quod Homerus multis antè sæculis medicum multis honoribus dignum fecerit ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Itaque appositissimè Fuluius Vrsinus in suis Collat. mutam, ait, artem medicam à Marone nuncupatam, quòd tota eius vis in operationibus, ac remediis potius, quàm in sermonibus atque eloquentia collocetur, vt ne dum Cornelius Celsus, verum etiam Galenus vbique prædicat: vnde in medicos loquaces dicterium emanauit, ἰατρὸς ἀδόλεσχος, νοσοῦντι πάλιν νόσος. Mercurial. var. lect. lib. 3. cap. 13. Adde, Latinè sic sonat hic versiculus græcus. *Medicus loquax morbum, creabit alterum.* Non satis videtur attentè Seruium legisse Mercurialis, qui non dicit, Virgilium ideo mutas vocasse artes medicorum, quia comparatione musicæ parum celebres sunt: sed ideo dixisse, inglorium maluisse agitare mutas artes, quia comparatione sagittarum, & harmoniæ, & diuinationis ingloriæ sint, & ipse inglorius. Vbi poeta medicis non omnem gloriam detrahit: siquidem ἀδολέσχως loquitur: sed tantam illis, quantam musicis, vatibus, sagittariis non concedit. Vtrum rectè hoc fecerit, cum Homerus medicam tantopere laudarit, de eo disputat Mercurialis: quem arbitror non malè docuisse, quamobrem ars medicorum muta dicatur. Locus Celsi, quem Vrsinus insinuat, hic est, morbos non eloquentia, sed remediis curari. ✠

STABAT ACERBA FREMENS) Redit ad narrationem, quam interposita Iapigis fabula interruperat. Stabat, inquit, acerba fremens: dolebat enim belli potiùs, quàm vulneris caussa, plurimisque circumfusis, ac lacrymantibus, ipse dolorem dissimulans, in animi constantia immobilis permanebat. Et hoc ipsum, quod tali vulnere affectus stabat, cùm sedere potius, ac iacere debuisset, magnæ virtutis fuit. Donatus.

IVVEN. ET MOERENT. IVLI CONCVRSV LACRYMISQVE) concursu ad iuuenes referendum, lacrymis ad Iulum de eius mœstitia supra quoque, *mæstiq; metum solatur Iuli.*

RETORTO PŒON. IN MOREM AMICTV) Cœpit Iapix succinctus Pœonium in morem, (id est, medicum, à Pœone medico) nauare operam, vt curaret heroem, belloque restitueret, alia manu, alia herbarum cupiens leuare remedio, quarum vim Phœbo docente cognouerat. Sed cum hæc properans ageret, non sequebatur tamen effectus: frustra trepidabat, frustra tentabat sagittam, & pressam forcipe frustra nitebatur extrahere. Longè prorsus fuit fortuna, quæ adiuuaret instantem: longè Apollinis doctrina, quem auctorem vocat, quia ipsi Iapigi auctor, & magister fuerat, & quia medicinæ inuentor, vt est apud Ouid. 1. Metamorph. cui filius Æsculapius præsidet. Donatus, Seruius.

NEQVIDQVAM TREPIDAT) festinat, vt, *Ne trepidate meas Teucri, defendere naues.* Sed multa trepidat manu medica, est hic, multa agit, idque non sine festinatione. Sic ponitur in actione verbum *propero*, & apud nescio quem antiquum, *festino*: ✠

SPIC. SOLLICITAT.) Donat. in Heaut. Terentij, ibi, *Sollicitos habui*, variis officiis, & ministeriis districtos. Nihil significantius dicere potuit. Quid enim aliud est sollicitare, quam suo loco mouere? solum autem quin significet locum, quis dubitat? cùm exules quoque dicantur solo patriæ suæ pulsi. Sollicitos igitur habuit omnes domesticos, qui hinc & inde ad ministrandum destinabantur. Hæc Donatus ex Festo.

Solli-

Sollicitare igitur motum in se continet, suisque sedibus quid emouere valet, eaque vera huius verbi, & prima est notio. Tibull. *Et teneram ferro sollicitauit humum.* Lucil. lib. 17. Non cum benignitate sollicitarier Proposito. Ennius lib. 18. *Istri tela manu iacientes sollicitabant.* Lucret. lib. 2.

Præterea quoniam dolor est, vbi materiaï
Corpora vi quadam per viscera viua, per artus
Sollicitata suis trepidant in sedibus intus,
Inq; locum quando remigrant fit blanda voluptas.

Et lib. 5.

Nec fas esse, deûm quod sit ratione vetusta
Gentibus humanis fundatum perpetuo æuo,
Sollicitare suis vllum de sedibus vnquam.

Elegantissimè Ouid. Stamina sollicitare pollice, & arcu feras. Gifan. in Lucret.

PROPIVSQVE MALVM EST) Propius malum est, ex fuga scilicet Troianorum. Crescebat belli malum, & apertum discrimen esse cœperat proximum. Tam vicini erant equites Rutuli, vt spicula, quæ mittebant, in me- A dia Troianorũ castra deciderent. Vociferabantur mœstùm, quia cernebant euidens malum, & eorum, qui cadebant, gemitus audiebantur. Donatus.

IAM PVLVERE COELVM STARE VID.) De genere hoc loquendi, diximus lib. 6. ibi. *stant lumina flamma.* Nihil aliud est, cœlum stare puluere, quam plenum esse puluere. Stat. Thebaid. *stant fulti puluere crines:* Varro Eumenidibus.

———— denique auarus
Quis sanus? cui si stet terra, & traditus orbis,
Curando tamen, ac morbo stimulatus eodem
Ex sese ipse aliquid quærat, cogatq; peculî.

Vide etiam quid hoc loco afferat German.

B BELLANTVM IVVEN. ET DVRO SVB MARTE CADENT.) Expressit Homericum ὀλλύντων, καὶ ὀλλυμένων. Ennius Annali 8. *Clamor ad cœlum voluendu' per æthera vagit.* Huius clamoris in pugna sæpius ab vtriusq; linguæ vatibus fit mentio. Polybius lib. 6. Romanis militibus sollemnem, & auitum fuisse morem testatur, vt armorum strepitum edentes, & conclamantes, in confertissimos sese hostes inferrent.

Hîc Venus, indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo. non illa feris incognita capris
Gramina, cùm tergis volucres hæsere sagittæ.
Hoc Venus obscuro faciem circundata nimbo
Detulit: hoc fuscum labris splendentibus amnem
Inficit, occultè medicans: spargitq; salubres
Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam.
Fouit ea vulnus lympha longæuus Iapis
Ignorans: subitoq; omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis stetit imo vulnere sanguis:
Iamq; secuta manum, nullo cogente sagitta
Excidit, atq; nouæ rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro: quid statis? Iapix
Conclamat: primusq; animos accendit in hostes.
NON HÆC HVMANIS OPIBVS, NON ARTE MAGISTRA
PROVENIVNT. neque te Ænea mea dextera seruat:
MAIOR AGIT DEVS, ATQVE OPERA AD MAIORA REMITTIT.

HIC VEN. INDIG. NATI CONCVSSA DOLORE) Admiranda inuentio, vt tali tempore, & in tali caussa, in tãta desperatione, omnibus qui aderant, ipso quoque Ascanio, lacrymantibus, trepidante medico, & ipsius medicinæ deficiente substantia adsit mater, quæ solatium filio, & remedium ferat. Donatus. Indignum dolorem vocat, qui fuerat natus ex vulnere indigno, per insidias scilicet illato. Seruius.

DICTAMNVM CRETÆA CARPIT AB IDA) Legendũ ex Theophrasto, quem potissimùm hoc loco poeta sequitur, *dictamnum*, non autem *dictamum*, vt habent passim codices, etiam Aldini. Nam græcè est δίκταμνον. Adi Hermolaum in Corollario, & recentiores. Erythræus.

Cretenses, ait Ælianus lib. 1. var. histor. ca. 10. sagittandi periti sunt. Quare iaculis petunt capras, quæ in montibus pascuntur. Illæ verò percussæ, repente comedunt dictamnum herbam, & simul ac gustarunt, iacula tota excidunt. Turneb. lib. 5. cap. 3. Plutarchus lib. Vtra C animantia plus rationis habeant, terrestria, an aquatica, de Cretensibus capris, & dictamno sic scribit. Creticæ verò capræ, pastu dictamni telis eiectis, nonne grauidis eiiciendi partus, hanc vim istiusmodi herba obtinente, viam ostendêre? huc properare vulneratas solùm videas, dictamnum quærere, dictamnum sequi. Vnde fiat, vt brutæ animantes sua in morbis quærant remedia, consulendus, idem de caussis natural. cap. 26.

Val. Max. lib. 1. cap. 8. Ne ipsa quidem, omnis bonæ, malæq; materiæ fœcunda artifex Natura rationem reddiderit. Non magis, quàm quòd ita syluestres capreas, Cretæ genitas tantopere dilexerit, quas sagittis confixas ad salutare auxilium herbæ dictamni, tantùm D non suis manibus deducit: efficitque, vt concepta ea, continuò & tela, & vim veneni vulneribus respuant.

Plin. lib. 8. cap. 27. ostendens quæ animalia, quas herbas hominibus ad vsum demonstrauerint, dictamnum, inquit, herbam extrahẽdis sagittis cerui monstrauere, percussi eo telo, pastuq; eius herbæ eiecto. Idem

 lib. 26.

lib. 26. cap. 14. Dictamnum pota sagittas pellit, & alia tela extrahit illita. Bibitur ex aquæ cyatho foliorum obolo. Proximè pseudodictamnum. Vtraque enim suppurationes discutit. De vi eiusdem, dictamni, inquam, cap. 15. Tres species dictamni describit Apuleius cap. 62. de virtutibus herbarum. Ibidem de primi generis efficacitate ad fœtus in vtero mortuos eiiciendos, ad sanandas plagas seu ferro, seu sude, seu à serpentibus factas, ad vulnera recentia, & vlcera curanda, ad venena pellenda.

PVBERIBVS CAVLEM FOLIIS) Id est adultis. Sic in 4. Æneid. *pubentes herba.* Et est reciproca inter herbas, & homines translatio: nam & pubertatem herbarum, & florem iuuentutis vocamus. Seruius. *Puberibus caulem foliis*, adultis Grammatici, qui familiam ducunt, exponunt: sed Papinius accepisse videtur pro florentibus: sic enim Maronem æmulans scribit. *Idæa profert quas Creta sub vmbra Dictamni florentis opem.* Turneb. lib. 5. cap. 3. Idem lib. 26. cap. 5. puberibus exponit villosa pube lanuginosis: talia enim folia tribuit dictamno libr. 3. cap. 32. Dioscorides. Vide præterea Brodæum lib. 1. cap. 30.

NON ILLA FERIS INCOG. CAPRIS) Nouerunt illam feræ captæ. Nam si fortè sagittis fixæ sunt, ad eam confugiunt, comedunt, & illico sagittæ excidunt, curanturque statim vulnera. Donatus.

VENVS OB. FACIEM CIRCVND. NIMBO) Venus circumfusa caligne (à parte enim totum accipimus) vt à nemine videri posset, dictamnum detulit, eodem ipsam aquam infecit (amnem, inquit, quem fuscum fecit contactu herbæ, siue potius succo herbæ in aquam expresso, à toto partem significat) quam Iapix studiosè splendenti labro infuderat, vt foueret ea vulnus. Addidit alias species, vt omnium succo, & in aquam transfusa virtute, medicabilis liquor ex simplicitate fieret. Donat.

AMBROSIÆ SVCCOS) Ambrosia propriè cibus, nectar potus deorum est: confundunt aliquando poetæ.

ET ODORIFERAM PANACEAM) genus herbæ, de qua Lucret. lib. 4.

Præterea, quæcunq; suo de corpore odorem
Expirant acrem, panaces, absinthia tetra.

A nonnullis Heracleium nominari scribit Dioscorides lib. 3. cap. 55. Ipso nomine morborum omnium remedium promittit, inquit Plin. lib. 25. cap. 4.

FOVIT EA VVLNVS LYMPHA) Gesta Veneris ignorabat Iapix, fouebat aqua vulnus, celeriter fugit dolor, quasi aduersariũ sentiens: stetit sanguis, qui ex imo fluebat vulnere, laxare telum aqua cœperat, secutũ est nullo cogente, id est, leuissimè trahentem manum: recepit vires pristinas Æneas. Donatus.

Verbum *fouere*, cum voce aqua copulatum, apud medicos peculiarem quandã notionem, & vsum vindicat. Est enim idem ferè, quod madefacere, tingere, eluere, colluere, aut simile quiddam, & ita locum affectum quodam velut lenimento afficere. Nonius quidem hic interpretatur, *Fouit ea vulnus lympha*, id est, aspersit. Videtur tamen maius quoddam fomentum significari, quam sit aspersio. Celsus lib. 1. cap. 2. Vbi experrectus est aliquis, paulùm intermittere: deinde (nisi hyems est) fouere os multa aqua frigida debet. Idem lib. 6. cap. 8. Nares verò exulceratas fouere oportet vapore aquę calidæ, id est, spongia expressa, atque admota. Fit & subiecto vase oris angusti, calida aqua repleto. Post id fomẽtum illinenda vulcera sunt. Medicè igitur locutus est hìc Virgilius, vt & aliàs, nempe suprà, *auxilioq; viam, quæ proxima poscit.* Quæcunque enim corpori ad sanitatem proficiunt, valetudinisque remedia, vocat Celsus auxilia sæpissimè. ✠

LONGÆVVS IAPIX) Non est censendus absolutus, consummatusque medicus, nisi ætate iam confectus: vt pote cum non nisi multo tempore, exactoq; studio, ac diuturna experientia possit ea res addisci, noscique perfectè, quæ omnes artes in se, vt diximus, complectitur. Ex quo & antiqui illi Æsculapium barbatum faciebant, veluti virum, qui iam annos perfectæ virilitatis attigisset. Hoc, quod dicimus, Virgilius intelligens, & alioqui medicinæ haud imperitus, Iapigem Æneæ medicum longæuum, senioremque facit. Silius lib. 5. imitatus Virgil. Squalum Annibalis medicum similem seniorem facit, *in medicas hinc ocyus artes, Et senioris opem Squali vocat.* Tiraquell. de Nobilit. cap. 31. num. 74.

SECVTA MANVM NVLLO COGENTE EXCIDIT) Si nullo cogente, quomodo secuta manum? Sic intelligẽdum est, vt sagitta non manum tenentis secuta videatur, sed fouentis. Donatus.

ARMA CITI PROPER. VIRI) Cum Iapigem magna inopinati euentus teneret admiratio, exclamare cœpit, & arma Æneæ poscere: & ita nuntio ducis sanati, animos Troianorum in hostes accendere. Nihil tamen sibi arrogare, sed totum deo, vnde prouenisse manifestũ erat, reddere voluit, etsi, à quo deo, nesciebat. Male autem hìc nomine dei (*maior agit deus*) Apollinem intelligit Seruius. Venus egit, non Apollo. Sed genus masculinum decepit Grammaticum. Vide 2. Æneid. *Descendo, ac ducente deo*, cum duceretur à Venere. Eadem confessione etiam merita Æneæ prædicantur, qui diuina hac medicina dignus fuerit. *Maiora opera*, ad quæ remittitur Æneas, erit cædes Turni vtique, qua nil potest esse maius ad laudem Æneæ. Sed præsagit tantùm quippiam magnum Iapix. ✠

Ille, auidus pugnæ suras incluserat auro
Hinc atq; hinc: oditq; moras, hastamq; coruscat.
Postquam habilis lateri clypeus, loricaq; tergo est,
Ascanium fusis circum complectitur armis:
Summaq; per galeam delibans oscula, fatur.
DISCE PVER VIRTVTEM EX ME, VERVMQVE LABOREM,
FORTVNAM EX ALIIS. nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.
TV FACITO, MOX, CVM MATVRA ADOLEVERIT ÆTAS,
SIS MEMOR, ET TE ANIMO REPETENTEM EXEMPLA TVORVM,
ET PATER ÆNEAS, ET AVVNCVLVS EXCITET HECTOR.

Hæc

Hæc vbi dicta dedit, portis sese extulit, ingens
Telum immane manu quatiens. simul agmine denso
Anteusq;, Mnestheusq; ruunt, omnisq; relictis
Turba fluit castris. tum cæco puluere campus
Miscetur, pulsuq; pedum tremit excita tellus.

ILLE AVIDVS PVGNÆ SVRAS) Qui iam dudum etiam cum ipso vulnere ardebat in bellum, consecuta sanitate corporis sui, magis, magisq; properans, suras incluserat aureis ocreis. Donatus.

HINC ATQVE HINC) Vt earum scilicet nihil appareret: immo potius sic, dexteram, & sinistram: & qui mos est properantium, etiam festinationem ipsam pro tarditate habebat. Vibrabat deinde, seu quatiebat hastã, more militari.

POSTQVAM HABILIS LATERI CLYPEVS) cum bene clypeum lateri, loricã tergo aptasset, scutum etiam manu teneret, sic circumfusus est Ascanio, eum amplexãs, & per galeam, quam ipsam quoque induisse hinc colligitur, eum suauiter osculans, cum sermone, quo adolescentem & ad sui, suorumque imitationem cohortatur, & ad bene sperandum de paterna salute exsuscitat. Donatus.

Plin. lib. 35. cap. 3. etymon clypei prodit, vulgò ignotum penitus. Scutis, inquit, qualibus apud Troiam pugnatum est, continebantur imagines: vnde & nomẽ habuere clypeorum, (à γλύφειν sculpere) non vt peruersa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo. Origo plena virtutis, faciem reddi in scuto cuiusque, qui fuerit illo vsus.

ASCAN. FVSIS CIRCVM COMPLECT.) Imitatio Sophoclis in Aiace, & Homeri Iliad. ζ. Vterque, Aiax, inquam, & Hector cum blandimento filium alloquitur.

DISCE PVER VIRTVTEM EX ME) Ennius Phœnice, vt citat Gell. lib. 7. cap. 17.

Sed virum vera virtute viuere animatum addecet,
Fortiterq; innoxium vocare aduersus aduersarios.
Ea libertas est, qui pectus purum, & firmum gestitat:
Aliæ res obnoxiæ, nocte in obscura latent.

Romani licet virtutum essent omnium mirificè studiosi, tamen vt qui iudicarent hominis excellentiam in fortitudine potissimùm esse positam, virtutem eam agnominauerunt. A viro siquidem virtus, cuius propria est fortitudo. Iã hoc est, quod inprimis cupiebat, & de quo sollicita erat Andromache, vt nimirum Ascanius maiores suos, atq; adeò ipsum parentem suum Æneam cùm in cæteris virtutibus, tum in veris laboribus, bellica, inquam, fortitudine imitaretur. Eius enim hæc vox libro 3.

Ecquid in antiquam virtutem, animosq; viriles
Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector?

Sed inprimis parentes debent esse solliciti, vt posteros imitatores suarum laudum habeant: nullo enim monumento magis commendantur. Testis Cicero Philip. 9. vbi ita scriptum est. Equidem etiam ad famam Seruij Sulpicij filij arbitror pertinere, vt videatur honorẽ debitum patri præstitisse. Quanquam nullum monumentum clarius Ser. Sulpicius relinquere potuit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenij filium.

Sectari autem virtutem, nõ fortitudinem modò, verùm & temperantiam, iustitiam, moderationem, &c. sapientissimus Hebræorum Philo docet his verbis, libro, Quod deterius potiori insidietur. Qui virtutem sectatur, deliciis huic conuenientibus fruitur. Aut enim acquirit bonum, aut acquiret postea. Et habere quidem affert gaudium, rem pretiosissimam: exspectatio verò habendi, spem, quę est alimentum animarum virtutem amantium: propter quam semouemus pigritiam, quotquot nostrapte sponte properamus ad honesta opera.

Hortatur & Isocrates Demonicum ad paternam imitationem his verbis, ἀλλὰ τὰ μὲν ἀκριβῶς αὐτῶν ἐν ἑτέροις καιροῖς δηλώσομεν, &c. Sed illas (virtutes) accuratius aliàs explicabimus: nunc specimen naturæ Hipponici exhibuimus: quod tanquam exemplar in vita degenda propositum tibi esse debet: vt mores illius pro legibus habeas, paternamque virtutem admireris, & æmuleris. Nam cum pictores pulchras animantes exprimunt, liberis turpe fuerit parentes virtute præstantes non imitari. Quare persuasum habeto, nulli pugili tantam esse præparationem adhibendam contra suos aduersarios, quàm tibi curandum sit, vt in hoc certamine laudis sis patri tuo par.

Omnino pueris, & adolescentibus præscribendũ est, quod viri iam facti exequantur. *cum matura*, inquit, *adoleuerit ætas, Sis memor.* Sensus enim, mens, consilium, ingenium, animi vigor augescit cum corpore, cũ eodemque minuitur. Quod ita versibus nitidissimis exequitur Lucret. lib. 3.

Nam velut infirmo pueri, teneroq; vagantur
Corpore: sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde vbi robustis adoleuit viribus ætas:
Consilium quoq; maius, acutior est animi vis.
Post vbi iam validis quassatum est viribus æui
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaq;, mensq;:
Omnia deficiunt, atque vno tempore desunt.

FORTVNAM EX ALIIS) non disce, sed pete, opta. Sint tibi alij exempla fortunæ, ego virtutis. Alludere videtur ad eorum decreta imperatorum: qui in re bellica virtutem quantamcunque fortunæ comitis fauore egere statuebant: inter quos Iulius Cæsar ipse sibi fortunæ studium arrogabat: & Sulla, fœlicẽ se dici voluit. Nã quamuis se venustum appellari voluisse, multi linguæ latinæ auctores prodiderint, & ipse Plutarchus ἐπαφρόδιτον verterit, tamen venustum Romanè fœlicem accipi debere, vt inuenustum, infœlicem, alibi docuimus: & Valer. lib. 6. De mutatione morum, fœlicem Sullam his verbis retulit. Turpem adolescentem, & virum dicerem fortem, nisi ipse fœlicem se appellari maluisset. German. Vide & Vrsin.

MAGNA INTER PRÆMIA) ad magna præmia. Cic. Catilin. Dico te priori nocte venisse inter falcarios: id est, ad falcarios.

MATVRA ADOLEVERIT ÆTAS) adolescendo matura esse cœperit.

REPETENT. EXEMPLA TVOR.) Exemplum est, quod sequamur, aut vitemus: exemplar, ex quo simile faciamus. Illud animo æstimatur: istud oculis conspicitur. Festus * *Esse alicui bono, vel malo exemplo, quod barbari, aliquẽ ædificare, scandalizare. Res fuit præclari exempli, vitiosi, improbi exempli, &c.*

ET PATER ÆNE. ET AVVNCVLVS EXCITET HECT.)

Non

Non poteſt præclarior hæreditas relinqui filiis à parẽtibus, quam virtutis exemplum. Virtute enim etiam pecuniæ parantur: pecuniis autem virtus parari nequit. Mandetur memoriæ, quod ſcriptum eſt à Cic. 1. Off. Optima hæreditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, gloria virtutis, rerumq; geſtarum: cui dedecori eſſe, nefas, & vitium iudicandum eſt. Idem pro Sextio. Vos adoleſcentes, qui nobiles eſtis, ad maiorum veſtrorum imitationem excitabo. Verrin. 2. Circumſtant te ſummæ auctoritates, quæ te obliuiſci laudis domeſticæ nõ ſinant, quæ te dies, noctesq; commoneant, fortiſſimum tibi patrem, ſapientiſſimum auum, grauiſſimum ſocerum fuiſſe. Salluſt. proœmio Iugurthinæ hiſtoriæ. Sæpe audiui ego, Q. Maximum, P. Scipionem, præterea ciuitatis noſtræ præclaros viros [A] ita dicentes, cùm maiorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi.

HÆC VBI DICTA DEDIT) Lucil. lib. 1. *Hæc vbi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi.* Homer. de Hectore egrediente, Iliad. η. *ὣς εἰπὼν πυλέων ἐξέσσυτο φαίδιμος Ἕκτωρ.* Ingens autem, animo, & corpore. Quatit telum minitabundus, & plenam victoriæ ſpem præ ſe ferens. Et quia vulnerato ſummo duce, etiam duces ipſi cum eo in caſtra remeauerant, nunc eo procedente, rurſus in campum ipſos par eſt vnà procedere. Sed & reliquis ita creuit pugnandi ſtudium, vt nullus in caſtris remaneret. Et cùm tam multi ſe effunderent, neceſſe fuit nubes tolli pulueris, tellurę præſertim arida, quæ etiam ſub pedi- [B] bus incedentium, propter multitudinem tremere videbatur. Donatus.

Vidit ab aduerſo venientes aggere Turnus,
Videre Auſonij: GELIDVSQVE PER IMA CVCVRRIT
OSSA TREMOR. prima ante omnes Iuturna Latinos
Audiit, agnouitq; ſonum, & tremefacta refugit.
Ille volat, campoq; atrum rapit agmen aperto.
Qualis vbi ad terras abrupto ſidere nimbus
It mare per medium (miſeris heu præſcia longè
Horreſcunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemq; ſatis, ruet omnia latè.
Antè volant, ſonitumq; ferunt ad littora venti)
Talis in aduerſos ductor Rhœteius hoſtes
Agmen agit: denſi cuneis ſe quiſque coactis
Agglomerant. ferit enſe grauem Thymbræus Oſirim,
Archetium Mneſtheus, Epulonem obtruncat Achates,
Vfentemq; Gyas. cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in aduerſos telum qui torſerat hoſtes.
TOLLITVR IN COELVM CLAMOR: verſiq; viciſſim
Puluerulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipſe neque aduerſos dignatur ſternere morti:
Nec pede congreſſos, nec equo, nec tela ferentes
Inſequitur: ſolum denſa in caligine Turnum
Veſtigat luſtrans, ſolum in certamina poſcit.

VIDIT AB ADVERSO VENIENTES) Bene dixit, Turnum primò vidiſſe, vel quia in aggere, id eſt, in eminentiori loco contra poſitus fuerat: vel in cauſſa ſua debuit eſſe circumſpectus. Auſonij, qui paulò antè Ænea vulnerato victoriam ſpe deuorauerant, vt viderunt agmen in ſe verſum ferri, intellexerunt in illa multitudine etiã ipſum Æneam eſſe præſentem, quare non eos iam metus, ſed tremor etiam inceſſit.

GELIDVSQVE PER IMA CVCVR. OSSA TREMOR) Maximi timoris declaratio. Et per oſſa, & per ima oſſa. Hinc ingentis ignauiæ, & imbelliæ ſignificatio: tales enim plurimum timent, ac trepidant.

PRIMA ANTE OMNES IVTVR. AVDIIT) Iuturna, quam ſpecialis pro ſalute fratris ſollicitudo tangebat, prima vidit, prima audiuit, prima cognouit, prima contremuit, & fugit, ne videret exitium Turni, vel eius copias ſterni. Donat.

ILLE VOLAT) Tanta celeritate ferebatur Æneas, vt volare videretur, & aperto campo, qui ſcilicet hoſtibus [C] metu diſperſis vacuus, & patens erat, raptim ducebat, hoc enim eſt, *rapit.* Donatus.

ATRVM AGMEN) puluere ſordidatum.

VBI AD TERRAS ABRVPTO SIDERE NIMBVS) Luculenta comparatione Æneæ deſcendentis in pugnam robur, hoſtiumque tacitum metum ante oculos conſtituit. Quia ortu ſuo, aut occaſu ſidera multa tempeſtates cient, quin & ſua natura exhalationes, vaporesque ſurſum tollunt, ſurriguntque (vnde & multas in ſublimi affectiones committi, Meteor. tractatu docet Ariſtoteles) factum eſt, vt Latini efficientem cauſſam cum re effecta, aut mota, conturbantes, ſidus pro tempeſtate, & intemperie accipiant, vt hic, & ſuprà libr. 4. *hyberno* [D] *moliris ſidere* claſſem: vnde & ſæpe conſumi, & conſumptum ſidus apud auctores. German.

IT MARE PER MEDIVM) Stat. *deflent ſua damna coloni, Et tamen oppreſſos miſerantur in æquore nautas.*

RHOETEIVS) Troianus, à promontorio Troiæ Rhœteo: alterum dicitur Sigeum.

CVNEIS

CVNEIS SE AGGLOM.) densantur, vt cuneatim dimicent, scilicet in cuneorum modum compositi. Multum valet plurimorum in vnum arctata congestio: proinde vnusquisq; se stipabat in cuneum, ne opportunus fieret morti, Seruius. Donatus.

CADIT IPSE TOLVM. AVGVR PRIMVS IN ADVERS.) Quòd narrat, ipsum augurē Tolumnium cecidisse, qui primus telum in hostes coniecerit, fœdusque turbauerit, tacitè notat prouerbium, *consilium malum consultori pessimum*, quod sic extulit Hesiodus ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη: cum nimirum in caput eorum recidit, qui aliis perperam consuluerant. Siquidem, vt dicunt Græci, ἱερὸν ἡ βουλή, id est, sacra quædam res est consilium. Atque vt est libenter accipiendum, cùm res postulat, ita est religiosè, citraque fraudem dandum, si quis egeat. Alioqui non defuturum est numen aliquod, quod pœnas repetat ab eo, qui rem sacram, ac diuinam perfidia violarit. Chiliad.

TOLLITVR IN CÆLVM CLAMOR) Tollebatur in cælum clamor, occiso eo, qui dirumpendi fœderis auctor fuerat, statimque fuga sequebatur. Seruius.

De clamore militum ante, vel in ipso conflictu, nonnulla Alexand. Neapolit. lib. 4. ca. 7. Græci pugnam inibant silentiò, testis Homerus. Romani, clamantes. Gell. Quid ille vult ardens clamor militum Romanorum, quem in congressionibus præliorum fieri solitum scriptores annalium annotarunt? Cæsar de bello ciuili. Non frustrà antiquitus institutum est, vt signa vndique concinerent, clamoremque vniuersi tollerent: quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimauerunt. Præceptum Vegetij hoc est, lib. 3. cap. 18. Clamorem autē, (quem barritum vocant) prius non debet attolli, quam acies vtraque se iunxerit. Imperitorum enim, vel ignauorum est, vociferari de longè, cum hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris horror accesserit. Vide Ibid. Steuechium. Quis autem clamor ille, aut in quæ verba, quærit, & coniicit acutè Lipsius de Milit. lib. 4. dial. 11. Ibidem de caussis clamoris huius.

PVLVER. FVGA RVT. D. TERGA) Quomodo se gerat Imperator aduersus hostem fugiētem, docet Veget. lib. 3. cap. 21. summa est, non videri sperandam pleniorē victoriam, si aduersarium ita concluseris vel loci angustiis, vel exercitu, vt nequeat fugere: desperationem enim, & formidinem illis audaciam facturā. Ex sententia Scipionis viam hostibus, qua fugiant, muniendam. Sic more pecudum multos in fuga trucidari. Non esse tamen cupidius instandum fugientibus, illud monet, quod ipse Vegetius posuit cap. 25. Frequenter iam fusa acies, dispersos, ac passim sequentes, reparatis viribus interemit. Numquam exultantibus maius solet esse discrimē, quam cum subitò ferocia in formidinem commutatur. Pyrrhus Epirotarum rex aiebat, nō esse pertinaciter instandum hosti fugienti, non solùm, ne fortius ex necessitate resistat: sed vt postea quoque facilius acie cedat, ratus, non ad perniciem vsq; fugientibus instaturos victores.

IPSE NEQVE ADVERSOS) Ipse Æneas contrà, nec stantes, nec fugientes dignatur occidere. Et magna Æneæ ostenditur pietas, qui nec vulneratus irascitur, vt velit contra legem fœderis in bellum moueri. Solum Turnum vestigat: nouerat enim, & prudenter considerabat, solum esse vincendum, qui solus esset pugnandi caussa: seruandam esse plebem victoriæ suæ. Seruius, Donatus. *Homerus* idem de Hectore solum Patroclum ad necem quærente. Iliad. π

Ἕκτωρ δ' ἄλλους μὲν Δαναοὺς ἔα, οὐδ' ἐνάριζεν,
Αὐτὰρ ὁ Πατρόκλῳ ἔπεχε κρατερώνυχας ἵππους.

* *Alia lectio, & forsitan melior hac affertur à quibusdam*, Ipse neque auersos, Nec pede congressos, nec equo. *Hoc nimirum sensu, vt dicat poeta, Æneam nec terga dantes voluisse sternere: nec pari bus armis congressos cominus, nec ferientes eminus. Vnum Turnum quæsiuisse, quem occideret. Cæterùm hic* sternere morti *dictum, vt alias mittere morti, letho.*

SOLVM IN CERTAMINA POSCIT) In pugnam singularem, vt caput, & caussam totius belli deposcit, vulgo insonti parcendum ducens. Et ita pius, ac generosus elucet Æneæ animus, qui suo ipsius periculo, & vnius tantùm sanguine bellum tam graue, & periculosum finiri desiderat.

Hoc concussa metu mentem Iuturna virago,
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, & longè lapsum temone relinquit.
Ipsa subit, manibusq; vndantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemq;, & corpus, & arma Metisci.
Nigra velut magnas domini cùm diuitis ædes
Peruolat, & pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parua legens, nidisq; loquacibus escas:
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circùm
Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostes
Fertur equis, rapidoq; volans obit omnia curru.
Iamq; hîc germanum, iamq; hîc ostendit ouantem:
Nec conferre manum patitur: volat auia longè.

HOC CONCVSSA METV MENT. IVT.) Totus locus ex Homero tractus est, apud quem leguntur hi versus Iliad. ε

Ὣς φαμένη Σθένελον μὲν ἀφ' ἵππων ὦσε χαμᾶζε,
Χειρὶ πάλιν ἐρύσασ', ὁ δ' ἄρ' ἐμμαπέως ἀπόρουσεν,
Ἡ δ' ἐς δίφρον ἔβαινε παραὶ Διομήδεα δῖον,
Ἐμμεμαυῖα θεά, μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων,
Βριθοσύνῃ, δεινὴν γὰρ ἄγεν θεόν, ἄνδρα τ' ἄριστον,
Λάζετο δὲ μάστιγα καὶ ἡνία Παλλὰς Ἀθήνη.

Vbi sensit Iuturna, hoc agere Æneam, vt solius Turni interitum quæreret, rediit ad aliā partem mandatorum Iunonis. Quum fratrem in confusione fœderis liberare non potuisset, cœpit hunc infesto hosti velle subtrahere, ne inuitus occumberet. Sic enim illa dixerat.

Accelera, & fratrem, si quis modus, eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumq; excute fœdus.

Ergo, vt dictum est, cœpit velle subtrahere periclitantem: quod fieri sine fraude non potuit: idcirco remouit aurigam fratris, & in remoti locum ipsa successit: facilè enim in quam vellet formam transire potuit. Donatus.

VIRAGO) dicitur mulier, quæ virile implet officium, ait Seruius. Fœminæ masculæ dicuntur, quæ robur, & animum virilem habent. Hinc Sappho mascula dicta, & virtus mascula, item mascula bilis, proles, &c. Hinc quoque fœminæ viragines, quibus inesset virilis animus, & fortitudo, vt hæc Iuturna. Appellat autem viraginem Ouid. Palladem 2. & 6. Metamorph. Stat. lib. 4. Syluar. & lib. 11. Thebaid. Dianam. Seneca in Hippol. Bellonam, Auson. in epigramm. Cassandram Seneca in Agamem. Tiraquell. in 1. leg. Connubial. n. 91.

VNDANTES FLECTIT HABENAS) Sic 5. Æneid. *vndantia lora*: vbi Seruius, longè effusa. Sed poeta ab vndis crispantibus ducit metaphoram, vt sint vndantes habenæ, quæ dum concutiuntur, vndarum flexus imitantur.

Germanus hoc modo. Solet poeta κατ' ὑποτύπωσιν ex lectore, vel auditore spectatorem rei, quam oculis subiicit, efficere: vt hic, vndantes habenas dixit imitatione, vel repræsentatione animalium pedibus carentium, & serpentum, quæ vndoso, & sinuoso motu, & flexu voluuntur.

ALTA ATRIA LVSTRAT HIRVNDO) Non fuerit alienum, audire Plinium de hirundinum nidis ita disserentem, lib. 10. ca. 33. Hirundines luto construunt, stramento roborant. Si quando inopia est luti, madefactæ multa aqua pennis puluerem spargunt. Ipsum verò nidum mollibus plumis, floccisque consternunt tepefaciendis ouis: simul ne durus sit infantibus pullis. In fœtu summa æquitate alternant cibum. Notabili munditia egerunt excrementa pullorum: adultioresque circumagi docent, & foras saturitatem emittere. Hęc Plin. Architecturæ hieroglyphicum est hirundo, & homi-

A nes ædificationis studiosi, quiq; ampla ædificia, vel oppida cōdiderint, per hanc volucrem aptè significantur. Per hirundinem item Ægyptij sacerdotes intelligebant hominem, qui liberis suis hęreditatem æquis portionibus distribueret. Præterea Principem, qui se ciuibus æquaret suis, neque vellet ornatu, aut apparatu vllo sumptuosiore accipi. Mira siquidem æqualitate pullos suos alit hirundo, singulis parem cibum impertiens, cum ea cautione, ne qui semel acceperit, bis accipiat. Plura Pierius lib. 22.

NIDISQVE LOQVACIBVS ESCAS) 4. Georg. hirundines ait auferre apes, nidis immitibus escas.

PORTICIBVS VACVIS) Porticus vacuas, intellige B magnas, amplas, vastas, vt 2. Æneid. *vacua atria lustrat. Sanctius.* Ostendit autem sic Turnum Iuturna, vt gaudere potius, quam diffidere suis rebus videretur. Non sinebat tamen conferre manum, cum Ænea scilicet. Inde volabat auia, ab ea scilicet parte, qua venientem Æneam conspiciebat. Seruius. * *De conuersione Prognes in hirundinem, diximus Eclog. 6. vbi,* Aut vt mutatos Terei narrauerit artus, Quas illi Philomela dapes, &c. *Festiuam, & admirabilem quandam narrationem continens epigramma Martialis de hirundine, ex li. 5. huc transcribemus, in quo & Ityis pueri, Tereo patri appositi mentio.*

Hybernos peterent solito cum more recessus
 Atthides, in nidis vna remansit auis.
Deprendêre nefas ad tempora verna reuersæ,
 Et profugam volucres diripuere suæ.
C Serò dedit pœnas. discerpi noxia mater
 Debuerat: sed tunc, cum lacerauit Itym.

IAMQVE HIC GERMANVM) Frater aut ex alia matre, aut ex alio patre potest esse: germanus ex iisdem parentibus sit, necesse est.

NEC CONFERRE MANVM PATITVR) Aliâs conserere manus dicunt Latini, & conferre pedem. Virgil. lib. 11. *stetimus tela aspera contra, Contulimusq; manum.*

VOLAT AVIA LONGE) Creber est Lucretius in hoc adiectiuo *auius.* Dicit enim, *Auius à vera longè ratione recedit*, & quod eandem sententiam continet, *Auius à vera lōge ratione vagaris. auius erat animus in corpore. Auia Pieridum loca.*

Haud minus Æneas tortos legit obuius orbes,
Vestigatq; virum, & disiecta per agmina, magna
Voce vocat. quoties oculos coniecit in hostem,
Alipedumq; fugam cursu tentauit equorum,
Auersos toties currus Iuturna retorsit.
HEV, QVID AGAT? VARIO NEQVICQVAM FLVCTVAT ÆSTV,
DIVERSÆQVE VOCANT ANIMVM IN CONTRARIA CVRÆ.
Huic Messapus, vti læua duo forte gerebat
Lenta, leuis cursu præfixa hastilia ferro,
Horum vnum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, & se collegit in arma
Poplite subsidens; apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasq; excussit vertice cristas.
TVM VERO ASSVRGVNT IRÆ, insidiisq; subactus
Diuersos vbi sensit equos, currumq; referri,
Multa Iouem, & læsi testatus fœderis aras,
Iam tandem inuadit medios, & Marte secundo
Terribilis sæuam nullo discrimine cædem
Suscitat, IRARVMQVE OMNES EFFVNDIT HABENAS.

Æneas

ÆNEAS TORTOS LEGIT OBV. ORBES) Quantùm Iuturna separabat à congressibus fratrem, tantùm Æneas obliquis, & implicitis viis, seu compendiosis orbibus se præbebat obuium, & præueniebat errantem: nec iam occultè: nam hunc per tantas copias sparsas voce vocabat, & quasi canis venaticus per vestigia pedum feram indagabat. Sed quoties appropinquauit Æneas, toties Iuturna currum aliò detorsit. Hinc Æneas diuersis curis agitabatur, nec consilium explicare poterat. Donat. Seruius.

VESTIGATQVE VIRVM) inquirit. Translatio à canibus, qui per vestigia, & pedum signa feram inuestigāt. Seruius.

DISIECTA PER AGMINA) dissipata aduentu Æneæ.

DIVERSÆ VOCANT ANIM. IN CONT. CVRÆ) Tibull. eleg. 4. lib. 3. *Diuersasq́; suas agitat mens anxia curas.*

HVIC MESSAPVS, VTI) *Huic*, in hunc Messapus ex duobus ferratis hastilibus vnum certo ictu contorsit. Certus ictus est, qui sic destinatur, vt feriat. Sed Æneas subsidens ira se texit, vt nulla posset parte feriri. Galeæ tamen eminentiam, quam Græci κῶνον vocant, in qua eminent cristæ, perdidit. Seruius.

ET SE COLLEGIT IN AR.) Cautiorem, & prouidum magis fecit Æneam cruri vulnus ante allatum. Non tantùm de vniuerso exercitu, verū etiā de, suaq; salute sollicitus debet esse Imperator, & omni ratione, atque diligentia vitare tela hostilia. Docuit hoc eleganti similitudine Iphicrates Atheniensium dux. Pedites enim cōparabat manibus, equites pedibus, aciem ipsam pectori, seu thoraci, imperatorem capiti. Atq; hoc etiam magis debet esse sollicitus, quod eius vnius incolumitate videtur omnium incolumitas contineri. Vituperantur in historiis Pelopidas, & Marcellus, qui nimia temeritate se ipsos iuerunt perditum. ✱

APICEM SVMMVM) Ennius Annali 16. *tamen inde volans secum abstulit hasta Insigne.* Vocat insigne, quod hìc Virgilius apicem, & cristas κατ' ἐπεξήγησιν. Vterq; autem Latinus Homerum est æmulatus, cuius est Iliad. λ.

------καὶ ἀμφὶ τρυφάλειαν .... ἔγχος,
Καὶ βάλεν, οὐδ' ἀφάμαρτε τιτυσκόμενος κεφαλῆφιν,
Ἄκρον ....

HASTA INCITA) incitata, impulsa.

INSIDIISQVE SVBACTVS) Subactus modò significat mollitus, modò victus, modò compulsus: vt cum dicimus, pecus sub arbore subactum: modò coactus. Fest.

MVLTA IOVEM, ET LÆSI TESTAT. FOEDER. ARAS) Licet haberet caussam iracundiæ, quod & fugiebat Turnus, & ipse appetebatur insidiis, non tamen antè prorupit in bellum, quàm Iouis fidem, & læsa fœdera testaretur. Tum indiscretè obtruncat vniuersos, quibus antè pariter pepercerat. Inuadit medios, inquit, & quidem Marte secundo, vbi magna viri fortis constantia, & fœlicitas exprimitur. Seruius.

NVLLO DISCRIMINE) Æquè vniuersos obtruncat. Qui modò vulgo militum pepercerat, citra discrimē sęuit in obuios.

IRARVM OM. EFFVNDIT HABENAS) Moderatius multò dictum à nostro, *irarum effundit habenas*, quam ab Ennio, effundit irarum quadrigas, Seruius existimat: & quis secus existimet? Habenas iniicere, & laxare, vtraq; lingua effertur prouerbiali figura. Illud pro compescere, atque impetum sistere: hoc, pro indulgere, & permittere libertatem. Euripid.

Οὐ γὰρ ποτ' ἄνδρα τὸν σοφὸν γυναικὶ χρὴ
Δοῦναι χαλινούς.

Laxare frenos coniugi haud virum decet Catum.

Philostratus in Polemone ἡνία τε ἐμβέβληται τῷ λόγῳ. Frænumq́; orationi iniectum est. Idem in Antæo, ἐμβαλόντας τε ἡνίαν τῷ θυμῷ, ita frænum iniecit. Greg. presbyter, μικρὸν δὲ ἐπισχὼν, οἷον τισι ῥυτῆρσιν ἀναστείλας τὸν λόγον. Paululum sistens reuocabo orationem quibusdam velut habenis. Plutarchus in Lycurgo de Lacedæmoniorum institutis loquens, ὀλιγαρχίαν ὁρῶντες θυμουμένην, οἷον ψάλιον ἐμβάλλουσιν αὐτῇ τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν. Animaduerso, in quantam insolentiam assurgeret oligarchia, velut habenas illi iniiciunt Cēsorum (quos Ephoros, quasi inspectores nominant) potestatem. Posterioris formulæ exempla iam producemus. Philostratus in Proclo. πάσας ἀφεὶς ἡνίας, id est omnes habenas laxans. Nazianzenus, ὅλας ἐφιεὶς τὰς ἡνίας, id est, omnes habenas permittens. Plutarch. in Numa. τῷ δήμῳ τὰς ἡνίας ἐνείς. populo habenas indulgens. Denique habenæ metaphoricè pro imperio, & moderamine accipiuntur. Iunius Cent. 5. num. 25. * *Elegantem habet vsum verbum effundo, coniunctum cum certis quibusdam vocibus, vt patebit exemplis. Cic. ep. 9. lib. 1. Quod ego odium effudisse me omne arbitrabar. Epist. 25. lib. 12 sic sum in Antonium inuectus, vt ille non ferret, omnemq́; suum vinolentum furorem in me vnum effunderet. Effundere, iram Liuius l. de bello Macedon. Effundere se in aliqua libidine, Cic. in Paradox. Effundere voces, Virgil. 2. Æneid. Plura facilè reperientur.*

Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine cædes
Diuersas, obitumq́; ducum, quos æquore toto,
Inq́; vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Iupiter, æterna gentęs in pace futuras?
Æneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus
Excipit in latus, & quà fata celerrima, crudo
Transadigit costas, & crates pectoris ense.
Turnus equo deiectum Amycum, fratremq́; Diorem
Congressus pedes, hunc, venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit: curruq́; abscissa duorum
Suspendit capita, & rorantia sanguine portat.

QVIS MIHI NVNC TOT ACERBA DEVS) Ac si diceret, nec Musæ, nec Apollo sufficiunt. Sequitur apostrophe ad Iouem admirationis plena, qui pati potuerit in alternam perniciem gentes tendere, in æternam venturas,

turas, perpetuamque concordiam. Seruius, Donatus.* A *Huiusmodi exclamatio, cum ingenti admiratione legitur etiam libr. 2.*

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis æquare labores?

OBITVMQVE DVCVM) multos cædi milites in prælio, non est mirum: sed plures duces cadere, signum est atrocissimi prælij, atque etiam infelicissimi, cum vel vnus dux sit multorum militum instar, & ab vnius salute sæpius tota pendeat victoria, & salus vniuersi exercitus. Numantini primores victis suis ignauiam obiectabant, qui Romanos fugissent turpiter, quos toties fugassent. Respondit quidam. Nunc quidem etiam eædem oues sunt quæ ante, sed alius pastor, Scipionem intelligens, qui postea Numantinus est cognominatus. ✠

ÆNEAS RVTVLVM SVCRON.) Fugiebant insequentem Turnum Teucri. Ergo vt primùm loco constiterunt, non multa mora interposita, Æneas Sucronem ea parte corporis percussit, qua peti expeditius potuit: per latus enim, & costas (illæ enim sunt crates pectoris, vt sit ἀπεξήγησις) ensem exegit, crudum, id est, durum, rigidū, crudelem. Donatus, Seruius.

RVENTES PVGNA LOCO STAT.) Liuius lib. 9. Monimentum eius pugnæ, vbi primum ex profunda emersus palude, equus Curtium in vado statuit.

QVA FATA CELERR.) quà maximè vulnus lethale accipitur.

TVRNVS EQVO DEIECTVM AMYCVM) Multa semel hîc dicta sunt, sed non semel accipienda. Quippe Turnus equo deiecit Amycum: quo deiecit & fratrem eius Diorem: nam quum addidit, *fratremq; Diorem*, & non significauit, vtrum eques, an pedes fuerit, etiam Dioré ostendit vectum fuisse. Donat.

FERT) bis intelligendum.

CVRRVQVE ABSCISS. DVOR. SVSPEND. CAP.) Ostentationis fuit, & incutiendi terroris, quod cæsorum B capita, adhuc stillantia sanguine religabat in curru. Donatus. Æneid. 9. de abscissis Euryali, & Nisi capitibus, piloque præfixis. *simul ora virûm præfixa videbant Nota nimis miseris, atroq; fluentia tabo.* Sunt autem, quod animaduersum à Seruio, hi duces etiam suprà memorati. Vt libr. 1. *nunc Amyci casum gemit.* lib. 5. *& nunc tertia palma Diores.*

Ille Talon, Tanaimq; neci, fortemq; Cethegum
Tres vno congressu, & mœstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisq; genus Peridiæ.
Hîc fratres Lycia missos, & Apollinis agris,
Et iuuenem exosum nequicquam bella Menœten
Arcada: piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperq; domus, nec nota potentum
Munera, conductaq; pater tellure serebat.
Ac velut immissi diuersis partibus ignes
Arentem in syluam, & virgulta sonantia lauro:
Aut vbi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius ambo
Æneas, Turnusq; ruunt per prælia. NVNC NVNC
FLVCTVAT IRA INTVS, RVMPVNTVR NESCIA VINCI
PECTORA: NVNC TOTIS IN VVLNERA VIRIBVS ITVR.

ILLE TALON, TANAIMQVE) Ille, Æneas subaudi. C

MOESTVM MITTIT ONYTEN) naturaliter tristem, seuerum, quem Græci ἀγέλαστον dicunt. Mittit autem socium supra memoratis. Seruius.

Licet etiā exponere, tristi, & recondita natura hominem, qualem narrat fuisse Quintium Cicero, & quē vulgus dicit melancholicum. eorum enim talis est natura, melancholicorum, inquam, quorum tetricus est vultus, rarus sermo, & breuis, risus rarissimus. Denique mœstus Virgilio hîc valet, quod Ciceroni interdum tristis: habet enim peculiarem notionem, quæ hilaritati nimirum, comitati, iucunditati naturę opponitur. Cœlium dicit M. Tullius cum tristibus seuerè, cum remissis iucundè versari solitum. Idem in Bruto, triste, ac seuerū genus dicendi. Verrin. 2. Iudex integer, seuerus, tristis, summa religione. Tacitus dial. de Orat. antiquitas tristis, & impexa. ✠

NOMEN ECH.) Thebanum, ab Echione comite Cadmi, conditoris Thebarum. Seruius, Thebana gloria.

HIC FRAT. LYCIA MISSOS) Lycij aliquot à Troia Æneam secuti fuerant: & Lyciam Apollini charam, propriamque fuisse, etiam in 4. dixit.

Qualis vbi hybernam Lyciam, Xanthiq; fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo.

Ergo κατ' ἀπεξήγησιν dictum, *& Apollinis agris.* Deinde per transitum ostendit, vrgentibus fatis Menœten ad bella deductum, quæ necquicquam semper vitare cupiebat. Hunc autem origine Arcadem fuisse intelligimus: sed habitasse circa Argos: nam Lerna palus Argiuorum est, in qua eum dicit solitum fuisse piscari. Seruius, Donatus.

APOLLIN. AGRIS) Propter templum Apollinis, cum vetusto oraculo, quod Myris in Lycia fuit, vbi & natus perhibetur. Vnde λυκηγενὴς Homero Iliad. Δ.

PISCOSÆ CVI. CIR. FLVM. LERNÆ ARS. F. PAVPER- D QVE DOMVS) Piscatores genus hominum est imi prorsus subsellij, & cum paupertate conflictans, quod poeta clarè dixit. Idipsum duobus epitaphiis in piscatores exprimitur, eorum κακοζωΐα nimirum, quorum prius est Sapphus, alterum Iuliani Ægyptij.

Sapphus.

Τῷ γριπεῖ Πελάγωνι πατὴρ ἀνέθηκε Μενίσκος
Κύρτον, καὶ κώπαν, μνᾶμα κακοζωΐας.

Pelagoni piscatori pater Meniscus hanc nassam, siue istud

ſtud piſpiculum, & remum, inopis vitæ argumentum, A tumulo incidendum curauit.

Iuliani Ægyptij.

Μύγδων τέρμα βίοιο λαχὼν, αὐτόστολος ἦλθεν
Εἰς ἀΐδην, νεκύων πορθμίδος οὐ χατέων.
Ἦν γὰρ ἔχε ζώων βιοδώτορα, μάρτυρα μόχθων,
Ἄγρης εἰναλίης πολλάκι βριθομένην,
Τήνδε καὶ ἐν θανάτῳ λάχε σύνδρομον ἄχρι τελευτῆς
Εὕρετο, συλλήξας ὁλκάδι καιομένῃ.
Οὕτω πιστὸν ἄνακτι φίλον σκάφος, οἶκον ἀέξων
Μύγδονι, καὶ σύμπλουν ἐς βίον, ἐς θάνατον.

Mygdo vitæ exitum ſortitus, illa communi omnium mortuorum ſcapha, Charontis inquam, qui ferruginea ſubuectat corpora cymba, non indiguit: ſed ſua ipſe vectus nauicula venit ad inferos. Quam enim adhuc B in viuis ſuppeditatricem victus, per quam ſe alebat, teſtem laborum ſuorum, marina præda ſæpius onuſtam, piſcibus repletam agebat, eandem ſimiliter in morte, cùm ad vitæ terminum acceſſit, itineris, & curſus ſui comitem, ac ſociam habuit, pariter cum ea combuſta deſinens. Vſqueadeo regi, domino ſuo fidele fuit nauigiolum hoc, augens ei peculium, rem familiarem, & tam in morte, quàm in vita nauigationis ſocium ❧

NEC NOTA POTENT. MVNERA) Obſequia illa, quæ diuitibus, & beatis illis præſtari ſolent à tenuioribus, non erant ei nota: vitabat *forum, & ſuperba ciuium Potentiorum limina*, vt de agricola canit in laudibus vitæ ruſticæ Horatius. Non habebat patronum, cuius eſſet cliens. Erat autem fortunis adeo modicis, vt ne agellum quidem proprium, ac ſuum haberet, quem ſereret: vectigalem colebat. ❧

IMMISSI DIVERS. PARTIB. IGNES) Binas flammas, duos amnes, ſiue torrentes duobus viris fortibus comparat: nam quomodo flammæ conſumunt, quidquid occurrit, & torrentes quidquid implerint, trahunt: ſic iſti faciebant in aduerſos, elati ira, & cupiditate vincendi, non metuentes vulnerum caſus, aut mortis. Alioqui etiam bellum ſæpe incendio, & fluminibus comparatur, vt in 2.

In ſegetem veluti quum flamma furentibus Auſtris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens.

Donat. Seruius.

AVT VBI DECVRSV RAPIDO DE MONTIB.) Lucretius lib. 3. de ventorum impetu diſſerens.

Nec ratione fluunt alia, ſtragemq́; propagant,
Quam cum mollis aqua fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decurſus aquaï.

FLVCTVAT IRA INTVS) iræ ſunt quidam fluctus, quibus mens noſtra huc illuc agitatur, & impellitur. Animi autem malacia, lenitas, & manſuetudo eſt. Quantopere verò fluctuarit ira in iſtorum pectoribus, ſeu quam magni fluctus fuerint, declarat quod ſequitur, *rumpuntur pectora.* Ergo ſequebatur & hoc, vt irarum omnes habenas effunderent: quod neſcio an vnquam viro ſapienti faciendum ſit: cum menſura laudetur in rebus omnibus. ❧

RVMPVNTVR NESCIA VINCI PECTORA) Horat. Ode 16. lib. 1. *Pelidæ ſtomachum cedere neſcij.* Ex conſequenti anteceſſio accipienda eſt, vt magna eos incendi, & intumeſcere ira audiamus, ita, vt inflata, & diſtenta pectora pæne in periculum diruptionis veniant. Turneb. lib. 10. cap. 1.

Videtur etiam, quod animaduerſum eſt à Germano, ex Lucretio illuc hauſiſſe, qui de leonum ira ſic lib. 3.

Quo genere inprimis vis eſt violenta leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerunq; gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

Qua de cauſſa rationi caput, iræ pectus, voluptati venter, & ea quæ ſub ventre ſunt pro ſede tribuatur, ex philoſophorum ſententia ſic inuenio explicatum à Philone lib. 2. Allegoriarum legis. Tripartita eſt anima noſtra, habetq; partes, vnam ratione præditam, alteram ad iram natam, tertiam ad concupiſcentiam. Has partes C nonnulli philoſophi potentiis tantum differre exiſtimant, quidã locis etiam. Hi rationali parti caput ſedem attribuunt, teddentes cauſſam, quod ibi ſit rex, vbi ſatellitium. Satellites autem mentis ſunt ſenſus, collocatos in capite: proinde rex habitare ibi, tanquã in arce, probabiliter creditur. Iidem irã locant in pectore: aiuntq; hac de cauſſa munitam hanc partem denſis, ac validis oſſibus, non ſecus ac ſtrenuum militem thorace, ac clypeo, ad repellendos aduerſarios. Poſtremus locus aſſignatur concupiſcentiæ, circa iecur, & ventrem. Hic enim vis hæc habitat, ratione carens, &c. * *intelligit Philo, cum de tripartita animæ ſedibus loquitur ex placito philoſophorum, Platonem ſuum pariſſimum, cuius eſt diſcipulus, quemq; in ſcriptis ſuis admiratur, ac ſequitur maximè, etſi eum, quod meminerim,* D *nunquam nominat. Platonis autem in Timæo opinionem, iudiciumq; his verbis in 1. Tuſcul. expreſſit M. Tull. Eius (Xenocratis) doctor Plato triplicem finxit animam, cuius principatum, id eſt, rationem in capite, ſicut in arce poſuit: & duas partes ſeparare voluit, iram, & cupiditatem ſubter præcordia locauit. Hæc Cicero. Rationẽ porrò, iram, cupiditatem Ariſtoteles, à magiſtro ſuo, & in multis præterea, diſſentiens, non partes animæ, ſed poteſtates, ſeu facultates appellandas contendit.*

Murranum hic, atauos, & auorum antiqua ſonantem
Nomina, per regesq; actum genus omne Latinos,
Præcipitem ſcopulo, atq; ingentis turbine ſaxi
Excutit, effunditq; ſolo: hunc lora, & iuga ſubter
Prouoluêre rotæ, crebro ſuper vngula pulſu
Incita, nec domini memorum proculcat equorum.

MVRANVM HIC, ATAVOS, ET AVORVM SON. E NOM.) Æneas Murranum, cuius nomine maiores eius, reges Latini dicti fuerant, ingenti ſaxo, vt vires, & robur cognoſcas, de curru deiecit, qui ſub temonem, rotasque lapſus, equorum ſuorum pedibus proculcatus eſt. Scimus autem plerunque ſolere fieri, vt primi regis reliqui etiam nomen poſſideant; vt apud Romanos Auguſti vocantur, apud Albanos Syluij, apud Perſas Arſacidæ, apud Ægyptios Ptolemæi, apud Athenienſes Cecropidæ. Seruius. * *De regibus, qui ab ſe nomen ſucceſſoribus reliquerunt, ne recuſes, lector, conſulere Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 2.*

Latet apud Moronem in propriis nominibus interdum multum ingenij, vt hic dicitur interfici Murranus, antiqua regum nobilitate generoſus. Nam Murrani reges Latinorũ dicebantur, vel ꝙ murrha, vnguentisque oblinerentur, vt apud hunc poetam, *Vibratos*

 calido

calido ferro, myrrhaq; madentes (Nam à murra Murranus, vt à minio Minianus dicitur. Legimus enim Iouē Minianum apud Cic. epist. 16. lib. 9. minio oblitum, & à Phecasijs Phecasianum apud satyrographum Sat. 3. pro phecasiato, id est phecasiis calceato) vel quod oppidis muro clausis, & cinctis præessent, vt Murrani, quasi murani dicantur: vel potius, de nomine regis alicuius nobilissimi, & fortissimi. Illi alter mox ex aduersa parte reponitur quadam compensatione, qui velut pari stemmate, regisque nomine occiditur, Ilosq; ab Ilo Troianorum reges appellatur. Itaque aspirari, non debet: sed exiliter, tenuiterque proferri. *Ille ruenti Ilo*, non, vt editur, *Hilo*. Turneb. lib. 10. cap. 7.

EXCVTIT, EFFVNDITQVE SOLO) excussum effundit, ἐν ἐδ. δινεῖν.

NEC DOMINI MEM. EQVORVM) Erant immemores domini sui isti equi, quoniam equi erant, hoc est bestiæ, quæ parum meminerunt præterita. Tametsi multarum animantium in dominos suos memoria, reuerentia, obedientia, & amor mirabilis extitit, vt historiis mandatum est. De memoria bestiarum ita traditū à Seneca, epist. 124. Mutum animal sensu comprehendit præsentia: præteritorum reminiscitur: cum id incidit, quo sensus admonetur: vt equus reminiscitur viæ, cum ad initium eius admotus est. In stabulo quidem nulla viæ, quamuis sæpius calcatę memoria est. Rursum ibid. Animalibus tantum, quod breuissimū est, in transcursu datū, præsens: præteriti rara memoria est, nec vnquam reuocatur, nisi præsentium occursu. Hæc Seneca. Veruntamen, cum canis dominum amissum quærit tam sollicitus, & cum quodam quasi gemitu, vnde nam id, si eius non meminit, nisi eo occurrente? Quomodo ad loca, in quibus bene habiti sunt reuertuntur, si nulla iis præteritorum memoria? Quare leones, elephanti, & aliæ animantes in benemeritos tam gratæ fuerunt, & quidem non semper sensu ipso admonitæ, si beneficiorum non meminerunt? Melius igitur Cicero 1. Offic. paululum admodum eas sentire præteritum, aut futurum. ✠

Ille ruenti Hilo, animisq; immanè frementi,
Occurrit, telumq; aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te Graiûm fortissime Creteu
Eripuit Turno: nec dij texêre Cupentum
Aenea veniente sui. dedit obuia ferro
Pectora, nec misero clypei mora profuit æræi.
Te quoq; Laurentes viderunt Aeole campi
Oppetere, & latè terram consternere tergo.
Occidis, Argiuę quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum euersor Achilles.
Hîc tibi mortis erant metæ, domus alta sub Ida,
Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulchrum.
Totæ adeò conuersæ acies, omnesq; Latini,
Omnes Dardanidæ: Mnestheus, acerq; Serestus,
Et Messapus equûm domitor, & fortis Asylas,
Tuscorumq; phalanx, Euandriq; Arcadis alæ:
Pro se quisq; viri, SVMMA NITVNTVR OPVM VI.
NEC MORA, NEC REQVIES, vasto certamine tendunt.

RVENTI HILO) Ruenti, id est, inconsiderata festinatione properanti. Lege autem Ilo, vt supra monuit Turnebus.

AVRATA TEMPORA) propter galeam inauratam.

FIXO STETIT HASTA CEREBRO) Summam expressit vim his verbis. Non enim figitur quidquam, nisi interueniente maiori violentia: nec stat, nisi quòd altè infixum est.

NEC DII TEXERE CVPENTVM) Sic Æneam comparat Turno, vt eum superiorem esse significet. Nam quem Turnus interimit, fortitudo sua liberare non potuit: ei verò, quem occidit Æneas, ne sua quidem numina prodesse potuerunt.

TE QVOQVE LAVR. ÆOLE) Exitium Æoli poeta non sine affectu miserationis inseruit. Et ait *occidis*, quod verbum maioribus personis aptatur. Et quoniam hunc de nobilium personis vult esse Virgilius, occidisse eum dicit, non, cæsum esse. Quod addit *latè terram consternere tergo*, aliud ex alio ostenditur: corporis enim hinc magnitudo exprimitur. [*Similiter Silius lib. 4. de Chryxo, quem Scipio interfecit in pugna, hominem vastissimi corporis.*

Procumbit lata porrectus in arma ruina.
Et percussa gemit tellus ingentibus armis.]

Occidisti in Italia, qui apud Troiam congredientibus exercitibus Græcis, & ipso Achille totius regni euersore non occubuisti. Iaces in peregrina regione, & te prostrauit inferior. Non tibi virtus tua defuit: sed fatorum ratione perfectū est, vt natus in aliis terris, viuendi finē in aliis regionib. inuenires. Nascentem te excepit Lyrnessi domus, mortui funus Italia cōplexa est. Separat Achillem à Græcis: vt, *relliquias Danaûm, atq; immitis Achilli.* Lyrnessus ciuitas Phrygiæ, iuxta Idā montē. Et per transitum docet, neminem posse fatorum statuta mutare. Hactenus ex Donato, & Seruio.

ARCI-

ARGIVÆ PHALANGIS) De phalange consule Ve- A getium lib. 2. cap. 2. & ibidem Steuechium.

PRIAMI REGNORVM EVERS. ACHILLES) De Achille reperies nonnulla Eclog. 4. super illo, *Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.*

MORTIS ERANT METÆ) Id est, mors, quæ meta est, & finis vitæ humanæ. Homerus *θανάτοιο τελευτή.*

TOTÆ ADEO CONVERSÆ ACIES) Conuersæ in bellum. More suo generalitatem posuit, ait enim, quod faciebant hi duo, Turnus, & Æneas, faciebant & cæteri, nec aliquis fuit à belli certamine vacuus. Rursus, cum potuisset sufficere, *Tota adeò conuersa acies,* ambitione dicendi ductus, iuit per species, homines aliquot, & gentes enumerans.

PRO SE QVISQVE VIRI) pro qualitate virium suarum. Sic in 5. *Pro se quisque viri, & depromunt tela pharetris.* Vel potius, quia in bello non curat vnusquisque, nisi quemadmodum primùm vitam suam, salutemque tueatur, post etiam sociorum. Seruius, Donatus. Adde, Attius Meleagro.

Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent.
Pro se quisq; cum corona clarum conftat caput.

SVMMA NITVNTVR OPVM VI) Ennius 4. Annal. *Romani scalis summa nituntur opum vi.* Hemistichium hoc cernis vt transcripserit Virgilius? In 11. nonnihil mutauit, *summaq; euertere opum vi Certabant.* Et lib. 16. idem Ennius.

Reges per regnum statuasq; sepulchraq; quærunt,
Aedificant nomen, summa nituntur opum vi.

Adde his oraculum Crœso redditum, quod extat 2. de diuinat. apud M. Tullium. *Crœsus Halym penetrans magnam peruertet opũ vim.* Amant Latini pro conatu ma- B gno, aut labore adhibere hoc vocabulũ *ope*, aut *opibus*, cum adiuncto *summa, summis.* Cic. pro Quintio. Qui communi studio, summis opibus Sex. Næuium defendunt. Salust. procemio Catilinar. Omnes homines qui sese student præstare cæteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant.

Hîc mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,
Iret vt ad muros, vrbiq; aduerteret agmen
Ocyus, & subita turbaret clade Latinos.
Ille, vt vestigans diuersa per agmina Turnum,
Huc atq; huc acies circumtulit, aspicit vrbem
Immunem tanti belli, atq; impunè quietam.
Continuò pugnæ accendit maioris imago.
Mnesthea, Sergestumq; vocat, fortemq; Serestum,
Ductores: tumulumq; capit, quò cætera Teucrûm
Concurrit legio. nec scuta, aut spicula densi
Deponunt: celso medius stans aggere fatur.

HIC MENTEM ÆN. GENITRIX PVLCHER.) Nato consilium dedit genitrix pulcherrima, Venus scilicet. Vide quæ scripsimus libro quarto, Æneid. *Non illum nobis genitrix pulcherrima talem Promisit.* Seruius quidem hoc loco dicit, *pulcherrima* perpetuum esse Veneris epithetum, nec ad negotium pertinere

IRET VT AD MVR. OCYVS) Quandoquidem Turnus sui copiam non faceret, iret oppugnatum vrbem Laurentum, vt fœdifragam, quæ proinde specialiter pœnas luere debuit. Nec tantum incitauit eum vt iret, sed vt ocyus id faceret. Grauius est enim malum, & citius obtinet, quod inopinantes presserit. Securi enim fuerant intra ciuitatem constituti, alijs in cãpo certantibus. Donatus.

IMMVN. TANTI BELLI) sine officio dimicandi. Nam immunis, qui nihil præstat: quasi sine muneribus sine muniis: cũ debuisset specialiter pœnas luere, propter fœdus abruptum. Seruius.

CONTIN. PVGNÆ ACCEND. MAIORIS IMAGO) Quasi iam fieret, quod mente conceperat, sic accensus est, vocauitque ductores exercitus, quos regis nosse consilium oportuit. Tumulum cepit, vt in loco edito videri, & audiri posset ab omnibus. & manserunt ita, vt armati erant. Oportuit quippe plenam esse cautelam, vbi tantus feruor certaminum vertebatur. Donatus.

NEC SCVTA, AVT SPICVLA DEP.) Supra dixit, E *Defigunt tellure hastas, & scuta reclinant.*: hic autem ex C eo, quod non est factum, quid fieri soleat, indicauit. Seruius.

Morem hunc fuisse cunctorum imperatorum, cum ad exercitum verba facerent, præterquam cùm iam pugnaretur, ad manusque peruentum esset, perspicitur ex Xenophontis 2. de rebus Græcorum. Cùm enim pugna committi deberet, duce Thrasybulo, ab exulibus Atheniensium, cũ 30. illis viris, qui domi rempub. vt illis commodum erat, administrabãt, omnibus iam rebus paratis, appropinquantibusque aduersariis, oportere existimauit Thrasybulus suos cohortari. Quare cum mandasset, vt scuta deponerent, ad illos & ipse, ante pedes scuto collocato, verba fecit. Hic au- D tem est locus Xenophontis *ἐν ᾧ δὲ προσῄεσαν οἱ ἐναντίοι, [illegible] τοὺς μετ' αὐτοῦ θέσθαι κελεύσας τὰς ἀσπίδας, καὶ αὐτὸς θέμενος, τὰ δ' ἄλλα ὅπλα ἔχων, κατὰ μέσον στὰς ἔλεγε.* Scuta autem, quæ ferrent in bello pedites, valdè grauia fuisse, nec facilè potuisse sustineri, declarat Cic. in 5. Philipp. cum totum ordinem agminis Antoniani describeret, qui Antonius ita in senatum veniebat cinctus vndique armatis, vt si ad prælium cum hostibus committendum proficisceretur: narrauit enim eos statim vt ventum esset ad ædem Concordiæ, scuta humi deposuisse, lecticis obiectis, quod factum esset consilio ipsius, qui parcere vellet familiaribus suis, vt non tam tecta illa esse studeret, quàm onere illo sodales suos leuare. Gradus, inquit, complebantur, lecticæ collocabantur, non quò ille scuta occulta esse vellet: sed ne familiares, si scuta ipsi ferrent, laborarent. Victor. lib. 19. cap. 15.

CELSO

CELSO MED. STANS AGGERE) Stans in eorum medio, supra aggerem, vt æqualiter audiri posset ab omnibus. Ad multitudinem vtique commodius de superiore loco verba fiunt. Nisi forte Imperatoris alicu- A lus vox adeo canora esset, vt loquentis in campo, non aduersante vento per mille passus audiretur, quod de Pescennio Nig[illegible] proditum est a Spartiano.

NE QVA MEIS ESTO DICTIS MORA: IVPITER HAC STAT:
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Vrbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini,
(Ni frænum accipere, & victi parere fatentur)
Eruam: & æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum prælia Turno
Nostra pati? rursusq; velit concurrere victus.
Hoc caput, ô ciues, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces properè, fœdusq; reposcite flammis.
Dixerat: atq; animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densaq; ad muros mole feruntur.
Scalæ improuisò, subitusq; apparuit ignis.
Discurrunt alij ad portas, primosq; trucidant:
Ferrum alij torquent, & obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnaq; incusat voce Latinum:
Testaturq; deos, iterum se ad prælia cogi:
Bis iam Italos hostes, hæc altera fœdera rumpi.

NE QVA MEIS ESTO. DICT. MORA) Antiquos notat Nannius lib. 2. cap. 17. quod in perpetuum fieri volebant, per futurum imperatiui enuntiare solitos. Hinc est quod edicta legum vbique hac formula concipiuntur. Quidam tamen inter imperatiuos hosce, pelle pellito, orna ornato, &c. nihil putant interesse: poetis certè liberum est pro eodem vti.

IVPITER HAC STAT) Id est, pro nobis religio est, quam læserunt Rutuli ruptis fœderibus. Aut ita. Ideo Iouem à se stare dicit, quoniam fœdus inuocato Iouis numine sancitum hostes violauerant, eoque periurio Iouem iratum habebant. Ennius Annal. 6. *Non semper nostra euertit: nunc Jupiter hac stat.* Et hortatur eos, ita in bellum eant, quasi res fuerit antè disposita. Incipit deinde edicere voluntatem suam. Exscindendam videri vrbem, nisi se dedat, cuius adhuc incolumitate differatur plena victoria. Cur ego cogar victi iam Turni arbitrium sequi? feriendum est malorum nostrorum caput: reliqua post eius supplicium parem sortientur interitum. Eradenda est nefarij belli summa, vt conquiescat penitus, quod ex ipsa per scelus emergit, & pullulat. Seruius, Donatus. * Iupiter hàc stat, *id est, Iupiter facit nobiscum, noster est, nobis fauet, stat à nobis, vt loquitur M. Tullius. Cum aliquo stare, Terent. Phorm.* Nam ni ita esset, cum illo haud stares Phædria. *Cum illo, ἀντὶ τοῦ pro illo. Opponitur his, contra stare. Virgil. lib. 5.* His magnum Alciden contra stetit.

NEV QVIS OB INCEPT. SVB.) Subita, & repentina imperia non videntur ad exequendum expedita, quia subita sunt, nec spatium dant ad cogitandum, & sese comparandum: tamen Æneas vult præcipitari moras. Cur autē festinat adeo? quia vult imparatos, & inopinantes Laurentes opprimere. Vnde sequitur, *Scalæ improuisò, subitusq; apparuit ignis.*

HOC CAPVT O CIVES, HÆC BELLI SVMMA) Turnus est auctor huius belli, *caput horum, & caussa malorum,* quomodo alibi loquitur.

FOEDVSQVE REPOSCITE FLAMMIS) Flammas B fœderis innouate vrbis incendio. *Reposcite* enim est, innouate, reuocate.

ANIMIS PARITER CERTANT. OMNES) Magnam habet vim, quod pari consensu, atque vnanimiter geritur. Ecce autem, quantum valuerit iubentis auctoritas: & fiebant iussa consensu omnium, & celeriter gerebantur. Quæsitas porrò scalas, & ignem allatum non dixit, studio breuiandæ narrationis. Quid enim poneret, quod sequentibus procuratum posset ostendi? Partitur officia deinde. Aliis enim ad portas discurrentibus, & qui primi egrediebantur trucidantibus, alij tela mittebant creberrima. Æneas se adhuc beneuolum Latino ostendebat: testabatur deos, qui soli humanarum C cogitationum gnari sunt, inuitum se initiò ad certamen venisse, inuitum se iterum cogi. Donatus.

DANT CVNEVM) Cuneus castrense, & militare vocabulum. *Dant cuneum,* pro eo, quod est, se in cuneum componunt. Cuneus autem per translationem sumitur pro peditum globo, in cunei formam redacto, & glomerato, quæ græcè νῆσος, & τάξιν ἐμβολοειδῆ Aristidi, ita disposita, vt ab angustiore prima parte turbinatim in latum procedat, & desinat: vnde & constipatam quamuis turbam cuneos vocamus: vt suprà, eodē hoc libro: *densi cuneis se quisq; coactis Agglomerant:* & Cyprianus: stipatus clientum cuneis. German. [illegible]

Cuneus historicis (& hìc Virgilio) est conferta D multitudo. Liuius lib. 32. cuneum Macedonum, phalangem ipsi vocant. Idem de manipulis, vel cohortibus Latinorum. Tanta cæde perrupere cuneos. Tacitus li. 8. cateruis, & cuneis concurrebant. Cuneus autem propriè species quædam aciei est, cum angusta in fronte, trigoni forma, paulatim se pandit. Igitur & trigonum vocant. Veget. lib. 1. cap. 26. In trigonum, quem cuneum vocant, acies mutanda est. Item ἔμβολον, siue rostrū Græci. Etiam caput porcinum dixere, quia assimilatur, & quia velut fodit, & ruit inuadendo. Similis litteræ Δ, vt scri-

vt scribit Agathias lib. 2. Hæc omnia latius exequitur A Poliorcet. lib. 1. dial. 6. Lipsius de Milit. lib. 4. dial. 7.

DENSAQ. AD MVROS MOLE FER.) Principium ad catastrophen, hoc est, ad tragicæ rei funestissimum exitum, vt Amata, capta vrbe, suspendio pereat: & Turnus necessitate compulsus, singulari certamine cum Ænea congrediatur, & pereat.

SCALÆ IMPROVISO SVB APPAR. IGNIS) Non modò vsitatum ordinem in vrbis oppugnatione seruat, verum etiam, quæ tali tempore in vrbibus solent accidere, tanquam penicillo depingit. De scalis militaribus, earumque formis aliquot, habes multa apud Lipsium

ET OBVMB. ÆTHERA TELIS) Alibi, *cælumq́ obtexitur vmbra.*

MAGNAQ. INCVS. VOCE LAT. TEST. DEOS) Vt etiam hic decorum in Ænea seruetur, & pius vel in hosté inducatur, fingit eum in ista oppugnatione excusantem necessitatem facti, culpamq́; in Latinum coniicienté, qui bis iam fœdus fregerit. Duo enim fœdera cum Latino Æneas pepigerat: vnum per Ilioneum legationis principem lib. 7. alterum hoc lib. per seipsum, occasione singularis certaminis. Vtrumq; à Latinis violatum. Donatus.

EXORITVR TREPIDOS INTER DISCORDIA CIVES:
Vrbem alij reserare iubent, & pandere portas
Dardanidis: ipsumq́; trahunt in mœnia regem:
Arma ferunt alij, & pergunt defendere muros.
Inclusas vt cum latebroso in pumice pastor
Vestigauit apes, fumoq́; impleuit amaro:
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisq́; acuunt stridoribus iras.
Voluitur ater odor tectis: tum murmure cæco
Intus saxa sonant, vacuas it fumus ad auras.

EXORIT. TREP. INTER DIS. CIVES) Discordiá dixit animorum dissimiles motus, & non consentientes. * *Qui videbant periculum præsens, & discrimen manifestum, dicebant aperiendam ciuitatem, trahebantq́, id est trahere volebant ad muros ipsum Regem Latinum, vt periculum videret. Quibus ea sententia displicebat, manus properantes ad arma conuertebant, vt contra hostilem vim muris assisterent. Deinde more suo propter addendum splendorem carminis, subijcit similitudinem. Donatus.*

INCLVSAS VT CVM LATEB. IN PVMICE) Similitudiné hanc expressam è 2. Argonaut. Apollonij, animaduertit Vrsinus, & producit versus. Satis est apposita. Vidétur .n. apes fumo in cauernas immisso, tanquam per expugnationé ex vrbe sua eiici. Cur apes fumi sint impatientes, caussas ex Plutarcho adduxim⁹ aliquot 4. Georg.

Pumex hic saxum cauũ, & latebrosum est. Sic .n. scripsit Prop. li. 3. el. 3. *Pendebantq; cauis tympana pumicibus.* Lapides illos raros, fungosos, laxosque, & leuitatis summæ non significauit: sed potius saxa in antri formá, & pendentia. Plin. lib. 36. c. 21. Nõ prætermittenda est pumicum natura: appellantur quidé ita & cætera saxa, erosa annis: in ædificiis Musæa vocant, dependentia ad imaginem specus arte reddendam. Turn. lib. 26. cap. 35.

TREPIDÆ RERVM) id est, nescientes quid agant, ignaræ auxilij.

ATER ODOR) nouè, nam in odore ecquis color est? sed hoc dicit, odor atræ rei, fumi scilicet. Seruius.

MVRMVRE CÆCO) propter clausas apes.

Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus vrbem.
Regina vt tectis venientem prospicit hostem,
Incendi muros, ignes ad tecta volare,
Nusquam acies contrà Rutulas, nulla agmina Turni,
Infælix, pugnæ iuuenem in certamine credit
Extinctum, & subito mentem turbata dolore,
Se caussam clamat, crimenq́;, caputq́; malorum:
Multaq́; per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
ET NODVM INFORMIS LETHI TRABE NECTIT AB ALTA.

ACCIDIT HÆC FESS. ETIAM FORTVNA LAT.) Talis est iste locus, qualis ille,

Hos inter motus medio flagrante tumultu
Ecce super magna mœsti Diomedis ab vrbe
Legati responsa ferunt.

Tunc enim verè probatur fortuna inimica, quum malorum prosperitas nec lenitur, & cumulatur aduersis. Mox refert caussam luctus. Regina, inquit, cùm è tectis suis bellorum opperiretur euentũ, essetq́; pro Turno, qué generum cupiebat, sollicita, vidit accedere ad muros hostilem exercitum, iniici ignes, nullam manũ præsidiariam, quæ se opponeret. Fecit q̄ solent, qui aliqua mentis impotentia aguntur, aut quos tenet mortis affectus. Fassa est crimen suum sponte, iudex suimet, & car-

Cnifex facta est. Alia item dixit, & fecit, quæ dementes facere, & dicere par est. Ex Donato.

QVÆ TOTAM LVCTV CONCVSS. VRB.) Non poterat magis exprimere calamitatis diritaté, q̄ hisce verbis expressit. Nõ tantum impleuit, seu affecit luctu vrbem: sed concussit, & totam vrbem, nemine excepto, omnem ætatem, & sexum, & funditus.

REGINA VT TECTIS VEN. PROSP. HOSTEM) Intendit calamitaté morte reginæ, estq́; gradatio à minimis ad summa. Primùm videt hosté venientem: plus est, incessi muros: atrocius est, incendium in vrbem torqueri: sed atrocissimum, nusquam apparere Turnum, cuius accessu, muris hostes arceantur. Montfortius.

INCENDI MVROS) Si quis erit emendationi locus, libenter pro *incendi muros*, legerim *inscendi*. Hoc enim quanto sit commodius, cuiuis per se perspicuum fore confido. Nam & paulò ante sic hæc duo coniunxerat, *Scala improuisò, subitusq; apparuit ignis*. Canterus lib. 6. 28. * *Incendi muros valet incendi vrbem, pars pro toto. Quod quidam vere muros incendi potuisse negant in scholiis, quia olim muri ex trabibus, luto, calce, & lapidibus vestiti fierent, ridiculum est.* A

SE CAVSSAM CLAM. CRIMENQVE, CAPVTQVE) Lib. 10. Drances Turno, *ò Latio caput horum, & caussa malorum*. Quomodo verum dicat Amata, docebit te lib. 7. ad quem recurre.

PVRPVREOS MOR. DISCIND. AMICTVS) In luctu, & dolore etiam hoc vsitatum fuit, vestes discindere. Sueton. de Nerone, cap. 42. Vtque resipuit, veste discissa, capite converberato, actum de se pronuntiauit. Æneid. lib. 5. *Tum pius Æneas humeris abscindere vestem*. Apud Halicarnass. lib. 7. Mater, & vxor M. Coriolani ob ipsius condemnationem laceratis vestibus pectora plangebant. In sacris scripturis crebra huius moris est mentio. B

ET NODVM INFORM. LETHI TRABE NECTIT) Stat promissis Amata: suprà enim dixerat, eundem fore exitum suum, qui Turni fuisset, nec se illi mansuram superstitem. Ergo dum eum iam interfectum credit, se suspendit manu sua, quod in tali persona, nescio plusne fœditatis, an miserationis habeat. De hoc genere mortis, de suspendio, inquam, lege quæ scripsit Tiraquell. de Nobilitate cap. 20. num. 111. & sequentibus. Suspendiosi in legibus ciuilibus vocantur, qui hac pœna sunt affecti. Possunt tamen eodem verbo etiam appellari, qui afficiendi sunt, *galgen messig*. Cautum fuisse in Pontificalibus libris, ait Seruius, vt qui laqueo finisset vitam, insepultus abiiceretur. Vnde rectè, *informis lethi*, quasi mortis infamissimæ. Nota insuper cum Turnebo ex Nonio, velare gulam, esse laqueo se induere: loquendi genere comico, & ridiculo. Pomponius, *Restis vilis est, velat gulam*.

Describitur suspendium quoddam haud insulsè ab Apuleio lib. 1. Et cum dicto, inquit, restim, qua erat intextus (grabatulus) aggredior expedire, ac tigillo, quod fenestræ subditū, altrinsecus prominebat, iniecta, atq; obdita parte funiculi, & altera firmiter in nodum coacta, ascenso grabatulo, ad exitium sublimatus, & misso capite laqueum induo. Sed dum pede altero fulcimentum, quo sustinebar, repello, vt vi ponderis deducta restis ad ingluuiē astricta, spiritus officia discluderet, repente putris alioqui, & vetus funis dirumpitur. Atque ego de alto recidens, Socratem (nam iuxta me iacebat) superno, cumq; eo in terram deuoluor.

Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flauos Lauinia crines
Et roseas laniata genas: tum cætera circùm
Turba furit: RESONANT LATE PLANGORIBVS ÆDES.
HINC TOTAM INFÆLIX VVLGATVR FAMA PER VRBEM,
Demittunt mentes, it scissa veste Latinus,
Coniugis attonitus fatis, vrbisq; ruina,
Caniciem immundo perfusam puluere turpans:
Multaq; se incusat, qui non acceperit antè
Dardanium Æneam, generumq; asciuerit vltro.

CLAD. MISERÆ POSTQVAM ACCEP. LAT.) Consentaneū fuit, domesticam cladē mulieres noscere primò, quoniā viri in aliis erant occupati. Sed in luctu primam decuit esse filiam, & grauius commoueri, ad quam materni funeris acerbitas specialiter pertinebat. Donatus. C

FILIA PRIMA MANV) Consuetudo tenebat, in funeribus necessariorū, propinquorumq;, crines vellere, abscindere, detondere, & id aliquando etiam equis faciebant. Hoc multis exemplis planum facit Delrius Cōment. in Hippolytum Senecæ, pag. 212. Ne pigeat legere. Et paulùm modo in bonis scriptorib. exercitato statim loci occurrent.

FLAVOS CRIN.) Antiqua lectio *floreos* habuit, Seruio teste, quod exponit, florulentos, addens, esse sermonē Ennianum. Sed pro floreos quædam Seruianæ editiones habent *floros*: cuius scripturæ auctores fuisse verisimile est eos, qui synæresin in altera illa lectione fieri nō videbant. Stephan. in Sched. D

HINC TOTAM INF. VVLGAT. FAMA) *Hinc*, id est, de domo regia. Famam infælicem, intellige rerum infælicium nuntiam.

DEMITTVNT MENTES) Cadunt animis, desperant: sicut contra, sperātes aliquid, mētes erigunt. Quod quidam exponit, despondent animum, apud Plautum despondere animum est, deplorata vitæ spe esse, tædio lucis affectum esse, pro eo quod Græci dicunt ἀπηγορευκότως ἔχειν, θανατᾶν, ἀπηγορευκότως πρὸς τὸ ζῆν διακεῖσθαι. Cicero sic nunquam est locutus. Budæus in Pandect.

IT SCISSA VESTE) Persas legimus in luctu vestes dilacerasse, vlulasse, caput obuelasse, saccos induisse, cinere se conspersisse, idq; tā publicè, quàm priuatim. De Thesei patre Catull. de nupt. Pelei, & Thetid. *Caniciem terra, atq; infuso puluere fœdans*. Stat. 7. Thebaid.

——sedet ipse exutus honore
Vittarum nexu genitor, squallentiaq; ora
Sparsus, & incultam ferali puluere barbam.

CONIVG. ATTONITVS FATIS) Hoc priuatū erat malū: quod autem sequitur, *vrbisq; ruina*, hoc publicum.

CANICIEM IMMVND. PVL. TVRP.) Redi ad lib. 10. nēpe ad versum *Caniciem immundo deformat puluere*. Fuit sollemne veteribus in luctu, funebri præsertim, caput cinere, seu puluere conspergere, Iudæis maximè. Testimonia è sacratis libris multa congerit Tiraquell. in Alex. lib. 3. cap. 7.

MVLTAQVE SE INCVSAT) Accusat se etiam non longe à principio huius libri Latinus violatæ fidei.

Victus amore tui, cognato sanguine victus,
Coniugis & mœstæ lachrymis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero, arma impia sumpsi.

QVI NON ACCEP. ANTE DARD. ÆN. GEN.) Modò vellet accepisse, modò vellet Amatæ lacrymas, & Turni amorē posthabuisse. *Quod male feci, crucior modo, si infectum fieri possit*, ait Plautinus senex in Capt. Nihil est tam commune in vita hominum, quam serò sapere: & plerique plura euentu, quam ratione docentur.

INTE.

Interea extremo bellator in æquore Turnus
Palantes ſequitur paucos, iam ſegnior, atq;
Iam minus, atq; minus ſucceſſu lætus equorum.
Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
Commiſtum clamorem, arrectaſq; impulit aures
Confuſæ ſonus vrbis, & illætabile murmur.
Hei mihi, quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quiſúe ruit tantus diuerſa clamor ab vrbe?
Sic ait, adductiſq; amens ſubſiſtit habenis.
Atq; huic, in faciem ſoror vt conuerſa Metiſci
Aurigæ, currumq;, & equos, & lora regebat,
Talibus occurrit dictis. Hac Turne ſequamur
Troiugenas, quà prima viam victoria pandit:
Sunt alij qui tecta manu defendere poſſunt.
Ingruit Æneas Italis, & prælia miſcet:
Et nos ſæua manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.

INTEREA) dum hæc ad vrbem geruntur, quæ audiſti.

EXTREMO BELLAT. IN ÆQVORE TVRNVS) Detrahentis animo hoc dictum eſt: dum enim hæc in ciuitate, vel aduerſus ciuitatem gererentur, Turnus omnium ignarus, vtpote in extrema camporum parte conſtitutus, raros inſequebatur, & prope mortē conſtitutus, iam ipſum ingenium pænè, conſiliumq; amiſerat, & ipſe, & equi eius minus poterant, quam ſolebant. Ex confuſo autem, & magno clamore, quem in longinquum vento præſertim deferente, audiebat, coniiciebat interuenisſe aduerſa, quæ totam vrbem gemitu, atque vlulatu, & clamore confunderent. Donat.

PALANTES SEQVITVR PAVCOS) Non ſolum palantes, ſed etiam palati eſt apud Liuium, non ſemel. Apud Æmilium Probum autem diſpalati, pro diſperſi, diſſipati, in Lyſandro. Et in Annibale, eiuſque generis magnam multitudinem diſpalatam immiſit. Salluſt. A quoque, multitudo diſpalata. Siſenna lib. 3. hiſtoriar. diſpalati ab ſignis digreſſi omnes, ac diſſipati.

ATTVL. HVNC ILLI CÆCIS TERROR. AVRA) Fremitus in vrbe excitatus non eum fefellit, inde enim naturaliter auditur clamor, vnde veniunt venti.

ARRECTASQVE IMPVLIT AVRES) 1. Æneid. *arrectiſq; auribus aſtant*. Ab animalibus, quæ ſurrigunt aures, cum quippiam inſonuerit. Vide ibid. annotata.

HAC TVRNE SEQ. QVA PRIMA) Tacitis quæſtionibus hac ratione Iuturna occurrit, fratremque iniecta ſpe victoriæ ab vrbis defenſione, & Æneæ congreſſu dehortatur.

INGRVIT ÆN. ITALIS) Irruit, inuadit Italos. Natū B à gruibus, quæ inſtructo ordine in oras alienas deuolāt.

NEC. NVM. INFERIOR) Nec pauciores interimes quam Æneas, nec minor te, quam illum comitabitur gloria: nam & occiſorum multitudine compēſatur hoc, quod tu fugientes interimis. Seruius.

Turnus ad hæc.
O ſoror, & dudum agnoui, cùm prima per artem
Fœdera turbaſti, teq; hæc in bella dediſti:
Et nunc nequidquam fallis dea. ſed quis olympo
Demiſſam, tantos voluit te ferre labores?
An fratris miſeri lethum vt crudele videres?
NAM QVID AGO? AVT QVÆ IAM SPONDET FORTVNA SALVTEM?
Vidi oculos ante ipſe meos, me voce vocantem
Murranum (quo non ſuperat mihi charior alter)
Oppetere ingentem, atq; ingenti vulnere victum.
Occidit infælix ne noſtrum dedecus Vfens
Aſpiceret: Teucri potiuntur corpore, & armis.
Exſcindíne domos (id rebus defuit vnum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?
Vſq; adeóne mori miſerum eſt? vos ô mihi manes

Este boni, quoniam superis auersa voluntas.
Sancta ad vos anima, atq; istius inscia culpæ,
Descendam, MAGNORVM HAVD VNQVAM INDIGNVS AVORVM.

O SOROR, ET DVDVM AGNOVI) Agnoui pridē A quæ esses: non me fefellisti ante, nec nunc fallis: tu es enim Iuturna soror mea, quamuis Metisci aurigæ formam sumpseris. Sed qua de caussa cælitus ades? quare hos labores suscipis? An vt me morientem videas? Hoc verò indignum est, & ob id potius longe abesse debueras, si alioqui affuisses mihi. ✻

PRIMA PER ART. FOED. TVRBASTI) *Prima*, aut inchoantia: aut tu prima: nam post eius orationem Tolumnius tela contorsit. Seruius.

AN FRATRIS MISERI LETHVM) Ad misericordiam commouendam. Macrob. lib. 4. cap. 2.

NAM QVID AGO? AVT QVÆ) Argumentum à necessitate. Quòd se ait vidisse Murranum voce vocantem, hoc nusquam legimus. Sed aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus: aut mortis est omen, audire quod non dicitur, videre quod minimè occurrit. Sic 4. *Hinc exaudiri gemitus, & verba vocantis Visa viri. Superare*, est viuere: vt in 3. *Superatne, & vescitur aura?* Seruius.

OPPETERE INGENT. INGENTI VVLN. VICT.) Iliad. 6. ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς κεῖτο. Lucret. lib. 1. *Et grauiter magni magno cecidere ibi casu.*

OCCIDIT NE NOSTRVM DED. ASP.) Ac si diceret, fortasse viueret, nisi ideo voluisset occumbere, ne nos victos videret. Quod addit, *Teucros potiri corpore & armis*, significat, etiam sepultura carere: nam vt in Homero legimus, de virorum fortiorum cadaueribus erat inter hostes grande certamen, quod maximè apparet de Patrocli cadauere. Seruius.

DEXTRA NEC DRAN. DICT. REFELL.) Dextra pro virtute ponitur. Suprà, *Et solus ferro crimen commune refellam.* Dicta Drancis, quæ dextra cogitat refellere Turnus, sunt lib. 11. nempe hæc. *Aude, atq; aduersum fidens fer pectus in hostem.* Vel illa. *dum Troia tentat Castra, fugæ fidens.*

VSQVE ADEO NE MORI MISERVM EST?) In monostichis.

Τὸ γὰρ θανεῖν οὐκ αἰσχρὸν, ἀλλ' αἰσχρῶς θανεῖν.
Mori nihil turpe est, sed inhonestè mori.

Ita cuidam dicenti, malum est viuere, respondit Diogenes, aut quis fuit ille? Non malum est viuere, sed malè viuere. Nero præmissis libertorum fidissimis Ostiam ad classem fugæ præparandam, vt narrat Sueton. cap. 46. Tribunos, Centurionesque Prætorij, de fugæ societate tentauit. Sed partim tergiuersantibus, partim apertè detrectantibus, vno verò etiam proclamante, *Vsq; adeo ne mori miserum est*, varia agitauit, &c. ✻

Mors omnium malorum, omnium calamitatum humanarum, omnium dolorum remedium optimum data est hominibus, dei sapientissimi beneficio, quod illo epigrammate non insuaui expressit Agathias.

Τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε, τὸν ἡσυχίης γενετῆρα;
Τὸν παύοντα νόσους, καὶ πενίης ὀδύνας;
Μοῦνος ἅπαξ θνητοῖς παραγίγνεται, οὐδέποτ' αὐτὸν
Εἶδέ τις θνητῶν δεύτερον ἐρχόμενον.
Αἱ δὲ νόσοι πολλαὶ, καὶ ποικίλαι, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον
Ἐρχόμεναι θνητῶν, καὶ μεταβαινόμεναι.

Cur timor est vobis genitrix Mors alma quietis?
Quæ morbos sanat, pauperiemq; leuat?
Illa semel tantum mortales visere sueuit,
Nec rediisse illam dicere quis poterit.
Sæpe recurrentes cum vexent corpora morbi
Mutati, huc illuc & sine lege fluant.

Hanc miris laudibus antiqui sapientes ornauerunt. Hæc portus, & sedes quietis tutissima: hæc multis miseriis nos liberat, tyrannorum crudelitati subtrahit, principibus adæquat, omnibus bonis iucundissima accidit: hãc scelerati metuūt, qui grauiora se passuros post obitum, iam nunc viuentes augurantur, & quasi præsentiunt. Huius laudandæ vberrimum argumentum habuit B Alcidamas Rhetor. Hanc ferendam æquo animo multis rationibus demonstrauit in Consolat. Plutarchus. Hæc, & plura Natalis Comes lib. 3. cap. 13.

Mors, inquit Seneca lib. 6. Natural. naturæ lex est, mors tributum, officiumque mortalium, malorumque remedium: Idem in Consolat. ad Polybium, cap. 21. Maximum solatium est, cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sint omnes, omnesque passuri: & ideo mihi videtur rerum natura, quod grauissimum fecit, commune fecisse, vt crudelitatem fati consolaretur æqualitas. Elegantissima est apud Lucret. lib. 3. Naturæ προσωποποιΐα, qua illa hominem vitæ nimis cupidum, & à morte abhorrentem acerrimè castigat. Initi-C um hoc est.

Quid tibi tantopere est, mortalis, quod nimis ægris
Luctibus indulges? quod mortem congemis, ac fles?
Nam si grata fuit tibi vita, &c.

D. Chrysostomus Homil. 6. ad populum Antiochenum, docet à nobis Christianis quatuor de caussis timeri mortem, *Quia non accendit nos amor regni cælestis: nec gehennæ timor occupat: non habemus bonam conscientiam: & viuimus vitam mollem, & solutam, non duram, & asperam.*

O MIHI MANES ESTE) Pathos ab auersione ad inferorum manes. Cum superos videret in omnibus suis rebus sibi aduersari, statuit omnino mori. De Ge-D nio, Lemuribus, Lare familiare, Larua, Manibus vide Apuleium de deo Socratis.

SVPERIS AVERSA VOLVNTAS) quia donec viuimus, curæ sumus superis diis: post mortem ad inferos pertinemus, quibus se modo commendat. Seruius.

SANCTA AD VOS ANIMA, ATQVE IST. INSCIA CVLPÆ) Sanctam animam Macrob. lib. 3. cap. 3. interpretatur incorruptam, & pro *inscia* legit *nescia*. *Culpam* Seruius intelligit fugam, quia fuga grande crimen est apud virum fortem: vel ruptum fœdus, vel læsam religioné, à qua se dicit esse alienū, propter futura supplicia. Seruius. * *Adde. Rupti fœderis culpa potius penes Iuturnam, quæ id consilij dederat, & penes Tolumnium residebat, qui auda-E cia sua, & temeritate cæteros audaces, ac sacrilegos fecerat.*

INDIGNVS AVORVM) græca figura: nos enim, indignus illa re, dicimus. Contrà Græci, ἀνάξιος στεφάνου, coronæ indignus. Seruius.

Vix ea fatus erat, medios volat ecce per hostes
Vectus equo spumante Sages, aduersa sagitta
Saucius ora, ruitq; implorans nomine Turnum.

TVRNE, IN TE SVPREMA SALVS, MISERERE TVORVM.
Fulminat Æneas armis, summasq; minatur
Deiecturum arces Italûm, excidioq; daturum.
Iamq; faces ad tecta volant: in te ora Latini,
In te oculos referunt: mussat Rex ipse Latinus
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucemq; exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus, & acer Atinas
Sustentant aciem: circum hos vtrinque phalanges
Stant densæ, strictisq; seges mucronibus horret
Ferrea. tu currum deserto in gramine versas.

VOLAT SAGES VECT. EQVO SPVMANTE.) Ex multis rebus indicat perturbationem Sagis: quòd festinans venit, quod per hostes vulneratus, quod Turnum nomine appellat: nam cõtumelia est, nomine superiorem vocare. Sic in Georg. *Mater Cyrene, mater*, quum præmisisset, *te crudelem nomine dicit*: sicut contra Æolus ad Iunonem dicit, *tuus ô regina quid optes, Explorare labor*. Dissoluit autem ista oratio omnia, quæ supra Iuturna dixerat. Seruius.

EQVO SPVMANTE) Ennius Annali 2. de equo generoso, abruptis vinculis per campi spatia libere, ac ferociter currente. *Spiritus ex anima calida spumas agit albas*. De equo Circensi noster Georg. 3. *& spumas aget ore cruentas*. Alia autem de caussa spumas mittit ille sonipes, qui ostro insignis, & auro fræna spumantia mandit, lib. 4. ✠

SAVCIVS ORA) *Saucius ille graui venantum vulnere pectus*, suprà. In facie vulnus acceperat Sages.

IN TE SVPREMA SALVS) *decus imperiumq; Latini Te penes, in te vnum domus inclinata recumbit*, ait suprà Amata regina.

FVLMIN. ÆNE.) paulò post, *horrendumq; intonat armis*. Recurre ad 4. Georg. ad illa, *Cæsar dum magnus ad altum Fulminat Euphraten*. Et lib. 6. ad illa, *duo fulmina belli Scipiadas*.

MINATVR DEIECTVR. ARCES) Ad illud respicit, quod dixerat Æneas, *& æqua solo fumantia culmina ponam*.

IN TE ORA LATINI, IN TE OCVLOS REF.) *se signari oculis*, dixit principio libri, de eodem Turno loquens.

MVSSAT REX IPSE LATINVS) Silentio suo sibi deesse consilium ostendit, & se nescire quò se vertat, aut quid incipiat. Hoc eodem lib. *Flent mæsti, mussantq; patres*. Lucret. lib. 1, *Sed quia multa sibi cernunt contraria, mussant*. Et lib. 6. *mussabat tacito medicina timore*. Mussare est tacere, mutum esse, hærere, non habere quod dicas: idem valet apud Græcos μύζειν. Homer. Iliad. δ. A αἱ δ' ἐπέμυξαν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη. Est enim verbum natum, & factum ex litera μῦ, mutorum propria, vt pote quam solam proferre possunt. Ex eodem μύω, μυστήρια, muto, tis, tit, & prouerbium, *ne μῦ quidem facere audere*. Ex Lamb. in Lucret.

PRÆTEREA REGINA OCCIDIT) Adiicit de infœlici casu reginæ, quia occurrere poterat Turno, Amatam pro eius partibus niti.

TVI FIDISSIMA) pro, tibi fidissima, tui studiosissima, quod posuit lib. 7.

DEXTRA SVA) Ad pathos mouendum, addit etiam modum ipsum, quo occiderit, *dextra Occidit ipsa sua*. Hoc miserabile, cum quis ob magnitudinem mali B sibi vitam extorquet: cum & bestiæ resistant acerrimè iis, à quibus exitium sibi afferri animaduertunt. Sed nimirum nihil homini tam inimicum, quam homo, etiam ipse sibimet. ✠

SOLI PRO PORTIS MESSAP.) Respondet illi, quod dixerat Iuturna, *Sunt alij, qui tecta manu defendere possint*.

ACER ATINAS) Hunc Atinatem nomine vrbis Atinæ vocauit, vt opinor, vnde Atinates populi: nominibus enim celebribus suum poema distinxit. Turneb. lib. 22. cap. 3.

STRICTISQVE SEGES MVCRON. HORRET) Ennius Annal. 1. *Horret ager, campiq; armis sublimibus ardent*. C In Erechteo. *Arma rigent, horrescunt tela*. In Scipione. *Sparsis hastis longis campus splendet, & horret*.

TV CVRRVM DESERTO IN GRAM. VERSAS) Magnum nobis in vno pronomine reliquit intellectum: tenet quippe obiurgationem plenam, hoc modo. Tu, cuius caussa est: tu, pro cuius commodo omnis Italia contendit, & dimicat: tu, qui primus in acie, primus pro patriæ statu assistere debuisti, putas te aliquid agere, quia otiosus erras in deserto gramine, vbi deest hostis, qui otiosum turbet, aut torpenti certamen intendat. Donatus.

Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, & obtutu tacito stetit. æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistoq; insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.
VT PRIMVM DISCVSSÆ VMBRÆ, ET LVX REDDITA MENTI EST,
Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit
Turbidus, eq; rotis magnam respexit ad vrbem.

Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cælum vndabat vortex, turrimq; tenebat,
Turrim compactis trabibus, quam eduxerat ipse,
Subdideratq; rotas, pontesq; instrauerat altos.
Iam iam fata, soror, superant: absiste morari:
Quò deus, & quò dura vocat fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Æneæ: stat, quidquid acerbi est,
Morte pati. nec me indecorem germana videbis
Amplius: HVNC, ORO, SINE ME FVRERE ANTE FVROREM.
Dixit, & è curru saltum dedit ocyus aruis:
Perq; hostes, per tela ruit: mœstamq; sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.

OBSTVP. VARIA CONF. IMAG.) Et proposuit, & A executus est omnes motus Turni: nam quod ait generaliter, confusum varia imagine rerum (propter multiplicem nuntium videlicet) obstupuisse, hoc specialiter subiecit. Prima fuit pudoris caussa. Qua enim fronte veniret ad suos desertor? Secunda fuit insania, quæ oriebatur ex eo, quia conualescentibus aduersis, non valebat occurrere: tunc enim acrius sæuitur, quum spes cessat vltionis. Accedebat his & luctus, ex Amatæ morte descendens, in qua fuit omnis fiducia vxoris accipiendæ. Sequebatur amoris caussa, eius virginis, quam desperabat sibi posse coniungi. Cumulabat omnium malorum congeriem virtutis conscientia, quæ tot aduersis simul oppressa, respirare non poterat. Donatus.

VT PRIMVM DISCVSS. VMBRÆ.) Ouid. *Vt tamen hanc animi nubem dolor ipse remouit.* Silentiarius epitaphio in filiam virginem, de parentibus. *ἐν δὲ γόων πικρὴν ἔχετε νέφος*. Liquida mente cœpit esse, vt Catull. animo liquido, & tranquillo, vt Plautus loquitur. Suprà. *sol pallentes discutit vmbras.* Et Lucret. libr. 4. *nigras discutit vmbras Aëris illius.* Cum enim pluribus malis vel maxime perturbatus esset, tanquam in tenebris, & caligine positus, quid ageret, non videbat, nec inueniebat viam, qua se posset exsoluere. Postquam igitur remotæ fuerunt istæ tenebræ, & tãquam discedente nocte, diei lux consecuta, hoc est, vbi se collegit, vbi ipse sibi redditus est, vbi compos sui cœpit esse. Sed poeta rem optimè C expressit illis verbis, *& lux reddita menti est.* Quid igitur postea fecit?

ARDENT. OCVL. ORB. AD MOEN. TOR. TVRBID.) toruo nihilominus aspectu, turbatoque similis, sese ad oppidum conuertit. Oculorum acies torsit, inquit, ad mœnia. Sic & Cic. Catilin. 2. de Catilina vrbe eiecto: retorquetque oculos sæpe ad hanc vrbem, quam ex suis faucibus esse ereptam luget. Suprà item lib. 4. *oculosq; ad mœnia torsit Regia.* Et Euripid. in Medea, *ὄμματα δ' ἀπὸ χθονὸς στρέψασα*. Donat. German.

AD CÆLVM VND.) Gerog. I. *Vidimus vndantem ruptis fornacibus Ætnam.*

TVRRIM COMPACTIS TRAB. QVAM EDVX.) Turris lignea, quam ipse faciendam curarat, insistentem rotis, vt trahi ad ea loca posset, correpta tabulatorum firmitate sic ardebat, vt ex eius summa parte in cælum flamma consurgeret. Hæc illi conflagratio summum dolorem afferebat: est enim peculiaris hominibus affectus ad ea, quæ vnusquisque facienda curauerit, vel improbo sudore perfecerit. Donatus.

SVBDIDERATQVE ROTAS) Sic 2. Æneid. *pedibusque rotarum Subiiciunt lapsus.* Videamus deinceps, quid sorori, quam iam cognouerat, & quàm desperatè dicat.

IAM IAM FATA SOR. SVP. ABSISTE MO.) Consen- B tiendum est, inquit, his, ô soror, quæ renitẽdo superare non possumus. Vincant fata, quæ quò voluerint, etiam inuitum trahunt. Suprà, *Frangimur heu fatis inquit, ferimurque procella.* Et libro 5. *quò fata trahunt, retrahuntq; sequamur.* Pergit Turnus. *Stat*, hoc est, animo fixum, ac certum est, cum Ænea singulari certamine congredi, & quicquid morte in ipsa acerbum est, pati: præstat enim cum gloria mori, quam cum dedecore superasse.

SINE ME HVNC FVRERE ANTE FVROR.) id est, sine me furere ante bellicum furorem, vt pugnam mente concipiam, priusquam in eam accerrimè ruam. Certè insanire ante veram insaniam cogor. Permitte germana, faciam satis animo meo. Græcum loquendi genus est, *furere furorem.* Hesiodus. *ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι* ... Anacreon. *ἄγε δηὖτε μαίνεσθαι, μανίην μανεῖς ἀείσω*; Aristoph. ... Plaut. Pseud. *priusquam istam pugnam pugnabo.* Aulul. *Nam qui amanti hero seruitutem seruit.* Talia sunt, viuere vitam, dolere dolorem, gaudere gaudium, mori mortem, & alia sexcenta. Hæc vt dixit Turnus, è curru non cum mora descendit, sed raptim, & cum celeritate desiluit, desertaque sorore mœstissima, per hostium agmen, & per media tela festinauit. Quid enim metueret, qui mori decreuerat? Hactenus omnia ex Donato, Seruio, Germano, & aliis.

Ac veluti montis saxum de vertice præceps
Cum ruit auulsum vento: seu turbidus imber
Proluit, aut annis soluit sublapsa vetustas:
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultatq; solo, syluas, armenta, virosq;
Inuoluens secum: disiecta per agmina Turnus

Sic vr-

Sic vrbis ruit ad muros, vbi plurima fuso
Sanguine terra madet, stridentq; hastilibus auræ:
Significatq; manu, & magno simul incipit ore.
Parcite iam Rutuli, & vos tela inhibete Latini.
QVÆCVNQVE EST FORTVNA, MEA EST: me verius vnum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.
Discessere omnes medij, spatiumq; dedere.

AC VELVTI MONTIS SAXVM) Luculenta comparatione non solùm vim, violentiamque Turni declarat, & ita narrationem dilatat, verum etiam hyperbolicè amplificat.

CVM RVIT AVVLS. VENTO) Comparatio ipsa futurum ostendit euentum. Simul notandum, quòd sicut suprà in prælio, ita & nunc in cõparatione Æneas præfertur: & est comparatio de Homero sumpta, Iliad. ν. *ἀντικρὺ μεμαὼς*, &c. Seruius.

Docet pulchre Virgilius, quando è montibus saxa ingentia deuoluantur. Flatu quidem ventorum, verùm terra, cui hærebãt, aut crebris imbribus, aut temporum vetustate, qua fatiscunt, & consumuntur etiam solidissima, prius exesa. Ventus enim numquam ita validus est, vt per se grande saxum altis radicibus hærens queat abrumpere, ac deturbare: solutum ante sit oportet, ita vt dicebamus. Tum etiam leui impulsu deturbabitur: at non tam horrendo impetu, quantus hic à poeta exprimitur.

MONS IMPROBVS) pars montis, & ἐμφατικῶς dictũ est. Sic suprà ait, *Haud partem exiguam montis.*

MAGNO MOTV) magno impulsu, magno impetu, magna vi.

SIGNIFICATQVE, MANV, ET MAG. SIM. INCIP. ORE) Suprà de Ænea, in re simili.

At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat:
Quò ruitis?

ME VERIVS VNVM PRO VOBIS) Iustius est, inquit, me vnum pro omnibus rupti fœderis pœnas exsoluere. Æneas similiter vnus pro omnibus decertare cupiebat,

O cohibete iras, ictum iam fœdus, & omnes
Composita leges, mihi ius concurrere soli.

Sed Turnus quasi pœnam singulare certamẽ deposcit, & ita loquitur, quasi occubiturus, non autem superior futurus. Plenus est bonus vir desperationis, & versatur ei mors ante oculos.

Vt iustum pro vero, ita vicissim verum pro iusto poni solet. Cic. ad equites Romanos. Nam neque maius est defendere vnum, quàm populum: neque verius à singulis, quam ab omnibus repetere officij premium, & fructum. Idem pro domo sua: sed quid ▪ te? qui negas esse verum, quemquam Reip. extra ordinem præfici? Horat. *Metiri se quemque suo modulo, ac pede verum est.* German.

Addamus plures illustrium scriptorum locos, è quibus cernes, *verum* idem valere quod iustum, æquũ, rectum. Cic. pro Quintio. Continuóne verum fuit postulare, vt ex edicto bona possidere liceret? Pro Muræna. negat verum esse, allici beneuolentiam cibo. Liuius libr. 32. Cæterùm & sociorum audiri postulata verum esse. Cæsar lib. 4. belli Gall. neque verum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare. Terent. And. *Iáne verum est? immò id genus hominum est pessimũ.* Eadem ratio est vocis *veritas*. Cic. 1. Verr. Sin istius ingẽtes diuitiæ iudiciorum religionem, veritatemque perfregerint. Ponitur etiam veritas pro æquitate, & iustitia, idque etiam in diuinis litteris, vnde testimonia producit Budæus. Et ex Cicerone, pro Deio. Quæ mihi ad spem detinendæ veritatis grauissima sunt, ad motum animi, & ▪ omnem impetum dicendi leuiora. *περὶ τὴν ἐλπίδα τῦ τυγχάνειν τῶν δικαίων.* Adde. Pro Quintio. Tot, tantisq; difficultatibus affectus, atque afflictus, in tuam C. Aquili fidem, veritatem, misericordiam P. Quintius confugit. Epist. libr. 8. Curæ sit tibi, vt suum negotium, quod habet cum populo Sardinio, pro caussæ dignitate, & veritate conficiat.

At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deserit & muros, & summas deserit arces:
Præcipitatq; moras omnes: opera omnia rumpit,
Lætitia exultans, horrendumq; intonat armis.
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse coruscis
Cum fremit ilicibus, quantus, gaudetq; niuali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
Iam verò & Rutuli certatim, & Troës, & omnes
Conuertêre oculos Itali: quiq; alta tenebant
Mœnia, quiq; imos pulsabant ariete muros:
Armaq; deposuere humeris. stupet ipse Latinus,
Ingentes genitos diuersis partibus orbis
Inter se coiisse viros, & cernere ferro.

PRÆCIPIT. MORAS OMNES) Quoties detrimentosam esse cunctationem, & præcipitandas omnes moras significabimus, licebit vsurpare illud Bacchylidæ apud Athen. lib. 4. Οὐχ ἕδρας ἔργον, οὐδ' ἀμβολᾶς. Haud sessione, aut comperẽdinatione opus est. Iunius Cent. 2. prouerb. 85.

QVAN

QVANTVS ATHOS) Athon, non Athos legi vult Seruius, quem vide. Est autem mons Thraciæ adiacens, circa Lemnum insulam. Athos, inquit Mela lib. 2. cap. 2. de situ orbis, est mons adeò elatus, vt credatur altiùs, quam vnde imbres cadunt, surgere. Capit opinio fidē, quia de atis, quas in vertice sustinet, non abluitur cinis, sed quo relinquitur aggere, manet. Cæterùm non promontorio, vt alij, verum totus est, totoque longè dorso procedit in pelagus: quà continenti adhæret, à Xerxe in Graios tendente perfossus, transnauigatusq;, & factus freto nauigabili peruius. De eodem Solinus ca. 16. Lemnij Vulcanum colunt: ideo in Lemno metropolis Hephæstia. Præterea oppidum Myrrhina, in cuius forum mons Athos è Macedonia vmbram iacit: quod non frustra inter miracula notauerunt, cùm Athos à Lemno sex, & octoginta millibus passuum separetur, &c.

CORVSCIS CVM PREMIT ILICIBVS) Æneid. 1. *tum syluis scena coruscis Desuper.* Vbi Seruius sic habet. Hoc est, syluarum coruscarum, id est, crispātium, vt Iuuenal. *longa coruscat Sarraco veniente abies.*

NIVALI VERTICE SE ATTOLLENS) De Atlante libro 4.

——cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur, & imbri.
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.

PATER APENNINVS) Hic mons in longum secat Italiam per medium, vt spina dorsum hominis.

IMOS PVLS. ARIETE MVROS) Arieti nomen species dedit, eo quod cum impetu impingit murum, in modū arietum pugnantium. Validæ enim, ac nodosæ arboris caput ferro vestitur, eáque suspensa funibus, multorum manu ad murum impellitur: deinde retrorsum ducta, A impetu maiore destinatur: sicque crebris ictibus concussum muri latus cadit, cauatumque irrumpit, ac fenestram facit. Isid. lib. 18. cap. 11. * *Multo ante Isidorum, & Vegetium Tertullianus, arietis inuentionem Carthaginensibus adscribens lib. de Pallio. Trabes, inquit, machina est, quæ muros frangere militat, &c. Et in infra. Commentatum Vero tormenti (Carthago) debile pecoris capite vindicantis. Plura scripsimus 2. Æneid. ad illud,* labat ariete crebro Ianua.

DIVERSIS PARTIBVS ORBIS) Æneas erat Phryx, & Asiaticus: Turnus Italus, & Europæus: Asia, & Europa diuersæ partes orbis.

COIISSE VIROS, CERNERE FERRO) Vera, & antiqua est lectio, quam proposuimus: nam Ennium secutus est, qui ait, *Olli cernebant magnis de rebus agentes.* Et B item. *Ferro, non auro vitam cernamus vtrique.* Posteritas cœpit legere, *& decernere*: secundum quam lectionem Synalœpha opus est, excluso, *es*: vt sit, *Inter se coisse vir', & decernere ferro.* Seruius. * *Adiuuat Seruium Seneca, epist. 58. in qua de verborum in lingua latina ad res multas exprimendas paupertate, seu egestate potius conqueritur. Ne te longè differam, quadam simpliciam vsu erant, sicut* cernere ferro *inter se dicebant, quod Virgilius tibi probabit (statimq́, hunc ipsum, quem in manibus habemus, locum producit) quod nunc decernere dicimus. Adde Plaut. in Trinum.* Nam ibi de diuinis, & humanis cernitur. *Sic idem Ennius Medea.* Nam ter sub armis malim vitam cernere, *pro, de vita decernere. Attius.* nisi esset Quis, qui armis secum vellet cernere.

Eruditi quidam sic etiam legunt hoc carmen, *Inter se coiisse viros, decernere ferro*, ἀσυνδέτως, siue sublata C particula coniunctionis. Disputat de lectione hac etiam Hen. Steph. schediasmáte de delectu in diuersis apud Virgil. lectionibus adhibendo. Est & hoc Ennij, *Annuit sese mecum decernere ferro.* Et Virgil. noster hoc eodem libro. *ipsumq́, iubent decernere ferro,* Et. *Sic omnes amor vnus habet decernere ferro.* Græci quoque tam κρίνειν, quam διακρίνειν τὸν πόλεμον.

Atque illi, vt vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido coniectis eminus hastis,
INVADVNT MARTEM CLYPEIS, ATQVE ÆRE SONORO:
(Dat gemitum tellus) tum crebros ensibus ictus
Congeminant. FORS, ET VIRTVS MISCENTVR IN VNVM.
Ac velut ingenti Sila, summóue Taburno
Cum duo conuersis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi cessere magistri:
Stat pecus omne metu mutum, mussantq́; iuuencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.
ILLI INTER SESE MVLTA VI VVLNERA MISCENT:
Cornuaq́; obnixi infigunt: & sanguine largo
Colla, armosq́; lauant: gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Æneas, & Daunius heros
Concurrunt clypeis: INGENS FRAGOR ÆTHERA COMPLET.

INVADVNT MART. CLYPEIS) pugna concurrunt, pedem conferunt, manus conserunt. Rem graphicè describit.

FORS, ET VIRT. MISCENT. IN VNVM) Casus in Turno, inquit Seruius, virtus in Ænea: nam in bello etiam casus plurimùm valet. Cicero in Miloniana. Adde casus, adde incertos exitus, Martemque communem.

INGENTI SILA) mons, & sylua est Lucaniæ.

SVMMOVE TABVRNO) Mons Campaniæ. Vibius Sequester huius nominis (Silæ) syluam commemorat D in Brutiis, quem tamen montem in Lucanis scribit Seruius. Turnebus locum illum in Bruto Ciceronis: Nam cùm in sylua sua, ita facta cædes esset, restituens, in Sila ita facta, legit.

PAVIDI CESSERE MAGISTRI) magistros pecorum etiam dici, alibi multis auctorum locis in medium prolatis ostendimus. Vide in Eclog. 2. *Pan curat oues, ouiumq́, magistros.*

MVSSANTQVE IVVENCÆ QVIS PECORI) Vide suprà à nobis allata super hac voce, *Mussat rex ipse Latinus,*

tinus. Præterea locum illum 3. Georg. *Pascitur in magna* A *sylua formosa iuuenca.*

QVIS PECORI IMPERITET, QVEM TOTA ARMENT. SEQ.) Georg. 3. *Quem legêre ducem pecori.* De tribus ceruis lib. 1. *quos tota armenta sequuntur A tergo.*

ILLI INTER SESE MVLTA VI) Georg. 3. de pugna duorum taurorum, propter iuuencam, similis omnino locus extat.

Illi alternantes multa vi prælia miscent
Vulneribus crebris: lauit ater corpora sanguis:
Versaq; in obnixos vrgentur cornua, vasto
Cum gemitu: reboant syluæq;, & magnus olympus.

DAVNIVS HEROS) Turnus Dauni filius. Priamus suprà ad Turnum. *Sunt tibi regna patris Dauni.*

INGENS FRAGOR ÆTHERA COMPLET) Lib. 9. *cœlo tonat omne fragore.*

IVPITER IPSE DVAS ÆQVATO EXAMINE LANCES
SVSTINET, & fata imponit diuersa duorum:
Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.
Emicat hic, impune putans, & corpore toto
Altè sublatum consurgit Turnus in ensem:
Et ferit. exclamant Troës, trepidiq; Latini:
Arrectæq; amborum acies. at perfidus ensis
Frangitur, in medioq; ardentem deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat. fugit ocyor Euro,
Vt capulum ignotum, dextramq; aspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cùm prima in prælia iunctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci.
Idq; diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: postquam arma Dei ad Vulcania ventum est,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit: fulua resplendent fragmina arena.

IVPITER IPSE DVAS) Homerum sequutus est, quod omnes ferme Grammatici obseruarũt. Videtur dictum ex ea cogitatione, & sententia, qua prisci censebant res mortalium à Ioue, velut libra quadam, pensitari, vnde & ὑψίζυγος à poetis dicitur, velut ex alto cælo omnia librans, & ponderans. Aliam tamen quoque eius nouerunt adiectionis expositionem antiqui Grammatici. Itaq; Theognis Ioui tribuit libram, hoc versu. Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιῤῥέπει ἄλλοτε ἄλλῳ. Turneb. lib. 24. cap. 3. * *Locus Homeri est Iliad. χ. de Achillis, & Hectoris fatis.*

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
Ε'ν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
Τὴν μὲν ἀχιλλῆος, τὴν δ' ἕκτορος ἱπποδάμοιο,
Ε'λκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ.

ÆQVATO EXAMINE) Examen Isidoro lib. 16. est filum medium, quo trutinæ statera regitur, & lances æquantur. Festus. examen est & æquamentum, & iudicij inuestigatio, & apum congregatio, vel locustarum.

QVEM DAMNET LABOR) quem morti destinet.

B Poeta exponit hoc ipsum verbis sequẽtibus, *& quò vergat pondere lethum.*

TREPIDIQVE LATINI) Cur trepidi Latini, cùm potius læti esse debuerint? Sed nimia Æneæ ostenditur virtus: namque naturale est, vt sociis timori sit, inferioris audacia. Vnde nunc Latini sunt territi ex eo, quod superiorem ferire ausus est Turnus. Seruius.

ARRECTÆQVE AMBORVM ACIES) in spem, & metum.

AT PERFIDVS ENSIS) Suprà lib. 6. *fidum capiti subduxerat ensem, & lorica fidelis.* German.

FRANGITVR) vt gladius Menelai. 3. Iliad.

PATRIO MVCRONE RELICTO) paterno, quo pater C Daunus antè vsus fuerat, & de quo initio libri huius.

Ensem quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, & stygia candentem tinxerat vnda.

Seruius.

ARMA DEI AD VVLCANIA) de quibus lib. 8.

MORTALIS MVCRO) mortali manu factus.

Ergo amens diuersa fuga petit æquora Turnus:
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Vndiq; enim densa Teucri inclusere corona:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minus Æneas (quanquam tardante sagitta
Interdum genua impediunt, cursumq; recusant)
Insequitur, trepidiq; pedem pede feruidus vrget.
Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Ceruum, aut puniceæ septum formidine pennæ

Venator cursu canis, & latratibus instat.
Ille autem insidiis, & ripa territus alta,
Mille fugit, refugitq; vias: at viuidus Vmber
Hæret hians, iam iamq; tenet, similisq; tenenti
Increpuit malis, morsuq; elusus inani est.

VNDIQVE ENIM DENSA TEVCRI) Strategema est: nam postquam Turnum videre fugere Troiani, clausere loca, per quæ euadere poterat.

CVRSVMQVE RECVSANT) id est, retardant, quia impediebat ea vulnus illatum sagitta: claudicabat enim nonnihil inde Æneas.

INCLVS. VELVTI CERVVM, AVT PVNICEÆ) De penna punicea vide 3. Georg. ibi, *Puniceæue agitant pauidos formidine pennæ.* Dicam paucis. Venatores *formidinem* vocant quandam lineam, varios variarum plumarum nexu colores habentem. Ex ea varitate vocauit Oppianus δεῖμα πολύχροον, & δειμαλέην μήρινθον.

Iterū nihilominus hoc loco ex Pierij Ceruo quædam mutuabimur, lib. 7. Ceruus prætenta penna punicea, stuporem, & formidinem ἐκπληκτικῶς significat. Ad aspectum harum pennarum, attoniti prorsus stupent, & costernantur, nec aliter eas pauent, quam elephanti colorem album, tauri phœniceum, ac rubicundum, tygres tympanorum sonitum, vrsi, leonesúe mappam, amiculumúe in caput iniectum. Dant hoc nonnulli animalis stoliditati, & ingenito cuidam stupori, qui ei de re qualibet oriatur. Natura omnino sunt meticulosi, quia frigidi. Eò enim formidolosiora sunt animantia secundum physicos, quo frigidiora. Ceruos esse frigidos, eorum lachryma dulcis argumento est, quæ salsuginosa est apris, calore pollentibus. Hinc illi fugiunt, hi generosè resistunt. Lucret.

Est & frigida multa comes formidinis aura,
Quæ ciet horrorem membris, & concitat artus.

Idem infrà.

At ventosa magis ceruorum frigida mens est,
Et gelidas citius per viscera concitat auras,
Quæ tremulum faciunt membris existere motum.

Hanc doctrinam secutus Horatius ait Ode 15. lib. 1.

Quem tu ceruus vti vallis in altera
Visum parte lupum, graminis immemor
Sublimi fugies, mollis anhelitu.

B Et Græci ἔλαφον ἄνδρα dixerunt pro maximè formidoloso. Hæc Pierius.

VENATOR CANIS) pro venaticus.

HÆRET HIANS, IAM IAMQVE TENET, &c.) Hi duo versus ad verbum sunt translati de Apollonio, notat Seruius. Ouid. 1. Metamorph. de cane leporem insectante.

Vt canis in vacuo leporem cum Gallicus aruo
Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille salutem:
Alter inhæsuro similis, iam iamq; tenere
Sperat, & extento stringit vestigia rostro.

TVM VERO EXORITVR CLAMOR, ripæq;, lacusq;
Responsant circa, & cælum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notumq; efflagitat ensem.
Æneas mortem contrà, præsensq; minatur
Exitium, si quisquam adeat: terretq; trementes,
Excisurum vrbem minitans, & saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemq; retexunt
Huc, illuc: NEC ENIM LEVIA, AVT LVDICRA PETVNTVR
PRÆMIA, sed Turni de vita, & sanguine certant.

TVM VERO EXORITVR CLAM.) Spectantium clamor tollitur, & per echo redditur: quippe ad ripas, ad lacus: & videntur tanquam tonitrua mitti. Turnus cum ei Æneas insisteret, increpabat suos, & appellabat nominibus propriis, illius ensis auxilium quærens, quem dimiserat trepidans: sed dare nullus audebat: Æneas enim mortem minabatur, si quis accessisset. Donatus.

RIPÆQVE LACVSQVE RESPONS. CIRCA) lib. 5. *vocemq; inclusa volutant Littora, pulsati colles clamore resultant.*

CÆLVM TONAT OMNE TVMVLTV) Alibi, *cælum tonat omne fragore.* Plaut. Amphit. *boat cælum fremitu virûm.*

NOTVMQVE EFFLAGITAT ENSEM) Efflagitare est valde flagitare. Et tamen flagitare est vehementius instare. Cic. pro Quintio. Tamen quia causa postulat, non flagitat, præteribo. Si quis, inquit Vlpianus, alienam ancillam surripuerit, & flagitauerit (sic enim legendum C pro, flagellauerit) hoc est, si etiam ancillam surreptam stuprum flagitauerit, id est, & destupro vehemétius, instantinsque appellauerit. Cic. in Philipp. Serius hunc vestitum pop. Rom. dedimus, quam ab eo flagitati sumus. Flagito ἐνοχλῶ, ἀξιῶ, λιπαρῶ, καὶ προσλιπαρῶ significat. Hæc Budæus annotat. poster. in Pand.

EXCISVRVM VRBEM MINITANS suprà. *Vrbem hodie, caussam belli, regna ipsa Latini Eruam.*

SAVCIVS) adhuc aliquantulum ex vulnere claudicans.

RETEXVNT ORBES) Retexitur iter, si per idem redeatur.

D LVDICRA PRÆMIA) sunt vilia, & digna ludo. Vita autem & sanguis, sunt præmia valde seria, & quibus nec est, nec esse debet cuiquam nostrûm charius. Deū semper excipio, cui in amore nihil est anteponendum, ne ipsa quidem anima.

Forte

Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris
Hîc steterat, nautis olim venerabile lignum:
Seruati ex vndis vbi figere dona solebant
Laurenti diuo, & votas suspendere vestes.
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant, puro vt possent concurrere campo.
Hîc hasta Æneæ stabat: huc impetus illam
Detulerat, fixam & lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitq; manu conuellere ferrum
Dardanides, teloq; sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum verò amens formidine Turnus:
Faune precor miserere, inquit, tuq; optima ferrum
Terra tene, colui vestros si semper honores,
Quos contrà Æneadæ bello fecere profanos.

FORTE SACER FAVNO, FOLIIS OLEAST.) Ab vsu, & A religione describitur oleaster.

VENERABILE LIGNVM) siue propter antiquitatem, siue propter dona votiua, quæ ibi suspendebantur, vt sequitur.

SERV. EX VNDIS) lib. 3. *Seruatum ex vndis Strophadum me littora primum Accipiunt.*

VBI FIGERE DONA SOLEB.) Hoc ego non temere Virgilium scripsisse existimaui, sed ex ritu priscæ superstitionis, præcipuè Græcorum, qui ante fana in oleastris suspendere dona solebant, & affigere: illius enim arboris viuacitas tanta est, vt si multis configatur clauis, nihil tamen lædatur. Aristoph. Pluto. *ὥσπερ κοτίνῳ προσπατταλεύσω τουτῳί.* Id est, ceu oleastro affigã isti. Theophrast. B lib. 5. historiæ plant. cap. 3. *ὥσπερ καὶ περὶ τὸν κότινον συνέβη τὸν ἐν Μεγάροις τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὃν καὶ ἐκκοπέντος λόγιον ἦν ἁλῶναι, καὶ διαρπασθῆναι τὴν πόλιν ὅπερ ἐγένετο ὑπὸ Δημητρίου. ἐν τούτῳ γὰρ διασχιζομένῳ κνημῖδες εὑρέθησαν, καὶ ἄλλ' ἄττα τῆς Ἀττικῆς ἐργασίας, οὗ ἀνετέθη τὸ πρῶτον ἐγκεκλεισμένον.* Ad eum allusisse Græcorum ritum Maronem existimem, cum perstudiosus Græcorũ imitator fuerit. Turneb. li. 8. c. 16.

Solebant etiam qui naufragium fecerant, casum naufragij sui in tabula pingendum curare, eamq; tabulam è pariete templi suspensam, vnà cum vestimentis, in quibus fuerant seruati, Neptuno consecrare. Quod idem & hodie fieri solet, præterquam quod D. MARIÆ vel alicui Diuo hic honos habetur. Vnde Horatius *ἐλλαμπρυνθείς*, cum amores expertus esset non admodum C secundos, & quasi naufragium in iis fecisset, & significare vellet, se iterum ad eundem scopulum nauim suam non appulsurum, ita scripsit Ode 5. lib. 1.

——————me tabula sacer
Votiua paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

Vocatur autem tabula votiua tum hoc loco, tum Sat. 1. lib. 2. quòd sit vota, seu quia ex voto suspenditur in fanis. Lamb. in Horat.

Propriè dona figi dicebantur. Seruius Æneid. 3. ad illud *Postibus aduersis figo*, propriè locutum Virgiliũ adnotat. Figi enim, ait, dona dicuntur, vt *sacra ad fastigia fixi*. Propert. eleg. 11. lib. 2 *Magna ego dona tua figam* D *Cytherea columna.*

VOTAS SVSPENDERE VESTES) Caue legas *notas*. Votas autem intellige voto promissas, eo modo, quo iã ex Horat. & Lamb. diximus.

Fuerit ergo hic Virgilianus oleaster foliis amaris, Fauno sacer, olim nautis lignum venerabile, vbi naufragij discrimine erepti, aut ex ipso etiam naufragio seruati, quæ vouissent, eidem deo capripedi dona, ac vestimenta testimonio suspẽderẽt: nobis Christianis hanc vitam miseram viuentibus, & velut mare quoddam vastũ, vndisonum, importuosum nauigantibus, propositum est aliud lignum, & quidem venerabilissimum, cui dona, vestesque, salutis adeptæ indices suspendamus, sacrum IESV CHRISTO SALVATORI, qui ab eo conuulneratus, ac moribundus pependit, suaq; morte naufragantibus incolumitatem ac portum cõciliauit. Cuius folia semper virentia, nec, vt oleastri, amara, sed dulcia potius, sicut ipse fructus longè dulcissimus,

Crux fidelis inter omnes, arbor vna nobilis:
Nulla sylua talem profert fronde, flore, germine.
Dulce lignum dulces clauos, dulce pondus sustinet.

In versibus de Passione Domini, Lactantio adscriptis, cum ita sit,

Flecte genu, lignumq; crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramq; cruore madentem
Ore petens humili, lacrymis suffunde subortis,

quidam sacrilegus ita edendum curauit, *Flecte genu, innocuo terramq; cruore madentem, &c.* Notauit post Alan. Copum. Iacob. Gretserus noster, è cuius lib. 1. de Cruce, quam sit lignum hoc venerabile, perfectè doceberis.

NVLLO DISCRIMINE) sine intuitu religionis, sine scrupulo, vt nos dicimus.

PVRO CONCVR. CAMPO) purus locus in vrbe, vbi nullum est ædificium, vbi nihil est ædificatum, vacuus locus ab ædificiis. Hîc purus campus, apertus, non impeditus.

HIC HASTA ÆNEÆ STAB.) Tenebatur hasta Æneæ illius oleastri trunco tanquam morsu, & de ligno, adhuc viridi educi non poterat facilè, vt necesse esset luctari. Volebat autem volucris ictus celeritate sequi Æneas, quem assequi cursu non poterat. Tum Turnus amens factus, & intelligens quid sibi pararetur, Tu Faune, inquit, & tu terra miserere contra eos, qui vos quoq; crediderũt bello esse appetendos, & cultus vestros ausi sunt profanare. Per occasionem certaminis nostri non recipiat Æneas ferrum, nec sinatur excludere, quod in exitium vestri cultoris extorqueat. Donatus.

FIXAM ET LENTA IN RADICE TEN.) plenum est, quam radix fixam tenebat.

AMENS FORMID.) vix apud se erat præ formidine.

OPT. FER. TER. TENE) pro *Tellus*. elementum pro dea posuit.

BELLO FECERE PROFANOS) Trebatius profanum id propriè dici ait, quod ex religioso, vel sacro in hominũ vsum, proprietatemq; cõuersum est, quod vel apertissime poeta hic seruauit. Dixerat enim, *sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum Sustulerant.* Vnde ostendit propriè profanum esse, quod ex sacro promiscuũ humanis actibus commodatum est. Macrob. lib. Saturn. 3. ca. 3.

DIXIT: OPEMQVE DEI NON CASSA IN VOTA VOCAVIT.
Namque diu luctans: lentoq; in stirpe moratus,
Viribus haud vllis valuit discludere morsus
Roboris Æneas. Dum nititur acer, & instat,
Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci
Procurrit, fratriq; ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci nymphæ indignata licere,
Accessit, telumq; alta ab radice reuellit.
Olli sublimes, armis, animisq; refecti,
Hic gladio fidens, hic acer, & arduus hasta,
Assistunt contrà, certamine Martis anheli.

OPEMQVE DEI NON CASSA IN VOTA) Quod locutus est, inquit, deprecans, non frustratum est: nam mox ei affuit deprecanti auxilium. dicit quomodo. *Non cassa vota*, sunt non irrita, non carentia profectu.

DISCLVDERE MORSVS) tenacitatem radicis, mordicus tenentis hastam.

RVRSVS IN AVRIGÆ FACIEM MVT.) Quod hìc duobus verbis, suprà pluribus, & distinctius. *Cuncta gerens, vocemq;, & corpus, & arma Metisci.* Plaut. *In faciem versus Amphitruonis Iupiter.* Et rursum eadem sententia, verbis paulùm mutatis, *Mutauit sese in eius formam coniugis.* Deniq; in ipso prologo. *In Amphitruonis vertit sese imaginem, Ego serui sumpsi Sosiæ mihi imaginem.* A Et *Sosia seruus, cuius ego hanc fero imaginẽ.* En tibi Plautinam copiam. Est enim Comicus ille sermonis ditissimus.

DEA DAVNIA) Iuturna Dauni filia, Turni soror.

AVDACI NYMPHÆ) Vbicunque inducit nitentem aliquem sine effectu, audacem nominat.

OLLI SVBLIMES, ARMIS) nam contra ob armorum inopiam animi vtriusque torpebant: *refectis animis* propter recuperata arma.

ASSISTVNT CONTRA CERTAMINE) *Assistunt* lego, non *insistunt*, vt quidam. Sic suprà de Camilla, *paribusq; assistit in armis.* παρίσταται. German.

Iunonem interea rex omnipotentis olympi
Alloquitur, fulua pugnas de nube tuentem.
Quæ iam finis erit coniux? quid denique restat?
Indigetem Æneam scis ipsa, & scire fateris
Deberi cælo, fatisq; ad sidera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere diuûm?
Aut ensem (quid enim sine te Iuturna valeret?)
Ereptum reddi Turno? & vim crescere victis?
DESINE IAM TANDEM, PRECIBVSQVE INFLECTERE NOSTRIS:
NEC TE TANTVS EDAT TACITAM DOLOR, & mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. terris agitare, vel vndis
Troianos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare domum, & luctu miscere hymenæos:
Vlterius tentare veto.

DE NVBE TVENTEM) aëri enim præsidet Iuno.

INDIGETEM ÆNEAM DEB. CÆLO) *De hoc re Tibull. eleg. 6. lib. 2.*

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Vnda deum cælo miseris indigetem.]

Indigetes dij duplici ratione dicuntur: vel secundum Lucretium, quod nullius rei egeant, qui ait, *nostra nihil indiga cura*: vel certè indigetes sunt dij ex hominibus facti, & dicti indigetes, quasi in diis agentes. Ista Seruius.

Fuere qui indigetes putarent eos, quos indigitari, hoc est, vocari, & nuncupari nefas esset, atque hos eos deos fuisse, in quorum custodia essent vrbes, gentesq;. Alij dicunt, si indigitare inuocare est, deos illos indige- B tes esse, qui inuocati faciles sint, & præstò adsint. Alij putant indigetes appellari, quasi in loco vel geniti, vel degentes, & magis propitij patriæ, loco, & ciuibus. Gyrald. Syntag. 1. * *Adde. Indigetes Græcis [illegible], θεοὶ πολῖται, [illegible], δαίμονες, πολιοῦχοι, ἐγγενεῖς, ἐπιχώριοι. Lamon lib. 1. de Ænea. Secundum inde prælium Latinis. Æneæ etiam vltimum operum mortalium fuit. Situs est, quemcumque eum dici ius, fasq; est, super Numicum flumen. Iouem indigetem vocant. In cælũ translatum iri Æneam promittit Veneri Iupiter lib. 1.* sublimemq; feres ad sidera cæli Magnanimum Æneam. *Vide ibidem a nobis annotata.*

MORTALI VVLNERE DIVVM) non lethali, sed aut quo mortales laborant, aut à mortali illato. Et *diuum*, subaudi futurum.

QVID ENIM SINE TE IVT. VALERET?) Parenthesis est. Poterat enim se excusare Iuno, nihil se fecisse commemorans: sed eam auctorem Iupiter fuisse dicit, propter illud, *Auctor ego audendi*. Seruius.

PRECIBVSQVE INFLECTERE NOSTRIS) Epilogus à benigna admonitione, vt ab incepto desistat: & admiscet affectus blandos, vt ferocem alioqui animum permolliat.

NEC TE TANTVS EDAT TACIT. DOLOR) Sic Cice- A ro, *Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans*. Horat. *Si quid Est animum, differs curandi tempus in annum*. Aristoph. in Vesp. μηδ' οὕτω σαυτὸν ἔσθιε, μηδ' ἀγανάκτει. German. Adde Homer. Iliad. ζ. ὃν θυμὸν κατέδων. *Cor ne edito*, Pythagoræ symbolum.

TERRIS AGITARE VEL VNDIS) συναθροισμῷ, hoc est, congerie malorum, quibus vexarit Troianos, mouet pathos. Et videtur dicere, amplius non potes, vincunt enim fata.

——— sic Iupiter orsus:
Sic dea submisso contrà Saturnia vultu.
Ista quidem, quia nota mihi tua magna voluntas,
Iupiter, & Turnum, & terras inuita reliqui.
Nec tu me aëria solam nunc sede videres
DIGNA INDIGNA PATI: sed flammis cincta sub ipsa
Starem acie, traheremq; inimica in prælia Teucros.
Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, & pro vita maiora audere probaui:
Non vt tela tamen, non vt contenderet arcum.
Adiuro Stygij caput implacabile fontis,
Vna superstitio superis quæ reddita diuis.
Et nunc cedo equidem, pugnasq; exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum:
Cùm iam connubiis pacem fælicibus (esto)
Component, cùm iam leges, & fœdera iungent:
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas, Teucrosq; vocari:
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per sæcula reges:
Sit Romana potens Itala virtute propago.
Occidit, occideritq; sinas cum nomine Troia.

SVBMISSO SATVRN. VVLTV) Verecundè agit, quò B facilius rem impetret. De Didone lib. 1. *vultum demissa profatur*. Sed de Andromacha lib. 3. *Deiecit vultum*.

ISTA QVIDEM QVIA NOTA MIHI) Iuno sciens fatú esse, quidquid Iupiter dixerit, se cedere eius voluntati asserit: nam agit, vt conciliet sibi fauorem eius ad petitionem futuram. Seruius.

DIGNA INDIGNA PATI) id est, omnia. Et prouerbialiter dictum est. Plaut. Capt. *Indigna digna habenda sunt, herus quæ facit*.

NON VT TELA TAMEN, NON VT CONT.) Hoc loco quasi Iuturnam iecisse sagittam significat: sed vt suprà diximus, possumus accipere ipsam fecisse, quod alter, in eius gratiam, tela in Æneam contorserit. Seruius.

ADIVRO STYGII CAPVT) Adiuro pro iuro: nam archaismus est. Quidam tamen volunt, *iuro* tunc dici debere, cum confirmamus aliquid, aut promittimus, vt, iuro me facturum. *Adiuro* verò, cum negamus, vt adiuro me non posse, nòn fecisse. Terent. *Adiurat se non posse apud vos Pamphilo absente perdurare*. Potest tamen & ad, valde significare. Seruius. * *Verbum adiuro idem est quod iuro, nisi, quod exempla demonstrant semper cum negatione ponitur. Cic. ad Q. F. Adiurat Procilius hoc nemini accidisse. Ad Atticum. Pompeius affirmat: non esse periculum adiurat. Terent. And.* Per omnes tibi adiuro deos, nunquam eam me deserturum. *Qui autem hanc vocem in eo ponunt cum infinitiuo, haud latine loquuntur. Homeri locus est Iliad. ο.*

Ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος
Ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι.

Videtur memoria lapsus Lactant. lib. 1. cap. 11. dum duos hosce versus, *Adiuro Stygij*, & sequentem Ioui tribuit, qui à Iunone pronuntiantur: sed tamen eius quod sequitur de superstitione parum interest, à quo deo, dummodo à deo per Stygiam paludem iusiurandum concipiatur: quod ille sapienter ita reprehendit. Quæ est ista superstitio? aut à quo reddita? Est ergo aliqua potestas maxima, quæ peierantes deos puniat. Quæ C tanta est formido paludis infernæ, si sunt immortales? quid metuunt eam, quam visuri non sunt, nisi quos mori necesse est? Quid igitur homines oculos suos in cælum tollant? quid per superos deierant, cùm ipsi superi ad inferos deuoluantur, ibique habeant, quod venerentur, & adorent?

CEDO EQ. PVGNASQVE EXOSA RELINQ.) In vitiis nobilium, quæ multa recenset Tiraquell. de Nobilit. cap. 23. hoc quoque vnum, quod leuissima quaq; occasione offenduntur, in irá, & conuicia conci-

tantur. Et quamuis videantur, & profiteantur se ignoscere, tamen iræ sunt tenacissimi, & in vindictam, si occasio se obtulerit, pronissimi. Hoc Calchas de regibus. 1. Iliad. autumat. Sic Iuno hic inducitur, tanquam Troianis omnem offensam concedat. Et tamen haud multo post ab Ioue quippiam petit, quod illis vehementer obesset. Ex quo & Iupiter ipse ita illi respondet, *Irarum tantos voluis sub pectore fluctus.* Quasi adhuc iræ durent, tametsi ante dixisset, se eas deponere. Huc spectat etiam illud è 1. Æneid. *manet alta mente repostum Iudicium Paridis.* Hæc Tiraquell.

FATI LEGE) Bene *fati*: nam victoriæ lex est, vt victi cedant in habitum, nomenq; victorum.

PRO MAIESTATE TVORVM) Respexit ad Saturnum, qui aliquando in Italia regnauerat: vnde ait, *tuorum.* Nam & Latinus inde originem ducit, vt, *Fauno Picus pater, isq; parentem Te Saturne refert, tu sanguinis* A *vltimus auctor.* Seruius. * *Quid sit maiestas, quid lædere, minuere, soluere, retinere, constituere maiestatem, enucleatè docens Budæus annotat. poster. in Pandectas. Maiestatis reatu tenentur (Verba Isidori lib. 5. cap. 26.) qui regiam maiestatem deseruerunt, vel violauerunt, vel qui rempub. prodiderunt, vel cum hostibus consenserunt. Læsæ maiestatis crimen dicebatur quoq; imperatoris: exempla multa in Tacito. Sueton. cap. 10. in Domitiano, cum ait impiè locutum parmularium, intelligit læsisse maiestatem.*

ESTO) Consentit, sed inuita.

NE VETVS INDIGENAS NOMEN MVT. LAT.) Liuius, Latij indigenas ante aduentum Æneæ Aborigines dicit fuisse appellatos.

AVT VOCEM MVTARE) sermonem, linguam.

SIT ROM. POT. ITALA VIRTVTE) Hoc videtur B dicere, si fataliter imminet, vt à Troianis origo Romana descendat, Troiani Italorum nomen accipiant, vt Romani de Italis, non de Troianis videantur esse progeniti. Seruius.

Olli subridens HOMINVM, RERVMQVE REPERTOR.
Es germana Iouis, Saturniq; altera proles:
IRARVM TANTOS VOLVIS SVB PECTORE FLVCTVS.
VERVM AGE, ET INCEPTVM FRVSTRA SVBMITTE FVROREM:
Do quod vis, & me victusq;, volensq; remitto.
Sermonem Ausonij patrium, moresq; tenebunt:
Vtq; est, nomen erit: commisti corpore tantùm
Subsident Teucri, morem, ritusq; sacrorum
Adijciam: faciamq; omnes vno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mistum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos pietate videbis.
Nec gens vlla tuos æquè celebrabit honores.

HOMINVM, RERVMQVE REPERTOR) Acerrimus, C idemque eloquentissimus gentilitatis, seu falsæ religionis accusator, atque contemptor Lactant. lib. 1. cap. 11. Quomodo potest deus videri (Iupiter) aut, vt ait poeta, *hominum, rerumq; repertor*, ante cuius ortum infinita hominum millia fuerunt? Eorum scilicet, qui Saturno regnante vixerunt, ac priores luce, quam Iupiter sunt potiti.

ES GERMANA IOVIS, IRAR. TANT. VOL. FLVCT.) Soror Iouis es, id est, Saturni filia. Vnde non mirum, tantam te retinere iracundiam sub pectore: nam scimus vnumquemque pro generis qualitate in iram moueri. Reliqua superius ex Tiraquello iam legisti, qui à Seruio transtulit.

Eadem phrasi, irarum fluctus voluere, vsi sunt quoque alij scriptores idonei. Lucret. 6. *Voluere curarum tristes sub pectore fluctus.* Rursum. *Constituunt magnos irarum voluere fluctus.* Liuius lib. 35. de Philippo. Nosse se spiritus eius, nosse animum: scire, ferarum modo, quæ claustris, aut vinculis teneantur, ingentes iam diu iras eum in pectore voluere.

DO QVOD VIS) Blandè concedit Iunoni, quod alioqui sponte sua facturus erat, vt gratiā ineat. Seruius.

SVBSIDENT) remanebunt, latebunt quasi demersi, & oppressi. Latinorum scilicet multitudine: vt, *galeaq; ima subsedit Acestes.* Seruius.

RITVSQVE SACRORVM ADIICIAM) Verum est: nam sacra matris deûm Romani Phrygio more coluerunt. Seruius.

VNO ORE) vno nomine, & lingua.

SVPRA HOMINES, SVPRA IRE DEOS PIETATE) Vide vt Romanis summam pietatis laudem tribuat. Propert. lib. 3. eleg. 21. laudans Romanæ vrbis maiestatem, virtutem, potentiam, inter alia sic ait, quod quidem huc spectet.

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat ira manus.

Historiæ Romanæ periti, quam verus poeta noster fuerit, iudicabunt.

NEC GENS VLLA TVOS ÆQVE CELEB. HONORES) De culta à Romanis Iunone hæc German. Scilicet magno apparatu Iunonis festa Romæ celebrari cœpta, quæ Græcis ἡραῖα, matronis præsertim in magna D erant religione, templo deæ insigni in Auentino posito: vnde & Iunonem inter propensa, propitiaque Romanis numina exequitur Valer. lib. 1. cap. de miraculis, his verbis: Nec minus voluntarius Iunonis in vrbē nostram transitus. Captis à Furio Camillo Veiis, milites iussu Imperatoris simulacrum Iunonis Monetæ, qibi præcipua religione cultum erat, in vrbem tralaturi, sede sua mouere conabantur: quorum ab vno per iocum interrogata dea, an Romam migrare vellet, velle se respondit. Hac voce audita, lusus in admirationē versus est: iamque non simulacrum, sed ipsam cælo Iunonem petitam portare se credentes, læti in ea parte montis Auentini, in qua nunc templum eius cernimus, collo- E cauerunt. Hæc German. Scipio etiam Æmilianus tertio bello Punico simulacrum Iunonis solennibus quibusdam carminibus euocatum, Carthagine Romam aduexit.

Annu-

Annuit his Iuno, & mentem lætata retorsit.
Interea excedit cælo, nubemq; relinquit.
His actis, aliud genitor secum ipse volutat:
Iuturnamq; parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ,
Quas, & tartaream Nox intempesta Megæram
Vno, eodemq; tulit partu, paribusq; reuinxit
Serpentum spiris, ventosasq; addidit alas.
Hæ Iouis ad solium, sæuiq; in limine regis
Apparent, acuuntq; metum mortalibus ægris:
Si quando lethum horrificum, morbosq; deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat vrbes.
Harum vnam celerem demittit ab æthera summo
Iupiter, inq; omen Iuturnæ occurrere iussit.
Illa volat, celeriq; ad terram turbine fertur:
Non secus ac neruo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sæui Parthus quam felle veneni,
Parthus, siue Cydon, telum immedicabile torsit,
Stridens, & celeres incognita transilit vmbras.
Talis se sata Nocte tulit, terrasq; petiuit.

MENTEM LÆTATA RETORSIT) *Mentem retorsit*, ex Homero, qui sæpe νῦν μεταστρέφειν: mentem mutauit, inflexit, consilia in melius retulit, vt lib. 1. dicitur.

GENITOR SECVM IPSE VOLVTAT) Æneid. 1. *Talia flammato secum dea corda volutans.*

GEMINÆ PESTES COGNOM. DIRÆ) A descriptione furiarum dilatatio narrationis. Describit eas à parentibus, natali, habitu, sede, in qua cubant, & earum propriis operibus, officiis siue effectibus. Sophocles in Colon. σεμναὶ θεαί, hoc est, Diras, & Eumenidas γῆς, καὶ σκότου filias facit. Suas autem superis, inferisque furias esse, ex hoc loco ostendit poeta, Dirarum matrem Noctem faciens, cum earundem Hesiod. vt Sophocles, Terram matrem cecinerit in Theogon.

VNO EODEMQVE TVLIT PARTV) Sic Propert. eadem syllabæ contractione vsus est, lib. 4. eleg. 7.

Eosdem habuit secum, quibus est elata capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.

German.

IN LIMINE REGIS APPARENT) Ad apparitores magistratuum, aut principum alludit. Vnde & Gell. lib. 2. posteaquam lictor, qui apparebat, intellexit, &c. Est autem verbum iuris. Cic. in epist. homo qui nunquam in foro apparuerit, nec sit in iudiciis versatus. Ita Germanus. Liuius lib. 2. quatuor & viginti lictores apparere consulibus. Et lib. 3. collegis nouem singuli accensi apparebant. Æmilius Probus in Eumene. Sic Eumenes annorum quinque & quadraginta, cũ ab anno vicesimo, septem annos Philippo apparuisset, hoc est præsto, & ad manum fuisset.

Apparitor nominatus, inquit Isid. lib. 10. quod appareat, & videatur, & præstò sit ad obsequium. De his multa in iure ciuili. Officium, ac ministerium eorum Iureconsul. apparitura dicitur.

Apparitores, inquit Budæus in Pand. sunt mini-
A stri apparituram magistratibus factitantes multiplici, ac distincta functione: οἱ παρεστάμενοι τοῖς ἐπ' ἀξιώσεως, hoc est, qui præstò sunt magistratibus ad imperia accipienda, & exequenda.

HARVM VNAM CELEREM DEMISIT AB ÆTHERE) Non est superuacuum quod in descriptione Dirarum facta est alarum mentio: quomodo enim ex æthere possent demitti, aut peruenire celeriter sine pennarum subsidio? Ex duabus vnam demisit, tam detestabilis enim vtriusque natura, vt implendis tristibus etiam vna sufficeret. *Celerem* dixit, non quod alæ essent segnes, sed vt quod erat factura, celerius faceret, & impleret. Donatus.

B INQVE OMEN IVT. OCCVRR. IVSSIT) Iuturnæ iussit occurrere, vt ei omen fraternæ mortis efficeret. Descendit autem, vt solet sagitta descendere.

ARMATAM SÆVI PARTHVS QVAM FELLE VENE.) *Armatam* tinctam, imbutam, oblitam. *Felle veneni*, succo venenato & fellis instar amari. Lucan. de Parthis.

Spicula nec solo spargunt fidentia ferro,
Stridula sed multo saturantur tela veneno.

Seneca Med. de Arabibus. *Et queis sagittas diuites Arabes linunt.* Sagittas veneno linebant non modo Parthi, & Arabes, sed Itali quoque, teste Virgil. lib. 9. & 10. Græci, teste Homero Iliad. α. Daci, Dalmatæ, teste Paulo Ægineta lib. 6. cap. 88. Gyrchæi, auctore Theophrasto lib. 9. plant. histor. Æthiopes, auctore Nicandro
C in Alexipharm. Scythæ, teste Ouid. de Ponto, Plinio li. 12. Galli, teste Aristot. de admirab. narrat. Denique & omnes Barbari, si credimus Dioscoridi lib. 6. Collegit hæc M. Ant. Delrius, Aduers. in Senecam.

* TRANSILIT VMBRAS) hyperbole, namq; vmbræ semper tela comitantur.

TALIS SE SATA NOCTE) tali celeritate, & stridore.

Postquam acies videt Iliacas, atq; agmina Turni,
Alitis in paruæ subitò collecta figuram:

Quæ

Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serùm canit importuna per vmbras.
Hanc versa in faciem Turni se, pestis, ad ora
Fertq;, refertq; sonans, clypeumq; euerberat alis.
Illi membra nouus soluit formidine torpor:
Arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæsit.

ALITIS IN PARVÆ COLLECTA FIG.) Vbi venit ad locum, in quo gerebatur inter Æneam, & Turnum certamen, & vterque exercitus aderat, repente in alitis paruę, noctuæ formam sese conuertit: cui mos est aut in bustis sedere per noctem, aut in desertis culminibus feraliter canere. Huius ominis solet esse bubo, vel noctua, quæ non nisi funereum, luctuosumq; significant. Itaque in huius alitis figuram pestis illa conuersa, non cessabat ante faciem Turni transire, & eius clypeum alis vi quatere. Hoc cùm videret Turnus, intellecto quod omina significarentur extrema, nouo torpore dissolutus est. Donatus.

SERVM CANIT IMPORT. PER VMB.) *Serùm canit*, Seruius, triste: vt illud, *Seraq; terrifici cecinerunt omina vates*. Serum diei latinè, & eleganter dicimus. Salust. Catilin. Et iam diei serum erat. Liuius lib. 10. Ro- A mani apud Fabium arcebant magis, quam conserebant pugnam, extrahebaturque in quàm maximè diei serum. Sueton. in Othone Syluio. ac in serum vsque parente cubiculo. Et in Aug. in serum dimicatione protracta, vt in naui victor pernoctauerit. Erythræus.

MEMB. NOVVS SOLVIT FORMID. TORPOR) *Nouus torpor*, est magnus, ingens, singularis torpor, ea enim vis subiecta sub hoc verbum est, quod alibi docuimus. Dicuntur autem membra solui formidine, quia qui formidant, tremunt: qui tremunt, videntur non cohærere membris, & quasi ruinam minitari. De moriente etiam dixit, *ast illi soluuntur frigore membra*. Et de frigente 1. Æneid. *Extemplo Æneæ soluuntur frigore* B *membra*. ✱

ARRECTÆQVE HORRORE COMÆ) Homer. Iliad. ω. ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν. Et φρίξ Æschylo ὀρθόθριξ.

At procul vt Diræ stridorem agnouit, & alas,
Infælix crines scindit Iuturna solutos,
Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.
Quid nunc te tua, Turne, potest germana iuuare?
Aut quid iam miseræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? TALIN' POSSVM ME OPPONERE MONSTRO?
Iam iam linquo acies. ne me terrete timentem
Obscœnæ volucres: alarum verbera nosco,
Lethalemq; sonum. nec fallunt iussa superba
Magnanimi Iouis. HÆC PRO VIRGINITATE REPONIT?
Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? possem tantos finire dolores,
Nunc certè, & misero fratri comes ire per vmbras,
Iam mortalis ego: HAVD QVIDQVAM MIHI DVLCE MEORVM
TE SINE FRATER ERIT. ô quæ satis ima dehiscat
Terra mihi, manesq; deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu,
Multà gemens, & se fluuio dea condidit alto.

AT PROCVL VT DIRÆ STRIDOREM) Visa Dira, pro mortuo iam deplangit fratrem Iuturna, tantum eius volucris omen nouerat. Est autem planè dulcis, & amoris sororij plena querimonia. Ex præteritis, inquit, frater mi laborem meum probare potuisti: feci omnia pro salute tua. Sed nunc quid excogitem, quam potior inimicus expugnat? quid agatur, ipse cognoscis. Cessat omnis subueniendi subtilitas, quando vrgent extrema periturum. Inexpugnabile monstrum est istuc, nec vllo potest superari remedio. Subnectit eadem Iuturna [illegible], in qua plenius animi sui dolores exponit. Ac per indignationem, hoccine, inquit, est præmium, quod mihi pro erepto virginitatis honore contulit? Vitam æternam dedit, deam immortalem fecit, & ita mihi e- C tiam luctum immortalem creauit. Beata, & fælix essem, si ista fælicitate carerem. Non est mihi honor immortalitas, sed pœna grauissima. Nihil potest mihi esse dulce sine te, mi frater. Vtinam præ isto beneficio Iouis, possem tecum patefacta tellure ad inferos descendere, & ibi tecum esse. Atque his dictis, quasi nympha, propter vndarum similitudinem caput glauco amictu cooperuit. Donatus. * *Tres orationes inuenio admodum patheticas, & sub eodem genere, lamentationum nemorum positas, nec argumento dissimiles. lugentur enim duabus prioribus mortui, tertia moriturus. Et quidem 9. Æneid. à matre Euryalus, li. 11 à patre filius Pallas: hic autem à sorore frater. Mira est vbiq; in summo dolore dulcitudo. Nam homines coniunctissimos nobis, & charissimos, deflere, ac lugere sine quadam tacita voluptate non possumus.*

AVT QVID IAM MISERÆ SVPERAT MIHI)

Libro secundo Sinon, *aut quid iam misero mihi denique restat?*

QVA TIBI LVCEM ARTE MORER) quo artificio tibi vitam prorogem? Proferre fata parentis, dixit de Iapide medico suprà.

TALIN' POSSVM ME OPPON. MONSRO?) tali augurio, voluntate Iouis venienti.

NE TERRETE TIMENT. OBSCOENÆ VOLVCRES) ne me terrendo timentem reddite, non enim aliâs timebat: at nunc timere propter hoc portentum incipit: non quia sic stridet, & circumuolat, atque in Turnum inuolat, sed quia Dira est, cuius aspectus semper infaustissimus. Idcirco & obscœnas volucres vocat, quasi plures, augendi caussa, & infaustas: obscœnum quippe est infaustum in auguriis, & ominibus. Inde apud Arnobium, mali ominis obscœnitas. Sueton. in Galba cap. 4. Nihil æquè postea Galbam tentantem res nouas confirmauit, quam mulæ partus: cæterisque vt obscœnum ostentum abhorrentibus, solus pro lætissimo accepit.

MAGNANIMI IOVIS) Hoc cum adiuncto principio libri ornauit etiam Iuno, & quidem cum de eius scortationibus, siue adulteriis loqueretur: in quibus certè fuit magnanimus, & bellator maximus, multas enim prostrauit. Testimonium ei feruut poetæ omnes, vt taceam de historicis. Potest hìc videri εἰρωνικῶς à Iuturna dici: à Iunone autem fortasse ἐμμετρικῶς, id est, otiosè, & ad implendum versum duntaxat: præsertim cum sequatur *ingratum cubile*, quod exponitur à Seruio, per quod gratiam castæ vxori non repræsentat. Cuius igitur libidinem perstringit, quomodo eum ex animo laudet?

HÆC PRO VIRGINIT. REPONIT?) Notat German. τὰ διαπαρθένια dici munera, quæ pro delibata virginitate dabantur, versusque in sensum huius expostulationis ex Prometheo Æschyli producit, de Io Inachi filia à Iunone longis erroribus agitata, & malè habita.

CVR MORTIS ADEMPTA EST CONDITIO?) De Iuturnæ apotheosi hoc ipso libro, haud lóge à principio.

Extemplo Turni sic est affata sororem,
Diua deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet: hunc illi rex ætheris altus honorem
Iupiter erepta pro virginitate sacrauit.

Et lib. 9. de Numano.

Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem
Germanam, nuper thalamo sociatus habebat.

Vbi Seruius, quia maior nympha fuerat, Iuturna videlicet, Iouis voluntate mutata, quod poeta videtur insinuasse. Quemadmodum autem Iuturna se immortalitate auctam cruciatur, quoniam pariter luctum immortalem propter necem Turni fratris subire cogatur: sic Inachus fluuius apud Ouid. 1. Metamorph. se deum esse lamentatur, quia dolori ob amissam filiam imponere finem non detur.

Nec finire licet tantos mihi morte dolores:
Sed nocet esse deum, præclusaque ianua lethi
Æternum nostros luctus extendit in æuum.

Apud Æschylum item affixus ad Caucasum Prometheus, se immortalem esse ingemiscit: & ad Io consolandam, quæ mori possit, suam cum illius calamitate, vt longè grauiorem cum leuiore comparat, nec finem vllum sperat, nisi regno pellatur Iupiter. Locus hìc est.

Ἠ δυσπετῶς ἂν τοὺς ἐμοὺς ἄθλους φέροις,
Ὅτῳ θανεῖν ἐστιν οὐ πεπρωμένον.
Αὕτη γὰρ ἦν ἂν πημάτων ἀπαλλαγή.
Νῦν δ' οὐδέν ἐστι τέρμα μοι προκείμενον
Μόχθων, πρὶν ἂν Ζεὺς ἐκπέσῃ τυραννίδος.
Profectò ægrè tuleris meas afflictiones,
Cui non est per fata concessum mori:
Nam mors est malorum liberatrix.
Nunc verò nullus est terminus mihi propositus
Laborum, antequam Iupiter excidat regno.

Querelæ vtriusque, & Iuturnæ, inquam, & Promethei meminit Idyll. 15. Ausonius.

————— quosdam
Constat velle deos fieri. Iuturna reclamat,
Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? sic Caucasea sub rupe Prometheus
Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat
Incusare Iouem, data sit quod vita perennis.

Sic Principes propter summas variorum negotiorum difficultates, conspirationes, metus, sollicitudines sæpenumero dolent se esse Principes, priuatorumque vitam vt tranquillissimam, ac securissimam, & ob id fælicissimam commendant. Vide initium Iphigeniæ Aulidensis apud Euripidem. Fertur & illud Alexandri, Diogenes esse vellem, si Alexander non essem. Alphonso Aragonum regi familiares demonstrabant sedentem rusticum, & botrum comedentem, velut exemplum otij, ac desidiæ. Ibi tum rex, vtinam mihi à deo contigisset ita per otium capere cibum.

POSSEM TANTOS FINIRE DOLORES) Ouid. in Trist. *Mors certè faciet, ne sim, cum veneris, exul.* Si mors est vltima linea rerum, ergo & dolorum. Vnicum, & certissimum, atque tutissimum in malis remedium mors. Cæsar apud Sallust. in Catilinaria historia. Possum equidé dicere id, quod res habet, in luctu, atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissoluere: vltra neque curæ, neque gaudio locum esse. Ob ista igitur mala quæ plurima in hominum vita versantur, & quibus aliqui multis & magnis premuntur, sunt qui mortem inuocent, pertæsi huius alioqui suauissimæ lucis. Boetius de consolat. lib. 1. Nam sæpe mortem, cogentibus caussis, quam natura reformidat, voluntas amplectitur.

MISERO FRATRI COMES IRE PER VMBRAS) Inter illa, quibus declaratur amor magnus, est & hoc, & fortasse eo nullum ἐναργέστερον, quo dicimus, nos paratos esse mori cum aliquo: aut ei nolle superuiuere. Horat. Ode 9. lib. 3. *Tecum viuere amem, tecum obeam libens.* De Euadne, quæ se in eundem rogum, quo Capanei mariti cadauer cremabatur, coniecit, Ouid. 3. de Arte.

Accipe me Capaneu, cineres miscebimus, inquit
Iphias, in medios desiluitque rogos.

Sonat quiddam tale, voluntatem, inquam, cõmoriendi quod dicit Niso Euryalus lib. 9. *solum te in tanta pericula mittam?* Profecta est etiam sine dubio ex multo amore erga magistrum, ac dominum suum illa vox S. Petri, si oportuerit me commori tibi, non te negabo. Vel, vt alius Euangelista habet, Domine, paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire.

HAVD QVIDQVAM MIHI DVLCE MEOR. TE SINE FRAT.) Huic querimoniæ tam dulci quàm similis illa Catulli super fratre suo, in Phrygia mortuo?

Heu misero fratri iucundum lumen ademptum:
Tecum vna tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum vna perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.

Item Horat. Ode 1. Epod. ad Mæcenatem iturum cum Augusto aduersus Antonium, & Cleopatram.

Quid nos, quibus te vita sit superstite
Iucunda: si contra, grauis?
Vtrúmne iussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul?

O QVÆ IAM SATIS IMA DEHISCAT TERRA) Sic Dido lib. 4. *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat.*

Æneas instat contrà, telumq; coruscat
Ingens, arboreum, & sæuo sic pectore fatur.
Quæ nunc deinde mora est? aut quid iam Turne retractas?
NON CVRSV, SÆVIS CERTANDVM EST COMINVS ARMIS.
VERTE OMNES TETE IN FACIES, ET CONTRAHE QVIDQVID
SIVE ANIMIS, SIVE ARTE VALES: OPTA ARDVA PENNIS
ASTRA SEQVI, CLAVSVMQVE CAVA TE CONDERE TERRA.
Ille, caput quassans: Non me tua feruida terrent
Dicta, ferox: DII ME TERRENT, ET IVPITER HOSTIS.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens:
Saxum antiquum, ingens, campo qui fortè iacebat
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.
Vix illud lecti bis sex ceruice subirent,
QVALIA NVNC HOMINVM PRODVCIT CORPORA TELLVS.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem
Altior insurgens, & cursu concitus heros.
Sed neq; currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemúe manu, saxumq; immane mouentem.
Genua labant, gelidus concreuit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus,
Nec spatium euasit, totum nec pertulit ictum.

ÆNEAS INSTAT CONTRA) Interpositis verbis Iunonis, & Iouis, & his, quæ ad hunc locum ex persona Iuturnæ, & poetæ consecuta sunt, intercisa narratio est: sed idem poeta sui memor, redit ad ea, quæ paulisper omiserat. Dixerat quippe ante Iouis verba, qui prior locutus est,

Olli sublimes armis, animisq; refectis,
Hic gladio fidens, hic acer, & arduus hasta
Adsistunt contra, certamine Martis anheli.

Nunc subiungendum est, *Æneas instat contra.* Donatus.

TELVMQVE CORVS. ING. ARBOREVM) Non tam hastam, quàm eius gestatorem laudat. Et cum Turnus formidaret accedere, insistebat Æneas, hac timidum prouocans voce. *Quæ nunc deinde mora est*, &c. Quamdiu inquit, quod imminet mortis, longioribus differs inuentis? aut quò in aduersa trahis consilia tua? Non est officium viri fortis, cursibus fidere: pugna gerenda est gladiis, non pedibus. Non potes iam euadere, teneo te velut belluam constrictã, & irretitam. Donat.

VERTE OMNES TETE IN FACIES) ad Protei μεταμόρφωσιν allusum, de qua Georg. 4.

OPTA ARDVA PEN. ASTRA SEQVI, CLAVSVMQVE CAVA TE COND. TERRA) Haud scio, an respiciat his verbis poeta noster ad illa munera, quæ Scythæ miserunt Dario ad eos subigendos cum magno exercitu venienti, de quibus Herodotus lib. 4. in Melpomene. Ea fuerunt auis, mus, rana, quinque sagittæ. Quæ Gabryas sic est interpretatus. Persas, nisi vt aues subuolarent in cælum, aut vt mures subirent terram, aut vt ranæ insilirent in paludes, non redituros domum, sagittis Scytharum confectos videlicet.

ILLE CAPVT QVASSANS) Iratorum gestus. De Iunone. lib. 8. *Tum quassans caput, hæc effundit pectore dicta.* A Lucretio creditur hausisse. Ille lib. 2.

Iamq; caput quassans grandis suspirat arator
Crebrius, incassum magnum cecidisse laborem.

NON ME TVA FER. TERR. DICTA) Fatetur timorem: sed hunc subtiliter excusat, quasi dicat: si occubuero, non tu me superabis, sed dij cum ipso Ioue, qui armis, & partibus meis inimici sunt, & infesti. Donatus.

SAXVM CIRCVMSPICIT INGENS) Locus est ex Homeri Iliad. φ.

Ἡ δ' ἀναχασσαμένη λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ,
Κείμενον ἐν πεδίῳ μέλανα, τρηχύν τε, μέγαν τε,
Τόν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης.

Et Iliad. ε

——— ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδεΐδης μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσ', ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.

LIMES AGRO POSITVS) De huiusce modi lapide Tib. eleg. 3. lib. 1. vbi bona ætatis illius aureæ commemorat. *non fixus in agris, Qui regeret certis finibus arua lapis.* Antiquissimos terminos formam coni tulisse, notat in 4. rerum Augustanarum V. C L. Marcus Velserus. Talẽ fuisse limitem existimat idem, saxum altitudine quinq; pedale circiter, quod multis ab hinc annis terra effossum Augustæ, ad D. Vdalrici nunc spectatur.

QVALIA

QVALIA NOM. PROD. CORP. TELLVS) Eruditissimum caput est 4. lib. primi apud Magium, de procecitate vetustorum hominum, & caussis breuitatis corporum in posterioribus. Saxum ingens mittit Diomedes in Æneam lib. 5. vnde sumpsit Virgil. Et quod de hominum ætatis suæ imbecillis viribus ait, id etiã ab Homero est ibidem.

———————— ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.

Etiam 7. Iliad. singulari certamine congrediuntur Hector, & Aiax: vterque alterum grandi saxo petit, sed multo grandiore Aiax, quo Hectorem grauiter ictum prosternit. Scripsit in hoc saxum Aiacis, epigramma elegans Agathias lib. 1. Anthol. Μή με τὸν αἰάντειον, &c. Meminit vtriusq; loci, Græci & Latini poetæ Iuuenal. Sat. 15.

——— nec hunc lapidem, quali se Turnus, & Aiax,
Et quo Tydides percussit pondere coxam
Æneæ: sed quem valeant emittere dextra
Illis dissimiles, & nostro tempore nata.
Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero,
Terra malos homines nunc educat, atq; pusillos.

Frugum semina degenerare, atque in dies decrescere, & minora fieri, testatur ipse Georg. 1.

Vidi lecta diu, & multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret. Sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Terram quoque in animantibus, & frugibus procreandis, quasi viribus suis longe imminutam esse, ac proinde & illa minora, & has non æquè vt olim nitidas, lætas, grandes efferre, conqueritur etiam libro secundo, Lucretius. Atque hoc primũ est ex tribus illis probris, quæ Christianis quondam Ethnici obiiciebant, quibus Arnobius, Augustinus, Orosius præclarè satis responderunt: postquam eorum religio in orbem inducta esset, ipsum quasi debilitatis naturæ viribus aberrasse à suis legibus. Omne malorum genus irrupisse. Cælites eius curam, ac prouidentiam deposuisse. Sequuntur iam versus Lucretij.

Iamq; adeo fracta est ætas, effœtaq; tellus:
Vix animalia parua creat, quæ cuncta creauit
Secla, deditq; ferarum ingentia corpora partu,
Præterea nitidas fruges, vinetaq; læta:
Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore,
Conterimusq; boues, & vires agricolarum.
Iamq; caput quassans grandis suspirat arator,
Crebrius incassum magnum cecidisse laborem:
Et crepat, antiquum genus vt pietate repletum
Perfacile, angustis tolerarit finibus æuum.
Quum minor esset agri multo modus ante viritim:
Nec tenet, omnia paulatim tabescere, & ire
Ad scopulum, spatio ætatis defessa vetusto.

TORQVEBAT) Bene imperfecto vsus est tempore, quod voluit Seruius.* *Sic lib. 2. de Androgeo, qui in Troianos, Æneam nimirũ, & socios inciderat, & pro sociis eos compellarat,* Haud secus Androgeus visu tremefactus abibat, *notat idem Seruius, scitè dictum* abibat, *non enim abijt. Lege locum poetæ.*

SED NEQVE CVRRENTEM SE, NEC COGNOS.) Non satis sciebat vbi esset, quid ageret, totus horrebat præ formidine: videns non videbat, audiens non audiebat, apud se non erat. Sed nil opus est nos plura de hoc dicere, cum tot versibus eius ἀβουλίαν poeta describat.*

VACVVM PER INANE) Cum duo adiectiua copulantur, alterum habet vim substantiui, vt hic inane, qua voce per *vacuo*, sæpius vtitur Lucret. Nihil est in rerum natura inane aut vacuum, quod Epicurei volebant, & Lucretius multis conatur argumentis probare. Sed aëris regionem poetæ appellant vacuum, seu inane, quia sic videtur. *

NEC TOTVM PERTVLIT ICTVM) Id est euacuatus est impetus ipso spatio longiore. Libro decimo, de hasta Æneæ, *sed viros haud pertulit.*

Ac velut in somnis, oculos vbi languida pressit
Nocte quies, nequidquam auidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires: nec vox, nec verba sequuntur:
Sic Turno (quacunq; viam virtute petiuit)
Successum dea dira negat. tum pectore sensus
Vertuntur varij: Rutulos aspectat, & vrbem,
Cunctaturq; metu, telumq; instare tremiscit.
Nec quò se eripiat, nec qua vi tendat in hostem,
Nec currus vsquam videt, aurigamq; sororem.

AC VELVT IN SOMNIS) Comparatio Homerica ex Iliad. χ.

Ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν,
Ὡς ὁ τὸν οὐ δύναται ὑποφεύγειν, οὐδ' ὁ διώκειν.

Mirifice angorem, timoremque Turni subiicit oculis. Et fugiendi occasio deerat, audendi in hostem fiducia negabatur: auxiliorum quoque spes nulla affulgebat. Donatus, Seruius.

OCVLOS VBI LANGVIDA PRESSIT NOCTE QVIES) Calaber de Penthesilea dormiente, ὕπνος δέ οἱ ὄσσ' ἐκάλυψεν Νήδυμος ἀμφιπεσών. Languorem pro somno videtur dixisse Ouid. 11. Metamorph. *Quo cubat ipse deus membris languore solutis.* Et iterum. *Et rursus molli languore solutus.*

NEQVIDQVAM AVIDOS EXTEND. CVRSVS) Non male sentiunt quidam scholiastæ, esse hic, & sequentibus verbis notationem nocturnæ oppressionis, & suffocationis, quæ incubus Latinis, Græcis ἐφιάλτης.

NON CORPORE NOTÆ SVFF. VIR.) Enallage casus, pro corpori: vt, hæret pede pes, pro, pedi. Nisi malis intelligi præpositionem, vt sit sensus: vires non sufficiunt in corpore.

TVM PECT. SENSVS VERTVNTVR VARII) Hoc ipsum extulit alibi duobus versibus,

Atq; animum celerem nunc huc, nunc diuidit illuc,
In partesq; rapit varias, perq; omnia versat.

Similem sententiam videre licet in verbis illis M. Tull. A 1. Officior. in quo considerando fit, vt distrahatur in deliberando animus, afferatq; ancipitem curam cogitandi. *Sensus* Latinis frequenter est ipsa cogitatio, & quod etiam rectè dicitur, sensa mentis. Item affectio animi, & sententia.

Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis: & corpore toto
Eminus intorquet. murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. volat atri turbinis instar,
Exitium dirum hasta ferens, orasq; recludit
Loricæ, clypei extremos septemplicis orbes
Per medium stridens transit femur. incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.

CVNCTANTI TEL. FAT. CORVSCAT) Dum ille B diuersis cogitationibus captus intentum animum tenet, dubitanti quid faceret, telum, cui fata sanguinem decreuerant Turni, Æneas tanquam fulmen altius extulit, eum locum ad feriendum oculis eligens, quem fortuna destinauerat vulneri. Multis vtitur comparationibus ad exprimendum nimium impetum. Et *instar* per se plenum est, nec recipit præpositionem: nam in idoneis auctoribus, *ad instar* non reperitur. Describitur mox magnus ictus, & magna virtute missus: qui potuit tot orbes clypei, vel loricam perrumpere, & transire per hominis femur: hoc est, non debilitari tot impedimentis, & sic peruenire, vt non solum inhæserit vulneri, verùm etiam exitum facilem reperiret. Donatus, Seruius.

MVRALI CONCITA NVNQVAM) Comparationes hyperbolicæ tres congestæ, vires, impetumque Æneæ mirum in modum amplificant, plurimum & huic loco ornatus afferunt. Concita saxa tormento murali, sunt saxa catapultis, & balistis emissa, ad muros ferendos.

FVLM. TANTI DISSVLT. CREP.) tonitru, vnde displosis nubibus erumpit fulmen.

CLYPEI SEPTEMPLICIS ORBES) Talis clypeus Homero Iliad. η est σάκος ἑπταβόειον de septem boum tergoribus conduplicatis, qualis fuit Aiacis, de quo etiam Sophocles, & Ouid. 13. Metamorph. *Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Aiax.* De tali quodam scuto, sed non tot pellium, ab Ænea perfosso, habes lib. 10.

C *Tum pius Æneas hastam iacit: illa per orbem*
Aere cauum triplici, per linea terga, tribusq;
Transiit intextum tauris opus, imaq; sedit
Inguine.

Consurgunt gemitu Rutuli, totusq; remugit
Mons circùm, & vocem late nemora alta remittunt.
Ille, humilis, supplexq; oculos, dextramq; precantem
Protendens: EQVIDEM MERVI, NEC DEPRECOR, inquit;
VTERE SORTE TVA. miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro (fuit & tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectæ:
Et me, seu corpus spoliatum lumine mauis,
Redde meis. vicisti, & victum tendere palmas
Ausonij videre. tua est Lauinia coniux.
VLTERIVS NE TENDE ODIIS.

TOTVSQVE REMVGIT MONS CIRCVM) suprà, *gemitu nemus omne remugit.* D

EQVIDEM MERVI, NEC DEPRECOR) Magnum poetæ inuentum, vt hastam non in eam partem corporis, quæ lethalis esset, diceret peruenisse: sed in eam, qua superaret hostem, & tamen viuum seruaret ad preces. Quippe ipso fuit supplicio peius, propria voce confiteri se victum, & hostem suum pronuntiare victorem, omnibusq; se dignum pœnis, qui esset fortiori congressus. Secundum rhetoricam autem egit. Nam quoties personæ in inuidia sunt, aliç pro his proponuntur: vnde ait, Ego quidem occidi mereor, sed tu debes ignoscere parentis intuitu. Donatus, Seruius.

Donatus in illud Terent. And. P. *Quid meritus es? D. crucem.* Plena, inquit, est satisfactio, confessio peccati sine recusatione pœnarum. Nam mitiores reddimus, quibus vltro operæpretium pro delictis nostris offerimus: & hunc ipsum Maronis locum pro confirmatione subiungit. Quid autem inter *recusare*, & *deprecari* intersit, disputat Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 14.

VTERE SORTE TVA) Horat. *Gaude sorte tua.* Sic Græci χρῆσθαι τύχῃ, quamuis interdum pro eo, quod est, fortunam ferre. Hoc intellectu dicitur, interfice hostē, cuius interficiendi potestatem fortuna tibi dedit. Eadem est Hectoris ad Achillem oratio apud Homerum, lib. 22. Iliad.

Misa-

MISERI TE SI QVA PARENTIS) Sic Priamus ad Achillem Iliad. ω.

Μνῆσαι πατρὸς σοῖο θεοῖς ἐπιείκελ᾽ Ἀχιλλεῦ
Τηλίκου ὥσπερ ἐγὼν ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.

Vt autem hic parentis cura obiicitur, sic & liberorum ab Euripid. in Medea. *καὶ σύ τοι παίδων πατὴρ πέφυκας.* Et in Suppl. *τέκνα καὶ σοί ποτ᾽ ἦ ποθεινὰ κοῦρον.*

TANGERE CVRA POTEST) Citat hunc locum Nonius, & tangere exponit, ferire, commouere. Sic lib. 9. *nec solos tangit Atridas Iste dolor.* M. Tullius Frumentaria. Nunquã tua me cura, tuarumúe fortunarum cogitatio tangeret. Et Lucret. *Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

FVIT ET TIBI TALIS ANCHIS. GEN.) pathos καθ᾽ ὁμοιοπάθειαν Macrob. Libr. 4. cap. vlt. Rhodigin. libro 24. cap. 2.

SPOLIATVM LVMINE) Suprà lib. 2. de Palamede, *nunc cassum lumine lugent.* Corpus spoliatum lumine, peruenusta periphrasis, pro cadauere. Lumen autem, & lucem pro vita dicunt poetæ, & non semel Maro. In eundem vsum Græcis τὸ φῶς, & βλέπειν familiaria. German.

A VICISTI, ET VICTVM. TEND. PAL. AVS. VID.) Ennius, *Qui vicit, nõ est victor, nisi victus fatetur.* Ad quem versum hæc Hieron. Columna, cui debent plurimum, quicunque Musas tractant elegantiores. Hoc versu animi fortitudinem expressit Ennius. Nam ab omni prorsus seruitute est immunis, qui quamuis victus sit, nolit vinci, etiamsi carnifex vrgeat, tormenta minitans. Ad huius loci æmulationem, *vicisti*, inquit Turnus apud Maronem, *& victum tendere palmas Ausonij videre.* Eadem non modò sententia, sed ipsis propemodum Ennianis verbis, Gregorius Nazianzenus initio Apologiæ vsus est, ἥττημαι, καὶ τὴν ἧτταν ὁμολογῶ. Victus sum, idque agnosco, ingenueque fateor. Huc referri potest adagi-
B um, *Herbam dare*, pro eo, quod est, se victum fateri.

Tendere palmas quod ait, gestum supplicantium exprimit. Catull. dixit brachia protendere. Et Ouid. 3. Metamorph. *Non habet infelix quæ tendat brachia matri.* Tibull. 3. *Tu modò cum multa brachia tende prece.*

TVA EST LAVINIA CONIVX) caussa belli.

VLTERIVS NE TENDE ODIIS) Noli velle crudelitatem tuam vltra fata protendere, sed redde corpus sepulcro.

------ Stetit acer in armis
Æneas voluens oculos, dextramq; repressit.
ET IAM IAMQVE MAGIS CVNCTANTEM FLECTERE SERMO
COEPERAT, infelix humero cum apparuit ingens
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis,
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Strauerat, atq; humeris inimicum insigne gerebat.

STETIT ACER IN ARMIS) Non tantùm ad præsens refertur *acer in armis*, sed quia semper in armis acer esse consueuit. Omnis autem intentio ad Æneæ pertinet gloriam. Nam & ex eo, quod hosti cogitat parcere, pius ostenditur: & ex eo, quod eum interimit, pietatis gestat insigne: nam Euandri intuitu Pallantis vlciscitur mortem. Seruius.

INFÆLIX HVM. CVM APPAR. INGENS BALTEVS) Vide lib. 10. & nota duo epitheta sine coniunctione, quod vitiosum putat Seruius, infælix ingens balteus. Vide 3. Æneid. ibi, *& lenis crepitans vocat Auster in altum*, non longè à principio libri. Decies hoc fecisse Virgil. notauit alicubi Seruius.

Balteum Varro lib. 4. dictum censet, quod cingulum è corio habebãt bullatum. Istiusmodi bullis cingula militaria pro dignitate gestantis exornabantur, vt & caligæ militares distinctæ, & ornatæ fuerunt. Cingulo, & balteo donari, honori dabatur apud Romanos, & inde, qui militarent, vocati cincti, & contrà, qui missi erãt, discincti, militia exuti, cingulo priuati. Quod ipsum apud Rom. ignominiosum ducebatur. Plura Steuechius ad Veget. lib. 2. cap. 3. Illud etiam obserua, morem
C fuisse antiquis, gestare gladios ab humero, non è medio cingulo dependẽtes, vt nunc fit. *Infælix balteus* ad Turnum refertur. illi enim fuit infælix, nam eius caussa potissimùm ab Ænea occiditur.

NOTIS FVLSER. CINGVLA BVLLIS) Bullæ interdum sunt puerorum insignia, quæ de collo pendentia gestabãt ingenui: eę, formam cordis habebant. Ingenuorum erat aurea, aliquando argentea: libertinorum scortea. Vnde dicta bulla, & quid moneret, consulendus Pierius lib. 41. in Bulla. hic intelligenda sunt quædam, tanquã capita clauorum (*Spangen* vocant Germani) quibus militaria cingula ornabantur. Æneid. 11. *phaleras Rhamnetis, & aurea bullis Cingula.* Ornabantur item bullis fo-
D res, & aliæ res plurimæ.

De bullis istis in cingulo, seu balteo, agit planissimè, & plenissimè Lipsius in Analect. ad dial. 2. libr. 3. de Milit. Balteum singulariè ornabant, eoque velut militiæ præcipuo insigni superbiebant. Bullis plerumque honestabatur ex argento, auro, interdum & gemmis. Sed ornatiores baltei ornatiorum erant militum. Vide auctorem ipsum pag. 282.

Ille, oculis postquam sæui monumenta doloris,
Exuuiasq; hausit: furiis accensus, & ira
Terribilis, túne hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum, aduerso sub pectore condit
Feruidus. AST ILLI SOLVVNTVR FRIGORE MEMBRA,
VITAQVE CVM GEMITV FVGIT INDIGNATA SVB VMBRAS.

ILLE OCVLIS POSTQVAM) Completum est quod A lib. 10. est positum.

Turno tempus erit, magno cum optauerit emptum
Intactum Pallanta, & cùm spolia ista, diemq́,
Oderit.

OCVLIS HAVSIT) sic 4. Æneid. *Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus.* Sicut autem oculis, ita & auribus haurire dicunt poetæ, vt, *vocemq́ his auribus hausi.* Esse autem oculis acriores doloris sensus, oculosque dolorem augere, passim testatum auctores reliquerunt: vnde & videtur Antigone in Colon. Soph. innuere, cæcitatem patris θυμὸν minuere debere. ἔχεις γὰρ οὐ βαιὰ τ' ἀνθυμήματα, τῶν σῶν ἀδέρκτων ὀμμάτων τητώμενος, etiamsi aliter interpres acceperit. German.

SÆVI MONIMENTA DOLORIS) propriè monimenta: nam & monimentum ab eo dictum est, quod mentem moneat.

FVRIIS ACCENSVS, ET IRA) ἓν διὰ δυοῖν, pro furiosa ira: non enim omnis ira furit.

SPOLIIS INDVTE MEORVM) De vno loquens, vtitur numero multitudinis, qui mos est Latinorum scriptorum, augendi caussa. Meritò suum vocat Pallantem, in quo magnam fortunis suis spem, præsidiumque locatum sciebat. Proinde lib. 11. exclamat. *Heu mihi quantum Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis Iule?*

PALLAS TE HOC VVLN. PALLAS IMMOLAT) Repetitio nominis dignationem Æneæ magnam ostēdit. Ad suæ mortis, & abrupti fœderis vltionem, te tanquam hostiam immolat Pallas. Deprecantem Turnum non interficit Æneas, donec alterā fortitudinis partem potiorem ducat, vltionem scilicet necessitudinum. Itaque ne se quidem auctorem vult facere, vt alibi, *Æneæ magni dextra cadis*: sed reiecit in necessitatem, *Pallas te hoc vulnere, Pallas immolat*, tāquam inferias illi mactet pro victima, non tanquam hostem, qui bellum intulerit: nō riualem, qui vxorem petat: non fortunarum depopulatorem, qui regno fatali arceat. Scalig. Poet. lib. 3. ca. 12.

FERRVM ADVERSO SVB PECT. CONDIT) gladio illum inter pectus, ventremque transfigit.

SOLVVNTVR FRIGORE MEMBRA) morte, vt libr. 6. de Miseno *corpusq́ lauant frigentis, & vngunt* Vide ibi dicta. Lib. 1. Æneid. alio sensu, de Ænea timore correpto. *Extemplo Æneæ soluuntur frigore membra.* Græcis ὕπνος, καὶ θάνατος λυσιμελεῖς dicuntur. Frigus pro morte μετωνυμικῶς Horat. sat. 1. lib.

—— ——ô puer vt sis
Vitalis metuo, maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Hinc frigidus pro mortuo. Virgil. 9. Æneid. *Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen Frigidus.* Sic apud Persium illud sat. 1. *Vide sis ne maiorum tibi forte Limina frigescāt* Foquelinus exponit, mortem tibi frigidam incutiant, & afferant.

VITAQVE CVM GEM. FVG. INDIG.) Sic Homerus Iliad. χ.

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδος δὲ βεβήκει
Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα, καὶ ἥβην.

Vitam autem pro anima vsurpauit, vt suprà: *tum vita per auras Concessit mœsta ad manes.* Nimirum & philosophi vitam, & animam passim cōfundunt, quæ tamen aliquot locis discernit Aristoteles: vt lib. περὶ ζωῆς, vbi vitam definit, τὴν τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς μονήν. quam & Academici animæ comitari essentiam voluerunt, illiusque esse actum, ceu luminis emanantem, & diffusam collustrationem. Seruius, German.

Immolari propriè dicuntur victimæ, non cum cæduntur, sed cum accipiunt molā salsam. Cato in Originibus ita ait, Lauini boues immolatos, priusquam cæderentur profugisse in syluam. Festus Pompeius, immolare, est mola, id est, farre molito, & sale hostiam perspersam sacrare. Seneca in Oedipo, *taurorum colla mola salsa spargere.* Dionys. ἀρχὰς ἐπιρραίνειν τοῖς κεφαλαῖς τῶν θυμάτων. Quæ qui secum reputabit, mirari desinet, immolandi verbum non popis, aut victimariis, sed his, qui magistratu, sacerdotioue publico præditi, aut etiam priuatim domi sacra faciebant, assignari, &c. Brisson. Formular. lib. 1. num. 18.

Qui Virgilium vt crudelem accusant, quòd in Turni morte inexorabilem se præbuerit, non tā ipsum videntur reprehendere, quā falsam antiquorum religionem, B in qua crudeles, & iniuriarum persequentissimi pro piis habebantur. Et hunc locum Lactantius primus attigit, crimenque, quod dixi, poetæ exprobrauit. Quem ita, meo quidem iudicio, doctè, ac verè tuetur Modicius ca. 4. Locus ad scribetur.

Virgilius, qui mortuus est ante natum deum Seruatorem nostrum, à quo veritas nobis est reuelata, in scribendo mores, & religionem sui temporis secutus est. Opinabantur veteres illi, animas eorum, qui interfecti essent, miseras, errantes, inquietas, & infames, hoc est, inhonoratas esse, siue honoris expertes: nisi quis eas vlcisceretur: & eos piè, sanctèque facere, qui hostium sanguine, cognatorum, hospitum, & sociorum C manibus parentarent: quod qui, cum possent, non præstarent, in mortuos impij, & inofficiosi habebantur. Lucanus Crassi à Parthis interempti animam inultam errare dixit. Diana lib. 11. Æn. de Camilla interfecta sic loquitur. *Non tamen indecorem tua te regina relinquet: aut famam patieris inultæ.* Euander etiam Turnum gnato, & patri ab Ænea deberi dicit. Apud Ouidium Althæa morte Meleagri filij dat solatia manibus fratrum, quos ille peremerat. Morte Polyxenæ, manes Achillis placātur. Multa apud Poetas, & Historicos leguntur huiusmodi, quæ non sunt omnia colligenda: res est notissima, & constat inter doctos vindicationem esse naturalis iustitiæ partem: nos diuino præcepto ea cogimur D abstinere: & iniurias condonare: vt à deo, quem nimis sæpe lædimus, nobis peccata nostra dimittantur: hoc illi veteres ignorabant. Impius, ingratus, & infamis habitus fuisset Æneas, nisi Turnū, quasi inferias persoluens, Pallanti hospiti suo, & socio immolasset: nisi illi sanguine percussoris parentasset: nisi Euandri senis miserrimi orbitatem vltus esset. Excusant Turnum aliqui, quòd Pallantem bellum sibi inferentem iure interfecerit, non dolo, sed vi, & virtute, more strenui bellatoris. Sed Turnus, qui à Troianis nulla iniuria lacessitus, illos funditus perdere, aut ex Italia pellere statuerat, bellum iniustum Troianis intulit, Latino rege frustra reclamante, & sic admonente, *Te Turne nefas, te triste manebit Supplicium, &c.* Fuit igitur sceleratus, qui bellum iniu- E stum intulit, nec hostem sine scelere perimere potuit: morte propterea fuit multandus: nam ad principem, cui curæ est respub. magis pertinet peccantes punire, quàm precantibus impunitatem largiri. Turnus (inquiunt isti) de se summissè, de Ænea honorificè locutus, illum vicisse, & Lauinia coniuge dignum fatebatur: debuit igitur Æneas tam honorifica satisfactione contentus, ab eius sanguine abstinere. Ad hæc nos respondemus, prudentis viri non esse, ambitiosis homicidæ precibus tantum concedere, vt ab officio, & pietate, quam hospiti, socio, & benefactori suo mortuo præstare debet, recedens, impius, & ingratus habeatur. Turno debuit AEneas aliquid, vt homo homini: multò plus debuit, vt homo gratus, & memor homini benefactori

suo

suo: cumque vtrique simul satisfacere non posset, alterum rectè prætulit, cui plus debebat. Nisi Turni morte inferias Pallanti persoluisset, illius manes non quieuissent. Erat hæc opinio falsa, fateor, ea tamen tunc vigebat, & pro vera habebatur. Æneas, vt iam poetæ verba expendamus, Turni precibus flecti cœperat, cum ei viso Pallantis balteo, quem Turnus ad ostentationem gestare non debuerat, luctus, & dolor est renouatus, quàobrem sic dixit. Ego, quod in me est, ignosco tibi Turne, sed Pallas hoc vulnere te immolat: hoc est, Pallas, cui debeo, cogit me nolentem, & inuitum de tuo sanguine propter scelus pœnas sumere.

CVM GEMITV) In Turni règis Rutulorum nece, cur voce *gemitu* vsus fuerit Maro, *Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub vmbras* nemo explicat, & tamen digna res fuit, quæ silentio minimè prætermitteretur, cum heroi illi sæuo, atque immani, in bello præsertim morienti, & fortissimi viri dextra cadenti, (quæ res non minimum, vt in illo statu, solatium occumbentibus afferre consueuit) nihil minus conuenire videatur, quàm gemere. Sed ex rei natura locutus est. Quærunt naturalium affectionum studiosi, quid caussæ sit, quamobré moribundi sonum edant, tanquam murmur aquæ labentis per salebras, locaque anfractuosa, & incurua, aut qualem siphunculi, & fistulæ in aquæductibus sonum excitant, neq; aliunde hoc contingere affirmant, quam quia cum vocalem arteriam occludi contingat, spiritus, qui confertim erumpere gestit, nactus angustum meatum, collapsamque fistulam, gargarismo quodam prodit, ac tantum murmur efficit. Conglomeratus itaq; spiritus, spumaque turgida commixtus, sonitum excitat reciprocantis maris æstui similem: quod ipsum in nonnullis etiam sic ob panniculos, ac membranas in rugas contractas, fit, vt spiritus obliquè, ac sinuoso volumine decurrat. Hi autem, qui valido sunt, vastoque corpore, & qui violenta morte pereunt, quod de Turno narrat Virgilius, grauius resonant, diutiusque cum morte luctantur, ob humoris copiam, ac densos, crassosque spiritus: iis verò, qui extenuato sunt corpore, ac lenta morte contabescunt, minus impetuosè, leuique sonitu fertur spiritus, ac sensim, placideq; extinguuntur, & quodammodo obdormiscunt. Vocem porrò *gemitus* aptissimam esse huic rei significandæ, sciri potest etiam ex illo Eclog. 1. *Nec gemere aëria cessabit turtur ab vlmo.* Et Martial. libr. 5. *Gemit hic palumbus, inde cereus turtur.* Vbi gemere non est flere, & lacrymas fundere: verùm quendam raucum sonum emittere, cuiusmodi turtures, & palumbes propriè edere consueuerunt. Eandem pulchro simili ad aquas transtulit Flaccus Ode 20. li. 2. *Visam gementis littora Bosphori.* Titius lib. 7. cap. 23.

INDIGNATA) Vel quia preces veniam non meruerant, cum tamen per Anchisæ manes rogasset: vel quia Lauiniam fore sciebat Æneæ: vel quia, vt suprà de Camilla dicebamus, discedebat à iuuene. Nam volunt Physici, animam discedere à corpore inuitam, cum quo adhuc habitare naturæ legibus poterat. Seruius. * *Si anima humana est forma corporis humani, itaq; à deo condita, vt corpus hoc informet, & in eodem, tanquam in tabernaculo proprio, ac suo habitet: consequitur necessariò eam inde inuitam, ac nolentem abesse. Si inuita abest, vtique etiam inuita discessit. Quare & in lectulo morientium, & quamuis longæuorum anima indignata fugit sub vmbras, vt poeta verbis vtamur: & ex artubus non ipsa vltro euolat vnquam: verùm extincto calore naturali, humorum, qualitatumq; temperamento, & iunctura dissoluta penitus confusa, ac perturbata, tanquam vinculis, quibus libens tenebatur, diruptis, extruditur. Sed tamē illibenter, & indignantem è domicilio suo iucundissimo abire potissimè manifestum fit in iis, qui violento quopiam mortis genere conficiuntur, vt qui gladio, fame, aquis intereunt, &c.*

Hæc fuerunt, Lectores optimi, quæ ad principem poetam interpretandum, collustrandumque diurnis ac nocturnis laboribus collecta, delecta, distributa, atque disposita in vulgus proferenda decreuimus. Si vobis rem gratam, si frugiferam, si iucundam perpetrauimus, deo immortali sit gratia: consecuti enim ipso adiutante sumus, quod hoc vehementius assiduè optabamus, quò nos ad cōmunes vtilitates in medium afferendas, quantum quidem possumus, (& vtinam possemus amplius) propensiores experimur. Sin autem secus cecidit, quā cupiuimus, & sperauimus, forsitan nostrum desideriū, & conatus, saltem fidelissimi aliquam beneuolentiæ vestræ partem merebuntur, vt qui illud memoriter memineritis,

Quod si deficiant vires, audacia certè
Laus erit in magnis, & voluisse sat est.

SYMBOLARVM FINIS.

LAVS, ET HONOR REGI SÆCVLORVM IMMORTALI.



PARA-



PARALIPOMENA AD VIRGILIVM.

Lectori.



VR tandem hæc siue Supplementa, siue Prætermissa, siue (vt iam græco nomine vsitatius vocitantur) PARALIPOMENA operi nostri subiuncta voluerim, quanquam potes me tacente cogitatione præcipere, tamen eloquar. Libros aliquot erudite scriptos serius adeptus sum: è quibus quæ ad Symbolas facere censui, quoniam suis locis singula intexere amplius nequiui, ad vmbilicos necessariò reieci. Docuit præterea diem priorem posterior dies, & animaduersum à me, potuisse nonnulla aut verius, aut plenius, aut clarius, complectar vno verbo, melius dici: quod, vt hostia quasi succidanea obtinere liceret, omnem lapidem moui. Adde quod quædam inducenda, alia leuiter immutanda, aut locis permutanda hic suggerentur: etsi in hoc genere minutiora præterij. Denique dum Symbola in manibus operarum sunt, interim per floriferos scriptorum præstantium saltus libata à me plura, & cogitata quoque non pauca, quæ omnia veteri lege amicitiæ tecum candidè communicanda existimaui. Hæc igitur sub tuum iudicium subiicimus, quem, vti in rebus emundis solemus, hoc auctario lætatum iri haud diffidimus.



PARALIPOMENA AD ECLOGAS.

AD PRIMAM ECLOGAM.



OLVMNA 5. A. versu, seu linea 1. post verba, dulcia vocantem arua induxerit) adde hæc. Quantum patriæ debeamus, quantumque eidem deuincti simus, grauissimus auctor Plato quoque in Critone demonstrauit. Reliqua, Mirum igitur videri, &c. licet inducas. A

Eadem colum. D. NOBIS HÆC OTIA FECIT) cum Symbola sua locanda sunt post DEVS) Deus dictus est, &c. in altera columna. Tertio loco ista, SEMPER) Id est, & post mortem, &c.

Colum. 9. C. versu 10. deca re vti verba fiant) Adde in eadem lin. Et Liuius lib. 27. Ex Campania nuntiata erant. Capuæ duas ædes, Fortunæ, & Martis, & sepulcra aliquot de cœlo tacta. Locos alios eiusdem vel trecentos prætermitto. B

Colum. 10. B. Quæritur cur de Cæsare, &c. præscribe maiusculis litteris verba aliquot de carmine poetæ, nempe VRBEM QVAM DICVNT ROMAM) hoc facito, vbicunque post seriem versuum, initio Symbolarum prætermissa sunt: in quo sæpius peccatum, in Bucolicis præsertim.

Colum. 11. B. post hæc verba, *vel da quamobrem transeas*) adiunge hæc. Hercules ad Iunonem apud Senecam, *da si quid vltra est*. Putant nonnulli exponendum esse dic, suggere. Statius, *Asopus genuisse datur*, id est, dicitur, fertur. Sic videtur vsus hoc verbo M. Tullius Academ. 1. sed da mihi nunc, satisné putes, &c. Horat. sat. 8. lib. 1. *da, si graue non est Quæ prima iratum ventrem placauerit esca*. Apud Iureconsultos dare sententiam, pro dicere, & proferre. Et dare simpliciter eadem notione. Vide Ioan. Bernartium in 7. Thebaid. Statij.

Colum. 13. C. lin. 3. in libertatem sese vindicauere) Adde mox. Nam vt Plautus ait in Capt. *Omnes profectò liberi lubentius sumus, quam seruimus*. Et Cæsar 3. belli Gall. Omnes homines natura libertati student, & conditionem seruitutis oderunt.

Colum. 14. A. lin. 14. ab Alex. lib. 1. cap. 26.) Adde ista. De Nerone Xiphilin. Post hæc celebrauit festa alterius generis, quæ dicuntur Iuuenalia: ea propter barbam eius, quæ tum primùm rasa fuerat, facta sunt: cuius pilos in sphæram auream coniectos, Ioui Capitolino consecrauit.

Ibidem

Ibid.B.lin.11.voluisse Turneb.dicere) Adde.Idem annotat.in præfat.Plinij. Est & contubernium inter seruos,vt matrimonium inter liberos, apud Iureconsultos: vnde apud Columellam contubernalis vxor serui est. Contubernium tale significauit Maro,cum scripsit, *Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit*,&c. De se enim vt seruo loquitur,qui Amaryllin contubernalem haberet, cum antea habuisset contubernalem Galateam &c.

Colum.15.lin.7. Tu si voles interpretabere) Adde. * *Quia Tityrus dicit, se haberi ab Amaryllide, & mox*, dum me Galatea tenebat, *exprimit posteriorem partem illius dicti ab Aristippo ἔχομαι οὐκ ἔχομαι. Sed quoniam turpe est viro, dicere, se haberi, seu teneri à muliere, dicamus oportet, poetam per hypallagen locutum, hoc sensu, postquam ego cœpi habere Amaryllidem. Nam antea cum tenerem Galateam*, &c.

Colum.16.B.lin.10. Meis septis) Septa propriè, &c.loco horum,vsque ad asteriscum,ponantur hæc.Septa generali vocabulo omnia loca munita,& quodam sepimento vallata.Inde speciatim in campo Martio loca inclusa tabulatis septa dici meruerunt.Sueton.venationem in septis datam esse testatur. Plin. lib.16. trabs in porticibus septorum relicta. M. Varro appellat omnia septa,quæ inclusa habent animalia, quæ pascuntur. Prauè Seruius hîc,septa posuisse poetam pro ouilibus,& contra Lucanum,ac Iuuenalem pro septis dixisse ouilia,pro septis,inquam, intra quæ popul. Roman. ferebat suffragium comitiali die. Ouile erat locus in campo Martio ita peculiariter nuncupatus. Liuius lib. 26.citatis Vesuriæ senioribus, datum secreto in ouili cum his colloquendi tempus.Nam si Lucanus,& Iuuenalis ouilia pro septis posuissent, Liuius tam audax non fuisset,licent enim multa poetis, quæ non alijs. Strabo etiam lib.5. Sylla alios qui arma proiecerant ad millia tria, vel vt alij, quatuor in campo Martio ad ouilia coactos,immissis militibus iugulauit. Hæc summatim ex annotat.Beroaldi in Seruium.

Gruchius lib.1. de comitijs fusius, & dilucidius, quid ouile fuerit,nos docet. Locus, inquit,in quo centuria prærogatiua erat, nominatim appellabatur ouile, in quem locum centuriæ seniorum ingredi non licebat,nisi potestate facta à consule. Ouile verò dicebatur ppter similitudinē, q̄ vndiq; cancellis clausus esset, in quo loco cum essent,suffragium dicebāt,ita, vt interim non liceret alijs in eo loco esse. Huius etiam loci meminit Dionysius,vbi de comitijs L.Quintij loquitur,& Lucanus cū ita scribit, *Et misera maculauit ouilia Roma.*

Colum. 17. D. post versum 12. collocabis hæc. Ipsa hæc arbusta) Locum, in quo sunt arbores volunt esse arbustum Grammatici, vt salictum. Beroald. annotat.in Seruium docet,arbustum propriè significare arbores viribus maritatas, atque vitiferas, quæ in ordines digeruntur : vt tradunt Plinius, Columella, Palladius,scribentes, quando arbustum sit faciendum.

Colum.18.A.lin.9. *nec seruitio*) Adde.Et Eclog. 5. *Nam neq; me tantum venientis sibilus Austri, Nec percussa iuuant fluctu tam littora.* Et lin. 11. forsitan ex vno Virgilio) dele *forsitan*, nimis enim sæpè hoc facit, & adde. Plaut.Amphit.

Caput dolet, neq; audio, nec oculis prospicio satis,
Nec me miserior fœmina est, neq; vlla videatur magis.

Eadem colum.D. lin. 10. Cæsares dedimus) Ab initio, seu noua linea, vt dicunt. Per diuos præsentes, quos se Romæ dicit cognouisse,accipe amicos eius, Augustum,Mæcenatem,Varum,Pollionem,viros potentes opibus,& auctoritate summa.Sic Horat. sat.6.lib.2.

Quicunq; obuius est, me consulit, ô bone (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet

Nunquid de Dacis audisti?

Ait se ab obuijs interrogari solitū, ecquid ab Augusto, Mæcenate,& illis familiaribus suis, tanquam dijs quibusdam,audierit aliquid de Dacis pop.Rom. hostibus.

Colum.20.C.post versum 10.intexe ista.Idem in præfat.Plinij.Horas subsiciuas appellat superuacaneas, ab agris subsiciuis,qui à subsicando(nam subsicare veteres dicebant)vocantur: hi sunt,qui centuriam non implent,aut centurijs expletis superāt. Huius generis etiam sunt loca palustria,& sterilia, quæ non assignabantur.Sunt & è genere subsiciuorum loca relicta, vt doceo comment.in orationes in Rullū. Huius generis agrum sibi relictum ab Augusto significat Virgilius, id est,partem agri sui, meliore adempta sterilem, & palustrem,quæ assignari non potuisset:quod quidem interpretes non animaduertisse miror. Conqueritur apud Sallust. Lepidus, militibus subsiciua,pro bonis agris assignata.Egregia scilicet mercede, inquit, cum relegari in syluas,& paludes in contumeliam, atque inuidiam suam præmia penes paucos intelligerent.

Eadem colum.E.lin.1.*qua solent edere fœtus*) Adde,noua linea. Turneb.annotat.in præfat.Plinij.Fœtura in pecore dicitur, vt in muliere puerperium. Varro, altera pars est in fœtura, quæ fuit obseruanda, quod alia alio tempore parere solet. Vnde & fœtæ,quæ pepererunt,dicūtur.Profert hunc locū,Tur. & illum ex Ecl. 3. *Lenta salix fœto pecori.* Itaq; errat Seruius,& qui Seruium sequuntur,dum fœtas grauidas accipiunt. Varro, Quæ ostenderent nostras fœtas, quæ in conopeis iacent dies aliquot,esse eiuncidas, & contemnendas. Est & fœtura interdum fœtus ipse,interprete Seruio, vt ibi, *si fœtura gregem suppleuerit.*

Colum.23.D.lin.12.in Collat.suis Vrsinus) Adde. Plurima item huius generis in vnum conduxit Delrius Aduersar.in Herculem Fur.Senecæ, pag. 129. ex ipsomet Seneca:& Commentar.in eandem tragœd.ex Græcis,Latinisque auctoribus.

Colum.24.A.lin.1. Tigrim sagittam appellat) Adde.in epitaphio quodā lib.3.Anth.nominatur ἀγρίφου.

Colum.25.B.Britanniam descripsit Strabo lib.4.) Adde.Sub Tito Vespasiani filio quomodo primum cognitum sit,esse insulam Britanniam,disces ex Xiphilino in Tito.

Ibid.C.versu 6.sic lege, & mecum emenda locū Camertis.Eam insulam postea dictam Angliam ab Anglia regina,qua duce Saxones eam subegerint, merum commentum est. Tulit.n.hoc nomen ab Anglis populo, qui qua occasione in Britanniam, & è quibus sedibus venerit,traditū est à Gulielmo Camdemo in Chorographica descriptione Britanniæ.

Colum.26.A.lin. 9. *Et dulcia linquimus arua*, & alibi.) Adiunge.Liuius li. 30.En vnquam ille dies futurus esset,quo vacuam hostibus Italiam bona pace florentem visuri essent?

Colum. 27. D. lin. 3. Plura exempla sunt obuia) Adijce.Sophocles per ἄροτον arationem, indicauit annum.Diodorus epithaphio in adolescentem puberem Anthol.lib.3.εἴκοσι, ποίας Μοῦνον ἐπὶ βιότῳ πλήσαο καὶ τέσσαρας.Post quam viginti & quatuor herbas, æstates impleuisti.Ibidem ex Theocriti scholiaste hoc glossema profert Brodæus. ποίαν δ' ἴσως τὸν πυρὸν κατ' ἐξοχήν, ἀφ' οὗ καὶ τὸν ἐνιαυτὸν, ποίαν ἐκάλεσαν.

AD SECVNDAM ECLOGAM.

Colum. 34. A.lin. 13. *ipsum sollicitare Iouem*) Adde. Sed cum ex Apuleio, Tiberio Donato,& alijs cōstet,



PARALIPOMENA AD VIRGILIVM.

Lectori.



VR tandem hæc siue Supplementa, siue Prætermissa, siue (vt iam græco nomine vsitatius vocitantur) PARALIPOMENA operi nostri subiuncta voluerim, quanquam potes me tacente cogitatione præcipere, tamen eloquar. Libros aliquot eruditè scriptos serius adeptus sum: è quibus quæ ad Symbolas facere censui, quoniam suis locis singula intexere amplius nequiui, ad vmbilicos necessariò reieci. Docuit præterea diem priorem posterior dies. & animaduersum à me, potuisse nonnulla aut verius, aut plenius, aut clarius, complectar vno verbo, melius dici: quod, vt hostia quasi succidanea obtinere liceret, omnem lapidem moui. Adde quod quædam inducenda, alia leuiter immutanda, aut locis permutanda hîc suggerentur: et si in hoc genere minutiora præterij. Denique dum Symbolæ in manibus operarum sunt, interim per floriferos scriptorum præstantium saltus libata à me plura, & cogitata quoque non pauca, quæ omnia veteri lege amicitiæ tecum candidè communicanda existimaui. Hæc igitur sub tuum iudicium subiicimus, quem, vti in rebus emundis solemus, hoc auctario lætatum iri haud diffidimus.



PARALIPOMENA AD ECLOGAS.

AD PRIMAM ECLOGAM.



OLVMNA 5. A. versu, seu linea 1. post verba, dulcia vocantem arua induxerit) adde hæc. Quantum patriæ debeamus, quantumque eidem deuincti simus, grauissimus auctor Plato quoque in Critone demonstrauit. Reliqua, Mirum igitur videri, &c. licet inducas. A

Eadem colum. D. NOBIS HÆC OTIA FECIT) cum Symbola sua locanda sunt post DEVS) Deus dictus est, &c. in altera columna. Tertio loco ista, SEMPER) Id est, & post mortem, &c.

Colum. 9. C. versu 10. deca re vti verba fiant) Adde in eadem lin. Et Liuius lib. 27. Ex Campania nuntiata erant. Capuæ duas ædes, Fortunæ, & Martis, & sepulcra aliquot de cœlo tacta. Locos alios eiusdem vel trecentos prætermitto. B

Colum. 10. B. Quæritur cur de Cæsare, &c. præscribe maiusculis litteris verba aliquot de carmine poetæ, nempe VRBEM QVAM DICVNT ROMAM) hoc facito, vbicunque post seriem versuum, initio Symbolarum prætermissa sunt: in quo sæpius peccatum, in Bucolicis præsertim.

Colum. 11. B. post hæc verba, *vel da quamobrem transeas*) adiunge hæc. Hercules ad Iunonem apud Senecam, *da si quid vltra est.* Putant nonnulli exponendum esse dic, suggere. Statius, *Asopus genuisse datur*, id est, dicitur, fertur. Sic videtur vsus hoc verbo M. Tullius Academ. 1. sed da mihi nunc, satisne putes, &c. Horat. sat. 8. lib. 1. *da, si graue non est Quæ prima iratum ventrem placauerit esca.* Apud Iureconsultos dare sententiam, pro dicere, & proferre. Et dare simpliciter eadem notione. Vide Ioan. Bernartium in 7. Thebaid. Statij.

Colum. 13. C. lin. 3. in libertatem sese vindicauere) Adde mox. Nam vt Plautus ait in Capt. *Omnes profectò liberi lubentius sumus, quam seruimus.* Et Cæsar 3. belli Gall. Omnes homines natura libertati student, & conditionem seruitutis oderunt.

Colum. 14. A. lin. 14. ab Alex. lib. 1. cap. 26.) Adde ista. De Nerone Xiphilin. Post hæc celebrauit festa alterius generis, quæ dicuntur Iuuenalia: ea propter barbam eius, quæ tum primùm rasa fuerat, facta sunt: cuius pilos in sphæram auream coniectos, Ioui Capitolino consecrauit.

Ibidem

Ibid.B.lin.11.voluisse Turneb.dicere) Adde.Idem A annotat.in præfat.Plinij. Est & contubernium inter seruos,vt matrimonium inter liberos, apud Iureconsultos: vnde apud Columellam contubernalis vxor serui est. Contubernium tale significauit Maro,cum scripsit, *Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit*,&c. De se enim vt seruo loquitur,qui Amaryllin contubernalem haberet, cum antea habuisset contubernalem Galateam &c.

Colum.15.lin.7. Tu si voles interpretabere) Adde. * *Quia Tityrus dicit, se haberi ab Amaryllide, & mox*, dum me Galatea tenebat, *exprimit posteriorem partem illius dicti ab Aristippo ἔχομαι οὐκ ἔχομαι. Sed quoniam turpe est viro, dicere, se haberi, seu teneri à muliere, dicamus oportet, poetam per hypallagen locutum, hoc sensu, postquam ego cœpi habere Amaryllidem. Nam antea cum tenerem Galateam, &c.* B

Colum.16.B.lin.10. Meis septis) Septa propriè, &c.loco horum,vsque ad asteriscum,ponantur hæc. Septa generali vocabulo omnia loca munita,& quodam sepimento vallata.Inde speciatim in campo Martio loca inclusa tabulatis septa dici meruerunt. Sueton. venationem in septis datam esse testatur. Plin. lib.16. trabs in porticibus septorum relicta. M. Varro appellat omnia septa,quæ inclusa habent animalia, quæ pascuntur. Prauè Seruius hìc,septa posuisse poetam pro ouilibus,& contra Lucanum,ac Iuuenalem pro septis dixisse ouilia,pro septis,inquam, intra quæ popul. Roman. ferebat suffragium comitiali die. Ouile erat locus in C campo Martio ita peculiariter nuncupatus. Liuius lib. 26.citatis Vesuriæ senioribus, datum secreto in ouili cum his colloquendi tempus. Nam si Lucanus,& Iuuenalis ouilia pro septis posuissent, Liuius tam audax non fuisset,licent enim multa poetis, quæ non alijs. Strabo etiam lib.5. Sylla alios qui arma proiecerant ad millia tria, vel vt alij, quatuor in campo Martio ad ouilia coactos,immissis militibus iugulauit. Hæc summatim ex annotat.Beroaldi in Seruium.

Gruchius lib.1. de comitijs fusius, & dilucidius, quid ouile fuerit,nos docet. Locus, inquit,in quo centuria prærogatiua erat, nominatim appellabatur ouile, in quem locum centuriæ seniorum ingredi non licebat,nisi potestatē factā à consule. Ouile verò dicebatur D ppter similitudinē, q vndiq; cancellis clausus esset, in quo loco cum essent,suffragium dicebāt,ita, vt interim non liceret alijs in eo loco esse. Huius etiam loci meminit Dionysius,vbi de comitijs L.Quintij loquitur,& Lucanus cū ita scribit, *& misera maculauit ouilia Romæ.*

Colum. 17. D. post versum 12. collocabis hæc. Ipsa hæc arbvsta) Locum, in quo sunt arbores volunt esse arbustum Grammatici, vt salictum. Beroald. annotat.in Seruium docet,arbustum propriè significare arbores vitibus maritatas, atque vitiferas, quæ in ordines digeruntur: vt tradunt Plinius, Columella, Palladius,scribentes, quando arbustum sit faciendum.

Colum.18.A.lin.9. *nec seruitio*) Adde. Et Eclog. E 5. *Nam neq; me tantum venientis sibilus Austri, Nec percussa iuuant fluctu tam littora.* Et lin. 11. forsitan ex vno Virgilio) dele *forsitan*, nimis enim sæpè hoc facit, & adde. Plaut. Amphit.

Caput dolet, neq; audio, nec oculis prospicio satis,
Nec me miserior fœmina est, neq; vlla videatur magis.

Eadem colum.D. lin.10. Cæsares dedimus) Ab initio, seu noua linea, vt dicunt. Per diuos præsentes, quos se Romæ dicit cognouisse,accipe amicos eius, Augustum, Mæcenatem, Varum, Pollionem, viros potentes opibus,& auctoritate summa. Sic Horat. sat.6.lib.2.

Quicunq; obuius est, me consulit. ô bone (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet

Nunquid de Dacis audisti?

Ait se ab obuijs interrogari solitū, ecquid ab Augusto, Mæcenate,& illis familiaribus suis, tanquam dijs quibusdam,audierit aliquid de Dacis pop.Rom. hostibus.

Colum.20.C.post versum 10. intexe ista. Idem in præfat. Plinij. Horas subsicivas appellat superuacaneas, ab agris subsiciuis,qui à subsicando (nam subsicare veteres dicebant) vocantur: hi sunt,qui centuriam non implent,aut centurijs expletis superāt. Huius generis etiam sunt loca palustria,& sterilia, quæ non assignabantur. Sunt & è genere subsiciuorum loca relicta, vt doceo comment.in orationes in Rullū. Huius generis agrum sibi relictum ab Augusto significat Virgilius, id est,partem agri sui, meliore adempta sterilem,& palustrem,quæ assignari non potuisset: quod quidem interpretes non animaduertisse miror. Conqueritur apud Sallust. Lepidus, militibus subsiciua,pro bonis agris assignata. Egregia scilicet mercede, inquit, cum relegati in syluas,& paludes in contumeliam, atque inuidiam suam præmia penes paucos intelligerent.

Eadem colum.E.lin.1. *quæ solent edere fœtus*) Adde, noua linea. Turneb. annotat.in præfat.Plinij. Fœtura in pecore dicitur, vt in muliere puerperium. Varro, altera pars est in fœtura, quæ fuit obseruanda, quod alia alio tempore parere solet. Vnde & fœtæ, quæ pepererunt, dicūtur. Profert hunc locū, Tur. & illum ex Ecl. 3. *Lenta salix fœto pecori.* Itaq; errat Seruius,& qui Seruium sequuntur,dum fœtas grauidas accipiunt. Varro, Quæ ostenderent nostras fœtas, quæ in conopeis iacent dies aliquot, esse eiuncidas, & contemnendas. Est & fœtura interdum fœtus ipse, interprete Seruio, vt ibi, *si fœtura gregem suppleuerit.*

Colum.33.D.lin.12.in Collat.suis Vrsinus) Adde. Plurima item huius generis in vnum conduxit Delrius Aduersar.in Herculem Fur.Senecæ, pag. 129. ex ipsomet Seneca: & Commentat.in eandem tragœd. ex Græcis, Latinisque auctoribus. ❧

Colum.24.A.lin.1. Tigrim sagittam appellat) Adde. in epitaphio quodā lib.3. Anth. nominatur ἀγρήνη.

Colum.25.B. Britanniam descripsit Strabo lib.4.) Adde. Sub Tito Vespasiani filio quomodo primum cognitum sit, esse insulam Britanniam, disces ex Xiphilino in Tito.

Ibid.C.versu 6. sic lege, & mecum emenda locū Camertis. Eam insulam postea dictam Angliam ab Anglia regina, qua duce Saxones eam subegerint, merum commentum est. Tulit.n.hoc nomen ab Anglis populo, qui qua occasione in Britanniam, & è quibus sedibus venerit, traditū est à Gulielmo Camdemo in Chorographica descriptione Britanniæ.

Colum.26.A.lin. 9. *& dulcia linquimus arua*, & alibi.) Adiunge. Liuius li. 30. En vnquam ille dies futurus esset, quo vacuam hostibus Italiam bona pace florentem visuri essent?

Colum. 27. D. lin. 3. Plura exempla sunt obuia) Adijce. Sophocles per ἄροτον arationem, indicauit annum. Diodorus epithaphio in adolescentem puberem Anthol. lib.3. εἴκοσι, ποίας Μοῦνον ἐπὶ βιότῳ παύσαο καὶ πίσυρας. Post quam viginti & quatuor herbas, æstates impleuisti. Ibidem ex Theocriti scholiaste hoc glossema profert Brodæus. ποίαν δ' ἴσως τὸν πυρὸν κατ' ἐξοχήν, ἀφ' οὗ καὶ τὸν ἐνιαυτόν, ποίαν ἐκάλεσαν. ❧

AD SECVNDAM ECLOGAM.

Colum. 34. A. lin. 13. *ipsum sollicitare Iouem*) Adde. Sed cum ex Apuleio, Tiberio Donato, & alijs cō-

ſtet, hunc Alexin (ita ſcilicet ficto nomine vocatum) A puerum fuiſſe Pollionis; iudicat Parrhaſius in Epiſt. quæſt. Martialem, dum eum Mæcenati dat, feciſſe quod ſolent poetæ, vt locos aliunde ſumptos in parodijs immutent aliquantum. Hoc cuiuſmodi ſit, exemplis aliquot perſpicietur. Martialis.

Vſſit amatorem Nemeſis laſciua Tibullum,
In tota iuuit quem nihil eſſe domo:

quum Tibullus eo pentametro Deliæ, non Nemeſi blandiatur. Propertius de Virgilij Bucolico,

Tu canis vmbroſi ſubter pineta Galeſi
Thyrſin, & attritis Daphnin arundinibus.

Apud Virgilium res agitur in ripa Mincij: Propertius inde ſcenam tranſtulit in agrum Tarentinum, iuxta amnem Galeſum. B Fugit enim quantum poetis in hoc genere liceat, eos, qui præter hiſtoriam ſcripſerunt, in Tarentino receſſu bucolicon carmen à Virgilio lucubratum, quod Propertius hic intelligat. Horatius in Odis. *haud parauero, Quod auarus vt Chremes terra premam*. Terentiana quidem perſona Chremes eſt, & rei familiaris admodum diligens: infodiſſe tamen argentum non inducitur. At hoc ex commodo ſuo Flaccus effinxit, &c.

Ibid B. lin. 10. Adde.* *Dicit Maro, eum effudiſſe querelam non ſine numero, vt ait Turneb. ſed ſine legitimo numero. Erant igitur carmina, incondita, id eſt non bene, ac metricè ſatis confecta, non ita ad regulam congruentia. Vt hic:* Solatium eſt miſeris ſocios habere pœnarum. *Tales faciebant interdum milites* C *cum Imp. triumphantes Liuius lib. 4. Cum ex ſenatuſconſulto vrbē ouans introiret. alternis inconditi verſus militari licentia iactati.*

Colum. 57, A. lin. 4. *& ſic voce conſert*) Adde, à principio. Pythagoras dicebat, auctore Lucretio, non eoſdem cibos fas eſſe apponi liberis, & ſeruis: ſatiſq; conſtat ex veteribus monumentis, olim ruſticis, meſſoribus, mercenarijs, & alijs id genus hominibus ſerpyllum, allium, & huiuſcemodi herbas in cibum dari ſolitas. Omitto Virgil. & Horatium teſtes, Herodotus in Euterpe, quo loco pyramidem Cleopis Ægyptiorum regis deſcribit, refert, mille talenta in eiuſdem pyramidis operarios pro apio, cæpis, & allio fuiſſe erogata. Et vt ſcribit Plin. lib. 26. cap. 12. aliqui ex ijs, qui de pyramidibus ſcripſerunt, prodiderunt, in raphanos, allium, & cœpas mille octingenta talenta impenſa. D Horat. ad Piſones, populares, ac plebeios homines ſignificare volens, *Nec ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor.* Illud ex Plin. obſeruauimus, lib. 19. cap. 4. olim eſum quorundam exquiſitorum pomorum fuiſſe pauperibus interdictum: nec licuiſſe plebi carduis veſci: vt hinc intelligas, iam ab illis temporibus carduos fuiſſe in delitijs principum virorum. Tiraquell. de Nobilit. cap. 20. num. 147.

Colum. 42. A. lin. 3. *& frigore deſit*) Addendum. Coloſtrum autem non propriè ſignificat lac nouum, in quo Beroald. taxat Seruium, ſed eſt ſpongioſa laxitas à partu, auctor Plin. Alluſit illo diſticho Martialis, cuius E lemma, Coloſtrum.

Surripuit paſtor quæ nondum ſtantibus hædis,
De primo matrum lacte coloſtra damus.

Ibidem D. lin. 12. lib. 2. cap. 8.) Appone.* *Vnde hic ſunt, & quare hoc nomen ſortitus, præterea cur duo illi fratres, alter Zethus, alter Amphion dicti, docet Hyginus mythol, cap. 7.*

Bolum. 46. A. lin. 5. *dare lenta coagula lactis*) Adde. TIBI SORDIDA RVRA) Pronomen *tibi*, malè ad verbum *libeat* refertur. Non enim optat paſtor, vt libeat Alexidi habitare ſecum ſordida rura, & humiles caſas: ſed ad vocem *ſordida* pertinet. O libeat mecum habitare rura, quæ tibi eleganti, ac tenero puero ſordent alioqui, vt aſſueto vrbanis mundicijs, & lautitijs. ❧

Ibid. FIGERE CERVOS) ante *ἀναφώνησιν* vno verbo, &c.) inſere iſta. A ceruinorum cornuum ſimilitudine iuxta Varronem, & Seruium dicuntur cerui illæ furcæ, quibus ruſtici ſuas caſas ſtabiliunt. Hos in caſtrorum quoque munitionibus adhiberi ſolitos, patet ex Cæſare de bello ciuili, & Gallico. Apud Tibull. lib. 4. ad Meſſallam horum mentionem factam exiſtimo, & legendum.

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam caſtris perducere foſſam,
Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos,
Quemúe locum ducto melius ſit claudere vallo.

Delrius in Oediq. Senecæ. Verumtamen vt 2. Poliorcet. dial. 2. demonſtrauit Lipſius, apud Cæſarem ſunt ramoſi trunci arborum, in faciem cornuum cerui: atque ij firmiores aliâs, aliâs infirmi. Iſti teneriores, & infirmi, ceruoli dicebantur, verbo diminuente. Lege reliqua.

Colum. 47. D. lin. 2. ego enim primus habui) Adiunge. Huiuſcemodi tropus, & quidem duplex etiam ante lectus eſt, Eclog. 1. quod oſtendimus, ibi ſcilicet, *Poſtquam nos Amaryllis habet*, & ſequenti verſu, *dum me Galatea tenebat.*

Colum. 52. A. lin. 1. cogita ſemper) Attexe. Item, cum quempiam vt ineptum, imperitum, moribus agreſtem volemus reprehendere. De ruſticitate, & ruſticis quales ſint, Tiraquell. de Nobilitat. cap. 2. num. 57. ❧

Colom. 53. D. lin. 1. lib. 12. 7.) Appone hanc appendicem.* *Figmento hoc de Pallade. quæ & Minerua, vrbium auctore. Veteres hoc inſinuarunt, vrbes tam prudentia, ſcientiaq; litterarum, quam viribus, & fortitudine bellica occupari, ac retineri ſolere. Sciunt etiam eruditiores, quamobrem Alphonſus rex Arag. librum apertum in vexilla militaria intextum geſſerit, & cur in ocreis Liuium ſemper habuerit in expeditionibus.*

Colum. 54 B. lin. 8. adnecte à principio, ſeu cum noua linea. Laſciuia apud Plin. lib. 26. cap. 1. eſt ludus; ſiue iocus, petulantia, & procacitate improbus. Iureconſultus in tractatu de re militari, & locati. laſciuia recipitur pro incontinentia animi, nec virtutem, nec D probitatem reuerentis, procacitateque ſe oblectantis. Laſciuire eſt petulanter agere, vt equi indomiti ſolent, aut qui diu in otio fuerunt, qui aut calcitrare præter ſolitum, aut luſitare, exultareque ſolent. *σκιρτᾶν, ἀτακτεῖν, ἐξυβρίζειν*. Laſciuire etiam arbores dicuntur, cum nimia pabuli vbertate eluxuriant. Budæus in Pand.

Colum. 55 E. ante lineam vlt. inſere hæc. Detexere, ait Seruius, id eſt, multum texere, finire, perficere: nam, de, modò non minuentis eſt, ſed augentis. Cic. 2. de nat. deor. ea reperiunt, quibus ante exorſa, vel potius detexta pene retexantur. Plaut. Amphit. *Illic homo denuo volt pallium detexere.*

AD TERTIAM ECLOGAM.

COlum. 60. B. lin. 13. *Nam illa quid taceat, incertum eſt*) Addendum. *Exempla huius orationis deficientis, & honeſta rem reparum honeſta, ſunt iſta quoq; Plaut. Ciſtell.* Quæ cum viris ſuis prædicant nos ſolere, *emittitur, rem habere, aut ſcortari.* Cic. Tuſculan. 3. Si verò aliquid etiam, tum planè luctum omnem abſterſeris. Qua oratione Tullius, id quod in Notis obſeruatum ab Vrſino, verecundiſſimè, & *κατὰ ἀποσιώπησιν* quæ turpia erant, notauit *τὰ ἀφροδίσια*, quò inuiſiorem redderet Epicurum, ob impudentiam. Cato, ſi cum alieno viro probri quid fecit, pro, ſi adulterium commiſit, probri enim vocem in hac re ponebant, immò in libidine, & ſtupris. ❧

Colum. 61. B. *ſcortari intellige caprarum nomine.*) Adijce Plin.

Plin. vocat graueolentiam, & aliquando virus alarum. A Graecis omnis graueolentia τράγος dicitur. Vide Budaeum in Pand. pag. 258. Ibidem ex Aristotele qui sint τραγίζοντες pueri.

Ibid. E. lin. 3. inuidia enim) Insere hanc parenthesin (seu potius inuidentia, nam illud etiam de eo dicitur, cui inuidetur, vt cum quempiam dicimus esse in magna inuidia)

Colum. 62. E. versu 9. AN MIHI CANT. VICTVS) Subde continenter. Particula, an, emphasin saepe habet, & est indignationis. Cic. 2. Philip. Contra rem suam venisse me nescio quando questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari, & necessario meo? Ouid. in epist.

At si quis rapiat stabulis armenta reclusis
Arma feras; rapta coniuge lentus eris?

Catull. in Caesarem.

Quid est? an hac sinistra liberalitas
Parum expatrauit? an parum helluatus est?

Nunc ad sententiam verborum poetae nostri. Tanquam victoriae, &c.

Colum. 63. E. se penetrauit ex aedibus?) Adijce. Cic. de Arusp. resp. Attamen ignarus ille, qui consules essent, exanguis, atque aestuans se è curia repente proripuit, cũ quibusdã fractis iam, atq; inanibus minis. Proripere se, est raptim se ex alicuius cõspectu auferre.

Colum. 65. A. lin. 9. *excussum sonitu stridentia antra*) Adiungendum. Audi, amabo, quid de quibusdam trans rhenanis musicis, & omnino de malis musicis in Misopog. Iulianus affirmet. Enimuero barbaros illos, qui trans Rhenum incolunt, vidi rustica carmina, verbis facta similibus clangorum, quos aspere clamantes aues edunt, studiose amplecti, & carminibus delectari. Solent. n. opinor, mali musici ingrati, molestiq; esse ijs, à quibus audiuntur, cũ sibi ipsi naturã sint iucundissimi.

Colum. 66. D. versu 7. adde BISQVE DIE NVM. AMBO PECVS) Ecl. 6. *Cogere donec oues stabulis, numerũq; referre iussit.* Et 4. Geo. de Prot. *Consedit scopulo medius, numerumq; recenset.* Tibull. eleg. 5. lib. 1. *Consuescet numerare pecus.* Callimachus in Cererem. Ἐν ἀθρόοι ποίμν᾽ ἀεὶ θύοιεν. Achilles Statius in Tibull.

Colum. 67. E. lin. 9. & alijs ostentare contenti) Adde. Modica porrò labra esse dixit Verrius, labia immodica, vnde labeones. Poetae ius suum seruant.

Colum. 73. D. lin. 9. gloria defringaris) Adde. Cõsule Stephani Thesaurũ super verbo μυλλοῖν. Tom. 2.

Ibid. E. lin. 10. Ode 12. lib. 2.) Adnecte. Plaut. Curcul.

Immo quid censes? vbi quaq; illi occasio est
Surripere se ad me, vbi sauium oppegit, fugit.

Colum. 77. A. versu 2. *vos concelebrare*) Adde. A natali petebant, vt candidus veniret, id est, faustus, ac laetus. Testis Tibull. lib. 1. eleg. 8.

At tu natalis multos venerande per annos,
Candidior semper candidiorq; veni.

Testis & Ouid. 5. Trist. eleg. 6. *Optime natalis, quamuis procul absumus, opto Candidus huc venias.*

Ibid. ante versum vlt. adde, noua linea. Etiam Graeci vtuntur δρᾶν pro ῥέζειν, & θύειν, vt Athenaeus notat lib. 14. quem citat testem Eustathius in 20. Odyss. Varro lib. 5. de ling. lat. agna Ioui facit. Hostia facere Censorin. de die natali cap. 1. Ita etiam patiendi verbum solet vsurpari, *fieri*; dicebant enim dijs lacte, vino hostia fieri. Brisson. Formular. Rom. lib. 1. pag. 18.

Colum. 79. D. noua dicuntur) Adijce. Tibull. lib. 1. eleg. 2. *Adde merum, vinoq; graues compesce dolores.* Achilles Statius ex antiquis codicibus legit, *nouos dolores*, id est, maximos, mirabiles.

Colum. 81. C. lin. 1. Magius lib. 3. cap. 1.) Adde, A FLVMINE) Et flumen, & fluuius à fluxu, seu fluore perpetuo dicuntur. Etenim vt pulchrè Arnob. lib. 4. Aqua natura est res labilis, & ad fluorem semper, decursionemque prona.

Colum. 83. D. versu 10. erunt, exprimemus) Adiunge. EHEV QVAM) Achilles Statius. Comment. in Tibull. testatur in optimo, ac veterrimo codice Maroniano Heu heu, non Eheu scriptum extare. Vtique illo, quam isto modo venustius.

Colum. 85. A. lin. 9. post asteriscũ statim, ante verba, *De Hyacintho puero. &c. in Curcul. Planesidem ludus luditur, & modo nodus opponitur. Cũ enim iste, et Phaedromus adolescens, Auro contra cedo modestum amatorem, a me aurum accipe, respondet illico Palinurus seruus.* Cedò mihi contra cricillico, cui ego sano seruiam.

SAT PRATA BIBERVNT) Quomodo sitire dicuntur prata, & hortus, ita etiam bibere. Georg. 4. *irriguumq; bibant violaria fontem*, Tibul. eleg. 1. lib. 2. *Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.*

AD QVARTAM ECLOGAM.

COlum. 91. E. lin. 8. Lect. 1.) Adiunge, verbum *faue* vsitatum fuit in precibus, & inuocationibus deorum. Exempla congerit Brisson. lib. 1. pag. 77.

Colum. 96. E. lin. 2. *primã imbuit Amphitriten*) Insere, ab initio. Fuit haec nauis Argo appellata, siue ab eius architecti nomine, vt Apollonij Scholiastes tacet: siue, vt tradit Pherecydes, ab Argo Phryxi filio: siue, vt Hegesippus historicus memorat, ab Argo Thessaliae vrbe, in qua aedificata fuit. Pindarus vult in Magnesiae oppido factam, cui Demetrias nomen est: hinc Ouid. in epist. Magnetida Argo dixit. Callimachus vult in ijsdem finibus, ad Apollinis Actij templum aedificatam fuisse: quod Argonautae inde soluentes, in eo loco posuerunt, qui Pagasae vocatur, ab Argo naui ibi compacta. πάγνυσθαι enim Graecis coniungere est, vnde Pagasaeam puppim Ouidius Argon appellauit. Lege quae praeterea super hoc argumento scribit Hieron. Columna in Medeam Ennij.

Colum. 98. A. linea 12. animaduertere licet) Insere. Vectores in naui dicuntur, qui ob hoc tantum in naui sunt, vt vehantur, qui, si milites sunt, epibatae dicuntur, verbo graeco, sed latinis vsitato, latinè classiarij. Quamquam epibates, & vectorem, & classiarium significat apud Demosthenem, immo etiam equitem, qui equo vehitur. Gregor. μηδὲ καθάπερ ἵππου δεσμοί, ὁ δυσκάθεκτος τὸν ἐπιβάτην λογισμὸν ἀπορρίψαντες. Et verbum ἐπιβατεύειν in vtraq; significatione accipitur apud auctores magnos Graecorum. Bud. in Pand. NEC NAVTI. PIN. MVTABIT MERCES) Huius quoq; arboris materies nauigijs aedificandis aptissima est, vnde & hic meritò *nautica pinus*, & rursum Georg. 2. *dat vtile lignum Nauigijs pinus.* Flaccus lib. 1. *volat immissis cana pinus habenis.* Theophrastus ex arboribus nauibus congruentibus in 5. περὶ φυτῶν ἱστορίας abietem, pinum, & cedrum nominat: sed vt plurimum leuitatis causa triremes, & longa nauigia, ex abiete confici consueuisse: triremibus vero carinam quernam subijci, vt cum in terrã attrahitur, resistere possit, &c. Hieron. Columna in 6. Annalẽ Ennij.

Colum. 99. B. versu 6. Haec Nonius) Adde, noua linea. Luteum, non lutum dici à Vitruuio affirmant. Et legendum apud Virgil. *iam croceo mutabit vellera luteo*, idque per synaeresin. Quam lectionem Seruius videtur agnoscere. Interpretans enim ait, luteo colore, rubicũdo. Tibull. eleg. 8. lib. 1. *Sed nimius luteo corpora tingit amor*, vbi similiter facienda synaeresis. Haec Achilles Statius in prolatum Tibulli locum. Testatur autem sic esse in suo veteri Virgiliano codice, *luteo*, inquam, non, *luto*.

Colum. 101. D. versu 5. &c. German.) Subiunge. A

* Vide Gyrald. dial. 2. histor. Poet. Eius epitaph. hoc est, libr. 3. Anthol.

> Ἥδε λίθος Θηβαῖον ἐδέξατο γαῖα θανόντα,
> Μούσαις ἀγλαΐην οἷς ἐπέφραδεν.

Colum. 102. B. post versum. 3. adde. INCIPE PARVE PVER) Priscian. lib. 6. Pueri fœmininum pueram dicebant antiquissimi. Vnde & puerpera quæ puerum, vel pueram parit. Idem tradit Donat. in And. Terentij ad illud. *Non imperasti coram quid opus esset facto puerperæ*. Adde Nonium, & Festum. Vt enim pueri, & pueræ, sic puelli, & puellæ dicebantur. Vide & Suetonij Caligul. cap. 8.

AD QVINTAM ECLOGAM.

Colum. 106. C. *Propriè dictum calamos, &c.* hoc totum scribendum fuit non minutis litteris.

Colum. 113. E. versu 2. *Vt haberentur, mandauerit.*) Adnectе, *sequitur enim (mandat fieri sibi talia Daphnis.)*

Colum. 118. B. lin. 5. cultumq; diuinum promittit) Adiice. Obseruanda linguæ latinæ amantibus hæc formula bene precandi, aut orandi etiam, sis bonus, sis fœlix. Æneid. 1. Æneas ad Venerem. *Sis fœlix, nostrumq́ leues quæcunque laborem.* Vbi valet *propitia*, vt huc. Orantis etiam est illud alterum lib. 12. *vos ô mihi manes Este boni, quoniam superis auersa voluntas.* Precatur bona Catull. *Sitis felices & tu simul, & tua vita.* Tibull. eleg. vlt. lib. 3. *Sis felix, & sint candida fata tua.* Horat. Ode 27. lib. 3. *Sis licet felix vbicunque manis.*

Colum. 119. B. lin. 2. ANTE FOCVM, SI FRIGVS ERIT) statim adiunge. Ante focum, si frigus erit, id est, si hyems erit: si messis, si æstas, in vmbra. Sic suprà Eclog. 2. *Lac mihi non æstate nouum, non frigore defit*, id est, nō hyeme. Tibull. eleg. 8. lib. 1. *qua frigore sola Dormiat.* Numero quoque multitudinis idem significat. Columella libr. 4. Nam, vbi ruris vastitas electionem nobis temporis negat, valentissimam quamque partem vincti frigoribus, macerrimam vere, vel autumno, &c.

Colum. 121. E. vers. vlt. adiunge hæc. Adde his locum vnum, & alterum è Liuio. lib. 7. de L. Furio Dictatore. Inter ipsam dimicationem ædem Iunoni Monetæ vouit, cuius damnatus voti, cum victor Romam reuertisset, Dictatura se abdicauit. Lib. 10. Vt ædem etiam fieri Senatus iuberet, bis eiusdem voti damnata repub. in religionem venit.

Colum. 122. paribus nodis atque ære Menalca) Subiunge. VENIENTIS SIBILVS AVSTRI) Hellenismus, vt πνοαὶ ἀνέμων, & θύελλα ἀνέμων, pro ἀνέμου. Ennius, spiritus Austri, pro Austro: Catullus, Zephyri auras, pro Zephyro: Lucretius, venti vis pro ipso vento, & flamina Cauri, pro Cauro. Furius Antias, *Spiritus Eurorū virides cum purpurat vndas.* Attius Philoctete, *Aquilonis stridor gelidas molitur nives.* Hæc in 17. Annalium Ennij frag. Hieron. Columna.

AD SEXTAM ECLOGAM.

Colum. 131. C. versu 4. semina, prima corpora) Adde. corpuscula, elementa, prima principia, figuras, corpora cæca, principiorum corpora, materiem, materiai corpora: nunquam atomos.

Colum. 132. C. post versum decimum, intexe hæc, à principio. Mundum neque ex atomis, neque fortuitò coagmentatum, ex tanta molis magnitudine, eiusque tam definitis, ac certis motionibus docet Manilius li. 1.

> *Quis credat tantas operum sine numine moles*
> *Ex minimis, cæcoq́, creatum fœdere mundum?*
> *Si Fors ista dedit nobis, Fors ipsa gubernat,*
> *At cur dispositis vicibus consurgere signa,*
> *Et velut imperio præscriptos reddere cursus*
> *Cernimus, ac nullis properantibus vlla relinqui?*

Lege quæ sequuntur, si lubet, & si vacas. Atomi autem Epicureæ non sunt illi puluisculi, quos videmus volitare in radijs solaribus: vt proinde mundū, & res omnes ex huiuscemodi materia concretas voluerit. Sed sunt certa quædam corpuscula cæca, ἄθραυστα, quæ sub aspectum non cadunt, simplicia, indiuidua, ex quibus omnis rerum natura consistat, & in quæ resoluatur, vt alij

B aquam, ignem, &c. Vide plura in Collectaneis Gifan. in Lucret.

Colum. 134. A. quod est post asteriscum minuta littera, totum inducito.

Ibid. B. 3. versus alieno loco positi sunt: ponendi, sequenti columna A. versu 14. vbi legitur, INCIPIANT SYLVÆ) Bonum sanè secutus est ordinem, &c. Adiunge reliqua.

Colum. 136. D. post vndecimum versum insere hæc. Et in Hippolyto Senecæ Phædra filia, matri hunc nefandum amorem exprobrat.

> *Genitrix, tui me miseret: infando malo*
> *Correpta, pecoris efferi sæuum ducem*
> C *Audax amasti.*

Ibid. E. versu 4. consuescere) Adiunge. Allegoricè fabulā Pasiphaes tractauit Natalis Comes lib. 6. c. 5.

Colum. 137. B. versu 3. Statij Thebaid. libr. 2.) Adde. Purgamina Melampus in fontem Clitorium proiecit: vnde factum, vt qui de eo biberent, abstemij euaderent. Sic fabulatur Ouid. 15. Metamorph. quanquam & alia ibidem huius rei caussa affertur. Versus sunt isti.

> *Clitorio quicunq́, sitim de fonte leuarit,*
> *Vina fugit, gaudetq́ meris abstemius vndis.*
> *Seu vis est in aqua calido contraria vino:*
> *Siue, quod indigenæ memorant, Amythaone natum*
> D *Proetidas attonitas postquam per carmen, & herbas*
> *Eripuit furiis, purgamina mentis in illas*
> *Misit aquas, odiumq́ meri permansit in vndis.*

Ibid. C. versu 11. iniquissimè violant) Adde. Differit similia Clemens Alexand. lib. 2. Stromat. ex Plutarchi penu deprompta, vt apparet.

Colum. 139. C. post sextum versum, adde.

> *Quid faciat mater? nisi quo trahit impetus illam,*
> *Huc eat, atq; illuc, & dum licet, oscula iungat?*
> *Non satis est: truncis auellere corpora tentat,*
> *Et teneros manibus ramos abrumpit: at inde*
> *Sanguineæ manant tanquam de corpore guttæ.*
> *Parce precor mater, quæcunq́, est saucia, clamat.*
> E *Parce precor, nostrum laceratur in arbore corpus.*
> *Inde fluunt lacrymæ, stillataq́, sole rigescunt*
> *De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis*
> *Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.*

MOLLI FVLTVS HYACINTHO) Similem numerū, breuem nempe syllabam post quartum pedē productā, notat in Catullum Achilles Statius, carm. nupt. *Iā veniet virgo, iā dicetur hymenæus.* Rursum de nupt. Pelei, & Thetid. *Tū Thetis humanos nō despexit hymenæos.* Et in 4. Georg. ex codice omnium codicum Maronianorum vetustissimo, *Ille comam mollis iā tondebat hyacinthi*, vulgata enim exemplaria legunt, *iam tum tondebat acanthi.*

Colum. 143. E lin. 6. ex Plinio Pierius) Adde. Festiua duo epigrammata in persona Philomelæ, ad sororem.

sorem Prognen de vi sibi à Tereo illata, habes 1. Anthol. tit. 3. εἰς ἀσελγεῖς.

AD SEPTIMAM ECLOGAM.

COlum. 147. C. versu 4. ARGVTVMQVE NEMVS.) Adde. In quodam epigrammate græco lib. 1. Mercurij statua viatorem ad vmbram platani vicinæ inuitans, ὃς (πλατάνῳ) ἀταλῷ ζέφυρος πνεύματι φυλλοδρεῖ.

Colum. 148. C. versu 2. DEFENDO A FRIGORE MYRTOS) continenter hæc interpone. Plin. præfat. quanto nos causatius ab aliquo iudice defendimur? Virgilianum hoc imitatus est, & dicitur causatius, vt testatius, patiendi significatione. Sallustius eodem modo. Nam quid à Pyrrho, Annibale, Philippoq; & Antiocho defensum est aliud, quàm libertas? Notauit Turneb. annot. in Plinij præfationem, vbi verba eius sic explanat. Quanto iustius iudex aliquis à nobis depellitur? quanto iustius aduersus iudicem aliquem defendimur, & tegimur, ne de nobis, nostrisque iudicet?

Colum. 152. C. lin. 7. sic lege: referente nutrici suæ, rotundissimum epigramma Angeli Colotij hic venusto lectori inseram. Quod tamen parua immutatione ex Græco Antipatri conuersum est: ille enim hęc de platano, quam arefactam vitis conuestiebat frondibus suis.

Colum. 154. E versu 3. post hæc verba. lib. 4. cap. 22. scribe hæc. * *Meritò immolabant de præda dijs, & partes ijs suspendebant venatores, cum, quò auspicatius, feliciusq; venarentur, solerent inuitare eos, Dianam præcipuè, inuocare, ac partem illis prædæ polliceri. Et quia montium, ac venatus domina Diana dicitur. Aristoph. in Thesmoph. ἀγροτέρα. Vide Comment. Delrij in Hippolytum Senecæ pag. 162.*

Colum. 155. C. lin. 10. Curculione Plauti) interijcienda [*Vbi lena merobiba.* vbi est ipsus? *ipse flos Liberi, vinum scilicet fragrantissimum, de eo enim loquitur.* ipsum expeto tangere inuergere in me liquores tuos sino ductim *Id est haustim, tractim ducens è sino, ducere enim est bibendo trahere. Sic Lamb*]

Colum. 156. D. lin. 4. & Callimach. ὠκεανίνη. Intexe. [*Turneb. lib. 24. cap. 9. τὸ Neptunine negat esse patronymicum apud Catull. Censet autem esse vocandi casum, dictumq; de Peleo, qui ex elemento Neptuni, & neptibus vxorem petat. Ita quoq; quod præcedit adiunctum pulcherrima, legendum esset ἀρσενικῶς, pulcherrime.* Tu ne Thetis tenuit pulcherrime Neptunine? *Vel certè legendum Neptunina, vt ne in linguam latinam græca inducatur peregrinitas. Equidem virum hunc, cæteroqui longè doctissimum, aberrare à vero, & turpiter falli existimo, in ista opinatione sua.*]

Colum. 158. A. versu 8. pone hæc. HEDERA FOR. ALBA) De alba & nigra hedera, & de generibus hederæ, disserit Delrius Comment. in Oedip. Senecæ pag. 107.

Ibidem E. penult. ante ista verba, RARA ARBVT. adijciantur hæc ex Iunij Cent. 3. num. 60. De re quapiam insignis mollitiei dictum prouerbiali colore illud, ὕπνου μαλακώτερον somno, mollius. Clemens Pædag. lib. 2. καὶ τὰς ὕπνου μαλακωτέρας εὐνὰς ἀποχαιρετιζόμενοι, valere iubentes lectos somno molliores. Citat & τάπητας ὕπνου μαλακωτέρους, tapetas somno molliores. Extat autem apud Theocritum, πορφύρεοι δὲ τάπητες ἄνω μαλακώτεροι ὕπνω.

AD OCTAVAM ECLOGAM.

COlum. 171. D. lin. 6. DEVM) Adde. Sic ille apud Ennium in Telamone.

Ego deûm genus esse semper dixi, & dicam cælitum:
Sed eos non curare opinor, quid agat hominum genus.

Colum. 174. E. versu 5. *& Hygenum cap. 25.*) Adde,

A *Æliam eum negat à matre interfectos: dicit autem, ferri, ab ipsis Corinthijs occisos: fabulam de Medea, & istacade Euripidem commentum, rogatu Corinthiorum scilicet. Postea ob auctoritatem, & nomen poeta falsitatem pro veritate valuisse. Corinthios autem ad scelus hoc eluendum piacularia puerorum sacrificia factitasse. Communem tamen opinio secus habet. Cic. Tuscul. 4. alinaens ad conflagrationem regia, per munera à Medea nouæ nuptæ transmissa. Quid ergo? hic amor Medeæ quanta miseriarum incendia excitauit? Epitaphium liberorum à matre interemptorum est in 3. Anthol. παίδων μηδείης κ. τ. λ. &c.*

Colum. 177. C. versu 8. Auctor Xiphilin.) Appone. Affine est, quod ex Varrone produxit Nonius. Cælum ruere, dummodo magistratum adipiscamur, exoptent.

Colum. 179. B. versu 7. Plinius autem, &c. dele, B vsque ad asteriscum. Deinde post verba hæc, *nebulosum se cludatur*, insere ista. *Ne quis autem paulo rudior, putet malè scriptum* cludatur, *& emendet*, claudatur: *sciat esse, veterum antequam cludere pro claudere, quo vsi sunt Tertullianus, Cyprianus, Seneca, Cicero, Martialis, quod demonstrat in Critico Arnobiano Meursius cap. 15.*

Colum. 180. A versu 6. adiunge continenter. Festiuum apophthegma Olympiadis, quo docemur, quænam veriora sint, & potentiora mulierum incantamina, & veneficia, quibus amatores sibi parent. Cum audisset siue Alexandrum filium, siue Philippum maritū implicatum amoribus fœminæ cuiusdam, à qua philtris, & carminibus irretitus, ac dementatus esset, eam accersiuit. Postquam eius formam non vulgarem, & C mores ingenuos, & ingenium catum cognouit: Valeant, inquit, qui te veneficij insimulant: tu enim in te ipsa tuum habes philtrum, ac veneficium.

Colum. 181. C. versu 5. insere. FRIGIDVS ANGVIS) Carisius libr. primo, Anguis cum sit masculini generis, dixerunt tamen & fœminino, vt Tibull. *Cantus & irata detinet anguis iter.* Et Ouid, *media Marsis finduntur cantibus angues.* Et Varro Attacinus, *Cuius vt aspexit torta caput angue reuinctum.*

Colum. 187. B. versu 8. & ominantes) Adde à principio. *Bonum sit* dictum à Marone eadem mente, qua dicebant, *Bene sit.* Dicere autem bene sit, erat idem, quod bene dicere. Et hoc idem valet, quod bene precari. Vide Brisson. Formular. lib. 1. pag 82. & sequenti.

AD NONAM ECLOGAM.

COlum. 191. B. lin. 5. Paterg. Iuris libr. 5. cap. 6.) Subnecte. Idem tamen Alciatus dispunct. lib. 1. cap. 1. lectionem apud Paulum lib. ad edictum sic emendat. Possessio appellata est à sedibus, & (vt Labeo ait) quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit. Possessio igitur in etymo vocabuli nihil commune cum pedibus habet. Immo possidere, assidere, considere, residere ab hoc verbo *sedeo*, omnia formantur. E Quod autem dicitur quasi positio, allusio vocabuli est, quandoquidem etiam dicimus, ponere sedes.

Colum. 192. D. lin. 6. quali profectum sit voluntate perpenditur) Adiice. Formula quædam est malè precandi, Quod nec benè vertat, pro, Quod malè vertat. Terent. Adelph. *Quæ res tibi vertat male.* Benè precandi, Plaut. Persa. *Quæ res bene vertat mihi, & tibi, & ventri meo.*

Colum. 193. C. versu 2. visum est German.) Adde. NEC TVVS HIC MOERIS) meus, tuus, suus, significant charus, aut dilectus mihi, tibi, illi Ouid. epist. Hypsipyles. *Aesonides dixi quid agit meus.* Propert. lib. 1. eleg. 9. *Et nihil irata posse negare tua.* Lib. 4. *Hæc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ.* Catull. *Quem nunc amabis*

amabis? enim esse diceris? Seneca Hippolyto. *Tuus si A istius in Ceiri. Verum hæc tum nobis grauia, atq, indigna fuere,* indigna, id est, ἄχαρα.

alma te Hippolytus tenet. In quem locum ista quæ dixi, Delrius.

Colum. 194. A. versu 5. adiunge* *Res charissimas appellabant delicias suas, non homines tantum: etiã delitia. Et ita in vetustis monumentis Roma maritos suos coniuges, & matres filios bliãs vocare affirmat oculatus testis Achilles Stat. in Cat.* DELICIO. & DELICIO. SVO. & DELICIO. SVO. CARISSIMO.

Ibid. C. versu 4. POTVM PASTAS AGE) Adde continuò. Eclog. 5. *Non ulli pastos illis egere diebus Frigida Daphni boues ad flumina.* Tibull. eleg. 3. lib. 2. *Et potum pastas ducere fluminibus.*

Colum. 195. cent. 1. adag. 18.) Adde. Sic Rhinto tragicus poeta, ἴε μυσάων, ὀλίγον ἀηδόνα dicit è tumulo, B 3. Anthol.

Colum. 199. A. *Indulgere labori*) Assuendum. Græci exprimunt hoc ita, βαρύβρεμον οἶδμα. Plato epitaphio in Eretrienses 3. Anthol. οἱ δέ ποτ' αἰγαίο βαρύβρεμον οἶδμα λιπόντες, ad verbum, horrisonus fluctus, grauistrepus, grauifremus. Aliàs insani fluctus Latinis, etiam sonantes, vasti, spumantes.

Colum. 202. σεσχοινίζεται) Addendum. Liuius lib. 28. Masanissa, cum Gadibus esset, certior aduentare cũ à Martio factus, caussando corrumpi equos inclusos in insula, &c.

Ibid. B. versu 8. Adde. Ennius in Scipione. *Et Neptunus sæuus vndis asperis pausam dedit.* VENTOSI CECID. MVRMVRIS AVRÆ) Ennius, *Arbores vento vacant.* C

AD DECIMAM ECLOGAM.

COlum. 205. A. lin. 3. *Plectuntur sylua te sospite*) Adde. Exempla plura suppeditabit Brissonius, Formular. lib. 1. pag. 75.

Colum. 206. B. versu 2. *non Acidos vndas*) Adde. INDIGNO CVM GALL. AMORE PER.) Seruius hic *indigno*, exponit magno, quomodo Ennius dixit indignas turres, id est, magnas. Rectius Scalig. in explicat. versus

Colum. 208. C. versu 5. Erythræus Indice) Adiice. * *Sumpsit à Parrhasio in 2. Claudian. de raptu. Vult ibidem, bubulcos dici tardos, quia boues tardi sunt. Ouid. ad Auroram.* Prima vocas tardos sub iuga panda boues *Tib.* Aut tumulo tardos increpuisse boues. *Monet etiã cum minimum genus pastorum ex illa tribus dicantur αἰπόλοι, caprarij, Virgilium hoc nomen cautè, consultoq, in ijs, quæ à Theocrito sumpsit, omisisse, quod ante Gelsius obseruauit.*

Colum. 209. A. versu 10. *& vrunt*) Adde. Verissimè edaces curæ, & ignes animorum vastatores.

Colum. 211. C. versu 3. Vrsin.) Adde. Huius bonæ precationis exempla longè plurima inuenies apud Brisson. Formular. lib. 1. pag. seu num. 87. Quomodo autem cui bene volebant, & quẽ amabant, ei terram leuẽ, sic cui male, & quem oderant, ei tumulum, aut terram grauem, & onerosam precabantur. Delrius Aduersar. & Commentar. in extremam Hyppolyt. Brisson. num. 88. lib. 1.

Colum. 213. A. versu 11. pendere corollæ) Adde. *Et Virgil. in Voto ad Venerem pro Æneide.* Sit mihi susceptum fecerit decurrere munus,

Colum. 216. B. post versum sextum. Adde. De amore autem vero, nec turpi, quàm iocosè & argutè idem in Casina. cocos demiratur, qui rot vtuntur, cõdimentis, eo non vtantur, quod præstat omnibus.

Nam vbi amor condimentum inerit, cuiuis placiturum puto.

Neq, salsum prorsus, neq, suaue esse potest quidquã, vbi amor

Non admiscetur. fel quod est amarum, id mel faciet,

Hominem ex tristi lepidum, & lenem.

Colum. 217. B. vituperationem pertinet) Adiice. Refellitur à Villiomaro, qui vocem *grauis* ad odorem iuniperi putat referendam. Ideo eius vmbram esse grauem, quia odor est grauis, quippe quo etiam serpentes abigantur. Respondet Titius in Assertionibus, lectionemque suam defendit. Lege vtrumque, & fer sententiam.



AD GEORGICA.

AD PRIMVM GEORGICORVM.



COlum. 223. in extrema Synopsi dele 7. versus, ab eo loco. *Efficit hunc librum difficiliorem*, &c. satis enim multa diximus ἀλληγορικῶς, cum eas res parcè attingere initio statuissemus, propter caussas explicatas. Nec plura ferè apud alios interpretes habentur.

Colum. 227. A. versu 3. parerg. Iuris lib. 9. cap. 6. Quod sequitur maiusculis, ita diuide. O CLARISSIMA MVNDI LVMINA) Deinde subiice hanc Symbolam. Mundi nomine sæpius apud scriptores probatos cælũ accipitur. Ergo mundi lumina, id est cæli lumina, sol & luna inq. Arn. Nunquid vertigo hæc mundi primigenij ortus moderamẽ excedens, aut tardius repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Macrob. ad Som. Scip. lib. 2. c. 20. Non solum terram, sed ipsum quoque cælũ, quod verè mundus vocatur, temperari à sole certissimum. Ennius Scipione. *Mundus cæli vastus constitit silentio.* Prudent. ἁμαρτιγ. *ne quis duo numina credas Imperitare vagis mundi per inania formis.* Apuleius de deo Socratis. Suspicientes in hoc perfectissimo mundi, vt ait Ennius, clypeo. Nec alia notione orbis, apud Horatium.

Si fractus illabatur orbis,

Impauidum ferient ruinæ.

Meursius in Critico Arnobiano, cap. 1.

Ibid. A. lin. 2. ad Bacchum pertinet) Subiunge. Æmulatus est Claudianus de Raptu.

Vnde data populis fruges, & glande relicta

Cesserit inuentis Dodonia quercus aristis.

E Colum. 230. B. versu, 13. *pedem retulistis*) subiice mox. vbi tamen Achilles Statius legit, *retulistis*, additque hoc Terentij, *nunquam huc retulissem pedem.* Et Horatij, *Quam nec ferre pedem dedecuit cho-*

ris. Quod autem Catullus habet; *malum pedem*, Ouidius in Ibin dixit *laeuum pedem*, hoc versu. *Ominibusq́; malis, pedibusq́; occurrite laeuis*. Horatius contra *faustū*, ad Florum, *i pede fausto*.

Colum. 230. E. versu 4. Tu quod arriserit amplius in hac &c. dele. Repone ista, ab initio. Multæ voces in vnum confusæ, fremitus propriè dicuntur, vt indicat Seneca. Est & fremitus hinnitus equorum, vt hic: vbi *prima tellus* (si tamen Attica designatur) ἀκτῆς ora maris, littusq́; non est accipiendum. Athenienses primam omnium suam terram, seq́; primos homines prædicabant, de generis antiquitate cum Argiuis certantes, vt est apud Pausaniam. Nam primæ ciuitatis auctores videri vtique volebant, suam vrbem per excellenti- B am ἄστυ nominabant, vt testis est Aristophanes, Philodorus, Stephanus. In rei rusticæ collectaneis scriptum est, per orbis initia, cum omnia essent aquis obruta, Atticam terram primam emersisse: exortaque contentione inter Palladem, & Neptunum, vter ei nomen imponeret, olea producta superiorem fuisse Palladem: quomodo Ioui, cæterisq́; diis eius donum præstantius esse visum, quam portus, & naualia, quibus Atticam Neptunus ornauerat. Hinc in Thebaid. lib. 12. Papinius.

Fama minor factis ipsos nam credere dignum
Cælicolas, tellus quibus hospita semper Athenæ,
Cum leges, hominemq́; nouum, ritusq́; sacrorum,
Seminaq́; in vacuas hinc descendentia terras
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium.

Lege cętera apud Ianum Parrhasium, Commentar. lib. 1. de raptu apud Claudianum.

Colum. 232. C. versu 3. In arce ab Atheniensibus conseruatam, &c. expunge. Repone quæ sequuntur, noua linea. Cum scribit Cic. 1. de leg. alloquens Atticū, nisi forte Athenæ tuæ sempiternā in arce oleam tenere potuerūt, hoc vult, id quod ex antecedente, & subsequente oratione manifestum fit, hominū cōmemoratione, & opinione potius, quam natura stirpem illam inueterasse, oleam inquam, in certamine à Pallade editam, vt Athenis nomen imponeret: quæ Plinij quoq; ætate superstes censebatur esse, vt est lib. 6. Eam in arce natam fuisse Varro lib. 1. de re rustica docet. Erant & oleæ Palladi sacræ in arce primùm, quæ propagatione plures succreuerunt, μορίαι vocatæ: vel quod viritim earū oleum diuideretur: vel à morte Halirrhotij Neptuni filij, qui cum eas ferro succidere tentaret, securim sibi inflixit: earum autem oleum præmij vice, his, qui Panathenæa vicerant, donabatur. Hæ postea ex acropoli, quam Varro arcem vocat, in Academiam translatæ sunt. Aristoph. ἀλλ' εἰς ἀκαδημίαν κατιὼν, ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξεις. Hæc Turneb. Comment. in de leg.

Colum. 233. A. versu 12. *Conuersio exponitur.*) Adiunge. *At tamen in vetustis numismatis, ac lapidibus videri Syluanum ferentem cupressum radicitus, & id significari à Virgilio, Achilles Statius Comment. in Catull. asserit. Qui poeta, ad nuptias Pelei, ac Thetidis venisse narrans deos rusticos cum muneribus, de Peneo sic ait*, adest.

Non vacuus: namq; ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano, lentaq́; sorore
Flammati Phaetontis.

Nempe ea portasse dicit, quæ flumen ille Thessaliæ Peneus aleret.

Colum. 234. C. versu 10. adde. *Liuiam 10. millia coronatorum donasse Numerio senatori Atheniensi, & Prætorio viro, quod is iurasset, quemadmodum de Proculo, Romuloq́; traditū est, se Augustum in cælum ascendentem vidisse, auctor Xiphilin.*

Colum. 236. B. versu. 8. *Hanc dissitam faciunt*) Adiice. *Solinus quinq; dierum, noctiumq; nauigatione distare ab Orcadium confirmat. Poetæ volentes significare distantiam maximam, & longinquissimum locum, Thulen nominant, vt fecit Vergil. & Se-*

A *neca. Claudian. quoq;* Thulen procul axe remotam. Et rursum, rantibusq; imperuia Thule.

Colum. 237. versu 10. *quam Cæsar habet.*) Adde. Chelæ scorpij in libra consummantur: hinc chelæ sæpe pro libra apud Manilium.

Colum. 243. D. versu 3. Adde, noua linea. Hic etiam Seruium castigat Beroaldus, & ex Plinio, Strabone, Solino, Tmolum docet esse montem Lydiæ, iuxta Sardis, qui antea Tymolus vocaretur. Quam autem idem Beroaldus explanationem comminiscitur de vino crocei coloris, eam vt prorsus alienam relinquimus.

Colum. 244. C. versu 5. Turneb. lib. 21. cap. 9.) Adde, noua linea, seu à principio. Chalybs non est di- B stincta species metalli, vt peruersè quidam, sed ferri purioris, sincerioris, & durioris species, certa quadam temperatura constans, nonnihil vt puto diuersum à στόμωμα, quod ipsum quoq; certa ferri temperatura est, iuxta Aristot. 4. Meteor. Chalybs Damasci præstat omnibus. Hispaniensem laudat Iustinus lib. 45. & nomen deducit à Chalybe fluuio prope Bilbilim, & accolas ait Chalybas vocari, quo nomine etiam alij sunt Scythiæ populi, vberi ferro nobiles, quas nationes optat perire Callimachus apud Scholiast. Apollonij lib. 1. & lib. 2. Et quia non vno loco Chalybes, ideo Catullus, *Iupiter vt Chalybum omne genus pereat*. Hæc Delrius Comment. in Hercul. Oeteum Senecæ.

Colum. 249. B. versu 2. Seruius, Germ.) Adde. Vide C insuper Budæum in Pand. pag. 389. annotat poster.

Colum. 252. E. post hæc verba, Iouian. Actio dial. ponantur hæc ab initio. Prouerbij faciem habet illud Nazianzeni, πῦρ ἐγγὺς καλάμης οὐκ ἀσφαλές. *Ignem si admoueas stipulæ, res plena pericli*. Iuuentus male creditur libidinum magistris. Tenellæ ætati non est tutus vini vsus, quò illa flammis exæstuet ardentioribus, quam Ætnæi crateres. Iunius Cent. 3. num. 74.

Colum. 256. A. &c. Ioseph. Castilio.) Subiice, noua linea. Huius dogmatis auctorem dabo nobiliorem, Petrum Victorium, qui sic scribit Castigat. in lib. 1. Varronis de rustica, vnde etiam sua mutuatus est Castilio. Illud hic admonere visum est, recentiores omnes in D magno errore versatos, qui crediderunt duo esse solstitia, & alterum æstiuum, alterum hybernum appellari: cum veteres cuncti boni auctores solstitium, quemadmodum hic facit Varro (cap. 46.) τροπαὶ θεριναὶ solùm vocent: τροπαὶ autem χειμεριναὶ brumam. Lucretius, Virgilius, M. Varro, Cicero, Plinius hoc semper obseruarunt. Cur tantum consensum optimorum scriptorum Columella reliquerit, non video: ille. n. solus, quod sciā, æstium solstitium, & solstitia numero multitudinis vtrasq; τροπὰς appellat. Seruius etiam Virgilij interpres hoc non animaduerterat, & huius rei ignorantia turpiter lapsus est, in illius loci declaratione, *Humida solstitia*, &c. Quamuis. n. numero multitudinis loqua- E tur poeta, nō debet existimari duo esse solstitia voluisse: sed auctor fuit agricolis, vt votis illud anni tempus singulis annis humidum poscerent: quod si impetrarent à diis immortalibus, magnos fructus ex agricultura esse capturos. Possem hoc plurium optimorum scriptorum testimoniis comprobare: rem tantum indicasse, vt arbitror, satis fuit: exempla vnicuiq; nunc, qui accuratè leget, occurrent.

Colm. 257. D. versu 11. *atq; interfice messes.*) Attexe hæc. ibi quædam super hoc annotata lege. Quintil. Declamat. 12. nos per arentes effusi campos, morientium herbarum radices vellimus. Cyprianus contra Demetrianū. Vinea licet fallat, & olea decipiat, & herbis siccitate morienib. æstuans campus arescat, qd hoc ad Christianos? Arnob. Difficiles pluuiæ sata faciūt emori.

Quin

Quin idem auctor dixit, emortuisque fluminibus neq; caelum coarctatur in nubila. Persius Sat. 4. *Pannosam faecem morientis sorbet aceti.*

Colum. 258. B. versu 9. *stylo depascenda est.*) subiunge, *Hoc est, vt exponit Bud. in Pand. scribendi frequentia, & assidua meditatione reprimenda est illa naturalis vbertas, qua interdum redundat. Luxuria pro crapula, & vinositate non dicitur latinè, sed pro impensa profusa, vt etiam luxus.*

Colum. 269. B. versu 3. A rubigine, siue robigine) dele quatuor versus illos, & repone ista, à principio. Rubigo in segetibus est, quã Theophrastus lib. 4. de causs. plant. cap. 15 eruginem appellat, id est, ἐρυσίβην, quo genere, vt ipse inquit, frumentacea praecipuè corripiuntur, & inter ea triticum maximè, & hordeum. Sic autẽ definit, ἐρυσίβη δὲ σῆψίς ἐστι τοῦ ἐφισταμένου ὑγροῦ, id est, Est B autem erugo incidentis segetibus humoris putrefactio. Propterea cum multum pluerit, humor ille abluitur, nec in eruginem putrescit, &c. Rubigo, vel erugo, nisi fallor, est, quam nuillam nostrates agricolae vocant. Spicae enim marcidae fiunt hoc vitio, & in puluerem foetidum confriatiles. A rubigine Robigalia dicta, id est, festi dies amoliendae rubigini instituti ab antiquis, quales sunt supplicationes amburbiae, aut ambaruales, quae hodie propter eiusmodi caussas factitantur. Plin. lib. 18. cap. 26. Robigalia Numa constituit, quae nunc aguntur ad 7. calend. Maij, quoniam tunc fere segetes rubigo occupat. Budaeus in Pand.

Colum. 271. C. versu 2. Exhort. ad gentes) Sub- C de. Multa de iisdem Comment. in Hippolytum Senecae Delrius, Pag. 164.

Colum. 276. B. versu 6. sine granis) Addendum. PALEAE TERET AREA CVLMOS) Tibull. eleg. 5. lib. 1. *Area dum messes sole calẽte teret.* Martial. *Messes area dũ feris crepantes.* Nisi forte legendum *teris* pro *feris*.

Colum. 279. A. versu 9. Bersman.) Adde, noua linea. Abydum abundare ostreis, clarum etiam ex illo Ennij, in Frag. Phaget. *Ast aspera ostrea plurima Abydi.* Et ex his Catulli.

Hunc locum tibi dedico, consecroq́, Priape.
Nam te praecipuè in suis vrbibus colit ora
Hellespontiaca, caeteris ostreosior oris.

Lucanus lib. 9. de Chalcedone, quae est in eodem maris tractu, *& ostriferam dirimet Chalcedona cursu.* Clemens Alexand. lib. 2. Paedag. vbi eos accusat, qui ingluuiei dediti, transmarinas escas anxiè perquirunt, ὄστρεα τὰ Ἀβυδηνὰ nominat. Varro satyra, quam περὶ ἐδεσμάτων inscripsit, Tarentina laudauit, Horatius Circaea, Sergius Orata, qui primus ostreorum viuaria in Baiano inuenit, Lucrina, &c. Vide Hieron. Columnam in Frag. Phaget. Ennij.

Ibid. B. lin. 1. à faucium similitudine) Adde. ABYDI) Stephanus in Vrbibus ait 3. vrbes ferri hoc nomine. Vnam in Hellesponto, Milesiorum coloniam, oppositam Sesto, de quibus Dionysius. Ἔνθεν ὅπῃ τ' Ἄβυδος ἐναντίον ὅρμον ἔθεντο. Aliam in Aegypto, eorundem coloniam. Aliam in Iapygia, siue Italia.

Colum. 290. E. versu 11. ILLIS AVT INTEMP. SILET NOX) subiunge continuatè: Noctem silentem, & tacentem dicunt scriptores magni. Catull.

Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
Furtiuos hominum vident amores.

Tibull. *Decreuit tacito tempore noctis anus.* Et, *Vota nouem Veneri nocte silente tuli.* Virgil. *sub nocte silenti.* Neque verò semper mediam, atque intempestam noctem debemus intelligere, quoties silentem audimus: sed nonnunquam etiam serenam, & vt Virgil. vocat, purã. *Quid qua te pura solum sub nocte canentem Audieram?*

A Plin. silens caelum dicit libr. 18. cap. 28. Alia sunt illa, quae silente caelo, serenisq; noctibus fiunt. Achilles Statius in Catull.

Colum. 291. C. *& alligat vndis*) Sequantur ista. Pulcherrimis carminibus Seneca Hercul. Fur. de ista reditione solis, per vtrunque caelum.

O lucis alma rector, & cali decus,
Qui alterna curru spatia flammifero ambiens,
Illustre latis exeris terris caput.

Colum. 293. C. dial. nostrum 17. primae Tertij) Adiunge continenter. Has quatuor anni vices Catullus ex adiunctis festiuissimè describit.

Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens arista sole feruido,
Mihi virente dulcis vua pampino,
Mihiq́; glauca duro oliua frigore.

Non est praetermittendum, quod de singulis asserit Celsus lib. 2. Saluberrimum ver est: proxima deinde ab hoc hyems: periculosior aestas: autũnus longè periculosissimus. Ibidem. Austri, pluuiaeque hyemem occuparunt. Inimicior senibus hyems, aestas adolescentibus.

Colum. 294. A. versu 8. oportuisse sibi sarcire) Adde) * *Exemplo militum in hybernis, & agricolarum in mala tempestate, nunquam cessandum studiosis litterarum, etiam vacationum tempore, vide quam bene doceat Mureti oratio. Volum. 2. pag. 101.*

Colum. 295. C. versu 4. QVIPPE ETIAM FESTIS) Adde ista cõtinenter. Feriis publicis ante flamines quosdã incessisse, qui opere abstinere monerent, Sex. Pompeius lib. 14. tradit. Praeclamitatores dicuntur, inquit, qui Flaminibus Diali, Quirinali, Martiali antecedentes exclamant, feriis publicis vt homines abstineant se ab opere, quia his opus facientem videre irreligiosum est. Idem ibidem. Praecias dicebant, qui à Flaminibus praemittebantur, vt denuntiarent opificibus, manum abstinerent ab opere: ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur. Brisson. Formular. lib. 1. ex Seruio integro, ad hunc versum.

Colum. 296. versus est. Isidor. lib. 17.) Subde. Po- D eta significare volens, vsum picis agricolis esse necessarium, dicit picem eos solitos in vrbe mercari, & ex vrbe in agrum reportare asello dorsuario. Vtebantur autem pice ad vina potissimùm condienda, auctor Plin. libro decimoquarto. Columella, [& Palladius picem ad vasa picanda, & quam plurimis in rebus vtilissimam esse tradiderunt. Cato admonet agricolas, vt vasa habeant bene picata. Vnde impicare, & oppicare, quod significat pice linire. Beroald. annotat. in Seruium, qui perperam explanauit hunc locum, dum dixit, agricolas picem deferre in vrbem venalem, & reportare non venditam. Absurdè, & ridiculè.

Colum. 299. A. versu 4. reliquit Claudian.) Ad- B de. Perstringit eandem, & quidem argutè Manilius lib. 1. aram quoque nominans, ad quam dij contra gigantẽ pugnaturi foedus, & sacra fecisse dicuntur. Hygin. poet. astron. lib. 2. Versus Manilij sequuntur.

Ipsius hinc mundi templum est, victrixq́; salutis
Ara nitet sacris, vastos cum terra gigantes
In caelum furibunda tulit. tum Dij quoq; magnos
Quaesiuere deos. dubitauit Iupiter ipse,
Quod poterat, non posse timens, cum surgere terrã
Cerneret, & verti naturam crederet omnem,
Montibus atq; alios aggestos crescere montes,
Et tam vicinos fugientia sidera colles
Arma importantes, & rupta matre creatos,
Discordes vultu, permistaq́; corpora, partus.

Hosti-

Hostiferum necdum sibi quenquam numina norant,
Si qua forent maiora suis. tunc Iupiter Ara
Sidera constituit, quæ nunc quoq; maxima fulget.

Ibid. B. versu 5. Adde. OSSÆ FRONDOS. INVOLOLYM.) Olympi Straboni lib. 8. & 10. quatuor. Vnus prope Antandrum, diuersus ab Ida, alius in Mysia, alius in Elide, alius Thessaliæ. Alios alij numerant, Hesychius sex. Eustathius scribit à Græcis omnem montem paulo altiorem vocari vel Idam, vel Olympum, idque propter Idam Phrygiæ, & Olympum Thessaliæ. Olympus sanè Thessaliæ, cui hoc nomen per excellentiam competit, adeo celsus est, vt in eius vertice nec venti, nec niues, nec nimbi cernantur, vt scribunt Homer. Odyss. 6. & Philostrat. in Imagin. Ideo Plutarchus lib. B de defect. oracul. vocauit aulam superûm. Hæc Delrius Comment. in Hercul. Fur. Senecæ.

Colum. 302. A. versu 3. lætitia succedit) Adiice. Solutas curas appellauit Catull. *O quid solutis est beatius curis?* Nó quod curę soluantur: sed homines ipsi curis tanquam vinculis, & catenis quibusdam leuantur, ac liberantur. Sic Martial. *Nox non ebria, sed soluta curis.* Sappho. Ελθέ μοι καὶ νῦν, χαλεπᾶν δὲ λῦσον ἐκ μεριμνᾶν.

Colum. 303. A. versu 7. *gloria prima lepus*) Adde. Rhodigin. lib. 9. cap. 12. pro *gloria* legit *mattya*, quod est delicatum edulium.

Colum. 305. B. CVM MESSIS INHORRVIT) quæ sequuntur, sic lege, & ita mecum corrige. Messem in- C horrescere, aut, vt alibi, segetem, agrum horrescere, seu horrere, idem sunt. Horrent agri, qui, &c. Dele locum Horatij, à Titio malè intellectum. Nam Horat. Ode. 9. li. 2. cum ait, *Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros,* intelligit horridos agros, & faciem agrorum hyeme deformem. Vide animaduers. Villiomari in eundem Titium.

Colum. 307. B. lin. 11. Erythræus Indice) Adde à principio. Athos mons Macedoniæ, mari Ægæo imminens, quem perfodit Xerxes, ob id continentem nauigare dictus. Isocrates in Panegyrico. Rhodope mons Thraciæ.

Ibid. E. post versum quintum adde hæc. De his D ita scriptum extat à M. Tullio de nat. deor. lib. 2. Maximè vero admirabiles sunt motus earum quinque stellarum, quæ falsò vocantur errantes, nihil enim errat, quod in omni æternitate conseruat progressus, & regressus, reliquosque motus constantes, & ratos. Quod eo admirabilius est in his stellis, quas dicimus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum celerius mouentur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt.

Colum. 309. C. versu 10. Muret. libr. 3. cap. 7.) Subiice. Adde, siue vt fertilitas, & concipiendi facilitas insinuaretur.

Colum 310. C. lin. 1. huius libri pars) Insere. [*De quibus agunt etiam Vitruuius lib. 4. cap. 41. & in eundem Stoechum, nominans præterea Plinium, Isidorum, & alios.*]

Colum. 312. B. versu 5. Victor. lib. 14. cap. 24. Adiunge, noua linea. Vt autem venti surgere dicuntur, cum flare incipiunt: sic cum desinunt, dicuntur cadere, hausta videlicet indidem metaphora. Liuius lib. 25. Itaque cadente iam Euro, qui per dies aliquot sæuierat.

Colum. 321. B. lin. 2. Seruius) Adiunge. Adde verba Plinij ex lib. 2. cap. 47. Ante brumam autem septem diebus, totidemq; postea sternitur mare halcionum fœturæ: vnde nomen hi dies traxere: reliquum tempus hyemat.

Colum. 324. C. versu 9. diaboli negotium est)

A Adde, noua linea. Ingenium arti, & culturæ perelegant Næuius in Lycurgo opposuit, quo naturam significauit.

Vos qui regalis corporis custodias
Agitis, ite actutum in frondiferos lucos,
Ingenio arbusta vineta sunt, non obsitu.

Notauit ex Nonio Turneb. lib. 29. cap. 28.

Colum. 328. D. versu 6. Isid. lib. 17.) Adde. *Malè defendet*, id est, non defendet. Horat. epist. 20. lib. 1. *Qui male parentem in rupes detrusit asellum.* Tertullian. lib. de Pallio: studia palæstræ malè senescentia, pro, non senescentia, quibus non abstinetur, licet inutilia futura sint.

B Colum. 329. C. versu 5. QVID COGITET HVMIDVS AVSTER) Sequantur ista continenter. A ciendis imbribus dicitur & imbricitor Ennio. Semper fere pluuias secum affert: quem multi ita ab hauriendo appellatum volunt, quod ob maximam imbrium effusionem, aquas è mari haurire videatur. Ad quod respiciens Naso ait, lib. 3. Trist. eleg. 1.

Fuscabatq; diem custos Erymanthidos vrsæ,
Aut Hyadas seuis hauserat Auster aquis.

Quare in plerisque manuscriptis codicibus apparet veteres cum aspiratione Haustrum scripsisse. Hinc Ouidius imbriferum Austrum dixit, Horat. & Statius, vdum, vt Virgilius humidum. Ab humore enim, siue humiditate, quæ Græcis νοτὶς & νοτὸς, hic ventus ap- C pellatur: quæ vox etiam à Latinis, tanquam propria recepta est. Plaut. in Mercat. imbricum appellauit.

Hic Fauonius serenus est, istic Auster imbricus.
Hic facit tranquillitatem: iste omnes fluctus conciet.

Vnde ab eodem austrati dicti sunt, pluuio Austro madefacti: inquit enim. *Austrati ad ignem sedens.* Hieron. Columna in Frag. Ennij, ex 17. Annal.

Colum. 332. E. lin. 8. Ouid. de hoc portento in Metamorph. *Arma ferunt inter nigras*, &c. positi iam sunt versus Colum. præcedente. 331. in fine.

Colum. 333. D. versu 7. rex) Addendum. Et ita accipiendum, quod ait Plin. lib. 3. cap. 6. Padus nulli amnium claritate inferior.

D Colum. 334. E. *naturales existimantur*) Adde. *Hunc locum de fulguribus cælo cadentibus, deq; Cometis per id tempus ardentibus tangit & Manil. lib. 1.*

—— nec plura aliâs incendia mundus
Sustinuit, quam cum ducibus iurata cruentis
Arma Philippæos implerunt agmine campos.

Colum. 335. B. de Persa portenderent) Adnecte. Legi & ita relatum. Cum eo ægrotante, amici de cometa, qui apparuerat, colloquerentur, non mihi, ait, sed regi Parthorum mortem portendit: ille enim comatus est, ego caluus sum.

Ibid. D. lin. 7. *positum existimat.*) Adiunge, nouo initio. Philippi, vel iuxta Ptolemęum vrbs vicina Thra- E ciæ, vel ipsius Thraciæ, iuxta Plinium, vel Thessaliæ iuxta Ouidium, Florum, & Seruium: vel quod certum omnino, Macedoniæ, teste D. Luca Act, 16. ad Stridonem fluuium à Philippo condita. In campis Philippicis pugnatum à Cassio, & Bruto contra Octauium, & Antonium. Qui putat in iisdem à Cæsare, & Pompeio acie decertatum, quamuis vti queá auctoritate Virgilij, Ouidij, Lucani, falluntur tamen. Nam Pharsalici, qui exitiales Pompeio, à Philippicis, qui Bruto, magno absunt interuallo. Vide Glarean. in annotat. ad li. 1. Lucani. Hæc Delrius Comment. in Octauiam Senecæ.

Colum. 336. C. lin. 3. Gyrald. Syntag. deor. 1.)

Adiice. ROMANA PALATIA SERVAS) Ab vna regione totam Romam significat, de qua sic Varro lib. 4. de ling. latin. Quartæ regionis Palatium, quod Palantes eò cum Euandro venerunt: aut quod Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt. Sed hoc alij à Palatia vxore Latini putarunt. Eundem hunc locum à pecore dictum putant quidam. Itaque Næuius Balantium appellat. Isidorus ita libr. 15. Palatium è Palante principe Arcadum dictum, in cuius honorem Arcades Palanteum oppidum construxerunt, & regiam in ipsius nomine conditam, palatium vocauerunt.

Colum. 339. A. lin. 1. emittere incipiam) Adde. Hanc repagulorum, fotiumq; laxationem, aurigarumque impetum non inscitè Manilius expressit, lib. 4.

Aut cum laxato fugerunt cardine claustra,
Exagitare feras, pronumq́ anteire iugales.

AD SECVNDVM
GEORGICORVM.

Colum. 343. A. versu 2. Quin paulo post, &c. dele totum, vsque ad illa, Varro lib. 1.

Colum. 343. A. versu 11. dictum satis superque) Subde. PAMPINEO GRAVIDVS AVTVMNO) Autumnitas est priscum vocabulum, quo vsus est Varro, Serrano, & Quinquatribus. Cato de re rust. cap. 5. & cap. 165. prima autumnitate, cum pluuia est, tum maximè ab aqua periculum est. Minutius Fælix, & Arnobius. Ex oliuetis vestris, inquit, atque vinetis plenam faciunt autumnitatem fundi. Dixerunt etiam autumnum genere neutro, vt monuit Carisius libro 1. Varro Ephemeride Etesiæ dutius, & vberius flauerant, & autumnum ventosum fuerat. Cyprianus contra Demetrianum, nec sic vernali de tempore sata læta sunt, nec adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt. Hæc cum pluribus testimoniis obseruauit Ioan. Meursius in Critico Arnobiano, cap. 8.

Colum. 345. versu 9. *Virginem si musta est*) Adiice. *Præterea spurcum vinum dicebant austere Festo, aut aqua mixtū, aut igne calefactum, aut mustum, antequam deferuescat.*

Colum. 348. versu 6. Putare veteres dixerunt, &c. vsque ad illa verba, Sextò procreantur arbores, totum collocandum est infra, post verba, *surculorum satio, insitio*, præscriptis hisce, SVMMVMQVE PVTATOR)

Colum. 351. B. versu 5. post asteriscum proximè subsequantur hæc. *Seneca lib. 7. de Benef. cap. 25. Non est ista admonitio, sed conuicium est.*

Colum. 355. A. lin. 3. *& naufragia*) Adde. Fretis aptam abietem dixit Ennius. Plin. lib. 16. cap. 10. expetitam, inquit, nauigiis abietem esse, & in excelso montium, ceu maria fugerit, sitam. D. Ambrosius in Hexaëmero. Abies quoque non contenta terrenis radicibus, atque vero vertice, etiam casus marinos tuto subitura remigio, nec solum ventis, sed etiam fluctibus certatura processit.

Colum. 364. C. post hæc verba, *in lege Connub. num. 18.* adnecte ista. *De serico, bysso, bombycinoque differit etiam doctè noster Delrius Comment. in in Hippolytum Senecæ pag. 178. Sericum depectitur arboribus, byssum instar lini terra edit, bombycinum à vermiculis gignitur.*

Colum. 371. B. lin. 5. *miscent aconita nouercæ.)* Addendum, à principio. Omnium venenorum ocyssimum esse aconitum tradit Plin. libr. 27. cap. 2. & tactis quoque genitalibus fæminini sexus animalium, eadem die inferre mortem. Fabulæ narrauere à spumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule, ideoque apud Heracleam Ponticā, vbi monstratur is ad inferos aditus, gigni. Hoc quoq; tamen in vsus humanæ salutis vertere, scorpionū ictibus aduersari experiendo datum in vino calido. Ea est natura, vt hominem occidat, nisi inuenerit, quod in homine perimat. Lege reliqua de huius herbæ efficacitate mirabili.

Colum. 372. B. lin. 8. in maria procurrens) Adiice. De isto duplici mari audiendus nobis etiam Liuius lib. 5. Mari supero, inferoque, quibus Italia insulæ modo cingitur, quantum potuerint (Tusci) nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare, ab Adria Tuscorum colonja Italicæ gentis. Græci eadem Tyrrhenum, atque Adriaticum vocant.

Colum. 373. A. lin. 7. cinctu vestitus) Adde ab initio. Non *verutos*, sed *veruto* legendum statuit Lipsius Poliorcet. lib. 4. dial. 4. Dicit enim, Ligures malo, siue labori suetos, Volscos iaculationi, & bello. Hoc equidem malo, quam verutos dicere, veru armatos. Liuius leui armaturæ tribuit, sed veteri, vt initio belli Punici secundi. Romani pedites verutis coniectis, auertêre elephantos. Lege cætera. Diximus ex eodem ad lib. 7. Æneid. super illo versu, *Et tereti pugnant mucrone, veruq́ Sabello.*

Colum. 382. B. lin. 3. acidus, salsus) Addendum. Præter hæc, tria sunt genera, mirabili maximè natura, &c. Plin. lib. 15, cap. 27.

Colum 386, B. lin. 7. aciem quandam militum) Adde. AGROS METABERE CAMPI) Metari est diuidere, secare suis finibus, & metis. Vineas metari Columella. Metata porticus Horat. id est, mensurata, disposita. Metatores, qui præcedentes, locum castris idoneum eligunt. Plura vide apud Lipsium de Milit. Roman. lib. 5. dial. 12.

Colum. 387. A. versu 12. *Testa diu*. Chiliad.) Subiice, à principio. Omnino pro corollario hic adnectenda videtur, Platonis ex Eutyphrone grauis sententia. ὀρθῶς γάρ ἐστι τῶν νέων πρῶτον ἐπιμεληθῆναι, ὅπως ἔσονται ὅτι ἄριστοι, ὥσπερ γεωργὸν ἀγαθὸν τῶν νέων φυτῶν εἰκὸς πρῶτον ἐπιμεληθῆναι. Consentaneum enim est, primam de ipsis iuuenibus curam suscipere, vt quam optimi euadant: quemadmodum decet agricolam nouellarum plantarum primam curam gerere, tum verò de cæteris curandis rationes inire.

Colum. 399. B. lin. 4. similis exuberasse) Pro verbis sequentibus, scribe ista, eoque alimento animantes esse nutritos. Cic. 1. de leg. Lactant. lib. 2. cap. 12. Rhodigin. lib. 17. cap. 19. Plato in Timæo à minoribus diis fabricata corpora, animos verò à summo deo satos affirmat.

Colum. 400. E. versu 7. seu per æstum facit hiulca) Appone. Tibull. eleg. 7. lib. 1. *Qualis & arentes cū findit Sirius agros.* Catull. ad Mallium. *Cum grauis exustos æstus hiulcat agros.* Lusibus in deum hortorum, *Agente terra per cuniculum rimas.*

Colum. 403. B. versu 10. pro poculis vtuntur) Adde. Adiicio his verba Solini ex cap. 32. Sunt & vri, quos imperitum vulgus vocat bubalos, cum bubali ad ceruinam pæne faciem in Africa procreentur. Istis porrò, quos vros dicimus, taurina cornua in tantum modum protenduntur, vt dempta ob insignem capacitatem, inter regales mensas potuum gerula sint.

Ibid versu 13. id est perdidi) Adiunge. CANA CONCRETA PRVINA) Pruina est, quæ lapsa persidet, & gelat,

& gelat, nec fit nisi immoto aëre, & sereno, qua vites, A arbores, frumenta interdum præcocia vitiantur. Dicta à perurendo, quasi perurina: vrit enim germina, cum sole liquefacta est. Rorem concretum nominat Aristot. lib. de Mundo. Bud. in Pand.

Colum. 405. A. lin. 3. Hippol. Senec. act. 3. Subiice ab initio. Sed Turnebi verba ex libro illo septimo huc à nobis transferẽda sunt in lectoris gratiam. Considerans à Tertulliano dictum lib. de Pallio. Illa dicitur Carthago studiis asperrima belli prima omnium armasse arietem (tormentum bellicum) in oscillum penduli impetus, sanè pereleganter, inquit. Nam quamuis oscilla sint parua sigilla in effigiem humanam arte simulata, vt scribit Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 11. & B oscilla quoque sint imagunculæ, quæ infantibus præbentur ad lusum: tamen oscilla etiam dicebantur αἰῶραι id est, pensiles quædam gestationes de arboribus suspẽsæ, in quibus homines per lusum iactabantur, atque ea iactatio oscillatio dicebatur: nam homines eo genere lusus se iactantes impositi transuerso tigno de arbore suspenso, alternis se, mutuoque subiectabant, deprimebantque. Quod genus lusus per sex feriarum Latinarum dies celebrare solebant, in memoriam, & imaginem vitæ humanæ, in qua altissima interdum in infimum deiiciuntur, infima in altum efferuntur, & euehuntur: ita memoriam redintegrantes initio acceptæ vitæ illis diebus, per oscillationem, motus cunarum: C per lactatam potionem, qua tum vtebantur, lactis alimentum significabant. Nam lac Latinis feriis adhibebatur etiam in sacrificiis. Cic. 1. de Diuinat. *Et leto mactasti lacte Latinos.* Virgilius oscillationem etiam Liberalibus, vt existimo, fieri dixit hoc versu, *Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.* In quo tamen φαλλὸν multi interpretantur: nam & obscœnæ etiam partis simulacrum oscillum vocari posse censent. Inde igitur per translationem in ariete murali dixit Tertullianus, propterea quod malo statuto, tanquam trutina, alter transuersus suspendebatur. Eodem modo de mundo ex axe pendente in lib. de Anima dixit. Initium enim omnium commentatus animum, & vniuersitatis oscillum de illius axe suspendens.

D Colum. 414. A. versu 8. *in aduersum pocula Pirithoum.)* Subsequantur hæc. Plutarchus insuper in Theseo. Inde ducens vxorem Pirithous Deidamiam, Thesea rogauit, vt veniret ad regionem visendam, & ad contrahendam cum Lapithis consuetudinem. Forte inuitauerat Centauros quoque: qui vt in procacitatem, & insolentiam eruperunt, & vino incalescentes non temperauerunt à mulieribus, verterunt se Lapithæ ad vltionem, atque alios obtruncauerunt, alios bello inde victos, socio Theseo, & suppetias ferente, regione exegerunt.

Colum. 419. C. versu 11. Siciliæ Eloria) Subiunge. * *Peneia Tempe à flumine vocat 4. Georg.* Pastor Aristæus fugiens Peneia Tempe. *Catull. de nupt.* E

Confestim Peneos adest viridantia Tempe,
Tempe quæ syluæ cingunt super impendentes.

Idem Catull. à Phtia vrbe Thessaliæ nominat Phtiotica, linquit Phtiotica Tempe.

Colum. 425. D. versu 8. in Hippolytum Senecæ) Adde. * *Nequeo facere, quin adnectam verba Turnebi pro auctario ex cap. 24. libro 22. qui verba illa Maximi Taurinensis adscribit D. Ambrosio, qua de re non multum laboramus. Ergo sic Turneb. Inde labores lunæ vocati sunt, & inde laborare dicebatur, quod carmine veneficarum sollicitata, malo afficeretur, & deduceretur. Inde dissono æris crepitu credebant veteres se illi laboranti opem ferre, quod lunam minus nocere credebant verba veneficarum, si ea propter strepitum æris non exaudiret. Inde æra auxiliaria dixit Ouidius.*

Colum. 430. C. lin. 6. pro vitio semper habuerunt) Adde. Quantum honorarint, & coluerint Misericordiam Athenienses, docet Pausanius libro primo. Aram ei in foro statuerunt, eiusque numini, quod magna habeat in tota hominum vita, & casuum varietate momenta, soli ex omnibus Græcis singularem honorem habuerunt.

Colum. 431. E. *timidum deponere terra?)* Adde. Tales collocantur in tartaro, subiiciunturque grauioribus suppliciis lib. 6. Æneid.

Aut qui diuitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quæ maxima turba est.

Colum. 436. versu 11. post cap. 34.) Adiice. Salust. in Catilin. Coniurat. Scio nonnullos, qui ita existimarunt, iuuentutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honestè pudicitiã habuisse. Et mox. Quid enim? possumus eos, qui à stupro arcentur infamiæ metu, pudicos dicere?

AD TERTIVM GEORGICORVM.

Colum. 446. A. versu 16. *per ora virûm.)* Addendum. Castigatur Beroaldus, qui non animaduertens, quantum leporem carmini vox illa *virum* conciliaret, vt litteræ, s, elisionem fugeret, ita legit, *volito docta per ora virûm*, nimia licentia. Deduxit ex hoc carmine Enniano, illud quoque Virgil. in 12. *virumq; per ora feretur.* Peruenire, abire in ora vulgi, in laude, & in vitio positum inuenitur. In vitio, Catull. ad Rauidum.

Quis deus tibi non bene aduocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An vt peruenias in ora vulgi?

In laude; Horat. epist. ad Florum. *Quid Titius, Romana breui venturus in ora.*

D Colum. 449. D. 10. adde * Centum *dixit Virgil. pro valde multis. Sic Æneid. 6.* Non mihi si linguæ centum. *id est, quamuis multa. Tibull. eleg. 7. lib. 1.* Huc ades, & centum ludos, geniumq; choreis Concelebra.

Colum. 451. E. lin. 7. dictum esse. Varro lib. 5.) Subiunge. Est autem *triumphatus* participium sine verbo, quoniam triumphor non dicimus, inquit Seruius. Talia sunt nupta, placita, indicta, inaccessa, & similia. Passiuè vsi sunt hoc à participio à verbo triumpho etiam Horat. Ode 3. lib. 3. *triumphatisq; possit Roma ferox dare iura Medis.* Ouid. de Ponto eleg. 2. libr. 2. *adde triumphatos modo Pæonas.* Stat. 8. Thebaid. *Anne triumphatos fugiam captiuus ad Indos?*

Colum. 452. B. lin. 1. *cuius fueram semper auctor.)* Subiice à principio. Multo fusius, quomodo Cynthius auctor Troiæ intelligendus sit, docet ad 2. Claudian. de raptum Proserp. Ianus Parrhasius. Auctor, inquit, non est tantum qui facit, sed princeps, & qui primus iubet, vt aliquid fiat. Inde illud apud Liuium frequenter, vt patres fiant auctores, id est, vt perinde accipiant, ac si ipsi iussissent. In hoc significatu posuit Virgil. cum dicit, *Et Troiæ Cynthius auctor.* Ilus enim cum pecus in Mysia custodiret, in certamine quodam victor, quinquaginta pueros, ac totidem puellas accepit in præmium: quos Apollinis oraculo monitus, in coloniam de-

duxit, vbi præuiam bouem procubuisse animaduertit, angustasq; pro suis tunc opibus sedes in summo monte positas, Ilium nominauit, quod bellica virtute, & opibus amplissimum postea fuit. Nam cui placere potest, Apollinem dici auctorem Troiæ, quod eius muros (vt fabulæ canunt) extruxerit? Hac profecto ratione munitor Troiæ, non auctor dici debuit, vt est apud Ouid. *Me fide conspicuus Troiæ munitor amauit.* Quod si auctor inde diceretur, esset hoc illi nomē cū Neptuno, & Aeaco commune, quos operis habuit socios, vt Pindari scribit interpres. Neutrum tamen eorū auctorē Troiæ apud quempiā dici legimus. Equidē ad Apollinis respōsum refero, cuius fidem secutus Ilus, Ilium condidit, vt Statius 11. Thebaid. accepit. *gemit auctor Apollo Quas dedit ipse domos.* Dolet Apollo Thebas à Capaneo dirui, quas eius oraculum sequutus Cadmus ædificauit.

Colum. 457. C. versu, 5. aratro inhabilem) Subiunge. Varro lib. 2. cap. 1. Nunc appello fœturam à cōceptu ad partum: hi enim prægnationis primi, & extremi fines.

Colum. 461. E. lin. 9. locus est haud inelegans) Adscribe ista continuatè, omissis quæ sequebantur prius. non pigebit ad verbum inserere. Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, & baltei polimina inspicimus, & ornatissimæ ceruicis diuitias contemplamur: si ex argento, & auro, & gemmis monilia variæ gazæ dependent: si plena artis ornamenta capiti, & collo circumiacēt: si fræna cælata, si ephippia fucata, si singula armata sint: sed istis omnib9 exuuiis amolitis, equum ipsum nudum, & solum corpus eius, & animū contuemur, vt sit ad speciem honestus, ad versuram vegetus, & ad vecturam validus. Iā primū in corpore si sit,

Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga,
Luxuriatq; toris animosum pectus honestis.

Præterea si *duplex agitur per lumbos spina.* Volo enim non modò perniciter, verum etiam molliter peruehat. Similiter ergo & in hominibus contemplandis, noli illa aliena æstimare: sed ipsum hominem penitus considera, ipsum, vt meum Socratem pauperem, specta. Aliena autem voco, quæ parentes pepererunt, & quæ fortuna largita est: quorum nihil laudibus Socratis mei admisceo, nullam generositatem, nullam prosapiam, nullos longos natales, nullas inuidiosas diuitias. Hæc enim cuncta, vt dixi, aliena sunt. Igitur omnia simul aliena numeres licebit. Generosus est? parentes laudas. Diues est? non credo fortunæ, nec magis ista demiror: Validus est? ægritudine defatigabitur. Pernix est? exspecta paulisper, & non erit. At enim bonis artibus doctus, & apprime est eruditus, & (quantum licet homini) sapiens, & boni consultus: tandem aliquando ipsum virum laudas. Hoc enim nec à patre hæreditarium est, nec casu pendulum, nec suffragio adminiculum, nec à corpore caducum, nec ab ætate mutabile.

Colum. 462. D. lin. 12. χλωεῖν significat) Subde. COLLECTVMQVE PREM. VOL. SVB NARIBVS IGNEM.) Magnum equorum animositatis indicium, cum calidum anhelitum instar ignis emittunt. Hinc Lucret. lib. 5. cum maximam Diomedis equorum ferociam describeret, ait, *Et Diomedis equi spirantes naribus ignem.* Nemesian. in Cynegeticῶν libello, equos illos maximè probat, qui *Fumant humentes calida de nare vapores.* Ouid. 2. Metamorph. de equis Solis.

Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis,
Quos in pectore habent: quos ore, & naribus efflant,
In promptu regere est.

Denique prouerbij loco dicitur, cum aliquem ira efferuescentē ostendere volumus, πυρὸς ἀναπνεῖν. Hieron.

A Columna in Lustra Ennij, cuius est Annal. 2. *Spiritus ex anima calida spumas agit albas.*

Colum. 465. C. versu 5. *affirmationem habet*) Adde nouo initio. Magnum certè specimen artis, & non pœnitendum studium equorum agitandorum in ipso curriculo apparebat, cum se aurigæ attollerent, deprimerent, inflecterent, voce, & flagello equos accenderent, quod expressit hic apposite Virgilius. In 5. etiam de hac re locutus est.

Nec sic immissis auriga vndantia lora
Concussere iugis, pronique in verbera pendent.

Stat. 6. Thebaid.

——nunc auidi prono iuga pectore tangunt,
B *Nunc pugnante genu pressis, duplicantur habenis.*

Fontem habuerunt Homerum, cuius est Iliad. 23.

Οἱ δ' ἅμα πάντες ἐφ' ἵπποισι μάστιγας ἄειραν,
Πέπληγόν θ' ἱμᾶσιν, ὁμόκλησάν τ' ἐπέεσσιν.
Ἐσσυμένως, οἱ δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο.

Id est, Illi autem omnes super equos flagella sustulerūt, & loris cædebant, voce animantes cum impetu. Illi autem velociter per campum currebant. Videres eos pronos, & anhelantes in ipsa iuga pendere, aut in axes ipsos referri, vt cursum equorum adiuuent. Cæsar Bolenger. de Circo Rom. & lud. Circens. ILLI INSTANT VERB. TORTO) Æneid. 7. *Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo.* Tibull. eleg. 6. lib. 1. *non amens verC bera torta times.* Et eleg. 9. *& intorto verbere terga seca.*

Colum. 466. B. lin. 6. Adde. ROTIS INSISTERE VICTOR) E doctis est, qui mallet legere *vector*, nam vectores passiuè hic δεκτικῶς.

Colum. 479. A. versu 5. HIC VEL AD ELÆI METAS) Subiunge continenter. *Tibullus de suo equo eleg. 4. lib. 4.*

Quam iacet, infirmæ venere vbi fata senectæ,
Qui prior Elæo est carcere missus equus?]

Colum. 481. A. versu 2. *pressit amor pedibus*) Adscribe. VRITQVE VIDENDO FÆMINA) dum videtur. Lucret. lib. 1. *Annulus in digito subter tenuatur habendo,* dum habetur. Æneid. 2. *Fando aliquid si fortè tuas peruenit ad aures.*

D Colum. 483. B. est δίαν, &c. dele totum vsq; ad, VIRESQVE RECEPTÆ.

Colum. 487. B. versu 1 elegantissimū poematiū reliquit) Adde. in quo cum doctissimi viri consentiant, tamen repugnat Isaacius Causabonus, Notis ad Laertium, & cuidam Musæo Grammatico adscribit. Eius argumenta lege: mihi quidem non displicent. pag. 8.

Ibid. E. versu 3. *endo plagas,* &c. Adde, ab initio. De signis Romuli apotheosin præcedentibus accipiendum est hoc, *quem super ingens Porta tonat cæli,* de quibus Liuius lib. 1. Dum enim ad Capræ paludem concionem haberet, subito coorta tempestas cum magno fragore, tonitribusque, tam denso regem operuit nimE bo, vt conspectum eius concioni abstulerit: nec deinde in terris Romulus fuit. Homeri, vt opinor, locus vnde hæc sumpsit Ennius, est in 8. Iliad. vbi Horas cæli portas custodire finxit. Αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἃς ἔχον Ὧραι. Hinc Ouid. de Iano lib. 1 Fast. *Præsideo cæli foribus cum mitibus Horis* Hieron Columna in 1. Annal. Ennij.

Colum. 492. B præpone ista. SVPERAT PARS ALTERA CVRÆ) Superare, valet etiam superesse, restare. Liuius lib. 29. Classis Romana à Messana Locros, multa die superante accessit. Virgil. 5. Æneid. *Hunc trade, amissis superant qui nauibus.* Copiam videtur notare Georg. 2. *Laxant arua sinus: superat tener omnibus humor.*

Colum-

Colum. 495. B. lin. 2. Adde* *Quomodo Virgilius lanigeros greges, sic Ennius lanigerum genus, oues appellat.*

Colum. 495. A. lin. 2. persecuturum ostendit) Subiice, noua linea. Complures poetæ nobiles in suo scribendi genere, & materia, primum sibi locum attribuere, seseque primos ausi sunt appellare. Hoc ostendimus fecisse Ennium, suprà, ad illud, *Primus ego in patriam mecum*, &c. item Lucretium, Horatium, Propertium, cuiusversus ad idem institutum pertinentes, etiam hi sunt, eadem elegia, *opus hoc de monte sororum Detulit intacta pagina nostra via.* Manil. lib. 1.

Aggredior primusq́, nouis Helicona mouere
Cantibus, & viridi nutantes vertice syluas,
Hospita sacra ferens nulli memorata priorum.

Adde Nemesianum, qui sic, *ducitq́, per auia, qua sola nunquam Trita rotis, iuuat aurato procedere curru.* Et mox, *intacto premimus vestigia musco.* Sic Dianà Oppianum principio librorum de venatione hortatur, vt asperam secum ingrediatur viam, quã nemo hactenus mortalium suis calcasset carminibus.

Ἔγχεο, καὶ τρηχεῖαν ὀπιστείβωμεν ἀταρπὸν,
Τὴν μερόπων οὔπω τις ἑοῖς ἐπάτησεν ἀοιδαῖς.

Colum. 496. D. post lin. 2. adde MAGNO VELLERA MVTENTVR) Horat. Sat. 4. lib. 1. *Hic mutat merces surgente à sole.* Catull.

——————— *crede Pollioni*
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit.

Mutator hoc modo Græcis, opinor, dicitur μεταβολεύς Demosth. εἰ δὲ καπηλὸς ὢν πονηρίας, καὶ παλιγκάπηλος, καὶ μεταβολεύς. Est enim, vt Grammatici tradunt, ἀλλάξις ἐμπορικό. Achilles Statius in Catull.

Colum. 499. C. versu 3. *resonant arbusta cicadis*) Adde. Antholog. lib. 3. tit. εἰς τέττιγας. extant complura in cicadam, festiuiter, & ingeniosè composita epitaphia.

Ibid. D. lin. 1. in herba redintegratur) Adde. Ex Varrone. Quæ supra quoque Eclog. 2. accommodatè posita memini, ad illud, *Nunc etiam pecudes vmbras, & frigora captant:* ibi enim similiter de æstu meridiano loquitur Corydon.

Colum. 501. B. & aliquid etiam venetur. Seruius. Adde, à principio. CRESSAMQVE PHARETRAM). Post Punicum bellum secundum creberrimè fuerant in castris Romanorum sagittarij, sed auxiliares, non ciues. In hoc numero maximè Cretenses, quos & excelluisse hac peritia certum est: & quidam originem primam ad eos trahunt. Diodorus ita sentit, Apollinem reperisse arcum, & indigenas Cretenses docuisse sagittariã. Isidorus accedit: sagittis, inquit, primùm Cretenses sunt vsi. Plinius tamen aliter: & arcum, ac sagittam, inquit, Scythen Iouis filium, alij Persen Persei filium inuenisse dicunt. Isti omnes oculos retulere ad eos populos, qui arte ea clari, Scythis tamen præ aliis inuentio arcus tribuenda videtur. Lipsius Poliorcet. lib. 4. dial. 6.

Ibid. D. lin. 6. arma portarent) Adiunge. Denique de exercitiis onerum in militia Romana, quam ea multa, & grauia fuerint, docet optimè Lipsius libro 5. dial. 11. Inde cognosces, quàm verè dixerit poeta, *iniusto sub fasce.* Si muli fuissent, non poterant magis onerari.

Colum. 505. B. versu 7. Et lib. 8. belli Punici) dele hoc testimonium.

Colum. 513. C. lin. 5. appellabant) Adde. De lepore dictum 1. Georg. ad illud, *Auritosq́, sequi lepores.*

Colum. 519. B. pro suscipere facias) Adde. At Hen. Steph. Schediasmate de delectu in diuersit. Virgilianæ lect. adhibendo, retinet *omnia*. Quorsum enim hìc ominum fieret mentio? contra verò, *meliora omnia*, eleganter à poeta dicitur, eo modo, quo Græci in huiusmodi præsertim rebus dicunt, βελτίονα πάντα ἐλπίζειν, vel προσδοκᾶν, aut ἀμείνονα πάντα.

Colum. 523. A. lin. 6. Repone hæc. NEC RESPONSA POTEST CONSVL. REDD. VATES) Haruspices consuli, & consulti respondere dicebantur, & quæ edebant, aut pronuntiabant, responsa appellabantur. Sueton. in Tiberio, cap. 63. Haruspices secretò, ac sine teste consuli vetuit. Et hoc loco Virgilij, vt & apud Plin. lib. 10. cap. 18. & Lucan. lib. 1. vatis nomine proculdubio haruspex exaudiendus est. Atque ita responsa vatum accipienda sunt apud Tacitum lib. 18. Liuius lib. 39. Hac eos religione innumerabilia decreta Pontificum, senatusconsulta, haruspicum denique responsa liberant. Lege quæ sequuntur apud Brisson. Formular. lib. 1. pag. 126.

Colũ. 526. A. versu 7. rursus iunguntur) Adde. Pro interiungere apud Martialẽ est, *deiungere*, & pro abiũgere inuenies etiã *abiũgassere*. A Græcis dicitur ἀποζεῦξαι.

Colum. 527. B. post vers. 10. POCVLA SVNT FONT. LIQVIDI) In quadam constitutione iuris cauetur, ne fluuij sordibus, aut equorum sudoribus polluantur, poculumque commune appellantur, vt hic fontes pocula pecudum.

AD QVARTVM GEORGICORVM.

Colum. 544. B. versu 2. Plin. lib. 11. cap. 6.) Adde. SOL AVREVS) Euripid. χρυσωπὸς ἥλιος. Georg. 1. *Per duodena regit mundi sol aureus astra.* Ennius. 1. Annal. *Aureus exoritur sol.*

Colum. 548. B. versu 9. Milit. Rom. lib. 5. dial. 2. Adde. Ideo autem tabernaculum ducis vocarunt Prætorium, docente Festo, quod initio Prætores erant qui nunc Consules, & ij bella administrabant, quorum tabernaculum dicebatur Prætorium.

Colum. 553. C. versu 5. Natal. Comit. lib. 5. cap. 15.) Adde, ab initio. Angustæ illæ freti fauces, quæ sunt inter Sigeum, & Chersonesum, ab Helle Phryxi sorore, quæ ibi submersa est, nomen accepere, vt lib. 1. testatur Apollodorus. Ouid. in Epistola Leandri.

Hoc mare cum primum de Virgine nomina mersa
Quæ tenet, est nactum, tale fuisse puto.
Est satis amissa locus hic infamis ab Helle,
Vtq́, mihi pareat, nomine crimen habet.

Lucianus more suo, fingit Neptunum cum Nereidibus loquentem, angusto illi freto id nominis ob Hellen, quæ ibi perierat, indidisse. Τὸ μὲν στενὸν τοῦτο, ἐς ὃ ἡ παῖς κατηνέχθη, Ἑλλήσποντος ἀπ' αὐτῆς καλείσθω.

Ibid. D. post versum 5. pone hæc. IPSE LABORE MANVM DVRO TERAT.) Propert. *Num grauis imbelles atterit hasta manus?* Tibull. eleg. 4. lib. 1. *Aut operi insuetas atteruisse manus.* Malint quidam *attenuasse*, insolentia huius præteriti *atteruisse* suboffensi. Lucret. li. 1. *tum portas propter aëna Signa manus dextras ostendunt attenuari.* Aristoph. apud Athenæum in 4. ὅστις δ' αὐτὸν αὐλοῖς καὶ λύραις κατατείνεσθαι χρόνον, ὥσπερ ... κελεύεις. Achill. Statius in Tibullum.

Colum. 556. C. post vers. 12. adde. CVI PAVCA IVGERA) Quemadmodum multa iugera potius quam magna: sic pauca potius, quam parua multi, ijque optimi scriptores dixerunt. Prioris exempla hæc sunt. Tibull. eleg. 1. lib. 1. *Et teneat culti iugera multa soli*, sic enim est in veteribus libris, non, *magna soli*. Idem lib. 2. eleg. 3.

eleg. 3. *Vt multa innumera, iugera pascat oue.* lib. 3. *Aut vbi multa mei renouarent iugera tauri.* Ouid. 4. de Ponto. *Et teneat glacies iugera multa freti.* Cic. 5. Verrin. Nec id solum actum est, vt hi minus multis iugis arent. Nunc ad alterius generis testimonia. Horat. Ode 16. lib. 3 *syluaque iugerum Paucorum.* Ouid. 3. Fastor. *Iugeraq; inculti pauca tenere soli.* Martial. lib. 1.

Hoc nemus aeterno cinerum sacrauit honore
Fenius, & culti iugera pauca soli.

Graeci sic copiosum hominem significant. Basil. de scriptor. ethnicis vtiliter legendis. ἡμῖν δ' ἄγροί μὲν τὰ πλέθρα τῷ μυσῷ προσῆν τάλαντα, καὶ πλέθρα γῆς τινα καὶ πλέα. Achilles Statius in Tibull.

Colum. 558. B. versu 9. in ordinem transtulit) Adde. Aeneid. 5. de naue Gyae.

Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt: terno consurgunt ordine remi.

Colum. 562. D. versu 5 aluei redoleant) Adde. De custodia ad portas castrorum militari more, dicturus sum Aeneid. 9. ad illud, *Tunc quoq; communis portam statione tenebant.*

Colum. 573. C. post versum 2. adscribendū. TAYGETE SIMVL OS TERR. OST. HONEST.) Catull. Galliambo. *Sed vbi oris aurei sol radiantibus oculis Lustrauit aethera album.* Virgil. alicubi, *Ergo vbi purpureum nitidus sol aureus vndis Extulit os sacrum.* De Lucifero quoque lib. 8. en vt suauiter, vt festiuè.

Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum caelo, tenebrasq; resoluit.

Stellis, & soli in hisce carminibus persona affingitur multo cum lepore, ac venusta Venere.

Colum. 587. lin. 9. adiungamus locum) Adde. M. Tullij ex 5. de finibus. Earum etiam rerum, quas terra gignit, educatio quaedam, & perfectio est, non dissimilis animantium. Itaque & viuere vitem, & mori dicimus: arboremque & nouellam, & vetulam, & vigere, & senescere. Item.

Colum. 588. B. hic locus refellit) Adde. Simul etiam Catullianus ille in poematio de coma Beronices, *E Beroniceo vertice caesariem.*

Colum. 593. versu 2. se proripit) Adde. VNDE PATER TIBERINVS) Tiberinus Capeti Albanorum regis filius, in traiectione Albulae amnis summersus, celebre ei nomen de se ad posteros dedit: dictus est enim Tiberis. Ennius Annali 1. *Teq; pater Tiberine tuo cum flumine sancto.* Cocles apud Liuium lib. 2. Tiberine pater, inquit, te sancte precor, &c.

Ibid. C. versu 5. πορφυρέοισαν, caeruleum) Adde. De coloribus maris, vnde tales viderentur, dictum alibi. VIOLENTIOR INFLVIT AMNIS) *Influere.* Cicero pluribus locis μεταφορικῶς est vsus: nec enim de aquis tantum, humoreque aliquo, verum etiam, de rebus solidis loquens, sensusque participibus, eo vtitur, vt de rebus quoque, quae sensu aurium, percipiuntur, nec tamen manu tanguntur, vt in 2. libro de leg. Assentior etiam Platoni, nihil tam facilè in animos teneros, atque molles influere, quam varios canendi sonos, quibus verbis locū hunc grauissimi auctoris expressit 4. de repub. &c. Victor. lib. 1. cap. 19.

Colum. 599. A. post versum 4. interiice. TORRENS SITIENTES INDOS) Quia sol Indos vehementer torret, & quodámodo coquit, Catull. Indiam vocat tostam, & Manil. lib. 4. *Perfusas hominum gentes, minus India tostas.* Tibull. lib. 2. *Illi sint comites fusci, quos India torret.* Achil. Stat.

Colum. 600. A. versu 5. praedixerit) Adde. IN MIRACVLA RERVM) Miraculi verbum ab antiquis quibusdam positum in rebus turpiculis, notauit in Arnobiano Critico Meursius cap. 9. Nam Arnobius sic ait Vertit Baubo artes, & quam seria non quibat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis. Festus, miracula, quae nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus vtebantur. Inde etiam miraculae, meretrices, apud Plaut. Neruolaria. *Diobolares, schoeniculae, miraculae.* Varro Marcipore. Deinde mittit virile veretrum in flumen, ostendit buccam Volumnio, eodemque conicit miracula nescio quae.

Ibid. C. dici non potest) Insere. Tibull. eleg. 6. lib. 1. *Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.* Idem lib. 4. *Nec tibi sit duros acuisse in pectora dentes.* Liuius lib. 24. Quae verbo obiecta, verbo negare sit. Propert. 3. *Nec digitum angusta est inseruisse via.*

Colum. 605. A. digna silentio) Adde. CAERVLEOS ANGVES) Hoc epitheton *caeruleus* frequenter datur serpentib. Ennius *Caeruleo incincta angui.* Ouid. 3. Met. *Caeruleus serpens, horrendaq; sibila misit.* Et de Tisiphone, *cruore rubentem Induitur pallam, tortoq; incingitur angue.* Varro Atacinus, *Cuius vt aspexit torta caput angue reuinctum.*

Colum. 608. post versum 6. adde. GELIDIS HAEC EVOLVISSE SVB ANT.) Verbum *euoluisse*, hic protulisse, cecinisse significat. Apud Catull. promere, & enuntiare. *Condita quin verè pectoris euoluam.* In frag. Sallustianis, Vix satis apertum os, aut lingua prompta videtur, quo dicta pectore euoluat. Attius apud Noniū in *Componere*: composita dicta ex pectore euoluūt suo. Euoluere sic quoque dixit Statius 1. Thebaid. 32.

Fraternas acies, alternaq; regna profanis
Decertata odiis, sontesq; euoluere Thebas
Pierius mentis calor incidit.

Cic. 3. de Orat. sic accepisse, & aliunde translatum significare videtur. Ergo verò, inquit Crassus, ne illa quidem, quae suprà dixi, noua vol is esse arbitrabar: sed voluntati vestrûm omnium parui. His autem de rebus sol me ille admonuit, vt breuior essem, qui ipse iam praecipitans, me quoque haec praecipitem paene euoluere coegit. Haec Achilles Statius in Catull. MVLCENT. TIGRES ET AGENT. CAR. QVERCVS) Vide epitaphia in Orpheum 3. Anthol. Tit. εἰς ποιητάς, vbi, quantum cātu suo potuerit, quantamque adeptus sit gloriam, ostēditur.

Colum. 609. post vers. 9. subtexe. DISCERPTVS LATOS IVVEN. SPARSERE PER. AG.) De immani caede, laniatuq; Orphei per Bacchas, agit Ouid. Metamorph. 11. Extremi versus hi sunt.

Tendentemq; manus, atq; illo tempore primum
Irrita dicentem, nec quidquam voce mouentem,
Sacrilegae perimunt, perq; os (prô Iupiter) illud
Auditum saxis, intellectumq; ferarum
Sensibus, in ventos anima exhalata recessit.

Infrà post flebilem apostrophen.

Membra iacent diuersa locis, caput Hebre, lyramq;
Excipis, & (mirum) medio dum labitur amne,
Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis: respondent flebile ripae.

AD AE-

AD AENEIDEM.

AD PRIMVM ÆNEIDOS.



Olum. 625. post verſ. 2. adde ab initio. Sed & aliàs fuiſſe hoc hemiſtichium multis in ore frequenter, & temere vſurpatum, colligitur, quod Florentinus lib. 8. Inſtitut. L. Quæ extrinſecus, de verb. obligat. ait. Quæ extrinſecus, & nihil ad præſentem actum pertinentia adieceritis ſtipulationi, pro ſuperuacuis habebuntur, nec vitiabunt obligationem: veluti ſi dicas, *Arma, virumq́, cano*, Spondeo, nihilominus valet. Seneca lib. 14. epiſtolar. vbi de cauillatione quadam ſcribit. Prudens verſus, inquit, bonum eſt: bonum autem omne animal eſt: verſus ergo animal eſt. Itaque *Arma virumque cano*, animal eſt, quod non poſſis rotundum dicere, cũ ſex pedes habeat.

Ibid. C. poſt verſ. 8. adde. Hoc principium Maronianum in Columbeide ſua, poemate à Mureto, Victorio, Franciſco Bencio, aliiſque doctiſſimis viris, quibus id ipſum oſtendit, vehementer approbato, Iulius Cæſar Stella Romanus, adoleſcens nobilis, nondum agens viceſimum ætatis annum, dexterrimè eſt imitatus, verſibus grauiſſimis, atque pulcherrimis. Quod vt iudicari poſſit, locum adſcribam: librum, quod equidem ſciam, Germania nondum adepta eſt: mihi autẽ pro munere miſit, quem ſupra nominaui Franciſcus Bencius, mei, dum viueret, vnus omnium amantiſſimus.

Iuuentum pugnata cano pia bella per orbem,
Magnanimumq́, Ducem. terris qui primus Iberis,
Axis ad oppoſiti populos ignota Quinquetæ
Littora fecit iter, ſecretaq́, regna retexit.
Ille graues rerum conſtanti pectore caſus
Pertulit, & magnos pelago, terraq́, labores,
Inceptis dum monſtrum Erebi falcibus obſtat,
Multaq́, bellando expertus, dum tecta locaret
Tuta ſuis, ritusq́, pios, moremq́, ſacrorum
Conderet, unde nouas paſſim venerata per aras
In ſummos nunc relligio ſucceſſit honores.

Colum. 631. B. lin. 5. Romani eſſent. Cortad.) Adde. * *Romam feſtiuè D. Auguſtin. Ciuitat. diuina lib. 3. cap. 14. filiam, Albam, vnde deducta illa, ceu colonia, matrem nominat. Loquẽs enim de bello, quod Albanis Romani unquam impetum intuliſſent: Quomodo ergo, inquit, alterius matris, alterius filiæ ciuitatis inter ſe armorum potuit eſſe certamen? Et paullo ante. Nam & hoc plusquam ciuile bellum fuit, quãdo filia ciuitas cum ciuitate matre pugnauit. Deinde, Vrbs nomen illa. Aſcanij regnum, & tertium domicilium Troianorum deorum ab vrbe filia mater euerſa eſt. Nomauit hæc Meurſius Crit. Arnobianæ cap. 18.*

Colum. 633. D. verſu 10. arguit, & caſtigat) Adſcribe. Aptiſſimè, & conuenientiſſimè ad hoc ipſum Seneca, lib. Cur bonis viris mala accidant. Ipſis deus conſulit, quos eſſe quam honeſtiſſimos cupit, quoties illis materiam præbet, aliquid animosè fortiterque faciendi. Et rurſum, Hanc rationem dij ſequuntur in bonis viris, quam in diſciplinis ſuis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior ſpes eſt.

Colum. 636. B. lin. 10. poſt aſteriſcum iniice hæc. *Vticam ab iiſdem Tyrijs in eodem ſinu conditam, Tertullianus principio libri de Pallio Carthaginis ſororem ciuitatem vocat.*

Colum. 637. E verſu 6. addantur hæc. Et quam-
A quam Carthago non fuit regnum gentibus cæteris, fuit tamen gentibus Africanis. Ob id Tertullian, libr. de Pallio ſic exorditur. Principes ſemper Africæ viri Carthaginenſes, vetuſtate nobiles, nobilitate fælices. Quomodo autem non principes, qui 300. vrbes poſſiderẽt in Africa, haberentque intra mœnia ſua ciuium ſeptingenta millia?

Colum. 646. B. & lib. 29, c. 23.) Adiunge, à principio. Ianus Parrhaſius in 1. Claud. de raptu Proſerp. aliter hunc locum explicat, eruditè profectò & diligenter. Da operam lector pauxillum. *Et in celſas ſurgunt electra columnas.* Hic verſus eſt, ex quo Maronis aliud carmen 1. Æneid. interpretati ſumus, *Vela dabant læti,*
B *& ſpumas ſalis ære ruebant*, quæ ex ære fiebant, vt didicimus ex Vitruuio, Ruffo, Plinioque. Suidas, ἔμβολον vocant, inquit ex ære roſtrum, quod extat è prora nauium. Virgil. Æneid. 3. *tremit ictibus ærea puppis.* Idem lib. 10. *Maſſicus ærata princeps ſecat æquora tigri.* Nauis id nomen eſt, ab inſigni. Stat. Thebaid. 5.

Ecce autem ærata diſpellens æquora prora,
Pelias: intacti longè ſubiit oſtia ponti
Pinus.

Cæſar belli ciuil. 2. cum claſſe nauium 21. in quibus paucæ erãt æratę. Maronis illud à nobis antea recitatum C. Balbus (vt nos) expreſſit hunc in modum, *volat immiſſis caua pinus habenis, Infinditq́, ſalum, & ſpumas vorat ære tridenti.* Flaccus igitur Horatius, quum vellet longam
C nauim ſignificare, & roſtratam, firmamque, Cypriam dixit, vt ærea accipiatur: quod oppidum Cypri Temeſe, æris olim metalla habuit, vt Strabo tradidit: ex quo Cypros, vt ait Verrius, ærosa dicta eſt. * *Neſcio vbi Horatius nauim Cypriam dixit, niſi Ode 1. lib 1. & Epod. Ode 1. Atqui in his locis trabem Cypriam vocat, per ὑπωνυμίαν: vt non debeas colligere Parrhaſium, Horatiũ ſignificaſſe æreã nauim, ſed æratã potius.*

Colum. 658. B. verſu 10. *hominumq́, pater rex)* Adde. Ouid. 2. Faſtor. de Auguſto.

Hoc tu præterea quod in æthere Iupiter alto
Nomen habes: hominum tu pater, ille deûm.

Colum. 663. C. verſu 7. coniugem Iuno pollicita eſt) Adiice. EPVLIS ACCVMBERE DIVVM) Dapes re-
D gum ſunt, epulæ priuatorum. Vel dapes deorum ſunt: epulæ hominum. Ita Seruius: ſed auctoritas confundit. Epulum eſt publicum, & ſolenne conuiuium, quale populo dabatur in triumphis, ludis, funeribus, dedicationibus.

Colum. 664. E. verſu 5. ad eam rem penitus) Adiunge. A SEDIBVS IMIS) à fundamentis, vt aliàs loquimur. Neptunus magno tridenti *Fundamenta quatit, totamq́, à ſedibus imis Eruit.* Sedes, ſtabilitatem denotat, & firmitatem, & ſedentes minus quam ſtantes poſſunt commoueri. Nihil autem fundamento, vel imis alicuius rei partibus immobilius, ſtabilius, atq; firmius. Meritò igitur vocatur ſedes.

E Colum. 666. E. verſu 14. carminis heroici. Corrad. Subiunge * *Sume quod proximè anteceſſit, Intonuere poli, cum hoc, crebris micat ignibus æther, & cum illo Liuiano confer ex lib. 21. Tum verò ingenti ſono cælum ſtrepere, & inter horrẽdos fragores micare ignes: captis auribus, & oculis metu omnes torpere.*

Colum.

Colum. 669, versu 3. *Vt & Seruio placet.* Adde. QVIS ANTE ORA PAT. CONT. OPPETERE) Cum dolere soleant parentes filiorum morte, vehementius tamen dolent, si eos in conspectu ipsorum hostis interimat. At non ita multum dolent, si eos pro patria fortiter dimicantes in acie occisos intelligant. Morientium enim virtus dolorem lenit: magisque lætantur, se reipub. defensores genuisse, quam filios amisisse. Atque in hoc genere etiam Spartanæ feminæ quædam laudantur. Beati igitur, qui etiam ante oculos parentum in optima caussa, cum sua magna gloria vitam ponunt. ❧

Colum. 671. versu 12. pro subiecto) Addendum. Horat. Ode 1. lib. 1. *Me doctarum edera præmia frontium.* Frontes non sunt doctæ, sed doctorum hominum. Porro locus hic de Simoente, quem dicit Æneas repletum fuisse scutis, galeis, cadaueribus cæsorum, potest lumen capere ex illo Catulli de nupt. Laudantes enim, & vaticinantes Parcę de facinoribus, & eximia virtute Achillis nasciturі, sic inter cætera canunt.

Testis erit magnis virtutibus vnda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto,
Cuius iter cæsis angustans corporum aceruis,
Alta tepefaciet permista flumina cæde. ❧

Colũ. 672. A. post vers. 3. Adde. STRID. AQVIL. PRO.) Aquilonem propter flatus velocitatem, à similitudine vehementissimi aquilæ volatus appellari proditum est, quem Græci a fremitu βορέαν dicunt, cumque Pyndarus Pyth. Ode 4. ventorum regem, & patrem nominauit. E regione Austro opponitur, quod non latuit Homerum rerum omnium peritissimum Odyss. ε.

Ἄλλοτε μέν τε νότῳ βορέῃ προβάλεσκε φέρεσθαι,
Ἄλλοτε δ' αὖ εὖρος ζεφύρῳ εἴξασκε διώκειν.

Hieron. Colum. in 17. Annal. Ennij.

FLVCTVSQVE AD SIDERA TOLLIT) ὑπερβολ. Gaudent poetæ hoc loquendi genere in exprimenda sublimitate, & altitudine. Locus talis est in 3. vbi similiter tempestas describitur. *Ter spumam elisam, & rorantia vidimus astra.* ❧

Colum. 675. E. lin. 8. Adde. RIMISQVE FATISCVNT) Fatiscere (auctor Nonius) est aperire, rursum, deficere. Pro quo dixit Attius fatiscor. *Tamen haud fatiscar, quin tuam implorem fidem.* Varro. Altera ita, altera vulneribus fatiscuntur.

Colum. 678. *A.* lin. 9. CÆLVM TERRAMQVE MISCERE) Adde, Liuius lib. 4. Quid tandem est cur cælum, ac terras misceant?

Ibid. C. versu 7. inanissima, & leuissima) Subiice. TANTAS AVDETIS TOLLERE MOLES?) Suprà, *vastos voluunt ad littora fluctus.* Item, *sequitur cumulo præruptus aqua mons.* Et, *fluctusque ad sidera tollunt.* Rectè igitur, *tantas moles.*

Colum. 682. C. versu 8. Lucret. lib. 1.) Subiice. *Inde feræ pecudes persultant pabula læta.*

Colum. 693. B. lin 2. multa Socratem legimus) Adde. DVCTORESQVE IPSOS PRIMVM) A re militari sumpsit vocabulum, & loquitur de ceruis tanquam de quodam exercitu, cuius tres quasi duces videbantur illi tres, qui propter littus pascendo vagabantur.

Colum. 695. D. lin. 8. PECT. MVLCET) Adde. Suprà. *Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.* Georg. 4. *Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.* Sententia igitur verborum hæc est, &c.

Colum. 699. C. post versum 4. *Durare* verbum malis perferendis conuenit, & eo animos iacentes spe vitæ lætioris erigimus. Concludit Æneas, præsentia incommoda hoc lætiori animo ferenda, quò sit propior fælicitas, & quies. Quid enim consolatoris tam pro-

A prium, quàm catastrophen malorum quasi digito mõstrare, quibus defuncti, beati sunt futuri? Proin *durate* dixit pro, perseuerate, quasi diceret, duros, infractosque animos habete. Sueton. in Cato. Sicut erat, loricatos monuit, vt discumberent, illo notissimo Virgilij versu, durarent, & secundis se seruarent rebus. Giselin. epit. adag. parte 2.

Colum. 701. D. versu 8. *compleuit eum flagitij)* Adde *Liuium lib. 4. noctemque omnia errore mutuo implesse. Idem lib. 7. Hunc eximium florem iuuentutis eo etiam, quod vt duplex acciperetur stipendium, decreuerant spei, animorumque implere. Idem lib. 25. ac breui tempore totam Siciliam impleret nominis sui. Lib. 10. terroreque vt ab Romanis oblatus, fuga, fortunaque Samnites impleuit.*

B Colum. 702. A. post versum 4. attexe noua litera. Exemptam dicit famem epulis. Libro 8. hoc ipsum iterat, veruntamen, aliis verbis. *Postquam exempta fames, & amor compressus edendi.* Dixit autem paulo ante, impletos fuisse veteri vino, ac pingui ferina: Bene igitur inanitates suas expleuerant. Tradamus hoc loco præceptum sanitatis tuendæ studiosis, quoniam res admonuit. Celsus lib. 1. Nec ex multa fame satietas: neque ex nimia satietate fames idonea est. Adiiciamus & hoc παρέργως ex eodem. Inediam facillimè sustinẽt mediæ ætates, minus iuuenes, minimè pueri, & senectute confecti. ❧

Ibid. versu 10. huiuscemodi. Corrad.) Adde. C SPEMQVE METVMQVE INTER DVBII) partim sperabant illos superesse: partim timebant ne fluctibus periissent. Sed vtrum potius facerent, sperarent, an timerent, dubitabant. Cum spe timebant, & cum timore sperabant. ❧

Colum. 704. C. lin. 11. velis florere videres) Adde, ab initio. Epitheton *velivolum* ipsis nauibus addit Ennius, Annal. 14. *hostes accedere vẽtis nauibus velivolis.* Et in Andromacha, *Rapit ex alto naues velivolas.* Vt alibi, Cassandram, vt opinor vaticinantem inducens,

Iamque mari magno classis cita,
Texitur, exitium examen rapit,
Aduenit, & fera velivolantibus
Nauibus compleuit manus littora.

D Non dissimili translatione Hypatus Macedonius in quodam epigrammate nauim πολυπλανέων ἀνέμων ὄχον appellauit. Seruius, veliuolum, ait, duas res significat, & quod velis volatur, vt hoc loco, & quod velis volat, vt Ennius, naues veliuolas, qui & propriè dixit. Hieron. Columna.

Colum. 707. C. materia 2. Æneid.) Adde. Sed inest in hoc verbo *occasus* festiuitas quædam, cum trãsfertur, sicut à poeta, & Cicerone translatum est. Idem pro Sylla, cum ad occasum interitumque reipub. Catilina in castris, &c. Et in Pisonem. Qui dies post obitũ, occasumque nostrum reipub primus illuxit. Et quoniam à sole, & sideribus transfertur, necesse est in illu-
E stribus tantum rebus, & personis translatè dici occasum. ❧

Colum. 713. B. versu 2. *temploque, arisque recepit)* Subiice. Est etiam lib. 12. de hac apotheosi, vbi Iupiter ad Iunonem sic.

Indigetem Æneam scis ipsa, & scire fateris
Deberi cælo, fatisque ad sidera tolli.

Colum. 714. E. versu 2. Dionysium lib. 1.) Adde. Isidorus idem longam vocatam censet, quia longum erat oppidum, iuxta prolixitatem collis, in quo positum erat. Quod ex Liuio sumpsit, qui inquit eam ab situ porrectæ vrbis in dorso Albani montis longam appellatam. Dionys. lib. 1. à situs forma, ac etiam, vt ab altera eiusdem nominis discerneretur.

Colum.

Colum. 715. C. post versum 11, adde. GEM. PARTV DAB. ILIA PROL.) Tibull. eleg. 6. lib. 2. *Et fœtus matrona dabit.* Catull. Epithalamio. *Ludite vt lubet, & breui Liberos date.*

Colum. 717. B. versu 4. fere mille) Adiunge. Consule & Hieron. Columnam in 1. Annal. Ennij, ad illum versum *Certabant, vrbem Romámne Remámne vocarēt.*

Colum. 718. C. versu 9. Magius lib. 4. cap. 5.) Adde. * *De magnitudine Romani imperij videndus Appianus, prooemio historiarum suarum, & Lipsius eo lib. quem nuper omni industria elaboratissimum euulgauit, & ADMIRANDA inscripsit.*

Colum. 724. C. versu 5. à littorum custodibus) Adde. PONVNTQVE FEROCIA POENI CORDA VOL. DEO) σὺν θεοῖς, & ἐκ ἄνευ θεῶν, Ennius, *Ducite, doq́, volentibus cum magnis diis.* Plaut. Persa. *Sequere hac mea gnata, cum diis volentibus.* Idem Milite glorioso. *Agite, ite cum diis beneuolentibus.* Cato de re rust. cap. 141. cū diis volentib⁹, quodq; bene eueniat, mādo tibi. Sallust. Vt tanta repente mutatio, non sine deo videretur. Collegit. Hieron. Columna.

Colum. 729. A. post hæc NVDA GENV, &c.) Adde. Tertullian. lib. de Pallio loquens de institis quadratis, quibus olim mulieres vterentur, quæque fuissent celebres. Et quidem in fama de subteminis studio, & luminis consilio, & mensuræ temperamento (quod neque trans crura prodigè, nec intra genua inuerecundè, nec brachiis parcè, nec manibus artè, sed nec cingulo sinus diuidente) expedita, atq; quadrata institta. Quā sententiam sic explicat Ioan. Mercerius. Celebre fuisse hoc genus vestis (κατὰ συνεκδοχὴν sic dictum, apud Ouid. *Quaq; tegit medios instita longa pedes*) cum subteminis studio, quod ad materiam: tum luminis cōsilio, quod ad colorem: tum denique mensuræ temperamēto, quod ad formam pertinet. quomodo? quod neq; infra genua demitterentur, ambulantibus impedimēto futuræ: nec intra genua versarentur, pudorem pulsaturæ: nec brachia, aut manus constringerent, manicatæ: nec sinus diuiderent, succinctæ. Sic fere Carthaginensis Virginis habitum mentita Venus à Virgilio describitur.

Ibid. B. post vers. 8. adde. SINVS FLVENTES) Tibull. eleg. 6. lib. 1. *Effluit effuso cui toga laxa sinu.* Lapsa enim vitiosè legitur. Catull. dixit fluitantem amictum: Tacitus fluitantem vestem. Propert. lib. 4. *Et ferret nudos veste fluente pedes.*

Colum. 730, E. versu 8. *videre contingeret*) Adiice. NEC VOX HOM. SONAT) Non mortali, sed alio quodam, longè dulciore vocis sono deas videri locutas, cum ex hoc loco obseruarunt quidam eruditiores, tum ex illo Ennij Annal. 1. *Olli respondit suauis sonus Egeriai.*

Colum. 731. B. post 4. SIS FÆLIX) Sis nobis fælix, id est, fauens, ac propitia. Sic Eclog. 4. ad Daphnin, iam deum factum, *Sis bonus, ô fælixq́, tuis.*

Colum. 735. C. ad vers. 11. * adde hæc. *Imminuere virginem, Apuleius. Inde virgo immimuta. Sed Nonium deceptum vers(u hoc Lucilij.* Primò Chryseidem negat signatam reddere, *quasi Agamemno virginem se patri redditurum negaret, cum contrà neget, se eam grauidam remittere patri: plena enim, non vacua, & inania obsignantur. deceptum, inquam, falsoq́, interpretari signatam, id est integram: qua enim virgo non est integra? docet homo probè litteratus in Parerg. suis ad Pand. Qui tamen velim mihi dicat, vtrum rectè, & latinè ita loquamur, virgo incorrupta, casta, pudica. Atqui quomodo virgo, si non incorrupta, si non casta, si non pudica. Epitheta non semper distinguunt, ac secernunt: sed nonnunquam, apud poetas præsertim, id explicant, quod etiam sine ipsis intelligeretur, vt lac album, vina liquentia, dulce mel. Quod enim lac nigrum? aut quod vinum non liquidum? aut quod mel non dulce? Et, si Tertullianus eleganter scripsit, Eiuam resignasse virginitatem, virgo, dum virgo manet, aptè signam,*

A *id est, vero incognita diceretur, cuius virginitatis claustrum inuiolatum est.*

Colum. 737. B. post 4. attexe. De thesauris inuentis ita cauit Adrianus, Spartiano referente. Si in suo, ipse potiretur, qui inuenisset. Si in alieno, dimidium haberet dominus. Si in publico, æqualiter cum fisco diuideretur.

Colum. 739. A. post versum 11. Adde. Eadem quæ Virgilius, narrat initio historiæ de bellis Punicis etiam Appianus.

Colum. 744. C. natura ipsa cedat) Adde. ASPICE BIS SENOS LÆT. AGM. CYGNOS) Veteres in augurijs captandis magnam rationem numeri ducebant: duodecimus vero præcipuè valebat. Sic & Ennius narrat
B Romulo duodecim vultures apparuisse, cum de nomine nouæ vrbi imponendo, & de eiusdem futuro rectore deos ipse cum Remo fratre per auspicia consuleret:

Cernunt ter quatuor de cælo corpora sancta
Auium præpetibus sese pulchrisq́, locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora.

Colum. 746. B. post versum 7.) Adde. AMBROSIÆQVE COMÆ) perfusæ ambrosia, seu perunctæ: nō itaque mirum, si diuinum odorem spirarent: ambrosia siquidem diuini cuiusdam odoris est. Deriuatum ab Homero ex α. Iliad.

C Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος,
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο. id est.
Ambrosiæ fluxere comæ de vertice regis
Aeterni.

Ibid. E. versu 6. cum matre filius colloquar) Subiunge. nūc enim quasi ignoti inter nos sumus collocuti, propter simulationem tuam.

Colum. 749. A. post vers. 1. inserantur hæc. Summis digitis duobus, aut trib⁹ in focum iacta thura ostēdit Lactan. libro quinto c. 18. his verbis. Nam cruciari, & interfici malle, quam thura tribus digitis comprehensa in focum iactare, tam ineptum videtur illis, quā in periculo vitæ, alterius animam magis curare, quam
D suam. D. Hieron. ad Heliodor. Non est in eo tantum seruitus idoli, si quis duobus digitulis thura compressa in bustum aræ iaciat. Prudent. hymno in Eulaliam virg.

Si modicum salis, eminulis
Thuris & exiguum digitis
Tangere, virgo benigna velis

Et ita in sortilegio quodam anus Ouidiana 2. Fast. *digitis tria thura tribus in limine ponit.* Interdū & cucullo, seu inuolucro soluto thura focis inijciebant. Iuuenal. Sat. 13. ad Iouem. *aut cur In carbone tuo charta, pia thura, soluta Ponimus?* Hæc Brisson. Formular. lib. 1.

Colum. 750. B. post versum 6. adde. INSTANT ARDENTES TYRII, PARS DVCERE MVR.) Ad ædificiorum
E descriptionem transitum facit. Nam quæ ad publicum, priuatumque vsum, quæ ad vrbis tutelam, ac regimen, necnon ad populi commodum, voluptatemque pertinent, ordine describit, commendatque Tyrios, quod non inuiti laborabant, sed ardentes, atq; impigri in ædificando apparebant. Nascimb.

Ibid. C. versu 6. Optauitque locum regno.) Addatur ex Liuij lib. 6. Camillus sibi ad eam rem vnum petit, permissoque, vt ex collegis optaret, quem vellet, cōtra spem omnium L. Furium optauit.

Colum. 751. E. versu 2. Sic vete nouo 1. Georg.) Adde. CVM GENT. ADVLT. ED. FOET.) Georg. 4. *alia spem gentis adultos Educunt fœtus.* Ex Homero, qui prius ἰθνεα μελισσάων vocauit, vt vidimus.

Nonn* Colum.

Colum. 752. B. Ante ista CAPVT ACRIS EQVI) A pone hæc. LVCVS IN VRBE FVIT MEDIA) Rarò fit mentio luci, quin simul religionis fiat. Ideo sequitur templi descriptio, ad quam sibi viam præmunit, per loci, atque monstri descriptionem. Nascimb. IACTATI VND. ET TVRB. POENI) Nauigatione & longa, & periculosa defuncti.

Colum. 753. D. lin. 12. Pone hæc. ÆREA CVI GRAD. SVRGEB. LIMINA) quasi ita dictum accipe. In cuiuis templi limine surgebant gradus ærei. Nam limina ærea gradibus, nihil sunt aliud, quam limina habentia æreos gradus. Antiquitus ad templa gradibus ascendebatur, quod editioribus plerunque locis conderentur: aut alioqui pauimenta eorum elatiora essent, quod B ea res maiestatem quandam habere putaretur.

Colum. 758. B. post versum 6. colloca hæc. PRIMO QVÆ PRODITA SOMNO) primus somnus est hic prima pars noctis, qua solet homines arctior complecti somnus. Sic Georg. 1. *Libra die, somniq́, pares vbi fecerit horas*. id est, diei, & noctis.

Colum. 760. D. post versum 4. sequantur hæc. SVPPLICITER TRISTES) Non simpliciter tristes, sed *suppliciter*, quomodo supplices solent esse: vel cum supplicationibus tristes. Non enim omnis tristitia est etiam supplex. Ad tristitiam autem, doloremque declarandum pertinet etiam, quod mox sequitur, *& tunsæ pectora palmis*.

Colum. 761. D. post versum 8. pone hæc, ab initio. Ennius tragœdiam fecit, Hectoris Lustra. Lustrum, vt est apud Varronem de ling. lat. libr. 5. tempus quinquennale dictum est, à luendo, hoc est soluendo, quod quinto quoq; anno vectigalia, & vltro tributa per censores persoluebantur. Itaque lustra apud Ennium idem erat, quod apud Græcos λύτρα. Λύτρον autem pecunia est, quæ pro redemptione soluitur. Inscriptio igitur ipsa satis indicat, actum esse in ea tragœdia, quo pacto Priamus supplex Hectoris cadauer magno auri pondere ab Achille redemisset. Cuius rei historiam præter Homerum referunt Dares Phrygius, & Dictys Cretensis. Lucanum adolescentem idem tractasse argumentum sic testatur Statius in Syluis.

Ac primum teneris adhuc in annis
Ludes Hectora, Thessalosq́, currus,
Et supplex Priami potentis aurum.

Huius fabulę inscriptionem videtur quodammodo insinuasse hoc carmine Virgilius. Hieron. Columna.

Colum. 762. A. post 5. πριαμωθῆναι Priamisare prouerbiali schemate dicebatur, qui eradi sibi pilos faciebat, quasi Priamum imitaretur, qui in tragœdiis ξυρίαις, hoc est, eraso nouacula capillitio, ob interfecti Hectoris filij sui mœrorem introducitur. Veteres in funere, aut luctu non tondere modò cæsariem, sed insuper etiam radendo abolere consueuerant. Refertur ab Eustathio Iliad. vlt. & Suida, item ab Hesychio. Iun. Cent. 4. num. 86.

Col. 769. post 4. Quoniã libenter in montib⁹ versatur Diana, & ei sacri sunt mõtes, vocatur Catullo mõtium domina, & Horatio montium custos, Ode 22. lib. 3.

Colum. 775. B. versu 12. de laud. Italiæ) Adde. De voce *vber* in agris, vide dicta 3. Æneid. ibi, *eadem vos vbere læto Accipiet reduces*.

Colum. 777. B. SPERATE DEOS MEM. &c.) hæc symbola locanda fuit post sequentem. SI GEN. HVMANVM, &c. muta ordinem.

Colum. 778. A. versu 12. German. & alij) Adde. Sic Ennius Annal. 9. *Qui tum viuebant homines, atq; æuum agitabant*. Eadẽ res verbis cõmutatis expressa est.

Colum. 779. D. versu. 7. *Propriè locutus est*. Adde. *Fremere ad leones pertinet propriè, & venit à βρέμω. β, in f, mutato. Catull. in Att. de leone*, Vadit, infremit, refringit virgulta pede vago,

Colum. 780. B. versu 4. voluit oculos) Adde. Liuius lib. 9. Cos. demissis in terram oculis.

Ibid. C. post versum 4. adde. RES DVRA, ET REGNI NOVITAS) Caussæ sunt, ob quas tuetur fines, de quibus suprà diximus. Ita se purgat à necessitate.

Colum. 781. A. Hygin. c. 88. Adde Ouid. 1. de Arte.

Cressa Thyestæo si se abstinuisset amore,
(Ah quantum est vni posse placere viro?)
Non medium rapuisset iter, curruq́, retorto
Auroram versis Phœbus adisset equis.

B Stat. 4. Thebaid. *Funerea tum namq; dapes, mediiq́, recursus Solis*.

Ibid. B. versu 4. VRBEM QVAM STATVO VESTRA EST) Adde. *Sunt eruditi viri, qui sic interpungant, cum maiore videlicet lepore, & significatione humanitatis*. Vrbem quam statuo? vestra est.]

Colum. 782. Ante illa, ERVMP. NVBEM) pone hæc. HIS ANIMVM ARRECTI DICTIS) Arrigi aures dicuntur, animus erigi, & erectus animus, non arrectus. Sed poetæ placuit etiam ad animum transferre. Quam autem liberi sint poetæ in figmentis, & vocibus, docet Isocrates in Euagora his. τοῖς μὲν γὰρ ποιηταῖς πολλοὶ δέδονται κόσμοι, &c. Nam poetis ornamenta multa concessa sunt. Iis enim licet deos miscere hominum C cœtibus, ac introducere colloquentes, & adiuuantes in præliis quoslibet: atque hæc eadem explicare verbis non tantum vsitatis, sed alia peregrinis, alia nouis, alia translatis: nihil denique prætermittere, quæ poesin queant omni genere figurarũ variare. Oratores autem nullam huiusmodi facultatem habent: sed cum verbis vulgatis, tum iis vti sententiis, quas res ipsæ suppeditant, omnino coguntur. Hæc ille. Cic. de Senect. alacri animo, & erecto proficisci ad mortem. Pro Deiotaro, magno, & erecto animo sum. Philipp. 4. Nunc verò sum erectior.

Colum. 785. B. post versum 5. locanda. QVÆ NOS REL. DAN. TER. MAR. OMNIB. EXHAVST.) καθ' ὑφερμηνείαν explicat, quod ante dixerat, *labores Troiæ*, & D reginæ beneuolentiam auget per commiserationem: vnde pulcherrima deducitur αὔξησις per congeriem calamitatum, ærumnarumque, quas Troiani passi fuerunt. labores in bello, tempestates in mari, pestilentiã in Creta, quibusdam in locis famem. Nascimb.

Colum. 787. D. spiritumq́; vitalem intelligunt) Subiice * *Theognis quoq; vt Homerus, mare paludem, & purpuream vocat*. Οὔτ' ἂν πορφυρέης κεφαλὴν ἐς πείρατα λίμνης. *Autem nominauit Oceanum Iliad. 19. ἐν δ' ὕδωρ ποταμοῖο μέγα σθένος ὠκεανοῖο. Tibull. similiter lib. 2.*

Quaq́; patent ortus, & quà fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Et lib. 3.
Iam nox æthereum nigris emensa quadrigis
E Mundum, cæruleo lauerat amne rotas.

Col. 788. B. ante hæc. SID. DIDO) ponãtur isthęc. OBSTVP. PRIMO ASPECTV) Asper, explicãs in quodã Sallustij lib. hęc verba, Rumore primo: ait, primo nõ esse nomẽ, sed aduerbiũ, vt illud apud Virg. *Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido*. Afficiendũ est igitur accentu, *primò*, cui respondet, *Casu deinde viri tanto*. QVIS TE NATE DEA PER TANTA PERICVLA CAS. INSEQVITVR?) Per admirationem exorditur, vnde & beneuolentiam, attentionemq́; sibi comparat: beneuolentiam quidem ex commendatione generis Æneæ: vnde alius deducitur beneuolentiæ locus per commiserationem ex persona reginæ, quæ ex eius incommodo magnũ se cape-

capere dolorem ostendit: attentionem vero, quia se illius notitiam habere, indicium facit. Huic loco persimilis est ille in sexto,

Deiphobe armipotens genus alto à sanguine Teucri,
Quis tam crudeles optauit sumere pœnas?

Nascimb.

Colum. 793. B. post lin. 11. colloca hæc. FORTIA FACTA PATRVM) In epitaphio, quod sibimet Ennius composuit, pro illo *Hic vestrum panxit maxima facta patrum*, sunt qui legant, *fortia facta*. Inde igitur forsitan hoc ἀκεργετικώτερον petiuit Maro.

Colum. 794. C. versu 11. post hæc ORNATVS ARGIVÆ HEL.) ponantur mox isthæc. Solitam Helenam, vtpote reginam, aureis coopertam vestibus incedere, haud dubitandum. Hic mihi Apellis dictum occurrit, relatum à Clem. Alexand. in Pædag. Cum vidisset discipulum quendam suum pinxisse Helenam multo auro exornatam, O adolescens inquit, cum non posses pingere pulchram, pinxisti diuitem.

Colum. 795. E. pone hæc. DVPL. GEMM. AVROQVE CORONAM) ex gemmis, & auro confectam: & ita duplicem.

Ibid. E. versu 4. aliquando iis actiua sunt) Adde. Absolutè Lucret. libro 1. *Is porrò quamuis circum celerantibus auris.*

Colum. 804. E post versum 12. sequantur hæc. TONSISQVE FERVNT MANTIL. VILLIS) Mantile, & mantelium, quasi manutergium, quo lotæ manus tergerentur, Varrone teste lib. 4. de ling lat. Aureis mantilibus scribit Spartianus Galienum Imperatorem sternere mensam solitum, lata, vt videtur, significatione: sicut hic Virgilius mantilia posuit pro linteis mensarũ. Quare & tonsa dixit mantilia, & sine villis: nam & mappas habebant villosas, tergendis propriè sordidis manibus, & etiam mensis. Andreas Baccius, qui scripsit de vinis, & conuiuiis antiquorum, lib. 4.

Colum. 805. E. Æneæ complexu suo) Subiunge ab initio. Falsus genitor hic passiuè dicitur, qui fallitur, nempe qui putat esse, quod non est, vt dicimus aliquẽ falsum opinione ἐψευσμένον γνώμης. Fallebatur igitur Æneas. Diomedes lib. 1. Grammat.

Colum. 809. A. post versum 6. Subiunge hæc. FIT STREPITVS TECTIS) Liuius lib. 24. Omnia luminibus collucent, strepituque vario complentur.

Ibid. B. versu 8. Saturnal. lib. 6. cap. 4.) Subiunge. Chirius Fortunatianus non indecorè vitandę humilitatis gratia lychnos pro lucernis dixisse confirmat.

Colum. 809. A. versu 6. Isidor. lib. 15. c. 8.) Adde. * *De huiusmodi, id est, de tam pretiosis laquearibus etiam Ennius in Andromacha.* tectis cælatis, laqueatis auro, ebore. *Hor. Ode 18. lib. 2.*

Non ebur, neq; aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Lucret. lib. 2. Nec citharis reboant laqueata, aurataque templa.

Colum. 810. E post vers. 6. insere. COETVM CELEBRATE FAVENTES) Vox ista *cœtus*, quanquam sæpe valet concilium, conuentus, tamen aliquando est in vitio, pro conciliabulo, & conuentu hominum aliquid improbe molientium. Liuius lib. 3. sed certis quoque indiciis compertum se habere, nocte tota cœtus in vrbe factos esse ad mouendam seditionem. Lib. 4. quod eas largitiones, cœtusque plebis in priuata domo passi essent fieri.

Colum. 815. B. post nouum versum adde. NVNC QVALES DIOMEDIS EQVI) Equos habuit Diomedes Tyrannus Thraciæ admodum feros, & qui corporibus humanis pascebantur. Hos abegit Hercules, & simul Argos abduxit, cum malis Hesperidum, balte-

A oque Hippolytes. Obiter expugnauit, & populatus est Pylon, quum Neleus ei portas clausisset. Auctor Telesarchus. Equos Iunoni consecrauit Eurystheus: eorũ genus prorogatum vsque ad Alexandrum Philipp. F. tradit Diodorus. Alij etiam vlterius, vsque ad Antonij tempora, qui triumuir Reipub. constituendæ fuit: vnde manauit equus ille Seianus, calamitatis adagio nobilis. Auctor Gellius. Ab iis prætereà genus ducebant Argiui Diomedis equi, de quibus Virgilius, *Nunc quales Diomedis equi*, id est, num ita feroces, vt illi Thraces, ad quos originem referebant? Parrhasius in 2. Claudian. de raptu. NVNC QVANTVS ACHILLES) Non interrogat Dido, qua virtute, quóue corporis, & animi ro-
B bore, sed quantus, id est, quam magnus Achilles fuerit. Nam ex fabulosa Lycophronis historia nouem cubitis adoleuisse dicitur. Idem Parrhasius ibidem. * *Verùm pace doctissimi viri, arbitror Didonem de factis Achillis quærere, & ex illorum narratione velle cognoscere, quam illustris, & generosus vir Achilles fuerit.*

AD SECVNDVM ÆNEIDOS.

Colum. 822. E. post lin. 11. insere ab initio. Pathos est, à visu: acerbius enim quæ intuemur, animum afficiunt, quam quæ facta audimus. Sic Priamus conqueritur, coactum se videre oculis suis cædem Polytæ
C filij. Et optat Turnus lib. 10. vt Pallantis morti, quem iam occisurus erat, spectator ipse Euander eius parens adesset, quo magis doleret. Moschus in Megara. *Τὸν μὲν ἐγὼ δύσμορος ἐμοῖς ἴδον ὀφθαλμοῖσι βαλλόμενον ὑπὸ πατρί.* Cic. epist. 4. libr. 6. Equidem nos quod Romæ sumus, miserrimum esse duco: non solum quod in omnibus malis acerbius est videre, quam audire, &c. Epist. 24. lib 7. Quanquam .n hæc etiã auditu acerba sunt, tamen audire tolerabilius est, quam videre. Hieron. Columna in illud Ennij, ex Andromacha, *Vidi ego te astante ope barbarica*, &c.

Colum. 823. A. lin. 3. calamitas subeunda fuit) Adde. Explanat quodammodo hoc Maronianum Li-
D uius, principio lib. 31. Me quoque iuuat, velut ipse in parte laboris, ac periculi fuerim, ad finem belli Punici peruenisse.

Ibid. D, versu 7. præcipitans) Adiunge. Non magis autem sideribus, vel temporibus conuenit, quod nugatur Adrianus Cardinalis, quam rei omni de celso cadenti, vel cum immodica celeritate ruenti: vnde dicitur Nilus præcipitare ex montibus: vel torrentes pręcipitant post magnam vim pluuiæ, cum ex montibus impetu præcipiti ruunt.

Colum. 829. D. post 2. Est & aliud prouerb. *Δουρείου τινὸς ἵππου εἰκόνα σώζει*, Durei cuiusdam equi imaginem seruat, de homine multifariis, & diuersis inter se vi-
E tiis obnoxio: multos enim huic equo Græcorum proceres fuisse inclusos, ex historia notum est. Vide Iun. Cent. 3. num. 77.

Colum. 832. A. latis tendebat in aruis) Adiice. Liuius lib. 27. Iisdem deinde in castris tendebant, donec ducibus iis ad hostem peruentum est.

Colum. 836, A. lin. 4. *missum mainu*) Addendũ. Ennius Annali 9. *viri validis viribus luctant.*, vbi, u, literę repetitione, vehementè virium vigorem exprimit.

Ibid. C. lin. 1. Adde. ET SI FATA DEVM, SI MENS NON LÆVA FVISSET.) Culpam, quod benè monenti nõ fit obsecutus, in necessitatẽ temperatũ, in vim fatalem trãsfert. Sicut autem dexter est commodus, opportunus, amicus, propitius: sic contra læuus, incõmodus, inopportunus,

 aduer-

aduersus. Dextra bonis scriptoribus sunt bona, læua autem mala. Item læuus est *σκαιὸς*, stultus. Ergo mens læua hic valet mens improuida, & stulta, quia nimis credula. Eclog. 1.

Sæpe malum hoc nobis, si mens non læua fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Colum. 837. principio explicationum adde hæc. ECCE MANVS) Transitio ad occasionem erroris, & do-li prodendæ vrbis. Habet ipsa particula *Ecce* attentionis vim: qua ferme vetitur poeta, quoties singulare quippiam est subiecturus. Montfort.

Ibid. C. post versum 4. insere. FIDENS ANIMI) Fidenti animo præditus, quod laudis est. Nam vt ait Cicero 3. Tuscul. qui fortis est, idem est fidens: quoniam confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur. Quomodo? quia idem sonat quod audax, improbus, temerarius. Pacuuius. *Improbus, confidens, nequam, malus videatur.* Terent. Phorm. *Est parasitus quidam Phormio, homo confidens, quod dij omnes illum perdant.* Melius igitur poeta vocasset confidentem, secutus consuetudinem, quamuis vitiosam. Nemo. n. fidens in molitione sceleris. Sed poetis magna est licentia sermonis.

Colum. 840. A. post. lin. 11. insere. De huiuscemodi genere orationis dicemus ad 4. Æneid. ibi. *En quid agam? rursus ne procos irrisa priores Experiar?* & pluribus exemplis vtemur.

Colũ. 893. C. post 8. PELASGI) Antiquissimi Græciæ populi fuerunt Pelasgi, ex Arcadia oriundi, & à primo rege Arcadiæ Pelasgo appellati. Pro quibusuis Græcis citra discrimen dicuntur, vt notum est.

Ibid. D. versu 6. adde. * *Quod narrat Sinon, Græcos Palamedem vt proditorem extinctum a se luxisse, eumq; si potuissent, ab inferis reuocare voluisse, simile Probus de Dione. Huius de morte vt palam factum est, mirabiliter vulgi immutata est voluntas. Nam qui viuum eum tyrannum vocitarant, eundem liberatorem patriæ, tyrannique expulsorem prædicabant. Sic subitò misericordia odio successerat, vt eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere.*

Colum. 845. A. lin. 7. adde hæc. Videmur quodammodo ex ore Sinonis in his verbis audire, quæ dicit apud Ennium Telamon.

Pol mi fortuna nunc magis defit, quam genus.
Namq; regnum suppetebat mihi: vt scias quanto è loco,
Quantis opibus, quibusq; de rebus lapsa fortuna occidat.

Colum. 846. B. versu 5. adde. * *Achæmenides quoq;* lib. 3. Cum vitam in syluis, inter deserta ferarum Lustra, domosq; traho. *Plin. lib. 28. cap. 1. Vitam quidem non adeò expetendam censemus, vt quoquo modo trahenda sit.*

Colum. 847. B. post lin. 8. adiice. Ennius Annal. 6. *Sed quid ego hæc lamentor?* Item Annali 9. *Sed quid ego hæc memoro?* Catull. de nupt. *Sed quid ego hæc vanis nequicquam conqueror auris?*

Colum. 848. D. post versum 3. subiunge. LONGO FESSI DISCEDERE BELLO) Principio libri. *Fracti bello, fatisq; repulsi Ductores Danaûm tot iam labentibus annis.* Bellum & prælium hoc differunt, quod prælia partes sunt belli, hoc est, in bello congressiones. Lucil. lib. 26. Vt pop. Rom. victus vi, & superatus prælijs sæpe est multis, bello vero nunquam, in quo sunt omnia. Virgil. lib. 11. *Infantem fugiens media inter prælia belli.* Hæc Nonius. Bellum durat multis annis, prælium breui tempore conficitur. Totum illud tempus, quo arma retinentur, & pax excluditur, vocatur bellum.

Colum. 849. D. versu 10. *Γεγένηται ἐν αὐλίδι*) Adde. Vide quid non longe ab initio Rex feni famulo narret, de expeditione illa, de negata nauigandi copia, & de filia.

Colum. 850 E. lin. 1. Pro virgine cæsa) Adde. Et Ianum Parrhasium in 3. Claudiani de Raptu ad illum versum. *O templis Scythiæ, atq; hominem sitientibus aris Vtraq; digna coli.*

Colum. 853. lin 1. calamistrati) Subiice Liuius lib. 4. vt ab auguribus simul aues rite admisissent ex composito tolleretur signum.

Ibid. E. post lin. 13. subiice. Parrhasius ad illud Claudiani 2. de raptu *Inachius Alcides missus ab Argis*, Argis, inquit, oppido Peloponnesi, quod omnium primum Phoroneus regiam sibi condidit, vt ex quorundam sententia scribit Plinius. Laudat & Argos a vetustate Sophocles in Electra. Hinc Argiuus apud Virgilium. Sinon ita suspirat, *Nec mihi iam patriam antiquam spes vlla videndi.* Nam Sinon Argiuus inquam fuit, vt ipse de se fatetur apud Triphyodorum *Ἄργος μοι πόλις ἐστίν. Argos mi patria est.* Liuius, Argos, inquit, ipsos non vetere fama magis, quam morte Pyrrhi nobilitatos. Papin. Thebaid. 3. *Quidquid & Asopon, veteresq; interiacet Argos.* Ergo quod *antiquam* Seruius intelligit caram, nemini docto placere potest, aut debet.

Colum. 857. B. post versum 12. ponantur ista. Parrhasius in 1. Claud. de raptu, vult Sinonem hic testari penates. Nam se penatum offensionem vereri simulat, si patriæ secreta hostibus prodat, cuius diis penatibus credita cura est. Vnde dij patrij quoque dicti sunt, vt tradit Hyginus, & Maro, *Dij patrij seruate domum, seruate nepotem.* Porrò penates æternum ignem etiam alibi Virgilius appellauit. *Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.* Quanquam sunt qui velint præsentes Vestæ focos à Sinone testari.

Colum. 861. A. versu 5. TRITONIA) De caussa, &c. colloca hosce duos versus ante sequentes. DVBIIS MONSRIS) &c. & quæ sequuntur, Liuius præfat. de mutatis, &c. coniunge littera minima cùm superiorib.

Colum. 862. D. in locis, & personis) Adde. Sic Susã dictum pro Ebatanis, quodam epitaphio in Eretrienses lib. 3. Anthol. cum illa ciuitas in Persis sit, hæc in Medis Persarum finitimis.

Colum. 863. B. post versum 8. subde. NEV POP. ANTIQ. SVB REL. TVERI) Hæc caussa à superiori pendet, & est principalior. Quare nolebat Calchas equũ in vrbem induci posse? ne fortè dea pristino religionis cultu, ac pietate Troianorum adducta, & etiam nouo pietatis affectu, quod equum sibi votum in vrbem recepissent, adducta, illis demum fauere inciperet. Mineruam autem Troiani inde ab initio colucrant, quippe qui propter Dardanum, & Teucrum ab Atheniensibus originem ducerent, vt alibi Seruius admonuit. Patet igitur, cur dictũ, *antiqua sub relligione.* Nascimb.

Colum. 865. post vltimum Virgilij carmen pone hæc. HIC ALIVD MAIVS MISERIS) Rem per commiserationis affectum amplificat, ex portento, quod idcirco positum esse videtur, vt Troiani à leuitatis suspicione vindicentur, & appareat magis deorũ voluntate, quàm eorum insipientia vrbem periisse. Nascimb.

Colum. 868. C. post vers. 10. interpone hæc. FIT SONITVS SPVMANTE SALO) Lib. 1. *Vertq; vndas superante salo.* Probus in Themistocle. At ille clarissimi viri captus misericordia, diem, noctemq; procul ab insula in salo nauem tenuit in anchoris. Vbi Lamb. ita. In salo, id est, in alto mari, vndarum, ac fluctuũ pleno, minimeque à ventis tuto. Cic. accusat. libro quarto. Iam se se in terram à naui eiecerat, quadriremem que in salo fluctuantem reliquerat. Habes ergo, lector, quid propriè *salum* sit.

Colum 870. B. post vers. 9. inserenda. Lacoontem

rem illum quis saltem fama non nouit? quod etiam num in Vaticano artis miraculum ostentatur, spectantibus horrorem incutiens, artis statuariæ cum poetica certamen, & vtriusque cum ipsa natura, palma dubia. Quantum enim Virgilius carmine, tantum isti (statuarij) marmore contendunt. Stupendum opus, ex vno lapide parens,& liberi, horrendi draconum nexus, patris angustiæ, liberorum gemitus expressi. Opus, inquit, Plin. omnibus & picturæ, & statuariæ artis præferendum. quod de consilij sententia fecerunt summi artifices Agesander, & Polydorus, & Athenodorus Rhodij. Hæc Ludouicus Demontiosius in Gallo Romæ hospite, libello cultus. de sculptura antiquorum, & pictura.

Colum. 871. B. versu 7. pro effectu) Adde. Æneid. 6. sine tropo, *veterumq́ malorum Supplicia expendūt.*

Colum. 874. B. TVNC ETIAM FATIS APCASS. FVT.) Vt aliàs, sic tum, cum equum induceremus, prædicebat nobis exitium nostrum. Sed ad prius illud tempus, cum adduceretur à Paride Helena, videntur pertinere versus hi, qui sunt ex persona Cassandræ apud Cic. 1. de Diuinat.

Adest, adest fax obuoluta sanguine, atque incēdio,
Multos annos latuit.
Ciues ferte opem, & restinguite.

Et hi lib. 8. epist. ad Atticum, & 1. de Diuinat.

Iamq́ mari magno classis cita
Texitur, exitium examen rapit:
Aduenit. & fera velinolantibus
Nauibus compleuit manus littora.

Rursum lib. 1. & 2. de Diuinat.

E hen videte, indicauit inclutum indicium,
Inter deas tres aliquis: quo indicio Lacedæmonia
Mulier Furiarum vna aduenit.

Colum. 876. C. Politianus cap. 100.) Adde. Cuius sententiam plenius refert (nam nos strictim retulimus) eiusque ἀντιλογίαν demonstrat Ianus Parrhasius de rebus per epistolam quæsitis, epist. 1. Ipse per silentia tacitæ lunæ intempestam noctam censet intellexisse Virgilium: quia tunc omnia tacent. Ex quo Orpheus in hymno Lunæ ἡσυχίᾳ χαίρουσα, id est, silentio gaudens. In hanc rem adducit locos poetarum, Virgilij, Ouidij, Martialis, Statij.

Colum. 879. B. versu 3. planè resciuerunt) Adde. Sic Syracusæ nobilissima vrbs Siciliæ, & copiosissima, de qua sic Liuius libro vigesimo quinto. Sed cum adiri locus, qui ob idipsum intentius custodiebatur, nō posset, occasio quærebatur, quam obtulit transfuga, nuntians diem festum Dianæ per triduum agi: & quia alia in obsidione desint, vino largius epulas celebrari, & ab Epicide præbito vniuersæ plebi, & per tribus à principibus diuiso. Id vbi accepit Marcellus, cum paucis tribunorum militum collocutus, electisque per eos ad rem tantam agendam, audendamque idoneis centurionibus, militibusque, & scalis in occulto comparatis, cæteris signum dari iubet, vt maturè corpora curarent, quietique darent: nocte in expeditionem eundum esse. Inde vbi id temporis visum, quo die epulatis iam, vinoque satiatis principium somni esset, signi vnius milites ferre scalas iussit. Lege cætera, & cognosces, verum esse, quod dicebam. Quare calamitati soleat esse nimia fiducia, illustri exemplo demonstrat Æmilius Probus in Pelopida.

Colum 880. B. versu vlt. adde. Ennius per *ταπείνωσιν* dixit, *vigilesq́ repente cruentant.*

Colum. 886. A. versu 10. Adde. * *Ignem quem nam aliæ gentes perpetuum. Vigilemq́ seruauerant, præter Romanos docet Alex. ab Alex. Vide lib. 4. ad illud,* Centum aras posuit, vigi-

A lemque sacrauerat ignem. *Et nos Christiani ignes inextinctos, æternosq́ custodimus in templis nostris, oleo oliuarum perennem flammam pascente. sed deo vni, ac vero, quem sub specie panis in S. Eucharistia adoramus.*

Ibid. C. post versum 4. adde. ET MAGIS ATQVE MAGIS) Quod est apud Ennium Annali 12. de Q. Fabio Maximo. *Ergo postq́ magisque viri nunc gloria claret,* Muretus legit, *Ergo magisq́ magisq́ viri nunc gloria claret.* Non raro enim contigit, vt eæ voces, quæ geminandæ erant, semel tantum ab imperitis librariis ponerentur. Sic Catull. *Noscescatq́ magis mortuus, atque magis.* Idem, *Magisq́ & magis in dies, & horas Irascor tibi.* Afranius Vopilco, *(nius ego in dies impendio ex desiderio Magis, magisq́ maceror.* Eodem mo-

B do Græci μᾶλλον μᾶλλον dicunt. Alexis in Athide apud Suidam. τὰς ὄντιποῦ τὸ πρῶτον ὁ ζῶν, ἡσυχος ἔπειτα μᾶλλον μᾶλλον. Ex Hieron. Colum. ad Ennium. Adde. Sic contrà Plaut. minus, minusque, vt Aulular. *Atque ille verò minus minusq́ impendio curare.*

Colum. 893. principio explanationum, pone ista. ET NVMINE DIVVM) non vtique propitio, & fauente, quia iam ferus Iupiter omnia Argos transtulit, & desperata est salus patriæ: incensa siquidem Danai dominantur in vrbe. Ergo aduerso, vt sit tale, quale illud infrà, *Vadimus immisti Danais, haud numine nostro.* Solebant etiam antiqui ad deos referre auctores bona, & mala, prudentia, & fatua consilia: illa ad pro-

C pitios, hæc ad iratos, & offensos.

Colum. 894. B. post versum 7. subiice. MYGDONIDES) non à loco, sed à Mygdone patre: quem fuisse tradit Zenobius adeo vecordem, vt maris vndas enumeraret. Quintus Calaber, κτεῖνεν Μυγδονίδην ... Corœbum Mygdone natum Diomedes, inquit, hasta transadigit. Pausanias in halosi Troiæ ex tabula Polygnoti, Super Eioneum, & Admetum Corœbus est Mygdonis F. Parrhasius in 2. Claud. de raptu.

Colum. 896. E. in fine. *Oedipus apud Senecam, &c.* totum erat locandum columna sequenti, continenter post verba, VNA SALVS VICTIS NVLLAM.

Colum. 901. initio explicationum collocabis

D hæc. ANDROGEOS OFFERT NOBIS) Atticus nominandi casus, quarti ordinis ... Fuit alius Androgeos, Minois Cretensium regis filius, de quo in 6. *In foribus lethum Androgeo.*

Ibid. C. versu 6. trahit) Adde. Liuius libro quinto, hi ferre agere plebem, plebisq; res, cum fortuna, qua quidquid cupitum foret, potentioris esset. Idem alibi. Inde Ferentinum ducta legiones, vnde oppidani cum omnib. reb⁹ suis, quę ferri, agiq; potuerūt, nocte per auersam portam silentiō excesserunt. Idem lib. 39. postremo omnia, quæ ferrent, agerentue, adempta. Ferre, & agere in historicis cum legimus, ait Turneb. lib. 28. cap. 32. alterum ad homines, qui quid ferunt,

E alterum ad ad iumenta, quæ portant, referendum est.

Colum. 904. B. versu 6. adde. Noster lib. 9. *Vos ô Calliope precor aspirate canenti.*

Colum. 995, C. post lin. 6. interiice. Pronomina meus, tuus, suus, noster fauorem denotant. Ouid. epistola Phyllidis, *Protinus ipsa meos auguror esse deos.* & in Sapphus, *Non agitur vento nostra carina suo.* Horat. Epod. Ode 9.

Aut ille centum nobilem Cretam vrbibus
... Ventis iturus non suis.

Sic contra non meus, non tuus, haud noster, inimicitiā, offensionemque significant. Tibull. *Audiat auersa nō meus aure deus.* Donat. in illud Terentij. *Plebem primulum*

lum facio meam, exponit, mihi fauentem: & statim subdit, vt à contrario Virgilius, *Vadimus immisti Danais haud numine nostro.* Ergo aduerso, & irato: vt propter euentum parùm prosperum, sicut audiemus, cædemque sociorum secutam, dicat Æneas, aduersantibus, & iratis diis, in medios hostes se coniecisse. Hæc Parrhasius de rebus per epistolam quæsitis, epist. 35. Illa eiusdem expositio, quæ hanc antecedit, dictum esse, *haud numine nostro.* quia Troiani tum sub externorum deorum tutela fuerint, quum Græcis insignibus ornati per vrbem captam, incensamque vagarentur, & à tutelaribus hostium diis adiuuarentur, habitu specieque Græcorum simulata: non quod dij fallerentur, sed homines, qui Græcos arbitrabantur, & quasi sociis parcebant hostibus: vt proinde versati sint in hostium agmine, non suo, id est, Troiano, sed alieno, id est, græco numine, hæc inquam expositio commentitia est, & ferri non potest.

Colum. 907. C. sigillatim pulchrè declarantur) Subiunge. A TEMPLO, ADYTISQVE MINERVÆ) Contrà Agesilaus victis apud Coroneam Atheniensibus, & Bœotiis, cum pleriq; se ex fuga in templum Mineruæ coniecissent, quæreretur que ab eo, quid his fieri vellet, etsi aliquot vulnera acceperat eo prælio, & iratus videbatur omnibus, qui aduersus arma tulerant, tamen antetulit iræ religionem, & eos noluit violari. Neque hoc solum in Græcia fecit, vt templa deorum sancta haberet: sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra, arasque conseruauit. Hæc Æmilius Probus in eius vita. Quomodo Barbari in vastatione vrbis Romæ, ad martyrum loca, & basilicas Apostolorum confugientibus, etiam non Christianis pepercerint, Augustin. Ciuitat. lib. 1. cap. 1.

Colum. 980. C. versu 3. adde. *Locum altiorem ad pugnam commodiorem esse, facile quiuis intelligit. Liuius lib. 7. Præter virtutem locus quoq; adiuuit, vt pila omnia, hastaq; non nunquam ex æquo missa, vana, (quod plerunq; fit) caderent, sed omnia libratam ponderibus figerentur. Veget. lib. 3 cap. 13. Qui aduerso nititur cliuo, duplex subit, & cum hoste, & cum loco certamen. Omnia tela facilius de superiore loco, certius & tutius de inferiore mittuntur.*

Ibid. E. versu 3. Vrsin. Adde. Adduximus plura lib. 10. ad illa, *magno discordes æthere venti Prælia ceu tollunt.*

Colum. 913. B. post lin. 8. adde. DVM REGNA MANEBANT) Principio libri huius, *Insula diues opum, Priami dum regna manebant.* Sinon, *Dum stabat regno incolumis, regnumq; vigebat Consiliis.*

Colum. 914. C. post versum 1. adde. Quod Homerus hunc puerum facit à Troianis viris vocari Astyanactem, à mulieribus autem Scamandrium, cum viri sapientiores sint fœminis, concludit, illud nomen, quam hoc, esse aptius. Caussam subiungit ex eodem Homero, quod pater eius Hector solus vrbem defenderit. Atque hac de caussa consentaneum videbatur, eius qui salutem ciuitati peperisset, illamque ab hostium vi defendisset, filium Ἀστυάνακτα (quasi ciuitatis dominum, principemque) nuncupari. Plato in Cratylo.

Colum. 919. A. versu 3. adde * *De euersione, & ruina regia Albanorum sermo est apud Ennium: quæ verba Virgilius ad incendium, direptionemq; Troianæ regiæ detorsit.* PLANGOR. FæM. VLVLANT) Verbum vlulare ab ὀλολύζειν videtur cadere. Et vlula auis hoc nomen sortita est, quod eiusmodi edat strepitum Auctor elegiæ de Philomela. Ast vlulant vlulæ lugubri voce canêtes. A canibus, & lupis translatum ad homines, quorum proprius est vlulatus.

Colum. 920. C. post versum 5. adde. CVM STAB. ARM. TRAHIT) Liuius lib. 24. Tiberis agros inundauit

A cum magna strage tectorum pecorumq;, & hominum pernicie.

Colum. 924. E. versu 6. dele hæc verba paullò enim antè leguntur. In illa autem ara perpetuus seruabatur ignis. Turneb. lib. 14. c. 15. & versu 6. dele vocem, Idem.

Colum. 925. E. versu 3. adde. * *Sic lib. 4. & 12. quæ mentem insania mutat? Catull.*

Quænam te mala mens, misselle Rauide,
Agit præcipitem in meos iambos?

Colum. 927. B. quasi aterreum) Sequantur hæc. INFESTO VVLNERE INSEQVITVR) pro, infesto telo, effectum pro efficiente. Sic lib. 10.

Te quoq; magnanime viderunt Ismare gentes
Vulnera dirigere, & calamos armare veneno.

B Colum. 929. B. post vers. 7. adde *Talem immanitatem expertus est etiam in Phoca Mauritius Imp. à quo antequam necaretur, prius cædem liberorum suorum, intueri compulsus est. Niceph. lib. 18. cap. 40.*

Colum. 934. A. post lin 6. pone hæc. AVVLSVMQVE HVM. CAPVT) Ennio surripuit, ille enim, *Oscitat in campis caput a ceruice reuulsum.* Georg. 4. *Tum quoq; marmorea caput a ceruice reuulsum.*

Colum. 935. A. lin. 9. loco moti sunt) Adiice. Aduersus iudicium Tuccæ, & Vari longam disputationē & eruditam contexuit Franciscus Campanus, in qua diligentissimus poeta, ab obiecta negligentiæ culpa absoluitur, ipsi autem versus doctè exponuntur.

C Colum. 940. B. post lin. 10. subde, ANIMVMQVE EXPLESSE IVVABIT VLTRICIS FLAMMÆ) Animus vltricis flammæ nihil est aliud, nisi animus vlciscendi desiderio inflammatus: vlciscendi autem non se, sed suos, vt sequitur, ET CINERES SATIASSE MEORVM) Synecdoche, manes occisorum, quos in sepulchris habitare persuasum erat, & hostiarum sanguine expleri. Quamuis in fœminam, inquit, sæuire turpe est, pietatis tamen nomine laudabor, quod cæsorum ciuium meorum vmbras, hostium suorum sanguine expleuerim. Montfort.

Colum. 941. principio explicat. pone. TALIA IACTABAM) Verè iactabat, & parum rationi consentanea, frustra secum volutabat, aut etiam voce

D loquebatur, sicut mos est iratis, & furentibus in solitudine. Declarat id ipsum, quod mox sequitur, *furiata mente ferebar.* Si enim mens à sua sede erat dimota, quid poterat nisi imprudenter loqui?

Colum. 945. post lin. 6. APPARENT DIRÆ FACIES IN. TROIÆ NVM. MAGNA DEVM) Hoc est nimirum, quod suprà Venus. *verùm inclementia diuûm Has euertit opes, Aspice, namq; omnem,* &c. Et hinc clarissimè perspici poterat, deos Troianis iratos, cùm eorum facies tam essent horribiles: ab animo namque vultus fingitur. Vnde apparent inimica illa magna deûm numina, seu vnde intelliguntur inimici, & velut in Troiam iurati illi magni dij? quia diras, truculentas, minabundas,

E formidabiles ostentabant facies.

Ibid. C. post vers. 3. adscribe. Non multum aliena est ab hac collatione illa Catulliana, de prostrato Minotauro à Theseo apud Cretam in Labyrintho.

Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine, robur
Eruit: illa procul radicibus exstirpata
Prona cadit, lateq;, & cominus omnia frangit.

Ibid. D. versu F. adnecte * *Tibull. eleg. 1. lib. 2.* Omnia sint operata deo, *cum loquatur de sacris ambarualibus, quæ in honorem Cereris fiebant, videtur idem fecisse quod Maro, & deo, pro dea dixisse.*

Colum. 952. A. lin. 12. Adde * *Nonnundum genus loquen-*

quendi, efferre pedem. Ennius Medea. Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem. *Plaut. Capt.* Seruato istum subtus intus serui, ne quoquam domo pedem efferat. *Potest huc referri illud Terentij And.* Nam pol si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem.

Deinde subiice hæc. TANTVMQVE NEF. PAT. EXCIDIT ORE) Ausus es hoc ex ore tuo? *ἐμφατικῶς* prolatum videtur ab Ennio, quemadmodum illud apud Andronicum in Odyssea. *Mea puera, mea puera, quid verbi ex ore tuo profugit?* Qui versus ex illo Homeri in 1. Odyss. conuersus est. *Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;*

Colum. 958. C. post versum vlt. VESTRVM HOC AVGVRIVM) Agnoscit prodigium non fortuitum, sed à diis profectum, eoque se moueri ad deserendam rebus perditis patriam. Nascimb. VESTROQVE IN NVM. TROIA EST) Si voletis, poteritis nobis Troiam restituere. Potest vestra potestas per nos Troiam aliam excitare. Vbi dij volunt, ibi Troia est.

Colum. 960. A. post versum 3. IVXTAQVE ANTIQVA CVPRESSVS) Ennius in 7. Annal. dedit huic arbori masculinum genus, *longiq; cupressi Stāt rectis foliis, & amaro corpore buxum.* Idem alibi. *Capitibus nutantes pinos, rectosq; cupressos.*

Colum. 961. D. versu 10. *Formular. Rom. Brissonij lib. 1.* Adde hæc. Libet subnectere dictum Diogenis. Conspiciens quendam sese piaculi caussa aspergenté aquis fluuialibus, O te infælicem, inquit: ab erroribus Grammaticis aspersio te non liberat, & à vitæ criminibus liberabit?

Colum. 966. lin. 11. QVEM NON INCVS. A. HOM. DEOR.) Subiice. Liuius lib. 28. In Opuntem rediit, deos hominesq; accusans, quod tantæ rei fortunam ex oculis prope raptam amisisset.

Ibid. C. lin. 6. CAPVT OBIECTARE PERICLIS) Sallust. Iugurth. Statuit eum (Micipsa videlicet Iugurtham) obiectare periculis. Tacit. lib. 2. Annal. Vt ea specie dolo simul, & casibus obiectaret.

Colum. 968. B. post versum 5. pone. MENSÆQVE DEORVM) Mensas tanquam aras, sacrorum cærimoniis dicatas, easq; ex argento factas, in veterum templis fuisse legimus. Syracusanas auferri iussit Dionysius ille sacrilegus. Hieron. Columna.

Ibid. post versum 7. appone. Alexand. M. ait Tertullian. lib. de Pallio, in Sarabara (vestis Medicæ nomen est, quam ille gentem subegerat) decessisse. Sic Tacitus captiuum cruorem dixit 3. Annal. vbi de Druidis. Non cruore captiuo adolere aras, & fibris hominũ consulere deos fas habebant.

Colum. 969. A. post versum 11. subiice. Credebant antiqui, qui ex hominibus in deorum numerum essent relati, aut qui eximium quippiam supra vires humanas deorum ope effecissent, cæteris hominibus prοceriores, & augustiores videri solitos. Omitto Suetonium, & Tacitum, quorum verba supra retulimus. Lucretius lib. 5. cum de origine religionis agit.

Egregias animo facies vigilante videbant,
Et magis in somnis mirando corporis auctu.

Silius lib. 11. *Et Pauli stare ingentem miraberis vmbram.* Et lib. 3. de Amilcare. *Celsus abit gressu, maiorq; recessit imago.* Idem lib. 11. loquens de Virtute, & Voluptate.

Cum subitò assistunt dextrà, lænaq; per auras
Allapsæ, haud paullùm mortali maior imago.

Liuius de patre Decio lib. 8. Armatus in equum insiluit, ac se in medios immisit. Conspectus ab vtraque acie fuit aliquanto augustior humano visu, sicut cælo missus, piaculum omnis deorum iræ, qui pestem ab suis auersam, in hostes ferret. Ibid. Ibi in quiete vtrique Coss. eadem dicitur visa species viri maioris, quam humano habitu, augustiorisq;. Idem de Euandro lib. 1. ait, quod conspecto Herculis habitu, ac forma aliquanto ampliore, augustioreq; humana, auditoq; nomine, parente, ac patria, aram ei dicauit. Magnum quoque Alexandrum testatur Solinus forma supra hominem augustiore fuisse. Ex Hieron. Columna ad 1. Annal. Ennij.

Ibid. B. versu 4. *incensus amore.*) Adde. Liuius lib. 30. Ibi superantem insanos montes, multò & sæuior, & infestioribus locis tempestas adorta, disiecit classem.

Colum. 470. A. versu 5. LYD. TIBRIS) Adde. Nomine *agminis* Macrobius hic actum, & ductũ quendam intelligit.

Colum. 971. Adde, principio explanationum. HÆC VBI DICTA DEDIT) Liuius quoque, vtpote sermonis poetici studiosior, sic locutus est lib. 22. Hæc vbi dicta dedit, stringit gladium.

AD TERTIVM ÆNEIDOS.

COlum. 978. B. post 6. Primi tres versus libri huius monent me prouerbij, quod est apud Iunium 59. Cent. 5. *Pergama non tristia incolit*, in eos, qui sibi læta omnia augurantur, & ex animi sententia cuncta fæliciter cedere putant, & qui tantùm non dij sibi videntur esse. Sic enim apud Æschylum Prometheus rupi Caucaseę affixus Mercurio cum reliquo deorum vulgo, qui tunc rerum cælestium tranquillo potiri sibi videbantur.

Καὶ δοκεῖτε δὴ ναίειν ἀπενθῆ πέργαμα.
Habitare non triste Ilium vos remini.

Sumpta origo à temporibus Troiæ iam tum fortunatę, quum totius Asiæ imperio potita firmissimum & domesticis opibus, & externis viribus regnum constabilisset, nondum luctuosam sortem, in quam postea incidit, experta. valebit in principem virum, aut rempub. aliquam, cui opibus florenti, & societatibus confirmatæ videndum sit, tantisper dum secundo æstu omnia feruntur, dum res videntur validissimæ, ne præcipitet in ruinam, nimis proteruè consiliis vsa, & viribus freta.

Colum. 986. A. lin. 9. post asteriscum pone hæc. *Lib. antecedente.* Priami dum regna manebant.

Ibid. E. lin. 6. nec militiæ gerebant) Adde. Et Liuius lib. 6. Auspiciis hanc vrbem conditam esse, auspiciis bello, ac pace, domi militiæque omnia geri, quis est qui ignoret?

Colum. 988. E. post lin. 7. adde. MVLTA MOVENS ANIMO) varia mecum cogitans. Et quod alibi.

Atq; animum celerem nunc huc, nunc diuidit illuc,
In partesq; rapit varias, perq; omnia versat.

Colum 992. D. versu 4. VICTRICIAQVE ARMA) Adde statim. A sententia versus huius, quo victoria Agamemnonis ad Troiam comprehensa est, non alienum videtur, quod Plato de eius nominis etymo scriptum reliquit in Cratylo. Huiuscemodi fuisse videtur Agamemno, inquit, qui iis in rebus, quas certo animi consilio constituisset, omnino elaboraret, & in ijs constanti quadam virtute perseueraret. Illius admirabilis constantiæ argumentum fuit, diuturna illa ad Troiam perduratio, cum tam numeroso exercitu. Illum ergo fuisse *ἀγαστὸν τὴν μονὴν* (id est, admirabilem perseuerantia quadam, & mora) nomen ostendit *Ἀγαμέμνων*.

Colum. 993. D. post versum 5. intexenda. At enim Polydorus nullo modo Iliones, sed Hecubæ filius fuit

fuit, nec fuit Hecuba alio nomine dicta Iliona, vt vult Lamb. Cur igitur Ilionam matrem appellat Polydorus? Sciendum, Hecubam, cum natus esset Polydorus, Ilionæ filiæ dedisse educandum, vt scribit Hyginus. Quamobrem sororem, quod eum educasset, matrem nominat. Itaq; eundem locum sic exponit Acron. Manifestum est, hunc Polydorum necatum fuisse, & noctu sorori in somnis venisse, rogantem, vt sepeliretur, hoc dicentem, *Mater te appello, soror surge, & sepeli me.* Quem locum mendosum esse opinor, legendumque potius, *Matrem te appello soror, surge*, &c. Hæc Hieron. Columna in Ilionam Ennij.

Colum. 994. A. post versum 3. subijciantur hæc. Quomodo vero? obtruncat? an non supra dixit ipsemet, clamans è tumulo, *hic confixum ferrea texit Telorum seges?* num hæc pugnantia non videntur? Credo dubitationem ita solui posse, vt dicamus verbum *obtruncare* positum hìc esse pro interficere generatim, & Virgilio obuersatam fuisse rei veritatem. Quæ enim suprà de telis quibus esset confixus, quæq; ex corpore eius in syluulam excrescerent, fabulæ simillima sunt. Homerus ab Achille hunc adolescentem scripsit interemptum.

Colum. 995. A. versu 2 ἰτέαγετ@, ...) Continenter succedant hæc. *Omnino legendus Budaeus in Pandect. annot. poster. pag. 334 vbi etiam Paulinum illud ad Corinth. cap. 4. ... ... explicatur.*

Colum. 999. B. versu 5. DEDVCVNT SOCII NAVES) Subiunge statim. Lib. 4. Aeneid. *Tum verò Teucri incumbunt, & littore celsas Deducunt toto naues.*

Colum. 1000. C. versu 9. post asteriscum colloca hæc. *Dictus est & Naeuio 2. belli Pun. hoc nomine.*

——deinde
Pollens sagittis inclutus
Arcitenens, sanctusq;
Delpheis prognatus Pythius
Apollo.

Ibid. versu 9. post adde. * *Ab arcu aureo χρυσότοξ@ Græcis: sæpe etiam ἀργυρότοξ@: Vel quod argenteum habuit, cum Pythonem interficeret: Vel allegoricè, propter candorem lucis: Apollo enim sol.*

Colum. 1005. B. versu 11. *aduoluimur aris*) Adde. Quidam exponunt, in terram inclinamus, quomodo Turcis, & aliis barbaris gentibus etiam hodie mos est, cum dicuntur facere reuerentiam.

Colum. 1006. B. Muret. lib. 10. cap. 2.) Subiice, noua linea. Palladius lib. 1. Tit. 6. Qui arando crudum solum inter sulcos relinquit, suis fructibus derogat, terræ vbertatē infamat. Longè melius manuscriptus, *terræ vber infamat.* Quomodo Græci poetæ οὖθαρ ἀρούρης, quod Didymus exponit, τὸ πιότατον καὶ γονιμώτατον τῆς γῆς. Expresserunt id præter Palladium, & Virgilium etiam alij. Martianus lib. 1. Sola vero (quod vector eius cygnus impatiens oneris, atq; etiam subuolandi alumna stagno petierat) Thalia derelicta in ipso florentis campi vbere residebat. Saluianus lib. 7. de Prouid. Dei. Nemini dubium est, Aquitanos omnes populos medullam fere omnium Galliarum, & vber totius fœcunditatis habuisse. Ipse Pallad. lib. citato Tit. 7. Ne bonum naturalis fœcunditatis, colentium deprauauerit inertia, & in degeneres surculos vber feracis soli expenderit. Varro de re rust. lib. 1. cap. 7. Cæsar Vopiscus ædilitius caussam cum ageret apud Censores, campos Roseę Italiæ dixit esse sumen. Hæc aceruauit Ioan. Meursius in Critico Arnobiano, cap. 13.

Ibid. E. post versum 2. subiice. VETER. VOLVENS MONIM. VIROR.) in memoriam reuocans prima Troianorum tempora, quorum erat bene gnarus. Excutiens

A animo secum Troianas antiquitates. Veteres viri hic accipiendi sunt Troianorum maiores, ab ipsis vsq; conditoribus.

Colum. 1010. C. post lin. 2. insere. ET GNOSIA REGNA PET.) Huius oppidi meminit Homerus, Q. Septimus Roman. præfat. in Dictym Cretensem, vbi ait, Gnoson olim Cretensis regis sedem fuisse. Philostratus in vita Apollonij, qui tradit, ad Gnoson Minois Labyrinthum fuisse. Plinius, Solinus, & Eusebius de tempor. Diodor. libro sexto ait, Curetum tempore Titanas in Gnoso habitasse, vbi etiam ipsius tempore viserentur fundamenta domus, in qua Rhea educata fuerat, ac peruetustus cupressorum locus. Virgilius à
B Gnoso Cretam Gnosia regna vocauit. Hieron. Colum. in Frag. Ennij ex Euemero.

Colum. 1012. B. lin. 2. tutela 2. Bacchi) Adiunge. Parrhasius in illud Claudiani 1. de raptu, *vlulatibus Ida Bacchatur*, id est, inquit, à fanaticis per furorem quatitur. Et passiuè dixit, vt Maro, *Bacchatamq; iugis Naxon:* vbi per epitheton nominis rationem expressit poeta ex Euphorionis sententia, qui Naxon dictam tradit à verbo νάξαι, quod est bacchari, atque rem diuinam facere: quamuis alij nomen insulæ datum velint ab Endymionis filio Naxo, vel eiusdem nominis altero duce Carũ. Sunt qui bacchatam Virgilio Naxon ἁπλῶς dictam putent, eo quod in ea Liberi patris orgia celebrarentur: eadem ratione, qua Cithæron à Papinio 4. Thebaid. *&*
C *te bacchate Cithæron.*

Ibid. D. lin. 1. κέλευσμα dicunt) Adde. Clamor nautis peculiaris est, non solum cum portum subeunt, vt lætitiæ præbeant argumentum: sed etiam cum hostes accedentes aspiciunt, vt illi exterreantur, ipsiq; pugnādi alacritatem ostendant. Præterea inter nauigandum clamore, & cantu remigum labores, molestięq; leniuntur. Quintil. lib. 1. cap. 17. de Musica loquens. Atque eam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores, velut muneri nobis dedisse. Siquidem & remiges cantus hortatur, nec solum in his operibus, in quibus plurium conatus, præeunte aliqua iucunda voluptate conspirant, sed etiam singulorum fatigatio quamlibet se
D rudi modulatione solatur. Silius lib. 11. Virgilianis lineis hunc suum versum ita adumbrauit, *Nauticus implebat resonantia littora clamor.* Ennius Annal. 14.

Labitur vncta carina: volat super impetus vndas,
Cum procul aspiciunt hostes accedere ventis
Nauibu' veliuolis, magno clamore bouantes.

Varro à boue bouare deductum asserit. Vsu autem frequentiori recipitur bouare, à verbo græco βοάω. Hæc Hieron. Columna ad locum Ennij à me recitatum.

Colum. 1015. B. post versum 7. adde. * *De eodem sidere, seu potius de tempore, quo regnat illud sidus, loquens Tibull. eleg. 4. lib. 1.* Vocat æstiui tempora sicca canis. *Propert. lib. 2.* Incipit & sicco feruere terra cane.

Colum. 1018. A. post lin. 12. intexe. NOS TVM. SVA
E TE PER. CLASS. ÆQVOR) Liuius Helena. *Tu qui permensus ponti maria alta velinola.* Lucret. li. 6. *Aëra permensus multum, camposq; natantes.* Stat. libro 1. Syluar. *Quod durum permensus iter.*

Colum. 1019. C. lin. 1. *corpore sudor*) Adde. Horat. Sat. lib. 2. *sudor ad imos Manauit talos.*

Colum. 1021. B. post versum 9. insere. Quod ait tales casus solum Cassandram sibi prædixisse, sciendum, poetam Ennium, quod quidem ex fragmentis 1. Annal. apparet, induxisse Anchisen post excidium Troiæ, Æneæ filio cum diis penatibus fugam paranti, futura vaticinantem, & post varios casus Italiæ potiturum, ibiq; fatis annuentibus stabilem in perpetuum sedem habiturum promittentem.

Colum.

Colum.1023. B.lin. 9. *hyemémque ferens*) Adde. A Lib.1. *Iam validam Ilionei nauem, iam fortis Achatæ Vicit hyems.*

Colum. 1030. C. post lin. 11. insere. MIHI PHOEB. APOLLO PRÆDIXIT) Liuius lib. 25. ex carmine Martij. vatis extremo, *nam mihi ita Iupiter fatus est.*

Colum. 1033. A. lin. 5. si placet) Adde. Liuius lib. 26. Zazynthos parua insula est, propinqua Ætoliæ; vrbem vnam, eodemque, quo ipsa est, nomine, habet.

Colum. 1034. B. post versum Persij adiice. Catull. *Fulsere quondam candidi tibi soles*, id est, felices dies: vt contrà Horatius diem infelicem appellat nigrum solē, sat. 9. lib. 1. *hunccine solem Tam nigrum surrexe mihi?* Euphorion apud Stobæum ἠέλιος ἦτις σε τεινκεῖος ἰσέ-πυεν. Vide Eclog. 9. *Cantando puerum memini me condere soles.*

Colum. 1040. B. lin. 2. videlicet locutionem) Adde. In 6. *Quin & supremo cum lumine vita reliquit.*

Colum. 1046. D. post versum 9. subiice. CHAONIOS COGN. CAMPOS) Simile illi, *tales casus Cassandra canebat.* Sed huiusmodi alliterationes, syllabarumque repetitiones antiqui pro ornamento sectabantur, & in iis erant crebriores: quæ tamen pro vitiis duxit posteritas, correctrix antiquitatis, à qua ipsa in multis corrigēda est vicissim.

Colum. 1048. B. versu vlt. Dicitur & masculus animus) Adnecte. Mulier igitur, quæ talem animum gerit, quæque opera viro digna perpetrat, nomine à viro detorto, virago dicitur, ἀντιάνειρα, quo nomine Ouid. & Statius Palladem, Seneca Dianam appellauit.

Ibid. D. post vers. vlt adnecte. Menander generatim, & vniuersè, summa cum elegantia scripsit, pronuntiauitque, difficilè, & operosum esse, reperire cognatū pauperis. Neminem enim fateri, sibi quidquam esse eum, qui auxilij alicuius indigeret: propterea quod statim putaret, à se aliquid petitum iri.

——— ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ
Πένητός ἐστιν. οὐδὲ εἷς γὰρ ὁμολογεῖ
Αὐτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινός
Δεόμενον, αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ.

Obseruatum à Mureto lib. 2. cap. 6.

Colum. 1054. lin. 1. Helenus videlicet) Subiice. ATQVE HÆC DEINDE CANIT) Verbum *canere* datur sæpe oraculis, & vaticiniis. De Sibylla infra, *Ipsa canas.* Et suprà Æneas, *sola nouum, dictuq́; nefas Harpyia Celæno Prodigium canit.* Prætereo locos alios poetæ huius. Horat. lib. 1. Ode. 15. *vt caneret fera Nereus fata.* Et Sat. 5. lib. 2. *Num furis: an prudens ludis me obscura canendo?* Lucan. lib. 1. oracula canere. DIVINO EX ORE) Satis erat, *canit.* Verùm hic pleonasmus est creber poetis, vt, sic ore effata, sic ore locutus. Diuinum os, quia diuinum est futura prænuntiare, & videtur tum deus per os hominis loqui. Siquidem & in sanctis litteris legimus, dabo verba mea in ore tuo. Et rursum, omnia quæ dixero tibi, loqueris.

Ibid. B. post lin. 6. intexe. ET SALIS AVSONII) Æquor salis Ausonij, est æquor, siue mare Ausonium. Apud Homerum ἅλς sæpius pro mari: vnde Latinum sal, vltima scilicet littera præposita, vel spiritu illo denso, in s, conuerso, qua ratione græcas has, voces ἕξ, ἑπτὰ, ἕρπυλλον, sex, septem, serpyllum pronuntiamus. Vocem sal pro mari, ab illius salsedine, plures poetæ vsurparunt. Catull. *Ipsius ante pedes fluctibus salis allidebant.* Et rursum. *Tū tremuli salis aduersas procurrere in vndas.* Et noster 1. Æneid. *spumas salis ære ruebant.* Pro iocis, masculino genere effertur, etiā numero singulari. Hier. Col. in illud Ennij ex 14. Annal. *Cæruleum spumat sale.*

Colum. 1060. B. post lin. 3. collocanda, quæ sequuntur, ab initio. De violenta ista separatione, seu diruptione etiā Tertullianus, lib. de Pallio, sed more suo horridius, & obscurius. Italiç quodā latus, Adria, Tyrrhenoque quassantibus medio tenus interceptū reliquias Siciliam facit: cū tota illa plaga discidij, cōtentiosos æquorū coitus angustiis retorquens, nomē vitij mari induit, non expuentis naufragia, sed deuorātis. Quod aliàs superum, & inferū mare dicimus, Mela Ionium & Tuscū, Tertullian. dixit Adriam, & Tyrrhenum. Nomen autē vitij, q plaga illa discidij fecit, non est Rhegium, vt quidam putāt: neq; enim Rhegium maris nomen, sed eius terræ, quæ anullā est, ἀπὸ τοῦ ῥήγνυσθαι, id est à frangendo. Magis est, vt Charybdin significari credamus, quod nomen esse mari inter Siciliam, & Italiam medio Thucydides lib. 4. scribit: fortè à vicinia Charybdis, quod vitium Tertullianus vocat, quoniam sine periculo prænauigare non licet, vt non immeritò implicata Charybdis Virgilio dicatur. Hæc ex Ioannis Mercerij explanat. in eundem lib.

Col. 1062. A. post versum 4. adde. Pistrix ex Glossario veteri κῆτος, ἀρτοποιὸς, ceti quoddam genus, & mulier, quç panes coquit. Sic enim appellatur à Lucilio. De pisce Florus li. 3. c. 7. Sed fiduciā oppidanis resistendi nuntius fecit: docēs aduentare Lucullū, qui, horribile dictu, per medias hostium naues vtre suspensus, & pedib⁹ iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pistrix euaserat. Et Festus, balænam belluam marinam, ipsam dicunt esse pistricem, ipsam esse cetum. Quin Cic. in Arato κῆτος signum cæleste semper pistricē vocat. Arnob. lib. 3. Atq; ita tollitur, & remouetur è medio Stygij frater Iouis, Olympiiq; germanus, tridenti armatus ferro, pistricum dominus, atq; menarum. Hæc ex Notis Francisci Dousæ in Fragm. Lucilij.

Colum. 1067. C. versu 13. *adire iussus erat.*) Adde, noua linea. Adagiū *Dodonæum lebes* in eos torquetur, qui perdita verborū colluuione scatēt. Pelues quippe circa Iouis fani parietes ita locatas scribit Dæmon, vt si quis vnā leui tactu cōtingeret, protinus omnes cōtinuata, perpetuaq; cōplosione tinnirēt. Testatur id ipsum Ausonius.

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quoties radiis ferientibus icta
Respondent dociles moderato verbere pelues.

Easdem tamen abluendorum corporum gratia illic haberi, discimus ex Asconio. Obseruauit Parthasius in 3. de rapt. Proserp.

Colum. 1068. D. *Nomina cælo.* Germ.) Adde. Quin & Plautus multo ambob⁹ vetustior, in Pseudolo, quomodo quidā eruditi rescribendū censent, nam hodie locus est corruptus.

Ita victu excurato, ita munditiis dignati,
Itaq́; in loco festiuo sumus festiuè accepti.

Ibid. lin. 6. certè τὸ λέχος.) Adde. vt apud Euripidem, cum sic Agamemno de filia Achilli nuptura, Εἰ μὴ παρ' ἡμῶν εἶσιν ἐς λέχος.

Colum. 1072. A. post vers. 4. QVIB. EST FORT. PERACTA IAM SVA) Achilles Statius Comment. in Tibull. legit *parata* pro *peracta.* Vt sit, quale illud Tibulli eleg. 4. lib. 2. *Sic mihi seruitium video, dominamq́; paratam.* Paratam, inquit, quasi partam, & constitutam, vt sit in perpetuum viuendum hoc modo. Sic alibi, *Et meritò laudandus hic est, quem prole parata*, &c.

Colum. 1079. E. lin. 6. Strabo lib. 6.) Adde. Plinius lib. 3. c. 20. Florus lib. 1. c. 18. Silius lib. 12. Mela lib. 2. c. 4.

Colum. 1080. A. lin. 2. constituit. Seruius. Adde. De hoc templo audiendus Liuius lib. 24. Sex millia aberat ab vrbe (Crotone nobile, templū, ipsa vrbe nobilius

bilius Laciniæ Iunonis, ſanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti ſylua, & proceris abietis arboribus ſeptus. Læta in medio paſcua habuit, vbi omnis generis ſacrũ deæ paſcebatur pecus ſine vllo paſtore, &c.

Colum.1085. A. verſu 9. *ferrugine cælum)* Adde. Ouid.14. Metamorph. de Circe.

Quo ſoles & niuea vultum confundere luna,
Et patrio capiti bibulas ſubtexere nubes.

Colum.1086. A. verſu 3. poſt hæc. NOX INTEMPESTA) ſic lege. *Nocte intempeſta noſtram deuenit domum.* Attius in Bruto, ita Lucretiam de Sex. Tarquinij nequitia conquerentem inducit. Cic. in Piſon. Nocte intempeſta crepidatus, veſte ſeruili nauem conſcendit.

Ibid. B. verſu 1. dinoſcuntur) Adde. *ἀκροχία ἀμολγὸς & περὶ ἀράλλωγατος.*

Colum.1091. B. poſt verſum 9. inſere. VISCER. MISEROR. VESCITVR) Homer. Odyſſ. ι. *Αὐτὰρ ἐπεὶ κύκλωψ μεγάλην ἐπλήσατο νηδὺν Ἀνδρόμεα κρέ' ἔδων.* De eodem accipiendum, quod ait Ennius Annal. 9. *Cyclopis venter velut olim turſerat alte Carnibus humanis diſtentus.* SANGVINE ATRO) Ennius Thyeſte. *ſaxa ſpargens tabo, ſanie, & ſanguine atro.* Nonius ex Lucilio. *Latere pendens, ſaxa ſpargens tabo, & ſanguine atro.* Lucilius Ennianam exſecrationem, tanquam vulgo iactatam ſuis poematis inſeruit.

Colum.1092. B. lin. 13. Solem. *Lucret. quoq;* &c. dele tres verſus, vſq; ad, *de diſcrimine clypei, &c.*

Ibid. C. poſt verſum 2. intexe. AVT PHOEBEÆ LAMPAD. INSTAR) nõ quãtus eſt reuera ſol, ſed quantus nobis videtur: videtur autẽ inſtar lãpadis alicuius. Solẽ quoque Lucret. lib. 5. æternam lampada mundi nominauit. Item roſeam facem, vel potius tribuit ei roſeam facem: quippe qui fulgore ſuo mundi tenebras diſſipet. *ſomnoq; ſepulti Dum roſea face ſol inferret lumina cælo.* Ennius Annal. 17. *interea fax occidit*, vbi Hieron. Columna non ſimpliciter Ennium facem dixiſſe arbitratur: ſed vel, *ſolis interea fax*, vel, *cæli interea fax.* Poeta priſcus *Flammineã per æthram altè feruidã ferri facẽ.* Siue igitur lampadem, ſiue facem vocemus ſolem, certum eſt inſinuari quorundam philoſophorum dogma, qui adeo igneam ei naturam tribuerunt, vt aut ſaxum ignitum, aut candens ferrum eſſe aſſererent.

Colum. 1096. A. poſt verſum 3. adde. ET LITTORA COMPLENT) Hinc magnus Cyclopum illorum numerus colligitur, ſiquidem littora complebant. Sic Ennius paucis verbis militum maximum numerum oſtẽdit, *Nauibus explebant ſeſe, terraſq; replebant.*

Colum.1099. D. ad verſum 3. adde hæc. * *Quia calamitatum Vlyſſis meminimus, recordamur quod legimus de Diogene. Demirabatur Grammaticos, qui tam ſtudioſè Vlyſſis mala perquirerent, ac de ijs diſputarent (exponenda Odyſſea videlicet) ſua autem ipſorum mala non viderent. Simile faciunt, qui populi peccata accuſant pro concione, cum ipſi ſint fœdati ſceleribus.*

AD QVARTVM ÆNEIDOS.

COlum.1109. A. verſu 11. ſæuo ſauciam dixit) Adde. id eſt, magno, vehementi: hoc enim interdum ſonat *ſæuus*, non tantum atrox, ſiue crudelis.

Colum.1115. C. poſt verſ. 12. collocabis hæc. Apud Ennium Annal. 11. *Malo, cruce vt fatum dei Iuppiter.* Videtur his verbis quiſpiam potius optare vitam ſuſpendio claudere, quã indigna perpeti. Diſtinxit ita Hieron. Columna, quum legeretur antea *Malo cruce*, dixerunt n. veteres crucem maſculinè. Plautina anus in Aulular.

Vtinam me diui adaxint ad ſuſpendium
Potius quidem, quam hoc pacto apud te ſeruiam.

A Nec illa Cic. 2. Tuſcul. ſunt ab hoc loco reiiciẽda. Mori malunt, quàm tantùm modò de dignitatis gradu dimoueri. Terent. Adelph. *Animam relinquam potius, quam illam deſeram.* Hieron. Colum. Ergo perſpicis, quibus verbis affirment quidam, malle ſe mori, quam hoc, aut illud facere, ſiue perpeti.

Colum.1116. C. lin. 11. *& alijs prætereà petunt.* Adiice. *Damnauit tamen, quod minimè diſſimulandum eſt, vnus Tertullianus, poſtquam in hæreſim lapſus, cum Montano delirare cœpit: & damnauit locis multis, idq; apertiſſime, nec ſine verborũ acerbitate, & contumelia, vt norunt, qui certos quoſdam libros eius volutarunt. In quibus tamen plurima ad ſuadendam continentiam, virginitatemq; graues, & diuinæ ſententiæ. Quas quidem virtutes ſi moderatius ille ſuſpexiſſet, melius nomini ſuo, melius ſaluti ſuæ conſuluiſſet.*

B Col.1119. B. poſt verſum 12. ſubde. QVOS AFRICA TERRA) Ennius lib. 3. ſatyrar. *Læti campi, quos gerit Africa terra politos.* Sic Cato orat. pro Achæis Italia terra, pro Italia. Tibull. Campania terra: Lucilius, & Catullus Iberia terra, & Celtiberia terra: & poeta quidam apud Ariſt. 3. Rhet. *Ἀσίας ἀπὸ γαίας.* Hieron. Columna.

Ibid. C. poſt lin. 8. inſere. GENVS INSVPERAB. BELLO) In 1. de Carthaginenſibus Venus. *genus intractabile bello.* Eandem vim habet illud ibid. de eadem ciuitate, *ſtudiiſq; aſperrima belli.*

Ibid. C. 10. Seruio Numidæ ſunt infræni, vel q̃a ſæui: vel quia equis ſine fręno vtuntur. Hoc curtius eſt, quam accuratius explicatum. Liuij locus ex 35. lib. planius, pleniusq; rem explanabit. Agens enim de Numidis equitibus: Nihil, ait, primo adſpectu contemptius. equi, hominesq; pauluIi, & graciles: diſcincti, & inermis eques, præterquam q̃ iacula ſecum portat: equi ſine frenis, deformis ipſe curſus rigida ceruice, & extento capite currentium. Sed & effrænatã audaciã dici vult Turneb. ab equis, quorũ ſine frænis indomitus eſt impetus. Proinde Romani in magno periculo, in hoſtem detractis frenis equos permiſiſſe. Vnde Liuius li. 40. Id cum maiore vi equorũ facietis, ſi effrænatos in eos, equos immittetis. id q̃ ſępe Romanos equites magna feciſſe laude ſua, memoriæ proditũ eſt, vt minus mirũ ſit, Numidas equis fræno liberatis vti ſolitos fuiſſe. Quo reſpexit Martialis D lib. 9. Epigram. ad Paſtorem, *Et Maſſylum virga gubernet equum.*

Cum Strabo auctor ſit Numidas, Maſſyloſq; equos habere, quos virga, non fræno gubernent. Lucan. 4.

Et gens quæ nudo reſidens Maſſylia dorſo
Ora leui flectit frenorum neſcia virga.

Oppiani præterea auctoritatem cum Silio, de qua nos principiò, adducit German.

Col.1121. C. poſt lin. 10. adde. SOLVITQVE PVDOR.) vt qui vincula rumpit, aut præcidit, ſoluit id, quod erat alligatum: ſic qui argumentis perſuadet homini pudico, vt pudorem violet, eiuſque iura reſoluat, quomodo ante locuta eſt Dido, ipſum pudorem ſoluere dici poteſt, quoniam eius ſoluendi, abiiciendiq; auctor eſt.

E Colum.1122. B. poſt lin. 1. ſubiice. AQVOSVS ORION) Æneid. 1. *nimboſus Orion.* NON TRACTABILE CÆLVM) Hominem tractabilem vocamus, qui ſe ſinit tractari, qui non eſt inſtar equi ferocis calcitrantis, aut beſtiæ alicuius immanſuetæ, qui eſt ingenio leni, & flexibili. Cic. ad Attic. ep. 13. li. 10. de filio ſuo Marco. Ego meũ facile teneo: nihil eſt enim eo tractabilius. Dixerat autẽ ſupra, filium Q. Ciceronis ſui fratris, eſſe ferocem, arrogantem, & infeſtum, propter paternam indulgentiam. Transfert igitur Virg. hoc vocabulũ ad cælũ, & pluuium, procelloſum, vẽtoſumq; vocat intractabile.

Colum. 1127. A. verſ. 10. ſubde. Quod ait Didonem amoris æſtu percitam, furentemque tota vrbe vagari,

gari, suggerit mihi, quod de amore non bono legi apud Max. Tyrium. serm. 10. Sit igitur amor, inquit, appetitio animi. Verùm appetitioni huic perinde, atque equino furori opus est fræno. Et si committas animum rapi, iuxta modum comparationis Homericæ, quidnam aliud egeris, nisi vt vorax equus temerè in campum excurrat, haud amplius petens aquationes concessas, cursusúe decurrens, quos à rectoris arte didicerit: sed effrænis, ac sine rectore passim feratur.

Colum. 1135. B. versu 9. adde.* *Quod Virgilio est indagine cingere, hoc Tibullo claudere valles, colles. Eleg. 4. lib. 1.* Nec, velit insidiis altas si claudere valles. *Et lib. 4.*

Quis furor est, quæ mens densos indagine colles
Claudentem teneras lædere velle manus?

Colum. 1137. E. *De canibus Gallicis*) Adde hæc. *Accedant versiculi ex 10. apud Ennium, vbi eis narem sagacem tribuit: citantur autem à Varrone lib. 6. de ling. lat. & Festo Pompeio in Nictare.*

—— animus cum pectore latrat,
Velut & si quando vinclis venatica velox
Apta silet cani, fortè feram si nare sagaci
Sensit, voce sua nictit, vlulatque ibi acutè.

Colum. 1140. A. post vers. 9. adde. CHLAMYD. PICTO CIRCVND. LIMBO) vt plurimum poetæ limbum nominant, quæ aliàs instita. Est autem fasciola, quæ ambit extremitates vestium: aut ex filis, aut ex auro cõtexta, assutaq; extrinsecus in extrema parte vestimenti, vel chlamydis. Sic Isidorus lib. 19. Limbus, ait Nonius, muliebre vestimentum, quod purpuram in imo habet. Plaut. Aulular. *Textores limbolarij, arcularij.*

Colum. 1141. E. ante verba INVIA LVSTRA) constituenda hæc. POSTQVAM ALT. VENT. IN MONTES) In montibus ferę quæ rendæ sunt venatoribus, illa quippe sunt *stabula alta ferarum*. Idcirco eas Lucretius mõtiuagum genus vocat lib. 2.

Vnde etiam fluidas frondes, & pabula læta
Montiuago generi possit præbere ferarum.

Colum. 1142. D. versu 7. ac formosum haberi) Adde. quare & hoc adiuncto sæpissimè ornatur. TANTVM EGREGIO DECVS EN. ORE) Ore, id est vultu, vnde hominem pulchrum commendamus. Quinimmo sæpenumero ex solis oculis.

Colum. 1152. C. versu 9. sic rescribe, & adde. MVLTA IOVEM MAN. SVPP. ORASSE SVPIN.) Nomẽ pro aduerbio, more Grecorũ, qui sæpe πολλὰ pro πολὺ, & πολλάκις. Hom. Odyss. δ. πολλὰ θεὺς γουνούμενος. Sic 1. Æneid. *Multa deos, auraq; pater testatus manas.* Lucret. lib. 2. *crebra reuisit*, pro crebrò. Ennius. *Quanquam multa manus ad cæli cærula templa Tendebam.* Homerus Odyss. α. Εὔχετο χεῖρ' ὀρέγων εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα. Apollon. lib. 1. αἱ δὲ γυναῖκες Πολλὰ μάλ' ἀθανάτοισιν ἐς αἰθέρα χεῖρας ἄειρον.

Colum. 1156. C. versu 3. adnecte * *Quia Paridem appellare ausus est Æneam Iarbas, per contumeliam, mollemque, & eneruatum hoc nomine intelligi voluit, non male etiam illi mox crinem vnguento delibutum tribuit. Sciendum enim, quod Athenæus animaduertit lib. 1. cap. 12. Homerum de heroibus neminem vnguentatum inducere præter Paridem, neminem coronatum.*

Colum. 1166. D. post lin. 4. adde ista. Ennius Alexandro, seu Alexandra.

Volans de cælo cum corona, & tæniis,
Hominem appellas: quid lascivus stolide? non intelligo.

Pro certo putat Hieron. Columna, hic poetam Enniũ loqui de aliquo deo, qui è cælo delapsus, Paridem admonebat, quanto dedecore, rapta aliena coniuge, turpi libidini indulgeret, quemadmodũ hoc loco Mercurius à Ioue ad Æneam de mollitie obiurgandũ mittitur.

Colum. 1167. B. post versum 7. adiice, noua linea. *Regnator* plenius, & grauius est, quã rex: sicut ductor, quam dux. Lib. 2. de Priamo, *Regnatorem Asiæ*. Ibidem

A magnificè de eodem Ioue Cretensi. *haud ille finit superi regnator olympi*. Repetitur à Iunone lib. 7. De fluuio lib. 8. nempe Tiberi. *Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum*. Iam quod affirmat Donatus, maioris metus inficiendi caussa hic addi potestates Iouis, cum tamen notum sit, quantum possit, seruatur hoc etiam in mandatis nostrorum Principum, nec vllus, vt appellant, titulus facile omittitur, aut non suo loco ponitur.

Colum. 1169. D. versu 3. ET QVÆ MOLLISSIMA FANDI TEMP.) Subiice continuò. Arrisit hoc Macrobio, Saturnal. lib. 1. cap. 2. Tentanti mihi, inquit, Postumiane, aditus tuos, & mollissima consultandi tempora. De huiusmodi temporibus, seu occasionibus, &
B opportunitatibus loquitur Martialis.

Nosti tempora tu Iouis sereni,
Cum fulget placidus, suoq; vultu,
Quo nil supplicibus solet negare.

Vide quid infra dicamus ad illud, *Sola viri molles aditus, & tempora noras.*

Colum. 1173. B. lin. 9. MOL. SIB. CLASSEM.) Adde mox. Alio sensu lib. 3. legimus, *classemq; sub ipsa Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Ida*. Ibi enim moliri classem, est ædificare naues, cæsa ad id materia è montibus: hic, est nauibus nauigationem moliri.

Colum. 1174. A. versu 5. Turneb. lib. 19. cap. 17.) Adde.* *Amata quoq; Turnum lib. 12. sic obtestatur.* Turne per
C has ego te lacrymas. *Habent vim magnam ad animos commouendos lacrymæ, & propter naturæ consensum, etiam in aliis producũt lacrymas: & sunt testes plerumq; certissimi interiorum affectuum. Plerumq dico, quoniam est, quando mentiuntur.*

Ibid. E. versu 6. QVA SIDERA ADIBAM FAMA) Subiunge continenter hæc. Sẽtit nunc Dido nostra, quàm stultè egerit, pudicitiáq; violatam dolet, & amissæ integritatis, honestatisq; pulchritudine commouetur. Quadrat huc perbelle D. Augustini præclara sententia, Ciuitat. lib. 2 cap. 26. Tanta est vis probitatis, & castitatis, vt omnis vel pæne omnis eius laude moueatur humana natura: nec vsq; adeo sit turpitudine vitiosa, vt totum amittat sensum honestatis. Quod ad formam dicendi attinet, simile illud, &c.

D Colum. 1180. C. post lin. 8. insere hæc. Fraudare regno Ascanium filium, est illum fraudare bono tanto, quanto in rebus humanis non potest inueniri maius. Hoc neutiquam debet velle Dido, siqua pars in ea residet humanitatis. Plus dicit in Euagora Isocrates. τὴν δὲ πάντων ἂν ὁμολογήσαιεν, τυραννίδα καὶ τῶν θεῶν, &c. Id est Nunc regnum omnium diuinorum, & humanorum bonorum esse maximum, & splendidissimum, & sũma vel armorum contentione dignissimum, fatentur omnes. Eum igitur, qui re in tota rerum natura pulcherrima potitus est (Euagoram) quis orator, aut poeta, aut verborum opifex pro rerum gestarũ dignitate collaudarit.

E Colum. 1184. A. post. 2. AMISSAM CLASSEM) subaudimus, renouaui, qua de re lib. 1. in oratione Ilionei. Poterat etiam Dido quippiam tale, quale Phyllis regina Thraciæ, violatam redeundi fidem Demophoonti Thesei filio exprobrans apud Ouid.

Ah, laceras etiam puppes furiosa refeci:
Vt, qua desererer firma carina foret.
Remigiumq; dedi, quo me fugiturus abires.
Heu patior telis vulnera facta meis.

Ibid. D. post 5. Verbum *scilicet* per quandã amaritudinem cum risu mistam profertur, vt ait Valla libro secundo. patet ex hoc ipso loco. Itẽ ex illo Terent. And. *Meum gnatum rumor est amare. D. Id populus curat scilicet.* Hoc est, per sensum contrarium, id populus non

magnopere curat. Ita existimato, populo non maximæ esse curæ, filius tuus amet nec ne. Cæsar apud Sallust. quò illa oratio pertinuit? an ut vos infestos coniurationi faceret? Scilicet quos, &c. *Videlicet* quoq;, & *quasi verò* particulæ sunt, ironijs omnino aptæ. Giselin. epit. adag. parte 2.

Colum. 1190. A. post lin. 4. OPERE OMNIS SEMITA FERVET) plena est feruore laborantium, seu feruidè laborantibus. Infrà mox: *cum littora feruere latè Prospiceres*, vbi loquitur de studio Troianorum ad littus discedendi caussa concurrentium.

Colum, 1192. D versu 7 violatoribus) Adde. Concilium Meldense cap. 72. Nemo cuiuslibet mortui ossa de sepulchro eijciat, aut sepulchrum temerario ausu quoquo modo violet: sed vnumquemq; in loculo sibi à deo præparato, atque concesso, sui iudicis aduentum præstolari concedat: maximè, cum non solùm diuinæ, sed & humanæ leges sepulcrorũ violatores reos mortis iudicent.

Ibid. E. post versum 13. CONIVGIVM ANTIQ. QVOD PRODIDIT.) Sic quidem videri volebat, coniugium inquam, sed prætexebat hoc nomine culpam, vt multò ante dixit poeta. Grauius autem non potuisset, quam locuta est, dum eum proditorem fecit, & quidem rei sanctissimè colendæ. ✱

Colum. 1194. lin. 9. Rhodigin. libro decimoquinto cap. 7. Adde * *Alpinum Boream dixit, quod is è Riphæis montibus spirat, qui cum Alpibus ijdem sunt, ex sententia Posidonij. Iam breuiter Parrhasius in 3. Claudian. de raptu Proserp.*

Colum. 1195. B. lin. 2. *lumina linquit*) Attexe. Lucret. lib. 3. *Lumina qui linquũt moribundi particulatim.* Et lib. 5. *Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.* Næuius. *vbi bipedes volucres lino linquant lumina.* Lucilius in quodam epigrammate, τὶς κεταλεί-ψαντας γλυκερὸν φάος. Appellantur item mortui, lumine cassi, spoliati, luce carentes. Hanc elegantiam notauit cum his testimoniis Hieron. Columna, ad Ennium.

Colum. 1207. B. versu 6. plurimos inuocat) Adde. Sed Iani Parrhasij longè est alia huius loci explanatio. Sic enim scribit in illud apud. Claud. in 1. de raptu. *Ecce procul ternis Hecate variata figuris.* Persei fratris Æetæ Colchorum regis Hecate filia fuit. Ea dum vaga per saltus venaretur, aconiti vim prima deprehendit: & ita, necato parente regnum occupauit, à suis in cælum post mortem relata. Eius nominis altera, ex Asteria Latonæ sorore, & Perseo Titane nata: cui Iupiter elementa subiecit, & cælo, Ereboq; potentem fecit, vt canit Maro. Iam illud Virgilij. *Ter centum tonat ore deos*, sic nos interpretamur, vt dicat, Hecaten à saga ter inuocatam: quam per centum deos obscurè quidem, verùm peritissime designauit, ad amplissimam deæ potestatem, & nominis rationem simul alludens. Id ab ἑκατὸν trahitur, quod est apud Græcos centum. Ternarius porrò numerus in huiusmodi sacris adhibebatur ex ritu, vt è poetis variis colligitur, & Porphyrius philosophus in responsis abundè disserit. Nec obest, quod à poeta statim subiicitur, *Tergeminamq; Hecaten, tria virginis ora Dianæ.* Nam sui moris est, quod etiam Macrobius obseruauit, in quibus non conuenit inter doctos, vtramque sententiam complecti. Quò fit, vt sibi plerumque non constet, vt Seruius, & alij post eum Grammatici notauerunt. Notat diuersas in Hecate opiniones, & eam quã superius attulimus, & eorum, qui cũ Iunone coniungunt: vt sit eadem Iuno, Diana, & Proserpina: ex quibus Hecate, vt est apud Lucianum, commune nomen efficiatur. Idcirco ne alterutrum poeta damnaret, vtrumque dixit. Hęc Parrhasius, quæ tuo, lector, iudicio subiecta volumus.

Colum. 1209. A. versu 10. Turneb. lib. 26. cap. 5.) Adiunge. Arnobius. cur quotidie gemmulas, & pubescentes herbas adurit, atque interficit nocentissimũ frigus?

Colum. 1210. B. adde ad vers. 6. Est alioqui etiam Pythagoræ symbolum, *Nudis pedibus sacrificato, adorato.* Prius monet, habendam rationem mediocritatis fortunarum in sacrificio: alterum, in re diuina oportere animum esse solutum, ac liberum, nullisque affectionum otiosarum, aut malarum vinculis irretitũ. Giselin. epit. adag. parte 2.

Colum. 1211. C. EN QVID AGAM? RVRSVSNE) Succedant statim hęc. Huiusmodi oratio concisa, & frequenti interrogatione interrupta, & dubitationis plena, magnam animi perturbationem, & summam consilij inopiam declarat, & ad mouendam misericordiam multum valet.

Colum. 1212. C. post versum 4. adde hos.

Paruamne Iolcon, Thessala an tempe petam?
Quascunq; aperui tibi vias, clausi mihi.
Quo me remittis?

Quod autẽ sequitur, Ennius, *Quo nunc me vertam*, &c. vsq; ad, Donat. in illud, dele totum.

Colum. 1213. A. versu 2. frustra cogitationem) Adde. Tale genus orationis affingit etiam Catullus Ariadnæ desertæ à Baccho.

Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idæosne petam montes? at gurgite lato
Discernens, patriam truculentum diuidit æquor.
An patris auxilium sperem? quémne ipsa reliqui,
Respersum iuuenem fraterna cæde secuta?
Coniugis an fido consoler memor amore?
Quine fugit, lentos incuruans gurgite remos?

Eiusdem generis illa conquestio Atrei apud Attium.

Egóne Argiuûm imperium attingam, aut Pelopis
Digner domo? quò me ostendam, quod templum adeam?)
Quo more funesto colloquar?

Nec solùm poetæ, sed oratores etiam tali forma orationis vsi sunt. Sic enim Gracchus oratione quadam: Quò me miser deferam? in Capitoliúmne? at fratris sanguine redundat. An domum? matrémne vt miseram lamentantemque videam, & abiectam? Hoscé locos pæne omnes notauit ad illum Ennij, quem supra constituimus, eius Fragmentorum explicator perquam eruditus, deque studiis nostris tam bene meritus, vt pauci alij in simili curriculo, Hieron. Columna.

Colum. 1216. B. post versum 3. inijce. SI TE HIS ATTIG. TERR. AVRORA MOR.) Ennianum istuc magna maiestate extulit, *Si te secundo lumine hic offendero, Moriere.* Euripid. εἰ σ᾽ ἡ ᾽πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ.

Colum. 1217. A. pone hæc initio paginæ. SVBITIS EXTERRITVS VMBRIS) propter repentinum Mercurij discessum. Vnde colligitur locum præsentia numinis luce, & splendore completum fuisse, quod diuinitatis præcipuum est signum. Nascimb.

Colum. 1218. versu 6. vt nos fecimus) Adde. Quidam monent, esse enallagen gradus, positiui pro superlatiuo, quasi dictum sit, sequimur te sanctissime deorũ quisquis es.

Colum. 1220. A. versu 11. auream poetæ) Adnecte. Ennij versiculus ex 6. Annal. superstes, *Vt primùm tenebris abiectis inalbabat dies.*

Ibid. D. post 9. AIVNT) A clarissimis Grammaticis annotatũ est, apud Latinos auctores plerunq; in re falsa,

falsa, & non credenda verbum *aiunt* vsurpari. Donat. in Eunuch. Terentij. Semper, ait, dicimus, inquit, cum vel inuisa nobis, & audientibus, vel vana narramus alicuius. Idem in Hecyram. Bene, *ait*, quasi vanum. Sic enim dicimus, aio, ait, de rebus nugatoriis. Ibid. *Quid morbi est? P. Febris. S. Quotidiana? P. Ita aiunt.* Vbi idem Donat. Bene aliis adscripsit, si falsum sit, vt ipsis mendacium adscribatur, & religiosè mendacium ad rumorem transtulit. In And. *Hodie vxorem ducis? P. Aiunt.* vbi Donat. aiunt, de ea re dicimus, quam volumus esse falsam: subiungit hunc Maronis locum. Giselin. epit. adag. parte 2.

Colum. 1221. C. Magistro fuit) Adde. Virgilius tamen eorum opinionem tetigit, qui solem igneæ naturæ censuerunt. Quod & Euripid. videtur voluisse Phœnissis. Ἥλιε θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα. Idem Phaetonte. Θερμὴ δ' ἄνακτος φλὸξ ὑπερτελοῦσα γῆς.

Colum. 1223. C. ante CHARA MIHI NVTRIX, pone hanc Symbolam. NVTRICEM AFFATA SICHÆI) cum nutrix sit altera mater, & infantem multa cum cura, & molestia educet, meritò nutrices semper in honore fuerunt apud antiquos. Hinc dilexit suam Caietam Æneas, secumque duxit in Italium. vide principium lib. 7. Nominatur & Pyrgo *tot Priami natorum regia nutrix* lib. 5.

Colum. 1234. A. post versum 8. subiice. ATROS SICCABAT VESTE CRVORES) lib. 10. *Tiberini ad fluminis vndas Vulnera siccabat lymphis, corpusq; lauabat.* Verùm hic siccare veste cruorem, est illum in vestem recipere, vt eum vestis bibat, & absorbeat. Monet autem Seruius, dixisse per licentiam numero plurium *cruores.* Nec enim secundum artem aut sanguines, aut cruores dici.

Colum. 1238. B. Post versum 5. subde. Ouid. 11. Metamorph. *in ventos anima exhalata recessit.* Perinde est, ac si dixisset poeta, recessit in auras, in aërem: etenim pro aëre dixerunt ventum, vt Epicharmus illo carmine, quo deos nominat quatuor elementa, & solem, ac stellas.

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει
Πῦρ, ἄνεμον, γῆν, ὕδωρ, ἥλιον, ἀστέρας.

Ennius Annal. 3.

Sic densis aquila pennis obnixa volabat,
Vento, quem perhibent Graium genus aëra lingua.

Secutus videtur Hippocratis opinionem, qui ait lib. περὶ φυσῶν. ἄνεμος γάρ ἐστιν ἠέρος ῥεῦμα καὶ χεῦμα. Plutarchus libello de Homero, ὁ δ' ἄνεμος ἐστιν ἀὴρ ῥέων. Lucret. lib. 16. *Ventus enim fit, vbi est agitando percitus aër.* Hieron. Colum.

AD QVINTVM ÆNEIDOS.

COlum 1248. C. Post versum 10. adde. SVPERAT QVONIAM FORT. SEQVAMVR.) Ad horum, quæq; mox sequuntur verborum sententiam refero elegantissimam similitudinem M. Tullii epist. 9. lib. 1. Nunquam enim præstantibus in repub. gubernanda viris laudata est in vna sententia perpetua permansio: sed vt in nauigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere nequeas: cum verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem cœperis, potius quam, eo commutato, quò velis, tandem peruenire: sic cum omnibus nobis in administranda rep. propositum esse debeat id, quod à me sæpissime dictum est, cum dignitate otium, non idem semper dicere, sed idē semper spectare debemus.

Colum 1264. D. post versum 12. adde hæc. Flexio ad metam à Tzetze, & Callisthene καμπτὸ, & καμπτεῖα, à Chrysostomo κάμπτος, à Pacuuio καμπτὴρ dicitur, à Cicerone flexus. Ars autem omnis, & industria aurigæ in eo fuit, vt turò, scienter, prompte, sinisteriore gyro metam circumageret: in quo periculum fuit, ne vel allisæ ad metam rotæ effringerentur, si propius in sinistrā flecteret: vel ne dexterior longius à meta ad podium recederet: quod vtrumque peccatum notat in aurigis Sidonius in Narbone.

Hic compendia flexuosa metæ
Vnus dum premit incitatus arto,
Elisas simul impete quadrigas,
Iuncto non valuit plicare gyro:
Quem tu, quod sine lege præterires,
Transisti remanens, ab arte restans.

Id est, cum ille inhibere cursum quadrigarum non posset, longius abductus est, & sine lege præteriit metas: tu artis scientia mancus, ac resistens, metam circuisti. Deinde subiicit alterius peccatum alterum.

Alter dum popularitate gaudet,
Dexter sub cuneis nimis cucurrit.

Hanc flexionis peritiam attigit Virgil. Cæsar Bulengerus de Circo Rom. & lud. Circens. cap. 29.

Colum. 1266. A. post lin. 2. adde. ADDVCTIS SPVM. FRETA.V. LACERT.) Operosum conatum, laboremque impigrè remigantiū subiicit oculis. Sic Ennius Annal. 7. *Per liquidum mare eunt sudantes, atque sedentes.* Et iterum. *Poste recumbite, vestraq; pectora pellite tonsis.* Et, *Ponè petunt, exin referunt ad pectora tonsas.* Hæc etiam faciunt ad illum versum è lib. 3. Æneid. *Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.*

Colum. 1268. A. post lin. 12. adiunge. RVVNTQVE EFFVSI CARCERE CVRRVS) Carcer, siue carceres locus, vnde signo dato incipiebat cursus. Græcis dicitur ἄφεσις, ὕσπληγξ, γράμμη, βαλβίς. Terminum verò, & finem quò dirigitur cursus, metam latinè dicimus, græcè τέλος, τέρμα, βατῆρα. Carceres autem in circo, vt refert Liuius, lib. 8. L. Papirio Crasso iterum, & L. Plautio Venno Coss. primùm statuti sunt. Nec reprehendi potest iure Virgilius, quod contra superstitiosam Grammaticorum diligentiam *carcer.* pro repagulis numero singulari dixerit, cum exemplum Ennij secutus sit, qui in 1. Annal.

Expectant, veluti Consul cum mittere signum
Vult, omnes auidi spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis ex faucibu' currus.

In quem locū de carceribus ista Hieronymus Columna, cuius explicationes in Enniana Fragmenta iure optimo eruditis perplacent.

Colum. 1271. C. Hectori similes) Subiunge. TROIÆ QVOS SORTE SVPREMA DEL. COMITES) Initio lib. 2. Aeneid. vocauit supremum laborem Troiæ, quam hic supremam eiusdem sortem. Sententia est, quos in vltimo illo patriæ casu mihi socios asciui ex fortibus fortissimos. Est ergo laus duplex. Vna ex eo, quod strenuè pugnarint cadente Troia: altera, ex eo, quod à viro forti præ alijs asciti sunt comites, ac socij.

Colum. 1273. B. post versum 3. subiunge. ATTVLIT IPSE VIRIS OPTAT. CASVS HONOREM) Versus memoriæ mandandus. Et verè Martial. *O quantum est subitis casibus ingenium.* Casus ad honorem profuit Euryalo in cursura, de qua infrà. Nisi enim lapsus fuisset Nilus, non esset ille factus primus, qui erat tertius.

Colum. 1274. C. post lin. 2. intexe. SIC ILLAM. F. IMPETVS IPSA VOL.) Ennius Annal. 14. *Labitur vncta carina,*

vina, volat super impetus vndas. Furius Antias. *Sicut fulica leuis volitat super æquora classis.*

Colum. 1275. A. post versum 8. adde. TVM VERO INGEMIN. CLAMOR) Spectatores acclamabant, hortabanturque Mnestheum ad capiendum, quod iam cepisse videbatur. Magnum addit animum huiusmodi in certaminibus spectatorum fauor: cuius indicium læta acclamatio. Exponit mox, quo pacto se vtraque pars certantium habuerit.

Colum. 1279. B. post vers. 13. ponantur hæc. De sinuosis, & flexuosis vestibus, Tertullian. scriptor rigidissimus, vt oratione, sic item sententiis, lib. de Pallio. Prorsus si quis Mæandrico flexu delicatam vestem humi protrahat, audiat ponè se, quod & Comicus, *Qualem demens iste chlamydem disperdit?* Significat vestem in modum Mæandri fluminis habentem flexiones, & B sinus: & Mæander cum vocibus flexus, flexio solet tanquam cum synonymo iungi. Cic. in Pison. Quos tu Mæandros, quæ diuerticula, flexionesq;. Prudentius.

Qui mille per mæandros,
Fraudesq; flexuosas.

Deniq; mæandrum genus picturæ apud Festum, dictũ à similitudine flexus amnis huius. Ioan. Mercerius in li. Tertull. supra dictum.

Colum. 1284. C. lin. 9. *Rhodigin lib. 9. cap. 11*) Adde. *Pueros adhuc sub vbere, siue lactantes, antiqui dixerunt suncto verbo sububeres, vt Græci ὑπομαζίους. Qui tam essent à mamma remoti, inuberes, & exuberes, Græci ἀπογαλακτίους.*

Colum. 1286. C. versu 3. adiice. Propter affinitatem adde. Æneid. 9. *multum in medio sine nomine plebe.* C Ouid. 2. Metamorph. *Nomina, longa mora est, media de plebe virorum Dicere.*

Colum. 1296. D. aërem verberans) Subtexe. QVÆ FINIS STANDI) Voci huic *finis*, Lucretius frequenter dedit genus muliebre. Lib. 1. *nam si certam finem esse viderent Ærumnarum homines.* Ibidem. *Deniq; si nullam finem natura parasset.* Locos alios prætermitto. Assume huc etiam, quæ super illis, *Hæc finis Priami fatorum*, &, *quem das finem, rex magne, laborum*, à Gellio disputãtur lib. 13. cap. 19. Videtur & Liuius lib. 22. euphoniam secutus, cum ita scripsit, quænam futura finis tantis cladibus foret.

Ibid. post lin. 12. adde. CVNCTI SIMVL ORE FREMEB. DARDANIDÆ) Eadem verba sunt 1. Æneid. vbi Ilioneus ad Didonem perorauit. Nihil porro volunt aliud quam, Troianos petitionem Daretis vt iustam, & honestam quodam murmure approbauisse.

Colum. 1300. D. versu 3. *Apparent homini*) Adde. Ad quæ verba sic Hieron. Columna. Ἀκεφάλαιον hypermetri, quo de industria vsus est, vt vel numero lacertorum magnitudinem, athleticumque corporis habitum referret. Vnde Maro non modò eodem numero, sed iisdem etiam Ennianis verbis proceram Entelli staturam descripsit. Lege, quæ ibidem per digressionem, de humanorum ossium, corporumque vastitate sequuntur.

Colum. 1302. C. post lin. 12. adde. DVRO CREPITANT SVB VVLN. MALÆ) Homer. Iliad. ψ. δεινὸς δὲ χρόμαδος γενύων γένετ', ἔῤῥεε δ' ἱδρώς. & paulò post, κάδ δὲ πεσόντα παρήϊον.

Colum. 1303. C. post versum 7. adde. ET VIM SVSCITAT IRA, TVM PVD.) Tria Entellum confirmarunt, & ad pugnam acriorem reddiderunt: ira, pudor, virtutis pristinæ memoria. Horum singula per se sufficiebant ad animum incendendum: quantum igitur cõiuncta profecerunt?

Colum. 1310. B. post lin. 8. adde. CLAMORE SECVNDO) quod Ennius dixit 7. Annal. *Populi rumore secundo*: quod oratores dicerent, faustis omnium acclamationibus.

Colum. 1327. B. post versum 3, insere.

Rursus.

Sed quasi naufragiis magnis, multisq; coortis,
Disiectare solet magnum mare transtra, guberna.

Colum. 1329. A. post versum 9. adiunge. IAM TEMPVS AGI RES) De occasione loquitur, quam isto senario Menander multarum rerum esse caussam testatur. Πολλῶν ὁ καιρὸς γίγνεται μεγάλων. A Marone mutuatus est Statius, *tempus agit rem.* Et Claudianus, *Rem peragit tempus.* Ennius etiam occasionem commendat Annal. 5. *Occasu' tunat res.* Vsurparunt autem veteres occasus, pro occasio. Hieron. Columna.

Colum. 1340. A. versu 8. Vide Scholia Mureti) Adiunge hoc. Accipe & ista ex Turnebi lib. 24. cap. 27. Nocturnum videor legisse noctis deum esse, vt apud Plaut. Amphit. *Credo Nocturnum obdormiuisse ebrium.* Est & Nocturnus, vt mihi videtur, Vesper, qui noctem ducit, Luciferoque opponitur: appellatusque est à Catullo Noctifer, quod noctẽ afferat, hoc versu, *Iam dudum Oetæos ostendit Noctifer ignes.* Papin. 6. Thebaid.

Roscida iam nouies cælo dimiserat astra
Lucifer, & totidem luna præuenerat ignes
Mutato Nocturnus equo.

Ecce hic apertè Papinius Lucifero Nocturnum, id est, Noctiferum opponit, cui & equos tribuit, vt & nocti alij poetæ: cuius currum stellarum choro sequente comitari fingunt: sed & stellas esse noctis parentis suæ comites, & sectatrices. Tibull. *Ludite iam nox iungit equos*, &c. * *Immo verò Turnebe, neutiquam Lucifero Nocturnũ opponit Papinius: sed eundem esse Luciferum, & Hesperum significat. Hoc nos admonet, quod ait*, mutato equo: *qui enim mane cãdido, sine dubio Vesper, & sub noctem atro vehitur.*

Nocti bigas attribuit etiam Ennius Andromeda. *Quæ caua cæli signitenentibus conficis bigis.* Eum secutus est sine dubio Virgilius. Claud. de Raptu similiter. *Sparso nox humida somno Languida cæruleis innexerat otia bigis.* Tibull. quadrigas lib. 3. eleg. 4. *Iam nox ætherium nigris emensa quadrigis Mundum.* Communior est opinio, quadrigas dari soli, bigas Lunæ, albo & ni- D gro equo iunctas, siue quod nocte & die luceat: siue quod hyeme, & æstate splendidior sit, quam autumno, & vere. Equus autẽ & Lucifero affingitur, vt vidimus apud Papinium. Et Ouid. 15. Metamorph.

——— cumq; albo Lucifer exit
Clarus equo, rursusq; alius, cum præuia lucis
Tradendum Phœbo Pallantias inficit orbem.

Idem 3. Trist. eleg. 5.

Hos vtinam nitidi solis prænuntius ortus
Afferat admisso Lucifer albus equo.

Claud. 2. de raptu.

Dum meus humectat flauentes Lucifer agros,
Rorantı prouectus equo.

E Alij Lunæ currum tauris vehi asseuerant, vnde ταυροπόλον dictam ferunt. Aliqui voluerunt à mulis trahi, quod mulus non ἰδιογόνου generis, sed κοινογόνου sit, & Luna non proprio, sed emendicato luceat lumine. Hieron. Columna in Ennij Andromedam.

Colum. 1342. B. post vers. 3. FARRE PIO) Tibull. eleg. 4. lib. 3. *Farre pio placant, & saliente sale.* Horat. Ode 23. lib. 3.

Mollibit auersos penates
Farre pio, & saliente mica.

Colum. 1344. B. versu 8. semper ad cædem) Insere. Addamus his dictum Xerxis, ad rem propositam per-

percommodum. Cum à trecentis illis Lacedæmoniis apud Thermopylas cladem accepisset maximam eius exercitus, qui tamen quingenta millia conficiebat, hoc se deceptum dixit, quod multos quidem haberet homines, milites perpaucos. Intelligebat & ipse, præstare longè, exercitatos, & animosos, quã multos ducere.

Colum. 1345. C. post versum 11. insere. PLACIDI STRAVERVNT ÆQVORA VENTI) Eclog. 9. *Et nunc omne tibi stratum silet aequor.* Æneid. 5. *Sternitur aequor aquis.*

Colum. 1347. C. post versum 3. adde. TALESQ. EFF. PECTORE QVESTVS) Ennius, Annal. 6. *Effudit voces proprio cum pectore sancto.* Catul. de nupt. *Clarisonas imo fudisse e pectore voces.* Albinouanus. *Obstructo B talis effudit pectore voces.*

Colum. 1348. A. post lin. 8. CERTATIM SOCII FERIVNT MARE) Versus ipsa numerorum celeritate cursus nautici celeritatem imitans.

Ibid. B. post lin. 2. QVAM NEC LONGA DIES MITIGAT) Longa dies, est longum, ac diuturnum tempus. Virgil. lib. 6. *Donec longa dies perfecto temporis orbe Concretam exemit labem.* Ouid. Metamorph. 14. *Tempus erit cum de tanto me corpore paruum Longa dies faciet.* Tibul. eleg. 4. lib. 1.

Longa dies homini docuit parere leones:
Longa dies molli saxa peredit aqua.

Vide scripta ad illum versum lib. 11. *Multa dies, variusq; labor mutabilis aui Rettulit in melius.*

Colum. 1351. B. ante illa, IVNGIT EQVOS, &c. collocentur ista. DEÆ PERMVLSIT PECTORA DICTIS) Æneid. 1. *Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.* suprà, hoc eodem libro, *fessumq; Daretu Eripuit, mulcens dictis.*

Colum. 1352. A. post versum 13. adde. PELLE TIMORES) Lib. 1. *mæstumq; timorem Mittite.* Ibid. *Parce metu Cytherea.* VNVS ERIT TANTVM) De Palinuro dictum.

Colum. 1353. B. post versum 4. inserendum ab initio. In versum Catulli à me prolatum profert hæc de pede nauali Achilles Statius. Cic. 3. de Orat. Nam si res suum proprium nomen, & vocabulum non habet, vt pes in naui. Plin. lib. 2. Iisdem autem ventis in D contrarium nauigatur prolatis pedibus, vt noctu plerunque vela concurrant. Seneca, Medea. *Nunc prolato pede transuersos captare Notos.* Pes est rudens, siue funis, quo velum trahitur, ac tenetur, quasi pes, & radix veli.

Colum. 1354. C. post versum 3. adde. Ad hunc locum de mutabilitate, & inconstantia maris, perquam idonea censeo verba Tertulliani ex lib. de Pallio. Sic & mari fides infamis, dum & flabris æque mutantibus de tranquillo profum, de flustris temperatum, & extemplò de decumanis inquietum fit. *Profum* legit Ioan. Mercerius, qui commentarium fecit in eum librum, ex manuscriptis: est autem *profum* procellosum, in- E quit. Nam si legas probum, quæ est ista mutatio maris, vt ex tranquillo fiat probum? Etiam mendum fuit in verbo *inquietat*, pro quo legit, *inquietum*. Mare igitur affirmat Tertullianus ex tranquillo procellosum: leuioribus fluctibus (hi enim sunt flustra) temperatum: grauioribus, qui sunt decumani, inquietum, ac planè turbidum effici. Flustra, ait Festus, cum in mari fluctus non mouentur, subaudi, vasti, ingentes.

Colum. 1356. C. post versum 4. adiunge. *Sirenas præternauigare*, prouerbiali tropo dicitur, qui philosophiæ præceptis communitus, voluptatum illecebras despuit, aut quomodocunq; vitiorum occasionem de- A clinat. Plato in Phædro, ἐὰν δ' ἡμᾶς, &c. Sin videant nos sermones conferentes, & illecebris immobiles præternauigare ipsos, tanquam Sirenas quaspiam. Lege reliqua apud Iunium, Cent. 9. num. 38.

Ibid. C. post lin. 9. adde. O NIMIVM CÆLO, ET PEL. CONFISE SER.) Concludit ab exclamatione per auersionem, idque ex affectu: ignarus, quo casu ille gubernaculo excussus fuerit: verisimilem tamen de caussa interitus coniecturam sumit ab officio. Montfort.

NVDVS IN IGNOT. IACEB. VREN.) insepultus, mortuus: vt, *Et freta destituent nudos in littore pisces.* *Ignota*, peregrina, non antè visa: Nam in 6. dicturus est, *Paulatim adnabam terræ, atq; arua tenebam.* Propert. lib. 3. *Aut humet ignota cumulos vallatus arena.* Seruius.

AD SEXTVM ÆNEIDOS.

Colum 1362. B. versu 12. *fugientis prendimus oras)* Adde. Sic lib. 3. *Et tandem antiquis Curetum allabimur oris*, cum dixisset Anchises suprà, Cretam non longo cursu distare, foreque vt tertia luce eò peruenirent.

Colum. 1363. C. versu 10. stant littore puppes) Adiunge. Cum autem littora sæpius vocentur curua, etiam à Virgilio, puppes nunquam, nisi hic, arbitror esse hypallagen in istis verbis, pro, puppes prætexunt C curua littora.

Colum. 1364. A. lin. 7. corpore exilire) Adde. lib. 5. *longeq; ante omnia corpora Nisus Emicat.* Lib. 12. *saltuq; superbus Emicat in currum.*

Colum. 1368. C. post vers. 9. adde. Loquendi genus, templa ponere, est etiam lib. 4. Æneid. de Iarba. *Templa Ioui centum latis immania regnis, Centum aras posuit.* Infra dixit, *solido de marmore templa Instituam.* Verbum autem *immane*, cum sæpe eam vim habeat, quam habent dirum, atrox, ferum, importunum, est tamen cum etiam in, in eo, quo ingens, & magnum ponitur. Sic Cic. est immanis pecunia, immanis præda, immania pocula.

Colum. 1370. E. versu 6. apud Festum desiderantur) Adde. Cicero in Tusculanis dixit, Ioui pœnas expendere. CECROPIDÆ IVSSI) à Cecrope rege quodam suo dicti poetis Athenienses Cecropidæ, vrbs Cecropia, fines Cecropij. Catul de nupt. *quam talia Cretam Funera Cecropia nec funera portarentur.* Propert. lib. 2. eleg. 20.

Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropijs obstrepit in folijs.

Lucret. lib. 6.

Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æstus
Finibu' Cecropiis funestos reddidit agros.

Horat. Ode 12. lib. 4. *Infelix auis, & domus Æternum opprobrium Cecropiæ.*

Colum. 1371. B. post vers. 9. adde. CÆCA VESTIGIA) cæcos gressus, qui quò tenderentur, non videbatur, propter flexus, & ambages tam multiplices. REGENS FILO VESTIGIA) Ariadne hoc eum artificium docuit, vt dictum est, & hac eum ratione periculo eripuit, id quod ei in epistola apud Ouid. exprobrat.

Cum tibi, ne victor tecto morerere recuruo,
Quæ regerent passus, pro duce fila dedi.

Iterum infrà.

Nec tibi, quæ reditus monstrarent, fila dedissem:
Fila per adductas sæpe recepta manus.

Propert. lib. 2. eleg. 14.

Non

Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
Dædaleum lino cum duce rexit iter.

Colum. 1377. D. post vers. 5. adde) QVIBVS OBSTITIT IL. ET ING. GLORIA DARDANIÆ) Non sine aliquo felle dictum est hoc in deos: qui felicitatem, opulentiam, gloriam illius vrbis iniquo animo passi sint, & tandem amplius præ maleuolentia, & inuidia pati non potuerint: non quidem omnes, sed quibus obstitit Ilium, & ingens gloria Troiæ: nempe Neptunus, Iuno, Pallas: qui etiam 2. Æneid. Græcos in vastanda vrbe adiuuant. Quas autem odiorum, & inuidiæ suæ caussas illi dii habuerint, & suprà, & aliàs alibi dictum est.

Colum. 1379. A. post versum 12. interijce hæc. Apud Catull. in Galliambo, *rabidi furor animi*, &, *Rabie fera carens dum breue tempus animus est*, & post, *rapida sine rabie*.

Colum. 1380. B. post vers. 2. adijce. TIB. MVLTO SPVM. SANG. CERNO) Catull. de nupt. *Cum Phrygij Teucro manabunt sanguine riui.*

Ibid. C. post lin. 8. adde. CAVSSA MALI TANTI CON. IT. HOSPITA) Propter coniugia cum fœminis, & omnino propter amores fœminarum, atrocissima bella esse gesta, & grauissima accepta detrimenta, monuimus alto loco, & nemo paulum litteratus est, qui non aliquod exemplum ex historia meminerit. Quid autem sit coniux hospita, explanatur verbis sequentibus, *Externiq; iterum thalami.* Semel fuerunt externi thalami, cum Paris Phryx, & Troianus rapuit Helenam Spartanam, & Europæam fœminam: nunc Æneas Asiaticus, & Phryx, etiam ducet Lauiniam Europæam, Italam.

Colum. 1385. C. post vers. 15. sequantur hæc. SATE SANG. DIVVM TROS ANCHISIADE) Ipse de se 1. Æneid. *Et mi genus ab Ioue summo.* Dido lib. 4. *Credo equidem (nec vana fides) genus esse deorum.* Et quoties illud legimus, *Nate dea?* Venus de se, & Ænea filio, *Nos tua progenies, cæli quibus annuis arcem*, &c. ad Iouem 1. Æne. Infra rursum Sibylla Æneæ, *Anchisa generate, deûm certissima proles.*

Colum. 1386. ibid. post vers. 7. adde. PATET ATRI IANVA DITIS) suprà, *Vnum oro, quando hic inferni ianua regis.* Georg. 4. *alta ostia Ditis.* Euripidi σκότου πύλας. Ennius Hecuba, *aperto ostio alti Acherontis.*

Colum. 1389. B. adde.* *Propter poma illa aurea in hortis Hesperidum, vocat eosdem hortos auricomos Maximianus, quem falsò Cornel. Gallum nominant.*

Sicut in auricomis pendentia plurimus hortis
Peruigil obseruat non sua poma draco.

Colum 1390. C. versu 9. quos supra recensuit) Adde. Charon infrà.

Vmbrarum hic locus est, somni, noctisq; soporæ.
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.

Colum. 1391. A. post vers. 3. adde. VOLVTAT ANIMO SECVM) 1. Æneid. *Talia flammato secum dea corde volutans.* Vide ibi.

Colum. 1392. C. post vers. 5. subijce. DEMENS, ET CANTV VOCAT IN CERT. DIVOS) Vere demens. Prouerbium est, *cum diis non pugnandum.* Pindar. Pythiis Ode 2. χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν. Homerus Iliad. φ. θεοὶ δέ τε φέρτεροι ἀνδρῶν. Neque solum diui, sed etiam homines potentes, opulenti, auctoritate principes in certamina vocandi non sunt, qui leges quoque ipsas tanquam aranearum telas, in quibus muscæ, & culices hærent, ipsi tanquam vespæ & crabrones perrumpunt.

Colum. 1406. C. post vers. 9. adde. ÆTERNVMQ. TEN. PER SÆCVLA NOM.) Principiò septimi.

Tu quoq; litteribus nostris Æneia nutrix
Æternam moriens famam Caieta dedisti.

Ibid. D. descensus ad inferos) subijce. SPELVNCA ALTA FVIT VASTOQVE IMMAN.) Cum hac descriptione specus inferi affinitatem habent Enniani versus, vbi se anima Polydori ab inferis venire dicit.

Adsum, atq; aduenio vix via alta, atq; ardua,
Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
Maximis, vbi rigida constat, crassa caligo inferûm.

Vt speluncæ obscuritatem denotaret Virgilius, tres dictiones, vnamquamque, u, habentem elegit, *scrupea, tuta, lacu.* Ex quarum collatione discerni potest, quàm exilia, & ieiuna sint illa Thyestæ apud Senecam,

Opaca linquens Ditis inferni loca
Adsum, profundo tartari emissus specu.

B Hieron. Columna in Hecubam Ennij.

Colum. 1407. C. post vers. 3. adde. *Ille volantes.* Aues sic vocat etiam infra hoc eodem libro, *vitaq; volantûm.* Sic Lucret. lib. 2. *Et corpora cuncta volantûm.* Participium est loco nominis, vt contrà, nomen loco participij lib. 1. Æneid. *Hinc populum latè regem*, pro latè regnantem. Obseruatum ab Erythræo.

Colum. 1409. C. post lin. 12. adde. Primus sol, seu primi solis lumina pro prima parte, seu initio diei, loquendi ratio haud inelegans. Sicut illa sunt, primis labris, primo digito, prima platea, &c. Iam & occasum solis, seu finem diei fas erit sic exprimere, vltimi solis lumina, id est, lux solis iam occidentis. Nam vt primus

C est, cum ortum profert: sic vltimus seu extremus, cum sub terras se abscondere incipit.

Colum. 1411. D. DII QVIBVS IMP. EST ANIMAR.) Adde statim. lib. 5. Dij quibus imperium pelagi. *Ennius Cresphonte.* Dij quibus est potestas motus superûm, atq; inferûm.]

Colum. 1414. A. post vers. 7. subiunge. VBI CÆLVM CON. VMBRA) 2. Æneid. *ruit Oceano nox Inuoluens vmbra magna terramq; polumq;.*

Colum. 1423. C. post vers. 5. pone hæc. VADA LIVIDA VERRVNT) *pallida Ditis aqua* Tibullo li. 3. eleg. Eandem vocat ignauam ibidem. *Ditis in ignaua luridus Orcus aqua.*

Colum. 1425. A. vers. 2. adde. *A quodam veteri poeta trium mulierum senectus memoratur, Hecuba videlicet, Sibyllæ Cumææ, & Æthra matris Thesei, his versibus.*

D

Quædam haud iunior Hectoris parente,
Cumææ soror (vt puto) Sibyllæ,
Æqualis tibi, quam domum reuertens
Theseus repperit in rogo iacentem.

Colum. 1429. A. vers. 7. adde. MARIA ASPERA IVRO, NON VLLVM) Beneuolentiam colligit ex officio suæ erga Æneam pietatis: nam de illius magis, quam de suo periculo se fuisse sollicitum significat. Sic & Cicero facit in Miloniana. Cum T. inquit, Annius ipse magis de reipub. salute, quam de sua perturbetur. Idque Palinurus obtestatione confirmat, quæ τὸ πρέπον habet: nauta enim per maria iurat. Nascimb.

Ibid. C. *vita me redde priori*) Subiunge.* *Nihil esse*

E *dulcius huius lucis aspectu, nihil iucũdius hoc spiritu, quem de cælo trahimus, quis deorum negauerit? Cic. 1. Catilin. Potestne tibi huius vita hæc lux, Catilina, aut huius cæli spiritus esse iucundus?*

Colum. 1433. B. post vers. 8. adde. AMNEMQVE SEVERVM EVMENID) Cocytum putant accipiendum interpretes. Seuerus est hic tristis, & gemituum, ac luctuum plenus, vnde etiam nomen illi à κωκύω ploro, fleo, lamentor. Cicero ei fremitum tribuit Tuscul. 1. Dic quæso, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transuectio Acherontis.

Colum. 1434. B. post vers. 11. adde. ET STATVENT TVMVLVM, ET TVMVLO) Eclog. 5. *Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen.*

Colum

Colum. 1435. C. post 4. CORP. VIVA NEF. STYG. VECT. CARINA) Credebant veteres, ad infera loca neminem, nisi Charontis cymba transuectum peruenire. Inde pro morte, & sepulchro dictum *Charontis cymba*. Pro morte apud Aristoph. in Pluto vsurpatur Charon. ὁ δὲ χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσι, Charon symbolum dat, pro eo quod est, morieris. Inde & illud quod refert Suidas, ἀπὸ χάρωνος φωνῆς καὶ κηρύγματα, à Charonte cognoscés & præconia. Charontis item ianua de imminente capitis periculo, siue de re magnopere tristi. Nam ita vna ex carceris ianuis appellabatur, per quam damnati iudicum sententijs ad supplicium educebantur. Giselin. epit. adag. parte 2.

Colum. 1437. A. post 10. Augustæ cum passim dominæ vocarentur, corrumpendo nomini latino fuere. Græci δόμνας dixere, vt Oppian. κυνηγ. lib. 1. δόμνα Σεβήρου. Pariter Augusti δόμνοι. Vnde voces illæ Italicæ, & Hispanicæ Don, & Donna, quæ prius dignitatis fuerunt, deinde & sexus factæ sunt. Scipio Gentil. Parerg. ad Pand. lib. 2. cap. 22.

Ibid. C. post INGENS IANITOR, &c. adde mox. Suprà, tartareum custodem appellauit. Verè autem ingens, nam vt infrà audiemus, *totoq́ ingens extenditur antro*.

Colum. 1449. C. vers. 11. SECRETI CELANT CALLES) adde statim. Quid propriè sit celare (hic enim καταχρηστικῶς positum est) ostendit M. Tullius 3. de Off. Non est celare, inquit, quidquid reticeas: sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui caussa velis eos, quorum intersit id scire.

Ibid. D. vers. 6. Venus amorũ præses) Adde. Propterea de myrto amantes sibi plectere coronas solebant. Ouid 2. de arte, *Sertaq́ odoratæ myrtea ferte comæ.* Tibull. lib. 1. eleg. 3. de campis Elysijs.

Illic est cuicunq́ rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.

Colum. 1474. A. post vers. 12. adde ab initio. Alladium Albanorum regem, siue tyrannum potius, fuisse contemptorem deûm, tonitrua quoque, & fulmina Iouis imitatum, vt ciuibus terrore attonitis pro deo haberetur, scriptum reliquit lib. 1. Dionysius. Quam autem pœnam ob hoc scelus exceperit, ibidem lege. Similem insaniam insaniuerunt Clearchus Heracleæ tyrannus, quem gestasse fulmen, vnumque de filiis suis Tonitrum appellasse traditum est. Clitus, qui regni parte non adeo magna ab Alexandro accepta, Iouem nominari se passus est, & responsa sua pro oraculis haberi voluit. Demetrius, qui quatuor demersis nauibus, & tridentem gestauit, & se Neptunum dici iussit. Menecrates item medicus semet Iouem appellabat: tantum sibi in arte sua posse videbatur. Proinde cum scripsisset, Menecrates Iupiter Philippo regi salutem, rescripsit illi: Philippus Rex Menecrati ὑγιαίνειν: quod ambiguum est ad sanitatem mentis, & corporis. precatus est illi bonam mentem. De Alexandro proditum literis à Q. Curtio lib. 4. Iouis filium se non solum appellari passus est, sed etiam iussit: rerumque gestarum famam dum augere vult, tali appellatione corrupit. Imitatus est & Claudius Pulcher tonantem Iouem, vnde Claudiana tonitrua, quæ auctore Festo sic appellabantur, ab auctore, nempe vt ludis post scenam coniectus lapidum ita fieret, vt veri tonitrus similitudinem imitaretur. Nam antea leuis admodum, & parui sonitus fuerant, cum claui, & lapides in labrum æneum cõijcerentur. Vide adagium, *Claudiana tonitrua*. Perquã opportunè subit mentem locus Plutarchi, ex Commentario, In principe doctrinam requiri. Est autem sanè egregius, & illius scriptoris sapientia dignus. Offenditur enim deus ijs, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur: delectatur autem ijs, qui suam æmulantes virtutem, semet in honestate, & humanitate reddunt assimiles, atq; hos in maius prouehit, impertiens suam æquitatem, iustitiam, veritatem, ac mansuetudinem. Quibus rebus nihil est diuinius, neque ignis, neque lux, neque solis cursus, neque exortus, atque occasus astrorum, nec ipsa æternitas, ac immortalitas. Non enim fœlix est deus vitæ spatio, sed principatu virtutis: hic enim diuinus est.

Colum. 1499. C. post vers. 12. pone hæc. De imagine Anchisæ per quietẽ Æneæ apparente est, in quinto: item in quarto his verbis.

Me patris Anchisæ quoties humentibus vmbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis, & turbida terret imago.

Colum. 1501. B. *camposq́ natantes*) Adde. IN PRAT. VBI AP. ÆST. SERENA) 1. Æneid. eadem sententia scriptum est, *Qualis apes æstate noua per florea rura Exercet sub sole labor.* Sed ibi, quoniam multitudinem laborantium, & quidem operosè, ac sedulò laborantium per comparationem exprimebat, plus de apum industria, ac labore in melle conficiendo dixit: hic quia otiosa multitudo beatorum cum apum examine confertur, de earum opere, & φιλεργίᾳ tacetur. ✠

Colum. 1505. D. post illa verba, teste Prisciano li. 7. pone, quod est in altera Columna, littera E (omissis verbis, IGNEVS EST OLLIS, &c.) Terent. Adelph. & quæ sequuntur.

Colum. 1506. D. versu 8. de creatione hominis.) Subiunge. De coniunctione animæ, & corporis θεολογικῶς agit D. Nazianzenus, orat. περὶ φιλοπτωχίας, docens, quare animam tantæ dignitatis naturam tam vili materiæ deus copulauerit.

Colum. 1508. B. vers. 8. adijce. Sed & Pythagoras intellexit animum corpori tanquam carceri inclusum. Cum enim quendam in curanda cute plus æquo operari sensisset, hic, inquit, non desinit carcerem sibi molestiorem struere. Quò enim corpus habetur melius, eò peius est animo. ✠

Colum. 1512. C. post vers. 6. adde. NOSTRVMQVE IN NOMEN ITVRAS) Nomen, valet etiam familiam, gentem, populum. Liuius lib. 1. per se ipsum, nomen Ceninum impetum facit. Catul. Epithal *non decet Tam vetus sine liberis Nomen esse.*

Colum. 1515. B. post vers. 11. adde PARITER PIETA. VEL ARMIS EGREG.) Suprà de ipso Ænea Sibylla, *Troius Æneas pietate insignis, & armis.* Bene copulatur cum religione fortitudo bellica. Nam cum de cælo, & ab ipso numine expectetur victoria, deus non fauet impijs. Hinc piorum Ducum tam crebri de hostibus triumphi. ✠

Colum. 1517. C. post vers. 11. Sequantur hæc. EN HVIVS NATE AVSPICIIS) Quid sit ductu, & auspiciis alicuius rem quampiam gerere, disertissimè patefecit Lipsius Milit. Rom. lib. 2. dial. 12. Audi si placet. Ille est (Imperator) qui non ductum solùm, sed auspicia etiam habet. Distincta enim ista. Et Sueton. bene de Augusto cap. 21. Domuit autem partim ductu, partim auspicijs suis. Ductu, cum ipse interfuit: auspicijs, cum illo mandante alius, & fortunam, ac deos suos (loquamur cum priscis) commodante. Horatius pulchrè ad Augustum, de priuignis lib. 4. Ode 14. *Te copias, te consilium, & tuos Præbente diuos.* Significat ipsos duxisse, hunc direxisse, & iussisse. Item Ouid. clarè de Tiberio ad eundem lib. 4. Trist.

Per quem bella geris, cuius nunc corpore pugnas,
Auspicium cui das grande, deosq; tuos.

Sed & Curtius hoc loquendi genus ad res Græcanicas transtulit, & sic apud eum Alexand. lib. 6. Quorum alia ductu meo, alia imperio, auspicioque perdomui. Sumptum autem à more veteri, quo omnia gesta auspicatò, & præsertim in bellis, &c.

Colum. 1532. A. versu 9. adde. Horat. ad Pisones. *Pompilius sanguis carmen reprehendite.* Et infra libr. 7. Virgil. *tu sanguinis vltimus auctor.*

Colum. 1538 D. post vers. 9. adde. SVRGENTIA SIDERA DICENT) 2. Æneid. *Iamq; iugis summa surgebat Lucifer Ida* Lib. 5. *quoties astra ignea surgunt.* Contrarium, cadentia sidera, vt in 2. *suadentq; cadentia sidera somnos.* Lib. 8. *primusq; cadentibus astris.*

Colum. 1541. A. versu 7. Intra ciuitatem colitur) Adde. Gradiuus, & Quirinus apud Latinos duo præcipua Martis nomina fuerunt: hoc quidē, dū tranquillus, mitisq; esset: illud, dum in armis sæuus. Hinc etiam Romanos Martis duo præcipua templa habuisse legimus, alterum quidem, hoc est, Quirini, intra vrbem, ad trāquillitatem custodiendam, & vrbis custodiam: alterū verò in via Appia extra vrbem, prope portam, quasi bellatoris, id Gradiui, ad arcendos hostes. Quirinus autem Mars à Sabinis nuncupatus, à quiri hasta, qua hic deus vti existimabatur. Gyrald. Syntag. 10. in Marte.

Colum. 1543. A. versu 9. adiice. *Probus in Thrasybulo, nam parua munera, diutina: locupletia, non propria esse consueuerunt. Horat. Sat. 6. lib. 2* nihil amplius oro Maia nate, nisi vt propria hæc mihi munera faxis.

Colum. 1549. omitte totum, cum elegia Aurati: ad explendam enim chartæ vacuitatem adiectum est, & aptius ex tempore vix aliquid poterat assui.

AD SEPTIMVM ÆNEIDOS.

COlum. 1566. E. vt supra vidisti) Adde. Tibull. lib. 4. de Circes veneficiis. *apta vel herbis Aptaq; vel cantu veteres mutasse figuras.*

Colum. 1570. C. post vers. 10. adde. Præclara est elegia 10. lib. 2. apud Propert. qua se finem nequitiis amatoriis versu elegiaco scribendis facturum, & heroicis numeris res ab Augusto militiæ gestas cantaturum pollicetur. Et sane illius elegiæ periocha potest esse hęc, *Maius opus moueo.* Delector illis præcipuè.

Nunc volo subducto grauior procedere vultu,
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge anima ex humili iam carmine: sumite vires
Pierides: magni nunc erit artis opus.

Quid aliud, quæso, est *magni nunc erit artis opus*, quàm quod ait Maro? *Maius opus moueo?* ❧

Colum. 1576. A. post vers. 6. insere. ATQVE OMNEM ORNATVM) Muliebrem ornatum, & capitis quidem, hoc loco: aliàs nomine mundi, etiam sine adiuncto, omne illud continetur, quo se excolunt fœminæ. Liuius lib. 44. Non magistratus, nec sacerdotia, nec triumphi, nec insignia, nec dona, aut spolia bellica his (mulieribus) contingere possunt. Munditiæ, & ornatus, & cultus, hæc fœminarum insignia sunt: his gaudent, & gloriantur: hunc mundum muliebrem appellarunt maiores nostri. Artifices huic mundo parando necessarij, enumerantur in Aulularia, vbi Megadorus dotatarum vxorum mores depingit. ❧

Colum. 1579. B. post vers. 3. insere. CONNVBIIS NAT. SOCIALE LAT.) 1. Æneid. *Connubio iungam stabili.* Aliàs, thalamo sociare.

Colum. 1581. C. versu 11. adde. * *Quidam rusticanus Crassum consuluerat, & ab eo verum magis, quam ad suam rem accommodatum responsum abstulerat. Galba autem alludens variè, & copiosè, multas similitudines afferre, multaq; pro æquitate contra ius dicere, &c. habes locum Ciceronis à Turnebo insinuatum.*

Colum. 1594. A. versu 3. adiunge. Adde pro corollario Tibulli versus eleg. 1. lib. 1.

Te bellare decet terra, Messalla, mariq;,
Vt domus hostiles præferat exuuias.

Propert. eleg. 8. lib. 3.

Vt tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atq; onerare tuam fixa per arma domum.

Colum. 1601. B. versu 4. adde. Et videtur Ilioneus quodammodo illud Ciceronis dicere. orat. post reditum ad Quir. Quapropter memoriam vestri beneficij colam beneuolentia sempiterna. Non solum dum anima spirabo mea: sed etiam cum mortuo monumenta vestri in me beneficij permanebunt. Huic item quadrat, quod est oratione deinceps sequenti ad senatum. Quod enim tempus erit vnquam, quo vestrorū in nos beneficiorum memoria, ac fama moriatur?

Colum. 1608. D. versu 2. adde. Apuleius lib. 2. Milesiar. Tunc illa capite quassanti, abi inquit, fatue. Vbi vereor vt coniectura Lambini vera sit: coniectat autem legendum, capite casanti, id est, capite crebro cadenti, & nutanti.

Colum. 1611. D. post 6. Contraria illa vocum συζυγία, vel si mauis, ὀξυμωρία, miram habet auxesin, & emphasin turbulentissimam, meritoq; adagij locū occupabit, cum significabimus, nobis rem esse, vel fuisse, negotium, litem, bellum cum inuictis, immanibus, & importunis, nulla re, vel miseria fractis, aut frangendis, nullo discrimine fessis, aut fatigandis: vsque eo, vt ne victi quidem victoriam tradant: ne capti quidē capti se posse agnoscant: nihilo secius, ac rebus saluis, & integris fortem & intrepidum animum semper præstantes. Giselin. epit. adagior. parte 2.

Colum. 1613. A. post vers. 11. adiunge. HAC GEN. ATQVE SOCER COEANT. MERCEDE) Catull. *immo magno cum pretio, atq; malo*, More Græcorum. Cicero Crātoris sententiam 3. Tuscul. iterpretans. Ne ægrotus, inqt, sim: sed, si fuerim, sensus adsit, siue secetur quid, siue auellatur à corpore. Nam istuc, nihil dolere, nō sine magna mercede cōtingit imanitatis in animo, stuporis in corpore. Ouid. 10. Metam. eodē modo, quo Catullus, *Mors pretiū tardis.* Et post. *Indignāq; necem pretiū patiatur amoris.* Achilles Statius in locum Catulli.

Ibid. B. post vers. 1. adde. DOTABERE VIRGO) Lycurgus, qui Spartanis leges dedit, virgines sine dote nubere iussit, vt vxores eligerentur, nō pecuniæ, seueriusq; matrimonia sua viri coërcerēt, cū nullis dotis frænis tenerentur. Sic Iustinus lib. 3. Festiuè admodum Plautus noster, Aulularia.

Nam quæ indotata est, ea in potestate est viri.
Dotatæ mactant & malo, & damno viros.

Quomodo malo afficiunt, siue augent viros? hæc est enim vis verbi *mactare*, hoc loco. Quia magis præesse viris, quā subesse cupiunt, dominantur maritis. Quomodo damno? Quia sumptuosæ sunt nimis. ❧

Col. 1616. C. versu 1. adde. *Idipsum ante eum notauit Achilles Statius ad Catullum, in illum videlicet locum, ad Fabullum.*

Venistine domum ad tuos penates,
Fratresq; vnanimes, senemq; matrem,

potest enim lectionem sinceriorem esse, fratresque vnanimos. *nam & ad Alphenum idem poeta vnanimus, pro vnanimis scripsit.* Alphene vnanimis false sodalibus. *Et alibi*, Non prius vnanimus corpora

pora coniugibus. Sic 4. Æneid. Cū sic vnanimam alloquitur malè sana sororem.

Colum.1616. A. post verſ.7. ſequantur hæc. Pineam facem in nuptiis adhiberi ſolitam, præter hunc Virgilij locū, complures Varronis oſtendunt, quos producit Achilles Statius in illud Catulli ex Epithalamio, *manu Pineam quate tadam.* Etiam hūc Ouidij ex 2. Faſt.

Dum tamen hac fierent, vidua ceſſate puella,
Exſpectet puros pinea tada dies.

Colum.1629. B. poſt lin.12. adnecte. *Ingrata pericula* puto hic vocari, propter quæ gratia nulla eſt habita, acta, ſeu relata. Sic iſto verbo vſus eſt Catull. *Omnia ſunt ingrata, nihil feciſſe benignè eſt?* Sic item Lucret. lib.3. illa elegantiſſima Naturæ προσωποποιΐα, qua illam homines nimium abhorrentes à morte obiurgantem introducit.

Nam ſi grata fuit tibi vita anteacta, priorq́,
Et non omnia pertuſum congeſta quaſi in vas
Commoda perfluxere, atq́, ingrata interiere.

Si, inquit, cōmoda illa vitæ nō ſunt in te collata fruſtra, quia non in vas pertuſum, hoc eſt, in ingratū, vt ſequitur, quia ea ingrata habuiſti, ingrata enim vaſis pertuſis comparantur.

Colum.1633. D. verſu 4. adde. Aut eò forſitan reſpicit, quod per furorem bellicum ſæpe atrocia ſcelera cōmittuntur. Nec temere dicitur miles impius.

Colum.1655. C. verſu 3. poſt OMNISQVE IN LIM. PORTVS) ſtatim adiice. Perinde eſt, ac ſi diceret, ſe ad finem mortalitatis accedere, hoc enim elegantiſſimè dicitur, pro, non longè abeſſe à mortis die. Sueton. Claudio. & in vltima cognitione à tribunali, acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis, quanquam abominantibus qui audiebant, ſemel atq; iterum pronuntiauit. Poteſt autem Claudius reſpexiſſe ad conſuetudinem, qua Imperatores demortui in deorum immortalium numerum referebantur.

Colum.1663. A. poſt verſ.13. adde. TEGMINA TVTA CAV. CAPITVM) En periphraſin galeæ, tegmen tutum capitis. Si dubitas ita eſſe, crede vel Diogeni, qui interrogatus, quid accipere vellet, & ſuſtinere colaphū, galeam, inquit. Tegmina crurum eſt lib.11. & tegmina ſuræ apud Catull. de nupt.

Col.1667. B. poſt verſ.3 pone hæc. Æneid.10. eundē, & Pallantem à forma commendat, *Egregij forma.* De Euryalo quoq; lib.9. ſimilibus verbis, *quo pulchrior alter Non fuit Æneadūm, Troiana nec induit arma.*

Col.1669. C. poſt verſ.2. colloca hæc. Philo lib. de Cherubin, docet deum etiā miſceri animæ, ſed miſtione ſancta, & diuina prorſus. Homo, inquit, quando liberos ſibi quærit, ex virginibus reddit mulieres. At deus, quando incipit cum anima habere conſuetudinē, eam, quæ modo mulier fuerat, reſtituit in virginitatem priſtinam. Quandoquidem ſublatis degeneribus, & minime virilibus cupiditatibus, quibus effœminata fuerat, generoſas, & integras virtutes in earū locum ſubſtituit.

Colum.1681. D. poſt verſ.4. pone iſtuc. TE NEM. ANGIT. VIT. TE) Talis apoſtrophe in Orpheum à Bacchis dilaniatum extat Metamorph.11.

Te mœſta volucres Orpheu, te turba ferarum
Te rigidi ſilices, tua carmina ſæpe ſecuta
Fleuerunt ſylua.

Colum.1685. C. verſu 2. adde. * *Hiſce duobus verſibus Maronianis ſimilia de Iphicrate Probus. Fuit autem & animo magno, & corpore: imperatoriaq́, forma, vt ipſo aſpectu cuiuis iniiceret admirationem. Idem de Artaxerxe, qui dictus eſt μακρόχειρ. At Macrochir præcipuam habet laudem, ampliſſima, pulcherrimaq́, corporis forma: quam incredibili ornauit virtute belli. Talis fere laus eſt amicorum Alexandri M. apud Iuſtinum lib. 13. nam eius virtutis, ac venerationis erant, vt ſingulos reges putares. Quippe ea forma pulchritudo, & proceritas corporis, & virium, ac ſapientia magnitudo in omnibus fuit, vt qui eos ignoraret, non ex vna gente: ſed ex toto terrarum orbe electos diceret.* PRÆSTANTI CORPORE) *Cum ſupra Lauſum adoleſcentem Mezentij filium ob forma decus præferret omnibus, excepit Turnum. Ergo Turnus fuit, quemadmodum de Xerxe traditur, omnium in exercitu ſuo pulcherrimus. At laus pulchritudinis non modo regibus, ſed imperatoribus quoq́, ſiue ducibus libenter tribuitur à poetis. Non enim ſolum populus regi pulchro, ſed etiam miles non deformi imperatori propenſius obtemperat.*

Colum.1687. C. verſu 8. adnecte hæc. His adde ex Velleio lib. 2. Marcus natus equeſtri loco, hirtus, atque horridus, vitaq; ſanctus, quantum bello optimus, tantum pace peſſimus. Plaut. Aulul. *Quā ad probos propinquitate proximè te adiunxeris, tam optimum eſt.* Catull.

Tanto peſſimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Antipater lib. 3. Anthol.

Ἀγγέλλω μεγίστην, ὦ ξεῖνε, ξεινον ἀεὶσω
Αἰνεῖν γειθμαι, τίσειν δ' ἀμεῖνων.

AD OCTAVVM ÆNEIDOS.

COlum. 1697. E. & gereret? Seruius) Adiunge. VNDIQVE COGVNT AVXILIA) Hoc verbum non perpetuò ad vim pertinet: eſt enim frequenter eâdem notione, qua congrego, conuoco, conduco, concludo, colligo. Hinc illa apud M. Tullium, cogere ſenatū, medicos, agmen, operas, pecuniam. Idem de Leg. ex quibus id, quod volumus, efficitur, & cogitur.

Colum. 1700. C. poſt verſ. 2. adde. Solebat Ouidius de his verſibus dicere, potuiſſe fieri longè meliores, ſi ſecundi verſus vltima pars abſcinderetur, & ſic deſineret, *Omnia noctis erant.* Varro, quem voluit ſenſum, optimè explicuit: Ouidius in illius verſu ſuum ſenſum inuenit: aliud enim interciſus verſus ſignificaturus eſt, aliud totus ſignificat. Seneca Controuerſ. libr. 7. Controuerſia.1.

Colum.1720. B. liberalitatemq́; conferret?) Subiice in eodem verſu. Senſit hoc Titus Veſpaſiani F. Imp. qui quo die nihil in quēquam beneficij contuliſſet, eo ſe die regnaſſe non putabat.

Colum.1727. B. Victor. lib.31. cap.24.) Subiunge. PRÆSTANTI CORPORE TAVROS) Hoc non ſolū de hominibus, vt 1. Æneid. de nymphis, in 7. de Turno, ſed etiam in eodem 7. de ceruo, & hic de tauro dicit. Ergo hominibus, & animantibus cōmune eſt, *præſtanti corpore.*

Col.1731. D. poſt verſ.5. pone hęc. In quadam Conſtitutione abiuratum pretium memini me legere, pro eo, quod eſt, rei emptæ pretium non ſolutum, ſed abnegatum. Sic iſtuc Virgilij interpretor, *abiurata rapina*, hoc eſt, quarū pretium, quod venditoris ius eſt, & appellatur, vt cū dicimus, eum ius ſuū perſequi, perſolutum nullum fuerat. Plato .n. certè eaſdem boues ἀπριάτας, hoc eſt, inemptas in Protagora vocat, quod, vt ipſe ait, neque emerat eas Hercules à Geryone, neq; dono acceperat. Scipio Gentil. Parergon. lib.1. cap.27.

Colum.1787. A. verſu 2. tanquā vulnus) Adde mox. Aut alioqui ingratus ſermo, iucunda, & acerba oratio: quā qui audiunt, vulnerari dicuntur, & eorum aures ſimiliter. Cic. Catilin.1. de coniuratis: & quos ferro trucidari iam pridem oportebat, eos nondū voce vulnero.

Colum.1789. A. Οἶος δ' ἀνὴρ. tolle 5. verſus per negligentiam iteratos à typographo: quod etiam in erratis te admonui.

Col.1794. C. Poſt verſ.7. pone. MVLCERE ALTERNOS)

nos) Canes, ac feræ ſuos fœtus dum lingunt, mulcere dicuntur. Silius lib. 5.

Tum clypeum quatit, aſperſum quem cædibus olim
Celticus ornarat cruor, humentiq; ſub antro
Ceu fœtum lupa permulcens puerilia membra
Ingentem Aſſaraci cælo nutribat alumnum.

Colum. 1798. C. verſu 5. Vide Liuium) Adde, qui ſic de Numa Pompilio, quod huc aptum ſit. Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuiſſe opinor magis: inſtructumque non tam peregrinis artibus, quam diſciplina tetrica, ac triſti veterum Sabinorũ: quo genere nullum quondam incorruptius fuit.

Colum. 1820. A. poſt verſum 12. pone. Diſcinctas ferebant tunicas Carthaginenſes. Vnde hic, *diſcincti Afri.* Hinc & Plautinus Milphio ad Hannonem Carthaginenſem in Pœnulo, *tu qui zonam non habes, Quid in hanc veniſti vrbem, aut quid quæritas?*

AD NONVM ÆNEIDOS.

COlum. 1829. B. verſu 13. adde. Vegetius lib. 1. cap. 3. docet vtiliorem legi tyronem ex agris, quam ex vrbibus, & aptiorem eſſe armis plebem ruſticam vrbana: quippe quæ ſub diuo, & in laboribus enutritur, ſolis patiens, vmbræ negligens, balneorum neſcia, deliciarum ignara, ſimplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum patientiam membris: cui geſtare ferrũ, foſſam ducere, onus ferre, conſuetudo de rure eſt. Idem ſentit Plin. lib. 18. cap. 5. fortiſſimi viri, & milites, inquit, ſtrenuiſſimi, ex agricolis naſcuntur, minimeque mala cogitantes.

Colum. 1830. A. verſu 5. adde. Sunt & ſtellæ cæli decora, ſed tantam admirationem cum tanta iucunditate non habent. In cauſſa eſt ingens amplitudo, & ex diuerſitate colorum, qui tamen reuera nulli ſunt, aſpectus elegans.

Colum. 1841. D. verſu 12. NOVA LVX ſubiice continuò, OCVLIS EFFVLSIT) Cicero 1. Philipp. quiddam tale, ſed μεταφορικῶς. Lux quædam videbatur oblata, nõ modò regno, quod pertuleramus, ſed etiã regni timore ſublato.

Colum. 1844. C. verſu 9. adde. *Cicero quoq; in Miloniana artificio illo ſuo oratorio, armatorum cohortes, quæ videbantur cõtra Milonianos, affirmat contra Clodianos diſpoſitas, pro Milonianis. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes non periculum nobis, ſed præſidium denuntiant: neq; ſolum vt quieto, ſed etiam vt magno animo ſimus hortantur: neque auxilium modo defenſioni meæ, verum etiam ſilentium pollicentur.*

Colum. 1861. B. verſu 2. adde * *Dictum eg. ..gium, quo vti poſſumus in rebus aduerſis, maximè in bellicis calamitatibus, cum ex fortitudine vel militum, vel ducum aliquid ſpei in magna deſperatione affulget. Item in re Catholica, cum boni creantur Præſides, boni, & Chriſtiana diſciplina amantes Epiſcopi.*

Colum. 1868. C. ſolam? Crudelis. Subiice ab initio. Non ſalutauit matrem Euryalus, iturus in certum periculum, quia non putauit ſe poſſe ferre maternas lacrymas, quin illis cederet. Cum enim ad impetrandum magna vis ſit in cuiuſq; lacrymis, tum longe maior eſt in conſanguineorum, & præſertim in earum, quarum è ſanguine coagmentati, quarum vtero editi, quarum vberibus lactati, quarum deniq; tanta cura, & ſollicitudinibus tantis educati ſumus. Sicut plus diligit mater liberos, quam pater, ita viciſſim plus à liberis diligitur: dulcius quidem certe, ac tenerius.

AD DECIMVM ÆNEIDOS.

COlum. 1950. D. poſt verſ. 7. pone hoc. ROMANIS ARCIBVS) *Tum Rex Euander Romanæ conditor arcis.* Lib. 4. *Aſcanióne pater Romanas inuidet arces?* Sic lib. 1. de Carthagine, *Tyrias olim quæ verteret arces.*

Colum. 1953. C. poſt verſ. 4. inſere. TVMID. SECVNDO MARTE RVAT) Non eſt ſenſus, Turnum tumidum, id eſt, ſuperbum, ſecundo Marte ruere: ſed tumidum, ſeu tumefactũ ſecundo Marte, id eſt, fælici ſucceſſu ruere. Ac proinde poſt vocem *Marte*, diſtinctionis nota apponenda, vt tollatur ambiguitas.

Colum. 1955. E. poſt verſ. 2. adde. FLECTERE IVSSA POTEST) Eſt ita quidem in vulgatis: ſed in veteribus quibuſdam, *Vertere*, pro, *Flectere*. Et melius quidem, niſi me fallit ſententia: magis enim tangitur Iouis diſſolutio, qui ſua decreta non flecti tantum, ſed verti, atq; euerti etiam patiatur, idque à muliere, & vxore, deus nimium vxorius.

Colum. 1956. E. verſu 4. adde hæc. Huiuſcemodi eſt illa in Miloniana, ſub finem. Ibi enim Milo in exilium abiturus, ſic loquens fingitur, ſed parum exanimi ſententia. Valeant inquit, valeant, ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Stet hæc vrbs præclara, mihiq; patria cariſſima, quo quo modo merita de me erit, tranquilla repub. ciues mei (quoniam mihi cum illis non licet) ſine me ipſi, ſed per me tamen perfruantur. Ego cedam, atque abibo. Si mihi repub. bona frui non licuerit, at carebo mala: & quam primum tetigero bene moratam, & liberam ciuitatem, in ea conquieſcam.

Colum. 1959. A. verſu 3. adiice. Propert. lib. 4. eleg. 1. de vrbe Roma non multum diſpar.

Hoc quodcunq; vides, hoſpes, quam maxima Roma eſt,
Ante Phrygem Æneam collis, & herba fuit.

Sed Propertius oſtendit, quid antè Roma fuerit: Virgilius, quid poſtea per Græcos Troia facta ſit: campus nimirum, & ſolum. Quod ſi huc rediguntur ampliſſimæ, & munitiſſimæ ciuitates, num dolendum vnum homulum ex neruis, oſſiculis, venulis, carne, ſanguine, rebus infirmis compactum corpus circumferentem, aliquando diſſolui, & interire?

Colum. 1961. C. verſu 5. adde. Metaphora à cicatrice, quæ dicitur obduci, quum poſt ſanatum vulnus remanet. Cic. 3. contra Rul. Ne refricare obductam iam reipub. cicatricem videret.

Colum. 1963. E. poſt 9. Significare voluit Iuno, Ideo Troianos ſupplices eſſe Italis, vt mentiantur amicitiæ, & concordiæ fœdera: quò ſecutos, nihilque mali metuentes, ex imp[r]ouiſo adortos ſubigerent, & opprimerent. Conueniet dici de iis, qui ſimulata beneuolentia, nihilominus perniciem moliuntur: vel qui ita amicitiam prætendunt, vt interim ad omnem occaſionem parati ſint lædere. Giſelin. epitome adag. parte 2.

Colum. 1969. E. poſt verſ. 4. adſcribe. MOENIA CING. FLAMMIS) vrbem, ſeu caſtra circum circa inflammare: per circuitum ignes iniectare. Metaphoricè dictum lib. 1. de Didone capienda, & occupanda, per amorem Æneæ, opera Cupidinis. *Quocirca capere ante dolis, & cingere flamma Reginam meditor.*

Colum. 1970. A. poſt verſ. 4. ponenda. Nutare, ait Nonius: eſt capitis, nictare, oculorum ſignificantiã eſſe voluerunt. Annuere, vel innuere, narium vel labiorum. Plaut. Aſinar. *Nec illa vlla homini nutet, nictet, annuat.* Pace Nonij dixerim, annuere videtur eſſe, capite leui motu demiſſo, aſſenſum ſignificare. Cum autem quis valde aſſentitur, & admodum libens, ſolet maiorẽ motum huiuſcemodi edere. Cic. 2. de orat. Id quoque toto capite annuit. Eſt ſummo mento ſummum pectus tangere, quod ſenes vitio ætatis aſſiduè faciunt. Catull. in Epithal.

Vis

Vsq; dum tremulum mouens
Cana tempus anilitas,
Omnia omnibus annuit.

Denique abnuere contrarium est: qui autem abnuunt, aliter caput mouent, non nares, aut labia. Magna verò maiestas Iouis, & grauitas, naso suspenso cælum, & terram concutere, immò & maria.

Colum. 1972. B. annuli aurei) Sequantur hæc. Redi ad lib. 1. vbi Æneæ pulchritudo non multum diuersa ratione expressa est.

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariúsue lapis circundatur auro.

Colum. 1973. A. post vers. 11. pone hæc. PINGVIA CVLTA) pinguia rura, agros fertiles. Humus dicitur pinguis, & macra, ducta metaphora ab animantibus. Assume deinde, lector, quæ ad literam C. sequuntur, πίονα ἔργα Homero, &c. debuerunt enim præponi istis, PACTOLVSQVE IRRIGAT AVRO)

Colum. 1974. E. versu 3. SINISTRO AFFIXVS LATERI) adde mox. Affixum esse alicuius lateri, est, quod ait Cicero principio Catonis, quoad possis, & liceat, ab alicuius latere non discedere. Affixum esse alicui, est frequentissimè, & propemodum perpetuò cum aliquo esse. Lib. 3. ep. 1. ad Q. F. Iubes illum mihi esse affixum tanquam magistro. Ep. 8. lib. 1. ad Lentulum, quibus in rebus me sibi affixum ille habebit.

Colum. 1980. D. Fabulæ Phaëtontis) Subijce continenter. meminit M. Tull. 3. Off. vbi negat seruanda promissa, quæ non sunt ijs ipsis vtilia, quibus promiseris. Verba accipe. Sol Phaëtonti filio (vt redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quidquid optasset: optauit, vt in currum patris tolleretur: sublatus est. Atq; is antequam constitit, ictu fulminis deflagrauit. Eiusdem quoq;, simulq;.

Colum. 1981. B. post vers. 10. adde. ET MOEST. MVSA SOLAT. AMOREM) dum amorem suum, ex casu sodalis sui vehementer dolentem, solatio musæ quoquo modo delinit. Certum est, magnam vim inesse cantui musico ad mitigandam tristitiam, quam homines ex rebus turbidis capere solent. Quare & Homerus Achillem facit in mœrore vacantem citharæ. Nec te moueat, quod *musa* dicit: nam & carminis, & cantus deæ Musæ: & musici à musa. Quin ipsum carmen quid est nisi cantus quidam? vnde & artem poetarum Terentius aliquoties vocat artem musicam.

Colum. 1988. A. post vers. 9. collocentur hæc. QVEM DEDIT IPSE IGNIPOT.) Lib. 8. *Hoc tunc ignipotens cælo descendit ab alto.* Vulcanus nempe, deus ignis, vt Mars, seu Minerua armipotentes dicuntur, quia præsident armis. Videndum candidatis poeseos, quibuscũ hoc participium *potens* iungant. Neq; enim tolerabiliter dixeris etiam de Baccho, vinipotens, & de Diana, syluipotens, cum ille vino, hæc syluis præsit. De Neptuno Plaut. non malè, Salsipotens. Vt paucis dicam, in lingua latina magis sæpe auctoritas, & exemplum probatorum scriptorum, quàm aut regula, aut analogia valet.

Colum. 1989. C. post illa, cum corona turrita pingitur, adijcies. TVRRIGERÆQVE VRBES) Lib. 6. *qualis Berecynthia mater Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes.* Eadem autem Cybele. Turrita autem vel ob caussam modo dictam: vel quia prima fuit quæ vrbes condiderit, ad earumque defensionem turres excogitarit. Dicitur & Rhea. Vide Natal. Com. lib. 9. cap. 5. Gyrald. Syntag. Magnam deam Cybelen propriè vocatam esse, notat Achill. Statius ad illud Catull. in

A Galliambo. *Dea magna, dea Cybelle.* Sic Propert. lib. 3. *Vertice turrigero iuxta dea magna Cybelle.*

Colum. 2002. C. vlt. adde * *Quibus prima barba erumpit, quibus lanugine prima pubescunt genæ, sunt, qualem apud Ouid. in epist. Phaonem fuisse Sappho scribit,* O nec adhuc iuuenis, nec iam puer. *Tempus illud ἐφηβεῖα Græcis, ipsi ἔφηβοι.*

Colum. 2008. A. post vers. 3. ASPERA. Q. N. LOCI DIMIT. SVAS. EQVOS.) Asperitas loci, de qua supra dictum est, hortabatur eos, vt equos dimitterent, id est, ab equis descenderent, & pugna pedestri experirentur. Sed illi erant, vt audiuimus, insueti acies inferre pedestres. Reliquum igitur erat, vt fugerent. In Perside propter asperitatem locorum, & montes, rarum fuisse vsum equorum, ait in 1. de vita Cyri Xenophon.

B Loca autem plana, ad equitationem idonea, dicuntur Græcis ἱππάσιμα, equitabilia.

Colum. 2018. D. post 4. COEPTIS INGENTIBVS) quia vires impares, vt paulo ante legis. Nec posset excusari à culpa temeritatis Pallas, nisi ad deũ confugiens, inde auxilium sibi peteret. Deo enim nihil est difficile: & cum deo quemlibet, etiam meticulosissimum, & ignauissimũ, posse victorem euadere, affirmat apud Sophoclem Aiax Telamonius. Veruntamen miser iste deus, Hercules inquam, supplicem suum adiuuare non potuit.

Colum. 2042. D. post 3. ASCANIVS PVER, ET NEQVICQ.) Ascanium primo loco nominat, non tanquã

C ducem, & cui summa belli, atque ipsa castra in absentia Æneæ cõmissa essent, quod malignè Veneri Iuno obijciebat, sed rationem dignitatis habet. Credibile autem, adolescentem hunc in medium erumpentium fuisse acceptum, quò esset securior.

Colum. 2044. A. post 6. TEVCRISQVE PIO DET SANG. POENAS) Inest in his verbis quod Iouem meritò vulneret, qui pati possit pium, velut impium puniri, & innocentem tanquam reum è medio tolli. Non solum nullum Turni scelus profert Iuno, ob quod pœnas dare debeat: sed etiam caussas promit, quare beneficio affici, & remuneratione debeat. Occultius igitur Iouem iniustitiæ coarguit.

Colum. 2058. E. versu vlt. adde. * *De Pallante quoque suprà legebamus,* ille rapit calidum frustra de vulnere telum.

D *non vt facilius interiret, sed vt, si posset, vita sua consuleret.*

Colum. 2065. 2. *& consumat vetustas. Sic Propert. lib 3. eleg. 2.*

Omnia post obitum fingit maiora vetustas,
Maius ab exequijs nomen in ora venit.

Colum. 2067. B. versu 6. adde * *Si arrogantiam vitare vult, & ideo tertia persona vtitur Æneas, cur ergo addit vocem* pius? *Facilis est solutio huius nodi. Appellat se eum, qui dicebatur. Nec istud arrogantius dictum est, quam illud 1. Æneid. ad matrem in sylua.* Sum pius Æneas. *Cur verò sic dicebatur? quia pietas eius erat notissima, etiam iis, qui eum nunquam vidissent, nempe,* fama super æthera notus.

Colum. 2070. A. post vers. 9. inijce. Non solum

E dat barbam Mezentio Virgilius, sed etiam, quod decori ratio postulabat, longam, & latam barbam, proportione scilicet tam vasti, ac proceri corporis, quale descripsit. Sicut autem masculos, & pumiliones minimè ornant barbæ longiores: sic viros ingenti corpore, præsertimq; militares, μακροπώγωνας, & πολυπώγωνας esse, admodum decet.

Ibid. C. post 4. PRÆSAGA MALI MENS) Præsagire est prædiuinare, præsipere. Sagax enim est acutus, & solers. Præsagitio dicta, quod præsagire est, acutè sentire. Vnde sagæ dictæ anus, quæ multa sciunt: & sagaces canes, qui ferarum latibula præsentiunt.

Colum. 2072. B. Antè ista verba, Seneca de breuitate vitæ, ponantur hæc. Multo autem accommodatius

rius ad institutum lib. de Senectute. Quanquam, ô dij boni, quid est in hominis vita diu? da enim suprèmum tempus: expectemus Tartessiorum regis ætatem. Fuit enim (vt scriptum video) Argentonius quidam Gadibus, qui octoginta regnauit annos, centum & viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id aduenerit, tum illud, quod præteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute, & rectè factis consecutus sis. Horæ quidem cedunt, & dies, & menses, & anni: nec præteritum tempus vnquam reuertitur, nec quid sequatur, sciri potest. Quod cuique tempus ad viuendum datur, eo debet esse contentus. Neque enim histrioni vt placeat, peragenda fabula est, modo in quocunque fuerit actu, probetur: neq; sapienti vsq; ad *Plaudite*, viuendum. Breue enim tempus ætatis, satis est longum, ad bene, honesteq; viuendum.

AD VNDECIMVM ÆNEIDOS.

COlum. 2088. B. post vers. 7. videlicet ad illa verba, lege totum caput Magij 12. lib. 1. collocanda appendix, quæ infra legitur in C.* *Lege tit. οἱ ἀνδρόμευ. &c.* Sed literis non paruis, vt fiat Symbola.

Colum. 2091. B. post 8. PATENS IN PECT. VVLNVS) De Lauso lib. superiore, *ingentem ingenti vulnere victum*. CVSPIDIS AVSONIÆ) factum à cuspide Ausonia, seu à cuspide, siue hasta Ausonis, id est, Itali, nempe Turni.

Ibid. D. versu 6.* *Ariadne de Theseo desertore, & periuro conquerens apud Catull. de nupt. in re alia, germana his profundit.*

At non hæc quondam blanda promissa dedisti
Voce mihi: non hoc miseram sperare iubebas
Sed connubia læta, sed optatos hymenæos.

Colum. 2095. post vers. 8. Ouid. 1. Metam. *Magna parens terra est.* In 6. Æneid. vocatur omniparens. Item 1. Georg. Terra parens. Nominat & Lucretius libro 5. omniparentem, & commune sepulchrum. Varro 3. de re rust. cap. 1. nec sine caussa terram eandem appellabant matrem, & Cererem, & qui eam colerent, piam, & vtilem agere vitam credebant. Congruentia his Philo, lib. de mundi opificio. Mater autem terra esse videtur. Quapropter & priscis illis placuit, vt nominaretur δημήτηρ, composito à matre, & terra vocabulo, &c. Vide dialog. nostrum 10. primæ Tertij, vbi ex Plinio eiusdem laudationem recitauimus. Virgil. hic non ad flores duntaxat, sed ad stirpes, animantes, & alia omnia respicit, quorum terra mater dici potest, & ob quæ absolutè mater, seu parens dicitur, atq; cognominatur.

Colum. 2103. E. post. 5. QVÆ. N. VOS. T. FORT. INDIG. LAT. IMPL. BELLO) Pæne gemina his illa Diomedis in responso dato legatis Sabinorum, vt audiemus infrà.

O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonij, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetq́; ignota lacessere bella?

Colum. 2106. A. versu 11.* *Prudenter, ac iure optimo Drances iustitiam Æneæ prædicat, eamq́; vnam præ aliis Æneæ virtutibus nominat. Nam vt est apud Cic. 1. Off. in iustitia virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur.*

Colum. 2110. D. Cic. 1. Off. adde. Sed perapposita sunt ad hunc locum, quæ scribit idem lib. 2. Prima igitur est adolescenti commendatio ad gloriam, siqua ex bellicis rebus comparari potest: in qua multi apud maiores nostros extiterunt: semper enim ferè bella gerebantur.

Ibid. E. versu 4. *notat German. Hinc & Penelope apud Nasonem, scribens de communi filio Telemacho desiderat ambobus parentibus esse secundum fata superstitem.*

Dij precor hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Non enim fata rite videntur ordine, si secus fiat.]

Colum. 2111. post 6. *Cato apud Ciceron. de Senect. proficiscor enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi: sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior. cuius à me corpus crematum est: quod contra decuit, ab illo meum. An non videtur etiam Cato queri, se viuendo sua fata vicisse?*

Colum. 2112. post 4. ANIM. IPSE DEDISSEM) Sic lib. superiore Mezentius tam diligens Lausum suum, quam Euander Pallantem suum, optat ipse quoq; pro filio mortem, & quamuis diram excepisse.

Debueram patriæ pœnas, odiisq́; meorum
Omnes per mortes animam sontem ipse dedisse.

Cum autem amare aliud nihil sit, quàm bene velle amato, id se potissimum in parentibus erga liberos, & liberis erga parentes ostendit.

Colum. 2124. D. versu 3. adnecte. Apud Ouid. in epist.

Nauplius vltores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuuiis Græcia pressa tuis.

Propert. lib. 3. eleg. 6.

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cum vasto Græcia tracta salo est.

Nauplius Palamedis pater, indignam filij necem grauissimè ferens, quum vltionis repulsam in castris ad Troiam tulisset, mala varia excogitauit aduersum Græcos, stupris, excidiisque regnorum filij mortem vltus, classem Troia capta reducem in Caphareo asperrimo Eubœæ monte excitata pyra, in littus scopulorum, & naufragium pellexit. Ex quo facto diritas hominis facilè elucet, qui tot hominum millibus innoxiis auctor mortis extitit. Ammian. lib. 22. Gaphareus Euboicus scopulus, vbi Nauplius Palamedis pater classem concidit Argiuam. Hinc Prouerb. ὥσπερ ναύπλιος ἀπὸ τοῦ καφηρέως ἥκων, *Quasi Nauplius Caphareo rediens*, de homine immani, & horrificam speciem præferente. Lege cætera apud Iunium, Cent. 2. num. 29.

Colum. 2125. D. post 7. Refert Homerus Odyss. Δ. quomodo Ægisthus adulter lautum appararit conuiuium, velut excipiendo Agamemnoni instructum, quo illum nihil mali suspicantem interemit. Hinc prouerb. Ἀγαμέμνονος δαὶς ἡ τράπεζα, *Agamemnonium epulum*, vel, *Agamemnonis mensa*, de ijs, qui in exitiabili mensa epulantur, vltimamq; cœnam sumunt. In eos torquebitur, qui amicè accepti, medicatum hauriunt poculum, aut venenatam offulam, & Claudij Cæsaris boletum edunt. Iunius Cent. 6. num. 34.

Colũ. 2126. D. vers. 13.* *Est igitur posita vox coniugium, pro coniuge, vt apud Catull. de Laodamia, quæ Protesilaum maritum ad Troiam amisisset.*

Quo tibi tum casu pulcherrima Laodamia
Ereptum est vita dulcius atque anima
Coniugium.

Alibi hoc idem me notasse non sum immemor.

Colum. 2134. muta ordinem Symbolarum sic. I. CENT. ORAT. II. Cum multa alia. III. Duo putat.

Ibid. D. insere, IAS PLACET) Verbum curiæ Romanæ est *placet*, & eo senatores in dicendis sententijs vtebantur. Docet plurimis exemplis Brisson. Formular. lib. 2. num. 1691. & sequenti.

Colum. 2138. A. post 5. Propriè inflari dicuntur, quæ vento distenduntur, & intumescunt. Translatè, quæ suprà modum elata sunt, & hoc tam in rebus, quàm in personis. Inflata oratio, quæ verbis sesquipedalibus

dalibus, & nimium elatis, grandioribusque sententiis A scripta est. Homo inflatus, qui opinione aliqua turget, & effertur. Cic pro Muræna. Cum hostium classis spe, atque animis inflata, Italiam peteret. Sic inflatio etiam translatè dici potest, pro quo poeta suo iure dixit, flatus.

Colum. 2153. C. 2. peperisse dicat) Adde. Nec M. Tullius pro laudis, & gloriæ spe quidquam recusandum putat. Hæc enim est eius vox pro Archia. Nam, nisi multorum præceptis, multisq; litteris mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem, atque honestatem: in ea autem persequenda, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilii parui esse ducenda: nunquam me pro salute vestra in tot, ac tantas dimicationes, atq; in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem.

Colum. 2157. C. Donatus, Seruius) Sequantur hæc. MATRONÆ PVERIQ. VOCAT LAB. VLT. OM.) Ad vrbem defendendam concurrisse vrbanos omnes ait poeta, nemine excepto, quia vltimus labor, id est, summa, & extrema necessitas, in qua parcere labori, etiā cum discrimine suo, nullus deberet. Sic 2. Æneid. supremum Troiæ laborem vocauit vltimum illud discrimen, quo periit. Quod vero etiam mulieres, & pueri tunc opem laturi in mœnia euaserunt, nulla sexus, & ætatis ratione habita, id manifestius periculum vrbis præsentissimum declarat. ✤

Colum. 2158. B. versu 9. * *Obserua quemadmodum huius Virginis, quam alibi celebrat, pulchritudinem vno verbo declaret, oculos, inquit, decoros. Decor, & elegantia hominis est illa quidem in vultu potissimum: sed in ipso vultu regnant oculi. quorum mira est varietas, & multa discrimina. Qui autem sint venustissimi, seu maximè decori, harum rerum bonis æstimatoribus, & elegantium formarum spectatoribus relinquamus.*

Colum. 2166. D. post 9. CHAROQ. ONERI TIMET) Fuit & Anchises lib. 2. charum onus Æneæ, quippe pater, & senex filio. Testatur & ipse filius.

Ergo agè chare pater, ceruici imponere nostræ,
Ipse subibo humeris, nec me labor iste grauabit.

Huic eidem oneri se timuisse affirmat, cum capta Troia excederet.

Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitiq́; oneriq́; timentem. ✤

Colum. 2170. B. *Exigat hic æuum.* Adde. In hunc Metabum valde conuenit, quod legimus apud Tullium in Lælio. Quin etiam si quis ea asperitate est, & immanitate naturæ, vt congressus, & societates hominum fugiat, atque oderit, &c.

Ibid. C. 7. adde, litera antiqua, vt vocant Cæterum crinale aurum, est crinale aureum, fascia nimirum aurea, qua crines muliebres coercentur, ne in frontem defluant, aut ne sint sine lege positi. Crinales vittas habes libro 7.

Colum. 2188. C. post 3. Simili prorsus argumento ad obiurgandum Achillem vtitur Briseis in Epist. apud Ouidium.

Et si quis quærat, quare pugnare recuses:
Pugna nocet: cithara, noxq́; Venusq́; iuuant, &c.

Colum. 2195. C. 2. HASTA PERLATA) Hasta, Græcorum δόρυ. Etsi commune fere id nomen est: diciturq; tam de grandi illa, quam de leuiore, quam eminus iaculantur. Simile in lancea, & conto. Strab. lib. 10. αὐτὴ γάρ ἡ τῶν δοράτων χρῆσις, &c. Duplex enim hastarum vsio, alia cominus, alia eminus, & tanquam iaculorum: sicut & contus vtrumque vsum præbet. Nam & statim vtimur, & iaculantes: quod & sarissa potest, & pilum. Notabilis locus ad hunc ritum veterem, & plerisque gentibus communem: hodie desitum ferè, a nobis quidem Europæis. Sed de hasta missili multa testimonia passim. Lipsius Poliorcet. lib. 4. dial. 4.

AD DVODECIMVM ÆNEIDOS.

COlum 2216. A. 11. * *Telum hic venabulum intellige, hastam latam, & validam. Non enim subula excipiendus est leo, quod prouerbio dicitur de iis, qui rem admodum periculosam, leuibus, & infirmis præsidiis conantur depellere: aut fragilibus rationibus firmissima, & certissima conuellere.*

Colum. 2221. A. addc. LATIO, ET LAVRENT. AGRIS) Non solum per Latium, quæ est bona pars Italiæ, sed etiam intra fines agri Laurentini licet inuenire B coniugem illustrem, & te haud indignam. Voluit poeta dicere Laurentibus agris, quod oratores, in agro Laurentino: vbi *ager* est, quod nonnulli vocant territorium. Sic ager Pistoriensis apud Sallustium, ager Volaterranus apud Ciceronem. Idem Verrin. 6. omnes Segestanas matronas, & virgines conuenisse, cum Dianana exportaretur ex oppido, vnxisse vnguentis, complesse coronis, & floribus, thure, odoribusque incensis, vsq; ad agri fines prosecutas esse. ✤

Ibid. D. post 7. Rectè dictum, *natam nulli sociare procorum*, id est, filiam nulli tradere in matrimonium, siue connubium, in quo est, vt præclarè docet M. Tull. 1. Off. arctissima societas. Ergo & vxores ipsæ dicuntur, C & dicendæ sunt sociæ: de cuius vocis notione scriptum recordor alio loco. Quin & diuinæ literæ sic appellant. Genes. 3. Adam respondet deo, *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Ad virum quoq; transtulit hoc verbum Virgil. lib. 9. quasi diceret thalami socium.

——————— Numanum,
Cui Remulo cognomen erat, Turniq́; minorem
Germanam, nuper thalamo sociatus, habebat. ✤

Colum. 2223. C. post 11. lege totum Ouidii locum sic. epist. Paridis ad Helenam.

Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum:
Et mihi sunt vires, & mea tela nocent.
Nec minor est Asia, quam vestra copia terra:
D *Illa viris diues, diues abundat equis.*
Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,
Quam Paris, aut armis anteferendus erit.

Colú. 2224. B. 12. * *Omnino ita secum statuit Turnus, se Æneam, nisi iterum calliditate matris sibi, vt quondam Diomedi, eripiatur, interfecturum. Immò videtur affirmare, aduersus virtutem suam cum nube sua nihil valituram Venerem: quod cum ipsa Venus intelligat, nihil tale hic ausuram.*

Colum. 2229, B. post 9. GAVDETQ. TVENS ANTE ORA FREM.) Sunt quidam bonorum, & generosorum equorum ita appetentes, & studiosi, vt eos huiusmodi fremitus, magis quàm tibiarum, fidiúmue sonus delectet: vt omittam eximiam voluptatem, quam ex tam bene formatis, & tam eleganti colore præditis sonipe-E dibus capiunt. Iuuentus tamen præcipuè delectatur equis, & canibus. Testatur id Horat. ad Pisones.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusq́; & aprici gramine campi.

Sic etiam Simo in And. de suo Pamphilo.

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Vt animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum.

Hoc non ignorans Catilina, vt relatum est à Sallustio, adolescentibus, quorum familiaritates appetebat, vt cuiusq; studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbebat, aliis canes, atq; equos mercabatur. ✤

Colum. 2231. post 7. Prouerbialis hyperbole,

Græcis

Græcis vſitatiſſima, χιόνος λευκότερον, niue candidius, de re quauis eximij candoris. Archeſtratus in Gaſtronomia, Leſbios panes candidiſſimos volens ſignificare, λευκοτέρους, inquit, θείας χιόνος, θείην δ' ἀνθρώποισιν ὁμοίους. *Præ niue candentes, ſimiles pernicibus auris*, &c. Vide Iun. Cent. 4. num. 50.

Colum. 2238. E. 3. adde * *Vincire tempora, pro redimire caput, eſt etiam Horatianus ſermo, Ode 7. lib. 1.* tamen vda Lyæo Tempora populea fertur vinxiſſe corona. *Rurſum lib. 4. Ode 1.* Nec vincire nouis tempora floribus. *Noſter ſuprà lib. 4.* Populeis adſunt euincti tempora ramis.

Colum. 2242. B. poſt, repræſentat Iupiter) adnecte. Cubiculũ ait Iſid. lib. 15. quod ibi cubemus: cubile autem cubandi locus eſt. Cic. 1. Catilin. Nemo inuentus eſt tam miſer, qui non cubile, ac lectulum ſuum ſaluum eſſe velit. Pro Cluent. non limen cubiculi, non cubile filiæ. 2. de nat. deor. etiam animalibus tribuit. Beſtiæ in cubilibus deliteſcunt. Sociare cum aliqua, aut aliquo cubilia quid ſit, coniectore non indiget.

Colum. 2249. B. numina in cælo coluntur. Adde. Religio enim eſt aduerſus deos, cæleſtes potiſſimùm. Hinc Lucretius per σωματοποίησιν Religionem formidabile caput de cælo protuliſſe, & mortales conterruiſſe ait lib. 1. quam tamen Epicurus conſtantiſſimè ſolus ex toto genere mortalium contrà ſit intuitus, nullo timore perculſus. Eò reſpicit, quòd ille ſapiens inſipiens animos hominum deorum metu ſublato, omni religione liberauit, ſeu religionem ſuſtulit. Verſus appono.

Humana ante oculos fœdè quum vita iaceret
In terris, oppreſſa graui ſub religione,
Quæ caput a cæli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans:
Primùm Graius homo mortales tendere contra
Eſt oculos auſus, primusq; obſiſtere contra:
Quem nec fama deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compreſſit cælum, &c.

Colum. 2250. D. vlt. * *Quibus antiquitatis notitia maiores habent progreſſus, hoc loco addant, quæ mulieres quibus vrbibus nomina dederint: nam quaſdam, & inſignes à mulierum nomine nomen habuiſſe certum eſt omnino. Romã ipſam à puella huius nomine vocatam non deſunt, qui tradiderint. Athenæ quidem ab ἀθήνη, id eſt, Minerua ſumpſerunt vocabulum. Mantua vnde dicta ſit, quis poteſt neſcire? niſi qui illa lib. 10. nunquam vel legit, vel audiuit de Ocno.*

Fatidicæ Mantus, & Tuſci filius amnis,
Qui muros, matriſq; dedit tibi Mantua nomen.

Colum. 2260. B. verſu 4. HOC ERAT, HOC VOTIS, &c. totam ſymbolam dele: præcedunt enim verba columna priore. Lapſa eſt memoria: quid vis fieri?

Colum. 2267. C. 5. * *Hecuba Priamo coniugi, & ſenè temere in Pyrrhum eunti,* Quò ruis? *Horat. Ode 7. lib. 2.*

Quò quò ſceleſti ruitis, aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?

Ciceronis eſt, ad interitum ruere voluntarium. Adde Ouidianum hoc ex epiſt. Penelopes, Turba ruunt in me luxurioſa proci.

Colum. 2268. C. 8. adde. Sic cum in Perſide improuiſo, & lethali ictu concidit Iulianus apoſtata, nemine ſe auctorem iactante, dici potuit, *preſſa eſt inſignis gloria facti.* Ipſe tamen Tyrannus auctorem vulneris ſui viſus agnoſcere, cum exclamauit, Viciſti Galilæe, viciſti.

Colum. 2270. D. 2. & contemptu plenis) Adde. Inſultare ait Nonius, dicitur inſilire. Virg. Georg. 3. *Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.* Item inſultare, eſt iniurioſius aliquid dicere.

Colum. 2271. D. 2. adde. * *Miram habet elegantiam verbum* afficio, *& lattiſſimè patet eius vſus in lingua latina, vt notum eſt eiusdem non ignaris. Cum autem venuſtè dicatur afficere aliquem donis, muneribus, pretio, Plaut. in Amphit. etiam dixit, afficere lucris.*

Vt vos in voſtris vultis mercimoniis
Emundis, vendundisq; me lætum lucris
Afficere.


Colum. 2286. E. 4. adde. *His autem, & quæ deinceps ſequuntur verbis, pæne gemina apparent illa Philtonis ſenis ad Lyſitelem filium in Trinum.* meo modo, & moribus viuito Antiquis: quæ ego tibi præcipio, ea facito.

Col. B. 2305. * *Qui videbant, &c. totum hoc, vt ea quæ antecedunt proximè, ſcribendum fuit litteris maioribus: non enim eſt appendix, ſed Donati Symbola.*

LAVS DEO OPT. MAX.



Para-



PARAPHRASES IN TRES PRIMOS, TRES VLTIMOS LIBROS VIRGILIANÆ ÆNEIDOS.

Præfatio.



Ratoriarum exercitationum, minorumúe operum Oratoris, vnum quoddam genus est Paraphrasis: cum scilicet alienius boni Poetæ carmen, aut non mali Oratoris orationem vel alijs verbis, ijsq́, nihilominus lectis, atq́, idoneis reddimus: vel (quoniam hæc interpretatio dicenda est potius) cum illorum scripta vberius, & explanatius referimus, & nonnunquam circa easdem sententias, siue locos quosdam, æmulationem cum ijs, certamenq́, suscipimus. In quo sapienter monemur, ut timidè, & cautè nos geramus, ne quæ optima sunt, meliora facere annitamur. Multum commendatur à Fabio Paraphrasis lib. 10. cap. 5. Laudatur quoq́, à Plinio epist. 9. lib. 7. Exemplum eius est inuenire apud Platonem in 3. de Repub, vbi aliquot Homerici versus de 1. Iliad. solutis verbis exprimuntur. Extat item tota Ilias à Laurentio Valla ad hunc modum tractata. Nostra verò memoria idem perfectum à doctis in Horatio, Persio, Virgilij Eclogis, & Georgicis. Sed horum aliud fuit consilium: non quidem ut sese ad dicendi copiam isto modo exercerent: verùm ut literarum cupidis ad eos poetas promptius rectiusq́, percipiendos ita viam quasi monstrarent, & facem quodammodo prælucerent. Dubitare enim fas non est, quæ prosa oratione, & verbis notioribus, & omnino elocutione oratoria efferuntur, expeditius solere intelligi, quam quæ libertate illa, more, institutoq́, poetico. Quare & vetustiores poetarum explanatores paraphrasibus sæpe vsos constat. Quod si in ullo de Latinis utiliter istuc, in Marone profectò vtilissimè fieri asseuerari potest: in quo multa obscura, impedita, difficilia, & ingenia etiam eruditissimorum torquentia. Atqui, interpellabit aliquis, Donati feruntur in Æneidem Paraphrases. Primùm, non sunt tantùm Paraphrases, quanquam maiorem partem. Deinde, Donati ipsius non sunt: sed cuiuspiam alius, qui sua fortasse confisus eloquentia, hominis doctissimi Commentarium παραφραστικῶς explicauit. In qua explicatione sæpenumero tam barbarus, tam tortuosus reperitur, ut quid velit, vix dispicias: frequenter item in rebus etiam leuissimis, & apertissimis adeo μακρολόγος, & ταυτολόγος cernitur, ut mirum sit. Quid quod non rarò labitur, & poetæ mentem non attingit? Interim lectorem Virgilianum eius, quicunq́, fuit, laboribus plurimum adiuuari posse, & multa ab eo præclarissimè exposita esse, non negamus: quin id ipsum Symbola nostræ satis, superq́, probauerunt. Meus ergo (ut reuertar, unde paulisper abij) idem scopus, qui superiorum Paraphrastarum: nempe, ut lectori leuioris armaturæ ad aliquot libros diuinæ Æneidos commodius, ac planius intelligendos tanquam ansam porrigerem: minimè autem ut ad eius versus me exercendo, eloquentiam compararem: quod ipsum si quis facere instituerit, eum ego laudem mereri existimo. Igitur ad rem accedamus.

Paraphrasis IN LIBRVM PRIMVM ÆNEIDOS.

Præfatio, & propositio operis.
Ille ego qui.



CVm ætate iuuenili me in exercitationem componendorum versuum perstudiosè darem, contexui poema illud de rebus pastoritijs, figura dicendi attenuata, atq; humili: nempe vt sermonis genus à subiecta materia ne discreparet: cui libro nomen inditum Bucolica. Postquam ætas ad viriles annos accessit, paulò grauioribus intendens animum, quatuor libros carminum de rebus rusticis elaboraui, eos Georgica inscripsi. Quas quidem ego lucubrationes meas exoptatas, & caras omnibus accidisse confido, quos cum terra rationem habere delectat. Non poterit certè vllius agricolæ adeò incensa lætissimarum segetum existere cupido, quin eam ad præscriptam à nobis, ac traditam normam exculta, & sata humus benignè expletura, & votis egregiè responsura sit. Cæterùm hoc tempore argumentum graue, amplum, illustre, ipsáq; rerum, euentorumq; varietate periucundum aggressus, Troiani Æneæ fortunam, quanta quiuero orationis dignitate, ad posteritatis fructum explicare cõstitui. Hoc opus duabus mihi partibus absoluetur: prior inclytæ illius ciuitatis, Troiæ, inquam, vastationem, erroresq;, & exilium huius fortissimi, ac diuinissimi viri complectetur: posterior, bella in Italia aduersum Aborigines, Rutulosq; ab ipso administrata, fœliciterq; confecta memorabit. Vtrumq; tempus plenum aduersorum casuum, atq; ærumnarum fuit. Nam vbi cremata patria, domo profugus ad rerum amplissimarum initia, deo illum ducente, atq; comitante in Italia sedes, ac domicilium quærere per maria, per terras occœpit, supra veri fidem propemodum est, quibus eum artibus, ira & odio implacabili efferata Iuno funditus extinguere, omnemq; illius memoriam eadere tentauerit: cui nihilo magis secunda, ac propitia fuit in Italia, vbi bellis grauibus, ac periculosis appetitus, & conflictatus est: donec tandem aliquando frustratis deæ consilijs, sub potestatemq; subiectis hostibus, & oppidum Lauinium ædificauit, & Latinam gentem propagauit. Vnde postmodum Albani, & ex Albanis Romani profluxerunt.

Inuocatio.
Musa mihi.

Quoniam verò caussæ, quibus exulcerata Iuno in Troianorum reliquias vim omnem sui furoris effudit, in aperto haud sunt, deos porrò nihil latet, age Calliope, mihi vati, & alumno tuo eas, si placet, suggere. Dic, amabò, qua in re Iunonis animum vnquam offenderat Æneas? quid commeruerat? quid eam aduersus religiosissimum, atq; innocentissimum virum tantopere extimulabat, ut illius puniendi, exagitandiq; finem reperire nullum posset? Siccine hoc fieri? quid istuc monstri est? Cælestes animi, quos omni turbida permotione vacare semper, & cõpressas habere libidines, & in tranquillissimo statu versari oportebat: in quibus tantummodo placabilitatem, mansuetudinem, beneficentiam, cæterasq; huiusmodi sacrosanctas, diuinasq; virtutes inesse conueniebat, ipsi quoq; irascuntur? irascuntur autem? immò inflammati ardentibus quasi furiarum tædis insaniunt? Ergóne, ob quod mortales in magno ponuntur vitio, hoc ipsum immortales, sempiternæq; naturæ non dubitant committere?

Caussa odij, ac sæuitiæ Iunonis in Troianos.
Vrbs antiqua.

Igitur, vt ad inceptum redeamus, primam atq; adeo præcipuam contra immerentes debacchandi caussam Carthago præbuit, quam in Africa per idem tempus condebat à Tyro Phœniciæ profecta manus. Respiciebat hæc vrbs Italiam è regione, quà Tiberis se in mare Tyrrhenum exonerat, cui & opum affluentia, & militaris gloriæ studium celebre postea nomen pepererunt. Hanc miro amore prosequebatur Iuno, sic, vt ne Samum quidem insulam, vbi tamen nata perhibetur, Carthagine potiorem duceret. Ibidem sua insignia, hastam videlicet, currum, simulacrum collocari voluit: quam totius mundi caput, ac dominam, si modò per fata liceret, efficere moliebatur. Verùm hisce cogitationibus contrarium, & inimicum erat, quod Troiana origine nascituros intellexerat, qui olim imperium longè, lateq; proferrent, vrbemq; sibi tam acceptam, & commendatam ferro, flammaq; consumerent.

ſumerent. Hac de cauſſa Æneam cum ſuis perditum etiam atq; etiam, vehementerq; cupiebat. Nihilominus odium quoque inueteratum, & illius belli decennalis recordatio (quod quidem Græcos ſuos contra Troianos adiuuando promouerat) permultum illam hortabantur, ut inimicitias uſq; ad extremum perſequeretur. Hoc odium tanquam admotis quibuſdam facibus incendebat, & exaggerabat iudicium Paridis, qui cum de pulchritudine trium dearum, Iunonis, Palladis, & Veneris apud Idam Phrygiæ montem ferret ſententiam, Venerem tum Mineruæ, tum Iunoni, poſthabita ambarum forma, prætulerat. Præterea Dardanus Troianorum antiquiſſimus, ac primus parens, ex Ioue, & Electra pellice procreatus: cuius proinde vniuerſam poſteritatem è rerum natura ſublatam cupiebat. Poſtremò Ganymedes puer, Trois regis filius, à Ioue in cælum tranſlatus, & reiecta Hebe Iunonis filia, ad miſcenda Ioui pocula adhibitus. Hæc à me ordine recenſita, Iunonem magnopepere exaſperabant in Troianos illos, qui Græcorum gladios euaſerant: ob hæc, inquam, varijs tempeſtatum turbinibus afflictatos, ingreſſu Italiæ multos annos prohibebat mortalium miſerrimos: vt verè laborioſiſſima, atq; ærumnoſiſſima gentis Romanæ primordia fuiſſe confitendum videatur.

Narratio. Vix è cōſpectu.

Troiani ergo ſolutis anchoris, è Siciliæ portu in altum læti ſanè, vicinamq; Italiam inter ſe gratulantes vela facere, & æratis nauium roſtris ſpumantes vndas proſcindere. Pæne adhuc è littoribus, & ſpeculis contingi oculis poterant, cum Iuno eorum, quos acerbiſſimè, & tanquam canes oderat, fælici nauigatione, optatiſq; ſucceſſibus cruciata, iſthæc apud animum volutare cœpit. Quid? huccine recidere conatus meos? iſtos fugitiuos, ac ſceleſtos de me triumphum agere? me ludos fieri? Tandémne Troianus, diſrumpar ego licet, intrabit Italiam, & ego curſum hunc impedire non potero? Cur quæſo? quia Palladi auctoritate, & potentia cedo? ſcilicet. Quid igitur? Ipſa, ipſa, inquam, Iouis fulmen ad ſe vlciſcendum vſurpauit, ac de cælo iaculata, propter vnius Aiacis Oilei flagitium, eiuſdem nauim immani tempeſtate quaſſatam exuſſit, ſedatumq; antea pelagus ita turbauit, ut propemodum euerterit: ſacerdotis ſuæ Caſſandræ conſtupratorem typhone abreptũ, eminenti ex vndis ſcopulo miſerabiliter afflixit, & ſacrilegam animam vnà cum flammis exſpirare compulit. O rem indigniſſimam. Et erit poſthac quiſquam, qui me ab exulibus iſtis toties ſuperatam, deſpectam, irriſam veneretur? qui me, quo par eſt honore impertiatur? Non erit profectò, non erit. Vbi hæc dolore ardens ſecum reputauit, feſtinatò ad inſulam Aeoliam, admodum ventoſam, & nimbis fœcundam diſceſſit. Illic Aeolus Eurum, Auſtrum, cæterosq; ventos capaciſſimo ſpecu incluſos, & eruptionem inſanis aſſiduè molitionibus tentantes coercet, ac velut quodam in carcere vinculis, compedibusq; conſtrictos retinet. Alioqui (quæ ipſorum eſt naturæ conditio, qua nihil turbulentius, ſeditioſius, ac furioſius cogitari poteſt) cælum, terram, maria permiſcerent, omniaq; elementa confunderent. Huic tanto periculo perſapienter iuit obuiam Iupiter: eos quippe in profundiſſimas terræ latebras compactos, ſuperiectis montibus quodammodo ſepeliuit, quò difficilius pateret exitus. Inſuper regem ipſis præfecit, cuius moderamini obſequerentur: qui eos ad arbitrium voluntatemq; Iouis vel premendi, vel emittendi ius omne haberet.

Oratio Iunonis ad Aeolũ. Æole, namq;.

Quamobrem Aeolo ſupplex facta Iuno, huiuſcemodi verbis locuta creditur. Quoniam diuûm atq; hominum imperator hoc te honore honeſtum fecit, Aeole, ut iratum ac tumidum mare ventis in clauſtra reuocatis mitigare, atq; componere, iiſdemq; dimiſſis placatum concitare poſſes, impenſè rogo, ne tuam mihi operam negatam velis. Volo me hodie rem abs te vnam impetrare. Per Tyrrhenum mare in Italiam curſum tenent Troiani, cui genti ego & ſum, & fui ſemper exoſa: quapropter, equidem neſcio. Decreuerunt in ea regione euerſum iam pridem, & ſolo æquatum denuo excitare Ilium. Quin etiam penates ſecum, homines religioſi, portant: ſed eiuſmodi penates, qui nec ſuis cultoribus, nec ſibimetipſis tantillum auxilij afferre potuerunt. Nunc te id oro: da frena ventis, cælum miſceant, tempeſtatem validam commoueant, ut ita inuiſa mihi claſſis vel obruatur vndis, ac ſubmergatur penitus: vel ſaltem diſſipetur, ac per fluctus latè diſpergatur. Faxo cognoſcas, mi Aeole, cui beneficium dederis: remunerabor enim te quam gratiſſimo munere. De quatuordecim nymphis pediſequis meis, iiſq; ſanè pulcherrimis,

rimis, Deiopeiam, forma multò supra cæteras præstantissimam perpetuo tibi matrimonio perpetuam vxorem coniungam, quæ tecum vitam viuens iucundissimam, formosis liberis generandis beatum, fælicemq; reddat. Ad hæc ita Aeolus. Hærent, Regina, mihi in pectore, & semper hærebunt tua merita: en paratum habes ad omnia. Tuum est imperare, quod libeat: meum, imperata statim exequi. Tibi hoc qualecunq; regnum, & hanc nimborum potestatem in acceptis fero. Tuæ beneuolentiæ munus agnosco, quod aliquem gratiæ locum apud Iouem teneo, & diuinitate sum potitus. Quare quod modò dicebam, tuum esse puta, videre, quid à me præstari velis: quidquid autem volueris, facillimè obtinebis. Tum conuersa hasta, quam dextra manu tenebat, montem in latus pulsauit, ventisq; se proripiendi copiam concessit. At illi sine mora, quacunque egressus qualiscunque ostendebatur, se furiosissimè eiecerunt: cumq; prius terras viciniores flatibus percurrissent, ad mare tanquam assuetum locum contendere perrexerunt, ad idq; omni impetu, totisq; viribus ab imis sedibus euertendum incubuerunt, ut fluctus in horribilem altitudinem elatos, veluti quosdam montes ad littus prouoluerent. Audisses ibi clamores vectorum confusos, rudentum stridorem planè insolitum. Caliginosæ, ac piceæ nubes cæli, atq; solis aspectum omnem adimebant. Tantæ autem tenebræ per vniuersum æquor se intendebant, ut in nocte intempesta versari videremur. Continuus inde cæli fragor, & tonitruorum sæui mugitus terrificabant animos, cum etiam creberrima fulgura oculos perstringerent. Ne longum faciam, omnia Troianis mortem, & exitium præsens minitabantur. Quem hîc sensum Æneæ fuisse credimus? ingenti nimirum timore perculsus, sublatis ad æthera manibus suspirans, & ingemiscens, sic exclamauit. O beati ciues mei, quotquot apud Troiam pro patria, quamuis in conspectu parentum, ac liberorum vitam, & sanguinem, inter fulgentes gladios, ac tela cum summa gloria profudistis. Heu Græcorum bellicosissime Diomedes, cur ad hasce calamitates reseruatus sum? cur tecum congressus, tua forti dextera non occubui ante Ilium, vbi, magnanimus Hector ab Achille, Sarpedon Iouis filius abs te ipso interfectus oppetijt. Vbi, inquam, Simois fluuius tot armis, tot cadaueribus strenuorum bellatorum propemodum oppletus labitur. Mihíne soli in tanto cadentium numero mors pepercit? Idcirco videlicet cum laude non interij, ut possem aliquando, nempe hodie, inglorius, & miserandum in modum fluctibus absorptus interire. Hæc eo nequicquam conquerente, à Septentrione insanus Boreas procellam sæuissimam attulit. Feritur à fronte nauigiũ, fluctibus sublimè tollitur, remi diffringũtur, nauis latus in mare vergit, cui à tergo maxima aquarũ vis aduoluitur. Lacrymabile spectaculũ Alij vnà cũ salo in cęlũ ꝑpe ascendebãt. Cõtra alij dehiscẽte pelago, sic descendebãt, ut ipsum fundũ, & æstuantes ibidẽ arenas aspicerẽt. Hîc Notus tres sũma violentia naues arripiens in saxa, ac scopulos vndis tũ prorsus coopertos impingit. Extant hi scopuli inter Africam, & Sardiniam in medio mari, & speciem ingentis dorsi præbent: quos Itali propter fœdus ibidem inter Carthaginenses, & Romanos primo bello Punico percussum, aras nominant. Eurus quoque pari impetu tres alias à profundo æquore in breuia, & vadosa loca impellit, ita, ut in arenarum cumulis penitus defixæ hærescerent, nec inde erui, atque amoueri vllo conatu possent. Porrò in puppim vnius, qua vehebantur Lycij (quorum dux Orontes, Æneæ comes fidelissimus) ipso Ænea inspectante, immensa aquarum moles à Septentrionibus vento illata, magistrum in caput præcipitantem deturbauit. Deinde nauis aliquoties rotata turbine in profundum absorpta est. Cerneres tum summersorum corpora per illos aquarum campos hinc inde natantia. Arma item, fractæ nauis tabulæ, & ereptæ Troianis incendijs opes simul natabant. Ilionei nauim, tametsi bene compactam, tempestatis atrocitas dissoluerat: pariterq; Achatæ, Abantis, & Alethæ naues lacerauerat, ut omnes iam per rimas multum aquæ acciperent. Dum hæc ita, ut dixi, procederent, sensit in imo Neptunus regnum suum insolito quodam motu concussum, quando vel prope ipsum fundum aqua agitaretur. Hæc illi res, pro eo ac debuit, cor ira cumulauit. Quare, ut certius, quid gereretur, cognosceret, caput mari effert, Æneæ classem dissipatam, Troianos imbribus, atq; procellis tantum non oppressos animaduertit. Illico in mentem venit, hoc esse ingenium

Responsio Aeoli. Aeolus hæc contra.

Conquestio Æneæ. O terq; quaterq;.

Placatio maris. Interea magno.

nium Iunonis sororis suæ, quam Troianæ genti infestissimã, esse nõ eum fallebat. Quid facit? ventis imperat, vti extemplò se sistant: quos adstantes, & trementes ipse iracundo vultu tridentem intentans, hisce verbis inuadit. Scelestissimi, quænam est hæc vestra tam insolens audacia? quæ tam arrogans confidentia? Scilicet, quoniam à Titane suscepti, ob id vobis, me nescio, cælum cum terra confundere, & fluctus pro arbitratu eruere licebit. Vos ego iam iam. Sed temperabo in præsens, quoniam præstare iudico, innocentibus citò succurrere, quàm de nocentibus debitas scelerum pœnas expetere. In posterum sapite, ac facinus simile ne attentetis cauetote. Sin autem, non ego verbis, ut nunc, sed nouis supplicijs petulantiam vestram coercebo, & furorẽ cõprimam. Absistite ocyus, & sine tumultu absistite, ventorumq; regulo meis verbis renunciate: demirari me eius impudentiam, qui aliena per summam iniuriam sibi vendicet. Meum est mare: occupet ille antra, & speluncas regnum suum, vestra domicilia: & illa aula, immò illo obscurissimo carcere sibi placeat rex potentissimus. Secundùm hæc, subitò fluctus sedat, discussisq; nubibus, solis aspectum Troianis restituit. Cymothoe nympha, & Triton tibicen scopulis annitentes, impactas naues detrudunt, tridente eas leuante, ac per syrtes tutam nauigationem præbente Neptuno: quo per æquor celeri curru inuecto, passim vndæ subsidebant. Haud alia rerum facies erat, quam solet interdum in magnis vrbibus, cum excitata seditione, populus ad arma concurrit, saxis, facibus, telis, quæ furor repentinus suppeditat, domos potentiorum, atq; optimatũ oppugnat. Quod si tum forte aliquis, cuius de probitate, & eloquentia præclara sit apud omnes opinio, se tumultuanti, frementiq; multitudini in conspectum dederit, silentium consequitur, & intentis animis ab omnibus accipitur eius oratio, qua placantur, & ad quietis, tranquillitatisq; consilia conuertuntur. Troiani importunissimis iactationibus incredibiliter lassi, exhausti, enecti, proximum littus quodcunque illud tandem, optabant attingere: iam quippe immemores Italiæ, de salute tantum, & misera anima retinenda cogitabant. Descendunt igitur in portum quendam Africæ, quo neque natura, neque ars aptiorem, commodioremq; vllum efficere potuisset: quem operæ pretium erit paucis describere. Est quædam in longitudinem porrecta velut peninsula, cuius lateribus altissimi scopuli vtrinque surgunt, quibus allabentes vndæ refractæ, in sinus reciprocantur. Ad radices harum rupium, scopulorumúe, summa est malacia, eaq; satis latè patet in mare, summa nauibus securitas. E regione autem, seu à fronte huius portus antrum, in quo dulcis aqua, & bibentibus salubris: itemq; saxa illa viua in speciem sedilium adeo elegantia visuntur, ut manu latomi facta existimes. Pulchrũ omnino antrum, vt ab ipsis nymphis incoli putes. Hoc ergo in portu propter mirificam vndarum quietem iacere anchoram ad firmandas naues haud est opus, cum per se tutissimè consistant. Tenuit portum hunc Æneas septem duntaxat nauibus: alias enim omnes amiserat (sic enim opinabatur) cũ fuissent à principio viginti. Lætabantur immensùm Troiani, quod naufragium, mortemq; euasissent, & terram aliquam inuenissent: in qua mox irrigata, & macerata salo membra super viridi herba deposuerunt. Achates illico ignem è silice eliciens, frondibus aridis flammam suscepit, ac ramentis circundatis, focum luculentum excitauit. Dehinc frumenta acredine marini humoris pæne corrupta desiccant, atq; ad molendum, & panes coquendos instrumenta expediunt. Illis in huiusmodi muneribus occupatis, Æneas conscensa rupe diligentissimè, quousq; oculi prospectum ferebãt, per mare quaquà versum circũspicit, sicubi distractas à se naues conspicaretur. Nihil nauiũ apparet vspiam. Tres eximia magnitudine, & altis cornibus ceruos in littore pascẽtes cõspicit, quos reliquorũ ceruorum totũ agmen, tanquam duces, à tergo cõsequebatur. Repente arrepto arcu, & deprõptis sagittis, quas tũ Achates ipsum comitatus gestabat, primùm tres, quos dixi, duces illos cõfigit: postea multitudinẽ cõfusam, ac perturbatã, & per nemus fugientem iaculando insecutus, nõ ante cessauit, quam septem numero (quot nimirũ naues appulerant) prostrauisset, omnes magno

Troiani portum tenent, et se reficiunt.

Defessi Æneadæ.

corpore, & præpingues sanè. Redit ad portum, prædamq; in naues distribuit: simul etiam vinum, cuius permultos cados ipsis è Sicilia discedentibus Acestes rex, & amicus donauerat. Insuper leuare mœrorem suorum hac consolatione studuit.

Consolatio Æneæ.

O socij, neq; .n.

Nihil esse arbitror, ciues mei, cur fracto, & desperato simus animo in hisce malis, cum grauiora sustinuerimus, id quod vos meminisse autumo: quibus quoniam deus finem, & modum posuit, profectò etiam his positurus est. Calamitas omnis aut grauis est, & finitur breui: aut leuis, & tolerari quamuis diu potest. Recordamini Scyllæ, & Charybdis, quas apud Siciliam cum summo periculo vitæ adijstis. Et tamen, quæ diuina bonitas est, salui euasistis. Accipitote quæso bonum animum, timorem & mœstitudinem deponite, & viros vos præbete. Veniet tempus, quo casus hi, quanquam in experiundo dulces minimè fuerunt, memoria ipsa sint iucundi. Est siquidem suauis anteactorum laborum memoria & habet præteriti laboris, seu doloris secura recordatio delectationem. Nunc quidem varijs afficimur, vexamurq; incommodis, dum Italiam nobis promissam inquirimus. Sed vbi eò semel peruenerimus (quod dijs bene iuuantibus intra breue tempus futurum auguratur animus) patriam nostram restaurabimus, & veteris illius Troiæ simulacrum quoddam, imaginemq; Italia intuebitur. Quamobrem, ne vos vllæ rerum aduersarum acerbitates fortunam secundissimam sperantes debilitent: tristibus paulo post læta succedent: & qui hodie videmur calamitosissimi, ijdem beatissimi, ac florentissimi paulo post numerabimur. Hæc ille proloquebatur vultu quidem ad hilaritatem composito: sed animus cura, & mœrore oppressus tenebatur. Troiani epulas præparant: primò pellibus detractis ceruos euiscerant, tum frustatim concisos partim assant, partim collocatis per ordinem cacabis elixant, & alij hoc, alij illud sibi negotium deposcunt: quidam etiam ligna alendo, & augendo igni adijciunt. Rite paratis omnibus, loco virenti, ac peramœno accumbentes conuiuantur, & ferina pingui, optimoq; vino se plusculũ inuitant. Vbi sedata abundè fuit fames, mẽsis remotis, de auulsis tempestate sociorum nauibus pium, ac longum sermonem ordiuntur, eos vnicè desiderantes, de quorum vita aut morte nihil pro certo habebant statuere. Sed Æneas, quod erat vir humanissimus, & diligebat suos ut pater, cum omnes, tum Orontem, Amycum, Lycum, Gyan, Cloanthum fortissimos duces lugebat. In ipso lucis crepusculo Iupiter ab alto mundum contemplans, hominum labores, studia, cogitationes secum perpendebat. Forte ita euenit, ut ad Africam oculos intenderet. Tum Venus opportunum id tempus rata, prorsus mœsta, & illacrymans sic apud eum pro filio, ac Troianis suis disseruit, omnino συμπαθῶς.

Oratio Veneris pro Troianis.

O qui res

O cælestium simul, ac terrestrium potentissime, sempiterneq; rector, quodnam potuit ab Ænea meo, & Troianis pauculis tam tetrum, & detestandum in te facinus designari, ut tot cladibus attriti, & tantopere tot funeribus diminuti, ne possent vnquam Italiam ingredi, toto orbe expellerentur? At enim tute mihi ex hac stirpe Romanos aliquando procreatum iri (Dardani sanguine, qui Coryto Etruriæ oppido in Phrygiam venit, hac ratione in patriam reuocato) pollicebare, qui orbem totum potestate comprehenderent. Quæ res, ô pater, te nũc transuersum agit? quare à sententia deduceris? Pollicitatione tua, ut vnico solatio me hactenus sustentabam: hanc fælicitatem, & gloriam cum deleta Troia, cumq; illis luctuosissimis parietinis conferens, ægritudinem leniebam. Verùm, ut video, expugnati pridem adhuc oppugnantur, & vincuntur etiam victi. Nulla datur à vexatione requies: non vel paulùm miseris respirare licet. Heu quis tandem, ô summe arbiter, quis tandem atrocium, multipliciumq; malorum dabitur exitus? Antenor nulla re cum Ænea cõparandus, per medios hostium cuneos illæsus euadens, per Illyricum Venetiam regionem insedit, & Timavo transmisso, Patauium amplam vrbem condidit, sedes, & domicilia certa suis constituit, ipsis à se nomen Antenoridas imposuit, & tanquam confectis stipendijs arma consecrans, vitam in pace terminauit Nos domestici tui, nos genus tuũ, nos sanguis tuus, quibus diuinitatẽ, qua nihil maius, dignatus es promittere, amissa classe, prô dolor, ob vnius aduersum nos antiquũ, et inexsaturabile odium, ab Italiæ aditu quàm lõgissimè reiectamur. Eia, hunccine pietas erga te nostra honorẽ promeretur? hanccine mercedẽ? Istuc'ne regnũ nobis olim promissum? Vbi perorauit Venus, arrisit Iupiter, illoq; vultu placidissimo, quo fugat nubila, cõpescit

ventos, sum-

summamq; serenitatem inducit, osculum filiæ dissuauiatus, hunc in modum ploranti respondit. Nihil est caussæ, quamobrem angaris, filia mea: haud equidem mutaui animum: fiet quod dixi: visura es vtiq; promissam vrbem Lauinium, & Æneam tuum, mortali exutum corpore indigetem cælo inferes. Cæterùm, quando te futuri nimis anxiam, & perquam sollicitam intelligo, reserabo tibi mysterium, & in multa secula, quid euenturum sit tuis, prænunciabo. Funestum in Italia bellum manet Æneam, qui Latinis, & Rutulis, gentibus ferocissimis superatis, oppidum ædificabit, regnabitq; triennium. Ascanius porrò, qui modò Iulus (Troia stante Ilus audiebat) triginta annos traditum à patre imperium moderabitur. Deinde Lauinio relicto nouercæ Lauiniæ, & eius ex Ænea filio, Albam longam condet, quam magnis operibus vndiq; communiet. Illic diem extremum postquam egerit, nepotes eius continuata, & legitima successione trecentis annis regnaturi sunt: dum videlicet Ilia Vestalis, regis Numitoris filia, è Marte grauida geminos pariat, Romulum & Remum, quibus Amulij iussu expositis, lupa mammas præbebit: inuentos pastor quidam regius pro suis educabit. Deniq; obtruncato Amulio, & in regnum auo Numitore à nepotibus restituto, Romulus Albanorum ascita multitudine Romam molietur, à quo Romanis erit appellatio. Romanis autem ego quidem nec ditionis vllum finem, ac lineàm, nec imperandi spatium esse volo. Immo enimuero, ut mirere, ac lætere amplius, ipsa Iuno, quę nunc horribiliter sursùm ac deorsùm cõfundit omnia, benignam mentem induet, & quàm hodie vobis infesta, tam gentis tuæ principis terrarum populi mecum olim studiosa, & cupida sentietur. Hoc certum, fixum, immutabile est. Veniet autem illa dies, cum Æneæ posteritas Græciæ seruitutis iugum imponet, maioresq; suos præclarè vlciscetur. Existet è semine tuo Cæsar Iulius, qui virtute bellica tantum enitebit, quantum post illum nemo. Domabit is gentes immanitate barbaras, locis innumerabiles, copijs infinitas, & ex oriente cum victoria reuersus, atq; abs te in cælum subuectus, tanquam numen erectis altaribus, templisq; coletur à Romanis ciuitatibus. Insolita temporibus illis pax vigebit: claudetur Ianus, & militaris furor, quasi vinculis, & catenis constrictus fremet. Vigebit religio, vigebit fides, & in Augusti, quem Iulius successorem relinquet, atq; Agrippæ generi persona (qui concorditer administrabunt imperium) rursùm Romulus, & Remus fratres præesse regno videbuntur. Hæc effatus, Mercurium legat in Africam, qui indigenarum animos Troianis mox affuturis conciliet, & hospitium Carthagine præparet: ne Dido regina ob regni nouitatem omnia in suspicione ponens, & harum rerum penitus ignara, suis finibus, ut hostes, excludat. Alligatis talaribus Mercurius mandata patris exequitur. Quacunq; incedit, mitescunt Afrorum pectora, præcipueq; regina dulcem quendam amorem, & suaue eorum videndorum desiderium concipit, quos de fama, & nomine duntaxat nouerat. Æneas noctem illam, dum varias in partes animum versat, multisq; curis distrahitur, insomnem exigit. Cum prima luce locos illos explorare, & qui nam mortales incolerent (si qui incolerent) pernoscere, atq; ad suos referre decernit. Naues subductas nemorum specubus, & arboribus obtectas relinquit: Achatem sibi socium adiungit: ipse duo hastilia lato ferro præfixo, seu venabula gestat. Ecce autem in media sylua mater Venus ei fit obuiam, astutè suam personam tegens, alienam simulans. Videbatur enim virgo Spartana aliqua, aut qualem narrant fuisse Threissam Harpalicen, cuius in equitando peritia, & in currendo notissima est celeritas. Arcum quippe sexui aptum, ab humeris, in morem venatricis suspenderat, comas solutas ventis diffundendas in tergum dederat. Præterea vestem supra suras cothurno indutas collegerat, atq; substrinxerat. Tum prior ambos cõpellans, Heus, inquit, amici, num quampiam de sodalibus meis hîc aut vagantem, aut aprũ, aliamúe bestiam cum clamore persequentem aspexistis? Dicite obsecro. Argumenta si quæritis, succinctam, & instructam pharetra, prorsus qualem me intuemini. Venus hæc. Æneas: nec auribus, nec oculis vsurpaui meis vllam huiusmodi. Te verò, ô pulcherrima, quam potissimùm esse dicam? si faciem tuam augustissimam, vocemq; considero, non es mortalis. Quid ergo? Dea es profectò. Sed iam illud scire peruelim, num tu aut nympharum Oreadum vna, aut ipsissima Phœbi soror

Oratio Iouis, Venerem cõsolantis.

Parce metu.

Mittitur ad Afros pro Troianis Mercurius: Venus mentito habitu Æneæ in sylua occurrit.

Sic ait, & Maia gẽ.

Colloquium inter Venerẽ & Æneam.

Heus, inquit, iuuenes.

soror sis. Tamen quæcunque es, ah, nostri te misereat: succurre supplicibus: doce vbinam terrarum versemur: nec enim locorũ, hominumque vlla nobis notitia. Tempestate ad has oras adacti sumus, sponte nostra non venimus. Referetur gratia meritis tuis, crebræ victimæ aras tibi dedicatas imbuent. Ad ea sic Venus. Haud sibi tam singularem, ac cælestem honorem conuenire. Et quia se deam coniectarent, scirent hunc ornatũ esse Carthaginensium puellarum, quãdo feras venatu agitarent. Ipsos ingressos Libyam, siue Africam: non procul inde vrbem parari à Tyrijs è Phœnicia profectis, qui arma libenter tractent, & militaribus studijs maximopere excellant. Reginæ vocabulum esse Didoni, quæ cum ipsis Tyro venerit, fratrem Pygmalionem, capiti suo insidias tendentem fugiens. Caussas esse varias, & rem ad exponendum satis longam: se capita solum quàm breuissimè executuram. Nupta fuit Dido cum Sichæo, homine inter Phœnices facilè locupletissimo, quem illa plus nimio, & velut animam suam diligebat. Virgo quippe à patre Belo patre ei collocata fuerat. Regnũ Tyri, Belo mortuo Pygmalion administrabat, sceleratissimus omnium, qui per furorem mutuum, & amentiam aliquod detestabile facinus consciuerunt. Hic ergo per summam impietatem, ante ipsas aras, in conspectu deorum, occultè, ob auri cupiditatem, quod Sichæum clam omnibus tenere olfecerat, affinem suum, nihil pensi habens, quantus ex ea re ad sororem dolor redundaret, crudelissimè trucidavit, cadauer inhumatum abiecit. Hanc immanitatem diu celans Pygmalion, germanæ maritum sollicitè requirenti, verba dedit, confictisque caussis eius absentiam excusauit, vt interea thesauri inueniendi occasionem aliquam nancisceretur. Sed Didoni somnum capienti, simulacrum Sichæi sese obtulit, mirè pallidum, & aspectu ipso miserationem prouocans. Primùm lethale vulnus, quod à Pygmalione acceperat, exhibuit: tum aram, vbi perpetratum erat parricidium ostendit, totamque rem aperuit. Hortatum est deinde ad fugam quamprimum capessendam, & thesaurum quem secum asportaret, incredibilem scilicet auri, argentique vim, manu intenta demonstrauit. Talibus prodigijs, & tam præsenti periculo commonefacta, atque adeo compulsa Dido, fugam moliri, & socios quærere. Ibi tum conuenerunt, qui tyrannum vel ob accepta detrimenta, iniuriasque oderant: vel ne acciperent, malè formidabant. Naues, quæ fortè ad frumentationem destinatæ stabant in littore, onerantur, opibus, rebusque necessarijs implentur: conscendunt, & Didonis fœminæ virili animo, prudentiaque summa præditæ ductu, atque auspicijs vela ventis cõmittunt. Delati porrò sunt in oram hanc, vbi aliquantulum progressus, lata mœnia, & bona ex parte ædificatam vrbem Carthaginem, & arcem eius videbis. Hoc Tyrij solum ab Hiarba rege pecunia coemerunt, quantum videlicet possent bouis corio amplecti. Corium postea in minutissimas corrigias concidentes, non pauca stadia circumdederunt, & ob facti memoriam, locum Byrsam, hoc est, corium indigitarunt, qui nunc Carthago vocatur. Vos autem qui mortales? vndenam, & quonam obsecro? Hic Æneas grauiter ingemiscens: Heu dea, si inde ab initio exorsus, malorum, incommodorumque nostrorum seriem commemorare voluero, nox diem citius adimat, quàm ego finem orationis reperire possim. Troiani sumus, si hoc verbi in istis regionibus vnquam fando auditum est. Per multa maria fœdè iactati, in Libyam tandem (vt nominabas) aduersissima tempestate eiecti descendimus. Ego sum ille Æneas, quem pium cognominant: ereptos flammis, & populationi penates mecum veho, fama ignotus minimè: at facie hîc quidem notus nemini. In Italiam contendo, vnde genus duco, & quæ mihi antiquissima patria est: siquidem Iupiter pater Dardani, qui Coryto Etruriæ vrbe relicta, in Phrygiam profectus, ibi nostræ gentis fundauit originem. Viginti nauibus nos pelago credidimus, matris stella semper præuia, quò fata ducerent secuti. Ex eo numero non plus septem fluctibus, ventisque laceratæ remanserunt. Ego verò tanquam ignotus, rerum omnium necessariarum penuria cruciatus, per Libyæ deserta vagari cogor, Europa atque Asia prohibitus. Non potuit Venus conquerentem vltra ferre: liquescebant materna præcordia: quare sic interrupit. Quicunque es, non mihi videtur hoc leue argumentum diuinæ erga te clementiæ, quod Carthaginem aduentasti. Volunt nimirum dij immortales tibi, ut apparet, benefacere. Quare si mihi auscultabis, gradieris rectà, & ad reginam te quam ocyssimè conferes. Quà de classe, quà de socijs, omnia salua, & tuta omnia, si quid

Venus docet Æneam. Haud equidẽ tali.

Calamitatem suam Veneri conqueritur Æneas. O dea si prima.

Consolatur, & hortatur Æneam Venus. Quisquis es.

si quid veritatis habet, qua me parentes erudierunt disciplina auguralis. Intuere duodecim cygnos istos, ut lætantur? Hos paulo ante ministra Iouis aquila per cælum insectabatur crudeliter. Nunc ordine terram designant atq; eligunt: nunc electam deuolando aspectant. Quemadmodum illi discrimine superato ludunt, & in orbem volitantes dulcisonos cantus fundunt: ita certè naues tuæ, & iuuentus omnis aut in portum iam inuecta est, aut secundis flatibus inuehitur. Perge igitur fidenter, & quà via iter monstrat, vrbem pete. Hæc prolocuta sese auertit. Statim formosa ceruix, odoremq; gratissimum efflantes comæ, & ad talos vsq; defluens vestis, diuinus insuper incessus, veram deã, ipsamq; Venerem esse coarguerunt. Derepente cognitam in abitione matrem hac expostulatione insecutus est Æneas. O mater, mater, quid tibi lubet hunc ludum ludere, & me filium schemate mentito decipere? Indicasses te mihi saltem hodie, ut copulatis dextris, non personatè, sed apertè, quomodo decebat, inter nos colloqueremur. His dictis versus vrbem progrediuntur, Venus progredientes nebula circumfundit, ne quisquam eos videre, ne lædere, ne moram aliquam obijcere, ne demum caussis exquirendis à proposito retardare posset: ipsa Paphum vrbem Cypri reuertitur, vbi ei per delubra plurima thure, & floribus sacrificatur. Interim semitæ insistentes, citatoq; gradu ambulantes Æneas, & Achates in collem perueniunt, qui ex aduerso vrbis in longum extensus iacet. Magnopere hîc miratus est Æneas nouæ ciuitatis amplitudinem, illis præsertim locis, vbi quondam pauperes casæ, & vilissima tuguria stetissent. Miratus est portas, miratus vias pulchrè stratas lapidibus, præterea incolarum in ædificando occupatorum concursationem, & strepitum. Enimvero haud segnes ad opus incumbebant. Alij quidem muros erigebant: alij manibus ingentia saxa subvoluebant: alij arcem cælo educebant, alij domibus locum describebant. Hîc leges sciscebantur, magistratus creabantur, senatores legebantur. Ibi portus, & theatro cõstruendo fundamenta effodiebantur, columnæ ad scenas distinguendas, ordinandasq; è vicinis montibus exscindebantùr. Consimile studium Carthaginensium censuisses, quale apum, quæ prima æstate adultos iam liberos secum educentes, per florigeros campos, & amoena hortorum volitant, materiam generando melli accommodatam sedulò conquirunt, à venientibus onera tollunt, fucos perniciem, ac pestem laborum suorum facto impetu ab aluearibus repellunt, & cellulas dulcissimo, ac purissimo liquore inferciunt. Feruentibus illis procedit opus, & afflatur thymi odor suauissimus. Exclamat Æneas, beatos pronuntians, quibus securis vrbem ædificare liceat, à qua fælicitate, sentiebat quam ipse longè abesset. Tum, vt erat nebula circumfusus, per medios Carthaginenses incedit, neque ab vllo conspicitur, cum ipse conspiceret omnes.

Iter, & ingressus Æneæ in vrbem.

Talibus incusat.

Fuit in vrbis medio lucus, amœnitate singularis, ubi Tyrii, cum primùm eò venissent, caput equi Iunonis monitu effoderant: quo portento significabatur, bello claram, rerumq; copia abundantem eam gentem fore: est enim & prælijs, & aratro aptum animal equus. Illic magnificentissimum, ac peramplum Iunoni custodi templum Dido erigebat, cuius ærei gradus, æreæ trabes, æreæ fores. Eius ædis iam tum in ipsis initijs, propter oblatorum donariorum æstimationem, & præsentiam numinis magna erat reuerentia. In hoc ergo luco quiddam contigit Æneæ, quod illum omni propemodum periculi timore liberauit, & ancipitem animum ad bene sperandum exsuscitauit. Etenim dum reginam exspectans, in fano illo singula curiosè perlustraret, artificum operam, industriam mutuò compararet: ecce tibi in pariete aspicit ordine depictam belli Troiani historiam: vnde liquidò animaduertit, toto iam mundo illud percrebuisse. Siquidem Asia intulerat: Europa ignorare nõ poterat, quæ passa esset: Africa quoq; non poterat, cum id ipsi parietes loquerentur. Cernebat Agamemnonem, & Menelaum, & vtriq; infestum ac infensum Achillem, exercitus Græci primarios duces. Firmat gressum, profluentibusq; lacrymis: En, mi Achates, nulla profectò orbis pars est, nulla regio, ad quam nostrarum calamitatum, ærumnarumq; nuntij non peruaserint. En Priamum. Omnino ista res affirmat, hîc quoq; virtutem venerationi, & alienas clades miserationi esse. In bonos, opinor, & humanitate præditos homines incidimus: proinde angorem missum faciamus: fama de nobis accepta, salutem, & auxilium pollicetur. Hæc ad istum modum Æneas, animum suum illa pictura detinens, cum singultu, & fletu vberrimo. Quid ni enim? Intuebatur arcta obsidione cinctũ Ilium, patriam nempe, qua nihil dedit

Pictura tẽpli.

Lucus in vrbe.

dedit hominibus natura charius: & hîc quidem Græcos Troianis prementibus, ibi vicissim Troianos, insequentibus Græcis, & Achille vrgente fugam capessere. Agnoscebat Rhesi Thracum regis ex velis albis tentoria, quæ prima noctis vigilia à Dolone prodita, Diomedes & Vlysses cruenta cæde bacchati vastauerant, equosq; candidissimos, antequam Troianum pabulum, & aquam gustauissent, in castra secum abduxerant. Alia in parte aspiciebatur Troilus puer, quem Achilles sibi multum impari certamine congressum, neci dederat. Caput & hasta per puluerem trahebantur, cum pedibus adhuc currui cadauer implicatum hæresceret. Troianæ matronæ passis crinibus mœstæ, ac supplices, pectora tundentes, ad Palladis delubrum cum peplo, seu veste muliebri tenuissima & pretiosissima, eidem offerēda properabant. Simulacrum autem deæ toruùm intuens, oculosq; humi defigens, quid Pallas cogitaret, argumento erat. Expressum item cernebat Hectorem, sibi in paucis charissimum, atq; affinem suum, quem Achilles à se iugulatum, & ad quadrigam suspensum, circum mœnia raptabat: expressum Priamum, corpus filij ab Achille, protensis manibus, multa vi auri ad sepulturam redimentem. Hoc spectaculum illi, Æneæ inquam, acerbissimum fuit, ac novos gemitus, recentesq; lacrymas elicuit. Quin etiam semetipsum Græcis principibus immistum, & Memnonem cum suis Æthiopibus agnouit. Ducebat præterea Amazonum copias (quarum scuta parua, in modum dimidiatæ lunæ conformata) Penthesilea regina, toto ore uulnera, & cædes spirans, nudatamq; mammam aureo subligatam balteo gerens. Et quamuis esset mulier & virgo, non dubitabat tamen cū viris intrepida, viriliterq; cōfligere.

Dido in templum venit, adeunt eam supplices Troiani.

Hęç dum Dardanio.

Dum hæc Æneas attonitus contemplatur, Dido fœminarū venustissima multis stipata satellitibus ad templum accedit. Putares Dianam esse, quando propter Eurotam Laconiæ fluuium, aut super Cyntho Deli monte choros frequentat, innumeris dextra, læuaq; circumdata Oreadibus: inter quas pharetrata ingrediens, vertice supra omnes eminet. Quæ res spectanti Latonæ matri, sibiq; tantæ pulchritudinis filiam gratulanti, non mediocrem lætitiam afferre consueuit. Huiuscemodi species eras Didonis, & sic ad templum progrediebatur: vt nimirum operas inspiceret, atq; ad cœpta promouenda calcar adderet: oculus enim domini pinguefacit equum, ut dicitur. Inædificatum erat delubro sacellum, Iunoni dedicatum: id habebatur quasi quoddam adytum, siue sacrarium, in cuius porta collocato regali solio, ministris circumstantibus regina consedit. Ibi forum agere, leges dictare, opera iustè distribuere incipiebat, cum improuisò, frequenti Carthaginensium concursu Antheus, Sergestus, Cloanthus, cæteriq; Teucrorum è singulis nauibus delecti, clamantes, & misericordiam implorantes templum introgrediuntur. Erant autem hi de illis, quos ab Ænea tempestatis sæuitia diuulsos, & aliò abductos suprà retulimus. Rei nouitate vterque, Æneas, puta, & Achates obstupuit, quorum animos partim gaudium, partim metus agitabant: ac nisi res necdum certa vetuisset, vtiq; dextras mox inter se dedissent. Tenent se itaq; in nebula, & arrectis auribus student intelligere, quis rerū status, vbi classis, quid sibi velit legatio. Postquam ad reginæ thronū penetrauerunt, & dicēdi potestas permissa est, Ilioneus, omnibus, rebus vir maximus in huiusmodi verba disseruit.

Oratio Ilionei.

O Regina, nouā.

Quæ sit Iouis opt. max. erga te voluntas, Regina, vel ex eo quiuis perspiciat, quod tibi nouam hanc, & egregiam vrbem in optatissima pace ædificare concessit, summamq; iustitiam, & sapientiam tribuit, qua gentem hanc cæteroqui ferocem gubernares. Te ergo iustissimam, & sapientissimam principem Troiani afflictissimi, per tot maria tot incommodis fatigati obsecramus, prohibe incendium, quod nostris nauibus à tuis subiectis iniquissimè comparatur. Misereat te illorum, quibus pietate nihil vnquam fuit antiquius: respice nos, quando non tanquam hostes populandi caussa venimus. Non ea importunitate sumus: & cum nos fortuna tam aduersa premat, non eos spiritus gerimus. Regio est nobilis, ac mirè fertilis, quam Hesperiam Græci vocant, olim tenuerunt Oenotri, nunc ab Italo rege Italia nuncupatur, eam petebamus. Sed coorta subitò procella, in vadosa loca nos impulit, & per saxa, fluctusq; dissipauit, ut ad littora hæc tanquam naufragi enataremus. O barbaros, ô feros homines. Qui nam isti mores? nec in arenis consistere nos patiuntur, ab ipsis littoribus bellum naufragis faciunt. Si tantum potentia vestra confiditis, ut homines, & humana arma penitus irrideatis, deum nunquam irridebitis: ille innocentes vindicabit, & cuiusque merita condignis præ-

mijs

mijs compensabit. Regem habebamus Æneam, virum iustissimum, religiosissimũ, qui si superest, nihil nobis timendũ arbitror: nec te pœnitebit priorem nos officijs deuinxisse. Est item amicus noster Acestes Rex in Sicilia, Troiano sanguine oriundus. Liceat igitur, oramus, naues pæne diffractas subducere: liceat cæsis arboribus remos reparare: vt si rege, socijsq; saluis, & receptis permittimur in Italiam nauigare, illuc læti nauigemus: sin, ô Ænea pater, tecum omnis salus nostra interijt, si te pontus summersum hausit, nec altera spes Iulus restat, saltem hoc nobis concedatur, ut remenso pelago, in Siciliam pristinum hospitium revertamur. Hactenus Ilioneus. Mussabant Troiani reliqui, & se iniurijs præter fas onerari, iniquissimè ferebant. Locuta est contra humanissimè Dido, vultu summisso ac pudoris pleno. Quem habetis, inquit, timorem, omittite, nec vos dedatis angoribus. Frater meus mihi inimicus, & regnum needum stabilitum, cogunt me præsidio tueri fines, & hostes suspicari, qui hostes non sunt. Quod passi estis, communi nomine passos creditote. Quis enim molestiam vllam exhibere velit Troianæ genti, viris fortissimis, quorum in tam diuturna obsidione virtus, & tolerantia per orbem totum celebratur? haud è ligno dolati, homines sumus vestrûm similes, nec ab hac vrbe, vt quondam à Mycenis, sol refugit. Siue in Italiam, siue in Siciliam contendere libet, auxilium, commeatum, resq; omnes necessarias spondeo. Si verò Carthagine remanere mecum placet, putate vestram esse Carthaginem: eodem mihi loco eritis, quo Tyrij, nec alio illi iure, nec vos vtemini. Vellem, mihi credite, rex ipse Æneas eodem vobiscum casu in meum littus delatus adesset. Planè certos, fidelesq; homines destinabo, qui terminis Libyæ diligenter obitis, per syluas, & vrbes illum curiosius indagent. Antequam absolueret Dido, iam Æneæ, & Achati exiliebat animus, vixq; sibi temperabant, quin erumperent. Quid est Ænea, Achates ait, quid tibi videtur? quid moramur? Ad votum omnia ceciderunt: seruata classis, seruati socij: vnica tantum nauis, cum suo duce, nobis intuentibus fluctu absorpta perijt, cætera euenerunt, qualia mater prædixerat. Illico circundans ambos nebula, in aërem resoluta euanescit. Conspectus est tunc nec opinato Æneas clarissima luce collustratus, oris elegantia, humerorumq; latitudine Deo cuipiam conferendus: nec mirum, ipsa quippe Venus decoram cæsariem filio, & iuuenilem totius corporis elegantiam addiderat. Veluti cum ebur manu artificis cælatum: aut cũ argentum, candidumúe marmor auro inclusum cernitur. Extemplò ad Reginam, & astantẽ turbam conuersus, quem optatis, ecce, inquit, adest Troianus Æneas, è tempestate Libyci maris saluus, & incolumis. Tu sola, Dido, nostram vicem dolens, Græcorum hasce reliquias, varijs casibus, terra mariq;, confectas, omnium egentes, vrbe ac domo, incredibili humanitate non recusas accipere. Vtinam nobis ea facultas esset, ut tãtis officijs atq; meritis pares referre gratias possemùs. Sed neq; nos possumus, neq; oẽs Troiani, quotquot per orbem hodie dispersi viuunt. Quamobrem deos immortales precabor, vt si ipsis hominum pietas, & iustitia curæ est, tibi præ omnibus cumulatissimè benefaciant. Beatum sæculum, quo in vitam edita es: beati parentes, qui talem filiam genuere. Dum in pelagus labentur flumina, & vmbræ montes circumibunt, & terræ vaporibus alentur sidera, in omne æuum, inquam, vigebit nominis tui gloria, quã æternitas intuebitur. Nec me huius benignitatis capiet obliuio, vbicunq; terrarum spirauero. Hæc ubi dixit, Ilioneum dextra, Sergestum læua complectitur. Post alios, præcipuè autem Gyan, & Cloanthum. Commota est non leuiter primo viri aspectu Regina, tum casu & fortuna eiusdem. Compellauit autem virum blande in hanc sententiam. Prô, quam iniquam se tibi, nate Dea, fortuna præbuit? quomodo ad hasce gentes Africanas, agrestes, & incultas moribus appulsus es? Ergóne tu ille Æneas, quem Venus Anchisæ Troiano pascenti pecora, ad ripas Simoentis peperit in Phrygia? Quęras forsan, vnde ego hęc nouerim. A Teucro Telamonis filio didici: qui à patre in exiliũ pulsus, Tyrum venit, sedem ac domicilium quærens: qua in re meus pater Belus, qui tum Cyprum oppugnabat, & occupabat, eum adiuuit, & condendæ vrbi locum in ea insula attribuit. Ex eo Troiæ vestræ oppugnationem, euersionem, multa item de te, de Græcis principibus Agamemnone, Vlysse, Diomede, alijsq; sigillatim audiui. Ac Teucer quidem, tametsi hostis, Troianos nihilominus mirificè prædicabat, seq; materno genere Troianum dictitabat. Agite verò, me sequimini in regiam. Non dissimilem ego fortunã experta, priusquam hoc otio, & regno potirer,

Responsio Didonis.

Tũ breuiter Dido.

Oratio Didonis ad Æneam.

Quis te nate Dea.

præclarè

præclarè scio miseris succurrere. Sic fata, Æneam in palatium regale ducit, perq; vrbem ferias indicit, & ad omnia puluinaria supplicationes decernit. Nec verò cæterorum, qui in littore exspectabant, obliuiscitur. Viginti boues, centum sues saginatos, centum agnos, totidem oues, ingentem vini numerum mittit. Interiora domus regiæ, quanquam splendidissima, nouo tamen, & pretioso ornatu instruuntur, quòd illic erat ineundum conuiuium. Teguntur parietes artificiosé laboratis, purpureisq; peristromatis, ingentia ex auro, & argento, rerumq; in Didonis familia iam inde à principio gestarum imaginibus cælata pocula proferuntur. Æneas, quoniam quiescere paternus animus, & vnici filij, etiam in tanto honore, immemor esse haud poterat, curriculum facere Achatem ad naues, & hæc Ascanio nũtiare, ipsumq; adducere in vrbem iubet. Tota quippe cogitatione in Ascanio morabatur. Mandat præterea, ut sumptuosissima munera secum apportet. Ea erant, primùm palla signis aureis intertextis admodum rigens, & ponderosa. Deinde cyclas, longa & spatiosa vestis, quam limbus obibat, acanthum herbam imitans. Hunc ornatum Helena sibi à Leda matre donatum, cum Sparta fugiens, Paridem adulterum sequeretur, Ilium attulerat. Præter ista erat sceptrum, monile consertum lapillis Indicis, & aurea corona gemmis distincta, quibus Priami filiarum natu maxima Ilione olim vsa fuerat. Hæc igitur ut acta redderet, ad naues Achates advolabat. Verum enimvero

Dolus, et preces Veneris. At Cytherea.

comminiscitur hîc mirabilem dolum Venus. Nam cum sciret Poenos esse fœdifragos, & muliebri animo nihil inconstantius, videretq; Iunonem nunc ut cum maximè omnem rudentem moturam, ut Æneæ incommodaret, quandoquidem satis magnam occasionem adepta esset, visum est illi subornare Cupidinem, qui in faciem Ascanij versus, & in eius formã mutatus, simul cum donis illis inflãmaret Didonem, & ardetissimum quendã Æneæ amorem eidem immitteret. Quare sic puerũ est affata. Fili mi dulcissime, quo vno omnis mea potentia, imperiumq; nititur (nam sine te nihil possum, qui vel ipsi Ioui imperas) vnum quoddam beneficiũ te posco. Iã nosti, quò pacto frater tuus Æneas odio & inuidia Iunonis, per tot maria, tanto temporum interuallo iactetur, & iuxta mecũ sæpe doluisti ob hanc rem. Hunc modò recepit domũ suam Dido, sanè liberaliter. At mihi ob Iunonem istud hospitium valde suspectum est: tantã opportunitatẽ, credo, haud negligendã sibi statuet. Decernebam igitur huic malo anteuertendum quàm maturrimè, & reginam amoris flamma velut obsidendam, ne instinctu numinis alicuius consiliũ vertat in deterius: sed iuxta mecum Æneam vehementer diligat. Vt hoc tute queas transigere, audi rationem meã. Accersitus est Ascanius deliciæ meæ, ad patrem se cõferet in oppidum, portans munera regalia, inde à Troia hucusq; advecta. Sopiam ego illum, & sublatum Cytheris, aut Idalia in sylua reponam: ne fortè si remaneat, dolum hunc nostrum aliquatenus impediat. Assimula igitur faciem eius hac tantum nocte, & puerum puer imitare. Quando aũt lætissima inter epulas Dido te suo fouebit in gremio, quando amplectetur, deosculabitur, ut mos est mulierũ paruulos tenerè amantiũ, tu ignẽ ossibus eius implicabis, & latenter amorem inseres. Obsecundans voluntati matris suæ Cupido, alas deponit, & hilarulus, tanquã germanus Ascanius ingreditur, Achates eũ ducit Venus interim in placidissimũ somnũ coniectum Asciolum, in sinu prę se gestans, Idaliæ in luco, in vmbra amaraci collocat, dum somnũ illum edormiat. Cum re-

Conuiuium. Cũ venit, aulæis.

giam intraret Cupido, afferens illa quæ dixi munera, Regina in lecto, aureo tapete constrato, in medio iã accumbebat. Æneæ, & Troianis lectuli purpura cooperti erant. Astabant famuli, quorũ partim aquã manibus affundebant, partim mantilia tenebant. Alij paruis corbibus panes inferebãt. In culina quinquaginta famulę, quę cibos coquerẽt, & focum curarent. Præter has omnes centum aliæ, & iterum centũ alij eiusdem ætatis adolescentes, qui dapes apportarent, & vinum miscerent. Affuerunt etiam primores Carthaginensium, qui per lectos pictis tapetibus instratos discumbebant. Mirabantur omnes donorũ præstantiam: mirabantur illum Pseudoiulum summopere: tantũ angustissima facies delectabat. In primis verò infælix illa mulier, & iam exitio destinata Dido satiari contemplando puero non poterat, & cũ illo permultum, tũ nonnihil donis quoq; mouebatur. Postquam Cupido se satis amplectendum patri (sic enim putabat Æneas) præbuisset, amoriq; eius satisfecisset, cum Regina se velle esse ostendit. Quem illa in gremio suo libentissimè iterum atq; iterum reponens, toto vultu, totaq; mente in aspectu eius se collocabat: sed ignorabat misera,

misera, quantam pestem foueret. Recordatus ille maternorum præceptorum, primùm Sichæi veteris mariti vultum, & amorem in eius pectore abolet, animumq; segnem iam, & desuetum recalefacit. Vbi mensis sublatis, maioribus poculis poscere cœperunt, factus est per aulam strepitus ob canentium, & hilariter, iucundeq; fabulantium, ac ridentium confusas voces. Pendebant ex aureis lacunaribus lucernæ magnæ & argenteæ, & funalium copia noctem diei æquabat. Tum Regina admodum latum, aureum, gemmisq; ornatum poculum afferri imperat, & more maiorum suorum, quem illi in conuiuijs seruare soliti erat, libatura vino implet. Fit repente silentium vndiq;. Illa: Iupiter hospitalis, oro quæsoq;, hunc & Carthaginensibus, & Troianis lætum, faustum, ac fælicem diem concede, & sine illius ad posteros quoq; nostros peruenire memoriam. Tu quoque lætitiæ parens Bacche, & tu Iuno nostra fauete. Vos etiam Tyrij mei, amanter, hilareq; cum hospitibus versamini. Secundum precationem hanc, paulum in mensam effudit: deinde ipsa prima gustauit primoribus labris tantùm: porrexit mox Bitiæ, hominis in accipiendo tarditatem reprehendens: non enim satis attenderat. Ille animosè hausit, & largissimè quidem, adeo ut barbam, pectusq; vino prolueret. Biberunt post alij proceres. Iopas citharœdus intonsa coma Apollinem, haud secus, quam in cithara imitans, res astrologicas, & physicas canebat: de obliquo lunæ cursu, de solis defectionibus, de humani generis, & animantium ortu, vnde imbres, vnde ignes ætherei existerent: de Arcturo præterea, de hyadibus, de vtraq; vrsa. Item cur tam longi dies æstate, tam breues hyeme. Plaudebant Carthaginenses, nec Troiani illis cedebant, æquè læti. Dido noctis partem vario sermone cum Ænea, varijsq; interrogationibus absumebat: & ut alij vinum, sic ipsa amorem bibebat, quo prorsus facta est ebria. Nunc de Priamo, nunc de Hectore multa, nunc de armis Memnonis, nunc de equis Diomedis, nunc de Achillis facinoribus percunctabatur. Sed quia harum rerum narratio in longum extendi non poterat, age, inquit, ab initio vsq;, mi Ænea, nobis Græcorũ fraudes, tuorumq; Troianorum crudele exitium: post hæc tuos errores (ut qui iam septimum annum per terras, & maria errabundus circumvagaris) exponito.

Cõclusio libri. Postquã prima quies.



Paraphrasis IN LIBRVM SECVNDVM ÆNEIDOS.

POsteaquam vniuersi, qui coram præsentes aderant Tyrij, Troianiq; altissimo facto silentio ad audiendum promptos sese, paratosq; ostenderunt, Æneas, ut erat toro elatiore, honoratioreq; discumbens, ab se quæsitorum narrationem à tali quodam principio exorsus est. Auctoritate tua, Regina Dido, quæ multum apud me ponderis habet, ad huiuscemodi res oratione pecurrendas impellor, quarum nunquam non pertristis mihi, perq; acerba solet esse recordatio. Vis namq; de me cognoscere, quibus fraudibus atq; fallacijs opulentissimam vrbem Ilium, vnaq; totum Asiæ regnum Græci euerterint, ac pessum dederint, & meorum ciuium crudelissimos casus, quos hisce oculis hausi, et magnã partem ipse pertuli. Equidem nec ipsos arbitror hostes nostros ad eorum auditionem imperaturos fore gemitibus, & lacrymis. Præterea plurimum noctis abijt, & occasura iam sidera, somno dare nos operam hortãtur. Nihilominus, quando pestis, exitijq; nostri percipiendi tanta es cupiditate incensa, & voluntatẽ tuam dolori meo anteferam: & quo me tempori accõmodem, summatim oia perstringã. Græcorũ duces, cũ vires suas obsidionis lõginquitate, & prælijs parũ secũdis (nobis videlicet suffragãte fortuna) impensè attritas, ac labefactatas cernerent,

Attentio, & beneuolentia captatio. Cõticuere oẽs.

Narrationis initium ab equo ligneo, & discessu simulato.

Ductores Danaûm.

nerent,desperatione capti dolum cõminiscuntur, equum ligneum vastissimæ molis solerter architectantur: eius caua selectissimis è toto exercitu militibus, bene armatis,ac nonnullis etiam de ducum numero inferciunt: rumorem disseminant,Palladi, numini tutelari ad prosperandum è Græcia reditum (discessum enim simulabant) machinam istanc compegisse. Non ita longo interuallo iacet Tenedos insula, florente adhuc Troia diuitijs præpotens: modò vacuata indigenis, & nihil nisi infidum,periculosumq; nautis hospitium. Huc sese latitatum conferunt. Nostri nihil dũ etiã suspicantes mali,re ipsa eos,& omnino discessisse rati, diutino se angore, metuq; exsoluunt,turmatim ciuitate egrediuntur,castrorum loca inuicem monstrantes cõtemplantur. Permultis prægrandis ille,& in perniciem nostram excogitatus equus, ac Mineruæ,ut falsò ferebatur,dicatus,stuporem incutiebat. Thymoetes siue maleuolentia (ut nimirum acceptam à Priamo persequeretur iniuriam)siue infælici quodam Troiæ fato, dare ibi cõsilium,in vrbem acciperetur,atq; in arce pro illustri monumento statueretur. At verò Capys,& cũ eo prudentiores nõnulli,Palladiũ hocce donũ in magnam suspicionem vocare,proindeq; auctores esse,vel ignibus suppositis exurendum:vel in mare præcipitandũ:vel certè bipẽnibus,ac securibus aperiendũ, perscrutandũq; penitus,si quid fortè insidiarum eo tegeretur. Populus fluctuare animis,& alij hoc,alij illud sentire.

Laocoontis monitio, & audax facinus.

Laocoon ardens.

Laocoon cum pluribus ex arce cursu descendens,sublato clamore, prô deûm atq; hominum fidem,inquit,quæ vos intemperiæ exagitãt? Cur domum Græcos redijsse,& votum istuc fallacia vacuũ creditis? Quid? Vlyssis ingenium ignoratis? Vnum horum trium quouis pignore verissimum esse cõtenderim. Aio, aut hostes intus delitescere:aut ad mœnia oppugnanda constructũ hunc equum: aut quippiam demũ fraudis,& imposturæ hîc absconditum. Quocirca si vobis cordi est vestra salus,videte cui fidatis. Etiam pietas istius nationis apud me suspicione laborat. Hæc dixit,& manu valida hastam in ventrem mõstri contorsit,adeo,ut resonaret. Quod si dij bonam mentẽ nobis non inuidissent, illa hora patuisset veritas,& tu Troia patria charissima vsq; in hanc diem stares incolumis.

Sinonis offucia,& Troianorum simplicitas.

Ecce manus iuuenem.

Secundũ hæc ecce tibi pastores Ilienses hominem ignotũ,reuinctis ponè manibus ad Priamum regẽ cum vociferationibus pertrahunt: qui etiam vltro se comprehendendũ obtulerat,eo consilio,ut fucum nobis facere,& Troiæ suis aperiundæ occasionem nancisci posset,sicut nactus est. Erat mortalis ille ad audendum proiectissimus,& quàm ad sutelas ac strophas aptissimus,tã ad mortem, si eæ secius processissant,excipiendã paratissimus. Populus ad captiuũ videndũ certatim ruere, plurimi eũ sannis ludere & vexare contumelijs. Nunc agè mihi attende animũ diligentius, quãq; sit fraudulenta gens Græcorũ,huius exemplo disce. Etenim simul atq; in medio populi constitit,lumina longè lateq; circumtulit, ingentemq; terrorẽ animi, ac pauorem præ se ferens,miserabiliter exclamauit,in hanc sententiam. Sibi iã nec terra,nec mari,nec apud ipsos Troianos locũ esse,quibus cũ salutem conciliaturus foret,ipsi eũ vita exuere instituerent. Ad hasce voces omnis continuò sedatus est tumultus,& cõquieuit strepitus. Conuersis ad misericordiã mentibus,postulamus,genus,& cõditionem suã enunciet:meminerit q;, in vna confessione veritatis captiuo locatã viuendi fiduciam. Ille metu posito,ut videbatur,sumptoq; animo, omnia se fideliter relaturũ spopondit:quod ut tãto magis crederemus, fassus est statim apertè, ꝙ illi,si capiti suo cõsultũ vellet,inprimis tacendũ fuerat,se Græcũ esse: addẽs grauiter,fortunã potuisse quidẽ reddere miserũ,mendacẽ neutiquã potuisse. Palamedem virũ nobilitate,famaq; insignẽ,quia pacis auctor semp fuisset,Græcos, ab Vlysse per inuidiã cõficto crimine,morte multasse,multatũq; ꝓpter egregiam virtutẽ eũ nũc desiderare,& ab inferis rediuiuũ votis omnibus exoptare. Hunc se propinquitate arctissima contigisse, & eidem adolescentem à patre suo paupere adiunctum tolerandæ militiæ socium. A patre,inquam,modò cum re tenui, qui aliquando regnum possedisset. Nam ut è seruis reges,ita è regibus est quando serui fiunt. Palamede igitur interempto, sibi quoq; vitam haud vitalem fuisse: indignissimè amici, & consanguinei mortem iniustissimam tulisse, nec dubitasse, verbis palam Vlyssi talionem minitari, si fælix aliquando in patriam reditus daretur. Atq; hoc malorum suorum quoddam extitisse procemium, Vlyssemq; ex eo tempore frequenter ipsum apud exercitum in opinione sceleris alicuius ponere solitum. Nec destitisse,donec administro consiliorũ suorũ Calchante. Hîc orationem abrupit nebulo versipellis,

vt nos

vt nos percontaremur amplius, & auscultaremus auidius. Quid ego, inquit, ista narrem, quæ nec vobis placebunt, & ad animam retinendam mihi nil proderũt? Si idem est vestrũ de omnibus Græcis iudicium, æqualiq; odio persequimini vniuersos, & me Græcũ esse iã cognouistis, cõfessum supplicijs quibus vultis cõsumite: delicias nece mea, & gaudiũ magnũ Vlyssi, Agamemnoni, & Menelao facietis. Nos caussas, cur eũ Græci perditũ cupiãt, sciscitamur studiosius: nescij prorsus, illũ græca fide nobiscum agere, & tam inexpiabile genus fraudis cõsciscere. Pertexit fabulã tremebũdus, pergitq; credulitatẽ nostrã suis onerare mendacijs. Græcos sæpenumero (pertæsos nimirũ tam diuturni belli) obsidione soluta, domũ cogitasse, eorũ cogitationibus procellosas tempestates semper obstitisse: præsertim autem equo memorato iam absoluto, ac stante ventos sæuijsse. Ad Apollinem interrogandũ Delphos missum Eurypilum: illum cum hoc responso reuenisse.

SANGVINE PLACASTIS VENTOS, ET VIRGINE CÆSA,
CVM PRIMVM ILIACAS DANAI VENISTIS AD ORAS:
SANGVINE QVÆRENDI REDITVS, ANIMAQVE LITANDVM ARGOLICA.

Nemo quisquã fuit, qui hac dictione vulgata nõ cõtremisceret, quod tacito nomine, non alterius potius, quam suum peti sanguinem, vnusquisq; perspiciebat. Adducit Calchantem in medium Vlysses, importunius vrget, virum nominet, quem ad sacrificium Phœbus designet. Multi tũ Vlyssis in me exulceratũ noscentes animum quò res euasura esset, præcipiebãt, mihiq; scelus hominis prænũtiabãt. Calchas totos decem dies publico abstinens, & denuntiationis huius, ut apparebat, inuidiã declinans silet. Tandem velut coactu Vlyssis, (sic enim duo isti cõspirauerãt) me illũ esse fatur, quẽ Apollo ad sacrificiũ deposcat. Exhilarati oẽs, facilè tulerunt, me potissimùm ad aram destinari, dũ ipsis hac ratione res in vado esset: oẽs quippe sibi prius malũt esse melius, q̃ alteri. Appetiuerat im̃olationis dies, mola salsa, vittæ, & quæ solẽt, ad victimam parabantur. Ego ibi cõmentitium vatis falsiloqui responsum flocci pendens, nõ à sacrificio, sed ab iniquissima iugulatione corpus meum liberare cupiẽs, effugio: in arundineto tantisper me occulto, dũ nauibus abirent, si alio quopiam mactato abire iam diliberauissent. Omnis tũ spes decollauerat reuisendæ patriæ, parẽtis, charissimorũq; liberûm, qui forsitan suis ipsi corporibus plectentur, quidquid hîc à me peccatum est. De cætero per ego te immortales deos, qui sensa hominum, mentiumq; latebras intuẽtur: per fidem, si quid vspiam terrarũ restat fidei, te obsecro Priame Rex, ne despice ærumnam meã: tribue partem aliquam misericordiæ miserrimo, quem non sua culpa, sed aliena improbitas afflixit, ac perdidit. Hæc ille quia magno cum fletu disserebat, animos nostros ita cõmouebat, vt saluum esse concorditer cuperemus. Rex vinculis absolutum bene sperare iussit, atq; in ciuibus numerauit, interrogauitq; cur adeo insanum equum, quoque artifice condidissent, cũ multò minorem potuissent: quid eo sibi vellent, num religioni, aut bello seruitura tanta machina. Sinon (hoc enim plano illi vocabulum) haud oblitus sui, technarumq; suarum, supinas manus ad cælum tendit, cum hisce verbis. Vos ô sol, & luna, vos aræ, enses, quos euasi, vos vittæ, quæ mihi ut hostiæ gestandæ fuerunt, vos, inquam, testor, licere mihi in apertum euulgare, quæcunque Græci (quos iam, ut Troianus, pro hostibus ducere, & odisse debeo, cum nullo sacramento patriæ obstrictus sim) tecta cupiunt. Oro autem te, ô Troia, vti promissa præstes, & si ego istuc beneficium tuum remuneraro, si te seruauero, tu vicissim seruatorem tuum conseruandum existimes. Iam inde à principio Græci totam belli fæliciter administrandi spẽ in fauore, auxilioq; Palladis constituerunt. Verùm postquam Diomedes, & Vlysses in arcem vestram ausi sunt penetrare, interfectisq; custodibus Palladium, fatale imperij vestri pignus sacrilegis manibus direptum irẽ, ex illo, offensa dea, res eorum quotidie in peius migrare, debilitari vires, infringi spes, cadere animi. Quin offensionis, & iræ suæ certissima dedit indicia Pallas, cum vix perlato in castra simulacro, ex oculis eiusdem flammæ emicuerunt, sudor prorupit, ipsum aliquoties subsiluit, hastamq;, & parmam concussit. Calchas augur primo quoque tempore domum renauigandum, auspicia repetenda, numen, cuius effigiem secum annexerunt, placandũ monet: aliter Troiam capi non posse. Nunc domi noua arma comparabunt: cum dijs amicitiam quodammodo renouabunt, & opinione citius aderunt. Hãc interim molem in speciem equi cõformatã hîc ꝑ piaculo reliquerũt.

Ideo autem Calchas tam ingentem fabricari voluit, ne per portas quiret in vrbem introduci, atq; ita populum Troianum, ut Mineruæ clientem, tueri incolumem. Si enim hoc sacrum violassetis, aiebat idem (quod eius capiti eueniat) vobis id præsenti exitio futurum. Sin opera vestra in ciuitatem induxissetis, bellum hinc in Græciam translatum iri: & quorum parentes hodie Troianos oppugnarent, eorum posteros Troianorum vim, & arma experturos. Atq; his tam insidiosis, ac perfidiosis sermonibus, extortisq; lacrymis facta nobis fides, captiq; & victi sumus turpissimè, quos nec tātorum ducum virtus, quanti Achilles, Diomedes, Agamemno, Idoneus, & alij fuerunt: nec decennium totum; nec amplius mille nauium exercitus capere, ac vincere potuerunt. Nihil hoc vno sol vnquam vidit indignius. Accidit & aliud, quod noua religione animos irretiuit. Laocoon sorte creatus Neptuno sacerdos, solenni more ad littus taurum eidem deo faciebat, cum ecce sonantibus, spumantibusq; vndis bini à Tenedo (horror mihi membra recordanti percipit) serpentes, nunquam visæ magnitudinis adnatant: dimidium pæne aquis sublimè extabat, reliquum verrebat mare immensis voluminibus. Oculi flammis, & sanguine stabant, vibrabantur linguæ cum sibilis terrificè. Perculsi tantis monstris huc illuc dilabimur. Illi rectà ad Laocoontem proserpunt, ac primùm duos eiusdem paruos filios complexi morsibus perimunt: mox in parentem ipsum conantem pueris succurrere, inuadunt: pectus & collum implicant, vterq; bis, & nihilominus capitibus supra eius caput venenis perfusum longè eminent. Nititur pestem auellere, sed frustra. Clamat voce altissima, veluti bos cum incerto ictu percussus, ab ara fugiens horrendùm mugit. Serpentes arci succedunt, ibi ad pedes maioris statuæ Palladis se in spiras contrahunt, capitaq;, & colla intra clypeum, & corpus eius insinuant. Spectaculum hocce terriculo, ac pauori fuit omnibus: existimatusq; Laocoon debitas persoluisse pœnas audaciæ, & impietatis suæ. Vno ore equum intra vrbem recipiendum, Palladem propitiandam clamitant. Ad opus accinguntur omnes: partem muri diruimus: subiectis rotis, intentisq; collo funibus trahitur, & truditur: pueri puellæq; circumfusi sacra carmina ad tempus composita concinunt, pariterq; trahere conituntur. Ita pernicialis illa machina introducitur honorificentissimè. Siccine? ô patria, ô religiosissimum, belliq; studijs clarissimum Ilium. Res ominosa, sæpius inter promouendum restitit monstrum, auditiq; intus armorum crepitus. Nihilo segnius cœptum vrgemus nos cæci mortales, & communem pestem, ac vastitatem in arce collocamus. Cassandra vates, id quod aliâs non semel, tum quoque venturam, & præ foribus astantem nobis cladem occinit: sed Apollo fecerat, ut eius prædictiones fidem non inuenirent. Quin etiam miseri nos, vtpote quibus dies ille postremus fælicitatis, libertatis, vitæ demum illuxerat, templa omnia frondibus inumbramus, ferias publicitus, ludos, iocos, conuiuia indicimus. Nox superuenit, Troiani corpora quieti mandant. Græci à Tenedo soluentes, ad lunæ lumen Troiam versus classem deducunt, è prætoria naui sublatis facibus: ad quod indicium Sinon clandestinò claustra equi reserat: inclusi per funem descendunt, ut & hinc altitudinem feri conijcias. In ijs Tisandrus, Sthenelus, Vlysses, Athamas, Thoas, Neoptolemus, Machaon, Menelaus, & ipse architectus Epeus. Subitò ad iugulandum vias, domosq; concursant, quod illis facillimum fuit: siquidem ciues passim vino, somnoq; grauati iacebant. Inprimis contrucidantur vigiles, portisq; patefactis, & acceptis commilitonibus, interficientium, interfectorumq; augescit numerus. Cōcubium erat, & deuinxerat artus sopor altissimus, cum mihi imago Hectoris oblata est istiusmodi. Mœstissimo vultu effundebat lacrymas largiter, bigis hærens, & pedes loro traiectus, puluere cruento sordidus, barba squalidus, concretis sanguine capillis, & vulnerum, quæ pro patria propugnans acceperat, plenus: heu longè alius, multumq; diuersus ab eo Hectore, qui occiso Patroclo, cum Achilleis spolijs, quiq; iniectis in classem ignibus ouans redibat ad suos. Non potui, quin prior, in fletum solutus, eum alloquerer. O lumen, & decus nostrum, inquam, ô robur, & solatium nostræ ciuitatis vnicum, vbi tantas duxisti moras obsecro, mi Hector? vnde redis? redis profectò exspectatissimus. Oh, quam te gratulabundi post tot, tamq; varios casus, post tot strages aspicimus? Heú quis vultum tuum tam amabilem, ac serenum adeo fœdauit? quis tam immanibus te vulneribus concidit? Ad has interrogationes, ut inanes, & tempori minimè congruentes ille nullum verbū: altius

Laocoon cum filiis à serpentibus necatur.

His aliud maius.

Equus introducitur in vrbem.

Diuidimus muros.

Troia capitur Hector Æneæ apparet.

Vertitur interea cælum.

altius autem ingemiscens, quin fugis, inquit, teq; incumbenti furaris exitio? Hostes intra mœnia grassantur cædibus, incendia spargunt, obuios nulla sexus, ætatisúe ratione habita, occidione occidunt, omnia diripiunt, diruunt, euertunt: satis superq; tuendæ patriæ laboratum est. Fatis malignis vtimur. Nam si humanis opibus defendi potuisset hæc vrbs, vtiq; hac mea dextera potuisset. Nunc tibi eius nomine sacra illius, Penatesq; cómendo. Hos aufer itineris tui comites: cum his condendæ nouæ vrbi locum quære, quam post vagam, & longam nauigationem condere licebit. Hæc prolocutus, Vestę simulacrum mihi cum vittis, igneq; perpetuo suis manibus tradit. Interea eiulatus, & lamentatio omnes vrbis angulos peruadit, crebrescuntq; clamores hominum, armorumq; strepitus, & exaudiuntur clarius, tametsi patris mei domus in secessu erat, arboribus tanquam nemore circumsepta. Excitus somno tectũ conscendo, aures arrigo. Nõ alia mihi rerum facies visa, quam cũ maturam segetem ignis, vento acrius flante, depascitur: aut cũ monte præcipiti cursu deuolutus torrens rapitur, sata, & arbores prosternens, spectantibus ex alto, attonitisq; pastoribus. Tum Græcorum machinationes, & insidiæ patuerunt. Cremabantur, & ruebant ædes Deiphobi: ardere cœperant quæ proximæ Vcalegontis, aliorumq; principum: & ita iam se diffuderat incendium, ut vicinum æquor reluceret. Conclamabant viri, consonabant tubæ. Ego arma corripere, nec satis reputare mecum quid agerem, quidúe inceptarem. Furor bellandi me agitabat: quærebam socios, & in armis potius, quam in pluma emori, pulcherrimum ducebam. Progredienti domo, Panthus Apollinis in arce sacerdos fit obuius, deos præ se portans, & manu altera paruum nepotem trahens, atq; ad littus properans. Quo, inquam, loco est summa respub. Panthu? & cum tu ab arce fugias, in quam nos arcem præsidij caussa confugiemus? Ille cum gemitu. Actum est, perijmus, omnis nostra gloria ad Græcos transmittitur. Alij strictis ensibus vias obsident: vigiles semisomnes incassum resistunt. His, & deorum numine percitus, per flammas, ferrumq; ruo, quò me impetus, clamorq; raptant. Coniungunt se mecum Ripheus, & bello strenuus Iphitus, Hypanis, Dymas, Choroebus iuuenis, qui per id tẽpus cum manu subsidiaria Troiam venerat, & à Priamo filiam Cassandram in matrimonium petebat: cuius vaticinio si obtemperasset, vsq; hodie viuus, & fælix esset. Hos igitur cum ad dimicandum viderem alacres, hisce propemodum verbis sum affatus. Hem fortissimi viri, cernitis qui sit rerum status. Dij, quorum tutela stabamus, adytis excesserunt: frustra iam captæ, perditæq; vrbi succurrimus. Quid ergo? si vobis est animus, me extrema experturum imitari, agite, in medios Græcorum globos nos inferamus, vitamq; generosè, si ita necesse est, profundamus. Nunquam neq; fortius, neq; faustius pugnatur, quam cũm spei nihil superest: ex ipsa desperatione crescit animus, sequiturq; nonnunquã victos victoria. Valuit apud eos hæc oratio: mox velut lupi per nebulam rabida concitati fame prædam vestigantes, per tela hostium, mediamq; per vrbem interriti ad certum interitum progredimur. Quis, ô dij immortales, tam disertus reperietur, ut illius vltimæ noctis cladem, & funera consequatur? Quis tam misericordi pectore, ut deflere tantam miseriam pro dignitate possit? Vrbs vetusta & nobilis, tot annorum imperio inclyta procumbit, plateæ, deorumq; fana cadaueribus opplentur. Nec tamen Troiai soli, Græci etiam victores à victis occidebantur. Vt paucis comprehendam, plena erant omnia pauore, luctu, lacrymis, vlulatu, gemitu, & natabant pauimenta sanguine. Primus in nos Androgeus, bene stipatus incurrit. Is cum nos per incertum lumen lunæ, & remotiores adhuc haud internosceret, Græcosq; arbitraretur, leniter tarditatem nostram, inertiamq; incusat, qui nunc primùm aduentaremus à nauibus, quando cæteri rem pæne omnem iam transactam reddidissent. Cum nihil responderemus (etenim ne ex dissimilitudine linguæ suum errorem deprehendens fugam capesseret, de compacto tacebamus) illico se ut feram in medios canes incidisse persensit: nec aliter, quam qui in senticeto imprudens serpentem calcauit, & in se concitauit obstupefactus, pedem referre parabat: sed tamen non etiam retulit. Nam confestim circumfusi, in attonitos impetum damus, locorumq; ignaros, & re improuisa perterritos ad orcum mittimus, indulgẽte fortuna principijs. Choroebus optatissimo successu exultãs, multoq; iam animosior, hortatur iremus viam, quam nobis fortuna, & virtus monstrarent. Indueremus arma interfectorum, ut pro amicis habiti, facilius hostilem sanguinem eliceremus: nihil

Aeneæ oratio, & exclamatio.

Iuuenes fortissima pect.

Imprudens consilium Choroebi.

Primus se Danaûm

enim in bello interesse, dolo an virtute evadas superior. Ipse primus Androgei galeam capiti, clypeũ sinistrę, ensem lateri accomodat. Similiter Ripheus, Dymas, & reliqui cæsorũ arma sibi capiunt. Sic instructi, nos Gręcis incogniti, sed dijs parum annuentibus im̃iscemus, nec paucos anima spoliamus. Ibi tũ Græci, viri utiq; bellicosissimi, & mortis contemptores ferocissimi, alij ad naues citato cursu contendunt, salutem suam ijs cõmendantes: alij, (ô fœditatem) denuo in ligneũ equum, ut in arcem munitissimam, se recipiunt. At enim dijs nolentibus, nihil rectè vspiam procedit. Ecce tibi virgo regia Cassandra, ab ipsis Mineruæ adytis, cuius erat sacerdos, crinibus p̃ terram trahitur: & quia manus vinculis impeditas nequibat, oculos cælo tollit. Quã immanitatem in sponsam Choroebus pati non potuit, iraq; atrociore stimulatus, in ipsum se trahentium agmen, stricto mucrone audacissimè ingessit, nobis è vestigio cõsequentibus. Atq; hic è templi fastigio missilibus nostrorũ, Græcos nos ex armis, habituq; iudicantiũ impetimur. Hostes propter ereptam sibi virginem furenter exardescentes, impotentius nos adoriuntur. Pugnã cõscrimus infestissimis, & infensissimis animis, velut cũ venti è regione deprælian tur, syluasq;, & pontum immodicis flabris quassatum eunt. Illi insuper, quos in fugam cõpuleramus, iterum apparent, socijs se agglomerant, prioresq; fallaciam nostram, & ex sermonis discrepantia Troianos esse deprehendunt. Nec mora, opprimimur multitudine, primusq; ante ipsam aram Mineruæ à Peneleo Choroebus trucidatur. Post hũc oppetit Ripheus, oĩm Troianorum iustissimus. Sed ita dijs placitum, quibus solis impunè licet quodlibet. Hypanis, & Dymas à suis ciuibus, habitu nimirũ deceptis, miserabiliter configuntur. Nec verò Panthum vel sua ipsius pietas, vel Apollinis auctoritas, cui erat sacerdos institutus, à morte seruauit. Testor vos sanctissimi meorũ cineres, nullum me illa exitiali nocte discrimen subterfugisse, atq; in hostes adeò nõ timidè ignaueq; pugnasse, ut, si in fatis meis fuisset, occidi meruerim.

Ad regiam, et in regia gesta.

Diuellimur inde.

Postquã ex eo loco recessimus, ego, Pelias, Iphitus (quorũ hic erat magno natu: illũ vulnus in crure ab Vlysse aliquãdo inflictũ retardabat) clamor dissonus apud regiam ingeminat: eò mox aduolamus. Inibi tantũ certaminis, tantũq; cædiũ offendimus, ac si tota vrbe foret otiũ, & occideretur nemo. Facta testudine subeũt, aditusq; tentãt. Alij p̃ gradus, & portas introrũpere moliũtur. Alij scalis admotis p̃ parietes ascendunt, cõtraq; tela supernè incidẽtia sinistris clypeos obtendẽtes, dexteris murorũ coronas, podia, fenestrarũ arrectaria apprehẽdunt. Vicissim nostri turriũ fastigia, ædiũ acroteria, tegulas, trabes, aurata quoq; laquearia regũ veterũ monimenta (in vltimo videlicet discrimine constituti) sup hostes deuoluunt. Et erant qui intra regiã nudatis ensibus in statione manebant. Ausi sumus piũ, honestũq; facinus, ut regiæ p̃pugnatoribus qualibuscunq; suppetijs adaugeremus animos. Posticulũ extabat à tergo regiæ, paucis notũ, hostibus certè necdũ manifestum: per quod ex suis ædibus Andromache nurus, sæpius sola itare ad soceros, & auo Priamo Astyanactem nepotulũ, qui cum ille lusitans senectutem oblectaret suã, adducere cõsueuerat. Per id ad solariũ contendo, vnde nostri tela confertim vanis ictibus proijciebant. Ibi turrim excelsissimam, ex qua vrbs vniuersa, & Græcorum naues, atq; castra aspectu obiri poterant, quà supremorum tabulatorum cõmissurę ad dissoluendũ faciliores, ferreis aggressi instrumentis cõuellim⁹, & super hostium capita deturbamus, eoq; casu multos obterimus. Dicto citius in eorum locum alij succedunt: nec à saxis, nec à sagittis vltro citroq; mittendis requiescitur. In vestibulo regiæ Pyrrhus armis coruscus, instar serpentis (dũ uerno tempore latebra egressus, pellem veterẽ ponit, & ad solem se volutãs, linguã venenatã motat) magnis inflatus spiritibus sese ostentat, ac triumphat. Cum eo Periphas, armigerq; (antea Achillis auriga) Automedon, & iuuentus Scyria. Instant turbulentissimè, ignesq; iniectant. Pyrrhus rapta securi portã cauat, & à cardinibus tundẽdo laxat. Per foramen vastum interiora palatij, armataq; manus custodientium aditus conspiciũtur. Sum̃a rerum omniũ perturbatio, confusio, desperatio. Resonant tecta clamore flebili, fæminæ se effundũt eiulatibus, discursantesq; ipsos postes, & limina, quasi valedicturæ, nec visuræ illa de cætero cõplectuntur, & oscula infigunt. Pyrrhus paternæ virtutis æmulus, validissimè vrget, ut eius impressionẽ nec portæ vectibus, & seris obfirmatissimæ, nec excubitores quãuis fortiter contra pugnantes, sustinere vltra possent. Ergo cardinibus auulsa ostia procidũt, vi introrũpitur, custodiæ obruuntur, & loca omnia hostibus inundantur. Non secus, quã cum magnis auctibus intumescens

vehe-

vehementer fluuius, oppositos perrūpit aggeres, liberoq́; & spatioso cursu per arua decurrens, stabula cū armentorum gregibus secum auectat. Conspexi his oculis bacchantem in cædibus Pyrrhum, Menelaum, Agamemnonem. Conspexi Hecubam, mulieresq́; regias cōplures miserè oberrātes, & Priamum sacros ignes suo cruore restinguentem. Quinquaginta filiorū, filiarumq́; thalamos, vnde tanta nepotum series sperabatur, auro, & hostiū spolijs affixis ornatissimos, collapsos vidi, & Græcos quà flāma deficiebat, occupantes omnia. Sed tu forsitan Regina, seorsum, & pluribus audire concupiscis Priami exitum. Sic igitur habeto. Vbi captam vrbem didicit, viditq́; hostem exultantem in regia, postulauit arma iam pridem gestari desita: & quanquam senio tremulus, tamen ea induit, & aduersum hostes ire perrexit. Ædificata stabat sub dio ingens ara, & ad eam annosa laurus, cuius vmbra, quam dixi, aram, deosq́; tegebat. Circum hanc tanquam in turbine, ac tempestate columbæ se aggregarant Hecuba, & filiæ, simulacra diuûm, ut spem vltimam amplexantes. At enim vbi maritum senem intuita est Hecuba, perinde ut iuuenem armis cinctum, increpitans, haud conuenire dixit nec ætati, nec tempori quod moliretur, cum vel ipse Hector, si viueret, actum ageret: quare coepto, & sententia desisteret. Deinde ad se pertractum in exedra locat, ibi aut seruandum simul, aut interimendum cum vxore, & filiabus scilicet. Quid postea? audies. Elapsus Pyrrho Polites Priami filius, per hostes, per atria, & porticus, quanquam grauiter vulneratus, fugiebat perniciter. Telo infesto Pyrrhus ei instabat, eius iugulandi cupidissimus, & propemodum calcem calce premebat. Tandem adolescens vt fugiendo ad parentes peruenit, defectus viribus concidit, & noua à persecutore contactus plaga, in eorum conspectu vltimum edit spiritum. Tum Priamus, etsi statim moriendum sibi sciret, nequiuit tamē in ira (quippe) voci temperare. Quare exclamās precatur à dijs, ut interfectori illi dignum tali scelere præmium reddant: vtpote, qui ab se repulsa omni humanitate, non dubitasset ante oculos patris trucidare filium. Longe alium fuisse Achillem, à quo se genitū mentiretur. Etenim sibi supplici honorem habuisse: corpus Hectoris ad sepulturam restituisse: se liberum, & illæsum in vrbem, ac regnum suum redire permisisse. Sic locutus telum misit, nullis pæne viribus: in extrema enim clypei superficie pependit. Respondet arroganter Pyrrhus. Quoniam ipsum diceret mentiri genus, iret nuntius Achilli ad inferos, illic scelera, & degenerē narraret ei filium. Hæc effatus, crudeliter senem ad aram raptat, per corpus & sanguinem filij, lęuamq́; suam eius capillis implicans, dextra ensem capulo tenus trans costas adigit, caput ceruice desecat, truncum canibus, & volucribus laniandum extra vrbem proijci curat. Atq; hæc fuit Priami potentissimi regis luctuosa catastrophe: qui antequam ipse occumberet, patriam, regnumq́; suum vidit occidere. Cohorrui hoc exemplo, & admonitus sum patris mei, coæui Priamo, item vxoris Creusæ, filij, & familiæ. Circumspicio quantus mecum numerus sit: nemo quisquam erat: laborando enim defatigati, cum se frustra laborare viderent, aut saltu se deorsum; aut in ipsum incendium desperabundi præcipitauerant. Restabam vnus, & dum huc illuc vagor per cænacula, cerno loco abdito ad aram, & sacellum Vestæ sedentem Helenam: quanquam enim nox erat, nihilominus sat mihi luminis flammæ ipsæ ministrabant. Metuebat Illa Troianos, metuebat Græcos, maritumq́; Menelaum maximè: illos, ob euersam sua caussa Troiam: hos, ob tantas ærumnas ad Troiam propter se exantlatas: hunc, ob desertum cubile, fractamq́; fidem matrimonij. Inuasit me subitò peripsematis illius occidendi mira cupido, & amor vlciscendæ patriæ. Sic autem mecum voluebam. Quid ergo? num æquum est hanc abire incolumem, videre Græciam, & de nobis triumphum agere? Ista incedet comitata famulis Phrygijs, & pedisequis matronis Iliensibus captiuis, ijsq́; nobilissimis? Itáne, cum Priamus interfectus iaceat, Troia consederit in cineres, tot centena millia vtrinq; perierint? Non sinam hanc bestiam huius lucis vsura frui diutius. Nam ut fæminam necare non sit laudabile, certè tam noxiam fæminam è medio sustulisse, illaudabile, & gessisse morem animo, parentasseq́; meorum manibus, etiam iucundum erit. Hæc mecum ira supra modum æstuans versabam, cum se mihi inopinatò offert mater Venus, clarissimo splendore circumfusa, ut antea nunquam: qualis est cum cælitibus miscetur. Confessa etiā est vltro semet, & me parantem transfigere Helenam, apprehensa dextera cohibuit, & verba huiuscemodi locuta est.

Priami occasus.

Forsitan & Priami.

Æneas cogitat Helenam interficere, & à Ven. prohibetur.

Iamq; adeo sup.

Venus filium à cæde coercet, domum mittit.

Talia iactabam.

Quis hic tantus furor tuus ô fili? quò te transuersum rapit isthæc mentis impotentia? adeóne nostri omné te abiecisse memoriam? Non tibi pater longæuus, non vxor Creusa, non filius paruus Ascanius occurrunt? Cur non potius es de illorum vita seruanda, quam de huius auferenda sollicitus? Equidem ferro, & flamma domus tua, omnesq; tui perijssent, nisi cura, & diligentia mea hostes iam diu abstinuisset. Non Helenæ forma, mihi crede, non Paris, sed deorum alienatio, & nocendi voluntas tantas opes dissipat, & Troiam solo æquat. Ego offusam oculis tuis caliginem dispellam, faciamq; ut clarè contueare, quemadmodum dij ad perniciem vestram incumbant. Tu quod iussero deinde, ne omittas exequi. En aspice vt ibi propter ruinas, quà puluis fumo mixtus attollitur, Neptunus tridente suo mœnia quatit, & à fundamentis euertere studet. Hîc Scææ portæ Iuno præsidet, accinctaq; gladio, Græcos reliquos à nauibus signo manus accersit. In culmine arcis, vide ut cum Gorgone sua Pallas minitabunda sedeat. Quin ipsemet Iupiter Græcos confirmat, & aduersum vos instigat identidem. Tradas te fugæ suadeo, & nolis inaniter laborando debere ludibrium. Fidelis comes ego ad paternas ædes saluum te perducam. Dixit, & ablata est ab oculis. Apparebant tristes, & horrificæ deorum formæ, Troianisq; inimicissimæ. Visum etiam mihi totum Ilium, velut excelsa, & annosa ornus in monte ab agricolis succisa procidere. Descendo de regia, & numine materno me comitante, securus per hostes incedo.

Quænam cũ patre, vxore, filio gesta.

Ast vbi iá patriæ.

Domum vt perueni, institui patrem mecum in mõtem vrbi vicinum deportare. Ille præfractè recusat: non posse se Troia deleta superesse, & exulem viuere. Fugeremus nos, quibus ætas viridior, & sanguinis copia suppeditaret. Si dij voluissent eum superare, vtiq; seruaturos ipsi sedem, ac domicilium fuisse. Satis esse, quòd semel Troiæ ab Hercule excisæ supervixerit: nunc vnà cum patria æquissimo animo moriturum. Abiremus quò luberet, hostem misericordia captum, daturum eum neci, spolijsq; contentum, cadauer insepultum relicturum: sepulturæ autem iacturam in minimis ponendam. Iampridem se dijs odiosum, & exinde pondus inutile circumire, ex quo se Iupiter fulmine appetijsset. Hæc ita loquebatur, ut neq; à proposito, susceptoq; semel consilio, neq; ab ipso loco se dimotum iri, planè significaret. Contrà ego, coniunx, famuli, famulæq; omnes cum lacrymis insistebamus rogitare, ne secum nos tam multos omnes perditum ire vellet, neúe mortem, quam facilè posset effugere, sciens ac volens in caput suum accerseret. Surdo fabula. Quocirca rursus in pugnam, & in discrimen certissimum abiturus: quid enim agerem? sic eum denuo compello. Mi pater, mi pater, quî nam credas me posse te relicto discedere? aut cur tam malum facinus iubes? Si ita decretum est dijs immortalibus, ut deleatur funditus hæc vrbs præclara, & statutum tibi est, te, ac tuos simul offerre exitio, non difficilè id consequêre. Mox enim aduolabit, qui Priamum ad aram, & filium ante oculos parentis mactauit Pyrrhus: is nos ambos crudeliter iugulabit. Hem mater mea, ideóne seruatus, & abs te domum perductus sum, ut in medijs ædibus hostem, vtq; filium, patrem, vxorem in mutuo sanguine contrucidatos aspicerem? Sinite me, ô sinite reuerti in prælium: non inultus occumbam. Obarmor iterum, domus limen premo. At ipso in limine flens vxor ad pedes meos corruit, me tenet, communemq; sobolem obiectans obsecrat, ut si tanquam moriturus discederem, raperem eos ad mortem mecum: sin quippiam me virtute profecturum sperarem, primum omnium domum defendendam susciperem: cui enim puerum, cui coniugem, quasi non iam coniugem relinquerem? Hoc questu complebat ædes. Existit portentum mirabile. Inter manus enim dum habemus filium Ascanium, innocua flamma capilli eius exardescunt. Nos in timorem dati, ignem excutere, & affusa aqua restinguere tentamus. Hîc lætitia cumulatus senex cum voce manus sustollit, &, Iupiter, ait, si quid apud te piorũ preces valent, quæso respice nos, & si quid de te merita est pietas nostra, fer opem, atq; hoc omen euentu ipso comproba. Vix finierat, cum prosperùm tonuit, & labi visa de cælo super domum stella, multoq; lumine sulcum longum describens, in Idæam syluam procucurrit, locis latè circumfumantibus, quà ferebatur. Tum se victum confessus Anchises exsurgit, deosq;, & præsagum sidus venerans, infit. Nihil vos moror, quò vultis, me ducite. Dij maiorum nostrorum, seruatote obsecro hanc familiam, seruatote nepotem Ascanium. Vos hoc misistis prodigium, in vestra beneuolentia, & fauore Troiam habemus. En cedo, & tecum demigro fili. Hæc locuto, maiores

flamma-

flammarum crepitus audiebamus, propiusq; domum nostram, quam in secessu positam supra dixi, incendia voluebantur. Quoniam igitur locum precibus nostris reliquisti pater, & afflat iã domũ nostrã quoq; cõmune vrbis totius incendiũ, succollabo, tu onus meum, & sarcina esto, neutiquam grauis, & molesta: q̃dquid euenerit, qualecunq; erit, tecũ libens perpetiar. Iulum manu ducam, Creusa vestigijs meis incedet. Vos famuli mandata accipite. Extra vrbẽ nostis collẽ, & in eo vetus ac desertũ fanũ Cereris, cũ cupresso inuiolata ferro inde vsq; à maioribus. Illuc alio atq; alio itinere cõueniemus. Hem tibi pater simulacra: ego enim cędibus pollutus, donec me aqua è præterfluente expiem, attrectare sacra non audeo. Deinde humeros leonina pelle instratus, senem tollo: dextram puer comprehendit, & paruis passibus, vt potest, iuxta vadit, retro vxor graditur. Sic per tenebras ambulamus. Me porrò, cui paulo ante nec vlla tela, nec Græcorum cunei formidabiles, nunc aura minima, leuissimusq; sonitus in terrorem conijciebat: nõ enim mihi, sed oneri, quod gestabam, carissimo, comitibusq; dulcissimis timebam. Attigeram portã, existimabamq; nihil restare periculi, & ecce audire videor contrà venientiũ tumultum. Ipsemet etiã parens, per tenebras prospiciens, ratusq; se cernere clypeos, & arma fulgentia, fuge, exclamat, fili, quantũ potes, appropinquant. Confusus animi, turbatusq; magnopere, per auia curro, auersoq; nescio quo numine, vxoris penitus obliuiscor: nec prius in eius memoriã redeo, amissamq; intelligo, quã ad locum suprà nominatũ deueniens, congregatis omnibus meis solã deesse, falsis nobis, qui lento eã passu sequi credebamus, animaduerto. Vtrum alicubi substiterit, resederitúe præ lassitudine, aut à via aberrauerit, nec dum scio, nisi hoc vnum, fato mihi ereptam, amplius eam non vidi. Quid putas? dolore propemodũ insaniens, meiq; haud satis cõpos, in deos, hominesq; inuehor: nec enim in tantis calamitatibus quidquam ducebam acerbius, & intolerabilius. Relinquo meos in valle, commendatos socijs, qui aliunde eôdem cõfluxerant, sumpto clypeo in vrbem, quà veneram regredior. Certum erat, totam perambulare, & dum coniugem modò inuenirem, quoduis subire periculum. Intro per portulam, qua egressus eram: sequor vestigia mea, oculosq; curiosissimè circumfero. Horroris plena omnia, & quod inter hostes non debebat, ipsum me silentium terrefaciebat. Occurrebat, domum forsitan redijsse: accedo, à Græcis occupatam, & iam ardentem conspicio. Quid si in regiam abijt? paternos lares videlicet, erat namq; Priami filia: nec ibi eam inuenio. Videbam autem à Phœnice, & Vlysse congestam prædam in porticibus spatiosis, ad Iunonium asylum custodiri, res pretiosissimas, circumstantibus pueris, ac fœminis captiuis magno numero, lacrymisq;, & gemitibus miserationem mouentibus. Quinimmo (ecce audaciam) inclamans altius per compita, Creusam meam sæpius vocaui, incassum tamen. Dum sic anxius oberro, & quærito thesaurum meum, dat se in conspectum ipsius Creusæ idolum, siue simulacrum, aliquanto maius quam pro eius corpore. Obstupui vehementissimè, & lingua torpescente verbum edere nequibam. Tum hoc me sermone affari, consolariq; cœpit. Marite iucundissime, quid est, quod tanto te labore crucias? diuinitus hæc contingunt. Non vult te Iupiter hinc abducere Creusam tuam. Perferendum tibi prænuntio longum exilium, nauigationem annorum plurium. Tandem Italiam, terram beatam tenebis, illic res tuas afflictas excipient secundissimæ. Nam cum coniuge regia, regnum te exspectat. Proinde ne lacryma (fletus enim erumpebat) mea caussa. Effugi malum: non perducar captiua in Græciam: nec vt aliæ matronæ Troianæ famulabor ego Dardanis, & nurus Veneris. Scito me hîc à Cybele deûm matre detineri. Vale mi vir, communemq; amborum filium charum habeto. Profundebant se lacrymæ vberius, volebamq; multa respondere, & amplecti conabar iterũ, ac tertiùm, quod videbam: sed non aliter, quã ventus, ac somnium recedebat. Nouissimè ad socios, nocte iam diei cedente, reuertor. Ibi non mediocrem sanè nouorum comitum turbam reperio, paratorum mecum nauigare, quocunq; mihi placuisset. Liquida iam lux erat, & Græcis omnia tenentibus, cum necessariò desperandum viderem, cessi necessitati, sublatoq; iterum in humeros patre, in montem Idam me contuli.

Æneas patrem humeris exportat.

Ergo age, chare pater.

Vxoris amissio, et eius umbræ alloquiũ.

Hîc mihi nescio quod.



Paraphrasis
IN LIBRVM TERTIVM
ÆNEIDOS.

Locus commiserationis.
Postquã res Asiæ.



Voniam igitur dijs cælipotentibus ita complacitum fuisset, & fata nostra sic poposcisseut, ut insontes tanquam sontes, & ob vnius culpam vniuersi extrema calamitate, exitioq; multaremur: & Troiæ vrbs quodam tempore potentissima, & beatissima, nunc deuicta, prostrata, diruta (fragilitatis & inconstantiæ rerum humanarum illustre documentum) ante oculos iaceret, reductis in memoriam, quæ diuinitus obtigerant prodigijs, atque monitis, nauigationem in longinquas, variasq; terras, ceu in exilia complura, & diuersa meditamur: in Ida monte agri Troiani cæsa materia, classem ad Antandrum oppidum propinquum ædificamus: haud satis compertum habentes, quónam gentium, locorumúe appulsuri, & nuncubi sedem stabilem adepturi essemus. Interea dum fabricantur naues, ad discessum congregamur, ciuiumq; nostrorum reliquias, peregrinationis, & errorum, terra, mariq; futurorum socios colligimus. Verna cæli temperies appetiuerat, cum ad imperium Anchisæ parentis mei, cuius apud nos grauissima semper fuit auctoritas, vela pandimus, salo nos committimus. Hîc mihi cum penatibus, cum filio, patre, ac ciuibus meis conscendenti, patriumq; solum (quid enim dicam patriam, quæ nihil iam, nisi campus visebatur) deserenti, oboriri ex dolore lacrymæ. Non longo admodum cursu abest ab Antandro, vnde solueramus, Thracia, regio latissima, & artium militarium studiosissima: cui quondam Lycurgum illum immiti virum ingenio imperitasse, traditum est. Cum eo ipso populo, ridente adhuc fortuna, & rebus prosperè fluentibus, hospitium Troianis fuit, coniunctum inde vsq; à maioribus, & vtrinq; cultum sanctissimè. Huc primùm omnium venti me deferunt. Egredior classe, ac vicinum littori oppidum (sed fatis, id quod postea sensimus, repugnantibus) excitare instituo, deq; meo nomine ductum nomen illi Ænum impono. Veneri matri, dijsq; cæteris ad cœpta fortunanda rem diuinam perpetro, ipsi Ioui, ut cælestium principi, taurum immolo. Fortè collem prope conspicio, corno, ac myrto densè consitum. Accedo, & ad aram frondosa stirpe iuxta morem tegendam, myrtos humo vellere connitor. Ecce autem ostentum formidabile. Arbuscula enim, quam ab ipsa radice conuelleram, guttas cruentas destillat. Tali viso penitus cohorresco, & artubus omnibus contremisco. Ad cõuulsionem alterius me conuerto, tantiq; miraculi caussam pernoscere studeo. Ad eundem modum sanguis è stipite defluit. Discrucior animi, & ancipiti cura distrahor. Quoniã verò occurrebat, posse Hamadryadum sanguinem esse, quas cum arboribus nasci, & interire opinio est, cum illas, tũ Martem loci tutelarem bonis precibus rogabam, ne quid ex eo, quod mente sincera ac pia feceram, incõmodi in capita nostra redũdaret. Porrò vbi vehemẽtiore conatu, & genibus terræ obnitens ad tertium hastile couellendum incubui (ô rem post homines natos inauditam) ab infimo colle flebilis quidã gemitus ad aures meas accidit, & secundùm gemitum clamor, in hæc propemodum verba. Ah Ænea, quid miserum me dilanias? patere sepultum quiescere: noli sacrilegio incestare manus tuas, tuæq; pietati tam fœdã impietatis notã inurere. Et Troianus, & affinis ego tuus: nec, quẽ vides cruorẽ, de stirpib⁹ istis, sed de corpore meo ꝓmanat. Scito Polydorũ esse me, & hîc telis, terraq; obrutũ: quæ tela de mẽbris meis reuirescẽtia, in hanc syluulã excreuerunt. Quã citissimè potes, hinc ꝓfuge: auarissimorũ mortaliũ, & parricidarũ hæc tellus. Quo me tũ horrore perfusum, quo stupore, qua formidine oppressum arbitrare? nec vnũ verbũ quibam proloqui. De Polydoro isto paucis.

Prima profectio, in Thraciam, & quid acciderit ibi.
Terra procul vastis.

paucis. Fuit filiorũ Priami natu minimus: quẽ ille Troiam Græcis obsidio coarctantibus, desperationi iã proximus, cũ multa vi auri, ut in sumptus aliquãdo necessarios suppeditaret pecunia, ad Polymnestorem Thraciæ regem amicũ, atq; adeo hospitẽ, ad seruandam videlicet, educandamq; familiæ regiæ sobolem vltimam, clandestino miserat. Ast homo oĩm, quos terra sustinet, hominum sacerrumus, ab aduersa Troianorum ad secundam Græcorum fortunam transuolans, fidem prodit: quibus quò fieret acceptior (immò profectò, ut sibi aurum, de quo dixi, securè haberet) nobilissimum puerum crudelissimè necat. O aurum aurum, ut nullum est officium neq; tam sanctum, neq; tam sollemne, quod amor tui non violet. Nullum scelus tam execrandum, ad quod tu multos non sæpe adegeris. Pergam ad reliqua. Postqam animus ex consternatione, ac pauore inusitato conquieuit, ad patrem, & primores negotium refero. Illi ita censuerunt, æquum, planeq; necessarium videri, vti primo quoque tempore, è tam scelesta regione, & detestabili hospitio discederetur. Quod itaq; humanitatis, & affinitatis iura à nobis flagitabant, Polydoro iusta soluimus. Terram in tumuli speciem aggerimus, aram vittis atris præcinctam constituimus, cupressum quoq;, ut in funere, adhibemus. Mulieres Iliacæ effusis crinibus, patrio instituto tumulum circumsistunt, cui inferias lac recens, victimarumq; sanguinem infundimus, & eodem defuncti animam consuetis, magnisq;, & supremis vocibus elicimus. His transactis, simulac ventis mitescentibus mare tranquillatum ad cursum nos inuitauit, deductis nauibus Thraciam relinquimus. In Ægæo pelago insula iacet, vocabulo Delos, Neptuno, ac Doridi Nereidum matri præcipuè dilecta. Hæc cum antea fluctuaret, ventoq; agitata vagaretur, Apollo ibidem à Latona editus, eam constabiliuit, interq; Gyarum, & Myconen quasi vinculis alligatam consistere iussit. In portum, quem habet tutissimum, descendimus, vrbem insulæ cognominem salutamus. Anius & Rex, & Apollinis sacerdos, caput laurea vittata redimitus præstò est: Anchisen vetusta amicitia sibi cõiunctissimum agnoscit. Quid plura? copulamus dextras, & in oppidum pro charis, & iucundis hospitibus introducimur. Templum antiquissimum, religiosissimumq; comitatus ingredior, Deo supplex fio: daret certam sedem errantibus: auxilio esset ad condendam vrbem perpetuam, ad propagandum genus Iliacum, Græcorum insidijs redactum iam ad paucissimos. Doceret quis sequendus, quò tendendum, vbi firmandæ sedes tandem. Sub hanc precationem locus contremuit, mons circumcirca insonuit, & perceptum est è cortina murmur ac fremitus. Mox proni in terram venerabundi cadimus, & hanc ipsissimam vocem auribus haurimus:

Secũda profectio, in Delum insulam, & ibi gesta.

Sacra mari colitur.

DARDANIDÆ DVRI, QVÆ VOS A STIRPE PARENTVM
PRIMA TVLIT TELLVS, EADEM VOS VBERE LÆTO
ACCIPIET REDVCES. ANTIQVAM EXQVIRITE MATREM.
HIC DOMVS AENEÆ CVNCTIS DOMINABITVR ORIS,
ET NATI NATORVM, ET QVI NASCENTVR AB ILLIS.

Oraculum, et falsa eius interpretatio.

Istuc responsum fuit Apollinis, quod quidem propter promissam imperij æternitatem meritò consecuta est læta nostrorum admurmuratio. Quænam autem foret illa prima tellus, & quæ tandem antiqua illa mater, quæ ciuitas, quò redire iuberet oraculum, in quæstionem apud eos vertebat. Tum Anchises memoria repetens vetustatem nostræ gentis, primorumq; auorum historias, habere nos bonum animum hortatur: Cretam Iouis patriam, esse insulam maximam, centum vrbibus frequentem, & agri vbere præstabilem. Inde Teucrum Troiani populi conditorem in Phrygiam, & loca Troiæ venisse: ibi ante Ilium cõditum quoddam oppidum construxisse, & in vna mœnia, qui tum per valles sparsim incolebant, coegisse. Ergo Cretam acciperemus antiquã matrem. Huic cõiecturæ fidem facere similia sacra, similia locorũ nomina. Nam & illic esse Idæum montem, ac nemus, vti apud Troiam: illic quoq; Cybelen (cuius currũ leones trahũt) ijsdẽ cærimonijs coli: ut hinc generis cõiunctionẽ facilè possis suspicari. Quare cunctandũ nõ videri: eundũ alacriter, quò dij vocarent: ventis ꝓpitiandis cædendã victimã: Cretam versus danda vela, quæ adeo non procul absit à Delo, ut eam luce tertia contingere queant. Hæc effatus, Neptuno, & Apollini, vtriq; taurum suum mactat: huic, propter redditum oraculũ: illi, propter nauigationem cõmodam. Adhæc ventis tempestuosis ouem nigrã, lenibus candidam. Vulgauerat fama, Idomeneum Cretensium regem pulsum regno in exilium ab

Ilium ab indignis: quod nostris rationibus opportunissimum cadebat, non regnare videlicet ibi, quem bello Troico hostem senseramus infestissimum: & hac etiam de caussa crescebat in insulam perueniendi cupiditas. Itaq; sublatis anchoris à Delo recedimus, Naxon vitiferam, & Donysan à marmore viridi prædicatam, Cycladas, aliasq; complures insulas præteruehimur. Audisses crebra vectorum, atq; nautarum celeusmata, ad petendam primæuam patriam vicissim cohortantium. Sanè fęlici flamine littus Cretæum tenemus: quod quanquam breui spatio concessum nobis fuerat, nihilominus idipsum nimiopere concupiscentibus visum est longius. Hic iterum nouæ, & iam pridem optatæ vrbis fundamenta pono, Troiam nuncupo, & socijs eo nomine lætitia exultantibus, ad sacris operandum, ad arcem in propugnaculum extruendam, auctor, & hortator fio: ipse leges, & iura sancio, suum cuique locum ad ædificationem designo. Sed his curis, & recentibus connubijs, quæ inibantur, cœptę præterea agricolationi, laboribusq; nostris corrupta cæli aspiratione pestifera lues non modo hominum corporibus, sed fructibus etiam, & frugibus interuenit. Licebat videre passim animalia aut morientia, aut tabifico veneno confecta, morientium quàm simillima. Nimijs item solis ardoribus exustæ segetes omnem victus exspectationem frustrabantur. In eo rerum statu pater aliã imbibere sententiam, iubere, ut mutata velificatione, ac retro cursum flectentes, veniam rei malè intellectæ precaremur, & oraculum denuo, quis tandem laborum finis, vnde sperandum auxilium, quò nauigandum de cætero, distinctè scitaremur. Matura nox erat, quo tempore genus omne animantum sopor deuinctum retinet, cum formæ deorum penatium, quos medijs è flammis seruatos, classe mecum vehebam, dormitanti mihi magis, quam dormienti, ob sollicitudinem scilicet, qua angebar, quà se lunares radij patenti fenestræ ingerebant, proprio, & claro lumine vestiti astare, & hoc sermone me compellare, angoremq; detrahere visi sunt. Nihil opus est, Ænea, repetenda Delo, deoq; de integro consulendo defatigari. Nam quod Apollo ibi erat responsurus, per nos hoc in loco tibi respondet, & vltro nos ad te transmittit. Nos capta, & inflamata Troia per diuersa maria te haud secus, ac ducem bonum milites secuti sumus: nos tecum aspera multa pertulimus. Iidem, vt solidùm gaudeas, posteritatem tuam gloria, & imperio in immensum auctabimus. Proinde tu magnis nepotibus vrbem magnam fac ædifices (quibus enim amplissimum, latissimumq; destinatum regnum, his quoq; vrbem spatiosam conuenire nemo non videt) & quod restat quantumcunq; itineris ne detrecta. Abeundum hinc: minimè Cretam Phœbus, sed quam Græci Hesperiam nuncuparunt, prouinciam nobilem, bellicosam, fertilem, quondam habitatam ab Oenotrijs, & nunc Italiam ab Italo rege, qui illuc è Sicilia habitatum concessit, nominatam, hanc ipsam, non aliam intellexit. Hæc est antiqua mater vestra; cuius in oppido Coryto Dardanus antiquissimus vester sator, cum fratre Iasio natus est. Hæ nobis fatali quodam munere præparatæ sedes. Quamobrem surge, quæq; audisti verissima, cum Anchise parente communica, & dicito, Italiam requirendam: in Creta vos considere, Iouem neutiquam velle. Huiuscemodi specie, & affatu deorum perculsus (nõ enim dormire, sed reuera apertis oculis, & vigilans videbar intueri ipsa numina, eorumq; vultus, & vittis redimitas frontes agnoscere, & sudore præterea frigido corpus totum manabat) lecto desilio, supinas ad sidera manus tendo, sacrisq; rite functus, patrem lætabundus adeo, quid mihi quiescenti acciderit, recenseo. Ille, se propter geminum nostræ gentis auctorem (Teucrum nempe, & Dardanum: quorum prior è Creta, hic ex Italia in Phrygiam venerat) magno errore delusum, & oraculum perperam interpretatum esse agnoscit. Addit etiam, se regredi nunc demum in memoriam, quo pacto Cassandra vates sibi olim apud Ilium casus omnes, quibus nunc affligeremur, prædixerit: & sæpe Italiam, quò venturi aliquando essemus, inculcauerit. Sed partim longinquitatem loci, partim Apollinem ipsum, cuius auctoritas prædictionibus virginis fidem abrogarat, fecisse, ut vera pro fictis duceret. obtemperandum itaq; diuinis hortatibus, & improuidè, ac malè inchoata, bene, ac sapienter mutanda in melius. Paremus cuncti mentibus æquissimis, & haud ita multis ad nouam vrbem incolendam relictis, Creta demigramus. Cum iam alto mari veheremur, nihilq; præter fluctus, & cælũ aspiceremus, ruere è nubibus imber effusissimus, tenebris, & frigore nigrescere, horrescere omnia. Ventorũ rabie freta tumescunt, fluctus attolluntur, vti pilæ huc, illucq; proijcimur.

Tertia profectio in Cretã, & ibi gesta.

Linquimus Ortyg. portus.

Penates per quiete docet Æneam veritatem.

Nox erat, & terris.

Tempestas. & quarta profectio in Strophadas.

proijcimur. Cælo discedente, micare crebra fulgura. Proposito cursu auertimur, & per vndarum illos campos nihil cernentes, incerti vagamur. Palinurus, alioqui nauiculariæ callentissimus, aliorumq; gubernatorum magister, & caput, diei an noctis tempus voluatur, negat se satis posse discernere: & quam viam tenere statuerat, se amisisse conqueritur. Tempestas illa, ut coniecimus, triduo toto perdurauit. Quarta primùm luce terra visa aperiri, fumus, & montes surgere. Demittimus vela, nautæ remigio totis viribus dant operam. Defunctos atrocissima procella insulæ quædam maris Ionij, quibus græcè Strophades nomen, excipiunt. Eas insulas habitant Harpyiæ, ex quo Phinei regis Thracum ædibus, mensaq; à Zetho, & Calai Boreæ filijs abactæ sunt. Monstrum fœdius excogitari posse non arbitror: nec valere deos, ut maximè velint, sæuiorem pestem ab inferis aduersum mortales euocare. Facies illis virginum, manus vnguibus immodicis, & recuruis, ad rapiendum comparatæ. Alui profusio miseras semper exercet: inde ora perpetuò esurientium, continuo pallore suffunduntur. Portu digressi armentum nitidum, & caprarum gregem pascere sine custodibus aspicimus. Rati igitur, necessitatem, quæ tum nos vrgebat, dominari legibus, cum gladijs, & hastis in boues irruimus, Iouem vocantes auxilio, & de præda illi, pro more, partem suam voto pollicentes. Propter littus pro tempore toris excitatis, de asso bubulo epulamur hilariter. In medio epulationis Harpyiarum repentino aduolatu infestamur: de propinquis enim montibus, magno cũ alarum stridore aduenientes, in dapes impetu ferebantur, sonos teterrimos emittebãt, & reliquias contactu immundissimo conspurcabant. Iteratò in secessu, sub quadam rupe, inter arbores mensam apponimus, foculum Ioui cum prædæ particula incendimus, quemadmodum ante feceramus. Ecce tibi rursus aliunde è latebris execrandæ alites se ingerunt, & cum sonitu horrendo accumbentes circumuolitant, ore, animaq; fœtida cibos abominandos efficiunt. Tum ego meis præcipio, arma expediant, cum portentis illis confligant. Iussa facessunt, enses strictos, & scuta in gramine abscondunt, ut in eas de improuiso incurrant. Mox ut prodeuntes è specula Misenus prospexit, tuba signum dat. Inuadunt nostri, & prælium inauditum, aduersum volucres videlicet, gerunt. Ob læuorem plumarum vulnera non admittebant, ac volatu celeri in altum se proripiebant, arrosas epulas, & vestigia spurca, propter consuetum ventris fluorem relinquentes. Princeps earũm (tres autem sunt) Celæno, ex alta rupe hæc nobis auditu terrifica vaticinatur. O perfidissimi mortales, Laomedontea progenies, id est malorum coruorum oua pessima: parúmne satis est in terra aliena boues alienos mactasse & deuorasse etiam? Nunc, quasi faciendo iniuriã, accepissetis, bello nos audetis lacessere, & de patria possessione (sumus enim Põti filię) ferro nos pellere. Audite igitur, quòd Phœbo Iupiter, Phœbus mihi indicauit.

Postquã altum tenuere.

Harpyiæ, et cũ ijs pugna.

Quas dira Celæno.

ITALIAM CVRSV PETITIS, VENTISQVE VOCATIS
IBITIS ITALIAM, PORTVSQVE INTRARE LICEBIT.
SED NON ANTE DATAM CINGETIS MOENIBVS VRBEM
QVAM VOS DIRA FAMES, NOSTRÆQVE INIVRIA CÆDIS
AMBESAS SVBIGAT MALIS ABSVMERE MENSAS.

Hæc vbi dicta dedit, in syluam sese abdidit. Nostris metus incessere, trepidare animi: nec iam armis, sed precibus potius summissis agẽdum, pacemq; poscendam oẽs sentire: siue genus aliquod deorum sint istæ Harpyiæ: siue tãtum monstra quædam volatilia. Anchises, ut qui pietate antestaret omnibus, primus passis manibus deorũ cælestium opem implorat, & conuenientia eorũ maiestati sacrificia indicit: rogat vti auerterent, & detestarentur à nobis, tristissimum hoc vaticinium, suosq; cultores saluos, ac tutos præstarẽt. Deinde mandat naues celeriter armari. Solutis anchoris fæliciter currimus, quà venti impellunt, & gubernator clauũ dirigit. In transitu occurrunt insulæ Zacynthus, Dulichium, Same, Neritos: occurrit Ithaca asperimis affixa saxulis, egregium verò, & latissimè patens regnum Vlyssis, quem diris cum regno, & patria sua configimus. Cernitur postea Leucates Epiri mons præcelsus. Ex eo in pelagus procurrens petra alba, in qua delubrum Apollinis. Circum eundem locũ multi sub aqua scopuli, nauigantibus meritò formidati. Huc, quanquam periculosè, propter defatigationem contendimus, religatisq; in littore nauibus, Actium oppidulum introimus. Sic inopinatò, & citius quam sperraueramus, terra potiti, Ioui nos expiamus cum sacrificio, & apud Actiacum promontorium consuetos ludos committimus,

Profectio quinta, in Epirum.

Mox & Leucatæ.

mittimus, nudatisq́; & oleo perunctis corporibus, palæstra cõcertamus. Mulcemur voluptate insolita, dum tot vrbes, & insulas hostium nos illæsos, & incolumes prætērijsse reminiscimur. Interim completis mensibus annus finitur, & glacie flumina cõcrescunt. Ego inter spolia apud Troiam ablatum Abanti, ingenti viro ingentem clypeum, ad templi valuas in dedecus Græcorum apud ipsos Græcos affigo, cum istoc epigrammate:

ÆNEAS HÆC DE DANAIS VICTORIBVS ARMA.

Sexta profectio, Buthrotum, ad Hel. & Androm. Cogo meos ad naues: remiges officio suo non desunt. Præteruehimur Corcyram, & Epiri littora legentes, velis in portum Chaonium volamus. Inde cum versus Buthrotum vrbem ascenderemus, incredibilis cuiusdam nouitatis nuntiam famam accipimus. Quid enim tam incredibile, ac portentosum, quã Helenum Troianum, Priami filiũ, Paridis germanũ fratrem, Græcis cum omnibus suis exosum, & inuisum maximè, regnum inter Græcos adeptum, victũq; iura præscribere, & leges dare victoribus, successorem Pyrrhi, qui patrem eius interfecisset? nec successorem tantum in regno, sed etiam in cõnubio: quippe ducta Andromache, quæ quondam cũ Hectore nupta, Pyrrho sorte obuenerat. Hæc nobis admiratione obstupescentibus narrabãtur. Exarsi miro desiderio videndi, & compellandi heroëm, atq; ex eius ipsius ore tãtam rerum conuersionem cognoscendi. Progredior, ut dicere cœperam, à portu, & in luco suburbano ad aquulam Simoënta (sic namq; fluuiolum ob memoriã Simoentis clarissimi fluminis Troiani appellauerant) offendo Andromachen, instaurantem inferias anniuersarias Hectori suo, cui tumulum cespititiũ, cum duabus aris cõposuerat, vt sibi hisce monumentis vberiores cieret lacrymas. Simul me vidit accedentem, & arma, atq; ornatum Troianum in me, comitibusq́; meis recognouit, perculsa re longè inopinatissima, & defecta viribus atq; animo, collabitur humi. Tandem ubi vigor in membra redijt, sic me alloquitur. Fallor, Ænea, an hæc est ipsissima facies tua? viuúmne, an mortuum te conspicor? si superas, dic mihi. Sin autem vixisti, & hæc vmbra est tua, ubi, ô vbi est Hector meus, affinis, & amicus tuus? cur tecum coram præsens non adest? In hisce verbis dolor ei vocem iucludit, in fletum se, & eiulatum effundit, locis circumcirca resonantibus. Colliquefactus ego sympathia, interruptis & fractis vocibus, & hians veriùs, quam loquens responsum paucis reddo. Viuo Andromache, noli dubitare: sed ita viuo, ut me huius lucis pertæsum sit: quippe quem omnes miseriæ, & ærumnæ premunt, quemq́; salus ipsa seruare si velit, vix potest. Heu Andromacha, quis tantus, tam aduersus casus te tali tantoq; marito spoliauit? tu aliquando coniux illius inclyti Hectoris, nunc cum Pyrrho cubile socias? quæ isthæc vicissitudo? Tum illa præ verecundiã demisso vultu sic excipit. O te Troianarum fœminarum fortunatissimam, Polyxena, quæ apud patriam ad Achillis cenotaphium pro inferijs mactata, sortem euasisti. Tu cum ingenuitate, & virginitate tua perijsti, nec victorem pro hero, & viro sufferre, ac perpeti coacta es: ego miserrima in sortem coniecta, ardente patria ab hostibus in peregrinam regionem abducta, fastum intolerabilem iuuenis superbissimi, magis eiusdem serua, quam vxor sustinui. Is deinde Hermionen Menelai filiam Ledæ neptem adamauit, eiusq́; thalamum concupiuit, ac me seruam cum Heleno seruo nuptijs coniunxit. Orestes charissimam sibi sponsam, contracto iam cum altero matrimonio præripi vehementis indolens, & etiam cum furijs, quibus ob matricidium solebat, agitatus, nihil sibi tale metuentem Pyrrhum, Delphis ad aram, quam Achilles pater eius Apollini dedicarat, contrucidat. Eo mortuo, per beneficium, & gratiam Molossi priuigni, quem ego Pyrrho peperi, Heleno pars Epiri cessit, eam ille à Chaone fratre suo Chaoniam cognominauit: & præterea ex amore in amissam patriam, & ad qualecunq; solatium nostrum, his ipsis, quæ vides & videbis locis Troiana vocabula imposuit, oppidum Troiam nuncupans, fluuiolum hunc Simoentem alium Xanthum, portam quandam Scæam, murum Pergama. Arcem quoque ad imitationem Iliacæ arcis in hoc monticulo molitus est. Te porrò, mi Ænea, mi Ænea, qui adeo secundi, & optabiles venti, quæ fata tam fausta ac fælicia in has oras apportarunt? Equidem te saluum huc appulsum nimium quantum gratulor, & aspectu tuo immortaliter gaudeo. Quid verò Ascaniolus noster, num superstes? quomodo fert extinctæ matris desiderium? ecquid elucet in eo egregia quædam virtutis indoles, videturq́; olim & tui patris, & auunculi Hectoris fore similis?

Linq. tũ port. iubeo.

Colloquium Andromach. & Æneæ.

Nate dea, viuis'ne?

Hæc omnia cum lacrymis, quanquã inanibus, dulcibus tñ prosequebatur. Pluribus cum essemus collocuturi, procedit ab vrbe Helenus, frequenti satellitio stipatus, facitq; quod homines non sępe solent: ex miseris enim beati, & humilibus excelsi, suos, vt infra se lõgè positos, ignorãt, & erubescunt. Agnoscit nos lætus, ac lubens: secũ in oppidum perducit, & inter eundum, dum manu sua manum meã tenet, meumq; sermonem amantissimè cõfert, partim ex oblata sibi lætitia, partim ex recordatione funditus deletę patrię, quã illi pręsentia nostra renouabat, lacrymas effundit tã benignè, ut earum copia sermonis modum propemodũ vinceret, & verba identidẽ singultus intercideret. Promotis gressibus pusillam quandã Troiam, amplissimorumq; Pergamorum qualem qualem similitudinẽ, & riuum Xanthum appellatum, & Scæę portę aliquantam effigiem intuemur. Nemo in nauibus relinquitur, simul omnes in vrbem accipiuntur humanissimè. Porticibus spatiosis mensæ luxu regifico apponũtur, ministratur vasis aureis, & argenteis, ducuntur pocula meraciora indulgentius, & ꝓcul ex animis tristitia oĩs fugatur. Biduum in cõmunibus hisce gaudijs egeramus, cum ego discedendum, & cõmoditatem ventorũ, quæ inciderat, minimè negligendam ratus, hac oratione Helenum aggredior, eumq; uti vatem (nam simul rex, simul fatidicus erat) quid mihi faciundum censeret, percunctor. Tu, inquam, deorum imortalium internũtie, atq; interpres, qui Apollinis instinctus numine, prænosti oĩa, quiq; omnis præsensionis es scientissimus, siue ea ad tripodẽ pertineat, siue ad aspectum siderum, siue ad volucrum vel garritum, vel volatum: ne mihi grauatè ostendas quæso, quid sequendũ, quid omni studio cauendum existimes, vt tandem aliquando miseriarum portum aliquem, ac terminũ queam inuenire. Tametsi enim dij, oẽs, & oĩa oracula nobis fortunata cecinerunt, suaseruntq; in Italiam contendere (vnã Celęno Harpyiam excipio, quæ dirissimam famẽ denuntiauit) nihilominus etiã te audire aueo, & arbitriũ meum ad tuum iudicium aggregare cupio. Helenus velit nec ne, verbis haud indicat: sed re ipsa facturũ se, quod petebã, ita demonstrat. Primùm cæsis, ut mos, iuuencis aliquot, & cõceptis precibus, deos sibi reddit beneuolos, quorum afflatu vera prænuntiare possit. Etiam vittas soluit, ac deponit: ut hoc indicio, se animo soluto, ac libero, nullaq; noxa obstricto ad deos accedere, & vnumquemq; accedere oportere significet. Postremò me sollicitum, & ut in re magna, ac diuina attentum, & cogitabundum apprehensa dextera in ædem Apollinis deducit, in huiuscemodi verba vocem soluens. Non est dubium, Ænea nobilissime, te sum̃a sum̃orum deorum voluntate, fatisq; conspirantibus (quæ sic disponit, & moderatur diuùm parens, & imperator Iupiter) hanc nauigationem ingressum. Habeo quidem multa, quæ panderem tibi: sed ex his quædam scire te fata non permittunt: quædam profari me Iuno vetat. Duo igitur haud tacebo, quemadmodum cum securitate porrò nauiges: & qua via in Italiam peruenias. Principiò Italia, quam tu vicinam autumas, & breuem hinc transmissionem tibi polliceris, longis vijs, & inuijs, ac per terras multas interpositas tibi petatur necesse est. Totam pæne Siciliam circumnauigabis prius, & Tyrrhenum mare lustrabis. Adibis ante Lucrinum, & Auernum lacus, inter quos specus, per quam ad inferos iter patet. Accedes etiam ad insulam Circes, ubi homines cantionibus veneficæ illius in belluas transmutantur. Hęc omnia oportet antè facias, quàm tuto loco vrbem constituas. Quo autem loco debeas constituere, hoc habeto signum, & diligenter manda memoriæ, nec tanquam vanum repudia. Cum fortè anxius, & anceps animi secus Tiberinum littus oberrabis, sub ilice iacentem scrofam animaduertes, ingentem, albam, cum triginta catulis ad papillas hærentibus. Hic demum locus vrbis, & laborum meta, & fælicitatis initium erit. Quod ad mensas ob magnitudinem famis deuorandas attinet, ne tibi istuc timori, ac terrori sit. Famen patiemini vos quidem, mensas absumeretis: sed fatorum prouidentia, & Apollinis præsenti ope calamitas leuabitur, & omnia bene euenient. Iam verò oram istã, quæ exaduersum Epirotici maris fluctibus tunditur, vitare labora omnimodis: cõplures ibi Græcorum stant vrbes, Troianis infensissimæ. Ibi è bello reuersi manserunt Locri Narytij: Salentinum agrum occupauit Idomeneus Cretensis: ibidẽ paruum oppidum Petiliam Philoctetes Melibœensis Thessalus condidit. Hoc item te monitũ volo, cum mare traieceris, & in littus Calabrum exscenderis, ut illic ara ad tempus composita rem sacram conficias, purpureo velo adopertus caput: ne forte conspectu hostis alicuius, Græci inquam, perturbatus, ea interrupta, cogaris te

Helenus rex Æneam amanter, & liberaliter accipit.

Talia fũdeb. lacrymans.

Æneas ab Heleno præmonetur præceptisq; instruitur.

Iaq; dies, alterq;.

ris te in pedes dare, & deintegro operandi facultas postea nulla sit. Hanc cærimoniam, obnupto capite sacrificandi, & ipse solemnem custodies quoad viues, & veluti per manus ad posteros transmittes. Exinde ad Siciliam te venti portabunt, claustraq; Pelori magis, magis sese recludent. Tu in læuam contortis linteis nauiga, quàmuis longo circuitu: dextrum latus memento fugere. Ea parte fuit cum Sicilia Italiæ indiuisa cohæreret: verùm æstu maris separatæ, hodie paruo quodam freto disiunguntur. Est autem ad dexteram Scylla, ad sinistram Charybdis, duo loca nautis deuitanda, ut nihil magis. Hæc vndas profundissima voragine alternis absorbet, & reuomit altissimè. In specu saxeo sub aqua Scylla est abdita, quæ attracta nauigia demergit. Pars superior corporis ad pubem, virginis speciem exhibet: cætera ab vtero, pristis, marina bellua, delphinum, luporumq; caudis permista est. Tutius infinitis partibus ad Pachynum vsq;, quà Sicilia meridiem spectat, licet incassum, nauigare, cursu longissimo, quam compendio per dextrum littus, Italiæ velle succedere, & monstrum hocce cum canibus latrantibus aspiciendo, vitæ aleam subire. Denique si qua mihi est prudentia ut homini: si qua tribuenda fides ut vati, diuini scilicet numinis compoti, vnum hoc præ omnibus fidelissimè suadeo, hoc te etiam atque etiam, vehementerq; moneo (est enim momenti maximi, & in eo sita sunt omnia) Iunonem reginam votis, precibus, donis placa: siquidem præpotentes aduersarij, & inimici opulenti obsequio potius emolliuntur, quam resistendo superantur. Sic tandem è Sicilia cupitam diu Italiam intrabis. Cum intraueris, Cumasq;, & ad sacros lacus Auernum, atq; Lucrinum te pedes tulerint, Sibyllam inuenies, fatiloquam virginem, deo plenam, antrum quoddam habitantem. Consueuit ea notis quibusdam in palmarum folijs exarare, quæ hominibus euentura canit. Et responsa sua sic descripta, postmodum in ordinem digerit, & in antro relinquit. Manent illa immota, suoq; loco, & ordine: nisi cum ventus ianuam impulit, tum enim disiecta ac dissipata folia per specum volitant: quæ denuò colligere, & ad pristinum situm, ordinemq; redigere illa neutiquam curat. Ita fit, vt qui consultum advenerant, inconsulti, dubij, responsoq; frustrati recedere cogantur. Qua de caussa irascuntur, & sedem illam auersantur. Tu cum in illam viciniam veneris, nullum moræ dānum tanti facito, quin valere iussis sociorum querimonijs, & vento quantumcunq; secundo posthabito, ad Sibyllam adeas, oraculum exquiras, & ores, ut te voce ipsa, non per folia conscripta erudire ne recuset. Docebit te Italiæ populos, & bella quæ habes cum illis gerere: quînam labores singulos vel declines, vel tolerando minuas, & quomodo vtiliter nauiges. Hæc erant, quæ te audire fas, & æquum fuit. Nunc vade cum dijs beneuolentibus, mi Æ nea, & rebus præclarè gestis, Troianum nomen æternitati commendato. Post hæc varijs muneribus me donat, eaq; nauibus importari iubet, aureis, eburneis, argenteis, & Dodonæis præterea lebetibus. Insuper inaurata lorica, cristata galea de Pyrrhi spolijs. Adijcit equos lectissimos, & nōnullos belli duces eximios. Et Anchisen quoq; ætati congruentibus donis afficit. Non se his finibus cohibet eius liberalitas, & munificentia regalis. Remigum numerū instaurat, vectoribus arma bellica suppeditat. Pater ventis placidùm flantibus imperat naues expediri: ad quem vultu, & verbis amicissimis Helenus. Hem Anchise, cuius connubium non est dedignata Venus, quiq; singulari deorum erga te studio, atq; cura bis capta vrbe (ab Hercule nimirum, & à Græcis) seruatus, & ex hostium manibus elapsus es: ecce tibi Italiam, eò appelle. Hanc tamen ipsam relinquere, & radere tantùm oportebit: illa enim pars eius, qua ex Apollinis prædicto vobis ingrediendum est, longioribus multò spatijs hinc distat. Dij iter vestrum bene fortunent. O te terq;, quaterq; beatum tali, tamq; pio filio. Sed cur ego sum verbosior? cur vos inuitantibus ad nauigandum ventis diutius detineo? At vero Andromache quoq; eorum digressu mœstior, quorū ex aduentu tantam animo suauitatem hauserat, condecentia puero Ascanio largitur munera: vestem nempe formis rerum variarum aureo filo intertextis, chlamydulam factam opere Phrygio, & textilia insuper pulcherrima, hæc subijciens. Accipe hæc, charissime Ascani, mea industria, & hisce manibus meis confecta munuscula, argumentum amoris erga te Andromaches, nuptæ quondam auunculo tuo Hectori. In te Astyanactem meum ceu rediuiuum contemplor. O quam illius oculi tuis oculis, illius manus tuis manibus, illius deniq; totum corpus, & omnia lineamenta tuo corpori, tuisq; lineamentis similia? qui tecum nunc, si superesset, vt coæuus, pubesceret.

Donationes Heleni, et Andromaches, et vtriusq; valedictiones.

Dona dehinc auro.

Abiens

Abiens ego valedicebam, nec poteram tenere lacrymas, & bene precabar ciuibus, amicis, hospitibus meis tam liberalibus. Dij, inquam, velint hanc vobis fœlicitatem esse perpetuam. Vos iam casibus vestris perfuncti estis. Vobis datum est tranquillum æuum copijs omnibus circumfluentes ducere: per nullum mare amplius currendũ, nec quærenda Italia: quam quò nos diutius quærimus, eò videtur refugere longius: & aliud nos super aliud infortunium percellit. Intuemini & nunc Troiam vestram, & Xanthum vestrum, magnum vestrarum, rerumq; dulcissimæ olim patriæ monumenta iucundissima. Deos precor, ut secundioribus hæc auspicijs, & minus Græcorum armis, ferroq; exposita retineatis, quam Troiam, cuius imaginem gerunt, nos habuimus. Polliceor etiam, cum in Italia sedem fixero, curaturum me, & posteris testamento seriò mãdaturum, vti vrbes Italicas cum Epiroticis propter cognationem (quippe qui genus ad eundem auctorem Dardanum referimus, & ut eiusdem ciuitatis ciues idem exitium communiter pertulimus) fœdere sanctissimo & firmissimo consocient: ut quoniam corporibus ob interuallum loci, etsi non adeo magnum, coniungi non possumus, animis saltem, & voluntatibus coalescamus.

Septima profectio, à Buthroto ad Calabria littora.

Prouehimur pelago.

A Buthroto ad Ceraunia (Epiri montes sunt) peruehimur, vnde cursus perbreuis in Italiam. Sol ad occasum præcipitat: nos per vireta discumbimus, & firmatis cibo corporibus, sorte officia naualia distribuimus, somnumq; capessimus. Nocte adulta Palinurus, cuius semper mira eluxit in munere suo obeundo alacritas, sopore excusso surgit, flatus solerter obseruat, etiam auribus (quà enim spiraturi sunt venti, inde aëre frigescente, aures frigus persentiunt) obseruat, ut dicebam, ventos, qui nam, & vnde veniant, stellas item considerat, præsertim arcturum, hyadas, vtramq; vrsam, & Orionem, quo astro nihil in cœlo fulgentius. Vbi animaduertit esse omnia ut voluit, claro signo è puppi misso multitudinem omnem expergefacit, & ad conscendendum vocat. Velificantes procedimus. In crepusculo matutino montes Italicos ceu colles, & Italiam ipsam, propter distantiam depressam intueri incipimus. Achates primus gaudio nouo cumulatus exclamat, Italia, Italia: sequuntur cæteri, confusisq; vociferationibus Italiam hilariter salutant. Tum Anchises pateram satis capacem vino implet, floribus coronat, & in extremo nauigij consistens, ac marinis, terrestribus, tempestatumq; dijs libans, ijs supplicat, ut eorum beneficio temperatis flatibus, reliqua nauigatio optata contingat. Valuit precatio: portus paulatim, quippe appropinquantibus, patescit, & in edito loco templũ Palladis conspicimus. Antennis demissis vela colligimus, littori nauium proras aduertimus.

Descriptio portus, omen equorũ, sacrificium, et octaua, ad Siciliæ littus profectio.

Portus ab Eoo.

Est portus in orientem spectans, arcus gerens similitudinem, ex quo cautes, seu scopuli prælti, & instar turrium erecti eminent. Hi velut brachia duo dextrà, læuaq; mari obijciuntur: & his, irruentes ab alto fluctus refringuntur. Ipse ab iniuria pelagi, omniq; impetu liber, procul intuentibus non apparet. Templum Mineruæ, quod ante supra littus positum credidisses, longius abesse iam cernitur. Primum omen, quod se obtulit, fuerunt equi quatuor candidissimi, pascentes per campum latissimum. Eorum aspectu perterritus Anchises, continuò in hanc vocem erumpit. Heu terra hospes, bellum nobis denuntias, equus enim animal bellicum. Veruntamen ominemur melius: est etiam vectarium animal equus, currui iungitur, & frænum accipit, eiusq; opera & in pace vtimur. Quare & pacem nobis quin portendant isti equi, nihil impedit. Mox Palladi, vt armorum præsidi, preces adhibemus, cuius templum primum se offert. Rogamus, in prospera commutet, si quæ aduersa impendeant, & quos ouantes acceperit, ouantes dimittat. Item Iunoni Græcorum patronæ, Heleni præceptis obsecuti sacra facimus. Ijs perfectis, quando hac tantum de caussa litus Calabrũ petiueramus, illico obuersis pelago proris, suspectam regionem deserimus: quippe quæ à Græcis coleretur, inimicis nostris capitalibus: quorum proinde vim, & insidias nõ iniuriâ pertimescebamus. Hinc sinũ cõspicimus ab oppido Tarento cognominatum: quod quidem oppidũ Phalantus, ab Hercule octauus, à Tara Neptuni filio olim conditũ amplificasse, & ab eodem Tarentũ indigitasse perhibetur. Incurrit etiã in oculos nostros promontoriũ Laciniũ, vbi fanũ Iunonis Laciniæ. Et Caulon mõs, & Scylacæũ oppidũ (ꝑpe quod ob saxa sub vndis latẽtia certũ naues discrimẽ adeũt) & Ætna mõs Siciliæ notissimus. Iuxta Scyllã, & Charybdim horrifica pelagi murmura, vndarũq; à littorib⁹ repercussarũ sonitus aures

aures nostras feriunt, æstus vado tenus furit. Hic Anchises, en hæc illa Charybdis, hi scopuli, hæc saxa, de quibus monuit diligenter Helenus. Agite, remigate summis opibus, cursum auertite, & nos præsentissimæ morti eripite. Parent iussis confestim: Palinurus princeps in læuum latus proram contorquet, quem totis viribus omnes statim consequuntur. Fluctibus spumantibus modò in imensam altitudinem attollimur, ut pæne astra aspergi iudicares: modò æquore dehiscente, in profundũ barathrum descendimus. Concauis saxis aquæ illisæ remugiunt. Sic nobis iactatis, & remigando, luctandoq; aduersus æstum maris insanientis magnopere delassatis, ventus fit quietior, & sol occumbit. Ignari penitus locorum, ad eam insulæ Siciliæ partem allabimur, quã Cyclopes habitant. Portus est magnus profectò, & tranquillus, quippe ventis inaccessus: cui hoc vnum incõmodum, quod vicinior Ætnæ, vnde fragores horrifici exaudiuntur. Nũc fumum piceum, scintillis commistum, in cælum vsq; eiectat, & flammarum globis afflat ipsa sidera. Nunc prægrandes lapides, tanquam auulsa sibi viscera eructat, & putrefactos, siue in calcis morem decoctos, ac resolutos cum sonitu ingenti in aërem vacuum eiaculatur, atq; ab imo fundo mirabiliter feruet. Narrant hunc montem Encelado giganti à Ioue fulminato impositum, & hos ignes esse eius spiritum, quem ruptis cauernis exspirat. Inde etiam cum se cõmouet, aut in latus alterum vertit, terræmotu totam Siciliam concuti, & cælum fumo inuolui. Illam noctem peruigilem in sylua traducentes, talia terriculamenta perpetimur: & audimus quidem tumultum, ac sonitum: caussam, quoniã nubes atræ polum obtexerant, ut neq; stella, neq; luna appareret, nullã videre quimus.

Ætna descriptio.
Portus ab accessu.

Die renascente, de improuiso è sylua se promit magis simulacrũ, & vmbra hominis, quam homo: vsqueadeo emaciatus erat, & vix ossibus hærebat. Cultus eius horridus, ac sordidus, spinis, lappisq; densus, corpus omne luridum, capillus summissus, barba intonsa, & hispida. Erat autem Græcus, quod forma habitus, sonus vocis, & arma loquebantur, & ad Troiam cum alijs militauerat. Ergo factus propior, cum nos de ornatu, & armis Troianos coniectasset, aspectu rei prodigiosæ, & nunquam exspectatæ externatus, atq; attonitus firmat gressum: deinde versum littus cito pede gradiens, cum ploratu nos obsecrare insistit per sidera, per vitalem hunc, quem ex aëre ducimus halitum, per deos immortales, tolleremus eũ quocunq; terrarum vellemus: id se in beneficij loco numeraturum. Non negare, se Græcũ esse, Troiam cũ alijs oppugnasse. Si hoc tantum scelus statueremus, ut nos eius calamitas tanta mouere non deberet, & veniam, vitamq; condonandam minimè duceremus, dilaniatum frustratim in mare proijceremus: optabilius sibi fore hominum manibus, quàm ferarum dentibus interire. Hæc dicens genua nostra prouolutus cõplectebatur, ritu supplicum. Iubemus efferat nomen, genus, & conditionem suam. Dextram fidei symbolum ei statim Anchises porrigit. Posito metu respondet, se Ithacensem esse, Vlyssis comitem, vocabulo Achæmenidem, habuisse parentem Adamastum, haud magna cum re: quæ caussa fuerit, ut militatum concederet: optare se vehementer, contentum vixisse fortuna pristina, quæ cum præsenti ærumna collata, fælicitas dici possit. Dum præternauigaret, captum cum aliquot socijs à Polyphemo Cyclope immanissimo, & in antrum quasi in carcerem ab eo compactum. Reliquos occasionem nactos, fuga, se misero derelicto, elapsos. Antrum illud occisorum sanguine, & cruentis carnium humanarum frustis tetrum, subobscurum, & amplum esse: ipsum proceritate monstrosa præditum, & tã truculẽtum, vt neq; eius vultum intueri posses, neque ipsum alloqui præ formidine. Solitum captiuorum corpora discerpere, & partes adhuc cruore stillantes in aluum demergere. Se oculis suis vidisse, cũm supinus, & extentus iacens, duos de captiuorum numero correptos saxo affligeret, sanguine pauimentum respergeret, & artus sanguine adhuc stillantes, palpitantesq; manderet. Verùm non inultum tulisse hoc prandium, Vlysse nimirum vindice, qui hîc in tanto discrimine artium suarum non fuisset immemor. Postquam enim cibo, vinoq; confectus, humi somnũ captans se toto corpore extendisset, crapulam eructans, duce facti Vlysse, captiuos illos cũ inuocatiõne numinũ, distributis pulchrè operis circumfusos, quem in frõte vnicum, sub capillorũ ingenti sylua latentem habebat oculũ, præusto, & acuto stipite effodisse: oculum, inquam, magnitudine æquantem clypeum Argolicum, aut orbem solis, quantus quidẽ à nobis videtur. Ita sociorũ deuoratorũ vmbras vindicatas.

De Achemenide, & Polyphemo.
Postera iáq; dies.

Cùm

Cum huc vsq; sermonem produxisset, repente exclamat, fugeremus præcisis retinaculis statim, sine cunctatione: qualis enim quãtusq; esset Polyphemus, cui in studio tractare oues, hoc est, quã vastus, quamq; crudelis, licet iam oculo orbatus, tales Cyclopas quãplurimos ibi inueniri. Tertium mensem abijsse, ex quo vitam in syluis, inter feras animantes degat, & sæpe eos è sublimi videre, eorũq; voces, & incedentiũ strepitus cũ tremore audire cogatur. Victũ tolerare baccis, & herbarũ radicibus, bestiarũ verius, quam hoĩm alimento, & hanc primã classem nostrã conspexisse, putasseq; satius fore, si se illi, quęcunq; tandẽ esset, addiceret, quã ut in ærumna hac, & ꝓpe quotidiana morte diutius versaretur. Si complacuisset, quocunq; genere lethi eum consumeremus, modo Cyclopum, hoc est, portentorũ tam crudelium rictus effugeret. Res verbis mox fidem conciliat. Nam vix dum hæc ediderat, & Polyphemus in iugo mõtis apparet in medio suarũ ouium, atq; ad littus descendit: monstrum monstrosissimũ, quod insup ademptus oculus insigniter deturpabat. Pinus trũcata ramis baculi vsum ei præstabat: circũ gradiebantur oues, amisso lumine sola iam eius voluptas. Vt ad mare venit, oculũ, seu orbem potius, & spatiũ oculi sanie fluidũ abluit, nõ absq; gemitu, & stridore dentiũ, propter aquæ salsedinem. Et cũ non parum longè à littore in altum processisset, nondum tñ latera eius (tã horrenda corporis proceritas erat) aqua contingebat. Nos pręproperè anchoralibus præcisis, recepto supplice (quoniã dignus videbatur, quod candidè nobiscũ egisset, non vti Sinon homo fraudulentissimus, & de præsenti nos discrimine amicè monuisset) remis, velisq; aufugimus. Ex ictibus, et stridoribus remorum sensit Polyphemus fugam nostrã, sequitur. Sed cum assequi fugientes non posset, tã horribiliter vociferatus est, ut totum mare concuteretur, Ætna propinqua immugiret, Italia exterrita miraretur. Cyclopes è montibus, & syluis se penetrant, ad littus accurrunt. Contuemur illos Ætnęos fratres horrendũ concilium astantes, capitibus propemodũ cælum tangentes, & quercuũ, aut cyparissorũ Ioui, Dianæq; sacrarum arborũ longitudine similes. Atqui frustra astabant, nocere enim nobis nec hilum valebant. Metus compellebat nos eò vela intendere, quò ventus secundus agebat, quocunq; tandem ageret: contra auctoritas Heleni subibat animũ, monentis, ne inter Scyllam, & Charybdim cum certissimo vitæ periculo trãsiremus. Quamobrem decernebamus retrorsum vela facere. *Nona profectio, Drepanũ.*

In hisce cogitationibus à Peloro promontorio, vbi angustius fretũ inter ipsum, & Leucopetram, Boreas, sine dubio à dijs missus, flare incipit. Præterimus Pantagiæ fluminis ostia naturali, & viuo è saxo, non manu artificum comparata, & sinũ oppidi Megaræ, & Tapsum humilem insulam: quæ quidem nomina nobis indicabat Achæmenides, qui paucis ante mensibus cũ Vlysse vagatus, oẽm eam oram præternauigauerat. Plẽmyrium quoq; insulam, à priscis dictam Ortygiam, in qua ferunt Alpheum Elidis fluuium in Arcadia subter mare, Arethusam nympham in fõtem sui nominis conuersam, & occultis sub terra, mariq; meatibus hîc emergentem insecutum, cũ eius aquis confundi, ac permisceri. Mandatu Anchisæ loci deos veneramur. Relinquo etiã Helorum ingens flumen, & Pachynum promontorium, cuius saxa in mare lõgius procurrunt. Procul oppidum video Camarinam, cũ palude cognomine, quã fata exsiccari vetuerant. Quin & Geloos cãpos, & Gelam vrbem, item Agrigentum, quæ vrbs ab equorum præstantia cõmendatur. Et Selinum oppidum, vbi agrestiũ palmarũ magna copia. Lego deniq; vada Lilybæa, vbi saxa sub vndis latentia. Ecce aũt Boreas.

Tandem Drepanũ admoueor, locũ infœlicissimum. Ibi enim post tot tempestates, ac pericula superata, parẽtem vnicum meum in omni calamitate mea solamen & laboribus leuamentum, amitto. Hîc tu me, pater optime, vita cedens deseris, quẽ ego vnà nobiscum in Italã vẽturum, promissisq; bonis simul fruiturum speraueram. Tacuit hunc casum meum Helenus: nec inter alia mala Celæno hoc mihi grauissimum prædixit, quò leuius aliquanto, ut præuisum, tulissem. Hîc igitur, Drepani puta, finis datus est, hæc nauigationem longissimarum meta. Inde cum ad Italiam festinarem, & me nihil amplius aduersi passurum nauigando considerem, diuino consilio in Africam ad vos reiectus sum. Sic Æneas sũma cum attentione audientium & excidium Troiæ, quod illi fataliter euenit, & maritima itinera sua cum enarrasset, tandem modum narrationi imposuit, & quieuit. *Epilogus libri de morte Anchisæ.* Hinc Drep. me port.



Paraphrasis
IN LIBRVM DECIMVM
ÆNEIDOS.

Iupiter deorũ discordiam castigat.

Panditur interea.



TRansacta nocte, postquam cælum, die redeunte apertum fuit, Iupiter opt. max. deorum conuentum indicit, quà stellarum inter se vicinarum frequentia, locum illustriorem, & clarioré facit, (orbé lacteũ vocāt) ibi enim eius nobilissimũ palatiũ, vnde mũdũ inferioré, & Latium, & Troiana castra despectat. Adveniunt prompte, cõsidũt in ædib⁹ bipatentibus (hoc est, quarum porta dextrà læuaq; aperiebatur, ut in domibus nobilum) audituri quam ob caussam eius accitu conuenissent. Tum ille. Qui cæleste hoc templum incolitis, dij maiorum gentium, quid est, quod à priore, atq; adeò à mea auersi sententia, inter vos tanto dissidio dissidetis? Italiam ego vetueram Troianos armis infestare: cur adversus imperata mea tumultuamini, intestinisq; implicati discordijs, auctores estis, ut hi illos, & illi hos oppugnent? Ne diem anteuertatis: erit quando Carthaginenses princeps Africæ populus, cum numeroso exercitu per Alpium iuga Italiam ingressi, Romanis vastitatem, & exitium molientur. Tunc res vtrinq; rapere, partes fouere, & odia mutua exercere licebit. Modò mihi placitũ est, ut deleta omni discordiarum memoria, ad pacem, concordiamq; reuertamini. Hæc paucis Iupiter. At Venus non paucis, quippe quæ opportunitatem de Iunone conquerendi, & dolorem suũ effundendi nactam se videbat. Sic igitur infit. O rerum pater, diuorumq;, atq; hominum sempiterne rector, te imploramus, tuũ flagitamus auxilium: siquidem alium præter te patronum non habemus, cum deos propemodum omnes Iuno secum habeat. Non est te clam, eernis oculis tuis, quemadmodum Rutuli Teucris meis imineant, ijsq; assiduò ferrum, flammamq; minitentur. Cernis quemadmodũ cum lectissimis equitibus per mediũ Turnus volitet, tumefactus secundo rerũ cursu: mei aũt clientes ne muris quidem, ultimo perfugio defendantur, cum in ipsis munimẽtis, & intra portas pugnare cogãtur, fossasq; sanguine suo repleant. Et hæc quidem, quod miserrimũ est, ipso duce Ænea absente fiunt, quo præsente, res vtiq; melius irent. Heu, quousq; obsidebimur? Troia vetus Græcorum manibus interijt: aduersus renascentem Troiam alter sæuit exercitus, & Diomedes ille Ætolus, ab Arpis ex Apulia denuo nos euersum venit. Iterum forsitan, ut tum, ab illo vulneranda sum: hoc vnũ deest scilicet: & ego Iouis omnipotentis filia, humana arma demoror. Si te nolente in Italiam venerunt, caussę nihil dico, quin tua ope destituti penitus, huius audacissimi facti pœnas iustissimas pendant. Sin autem te lubente, & tot deorum superũm, inferũmq; responsis obtemperantes hoc egerũt, cuius est hæc tã effrænata licentia, ut decreta tua perrumpat, & noua quædam fata, prioribus cõtraria pro sua libidine inducat? Omitto demissam Irim, & in littore Siculo cremata nauigia. Prætereo tempestatem sæuissimam, ventis ab Æolo rege impetratis, concitatam: manes etiam, tertiam mundi partem habitantes, in perniciem nostram incitantur, & Alecto Furia ad super auras euocata, per vrbes Italiæ bacchatur, incolasq; ad nos funditus perdendos suscitat. Haud ego iam de regno meis promisso, sed de eorum vita seruanda laboro. Sperauimus sceptrum quoad licuit: superent nunc, ac de nobis triumphent, quos tu superare sinis, & pro iustitia iniquitas dominetur. Si tam immane, & implacabile in nos odium est tuę coniugis, ut Troianis non relinquat, vbi pedẽ ponant, & eorum superesse neminem velit, per Troiæ cineres te etia, atq; etiam obsecro, saltem Ascaniũ nepotem mihi gratificare. Æneę minor me cura tangit: iactetur, si ita necesse est, per ignota maria, & fortunam suam patiatur: hunc hunc tuo beneficio retinere incolumẽ, belloq; subducere fas sit. Sacrę mihi

Venus Iunonem grauiter accusat.

At non Venus.

mihi vrbes Cypri Amathus, Paphus, Idalium, & Cythera insula, in harum aliqua ingloriús quidem, at securus ætaté exigat. Iube Carthaginéses terra, mariq; Italiam infesta habeát, non ijs quidquá obstabit semel ab armis seiunctus Ascanius. Quid tandem emolumenti attulit, Troia à Græcis capta, & inflámata, per medios igniũ globos, perq; tot discrimina quà maris, quà regionũ, dum Latiũ quæritur, in quo deleta Pergama reuiuiscát, saluos euasisse? Profectò præstabat in solo patrio apud parietinas illas remansisse. Redde quæso Troianos patriæ, redde campũ, ubi Troia fuit: hoc petimus, quáuis rursum perferenda sint, quæ hactenus aduersa pertulimus. Tũ Iuno furiosius (quippe in consessu deorũ vehementer accusata) Quare tu, inquit, ô impudentissima, silentio me tegere doloré antiquũ non pateris? cur me, quod diu, & patienter dissimulaui, nunc palam cogis edicere? Quis mortalium, imortaliumúe Æneam bellũ moliri, & cum Latino rege inimicitias gerere coegit? in Italiam venit monitu, & vaticinijs Cassandræ, si illa vaticinia, & non furiæ potius fuerunt. Esto. Quis autem ei castris, hoc est tutissimo loco, relictis, Pallanteum nauigare, & ita vitá ventis, & vndis. rei incertissimæ, & inconstantissimæ credere persuasit? Quis puero belli moderamen tradere, & castrorum tutandorum curam committere? puero, inquam, qui propter animi infirmitatem, consilijq; immaturitatem nec sibi, nec alijs prodesse, nec pericula virili constantia propulsare potest. Quo tandem auctore Etruscos ille quietos alioqui turbauit, & ad coeundam belli societatem perpulit? Quis hic deus, quæ Iris cœlo demissa, quæ tam magna potentia nostra eum in fraudem coniecit? Indignissimum tibi videtur, Italos prouidere rebus suis, Troiam vestram, ut appellitatis, resurgentem incendere. Itáne indignissimum erit, Turnum æquè dea matre, Venilia scilicet, & regibus, atq; adeò dijs quoq; maioribus, ut Pilumno, procreatum vindicare sibi terram patriam: dignissimum autem, Troianos armis lacessere Latinos, & ijs iugum seruitutis imponere, liberrimeq; prædas agere? pro arbitratu vxores sibi deligere, quin alijs desponsas, ex eorum complexu auellere? pacem velatis oleæ ramo manibus petere, & interim tela, & enses puppibus præfixa ostentare? Tibi potestas fuit, filium obtenta nebula Græcorum manibus eripere, naues in totidem nymphas transmutare: & nos, si quomodocunq; etiam Rutulos iuuemus, statim intolerabili nos facinore obstringimus? Æneæ absentiam commemoras, & huius quidem periculi planè ignarum abesse conquereris. Vtinam ille semper vagetur, semper absit, & horum nihil cognoscat. Ais tibi ciuitates in Cypro consecratas, Amathunta, Paphon, Idalium, & Cythera insulam, loca sine dubio amœna, & voluptuaria. Quid igitur Laurentum, vrbem studijs bellicis deditam, hominesq; nequaquam molles, ac delicatos côturbas? Deniq; odium mihi magnum conciliare niteris, quasi quæ malorum omnium tuis machinatrix extiterim: vbi sanè quod scelus tibi est, id de me impudenter prædicas. Considera paulisper mecum, vtra nostrũ Troianos Græcis obsidendos, ac delendos obiecerit. Per méne, an per te magis Troia, commune Europæ, Asiæq; sepulchrum factũ sit? Aut utra duce Paris contra fœdus expugnata Lacedæmone, Helenam legitimam coniugem à Menelao abstraxerit, vnde postea bellum crudele natum, cui tu faces, ac tela suppeditasti. Tũc erat, ut tuis metueres, nunc serò nimis, & frustra metuis: frustra mecum expostulas. Tu suisti hunc calceum, illi induerunt. Vbi Iuno finem fecit dicendi, cælites fremere, haud aliter, quam syluæ leni perstrictæ vento: quod murmur nautis tempestatem prænuntiat: pars Veneri, pars Iunoni assentiri. Iupiter summus orditur loqui, ad cuius vocem ob maiestatis reuerentiam cælum omne silet, aer silet, tellus tremit, venti conquiescunt, mare fluctus ponit. Audite ait, & quæ dicam mentibus recondite. Quoniam Italos cum Teucris amicitiæ, ac fœderum vinculo colligare non datur, id quod inprimis cupiebam, nec vos modum vultis disceptandi facere, nolo pro alterutra parte quidquam ferre, suam cuiq; fortunam, suam spé relinquam: nec inter Rutulos, ac Troianos discrimen statuam, siue illi fato sinistro Troianorum castra obsident: siue hi mendacibus decepti oraculis, in Italiam se intulerunt: neutros absoluo. Quod sibi quisq; seuerit, hoc ei metere licebit. Ego nec huc vergo, nec illuc fatis rem permitto, illa negotio viam dabunt. Hæc me ita sentire, atq; ex animo locutum, testem adhibeo paludem stygiam, per quam peierare dijs nefas. Dixit, & annuit: quo nutu olympum concussit. Mox aureo surgentem è solio, dij medium honoris caussa ad sedem, domiciliumúe, ubi assiduò solet commorari, deducunt.

Iunonis responsatio. Tũ regia Iuno.

Iupiter pro neutra fert sententiam. Tũ pater omnip.

Castrorū acris oppugnatio.

Interea Rutuli.

Rutuli interim ad singulas portas glomerati obsidium vrgent, ad cædes, & incendia miscenda nauiter incumbunt. Troiani arctissimè obsessi, præsidio misero illo quidem, veruntamen in tanto periculo valde optato, ac necessario, fuga, inquam, carebant. Stabant in turribus, & muris, sed rari, quod varij casus numerum vehementer imminuerant. Aciem præcipuam conficiebant Iasius Imbrasi, Thymoetes Icetaoni filius, duo Assaraci, Tybris senex cum Castore, fratres duo Sarpedonis, Clarus, & Hęmon Lycij. Acmon Lyrnesi ortus, nec Clytio patre, nec Menestheo germano inferior, saxum prægrande, omnes vires contendens, in hostem ferebat. Rutuli iaculis, sagittis, ignibus obsessos fatigant: illi se contra lapidibus iaciendis defendunt. Conspicuus in medijs versatur adolescens Ascanius, Veneri charissimus, nudato capite: quippe Apollinis iussu non pugnaturus. Qualis est lucida gēma in annulo, aut monili aureo: quale buxo, aut terebintho inclusum ebur, talis apparebat: cuius per collum candidum fusi capilli, & circum torques aureus. Ismarus quoq; natus in Lydia, regione fertili (vbi Pactolus vnus de fluuijs auriferis) sagittas veneno illitas mittebat. Pugnabat acriter & Mnestheus, qui Turnum ab aggere deiecerat: & Capijs, vnde Capuæ vrbe nomen datum. Et hactenus quæ ad castra gererentur: nunc ad Æneam procedat narratio. Is per noctem, ab Etruscis rediens nauigabat.

Reditus Æneæ & auxiliorum catalogus.

Media Æn. freta

Postquam enim Euandri suasu in Etruriam venit, in castra se contulit: Tarchontem principem adijt, nomen ei suum, genus, gentem, quid ab eo impetrare cuperet, exposuit (auxilia nempe aduersus Turnum, & Latinos) cui vicissim opem sua est pollicitus. Mezentium expulsum, moliri reditum in regnum: Turni ingenium inquietum, turbulentum, ambitiosum: fælicitatem humanam infidam, inconstantem, atq; mutabilem esse: admonitioni etiam preces adiūxit. Quid Tarchon? nihil moratus, fœdus cum Ænea icit, copijs eum suis adiuuandum suscipit. Tum sublata remora, quæ illos adhuc remorabatur, Etrusci Æneæ peregrino ductori committuntur, & is cum sua naui antecedit, habens pro insigni leones, cum Ida mōte: cuius monumentum Troianis propter fabricatam ibidem classem erat gratissimum. Sedet Æneas, secum euentus belli (qui solent esse incerti) ut virum prudentem decebat, reuoluens: iuxta eum sinistrà sedet Pallas, regis Euandri filius: & ut iuuentus est sciendi cupida, nunc de stellis (quas quidem nautæ ad iter per undas dirigendum obseruare solent) nunc de laboribus eius maritimis, ac terrestribus eum percunctatur, à quo tamen altioibus cogitationibus, & magis necessarijs defixo, responsum nō accipit. Agite nunc Musæ, Heliconem vestrum mihi pandite, & canendi facultatem subministrate, qui populi, & vnde cū Ænea ab Etruria in Latium, ad cōmunicandam cum eo fortunam nauigauerint. Primus ibat Massicus, in cuius nauis prora depicta tigris. Ducebat mille militum, pharetris, & arcubus instructorum, Clusinos, & Cosanos videlicet. Secundū locum tenebat Abas, homo tetrico vultu, cū nongentis, insignibus armis, & omnibus militiæ admodū peritis. Eorū sexcentos Populonia, trecentos Ilua insula (Tusciæ vicina, & chalybis ita ferax, ut quod effodiatur, nunquam desit) suppeditauerat. Nauis eius, ꝓ insigni Apollinem inauratum habebat. Tertius erat Asylas, in omni genere diuinationis apprimè versatus. Hunc sequebantur mille Pisani. Qui autem ab initio Pisas cōdiderunt, ex Arcadia, ubi Alpheus fluuius propter Pisam, & Elidem vrbes labitur, in Tusciam venerūt. Quartus Astur, eques generosus, armis depictis gaudens. Huic traditi erant trecenti à Cæretanis, & ijs, qui ad Minionem flumen accolunt: item ab his, qui Pyrgos, & graui sub cælo positas Grauiscas habitabant. Nō est prætermittendus Ligurum rex Cygnus Cupauo, bello inclytus, Cygno prognatus, qui cum parua manu in hac classe fuit, gestās in galea pennas olorinas, ad formæ paternę scilicet memoriam. Cygnus etenim, cū Phaetontem mirè amaret, & eum fulmine Iouis in Padum amnem deturbatū, submersumq; audiret, eò properauit, inter populos, in quas tres sorores eiusdem Phaetontis, dum fratrem lamentātur, ibidem conuersæ erant, sodalem lugubri cantu defleuit, & plumis albis, quasi canitie opertus, atq; in cygnum transformatus, à terris se in altum cū dulci modulamine sustulit. Ergò huius Cygni filius Cupauo naui vehebatur, cui Cētauro nomen, à pictura monstri illius, quod molarem vndis intentabat. Ducebat autem ætate, & armis æquales. Ad hæc, ex agro patrio suos etiā contraxerat Ocnus, filius Mantûs fatidicæ mulieris, & Tiberis fluuij. Is Ocnus Mantuam cōdidit, & ab se nomen vrbi indidit. Fuit Mantua à maioribus inclytis præpotens, tres enim habuit tribus, &

bus,& eas in ternas curias diuisas,singulisq; Lucumones singuli iura dabant: ij per Etruriam duodecim numerabãtur,quibus vnus præerat. Hi porrò totius Etruriç distinctas administrabant quasi præfecturas: omnium populorum principatum Mantua tenebat: totum aũt eius robur à Lucumonibus. Veniebat Ocnus cum quingẽtis, qui erant omnes odio Mezentij præcipuè inflammati.In eius naui expressus cernebatur Mincius fluuius,Benaci lacus Venetiæ filius. Auletæ nauis erat visenda magnitudine,videbaturq; non remorũ, sed arborum plurimarum ordinibus impelli. Eius insigne Triton cum concha,quam inflabat, à capite ad extrema latera hominis ferens imaginem,cætera pristis. Duces memorati simul omnes classem 30. nauiũ adducebant. Nox intempesta voluebatur, & Æneas, cum illum anxiæ curæ à somno abstinerent,ad clauum ipsemet sedebat,velorumq; sinus moderabatur. Ecce tibi nymphæ,nuper eius comites,in medio cursu apparent, voluntate Cybeles ex nauibus factæ maris numina: pariter innatantes,ut nulla aliam anteuerteret Æneam regem suum procul agnoscunt,chorea circum eum ducta gratulationem suam declarant.Inter eas Cymodocea disertissima,ponè natans,dextra puppim apprehendit,& dorso aquis extans, læuo brachio tanquam remo vndas decutit. Sic autem,prorsus quid fieret suis nescientem affatur. Ecquid vigilas Ænea, dijs oriunde? Perge vigilare, & parere flatibus, feliciter enim nauigas.Scito nos esse pinos, in Ida monte Berecynthiæ sacro cæsas, & in classem tuam aliquando conformatas: nũc in nymphas marinas euasimus.Nam cum nos Rutulus fœdifragus igni perditas cuperet,oras abrupimus, inuitæ: tibi enim seruire maluissemus: & à matre deûm in hanc faciem transmutatæ,modò te per pelagus quærimus,ut si qua in re possimus,in ea tibi omni studio subseruiamus. Ascanius tuus intra muros est, à Latinis cingitur: Arcades cum Etruscis equites per terram præmissi, quò ipsis mandasti, iam peruenerunt: Turno certum est se illis obijcere,ne se cum alijs tuis queant coniungere. Tu itaq; magno sis animo,& cum prima luce socij fac arma capiant, ipse clypeum Vulcanium sume: dies enim crastinus,si verbis meis apud te est fides, stragem hostium maximã intuebitur.His dictis,discessura nauigiũ impulit modo conuenienti,quẽ, quòd ipsa nauis fuerat,probè norat.Fertur celeritate moderata,aliæ pari cursu sequũtur. Auditu,visuq; harum rerũ Æneas obstupescit: veruntamen bene ominans erigit animum, & cælo intentus, breuiter orat Idæam matrẽ ciuitatum præsidem,à qua hæc bona proficisci videbantur,ut pugnaturum se,ne deserat,auguriumq; istuc cõfirmet. Interim nocte pulsa dies procedebat, Iubet igitur Æneas secundum monita nymphç, suos signa sequi,& animos ad pugnam cõfirmare. Iam in conspectum castrorum venerat,stansq; in puppi,sinistra fulgentẽ clypeũ efferebat. Troiani eo cõspecto è muris,clamores tollunt lætissimos,& concepta spe certa liberationis,amplius in hostes irritantur. Gruum agmina per cælũ cum clamoribus volantia imitabantur. Tela vltro vibrabant,indicantes ita,se hostem floccipẽdere,quem antea formidassent. Mirari cũ ducibus suis Turnus insolitam lætitiã,& audaciam. Sed ubi retro aspicientes, tantam nauiũ multitudinem ad littus allabi viderunt,desijt admiratio. Æneas in armis suis coruscabat,ut cometa quispiam lugubris ꝑ noctem, aut Sirius, cuius tristior est aspectus: quia pestiferum sidus,& ille ad pestem,clademq; Rutulorum veniebat. At enim Turnus,quanquã sibi calamitatẽ non leuem aduentare cerneret, nihilominus in confidentia sua pertendens, præoccupare littus,& egredientes repellere constituit. Suos itaq; ad obsistendum exhortans,aiebat: quod crebrius concupiuissent, id iam euenisse,in manibus esse hostem,datam dimicandi copiam. Pugnarent igitur quam strenuissimè,cogitãtes quid vxoribus,liberis,penatibus futurum sit, si victoria Troianis cesserit. Maiorum suorum virtutem,& fortia facta sibi quisq; proponeret, & ad eorumq; imitationem omnibus neruis,& vnguiculis eniteretur. Descendentibus in littus ultro,inquit,occurramus,dũ adhuc infirma ponunt vestigia: ne,vbi ea fixerint magis,lõgiusq; ꝓgressi fuerint,remoueri amplius haud possint. Non meticulosis,sed magnanimis,nõ ignauis & imbellibus: sed strenuis atq; pugnacib⁹ Fortuna se sociã præbere gaudet. Hæc postquã disseruit,secum disquirit,quos de suis hosti accedenti opponat,quos in obsidione relinquat: nam aut hic,aut ibi totas habere copias,cũ magno suo detrimento futurũ peruidebat. Poterat enim ipse in medio hinc, atq; hinc concidi ab aduersario,& facilè totũ perdere exercitum. Æneas auxilia põtibus in terrã exponit. Multi maris tranquilli, & languidi recursum timentes, ne si-

Nympha ad Æneã de se, et statu rei Troianæ: item Æneæ precatio.

Iãq; dies cælo.

Æneas ab obsessis cũ gaudio cõspicitur, Rutuli descẽdenti se parãs opponere.

Principiò socijs.

simul retraherētur,& fluctibus medijs inuoluerentur, in vada desiliebāt, nōnulli scaphis ad littus ꝑperabant. Tarchon loca circūspectans, quà vadum nullum putabat, nec saxa sub vndis latētia, quibus illisæ cū murmure franguntur, sed trāquillitas magna apparebat & altitudo, eò proras aduertit: classiarios rogat, remos toto corpore impellant, vi quanta possint maxima festinent, quamuis sulcum in littus naue rupta impressuri sint, dūmodo sic terra potiatur, qua adepta, nihil de cætero opus esse nauibus. Sedulò imperatis obsequuntur: adnixi oēs ad terram cōtendunt: iamq; naues cæteræ siccum tenebant: sed Tarchontis inpacta vado, dum in arena ex fluctuū reciproca agitatione congesta, & dentata hæret, & diutius nunc in hāc, nūc in illā partem nutat, repente dissoluitur, in medias aquas militem effundens: qui cum se expedire laboraret, transtris, remis, tabulis occursantibus impediebatur, & vnda relabēs, eum secum rapiebat. Turnus nihil cunctandum ratus, vniuersum agmen, id est, quotquot huic rei delegerat (delectum enim habuerat) in Troianum conuertit, & in littore consistit, ut exeuntem excipiat. Consonāt tubæ. Æneas ad exemplum, & bono omine, primus in Latinos, ex agrestibus magnam partem collectos, inuadit, eorum non paucos, in his etiam Theronem vltro in se irruentem, expertē virtutis virū, adacto per loricam, & tunicam in latus gladio interficit. Pòst Lycum, cæso matris vtero natum, & Phœbo ab infantibus consecratum: qui cum ferri nocumentum puer olim euasisset, postquā inter ephebos numerari desijt, fortissimi herois ferrum non euasit. Nec longè ab hoc Cisseum, & Gyam, qui claua pugnantes, multos iam confecerant. Haud illis quidquam opis arma Herculea (claua enim usus est Hercules) nec proprium robur: nec patris Melampi meritum, qui Herculi, dum labores illos, lippis etiam, & tonsoribus notissimos, exantlaret, & tot mōstra domaret, comes indiuiduus fuerat, attulerunt. Pharus, dum nescio quid superbum magna vōce, ore latius diducto vociferatur, per id ipsum excipit iaculum. Cecidisset etiam Cydon παιδεραστής, dum Clytium prima barba infuscantem genas sequitur, nisi eo ipso articulo temporis septem fratres, Phorco geniti, Æneæ, dum Cydoni instat, se simul obiecissent. Contemptum itaq; reliquit hominē turpissimum, ut hosti septemplici posset resistere, & præsentissimum superare periculum: vnà enim oēs missilia torquebant, quæ à galea Æneæ, & clypeo irrita resiliebant: partem Venus quoq;, filium protegens, aliò auertebat, ut tantum perstringerent corpus, grauiter non læderent. Compellat Achatem socium probatissimum, porrigat sibi illa tela, quæ apud Troiam hæsissent in Græcorū corporibus, nullum enim frustra se in Rutulos iacturum, ut quæ iam bibissent hostilem sanguinem, & certò ferire consueuissent. Tum hastam mittit ingentem, quæ per scutum, & thoracem Mæonis pectus haurit. Cadētem frater Alcanor sustinet: cui Æneas mox alia correpta hasta brachium traijcit, tanta vi, ut eodem tenore volaret, quo, antequā ad lacertū perueniret. Misero dextera neruis abscissis pendet ab humeris. Numitor de Mæonis germani corpore rapto telo Æneam petit: sed ictu aberrat, femur aūt Achatæ radit, qui proximus forte stabat. Calēte pugna inter hos septē fratres, & Æneam, interueniens Clausus, Curibus in Sabinis natus, (qua patria, propter rigidā disciplinā Sabinorum sibi placebat) Dryopem eminus in gutture sub mento vulnerat, & vocem ei cū anima eripit. Concidit in faciem: & quia partim viuēs, partim moriēs, crassum cruorem euomebat. Sternit præterea varijs mortibus alios sex, tres Hyperboreos, totidē Thracas, patre Ida apud Ismarum vrbē procreatos. Inferūt se Halesus cū Auruncis, Messapus Neptuni filius, insignis eques, conanturq; nunc Rutuli Tyrrhenos, nūc Tyrrheni Rutulos fugare. In limine Italiæ, hoc est, in ipsis littoribus, atrox prælīu miscetur: veluti cū per amplissima cæli spatia venti æquè potentes, & animosi è regione colluctātur, ipsisq; mutuò non cedētibus, nec nubes nubibus, nec fluctus fluctibus cedūt, pugnatur pugna ancipiti. Sic Troiani Latiniq; se habebāt, nec enim missilibus eminus, sed ensibus cominus res agebatur, ita ut vir virū, pes pedē, mucro mucronē premeret. In alia parte, etiā secūdum littus, Arcades illi quadringēti, quos Euander rex cū filio Pallante, subsidiū Æneæ à se discedēti addiderat, oēs equites, q; pedestris & statariæ pugnæ insolentes erant, nec tam cōmodè, & expeditè ex equis pugnare poterāt, more patrio videlicet, ꝑpterea q; torrentes eò loci saxa multa, & abruptas ripis arbores cōuoluerāt, fugam inceptabāt: ut quia præliādo nō liceret, certè eo modo quo liceret, nec tali tēpore inhonestū esset, saluti & incolumitati suæ cōsulerēt. Quod vbi sensit Pallas, partim eos incre-

Consistit in littore.

Nec Turnūs segnis.

Pallas Arcadas suos è fuga reuocat, at exemplo accendit.

At parte ex alia.

increpãdo, partim rogitãdo reuocare studuit. Quò quò miseri fugitis, inquit, cũ hostium, & hostilia sint oĩa? Per capita vestra, pq; facinora, quæ cũ laude toties edidistis, per Euandri parentis mei nomẽ, quod ei tot triũphi cõciliarunt, p eam, quam illius imitãdi spẽ sustineo, vos rogo, ne pedibus velitis, sed dextris potius cõfidere. Si viã in patriã affectatis, per hostiũ cuneos illa vobis patefaciẽda est. Sic vos cũ duce vestro, magna, inquã, cũ gloria reverti decet: & istuc ciues nostri vnicè à dijs immortalibus precãtur, atq; etiã à vobis postulant. Quid pauitamus? numẽ nullum habem⁹ aduersarium, nullũ inimicum: hoc in fælicitatis loco ducẽdum est: mortales à mortalibus oppugnamur, & vrgemur: nõ illis neq; plures manus quàm nobis, neq; plures animę. Deniq; ipsa necessitudo fuga nos phibet: etenim hinc mare est, quod vado, aut equis trãsire nõ potestis: illinc terra ab hostibus tenetur, quorum regionẽ calcamus: castra subire nõ datur, q̃ cum parte copiarum Turnus obsidet. Hæc Pallãtis fuit oratio, qui mox, ut moueret etiã exẽplo, quos erat cohortatus verbo, in cõfertissimos sese hostes conijcit. In eum primus incidit Lagus, malo utiq; fato. Nã dum pronus humo saxum graue reuellit, quod in Pallantẽ iaciat, c[illegible] sauciatur ab eo, quà spina costas discriminat: nec facile hastam tenacius inter ossa hærentẽ recipere quiuit. Cupiebat Hisbon aliquantum ad eã euellendam inclinatum opprimere: sed frustra fuit, siquidem eum Pallas anteuertit. Namq; dum ob ulciscẽdam mortẽ sodalis incautius rueret, ac fureret, sic eum excepit, ut mucronẽ in pulmones ei adigeret. Tũ in Helenum vadit, & in Anchemolum Marrhubiũ (cui genti Rhoetus præfuerat) q cum nouerca pbrum fecerat. Ceciderũt item eius pcussu duo germani fratres, & gemelli, Laro nati, Daucia nimirum, & Tymber, quorum tãta erat oris, ac totius corporis similitudo, ut eos parentes ipsi, ac ppinqui discernere, & internoscere nõ possent, sæpeq; vnum p altero, errore haud iniucundo nominarent. Verùm Turnus eos ense suo pulchrè discreuit: Tymbro quippe caput à ceruicibus amputauit, Dauciæ dexterã desecuit, quæ iam à membris separata, palpitabat adhuc, digitisq; micantibus ferrum captare videbatur. Arcades cum oratione ducis sui, tum præclarissimis factis incensi, & partim dolore, partim pudore cõmoti vehemẽtius, hosti imĩnẽt, Rhoeteus Teuthram, & Tyren fratres fugiens, Pallantem forte prætéribat, quẽ Pallas illico hasta in Ilum intẽta transfigit: & tandiu quidẽ mors Ilum distulit, tẽpore vtiq; breuissimo, nõ enim eualit. Excidit curru Rhoeteus, & moriens pedibus humũ pulsat. Quomodo æstiuis mensib⁹, pastor syluã cum incenderit, vento incẽdiũ (id quod ipse inprimis optat) spargente, quasi quædã Vulcani acies p lata camporum extenditur: ille voto potitus, cum lætitia flãmam crepitantẽ, vagantẽq; contuetur: ad similẽ modum Pallantis adiuuandi caussa socij oẽs sese coniungunt, & quid possint, manu experiuntur. Halesus bellator egregius, suaq; virtute multum cõfisus, in aduersos tendebat, seseq; scuto contra incursus sollicitè cõmuniebat. Is Ladonẽ, Pheretem, Demodocum mactat, Strymonio dexterã, in iugulum suum sublatã prætruncat, Thoanti saxo caput adeo cõminuit, ut ossa, cerebrum, sanguis cõmiscerentur. Halesum pater futuri pręscius, & vates, cognoscẽs quod fatum maneret filium, in syluas abdiderat: sene mortuo, Parcę suum sibi debitum ptraxerunt, ac telis Euandrijs occidẽdum tradiderunt. Pallas enim ad Tiberim, pter quem pugna cõmittebatur, cum precatione, & voto spoliorum eius, quæ ad quercum vicinam eidem deo, Tibri inquam, suspenderet, cum interfecit. Exaudijt enim orantem deus, & Halesus dum Imaonem spoliat, ipse pectore inermi telo Pallantis est cõfossus. At enimuero Lausus cæde huius viri, qui erat pars magna belli, cuius scilicet salute plurium incolumitas, & salus nitebatur, non siuit debilitari Rutulorum animos. Abantem, qui vnus victoriam velut obex, aut nodus aliquis implicatissimus multum remorabatur, ad Plutonem demittit. Oppetunt etiam Arcades, Etrusci, & Troiani, quos nimirũ secum duxerat Aeneas ad Euandrum, & inde in Etruriam proficiscens, quosq; apud Troiam Græcorum gladius cõsumere nequiuerat. Concurrunt exercitus pari & militum virtute, & ducum fortitudine. Qui extremum claudebant agmen, ita se condensabant, ut nec manus liberè mouere quisquã, nec tela posset. Hac Pallas instabat, illac Lausus resistebat. Erãt hi duo iuuenes ætate ppemodũ pares, ambo præstãti corpore: verũ neutri in patriã redire viuo contigit: nec eos Iupiter solos cõgredi passus est: seruabatur enim maiori hosti vtriusq; cędes, Pallantis Turno, Lausi Æneæ videlicet. Cum totis iam viribus iretur in vulnera,

Virtus Lausi.

At nõ cęde viri.

Pallas à Turno interimitur.

Interea soror.

Iuturna soror Turni, fratrem eo tẽpore per medium agmen currum versantem monet, Lausum adiuuet. Vt ad socios venit, & quis rerum status esset, præsens cognouit, Pallantemq; vidit, tẽpus cogitatis perficiendis opportunũ se inuenisse ratus, pugna suos desistere iubet: se cũ solo Pallante congressurum, eum sibi soli deberi. Quasi aũt negotiũ iam transegisset, Euandrum optat nũc adesse spectaculo, ut coram ex nece filij tantò diriorem dolorem acciperet. Mandantis auctoritatem, quæ ex eo satis apparebat, quod Rutuli, ut iussi erãt, repente ab armis quiescebãt, ac recedentes in medio spatiũ relinquebãt, miratur? Pallas, corp⁹ eius cũ stupore truci vultu obit. Vt aũt ostenderet, se arrogantibus, & minitantibus Turni verbis non esse perterritum, respõdit, aut se iã iam spolia opima illi ademptururũ (eo nimirum ab se interfecto) aut letho memorabili occubiturũ: vtrumuis patrẽ suum æquissimo animo laturum fore: ut qui non ignoret, & honoris plenum esse, vincere, & minimè indecorum decertando emori. Proinde facesserent eius minæ. Sic locutus, in spatium processit. Arcades metu prope exanimabãtur, quod viderent Pallantem suũ Rutulo valde imparem. Turnus curru descendens, pedes ad pugnam accedit, leoni similis, qui conspiciens in cãpo taurum ferocientem, prædæ inhians accurrit. Vbi eum abesse tã prope putauit, ut iam telo contingi posset, addidit gradum Pallas: & quò diuino adiutus auxilio præstaret, quod ei adhuc virtus humana nondum suos consecuta numeros negabat, precibus Herculem appellauit, rogans eum per hospitium paternum, quo aliquãdo esset vsus, fortunaret inceptum, ut Turnus moriens, suas sibi exuuias detrahi, victorẽq; suum, quem non putasset, oculis indignantibus aspiceret. Ita orantem audiuit, at nõ exaudiuit Hercules. Et quia fatis aduersantibus nihil opis afferre poterat, gemitum repressit ille quidem, lacrymas tamen emisit. Dolentem Iupiter leni sermone consolatur: fixum esse cuilibet suũ terminum, & breue ad viuendum tempus præscriptũ, nec reuolare, cum semel euolauerit: non referre autem, sicuti in fabula, quãdiu, sed quam bene acta sit cuiq; vita sua. Quoniam hoc ita sit, licere hominibus virtute memoriam sui quam longissimam, vel potius sempiternam efficere. Ad Troiam desideratos esse complures, etiam deorum filios, & in his Sarpedonem ex se genitum: Turnum quoq; ipsum à meta curriculi sui parum abesse, breui occasurum. Proinde tristitiam poneret, nihil Pallanti separatim à clarissimis viris, à semideis quoq; accidere. Dixit, & Rutulos respexit: nam cur eum respiceret, cuius salus erat in perditissimis, idq; fataliter? Vibrat hastam Pallas validissimè, statimq; gladium educit. Per oram clypei illa penetrans, Turni humerum stringit: qui vicissim telum diu libratum iaciens, vide, inquit, num hoc sit penetrabilius. Sed ecce per tot ferri, & æris orbes, ꝑ tot taurina tergora, quibus constabat clypeus, per loricam deniq; ferream, in medium pectus miserandi iuuenis telum descendit: quod ille subitò quasi salutem inde sperans, educit. Nihil promotum: simul enim sanguis, simul anima effluit, ipse pronus, & ore cruorem reiectans, in terram cum armorum sonitu cadit. Hîc Turnus astans corpori, heus vos Arcades, exclamat, Euandro renuntiate, me filium ipsi remittere, qualẽ meruit recipere. Honores sepulturę in eũ conferat quantoscunq; volet: quæcunq; ipse sibi in eiusdẽ humatione solatia facere potest, faciat, non inuideo: magno malo pensabit cõiunctum nuper eum Ænea hospitium. Hæc ubi dicta dedit, sinistro pede corpori iacenti obnitens, balteũ, cui Pallas aduersus incũbebat, aufert. Erat admodũ ponderosus, aureis bullis ornatissimus, & in eo quinquaginta Danaidũ, ab Eurytione insigni artificio cælatũ scelus, q̃ prima nocte cõiugij maritos nouos fœdè iugularũt. Atq; hoc spolio Turnus nũc triũphat. Heu quã ad futura caligant humanæ mentes, quãq; in rebus florentibus, ac beatis sibi moderari nesciunt? Dies illucescet, quãdo Turnus multis talentis emeret, Pallantem nunquã vidisse, & quando horam istam cum spolijs execrabitur: propter vnũ enim huncce balteum morietur. Milites sui Pallantem super scuto gemebundi, ac lacrymabundi ex acie frequentes efferunt. O dolorem incõsolabilem, quem pater grandæuus ex filij dulcissimi, atq; vnici funere capturus est. O decus immortale, quod sibi, patriq; mortuus cõparauit: qui, quod inprimis luctuosum est, eodẽ die, quo bellum inijt, bello interijt. Sed ut te interijsse, Palla, acerbũ: sic tãtas Rutulorũ strages, priusquam caderes, edidisse, gloriosum est.

Æneas Pallantem multis cædibus vindicat.

Nec iã fama mali.

Tũ verò nõ fama, sed certus, ac verus nuntius Æneam docet, copias eius à summo discrimine transuersum digitum vix abesse, Pallante sublato, ad fugam oẽs spectare: proinde dicto citius succurrat. Ille festinat, quò vocatur: obuios quosq; gladio ceu segetem

tem demetit, perq; agmen hostile viam ferro sibi latam aperit, Turnum vestigat: qui quoniam tantum mœroris cumulum inuexerat, ante omnes trucidandus videbatur. Pallas, Euander, mensa hospitalis, copulatæ dextræ, hæc oia Æneæ ante oculos versantur, eiusq; animum ad petendam ultionem stimulis pungunt acerrimis. Pallas, inquam, nobilissimæ indolis adolescens, manuq; strenuissimus, sibi tantopere commendatus. Euander de se ita meritus, ut nemo æquè: & is iam senex, & vnico suo orbatus. Mensę, quibus in Herculis sacrificio, cui interuenerat, tã liberaliter se acceptũ recordabatur. Hospitij, societatisq; tã facilis, fidelisq; coniunctio. Raptat secum Sulmonis quatuor, totidem Vfentis filios captiuos, quos ad Pallantis manes placandos, honorandãq; interempti memoriam imolet. Exinde cũ in Magũ spiculo collimaret, subsidens ille, iactũ, at nõ etiã mortẽ euitauit. Accidẽs ad genua Aeneæ, suppliciter orat, & ait: Per manes patris tui Anchisæ, perq; spẽ filij tui Ascanij, dona hanc animam meã patri meo, & filio impuberi. Ne verò solæ preces ad obtinendũ haud satis valerent, addit pretium. Defossa in ædibus suis talenta cælati argenti, item auri facti, infectiq; magnam vim se pro lytro illi daturũ: non dependere ab vnius nece consũmatam victoriam: nec fore, ut vnius animulæ exitium tollat, quæ cõtra metuenda sint. Respondet Aeneas, illos auri, argentiq; thesauros, quos diceret, seruaret filio suo: ignoscendi vicissitudinem, facultatẽq; priorem sustulisse Turnum: eum in occidendo Pallante inhumanitatis magistrũ, & exemplar fuisse: se naturã ad misericordiam, & veniam dandã propendere, ab ipsis nullis precibus flecti didicisse. Magis placiturum se manibus Anchisæ, filioq; Ascanio, si orbitatem Euandri vlciscatur. Tum eiusdem Magi galeam læua corripiens, & caput eius reflectens, ense collũ trãsadigit. Non procul stabat Aemonides, Apollinis, & Dianæ sacrificulus, infulatus, veste, & armis splendidus. Hunc aliquandiu insecutus, lapsumq; pedibus premens, tot victimarũ immolatorẽ, tandem aliquando ipsum quoq; ceu victimam immolat, magnitudine corporis sui cadauer eius obumbrans. Arma Serestus detrahit, ad trophæum Marti statuendũ, visu enim digna erant. Cæculus Vulcani, & Vmbro Marsus, Aeneam in cæde bacchantem contemplati, aciem inclinatam restituunt. Ardet Troianus heros, Anxuriq; sinistram, qua clypeum sustinebat, abscindit. Hic superbia turgidus, nescio quid iactantius garriuerat, quo se alios exanimaturum putabat, & ætatem Nestoreã: sibi spoponderat. cum vnusquisq; nostrũ nec de superventuro die securus sit. Incidit in AEneam deinde Tarquitus, fidens animi homo, Fauno, & Dryope nympha satus. Huius clypeum, loricamq;, retro reducta hasta ita penetrauit, ut tamen vtrobiq; hæreret, nec satis vulneraret. Tum caput obsecrantis, & plura parantis ad animum permouendum adijcere, continuò præcidit, ac truncũ pede propellens, talem sarcasmum addit. Hîc nunc iaceas licet, tu qui te alijs horrori, ac formidini esse opinabare. Haud te mater in paternum tumulum inferet: feris volucribus, aut si forte in vicinum mare proijciere, piscibus pabulum eris. Dehinc Antheũ, Lycam, Numam, Camertem, Volscentis filium, Italorum opulentissimum, qui Amyclis (quam vrbem silentium perdidit) imperauerat, morti dedit. Omnes hi in exercitu Turni, virtute præstabant supra cæteros: sed præstantior AEneas, cui cesserunt: qui mihi videtur instar AEgæonis, siue Briarei fuisse, cui à poëtis affinguntur centum brachia, quinquaginta capita, vnde ignem vomebat bello gigantæo, contra Iouis fulmina: & hinc totidem ensibus, quinquaginta, inquam, illinc totidem clypeis strepebat. Sic planè postquam semel multa cæde, & sanguine calido ferrum intepuit, per campum in hostes grassabatur Aeneas animosissimè, ac felicissimè, atq; in tanto agmine sic vincebat, ut si per tot ora incẽdia vomeret: si quinquaginta ensibus pugnaret, totidemq; scuta ad se defendendum obijceret. Quid plura? etiam brutæ animantes eum metuebant. Nam equi Niphei quatuor, cum aduersus dominum suum incedentem, furentemq; intuerentur, effuso eo ad littus properarunt: effusum AEneas actutum obtruncauit. Aduolat cum bigis albis Lucagus, socio fratre Ligere, qui habenas moderabatur: Lucagus ensem versabat, pugnaturus videlicet. Eorum spiritus non ferens Aeneas, ante rhedam cõstitit. Hic Liger cum fastu insultãs, non hi Diomedis equi, non hic currus Achillis, à quibus turpiter victus, non Phrygij campi, vbi victus es, sic, ut tamen vitam retinueris: nunc enim & bellandi, & viuendi finem facturus es. Huiuscemodi conuitia stolidus Liger effutiebat: ast AEneas non verba verbis, sed factis remetienda ducens, dum Lucagus prior equum

stimulat,

stimulat, & sinistro pede prolato, certamini se aptat, per extremum clypeum hastam in eius inguen intorquet, quo vulnere curru delapsus, & humi se volutans moritur. Hem Lucage, ait cum risu Æneas, à Diomede, & Achille victum, & fugatum me narrasti: te vero equorum tarditas, uti olim me, haud prodidit: nec vana quapiam imagine horrorem concipientes, in diuersa abierũt: volens scilicet è curru desiluisti. Tum manum frænis inijciens, equorum cursum inhibuit. Liger fratre amisso, & fugiendi occasione erepta, cum moriendum animaduerteret, eodem curru se deijciens, manusq; supplices tendens, obsecrare insistebat, per ipsum, perq; parentes eius, tam beatos tali filio, sineret viuere hanc animam, caperetur misericordia supplicis. Cum preces multiplicaret, non tulit Æneas se longiore sermone detineri. Atqui, inquit, paulo ante non hanc cantilenam canebas, nec te ita aduersum me gerebas, ut hoc beneficium sis promeritus. Quamobrem te interfici necesse est, & morte coniungi cum fratre, qui cum iunctus in me incurristi. Sic loquens, gladio pectus ei recludit. Et hoc quidem modo Æneas, tanquam turbo aliquis, aut torrens per campum sternebat innumeros. Tandem qui castris inclusi tenebantur cum attulisset eis Æneæ virtus magnam rei bene gerendæ fiduciam, ulterius obsideri non sustinentes, eruptione facta, aduentitijs ex Etruria copijs mox associantur.

Iupiter Iunonem irridet, qua idolo Æneæ Turno obiecto, eũ ab exercitu auertit.

Iunonẽ interea.

Hęc considerans Iupiter, sic ad Iunonem. Soror, & coniux charissima, verè ita est, ut autumabas, Troiani stãt Veneris fauore, & auxilio: nequaquam eos ipsorũ virtus tuetur. Modestè respondet Iuno, non esse, cur se ægram animi, & eius iussa reuerentem, in maiorem ægritudinem contruderet. Si modò illi tanto esset amori, quãto deceret, quantoq; olim fuisset, & si posset nunc apud eum, quod aliquando potuisset, neutiquam impediturum, quin ipsa clientem suum Turnum pugnæ subtraheret, parentiq; Dauno incolumem restitueret: nec esse quidquam illi nefas, cum sit, dicaturq; omnipotens. Quia igitur pro iusto haberetur, ut periret innocens, periret sanè, consequerenturq; nocentes victoriam, & agitarent triumphum. Interim, ne indigno videretur beneficium poscere, monet, diuinam esse Turni originem, abauum eius fuisse Pilumnum, ipsum quoque iuuenem frequenter Iouem donis coluisse. Contrà Iupiter, si Turno breui interituro mortis interuallum rogaretur, permissurum se, ut id fieret, & fatis inuiolatis id posse fieri. Sin autem aliquid amplius, & maius ista precatione tegeret, ut nempe Turnus non moreretur hoc tẽpore, & hoc bello: sed ipsum bellum poneretur, desineret sperare spem inanissimam. Soluta in lacrymas Iuno, tamen, quid si mente annueres, quod voce non vis (voluntas enim tua fatum est) & ita Turnus pestem ingruentem euaderet? nunc iniqua cæde tollendus est, aut me multum deludit opinio: atq; vtinam deluderet, & hic timor meus in nihilum recideret, ac tu consilium melius capesseres. Post hæc verba nimbo circumfusa, ac cælo delabens ad castra, & exercitus, è nube spectrũ quoddam in Æneæ faciem, similitudinemq; conformat, paribus armis instruit, vocem, & sermonem, gressum quoq; adiungit: tale quid omnino, qualia sunt mortuorum exanguia simulacra, ora miris modis pallida: aut quæ dormientibus occurrunt vanæ species. Gestit idolum, Turnumq; telis, & dictis prouocat: qui verum esse Æneam ratus, hasta appetit. Vertit Pseudæneas tergum, & fugit. Cæterùm idcirco hanc fraudem commenta est Iuno, ut Turnum abductum ab exercitu seruare posset: cui si manifestè fugam suasisset, maximas nugas egisset: nam, ut vir fortis, mori citius, quam fugere voluisset. Videns ergo Turnus, in fugam verti præclarum illum ducem, spe cassa tumidior, cum clamore insequens, & ensem rotans, quid, inquit, fugis Ænea? cur non exspectas, dum promissam ducas Lauiniam? noli tam honestam conditionem negligere. Terram, quam tot periculis tamdiu quæsiuisti, hac tibi dextera mea dabo. Hæc ille ventis loquebatur, nec intelligebat, sibi cum re inani inane negotiũ esse. Peropportunè accidit, ut ad crepidinem rupis staret religata nauis, qua Massicus Osinij filius Clusio (vrbs est Tusciæ) aduenerat, & in eam ponticulus à littore. In hanc cedendo prolectauit Turnum imago illa, illuc se quasi trepidans condidit. Instat ardenter Turnus, celeriterq; per pontem eodem contendit. Cum autem vixdum proram attigisset, Iuno rem factam habens, funem non soluit, sed abrumpit, ne per moram dolus deprehenderetur, et in littus resiliret Turnus. Nauis currit. Interea verus Æneas Turnum expetere, Turnum quæritare, vnum ad pugnam singularem deposcere, & dum quæsitum inueniret, contrucidare omnes, qui sibi forte facti

essent

essent obuij. Tum phantasma relictis latebris in sublime fertur: & vnde coagmentatũ erat, in atram nubem dissipatur. Turnus per altũ, vento plenius flante portatur, retro aspicit, ignarus omnino machinatiõis huius Iunoniæ, nec pro ludificatione tã salutifera gratiam habens. Tendit manus ad sidera cum questu huiuscemodi. Ah Iupiter, siccine placuit, me tanquam reum nefandissimi sceleris, hanc adeò infamem pœnam exsoluere? certè non munus, sed supplicium mihi est ista liberatio. Quò, & vnde rapior? numquamne ad Laurentes campos, & castra mea rediturus sum? qua auũt fronte redibo, vnde tam turpiter aufugisse putabor? Qui eorum sermunculi, qui auspicium meum secuti, suas in hoc bellum non vires solum, verum etiam facultates mea caussa contulerũt, quos ista, ut apparet, fuga mea fœdissimè prodidi, & hosti mactandos obieci? Videor mihi palantes intueri: videor cadentes cernere: videor gementes exaudire. Heu quid agam? quò me vertam? vtinam posset hic mihi tellus dehiscere. Agite venti, me miserantes, hanc nauim in rupes, & cautes, & scopulos alicubi impactam collidite, ut ea collisa atq; fracta, vndis absorbeat: aut in syrtes ad extrema mũndi proijcitote, quò me sequi nemo Rutulorum possit: & vnde de me fama ad meos nulla permanet. Hæc lamentatus semet consulit, ob impatientiam tanti dedecoris in gladiumne incumbat, an fluctibus se credens, ad exercitum tranãdo redeat. Atqui hoc ipsum, armis onustus qui poterat? armis autem carentem hostibus se reddere, cuius fuisset temeritatis, atq; stultitiæ? tamen occurrebat, tentandam esse fortunam. Quoties ergo alterum horum perficere voluit, & sæpe voluit, toties Iuno, cõmiseratione ducta, conatum infælicem repressit. Quid namq; prodesset, cum hostili ferro exemisse, si ipsemet sese teterrima morte puniret? Itaq; secũdo cursu ad vetus oppidum Ardeam, ad patrem Daunum defertur, ubi eum & loci distantia, & affectus paternus à reditu facilè cohiberet. Iouis instinctu Mezentius præliari aggreditur, magnoq; cum ardore in Troianos irruit. Hunc ut conspexerunt Etrusci, quos iam inde à principio eius odium ad bellum acciuerat, se conglobant, omissisq; alijs, vnum poscunt, vnum vrgent, ac telis creberrimis irritant. Qui omnem impetũ immobilis, & inconcussus excipit. haud secus quam rupes in mare extensa, quãtamcunq; ventorum rabiem, fluctuum insanorum verberationes, omnes deniq; cæli, marisq; minas, & iniurias immota perfert. Prosternit Hebrum Dolicaonis, Latagum, & Palmum pedum velocitate nobilem. Ac Latagum quidem immani saxo à monte reuulso, & in faciem coniecto: Palmum prius poplite succiso, cuius arma donauit Lauso filio. Item Euantem Phrygem, Mimantem Paridis coæuũ, & comitem. Qua enim nocte Hecuba illum Priamo (facem videlicet patriæ, quam per quietem viderat) enixa est, eadem nocte Theano hunc Amyco peperit. Sed Paridis sepulchrum apud Troiam visitur, Mimantem ignotum terra ignota Laurentis agri contegit. Quemadmodum aper, canum latratibus, venatorũq; clamoribus de monte aliquo, ut Vesulo, actus, vbi multis annis intra pineta latuit: aut quem palus, & sylua Laurentina aluit, postquam ad casses venit, subsistit, infremit, setas erigit, dẽtes fulmineos vibrat: propius belluam iratam adire nemo audet: iacula è longinquo, & voces mittuntur: illa impauida, huc illuc se versat, & tela tergo excutit: sic Tyrrhenorum, qui iusto odio Mezentium oderant, ut tyrannum crudelissimum, nemo tantum habebat audaciæ, ut cominus eum feriret, missilia procul spargebant. Acron homo natione Græcus, Corito Tusciæ ciuitate, cum alijs Tuscis Æneæ auxilio aderat, relicta puella, quam sibi vxorem desponderat: cristis purpureis, & ostrina veste, quam sponsa illi laborauerat, conspicuus. In hunc Mezentius tanta auiditate incitatur, quanta, fame acerrima stimulatus leo stabula circumiens, in pecus aliquod, aut per syluas in ceruum, capreamúe, infirma ad resistendum animantia consueuit irruere, & ore cruento prædam absumere. Neq; in hunc magis, quàm in alios furiosè inuolabat. Cadit igitur infelix Acron, qui nec vxorias voluptates adhuc expertus erat: & se sub Ænea duce multa strenuè perpetraturum sperauerat. Terram calcibus ferit, quod mortis dolor cogebat, & suo sanguine importunissimi hominis tela imbuit. Oroden fugientem vulnerare vulnere, quod ille non videret, & interficere noluit. Quæ enim esset hæc laus? Quare hominem præuenit, & à fronte (melior vtiq; miles ex aperto quàm ex insidijs, & à tergo) manus cum eo conseruit, & vicit. Dein iacentem, & expirantem pede, & hastili premens, prostratam dixit iacere modò belli partem non modicam: nam Orodes & hostibus nocere, & suis prodesse multum solus poterat. Hinc

Turni querimonia.

Omnipotens genitor.

Mezentij facinora.

At Iouis interea.

Latini,& Rutuli lætabundi clamores non immeritò extollebant. Cæterùm ille iã editurus animam,ut morientes interdum solent,vaticinatur,& ad Mezentium, quamquam tibi,inquit,de fortitudine tua magnopere applaudis, & lætaris nunc affatim, tamen non erit diuturna hæc tua lætitia,nec diu inultus relinquar: paulopost in hisce ijsdem campis iacebis. Sic vicissim Mezentius, in ira subridens, & prædictionem floccifaciens. At tu interim abi ad inferos: vtrum Mezentium lædere possit, què vos diuũm genitorem,atq; hominum regem vocitatis Iupiter,ipse viderit. Tum telum recepit è corpore: quo facto,multo prorumpente sanguine,mors oculos Orodi somno ferreo,nũquam de cætero aperiendos clausit. Cædicus Alcathoum,Sacrator Hydaspem,Parthenium Rapo,& Orsen valido,& agresti corpore virũ obtruncat. Messapus Clonium,Arcadem Ericaten,illum quidem secum pedestri pugna cõgressum, hunc iacentem,cum sternacis equi dorso decidisset. Lycium Agin, qui cũ Messapo parabat confligere, Valerus auitæ virtutis æmulus neci dat, Atronium Salius, Saliũ Nealces,qui & iaculo,& sagitta excellebat. Ingrauescente prælio,paria fiebãt vtrinq; funera, pares luctus: nunc hi cædebant: illi cadebant? rursum, qui victi erant, denuo vincebant,eratq; Mars verè ἀλλοπρόσαλλος: de fuga tamen propter ardentem victoriæ cupiditatem nullus cogitabat. Intuentes de cælo dij tam cruentas acies, & considerantes animos humanos in mutuam perniciem ita laborantes, ut etiam leuibus de caussis sæpenumero fatorum legem, mortibus inuicem afferendis anteuerterent, miserationis intimo sensu tangebantur. Præcipuè autem aduersariæ duæ, Venus, & Iuno, vtraq; contrariæ partis strages spectabant. Interim Tisiphone munus suum exercens, inter millia discurrebat, & iras exaggerabat.

Mezentii cũ Ænea duellum: Lausi pietas in patrem,et mors.

At verò ingentẽ.

Mezentius grandem hastam,ut erat ipse quoq; prægrandibus membris, concutiens, terribili vultu incedit, tanquam Orion aliquis, dum altum mare transiens,extat humeris: aut dum è monte descendens, ac scipionis vice annosam, & proceram ornum gestans, vertice nubes attingit. Plane sic gradiebatur ingens cum ingentibus armis Mezentius. Æneas conspicatus eum in aduerso agmine, contrà ire decernit, omni metu posito, & animo præsentissimo. Accedentem videns Mezentius, hæret eodem in vestigio intrepidus, virtute,& mole sua confisus scilicet: definitoq; oculis spatio, quantum hastæ peruenturæ sufficere crederet, sacrilegè inquit: nunc adsint mihi pro numine dextra mea,cum telo: alios enim deos non agnosco, nec aliorum numinum adiumento mihi opus est. Non ego Marti trophæum voueo, ut alijs ducibus mos est: tu Lause, armis,quæ Æneæ isti detraham,indutus,trophæum eris. Tum missile torquet, quod à clypeo Æneæ in Anthoris corpus proximè stantis delatum, inter ilia,latusq; mortiferum ei vulnus fecit. Domo Argiuus erat,& cum Hercule ad Euandrum venerat, ab eoq; in amicis numeratus, in Italia consederat. Dolendum,adeò egregium,ac militarem virum,non manu pugnantem,& suo,sed alieno vulnere (Æneę nimirum destinato) perijsse. Dum perit autem, ad cælum tendit lumina, quasi cum dijs expostularet super tam indigna morte: suspirat etiam recordatione dulcissimæ patriæ, in qua (quomodo item vnusquisq; nostrum) optabat potius, quam in peregrino solo vitam deserere, atq; humo operiri. Iaculatur Æneas, scutum è tribus ferri laminis, totidem pellibus taurinis, & præterea lino inductum (propter picturam scilicet) sic perforat, ut cuspis inguen hominis figat: nam quò minus plenis viribus lethalem plagam incuteret, clypei densitas in caussa fuit,itaq; tantummodo corpus debilitauit. Fluentem è femine sanguinem cernens Æneas, hilaratus, gladium vagina eximit, cupiens vehementer, necem inchoatam absoluere. Hic Lausus adolescens è paterno casu dolorem maximum accepit, quem & gemitu, & lacrymis testatus est. Quod ad me attinet,optime Lause, ego factum tuum,mortemq; pro pietate tua eximia,& singulari obitam,mandabo versibus. decet enim posteros tam illustre,ac diuinum exemplum tuum nosse,& admirari: si tamen persuadere sibi posteritas poterit, ex tam scelesto,& execrando capite, Mezentio inquam, tam laudabilem,ac pium filiũ generari potuisse. Ergo hoc vulnere,quod dixi, Mezentius cõtactus, pugna sensim excedebat,secumq; clypeo infixum spiculum trahebat. Lausus pro patre se obijcit,corpus eius suo corpore tegit, dextram Æneæ ad ictum eleuatam subit, parmam oppouit, moram inijcit, impetum eludit. Tam insignem ausum sequentes socij, clamoribus,ac missilibus cousq; Troianum distinent,ac terrefaciunt, donec è medio, protectus à filio pater se auferret. Æneas aduersus tantam multitudinem se munit

pote-

ut potest. Videre est, quomodo cum grando cadit, aratores, & rustici ab agris repente aufugiant, & viator iuxta fluuios sub specum aliquem, aut sub fornicem saxeum, si contigerit, succedat: donec fugatis nubibus, sole reducto, per diem opus facere, reliquumq; itineris conficere liceat. Sic Æneas vndiq; telis, ceu grandine appetitus, tolerat, & perfert impetum, donec tandem deferueat, ac desinat: Lausum verò cum minis admonet, videat quid agat: maius esse viribus eius, quod incipiat: ex hoc male ominato congressu superiorum haud discessurum, quando aduersario longè impar sit. Velle ipsum demonstrare charitatem in parentem: sed interim incautum, ac temerarium esse. Surdus ad hæc Lausus, nihilominus pergit, & exultat. Æneæ cor maiore ira turgescit, & Parcæ iuueni fila colligunt: morti continuò deditur. Nã Æneas per parmam eius, per tunicam, quam ei mater suis manibus auro intertextam confecerat, in ipsum pectus ensem summa vi capulo tenus abdit. Sinus cruore completur: anima corpore secluditur: os pulcherrimum pallescit miserabiliter. Quod aspectans Æneas, cum affectu quodam paterno fundit gemitum, &, ô lamẽtande adolescens, inquit, pro tam insigni virtute & indole tua quid dabo tibi mortuo? dedissem viuo, ni tu seruatoris tui nomen mihi inuidisses, malens à me occidi, quam seruari. Vt autem de armis tuis aliquod trophæum collocem, non sinit æquanimitas mea, Quamobrem tibi ea libens relinquo. Sino etiam te condi in maiorum tuorum monumentis, si hoc curant manes, si sentiunt, inquam, benefacta manes. Morte tua ad gloriam meam parum, ad tuam multum accedit, quod Æneam interfectorem sortitus es. Hoc enim solatio, hoc & honori est, ea dextera concidere, qua antea plurimi, & fortissimi viri conciderunt. Sic ait, & cunctantes in tollendo cadauere socios castigat, ipsemet humo subleuat totum liuidum, & concretum sanguine crines illos comptissimos. Dum hæc fierent, Mezentius pater ad Tiberim vulnus lauabat, & corpus debilitatum ad arboris truncum acclinans sustentabat: cuius è ramo galea suspensa pendebat, arma grauiora humi immota iacebant. Circumstabant lecti milites, partim eius consolandi, partim, si qua vis afferretur, defendendi caussa: ipse, ut dictum est, in truncum, seu in infimam arborem se reclinans, corpus fouebat, barba per pectus infusa, & diffusa. Perpendens autem, quid ipse ab Ænea passus esset, & personam, ætatemq; filij secum reputans, crebrius percunctabatur, quid faceret, quóue in statu esset adolescens: mittebat etiam identidem, qui nomine suo ei mandarent, bello excederet, ad se protinus veniret. Hæc cum sollicitudo de salute filij, magis quam ex vulnere cruciatus mœstum reddebat. Sed ecce socij corpus Lausi super scuto non sine fletibus apportant. Ex gemitu eorum, antequam funus oculis aspiceret, quid ageretur, quodq; illi animus præsagiuerat, cognouit. Canum capit conspergit puluere: manus in cælum, quasi cum dijs conquerens sustollit (sacrilegum se, & deûm contemptorem oblitus: sed magnæ est naturæ vis, quæ tacita clamat, esse deum, & eum metuendum) mortuum complexus inhæret, & sic interitum eius deplorat. Heu heu, quid ego senex delirus tam fui cupidus viuendi, ut te pro me sinerem cum hoste pugnam capessere? egóne ut per tua vulnera liberarer? siccine tua morte mea vita redempta est, mi nate? contrà potius mea nece tuam vitam redimi oportuit. Nunc demum exilij mei pœnam sentio, postquam te leuamentum, solatiumq; meum perdidi. Nunc mihi plaga intolerabilis est imposita. Ego idem laudibus tuis maculam aspergo, ut exulis dicare filius: quamuis inuidia me, non culpa regno paterno eiecerit. Quod si quid supplicij iustis ciuium meorum odijs debui, vtinam id capite meo luissem, & quocunq; lethi genere interijssem prius, quam tibi, & odijs huiuscemodi superstes essem. Tamen viuo, nec adhuc ex hac inuisa luce me educo. Sed educam. Hunc in modum lamentatus, quamuis ægro femore, & ex uulnere tardior, surrexit: atq; ab animo nondum plane desertus, Rhoebum equum suum adduci iubet, solamen suum, quicum ex omnibus prælijs semper victor redierat. Hunc ipsum quasi domini sui calamitatem sentientem, & idcirco tristem, his verbis aggreditur. Hem Rhoebe, diu viximus, siquid diu dicendum est, quod finem habet, quales sunt res mortalium. Aut hodie mecum vinces Æneam, spoliaq;, & caput eiusdem vnà referemus, Lausiq; nostri cædem vlciscemur: aut, si fortuna successum negauerit, mecum occumbes: haud enim, si te bene noui, tu fortissimus, & bellicosissimus, ignauissimis istis homuncionibus Troianis seruire voles. Præbet se ascensui commodum Rhœbus, ascendit, manum vtramq; & alia membra missilibus onerat, galeaq; caput munitus, ad hostem festinat.

Super occiso filio paternus Mezentij luctus.

Interea genitor.

Mezentius prouocat Æneam, abeo iugulatur.

Simul hæc dicens.

ponit. A dextris tela fracta, à sinistris clypeũ eius, de collo ensem cũ vagina eburnea suspendit: ut sic etiã tum armati hoĩs facies, pro vsitata in figendis trophæis consuetudine præberetur. Dehinc cẽturiones, & manipularios cũ milite frequenti circumsistentes affatur, & præclara cohortatione audẽtiores facit. Belli dimidiũ esse confectũ, oppetijsse ducẽ Turni potissimũ, perijsse fulmen, & columen exercitus aduersarij: de cętero ab omni se timore abducerent, facilem enim fore de reliquo victoriam. Meis, inquit, manibus effeci, ut talis (& trophæũ monstrauit) esset Mezentius: de arrogantissimo rege, deorũ, adeoq; Martis ipsius cõtemptore & irrisore, hæc spolia mihi relata sunt: has ego futuri successus primitias me cõsecutũ lętor, & vos vnà mecũ, ut par est, lætamini. Sequitur nunc, ad oppidũ moueamus, ut qui ęquo cãpo hostibus superiores euasimus, eosdẽ quoq; arcta obsidione pressos subigamus, & ad imperata faciẽda cõpellamus. Certè enim, q̃ in cãpo nos amplius lacessat, difficilè existet. Animos itaq; vestros ad arma redintegrate, & triumphũ vobis, ꝓpter exploratã victoriæ spem despondete. Cũ signa in castris reuelli, & dijs bene iuuãtibus cũ fælici augurio facilè reuelli cõspexeritis, illico, sine cũctatione, actutũ alacres sequimini. Istuc, cõmilitones mei, ante dicendũ existimaui, ne vos postea im ꝓuisa castrametatio, consilij mei nescios perturbaret: néue timor aliquis ad opus aggrediendũ tardiores redderet. Interim dũ hîc ab armis vacãtes commoramur, cadauera sociorũ, (quod manibus optatissimũ, atq; honorificẽtissimũ accidit, quodq; lumine cassis superstites maximè debent) humo operiamus. Agite dũ, viros magnanimos, & omni laudũ præconio cohonestãdos (quippe qui sanguine suo salutẽ, gloriã, securitatẽ, libertatẽ, regnũ nobis peperérũt) suprema exsequiarũ põpa condecorate, vltimũq; ijs honorẽ libentes meritò habetote. Æquissimũ porrò videtur, vti Euander parẽs filiũ, quẽ viuum, & victorem nõ potuit, extinctũ saltem recipiat: huic rei primũ præuertendũ censeo. In patriã igitur remittamus corpus nobilissimi iuuenis, q̃ profectò non ut imbellis, & eneruatus quispiã, sed ut bellicosissimũ, animosissimũq; decebat, funere heu nimis ꝓperato, in ipso ætatis flore cõsumptus est. Hæc ut dixit, nec absq; lacrymis, in tẽtorium cõcessit, vbi exanimũ corpus ab Acete longæuo (quem quondã armigerum suũ, Euãder abeunti filio comitẽ, atq; custodẽ, sed auspicio parũ secundo adiũxerat) seruabatur. Circũfuderãt iacentem Arcades famuli, & magno numero Troiani, sortem dirissimã lamentantes: Troianæ itẽ mulieres ancillæ aderant, quæ more patrio, sparsis crinibus, ploratus apud mortuũ instar præficarum edebant. Postquam autem Æneam introeuntem viderunt, tũ deuiq; pectora oẽs percutere, altissimos dare gemitus, & collacrymari miserrimè. Est enim naturâ cõparatũ, ut in rebus tristibꝰ & luctuosis, amicis, ac notis interuenientibus, dolorẽ animi, & lacrymas non renouemus modò, sed augeamus etiã: quasi hoc modo ad communionem luctus eos inuitantes. Æneas vbi vultũ illũ candidissimum, & nec in ipsa morte deformatum, præterea luculentũ in pectore minimè adhuc piloso, sed leui, ac iuuenili vulnus aspexit, vulnus inquã, à Turno illatũ, deintegro lacrymæ illi, & quidẽ largius per ora fluere cœperũt, cum verbis huiuscemodi. Eheu mi Palla, siccine mihi raperis? Quid contraria fortuna faceret, si secunda hoc fecit? Prô quantum læderet irata, si sic læsit propitia? Ergóne in fatis tuis erat, ne regna nobis destinata videres, ac triumphis nostris interesses, victorq; ad ciues tuos redires? Quid respondebo patri tuo, qui te in fidem meam tradens, meq; cõplectens, fideliter monebat, nihil in bello negligendũ putarem, omnia circumspicerem, rem mihi futuram cum gente potenti, & valida, cũ hominibus duris, & acribus, quales videlicet ipsemet expertus erat? Forsitan nunc etiam inani spe alitur, preces multas concipit, dijsq; pro tua sospitate sacrificat, cum nos te luce cassum, vanis, id est, nihil profuturis tibi non sentienti, obsequijs prosequamur: sed quibus tamen nosmet adhuc spiritum de cœlo ducentes, desiderium tui quoquo modo lenimus, & consolamur. Tu interim Euander, secus quam credidisses, crudeli plaga filium necatum aspicies. Et hic erit reditus noster gloriosus, si dijs placet: hæc tibi de Pallante incolumi restituendo data fides. Atq; hoc quidem malum eò te grauius premet, quod aduersus opinionem tuam euenit: meditata enim, & prouisa tolerabilius ꝑferuntur. Veruntamen vna res in isto grauissimo tuo casu quantocunq; te solatio mulcebit, quod non auerso, sed aduerso vulnere occisum accipies gnatum tuum: ut ei mortem tanquam degeneri, ac fugitiuo iratus optare non possis. Hem, quantam tu huius adolescentis interitu, Ascani, quantam iacturam Italia facit? Tu socium & amicum fidelissimum, maximeq; his temporibus

Luctus ingẽs super Pallante exanimi.

Sic ait illachrymans.

 necessa-

necessarium: illa tutorem, ac propugnatorem suum amisit. Euander vitam diutius propagare nequit: in Pallante quæ locata manebat fiducia, vniuersa simul in nihilum abijt. Huiuscemodi verbis effusa querimonia, tolli corpus ad asportandum in patriam iubet, ac de toto exercitu millenarium, partim Troianos, partim Tuscos, partim Arcadas deligit, qui regiũ funus honoris amplissimi, atq; adeo extremi caussa ducant, quiq; patris Euandri dolorem alloquijs, & præsentia sua mitigent: cum etiã hinc pspicere queat, tanto virorũ lectissimorũ numero, rebus nõdum in tranquillo cõstitutis ad se misso, multũ sibi, multũ quoq; tributum filio. Mitigẽt dolorem, dicebam, non, penitus tollant: tantum enim futurum apparebat, ut ad illius acerbitatem, & magnitudinem nihil posset accedere, atq; idcirco nullam cuiusq; medicamenti efficacitatem eo curando respõsuram. Attamen nihilominus ærumnoso seni hoc officij genus, exiguum quidem, sed meritis eius omnino debitum præstandum fuit. Hortante igitur beneuolentia, qua erant in viuum, & insuper Æneæ iussis vrgẽtibus, capulum seu pheretrum de viminibus virgultisúe in speciem cratis contexũt: desuper ex frondentibus ramis pro vmbraculo quasi quandam cameram addunt: herbas molles insternunt: cadauer superimponunt, viuo quam mortuo similius. Talis quippe color eius, qualis violæ, aut hyacinthi, quando puellæ digito ad sertum nectendum decerptus, languescere quidem incipit (nempe cui terra mater & altrix sufficere vigorem desijt) veruntamen fulgorem adhuc, pulchritudinemq; pristinam retinet. Profert Æneas vestes binas, vtrasq; à Didone ipsamet summa voluntate cõfectas, & ab eadem in magni amoris argumentum sibi donatas, sanè sumptuosas, auro nimirum intertexto, & purpura constantes. Hoc tam insigne munus, & laborem reginæ, iure sibi charum cum Pallante diuidens, cum altera mœstus inuoluit: caput item flauicomum in rogo breui arsurum velo contegit. Mandat insuper, illa spolia, quæ de præda Laurenti idem Pallas acquisierat, in vnum colligi, & ordine anteferri, additis equis, & manubijs, quas hosti idem ademerat. Adijcit & captiuos aliquot, reuinctis ponè manibus, qui eidem inferiæ mactarentur, suoq; sanguine rogales flammas respergerent. Adhæc negotium certis datur, qui trophæa ducum à Pallante cæsorum, affixis ad singula nominibus præportent. Acetes senex, cuius supra mentionem faciebamus, sic erat mœrore debilitatus, ut per se incedere absq; ducibus nõ valeret. Ducebatur itaq;, seu trahebatur potius, pectus pugnis liuidum, faciem vnguibus laceram sibi reddens, & quandoq; pronus, utpote viribus defectus, humi cadens. In eadem pompa erat videre currus illorum, quos de Rutulis Pallas obtruncauerat. Quid dicam? Æthon eius equus, ferox planè & bellicus, sine phaleris, spõte, & grandes guttas instar lacrymarum ex oculis emittens, perinde quasi esset humani sensus compos, dominiq; sui interitum pro eo ac deberet, acerbè ferret, sequebatur. Præferebantur quoq; hasta & galea: nam arma reliqua cum balteo Turnus eius interfector sibi sumpserat. Vltimi eunt Arcades, Teucri, & Etrusci, scutis inuersis, & mucrones hastarum terræ opponentes, omnes longè mœstissimi. Postquam pompa tota ante conspectum Aeneæ processit, qui & ipsemet aliquousq; in funus prodierat, rediturus in castra, ad reliquorum curandam funerationem scilicet, paulum substitit, & altùm suspirans, nos, inquit, iam ad alias lacrymas, ad aliam sepulturam huius belli conditio vocat. Tu, Palla mi, in perpetuum aue & vale: nam te amplius oculis hisce meis non videbo. Hæc dixit, & in castra se recepit. Inuenit ibi legatos Laurento missos, qui symbola pacis manu prętendentes, puta ramos oleaginos, suorum corpora passim obiacentia in beneficij loco ad tumulandum petebant. Ob hospitium nuperum, & promissum aliquando Lauiniæ coniugium parceret, ne quid in extinctos etiam crudelius designaret. Aeneas animaduersa postulati huius æquitate, annuit haud grauatè, & miratur vehementer, cur tãdem nulla in re offensi, aduersus innocuum arma compararint: cur inimicos, quàm amicos habere Troianos præoptauerint. Et quoniã vita defunctis pacẽ rogitarẽt, satis esse indicij, eos adhuc animos seruare armatos, bellũq; cõtinuare decreuisse: se aũt multò malle cum viuis pacẽ cõponere: ut qui nõ cupiditate aliqua sua stimulatus, sed fatis, ac dijs (in quorum arbitrio sint res omnes) cogentibus, in ea loca ad sedem collocandã deuenerit: nec aliena p vim, & rapinã inuaserit: sed q̃ essent sibi diuino nutu destinata ac tradita, iustè, pieq; vsurpare voluerit. Nec vos existimatote, ait, ex ijs q̃ gessi, me vobis vniuersis succẽsere, aut vobiscũ bellũ gerere. Nõ ita est, non: cũ Turno belligero. Totum aũt hoc malum, & omnis ista calamitas, regis vestri peccato conflata est: qui hospi-

Pompa funebris Pallantis ducta.

Hæc vbi defleuit.

Legatio Latinorũ de cõdonandis ad humandum mortuis. Æneæ respons. humaniss. verba Drancis.

Iamq; oratores.

hospitij fidem minimè sanctam, & inuiolatam habuit: promissum de filia rescidit: Turnum mihi antepoluit, per quèm se tutum fore, falsò credidit. Qui quidem si bellum istuc nó pactione pacis, sed cæde sedari, & nos finibus his exterminatos cupiebat, oportebat ipsum mecũ per se congredi: ne duorum nostrùm caussa, tot animæ morti obiectarétur. Superfuisset cui vel sua virtus, vel deus victoriã, vitamq; condonasset. Hoc tam cordato sermone legatos obstupefactos, & mutuùm intuentes, aliquamdiu silentiũ obtinuit. Deinde Drances homo magno natu, qui Turnum iuuenem oderat, & nullã eius criminandi prætermittere occasionem consueuerat, sic respondit. Fama, Troiane heros, de te accepta, minor est virtute, quam hactenus militiæ demonstrasti: & cum fortitudinem tuam militarem, laboresq; incomparabiles admirer, haud queo tamen statuere, fortior, an iustior perhibendus sis: vtraq; virtute clarissimũ esse, asseuerantissimè dico. Quòd vtinã suppeditaret mihi digna tuis laudibus oratio. Interea meritũ tuum, & humanitatem istã grata semper memoria prosequemur. Tua aũt verba, quæq; benignissimè nobis concessisti, ciuitati renuntiabimus: &, si optimæ voluntati nostræ Fortuna viam aperuerit, curabimus sedulò, ut rex semet stultitiæ coarguens, factũq; suum omnimodis detestans, tecũ in concordiã redeat, filiã tibi matrimonij iure copulet, Turnum ab se segreget, & aliam sibi vxorem quærere iubeat. Quin etiã operã nostram ad exædificanda secundum fata tua vrbem ꝓmittimus. Ipsimet humeris nostris cæmẽta, calcem, materiã cõportabimus: nec in tuo obsequio is labor nobis onerosus est futurus. Finierat Drances, & reliqui oẽs legati idẽ sentire se, idem velle vultu, & admurmuratione declararũt. Pactis ergo duodecim dierũ inducijs, cõfusè, atq; impunè ꝑ syluas æquè Latini, ut Troiani discurrebãt, omne genus arborũ struẽdis pyris ad incendẽda cadauera præcidentes. His ita, ut scripsimus, occuparis, iã fama nuntia Euãder, totaq; vrbs cognouerat, Pallãtem interfectũ, eius corpus frequenti comitatu aduentare: fama, inqua, nuntia, q̃ nudiustertius victorias eiusdẽ, & inclytã in armis gloriam ibidem vulgauerat. Pallanti ex tẽplò sumptis facibus (more vetusto, quo ꝑ noctem mortui cũ facibus efferebantur, & tũ quoq; noctis tempus erat) portis se effundũt, funeri obuiã procedunt cũ planctibus. Vidisses collucentes vias longo flãmarum ordine, & agros mille distingui luminibus. Qui corpus aduehebant, ipsi quoq; plangebant: sic vnum agmen ingens plãgentium ex duobus efficiebatur. Quod simul ac fœminæ oppidũ inire cõspexerunt, vlulatibus sidera ferire instituerunt. Cũ porrò admodũ tristarentur oẽs, tum Euander parens tanto in luctu, & squalore versabatur, ut eũ nec corpus senio fessum, & inualidum, nec personæ regiæ grauitas cohiberet, quin per mediam multitudinem rueret, depositoq; pheretro, super ipsum cadauer cum gemitu, ac fletu magno se proijceret, frigentibus membris diutius inhæreret. Postquã dolor aliquantulũ remisit, vocemq; reddidit, tum in hanc lamentationem linguam soluit, qua circumstantium animos plurimũ cõcussit. Heu fili mi dulcissime Palla, qualẽ te misi? qualẽ te recipio? nõ hoc mihi discedens promisisti, nõ sic abijsti, ut sic redires. Fore te cautum, & circumspectum, omnisq; periculi prouidũ affirmabas, & id in bello maximè opus est, vbi tot discrimina, vbi tam anceps, & lubrica fortuna. At enim penes me culpæ maior pars residet, qui cũ non ignorarẽ (experientia magistra doctus videlicet) quantum valerent apud iuueniles animos ad audaciã petẽdi decoris amplioris, primi in pugna successus, quãq; essent delectabiles primæ victoriæ, nõ debui te dimittere. O infaustum, ô dirum filij mei tyrociniũ, ô irrita, & à ventis discerpta vota mea. Tu terq;, quaterq; beata, ô coniux, q̃ prius lucem hanc reliquisti, quã tristissimã isthanc mecũ calamitatem subires. Non vides cõmunis, & vnicæ sobolis nostræ nimis imãturum, ac miserabilẽ interitum: non sentis ruinã, & occasum nostrę familiæ, atq; generis. Ego aũt illi superstęs relinquor, quẽ vita cedendo anteuertere conueniebat: natura siquidem ita fert, ut patres ante liberos decedant. Si in me scelus admisi, quia Teucros opibus meis adiuuãdos putaui, & amicitiæ fœdus cum ijsdẽ pepigi, persoluissem ipse pœnas Rutulis, ego reus occiderer, ac tu ꝓpter me, non ego ꝓpter te iacerem in lamentis, & sordibus: & honor iste exequialis mihi, nõ tibi exhiberetur: patientius certè meum, quã tuum funus patria intueretur. Nec vos, Troiani, tanquã huius orbitatis meæ auctores insimulauerim: non ego me ob initam vobiscum societatem, qua mihi gratulor, Pallantem meũ perdidisse iudico. Sed hoc fuit, debebatur tã funesta clades senectuti meæ: capiti meo hoc saxum diu impẽdit, semel tandem cecidit, ac me infelicem obtriuit. Hoc vnũ solatiolũ cadio, quod sic pręprópera morte mihi ablat⁹ est filius, ut antè

Pallantis corpus lugubriter excipitur, & ploratus Euandri eximius.

Et iam fama volas.

ante tot Volscis interemptis, viam nobis in Latium muniuerit. Æneas aūt in huius pompa funeris tam munificus, & liberalis extitit, ut addi nihil queat, & ego parens præstare quidquā magnificentius haud possim. Hoc etiā nōnihil me delinit, mi Palla, quod ta multa virtutis tuæ documenta, trophæa nimirum cæsorum abs te ducum portari conspicio. Talis omnino tu etiam esses, Turne, truncus videlicet indutus armis tuis, si mihi q̃ tibi nunc ætas, ac vires adessent. Verùm imprudenter facio, qui vos à reditu meis questibus remoror: cum possitis denuo captis armis Turnū morti dare, & hoc modo dolorem meum in voluptatem conuertere. Reuertimini igitur, & regi vestro meis verbis nuntiate. Quòd Pallante perempto in viuis maneo, non esse amorem huius lucis, quam odi etiam: sed Turnum eius dextera percussum audiendi cupidinem. Illum illa mihi, & filij mei manibus debet. Nihil esse, quod eius vel virtus, vel fęlicitas pręstare optatius mihi queat, quam si Turno interfecto, & Pallantem vlciscatur, & me orbum senem consoletur. Eius nex oēs mihi lacrymas absterget. Non me delectat vsura huius vitę, nec fas: nisi dum Pallanti meo charum, & exspectatum nuntium ad inferos perferre liceat, sumptum esse de hoste illius supplicium. Viuant hanc vitam, qui, cur mori velint, caussam non habent. Viuant, quorum mentes nulli cruciatus rebus charissimis ereptis exedunt: mihi ad plures abire libet magis, quam vitam in continuo luctu trahere. Sed illa, quam audistis, caussa facit, ut superesse diutius non recusem.

Cremantur vtrinq; corpora. Aurora interea.

Die sequenti, primo diluculo, cum mortalium genus ad opera consueta regreditur, quæ misera est eius conditio, cui numquam cessare licitum, nisi quandiu nox tenebris oīa circumfundens, sopore claudit oculos: ergo postridie, Ænea, & Tarchonte mandantibus, pyræ per campum excitantur, in quas quisq; sui vel amici, vel cognati corpus, more maiorum imponit. Concepto igne fumus ad auras volat, ac cælum obnubit. Rogos milites ter pedestri, ter equestri circuitu cum funestis clamoribus lustrant: lacrymis etiam perfusis arma, solumq; irrigant. Multa extitebat vociferatio, multus tubarum clangor: nam & tubæ usus quondam in funeribus faciendis viguit. Arma quoq; occisis detracta hostibus, & ipsorū similiter qui cremabantur arma infælicia (utpote quibus se satis defendere non potuissent) inijciebātur. Præterea boues, sues, & ante inducias ex hostium agris abactæ pecudes inferię addebātur. Sollemnibus absolutis, stabat miles, & ardentes latè rogos tamdiu contemplabatur, quoad flāma pabulo deficiente vanesceret, & nox serpens abire compelleret. Haud segnius alia in parte infælices Latini (ut qui nihil cōmeriti, in causa aliena & perierant, & perituri erant) pyras crebertimas moliuntur: plurimos etenim de suis desiderabant, cladem q; multo maiorem acceperant, quam dederant. Corporum aūt alia humo obruunt: alia in finitima loca mittunt, eorum scilicet, qui è longinquo venerant: alia suis quæq; vrbibus destinant: cætera & numero, & honore cōfusa incendebantur, agris vndecunq; collucentibus. Die tertio pars vtraq; mœsti de cineribus permixtas cōmilitonum reliquias eruunt, & calentes adhuc tumulis commendant.

Luctus Laurentum. Turni execratio, legationis frustratio. Iam verò in tectis.

Sed intra oppidum ciues luctu furebant, & complorationibus personabant ipsi parietes, cum matres filios, nuptæ maritos, germanæ fratres, pueri parentes deplorarent, atq; in Turni caput maledicta oīa congererent, qui eius, quam amaret potiundæ, tam vastum belli incendium excitasset. Ipsius esse negotium, ipse pugnaret, ipse discrimen adiret, qui splendidissimum nomen, & Italiæ regnum sibi concupisceret. Drances oleum camino, quod dicitur, & verbis maiorem Turno apud populum creabat inuidiam. Fidem etiam Legatorum testabatur, qui ex ipso Ænea coram præsentes audissent, cupere se Turnum solum, quicum decertaret: hoc enim iustum videri: iniustum autem, tot ciuium millia gratis occumbere. Contrà, inuidiam hanc leniebant quorundam erga Turnum studia, idq; reginæ dabatur, quæ iuuenem impensè diligebat. Præterea trophæa compluria, ante id tempus ab eo de ducibus cæsis erecta, illum gratiosum faciebant. Verùm ecce in hisce tantis motibus, & malis aliud malum. Legati ad Diomedem, veterem Troianorum inimicum, ad auxilia petenda missi, ex Apulia, & vrbe Argiripa, tristes remeant: nec tantas impensas, nec munera, nec preces ad virum permouendum quidquam valuisse, regem docent: iussos aliò petitum ire: aut, si rationibus suis consultum, ac prospectum vellent, de compositione cum Troiano facienda cogitare. Latinus pendere animi, ac nescire quo se verteret. Perspiciebat enim manifestè, diuinitus Æneam tenuisse Italiam, diuinitus eum defendi, quando deorum offensam tanta sociorum cædes oppidò argueret, quorum sepulcra essent ante oculos. Quamobrem tam asperis, & ex-

& extremis Reipub. temporibus, ut quisq; erat ætate, nobilitate, auctoritate, cōsilio præstantissimus, ita eum primū ad consilium accersit. Omnes festinanter in regiam cōcurrunt. Ibi postquā in medio, ipse æuo, & sceptro maximus consedit, legatis præcipit, vti palam, cunctis audientibus Diomedis responsum renuntient: nam ipse singula seorsum ab ijs intellexerat. Facto igitur silentio, Venulus legationis princeps sic exorsus est. Omnes viæ, quamuis longæ, difficultates, ô ciues, toleranter, ut par fuit, superauimus: iter propositum cōfecimus: ipsum Diomedem, & quas habet sub signis legiones, vrbem item, Argesippion ab eius patria cognominatam (quam in ea Apuliæ regione condit, quę Iapigia nomen habet, monte Gargano inclyta) vidimus, Principem ipsum consalutauimus, nostrasq; dextras illius uictrici dexteræ, qua nimirum Troia expugnata est, copulauimus. Concessa deinde quæ vellemus dicendi potestate, primùm dona ad animum conciliandum offerimus: qui simus, vnde veniamus, & quam ob caussam, exponimus. Bellum à Troianis inferri nobis: ad id propulsandū eius nos opem efflagitare. Ille benignè, attenteq; nos audiens, placido vultu, & sermone in hanc propemodum sententiam respondit. Quoniam inde à maioribus, atq; adeò à Saturni sæculo, qui per nostras oras regnauisset, consilia pacis & togæ socia præ tumultuosis ac bellicis semper amplexi essemus, ex eoq; non mediocres vtilitates hausissemus, se mirari sumopere, cur nunc transuersim acti, usq; adeo saluti, & vtilitati nostræ contrariam voluntatem, cum ignotis bellorum gerendorum susciperemus. Non est tutum, inquit, cum hac gente ad arma descendere, quam violare inexpiabile nefas. Multis & horribilibus detrimentis affecti, & afflicti sumus, q Troiam oppugnauimus, & deleuimus. Nam ut taceam, quæ per obsidionis tēpus in ipso agro Iliensi pertulimus: ut de Simoente fluuio celeberrimo, nostrorum cadaueribus oppleto nihil dicam, oēs propter scelus, & sacrilegium nostrum, dijs vltoribus tantis supplicijs, singuli per sua loca mactati sumus, ut vel hosti Priamo, si viueret, mouere misericordiam potuerimus. Minerua nos Græciam repetentes, atroci tempestate exagitauit: apud Caphareum montem Eubœæ naufragium passi sumus. Nec in illa nauigatione quisquam eò delatus est, quò cursum intendit: sed quò illum venti aduersi reiecerunt, aliusq; in hoc, alius in aliud littus exiuit. Menelaus quidem ad Ægypti fines, vbi quondam Proteus regnum tenuit, iactatus est: ibi etiamnum exulat. Vlysses in monstra horrenda cyclopas, apud Ætnam incidit. Pyrrhus ad aras Apollinis apud Delphos ab Oreste transfixus, vitam cum regno perdidit. Idomeneus quoq; à suis ciuibus Creta pulsus, & ditione sua exutus est. Locri in Libyam ad Pentapolim proiecti sunt. Rex regum, & summus Græci exercitus ad Troiam imperator Agamemno, Asiæq; domitor, primo die, quo reuersus domum suam inijerat, adulteræ vxoris Clytæmnestræ, & adulteri eius Ægisthi artibus, atq; etiam manibus nefarie iugulatus est. Mihi quoq;, ut viderem Calydonem, & ad vxorem optatissimam redirem, dij noluerunt annuere. Neque verò hìc desierunt mala mea. Nam socij mei portento horrifico, & infando pœnarum genere in aues transmutati, per aera, & littora volitantes, flebilibus cantibus dolorem ob hoc suum testatum omnibus relinquunt. Huiuscemodi præmium, ex quo apud Ilium per sumā temeritatem deos ferro inuasi, et Veneris manū vulneraui, exspectandum mihi fuit. Quare, si sapitis, me ad talis belli societatem ne sollicitetis: quippe cuius antea tam luctifica extitit, & velis remisq; fugienda victoria. Sacramento coniurationis Troia occupata solutus sum: Troianorum odium in me nullum restat: caussa aduersum eos præliandi nulla superest. Tantum porrò abst, ut pristinis eorum cladibus, per nos illatis, meisq; victorijs gaudeam, ut eas è memoria mea penitus penitusq; deleuerim: quarum tamē qui obliuisci velit, non facilè inuenias: dulce enim est meminisse victoriæ, etiam in paruis. Auxilia igitur quæ petitis, quò minus vobis adiungam, religione impedior. Quę attulistis munera, non sperno: sed si me audiatis, ad Æneam hostem placandum ea conferetis: procliuius eum hac ratione, quam armorum vi superabitis. Cum illo eminus, & cominus pugnaui: qualis sit in armis, non auribus audiui, sed istis oculis aspexi. Miranda virtus erecto scuto in hostem pergentis: validum robur hastam contorquentis. Certum est, si alios pręterea duos huic similes Iliaca tellus edidisset, nūquam Græci Troiam, Troiani magis Græciam bello attriuissent: & fatis contrarijs qui modo lætitiam agitant, tristitiam & luctum agitarent. Quòd totum decennium in obsidione vnius vrbis cōsumpsimus, & tam serò triumphauimus, Hectori, & Æneæ tribuen-

Latinus frequēs optimatū consilium cogit, in quo Venulus legationē exponit.

Ergo cōcilium.

buendum scitote: qui cum animis, & virtute militari essent gemini, Æneas religiosior semper fuit. Ab eo lædendo abstinete: quibuscunq; conditionibus pacem & fœdus firmatote. Si secus feceritis, non sine exitio vestro facietis. Intellexisti, Latine rex, & quid de auxilijs senserit Diomedes: & quod sit eius de hoc toto bello consiliũ. Vixdum absoluerat Venulus, cum perculsi proceres, perinde cœperunt fremere, ut cum rapido fluminis cursu saxorum obiectu fracto, ripę vndarum impulsu strepitant. Postquam facta est quies, Latinus solemnia verba numinis inuocandi præfatus, ut sublimi in solio considebat, ita locutus fertur. Quemadmodum futura mala euitari queant, rebus adhuc saluis, & integris prouidendum est sapientibus, non quando iam ceruicibus incumbunt. Nos quoq; vtinam quod esset è repub. prius decreuissemus, quam hostem prope in conspectu, & ad ipsa mœnia haberemus. Bellum formidolosum, & impium cum hominibus diuino semine oriundis, quiq; dijs im̃ortalibus curæ sunt, quiq; nullis prælijs defatigari, nec victi etiam̃ vinci possunt, cũ talibus, inquam, viris nobis bellum est. Quam de suppetijs Diomedæis spem conceperatis, eã eijcite: dextræ suæ quisq; confidat. Verumenimuero, quam angustæ sint res nostræ, quãoĩa confusa, cõuulsa, & ꝓstrata iaceant, ut nec ista fidentia erigere & cõfirmare quenquã possit, ipsi ꝓfectò clarissimè cernitis. Neminem ego ignauiæ accusatũ volo: quilibet præstitit, quantũ in se fuit: omnibus totius regni viribus, & machinis pugnatum confiteor. Nunc, quid mihi diligenter cogitanti occurrerit, quidq; factu optimum rear, paucis indicabo, vos audite attentius. Agrum habeo iuxta Tiberim, à sede regni distantem procul, parum fructuosum. Versus occidentem longius extenditur, ad ea loca, quæ olim Siculi habitarunt. Rutuli & Aurunci mercede conductum excolunt, & steriliora pascunt. Hunc totum pro amicitia coniungenda Troianis attribuere placet, si in his regionibus considere tantopere cupiant. Hîc sibi, si volunt, ciuitatem condant. Fœdus itaq; cum ijs feriamus: non ut tributarij, sed ut socij eadem nobiscum libertate viuant. Quod si aliò ad aliam gentem malunt, & possunt commigrare, classem illis viginti, aut quotquot indiguerint nauium ædificemus: quod quidem difficile non erit, cum tantum materiæ ad littus in promptu sit, ut ante arbores cædere, & comportare nihil videatur opus. Ipsi formam, magnitudinem, numerum nauium præscribant: nos ligna, trabesq;, instrumenta, & artifices fabricationi suppeditemus. Mittamus insuper legationem honorificam, delectis centum viris genere spectarissimis (quippe in tam graui negotio) qui oliuæ ramos, pacis insignia præferentes hæc nuntient: fœdus nostro nomine sanciant; auri, argenti talẽta, sellam curulem, & trabeam regalia munera deferant. Hæc habui, quæ hoc periculosissimo, ac difficillimo tempore expromenda censui: vos in commune consulite, & rebus propemodum desperatis ac perditis, si potest, succurrite. Hîc Drances perennis Turni aduersarius, & eius gloriæ (dissimulanter tamen) obtrectator atq; inuidus, opibus pollens, lingua quam manu promptior, factiosus, incerto patre, matre nobili generatus, consilio non planè ineptus: Drances itaq; surgit, & sermone istiusmodi præsentes in Turnum exacerbat. Quod sentis, optime rex, & nobis ut sentiamus persuasum vis, in aperto est: nec verbis eget pluribus: & qui tibi adsunt in hac consultatione, non nesciunt quid tempus postulet: sed eloqui cogitata non audent. Comprimat aliquando spiritus suos is, cuius infaustis ominibus, & præfractis moribus (dicendum est enim liberè, quamuis vulnera, & mortem mihi minitetur) tot egregij duces ceciderunt, & tota squalet Italia: dum Troianos vexat, ipse in fuga præsidium sibi collocans, & deos etiam cælo conatur detrudere. sinat nos respirare aliquando: sinat animi sensa edictare. Vnum istis, ô rex, quæ Troianis nuntiari, & offerri decernis, adijciendum, & in eo nullius tibi metuendam violentiam arbitror; nempe ut Lauiniam tuam Æneæ digno & te socero, & illa coniuge nuptum tradas, atq; ita pacem fœdere sanctissimo, ac sempiterno stabilias. Sin autem adeo formidabilis est Turnus, rogemus eum, obtestemurq;, de iure suo remittat pauxillùm: det hoc regi, det patriæ. Quid tu nos miseros in fortunarum omnium, ac vitæ discrimen, ô ipse horum malorum omnium, quæ non vnam vrbem, sed vniuersum Latium inundarunt principium, caussa, & caput, toties compellis? Si de cætero pugnandum erit, nihil est cur salutem speremus. Quia igitur perijmus, occidimus, nisi tu ab armis recedis, te pacem poscimus, te oramus, sine iungi Lauiniam cui pacta est, & cui eam fata pridem locauerunt: hoc pignore pacis nullũ potest excogitari certius atq; firmius.

Latini de Troianis vel retinẽdis, vel ad discessum adiuuandis sententia.

Ante equidem summa.

Drancis in Turnum criminosa oratio.

Tũ Drances idem.

firmius. En ego ante alios, ego quem tu inimicum tibi fingis, nec (ut verum fatear) esse admodum recuso, primus tibi supplico, tuorum te misereat, parce reliquis, deferuescat iste feruor tuus, acquiesce hac fortuna tua, victum te agnosce, & cedendo etiam tute tibi consule. Sufficiat vidisse tot funera, & agros passim cultoribus spoliatos. Si cedere turpe ducis, & famam factis extendere desideras, si tam es animosus, & regale cõnubium adeò tibi hæret in medullis, quin cum solo solus depugnas? Mortẽ subire pro patria, pro parentibus, pro charissima vxore, & suauissimis liberis laudabile ponitur: at tã multos vnius alicuius alieni caussa necari, quomodo probari potest? Scilicet, ut Turnus regiam puellam adipiscatur uxorem, nos tanquam triobolares animas, per campos sparsim, indefletos, & inhumatos iacere dignum est. Aude Troianum te prouocantem intueri, si vir es, & à maioribus minimè degeneras. Tam maledica oratione Drancis Turnus ira stimulante ingemuit, atq; in hanc vocẽ erupit. Numquam es disertior Drance, quam cum res manus, non linguam postulat: & quoties concilium cogitur, primus aduolas: idq; vnum studes, ut plurimum blaterando gloriola augeare. Sed alienum omnino tempus est, repleri verbis curiam, quę tu securè sesquipedalia funditas, quando mœnibus hostis instat, & iam fossę occisorum redundant sanguine. Tona igitur, tona ut solitus es, & me meticulosum appella, cũ tu tot phalanges tuo gladio fuderis, fugaueris, & tot per agros trophæa statueris. Hostis nõ longè ab oppido moratur: eamus, experiamur uter sit fortior. Quid dubitas? quid cunctaris? quousq; tibi Mars in lingua, & pedibus? Me à fuga præsidiũ quæsisse dixisti. Ego fugi? qui Tiberim humano sanguine purpuraui: qui Pallanto confosso totam Euandri posteritatem sustuli (nam eo omnis spes progeniei nitebatur) qui tot Arcadas vita, & armis spoliaui. Aliud loquantur, si viuant Pandarus, & Bitias, & illi, quos uno die mille ad Orcum misi: & quidem conclusus intra muros hostium, vnde me tamen victor liberaui. Nullam ais amplius salutem bello sperare oportere. O pessime vates, abi in malam crucem: tibi istuc, & Troiano vaticinare: neue cessa metu miscere omnia, nostras vires eleuare, populi bis victi arma extollere. Narra, nunc quomodo Græci duces Phrygas tremuerint: nunc quomodo separatim Diomedes, & Achilles. Adde mendacijs, si volupe est, etiam hoc, Aufidum retro ab æquore Adriatico cursum in caput reflexisse. Considerate autem, proceres, singularem perditi hominis nequitiam. Simulat me sibi esse pauori, cum eo nihil sit natura pauidius. Atqui id agit vnum, ut me apud vos in odium capitale rapiat. Facessat hic pauor, securus esto, non te interficiam: habitet in hoc sibi congruenti domicilio anima istæc ignauissima: fortibus viris tantũmodo perdendis exercitata est dextera mea, non occidit culices. Ad te, magne pater, & ad ea, quæ in consultatione posuisti redeo, Si nulla est spes reliqua in armis, & opibus nostris: si auxilijs adeò destituimur, & semel in fugam dati, funditus interijmus: si fortuna insuper tam hostiliter nobis adversatur, ut de cætero nos respectura non sit, me quoque auctore, pacem, supplices manus tendentes petamus. Quamquam si in nobis esset virtus antiqua, mori mallemus, quam ab hoste pacem petere: & laudo eum (Mezentium) qui prius quam tale quid videre cogeretur, in mortem se præcipitare non dubitauit. Sin autem nec opes nos deficiunt: nec robusta, & adhuc à laboribus integra iuuentus deest: si auxilia vrbium Italicarum maiora, quam necesse foret, suppeditant, præterea, si Troianis quoq; ipsis sua cum multo sanguine constitit gloria, quid est, quod ipso aditu demittimus animos, & ante tubam contremiscimus? Superioris temporis detrimenta futuris successibus emendare, ac resarcire licebit. Multa in melius dies ipsa mutauit, & fortuna plurimos ex alto in imum demersit: ac vicissim ab imo in excelsum, quasi per ludum sustulit. Fortunæ magna est dominatio in vtramq; partem, quæ res humanas fingit, ut lubet. Esto, non iuuabit nos Diomedes: at iuuabit Messapus fortissimus, & Tolumnius fælicissimus: à tot item populis submissi duces præclarissimi: nec modicum reportabit decus Latina pubes. Quid memorem Camillam ducentem è Volscis turmas equitum instructissimas, & ornatissimas? At enim si Troiani omnino me solum deposcunt, & in eorum vos sententiam concedere vultis, quia me communi bono tanto esse obstaculo censetis, ut nisi solus dimicem, respub. occasura credatur, nõ ita rudes, & inexercitatæ sunt manus meæ in victorijs adipiscendis, ut tam eximiæ laudis tam certa spe proposita (nempe, ut solus

Turnus maledicta regerit, & bonã spem facit.

Talibus exarsit.

lus prædicet seruasse rempub.) quidquam velim refragari. Solum me Æneas postulat, & prouocat? hoc oro, hoc opto, ut solum: nolo enim parare mihi inuidiam, si forsitan Dauces, dijs homini peruerso iratis, pariter occumbat. Sin autem virtus me, & gloria comitabitur, nolo imbellissimum, atque inertissimum in alienæ fælicitatis communionem venire, si, meis pugnans auspicijs, victoria potitus fuerit.

Aduentanti propius vrbē Ænea, Latini ad resistendum se cōparant: matrona Palladi supplicatū eunt.

Illi hæc inter se.

Dum tempus à consilio sententijs, ac mutuis insectationibus eximitur, Æneas copias ordinatim dispositas ad oppidum adducit. Accurrit anhelus, qui regiam, & vrbem vniuersam nuntijs implet horribilibus. A Tiberi Troianos cum Etruscis acie distributa progredi, & campum operire. Re insperata populus maiorem in modum conturbatus, nec minus ira efferatus, ad arma frequens conclamat, arma iuuentus fremit. Primores (utpote ad quos publici periculi prouisio, depulsioq; pertinebat) lacrymas non tenebant: nec erat vnus, idemq; omnium sensus, cum his Turni, illis Drancis oratio plus arrideret: & audiebatur clamor dissonus, variumq; murmur, quale quid edunt in luco aues, aut in fluuio Padusa cygni. Hoc loco Turnus occasione inuenta: agite, inquit, ô ciues, nunc conuentus, & concilia celebrate, & otiosi, atq; inermes bona pacis dilaudate: dum interea hostes in nos ruant, & tanquam pecora contrucident. Hæc tantùm effatus, è regia continuò se proripuit. Voluso mandat, Volscum peditatum, Rutulumq; in armis paratum habeat: Messapus, Catillus, & Coras duo fratres equitatum ducant: partem ad custodiendas portas, & ad vrbis præsidium in turribus relinquit. Latinus instantis exitij metu consessum, totamq; tanti negotij deliberationem deserit, & in aliud tempus reijcit: semet castigat, qui desponsam semel filiam Æneæ subtraxerit, cum istis nuptijs ingentia sibi, & vrbi commoda parere potuisset. Alij fossas ante mœnia faciunt, saxa, sudes ad hostem arcendum eò congeruut. Buccina signum ad defendendam vrbem datur. Ipsæ quoq; mulieres, & imbellis ætas cum telis muros complent: extremo discrimine ita cogente, omnes se pugnæ accingunt. Regina ad templum Palladis in arce situm, matronis stipata quam plurimis vehebatur, & eidem munera portabat. Hærebat illi Lauinia, cuius connubium hanc omnem procellam excitauerat. Oculos deijciebat, ut virginem per publicum incedentem oportebat. Templum ingressuræ, thuris odores incendunt, & à limine clamore flebili deam bellorum moderatricem orant, latronem Phrygium compescat, tela eius confringat, terræ ipsum affligat ante portas vrbis, ut à fæminis etiam, & pueris cum ludibrio de mœnibus spectetur. Turnus furioso similis, ut mox præliaturus, arma capessit. Iam loricam, ocreas auro distinctas induerat, gladium lateri accommodauerat, nondum caput galea tectus: cū ab arce decurrit, totus apparēs aureus. Sic porrò gestiebat, quasi iam vicisset. Prorsus instar equi generosi, qui abruptis loris fugit à præsepi, et campo vacuo potitus, exilit gaudio: hinnitu complet aera, & per colla erecta volātibus iubis, aut armenta equarum in pastu, aut flumina sibi nota petit.

Turnus Camilla dat mādata, ipse insidias Ænea locat.

Obuia cui Volscor.

Cum Volscis equitibus Camilla, porta exeunti occurrit: honoris caussa ex equo descendit: idem reginam, imitati comites faciunt. Sic verò illum allocuta est, ut diceret, si liceret fortibus de semet bene sperare, seu ex conscientia virtutis audere, se ausuram aliquid, venientiq; exercitui ultro occursuram, & primum impetum excepturam: ipse ad muros subsisteret in præsidio. Turnus intuens amabiliter venerandam virginem, vocat eam ornamentum Italiæ: negat se eius tantæ virtuti pares aut agere, aut referre posse gratias. Quia igitur tam excelsus, & inuictus illius animus sit omni laude superior, se illum tacitè admiraturum, laborem autem cum ea diuisurum. Improbum illum Æneam, ut fama vulgarit, & exploratores retulerint, equites expeditos præmisisse: ipsum cum peditibus per montis iugum ad vrbem accedere: hunc se in sylua proxima, biuijs faucibus obsessis excepturum: ipsa se cum Messapo Latinos ducente, & cum Tyburtis manu coniungeret, ducis munere vnà fungeretur, & cum Tyrrheno equitatu cōfligeret. Deinde & eundem Messapum, aliosq; duces cohortatus, quò dixerat, ire maturat. Vallis est flexuosa, insidijs peropportuna, vtrinq; denso clauditur nemore: semita per illam angusta, & obscura. In monte planities non multis nota, hosti quidem ignota, eò tutissimus receptus, seu dextrà, seu læuà hostem aggrediare. Inde etiam saxa licebat in prætereuntem deuoluere. Hanc vallem sibi exploratam insedit Turnus, Æneam exspectans.

De Camilla educatione.

Interea Diana Opim, vnam de virginibus

virginibus suis tristior facta compellat. En, inquit, Camilla arcu, & sagittis, nostris videlicet armis prædita, bello se credit, vnde nunquam est reditura. Et hoc tantò impensius doleo, quantò mihi præ alijs iampridem est charior. Id quo pacto, faciam ut noris. Metabus pater huius, ob crudelitatem, & superbiam Priuerno, ubi regnabat, manu armata exactus, cum fugeret in exilium, pro vnico solatio infantem secum extulit, & à nomine matris Casmillæ, leui mutatione Camillam nuncupauit. Cum aūt, ne a persequentibus cōprehenderetur, loca sola adiret, fortè ad Amasenum fluuium deuenit, qui summas iam, propter assiduos imbres videlicet, ripas exæquabat. Sola ei natatio relinquebatur, qua hostibus elaberetur: sed inde oneris cura, & amor illum dehortabatur: nec enim teneram prolem natando aut præse ferre, aut tergo sustinere poterat. Dū huc illuc animum distraheret, ac versaret, vix tandem in hoc consilio acquieuit. Vt bellator, hastam trabalem igni duratā, & nodosam altera manu gerebat: huic mediæ puellulā corticibus inuolutam, & bene clausam cōmodè alligat, cælumq; suspiciens, & mihi eam pro ministra dedicans, ac meum numen implorās, ut id faustè eueniret, adducto lacerto, vi valida illam trans flumen proijcit: tanto motu aqua ipsa insonuit. Propius iam Priuernatibus insequentibus, eidem se fluuio natabundus cōmittit, tranat fæliciter, & in ulteriore ripa iacentem, iam mihi consecratam cū hasta tollit. Nulla ciuitas Metabum publicè, nemo priuatim accepit. Quod si quis etiam secū habitare ipsum voluisset, qua erat naturæ immanitate, ac feritate, eius consuetudinem refugisset. Vitam igitur agrestem, & pastoritiam in montibus, & syluis agens, puellam equino lacte sustentauit, quod ipse ori eius ex vberibus equæ indomitæ emulctum, infundere solitus erat. Vbi primùm pedibus insistere, & gressus moliri cœpit, in manus ei iaculum dedit: ex humeris arcum, pharetramq; suspendit: pro crinali aureo, & palla, tygridis eam pelle amiciuit. Iam tum torquendis telis lusitabat, & agitanda circum caput funda gruem, cygnumúe ex aere deijcere didicerat. Fama celebratam, multæ per Etruriam matres nurum sibi contingere auebant. Verùm illa studio mei æternum pudorem complexa, & telorum, quam telarum amantior, suo cubili dignata est neminem. Nec mihi tam ægre est, quod militiam sectatur, quam quod aduersum Troianos militat: quibus & admiranda virtus adest ad bellandum, & incredibilis, ac perpetua fælicitas: quibus dijs beneuolentibus, & fatis ita propitijs Italiæ regnum mancipio dabitur. Proinde ventos verberabit, & nihil efficiet. Quod nisi hoc tam inutile consilium suscepisset, etiamnum, & in posterum maneret (quomodo semper fuit) accepta & chara mihi, vnaq; & præcipua de meis comitibus. Eidem periculum adeunti subuenire, aut eam à pugna auocare vellem equidem vehementer: sed obsisti fato, quo ad mortem vrgetur, non potest. Quamobrem age tu, cape arcum meum cum pharetra, & de cælo in Latium vadens, vbi bellum hoc infaustum, ac detestabile exercetur, inde sagittam ad eum configendum deprome, qui sacrum mihi corpus sternere ausus fuerit, siue is Troianus, siue Etruscus sit: nulli parcito. Ego postmodum nube cooperta, ne agnoscar, exanimum corpus cum armis suis, indespoliatum videlicet, in patriam, illic tumulandum referam. Hæc mortuæ faciam, ne planè nihil in eam officij contulisse videar. Extemplò Opis deuolat, obscura quadā amicta caligine: siquidem ad rem parum lætam, seu tristissimam potius. Interim (ut quò deflexit aliquantum, eòdem nobis redeat narratio) equitatus Æneæ oppido fit vicinior, equitatus, inquam, per turmas dispositissimus, equis ipsis gestientibus, & victoriam quodammodo hinnitibus, & motibus lætis prænuntiantibus. Campi hastarum, armorumq; nitore latius refulgent. Contra veniunt Messapus, Catillus, Coras, & cum ala sua Camilla, spicula intentant, tela iactant. Alteris in alteros tendentibus, tumultus, & equorum fremitus crebrescunt. Iam intra teli spatium ambo processerant exercitus, cum derepente in clamores erumpunt, equos concitant, cælum sagittarum crebritate obscurant. Tyrrhenus, & Aconteus aduersis hastilibus impetu validissimo concurrunt. Aconteus tanta vi, & celeritate, quanta fulmen venit, aut è murali tormento saxum excutitur, statimq; perdit animam. Confunduntur ordines. Latini reiectis in tergum clypeis, pro munimento aduersus tela sequentium, conuersis equis ad mœnia fugiunt, fugientibus Troianis, & inter eos primus Asylas, inhærent. Cum spatio non longo à portis abessent, retro versi, cum clamore vicissim

Velocem interea.

Equestre certamen

At man' interea.

cissim hostem insequendo premunt. Quasi cum marini fluctus certis temporibus reciprocantur, talis erat tum facies. Bis Etrusci Rutulos in fugam compulerunt: toties ab ijsdem compulsi sunt. Postquam verò vir virum legit, tertiùm, ac summo prælio conflixerunt. Tum audiri plurimorum expirantium gemitus, videri mixtim arma, corpora, equi semineces volutari in sanguine: pugnabatur enim quàm accerrimè. Orsilochus hastam in equum Remuli nõ audentem propius ipsum, ut se fortiorem, appetere, secundum aurem intorsit, quo vulnere bestia insaniens, in posteriores sese pedes erexit, & subsiluit: Remulus humi effunditur. Catillus Iolam, item Herminium, animo, corpore, & bellandi peritia egregium deturbat. Capite aperto, flauis crinibus conspicuus, humeris etiam nudis, seu non munitis, vulnerum securus (id quod in magna temeritate numerandum est) incedebat, atq; ita in tela hostilia patebat. Hunc hasta per totos humeros traiecta, dolore ita contraxit, ut corpus quodãmodo duplicaretur. Generatim dicam, passim sanguis per cædes funditur, & pulchra morte hinc inde occũbitur: quippe in acie, non in fuga, ea enim mors verè turpissima est.

Fortitudo, & facinora Camillæ.

At medias inter.

Inter tantas cædes exultans, brachio expapillato, velut Amazon, pugnabat strenuissimè Camilla. Nunc identidem hastilia iaciebat, nunc bipenni constantissimè rẽ agebat. Si quando pelleretur, conuerso arcu retrorsum iaculabatur. Circum illam, & pro illa etiam Larina, Tulla, Tarpeia lectissimæ, quas sibi de Italicis virginibus bello, & pace administras, sociasq; honorarias asciuerat, fortiter dimicabant. Imitabátur Amazonas, cũ apud Thermodoontẽ Thracię fluuiũ, armis decertant: aut cũ Hippolyten, seu Penthesileam è bello victricem redeuntem, lætis acclamationibus comitãtur. Camilla porrò tam expeditè, tantaq; cum celeritate in cædibus grassata est, ut quem primum, quem vltimum, & omnino quot occiderit (occidit autem innumeros) vix satis declarari queat. Interfecit ante alios Eumenium Clytij filium, nudo eius pectore traiecto: qui corruens in suo se sanguine versabat, quem ex ingenti plaga ubertim fundebat. Altera victima fuerunt Lyris, & Pagasus: quorum ille dum equo lapsuro frænos colligit, & adducit: hic dum inclinatum, atq; ad terram propendentem sustentat, tam repente percussus est vterq;, ut vnum ictum diceres. Adiungit his Amastrum Hippotadis filium, & alios. Nullum deniq; spiculum eius vacuũ incidit, singulis singulos hostium interemit. Ornytus inter fugientes incõsuetis armis, nempe corio bubulo pro lorica, & lupino capite pro galea, sparo insuper, quod est telum rusticum, in formam pedi recuruum armatus, & longissimo præterea corpore conspiciebatur. Hunc illa sibi persequendum, & trucidandum deligens, telo confecit, cum his verbis. An tu, Tyrrhene, te imbelles feras, quas ista armorum insolentia terrefaceres, in syluis, voluptatis caussa censebas insectari? Venit tempus, quo per fœminas refutarentur dicta vestra inflata, & rerum penitus vacua. Tamen apud patrum tuorum manes hoc tibi erit honestissimum, cum te Camillæ manibus cæsum narrabis. Postea Orsilochum, & Buten, vtrumq; immani statura, & vastitate visendum è medio sustulit. Hunc quidem hasta, quà collum inter loricam, & galeam patet, quàq; clypeus à læua dependet: illum, fugam simulans, & gyro breuiore sequentem aliquandiu ludificans. Tandem verò insurgens, quamuis deprecanti, securim repetitis ictibus in caput tam violenter illidit, vt galea diffissa, etiam ossa penetraret, ac cerebrum per faciem deflueret. Tum Aunus Auno, qui in Apẽnino habitabat, genitus, in eam incidens, primo aspectu stupefactus constitit. Hic inter Ligures, populũ fraude, & astu nobilem haud postremus habebatur, quamdiu quidem artem mentiendi, fallendiq; ei factitare licuit. Postquam se captum vidit, ita, ut nulla via posset euadere, nec à tergo instantem Camillam auertere, solito more ad dolum, & versutiam suam confugit. Spiritus, inquit, tibi facit equus iste, cui insides, generosissimus, ac velocissimus, cum alioqui nihil sis, nisi fæmina timida. Descende in pedes, & mecum manum æqua conditione consere. Mox experiundo, vter iure laudandus, vtérue propter ventosam iactantiam pœna dignus sit, intelliges. Vulnerauit hoc verbum virginis animum: quare dolens grauiter, ut erat armata, in pedes desilit, equum vni sodalium suarum tradit, stricto cum ense, & scuto non picto (tunc enim primum bello succedebat) consistit. Aunus quasi iam victor, equo conuerso, subditisq; calcaribus, sine mora se aufert. Ibi Camilla, Ligur vanissime, frustra tibi paternis hisce artibus applaudis: frustra eas in me experiri voluisti. Nec tuæ te imposturæ ad pa-

ad parentem sinent peruenire incolumem. His dictis, cursu citatissimo equitem anteuertit, frænis apprehensis retinet, cum mactat. Non secus quam cum accipiter auium pernicies, ab alto montis saxo fugientem per nubes columbam insequens, cōprehensam vnguibus dilaniat, cruore in terram cum plumis defluente. Non sibi negligendam hanc pugnam Iupiter existimans, Tarchontem Etruscorum ducem ad prælium accēdendum irritat. Ille inter cæsos, cedentesq; obequitans, nominatim multos reuocat, & ardorem illis dimicandi inijcit. Prô diuûm atq; hominum fidem, inquit, quid hoc monstri est? etiã fœminam metuitis? O stolidi, itáne vestra dedecora nunquam delebitis? semper ignaui. Fæmina vna velut inertes pecudes vos agit, tantam multitudinem. Quorsum arma, & ferrum gerimus? Atqui in nocturna illa prælia cum fœminis effæminatissimi homines nequaquam segnes reperimini. Neq; tunc tardi estis, cum vobis chori sono tibiæ indicuntur: cum sacra in lucis cum epulationibus, & compotationibus celebrantur. Hæc fatus, equum in medios hostes admittit, paratus fortiter oppetere. Tendit autem terribili vultu in Venulum, dextroq; brachio eum complectens, ab equo deripit, & ante se in suo collocat. Exclamatur. Latini oculis sequuntur: ille per campum cum præda properat, cuspidem ab eiusdem Venuli hasta defringit, & qua parte ei vulnus lethale daret, circũspicit, illo contra nitente, & manum eius à iugulo suo repellente. Speciem referebat aquilæ, per sublime inter ungues serpentem alicubi raptum ferentis. Ille sinuosis flexibus obnititur, se arrigit, insurgit, sibilat: sed contra vrget aquila, rostro tundit, volãs interim. Exemplo ducis, & tam fælici euentu, in quo bonum omen inesse videbatur, commoti Etrusci, animis ingentibus in hostem impressionem faciunt.

Tarchontis ad suos obiurgatio, & factum memorabile.

At non hæc nullis.

Camillæ interitus.

Tum Aruns deuotus iam exitio, curiosè Camillam circuit, & quam commodissimam eius petendæ occasionem aucupatur. Ipsa vestigia obseruat, quoq; illa vel it, vel redit, eò ipse cum equo subsequitur, omnem aditum, abitumq; illius callidè explorans. Chloreus olim Cybeles sacerdos, equo insigni, & armis erat conspicuus, tectus lorica conserta lamellis æreis, in formam plumarum, ita ut sunt in corporibus auium dispositæ, figuratis: habitus purpureus, chlamys crocea & carbasina, quam, quò esset expeditior, nodo aureo collegerat. Tunica opere Phrygio laborata: suræ velabantur tegminibus, similiter artificio barbarico confectis. Arcus aureus, caussis aurea. Tam pretioso, & eleganti vestitu, tamq; decoris armis allecta Camilla, siue ut ea pro spolijs ad templa suspenderet, siue ut ipsa ijs vtens, venatrix in syluis pulchrior appareret, hunc vnum præ omnibus ad cædem captabat, & improuidè per aduersarium agmen discurrens, immodico (ut fœmina scilicet, qui sexus est impotentior, & affectibus imperare nescit) illius prædæ desiderio se incensam ostendebat. Tandem Aruns Apollinem precatur, per cultum, quem illi populares sui Hirpini (apud quos mons Soracte, Apollini sacer) adhibere soleant, cui de pinea materia ignes struant, & caussa pietatis, honorisq; illius per eos saliant, precatur, inquam, adiuuet se, ut tantam maculam, quantam ipse cum suis ex eo traheret, quod mulier tanto viris euaderet superior, tantaq; facinora sola ederet, sua manu delere posset. Haud se spolia occisæ ablaturum, nec trophæum ullum erecturum: ex alijs factis laudem aut inuenisse, aut inuenire posse. Nec curare, si domum reuertatur expers gloriæ, dummodo suo telo hæc mulier occumbat. Secundum precationem hastam conijcit. Apollo petita partim concessit, partim negauit. Vt Camillã funderet, hoc ei dedit: ut autem patriam videret incolumis, hoc neutiquam dedit. Itaq; simul ac hasta per auras iacta insonuit, Volsci certatim in Camillam obuerterunt oculos, exspectantes quid eueniret. Illa tota mente in alia re occupata, nec aeris stridorem percepit, nec telum desuper aduolans animaduertit, donec sub mammam exertam adactum, cruorem virgineum altè hausit. Accurrunt repente comites, collabẽtem heram suscipiunt. Facto suo exterritus Aruns, inprimis fugit, partimq; lætus, partim metuens, non iam hastam in quenquam contorquere, nec Virgini se obuiam ferre audet. Veluti lupus, qui pastorem, aut iuuencum in sylua laniauit, priusquam agrestium ferro, iaculisq; confodiatur, sub ventrem cauda subiecta, quod timoris signum est, in montes, & nemora latendi caussa fugit. Perinde se è conspectu Aruns subducebat, mediæq; multitudini, ut ne agnosceretur, immiscebat. Moribunda Camilla telum, ipsis etiam ossibus infixum, conatur educere. Sanguine instar riui profluente defecta, terram petit, ingruente letho natant lumina, purpureus

Tũ fatis debitus Aruns.

reus ille oris color in pallorem cõmutatur. Sed antequam postremum effundat halitum, Accam de socijs fidelissimã, secretorumq; suorum oĩm consciam ita affatur. Acca soror mea, hucusq; & viuere, & certare potui: nunc ex hac vita abeundũ est, tenebræ me vndiq; obsident. Vade festinatò, & Turno vltima verba mea nuntia: remis & equis huc contendat, instauret exercitum, Troianos vrbe prohibeat. Vale. Cum his vocibus habenæ, & arma de manibus decidunt, corpus cadit, cuius se vinculis & nexibus magis magisq; anima exoluit, & capite in humeros collapso, ad inferos excedit. Imensus continuò clamor. Camillæ obitu pugna surgit asperior, Rutulis eã vlcisci cupientibus, Troianis aũt tanta adversaria sublata, certiorem vincendi spem ingredientibus: ideò se cum Etruscis, & Arcadibus densabant in cuneos. Opis Dianæ famula in mõte sedens, cõflictumq; securè contẽplans, ut Camillam coniecit occisam, ingemuit, dixitq;, Ah virgo, magno luisti, quod Teucris te opponere, deorũ genti, & viris inuictissimis voluisti. Quid tibi à paruis Dianam in solis locis coluisse, quid arma, & artem nostram exercuisse profuit, siquidẽ pestem fatali quadam necessitate capiti tuo iminentem vitare haud potuisti? Veruntamen de morte ista tua oẽs gẽtes loquentur, per omniũ ora tu quoq; volitabis, & domina tua, cui seruisti, etiã in funere tuo ornabit te, nec inultam sinet. Quicunq; enim vitam tibi ademit, ipse mox suam amittet. Stabat sub monte, terra in altum aggesta, antiqui Laurentũ regis Dercenni monumentum, quod assitæ ilices obumbrabant. Huc se nympha confestim recipit, & inde Aruntem oculis vestigat. Quem ut armis illustrem, & animis tumentẽ vidit, illo non audiente (longius enim aberat) sed quasi audiente, ut affectui suo morem gereret, hæc ait. Quò abis perdite? agedum, huc accede, huc veni, ut te digno præmio pro Camilla occisa afficiam, & mortem tibi pro morte reddam. Necari te oportet eius telis, quam in Camilla despectui habuisti: quamuis hoc ipso dignus non sis. Tum eximit sagittam, curuatoq; quam maximè licuit arcu, adeò, ut cuspis teli læuam, qua arcum tenebat, dextra cum neruo quem adducebat, pectus tangeret, in Aruntem emittit: qui simul stridorem audijt, simul vulnus sensit. Socij per obliuionem (quod diuinæ vltionis apparet argumentum) cadauer eius insepultum, alitibus, & belluis laniandum reliquerunt. Occasu imperatricis suæ conturbati equites Camillæ, primi in fugam conuertuntur. Fugiunt etiam Rutuli, & fortissimus ille Atinas: dissipati duces, deserti à militibus signiferi, vitæ suæ consulentes, conuersis equis ad oppidum conuolant: nec est, qui Troianis instantibus resistat: soluti arcus pendent ex humeris. Pedibus equorum, hominumq; altè sublatus puluis, versus mœnia voluitur. Mulieres in muris, & speculis astantes, & id quod fiebat animaduertentes, luctisonis vocibus misericordiam mouent. Nonnulli qui primi per portas irrumpere moliebantur, cum præ multitudine simul non possent, & retro premeret hostis, ibidem confixi animas edebant, in ipso patriæ limine, vbi se tutos fore crediderant. Nitebantur alij portas claudere, nec socios quantumcunq; obsecrãtes volebant intromittere, ne scilicet vnà hostem illis affixum intromitterent. Sæuissima ibi inter arcentes, & irruentes exorta cædes. Exclusi, in conspectu parentum lamentantium pars præceps in fossas impellebatur, & ceruices frangebat: pars nec portas occlusas cernens, & aliorum ibidem exitium nesciens, equis concitatis eas arietabat. Fœminarum turbæ, imbecillitatis immemores, propter amorem patriæ in extremo illo discrimine, præsertim ubi Camillam interfectam audierunt, stipites, sudes, & saxa deijciebant, nihil recusantes interfici. Ad Turnum in insidijs latentem in sylua, Acca missu Camillæ, ut dictum est, nuntium mœstissimum affert, Volscos deletos, Camillam peremptam, hostes ad vrbem esse. Ille subito dolore correptus, & voluntate item numinis, colles & nemora deserit. Vix in campum apertum exierat, & ecce Æneas saltus iam insidiatoribus vacantes ingreditur, montemq; superat. Sic ambo magno itinere ad oppidum contendunt, Turnus eius tuendi, Æneas obsidendi caussa: nec longo ab se interuallo distabant. Æneas ut puluerem, & Laurentes est conspicatus, vicissimq; Turnus Æneam, & copias eius vidit, quòd esset vtrobiq; collecta manus, statim conflixissent, nisi nox superueniens moram rebus iniecisset. Ergo ante mœnia tendentes, ea vtriq; vallant.

Opis Aruntẽ, Camillã vindicans, interficit.

At Triuiæ custos.

Rutulorũ fuga, & ad portas urbis miseria.

Prima fugit.

Turnus ad urbem seruãdam reuocatur.

Interea Turnũ.

Paraphra-



Paraphrasis IN LIBRVM DVODECIMVM ÆNEIDOS.

QVemadmodum in concilio celebri procerum Latinorum, cum esset relatum de summa repub. Drances Turnum voce lacessierit, eoq; adegerit, vti se solum cum solo Ænea manus conserturum (si in eo salus communis verteretur, amborumq; exercituum voluntates eodẽ inclinarent) non absq; fastu tamen, & multa sui confidentia promitteret, cõmeminisse te arbitramur. Æneæ cum agmine propius propiusq; vrbem Laurentum accedenti, obuiam itum, & atroci pugna concursum: fusi fugatiq; cum Latinis Rutuli. Ergo illi infortunia sua reputantes (quippe qui iam alterum prælium irato sibi numine fecissent) nec meliora ominantes in posterum, vltra dimicandi cupiditatem omnem desperabundi abijciunt, coniectisq; in vnum Turnum oculis, tacitè eum promissa flagitant: indignantes, cupientesq; in vna potius anima, quam in tot millibus periclitari imperium: præsertim cum tantis molitionibus, ac detrimentis aliud ageretur nihil, quam ut Turno liceret Lauiniam regis filiam domum ducere: quam ob causam, haud profectò satis æquam, tot capita ad mortem ruere, tot egregios ciues corpora sua proijcere, minimè laudi dandum videbatur. Animaduertens itaq; Turnus, in has se redactum angustias, succensus ira implacabili, quod recusare iam honestè nequit, id se vltro facturum iactat: similiter leoni, qui à venatoribus lethali plaga conuulneratus, sæuit animosius, excussisq; iubis fremens, venabulum diffringit. Etenim exercitus defectio erat ei instar vulneris mortiferi: & quoniam nec discrimen præsens euadere, nec alienationem suorum lenire alia ratione potest, ut opinionem timiditatis amoliatur, bacchari, & furere incipit acerrimè, cumq; ferocia leonina ad regem adiens, eum truci vultu compellat, in hanc sententiam. Nihil esse in se moræ: non se commissurum amplius, ut de Turno quisquã conqueratur. Si imbelles Troiani constare sibi velint, nec detrectare quod se facturos spoponderint, ut Æneam secum congredi patiantur, se vtiq; congressurum: ipse rex sacrum fœderi sanciendo patraret, conditiones victis ferendas conciperet. Aut se illo die Asiaticum exulem sedentibus, & tanquam tragœdiam spectantibus Latinis morti daturum, cõmuneq; timoris, ac fugæ dedecus gladio suo aboliturum: aut, si secus ceciderit, suos Troianis seruitutem seruientes, cum Lauinia relicturum. Euentum pugnæ omnem diremptturum controuersiam. Excepit hanc iuuenis furibundi turbulentam orationem ore & animo placidissimo rex Latinus, vir ætate & sapientia venerabilis, & huiuscemodi verbis contra vsus est. Equidem laudo præstantem animi tui fortitudinem, mi Turne, qua ne nimium fidas, caue obsecro: néue omnia audendo posse confici arbitrere. Est enim, ubi timere, quam audere præstet. Historiam veterem atq; antiquam hæc mea senectus sustiuet: plurimis exemplis docere habeo, nihil non deliberatò agendum, & cum consilio: nedum rem tantam, quantam tu aggrederis. Etiam qui cauent, ne quid inconsultò ac temerè facientes, in aliquod malum deuoluantur, vix satis cauent, & sæpe cautores illi captos, ac deceptos sese doluerũt: vsq; adeo nũquã homini satis pręcogitata sunt futura incõmoda. Quare quò te feruore, atq; impetu iuuentutis inconsideratiorem, & cõfidentiorem ad hoc duellum rapi considero, eo me cura maior sollicitat, ut tuis rationibus consulam, incertaq; casuum, vtiliter saluti tuæ, quę mihi cõmendatissima est, metuens, mecum diligenter expendam. Si tu istoc certamine regnum quæris, manu tenes vtique regnum, quod à patre Dauno, nullo inuidente, hæreditario iure ad te transibit: nec id paruum sanè, multis oppidis tua tuorumq; dextera in potestatem ac ditionem adductis amplificatum scilicet. Quod si hoc contentus nondum es, de meis opibus ad-

Furor, & audacia Turni.

Turnus ut infractos.

Dehortatur Latinus Turnum a duello.

Olli sedato respondit.

dam ad tuas. Ego enim (dijsgratia est) virtute maiorum, & mea diuites diuitias possideo. Idem omnimodis ad te iuuandum, ornandumq; me dabo. Sin autem vxorem ista dimicatione consequi laboras, nullane per Latium, perq; agrum Laurentem puella nobilis, nulla formosa præter meam Lauiniam? Immò verò multæ nobilissimæ, pulcherrimæ, & cum dote amplissima, quæ tuum genus haud dedeceant: earum quamcunq; optaueris, tibi nuptijs despondebimus. Noli igitur, bone Turne, noli cum periculo capitis tui velle obtinere, quod ante pedes iacet: noli quærere, quod inuenisti. Quod deinceps dicturus sum, vulnerabit aures tuas, credo: sed da mihi hanc veniam, ut tecum apertè agam, & liberè, & animo dicta mea combibe. Non mihi solutum, atque integrum fuit, sicuti cæteris patribus, dare filiam meam nuptui, cui vellem: hāc enim sibi facultatem dij assumpserunt, id quod non dubiè ex oraculorum, atq; vatum responsis intelleximus. Non tibi modò, sed cuiuis Latinorum procorum eam denegare, externoq; in matrimonium tradere iussus sum. Ego tamen (vide quid fecerit amor, quem erga te gero, & affinitatis vinculum, & coniugis meæ fletus assiduus, quæ te intimè diligit) religionem, & fœdus deorum securus contempsi, generum abdicaui: in abdicatum arma perfidiosè, atque impiè sumpsi. Quid emolumenti inde perceperim, quid attinet memorare, cum sit ante oculos? Calamitates bellicæ, & ærumnæ graues sceleris mei præmia sunt, quorum non modica pars ad te quoque confluxit. Iterum, prô dolor, acie victi sumus, & ita labefactatæ foris, attritæq; res nostræ, ut cum difficultate nosmet, & nostra ipsis mœnium septis tueamur. Rubet, ac tepet etiamnum è stragibus nostris Tiberis, & campi adhuc ossium humanorum pleni visuntur. Verùm quid insanio? quid toties aliò mentem diuido? Mihi decretum est, Turno interempto, Troianos in meum regnum accipere, & pro socijs habere. esto. Cur igitur istuc eo incolumi non facio? Cur tam dirum conflictum non præcido, & te, mihiq;, tuisq; saluum, ac sospitem retineo? Quam autem malè dictitabunt mihi in circulis Rutuli, amici, & affines nostri? in quantam me vituperationem reliqua adducet Italia, si te petentem filiam meam, studentemq; meum fieri generum, & tanquam filium, ad mortem (quod dij auerruncent) quasi per proditionem tradidero, quia cum te seruare potuissem noluerim? Conuerte paulisper animum, quamq; sit varia, & anceps fortuna belli perpende. Quamuis acriter dimicantem, non semper victoria sequitur: nec frustra alata pingitur, cum è manibus frequenter euolârit: & vis Martis non rarò ab abiecto victorem perculerit. Ad extremum, tangat te miseratio patris grandæui, cui tu es vnicus. Hic nunc ex absentia tua mœstitudine non minima conflictatur. quantum ille luctum hauriet, ô dij immortales, si se per temeritatem tuā ad orbitatem deuolutum, omniq; solatio funditus spoliatum senserit? Vitam illi acerbam efficies, & mors tua illius erit interitus. Hæc Latinus, quibus tantum abest, ut emollitus sit Turni furor, magis etiam obduruit: & ipsa medicina, morbi incrementum ei facta est. Ergo mox, ut per iracundiam mittere vocem potuit, seu cum primum rex conticuit, sic ait.

Responsio Turni pertinax.

Quam pro me curam.

Quod optimi parentis, & fidelissimi monitoris est officium, id præstas, cum ob salutem meam in sollicitudine versaris. Sed te etiā, atq; etiam rogo, ne veta me subire, quod metuis: sine me, si ita casus tulerit, cum gloria potius referri mortuum, quam in vita manere cum turpitudine, quod necesse erit, si me huic pugnæ subduxero. Quanquam quid ego dico referri mortuum? Soline Troianorum gladij vulnerant? soli necant? Nos quoq;, ô pater, lethalia tela iactamus: & nostri enses similiter ingentia facere vulnera, sanguinemq; haurire didicerunt. Non hîc perinde, ut apud Troiam, ei subuentura est mater, dum nulli visa, pedem referentem nube circumfudit, & manibus aduersarij insequentis eripuit: quando scilicet nihil propius factum, quam ut à Diomede mactaretur.

Flebilis obtestatio Reginæ, & collacrymatio Lauiniæ.

At regina noua.

Nunc quid ad hæc regina, licet audiamus. Percussit illico animum, quod de certamine accepit. Incendium iuuenis suo fletu conatur restinguere, cuius apprehensa dextera, sic fatur. Ah, Turne charissime quid agis? quò te præcipitas? cur te is perditum? fuge hoc certamen inire: nescio quid mali mens præsagit mihi. Per hasce lacrymas, testes doloris intestini verissimas, ego tui semper, quod scis, amantissima, quæ, quantum in me est, præ omnibus tibi ex me natam colloco, teq; generum ascisco: ego, inquam, te per lacrymas istas, per si quem mihi honorem habes? si quid Amatam reginam materteram tuam reuereris, te obsecro, obtestorq; vehementissimè, parce cum Troiano cōcurrere.

currere. Tu senectutis meę spes, & solamen præcipuum: tu decus eximium nostri nominis, atq; generis: tu columen, & gloria imperij nostri, cuius humeris domus, familiaq; nostra sustentatur. Quidquid tibi sinistrũ accidet, mihi acciderit. supereris? supero: carebis hoc lumine? simul carebo: nec enim Æneam intueri generũ, captiua & misera mulier potero. Impulit aures Lauiniæ maternus clamor, accelerat gradũ, visisq; eiusdem lacrymis, ipsa quoq; confestim pudore ingenuo candorem faciei suffundens, ac speciem candidissimi eboris purpureo colore infecti, aut rosæ inter lilia rubentis præbẽs, plorare instituit. Ibi Turnus in virgine defixa tenens ora, amori suo alimenta suggerit, & ne tali coniuge excidat, maiore pugnandi desiderio inflammatur. Quamobrẽ paucis Amatæ respondeat. Oratam te volo, mater, ut cũ maximè, hoc eiulatu supersedeas, & me istoc tã infausto omine prosequendum ne putes. Haud in meo situm est arbitratu, vtrum velim eligere. Pugnam detrectare non est integrum: in qua si cadendũ erit, cadam sanè: differre, & remorari fatũ meum nequeo. Heus tu Idmon, abi è vestigio, Troianoq; non bona dicta renũtia. Vbi dies crastina se extulerit, ne cõmittat exercitus, quiescant: alterutrius nostrùm sanguine bellũ finitũ, & incãpo aperto quæsitũ iri dicito vxorẽ Lavmiam. Hæc effatus in ædes suas actutũ festinat, equos, ab Orithyia regis Atheniensiũ filia Pilmuno auo suo honoris caussa donatos, stabulis ꝓduci iubet. Erãt illi niueo cãdore mirabiles, & celeripedes, ut nihil suprà. Horũ fremitũ, lætitiamq; in partem boni ominis rapit. Ministri circumstantes popysmis edendis, & tergis, ventribusq; plaudendis, pectendisq; iubis feros excitabant amplius. Dehinc loricam æneam, auro interlucẽtem induit. Tum ense accingitur, quem Dauno patri eius Vulcanus fabricauerat: & ut quandam immortalitatẽ habere, frangiq; nulla vi, nulla vetustate consumi posset, ac celerius mortem daret, vndæ stygij lacus imerserat. Ad hæc cristatam capiti galeam accõmodat, clypeum sinistra corripit, dextra hastã, quæ more antiquo ad colũnam in medio domus, Actori nuper in spolijs ablata, stabat. Hanc ter quater concutiens, quasi animatam, ac sentiẽtem sic allocutus est, ut diceret, quæ nunquam preces eius fuisset irritas, nunc tempus venisse, quo ei præstare operam salutarem posset. Non habere illã inferiorem dominum. Gestatam ante ab Actore viro magno; in præsens à Turno, etiam ipso Actore superiore geri. Concederet hoc sibi, ut sternere eius missu liceret Phrygem effæminatum illum, loricamq; laceratam à membris reuellere, & capillum eiusdem crispatum, vnguentoq; delibutum fœdare pulueribus. Atq; hic quidẽ sic insaniebat, sic de cõstantia mentis deturbatus erat, ut etiã oculi sanguine, & igni suffecti, scintillare putarentur. Videre te crederes taurum mugitu magno vanos terrores facientem: quando nimirum pugnæ cum aduersario tauro futuræ præludens, arboris truncum, aeremúe cornibus petisset, & pedibus arenas violentus proruit. Interim Æneas, lætus offerri, quod votis pridem optauerat (quoniam erat naturâ placidior, ac mitior, & à cædibus factitandis, fundendoq; sanguine plurimũ abhorrens) ad iram sese incitare, atq; ad imminẽs, & iam denũtiatum certamen exstimulare nitebatur, ut in armis suæ virtutis documentum singulare relinqueret: Turni lõgè dissimillimus, quippe cuius insaniam neq; Latinus auctoritate, & precibus, neq; Amata cum Lauinia obtestationibus, blanditijs, & lacrymis flectere, frangereq; potuerant. Mœstiores tamen suos, atq; inprimis filium, quod ancipitem cerneret fore certaminis euentum, & illi ducis, hic parẽtis vitam, ac salutem haberet in charissimis, sermone leni consolatur, ac fata sibi annuere victoriam docet. Idmonem, quiq; cum eo venerant nuntium portãtes, Latino regi dicere iubet, paratum se, ipse modò leges meditaretur, quibus pars victa se constringeret. Die postero secundùm solis exortum, in campo sub vrbem spatium congressui à Rutulis, Troianisq; definitur, & coęquatur: in medio ara cespititia ad sacrum dijs cõmunibus Marti, Bellonæ, Victoriæ fœderis ergô faciendum componitur, aqua, ignis, & reliqua necessaria à feciale, & patrepatrato lineam vestem indutis, & verbena caput cinctis prouidentur. Egrediuntur, hinc ex vrbe Latini turmatim, iam securi, & otiosi, qui paulo ante trepida fuga elapsi, muris incolumitatem suam crediderant: inde è castris Troiani cum Tyrrhenis auxiliaribus, armis diuersi, & ita instructi, ut si continuò pes conferendus. Et erat hoc diligenter præcautũ, ne forte (ut sunt variabiles humanæ cogitationes) mutato cõsilio, confertim ab hostibus peterentur, id quod est factum, ut audiemus. Vtrarumq; copiarum duces, auro, ac purpura conspicui obequitabant, suoq; muneri nequaquã deerant. Postquam signo misso in loca destinata recessum est, hastas terræ defigunt

Turnus manet inexpugnabilis, arma capessit, et furit.

Ne quęso ne me.

Egressus vtrinq; in campum mediũ.

Postera vix sumo.

 milites

milites,& scuta deponunt. Quoniam autem campus suberat mœnibus, indiscriminatim omnis ætas spectatum festinauit, cū alij tecta, alij turres, alij portarum fastigia, quamplurimi muros ascenderent. Iuno è monte, cui hodie Albani nomen est, (tum inglorius erat, ac sine nomine quòd Alba ad eum nondum extaret condita, à qua sic est appellatus) igitur ex hoc monte cāpestrem planitiem, ambos exercitus, & ipsum oppidum contēplata Iuno, huiuscemodi ferme dictis Iuturnā germanā Turni (cui Iupiter in stupri mercedem dederat, ut stagnis, ac fluminibus præsideret) aggressa est: non sanè quòd eam diligeret, aut fratrē eius cordi haberet: sed potius sibi terēs, suæq; caussæ cōsultum cupiēs, ne cadente Turno, conatus sui ad nihilū redigerentur. O nympha, honos & ornamentū fluminū, mihi inter nymphas acceptissima. Tu nosti, quo pacto te reliquis puellis Latinis omnibus, quibuscū Ioui meo cōmerciū fuit, antetulerim, deam fieri passa sim, atq; in cælesti tēplo nō inuita collocarim. Nunc tibi rem auditu tristissimam prænuntio: ne tu transacto negotio, de silentio me, & subtracta ope incusare queas. Quousq; fortunæ dominatus permisit, & fata indulserunt rē Latinā procedere fœliciter, Turnum tuū, vrbēq; Laurentum foui, ac tutata sum. Hodie illum fato sinistro descensurum in certamen video, nēpe cui mors in foribus est. Pugnam istanc, fœdusq; fœdissimū, quod iam iā sancietur, aspicere præ mœrore haud sustineo: concordia, ob quam fratri tuo pereundū erit, neutiquā mihi probatur. Tu s. quid pro eo efficacius inuenire potes, licitum illicitum (decet siquidē sororem pro fratre audere, & experiri omnia) ne omittas effectum dare: forsitan secus, quā formidamus, eueniet, & miseria ista prosperitate cōmutabitur. Vix absoluerat Iuno, cum Iuturna se dedit in lacrymas, pectus iterum iterumq; pulsans: vtpote quæ caussam dolēdi intellexerat, qua aūt via fratri opitulatum iret, nihil adhuc cognouerat. Hîc Iuno, non flendi, sed præsidij afferendi, dum adhuc viueret Turnus, illud tēpus esse: præcipitaret moras, & quacunq; demū arte posset, germanum à propinquo interitu vindicaret. Rationem fore cōmodissimam, ut dissoluto fœdere bellum cōmoueret, quò miscerētur congrediendo acies, & periculum à ceruicibus vnius in omnes transferretur. Meo istuc auspicio ausura es, ego auctoritatē facti huius non defugiā Dixit, & inter spem, metumq; dubiam, ac tristitię plenā reliquit. Intereareges è castris prodeūt, Latinus spectabili pompa, atq; ambitu, coronā gestans auream, duodecim insignem radijs, ad specimen Solis aui sui, è cuius filia Circe prognatum esse fama ferebat. Turnus hastilia duo præpilata manu tenens, bigis vehebatur, de cuius equis niue candidioribus suprà meminimus. Ex altera parte Æneas, Romanæ gentis auctor, coruscus armis cælestibus, quippe à deo fabricatis. Latus eius tegebat Ascanius adolescens, tanquam alter ab illo parens futurus Romani imperij. Sacerdos candida veste opertus, porcam, & agnum ad aram constituit. Tū ad orientem solem conuersis corporibus, mola salsa victimas respergunt, de earum frontibus desectos capillos, & vna merum de pateris in ignem conijciunt. Secundùm hæc Æneas strictum tenens gladium sic precatur. Testes mihi estote ô sol, & tu ô tellus Itala, cuius secundū diuina ꝑmissa possidendæ, tantos exantlare labores potui. Tu quoq; Iupiter omnipotens, tuq; Iuno, quam mihi meisq; nunc tandē propitiam atq; clementē esse oro: tu item ô Mars, cuius arbitrio bella geruntur: & vos ô fontium, ac fluuiorum numina, & quidquid in cælo, & in mari deorum est, inuoco atq; testor. Si me Turnus prostrauerit, filius meus, Troianiq; ex hisce locis Pallanteum ad Euandrum migrabunt, nec aliquando bellum reuocabunt, aut has terras populabundi incursabunt. Sin (quod magis augurat mens mea, & ut augurium meū dij ratū faxint, quæso) penes me victoria steterit, nolo Italis Troiani iura dent: nec ego regium nomen auctoritatemq; assumam. Volo ijsdem legibus ambæ gentes pareāt nullo discrimine: in vnum corpus sempiterna amicitia coalescant. Sacrorum nouam religionem, ac deorum illorū cultum instituā, quos mecum è Phrygia extuli. Quam rem victis, & victoribus salutarem fore, nō habeo ambiguū. Latino socero armorum inferendorū, depellendorumúe curā, atq; adeo imperium relinquā: domicilio suo exturbabo neminem, ciuitatem mihi mei ædificabunt, Latinorum nullo aut sumptum conferēte, aut operā suā impēdente. Ea ciuitas Lauiniæ vocabulo cōdecorabitur. Hactenus Æneas: quem Latinus oculos, & dexterā in cęlum tollens, talis dictione sacramenti cōsecutus est. Per eosdē ego deos, Ænea, per oīa elementa, per Apollinem, Dianam, deos inferos, per Plutonem ipsum iuro. Audiat ius fasq;, audiat Iupiter, qui misso fulmine approbare fœdera consueuit. En aras sacris flagrantes ignibus contingo, deos omnes

Iuno ad Iuturnā de fratre liberando.

At Iuno ex summo.

Fœdus percutitur, & leges feruntur.

Interea reges.

omne: testes appello, nullo æuo imminutum, atq; ruptum iri pacē, quā hac luce iungimus. Vtcunq; res ibunt, aliter fieri nō poterit: nec mihi vlla violentia, vllusue terror hanc animi mei cōstantiam eripiet: nō si naturarum existat extrema confusio: non si fractus illabatur orbis. Sicuti sceptrū hoc, quod mihi in manu est, nunquā frondebit, nunquā vmbram porriget, ex quo semel a stirpe recisum, virgulta sua, siue ramusculos, & folia perdidit: postquam ferro detonsum ac delibratū, atq; ex stolone per artificē ære exornatū, & in regale sceptrum conformatum est: ita ego nullo tempore fide mutata, a memet deficiscam. Tali modo pacem conficiebant, societatemq; in sæcula duraturā paciscebantur, circumstante, & linguis fauente corona virorum illustrium. Turnus nō iurabat: quippe corā præsente rege, cuius sūma potestas, cum ipse dux tātum esset. Mox iugulantur, eo ritu, quo diximus, sacratæ pecudes, & adhuc spirantibus, ac palpitantibus exta eximuntur, & plenis lancibus igni inferuntur.

Cæterùm Rutulos, Latinosq; acceptæ cōditionis pœnitere: videbant siquidem re perpensa diligentius, ob vires vtriusq; dispariles iniquitatem certaminis. Diuersè tamen animi afficiebantur, cum alij pactis, & cōuentis standum, alij fœdus disturbandū opinarentur: quorum iudiciū Turnus valde confirmabat, tacitus lento quodam, ac pigro incessu ambulās, deiectisq; humi luminibus aram supplicis in morem venerans. Deformauerat præterea vultū eius succiplenū ac serenum repetina macies, & pallor corpus iuuenile, viuidum ac floridum obsederat: quibus argumētis apparebat, eū metu mortis incessi. Iuturna his de rebus sermonē datum exercitui sentiens & iā labascere, ac nutare militum animos haud malè diuinās, sese in forma Camertis mutat, viri antiqua generis nobilitate, & cum paterna, tum etiam sua strenuitate clarissimi. In acie media cōparet, suis verbis rumoribus varijs occasionē subministrat. Quid facitis, inquit, Rutuli? siccine pudorē oēm à vobis pfligastis, vt vnā animam p tot millibus morti opponere nō erubescatis? Quid ita verò? num quia vel numero, vel virib⁹ hosti cedimus? nihil minus. Troiani, Arcades, Etrusci, Turno ppter Mezentium infensissimi, oēs hîc sunt, in castris nemo remansit. Hos tamen nos pæne duobus tantis superamus. Nā si singulis cum singulis cōcurrendum sit, & alterni duntaxat de nobis pugnēt, multi aduersarium nō sunt ppter eorum paucitatē habituri. Intuemini etiā, quantum præter ignominiā insit in ista monomachia dāni. Turnus, qui se p suis ceu victimā deuouet, ipse quidem hominum beneuolentia in cælum sublatus, famam astris terminabit: at nos ppter hanc ignauiā nostram libertate pristina exuti, insolentes, ac superbos cogemur dominos pperi, q magis velut de hostibus supplicia, quā ut de seruis obsequia exacturi sunt. Rebus secundissimis ebrij, in sūma potestate modū tenere nescient. Istiusmodi cohortatione magis magisq; pectora exarserunt: peruasit exercitum fremitus, & admurmuratio: inopinata deniq; rerum est subinducta cōuersio. Qui enim pronuper à tot bellicis laboribus, adeoq; lōginquis defatigationibus quietem aliquādo, & omnino certā se nacturos salutē sperauerāt, nunc arma clamant, & fœdus factum p infecto duci gestiunt: ac Turnum velut imerentem exitio iniustissimè destinatum miseratione prosequūtur, Ad hancce fœderis religionē polluendā, incitamētum multo maius Iuturna, pdigium nēpe cæleste adiungit. Aquila enim, ales Ioui sacer, ab alto deuolans, palustres aues insequēdo agitat. Post in vndas sese demittēs, cygnū bene magnum magnis correptum vnguibus p aera portat. Attoniti spectare Itali. Ecce aūt volucres antea fugatę redeūt: facto agmine prædatricē cū clamoribus tandiu instāt premere, donec volatu, & onere delassata, prædā remissam in flumen pijceret, atq; in nubes, vnde venerat, reuolaret. Oēs cōsensu auguriū ut faustū amplecti, & se velle prælio cū hoste cōtendere, significationē dare. Audacior cæteris Tolūnius, alti⁹ exclamat, hoc esse, quod votis deos sæpe rogauerit: agnoscere se fauorē numinis: pinde suo exēplo ferrū stringerēt. Nā exulē illū improbū (sic Æneā p contumeliā nominabat) videri aquilā, q Rutulos armis suis veluti aues timidas terrorib⁹ agitaret, regionēq; alienā depopularet. Nunc itaq; instar illarū, quas vidissent, auiū, vnanimes in raptorē, eiusq; copias facerēt impetū: ducem suū Turnū, iā quasi cygnū excellentē sibi raptū reposcerēt. Nō feret, inqt, vim vestrā, impressioni cedet, prędā restituet, cōfestimq; velificans, ex hisce locis quam lōgissime se abducet.

Sub hæc verba telum in hostē torquet, pugnæ initium: acclamatur vndiq;, & ardore concurrendi præcordia concalescunt. Fortè stabant inter Aeneadas fratres germani nouem, iuuenes eximia corporū specie, & armis radiantibus insignes, Gilippo Arcade, & Tyrrhena fæmina procreati. In hos directo missili, vnum per latus, qua bal-

Rutulii impulsu Iuturnæ fœdus violant, bellū poscunt.

At vero Rutulis.

Pugna noua turbato fœdere.

Dixit, & aduersos.

quà balteum fibula mordebat, transfigit. Fratrum, dolore, & ira ardentium partim gladios educũt, partim arcus expediunt, & ad vlciscendũ morientem, se in hostẽ immittunt. Cõtra eos Laurentes nituntur. Vicissim in hos Troiani, Etrusci, & Arcades inuadunt. Sic dũ paulatim hinc & hinc pugnantibus subuenitur, ad miscendũ prælium pariter omnes incumbunt: tanto feruore, & tam cæco nisu, ut aram quoq; destruerent, titiones, crateres, sacrificijq; apparatũ disijcerent, ac dissiparent: nihil pensi habentes, gratũ id dijs, an ingratum foret. Tantum vero vtrinq; telorum spargebatur, ut ferreum quendã imbrem cælo præcipitare crederes. Latinus publicum fugit, vitãq; suã latebris mandat; deos fracto fœdere scelerate violatos grauissimè cõquerens. Multi currus denuo instruebãt, ex ijsdem pugnaturi. Alij equos iã infrænatos, inscendẽtes, strictis mucronibus se ad hostem cædẽdum paratos ostendebãt. Messapus fœderis præter cęteros rũpendi percupidus, Aulesten Tyrrhenorũ regem, quem ex insigni regio, seu diademate internoscebat, equo in aduersum cõcitato proterret. Is, ne tergũ hosti præberet instanti, retro actis vestigijs, ad aræ disiectæ fragmina, quæ non videbat, offendens, supinus corruit. Derepente Messapus superuenit, & antequã surgeret (ne occasio optata periret) trabalem ex equo hastã in illũ, impensè deprecantem intorquet, & insuper moribundũ hostiliter subsañat. Hoc habet, inquit: id est magnũ, & lethale vulnus accepit. Hæc victima, ut reor, aliquãto gratior dijs super ara ista mactata est. Latini a duolant, animã agenti spolia tollunt. Chorinæus fit illis obuius: qui mox nondũ restinctum torrẽ ab ara capiens, contra ruenti Ebuso, plagamq; illaturo os perculit. Sic barbam hominis fusissimã, velut aridam syluã igne cõprehendente exurit: vstionem odor sequitur teterrimus. Adhęc sinistram in cæsariem eius implicat: corpus impacto genu humo affligit, gladio latus haurit. Podalirius Alsum pastorem in prima acie emicantem, ense nudato insequitur. Ille conuersus, agrestem securim tã validè capiti persecutoris illidit, ut cũ mento diffissum penderet in humeros, ac cerebrum sanguine cõmistum in arma deflueret. Ibi Æneas vir religiosus, cassidem, quò agnosceretur melius, deponens, & inermem dexteram tendens, suos coercere, ac reuocare à pugna insistit. Hem quid agitis? vnde hæc tam repentina, & improuisa discordia, quæ in vestram redundabit perniciem? Ponite iras: sancitum est fœdus: dictæ pacis leges: soli mihi cum solo congrediendum. Periculum meum esto, omittite formidinem: ego conuenta mea dextera confirmabo, & Turnus morte sua sacrilegorũ expiabit audaciam. Adhuc loquentem Æneam, allabens ab hostibus sagitta in crure sauciat: à quo, & fortuitóne, an deo aliquo dirigente venerit, comperiri non potuit: nemo, qui huius gloriosissimi facti laudem ad se transferret, inuentus est. Repetit igitur castra vulneratus. Quod simul vidit Turnus, & duces ob eam rem in mœstitia positos didicit, suspicatus inimicum suũ mortifero contactum vulnere, ingenti cum spe successus audere, & occasionem vrgerẽ incipit. Poscit arma, poscit currũ, raptim cõscendit, habenas per se regit, ac prouolans non paucos interficit: aliquammultos semineces relinquit: quosdam rotarum lapsu, & pedib' equorũ proterit: nõnullos fugientes hastis figit. Quomodo Mars, cui in delicijs sanguinis inter arma profusio, apud Hebrum Thraciæ fluentum clypeum concutit, bellum concitans, & rabie incitos equos per campum dimittens, qui ventos propemodum currẽdi celeritate anteuertunt, tota regione vngularum pulsu resonante, currumq; stipantibus Iris, Insidijs, Pauoribus, ac Terroribus, præclaris vtiq; comitibus: sic Turnus medio tumultu quadrupedes suos ex sudore fumantes, vngulisq; rorem sanguineũ (ꝓpter calcata cadauera) & arenas cruore perfusas spargẽtes, ad cursum impellebat, & dictis amarulẽtis hostes lacessebat. Inter alios eminus Sthenelũ, cominus Thamyrim, & Polum occidit. Eminus quoq; Glaucũ, & Ladem Lycios, Imbrasi filios, ab ipso patre educatos, & similiter pede, ut equo, congredi eruditos. Aliunde se ferebat Eumedes Troianus, vir bellicosus, Dolonis filius, Eumedis nepos, cui etiam nomine, quemadmodum animo, & dextra parenti, erat similis. Is Dolon, cum olim explorator ad Græcorum castra, ab Hectore missus, & ab eodem pro mercede Achillis equos, currumq; pactus accederet, Diomedes illi aliam dedit mercedem, ut deinde ad equos Achilleos non aspirauerit. Eumede itaq; iuniore, procul conspecto (id quod per æquora camporum non erat difficile) telo prius vibrato cum eum contigisset, curru illico superastitit: ex equo desiliens, prostrati, ac semianimis collum pede suo premens, gladium ei proprium extorquet, quo infælicem iugulat, sarcasmo addito. Habere iam ipsum, quod concupisset, iacere in

Æneas incerto auctore vulneratur: Turnus cædibus grassatur.

Has inter voces.

iacere in agris Italię, quorũ latitudinem corporis sui spatio metiri posset. Huiusmodi præmijs donari, tales ciuitates condere, qui Turnum ferro aggrederentur. Statim ei comites ad inferos aggregat Buten, Chlorea, Sibarim, Dareta, Thersilochum, quem sternax equus p ceruicem effuderat. Nec verò secus Turno, quacunq; niteretur (nitebatur aũt vi maxima) aduersi cedebant cunei, retroq; pedem referebant, quam cedunt nubila Boreæ, cum flatu vehementissimo sonans, pelagus conciet, & vastos ad littora fluctus prouoluit. Tamen Phegeus, vtcunq; etiam furenti, accerrimeq; instãti se obiectare, & apprehensis equorum frænis, licet citatissimo cursu raperẽtur, currum aliò detorquere ausus est. A quibus dũ pendens vnà trahitur, lancea, quà inter equorum capita ad ictum patebat, feritur desuper: obstanteq; lorica, corpus illi tantummodo perstringitur. Hîc ille nihilominus obtento clypeo, rem gladio gerere: cũ eum in Turnũ respicientem, atq; tota mente intentum, axis, & rota impulsum, humi deiecerunt. Quo facto Turnus de curru defluens, quà galeæ lorica iungitur, caput misero amputat, truncum relinquens. Hunc in modum Rutulo sæuiente, & ad orcum mittente frequentissimos, Mnestheus, Achates, Ascanius Æneam de vulnere eruentum, & gressium hastę nixu adiuuantem in castra reduxerant. Cui hoc vnum ægrè est, quod in acie versari, boni imperatoris munus fungi nequit. Patienter autem exspectare tantisper, dum vulnus obligaretur, dum curaretur, non poterat. Manu sua infractam arundinem laborat extrahere, non sine dolore grauissimo: sed iucunditas, qua permulceri è conspectu copiarum suarum, & suorum alacritate dimicandi consueuerat, faciebat, vt quamuis acerbitatem pro nihilo putaret. Cum autem res tentata non procederet, quod proximum erat, mandauit, sectione ampliari vulnus, quò sagitta posset eximi, & ita in aciem redeundi, quo nihil optatius, licentia præberetur. Iapis erat, Iasi filius, senex, Phœbo, si quis alius, dilectus: quippe quem artem medicã docuerat, augurem, citharœdum, sagittarium fecerat, quæ sunt artes Apollinis. Cæterùm ille medendi vsum reliquis anteposuit, & dum patris vitam medicamentis, & auxilijs daretur extendere, facultatem mutam, hoc est, quæ sermonibus, & eloquẽtia non indiget, exercere maluit. Stabat innixus hastæ Æneas, nõ sedebat, neq; iacebat: quorũ tamen alterutrum debilitas corporis postulabat: stabat, inquam, & fremebat, non quidẽ caussa vulneris, quia dolore videlicet morderetur: sed belli potius, ut dicebamus, à quo abesse vel paululũ viro fortissimo, bellicarũq; laudum auidissimo intolerabilius omni pœna videbatur. Circumfusa turba militari, & cũ Iulo collacrymãte, ipse siccis manebat oculis, & ab animi firmitate nec minimùm discedebat. Ergo Iapis quẽ descripsimus, retorta veste, & succinctus more medico, manus curationi admouet; herbarum succis experitur; spiculum sollicitat, ac forcipe cõprehensum, educere incassum contendit: nec illum vel fortuna, vel ipse præses, inuentorq; medicinæ quicquam adiuuat. Interea loci plus plusq; in campo discrimen inualescit, concurrentium peditum, equitumq; cateruis densior puluis surgit; de equestri copia multi Troianorum castris adequitant, & in ea missilia conijciunt: tum præliantium, tum oppetentium vociferationibus cælum incenditur. Tandem Venus filium miserata, dictamni herbæ odoriferæ caulem cum folijs, & flore rubenti ex Ida (mons in Creta est) decerpit. Eius natura, & vis, ut tela vltro faciat excidere, quod in syluestribus capris animaduersum est, quæ à venatoribus sagittis fixæ, ad eam carpendam pro remedio solent confugere, & sanitatem inde, eo, quo dictum est, modo, adipisci. Hanc herbam abscondite, & nulli visa, vtpote nube obscuriore circumdata, defert: in aquam pelui à medico infusam mittit, atq; ita salutiferam reddit. Cum fouisset ea aqua vulnus Iapis, res dictu vix credibilis, dolor omnis repentinò desinit, sanguis consistit, manum fouentis secuta sagitta, sine tractu excidit, vires confestim redintegrantur, immò augentur etiam. Exclamat perfusus nouo gaudio medicus, arma desubitò, sine cunctatione ad armandum Æneam porrigi iubet: non humana industria, sed diuina ope ad augustiora adhuc opera seruatum, ac sanatum esse. Sic amissi propemodũ redierunt animi, & aduersus hostẽ denuo accensa sunt Troianorũ studia. Iam ocreis auro fulgentibus, cæterisq; armis sese heros munierat, videbaturq; illi, nimis longũ fieri, dũ se exercitui redderet. Egressurus ergo è tentorijs, vide quid facit. Ascaniũ adolescentem filiũ, sicut erat armatus, cõplectitur, apertaq; galea osculum ei imprimens, hæc addit. Fili mi Ascani, nullam tibi meliorem hæreditatem, quam factorum meorum imitationem habeo relinquere. A me, quomodo melior, & ad labores gloriosos fortiter tolerandos promptior: ab alijs, quomodo fortuna-

Æneas materna prouidentia curatur.

Atq; ea dũ campis.

Æneas armatus in aciem redditur, & sibi suus agitur.

Ille auidæ pugnæ.

fortuna-

fortunatior fias difcito. Nunc tibi hac dextera mea longam fecuritatem comparabo, & ad magna te emolumenta, honoresq; perducam. Tu, fimul ut conftantem ætaté ingreffus fueris, mei parentis, & Hectoris auunculi tui memoriam cole: & tuis te maioribus dignum præftare ftude. Hæc locutus, porta exceffit, haftam præferens. Procedunt cum eo Anteus, Mneftheus, & quotquot in caftra confluxerant milites: confluxerant autem plurimi, quorum inceffu pulverea tollebatur nubes, & terram fub pedibus tremere apparebat. Aduentantes de loco celfiore Turnus confpexit, mox item milites eius. Sed quibus putas animis? oh trepidantiffimis, atque abiectiffimis. Quin & Iuturna, quæ omnium prima audierat, videratq; caftris exeuntes (fingulari etenim in follicitudine propter fratrem erat, circumfpiciebatq;, & obferuabat omnia curiofiffimè) prima cohorruit, & à confpectu ftatim futuræ calamitatis fe proripuit. Citatis greffibus per campum fertur, Martium fpirans Aeneas cum fuis, non indecoro puluere fordidis. Irruit in hoftes adeo denfato in cuneos agmine, tantoq; turbine, quanto in graui tempeftate à mari ad terras nimbi aguntur ventis impellentibus, & littora fonitu complentibus: vnde agreftibus arborum, fegetumq; ftragem hinc præfentientibus, horror inceffit. Thymbræus Ofirim obefum hominem, Archetium Mneftheus, Epulonem Achates, Vfentem Gyas luce fpoliat. Ipe Tolumnius augur, qui reliquis in fœdere rumpendo, pugnaq; inftauranda verbis, & miffo iaculo hortatorem fefe, atq; ducem exhibuerat, occiditur. Clamor ob huius præcipuè cafum, quem augurium fuum turpiter fefelliffet, à Rutulis increbrefcit, palabundi fugiunt. Aeneas nec obuios, nec æquo etiam pede congredi promptos: nec armis demum retentis nondum fupplices vult interficere: nec in terga fugientium hæret: nihil enim contra fœdus moliendum fibi decernit: tanta fuit erga deos reuerentia: vnum Turnum per caliginem illam è pulueribus fublatis obortam quæritat, eum folum fibi dari poftulat, quicum de vita & fanguine decertet. Hoc animaduertens Iuturna, Metifcum Turni aurigam, nihil huiufcemodi veritum, curru deturbat: ipfamet eius formam induta aurigatur. Quia enim hactenus per fœderis diffolutionem liberare periculo fratrem nequiuerat, aliam tentat viam, eumq; hofti infefto ftudet fubtrahere: quod cum citra dolum ao fallaciam haud proceffurum intelligeret, ad mentiendam eius faciem atque habitum fe conuertit. Et quo pacto hirundinem cernimus opulenti alicuius atrium ampliffimum, fpatiofas porticus, fluminum, ftagnorumq; ripas peruolitare, captantem pullis fuis paruiffima pabula (mufcas puta, culices, & huiufmodi infecta per aerem volitantia) eodem pacto quodammodo per hoftilem exercitum cum curru Iuturna volitabat, ac modo hîc, modo illic fratrem, gaudentem potius, quã rebus fuis diffidentem (ut quidem videri illum cupiebat) oftendebat: nec eum cum Aenea ad manus venire patiebatur: fed quam remotiffimè poterat, abripiebat. Hoc magis quibufdam viæ compendijs, femitisq; eum excipere latè vagantem Aeneas dabat operam: quin etiam cunctis audientibus, nominatim eum appellare non reformidabat. Turne, vbi es? Turne, quid fugitas? Agedum, fifte: fi quid cordis habes, mecum congredere. Quoties autem fieret propior Aeneas, & eum curfim affequi contenderet, toties Iuturna vehiculum aliò deflectebat. Ancipiti cura diftineri Aeneas. Meffapus forte haftilia duo gerens, alterum in Aeneam conijcit. Is repente fubfidens, feq; fcuto tegens, ictum, alioqui capite, aut pectore excipiendum euitat: conus tantum cum criftis ablatus. Tum demum viri fumma lenitas in ftomachum, & indignationem abijt: perfpiciensq;, fe tam cautè & laboriofè vitari à Turno, nec hominem velle fui copiam facere: effeq; periculum manifeftum, ne, dum Rutulis parcit, atque à cædibus per fe edendis temperat, ipfe ab ijfdem infidiofius interimeretur, teftatur Iouem læfi teftem fœderis, & ita tanquam religione iam defunctus, in confertos hoftes irruit, fecundoq; Marte, nulla cuiusquam ratione habita, quotquot poteft obtruncat, irafcendi nullum fibi modum ftatuens. Quis nunc Apollo, quæ Mufa carmen idoneum mihi fuppeditet, quo exequar tot funera, non gregariorum duntaxar militum, fed ducum etiam, quæ totis campis hîc Turnus, illic Aeneas feciffe dicitur? Mirabile profectò, placuiffe dijs, duas gentes, Troianam & Italiam, alteram in alterius peftem tantis motibus incitari, quas inter olim æterna erat futura pax atq; concordia. Aeneas Sucronem Rutulum, quà Teucri à Turno fuga iniecta conftiterant, non longa intercedente mora, per latus

& costas (quæ pars corporis celeri letho opportunissima) traiecto ense prosternit. Turnus vicissim Amycum equo à se deiectum, item Diorem eius fratrem pedes cõcurrens ferit: illum quidem tragula, hunc gladio: & amborum capita sanguine adhuc stillantia ad currum ostentationis, & timoris incutiendi suspensa circumfert. Rursum Æneas vno congressu Talon, Tanaim, Cethegum iugulat: Onyten præterea Thebanum, tristioris naturæ hominem, Peridiæ filium. Contrà Turnus aliquot Lycios (Lycia autem Apollini dilecta) neci dat. Insuper Menoetem armorum tractandorum imperitum: nec mirum, quando natura eum à militari studio abhorrentem finxerat. Arcas erat origine, iuxta Argos, vbi Lerna palus, habitauerat, piscatu paupertatem suam sustentans: nec ille præter angustum larem suum aliud norat. Ignorabat ciuium potentiorum limina: nec didicerat per adulationes, & quæuis obsequia eorum aucupari gratiam. Eius quoque pater in re tenui vixerat, & agellum mercede conductum sibi coluerat. Vterq; dux, haud secus quam ignis in arboretum aridum immissus: aut velut rapidus ex alto monte torrens, quà veniebat, vastitatem cædendo efficiebat. Totis viribus, & immensis furoribus ibatur in vulnera. Æneas Murranum (quo nomine dicti fuerant maiores eius reges Latini, ut apud Persas Arsacidæ) saxo prægrandi de curru excussit: quem equi proprij, immemores domini sui conculcarunt. Turnus Hilo inconsideratius properanti, furentiq; audacius, occurrit, telum in caput eius contorquet. Nec Creteum sua virtus aduersus, Turnum, nec dij Cupentum sacerdotem aduersus Æneam defenderunt: nec ab eo clypeus lethalem plagam remoratus est, cui se opportunũ præbuit. In his item Aeolus, vir maximi corporis occubuit: Aeolus, inquam, his campis cecidit, quem apud Troiam nec agmina Græcorum, nec vrbium ille expugnator Achilles deuincere potuerat. Hîc eum sua fata manebant. Nascenten Lyrnessus, mortuum Italia excepit. Porrò quod hi duo, Æneas puta & Turnus, id totæ acies, omnes Troiani, omnes Latini moliebantur: nemo vacabat à certamine. Mnestheus, Serestus, Messapus, Asylas, Tusci, Arcades pro se quisque sine vlla requie, pugnabant fortissimè, & cum suum caput seruare, tum hostem anima exuere contendebant. Marte, vt dictum est, per campum feruente, securi & otiosi interea manebant oppidani. Id Æneæ ex eo in mentem veniebat, quòd Turnum quæritans, vrbem forte respexerat. Filio igitur mater Venus hoc cõsilium inspirat, vt primo quoque tempore admoto exercitu, nec opinantes opprimat. Extemplò maiora animo concipit, & in vrbis Laurenti oppugnatione, ac demolitione totus est. Duces, quibuscum rem primùm communicet, mox aduocat. Tumulum deinde, quò melius à concione audiretur, ascendit. Turmatim confluunt milites, rati, id quod erat, de communi verba facturum. Arma retinent: sic enim hoste nondum penitus deuicto, ac profligato oportebat. Orationis hæc fuit sententia. Cum omni festinatione, quod imperaturus esset, exequerentur, quamuis improuisum & inopinatum imperaret. A se enim, propter conseruatam fœderis religionem stare Iouem opt. max. cuius auxilio fidere conueniret. Decretum sibi esse, ea ipsa luce Laurentum Latini sedem, totius mali fontem atq; principium, nisi ciues deditionem facerent, imperiumq; acciperent, solo æquare. Cur enim pateretur eius impunitate impediri ac retardari victoriam? Et cur se tandiu ludibrio haberi à Turno pridem victo sineret, qui in suo ipsius arbitrio situm vellet, num, & quando congrediendum foret. Vrbem vrbem aggrediendam protinus: ibi esse caput & caussam totius belli. Irent bonis auibus, ac flammas fœderis, inflammatione ciuitatis renouarent. Simul dixit, incredibili animorum consensu ad muros densatis ordinibus gradiuntur. Repente scalæ appositæ: repente in tecta iniecti malleoli. Hi ad portas properare, & primos ad arcendum hostem sese obijcientes confodere: illi tela iacere, tam frequentia, ut cœli conspectum adimerent. Æneas ante ipsa signa, dextra elata, voce clarissima, ut per tumultum ac strepitum exaudiri posset, Latini fidem requirit: deos testatur, secundò iam fractum fœdus, secundò se ad arma compulsum. Quod argumento fuit, eum etiam tum bene cupere ciuibus, & nolle illo temporis articulo quidquam in miseros hostile designare, si ipsi modò oblatam clementiam non repellant. Hîc scindi in contraria studia vrbani. Pars, quæ certissimum videbat exitium, aperire portas, Æneam inducere, & regem consalutare

Æneas suasu matris vrbem oppugnat.

Hîc mẽtẽ Æneę.

iubet. Pars arma capit, & ad muros defendendi caussa approperat. Trepidabatur instar apum, quando à mellario, fumo excitato, in antro inuestigatæ, per cellulas suas discurrunt, & iratæ, saxis resonantibus bombos faciunt. Latinis tot tantisq; casibus exercitis, ac defatigatis, magnum insuper malum accidit, quo tota vrbs luctu, & lacrymis redundauit. Amata quippe regina, posteaquam è fastigio regiæ Troianum appropinquantem, cingi obsidione arctissima oppidum, iactari faces, ardere passim ædificia conspicata est: nullam contrà manum, quæ se obijceret, & tantam vim, extremamq; cladem à ciuium capitibus propulsaret: arbitrata insuper, Turnum iam peremptum, & cruciata plurimum facti sui conscientia, seq; horum malorum auctorem, & machinatricem confitens, aliaq; multa per impotentiam mentis, ac doloris magnitudinem effundens, disrupta veste regia, laqueum à trabe celsa nectit, in eum inserta gula, spiritum sibi miserabiliter intercludit. Ita mulierum nobilissima, turpissimo genere mortis decessit, & in caussa sua accusatoris, iudicis, & carnificis functa est officium. Matronæ, viris alibi occupatis, tragœdiam hanc prius cognouerunt, plangoribusq; fœmineis ædes, & compita repleuerunt. Lauinia, ad quam, vtpote filiam, pars maxima huius dirissimi infortunij deriuabatur, prima crines, & genas laniat. Fama per vrbis omnes angulos dissipatur: consternati ciues, in desperationem salutis adducuntur. Latinus publicis, priuatisq; calamitatibus perculsus, coniugis videlicet interitu, & præsentissimo regni totius, ac patriæ periculo, scissa veste, caput cinere conspersus incedit, semet detestans, qui Æneam generum, conuenienter promissis, asciscendo, hisce cladibus non anteuerterit.

Regina suspēdio se necat, vnde luctus noui materia.

Accidit hęc fessis.

Turnus vrbē obsessam, reginam extinctam cognoscit, animumq; despondet.

Interea extremo bellator.

Dum hæc aguntur, Turnus in margine campi pauculos de Æneæ copijs palatos insequebatur, haud quaquam magnis, ut antea, spiritibus: ipsi etiam equi paulatim in cursu tardiores, ac velut cum domino pusillanimes reddebantur. Ecce autem ventus ad aures eius confusos ab vrbe clamores, ac sonitus luctuosos affert. Miratur quid sibi velint: in magno eam discrimine versari probè coniectat. Subsistit. Soror, Metisci ferens imaginem, ut docuimus, monet, victoriam prosequatur, alijs defensionem vrbis permittat. Æneam vrgere Italos, concidere multos: ipse vicissim ne à Teucris manus abstineret: nec pauciores vtiq; morti daturum, nec minore, quàm Æneam, gloria potiturum. Respondet Turnus, non sibi clam esse quid cogitaret, quid moliretur: se videre sororem, quamuis aurigæ faciem induisset, & eam iam tum in fœdere turbando agnouisse. Cur autem è cælo descendisset, cum nihil nisi miseriam fratris, & dirum denique lethum cum sua immodica tristitia visura foret? non enim quidquam sperandum melius. Habere etiam certa suæ mortis omina. A Murrano nempe familiarissimo, cum ante oculos suos occumberet, vocatum. Vfentem insuper à Troianis occisum, spoliatum, & rapto corpore sepeliri vetitum, forsitan adhuc victurum, nisi ideo mori maluisset, ne Turnum turpissimè superatum intueri cogeretur. Ergóne, inquit, ego tuo obtemperans consilio fugæ me credam: vrbem exscindi patiar: nec Drancis maledicta, hac mea dextra refellam? Scilicet hoc vnum malis meis deerat, vt tantam ignominiæ labem nomini meo aspergerem. Sed interficiar, sed moriar. Quid? adeóne tibi istuc calamitosum videtur, mori? nónne mors omnium malorum, ærumnarumq; finis? quis verò est, cui aliquando moriendum non sit? omnes hoc vectigal pendimus: omnes, mea soror, dijs tam propitijs, quàm iratis morimur. Sed hoc pulchrum est, si vitam, quam naturæ debeas, aut patriæ, aut propinquis, aut amicis potissimùm reddas. Nunc vos quæso Manes, quoniam superis exosum me sentio, qui me suo orbatum auxilio voluerunt, vos mihi saltem fauetote. Ad vos expers huius criminis, fugæ scilicet (fugere enim viro forti non licet) dignus maioribus meis descendam. Vix hæc ediderat, cum per hostes medios equo concitato Sages aduolat, telo faciem saucius, Turnum inclamat, obsecrat, suorum misereatur. Troianum miscere omnia, iam iam excidio vrbem daturum: ardere domos, concursare ciues, tanquam pupillos omnes in vnum Turnum respicere, ab eo salutem exspectare. Latinum hærere, vtrum sibi generum adiungat, & quò potius inclinet. Reginam præterea, eius semper cupidissimam, sibimet vitam abrupisse. Ad portas Messapum, & Atinam solos propugnare, premiq; cateruis hostium. Et tu interim, si dijs placet, curru hìc otiosus vagaris? tu, cuius caussa hoc bellum conflatum est, & qui pri-

qui primus pro mœnibus stare debueras. Hoc tam multiplici nuntio confusus, ac perturbatus consistit, ac silet Turnus. Pudor, furor, luctus, amor, virtus agitabant eius animum, & ad succurrendum obsessis inuitabant vehementissimè. Postquam offusa menti caligo detersa est, & se ipse collegit, toruo vultu vrbem aspexit. Illic cernit turrim à se constructam, & rotis superpositam quaquauersus circumactilem, vnde hostis vrgeret, adiunctis ponticulis, quò facilior esset in eam ascensus: cernit, inquam, flammis in altum emicantibus conflagrare. Tum sic ad sororem. Quid frustra resistimus? vincamur ab his, quæ vincere non possumus: volentes sequamur fata, quia etiam nolentes trahunt, quò volunt. Stat sententia, cum Ænea depugnare, & quidquid est acerbitatis in morte, hoc perpeti. Tibi tamen ex infelicitate mea solatium istuc continget, quod non videbis fratrem tuum viuentem cum dedecore. Nunc mihi permitte, vnam antè insanire insaniam, quàm ad mortem furibundus, & insanus præcipitem. Illico è curru salit, perq; inimicas acies curriculò, & tanquam Furijs insectantibus penetrat: nihil enim metuendum sibi arbitrabatur, qui iam mori deliberauerat. Omnino sic concitatè, & tam horribili impetu ad mœnia venire contendebat, vt cum de iugo montis immane saxum, aut crebris imbribus, aut multis sæculis exesa terra, cui adhærebat, vento impellente deorsum voluitur, arbores, pecudes, pastoresq; in terram dat: sic, inquam, ad oppidum festinat: vbi erat intueri profusum humi cæsorum sanguinem, & audire stridorem lancearum per aërem volitantium. Protensa manu signum dat: quiq; intus Latini, quiq; foris Rutuli inueniebantur, vtrosq; clamans iubet quiescere: suum esse vnius subire, quidquid subeundum foret mali. Se ex æquo, & bono concurrere ferro, & rupti fœderis pœnas sufferre debere. Statim omnes è medio discedunt, spatiumq; ingredienti faciunt. Audito Turnum adesse, Æneas vrbis & arcis oppugnationem continuò intermittit, opera omnia suspendit, gaudioq; cumulatur: & tanto sono arma concutit, quantus est, cum in monte quopiam, vento surgente, ilices constrepunt. Certatim omnes, quà oppugnantes, quà oppugnati oculos, & ora in ambos conuertunt, spectaturiq; quorsum res euasura sit, arma deponunt. Latinus quoq; admirabundus certamen exspectat duorum heroum maximorum, vnius Europæi in Italia, alterius Asiatici in Phrygia nati. Ergo in planitie, præsente vtroque exercitu, sese inuadunt: hastas vibrant: ensibus ictus geminant: galeas, & scuta pulsant: casus cum virtute confunditur. Talis erat species huius congressus, qualis cum aut in Sila (sylua est Lucaniæ) aut Taburno monte Apuliæ tauri duo præferoces in se cornibus aduersis incurrunt vi validissima. Recedunt non sine metu pastores armentarij: ipsum verò armentum attonitum silet, dubitantq; iuuencæ, vter eorum obtenta victoria maritus, ac princeps gregis in posterum futurus sit. Certè instant, ac premunt alter alterum: dilaniataq; cute, & plagis factis colla, armosq; rigant sanguine: & mugitibus eorum personant nemora. Sic Aenea, Turnoq; confligentibus, fragor clypeorum vsque in cælum ibat. Iupiter, capta libra æquo examine, seu trutina, in lances amborum facta imponit: ut scire possit ad vtrum victoria inclinet, & vter vitam amissurus sit. Emicat Turnus, totoq; corpore, & omnibus viribus ad Aeneam impunè, ut putabat, feriendum, prosternendumq; incumbit. Eo feriente vtrinq; existit vociferatio, Latinis timentibus, ne malè: Troianis, ne bene eueniret audacia. Sed ecce gladius diffractus spem frustratur, actumq; inibi de Turno fuisset, nisi mox à fuga præsidium petiuisset. Quam ocyssimè fugit, videtq; ignoti, & alieni ensis in manu sua capulum. Fertur etenim, cum primum conscenderet currum, in prælium iturus, relicto patris sui Dauni gladio, æquè à Vulcano confecto, ut multo ante narrauimus, festinantem Metisci aurigæ sui ensem raptim tulisse: qui quidem tandiu valuit, donec ipse Troianos dantes se in pedes sequeretur. Ast vbi ad Aeneam armis diuinis præditum est ventum, mortali manu fabricatus mucro, velut glaciei crusta confringi, ac dissilire in frusta necesse habuit. Turnus igitur impos sui, huc illuc fugiendo tendebat: & quò minus effugeret, hinc palus, inde muri vrbis faciebant. Reliqua item loca, per quæ patebat effugium, Troiani obsederant. Aeneas quanquam ex vulnere in crure accepto lentior, tamen fugacem insequitur. Sicut canis venaticus, cum aut in flumina, aut intra formidinem (funiculus est, cum pennis rubris dependentibus,

Turnus ad vrbem ire properat, certamen sibi deposcit.

Vt primū discussæ vmbræ.

Turni, et Æneæ monomachia.

Atq; illi ut vacuo.

quem metuentes feræ, transilire non audent: & eo mos venatoribus saltus circundare) ceruum nactus est, cursu eundem, & latratibus vrget. Ripa ille, & pennis absterritus fugit, ac refugit. Appetit eum canis, iam iamq; videtur morsu comprehendere: sed inaniter inhians eluditur. Iterum clamores ripis, & lacubus circumcirca sonum repercutientibus. Turnus dum fugit, incusat Rutulos, qui subuenire laboranti non curent: nominatim quorundam fidem requirit, & in quo potissimam locabat fiduciam, ensem illum paternum magna voce iterum, iterumq; deposcit. Contrà, Æneas mortem, quicunque porrexerit, & vrbem diruturum minitatur, pergitq; fugitorem persequi, licet crure altero, ut dicebamus, esset impeditior. Iam quinquies orbem reciprocauerant: nec mirum, quando non puerile, aut ioculare aliquod præmium petebatur: sed de anima Turni susceptum omne certamen fuerat. Stabat ibi truncus adhuc oleastri, Fauno dedicati, ad quem olim seruati è tempestate vectores dona, & salutis suæ indices vestimenta suspendere consueuerant: ipsam namq; arborem Troiani, ne concursuris, ac spectaturis esset obstaculo, nulla tacti religione præciderant. In hunc truncum delata Æneæ hasta hærebat fixius. Et laborabat quidem enixissimè, eam inde reuellere, ut quem cursu nequibat, telo assequeretur: verùm Turnus maiorem in metum datus, satisq; intelligens, quid sibi pararetur, Faunum, & Tellurem supplex rogat, per honores, quos illis semper habuisset, quosq; Troiani temerassent, retinerent hastam: néue cultorem suum lædi permitterent. Haud irritæ preces: nam Æneæ conatus in euellendo non processit, vtcunq; etiam conaretur. Interim Iuturna denuo Metisci formam capessens occurrit: fratri ensem Daunium in manum tradit. Aegrè passa Venus, nymphę tantum concedi, ipsa quoq; accelerat, & trunco hastam eximit. Ambo itaq; & animis, & armis refecti, & alter gladio, alter spiculo confisus, pugnæ pergunt insistere.

Iouis et Iunonis super Troianorum statu colloquiũ.

Iunonẽ interea.

Contemplantem ex alto certamen hoc Iunonem, Iupiter ita est affatus, ut quæreret, quousq; tandem innoxiæ genti vellet irasci: quousq; sæuire, cum ei ad malefaciendum nihil restaret. Non eam nescire, immò se scire fateri solitam, Aeneam fatis postulantibus in cælum euehendum, atque indigetum numero adscribendum. Quid ergo machinaretur de cætero? aut quo consilio illic hæreret? Num, inquit, diuum futurum Æneam, à mortali manu iactu sagittæ vulnerari decuit? num ensem à Iuturna te auctore porrigi, & ita victis instaurari animos? Fac aliquando modum odijs: relinque locum meis precibus: noli te excruciare, & mihi querelis tuis creare curas, & molestias. Ventum est ad terminum. Licuit tibi terra mariq; vexare innocentes: licuit bellum commouere: domum Latini, & spõsaliorum gaudia miscere luctibus, & lacrymis. Sufficiat huc progressam: vlterius te progredi non feram, non patiar, non sinam. Deiecto in terram vultu respondet Iuno. Quia hæc voluntas eius se non lateret, terram & Turnum reliquisse: alioqui non de nube digna, atque indigna patientem fuisse spectaturam: sed flammis armatam, staturam ante aciem, Troianosq; ad bella, & interitum compulsuram fuisse. Suasisse Iuturnæ, ut fratri auxiliũ ferret, & ꝓ eius salute quiduis audendũ sibi arbitraretur: veruntamen, ut telum in Æneam iaci curaret, nulla ratione se suasisse: & hoc se confirmare per paludem Stygiam, vsitatum iusiurandum dijs immortalibus. Secedo igitur, & huic me bello subduco. Porrò vnum quiddam, quod fatis minimè tenetur, pro Latio vniuerso, tuorumq; te existimatione, & auctoritate rogatum velim. Vbi transactis nuptijs Troiani cum Latinis perpetua se communitate deuincient, & ijsdem sub legibus æuum agitabunt, ne hos, vtpote indigenas, vetustissimum vocabulum suum deponere, Troianorum assumere, & gentem Troianos vocari, aut linguam eos, habitumq; in aduenarum sermonem, ac vestitum mutare cogas. Vocetur regio Latium, ut antea semper: vocentur Albani reges: & si omnino fatis placitum est, ut à Troianorum sanguine origo Romana descendat, Troiani Italorum nomen ferant: quò de Italis videantur, non de Troianis Romani oriundi. Sic deleatur, & pereat nomen Troiæ, quemadmodum vrbs ipsa deleta est, ac perijt penitissimè. Renidens Iupiter, Etiam hoc ostendis, inquit, te germanam esse Iouis, & Saturni filiam, id est, nobilissimi generis propaginem. Est quippe insitum naturâ nobilibus, iram reseruare in occasionem aliquam posteri temporis, etsi eam in præsens concoxisse simulent: & pœnas ijs apud se moliri, quibus se ignouisse videri

volunt. Age, remoue ex præcordijs iracundiam istam: petita indulgeo, rem totam arbitrij tui facio: Latini linguam, nomen, instituta sua retinebunt: corporibus tantummodo permiscebuntur: seu populum vnum quendam multitudine efficient, vocabunturq; Latini communiter: ritus duntaxat quosdam Phrygios illis adijciam. Hoc autem tibi narro, visura es gentem sanguine Italo commistam procreari, quæ pietate homines vniuersos, tantum ne? deos etiam ipsos superabit. Nec per orbem terrarũ inuenietur ulla natio, quæ cum illa (Romanis puta) religionibus in te colenda certauerit. Gratissimus hic nuntius reginæ deûm: quare libens annuit, & mirificè exhilarata, benignior in Troianos ex illo euasit. Cælo excesserat Iuno, cum Iupiter eius auxilijs priuato iam Turno, etiam Iuturnam à fratre iuuando absterrere instituit. Sunt Diræ geminæ, quas cum Megæra, tres vno eodemq; partu Nox ex Erebo conceptas effudit: quæ serpentibus incinctæ, instar auium alas gerunt. Hæ Ioui apparent, & ad ministeria illius iussu obeunda præstò sunt, ad solium eius præsentes, aut in limine excubantes. Quod si quando hominum sceleribus offensus, morbos, pestilentiam, aut alia genera mortis, bellum deniq; mittere decernit, istæ ad terrendos eos, ac metu percellendos præmittuntur. Harum vni mandat, Iuturnæ occurrat, illiq; fraternæ mortis omen faciat. Delabitur in terras cum stridore celerius, adiuuante scilicet natura ipsius, & hortante Iouis imperio. Perinde ut sagitta Parthica, aut Cydonia veneno illita, quod Parthi, & Cydones soliti sunt: ac proinde vulnera fiunt insanabilia. Exercitibus conspectis, magnitudinem suam in noctuæ formam contrahit: noctuæ, quæ sepulchris, & ruinosis ædificijs, ac desertis locis insidens, per noctem dirum, & ominosum canit. Hanc ergo speciem præ se ferens, & ante Turni vultũ obuolitans, clypeum eius alis suis diuerberat. Intelligit ille, hoc portẽto extremum sibi malum portendi, atq; idcirco insolito corpore obrigescit, comæ stant, hæret vox in ipsis faucibus. Iuturna, vbi stridorem audijt, alas vidit, Diram cognouit, crines solutos euellit, vnguibus genas lacerat, pectus pugnis tundit (quæ omnia doloris magni argumenta sunt) & sic incipit.

Iupiter Dirã Turno immittit. His actis aliud.

Eheu, frater mi amantissime, quid in hoc articulo ego soror tua prodesse tibi queam? Pro salute tua tentaui omnia: quid nunc excogitem? quid ordiar tua causa? quò me vertam? qua arte vitam tibi prorogem? A potentiore pessundamur: hoc monstrum Iouis voluntate se attulit, Iouis voluntas inuicta est. Perspicio nimis, quid lethifer iste sonus, quid harum volucrum alæ detestabiles mihi nuntient, nec me Iouis mandata prætereunt. Hoccine autem ablatæ virginitatis meæ pretium? Vitam æternam dedit, ô præclarum munus: mortalem potius me reliquisset: sic enim finirentur dolores mei, quia mors omnia finit: & irem modò fratri meo comes ad inferos: nunc lugebo immortaliter. Quid enim mihi, animo meo charissime frater, sine te iucundum esse vnquam poterit? omnia commoda mea, sine commoditate tua, erunt merissima incommoda, omne gaudium meum, sine te, mœstitudo. Ah, vtinam terra dehiscente sic ad manes hauriar potius, quam ut in superis locis sim, vbi tu esse desinis. Hac lamentatione perfuncta, ne fraternum funus aspiceret, & acerbiorem dolorem caperet, cum altissimo gemitu fluuio sese reddidit. Aeneas (ut ad priora orationem reuocemus) telum ponderosum manu concutiens, Turno instat, cum his vocibus. Quid moraris? quid consilio fluctuas? non est viri fortis, Martem in pedibus gerere: standum, & cominus certandum est. Nunc te in omnes rerum formas transmuta velut Proteus: collige in vnum facultatem tuam omnem, & tenta quidquid potes. Vel te nunc cælo, ut auis: vel cauis terræ, ut musculus crede, non prohibebis à te manus meas. Turnus agitans caput, excipit: non tu me istis grandibus dictis tuis quidquam terres: dij, & Iupiter, quos infensos habeo, quorumq; vim nemo non pertimescit, hi me terrent. Hæc dicens, circumfert oculos: saxum videt ingens, & vetustum, quod pro limite magno iacebat, quodq; vix duodecim (ut nunc sunt hominum corpora) quamuis lectissimi, & robustissimi viri portarent. Hoc ille solus sublatum, connixus toto corpore, captoq; impetu in Aeneam iacit. Veruntamen adeo apud se non est, ut neq; tollentem se, nec currentem, nec euntem sentiat, & planè quid agat ignoret. Sic erat præterea metu fractus, ac debilitatus, ut genua tremerent, frigeretq;, & concresceret sanguis in corpore. Iactus lapis non totum spatium absoluit, neq; corpus hostis attigit. Quemadmodum

Dulcis Iuturnæ querimonia super fratre morituro. Quidnũc te tua.

Mors Turni. Æneas instat cõtra.

modum in quiete, multa videmur nobis velle, & incipere, quæ præstare non possumus, conari, quæ non conamur, currere, cum non curramus: deniq; in medijs cœptis deficere, nec linguam posse mouere, nec verbis progredi: ita poterit vnusquisq; nostrûm de se statum Turni æstimare: talis enim fuit qualis dormientium, & somniantium esse solet, cui nihil, Furia aduersante, procedebat. Variè afficiebatur, vrbem aspectabat, vbi manebat Lauinia, si quid inde veniret auxilij, quod illum rogare pudebat, & meritò. Eadem de caussa Rutulos suos intuebatur. Cunctatur, & telum Æneæ perhorrescit. Prorsus quid inciperet, non dispiciebat. Occasio iam fugiendi dempta erat: audere autem aduersus hostem semimortuus timore qui valebat? nusquam currus, nusquam quæ aurigæ impleret officium, soror. Talibus cogitationibus distracto, Æneas fatalem hastam intendit, & quem locum vulneri fortuna monstrabat, oculis designat. Omni conatu, tantoq; crepitu eam contorquet, vt neq; à murali tormento catapulta, vel balista saxum proiectum in muros: neq; fulmen ipsum cum tali sonitu veniat. Volat instar atri turbinis, lethum Rutulo portans. Nam per loricam, & scutum septem tergoribus compactum transiens, medium femur eius penetrat: quo vulnere curuato poplite humi corruit. Edunt gemitum tremefacti Rutuli, quo mons, & vicina nemora responsant. Tum oculos, dextramq; supplex victori tendens, humili prece, fateor, inquit, me victum: hostem tuum, si lubet, interfice: mortem haud deprecor. Sed si quid te longæui patris mei miseret, illi me dona, ne in orbitatem liberos produxerit, & luctu nimio maceratus, ante diem occidat. Habuisti tu quoq; grandæuũ patrem Anchisen, cui fuisti dulcis, & charus: ex eius erga te affectu, & charitate, parentis mei in me affectũ metire. Sin autem me iugulatum mauoles, corpus meum, obsecro, sepeliendum meis condona. Vicisti, nemo negat: & me tibi supplicantem viderunt, quotquot adsunt. Tuam tibi habeto Lauiniam: ne vlterius exerce odia, cum caussa odiorum sublata sit. His verbis mitigabatur nonnihil Æneæ pectus, & cogitabat infælici ignoscere, eumq; viuum seruare. At ecce, dum huc illuc per corpus eius voluit oculos, cernit in humero balteum, Pallantis spolium, quem à Turno occisum fuisse, superioribus libris expositum est. Hoc viso, vulnus antiquum recruduit: qui inueterauerat, viuescere cœpit animi dolor: quocirca sic geniculantem inuasit. Túne Pallantis mei manubijs ornatus, quibus te iactas, hinc viuus abeas? Propter Pallantem, quem cum insultatione, & superbia tanta obtruncasti, moriendum scias tibi hodie. Pallantem vindico, Pallas te mactat. Hoc dicto, gladium in pectus aduersum immergit. Illi vita è florenti, beneq; constituto corpore indignabunda, & gemebunda ad inferos elabitur.

FINIS.





IN P. VIRGILII MARONIS OPERA PRAECIPVA RERVM, AC VERBORVM INDEX.

In hoc indice prior numerus librum, posterior versum: e, Eclogam: g, Georgica: æ, Æneidem significat.

A.

F.

G.

H.

Laby-

Myr-

Sidici-

V.

X.

Z.





INDEX SECVNDVS, IN SYMBOLAS BVCOL. ET GEORGICOR.

A.

Concani

D.

E.

Mor-

Praci-

T.



IN-



INDEX TERTIVS IN SYMBOLAS ÆNEIDOS.

A.

Aula

B.

Bulla

Coma

Den sea

F.

Famu-

M.

Mezen-

Q.

R.

Romi-

S.

Saturni

Termi-

 stra

FINIS.



In Prodidag: Numero 2. versu 18. Lege, Seneca, procœmio Controuersiar. lib. 5. Ibidem. 5. sub finem, ἐπιγραπτικώτατα malè scriptum, pro ἐναργέστατα. Multi falluntur, qui energia scribũt, vbi scribendum enargia: differunt siquidem notione: hæc enim illustrationem, euidentiam, rerum repræsentationem: illa vim efficiendi agendiue, seu efficientiam sonat. 8. versu 4. belli. 11. v. vlt. & vt. 12. v. penult. alterum. 23. v. 4. τεμενῶν. 28. v. 6, Εἰς. In Eclog. In primo quaternione 1. Eclogæ, statim initiò numeros ad latus versuum primos sic emenda in aliquot exemplar, 5. 10. 15. 9. B. 3, Helenæ. 8. D. 4. æger. 10. A. lege, à dextra fausta. 12. C. 7. ob. 16. D. 2 δὴ. Ibid. 15. tam. 14. B. αἰνιγματώδης. 18 D. præsentiam. 19. B. 3. τὰ συμφέροντα. A. 10. multò vendibilius, Ib. 21. C. 9. Atq; 23. C. 3. coniungendũ. 24 C 5 Turciã. v. 10. Ἀγχιάλη. 25. B. 3. vocat. Ib. 5, fuerunt. 26. A. 7. ille. 30. D. 9. Pomona. 31. A. cæ dẽ &c v. 4. earũ. 33. in Synopsi, donauerit Pollio, 34. B. 9. condiderit. Ib. penult. obseruaui. 35. D. 3. frigore. 38. in v. Virg. Actæo Aracyntho. 41 C 2 αὐτὸς. 48. 10. vbera. 53. C. penult. illorũ. 60. C. 6. Et. 63. A. 7. quos in viuaria, Ib. E. vlt. hœdos. 65. v. Virg. 35. fatebere. 67 C. 13. dici. 77. A. 8. Ib. E. vlt. ait Vitulã. 78, C. 8. itidem, 80. B. 7. l. caprum pro hircum, 83. C. 4 supererat. Post num. 91. corrige numeros per 8, columnas, sic 92. 93, & deinceps, 110. 32. vt vitibus, Ibid. 37. Infelix iunctim lege. 106. A, 2. adde, ἐνθάδε ante δὴ. 111. C. comperit, 112. D. 7. altas Ib. E. 6. herbas, 114. C. 3. tempora Ib. 13. γλυκὺ. 116 B, 2 Instituitq. 118 A. 12. ipsæ. 119. penult. nullas vnquam. Ib. E. 8. ducerentur. 129. A. 4. vidensq;. 127. Et, myricæ. 130. B. 7. serie. Ib. antepenult. cæteros. 132. A. l. rumq; iactatæ. 133 D. 3. gignuntur. Ib. E. 4. l. ouis læuitate. 134. A. 4. & 5. l. sic mundũ in mundo factũ, 135, A. 14. concrescat, Ib. B. vt post solis. &c. hi tres versus locandi 135, A. vlt. post illa. secutus est ordinem, vt post. &c. 136, 7. tolle asteriscum. 139 A. 5. fastidientem. Ib. D. 10, vidisti. 141. A. 15. Ecloga. 4. 141 B. 8. dele alterum sub. 150. A. 4. arbores. 153. E. 10. διαρραγῶσι. 156. B inter textum. 171. D. 2. horrorem. 178, vers. Virg. 67. carmina. 179. B. Plinius autem sic, &c. dele totum. 184. B. 7. exuuiæ. 185. B. 9. euocari, 198, A. 5. insimulas. 205. B. 9. metaphoræ. 208, B. 5, Frigida. Ib. 12. Venabor. In Geor. 9. 234, E. 11. interrogem. 254, v. Virg. 110. arua, 256. B. 6. vtilissimum. 260. A. 4. magnæ. 264, D. 6. certarunt. 265, C. 6. fulgor. 271, A. 13. hæc. 270, in carm. Virg. 170, curui. 275, D, 11, terra, 258. B. 4. fide, 294. A. 8. efferri, 297. A. 9. explica, 300. 6. D. penult. parata. 307. B. 7. legendum. 323. D. vlt. intelligendi. 332. D. 6. χρώμενοι. Ib. E. 2. flammarum 336. car. Virg. 514 retinacula. 360. D. 6. vuæ. 361. C. 2. Cyrenis. 361. C. 4. Erythræi. 365. halitu. 368. C. 7. permutandis. 369. B. 2. Panchæos. Ib. C. 2. toto. 373. C. 3. Lucrinum. 376. B. 5. adiumento, 382. C. 4. verbis, 384. C. 13. prius, 386. C. 8. cap. 7. diuitibus. 404. B. 4. contendant. 409. A. 9. Retulit. 410. D. Dubitant. 413. C. 1. orat. 417. A. referri. 418. A. 2. caperetur. Ib. B. 5. lanas. Ib. v. vlt. defectus. 421. C. 3. carpere. 423. B. 3 Itala. 423 C 7. faucia. 424. D 2. atra. 426 B 5 retunditur. 432. A. 1. populi. 33. 7 sit. 436 A 9 illa. 442 B 2 conuiuia. 444 E 11 audiuit. 446 A 7 Varroni. 448 B 6 pertinere. 453 D 8 auos. 455 C. spectaculorum. 464 B 8 coniunxit. 467 B 11 Æquus. 469 A 10 similibus. 473 A 4 eruditum. 481 A 11 Sila. Ib. B. 2. vi. Ib. 11. tori. 483 A 4 discedens. Ib. B. Huiuscemodi comparatio &c. totum inducendum. tanquam per obliuionem repetitum. 491 A 3 equorum. Ib. C 13 habet 497 C 10 manus. 499 C 10 deferuescat. 500 B 5 intemperatum. Ib. D 8 Amyclæus. 501 B 2 tueatur. 505 4 apponitur 508 A 10 illotus. 511 B tingere. 524 E 2 omnia. 543 C 7 inimica. 544 A 14 suspexeris. Ib. C 6 Luce. 549 D 6 quibusq;. 549 B 8 Exigui. 559 A 14 illis. 566 B 5 Thymo. 570 C 8 fugacem. 583 E 11 pinguiora. 585 B 2 addidit. 587 C 11 milliariũ. 591 A 12 fuerant. 612 D 7 fero. 609 A 8 redintegro. 613 C 13, Acheloias. In Æneide. 623 A 11 excogitari. 625 A 6 Nemore. 628 A 11 honores. 633 C 12 Iugurth. 639 A 14 humani. 640 D 2 exscindendam. 641 D 4 parentem. 642 C, 12 arbiter. 646 E 2 instituisses. 653 C 5 plena. Ib. D 4 fœta. 654 B 14 Ventos. 660 A 14 det. 677 C 10 deuictos. 682 B 3 syrtes. 688 D à dele. 689 C 1 viuo. 695 B 11 Siculi. Ib. E 11 Odyss. 12. 700 D 5 tran. dele. 717 B 5 Quod. 738 A 11 mercaturam. 741 A terra. 750 A 9 subita. 751 A 3 iura. 755 C 7 l. quem annis grauem, & animi maturum. 757 A 13 lege Multa o. lare. hum. plum. vult. 761 B 10 Æacides. 764 versu Virg. 519 Ardebant. 770 E v. eiusdem 527 Iustitiaque. 781 E 5 Didonis. 784 A 2 hesternas. 785 A 10 lychnitem. 787 A 8 tegent. Ib. E 2 probabilis. 796 v. Virg. 685 sacrata sede. 808 C 13 poculis. 809 B 5 camuris, 814 E 11 declarare. 824 B 4 sit. 827 codice. 828 D 8 luco. 829 A 10 occultis. 843 B 10 commentariis. Ib. C 6 consentiens. 848 B 12 versu Virg. 107 pector. e 850 A 8 Aulidaque 858 A 5 solebant, 860 C 10 acrimonia. 865 C 3 Hic, 868 D 1 sera, 873 A 1 l. 2 bell. ciuil. patet. 878 C 5 meminerant. 879 B v. Maronis. 275 qui. 902 B 6 vt proac. 920 A 11 describit, 924 D 12 conuiciis. 927 B 3 ipsum, 932 A 7 recepissent. 963 C 15 pedum. 993 E lege, sparsisse nocturno cruore, 1020 B 3 terra. 1021 C 1 aperit. 1030 A v, Virgil, 262 obscœnæq;. 1040 C 2 casus. 1046 C 8 trementem. 1044 A 6 exortia. 1048 A 9 Victor lib. 2 1049 v. Virg. 360 Clarij. 154 C 7 Æx 1055 versu Virg. 401 Lyctius Iterum. 409 casti. 1057 C 2 etiam à 1061 A 9 videbis. 1067 C 2 exposuit. 1070 B 9 Phrygium iuuentum 1073 B 9 nocturna. 1084 E 11 motat. 1094 A 3 gigantis. 1110 B 8 Carpitur. 1119 C 2 iniuria. 1124 E 10 nigrescere. 1152 C 5 quidam, 1161 C 7 caducum. 1204 B 10 soporem. 1219 C 2 loquor. Ib. D Atqui tum, 1247 B 3 Lucilii quos. 1253 B 10 Templis. 1263 D 11 proræ. 1264 D 10 à calce ad calcem. 1269 A 5 ergo. 1283 A 12 Bellè in Octauio Minutius. 1286 B 3 Tegeæus 1298 D Hercule. 1313 B 6 omnes, 1327 A 13 Imbricitor Aquiloque. 1341 B 1 supra pro infra, 1347 B 8 quot. 1348 B 11 magnæ vrbis. 1382 A 2 externum. 1391 C 5 Æneatorum. Ib. 10 sceleratiores. 1399 A 5 Teretes. 1407 C 2 spirandi. 1437 A 5 dele quoque. 1444 A 1 Quæsitoris. 1447 C 3 historiis. 1348 C 12 Anticlea. 1471 B 3 tartaro. 1473 A 7 Dione. 1487 versu Virg. 636 spargit aqua. 1490 C 9 Nunc ad aliorum &c. dele totum, 1507 A 8 ἐνταδείας tralatione. 1516 C cum ilignea. 1573 A 9 hoste, 1586 C 7 Lambin. pro Lambert. 1590 B 2 l. ἀστράπτει καὶ τεκῶν. 1593 B 11 exterminatur. 1597 B 2 primùm. 1599 D Idæos 1637 E 1 subriguntur. 1638 C 3 Plutonem. Ib. E 1 occasio. 1666 A 12 tum. 1670 B 11 cum dele. 1675 C principes. 1676 C 6 fertilis. 1708 E 5 canto. 1713 B 3 Graiugenûm. 1723 B 1 omnibus. 1731 A 9 quære. 1740 versu Virg. 298 Typhoëus. 1741 D 4 gradu. 1752 A 12 parẽtem. Ib. C dele sententiam. Cic. è 2 Off. repetitur enim lib. 11. 1762 A 14 placidumque. 1781 C versu Virg. 559 Hæret inexpletum. 1789 A Οἷος δ' ἀνὴρ cum seq. 4 tolle, inculcatos per operas. 1799 A 10 currus. 1814 C 3 instite-rant. Ib. E 4 Tarpeio. 1819 D 5 immolent, Ib. insontes etiamsi quotidie &, dele. sunt enim per oscitantiam typographi iterata vt alia alibi. 1822 in synopsi. 10 conspicue. 1831 D 2 exercitui. 1833 C tacitos. 1848 B 1 auxiliis. 1456 A 3 conditionem. 1858 A 9 in Italiam. 1859 A 8 quies. 1862 A 7 moresque, Ibid. C 6 sanguis. 1873 D 4 Ennianã nã. 189 A

patarent.1899,A.6.non.1901.C.2.connexis.1907.v.Virg.559.ftrinxerat.1917.D.8.fegnis.1919.A.12.partis.1922.B.6.biiugiq;.1941.in fynopfi v.13. fufciperent.1943.fub finem. fe dimicaturus commiferat.1948.E.12.deos.1950.A.9 arceflerent.1951.D.7.confenfu.1954.C.1.contigimusq;.1955.A.1.adunca.1961.C.11.expromis.1962.E4.Æneæ.1967 A.1.infit.1968.A 10.abhorrentem.1970.A.1.VLLA.1976.C.4.alio.1978.B.11.incinctæ.1984.A.2.inter,Ib.v.Maron. 221.è nauibus 1988.v.Maron.254.ritè.1989.B.8.Cymodocea.1990.C.5.Danais.1991.D.12.CHRISTI:EQVE.1995 A.2.diceret.1999.B.14.Et.2005.B.4.FERIT.2007.v.2.Virg. Latio dare terga. 2009.B.4.Liuianis.2015.B.7.calamitates.2025.C.1.querelam.2031.E.7.neceflarium. 2033. C.10. Athenienfes.2037.A.4.adiectiuum.2038.A.9,Caftoris.Ib. C.13.hyemem.Ib.D.4.fignificat.2042.A.7 genere. 2058.A.3.nonullos.2063.C.11.amicifsimi.Ib.E. Orioni.2064.A.1.multos. Ib. B.1.gloriæ.Ib.3.hominis.Ib.D.7.in :rpreti.Ib.12.arroganter hæc.Ib.E12.hiftoria.2064.B. inguine.2067.A.10,adolefcentis.2068.B.12.lætitiæ.2078.A.5. in.2091.D.4.Euandro. 2105.D.4.virtutibus. 2103.A.3. carmine.2107.verfu Maron.149.l.fed venit in medios.Pheretro,&c.2108.D.10.faces.2120.D.4.imitatio.2121.B.6.τέτοις.2127.B.8.Dicta.2129. B.6.CONTVLIMVSQ. 2135.D.3.dolerent. 2146.C.13.dextra.2150.E.3.Act. 2161.D. 2. Milit. 2164.A.10.occurrere.2171.C.8.Italusue. 2173.C.9.obtectum.Ib.D.1.hiftoriola.2177.C.2.Pifonem.2186.C 4. in v. Maron.716.tentafti.2188.B.11.Venerem.2193.A.4. fieri.2203.C.3.Philipp.2208.vlt.lacrymas.2205.A.10. propugnare. 2235.A.v.1.PROLVDIT.2177.C.2.Pifonem. 2264.B.5. Glycerium.2213.A.nu.tolle.2224.E.11. impatientiffimus.2217.A.6.monomachiam.2227.C.11.ftriatis.2244.B.poftes.2246.A.ferrum.Ib. C. 9. ADMOVITQ. ARIS. 2258.B.5. ARIS. 2259.A.4.Afpice.2264.A.6.Trabs.Ib.4.Glycerium.2265.C.2.inuehitur.2272.B.10.matre. 2273.A.7.funt.2280.A.8.ἰατρὸς.2283.C.1.caligine.2289.A.11.[illegible].2293.B.11.de fe,fuaque. 2294.B.5.ἄνδρα.2300 B.22.fortis.2304. A. Alicuius.2305 B 5,putant.2313 A 9,dixerat.2315 C 12. Ætnam.2316 B 9,FVRERE.2318 A 1,fingulare.2319 D 4,VIRTVS.2323 A 11,varietate.2324 E 7,Gallicus.Ib.C 5,ἀξίῳ.2329 C 9,nemini.2334 C 13, æthere. 2336 A 2,inquam.Ib.E 7,Ianua. 2339 A 24,manu.2340 C 2,εἴλετο.2348 E.13,debuit.2350 A 9,Bofphori. IN PARALIPOM. 2353 A 13,ἔχομαι.2355 A 8,quem.Ib.C 3, licentia. Ib. 16.nuribus.2361 D 4,legendum.Ib.B 5,aberrare. 2362 C 11, principio.Ib.E 3,pedem.2365 A 7,Voces.Ib.D 8,reliquerit.Ib.D 9,æftiuum.2368 A 6,reditione.2367,& 2368 vterque numerus temerè inculcatus,& ita fequentes numeri funt corrupti.2367 E.agunt etiam Vegetius.1369 C 6, diutius.Ib.E 6,tolle in.2370 C 3,AGROS.2371 E 4,5,Phthiotica.2382 B 4,exempta.2385 A 9,in cuiusuis.2390 C 10, Ecbatanis.2395 A 1, nunquam.Ib.11,ποῖον.2396 A 3,anguftiorique.2402 D 7,præterea.2404 E 8,abires. 2405 E 6, conuenit.2408 E 2,quod.2409 D 7,[illegible]. 2412 A 14,cumulo.2414 A 1,quoq;.2416 D 13,AVSPICIIS.2420 A. Virtutis, 2424 A 12,igitur.2428 A 6,excipiendus.Ib.B 7,Diana. IN PARAPH.pag. 37.v.14. à fine, l. Tibridi,in quam fufpenderet. Quædam adhuc Græcarum vocum correctiones.400 B 7,[illegible].404 A 13, [illegible].418 C 4,τεκμαίρεται. Ib.E 4,[illegible].421 B 4,καρτερώτατον.486 D 3,[illegible]. 490 E 1,[illegible]. 571 D 12, ἄλλῳ.641 B 7,πύργος.642 C 9,μεταπιστεύσας.658 C 11, [illegible].706 B 13,[illegible].757 A 10,Οἰδ'.891 C 7,[illegible]. 822 B 3,ἄεθλον.1021 A 11,κεκαλυμμένον.834 C 5,[illegible].1136 B 2.[illegible].Ib.D 2,[illegible].1145 C 5,[illegible].1348 A 6,[illegible].1400 C 2,Il.6.καὶ τότε δὴ λύσαντα,καὶ.1876 D 2,[illegible].1946 A 3.[illegible]. 1953 A 13, [illegible]. 1965 A 5,τεῖχη.1990 E 5,prætermiffum in verfu eft πῦρ.2022 A 10,δύναμις. 2023 D 11,[illegible]. 2031 A 4, [illegible]. 2064 B 7,[illegible].2076 A 10,τοκήων.



Augustæ,

EX OFFICINA

TYPOGRAPHICA

Ioann. Prætorii.

Cum priuilegio Cæsar. Maiest. perpetuo.

Anno 1599.

H ss.

